BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
2 H
13
YIA3 1266

JOANNIS
MORINI
COMMENTARIUS
HISTORICUS
DE SACRAMENTO
POENITENTIÆ.

Digitized by Google

12.2 H.13

JOANNIS MORINI

Bleſenſis, Congregationis Oratorii D. N. Jesu Christi Præsbyteri,

COMMENTARIUS HISTORICUS

DE DISCIPLINA

IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTI POENITENTIÆ


Tredecim primis ſeculis in Eccleſia Occidentali, & huc uſque in Orientali obſervata, in decem libros diſtinctus.

QUIBUS

QUIDQUID A SANCTIS PATRIBUS IN LEGIBUS, ET PRAXI iſtius diſciplinæ conſtitutum, derogatum, ampliatum, abrogatum, & quovis modo relaxatum, aut novatum eſt: Quando, quave occaſione, aut cauſa id factum, luculenter enarratur.

HIS INSERTA SUNT, QUÆ JUDÆI ANTIQUI, ET recentiores tradunt de Pœnitentia, Confeſſione peccatorum, Excommunicatione, Abſolutione, criminum pœnis, aliiſque ad Pœnitentiam apud eos ſpectantibus.

AD OPERIS CORONIDEM COMPLURES LIBELLI POENITENTIALES, ET confeſſionis peccatorum edendæ, Pœnitentiæque de iis agendæ Ordines, Græci, Latini, Hebræi, ex antiquiſſimis variorum ſeculorum codicibus eruti, nuncprimùm in lucem prodeunt: Græci, & Hebræi Latinitate donati, & illuſtrati.



VENETIIS, MDCCII.

Apud Nicolaum Pezzana.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

AUCTORIS
AD
LECTOREM CATHOLICUM
PRÆFATIO.

In qua exponit, quid primariò, & ſecundariò in hoc opere ſibi propoſuit, quid tamdiù illius editionem diſtulit; quid in eo vitavit, & vehementer averſatus eſt: quid Hæreticum propriè, & præcisè conſtituit. Docet quoque generalem Eccleſiæ conſuetudinem, non ſecus ac generalium Conciliorum decreta, obſervandam eſſe, & privata auctoritate ſceleſtè, & impiè mutari: Hactenus in Eccleſia inauditum, celebrem aliquem Doctorem omnibus aliis in cauſa fidei eſſe præponendum.

IAm agitur annus vigeſimus quintus, cùm hujus operis de Adminiſtratione Pœnitentiæ edendi me publicè reum feci. Ita tunc illius editionem promittebam, veluti materia præformata mihi eſſet in promptu, & fœtus partui maturus. Sic ſcribebam in præfatione, & capite primo libri ſecundi Exercitationum Eccleſiaſticarum, quas anno ſalutis CIƆIƆCXXVI. in lucem emiſi. Verùm cùm cauſa privata tantulùm me ab editione remoratur, occaſiones variæ, graveſque exoriuntur, quæ tempus, quod breve credebam futurum, fecerunt longiſſimum. Interim meum de Pœnitentia ſcribendi conſilium amplio, atque in multa, de quibus primò non cogitabam, prorogo. Primùm enim mihi ſolùm proponebam Eccleſiæ diſciplinam, qualis fuit erga Pœnitentes annis quingentis, vel ſexcentis, ex antiquis monumentis quoad poſſem exprimere, & explicare. Sed cùm olim ſcripta variis temporibus reviſo, & recenſeo, novæ ſuccreſcunt difficultates; novus diſcendi ardor animum ſtimulat, & urit, mihique paulatim perſuadet propoſito me rectè defungi non poſſe, niſi diſciplinam Pœnitentialem ab ipſa origine arceſſitam ad umbilicum uſque perducerem. Ideò carceres, quos hiſtoriæ meæ initio præfixeram ſolvere, & ad annum uſque ducenteſimum ſupra milleſimum ſubmovere, tandem apud me decerno. Cùm autem ſcripta Sanctorum Patrum, & Conciliorum canones propter ſummam brevitatem, qua Pœnitentiæ ritus deſcribunt, aculeos animo, & ſcrupulos nonnunquam iniicerent, mihi viſum eſt, antiquis Pœnitentialibus, & Confeſſionis edendæ ordinibus eos evelli poſſe, ſi aliquos nanciſci

quo-

quoquomodo daretur. Libellos igitur ejuſmodi in antiquis Bibliothecis, ut deſiderium noſtrum expleremus, ſtudioſè, cùm ſeſe dedit occaſio, inveſtigavimus: nec penitus fructu laboris noſtri fruſtrati ſumus, ut ex iis, quos ad calcem operis noſtri adtexuimus, colligi poteſt.

Qua cura in Pœnitentiali Latinorum diſciplina verſati ſumus, eadem in Græcam ferri nos impulerunt, & diſcendi ſtudium, & antiqui moris reverentia. Diligenter igitur pro ingenii noſtri tenuitate antiquos auctores Græcos, qui poſt immutationem diſciplinæ à Nectario introductam ſcripſerunt, ſcrutatus, ex iis, quæ diſciplina antiquæ ſucceſſerit, & qua ratione in hunc uſque diem perſeveraverit, evolvere, & in lucem proferre tentavi. Plurimùm ad hoc peragendum nos adjuverunt antiqui Pœnitentiales Græci, in quos non infeliciter incidimus; nec his importunè ſuccurrerunt recentiorum Græcorum ſcripta nonnulla. Utraque à tenebris, & longa hominum oblivione vindicata nunc primùm edimus, ut ex ipſis fontibus hauriat Lector Græcorum diſciplinam.

Cùm autem opus ad faſtigium jam procederet, animum ſubiit deſiderium inquirendi, quid de Pœnitentia, ejuſque partibus traderent hodierni Judæi, quidve à Majoribus continua ſucceſſione accepiſſent. Sed inquiſitionem poſt operis faſtigium diſtuli, ne utrumque ſimul aggreſſus, impar eſſem utrique ſimul elaborando; nève contra morem meum variis ſtudiis eodem tempore vacarem. Opere igitur, ut mihi videbatur, conſummato, animum ad monumenta Hebraica appello. Statim verò tam fertilis, & multiplex de hiſce rebus diſſerendi materia ſeſe amplexandam exhibuit, & antiquæ Chriſtianorum diſciplinæ tam ſimilis, atque à tam multis Hebræis auctoribus, antiquiſſimis, mediis, & hodiernis teſtata, & explicata, ut difficile mihi fuerit, quæ omitterem, eligere, difficiliuſque manum è tabula ſubducere.

Iſta ſimul conjuncta, de libello, quem anno CIↃCICXXVI. pollicitus eram, magnum fecere volumen. Fecere quoque ut uno & eodem conatu huic elucubrando non incubuerim. Sæpius intermiſſum eſt, ſæpius redintegratum, ſæpius multis annis intercedentibus interruptum. Diverſæ enim longorum laborum occaſiones diverſis temporibus occurrentes animum aliò tranſtulerunt, meque, ut multorum annorum inducias cum Pœnitentiali cura pangerem, ſæpius coegerunt. Hujus rei teſtes ſunt laborum iſtorum magna pars intermedio tempore partim edita, partim apud me confecta, & accurata, brevique, Deo propitio, edenda. Quanquam opera iſta toties poſita, & reſumpta fuerit, Scopus tamen, quem mihi ab initio propoſueram, & publicè eodem anno declaraveram, mihi ſemper unus fuit & conſtans. Sed nonnulla, & magni ſanè momenti, poſt ſcopum, & propoſitum meum non modò conceptum, & deliberatum, ſed etiam poſt materiam exequendo congeſtam, & pro majore parte diſpoſitam, & adornatam, eique velut geſtientem, publicè contigerunt, quæ mihi neceſſitatem nunc te, Catholice Lector, de ſcopo meo præmonendi videntur imponere, ne quæ ſunt à mente mea, à genio meo, à viri Catholici officio alieniſſima, mihi iniquè imputes. Examen equidem totius operis omnibus calumniis, & præpoſteris conjecturis anſam præſcindit. Sed quotuſquiſque libros legit, & de iis aut ex titulo, aut ex anticipata opinione non judicat? Ideò operæ pretium mihi ipſi, non modò tibi, me facturum credidi, ſi quid in hoc opere mihi propoſuerim, quid non cogitaverim, & cogitatum protinus exhorruerim, paucis explicarem. Cùm autem multa ſint, ea ad quinque præcipua capita revocabo, de quibus ſigillatim te monebimus. Horum primum eſto generalis propoſiti mei in toto hoc opere explicatio, quod ut intelligas, nonnulla me præfari oportet.

Multa ſunt inter Catholicos, & Hæreticos in cauſa Pœnitentiæ controverſa, quæ lon-

longum eſſet hic enarrare. Ea nunc in quatuor palmaria capita contraham. Primum, ſingulorum peccatorum Confeſſionem apud Sacerdotem ſecretò, & particulatim edendam eſſe. Secundum, peccatorum ante baptiſmum, & poſt baptiſmum perpetratorum hoc eſſe diſcrimen, quòd illa facilè, & nulla ſatisfactione impoſita remittuntur; hæc difficilè, poſt multam lachrymarum effuſionem, & laborum tolerantiam. Tertium, ſatisfactiones, & opera laborioſa peccatis poſt baptiſmum remittendis eſſe imponenda. Poſtremum, pœnas ab antiquis Patribus indictas non fuiſſe tantùm civiles, & politicas, ſed Deo potiſſimùm, non ſolùm Eccleſiæ ſatisfeciſſe. Quatuor hæc Pœnitentiæ Catholicæ axiomata, & fundamenta, nefandis execrationibus inſequuntur, iiſque bellum ἄσπονδον odio agreſti, & implacabili indixerunt, quotquot his poſtremis ſeculis exorti ſunt Novatores. Cùm autem circa ſatisfactiones præſertim, pœnaſque de peccatis ſumptas innumerorum teſtium nube confunderentur, obruerentur, ut eorum auctoritatem elevarent, & infirmarent, duo præſtiterunt: Prius, grandem illis immodicæ ſeveritatis dicam impegerunt. *Parum me movent*, inquit eorum Coryphæus *inſtitut. lib. 4. cap. 3. ſect.* 38. *Quæ in veterum ſcriptis de ſatisfactione paſſim occurrunt: Video quidem eorum nonnullos, dicam ſimpliciter, omnes ferè, quorum libri extant, aut hac in parte lapſos eſſe, aut nimis aſperè, ac durè locutos.* Delicatuli homines, volunt ſub umbra, ſine pulvere, & ſudore vincere, & coronari. Ideò Catholicam illam, & perpetuam Eccleſiæ diſtinctionem inter peccata, quę baptiſmum pręceſſerunt, & quę ſecuta ſunt, totius diſciplinæ Pœnitentialis fundamentum, conviciis, & maledictis furioſè inſectantur, & qua poſſunt arte conantur evertere: *Verùm qua ſunt perverſitate*, inquit idem eorum Propheta, *ibid. ſect.* 26. *Et peccatorum remiſſionem, & reconciliationem ſemel fieri dicunt, cùm in gratiam Dei per Chriſtum in baptiſmo recipimur: Poſt baptiſmum reſurgendum eſſe per ſatisfactiones, ſanguinem Chriſti nihil prodeſſe, niſi quatenus per claves Eccleſiæ diſpenſatur. Nec de re dubia loquor, cùm ſuam impuritatem clariſſimis ſcriptis prodiderint: nec unus, aut alter, ſed univerſi Scholaſtici.* Poſteriùs, ſatisfactiones illas docuerunt eſſe tantùm civiles, & politicas, ad ſatisfaciendum Eccleſiæ, non Deo, inſtitutas. *Non concedam*, inquit idem eodem loco, *eos ipſos adeò fuiſſe rudes, & imperitos, ut eo ſenſu illa ſcripſerint, quo à novis iſtis ſatisfactionariis leguntur.* Paulò poſt diſtinctiùs ſeſe explicat, aſſeverans antiquos Patres vocaſſe, *Satisfactionem, non compenſationem, quæ Deo redderetur, ſed publicam teſtificationem, qua, qui excommunicatione mulctati fuerant, cùm in Communionem recipi vellent, Eccleſiam reddebant de ſua Pœnitentia certiorem.* Atque ita Pœnitentes dictos, *non Deo, ſed Eccleſiæ ſatisfacere.* Longum eſſet Aſſeclarum iſtius hominis, immò Novatorum omnium ſententias, ſed potiùs dicteria, & ſarcaſmos in ſanctos hos labores putidiſſimè exhalatos perſequi, vix eſt ullum fidei dogma, quod procaciùs, & dicaciùs proſcindant. Quanquam enim ſeſe mutuò cane pejus, & angue odio perſequantur, & dilacerent; in his tamen quatuor fidei Catholicæ capitibus oppugnandis unis animis conſpirant.

Scopus igitur, ad quem in hoc toto opere componendo, & adornando, manibus, oculiſve perpetuò collimavi, demonſtratio eſt, & illuſtratio quatuor iſtorum capitum, & eorum, quæ eis vel ex natura rei, vel Eccleſiæ decreto conjuncta ſunt. Hoc autem judicavi mihi faciendum eſſe non rectà, & apertè cum Hæreticis congrediendo. Id olim Tractatores Catholici eruditiſſimi ſolidiſſimè præſtiterunt, deque Hæreticis in hac pugna nobiliſſimè triumpharunt. Sed rationem inivi ab ea longè diverſam, difficilem, magni laboris, & multiplicis, ex qua idem πόρισμα quod ex præcedente, ſed multò, ut mihi videtur, cumulatiùs, & ſplendidiùs conſequitur. Conſtitui igitur apud me diſciplinam Eccleſiæ circa univerſas Sacramenti Pœnitentiæ partes ſingulatim explicare, quid in ſingulis ejus partibus tam in Oriente, quàm in

Occidente additum, ampliatum, abrogatum, imminutum, aut quovis modo variatum eſt, quibus cauſis, & occaſionibus id contigit, inveſtigare, eruere, & initio ab Apoſtolis facto, per tredecim ſeculorum ſpatia paulatim deducere.

In hoc opere duo in antiquis Eccleſiæ monumentis adeò clarè, & ſplendide fulgent, ut inſcripta videantur ſolis radio non atramento, fulguribus non verbis. Prius, ne heri, aut nudius-tertiùs hoc nos adinveniſſe exiſtimes, annos abhinc viginti quinque his verbis expreſſimus. *Nihil nunc in Pœnitentiæ Sacramento Eccleſiam Catholicam imperare, aut uſurpare, quàm quod ab antiquiſſimis Patribus, viriſque Apoſtolicis, imperatum olim, aut uſurpatum fuit, infirma tandem Chriſtianorum fide ſic expoſtulante, hoc unicum diſcrimen ſe inſinuaſſe, Eccleſiam antiquitus longè ſeveriorem fuiſſe, nunc multò clementiorem eſſe: antiquitus variorum rituum, & ceremoniarum obſervantiorem, nunc ſimpliciorem; antiquitus non omnibus, nec omni tempore gratiam induiſiſſe; nemini nunc eam petenti denegare.* His nunc addendum, Eccleſiam Catholicam nihil hoc, & poſtremis ſeculis imperare, aut uſurpare, non modò quàm quod antiquiſſimi Patres, & viri Apoſtolici uſurparunt, verùmetiam quàm quod univerſus Oriens, & Occidens, & univerſa Chriſti Eccleſia quacunque terrarum diffunditur, ab Apoſtolis accepit, & in hunc uſque diem obſervatione continua uſurpavit.

Poſteriùs, cùm in omnibus Novatorum conventiculis, tum maximè Calvinianorum, nullam eſſe antiquæ, & Apoſtolicæ diſciplinæ Pœnitentialis umbram, nedum imaginem; quid de veritate dicam? Attamen ut in Parænesi ad Pœnitentiam nos docet S. Pacianus, *In Pœnitentiam quaſi fibulam totius Eccleſiæ diſciplina coarctatur*. Immò ſi ad Hæreticorum libellam examinemus, quæ ab antiquiſſimis, & Apoſtolicis viris continua multorum ſeculorum, & indefeſſa ſucceſſione, facta ſunt ſtudioſiſſimè, prædicata contentiſſimè, diſputata peroſiſſimè, obſervata religioſiſſimè: Quid aliud hinc conſequetur, quàm antiquos illos viros Apoſtolicos, religionis Chriſtianæ fundatores, fuiſſe viros planè nugaces, deliros, Agyrtas, & Circulatores impudentes, qui fumos populis cariſſimè venditarunt, & ludicrorum objectu iis miſerrimè illuſerunt? Ut quid enim tantæ cum Montaniſtis, & Novatianis contentiones de venia gravioribus peccatis concedenda, de Pœnitentia ſine ſpe veniæ, & Abſolutionis non imponenda? Ut quid tanti tumultus Lapſorum cum Cypriano, & Clero Romano de Abſolutione ipſis ſine Pœnitentiæ actione impertienda, de libellis Martyrum, quorum intuitu peccatorum Abſolutio, & perfecta Communio accelerabatur? Nunquid apud Hæreticos ejuſmodi quæſtionibus locus eſſe poteſt? Quid aliud præter hoc, aut quid ejuſmodi juxta principia doctrinæ ſuæ his quæſtionibus reſpondere poſſunt? Nugivenduli de Aſini umbra litem movetis: Armati, & bullati nugis de lana caprina rixamini. Nulla ſatisfactio, nulla opera laborioſa poſt Chriſti ſanguinem ab hominibus exiguntur: nullorum peccatorum venia ab hominibus concedi poteſt. Quid, ſi eorum doctrinam, & diſciplinam cum variis Pœnitentiæ claſſibus, Fletu, Auditione, Subſtratione, Conſiſtentia comparemus; Si cum canonibus Nicænis, Ancyranis, Baſilianis, & innumeris ejuſmodi, quæ toto opere noſtro explicamus, An index, an veſtigium, an vel ſuſpicio antiquæ, & Apoſtolicæ obſervationis apud eos emicabit?

Itaque his duobus tertium eſt conſectarium, Eccleſiam Catholicam, contrà quam prædicant, ſex primis à Chriſti Aſcenſione ſeculis integris, maximè impiam, & Antichriſtianam fuiſſe: Ab annis autem abhinc quingentis cum Theologia, quæ vulgò Scholaſtica nuncupatur, primùm orbi Chriſtiano illuceſcere cœpit, ab impietate receſſiſſe, atque ad veram pietatem, ſanamq; doctrinam magis, ac magis in hunc uſque diem acceſſiſſe. Nam doctrina illa Pœnitentialis ſuperiùs enarrata, quam tantis

tantis animis contendunt impiam eſſe, & Antichriſtianam, conſcientiarum carnificinam, meritorum Chriſti, & religionis Chriſtianæ everſionem, viguit omnibus illis ſeculis ſeveriſſimè? ſed præcipuè, & inſigniter, tertio, & quarto. Unde neceſſariò conſequitur, antiquos illos Apoſtolicos viros, qui religionem Chriſtianam, pietate, doctrina, & ſanguine ſuo fundaverunt, immò Apoſtolos ipſos præ cæteris omnibus fuiſſe impios, Antichriſtos, meritorum Chriſti everſores, & conſcientiarum carnifices. Scholaſticos tandem Doctores antiquiſſimorum Patrum impietatem emendaſſe, carnificiam duritiem emolliiſſe, diſciplinæ Eccleſiaſticæ ab iis inſtitutæ maculas, & ſordes eluiſſe. *Interrà perperam evangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam adminiſtrata, tot virtutes, tot Chariſmata perperam operata, tot Sacerdotes, tot miniſteria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata;* donec humani generis hoſtis Lutherum, & Calvinum ab Inferis evomeret, qui doctrinam Chriſti à viris Apoſtolicis, & Sanctis Patribus afflictam, obſcuratam, corruptam, priſtinæ incolumitati, nitori, & ſplendori reſtituerent.

Hoc fuit propoſiti mei in hoc labore primum, & palmare caput, ad quod velut ad ſcopum, & Helicen ſuam referuntur quæcunque in eo dicta ſunt, explicata, aut diſputata; de quo judicavi neceſſarium, Chriſtiane Lector, te commonefacere, ne ſuſpicareris ad illud aggrediendum iis turbinibus me excitatum, qui ab annis ſeptem Pariſiis primùm eruperunt, indeque per univerſam Galliam volitarunt, & coruſcarunt. Ut enim annis pluſquam viginti ante hanc eruptionem hoc propoſitum animo inſidebat, ſæpiuſque in illud delineandum, & exornandum incubueram; ita judicavi mei officii non eſſe aliorum negotiis me immiſcere, & inſerere, ſed opus longo annorum tractu conceptum, magna ex parte actum, & elaboratum, nulla prorſus ratione ad incidentem controverſiam habita, peragere, & concludere. Hoc facilè animadvertet, quicunque cognita controverſia recens nata opus noſtrum legerit. Si quid enim ad eam referri poteſt, quod nos divinare non poſſumus, ſingulare non eſt, ſed materiæ olim propoſitæ explicatio, & ductus neceſſarius id à nobis expreſſit. Ideò curioſitatis cauſa lecto uno, aut altero de hac nova quæſtione libro cum primùm emerſit, cæteros utrinque prætermiſimus, ne noſtra ſcribentes animum ad eorum controverſias reflecteremus. His accedit, quòd cùm nova iſta lis inter Catholicos oborta ſit, deflenda potius eſt, & verbis lenienda, quàm remediis exacerbanda. Ut ut ſit, non abs re timent viri boni, ne, dum æquo juſtiùs hi pœnas peccatis debitas intendunt, illi remittunt, diſciplina Eccleſiaſtica diſſolvatur, delictiſque fibula laxetur. Sed hæc cautio ad eos pertinet, quorum ſolicitudini Eccleſiæ commendatur.

Secundùm hoc, alterum propoſiti noſtri caput fuit, Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, quæ ferè tota in Adminiſtratione Pœnitentiæ ſedet, diagramma ob Catholicorum oculos deſcribere, & demonſtrare, qualis erat naſcente Eccleſia, qualis adoleſcente, qualis juveneſcente, qualis poſt idololatriam deletam, & univerſum orbem ſubjectum, quæ in ea variata, quæ remiſſa, quæ intenta, quæ abrogata; qua denique occaſione, & ratione, vel in Occidente, vel in Oriente hæc, & innumera ejuſmodi unoquoque ſeculo contigerunt. Labor hic mihi viſus eſt viro Eccleſiaſtico dignus, licèt nulla ex eo hæreſis fundamenta quaterentur. Qui antiquæ Romæ rudera, & lacera marmora è pulvere, cloaciſque ſubterraneis eruunt; qui delineant nobis, ubi via ſacra, ubi porta triumphalis, ubi Carmentalis, ubi Janiculum, ubi templum Jovis Statoris, ubi Jovis Capitolini, ubi Circus Flaminius, & innumera ejuſmodi, Qui totam vitam in his, ſimilibuſque indagandis prodigunt, cum laude, &

ſtudio leguntur. Mihi quoque viſum eſt ab ineunte iuventute non omninò oleum, & operam perdere, nec ingratum opus eruditis Lectoribus facere, ſi antiquatam Eccleſiæ diſciplinam delineare conarer.

Duo hæc priora capita nobis propoſuimus, & explicare intendimus: Ideò hoc opus ſuſcepimus, & elaboravimus. Sed tertium cum primùm nobis in mentem venit, exhorruimus; nuncque Lectorem, ne tantum nefas nobis imputet, occupare volumus. Qui antiquæ diſciplinæ è tenebris eruendæ, & illuſtrandæ navat operam, ſive ea Pœnitentiam ſpectet, ſive alia Sacramenta, aut qualeſcunque Eccleſiæ ritus, duplicem ſcopum ſibi proponere poteſt. Vel ſimpliciter intendit ritus, quales olim erant, & exercebantur, ante Lectorum oculos deſcribere, & exprimere: vel id facit, ut theoriam ad praxim revocet, & memoriam rituum antiquorum intermortuam renovet, uſumque antiquum recentiore correcto reſtituat. Prius cum laude ſemper præſtiterunt viri docti. Hoc illis crimini dare, novum eſt, & hactenus inauditum. Id tantùm improbare poſſunt literarum hoſtes, homines ſtupidi, bardi, Becceſelini, & Barbari βαλανοφάγοι. Viri Docti eundem laborem aliquot abhinc annis in eadem materia exantlaverunt. In aliis Sacramentis quot idem præſtiterunt? Quis tamen inde collegit, eos uſitatum ritum pervertere velle, & novum inducere? Poſterius autem nullus vir prudens, & cordatus propria auctoritate fecit unquam. Eſt enim res periculoſa, turbulenta, ſeditionibus obnoxia, cui pro prudentia ſua debent obviàm ire Magiſtratus, ne hæc novitas antiqui moris obſervandi pretextu armata, Reipublicæ, quod plerunque ſolet contingere, detrimentum inferat. Legere enim eſt, multas Reſpublicas levibus ejuſmodi occaſionibus non modo perturbatas, ſed etiam everſas, aut in aliam formam perverſas. Novitas, quæ in plebis animos ſeſe inſinuat, aut inſinuare poteſt, in omni Republica meritò ſuſpecta eſt, niſi Reip. Proceres, penes quos illius adminiſtrandæ poteſtas, eam examinaverint, & admiſerint. Iſtud, prius quod ſemper laudabile fuit, & cum gratulatione acceptum, ab annis plurimis ſuſcepimus, & peregimus, eo quòd conjiciebamus iis rationibus, quas modò explicavimus perſuaſi, omnibus antiquitatis Eccleſiaſticæ amantibus placiturum, & non contemnendum in Eccleſiam commodum ex eo peracto proventurum.

Ratio principalis, qua niſi tantopere averſamur uſitati moris, & ab omnibus recepti cum antiquiore, & quolibet alio commutationem, aut caſtigationem propria auctoritate factam, quartum eſt noſtræ præfationis caput, cujus enarrationem velim Lectorem diligenter attendere, ut de fine, & ſcopo, quem in toto opere meo, & in ſingulis ejus partibus, immò periodis, ob oculos indeſinenter habui, ſanè judicare poſſit. Promiſſiones Dei Eccleſiæ factæ de ea omnem veritatem docenda, & ab omni errore conſervanda, continuæ ſunt, & perennes, nec magis illi conveniunt tempore Apoſtolico quàm hoc ſeculo. Deinde non modò reſpiciunt capita, ſive articulos fidei, & eorum theoriam, verùm etiam bonos mores, illiuſque regimen, & gubernationem. Hoc eſt, Eccleſia Dei à Spiritu Sancto ſic agitur, & regitur, ut nunquam docere poſſit, quod bonos mores lædat, aut convenienti, & utili ipſius regimini ſit adverſum. Cùm enim Eccleſiæ Paſtores, etiam ſupremi, homines ſint, humana ſæpè patiuntur, aliterque nonnunquam in hypotheſi, & καθ' ἕκαστα agunt quàm docent. Sed nos morum præcepta, conſuetudineſque univerſaliter approbatas ſpectamus, non quod agunt hi, aut illi Paſtores, vel ignorantia falſi, vel obreptione deluſi, vel pretio corrupti, vel gratia, & precibus flexi, vel timore coacti, vel innato vitio abrepti, aliquove alio humano affectu commoti, & fracti. Apoſtolus Paulus abſolutè pronuntiavit, Eccleſiam eſſe, *Columnam, & firmamentum veritatis*. Sic Chriſtus Joan. 14. *Paraclitus Spiritus S.*

quem

quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quecunque dixero vobis. Chriſti hæc promiſſio, & Apoſtoli abſoluta propoſitio ad Eccleſiam omnium temporum ex æquo pertinet. Nec ratio ulla fingi poteſt, propter quam huic ſeculo potiùs quàm iſti conveniat, ſeculo primo potiùs quam decimo ſexto. Hoc ita ſe habere ultima Chriſti verba convincunt, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi*. Chriſtus Eccleſiæ ſuæ adeſt non uno die, non uno ſeculo, ſed omnibus ſeculis, & ſingulis diebus omnium ſeculorum uſque ad conſummationem ſeculi. Ita quoque clariſſimè S. Apoſtolus *cap.* 4. *Epiſt. ad Epheſios verſibus* 11.12. & ſequentibus. Etenim differentiæ Catholicum, & Hæreticum ſubſtantialiter conſtituentes, unumque ab altero ſecernentes his propoſitionibus continentur. Iſta propoſitio, Eccleſia veritatem ſecuta eſt annis ducentis, trecentis, quingentis, mille ducentis, vel quadringentis, poſteà verò erravit, morum iniquitatem, & regiminis perturbationem amplexa eſt, & probavit, Hæreticum conſtituit, ſi pertinaciter defendatur, aut hæreſis meritò ſuſpectum, ſi verbis, vel ſcriptis inſinuetur. Nec ad hæreſim refert, quoto ſeculo dicas eam erraſſe. Quo die eam erraſſe profeſſus es, Hæreticus factus es. Pro variis rebus, & temporibus hæreſis ſpecies mutari poteſt, ſed hæreſis nomen, & definitio iſta profitenti συνωνύμως ſemper convenient. Contrà, iſta Propoſitio, Eccleſia nullo ſeculo, nullo die errare poteſt, aut pravos mores probare, Catholicum demonſtrat. Catholicus enim ille eſt, qui Eccleſiam profitetur non modò non erraſſe, ſed etiam nullo ſeculo errare poſſe. Et quandiù hoc profitetur errare poteſt, Hæreticus eſſe non poteſt.

A Deo enim præceptum nobis eſt, Eccleſiam hodie loquentem audire, non ſolùm alterius ævi. Si ſemel hoc axioma concutias, omnem excutis de cordibus Chriſtianorum fidei ſecuritatem, omnem de Eccleſia ἀναμαρτησίαν; tumque neceſſariò, *Sicut parvuli fluctuantes circumferemur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris*. Nulla enim inter ſic ſentientem, & Hæreticos quotquot fuerunt, ſunt, & erunt, quatenus Hæretici ſunt, differentia prorsùs eſt. Omnes enim Hæretici, qui fuerunt, ſunt, & erunt, tales ſunt propter non auditam hodie, & nunc Eccleſiam loquentem, & definientem: Obtendere enim, & profiteri ſe auditurum Eccleſiam, Doctoreſque alterius ævi, hoc planè eſt paucis verbis λήροις μακροῖς ληρεῖν. Nam idem importunè jactant, & oſtentant omnes Hæretici, hic ævi ſecundi, ille tertii, iſte quarti, & conſequenter; ſed nullus Eccleſiam hodie loquentem, & docentem ſe auditurum ſincerè pollicetur. Omnes Hæretici volunt Eccleſiam audire mutam non loquentem, Doctores mortuos non vivos; ut quod vivis, & loquentibus judicibus fieri non poteſt, mutis, & mortuis illudant.

Quid ſit hac in cauſa Catholico faciendum, ſæpiùs docet S. Auguſtinus, ut *cap.* 19. *Epiſt.* 119. hanc regulam tradit conſuetudinum, quæ pro privata uniuſcujuſque Epiſcopi prudentia reſecari, & abrogari poſſunt: *Omnia itaque talia, quæ neque Sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſuetudine Eccleſiæ univerſæ roborata ſunt, ſed diverſorum locorum diverſis moribus innumerabiliter variantur; ita ut vix, aut omninò nunquam inveniri poſſint cauſæ, quas in eis inſtituendis homines ſecuti ſunt, ubi facultas tribuitur, ſine ulla dubitatione reſecanda exiſtimo*. Itaque non minus vult immota eſſe, quæ Eccleſiæ univerſæ conſuetudine roborata ſunt, quàm quæ ſcripturarum, & Conciliorum auctoritate. Epiſtolæ quoque præcedentis *cap.* 5. de iiſdem rebus diſſerens admodùm perſpicuè iſta velut ejuſdem auctoritatis, & obſervationis conjungit. *Ad hæc itaque reſpondeo, ut*

Morin. de Sacram. Pœnit.

quid horum ſit faciendum, ſi divina ſcripturæ præſcribit auctoritas, non ſit dubitandum; quin ita facere debeamus, ut legimus; ut jam non quomodo faciendum, ſed quomodo Sacramentum intelligendum ſit, diſputemus. Similiter etiam ſi quid horum tota per orbem frequentat Eccleſia: Nam & hinc quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſima inſania eſt. Inſolentiſſima eſt igitur inſania non modo diſputare contra id, quod videmus univerſam Eccleſiam credere; ſed etiam contra id, quod videmus eam facere. Fides enim Eccleſiæ non modo regula eſt fidei noſtræ, ſed etiam actiones ipſius, actionum noſtrarum; conſuetudo ipſius conſuetudinis, quam obſervare debemus. Quapropter ſi quis hodiernam Eccleſiæ diſciplinam cum antiqua comparans, quam in opere noſtro, quoad potuimus, redivivam ante oculos tuos ſiſtimus, hodiernam improbaret, jam multis ſeculis ab Eccleſia probatam, eamque antiqua commutare vellet, inſolentiſſimè inſaniret, atque à mente noſtra, ab Eccleſiæ ſenſu, & à recta ratione longiſſimè diſcederet. Securè, & intrepide S. Auguſtino aſſentiendum ſic docenti *lib. 7. de baptiſ. contra Donatiſtas cap. 53. Nobis tutum eſt in ea non progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in Catholico generali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata ſunt: Id autem fiducia ſecura vocis aſſerere, quod in gubernatione Domini Dei Noſtri, & Salvatoris Ieſu Chriſti univerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt.* Et initio *Epiſtola* 86. *ad Caſulanum. In his rebus, de quibus nihil certi ſtatuit ſcriptura divina, mos populi Dei, vel inſtituta Majorum pro lege tenenda ſunt*. Illud igitur cum fiducia, & ſecurè aſſerendum, & pro lege tenendum, quod mos populi Dei, quod inſtituta Majorum, quod univerſalis Eccleſiæ conſenſus, & antiquitùs, & recentiùs, & hodie roboravit.

Nec commoveri debet Catholicus, quòd olim aliter factum eſt, quàm hodie conſuevit. Olim aliter equidem factum eſt, ſed non uno, & eodem modo, ut toto libro noſtro demonſtratur. Quemadmodum igitur Eccleſia multis modis pro rerum, & temporum occaſionibus iſtam diſciplinam variavit, & temperavit, nec ullus unquam Catholicus ivit contrà, aut conqueſtus eſt, ſed animo ſereno vigenti conſuetudini, & hodiernis præceptis obaudivit, nec antiquiorem obſervationem variare cauſatus eſt: Ita præſentem conſuetudinem hoc ſeculo poſt Chriſtum natum decimo ſeptimo labente in Eccleſia vigentem amplectimur, probamus, laudamus, ſed antiquam non improbamus, verùm laudamus; immò ſuſcipimus, & miramur, ut temporibus illis convenientem. An antiquis Patribus noſtris Hæreticorum more inſultabimus? Rectè vir prudentiſſimus apud Poetam Odiſſ. θ

Ἀνδράσι δὲ προτέροισιν ἐριζέμεν οὐκ ἐθελήσω.

Pulchrum, & decorum Sacerdoti mihi videtur antiquos Eccleſiæ mores vetuſtate collapſos, & longa deſuetudine propè obliteratos in memoriam hominum revocare, & in ſuo, aliorumque animo eorum ideam, & formam effingere. Nec mihi viſus eſt unquam, qui huic ſtudio vacaverit, otio abuti, & bonas horas malè collocare; ſed moribus utendum præſentibus, & conſuetudine nunc vigente, quam ſcilicet Eccleſia univerſa publicè probaverit.

Nolim tamen, Sacerdotes quamlibet inveteratam conſuetudinem ſolo vetuſtatis titulo ſuperbientem amplecti. Sepè enim verum eſt, quod ait ſanctus Cyprianus, *Conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt*. Ideò ſemper addo, quam Eccleſia probat, cui teſtimonium perhibet. Familiari exemplo, quod ſentio, perſpicuum fiet. Cùm quæritur, quibuſcum ritibus Miſſa Romana more celebranda ſit, non plenè ſatisfacit, qui proponit hos, & hos privatos Sacerdotes imitandos; ſed Miſſale Romanum proponendum, & diligens illius lectio conſulenda. Vel ſaltem monendus eſt, ut eo præceptore utatur,

qui

qui in Rubricarum Romanarum cognitione,& praxi ſit admodùm exercitatus. Unde ſi dubium aliquod de hac vel illa ceremonia exercenda ſuboriatur, Rubrica ipſa adeunda, & attentè examinanda eſt, atque ſecundùm eam judicium de dubio ferendum. Verum quidem eſt,cùm Rubricæ verba dubia ſunt, nec præcisè definiunt,quo ritu res agenda ſit, tum ad uſitatam à plurimis praxim confugiendum eſſe, ut ſecundùm eam,quod eſt anceps, determinetur: Optima enim legum interpres conſuetudo, ut utraque jura communi conſenſu vulgò prædicant. Similiter cùm dico,ſequendum eſſe in Adminiſtratione Pœnitentiæ uſitatum morem,non intelligo horum,vel illorum Presbyterorum, licèt plurimi ſint, conſuetudinem, ſed eam, quam publicè Eccleſia probavit, & *Concilium Tridentinum ſeſſ.* 14. fusè, & perſpicuè enarravit, Pontificeſque cum in Rituali,tum in Catechiſmo Romano declaraverunt. Si quæ verò in eorum verbis dubia occurrunt, tum ſecuriorem praxim eſſe, quæ conſuetudine, & reſponſis Prudentum confirmatur.

De toto iſto variatæ diſciplinæ negotio id planè tenendum eſt, quod nos docet Hugo à S. Victore *lib.* 2. *de Sacramentis fidei part.* 11. *in fine cap.* 12. eandem difficultatem ſibi obiiciens. *Salubre eſſe credimus quidquid Spiritu Dei dictante, ab illa fuerit inſtitutum, & dignum reverentia judicatum. Et etiamſi aliis temporibus aliquando non ita fuiſſe, & nunc aliter eſſe quàm fuit, demonſtretur: Non tamen cogitare debemus quaſi levitate aliqua factum ſit, ut nunc aliter teneatur, & aliter inſtitutum ſit, quàm fuit: Sed quod tunc oportebat, & ita ſalubre fuit, ut ſic teneretur, & ſic juberetur. Nunc autem alia eſſe tempora, & aliud eſſe congruum, ſive neceſſarium ſaluti humanæ.* Quid his explicandis tamdiù immoramur, cùm totum opus noſtrum ſit iſtius obſervationis argumentum?

Obiter tamen monebo te, Lector Catholice, me nullo modo præjudicare velle ſpontaneis, & religioſiſſimis virorum piorum oblationibus, qui præter officii neceſſitatem, & Eccleſiæ mandatum, more S. Apoſtoli, & omnium Sanctorum, caſtigant corpus ſuum, in ſervitutem redigunt, & pœnas voluntariè aſſumptas heroico ſpiritu ſubeunt, ut peccata ſua celeriùs extinguant, & Chriſto Domino Noſtro, Sanctiſque ejus ſimiliores fiant, qui innumeros labores, quos prætermittere poterant, ſibi aſciverunt. Iſtiuſmodi præjudicium hæreſis eſſet præcedente vix minus peſtilens, quam omnes hujus temporis Novatores, ut carni obſequentiſſimè blandientem, ambabus ulnis amplexantur. Quid enim hoc aliud eſſet, quàm ſuaviſſimos, & lectiſſimos Chriſtianæ pietatis flores, fructuſque decutere, & proterere, ſtultorumque more vitium vitando in contrarium currere?

Tantiſper in aliud ſceleris genus,quod præcedenti affine eſt, digredi juvat, licèt iis, quæ præfari nobis propoſuimus intelligendis nihil conducat. Illud autem eſt ejuſmodi. Si quis contenderet unius cujuſdam illuſtris Magiſtri doctrinam in certis capitibus regulam eſſe fidei, & ſecundùm ipſum, paucoſque ipſius diſcipulos, quaſcunque controverſias de iis capitibus emergentes cæteris Magiſtris contradicentibus eſſe componendas, & definiendas. Hoc ſanè dogma hactenus in Eccleſia Dei inauditum eſt, & à traditione Eccleſiaſtica, mea quidem ſententia, alieniſſimum. Prærogativa hæc eſt ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Pontificum, quorum ſcripta, Epiſtolas, Commonitoria, nonnunquam Concilia generalia teſtantur ut regulam, & normam fidei ſibi proponere, & ſecundùm ea quæſtiones ab Hæreticis excitas ſibi eſſe definiendas. Hac eadem prærogativa per accidens fruuntur pauciſſima quædam virorum Doctorum ſcripta, quæ eadem Concilia probarunt, & actis ſuis inſeruerunt. Id de,quo Lectorem Præmonitum velim, evidentiùs quàm verbis Vincentii Lirinenſis enarrare non poſſum Inquirit *c.* 4. *Commonitorii* adversùs omnes hæreſes,

 quid

quid ſit faciendum,ſi novella aliqua contagio Eccleſiam maculare conetur: Reſpondet, antiquitati inhærendum. Deinde ſibi iterùm obiicit, *Quid ſi in ipſa vetuſtate duorum vel trium hominum, vel certè civitatis unius, aut etiam Provinciæ alicujus error deprehendatur?* Reſpondet, *Tunc omnino curabit, ut paucorum temeritati, vel inſcitiæ: ſi qua ſunt univerſaliter antiquitus, univerſalis Concilii decreta præponat.* Ulterius progreditur, & ea quærit quæ ad rem noſtram maximè faciunt, *Quid ſi aliquid emergat, ubi nihil ejuſmodi reperiatur.* Ideſt, ſi pauci iſti temeritatis, & inſcitiæ accuſari non poſſunt, & univerſalis Eccleſiæ decreta nulla ſint, quæ quæſtionem ancipitem definiant, quid facto tum opus eſt? Sic docet, *Tunc operam dabit ut conlatas inter ſe Majorum conſulat, interrogetque ſententias: eorum duntaxat, qui diverſis licèt temporibus, & locis, in unius tamen Eccleſiæ Catholicæ Communione, & fide permanentes Magiſtri probabiles extiterunt; & quidquid non unus, aut duo tantùm, ſed omnes pariter uno, eodemque conſenſu, apertè, frequenter, perſeveranter tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognoverit, id ſibi quoque intelligat abſque ulla dubitatione credendum.*

Capite verò 39. cùm in pari cauſa dixiſſet, Patrum ſententias conferendas, *Qui in fide, & communione Catholica ſanctè, ſapienter, conſtanter viventes, docentes, & permanentes, vel mori in Chriſto fideliter, vel occidi pro Chriſto feliciter meruerunt*, difficultatem noſtram proponit, & ſic ſolvit, *Quibus tamen hac lege credendum eſt, ut quidquid vel omnes, vel plures uno eodemque ſenſu manifeſtè, frequenter, perſeveranter, velut quodam conſentiente ſibi Magiſtrorum conſilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur. Quidquid verò, quamvis ille ſanctus, & doctus, quamvis Epiſcopus, quamvis Confeſſor, & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter proprias, & occultas, & privatas opiniunculas, à communis, publicæ, ac generalis ſententiæ auctoritate ſecretum ſit.* Eandem ſententiam non minus efficaciter pronuntiaverat *cap.*25.dixeratque, eum eſſe verum, & germanum Catholicum, qui ita ſeſe gerit.

Optimè equidem. Nam ut ille multis perſequitur, ſæpe contigit, maximos Eccleſiæ Doctores novis doctrinis indulgere, quas Eccleſia poſtmodum anathemate percuſſit, *O rerum*, inquit, *mira converſio! Auctores ejuſdem opinionis Catholici, Conſectatores verò Heretici judicantur. Abſolvuntur Magiſtri, condemnantur diſcipuli, Conſcriptores librorum filii regni erunt; Aſſertores verò gehenna ſuſcipiet.* Hoc probat exemplo potiſſimùm Sancti Cypriani, & Origenis; quibus addere poſſumus ſanctiſſimos Martyres Juſtinum, & Irenæum, ſplendidiſſima Eccleſiæ lumina, quorum ſententiæ quædam longo poſt eorum mortem tempore hæreſum catalogo à ſanctis Patribus inſcriptæ ſunt, licèt, dum illi viverent, plurimis probarentur, à nemine damnarentur. Nullus eſt Eccleſiæ Doctor, quacunque fulgeat auctoritate, doctrina, fama, pietate, cui idem non poſſit contingere. Ea, ut opinor, cauſa eſt, qua commoti ſapientiſſimi Pontifices, Cæleſtinus, & Leo, cùm fideles docere voluerunt, quid contra hæreſim Pelagianam credere illos oporteret, quid in ea anathemate percutere, non Doctorem aliquem quantumvis probatum, & celebrem pro fidei regula, & canone propoſuerunt, ſed Prædeceſſorum ſuorum Pontificum hac de re ſententias, & canones, quibus Catholicorum fides imbueretur, in medium protulerunt. Quid aliquem Eccleſiæ Doctorem dico? Ne provincialia quidem, & nationalia Concilia, ut fidei regulam in quolibet articulo propoſuerunt, niſi quatenus à ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Pontificibus probata ſunt, & ab iis eorum verba uſurpata, & conſequenter, non ampliùs Conciliorum, ſed Pontificum propria. Utrumque teſtatur Cæleſtini primi ad Epiſcopos Galliæ celebris epiſtola, quæ tota in hoc agendo occupatur, è qua hæc paucula verba excerpſiſſe, ſatis eſto.

Neceſſa-

Neceſſarium igitur fuit diligenter inquirere, quid Rectores Eccleſiæ Romanæ de hæreſi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, judicaverint, & contra nocentiſſimos liberi Arbitrii Defenſores, quid de gratia Dei cenſuerint, ita ut etiam Africanorum Conciliorum quaſdam ſententias jungeremus, quas utique ſuas fecerunt Apoſtolici Antiſtites, cùm probarunt. Ut ergo plenius, qui in aliquo dubitant, inſtruantur, conſtitutiones Sanctorum Patrum compendioſo manifeſtemus indiculo: Sic S. Leo definit, quam fidei profeſſionem edere debeant Pelagiani, quum ad Eccleſiam revertuntur, *Epiſt.* 86. *Damnent apertis profeſſionibus ſui ſuperbi erroris auctores, & quidquid in doctrina eorum univerſalis Eccleſia exhorruit, deteſtentur; omniaque decreta Synodalia, quæ ad exciſionem hujus hæreſeos Apoſtolicæ ſedis confirmavit auctoritas ampl̨ecti ſe, & in omnibus approbare, plenis, & apertis, ac manu propria ſubſcriptis proteſtationibus eloquantur.* Imitati ſunt Pontifices illi Innocentium Prædeceſſorem ſuum, qui duo Concilia Africana contra Pelagium celebrata probavit, & laudavit: ſed de unius alicujus Doctoris ſcriptis altiſſimum eſt apud eum, ut & apud cæteros Pontifices, ſilentium.

At litem omnem evidentiſſimè diremit Cæleſtinus Pontifex. Poſtquam enim Pontificum decreta, & Conciliorum Africanorum canones, quatenus Pontifices eos probaverunt, & ſuos fecerunt, in regulam fidei propoſuit, diſertiſſimè ab hac prærogativa quoslibet quæſtionum iſtarum Tractatores excludit, palàmque aſſerit, ſe eorum ſcripta omnia de hac quæſtione, nec audere contemnere, nec ſe velle adſtruere; Apoſtolicæ ſedis ſcripta ad fidei regulam ſufficere. Clariùs unius alicujus hominis auctoritas ab hac prærogativa ſubmoveri non potuit: *Profundiores verò, difficilioreſque partes occurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractarunt, qui Hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere. Quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi, ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus, quidquid ſecundùm prædictas regulas, Apoſtolicæ ſedis nos ſcripta docuerunt; ut prorsùs non opinemur Catholicum, quod apparuit præfixis ſententiis eſſe contrarium.*

Si quis hoc, aut ſimile elogium S. Auguſtino tribueret, nullum haberet ipſo Auguſtino infenſiorem ſibi Adverſarium. Sæpiùs enim ejuſmodi laudes modeſtè admodum à ſe deprecatur, & nonnunquam ab Amicis attributas acerbè recuſat. Uno, aut altero de multis exemplo Lectori ſatisfactum erit. Initio lib. 3. de Trinitate ita de omnibus ſuis ſcriptis pronuntiat, *Sanè cùm in omnibus litteris non ſolùm pium Lectorem, ſed etiam liberum correctorem deſiderem; multò maximè in his ubi ipſa magnitudo quæſtionis utinam tam multos inventores habere poſſet, quàm multos contradictores habet. Verùmtamen ſicut Lectorem meum nolo mihi eſſe deditum, ita Correctorem nolo ſibi, &c. Si quid in eis veri comprehenderis, exiſtendo non eſt meum; at intelligendo & amando & tuum ſit, & meum. Si quid autem falſi conviceris, errando fuerit meum, ſed jam cavendum, nec tuum ſit, nec meum.* Epiſtola verò ſeptima. Sic reſpondet nonnullis Amicis ſuis, qui immodicis illum onerabant laudibus, & ægrè ferebant libros, quos de libero arbitrio ſcripſerat reprehendi, *Si defendi ſententia mea liquida ratione non poteſt, mea eſt, non ejus auctoris cujus ſenſum improbare fas non eſt, &c. Si aliquid vel incautiùs, vel indoctiùs à me poſitum eſt, quod non ſolùm ab iis, qui videre id poſſunt, meritò reprehendatur, &c. Nec mirandum eſt, nec dolendum, ſed potiùs ignoſcendum.* Et paulò poſt in Amicos, *Vos autem, qui me multùm diligitis, ſi talem me aſſeritis adversùs eos, quorum malitia, vel imperitia, vel intelligentia reprehendor, ut me nuſquam ſcriptorum meorum erraſſe dicatis, fruſtra laboratis, non bonam cauſam ſuſcepiſtis, facilè in ea meipſo judice ſuperamini; quoniam non mihi placet, cùm à chariſſimis meis talis eſſe exiſtimor, qualis non ſum. Profectò enim non me, ſed pro me alium ſub nomine meo diligunt.* Deinde allato Lucani Poetæ de Cicerone teſtimonio, quo nullum verbum emiſiſſe dicebatur, quod revocatum vellet, teſtatur S. Auguſtinus, laudem illam eſſe de fatuo credibiliorem

liorem quàm de Sapiente perfecto: *Nam & illi, quos vulgò Moriones vocant, quanto magis à ſenſu communi diſſonant, magiſque abſurdi, & inſulſi ſunt, tanto magis nullum verbum emittunt, quod revocare velint.* Hoc privilegium ſolis vindicat ſcriptoribus Canonicis, qui ſpiritu Dei acti, locuti ſunt; tandemque concludit, & nos cum ipſo, *Ab hac ego excellentia tam longè abſum, ut ſi nullum verbum, quod revocare vellem, protulero, fatuo ſim quàm Sapienti ſimilior.*

Poſtremum, de quo te monere volo, Catholice Lector, ſpectat ſingulas quæſtiones quas toto hoc opere digerimus. Duorum ſunt generum: Aut fidem ſpectant, aut Eccleſiæ diſciplinam. Priores pauciſſimæ ſunt, eaſque, ut plurimùm aſſuimus, non probamus, quia Catholicis non Hæreticis ſcribimus. Poſteriores ſunt innumeræ: Ideò opus noſtrum inſcripſimus Commentarium hiſtoricum. Hiſtoriam enim diſciplinæ Pœnitentialis tredecim ſeculis in Eccleſia univerſa exercitæ teximus: Axiomata fidei immota non explicamus, nec problemata Theologica de rebus æternis ſpeculamur. De his omnibus maximopere te præmonere volui, qua mente, & quo ſcopo in iis ſcribendis verſatus fuerim. Quanquam enim in operis decurſu ſæpiùs, & forſan importunè, hoc te moneamus, id tamen iterùm in ipſo veſtibulo te ſeriò præmonere neceſſarium duximus. Tibi igitur perſuadere maximè velim id, quod eſt veriſſimum: De his omnibus quæſtionibus me tantùm diſputare probabiliter, nihil aſſerere, facilè credere me falli potuiſſe, & ſæpiſſimè falſum eſſe. Tantopere abſum ab eorum confidentia, qui mores hos inter mortuos renovare vellent! Cùm enim res ſint antiquiſſimæ, obſcuriſſimæ, maxima ex parte obſoletæ; & labente tempore diverſiſſimæ obſervationes ſæpiùs iis inductæ, & ſuperinductæ fuerint: Inſuper vetuſtiſſimi uſus rara ſint nonnunquam monimenta, eam in coniiciendo perſpicacitatem, & felicitatem nobis non arrogamus, ut rem acu ſemper tangamus, & à ſcopo nunquam recedamus. Id mali nobis imprudentibus ſæpè contigiſſe non dubitamus. Quapropter in rebus tam obſcuris, & perplexis, ingenii noſtri tenuitate diffiſi conjecturas propoſuimus, decreta non pronuntiavimus. Si quandoque collineavimus, utatur, Lector, diligentia noſtra: Si aberravimus, ingenii noſtri tarditati, & infelicitati condonet, noſque humana paſſos humanitus corrigat. Saltem apud ſe cogitet velim, labore noſtro materiam illi eſſe congeſtam, qua in rebus obſcuris illuminandis tantillum adjutus eſt. Forſan antiqui alicujus moris circumſtantias particulatim diſcutientes conſequentia quædam eruimus, quæ doctrinæ in Eccleſia vulgatæ, & approbatæ principia lædunt. Hoc toto animo exhorreſcimus. Id tamen ſi nobis contigit, quod imbecillis ingenii noſtri conſcii non audemus planè diffiteri, illud, qualecunque ſit, ὀβελίζεσθαι non modò volumus, ſed etiam ſpongia deleri, & penitus è ſcriptis noſtris eradi, & obliterari.

LEM-

LEMMATUM UNIUSCUJUSQUE LIBRI, & CAPITIS INDEX.

LIBER PRIMUS.

IN quo agitur de ſacra Eccleſiæ in quibuslibet peccatis remittendis, aut puniendis auctoritate, & interioribus animi diſpoſitionibus ad remiſſionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam neceſſario requiſitis.

Caput I. *De etymo, & varia ſignificatione nominum Pœnitentiæ, & μετανοίας apud Latinos, & Græcos auctores, ſacros, & profanos. Tertia pars Pœnitentiæ Græcis eleganter dicitur ἐξομολόγησις, necnon ceteris nominibus.* pag. 1

Cap. II. *Quibus nominibus Hebræi, Syri, Chaldæi, & Rabbini pœnitentiam efferunt; deque eorum tum etymo, tum ſacra, & vulgari ſignificatione.* 4

Cap. III. *Auctoritas Eccleſiæ in remittendis peccatis deſcribitur, & conditio generalis remiſſioni obtinendæ neceſſaria indicatur.* 4

Cap. IV. *Qui ſummæ Eccleſiæ auctoritati in remittendis, retinendiſque, prout ſaluti pœnitentium expedire judicabat, peccatis, vel leviſſimè contradixerunt, hæreſi ſemper notatos fuiſſe. Enarrantur Patrum in illos hæreticos argumenta; Hæreticorum reſponſa, & Catholicorum exceptiones; breviterque demonſtratur diligentiam in criminum examine adhiberi ſolitam, ut unum quodque meritis pœnis caſtigaretur.* 5

Cap. V. *Eadem auctoritas, & illi obediendi neceſſitas, illuſtriſſimis aliis Patrum teſtimoniis comprobatur. Evidens ejuſdem poteſtatis eſt argumentum Contritionis ab antiquis Scholaſticis tradita definitio, necnon duplex Sacerdotis officium, judicis, & medici. Quare Patres, peccatorum variis pœnis, & medicamentis curandorum curioſiſſimi, ſubtiles de peccatis diſputationes prætermiſerunt? Ex ea auctoritate Confeſſionis neceſſitas demonſtratur.* 7

Cap. VI. *Licèt Sacerdotes tantæ poteſtatis miniſterium exerceant, certis tamen legibus adſtringuntur, quibus inſuper habitis, irrita, & inanis eſt eorum ſolutio, vel ligatio. Lex potiſſima, & ceteras complectens hæc eſt, ut mortuus ligetur, & qui jam vivit ſolvatur. Ideò Sacerdotes mundos, vel immundos, pro arbitrio facere non poſſunt.* 9

Cap. VII. *Quid agat Deus in peccatoris per pœnitentiam ſanatione; quid verò miniſtri, ex conſtanti ſanctorum Patrum traditione explicatur: probaturque, peccatorem Dei gratia ſuſcitatum, & vivificatum, dici tamen Patribus peccati vinculis teneri, & mortis reum eſſe, donec à Sacerdotibus ſolvatur.*

Cap. VIII. *Quid ſignificent apud antiquiſſimos, recentioreſque Rabbinos, אסר והתר אסור ומותר ligare, & ſolvere, ligatum, & ſolutum, multis exemplis demonſtratur. Traditionum quinque genera habeant Judæi, quæ breviter explicantur. De his omnibus dicitur ligatum, & ſolutum. Iſtius ſignificationis in Scriptura Sacra Hebræa nullum eſt exemplum, unum in Chaldæa. E Græcis auctoribus ethnicis unum, quod ſimile eſt, profertur. Duo alia dictionum oppoſitarum ſimilis ſignificationis paria כוה ושרה חייב ופמור explicantur, & exemplis illuſtrantur.* 12

Cap. IX. *Forum Eccleſiaſticum ab incunabulis Eccleſiæ, & longo tempore, lites omnes, & Controverſias Chriſtianorum complectebatur. Quando, & qua ratione ab Imperatoribus auctum, & poſteà imminutum, & tandem abrogatum eſt; cujuſque ampliſſimè, & anguſtiſſimè renovatum, iterùm imminutum eſt, & propè ſublatum. Quando fori pœnitentialis, & judicialis cognitores diviſi ſunt, novaque Abſolutionis ab Excommunicatione formula invaluit.* 14

Cap. X. *Fori Eccleſiaſtici quâ peccata, ſive occulta, ſive publica per longas, graveſque Pœnitentias punienda, & ſananda reſpicit, amplitudo, ex antiquorum dictis deſcribitur. Eorum illud in externum, & internum, duplexque tribunal olim non dividebatur. Quando id fieri cœptum. Duplex forum, ſed alia ratione quàm hodierna dupliciter diſtingui potuit. Abſolutio ab excommunicatione antiquitùs à Sacramentali variè diſtincta. Hanc fori Pœnitentialis amplitudinem, & illius unicum tribunal nonnulli Theologi recentiores adnotarunt.* 16

Cap. XI. *De Conditionibus, & animi præparationibus, quibus peccata à Deo remittuntur in Sacramento Pœnitentiæ, & earum diſcrimine, neceſſitatiſque vario genere.* 19

Cap. XII. *Explicantur antiquorum Patrum verbis quæ, & quanta animi præparatio ſit neceſſaria ad remiſſionem criminum in Sacramento pœnitentiæ obtinendam.* 20

Cap. XIII. *Ejuſdem præparationis explicatio ex Sanctis Patribus continuatur.* 22

Cap. XIV. *Clariſſimis Sanctorum Patrum teſtimoniis demonſtratur interiorem animi dolorem pro gravitate peccatorum agendum eſſe, ad eorum remiſſionem à Deo conſequendam.* 24

Cap. XV. *Pro doloris, & converſionis fervore, diligentique pœnitentiæ impoſitæ executione pœnas canonicas minui ſolitas, eo quòd Patres interiorem animi pœnitentiam potiſſimùm ſpectarent, & excitari vellent, unde Indulgentiarum fons ſcaturivit.* 26

Cap. XVI. *Explicatur, quâ arte antiqui Patres, ne pœnitentibus temerè Communionem redderent, experiebantur, an eorum converſio, & contritio ſincera eſſet, vehemens ſatis, & ἀξιόπιστος καὶ ἀπαράδεκτος; & quibus indiciis, & argumentis eorum certam cognitionem veniebant; oſtenditurque, licèt longarum pœnitentiarum œconomiæ alias rationes haberent, & prædicarent, hanc tamen probandæ, & cognoſcendæ ſinceræ, & ἀπαράδεκτος converſionis potiſſimùm ſibi propoſuiſſe.* 28

Cap. XVII. *Antiquos Patres admodum exhorruiſſe, ne Sacramenta cum indignis communicarent, atque ideò diligentiſſimè ſemper caviſſe, ne quemquam abſolverent, quem priùs à Deo vel abſolutum, vel Sacerdotum miniſterio curatione peracta abſolvendum, quantum homini judicare fas eſt, certò non crederent.* 30

Cap. XVIII. *Eandem fuiſſe antiquorum Scholaſticorum ſententiam ex variis auctoribus editis, & non editis demonſtratur, quorum multi plura concedunt, quàm requiritur. Richardi, Hugonis, Roberti Pulli Cardinalis ſententiæ de hac re explicantur. Dominici Soti ſententia de Attritione examinatur.* 31

Cap. XIX. *Imminente gravi ſalutis periculo relaxandas eſſe leges ad obtinendam reconciliationem pœnitentibus poſitas, & ſufficere aliquam in iis deprehendi tolerabilis conſcientiæ fiduciam, variis rationibus ex SS. Cypriano, Cornelio, Conciliiſque eo tempore habitis demonſtratur; & objectiones tum temporis factæ eorundem Sanctorum verbis diluuntur.* 34

Cap. XX. *Quid antiquiſſimi, & recentiores Rabbini de conditionibus ad veram pœnitentiam animo concipiendam doceant, explicatur. Deleto templo ſola pœnitentia ſalus comparatur. Reſipiſcentis, ſenio, morbo, aut alio periculo preſſi pœnitentia minimi pretii eſt, utilis tamen. Septem motiva enarrantur, peccatori neceſſaria, ut ad pœnitentiam inducatur. Pœnitentiam agens à multis licitis abſtinere debet, ſolitarius vivere, & ideò peregrinari, erubeſcere, & lugere ſemper, & flere. Quatuor accelerant hominis judicium. Opera veræ pœnitentiæ neceſſariò debent eſſe conjuncta; nec aliter, vel ipſo expiationis feſto peccata delentur. Quid faciendum, ut opera laborioſa fiant homini facilia. Converſio, & emendatio debet eſſe in cogitatione per reſipiſcentiam; in ſermone per Confeſſionem; in operibus per opera contraria, quæ enumerantur, quoniam his tribus peccatur.* 35

Cap. XXI. *Rabbinorum omnium axioma eſt, opera vitam æternam promerentia ex ſolo Dei amore concipi; ideò ſolam pœnitentiam hoc fine conceptam peccata remittere. Per ſolum amorem Deo adhæretur. Pœnitentia ex timore duplex, una inutilis, & quamobrem; altera utilis, & ad perfectam pœnitentiam præparans, ſed nondum vitæ æternæ matura: ita cenſent antiqui recentioreſque Judæi. Pœnitentiæ ex amore conjunctus eſt timor, & reverentia majeſtatis Dei. Differentia*

unice

Digitized by Google

inter שגר, & שדש *Quatuor ſpecies Deo ſervientium pulchrè enarrantur: ſervire formidine pœnæ hominis eſt, non quâ homo, ſed quâ animal, timore, & reverentia majeſtatis ſervit quâ homo. Sententia R. Abarbinelis, quæ videtur aliis contraria examinatur.* 39

Cap. XXII. *Variæ laudes, & effectus Pœnitentiæ ex Talmudicis Doctoribus, Capitulis R. Eliezeris, & aliis libris antiquis referuntur. Regi Achab interdiu in Pœnitentiam ter quadraginta plagæ infligebantur. Differentia inter* מבשל, & ... *Pœnitentia priſtina dignitati conjugalis hominem cum Deo reſtituit. Decretum mortis à Deo ſancitum expungit. Cùm moriturus eſt aliquis, ad Confeſſionem urgetur. Unus teſtis Pœnitentiæ prævalet 999. contra peccatorem teſtantibus. Unus homo Pœnitentia ſua liberat civitatem. Pœnitentia mundi fundamentum: ante mundum creata, & quamobrem.* 43

LIBER SECUNDUS.

DE Confeſſione peccatorum, & varia illius edendæ praxi.

Cap. I. *Explicatur, qua ratione peccatorum remiſſio longè facilius, & ſuavius ſub Evangelio quàm ſub lege obtineatur, licèt Contritioni, quæ ad eam obtinendam perpetuò fuit, eritque neceſſaria, Chriſtus adjunxerit Confeſſionem omnium peccatorum Sacerdoti edendam, & ſatisfactionem ex ejus præcepto faciendam. Quis ſcopulus hac in cauſa vitandus. Quid gravia, & dura mandatorum onera reddit facilia, & levia. Perfectio in ſtatu Evangelico multò major quàm in legali poſtulatur. Legis ab Evangelio differentiæ præcipuæ antiquorum verbis enarrantur. Alia difficultatis enodandæ ratio explicatur, & aliæ prærogativa Evangelii ſupra legem. Proſelyti duplices, alii juſtitiæ, alii inquilini tantùm. Quæ præcepta Judæi ferunt Noacho data. Antiquiſſima Judæorum traditio eſt, Proſelytos Juſtitiæ, hoc eſt, circumciſos, & baptizatos, ad univerſam legem obſervandam teneri, cui innititur axioma Apoſtoli Galat. 5. 3.* 46

Cap. II. *De nominibus, Latinis, Græcis, Hebraicis, Caldaicis, Syriacis Confeſſionem ſignificantibus, atque eorum varia apud Sacros, & Eccleſiaſticos auctores ſignificatione.* 49

Cap. III. *Ex peccatorum diſtinctionibus à Tertulliano, & Catholico, & Hæretico uſurpatis; atque ex ſtatu controverſiæ Montaniſtas inter, & Catholicos peccatorum etiam venialium Confeſſio evidenter demonſtratur.* 51

Cap. IV. *Ex Novatianorum cum Catholicis controverſia, atque ex S. Ambroſio idem probatur.* 52

Cap. V. *Peccatorum diſtinctiones à S. Cypriano uſurpatæ explicantur; atque inde, aliiſque ejuſdem ſancti dictis peccatorum occultorum, etiam venialium, Confeſſio demonſtratur. Peccata in Deum alii magis extendunt. Peccatorum occultorum publica Pœnitentia.* 54

Cap. VI. *Chriſtianos antiquitus ad peccatorum occultorum, & publicorum ſpontaneam Confeſſionem ſecretò, vel publicè faciendam multo gravioris Pœnitentiæ formidine, ſi accuſati convincerentur, addictos fuiſſe. Mos ille accuſandi, & ad accuſationem, ſive ad revelationem criminum cogendi diutiſſimè in Eccleſia perſeveravit, cujus etiam nunc veſtigia expreſſa videntur.* 56

Cap. VII. *Qui peccantem non corripuerat, & pertinacem, ut Pœnitentia purgaretur, ad Eccleſiam non detulerat, vel deferre diutius æquo diſtulerat, reticentiæ, vel nimiæ tarditatis crimen confiteri, & longa Pœnitentia luere cogebatur, ſive peccata fuiſſent occulta, ſive publica. Hujus propoſitionis per varia ſecula probatio; cujus etiam nunc vigent expreſſa veſtigia.* 57

Cap. VIII. *Qua ratione Judæi ſeſe gerant in fraterna proximi peccantis correptione. Eum monere, & corripere tenetur, donec corripientem percutiat. Correptio privatim fieri debet in caſu peccati occulti in proximum. Si verò in Deum, & occultè monitus non reſipiſcat, publicè arguendus, & deferendus. Quidam è Talmudicis ajunt donec monentem graviter repellat, & jurgiis laceſſat. Ob ſpretam fraternam correptionem deletam Jeruſalem. Cùm certum eſt, & evidens, correptionem non profuturam, ea non obligat. Peccata in Deum occulta publicè arguenda docent Talmudiſtæ.* 59

Cap. IX. *Antiquitus peccata occulta pleraque publicè in Pœnitentia enuntiata fuiſſe; Quodve temperamentum in hac enuntiatione obſervatum fuerit, ex Origene, Socrate, & S. Auguſtino, Proſpero, & Cæſario docetur.* 61

Cap. X. *Idem ex Tertulliano, Cypriano, Paciano, Ambroſio, Irenæo, Cornelio, Euſebio, Epiphanio, & variis exemplis demonſtratur. Publicam occulti peccati Confeſſionem aliquando laudabiliter fieri poſſe, Concilium Tridentinum, & Scholaſtici docuerunt.* 64

Cap. XI. *Non modò accuſationes ſiebant de criminibus tam publicis quàm occultis, ſed etiam ſpontaneas eorumdem criminum Confeſſiones in Presbyterorum conceſſu aliquando factas fuiſſe. Populus aliquando admiſſus ut teſtis, vel interceſſor, non ut judex. Quandiù mos ille viguit, adnotatur. Exempla illius conſuetudinis referuntur.* 67

Cap. XII. *An peccata ſua ſecretò confitens, non modò ſe, ſed etiam criminis occulti participem ſemper accuſare teneretur. An verò aliqua daretur exceptio.* 70

Cap. XIII. *An qui crimina ſua publica, vel occulta publicè confitebatur, criminis participes publicè denuntiaret, quæve antiquitùs in ejuſmodi Confeſſionibus temperamenta adhibebantur. Confeſſionis publicæ modus, & ratio à ſecreta petebatur.* 73

Cap. XIV. *Canones, legeſve, quæ opponi videntur publicæ Conciliorum criminis denuntiationi ab eo Pœnitente factæ qui ſua crimina publicè enuntiat, explicantur; docenturque rationes, propter quas enuntiatio illa licèt non probetur, aut etiam probari non poſſit, in calumniæ tamen pœnam non incidat, Juris civilis formulas canones ſequi jubent. Quare ſeipſum in Pœnitentiam accuſans non creditur velle perire. Adnotatur differentia inter pœnas Laicis, & Clericis inflictas.* 75

Cap. XV. *Qua ratione Epiſcopus crimen puniebat, de quo quis erat infamatus, ſed non convictus; aut quod ſolus per Confeſſionem noverat, vel extra Confeſſionem, ſed Reus illud perpetraſſe, aut confeſſum eſſe denegabat: Sex caſuum quibus hæc contingere poteſt, enarratione ex antiqua traditione petita decretur.* 77

Cap. XVI. *Revelationis Conſciorum in Confeſſione multiplicem eſſe utilitatem licèt ad forum externum deduci non poſſit. Sex illius fructus ex inſignium Theologorum Scholaſticorum doctrina enumerantur.* 78

Cap. XVII. *Multis rationibus, & Judiciorum, monitionumque ſecularium exemplis demonſtratur, Complicis, immò ſæpe & aliorum revelationem in Confeſſione non eſſe maledicentiam, ſed actionem utilem, juri naturali, & omnium gentium conformem. Hæc illuſtrantur ordinis deſcriptione, quem in Synaxium celebrationibus obſervabant antiqui Chriſtiani.* 81

Cap. XVIII. *Confeſſionis virtus admirabilis ad Deum placandum, & promerendum, ac culpam delendam variis Sanctorum Patrum teſtimoniis demonſtratur. Idem evidenter docuerunt antiquiores Scholaſtici, ſed antiquiſſimi plerique nihil illi virtutis hac in cauſa tribuerunt, pauci poſtremi: Quis primus Confeſſionis hanc vim Sacramentalem neglexit.* 84

Cap. XIX. *Confeſſionis ſigillum nunquam eſſe reſignandum ab Apoſtolis continua traditione accepit Eccleſia.* 86

Cap. XX. *Quæ Judæi antiqui, & recentiores de peccatorum Confeſſione tradunt, explicantur. Sine Confeſſione ne quidem Reis mortis peccata remittuntur. De peccatis etiam voluntatis ſigillatim edi debet. Perfecta eſt Pœnitentia, & laudanda, ſi eorum multis peccata ſigillatim divulgantur. Sed hoc de peccatis in hominem tantum intelligendum. Quæ dicantur peccata in Deum, quæ in hominem. Ter à proximo, quem læſimus, petenda venia cum trium comitatu. Quare hæc. At à præceptore diſcipulus etiam millies, donec pepercerit. Si proximus læſus mortuus eſt, quid faciendum. Pœnitentia, & Confeſſio unum ſunt præceptum, priuſque à poſteriore perficitur. Quid* שורה *Talmudicis, &* ישור *apud Jobum.* 89

Cap. XXI. *Eadem demonſtrantur frequentibus aliorum Rabbinorum teſtimoniis. Plures conditiones, & nonnullæ eorum ſententiis perdifficiles ad veram Confeſſionem edendam neceſſariæ ex variis Rabbinis enarrantur. In omni ſacrificio pro peccato neceſſaria eſt peccatorum Confeſſio, nec pœna toleranda remittitur peccatum ſine Confeſſione. Peccata publica publicè confitenda. Utile eſſe ad expianda peccata è domo, patriaque migrare, & ad loca incognita peregrinari. Vulgata eſt Rabbinorum ſententia. Omnia ſuperiora ex libro Choſidim demonſtrantur. Concupiſcentiam propter Dei amorem cohibere radix ſanctitatis. Publicè confiteri perfectum. Qui verè Sanctus. Ut accuratior eſſet Confeſſio, conſulebant antiqui ſingula peccata ſcribere. Conſuluntur Rabbini à peccatoribus de modo Pœnitentiæ agendæ.* 91

Cap. XXII. *Eadem ex antiquiſſimis Judæorum libris demonſtrantur. Differentiam Talmudiſtæ ponunt inter* חטא *&* פשע *&* עון *Confeſſionis antiquæ formulæ. Peccata in proximum publica, & ſecreta, & peccata in Deum publica publicè, & ſigillatim confitenda. Huic praxi vix ulli Judæi contradicunt. Varia interpretatio* יתפלל *apud Samuelem, & Rabbinos adſeritur. Sola Pœnitentia peccata in Deum expiat. Cùm quis*

quis ab antiquis confitendi, & ſatisfaciendi formulis recedit, ab aliis acriter arguitur. 94

LIBER TERTIUS.

QUi rationes explicat, quibus perſuaſi Sancti Patres in crimina Baptiſmum præcedentia indulgentiſſimi fuerunt, in ſequentia vero ſeveriſſimi; plebſque fidelis commota tantę ſeveritati humillimè, & obſequentiſſimè ſe ſubmiſit.

Cap. I. *In quo differentia gravitatis peccatorum ante, & poſt baptiſma commiſſorum, quæ totius Pœnitentialis diſciplinæ eſt fundamentum, adnotatur; & ordo dicendorum ad hanc differentiam explicandam proponitur.* 98

Cap. II. *Multis Patrum teſtimoniis clariſſimis probatur, omnia prorſus ſcelera, & peccata in baptiſmo remitti.* 99

Cap. III. *Crimina quæcunque ſine pœnæ inflictione, ſine ullo labore, & ſudore per baptiſmum integerrimè remitti, illuſtriſſimis Patrum teſtimoniis demonſtratur.* 100

Cap. IV. *Crimina poſt baptiſmum commiſſa ſine magnis fletibus, & laboribus non remitti; atque ideò Sacramentum Pœnitentię à Patribus laborioſum baptiſmum nuncupatum.* 101

Cap. V. *Rationes, propter quas crimina poſt baptiſmum commiſſa longè graviora ſunt iis, quæ baptiſmum antecedunt ex Concilio Tridentino enarrantur; & prima ab ignorantia petita teſtimoniis Patrum illuſtratur. Quid in vetere homine delinquere. Cur ante fidem tempus eſt ignorantiæ, & baptiſmus illuminatio dicitur. Cur pro voluntariè peccantibus non eſt hoſtia.* 102

Cap. VI. *Reliquæ ejuſdem diſcriminis rationes enarrantur, & antiquorum Patrum teſtimoniis demonſtrantur.* 104

Cap. VII. *Eadem peccatorum ante, & poſt baptiſmum differentia demonſtratur ex cap. 6. Epiſtolæ ad Hebræos, in quo juxta omnium Patrum Græcorum, & Latinorum interpretationem docetur, remiſſionem peccatorum ea Pœnitentiæ facilitate poſt baptiſmum qua ante obtineri non poſſe. Hujus diſcriminis rationes explicantur. Chriſtianus cùm baptizatur, Deo per Crucis ſignum in Hoſtiam offertur. Qua ratione in actu baptiſmi crucifigitur, ſepelitur, & reſurgit; Chriſtuſque ſecundo baptiſmo iterùm crucifigitur.* 105

Cap. VIII. *Pœnitentes in extremis reconciliati ſtationem ſuam convaleſcentes repetebant: Catechumeni verò in iiſdem anguſtiis baptizati ſanitate recuperata non ampliùs Catechumenis, ſed fidelibus adjungebantur.* 107

Cap. IX. *Catechumenum, vel etiam Ethnicum in mortis articulo baptiſmum petentem, & ſuſcipientem, ſalutem æternam ſtatim poſt mortem conſequi credebant. De Chriſtiani autem ſalute Pœnitentiam, & reconciliationem in iiſdem anguſtiis ſuſcipientis plurimùm diffidebant. Diffidentiæ rationes præcipuæ, gravitas criminum poſt baptiſmum, & neceſſitas ex amore juſtitiæ pęnitendi, qui tum difficillimè concipitur. Iſta quoque ex Scoto, aliiſque Scholaſticis enarrantur. Error Fauſti Regienſis notatur, negantis Pœnitentiam finalem valere poſſe.* 108

Cap. X. *Explicatur ea confidentia, quam Patres habuerunt de Chriſtiani ſalute, qui ſanus Pęnitentiam ſuſcepit, ſed moribundus reconciliationem. Prioribus ſeculis minor fuit. Cur ſanitate recuperata ad Pęnitentiæ ſtationes revocabatur.* 111

Cap. XI. *Alterum diſciplinæ Pęnitentialis fundamentum explicatur. Auctores recentiores nonnulli illud adnotarunt. Complures illius cauſam aſſeruerunt. Quid ſit Sancto Auguſtino prima gratia, & principium meriti. Fidem, & opera ex fide facta juxta Sanctum Auguſtinum mereri, & impetrare ampliores gratias, & veniam peccatorum. Satisfactiones pro culpa, & pęna æterna ſæpiſſimè, pro pęna temporali rarius Patres prædicarunt, & quamobrem hoc.* 112

Cap. XII. *Variis teſtimoniis demonſtratur, quid Antiqui Patres docuerint de virtute, & efficacia ſatisfactionum, & pęnarum pęnitentialium ab Eccleſia Pęnitentibus impoſitarum, quemve in finem illas impoſuerint. Communicatio cum fidelibus pro venia peccatorum ſumitur. Admiſſio ad orationes fidelium baptiſmo æquiparatur. Jam purgatis, ut purgatiores fiant, aliquæ Pęnitentiæ impoſitæ. Patres ſæpius officium ſibi tribuunt Medicorum quàm Judicum. Incommoda, & pericula enarrant animæ, cui feſtinanter nimis Abſolutionis remedia præſtantur.* 115

LIBER QUARTUS.

DE exteriore diſciplina, quam in curandis, & puniendis fidelium tam Clericorum quam Laicorum peccatis obſervavit Eccleſia aduſque exortam Novati hæreſim.

Cap. I. *Ex antecedente Libro generatim colligitur pęnarum gravitas, quæ peccatis poſt baptiſmum debetur. Plebis Chriſtianæ obedientia, & tolerantia laudantur. Differentia pęnarum peccatis impoſitarum ante, & poſt Novati hæreſim explicatur, & totius Libri materia proponitur.* 119

Cap. II. *Antiquiſſimos Patres tria tantùm pęnarum genera in caſtigandis peccatis ad Novatum uſque uſurpaſſe. Quibus nominibus ea enuntiaverint. Nomina illa [illegible], Fletus, Auditionis, Subſtrationis, & Conſiſtentiæ, poſt illam hæreſim vulgata fuiſſe ex Clemente Romano demonſtratur. Antiqua Cenſuras ferendi formula. Qua ratione erga omni cœtu pulſos ſeſe gerebat Eccleſia.* 120

Cap. III. *Idem ex canonibus Apoſtolicis colligitur. Propter quæ peccata Laici pęnitebant, Clerici deponebantur. Quadruplicem phraſim uſurpant, ut Cenſuras tam in Clericos quàm in Laicos latas explicent. ἀφορισμὸς in iis pro leviori, & graviori pęna Laicorum ſumitur. Quid ſit idem ἀφορισμὸς de Clericis dictus ante depoſitionem, cum depoſitione, & poſt depoſitionem.* 121

Cap. IV. *Idem ex Tertulliano probatur. Alii ſunt Audientes Græcis, alii Latinis.* 122

Cap. V. *Idem ex Concilio Eliberitano demonſtratur. Impoſitio levioris pęnæ ab impoſitione pęnitentiæ diſtinguitur. Priorem quilibet Presbyter imponere poteſt, poſteriorem ſolus Epiſcopus.* 123

Cap. VI. *Idem ex Sancto Cypriano. Quid apud eum crimina minora, & extrema: In Deum, & hominem. Quid agere pęnitentiam.* 124

Cap. VII. *Quam in Latinorum Patrum canonibus, aut ſcriptis ad pęnitentiam moventur, urgentur, aut damnantur criminum Rei, pęnitentia publica intelligitur, quæ in ſtatione, poſtmodum dicta ſubſtratio, præcipuè agebatur.* 125

Cap. VIII. *Idem de Patribus Græcis demonſtratur, & hujus rei ratio redditur. Pęnitentia pro ſubſtratione ſumpta.* 127

Cap. IX. *Pęnas ſceleribus impoſitas à naſcente Eccleſia ad hæreſim uſque Montani breves admodum fuiſſe, qualeſve fuerint deſcribitur. Iis vix unquam ulla temporis duratio adſcripta; tota ab Epiſcopi prudentia pendebat. Objectionibus occurritur.* 128

Cap. X. *Eaſdem pęnas à Montano ad Novatum pauld auctas breves tamen admodum fuiſſe cum ſequente ſeveritate comparatas variis argumentis ex Cypriano, Cornelio Pontifice, & Clero Romano colligitur. Quanti temporis fuerint.* 130

Cap. XI. *Ex iiſdem auctoribus demonſtratur, ſceleratiſſimis hominibus ab Eccleſia profugis, animi poſteà compunctionem ore, & vultu demonſtrantibus, nonnunquam pacem, & Communionem nulla pęnitentia impoſita ſtatim eſſe redditam. Iſtius pęnitentiæ, atque lenitatis pęnarum rationes à Patribus datæ referuntur. Antiqua actionis à Presbytero inſtruendę formula enarratur. Pax poſt actam pęnitentiam datu certior, & pluris facta quàm ſine pęnitentia.* 132

Cap. XII. *Epiſcopos, Presbyteros, ac Diaconos tribus primis ſeculis, & pęnitentiæ publicæ, & manuum impoſitioni ſicut Laici obnoxios fuiſſe: Poſteà privatim, & in ſeceſſu pęnitentiam egiſſe; antiquum tamen morem multis in locis, ſaltem in volentibus, diutius retentum. Nonnullæ objectiones enodantur.* 134

Cap. XIII. *Criminum poſt baptiſmum Reos nunquam licebat ad ſacras ordinationes evehere. Severitas in irrepentes variè temperata. Hinc vulgatum Latinorum axioma, pęnitentes non eſſe ordinandos.* 137

Cap. XIV. *Clericos propter crimen depoſitos, multo magis propter actam publicè pęnitentiam priſtino gradui, vel dignitati nunquam reſtitutos. Temperamenta huic ſeveritati ab antiquis aliquando adhibita, eorumque rationes Sanctorum Patrum verbis explicantur. Qui his temperamentis non acquieverunt, Schiſmaticis adſcripti. Ceſſante neceſſitate antiqua ſeveritas reſumenda.* 138

Cap. XV. *Quando tandem, & quibus gradibus criminum occultorum Reis conceſſus eſt poſt actam privatim pęnitentiam canonicam ad priſtinam dignitatem reditus. Multi tamen Pontifices, & viri inſignes paſſim huic indulgentiæ ſeſe oppoſuerunt. Ut prævaleret iſta indulgentia canones partim incerti, partim commentitii effecerant. Nihil anti-*

Digitized by Google

antiquitùs tam ſeverè obſervatum, quod nunc obſervandum eſſe ab omnibus non doceatur. 141

Cap. XVI. *Scelerum pęnitentes primis Eccleſiæ ſeculis ſacco, & cinere ſordulentos jus agendæ pęnitentiæ multis precibus, & fletibus ante fores Baſilicarum ad Clerum, & populum effuſis impetraſſe.* 143

Cap. XVII. *Pęnitentibus lugubrem veſtem iadatis pęnitentiam cum manus impoſitione variis precibus conjuncta datam fuiſſe, tumque illius agendæ rationem præſcriptam, & ſcripto datam, Patrum, Conciliorumque, decretis demonſtratur. Comam, barbamque multis locis tonſas geſtaſſe; aliis intonſas, ſed incomptas, & neglectas. Utriuſque pro more regionum eadem ratio.* 145

Cap. XVIII. *Ordo, ritus, & ceremoniæ Confeſſionis peccatorum edendæ, & pęnitentiæ tam publicè quàm privatim imponendæ, & ſuſcipiendæ. Pſalmi, preces, & benedictiones, cęteraque ejuſmodi ex antiquis Latinis variorum ſeculorum Sacramentariis, & pœnitentialibus manuſcriptis particulatim exponuntur. Pęnitentia multis ſæpè ſimul imponebatur. Deſcribitur corporis ſtatus, & compoſitio pęnitentiam ſuſcipientium.* 147

Cap. XIX. *Idem demonſtratur ex antiquis Græcorum pęnitentialibus manuſcriptis.* 153

Cap. XX. *Nonnulla, quibus antiqui pœnitentiales hodiernæ pęnitendi conſuetudini vel conſentiunt, vel ab ea diſſentiunt, reſumuntur, & adnotantur.* 154

Cap. XXI. *Primis Eccleſiæ ſeculis reconciliationem pęnitentium ab Eucharistiæ participatione temporis ſpatio ſejunctam non fuiſſe ex Sancto Cypriano probatur.* 155

Cap. XXII. *Idem demonſtratur ex Concilio Eliberitano, nonnullis auctoribus Græcis, & antiqua Eccleſiæ Mediolanenſis conſuetudine.* 156

Cap. XXIII. *Tria Excommunicationum, ſive pęnarum genera habent Judæi. In minima Excommunicatione prohibetur ſe lavare, radere, vel tondere, calceatum per urbem incedere, cum aliis convesci, conſidere, niſi uxor, filii, vel ſervi ſint, conſultationibus, quibus decem homines neceſſarii ſunt, adeſſe. Mortui exequiis, funeris benedictione, & omni, qui vivis deferri debet, honore privantur. Sepulchrum lapidatur. Quæ Excommunicationis formula, quæ Abſolutionis. Excommunicandi, & abſolvendi auctoritatem, non modo penes Synedrium, ſed etiam quoslibet Rabbinos, & principem Civitatis. Rabbinus contemnentem ſe excommunicare poteſt. Quando hoc laudabile. Synedrii in minuenda Excommunicatione ſumma auctoritas. Quorum Excommunicatio rata ſit apud omnes, quorum apud quoſdam. Differentia inter Excommunicationem à Synedrio, & Rabbino latam. In quibus caſibus privatus quiſque excommunicare poteſt.* 157

Cap. XXIV. *Qui poſſunt abſolvere, & quot ad id requiruntur. A pluribus Excommunicatus à totidem abſolvi debet. Quiſnam poteſt ſeipſum excommunicare, & abſolvere. Princeps, pater Synedrii, & Rabbini publicè non excommunicantur, ſed privatim ſalvo honore caſtigari poſſunt, niſi ut Jeroboam peccent. Qualis ſit percuſſio rebellium, & quatenus differat à percuſſione legali 40. plagarum. Quando ad excommunicationem neceſſaria eſt trina monitio, quando non: Quibus diebus fiant monitiones, & dierum ratio. Ordinaria Excommunicationis duratio, triginta eſt dierum. Si non reſipiſcit, iterùm excommunicatur, & ſexageſimo die non reſipiſcens anathematizatur. Synedrium his legibus non tenetur, ſed ex æquo, & bono hæc agit.* 160

Cap. XXV. *Præcedentia ex antiquis libris demonſtrantur. Ghematricè demonſtrant Talmudici, Excommunicationem omnia hominis membra penetrare. Quare alium excommunicaturus nonnunquam ſeipſum prius excommunicat. Quæ Excommunicatis prohibentur. Excommunicatos leproſis, & lugentibus comparant. Qui nomen Dei prophanant, ſtatim excommunicandi. Excommunicationi per ſomnium quædam creditur ineſſe divinitas, ideò decem Rabbini ad illius ſolutionem requiruntur.* 163

Cap. XXVI. *De variis peccatorum apud Judæos distinctionibus. Quæ dicuntur ipſis peccata gravia, quæ levia. Enumerantur 24. peccatorum ſpecies, quorum Rei Iſraelitæ ſalutem non conſequuntur, niſi pęnitentiam egerint. Nonnullorum levium peccatorum conſuetudo damnat. Nullum tam execrabile crimen quod pęnitentia non deleat. Peccatorum 24. ſpecies hominibus ne pęnitentiam agant, ſunt impedimento. Quædam peccata ſtatim poſt pœnitentiam actam condonantur, aliorum remiſſio in feſtum expiationis ſuſpenditur; aliorum uſque ad afflictiones toleratas, aliorum uſque ad mortem.* 166

Cap. XXVII. *De Cherem ſecunda Excommunicationis ſpecie. Excommunicationem 24. de cauſis ferri poſſe dicunt, quæ enumerantur. Nominis Cherem ratio, & variæ ſignificationes. Quid minimæ Excommunicationi hæc gravior ſuperaddat. Quid Cherem ghematricè. In Cherem præter minimam Excommunicationem ineſt execratio, & jusjurandum. A decem infligi debet. Magna cum ſolemnitate fertur. Virtutis, & ſolemnitatis antiqua exempla referuntur.* 169

Cap. XXVIII. *Tertia, & graviſſima Excommunicationis ſpecies Schamata dicitur. Nominis etymon ſecundùm Rabbinos ad Apoſtoli Maranatha facilè revocari poteſt. Dictio eſt antiquiſſima Rabbinis uſitata. Nomen, & ſignificatio planè Arabica. Schamata per Cherem ſæpè ſignificatur, nec non ſimplex Excommunicatio. Moſes Cordubenſis à Rabbinis reprehenditur, quod Schamatham cum ſimplice Excommunicatione confuderit; multo graviorem eſſe demonſtratur. Aliud pęnæ genus præcedentibus multò leniùs uſurpant, quod objurgationem dicunt. Quomodo infligitur. Qua ratione à minima Excommunicatione diſtinguatur. Septem diebus finitur. Judæis Orientalibus diutiùs non durat Excommunicatio quàm Occidentalibus objurgatio. Excommunicati lugentibus ſimiles per eandem portam ingrediebantur. Quid alii ipſis occurrentes precabantur.* 171

LIBER QUINTUS.

DE antiqua peccatorum in tres ſpecies diſtinctione, & generalibus remediis, & pęnis ad eorum curationem, & expiationem annorum quadringentorum ſpatio unicuique ſpeciei adhibitis.

Cap. I. *Totius libri materia exponitur, & demonſtratur, antiques Patres peccata in tres claſſes, ſeu genera diſtribuiſſe; primumque genus pęnitentia publica, & luctuoſa curaſſe; aliis remediis duo poſtrema.* 75

Cap. II. *Primis Eccleſiæ ſeculis tria tantùm peccatorum mortalium genera per publicam, ſeu luctuoſam, & humilem pęnitentiam curata fuiſſe, neque pluribus canones antiquos pęnitentiam impoſuiſſe.* 176

Cap. III. *Judæos antiquos, & recentiores eadem crimina judicaſſe graviſſima, & ea ſimul velut vulgari axiomate conjungere ſolitos, & ab aliis ut graviſſima ſeparare. Maledicentia quantum illis peccatum. Calumniæ ſcelus cum exaggerant, his tribus æquiparant. Quid ſit eis lingua tertia.* 179

Cap. IV. *Progreſſu temporis non modò plura criminum, & trium illorum criminum plures ſpecies per publicam pęnitentiam ſanata, & punita fuiſſe, ſed quæcunque judicabantur graviſſima. Explicantur teſtimonia, quæ hoc ad quęcunque mortalia videntur extendere.* 180

Cap. V. *Tandem patribus vulgatum fuit axioma, crimina, quæ leges ſanguine vindicant, pœnitentia publica in Laicis, & depoſitione in Clericis vindicanda ſunt. Antiquiſſimi Patres pœnas à lege ſacra non à civili illatas ſpectarunt. Poſteriores modò hanc, modò illam. Qua ratione ducti hoc ſtatuebant. Nonnulli canones difficiles explicantur.* 183

Cap. VI. *Pęnitentiam auctoritate Eccleſiæ publicè geſtam tantæ virtutis ab antiquis patribus judicatam eſſe, ut aliquando dixerint, graviora crimina non modo per publicam pœnitentiam eſſe remittenda, ſed etiam aliter remitti non poſſe. Hinc graviter Lapſorum ad eam amplexandam, & agendam concurſus? Friget enim labor, cui merces non redditur.* 184

Cap. VII. *Eadem pœnitentiæ publicæ utilitas, & efficacia demonſtrantur multis canonibus, & illuſtribus aliquot exemplis eorum, qui infirmi eam deſiderarunt, & ſponte ſuſceperunt, nullius atrocis criminis conſcii, nullumque crimen publicè confeſſi: Atque etiam eo quòd infirmis, & obmuteſcentibus Amicorum precibus impoſita eſt, & ab iis convaleſcentibus ſeverè exacta. Pœnitentia nullo crimine prodito acta neminem ab ordinibus ſuſcipiendis, aut exercendis prohibebat: pęnitentis conſcientiæ hoc dimittebatur.* 186

Cap. VIII. *Referuntur Doctores recentiores plures, & celebres, qui docuerunt pœnitentiam de criminibus occultis antiquitus publicè fieri ſolitam, atque etiam à patribus eſſe præceptam. Nonnulli aſſeruerunt, crimina occulta ſecretò Sacerdoti confeſſa ad Epiſcopum ab eo relata fuiſſe, & ab Epiſcopo publicum ex pœnitentia publica non revelari, multò minus occultum. Ex criminum occultorum publica pœnitentia invictum argumentum pro Confeſſione auriculari colligitur. Ad ejuſmodi pœnitentiam neminem cenſuris cogi poſſe aſſerunt antiqui patres.* 188

Cap. IX. *Criminum occultorum Capitalium Confeſſione Sacer-*

cer-

cerdoti ſecretò facta pœnitentiam ſecundùm canones publicè ...tam fuiſſe, tribus argumentis ex antiqua diſciplina erutis; deinde Sancti Auguſtini variis teſtimoniis demonſtratur. 193

Cap. X. *Idem ex Sanctis Leone, Innocentio, Baſilio, Iſidoro, Eligio probatur.* 195

Cap. XI. *Idem demonſtratur ex antiquis canonibus, & auctoribus, qui propter crimina occultiſſima Clericos quoſvis ab officio deponunt, aut in multos annos ſuſpendunt; Confirmaturque hæc praxis illuſtriſſimis exemplis, & antiquis Orientalium pœnitentialibus, & canonum commentatoribus, apud quos in hunc diem viget.* 197

Cap. XII. *Idem ex Tertulliano, & Paciano probatur.* 199

Cap. XIII. *Idem probatur ex Sancto Cypriano.* 201

Cap. XIV. *Idem probatur ex Origene, S. Ambroſio, Concilio Ancyrano, variiſque rationibus confirmatur.* 202

Cap. XV. *Poſt annum ſalutis quingenteſimum vulgò uſurpari cœpit pœnitentia quaſi ſemipublica, qua criminum Rei poſt acceptam publicè pœnitentiam, in locis ſecretis includebantur eam acturi. Prima iſtius moris initia eruuntur, & occaſio indicatur.* 203

Cap. XVI. *Quinque differentiæ explicantur inter pœnitentiam propter peccata publica, & eandem propter occulta publicè actam. Primis ſeculis differentia illa multò minor fuit.* 205

Cap. XVII. *Inhabilitatis ad ordines ſuſcipiendos, vel exercendos cauſa eſt, crimen commiſſum, non publicè acta, de crimine pœnitentia. Quo caſu publicè pœnitens inhabilitatem illam non contrahebat. An alibi quam in Hiſpania ageretur. De levioribus culpis publica pœnitentia. Quid de pœnitente publico ſtatuebatur, qui tacitis gravioribus criminibus leviora tantùm confitebatur. Gravis difficultas ex duobus canonibus conſurgens explicatur.* 207

Cap. XVIII. *Publicè pœnitentibus militiam, & munera ſecularia, Matrimonii uſum, & alteriùs contractum interdicta fuiſſe, quibuſdam in locis ſeveriſſimè, Antiquiore tamen obſervatione Matrimonii, & Matrimonialis actionis interdictam cum pœnitentia ceſſaſſe.* 208

Cap. XIX. *Crimina apud Orientales incapacitatis ad ordines cauſam fuiſſe, non publicam pœnitentiam: nec unquam pœnitentiæ cauſa Matrimonii celebrationem, aut celebrati uſum, militiæque, & muneris civilis honeſti exercitium Laicis apud eos, interdicta fuiſſe. Gravis ex Concilio Nicæno difficultatis enodatio.* 210

Cap. XX. *Nihil horum ſimiliter apud Latinos pluſquam trecentis annis interdictum fuiſſe, aut uſurpatum.* 211

Cap. XXI. *Militiæ, & negotiorum ſecularium exercitium, Matrimonii in conjugatis uſum, in non conjugatis contractum, publicè quacunque de cauſa pœnitentibus, ſive propter crimina publica, ſive occulta, ſive nullo indicato crimine, ſed ſola animi devotione pœnitentiam publicam agerent, à ſeculo quarto ad octavum interdicta fuiſſe.* 213

Cap. XXII. *Eadem interdicta ſeculo octavo aduſque duodecimum non pœnitentiæ publicæ, ſed certis, & atrocibus criminibus, ſeu occultis, ſeu publicis facta fuiſſe, ſeveritate antiquam ſuperante. Qua ratione ſeculo duodecimo, & ſequentibus hæc relaxata ſunt, & tandem obſoleta, enarratur.* 214

Cap. XXIII. *Difficultates quædam emergentes ex iis, quæ demonſtrata ſunt capit. 18. & 19. proponuntur, & brevi enarratione ſeveritatis majoris, aut æqualis longo poſt tempore in multis capitibus ſive controverſia obſervatæ elevantur, & generatim ſolvuntur.* 216

Cap. XXIV. *Eædem difficultates ſigillatim excutiuntur, & diſſolvuntur; docetur que primùm continentiam matrimonialem, & militiæ ſecularis abdicationem ſuaſas fuiſſe; deinde in pœnitentia, & poſt pœnitentiam impetratas; quandoque continentiam illam remiſſam, idque variè, etiam prætermiſſam: Militiam paludatam abſolutè prohibitam. Milites etiam in bello juſto pugnantes à multis pœnitentia damnatos, & quamobrem. Pœnitentiam publicam propter has difficultates ex Patrum conſenſu dilatam, vel dilationem excuſatam, à nonnullis ſeverioribus privata permutatam.* 218

Cap. XXV. *Quæ in antiqua pœnitentiarum praxi duriora videntur, Doctores Scholaſtici teſtantur, quiſque de ſuo tempore, ad annum propè 1300. in pœnitentia ſolemni obſervata fuiſſe; omnia tandem ſeculo decimo quarto ubique probè obſolevisse. Antiquiſſimos Scholaſticos, & Canoniſtas pœnitentiam ſolemnem à publica non diſtinxiſſe, ut nec Patres publicam à ſolemni. Quæ data Scholaſticis, & Canoniſtis antiquis iſtius diſtinctionis occaſio; & quæ illius cum antiquo more convenientia. Solemnis pœnitentiæ à publica differentiæ juxta Scholaſticos enarrantur.* 221

Cap. XXVI. *Eccleſiam Catholicam, in hunc uſque diem auctoritatem peccata occultiſſima pœnis, & remediis publicis caſtigandi, & ſanandi ſibi conſervaſſe. Differentia inter cenſuras à jure, & ab homine latas. Omnes conſentiunt cenſuras ferri poſſe etiam in crimina interna, quæ aliquid extrinſecùm producat, licèt illud ſit occultiſſimum, ita ut à nemine cognoſci poſſit. Hujus rei rationes à Doctoribus redditæ. Pœnæ à Cenſuris inflictæ ferè omnes ſunt neceſſariò publicæ, & occultari non poſſunt. Quot cauſæ publicationem illam intervertendi, tot argumenta eam à lege ſtatui. Ex Cenſura Clericis inflicta facilius deveniri in cognitionem criminis occulti, quàm ex pœnitentiæ Laicis impoſita. Pœnitentiam publicam veram Cenſuram fuiſſe. Cenſuras omnes nihil aliud olim fuiſſe quàm pœnitentias publicas peccatis impoſitas. Quando Cenſuræ ab ordinariis pœnitentiis diſtingui cœperunt. In pœnitentiam ejuſdem criminis Clericus deponebatur, & Laicus ad tertiam pœnitentiæ ſtationem relegabatur. Eadem ratione, & in eundem finem pœnitentiæ, & quæ nunc dicuntur Cenſuræ, infligebantur. Eadem colliguntur de Excommunicationibus, quæ generaliter, & indefinitè ferri ſolent.* 223

Cap. XXVII. *Antiquitùs ſemel tantùm pœnitentiam graviorum criminum poſt baptiſma commiſſorum eſſe conceſſam, antiquiſſimorum Patrum teſtimoniis probatur: hanc praxim à Novatiana hæreſi longiſſimè diſtare. Stantium & integrorum prælapſis in Eccleſia prærogativæ. S. Chryſoſtomi de ſeveritate pœnitentiæ ſententia explicatur, calumnia eidem imputata abſtergitur. Ejuſdem interpretatio aliquot locis emendatur. Mos iſte quando, & qua occaſione in Oriente ceſſavit.* 227

Cap. XXVIII. *Idem demonſtratur ex Concilio Eliberitano, SS. Paciano, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, & Concilio Toletano 3. Quando conſuetudo iſta in Occidente obſolevit.* 231

Cap. XXIX. *Fidelibus poſt actam ſemel de graviſſimis criminibus pœnitentiam graviter iterùm peccantibus, neque privatim, neque publicè pœnitentiam ab Eccleſia eſſe impoſitam, multis rationibus, & auctoritatibus demonſtratur. Quorundam Recentiorum ſententiam refertur. Qua ratione Scholaſtici antiqui hac in cauſa philoſophati ſunt. Eorum interpretationem, & praxim Antiquorum verbis, & praxi non ſatisfacere. Pœnitentiam privatim impoſitam dici non poſſe. Quibus remediis peccata levia, & crimina minùs gravia iterata curabantur. Crimina nonnulla minùs gravia poſt actam pœnitentiam, quàm ſeverè punita fuerint, licèt alia pœnitentia illis non fuerit impoſita. Sancti Siricii conſtitutum de hac re examinatur. Duo hinc conſectanea colliguntur.* 233

Cap. XXX. *Explicatur remedium, quo graviſſima crimina poſt actam pœnitentiam iterata curabantur. Hinc evidenter demonſtratur, pœnitentiam iſtorum criminum iteratam non fuiſſe. Severitas iſta rigore diſciplinæ non poteſtatis defectu introducta. Iſta ſeveritas multis ſimilibus exemplis fit probabilis. Quid dicendum de iis, qui pœnitentiam ſemipublicam agebant. Ineunte tertio ſeculo Abſolutio, crimina poſt actam pœnitentiam iterantibus, cùm animam agebant, videtur pluribus locis conceſſa, ſed pœnitentiæ agendæ bene cium, ad annum propè ſeptingenteſimum iis negatam: poſteà ſecunda pœnitentia publica conceſſa.* 236

Cap. XXXI. *Explicatur, & demonſtratur, qua ratione antiquitùs Eccleſia ſecundùm criminum genus, hoc eſt, peccata mortalia minùs gravia, quòd pœnitentia publica non damnabatur, ſanare, & caſtigare conſueverat.* 238

Cap. XXXII. *Varii modi curationis peccatorum venialium explicantur, & probantur. Severiores ultrò aliquando poſtulati, & impetrati. Quidam utriſque eandem neceſſitatem temerè imponunt. Oratio Dominica præ cæteris eminet. A Sancto Auguſtino ſæpè vocatur baptiſmus quotidianus, quotidiana mundatio, & lavacrum, quotidiana pœnitentia, medela, peniculum, & peccatorum antidotum.*

LIBER SEXTUS.

De diſciplina particulari publicè, privatimque, tam intra quàm extra Eccleſiam ab exorta Novati hæreſi ad annum Chriſti circiter ſeptingenteſimum ad pœnitentium expiationem, & caſtigationem obſervari ſolita.

Cap. I. *Libri materia proponitur. Pœnitentium ſtationes enarrantur, earum loca diſtinguuntur, & teſtimonia, quæ hæc omnia ſimul demonſtrant, referuntur. In ea teſtimonia variæ*

ſunt adnotationes. Recentior Græcarum Eccleſiarum diſtinctio deſcribitur, & ſecundùm hanc præpoſtera locorum Pœnitentiæ aſſignatio emendatur, & indicatur, quando primùm narthex Eccleſiæ partem ſignificavit, Varia Sanctuarii apud Græcos nomina. Tres Catechumenorum claſſes breviter explicantur. Ethnicos quatuor purgationis impiorum gradus feciſſe, qui recenſentur; ab iis tamen Eccleſiam ſuos non derivaſſe. 246

Cap. II. Fletus prima pœnitentiæ ſtatio explicatur: ubi collocata, quando cœpit, illius periphraſes. Quid, & qua veſte in ea flentes agebant. Quibus myſteriis imbuebantur. Quanta in ea erat mora. Quid ſit inter hyemantes orare. 249

Cap. III. Auditio ſecunda pœnitentiæ ſtatio explicatur. Auditionis locus demonſtratur. Unde narthex, & qua occaſione pars Eccleſiæ ſic dicta. Enarrantur pietatis officia, quibuſcum Audientes expiabantur. 251

Cap. IV. Auditio ſex hominum genera complectebatur. Omnes eodem modo audire ab Eccleſiæ incunabulis uſurpatum. Unum tantùm ex illis rationem pœnitentis habuiſſe. Quando & ſtatio, & pœna pœnitentialis eſſe cœpit. Apud Latinos illius uſus rarò manifeſtus eſt. Enumerantur tria hominum genera, quæ, probabile eſt, huic ſtationi apud Latinos adſcripta fuiſſe. 253

Cap. V. Quatuor quæſtiones ſtationibus fletus, & auditionis communes diſſolvuntur. 254

Cap. VI. ὑπόπτωσις ſive Subſtratio unde dicta, quibus nominibus tam Græcis, quàm Latinis aliter vocatur. Eorum eſt, qui propriè pœnitentes in Eccleſia dicuntur. Qua ratione in ea expiabantur. Expiatio Catechumenorum ante Baptiſmum comparatur cum expiatione pœnitentium ante reconciliationem. Subſtrationis locus deſcribitur, & quid ambo fuerint, explicatur. 255

Cap. VII. Energumenorum baptizatorum curationem duplicem eſſe; Unam in ſubſtratione, dum celebrabatur Synaxis: Alteram extra Synaxim in Eccleſia, vel in privatis ædibus. Utriuſque ritus exponitur. An ordinum capaces Energumeni, Quàm latè hoc nomen extenſum. Quando ceſſavit prior curandi ratio. Qua ratione in Catechumenos ſanos, & moribundos ſeſe gerebat Eccleſia. Extraordinariæ Energumenos curandi rationes enarrantur. 257

Cap. VIII. Toto Subſtrationis tempore, quod plurium erat annorum in ſingulis propè Synaxibus manus pœnitentibus genuflexis fuiſſe impoſitas. 260

Cap. IX. Manuum ſuper pœnitentes impoſitioni orationem ſemper conjunctam fuiſſe demonſtratur, & in qua ſynaxis parte id factum fuerit. 262

Cap. X. Quid per Miſſam Catechumenorum Latini intellexerint. Eam celebrare Diacono permiſſum. Ubi Miſſæ fidelium, ſive ſacrificii initium, tam apud Græcos quàm Latinos. Hymni Triſogii à Cherubico diſtinctio Triſagion à Græcis quotidie canitur, à Latinis ſemel quotannis. Miſſæ nomen ab Antiquo univerſa officia Eccleſiaſtica ſignificat. 263

Cap. XI. Varias pœnas, atque opera laborioſa privatim, ſive tolleranda, ſive præſtanda pœnitentibus imperata fuiſſe; & diligenter an imperata exequerentur Patres attendiſſe. Quid ſit tradi Satanæ in interitum carnis ex antiqua, & continua Eccleſiæ traditione explicatur. 265

Cap. XII. In omnibus propè Paræciis, non modò conſpicuum fuiſſe Catechumenorum, ſed etiam pœnitentium ſtatum à fidelibus loco, veſte, oratione, diſceſſione ab Eccleſia, & variis prærogativis diſtinctum. Ideò paſſim populus Eccleſiam frequentans, in fideles, pœnitentes, & Catechumenos diſtributus. Horum pleraque extra Eccleſiam conſpicua fuiſſe. 267

Cap. XIII. Monachos, & Moniales, ſive Monaſteriis addicti eſſent, ſive ſoluti, Clericos quoque inferiores, publicæ pœnitentiæ pro ratione peccatorum obnoxios fuiſſe. Clericorum ſingularis quædam ratio: nonnullæque aliæ occurrentes quæſtiones explicantur. 269

Cap. XIV. Antiquos Patres, cùm criminis nova ſpecies, aut inſignis circumſtantia exoriebatur, non auſos illi privata ſententia pœnitentiam decernere; ſed Concilia celebraſſe, Epiſcopos inſignes conſuluiſſe, ut convenientem huic crimini pœnitentiam communi concilio definirent, ex S. Cypriano, Clero Romano, Cornelio Pontifice, & Conciliis eorundem temporum demonſtratur; & cùm non erat Concilia celebrandi facultas, pœnitentiam ſuſpendiſſe. 271

Cap. XV. Idem demonſtratur variis Conciliis, & auctoribus, qui præcedentes ad annum uſque centeſimum ſuprà milleſimum ſecuti ſunt. Item variis eorundem temporum libris pœnitentialibus, quos Concilia dicunt ſe recenſuiſſe, & Presbyteris tradere, ut ſecundùm illos, & non aliter pœnitentias imponant; Annua quoque iſtorum pœnitentialium in Synodo commendatione ab Epiſcopis facta: Officio etiam Viſitatorum, quibus illa commendatio injungebatur. Ex fine denique, & ſcopo, quem pœnitentialium, & Collectionum canonicarum auctores in opere ſuo ſe habuiſſe teſtantur. 273

Cap. XVI. Epiſcopos ſollicitè attendiſſe, & inquæſiviſſe, an pœnitentes pœnas canonicas ſibi impoſitas, in ſeipſos diligenter exequerentur. Presbyteris in Oriente, Diaconis in Occidente hanc Provinciam potiſſimùm demandaſſe. Unde Diaconorum adversùs Presbyteros in Occidente ſupercilium. 276

Cap. XVII. Quartæ ſtationis varia nomina, & epitheta enarrantur, atque ex iis ſtationis natura, & proprietates eruuntur. Quid communicare ſine, & cum oblatione. Jus offerendæ oblationis quanti æſtimatum. 279

Cap. XVIII. Quartæ ſtationis quis locus; An fidelibus permiſtus. Quatuor hominum genera complectebatur. Quæ crimina iſta Cenſura per ſe puniebantur, quæ per accidens. An ſpeciali ritu expiarentur. Qua ratione, & quando quæ ſubſtrationem conſequebantur huic ſtationi tributa ſunt. Nullius in hac ſtatione nomen afferebatur. 280

Cap. XIX. Neceſſarium non fuiſſe, ut pœnitens ad ſuperiorem ſtationem per mediam eveheretur, neque ut ad infimam, quam crimen merebatur, detruderetur. 282

Cap. XX. Peccatores publicos ad agendam publicè pœnitentiam; & deſertores pœnitentiæ publicæ quacunque, de cauſa ſuſceptæ, ad eam reſumendam graviſſimis cenſuris cogi ſolere. 283

Cap. XXI. Quæritur, in qua ſtatione humilibus pœnitentibus Abſolutio à peccatis concedebatur. Quando iis, qui tantùm abſtinebantur poſt criminum Confeſſionem. Abſolutionem duplicem fuiſſe: Varia utriuſque Epitheta ex antiquis canonibus enarrantur. Variis temporibus conceſſæ ſunt. Maximè neceſſaria à Presbyteris in mortis periculo data: Altera nequidem tunc, niſi Epiſcopi permiſſu. 284

Cap. XXII. Demonſtratur ſigillatim, quid apud Orientales Eccleſias, de antiqua pœnitentiæ diſciplina hactenus explicata, relaxatum, immutatum, aut abrogatum ſit. Quando, quave occaſione id factum. 287

Cap. XXIII. Qualis fuerit Orientalium Eccleſiarum in adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ diſciplina, tam in Clericos, quàm in Laicos, ab annis mille ducentis adusque hoc ſeculum, breviter deſcribitur, & demonſtratur. Joannis Patriarchæ libellus pœnitentialis, licèt videri poſſit valdè ſeverus, nimiæ tamen relaxationis à poſterioribus Græcis damnatur. Græci poſteriores pleriqua pœnitentias criminibus imponi volunt juxta antiquorum canonum rigorem. Quid hoc apud Græcos in cauſa pœnitentiæ vulgatum, canonem dare, canonem facere, culpas canonizare. Culpas leves confitentibus Græci non dant Abſolutionem, ſed pia monita. Quæ dona vice Euchariſtiæ concedere ſoleant iis, qui ea plurimis annis interdicuntur. Quid ἀντίδωρον, & qua de cauſa datur. 289

Cap. XXIV. Græcos à mille ducentis annis ſtatim poſt Confeſſionem peccatorum Sacerdoti editam, vel pœnitentiam ab eo impoſitam, ante quamlibet pœnitentiæ executionem à peccatis ſincerè pœnitentes abſolvere; ſed communionem Euchariſticam, aliquando in plurimos annos retardare, longa interim, & multiplici pœnitentia impoſita demonſtratur. Ab eo tempore tres apud eos pœnitentiæ ſtationes obſolevisse; ſed quartam retentam. Hinc quædam diſciplinæ neceſſitate fluxit veniæ ante actam pœnitentiam dandæ innovatio. Scholaſtica de Sacramentis Philoſophandi methodus Græcis olim incognita, pauciſſimis, & primariis vix nunc cognita. 291

Cap. XXV. Græcos alteram Abſolutionem poſt pœnitentiam completam dare ſolitos multis exemplis docetur. Quis iſtius Abſolutionis effectus. Idem effectus elapſo tempore conſtituto ex rei natura ſine Abſolutione obtineri poterat: quare id non factum. Perfectam peccatorum remiſſionem operari dicunt. In ea impertienda conjungunt aliquando generalem peccatorum Abſolutionem. Ante pœnitentiam integrè completam nonnunquam conceditur per indulgentiam, vix ante inceptam. Concedunt Epiſcopi Græci Indulgentiarum diplomata, quæ vocant συγχωροχάρτια, & ἀφέσιμα. Convenientiæ, & differentiæ iſtius Abſolutionis cum Excommunicatione minori. Excomm. minor uno tantùm caſu incurritur. Cenſuræ nomen hic ἐν πλάτει ſumitur, non Scholaſticè. Rigida illa acceptio Græcis, primiſque Scholaſticis incognita. Plures Excommun. minoris ſpecies olim datas: dari potuiſſe agoſcunt multi Scholaſtici, ſed nunc unam ſpeciem eſſe in uſu. Criminum Rei apud Græcos, licèt occulti, Sacrificii tempore è choro ſecedunt. Antiquæ diſciplinæ in Clericos multa capita obſervant. 294

Cap. XXVI. Praxis Eccleſiæ Orientalis capitibus præcedentibus enarrata, & probata multis, & inſignibus exemplis demonſtratur. Epiſcopis licet pœnas canonicas augere, & minuere, ſed

re ſed non araneis filis ligato, quę tribus rudentibus alliganda ſunt. Qua ratione pęnitentia publica illis ſeculis in Oriente permanſit. 297

Cap. XXVII. *Enarrantur, quę circa finem ſeculi ſeptimi, de antiqua Sacramenti pęnitentię diſciplina apud Latinos abrogata ſunt, quę perſeveraverunt ſeveriùs obſervata, quæ in aliam formam immutata, quotve ſeculis diſciplina ſic innovata viguit. Catechumeni duplices. Utrumque in Liturgiis Græcis ſolemnis, ſed verbo tenus, fit dimiſſio. Amalarii, & Remigii Lugdunenſis dicta de Catechumenorum in Miſſa dimiſſione explicantur. Diſciplina in poſteriores Catechumenos antiquitùs obſervata diutiſſimè in Eccleſia Latina perſeveravit.* 299

LIBER SEPTIMUS.

EXplicatur Pœnitentiarum varia praxis, publica, & privata; intra, & extra Eccleſiam; à ſeculo ſeptimo uſque ad finitum undecimum uſurpata.

Cap. I. *Axioma iſtud; De peccatis publicis publicè pœnitendum, de occultis occultè, paulò ante annum 700. vulgari cœptum. Quis illius in Occidente auctor, & unde mutationis occaſio ſumpta. Poſt annum 700. ſtatim univerſum Occidentem pervaſit, & criminum occultorum pœnitentia Presbyteris conceſſa, publicorum Epiſcopis reſervata. Nonnullis objectionibus occurritur. Qua ratione, & quamobrem in explicatione pœnitentiæ differunt libri pœnitentiales tam ab ordinibus Sanctorum officiorum, quàm ab antiquis canonum collectionibus.* 302

Cap. II. *Multis teſtimoniis, & argumentis docetur, poſtquam ceſſavit publica, de criminibus occultis pœnitentia, magnum tamen multis poſt ſeculis pœnitentium publicorum in Eccleſia numerum fuiſſe, loco, veſte, luctu, vitæque diæta conſpicuum, & fidelibus diſcretum.* 305

Cap. III. *Demonſtratur quanto ſtudio, & ſolicitudine, quove juris ordine Epiſcopi illis ſeculis invigilarint in univerſa Diœceſi ſua ad crimina publica revincenda, & occulta juridicè detegenda, ut publicam, & canonicam utriſque pœnitentiam imponerent.* 306

Cap. IV. *Publicos peccatores, aut de crimine quomodocunque convictos, ſi ſponte pœnitentiam publicam agere nollent, ad eam Excommunicatione, & anathemate coactos, nec priùs ſolutos, quàm eam ſuſcepiſſent.* 307

Cap. V. *Publicos peccatores, aut criminis convictos, ſi Cenſuris Eccleſiaſticis ad pœnitentiam publicam cogi non poterant, Principum auctoritate coactos fuiſſe. Auctoritatem hanc Epiſcopos implorasse: Principes ſecundùm poſtulationem Epiſcopalem non modò leges ſanciſſe, Comitesque ſuos Epiſcopis auxilium denegantes graviter puniſſe, ſed etiam ſtatuiſſe, ut qui de regno ſuo in alterius regnum pœnitentiæ vitandæ cauſa fugeret, petenti Epiſcopo redderetur, ut apud eum pœnitentiam ſuſciperet, & legitimè exequeretur.* 308

Cap. VI. *Poſt ſumptam lege civili, de criminis Reo pœnam, pœnitentia publica illi canonicè imponebatur, illiuſque ſtadium principalibus etiam edictis decurrere tenebatur. Si Rei Dominus ſeſe opponeret, diſtringebatur.* 310

Cap. VII. *Explicantur publici ritus, ſecundùm quos pœnitentia publica ab anno 700. ad centeſimum ſupra milleſimum agi ſolebat.* 310

Cap. VIII. *Differentiæ rituum publicorum in pœnitentia publica primis ſeculis obſervatorum ab iis, qui ab anno 700. ad 1100. invaluerunt, colliguntur, enarrantur, comparantur.* 313

Cap. IX. *Quæ pœnitentiæ, corporiſve afflictiones, abſtinentiæ, jejunia, &c. Seculis octavo, & nono publicam pœnitentiam agentibus imponi ſolerent, privatim, & domi exercenda, & exequenda demonſtratur. Et qua ratione iſta per omnes pœnitentiæ impoſitæ annos diſtribuebantur. Doceturque, illorum ſeculorum Eccleſiam hac in cauſa diſciplinæ antiquæ ſeveritati non ceſſiſſe.* 313

Cap. X. *Eandem ſeveritatem toto ſeculo decimo domeſticè obſervatam fuiſſe, nec tantillùm de ea remiſſum. Eandem quoque operum laborioſorum per varios pœnitentiæ impoſitæ annos diſtributionem factam.* 316

Cap. XI. *Continuatam eſſe, & diſtrictiſſimè obſervatam hanc ſeveritatem toto ſeculo undecimo illuſtriſſimis, & auguſtiſſimis ſancti Petri Damiani Cardinalis, Anſelmi Lucenſis Epiſcopi, Leonis IX. & Alexandri II. Pontificum teſtimoniis demonſtratur, nec eſſe conſideratum, crimina fuerintne publica, vel occulta, ut pœnitentia canonica in Laicis, & inſuper depoſitione in Clericis plecterentur. Qua ratione longæ illæ pœnitentiæ per varios annos diſpenſatæ. Quid ſit Treva, vel Tregua Dei, & quando cœpit, enarratur.* 317

Cap. XII. *Idem evidentiſſimè demonſtratur aliis celebribus ejuſdem ſeculi auctoribus, Epiſcopis, Burchardo, Fulberto, Lanfranco, Ivone, Conciliis, Salegunſtadienſi, Coyacenſi, Gregorio VII. Pontifice, & aliquot inſignibus exemplis.* 321

Cap. XIII. *Pęnarum pęnitentialium duo genera, earumque ſpecies, & varia impoſitio explicantur. Quæ antea inuſitatæ circa annum ſeptingenteſimum uſurpari cęperunt. Feſtivis diebus pęnitentiæ ſolvebantur, quia feſtivis diebus jejunare antiquitùs mos non erat, ut nec etiam nunc apud Orientales. Jejunium unicum in Sabbata obſervabant Judæi, ut etiam nunc Orientales Chriſtiani. An tres Quadrageſimas aliquando plebs obſervaverit. Quis primus jejunium trium Quadrageſimarum, & Feriarum legitimarum in pęnitentiam apud Occidentales introduxit.* 323

Cap. XIV. *Tertium pęnitentiæ recentioris genus flagellationem ſpontaneam circa annum 960. cępiſſe. Quis illius auctor. Flagellatio Monachis vice argenti fuit, qua pęnitentias redimerent. Quidam ſæpiùs centum annorum pęnitentiam compleverunt. Longè ante annum 960. Servos, Colonos, Clericos, Monachos, in canonicam criminum pęnitentiam flagellatos. Laicos ingenuos ab ea fuiſſe liberatos. Quod in pęnitentiali Bedæ nunc legitur, pęnitentiam impoſitam multis corporis ſui percuſſionibus redimi, recentius eſſe additamentum.* 325

Cap. XV. *Duo alia pęnarum pęnitentialium genera, eaque ſevera iis ſeculis frequentiſſima fuiſſe, licèt antiquioribus inuſitata, demonſtrantur. Peregrinatio in varias regiones, & Monachiſmi profeſſio. Prior propter abuſum eodem tempore aliquando improbata. Illius imponendæ occaſio inquiritur. Poſterioris præter canones, & pęnitentiales ſic ſtatuentes, varia exempla referuntur, & illius origo variè conjicitur, & demonſtratur. Monachiſmi profeſſio pęnitentiæ publicæ virtute, & merito æquata, qua ratione ſit intelligendum.* 327

Cap. XVI. *Ejuſdem ſeveritatis iis ſeculis exercitæ duo alia argumenta enarrantur. Communionis ad finem uſque vitæ, in quibuſdam criminibus retardatio; & pęnitentium Romam ad dignam ſceleris pęnitentiam excipiendam remiſſio. Caſtigatur à Conciliis abuſus pęnitentium Pontifici obrepentium, doceturque, quando, & qua ratione ad ipſum recurſus pęnitentiæ cauſa ſit legitimus. Demonſtratur, canonem, qui quorundam Reorum Abſolutionem reſervat Papæ, de ipſo Papa, & de itinere ad eum ſuſcipiendo eſſe intelligendum.* 329

Cap. XVII. *Concilia quædam Anglicana, quibus probari videtur, Peregrinationem ante annum 700. in pęnitentiam fuiſſe impoſitam, recentia eſſe. Quando Dolenſis Epiſcopus cępit Archiepiſcopi nomen uſurpare. Ex Anglicana collectione probatur Peregrinationem, Monachiſmum, verbera, & carcerem, pęnitentiales pęnas fuiſſe. Inſignia duæ pęnitentiæ exempla Magnatibus impoſitæ. Anglorum & Saxonum reges legibus ſuis procurabant, ut pęnitentiæ executioni mandarentur.* 331

Cap. XVIII. *De pęnitentiæ Quadrageſimalis ſeveritate. Explicantur nonnulla, quę in illa ſeveritate fuerunt peculiaria, & publica. In locis ſecretis, velut carceribus, tunc recludebantur ad reconciliationem, in Cœna Domini hinc egreſſuri. Iſtius moris ratio, occaſio, antiquitas, & immutatio. Pęnitentibus tum dati ſpeculatores, qui diligentiam examinarent. Illis deſtrictè prohibitum, ne munere, gratia, vel odio de pęnitentis diligentia, aut deſidia falsò teſtarentur.* 332

Cap. XIX. *De antiquitate ſolemnis pęnitentię in Capite Quadrageſimę imponendę, & de ipſo Capite Quadrageſimę differitur. Variè Occidentalium de initio jejunii obſervationes enarrantur. Romę, in Hiſpania, & Mediolani antiquitùs initium Quadrageſimę à Dominica, non ab antecedente feria quarta. Licèt pęnitentia publica in capite Jejunii poſiſſimùm daretur, & differretur, alio tamen tempore datam. Quid erat in tempore jejunii obeundum iis, qui ante hoc tempus eam ſuſceperant.* 334

Cap. XX. *Explicatur, qualis pęnitentia fuerit publicè pęnitentibus tempore Quadrageſimali privatim, & domeſticè impoſita. Poſteriores anni prioribus in privata diæta ferè ſemper remiſſiores. Qualiter & in Quadrageſima, & per annum pęnitentia ſeptem annorum per ſingulos annos di-*

Digitized by Google

gerebatur, & mitigabatur. Sæpè impoſitæ ſunt tres Quadrageſimæ ſingulis annis jejunandæ. Quod inter eas ſeveritatis diſcrimen. Quamobrem ſæpè tribus prioribus annis unà tantùm imponebatur Quadrageſima jejunanda, & in ſequentibus plures. Severioris Pœnitentiæ exempla adnotantur. 336

Cap. XXI. *Inter publicam, & ſecretam Pœnitentiæ impoſitionem à ſeculo ſeptimo ſolius ſolemnitatis diſcrimen fuiſſe: Iiſdem pœnis, & remediis canonicis, crimina publica publicè, & occulta occultè ab eodem tempore caſtigata, & ſanata fuiſſe, ex antiquis Pœnitentialibus, & Sacramentariis, editis, & manuſcriptis demonſtratur.* 338

Cap. XXII. *Idem ex illarum ſeculorum canonibus, & Patribus, qui hoc diſertè, κατὰ τὸ ῥητόν monuerunt comprobatur.* 339

Cap. XXIII. *Idem variis hinc inde collectis eorundem ſeculorum teſtimoniis demonſtratur. Quæ regula minuendarum pœnitentiarum, & imponendarum iis criminibus, quæ canones præterierunt. Pœnitentiales libelli ordinandis Sacerdotibus dati, edendæ Confeſſionis ſecretæ, & privatæ Pœnitentiæ imponendæ, & exequendæ, rationem potiſſimùm docebant. Qui ultra pœnitentias quàm canonicas continebant, igni tradebantur.* 341

LIBER OCTAVUS.

DE Abſolutionis Sacerdotalis virtute, & formulis, deque variis hac in cauſa Doctorum ſententiis.

Cap. I. *Abſolutionis Virtus, & efficacia ad ſalutem æternam conſequendam probatur ex variis Epithetis, quæ Patres illi tribuunt: Ex concurſu pœnitentiam ad eam à Sacerdotibus ſuſcipiendam cùm inſtat mortis periculum; Ex querola Abſentiæ Paſtorum: Ex precibus, & lachrymis quibus depoſcitur, Denique ex precibus, & ſacrificiis denegatis Pœnitenti, cui caſu aliquo diem obire ea non ſuſcepta contingebat.* 344

Cap. II. *Explicatur proprius Abſolutionis in animam effectus Patribus cognitus. Novem hac de re antiquorum Scholaſticorum uſque ad annum 1200. ſententiæ celebres referuntur, & comparantur. Quando in ſcholis de habitibus infuſis diſputari cœptum. Tandem circa annum 1250. deferbuit diſputatio, pleriſque originem, & meriti, & juſtificationis cauſam formalem ab habituali gratia potiùs quàm ab actuali petentibus. Hinc occaſio prima nomen Attritionis in ſcholis uſurpandi, Quid primum ſignificaverit.* 346

Cap. III. *Variæ Scholaſticorum philoſophationes quadringentorum annorum ſpatio agitatæ de ratione, qua Attritio fit Contritio breviter explicantur. Centum annorum ſpatio hæc quæſtio propoſita eſt, & tribus modis ſoluta ſine ullo ad Sacramentum reſpectu: Qua occaſione hæc quæſtio tandem cum additione Sacramenti propoſitæ. Moralis cauſa omnium hominum conſuetudine vera cauſa dicitur, Ornatus Sacramentalis fugendi quæ cauſa fuit. Illius virtus triplex explicatur. Quæſtionum ſiliades hinc exortæ. Quando ſic philoſophari deſitum. Enarrantur ſeptem ſententiæ de ratione, qua Attritio in Sacramento fit Contritio, & quando unaquæque cœpit, adnotatur.* 349

Cap. IV. *Septima ſententia docens, qua ratione Attritio in Sacram, fiat Contritio enarratur. Qui illius auctores, quæ in ea explicandæ varietas. Exponitur dogma, quod iſti ſententiæ ſubſternitur, & quod eam conſequitur. Sententia iſta à viris magnis eam tuentibus nova cenſetur, & tantùm probabilis. Monita ab iiſdem data ſic confitentibus enarrantur. Ad perfectionem majorem tendendum, ut minor acquiratur. Cùm agitur de ſalute, peccatum eſt certa negligere, & eligere incerta, & ambigua. Exemplis hoc docetur. Non ſemper certa opinio probabili eſt præferenda. Quando id fieri debet. Urgente neceſſitate Sacramentum ex probabili ſententia conferri poteſt: Verùm ſi ex certa agi poteſt, ea eſt eligenda. Plurimi Doctores hodierni cenſent, nullo tempore Dei dilectionem neceſſariam eſſe, modò diligendi habitus per Sacramentum comparetur.* 352

Cap. V. *Admirabiles, & nativi Abſolutionis Sacerdotalis in Pœnitentem effectus permulti, ex variis Patrum teſtimoniis, & antiqua Eccleſiæ praxi colliguntur, & enarrantur.* 357

Cap. VI. *Eadem Eccleſiæ traditio de virtute Sacerdotalis Abſolutionis evidentiſſimè probatur, ex antiqua Controverſia Catholicorum cum Montaniſtis, & Novatianis.* 359

Cap. VII. *Scholaſti plurimi, & celeberrimi referuntur, qui aſſirmant mille ſupra centum annis totam habituum infuſorum doctrinam in Eccleſia ignoratam fuiſſe. Patres ante hoc tempus Sacramenti effectum, hominis impii juſtificationem, fidei operumque noſtrorum meritum ſine gratiæ habitualis mentione explicaſſe, Actualia auxilia gratiæ, & opera hinc profecta tantùm commemoraſſe. Gratiam habitualem ad hos effectus eſſe neceſſariam nondum definitum. Nonnullos Doctores, etiam nunc, iſtos effectus ſine ea explicare; nonnullaque alia his affinia ex iiſdem Scholaſticis enarrantur. Antiquorum ratio de effectu Abſolutionis diſſerendi ſimplex, & verbis è medio ſumptis. Diſertiſſimis S. Fulgentii verbis probatur, Contritionem perperam exigi neceſſariò, præparationem à Scholaſticis Attritionem dici ſolitam ſufficere. Ideò Sacerdotem conferendo Sacramentum baptiſmi, vel Abſolutionis reverà peccatorum remiſſionem dare, & ex injuſto juſtum facere.* 361

Cap. VIII. *Antiquitùs ordinariam, & vulgatam Abſolutionis formulam fuiſſe deprecatoriam; poſt centum ſupra mille annos aliquid indicativum formulæ deprecatoriæ addi cœptum. Tandem formula indicativa in Occidente ſola obtinuit. Hujus conſuetudinis occaſio enarratur. Antiquiſſimos Patres formula deprecatoria uſos probatur. Manus impoſitionem orationi ſemper fuiſſe conjunctam, ex ſcripturis, Patribuſque demonſtratur.* 364

Cap. IX. *Idem demonſtratur ex Patribus, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, aliiſque Doctoribus ad annos aliquot ſupra milleſimum, & ducenteſimum. Media quædam formula indicativum modum deprecativo conjungens quando uſurpari cœpit, & deſiit.* 367

Cap. X. *Antiqui Rituales libri editi formulas omnes Abſolutionis tam publicas, quàm privatas, tam de ſanis, quàm de morientibus nobis exhibent deprecatorias.* 370

Cap. XI. *Idem faciunt rituales libri manuſcripti, Sacramentaria, & Pœnitentialia, antiquiſſima, & recentiora ad annum 1300. Abſolutio dicitur aliquando reconciliationis jam factæ confirmatio, & benedictio. Ita vocatur oratio, qua ritus Extremæ unctionis terminatur. Totus ritus reconciliationis, aliquando unius partis, per Abſolutionem ſignificatur. Ita quoque ritus impoſitionis Pœnitentiæ.* 372

Cap. XII. *Græci hactenus in Abſolutione à peccatis nulla alia formula uſi ſunt quàm deprecativa. Nullam aliam exhibent antiqua, & recentiora eorum Euchologia, & Pœnitentialia. Idem eorum Doctores de aliis Sacramentis aſſerunt. Quid ſentiendum de hoc dicto, habeo te abſolutum. Non eſt eadem ratio Abſolutionis ab Excommunicatione, & à peccatis.* 375

Cap. XIII. *Ex antiquiſſima conſuetudine univerſa plebs Chriſtiana, & Clerus, præſertim cum Pœnitens erat reconciliationi proximus, Epiſcopum obnixè rogabat, ut Pœnitentem reconciliaret; ipſeque Pœnitens ſupplex, & humilis fideles, ut intercederent, deprecabatur.* 379

Cap. XIV. *Pœnitentes publicos in publica Miſſa reconciliatos; ſæpè quoque occultos in Miſſa privata, variis antiquorum Patrum, & Ritualium teſtimoniis probatur. Quibuſdam locis hoc factum poſt Evangelium, aliis poſt conſecrationem: In privatis reconciliationibus poſt Miſſam. Hæc variis ſeculis varia fuiſſe. Multa apud Græcos hujus moris veſtigia ſuperſunt.* 380

Cap. XV. *Reconciliatio annis 1250. tam privatim, quàm publicè cum manus impoſitione facta eſt. Teſtimonia varia referuntur, quibus manus impoſitio pro Sacramento Pœnitentiæ ſumitur. Recentia quædam Concilia eam adhiberi jubent. In Africa Clerus cum Epiſcopo manus imponebat, niſi aliqua neceſſitas obſtaret, ſed brevi poſt S. Cyprianum hic mos deſiiſſe videtur.* 383

Cap. XVI. *Digreſſio de formulis admodum variis in adminiſtratione Confirmationis, & extremæ unctionis, & baptiſmi, quibus antiqua Latinorum, & Græcorum Eccleſiæ uſæ ſunt, ex antiquis auctoribus, & ritualibus utriuſque gentis excerptæ.* 384

Cap. XVII. *Scholaſticos pleroſque antiquos, & recentiores docuiſſe nonnullorum Sacramentorum materias, & formas à Chriſto generaliter tantùm inſtitutas: Specialis verò materiæ, & formæ aſſignationem Eccleſiæ commiſiſſe.* 389

Cap. XVIII. *Materias, & formas Sacramentorum omnium eaſdem ſemper, & ubique fuiſſe ex Patribus, & antiquis Sacramentariis, & Ritualibus evidenter, & neceſſariò colligi. Quæ ex recentioribus opponi poſſunt, diluuntur.* 390

Cap. XIX. *De modorum indicativi, imperativi, & optativi poteſtate, & ſignificandi ratione. Quid ſit verborum modus. Nec Hebræa lingua; nec ejus dialecti habent optativum, & conjunctivum; nec tempus præſens, nec præteritum imperfectum, nec pluſquam perfectum. Id variis Grammaticorum Hebræorum teſtimoniis demonſtratur. De ſignificatione propria participiorum Benoni, & Pahul. Malè Pahul vulgò eſti-*

Digitized by Google

æſtimatur participium præteritum, cùm ſit præſens paſſivum. Qua ratione Orientales populi tempus præſens indicativi modi exprimant: Indicativi auctoritas, & αὐθεντία maxima. Participii præſentis multò humilior. Participia nec tempus, nec perſonam, nec modum per ſe ſignificant. Baptiſmi, & Confirmationis formulæ per participium præſentis temporis enuntiantur. Optativi modi ab indicativo differentia. Apud Græcos optativus pro indicativo ſumitur, & è contra. Imperativus modus ex æquo eſt deprecativus, & imperativus, atque conſultivus. Prima cauſa deprecativè loqui non poteſt, ſed utroque modo miniſterialis. Apoſtoli tribus loquendi modis miracula perpetrarunt, ſic & Dominus noſter. Sacramentum Extremæ unctionis peccata remittit. Orationi remiſſion. peccator. tribuit ſcriptura. 391

Cap. XX. *Rationes eruuntur, propter quas Miniſter Dei non autem principium, ſententiam deprecativè pronuntiare poteſt. Certus eſt effectus orationis, quam Sacerdos facit Eccleſiæ nomine. Sacerdos Medicus, & Judex. Medico, præſertim ſpirituali, non repugnat per orationem ſanare. Vulgata iſtius formulæ, Abſolvo te, Interpretatio expenditur. Judicum maxima dignitas, ſententias ſuas Principis ſolo nomine edito pronuntiare. Sic & Angeli à Deo delegati nomen Dei aſſumunt. Quare nec hoc modo, nec imperativo, nec indicativo abſurdè Eccleſia peccata remittens. Oratio cauſam primam, & miniſterialem perfectè denotat. Alia ratio ex variis S. Chryſoſtomi locis explicatur. Unde judicialis hæc formula, Abſolve te, originem cępit. Romanos judices ſententias ſuas formulis admodum modeſtis ſæpiùs pronuntiaſſe demonſtratur.* 396

Cap. XXI. *Ex varia rerum ſimilium in Eccleſia praxi docetur Abſolutionem à peccatis deprecativam valere poſſe. Abſolutio ab Excommunicatione ex communi ſententia utroque modo valet, licèt maximè ſit judicialis, & forenſis. Quotquot ſuperſunt Abſolutionis ab Excommunicatione antiquæ formulæ ſunt deprecativæ. Pleræque omnes antiquæ ſententiæ Excommunicationis ſunt indicativæ, hujus rei ratio redditur. Paucæ tamen ſunt deprecativæ.* 400

Cap. XXII. *Doctores referuntur, qui docuerunt, Abſolutionem à peccatis deprecativam valere poſſe. Si expreſſio ſoliùs cauſæ inſtrumentalis ſufficit, multo magis ſoliùs principalis. Prior formula pura, & omni prorsùs invocatione carens, hactenus non fuit in uſu. Poſterioris argumentum quotidianum ſupereſt. Omnis formula Abſolutionis imperativè enuntiata, eſt deprecativa, nec alius illi ſenſus affingi poteſt.* 402

Cap. XXIII. *Diaconis Confeſſiones in extremo periculo audire, & Pęnitentes reconciliare, à multis Latinis, & multorum ſeculorum ſpatio permiſſum fuiſſe. Apud Gręcos non legitur unquam hoc uſurpatum.* 404

Cap. XXIV. *Diaconos alicubi ſacrificare auſos, ſed ſtatim repreſſos, ἀναφέρειν & ἀναφορά, aliquando offerre, & oblationem ſignificant. Reconciliationem Pęnitentium in extremo periculo à Laicis præſtitam multos Doctores aliquot ſeculis non improbaſſe, ſed laudaſſe, & credidiſſe ex deſiderio Sacerdotii remiſſionem peccatorum impetrare.* 406

Cap. XXV. *Abſolutionem peccatorum abſenti datam olim apud multos valuiſſe, plurimis Scholaſticorum teſtimoniis, & nonnullis Antiquorum exemplis docetur. Abſolutionem illam non eſſe eandem Pęnitentiarum Canonicarum indulgentiam. Sententiæ judiciales natura ſua ex æquo feruntur in præſentes, & abſentes. A Principe reſtringi poſſunt, & ampliari. Hujus rei intima ratio. Multi Scholaſtici ſcripſerunt, Abſolutionem Sacramentalem ſcripto, vel nutu, aut alio ſigno externo dari poſſe. Clementis VIII. decretum actibus pręcedentibus non pręjudicat, ſed legem ponit futuris. Decretum Pontificis invalidam reddere poteſt Abſolutionem, aliàs legitimam.* 409

Cap. XXVI. *Variæ Abſolutionum à peccatis formulæ à præcedentibus differentes referuntur, & enarrantur. Quis fuerit effectus Abſolutionis peccatorum multis abſentibus ſimul datæ, qui tum de Confeſſione, & Abſolutione nihil cogitabant. Quàm fallax judicium de moribus hominum ſine cognitione hiſtoriæ latum. Abſolutionis generalis feria 5. in Cœna Domini datæ qui effectus. Nunc, & ab aliquot ſeculis tantùm ceremonialis eſt. Ab omnibus poſteà abſolutus omnes abſolvit. Aliquis tertiò, & per triduum abſolutus. Hæc phraſis, abſolvere à peccatis, Antiquis latiùs patebat quàm Scholaſticis.* 411

LIBER NONUS.

DE varietate temporis quo Abſolutio poſt Confeſſionem, & demonſtratam reſipiſcentiam, quibuslibet criminibus nullo excepto, privatim, & publicè adminiſtrata eſt: Deque ſolemnitate in illius adminiſtratione obſervata.

Morin. de Sacram. Pœnit.

Cap. I. *Recentiorum auctorum plurimi, & celeberrimi referuntur, qui Abſolutionem à peccatis poſt peractam pęnitentiam antiquitùs ferè ſemper datam eſſe docuerunt; non univerſaliter tamen, ſed multis adhibitis diſtinctionibus huic quæſtioni eſſe reſpondendum.* 414

Cap. II. *Nova quædam diſtinctio in hac cauſa adhibita improbatur, eo quòd Abſolutioni peccatorum injuriam inferat, & Pęnitentiarum antiquarum œconomiam, & ſcopum invertat. Quæ regula legis interpretandæ. In quem finem macerationes corporis, & à ſacrorum conſpectu expulſio durante ſtadio pęnitentiæ. Cur Conciliorum ad imponendam pęnitentiam coactio. Cur pęnitentia dicta laborioſus baptiſmus. Quid Viaticum maximè neceſſarium morientibus nunquam negandum. Illius reconciliationis, quæ pęnitentibus poſt actam pęnitentiam conceditur Epitheta magnifica. Magnum ſalutis periculum ea privari: ſtudium, & contentio pęnitentium, & criminis conſciorum ne ea priventur. Frequens Abſolutionis poſt actam pęnitentiam datæ cum baptiſmo comparatio.* 416

Cap. III. *Rei graviorum criminum, propter quæ pęnitentia imponebatur publica, ab incunabulis Eccleſiæ ad annum ſeptingenteſimum, Abſolutionem poſt completam pęnitentiam ordinaria lege conceſſam eſſe. Abſolutio à peccatis merces eſt, fructus, & præmium actæ pœnitentiæ. Æterna ſupplicia expungit. Contra Montaniſtas, & Novatianos defendebant Catholici pęnitentia functis dandam Abſolutionem. Querelæ adversùs eos, qui Abſolutionem ante actam pęnitentiam concedebant. Libelli Martyrum proficiebant ad Abſolutionem citiùs Lapſis obtinendam. Patres comparant pęnitentes Catech. Abſolutionem baptiſmo. Poſt decurſas ſtationes pœnitentiæ datur venia. Quibuſdam, quandiù vivunt, datur pœnitentia, in morte reconciliatio. In Patribus ſæpiùs hic ordo exprimitur, pęnitentia, reconciliatio, Euchariſtia: ſic reconciliandorum in Cęna Domini ritus. Dubitatur an ſit orandum pro pœnitentibus ſine Abſolutione mortuis. Dubitatur de ſalute eorum, qui moribundi ſine acta pœnitentia abſoluti ſunt.* 419

Cap. IV. *Nonnullæ rationes explicantur, quibus commoti S. Patres Abſolutionem in graviſſimis criminibus ad finem ſeveræ ſatisfactionis retardarunt.* 425

Cap. V. *Patrum nonnulla verba, quæ teſtari videntur remiſſionem peccatorum ſtatim, & ſine mora concedi, examinantur; docetur que, ea non modò veniam à Deo non ab Eccleſia obtentam ſpectare, ſed etiam eorum pleraque Abſolutionem perhibere ab Eccleſia dari ſatisfactione peracta. Aliquando tam ardens eſt peccatoris converſio, ut ſtatim, & ſine mora omnia peccata deleat, quam cum Eccleſia cognoſcit, Pęnitentiæ tempus pro ardoris vehementia contrahit.* 426

Cap. VI. *Nonnulli caſus explicantur primis Eccleſiæ ſeculis contingentes, in quibus Abſolutio ante completam de gravioribus criminibus pœnitentiam, aut etiam nulla acta pœnitentia, ſed poſt ſolam ſinceræ converſionis demonſtrationem non modò concedebatur; ſed erat concedenda.* 429

Cap. VII. *Hæretici in Eccleſia Catholica baptizati, cum ad eam redibant, per pęnitentiam publicam admittebantur. Varii admiſſionis Hæreticorum modi breviter enarrantur. Statum controverſiæ inter Sanctum Cyprianum, & Stephanum Papam eruitur. Nonnulla teſtimonia Pontificum hanc theſim demonſtrantia. Varię difficultates hinc emergentes recenſentur.* 430

Cap. VIII. *Hęreticos in Eccleſia baptizatos ad eam revertentes, niſi aliquod aliud crimen obſtaret per manus impoſitionem in pœnitentiam ſtatim admiſſos, & abſolutos, paucula pœnitentia purgatos, variis antiquorum Patrum exemplis, & rationibus demonſtratur. Ex Agathenſi Synodo oppoſitus canon explicatur. Ab hac regula in Manicheiſmum lapſi excipiuntur. Formula Abſolutionis datæ rebaptizato ab Hæreticis ad Eccleſiam revertenti ex antiquis ritualibus eruta.* 432

Cap. IX. *Orientalis Eccleſia Hæreticos extra Catholicam baptizatos ad eam redeuntes per chriſmatis unctionem reconciliavit. Sanctus Baſilius diviſorum ab Eccleſia tres claſſes conſtituit, & triplicem reconciliationem. Concilium Generale 2. baptizatorum extra Eccleſiam duas claſſes, ſed ſextum tres claſſes alio modo quàm Baſilius. Theodori Studitæ Monachi, Timothei Presbyteri, Methodii, Marci, & Balſamonis Patriarcharum, & trium antiquiſſimorum Euchologiorum teſtimonia. Gręci antiquiores pleriq; manus impoſitionem Confirmationi adhibuerunt, Non omnes antiquiſſimi in*

recipiendis Hæreticis unctione uſi ſunt. Canonis 8. Nicæni ſincera interpretatio. In ratione reconciliandi Hæreticos Methodio attributa nonnulla adulterina. Græci Neoterici malè confundunt reconciliationem Hæreticorum cum reconciliatione Apoſtatarum ab Eccleſia. Confuſio illa Balſamone, & Harmenopulo antiquior. Iidem nunc Sacramentum Confirmationis repetere ſoleant. 435

Cap. X. Explicatur, qua ratione Occidentalis Eccleſia Hæreticos extra Eccleſiam baptizatos, & ad eam redeuntes reconciliavit; varietaſque in hoc obſervata enarratur. Eccleſiæ Romanæ traditio variis Pontificum teſtimoniis probatur. Hanc ſequitur Concilium Arelat. 1. & alii. Sancti Gregorii verba cum Siricii conciliantur. Hæreticos in Gallia, & Hiſpania per chriſmationem reconciliatos fuiſſe multa teſtimonia, & multo auguſta exempla teſtantur. Formulæ reconciliationis Hæreticorum ex antiquis codicibus erutæ. 438

Cap. XI. Quinque graves difficultates ex precedentibus emergentes evolvuntur. Sacramentum Confirmationis Donatiſtis erat iuſa, non autem Novatianis. Antiqui Patres videntur exiſtimaſſe Sacramentum Confirmationis apud Hæreticos eſſe non poſſe: Item gratiam primam juſtificantem reſipiſcenti ab Hæreſi applicatam vi baptiſmi conferre, non tantùm illius augmentum. Idem præſtare poſſe in reſipiſcentia quolibet peccato commune eſt Scholaſticorum ſententia. In reconciliatione Hæreticorum per Sacram. Confirmationis non meminerunt Patres Sacrament. Pœnitentiæ. Confirmatio baptiſmi validè ab Hæreticis dati vim ſuſcitat. Scholaſticorum ſententia communis eſt, criminum Confeſſionem adultis confirmandis non eſſe neceſſariam. Donatiſtarum chriſmatio à Catholicis non iterabatur, ſed ſola manus in Spiritum S. impoſitio. Manus Hæreticis redeuntibus imponitur, ut ipſis charitas infundatur, neve credant ſe eſſe culpæ expertes. Quid ſit apud S. Innocentium Hæreticos recipi ſub imagine pœnitentiæ. 441

Cap. XII. Neſtorianos, Eutychianos, aliosque poſteà exortos Hæreticos, ejurata hæreſi per ſolam fidei profeſſionem in Eccleſiam admiſſos, ſacræque Communioni, & dignitatibus Eccleſiaſticis, ſi quas habebant, reſtitutos eſſe multis demonſtratur. Eadem gratia Pelagianis indulta. Sic Iconoclaſtas Concilia receperunt. Si fraus aut aliud præter hæreſim grave crimen notum erat, gravi pœnitentia punitos, & purgatos fuiſſe. 446

Cap. XIII. Variæ difficultates explicantur, & emolliuntur. Baptiſmus in hæreſi ſuſceptus vim emundandi exerit, cùm manus in Spiritum Sanctum imponitur, aut veræ fidei profeſſio editur. Per reviviſcentiam baptiſmi peccata uſque ad eam in Hæreſi commiſſa remittuntur. Reviviſcentiam virtutis baptiſmi de eo tantùm intellexerunt Patres qui Extra Eccleſiam ſuſceptus eſt; & quamobrem. Diſtinctionem baptiſmi in Eccleſia, & extra Eccleſiam dati, hac in cauſa diligenter obſervavit Sanctus Auguſtinus. Baptiſmus in Eccleſia cum fictione ſuſceptus, per pœnitentiam quæ alter eſt baptiſmus reparatur, & quare. S. Auguſtini locus explicatur. Nonnulli inſignes Theologi hanc ſententiam amplectuntur. Varia conſectanea quæ Scholaſticorum quorumdam placita confirmant, aliorum infirmant. Quæritur quamobrem Eccleſia tam variis modis extra ſinum ſuum baptizatos reconciliaverit, atque etiam eoſdem variis temporibus variè. His in rebus maxima eſt Eccleſiæ auctoritas, & Deo acceptu. Scholaſtici teſtantur quidquid de hac re diſputatur, probabiliter tantùm aſſeri. 447

Cap. XIV. Clericis depoſitis, aut ſuſpenſis nulla impoſita pœnitentia Communio concedebatur. Confeſſorum precibus criminum Rei nonnunquam abſolvebantur nulla pœnitentiæ actione impoſita. Mos ille propter abuſum ceſſantibus perſecutionibus ſublatus eſt. Propter ſunctum aliquod opus à lapſo fortiter perpetratum aut toleratum Abſolutio omni actione pœnitentiæ remiſſa concedebatur. Id in minoribus criminibus id ferè ſemper obſervatum: Abſolutionis poſt pœnitentiam totaliter aut partiariè actam differendæ conſuetudo in Oriente ab annis mille ducentis obſervari deſiit. 451

Cap. XV. Ab anno ſeptingenteſimo Abſolutio poſt actam pœnitentiam in pœnitentiis publicis dari perſeveravit, niſi graves admodum cauſæ intercederent. 452

Cap. XVI. Ab eodem tempore ſæpe in Pœnitentia publica, ſed diuturniore, Abſolutio multis annis ante finem pœnitentiæ conceſſa eſt, nonnunquam etiam Communio Euchariſtica. Sæpe etiam poſt pœnitentiæ ſtadium decurſum, & perfectam cum fidelibus aggregationem pœnitentia aliqua reliquo vitæ tempore agenda imponebatur. 454

Cap. XVII. In Pœnitentia occulta de criminibus occultis ab eodem tempore Abſolutio poſt actam pœnitentiam ordinariè conceſſa eſt. Frequentiſſimè tamen, & propter cauſas non admodum graves ſtatim poſt Confeſſionem, atque etiam aliquanto poſt, ſed longè ante pœnitentiæ finem, concedi juſſerant illorum ſeculorum canones, & libri Pœnitentiales. 455

Cap. XVIII. Antiquos Patres Abſolutionem lapſis temerè, & contra canones datam irritare non ſolitos multis exemplis demonſtratur. Objectiones ex Sancto Cypriano allatæ diluuntur. Iſtius diſciplinæ rationes, & fundamenta ex Sancto Cypriano & aliis explicantur. Unio cum corpore Chriſti tam efficax eſt, ut Sacramentorum efficientiam, abſit modo mala fides, ſupplere meritò credatur. Sic cenſent Cyprianus, Auguſtinus & alii. 456

Cap. XIX. Nonnullæ Eccleſiæ Idololatriæ, Homicidio, & Mœchiæ Abſolutionem non dabant. Hanc diſciplinam Bæticæ Provinciæ Epiſcopos obſervaſſe demonſtratur, ſed circa Mœchiam diſtinxiſſe, diſtinctionis cauſa enarratur. Concilium Eliberit. antiquius eſſe quàm vulgò creditur. Gallia, Hiſpania, & Britannia à perſecutione Diocletiana exemptæ. Quare Eccleſiarum iſtarum ſententia ab Hæreſi procul abfuit. 459

Cap. XX. Celebres Eccleſias, Romanam, Carthagineſem, & Orientales omnes cuilibet crimini veniam tandem conceſſiſſe. Tertullianus contrariam diſciplinam illis tribuens ex propriis ſcriptis, etiam quæ Hæreticus edidit, putidæ calumniæ evidenter convincitur. Calumniæ prætextus inquiritur. 461

Cap. XXI. Variis antiquorum Patrum qui Tertullianum præceſſerunt teſtimoniis demonſtratur, hanc fuiſſe Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, & conſuetudinem. 461

Cap. XXII. Referuntur argumenta, quibus probari videtur, Eccleſiam Romanam, & Africanam tempore Novati Idololatris primùm reconciliationem conceſſiſſe; & ea quibus id ſemper feciſſe demonſtratur. 463

Cap. XXIII. Explicatur, & demonſtratur ſtatus controverſiæ inter Lapſos in Perſecutione Deciana, & Clerum Romanum S. Cypriano, & ejus collegis conſentientem. 464

Cap. XXIV. Lapſos Martyrum libellos ſeditioſè prætexuiſſe, ut veniam ſine pœnitentia ab Eccleſia obtinerent. Enarratur quid in hoc ſeditionis, & Schiſmatis periculo Clerus Romanus, & S. Cyprianus de antiqua diſciplina decreto proviſorio relaxarunt. 466

Cap. XXV. Quid perſecutione ſedata decreto definitorio Cornelius Pontifex, & S. Cyprianus eorumque Conciliis de cauſa Lapſorum conſtituerint, enarratur, & objectiones c. 22. propoſitæ diluuntur. Ex quibus fit evidens, reconciliationem Idololatris pœnitentibus nunquam eſſe negatam, atque Eccleſiam maturè admodum, & diligenter pœnitentiæ tempus, & ſeveritatem pro criminum demeritis temperaſſe. Quid libellatici, & ſacrificati. Sacrificatorum multa genera. 467

Cap. XXVI. Libellorum indulgentiæ, quos Martyres pœnitentibus dabant, effectus & formula explicantur. Prudenter, & cautè, & quando à Martyribus concedendi. Conceſſi diligenter ab Epiſcopis examinandi. Diaconi carceres circumibant, non modò ut Martyribus neceſſaria ſuppeditarent, ſed etiam ut eorum deſideria circa pœnitentiarum relaxationes exciperent. Indulgentiæ per libellum promiſſæ, ut à Martyrio completo initium ducebant, ſic magna parte pœnitentiæ completa legitimè applicabantur. 468

Cap. XXVII. Docetur, quibus pœnitentibus, & quo rita indulgentiæ à Martyribus unicuique Lapſorum conceſſæ applicabantur. Varietatis inter Decretum Cleri Romani, & S. Cypriani de privilegio Martyrum conciliatio. Privilegium illud quando cœpit, & deſiit. 469

Cap. XXVIII. Antiqui Patres plerique crimen unicum adeò execrabile judicarunt, ut illius Reis veniam neque ab Eccleſia, neque à Deo unquam eſſe concedendam dixerint. Quale fuerit illud crimen, inquiritur. Quæſtio hæc ad Theoriam pertinet, non ad praxim, cum dato tale eſſe poſſe crimen, vix unquam homines illud dignoſcere poſſint. 471

Cap. XXIX. Inquiritur quo anni die antiquitus reconciliatio pœnitentium tam privata quàm publica, tam in Oriente quàm in Occidente fieri ſoleret, quod ſex propoſitionibus propter multiplicem varietatem explicatur. Quare Patres in die variantes in tempore conſpirarunt. Celebritas annuæ reconciliationis de iis tantùm intelligenda eſt, qui pœnitentiam impoſitam egerant. Ab annis quingentis legitur ſolitos pœnitentes reconciliationi nondum maturos officiis Eccleſiaſticis adeſſe quotannis à feria 5. majoris hebdomadæ ad octavas Paſchæ. 473

Cap. XXX. Ceremoniæ, ritusve publicæ pœnitentium reconciliationis ex Gelaſiano Sacramentario, atque ex nonnullis exemplaribus hinc exſcriptis, necnon ex pluribus Gregorianis ſigillatim exſcribuntur, & explicantur. Multi canones ante octingentos annos conditi Sacerdotes ad hæc ritualia remittunt

Digitized by Google

mittunt Pęnitentem reconciliaturos. Sacramentum Gelaſianum ad uſque Carolum Magnum in Gallia prævaluit. Si rem ſpectes vix inter utrumque diſcrimen. 476

Cap. XXXI. *Privatæ, & ſecretæ reconciliationis Pęnitentium ritus, & ceremoniæ ex antiquiſſimis Ritualibus manuſcriptis eruti deſcribuntur.* 478

Cap. XXXII. *Privatæ pęnitentium reconciliationis ritus apud Græcos, & Latinos planè ſimiles; ex utriuſque gentis ritualibus demonſtratur. Publicæ apud Græcos reconciliationis nulla ſupereſt deſcriptio, demonſtratur tamen à Latina non diſcrepaſſe. Quare nonnunquam contingit, eaſdem orationes ad impoſitionem pænitentiæ, & ad præparationem reconciliationis, & ad reconciliationem ipſam in antiquis ritualibus uſurpari. Virtus operis Miniſtrorum non tantùm à verbis inſtitutis, ſed etiam ab eorum intentione, & propoſito pendet. Verborum efficacia non eſt phyſica, aut fatalis neceſſitas.* 480

Cap. XXXIII. *Nunquam licuit Presbyteris pænitentem publicum publicè reconciliare, ſed Epiſcopo jubente, aut eo abſente, & urgente neceſſitate, privatim. In Oriente hoc munus publicum ſpeciali cuidam Presbytero ab antiquo commiſſum: In Occidente quoque poſtmodum cuidam ex primariis Presbyteris. Græcoram privatæ pænitentiæ magis accedunt ad rationem publicam quàm Latinorum hodiernæ.* 481

Cap. XXXIV. *Quotannis dies decimus menſis Tiſri apud Judęos remiſſione peccatorum celeberrimus eſt. Ferunt Judæi, Deum primo die anni ſingulos homines judicare, & pro variis meritis eos tribus libris inſcribere. Ideò Judæi illis decem diebus Confeſſioni peccatorum, pęnitentiis, jejuniis, corporis afflictionibus, & orationi, diligenter incumbunt, ut libro vitæ tandem inſcribantur. Rabbini longè aliter de juſtis, & impiis judicant quàm Chriſtiani. Privatorum actio pęnitentiæ bis 10. diebus præſertim Deo grata eſt. Sed Eccleſiæ ad eum clamantis pęnitentia ſemper illi accepta. Primis veſperis feſti neceſſariò ante paſtum confiteri oportet, & ſępius toto illo die feſto. Cujuſmodi officiorum divinorum apud Judęos diviſio.* 482

Cap. XXXV. *Quantum, & qua ratione religioſiores Judęi pęnitentię dies ante feſtum Expiationis anticipant, nonnulli 40. diebus. R. Juda Chaſid ghematricè demonſtrat, legem, Dei timorem, & charitatem erga proximum eſſe connexa. Primus dies anni tubarum clangoribus adnuntiatur, Varias iſtius ritus rationes reddunt. Quorum peccatorum eo die fit remiſſio, quorum differtur. Judęi jactant eo die ſe Angelis ſimiles. Illo die lex Moſi data eſt, ſine illo die non ſtaret mundus. Credunt illo die, ſe à Satana non tentari, quod probant Talmudici dictionis Satan Ghematria.* 485

Cap. XXXVI. *Exemplar Confeſſionis peccatorum quam Judæi omnes ſingulis anni in feſto Expiationis edere ſolent, ut remiſſionem à Deo conſequantur. Judæi in orationibus ſuis verboſiſſimi. Confeſſio per Alphabetum refertur, & explicatur. Quando, & quoties iſta Confeſſio in Synagoga facienda.* 487

Cap. XXXVII. *Confeſſionem in feſto Expiationis fieri ſemper ſolitam, eſſe ſingulorum peccatorum. Sententiæ R. Akibæ, qui videtur diſſentire. Variæ interpretationes, & modificationes à Rabbinis datæ referuntur. Quibus caſibus deciſio Talmudica R. Akibæ ſententiam non ſequitur. Nullus dubitat peccata ſigillatim in feſto expiationis eſſe confitenda. Sed an confeſſa eo feſto ſint iterùm ſigillatim feſta ſequente confitenda. R. Eliezeris ſententiæ in Talmude ratæ, ſed ſemper deciſivæ. Peccata in Deum quando, & qua ratione confitenda. Explicatur mos frequentiſſimus Judæorum alterutrum peccata in Synagoga confitendi, & ſeſe invicem propterea flagellandi* 489

LIBER DECIMUS.

EXponit, qualis fuerit in ægrotos, & moribundos diſciplinæ Pœnitentialis praxis, & qua ratione variis ſeculis, & regionibus variata eſt. Singulatim quoque explicat, quibus gradibus, & occaſionibus diſciplina Pœnitentialis à ſeculo undecimo ad decimum tertium jam inclinans relaxata eſt.

Cap. I. *Pulſis ab Eccleſia, etiam morituris, Abſolutio tribus primis ſeculis in Occidente denegata eſt, ſi morbo afflicti eam primùm poſtulabant. Id obſervatum eſt in Gallia ad annum uſque 1396. in criminum Reos ad mortem damnatos.* 492

Cap. II. *Pœnitentiam moribundis impoſitam negata Abſolutione, & quis ejus fructus. Non obſtare, quod Patres dicunt, aut veniam Pœnitentiæ laxandam, aut fruſtra Pœnitentiam agi. Nihil eſſe huic diſciplinæ cum Novatianiſmo commune.* 494

Cap. III. *Quæſtiones quinque ex præcedente doctrina exurgentes diſſolvuntur. Morientibus, qui ſani Pœnitentiam ſuſceperunt, nunquam negata Abſolutio. Deſertoribus illis convaleſcentibus pęnitentia iterùm non imponebatur, ſed in morbo impoſitam peragere tenebantur, & ea functis reconciliatio dabatur. Pro iis in morbo morientibus preces non fiebant.* 494

Cap. IV. *Non modo moribundis Pœnitentiam petentibus, pęnitentia, & Abſolutio dandæ ſunt, ſed etiam iis, qui deſiderium ſuum Sacerdotibus, & indiciis tantùm ſignificare poſſunt. Vel ſi cum præſens eſt Sacerdos, nutus edere non poſſunt, petitæ in morbo Pœnitentiæ teſtes ſufficiunt. Immò deſideratæ ante morbum Pœnitentiæ teſtes ſufficere poſſunt, ſed quia mutationi obnoxia voluntas, peſtremis Abſolutionem dare prohibitum. Conditiones iſtas in peccatoribus publicis tantùm requirunt canones.* 495

Cap. V. *Pœnitentiam publicam agentibus morbo ſtuporem mentis, vel phreneſim incutiente ex improviſo correptis, reconciliationem, ſi mors timeatur, præſtandam eſſe, & ſemper præſtitam fuiſſe, licèt eam nullis nutibus, nedum verbis petierint, nec tum petere poſſint, demonſtratur. Status pœnitentis ſine præſente conſenſu ſufficit.* 497

Cap. VI. *Idem ex comparatione pęnitentium cum Catechumenis ab Auguſtino facta, adeò evidenter probatur, ut omnibus objectionibus, quæ mentem ſubire poſſunt, occurrerit. Confirmatur Innocentii III. & Gregorii IX. teſtimoniis. Donum pęnitentiæ neſcientibus illabitur, ut infantibus donum Baptiſmi, ex quo effato quatuor alia deducuntur. Eadem hypotheſis hominis ſine ullo ſenſu baptizatis ex S. Fulgentio refertur, cujus explicatione omnis iſtius quæſtionis difficultas ſecundùm canones, & Eccleſiæ praxim diſſolvitur.* 498

Cap. VII. *Eandem pęnitentium cum Catechumenis comparationem, cum Energumenis quoque multi Patres Græci, & Latini in eadem cauſa, ut vulgò notam, & acceptam inſtituerunt. Baptiſmus Græcis ἐφόδιον, viaticum, & non baptizatus ἀνεφοδίαστος dicitur. Conſenſus per verba, vel nutus, ut baptiſmus, vel reconciliatio legitimè conferatur, à quibus requirendus. Status Catechumeni ſinè præſente conſenſu ſufficit. Quare Eliber. Patres Energumenos cum fidelibus in hac cauſa comparant.* 501

Cap. VIII. *Nemini Catechumeno, immò nec Gentili, imminente periculo baptiſmum quoviſmodo petenti, denegatus eſt. Canones, quibus Gentilis Chriſtianus per manus impoſitionem fieri dicitur, explicantur. A Gentilibus baptizandis ſemper requiſita eſt baptiſmi petitio. In baptiſmi, & Abſolutionis collatione urgente mortis periculo unicum fuit trecentis annis diſcrimen; Poſteà alterum alteri in omnibus æquiparatum.* 502

Cap. IX. *Cum Pęnitentibus ſine reconciliatione mortuis nonnullæ Eccleſiæ communicabant; nonnullæ ut Romana, communicare detrectabant. Quando tandem, & qua occaſione Romana, aliæque tam Orientales quàm Occidentales hanc ſeveritatem remiſerunt. Quando cępit Eccleſia mortuos damnare, & abſolvere. Cujuſmodi fuit illa damnatio, & Abſolutio. Hujus varia exempla.* 504

Cap. X. *Fidelibus repentino morbo obſtupeſcentibus, & moribundis, licèt in morbo, aut ante morbum pęnitentiam, aut reconciliationem nec verbis, nec nutu petierint, Abſolutio præſtanda eſt. Scholaſticorum multi hoc fieri debere negant. Quid illis ſic opinandi occaſionem dedit. Eorum tamen nonnulli Abſolutionem ſic datam aſſerunt legitimam, & debitam. Alii ea principia docent, ex quibus neceſſariò conſequitur. Materia Sacramenti pęnitentiæ analogicè tantùm, & Metaphyſicè dicitur, cujuſmodi in baptiſmo præter aquam conſiderari, & animo formari poteſt.* 506

Cap. XI. *Nonnullæ quæſtiones agitantur, & ſolvuntur. Fideles ęgroti in tres claſſes diſtribuuntur, & demonſtratur qua ratione in caſu dicto ſit unicuique reconciliatio pręſtanda. Preces & ſacrificia offerri ſolita pro iis, qui pęnitentiam deſideraverant, & non erant conſecuti. Sacramenta Pęnitentibus ante reconciliationem non ſunt conferenda, nec in Confirmatione, aut baptiſmo ſuſceptores eſſe poſſunt Pęnitentes. Pęnit. morientibus quo ordine cętera Sacramenta tradantur.* 509

Cap. XII. *Plurimis teſtimoniis demonſtratur, antiquos, & recentiores Patres; antiquiſſimos quoque Scholaſticos, Sacramenta, de quorum collatione dubitatur, non modò ſine ulla conditione contuliſſe, ſed etiam collationis rationem redd[illegible]ſſe, quę conditionis apponendę neceſſitatem tollit. Quando primùm de conditione apponenda diſputatum eſt, & ſententia appoſitionis prævaluit. De Sacramentis, quę non iterantur, primùm dubitari cœptum eſt.* 510

Cap. XIII. *Multis propoſitionibus explicatur, & probatur, diſciplina obſervari ſolita erga eos, qui poſt Abſolutionem è morbo convaluerunt, & criminum, propter quę publica Pęnit. agitur,*

tur, non erant Rei. Qui ſponte Pœnitentiam publicam ſuſceperant nullius criminis Rei, poſt reconciliationem ſanitati reſtituti eam complere tenebantur. 512

Cap. XIV. *Aliquot propoſitionibus explicatur diſciplina obſervari ſolita in publicè Pœnitentes, qui ante actam Pœnitentiam morbo correpti Abſolutione accepta convaluerunt, aut publicam Pœnitentiam, & reconciliationem in morbo ſuſceperant. Per Abſolutionem quocunque tempore datam ſanis vel infirmis finiebatur omnis actio Pœnitentiæ uſque ad Novati hæreſim. Poſt eam in morbo reconciliatis ſeverè impoſita eſt, & qua de cauſa. Poſt annum ſeptingenteſimum ſeveritas illa potius aucta eſt quàm imminuta, & cum privatis Pœnitentiis communicatu. Quid, cùm morbus in Pœnitentiæ finem incidebat. Quid de Orientali Eccleſia hac in cauſa dicendum.* 513

Cap. XV. *Ritus pœnitentiæ, & reconciliationis ægrotis morientibus dandæ, ex antiquis auctoribus, & ritualibus manuſcriptis antiquiſſimis eruuntur, & particulatim exponuntur.* 516

Cap. XVI. *Prima relaxandæ pœnitentiæ occaſio explicatur. Quando pœnitentiæ ſeveritas minui cœpit. Rapidiſſimè à ſeveritate morum ad relaxationem deſcenditur. Relaxatio in cauſis privatis ab Eccleſia facta eſt, nunquam in Generali. Sæpius nimia relaxatio à Pontificibus repreſſa. Prima relaxatæ pœnitentiæ occaſio eſt Pœnitentiæ canonicæ redemptio. Redemptionis iſtius progreſſus, & extenſio. Varii redemptionum modi ex antiquo manuſcripto exſcripti. Comparantur cum aliis editis. Quàm puricè primitùs permiſſa fuerit redemptio.* 518

Cap. XVII. *Explicatur, quando cœperunt pœnitentiarum canonicarum redemptiones: Quando deſierunt, & qua ratione pœnitentiæ remittendæ occaſio fuerunt. Theodorus Cantuarienſis Archiep. non eſt illarum auctor. In Anglia primùm uſurpatæ fuat, ſed poſt Theodorum. Illius abuſus à Concilio Anglicano ſeverè notatur. Eleemoſynæ nihil de ſeveritate Pœnit. canonicæ jure remittunt. Illarum uſus vigebat adhuc ſeculo 13. ſed facillimus, & frequentiſſimus. Conceſſionis formula. Paulò poſt pœnitentium arbitrio permiſſæ. Poſtea à Doctoribus prætermiſſæ. A pauciſſimis doctrinæ Theoreticæ cauſa memoratæ. Abuſus earum unde, & qua ratione ſerpſit, & pœnitentiis nocuit.* 520

Cap. XVIII. *Quo modo ex redemptione pœnitentiarum nova pœnitentias computandi, & imponendi ratio exorta eſt; ita ut pœnitentia, quinquaginta, centum, & mille annorum exolvi poſſet, & imponi. Quando, & ubi primùm cœpit hæc computatio.* 522

Cap. XIX. *Secunda imminuendæ pœnitentiæ canonicæ occaſio enarratur. Expeditio Hieroſolymitana, atque etiam Hiſpana contra Paganos pro omni criminum pœnitentia reputatur. Iis, qui juvant opibus ſuis expeditionem illam, Indulgentia datur, ſed ab Epiſcopis definienda. Impii, criminumque atrocium Rei ad hanc expeditionem undique certatim concurrunt. Incredibilis hominum multitudo eò confluit, criminum remiſſione allecta. Quando primùm hoc Pœnitentiæ genus uſurpari cœpit.* 523

Cap. XX. *Tertia minuendæ pœnitentiæ canonicæ occaſio eſt pœnæ illius totalis, vel partialis ob donum temporale ſpirituali bono applicatum relaxatio. Præcedens occaſio opus heroicum, & difficillimum pœnitentia commutat; hæc rem vulgarem, & unicuique facilè parabilem. Pœnitentiæ publicæ ſæpius ob crimen occultum ſuſceptæ. Indulgentia antonomaſticè dicta eſt iſta relaxatio. Pœnitentia canonica vix poteſt cum illius frequenti conceſſione conſiſtere. Variæ Doctorum qui nondum editi ſunt, de valore, & effectu iſtius relaxationis ſententiæ in ipſius initiis exortæ. Multæ difficultates ab ipſis excitatæ, & ſolutæ. Commoda maxima temporalia inde promanant, & uſui ſpirituali applicantur. Examinantur nonnulla teſtimonia, quæ iſtarum relaxationum originem aliàs repetere videntur. Quando cœpit in Eccleſia ſolemnis Sanctorum canonizatio.* 526

Cap. XXI. *Doctorum poſteriorum ſententiæ de virtute ejuſdem relaxationis, & illius concedendæ ratione, & fundamento explicantur. Quæ conditiones neceſſariæ ſunt, ut ea donatis valeat. Multi aſſerunt valere quantum ſonat, concedi quoque poſſe pro beneficio ſpirituali, ut oratione, &c. Quis primus Indulgentiarum compenſationem à Theſauro Eccleſiæ derivavit, & ex eo pœnas canonicas laxatas reſarciri docuit, qua occaſione. Unus Doctor Scholaſticus repugnavit. Gulielmus Pariſienſis pœnitentiis canonicis minimum detulit; eas non ſemel Carnificinam vocavit. An obligentur ad aliquas pœnitentias faciendas, quibus indulgentiæ conceſſæ ſunt, & qua obligatione. Quæ requiruntur, ut indulgentiæ illæ ſint efficaces. Concilium Alberti magni hac in cauſa. De indulgentiæ virtute omnium magnificentiſſimè loquitur S. Thomas.* 528

Cap. XXII. *Pontificum decreta, & antiquiorum auctorum teſtimonia de Indulgentiis, videri earum virtutem extendere non modò in pœnam peccati, ſed etiam in culpam multis demonſtratur. Opus injunctum per Indulgentiam vice fungitur pœnæ canonicæ, & illius obligationem ſolvit; ideò virtus ipſius ut pœnæ canonicæ diffunditur. Pontifices Indulgentiam concedentes, qua ratione, licèt abſentes, & non audita Confeſſione, dicunt ſe abſolvere, & peccata remittere. Expeditiones Hieroſolymitanæ occaſionem dederunt Abſolutionem individuo nexu conjungendi cum Confeſſione criminum, & quamobrem Scholaſticum dogma tunc emergens hanc praxim confirmavit. Studia Philoſophica, & Theologica quando, quibuſve auctoribus Pariſiis primùm florere cœperunt. Etiam poſito hoc dogmate indulgentia in culpam aliquando agere intelligi poteſt.* 530

Cap. XXIII. *Multis exemplis demonſtratur, quàm moderati, & parci fuerint Pontifices in concedendis Indulgentiis. Indulgentiæ indiſcretæ Pœnitentiam enervant, & claves Eccleſiæ exponunt contemptui. Non ſolebant Pontifices Indulgentias univerſales concedere, niſi propter expeditionem in terram ſanctam, aut quid ſimile, cæteræ omnes partiales ſunt. Impoſturæ ſignum eùm facili de cauſa conceſſæ perhibentur. Epiſcopi ultra tertiam partem vix unquam concedebant. Cùm aderant celebritati plures Epiſcopi, unuſquiſque 40. dies Indulgentiæ largiri ſolebat.* 532

Cap. XXIV. *Quæ ratio imponendæ Pœnitentiæ, & quæ illius ſeveritas toto ſeculo duodecimo obſervata fuit, plurimis illius ſeculi exemplis, & Doctorum dictis demonſtratur. Tum cœpiſſe Confeſſioni, & Pœnitentiæ actioni promiſſæ Abſolutionem lege ordinaria conjungi, multis teſtimoniis obiter docetur. Epiſcopi, & celebres de Pœnitentia criminibus imponenda conſuluntur. Celebris etiam tum fuit eorum ſententia, qui Abſolutionem poſt ſatisfactionem peractam ſæpe differebant. Dogma Scholaſticum, ex quo conſequitur, facta legitima Confeſſione ſtatim dandum eſſe Abſolutionem, explicatur. Pontificeo exempla ſuo ad canonicas Pœnitentias eſſe attendendum docebant. Licèt Confeſſione edita ſtatim abſolverent; docebant tamen ad Euchariſtiam non eſſe accedendum, niſi pœnitentia integra, aut illius magna parte completa.* 534

Cap. XXV. *Explicatur, qua ratione adminiſtrata fuit ſatisfactio Pœnitentialis ſeculo decimo tertio. Canonica laudata fuit, & confitentibus non modò propoſita, ſed etiam ad eam ſubeundam ferè invitati ſunt, & vehementer admoniti. Sed vix inventus, qui eam ſuſciperet. Ideò ad voluntatem Confitentium ferè temperari ſolita, vel facilè redimi. Quare difficilè erat Pœnitentiæ canonicæ actionem perſuadere. Dicebant nonnulli hominum corpora non eſſe ampliùs tanto oneri ferendo idonea. Tandem Confeſſores propè omnes, & Doctorum permulti prædicaverunt, Pœnitentias canonicas eſſe arbitrarias. Mutari poſſe in quidquid juſſerit Epiſcopus ad gloriam Dei. Verùm hoc de criminibus occultis, & non graviſſimis intelligebatur. Pœnitentias canonicas eſſe tantùm Confeſſoribus inſtar directionis, quam prout dictat Conſcientia, & uſus temporis ſequi debent.* 538

Cap. XXVI. *Ejuſdem rei demonſtratio continuatur. Licèt illius ſeculi Doctores paſſim docerent, pœnitentias eſſe arbitrarias; Pontifices tamen de privatis caſibus interrogati, canonicas imponebant. Laxum illud arbitrium, etiam in fine illius ſeculi, de criminibus occultis intelligebatur. Eorum verbis docetur, qua ratione ſe gerere debeat Confeſſor erga eum, qui à peccatis abſtinere vult, ſed pœnitentiam detrectat. Iidem Doctores docebant Canonum ſcientiam Confeſſoribus eſſe neceſſariam, & ad eos velut ad exemplar in Pœnitentia danda eſſe reſpiciendum. Id exemplis docetur.* 540

AUCTO-

Digitized by Google

A U C T O R I S
D E
RECOGNITIONE OPERIS SUI
Ad Lectorem Admonitio.

CUm editione operis noſtri peracta, illam recenſeremus, & verborum, ſententiarumque noſtrarum pondera δευτέραις φροντίσιν examinaremus, & libraremus, ſanè experientia deprehendimus, verum eſſe, quod ait Simonides πάμπαν δ᾽ ἀμώμητος οὐδ᾽ ἀκήρατος, *Nemo reprehenſione, culpave vacat.* Intelleximus enim, nonnulla eſſe à nobis obſcurè dicta, & perplexè: Alia æquo brevius, quædam generalius, quæ ſpecialius vera eſſe poſſunt. Nonnunquam quarumdam dictionum ſenſum ambiguum, ubi videbatur opus, non diſtinxiſſe: Paucis viris doctis probabilia prætuliſſe aliquando, nulla ſatis urgente cauſa, iis, quæ à pluribus probabantur; quibus omnibus, & ſingulis offendiculum aliquod Lectori minus cauto creari certè poteſt. Quænam ſint iſta, & cujuſmodi, ex ſingulorum enumeratione ſigillatim facta, & remedio unicuique adhibito Lectori innoteſcet.

Primum occurrit initio pag.9. ubi de antiquis Patribus dicitur, *Ideò tenuiſſimas, & ſubtiliſſimas de peccatorum natura, & diſtinctione ſpeculationes prætermiſerunt, &c.* Videri forſan poſſet alicui hæc verba mea in hodiernorum Scholaſticorum reprehenſionem dicta. Verùm ſic cogitantem velim legere, quæ de Scholaſtices laudibus, & Scholaſticorum ſcriptis, quibus Eccleſiam Catholicam defenderunt, illuſtrarunt, bearunt, ſcripſimus *p.*346. 1.2. & paulò poſt *col.*1.2. Statimque ipſius animus inſidebit hæc ſententia, neminem unquam Scholaſticen, & Scholaſticen, & Scholaſticos pluris feciſſe, eorumque ſcripta magnificentius extuliſſe, meque ab eorum contemptu abeſſe quam longiſſimè.

Deinde ſi verba noſtra penitiùs examinentur, nihil contemptus portendunt. Tenuiſſimum enim in bonam partem ſæpe ſumitur. Ita Ovidius *Metamorphoſ.*4. de excellentiſſimo opere, *Non illud opus tenuiſſima vincunt ſtamina, & libro 3. de arte amandi,*

Nec toga decipiat filo tenuiſſima, nec ſi
Annulus in digitis alter, & alter erit.

In rebus philoſophicis, de quibus eo loco nobis ſermo eſt, maximæ laudis eſt Epithetum. Cicero de Oratore, *Philoſophorum mos tenuiter diſſerendi*, hoc eſt, acutè, ſubtiliter, ratione exacta, non ut vulgus, παχυμερῶς, pingui, craſſave Minerva. Idem *lib.*2. *de Inventione* ante medium, *Hi & cæteri omnes loci communes ex iiſdem præceptis ſumuntur, quibus cætera argumentiones: ſed illæ tenuius, & acutius, & ſubtilius tractantur.* S.Hieronymus *lib.*2. *in Iovinianum* ex Galeni ſententia de Athletis ſcribit, *animas eorum nimio ſanguine, & adipibus involutas, nihil tenue, nihil cœleſte cogitare*, & alibi, *Pinguis venter non gignit ſenſum tenuem.*

Quæ dicuntur *p.*346.2. Scholaſticen non ſpectant, ſed Dialecticam, quæ ibi deſcribitur, cujus proprium eſt de re qualibet in utramque partem probabiliter diſputare. Nec magis hoc Theologiam afficit, quàm aliam ſcientiam quamlibet. Ne tamen hoc quodcunque illud ſit, Theologiæ Scholaſticæ officere poſſit, longo ſermone in illius laudem ſtatim addito cavimus, quo inter alia multa Scholaſticorum Doctorum ingenioſè inventa, & præclarè facta, quæ ibi prædicamus, docemus eos, admiranda induſtria Philoſophiam, & Dialecticam captivas in obſequium Chriſti duxiſſe.

Nonnunquam, præſertim in cauſa religionis, jure timentur etiam, quæ ſunt tutiſſima, ideò forſan timebit aliquis, ne quid ſiniſtri deduci poſſit, ex eo quòd *cap.*10. *lib.*1. probabiliter aſſero de tempore diſtinctionis fori interni ab externo ratione habita ad varios Judices. Verùm quid incommodi ex hac diſtinctione, ut à me eodem capite explicatur, naſci poſſit, re apud me diligenter iterùm penſitata non video. Immò quæcunque hac in cauſa ab annis quingentis in Eccleſiaſtica praxi huc uſque facta ſunt, ex antiquiſſimis monumentis ſolidiſſimè confirmantur. Hoc enim loco, ut & variis operis noſtri locis ibi adnotatis demonſtratur, non modò Abſolutionem ab Excommunicatione majore, ſed etiam à minore ab antiquiſſimis ſeculis re, & tempore ſeparatam fuiſſe à Sacramentali Abſolutione, quod praxis hodiernæ forenſis præcipuum eſt fundamentum. Demonſtramus quoque, perpetuam fuiſſe in Eccleſia fori interni ab externo, hoc eſt, Pœnitentiæ publicæ à ſecreta diſtinctionem; publicam ad Epiſcopos, & eorum Vicarios pertinuiſſe, ſecretam ad ſacerdotes cæteros: Nonnullaque alia ejuſmodi, quæ lector ejuſdem *capitis ſect.* 12. & 13. vel fusè explicata deprehendet, vel ubi in opere noſtro explicentur, adnotatum.

Quanquam nihil ferè ſit, quod conſtantiùs aſſeramus, majori argumentorum mole, & conatu demonſtremus, quàm Contritionem perfectam Abſolutioni præſtandæ neceſſariò non requiri, ſed Abſolutionem Sacramentalem ex natura, & inſtitutione ſua eſſe gratiæ gratum facientis, & impium juſtificantis effectricem, hancque ſententiam totius diſciplinæ pœnitentialis, quam explicamus, fundamentum ſæpius dixerimus, ut legere eſt totis *capitibus*, 1.5. & 6. *libri octavi* bene longis, quæ tota quanta ſunt, in hoc ſolo operoſiſſimè probando impenduntur, & innumeris aliis locis, in quibus hoc vel diſertiſſimè aſſerimus, vel ſermoni noſtro, & diſputationi, ut per ſe notum, ſupponimus, velut *p.*31.12.32.30.2.11.1.2.12.1.

Attamen

Ad Lectorem Admonitio.

Attamen eo quod iſtius operis magna pars confecta fuerat ante Sorbonicum decretum, quo ſententia, quam ſemper amplexus ſum, confirmata fuit, & contraria, quæ videlicet Contritionem perfectam ante abſolutionem neceſſariò requirit, improbata, fieri poteſt, ut alicubi rem non diſcutiens, ſed obiter ex aliorum opinione nondum damnata referens, eam videar non improbare, mori meo nonnihil indulgens, qui ſcholaſticorum ſententias vix unquam graviter notare ſoleo. Ea loca, ſi quæ occurrant, ex iis, quæ nunc adnotamus, & ex pluribus aliis, in quibus hanc ſententiam non probamus, explicari, & dijudicari deſideramus. Vix tamen crediderim, tale aliquid mihi excidiſſe, quod de Contritione imperfecta facilè intelligi non poſſit, eo quòd ab ea ſententia, quæ perfectam neceſſariò poſtulat, animo fuerim ſemper averſo.

Cùm aſſero *p.* 111. & ſeq. ſatisfactiones Sacramentales culpam, & pœnam æternam expungere, loquor de iis, quæ movente, & impellente Spiritu Sancto fiunt, atque ex Charitatis motivo, quas certum eſt culpam. & pœnam æternam expungere poſſe.

Hæc verba ejuſdem *cap. p.* 114. 1. *An autem S. Patres, qui Auguſtinum præceſſerunt, & omnes Græci, & Latini, qui eum ſecuti ſunt. tam duri, & immiſericordes in opera liberi arbitrii fuerint, noſtra nihil prorſus intereſt hic inquirere.* Ut ſcripta incautè abraſa volo.

Cùm hiſtoriam Pœnitentiæ texam, neceſſe eſt me referre, niſi prævaricari velim, omnigenas actiones ad Pœnitentiam ſpectantes, quæ memoratu dignæ legendo mihi occurrerunt. Ideò ſi quis mihi ſtatim imputaret, illius actionis, aut conſuetudinis, quam refero, approbationem, iniquiſſimè ſanè faceret. Quis enim unquam Hiſtorico imputavit, omnium quæ refert, approbationem? Pauca approbo, pauciora improbo, plurima concilii ambiguus ſuſpendo. Raròenim mihi præſto ſunt ea argumenta, quibus conſuetudo aliqua cum omnibus ſuis circumſtantiis demonſtretur. Ideò ſæpiſſimè rerum obſcuritate coactus teſtor, me tantùm conjicere, nihil certi affirmare, aliorum judicium expectare. In rebus autem ejuſmodi difficilibus, & perplexis hanc regulam teneo, & lectorem tenere velim, ut cum eſt aliquid didacticè affirmandum, tamdiù hodiernus mos antiquo conſentire præſumatur, quamdiù certiſſimis argumentis contrarium illi non demonſtratur. Hiſtoricus tam anguſtis carceribus non coercetur: quæ certa ſunt, certò affirmat; quæ dubia dubiè; quæ probabilia, probabiliter. Hoc modo *cap.* 25. & 26. *lib.* 8. de Abſolutione data abſenti locuti ſumus. Quæ de ea varii Scholaſtici pronuntiarunt, retulimus, quæque etiam apud antiquos Patres, eodem probabiliter ſpectantia deprehendimus. Nos eo ſenſu, & ſcopo ſcribere, *& in fine c.* 25. *& initio* 26. jam citatorum, & in Præfatione operis, & in fine & intra medium centies, & centies diſertiſſimè monuimus. Eadem ratio eorum, quæ de habitibus infuſis dico *p.* 348. de meritis ante gratiam habitualem, & variis opinionibus ſcholaſticis, quas refero *cap.* 2. 3. & 4. *lib.* 8. ut ex ſerie relationis dignoſcitur, & multis admoneo ad initium relationis iſtius, ſcilicet *cap.* 2. *ſect.* 4. & aliorum plurium, quæ refero, non quia probo, & amplector, ſed quia Hiſtorici munus eſt, ea referre, quæ ex antiquis monumentis didicit olim, vel facta fuiſſe, vel dicta.

P. 118. Abſolutio à minore Excommunicatione dicitur ceremoniola, & *p.* 405. 1. Abſolutio à majore dicitur exanguis, & *p.* 424. 2. nuda, & exucca. Iſta comparatè dicuntur, & in contentionis æſtu diſputatur, an Abſolutio, de qua ſermo eſt apud Patres ibi citatos, ſit à peccatis, an ſimplex in Eccleſiam admiſſio, quæ ſimplici Clerico, atque etiam Laico delegari poteſt. Rhetorica μείωσιν, non contemptus cauſa ſententiam mihi non probatam extenuo, ut rationes quibus illam infirmo, illuſtriores fiant, quod amplificandi, vel extenuandi genus omnibus non modò Rhetoribus, ſed etiam diſputantibus communiſſimum eſt. Non invitus tamen fateor, me in Rhetoricandi modo modum exceſſiſſe.

Pœnitentiam publicam de peccatis occultis antiquitùs actam fuiſſe, monuerunt ante me Doctores neoterici plurimi, & celeberrimi, quorum bonam partem refero *libr.* 5. *cap.* 8. docuit hoc etiam evidentiſſimè Catechiſmus *Concilii Tridentini parte* 2. *c.* 5. *num.* 55. Hoc, ut nonnulli alii, ad tria crimina reſtringo, multaſque alias limitationes ſuperinduco, quæ ſuis locis explicantur. Sæpius tamen moneo, doceo, & inculco Patres, hunc morem diſciplinæ cauſa induxiſſe, non privatæ Pœnitentiæ ad delenda hæc crimina impotentia, *p.* 424. 2. 175. 1. 2. 176. 1. 178. 1. 193. 1. 196. 1. 170. 2. Ideò ſæpe illa ipſa crimina tam publica quàm occulta ſecretæ Pœnitentiæ, longæ, brevis, nullius impoſitione corripuiſſe, & ſanaſſe, ut *p.* 429. 1. 158. 451. 2. 452. 1. 2. & *toto cap.* 19. *libri primi*, ubi contrariis rationibus multis ex S. Cypriani dictatis reſpondetur. Huc etiam facit, quod multis demonſtramus *cap.* 22. *libr.* 6. & aliis locis morem illum de peccatis occultis publicè pœnitendi, ab annis 1300. in Eccleſia Orientali penitus extinctum eſſe, & in Occidentali ab annis prope mille, ut demonſtramus *lib.* 6. *cap. ultimo. & ſeptimi capite primo*.

Quod doceo *c.* 30. *libr.* 5. antiquitus unam tantùm conceſſam eſſe Pœnitentiam, intelligendum non eſt de Abſolutione morientium, ut expreſsè adnoto, & probo ejuſdem *capitis ſect.* 9.

Quæ de Abſolutione à Diaconis, atque etiam à Laicis data plurimis teſtimoniis hiſtoricè referuntur *cap.* 23. & 24. *libri* 8. expreſſiſſimè moneo initio *cap.* 23. & in fine 24. ubi hiſtoria rei finitur, iſta non eſſe intelligenda, nec intelligi poſſe de Abſolutione Sacramentali, cujus effati rationes locis adnotatis explicantur; immò plurimos ex ipſis auctoribus, qui hanc ſui ſeculi conſuetudinem teſtantur, diſertè aſſerere, nullam prorſus illis eſſe à peccatis abſolvendi poteſtatem. Itaque non poteſt aliud eſſe Abſolutio illa quàm ceremonia, ſive Sacramentale aliquod à quibuſdam Eccleſiis, in abſentia veri Sacramenti, & illius adipiſcendi impotentia inſtitutum, & à Catholica Eccleſia tunc non improbatum, quo morientis, aut graviſſimè periclitantis interior diſpoſitio excitabatur, & incaleſcebat, atque à Deo precibus Eccleſiæ Sacramenti effectum Pœnitens promerebatur, non nuda majoris Excommunicationis Abſolutio, ut eodem loco ex S. Cypriani verbis videmur nobis perſpicuè explicaſſe.

Quanquam, ſi propriè, & philoſophicè loquamur, uno momento juſtificario fiat, id eſt, diſpoſitionibus ſuppoſitis uno momento forma inducatur; non tamen uno momento. aut pravi omnes habitus, aut omnia juſtificationis impedimenta ſubmoventur, aut diſpoſitiones omnes formæ venturæ neceſſariæ ordinariè

dinariè

dinariè ſupponuntur. Ideò Patres fucatam Pœnitentiam reformidantes graviorum criminum Reos diuturniori Pœnitentiæ, ut plurimùm, ſubiiciebant. Hæc eodem ſenſu fusè, & perſpicuè enarrantur tota *pagina*, 426. & 428 2. Hanc autem abſolvendi moram, & methodum obſervabant, non rei neceſſitate, ſed diſciplinæ ordine, quem variis occaſionibus variè intenderunt, aut remiſerunt, aut intermiſerunt, atque etiam abrogarunt.

Ancipiti admodum animo fui, immò anxio, dum antiquæ Hæreticorum in Eccleſiam receptionis hiſtoria cum veræ Theologiæ præceptis mihi concilianda fuit, ut videre potes *libri 9. in cap. ſexti* limine, in quo hanc difficultatem aggredior. Omnium tamen maximè perplexa mihi viſa eſt ea, quæ refert Hæreticos per manum impoſitionem jn Spiritum Sanctum, aut etiam per unctionem huic impoſitioni, vel conjunctam vel ſeparatam, de qua ejuſdem *libri cap.* 10. *&* 11. Tam efficacia enim, tam auguſta epitheta videbantur mihi huic manuum impoſitioni à ſanctis Patribus paſſim tribui, ut quanquam planè incertus nutarem, an Sacramentum eſſet, an ſimplex ceremonia, credibilius tamen mihi eſſet verum eſſe Confirmationis Sacramentum, quàm ſimplicem ceremoniam. Nihilominus difficultate iterùm apud me, & diligentiùs conſiderata, ea ſententiæ, quæ manuum illam impoſitionem ſimplici ceremoniæ addicit, mihi videtur certa, & multò tutior. Etenim incommodis longè minus obnoxia eſt, & ea poſita evaneſcunt pleræque difficultates *cap.* 12. *&* 13. à nobis, vel potius à reipſa excitæ. Deinde maximi momenti argumentum, & ineluctabile mihi videtur illa reconciliationis Hæreticorum varietas eodem tempore in Eccleſia Orientali, & Occidentali uſurpata: Orientalibus Hæreticos per unctionem ſuſcipientibus, quos Occidentales per ſolam manuum impoſitionem admittebant. Præterea Occidentales inter ſe in ea ceremonia non conſentiebant. Nonnulli enim in admiſſione Hæreticorum Orientales imitabantur, eoſque ut ipſi ungebant. Diſtinguebant inſuper, ſaltem nonnulli, inter Hæreticos: aliquos enim ut Donatiſtas cum ſola manuum impoſitione Eccleſiæ reconciliabant. Denique labente tempore univerſus iſte ritus erga novos Hæreticos exorientes tam apud Orientales quàm Occidentales abrogatus eſt. Eos enim uno conſenſu per ſolam fidei profeſſionem, & hæreſis ſuæ anathematizationem Eccleſiæ Catholicæ Patres reconciliarunt. Iſta, & alia ejuſmodi fusè à nobis enarrata ſunt *cap.* 8. 9. 10. 11. *&* 12. *libri noni*: Quapropter longiori, & explicatiori eorum enarratione ſuperſedemus. Profectò ex tanta varietate planè certum videtur, ritum illum manuum impoſitionis, ſive ſolitarium, ſive unctioni conjunctum, puram putam fuiſſe ceremoniam, quam in Hæreticorum reconciliatione, & Eccleſiæ incorporatione adhibebant. Quis enim iſtam varietatem, diviſionem, conjunctionem, tandemque abrogationem in vero Sacramento admittere poſſit?

Cùm dixi *p.* 448. antiquos Patres baptiſmi reviviſcentiam in cauſa Hæreticorum extra Eccleſiam baptizatorùm tantùm agnoviſſe, non inde colligi volo extra hanc cauſam baptiſmi reviviſcentiam dari non poſſe; ſed nihil, inſuper de hac te apud antiquos me legiſſe. Fieri enim poteſt, ut multa teſtimonia me fugerint, quæ id, quod neſcio, evidenter doceant, aut ex analogia, & paritate demonſtrent. Eandem cautionem in plurimis aliis, quæ ſimiliter de ſtudio meo aſſerui; obſervari velim.

Cùm *cap.* 28. *lib.* 9. multos Patres refero, qui de neſcio quo peccato verba facere videntur, eorum ſententia tam exectando; ut Deùs nunquam ſit illi parciturus, interpretandi non ſunt, nec eos interpretatus ſum de certa quædam peccati ſpecie, quæ ſit ex natura ſua irremiſſibilis; nulla eſt enim ejuſcemodi: ſed de nonnullis gravium peccatorum circumſtantiis à Patribus ibidem expreſſis, propter quas Deus impiis iſtis auxilia pœnitendi ſubtrahit. Id autem aliquando fieri multorum Theologorum eſt ſententia, quos eodem *capite refero ſect.* 14. Nullum autem eſſe crimen, quod Deus per Eccleſiam non remittat, fuſiſſimè ſi non validiſſimè pro ingenii mei tenuitate probare conatus ſum ejuſdem *libri cap.* 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. Addidi præterea peccatum illud quodcumque ſit ad Hiſtoriam diſciplinæ noſtræ Pœnitentialis non pertinere, cùm prope ſecundùm omnes illius ratio ſit interna, quæ vix ab hominibus cognoſci poteſt. Denique ut Lector diſtinctam illius peccati cognitionem nanciſci poſſit, & intelligere, qua ratione irremiſſibile à ſanctis Patribus dictum ſit, eum ad Cardinalis Bellarmini, & Joannis Maldonati ſcripta remiſi, ut pote mea de hac re ſententia ab eorum dictatis non diſcrepante. Sanè ſententiæ, quæ docet ab Eccleſia Catholica nullum unquam peccatum irremiſſibile judicatum eſſe, admodum favere videtur *Concil. Trident. ſeſſ.* 14. *c.* 7. cùm ait, *Verùmtamen piè admodum ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis; atque ideò omnes ſacerdotes quoslibet Pœnitentes à quibuſvis peccatis, & Cenſuris abſolvere poſſunt.*

Lib. 1. *c.* 9. *ſect.* 7. ſcripſi, nonnullos judices laicos ex fori interni ab externo ſeparatione occaſionem ſumpſiſſe juriſdictionem Eccleſiaſticam ſibi vindicandi, & ſemel vindicatam confidenter retinendi. Qua ratione hæc verba autoritati regiæ, præſertim Chriſtianiſſimæ, præjudicare poſſint, nullus video. Verba enim noſtra generaliſſima ſunt, nullique Provinciæ addicta. Deinde certum eſt, Judices laicos in Gallia auctoritatem de qua loquimur, ſcilicet Presbyteros ſuſpendendi, excommunicandi, & altari reconciliandi nunquam uſurpare. Quòd ſi aliquo caſu quid ejuſmodi ab iis attentetur, Chriſtianiſſimi Reges conquerente Clero ſententias iſtas ſemper reſciderunt, neve hoc iterùm attentetur, ſeverè interminati ſunt. Rationes autem, quibus freti nonnulli Judices laici juriſdictionem ſpiritualem ex fori diſtinctione à nobis allata ſibi competere demonſtrant, ut conjecturam noſtram firmaremus, ex Salgado auctore Hiſpanico excerpſimus, quarum nonnullas audivimus aliquando à Judicum non nemine jactari, uſurpari tamen nunquam vidimus. Iſta verò quocunque modo ſumantur, protectioni Eccleſiarum, & Clericorum, quæ regum propria eſt, non officiunt, ut manifeſtum eſt, nec cuilibet prærogativæ ad hanc protectionem exequendam neceſſariæ juxta, *l.* 5. *ff. de officio eius cui* &c. *& l.* 2. *ff. de juriſd. Cui juriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe videntur, quibus juriſdictio explicari non potuit.* Eadem ratio privilegiorum à Pontifice regibus hac in cauſa conceſſorum: & potiſſimùm Concordatorum Leonis X. cum Franciſco rege, quorum protectio, conſervatio, & executio Regibus Chriſtianiſſimis ab eodem Pontifice maximopere commendatæ ſunt.

P.348.

P.348.1.2. Occaſione data effectus Abſolutionis, obiter attigi quæſtionem productionis juſtificati... per auxilia gratiæ; quæ difficultas ante mille ducentos annos inter S. Auguſtinum, & Pelagianos acriter agitata, & annis ſubſequentibus renovata, & noſtro tempore in Congregationibus de auxiliis denuo examinata, ſed decretorio judicio nondum definita, Theologos hodierno die exercet diverſa ſentientes; circa quam quæ à me ſcripta ſunt de habitibus univerſim, de neceſſitate comparata cum libertate, & de contemperatione gratiæ cum voluntate noſtra, Dominus Chaſtelain unus ex approbatoribus operis mei aliter exprimenda eſſe ſenſit, nec ut jacent approbatione ſua comprehendi vult.

Quanquam autem vir ille Pariſienſes inter Theologos ſit celeberrimus, Theologicæ facultatis ſyndicatu etiam diù functus, & eximia pietate, & doctrina, antiquoque amicitiæ jure mihi plurimùm honorandus, attamen cum hiſtoricè aliorum ſenſa non mea referam, & ſectione tantùm 19. illius paginæ quò propendeam, quàm modeſtiſſimè potui, nullius cum nota Lectorem commonefaciam, nihil in verbis meis mutandum cenſui. His accedit potiſſimùm, quòd inſignis ille Doctor verbis ipſius ſupra relatis teſtetur, quæſtiones iſtas nondum eſſe ab Eccleſia definitas, & Doctorum variantibus hinc, & illinc ſententiis agitari. Itaque nemini injuriam aut præjudicium me facere credidi, ſi quid in hac quæſtione mihi præ cæteris arrideret, adnotarem. In ejuſmodi rebus velle ſuum cuique ſit, modò & nobis.

Quæ nomine S. Auguſtini, & ex ipſius mente, & verbis retulimus in fine præfationis ad Lectorem, nullo modo dicta ſunt nobis, ad tanti viri tot glorioſis triumphis de hæreſibus reportatis in Eccleſia meritiſſimè celeberrimi auctoritatem elevandam, nedum ſugillandam. Abſit à nobis tantùm nefas. Laudes illi à Pontificibus datas libenter agnoſcimus, & prædicamus; & ſi quid arvo gleba poteſt addere, ampliamus. Scimus, Cœleſtinum Pontificem hoc elogio eum decoraſſe, *Epiſt.1. ad Epiſcopos Galliæ, Nec unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter Magiſtros optimos, etiam ante à meis deceſſoribus haberetur*. Hormiſdam *Epiſt. ad poſſeſſorem*, quid, *de libero arbitrio, & gratia Dei Romana ſequatur, & aſſeveret Eccleſia in variis libris B. Auguſtini, & maximè ad Hilarium, & Proſperum, poteſt cognoſci*. Joannem II. *Epiſt.3. ad Senatores, S. Auguſtinus, cujus doctrinam ſecundùm Præceſſorum meorum ſtatuta Romana ſequitur, & ſervat Eccleſia, &c.* Verùm aliud eſt ex S. Auguſtini doctrina, quæ ad ſalutis neceſſitatem ſufficiunt, definire; aliud irremeabiles ſubtiliſſimarum quæſtionum Mæandros ſubire: Aliud eſt eum inter optimos recenſere Magiſtros, aliud omnibus longè præferre. Habeatur igitur inter optimos Magiſtros, immò Optimorum optimus: ſed omnibus ſimul ſumptis, ut quidam volunt, ne præferatur; Sit nobis, ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, ἀλλὰ μὴ πάντων. Nihil enim iſta laude S. Auguſtinus moleſtius.

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P. F. Raimondo Aſperti Inquiſitor &c. nel Libro intitolato *Commentarius Hiſtoricus de Diſciplina in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ* AUCTORE JO: MORINO non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro; niente contro Prencipi, & buoni coſtumi: concedemo Licenza à Nicolò Pezzana Stampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 25. Maggio 1701.

{ *Gio: Lando Kav. Proc. Ref.*
{ *Girolamo Venier Kav. Proc. Ref.*
{ *Franceſco Cornaro Proc. Ref.*

Agoſtino Gadaldini Segret.

COMMENTARII
HISTORICI
DE
ADMINISTRATIONE
SACRAMENTI POENITENTIÆ,

Ab Apoſtolis ad uſque ſeculi duodecimi initium tam in Eccleſia Orientali, quàm Occidentali obſervata.

LIBER PRIMUS.

In quo agitur de Sacra Eccleſiæ in quibuslibet peccatis remittendis, aut puniendis auctoritate, & interioribus animi diſpoſitionibus ad remiſſionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam neceſſariò requiſitis.

CAPUT PRIMUM.

De etymo, & varia ſignificatione nominum Pœnitentiæ, & μετανοίας apud Latinos, & Græcos auctores, ſacros & prophanos. Tertia pars Pœnitentiæ Græcis eleganter dicitur ἐπιτίμιον, nec non recentioribus ἐπανόρθωσις.

DE Pœnitentia verba facturi ab ipſo nominis etymo exordiemur: licèt enim Pœnitentia Chriſtianis & Ethnicis vulgare nomen ſit, & nemini incognitum, circa tamen peculiarem illius ſignificationem, ſed Chriſtianis omnibus familiariſſimam, univerſus ferè labor noſter impendetur, & conſumetur. Quapropter quid nomine iſto Latini, quid Græci, Syri, & Hebræi diſtinctionibus ſuis, quibus hæc noſtra redditur, ſignificent, in ipſo operis limine videtur nobis breviter eſſe adnotandum. Gallus Aſinius, & Largius Licinius verborum penſitatores accuratiſſimi latinè tum dici nos pœnitere docebant, *Cum quæ ipſi fecimus, aut quæ de noſtra voluntate, noſtroque conſilio facta ſunt, ea nobis poſt incipiunt diſplicere, ſententiamque in iis noſtram demutamus*. Ideo Ciceronem reprehendebant, ut refert Aulus Gellius *lib.* 17. *cap.*1. quod in oratione pro M. Cœlio dixiſſet ſe nunquam tam acerbè laturum, ut ſeſe pœniteret non deformem eſſe natum: Neminemque rectè ita loqui, *Pœnitere ſeſe quod natus ſit; aut pœnitere quod mortalis ſit; aut quod offenſo fortè, vulneratoque corpore dolorem ſentiat; quando iſtiuſmodi rerum nec conſilium ſit noſtrum, nec arbitrium*. Hanc verbi ſententiam probat ipſe Gellius, & pœnitere niſi in voluntariis rebus non probè dici. Hæc eſt vulgatiſſima hujus verbi apud probatiſſimos quoſque auctores ſignificatio. Itaque Pœnitentia duo complectitur, conſilii ſive ſententiæ mutationem, & animi dolorem propter factum aliquod inde conſequens. Tertium addi debet, quod ex utroque neceſſariò videtur emanare, cautio ſcilicet, ne poſteà idem conſulat, aut exequatur. Vix enim aliquem facti feriò pœnitet, qui etiam ſibi non proponat ab eo in poſterùm abſtinere, & incommoda ex priori conſilio, & facto exorientia impedire, & à ſe avertere.

II. Lactantius *lib.*6. *c.*24. *Inſtitutionum* hæc tria ſignificata ſimul complexus eſt, cum ſcribit, *Is, quem facti ſui pœnitet, errorem ſuum priſtinum intelligit. Idcòque Græci melius & ſignificantius μετάνοιαν dicunt, quam nos poſſumus reſipiſcentiam dicere. Reſipiſcit enim, ac mentem ſuam quaſi ab inſania recipit, quem erroris piget, caſtigatque ſeipſum dementiæ, & confirmat animum ad rectius vivendum; tum illud ipſum maximè cavet, ne rurſus in eoſdem laqueos inducatur*. Tertiam ſignificationem, quæ Chriſtianis ſolemnis eſt, plenè expreſſit Lactantius. Licèt enim, ut dictum eſt, vix aliquem facti pœniteat, quin eadem opera ab eo iterando abſtineat; Ethnicis tamen propter factum, aut conſilium pœnitendum ſeipſos punire familiare certè non fuit. Quum autem pietas, & naturæ lumen nonnunquam dictent facti alicujus pœnitentibus, ut pœnas à ſeipſis ſumant, ideò apud optimos linguæ Latinæ auctores aliquando tertiam iſtam ſignificationem, quæ duabus prioribus inſeritur, pleniſſimè exprimit verbum pœnitere. Eo ſenſu dixit Cicero *in* 4. *Tuſculan. Quæſtionum, Alexandrum Regem videmus, qui cùm interemiſſet Clytum familiarem ſuum, vix à ſe manus abſtinuit. Tanta vis fuit pœnitendi*. Ita quoque Ovidius *lib.*1. *de Ponto, Eleg.* 1.

Pœnitet, ò ſi quid miſerorum creditur ulli,
Pœnitet, & facto torqueor ipſe meo.

Eò enim dolor, qui Pœnitentiæ ſemper comes eſt, ſi exardeſcit, animum criminis pœnitentem ducit, & impellit. Nam, ut notat Tertullianus *lib. de Pœnitentia cap.* 2. *Ubi metus nullus, emendatio proinde nulla: ubi emendatio nulla, pœnitentia neceſſariò vana; quia caret fructu ſuo, cui eam Deus ſevit.*

III. Hinc appoſitè admodum ad geminam hanc Pœnitentiæ ſignificationem, quæ omnibus auctoribus Eccleſiaſticis ab ipſis Eccleſiæ incunabilis familiariſſima, & acceptiſſima fuit, S. Iſidorus in exhortatione ad Pœnitentiam, hanc nobis tradit iſtius nominis etymologiam, *A punitione Pœnitentia nomen accepit, quaſi punitentia, dum ipſe homo punit*

pœnitendo, quod malè admiſit. *Libro 6. Originum* pro pœnitentia punientiam dixit, ut & Rabanus Maurus *libr.2. Inſtitut. cap. 29. Nam*, inquit Iſidorus, *nihil aliud agunt quos veraciter pœnitet, niſi ut id quod malè fecerunt, impunitum eſſe non ſinant. Eo quippe modo ſibi non parcentibus, ille parcit, cujus altum, juſtumque judicium nullus contemptor evadet*. Hanc rationem à S. Auguſtino in Epiſtola 54. verbis omnibus ab eo mutuatis deſumpſit Iſidorus. Auctor antiquus libri de vera, & falſa Pœnitentia S. Auguſtini nomine citari ſolitus aliunde hoc nomen derivat, ſed eodem ſenſu, & notationis veriſimilitudine: Sic cap. 19. *Continuè dolendum eſt de peccato, quod declarat ipſa dictionis virtus. Pœnitere enim eſt pœnam tenere, ut ſemper puniat in ſe, ulciſcendo quod commiſit peccando*. Ideo paulò poſt Pœnitentiam ſic definit, *Pœnitentia eſt vindicta ſemper puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe*. Hanc etymologiam velut S. Auguſtini oraculum non abs re tradiderunt Magiſter *lib.4. diſt.14.* & Gratian. *de Pœnit. diſt.3. cap. Pœnitentia*, eorumque diſcipuli, hoc eſt, Theologi omnes Scholaſtici, & Canoniſtæ.

IV. Ex iis quæ dicta ſunt de genuina Pœnitentiæ ſignificatione juxta uſum, proprietatemque Latini ſermonis, manifeſtum eſt, eam non amplecti neceſſariò errorem, vel delictum antecedens, licèt ut plurimum res ita ſeſe habeat: Non enim omne factum, aut conſilium, cujus nos pœnitet, ſemper erratum eſt, aut vitium. Ideo Pœnitentia in Deum cadere poteſt, eique ſæpe à Scriptura ſacra tribuitur. Hanc latam Pœnitentiæ ſignificationem reſpiciens Tertullianus, quæ quamcumque conſilii mutationem complectitur, meritò Marcionem increpat *libr. 2. cap. 24.* quod ex Pœnitentia Deo in vetere teſtamento attributa, Dei errorem, & peccatum colligeret, *Pœnitentiam apud illum pravè interpretaris, quaſi proinde mobilitate, vel improvidentia, immò jam ex delicti recordatione pœniteat: quoniam quidem dixerit, Pœnitet quod Regem fecerim, Saul; præſcribens ſcilicet Pœnitentiam confeſſionem ſapere mali operis alicujus, vel erroris*. Contendit enim Pœnitentiam de rebus bonis aliquando dici: Ideò ſtatim ſubjungit, *Porrò non ſemper. Evenit enim in bonis factis Pœnitentiæ confeſſio ad invidiam, & exprobrationem ejus, qui beneficii ingratus extiterit*. Hoc ſæpiſſimè fieri, dicive conſuevit. Ita Seneca *lib. 1. cap.1.* de beneficiis ſcripſit *multos muneris ſui pœnitere*. Et Cicero *Philippica 12. Si eſt erratum ſpe falſa, atque fallaci, redeamus in viam. Optimus eſt portus Pœnitenti mutatio conſilii*. Cum Tertullianus hac in cauſa multa dixiſſet, tandem colligit, *Quid ergo erit mox Pœnitentiæ divinæ? Jam relucet, ſi non ad humanas conditiones eam referas. Nihil enim aliud intelligetur quàm ſimplex converſio ſententiæ prioris, quæ etiam ſine reprehenſione ejus poſſit admitti, etiam in homine nedum in Deo, cujus omnis ſententia caret culpa*. Hanc Latinam Pœnitentiæ ſignificationem illuſtrat à ſimili ſenſu, qui ineſt verbo Græco ejuſdem ſignificationis. *Nam & in Græco ſono Pœnitentiæ nomen, non ex delicti confeſſione, ſed ex animi demutatione compoſitum eſt*. Nomen igitur hoc, ſive etymon ipſius ſpectes, ſive Latinæ linguæ uſum ſententiæ mutationem ſonat, cum animi dolore conjunctam. Quod autem ſententia prior bona fuerit, aut mala mutationi accidere poteſt, ſed ei neceſſariò non ineſt.

V. Notant Grammatici verbum pœnitere nonnulla alia ſignificare per quandam translationem, quæ ad ſenſum iſtius verbi Eccleſiaſticum minus pertinent, ut pudere, & tædere: ſic Cicero de Senectute, *Nam igitur ſi centeſimum vixiſſes annum ſenectutis eum ſuæ pœniteret*. In ſomnio Scipionis, *Jam ipſa terra ita parva mihi viſa eſt, ut me imperii noſtri, quo quaſi punctum ejus attingimus, pœniteret*. Eodem pudoris ſenſu Virgilius, *Nec te pœniteat labio triviſſe labellum*. Aliquando parvi æſtimare, & contemnere, Plinius *lib.5. cap. 17.* de *Eſſenis, Gens æterna, in qua nemo naſcitur: tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia eſt*. Ita dicitur haud pœnitendus magiſter; ager colono pœnitendus; impœnitenda pauperies, quæ contemni non debet.

VI. Quæ de dictione Latina diximus, eadem de μετάνοια, qua ſacra Scriptura novi Teſtamenti, Græcique auctores Eccleſiaſtici omnes, recentiores, & antiquiſſimi, uno conſenſu utuntur ad id ſignificandum, quod Latini Pœnitentiam vocarunt. Tria ſignificant μετάνοια καὶ μετανοεῖν. Primùm ſententiæ mutationem, idque ex vi præpoſitionis, quaſi poſt cogitare, ſeu ſecundò cogitare: Ita ſtrictè ſumpſit Plato in Gorgia referente Budæo, & μετανοεῖν oppoſuit τῷ προνοεῖν, cum dixit, ταῦτα γὰρ προνοήσασι μὲν δυνατά, μετανοήσασι δὲ ἀδύνατα: *Hæc enim prævidentibus quidem tolerabilia ſunt; ad ea verò attendentibus poſtquam contigerunt, intolerabilia, & ſine medela*. Expreſſius hoc explicat Clemens Alexandrinus Stromat. *libr. 2.* Εἰ ἐφ' οἷς ἥμαρτεν, ἣν σύνεσιν ἔλαβεν ἐφ' οἷς ἔπταισε, καὶ μετέγνω. ὅπερ ἐστὶ μετὰ ταῦτα ἔγνω. βραδεῖα γὰρ γνῶσις μετάνοια, γνῶσις δὲ ἡ πρώτη ἀναμαρτησία. *Si ea, quæ peccavit, poſteà mente revolvit; ſi ex iis, in quæ lapſus eſt, prudentior evaſit, & reſipuit, hoc eſt, poſtmodum cognovit. Tarda enim cognitio eſt Pœnitentia; ſed prima cognitio eſt non peccaſſe*. Eſt igitur illi Pœnitentia tarda cognitio, quia ſupponit lapſum, quem non cognitioni, ſed ignorantiæ tribuit. Pœnitet ergo qui tandem errorem ſuum agnoſcit, & ignorantiæ tenebris liberatur. Ideò Pœnitentiam vocat ſecundam cognitionem, quia prima cognitio illi eſt non peccare: Peccare enim non eſt cognoſcere, ſed ignorare, & errare. Quare ut paulò poſt videbimus, Pœnitentiam vocat prudentiam magnam. Duobus fundamentis nititur Clementis φιλοσόφημα, uno Theologico, altero Grammatico. Erat enim antiquorum Patrum axioma vulgatiſſimum, peccata omnia ante fidem commiſſa eſſe ignorantiæ tribuenda, juxta id quod dicitur *Actor. 17. verſ. 30. Ephes. 4. ver. 17. 18. & Hebr. 6.* Deinde ſi notationem, & compoſitionem τοῦ μετανοεῖν conſideres, poſt cognoſcere, & intelligere ſignificat. Verùm apud Xenophontem μετανοεῖν propriè, & directè eſt ſententiam prius animo inhærentem poſteà mutare. Cùm enim dixiſſet initio τῆς Κυροπαιδείας, ſibi multis rationibus convicto perſuaſum fuiſſe homines facilius cæteris animantibus, quàm hominibus imperare: poſteà ſubdit, Ἐπειδὰν δὲ ἐνενοήσαμεν, *Sed ubi cogitavimus fuiſſe Cyrum Perſam, qui haberet & homines, & civitates, & gentes complures ſibi ſubjectas, & obedientes*, ἐκ τούτου δὴ ἠναγκαζόμεθα μετανοεῖν, *tum deinde coacti ſumus mutare ſententiam, & arbitrari hominibus imperare non eſſe rem adeò difficilem, nedum impoſſibilem, ſi quis hoc ſcitè, & prudenter faciat*. Ubi vides oppoſita νοεῖν καὶ μετανοεῖν.

VII. Secundò μετανοεῖν καὶ μετάνοια, ut & pœnitere, & pœnitentia, dolorem animo conceptum ſignificant propter priorem ſententiam, aut aliquid ex ea conſecutum. Hæc eſt frequentiſſima apud probos quoſque auctores Ethnicos τῆς μετανοίας, ſignificatio. Plutarchus in libello de Amico ab Adulatore diſcernendo longè ante medium, ὅταν δὲ ἁμαρτάνωσι, καὶ πλημμελῶσιν, ὁ μὲν ἔλεγχος καὶ ψόγος δηγμὸν ἐμποιοῦσι καὶ μετάνοιαν, ἐχθρὸς δοκεῖ καὶ κατήγορος. *Cum verò peccaverint, & immoderatè ſeſe geſſerint, qui reprehenſione, & vituperio aculeum, morſumque, & Pœnitentiam illis injecerit, inimicus, & accuſator videbitur*. Eodem ſenſu in fine ejuſdem libelli, ὅταν δὲ ὁ δαίμων καταβάλλῃ καὶ περιέλῃ τὸν ὄγκον τοῖς πράγμασιν ἔνεστι τὸ νουθετοῦν, καὶ μετάνοιαν ἐμποιοῦν. *Quum dæmon eos dejecerit, & faſtum ſuſtulerit, tum rebus ipſis ineſt vis exhortandi, & Pœnitentiam immittendi, & excitandi*. Et in vita Periclis μετάνοια δεινὰ τοῖς Ἀθηναίοις, καὶ πόθος ἔσχε τοῦ Κίμωνος, *Pœnitentia vehemens cœpit Athenienſes deſideriumque Cimonis*. Lucianus in fine Dialogi de ſaltatione ſic ſcribit de quodam, qui Ajacem furentem ſaltaverat, Καὶ αὐτὸν μέντοι φασὶν ἀνανήψαντα, οὕτω μετανοῆσαι ἐφ' οἷς ἐποίησεν, ὥστε καὶ νοσῆσαι ὑπὸ λύπης. *Referunt tamen, eum poſtquam ad mentem ſanam rediit, ita eorum, quæ fecerat, pœnituiſſe, ut præ triſtitia in morbum inciderit*.

VIII. Eodem ſenſu vulgò accipiebatur μετάνοια, ut explicat Hermes, referente, & probante Clemente Alexandrino, tertiaque addebatur ſignificatio, planè ut de Pœnitentia dictum eſt. Ita enim Clemens *libr. 2. Stromatum* circa medium, ὁ δὲ αὐτὸς καὶ τὴν μετάνοιαν σύνεσιν εἶναι φησὶ μεγάλην. μετανοῶν γὰρ ἐφ' οἷς ἔπραξεν, οὐκ ἔτι ποιεῖ ἃ λέγει, βασανίζων δὲ ἐφ' οἷς ἥμαρτε ψυχὴν, ἀγαθοεργεῖ. *Idem autem*, Paſtor, *dicit etiam Pœnitentiam eſſe magnam intelligentiam. Quem enim pœnitet eorum quæ fecit, ea non amplius facit aut dicit, ſed propterea, quæ peccavit, animam ſuam torqueas, bene agit*. Sæpius eodem loco paucis paginis legitur μετάνοια, eodem ſenſu, *Iis, qui vocati ſunt, proponitur Pœnitentia* μετάνοια, *expurgans locum animæ à peccatis, ut fides fundetur*. Alludit ad primum verſum *cap. 6. Epiſtolæ ad Hebræos, Rurſum jacientes fundamentum Pœnitentiæ* μετανοίας *ab operibus mortuis*. Pœnitentiam ſecundam vocat μετάνοιαν ἀμετανόητον, pœnitentiam non pœnitendam, id eſt, de qua violata non amplius agitur Pœnitentia. Manifeſtum eſt μετάνοιαν, intelligi non modò dolorem internum de peccato conceptum, ſed etiam labores, duraque opera Reo caſtigando impoſita. Hæc ſæpius eodem libro.

IX. Idem colligitur iterùm ex eodem Herma, cujus liber, licèt nunc Græcè non extet, Pœnitentiam, de qua tam ſæpe agit, cujuſque adeò duras conditiones proponit,

voca-

vocavit ſemper μετάνοιαν, ut manifeſtum eſt ex iis, quæ jam ex Clemente Alexandrino relata ſunt, atque etiam ex iis, quæ refert *libr.* 1. *Stromatum* circa medium, ubi Angelum, quem Hermas perpetuò appellat Nuntium Pœnitentiæ, quemque ſcribit ſibi aſſidere, & quæ de Pœnitentia, aliiſque rebus docet, revelare, Hermæ verba Græca referens, appellat, ἄγγελον τῆς μετανοίας. Deinde ex Tertulliano *de pudicitia cap.* 10. ubi de Pœnitentia de qua nobis ſermo eſt, adverſus Catholicos diſputans, adverſus Hermam invehitur, quem Catholici in doctrinæ ſuæ propugnationem de ſecunda poſt baptiſmum pœnitentiæ citaverant. Unde manifeſtiſſimum eſt, antiquiſſimam, & Apoſtolicam Eccleſiam Græcam, & Latinam non aliter Pœnitentiam, & μετάνοιαν quàm ratione à nobis explicata intellexiſſe. Sanctus Ignatius in Epiſtola ad Smyrnenſes, *Conſentaneum eſt deincepſ* ἀνανῆψαι ἡμᾶς, *nos reſipiſcere*, ὡς ἔτι καιρὸν ἔχομεν εἰς Θεὸν μετανοεῖν, *ut dum tempus habemus ſecundùm Deum pęnitentiam agamus: In inferno enim non eſt, qui confiteatur*, μετανοεῖν igitur Ignatio non modò ἀνάνηψιν, reſipiſcentiam, ſed etiam dolorem internum, & exomologeſim, ſive actuum externorum editionem. Eodem ſenſu hoc nomen uſurpaverat epiſtola pręcedente.

X. Sanctus Chryſoſtomus *homil.* 4. *in* 2. *Epiſt. ad Corinthios cùm dixiſſet, Cor contritum, & humiliatum habebat, quod ipſius peccata maximè abſtergebant*, multaque ſimilia, addit, καὶ γὰρ τοῦτο ἐξομολόγησις, τοῦτο μετάνοια. *Hoc eſt enim Confeſſio, hoc pęnitentia, &c.* Sic, & Auſonius in celebri hoc diſticho,

Sum dea, quæ facti, non factique exigo pęnas,
Nempè ut pęniteat, ſic Metanœa vocor.

Innumera occurrunt hujus ſignificationis exempla apud auctores Eccleſiaſticos Græcos, & Latinos qui ab Eccleſia, naſcente in hunc uſque diem ſcripſerunt, quæ magna ex parte toto hoc opere referentur; quapropter ampliori enumeratione ſuperſedebimus.

XI. Explicatam τῆς μετανοίας, acceptionem è ſacris novi Teſtamenti auctoribus mutuati ſunt auctores Eccleſiaſtici. Nuſquam enim alio ſenſu ſacri illi ſcriptores hoc nomen uſurpant, ut unicuique ſingula examinanti erit perſpectiſſimum. Nonnulla ſunt loca, in quibus tertia ſignificatio neceſſariò intelligenda eſt, *ut Matth.* 11. *verſic.* 21. *& Lucæ* 10. 13. *Si in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis olim in cilicio, & cinere pęnitentiam egiſſent. Ita Lucæ* 11. 32. μετενόησαν εἰς τὸ κήρυγμα Ἰωνᾶ, Pęnitentiam egerunt Ninivitæ ad prædicationem Jonæ. Nemini incognitum eſt, qualem Pœnitentiam egerunt. *Actor.* 26. 20. *Pęnitentiam agerent &c. digna Pęnitentiæ opera facientes*, hoc eſt, jejunantes, &c. 2. *Cor.* 7. *verſic.* 9. *Contriſtati eſtis ad Pęnitentiam*, εἰς μετάνοιαν, & verſic. 10. Quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, μετάνοιαν operatur; Deinde verſic. 11. deſcribit fructus pęnitentiæ ex illa triſtitia ortæ, *Quantam in vobis operatur ſolicitudinem? Sed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam?* Ideò antiquus novi Teſtamenti interpres, ejuſque recognitor S. Hieronymus μετάνοιαν, & μετανοεῖν, ubique pęnitentiam, & pęnitere interpretati ſunt: Nec ipſi modo, ſed quotquot eos præceſſerunt auctores Eccleſiaſtici. Quanquam μεταμέλεσθαι, & μεταμέλειαν, idem quod μετανοεῖν, & μετάνοια, ſignificare poſſint, rariſſimus tamen eſt, iſtarum dictionum in novo Teſtamento uſus: Sed ubi occurrunt, antiquus Interpres per Pęnitentiam eas reddit. Frequentius multò LXX. Interpretes nomine μεταμελείας utuntur, ſæpè quoque, & μετανοίας eo, quem explicavimus, ſenſu, ut videre eſt Jerem. 31. 19. *Sapientiæ* 5. *verſic.* 3. *item* 11. *verſic.* 24. *&* 12. *verſic.* 10. Eccleſiaſt. 17. 20. & Jeremiæ 8. *verſic.* 6. *&* 18. *verſic.* 8. *&* 18. Sed ubique, ſive ſit μεταμέλεια, ſive μετάνοια, Pęnitentiam vertit S. Hieronymus, & quicunque præceſſerunt auctores latini cum ſeptuaginta interpretes enarrant, nec ullam videntur unius ab altero differentiam agnoviſſe, licèt auctores μεταμέλεσθαι, & μεταμέλειαν ad ſententiæ, & conſilii mutationem, necnon ed animi dolorem, ex errore priore conceptum dumtaxat retulerint. Quapropter intoleranda eſt planè Novatoris cujuſdam audacia, qui in translatione novi Teſtamenti perpetuò Pęnitentiam mutavit in reſipiſcentiam, quaſi Pęnitentia conſilii, erroris, & criminis mutationem in melius non ſignificaret; & μετάνοια ſolam reſipiſcentiam ſive ab errore ad ſanam mentem reditum amplecteretur. Nec etiam eſt uſquequaque verum, quod dixit Lactantius μετάνοιαν ſignificantius dicere priſtini erroris cognitionem, & mutationem, quàm Latinè Pęnitentiam. Hoc enim ut demonſtratum eſt, probis auctoribus ſignificat Pęnitentia. Sed hoc directè, & ex nominis etymo dicit μετάνοια, non Pęnitentia.

XII. Poſterioribus Græcis μετανοίας, nomen in aliam omnino ſignificationem degeneravit: Humilem enim quandam ſalutationem ſignificat, quæ cum corporis incurvatione præſtatur, frequens eſt iſta μετανοίας, in Græcis ritualibus uſurpatio, ut initio Euchologii in diaconalis officii ordinatione, ἀπέρχεται ὁ ἱερεὺς σὺν τῷ διακόνῳ, καὶ ποιοῦσι μετανοίας τρεῖς, εἰς τὴν εἰκόνα τοῦ δεσπότου Χριστοῦ πάντων τῶν ἀδελφῶν καθημένων. ὁμοίως ποιοῦσι καὶ εἰς τὴν τῆς θεοτόκου εἰκόνα μετανοίας τρεῖς, εἰς τὴν μέσην μίαν, καὶ εἰς τὸν χορὸν πρὸς μίαν. εἶτα εἰσέρχονται εἰς τὸ ἱερατεῖον. *Abit Sacerdos cum Diacono, faciunt Pęnitentias tres imagini Chriſti Domini, ſedentibus omnibus fratribus. Similiter faciunt Pęnitentias tres imagini Deiparæ; unam in medio, ad unumquemque chorum, unam: poſteà Sanctuarium ingrediuntur.* Et initio ordinationis Liturgiæ, τοῦ δὲ καιροῦ ἐπιστάντος, μετὰ τὸ ποιῆσαι τὴν συνήθη τῷ προεστῶτι μετάνοιαν εἰσέρχεται ἐν τῷ ναῷ. *Inſtante tempore poſt factum conſuetam Præpoſito Pęnitentiam templum ingreditur.*

XIII. Cùm autem ejuſmodi incurvatio humilis ſit, & laborioſa, in mulctam, & pęnam peccati à Græcis imponi ſolet. Unde in fine ordinis Pęnitentialis Gregorii Jejunatoris, *dicant qui ſciunt, octies triſagium, & Pater noſter. Kyrie eleiſon centies. Deus propitius eſto mihi peccatori octies*, καὶ μετανοίας Η', *& Pęnitentias octo.* De mulieribus anteà dixerat, μόνον προσκυνήσεις ποιείτωσαν χωρὶς μετανοιῶν *Proſtrationes tantùm faciant ſine Pęnitentiis.* Non eſt Latinis omnino inuſitata dictio: Petrus enim Damianus *capit.* 8. vitæ ſanctorum Rodulphi, & Dominici, dicit ſe admiratum expaviſſe Dominicum hominem adeò infirmum, mille tamen metanæas in uno pſalterio feciſſe. Ita nominis μετανοίας; uſurpatio non impedit quin apud Græcos huc uſque vigeat antiqua τῆς μετανοίας, ſignificatio à nobis jam explicata. Huc uſque enim apud eos Pęnitentiæ Sacramentum, ut apud Latinos τῆς μετανοίας μυστήριον vocatur: Ita vocatur à Simeone Theſſalonicenſi Archiepiſcopo, Hieremia Patriarcha Conſtantinopolitano adverſus Lutheranos, & Gabriele Metropolita Philadelphiæ in libro de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis.

XIV. Pęnæ omnes in Pęnitentiam impoſitæ Græcis ab annis nongentis, & amplius generali nomine dicuntur ἐπιτίμια, quorum ſpecies eſt, Metanœa. Hinc in omnibus eorum Euchologiis, & Pęnitentialibus leguntur preces ſuper eos, quorum Pęnitentia ſolvitur, ἄχρι τῶν ἐξ ἐπιτιμίων λυομένων. Variarum auctoritatum vice fungatur *actio* 9. *Concilii* 8. ſub Adriano II. celebrati, Patres Theodorum quendam Protoſpatharium, qui Ignatii depoſitioni conſenſerat, ſic interrogant, *Cui confeſſus es; & à quo accepiſti Epitimium? Theodorus dixit, qui dedit mihi Epitimium, defunctus eſt, & cap. Cuſtodiſti Epitimium, Theodorus dixit, ſi vult Deus, cuſtodivi ea, quia Chriſtianus ſum.* Cæteris, quæ ibidem leguntur, teſtimoniis prætermiſſis Concilii decretum adverſus eos, qui nondum de conſenſu in depoſitionem Patriarchæ Ignatii Pęnitentiam egerant tantum referemus, *Definimus & promulgamus eos, qui non pœnituerunt, neque confeſſi ſunt, neque epitimia acceperunt, ſed permanſerunt in duritia cordis &c. per ſeptem annos epitimium habere, eſſe illos duobus annis extra Eccleſiam &c.* Et paulò poſt: *Qui verò acceperunt Epitimia prius, & cuſtodiunt, poſt completum Epitimium digni fiunt ſanctis, & divinis myſteriis.* Vulgatiſſimum eſt apud eos nomen, quo tertiam Pęnitentiæ partem ſignificant. Dicitur etiam illis ἱκανοποίησις, hoc eſt, verbum è verbo, *ſatisfactio*, ut videre eſt apud Gabrielem Philadelphienſem. Nomen autem iſtud ἐπιτίμιον in hac ſignificatione eſt elegans, & antiquis, optimiſque auctoribus Græcis, Herodoto, Demoſtheni, Plutarcho, aliiſque uſitatum, ἀπὸ τοῦ ἐπιτιμᾶν, objurgare, punire, ut accipitur *can.* 73. *Apoſtolico*, Εἰ δέ τις φωραθείη, ἐπιτιμάσθω ἀφορισμῷ, *Si quis deprehenſus fuerit, ſegregatione puniatur.* Frequentiſſimus eſt iſtius verbi uſus in novo Teſtamento, ſed ſemper in objurgandi, & comminandi ſignificatione. Vulgata verſio aliquando transfert, imperare, ſed ſubaudiendum, cum minis, & objurgatione, interminari. Unde nomen ἐπιτιμία, 2. *Cor.* 2. 6. *objurgatio.* Sed antiquiſſimi auctores Eccleſiaſtici ἐπιτίμιον, pro pęna, & mulcta uſurparunt, canon *Apoſt.* 74. ὁρίζεσθαι τὸ ἐπιτίμιον, definire pęnam. Clemens Alexandrinus *Pædagogi lib.* 1. poſt medium dixit τὸ ἐπιτίμιον τῶν ἁμαρτανόντων: *& Stroma-*

-. *Morin. de Sacram. Pœnit.*

tum lib. 2. ad finem, ὁ τῶν λαϊκῶν νομοθέτης οὐκ ἀναμὶξ μέτρῳ ἐπιτίμιον ἔταξεν, ἀλλὰ μονογαμίᾳ, καὶ διγαμίᾳ, καὶ πολυδιγαμίαις. Sic & alii Patres, cùm de pœnis Pœnitentialibus agunt, eo nonnunquam utuntur, ut Baſilius *cap 71. & 74. ad Amphilochium*, Gregorius Nyſſenus ad Letojum, Sozomenus *lib. 7. cap. 16.* & alii plerique.

CAPUT II.

Quibus nominibus, Hebræi, Syri, Chaldæi, & Rabbini Pœnitentiam efferunt; deque eorum tum etymo, tum ſacra, & vulgari ſignificatione.

NOmen peculiare quo Syri, μετάνοιαν in novo Teſtamento toties commendatam ſignificant, & Pœnitentiæ Sacramentum indicant, eſt, תיבותא, Thiabutha, vel ut Maronitæ pronuntiant, Thiobutho, doctis, indoctiſque Syrorum vulgatiſſimum. Quanquam hoc nomen reverſionem propriè ſignificet, à verbo, תב, redire, reverti, converti, non ſecus ac Hebræorum, שוב, & תשובה; Ex uſu tamen Syrorum, & Interpretis novi Teſtamenti idem ſignificat quod Latinis, Pœnitentia, & pœnitere; ita ut quoties in novo Teſtamento legis μετάνοιαν καὶ μετανοεῖν, toties legas pro ratione contextus, vel תב verbum, vel, תיבותא; nomen: Ubi verò Græcus textus habet μεταμέλεσθαι, quod rarum eſt, non amplius Syrus, תב, vel, תיבותא; uſurpat, ſed, תוא, reſipuit, ut videre eſt, *Matt.* 28. 29. 32. & c. 27. 3. & 2. *Cor.* 7. 9. Diſtinxit enim Interpres ille μεταμέλεσθαι à μετανοεῖν judicavitque, & rectè, μετανοεῖν eſſe, non modò reſipiſcere, & dolere, ſed etiam ſeipſum propter commiſſum errorem affligere, & caſtigare: Ideò μετανοεῖν, & μετάνοιαν ſemper vertit, תוב, & תיבותא. μεταμέλειαν, verò credidit reſipiſcentiam ſignificare, & cum animi dolorem, qui non eſt, neceſſariò caſtigationi conjunctus; ideò ubique per תוא reddidit. Syri ab eo verbo formant nomen, פתויותא reſipiſcentiam. Quanquam igitur תיבותא, ſi ſpectes Syram originationem, ſignificet tantùm reverſionem; tamen cùm certum ſit μετάνοιαν, in novo Teſtamento atque etiam in veteri, non modo animi reverſionem ad meliorem frugem, ſed etiam dolorem tam internum, quàm externis ſignis demonſtratum complecti, idem apud Syros ſignificare neceſſe eſt. His accedit, quòd apud Syros hactenus peccata confitentibus magna ex parte ſecundùm canones Pœnitentia imponitur; & Pœnitentiæ Sacramentum cujus virtute pęnæ reſipiſcentibus infliguntur, illis dicitur רזא דתיבותא Raza dthiabutha, Myſterium, ſive Sacramentum Pœnitentiæ. Hujus appellationis rationem in nominis Hebræi explicatione ſtatum referimus.

II. Eodem planè nomine Judæi utuntur, quo Syri: Pœnitentiam enim vocant vulgari nomine ab antiquis accepto תשובה, reverſionem, converſionem à verbo שוב, converti redire. Unde 2. *Reg. capit.* 11. *verſ.* 1. & 2. *Paralipom.* 36. *verſ.* 10. ויהי לתשובת השנה, *Et contigit in anni converſione, ſeu reditu*. Appellationis ratio derivata eſt ab inſignibus ſcripturæ locis, quibus ad Pœnitentiam homines admonentur: Verbo enim שוב, *reverti*, utuntur Prophetæ, ut Ezechielis *capit.* 18. *verſ.* 30. *Convertimini, & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris*, שובו והשיבו מכל פשעיכם. Eodem ſenſu ſæpius verſibus præcedentibus ſumitur, ut *verſ.* 21. *Si impius egerit Pœnitentiam*, &c. והרשע כי ישוב וגו. Ita Ezechiel. 33. 14. & *ſeq.* Jerem. 18. 8. 11. & *capit.* 31. 18. 19. Joel. 2. *verſic.* 12. 13. aliiſque pluribus locis. Hinc Syri, Judæique Pœnitentiam vocarunt κατ' ἐξοχὴν, reverſionem, ſeu reditum. Significat præterea idem verbum in conjugatione hiphil, reddere, retribuere, reſtituere, ut videre eſt, Judicum 9. 57. & 4. *Regul.* 14. 25. Hinc תשובה, dici poteſt reſtitutio, retributio, eo quòd peccator honorem pęnitendo reſtituit Deo, quem peccando abſtulerat, quod potiſſimùm fit, cùm juſtitiæ divinæ operibus ſuis ſatisfacit.

III. Eadem ratio dictionum Chaldaicarum, quæ Hebraicarum. Idem enim planè תוב Chaldaicum quod שוב Hebræis. Eadem quoque ratio dictionum ab iis derivatarum cum ſola pronuntiatione differant. Per, ת, enim ſæpius, pronuntiant Chaldæi, quod Hebræi per ש. Unde Chaldæi, תתובא, thethuba, quod Hebræi, תשובה, theſubah. Pœnitentiam alia quoque formatione vocant תיובתא, Thiubta, ut Syri, litera Vau tantùm præcedente non ſequente Beth. Notabit autem lector nomen תשוב, quod Judæis omnibus antiquis, & recentioribus non minus frequens quàm Pęnitentia Chriſtianis Latinis, aut μετάνοια Græcis, non legi apud ſacros auctores, licèt תתובא, & תיובתא à Paraphraſtis Chaldæis ſæpius uſurpentur.

IV. Theſubah Rabbinis omnibus, & Judæorum vulgò idem prorſus ſignificat quod Pœnitentiam, & μετάνοιαν ſignificare demonſtravimus; ſcilicet ſententiæ mutationem cum animi de errore, aut crimine commiſſo dolore conjunctam, conſtans inſuper animi propoſitum de crimine non ampliùs repetendo, & ſeveram ideò corporis caſtigationem. Hæc non modo Judæis, ſed addunt velut omnino neceſſariam criminum Confeſſionem; cùmque hæc omnia fiunt, hominem vocant, בעל תשובה. *Pœnitentem*. Hæc fusè probabuntur infra, ubi de Pœnitentia ſecundùm eorum doctrinam diſſeremus. Ideo Rabbini dictionem חרט, excogitarunt, qua propriè animi reſipiſcentiam καὶ μεταμέλειαν ſignificant. Notat Elias dictionem iſtam nec in Scriptura reperiri, nec in Thargum. De Scriptura verum eſt. De Thargum verò non uſquequaque; Citat enim Buxtorfius locum unum in Thargum in quo legitur, Cantic. 5. 4. ולא צבן למחרט ולמתב לותיה, *& noluerant reſipiſcere, & ad eum converti*. Hoc ante notaverat Schindlerus in Pentaglotto. Joſeph Albo *libr. 4. de principiis fidei Judaicæ* nativam iſtius dictionis ſignificationem perſpicuè mihi videtur declarare cum ſcribit *capit.* 26. לפי שהעבירה היא אם במחשבה ואם בדיבור ואם במעשה או בכלן צריך שתהיה התשובה בשלשתן אם במחשבה החרטה ואם בדבור הודוי ואם במעשה שלא יספיק עזיבת החטא בלבד אבל שיעשה המעשים הפך העבירות שעשה. *Quoniam transgreſſio fit, vel, cogitatione, vel verbo, vel opere, vel his omnibus ſimul, neceſſe eſt Pœnitentiam de his tribus fieri. Si in cogitatione, reſipiſcentia*, חרטה; *Si in verbis Confeſſio; Si in opere, non ſufficit ſola peccati derelictio, ſed facere oportet opera contraria tranſgreſſionibus, quas fecit*. Manifeſtum videtur, חרט, &, חרטה, pro reſipiſcentia, & interiore animi dolore ſumi. Sic ſæpius liber Midot in 27. dignitate quæ eſt de Pœnitentia, ita verſus finem, וכן מי ששב בתשובה מקצת חטיו ונתחרט עליהן ומתמיד על קצת ולא עשה מהם תשובה וכו כל אילו נועלין דלתי התשובה. *Et ſic qui convertitur per Pęnitentiam à quibuſdam peccatis, & de his reſipiſcit, perſeverat tamen in quibuſdam, & de iis pęnitentiam non agit, &c. Omnes qui ſunt ejuſmodi portas Pęnitentiæ occludunt*. Et iterùm eadem pagina, צריך לו לבעל תשובה שיתודה גנות מעשיו והרפתם על הבירור שאם יסתפק לו אי אפשר לו להתחרט עליהם חרטה גמורה, *Neceſſe eſt Pęnitenti clarè confiteri dedecus, & opprobrium operum ſuorum. Quia ſi dubius hæſitaverit, fieri non poteſt, ut de iis reſipiſcat Pęnitentia perfecta*. Alia ſunt ibidem ejuſdem acceptionis exempla. R. Schem Tob. fol. 5. ſermonum de Pęnitentia, ולא תועיל לו החרטה אשר הוא מתחרט בשעת מיתתו, *Nec ei proderit reſipiſcentia, qua reſipiſcet in hora mortis*. Denique idem docet R. Kimhi cum in radice נחם loca illa Scripturæ ubi, נחם, vulgò transfertur pęnituit, ut *Geneſ. 6. verſic.* 6. Jerem. 8. 6. Oſeæ *capit.* 11. 8. & alia, dicit, כלם ענין חרטה, *Omnium reſipiſcentiam ſignificare*. Idem quod, חרט, Rabbinis, ſonat תוה, Tahah, Chaldæis, & iiſdem Rabbinis, ut aliquot exemplis docet in Dictionario Rabbinico, & Chaldaico Buxtorfius. Liber Muſar, *cap.* 2. החלק הרביעי שיהיה תמיד תוהה מעשיו תאנה, *Pars quarta, ut ſemper reſipiſcat de peccatis, & gemat*. Idem docet Elias in Theſbite, & in Methurgeman.

CAPUT III.

Auctoritas Eccleſiæ in remittendis peccatis deſcribitur, & conditio generalis remiſſioni obtinendæ neceſſaria indicatur.

INnumera privilegia Eccleſiæ ſuæ Chriſtus contulit, quibus palàm demonſtravit illam divina auctoritate inſtitutam eſſe, & armatam: Miraculorum virtutem, linguarum varietatem, morborum curationem, tormentorum tolerantiam, ſpiritus largitionem, Corporis Chriſti conficiendi poteſtatem, pleraque alia non minus utilia quàm mira Eccleſiæ ſuæ conceſſit. Sed omnium auguſtiſſimum mihi videtur eſſe remittendorum peccatorum auctoritas. Quid enim vehementius hominum animos commovere, atque in admirationem rapere poteſt, aut Miniſtris Chriſti majorem dignitatem conciliare? Sacerdotum pedibus plebs ſponte procum-

cumbit, gemebunda ſupplices in cœlum tendit manus, ſinum lachrymis rigat; facta, dicta, cogitata omnia contra legem Dei aperit, ſcelerum circumſtantias nudat, ambages explicat, mentis adyta, ſeceſſuſque omnes recludit, nè quid reticeat, velut grande piaculum pertimeſcit, criminum juſtas pœnas efflagitat, remiſſas refugit, & deprecatur, decretas nemine vindice, & teſte, in ſeipſam piè crudelis exercet. Sacerdotes verò pro tribunali ſedent, anteactæ vitæ rationem exigunt, agendæ leges præſcribunt, actionum, & cogitationum merita expendunt; his longas, ſeveraſque pœnas indicunt, illos indulgentius habent, omnibus ſupplicia æterna temporariis commutant. Quæ juris prærogativa hominum animos commovere debuit unquam vehementius, aut in admiratione rapere violentius?

II. Neque humilis tantùm populus hoc Chriſti jugum lubens ſubit; Verùm Principes, Reges, Imperatores. Quem omnes adorant, hic polito diademate, genibuſque in terram fixis ſacerdoti ſecreta conſcientiæ pandit, ſacerdoti ſupplicat, à ſacerdote pœnas expoſcit. Quæ dignitas illuſtrior Eccleſiæ Miniſtris conferri potuit? Verùm non fruſtra quiſquam tam humiliter ſe deiicit: Iſta enim ſui dejectione peccatorum veniam à ſacerdotibus conſequitur, dicente Domino, *Quorum remiſeritis peccata, &c.* atque iterum, *Quæcumque alligaveritis, &c.* Miratus eſt olim univerſus orbis Joſuam Solis, & Lunæ curſus ſolo verbo ſtitiſſe, obediente Domino, inquit ſcriptura, voci hominis. Obſtupuit olim univerſus Iſrael ſentiens cœlos aquas ſuas ſolo verbo Eliæ annos tres, & menſes ſex continuiſſe. Obſtupuit iterum videns eos ſolo ſuo verbo effuſiſſimè in terram reſtagnantes. Quàm verò exilis eſt hæc Joſuæ, & Eliæ poteſtas, ſi cum auctoritate in Eccleſiam divinitus collata comparetur. Alligat enim virtutem non cœlorum, ſed Dei quoties libet, ſolvit eandem quoties libet, fonteſque non abyſſi magnæ, ut in diluvio factum eſt, ſed bonitatis divinæ modò obſignat, modò reſignat. Cataractas non cœli, ſed miſericordiæ æternæ nunc levat, nunc deprimit, toties placitis hominum obediente Domino. Quis tam effrænis poteſtatis tam effrenis eſſet uſurpator, ut eam ſibi vindicare auderet, niſi luculentiſſimis verbis pronuntiaret Chriſtus, *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata in cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta in cœlo.* Unde mirari deſino quamobrem divinam hanc poteſtatem ſibi non arrogaverint Hæretici; *Αὐτόχθονες* enim, & terrigenæ homunciones auctoritatem è ſummo cœlo delapſam ementiri erubuerunt. Colligam igitur cum S. Ambroſio *cap. 2. libr. 1. de Pœnitentia: hoc ſibi rectè Eccleſia vindicat, quæ veros ſacerdotes habet: Hæreſis vindicare non poteſt, quæ ſacerdotes Dei non habet. Nec vindicando autem ipſa, de ſe pronuntiat, quod cùm ſacerdotes non habeat, jus ſibi vindicare non debeat ſacerdotale. Ita in impudenti contumacia pudentem cernimus confeſſionem.*

III. Quam verò præparationem in animis hominum requirit ſacerdos, ut donum Dei baptiſmo comparatum, ſed peccato amiſſum reſtituat, atque iterum remiſſionis peccatorum vim, & efficaciam in eos diffundat? Ex præcepto, Dei Pœnitentiam: Eſt enim altera humanæ ſalutis pharus, quo peccatorum tenebræ animos noſtros offundentes iterum diſpelluntur: *Hoc pretio Dominus*, inquit Tertullianus, *veniam addicere inſtituit; hac Pœnitentiæ compenſatione redimendam proponit impunitatem. Cùm enim provolvit hominem, magis relevat; cùm ſqualidum facit magis mundatum reddit; cùm accuſat, excuſat; cùm condemnat, abſolvit. Eam igitur tu peccator, ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fletibus merſum perlavabit, & in portum divinæ clementiæ protelabit. Rape occaſionem inopinatæ felicitatis, ut ille tu, nihil quondam penes Deum niſi ſtilla ſitulæ, & areæ pulvis, & vaſculum figuli, arbor exinde fias illa, quæ penes aquas ſeritur, & in foliis perennat, & tempore ſuo fructus agit, quæ non ignem, non ſecurim videbit. Nam temporali afflictione æterna ſupplicia non dicam fruſtratur, ſed extinguit.* Innumera ſunt in eum finem & ſcripturæ, & Patrum teſtimonia, quibus ad obtinendam peccatorum remiſſionem Pœnitentia requiri docetur. Qualis autem ſit illa Pœnitentia tam interior, quàm exterior, & quomodo exterior juſſu Eccleſiæ ſingulis ſæculis adminiſtrata fuerit, hoc eſt, quod univerſo hoc opere deſcribendum ſuſcipimus. Sed anteà Patrum teſtimoniis hanc Eccleſiæ auctoritatem confirmabimus.

IV. Primùm autem notabit lector, Patres noſtros non modò ſemper definiiſſe auguſtiſſimam hanc auctoritatem divinitus Eccleſiæ competere, verùm etiam poteſtatem illam eo uſque extendi credidiſſe, ut leges, & conditiones huic peccatorum remiſſioni ſe ponere poſſe exiſtimarent, quibus ſpretis remiſſio ab Eccleſia obtineri non poſſet, & minis, favore, aut aliqua fraude obtenta, apud Deum nulla eſſet. Si qui autem tantæ auctoritati vel tantillum contradicere auſi ſunt, eos hæreſis condemnarunt, & ab omni communicatione Eccleſiaſtica longè ſubmoverunt. Tales fuerunt Montaniſtæ, & Novatiani, licèt hanc auctoritatem in levia peccata agnoſcerent.

CAPUT IV.

Qui ſummæ Eccleſiæ auctoritati in remittendis, retinendiſque, prout ſaluti Pœnitentium expedire judicabat, peccatis, vel leviſſimè contradixerunt, hæreſi ſemper notatos fuiſſe. Enarrantur Patrum in illos Hæreticos argumenta; Hæreticorum reſponſa, & Catholicorum exceptiones; breviterque demonſtratur diligentia in criminum examine adhiberi ſolita, ut unumquodque meritis pœnis caſtigaretur.

Nihil mihi efficacius, & potentius demonſtrare videtur eximiam illam Eccleſiæ auctoritatem, quàm duarum hæreſum antiquiſſimarum, quas inferorum portæ adverſus hanc legitimam auctoritatem excitarunt, cum Eccleſiæ antiquæ doctrina comparatio. Si enim iſtorum Hæreticorum doctrina, argumenta, & ſuffugia rationibus Catholicorum confutata conſiderentur, luculentiſſimè emicabit, antiquiſſimos Patres ſummam in remittendis quibuſcumque peccatis auctoritatem Eccleſiæ tribuiſſe; atque hodiernos Hæreticos, ut in pari cauſa ſcribit Tertullianus, ab antiquis, velut aſpides à viperis, venenum eſſe mutuatos. Iſtarum hæreſeon prima à Montano cœpit originem, qui cæteris hæreſibus, quibus ſordebat, hanc velut colophonem addidit, Peccata mortalia, ſive in Deum commiſſa, Eccleſiam remittere non poſſe; nam levia peccata, & quæ in proximum committebantur remittendi facultatem ſibi arrogabant. Adverſus eos urgebant Catholici hæc ſcripturæ loca, Tu es Petrus, &c. Quæcumque ligaveritis, &c. Hæretici tria reſpondebant. Primùm illa loca eſſe perſonalia, unum de ſolo Petro, alterum de ſolis Apoſtolis eſſe intelligendum, nec eſſe in univerſam Eccleſiam refundenda. Secundùm, illa loca baptiſmum non Pœnitentiam reſpicere, aut etiam pœnas per miraculum, aut extraordinariè ab Apoſtolis inflictas. Tertium, de peccatis venialibus in fratrem commiſſis intelligi poſſe. Has latebras quæritantes Hæretici contendebant iſta loca ad peccatorum mortalium remiſſionem nihil ſpectare.

II. Sic igitur Tertullianus de pudicitia cap. 21. adverſus Catholicos diſputans primum, & ſecundum effugium opponit, *Quis dimittit delicta niſi ſolus Deus? & utique mortalia, quæ in ipſum fuerint admiſſa, & in templum ejus. Nam tibi quæ in te reatum habeant, etiam ſeptuagies ſepties juberis indulgere in perſona Petri. Itaque ſi & ipſos beatos Apoſtolos tale aliquid indulſiſſe conſtaret, cujus venia à Deo non ab homine competeret, non ex diſciplina, ſed ex poteſtate feciſſe. Nam & mortuos ſuſcitaverunt, quod & Deus ſolus; & debiles redintegraverunt quod, nemo niſi Chriſtus; immò & plagas inflixerunt, quod noluit Chriſtus, &c. Exhibe igitur, & nunc mihi, Apoſtolice* (ita Zepherinum Pontificem vocat) *prophetica exempla, & agnoſcam divinitatem, & vindica tibi delictorum remittendorum poteſtatem. Quòd ſi diſciplinæ ſolius officia ſortitus es, nec imperio præſidere, ſed miniſterio, quis, aut quantus es indulgere, qui neque Prophetam, nec Apoſtolum exhibens, cares ea virtute cujus eſt indulgere?* Et poſt pauca, *de tua nunc ſententia quæro, unde hoc jus Eccleſiæ uſurpes? ſi quia dixerit Petro Dominus, ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, ſibi dedi claves regni cœleſtis: vel quæcumque alligaveris, vel ſolveris in terra, erunt alligata vel ſoluta in cœlis, idcirco præſumis, & ad te derivaſſe ſolvendi, & alligandi poteſtatem, id eſt, ad omnem Eccleſiam Petri propinquam: Qualis es evertens, atque commutans manifeſtam Domini intentionem perſonaliter hoc Petro conferentem. Super te, inquit, ædificabo Eccleſiam meam, & dabo tibi claves, non Eccleſiæ; & quæcumque ſolveris, vel alligaveris, non quæ ſolverint, vel alligaverint. Sic enim & exitus docet. In ipſo Eccleſia extructa eſt, id eſt, per ipſum; ipſe clavem imbuit, vides quam: Viri Iſraelitæ auribus mandate, quæ dico, Jeſum Nazarenum virum à Deo vobis deſtinatum, & reliqua. Ipſe denique primus in Chriſti baptiſmo reſeravit aditum cœleſtis re-*

gni, quo ſolvuntur alligata retrò delicta, &c. Tandem id, quod tertiò monuimus, colligit, *Adeò nihil ad delicta fidelium capitalia poteſtas ſolvendi, & alligandi Petro emancipata*.

III. Vides evidenter, quæ fuerit Eccleſiæ antiquiſſimæ de hac ſua poteſtate ſententia, quibuſque argumentis illam ſibi aſſerebat. Sed unum eſt non tam notatione, quam ſtupore dignum, quòd Tertullianus Montaniſta qui Eccleſiæ omnem abrogabat remittendorum peccatorum auctoritatem, hæreſis ſuæ fundatoribus, Montano, ut Paracleto; Priſcæ, & Maximillæ, ut Prophetis eam adrogabat; qua tamen uti ajebant, non eſſe opportunum, ne inde peccandi occaſio daretur, ut eodem capite evidenter teſtatur.

IV. Sententiam, quam Tertullianus eo libro tanta contentione improbat, olim Catholicus amplexus fuerat, ut ejuſdem libri capite primo fatetur, & de Tertulliano teſtatur S. Hieronymus. Pacianus præterea contra Sympronianum Novatianum, *Tertullianus pati hæreſim veſter eſt, nam multa inde ſumpſiſtis: Ipſum epiſtola ſua, & ea ipſa, quam Catholicus edidit, audies confitentem poſſe Eccleſiam peccata dimittere*. Qui librum de Pœnitentia comparabit cum libro de pudicitia, id ita evidenter perſpiciet, ut nullo alio argumento opus illi fuerit. *Capite 3. libri de Pœnitentia*, delicta diſtinguit in ſpiritalia, & corporalia; iterùmque in ea, quæ ſunt facti, & quæ voluntatis, omniaque colligit Pœnitentia purgari debere: *Omnibus ergo delictis ſeu carne, ſeu ſpiritu; ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinat, idem & veniam per Pœnitentiam ſpopondit. Et cap. 8.* ea argumenta probandæ Pœnitentiæ affert, quæ poſteà Montaniſta factus arrodere, & pervertere tentavit. His inſuper uno teſtimonio ex ſcorpiaci *c.* 10. contentus ero. *Si adhuc clauſum putas cœlum, memento claves ejus hìc Dominum Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe, quas hìc unuſquiſque interrogatus, atque confeſſus feret ſecum*. Hic enim disertè affirmat, quod ſupra *in lib. de pudicitia* tam operosè negavit, Petro, & ejus ſucceſſoribus hanc clavium poteſtatem a Domino fuiſſe conceſſam.

V. Altera hæreſis Novatianorum fuit, quorum ſolus propè hic errat error. Eodem modo argumentabantur adversùs eos Catholici, quo adversus Montaniſtas, iiſdemque repagulis eorum effugia intercludebant; Ideò eadem qua prius ratiocinatione ex hac hæreſi ſumma colligitur Eccleſiæ in remittendis omnibus peccatis auctoritas. Sic adversùs Sympronianum Novatianum diſputans S. Pacianus *epiſt. 3. Sed Pœnitenti, inquit, peccata dimittis, cùm tantùm in baptiſmate tibi liceat relaxare peccatum. Non mihi planè, ſed Deo ſoli, qui & in baptiſmate donat admiſſum, & Pœnitentium lachrymas non repellit. Cæterùm quod ego facio, id non meo jure ſed Domini. Dei ſumus adjutores, inquit, Dei ædificatio eſt*. Et iterùm, *Ego Plantavi, Apollo irrigavit, ſed Deus incrementum dedit. Ergo neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Quare ſive baptizamus, ſive ad Pœnitentiam cogimus, ſeu veniam Pœnitentibus relaxamus, Chriſto id auctore tractamus. Tibi videndum eſt, an Chriſtus hoc poſſit, an Chriſtus hoc fecerit*. Et poſt aliquanto, *Jam quàm argutè caput illud abſolvis, quod ego poſui, datam Epiſcopis poteſtatem, ut quæ ligaſſent in terris, ligata eſſent in cœlis; & quæ ſolviſſent in terra, ſoluta eſſent & in cœlis. Dicis hoc non ad fideles, ſed ad Catechumenos pertinere, ut baptizandis adhuc ſcilicet populis ſolvi liceret crimina, vel teneri, &c.* Et paulò poſt. *Quod ſi ad gentes hanc ſolvendi licentiam, vel ligandi ſpectaſſe concedam, multò magis ad baptizatos pertinuiſſe convincam. Nam ſi is ſolvi potuit, vel ligari, qui non habuit vinculum, quanto magis ille, quem fidei jura tenuerunt. Ais, poſuiſſe Matthæum, ſi peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum ſolus cum ſolo*, ac ſtatim ſubjunxiſſe Dominum, *Quæcumque ſolveris in terra, ſoluta erunt & in cœlis, ut ad fratris offenſam pertinere videatur. Age non vides quod ſupra dicit, ſi in te peccaverit frater tuus; hic verò addit, Amen dico vobis, Quæcumque ſolveritis in terra, &c. Illud uni juſſit, hoc pluribus relaxavit: Illud ipſe ſolvit, in quem admittitur, hoc verò Eccleſia: Illud ſine Sacerdote, ſine fratribus, hoc ab omnibus impetratur. Quæcumque ſolveritis, inquit, omnino nihil excipit. Quæcumque, inquit, vel magna vel modica.*

VI. Similiter *Epiſtola 1. ad Sympronianum. Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum eſt, ſed & quod per ſacerdotes ſuos facit, ipſius poteſtas eſt. Nam quid eſt illud, quod Apoſtolis dicit: Quæ ligaveritis in terris, ligata erunt & in cœlis, & quæcumque &c. Cur hoc ſi ligare hominibus ac ſolvere non licebat? An tantùm hoc ſolis Apoſtolis licet? Ergo & baptizare ſolis licet, & ſpiritum S. dare ſolis, & ſolis gentium peccata purgare, quia totum hoc non aliis quàm Apoſtolis imperatum eſt.* Et paulò poſt, *Si ergo & lavacri, & chriſmatis poteſtas, majorum longè chariſmatum, ad Epiſcopos inde deſcendit, & ligandi quoque jus adfuit, atque ſolvendi. Quod etſi nos id ob noſtra peccata temerariè vindicamus, Deus tamen illud ut ſanctis, & Apoſtolorum cathedram tenentibus non negabit, qui Epiſcopis etiam unici ſui nomen indulſit.*

VII. Eodem modo contra Novationos auctoritatem Eccleſiæ explicat, & propugnat S. Ambroſius, Unum aut alterum teſtimonium ex innumeris, quæ leguntur in libris de Pœnitentia lectorum oculis ſubiiciemus. Ita *c. 2. lib. 1. Sed ajunt ſe Domino deferre Pœnitentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſervent. Immò nulli majorem injuriam faciunt, quàm qui ejus volunt mandata reſcindere, commiſſum munus refundere. Nam cùm ipſe in Evangelio ſuo dixerit Dominus Jeſus, accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt. Quis eſt ergo qui magis honorat, utrùm qui mandatis obtemperat, an qui reſiſtit? Eccleſia in utroque ſervat obedientiam, ut peccatum & alliget, & relaxet &c.* Et poſt nonnulla, *Sed ajunt ſe exceptis gravioribus criminibus relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem auctor veſtri erroris Novatianus ait, qui nemini dandam Pœnitentiam putavit, ea ſcilicet contemplatione, ut quod ipſe non poſſet ſolvere, non ligaret; ne ligando ſperari faceret à ſe ſolutionem. In eo igitur patrem veſtrum propria damnatis ſententia, qui diſtinctionem peccatorum facitis, quæ ſolvenda à vobis putetis, & quæ ſine remedio eſſe arbitremini. Sed Deus diſtinctionem non facit, qui miſericordiam ſuam promiſit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit, &c.*

VIII. Et ejuſdem libri *cap 6. Quod iſti poſſunt conſortium tecum habere, qui claves regni non ſuſcipiunt, negantes quod dimittere peccata debeant. Quod quidem rectè de ſe fatentur: Non habent enim Petri hæreditatem, qui Petri fidem non habent, quam impia diviſione diſcerpunt. Sed hoc improbè, quod etiam in Eccleſia donari peccata negant poſſe, cùm Petro dictum ſit, Tibi dabo claves regni cœlorum, Et quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Cum & ipſe vas electionis Dominicæ dicat: Si cui autem quid donaſtis, & ego; nam & ego quod donavi propter vos in perſona Chriſti. Cur igitur Paulum legunt, ſi eum tam impiè arbitrantur erraſſe, ut jus ſibi vindicaret domini ſui? ſed vindicavit acceptum, non uſurpavit indebitum.*

IX. Hæc teſtimonia manifeſtiſſimè demonſtrant, antiquiſſimos Patres ſemper credidiſſe, Eccleſiam omnium peccatorum, vel remittendorum, vel ligandorum, prout æquum judicaverit, poteſtatem divinitus accepiſſe, atque ut hæreſim non modò condemnaſſe eam opinionem, quæ hanc veritatem funditùs tolleret, ſed etiam, quæ imminueret. Hinc velut è fonte perenni tot Conciliorum, & Pontificum canones emanarunt, quibus certæ quædam pœnæ nonnullis peccatis impoſitæ ſunt, quas Reis ſubire neceſſe erat antequam delictorum remiſſionem conſequerentur, niſi eorum lacrymis, cordis mœrore, corporis afflictione, cæteriſque ejuſmodi verè Pœnitentiæ fructibus diligenter conſideratis clementius, cùm iis agendum judicarunt Epiſcopi. Quot ſunt igitur ejuſmodi canones, tot ſunt ſententiæ Catholicæ demonſtrationes. Huc tendit bona pars operum S. Cypriani, quæ ſcilicet naſcentis hæreſis Novatianæ fundamenta convellunt, ut tota Epiſtola ad Antonianum, quæ bene longa eſt, probat lapſis juxta conditiones ipſis, ab Eccleſia impoſitas pacem dandam eſſe, haſque conditiones Eccleſiam modò augere poſſe, modò minuere: Non longè poſt initium Epiſtolæ, *de eo tamen, quod ſtatuendum eſſe circa cauſam lapſorum diſtuli, ut cum quies, & tranquillitas data eſſet, & Epiſcopis in unum convenire indulgentia divina permitteret, tunc communicato, & librato de omnium collatione conſilio ſtatueremus, quid fieri oporteret; ſi quis verò ante concilium noſtrum, & ante ſententiam de omnium conſilio ſtatutum lapſis temerè communicare voluiſſet, ipſe à communione abſtineretur, &c.* Et paulò poſt. *Secundùm quod ante fuerat deſtinatum perſecutione ſopita, cùm data eſſet facultas in unum conveniendi, copioſus Epiſcoporum numerus, quos integros, & incolumes fides ſua, & Domini tutela protexit, in unum convenimus, & ſcripturis diù ex utraque parte prolatis temperamentum ſalubri moderatione libravimus, ut nec in totum ſpes communicationis, & pacis lapſis denegaretur, ne plus deſperatione deficerent, & eo quod*

ſibi

Digitized by Google

ſibi Eccleſia clauderetur, ſecuti ſeculum gentiliter viverent: Nec tamen rurſus cenſura evangelica ſolveretur, at ad communicationem temerè proſilirent, ſed traheretur diù Pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur cauſæ, & voluntas, & neceſſitates ſingulorum, ſecundùm quod libello continetur, quem ad te perveniſſe confido, ubi ſingula placitorum capita conſcripta ſunt.

X. Diligenter, ut vides, ſingulorum crimina, voluntatem, circunſtantias inquirebant, ut Reis pro criminum malitia ſalubres Pœnitentias imponerent, remiſſionemque Pœnitentiis peractis tandem indulgerent. Hunc morem ab ipſis Apoſtolis, & incunabulis ſuis hauſit Eccleſia. Singulari enim prudentia ſemper peccata penſavit, ut unumquodque medicinæ ſalutaris applicatione curaret, ne Medicorum imperitorum inſtar morbis omnibus uno pharmaco mederetur. *Ne de omni peccato*, inquit Clemen *libro* 2. *cap*. 48. *Idem judicium pronuncietis, ſed de unoquoque ſuum, ſingulis delictis tum parvis tum magnis multa prudentia judicatis. Aliter inquam facto, & verbo, item aliter propoſito; alio modo, convicio; alio, ſuſpicione. Alios etiam ſolis minis, & terroribus ſubiicies; alios mulctationi largiendi pauperibus: rurſus alios jejuniis comprimes: Item alios ex Eccleſia eiicies pro criminis gravitate.* Hanc Eccleſiæ prudentiam κατὰ μέρος, ſpecialius expreſſam vide apud Gregorium Nyſſenum in Epiſtola canonica ad Letojum, & can. 102. Concilii in Trullo, & alios pleroſque, qui infra variis locis referentur. Harum autem conditionum ponendarum tota ratio eſt auctoritas illa remittendi, vel retinendi peccata Eccleſiæ divinitus tributa, quam ideò Clemens paulò ante verba citata expreſſerat, ὁ δικαίως ἀφωρισθεὶς, καὶ ἀφωρισθεὶς τῆς ὑμῶν αἰωνίου ζωῆς, καὶ δόξης ἀπόβλητος γίνεται, καὶ τοῖς ἀνθρώποις ὁσίοις ἄτιμος, καὶ παρὰ Θεῷ κατάδικος, *Qui juſtè à vobis punitus eſt, & excommunicatus, idem à vita immortali, & gloria rejectus eſt, & apud juſtos & pios inhonoratus, & inglorius, & apud Deum damnatus.*

XI. Eandem Cyprianus, & Epiſcopi Africani rationem facti ſui reddunt. Ita ſcribit ad Cornelium Pontificem Epiſt. 54. & ſuo, & Collegarum nomine, *ſtatueramus quidem jampridem, frater chariſſime, participato invicem nobiſcum conſilio, ut qui in perſecutionis infeſtatione ſupplantati ab Adverſario, & lapſi fuiſſent, & ſacrificiis ſe illicitis maculaſſent, agerent diù Pœnitentiam plenam, & ſi periculum infirmitatis urgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent, &c. quando permiſerit ipſe, qui legem dedit, ut ligata in terris etiam in cœlis ligata eſſent; ſolvi autem poſſent illic, quæ hic prius in Eccleſia ſolverentur.* Ita quoque Firmilianus Cappadociæ Metropolita ad eundum Cyprianum ſcribens, *Soli Petro Chriſtus dixit, Quæcunque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis; & quæcunque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis, & iterùm in Evangelio, quando in ſolos Apoſtolos inſufflavit Chriſtus, dicens, Accipite Spiritum S. ſi cujus remiſeritis peccata, remittentur illi, & ſi cujus tenueritis, tenebuntur. Poteſtas ergo remittendorum peccatorum Apoſtolis data eſt, & Eccleſiis, quas illi à Chriſto miſſi conſtituerunt, & Epiſcopis, qui eis ordinatione Vicaria ſucceſſerunt.* Hac auctoritate freti Chriſtianorum delicta ſeverè examinabant, iiſque veniam largiebantur modò poſt longos, duroſque labores exantlatos, modò iis contractis, & magna ex parte remiſſis, modò urgente medendi neceſſitate, nullis toleratis, ſed omnibus condonatis. Ne autem Sacerdotes in difficili hujus rei adminiſtratione peccarent vel ignorantia, vel præpoſtero in Reos favore, vel alia aliqua animi ægritudine turbati, libellos Pœnitentiales conſcribi jubebant, quibus definiebatur quales pœnæ unicuique peccato mortali ab iis ſic nuncupato eſſent indicendæ. Hoc præſtiterat S. Cyprianus in eo Concilio, cujus mentionem facit, ſed temporum injuria periit ille libellus. Ejuſmodi libelli adhuc extant antiquiſſimi, Petri, & Timothei Alexandrinorum Patriarcharum: Sanctorum Gregorium Thaumaturgi, & Niſſeni, S. Baſilii ad Amphilochium, quos commentariis illuſtravit Balſamon Antiochenus Patriarcha. Extant adhuc Latinorum non adeò antiqui, verùm ex antiquiſſimis collecti, Theodori, Bedæ, Rabani Mauri, & Romani; ut Burchardi, Reginonis, Ivonis, & aliorum collectiones omittam, qui hos libellos variè ſuis libris inſeruerunt. Plurimos ejuſmodi in antiquis Bibliothecis invenire eſt Græcos, & Latinos, à jam enumeratis diverſos. In quoſdam incidimus, memoria, ut nobis videtur, dignos, quos ideo in lucem edimus, & huic operi adteximus.

CAPUT V.

Eadem auctoritas, & illi obediendi neceſſitas, illuſtriſſimis aliis Patrum teſtimoniis comprobatur. Evidens ejuſdem poteſtatis eſt argumentum Contritionis ab antiquis ſcholaſticis tradita definitio, necnon duplex Sacerdotis officium: Judicis, & Medici. Quare Patres peccatorum variis pœnis, & medicamentis curandorum curioſiſſimi, ſubtiles de peccatis diſputationes præmiſerunt? Ex ea auctoritate Confeſſionis neceſſitas demonſtratur.

QUanquam teſtimonia capite præcedente relata propoſito noſtro demonſtrando ſatis ſuperque ſint, & Hæreticorum ſententiæ cùm Catholica comparatio rem velut in ſpeculo Lectori mihi videatur exhibere; ex tanta tamen multitudine teſtimoniorum quæ paſſim occurrunt, nonnulla adhuc ſeligemus, licèt univerſum hoc opus, tantum quantum eſt, iſtius auctoritatis ſit argumentum. Nunquam enim ſatis dicitur, quod ſatis nunquam diſcitur. S. Clemens *libr*. 2. *Conſtitut*. innumeris locis eam poteſtatem effert; ſed paucis verbis *ex cap*. 11. nobis erit ſatisfactum, *In Eccleſia ſede*, (Epiſcope.) *Sermonem facias, ut qui poteſtatem habeat judicandi eos, qui peccarunt: Quoniam vobis Epiſcopis dictum eſt, Quodcumque ligaveritis ſuper terram, erit ligatum & in cœlo, &c. Judica igitur Epiſcope poteſtate fretus tanquam Deus.*

II. De hac auctoritate eloquenter, & præ cæteris magnificè loquitur S. Chryſoſtomus *libr*. 3. *de Sacerdotio*; Iſta paucis exſcribi non poſſunt, eo quod omnia ſint emphatica, *Qui terram incolunt, atque in ea verſantur, his commiſſum eſt, ut ea, quæ in cœlis ſunt, diſpenſent: Iis datum eſt, ut poteſtatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit. Neque enim ad illos dictum eſt, Quæcunque alligaveris in terra, erunt alligata & in cœlo; & quæcunque ſolveris in terra, erunt ſoluta & in cœlo. Habent quidem & terreſtres principes vinculi poteſtatem; verùm corporum ſolùm. Id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipſam etiam animam contingit, atque ad cœlos uſque pervadit; uſque adeo ut quæcunque inferne Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus ſupernè rata habeat, ac ſervorum ſententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud eſſe dicas, niſi omnem rerum cœleſtium poteſtatem illis à Deo conceſſam? Quorumcunque, ait, peccata retinueritis, retenta ſunt. Quænam obſecrò poteſtas hac una major eſſe queat? Pater omnifariam filio poteſtatem dedit. Cæterùm video ipſam eandem omnifariam poteſtatem à Deo filio illis traditam. Nam quaſi jam in cœlum tranſlati, ac ſupra humanam naturam poſiti, atque noſtris ab affectibus exempti, ſic illi ad principatum iſtum perducti ſunt. Quid multa? Rex aliquis, ſi cui ex ſubditis ſuis honorē hunc detulerit, ut poteſtatē habeat quoſcumque velit in carcerem conjiciendi, eoſdemque rurſus laxandi, beatus ille, & admirandus omnium judicio fuerit. At verò qui à Deo tanto majorem accepit poteſtatem, quanto cœlum terra pretioſius eſt, quanto animæ corporibus præſtant, hic vilem eo uſque dignitatem accepiſſe nonnullis videri debet, &c. Procul, procul hinc faceſſat hujuſmodi inſania. Inſania enim manifeſta deſpicere tantum iſtum principatum, ſine quo neque ſalutis, neque promiſſorum bonorum compotes fieri poſſumus.* Et paulò poſt, *Corporis lepram purgare, ſeu verius dicam, haud purgare quidem, ſed purgatos probare Judæorum Sacerdotibus ſolis licebat. Neque neſcis quanta cum ambitione, quanto cum ſtudio ac concertatione Sacerdotalis dignitas id temporis acquiretur. At verò noſtris Sacerdotibus, non corporis lepram, ſed animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt. Quare judicio quidem meo qui iſtos deſpiciunt, contemnuntque, multò ſceleratiores, ac majori ſupplicio digni fuerint, quàm fuerit Dathan, &c.*

III. S. Ambroſius breviſſimè quidem, ſed acutè, & energicè, Παῦρα μὲν ἀλλὰ μάλα λιγέως, *lib*. 1. *de Pœnit*. *c*. 2. adverſus Novatianum, qui levia peccata ab Eccleſia remitti poſſe docebat, gravia nequaquam, ſic colligebat utrumque peccatorum genus, Eccleſiæ auctoritati eſſe ſubmiſſum. *Deus diſtinctionem non facit, qui miſericordiam ſuam promiſit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit.*

IV. S. Hilarius *can*. 16. *in Math*. explicans Petri reſponſum, Tu es Filius Dei vivi, ſic exclamat, *ò in nuncupatione novi nominis felix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius Petra, quæ infernas leges, & omnia mortis clauſtra diſſolverat, ò beatus cœli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur; cujus terreſtre judicium præjudicata auctoritas ſit in cœlo, ut quæ in terris aut ligata ſint, aut ſoluta, ſtatuti ejuſdem conditionem obtineant & in cœlo.*

V. Proſper Aquitanicus *libr. 2. de vita contemplativa cap. 2.* Sacerdotes plurimis epithetis ornat, quorum nonnulla referemus; *Ipſis propriè animarum curandarum ſolicitudo commiſſa eſt, qui pondus populi ſibi commiſſi viriliter ſuſtinentes pro peccatis omnium velut pro ſuis infatigabiliter ſupplicant Deo. Qui ac velut quidam Aaron incenſum contriti cordis, & humiliati ſpiritus offerentes, quo placatur Deus, avertunt iram futuræ animadverſionis à populo; qui per Dei gratiam fiunt divinæ voluntatis indices &c. Ipſi januæ civitatis æternæ, per quos omnes, qui credunt in Chriſtum, ingrediuntur ad Chriſtum. Ipſi Janitores, quibus claves datæ ſunt regni cælorum. Ipſi etiam diſpenſatores regiæ domus, quorum arbitrio in aula regis æterni dividuntur gradus, & officia ſingulorum.*

VI. S. Gregorius *homil. 26. in Evangelia* eundem Joannis locum explicans. *Ecce non ſolùm de ſemetipſis ſecuri fiunt, ſed etiam alienæ obligationis poteſtatem relaxationis accipiunt, principatumque ſuperni judicii ſortiuntur, ut vice Dei quibuſdam peccata retineant, quibuſdam relaxent. Sic ſic eos à Deo decebat erigi, qui tantùm pro Deo conſenſerant humiliari. Ecce qui diſtrictum Dei judicium metuunt, animarum judices fiunt, & alios damnant, vel liberant, qui ſemetipſos damnari metuebant. Horum profectò nunc in Eccleſia Epiſcopi locum tenent: ligandi, atque ſolvendi auctoritatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur. Grandis honor, ſed grave pondus iſtius honoris. Durum quippe eſt ut, qui neſcit moderamina vitæ ſuæ, judex vitæ fiat alienæ &c.* quæ fusè perſequitur, & quorum magnam partem infra referimus.

VII. Tot ſanctorum Patrum illuſtria teſtimonia mihi videntur hæc duo evidentiſſimè demonſtrare: Prius, abſolutam illam peccata quæcunque remittendi, & retinendi poteſtatem Eccleſiæ divinitus competere, ſemper eſſe creditum: Poſterius, tria illa teſtimonia ex Evangelio ſecundùm Matthæum c. 16. & c. 18. atque ex Evangelio ſecundùm Joann. c. 20. perpetua in hunc uſque diem Eccleſiæ traditione hoc ſenſu fuiſſe intellecta, & explicata; & qui aliter intelligerent, & explicarent, Hæreticorum catalogo fuiſſe adſcriptos. Hinc tot canones de agenda Pœnitentia ab antiqui Patribus editi, tot Libri Pœnitentiales, tot canonum pro variis temporibus, & occaſionibus temperamenta, immutationes, abrogationes, juxta quæ, & non aliter, Pœnitentium peccata ſempre remiſerunt, niſi aut neceſſitas, aut confitentium qualitas, aut compunctionis vehementia reconciliationis leges temperare, & moderari, aut etiam intermittere ſuaderet. Quæ ipſa temperamenta, moderationes, intermiſſiones ab ipſis canonibus indicata ſunt, & ſacerdotum prudentiæ, & pietati ita commiſſa, ut tamen imprudentiæ, negligentiæ, aut nimiæ indulgentiæ rationem eſſent Deo redditur. Crediderunt enim ſanctiſſimi Patres verbis Chriſti tam manifeſtis innixi, Deum rata, firmaque habiturum, quæ de peccatis judicia feciſſent; nec prius ea Pœnitentibus plenè, perfectèque condonaturum, quàm conditiones, legeſque à ſe latas humiliter accepiſſent: aut ſi mortis ictus id impediret, firmum confitendi, & juxta leges Eccleſiæ ſatisfaciendi propoſitum cordis compunctioni conjunctum Deo gratum eſſe poſſe, & acceptum.

VIII. Hinc fluxit illa Contritionis definitio ab antiquis ſcholaſticis unanimi conſenſu tradita, & tantopere decantata, atque à variis objectionibus ſtudiosè vindicata, *Contritio eſt dolor pro peccatis aſſumptus cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi*. Ita S. Raymundus *lib. 3. ſummæ c. de Pœnit. & remiſſ.* Cardinalis Hoſtienſis *in ſumma de Pœnit. & remiſſ. §. Quid ſit*. Albertus Magnus *in 4. diſt. 16. art. 7. initio, & in reſponſ. ad primum, & quæſtiunculam primam*. Alexander Hal. 4. *parte ſummæ q. 17. memb. 2. art. 3.* S. Thomas *in 4. diſt. 17. q. 2. art. 1.* & *in ſupplem. q. 2. art. 1.* S. Bonaventura *in 4. diſt. 16. dub. 1.* & 2. Joannes de Friburgo *ſummæ libr. 3. cap. 34. q. 17.* Petrus de Tarantaſia, ſive Innocentius V. *in 4. diſt. 17. q. 1.* Richardus de Mediavilla *in 4. diſt. 17. art. 1. q. 1.* Summæ Aſtenſis *libr. 5. tit. 9.* Paludanus *in 4. diſt. 17. q. 1. art. 1. & 4.* Joannes Baconius *in 4. diſt. 15. q. 1. art. 1.* Thomas de Argentina *in 4. diſt. 16. art. 1. reſponſ. ad quintum*, aliique complures. Ita quoque Ruardus Tapperus licèt recentior *in explicatione articuli 4. adversùs Lutherum*. Hanc Contritionis definitionem magiſtralem, ut ipſi vocare ſolent ex Lombardi dictatis *lib. 14. diſt. 16.* atque etiam ex Hugone Victorino *libr. 2. de Sacramentis fidei part. 14. cap. 2.* collegerunt. Sed expreſſiſſimè illam tradit, & explicat Richardus à S. Victore *libr. de poteſtate ligandi, & ſolvendi, c. 5. & 13.*

IX. Non immeritò ſanè ſatisfactionis præceptum Confeſſionis præcepto conjunxerunt, & utriuſque propoſitum ut neceſſarium in Contritionis definitione expreſſerunt. Nam ex omnium conſenſu Sacerdotes in Sacramento Pœnitentiæ perſonas ferunt duplices, Medicorum & Judicum. Quemadmodum igitur Medico vulnera retegit ægrotus, doloreſque omnes internos exponit, ut applicet morbo pharmaca, & epithemata convenientia; finiſque expoſitionis morbi non eſt ipſa expoſitio, ſed convenientis medicamenti applicatio, & animæ per illa medicamenta ſanatio. Sic finis confeſſionis peccatorum omnium Sacerdoti factæ non eſt ſola Confeſſio, ſed remediorum morbis ſpiritualibus convenientium applicatio, quibus anima curationi diſponatur, & diſpoſita per reconciliationem perfectè ſanetur. Hac ratione antiqui Patres de peccatorum medelis ſemper philoſophati ſunt, ut Origenes homilia 1. *in Pſalm. 37.* Clemens *Conſtitut. Apoſtol. lib. 2. c. 20.* Cyprian. *tractatu de lapſis*, Gregorius Nazianz. *tota ferè Epiſtola canonica ad Letojum*, Baſilius *cap. 29.* Proſper *lib. 2. de vita contemplat. capit. 7.* Concil. in Trullo *cap. 102.* Burcard. *lib. 19. cap. 29.* quem librum inſcripſit Medicum, eo quod ſpecialiter in eo referat, quæ ſunt unicuique peccato Pœnitentiæ imponendæ, ut initio libri legitur. Niſi lectori faſtidium crearetur, innumera ejuſmodi teſtimonia referri poſſent, & neceſſariò in operis proſecutione, ſed aliis in cauſis, plurima referentur.

X. Idem etiam facile demonſtratur ex ſtudio in quo ſancti Patres noſtri mille, & centum annorum ſpatio ſeſe exercuerunt. Nam in eo tantùm laboraſſe, poſtquam omnia diligenter ſcrutatus fueris, deprehendes, ut Sacerdotes docerent, quæ, qualiave remedia eſſent ſingulis peccatis convenientia. Quæ enim actio peccatum eſſet, quantumve, & quàm horrendum, judicarunt ab unoquoque vel facilè cognoſci, vel ex appoſita pœna, & medicamine facilè dignoſci: Vel in caſu dubio ſecuriorem partem ſemper eſſe eligendam. Nam ita nati, facti, & inſtituti ſumus, ut cùm de re agitur alicujus momenti ad nos ſpectante, quod certum eſt, & extra omnem periculi aleam, præponamus ſemper eventui dubio, & periculis expoſito. Nam ut ſcribit Pindarus in fine hymni ſexti Olympiacon, *ἀγαθαὶ δὲ πέλοντ' ἐν χειμερίᾳ νυκτὶ θοᾶς ἐκ ναὸς ἀπεσκίμφθαι δύ' ἄγκυραι*, Bonum eſt in hyberna nocte duas laxare anchoras. Ideo tenuiſſimas, & ſubtiliſſimas de peccatorum natura, & diſtinctione, ſpeculationes prætermiſerunt, medicamentis pœnalibus parandis, & colligendis ex traditione, Conciliis, & antiquioribus Patribus, & Doctoribus tantùm intenti. Nec ante illud tempus alios quàm ejuſmodi libros unquam reperies, vel in antiquis Monaſteriorum, & Cathedralium Eccleſiarum Bibliothecis; vel poſt inventam Typographiam ex iſtis Bibliothecis editos.

XI. Idem judicium eſt de perſona Judicum, quam ſuſtinent Sacerdotes. Extorquetur enim à Judicibus criminum Confeſſio, non ut in Confeſſione ſubſiſtant, aut veniam ſtatim nullo aut leviſſimo criminum examine facto confitentibus indulgeant, ſed ut criminibus pœna juxta leges à Principe conſtitutas infligatur: vel ſi pœnam condonet princeps, ita mulctetur Reus, damnumque alteri illatum reſarciat, ut in poſterùm crimen ejuſmodi perpetrare non audeat. Judices igitur ſunt Sacerdotes, ut peccata in confeſſione audita puniant pœna Evangelica, hoc eſt, ſalutari, quæ non mortem inferat, ut pœnæ ſeculares, ſed vitam reddat cofitentibus; & Pœnitentes aliquando tradant in interitum carnis, ut ſpiritus eorum ſalvus ſit in die Domini Jeſu Chriſti. Inde eſt quod Doctores Catholici Confeſſionis neceſſitatem ex auctoritate remittendi, & retinendi peccata potiſſimùm colligunt. Prius enim evidenter tribus locis docuit Chriſtus; poſterius verò nunquam niſi conſequenter.

XII. Hoc præ cæteris fecerunt Concilii Tridentini Patres *ſeſſ. 14. c. 5.* Cum enim docuerunt, Chriſtum Sacerdotes inſtituiſſe Præſides, & Judices Chriſtianorum, ſtatim ex illa auctoritate peccatorum Confeſſionem colligunt; *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum Confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere. Quia D. N. JESUS CHRISTUS è terris aſcenſurus ad cælos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam præſides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint, &c. Conſtat enim, Sacerdotes Judicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe; neque æquitatem quidem illos in pœnis*

injun-

Digitized by Google

injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere duntaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim, ſua ipſius peccata doloruiſſent, &c. Idem paulò poſt colligit ex Medicorum, quo funguntur, officio, *Si enim erubeſcat ægrotus vulnus Medico detegere, quod ignorat medicina, non curat.* Itaque definitio illa Contritionis ſacramentalis tanto conſenſu ab antiquis Scholaſticis tradita, quacumque ratione Sacerdotes conſideres, videtur non modò Confeſſionis, ſed etiam ſatisfactionis propoſitum juxta Eccleſiæ mandatum, aut probatam conſuetudinem neceſſariò complecti. Hoc ſi negetur, omnis prorſus eſt Eccleſiæ auctoritas abroganda, nec erunt amplius Sacerdotes dicendi Judices, aut Medici. Quis enim Judex abſolvendi tantùm auctoritate armatur? Quis Judex tam pedaneus, tam vilis, tam abjectæ, atque exauctoratæ auctoritatis, qui uni abſolutionis pronunciandæ ſervituti, tanquam uni cantilenæ occinendæ perpetuò ſit deſtinatus? *Claves Sacerdotum*, inquit Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. c. 8. *non ad ſolvendum duntaxat, ſed & ad ligandum conceſſas etiam antiqui Patres & credunt, & docent.* Quis Judex niſi deridiculus & perſonatus, cujus ſententiæ non aliter obedire teneatur Reus quàm ſi libuerit. Num potius Simia perpurata *καὶ γελωτοποιὸς* quàm Judex habendus? Quamobrem peccatorum, & circumſtantiarum ſpeciem variantium minutiſſima Sacerdoti Judici facta confeſſio, niſi propter cauſam à ſacro Concilio indicatam, *Ut*, ſcilicet, *in pœnis injungendis æquitatem ſervare poſſit?* Quamobrem Sacerdoti Medico facta ſigillatim eadem confeſſio? Num ut imperitorum Medicorum inſtar, tribus verbulis, velut uno collyrio, morbis omnibus medeatur? Num antiqui Patres noſtri, qui pro mille, & ducentis annis in his *καθαρτηρίοις*, animæ medicamentis conficiendis inſudarunt, tanto tempore leones larvis territando deſipuerunt?

CAPUT VI.

Licèt Sacerdotes tantæ poteſtatis miniſterium exerceant, certis tamen legibus adſtringuntur, quibus inſuper habitis, impia & inanis eſt eorum ſolutio, vel ligatio. Lex potiſſima, & cæteras complectens, hæc eſt, ut mortuus ligetur, & qui jam vivit, ſolvatur. Ideò Sacerdotes mundos, vel immundos pro arbitrio facere non poſſunt.

Tantæ tamen auctoritatis ornamentis inſtructos Sacerdotes ſuperbire non oportet; illis enim ad ædificationem Eccleſiæ data eſt, non ad ſui oſtentationem: Eam exercere debent ſecundùm leges ab Eccleſia unoquoque ſeculo præſcriptas, æquo in omnes animo, non invidia, ira, odio, favore, aut aliqua alia animi perturbatione commoti. Hujus æquanimitatis tenendæ ſæpe Sacerdotes admonentur. Conſtitut. lib. 2. bona pars in ejuſmodi admonitionibus verſatur, cap. 37. *Epiſcopum oportet rectè judicare, &c. quæ vitiis quidem carent, retinere; vitioſa vel curare, vel ſi eſt ægritudo inſanabilis, expellere, & non celeriter amputare, neque quibuſvis credere. Uſu enim venire ſolet, ut quidam propter æmulationem, aut invidiam contra fratrem aliquem falſam inſtituant accuſationem, &c. Tu igitur ut homo Dei ne ejuſmodi accuſationes facilè admittas, ne innocentem perimas, &c. Tu igitur conſidera eum, qui accuſatus eſt, ſapienter animadvertens, quæ ejus vita ſit, & qualis; & ſi reperoris Accuſatorem dicere verum, fac, ut Dominus faciendum eſſe docuit, &c.* His veſtigiis inhærentes Patres Africani *cap. 74. & 75. Concilii Carthag. 4.* jubent, *Ut Sacerdos Pœnitentiam imploranti abſque perſonæ acceptione Pœnitentiæ leges injungat; atque ut negligentiores Pœnitentes tardius recipiantur.* Iſtius diligentiæ multa exempla & præcepta referentur infra lib. 7. c. 17. & aliis locis.

II. Ideò tanta poteſtate abutentes Sacerdotes ſeverè nonnunquam coercuerunt S. Patres. Optatus Milevitanus *in fine lib. 2.* acriter ideò invehitur in Donatiſtas, *Indixiſtis Pœnitentiam plebibus: Nec enim actu eſt ab aliquo, ſed exacta; nec æqualibus ſpatiis temporum. Sed egiſtis omnia pro perſonis, alter anno toto, alter menſe, alter vix tota die impetrantibus vobis Pœnitentiam geſſit. Si unitati conſentire, ut vultis, peccatum eſt, ſi eſt ſimilis culpa, quare non eſt æqualis pro eodem reatu Pœnitentia.* Toletani verò Patres Pœnitentiam aliter quàm ſecundùm canones impoſitam appellant execrabilem præſumptionem, Concil. Tolet. 3. *c. 11.* S. Hieronymus huic præſumptioni non minus videtur infenſus: Sic enim ſcribit *in Matth. cap. 16. Iſtum locum Epiſcopi, & Preſbyteri non intelligentes aliquid ſibi de Phariſæorum ſupercilio aſſumunt, ut vel damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur; cùm apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed Reorum vita quæratur.* Poſteà docet, quales debeant eſſe Rei, quibus Presbyteri parcere poſſunt, & qua ratione intus affici debeant, qui ſolutioni maturi ſunt. *Legimus in Levitico de leproſis, ubi jubentur, ut oſtendant ſe Sacerdotibus, & ſi lepram habuerint, tunc à Sacerdote immundi fiant; non quo Sacerdotes leproſos faciant, & immundos, ſed quo habeant notitiam leproſi, & non leproſi, & poſſint diſcernere, qui mundus, quive immundus ſit. Quomodo ergo ibi leproſum Sacerdos mundum, vel immundum facit: Sic & hic alligat, vel ſolvit Epiſcopus, & Presbyter, non eos qui ſunt inſontes, vel noxii, ſed pro officio ſuo, cùm peccatorum audierit varietates, ſciat qui ligandus ſit, quive ſolvendus.*

III. Eandem cauſam frequentiſſimè tractant, & explicant antiqui Patres. S. Gregorius *homil. 20. Sciendum, quia quiſquis illicita nulla commiſit; huic jure conceditur, ut licitis utatur, ſicque pietatis opera faciat, ut tamen, ſi voluerit, ea, quæ mundi ſunt, non relinquat. At ſi quis in fornicationis culpam, vel fortaſſe quod eſt gravius in adulterium lapſus eſt, tanto à ſe licita debet abſcindere, quanto ſe meminit & illicita perpetraſſe. Neque enim par fructus boni operis eſſe debet ejus qui minus, & ejus qui ampliùs deliquit, aut ejus qui nullis, & ejus qui in quibuſdam facinoribus cecidit, & ejus qui in multis eſt lapſus.* Hanc S. Gregorii admonitionem proponit Synodus Metenſis Epiſcopis in Comitatu Ludovici Regis verſantibus, atque ut ei exequendæ ſedulò incumbant, exhortatur, Commonitorii ad eos miſſi *cap. 12.* quod extat *tom. 3.* Concil. Galliæ. Similia Proſper *lib. 2. de vita Contemplativa, cap. 5.* Fusè Gregorius Nyſſ. Epiſtola ad Letojum, Concilium in Trullo *cap. 102.* Iſidor. *ſent. libr. 3.* Concilium Aquiſgranenſe *anni* 816. *cap. 36. 37.* Pariſienſe *ſub Ludovico, & Lothario, lib. 1. cap. 23. & 32.* Cabilonenſe *ſub Carolo, cap.* 38. Vormatienſe *ſub Adriano II. cap.* 25. Burchard. *lib. 16. cap. 1. & lib. 19. cap. 28. 29.* Innumera ejuſmodi monita paſſim apud Patres, & antiquos canones occurrunt, & variis occaſionibus erunt nobis exſcribenda.

IV. S. Gregorius *homilia 26. in Evangelia* ulterius, & utiliſſimè progreditur: Non enim tantùm ſeverè increpat Sacerdotum quorumdam faſtum, & injuſtitiam, qui non ſecus ac ii, de quibus S. Hieronymus mundos, & juſtos ligare audebant, injuſtos verò, & immundos ſolvere, ſed etiam S. Hieronymus multò clarius, & diſtinctius explicat, quam diſpoſitionem animadvertere, & præſumere debeat Sacerdos in Pœnitente, ut eum jure, meritoque abſolvere & dimittere poſſit. Poſtquam igitur dignitatem ſacerdotalem verbis capite præcedente relatis mirificè extulit, multis in eos digreditur qui ea injuſtè, & pro animi libidine abutebantur, *Sæpe fit, ut erga quemlibet proximum odio, vel gratia moveatur Paſtor. Judicare autem de ſubditis dignè nequeunt, qui in ſubditorum cauſis ſua vel odia, vel gratiam ſequuntur. Unde rectè per Prophetam dicitur, mortificabant animas, quæ non moriuntur, & vivificabant animas, quæ non vivunt. Non morientem quippe mortificat, qui juſtum damnat; & non victurum vivificare nititur, qui Reum à ſupplicio abſolvere conatur.* Quid igitur Sacerdos Judex ante ſententiæ pronunciationem facere tenetur? Qua lance ſuſpendere, & librare accuſationem? Quam animi diſpoſitionem in Pœnitente ſolvendo attendere debet? Quando rata, firmaque apud Deum habetur ſolutio à Sacerdote expedita? Explicat Gregorius, *Cauſæ ergo penſandæ ſunt, & tunc ligandi atque ſolvendi poteſtas exercenda. Videndum eſt, quæ culpa præceſſit, aut quæ ſit Pœnitentia ſecuta poſt culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos Paſtoris ſententia abſolvat. Tunc enim vera eſt abſolutio Præſidentis, cùm æterni arbitrium ſequitur Judicis.* Hoc confirmat exemplo Lazari, quem Dominus voce ſua primum à mortuis ſuſcitavit, deinde vivens è ſepulchro prodiit, ligatus tamen pedes, & manus inſtitis, faciemque ſudario, quem poſteà diſcipuli juſſu domini ſolverunt, ut narratur Joan. 11. *Ecce*, inquit Gregorius, *illum diſcipuli jam viventem ſolvunt, quem Magiſter ſuſcitaverat mortuum. Si enim Diſcipuli Lazarum mortuum ſolverent, fœtorem magis oſtenderent, quàm virtutem.* Hinc ſtatim ſolutionis Eccleſiaſticæ rationem, modumque elicit, & quid in animo Pœnitentis debeat ſolutionem præcedere, iterum explicat: *Ex qua conſideratione intuendum, quòd illos non debemus per paſtoralem autoritatem ſolvere, quos autorem noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam vivificare.* Unde, inquit, Lazaro non dicitur revivisce, ſed veni foras, *Ac ſi apertè cuilibet mortuo in culpa*

dici-

diceretur; cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? Foras jam per Confeſſionem egredere, quia apud te interius per negationem lates. Tandemque colligit, quo ſe Sacerdotum poteſtas extendat, & circa quid verſetur, evidenter explicat. *Veniat itaque foras mortuus, id eſt culpam confiteatur peccator. Venientem verò foras ſolvant Diſcipuli, ut Paſtores Eccleſiæ ei debeant pœnam amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri, quod fecit.*

V. Monent igitur S. Patres Sacerdotum judicia non eſſe pro animi libidine exercenda; & quanquam ex verbis Chriſti nullis limitibus definiatur eorum poteſtas: infinitè enim traditur, *Quodcumque ligaveris, &c. Quorum remiſeritis, &c.* Nihilominus eam diſpoſitionem, quæ deſcripta, eſt præcedere debere & poteſtatem hanc jure naturali, & divino eſſe reſtringendam. Eſt enim juris naturalis, & divini innocentes abſolvere, nocentes verò pro criminum ſcelere variis pœnis condemnare. Non debent igitur Sacerdotes publicè accuſatum per odium, iram, aut vindictam indicta cauſa ligare, aut convictum vel convincendum abſolvere; ſed nocentem pœnis Eccleſiaſticis punire, innocentem autem abſolvere. Eadem privatæ, & ſpontaneæ Confeſſionis eſt ratio: Quem viderit ſecretò confitentem ſeria cum animi compunctione, & poſt crimen cognoverit canonica Pœnitentiâ culpam eluiſſe, hunc poterit, utpote non amplius putentem abſolvere; illique omnia peccata condonare, ratumque habebit Deus, quod fecerit. *Tunc enim vera eſt abſolutio Præſidentis, cùm æterni arbitrium ſequitur Judicis.* Quem verò cognoverit nondum crimen defleviſſe, vulnuſque peccati crudum adhuc animo inſidere, nec dum Abſolutioni maturum, pœnis canonicis pro ratione criminis ligare debebit, donec Pœnitentia acta mereatur abſolvi.

VI. S. Gregorii ſententiam, verbaque amplexi ſunt, quotquot ferè eum ſecuti ſunt Patres. Eundem enim Sacerdotum faſtum iiſdem verbis compeſcunt, atque ut cum ratione compeſcant, eandem animi diſpoſitionem expoſtulant, & verbis à S. Gregorio mutuatis deſcribunt. S. Eligius homil. 11. eandem rationem in Pœnitentes convertit, ne poteſtati Sacerdotum nimium confidentes interiorem animi præparationem negligant. *Ante omnia autem vobis ſcire neceſſe, quia licèt impoſitionem manuum noſtrarum accipere cupiatis, tamen abſolutionem peccatorum veſtrorum conſequi non poteſtis, antequam per compunctionis gratiam divina pietas vos abſolvere dignabitur. Tunc enim, ut B. dicit Gregorius, vera eſt abſolutio Præſidentis, cùm interni arbitrium ſequitur Judicis. Quod bene quatriduani mortui reſuſcitatio illa ſignificat; quæ videlicet demonſtrat, quia prius mortuum vocavit Dominus, & vivificavit dicens, Lazare, veni foras; & poſtmodum is, qui vivens egreſſus fuerat, à diſcipulis eſt ſolutus, ſicut ſcriptum eſt, &c. Ecce illum jam viventem diſcipuli ſolvunt, quem Magiſter reſuſcitaverat mortuum. Si enim diſcipuli Lazarum mortuum ſolverent; fœtorem magis oſtenderent, quàm virtutem.* Cætera S. Gregorii verba proſequitur.

VII. Sic quoque Beda ſubjectum deſcribit ex verbis S. Gregorii, in quod jus habent Paſtores ſuam poteſtatem exercendi, in libello qui inſcribitur, ſcintillæ, ſive loci communes, qui totus ex Patrum ſcriptis collectus eſt. Capite igitur 74. quod inſcribitur, *de ligatione*, poſtquam retulit Chriſti verba, *Quodcunque ligaveris*, ſuam & S. Gregorii mentem ſic explicat, *Quos omnipotens Deus ſuſcitat per compunctionis gratiam, illos Paſtoris ſententia abſolvet. Illos nos debemus per paſtoralem auctoritatem ſolvere, quos auctorem noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam vivificare.* Idem docet commentario in cap. Joan. 11. *Ut conſiteretur, Deus facit magna voce clamando, id eſt, magna gratia vocando. Ideò cùm proceſſiſſet mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc Reus, ut ſolverentur peccata ejus. Miniſtris hoc dixit, ſolvite illum, & ſinite abire. Quæ ſolveritis in terra, erunt ſoluta in cœlis. Potuit enim ligamenta ſolvere, qui mortuum ſuſcitavit, ſed propter unitatem ſanctæ Eccleſiæ Dei, & individuam charitatem, dicitur Miniſtris, id eſt, diſcipulis Chriſti, ſolvite eum, &c.*

VIII. Concilium Aquiſgran. an. 816. celebratum, cap. 37. quod inſcribitur de collata Epiſcopo poteſtate ligandi atque ſolvendi; integrum S. Gregorii ſermonem refert, eoque exſcripto nihil ampliùs addunt Patres, propoſitam quæſtionem illius verbis ſatis explicatam eſſe perſuaſi. Paſchaſius Ratbertus qui paulò poſt illud Concilium ſcribebat, lib. 8. in Matth. explicans illa verba, Quodcunque ligaveris, &c. S. Gregorii verba pleraque exſcribit, ut qualis illa ſit ligandi, ſolvendique authoritas, exprimat, graviterque in eos Epiſcopos invehitur, qui ſtultè exiſtimant quicquid judicaverint, ratum in cœlo habitum iri, *Abſit ergo hoc ab illo ſenatu cœlorum ſecundum motum animi ſuperbientis, aut iraſcentis cujuslibet, & ipſi injuſtè ligent, aut ſolvant coram oculis ſummi Judicis omnia circumſpicientis &c. Et ideò cavendum, maximè qui in divinis judicant rebus, eo quod apud Dominum non ſententia Sacerdotum tantùm, verùm & Reorum vita quæritur.* Poſteà S. Hieronymi verba ſuperius allata authore innominato integrè exſcribit. Sic enim Epiſcopis ſummam animas judicandi poteſtatem vindicat, ut ſententiæ varietatem ex conſiderato peccatorum diverſo ſcelere, non ex cæco judicantium arbitrio procedere velit, *Et ſi quiſpiam ſecus præſumpſerit, non de juſtitia*, inquit, *& vero venit, ſed de faſtu & præſumptione Phariſæorum.* Eodem modo in cap. 18. Matt. ligationem illam, & ſolutionem explicat, quem ibi Lector conſulere poterit.

IX. Haymo Halberſtatenſis Epiſcopus homilia in Octavas Paſchæ explicans hæc verba, Quorum remiſeritis peccata, &c. Sacerdotum poteſtatem extollit: Deinde verbis à S. Gregorio mutuatis, necnon à S. Hieronymo explicat, quouſque ſe extendat illa poteſtas, & cum quo temperamento exercenda, *Unde in lege figuraliter præcipitur de leproſis, ut ſi quis lepra percuſſus eſſet, oſtenderet ſe Sacerdoti, & ad ejus judicium aut ejiceretur extra caſtra, aut reciperetur. Non quod ipſe leproſum mundare, aut mundatum leproſum facere poſſet; ſed quia ad miniſterium ipſius Sacerdotis pertinet, ut diſcernat inter lepram & lepram, id eſt, inter peccatum majus, & minus. Subtili enim examinatione providendum eſt, qui ſunt digni intra Eccleſiam recipiendi, & qui extra eandem propter peccata rejiciendi. Non ſolùm quippe judicio qualitas, & quantitas peccati eſt conſideranda, ſed etiam perſona peccantis, & ſatisfactio Pœnitentis. Illos enim ſua ſententia paſtor abſolvere poteſt, quos viderit per compunctionem cordis, & dignam emendationem eſſe ſolutos. Grandis honor, ſed grave pondus iſtius honoris, &c.* Eodem modo iſta docet homilia in feſto SS. Petri, & Pauli.

X. S. Anſelmus in Matt. 16. eadem Chriſti verba de judiciali Eccleſiæ poteſtate, & de eadem præcedente præparatione breviſſimè interpretatur, *Malæ ſepulchrum conſcientiæ per ultroneam aperiens Confeſſionem, vinculis peccatorum meretur abſolvi, quia vivit.* Sed fuſius in cap. Joann. 11. *Clamat Jeſus voce magna, Veni foras, quia nonniſi magno terrore aſpirantis Dei, & de futuro judicio comminantis exterritus, malè ſecurus peccator ad cor ſuum reducitur. Statim prodit, id eſt, reatum ſuum confitetur, & quia jam vivit, ſolvite illum, inquit Jeſus. Dixit enim, Quæcunque ligaveritis, &c. Cavendum eſt in eis, quorum hoc officium, & poteſtas eſt, ne hunc modum prætereant, id eſt, ne ligent niſi mortuum, neque ſolvant niſi voce Confeſſionis ſignificante redivivum eundem eſſe de ſepulchrio productum. Nam ſi pro arbitrio, vel animo ſuo illum viventem ligent, hunc autem mortuum ſolvant, videlicet condemnantes juſtum, & juſtificantes impium, &c.* His annumerandus Hugo de S. Victore in ſumma lib. 1. de Sacramentis cap. 26. ubi S. Gregorii verba refert, iiſque ut firmo principio nititur. Richardus quoque ejus Collega lib. de poteſtate ligandi cap. 17. Eorum verba infra referimus.

CAPUT VII.

Quid agat Deus in peccatoris per Pœnitentiam ſanatione; quid verò Miniſtri, ex conſtanti ſanctorum Patrum traditione explicatur: probaturque, peccatorem Dei gratia ſuſcitatum, & vivificatum, dici tamen Patribus peccati vinculis teneri, & mortis Reum eſſe; donec à Sacerdotibus ſolvatur.

SUmma igitur, & auguſtiſſima illa Sacerdotum poteſtas finibus circumſcribitur jam delineatis; nec impunè quo Sacerdotum malè feriatorum libido rapit, pervagatur. Mortuos enim tantum ligare poteſt; ſolvere verò Dei gratia ſuſcitatos, jamque viventes; & utrumque ſecundum leges prius ab Eccleſia poſitas. Lectorem hæc audientem ſubit forſan hæc cogitatio: Ecquid ergo in Pœnitentis beneficium Sacerdotis operatur ſolutio, ſi ſuſcitatus, vivenſque tantùm ſolvitur? Hanc quæſtionem fusè velut in loco proprio ediſſeremus

Digitized by Google

mus initio *lib. 9. capitibus* potiſſimùm 4. 5. & 6. Nunc tantùm ſufficiat, quid Patrum celeberrimorum unus, aut alter, & S. Auguſtinus præſertim, reſponderit, expoſuiſſe. Eò autem libentiùs quæſtionem iſtam hoc capite anticipabimus, quo teſtimonia, quibus demonſtratur, majorem habent cùm præcedentibus cognationem. Omnia enim uni ſacro textui, ut fundamento, innituntur.

II. S. Auguſtinus quæſtionem iſtam formaliter, ut ita dicam, & in ipſis terminis proponere videtur *ſermone 8. de verbis Domini. A mortuo velut qui non ſit perit Confeſſio. Quis eum ſuſcitabit, niſi qui ſemoto lapide clamavit, dicens, Lazare, prodi foras? Quid eſt autem foras prodire? Qui confitetur, foras prodit, foras prodire non poſſet, niſi viveret. Vivere non poſſet, niſi reſuſcitatus eſſet.* His ſic enarratis occurrit objectioni quàm propoſuimus. Si res ita ſe habet, ut ad Deum ſolùm pertineat peccatis mortuum ſuſcitare, quis erit Sacerdotalis poteſtatis effectus? Audiamus ex ipſo objectionem, & ſolutionem. *Dicet ergo aliquis; Quid prodeſt Eccleſia, ſi jam Confeſſor voce Dominica reſuſcitatus prodit? Quid prodeſt Eccleſia confitenti cui Dominus ait, Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cœlo. Ipſum Lazarum attende, cum vinculis prodit. Jam vivebat confitendo, ſed nondum liber ambulabat vinculis irretitus. Quid ergo facit Eccleſia, cui dictum eſt, Quæ ſolveritis ſoluta erunt, niſi quod ait Dominus continuò ad Diſcipulos, ſolvite illum, & ſinite abire.* Videtur quæſtio nec poſſe proponi expreſſiùs, nec exponi preſſiùs. Vivit igitur peccator confitens: Nam niſi viveret, non confiteretur. Sed licèt vivat, vinculis tamen ligatus eſt, quæ à Sacerdote ſolvuntur. Quid eſt illa Sacerdotis ſolutio? *Remiſſio peccatorum ſolutio eſt*, inquit S. Auguſtinus *Conc. 2. in Pſalmum* 102. *Quid enim prodeſſet Lazaro, quia proceſſit de monumento, niſi diceretur, ſolvite eum, & ſinite abire.* Cætera, quæ pertinent ad hoc teſtimonium, referuntur *lib. 9. c. 6.* Peccatorum igitur remiſſio ſpeciale eſt Sacerdotis opus.

III. Idem Auguſtinus *tract. 49. in Joannem* eamdem agitat queſtionem, & eodem modo ſolvit. *Ut confitearis, Deus fecit magna voce clamando, id eſt, magna gratia vocando. Ideò cùm proceſſiſſet mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc Reus, ut ſolverentur peccata ejus, Miniſtris hoc dixit Dominus, ſolvite illum, & ſinite abire. Quid eſt ſolvite, & ſinite abire? Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cœlo.* Suſcitatus, è ſepulchro procedens, immò & confitens, magnaque gratia donatus, Reus tamen eſt, atque apud Deum, hominesque ligatus, donec reatum ſolverit Sacerdos. Sacerdotalis igitur Abſolutionis opus, eſt reatus ſolutio, & extinctio, qui poſt Confeſſionem, & reſurrectionem à peccato manet, donec qui Reus eſt, à Sacerdote judice abſolvatur.

IV. Idem Auguſtinus *homilia 27. libri 50. homiliarum* eamdem quæſtionem agitat, & perſpicuè iterum ſolvit, nonnulliſque objectionibus occurrere videtur: *Eſt Pœnitentia gravior, atque luctuoſior, in qua propriè vocantur in Eccleſia Pœnitentes &c. adulterium fortè commiſſum eſt, fortè homicidium, fortè aliquod ſacrilegium, Gravis res, grave vulnus, lethale, mortiferum, ſed omnipotens Medicus &c. quaſi quatriduanus mortuus putet: ſed nec ipſum Dominus deſeruit; ſed clamavit, Lazare prodi foras &c. Elevatus eſt Lazarus, proceſſit de tumulo, & ligatus erat, ſicut ſunt homines in confeſſione peccati agentes Pœnitentiam. Jam proceſſerunt à morte; nam non confiterentur niſi procederent. Ipſum confiteri, ab occulto, & tenebroſo procedere eſt.* Vides peccatores in peccatis ſuis mortuos, poſteà à morte ad vitam Dei gratia ſuſcitatos, Reos tamen, & ligatos. Quo reatu, ſive ligatione? *ſicut ſunt homines*, inquit Auguſtinus, *in confeſſione peccati agentes Pœnitentiam.* Ratum enim eſt apud Deum, atque approbatum, quòd Eccleſia de Pœnitente ſtatuit, nec priùs apud Deum reatu peccati ſolvitur, remiſſionemque peccatorum conſequitur, quàm onere ab Eccleſia impoſito deſunctus fuerit. Qua ratione autem Pœnitens, ita per gratiam Dei ſuſcitatus, vinculis peccatorum ſolvatur, ex S. Auguſtino ſermonem inceptum perſequente audiamus: *Sed quid Dominus Eccleſiæ ſuæ? Quæ ſolveritis, inquit, in terra, ſoluta erunt & in cœlo. Proinde Lazaro procedente, quia implevit Dominus miſericordiæ ſuæ bonum, perducere ad Confeſſionem mortuum latentem, putentem; jam cætera implent Eccleſiæ miniſteria: ſolvite illum, & ſinite abire. Sed, chariſſimi, hoc genus Pœnitentiæ nemo ſibi proponat; ad hoc genus nemo ſe præparet, tamen ſi fortè contigerit, nemo deſperet.* In opere juſtificationis per Sacramentum manifeſtè declarat Auguſtinus quid Dei ſit, quid hominis. Dei eſt hominem vocare, ſuſcitare, ad Confeſſionem perducere; Hominis verò, ſeu ſacerdotis varia opera laborioſa imponere quibus purgetur, diù ſub manu poſitum variis orationibus expiare, tandemque ſanitate animo per varia opera, & Eccleſiæ preces reſtituta Eccleſiæ integrè reconciliare, corpore Chriſti donare, atque liberum dimittere.

V. Non igitur ſufficit ad ſalutem conſequendam illa Dei ſuſcitatio, è ſepulchro egreſſus, & criminum confeſſio. Initia ſunt hæc ſalutaris gratiæ; augmentum verò, & conſummatio Sacerdotum miniſterio comparantur. *Cùm ejuſmodi peccator*, inquit Auguſtinus *homilia* 50. *mores in melius commutaverit, & cùm ipſe in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ, ſed tamen medicinæ ſententiam, veniat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia claves miniſtrantur, & tanquam bonus jam incipiens eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito à Præpoſitis Sacramentorum accipiet ſatisfactionis ſuæ modum; ut in offerendo ſacrificio cordis contribulati devotus, & ſupplex id tamen agat, quòd non ſolùm ſibi proſit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cæteris ad exemplum.* Vides ex ſententia S. Auguſtini, quæ ſint neceſſaria ad ſalutem conſequendam, non modò ad aliorum exemplum, poſtquam peccator reſipuit, mores in melius commutavit, & in animo ſuo ſatisfacere Deo conſtituit? Agere ſcilicet ſecundùm Eccleſiæ præſcriptum de peccatis Pœnitentiam, & ordine Eccleſiæ cuſtodito ad reconciliationis beneficium tandem pervenire. Salutis igitur per Sacramentum partæ initium eſt ſolius Dei, ſed augmento, & conſummationi cum Deo ſacerdos operatur.

VI. Ideò S. Auguſtinus *homilia 49. & 50.* in eos invehitur, qui Pœnitentiam criminum independenter à Sacerdotibus agere ſibi ſufficere credebant. *Si præter uxores veſtras cum aliqua concubuiſtis, agite Pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia, ut oret pro vobis Eccleſia. Nemo ſibi dicat, occultè ago, apud Deum ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt, Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cœlo? Ergo ſine cauſa ſunt claves datæ Eccleſiæ Dei? fruſtramus Evangelium Dei, fruſtramus verba Chriſti? Promittimus vobis, quod ille negat? Nonne vos decipimus?* Si miniſterii Eccleſiaſtici ad veniam, & ſalutem obtinendam vis non eſſet maxima, in quem finem hæc S. Auguſtini objurgatio? Supervacaneæ eſſent, ut rectè infert, Eccleſiæ claves. Poſtrema verba lectorem perpendere velim. *Promittimus vobis quod ille negat? Nonne vos decipimus?* hoc eſt, Promittimus vobis veniam criminum, ſi feceritis ea, quæ vobis canonicè iniunguntur. Num creditis vos à nobis decipi, noſque vobis promittere ſalutem, quam Chriſtus negavit? Id credere videmini, cùm clam nobis Pœnitentiam agitis, & ſine auctoritate noſtra veniam à Deo vos conſequi poſſe ſperatis. Perſpicuum ſanè fit ex iſta S. Auguſtini exprobratione communem fuiſſe antiquæ Eccleſiæ doctrinam, per miniſterium Eccleſiæ, in Sacramento Pœnitentiæ veniam, ſalutemque æternam Pœnitentibus à Deo impetrari, maximumque pondus ad hanc indulgentiam à Deo conſequendam habere Pœnitentiæ à Præpoſitis Eccleſiarum ſuſceptionem, & factam per eorum orationes reconciliationem. Sic enim S. Auguſtino concinit S. Leo Pontifex *epiſtola* 91. paucisque verbis omnem litem dirimit, *Mediator Dei, & hominum Jeſus Chriſtus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus Pœnitentiæ ſatisfactionem darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. Cui operi inceſſabiliter ipſe Salvator intervenit; nec unquam ab his abeſt quæ Miniſtris ſuis exequenda commiſit.* Reſurrectio igitur mortui, atque è ſepulchro progreſſio Dei ſolius opus eſt; ſed operi hominis ſeſe Deus immiſcet, & inceſſabiliter intervenit iis, quæ Miniſtri ipſius ſecundum canones, aut Eccleſiæ probatam conſuetudinem agunt, & imperant.

VII. Hanc doctrinam à S. Ambroſio, vel potiùs ab ipſa Eccleſiæ Catholicæ traditione didicerat S. Auguſtinus. Ita enim S. Ambroſius *lib. 2. de Pœnitentia c. 7.* eamdem Lazari reſurrectionem ediſſerit, *Hominibus juſſit, ut removerent lapidem: in veritate quidem, ut increduli crederent, quod videbant, & aſpicerent reſurgentem mortuum. In typo autem, quod nobis donaret, ut levaremus delictorum onera, moles quaſdam Reorum. Noſtrum eſt onera removere, illius eſt reſuſcitare, illius educere de ſepulchris exutos vinculis.* Eodem modò diſtinguit, quod Dei eſt, quod Sacerdotis. Et paulò poſt, *Exi foras, delictum proprium prode, ut juſtificeris: ore enim confeſſio fit ad ſalutem. Si confeſſus fuerit à Chriſto vocatus, clauſtra rumpentur, & omnia ſolventur vincula, etſi corruptelæ corporeæ fœtor gravis ſit.* Non dixit, ſtatim vocato per Dei gratiam, & confeſſo, rumpuntur, & ſolvuntur? ſed in futuro, eo quòd ſacerdotibus hoc opus ſit à Deo commiſ-

miſſum. Paulò poſt colligit, *quantuslibet ergo mortui ſetor ſit, aboleturomnis, ubi ſacrum redoleverit unguentum: Et ſurgit defunctus, & ſolvere jubentur ejus vincula, quæ adhuc in peccato ſunt*. Licèt ergo reſurrexerit à peccato, eſt tamen in peccato, donec ſacerdos peccati vincula diſſolverit.

VIII. S. Cyrillus *lib.* 12. in Joannem explicans hæc verba, *Quorum remiſeritis &c.* rei difficultatem acu tangere, & explicare videtur. Primùm enim docet Apoſtolos accepto Spiritu S. *etiam remittendi peccata Dominos eſſe, & ea, quæ voluerint, retinendi, ſancto ſpiritu, qui in eis habitat remittente, vel etiam retinente pro ſuo nutu*. Hæc igitur auguſtiſſima poteſtas Apoſtolis poſt acceptum Spiritum S. conceſſa eſt. Deinde explicat Cyrillus, qua ratione exerceatur illa poteſtas, ſive in quo conſiſtat, aut quis ſit illius effectus, quod nunc potiſſimum attendimus, *Remittunt porrò peccata, vel retinent ſpiritu afflati homines duobus, ut arbitror, modis. Vel enim dignos ad baptiſmum vocant, vitæ nimirum gravitate, & conſtantia fidei jam probatos homines: Vel prohibent, & à gratia Dei arcent eos, qui nondum digni ſunt. Vel alio quodam modo peccata remittunt, ac retinent; nempè cùm filios Eccleſiæ peccantes corripiunt, vel Pœnitentibus ignoſcunt, ſicuti Paulus nimirum fornicarium Corinthium in carnis interitum quidem tradidit, ut ſpiritus ſalvus fieret; ſed denuò ipſum complexus eſt, ne magnitudine doloris abſorberetur*. Poteſtatis illius effectus eſt, quòd conditiones ponunt remiſſionis adipiſcendæ à Pœnitente adimplendas, quibus impletis, & abſolutione impetrata abſolutionem quoque à Deo conſequuntur, Deo conditiones illas ratas, abſolutionemque ratam habente, & ſpiritum ſuum miniſterio Sacerdotali, ut efficax ſit, infundente.

IX. Non abs re forſan aliquis obiicere ſibi videbitur, ex omnibus illis S. Auguſtini locis, atque etiam ex S. Ambroſio colligi, noſque ſæpius collegiſſe, peccatorem antequam abſolvatur, oportere à morte peccati per Dei gratiam eſſe ſuſcitatum, ſpiritaliter vivere; immò & à ſepulchro egredi, & ad Sacerdotem accedere. Cùm igitur vivat, & abſolvi non poſſit, niſi anteà ſuſcitatus, & vivens, qua ratione dici poteſt eſſe in peccatis, peccati Reus, & vinculis peccati irretitus? Hæc nullius momenti difficultas Doctores multos Eccleſiaſticos quingentis annis exercuit, atque etiam nunc exercet: Sed exuat ſe aliquis compedibus, quos volens, ſed imprudens ſibi induit, ſtatimque illi, ut SS. Patribus, omnia erunt aperta, plana, & facilia. Nulla difficultatis umbra; trepidatur ubi nullus timor. Fidelis aliquis per Dei gratiam ſuſcitari, & vivere poteſt, multa bona agere, multa mala pati, & nihilo ſecius eſſe ſub peccato, & mortis æternæ Reus; quia nondum ea juſtitiæ, & virtutis perfectione agit, & patitur, aut ſuſcitatus eſt, quæ eum ex mancipio Diaboli in adoptionem filiorum Dei evehat.

X. Ne autem, lector, te diutius remoremur, hoc nos doceant in data Pœnitentiæ hypotheſi Ambroſius, & Cyprianus. Prior igitur *lib.* 1. *de Pœnit. cap.* 10. *Poteſt fieri, ut aliquem de Hieruſalem deſcendentem in Hiericho, hoc eſt, de Martyrii certamine relapſum in iſtius vitæ cupiditate, ſecularique gratia vulneratum à latronibus, hoc eſt à perſecutoribus, & ſemivivum relictum Evangelicus ille Samaritanus inveniat &c. & non prætereat eum, ſed curet, & ſanet, fortaſſe ideò non præterit eum, quia aliquid in eo vitale agnoſcit, unde poſſit vitam reſumere. Nonne vobis videtur ille, qui lapſus eſt, ſemivivus eſſe, ſi vitale aliquid fides ſpiret? Nam qui penitus Deum ex ſuo corde abiicit, ille mortuus eſt. Qui ergo non penitus abjecit, ſed per impreſſionem tormentorum ad tempus negavit, ſemivivus eſt. Aut ſi mortuus eſt, cur ei dicitis agendam Pœnitentiam, qui jam curari non poteſt? Si ſemivivus eſt, infunde vinum, & oleum &c.* Non mortuus igitur eſt Pœnitens ille, ſed ſuſcitatus, & ſemivivus, qui crimine perpetrato fidem adhuc ſpirat, & Pœnitentiæ actionem petit. Niſi viveret, Pœnitentiam non quæreret: Vinum, & oleum ad curationem non infunderentur. Curas eum, nec negligis; medicamina propinas. Non igitur mortuus eſt, ſed reſurrexit, verum vulneribus nondum obductis.

XI. Ita quoque in pari caſu loquitur S. Cyprianus *epiſtola* 52. *Non eſt opus ſanis Medicus, ſed malè habentibus. Quàm poteſt exercere medicinam, qui dicit, ego ſolos ſanos curo, quibus Medicus neceſſarius non eſt? Opem noſtram, medelam noſtram vulneratis exhibere debemus. Nec putemus mortuos eſſe, ſed magis ſemianimes jacere eos, quos perſecutione funeſta ſauciatos videmus: Qui ſi in totum mortui eſſent, nunquam de iiſdem poſt modum Confeſſores, & Martyres fierent. Sed quoniam eſt in illis, quòd Pœnitentia ſequente revaleſcat, ad fidem, & virtutem de Pœnitentia robur armatur*. Sacerdotis igitur in Pœnitentiæ miniſterium propriè circa perfectè contritos, hoc eſt, circa ſanos non verſatur, ſed circa languidos, & malè habentes. Sacerdos, ut ſæpius dictum, Medicus eſt; ideò ſubjectum, in quo artem exercet, neceſt homo mortuus; fruſtrà enim ei mederetur; Nec propriè ſanus, ſed vulneratus, & ſemivivus Sacramento Pœnitentiæ, & reconciliationis ſanandus, & perfectioni vitæ priſtinæ reſtituendus. Idem de Sacerdote, ut judice dicendum. Cui jam parcitum eſt, fruſtrà iterum parcitur. Qui jam abſolutus eſt, ut quid iterum tanto cum labore abſolvitur? Cùm igitur S. Auguſtinus, Gregorius, & alii hoc, & capite præcedente citati vivificationem peccatoris poſtulant, antequam reconcilietur, immò ut confiteatur, & actioni Pœnitentiæ ſubiiciatur, ſpiritalis vitæ, juſtitiæque, & munditiei inchoationem intelligunt, quæ confeſſionis humilitate, & pœnarum pœnitentialium actione adoleſcit, & matureſcit, tandemque Abſolutione, & peccatorum remiſſione integrè velut ex poſtliminio recuperatur.

XII. Eadem de verbis S. Hieronymi ratio. Vivificatus eſſe debet, & mundus, quem Sacerdos abſolvit, immundus verò, & mortuus, quem condemnat. Ideò rectè negat Hieronymus à Sacerdotum libidine hoc pendere judicium. Inde tamen colligi non poteſt munditiem, ſi nondum ſufficiens ſit, & Abſolutioni matura, Pœnitentium lachrymis, & Sacerdotum precibus, & Abſolutione augeri, & maturari non poſſe. Deinde S. Hieronymi comparatio in actione alligandi, & ſolvendi ex his verbis, quæ magis conſtringunt, demonſtratur: *Quomodo ergo ibi Leproſum Sacerdos mundum, vel immundum facit; ſic & hic alligat, vel ſolvit Epiſcopus, & Præsbyter, non eos, qui inſontes ſunt, vel noxii, ſed pro officio ſuo cùm peccatorum audierit varietates, ſcit, qui ligandus ſit, quive ſolvendus*. Quemadmodum igitur Leviticus Sacerdos judicabat, qui leproſus eſſet, quive non leproſus, leproſumque à caſtris ſeparabat, eum verò quem à lepra mundum judicaverat, dimittebat, ut legitur *Levitici c.* 13. Ita ſacerdos Evangelicus immundum, & noxium ligare debet, inſontem, & mundum abſolvere: Nec ultra progreditur S. Hieronymus, aut ut progrederetur ulterius, propoſitum ipſius poſtulabat. Integram igitur, & intactam reliquit Hieronymus quæſtionem, in qua verſamur. An ſcilicet immundus, & leproſus à ſacerdote Evangelico jure judicatus, & ideò ſeparatus, ab eo purgari, & ſanari poſſit, tandemque ad fidelium ſynaxim admitti. Quis autem de hac purgandi poteſtate dubitabit, cum id *toto cap.* 14. *Levit.* Leviticis ſacerdotibus in lepra corporali tributum fuerit, & Evangelicis diſertiſſimè à S. Hieronymo ſcribente ad Heliodorum. *Illi ſi peccavero licèt tradere me Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini Jeſu. Et in veteri quidem lege quicumque ſacerdotibus non obtemperaſſent, aut extra caſtra poſitus lapidabatur à populo, aut gladio cervice ſubiecta contemptum expiabat cruore. Nunc verò inobedientia ſpiritali mucrone truncatur, aut ejectus de Eccleſia rabido Dæmonum ore diſcerpitur.*

CAPUT VIII.

Quid ſignificent apud antiquiſſimos, recentioreſque Rabbinos, אסר והתר אסור ומותר, *ligare, & ſolvere ligatum, & ſolutum, multis exemplis demonſtratur, Traditionum quinque genera habent Judæi quæ breviter explicantur. De his omnibus dicitur ligatum, & ſolutum. Illius ſignificationis in Scriptura ſacra Hebræa nullum eſt exemplum, unum in Caldæa. E Græcis auctoribus Ethnicis unum, quod ſimile eſt, profertur. Duo alia dictionum oppoſitarum ſimilis ſignificationis paria,* כרה ושרה חייב ופטור *explicantur, & exemplis illuſtrantur.*

FORSAN alicui proderunt, nec erunt prorſus ficulnea, quæ hic intertexere nobis proponimus de ſignificatione verborum ligandi, & ſolvendi apud antiquos, recentioreſque Judæos uſitatiſſima. Antiquiſſimi enim illorum Rabbini, Hilel, Sameas, Gamaliel, Eliezer, Akiba, Joſe, aliique qui ante Chriſtum, vivente Chriſto, atque eo in cœlos recepto prædicantibus Apoſtolis floruerunt, eorumque traditiones compoſuerunt, & velut à Deo Moſi in monte Sinai traditas populo venditarunt, cùm præcipiendi, prohibendi, permittendi, leges condendi, aut eas moderandi, immutandi, abrogandi auctoritatem ſignificare voluerunt, ligare, & ſolvere ferè ſemper dixerunt, ita ut iſta ſignificatione, cùm de his rebus quæſtio eſt, nihil ſit apud

eos

Digitized by Google

eos frequentius. Hunc loquendi morem non minus frequenter eorum diſcipuli in hunc uſque diem uſurparunt. Exempla ubique apud eos ſunt obvia. In Miſchnah, qui antiquiſſimus eorum liber eſt, & prima antiquarum traditionum collectio, tractatu Orlah. *cap.* 2. שאור של חולין שנפל לתוך עיסה וחמצה ואחר כך נפל שאור של תרומה או שאור של כלאי הכרם ויש בו כדי לחמץ אסור ורבי שמעון מתיר *Fermentum rerum prophanarum, & communium quod cecidit in modium maſſæ farinaceæ, & fermentavit eum, & poſteà cecidit fermentum oblationis*, hoc eſt, ex oblationibus, quæ dantur Sacerdotibus confectum, *aut fermentum ex heterogeneis vineæ in ea quantitate, ut fermentare poſſit, ligatum eſt. R. Simeon hoc ſolvit.* Et anteà *nu.* 4. כל המחמץ והמתבל והמדמע בתרומה ובערלה ובכלאי הכרם אסור ובית שמאי אומרים אף מטמא ובית הלל אומרים לעולם אינו מטמא עד שיהא בו כביצה. *Quidquid fermentat, condit, aut permiſcet, & decimationi obnoxium reddit, in oblationibus, aut fructuum præputiis, & vineæ heterogeneis, ligatum eſt.* Tota ſcilicet maſſa cui immiſtum eſt. *Verùm ſchola Samei dicebat inſuper eam polluere: ſed ſchola Hillelis aſſerebat nunquam polluere, donec eſſet in eo ſicut ovum.* Id eſt ut opinor, niſi id quod in acervum incidit, ovi quantitatem æquaverit, aliàs centeſimam requirunt; ſive unius proportionem ad centum, hoc eſt, ut ea maſſa, ſive acervus cenſeretur pollutus, aut prohibitus, in quem, cùm eſſet centum modiorum, modius unus oblationis incidiſſet. Hæc curiosè ſectari, pedem eſſet in alieno choro ponere, & extra oleas curiosè vagari; ſufficit hæc τῷ λέξω, & rudiret interpretari, ut inde quod nobis propoſitum eſt concludamus, ligatum ſcilicet Judæis antiquiſſimis, & recentioribus nihil aliud eſſe quàm prohibitum, & ſolvere quàm permittere. Hoc non ſemel, ſed ſæpiùs eodem capitulo legitur.

II. Tractatu Scebiit ejuſdem Miſnæ *cap.* 5. *num.* 5. מאימתי מותר אדם ליקח לוף במוצאי שביעית רבי יהודה אומר מיד וחכמים אומרים משירבת החדש. *A quo tempore ſolutum eſt homini cepam accipere in proventibus anni ſeptimi? R. Juda dixit, ſtatim: Sapientes verò dixerunt, ab eo tempore, quo excreverit menſis*, hoc eſt, à Paſchate, & deinceps. Et numero ſequente, אלו כלי שאין אומן רשאי למכרם בשביעית מחרישה וכל כליה העול והמזרה והדקר אבל מוכר הוא מגל יד ומגל קציר ועגלה וכל כליה זה הכלל כל שמלאכתו מיוחדת לעבירה אסור לאסור ולהתר מותר. *Hæc ſunt inſtrumenta, quæ artifex vendere non poteſt anno ſeptimo, vomerem, & omnia inſtrumenta ejus, jugum, & ventilabrum, & ligonem; ſed vendit falcem manualem, & falcem meſſoriam, & plauſtrum, omniaque inſtrumenta ad illud ſpectantia. In ſumma, Hæc eſt regula, Omne opus, quod propriè ad tranſgreſſionem ſpectat, ligatum eſt, cui eſt ligandum, & ſolutum, cui eſt ſolvendum.* Hoc eſt, ea inſtrumenta non ſunt ei vendenda, de quo ſuſpicio eſt, quòd iis in tranſgreſſionem anni ſeptimi utetur: ſed ei vendi poſſunt, de quo nulla eſt ſuſpicio, ſed tantùm quod iis utetur in licita fructuum illius anni collectione, ut res ipſa poſtula, & gloſſatores explicant. Sæpè enim Rabbini illi malunt rem dubiam cum incommodo ſuo prætermittere, quàm tranſgreſſionis præcepti alicujus periculo ſeſe committere. Unde quod ad rem noſtram facit, tractatus Talmudici Berachoth fol. 36. ספק ערלה בארץ ישראל אסור ובסוריא מותר *preputium, arborum, dubium, in terra Iſraelis ligatum eſt; in Syria ſolutum.* Et ejuſdem tractatus Mishnæ *nu.* 8. בית שמאי אומרים לא ימכור לו פרה חורשת בשביעית ובית הלל מתירין וכו׳. *Schola Semei dicit, non vendetur ei anno ſeptimo vitula arans; ſchola verò Hilel ſolvit hoc*, id eſt, dat illius rei poteſtatem. Caput ſequens, licèt breve, multa ejuſmodi continet.

III. Tractatus Herubim ſive de commixtionibus, quas die Sabbati commiſcere, vel non commiſcere licet, *capite* 9. *numero ſecundo*, גג גדולה סמוך לקטן הגדול מותר והקטן אסור חצר גדולה שנפרצה לקטנה הגדולה מותרת והקטנה אסורה מפני שהיא כפתחה של גדולה, *Tectum magnum adhærens parvo; magnum ſolutum eſt, parvum ligatum. Atrium magnum quod effractum ſive apertum eſt verſus parvum, magnum ſolutum eſt, parvum prohibitum; eo quòd inſtar ſit in porta majoris.* Et poſteà, חצר שנפרצה לרשות הרבים משתי רוחותיו כן בית שנפרץ משתי רוחותיו וכן מבוי שנטלו קורותיו או לחייו מותרין באותה שבת ואסורין לעתיד לבוא דברי ר׳ יהודה ר׳ יוסי אומר אם מותרין באותה שבת מותרין לעתיד לבוא ואם אסורין לעתיד לבוא אסורין באותה שבת. *Atrium quod apertum eſt in publicum uſum ex duabus plagis ſuis, ſic & domus, quæ ſic effracta eſt, ſic quoque veſtibulum, cui trabs, aut poſtis ablatus eſt, ſolvuntur in eo Sabbato ſed ligantur in futurum* Sabbatum: *ita cenſet R. Juda. Sed R. Joſe dixit; ſi ſoluta ſunt eo Sabbato, ergo & in futurum; ſi ligata in futurum, ergo & eo Sabbato.* Volunt, quòd ſi publicus uſus atrii ſic aperti ſit aliquo Sabbato licitus, ut aliis etiam Sabbatis idem facere liceat. Et tractatus Therumoth, ſive de oblationibus, *cap.* 5. *num.* 4. סאת תרומה טמאה שנפלה למאה סאת תרומה טהורה בית שמאי אוסרין ובית הלל מתירין. *Menſura oblationis pollutæ, quæ cecidit in centum menſuras oblationis mundæ: Schola Samei eam ligabat, Schola Hilel ſolvebat, &c.* eodem loco ſæpius.

IV. Hæc exempla ex innumeris, quæ paſſim occurrunt, ſufficiant; quibus conjungi poſſunt, quæ Talmud Babylonicum, & Hieroſolymitanum iiſdem capitibus in hæc omnia loca commentantur; Ea ſimiliter quæ Miſnæ commentatores RR. Samſon, Moſes, & Bartenora in eadem loca ediſſerunt, apud quos iſtæ voces, אסור ומותר Eadem ſignificatione ad ravim uſque repetuntur, quæ hæc referre eſſet moleſtiſſimum. Non rarò etiam eadem ſignificatio in teſtimoniis aliis in capitibus allatis occurrit, atque etiam nunc occurret. Quoties enim de alicujus rei prohibitionem, aut permiſſione agitur, vix aliis verbis utuntur. Hinc Talmudici Tractatores, & Abbreviatores multis tractatibus ſuis אסורים titulum imponunt, ut R. Jacob ſecunda parte Arba Turim, ſive in Jore deah, דיני כלים אסורים *Judicia vaſorum prohibitorum*, דברים האסורים משום סכנה *Res ligatæ, ſive prohibitæ propter periculum.* Sic alius titulus quo explicavit quid prohibitum ſit vendere, aut rebus quæ idolis inſervierunt. Sic apud Moſen Tranenſem, הלכות איסורי ביאה *Deciſiones de perſonis, quas matrimonio ſibi jungere, aut cum quibus congredi prohibitum eſt*, הלכות מאכלות אסורות *Deciſiones de cibis prohibitis, ſive ligatis*, הלכות איסורי מזבח *Deciſiones eorum, quæ ſacrificari aut ad altare efferri prohibentur.* Eadem apud Moſen Micotſi in libro præceptorum magno, & Moſen Cordubenſem libri יד חזקה Priore tomo, ſic & apud cæteros juris utriuſque, & ceremoniarum tractatores, in quibus tractatibus ſingulis fere periodis leguntur, אוסרין מתירין. אסור מותר. Prohibuerunt, permiſerunt, prohibitum eſt, licitum eſt.

V. Nec porrò exiſtimandum, eſt Judæos iſta decreta ligationis, & ſolutionis ad ſacram ſcripturam, aut ejus interpretationem reſtringere; quanquam hoc eſſet maximæ auctoritatis argumentum: longius iſta diffunduntur. Sub his enim complectuntur omnia, quæ eorum religionem, & regimen ſpectant. Ea dividit Moſes Ben Maimon in quinque genera, quæ fusè explicat in proœmio commentariorum in libros Miſnaioth, ſive δευτερώσεων, & ex eo breviter auctor Halicoth olam initio libri ſui. Primum genus vocant, פירושים מקובלים מפי משה מפי הגבורה ויש להם רמז בכתב ואיפשר להוציאם בדרך סברא. *Interpretationes acceptas ab ore Moſis, quas ab ipſo Deo acceperat, quarum ſunt in Scriptura occulta ſigna, & quæ probabiliter ex ea deduci poſſunt.* Secundum genus vocant, דינים שנאמר בהם הלכה למשה מסיני, *Statuta, ſive placita, de quibus, dicitur, Traditio eſt Moſis è monte Sinai.* Quia hæc, inquiunt, non didicerunt nec per conjecturas è Scriptura probabiliter elicitas, nec per tredecim argumentandi modos in Talmude celebres. Ideò de his duobus ajunt ſuos inter ſe non diſſentire. Tertium ſimiliter vocant דינים, judicia, ſtatuta, res judicatas; ſed iſta ſtatuunt alio nixi fundamento, conjecturis ſcilicet, & tredecim ſuis argumentandi modis, cum quibus Scripturam ſacram examinant, comparant, & ponderant. Quia autem paſſim Rabbini eorum celeberrimi in ſuis ſtatutis diſſentiunt, id quod majore ſuffragiorum numero comprobatur, illud obſervant, eſtque illis aut, אסור, aut, מותר, prohibitum aut licitum, ſive ligatum aut ſolutum. Quartum vocant, גזרות שתיקנו החכמים בכל דור ודור כדי לעשות סייג לתורה *Deciſiones quas ſapientes conſtituerunt per ſingula ſecula, ut facerent ſepem legi.* Hæc autem pro ratione temporum, & locorum varia ſunt. Unus enim tali ratione ductus hoc ligavit, vel ſolvit, hoc eſt, prohibuit, vel permiſit, alius alia ratione motus contrarium, aut diverſum ſtatuit. Poſtremum vocant, תקנות ומנהגים ואסור לעבור עליהם וכבר אמר שלמה ע״ה על העובר עליהם ופורץ גדר ישכנו נחש ואלו התקנות רבות מאד ונזכרות בתלמוד ובמשנת מהם בענין איסור והתר ומהם בעניני הממונות. Ut ait Moſes Ben Maimon, *Conſtitutiones, & conſuetudines quas tranſgredi prohibitum eſt, ſive ligatum. Et olim dixit Salomon ſuper quem pax de eo tranſgrediente,*

te, frangentem materiam mordebit ſerpens. Iſtæ autem conſtitutiones plurimæ ſunt, & commemorantur in Talmude, & Miſna. Quædam eorum pertineat ad res interdictas, & permiſſas; quædam ad judicia pecuniaria, &c. Iſta autem, inquiunt, introduxere poſt Moſen non modò Prophetæ, ſed etiam ſeculorum ſequentium ſapientes. Hæc ſunt igitur, ad quæ ſpectant antiquorum, & recentiorum Judæorum Aſur, & Muthar, & conſequenter Chriſtus Dominus noſter ex uſu familiari iſtarum vocum apud Judæorum ſui temporis Doctores dixiſſe videtur, Quæcumque alligaveritis, hoc eſt, quæcumque prohibueritis, vel permiſeritis, aut verbis univerſalioribus, Quæcumque decreveritis, ſtatueritis, definieritis in terra, erunt in cœlo decreta, ſtatuta & definita; ſive quidquid in terra ſtatueritis ratum Deus habebit in cœlo. Nihil excipitur, ſive ſcripturæ interpretationem ſpectet, ſive traditionum judicia, ſive ſententiarum à Sanctis Patribus hinc inde pronuntiatarum electionem, & confirmationem, ſive decretorum novorum pro tempore, loco, & perſonis inſtitutionem, & antiquorum moderationem, aut etiam abrogationem. Hæc omnia, & alia multa, quæ his forſan non continentur, ligat, aut ſolvit Eccleſia, rataque Deus habet.

VI. Iſtius ſignificationis verbi, אסר unicum mihi in ſacra ſcriptura occurrit exemplum. Ubique enim אסר quod in textu Hebræo frequens eſt, ut & dictiones ab eo formatæ, ſignificat ligare, vincere, catenas, vel funes iniicere, vincula, carcerem, & quæ iſtarum dictionum, ſunt παρώνυμα. Numerorum *cap.* 30. ſæpiùs dicitur de voventibus quod אסרו אסר על אחרו, quòd ligaverunt ligamen ſuper animam ſuam; *& Pſalmo* 105. *v.* 22. לאסור שריו בנפשו, *ad alligandum principes in anima ſua*. Verùm iſta ad decreta, & interdicta indirectè tantùm pertinent, qua ratione leges omnes ligare dici poſſunt. Chaldæis tamen in ſignificatione interdicendi, & prohibendi dictio hæc directè uſitata fuit, ut legere eſt Danielis *cap.* 6. *v.* 7. 8. *Conſilium inierunt principes &c.* לקימה קים מלכא ולתקפה אסר. *Ut ſtatueretur ſtatutum regium; & confirmaretur edictum*, & verſu ſequente ſolùm pro utroque ponitur. בען מלכא תקים אסרא, *Nunc rex confirma edictum &c.* ſive interdictum, quo edixiſti ne quis triginta dierum ſpatio aliquid ab homine, vel Deo præterquam à te poſtularet. Hanc igitur dictionis, אסר ſignificationem è Babylone in Judæam tranſtulerunt antiquiſſimi Rabbini.

VII. Dictio autem, מותר Eſt participium præteritum Hophal à radice, נתר Quæ in Hiphil ſolvere, expedire vincula, liberum reddere ſignificat, ut *Pſalmo* 105. 20. שלח מלך ויתירהו, *Miſit Rex, & ſolvit eum*, יהוה מתיר אסורי, *Dominus ſolvit vinctos*. Sanè data priore ſignificatione τῷ מותר neceſſe videtur τῷ, אסור licentiæ, & permiſſionis ſenſum tribuere. Nuſquam tamen in ea ſignificatione apud ſacros ſcriptores legitur; immò, מותר, in Talmude, & Rabbinis ea forma tantopere frequens, in ſcriptura nuſquam ea forma occurrit. Legitur equidem מותר *Prov.* 14. 23. & 21. 5. *Eccleſiaſticæ* 3. 19. verùm legunt מותר, *Motar*, non מוסור, *Mutar*, eſtque nomen abundantiam, & præſtantiam ſignificans à radice, יתר, quòd in proverbiis opponitur τῷ מחסור indigentiæ, & egeſtati.

VIII. Græcè nuſquam in ſacra ſcriptura ligare, & ſolvere accipitur pro edicere, prohibere, permittere, niſi duobus locis, in quibus, ut dictum eſt, alludit Chriſtus ad Rabbinorum ſui temporis loquendi formulas. Apud Prophanos auctores vix unquam occurret iſta ſignificatio. Ipſiſſima legitur apud Diodorum Siculum hiſtoriarum *lib.* 1. ubi refert interpretationem inſcriptionis, quæ Iſidis tumulo erat inſcripta, Ego ſuum Iſis regina hujus regionis, à Mercurio erudita, καὶ ὅσα ἐγὼ δήσω, οὐδεὶς δύναται λῦσαι, *& quæcumque ego ligabo, ullus poteſt ſolvere*: Nihil potuit expreſſius. Adnotatur, exemplaria quædam habere, ἐνομοθέτησα, ſed hoc ex alicujus meditatione qui inſolitam τοῦ δήσω ſignificationem in margine adſcripſit. Translationis auctorem probabile eſt Ægyptiaca verba κατὰ πόδα ſecutum Iliados, Σ, Achiles occiſo Patroclo in Martem conqueritur, ἐμεῖο δὲ δῆσεν ἄρει ἀλκτῆρα γενέσθαι. Me ligavit Mars, hoc eſt, impedivit ne Patroclo propugnator adeſſem. Sic interpretantur Homeri Scholiaſtæ Euſtathius, & Didymus. Verùm ut notant ipſi propter variam accentus in voce, ἄρει, lectionem, variè verſus explicatur: neque hac conceſſa verbi acceptione demonſtratur ea, de qua contendimus ſignificatio.

IX. Duo alia ſunt dictionum oppoſitarum paria, quæ idem propè ſignificant; Prius eſt, פטור & חוב quæ frequenter à Rabbinis juris prudentibus opponuntur. Videtur tamen hoc diſcrimen eſſe, quòd præcedentia res potiſſimum notant; iſta verò perſonam. חוב Chajab, ſignificat, obligari, teneri, reum eſſe alicujus rei faciendæ. Multa habet alia ſignificata, à verbo חוב quod Chaldeis eſt uſitatiſſimum derivata. Sed hæc à dictionariis Caldæis, & Rabbinicis facilè peti poſſunt. His ideò dimiſſis ei ſoli, quàm adnotamus, inſiſtemus. Suum par oppoſitum eſt, פטור, liberum, dimiſſum, exemptum Tractatu Talmudico Kerithuth, *cap.* 3. *fol.* 12. והתורה מודה בדברים חייב אין מודה בדברים פטור *Si confitendo confeſſus fuerit verbis expreſſis, reus eſt, teneatur. Si confeſſus non fuerit, liber eſt, non tenetur*. In libro Siphra apud Jalkut, *ſectione* 472. *fol.* 129. *col.* 2. ושאלה חייב ושאלה פטור, *Qui ex illa parte obligatus, qui ex iſta liber*, ſcilicet à Sacramento. Et in Miſnajoth Tractatu Schebuoth, *cap.* 4. *num.* 4. כפרו שניהן כאחת שניהן חייבין זה אחר זה הראשון חייב והשני פטור. *Negaverunt duo velut unum teſtimonium ſimul, & conjunctim ferentes; Ambo tenentur. Alter poſt alterum, prior tenetur, poſterior liber eſt*. Et ibid. *num.* 14. ſæpiùs, משביע אני עליכם מצוה אני עליכם אוסרכם אני הרי אילו חייבין בשמים ובארץ הרי אלו פטורין באלף דלת ביוד ואי בשדי בצבאות בחנון ורחום בארך אפים ורב חסד ובכל הכינויים הרי זה חייב המקלל בכולן חייב דברי רם וחכמים פטורין המקלל אביו ואמו חייב דברי רם וחכמים פטורין. *Juro ego ſuper vos, præcipio vobis, ligo vos: En iſti obligati ſunt. Per cœlum, & terram juro, En liberi ſunt: Per Aleph, daleth, per Jod He* (per Adonai vel Johova) *Per Sadai, per Sabaoth, per Clementem, & miſericordem, per longanimem, & tardum ad iram, per copioſum gratiis, per omnia Dei cognomina, & attributa. En iſte Reus eſt. Qui maledicit per omnia ſimul ſecundùm R. Meir Reus eſt, ſed ſapientes liberant. Qui maledicit Patri, & Matri reus eſt juxta R. Meir, ſed eum ſapientes liberant*. Multa ejuſmodi exempla legi poſſunt in Talmude Hieroſolymit. eodem Tractatu, & eodem capite in cujus fine præter cætera non ſemel legitur, רם מחייב וחכמים פוטרים *R. Meir eum obligat, Ream facit, Sapientes liberant, & miſſum faciunt*. Plurima ejuſmodi legentibus eorum libros paſſim occurrunt. Legere eſt etiam iſtas dictiones propter affinitatem ſignificationis eodem cum אסור &, מותר ſenſu ſumptas. Sic in Halichoth holam *cap.* 1. antè finem adnotatur, כל פטורים בשבת פטור אבל אסור לבד מתלת דרלטירם ומותר. *Omnia Petarim in Tractatu de Sabbato à pœna immunem perſonam ſignificant, verùm actionem prohibent, præter tria, quæ liberam perſonam, & actionem licitam*.

X. Tertium dictionum oppoſitarum par à ſenſu præcedentium paululùm variat. Eſt autem הגר & שרת, quæ ſignificant, excommunicavit & ſolvit, atque eorum paronyma, & conjugata; quorum exempla permulta referemus *lib.* 4. Ubi de Excommunicationibus Judæorum verba faciemus. Adnotabimus tantùm Syrum Interpretem τῷ, אסר quæ Syris, non ſecus ac Hebræis vox eſt uſitatiſſima, oppoſuiſſe *Matth.* 16. 18. & 18. 18. שרא quæ excommunicationis ſolutionem ſignificat.

CAPUT IX.

Forum Eccleſiaſticum ab incunabulis Eccleſiæ, & longo poſt tempore lites omnes, & controverſias Chriſtianorum complectebatur. Quando, & qua ratione ab Imperatoribus auctum, & poſteà imminutum, & tandem abrogatum eſt, rurſuſque ampliſſimè, & auguſtiſſimè renovatum, iterùm imminutum eſt, & propè ſublatum. Quando fori Pœnitentialis, & judicialis cognitores diviſi ſunt, novaque Abſolutionis ab excommunicatione formula invaluit.

ANtequam ulterius progrediamur, opportunum videtur hic lectorem admonere de antiqua fori Eccleſiaſtici amplitudine; qua ratione & ampliatum, & coarctatum fuerit, tandemque in duo diviſum, internum & externum & varii ſunt unicuique attributi Judices: Cujus rei occaſione auguſtiſſima Eccleſiæ auctoritas cum humillimis Eccleſiæ ordinibus, immò cum iis, qui nulli ordini initiati erant, communi-

municari cæpit, ipſique non modo majeſtate, & *προσωποληψίᾳ*, ſed etiam auctoritate, regimine, & imperio ſummos Sacerdotii apices aliquando ſupergreſſi ſunt. Ab ipſis Eccleſiæ incunabulis non modò omnia fidelium peccata, ſive fuerint occulta, ſive publica tribunali Eccleſiaſtico ex æquo ſubjecta ſunt, atque in utraque pro prudentia ſua Eccleſia ſemper animadvertit; verumetiam lites omnes, cauſæque civiles, controverſiæ, & quidquid rixarum in mutuis Chriſtianorum commerciis contingere poterat, eidem tribunali ſubmittebatur; nève ad prophanos Judices quoquo modo deferrentur, Apoſtolica auctoritate ſeverè prohibebatur. Primus hoc jus dictante Spiritu S. indixit S. Paulus, 1. *Cor.6.* aliterque facientes aſperè increpuit. *Audet aliquis veſtrum habens negotium adversùs alterum judicari apud iniquos, & non apud Sanctos? An neſcitis quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Et ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis qui de minimis judicetis; Neſcitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis ſecularia?* Imò S.Apoſtolus fideles tantopere à prophanis judiciis deterret, ut malit viliſſimos quoſque de fidelium litibus ſententiam laturos eligi, quam prophana judicia ab iis adiri. *Secularia igitur judicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum.*

II. Hoc permultis urget Clemens *Conſtitut. lib.2. c.45.* & ſequentibus, *Si factum fuerit, ut incidat ei lis, det operam ut dirimatur, quamvis opus ſit aliquid damni facere, & ne adeat ad judicium Gentilium; immò ne patiamini ut ſeculares Magiſtratus de cauſis veſtris judicent. Per eos enim Diabolus ſtudet, ut famulis Dei probrum etiam excitet, quaſi non habeatis vos quempiam ſapientem, qui poſſit inter vos jus dicere, aut controverſias dirimere.* Et *cap.46. Ne igitur diſceptationes veſtras Gentiles cognoſcant, neque ad dicendum contra vos teſtimonium adhibeantur, neque ab eis judicemini, &c.* Pluribus iſta perſequitur. Idem Epiſtola 1. quæ refertur ab Ivone *part.6. c.345.* & Gratian. 11. *q.1.c.33. Si quis ex fratribus negotia habent inter ſe, apud cognitores ſeculi non judicentur, ſed apud Presbyteros Eccleſiæ, quidquid illud eſt, dirimatur, & omnino obediant ſtatutis eorum.* Sic docet etiam Quirinum S. Ciprianus *lib.3. teſtimoniam adversùs Judæas cap.44. fideles inter ſe diſceptantes non debere gentilem Judicem experiri* in Epiſtola Pauli *ad Corinth.1. Audet quiſquam veſtrum &c.* Ad hunc morem alludebat evidenter S.Cyprianus Epiſtola 55. ad Cornelium cùm ſcribit verſus finem, *Opto omnes in Eccleſiam regredi, Opto univerſos Commilitones noſtros intra Chriſti caſtra, Dei Patris domicilia concludi, remitto omnia, multa diſſimulo ſtudio, & voto colligendæ fraternitatis, etiam quæ in Deum commiſſa ſunt, non pleno judicio religionis examino, delictis pluſquam oportet remittendis ipſe delinquo.* Neque enim iſta de lapſis tantùm, & idololatris intelligi poſſunt: ſunt enim generaliſſima, & peccatorum, contentionumque univerſa genera complectuntur. Deinde per peccata in Deum idololatriam, aliaſque Blaſphemiæ ſpecies intelligit. Itaque alia peccatorum genera complectitur. Quum hæc obiter tantùm attingamus, hæc paucis adnotaſſe ſatis eſto. Conſuetudinem iſtam à Judæorum moribus, quibus inſueverant, derivarunt. Excommunicationis enim pœnam iis infligere ſolebant Judæi, qui contra Iſraelitam in Tribunalibus gentium teſtimonium dixerant, ut demonſtrabitur infra *cap.17. lib.4.*

III. Cùm primùm Imperatores religionem Chriſtianam profeſſi ſunt, maxima hæc Epiſcoporum authoritas plurimùm adhuc aucta eſt. Conſtantinus enim celebri edicto, quòd in fine Codicis Theodoſiani legitur, univerſis populis permiſit ad Epiſcopos provocare, ſive quis Actor eſſet, aut Reus, ſive ante litem conteſtatam, ſive poſt conteſtatam, modò Judices non pronuntiaſſent. Prohibuit verò ne ab Epiſcoporum ſententia provocaretur, ſed ſtatim à Judicibus ſuis etiam Præfectis Prætorio executioni mandaretur. Auguſtiſſimi iſtius privilegii rationem notatu dignam reddit, *Multa enim, quæ in judicio captioſæ præſcriptionis vincula non patiuntur, inveſtigat, & promit ſacroſanctæ religionis auctoritas.* Alludit ad morem Chriſtianorum, qui vi religionis adacti latentia crimina, quorum nulla erant indicia, aut ad rei evidentiam minus idonea, ſponté tamen confitebantur, pœnaſque Eccleſiaſticas ſubibant, nec inviti, quibus injuriam intulerant, ſatisfaciebant. Edictum autem illud cùm ſit generale, nulloſque homines definiat, Ethnicos non minùs complectitur quàm Chriſtianos. Itaque tum temporis, ut illius Edicti nonnunquam in iis, quæ ad forum externum, ſive ad lites civiles pertinent de Ethnicis judicabant Epiſcopi. Hoc edictum Theodoſius Imperator confirmavit, codicique ſuo inſeruit. Idem fecerunt Imperatores, & Franciæ Reges, Carolus Magnus, & Ludovicus Pius, cùm illud in capitularia ſua tranſtulerunt *lib.6.cap.281. Gratianus* quoque in decretum ſuum illud intulit. 11. *q.1.c. Quicunque*, & ſequentibus, atque ante Gratianum Ivo, *p.16.c.312.*

IV. Aliquot tamen annis, nec admodum multis poſt Chriſtianorum imperium, cœpit res paulò aliter ſe habere, ſenſimque auctoritas imminui. Non modò enim Chriſtiani lites ſuas civiles, rixaſque quotidie emergentes ab Epiſcopis, & Eccleſiarum Presbyteris ad Magiſtratus Cæſareos detulerunt; verùm etiam cauſas, pleraſque Eccleſiaſticas, quæ laicos ſpectabant. Ulteriùs progreſſi ſunt: Ipſi Clerici ſæpè ad tribunalia ſecularia provocaverunt. Sed contra duo poſtrema fortiter obniſi ſunt antiqui Patres: ſeverè enim prohibuerunt, ne cauſæ Eccleſiaſticæ, quà laicos ſpectabant, ad Magiſtratus deferrentur, neve Clerici alibi quàm apud Epiſcopos cauſas dicerent. Cujus rei teſtes ſunt præter innumeros Conciliorum canones multæ ſanctorum Patrum querimoniæ. Poſtquam tamen Magiſtratus ipſi ut plurimum Chriſtiani eſſe cœperunt, eorum tribunalia adire paulatim non erubuerunt Chriſtiani. Exiſtimarunt enim prohibitionis Apoſtolicis ceſſare rationem, *Audet aliquis veſtrum habens negotium adversùs alterum judicari apud iniquos, & non apud ſanctos.* Cùm non ampliùs ad Ethnicos Judices, ſed Chriſtianos, non ad iniquos, ſed ſanctos confugerent. Corinthiis prætereà conſuluit Apoſtolus, ut contemptibiles potiùs in Judices eligant, quàm Ethnicos Judices adeant: Multò magis doctiſſimi Magiſtratus Chriſtiani contemptibilibus in Eccleſia perſonis erunt præferendi. Ideò etiam Epiſcopi de actionibus Chriſtianorum criminalibus, & civilibus Magiſtratus Chriſtianos cognoſcere facilè permiſerunt, totumque illum contentionum forenſium tumultum non inviti abs ſe ablegaverunt, ſolis Clericorum cauſis, & Laicorum, quæ ſpiritualia ſpectant, ſibi reſervatis. Spontanea tamen illa ceſſio non impedivit, quin Magiſtratus auctoritatem merè Eccleſiaſticam ſæpè attentarent, & aliquando vulnera non levia illi infligerent; ſed paulò poſt facilè curata ſunt, donec pleriſque ejuſmodi auſis Juſtiniani Cæſaris edicta faverent, juſque darent.

V. Sed regnantibus Francorum Regibus, Carolo magno, Ludovico, & Ludovici filiis priſtinam authoritatem in laicorum lites, rixaſque reſumpſit Eccleſia, & judiciale hoc forum, Pœnitentiali, in Italia ſaltem, Gallia, & Germania, iterùm conjunxit. Aliud prætereà uſitatum fuit eo tempore, & multis poſt hæc annis, quòd ab ipſis Eccleſiæ initiis ortum, vimque habuit. Duo erant ſcelerum genera: unum quòd à magiſtratu vindicabatur, ut furtum, homicidium: alterum, quod ab eo non vindicabatur, ut fornicatio, uſura. In utraque ſic ſe gerebat Eccleſia. In priori, ſi morte plectebatur Reus, nihil præter reconciliationem ſupererat Eccleſiæ quòd faceret. Si morte non plectebatur, præter mulctam à Magiſtratu irrogatam, Pœnitentiam publicam agere ab Eccleſia cogebatur, ut demonſtrabitur *lib.7.c.6.* In poſteriore verò Pœnitentiam ſecundùm canones obibat. Hoc inſuper eodem tempore peculiare fuit, ut Reus criminis à Magiſtratu puniendi Pœnitentia publicè acta ſæpè Magiſtratus juriſdictioni eximeretur, ut primis libri ſeptimi capitibus docebitur. Mos autem ille vigebat adhuc poſt annum Chriſti milleſimum centeſimum, ut nonnulla iſtorum temporum exempla confirmant, licèt poſt diviſum francicum imperium, civiliaque bella ſeculis nono, & decimo Epiſcopalium ſententiarum longè minor à laicis in re laica haberetur ratio.

VI. Verùm circiter annum centeſimum ſupra milleſimum, aut paulò poſt, antiquarum Pœnitentiarum uſu decreſcente crevit mirum in modum in civiles laicorum cauſas Epiſcopalis authoritas. Cùm autem Theologiæ ſcholaſticæ fundamenta eodem tempore jacerentur, brevique ſcholas omnes occupaſſet, forum Pœnitentiale in praxi ſeparari cœptum eſt à judiciali, & in varias perſonas transferri, ne Epiſcopi, eorumque Vicarii negotiorum tam Eccleſiaſticorum, quàm laicorum mole opprimerentur. Et licèt hoc poſteriùs auctoritate, virtute, Spirituſque S. communicatione priori plurimùm cedat, primariò tamen alicui Presbytero cæteris dominaturo delegatum eſt; prioris verò exercitium inferioribus, & vilioribus Presbyteris demandatum. Ille igitur primarius Præsbyter Epiſcopi Vicarius civiles omnes, criminaleſque Clericorum cauſas, necnon Laicorum pleraſque judicavit; ſed cum juris formulis, ſtrepituque, & tumultu forenſi; Cenſuraſque Eccleſiaſticas pro prudentia ſua ſolus pronuntia-

nuntiavit, vel à jure illatas ſolus declaravit, & executus eſt; ſolus quoque ab iiſdem Cenſuris Abſolutionem conceſſit, quàm culpæ, & peccatorum expunctricem eſſe noluit, ne forum ſuum judiciale, & externum cum Pœnitentiali, & interno confunderet; néve, quòd neceſſum fuiſſet, longas, & multiformes ſecretæ omnium peccatorum confeſſionis ambages audiendo defatigaretur. Ideò nova Abſolutionis ab Excommunicatione formula condita eſt, non tantum indicativo modo enuntiata, ſed etiam in qua nulla remiſſionis peccatorum mentio fieret. Hanc nobis repræſentat integram Cardinalis Hoſtienſis *Summæ lib.5. de ſentent. Excommunic. n.14. §. Tertium eſt*. Reprehenditque cùm alio quodam Canoniſta Rainaldo quorumdam Sacerdotum conſuetudinem, qui modo deprecativo formulam enuntiabant. Serò tamen videtur uſurpata: Nam Burchard. *lib.11. c.8.* formulam integerrimam fusè refert, totam deprecativam, & veniam remiſſionemque peccatorum poſtulantem. Ita quoque Gratianus 11.*q.3. c.*108. Certè aliam non habuit in mente Innocentius III. *extr. de ſent. Excommunic. C. A nobis*. Ad eam etiam ſpectare videtur Hugo à S.Victore *lib.1. de Sacramentis c.25. & 26.*

VII. Hac fori ſeparatione poſita, & uſurpata, non abs re docuerunt Theologi Scholaſtici hanc judicialem, & externam authoritatem, quæ pœnitentialem, & internam regit, diſtringit, compeſcit, caſtigat, in ſimplicem Clericum transferri poſſe. Nonnullis eorum prætereà viſum eſt eandem auctoritatem ad puros puto laicos devolvi poſſe, immò, & paucis quibuſdam, ad mulieres ipſas, ita ut Pontificum privilegio ſubnixis liceat Præsbyterorum cœtui præſidere, Præsbyteros regere, corrigere, ab officio ſuſpendere, excommunicare, communioni Eccleſiaſticæ, & altaris reſtituere. De iſtius ſeparationis primo authore non abs re dici poteſt quod de Eurytione Homerus Odyſ. φ'. *Οἱ τ' αὐτῷ πρώτῳ κακὸν εὕρετο*. Hinc enim Judices laici occaſionem arripuerunt juriſdictionem Eccleſiaſticam ſibi vindicandi, & ſemel vindicatam confidenter retinendi. Quid, inquiunt? Quòd ſimplex Clericus ſibi tribuit, nobis Clericis, & regiis judicibus convenire non poterit? Mulier juriſdictionem Epiſcopalem univerſam jactato privilegio approbantibus Doctoribus ſibi arrogabit? Judex verò regius longa poſſeſſione fretus, ſi vel minimum quid ſibi vindicet, ſacrilegus erit? Nota ſunt hæc juris utriuſque Prudentum axiomata, *Quidquid eſt quæſibile privilegio, poteſt conſuetudine immemoriali acquiri*: Et, *Quando conſuetudo præſcripta eſt immemorialis, & cum ea concurrit privilegii fama, Pontificalis privilegii vim habet*. Quæ multi, ſed præ cæteris Salgado, in volumine de regia protectione vi oppreſſorum, in rem ſuam convertunt. Sed hæc aliis curæ ſunto. A tempore autem notato ad annum uſque 1300. & aliquot inſuper annos judicialis, & forenſis Epiſcoporum auctoritas in immenſum aucta eſt, & plenè, cumulatèque perfecta. Sed ab eo ſeculo ad uſque noſtra ſecula tanta decrementa in multis provinciis paſſa eſt, ut illius umbra tantùm ſuperſit. Pluribus iſta perſequi à ſcopo noſtro æquo longiùs eſſet evagari, cùm ſolùm illud forum Eccleſiaſticum, quòd peccatis imponit pœnitentias ſalutares, ſcelerum expiatrices, & iræ Dei *ἀνυποστάτου* nobis hoc opere explicandum proponamus; aliud verò tantùm obiter, ut authoritatis Eccleſiaſticæ majeſtas illius comparatione magis eluceat.

VIII. Tantam Epiſcopis in rebus civilibus auctoritatem olim attributam fuiſſe non mirabitur, qui quo loco à Chriſtianis haberentur Epiſcopi apud ſe perpenderit. Sic de Epiſcopo loquitur Clemens *Conſtit. lib.2. c.26. Hic princeps, & Dux veſter: hic veſter Rex, & Præfectus; hic poſt Deum terrenus Deus, qui honore veſtro frui debet. De his enim, & ſimilibus ajebat Deus, Ego dixi, dii eſtis, & filii altiſſimi omnes: Et, Diis populi tui non detrahes. Et cap.29. Nam ſi Aaron poſtquam Pharaoni nuntiavit verba Moſis, Propheta dictus eſt; Moyſes verò Deus Pharaonis, ut Rex ſimul, & Pontifex, ſicut ait illi Deus, poſuit te Deum Pharaoni, & Aaron frater tuus erit tuus Propheta, cur vos internuntios ſermonis veſtri non habetis in Prophetis, & Epiſcopos tanquam Deos colitis? Nunc enim veſter Aaron eſt Diaconus, Epiſcopus verò veſter Moyſes, & Deus. Si igitur Moyſes à Domino appellatus eſt Deus, Epiſcopum in honore ut Deum habete, & Diaconum ut Prophetam ejus &c.* Similia rurſus *cap.34.* ejuſdem libri. Epiſcopalem authoritatem non minoris facit S. Ignatius Apoſtolorum diſcipulus: Sic ſcribit in Epiſtola ad Smyrnenſes, *Honora Deum ut omnium auctorem, Epiſcopum verò ut principem ſacerdotum imaginem Dei referentem. Epiſcopo nihil majus eſt in Eccleſia, qui Deo conſecratus eſt pro totius mundi ſalute. Qui honorat Epiſcopum, à Deo honorabitur, ſicut qui ignominia afficit illum, à Deo punietur*. Et in Epiſtola ad Trallianos, *Revereminí Epiſcopum ſicut Chriſtum, quemadmodum nobis præceperunt Apoſtoli &c. Quid enim aliud eſt Epiſcopus, quàm is qui omni principatu, & poteſtate ſuperior eſt, & quoad homini licet, pro viribus imitator Chriſti Dei factus.*

IX. Eandem Epiſcoporum authoritatem præ cæteris tuetur, extollit, & urget S. Cyprianus *Epiſt. 55. ad Cornelium*, quæ ferè integra in tantæ auctoritatis aſſertione impenditur. *Quòd ſi ita res eſt, frater chariſſime, ut nequiſſimorum timeatur audacia, & quòd mali jure, atque æquitate non poſſunt, temeritate, ac deſperatione perficiant, actum eſt de Epiſcopatus vigore, & de Eccleſiæ gubernandæ ſublimi, ac divina poteſtate, nec Chriſtiani ultrà aut durare, aut eſſe jam poſſumus*. Poſteà multis docet eſſe Epiſcopis obtemperandum; hucque refert quòd ſcribitur *Deut.17. Homo quicunque fecerit in ſuperbia, ut non exaudiat Sacerdotem, & Judicem, quicunque fuerit in diebus illis, morietur homo ille &c.* Prætereà nonnullis aliis è ſcriptura ductis argumentis, quæ ſæpius alibi in eundem finem repetit, ut *Epiſt.65. ad Rogatianum, 69. ad Pupianum*, ſubiicit: *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundùm magiſteria divina obtemperaret fraternitas univerſa, nemo adverſùm Sacerdotum collegium quidquam moveret; nemo poſt divinum judicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coepiſcoporum conſenſum, judicem ſe jam non Epiſcopi, ſed Dei facerent*. Iſidorus Peluſiota *lib.2. Epiſt. 125. Epiſcopatus quidem & nomen, & res ipſa cùm divinum quiddam ſit, atque omni alio munere, & dignitate præſtantiùs, paucis quibuſdam convenit; hoc eſt, iis, qui paternam curam, non autem tyrannicam vitæ licentiam hanc dignitatem eſſe exiſtimant &c.* Sozomenus *hiſtoriæ lib.2. c.32. Imperatores Chriſtiani poſt mortem Conſtantinopoli ſepeliuntur, atq; Epiſcopi etiam. Quippe cum dignitate Sacerdotalis imperii dignitati par ſit, immò verò in locis ſacris primas partes obtineat.* Ideò Valentinianus Imperator Epiſcopos alloquens Epiſcopum Mediolanenſi Eccleſiæ ſuffecturos, poſtquam breviter qualem eſſe oporteat Epiſcopum deſcripſit, ſic colligit apud *Theodoretum hiſtoriæ Eccleſ. lib.4. c.5. Quare hominem ita inſtructum in ſede, & gradu Epiſcopali jam collocate, ut & nos à quibus hoc gubernatur imperium, ei verè, & ex animo capita inclinemus, & illius reprehenſionem (nam cùm ſimus homines errore labi neceſſe eſt) velut medicinam animorum cupidè amplexemur*. Nemini ignota eſt Coſtantini primi Chriſtiani Imperatoris de divina Epiſcoporum authoritate ſententia, *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & vobis poteſtatem dedit de nobis quoque judicandi, & ideò nos à vobis rectè judicamur; vos autem non poteſtis ab hominibus judicari, &c.*

X. Pleraque ſunt alia tum Imperatorum, tum antiquorum Patrum de auctoritate Epiſcopali teſtimonia. Sed hæc conſilio noſtro ſufficiunt. Qui maximam, & divinam Epiſcoporum authoritatem, quam tanto conſenſu, tantiſque animis Patres aſſeruerunt, ob oculos ſibi proponet, nec Eccleſiam, opinor, mirabitur tantum juris in fidelium cauſas, liteſque ſibi attribuiſſe; nec tantam ſeveritatem in peccatorum ſive occultorum, ſive publicorum punitione fideles æquo animo ſuſtinuiſſe: multo minus ſi quantum pœnarum pœnitentialium tolerantiam æſtimarent, apud ſe perpenderint. Sed de hac æſtimatione aliàs dicendi locus.

CAPUT X.

Fori Eccleſiaſtici quà peccata ſive occulta, ſive publica per longas, graveſque Pœnitentias punienda, & ſananda reſpicit, amplitudo, ex antiquorum dictis deſcribitur; forum illud in externum, & internum, duplexque tribunal olim non dividebatur. Quando id fieri cœptum. Duplex forum ſed alia ratione quàm hodierna dupliciter diſtingui potuit. Abſolutio ab Excommunicatione antiquitus à Sacramentali variè diſtincta. Hanc fori Pœnitentialis amplitudinem, & illius unicum tribunal nonnulli Theologi recentiores adnotarunt.

Alteram, & ſubſtantialem fori Eccleſiaſtici partem, quæ peccata omnia, eorumque medelas ſpectat, maxima cum auctoritate, & indiſſoluta, individuaque fori utriuſque interni, & externi juriſdictione annis centum ſupra mille adminiſtrarunt Epiſcopi, eorumque Vicarii. Quanquam enim toto illo tempore nonnullas magni momenti varietates urgentibus de cauſis Epiſcopi in Eccleſiæ diſciplinam, quæ pœnitentiam ſpectat, intulerint, quas ſigillatim enarrabi-

ſabimus, conſtanter tamen juriſdictionem ſuam in omnia crimina, etiam leviſſima, occulta & publica, Sacramentali, ut nunc loquimur, ratione exercuerunt. Non enim anxiè diſtinguebant, an in Confeſſione ſecreta, an extra Confeſſionem ejuſmodi peccata cognoſcerent, ut iis Pœnitentiam, & reconciliationem canonicam concederent, ſive, ut nunc loquimur, Abſolutionem Sacramentalem. Unicus erat ille Epiſcoporum, & Presbyterorum finis in peccatis quibuſque judicandis, ſive in Deum, ſive in fratrem commiſſa forent. Nec erat alius, qui Excommunicationem, alius, qui peccata ſolveret, ad quem ſoluta Excommunicatione peccator eſſet remittendus: nec erat aliud tribunal, in quo excommunicandus, vel excommunicatus judicabatur, aliud, in quo Pœnitens excommunicatione ſoluta; ſed unus, & idem homo, Epiſcopus ſcilicet, vel Presbyter unius ejuſdemque tribunalis præſes id præſtabat; vel ſi antiquiſſima tempora reſpicias, id præſtabat Epiſcopus Presbyteris Aſſeſſoribus cinctus, non modò in cauſa criminum publicorum, ſed etiam occultorum, quæ ſponte Reus publicè confitebatur, propriæ conſcientiæ aculeo compunctus, vel prudentis Confeſſoris conſilio ſtimulatus, vel denique occulto illo crimine fidelis alicujus teſtimonio, & induſtria revelato, & comprobato. Hæc ſemper intelligenda ſunt, niſi vitæ periculum, aut aliquod aliud grave incommodum conſuetis juris formulis tempus intercluderet. Tum enim Epiſcopus ſolus, aut inſtante mortis periculo Presbyter id implebat. Tribunal igitur Epiſcopi, aut Presbyteri, ſive Presbyterorum Confeſſionibus audiendis deputatorum omnia hæc indiſtinctè complectebatur.

II. Primum ſententiæ iſtius argumentum eſto totus liber ſecundus Conſtitutionum Apoſtolicarum, in quo nihil aliud ferè tractatur, quàm modus, ratioque, juxta quam Epiſcopus in judicandis, ac puniendis peccatis, recipiendis ad Pœnitentiam peccatoribus ſeſe gerere debeat; nec ulla unquam in eo diſtinctio peccatorum, cujus membrum foro Eccleſiaſtico, & Pœnitentiæ eccleſiaſticæ non ſubiiciatur. *Cap.* 10. docet, Epiſcopum, qui peccatori temerè parcit, reum eſſe. *Cap.* 11. & 12. Qua ratione delinquentibus parcere debeat, quod perſequitur capitibus ſequentibus, cap. verò 16. *Cùm verò delinquentem aliquem videris, acerbè ferens, jube eum eiici foras. De ejecto doleant Diaconi, eumque obſervent, & extra Eccleſiam contineant, &c. Poſteà jubebis egredi, & facta examinatione an pœniteat, ſitque dignus, qui in Eccleſiam ex tota admittatur. Caſtiga illum jejuniis duarum, aut trium, aut quinque ſeptimanarum, ut delicti genus, & ratio popoſcerit, atque ita abſolve eum &c. Et cap.* 20. ſic Epiſcopum alloquitur, *Ovem, quæ amiſſa eſt, exquiras, quæ erravit corrigas, quæ abſceſſit, revoces. Poteſtatem enim habes revocandi, & dimittendi fructos cum venit. Per te enim dicit Salvator Paralytico languido in peccatis, remittuntur tibi peccata tua, & illud, fides tua te ſalvam fecit, vade in pace. Pax verò, & tranquillus portus eſt Eccleſia Chriſti, in quam peccatores abſolvendo reſtitue ſanos, & à maculis liberos cum bona ſpe, & cum labore operum.*

III. Similiter in canonibus Apoſtolicis, cujuslibet generis crimina in Laicis communionis interdictione plectuntur, ut animadvertere poterit lector in canonibus, 9. 10. 24. 31. 43. 48. 61. 71. 72. 73. 84. Res eſſet immenſæ, & inutilis operæ omnes antiquorum Conciliorum canones in hunc ſcopum colligere, cùm omnibus obvii ſint, plurimoſque in operis hujus perſecutione neceſſariò ſimus enarraturi. Satis erit nobis hic exponere S. Gregorii Thaumaturgi in Epiſtola ſua canonica, quæ omnium canonicarum eſt antiquiſſima, inſtitutum. Barbari Pontum, Aſiamque excurſionibus, & deprædationibus infeſtaverant. Inter bellicos tumultus Chriſtiani plures multa iniquè ex captivis, & eorum bonis direptis lucrati fuerant, variiſque modis, ut fieri ſolet, hoc contigerat. Unicuique ſpeciei Pœnitentiæ modum variis canonibus imponit, & eam juxta varios gradus diſtribuit, quibus emenſis reconciliatio, & perfectis communio redhibebantur. Ita autem hæc diſtinguit, ut crimen confitentibus multo minorem pœnam infligat, quàm convictis.

IV. Macarius ab Imperatore in Africam ad, compeſcendos Donatiſtas miſſus, nonnullos morte affecerat. Optatus Milevitanus de hac actione *in fine lib.* 7. diſputat, tandemque, inquit, poſito quod Reus fuerit, abſtineri tamen negat potuiſſe. Rationes referendæ ſunt: Ex iis enim fori Eccleſiaſtici interioris cum exteriori in unum conjunctio dilucidè admodum colligitur. Dicamus & nos, quod dicitis, Reum fuiſſe Macarium. *Quod ſi fuit accuſatore ſilente, à nobis non licuit abſtineri. Scriptum eſt enim ante cognitam cauſam neminem eſſe damnandum. Dicite, quis eum accuſavit, & auditus non eſt. Dicite Macarium confeſſum eſſe culpam, & noſtram tuliſſe ſententiam. Sumas enim qualeſcumque Judices in Eccleſia, quod & ipſi non negatis, quod nos judices eſſe veros debere fuiſſe contenditis. Non enim poſſumus facere quod non fecit Deus, qui in judicio ſuo perſonas ſeparare dignatus eſt; nec eundem voluit eſſe accuſatorem, & judicem.* Hoc demonſtrat ex forma judicii, qua Deus Cain propter fratris cædem condemnavit. Poſteà reſumit, *Et vos vultis, ut abſtineremus quem non vidimus aliquid mali facientem, & qui nullum habuit accuſatorem. Video hoc loco quid invidia veſtra ſubmurmuret. Dicitis enim non nos latuiſſe, quod factum eſt. Fatemur nos audiſſe, ſed peccatum erat damnare eum, quem nemo eſt auſus arguere, &c.*

V. Antiquus author quæſtionum in utrumque teſtamentum qui *tom.* 4. *operum S. Auguſtini* inſeri ſolet, eundem vulgatum ſui temporis in communionis denegatione procedendi morem *quæſt.* 102. per occaſionem non obſcurè deſcribit, *Adhuc eſt aliquid, quod deprehendit Novatianus. Cur, inquit, Corpus Domini tradant eis, quos noverunt peccatores? Quaſi poſſint ipſi Accuſatores eſſe, qui ſunt Judices. Si autem accuſati fuerint, & manifeſtati potuerunt abiici. Nam quis Judex accuſantis ſumit perſonam? Nam ſi ipſe Dominus Judam paſſus eſt, quem ſciebat furem eſſe, & ea, quæ mittebantur exportare, nec eum, qui accuſatus non eſt, abiecit. Hoc exemplo uti oportet, ut eum abiicere non liceat, qui publicè detectus non fuerit.* Negat accuſationem illam ad Eccleſiæ Præpoſitos pertinere, ſed ad plebem criminum proximi gnaram; ideo Præpoſitos communionem impiis, quos impios noverunt, ſed non accuſatos, tribuentes, hac conceſſione non pollui.

VI. Singulare ejuſdem litis peragendæ exemplum nobis præbet S. Ambroſius *cap.* 6. *libelli ad virginem lapſam*. Eam alloquens paucis verbis docet, qua ratione crimina etiam leviora, & occultiora inquiri, probari & vindicari ſolerent. *Cùm ante triennium rumor quidam, & ſuſurratio de te fuiſſet, tu ſinceritatem prætendebas, vindictam de maledicis in Eccleſia poſtulabas publicè. Quos æſtus ego ſuſtinui? Quos pater tuus pro tua ſuſtinuit opinione labores, requirentes ſingulos, ſingulos adſtringentes, ut ad auctorem infamiæ venire-mus? Grave enim erat nobis, & intolerabile, de Dei virgine vel turpe aliquid dici, vel credi. Nec hoc veritas erat, nec ante oculos habuiſti, ut venires inimicis tuis in gaudium, & eos haberes infenſos, qui pro tua opinione laborabant.* In quem finem calumniæ iſtæ ita diligenter inquirebantur? ut Pęnitentia canonica authoribus imponeretur, ut ea peracta, calumniaque abſterſa, altari reconciliarentur.

VII. Eundem agendi, & procedendi modum in peccatis puniendis tam publicis, quàm occultis perſpicuè admodum docere mihi videtur S. Innocentius *Epiſt.* 3. *cap.* 4. *ad Exuperium*. Interrogat Exuperius, *Cur communicantes viri cum Adulteris uxoribus non conveniant, cùm contra uxores in conſortio Adulterorum manere videantur*, Sic reſpondet, *Super hoc Chriſtiana religio adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat. Sed viros ſuos mulieres non facilè de adulterio accuſant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberius uxores adulteras apud Sacerdotes deferre conſueverunt; & ideò mulieribus prodito earum crimine communio denegatur: Virorum autem latente commiſſo non facilè quiſquam ex ſuſpicionibus abſtinetur: Qui utique ſubmovebitur, ſi ejus flagitium detegatur. Cùm ergo par cauſa ſit, interdum probatione ceſſante vindictæ ratio conquieſcit.* Evidens eſt, Innocentium de peccatis occultis potiſſimùm agere, cùm ipſe hoc disertè adnotet, peccata illa latere, & à marito vel uxore prodi. Sed Innocentio in hujus rei probationem S. Auguſtinum conjungamus: Sic ille in eadem cauſa *Sermone* 16. *de verbis Domini*, *Sunt homines Adulteri in domibus ſuis, in ſecreto peccant aliquando; nobis produntur ab uxoribus, ſive plerumque zelantibus, aliquando Maritorum ſalutem quærentibus. Nos non prodimus in palàm, ſed in ſecreto arguimus, ubi contigit malum, ibi moriatur malum. Non tamen vulnus illud negligimus: ante omnia oſtendentes homini in tali peccato conſtituto, ſauciamque gerentis conſcientiam illud vulnus eſſe mortiferum, &c.* Similis locus ex S. Auguſtino refertur *lib.* 2. *cap.* 7. Ejuſdem argumenti eſt, quod ſcribitur in Pœnitentiali Romano, *Contigit tibi, ut uxor tua te conſcio, & exhortante cum alio viro, illa autem nolente, adulterium perpetraret. Si feciſti, quadraginta dies in pane, & aqua pœniteas, & ſeptem annos, unum ex his in pane & aqua, & nunquam ſis ſine Pœnitentia. Si autem uxor tua hoc probare non potuerit, quod tua culpa, & tuo juſſu ſe renuente, &*

.luctante adulterata ſit, ſi ſe continere non poteſt, nubat cui voluerit, tantùm in Domino: Tu autem ſine uxoris ſpe in perpetuum permaneas. Illa autem ſi conſentiens fuerit, eadem jejunet, quæ tibi propoſita ſunt, & ſine ſpe conjugii maneat. Similia leguntur *tit.8. c.6.* Quæ de adulterio publico intelligi non poſſunt, ſed de eo, quod pauciſſimis cognitum eſt. Quis enim præter pauciſſimos & [illegible] conſcios divinare poteſt, an jubente marito, & reluctante uxore, iſta perpetrentur. Quod dixit S. Auguſtinus, *in ſcreto arguimus, &c.* hoc ait propter unius uxoris teſtimonium, quòd non ſufficit damnando marito, niſi ſpontè confiteatur, ſed ſufficit, ut fraternè moneatur, corripiatur, & ad Pœnitentiam urgeatur.

VIII. Idem non minus evidenter docet S. Gregorius *homilia 26.* à nobis ſupra ſæpius citata, *Plerumque contingit, ut hic judicis locum teneat, qui ad locum vita minimè concordat. Ac proinde ſæpè agitur, ut vel damnet immeritos, vel alios ipſe ligatus ſolvat. Sæpè in ſolvendis, ac ligandis ſubditis ſuæ voluntatis motus, non autem cauſarum merita ſequitur, &c. ſæpè fit ut erga quemlibet proximum odio, vel gratia moveatur paſtor. Judicare autem de ſubditis dignè nequeunt, qui in ſubditorum cauſis ſua vel odia, vel gratiam conſequuntur. Unde rectè per Prophetam dicitur, Mortificabant animas, quæ non moriuntur, &c.* Quanquam iſta de foro externo intelligi neceſſariò debeant, illud tamen ab interno non ſeparat, immò utrumque in unum conjungit, cùm peccata publica in tribunali ventilata, & condemnata non docet aliter eſſe remittenda, quàm ea peccatorum abſolutione, quæ Sacramentalis vulgò dici ſolet: *Videndum eſt, quæ culpa præceſſit, aut quæ ſit Pœnitentia ſecuta poſt culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos Paſtoralis ſententia abſolvat. Tunc enim vera eſt Abſolutio præſideatis, cùm æterni arbitrium ſequitur Judicis.* Iſtius Pœnitentiæ praxis lucet *l.12. Epiſt.31. interrog.4.* Auguſtino interroganti, qua Pœnitentia ſint puniendi fures, reſpondet Gregorius, *Sunt quidam qui habentes ſubſidia furtum perpetrant; & ſunt alii, qui hac in re ex inopia delinquunt. Unde neceſſe eſt, ut quidam damnis, quidam verò verberibus, & quidam diſtrictius, quidam verò levius corrigantur. Et cùm paulò diſtrictius agitur, ex charitate agendum eſt, & non ex furore: Quia ipſi hoc præſtatur qui corrigitur, ne gehennæ ignibus tradatur, &c.* Hæc nonnullis peccatoribus in Pœnitentiam imponebantur, ut ſic purgati communioni tandem reſtituerentur. Similes Pœnitentiæ lib.7. referentur, earumque origo, & ratio explicabitur. Ejuſdem litis inſtruendæ ad Pęnitentiam canonicam imponendam, & reconciliationem ſubinde conſequendam argumenta habes apud eundem Gregorium *in 1. Reg.15* in hæc verba, *ſed nunc porta quæſo peccatum meum*, & apud Proſperum *l.2. de vita contemplativa c.7.* ſed hoc infra integrè exſcribemus, & explicabimus.

IX. Apud S. Auguſtinum graphicè ſæpius idem forum, actioniſque in eo inſtruendæ formula deſcribitur, ſed ſemper internum cum externo conjungitur, nihilque fit in externo, quod cum interno neceſſariam relationem non habeat. Variis, & juridicis actionibus Peccatores inquiruntur, & ad Pęnitentiam coguntur, ut tandem poſt illius actionem non ſolum Eccleſiæ, ſed etiam altari reconcilientur, *Homilia ultima lib.50. homil. Nemo arbitretur, fratres, propterea ſe conſilium ſaluſiferæ hujus Pœnitentiæ debere contemnere, quia multos fortè advertit, & novit ad ſacra altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. Multi enim corriguntur ut Petrus; multi tolerantur, ut Judas; multi neſciuntur, donec veniat Dominus, &c. Nam plerique propterea nolunt alios accuſare, dum ſe per illos cupiunt excuſare. Plerique autem boni Chriſtiani propterea tacent, & ſufferunt alienum peccata, quæ noverunt, quia documentis ſæpè deſeruntur, & ea, quæ ipſi ſciunt judicibus Eccleſiaſticis probare non poſſunt. Quamvis enim vera ſint quædam, non tamen judici facilè credenda ſunt, niſi certis indiciis demonſtrentur. Nos verò à communione prohibere quemquam non poſſumus, quamvis hæc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſive ſeculari, ſive Eccleſiaſtico judicio nominatum, atque convictum. Quis enim ſibi utrumque audeat aſſumere, ut cuiquam ipſe ſit & accuſator, & Judex.* Hoc probat S. Auguſtinus ex verbis S. Pauli, *1. Cor.5. Nonne de his, qui intus ſunt vos judicatis, &c. Quibus verbis ſatis oſtendit non temerè aut quomodolibet, ſed per judicium auferendos eſſe malos ab Eccleſiæ communione, ut ſi per judicium auferri non poſſunt, tolerentur potius, ne perversè malos quiſque evitando ab Eccleſia ipſe diſcedens, eos, quos fugere videtur, vinciat ad gehennam.* Probat deinde, neminem ex ſuſpicione, aut extraordinario judicio judicandum, *ſed ex lege Dei ſecundùm ordinem Eccleſiæ, ſive ultro confeſſum, ſive accuſatum, atque convictum.* Hoc iterùm ex verbis Pauli eodem capite probat, *Cur dixit, ſi quis frater nominatur aut fornicator, aut idolis ſerviens, &c. niſi quia eam nominationem intelligi voluit, quæ fit in quenquam, cum ſententia ordine judiciario, atque integritate profertur? Nam ſi nominatio ſola ſufficit, multi damnandi ſunt innocentes; quia ſæpè falsò in quoquam crimina nominantur.* Paulò ante monuerat peccatorem ſeipſum voluntariè accuſantem, & condemnantem, ut Eccleſiæ Antiſtites adiret, ab iiſque ſupplex Pœnitentiæ agendæ modum, legeſque ſuſciperet, *ut ſi peccatum ejus non ſolùm in gravi ejus malo, ſed etiam in tanto ſcandalo eſt aliorum; atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ videtur Antiſtiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis, agere Pœnitentiam non recuſet, non reſiſtat, non lethali, & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem, &c.*

X. *Homilia verò 49.* perſpicuè quorſum tendant illæ in peccati Reos actiones demonſtrat, cum exemplo Theodoſii Imperatoris ſic admonet, & ad Pęnitentiam urget, qui eam amplecti refugiunt, *Superba cervix, mens tortuoſa: fortaſſis, immò non dubitatur, propterea Deus voluit, ut Theodoſius Imperator ageret Pœnitentiam publicam in conſpectu populi; maximè quia peccatum ejus celari non potuit; & erubeſcit Senator, quòd non erubuit Imperator? Erubeſcit nec ſenator, ſed tantùm Curialis, quòd non erubuit Imperator? Erubeſcit plebejus ſive negotiator, quod non erubuit Imperator? Quæ iſta ſuperbia eſt? &c.* In S. Auguſtini *regula c.7.* Proceſſus, ſive formulæ actionum, & litis proſequendæ ratio ſic deſcribitur, *Si hanc, de qua loquor, oculi petulantiam in aliquo veſtrum adverteritis, ſtatim admonete, ne cœpta progrediantur, ſed de proximo corrigantur. Si autem & poſt admonitionem iterùm, vel alio quocunque die idipſum eum facere videritis, jam velut vulneratum ſanandum prodat, quicunque hoc potuerit invenire. Prius tamen eſt alteri, vel tertio demonſtrandum, ut duorum, vel trium poſſit ore convinci, & competente ſeveritate coerceri, &c. Sed antequam aliis demonſtretur, per quos convincendus eſt; ſi negaverit, prius Præpoſito debet oſtendi, ſi admonitus neglexerit corrigi, ne fortè poſſit ſecretius correctus non innoteſcere cæteris. Si autem negaverit, tunc neganti adhibendi ſunt alii etiam coram omnibus, ut poſſit non ab uno teſte argui, ſed à duobus, vel tribus convinci, &c.* Agit poſteà de convicti pęna; & quod de oculo non figendo conſtituerat, ad cætera peccata extendit. Actiones autem illæ non erant Monachorum propriæ, ſed occaſione data omnium Chriſtianorum, ut ex iis, quæ toto capite demonſtrata ſunt, perſpicuè colligitur, atque etiam *ex ſermone 16. de verbis Domini*; in quo idem procedendi modus in pari crimine deſcribitur. Sed locus ille, & alii plurimi cap.6. & 7. lib.2. & alibi paſſim referentur.

XI. Jam opinor, adumbratam habes, lector, antiquam Eccleſiaſtici fori, quà peccata, eorumque medelas ſpectat, amplitudinem, cauſarumque, & actionum formam: Adumbratam dico, quia expreſſio ex iis tantùm, quæ toto libro ediſſerentur, haberi poteſt. Evidenter tamen vel ex hoc capite colligitur, pęnas, & Pęnitentias peccatis tum ab Eccleſia imponi ſolitas ex Eccleſiæ mente, & praxi cum Pęnitentiæ ſacramento, & abſolutione Sacramentali, ſive eam antecederent, ſive ſubſequerentur, habitudinem, & connexionem habuiſſe. Nec Judicem peculiarem Excommunicationi ſolvendæ, alium culpæ eluendæ deſtinatum fuiſſe. Forum ejuſmodi toto ſeculo undecimo viguit, & poſt duodecimum inceptum praxis alia invaluit, quæ juris formulas, actionumque inſtruendarum ambages à foro Pęnitentiali diſtraxit, & conſequenter tribunal duplex, ut nunc videmus, erexit. Decretum enim Burchardi, quod poſt annum milleſimum compoſitum eſt, eandem agendi formam, forique amplitudinem demonſtrat, ut vel ex 16. libro colligere eſt, & potiſſimùm ex cap. 8. 16. 17. 18 34. ſed liber decimus nonus totus quantus eſt id comprobat; & ſic varia Concilia eodem, & præcedente ſeculo celebrata, Vormatienſe, Triburienſe, Saleguſtadienſe, & alia. Idem demonſtrat Ivonis decretum ineunte ſeculo duodecimo editum, & innumeræ canonum, & Pœnitentialium collectiones ante annos quingentos, ſexcentos, ſeptingentos, & ultra, ſcriptæ, aut compoſitæ. Quòd ſi quis contendat fori interni ab externo ſeparationem eſſe antiquiorem, nec ego repugnabo, modò idoneis argumentis, & exemplis id demonſtret. A nobis nihil hactenus lectum eſt, ex quo aliqua neceſſitatis lege hoc colligi poſſit. Non eo tamen inficias in ea Pęnitentiali criminum, præſertim publicorum, vindicta multa judicialia tantùm, & ceremonalia adhibita fuiſſe, quæ indirectè, & per accidens non ex ſui natura ad Sacramen-

tum

Digitized by Google

tum Pœnitentiæ referebantur. Immò videtur neceſſarium, cum Pœnitentiæ publicæ non inſtituerentur ſolum, ut Deo ſatisfieret, ſed etiam ut Eccleſia Reorum Pœnitentiis ædificaretur: Verùm Antiqui ad unum, & idem tribunal utraque revocabant.

XII. Mihi tamen antiquam praxim animo revolventi quatuor occurrunt, quorum duo duplex tribunal, ſed alia ratione conſtituiſſe videntur; alia duo Abſolutionis ab Excommunicatione diſtinctionem ab Abſolutione à peccatis inducere. Duo priora hæc ſunt. Primum diſtinctione peccatorum mortalium gravium à minus gravibus conſequitur. Iſtorum ſex ferè ſeculis integris pœnitentia agebatur publica, horum ſecreta: Iſta ab Epiſcopo aut ejus juſſu puniebantur, & relaxabantur; hæc verò Presbyterorum poteſtati erant permiſſa, ut toto ferè libro quinto demonſtrabitur. Forum igitur dici poterat duplex, ſed iſtius poſterioris longè rarior eſt mentio. Secundum aliam diſtinctionem conſequitur, quam toto libro ſeptimo exponimus, quæ finiente ſeculo ſexto illuxit. Peccata vel ſunt publica; vel occulta. De publicis agitur Pœnitentia publica; de occultis occulta. Sed publicorum Confeſſio, Pœnitentia, Abſolutio, ad Epiſcopos, eorumque ſpeciales delegatos pertinet: Occultorum Confeſſio, Pœnitentia, Abſolutio, ad quoslibet Presbyteros. Duplex forum maniſeſtiſſimum, cauſarumque materia longè diverſa. Utrumque hoc forum à tempore notato multis ſeculis in Eccleſia fulgentiſſimum fuit.

XIII. Duo poſteriora ſeparationem portendunt Abſolutionis Sacramentalis ab ea, quæ datur Excommunicationi. Prius apparet, cùm ii, qui ab Eccleſia expulſi ſunt, ad Pœnitentiam ab Eccleſia admittuntur. Nam cùm eſſent omni prorſus communione privati, ad aliqualem communionem admittuntur, & pro iis preces certæ concipiuntur, quales ſunt ii, qui ad fletum, vel Auditionem collocantur, de quibus *lib.6. c.2 & ſequentibus.* Videtur ſanè maximæ, & graviſſimæ Excommunicationis, ſive *ἀκοινωνησίας* Abſolutio, ſeu relaxatio. Eadem ratio cum ab Auditione ad ſubſtractionem evehitur. Tunc enim quotidianæ preces ſuper ipſum fundantur, & ad altare propius ſiſtitur, *ut videre eſt eodem libro cap.6. 8. & 9* Ampliatur enim communio, & reſtringitur Excommunicatio, nondum tamen à peccatis Abſolutio conceditur. Eſt itaque Abſolutionis ab Excommunicatione genus quoddam ab Abſolutione, quam nunc Sacramentalem vocant, ſeparatum. Sed ex praxi illorum temporum ad idem forum omnia iſta pertinent, atque ut præparationes ad promerendam à peccatis abſolutionem idoneæ uſurpabantur; vinculoque neceſſario ex Eccleſiæ mente, cum Abſolutione Sacramentali ab iiſdem Judicibus excipienda connectebantur. Omnia iſta, ut paucis dicam, erant illis Sacramentalia, neque alio modo quàm ut Sacramenti partes ea conſiderabant. Formula Abſolutionis ab iſta Excommunicatione nulla alia legitur, quàm ipſa Pęnitentiæ impoſitionis formula; nec aliam opinor fuiſſe. Recipere ad Pœnitentiam ipſis erat Excommunicationem illam ſolvere. Itaque Abſolutionis vicem gerebant preces illæ, & benedictiones, quibus Pęnitentia imponebatur, quas lib. quarto exhibemus. Poſterius ut ad hodiernum, & poſteriorum ſeculorum morem propius videtur accedere, ſed contrario tamen modo obſervatum. Poſt Abſolutionem à peccatis datam cujus virtute Pęnitens à ſubſtractione ad Conſiſtentiam evehebatur, & illi licebat Eccleſiæ ſacrificio intereſſe, Alia à pęnis canonicis Abſolutio illi concedebatur quam conſecutus id quod perfectum erat, ut quidam canones loquuntur, adipiſcebatur, hoc eſt. Euchariſticam communionem obtinebat, *ut c.21. lib.7.* demonſtrabitur. En Abſolutionis Sacramentalis ab Excommunicatione, ſed minima ſeparationem, quæ contra morem noſtrum Abſolutioni Sacramentali poſtponitur. Utraque tamen ad idem forum pertinet, & poſterior ad priorem neceſſaria relatione conjungitur.

XIV. Publicas illas Antiquorum de peccatis inquiſitiones, & ſecundùm inquiſitionem pęnas, ſeu Pęnitentias impoſitas ad Sacramentum Pęnitentiæ pertinuiſſe, illiuſque tertiam partem conſtituiſſe plurimi Theologi recentiores aut adnotarunt, aut materiæ, quam tractabant, velut rem exploratam ſuppoſuerunt. Philippus Gamachæus *in tertiam partem S. Thomæ c.23. de Pęnit. in probatione. 2. ſecundæ aſſertionis*, demonſtrat ſatisfactionis Sacramentalis virtutem multorum antiquorum canonum, & Cypriani, Tertulliani aliorumque Patrum teſtimoniis, quæ publicas tantùm pęnas ſpectant, earumque infligendarum ordinem: ita quoque in quartæ Aſſertionis demonſtratione Joannes Fileſacus Sorbonicorum Doctorum Decanus initio Syntagmatis ſui de Pęnitentia, *Ordior à voce Pęnitentiæ quam hoc loco nec tanquam virtutem, nec generatim velut Sacramentum repræſentamus, ſed Sacramenti partem illam, quam vulgari verbo ſatisfactionem indigitamus, explicandam proponimus, quæ paſſim apud Latinos Eccleſiæ Patres Pęnitentiæ nomine exprimitur.* Quid autem ille, ut fine propoſito potiatur? Nihil aliud toto libello ſectatur, quàm omnis generis canones, & dicta Patrum, quæ Pęnitentias publicas aut inſtituunt, aut reformant, aut renovant. Itaque aut dictis ſupponit velut rem exploratam ad Sacramentum Pęnitentiæ iſta pertinere, aut extra chorum, ut dicitur, perpetuò ſaltat. Idem de Philippo Gamachæo in argumentis relatis dicendum. Notavit hoc expreſsè ſatis Joannes Maldonatus *in Matthæi c.18. v.18.* ſed expreſſius Dionyſius Petavius celeberrimus ſocietatis Jeſu ſcriptor *in lib. de Pęnitentia publica gallicè ſcripto lib.1. c 8. n.15. 52.*

XV. Eadem ſententia ſolidè confirmari poteſt eorum ſcriptorum authoritate, qui cenſent pro peccatis publicis pęnitentias publicas in foro ſecreto Pęnitentiæ poteſtate clavium Sacerdotis indici poſſe, eaſque pęnas conſequenter eſſe Sacramentales. Hanc ſententiam contra Navarrum tuetur Gabriel Vaſquez *tom.4. in 3 part. diſpat.94. art.2. dub 2.* eamque dicit amplexos eſſe S. Thomam, Paludanum, Alexandrum, Durandum, Thomam de Argentina, S. Antoninum, Joannem Medinam, Dominicum Sotum, *& eſſe definitam in cap.1. de Pęnit. & remiſſ. & clariſſimè in Concilio Trident. ſeſſ.24. de reform. c.8. Et conſtat*, inquit, *eam fuiſſe in Eccleſia antiquiſſimam conſuetudinem, ut latè explicavimus ſupra diſput.91. art.1.* Ita quoque Suarez *tom.4. in 3 part. diſpat 38. ſect 6. nu 3.* Si pęnæ publicæ à privato Sacerdote in ſecreto Pęnitentiæ foro impoſitæ ad Sacramentum Pęnitentiæ ſpectant, illiuſque tertiam partem conſtituunt. Quidni ad idem Pęnitentiæ Sacramentum pertinebunt Pęnitentiæ publicæ publicitus impoſitæ? Quum omnes propè Theologi adverſus Scotum, Gabrielem, & Angelum contendant, ad ſubſtantiam Confeſſionis Sacramentalis non pertinere ut ſit ſecreta, ſed data occaſione poſſe eſſe publicam; nullum eſſe Confeſſionis ſecretò edendæ præceptum, nec divinum, nec Eccleſiaſticum ſcriptum, cur non poterit eſſe ſatisfactio Sacramentalis & publica, & publicè impoſita? Quapropter cum S. Paciano in parænesi ſua colligimus, *In Pęnitentiam quaſi fibulam totius Eccleſiæ diſciplina coarctatur.*

CAPUT XI.

De conditionibus, & animi præparationibus, quibus peccata à Deo remittuntur in Sacramento Pęnitentiæ, & earum diſcrimine, neceſſitatiſque vario genere.

JAm nobis demonſtraſſe videmur, antiquos Patres docuiſſe tantam Eccleſiæ in condonandis peccatis authoritatem à Chriſto conceſſam eſſe, ut conditiones indulgentiæ peccatorum obtinendæ, quas æquas cenſeret Pęnitentibus imponendi jus illi eſſet integrum; Deumque in cęlis ſanctum habere, quidquid in terris ſanciret. Explicavimus præterea conditiones Sacerdotibus ipſis poſitas, quas judicia de Pęnitentibus facturi attendere debent; veluti quod non ira, non odio, non gratia, aut alio humano affectu perturbati. Remedium quoque generale his affectibus à Patribus adhibitum tradidimus, quòd ſcilicet eos tantum reconciliare debeant, quos à gratia Dei ſuſcitatos, & vivificatos animadvertunt. Nunc ad conditionum hypotheſim deſcendendum eſt, & ſigillatim nobis explicandum, quænam ſint illæ conditiones, in quas partes dividantur, quouſque ſeſe extendant ſingulæ; quæ maximè, quæ minus, quæ nullo modo neceſſariæ; quæ in his mutationes factæ, ubi, quando, & à quibus. In his, ſimilibuſque ex antiquorum monumentis eruendis, & enarrandis totus prope labor noſter verſabitur.

II. Conditiones, quibus peccata remittuntur, non ſunt unius generis. Aliæ enim ſunt abſolutè, & ſimpliciter neceſſariæ; aliæ, ita ut loquar, & ſuppoſitione, & quantum per opportunitatem, & hominum diligentiam fieri poteſt, exequendæ. Prioris generis unica eſt, ſincera nempe animi ad Deum converſio, compunctio, dolor, contritio. His enim verbis Patres, & antiqui Scholaſtici, una & eadem ſignificatione utuntur, ut deſcribant interiorem animæ præparationem ad peccatorum remiſſionem à Deo per Sacerdotum miniſterium conſequendam. Hæc animi converſio ex Dei decreto, atque ex rei natura ad gratiam Dei poſt peccatum tam ante, quàm poſt baptiſmum ineunda, prorſus neceſſaria eſt. Fieri

enim non poteſt, ut qui Deum converſione ad creaturam facta mortaliter offendit, in gratiam cum eo redeat, ſi prius ſeſe à creatura non avertat, & ad Deum convertatur. Naturali enim reconciliationis legi repugnat, ut quis cuipiam offenſus, & animo proinde ab eo averſus, animo non mutato ei verè reconcilietur. Oportet qui injuriam intulit, facti ſaltem pęnitere, hoc eſt, dolorem injuriæ illatæ animo concipere. Hæc enim ex vi nominis, atque ex omnium gentium conſenſu paria ſunt. Deinde ſi vera eſt, & non fucata Pęnitentia, ſive de peccato dolor, eam conſequitur ab injuria, ſive peccato ceſſatio, ut jam demonſtratum eſt hujus libri cap. primo. Nam, ut ait Lactantius *inſtit. l. 6. c. 13* *Agere Pęnitentiam nihil aliud eſt quàm profiteri, & affirmare ſe ulterius non peccaturum.* Et S. Gregorius, *Pœnitere eſt anteacta peccata deflere, & flenda non committere.* Breviter quoque eodem ſenſu S. Ambroſius *ſerm. 40. Pœnitentia eſt mala præterita plangere, & plangenda iterùm non committere.* Id natura duce videbat Horatius *l. 3. Carm. 24. Scelerum ſi bene pœnitet, Eradenda cupidinis Pravi ſunt elementa.* Ideò rectè Pęnitentiam ſecundùm notationem nominis definire mihi videtur Magiſter, *Virtutem, qua commiſſa mala cum emendationis propoſito plangimus, & odimus, & plangenda ulterius committere nolumus.* Hæc animi diſpoſitio ei, qui mortaliter peccavit, ad conſequendam à Deo peccatorum remiſſionem planè neceſſaria eſt. *Per fidem enim Eccleſiæ ſola remittuntur peccata, quæ contraxit homo in origine: Ut ſicut à Patre peccante damnationem accepit, ita per matris Eccleſiæ fidem conſequatur remiſſionem, Sed qui per ſe peccavit, per dolorem proprium, & per fidem Eccleſiæ indulgentiam acquiſivit*, ut docet S. Auguſtinus, ſive author libri de vera, & falſa Pęnitentia, *cap. 8.*

III. Tres aliæ ſunt conditiones ad peccatorum mortalium remiſſionem obtinendam neceſſariæ, utpotè divinitus inſtitutæ, Confeſſio, Satisfactio, & Abſolutio, ſive reconciliatio: ſed earum neceſſitas à præcedente longè differt. Differentiæ duo præcipua ſunt capita. Prius, quod ſine his tribus ſi nulla noſtra culpa prætermittuntur, modò primæ eo perfectionis gradu, quem Deus poſtulat, ſatisfactum ſit, peccatorum venia, & ſalus obtineri poteſt. Itaque ex parte rei, ſive in rę, neceſſariæ non ſunt, ſed neceſſitate præcepti divini, Deo ſcilicet ſub his conditionibus peccatorum remiſſionem hominibus largiente. Poſterius eſt, quod illa animi reſipiſcentia, & converſio, peccatique commiſſi deteſtatio variari non poteſt, ſed ſemper uno modo ſe habet. Eadem, quæ requirebatur antiquitus, nunc à Deo poſtulatur, atque ad ſeculi finem poſtulabitur, ut res per ſe nota eſt, & admonet Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 4.* Verum ſub Evangelio, virtute Sacramentorum longè efficaciora Dei auxilia ad eam in nobis ingenerandam, quàm ſub lege conceduntur.

IV. Hæc remittendi peccati conditio ab Eccleſiæ authoritate, & ęconomia nullo modo pendet. Verum tres aliæ conditiones in nonnullis circumſtantiis ab Eccleſiæ inſtitutione, & directione pendent. Eas poteſt augere, limitare, circumſcribere, certis verbis, actionibus, & temporibus adſtringere, ut animarum ſaluti cenſet expedire, Deo in cęlis ratum ſemper habente, quod in terris ęconomicè conſtituerit. De tribus iſtis conditionibus dicemus libris ſequentibus; prima nunc eſt nobis ex Antiquorum mente explicanda.

CAPUT XII.

Explicentur antiquorum Patrum verbis quæ, & quanta animi præparatio ſit neceſſaria ad remiſſionem criminum, in Sacramento Pœnitentiæ obtinendum.

QUam animi præparationem in peccatoribus ad criminum remiſſionem à Deo per Sacramentum Pęnitentiæ obtinendam Patres poſtulaverint, & exegerint, ipſorum verbis enarrabimus: Sunt enim ad rem hanc explicandam, & perſuadendam accommodatiſſima, & efficaciſſima, atque omnibus, quæ ſuo marte quis fingere poſſet, longè anteponenda. Duo ſolent à Doctoribus Scholaſticis ſumma contentione hac in cauſa diſputari: Prius doloris qualitatem, & ſpeciem ſpectat, poſterius gradum. Neutrum verbis noſtris diſtinguemus, eo quòd Patrum teſtimonia videantur nobis utrumque ſatis ſuperque explicare, & diſtinguere. Si teſtimoniorum, quæ de re extant, multitudinem attendas, pauciſſima referemus. Quis enim teſtimoniorum ſylvam, quæ ubique in eorum ſcriptis occurrit, referendo aut legendo non fatigetur? Si verò cauſæ ſuſceptæ probationem, expreſſiſſima.

II. Incipiam ab eo exemplo, quod nobis S. Paulus ſuppeditat. Inceſtum Corinthius perpetraverat. Quid hæc Paulus audiens? Ex caſtigationis ſeveritate colligitur doloris ad emendandum crimen neceſſaria quantitas. Sic 1. *Cor. cap. 5.* *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi, &c. tradere ejuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini.* Deinde graviter Corinthios increpat, quòd ejuſmodi hominem tamdiù toleraſſent, monetque eos modicum fermenti totam maſſam corrumpere. Quem vero dolorem miſer ille de crimine ſuo conceperat, ut reconciliationem ab Apoſtolo conſequeretur? explicat Apoſtolus *cap. 2. Epiſt. 2.* Tantum ille demonſtravit, ut periculum eſſet, ne dolore exanimaretur: Ideò legitimum Pęnitentiæ tempus illi contrahendum, & condonandum eſſe monet Apoſtolus, dignumque eſſe propter doloris acerbitatem quem Eccleſia clementer excipiat, ſolitoque citius ſibi reconciliet, *ne fortè*, inquit, *abundantiori triſtitia abſorbeatur.* Cujuſmodi erat ille dolor? quamobrem contriſtabatur? Explicat S. Paulus *cap. 7. ejuſdem Epiſtolæ. Gaudeo non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad Pœnitentiam.* Qualis verò eſt contriſtatio ad Pęnitentiam? *Contriſtati enim eſtis ſecundùm Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim ſecundùm Deum triſtitia eſt, Pęnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur, Seculi autem triſtitia mortem operatur.* Quos verò effectus Pęnitentia ex ejuſmodi dolore orta in Pęnitentium animis operatur? *Ecce enim hoc ipſum ſecundùm Deum contriſtari vos quantam in vobis operatur ſolicitudinem, ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam.*

III. Refert Euſebius *lib. 3. hiſtoriæ Eccleſiaſt. cap. 17.* ex Clemente Alexandrino hiſtoriam, quæ omnium fratrum ore ferebatur. S. ſcilicet Joannem dediſſe cuidam Epiſcopo adoleſcentem catechizandum, & inſtituendum: Poſt baptiſmum verò juvenem hunc à pietate defeciſſe, prædonibuſque ſe adjunxiſſe, atque in eorum principem tandem evaſiſſe; Apoſtolum poſt aliquot annos Epiſcopum viſitaſſe, deque adoleſcente ſciſcitatum, quæ evenerant, didiciſſe, de ipſius tamen reſipiſcentia non deſpondentem ad latrones illos porrexiſſe, principemque conveniſſe, qui ab Apoſtolo graviter admonitus ita referente Clemente ſeſe cum eo geſſit, *Ille, ubi hæc audiit, primùm oculis humi defixis conſtitit, deinde arma abjecit, tum horrore perfuſus, graviter, & acerbè lamentatus eſt; ſenem ad ſe advenientem complectitur, fletu, & mœrore quoad poterat, ſatisfecit, & dextra ſola occultata lacbrymarum unda ſecundò baptizatur. Apoſtolus ratu, & conſtanti aſſeveratione ei ſe à ſervatore veniam, & remiſſionem peccatorum precibus ſuis impetraturum pollicetur, atque ad genua accidens ipſam manum dexteram tanquam Pœnitentia purgatam oſculans ad Eccleſiam reducit. Crebris item precibus Deum pro illo invocat, continuis jejuniis cum eo ſe macerat, variis divinæ ſapientiæ ſententiis ejus animum quaſi quibuſdam lenociniis mitigat, tranquillatque.*

IV. Hermas author antiquiſſimus, & ab antiquiſſimis paſſim citatus *lib. 3. ſimilit. 7.* *Ego ſcio*, inquit Angelus, *totis præcordiis eos agere Pęnitentiam. Numquid ergo ait protinus putas aboleri delicta eorum, qui agunt Pęnitentiam? Non proinde continuò, ſed oportet eum, qui agit Pęnitentiam, affligere animam ſuam, & humilem animo ſe præſtare in omni negotio, & vexationes multas, variaſque perferre; cùmque perpeſſus fuerit omnia, quæ illi inſtituta fuerint, tunc forſitan qui eum creavit, & qui formavit univerſa, commovebitur erga eum clementia ſua, & aliquod remedium dabit; atque ita ſi viderit ejus, qui pęnitentiam agit, cor purum eſſe ab omni opere nequiſſimo.*

V. Juſtinus Martyr in fine Dialogi cum Tryphone Judæo docet cum exemplo David's quomodo ſit agenda Pęnitentia, & quanto dolore animus conteri debeat; *Cujus*, inquit, *Peccatum tum demum remiſſum eſt, cùm ita ploravit, & lamentatus eſt, ſicut de ea ſcriptum. Verùm enim verò ſi viro tanto non eſt ante noxa remiſſa, quàm Pęnitentiam egit, ac tumdemum cùm tantopere flevit, & res tantas fecit magnus ille Rex & unctus, & Propheta, quamtandem impuri iſti, & nullius mentis comploratique adeò homines, niſi lamentati fuerint, planxerint, & pęnitentiam egerint, ſpem habere poſſunt non imputatum iri illis à Domino peccatum?*

VI. Tertullianus ſic de Pęnitentia, ſive animi converſione ad peccatorum remiſſionem poſt baptiſmum neceſſaria diſſert *c. 8. & 9. l. de Pęnitentia.* Parabola filii prodigi prolata proſequitur. *Is ergo te filium ſuum, etſi acceptum ab eo prodege-*

degeris; etſi nudus redieris, recipiet, quia rediſti; magiſque de regreſſu tuo quàm de alterius ſobrietate lætabitur; ſed ſi pœniteat ex animo, ſi famem tuam cum ſaturitate mercenariorum paternorum compares, ſi porcos immundum relinquas pecus, ſi Patrem repetas vel offenſum: deliqui, dicens, Pater, nec dignus ego jam vocari tuus. Poſteà explicat ex effectibus, qui dolorem illum conſequi debent, quantus, & qualis eſſe debeat. *Hujus Pœnitentiæ ſecundæ, & unius quanto in arcto negotium eſt, tanto operoſior probatio eſt, ut non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur.* Actum illum exomologeſim vocat, quam ſic deſcribit, *Exomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis eſt diſciplina: converſationem injungens, miſericordiæ illicem. De ipſo quoque habitu, & victu mandat, ſacco & cineri incubare &c. Jejuniis preces alere, ingemiſcere, lachrymari, & mugire dies, noctesque ad Dominum Deum tuum.* Cætera aliis locis referuntur. Graphicè velut ante oculos delineat Tertullianus non modo internam animi præparationem ab Eccleſia ad Abſolutionem peccatorum requiſitam; Converſionem ſcilicet animi ad Deum offenſum, ingentem dolorem propter Deum peccato contemptum, lachrymas inde, gemituſque, & ſuſpiria ad Deum effuſa, verùm etiam laborioſa opera, quæ Pœnitentibus ab Eccleſia injungi conſueverant, non tantum ut Deo ſatisfieret, ſed etiam ut Eccleſia eorum executione an ſincera eſſet animi ad Deum converſio, peccatoque remittendo lachrymæ, & gemitus ſufficerent, experiretur. Ideò, ut ait, hanc operoſiorem probationem inſtituebat Eccleſia, ut non ſola conſcientia præferretur, ſed aliquo actu exteriore adminiſtraretur. Quanto autem animi dolore, quanta cordis contritione Deus, ut ait, offenſus ſit repetendus, eique peccator cum prodigo ingeminare debeat, *Deliqui, pater, nec dignus ego jam vocari tuus. Deliqui dicito in Deum, & periclitor in æternum perire. Itaque nunc pendeo, & maceror, & excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læſi*, promptum eſt ex probatione à Tertulliano deſcripta unicuique colligere.

VII. S. Cyprianus in libello de lapſis, & alibi ſæpiùs eandem animi diſpoſitionem requirit; operæ pretium eſt ipſius verba referre. En qualem dolorem in lapſis poſtulat, ut eorum reconciliatio diù non differatur. *Cùm duriſſimi Judicis recrudeſcente ſævitia jam fatigatum, jam laſſum corpus nunc flagella ſcinderent, nunc contunderent fuſtes, nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torqueret, caro me in colluctatione deſeruit, infirmitas viſcerum ceſſit, nec animus, ſed corpus in dolore defecit. Poteſt citò proficere ad veniam cauſa talis, poteſt ejuſmodi excuſatio eſſe miſerabilis.* Et paulò poſt id exemplo docet *Sic ſic Caſto, & Æmilio aliquando Dominus ignovit, &c. Deprecabantur illi non lachrymarum miſeratione, ſed vulnerum; nec ſola lamentabili voce, ſed laceratione corporis, & dolore. Manabat pro fletibus ſanguis, & pro lachrymis cruor ſeminuſtulatis viſceribus defluebat.* En animi præparationem reconciliatione dignam! En quibus argumentis ſeſe idoneos ad veniam docebant! Poſteà ad lapſos veniam temerè exambientes ſermonem convertit. *Nunc verò quæ vulnera oſtendere victi poſſunt? quas plagas hiantium viſcerum? quæ tormenta membrorum? ubi non fides congreſſa cecidit, ſed congreſſionem perfidia prævenit.*

VIII. Duo præterea mihi videntur hac in cauſa plurimùm notanda, quæ graviſſimè urget Cyprianus. Unum, Sacerdotes reſpicit veniam inconſideratè indulgentes; alterùm, veniam ipſam, ſive reconciliationem. Præſtat utrumque S. Cypriani verbis exponere. *Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat, nec comprimit delicta ille, ſed nutrit. At qui conſiliis fortioribus redarguit, ſimul atque inſtruit, fratrem promovet ad ſalutem. Quos diligo, inquit Dominus, redarguo, & caſtigo. Sic oportet & Dei ſacerdotem non obſequiis decipientibus fallere, ſed remediis ſalutaribus providere. Imperitus eſt Medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, &c. aperiendum vulnus eſt, & ſecundùm &c. vociferetur, & clamet licèt, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget poſtmodum, cùm ſenſerit ſanitatem &c. Contra Domini ac Dei legem temeritate quorundam laxatur incautis communicatio, irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt ſanitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione medicinam, &c.*

IX. Poſt multa, iterum acerrimè invehitur in Abſolutionem dolore, & conſueta ſatisfactione intercluſa conceſſam. Verba ipſius attende lector, nihil enim ſubſtituere poſſumus ad id, quod contendimus demonſtrandum efficacius. *Ante expiata delicta, ante Exomologeſim factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio, & manu ſacerdotis, antè offenſam placatam indignantis Domini, & minantis* (vide quæ ante legitimam abſolutionem requirat) *pacem putant eſſe, quam quidam verbis fallacibus venditant. Non eſt pax illa, ſed bellum &c. Quid injuriam beneficium vocant? Quid impietatem vocabulo pietatis appellant? Quid eis, qui flere jugiter, & rogare Dominum ſuum debent, intercepta Pœnitentiæ lamentatione communicare ſe ſimulant?* Deinde poſtquam hæc multis proſecutus eſt, tandem hæc addit, *Perſecutio eſt hæc alia, & alia tentatio, per quam ſubtilis inimicus impugnandis adhuc lapſis occulta populatione graſſatur, ut lamentatio conquieſcat, ut dolor ſileat, ut delicti memoria evaneſcat, ut comprimatur pectorum gemitus; ſiſtatur fletus oculorum, nec Dominum graviter offenſum longa, & plena Pœnitentia deprecetur.*

X. Hic præterea advertendum eſt, Lapſos illos non omninò ſimpliciter, & nudè reconciliationem animi converſione, & contritione non ſufficienter demonſtrata poſtulaſſe, ſed ut eam poſtularent Martyrum literis indulgentiam ab Eccleſia in eorum gratiam deprecantibus ſubnixos, & animatos fuiſſe, ut ex textu apparet, & infrà multis docebitur. Quanquam autem res ita ſe haberet, adeo tamen grandem, lugubrem, & amarum propter Dei offenſam dolorem exigebat Cyprianus, ut pacem veram, & non caſſam à Deo impetrare poſſent. Quantus debuerit eſſe dolor, & cujus naturæ ſive ſpeciei expreſſius adhuc declarare videtur ad finem ejuſdem libelli, *Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres dilectiſſimi, delictum ſuum &c. Convertamur ad Dominum mente tota, & Pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei miſericordiam deprecemur. Illi ſe anima proſternat, illi mæſtitia ſatisfaciat, illi ſpes omnis incumbat. Rogare qualiter debeamus dicit ipſe, Revertimini, inquit, ad me ex toto corde veſtro, ſimulque & jejunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Ad Dominum toto corde redeamus. Iram, & offenſam ejus jejuniis, fletibus, planctibus, ſicut admonet ipſe, placemus.* Et poſt multa, *Si precem toto corde quis faciat, ſi veris pœnitentiæ lamentationibus, & lachrymis ingemiſcat, ſi ad veniam delicti ſui Dominum juſtis, & continuis operibus inflectat, miſereri talium poteſt, &c. Pœnitenti, operanti, roganti poteſt clementer ignoſcere; poteſt acceptum referre quidquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.* Qui his ornamentis præditi ſunt, ad reconciliationem judicantur idonei.

XI. Eandem animi præparationem, eundemque doloris gradum, & ſpeciem nos docet Clerus Romanus ad Cyprianum ſcribens *Epiſt. 35.* de iiſdem Lapſis recipiendis. Eorum qui ſani ſunt Abſolutionem differri jubet, ſed *quorum vitæ ſuæ finem urgens exitus dilationem ferre non poteſt, acta pœnitentia, & profeſſa frequenter ſuorum deteſtatione factorum, ſi lachrymis, ſi gemitibus, ſi fletibus, dolentis ac verè pœnitentis animi ſigna prodiderint, cùm ſpes vivendi ſecundùm hominem nulla ſubſtiterit, ita demum cautè, & ſollicitè ſubveniri.* Quum à moribundis, & deploratis, qui tamen antè morbi irruptionem pœnitentiam agere cœperant, hæc exigat, planè exploratum eſt, eos crediditſſe ejuſmodi diſpoſitionem eſſe neceſſariam. *Idem in eadem cauſa pronuntiat* S. Cyprianus *in fine Epiſtolæ 52.* Clariuſque adhuc innoteſcit eadem neceſſitas, cùm in eadem Epiſtola negat Lapſis, ſi hanc animi diſpoſitionem, & Contritionem morbo irrumpente cœperint tantum demonſtrare, veniam eſſe concedendam. De qua re infrà diſputabitur.

XII. S. Chryſoſtomus *ad finem homiliæ 4. in 2. Epiſt. ad Corinthios*, populum ſuum ad Pœnitentiam Davidis exemplo ſic hortatur, *Peccatum alio modo abſterſit, nempè per humilitatem, per corcontritionem, per animæ compunctionem. ταπεινοφροσύνη, συντριβῇ καρδίας, κατανύξει ψυχῆς, Dum etiam illud cavet, ne in eadem relabatur, &c. Cor nempè contritum, & humiliatum habebat, quòd ipſius peccata maximè abſtergebat, καὶ γὰρ τοῦτο ἐξομολόγησις, τοῦτο μετάνοια: Hoc eſt enim Confeſſio, hoc Pœnitentia, &c.* Et poſt aliqua, *Cùm peccaveris, ingemiſce, non quod pœnas daturus ſis; nihil enim hoc eſt, ſed quòd Dominum tuum offenderis, tam benignum, tam te amantem, tam denique ſaluti tuæ appenſum, ut filium quoque ſuum tua cauſa tradiderit: Ingemiſce igitur, nec unquam hoc facere intermitte. Hoc enim eſt Confeſſio. Nec nunc lætum, cras autem mæſtum, ac rursùm lætum te præbe: Verum perpetuo in luctu, ac tui contritione mane. Beati enim, inquit, qui lugent? hoc eſt, qui aſſiduè hoc faciunt. Itaque ſic te compara, ut ſemper hoc facias, tibique ipſi animum intendas, ac cor tuum conteras, non ſecùs ac ſi quis amiſſo filio unicè charo in luctu verſetur.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA EMANUELE

ſetur, Et doloris ſpecies, & intentio dilucidius, ut mihi videtur, explicari non poterant, Sæpius ejuſmodi ſententiis populum ſuum ad animi compunctionem, & veras cordis contritionem adhortatur, *Homilia 9. in Epiſtolam ad Hebræos*, non minus emphaticè de dolore animi, aliiſque affectibus ad pœnitentiam neceſſariis verba facit, *Cujuſmodi eſt medicamentum Pœnitentiæ, & quomodo conficitur? Primùm ex ſuorum peccatorum condemnatione, & confeſſione.* Allatis in hujus rei probationem nonnullis ex ſcriptura argumentis pergit, *Secundò ex multa humilitate: Eſt enim veluti catena aurea, & ſi initium acceperit, ſequuatur omnia. Nam ſi peccatum feceris confeſſus, ut oportet confiteri, fit humilis animus &c. Oportet autem, & alia addere humilitati, ſi talis ſit, qualem Beatus David habebat, dicens, Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies, Nam quod eſt contritum, non exurgit, non ferit, ſed eſt paratum ad malè patiendum; ipſum autem non exurgi, ὡς ἐν συντριβῇ καρδίας, Tale quid eſt contritio cordis. Poſt humilitatem verò opus eſt intenſis precibus, multis lacbrymis interdiu, & noctu.* In fine quoque *homiliæ 42, alidt 41, in Matth.* enumeratis variis criminibus, quæ gehenna damnantur, addit, *ſi ſingula iſtorum ad gehennam deducunt, quid futurum eſt, ſi ad unum omnia coeunt? Quomodo igitur inquies ſalvari poſſibile eſt? Si oppoſita his adhibeamus remedia, miſericordiam in pauperes, orationem, compunctionem, Pœnitentiam, humilitatem, contritum cor apprimè, contemptum rerum præſentium*, &c. Similia leguntur *homil. 41.* ad populum Antiochenum, & *homil. 6. de Pœnitentia*, aliiſque pluribus locis.

XIII. Quamobrem verò S. Chryſoſtomus in ejuſmodi adhortationibus tam ſedulus eſt? Ratio ex S. Baſilii homilia in Pſalm. 33. v. 19. deſumi poteſt. *Prope eſt Dominus, vobis dico humilibus, & qui per Contritionem à vobis expanxiſtis faſtum, & animi elationem. Prope adeſt, jam jam vos affecturus gaudio. & ad longanimitatem deducturus. Contritio cordis eſt ſuppreſſio, & extinctio humanarum cogitationum. Quicunque enim præſentia deſpexerit, ſeque verbo Dei addixerit, & ſuam ipſius mentem iis contradiderit intelligendis, quæ ſupra hominem, & longe diviniora ſunt, hic demum eſt, qui contrito eſt corde, quique ſacrificium obtulit, quod à Domino non contemnitur*, Ideò Epiſtolæ ad Amphiloch. *cap. 5.* morientes Hæreticos, & Pœnitentes non ſtatim vult admitti, ſed eorum pœnitentiam, antequam admittantur, diligenter, an vera ſit, examinari, licèt tum, & clementiſſima ſoleat eſſe Eccleſia, & temporis anguſtiæ longum, & ſeverum examen non patiantur, *Hæreticos qui in exceſſu è vita Pœnitentiam agunt, recipere oportet; recipere autem non ſine judicio, ſed examinantes, an veram Pœnitentiam oſtendant, & ſi fructus habent, qui ſalutis ſtudium teſtificentur.*

CAPUT XIII.

Ejuſdem præparationis explicatio ex Sanctis Patribus continuatur.

LIcèt ex ingenti teſtimoniorum meſſe ſpicilegium tantum colligamus, tamen cùm Meſſis ſit undique uberrima, ſpicilegium eſſe uberrimum neceſſe eſt. Ideò ne lectorem continua ſerie tam multa teſtimonia legentem tædium capiat, bifariam quæſtionis noſtræ argumenta diviſimus. Tantus enim eſt antiquorum Patrum conſenſus in iſtius præparationis explicatione, ut quamquam ſæpiſſimè de ea tractent, nuſquam tamen vel tantillum varient. Eandem omnes animi præparationem ad reconciliationem, ſive Abſolutionem validè, & cum fructu obtinendam non modò requirunt, verum etiam eodem planè ſenſu, & iiſdem ferè verbis enarrant. Abſolutionem dico, quia præparationem multo ſanctiorem ad Abſolutionem concedendam exigebant, quàm ad Confeſſionem edendam. Hæc enim duo ex illius temporis uſu in peccatis capitalibus, niſi morbi, aut alterius periculi ingruens neceſſitas occurreret, tempore multùm diſtabant. Variis enim operibus, & laboribus pœnitentialibus impoſitis, & exactis, velut variis medicamentis appoſitis, diù, diligenterque Pœnitentem purgabant, ut reconciliationis beneficio dignè, & cum fructu excipiendo idoneus haberetur, ne margaritas porcis imprudenter obtrudentes Sancti Dominici negligenter adminiſtrati Rei peragerentur. Quam igitur animi præparationem Patres ea de cauſa exegerint, referre pergamus.

II. S. Ambroſius *lib. 2. de Pœnitentia cap. 6. Sed audiant, qui agunt Pœnitentiam, quomodo agere debeant, quo ſtudio, quo affectu, qua mentis intentione, qua cordis converſione: Vide, inquit, Domine, quia tribulor: Venter meus tribulatus eſt, à fletu meo converſum eſt cor meum in me, Cognoviſti intentionem animi, fidem mentis, cognoſce & habitum corporis.* Et ejuſdem libri *cap. 10. Renuntiandum eſt ſeculo, ſomno ipſi minus indulgendum, quàm natura poſtulat, interpellandus eſt gemitibus, interrumpendus eſt ſuſpiriis, ſequeſtrandus orationibus: vivendum, ita ut vitali huic moriamur uſui, ſeipſum ſibi homo abneget, & totus mutetur, &c.* Totum caput ejuſmodi ſententiis efflorеſcit, quòd ideò adire poterit lector. Commentario in *Pſalm. 118.* in hunc verſum, *miſerere mei ſecundùm verbum tuum, In ipſa Eccleſia ubi maximè miſereri decet, tenerò quàm maximè debet forma juſtitiæ, ne quis à communionis conſortio abſtentus brevi lacbrymula, atque ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus communionem, quàm plurimis debet poſtulare temporibus facilitate ſacerdotis extorqueat. Nonne cùm uni indulget indigno, plurimos facit ad prolapſionis contagium provocari? facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquenti.* Multis hoc argumentum perſequitur S. Ambroſius, ut & commentario in Pſalmum 37.

III. S. Pacianus *in fine Epiſt. 1.* ad Sympronianum paucis oſtendit, poſt quos dolores, fletuſque Pœnitentia imponi ſoleat, & quàm ſerium Pœnitentis examen præcedere, *Scio frater hanc Pœnitentiæ veniam non paſſim omnibus dari, nec antequam aut interpretatio divinæ voluntatis, aut forſitan viſitatio fuerit, relaxari magno pondere, magnoque libramine poſt multos gemitus, effuſionemque lacbrymarum, poſt totius Eccleſiæ preces, ita veniam veræ Pœnitentiæ non negari, ut judicaturo Chriſto nemo præjudicet.* Plura ſunt ejuſdem authoris teſtimonia, ſed ea ſparſim univerſo operi inſeruntur. Ea potiſſimùm hic conſideranda ſunt, quæ ferè κατὰ λέξιν, ex Tertulliano mutuatur, quæ capitè præcedente magna ex parte retulimus.

IV. S. Auguſtinus iſta fusè, doctè, & perſpicuè docet, multis locis. Sic ſermone 7. de tempore, *Pœnitentiam certam non facit niſi odium peccati, & amor Dei. Quando ſic pœnites, ut tibi amarum ſapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita, & quod priùs oblectabat in corpore, ipſum te cruciat in mente, jam tunc bene ingemiſcis ad Deum.* Hæc equidem breviter, ſed perſpicuè; quæ licèt ſola memoriæ inhærent, ſufficienter tamen quilibet de doloris ſpecie, & gradu ad veram Pœnitentiam neceſſariò inſtrueretur. *Sermone 34. de diverſis, cap. 12. Omnia ergo præterita converſis dimittuntur: cætera autem hujus vitæ ſunt quædam gravia, & mortifera, quæ niſi per vehementiſſimam moleſtiam humiliationis cordis, & contritionis ſpiritus, & tribulationis Pœnitentiæ non relaxantur. Hæc dimittuntur per claves Eccleſiæ. Si enim tu te cœperis judicare, ſi tibi cœperis diſplicere Deus veniet, ut miſereantur, &c.* Hoc autem non fit brevi horula, niſi forſan in extremo periculo ardente contritione, ut ibidem enarratur *toto cap. 3.* ſimilitudine de ſanitatis recuperatione ſumpta, quæ convaleſcenti juxta Medici præcepta viventi paulatim reſtituitur, *Cùm autem cœperit id facere, non continuò jam ſanus eſt, ſed diù obſervando pervenit ad illam ſanitatem, quàm minus temperando perdiderat. Hoc autem illi prodeſt, quod jam incipit obſervare, ne augeat ægritudinem, & ut non ſolùm deterior non fiat, ſed etiam incipiat melius habere, qui paulatim fit ſanus &c. Sic etiam juſtè vivere in hac vita, quid eſt aliud niſi audire præcepta legis, & facere? Nunquid ergo quicunque faciunt præcepta legis, jam ſani ſunt? Nondum, ſed ut ſani fiant, faciunt. Non deficiant faciendo, quia paulatim recipitur, quod ſemel amiſſum eſt. Si enim citò rediret homo ad priſtinam beatitudinem, ludus illi eſſet peccando cadere in mortem.* Homiliæ ultimæ libri, 50. homiliarum magna pars ad eandem cauſam pertinet, ſed ſufficiat huc referre, quæ in fine leguntur, *Non ſufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, niſi etiam de his, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per Pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium cooperantibus eleemoſynis*, cætera multis perſequitur.

V. S. Cæſarius Epiſcopus Arelatenſis ſæpius idem populo ſuo inculcat, & evidentiſſimè *ſi quis alius Homilia*, 1. explicata peccatorum levium, & capitalium diſtinctione, de horum remiſſione obtinenda ſic diſſerit, *Homo ipſe ſe decipit, ſi cùm in medullis ſibi fervere ſentiat morbum, per ſuperficiem corporis molle deducat unguentum. Hæc itaque principalia mala ingenti rugitu, & gemitu, & fonte indigent lacbrymarum; atque per lacbrymas clamandum eſt, cum Propheta, rugiebam à gemitu cordis mei &c. Oportet itaque ſicut ſuper mortuum conclamatum, ita magnos ſuper extinctam animam dare planctus. Et quomodo ſolet mater orbata ſuper amiſ-*

ſione

ſione amici filii ſui fracto pectore lamentari, ita convenit ſuper unicam ſuam, ſed cum ſpe reparationis affligi, &c. Neceſſe ſuper hanc unicam criminum mucrone confoſſam totum pondus doloris effundi, ſi fortè poſſit lachrymarum vivificata fontibus calore fidei ſuſcitari. Quis dolor, quantuſve ſit neceſſarius, nullis verbis clarius exprimi poteſt.

VI. *Homilia* 8. poſtquam multis expoſuit, quomodo redimi debeant peccata venalia, ſubdit, *Pro capitalibus verò criminibus non hoc ſolùm ſufficit, ſed addendæ ſunt lachrymæ, & rugitus, & gemitus, continuata, & longo tempore procraſtinata jejunia, largiores eleemoſynæ, etiam pluſquam nos ipſi valere poſſumus eroganda, &c. Homilia ſimiliter* 13. poſt enumerationem venialium peccatorum adiicit, *Hæc ergo & his ſimillima, quæ vix enumerari poſſunt, ſi ex eo tempore quo ſapere cœpimus, in unum cumulum colligantur, etiamſi capitalia crimina non addantur, quantis, & qualibus bonorum operum copiis redimi poterunt, niſi præponderante divina miſericordia per humilem, & compunctam pœnitentiam additis ſecundùm vires noſtras largioribus eleemoſynis, Dei ſeveritas, vel juſtitia fuerit mitigata?* Poſteà in eos invehitur, qui Pœnitentiam ad extremum vitæ diem differunt; prodeſſe tamen affirmat, modò his, quæ ſequuntur, conditionibus agatur. *Non quidem dicimus Pœnitentiam prodeſſe non poſſe. Certum eſt, quia prodeſt, ſi cum grandi eleemoſyna illam unuſquiſque accipiat, & omnibus inimicis indulgentiam tribuat, & quibuſcunque fecit injuriam, veniam petat, & ita toto corde deliberet, ut ſi evaſerit, quandiù vixerit, totis viribus illam cum rugitu, & gemitu, & cum multis eleemoſynis humiliter ac fideliter agat.*

VII. Has conditiones Pœnitentiæ de peccatis agendæ expreſſiſſimè deſcribit *homilia* 29. pauca referemus, *Non putemus eam facilè remitti poſſe admiſſa ſemel crimina, & profundo vulnere in animæ impreſſa viſceribus. Multùm opus eſt fletus, multus gemitus, multæ contritiones corporis ad ſanandos ipſos dolores corporis. Tota incumbendum eſt ſpiritus compunctione, ut vetuſta mala tanquam ſagittæ quædam de conſcientiæ viſceribus evellantur. Non ſufficit ſummis labiis dicere. Peccavi, parce, & remitte. Et Saul dicebat, peccavi; ſed non obtinuit illam veniam, quam David una Pœnitentiæ voce promeruit. Et hoc quare? Quia confeſſionem illam eadem magis, quàm veri gemitus exprimebat: quia non compenſabatur cum magnitudine criminis levis humiliatio ſupplicantis. Non levi agendum eſt Contritione, ut debita illa redimantur, quibus mors æterna debetur: nec tranſitoria opus eſt ſatisfactione pro malis illis, propter quæ paratus eſt ignis æternus, &c.* Ideò *homilia* 32. in eos ſic invehitur, qui gravia peccata non puniunt graviter, *Si volumus juſtè agere, illi, qui in Dominum peccavit, ſine ſeveriſſima diſtrictione non debemus penitus indulgere, ne dum illi per indiſcretam pietatem remittitur, exemplum perditionis aliis præbeatur.*

VIII. S. Eligius Noviomenſis Epiſcopus quoties ſe dat occaſio, eandem animi præparationem, converſioniſque, & contritionis perfectionem requirit. Nonnulla jam citata ſunt, aliiſque locis infra referentur, ideò hic pauca inſerentur, *Homilia 4. Qui ergo ex vobis talibus, & his ſimilibus ſceleribus involuti fuerint, & per confeſſionem, ac pœnitentiam nequaquam condignam ſatisfactionem egerint; ſed adhuc in hac vetuſtate perdurant, non ſe à nobis reconciliari poſſe exiſtiment, niſi prius veterem hominem cum actibus ſuis nunc enumeratis expolient, & novum induant, & ipſi in eodem novo homine, id eſt, in Chriſto, nova creatura, id eſt, novi homines per pœnitentiam fiant, ſicut dudum per baptiſmum facti fuerant, &c. Si igitur condignam Deo Pœnitentiam obtuliſtis de præteritis, & ſic eadem ulterius admittere non vultis, ſed cum Dei gratia, & adjutorio in omni bonitate, & juſtitia, & veritate perſeverare deſideratis, tunc ſcire poteſtis, quia noxia vetuſtate exuti, nova creatura facti eſtis, & verè Deo reconciliamini per Chriſtum, & per nos, quibus dedit miniſterium reconciliationis.* Poſteà multis extollit, & amplificat authoritatem peccata remittendi Sacerdotibus à Deo commiſſam. Nunquam enim exiſtimarunt antiqui Patres, exquiſitiſſimas animi converſiones, & contritiones authoritati ſuæ in remiſſionem peccatorum vel tantillum præjudicare. Ideò animi reſipiſcentiam, contritionem, ſive quocunque alio nomine animi dolorem, & ſuſpiria propter Dei offenſam emiſſa appellaveris, quàm fieri poterat, perfecta, ſemper exigere tentarunt, antequam peccata capitalia, & canonibus affecta remitterent. Ea de cauſa niſi mors imminens, aut periculum aliud urgeret, diu Pœnitentium dolores, & gemitus an ſinceri eſſent, & propter Deum offenſum expectorati, experiebantur, ut experientia capta pretioſiſſimam Abſolutionis margaritam porcis prophanandam non exponerent, ſed de hoc poſteà. Hinc idem Sanctus *homil.* 11. abſolutè pronuntiat, Sacerdotes manus quidem imponere poſſe, ſed Pœnitentes abſolutionem peccatorum prius conſequi non poſſe, quàm Deus contritionem legitimam, & ſufficientem conſpexerit, ut videre eſt ſupra *cap. 6. & ſimiliter in fine homiliæ 16. Unuſquiſque veſtrum ad ſe rediens conſideret, ſi per amaritudinem Pœnitentiæ Deo ſatisfecerit pro ſuis offenſis, & delictorum maculis. Nam licèt miniſterium reconciliandi Epiſcopali authoritate complere velimus; tamen niſi Spiritus Sanctus, per cujus invocationem iſtud officium agitur, corda veſtra intrinſecùs purificata invenerit, à reconciliationis gratia vacui remanebitis.*

IX. S. Gregorius *parte tertia Paſtoralis curæ admonit.* 31. eandem præparationem animi verbis ſuis plurimùm illuſtrat. *Quid eſt ergo quod ille compungitur, & tamen juſtitiæ non appropinquat, iſte tentatur, & tamen cum culpa non inquinat? niſi hoc, quòd apertè oſtenditur, quòd nec malos bona imperfecta adjuvant, nec bonos mala inconſummata condemnant. At contra admonendi quoque ſunt, etiam qui admiſſa deſerunt, nec tamen plangunt, ne jam relaxatas æſtiment culpas, quas etſi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant. Neque enim ſcriptor, ſi à ſcriptione ceſſaverit, quia alia non addidit, etiam illa, quæ ſcripſerat, delevit, &c. ita & cum Deo delinquimus, nequaquam ſatisfacimus, ſi ab iniquitate ceſſamus, niſi voluptates quoque, quas diliximus, è contrario appoſitis lamentis inſequamur, &c. Hinc rurſum dicitur, cor contritum, & humiliatum Deus non ſpernit. Quiſquis enim peccata plangit, nec tamen deſerit, cor quidem conterit, ſed humiliare contemnit. Qui verò peccata jam deſerit, nec tamen plangit, jam quidem humiliat, ſed tamen cor conterere recuſat, &c.* Admonitio hoc tempore utiliſſima: bona imperfecta malos non adjuvant. Crimina deſerere non ſatis eſt, ſed pro iis lachrymis, & eleemoſynis ſatisfaciendum: Nec pro iis ſatisfacere ſatis eſt, ſed fugienda ſunt, & virtutes vitiis contrariæ amplectendæ.

X. Hæc igitur duo ad Abſolutionem utiliter ſuſcipiendam neceſſaria ſunt, à peccatis ceſſare, & animum lamentis, & fletibus mundare, & cor conterere. Quis autem hæc, niſi odio peccati, & amore Dei vehementer afficiatur, præſtare poteſt? Ideò iſta, ut ἰσοδυναμοῦντα uſurpat S. Gregorius *commentario in 1. Reg. cap. 15.* verſus finem: *Tria in unoquoque conſideranda ſunt veraciter Pœnitente, videlicet, converſio mentis, confeſſio oris, & vindicta peccati. Nam qui corde non convertitur, quid prodeſt ei ſi peccata confiteatur? Peccatum, quod diligitur, confitendo minimè deletur. Nonnulli quidem ſunt, qui peccata confitendo aperiunt, ſed non convertendo, nequaquam deteſtantur. Hi profectò confitendo nihil agunt, quia quod loquendo ejiciunt, amando introducunt. Unde & ſalubriter confiteri volentibus ſcriptura inſinuat, dicens. Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Quid eſt corde credere ad juſtitiam, niſi voluntatem dirigere ad fidem per dilectionem operantem? Cùm ergo quis cordis intentionem ad juſtitiam per amorem dirigit, per initium bonæ voluntatis fructum habet bonæ converſionis. His certè jam ad ſalutem confitetur, quia plus loquendo de vulnere ejicit, quàm converſione compunxit.* Hæc ex S. Gregorio fusè, quia quidquid initio aſſumpſimus, & contendere in hac cauſa poſſumus, non modò docet, ſed etiam probat, & exaggerat. Huc referri debent quæcunque ex S. Gregorio, & plurimis aliis Patribus allata ſunt capite ſexto.

XI. Burchardus *lib. 19. cap. 2.* docet velut ex S. Auguſtino excerptum, populum à Sacerdotibus inſtante quadrageſima ſic eſſe admonendum, *Presbyteri admonere debent plebem ſibi ſubjectam, ut omnis, qui ſe ſentit mortiferi peccati vulnere ſauciatum, feria 4. ante Quadrageſimam, cum omni feſtinatione recurrat ad vivificatricem matrem Eccleſiam, ubi quod malè commiſit, cum omni humilitate, & contritione cordis ſimpliciter confeſſus, ſuſcipiat remedia Pœnitentiæ ſecundùm modum canonicis authoritatibus præfixum.* Et ejuſdem libri, *c. 32.* ex eodem Auguſtino refertur, *Multi ſunt Pœnitentiæ fructus, per quos ad expiationem criminum pervenitur. Non enim tantùm ſimplici Pœnitentiæ nomine ſalus æterna repromittitur, &c. propter illum nudum gemitum, & propter illud nudum nomen Pœnitentiæ nullus ſalvabitur, ſed per veram confeſſionem, & Sacerdotis intelligentis conſilium, & per charitatis affectum, & per eleemoſynarum fructum peccatorum moles ſubruitur.* Eadem habent Pœninentiale Romanum *titulo 9. c. 13.* & Ivo *decreti part. 15. c. 48.*

XII. S. Anſelmus *ſimilitudinum c. 144. ſicca Pœnitentia*

eſt, cùm aliquem ſui peccati pœnitet; ſed humore pietatis, ſuique ipſius compunctione caret. Humida verò eſt, cum habet utrumque, ſuumque luget peccatum magna cordis contritione. Ut ad hanc ergo ſibi proſis Pœnitentiam non juvenis tantùm, verùm etiam omnis homo erubeſcat, cùm quid agit illicitum.

XIII. Hugo à S. Victore eandem ſententiam paucis verbis, ſed efficacibus & urgentibus ſententiam docet *Miſcellanearum eruditionis Theologicæ l. 1. c. 103. Sacramentum Pœnitentiæ eſt exterior exhibitio operis: Res Sacramenti vera contritio cordis. Si Sacramentum ſuſcipis, opera Pœnitentiæ facias: Habere rem Sacramenti in vera Contritione, ne fruſtra ſpeciem ſine veritate oſtendas, Tanta eſt pœnitentia tua, quanta eſt Contritio tua, &c. Opus ſine Contritione flos eſt ſine fructu: Contritio ſine opere, fructus eſt ſine maturitate.*

XIV. Petrus Bleſenſis in tractatu de Confeſſione Sacramentali hæc habet non minus piè, quàm doctè & acutè dicta, *Chriſtus purgationem peccatorum faciens, non in judicio, ſed in deſiderio; non in ardore, ſed amore, tria nobis purgatoria miſericorditer aſſignavit, cordis contritionem, oris confeſſionem, carnis afflictionem. Hæc ſunt cymbala bene ſonantia: Hæ ſunt tres civitates refugii. Ad contritionem pertinet timor Dei, & deſiderium regni, Pœnitentiæ humilitas, longanimitas patientiæ, & abjectio ſui. Cor contritum, & humiliatum, Deus, non deſpiciet. Sic ergo dolor Pœnitentiæ cor conterat, ut in ſpiritu vehementi conterat naves Tharſis.* Et poſt multa, *Vides profectò, quàm gratum ſit Deo ſacrificium lachrymarum, & pro omnibus delictis ſufficiens holocauſtum. Sed quibus? Confitentibus, Pœnitentibus, non revertentibus ad vomitum, ſed in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito fugientibus ad pia viſcera Jeſu, & continuantibus dignos Pœnitentiæ fructus.* Manifeſtum eſt igitur, ingentem dolorem propter Dei offenſam conceptum, gravemque peccati deteſtationem, & ferventem Dei dilectionem cum ardente ſeipſum, juxta Eccleſiæ mandatum, puniendi deſiderio conjunctam, eſſe interiorem animi præparationem reconciliationi criminum capitalium neceſſariam. Quatuor autem iſta nodo tam ſtricto, & ſancto connexa ſunt, ut vix unquam à ſe invicem divelli, vel diſſociari poſſint, ſed paſſibus ſemper æquis incedant, decedant, aut ſubſiſtant. Eadem animi præparatio evidentiſſimè quoque colligitur ex univerſis teſtimoniis, quæ quinque ſequentibus capitibus referuntur. Quæcumque enim in illis demonſtrantur, neceſſariam habent cum eadem animi præparatione conjunctionem.

CAPUT XIV.

Clariſſimis Sanctorum Patrum teſtimoniis demonſtratur interiorem animi dolorem pro gravitate peccatorum augendam eſſe, ad eorum remiſſionem à Deo conſequendam.

PRæparatio capitibus præcedentibus generaliter explicata, non eodem gradu, & eadem quantitate à Pœnitentibus expoſcebatur, ſed pro criminum gravitate major, vel minor. Seria quidem, & magna animi compunctio, & peccati deteſtatio, atque ad Deum converſio iis omnibus, qui capitaliter peccaverant, ſemper imperabatur. Eſt enim iſta præparatio criminibus omnibus ſanandis remedium à Deo inſtitutum, quod licet à Pœnitentibus nimia cum quantitate ſuſcipi non poſſit, ab omnibus tamen ex æquo exigi non debet. Peccatorum ratio ſemper habita fuit. Sicut enim quò graviora fuerunt crimina, eò ſeveriores pœnas, ut par erat, iis impoſuerunt: Ita quoque acriorem, & vehementiorem animi ad Deum converſionem à Pœnitentibus expopoſcerunt. Duo enim hæc æqua ſemper lance librata ſunt: Ideò in Patrum monitis, & canonibus vix alter ab altero disjungitur. Unde fit, ut difficilè ſit unius teſtimonium ab altero disjungere. Quanquam autem iſta duo ex Patrum conſuetudine, & ratione id efflagitante conjuncta fuerint, ſemper tamen ab iis obſervatum eſt, ut quò vehementior cordis contritio in Pœnitente ab iis deprehenderetur, eò minor pœna, vel in principio ei imponeretur, ſi converſionis principio ardorem maximum demonſtraſſet; vel in Pœnitentiæ decurſu exigeretur, ſi in ea peragenda animum promptum exhibuiſſet. Utrumque mihi videtur in Patrum ſcriptis, & praxi eſſe quàm evidentiſſimum. Quod prius propoſitum eſt, prius aggrediemur.

II. Anteà tamen Lectorem monitum velim, iſtam propoſitionem communi naturæ lumine perſpicuam videri poſſe, animiſque hominum inſitam, & velut divinitus conſignatam. Hinc Poetis, theatriſque omnibus decantatiſſimus Oedipus, Patris interfector, Matriſque inceſtificus, qui tanta crimina licèt ignoranter commiſſa cenſuit juſta animi pœnitentia expiari non poſſe, quanquam oculos ſibi eruiſſet, patriamque, & regnum exul deſeruiſſet. Hinc fabulis notiſſimus Ixion ſoceri fraudulentus trucidator, cui de crimine pœnitenti nulla luſtratio par judicata eſt. Hinc alii complures, de quibus Poeta.

Auſi omnes immane nefas, auſoque potiti.

Hinc Pythagorici, Platonici, aliique Philoſophi ſcelera multa curatu difficilia, nonnulla difficillima, quædam inexpiabilia, tartareiſque tenebris in æternum addicenda docuerunt. Quanquam autem, mea quidem ſententia, rem ita ſe habere manifeſtiſſimum ſit, idque demonſtrare perinde ſit ac clariſſimo ſoli mortale lumen inferre; non abs re tamen factum nobis videtur, ſi quid de hac communi hominum notione Patres ſenſerunt, paucis ob oculos Lectorum proponamus.

III. Hoc comprobant omnia propè teſtimonia, quæ duobus præcedentibus cap. allegata ſunt, & potiſſimum quæ ex Herma, Ambroſio, Auguſtino, & Cæſario Arelatenſi. Illis igitur prætermiſſis, alia nonnulla, quæ hanc ſententiam velut de induſtria confirmare videntur, referemus. S. Cyprianus ad finem libelli de Lapſis, *Quam magnè deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens, & longa medicina non deſit. Pœnitentia crimine minor non ſit. Putaſne tu Dominum citò poſſe placari, quem verbis perfidis abnuiſti? cui patrimonium præponere maluiſti? cujus templum ſacrilega contagione violaſti? Putas facilè eum miſereri tui, quem tuum non eſſe dixiſti? Orare oportet impenſius, & rogare, diem luctu tranſigere, vigiliis, ac fletibus noctes ducere, tempus omne lachrymoſis lamentationibus occupare, ſtratos ſolo adhærere cineri, in cilicio & ſordibus volutari, &c.* quæ multis proſequitur. Sic & Clerus Romanus *Epiſt. 31.* ad eundem Cyprianum, *Aſpice totum orbem pene vaſtatum, & ubique jacere dejectorum reliquias, & ruinas, & idcircò tam grande expeti conſilium, quàm latè propagatum videtur eſſe delictum. Non ſit minor medicina, quàm vulnus eſt, non ſint minora remedia, quam funera.*

IV. Audi, Lector, quibus verbis ad Virginem Lapſam ſcribat S. Ambroſius *cap. 8. Pœnitudo neceſſaria eſt, ſicut vulneratis ſunt neceſſaria medicamina. Sed quanta putas, & qualis neceſſaria Pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut certè excedat? Vide ergo, ſi ſimplex hoc peccatum adulterii eſt, an duplex ſit per illam necem, quæ facta videtur in occulto: Et ſecundùm conſcientiæ molem exhibenda eſt Pœnitentiæ magnitudo. Pœnitentia ergo non verbis agenda eſt, ſed & actu. Hæc autem ſic agitur.* Primum proponit illi ante oculos tartareas pœnas, quarum ardores deſcribit, & eorum conſideratione inquit, *quantumvis afflictionem, quantumvis laborem, & indecorem ſubire eſto contenta, dummodo ab æternalibus pœnis libereris.* Deinde deſcribit corporis afflictationes illi ſubeundas: Poſteà ſubjicit, *Cor verò ſit liqueſcens ſicut cera, jejuniis inquietans ſeipſum, & cogitationibus ventilans quare ſit ab inimico ſubverſum, ſenſus etiam crucietur, quia in membra corporis cùm haberes dominationem, malo ceſſit imperio. Talis vita, talis actio Pœnitentiæ, ſi fuerit perſeverans audebit ſperare, etſi non gloriam, certè pœnæ vacationem, Dicit enim Deus, convertimini ad me, & convertar ad vos. Convertimini in toto corde veſtro in jejunio, & fletu, in planctu.* Continuata aliquandiù hac materia ſubdit. *Grandi plaga alta, & prolixa opus eſt medicina, Grande ſcelus grandem habet neceſſariam ſatisfactionem.* Et *lib. 1. c. 2. de Pœnitentia*, hoc principio, ut apud omnes Catholicos vulgato, verſus Novatianos utitur, *Qui culpam exaggeravit; exaggeret etiam Pœnitentiam. Majora enim crimina majoribus abluuntur fletibus. Ita nec Novatianus probatur; qui veniam interclusit omnibus, nec vos ejus diſcipuli imitatores ejuſdem, & condemnatores, qui ibi minuitis ſtudia Pœnitentiæ, ubi augeri oportet; quia graviora peccata majoribus ſuſtentanda fulcris docuit Chriſti miſericordia.*

V. Gregorius Nazianzenus *orat. 39. in Novatianum diſputans: Si quidem Pœnitentia minimè ducebantur, optimo jure eos repulit. Nam ne ipſe quidem eos recipio, qui vel nullo modo, vel non ſatis deprimuntur, nec patrato crimini parem vitæ emendationem afferunt: cumque recipio, convenientem ipſis locum aſſigno; ſin autem lachrymis confeſſor, haud quaquam iſtud imitabor.* Paucis verbis ſed evidenter admodum S. Baſilius *homilia in hæc verba, Attende tibi ipſi. Itaque attende tibi ipſi, ut pro delicti proportione hinc quoque mutueris ex* admo-

admota tibi medela valetudinis inſtaurandæ ſubſidium. Magnum eſt, & grave peccatum: multa opus habes confeſſione, lachrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indivulſo & continenti jejunio. Levis eſt, nec intoleranda offenſio; huic quoque exæquetur Pœnitentia. Solùm attende tibi ipſi, ut cognoſcas animæ tuæ ſanitatem, & morbum.

VI. S. Hieronymus in *cap.1. lamentationum*, *Myſticè anima peccatis obnoxia, dum pro iniquitatibus ſuis à Domino corripitur, ſi introrſus rediens ſalubri dolore compungitur, abſtinendo ſe à peccatis omnem luxum priſtinum in lachrymas vertit, & tanto fortius conſtringendo ſeipſam plangit, quanto laxius per varia deſideria ſe diutius erraſſe recolit.* Ex eadem doctrina, & conſuetudine emanat hæc verba in *Epiſtola 27. ad Euſtochium*, *In Paula crederes fontes lachrymarum: Ita levia peccata plangebat, ut illam graviſſimorum criminum crederes ream.*

VII. S. Auguſtinus *ſerm. 58. de Tempore*, præclarè docet cauſam ſpecialem difficillimæ iſtius converſionis, graviterque monet Auditores ſuos, ut eam ſtudioſè evitent. *Si alicui pes frangatur, aut manus, cum labore ſolet ad priſtinum officium revocari. Si verò ſecundò, & tertiò, & adhuc frequentius in eodem loco membra ipſa frangantur, poteſt intelligere charitas veſtra, cùm quantis doloribus vulnera ipſa vulneranda ſunt, & tamen poſt longas, & multas tribulationes, vix erit antequam ad priſtinum ſtatum membra ipſa valeant revocari. Similis ratio in animarum fracturis, ſeu vulneribus eſſe credenda eſt. Si ſemel aliquis vel ſecundò peccaverit, & ſine aliqua diſſimulatione ad Pœnitentiæ medicamenta confugerit, priſtinam incolumitatem ſine aliqua mora, & forſitan ſine aliqua fœditate recipiet. Si verò peccatis peccata cœperint addi, & animarum vulnera magis tegendo, vel defendendo putreſcere, quàm confitendo, & pœnitendo curari, timendum eſt, ne in illo impleatur, quod ait Apoſtolus, An ignoras, quia benignitas Dei ad Pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecundùm duritiem cordis tui, & cor impœnitens theſaurizas tibi iram, &c.* Obiicit ſibi poſteà poſſe aliquem dicere, *tam gravia ſe admiſiſſe peccata, ut jam Dei miſericordiam promereri non poſſit.* Negat hoc fieri poſſe, eo quòd Deus ſit omnipotens, nec ſit de ejus bona voluntate diffidendum, tandemque ſic colligit, *Nemo ergo nec poſt centum peccata, nec poſt mille crimina de miſericordia divina deſperet. Sic tamen non deſperet, ut ſine ulla mora Deum ſibi repropitiari feſtinet: ne fortè ſi conſuetudinem peccandi fecerit, etiamſi velit de diaboli laqueis liberari non poſſit.* Et poſt multa in ſermonis fine ſic fideles omnes exhortatur, *Hæc ergo cogitantes, fratres chariſſimi, cum Dei adjutorio laboremus ne nobis aliqua crimina, vel capitalia peccata ſubrepant. Si verò in hoc malo fuerit diabolica calliditate proſtratus, priuſquam crimina ipſa per conſuetudinem convaleſcant, remedium ſibi in die neceſſitatis acquirat, & cum ingenti rugitu, & gemitu Deum ſibi reconciliare contendat.* Difficilima igitur converſio animi in peccatis inveterati, & quò penitus inſedit, & inveteravit malum, eò difficilius Pœnitentia concipitur, qua ſola malum intimum abſtergi, & deleri poteſt. Nam ſi malum recens ingenti tantùm rugitu, & gemitu evellitur, ut ipſe docet, quid de inveterato credere par eſt? Eadem & iiſdem verbis docet S. Cæſarius Arelatenſis *homil. 14.* quam ex Auguſtino deſumptam ſibi vendicavit.

VIII. Idem planè docet ſuo exemplo S. Auguſtinus *lib. 8. Confeſſionum cap. 5.* cùm ſcribit, *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido, & dum ſervitur libidini facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.* Et paulò poſt, *Voluntas autem nova, quæ mihi eſſe cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus, ſola certa jucunditas, nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam.* Poſtquam iſta multis deſcripſit de obniſu ſuo Dei inſpirationibus facto, ſic diſſerit, *Non erat, quod tibi reſponderem dicenti mihi; Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus: Et ubique oſtendenti vera te dicere, non erat omninò quid reſponderem veritate convictus, niſi tantùm verba lenta, & ſomnolenta: Modò, ecce modò, ſine paululùm: ſed modò, & modò non habebant modum, & ſine paululùm ibat in longum, &c. Lex peccati eſt violentia conſuetudinis, qua trahitur, & tenetur etiam invitus animus eo merito, quo in eam volens illabitur.* Tandem poſt pugnæ longum tempus conſuetudinem devicit, & ſubegit Converſionis vehementia, & dominante Dei dilectione peccati tyrannis exulavit. Joannes Climacus in fine gradus. 5. eandem doctrinam appoſita ſimilitudine illuſtrat, *Dum adhuc recens, atque in ſanguine vulnus eſt, facilè curari ſolet. Nam quæ diuturna, & neglecta, atque obducta vetuſtate ſunt, difficillimè ſanantur, ingentique labore, & ferro, & cauterio, & igne viſibili, ut curari poſſint, indigent. Plurima ſunt, quæ tempore fiunt inſanabilia, Deo tamen omnia ſunt poſſibilia.* Cùm inveteravit crimen, & invaluit peccandi conſuetudo, duplici de cauſa pœnitere difficillimum, & ratione criminis, & ratione peccantis. Prius, quia grande crimen, & ſæpius repetitum vehementiſſimam requirit Contritionem, qua vulnus inflictum ſanari poſſit. Poſterius, quia habitus peccandi contractus, inſpirationi Dei, & bonis voluntatis affectibus pertinaciter obſiſtit: Ideò Sancti illi peccatorem ejuſmodi, niſi immenſa Dei miſericordia ſuccurat, quaſi inſanabilem deprædicant.

IX. Idem Auguſtinus, vel author Sermonum ad fratres in Eremo *ſerm. 11.* *Simus tantùm proni ad lamentum, & fletum, quantum fuimus ad culpam audaces. Qualis fuit nobis intentio ad peccandum, talis ſit ad pœnitendum devotio. Gravia peccata graviſſimis lamentis indigent.* Et verſus ſermonis finem, *Ablue culpam per lachrymam; juxta quantitatem ſordis menſura lachrymarum copiam, aſſumendo pœnitentiam, quæ mater eſt omnium bonorum.* Et liber de vera, & falſa pœnitentia *cap. 14. & 15. quod fusè refertur diſt 5. de Pœnit. cap. 1.* multis deſcribit peccatorum gravitatem, & circumſtantias, ut Reus crimina juxta uniuſcujuſque ſcelus defleat, & emendet, *Immoretur in ſingulis iſtis, & ſentiat modum criminis purgans lachrymis omnem qualitatem vitii*, quæ multis perſequitur. Deinde hortatur, *ut ſemper offerat Deo mentem, & cordis contritionem, &c.*

X. Vigilius Pontifex ſic ad S. Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum ſcribit de quæſtione, quam illi moverat Theodebertus Francorum Rex: *cujuſmodi ſcilicet Pœnitentia poſſet illius purgare delictum, qui cum uxore fratris ſui illicitum præſumpſit inire conjugium.* Pontifex Cæſarium monet reſponſi, quod Theodeberto Regi dederat, epiſtola ad eum ſcripta, quæ legitur *tom. 1. Conciliorum Gall. an. 538. Cui nos, &c. indicare curavimus, quoniam tale commiſſum non parva cordis afflictione valeat expiari. Sed quia ſicut charitatem tuam bene noſſe confidimus, modus Pœnitentiæ præſentium potius Sacerdotum inſpectioni committitur, ut juxta compunctionis meritum, veniæ quoque poſſit indulgeri remedium, tuæ hoc potius æſtimationi credimus relinquendum.* S. Cæſarii manifeſtum teſtimonium *homil. 1. item homil. 29. & 32.* ſed jam alia in cauſa iſta retulimus.

XI. S. Gregorius *lib. 4. Moralium c. 17. Si diem, quam peccati delectationem diximus, tot impeti precibus audivimus, ut videlicet circumdantes fletus expient quidquid delectatus per negligentiam animus deliquit: Quanta animadverſione hujus diei nox ferienda eſt, videlicet ipſe conſenſus ad culpam? Tantò arctiori manu Pœnitentiæ mens à pollutione tergenda eſt, quantò ſe per conſenſum conſpicit ſordidius inquinatam, &c.* Idem Gregorius in Epiſtola ad Secundinum, quæ extat *lib. 7. Regiſtri, Epiſt 53.* & refertur à Rabano Mauro *lib. Pœnitentium cap. 1.* Burchardo *lib. 19. c. 43.* Ivone *part. 6. cap. 83. & diſt. 50. cap. 16. A capite itaque incipientes uſque in quartum altaris Miniſtrum hanc formam ſervandam cognoſcimus, ut quia minorem major præcedit, ſicut honore eſt major, ita ſit in crimine; & quem major ſequitur culpa, major ei implicetur vindicta, & ſic poſteà Pœnitentia credatur eſſe fructuoſa.* Et in *3. Reg. c. 8* in hæc verba, *ſi fortè relevet manum ſuam à vobis: Quid aliud in hoc verbo dubitationis accipitur, niſi quia difficilis oſtenditur reconciliatio criminoſorum? Unde & per Jonam dicitur? Quis ſcit ſi convertatur, & convertatur Deus? Quia ergo ſi fortè relevet manum ſuam dicitur, commoveri ad Pœnitentiæ lachrymas, cum magna fortitudine debemus. Quia etſi ii, qui Pœnitentiam auſteram faciunt, vix fiduciam ſalutis inveniunt, negligentes ſalvi fieri quando poſſunt?*

XII. S. Eligius *homilia 15. Quia ergo majora crimina admittentibus, majora ſunt admittenda remedia, convertam me ad vos, quos Eccleſia ex more Pœnitentes vocat, cupiens videre, & audire quanta intentione deflere ſtudueritis commiſſa veſtra, & quanto ſtudio deinceps procurare vultis, ne in barathrum perditionis animæ veſtræ relabantur.*

XIII. Eucherius Lugdunenſis *homil. 5. ad Monachos*, *Non putemus tam facilè remitti poſſe peccata, inuſta ſemel crimina, & profundo vulnere in animæ ipſius impreſſa viſceribus. Multo opus & fletu, multo gemitu, multo dolore cordis ad ſanandos ipſius cordis dolores.*

XIV. S. Iſidorus *lib. 2. de Divinis Officiis c. 16.* Cùm dixiſſet Deum in actione Pœnitudinis non tam conſiderare menſuram

ſuram

ſuram temporis, quàm doloris, eo quòd cor contritum, & humiliatum non ſpernat, addit, *Verumtamen quantò in peccundo fuit ad malum promptior mentis intentio, tantò devotior debet eſſe in pœnitendo.* Quæ iiſdem verbis docet Rabanus Maurus *lib.2. de inſtit. Clericorum, cap.29.*

XV. Concilium Romanum ſub Zacharia Pontifice *can. 1.* ad Gallos Epiſcopos *tom. 1. Concil. Galliæ, In ejuſmodi mulière quot ſunt cauſæ, tot reatus: integritatis propoſitum mutatum, velamen amiſſum, fides prima depravata, atque in irritum devocata. Quali hìc, & quanta ſatisfactione opus eſt? Quàm magna Pœnitentia ejus, quæ interitum carnis occurit? Non eſt parva culpa reliquiſſe Deum, & iviſſe poſt hominem. Unde annis quamplurimis deflendum ei peccatum eſt, quo dignæ fructu Pœnitentiæ facto poſſit aliquando ad veniam pervenire.* Concilium Metenſe in commonitorio de ratione imponendæ Pœnitentiæ ad Epiſcopos in comitatu Ludovici Regis *cap.5. Tantò majori quærat bonorum quiſque lucra per Pœnitentiam, quantò graviora ſibi intulit damna per culpam &c. Tanta ſint bona, quæ tanta operiant mala.*

XVI. Concilium Piſtenſe ſub Nicolao I. in fine *cap.1. Reparemus ergo nos per Pœnitentiam, & Confeſſionem, & per eleemoſynas unuſquiſque ſecundùm poſſibilitatem ſuam, & quantum quiſque recognoſcit ſe à Deo arruiſſe per culpas, tantùm bibat compunctionis ſuæ lacbrymas, &c.*

XVII. S. Bernardus *lib. de modo bene vivendi cap.27.* ita devotam mulierem inſtituit, *Si vis abluere peccatorum tuorum maculas, ſemper diligas lacbrymas. Dulces tibi ſint lacbrymæ; delectet te ſemper planctus, & luctus: nunquam deſeras planctum, & luctum. Tanto eſto prona ad lamenta, quanto fuiſti prona ad culpam. Quanta fuit tibi intentio ad peccandum, tanta ſit ad pœnitendum devotio. Secundùm infirmitatem adhibenda eſt medicina: Gravia peccata grandia lamenta deſiderant.*

XVIII. Hugo à S. Victore *lib.2. de Sacramentis, p.14. c. 21. Si in correctione minor eſt afflictio, quàm in culpa fuit delectatio, non eſt dignus Pœnitentiæ tuæ fructus.*

XIX. Jacobus Vitriacus Cardinalis ſermone in capite jejunii poſt longam ad Contritionem exhortationem tandem colligit, *Sic igitur Pœnitens, ita pronus ad lamentationem, quantum fuit pronus ad culpam. Et qualis fuit ad peccatum intentio, talis ſit ad pœnitendum, & lugendum devotio, ut riſus dolore miſceatur, & extrema gaudii luctus occupet.*

XX. Petrus Bleſenſis in tractatu de Confeſſione Sacramentali iſta multis exaggerat, & perſpicuè docet, quàm acri Pœnitentia deleri debeant crimina quæcumque, & acriori Pœnitentiæ dolore, quæ ſunt graviora, *Putant aliqui hæc ſibi ſufficere, quòd aliquandiù à ſua turpitudine defecerunt, atque de primitiis acceptæ continentiæ præſumentes, veteres exceſſus non recolunt: & quaſi ſpatio temporis evanuerint culpæ, vel earum oblitus ſis, aut dormitat Deus, putant de omnibus debitis brevi Pœnitentiæ compendio tranſegiſſe. Recolo quid Job ad Dominum dicat, ſignaſti quaſi in ſacculo peccata mea; & Dominus in Deuteronomio, Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis? Non ſine dolore cordis acerbiſſimo, & anxia cordis afflictione ſanantur, quæ longo uſu inolita, & intimis animarum medullis infixa ſunt, nec horaria, & levi Contritione redimi poſſunt, quibus mors æterna debetur:* Idem argumentum multis perſequitur, & poſt multa colligit, *Nonnulli itaque de momentanea Contritione, vel affluentia lacbrymarum præſumunt, &c. Nonne ita compunctione eorum excæcat oculos, & aures cordis obturat, qui credentes ſe eſſe aliquid, cùm nihil ſint, abominabiles criminum maculas ſine fructibus pœnitentiæ paucis lacbrymis æſtimant abluiſſe. Vera ſiquidem Pœnitentia non in lacbrymis momentaneis, aut horaria compunctione conſiſtit. Nulla etiam affectio pia meritoria eſt ad ſalutem, niſi ex Chriſti dilectione procedat, &c.* Idem Petrus *Epiſtola 61. Non tam facilè ſine fletu, ac gemitu cordis, acerboque dolore ſanantur, quæ convaluerant in præcordiorum medullis. Nec leviter culpa remittitur, niſi cum qualitate peccati humilitas pœnitentiæ compenſetur.*

XXI. S. Petrus Damianus Cardinalis opuſculo de perfectione Monachorum *cap.6. Si jus diſcretionis inſpicitur, unuſquiſque quo magis gravatur offenſis, eo majori gravandus eſt pondere ſatisfactionis, facilius quippe debitor ſolvit, qui mutuatus eſt unciam, quàm ille qui libram: nec pari emendatione plectendus eſt, qui ovem rapuit, & ille qui bovem.* Id exemplo Apoſtolorum probat, quos, ait, eò gravioribus tormentis afflictos fuiſſe, quò ante Apoſtolatum gravioribus criminibus ſorduerant. Deinde de S. Paulo, *Si ille inter tam magnifica virtutum opera non confidit adhuc in Apoſtolatu, quid nos infelices, & miſeri tantùm præſumimus de noſtræ deſidiæ monachatu, &c. Sed quid prodeſt à peccatorum perpetratione deſiſtere, niſi & hæc ipſa, quæ perpetrata ſunt, ſtudeat quis diſtrictæ Pœnitentiæ ſatisfactione delere?*

XXII. Poſtremò ejuſdem veritatis evidens, & illuſtre teſtimonium eſt, ambiguitas, & incertitudo, cum qua ſemper locuti ſunt Patres de ſalute peccatoris, qui in lectulo ægrotus ad Deum convertebatur. Diffidentiæ iſtius cauſam præcipuam aſſignant ſufficientis compunctionis obtinendæ difficultatem, eo quòd tum non poſſit ea peragere, vel pati, quæ ad acquirendam ſufficientem animi ad Deum converſionem neceſſaria ſunt. Patrum teſtimonia excuſſa ſunt *lib.3. cap. 9.* Pauca tantùm nunc referemus è Salviano Maſſilienſi Epiſcopo, qui diffidentiæ iſtius cauſas latiſſimè explicat lib. 1. ad Eccleſiam Catholicam. Univerſus ipſius ſermo, & rationum contextus evidentiſſimè demonſtrant, quid tum vulgò in Eccleſia creditum ſit, & traditum de Pœnitentiæ interioris, & exterioris difficultate, & neceſſitate, ut quiſque hæc legens nemine monente poteſt colligere. Occurrit Salvianus objectionibus defendentis cauſam in fine Pœnitentium, *Cilicio carnes conteret, ac favilla, & cinere ſordidabit, ut mollitiem videlicet præteritæ voluptatis præſentium aſperitatum duritia compenſet, & reatum longarum deliciarum officio patrocinantis ſolvat injuriæ.* Deinde reſpondet, *Sed quando hæc tam grandia faciet, vicino jam exitu etiam à mediocrium actione diſcluſus?* Iterum obiicit, *Crucibus denique diverſarum ærumnarum Reum in ſuo corpore hominem judex fidei ſeveritas ſubjugabit, ut indulgentiam ſcilicet abſolutionis æternæ præſentis pœnæ ambitione mereatur.* Et reſpondet, *Sed fatiſcente jam corpore, ubi exercebit diſtrictionis officium cenſor animus? Uti enim ſeveritatis arbitrio judex non poteſt, quando Reus jam non ſuſtinet judicari.* Excluſis his, aliiſque pœnitendi rationibus tandem colligit, *Unum ergo eſt, quod amiſſis omnibus adjumentis, atque ſubſidiis perfugium nutanti, ac deſtituto opitulari queat, ut confugiat ſcilicet ad illud beatiſſimi Danielis ſacrum, ac ſalubre conſilium, qui Babylonio regi mederi volens, &c.* Deinde multis oſtendit, qua ratione in illis extremis agens bonorum ſuorum eleemoſynam facere teneatur, *Offerat ergo vel moriens ad liberandam de perennibus pœnis animam ſuam: ſed offerat tamen, cum compunctione, cum lacbrymis, cum dolore, cum luctu. Aliter quippe oblata non proſunt, quia non pretio, ſed affectu placent. Nec enim animas datis datis, ſed animo commendantur data, &c. Nec abſolvere ſe peccata ſua credat, ſed adlevare: Nec offerat cum redemptionis fiducia, ſed cum ſupplicationis officio, &c. Et ideò licèt offerat, oret Deum, ut lenta ſua placeat oblatio, plangens & pœnitens, quòd tardè offert, plangens & pœnitens quòd non prius.*

XXIII. Tandem his, & ejuſmodi exaggeratis concludit propter criminum magnitudinem, nec eleemoſynis omnium rerum ſuarum eſſe fidendum, *Tu autem cautò plus pro te debes, quod hæc vel moriens facis, vel jam jamque moriturus. Grandis enim magnificentia, ac devotio futura eſt, quæ poſſit id compenſare, quod hæc tum demum Domino tuo reddis, quando habere ipſe jam non potes. Præſertim cùm addatur ad iſta omnia, quod Propheta ipſe, qui regem illum ad redemptionem criminum vocat, per hæc ipſa, quæ dicit debere fieri, non tam ei veniæ ſecuritatem, quàm vitam inquirendæ ſalutis oſtendat. Dicens enim ad eum, peccata tua in miſericordiis redime, & forſitan propitiabitur Deus delictis tuis: Hoc ipſum quod dicit forſitan, ſpem indicat, non fiduciam pollicetur, &c. Dat conſilium de actu, & tamen dubitat de effectu. Hortatorem ſe agendi, non impetrandi authorem ſe facit. Quare ita? Quia omnes peccatores debeat pro ſe, vel in ſupremis cuncta tentare, etſi non poſſunt ulla præſumere.*

CAPUT XV.

Pro doloris, & converſionis fervore, diligentique Pœnitentiæ impoſitæ executione pœnas canonicas minui ſolitas; eo quòd Patres interiorem animi Pœnitentiam potiſſimùm ſpectarent, & excitari vellent, unde indulgentiarum fons ſcaturivit.

QUanquam tantam de gravioribus peccatis animi Contritionem exigerent antiqui Patres, eòque vehementiorem, quò peccata erant atrociora; pœnaſque ſimiliter, & exteriores corporis afflictationes pro peccatorum atrocitate, & diuturnitate multiplicarent, & augerent: Nihilo ta-

lo tamen ſecius quoties vehementem animi converſionem, & pœnitudinem in peccatore animadvertebant, indulgentius eum habebant, tempuſque illud longum asperæ Pœnitentiæ pro animadverſa Contritionis vehementia contrahebant, & aſperitatem mitigabant. Ita faciendum paſſim monent Patres, & præcipiunt canones. Concilium Nicæn. primum *capit.* 12. *Quicunque, & metu, & lachrymis, & tolerantia, & bonis operibus converſionem & opere, & habitu oſtendunt, hi impleto Auditionis tempore quod præfinitum eſt, meritò orationum communionem habebant, cum eo quod etiam liceat Epiſcopo humanius aliquid de iis ſtatuere.* De aliis verò qui ejuſmodi zelum non demonſtrant, verbis ſequentibus ita ſtatuit, *Quicunque autem non adeò graviter tulerunt, nec multùm ſua referre exiſtimarunt, ſatiſque eſſe putarunt in Eccleſias ingredi ad converſionem, tempus impleant.*

II. Concilium Ancyran. *cap.* 5. *Statuimus autem, ut Epiſcopi modo converſationis examinato, poteſtatem habeant, vel utendi clementia, vel plus temporis adjiciendi. Ante omnia autem, & præcedens vita, & quæ conſecuta eſt, examinetur, & ſic eis clementia impertiatur. Canone* 2. idem de Clericis ſtatuerat, quod hic de Laicis ſtatuit. Et Laodiceno *can.* 2. *Eos qui in diverſis delictis peccant, & in oratione, confeſſioneque, & Pœnitentia fortiter perſeverant, & ſe à malis perfectè convertunt, tempore Pœnitentiæ eis pro delicti proportione dato propter Dei miſerationes, & bonitatem offerri communioni.* Renovant Burchard. *lib* 19. *cap* 41. Ivo *part.* 15. *cap.* 56. & 26. *q.* 7. *cap.* 4. Concilium in Trullo canone ultimo ſic monet Epiſcopos, & Presbyteros, *Oportet, eos, qui ſolvendi, & ligandi poteſtatem à Deo acceperunt, peccati qualitatem conſiderare, & ejus, qui peccavit, ad converſionem promptum ſtudium, & ſic morbo convenientem afferre medicinam, ne ſi in utroque immoderatione utatur, ab ejus qui laborat ſalute excidas.* Alia ejus generis minutè perſequitur, quæ legiſſe Lectorem non pœnitebit. Idem demonſtrat *cap.* 75. *Concil.* 4. *Carthagin. Negligentiores Pœnitentes tardius reconcilientur,* quem repetunt Capitularia *lib.* 5. *cap.* 74. Burchard. *lib.* 19. *c.* 38. Ivo *part.* 15. *cap.* 7 & Gratian. 26. *q.* 7. *cap.* 6.

III. Eodem modo S. Innocentius I. *Epiſtolæ* 1. *cap.* 7. *Cæterùm de pondere æſtimando delictorum, Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad Confeſſionem Pœnitentis, & ad fletum, atque lachrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti cum viderit congruam ſatisfactionem.* Sic Capitularia *lib.* 5. *cap.* 67. Rabanus Maurus *lib. Pœnitentium cap.* 35. Burchard. *lib.* 18. *cap.* 18. Ivo *part.* 15. *cap.* 40. *de Conſecrat. diſt.* 3 *cap.* 17. S. quoque Leo *Epiſtolæ* 79. *cap.* 6. eandem Pœnitentium rationem vult haberi. *Ea cuſtodienda eſt moderatio, qua in ſocietatem noſtram non niſi per Pœnitentiæ remedium, & per impoſitionem Epiſcopalis manus, communionis recipiant unitatem, temporis pœnitudinis habita ratione, tuo conſtituenda judicio, prout Converſorum animos perſpexeris eſſe devotos,* &c.

IV. S. Baſilius Epiſtolæ ad Amphilochium *cap.* 74. iſtam obſervantiam, & illius rationem clariſſimè explicat, *ſin autem unuſquiſque eorum, qui in prædictis peccatis fuere, diligenter, & ſtudiosè Pœnitentiam exequitur, is, cui à Dei benignitate ligandi, & ſolvendi credita eſt poteſtas, ſi fiat clementior in minuendo tempore pœnarum peccatori impoſitarum, videns ſummum ejus in iis tolerandis ſtudium, non erit dignus damnatione, cùm ſacræ ſcripturæ nos doceant, quòd ii, qui majori labore, & ſtudio confitentur, Dei miſericordiam celeriùs apprehendant.*

V. Sæpius idem monet S. Gregorius Nyſſ. in Epiſtola canonica ad Letojum licèt non admodum longa. Poſtquam de Adulterorum pœnis decrevit, *In hoc quoque illius, cui medela adhibetur, diſpoſitio conſiderabitur, quomodo & in iis qui fornicationis inquinamento illaqueati ſunt, ut velcitiùs, vel tardiùs eis ſit boni participatio.* Idem paulò ante pluribus verbis, ex canone antiquo, & univerſali edixerat, addideratque licere Epiſcopo pro converſionis demonſtratæ zelo, pœnarum tempus contrahere. Similiter poſt explicatas Homicidarum pœnas ſubjicit, *πρὸς τὸ λόγον τῆς ἐπιστροφῆς συντεμνόμενον αὐτῷ καὶ ἡ τοῦ ἐπιτιμίου παρατάσεως, pro ratione converſionis, illi quoque pœnæ extenſio reſcindetur.* Denique canonicum ſuum reſponſum concludit hoc generali axiomate, *In omni peccati ſpecie, ante omnia reſpiciendum eſt, qualis ſit ejus, cui medela adhibetur, affectio, & diſpoſitio, & non exiſtimare tempus ad medelam ſufficere. Quænam enim fiet ex tempore medicina? ſed ejus qui ſibi per converſionem medetur, animum, & inſtitutum.* Id quod potiſſimùm Patres conſiderabant, animi erat converſio ad Deum, cordis contritio, & compunctio. Uno verbo, prima, & præcipua eorum cura erat in univerſo Pœnitentiæ ſtadio animum ab illicitis cupiditatibus quantum fieri poterat, non modò revocare, ſed etiam ſanare, ut reconciliationis gratia dignus haberetur, eaque obtenta corporis Chriſti particeps efficeretur. Ideò acrioribus morbis acriora remedia procurabant, acerbioreſque, & diuturniores pœnas infligebant, ut contritione cordis inflammata dolor interior ob Deum læſum conceptus peccati delectationem in animo extingueret, & Dei offenſæ redimendæ quodam modo æquaretur. Hinc Epiſcopi Pœnitentium converſationem, mores, vitæque inſtitutum, tum per ſe, tum per alios diligenter toto Pœnitentiæ curriculo explorabant, ut ex iis de interiori animæ converſione judicium facerent, ne per Abſolutionem temerè communicatam margaritas cum Porcis communicarent.

VI. Hanc eſſe pœnarum imponendarum rationem docet nos idem Gregorius in eadem Epiſtola. Poſtquam enim peccata diſtinxit, pœnas iis debitas explicare aggreſſurus, ſic incipit, *His itaque hoc modo diſtinctis, quæcunque quidem peccata ratione præditam animæ partem attingunt, eſſe graviora à Patribus judicata ſunt, & majori, ac ſufficientiori, & laborioſiori converſione digna.* Et longè anteà ubi ſcilicet de pœna fornicationis diſſerit, eandem figit legem, *In iis autem, qui diligentiori converſione uſi fuerint, & vita ſua reditum oſtenderint ad id, quod bonum eſt, licet ei, qui diſpenſat, pro eccleſiaſticæ œconomiæ utilitate tempus Auditionis contrahere, & celerius ad converſionem deducere; & rurſus hoc quoque tempus contrahere, & celerius communionem reddere.*

VII. Hujus rei nobis exemplum illuſtre ſuppeditat actio, 9. Concili generalis octavi juxta verſionem antiquam Eccleſiæ Romanæ ab Anaſtaſio ſedis Apoſtolicæ Bibliothecario, qui præſens aderat, editam. Graviſſima Pœnitentia iis, qui in Patriarcham Ignatium conjuraverant, ejuſque depoſitioni collaboraverant, à Concilio fuerat impoſita. Imperatores ipſi intercedunt apud ſedis Apoſtolicæ Vicarios, ut liceat Ignatio Patriarchæ tam gravem Pœnitentiam minuere, ſi magna ſceleris præteriti Contritione eos teneri judicaverit, *ut quiſquis ierit ad illam contrito corde quærens miſericordiam ſicut Deus deduxerit eum, Epitimium minores.* Principibus conceſſerunt Vicarii quod poſcebant, *Sancta quidem ſynodus conſonanter dedit eis Epitimium eorum peccato ſuo condignum, immò verò multæ compaſſioni propinquum. Verumtamen poteſtatem habet ſanctitas tua ſecundùm Contritionem cordis uniuſcujuſque, & fervorem, ac ſtudium Pœnitentiæ allevandæ, vel etiam augendi Epitimium, quod datum eſt, quoniam in te peccaverunt, & per te in Deum.* Indulgentiæ iſtius gratias Vicariis agunt Principes, & omnes Epiſcopi. Rabanus Maurus in Epiſtola ad Reginaldum eodem ſenſu ſcribit, *Qui veraciter pœnitet, ac per lachrymarum indicia cordis ſui Contritionem manifeſtat, leviori diſciplina tractandus eſt, quòd cor contritum, & humiliatum Deus nunquam ſpernit.*

VIII. Hinc paſſim alibi monent canones, cùm Pœnitentia imponitur, ut diligenter conſiderentur è Sacerdotibus Pœnitentium gemitus, lachrymæ, devotio: iſtorumque piorum affectuum conſideratio, inter præcipuas circumſtantias enumeratur, quas in pœnis infligendis examinare jubentur. Concilium Vormatienſe *cap.* 25. *Debet Sacerdos in Pœnitentia danda ſingulorum cauſas ſingulatim conſiderare, originem quoque, modumque culparum, & affectus, gemituſque delinquentium diligenter examinare, manifeſtèque cognoſcere.* Cabilonenſe ſub Carolo, *cap.* 34. *Neque enim penſanda eſt Pœnitentia quantitate temporis, ſed ardore mentis, & mortificatione corporis. Cor autem contritum, & humiliatum Deus non ſpernit.* Burchardus quoque *lib* 19. *c.* 59. Ivo *part.* 15. *c.* 73. Iſtius praxis exempla retulimus ex S. Cypriano ſupra *c.* 12. ubi lapſos, qui certamen redintegraverant, inducit, pacem tormentorum, & cicatricum intercesſione efflagitantes, *Poteſt*, inquit, *citò proficere ad veniam cauſa talis, poteſt ejuſmodi excuſatio eſſe miſerabilis.* Et de Caſtulo, & Æmilio lapſis quibus poſteà, prætermiſſis longis Pœnitentiæ laboribus, reconciliatio quaſi brevi manu tradita eſt, *Deprecabantur illi non lachrymarum miſeratione, ſed vulnerum,* &c. *manabat pro fletibus ſanguis, & pro lachrymis cruor ſemiuſtulatis viſceribus defluebat.* Infra hac de re pluribus, ubi cauſas accelerandæ reconciliationis explicabimus. Hinc fons, origo, & cauſa indulgentiarum omnium ebulliit, & erupit, ut libro hujus operis poſtremo docebitur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Explicatur, quæ acto antiqui Patres, ne Pœnitentibus temerè communionem redderent, experiebantur, an eorum converſio, & contritio ſincera eſſet, vehemens ſatis, & ἀξιόπιστος ἢ ὁλοκάρδιος; & quibus iudiciis, & argumentis in hujus rei cognitionem veniebant; oſtenditurque, licèt longarum Pœnitentiarum œconomiæ alias rationes haberent, & prædicarent, hanc tamen procurandæ, & cognoſcendæ ſinceræ, & ὁλοκάρδιου, converſionis potiſſimùm ſibi propoſuiſſe.

OPeræ pretium aliquod mihi facturus videor, ſi antecedentibus animadverſionibus addidero rationes aliquas, quibus perſuaſi Sancti Patres tam longas, ſeveraſque Pœnitentias capitalium criminum Reis indicebant, quibuſve interim indiciis, & argumentis experiebantur, an ſincera eſſet, & ſufficiens eorum converſio, & Contritio. Cuilibet enim peccatori jactanti crimina ſua ſe odio proſequi, & ab iis ceſſare velle profitenti non credebant. Hujus rei experimentum exigebant, oculatas habebant manus, ut fert proverbium; credebant hac in cauſa quod videbant: Pœnitentium promiſſa fructibus probari volebant, niſi grave aliquod, & imminens ſalutis periculum, ab iſta inquiſitione eos arceret. Nam, ut ait Sanctus Auguſtinus *cap. 12. Sermonis 50. de tempore*, *Sine cauſa putat quis per ſterilem Pœnitentiam ſe mereri veniam peccatorum*. Quæ autem erant iis veræ, & non fucatæ Pœnitentiæ argumenta, ſigna, & experimenta, eorum verbis non noſtris enarrabimus. Multa ſane ſunt, quorum paſſim in libris ſuis, & canonibus, ut ſeſe dat occaſio, mentionem faciunt; nec unum indicium, ſive veræ, & ſinceræ Pœnitentiæ τεκμήριον alteri eſt opponendum, ſed omnia ſunt conjungenda, & amplectenda.

II. S. Clemens *Conſtitut. lib. 2. cap. 10.* rationem reddit, quòd hac diſciplina intemeratè obſervata, non modo Pœnitentes à ſcelerum labe paulatim expiantur, verùm etiam ovile Chriſti, ab omnibus mundum, & ſanctum judicatur, & prædicatur: *unde fit*, inquit, *ut criminis Reus non audebit ingredi per contemptum in Eccleſiam conſcientia ſua ſtimulatus. Quòd ſi ea ſpreta ingrediatur, aut continuò arguetur, & pœnas dabit, ut Oza*, &c. *aut à Paſtore monitus ad Pœnitentiam adducetur. Cùm enim ſingulos circumſpexerit, & in nemine maculam repererit, nec apud Epiſcopum, nec apud populum, cui ille præeſt; tunc pudore affectus, ac multis cum lachrymis pacificè egredietur dolore punctus, manebuntque oves à contagione liberatæ, flebitque ille delicta ſua, &c.* Præclara ſanè ratio, quæ famæ, & gloriæ Eccleſiæ tam ſanctè conſulit: maximè enim decet Chriſtianum non modò crimine, ſed etiam omni criminis, & inquinamenti ſuſpicione vacare. Scaturit igitur ex verbis Clementis duplex ratio. Prior ſingulares perſonas reſpicit. Nam pro ratione executionis Pœnitentiæ impoſitæ magis, vel minus efficax argumentum de innocentia ſingularis cujuſque perſonæ ſumitur. Poſterior univerſam Eccleſiam; quæ hoc facto ſanctitatis opinione, & fama apud Ethnicos, & Hæreticos commendatur. Una enim ex præcipuis rationibus, quibus inducti Patres homines impuros à cœtu ſuo diutinè ſubmoverunt, iſta fuit, ne eorum communione contaminarentur: Ideò aliquot menſes, vel annos luſtrationibus peccatorem ſubiiciebant,

Donec longa, dies perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque reliquit.

Tum cœtui ſuo rurſus eum incorporabant. Ita Gregorius Thaumaturgus, ut cæteros omittam, de impuris ejuſmodi hominibus ſcribit *can. 12. Omnibus ejuſmodi interdicere viſum eſt, eoſque abdicare, ne fortè ad totum populum ira veniat, & in eos primùm qui præſunt, & non inquirunt. Vereor enim, ut ait ſcriptura, ne impius juſtum unà ſecum perdat.*

III. Alia ratio veræ converſionis, probandæ fuit ſuſceptum aliquod propter Chriſti fidem generoſum opus. Ex eo colligebant hominis à peccato converſionem, veniæ, & indulgentiæ maturam. Sic judicavit S. Cyprianus à Caldonio Epiſcopo, & aliis interrogatus, de nonnullis, qui poſt Lapſum iterùm tenti Chriſtum confeſſi fuerant, *Cùm abluerint*, inquit, *omne delictum, & maculam primam aſſiſtente ſibi Domino poſteriore virtute deleverint, jacere ultra ſub Diabolo quaſi proſtrati non debent, qui extorres facti, & bonis ſuis omnibus ſpoliati, erexerunt ſe, & cum Chriſto ſtare cœperunt. Atque utinam ſic, & cæteri poſt Lapſum pœnitentes in ſtatum priſtinum reformentur.* Veræ Pœnitentiæ, & ut loquitur Concilium Nicænum, γνησίας μεταμελείας, argumentum S. Cypriano meritò ἀναμφίλεκτον, ἢ ἀξιόπιστον.

IV. Idem Cyprianus *Epiſtol. 53.* à multis Epiſcopi de nonnullis, qui tormentorum atrocitate, & diuturnitate victi tandem ceciderant, percontatus, an ſufficeret ſtatim poſt Lapſum Pœnitentiam egiſſe, eamque triennium legitimè continuaſſe, ſic reſpondet, *Quod ad mei animi ſententiam pertinet, puto his indulgentiam Domini non defuturam, quos conſtat ſtetiſſe in acie, nomen confeſſos eſſe, violentiam Magiſtratuum, & populi furentis incurſum immobilis fidei obſtinatione viciſſe, paſſos eſſe carcerem, diù inter minas proconſulis, & fremitum populi circumſtantis tormentis laniantibus, ac longa iteratione cruciantibus repugnaſſe: Ut quod in noviſſimo infirmitate carnis ſubactum videtur, meritorum præcedentium defenſione relevetur. Et ſit ſatis talibus gloriam perdidiſſe, non tamen debere nos eis & veniæ locum claudere, atque eos à paterna pietate, & à noſtra communicatione privare, quibus exiſtimamus ad deprecandam clementiam domini poſſe ſufficere; quod triennio jugiter, ac dolenter, ut ſcribitis, cum ſumma Pœnitentiæ lamentatione planxerunt. Certè non puto incautè, & temerè his pacem committi, quos videmus militiæ ſuæ fortitudine, nec priùs pugnæ defuiſſe, & ſi acies denuò venerit, gloriam ſuam poſſe reparare.* Hæc multis ex Cypriano, ut videas in hypotheſi, qua ratione de ſinceritate, & ſufficientia Contritionis ad reconciliationem neceſſariæ diſſerat.

V. Petrus Alexandrinus *can. 8.* eandem ferè ſibi proponit quæſtionem, quam ſupra S. Cyprianus, & eodem modo reſpondet. Hæc eſt quæſtio: *Quidam tormentis victi Lapſi ſunt, poſteà ad certamen acceſſerunt, ſe eſſe Chriſtianos confitentes, & in cuſtodiam cum tormentis conjecti ſunt. Quid ejuſmodi Lapſis faciendum? qua mercede, & gratitudine certamen reſumptum, & redintegratum Eccleſia compenſabit?* Ita reſpondet Patriarcha, *Æquum eſt, cum exultatione cordis eos corroborare, & confirmare, & cum eis omnibus communicare, & in orationibus, & in participatione corporis, & ſanguinis, & ſermonis adhortatione; ut qui conſtantius decertaverint, ipſi quoque ſupernæ vocationis bravio digni judicentur.* Deinde, ut Cyprianus, eandem optat in omnibus Lapſis converſionem. *Quod quidem ſi omnes quoque Lapſi feciſſent*, πλατυτάτην καὶ ὁλοκάρδιον μετάνοιαν ἐνεδείξαντο, *perfectiſſimam Pœnitentiam, & toto corde ſuſceptam oſtendiſſent.* Quid igitur Poſtulant Patres ad communionem Lapſis redhibendam? πλατυτάτην καὶ ὁλοκάρδιον μετάνοιαν. Quibus indiciis eam coniiciunt? A Cypriano, & Petro ſummis viris, & ſumma dignitate in Eccleſia fungentibus habes explicatum. Cœpta ejuſmodi fortia, & generoſa ab annis ferè ſexcentis occaſionem dederunt multis Pontificibus indulgentias modò plenas, modò partiales iis concedendi, qui fortiter adverſus Saracenos in Syria, vel Hiſpania depugnaſſent, aut pugnantes bonis ſuis largiter adjuviſſent, de quibus in fine operis agetur.

VI. Paſſim inſuper antiqui Patres docent, Pœnitentiam per varias claſſes, longaque tempora diſtribui, ut perfectius peccati Reus purgetur, hocque Epiſcopis vario actionum examine certius innoteſcat. Sincerè enim, & non fictè pœnitere cenſendus eſt ille, qui multis annis non ceſſavit varia caſtigatæ vitæ edere argumenta. S. Gregorius Nyſſenus *in Epiſt. canonica* ſtatuit longius multò Pœnitentiæ tempus ei, qui de crimine convictus eſt, quàm qui illud ſponte eſt confeſſus. Quamobrem verò? *ut ipſe perfectè purgatus, ſic ad Sacramentorum communionem admittatur*, ὥστε καθαρισθέντα διὰ ἀκριβείας, *ut diligenter, & accuratè purgatus.* Et paulò poſt de alio agens crimine, *Quantum autem eſt expiationis tempus ob ſimplicem fornicationem, tantùm etiam rectè exiſtimatum eſt in iis, qui cædem involuntariam feciſſent.* Qua ratione autem hoc agendum, & diſtribuendum? *Scilicet in iis quoque Pœnitentis voluntate examinata, ut ſi ſit fide digna converſio* (ἀξιόπιστος ἡ ἐπιστροφή) *non ſervetur annorum numerus, ſed temporis prolixitate reſecata, ad Eccleſiæ reſtitutionem, & boni participationem compendiò deducatur.* Ut quid igitur temporis mora? Tot pœnitentiæ ſtationes, tam longa duratio, tot corporis afflictationes? Ut experirentur an vera eſſet animi Converſio, & eò vehementiæ perveniſſet, quæ deſiderabatur. Si brevi tempore iſta Contritio erat Epiſcopo comperta, quòd ex animi zelo, & ardore inconſtanter ſubeundis in unaquaque Pœnitentiæ ſtatione præſcriptis laboribus innoteſcebat, breviori quoque tempore reconciliabatur Pœnitens.

VII. S. Baſilius *cap. 3.* id quod nobis propoſitum eſt, ſpecialius tangit, judicium ſcilicet, quo ἀξιόπιστος illa ἐπιστροφή dignoſci poſ-

ſci poſſit, *Qui propter carnis voluptatem gratiam vilipendit, per carnis afflictionem, & omnis generis ſervitutem, ad temperantiam à voluptatibus deficiens à quibus fuit oppugnatus, perfectam ſuæ curationis demonſtrationem exhibebit*. En veræ, & ſufficientis converſionis ad Deum indicium, cui fides adhibeatur, digniſſimum.

VIII. S. Auguſtinus *c.* 65. *Enchiridii* eandem diuturnæ Pœnitentiæ cauſam reddit, ut ſcilicet intimus Contritionis dolor, qui ſoli Deo cognitus eſt, lapſu temporis hominibus innoteſcat. Deinde aliam addit, ut illa exteriore Pœnitentia Eccleſiæ ſatisfiat. *In actione Pœnitentiæ ubi tale crimen commiſſum eſt, ut is, qui commiſit, à Chriſti etiam corpore ſeparetur, non tam conſideranda eſt menſura temporis quàm doloris. Cor enim contritum, & humiliatum Deus non deſpicies. Verùm quia plerumque dolor alterius cordis occultus eſt alteri, neque in aliorum notitiam per verba, vel quæcunque alia ſigna procedit, cùm ſit coram illo, cui dicitur, gemitus meus à te non eſt abſconditus, rectè conſtituuntur ab iis, qui Eccleſiæ præſunt, tempora Pœnitentiæ, ut fiat etiam ſatis Eccleſiæ, in qua remittuntur peccata*. Alias ejuſdem dilationis cauſas ex eodem Auguſtino in fine *cap.* enarrabimus.

IX. Eandem cauſam dilucidè, fusè, & eloquenter perſequitur Ivo Carnutenſis *Epiſt.* 230. Interrogatus quomodo conveniant prophetica ſententia, In quacunque hora peccator ingemuerit, ſalvus erit, & Synodalis, quæ crimina ſua confitentes aliquandiu à corporis, & ſanguinis communione ſuſpendit, difficultatem ſic exponit, *Hæc quæſtio facilè ſolvitur ſi interni Judicis animadverſio, humanæ fragilitatis conſideratio diligentiùs attendatur, Cùm enim criminalis culpa delinquentem ſeparet à capite, & à corpore, rationis ordo hoc exigit, ut internus Judex tanto remittat celeriùs, quanto ſolus magis videt interiùs. Judex verò qui tantùm videt in facie, uſque adeò delinquentes ſub peccati pœna detineat, donec per manifeſtum Pœnitentiæ fructum, qui ſit Pœnitentis affectus intelligat. Per internum enim gemitum ſatisfit interno Judici, & idcirco indilata datur ab eo peccati remiſſio, cui manifeſta eſt interna converſio. Eccleſia verò, quia occulta cordis ignorat, non ſolvit ligatum licèt ſuſcitatum, niſi de monumento elatum eſt, id eſt, publica ſatisfactione purgatum, Hinc eſt, quòd Eccleſia ſua crimina confitentes à Sacramentorum communione ſuſpendit, & in cinere, & in cilicia poſitos ab introitu Eccleſiarum ſtatuto tempore excludit, ut per hoc experiatur, ſi tam ſunt intus vivificati, cùm fuerint longa Pœnitentiæ maceratione probati*. Longæ igitur Pœnitentiæ finis eſt, ſinceræ ϗ ὁλοκάρδιοι converſionis cognitio; quæ fructibus pœnitentiæ demonſtratur, & comparatur.

X. Eandem rationem reddit canon. Nicænus 19. Arabicus eo fretus fundamento, quod neceſſe ſit ante reconciliationem Rei Pœnitentiam apparere: Hoc autem ut fiat, oportere Reum in unaquaque Pœnitentium claſſe experiri. *Si qui ex iis, qui ſine periculo, & violentia negaverunt, ſicut illi, qui à regibus, & principibus Gentilium perſecutionem patiebantur, perfectè, & recto corde voluerint ad fidem redire, recipiendi ſunt. Sed apartes, ut non prius cum fidelibus communionem habeant, quàm appareat eos pœnituiſſe peccati ſui, & tribus annis Pœnitentiam inter Audientes agant, & inter Pœnitentes annis ſeptem, & poſteà poterant intrare Eccleſiam ad orandum cum populo*. Adnotanda hic mihi videtur oratio, quæ in antiquiſſimo Sacramentario legitur pro reconciliatione rebaptizati ab Hæreticis: Pœnitentiam reconciliato nunquam eſſe intermittendam, licèt Eccleſia Pœnitentiæ agendæ metas poſuerit, eo quòd Eccleſia potuerit toto illo tempore non ſatis Pœnitentiæ ſinceritatem agnoviſſe. Orationem referimus integram *lib.* 9. *cap.* 7. quam Lectori utile erit præcedentium lectioni conjunxiſſe. Præcipuus enim Eccleſiæ ſcopus in toto Pœnitentiæ curriculo, ut jam dictum eſt, animi Pœnitentium probationem ſpectat. Ideò poſtquam Sanctus Baſilius, 83. canonibus varias pœnas criminibus imponendas definiiſſet, & pro uniuſcujuſque gravitate tempora conſtituiſſet, tandem canone 84. ſic concludit, *Hæc autem omnia ſcribimus, ut Pœnitentiæ eorum fructus probetur. Non enim hoc omnind tempore judicamus, ſed modum Pœnitentiæ attendimus*.

XI. Peculiares autem Pœnitentiæ fructus, quibus, juxta Domini ſententiam *à fructibus eorum cognoſcetis eos*, Pœnitentiæ ſinceritas, quantùm homini ſecreta cordis judicare fas eſt, dignoſcitur, jam aliquot enarravimus. Eoſdem, alioſque enumerat Baſilius Seleucienſis oratione in Jonam, ubi explicat hæc verba, veſtiti ſunt ſaccis, & eorum virtutem præclarè aperit, & commendat, *Hæc veræ Pœnitentiæ ſunt indicia, ingens anima, lacrymantes oculi, diſceſſio à malitia, impietatis fuga, carnis contritio, animi compreſſio, injuſtitiæ devitatio. His peccatum purgatur; his divinum decretum cedere non erubeſcit. Deus ſolvit ſententiam, &c.*

XII. S. Gregorius luculentiſſimè enarrat, & illuſtrat hęc veræ Pœnitentiæ indicia, & argumento *lib.* 6. *in. Reg. cap.* 15. verſus finem, *Signum veræ Confeſſionis non eſt in oris confeſſione, ſed in afflictione Pœnitentiæ. Tunc namque benè converſum peccatorem cernimus, cùm digna afflictionis auſteritate delere nititur, quod loquendo confitetur; Unde Joannes Baptiſta malè converſos Judæos ad ſe confluentes increpans, ait, &c. Facite ergo dignos fructus Pœnitentiæ. In fructu ergo non in foliis, aut ramis Pœnitentia cognoſcenda eſt. Quaſi arbor quippe bona voluntas eſt, Confeſſionis ergo verba quid ſunt aliud niſi folia? Non ergo nobis folia propter ſeipſa, ſed propter fructum expetenda ſunt. Quia idcirco omnis Confeſſio peccatorum recipitur, ut fructus Pœnitentiæ ſubſequatur. Unde, & Dominus arborem foliis dedecoram, fructu ſterilem maledixit; quia Confeſſionis ornatum non recipit ſine fructu afflictionis*, &c. His, & ſimilibus argumentis, & indiciis experitur Eccleſia an ἀξιόπιστοι ϗ ὁλοκάρδιοι ſit Pœnitentium converſio, & contritio, dignaque cui credantur, reconciliatio, & ſanctiſſimorum myſteriorum communio.

XIII. Denique coronidis loco illuſtre Sancti Auguſtini teſtimonium ex commentario in Pſalmi ſexti hæc verba, *Et tu Domine uſquequo*, referemus, in quo varias rationes reddit conſuetudinis Eccleſiaſticæ, quæ Pœnitentium reconciliationem diu differebat, nec quam præcipuè hic attendimus, omittit. *Quis non intelligit animam luctantem cum morbis ſuis; diù autem dilatam à Medico, ut ei perſuadeatur, in quæ mala peccando ſe præcipitaverit? Quòd enim facilè ſanatur, non multum cavetur. Ex difficultate autem ſanationis erit diligentior cuſtodia receptæ ſanitatis. Non ergo tanquam crudelis Deus æſtimandus eſt, cui dicitur, & tu Domine uſque quo? Sed tanquam bonus perſuaſor animæ, quid mali ſibi ipſa pepererit. Nondum enim tam perfectè orat hæc anima, ut ei dici poſſit. Adhuc loquente te dicam, Ecce adſum. Simul etiam, ut illud agnoſcat, quanta pœna impiis præparatur, qui ſe nolunt convertere ad Deum, ſi tantam difficultatem convertentes patiuntur, ſicut alio loco ſcriptum eſt, ſi juſtus vix ſalvus erit, peccator, & impius ubi parebunt?* Reconciliationis igitur ſive Abſolutionis medicinam diù differre ſolebant Patres, ut quantum malum peccator perpetraſſet, intelligeret. Deinde ut ex remiſſionis difficultate cognoſcerent pii, quantæ impiis pœnæ præparentur. Denique, ut reconciliatus diligentiùs à peccato in poſterum ſibi caveret. Tres illæ rationes abſolutionis dilatæ, & ſeparatim, & multò magis ſimul ſumptæ, id quòd hoc capite probandum ſuſcepimus egregiè confirmant. Nam ſi ſtatim animi compunctione, & converſione verbis demonſtrata Pœnitentem abſolviſſent, experimento proprio non didiciſſet peccator quantopere Deum crimine ſuo offendiſſet, & in quantam malorum abyſſum ſeſe præcipitaſſet. Deinde ex illa parcendi facilitate, pœnarum quæ impios manent levitas contra Dei oracula colligeretur. Denique eadem parcendi facilitas homines ad evitandum peccatum negligentes redderet. Nam ut ait S. Auguſtinus, *Quòd facilè ſanatur, non multùm cavetur*, & in ſermone 34. de diverſis *cap.* 12. *Si citò rediret homo ad priſtinam beatitudinem ludus illi eſſet peccando cadere in mortem*, atque ut ait Concilium Eliberti *cap.* 47. luderet de communione pacis, & S. Ambroſ. in *Pſalm.* 118. incentivum peccati tribueretur delinquenti. Cùm igitur S. Auguſtinus cum tota Eccleſia, tam gravia incommoda ex abſolvendi facilitate colligeret, certum videtur propter eaſdem rationes, Sacerdotes, Epiſcopoſque diligenter ad Pœnitentium actiones, moreſque longo tempore attendiſſe, ut, ex iis judicare poſſent, an vera, ſinceraque eſſet cordis eorum compunctio, & vitæ converſio.

XIV. Non mihi videntur inconſideratè prætereunda hæc Sancti Auguſtini verba, Nondum tam perfectè orat hęc anima, ut ei dici poſſit, adhuc loquente te dicam, Ecce adſum. Alludit Auguſtinus ad id quòd refert Daniel *cap.* 9. *verſ.* 21. *Adhuc me loquente in oratione ecce vir Gabriel*, &c. Oratio ejus exaudita eſt, quia vir deſideriorum erat. In quo vero converſionis ſtatu erat anima, quæ in Pſalmo inducitur, dicens, *Et tu, Domine, uſquequo?* Ea erat quæ ante dicebat, *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Miſerere mei, Domine, quia infirmus ſum: ſana me, Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea, &*

anima

anima mea turbata eſt valde. Licèt tanta cùm amaritudine Deum precaretur anima illa, ſcribit tamen Sanctus Auguſtinus, eam nondum tam perfectè orare, ut ei dici poſſit nomine Dei, Ecce adſum, Deus tecum, abſoluta es, ſalutem conſecuta es. Diutiùs differenda eſt illi Abſolutionis ſententia, donec Sacerdoti compertum ſit, an gemitus ille, & animi dolor, verus ſit, ſincerus, firmus, & conſtans.

XV. Alia inſuper fuit totius laboris pœnitentialis, & ejus diuturnitatis cauſa, eaque præcipua, cui innititur poſtrema iſta Sancti Auguſtini ratio: Nempè, ut operibus iſtis laborioſis Pœnitens miſericordiam Dei ſibi alliceret, & impetraret; ſicque paulatim per frequentem iſtorum operum iterationem intercedentibus Eccleſiæ orationibus ad purgationis conſummationem perveniret. Sed de hac cauſa erit nobis infra multis agendum.

CAPUT XVII.

Antiquos Patres admodum exhorruiſſe, ne Sacramenta cum indignis communicarent, atque ideò diligentiſſimè ſemper caviſſe, ne quemquam abſolverent, quem priùs à Deo vel abſolutum, vel Sacerdotum miniſterio curatione peracta abſolvendum, quantùm homini judicare fas eſt, certò non crederent.

Mihi planè neceſſarium videtur, Lectorem de illuſtri, & perpetua Eccleſiæ traditione commonefacere, cui tanquam præcipuo fundamento innituntur, non modo quæ præcedentibus capitibus demonſtrata ſunt, ſed omnes propè intendendæ, vel remittendæ Pœnitentiæ; retardandæ, vel accelerandæ reconciliationis rationes, eamque ſingularibus nonnullis teſtimoniis probare, & illuſtrare. Quanquam enim iis ferè omnibus teſtimoniis, quæ jam prolata ſunt, & innumeris, quæ aliis in cauſis proferenda erunt, demonſtretur: de ea tamen ſeparatim, & ſingulariter agere ſupervacaneum fore non arbitramur. Traditionis iſtius originem, cauſaſque altius repetemus; ideò nonnulla nobis ſunt attingenda, & perſtringenda, quæ libris ſequentibus ſedulò demonſtramus.

II. Antiqui Patres noſtri anxiè admodum, & ſolicitè cavebant, ne ulla eſſet ſibi cum impiis, & impuris hominibus communicatio. Ideò diligentiſſimè procurabant non modò ne Infideles, ſed ne quidem Chriſtiani immundi publicè Pœnitentes myſteria ſua conſpicerent, donec vitæ maculas poſteriore ſanctitate eluiſſent: Tantùm aberant ab iis ad συμμύησιν, & ſacramentorum participationem admittendis. Hinc Eccleſiarum ſanctuaria cancellis, & velis undique claudebantur, ne prophanorum, & ἀμυήτων aliquis in ea introſpiceret. Hinc Catechumeni, Pœnitentes, & Energumeni ab Eccleſia, cùm myſteriorum celebratio incipiebat, à Diaconis ejiciebantur. Hinc tanta cura, & ſtudio proſpiciebant, ne de myſteriis religionis coram infidelibus verba facerent. *Capiam ſanè clarè proferre verba, ſi per prophanos illos liceret*, inquit Chryſoſtomus *homil.40. in 1. ad Cor. Verba proferre non poſſum, ne magis prodere videar quàm ad Conſultationem reſpondere, ait Innocentius I.* diſſerens de verbis, quibus in Confirmatione traditur Spiritus Sanctus. S. Ambroſius *lib. 1. de iis qui initiantur cap. 1. Nunc de myſteriis dicere tempus admonet, atque ipſam Sacramentorum rationem edere, quàm ante baptiſmum ſi putaſſemus inſinuandam nondum initiatis, prodidiſſe potiùs quàm edidiſſe exiſtimaremur.* At antequam baptiſmo initiarentur, multis annis in Catechumenatu ſubſiſtebant. Hoc facere, vocabat Gregorius Nazianz. *lib. 1. de Theologia, Cantare canticum Domini in terra aliena*. Unde celebre illud apud S. Auguſtinum, *Noverunt fideles*. Et apud S. Chryſoſtomum, *ſciunt initiati*. Longum eſſet, quæ de hoc Sacramentorum ſilentio præcipiunt, aut monent, Dionyſius, Baſilius, Origenes, Tertullianus, Epiphanius, Theodoretus, & alii, huc referre. Nihil & ſibi, & myſteriis ſuis cum prophanis eſſe commune patiebantur. Sed ſacramenta impuris tradere, & margaritas tam pretioſas porcis conculcandas projicere, potiſſimum exhorreſcebant. Incredibilis eſt ea cura, & ſolicitudo, qua afficiebantur, & quaſi torquebantur, ne id aliquando contingeret, iis præſertim quibus mos Eccleſiæ hodiernus, quo exponuntur omnia in propatulo, & Eccleſiarum adyta, receſſuſque intimi panduntur, & quaſi eviſcerantur, oculis tantum obverſatur.

III. Ne igitur in Sacramentorum adminiſtratione fallerentur, & cum impuris, hoc eſt, peccatoribus ea communicarent, antequam perfectè purgarentur, eos per varios purgationis modos ſcelerum confeſſione præmiſſa multis annis deducebant. Si quid verò ſceleris novi exoriebatur, tum Concilia frequentia celebrabant Epiſcopi, ut qua ratione puniendum, & expiandum eſſe, providerent. Nec hac ſolicitudine contenti, ſi quid paulò inſolentiùs accidebat, Epiſcopos longè diſſitos, & præcipuè Romanorum Pontificem de remediis inſolenti morbo adhibendis conſulebant. Immò cùm purgationis peccatorum modus erat vel remittendus, vel intendendus, eadem diligentia, & ſolicitudine vicinos conſulebant, Concilia habebant, nec unquam patiebantur privatim confictos curationis modos peccatoribus adhiberi. Si quis id feciſſet, facinus ſtatim ſevera Cenſura vindicabant. Tanta erat ſanctis Patribus noſtris curationis peccatorum ſolicitudo, tanto cum prophanis communionis habendæ formido!

IV. Ne autem in hac curatione, & communione fallerentur, hanc antiquam regulam ϗ τοῦτο [illegible] obſervabant, iis eſſe parcendum, quibus Deus parceret, iis eſſe reconciliationem, & communionem redhibendam, quibus Deus reddiderat, juxta divinam ſententiam *Actor.* 10. latam: Quòd Deus purificavit, tu ne commune dixeris. Credebant inſuper, atque hoc erat potiſſimum totius diſciplinæ Pœnitentialis fundamentum, operum canonicè pro peccatis injunctorum ſedula præſtatione internam cordis compunctionem augeri, & accendi, iram Dei mitigari, Deum pœnitentibus placari, pœnas æternas peccatis debitas non modò fruſtrari, ſed etiam extingui, ita ut qui injunctum à Sacerdote opus humiliter perfeciſſet, peccatorum veniam à Deo promereretur, ac proinde ab Eccleſia eandem meritò conſequeretur, eo quòd rata haberet Deus in cœlo quæcumque Eccleſia in terra de peccatis judicia faceret. Non negabant peccatoris compunctionem tam ardentem, & inflammatam eſſe poſſe, ut uno momento perfectam à Deo peccatorum remiſſionem obtineret, omneſque inferorum pœnas extingueret; ſed hoc & rarum eſſe, & ſibi, quando contingeret, incognitum eſſe profitebantur. Ideò ut Pœnitentium converſionem explorarent, atque illius inflammationem Pœnitentes à Deo promererentur, opera varia injungebant, quibus diligenter peractis eos purgatos eſſe, & ſanatos, Deo œconomiam Eccleſiaſticam approbante, non dubitabant; atque ut verè tales à Deo habitos reconciliabant, & communione donabant. Si verò morbo correpti Pœnitentiam petebant, aut grave aliquod periculum ipſorum animæ, aut corpori metueretur, morbo urgente, aut periculo alio imminente, reconciliationem concedebant, Pœnitentia nulla, aut brevi impoſita; ægrotis autem tantùm indicata, ea conditione, ut ſi morbo ſuperſtites eſſent, eam exequerentur. Sed cùm præter verba, gemituſque morientis nihil eſſet iis de ſinceritate, & juſta quantitate compunctionis ejuſmodi compertum, de ſalute tardè Pœnitentium diffiteri plurimùm, nihil velle certi affirmare prædicabant. Abſolvebant tamen: potiùs eſſe in dubio, cujus longiùs examen temporis anguſtiæ non patiebantur, favere pœnitenti quàm Sacramento; cùm Sacramentum propter Pœnitentem ſit inſtitutum, *& propter hoc*, ut docet S. Cyprianus, *omnibus pax danda ſit militaturis, ne per ignorantiam noſtram ille incipiat præteriri, qui habet in prælio coronari*. Eodem fundamento fretus S. Auguſtinus idem eſſe faciendum morientibus Cathecumenis, & Pœnitentibus colligit in fine *lib. 1. de adulteriis ad Pollentiam, Etiamſi voluntas ejus*, inquit, *incerta eſt, multò ſatiùs eſt nolenti dare, quàm volenti negare, ubi velit an nolit, ſic non apparet, ut tamen credibiliùs ſit, eum ſi poſſet, velle ſe potiùs dictarum.*

V. His explicationis cauſa præmiſſis, id quod nobis præſertim proponimus, jam teſtatum faciamus, ſcilicet, anxiè ſemper, & ſolicitè, antiquos Patres providiſſe, ne quenquam abſolverent, quem priùs à Deo abſolutum, aut ſaltem miniſterio ſuo ſtatim abſolvendum rationibus probabilibus freti non crederent. Euſebius *hiſtoriæ lib. 6. c. 42.* refert ex Epiſtola S. Dionyſii Alexandrini, quoſdam Martyres ex notiſſima Eccleſiæ conſuetudine communionem Pœnitentibus hoc obſervato reddidiſſe. *Illi divini Martyres &c. dum erant apud nos, nonnullos è fratribus, quibus crimen ſacrificandi idolis hærebat, quique à fide excidiſſent, cùm converſionem, ac Pœnitentiam eorum perſpicerent, eamque poſſe acceptam fore ei, qui omninò non vult mortem peccatoris, ſatis exploratum haberent, ad ſe denuò admittunt, recipiunt in Eccleſiam, conventus cùm illis celebrant*, &c. Idem, & eodem modo demonſtrant ſanctorum Petri Alexandrini, Gregorii

gorii Niſſeni, & Baſilii teſtimonia capite præcedente exſcripta.

VI. Nec minus evidens eſt S. Ambroſii locus *lib.1. de Pœnit. c.16. Si quis igitur occulta crimina habens, propter Chriſtum tamen ſtudioſè Pœnitentiam egerit, quomodo iſthic recipit, ſi ei communio non refunditur. Volo veniam Reus ſperet, petat eam lachrymis, petat gemitibus, petat totius populi fletibus, ut ignoſcatur, obſecret. Ut cum ſecundò, & tertiò fuerit dilata ejus communio, credat remiſſiùs ſe ſupplicaſſe, fletus augeat miſerabilior; poſteà revertatur, teneat pedes brachiis, oſculetur, lavet fletibus, nec dimittat, ut de ipſo dicat Dominus Jeſus, Remiſſa ſunt peccata ejus multa, quoniam dilexit multùm*. Quamobrem omnis iſta circa Pœnitentes Eccleſiæ diſciplina ex comparatione actionum S. Magdalenæ ab Ambroſio illuſtrata? Ipſe explicat, ut ſcilicet antequam reconciliatio Pœnitenti à Sacerdote concedatur, ex diligenti obedientia mandatis ab Eccleſia operibus præſtita, colligat Sacerdos quantum homini conjicere, & judicare fas eſt, Pœnitentem Chriſto reconciliandum eſſe, eique ipſum Dominum Jeſum dicere, remiſſa ſunt peccata tua.

VII. S. Pacianus in fine Epiſtolæ 1. ad Sympronianum paucis verbis, ſed efficacibus deſcribit, quando veniam Pœnitentibus Eccleſia concedat, *Scio, frater, hanc ipſam Pœnitentiæ veniam non paſſim omnibus dari; nec antequam, aut interpretatio divinæ voluntatis, aut forſitan viſitatio fuerit, relaxari, &c.* Non paſſim omnibus Pœnitentibus Abſolutio præſtatur, ſed priùs divinæ voluntatis interpretatio exploratur, & nonnunquam extraordinario aliquo *miraculo* colligitur. Scrupuloſæ iſtius diligentiæ cauſam reddit Gregorius Nyſſenus in Epiſtola Canonica, *Quemadmodum porcis*, inquit, *margaritas projicere eſt vetitum; ita & pretioſa margarita privare eum, qui jam per alienationem à vitio, & purgationem homo factus eſt, abſurdum.* Hoc eſt, ut rectè interpretatur Balſamon, *Abſurdum eſt, eos pretioſorum margaritarum communione privare, qui ſe à vitiis per pœnitentiam purgarunt, & ex porcis in homines per purgationem mutati ſunt.* Sicut enim impium eſt dona Dei iis obtrudere, quos credimus Deo eſſe exoſos, ſic impium eſt ab iis eos prohibere, quos Deo judicamus eſſe acceptos. Diligenter igitur examinare debet Sacerdos, an Deo accepti ſint, cùm quibus myſteria communicat. Nam, ut ait Gregorius, crimen eſt, Deo acceptos, & gratioſos illis privare.

VIII. S. Eligius *homilia 7.* ſic Pœnitentes alloquitur, *Ille ſcrutator cordium, & renum intrinſecùs corda noſtra inſpicit, & divinitatis ſuæ potentia conſiderat, ſi per lamenta Pœnitentiæ illic ſatisfeciſti. Nos autem, qui puri homines ſumus, tantummodò faciem intuemur. Unde ſaluti veſtræ conſulentes hortamur, ut ſi quis veſtrum Pœnitentiam accepit, & pœnitere diſſimulavit, ad reconciliationis Sacramentum accedere nullatenus præſumat, ſed magis ſordes ſcelerum diluat fontibus lachrymarum, cæterarumque operibus virtutum. Si verò quantum humanæ fragilitati ſcire permittitur, & deinceps, ne talia facere velitis, tota mentis contritione promittitis, dexteras manus veſtras in ſublime extendite.* Sicut autem hoc loco docuit S. Eligius Pœnitentes, ſi cùm fructu reconciliari velint, ita interiùs animo conteri, & diſponi debere, ut quantùm homini datur intelligere, ſincerè judicent converſionem ſuam, & Contritionem Deo acceptam eſſe poſſe, & gratioſam: Ita *homilia* 11. Pœnitentes imminentis periculi admonet, niſi tales fuerint, cùm à Sacerdote abſolvendi ſunt. *Ante omnia autem vobis ſcire neceſſe, quia licèt impoſitionem manuum noſtrarum accipere cupiatis, tamen Abſolutionem peccatorum veſtrorum conſequi, non poteſtis, antequam per compunctionis gratiam divina pietas vos abſolvere dignabitur.*

IX. His authoribus adjungendus S. Gregorius homil. 26. in Evangelia, *Videndum eſt, quæ culpa præceſſit, aut quæ ſit Pœnitentia ſecuta poſt culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos Paſtoris ſententia abſolvat. Tunc enim vera eſt Abſolutio Præſidentis, cùm æterni arbitrium ſequitur Judicis.* Hic locus ſupra *c. 6.* relatus eſt, & enarratus; plurimique Patres allegati, qui eandem ſententiam docentes iiſdem S. Gregorii verbis eam confirmarunt. Ideò eorum citatione nunc ſuperſedemus.

CAPUT XVIII.

Eandem fuiſſe antiquorum Scholaſticorum ſententiam ex variis authoribus editis, & non editis demonſtratur, quorum multi plura concedant, quàm requiritur. Richardi, Hugonis, Roberti Pulli Cardinalis ſententiæ de hac re explicantur. Dominici Soti ſententia de Attritione examinatur.

EAdem fuit omnium propè antiquorum Scholaſticorum ſententia, quam etiam permulti poſteriores, poſtquam ab iis in varias ſententias itum eſt, ambabus veluti manibus amplexi, & pro viribus tutati ſunt. Verùm eorum plerique appendicem rigidam adtexuerunt, quæ Patrum menti non videtur mihi ſatis idonea: Præparationem enim neceſſariam ad Abſolutionem excipiendam non modò majorem æquo exegerunt, verùm etiam eam ad ſalutarem Confeſſionis editionem diffuderunt. Ideò paſſim, apud antiquiſſimos præſertim, ſolemniter inquiri legas, An Confeſſio in charitate fieri debeat, & affirmativè quæſtioni reſponderi: quanquam nonnulli prudentiùs aliis, ut mihi quidem videtur, diſtinxerint in Confeſſione, principium, medium, & finem, docuerintque ſufficere charitatem in fine Sacramentalis actionis Pœnitenti adeſſe; adeò ut Sacramentalem virtutem ad charitatis productionem, & Dei miſericordiam flectendam, & Confeſſioni, & Abſolutioni, & univerſæ actioni tribuerint. Utriuſque ſententiæ Scholaſticis occaſionem dedit mos ille Abſolutionis à Confeſſione non ſejungendæ, qui tum invaleſcebat, aut jam invaluerat. Sed licèt illi plura quàm poſtulamus offerant, quæ tamen offerunt, laudemus, proverbio morem gerentes, *δῶρον δ' ὅτι δῷ τις ἐπαίνει.* Ab antiquiſſimis Magiſtris incipiamus.

II. Hugo à Sancto Victore *libro 1. de Sacramentis fidei cap. 26.* eandem cùm antiquis Patribus ſententiam diſertiſſimè docet, eadem S. Gregorii authoritate fultus, *Denique Excommunicationis, & Abſolutionis idem eſt quantum ad hoc judicium. De Abſolutione autem ſic loquitur B. Gregorius, Tunc vera eſt Abſolutio Præſidentis, cùm interni arbitrium ſequitur Judicis, &c.* Deinde colligit, *Ex his verbis videtur nec Excommunicationem, nec Abſolutionem veram eſſe, quæ non ſequitur ſummi Paſtoris ſententiam, quæ merita cauſarum examinat, nec aliquem immeritum damnat.*

III. Richardus à S. Victore totam hanc Abſolutionis Sacramentalis œconomiam, & efficaciam mihi videtur egregiè, & ad Sanctorum Patrum mentem proximè in lib. de poteſtate ligandi, & ſolvendi, explicare. Aliquando tamen objectionis, cujus ſolvendæ cauſa librum illum compoſuit, tricis perplexis impeditus videtur, ſed eas nunc evolvendi non eſt locus. Prætermiſſis multis, quæ toto libro explicantur, ſic *c. 11. Quod ad Petrum Dominus dicit, idem valet, ac ſi illis verbis diceret, Quod ligatum, aut ſolutum fuerit à te, ligatum, vel ſolutum erit & apud me. Qui à te debitæ ſatisfactionis injunctione conſtringitur, apud me ejuſdem ſatisfactionis debitor tenetur & qui à te peccatorum ſuorum abſolutionem meruit, ex meo judicio pro hac parte arctari non poterit.* Poſteà in quoſdam invehitur, qui ligandi, & ſolvendi poteſtatem interpretabantur, oſtendere ligatum, vel ſolutum. *Capite verò 17. Tunc Paſtoralis cura in hoc ipſum non inaniter laborat, cùm Dominus hoc fieri diſponit, & imperat. Quid eſt enim hoc Dominum imperare, niſi in hoc ipſum animum Paſtoris interna allocutione urgere, & gratiam dare? Tunc autem Domini miniſter utiliter agit, quod ſuum eſt Paſtoris, cùm ipſe Dominus dignatur operari, quod ſuum eſt Salvatoris.* Nulla eſt in eo probando difficultas. Id ſolùm in ejus ſententia difficile eſt, quòd velle aliquando videtur divinam Abſolutionem debere ſemper Sacerdotalem præcedere, & conſequenter Sacerdotem in pœnam non in culpam agere, quo conceſſo plura lubens largiretur quàm poſtulamus.

IV. Quanquam autem perplexè aliquando ſeſe explicet, & totam animi præparationem Abſolutioni Sacerdotali excipiendæ neceſſariam à Deo ſine miniſterio Sacerdotali pendere, affirmare videatur, attamen ipſius verba attentiùs conſiderata hoc non ferunt. Quatuor enim gradus curationis leproſorum conſtituit. Primus eorum eſt, qui tanta peccatorum compunctione tanguntur, ut ſtatim curentur, antequam ad Sacerdotes mittantur. Secundus eſt eorum, qui nondum perfectè compunguntur, ſed tamen tanta eſt eorum compunctio, ut Deo cooperante ad Sacerdotem miſſi in ipſa profectione ſanentur. Tertius eorum, qui non in profectione, ſed in ipſo adventu ad Sacerdotem, hoc eſt, dum confitentur,

atque

Digitized by Google

atque ab ipſo admonentur, perfectam compunctionem, Spiritu S. Sacramentis ſuis ſe infundente, concipiunt. Ad perfectam compunctionem, ſeu purgationem tria vota dicit eſſe neceſſaria, votum continendi, ſive à peccatis perpetratis abſtinendi, vota inſuper confitendi, & ſatisfaciendi. Primos igitur ait, tria illa vota antequam ad Sacerdotes mittantur, concipere, atque ad illorum executionem eſſe paratiſſimos. Secundos, duo tantùm priora concipere, ſed ad Sacerdotem proficiſcendo tertium votum emittere. Tertios ſola confitendi voluntate teneri, Confitentes verò ad utrumque poſteà votum Sacerdotis exhortationibus animari. Quartus denique gradus eos complectitur, qui nullo horum votorum deſiderio capti ſunt, quos tamen Sacerdos Deo illius admonitionibus aſpirante ad Confeſſionem impellit. Hæc, & ſimilia plura docet Richardus *ejuſdem libri c.16. 17.* quæ diligentiùs enarrare à ſcopo noſtro eſſet alienum. Unum monebo lectorem, ex his neceſſariò colligi tres primos animo compunctorum gradus compunctionis intenſione, & vehementia tantùm differre; Compunctioniſque intenſionem, & incrementum, Confeſſionis, Satisfactionis, & Abſolutionis eſſe effectum, ut ſuprà jam ſæpiùs ex antiquis Patribus collegimus. A. Richardo hac in cauſa non differt Hugo à S. Victore in ſumma ſententiarum *tract.6. c.11.* & in tractatu ſpeciali, quem de poteſtate ligandi, & ſolvendi ſcripſit ad S. Bernardum, quem citat Albertus magnus, & ex eo multa refert, & probat Hugo Cardinalis *commentario* in 16. *cap. Matthæi*, quæ ſententiam Richardi Victorini confirmant.

V. Robertus Pullus, qui creatus eſt Cardinalis anno 1144. factuſque eſt poſteà S. R. E. Cancellarius, explicat diſtinctè in libro ſententiarum, qui manuſcriptus extat in Bibliotheca S. Germani in Suburbio Pariſienſi *parte 6. cap. 60.* quæ Confitenti ſit neceſſaria diſpoſitio, quis Confeſſionis effectus, quis Abſolutionis, ſed ubique plura quàm poſtulamus, largitur: Videtur enim ſemper affirmare abſolvendum à Sacerdote, priùs eſſe à Deo abſolvendum, & ideò Abſolutioni perfectam Contritionem eſſe ſupponendam, *Cap.* 59. quærit, *ſi ex cordis compunctione, & ex ſpe veniæ poteſt eſſe ſalus, Quid pro eu opus eſt Confeſſione, quid denique fructu Pœnitentiæ?* Primùm reſpondet, *Opus eſt confeſſione, quonium non ſolùm obedientiæ ſuperſedendum non eſt, verùm quoque, ut quid debeat fieri, agnoſcat. Opus eſt poſt ugnitionem executione, ne fruſtra, quod fieri oportuit, agnoveris. Opus eſt quoque Confeſſione, quoniam in ipſa dignè celebrata peccatorum eſt Abſolutio.* Statim poſt hæc verba incipiente *capite* 60. rei penetralia penitus rimatur, & diſtinguit, quid Deo, quid Confeſſioni, quid Abſolutioni ſit tribuendum. Quoniam liber editus non eſt, fusè referemus iſtius Cardinalis ſuo tempore celeberrimi in quæſtione illo ſeculo, & ſequentibus controverſiſſima ſententiam.

VI. *Abſolutionis ratio manifeſtiùs declaretur, Prius quid ſit ligari, ut ſolvi, neceſſe eſt provideutur. Ligantur homines vinculis ſpiritalibus, unt peccuti, aut pœnæ peccuti. Pœna autem peccuti, ſicut modò accipimus, ut lamentu ſunt Pœnitentium, uat ſequeſtratio Excommunicatorum &c. Vinculo peccati conſtringitur quiſquis, uut dum umat culpum, à recto itinere præpeditur, aut ſi vitium jam depoſuit, quaſi à lunguore, qui recenter convaluit, ita à vitio uoviter curatus conſuetudine mala liberè quid agat, retardatur. Qui verò fructibus Pœnitentiæ, uondum expletis, pœnæ obnoxius tenetur, is ea peracta, ut jam dignus ſit requie, abſolvitur.* Poſteà Lazari ſuſcitati hiſtoriam paraphraſticè exponens, illius occaſione unicuique parti tribuit, quod ſuum eſſe putat. *Ex proprio contrahit homo, ut morte prævaricationis gravatus è loco ad vitam per ſe moveri non poſſit. Hic eſt Lazarus immobilis iu tumulo. Virtute autem divina fit, ut flagitiis preſſus onere mortifero ſe ſubtrahat. Hic eſt Lazarus à tumulo clumore Domini vocatus, qui Deo ſuffrugante à morte ad vitam redit, & vita reddita quædam quaſi ex ante habitu morte veſtigia aliquandiù reſervans, quodammodo torpet, & hebet, dum humanæ frugilitatis inopia, quæ agenda ſunt diſcutiens minus videt, & utrumque diſcuſſa, & cogaita prout oporteret, minimè exequi valet. Hic eſt Lazarus reſuſcitatus, faciem velatus, inſtitiſque circumligatus.* Hactenus quæ ſoli Deo tribuit: Quæ verò Sacramenti ſunt, ita ediſſerit.

VII. *Quiſquis verò juſtitia reſtitutus, præteritæ iguominiæ moleſtia, quaſi quibuſdam inſtitis à recto greſſu retardatur, is Sacerdotali Confeſſione ad viam veritatis teneudam præparatur; ſicque difficultatis benè agendi quæ prius inerat, paulatim conſuetudine boni alleviatur. Hic eſt Lazarus diſcipulorum officiis ſolutus, & abire permiſſus. Valdè ergo opus eſt, ut nemo ad Confeſſionem ſit piger. Quoniam licèt quiſque corde contrito, & humiliato à morte animæ reviviſcat, attamen corpore quodam poſt receſſum mortis reſiduo, & ad ea, quæ mortis ſunt, tametſi invitus, inceſſanter retorquetur, & ab officiis vitæ cum mæſtitia detinetur, donec per Confeſſionem abſolutio id efficiat. Et ut facies mentis ſudario peccati detecta, & non tum, ut prius quaſi per ſudarium, ſed apertiùs magis à modo, magiſque verùm cernat, & ut cætera membra conſtricta prius quibuſdam languorum quaſi lamentis, & per hoc quamvis redivivu, vix tamen ad vitam palpitantia in gradu libero, liberiore in progreſſu futuro, acie rationis per omnia ducatum præbente, inoffenſum vitæ callem ſuo quodque modò incedant. Impedimenta hujuſmodi infere interitus quiſque ſuo in genere præcipuus. Vita rediens dum illa luctatur evincere, proficit quidem, ſed parum donec adjuta Confeſſione, Confeſſioniſque opere, vires recipiat, & augeat, quibus ſe expediat, & creſcat. Sit ergo omnis homo velox ad confitendum, quoniam ſic promptus fiet ad bene agendum.* Hanc Confeſſioni Sacramentali virtutem tribuit, qua videtur non obſcurè inſinuare, peccatorem, antequam, confiteatur juſtificatum eſſe apud Deum oportere, idemque docere, quòd qui eum ſtatim ſecuti ſunt Scholaſtici, Confeſſionem, ut fructuoſa ſit, in charitate fieri oportere. Unde videtur virtuti Confeſſionis id ſolùm tribuere, quòd Scholaſtici vocaverunt fomitis debilitationem.

VIII. Poſteà ordine doctrinæ tradit, quid ſit ſatisfactioni tribuendum, & qua ratione Abſolutio à peccatis Sacerdoti convenire poſſit. *Quiſquis verò poſt confeſſionem Pœnitentiæ fructibus intendit, quòd jam poteſt, ea, quæ in Confeſſione fit, Abſolutione roboratus, is uſque ad peractos obligatur Pœnæ. Pœna autem peccati, quoad peotelari oportent, quandove terminurò ille novit, cui ſatisfit per pœnam.*

IX. Capite ſequente explicat, qua ratione Sacerdotes dici poſſint peccata dimittere. Primùm ſibi proponit conſuetam objectionem. *Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus? Is nimirum peccata dimittit, qui virtutes dimiſſioni ſuperponit, qui utriſque vitam æternam retribuit. Quid ergo apud homines eſt peccata remittere, nut à peccuto abſolvere, niſi Sacramentum remiſſionis, & abſolutionis celebrure?* Hoc poſteà ſpecialiùs, & diſtinctiùs explicat. *Ex quo quis pœnitet, Deus remittit. Peccatu poſtmodum confitenti Miniſter Dei abſolvendo remittit. Et quid eſt abſolvendo remitti, niſi quod ſacramentum remiſſionis, & Abſolutionis facit? Abſolutio, quæ peracta Confeſſione ſuper Pœnitentem à Sacerdote fit, Sacramentum eſt, quoniam ſacræ rei ſignum eſt. Et cujus ſacræ rei eſt ſignum, niſi remiſſionis, & Abſolutionis? Nimirum Confitentibus à Sacerdote facta à peccatis Abſolutio remiſſionem peccatorum, quam anteà cordis peperit Contritio, deſignat. A peccatis ergo Presbyter ſolvit, non utique quòd peccatu dimittut, ſed quòd dimiſſa Sacramento pandat. Et quid eſt opus pandi, niſi ut Conſolatio fiat Pœnitenti? Alio quoque modo à peccatis Sacerdos ſolvit, dum moleſtam præteritæ, ac dimiſſæ noxæ inquietationem, itemque intoleranter recuſantem Sacramento Abſolutionis ipſe, immò per ipſam Deus lenit, ac cum fieri oportet, promotionis aceſſa præſcidit. Iſtud crebræ impugnationis obſtaculum jugiter contrà nitendo paulatim ſedatur, atque ſopitur, & dum in ulsis ſuperatur, in aliis reſtat ſuperandum. Quippe numquam ad ungaem evincitur, niſi cùm de medio removemur, &c.*

X. Paulò poſt explicat, qua ratione liget Sacerdos, *Sicut autem Sacerdos ſolvit, ita & ligat, dum utriuſque rei Sacramentum celebrat. Sacerdos ergo ligat pœnæ, ligat culpæ, dum illum pro delictis uſque ad tempus poſt Confeſſionem onerat, iſtum autem à malo ceſſare nolentem, non poſſe veniam conſequi, denunciat, & ſic retinet peccata, retenta quoque apud Deum: ſicut è contra ceſſanti, & confitenti abſolvendo remittit peccata remiſſa quoque apud Deum. Ait enim Vicario ſuo Petrus, quòd expedit ligabis, quòd expedit ſolves, &c.* In fine *capitis* 1. *ſeptimæ partis*, hæc omnia paucis verbis, quaſi compendio tradit, *Triſaria participatione quilibet à peccatis abſolvitur, aut dum ipſa corde contrito indulgetur, aut dum moles ex peccatis nata, & poſt peccati abſceſſum vinctis in mendicitate, & ferro moleſta, ſuccurrente Domino ſedatur; aut tertiò, dum quam meruit culpa, ceſſat diſciplina. Sed prima dimiſſio id efficit, ut non ſit ad damnationem culpa. Secunda verò cum tertia, ut peccati diſcedat pœna.* Interior ſcilicet, quæ poſt ſuſcitationem à peccato remanet, & exterior, cujus ſolvendæ apud Eccleſiam Reus manet. Eadem colligi poſſunt ex iis, quæ de Sacramento Baptiſ-

Baptiſmi diſputat. Moleſtiam maximam Roberto, ut & cæteris illius ſeculi Theologis, creavit illa Lazari reſurrectio, antequam ſolvendus Apoſtolis traderetur. Tandem poſtquam in varias partes animum verſavit, colligit prius hominem juſtificari debere, quàm confiteri, ſicque jam à Deo abſolutum à Sacerdote poſtmodùm abſolvi. Ita tamen, mea quidem ſententia, de hac re diſſerit, ut mihi non videatur negaturus illam animi ſuſcitationem, & compunctionem Confeſſione augeri, & abſolutione perfici poſſe; ac proinde ſuſcitationem illam, quæ Confeſſionem, & Abſolutionem neceſſariò præcedit, vitam perfectam, & cœlo idoneam neceſſariò non complecti: Sed hoc animo ipſius in alias res intento non occurrit. Quod de illo Cardinale diximus, idem de Richardo, & Hugone dicendum judicamus, ut jam de Richardo demonſtratum eſt, & infra de Hugone demonſtrabitur. Sed de Magiſtro, & Theologis poſterioribus alia mihi videtur ratio. Ita enim diſtinctè, enucleatè, & conſtanter charitatem juſtificantem, & perfectam Abſolutioni Sacerdotali præponendam affirmant, ut non mihi videantur aliter explicari poſſe. Hæc obiter, & præter ſcopum noſtrum adnotata ſunto.

XI. Eſt in Bibliotheca Abbatiæ S. Victoris prope Lutetiam liber manuſcriptus, ante annos quadringentos ſaltem ſcriptus, notatus, *q.15.* in quo tractatus eſt anonymus de Sacramento Penitentiæ inſcriptus *folio 87.* hanc quæſtionem proponit, *Utrùm tam citò ſolvatur homo quàm citò habet veram cordis contritionem.* Hoc, inquit, velle videntur iſtæ authoritates, Dixi, confitebor adverſum me, &c. Et quacunque hora. *Sed ſi per Contritionem cordis ſolutus eſt à peccato, in Confeſſione oris non ſolvitur; ad quid igitur utilis confeſſio? Et ſi ante confeſſionem oris, confeſſione ſcilicet cordis, ſolutus eſt à peccato, à quo ſolvit eum Sacerdos?* Primùm eos refutat, qui ajunt, Sacerdotem Abſolutione ſua oſtendere tantùm hunc hominem eſſe à Deo abſolutum. Deinde quæſtionem eodem prope modo diſſolvit, quo Hugo à S. Victore *tract. 6. ſummæ cap.11.* ſed varias objectiones ſibi proponens, earumque cauſa difficultatis intima penetrans, id ſatis disertè docet, à quo diximus Robertum Pullum, Hugonem, & Richardum non forè alienos, ſi memoriæ eorum in iſtius quæſtionis examine occurriſſet. Ex hiſtoria Lazari, inquit, *concipimus, quia Deus dimittit peccata, & quia homo, cui Deus dedit poteſtatem dimittit peccata: Aliter autem Deus, aliter quidem homo. Deus ex ſemetipſo, & per ſemetipſum quando vult peccata, dimittit, homo verò non ex ſe, ſed ex gratia Dei in eo, & per eum operante peccata dimittit. Sic itaque verum eſt, quod ſolus Deus peccata dimittit, ſicut & illud. Tu es ſolus Deus, qui facis mirabilia, & tum non negatur, quin & homines miracula faciant, ſed non ex ſe ſicut Deus ex ſe. Item nemo bonus niſi Deus; quia ex ſe bonus: Nec tamen negamus homines eſſe bonos, ſed non eo modo quo Deus. Deus enim ex ſe bonus, homines vero per Deum boni, & ex Deo.* Verè igitur, & reapſe in remiſſione peccatorum Deo cooperatur Sacerdos.

XII. Poſteà docet, qua ratione ſpeciali id fiat, iiſdemque quo Hugo verbis hoc explicat; Quo facto, ut Hugo, ſibi obiicit, *Si autem ut ipſi dicunt antequam ad Sacerdotem peccator veniat plenè emundatus eſt, nec jam ullo tenetur peccato, mentitur dum ſe injuſtum, & peccatorem confitetur, quod dicere omnino deviat à fide Eccleſiæ.* Non ponitur igitur ab eo Pœnitens ante Sacramentum plenè mundatus. Ergo per Sacramentum, & opera vi Sacramenti facta mundatur. Pergit author, *ſed opponitur, quòd à prædicto debito jam prius ſolutus erat per Contritionem cordis; ſi enim tunc moreretur, ſalvus eſſet. Ad quod dicimus, quod verè inviſibilis Sacerdos eum, qui vult confiteri, & non poteſt, ab hoc debito ſolvit, ſed quamdiù poteſt, illud niſi confiteatur ore, non abſolvit.* Manet igitur peccato obnoxius, licèt contritus, donec à Sacerdote abſolvatur. Loca verò ſcripturæ, Quacunque hora ingemuerit, ſalvus erit, &c. de iis interpretatur, qui morte occupati confiteri, & ſatisfacere non poſſunt, *Vel*, inquit, *de omnibus dici poteſt, quacunque hora, &c. quia tunc peccatoris ſalus incipit. Item de Pſalmo opponitur. Dixi confitebor injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Impietas peccati rectiſſimè ipſa mentis oblatio appellatur: qua ſi ſolvitur in compunctione, nondum tamen à peccato ſolvitur.* Qua ratione hoc fiat, præclarè docet appoſitiſſima ſimilitudine ex Hugone deſumpta, *Sicut enim de vulnere prius ferrum abſtrahitur, ut poſt medicina ſupponatur: Ita & prius peccati impietas illa, ſcilicet, interna mentis cæcitas de corde tollitur, ut poſt Sacramentorum medicina ſupponatur. Sunt enim Sacramenta quaſi quædam divinæ medelæ emplaſtra.* Ante Sacramentum igitur ſalus tantùm eſt incepta, & vulnus ipſum peccati ſive macula, Sacramento ſeu emplaſtro afficitur, & ad curationis conſummationem deducitur. Quum autem omnia prope illa verba ex Hugone Victorino excerpſerit Anonymus ille, eadem eſt quæ de ſententia Hugonis habenda ratio. Itaque non ita preſſè ſunt intelligendi authores illi, ut aliquando eorum verba ſonare videntur. Nec divina illuminatio illa mentis cæcitatem expellens, quæ juxta ipſorum verba cum debito damnationis æternæ ſubſiſtit, donec Eccleſiæ ſatisfecerit, juſtitiam, & charitatem perfectam ſignificare credenda eſt. Quidquid ſit, vel ex eorum ſententia id ſimpliciter ſequitur, quod nunc contendimus; vel idem ſequitur cum incremento, & uſura.

XIII. Præpoſitus celeberrimus ſuo tempore Doctor, & Academiæ Pariſienſis Cancellarius in Summa Theologiæ, quæ in eadem Victoriana Bibliotheca extat manuſcripta, *folio 53.* Refutata Hugonis diſtinctione de quadruplici vinculo, quorum duo priora ſolus Deus ſolvebat, tertium, Deus & homo, vinculum ſcilicet pœnæ æternæ, ſubdit, *Propterea nobis videtur, quòd Sacerdos quodlibet trium illorum vinculorum ſolvat. Nam ſicut dictum eſt, cùm de Contritione agebatur, in cordis Contritione dimittitur peccatum ſub conditione; quod non minus tamen in Confeſſione dimittitur, & in ſatisfactione. Ergo à quo Dominus abſolvit aliquem in Contritione, ab eodem abſolvit Sacerdos per miniſterium ſuum in Confeſſione. Quod ſi tamen neceſſitate faciente ad Sacerdotem non venit, ſummus Sacerdos ſupplet, & in hoc ligat vinculo expiationis, abſolvit autem à quolibet alio. Quod ergo obiicitur in cordis Contritione dimittitur peccatum, jam reſponſum eſt, & dimiſſum eſt, & dimittitur. Quod obiicitur de verbis Hieronymi, dicimus quod Hieronymus, loquebatur contra eos, qui putant ſe ligare innoxios, & abſolvere noxios. Non enim aliquem ligat vel abſolvit Sacerdos, niſi prius eum Dominus ligaverit vel abſolverit. Ergo quem ligat, vel abſolvit, non eſſe ligatum, vel abſolutum oſtendit.* Licèt ſententiam ſingularem doceat, ei tamen, de qua agimus, ut principali eſt acceſſoria.

XIV. Albertus magnus *in 4. diſt. 18. art. 3.* reſpondens argumento eorum, qui tres claves conſtituebant, eo quod ſint in homine, ſcire, velle, & poſſe, quaſi neceſſe eſſet, ut ſicut ex ſcientia, & poteſtate duæ fiunt claves, ita tertia in voluntate fundaretur, ſcribit, *Dicendum, quòd ſicut dixit Altiſiodorenſis, non poteſt aliquid de clavibus reſpondere voluntati hominis; quia in clavibus non debet homo ſequi voluntatem ſuam, ſed voluntatem Dei primò abſolventis per gratiam. Et hæc ſolutio optima videtur.*

XV. Alexander Halenſis *4. parte ſummæ qu. 21. membr. 1.* *In forma Abſolutionis præmittitur oratio per modum deprecativum, ſubjungitur Abſolutio per modum judicativum. Et deprecatio gratiam impetrat, & Abſolutio gratiam ſupponit. Nunquam enim Sacerdos abſolveret quemquam, de quo non præſumeret, quòd eſſet abſolutus à Deo.* S. Bonaventura *in 4. diſt. 18. p.1. art. 2. q 1.* in Concluſione, Eandem ſententiam, & iiſdem prorſus verbis docet: Qua propter fruſtra hic repeterentur. Sæpe non modo ſententiam, ſed etiam verba ab Alexandro mutuatur, fecit hoc familiaritas quam cum præceptore habuit, & honos illi debitus.

XVI. S. Thomas opuſculo, *22. c. 2. ad argum. 7.* quod ex Lazaro ſuſcitato obiiciebatur, *Per hoc non oſtenditur quod Sacerdos non abſolvat, aut non debeat dicere, Ego te Abſolvo, ſed quod eum non debeat abſolvere, in quo ſignu Contritionis non videt, per quam homo juſtificatur interius à Deo culpa remiſſa,* & iterùm in teſtimonio ſequente.

XVII. Joannes de Friburgo *ſummæ lib 3. cap. 34. q. 37.* ex ſua, & S. Thomæ ſententia, ſic ſcribit, *Thomas in quadam quæſtione de quolibet perfectius reſpondet dicens, quòd Sacerdos non abſolvit aliquem, niſi quem divinitus credit abſolutum. Sed poſtquam eſt à Deo abſolutus, tenetur ad hoc Eccleſiæ confiteri.* Et paulò poſt, *Nota etiam, quòd huic dicto Thomæ, ſcilicet, quòd Sacerdos nullum debet abſolvere, niſi quem reputat verè pœnitentem, id eſt, à Deo abſolutum, concordat Albertus in ſcripto ſuper 4. ſentent. d. 18.* His addi poteſt, quod ſcribit ibidem *q. 178.* ubi triplex judicium diſtinguit, & explicat, Dei, Petri, & Curiæ cœleſtis. *Primum eſt, quo Deus mundat animam in Contritione, & hoc præcedit reliqua duo tempore, dignitate, & effectu. Eſt enim ius, qui claudit, & nemo aperit, aperit, & nemo claudit. Secundum quod ſequitur poſt illud, eſt judicium Sacerdotis, qui authoritate clavium ligat, vel ſolvit*

Digitized by Google

in terris. Et poſt ſequitur tertium, quod eſt judicium approbationis cęleſtis Curiæ, & Angelorum. Secundum hunc ergo ordinem ſic expone, Quodcunque ligaveris, &c. Judicio Petri, vel juſtè, vel clave non errante, erit ligatum & in cęlis, ſcilicet per approbationem cęleſtis Curiæ. In hujus rei confirmationem citat hoc S. Gregorii axioma. Tunc vera eſt Abſolutio Præſidentis, cùm æterni ſequitur arbitrium Judicis.

XVIII. Durandus *in 4. diſt. 17. quæſt. 13. Miniſter cùm ſit inſtrumentum cauſæ principalis Agentis, ſcilicet Dei, non debet aliquem abſolvere, quem ſcit à Deo non abſolvi, ſicut inſtrumenta artis non agunt, niſi prout moventur à principali Agente*. Hanc rationem ut efficacem pluribus urget. Similiter Major *in 4. diſt. 17. qu. 9. Sacerdos non debet eum abſolvere, cùm ſciat, eum à Deo non abſolvi, &c. Quia homo eſt Miniſter Dei, qui nihil hic facit, niſi moveatur à principali Agente, ſcilicet à Deo ſecundùm illud Dionyſii in fine Eccleſiaſticæ Hierarchiæ: Sacerdotes debent uti virtutibus Hierarchicis, quomodo divinitas eos movet*. Eandem rationem multis urget S. Thomas *in 4. diſt. 18. q. 1. art. 3. quæſtiuncula* 4. Quibus adjungendus eſt Dominicus Soto *in 4. diſt. 18. qu. 3. art. 3. Eſſet enim Sacrilegus error eum abſolvere, qui noſcitur à Deo non abſolvi contra verbum Chriſti, Quorum remiſeritis, remiſſa erunt, &c.* In eadem ſententia, licèt forſan κατὰ λέξιν id non ſcripſerint, neceſſe eſt, eſſe Theologos quotquot Contritionem veram, aut ſaltem, ut loquuntur, putatam, ante Abſolutionem neceſſariò requirunt, qui ad uſque Concilium Tridentinum, & eum celebrabatur, & aliquot poſt illius celebrationem annis, & maximo numero, & celeberrimi fuerunt, ut ſi digredi liberet, in promptu nobis eſt demonſtrare.

XIX. Hinc eſt, quòd dixerit Soto, eadem diſtinctione, & quæſtione, ſed articulo 2. *Doctrina hæc de Attritione, quæ in Sacramento fit Contritio, licèt ſit vera, non eſt tamen ita multùm vetus. Patres enim antiqui ſolam Contritionem agnoſcebant neceſſariam ad Confeſſionem. Reverà enim, qui mihi diceret non ſe pœnitere propter Deum, abſolvere non auderem*. In his Dominici Soti verbis duo mihi dura videntur, & intellectu difficilia. Prius eſt ſententiam, quæ aſſerit Attritionem fieri in Sacramento Contritionem veram eſſe, à Patribus tamen non agnitam. Si ageretur de novo aliquo, & ſublimi problemate theologico, *ἀπαράδοτον* ſanè eſſet aliquid ab inſignibus Theologis, & Philoſophis inventum eſſe, quod antiquos latuiſſet. Verùm cùm agatur de via, & modo recuperandæ ſalutis æternæ per Sacramentum Pœnitentiæ, Num Scholaſtico aliquo philoſophemate ſalutis adipiſcendæ ratio inveniri poteſt nova, & facilior ea, quam Patres ab Apoſtolis acceptam ſucceſſoribus ſuis tradiderunt? ſi Patres ſolam Contritionem agnoverunt neceſſariam ad ſalutem per Sacramentum Pœnitentiæ conſequendam, ingenii mei hebetudo non aſſequitur, qua ratione, quave authoritate freta Scholaſticè poſt mille ſaltem, & ducentos annos novam, & faciliorem viam ea, quam Patres nobis tradiderunt, præſcribere potuit. Dixit ante multa ſecula Homerus, quod etiam nunc verum eſt, Cantilenas novas eſſe plebi veteribus gratiores, & acceptiores, Odyſſ. 1.

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι,
Ἥ *τις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.*

Verùm cum de religioſo aliquo dogmate quæſtio vertitur, cujus cognitio ad quotidianam ſalutis praxim neceſſaria eſt, & novitas vetuſtati per omnia non conſonat, non novitas ſed vetuſtas *πατροπαράδοτος*, tantùm attenditur. *Cùm credimus*, inquit Tertullianus *cap. 8. de præſcript. nihil deſideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non eſſe quod ultra credere debeamus*.

XX. Poſterius, quod mihi durum videtur eſt, Patres ſolam Contritionem exiſtimaſſe neceſſariam ad Confeſſionem. Licèt enim Antiqui nomen Attritionis non agnoverint, nedum hoc axioma, Attritionem in Sacramento fieri Contritionem; Rem tamen ipſam hoc axiomate ſignificatam non modò docuerunt, verùm etiam ut principium, & omnis diſciplinæ pœnitentialis fundamentum maximopere commendarunt. Verùm ab inſtituto noſtro in toto hoc opere aliena eſt quæcunque de Scholaſticis quæſtionibus diſſertatio. Quapropter ampliorem hujus rei diſquiſitionem nunc prætermittimus.

CAPUT XIX.

Imminente gravi ſalutis periculo relaxandas eſſe leges ad obtinendam reconciliationem Pœnitentibus poſitas, & ſufficere aliquam in iis deprehendi tolerabilis conſcientiæ fiduciam, variis rationibus ex SS. Cypriano, Cornelio, Conciliiſque eo tempore habitis demonſtratur; & objectiones tum temporis factæ eorundem Sanctorum verbis diluuntur.

QUanquam antiqui Patres diligentiſſimi fuerint in agenda inquiſitione interioris converſionis Pœnitentium, & ad Eccleſiam revertentium, ne imprudenter feſtinata communione ſacra myſteria prophanis, aut nondum ſatis purgatis exhiberent, ut capitibus præcedentibus planum fecimus: Nonnunquam tamen inquiſitionis iſtius diligentiam gravibus de cauſis plurimum remittebant, & paucioribus, brevioribus, multòque minus ſolito efficacibus ſinceræ converſionis argumentis, immò aliquando præſentibus indiciis contenti, veniam, & communionem iis reddebant, modò præſens eluceret in iis alicujus tolerabilis conſcientiæ fiducia. De iſta diſpenſatione, & œconomia Eccleſiaſtica, ejuſque pro variis cauſis, temporibus, regionibus, peccatis, prudenti varietate *lib. 9. cap. 2. 3. 4.* & ſequentibus abundè diſſeremus. Interim tamen commodum, & ſcopo noſtro, antecedentiumque propoſitionum illuſtrationi opportunè facturi nobis videmur, ſi diſpenſationis iſtius luculentiſſima teſtimonia, urgenteſque rationes ex S. Cypriani ſcriptis hoc capite occupaverimus. S. Cypriani præ cæteris de hac re ſententia, rationeſque dignæ nobis viſæ ſunt, quæ ſeparatim hic inquirantur, & diſcutiantur. Conjuncta ſunt enim cum iis non modò S. Cornelii Pontificis, verùm etiam Conciliorum Romani, & Africani ſententiæ, rationeſque, cùm in locis ex S. Cypriano citandis non tam ſuam quàm iſtorum Conciliorum ſententiam referat. Quocirca nullo exemplo, nullove argumento iſtius œconomiæ antiquitas illuſtriùs probari, & confirmari poſſe videtur. Diſpenſatio autem iſta, & illius occaſio ſic ſe habuit.

II. Atrocitas perſecutionis Decianæ Lapſorum ingentem multitudinem Eccleſiæ peperit. Eorum audacia quorundam imprudentium Confeſſorum literis confirmata eouſque devenit, ut pacem ſibi redhiberi nulla acta Pœnitentia inſolenter efflagitarent. S. Cyprianus cum Clero ſuo, itemque Clerus Romanus, (Fabianus enim Pontifex in ea perſecutione coronatus fuerat) decreto proviſorio ſtatuunt, Lapſis moribundis pacem dari; cæteros expectare donec perſecutione ſedata Concilia celebrantur, in quibus ſingulorum cauſæ examinarentur, & qua ratione unicuique pax reddenda eſſet, definiretur. Paulò poſt perſecutione ſedata Romæ Cornelius Pontifex eligitur, Romæque, & in Africa Concilia habentur, in quibus de Lapſis ita communi conſenſu ſtatuitur, libellaticos nulla alia acta pœnitentia præter eam, quam ab eorum Lapſu ſe egiſſe probabant, ad pacem Eccleſiæ admittendos eſſe: Sacrificatorum verò Pœnitentiam diu trahendam, neve quis eorum ad pacem temerè proſiliret, ſolicitè cavendum: Si tamen morte urgerentur, pacem illis eſſe præſtandam. De his infra multis erit nobis diſputandum, ſed vel ſola *Epiſt.* 52. S. Cypriani lectorem docere poterit iſta ſufficienter. Antonianus Epiſcopus eo tempore celebris publico rumore iſta diſcens, atque, ut fieri ſolet, nonnulla falſa veris permiſta, ad Cyprianum ſcripſit, deque nonnullis conqueſtus eſt. Si non favit Antonianus ille Novatiano tum exorienti, favit certò rigidæ quorundam ſententiæ, qui de priore ſeveritate nihil volebant remittere. Non extat Antoniani ad Cyprianum Epiſtola, ſed nobis ſupereſt Cypriani ad ipſum reſponſio, in qua tam facti ſui, & Cornelii, quàm Conciliorum Romani, & Africani rationem illi explicat, & objectiones, difficultateſque ab eo oppoſitas diſſolvit. Utrumque ordine examinabimus. Ex iſta Epiſtola quæ 52. eſt, atque etiam ex 54. Cornelio Pontifici ſcripta, quæ huc relaturi ſumus, depromentur.

III. Relaxandæ ſeverioris diſciplinæ cauſa à S. Cypriano reddita hoc ratiocinio continetur. Pœnitentes in agenda Pœnitentia diu diſtineri debent, ut fletibus, laborioſiſque operibus ſuis Dei miſericordiam impetrent, & ab eo mereantur abſolvi: deinde Eccleſia multis certis argumentis per totum Pœnitentiæ curriculum datis eos judicans abſolutione dignos, ſolemniter abſolvit. Sed hoc rigidum examen, tamque certa ſinceræ Pœnitentiæ argumenta urgente morte Pœnitentium, aut aliquo imminente ſalutis periculo non ſunt atten-

attendenda. Tunc enim ſufficit Epiſcopum aliquo probabili argumento colligere Pœnitentiam peccatoris eſſe tolerabilem, ut eum debeat & Deo, & Eccleſiæ reconciliare. Hoc poſterius, in quo totius difficultatis cardo vertebatur, probat Cyprianus ſex potiſſimùm rationibus: Nec his ſibi ſatisfactum arbitrans, quatuor objectionibus, quas ipſius Adverſarii faciebant, aut facere poterant, occurrit. Hæc ordine trademus. Ex his enim omnibus ſimul ſumptis colligit, jure meritòque Concilia Romana, & Africana iiſdem cauſis occurrentibus, ea relaxationis Pœnitentiæ decreta, quæ initio retulimus, edere potuiſſe, nihilque eſſe in iis, quod legitimè reprehendi poſſit.

IV. Rationes autem, quibus demonſtrat inſtante ſalutis animæ periculo Pœnitentiæ ſtadium eſſe omittendum, & Sacerdoti tunc ad reconciliandum Pœnitentem ſufficere tolerabilis in eo conſcientiæ fiduciam aliquam deprehendere, digniſſimæ ſunt, quæ à Lectore Catholico diligenter attendantur. Eas S. Cypriani verbis potiſſimùm referemus. Prima hæc eſto. *Si Pœnitentiam reſpuamus habentium aliquam fiduciam tolerabilis conſcientiæ, ſtatim cum uxore, cum liberis, quos incolumes reſervaverant, in hæreſim, vel ſchiſma Diabolo invitante rapiuntur; & adſcribetur nobis in die judicii nec ovem ſauciam curaſſe, & propter unum ſaucium multas perdidiſſe.* Eandem materiam multis è ſacra ſcriptura petitis argumentis amplificat: Dominum relictis nonaginta novem ſanis unam errantem quæſiviſſe, & humeris in ovile reportaſſe, *Nos non tantùm non quæramus Lapſos, ſed & venientes arceamus, &c. occaſionem Lupis demus, ut quos perſecutio infeſta non perdidit, eos nos duritia noſtra, & inhumanitate perdamus.* Totius igitur cum Antoniano diſputationis fundamentum eſt, ſufficere Sacerdoti, cùm ejuſmodi occurunt pericula, in pęnitente animadvertere fiduciam aliquam tolerabilis conſcientiæ, ut meritò poſſit laxata pęnitentiæ ſeveritate eum citius, & clementius quàm ferunt canones, reconciliare.

V. Secunda ratio, Mortui cenſendi non ſunt ii, qui Pœnitentiam canonicam non impleverunt. Sunt igitur vivi, poſſuntque per Pęnitentiam breviorem, & reconciliationem ſanari. Mortuos non eſſe manifeſtum eſt, cum ex iis permultos videamus poſtmodum Martyres fieri, & Confeſſores. *Nec putemus mortuos eſſe, ſed magis ſemianimes jacere eos, quos perſecutione funeſta ſauciatos videmus, qui ſi in totum mortui eſſent, numquam de iiſdem poſtmodùm & Confeſſores, & Martyres fierent. Sed quoniam eſt in illis quod Pęnitentia ſequente convaleſcat, ad fidem, & ad Virtutem de Pęnitentia robur armatur, quod armari non poterit, ſi quis deſperatione deficiat.* Tertia ex ſecunda pendet. Sacerdotes Medici ſunt: Saucios igitur, & morbo affectos curare debent, nec eſt neceſſe, ut expectent donec pęnitentia conſummata perfectè ſanentur. Satis nobis eſſe debet aliqua tolerabilis Conſcientiæ fiducia: Sufficit ex eorum fletibus, & inchoata Pęnitentia probabiliter colligere Deo acceptam eſſe poſſe eorum cum Eccleſia reconciliationem, & prius illi placuiſſe, *Non eſt opus ſanis Medicus, ſed malè habentibus. Quam poteſt exercere medicinam qui dicit, ego ſolos ſanos curo, quibus Medicus neceſſarius non eſt? Opem noſtram, medelam noſtram vulneratis exhibere debemus.*

VI. Quartam ejuſdem Oeconomiæ rationem reddit *Epiſtola* 54. quam Epiſcoporum Africanorum nomine ad Cornelium Pontificem ſcribit. Cùm exiſtimarent Cyprianus, & Comprovinciales Epiſcopi alteram perſecutionem inſtare, rurſus alio facto conſilio plurimum adhuc priorem indulgentiam relaxarunt: ita ut omnibus Lapſis, de quibus conſtaret poſt prius decretum ſedulò Pęnitentiam egiſſe, reconciliationem ſtatim præſtari juberent. Hujus poſterioris decreti ſui rationem reddunt Cornelio Pontifici, ſic tamen ut prius decretum approbent. S. Cypriani verba digniſſima mihi videntur, quæ in hac cauſa diligenter adnotentur, *Meritò tempore longiore trahebatur dolentium Pœnitentia, ut Infirmis in exitu ſubveniretur, quamdiù quies, & tranquillitas aderat, quæ differre diù plangentium lachrymas, & ſubvenire ſerò morientibus in infirmitate pateretur.* Cum igitur quies viget, & commodè fieri poteſt, reconciliari non debent Pęnitentes, antequam pęnitentiam compleverint. *At verò non infirmis*, inquit Cyprianus, *ſed fortibus pax neceſſaria eſt, nec morientibus ſed viventibus communicatio à nobis danda eſt, ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis, & corporis Chriſti muniamus, &c.* quæ multis proſequitur.

VII. Verùm quinta ratio, quam præcedentibus adnumeramus, alteriùs eſt generis, & iis, quas ad Antonianum inſtruendum protulit, adnectenda. Eſt autem ejuſmodi: Poſtulat æquitas, ut bonorum ſalus propter malorum iniquitatem non periclitetur. Quocirca bonorum ratio præcipuè habenda eſt, præſtatque malis reconciliationem dare, quàm tanto beneficio viros bonos privare. Licet igitur in ea diſciplinæ relaxatione, ſancta multis malis, & indignis præbere contingat: Satius eſt in hoc incommodum propter innatam hominibus ignorantiam, qui ſodalium ſuorum mentem, cordaque penetrare non poſſunt, incidere, quàm illius vitandi cauſa in longè majus ruere; ſicque proverbio locum dare, fumum fugientes in ignem præcipites agi. Sic igitur Cyprianus, *Nos in quantum nobis & videre, & judicare conceditur, faciem ſingulorum videmus; cor ſcrutari, & mentem perſpicere non poſſumus. De his judicat occultorum ſcrutator, & cognitor citò venturus, & de arcanis cordis, atque abditis judicaturus. Obeſſe autem mali bonis non debent, ſed magis mali à bonis adjuvari. Nec ideò Martyrium facturis pax neganda eſt, quia ſunt quidam negaturi; cum propter hoc pax danda ſit omnibus militaturis, ne per ignorantiam noſtram ille incipiat præteriri, qui habet in prælio coronari.*

VIII. Sextam, & poſtremam rationem petit S. Cyprianus ab incommodis maximis, quæ urgente perſecutione contingere poterant, quæ certè ita dilucidè, & eloquenter enarrat, ſimulque demonſtrat, & rectæ rationi, & Scripturæ ſacræ eſſe contraria, ut ipſius verbis nihil clarius proferri poſſit, *Deinde ſi relictis omnibus rebus ſuis fugeris, & in latebris, atque in ſolitudine conſtitutus in latrones forte incurrerit, aut in febribus, & in languore deceſſerit; Nonne nobis imputabitur, quòd tam bonus miles, qui omnia ſua dereliquit, & contempta domo, & Parentibus ac liberis, ſequi Dominum ſuum maluit, ſine pace, & ſine communione decedit? Nonne nobis, vel negligentia ſegnis, vel duritia crudelis adſcribetur in die Judicii, quòd Paſtores creditas, & commiſſas nobis oves nec curare in pace, nec in acie voluerimus armare? Nonne ingeretur nobis à Domino, quod per Prophetam ſuum clamat, &c. Quod infirmatum eſt non confortaſtis, & quod malè habuit non corroboraſtis, &c.* His rationibus commoti viri illi ſanctiſſimi, & ſeorſum definientes, & ſimul convenientes pacem decreverunt Libellaticis ſine ullius Pęnitentiæ impoſitione ſtatim redhiberi; ea quam per ſeipſos aliquantulo tempore egerant, contenti: Sacrificatis verò ſi morte urgerentur ſimiliter ſtatim pacem concedi; ſi nullo periculo urgerentur, tetardari eorum reconciliationem, donec tempus Pęnitentiæ recens ab ipſis conſtitutum obſervaſſent. Poſteà quoque propter imminentem perſecutionem, & tempus illud recens ab ipſis conſtitutum omnino abrogarunt, & nulla interpoſita mora, ut omnibus pax redderetur, decreverunt: fundamentum hoc præ oculis ſemper habentes, ſufficere in imminenti ſalutis periculo probabilibus argumentis deprehendere in reconciliandis aliquam tolerabilis conſcientiæ fiduciam, extra quem caſum certioribus argumentis Sacerdotem niti oportere.

IX. Ex S. Cypriani Epiſtola colligitur his decretis, & potiſſimùm rationi eorum fundamentali, quam expoſuimus, Antonianum quatuor oppoſuiſſe, quæ ibidem ſolvit Cyprianus. Primum eſt, Inde ſequitur Sacerdotem Dei ſententiæ præjudicium afferre; eum enim ſæpe abſolvit, quem Deus condemnat. Ut vera ſit, firmaque Sacerdotis ſententia ſequatur neceſſe eſt Dei ſententiam; alioquin ſi præcedat, falſa erit, & impium, quod nefas eſt, juſtificabit. Reſpondet Cyprianus admittendo antecedens, ſed negando priorem conſequentiam, & excuſando poſteriorem. Admittit ſententiam Sacerdotis ſequi debere ſententiam Dei, ut ab eo confirmetur; atque ideò Lapſis non eſſe unquam temerè, ſed magna ſemper cum ſolicitudine communicandum, quandiù id ratio temporis pati poteſt. Si autem propter imminens aliquod periculum tamdiù Pęnitentium compunctio explorari non poſſit, negat præjudicium inferri ſententiæ Dei, licèt contingat aliquando ſententiam hominis prævenire ſententiam Dei, *Neque enim præjudicamus Domino judicaturo, quo minus ſi Pœnitentiam plenam, & juſtam peccatoris invenerit, tunc ratum faciat, quod à nobis hîc fuerit ſtatutum. Si verò nos aliquis Pęnitentiæ ſimulatione deluſerit, Deus, qui non deridetur, & qui cor hominis intuetur, de his, quæ nos minus perſpeximus, judicet, & ſervorum ſententiam Dominus emendet.* Non fit præjudicium ſententiæ Dei, quia ſi quod probabili argumento conjecit, verum eſt, Sacerdotis ſententiam ratam habet Deus. Si verò deceptus Sacerdos peccatorem abſolvit, illius ſententiam Deus non ſequitur, ſed emendat, ſicque nullum ſententiæ divinæ fit præjudicium.

Quanquam enim Deus promiſerit ſeſe Eccleſiæ perpetuò affuturum, rataſque leges, & conditiones habiturum, quas ipſa pro peccatorum obtinenda remiſſione tulerit, nunquam tamen promiſit ei intimam cordium cognitionem, ita ut a Pœnitentibus aliquando falli non poſſit: Multò minus id promiſit unicuique Sacerdoti Eccleſiæ nomine judicia ſingularia exercenti. Quum igitur Sacerdos à ficto Pœnitente decipitur, emendat Deus illius ſententiam licèt inculpatè, ſi leges ab Eccleſia poſitas ſecutus eſt, eam pronuntiaverit.

X. Illuſtratur eadem ſolutio ex ſolutione ſecundæ objectioni data. Secunda objectio verbis primæ objectionis continetur. Contingit non modo, aliquos ſegniter Pœnitentiam agere, & conſequenter reconciliatione indignos eſſe, verumetiam contingit aliquando nonnullos Pœnitentiam ſimulare: Neutrum diſcerni poterit dato Pœnitentiæ agendæ, & Contritioni explorandæ tam brevi ſpatio. Hanc objectionem *in Epiſt.* 54. potiſſimum proponit, & ſolvit, iterumque evidenter confirmat ſufficere ad reconciliationem Pœnitentibus redhibendam ea non eſſe indignos, quantum humanitus fieri poteſt, probabiliter judicare. *Si autem (quod Dominus avertat à fratribus noſtris) aliquis Lapſorum feſellerit, ut pacem ſubdolè petat, & impendentis prælii tempore communicationem non præliaturus accipiat, ſeipſum fallit, & decipit, qui aliud corde occultat, & aliud voce pronuntiat. Nos, in quantum nobis & videre, & judicare conceditur, faciem ſingulorum videmus, cor ſcrutari, & mentem percipere non poſſumus. De his judicat occultorum ſcrutator, & cognitor, &c.* Hoc incommodum vitare ſolus Deus poteſt, qui corda ſcrutatur: Hominis eſt in quantum illi, & videre & judicare conceditur, illud vitare: Semper autem illud vitare non poteſt; Ideò tamen, ut ibidem rectè docet, & jam retulimus *Bonis obeſſe mali non debent: Ne Deo martyrium facturis pax neganda eſt, quia ſunt quidam negaturi, cùm propter hoc pax danda ſit omnibus militaturis, ne per ignorantiam noſtram ille incipiat præteriri, qui habet in prælio coronari.*

XI. Tertia objectio legitur *Epiſt.* 52. quæ iſtorum temporum propria eſt. Indulgentia iſta, opponebant, virtutem, & animum fratrum remittit: Nam cùm vident pacem ſe tam facilè obtinere poſſe in Martyriis obeundis, minus incaleſcunt. Solebant enim Pœnitentibus relaxationem petentibus proponere publicam nominis Chriſti Confeſſionem, quam ſæpe Martyrium conſequebatur, ut vel ex hac Epiſtola manifeſtum eſt, *Si nimium properant, habent in ſua poteſtate quod poſtulant, tempore ipſo ſibi plusquam poſtulant largiente. Acies adhuc geritur, & agon quotidie celebratur. Si commiſſi verè, & firmiter pœnitet, & fidei calor prævalet, qui differri non poteſt, poteſt coronari*, quod ſæpe in aliis Epiſtolis repetit. Reſpondet Cyprianus, *Nec putes, frater chariſſime, hinc aut virtutem fratrum minui, aut martyria deficere, quòd lapſis laxata ſit Pœnitentia, & quod pœnitentibus ſpes pacis ſit oblata.* Quamobrem verò? *Manet verè fidentium robur immobile, & apud timentes, ac diligentes corde toto Deum ſtabilis, & fortis perſeverat integritas.* Deinde id probat à ſimili, *Nam & Mœchis à nobis Pœnitentiæ tempus conceditur, & pax datur, non tamen idcirco Virginitas in Eccleſia deficit, aut continentiæ propoſitum glorioſam per aliena peccata langueſcit.*

XII. Quartam objectionem petebat Antonianus à magno, ut rebatur, incommodo. Decreviſtis morientibus pacem dari: Quid ſi reviviſcant? Aut nulla, aut paucula Pœnitentia defuncti, pace viventes fruentur? S. Cypriani reſponſio in cauſa, quam agimus, conſiderari meretur. Poſtquam *periclitantibus pax data eſt, ſuffocari à nobis non poſſunt, aut opprimi, aut vi, & manu noſtra in exitum mortis urgeri, ut quoniam morientibus pax datur, neceſſe ſit mori eos, qui acceperint pacem: cùm magis in hoc judicium divinæ pietatis, & paternæ lenitatis appareat, quòd qui pignus vitæ in data pace percipiunt, hîc quoque ad vitam percepta pace teneantur. Et idcirco ſi accepta pace commeatus à Deo datur, nemo hoc debet in Sacerdotibus criminari, cùm ſemel placuerit fratribus in periculo ſubveniri.* Hoc eſt alterum indulgentiæ iſtius fundamentum, quod ſæpe Cyprianus per totam illam Epiſtolam inculcat, & exaggerat, ſtudium ſcilicet, quo in adjuvandis fratribus ardere debemus. Hoc ſtudium juvandæ, & colligendæ fraternitatis velut Helice, & Cynoſura eſt, quam indeſinenter Eccleſia, & Sacerdotes in legibus, judiciiſque ſuis contemplari debent. Salus enim populi ſuprema lex eſt, in quam vergere, & inflecti debent & Eccleſiæ decreta, & ſingularia Sacerdotum judicia. Tam ex Antoniani objectione quàm ex Cypriani ſolutione colligi videtur eo tempore, apud Africanos ſaltem, & Romanos, morem illum Pœnitentes poſt acceptam in periculo mortis pacem remittendi ad Pœnitentiam nondum uſurpatum fuiſſe.

CAPUT XX.

Quid antiquiſſimi, & recentiores Rabbini de conditionibus ad veram Pœnitentiam animo concipiendam doceant, explicatur. Deleto templo ſola Pœnitentia ſalus comparatur. Reſipiſcentis, ſenio, morbo, aut alio periculo preſſi Pœnitentia minimi pretii eſt, utilis tamen. Septem motiva enarrantur peccatori neceſſaria, ut ad Pœnitentiam inducatur. Pœnitentiam agens à multis licitis abſtinere debet; ſolitarius vivere, & ideò peregrinari, erubeſcere, & lugere ſemper, & flere. Quatuor accelerant hominis judicium. Opera veræ Pœnitentiæ neceſſariò debent eſſe conjuncta; nec aliter vel ipſo Expiationis feſto peccata delentur. Quid faciendum, ut opera laborioſa fiant homini facilia. Converſio, & emundatio debet eſſe in cogitatione per reſipiſcentiam; in ſermone per Confeſſionem; in operibus per opera contraria, quæ enumerant, quoniam his tribus peccatur.

NOn erit, opinor, Lectori ingrata hæc, quam præcedentibus adteximus, appendicula, qua Judæorum antiquorum, & recentiorum ſententiam de conditionibus ad veram perfectamque animi pœnitentiam concipiendam, & efformandam neceſſariis aperimus, & explicamus. Duobus illi nixi fundamentis de hac re diſſeruerunt, ratione naturali, & deificorum codicum authoritate, quibus perſuaſi eadem, quæ antiqui Patres noſtri de internis animi affectibus ad pœnitentiam peccatorum expunctricem animo informandam idoneis ſtatuiſſe mihi videntur: Ex ſubjectis teſtimoniis judicabit Lector, quid ſit de hac propoſitione definiendum.

II. Celebre eſt apud Judæos omnes axioma, dele to templo, dirutoque altari ſolam ſupereſſe pœnitentiam peccatorum hoſtiam, & expiationem. R. Moſes Cordubenſis maximæ apud eos auctoritatis *cap.* 1. *tractatus de Pœnitentia*, qui habetur *parte* 1. libri magni quem inſcripſit, יד חזקה, Sic edicit בזמן שאין בית המקדש קיים ואין לנו מזבח כפרה אין שם אלא תשובה התשובה מכפרת על כל העבירות אפי' רשע כל ימיו ועשה תשובה באחרונה אין מזכירין לו שום דבר מרשעו שנ' ורשעת הרשע לא יכשל בה ביום שובו מרשעו ועצמו של יום הכפורי' מכפר לשבים שנ' ביום הזה יכפר' *Eo tempore, quo non ſtat templum, nullumque nobis eſt altare, nulla nobis eſt præter Pœnitentiam expiatio: Pœnitentia expiat omnes iniquitates. Etiamſi quis per totam vitam impius fuerit, ſi tamen pœnitentiam in extremis egerit, nulla prorſus erit iniquitatis ejus memoria, ut dicitur Ezech.* 33.12. *Impius propter iniquitatem non impinget, cùm ab iniquitate ſua converſus fuerit. Dies quoque ipſe Expiationis pro Pœnitentibus propitiatur, ut dicitur Lev.* 16. 30. *In hac die expiabit vos.* Non diſſimilia docet ejuſdem tractatus *c.* 7. ut rem confeſſam. Sic non minus abſolutè definit liber Chaſidim *num.* 20. R. Juda Balats *cap.* 2. libri Muſar circa medium, liber quoque Kiriath Seper in deciſionibus de Pœnit. *c.* 1. l. Semeg titulo Hilcoth Theſuba, præc. 16. quæ ex Talmude ſuo decerpſerunt; tractatus ſcilicet Joma *c.* 8. *f.* 86. & Keduſchim ad finem *c.* 1. & ante Talmud Bereſit Rabba *ſect.* 21. in hæc verba, *Et nunc ne mittat manum ſuam, &c.* Huic Pœnitentiæ peccatorum expiatrici quas conditiones imponant, quas leges figant, inquiramus.

III. Idem Moſes capite ſecundo ejuſdem tractatus Perfectam Pœnitentiam ſic deſcribit, איזו היא תשובה גמורה זה שבא בידו דבר שעבר בו ואיפשר בידו לעשותו ופירש ולא עשה מפני התשובה לא מיראה ולא מכשלון כח ביצד הרי שבא על אשה בעביר' ולאחר זמן נתיחד עמה והוא עומד באהבתו בה ובכח גופו ובמדינה שעבר בה ופירש ולא עבר זה בעל תשובה גמור הוא שלמה אמר וזכור את בוראיך בימי בחורותי ואם לא שב אלא בימי זקנותו ובעת שאי איפשר לו לעשות מה שהיה עושה אע"ף שאינה תשובה מעולה מועלת היא לו ובעל תשובה הוא ואפילו עבר כל ימיו ועשה תשובה ביום מיתתו ומת בתשובתו כל עונותיו נמחלין שנאמר עד אשר לא תחשך השמש והאור והירח והכוכבי' ושבו העבי' אחר הגשם שהוא יום המיתה מכלל שאם זכר בוראו ושב קודם שימות נסלח לו ומה היא התשובה היא שיעזוב החוטא חטאו ויסירנו ממחשבתו ויגמור בלבו שלא יעשהו עוד שנאמר יעזוב רשע דרכו וכו' *Quænam eſt Pœnitentia perfecta? Cùm iterùm in poteſtatem alicujus venit res, in qua præceptum Dei violavit, atque in ipſius arbitrio poſitum eſt eam facere, ſed abſtinet, & eam propter pœnitentiam, qua ductus eſt, non facit, non propter timorem, neque ex defectu virium. Exempli cauſa. Aliquis cum muliere rem habuit, & poſt aliquod tem-*

Digitized by Google

tempus contingit, ut cum ea ſolus verſetur, eodem affectu in eam permanente, & viribus corporis integris, aliiſque, cum quibus tranſgreſſus eſt, abſtinet tamen, ſeſeque ab ea ſeparat, nec tranſgreditur, hic dicendus eſt pœnitentiam perfectam concepiſſe. Hoc eſt quod ait Salomon, recordare creatoris tui in diebus juventutis tuæ. Verùm ſi non convertatur, niſi poſtquam ſenuerit, & eo tempore, quo non poteſt ampliùs ea perpetrare, quæ perpetravit, quamvis non ſit iſta pœnitentia excellens, ipſi tamen utilis eſt, dicenduſque eſt pœnitens. Et licèt per totam vitam tranſgreſſus fuerit, pœnitentiamque tantùm egerit in die mortis ſuæ, & in ea obierit, omnes iniquitates ejus ipſi remittuntur. Sicut dictum eſt, Quouſque non obtenebratus fuerit ſol, neque lux, neque luna, neque ſtellæ, & reverſæ fuerint nubes poſt pluviam: Hoc enim diem mortis complectitur, in quo ſi quis creatoris ſui recordatus fuerit, & ante mortem pœnitentiam egerit, remittetur ei. Quæ eſt igitur pœnitentia? Cùm peccator reliquerit peccatum ſuum, & illud è cogitatione ſua removerit, & evellerit, atque corde ſuo perfectè ſtatuerit ſe non ampliùs illud perpetraturum, ut dictum eſt, relinquet impius viam ſuam, &c.

IV. Judas Balats *in libr. Muſar. cap.* 2. circa medium iſta ferè omnia κατὰ λέξιν deſcripſit, & duobus poſteà ſolus ſex excellentiæ, & dignitates pœnitentialis gradus enumerat. Primus cum iis, quæ ad perfectam Pœnitentiam requirit Moſes, convenit. Intermedius nunc prætermiſſis, quinto dignitatis loco eam Pœnitentiam ponit Judas, quam facit quis ſenex, & debilis. Poſtremum his verbis deſcribit, המעלה הששית והיא פחותה והיא השב בשעת פטירתו כשיראה כי בא למות ואע״פ שלא עשה תשובה עד שעת פטירתו הואיל ושב בשעת פטירת בעל תשובה הוא ותשובתו מקובלת שנ׳ עד אשר לא תחשך השמש והאור ועל כן החולה שבאה השעה שיפטר בה מן העולם הזה מזכירין אותו לעשות תשובה ואומרים לו אמור חטאתי עויתי פשעתי תהא מיתתי כפרה לעונות׳ *Sexta dignitas eſt minima: Eſt autem hujuſmodi. Cùm quis convertitur in hora mortis ſuæ, & videt diem mortis ſuæ advenientem. Licèt enim pœnitentiam non egerit, niſi dum moriturus eſt, cùm tamen tum convertitur, Pœnitens eſt, & pœnitentia ejus acceptatur, ut dicitur, quouſque non obtenebratus fuerit ſol, neque lux. Ideò ægrotantem, cùm inſtat hora, qua ex hoc ſeculo dimittendus eſt, admonere ſolent, ut pœnitentiam agat, dicentes illi, dicito, peccavi, iniquè egi, prævaricatus ſum, ſit mors mea propitiatio pro iniquitatibus meis.*

V. Verùm quoniam liber ille Muſar multa continet capite illo 2. præclara monita de modo, & ratione agendæ Pœnitentiæ, quæque doctrinam, & praxim Judæorum evidenter explicant, nonnulla alia non interrupto aliis authoribus ſermone ex authore iſto deſcribemus. Longè ante medium capitis, ſive libri, ſic docet, שבעה דברים צריך בעל תשובה לחשוב ולידע ויעלם על לבו תמיד ואז יפרוש מן החטא וידבק בתשובה ותהיה תשובתו שלמה׳ *Septem ſunt, quæ neceſſe eſt pœnitentem perpetuò cogitare, recognoſcere, & in corde ſuo abſcondere, & tunc ſeparabit ſe à peccato, & adhærebit, incumbetque pœnitentiæ, & erit Pœnitentia ejus perfecta:* Septem hæc omiſſo textu Hebræo ne longiores ſimus, verbum è verbo referemus. *Primùm eſt, ut evidenter, & certò ſciat ſe rationem redditurum de omnibus iniquitatibus ſuis. Nam ſi hoc non cogitaverit, apud ſe dicet, cùm peccatorem ſupplicium non maneat, ut quid meipſum affligam, & pœnitentiam agam? Quid mihi proderit, cùm in ea non ſit utilitas? Eam relinquam, & ambulabo ſecundùm cogitationes cordis mei. Omnibus igitur modis cogitabit, quòd ſi pœnitentiam non agat ante mortem, omnia ejus opera mala judicabuntur, & rationem eorum reddet non modo in genere ſed etiam ſigillatim, & in individuo, ut dicitur Eccleſiaſtæ cap.* 12. *verſu ultimo, Quia omne opus Deus adducet in judicium ſuper omne occultum ſive bonum, ſive malum, & iterùm. Quia ipſe reddet homini ſecundùm opus ejus. Ideò neceſſe eſt ut cogitet, quòd cùm iniquitates ſuas animo recolit, illaſque confitetur ipſi condonantur, ut dicitur, abſcondens iniquitates ſuas non proſperabit, ſed confitens, & relinquens, miſericordiam conſequetur. Secundum, ut cognoſcat malitiam operum ſuorum, & iniquitatum, & tranſgreſſionum, quas peccavit, & tranſgreſſus eſt, & quod ad iram provocavit factorem ſuum, & poſſeſſorem operibus ſuis malis, & inſuper quod non liberabitur ab ira furoris Dei, donec fecerit Pœnitentiam. Nam niſi cognoſcat ſe peccaſſe, licèt peccaverit, non convertet ſe à peccato eo, quod exiſtimabit nihil eſſe mali in iniquitatibus, quas commiſit, donec evidenter cognitum ſit illi, quod peccavit, ut dicitur, quoniam poſtquam converſus ſum, pœnituit me; & poſtquam notum eſt mihi, femur percuſſi, Jerem.* 31. 19. *Tertium, neceſſe eſt cognoſcat magnam ipſi propter Pœnitentiam retribui mercedem, & omnia peccata ei condonari, ſi per Pœnitentiam perfectam convertatur, ut dicitur Iſaiæ* 55. *v.* 7. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquitatis cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus, & ad Deum noſtrum, quia multiplicabit, ut parcat. Si enim hoc apud ſe non perpenderit, & mercedem Pœnitentiæ non cognoverit, nunquam pœnitebit, nec reſipiſcet de operibus ſuis malis. Quartum, Neceſſe eſt cognoſcat omnes iniquitates ſuas ſcriptas eſſe, & obſignatas in libro, ut dicitur Job.* 37. 7. *In manu omnium hominum obſignabit, ut ſciant omnes homines opus ipſius: Deus quoque benedictus memor eſt omnium operum, ut dicitur Deut.* 32. 34. *Nonne hoc abſconditum eſt apud me, ſigillatum in theſauris meis. Conſiderabit etiam quod Deus benedictus ultionem ſumit de impiis ut dicitur, mihi vindicta, & ego retribuam: Si enim ita non fecerit, nunquam aget Pœnitentiam. Dicet enim, licèt peccaverim, remittentur tamen mihi peccata mea. Quintum, ut cognoſcat quod per pœnitentiam peccata remittuntur, ut dicitur Ezech.* 33. 12. *Propter impietatem impius non corruet in die quo converteretur ab impietate ſua: Quia niſi ſic apud ſe ſtatuat, nunquam ab impietate ſua convertetur; quia ſic dicet, cùm non remittantur peccata mea priora, & in iis corruerim, quid mihi prodeſt Pœnitentia, ſicut dicebant Ezech.* 33. 10. *Iſraelitæ, quoniam ſcelera noſtra, & peccata noſtra ſuper nos, & propter illa tabeſcimus, quomodo vivemus? Reſpondit eis Propheta, & dixit, Vivit Dominus Deus, ſi mihi complacuero in morte peccatoris, quia immò cùm converſus fuerit à viis ſuis, vivet. Sextum, ut tradat homo cor ſuum ad cognoſcendum gratiam, & beneficia Dei in ipſum, quod creavit eum ex nihilo, & ſubſiſtere fecit in hoc ſeculo, & dedit ei cor, ut intelligat, oculos, ut videat, aures, ut audiat, membra, ut per ea Creatori benedicto ſerviat, & voluntati ejus obtemperet, ut conſequatur, & mereatur vitam futuri ſeculi; Ipſe verò in contrarium mutavit opera ejus, ita ut peccaverit in ſingulis membris ſuis, reddiditque malum pro bono. Niſi ſic cogitaverit apud ſe, nunquam aget Pœnitentiam: Quia dicet in corde ſuo: Ut quid creatum eſt cor niſi, ut deſideriis ſuis fruatur, & oculi, niſi ut peccatis aſſueſiant, &c. Septimum, ut ferat jugum Pœnitentiæ, & abſtineat ſe ab iniquitatibus, quibus inſueverat; & licèt concupiſcentia ejus inclinet, & inflectat eum, & expellat à via recta, neceſſe eſt, ut ipſi dominetur, & eam ſubigat, & ſeparet ſe à tranſgreſſionibus: Et eam affliget, & anguſtiabit animam ſuam, eo quod iterùm naturam ſuam pervertere conatur, merces plurima eſt ei cum nihilo ſecius declinat à via mala in bonam, ita ut humiliet, & ſubigat concupiſcentiam, & eam ferat velut ægrotus dolores, & morbos ſuos, frangatque deſideria ejus, & relinquat cibos dulces, miſceatque potum rebus amaris, & coquat herbas acerbas, & Galla condiat, ut ſanetur à morbo ſuo, antequam de dolore plagæ ſuæ moriatur.*

VI. Hæc requirit Rabbinus ille ex Magiſtrorum dictatis ab iis, qui ad Pœnitentiam ritè agendam ſeſe accingunt: Hæc eſt animi diſpoſitio, quæ ſecundum Judæos Pœnitentiæ actionem præcedere debet, ומי שאינו יודע אלו השבעה דברים שאמרנו לעולם אינו חוזר בתשובה שלמה לפיכך צריך אדם להעלותם על לבבו תמיד *Et qui hæc ſeptem capita à nobis enarrata ignoraverit, nunquam per Pœnitentiam perfectam convertetur: Ideò neceſſe eſt, hominē iſta ſemper animo cogitare, & revolvere.* Poſteà explicat, quæ neceſſaria ſunt ad ipſammet Pœnitentiæ actionem. Ea autem in quatuor ſumma genera dividit, quorum unumquodque in quinque ſpecialia diſcernit, ולתשובה גם כן ארבעה כללים ולכל אחד ואחד חמשה פרטים ואלו הן הכללים ראשון שיתנחם אדם על רוע מעשיו שני שיעזוב מעשיו הרעים שלישי לרצות לשם ית׳ בתשובה רביעי שיחשוב בלבו תמיד שכר התשובה ועונש המשובה׳ *Sic etiam ſpectant ad Pœnitentiam quatuor generales regulæ, quarum ſub unaquaque quinque ſpeciales continentur. Quatuor generales hæ ſunt. Prima, ut reſipiſcat homo de malitia operum ſuorum. Secunda ut relinquat homo opera ſua mala. Tertia, ut per Pœnitentiam Deum ſibi placet. Quarta, ut animo ſuo cogitet ſemper mercedem Pœnitentiæ, & pœnam averſionis.* Primi generis ſpecies quinque enumerat, quas huc referemus, ut ex iis Lector Judicium de cæteris ferat.

VII. הפרט הראשון שיזהר לעשות תשובה ויפחד שמא ימות או שמא יענש בחטאו קודם שיעשה תשובה שנ׳ תנו לה׳ אלהיכם כבוד בטרם יחשיך ואומר וזכור את בוראיך בימי בחורותיך עד אשר לא יבואו ימי הרעה הפרט השני שיכנע ויהיה מתחנן לפני הק׳ב׳ה על העונות שעשה שנ׳ ויכנעו עמי אשר נקרא שמי עליהם ואומר ובהכנעו שב חרון אף יי׳ ממנו והפרט השלישי שישנ׳ כסותו ויראה אותו בעצמו ובמאכליו ובמשקיו ובדבורו שהוא בעל תשובה ומשנה כל מעשיו למוטב׳ ולדרך הישרה וגולה ממקומו שגלות מכפרת עון מפני שגורמת

Morin. de Sacram. Pœnit.

לאד׳ שיכנע ויהיה שפל רוח ומשנה שמו כלומ׳ אחר אני ואין אני אותו שחטא ועשה צדקה כפי כוחו ומתרחק מאד מאותו דבר שחטא בו ר״ל אם בעל אשה באסור יתרחק עד סוף מן הדבור עם הנשים ומן חמשא ומתן עמהן ואפילו הן מותרות וכן בכל כיוצא בזה וצועק תמיד ובוכה ומתחנן לפני הקב״ה כדי שיקבל תשובתו שנ׳ וקרעו לבבכם ואל בגדיכם ושובו אל ה׳ אלהיכם ואומר על זאת חגרו שקים וספדו והלילו ואומר הלכוף כאגמון ראשו ושק ואפר יציע וגו׳ ויתכסו שקים האדם והבהמה וישובו אל יי׳ והפרט הרביעי שיהיה תמיד תוהה על פשעיו ונאנח ונאנק ובוכה עליהם במר רוח כאדם המצטער על מה שעבר ואין כיוה יכולת להשיבו ועל כן בוכה ומתאבל עליו תמיד שנ׳ פלגי מים ירדו עיני על לא שמרו תורתך הפרט החמשי להשיב אמריו אל נפשו ויאמר אוי לי איך לא בושתי ונכלמתי לעשות כל העבירות שעשיתי והכעסתי לאלהי בעזות מצח ובזדון הטאתי אלי לי ובשומו הדברים האלה על לבו יבוש ויכלם כדרכיו ויעשה תשובה שנ׳ כי אחרי שובי נחמתי ואחרי הודעי ספקתי על ירך בושתי וגם נכלמתי׳ *Primum ſpeciale caput, ut feſtinet agere pœnitentiam, timentque ne forte moriatur, aut puniatur propter peccatum ante actam Pœnitentiam, ut dicitur Jerem. 13. verſ. 16. Date Domino Deo veſtro gloriam, antequam tenebras inducat, & Eccleſiaſtæ 12. 1. Recordare Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniant dies mali. Secundùm, ut humiliet, & conteral ſe coram Deo benedicto propter iniquitates à ſe perpetratas, ut dicitur 2. Paralip. 7. 14. Et humiliavit ſe populus meus, ſuper quem invocatum eſt nomen meum, & cap. 12. 12. Et cùm humiliavit ſe, averſus eſt ab eo furor iræ Domini. Tertium, ut mutet veſtimenta ſua, & demonſtret in ſeipſo, & in cibo, & in potu, & in ſermone ſuo, quòd ſit Pœnitens; mutet inſuper omnia opera ſua in bonum, viamque rectam, migretque è loco ſuo: Nam migratio illa expiat iniquitatem, eo quòd occaſionem, & cauſam præbet homini humiliationis, & humilis animi. Mutabit etiam nomen ſuum, veluti dicendo, alius ego ſum, & non ille ipſe, qui peccavi: Eleemoſynam pro virili dabit, & removebit, elongabitque ſe plurimùm ab ea re, in qua peccavit: id eſt, Si cum muliere contra fas congreſſus eſt, plurimùm avertet ſe à colloquio cum mulieribus, & ab omni cum iis commercio, etiamſi eam iis ita agere, & converſari licitum ſit; & ſic in omnibus ejuſmodi. Clamabit indeſinenter, & flebit, & deprecabitur coram Deo benedicto, ut accepter Pœnitentiam ſuam, ut dicitur, ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum, & Jerem. 4. 8. Propter hoc accingite vos ſaccis, & lamentamini, & ululate, & Iſaiæ 58. 5. Numquid ut incurvet quaſi juncum caput ſuum, & ſaccum, & cinerem ſternat, &c. & cooperuerunt ſaccis homines, & beſtiæ, & converſi ſunt ad Dominum. Quartum, Ut indeſinenter ipſum pœniteat criminum ſuarum, & gemat, & ſuſpiret, & ploret ſuper iis cum amaritudine ſpiritus, velut homo qui ſeipſum affligit, & excruciat propter ea, quæ tranſgreſſus eſt, & non eſt in manu ejus facultas pœnitendi, & ea reparandi: & ideò flet, & luget continuò propter iſta, ut dicitur, Rivulos aquarum effuderunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam. Quintum & ultimum ſpeciale caput, ut ſic cum ſeipſo ſermocinetur, dicens, Væ mihi, quomodo non erubui, & pudore non ſum ſuffuſus, cùm omnia hæc ſcelera commiſi, & ad iracundiam provocavi Deum meum perfricta fronte, & peccati mei ſuperbia, Hei mihi! Et cum ſtatuerit hæc omnia in corde ſuo, erubeſcet, & pudore ſuffundetur propter mores præteritos, & de iis Pœnitentiam aget, ut dicitur Jerem. 31. 19. Quoniam poſtquam converſus ſum, Pœnitentiam egi, & poſtquam oſtenſum eſt mihi, percuſſi femur, confuſus ſum, atque etiam erubui:* Hæ ſunt primæ conditiones quas ab agente Pœnitentiam Judæi expoſtulant, nonnullas alias poſthæc referemus.

VIII. Non eſt inſipidum, nec à præcedentibus alienum, quod brevius notat Elias filius Moſis de Levidas circa medium *cap. 3. de Pœnitentia*, ubi inter varias bene agendæ Pœnitentiæ rationes hanc ex antiquis authoribus recenſet, בבראשית רבה אמרו ד׳ דברים מקרבין גזר דינו של אדם צדקה צעקה שינוי השם ושנוי מעשה צעקת דכתיב ויצעקו אל ה׳ בצר להם ממצוקתיהם יוציאם צדקה דכתיב וצדקה תציל ממות שנוי השם דכתיב ויאמר אלהים אל אברהם שרי אשתך וגו׳ שינוי מעשה דכתיב וירא אלהים את מעשיהם ויש אומרים אף שינוי מקום עד כאן לשונו לעניינו ובעל תשובה צריך להרבות בצדקה שנאמר וחטאך בצדקה פרוק והטעם שבנגדו שמיעם השפע למעלה צריך שידבה ובפרט ביום צום כמו שכתוב בישעיה הלא פרוס לרעב לחמך וגו׳ *In Bereſchith Rabba, dicitur, Res quatuor accelerant ſententiam decretoriam hominis, Eleemoſyna, clamor, mutatio nominis, & mutatio operis. Clamor, quia ſcriptum eſt, Pſal. 107. 6. Et clamaverunt ad Dominum in anguſtia ſua, de oppreſſionibus ſuis eduxit eos. Eleemoſyna, ut ſcriptum, & Eleemoſyna liberabit à morte. Mutatio nominis, quia ſcriptum Geneſ. 17. 15. Et dixit Dominus Abrahæ, Sarai uxor tua, &c. Mutatio operis, quia ſcriptum Jonæ 3. Et vidit Deus opera eorum. Nonnulli addunt etiam mutationem loci. Hactenus ejus ſermo rebus noſtris conveniens. Neceſſe eſt autem eum, qui Pœnitentiam agit multiplicare Eleemoſynas, ut dictum eſt Dan. 2. 24. Peccatum tuum Eleemoſynis redime. Senſus eſt, pro eo quod minuit, & conſumpſit abundantiam, & divitias in dignitatem, & gloriam, neceſſe eſt eum multiplicare, & augere Eleemoſynas ſpecialiter in die jejunii, velut id, quod ſcriptum eſt Iſaiæ 58. 7. Nonne ut frangas eſurienti panem tuum.* Multis etiam tam Scripturæ quàm Doctorum ſuorum teſtimoniis probat oportere ſeriò pœnitentem ſacco ſe induere. Idem conatur demonſtrare Cabbaliſtica ſacci interpretatione, quæ Ghematricè quadringenteſimum numerum complet, שק׳ ſcilicet: ſed alluſiones omnes frigidæ ſunt, & longè petitæ.

IX. Moſes Tranenſis in libro Kiriath Sepher, id eſt, *civitas librorum*, (author tamen in proœmio videtur voluiſſe ei à קריאה *lectione*, nomen indere) Scribit enim, קראתי שם ספר הזה קרית ספר להיות הקריאה בו בקורא בספר התורה. Capit. 2. Decretorum de Pœnitentia eadem, quæ Moſes Cordubenſis, & iiſdem prope verbis ſed brevius, docet, quæ jam ex Cordubenſi retulimus de Pœnitentia perfecta, & imperfecta. Deinde ſubjungit, כל המתודה בדברים ולא גמר בלבו לעזוב החטא הרי זה דומה לטובל ושרץ בידו שאין הטבילה מועלת לו עד שישליך השרץ שנא׳ ומודה ועוזב ירוחם וכתיב נשא לבבינו אל כפי׳ *Quicunque verbis confitetur, nec perficit in corde ſuo, ut peccatum relinquat, ſimilis eſt lavanti ſe in aqua, & reptile manu ſua tenenti: Lotio enim ſua illi eſt inutilis, donec reptile projecerit, ut dicitur, Qui confeſſus fuerit, & reliquerit, miſericordiam conſequetur; Prov. 28. 13. & ſcriptum eſt, levemus corda noſtra cum manibus noſtris, &c. Lament. c. 3. v. 41.* Eadem quoque Moſes Micotſenſis in libro præceptorum magno, in præcepto affirmativo. 16. ſcribit de Pœnitentia perfecta, & imperfecta: idemque addit, quod ex Tranenſi jam relatum eſt, & notat hanc ſimilitudinem deſumptam ex tractatu Thaanith. *c. 2. fol. 16.* Hac quoque ſimilitudine uſus eſt Cordubenſis. Verba referre non opus eſt, cùm poſteriores à prioribus ea mutuentur, & pro ſcribendi propoſito contrahant tantùm, vel amplient. Hinc *cap. 4.* Pirke Auoth, & initio *cap. 43* libri, qui eſt inſcriptus, Pirke Eleezeris, & libri Beth Midoth *cap. de Pœnitentiæ* excellentia, ſententia hæc legitur, תשובה ומעשים טובים כתרים לפני הפורענות׳ *Pœnitentia, & opera bona ſunt veluti clypeus vindictæ oppoſitus.* Neutrum enim ſine altero utile eſt; nec Pœnitentia niſi conjungantur opera, nec opera niſi præcedat interior animi Pœnitentia. Ideò decernitur in textu Talmudis *cap. ultimo tractatus Joma, n. 9.* האמר אחטא ואשוב אחטא ואשוב אין מספיקין בידו לעשות תשובה אחטא ויום הכפורים מכפר אין יום הכפורים מכפר׳ *Qui dicit peccabo, & agam Pœnitentiam; peccabo, & agam Pœnitentiam, non ſuppeditatur ei facultas faciendi Pœnitentiam. Peccabo, & dies expiationis expiabit; dies expiationis non expiabit.*

X. His verbis textus addunt explicationis cauſa Toſphoth Talmudicæ לפיכך לא יעזרהו השם שיעשה בצום ביפורים מה שראוי לעשות כדי שיתכפרו לו עונותיו באותו היום׳ *Propterea non adjuvabit eum Deus, ut præſtet in jejunio expiationis id, quod præſtare oportet eo die, ut expientur ejus peccata.* Hæc ab iis dicuntur adverſus nonnullos, qui docebant in feſto Expiationis omnia peccata Judæis condonari, licèt pœnitentiam non agerent, ut refert Talmud hæc verba Miſchnæ interpretans: Quare, inquiunt, bis dixit, peccabo, &c. אמר רב אונא אמר רב כיון שעבר אדם עבירה ושנה בה הותרה לו הותרה לו סלקא דעתך אלא נעשית לו כהותר אחטא ויום הכיפורים מכפר ובו לימא מתניתין דלא כרבי דתניא רבי אומר על כל עבירות שבתורה בין עשה תשובה בין לא עשה תשובה יום הכיפורים מכפר *Dixit R. Hona dicebat Rab cum peccat homo, & peccatum iterat, licitum eſt illi. An cenſes licitum eſſe illi? nequaquam, ſed factum eſt ei quaſi licitum, Peccabo & dies expiationis expiabit, &c. Dicendum textum Miſchnæ à Rabbi diſſentire, qui docet diem expiationis expiare, & delere omnia peccata in legem, ſive de illis fiat Pœnitentia, ſive non fiat.*

XI. Moſes Micotſi loco jam citato verſus finem explicationis decimi ſexti præcepti præcedentibus nonnulla addit ad veram, & ſolidam Pœnitentiam animo concipiendam adminicula, quæ mihi videntur ſcitu non indigna, ויכרע על ברכיו שעה אחת ביום וכפיו פרושות השמימה ויתודה ויבקש רחמים שיעזרהו האלהים על תשובתו ותקנתי על זה בקשה מיוחדת והיא כתובה לרבים בסוד הזה יעשה לשחרתו וכן כמה ימים

עד

Digitized by Google

עד שתהיה התשובה קבועה בלבו ויהיו המעשים קלים עליו לעשותם גרסינן בפרק בתרא דיומא האומר אחטא ואשוב אין מספיקין בידו לעשות תשובה והאומר אחטא ויום הכפורים מכפר אין יום הכפורים מכפר וכל המחטיא את הרבים אין מספיקין בידו לעשות תשובה וכל המזכה את הרבים אין חטא בא לידו *Unoquoque die genua flectet horam unam, & manus in cœlum protendes, confitebiturque, & miſericordiam à Deo efflagitabit, ut ad agendam Pœnitentiam ipſum adjuvet. Compoſui hac de re orationem peculiarem, quæ à multis deſcripta eſt, & publicè edita. Secundùm hunc ordinem faciet poſtridie ejus, & hoc aliquot diebus repetet, donec ſit Pœnitentia cordi ipſius infixa, & opera ſint illi factu facilia, & levia. Docent capite ultimo tractatus Joma, dicenti peccabo, & pœnitentiam agam non ſuppeditari vires ad agendam Pœnitentiam: Dicentem quoque peccabo, & dies expiationis me mundabit, dies expiationis non mundabit. Nulli præterea multos ad peccatum inducenti facultas datur Pœnitentiam agendi; ſed in manum cujuſcumque multos juſtificantis, non venit peccatum:* hoc eſt, Dei clementia ab ejuſmodi homine peccandi occaſiones avertit, aut iis datis ne labatur, eum ſuſtentat. Exiſtimant Judæi quotannis die feſto Kipurim, ſive expiationis omnia ipſorum peccata deleri cum cautionibus tamen infra *libr. 9. capit. ultim.* enarrandis. Monent igitur antiqui illi traditionum Judaicarum authores eorum peccata, qui apud ſe non ſtatuunt ea non amplius committere, ne quidem in die illo feſto veniæ conſecrato, remitti poſſe.

XII. Diſtinctè, & perſpicuè explicat Joſeph Albo, divinus Philoſophus apud eos dictus, qua ratione vera Pœnitentia & concipi, & agi debeat. Sic ille *capit. 26. libri 4.* de principiis fidei Judaicæ, דרכי התשובה שבהם יטהר האדם מעונותיו ויזכה מחטאתו לפני אדניו הנה הם שיתקן המחשבה והדבור והמעשה המחשבה שיתחרט אדם מעונותיו · הדבור שיודה על פשעיו · המעשה שיקבל עליו שלא ישוב עוד לכסלה אבל יעשה מעשים שיורו שהמעשים הראשונים היו בטעות ובבלי דעת · *Rationes, & viæ Pœnitentiæ, quibus purificatur homo ab iniquitatibus ſuis, & juſtificatur à peccato coram Domino ſuo, hæ ſunt. Cogitationem, ſermonem, & opus ſuum corrigat, & rectè componat: Cogitationem, ut reſipiſcat homo ab iniquitate ſua; ſermonem, ut confiteatur prævaricationes ſuas; opus, ut polliceatur, atque in ſeſe recipiat ſe non ampliùs reverſurum ad ſtultitiam, ſed opera facturum, quæ doceant, & oſtendant opera priora per errorem, & ſcientiæ defectum eſſe perpetrata.* Horum ſingula poſtmodum ſcripturæ teſtimoniis demonſtrat. Iterum poſt multa verſus finem capitis, לפי שהעבירה היא אם במחשבה ואם בדבור ואם במעשה או בכלן צריך שתהיה התשובה בשלשתן אם במחשבה החרטה ואם בדבור הודוי ואם במעשה שלא יספיק עזיבת החטא בלבד אבל שיעשה המעשים הפך עבירות שעשה · *Cum tranſgreſſio ſiat, & cogitatione, & ſermone, & opere, vel his omnibus ſimul, neceſſe eſt converſionem in his tribus fieri. Si in cogitatione, reſipiſcentiam; ſi in ſermone, Confeſſionem: Et ſi in opere, quia non ſufficit ſola peccati derelictio, neceſſe eſt, ut faciat peccator opera prævaricationibus quas fecit contraria.* לפיכך היה דוד מתפלל על כלן · על המחשבה אמר לב טהור ברא לי אלהים וגו׳ על הדבור אמר יהוה שפתי תפתח וגומר ועל המעשה אמר אלמדה פושעים דרכיך וגו׳ כלומר שיעשה מעשים הפך השכירות כדי שיראו האנשים ויקחו מוסר וילמדו לשוב אל השם ית׳ · *Ideò pro omnibus orabat David. Pro cogitatione dicebat, cor mundum crea in me Deus, &c. Pro ſermone dicebat, Domine labia mea aperies, &c. & pro opere, Docebo iniquos vias tuas, &c. Quaſi diceret, ut faciat opera contraria tranſgreſſioni, & timeant homines, & erudiantur, & diſcant ad Deum converti.*

XIII. Aliis argumentis demonſtrat bona opera peccatis præcedentibus contraria veræ Pœnitentiæ agendæ eſſe neceſſaria; deinde κατὰ μέρος, hoc egregiè explicat, יעשה מעשים הפך העבירה ויבחר לו דרך אחרת אם חטא במאכלות אסורות יתענה ויזהר מלאכול לשובע נפשו אפילו הדברי׳ המותרים כמו שאמ״ז״ל קדש עצמך במותר לך ואם העלים עיניו מן הצדקה יפזר ממונו לעניים ואם הורה לאנשים לנהוג בקלות ראש במצות ילמד אותם דרך ישרה לדקדק במצות ולשוב אל השם ית׳ לפי שהמחטיא אי אפשר לשוב בתשובה שלימה שבמה יוכל לתקן את אשר עותו ממה שגרם לחטוא ולזה אמר אלמדה פושעים דרכיך וכן כל כיוצא בזה ואם חטא במחשבה בלבד יטהר מחשבותיו לפני יודע מחשבות וזהו ואיש און מחשבותיו ואמר וישוב אל יהוה וירחמהו להורות שהתשובה צריך שתהיה לאהבת השם יתברך בלבד לא לאהבת הממון ואהבת הכבוד ואמר ואל אלהינו כי ירבה לסלוח לחזק לב השבים שלא יתיאשו מן התשובה בסבת רבוי העונות שסליחתו יותר מרובה מן העונות · *Opera faciet tranſgreſſioni contraria, & eliget ſibi viam aliam. Si peccavit in cibis prohibitis, affliget ſe, & cavebit, ne comedat ad animæ ſatietatem etiam res licitas, ut dixerunt Magiſtri noſtri, quorum memoria in benedictione: ſanctifica, & ſepara teipſum à licitis tibi. Quod ſi oculos ſuos ab eleemoſyna abſconderit, diſperget pecuniam ſuam pauperibus. Si docuerit homines leviter, & negligenter aſſuefacere, & exercere ſe in mandatis; docebit eos viam rectam, & diligenter attendere, & ſcrutari mandata, & convertere ſe ad Deum benedictum; eo quòd qui alios in peccatum induxit, non poteſt ad pœnitentiam perfectam converti: Quia in quo corrigere poterit id, quod ipſe pervertit, & unde occaſionem ad peccandum dedit? Ideò dixit, docebo iniquos vias tuas, & in omnibus ſimilibus ita eſt agendum. Si verò cogitatione tantùm peccavit, emundabit cogitationes ſuas coram eo, qui cogitationes cognoſcit. Hoc eſt, quod dicitur Iſaia 55. verſ. 7. Vir iniquus cogitationes ſuas derelinquat: & addit, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus, ut doceat neceſſarium eſſe, ut converſio illa fiat tantùm propter dilectionem Dei benedicti, non propter pecuniæ, aut gloriæ amorem: ideo ſubjicit, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum, ut pœnitentium animum confirmet, & propter multitudinem iniquitatum de Pœnitentia non deſperent, quia miſericordia ejus, & condonatio longè ſuperat iniquitates, & præ iis multiplicatur.* En quales debent eſſe ex eorum ſententia ſinceræ Pœnitentiæ effectus, & quibus ſignis dignoſcitur.

XIV. Hoc argumentum fusè, & rectè perſequitur author libri Beth midoth *cap. 27.* pauca tantùm excipimus de multis, צריך לו לבעל תשובה להתחזק בעצמו למנוע עצמו מן העבירות אשר היה רגיל בו ויסכים בלבו לסור מהם לגמרי בכל לבו ובכל נפשו ובכל מאדו בענין שנא׳ ואהבת את ה׳ אלהיך בכל לבבך וגו׳ *Neceſſe eſt pœnitenti corroborare, & confirmare ſeipſum ad ſe cohibendum à peccatis, quibus inſueverat, & conſentiendum, decernendumque in corde ſuo, ut ab iis omnino, & toto corde, & tota anima, & pro viribus recedat, ſecundùm id quod dicitur, diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* &c. Et poſt aliqua, אם היה רגיל בתפנוקים ובתענוגים ובמעדני׳ ובמאכלי׳ טובים יפחות מהן ויסגף עצמו בתענית מפני שהתענית משבר לב האדם למקום ומכניע את יצרו וכן אם היה רגיל לעמוד בעזות מצח ולהיות עז פנים ולדבר גדולות ירגיל עצמו למדת ענוה ולדבר רכות ויעשה עצמו כאסקופה התחתונה שהכל דשין בה וכן אם היה רגיל להכות לאנשים ירגיל עצמו שאם יכו אותו אחרים שיסבול מהם ולא יתנקם ויבכה ויצעק ויתחנן לבוראו שיסבול שימחול לו על כל עונותיו שיחטא וגו׳ גם צריך לו לפרוש את עצמו מן הדברים המסופקין אם אסורין אם מותרין כדי שלא יתקרב אל האיסור כלל׳ *Si aſſuevit deliciis, & voluptatibus, & oblectationibus, & conviviis delicatis, minuat ea, & affligat ſemetipſum jejunio. Jejunium enim cor hominis conterit Deo, & reprimit concupiſcentiam. Ita quoque ſi protervia, & perfrictæ frontis ſe aſſuefecerit, verbiſque magnificis, & ſuperbis, aſſuefaciat ſe modeſtæ humilitati, & verbis lenibus, & faciat ſe velut ſcabellum inferius, quod omnes calcant. Si conſuevit homines percutere, ſeipſum aſſuefaciat, ut ſi alii eum percutiant, hoc patienter ferat, nec vindictam ſumat, ſed ploret, & clamet, & deprecetur creatorem ſuum ut ſuſtineat, & ignoſcat omnes iniquitates ſuas. Neceſſe eſt etiam ut abſtineat ſe ab omnibus rebus, de quibus dubium eſt, an prohibitæ ſint, vel licitæ, ut nullo modo accedat ad perpetrationem rei prohibitæ.* Hæc omnia, inquit, operæ pretium eſt ut amore, & timore Dei præſtet.

CAPUT XXI.

Rabbinorum omnium axioma eſt, opera vitam æternam promerentia ex ſolo Dei amore concipi; ideò ſolam Pœnitentiam hoc fine conceptam peccata remittere. Per ſolum amorem Deo adhæretur. Pœnitentia ex timore duplex, una inutilis, & quamobrem; altera utilis, & ad perfectam Pœnitentiam præparans, ſed nondum vitæ æternæ matura: Ita cenſent antiqui, recentioreſque Judæi. Pœnitentiæ ex amore conjunctus eſt timor, & reverentia majeſtatis Dei. Differentia inter פרס, *&* שכר. *Quatuor ſpecies Deo ſervientium pulchrè enarrantur: ſervire formidine pœnæ hominis eſt non quà homo, ſed quà animal; timore & reverentia majeſtatis ſervit quà homo. Sententia R. Abarbinelis, quæ videtur aliis contraria, examinatur.*

VErùm ut penitus aperiantur Pœnitentiæ ſecundùm eos natura, & internæ proprietates, paulo diffuſius explicandum eſt, qua ratione intelligant id, quod Albo, & alii dixerunt Pœnitentiam propter Dei dilectionem tantùm eſſe concipiendam. Eſt apud eos axioma celeberrimum, Omnes actiones

* *Morin. de Sacram. Pœnit.*

noſtras amoris divini cauſa eſſe faciendas: & præ cœteris Pœnitentiam aliter factam non valere: Hominem ut apud Deum mereatur, nec pœnæ timore, nec mercedis ſpe commoveri debere, ſed dilectionem Dei oportere eſſe illi unicum motivum, quo perſuaſus quæ in lege mandata ſunt, perficiat. Iſta tam perſpicuè enarrant, & demonſtrant, ut in eorum verbis nihil deſiderari poſſit. Moſes ille Cordubenſis nihil aliud quàm hoc agit toto capite ultimo tractatus jam allegati de Pœnitentia. Nonnulla tantùm referemus, ſed quæ propoſito demonſtrando ſufficiant. Sic incipit caput, אל יאמר אדם הריני עושה מצות התורה ועוסק בחכמתה כדי שאקבל כל הברכות הכתובות בה או כדי שאזכה לחיי העולם הבא ואפרוש מן העבירות שהזהירה תורה מהן כדי שאנצל מן הקללות הכתובות בתורה או כדי שלא אכרת מחיי העולם הבא אין ראוי לעבוד את השם על הדרך זה שהעובד על דרך זה הוא עובד מיראה ואינו מעלת הנביאים ולא מעלת החכמים ואין עובדים ה׳ על דרך זה אלא עמי הארץ והנשים והקטנים שמחנכין אותם לעבוד מיראה עד שתרבה דעתן ויעבדו מאהבה העובד מאהבה עוסק בתורה ובמצות והולך בנתיבות החכמה לא מפני דבר בעולם ולא מפני יראת הרעה ולא כדי לירש הטובה אלא עושה האמת מפני שהוא אמת· *Ne dicat homo, En facio præcepta legis, & benedictiones in ea ſcriptas, velut merear vitam futuri ſeculi; & abſtineo, meque ſeparo ab omnibus prævaricationibus, à quibus cavere lex admonet, ut liberer, & effugiam omnes maledictiones ſcriptas in lege; vel ut non excindar à vita futuri ſæculi. Non eſt æquum hac ratione Deo ſervire: Qui enim ſic Deo ſervit, illi propter pœnam ſervit. At hæc non eſt dignitas, & perfectio Prophetarum, & ſapientum: Non enim ſervierunt Deo hac ratione, ſed populi terræ, & mulieres, & parvuli, qui inſtruuntur propter timorem Deo ſervire, donec aucta eorum ſcientia propter amorem ſerviant. Qui Deo ex amore ſervit, legis, & mandatorum meditationi vacat, & ambulat in ſemitis ſapientiæ, non propter rem aliquam ſeculi, neque mali alicujus imminentis formidine, neque ut acquirat alicujus boni poſſeſſionem, ſed veritatem, juſtitiamque facit, quia veritas eſt, & juſtitia, &c.*

II. Deinde docet, Sapientes antiquos, Abrahamum præſertim, hunc ſolùm finem actionum ſuarum ſibi propoſuiſſe, eundem finem actionum humanarum Moſen docuiſſe, & præcepiſſe, antiquos ſapientes eandem doctrinam diſcipulis ſuis tradidiſſe, Juvenes in timore prius inſtituendos, paulatimque hoc perfectionis ſecretum ipſis aperiendum, & in ea actione exercitandos, tandemque concludit, דבר ידוע וברור שאין אהבת הקדוש ברוך הוא נקשרת בלבו של אדם עד שישגה בה תמיד כראוי ויעזוב כל מה שבעולם חוץ ממנה כמו שצוה ואמר בכל לבבך ובכל נפשך ואינו אוהב הקדוש ברוך הוא אלא בדעת שידעהו ועל הדעה תהיה האהבה· אם מעט מעט ואם הרבה הרבה לפיכך צריך האדם ליחד עצמו להבין ולהשכיל בחכמות ותבונות המודיעים לו את קונו כפי כח שיש באדם להבין ולהשיג· *Nota res eſt, & manifeſta, quòd dilectio Dei benedicti alligata non eſt cordi hominis, donec perpetuò ad eam proſpiciat, & attendat ut decet, & relinquat quidquid præter eam eſt in ſeculo, ut præcipit, cùm dicit, in toto corde tuo, & in tota anima tua. Neque quis Deum amat niſi ſecundùm cognitionem illius, qua imbutus eſt: Nam pro ratione cognitionis erit amor. Si pauca paucus; ſi multa multus. Ideò neceſſe eſt hominem intimè applicare ſeipſum ad intelligendam, & percipiendam ſapientiam, & ſcientiam eorum, qui ipſum pro virili, & quantum fas eſt homini animo comprehendere, inſtituunt in cognitione Creatoris, & redemptoris ſui.*

III. Moſes Tranenſis initio *capitis* 2. ſic deſcribit Pœnitentiam perfectam, אי זו היא תשובה גמורה זה שבא בידו דבר שעבר בו ואיפשר בידו לעשותו ופירש ולא עשה מפני התשובה לא מיראה ולא מכשלון כח· *Quæ eſt perfecta Pœnitentia? Cum Pœnitens in poteſtate habet iterùm rem, quam tranſgreſſus eſt: abſtinet tamen, nec tranſgreditur propter Pœnitentiam, quam agit, non timoris cauſa, aut virium defectu.*

IV. Author libri, Beth Midoth, explicans quæ ſit perfecta Pœnitentia, primùm ut præcedentes, eaſdem peccandi occaſiones, & circumſtantias ponit, quæ in priori peccato adfuerunt, & definit veram pœnitentiam eſſe, ſi tum à peccato abſtineat; Deinde ſic monet, בני השתדלו לעשות תשובה קודם ביאת פורענות והצר שאם שב האדם לבוראו אחר ביא׳ הצרות והפגעים הרעים איננה תשובה שלמה ושמא לא יקבל הבורא תשובתכם אע״פ שהוא ארך אפים ומלא רחמים אמנם התשובה השלימה היא כשאדם יודע בעצמו שחטא לבוראו ומתחרט חרטה גמורה על העבירות שעשה ויעזוב דרכי חטאיו ואל ישני עליהם ויבקש מחילה לפני בוראו ויטיב מפעליו קודם שיבואו אליו הצרות והפגעים רעים שכך אמרו חכמים תשובה ומעשים טובים כתרים בפני הפורענות *Filii diligentem operam date, ut faciatis Pœnitentiam, antequam veniant ultiones, & tribulationes. Nam ſi convertatur homo ad creatorem ſuum poſtquam advenerint, non eſt Pœnitentia iſta perfecta; & fortaſſe non acceptabit creator Pœnitentiam veſtram, licèt ſit ad iram tardus, & miſericordiarum plenus. Sanè Pœnitentia perfecta hæc eſt, cùm homo apud ſe cognoſcit ſe in creatorem peccaſſe, & reſipiſcit à tranſgreſſionibus ſuis reſipiſcentia perfecta, atque vias, conſuetudinemque peccatorum ſuorum deſerit, ea non iterat, ſed à creatore ſuo veniam petit, & opera ſua rectificat antequam in eum ſuperveniant afflictiones, & occurſus mali. Sic enim dixerunt ſapientes, Pœnitentia, & opera bona ſunt velut clypeus ante ultionem.* Et poſteà cùm docuiſſet multis quid concepta reſipiſcentia faciendum eſſet, finem explicat, quæ nobis ob oculos proponere debemus, וצריך לו למנוע עצמו מן העבירות מאהבת האל ומיראתו לא מיראת בני אדם ולא כדי שלא יבא בושה וכלמות בפני הבריות כי אם הכל מאהבת האל ומיראתו· *Neceſſe eſt, ei cohibere ſeipſum à prævaricationibus legis propter amorem Dei, & illius timorem, non propter timorem hominum, neve vituperetur, & pudore coram creaturis confundatur, ſed omnia ex amore, & timore Dei emanare debeat.*

V. Joſeph Albo preſſius, & rigidius, quod ad Pœnitentiam attinet, hoc axioma urget, ita ut nullius virtutis cenſeat eſſe Pœnitentiam, quæ amore Dei non agitur: ſic ille *libro* 4. *capit.* 26. non longè ab initio, אהבת הממון או הכבוד הוא מעכב את התשובה וזה שאף אם ישוב בתשובה אם התשובה היא בסבת תועלת ממון או בעבור הכבוד אינה תשובה וזה כי בשיקבל עליו שלא ישוב עוד לכסלה צריך שיהיה זה לאהבת השם יתב׳ בלבד לא לזולת זה בכלל ובן היה דוד אומ׳ שתשובתי ראויה להתקבל לפי שלא היה בה דבר מונע קבלתה שאמר חטאתי אודיעך ירמוז על הכרת החטא ועוני לא כסיתי ירמוז שלא התנצל על החטא בכלל ואמר אודה עלי פשעי ירמוז שהתשובה והודוי היתה לאהבת השי׳ בלבד ולא בעבור הממון והכבוד· *Amor pecuniæ, aut gloriæ Pœnitentiam impedit. Etiamſi quis cum Pœnitentia convertatur, ſi Pœnitentia illa propter lucrum, aut gloriam concipiatur, non eſt Pœnitentia: Hoc autem, quia cum pollicetur ſe non amplius ad ſtultitiam reverſurum neceſſe eſt, ut hoc fiat tantùm propter amorem Dei, nec omnino propter aliquid aliud præter hoc. Sic dicebat David quod Pœnitentia ſua digna erat, quæ acceptaretur, eo quod nihil erat in ea quod ipſius acceptationem cohiberet. Ideò dicebat, peccatum meum cognitum tibi feci: Dicendo, peccatum meum cognitum tibi feci, deſignabat peccati manifeſtationem. Et dicendo iniquitatem meam non abſcondi ſignificabat, quod nulla excuſatione, aut tergiverſatione peccatum ſuum defendebat, aut minuebat. Et quando dixit confitebor contra me iniquitatem meam, ſignificabat quod Pœnitentia ejus, & Confeſſio erant tantùm propter amorem Dei, non pecuniæ, & gloriæ cauſa.* Deinde multis demonſtrat, Pęnitentiam Saulis ideò non fuiſſe Deo acceptam, quòd ejuſmodi non fuerit; Davidis verò acceptiſſimam, quòd in Deum rectà collimaverit. Tandemque quæſtione ſoluta, quare Davidi propter adulterium regnum non eſt ablatum, ut Sauli quod Samueli Prophetæ non obtemperaſſet, explicat ſingula verba Pœnitentiæ Davidicæ, quæ habentur potiſſimum initio *Pſalmi* 50. Dixit, inquit, tibi ſoli peccavi, ut ſignificaret, שלא היתה תשובתו מפני הכבוד או הגאות ממון או פחד בני אדם שלא יענישוהו אלא מפני אהבת השם יתב׳· *Quod pœnitentia ſua concepta non fuerat propter gloriam, aut pecuniæ commoditates, aut hominum timorem, ne ſcilicet pęna ab iis afficeretur, ſed propter Dei amorem.*

VI. Initio capitis Præcedentis Pœnitentiæ actionem omnibus legis mandatis prætulerat, eo quòd finis legis eſſet Dei amor, quem Pœnitentia continet. Hoc probat ex Paraſcha אתם נצבים, quæ incipit *Deuter.* 29. *verſicul.* 10. quam, ait, de Pœnitentia potiſſimum eſſe intelligendam, בפרשת נצבים היטב מצאנו שמה שאמר הכתוב ראה נתתי לפניך וגו׳ אשר אנכי מצוך היום לאהבה את ה׳ אלהיך לשמוע בקולו ולדבקה בו וגו׳ מדבר על התשובה לפי המשך הפרשה וקשורה וזה שבתחלה אומר ושבת עד יהוה אלהיך ושמעת בקולו תמר הענין בתשובה ואמר שצריך שתהיה בלבב שלם ושהשם יעזרהו אם תהיה כן וזהו שאמר בסוף כי תשוב אל ה׳ אלהיך בכל לבבך ובכל נפשך· *In Paraſcha Nitſabim, Deut. 29. verſ. 10. perſpicuè deprehendimus hoc, quod dicit Scriptura, Deut. 30. verſ. 15. Conſidera, quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo, &c. Quod hodie præcipio tibi, ut diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, & illi adhæreas, &c. Dictum eſſe de Pęnitentia juxta conſequentiam, & conſtructionem rerum, & verborum Paraſchæ. Hoc enim eſt, quod initio dixerat, Et reverteris*

ad

ad Dominum Deum tuum, & audies vocem ejus, &c. Cap. 30. verſ. 2. Pergens autem ſermonem concludit in Pœnitentia, dicendo neceſſe eſſe, ut fiat à Pœnitente cum corde perfecto, illumque Deus adjuvet. Quòd ſi ita factum fuerit, tum complebitur quod versùs finem dicitur, quoniam reverteris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, &c. Poſthæc ex verbis, quæ eodem capite ſequuntur, Mandatum hoc quod ego tibi præcipio hodie, non ſuprà te eſt, neque procul poſitum, &c. Demonſtrat, Pœnitentiæ præceptum adimpletu eſſe facillimum, idque præclara ſimilitudine illuſtrat, tandemque ſententiam ſuam confirmat poſtremis ejuſdem Paraſchæ verbis, Eligo ergo vitam, ut & tu vivas, & ſemen tuum; diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, & illi adhæreas: Ipſe enim vita tua, & longitudo dierum tuorum, ut habites in terra, &c. Ex quibus ſic colligit, על ידי האהבה הזאת ישג הדבקות ב״ש והחיים הנצחיי והצלחות הנפשיות וכל זה כשהתשובה היא מאהבה אבל כשהתשוב היא מיראה אף על פי שיקובל עליה שכר מכל מקום איננה תשובה גמורה שיקובל עליה השכר הגדול הזה׃ Per amorem illum attingitur, & comparatur adhæſio illa cum Deo, vitaque æterna, & ſpiritualis felicitas. Totum autem hoc cum Pœnitentia illa ab amore procedit. Verùm cùm à timore, licèt recipiatur propter eam merces, nihilominus Pœnitentia illa perfecta non eſt, neque digna, propter quam merces illa magna retribuatur.

VII. Operæ pretium mihi videtur his adtexere Φιλοσόφημα iſtius Rabbini non contemnendum, quòd pœnitentiæ ſalutaris objectum timoris diſtinctione luculentius explicat, & duplicem inde Pœnitentiam à timore ortam conſtituit, unam prorſus inutilem, alteram utilem, ſed nondum præmio æterno maturam. Illum hæc ediſſerentem audiamus. Poſtremis verbis contrarium viſus eſt docere iis, quæ ſuprà ex ipſo, atque ex aliis Rabbinis retulimus. Mercedem enim aliquam Pœnitentiæ ex timore pœnarum conceptæ his tribuit, quam tamen dixerat nihil omninò prodeſſe. Paulò poſt verba citata hoc ἐναντιοφανὲς ſic conciliat, השב מיראת עונש אין ראוי שתועיל תשובתו כלום שהפועל שעליו ישובת האדם או יגונה או שעליו ראוי לקבל שכר או עונש הוא הפועל הבחיריי שלא יתערב בו צד עונש כלל והשב מיראה אין זה פעל בחיריי גמור ולמה יקובל עליו שכר כלל ותשובת דבר זה הוא שהשב מיראה הוא על שני פנים יש שב מיראת העונש המוטל עליו כעבד שהוא מתחנן לפני אדניו בעוד שמלקה אותו וכשיקל האדון מעליו שבט אפו ישוב למרוד בו באשר בתחלה כמו שהיה הענין בפרעה שבהיות המכה עליו היה אומר ה׳ הצדיק וגו׳ וכשהיתה הרווחה חזר להכביד את לבו כבתחילה בלי ספק היה מורה שהתשובה הראשונה היתה על צד ההכרח מאימת מות נפלו עליו וגו׳ ושלא היה פועל בחיריי ועל כן אין ראוי שתחשב לו לתשובה כלל ויש מי שהוא שב מפני פחד השם ועונשיו ואף בשעת הרווחה פחד אלהים לנגד עיניו והוא ירא וחרד מאימת ייסוריו בהיותו מאמין שכל הדברים באים מהש״י על צד הגמול והעונש ולא ייחס הדברים אל הטבע והמקרה׃ Non eſt æquum, ut ullo modo proſit Pœnitentia ei, qui formidine pœnæ pœnitet, quoniam opus, propter quod homo laudatur, aut vituperatur, aut cujus cauſa æquum eſt eum accipere mercedem, aut pœnam opus eſt electivum, & liberum, cui nullomodo ſit permixta ratio pœnæ infligendæ. Qui autem propter timorem pœnitet, non eſt opus hoc electionis ullo modo. Ut quid igitur mercede aliqua remuneraretur? Huic rei ſic reſpondetur: Duobus modis, ſive rationibus quis præ formidine pœnitere dicitur. Eſt qui pœnitet præ timore pœnæ impendentis ſuper eum, veluti ſervus, qui dum flagellatur, veniam, & gratiam à Domino deprecatur; ſed cùm diminuit, & avertit ab eo virgam iræ ſuæ ad rebellionem, ut antea redit, ut factum eſt in cauſa Pharaonis, qui cum percuteretur dicebat Dominus eſt juſtus, &c. Sed cùm paululùm reſpiraſſet, iterùm ut initio cor ſuum aggravabat. Hoc autem procul dubio docet priorem Pœnitentiam ab invito, ut terrores mortis incidant in eum, non ab electione expreſſam eſſe: Ideò nullomodo decebat, ut in pœnitentiam illi imputaretur. Eſt inſuper qui pœnitet timore Dei, & pœnarum ejus, quique cùm à pœnæ inflictione reſpirat, timorem Dei ob oculos conſervat. Ille timet, & contremiſcit formidine adductus caſtigationum ejus, credens hæc omnia à Deo procedere ratione mercedis, vel mulctæ operibus debitæ, non autem hæc tribuit naturæ, vel fortunæ.

VIII. Inutilitatem prioris Pœnitentiæ duobus exemplis demonſtrat Pharaonis, & Sihon Regis Amorrhæorum, quorum occaſione non malè explicat, qua ratione dicitur Deus cor indurare, tandemque ſic colligit, ועל כן חשב מיראה על דרך סיחון ופרעה איננה תשובה כלל אבל השב מיראה לפי שהוא מאמין בהשגחה ועל כן הוא ירא וחרד אל דבר ה׳ ולא יבקש עלות וצדדין לתלות בהן משפטי האל הישרים אבל הוא מכיר שכל הבא על אדם הוא דרך השגחה ועונש מעשיו הרעים הנה זהוא תשב מיראה שראוי לקבל שכר׃ Ideò qui pœnitet præ formidine quemadmodum Sihon, & Pharao, nulla eſt omninò iſtiuſmodi pœnitentia. Sed qui pœnitet timore concepto ex fide providentiæ divinæ, & ideò formidat, & contremiſcit ad verba Domini, nec quærit rationes, & occaſiones fortuitas, à quibus judicia Dei recta pendere, & emanare credat, verùm agnoſcit omnia, quæ homini contingunt, à Dei eſſe providentia malis operibus mulctam retribui, juſtum eſt, ejuſmodi Pœnitentem Pœnitentiæ iſtius mercedem recipere. Pœnitentia hoc timore concepta mercedem aliquam ex ipſius ſententia meretur, ſed nondum æternam: Hac pœnitentia, ut ex Rabbino Talmudico demonſtrat, וזדונות נעשו לו כשגגות׃ Superbiæ peccata fiunt ſic Pœnitenti veluti erroris peccata, hoc eſt, æquè facilè deleri poſſunt, ac ſi per errorem fuiſſent commiſſa. Pœnitentia verò propter amorem Dei concepta וזדונות נעשו לו כזכיות׃ Peccata ſuperbiæ fiunt Pœnitenti ſicut merita, hoc eſt, per ejuſmodi pœnitentiam perfectè delentur peccata, vitamque æternam Pœnitens meretur. Multis tandem ſubtiliter enarratis, ut demonſtret, Pœnitentiam ab amore Dei conceptam altera longè præſtantiorem eſſe, gradumque altiorem promereri, docet, hanc imperfectiorem à Deo adjuvari, & perfici, מכל מקום אילו שלא תהיה התשובה בתחלה מאהבה כמו שראוי אלא מיראת העונש הבטיח השם ית׳ שהוא יעזור אל השב מיראה בתחלה שישוב אחר כך בתשובה שלמה לפניו שהיא התשובה מאהבה׃ Nihilominus licèt Pœnitentia illa non ſit initio ab amore, ut oportebat, ſed à timore pœnarum emanata, confidentiam dat Deus, & pollicetur, ſe auxilia laturum ab initio propter timorem pœnitenti, ut poſteà convertatur ad eum cum pœnitentia perfecta, quæ eſt Pœnitentia ab amore procedens. Hæc videtur à tractatu Talmudico Sotah deſumpſiſſe cap. 3. fol. 22. לעולם יעסוק אדם בתורה ובמצות אפילו שלא לשמה שמתוך שלא לשמה בא לשמה׃ Perpetuò legis ſtudio debet homo incumbere, atque etiam præceptis faciendis, licèt id non faciat propter eam. Nam interim dum non incumbit propter eam, eò tandem perveniet. Sæpè enim contingit, cultum Deo imperfectè exhibentes ita divinitus adjuvari, ut tandem perfectionis culmen attingant. Idem axioma, ut apud eos vulgare iterum refertur tract. Talmudico Aracin cap. 3. fol. 16. pag. 2.

IX. Liber Muſar circa medium tractatus ſecundi, qui eſt de Pœnitentia in capitibus generalibus ſecundo, & tertio ad Pœnitentiæ actionem ſpectantibus, quorum primum ſuprà cum omnibus articulis ſuis retulimus, plurima in eandem ſententiam refert velut ab omnibus Judæis confeſſa. Primum caput ſpeciale de Pœnitentia benè agenda ſub ſecundo genere contentum; שיעזוב כל מה ששנא השם וידבק בכל מצותיו שאהב שנ׳ שנאו רע ואהבו טוב וגו׳ הפרט הג׳ שיעזוב העירה מפני התשובה ומפני יראת השם שנ׳ סמר מפחדך בשרי וממשפטיך יראתי ואומר יראה ורעד יבא בי ותכסני פלצות הפרט הד׳ שיעזוב העבירות מפני שהוא מתבושש מן הקב״ה ולא מבשר ודם אלא תהיה תשובתו לשם שמים׃ Ut relinquat quidquid Deus odit, & adhæreat omnibus mandatis ejus, quæ amet, ut dicitur Amos cap. 5. 15. Odio habeto malum, & diligite bonum, &c. Caput tertium, ut relinquat iniquitatem propter pœnitentiam, & timorem Dei, ut dicitur Pſal. 119. 120. Horruit propter timorem tui caro mea, & à judiciis tuis timui: & Pſal. 55. 6. Timor, & tremor venit ſuper me, & operuit me terror. Quartum, ut derelinquat peccata, quia propter Deum benedictum pudet ipſum ea perpetrare, & non propter carnem, & ſanguinem, ſed fiat Pœnitentia ejus propter Deum cœlorum. Multa ſequuntur, quæ eodem referri poſſunt.

X. Hæc ab antiquiſſimis Judæis acceperant: Ita cap. 1. Pirke Aboth Antigonum Simeonis juſti ſucceſſorem pronuntiaſſe ferunt, אל תהיו כעבדים המשמשים את הרב על מנת לקבל פרס אלא היו כעבדים המשמשין את הרב שלא על מנת לקבל פרס ויהא מורא שמים עליכם Ne ſitis ſimiles ſervis, qui Domino ſuo ſerviunt, ut mercedem accipiant; ſed eſtote ſicut ſervi, qui Domino ſuo ſerviunt nulla cum conditione mercedis accipiendæ, & ſit timor cœlorum ſuper vos. Ut ſit igitur timor cœlorum ſuper nos, pœnitendum propter Dei offenſam, virtutiſque amore, non formidine pœnæ. Obadias à Bartenora commentario in hunc locum primùm notat dictionem פרס, mercedem ſignificare gratuitò non ex juſtitia datam, ut שכר, atque, inquit, ne quidem propter ejuſmodi mercedem debet quis Deo ſervire אלא מאהבה כלבד׳ ſed propter ſolùm amorem. Deinde explicans ſequentia verba, & erit timor cœlorum ſuper vos, ſic ſcribit, אף על פי שאתה עובד מאהבה עבוד גם כן מיראה שהעובד מאהבה זריז במצות עשה והעובד מיראה נזהר ממצות לא תעשה ונמצאת עבודתו שלימה׃ Licèt Deum colas ex amore, cole etiam eum ex timore. Quoniam qui colit eum ex amore promptus eſt, & alacris ad faciendum præcepta affirmantia: Qui verò

timo-

timore, à præceptis negantibus admonetur, ut ea caveat, ſicque cultus ipſius, & ſervitus perficitur.

XI. Moſes Ben Maimon commentario in hunc locum eadem notat de voce פרס, & eodem ſenſu actionum legitimarum finem interpretatur; deinde ut hæc clarius explicet, ita ſcribit, רצה בזה שיהיו עובדים מאהבה כמו שאמר בפרק עשירי מסנהדרין ועם כל זה לא פטרן מן היראה ואמר עם היותם עובדים מן אהבה לא תניחו היראה לגמרי ויהי מורא שמים עליכם כי כבר בא בתורה המצוה ביראה והוא אמרו את ה' אלהיך תירא ואמרו החכמים עבוד מאהבה עבוד מיראה ואמרו האוהב לא ישכח דבר ממה שצוה לעשותו והירא לא יעשה דבר ממה שהוזהר מעשיתו כי ליראה מבוא גדול במצוה לא תעשה וכל שכן במצוה השמעית *His verbis monere vult, ut ſerviaut Deo ex amore, ut dicitur cap. 10. tractatus Sanhedrim. Neque etiam ſic facientes à timore liberantur. Dicit enim, licèt propter amorem ſerviatis, timorem tamen non omninò deponite, ſitque timor cælorum ſuper vos: Nam jam in lege datum eſt præceptum de timore, Dominum Deum tuum timebis. Dixerunt autem ſapientes: Cole Deum ex amore; cole etiam illum ex timore. Qui amat non obliviſcitur verbi, quod præcepit, ut fieret; Qui verò timet, non faciet verbum, de quo monitus eſt, ne faciat: Nam timori patens eſt aditus ad præcepta negantia, multò magis ad affirmantia.* Iſtius ſententiæ Antigoni occaſione hiſtoriam refert Maimonides, quæ hujus loci eſt propria. Scribit Antigono duos fuiſſe diſcipulos Saducum, & Baithuſæum, qui ſententiam Magiſtri ſui audientes ſibi perſuaſerunt, nullam eſſe vitæ æternæ ſpem, nec Deum mala opera punire, aut bona compenſare; ideò à Magiſtro, aliiſque Doctoribus ſeſe diviſerunt, duaſque ſectas conſtituerunt, quas antiqui dixerunt Saducæorum, & Baithuſæorum, nos verò, inquit, in Ægypto Karaitas vocamus. Il i quia legem, ne multitudo in eos irrueret, abrogare auſi non ſunt, traditiones, & Cabbalam contempſerunt, ut illius contemptu legem pro arbitrio interpretarentur, & legis prætextu protecti à legis jugo liberarentur.

XII. Liber inſcriptus מילי לאבות Verba Patrum, compoſitus Ulyſſipone in Luſitania à R. Joſeph Chajon anno mundi 5230. ſecundum Judæos, Chriſti 1470. & excuſus Conſtantinopoli minuto charactere, & parum expreſſo anno 1574. qui eſt commentarius ſatis amplus in tractatum Talmudicum de ſententiis Patrum, Antigoni verba perpendens quadruplicem hominum finem, ſive motivum in Deo colendo diſtinguit, & uniuſcujuſque virtutem, & meritum enarrat, quòd Rabbini non indocti φιλοσόφημα relatione dignum mihi videtur, העובדים השם נחלקים לארבעה פנים הא' והוא הגרוע מכולם מי שיעבדנו לתכלית השכר שיקבל ממנו ועבודה בזו אין ראוי להתהלל בה בעליה כי יעשנה לתכלית התגמול ההוא ותהיה עבודתו חליפי השכר ההוא כמו שלא התהלל מי שמחליף כלי אחר בכלי אחר והב' והוא גדול ממנו מי שיעבדנו מפני יראתו שירא ממנו פן יענישהו כאשר לא יעבדהו מולה שיקוה לקבל ממנו הגמול או יתרון ועבודה זו איננה חליפין והנו מודה על יכולת הנעבד שיש לו יכולת לענשו אם לא יעבדנו אבל אין עבודתו זו שלימה כי איננה לאדם במה שהוא אדם אלא במה שהוא בעל חי כי גם הבעל חי יעשה הדבר מיראה שעליו והנם שוים בזה א' שוט לסוס ומתג' לחמור ושבט לגו חסר לב וו שבט זו ההשואה ותג' והוא גדול משניהם העובד אותו מיראת מעלתו ירצה כשיראה מעלתו ורוממותו יירא ויפחד ויאחזנו רעדה לא מפחד העונש אלא כמו שיקרה לבן כפר הנכנס בהיכל המלך ויראה את יקר גדולתו יאחזנו רתת ורעדה זו היא לאדם במה שהוא אדם וזהו המין מהיראה ששבחיה הכתובים בכמה מקומות וזה א' ליראה את ה' הנכבד והנורא הזה וכו' ר"ל לירא מפניו בשערו האל כבודו ומעלתו והד' והוא הגדולה מכול שעובד אותו מאהבתו לא בבחינה אחרת ולמעלה זו הגיע אברהם ע"ה וזה א' זרע אברהם אוהבי *Qui Deo ſerviunt, quatuor modis diſtinguuntur. Primus omnium minimus, cùm quis ei ſervit propter mercedem, quam quis ab eo eſt recepturus. Ejuſmodi ſervitus digna non eſt, propter quam laudentur, qui ea defunguntur, quia id propter talem mercedem faciunt, & eſt ſervitus ejus, vice iſtius mercedis, & cum ea permutata, veluti non laudaretur, qui permutaret vas unum pro alio. Secundus eſt primo major, & excellentior. Cùm quis ſervit ei timore ipſius adductus, eo quòd timet, ne eum puniat, ſicut non ſerviret ei niſi ſperaret mercedem, aut commodum ab eo ſe recepturum. Servitus illa non eſt permutatoria: fatetur enim potentiam ejus, cui ſervitur, & quòd ſit ei facultas ipſum puniendi, niſi ei ſerviat. Sed ſervitus illa non eſt perfecta, eo quòd non ſit hominis in quantum homo, ſed in quantum animal; Animalia enim timore incuſſo ſerviunt dominis, Et iſti ſunt pares. Et hoc dicitur, Prov. 26. 3. Flagellum equo, frænum aſino, & virga corpori puſillanimi. Conjunctio, Et, addita Virgæ eſt comparativa. Tertius eſt duobus præcedentibus excellentior, Deo ſerviens propter timorem, & reverentiam excellentiæ, & magnificentiæ ejus oblectatur cum videt magnificentiam, & ſublimitatem ipſius, timet quoque, & contremiſcit, apprehenditque eum tremor non formidine pœnæ, ſed ſicut contigit ruſtico palatium regis ingredienti, & videnti majeſtatice ejus pretioſa ornamenta, apprehendit eum pavor, & tremor. Timor autem iſte illi contigit in quantum homo, & timoris ſpecies quem aliquot in locis ſcriptura laudat, & hoc dicitur Deuteronom. 28. 58. ad timendum Deum glorioſum, & terribilem iſtum, &c. Id eſt ad timendum propter ipſum conſiderando gloriam ejus, & excellentiam. Quartus omnium maximus, cùm quis Deo ſervit propter ipſius amorem, non alia conſideratione, aut examine. Hanc excellentiam attigit Abraham pater noſter, ſuper quem pax: Et hoc eſt, quod dicitur, Semen Abrahæ amantis me.* Poſteà hanc diſtinctionem quadruplicem ſic verbis Antigoni applicat; Eum negare Deo eſſe ſerviendum propter mercedem primo modo, ſed quarto: dicere inſuper, שאם עבודתו מיראה תהיה היראת יראת המעלה לא יראת העונש וזה א' ויהי מורא שמים עליכם *Quòd ſi ſerviatur Deo propter timorem, oportere timorem eſſe, & reverentiam Excellentiæ divinæ, non timorem pœnæ, & hoc Antigonum intelligere, cùm addit, & ſit timor cælorum ſuper vos.*

XIII. Iterum alio modo paulùm diverſo idem explicat, præcipere ſcilicet Antigonum utroque modo Deum eſſe colendum, & amore, & timore, ſed timore ſecundæ, & perfectioris claſſis, quem dicit ab amore Dei ſeparari non poſſe, ideò Antigonum addere, & erit timor cælorum ſuper vos, או יצום גם כן באמרו ויהי מורא שמים עליכם על החלק הב' מהיראה וזה כי שניהל ר"ל האהבה והיראה הכרחיים לעובד האהבה לעשות מה שצוה והיראה להמנע מהעשות מה שצוה שלא יעשה עד שהאהב' תהי' לקיום מצות עשה והיראה להמנע ממצות לא תעשה *Vel etiam*, inquit, *præcepit eis, cum dicit, Et erit timor cælorum ſuper vos, ſecundam timoris ſpeciem, eo quòd ambo, amor ſcilicet, & timor ille, neceſſarii ſunt ſervienti: Amor ad faciendum id, quod præcepit Deus, & timor ad impediendum ne fiat id quod præcepit, ne fieret, adeò ut amor ſit ad confirmandum præcepta affirmantia, & timor ad cohibendum hominem à negantibus.* Hoc probat duobus teſtimoniis, uno ſcripturæ, altero Patrum, ולכן צונו ית' בתורתו על שתיהן במקומות אם מה ה' אלהיך שואל מעמך כי אם ליראה את ה' אלהיך ולאהבה אתו וזהו מאמר החכם כאשר כתבו ז"ל האוהב לא ישכח דבר ממצוה שצוה לעשותו והירא לא יעשה דבר ממה שהוזהר מעשותו *Et ideò præcepit nobis Benedictus in lege ſua quibuſdam in locis, de his duobus dicens Deut. 10. 12. Quid Dominus Deus tuus à te petit, niſi ut timeas Dominum Deum tuum, & eum diligas. Et ſermo iſte ſapiens eſt, ſicut ſcripſerunt Patres noſtri bonæ memoriæ, Qui amat nihil mutabit de præcepto quod adimplere jubetur. Qui verò timet, nihil faciet contra id, quod ne faciat admonetur.* Timorem autem illum primum, licèt prima ſervitutis claſſe potiorem exiſtimet, atque ideò prohibitum non cenſeat, nullo tamen quod ad verum Dei cultum attinet, in pretio habet, utpotè ex ejus ſententia non hominis, ſed animalis proprium.

XIV. R. tamen Don Iſaac Abarbinel, commentario in Pirke Aboth, licèt fateatur Maimonidi omnes interpretes aſſentiri, aliter Antigoni, & aliquot antiquorum Talmudicorum ſententiam interpretatur. Abſurdum enim cenſet, hominem moneri, ne mercedis ſpe Deo ſerviat; idque probat multis ſcripturæ teſtimoniis, quæ ſic agere, & ſervire Deo diſertiſſimè jubent: Deinde à natura multorum legis præceptorum, quæ hunc finem ſibi eſſe propoſitum deſiderare videntur. Præterea urget, ſublato hoc fine hominis animum ad benè agendum non moveri, & ſtimulari. Denique hanc ſententiam videri ſibi à dictatis Ariſtotelis, & Philoſophorum petitam, qui providentiam Dei de futuro ſeculo, vitamque æternam non agnoverunt. Illi virtutis, & actionum mortalium finem legitimum docuerunt eſſe virtutem ipſam, & actiones ipſas fortiter peregiſſe, & toleraſſe. Contra hunc finem enim potiſſimùm diſputat Abarbinel, quem Judæorum multi velut unicum conſtituere videntur. Deinde Talmudicorum, & antiquorum Rabbinorum ſententias duobus modis interpretatur. Priore, ut intelligantur de mercede corporali non ſpiritali, ita ut negent tantùm attendendam eſſe mercedem corpoream: Poſteriore, ut intelligantur de populo Judaico, qui propter ingentia beneficia, quæ à Deo accepit, & Patres ſuos à ſervitute Ægyptiaca liberatos, eſt veluti ſervus à Deo emptus, & in ejus familia natus. Itaque duobus titulis Deo tenetur gratis ſervire; titulo gratitudinis, & titulo ſervitutis, qua quidquid agit ſervus, Domino acquirit, nec ad ullam mercedem laboris ergo retribuendam tenetur Dominus. Hæc multis ediſſerit loco notato Abarbinel, quem lector conſulere poteſt: Iſta enim quæſtio, cùm non ſit Pœnitentiæ propria, non eſt hujus loci. Deinde mihi videtur Abarbinel cum ſodalibus non admodum difficilè conciliari poſſe, ſed parum noſtra refert, ſi inter ſe diſſenſerint. Potiſſimum tamen mihi videtur conſideranda ſecunda interpretatio, quæ de noſtra per

Chri-

Chriſtum redemptione infinitis modis efficacius proponi, & ediſſeri poteſt. Quod autem Moſes, & Bartenora dictione פרס adnotarunt, nonnullis teſtimoniis falſum eſſe demonſtrat, & שכר à פרס non aliter differre, quàm quod hæc dictio ſit Babylonica, illa verò Hebræa.

XV. Idem ratione mercedis ſenſus eſt R. Joſeph Chajon jam commemorati: Mercedem enim temporalem intelligit ab Antigono prohibitam, non æternam; mercedem hujus ſeculi, non futuri: & ideò non dixiſſe, שכר ſed פרס Verùm aliam à Moſe, & Bartenora rationem grammaticam affert, פרס׳ Peras ſcilicet ſignificationis eſſe ᵈ׳ פרוסה: fragmenti, portionis, partis, atque ideò ſignificare mercedem exilem, & parum conſiderandam, qualis eſt ſervorum, qui Dominis in hoc ſeculo ſerviunt. Hinc monet, inquit, Antigonus diſcipulos ſuos, ne hujus mercedis intuitu Deo ſerviant, ſed æternam, & incorruptibilem mercedem in futuro ſeculo ſibi retribuendam, ob oculos proponant, quæ eſt amabilis ſervitutis Deo præſtitæ finis, & præmium: In cujus rei argumentum refert hoc antiquorum dictum, שכר מצות בהאי עלמא ליכא ירצה כי לא ידבק עליו שום שכר אלא פרס׳ *Merces præceptorum in hoc mundo ne placeat, quia non eſt ei conjuncta ulla merces, ſed Peras*. Mercedem hujus ſeculi hoc nomine indignam cenſent. Idem ſenſiſſe ait Moſem Cordubenſem. Sed de his ſatis ſuperque.

CAPUT XXII.

Variæ laudes, & effectus Pœnitentiæ ex Talmudicis Doctoribus, Capitalis R. Eliezeris, & aliis libris antiquis referuntur. Regi Achab interdiù in Pœnitentiam ter quadraginta plagæ infligebantur. Differentia inter, מכשול & עון Pœnitentia priſtinæ dignitati conjugali hominem cum Deo reſtituit. Decretum mortis à Deo ſancitum expungit. Cùm moriturus eſt aliquis, ad Confeſſionem urgetur. Unus teſtis Pœnitentiæ prævalet 999. contra peccatorem teſtantibus. Unus homo Pœnitentia ſua liberat civitatem. Pœnitentia mundi fundamentum: ante mundum creata, & quamobrem.

TAlmudicorum in laudanda Pœnitentia, & fructibus ejus enarrandis æmulatione quadam certantium ſermones, & veluti ſymbola huc referemus, ut lectori non ancipiti ſententia conſtet, quid uno conſenſu de virtute Pœnitentiæ Judæi doceant. Sic Talmud inducit eos de hac re ſermocinantes *tract.* Joma *cap.8. verſus finem.* Hæc omnia propè *c.2.* libri Muſar in laudem Pœnitentiæ referuntur, & nonnulla Joſeph Albo locis citatis. Ut & liber *Initium Sapientiæ* inſcriptus *cap.2. tract.* de Pœnitentia poſt medium, qui hæc more ſuo variis illuſtrat ex zohar petitis teſtimoniis, idemque faciunt nonnulli alii à nobis lecti, אמר ר' חמא בר חנינא גדולה תשובה שמביאה רפאות לעולם שנאמר ארפא משובתם אוהבם נדבה ר' חמא בר חנינא רמי כתיב שובו בנים שובבים דמעיקרא שובבים אתם וכתיב ארפא משובותיכם לא קשיא כאן מאהבה כאן מיראה רבי יהודה רמי כתיב שובו בנים שובבים וכתיב ארפא משובותיכם וכתיב הנה בעלתי בכם ולקחתי אתכם אחד מעיר ושנים ממשפחה לא קשיא כאן מאהבה או מיראה כאן על ידי ייסורין אמר ר' לוי גדולה תשובה שמגעת עד כסא הכבוד שנא' שובה ישראל עד ה' אלהיך אמר רבי יוחנן גדולה תשובה שדוחה את לא תעשה שבתורה שנ' לאמר הן ישלח איש את אשתו והלכה מאתו והיתה לאיש אחר הישוב אליה עוד הלא חנוף תחנף הארץ ההיא ואת זנית רעים רבים ושוב אלי נאם ה' אמר ר' יונתן גדולה תשובה שמקרבת את הגאולה שנאמר ובא לציון גואל ולשבי פשע ביעקב מה טעם ובא לציון גואל משום דשבי פשע ביעקב אמר ריש לקיש גדולה תשובה שזדונות נעשות לו כשגגות שנ' שובה ישראל עד ה' אלהיך כי כשלת בעונך הא עון מזיד הוא וקא קרי ליה מכשול איני והאמר ריש לקיש גדולה תשובה שזדונות נעשות לו כזכיות שנ' ובשוב רשע מרשעתו ועשה משפט וצדקה עליהם הוא יחיה לא קשיא כאן מאהבה כאן מיראה אמר רב שמואל בר נחמני אמר רבי יונתן גדולה תשובה שמארכת שנותיו של אדם שנ' ובשוב רשע מרשעתו חיה יחיה וכו' תניא היה רבי מאיר אומ' גדולה תשובה שבשביל יחיד שעשה תשובה מוחלין לכל העולם כלו שנ' ארפא משובתם אוהבם נדבה כי שב אפי ממנו מהם לא נאמר אלא ממנו היכי דמי בעל תשובה *Dixit R. Chama filius Chanina, magna eſt Pœnitentia, quia remedia, & curationes mundo ſuppeditat, ut dicitur, Oſeæ 14.5. Sanabo averſionem eorum, diligam eos ſpontaneè. R. Chama filius Chanina objecit quod ſcriptum eſt, Jeremiæ 3.22 Convertimini filii rebelles: id eſt, qui à principio, & infantia rebelles eſtis. Scribitur quoque ibidem, & ſanabo averſiones veſtras: Nihil obeſt, iſta non ſunt contraria: Hic de amore loquitur, illic de timore. R. Juda objecit quod ſcriptum eſt, Convertimini filii rebelles: ſcriptum eſt quoque, & ſanabo averſiones veſtras. Scriptum inſuper, En dominatus ſum vobis, & accepi unum de civitate, & duos de familia Jerem.3.14. Nihil obeſt; iſta non ſunt contraria. Hic enim loquitur de amore, & timore, illic verò de flagellis, & correctionibus. Dixit R. Levi, Magna eſt Pœnitentia, quia pertingit uſque ad ſolium gloriæ, ut dicitur Oſeæ 14.2. Convertere Iſrael uſque ad Dominum Deum tuum. Dixit R. Jochanan, Magna eſt pœnitentia, quia expellit præcepta negativa legis, ut dicitur Jerem. 3.1. vulgò dicitur, Si dimiſerit vir uxorem ſuam, & recedat de terra illius, nupſeritque viro alteri, numquid revertetur ad eam ultra? Numquid contaminata eſt terra illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me dicit Dominus. Dixit R. Jochanan, Magna eſt pœnitentia quia redemptionem accelerat, ut dicitur, Iſaiæ 59.20. Et veniet ad Sion Redemptor, & ad eos, qui convertuntur ab iniquitate in Jacob. Quis eſt verborum iſtorum ſenſus? Et venit ad Sion Redemptor. Ex eo quòd ſequitur, illum collige: convertuntur, ſive pœnitent ab iniquitate in Jacob. Dixit Reſch LaKis, Magna eſt pœnitentia, quia peccata ſuperbiæ, & contumaciæ per eam fiunt pœnitenti velut per errorem commiſſa, ut dicitur, Convertere Iſrael uſque ad Dominum Deum tuum, quia impegiſti in iniquitate tua. En de iniquitate ſuperbiæ loquitur, attamen eam vocat, מכשול offendiculum. Itane! At dixit Reſch LaKis, Magna eſt pœnitentia, quia peccata ſuperbiæ per eam fiunt pœnitenti velut merita, ſicut dictum eſt Ezechielis 18.27. cùm converterit ſe impius ab iniquitate ſua, & fecerit judicium, & juſtitiam propter iſta vivet; Nihil obeſt; iſta non ſunt contraria: Hic enim loquitur de amore, illic verò de timore. Dixit R. Samuel filius Nachamonæi, dixit R. Jonathan, Magna eſt pœnitentia, quæ annos, vitamque hominis producit, ut dicitur ibidem, cùm converterit ſe impius ab iniquitate ſua, & fecerit judicium, & juſtitiam propter, iſta vivet, &c. Traditio eſt, ſive traditur in quadam Barajeta quod R. Meir dicebat, Magna eſt pœnitentia, quia propter unum, qui pœnitentiam egit, parcitur univerſo mundo, ut dicitur, Oſeæ 14.5. Sanabo averſionem eorum diligam eos ſpontaneè, quia averſus eſt furor meus ab eo. Non dixit ab eis, ſed ab eo, ut de Pœnitente* uno, *intelligatur*.

II. In Rabbinorum iſtorum rationibus acumen eſt, & alluſio Hebraicè, quæ Latinè exprimi non poteſt, niſi pro Pœnitentia ſubſtituatur converſio, vel pro verbo convertendi, & revertendi verbum pœnitendi. Hebræis enim, Syris, & Chaldæis, atque Rabbinis Pœnitentia dicitur, תשובה׳ converſio, reverſio, & pœnitere converti. Timor autem ille, cujus ope teſtimonia illa conciliant, quæ velut oppoſita citarunt, eſt utilis ad ſalutem, & timoris ſecunda ſpecies, de quo ante ex Albone philoſopho Judæo locuti ſumus; ſed timor, quem Scholaſtici vocant filialem, & reverentialem, longè minus laudabilis, & efficax. Verum ſi timorem illum intelligamus tertiam ſpeciem ſupra ex libro׳ מילי דאבות explicatam, cum reverentiali poterit concurrere, & eo caſu utrique illi effectus à Talmudiſtis contrariè propoſiti, & timori, & amori convenire poterunt: Et juxta hunc ſenſum hæc phraſis׳ לא קשיא כאן מאהבה כאן מיראה reddi poteſt, Non eſt difficultas, non eſt oppoſitio, ſive objectio: Non refert, hoc intelligatur ſive de Pœnitentia ex timore, ſive ex amore concepta. Huic ſenſui Talmudicis Gloſſator favere videtur dum in hæc verba, כתיב שובו בנים ſcriptum eſt, convertimini filii, &c. Sic gloſſatur, אלמא בעלי תשובה קרוין אנים וכתיב בי אנכי בעלתי בכם אלמא עבדים מקרו׳ כאן מאהבה ומיראה קרוין בנים כאן על ידי ייסורין שלא שבו עד שנתייסרו בייסורין קרוין עבדים׳ *Ergo Pœnitentes vocantur filii. Scriptum eſt quoque, quoniam ego dominatus ſum vobis, ergo & ſervi. Hic ab amore, & timore vocantur filii: illic propter caſtigationes non pœnitentibus inflictas ſervi vocantur, donec caſtigationibus eruditi fuerint, & correcti.* Non obſcurè docere videtur Gloſſator timorem, de quo Talmudiſtæ loquuntur filialem eſſe, cùm ab eo filii dicantur, & à ſervili diſtinguat, quem pœnis, & caſtigationibus tribuit. Quidquid ſit, longum hoc è Talmude teſtimonium retulimus, tantùm ut ex eo colligas, quo in pretio Judæi Pœnitentiam habeant. Cæterum pro׳ מקרו legendum putarim׳ יתקרו vel קרוין:

III. Pellit inquit, R. Jochanan Pœnitentia præcepta negativa, hoc eſt, facit ut tranſgreſſio iſtius præcepti non imputetur crimini, quod probat Jeremiæ teſtimonio. Alludunt autem Rabbini myſtica, & non inepta interpretatione ad prohibitionem *Deuteron.24.* factam, qua prohibetur ne vir, qui repudiavit uxorem, quæ poſteà alteri nupſit, mortuo poſteriore viro illam iterum ducat. Hoc propter Pœnitentiam Deus non obſervat. Licèt enim populum cum idolis fornicantem repudiet, Pœnitentem tamen priſtinæ dignitati conjugali reſtituit. Eleganter liber antiquus, ׳ בית מדה dictus de quo infra pluri-

Digitized by Google

pluribus myſticam iſtam interpretationem enarrat, בני באו וראו כמה חביבה התשובה לפני הב״ה שאם עושה אדם תשובה לפני המקום הקב״ה מבטל דבריו בשבילו צא ולמד מה שכתוב בתורה כי יקח איש אשה ובעלה והיה אם לא תמצא חן בעיניו וגו׳ אבל הב״ה אינו כן אע״ף שעזבו אותו ועבדו לאחר אומר להם עשו תשובה ובאו אצלי ואני אקבל אתכם שכן פירש על ידי ירמיהו הנביא לאמור הן ישלח איש את אשתו וגו׳ באו ואני אקבל אתכם בתשובה ולא עוד אלא שהקב״ה נשבע לקבל שבים שנ׳ חי אני נאם ה׳ אחפוץ במות הרשע׳ *Filii, venite, & videte quàm amabilis eſt pęnitentia in conſpectu Dei benedicti. Nam ſi fecerit homo pœnitentiam coram Deo, expunget verba ſua propter illam, egredere, & diſce quod ſcriptum eſt in lege. Cùm acceperit vir mulierem, & eam duxerit, ſi contingat eam non reperire gratiam in oculis ejus, &c. Deus tamen benedictus non facit ſic; ſed licèt derelinquant eum homines, & alteri ſerviant, iis nihilominus dicit, facite pœnitentiam, & ad me venite, & ego recipiam vos. Nam hoc ita explicavit Jeremias Propheta, En dimiſit vir uxorem ſuam, &c. Venite ego recipiam vos per pœnitentiam: Nec hoc tantùm, ſed ſe Pęnitentes recepturum juramento confirmat, ut dicitur, Vivo ego dicit Dominus, ſi delector in morte peccatoris, &c.*

IV. Quòd ait Reſch Lakis, peccata ſuperbiæ, ſive malitiæ per Pœnitentiam fieri veluti peccata erroris, & imprudentiæ, jam ex Albone explicatum eſt. Ita quoque explicat Talmudicus Gloſſator pauciſſimis verbis, כי כשלת בעונך עונך יחשב כמכשול שהוא שגגה׳ *Quoniam impegiſti in iniquitate tua. Iniquitas tua reputata eſt velut offendiculum, quod eſt erroris, & imprudentiæ peccatum.* Diſtinguunt inter עון׳ & מכשול׳ ſumunt עון pro gravi crimine, ſive pro הוא בזרון׳ peccato ſuperbiæ, & contumaciæ: מכשול verò pro levi crimine, ſive offendiculo, & ſcandalo in quod homines impingunt, ita ut nonnunquam labantur. Volunt igitur per Pœnitentiam מכשול׳ converti in עון׳ ut fuſiùs explicat Joſeph Albo. Hanc, aut ſimilem diſtinctionem in mente habuerunt Salomon Jarki, & David Kimhi hunc locum commentantes. Prior in hæc verba כי כשלת ſcribit paucis, באו לך מכשולים בעד עונך׳ *Venerunt tibi offendicula pro crimine tuo.* Et poſterior, כי אתה רואה שכשלת בעונך לפיכך יש לך לשוב: אל ה׳ ית׳ כי אין מקימך ממכשולך אלא תשובתך אליו׳ *Quoniam tu vides quod in iniquitate tua; Ideò revertendum tibi eſt ad Dominum benedictum, quoniam non eſt, qui ſuſtentet te, & ab offendiculo conſervet, niſi converſio tua ad eum.*

V. Longa eſt Pœnitentiæ laudatio in capitulis Eliezeris, capite ſcilicet 43. Tota conſtat variis exemplis partim è ſcriptura petitis, partim ex ipſis Rabbinis. Unius relatione lectori ſatisfactum eſto, cætera leget apud ipſum auctorem. ר׳ עקיבא אומר נבראת התשובה וימין הקב״ה פשוטה לקבל שבים בכל יום ואומר שובו בני אדם תדע לך כח הצדקה והתשובה בא וראה מאחאב מלך ישראל שעשה תשובה גדולה שגזל וחמס ורצח שנ׳ הרצחת וגם ירשת ושלח וקרא ליהושפט מלך יהודה והיה נותן לו מלכות ארבעים בכל יום ג׳ פעמים ובצום ובתפלה היה משכים ומעריב לפני הקב״ה והיה עוסק בתורה כל ימיו ולא חזר למעשיו הרעים עוד ונרצית התשובתו שנ׳ הראית כי נכנע אחאב מפני׳ *R. AKiba dixit, creata eſt Pęnitentia, & dextera Dei extenſa eſt tota die ad ſuſcipiendas Pęnitentes. Dixit enim convertimini filii hominum. Nota ſit tibi virtus juſtitiæ, & Pęnitentiæ: veni, & conſidera hoc ex magna Pœnitentia, quàm fecit Achab rex Iſrael qui rapuerat, violentiam intulerat, & occiderat, ut dicitur 1. Reg. cap. 21. Nonne occidiſti, & etiam poſſediſti. Miſit autem, & vocavit Joſaphat regem Juda, qui ſingulis diebus ter inflixit illi quadraginta plagas, & ſedulo manè, & veſperi jejunia, & orationi incumbebat Achab coram Domino, & in lege meditanda diligenter occupatus fuit omnibus diebus ſuis, nec ampliùs ad priora peccata rediit, acceptaque fuit Pęnitentia ejus, ut dicitur; Nam vidiſti quod humiliatus eſt Achab à conſpectu meo?* Poſteà, nota tibi ſit, inquit, virtus Pęnitentiæ ab exemplo Davidis, qui populum numeravit, quaſi Deum mendacii arguere voluiſſet, qui dixerat ſemen Abrahæ, ut ſtellas cęli, & arenam maris multiplicatum iri. Deinde Manaſſis exemplum affert, & aliquot antiquorum Rabbinorum, ſemperque narrationem ſuam ut primam, aliquot fabellis Judaicis aſpergit.

VI. Liber antiquus בית מרות׳ Beth Midoth, *domus morum* inſcriptus, & Conſtantinopoli anno 1512. regnante Bajazetho à quodam R. Joſepho Joelis filio editus, variarum virtutum, quibus anima ſanatur laudes perſequens, inter eas מעלת התשובה׳ dignitatem, & excellentiam Pęnitentiæ *num.* 27. reponit, & multis rationibus, & fructibus hoc demonſtrat, quorum multi jam ex aliis decerpti ſunt. Pęnitentiam ait, & probat ante mundum eſſe creatam, ad thronum gloriæ Dei hominem attollere: Ne illam faſtidirent eam Deum ſibi attribuiſſe. Deus, inquit, in quo nullum peccatum, nulla iniquitas ſe pęnitere dicit: Quid? Homines fętidi, polluti, inquinati pęnitere, & peccata confiteri reſpuent? גדולה היא תשובה שאפילו אם היה רשע גמור כל ימיו ועשה תשובה שלימה בסוף ימיו אין הקב״ה מזכיר לא כלום מעונותיו אשר עשה מתחלה שנ׳ ולא תזכרנה הראשונות ולא תעלנה על לב׳ *Magna eſt Pęnitentia: Nam etiam quis fuerit per totam vitam abſolutè impius, ſi tamen pęnitentiam perfectam in fine vitæ egerit, Deus benedictus non recordabitur omninò iniquitatum, quas anteà perpetraverat, ut dicitur, priora non commemorabuntur, nec in cor aſcendent.* Quis rex, inquit, ſententiam mortis pronuntiatam revocat niſi difficillimè? At Deus facillimè, propter Pęnitentiam ſcilicet, ſententiam mortis in peccatores latam mutat; immò propter unum Pęnitentem toti parcit mundo. Multa alia habet his non diſſimilia, quibus prætcritis hanc admonitionē tantùm addemus, בני אל תתרשלו מלשוב בתשובה שלימה לבוראיכם ואל תאמרו למחר או למחרתים נשוב בתשובה שלימה לפניו שמא תמותו היום או למחר בלא תשובה שכך אמרו חכמים ז״ל אל תאמן בעצמך עד יום מותך ושב יום אחד לפני מיתתך׳ *Filii ne pigri eſtote ad convertendum vos per pęnitentiam perfectam ad creatorem veſtrum, neque dicatis crat, aut intra biduum convertemur coram eo per pęnitentiam perfectam. Forſan hodie, aut cras moriemini ſine Pęnitentia. Sic enim Patres felicis memoriæ dixerunt, Ne confidas tibi ipſi uſque ad diem mortis tuæ, & Pęnitentiam age uno die ante mortem.*

VII. Doctores Talmudici in tractatu de Sabbato *c. 2. f. 32. p. 1.* ת״ר מי שחלה ונטה למות אומרים לו התודה שכן כל המומתין מתודין אדם יוצא לשוק יהי דומה בעיניו כמי שנמסר לסרדיוט חש בראשו יהי דומה בעיניו כמי שנתנוהו בקולר עלה למטה ונפל יהי דומה בעיניו כמו שהעלוהו לגרדום לידון שכל העולה לגרדום לידון אם יש לו פרקליטין גדולים ניצול אם לאו אינו ניצול ואלו הן פרקליטין של אדם תשובה ומעשים טובים ואפילו תשע מאות ותשעים ותשעה מלמדים עליו חובה ואחד מלמד עליו זכות ניצול שנ׳ אם יש עליו מלאך מליץ אחד מני אלף להגיד לאדם ישרו ויאמר פרעהו מרדת שחת וגו׳׳ *Docuerunt Rabbani, Cùm quis ægrotat, & in mortem propendere judicatur, dicitur illi, confitere: ſolent enim omnes morientes confiteri. Homo egrediens ad forum videbitur ſibi ſimilis ei, qui vindici ſcelerum traditur. Qui capite dolet, videbitur ſibi ſimilis ei, qui in vincula conicitur. Qui lectum aſcendit, & recumbit, ſimilis ſibi videbitur ei, qui adducitur ad tribunal, ut judicetur. Omnis enim qui aſcendit ad tribunal ut judicetur, ſi adſunt illi Advocati magni, liberatur, quòd ſi non, non liberatur. Hi autem ſunt hominis Advocati, Pœnitentiæ opera bona. Licet verò nongenti nonaginta novem doceant, & probent contra eum peccatum, & unius doceat, & probet meritum, liberatur, ut dicitur, Job. 33. 23. Si fuerit pro eo Angelus intercedens unus ex mille ad demonſtrandam homini rectitudinem ſuam, & dixerit, redime eum, ne in foveam cadat, inveni propitiationem.*

VIII. Iidem Talmudici in tractatu Nedarim *in fine cap. 3.* allegoria non inficeta explicant de Pœnitentia verſus 14. & 15. *cap. 9.* Eccleſiaſticæ, *Civitas parva, & pauci in ea viri: venit contra eam rex magnus, & vallavit eam, & extruxit munitiones per gyrum, Inventuſque eſt in ea vir pauper, & ſapiens, & liberavit urbem per ſapientiam ſuam, & nullus deinceps recordatus eſt hominis illius pauperis.* Quibus conjungunt hanc pericopen *verſ. 20. cap. 7. Sapientia confortavit ſapientem ſuper decem Principes civitatis.* רמי בר אבא מאי דכתיב עיר קטנה ואנשי וגו׳ עיר קטנה זה הגוף ואנשים בה מעט אלו אברים ובא אליה מלך גדול וסבב אותה זה יצר הרע ובנה עליה מצודה וחרמים אלו עונות ומצא בה איש מסכן וחכם זה יצר טוב ומלט הוא את העיר בחכמתו זה תשובה ומעשים טובים ואדם לא זכר את האיש המסכים ההוא דבשעת יצר הרע לית דמדכר ליה יצר טוב והחכמה תעוז לחכם זו תשובה ומעשי׳ טובים מעשרה שליטים שתי עינים ושתי אזנים ושתי ידים ושתי רגלים וראש הגויה ופה׳ *Regeſſit Bar Abæ, Quid eſt quod ſcribitur, civitas parva, & viri pauci in ea, &c. Civitas parva hoc eſt corpus. Et viri in ea pauci, ſunt corporis membra. Et venit ad eam rex magnus, & circumvallavit eam; hoc eſt, concupiſcentia mala; Et ædificavit ſuper eam munitiones, & foſſas; Hæc ſunt iniquitates. Et invenit in ea virum pauperem, & ſapientem; hic eſt concupiſcentia bona. Et liberavit ille civitatem per ſapientiam ſuam: Hic eſt Pœnitentia, & opera bona. Et homo non eſt recordatus viri illius pauperis, quia in hora Concupiſcentiæ malæ non eſt, qui recordetur illius, hoc eſt Concupiſcentiæ bonæ. Et Sapientia corroborat Sapientem, id eſt, Pœnitentia, & opera bona. Magis quàm decem potentes; duo oculi, duæ aures, duæ manus, duo pedes, caput corporis, & os.*

IX. Liber Muſar *cap. 2.* de Pœnitentia non longè à principio,
התשובה

Digitized by Google

התשובה היא יסוד העולם ועמודו ואין העולם עומד אלא על
התשובה והתשובה נבראת קודם שנברא העולם שנאמר בטרם הרים
יולדו ותחולל ארץ ותבל וסמיך ליה תשב אנוש עד דכא ותאמר
שובו בני אדם׃ *Pœnitentia eſt fundamentum mundi, & ejus columna, & ſine Pœnitentia mundus non ſubſiſteret. Pœnitentia ante mundum creata eſt, ut dicitur Pſalm. 90. verſ. 2. Antequam montes naſcerentur, & formaret terram, & orbem. Sequitur proximè iſta verba, convertis hominem uſque ad contritionem, & dicis, convertimini filii hominum.*

X. Idem dicitur in Bereſit Rabba Paraſcha prima. R. quidam Tanchuma docet ſex eſſe ante mundum creata, quorum duo reapſe ante mundum creata ſunt, quatuor mente tantùm, & cogitatione. Septimum addit R. Ahaba Bar Zahira Pœnitentiam, & eodem demonſtrat Scripturæ teſtimonio. Hujus axiomatis rationem non inficetam reddit ibidem liber Muſar ex antiquis Talmudis auctoribus,
וזה שאמרו רז״ל כשברא הקדוש ברוך הוא את עולמו עלה במחשבה
לבראתו במדת הדין ראה שאינו משקיים בה ושתף מדת הדין עם
מדת רחמים וברא העולם במדת רחמים והיא מדת הסליחה והסליחה
על ידי התשובה לכך קודם לו לאדם התשובה כדי שישאל לו
על ידה ר׳ ישמעאל אומר אלולי שנבראת התשובה לא היה העולם
יכול לעמוד וקב״ה ברא התשובה וימינו פשוטה לקבל שבים ובכל
יום ויום אומר שובו בני אדם׃ *Hoc eſt, quod dicunt Patres noſtri felicis memoriæ, cùm Deus benedictus creavit mundum, in mentem ipſi venit eum in menſura judicii creare, ſed vidit, quòd in ea non erat perſeveraturus. Ideò conjunxit menſuram judicii cum menſura miſericordiarum, creavitque mundum cum menſura miſericordiarum, & hæc eſt menſura veniæ, & condonationis, & venia per Pœnitentiam obtinetur. Quapropter hominis creationem prævenit Pœnitentia, ut ei per eam venia detur. R. Iſmael dixit, niſi creata fuiſſet Pœnitentia, non potuiſſet mundus ſubſiſtere; ideò Pœnitentiam creavit Deus, ejuſque dextera extenta eſt, ad ſuſcipiendum Pœnitentes, ſingulisque diebus dicit, convertimini filii hominum, &c.*

XI. Auctor libri, ראשית חכמה Elias de Vidas dictus apud Judæos recentiores non incelebris ſic *tract.* de Pœnitent. concludit,
אמרו במדרש במזמור על שושנים לבני קרח ז״ל כל העושה
תשובה מעבירה שבידו הקב״ה מוסיף וקורא לו שם חביב בוא
וראה בבני קרח עד שלא עשו תשובה לא נקראו שושנים וידידים
משעשו תשובה נקראו שושנים וידידים שנאמר על שושנים משכיל
שיר ידידות וכן דוד עד שלא עשה תשובה לא נכתב באיסרטא
של מעלה משעשה תשובה נכתב באיסרטא של מעלה ונקרא
עבד שנ׳ למנצח לעבד ה׳ לדוד עד כאן לשונו עוד במעלת
התשובה פי׳ בירושלמי כתיב וקרעו לבבכם ואל בגדיכם ושובו
אל ה׳ אלהיכם כי חנון ורחום הוא אמר ריב״ל אם קרעתם לבבכם
בתשובה אין אתם קורעים בגדיכם לא על בניכם ולא על בנותיכם
אלא על ה׳ אלהיכם למה כי חנון ורחום הוא ארך אפים ורב
חסד ונחם על הרעה עכ״ל׃ *Dicitur in Midras ad Pſalm. 45 ſuper Soſannim ſive lilia filiis Core quorum memoria in benedictione. Omni agenti pœnitentiam de prævaricatione, cujus reus eſt, Deus benedictus addit illi aliquid, eumque nomine dilecti vocat. Veni, & vide filios Core: Quamdiù pœnitentiam non egerunt, Vocati non ſunt Soſannim, & dilecti, Ab eo tempore quo pœnitentiam egerunt, vocati ſunt Soſannim, & dilecti, ut dicitur in titulo Pſalm. 45. Super Soſannim filiis Core docens eos, canticum dilectarum. Sic & David, Quamdiù pœnitentiam non egit, de eo ſcriptum non eſt, quòd ſit exercitus princeps excellens. Poſtquam fecit pœnitentiam, de eo ſcriptum eſt, militiæ princeps excellens, & vocatus eſt ſervus Domini, ut dicitur Pſalm. 18. David Imperatori ſervo Dei. Hactenus Midras. Iteràm, in laudem, & dignitatem pœnitentiæ Talmud Hieroſolymitanum interpretatur id, quòd ſcribitur Joel 2. 13. Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum; quia miſericors, & miſerator eſt. Dixit R. Joſua filius Levi, Si ſcinditis corda veſtra per pœnitentiam, non ſcindetis veſtimenta veſtra neque ſuper filios veſtros, neque ſuper filias veſtras, ſed ſuper Dominum Deum veſtrum. Quare? Quia miſericors, & miſerator eſt, & multus miſericordia, pœnitenſque ſuper malum.* באיסרטא של מעלה׃ mihi legendum videtur שר ut in præcedente pericope, non של׳ Præterea antiqui illi Rabbini videntur שושנים à שוש derivare, quòd eſt gaudere, & lætari.

XII. Tanti autem Pœnitentiæ actionem facit, ut propè finem capitis ultimi tractatus longi de Pœnitentia, non contentus tam multa, de Pœnitentiæ agendæ modo præcepta tradidiſſe, hoc cæteris addere voluerit, quod innumera complectitur,
מי שירצה לעשות תשובה שלמה מלב ונפש לא יתרשל בבקשת
ספרים הצריכים אליו לרפואת נפשו כמו שלא יתרשל החולה
לבקש רופא שירפאהו *Qui pœnitentiam perfectam agere voluerit ex corde, & anima, non ſegniter inquirat libros ſibi neceſſarios ad animam curandam, ſicut morbo languens ſegnis non eſt in Medici, qui eam curet, inquiſitione.* Nec ſanè fruſtra tantopere ſatagit, ut doceat, qua ratione Pœnitentia ſincerè, & perfectè agenda ſit, cùm eam ex ſententia Patrum *cap. 2. tractatus* Chagiga, *legis fundamentum vocat, & cap. 1. tractatus* de Pœnitentia poſt medium, *Iſraelis lavacrum* juxta mentem Barajethæ cujuſdam ſic interpretantis hæc verba Jeremiæ 14. 8.
מקוה ישראל מה מקוה מטהר את הטמאים כך הב״ה מטהר ישראל
בתשובה׃ *Lavacrum Iſraelis, quid Lavacrum? purgat pollutos; Sic Deus benedictus purgat Iſraelem per pœnitentiam.* Vulgò מקוה׃ transfertur, *expectatio*: Sed Talmudici lavacrum ſeu balneum, & congregationem aquarum interpretantur. In Talmude tractatus eſt מקואות׳ de Balneis, & aquarum conceptaculis, in quibus certis de cauſis, & diebus ſeſe lavare, & purgare Judæi tenentur. Significatio deſumpta eſt ex *cap. 1. Geneſ. verſ. 10. & Iſaiæ 22. 11.* Eodem capite circa medium refert ex tractatus Talmudici de idololatria *cap. 1.* non injucundam primorum verborum *Pſalmi 112.* interpretationem, Beatus vir, qui timet Dominum. Quare, inquiunt, dicitur Beatus vir, & non beata fœmina? Reſpondet Rab, אשרי מי שעושה תשובה׃
כשהוא איש ריב״ל אמר מי שמתגבר על יצרו כאיש׃ *Beatus vir qui facit pœnitentiam, cùm vir eſt. R. Joſua filius Levi dixit, qui dominatur concupiſcentiæ ſuæ ſicut vir.* Salomon Jarki, interpretatur ſicut vir, quando juvenis eſt, & viribus valens,
כלומר ממהר להכיר את בוראו קודם ימי הזקנה כאיש גבור׃ *Quaſi diceret, Qui ſicut vir potens feſtinat cognoſcere creatorem ſuum ante dies ſenectutis.*

XIII. E pauciſſimis iſtis quid de Pœnitentia, ejuſque animo concipiendæ rationibus Judæi ſentiant, velut è fimbria textum, cognoſce lector. Inſanum enim ſcribendi cacoethes Judæos agitat, ſicut & alias nationes. Si ſingula quæ de ejuſmodi rebus ſcribunt, & ad nauſeam uſque repetunt excutere liberet, & vano, & importuno labore in ingentem molem liber intumeſceret, fieretque acceſſio principali cauſa potior. Deinde moderanda nobis eſt ſcriptio noſtra: Judæi velut proverbio ferunt, זוודין קלילין ואורחא רחיקתא *Viaticum parvum, via autem longa*, ut refert illuſtriſſimus Plantavitius Pauſanus Lodovenſis Epiſcopus in non minùs erudita, quàm laborioſa Proverbiorum, & Sententiarum Rabbinicarum collectione, *Proverb. 910.* At nobis utrumque ſupereſt, & viaticum multum, & via longa. Itaque dicendorum non immemores moderatè iſta diſpenſanda ſunt; neve etiam contra Sapientis monitum faciamus *Proverb. 25. Mel inveniſti, comede, quod ſufficit tibi, ne fortè ſatiatus evomas illud.*

COM-

Digitized by Google

COMMENTARII HISTORICI DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTI POENITENTIÆ,

Ab Apoſtolis ad uſque ſeculi duodecimi initium tam in Eccleſia Orientali, quàm Occidentali obſervata.

LIBER SECUNDUS.

De Confeſſione peccatorum, & varia illius edendæ praxi.

CAPUT I.

Explicatur, qua ratione peccatorum remiſſio longè facilius, & ſuavius ſub Evangelio, quàm ſub lege obtineatur, licèt Contritioni, quæ ad eam obtinendam perpetuò fuit, eritque neceſſaria, Chriſtus adjunxerit Confeſſionem omnium peccatorum Sacerdoti edendam, & ſatisfactionem ex ejus præcepto faciendam. Quis ſcopulus hac in cauſa vitandus. Quid gravia, & dura mandatorum onera reddit facilia, & levia. Perfectio in ſtatu Evangelico multò major quàm in legali poſtulatur. Legis ab Evangelio differentiæ præcipuæ antiquorum verbis enarrantur. Alia difficultatis enodandæ ratio explicatur, & alia prærogativa Evangelii ſupra legem. Proſelyti duplices, alii juſtitiæ, alii inquilini tantùm. Quæ præcepta Judæi ferunt Noacho data. Antiquiſſima Judæorum traditio eſt, Proſelytos Juſtitiæ, hoc eſt, circumciſos, & baptizatos, ad univerſam legem obſervandam teneri, cui innititur axioma Apoſtoli Galat. 5. 3.

EXplicata eſt libro præcedente prima conditio, quæ remittendis peccatis abſolutè neceſſaria eſt; quæque nullis temporum aut regionum varietatibus, nullis morborum, aut quorumlibet periculorum caſibus immutatur, nulla legis ab Evangelio differentia, aut Evangelii ſupra legem prærogativa remittitur. Sincera enim animi ad Deum converſio, firmumque non amplius peccandi propoſitum ad peccatorum remiſſionem obtinendam nunquam non requiſita ſunt. Verùm in homine poſt baptiſmum lapſo, de cujus potiſſimùm pœnitentia nobis ſermo eſt, & ad quam quæcumque toto hoc opere diſputantur, referimus, huic primæ conditioni tres aliæ ſacro, & herculano nodo connexæ ſunt, cujus vincula ſolvere poteſt ſola extrema neceſſitas, ut *capite* 11. libri præcedentis explicavimus, noſque hoc docet Eccleſiæ Catholicæ fides, & publica, continuaque praxis. *Contritio*, inquit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *capite* 4. *quæ primùm locum inter dictos Pœnitentis actus habet, animi dolor eſt, ac deteſtatio de peccato commiſſo, cùm propoſito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam hic contritionis motus neceſſarius, & in homine poſt baptiſmum lapſo, ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia divinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua conjunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur.* Et paulò poſt, *Docet præterea, etſi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi Contritioni ſine Sacramenti voto, quòd in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Itaque Contritio de peccato poſt baptiſmum commiſſo Sacramenti Pœnitentiæ ſuſcipiendi obligationem complectitur, hoc eſt, peccatorum Confeſſionem Sacerdoti edendam, ſatisfactionem juxta ipſius præſcriptum faciendam, & Abſolutionem ab eo ſuſcipiendam, quorum nullum ſub lege, & ante baptiſmum à peccatore tanta cum neceſſitate, aut ut plerique Scholaſtici docent, ullo modo exigebatur.

II. Antequam Confeſſionis explicationem aggrediamur, quæ toti huic libro materiam ſuppeditabit, occurrendum eſt objectioni, quàm forſan aliquis differentiæ legis ab Evangelio non ſatis gnarus commovebit. Ergo, inquiet, multò facilius olim ſub lege ſalus comparabatur, quàm nunc ſub Evangelio; cùm ſub lege viventibus Contritio ſufficeret, ſub Evangelio autem hæc tria Contritioni ſuperaddantur. Hanc objectionem, quoad ſenſum attinet, ſibi propoſuerunt Tridentini Patres, & eadem periodo diſſolverunt *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *Ipſa verò hujuſmodi Confeſſionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri poſſet, niſi tot, tantiſque commodis, & conſolationibus levaretur, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus per Abſolutionem certiſſimè conferuntur.* Quæ ſint commoda illa, quorum beneficio difficultate Confeſſioni, & ſatisfactioni adhærentes emolliuntur, & elevantur, atque unde primitùs emanent, hoc capite explicabimus. Sed anteà cum Patribus antiquis exclamare libet, ò felix Confeſſionis, & ſatisfactionis opus! Nam cùm provolvit hominem magis relevat; cùm ſqualidum facit, magis mundatum reddit; cùm accuſat, cùm condemnat, abſolvit: Onus allevat utilitas, & laborum ſudores certiſſima merces abſtergit. Ideò Pœnitentiæ canonicè impoſitæ virtutem paſſim antiqui Patres laudibus quàm maximis efferunt, & ad eam hilari animo amplexandam vehementiſſimè hortantur, tantùm abeſt ut de illius onere conquerantur. *Eam igitur tu peccator ita invade*, inquit Tertullianus, *ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem, &c. Rape occaſionem inopinatæ felicitatis.* Quamobrem verò Pœnitentiam, quàm omnium Patrum oneroſiſſimè deſcribit, inopinatam felicitatem vocat, & tabulæ cum omnibus Patribus comparat, quam Naufragus, ut ad littus enaviget, arripit; qua fortuna nihil poteſt homini contingere optatius, & deſiderabilius? Rationibus jam dictis hanc adiicit conſideratu digniſſimam, *Nam temporali afflictione æterna ſupplicia non dicam fruſtratur, ſed expungis.* Et capite 12. *Si de Exomologeſi retractes gehennam in corde conſidera, quam tibi Exomologeſis extinguet, & pœnæ prius magnitudinem imaginare, ut de rvmedii adeptione non dubites.* Deſcriptis poſteà inferorum cruciatibus, colligit labores illos pœnitentiales lubenti animo ſubeundos, eo quòd his remediis avertimus æterna ſupplicia nobis parata: *Igitur cùm ſcias adversùs gehennam poſt prima illa intinctionis Dominicæ monumenta eſſe adhuc in Exomologeſi ſecunda ſubſidia, cur ſalutem tuam deſeris? cur ceſſas aggredi, quod ſcias mederi tibi?* Quæ poſteà multis perſequitur.

III. Simili ratione Pœnitentes exhortatur ad Confeſſionem, & ſatisfactionem S. Pacianus, *Si de cruciatu Exomologeſis retractatis, gehennam recordemini quam vobis Exomologeſis extinguet.* Deinde variis ſimilitudinibus, dolore gehen-

næ

Digitized by Google

næ deſcripto, quando, & quomodo extinguatur, docet fideles, *Mementote, fratres, quia apud Inferos Exomologeſis non eſt; nec Pœnitentia tunc tribui poterit, conſumpto tempore pœnitendi. Feſtinate dum in vita eſtis, &c. Perrogo vos Eccleſiæ fidem, fratres, per ſolicitudinem meam, per communes omnium animas obteſtor, & deprecor, ne pudeat in hoc corpore, ne pudeat, ne pigeat oportuna quamprimùm remedia ſalutis invadere, deiicere mœroribus animum, ſacco corpus involvere, &c. In quantum pœnæ veſtræ non peperciſtis, in tantùm vobis Deus parcet.* Si laborum actorum memoria jucunda eſt, ut proverbio fertur; quanto magis laborum, quorum tantus fructus, tam ampla merces. Quare jure optimo Pacianus ex S. Cypriano colligit in eadem paræneſi Exomologeſim peccatoribus eſſe diligendam.

IV. Sanctus quoque Ambroſius idem virgini lapſæ proponit *cap.* 8. ut eam ad Pœnitentiam fortiter agendam commoveat. *Peccator ergo ſi ſibi ipſi non pepercerit, à Deo illi parcitur. Et ſi futuras pœnas gehennæ præcipuas in hoc parvo vitæ ſpatio compenſaverit, ſeipſum ab æterno judicio liberat, &c.* Et paulò poſt, *Si mente ternerent homines peccatores quale judicium imminet mundo, ſenſus humanus non diſpergeret ur vanitate ſeculari, ſi non infidelitate gravaretur. Quantumvit, & qualemvis cruciatum ad præſens lubentiſſimè ſufferrent, etiamſi eſſet longior vita, dummodò illas pœnas æterni ignis non incurrerent. Sed tu quæ jam ingreſſa es agonem Pœnitentiæ, inſiſte miſera fortiter, inhære tanquam naufragus tabulæ ſperans per ipſam te de profundo criminum liberari. Inhære Pœnitentiæ uſque ad extremum vitæ, &c.* Proſper Aquitanicus *lib.* 2. *de vita contemplativa cap.* 7. *ad eadem* Tertul. verba alludens, eodem quoque argumento ad Confeſſionem, & ſatisfactionem peccatores invitat. *Quòd ſi ipſi Judices fiant, & veluti ſuæ iniquitatis ultores hic in ſe voluntariam pœnam ſeveriſſimæ animadverſionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna ſupplicia, & lachrymis ex vera cordis compunctione fluentibus reſtinguent æterni ignis incendia.* Non igitur oneroſa dicenda eſt illa actio, cui merces tam cumulatè redditur.

V. At inquies: Concedantur hæc omnia: ſatisfactionum admiranda ſit virtus, ignes æternos extinguant, iram Dei ſiſtant, Deum placent, nobis concilient. Hæc omnia præſtabat ſub lege, ſincerè ad Deum converſio propoſito non peccandi conjuncta, nec erat iſtis Sacerdotum legibus obnoxia. Clementius igitur ſub lege cum hominibus agebatur quàm ſub Evangelio; venitque Chriſtus ut difficiles, duraſque ſalutis leges conderet, & quod anteà expeditè obtinebatur, multas per ambages acquireretur, reſponſoque tuo ſerram, ut dicitur, per eandem lineam reciprocas. Uno ſcopulo hac in cauſa vitato cætera plana erunt, ſpinæque oppoſitæ radicitùs evellentur, & ſtatus Evangelici ſupra legalem virtus, & prærogativa ſpontè ſua erumpet, & patebit. Tam cavendum eſt quàm id quod maximè, ne ſalutis adipiſcendæ facilitatem in interioris perfectionis diminutione reponamus. Nihil enim, mea quidem ſententia, fingi poteſt Evangelicæ gratiæ magis contrarium, & inimicum.

VI. Enavigato hoc ſcopulo, antequam rem cominus aggrediamur, duorum monendus eſt lector: Fontes omnes gratiæ per Chriſtum nobis partæ in baptiſmi ſuſceptione apertos eſſe, & effuſos, ut capitibus ſecundo, & tertio libri ſequentis demonſtrabitur. Deinde Deum ſeveriſſimè in crimina ſub ſtatu legis, & naturæ commiſſa animadvertiſſe, & licèt peccatores ad eum toto corde converterentur, poſteà tamen acerrimè punitos, ut niſi res per ſe nota eſſet, probari nullo negotio poſſet. Itaque quod ad ſatisfactionem attinet, utroſque pares eſſe; immò poſteriores in ſtatu gratiæ antiquis illis longè ſuperiores fuiſſe, ut ex iam dicendis conſtabit. Dico igitur, dignitatem, & prærogativam Evangelii ſupra legem, & naturam in abundantia potiſſimum, & affluentia divinorum auxiliorum, ſive in reſtagnatione, & effuſione per Sacramenta potiſſimum effuſiſſimè facta gratiæ Spiritus ſancti ſuper credentes à Patribus conſtitutam fuiſſe. Quibus efficaciter operantibus converſio ab iniquitate ad Deum, à concupiſcentia vitiorum ad virtutis dilectionem, à voluptatibus ſeculi ad laborum propter Deum tolerantiam, & in iis gloriationem multò quàm dici poſſit facilius in Evangelico ſtatu comparatur quàm in legali, ſicut ait S. Paulus *Rom.* 5. *Gloriamur in tribulationibus ſcientes, quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit.* Quamobrem verò? Reſpondet Apoſtolus, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Quid magis reſonant ſacræ novi Teſtamenti Scripturæ, quàm exundantiſſimam illam Spiritus ſancti communicationem? Quanquam igitur idem ſaltem Contritionis actus in lapſis poſt baptiſmum requiratur ad ſalutem, qui ante legem, & ſub lege neceſſarius erat, non ideò tamen uterque æqua facilitate in utroque ſtatu concipi, & formari potuit. Sancti enim Spiritus dona nunc ante Sacramentorum ſuſceptionem, ſed præſertim in Sacramentis, & per Sacramenta copioſiſſimè in fideles reſtagnant, quo fit, ut converſionis, & Contritionis actus longè facilius, velocius, & ardentius ab Evangelio prædicato, quàm anteà concipiatur, edatur, & continuetur. Nec hoc tantùm, ſed eadem Spiritus ſancti, ſive dilectionis Dei reſtagnatio in cæteras, Pœnitentiæ fidelis partes, Confeſſionem, ſatisfactionem, Abſolutionem, illarumque partium minimas particulas abundantiſſimè ſeſe exonerat. Hæc omnia ſanctus Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus mens agitat molem. Hinc Confeſſionis, & operum laborioſorum à Sacerdote juſſorum virtus, & meritum: Hinc eorumdem facilis, prompta, hilara, & ſuavis executio, juxta S. Leonis de Laurentio Martyre effatum, *Segnior fuit ignis qui foris uſſit, quàm qui intus accendit*; Jacobi quoque Patriarchæ ſenſum, Geneſ. 29. expreſſum, *Servivit Jacob pro Rachel ſeptem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine*; Necnon & Sichem Ethnici, qui graviſſimum circumciſionis dolorem animo lubentiſſimo paſſus eſt, ut Dinam hac conditione ſibi promiſſam uxorem duceret, *Nec diſtulit adoleſcens*, inquit Scriptura Geneſ. 34. *quin ſtatim, quod petebatur, expleret, Amabat enim puellam valdè.*

VII. Nullus Patrum de hac prærogativa locutus eſt, qui ſtatim novum Teſtamentum non prædicaverit maximam, præ lege perfectionem à nobis requirere, quique eam perfectionem maximis laudibus non extulerit. Cùm autem plurima ſint iſtius perfectionis argumenta, Patrum quiſque pro re ſubjecta, modò hoc, modò illud ſibi enarrandum propoſuit: ſed omnes ſemper eò collimant, ut demonſtrent, Evangelium longè majorem à Chriſtianis, quàm legem à Judæis, animi perfectionem exigere. S. Iſidorus ſententiarum *lib.* 1. *cap.* 20. de utriuſque teſtamenti differentia ex profeſſo differens, ita illam explicat, *Sub veteri Teſtamento minoris culpæ erant peccata, quia in eo non ipſa veritas, ſed umbra veritatis aderat. Nam in Teſtamento novo præceptis altioribus manifeſta facta quædam, quæ in illo populo umbræ veritatis deſervierant, deſerenda nobis præcipiuntur.* Caſſianus collatione 21. *cap.* 32. 33. 34. hanc quæſtionem latè proſequitur, multiſque exemplis docet, legem gratiæ longè accuratiorem à Chriſtianis perfectionem poſtulare, quàm à Judæis lex antiqua. Deinde *cap.* 33. colligit, *Quiſquis igitur hoc Evangelicæ perfectionis culmen aſcenderit, iſte profectò ſupra omnem legem tantarum virtutum meritis ſublimatus, & univerſa, quæ per Moyſen præcepta ſunt, quaſi parva deſpiciens, tantùm ſub gratia Salvatoris ſe eſſe cognoſcit, cujus adjutorio ſe ad illum ſublimiſſimum ſtatum intelligit perveniſſe.* Multa ſequuntur in eandem ſententiam. Ideò Apoſtolus *cap.* 7. Epiſtolæ ad Hebræos, *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem: Nihil enim ad perfectum adduxit lex, introductio verò melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum.* Quidquid gratiæ habuit lex ab Evangelio mutuatum fuit. Ergo multò gratioſius Evangelium. Si fontes ſitiunt, quid de rivulis ſperandum?

VIII. Hanc quæſtionem agitat S. Ambroſius *lib.* 1. *de Jacob, & vita beata cap.* 4. 5. 6. & multis demonſtrat per legem eſſe tantùm peccati, & erroris cognitionem incrementum, & coacervationem; & tandem omnem legis utilitatem ex relatione ad Evangelium metitur, cujus gratia charitate donamur, & Deo reconciliamur. *Quid igitur profuit, ut lex promulgaretur, ſi profutura non erat: Habebamus jam legem naturæ; erat unuſquiſque ſibi lex, qui opus legis ſcriptum habebat in corde ſuo. Illam non tenuimus; cur addebatur ei altera, in cujus operibus caro non poſſet juſtificari? Acceſſit vinculum non ſolutio: addita eſt peccatorum agnitio, non remiſſio. Peccavimus omnes, qui poteramus excuſationem prætendere per ignorantiam. Os obſtructum eſt omnibus. Profuit tamen mihi, cœpi confiteri quod negabam, &c. cœpi pronuntiare adverſus me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietates cordis mei. Sed & illud mihi prodeſt, quod non juſtificamur ex operibus legis, &c. Non habeo, unde me jactem, & ideò gloriabor in Chriſto. Non gloriabor, quia juſtus ſum, ſed gloriabor, quia redemptus ſum.* Poſteà multis perſequitur beneficia per Chriſti mortem Chriſtianis conceſſa, quorum nullum

ſum per legem Antiquis obveniebat, inter quæ pignus charitatis Chriſti reponit, de qua inquit, ſcriptum eſt. *Aqua multa non poterit excludere charitatem, & flumina non concludent eam, quia torrentem tranſit anima diligentis. Nulla tempeſtas, nullum profundum periculum, nullus terror mortis, aut pœnæ vim charitatis imminuit.* Nulla eſt igitur conſequentia ab eo, quod nunc fit, ad id, quod antiquitus fieri ſolebat, non ſecus ac præpoſterè, quis colligeret; Vir robuſtus centum pondo geſtare non poteſt, aut iis admodum gravatur, quia infantulus decem geſtare non potuit.

IX. Multa alia diſcrimina enumerari poſſunt, quæ omnia in prærogativam Evangelii ſupra legem cedunt; ſed ea nunc colligere à propoſito noſtro eſſet alienum, qui unicæ objectioni enodandæ tantùm incumbimus. Ideò unum, aut alterum à S. Auguſtino ſæpius repetitum, quòd præ cæteris objectioni ſatisfacit, ipſius verbis ediſſeremus. Breviter admodum, & acutè illud exprimit *cap.* 17. *lib.* contra Adimantum: *Hæc eſt*, inquit, *Breviſſima, & apertiſſima differentia duorum teſtamentorum, timor & amor. Illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet.* Huic breviſſimo axiomati quod fundamentum continet diſcriminis, quòd eſt legem inter, & Evangelium conformiter pronuntiat *cap.* 57. *libri de natura, & gratia, Sub lege eſt, qui timore ſupplicii quod lex minatur, non amore juſtitiæ ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liber & alienus à voluntate peccandi.* Præcipua igitur differentia eſt, quòd lex timorem incutit, Evangelium dilectionem Dei in animis inſpirat: Ideò, ut ait Apoſtolus *cap.* 3. *Epiſtolæ ad Galatas* per legem non eſt juſtitia: *Non enim* ut ait Auguſtinus Epiſt. 57. *Bonus eſt quiſpiam timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ.*

X. Idem Auguſtinus *in libro de ſpiritu, & littera cap.* 25. interpretatur teſtimonium Hieremiæ *cap.* 31. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, &c.* Quibus S. Paulus novum Teſtamentum intelligit Hebr. *cap.* 8. & quorum cauſa dicit, *melioribus promiſſis eſſe ſancitum*, quàm vetus, de charitate, & dilectione Dei per Spiritum Sanctum in cordibus noſtris diffuſa, tandemque ſic colligit, *Cùm igitur hæc appareat diſtantia veteris, & novi Teſtamenti, quòd lex ibi in tabulis, hic in cordibus ſcribitur, ut quod ibi forinſecùs terret, hic delectet intrinſecùs; ibique fiat prævaricator per occidentem litteram, hic dilector per vivificantem ſpiritum, non ideò dicendum eſt, quòd Deus adjuvat nos ad operandum juſtitiam, atque operetur in nobis velle, & operari pro bona voluntate, quia præceptis juſtitiæ forinſecùs inſonat ſenſibus noſtris, ſed quia intrinſecùs incrementum dat diffundendo charitatem in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum.* Et *cap.* 28. ejuſdem libri, *Conſtat gratiam Dei promiſſam eſſe Teſtamento novo etiam per Prophetam, eandemque gratiam in eo definitam, ut ſcribantur leges Dei in cordibus hominum, &c. Hoc donum Spiritus S. eſt, quo diffunditur charitas in cordibus noſtris: Charitas non qualibet, ſed charitas Dei de corde puro, & conſcientia bona, & de fide non ficta.* Hæc eſt converſio ad Deum, hæc cordis contritio, & compunctio, quam Sacramenta novæ legis operantur; quam Confeſſio, & opera à Sacerdote injuncta à Deo impetrant: Hæc Chriſti & Evangelii gratia, quam Spiritus S. in Sacramentis infundit, cujus Confeſſionem à Pelagianis maximopere urget Auguſtinus, ut *lib.* 4. ad Bonifac. *cap.* 5. & innumeris in locis, *Legem diverſis locutionum modis, & varietate verborum in omnibus diſputationibus ſuis volunt intelligi gratiam, ut ſcilicet à Domino Deo adjutorium cognitionis habeamus, qua ea, quæ facienda ſunt, noverimus, non inſpirationem dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus, quæ propriè gratia eſt.* Et Concilium Milevitan. 2. *cap.* 4. anathema dicit iis, qui ſufficere ajunt ad ſalutis adeptionem legis adjutorium, hoc eſt, peccati cognitionem, & pœnæ conſequenter peccato debitæ formidinem (hæc enim duo ſunt præcipua legis adjutoria, ut ex SS. Paulo, Ambroſio, & Auguſtino demonſtratum) nec ei conjungebant inſpiratæ à Spiritu S. Divinæ dilectionis neceſſitatem: *Quiſquis dixerit, gratiam Dei per Jeſum Chriſtum D. N. propter hoc tantùm nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſum nobis aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere, aut quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus, & valeamus, anathema ſit.* Gratia igitur per Evangelium communicata, eſt adjutorium inſpirans, præſtans, & perficiens in nobis dilectionem, qua mandata Dei diligimus, & implemus. Adjutoria cætera utilia quidem ſunt, ſed ad Evangelium per ſe non pertinent, & hujus comparatione ad animæ juſtificationem parum contribuunt, cùm gratiam illam juſtificationis operatricem demonſtrent tantùm, non præſtent, *Lex enim quamvis juſta, & ſancta, & bona, prævaricatoribus intulit mortem, quos Dei gratia non adjuvit ad juſtitiam legis implendam. Oportebat enim, ut in teſtamento veteri lex imponeretur ſuperbis, & de ſuæ voluntatis virtute fidentibus, quæ non daret juſtitiam ſed juberet; ac ſic morte prævaricationis impliciti ad gratiam confugerent non jubentem tantummodò, ſed juvantem, quæ novo Teſtamento revelatur*, ut docet S. Auguſtinus *lib.* 2. contra Adverſarium legis, & *Proph. cap.* 7. Hæc prærogativa novi Teſtamenti propria eſt. Nam ut idem ait de lege *in libro de ſpiritu, & litter. cap.* 15. *Mandatum bonum habet in littera demonſtrante, non adjuvante Spiritu*, Et ad Bonifacium *lib.* 1. *cap.* 8. *Lex jubere novit, cui ſuccumbit infirmitas, gratia juvare, qua infunditur charitas.*

XI. Eandem novæ legis à veteri docet, & urget S. Chryſoſtomus *homilia* 14. in Epiſt. ad Romanos, ubi interpretatur hæc verba, non accepiſtis Spiritum ſervitutis, &c. *Spiritum nequaquam accepit Judæorum populus* inquit &c. *Quandoquidem enim naturam excedebant omnia ea, quæ fierent* apud eos, *Spiritualia ipſa vocavit, non quòd ſpiritum accepiſſent ii, qui rerum illarum tum participes erant. Et quomodo litteræ illæ ſervitutis erant litteræ? Omnem vitæ illorum formam proferto, ac tum demum id apertè intelliges. Etenim ſupplicia illos èveſtigiò excipiebant, & merces ſtatim ſequebatur menſuram ſuam habens, quotidiani frumenti ritu famulis admenſi, ac traditi, ac magnus undique timor, &c. Apud nos verò non ita, ſed cogitatio, & conſcientia expurgatur. Neque enim dicit Deus, ne occidas tantùm, ſed ne iraſcaris, videlicet ut ne ampliùs ob præſentaneæ pœnæ timorem, ſed ob ipſius amorem, tum virtutis habitus, tum reliqua officia, ac rectè facta in nobis exiſtant, &c. Quamobrem illi quidem quanquam filii vocabantur, tamen tanquam ſervi, nos autem ut liberi facti, adoptionem accepimus, &c. Illi formidine adducti omnia agebant, hi autem ſpiritus deſiderio, & amore*, quod nonnullis exemplis demonſtrat. Quanti autem æſtimaret timore duci, non amore, docet ipſe *homil.* 13. *in Epiſt. ad Hebræos, Virtutem nihil exiſtimas ſi eam non amas.* Et *homil.* 4. *in* 2. *ad Cor. Cùm peccaveris, ingemiſce; non quod pœnas daturus ſis: nihil enim hoc eſt, ſed quod Dominum tuum offenderis, tam benignum, tam te amantem, tam denique ſaluti tuæ appenſum, ut filium ſuum tua cauſa tradiderit.*

XII. Cùm igitur in ſtatu Evangelico interiora Spiritus S. auxilia tam crebra ſint, tam valida, tam vitalia, ut dilectionem Dei in cordibus noſtris inſpirent, & producant; Cùm lex terrorem tantùm incutiat, Gratia verò Evangelica natura ſua dilectionem illam copioſiſſimè in corda noſtra diffundat: Cùm amanti nihil ſit difficile, eo quòd ut ait S. Bernardus *ſerm.* 83. *in Cantica, Amor cùm advenerit, omnes in ſe traducat, & captivet affectus*: Cùm gratia illa Evangelica & actiones noſtras præveniat, & proſequatur, inconſequens planè eſt, & inconſiderata conſequentia hæc, Contritio, ſive converſio peccatoris ad Deum ſub Evangelio amplectitur neceſſariò, & Confeſſionem peccatorum Sacerdoti edendam, & ſatisfactionem pro peccatis juxta ejuſdem Sacerdotis præſcriptum faciendam, quòd nec ſub lege, nec ante legem poſtulabatur. Ergo ſalus multò facilius, & lenius antè quàm poſt Evangelium comparabatur, quòd probandum hoc capite ſuſceperamus. Hæc conceſſa objectionis hypotheſi dicta ſunto. Judæi enim omnes antiquiſſimi, & recentiores perpetuo conſenſu tradiderunt peccata ſine ſpeciali Confeſſione, duraque etiam ſatisfactione à Deo ſibi non remitti, ut poſtremis hujus libri capitibus fusè demonſtrabitur.

XIII. Nihil in iſtius quæſtionis ſolutione de gratia habituali diximus: Antiqui enim Patres noſtri mille ſupra centum, & aliquot annos, cùm peccatoris juſtificationem explicaverunt ad actiones hominis, ſive interiores ſive exteriores, ſeu, ut loquuntur, à voluntate elicitas, aut imperatas, tantùm confugerunt. Quapropter cùm opus noſtrum ex Sanctorum Patrum verbis, & doctrina texamus, nihil nobis occurrit de infuſis habitibus dicendum. Non improbabiles forſan rationes dari poſſent, quibus antiquiores Patres, atque etiam recentiores juſtè induci potuerunt ad omnem ejuſmodi habituum doctrinam prætermittendam: ſed rem aggredi eſſet, mea ſententia, huic loco minimè opportunam.

XIV. Eadem difficultas alio modo, & ſolidè, ut mihi videtur, diſſolvi poteſt: nutat enim undique hæc objectio. S. Paulus in Epiſt. ad Gal. *cap.* 5. *v.* 3. ſcribit, *Teſtificor autem rurſùs omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ.* Quicunque circumciſus erat non modò

corde

corde compungi tenebatur propter peccata commiſſa, ſed etiam univerſam legem Judaicam obſervare, ſeverèque ſi quid tantillùm omiſiſſet, plectebatur. *Apud Moſes & veteres*, inquit Pacianus in Parænesi ad Pœnitentiam, *minimi quoque peccati, & quadrantis unius, ut ita dixerim, rei, in eodem æſtuario volutati ſunt, & qui ſabbata violaverant, & qui immunda contigerant, & qui eſcarum vetita præſumpſerant, & qui murmurabant, & qui pariete corrupto, & qui veſte maculata in templum ſummi regis intraverant, & qui altarium his obnoxii manu contrectaverant, aut veſte contigerant, ut in cœlum aſcendere citius fuerit, aut emori ſatius quàm hæc univerſa ſervare*. Ideò S. Petrus Concilio Apoſtolorum præſidens *Act.* 15. nonnullos arguens, qui credentes circumcidi jubebant, ait, *Quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus*. Ex circumciſionis enim aſſumptione naſcebatur totius legis Moſaicæ adimplendæ obligatio, quæ jugum erat humeris hominum intolerabile, propter rationes à Paciano allatas, atque ut evidentiſſimum eſt, cuique ſingula iſtius legis præcepta examinanti.

XV. In quo igitur conſiſtit prærogativa Evangelii ſupra legem? An quod ſalutaris gratia cordi minus præparato, minus Deum amanti, immò nondum amanti infunditur? Quod peccata non confitentibus, & pro iis labores nullos patientibus condonarentur? In eo conſiſtit ingens illa, & amabilis prærogativa, quòd per Evangelium legis Moſaicæ jugo liberati ſumus, atque ut ait Apoſtolus eodem loco, *verſ.* 13. *Vos in libertatem vocati eſtis fratres, tantùm ne libertatem in occaſionem detis carni*. Verùm S. Pacianus poſtquam verbis jam citatis legis intolerantiam nobis expoſuit, præclarè exponit in quo Evangelii conſiſtant τὰ ἀριστεῖα, *His igitur nos omnibus, multiſque præterea carnalibus vitiis, ut citius ad deſtinata quiſque perveniat, ſanguis Domini liberavit redemptos à ſervitute legis, & libertate fidei emancipatos*. Ideò *Apoſtolus Paulus, Vos autem in libertatem vocati eſtis. Hæc illa libertas, quod non omnibus aſtringimur, quibus Veteres tenebantur; ſed donata, ita dixerim, ſylva delictorum, & remediorum indulgentia deſtinata, in pauca concluſi ſumus, & neceſſaria; quæ & ſervare facillimum eſſet credentibus, & cavere, & merit iſſimò Tartarum non recuſaret, qui tantæ donationi ingratus, ne hæc quidem pauca ſervaſſet*. In hoc igitur illa libertas, illa Evangelici ſtatus ſupra legalem privilegia conſiſtunt, quòd infinita præceptorum congerie exonerati ſumus, & in pauca concluſi, quæ obſervatu facillima ſunt. Pauca illa præcepta ex ipſius mente libro quinto explicabuntur. Hæc propoſito noſtro ſuperſunt.

XVI. Obiter admonendus eſt lector axioma Apoſtoli, quo Gentiles Chriſtianos à circumciſione deterret, ex antiqua Judæorum doctrina, & traditione eſſe depromptum. Hoc ut diſtinctius intelligat, illi ſciendum eſt, duplices olim Proſelytos apud Judæos fuiſſe: Alios appellatos eſſe, גרי תושב *Proſelytos Inquilinos*, eo quod ſolummodò illis liceret in terra Iſrael habitare: Alios, גרי צדק vel, גרי ברית *Proſelytos juſtitiæ*, vel, *fœderis*. Priores non circumcidebantur, nec baptizabantur, nec ſacrificia Judaica offerebant: Ideò nulla ratione populo Dei adſcribebantur, ſed ad quædam præcepta obſervanda, quæ Noacho data ferunt, tantùm adſtringebantur, quorum hæc præcipua, Idololatria fugienda, ſcortatio, ſanguinis effuſio, & rapina. Quocirca vocare ſolent eos Rabini Sanctos gentium. Moſes Tranenſis initio *c.* 14. *Deciſionum* de matrimonio, & congreſſu prohibitis, אי זהו גר תושב שמותר להושיבו בינינו בארץ ישראל זה גוי שקבל עליו שלא יעבוד ע״ז ושאר מצות שנצטוו בני נח ולא מל ולא טבל הרי זה מקבלים אותו וכתוב ואלו עובד ע״ז כתיב ביה לא ישבו בארצך פן יחטיאו אותך לי׳ *Quis eſt Proſelytus Inquilinus, cui licet habitationem dare nobiſcum in terra Iſraelis? Gentilis eſt, qui in ſe recepit, quòd idolis non ſerviret, & obſervaret reliqua præcepta, quæ filiis Noe tradita ſunt, ſed non circumciditur, nec baptizatur. Hunc ideò recipiunt quod ſcriptum ſit, &c. Verùm ſi idolis ſerviat, de eo ſcriptum eſt, Non habitabit in terra tua, ne fortè peccare te faciat adverſùm me*. Deinde explicat privilegia connubiorum, quæ illis contra legem in terra Iſraelis conceduntur.

XVII. Poſteriores veri erant Proſelyti; circumcidebantur, baptizabantur, & ſacrificium ſtatim offerebant, cùm templum ſtabat, & populo Dei ſicut veri Iſraelitæ aggregabantur, erantque univerſæ legi obnoxii; ac ea violata non ſecus ac Judæi, & eodem modo puniebantur: Nunc verò cùm fiunt Proſelyti tertio liberantur, & ſacrificii offerendi, cùm templum denuò ædificatum erit, promiſſionem ab iis tantùm efflagitant. Moſes Kotſenſis in Explicatione centeſimi decimi ſexti præcepti negativi ex quotidiana praxi, & antiquis auctoribus hoc enarrat, כשירצה הגוי ליכנס בברית ולהסתופף תחת כנפי השכינה ולקבל עליו עול תורה צריך מילה וטבילה והרצאת דמים של קרבן ואם נקבה היא טבילה וקרבן שנאמר ככם כגר מה אתם במילה וטבילה והרצאת דמים של קרבן אף הגר כן ומהו קרבן הגר עולת בהמה או שתי תורים או שני בני יונה ושניהם עולות ובזמן הזה שאין שם קרבן צריך מילה וטבילה וכשיבנה בית המקדש יביא קרבנו גר שמל ולא טבל או טבל ולא מל אינו גר עד שימול ויטבול וצריך שיטבול בפני שלשה כמו שאמר ב״פ החולץ והואיל והדבר צריך בית דין אין מטבילין אותו לא בשבת ולא ביום טוב ולא בלילה ואם הטבילוהו הרי זה גר׳ *Cum Gentilis voluerit inſeri fœderi, & protegi ſub alis divinitatis, atque in ſe recipere jugum legis, opus eſt circumciſione, & baptiſmo, & placatione per aſperſionem ſanguinis oblationis. Si verò mulier fuerit, opus erit tantùm baptiſmo, & oblatione, ut dicitur, Sic vos, ſic Proſelytus. Quid autem vos? Per circumciſionem, per baptiſmum, per placationem ſanguinis oblationis, fœderi Dei inſiti eſtis: Sic etiam Proſelytus. Cujuſmodi autem eſt illa Proſelyti oblatio? Holocauſtum pecoris, aut par Turturum, vel Columbarum, ambo holocauſta. Hoc autem tempore quo non eſt oblationi locus, neceſſaria eſt circumciſio & baptiſmus; & cùm ædificata fuerit domus Sanctuarii oblationem ſuam offeret. Proſelytus qui circumciſus, & non baptizatus; aut baptizatus & non circumciſus, non eſt Proſelytus, donec circumciſus fuerit, & baptizatus. Neceſſe eſt autem, ut in præſentia trium perſonarum baptizetur, ut dicitur in cap. Hacholats tractatu Jebamoth f. 46. Cum igitur huic rei neceſſaria ſit domus Judicii ſententia non baptizantur, nec Sabbato, nec die feſto, nec noctu. Si tamen tum baptizantur, non deſinunt eſſe Proſelyti, ut dicitur in Talmude Hieroſolym. &c*. Rationem hujus reddit uterque Moſes, quòd Deus cum Iſraelitis eodem trium rerum miniſterio fœdus inierit: idque ibidem nonnullis ſcripturæ teſtimoniis demonſtrant. Ideò ipſis rationi conſentaneum viſum eſt, ut Gentiles eodem modo in populum Dei, & ſemen Abrahæ cooptarentur.

XVIII. Quapropter diligenter examinant, & catechizant Gentilem, qui Proſelytus fieri cupit. Primùm ab eo inquirunt quem ob finem cupit Iſraelita fieri, an lucri gratia, an virginis alicujus Judææ amore captus. Deinde cum conjecerunt pietatis cauſa religionem Judaicam amplecti velle, ob oculos illi proponunt calamitates Judæorum, quibus quotidiè affliguntur: Præcepta legis levia, & gravia, non tamen omnia; Pœnas tranſgredientibus infligendas, mercedem legem obſervantibus, legis implendæ difficultatem, & multa hujuſmodi. Cùm vident eum in propoſito perſeverantem circumcidunt, & ſanguine circumciſionis aſpergunt. Sanato, circumciſionis vulnere baptizatur, טבל ועלה הרי הוא בישראל בכל דבר *Baptizatus eſt, & emerſit ex aqua, En in omnibus rebus factus eſt ſicut Iſraelita*, ſcribit Moſes Mikotſi. Moſes verò Tranenſis, גר שמל וטבל בפני ג׳ אפילו נודע שבשביל דבר הוא מתגייר יצא מכלל הגוים ואפילו חזר ועבד ע״ז הרי הוא כישראל משומד שקידושיו קידושין *Proſelytus circumciſus, & baptizatus in præſentia trium, licèt cognitum ſit quod rei temporalis cauſa Judaiſmum amplexus eſt, à regula, & lege Gentium exemptus eſt. Licèt quoque ad Idololatriam redierit, En ſicut Iſraelita erit Apoſtata; quia ſanctificatio, & conſecratio ejus, eſt ſanctificatio, & conſecratio*. Hoc eſt, ſi ad idololatriam redierit, non ideò cenſebitur Gentilis, ſed non ſecus ac nativitate Judæus, erit Apoſtata. Hæc occaſione axiomatis ab Apoſtolo uſurpati ex antiquis Judæorum axiomatis deprompta ſunto. Qui cæteras initiandorum Gentilium circumſtantias, & ceremonias cognoſcere voluerit, auctores jam citatos adeat, necnon & Maimonidem *c.* 13. & 14. tractatus Iſure biah.

CAPUT II.

De nominibus, Latinis, Græcis, Hebraicis, Chaldaicis, Syriacis Confeſſionem ſignificantibus, deque eorum varia apud Sacros, & Eccleſiaſticos auctores ſignificatione.

CONfeſſionis nomen apud Eccleſiaſticos auctores in duplici ſignificatione uſurpatur. Prior laudis eſt, & gratiarum actionis. Unde confiteri Deo, eum laudare eſt, vel ei gratias agere. Hoc ſæpius adnotavit S. Hieronymus, ut quæſtionibus in Geneſim in voce Juda, & in fine Commentariorum in *cap.* 38. *Eſaiæ, & in Daniel. cap.* 11. notat eum dixiſſe, Confiteor peccata mea, eo quòd *in multis Scripturæ locis Confeſſio non Pœnitentiam, ſed laudem ſonat*. Iſta ſignificatio in li-

in libris ſacris frequentiſſima, ab Hebræis derivata eſt: nam apud Latinos auctores, quibus ſacræ literæ incognitæ fuerunt, non legitur. Iſtius ſignificationis cauſa videtur quod fateri Deum eſſe, ipſique peccata confiteri, eum laudare ſit, & ſupra humanam naturam tollere. Aliquis enim Deum eſſe fateri non poteſt, quin eum ut omnium rerum auctorem laudibus efferat, nec peccata ſua confiteri, quin illi ſe, ſuaque omnia ſubiiciat. Poſterior ſignificatio nominis propria eſt, & Latina, qua quod arcanum eſt, aut alteri incognitum, ei privatim aut publicè, ſpontè aut coactè revelatur.

II. Septuaginta Interpretes duas iſtas ſignificationes duabus dictionibus interpretari ſolent. Ubi enim laudem ſignificat, ἐξομολογεῖσθαι, interpretantur; ubi verò peccati confeſſionem ἐξαγορεύειν, ut *Levit.* 16. 21. *Poſita utraque manu ſuper caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſrael*, καὶ ἐξαγορεύσει, *&c.* Sic *Levit.* 26. 40. *&* *Num.* 5. 7. Daniel. 9. 20. καὶ ἐξαγορεύοντος τὰς ἁμαρτίας μου. Et *Pſ.* 31. 5. *Confitebor adverſum me injuſtitiam meam*, ἐξαγορεύσω κατ' ἐμοῦ τὴν ἀνομίαν μου. Sanè cæteris locis penè innumeris, quibus laudare Deum jubemus ἐξομολογεῖν interpretantur. *Joſuæ* 7. 19. Ubi Achan dicitur, *Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi, quid feceris*, legitur, καὶ δὸς τὴν ἐξομολόγησιν, καὶ ἀνάγγειλον, &c. ubi in poſteriore ſignificatione poteſt intelligi, ἐξαγορεύειν autem propriè eſt profiteri, in vulgus edere, manifeſtum reddere. Heſychius interpretatur, ἐξαγορεύει, φανεροῖ, ἐξαγορεύειν, πᾶσι δηλοῦν. Pollux *l.* 5. *cap.* 35. ἐκλαλεῖν, ἐξαγορεύειν, ἐκφαίνειν, ſynonima tradit. Zonaras in *cap.* 7. Concilii Carthaginenſis ſummi Sacerdotibus horum verborum, Quodcumque ſolveritis pronunciatio, ἡ ἐξαγόρευσις, convenit. Gregorius Nazianz. *de baptiſmo*, μὴ ἀπαξιώσῃς ἐξαγορεῦσαί σου τὴν ἁμαρτίαν, *Ne dedigneris confiteri peccatum tuam.* Hinc ἐξαγόρευσις, Confeſſio, quam dictionem Pollux teſtatur eſſe elegantem. Ea utitur S. Chryſoſtomus, ut vulgata *homil.* 9. *in Epiſt. ad Hebræos*, cum ait, *Quale eſt Pœnitentiæ medicamentum, & quomodo præparatur? condemnatione proprii peccati*, καὶ ἀπὸ ἐξαγορεύσεως, *& confeſſione.* Baſilius *can.* 7. Ignorantia eos dignos facit, καὶ τὸ αὐτόματον τῆς ἐξαγορεύσεως, *& ſpontanea Confeſſio.* Et *can.* 56. Debet quatuor annis deflere ſtans extra fores Oratorii, &c. ἐξαγορεύων τὴν ἰδίαν παρανομίαν, *propriam iniquitatem confitens.* Gregorius Nyſſenus in Epiſtola ad Letojum, *à ſeipſo ad peccatorum Confeſſionem impulſus*, ἀφ' ἑαυτοῦ πρὸς τὴν ἐξαγόρευσιν τῶν ἁμαρτιῶν ὁρμήσας: Ideò Græcis Neotericis hactenus in uſu eſt illa dictio, ut peccatorum declaratio in Confeſſione facta denotetur. Hac utitur ſæpiſſimè Simeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, & Gabriel Philadelphienſis Exomologeſim definit per ἐξαγόρευσιν.

III. Hanc diſtinctionem Apoſtoli non obſervarunt: Nam verbo ἐξομολογεῖσθαι in utraque ſignificatione utuntur. In priore, ut *Matth.* 11. *Lucæ* 10. *Confiteor tibi Pater*, ἐξομολογοῦμαι, &c. Sic ad *Rom.* 14. 11. *&* 15. 9. & alibi, In poſteriore autem, ut *Matth. c.* 3. *&* *Marc. c.* 1 ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν, *confitentes peccata ſua.* Sanctus quoque Jacobus *c.* 5. 16. *&* *Lucas Act. c.* 19. *verſ.* 18. Ubi de peccatorum Confeſſione ſermonem habent. *Lucæ* 22. *verſ.* 6. in ſignificatione extraordinaria uſurpatur, pro ſpondere & polliceri. De Juda enim, qui Dominum prodidit, dicitur, καὶ ἐξωμολόγησε, *& ſpopondit*, ſcilicet principibus Sacerdotum. Vix alias apud auctores ſive prophanos, ſive ſacros occurret hæc ſignificatio. Eccleſiaſtici auctores Apoſtolos ſecuti eo nomine paſſim pro peccatorum Confeſſione uſi ſunt. S. Clemens *Conſtitut. Apoſtol. cap.* 15. *lib.* 7. *Confitere Domino Deo tuo peccata tua.* Irenæus *lib.* 1. *cap.* 9. ſæpius, ut ex eo refert Epiphanius *hæreſi* 34. Origenes *homilia* 2. *in Pſal.* 37. S. Baſilius *in Epiſtola ad Amphilochium.*

IV. Advertendum eſt aliquando ἐξομολόγησιν, & ἐξομολογεῖσθαι à Patribus ſumi pro univerſa Pœnitentiæ actione, nec tantum pro delicti ſui confeſſione, & publicatione. Ita ſæpè S. Baſilius ut *cap.* 2. Non oportet autem uſque ad obitum Confeſſionem eorum extendere, ſed eam poſt decennium admittere, προσίεσθαι αὐτῶν τὴν ἐξομολόγησιν, & *can.* 73. *Qui Chriſtum negavit, &c. eum toto vitæ ſuæ tempore deflere*, καὶ ἐξομολογεῖσθαι χρεωστεῖ, *& confiteri convenit.* Sic S. Irenæus loco citato, poſt commiſſum ſcelus ἐξομολογεῖσθαι non deſtitit, hoc eſt, Pœnitentiam agere, Pœnitentiæ actionibus incumbere. Et *can.* 74. videns τὸ ὑπερβάλλον τῆς ἐξομολογήσεως, exceſſum Confeſſionis, minuet pœnam, eo quòd qui cum majore labore confitentur, μετὰ μείζονος πόνου ἐξομολογούμενοι. *Dei miſericordiam celeriter apprehendant.* Idem eſt, quod alibi ſæpius dicitur, ut Nicæni Concilii *c.* 11. & Ancyr. *c.* 5. examinato converſionis ſtudio indulgentia ipſius concedatur.

V. A Græcis ad Latinos antiquos tranſlatum eſt idem Exomologeſis nomen, ut teſtis eſt Tertullianus cap. 9. libri de Pœnit. *Is actus qui magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, Exomologeſis eſt.* Tertulliani igitur tempore in Africa ſaltem, nomen Exomologeſis erat nomine Confeſſionis multò frequentius. Sed Latini ſecundam Exomologeſis ſignificationem præſertim amplexi ſunt. Latinis igitur antiquis Exomologeſis eſt actio exterior Pœnitentiæ, quæ vulgò ſatisfactio quoque & nunc, & ab omni ævo dicta eſt. Cùm verò ſatisfactio illa variis operibus demonſtrari non poteſt, ut morientibus contingit, exterius edita peccati deteſtatio, & rectè vivendi propoſitum, ſatisfaciendique ſponſio dicitur Exomologeſis. Itaque Exomologeſis & Confeſſionem, ut exterius innoteſcit, & cæteram Pœnitentiæ actionem complectitur, ita tamen ut pro locorum circumſtantiis ad ſolam exteriorum ſatisfactionem, aliquando ad ſolam finalis Confeſſionis, & peccati deteſtationis editionem reſtringatur. Tertul. *c.* 9. *de Pœnitentia* eam ſic definit, *Exomologeſis eſt proſternendi ac humilificandi hominis diſciplina converſationem injungens miſericordiæ illicem. De ipſo quoque habitu, & victu mandat, &c.* quæ nota ſunt, & alibi referenda. Non abſimilia ſcribit verſus finem libri, ubi acutè vocat exomologeſim miniſterium Pœnitentiæ.

VI. Eandem amplectitur ſignificationem S. Cyprianus, ut apud Chriſtianum vulgus notiſſimam. *Epiſt.* 55. ad Cornelium Pontificem de Lapſis agens, quibus quidam Presbyteri nulla acta Pęnitentia pacem dederant, *Sublata Pœnitentia, nec ulla exomologeſi criminis facta, deſpectis Epiſcopis, atque calcatis, pax à Presbyteris verbis fallacibus prædicatur. Epiſtola* 11. de eadem re conquerens, *Illi, &c. ante actam Pœnitentiam, ante exomologeſim graviſſimi, atque extremi delicti factam, &c.* Non vertebatur quæſtio de peccatorum confeſſione. Peccatum erat publicum, illudque lubentiſſimè, & męrentes prædicabant, ſed de actione Pęnitentiæ, quam propter ejus moleſtias ſuſcipere detrectabant, & à qua eximi omni contentione procurabant. Itaque nihil aliud illis locis ſignificare poteſt, quam Pęnitentiæ actionem. Sic *Epiſt.* 12. *Epiſtolis autem ſequentibus* 13. 14. *&* 15. ubi de morientibus Lapſis, quibus nondum Pęnitentia fuerat impoſita, Exomologeſis ut dictum eſt, pro peccatorum confeſſione ac deteſtatione, & ſatisfaciendi propoſito coram Sacerdote edito uſurpatur. *Si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint.* Eadem ſemper eſt ſignificatio: Præter enim illas actiones nullam aliam edere poſſunt.

VII. S. Pacianus à Tertulliano, cujus integras ſententias in uſum ſuum excerpit, nihil differt. In parœneſi ad Pęnitentiam, *Tertiò de his erit ſermo qui confeſſis bene, apertiſque criminibus remedia Pœnitentiæ, actuſque ipſos exomologeſis adminiſtrandæ aut neſciunt, aut recuſant.* Quid his verbis clarius fingi poteſt? Poſteà, *Rex ille Babylonius exomologeſim deſertus operatur, & ſeptenni ſqualore decoquitur.* Sæpius ſimiles phraſes uſurpat. S. Auguſtinus rariſſimè hoc nomine utitur: *Homilia tamen* 57. *de tempore* ſic ſcribit, *Qui criminum ſuorum ſorde pollutus eſt, Exomologeſis ſatisfactione mundetur.* Ut & Salvianus *lib.* 1. *ad Eccleſiam Catholicam*, ubi agit adverſus eos, qui Pęnitentiam in extremum diem retardant; *Quando ſatisfaciet, qui tempus ſatisfaciendi amiſit? ad jejunia videlicet longa confugiet? Eſt quidem hoc aliquid, ſed eleemoſynis miſceatur, ſecundùm illud bonum eſt jejunium cum eleemoſyna. Sed quomodo ei exomologeſis diuturna opitulabitur in extremis ſito?* S. Iſidorus *in fine lib.* 6. *Etymologiarum* exomologeſeos nomen primùm de utraque Confeſſione initio explicata, *Aut enim*, inquit, *in laude intelligitur Confeſſio, ſicut eſt, Confiteor tibi, Pater Domine cœli, & terræ; aut dum quiſque confitetur ſua peccata, &c.* Deinde examinatis veræ Confeſſionis conſequentibus exomologeſim verbis Tertulliani eo non nominato definit, *diſciplinam proſternendi, & humiliandi hominis, &c.*

VIII. Nonnunquam tamen licèt rariſſimè Exomologeſis peccatorum Confeſſionem ſimpliciter ſignificat, ut apud Tertullianum *lib. de oratione c.* 7. *Exomologeſis eſt petitio veniæ, quia qui petit veniam, delictum confitetur.* Et S. Cyprianus de Lapſis longè poſt medium, *Quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter, & ſimpliciter confitentes, exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licet & modicis*

modicis

Digitized by Google

vulneribus exquirunt. His ſanè locis non videtur aliter ſumi debere, quàm in primitiva ſignificatione, pro peccatorum ſcilicet Confeſſione, ut ſingula expendentibus eſt manifeſtum.

IX. Alia exomologeſis ſignificatio à præcedentibus longè diverſa S. Iſidori ſeculo, & ſequentibus inoleverat, cujus ipſe Iſidorus eodem loco mentionem facit his verbis, *Inter Letanias autem, & Exomologeſim hoc differt, quòd Exomologeſes pro ſola Confeſſione peccatorum aguntur; Letaniæ verò propter rogandum Dominum, & impetrandam in aliquo miſericordiam ejus. Sed nunc jam utrumque vocabulum ſub una ſignificatione habetur, nec diſtat vulgò utrùm Letaniæ, an Exomologeſes dicantur*. Idem erat iſtius vocabuli uſus tempore Concilii Moguntini ſub Leone III. celebrati, ut apparet *ex can*.32. qui ex Iſidori verbis excerptus eſt, quibus addunt Patres, *Sed nunc jam utrumque vocabulum ſub una deſignatione habetur*. Verùm nativa iſtius dictionis ſignificatio apud Græcos hactenus frequentiſſimè uſurpatur, ut ex Balſamone & Zonara, atque ex Pœnitentialibus Gregorii Jejunatoris, Joannis Monachi, & aliorum; nec non ex ſcriptis Archiepiſcoporum Simeonis Theſſalonicenſis, Gabrielis Philadelphienſis, Matthæi Cariophyli Iconienſis in refutatione blaſphemiæ quinquageſimæ, & Hieremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani primi reſponſi *cap*.11. colligitur. Utuntur etiam Græci ætatis, ut ita loquar, mediæ alia phraſi, qua idem quod per ἐξομολόγησιν ſignificant. Dicunt enim λογισμοὺς δέχεσθαι, ratiocinia excipere, quòd diceremus Confeſſiones audire. Ita Balſamon *in canonem Carthag*. 6. Similiter & *in c*. 133. *Nota quod qui ſine Epiſcopali permiſſione* δίχα λογισμοὺς ἀνθρώπων, *ſuſcipiunt hominum Confeſſiones ſacrati Monachi malè faciunt*. Eadem phraſi in eadem cauſa utitur Zonaras in *can*.7. *Carthag*. & ante illos Nicephorus Chartophylax in Epiſtola ad Theodoſium: Id enim neceſſariò colligitur ex verſione Latina. Nicephorus Gregoras *hiſtoriæ lib*.4. de Michaele Auguſto dixit, τῷ Ἰωσὴφ πατριάρχῃ τοὺς λογισμοὺς ἐξηγόρευσε.

X. Hæbræi & Syri, ut utrumque ſignificent una tantùm voce utuntur, quos eſt imitatus Latinus Interpres; atque etiam, ut adnotatum eſt, novi Teſtamenti ſacri ſcriptores. Verbum Hebraicum eſt ידה quod ut monet Kimhi in radicibus ſignificat שבח והודאה laudem, & Confeſſionem. Verùm Chaldæi Paraphraſtæ, ut ſcribit Elias Levita in Methurgeman radice ידה quoties occurrit הודו in Pſalmis illud interpretantur שבחו *Laudate*. Aliis quibuſdam locis exponi debet per Confeſſionem peccatorum, *ut Levitici* 16. 21. & 26. 40. & *Numer*. 5. 7. & *Pſal*. 31. 5. Nomen Hebræis ab hoc verbo formatum eſt תודה Confeſſio, quæ potiſſimùm laudem, & gratiarum actionem ſpectat. Rabbini duobus aliis nominibus ab eadem radice derivatis utuntur, הודאה *hodaah*, & ודוי *Vidui*, inter quæ hanc differentiam ponit Elias, quòd Vidui Confeſſionem peccatorum ſemper ſignificet, hodaah verò nonnunquam laudem, & gratiarum actionem. Sic in radice Vidui, לשון ודוי שרשו ידה והוא כמו הודאה אלא שלשון הודאה נופל גם כן על לשון שבח והלל לשם יתברך שמו והודוי לא נופל רק על הודאות חטא ועון Vidui longè frequentius ab iis uſurpatur quàm hodaah, ut poteris animadvertere ex poſtremis iſtius libri capitibus. Vidui Chaldæis non eſt in uſu, ſi verum eſt, quod notat Elias in Methurgeman ſed hodaah uſurpant, ut, & אודאה תודתא תודא in utraque ſignificatione.

XI. Syris vulgò dicitur תודיתה *thauditah*. Quæ dictio ſæpius legitur in novo Teſtamento non ſecus quàm in veteri. Vide *Levit*. 16 21. 2. *Cor*. 9. 13. & 1. *Timot*. 6. 12. Sicut autem Apoſtoli eadem voce Græca ἐξομολογεῖσθαι uſi ſunt ut peccatorum revelationem, & laudis confeſſionem ſignificarent, hoſque ſecutus eſt noſter Interpres: Ita quoque & Syrus ut ex *Actor*. 19. *verſ*. 18. & Jacobi 5. 16.

CAPUT III.

Ex peccatorum diſtinctionibus à Tertulliano & Catholico, & Heretico uſurpatis; atque ex ſtata controverſiæ Montaniſtas inter, & Catholicos peccatorum etiam venialium Confeſſio evidenter demonſtratur.

Explicatis variis nominibus, quibus efferri Confeſſio ſolet, illius neceſſitas, & ratio toto hoc libro nobis explicanda ſuccedit. Confeſſio ſecunda eſt conditio, quam Deus peccatorum remiſſioni obtinendæ appoſuit: ſed illius neceſſitas à præcedentis neceſſitate plurimùm differt. Contritio enim, ſive ante Sacramentum per Spiritum ſanctum in cordibus noſtris producta fuerit, ſive in ſacramento, & per Sacramentum id contigerit, utrolibet modo producta fuerit, adultis ad ſalutem abſolutè neceſſaria eſt, nullaque in occaſione ab Eccleſiæ diſpenſatione pendet. Verum adultus ſine Confeſſione remiſſionem peccatorum obtinere poteſt, & ſalutem conſequi, ſi Confeſſionem excludat contemptus, ſed temporis anguſtia. Prætereà licèt Confeſſio peccatorum divinitus inſtituta ſit, eamque Eccleſia abrogare non poſſit, illius tamen rationem, modumque non tantùm reſpectu temporis, ſed etiam reſpectu ſui Eccleſiæ auctoritati, & regimini Deus commiſit. Tempus potuit Eccleſia definire, quo criminis Reus confiteri tenetur: Nec hoc ſolùm, ſed peccata publica publicè confitenda, quòd ni faceret Pœnitens, nec ab Eccleſia, nec à Deo remiſſionem peccatorum conſequeretur. Potuit & peccatorem aliquando non modò invitare, ſed etiam conſiliis urgere ad peccatorum quorumdam occultorum publicam Confeſſionem, quæ nec illi, nec aliis vita periculum crearet, ſede fidelibus pietatis, correctionis, & ædificationis ſingulare exemplum præberet. Potuit inſuper, Reum ad peccata ſaltem publica enuntianda non modo uni Sacerdoti, ſed etiam Presbyterio, ſive Senatui Eccleſiaſtico obligare; fideles quoque ad ea peccata accuſanda, quæ Rei ſpontè non fatebantur. Poſſet denique Eccleſia Confeſſioni peccatorum alia dare temperamenta, quæ necdum ſcimus, nec divinare poſſumus. Longè igitur diſtat à præcedente iſta remiſſionis peccatorum conditio. De neceſſitate Confeſſionis, & temperamentis, quæ hactenus illi appoſuiſſe Eccleſiam deprehendimus, ex antiquorum monumentis diſſeremus. Quoniam autem res eſt nobis cum Catholicis, argumenta vulgata licèt invicta, quibus Confeſſionis peccatorum mortalium neceſſitas demonſtratur, omnia prætermittimus, unico ex ſtatu controverſiæ inter Catholicos & Hæreticos, Montaniſtas, & Novatianos, petito eandem neceſſitatem demonſtrare contenti.

II. Tertullianus *cap*. 3. *de Pœnitentia*, peccata diſtinguit in carnalia, ſive corporalia, & ſpiritalia: Illa autem ſic explicat, *Spiritalia, & corporalia nominantur, quod delictum omne, aut agitur; aut cogitatur, ut corporale ſit quod in facto eſt; quia factum, ut corpus, & videri, & contingi habet. Spiritale verò, quod in animo eſt, quia ſpiritus neque videtur, neque tenetur. Per quod oſtenditur, non facti ſolùm, verùm & voluntatis delicta vitanda, & pœnitentia purganda eſſe*. Multis ibi demonſtrat peccata ſpiritalia, ſive ſolius voluntatis, eſſe, ut nunc loquimur, mortalia, nec, eo quod perpetrata non ſunt, à crimine eſſe excuſanda; ideo utrorumque pœnitentiam eſſe agendam, *Quid? quod voluntas facti origo eſt? Viderint enim, ſi qua caſui aut neceſſitati, aut ignorantiæ imputantur, quibus exceptis, jam nonniſi voluntate delinquitur. Cùm ergo facti origo eſt, non tanto potior ad pœnam eſt, quanto principalis ad culpam: quæ ne tunc quidem liberatur, cùm aliqua difficultas perpetrationem ejus intercipit. Ipſa enim ſibi imputatur, nec excuſari poterit per illam perficiendi infelicitatem, operata quod ſuum fuerat. Denique Dominus, quemadmodum ſe adjectionem legis ſuperſtruere demonſtrat, niſi & voluntatis interdicendo delicta? quum adulterum, non ſolùm eum definit, qui cominus in alienum matrimonium cecidiſſet, verùm etiam illum, qui aſpectus concupiſcentia contaminaſſet*. Voluntatis delicta non ſecus ac facti multis urget eſſe pœnitentia purganda, colligitque initio *cap*. 4. *Omnibus ergo delictis ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & veniam per pœnitentiam ſpopondit*. De hinc omnes Chriſtianos ad pœnitentiam amplexandam, ut naufragus alicujus tabulæ fidem exhortatur. Unde manifeſtè colligitur peccata voluntate tantùm commiſſa confeſſioni obnoxia fuiſſe, quum de pœnitentia à Sacerdotibus impoſita, quam neceſſariò peccatorum confeſſio præcedit, toto libro, verbiſque immediatè ſequentibus, & præcedentibus loquatur, ad eamque quibus poteſt argumentis fideles adhortetur.

III. Idem libro de Pudicitia multas peccatorum diſtinctiones explicat. Hunc Librum Montaniſta quidem adverſus Catholicorum de Pœnitentia ſententiam compoſuit, multa tamen ex eo decerpi poſſunt, quæ Eccleſiæ ſententiam illuſtrent. *Cap*. 2. peccata ſic dividit, *Cauſas Pœnitentiæ delicta condicimus. Hæc dividimus in duos exitus. Alia erunt remiſſibilia, alia irremiſſibilia; ſecundùm quod nemini dubium eſt alia caſtigationem mereri, alia damnationem. Omne delictum aut venia expungit, aut pœna; venia ex caſtiga-*

Morin. de Sacram. Pœnit.

ſtiga-

Digitized by Google

ſtigatione; pœna eu damnatione, &c. Secundùm hanc differentiam delictorum, pœnitentiæ quoque conditio diſcriminatur, Alia erit, quæ veniam conſequi poſſit, in delicta ſcilicet remiſſibili; alia quæ conſequi nullo modo poſſit, in delicto ſcilicet irremiſſibili. Cap.9. delicta irremiſſibilia vocat capitalia, & inconceſſibilia. *Cap.16.* delicta remiſſibilia vocat ſordes; irremiſſibilia maculas. *Cap.* 18. dicit nos levioribus peccatis veniam ab Epiſcopo conſequi poſſe, majoribus & irremiſſibilibus à Deo ſolo. *c.20.* vitia quædam vocat immundabilia, *c.22.* alia vocat donabilia. Graviſſima illa peccata vocat irremiſſibilia, inconceſſibilia, immundabilia, & capitalia, non autem mortalia; eo quod remiſſibilium pleraque erant mortalia, hoc eſt, morti æternæ obnoxia, niſi per Pœnitentiam ea remitteret Eccleſia, ut ipſe poſt eorum enumerationem *capite 7.* κατὰ λέξιν adnotat *Quod poteſt recuperari non perit, niſi foris perſeveraverit.* Propter enim ejuſmodi peccata Montaniſtæ & eos à communione pellebant, & acta Pœnitentia eam reddebant. Deinde notiſſima conſequentia id colligitur, cùm tribus tantum peccatis Pœnitentiam negarent. Quis enim unquam negavit alia eſſe peccata præter hæc tria, quæ mortem mererentur æternam.

IV. Quum autem peccata gravia irremiſſibilia dicit, hoc intelligit reſpectu Eccleſiæ, non reſpectu Dei: id eſt, Eccleſiam iſta peccata condonandi nullam habere authoritatem, ſed peccatores ejuſmodi à Deo ſolo veniam, & miſericordiam ſperare poſſe; illis agendam eſſe pœnitentiam, ſed ab Eccleſia nihil miſericordiæ ſperandum, cùm in peccatorum gravium remiſſionem nihil juris habeat. Contra verò Catholici nulla peccata excipiebant, ſed omnia omnino, modò illorum pœnitentia ageretur, clavibus Eccleſiæ ſubjecta eſſe contendebant. Tertulliani verba ſunt evidentiſſima. Catholici adverſus eum c.3. ſic argumentabantur, *fruſtra agitur pœnitentia, ſi caret venia. Omnis autem pœnitentia agenda eſt. Ergo omnis veniam conſequatur, ne fruſtra agatur; quia non erit agenda, ſi fruſtra agatur.* Huic objectioni ſic occurrit Tertullianus, ut Catholicorum, & ſuam, ſuæque ſectæ ſententiam evidenter explicat, *Meritò ita opponunt, quoniam hujus quoque pęnitentiæ fructum, id eſt, veniam, in ſua poteſtate uſurpaverunt. Quantum enim ad illos, à quibus pacem humanam conſequitur; quantum autem ad nos, qui ſolùm Dominum meminimus delicta concedere, & utique mortalia, non fruſtra agetur. Ad Dominum enim remiſſa, & illi exinde proſtrata, hoc ipſo magis operabitur veniam, quòd eam à ſolo Deo exorat, quòd delicto ſuo humanam pacem ſufficere non credit, quòd Eccleſiæ mavult erubeſcere, quàm communicare. Adſiſtit enim pro foribus ejus, & de notæ ſuæ exemplo cæteros admonet; & lachrymas fratrum ſibi quoque advocat, & redit plus negotiata, compaſſionem ſcilicèt quàm communicationem. Et ſi pacem hic non metit, apud Dominum ſeminat: Nec amittit, ſed præparat fructum.* Itaque Capitalium criminum rei apud Montaniſtas pęnitentiam agebant ferè eodem quo apud Catholicos, licèt criminum iſtorum veniam nunquam eſſent conſecuturi: ſed fores Eccleſiæ non tranſiliebant Pœnitentes. Severius adhuc puniebant eos, qui capitalium criminum, quæ erant maximè horrenda, perpetraverant, ejuſmodi enim homines à foribus Eccleſiæ longè propellebant. *Reliquas autem libidinum furias impias, & in corpora, & in ſexus ultra jura naturæ, non modo limine, verùm omni Eccleſiæ tecto ſubmovemus, quia non ſunt delicta ſed monſtra.*

V. Manifeſtum eſt, quæ peccata Montaniſtæ vocaverint irremiſſibilia, Idololatriam ſcilicet, Homicidium, Męchiam, & iſtorum criminum ramos, & ſurculos. Ex quo evidenter colligitur, quæ fuerint peccata venialia, & remiſſibilia. Operæ pretium tamen erit ex ipſo Tertulliano expreſſius iſta declarare, *Cap. 7.* ſolvit objectionem Catholicorum de ove perdita *Lucæ* 15. qua colligebant graviſſimis peccatis veniam eſſe concedendam. Multis primùm contendit per ovem Ethnicum eſſe intelligendum, non Chriſtianum, ut per baptiſmum univerſa delicta purgari hæc parabola tantùm ſignificet. Hoc enim doctrinæ Catholicæ principium admittebat cum ſuis Tertullianus. Deinde admiſſo Chriſtianum per ovem atque etiam per Drachmam perditam intelligi, & ſic de Pęnitentia ſermonem eſſet, negat colligi peccata capitalia eſſe intelligenda; quia ovis non dicitur mortua ſed periiſſe, ſic drachma non interiiſſe, ſed perdita. Peccata enim irremiſſibilia hominem occidunt; Cætera verò ab ovili errare faciunt, ideò remitti poſſunt, oviſque errans non mortua, poteſt ad ovile revocari. Sed ipſum Tertullianum audiamus emphaticis verbis de more ſententiam ſuam exprimentem, *Licèt enim periiſſe dicatur, erit & de perditionis genere retractare, quia & ovis non moriendo, ſed errando, & drachma non intereundo, ſed latitando perierunt. Ita licet dici periiſſe quod ſalvum eſt. Perit igitur, & fidelis elapſus in ſpectaculum quadrigarii furoris, & gladiatorii cruoris, & ſcenicæ fęditatis, xyſticæ vanitatis in luſus, in convivia ſæcularis ſolemnitatis, in officium, in miniſterium alienæ idololatriæ: aliquas artes adhibuit curioſitatis, in verbum ancipitis negotiationis impegit, ob tale quid extra gregem datus eſt, vel & ipſa fortè ira, tumore, æmulatione, quòd denique ſæpè fit dedignatione caſtigationis abrupit, debet requiri, atque revocari. Quod poteſt recuperari non perit, niſi foris perſeveraverit. Bene interpretaberis parabolam, viventem adhuc revocans peccatorem. Męchum verò & fornicatorem, quis non mortuum ſtatim admiſſo pronuntiavit, &c.* En peccata, quæ venialia, & remiſſibilia exiſtimabant Montaniſtæ, propter quæ ſuos ab Eccleſiæ communicatione pellebant, & pęnitentia peracta Eccleſiæ ſuæ, ut loquitur, iterùm concorporabant.

VI. Paulò poſt quid per drachmæ amiſſionem intelligat, ſic paucis explicat, *Juxta quoque drachmæ exemplum, etiam intra domum Dei Eccleſiam, licet eſſe aliqua delicta pro ipſius drachmæ modulo ac pondere mediocria, quæ ibidem delitescentia, mox ibidem & reperta, ſtatim ibidem cum gaudio emendationis tranſigantur. Męchiæ verò, & fornicationis non drachma ſed talentum, quibus exquirendis non lucernæ ſpiculo lumine, ſed totius ſolis lancea opus eſt. Capite* 19. hæc manifeſtiùs adhuc diſtinguit & explicat, ut conciliet ea, quæ docet S. Joannes in prima Epiſtola, mendacem eſſe, qui aſſirmat ſe eſſe ſine peccato, & eum qui natus eſt ex Deo non peccare. Scribit S. Joannem illis verbis diſtinctionem ſuam commendare. Juſtum non peccare ſcilicet peccata irremiſſibilia; peccare verò, ſed remiſſibilia, quæ vocat quotidianæ incurſionis. *Hic enim illam Joannes commendavit, quòd ſint quædam delicta quotidianæ incurſionis, quibus omnes ſimus objecti. Cui enim non accidet; aut iraſci iniquè, & ultra ſolis occaſum? aut & manum immittere, aut facilè maledicere, aut temerè jurare, aut fidem pacti deſtruere, aut verecundia, aut neceſſitate mentiri. In negotiis, in officiis, in quæſtu, in victu, in viſu, in auditu quanta tentamur, ut ſi nulla ſit venia iſtorum, nemini ſalus competat. Horum ergo erit venia per exoratorem Patris Chriſtum. Sunt autem & contraria iſtis, ut graviora & exitioſa, quæ veniam non capiant, homicidium, Idololatria, fraus, negatio, blaſphemia, utique & Męchia, & fornicatio, & ſi qua alia violatio templi Dei. Horum ultra exorator non erit Chriſtus.*

VII. Conjunge igitur peccata, quæ in ſpecie vocat remiſſibilia, ob quæ Montaniſtæ pęnitentiam imponebant, eaque decurſa veniam, & pacis communicationem indulgebant, & evidentiſſimè cognoſces omnium peccatorum, quæ nunc mortalia vocamus, atque etiamnum venialium apud Montaniſtas confeſſionem fuiſſe ordinariam, & conſequenter idem in Eccleſia factum fuiſſe. Tota enim hac in cauſa Catholicorum cum Montaniſtis controverſia de peccatis graviſſimis erat, quibus Montaniſtæ omnem veniam denegabant, ut ex jam dictis, & univerſis periodis libri de Pudicitia ſole meridiano clarius apparet. Itaque omnium peccatorum confeſſionem eſſe faciendam utrique non modo docebant, ſed etiam uſu quotidiano obſervabant. Sed Catholici omnium remittendorum poteſtatem Eccleſiæ collatam eſſe affirmabant: Montaniſtæ verò poteſtatem iſtam ad minora conſtringebant. Sanè nullus Doctor Scholaſticus magis ſpeciatim, & ſingulatim peccata ſcripſit confeſſione purganda, quàm Tertullianus verbis allatis definiit. Hi enim peccata venialia, ſive leviſſima ab obligatione confitendi eximunt, at Tertullianus in enumeratione ſua peccata etiam venialia, & leviſſima complectitur. Alia præterea notanda eſt Catholicorum à Montaniſtis differentia: Catholici graviſſimorum tantùm peccatorum pęnitentiam publicam exercebant, ſed Montaniſtæ etiam à levioribus eam exegiſſe videntur. Conſidera enim propter quæ peccata extra gregem peccatores datos fuiſſe teſtetur Tertullianus, pleraque animadvertes leviora, & propriè venialia.

CAPUT IV.

Ex Novatianorum cum Catholicis controverſia, atque ex S. Ambroſio idem probatur.

IDem de Novatianis dicendum quod de Montaniſtis. Non enim omnem remittendorum peccatorum autoritatem Eccleſiæ adimebant; Gravium remiſſionem à Deo ſolo expectari jubebant, levium verò ſibi permittebant.

bant. Gravia crimina, ut Montaniſtæ, non modò intelligunt Idololatriam, ſed etiam Mœchiam, & homicidium, horum vitiorum fœtus, nec non ſortè aliqua alia, quæ tribus his graviſſimis labente tempore conjuncta ſunt. Hoc elicitur ex verbis S. Ambroſii initio *cap. 5. l. 3. de Pœnitentia*: *Quid mirum ſi ſalutem negatis aliis, qui veſtram recuſatis? licèt illi nihil deferant, qui à vobis Pœnitentiam petunt. Arbitror enim, quòd etiam Judas potuiſſet tanta Dei miſeratione non excludi à venia, ſi Pœnitentiam non apud Judæos, ſed apud Chriſtum egiſſet. Peccavi, inquit, quòd tradiderim ſanguinem juſtum. Reſponderunt quid ad nos? Tu videris. Quæ vox alia veſtra eſt, cùm etiam minoris peccati reus vobis factum proprium confitetur? Quid reſpondetis aliud niſi hoc. Quid ad nos? tu videris. Hunc ſermonem laqueus ſequitur: Eò feralior eſt pœna, quò culpa eſt minor, &c.* Per peccata minora intelligit ea, quæ idololatria ſunt leviora, adulterium, homicidium, &c. Sicut etiam S. Cyprianus, qui ea ſæpè vocat minora, de qua re capite ſequenti: Et *libri 1. c. 2.* Sic inducit Novatianos opponentes; *Sed ajunt ſe exceptis gravioribus criminibus relaxare veniam levioribus.* Ita Socrates ipſe Novatianus *lib. 4. cap. 23.* ubi occaſionem deſcribit Schiſmatis Novatiani, *Omnibus ubique Eccleſiis ſcribit literas, uti eos, qui ſimulacris immolaſſent, minimè ad myſteria admitterent, ſed hortarentur ad Pœnitentiam, remiſſionemque permitterent Deo, qui poteſt, & habet auctoritatem remittendi.* Paucis poſteà verbis diſtinctius explicat quid illæ litteræ continerent. *Nam quia erat à Novato ſignificatum eos, qui poſt Baptiſma peccatum ad mortem commiſerunt, ad myſteria non eſſe recipiendos, ejuſmodi canonis promulgatio quibuſdam acerba, & ſevera nimis viſa eſt, &c.*

II. Res eadem evidenter colligitur ex ſermone Attici Epiſcopi Conſtantinopolitani cum Aſclepiade Epiſcopo Novatiano apud eundem Socratem *l. 7. c. 25.* *Ego* inquit Atticus, *illum* (Novatianum) *laudo, quòd cum illis, qui idolis ſacrificaſſent, communicare recuſavit: Nam iſtud ipſum ipſe equidem feciſſem. At Novatianos minimè probo, quòd Laicos, qui leviter deliquerint, communione excludant. Ad hæc reſpondet Aſclepiades. Præter idolis ſacrificandi peccatum, ſunt alia multa peccata ad mortem, uti ex ſacris literis perſpicuum eſt, ob quæ vos ſolùm Clericos, nos Laicos etiam communione excludimus, poteſtate ſoli Deo illis ignoſcendi relicta.* Non modo igitur graviſſimis, ſed etiam gravibus peccatis remiſſionem negabant; cæteris verò & Pœnitentiam, & ea acta remiſſionem concedebant: Quòd antiqui Patres aliquando in eorum enarranda ſententia non obſervant. Ita enim eam explicant quaſi omnibus peccatis poſt baptiſmum commiſſis veniam prorſus negandam affirmarent. Ita Philaſtrius, Ephiphanius, & Sozomenus. Sed quid ſenſerint, à nemine melius, quàm ab ipſis ediſci poteſt.

III. Qua conſequentia ex controveſia Catholicorum cum Montaniſtis omnium peccatorum etiam levium Confeſſionem demonſtravimus, eadem ex Catholicorum cum Novatianis controverſia ſimilis Confeſſionis neceſſitas demonſtratur. Par eſt enim, immò eadem utrobique ratio. Novatiani paulò poſt exortam Novati hæreſim Pœnitentiam levioribus peccatis, quæ Idololatria, Mœchia, & Homicidio minora erant, imponebant, eaque peracta reconciliationem indulgebant. Confitebantur igitur Novatiani levia illa peccata Sacerdotibus ſuis. Nec dici poteſt publica fuiſſe. Relege, quæſo Lector, ea peccata quæ capite præcedente relata ſunt ex Tertulliano, ut remiſſibilia, & capitalibus leviora, videbiſque publicam infamiam vix quibuſdam ineſſe poſſe, immò maximam eorum partem neminem in aliis attendere, quam, ut ait Tertullianus, iſta peccata ſint quotidianæ incurſionis, iiſque ſimus omnes objecti, *Cui enim*, inquit, *Non accidet, aut iraſci iniquè, & ultra ſolis occaſum, &c.* Ejuſmodi peccatis Pœnitentiam imponebant, & abſolutionem dabant. Ergo peccata occulta confitebantur. Sed Catholici hoc in Novatianis laudabant; quòd verò gravioribus peccatis acta juſta Pœnitentia idem indulgere non poſſet Eccleſia, ut hæreticum anathemate feriebant. Neceſſariò igitur conſequitur, omnia peccata tam ſecreta, quàm publica, tam mortalia, quàm venalia Catholicos confiteri ſolitos, omniumque Sacerdotes abſolutionem dediſſe, eoſque qui hoc eſſe illicitum aſſererent, ab omni ævo hæreticorum albo Eccleſiam adſcripſiſſe.

IV. Licèt Novatiani peccatis ad mortem veniam non indulgerent, ea tamen Sacerdotibus confitebantur, ut ex teſtimonio S. Ambroſii proximè allato perſpicuum eſt. *Quæ vox alia veſtra eſt, cùm etiam minoris peccati reus vobis factum proprium confitetur? Quid reſpondetis aliud niſi hoc, quid ad nos, tu videris, &c.* Ratio id evincit, Cùm enim peccatis levioribus indulgentiam darent, gravioribus denegarent, utraque Sacerdotem cognoſcere oportuit, ut ſi graviorum reus eſſet pœnitens, cæterorum conſortio expelleretur; ſi verò leviorum, pœnitentia peracta veniam obtineret. Id etiam propter ipſa peccata graviora ſolitaria neceſſarium erat. Imperabant enim ejuſmodi peccatoris pœnitentiam, & pœnitentiæ rationem, ut ejus ope remiſſionem peccatorum à Deo impetrarent. Varia enim eſt peccatorum graviorum enormitas, nec una omnibus convenit pœnitentia. Ideò, ut ex Tertulliano vidimus, qui gravia peccata perpetraverunt ad fores Eccleſiæ ſtabant, *ἐν τῷ νάρθηκι*, ut Græci loquuntur, graviſſima delictorum monſtra. Qui ab omni Eccleſiæ tecto ſubmovebantur, & reliquo vitæ tempore Pœnitentiam agebant.

V. Multis aliis locis peccatorum occultorum confeſſionem, vel expreſsè docet, vel ſermoni ſubjicit, ut *lib. 1. de pœnit. c. 16.* explicans verba Chriſti *Matt* 19. qui dimiſit omnia, & eum ſecutus eſt, ſepties tantùm recipier, & hic & in futurum, ſic ex iis adverſus Novatianos colligit, *Si quis occulta crimina habens, propter Chriſtum tamen ſtudioſè Pœnitentiam egerit; quomodo iſtic recipit, ſi ei communio non refunditur?* Occultis igitur criminibus poſt ſtudioſè peractam pœnitentiam communio refunditur. Interdicta igitur fuerat propter occulta crimina communio. Quomodo propter occulta crimina interdici communio, & refundi, Pœnitentia imponi, niſi crimina ſua pœnitens aperuerit?

VI. *Lib 2. c. 7.* Ita fideles exhortatur, *Fleamus igitur ad tempus, ut exultemus in æternum. Timeamus Dominum, præveniamus eum confitendo peccata noſtra. Corrigamus lapſus noſtros, & emendemus errorem, &c.* Confeſſio illa non edebatur ſoli Deo, ſed etiam Sacerdoti. Quomodo enim Deum confeſſione prævenire poſſumus? Omnis quidem Confeſſio, quæ fit Sacerdoti, Deo fit primùm, aut ſaltem fieri debet, ſed non omnis quæ Deo fit, Sacerdoti etiam fieri dicenda eſt. Itaque cùm Patres de Confeſſione Sacramentali verba faciunt, & ſermonem de Confeſſione Deo facienda interſunt, unum alteri non eſt opponendum. Sed ſequentia perpendamus, *Novit omnia Dominus, ſed expectat vocem tuam, ut ignoſcat. Non vult, ut inſultet tibi diabolus, & celantem peccata tua arguat. Præveni accuſatorem tuum; ſi teipſum accuſaveris, accuſatorem nullum timebis: ſi te detuleris ipſe, & ſi mortuus fueris, reviviſces.* Quid ad rem, ſi de Confeſſione ſoli Deo facienda ſermo eſſet? Quæ immediatè ſequuntur, rem clarius, & eleganter exprimunt. *Veniet ad monumentum Chriſtus, & ſi viderit flere pro te Martham bonæ fœminam miniſterii, & flere Mariam, quæ attentè audiebat verbum Dei, ſicut ſancta Eccleſia quæ optimam partem ſibi elegit, movebitur miſericordia, cùm viderit in tuo obitu lacrymas multorum, & dicet, ubi poſuiſtis eum? Hoc eſt, in quo reorum ſtatu eſt, in quo Pœnitentium ordine? Videam, quem fletis, ut lacrymis ſuis ipſe me moveat. Videam, ſi jam peccato ei, cujus venia poſcitur, defunctus eſt. Dicet plebs, veni, & vide. Quid eſt veni? Hoc eſt, veniat peccatorum remiſſio, veniat defunctorum vita, &c.* Vides igitur evidentiſſimè, S. Ambroſium ad peccatorum Confeſſionem Sacerdoti faciendam hortari, ut ex ejus judicio Peccator claſſem Pœnitentiæ convenientem ſubeat, & eo ſtadio decurſo reconciliationem obtineat. Pergit Sanctus in allegoria, *Compatitur dilectæ ſuæ, & dicit defuncto: Veni foras, hoc eſt, qui jaces in tenebris conſcientiæ, & delictorum tuorum ſordibus, quodam reorum carcere. Exi foras, delictum proprium prode, ut juſtificeris; ore enim fit Confeſſio ad ſalutem, &c.* Hæc verba de peccatis occultis eſſe intelligenda quis dubitet; Sicut & præcedentia, *Non vult, ut inſultet tibi Diabolus, & celantem peccata tua tua arguat. Præveni accuſatorem tuum, &c.* ſic & iſta, *Corrigamus lapſus noſtros, emendemus errorem*, quæ ſunt univerſalia, & occulta magis quàm publica complectuntur.

VII. *Cap. 8. lib. 2.* deſcribit ſuæ perſonæ *ὑποτυπώσει* quomodo Sacerdotes confitentium peccatis condolere debeant, *Quotieſcunque peccatum alicujus lapſi exponitur, compatiar, nec ſuperbè increpem, ſed lugeam, & defleam, ut dum alium fleo, meipſum defleam dicens, juſtificata eſt magis Thamar quàm ego. Fortaſſe adoleſcentula lapſa ſit occaſionibus, quæ delictorum fomites ſunt, decepta ac præcipitata ſit; peccamus & ſeniores, &c. Incuſamus alicujus avaritiam; recordemur ſi nihil ipſi avarè fecimus, &c. Non ergo erubeſcamus dicere graviorem noſtram culpam eſſe, quàm ejus, quem arguendum putamus, &c.* Iſta confitentium peccata nec ſunt pu-

blica, nec publicanda. Hujus rei praxis legitur apud Paulinum Presbyterum S. Ambroſii familiarem, & libelli de illius vita autorem, *Quotieſcunque illi aliquis ob percipiendam Pœnitentiam lapſus ſuos confeſſus eſſet, ita flebat, ut & illum flere compelleret. Videbatur enim ſibi cum jacente jacere. Cauſas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli niſi Domino ſoli apud quem intercedebat, loquebatur.* En peccata ſecreta, & eorum cauſas & circumſtantias ſecreta Confeſſione apertas.

VIII. Cap.9. ejuſdem Libri invehi adverſus eos, qui Pœnitentiam ſuſceperunt, ſed eam publicæ ſupplicationis metu, ſquallidi habitus, & humillimi ſtatus horrore, ſtatim deſerunt, aut ejuſdem rei formidine poſcunt Pœnitentiam, & ſtatim communionem, *Plerique futuri ſupplicii metu, peccatorum ſuorum conſcii Pœnitentiam petunt, & cùm acceperint, publicæ ſupplicationis revocantur pudore, &c.* Multis initio *cap.10.* iterum adverſus eos inſurgit, *An quiſquam ferat ut erubeſcas Deum rogare, qui erubeſcis rogare hominem, & pudeat te Deo ſupplicare, quem non lates, cum te non pudeat peccata tua homini, quem lateas, confiteri. An teſtes precationis, & conſcios refugis, cùm ſi homini ſatisfaciendum ſit, multos neceſſe eſt ambias, &c. Hoc ergo in Eccleſia facere faſtidis, ut Deo ſupplices.* Vides evidentiſſimè peccata illa occulta fuiſſe, & Sacerdoti horum neſcio ante Pœnitentiam confeſſa. Unde à minori ad majus argumentatur, non erubuiſti peccata homini humiliter confiteri, qui illa ignorabat, & in Eccleſia ſupplicare erubeſcis, &c.

IX. In exhortatione ad Pœnitentiam, *Quid eſt bene vivere poſt Pœnitentiam, doce nos. Dico vobis abſtinere ab ebrioſitate, à concupiſcentia, à furto, à malo eloquio, ab ipſo immoderato riſu, à verbo otioſo, unde reddituri ſunt homines rationem in die judicii. Ecce quàm levia dixi, ut tacerem gravia, & peſtifera. Et aliud dico; Non ſolùm poſt Pœnitentiam ab iſtis intus homo obſervare ſe debet, ſed & ante Pœnitentiam dum ſanus eſt, quia neſcit ſi poſſit ipſam Pęnitentiam accipere, & confiteri Deo, & Sacerdoti peccata ſua.* En quæ peccata Chriſtiani debeant Sacerdotibus confiteri. Et meritò quidem, nam ut ipſe ait *lib.2. de Pœnit. cap.6. Si vis juſtificari, fatere delictum tuum: Solvit enim criminum nexus verecunda Confeſſio peccatorum.*

X. Eandem Confeſſionis neceſſitatem multis demonſtrat, & exaggerat in *pſal.37.* Si voluntaria eſt, pœnas minuere docet. *Si ſervulum tuum videas peccata propria confitentem, ultro offerre ſe pœnæ, inflecteris, ignoſcis, & de Domini miſeratione diffidis.* Deinde ne ejus rei erubeſcant, multis admonet, idque exemplo Davidis & Jobi: qui peccata ſua publicè confeſſi ſunt, & de iis Pœnitentiam egerunt, *Non eſſet hodie in requie ſervulus meus, ſi erubuiſſet tres illos reges amicos ſuos: Nec ipſe David, ſi erubuiſſet delicta propria confiteri.* Et poſt multa continuato eodem ſermone, *Nemo dicit medico corporis ſui quemadmodum ſit curandum, &c. Si dixerit medicus medicinæ genus, quo curari debeas, æger & ille faſtidiat, diſcedit medicus, & ægrum relinquit. Vide eum, qui curari velit, omni genere medico acquieſcentem, &c. Medicina Chriſti correptio eſt: Corripit enim Deus quem vult convertere, Ideò & Paulus ad medicum dicit: Argue, obſecra, increpa, &c. Et vide proceſſum: Primò petit argui: Poſteà quod majus eſt; corripi. Deinde non ſolùm confitetur peccata ſua, ſed etiam numerat, & accuſat. Non vult enim latere ſua delicta, Nam ut febres in alto poſitæ non queunt mitigari; cùm foras eruperint, ſpem afferunt deſinendi. Ita peccatorum morbus dum tegitur, inardeſcit. Si Confeſſionibus proditur, evaporat. Et ideò juſtus accuſator eſt ſui in principio ſermonis.* Tandemque concludit, *In orationibus igitur, & obſecrationibus cum dolore, & lacrymis exigenda Pœnitentia eſt, ut illam gloriam Dei videre mereamur, &c.*

CAPUT V.

Peccatorum diſtinctiones à S. Cypriano uſurpatæ explicantur; atque inde, aliiſque ejuſdem Sancti dictis peccatorum occultorum, etiam venialium, Confeſſio demonſtratur. Peccata in Deum alii aliis magis extendunt. Peccatorum occultorum publica Pœnitentia.

SAnctus Cyprianus peccata bifariam dividere ſolet, idque duobus modis. Primum in peccata in Deum, & peccata in fratrem. Non ſemel hac diviſione utitur *Epiſt.55. An putas, frater, levia eſſe adverſùs Deum facinora, &c. Epiſt.11.* ubi alterum diſtinctionis membrum vocat, peccata non in Deum, & c.4. *Libelli de Exhortatione Martirii.* Breviter quoque iſtam diſtinctionem perſtringit, & explicat Tertullianus *lib. de pudicitia c.2.* Petita eſt iſta diſtinctio ex verbis ſummi Pontificis Heli *l.1. Reg. c.2. verſ.25. Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Deus; Si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Verùm non eſt explicatu facillimum, quid per peccata in Deum, & peccata in fratrem, ſit intelligendum. Tertullianus paucis verbis mentem ſuam aperit, *Dimittis, ut dimittatur tibi à Deo, delicta mundantur quæ quis in fratrem, non Deum admiſerit.* Clariùs paulò ejuſdem libri c.21. quo teſtimonio jam uſi ſumus. Itaque ſecundum Tertullianum peccata in fratrem ſunt peccata mundabilia, & remiſſibilia, de quibus capite præcedenti dictum eſt abundè. Strictiùs peccata in Deum accipere videtur S. Cyprianus pro negatione Chriſti, & Idololatria, ejuſque ſpeciebus: ubi enim de peccatis in Deum verba facit, de Idololatria quæſtio vertitur. Epiſtola duodecima minora peccata delictis in Deum opponit, ita ut delicta in Deum nihil aliud illi videantur eſſe, quàm majora, quæ ibi graviſſima vocat. Verba S. Cypriani integra referenda ſunt, cùm ea contineant, quæ Lectoribus ſcitu neceſſaria ſunt. *Cùm in minoribus delictis, quæ non in Dominum committuntur, pęnitentia agatur juſto tempore, & exomologeſis fiat inſpecta vita ejus, qui agit pęnitentiam, nec ad communicationem venire quis poſſit, niſi prius illi ab Epiſcopo, & Clero manus fuerit impoſita; quanto magis in his graviſſimis, & extremis delictis cautè omnia, & moderatè ſecundum diſciplinam Domini obſervari oportet?*

II. Peccata igitur in Deum juxta S. Cyprianum ſunt graviſſima, & extrema delicta, ſcilicet Chriſti abnegatio, & Idololatria. Minora verò peccata, Homicidium & Mœchia, eorumque ſpecies. Hoc manifeſtum eſt ex verbis ſequentibus, quæ pœnitentiam publicam minoribus illis peccatis imponunt. Iſta eſt ſecunda S. Cypriani diſtinctio, quæ ſenſu cum priore idem prorſus videtur eſſe, licèt verbis differat. Sæpè iſta diſtinctione utitur, & verbis non multum variatis Epiſt.10. *Cùm in minoribus peccatis agant peccatores pęnitentiam juſto tempore, & ſecundùm diſciplinæ ordinem ad exomologeſim veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi, & Cleri jus communicationis accipiant, nunc crudo tempore, perſecutione adhuc perſeverante, nondum reſtituta Eccleſiæ ipſius pace, admittuntur, &c.* Epiſt. undecima; idem Idololatriæ crimen graviſſimum, & extremum delictum vocat. Minora igitur delicta, & graviſſima apud S. Cypriano conjunctim ſumpta nihil aliud ſunt quàm capitalia crimina, quorum agebatur pęnitentia canonica. Idem quoque ſunt S. Cypriano peccata in Deum, quæ graviſſima delicta, & peccata in fratrem quod minora delicta. Itaque S. Cypriano tres ſunt peccatorum ſpecies, graviſſima, minora, & levia: ob duas priores juſto tempore pęnitentia agebatur canonica; ob tertiam pęnitentia agebatur, ſed levis, atque ad arbitrium Sacerdotis inflicta.

III. Eoſdem gradus enumerat S. Ambroſius in *c.4. Epiſt. ad Romanos. Tres gradus fecit propter delictorum varietatem; quorum primus gradus iniquitas vel impietas, dum non cognoſcitur creator: Secundus gravium peccatorum operibus: Tertius verò levium. Hos tamen omnes in baptiſmate obliterari: Tribus his gradibus totius peccati corpus ſignificavit.* En tres gradus à nobis explicatos, quorum duobus pęnitentia canonica imponitur, tertio nequaquam. De tertio peccatorum gradu verba facit S. Cyprianus *Epiſt.72.* ubi de Diaconis agit, qui nimium familiariter cum Virginibus Deo ſacratis ſub eodem tecto converſati fuerant, nec tamen eas corrupuerant. Pomponius Epiſcopus, ad quem pertinebant, Diaconos abſtinuerat, hoc eſt, ab officio ſuſpenderat, de Virginibus Cyprianum, & Collegas conſulit. Reſpondent, ſi corruptæ non ſunt, Eccleſiæ communicationem illis non eſſe negandam, à Diaconis modo ſeparentur; quòd ſi ad domeſticam converſationem redierint, graviter puniantur, nec in Eccleſiam facilè recipiantur. Si verò corruptæ fuerint, agant pęnitentiam plenam. *Si virgines inventæ fuerint accepta communicatione ad Eccleſiam admittantur, hac tamen interminatione, ut ſi ad eoſdem maſculos poſtmodùm reverſæ fuerint, aut ſi cum eiſdem in una domo, & ſub eodem tecto ſimul habitaverint, graviore Cenſura ejiciantur, nec in Eccleſiam poſtmodùm facilè recipiantur. Si autem de eis aliqua corrupta fuerit deprehenſa, agat pęnitentiam plenam, quia quæ hoc crimen admiſit, non mariti ſed Chriſti adultera eſt; & ideò æſtimato juſto tempore, poſteà exomologeſi facta ad Eccleſiam redeat.* Prius peccatum pęnitentia non eſt damnatum:

Digitized by Google

natum: damnatur tamen, ſi continuetur, ob contumaciam, & graviſſimi criminis imminens periculum. Iſtorum leviorum peccatorum agebatur pœnitentia, ſed non plena, ut de ſecundo crimine. Pœnitentiæ plenæ, & diuturnę ſermonem præterea facit Epiſtola 54. & in fine ſerm. de lapſis. Hanc pœnitentiam Eliberitani Patres vocant legitimam cap. 14. & aliis locis, eamque diſtinguunt à reconciliatione poſt aliquod tempus ſine pęnitentia.

IV. Eadem præclarè nos docet S. Auguſtinus *ſerm. 34. de diverſis c. 6. & ſequentibus*, niſi quod latius diffundit in Deum crimina. Criminum diſtinctionem illam à præceptorum divinitus inſtituta diſtinctione petit; *Quoniam duo ſunt genera peccatorum, unum, quo in Deum, alterum, quo in hominem peccatur. Unde etiam duo ſunt præcepta illi in quibus tota lex pendet, & Prophetæ; Diliges Deum tuum, &c. Et in his continetur etiam Decalogus præceptorum legis, ubi tria præcepta pertinent ad dilectionem Dei, ſeptem ad proximi. Quomodo ergo duo ſunt præcepta, ſic & dua genera peccatorum, Aut enim homo in Deum peccat, aut in hominem.* Verbis autem ſequentibus quouſque peccata in Deum extendantur explicat, *Peccatur autem in Deum etiam corrumpendo templum ejus in te. Etenim redemit te Deus ſanguine filii ſui, &c. Ergo ille, à quo redemptus es, fecit te domum ſuam. Nunquid tu vis everti domum tuam? Sic ne Deus ſuam, hoc eſt, teipſum. Si tibi non parcis propter teipſum, parce tibi propter Deum, qui te fecit templum ſuum.* Itaque peccata in hominem ſtrictius ſumit, quæ directè in proximum committuntur, & ea ratione, qua illum lædunt. Nam ex S. Auguſtini verbis colligitur, peccatum in proximum ad alterum etiam genus referti poſſe, quantus Reus ſeipſum contaminat, ex eo ſenſu templum Dei, id eſt ſeipſum violat. Tertium peccati genus ſæpius explicat S. Auguſtinus, ſed locis illis nunc prætermiſſis, id, quod eodem ſermone ſcribit, legere ſufficit, ubi vocat illa peccata levia, & minuta, quæ devitari omnino non poſſunt, quæque multitudine ſua nos premunt, & demergunt. Iſta oratione quotidiana purgari docet: Alia verò quæ gravia vocat, & mortifera, *niſi per vehementiſſimam moleſtiam humiliationis cordis, & contritionis ſpiritus, & tribulationis pœnitentia relaxantur.* Eodem modo de peccatis in Deum, & hominem diſſerit *ſerm. 16. de verbis Domini c. 3.* additque Chriſtianos ſæpè peccata in Deum parvi facere, *Quid eſt quod plerique homines iſta peccata contemnunt, & dicunt, Quid magnum feci? in hominem peccavi.* Contra verò urget peccata illa etiam eſſe mortifera. *Vis noſſe quia in hominem peccando periſti? Si te ille, in quem peccaſti, corripuerit inter te & ipſum ſolùm, & audieris illum lucratus eſt te. Quid eſt lucratus eſt te, niſi quia perieras, ſi non lucraretur te?* Peccata verò in fratrem in Chriſtum redundare probat *ex 1. Cor. 8. verſ. 12. Peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis.* Unde tandem colligit. Nemo ergo dicat, *quia non peccavi in Deum, ſed peccavi in fratrem. In hominem peccavi: Leve, vel nullum peccatum eſt.* Peccata in fratrem, ut ea S. Auguſtinus intelligit, licèt eſſent mortalia, luctuoſa tamen pęnitentia non ſanabantur, ut ex verbis ſequentibus manifeſtum eſt, *Fortè inde dicis, quod leve eſt, quia citò curatur. Peccaſti in fratrem, ſac ſatis, & ſanatus es. Citò feciſti rem mortiferam, ſed remedium citò inveniſti.* Itaque peccata iſta non erant fornicatio, adulterium, homicidium. Qualia igitur? paulò poſt explicat, *Qui dixerit fratri ſuo fatue Reus erit gehennæ ignis. Magnus terror: ſed vide ibi remedium. Si recordatus fueris, &c. Non iraſcitur Deus, quia differs imponere munus tuum. Te quærit Deus magis, quàm munus tuum, &c. Ergo relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & ſic veniens offeres munus tuum. Ecce ille reatus gehennæ quàm citò ſolutus eſt. Nondum reconciliatus, eras gehennæ Reus. Reconciliatus, ſecurus offers munus tuum.*

V. Ex iis, quæ dicta ſunt, præſertim ſi cum præcedenti capite comparentur, manifeſtum eſt, ad omnium peccatorum mortalium Confeſſionem Chriſtianos omnes adſtrictos fuiſſe, nihilque lege illa Cypriani tempore in Eccleſia fuiſſe vulgatius. Quomodo enim pro ratione peccati pęnitentia potuit agi plena, & juſto tempore æſtimari, niſi de ſpeciali criminis confeſſione illius gravitas penſaretur. Regeres fortè, de peccatis publicis Cyprianum agere, de quorum confeſſione nulla eſt controverſia. Reſpondeo primùm, peccata in hominem commiſſa, quæ vocat minora, ferè ſemper fuiſſe ſecreta, & occulta, ut Homicidium, & Męchia, earumque ſpecies. Si ſeſe homicidas publicè confeſſi fuiſſent, capitale ſupplicium legibus civilibus homicidio debitum ſibi accerſiviſſent, nec alia convictione opus fuiſſet, quàm eccleſiaſtica exomologeſi. Idem de Męchia, præcipuè cum ad mulieres ſpectat, neceſſariò dicendum. Præterea manifeſtum eſt Męchiæ peccata clam fieri: Mulieres enim quæ ſeſe hoc vitio publicè maculant, quandiù non renuntiant, ad pęnitentiam non admittuntur, & admiſſæ diuturna admodum pęnitentia crimina anteacta luebant. Deinde quis tot canones de meretricibus tantùm conditos aſſerat? Quid de canonibus, quæ mulieres adulteras ad ſubſtrationem prohibent relegari, ne eorum crimina ſuſpicione aliqua maritis innoteſcant? Quid de aliis criminibus, quæ in hoc genere natura duce occultantur? Deinde dico nonnunquam peccata in Deum occultiſſima fuiſſe, & nihilominus graviter increpatos, qui ſine Confeſſione, & Pęnitentia juxta modum delicti ex Confeſſione cogniti peracta Sacramentis ſuſcipiendis ſeſe ingererent. Hujus rei vel ex uno Cypriani libello luculentiſſimum habes exemplum, quod plurium inſtar eſſe poteſt.

VI. Multis agit Sanctus in ſermone de lapſis adversùs eos, qui idolothyta comederant, thus idolis adoleverant, aut ſimile quid perpetraverant, ad altare tamen Domini tanti criminis conſcii nec confeſſi, accedere non reformidabant. Illi omnes hoc crimen clam commiſerant, quod tribus argumentis fit evidens. Primùm quia in eos invehitur quod ad altare accedant, & corpori Chriſti participent. At ſanè ſi eos fuiſſe idololatras publicatum fuiſſet, nunquam ſanctus ille Epiſcopus Chriſti corpus niſi poſt actam legitimam pęnitentiam illis donaſſet, bonam enim Epiſtolarum partem adversùs eos ſcripſit, qui lapſis ante actam pęnitentiam Eccleſiæ pacem adminiſtrabant, graviſſimèque adversùs eos invehitur. Secundò, refert innumera miracula perpetrata fuiſſe in correptionem, & deprehenſionem eorum, qui tam temerè, & impudenter ſanctis myſteriis participabant, & ſingulatim miracula ſex deſcribit, quæ quivis legere poteſt. Erant igitur illa occulta crimina, ad quorum confeſſionem, & pęnitentiam non modo eos hortatur; ſed niſi ea confitentur, pęnas æternas interminatur. Ipſius Cypriani verba de nonnullis ejuſmodi miraculis conſidera. *In corpore, atque ore violato Euchariſtia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini ſanguine potus, de pollutis viſceribus erupit: Tanta eſt poteſtas Domini, tanta majeſtas. Secreta tenebrarum ſub ejus luce detecta ſunt: Sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt, &c. At verò ea, quæ ætate provecta, & in annis adultioribus conſtituta ſacrificantibus nobis latenter obrepſit, non cibum ſed gladium ſibi ſumens, & velut quædam venena lethalia inter fauces, & pectus ſanguinem admittens, angi, & anima exæſtuante concludi poſtmodùm cœpit. Et preſſuram non jam perſecutionis, ſed delicti ſui paſſa, palpitans, & tremens concidit. Impunitum diù non fuit, nec occultum diſſimulatæ conſcientiæ crimen: quæ fefellerat hominem, Deum ſenſit ultorem, &c. Et alius, qui & ipſe maculatus Sacrificio à Sacerdote celebrato panem cum cæteris auſus eſt latenter accipere, ſanctum Domini edere, & contrectare non potuit; cinerem ferre ſe apertis manibus invenit.* Denique teſtimoniis ſcripturæ demonſtrat, Deum occulta omnia introſpicere; ſi homines judices evaſerint, Deum non evaſuros. Deinde Sanctus his idololatris occultis impęnitentibus obiicit aliorum pietatem, qui ſincerè Sacerdotibus confitentur, quòd de idololatria cogitaverint: ſic ſcribit, *Denique quanto, & fide majores, & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo Sacrificii, aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter, & ſimpliciter confitentes, exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licèt, & modicis vulneribus exquirunt, ſcientes ſcriptum eſſe, Deus non deridetur.* Quid magis occultum quàm mentis cogitatio, cujus tamen confeſſionem Sacerdotibus edunt, & pro peccati gravitate pęnitentiam agunt?

VII. Pergit S. Cyprianus, aitque crimen ſuum augere, qui credit ſe pęnam eccleſiaſticam effugere poſſe, eo quòd occultè crimen commiſit, atque ideò criminis confeſſionem differt, aut quod capitalius eſt, confitendi propoſitum penitus abiicit; aitque ejuſmodi hominem chriſtianum nomen erubeſcere. *Derideri, & circumveniri Deus non poteſt, nec aſtutia aliqua fallente deludi. Plus immò delinquit, qui ſecundùm hominem Deum cogitans, evadere ſe pęnam criminis credit, ſi non palàm crimen admiſit. Chriſtus in præceptis ſuis dicit, Qui confuſus me fuerit confundetur eum filius hominis. Et Chriſtianum ſe putat, qui Chriſtianus eſſe confunditur, aut veretur?* Sanè evaſio illa eſt pęnæ Eccleſiaſticæ, de qua toto ſermone verba facit: nec reos illos probabile eſt occultatione criminis pęnam in conſpectu Dei ſe evaſuros credidiſſe,

ſed S. Cyprianus monet eos occultatione criminis Eccleſiam fallere poſſe, pœnas ab ea impoſitas eludere, ſed Deum nec falli, nec eludi. Huc accedit, quòd ſi S. Cyprianus ageret de criminis ſoli Deo confeſſione, fruſtra de confuſione, quam peccator veretur, verba faceret. Nemo enim niſi omnino impius crimen ſuum ſoli Deo confiteri erubeſcit. Immò ne impius quidem erubeſcit, ſed ut Deum, ſic & Deo confeſſionem contemnit, & ridet.

VIII. Deinde S. Cyprianus circumſtantias examinat, quæ crimen occulunt ſimul, & minuunt, quas peccatores illi obtendebant, ut elevando crimen ſuum ſeſe à confitendi neceſſitate eximerent, deque eis ſententiam ſuam profert, *Minus ſanè peccaverit non videndo idola, nec ſub oculis circumſtantias, atque inſultantis populi ſanctitatem fidei profanando, non polluendo manus ſuas funeſtis ſacrificiis, nec ſceleratis cibis ora maculando. Hoc eo proficis, ut ſit minor culpa, non ut innocens conſcientia facilius poteſt ad veniam criminis pervenire, non eſt tamen immunis à crimine. Nec ceſſet in agenda pœnitentia, atque in Domini miſericordia deprecanda, ne quod minus in qualitate delicti videtur, in neglecta ſatisfactione cumuletur.* Criminis levitatem, aut occultationem ab agenda pœnitentia, & ſatisfactione præſtanda neminem docet excipere; immò crimen ſatisfactionis neglectu augeri, quæ nullo modo, niſi confeſſio præcedat, præſtari poteſt. Ideò ſubjungit immediatè, *Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres dilectiſſimi, delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit in ſeculo eſt, dum admitti confeſſio ejus poteſt, dum ſatisfactio, & remiſſio facta per Sacerdotes apud Dominum grata eſt.*

IX. Eadem doctrina evidenter colligitur ex iis S. Auguſtini verbis, quæ, propter convenientiam cum antiquiorum Patrum in peccatorum cauſa diſtinctionibus, hoc capite retulimus: nec in re tam evidenti opus ampliori enarratione. Addimus tantùm, quæ Burchardus *lib.19. c. 34.* Ivo *p.15. cap.52.* ex Concilio Cabilonenſi *c.32. referunt*, quæque diſtinctionem peccatorum ex Tertulliano ſupra explicatam imitantur, omniaque ſimiliter peccata tam ſpiritalia, quàm corporalia Confeſſioni, & clavibus Eccleſiæ ſubiiciunt. *Sed & hoc emendatione egere perſpeximus, quòd quidam dum confitentur peccata ſua Sacerdotibus, non plenè id faciunt. Quia ergo conſtat hominem ex duabus eſſe ſubſtantiis animâ videlicet, & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, ſolerti indagatione debent inquiri ipſa peccata, ut utriſque plena ſit Confeſſio, ſcilicet ut & ea confiteatur, quæ per corpus geſta ſunt, & ea quibus in ſola cogitatione delinquitur. Inſtruendus eſt itaque peccatorum ſuorum Confeſſor, ut de octo principalibus vitiis, ſine quibus in hac vita difficilè vivitur, confeſſionem faciat, quia aut cogitatione, aut quod gravius eſt, opere, eorum inſtinctu peccavit.*

CAPUT VI.

Chriſtianos antiquitus ad peccatorum occultorum, & publicorum ſpontaneam Confeſſionem ſecretò, vel publicè faciendam multò gravioris Pœnitentiæ formidine, ſi accuſati convincerentur, addictos fuiſſe. Mos ille accuſandi, & ad accuſationem, ſive ad revelationem criminum cogendi, diutiſſimè in Eccleſia perſeveravit, cujus etiam nunc veſtigia expreſſa videntur.

AD Confeſſionem peccatorum omnium tam occultorum, quàm publicorum fideles omnes ab antiquis Patribus non modò admonitos, ſed etiam pœnarum ab Eccleſia infligendarum terrore coactos fuiſſe, innumera, quæ nobis ſuperſunt, monumenta teſtantur. Non enim impunè licebat antiquis Chriſtianis eſſe impuris, & ſcelerum perpetratoribus. Omnes fideles cum ejuſmodi hominibus communicare reformidabant, S. Apoſtoli freti præcepto *Epheſ.5. Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite.* Et 1. *Cor.5. Si is qui frater nominatur, eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cùm ejuſmodi nec cibum ſumere*, &c. *auferte malum ex vobis ipſis.* Rationem paulò ante reddiderat, *Neſcitis, quia modicum fermentum totam Maſſam corrumpit, &c.* Sanctiſſimæ iſtius obſervationis rationem egregiis ſimilitudinibus illuſtrat S. Clemens *Conſt. lib.2. c.18. Parum fermenti totam maſſam corrumpit, & unus fur in totum nationem diffundit execrationem, & muſcæ mortuæ putreſcere faciunt unguentum ſuave: Item cùm Rex iniquo ſermoni aures præbet, omnes Miniſtri ejus exiſtunt iniqui; ſic quoque ovis ſcabioſa in alias oves transfundit ſcabiem, niſi ſeparetur à ſanis: Et homo peſte laborans multis eſt cavendus; canis etiam rabioſus quidquid attigerit in eo periculum affert. Si igitur hominem flagitioſum ab Eccleſia non removemus, faciemus Domum Dei ſpeluncam latronum.* Paſſim reperiuntur ejuſmodi ſententiæ in Patrum ſcriptis, quarum nonnullæ jam enarratæ ſunt *c.17. libri præcedentis*. Unde evidenter colligitur, eos religioſiſſima ſemper diligentia caviſſe, ne cum impiis miſcerentur, eoſque à ſe quantum potuerunt longiſſimè removiſſe; donec juſta pœnitentia, & reconciliatione adepta purgati eſſent. Ideò licèt quis clam omnibus, ut exiſtimabat, ſcelus aliquod commiſiſſet, de eo tamen ſcelere accuſari poterat, à quolibet ſceleris non inſcio, & convictionis argumenta in promptu habente, ut jam *cap.9. & 10.* libri præcedentis multis teſtimoniis, & exemplis demonſtratum eſt. Nunc autem hoc poſito probandum hoc capite ſuſcipimus, ſceleris Reum ſic convictum Pœnitentia multò longiore, & duriore caſtigatum, quàm ſi ſeipſum denuntiaſſet, & Sacerdoti peccata ſua lubens confeſſus fuiſſet. Iſtius diſciplinæ obſervatione non modò quiſque monebatur lubens ſua peccata licèt occultiſſima confiteri, verùm etiam cogebatur, ne longiore, & graviore pœna accuſatus, & convictus afficeretur.

II. Non diſſimilia antiqui Chriſtiani traditione Apoſtolica freti in univerſa Eccleſia faciebant ab iis, quæ in Monaſteriis, in quibus viget diſciplina regularis, fieri ſemper ſolent. Quiſque enim culpas proprias denunciat, ne ab aliis denunciatus, ſeverius corrigatur. Regulæ S. Auguſtini *cap.7. Si hoc ultro confitetur, parcatur illi, & oretur pro illo. Si autem deprehenditur, & convincitur, ſecundùm arbitrium Præpoſiti, vel Presbyteri gravius emendetur.* Quæ verba commentans Hugo à Sancto Victore hæc ſcribit, *Tamen ſi confitetur, parcendum eſt ei, & orandum pro eo. Nam culpa levior efficitur, quæ confeſſione voluntaria humiliter aperitur. Unde David dicit, Dixi confitebor, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei.* Ita & S. Benedictus ſtatuit *regulæ cap.46. Si quis fregerit quippiam, aut quid perdiderit, vel aliud quid exceſſerit, & non veniens continuò ante Abbatem, vel Congregationem ipſe ultro ſatisfecerit, & prodiderit delictum ſuum, dum per alium cognitum fuerit, majori ſubjaceat emendationi.* Sed Chriſtiani in rebus quibuſque graviſſimis id faciebant, quòd à nonnullis ſeculis Monachi in levioribus. Altera erat & magni momenti differentia, quòd coacta, ut & ſpontanea Confeſſio Sacramentalis erat, ut loqui nunc moris eſt, utriuſque ex æquo finis erat poſt actam canonicam Pœnitentiam à peccatis abſolutio, & corporis Chriſti ſuſcipiendi facultas: Monachalis verò accuſationis, & Confeſſionis, pęna aliqua juxta regulas infligenda. Culpa autem in Capitulo, ſeu conſeſſu fratrum ſic expiata, demum, ſi ita Reo videatur, in tribunali ſeu foro conſcientiæ declaratur, & abſolutione ſacramentali iterùm purgatur. In iſtius conſuetudinis obſervatione Eccleſiæ conſilium, menſque erat, ut ea velut calcari acutiſſimo concitati Chriſtiani peccata omnia mortalia, occulta præſertim, Sacerdotibus confiteri non refugerent, ſed feſtinarent, ne ab aliquo præventi duplicatis pęnis ab Eccleſia exciperentur. Eſt enim admodum difficilè in ſcelerum perpetratione omnium oculos effugere, & conſcientiam celare. Iſta ſunt ejuſmodi, ut niſi evidentiſſimis veterum teſtimoniis, & monumentis demonſtrentur, vix cuiquam credibilia videantur. Sed iſtius praxis, & doctrinæ argumenta ſunt adeò perſpicua, luculenta, frequentia, & auguſta, ut neminem ea legentem de hac Eccleſiæ conſuetudine dubitare permittant.

III. Concilii Eliberitani Patres ita decernunt *c.76. Si quis Diaconum ſe permiſerit ordinari, & poſteà fuerit detectus in crimine mortis, quòd aliquando commiſerit, ſi ſponte fuerit confeſſus, placuit eum acta legitima pœnitentia poſt triennium accipere communionem. Quòd ſi aliquis eum detexit, poſt quinquennium acta pœnitentia accipere Laicam communionem.* Poſt triennalem Pęnitentiam redditur Diacono communio Eccleſiaſtica ſponte confitenti: Convicto verò poſt quinquennalem Pęnitentiam laica tantùm communio conceditur, & officio in perpetuum abdicatur. Martinus Bracarenſis *cap.25. collectionis ſuæ*, qui repetitur à Burchardo *lib.2. c. 48.* Ivone *parte 6. c.149.* Gratiano 15. *q.8. c. Si quis Presbyter. Si quis Presbyter ante ordinationem peccaverit, & poſt ordinationem confeſſus fuerit, quod ante peccaverit, non offerat, ſed tantùm pro religione nomen Presbyteri portet. Si autem non ipſe confeſſus, ſed ab alio publicè fuerit convictus, nec hoc ipſum habeat, ut nomen Presbyteri portet. Similiter & de Diaconibus obſervandum eſt, ut ſi ipſi confeſſi fuerint, ordinem Subdiaconi accipiant.* Longè gravius puniebantur

Digitized by Google

Clerici ſacrati, ſi poſt ſuſceptos ordines ſacros iſto crimine ſe maculabant, & delatores non præveniebant, ut ex *can.* 18. colligitur, *Epiſcopi, Presbyteri, & Diacones ſi in myſterio poſiti, detecti fuerint, quod ſint mœchati, placuit, & propter ſcandalum, & propter nefandum crimen, nec in fine eos communionem accipere. Canone verò 78. de Laicis* ita decernunt, *Si quis fidelis habens uxorem, cùm Judea, vel Gentili fuerit mœchatus, à communione arceatur. Quòd ſi alius eam detexerit, poſt quinquennium acta legitima pœnitentia poterit dominicæ ſociari communioni.* Hunc canonem repetit Ivo decreti *pag.*8. *c.*52. His omnibus canonibus agi vides de criminibus occultis, quæ quiſque fateri tenebatur, alioquin ſi ea detegi contingeret, multò graviori pœna plectebatur. Apparet præterea manifeſtiſſimè peccatorum occultorum publicam agi ſolere pœnitentiam: Non enim aliter de Pœnitentia peccati occulti quàm publici loquitur. Deinde crimina ipſa, de quibus agitur, id expoſtulant; ſed infrà hæc quæſtio nobis erit diſcutienda.

IV. S. Gregorius Thaumaturgus *Epiſtolæ canonicæ cap.*18. rem ita definit, *Eos, qui alienas domos invadere auſi fuerint, ſi accuſati quidem convicti fuerint, nec auditione dignos exiſtimare. Sin autem ſe ipſos enuntiaverint, & reddiderint, in eorum qui convertuntur ordinem ſubſterni.* Et canone ſequenti, *Eos qui in campo aliquid invenerit, vel in ſuis ædibus à Barbaris relictum, ſi accuſati quidem convicti fuerint, ſint ſimiliter in iis, qui ſubſternuntur. Sin autem ſeipſos enuntiaverunt, & reddiderint, etiam precibus digni habeantur.*

V. Verùm Gregorius Niſſenus non modò eandem Eccleſiæ conſuetudinem teſtatur, verùm etiam conſuetudinis rationem nos docet in Epiſtola ad Letojum Melitines Epiſcopum, in qua de Pœnitentiis imponendis piè, & doctè admodum diſſerit. Ubi de fornicatione, & adulterio, hæc generalia ſubtexit: *Qui enim ex ſe ipſo ad ſua proferenda peccata impulſus eſt, eo quòd ſua ſponte occultorum accuſator eſſe voluerit, ut qui jam affectioni medicinam adhibere cœperit, & ſignum in id, quod eſt melius mutationis oſtenderit, in mitioribus pœnis verſatur. Qui autem in malo deprehenſus eſt, vel propter aliquam ſuſpicionem, vel accuſationem illibenter convictus eſt; longiùs illi converſionis tempus datur, ut ipſe perfectè purgatus, ſic ad Sacramentorum communionem admittatur.* Non diſtinguit ſanctus ille Doctor ex diſciplina ſui temporis inter peccata mortalia occulta, vel publica, vel obſcura; ſed omnia ex æquo Sacerdotibus revelari jubet, & publicè puniri: Nève prætextu tenebroſæ occultationis impunita maneant, peccatoreſque illotis manibus ad Sacramenta contrectanda pergant, mitiorem longè ſeipſos de ſecretis accuſantibus pœnam indicit.

VI. Baſilius ad Amphilochium *can.*7. tres cauſas reddit ob quas Pœnitens faciliùs admitti debet, *Nam & ignorantia eos venia dignos facit, & ſpontanea Confeſſio, & temporis diuturnitas: ferè enim tota hominis ætate ſatanæ traditi ſunt, ut diſcant non ſe turpiter gerere. Quamobrem jube eos non ſine dilatione ſuſcipi.* Illi, de quibus verba facit, triginta annis jam Pœnitentiam egerant. Levandæ autem Pœnitentiæ tres has cauſas tradit, quarum una eſt ſpontanea Confeſſio.

Et canone 61. *Qui furatus eſt, ſi ex ſe quidem Pœnitentia motus ſeipſum accuſaverit, anno à ſola Sacramentorum communione arcebitur. Sin autem convictus fuerit, duobus annis tempus illi ad ſubſtractionem dividetur, & conſiſtentiam, & tunc communione dignus habeatur.* Quod commentans Balſamon, univerſaliter dicit, ſacros canones lenius punire eos, qui ſua peccata confitentur.

VII. S. Ambroſius ad finem enarrationis in *Pſalm.*37. Confeſſionis lubenter edendæ duas cauſas affert, Priorem, quòd æternas ærumnas efficaciùs levet; poſterior, quòd jure quodam naturali peccati pœnas minuat, *Nam & ſciens quòd ſi hìc fuerit punitus ſupplicio temporali, levare in perpetuum poſſit pœnam ærumnæ: Rogat ergo, ut recipiatur petitio ſua, & caſtigetur ipſe, ut recipiatur. Caſtigat enim Dominus omnem filium, quem recipit. Si ſervulum tuum videas peccata propria confitentem, ultro offerre ſe pœnæ, inflecteris, ignoſcis, & de Domini miſeratione diffidis?* Multa alia refert Ambroſius, quibus Confeſſionis utilitatem demonſtrat, quæque ideò convenire propoſito noſtro poſſent, ſed jam ſupra *cap.*4. hujus libri exſcripta ſunt. Verùm evidentiſſimè illud confirmat in fine *cap.* 8. Libelli ad virginem lapſam, *Non eſt dubium leviùs eſſe crimen, ubi peccatum ſuum ultro homo confitetur, & pœnitet. At ubi celans mala ſua invitus detegitur, & nolens publicatur, illud graviùs ſcelus eſt, quòd tibi utique provenisse negare non poteris. Et ideò fortiùs eſt dolendum, quia peccatum eſt fortiùs.* Apparet ex illis verbis ſacræ illius Virginis peccatum detectum fuiſſe, non ſponte revelatum.

VIII. Nec minus evidenter idem docet *lib.*2. *de Pœnit. cap.* 8. ubi ſcribit lapſis compatiendum. *Non ergo erubeſcamus dicere graviorem eſſe noſtram culpam quàm ejus, qui arguebat Thamar, & recordatus ſuam ipſe culpam ait: Juſtificata eſt magis Thamar quàm ego. In quo & altitudo myſterii eſt, & morale præceptum, & ideò culpæ ejus deputatum non eſt, quia ipſe ſe accuſavit, priuſquam ab aliis accuſaretur.* Hanc doctrinam, & conſuetudinem præclarè confirmat Paulinus in vita S. Ambroſii, ubi verba facit de iis, qui crimina ſua viro ſancto confitebantur, *Nam & ſecundùm Apoſtolum circa hujuſmodi hominem confirmanda charitas eſt; quia ipſe ſui Accuſator eſt, nec expectat Accuſatorem, ſed prævenit, ut confitendo ſuum allevet ipſe delictum, nec habeat, quod Adverſarius criminetur &c. Vocem eripit Adverſario, & quaſi dentes quoſdam paratos ad prædam criminationis infeſtæ, peccatorum ſuorum Confeſſione confringit:* Nec Eccleſiaſtica conſuetudo, quam probamus, nec Confeſſionis ſpontaneæ virtus verbis magis energicis indicari poterant.

IX. S. Proſper *lib.*2. *de vita contemplativa c.*7. Eccleſiæ conſuetudinem hac in cauſa diligenter, & ſigillatim explicat; totum caput Lector & legere, & perpendere debet: Nonnulla excerpemus, *Ea autem crimina quorumlibet, ſi ipſis criminoſis confiteri nolentibus undecumque claruerint, quæcunque non fuerint patientiæ leni medicamento ſanata, velut igni quodam piæ increpationis urendæ ſunt, & curanda*, &c. Et paulo poſt. *Porrò illi, quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipſis confeſſa, nec ab aliis publicata, ſi ea confiteri, aut emendare noluerint, Deum, quem habent teſtem, ipſum habituri ſunt & ultorem.* Tandemque ſic colligit, *Quapropter Deum ſibi faciliùs placabunt illi, qui non humano convicti judicio, ſed ultrò crimen cognoſcunt, quia aut propriis illud confeſſionibus produnt, aut neſcientibus aliis quales occulti ſunt, ipſi in ſe voluntariæ Excommunicationis ſententiam ferunt.*

X. Opponi poteſt Concilii Aurelian. 3. *can.* 7. qui repetitur *diſt.*81. *cap. Si quis Clericus*, qui clementiùs non videtur agere in eos, qui ſponte fatentur, quàm in eos, qui inviti convincuntur, *De adulteriis autem honoratorum Clericorum id obſervandum eſt, ut ſi quis adulteraſſe aut confeſſus fuerit, vel convictus, depoſitus ab officio communione conceſſa in monaſterio toto vitæ ſuæ tempore retrudatur.* Verùm canon ille de ſponte confitentibus non agit, ſed de iis, qui poſt teſtes rogatos, & rationes collatas crimen ſuum pervicaciter non negant, ſed convicti tandem confitentur. In forenſibus judiciis id ſæpè contingit, cujus exemplum habes *c.* 74. Apoſtolico, *Epiſcopum criminis ab hominibus gravibus, & fide dignis accuſatum vocari oportet ab Epiſcopis. Qui ſi ad judicium adfuerit, & confeſſus, aut argumentis convictus fuerit, pœna definiatur.* Confitetur ille verum delatus, & teſtium authoritate convictus. Agunt illi pervicaciùs, qui convicti crimen pernegant, quod multos facere experientia docet: De utroque iſto hominum genere intelligendus eſt canon Aurelianenſis. De priori per verba, *aut confeſſus fuerit*; De poſteriori per ſequentia, *vel convictus*.

CAPUT VII.

Qui peccantem non corripuerat, & pertinacem, ut Pœnitentia purgaretur, ad Eccleſiam non detulerat, vel deferre diutiùs æquo diſſulerat, reticentia vel nimiæ tarditatis crimen confiteri, & longa Pœnitentia eluere cogebatur, ſive peccata fuiſſent occulta, ſive publica. Hujus propoſitionis per varia ſecula probatio; cujus etiam nunc vigent expreſſa veſtigia.

NOn tantùm liberum erat unicuique Chriſtiano criminis alicujus gnaro auctorem deferre, ut Pœnitentia caſtigaretur, & purgaretur, nec ideò tantùm ſeipſum deferens multò leviùs puniebatur, quàm ab alio accuſatus, & convictus, quemadmodum tot evidentibus teſtimoniis probatum eſt; Sed etiam aliquando ab Eccleſia puniebatur, quòd eum non detuliſſet, aut etiam, quòd planè mirandum eſt, quòd tardiùs detuliſſet. Hoc eſt, quod nunc probandum aggredimur. S. Baſilius *c.*71. ad Amphilochium hanc univerſalem regulam, & ad omnes antecedentes canones relatam conſtituit, *Qui uniuſcujuſque prædictorum fuit conſcius, & non confeſſus, ſed convictus eſt, tanto tempore, quanto malorum effector punitus eſt, ipſe quoque punietur.* Balſamon rem ad libellum ſui temporis examinans, hoc loco conſcium interpretatur eum, qui opem dedit, vel conſuluit, aut etiam qui factum

Digitized by Google

ſactum reſcivit, & impedire potuit, nec impedivit. Sed anguſtè nimis id facit, ut ex S. Auguſtino in *Leviticum* mox citando conſtat. Deinde nihil duriùs æquo, S. Baſilium definire in quomodolibet conſcios, prudenter tamen pro variis circumſtantiis temperata pœna, ex his S. Auguſtini verbis in *ſerm. 16. de verbis Domini* non minus evidenter colligitur. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Si neglexeris pejores. Ille injuriam fecit, & injuriam faciendo gravi ſeipſum vulnere percuſſit: Tu vulnus fratris tui contemnis? Tu eum vides perire, vel periiſſe, & negligis? Pejor es tacendo, quàm ille conviciando.* Cùm igitur cæteris paribus graviùs exiſtimet crimen, non modò æquali, ſed ſeveriori Pœnitentia, ſecundùm ipſius ſententiam erit puniendum. Balſamonis interpretationi contradicit ipſe Baſilius in regulis fuſiùs diſputatis interrogatione 46. ubi id, quod nunc contendimus, evidentiſſimè præcipit: *Quidquid eſt in quo peccatur, id referri ad Antiſtitem debet, ſive ab eo ipſo, qui peccatum commiſit, ſive ab iis, qui illius conſcii ſunt, ſi illud ipſi curare non poſſunt &c. Objurgatio enim, quæ palàm, liberèque fit, occulta benevolentia præſtabilior eſt. Nemo ſit ergo, qui aut peccato alterius latebras quærat, ne pro amore quem fratri debet, exitium illi conciliet.*

II. Ivo Carnutenſis Decreti *parte* 15. 133. ex Pœnitentiali Theodori hunc canonem refert, qui rem ſigillatim explicat, *Qui reticuerit delictum fratris, quod eſt uſque ad mortem, neque eum corripuerit juxta regulam Evangelicam, primo inter ſe, & ipſum ſolum, deinde & inter alios; deinde ad Eccleſiam culpam referens ſi neceſſe fuerit, & quanto tempore fuit, tanto pœniteat.* Iiſdem verbis habetur hic canon in Pœnitentiali Romano *titulo 7. c. 21.* ut, & apud Burchardum *lib. 19. c. 21.* qui eum ſimiliter ex Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis Pœnitentiali refert. Alia in eandem rem manifeſta teſtimonia ex Reginone, & Burchardo referemus hujus operis *lib. 8. cap. 3.* Ejuſdem Pœnitentialis *c. 20.* idem non minus perſpicuè iterùm ſtatuitur. *Si reticuiſti peccatum fratris, quod erat ad mortem, neque corripuiſti eum, nec exhortatus es eum, ut reſipiſceret, nec ſuccurriſti fratri ſub onere jacenti, tandiù pœniteas, quandiù reticuiſti.* De peccatis occultis manifeſtè agunt auctores illi: Si enim publicum eſſet peccatum, quamobrem frater iſte puniretur ob peccatum illud non relevatum, quum peccatum publicum revelare non magis hic teneatur, quàm ille? Peccata publica corrigere ad paſtorem pertinet, non ad privatos. Deinde peccata publica publicè ſunt arguenda: Hæc autem privatim arguuntur, & tandem ſi peccator non reſipiſcat, ad Sacerdotem deferuntur monitione privata in Confeſſione, vel extra Confeſſionem; atque etiam accuſatione publica, ſi conſcius certis indiciis non deſtituatur. Ejuſdem Pœnitentialis *tit. 3. 11.* clarius ſi quid clarius eſſe poteſt, idem enuntiatur, *Si homo fornicatus fuerit cum muliere, & frater ejus neſciens, eandem duxerit uxorem; frater eo quòd fratri crimen celaverit, quatuor annos pœniteat, & poſt pœnitentiam ſi, vult, nubat, Mulier autem uſque ad mortem pœniteat, & ſine ſpe conjugii maneat.* Eundem canonem refert Burchard. *lib. 17. c. 13.* ex canone v. Concilii apud Vermeriam: refert quoque Ivo *part. 9. c. 73.* & Gratian. 35. *q. 2. c. 6.* Peccatum illud occultum fuiſſe, nullus eſt ambigendi ſcrupulus. Si publicum fuiſſet crimen mulierem non duxiſſet frater, de quo agitur, neque hoc Epiſcopus, aut Parochus paſſus fuiſſet. Punitur tamen graviter, quia fratrem non monuerit criminis, multò magis quòd Eccleſiam non monuerit, quàm ſine ſui infamia monere poterat, ut fratrem à propoſito deterreret. His quædam alia poſſunt addi, quæ infra *cap. 11.* inſeruimus.

III. Hanc quæſtionem velut ex profeſſo explicat S. Auguſtinus initio quæſtionum in *Leviticum*, interpretans *verſic. 1. c. 5. Si peccaverit anima, & audierit vocem jurantis, teſtiſque fuerit, quòd aut ipſe vidit, aut conſcius eſt, niſi indicaverit, portabit iniquitatem ſuam.* Ipſius verba operæ pretium eſt referre, ut ea diligenter Lector perpendat: Id enim quòd propoſuimus, evidenter docent: *Hoc videtur dicere peccare hominem quo audiente jurat aliquis falſum, & ſcit eum falſum jurare, & tacet: Tunc autem ſcit, ſi ei rei, de qua juratur, teſtis fuit, aut vidit, aut conſcius fuit, id eſt, aliquo modo cognovit, aut oculis ſuis conſpexit, aut ipſe qui jurat indicavit. Ita enim potuit eſſe conſcius. Sed inter timorem hujus peccati, & timorem hujus proditionis hominum non parva plerumque exiſtit tentatio. Poſſumus enim paratum ad perjurium admonendo, vel prohibendo à tam gravi peccato revocare. Sed ſi non audierit, & coram nobis de re, quam novimus, falſum juraverit, utrùm prodendus ſit, ſi proditus etiam periculum mortis incurrat, difficillima quæſtio eſt. Sed quia non expreſſit, cui hoc indicandum ſit, utrùm illi cui juratur, an Sacerdoti cuipiam, qui non ſolùm eum perſequi non poteſt irrogando ſupplicium, ſed etiam orare pro illo poteſt.* Tandem definit S. Auguſtinus, quid in hac cauſa ſit faciendum, & qua ratione divino præcepto ſatisfaciat: *Videtur mihi, quòd ſe homo ſolvat, & à peccati vinculo, ſi indicat talibus, qui magis poſſunt prodeſſe quàm obeſſe perjuro, ſive ad corrigendum, ſive ad Deum pro illo placandum, ſi & ipſe confeſſionis adhibeat medicinam.* Poſtquam igitur S. Auguſt. præcipuas difficultates, quæ in hac quæſtione moveri poſſunt, ſibi propoſuit, eò tandem confugit, ut præcepto divino ſatisfieri dicat, cùm Sacerdoti revelaveris peccatum, cujus es conſcius, quoquo tandem modo illius ſis conſcius. Omnes enim conſcientiæ iſtius ſpecies enarraſſe videtur, quas Lector velim conſideret, ut ex eo diſcat, quouſque tum ſeſe extendebat illa peccatorum proximi accuſatio. Ponderanda quoque ratio revelationis, quæ tota in Confeſſione, & Pœnitentiæ à Sacerdote impoſitæ fructu conſiſtit.

IV. Eandem revelationis, & accuſationis neceſſitatem nos iterùm docet S. Auguſtinus *homilia 49. & 50. c. 4. & 5.* Invehitur eo loco in laudem, quam Mariti impudici tribuunt pudicis uxoribus, eo quòd illorum impudicitiam æquo animo ferunt: Ne id uxores faciant ſeverè prohibet; illiſque nomine Chriſti inſtanter injungit, ut Eccleſiæ hoc ſignificent, cujus auctoritate ad Pœnitentiam redigantur. Sed ipſum præſtat audire: *Nolo talem patientiam habeant Chriſtianæ mulieres, prorsùs zelent viros ſuos non propter carnem ſuam, ſed propter animas illorum. Omninò ergo moneo, ego præcipio, ego jubeo, Epiſcopus jubet, Chriſtus in me jubet, &c. Nolite viros veſtros permittere fornicari. Interpellate contra illos Eccleſiam. Non dico judices publicos, non Proconſulem, non Vicarium, non Comitem, non Imperatorem, ſed Deum patrem, & Chriſtum, & Spiritum S. In cæteris omnibus ancillæ eſtote virorum veſtrorum, ſubditæ ad obſequium, &c. Sed ubi ventum fuerit ad illud negotium, ubi vos Apoſtolus æquavit, dicens, uxori vir debitum reddat, ſimiliter & uxor viro, clamate pro re veſtra, &c.* Idem de aliis peccatis in pari caſu dicendum eſt; immò multò magis cum maximum ex iſta maritorum accuſatione periculum uxoribus ſæpè immineat; nullum autem aut rariſſimè in peccantium accuſatione, qui nulla ſunt, aut non tanta cum accuſantibus neceſſitate conjuncti.

V. Non eſt autem hæc accuſatio indiſcriminatim edenda. *Diſcernere debemus*, inquit Auguſtinus *ſerm. 16. de verbis Domini, aliquando illud, aliquando illud eſſe faciendum; aliquando corripiendum fratrem inter te, & ipſum ſolum; aliquando corripiendum fratrem coram omnibus, ut & cæteri timorem habeant, &c. Sed dicet mihi aliquis: Quando facio illud, quando illud? Ne tunc corripiam inter me, & ipſum ſolum, quando debeo coram omnibus corripere; aut tunc corripiam coram omnibus, quando debeo in ſecreto corripere?* Propoſitam difficultatem ſic ſolvit. *Intendite, & videte: ſi peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Quare, quia peccavit in te. Quid eſt in te peccavit? Tu ſcis quia peccavit. Quia enim ſecretum fuit, quando in te peccavit, ſecretum quære cum corrigis quòd peccavit. Nam ſi ſolus noſti quòd peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es corrector, ſed proditor.* Hoc demonſtrat exemplo S. Joſephi, qui ſanctam Virginem adulterii ſuſpectam habens deferre noluit. Poſteà ſermonem interruptum retexit, & illuſtrat. *Peccavit ergo in te frater tuus, ſi tu ſolus noſti, tunc verè in te ſolum peccavit. Nam ſi multis audientibus tibi fecit injuriam, & in illos peccavit, quos teſtes ſuæ iniquitatis effecit. Dico enim, fratres chariſſimi, quòd & vos ipſi in vobis ipſis poteſtis agnoſcere. Quando me audiente fratri meo quiſque injuriam facit, abſit à me injuriam illam alienam putem. Prorsùs & mihi fecit, immò & mihi plus fecit, cui putavit placere quod fecit. Ergo ipſa corripienda ſunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus: Ipſa verò corripienda ſunt ſecretiùs, quæ peccantur ſecretiùs. Sic agamus, & ſic agendum eſt, non ſolùm quando in nos peccatur, ſed quando peccatur ab aliquo, ut ab altero neſciatur. In ſecreto debemus corripere, in ſecreto arguere, ne volentes publicè arguere prodamus hominem.* Diſcretio igitur ea eſt, ut crimina, quæ ſolus noſti, ſecretò corripias: Quæ verè alii tecum noverunt, vel te audiente, vel vidente perpetrata ſunt, publicè deferas, hoc eſt, cum ea legitimè probare potes, ut ipſe explicat *homilia 50. lib. 50. homiliarum, quod capite 11. libri præcedentis refertur.* Diſ-

cretio

Digitized by Google

cretio illa obligationem neceſſariam accuſationis, vel ſecretæ, vel publicæ evidenter inducit, ac proinde obligationis iſtius contemptores pœna manet vel publica, vel ſecreta.

VI. Notabit Lector Auguſtinum, cùm jubet corripere fratrem ſecretò inter ipſum ſolum, & corripientem, non excludere Sacerdotem, qui peccantem ſanare poteſt, ſed quoſvis alios, ut manifeſtum eſt ex ejuſdem Auguſtini verbis in *Levitic.* ſupra relatis; ex *cap.* iterùm 46. *regularum S. Baſilii*, & *c.* 7. *regulæ S. Aug. cap.* 10. *lib. præcedentis exſcripto*. Sed his prætermiſſis hoc nos docet idem Auguſtinus eodem loco paulò poſt verba citata. Cùm enim dixiſſet hunc hominem ſecretò peccantem, ita corripiendum, ut non prodatur, ſic rem explicat, *Sed fortè quòd ſcis, & ego ſcio, ſed non coram te corripio, quia curare volo, non accuſare. Sunt homines adulteri in domibus ſuis; in ſecreto peccant: aliquando nobis produntur ab uxoribus plerumque zelantibus, aliquando maritorum ſalutem quærentibus. Nos non prodimus in palàm, ſed in ſecreto arguimus*, &c. Delatio igitur ad Sacerdotem proximi peccantis non excluditur per ſecretam correptionem, ſed ex mente, atque ex facto S. Auguſtini includitur.

VII. Diutiſſimè hæc accuſandi conſuetudo, & accuſandi coactio in Eccleſia viguit. Nam in viſitationibus Epiſcoporum Archidiaconi, & Archipræsbyteri adventum Epiſcopi uno, aut altero die præveniebant, & gravi pœna indicta jubebant omnes advenienti Epiſcopo adeſſe, & interim adſcitis ſibi locorum Præsbyteris leviores cauſas judicabant, & componebant: Epiſcopus autem præſens, Synodumque ſuam celebrans, ſeptem viros ex plebe honeſtiſſimos, & omnium opinione probatiſſimos eligebat, *Et allatis Sanctorum pignoribus unumquemque illorum tali Sacramento conſtringebat: A modo in anteà quidquid noſti, aut audiſti, aut poſtmodum inquiſiturus es, quod contra Dei voluntatem, & rectam Chriſtianitatem in iſta Parochia factum ſit, aut futurum erit, ſi in diebus tuis evenerit, tantùm ut ad tuam cognitionem quocunque modo perveniat, ſi ſcis, aut tibi indicatum fuerit Synodalem cauſam eſſe, & ad miniſterium Epiſcopi pertinere, quòd tu nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam ullatenus celes Epiſcopum, nec ejus Miſſum, cui hoc inquirere juſſerit, quandocunque te ex hoc interrogaverit. Sic te Deus adjuvet, & iſtæ Sanctorum reliquiæ*. Hoc dato Sacramento eos monebat Epiſcopus, ut interrogati ei ſatisfacerent. Nos, inquiebat *Miniſtri Dei ſumus: Non terrenam veſtram ſubſtantiam concupiſcimus, ſed ſalutem animarum veſtrarum requirimus. Cavete, ne aliquid abſcondatis, & ex alterius peccato veſtra fiat damnatio*. Deinde interrogabat eos de variis vitiis, & criminibus, in quæ eorum Parochiani incidere poterant. Prima interrogatio, *Eſt in hac Parochia homicida, qui hominem ſpontanea voluntate, aut cupiditatis, aut rapacitatis cauſa, aut nolens, aut coactus, aut caſu, pro vindicta Parentum, aut bello, aut juſſu Domini, aut proprium ſervum occiderit*. Octoginta, & octo ſunt variæ interrogationes apud Burchardum Decretorum *lib.* 1. *poſt caput* 94. Eadem omninò quæ ex Burchardo exſcripſimus, leguntur in Reginonis Abbatis collectione, quàm juſſu Rathbodi Epiſcopi Trevirenſis compilavit. Eædem quoque interrogationes in varios titulos diſtinctæ ſunt, quos poſteà ſequuntur varii canones juxta titulos illos diſtributi, quibus docetur, qua Pœnitentia canonica ſit unumquodque crimen plectendum. Uterque autem & Burchardus, & Regino, quæ exſcripſimus, ex Concil. Rotomagenſi eruunt.

VIII. His planè ſimile eſt, quod ex antiquo manuſcripto Concilii Moguntini ſub Rabano refert Beatus Rhenanus ad finem admonitionis de dogmate Tertullianeo. Poſtrema verba tantùm referam, eo quòd nec apud Reginonem, nec apud Burchardum occurrunt. *Cæteros verò omnes nobiles, & ignobiles per bannum Chriſtianitatis conſtringat, ut ſupraſcriptas res minimè celent; ac ſic in die judicii ante tribunal Domini Noſtri Jeſu Chriſti Rei occultationis præfatarum rerum neſandarum non inveniantur. Hoc etiam indicat, & conteſtatur per bannum, ut nemo per illius timorem, nec favorem, vel etiam amicitiam præfata reticeat veraciter ſcita, neque per odium, neque per inimicitiam ullam quicquam alicui irroget, quòd veraciter non poſſit probare. Horum aliqua ſi anteà in præſentia Epiſcopi allata eſſent, ejuſque judicio terminata, & poſteà iterato comperta fuerint, velut in initio referantur, & Epiſcopali decreto conſtituantur*. Ex his ſatis ſuperque conſtat, iſtam non modò accuſandi, ſed etiam ad accuſationem cogendi diſciplinam, ut quibuslibet criminibus publicis, & occultis juſta Pœnitentia imponeretur, etiam annis poſt Chriſtum mille fuiſſe in Eccleſia celeberrimam, & ab Epiſcopis ſolicitè exactam, licèt poſteà admodum refriguerit. Hoc antiquitatis monumentum à B. Rhenano relatum adtexuerunt Patres Colonienſes ad finem Concilii, quod celebrarunt anno 1536. Nonnulla alia in eundem finem legere potes infrà *cap.* 3. *libri ſeptimi*.

IX. Quanquam autem cùm Pœnitentiarum canonicarum uſu dilapſa fuerit iſta diſciplina, & propè occiderit, nonnulla tamen adhuc illius veſtigia ſuperſunt in Archidiaconorum viſitationibus, ut adnotant Colonienſes, reſque ſatis evidens eam conſideranti. Verum ſi quis conſuetudinem aliam eccleſiaſticam, ubique vulgatiſſimam, attendat, nihil antiquitus factam diſcet, quod etiam nunc in certis cauſis fieri non deprehendat. Nam etiam nunc nihil eſt vulgatiùs illis monitionibus in finem revelationis, quibus excommunicationis interminatione ab Epiſcopo monentur, & jubentur fideles omnes, qui de certo facto aliquid reſciverint, cognoverint, audiverint, illud revelare; atque de eo teſtimonium juridicum dare. Tamque frequens erat olim iſtarum monitionum uſus, ut eum coercuerint Concilii Tridentini Patres, atque intra certos limites continuerint, quos legere potes in *ſeſſione* 25. *c.* 3. de reformatione. Verùm antiquus uſus, ne quid aliud dicam, multò erat acceptior, & clementior, cum totus in ſalutem proximi vergeret, nullumque ab eo temporale emolumentum Accuſator, & Judex efflagitarent, aut etiam ſperarent, ſed ſolam animæ converſionem, & curationem attenderent.

X. Monendus præterea mihi videtur Lector, antiquos Chriſtianos antequam ad ejuſmodi accuſationes, ſive publicas, ſive etiam privatas apud Epiſcopum procederent, non modò Privatos, ſed etiam Epiſcopos admonere ſolitos privatim, criminis reos, ut peccatum conficerentur, ab eo ceſſarent, atque de eo Pœnitentiam agerent, juxtà Chriſti monitum Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum*, &c. De hac re diligenter monet Epiſcopos S. Clemens Conſtit. *lib.* 2. *cap.* 37. & 38. *Tu igitur conſidera eum qui accuſatus eſt, ſapienter animadvertens quæ ejus vita ſit, & qualis. Et ſi repereris Accuſatorem dicere verum, fac ut Dominus faciendum eſſe docuit. Conveni accuſatum ſeorſum, & argue eum nemine præſente, ut eum pœniteat. Sin autem non paruerit adhibito uno, aut altero indica ei erratum, monens eum adhibitis manſuetudine, & diſciplina, quoniam in corde bono requieſcet ſapientia, &c. Si igitur vobis tribus crediderit, benè habet: Sin aliquis durus, obſtinatuſque erit, dic Eccleſiæ. Hanc ſi contempſerit, neque audire voluerit, ſit tibi ut Ethnicus, & Publicanus, & ne eum ad Eccleſiam tanquam Chriſtianum admittas*. Hoc etiam nonnulli auctores citati expreſsè tradunt, & alii, ut omnibus notum, reticent.

XI. Alia, ſed evidentiſſima iſtius criminum accuſationis teſtimonia habes, unum ex Socrate *c.* 9. *tria c.* 10. unum ex S. Cypriano in Epiſtola ad Pomponium, alterum ex Paciano, *Quid facies tu, qui decipis Sacerdotem? Qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum ſcientem probandi difficultate confundis? &c.* Tertium ex S. Ambroſio in *Pſalm.* 37. Verùm iſta ſemel exſcripſiſſe ſufficiat. Apud Monachos frequentiſſima fuit iſtius diſciplinæ praxis, ut ex regulis SS. Auguſtini, & Benedicti jam adnotatum eſt. Sic faciendum eſſe monet Monachos in regula ſua S. Iſidorus *c.* 14. *Peccantem nullus occultet: criminis enim eſt conſenſio, poſt ſecundam admonitionem celare quempiam peccantem*. Et *cap.* 15. *Si quis ſæpiùs peccantem viderit, priùs hoc uni, vel duobus fratribus demonſtret, quorum teſtimonio poſſit convinci. Si negaverit, qui deliquit peccatum, palàm commiſſum palàm eſt redarguendum*. Sanè per hanc diſciplinam diligenter obſervatam pauca crimina juſtam pœnam effugere poſſunt: Vel potiùs ſi Chriſtianè hæc pœna ſubeatur, pauca ſunt Chriſtianorum crimina, quorum vulnera tandem non ſanet Eccleſia.

CAPUT VIII.

Qua ratione Judæi ſeſe gerant in fraterna proximi peccantis correptione. Eum monere, & corripere tenetur donec corripientem percutiat. Correptio privatim fieri debet in cauſa peccati occulti in proximum. Si verò in Deum, & occultè monitus non reſipiſcat, publicè arguendus, & deferendus. Quidam è Talmudicis ajunt, donec monentem graviter repellat, & jurgiis laceſſat. Ob ſpretam fraternam correptionem deleta Jeruſalem. Cùm certum eſt, & evidens correptionem non profuturam, ea non obligat. Peccata in Deum occulta publicè arguenda docent Talmudiſtæ.

QUÆ

QUÆ duobus capitibus præcedentibus ex antiqua Chriſtianorum traditione explicata ſunt, necnon ea quæ paulò poſt de eadem materia perſecuturi ſumus, lucis aliquid videntur mihi mutuari poſſe ex antiquorum Judæorum, & recentiorum diſciplina in cauſa non diſſimili. Ideò quid illi de proximi correptione doceant, & qua ratione eam exequantur, ipſorum verbis hoc capite enarrabimus. Hæc ſolis verbis Moſis Cordubenſis referemus, & quæcunque de iſtius præcepti explicatione, & praxi ſcribit, exſcribemus. Sic ille parte prima operis magni יד חזקה *cap. 6.* Hilcoth dahoth, ubi de hac re ex profeſſo diſſerit,

בשיחטא איש איש לא ישטמנו וישתק כמו שנ' ברשעים ולא דבר אבשלום את אמנון מאומה למרע ועד טוב כי שנא אבשלום את אמנון אלא מצוה עליו להודיעו ולום לו למה עשית לי כך וכך ולמה חטאת לי בדבר פלוני שנאמר הוכח תוכיח את עמיתך ואם חזר ובקש ממנו לסחול לו צריך לסחול ולא יהא המוחל אכזרי שנאמר ויתפלל אברהם אל האלהים. הרואה חבירו שחטא או שהלך בדרך לא טובה מצוה להחזירו למוטב ולהודיעו שהוא חוטא על עצמו במעשיו הרעי' שנ' הוכח תוכיח את עמיתך המוכיח את חבירו בין בדברים שבינו לבינו בין בדברים שבינו לבין המקום צריך להוכיחו בינו לבין עצמו ולדבר לו בנחת ובלשון רכה ויודיענו שאינו אומר לו אלא לטובתו להביאהו לחי העולם הבא אם קיבל ממנו מוטב ואם לאו יוכיח פעם שנייה ושלישית וכן תמיד חייב אדם להוכיחו עד שיכהו החוטא ויאמר לו איני שומע ובל מי שאפשר בידו למחות ואינו מוחה הוא נתפש בעון אלו כיון שאיפשר לו למחות בהם המוכיח את חבירו תחילה לא ידבר לו קשות עד שיכלימנו שנ' ולא תשא עליו חטא כך אמרו חכמים יכול אתה מוכיחו ופניו משתנות ת"ל ולא תשא עליו חטא מכאן אמרו חכמים שאסור לאדם להכלים את ישראל וכ"ש ברבים אעפ"י שהמכלים את חבירו אינו לוקה עון גדול הוא כך אמרו חכמים המלבין פני חבירו ברבים אין לו חלק לעולם הבא לפיכך צריך אדם לחזהר בדבר זה שלא לבייש חבירו הרבים בין גדול בין קטן ולא יקרא לו בשם שהוא בוש ממנו ולא יספר לפניו דבר שהוא בוש ממנו בד"א בדברי' שבין אדם לחבירו אבל בדברי' שמים אם לא חזר בו בסתר מכלימין אותו ברבים ומפרסמין חטאו ומחרפין אותו בפניו ומבזין ומקללין אותו עד שיחזור למוטב כמו שעשו כל הנביאים בישראל מי שחטא עליו חבירו ולא רצה להוכיחו ולא דבר לו כלום מפני שהיה החוטא הדיוט ביותר או שהיתה דעתו משובשת ומחל לו בלבו ולא שטמו ;ולא הוכיחו הרי זו מדת חסידות ולא הקפידה תורה: *Cùm homo in hominem peccavit, nec odio proſequetur eum, nec tacebit, ut dictum eſt de impiis, 2. Sam. 13. 22. Et non locutus eſt Abſalom quicquam Ammoni vel benè, vel malè, quia eum oderat; ſed jubetur ei offenſam declarare, & dicere: Quare mihi ſic, & ſic feciſti, & quare in tali negotio mihi injuriam intuliſti? Ut dicitur Levitici 19. 17. Corripiendo corripies proximum tuum, & non feres ſuper illo peccatum. Quòd ſi reſipuerit, & veniam ab eo petierit, debet ei parcere, nec parcens eſſe in eum auſterus, ut dicitur Geneſ. 20. 17. Et corripuit ſe Abimelech, & Abraham deprecatus eſt Deum. Qui videt proximum ſuum peccantem, aut per viam non bonam incedentem, jubetur eum in viam rectam reflectere, & ipſi declarare, quòd peccaverit in ſeipſum malis ſuis operibus, ut dicitur, arguendo argues proximum tuum, &c. Qui corripit proximum ſuum ſive propter res, quæ inter ſe, & eum contigerunt, ſive inter ipſum, & Deum, neceſſe eſt eum corripere inter ſe, & ipſum ſolum, & ipſi placidè, lenique ſermone dicere, & notum facere, quòd ipſum non alloquitur niſi in ipſius bonum, & utilitatem, & ut introducat eum in vitam futuri ſeculi. Si hoc ab eo in bonam partem acceperit, bene eſt. Quòd ſi non, corripiet eum ſecunda, & tertia vice: Et ſic perpetuò tenetur homo primùm corripere donec peccator eum percuſſerit, eique dixerit, non te audio. Quicumque habet in poteſtate ſua impedire malum, & non impedit, fit illius peccati reus. Qui corripit proximum ſuum, initio non loquetur ei dura ita, ut pudore confundat eum, ut dicitur Levit. 19. 17. Non feres ſuper eum peccatum. Sic dixerunt ſapientes, Potes tu eum corripere, ita ut facies ejus immutetur, hoc eſt, & non feres ſuper eum peccatum. Hinc iterum dixerunt ſapientes prohibitum eſſe hominis, pudore, & ignominia Iſraelem afficere, & multò magis publicè: Licèt qui ignominia affecerit eum, non vapulet, hoc tamen eſt iniquitas magna. Sic definierunt ſapientes, Qui publicè faciem proximi ſui pudore ſuffundit, partem non habet in ſeculo futuro. Quapropter neceſſe eſt, hominem diligenter cavere, ne proximum ſuum magnum, vel parvum rubore publicè confundat, neve aliquo nomine appellet eum, aut aliquid eo præſente dicat, cujus erubeſcat. Qua ratione hæc ſunt intelligenda? De iis rebus, quæ inter hominem, & proximum intercedunt: Sed in iis quæ ad Deum ſpectant, niſi occultè correptus convertatur, publicè eum pudore confundunt, & publicant ipſius peccatum, illique coram exprobrant; eum contemnunt, & maledictis onerant, donec converſus in melius reformetur, ut in Iſraelem fecerunt omnes Prophetæ. Cùm quis autem è proximo læſus non vult eum corripere, nec ei quicquam dicit, eo quòd eum offendens idiota eſt admodum, & ſimplex, vel quod ſit mentis turbatæ, & parum ſanæ, illique ex corde offenſam condonat; nec ideò eum non corripit quòd odio proſequatur, hæc actio pietatis, & benignitatis eſt proprietas, & virtus, non legis exciſio.* In textu malè ſcribitur המלבין, reponendum המכלים vel המלבין, pallidumque reddens, pudefaciens, ut dicitur *tract.* Sanhedrin fol. 107. colum. 1. המלבין פני חבירו ברבים אין לא חלק בעולם הבא. *pudefacienti vultum ſocii ſui publicè, non eſt pars in futuro ſeculo.*

II. Eadem omnia prorſus Moſes Tranenſis in *lib.* Kirjath ſepher eodem titulo, præcepto undecimo, Ubi addit ſibi videri ab ipſa lege præcipi tamdiu peccatorem eſſe admonendum, donec aut reſipiſcat, aut admonentem repellat auſterè, & velut plagas inflicturus ſi ulterius admoneat. Hoc probat authoritate antiquiſſimi Midras Tranchuma aſſerentis, שהשיבה מידת הדין אעפ"ב היה להם להתבות על קידוש שמך ולקבל על עצמן הבאות במו שעשו הנביאים. *Juſtitiam Dei reſpondiſſe hoc ita faciendum, licèt vel ſic admonentes contemnendi ſint propter ſanctificationem nominis tui, & verberationes, plagaſque perpeſſuri, ſic Prophetas ſe ſe geſſiſſe, &c.*

III. Non notat Moſes ille, ubi illa verba apud Tanchumam legantur, ſed deprehenduntur in fine Paraſchæ בי תזריע, & mihi videntur digna, quæ huc integra referantur, אמר לו הק"בה לגבריאל לך ודשום על מצחן של צדיקים תיו של דיו בדי שלא ישלטו בהם מלאכי חבלה ועל מצחם של רשעים תיו של דם בדי שישלטו בהם מלאכי חבלה נכנסה קטיגוריא לפני הקב"ה אמרה לפניו רבונו של עולם מה נשתנו אלו מאלו אמר להם הק"בה הללו צדקים גמורים והללו רשעים גמורים אמרה לו היה בידם למחו ולא מחו אמר לה גלוי וידוע לפני שאם מיחו בהם לא היו מקבלים מהם אמרה לפניו רבוני של עולם אם גלוי וידוע לפניך לפניהם מי גלוי ולפיכך היה להם למחות בידם ועל קדושת שמך ולקבל על עצמן ולסבול הבאות מישראל כמו שהנביאים סובלים מישראל שהרי ירמיה סובל בתה צרות מישראל וישעיה כמו כן דכתיב ביה גוי נתתי למכים ולחיי למורטים ושאר הנביאים׃ *Dixit Gabrieli Deus benedictus, vade, & inſcribe Tau ſuper frontem Juſtorum cum atramento, ut iis non dominentur Angeli perditionis; & ſuper frontem impiorum Tau cum ſanguine, ut iis dominentur Angeli perditionis. Ingreſſa eſt accuſatio coram Deo benedicto, dixitque coram eo, Domine mundi, quare diverſi ſunt iſti ab illis? Dixit eis Deus benedictus, illi ſunt juſti perfecti, iſti verò impii perfecti. Dixit ei; Num in eorum poteſtate fuit illos prohibere, & non prohibuerunt? Dixit illi Deus, coram me evidens erat, & notum, quòd ſi prohibuiſſent, prohibitioni non acquieviſſent. Regeſſit eorum eo accuſatio, mi Domine mundi, ſi hoc evidens eſt, & notum majeſtati tuæ, ipſis qua ratione notum erit? Et ideò in eorum fuit poteſtate hoc prohibere, & impedire propter ſanctificationem nominis tui, atque etiam propterea ſuſcipere, & ferre percuſſiones, & vulnera ab Iſraele, ut Prophetæ tulerunt. Jeremias enim quantus ab Iſraele tulit afflictiones, & Iſaias, ſicut in eo ſcriptum eſt, Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas pilos vellentibus, ita & cæteri prophetæ.* Eadem hiſtoria, ſive parabola refertur in Talmude tractatu de Sabbato *cap.* 5. *fol.* 55. *pag.* 1. iiſdem propè verbis, niſi quod pro Cartegoria, accuſatio, dictio Græca in Hebræam converſa Talmud habet, מידת הדין Midath haddin, menſura, moduſque Juſtitiæ, hoc eſt, Juſtitia ſevera. Itaque conſtat apud eos proximum corripiendum, & correptioni eo uſque inſiſtendum, donec ad pugnam, armaque feratur.

IV. Eadem, quæ Moſes Cordubenſis, & alius ille de correptione fraterna dixerunt, docet, & aſſerit Moſes Micotſi, in præceptis affirmativis præcepto undecimo: Verùm à Cordubenſi diſſentit in termino correptionis fraternæ: Putat enim non eſſe eo uſque inſiſtendum, donec ad arma veniat, ſed tantùm donec graviter iraſcatur in admonentem, & eum objurgatione repellat. De hac animadverſione ſic R. Jom Tob author libri *Migdalhos*, הר"ם מקוצי תמה על רמ"ולי מפני מה הגיה דברי ר' יוחנן דאמר פרק יש בערכין עד כויפ' ומסקכרב דאמר עד הכאה וק"ל בכוליה תלמודא רב ור' יוחנן הלכה בר' יוחנן ואני תקרתי על הנוסחאות צרפתיות וספרדיות ומצאתי בן עזאי אומר עד נזיפה ור' יוחנן

לא

לא הזכר באותה ברייתה ולכך יצא רמ״ול זכאי *R. Moſes Micatſi miratur quamobrem R. Moſes, cujus memoria in benedictione, reliquerit verba R. Jochanan, qui dixit capite Jes Babaracin uſque ad objurgationem, & definiit ſecundùm Rab, qui dixit uſque ad percuſſionem. Nam facilè eſt unicuique intelligere quod in toto Talmude cùm fit mentio Rab, & Jochanan decisio fit ad mentem R. Jochanan. Verùm eo diligenter perquiſivi exemplaria Gallica, & Hiſpanica, & in iis deprehendi Ben Ozai dixiſſe uſque ad objurgationem, & R. Jochanam non commemorari in illa Baritha, & ideò Moſes ab iſta accuſatione innocens eſt.*

V. Non erit inutile locum Talmudis integrum huc referre, quia tres varias Doctorum Talmudicorum hac in cauſa ſententias complectitur. Habetur tractatu Haracin, ſive de æſtimatione rerum, quæ Deo voventur in fine capitis tertii, עד היכן תוחיחה רב אמר עד הכאה ר׳ יהושע אומר עד קללה ורבי יוחנן אמר עד נזיפה כתנאי רבי אליעזר אומר עד הכאה ר׳ יהושע אומר עד קללה בן עזאי אומ׳ עד נזיפה אמר רב נחמן בר יצחק ושלשתן מקרא אחד דרשו ויחר אף שאול ביהונתן ויאמר לו בן נעות המרדות וכתב ויטל שאול את החנית עליו להכותו למאן דאמר עד הכאה דכתב להכותו ולמאן דאמר עד קללה דכתיב לבשתך ולבושת ערות אמך ולמאן דאמר עד נזיפה דכתיב ויחר אף שאול ולמ״ד נזיפה הכתב הכאה וקללה שני התם דאגב חביבות יתירא דהוה ביה ליהונתן בדוד מסר נפשיה׃ *Quouſque correptio fraterna? Dixit Rab, uſque ad percuſſionem. R. Joſue dixit uſque ad maledictionem. R. Jochanan dixit, uſque ad percuſſionem. R. Joſue dixit, uſque ad maledictionem. Ben Ozai dixit, uſque ad objurgationem. Dixit R. Nachman filius Iſaaci. Tres iſti unum Scripturæ verſum explicant, & edifferunt, 1. Sam. 21. 30. Et efferbuit ira Saul in Jonathan, & dixit ei, filii matris perverſæ, & rebelles, &c. Poſteà ſcriptum eſt verſ. 33. Et jaculatus eſt Saul lanceam, ut feriret. Ille qui dixit, uſque ad percuſſionem adjuvatur his Scripturæ verbis, ut eum percuteret. Qui verò dixit, uſque ad maledictionem illic verbis Scripturæ, quæ ſequuntur, in confuſionem tuam, & in confuſionem ignominiæ matris tuæ. Ille denique, qui dixit, uſque ad objurgationem, ex eo quod ſcribitur, & efferbuit ira Saul. In gratiam autem illius qui dixit, uſque ad objurgationem, hæc duo percuſſio, & maledictio addita videntur ibi ad demonſtrationem excellentis amoris Jonathanis in Davidem, quo commotus animam pro eo tradere non reformidabat, &c.* In libris excuſis R. Jochanan tribuitur iſta ſententia, atque etiam R. Ozai; ſed R. Ozai abſolutè, R. verò Jochanan non abſolutè, ſed aliorum ſententia. Itaque cum Rab præferatur R. Ozai, ſecundùm Rab deciſionem, & praxim fieri manifeſtum eſt. Eadem eſt ſententia R. Salomon Jarki in gloſſâ hujus loci deciſionem à ſententia Rab petentis. Probatur hoc ex ſimili à Talmudicis allato, Ab hoſpitio conſueto non eſſe priùs recedendum quàm hoſpes verbera interminatus fuerit, aut arma tanquam ea jaculaturus ſuſpenderit.

VI. Aliis verbis Micotſi hæc referr ex eodem tract. Haracin, רב אמר עד שיכנו ההוטא ושמואל אם עד שרקללנו ורבי יוחנן אומר עד שיעשה לו נזיפה והלכה ברבי יוחנן Quouſque diffundit ſeſe correctio fraterna? *Reſpondit Rab donec peccator cognomen aliquod injuria illi impingat. Dixit Samuel, donec ei maledicat. Rabi verò Jochanan, donec eum increpet. Deciſio autem ſequitur ſententiam R. Jochanan*; quòd ex capite primo tractatus Betſa demonſtrat; ideòque Maimonidis ſententia illi non placet. Melius forſan שיכנו derivabitur à נבה, & explicabitur, *percutiat eum*. Quid quid ſit, vides quàm neceſſariam exiſtimant correctionem fraternam. Sanè author minutorum Scholiorũ in Moſen refert ex tract. de Sabbato, אמר ר׳ חנינא לא חרבה ירושלם אלא בשביל שלא הוכיחו זה את זה שנאמר היו שריה כאילים לא מצאו מרעה וילכו בלא כח׃ *Rabi Chaninam dixiſſe Jeruſalem non ob aliam rationem destructam, quàm quod hic iſtum non corriperet, ut dicitur Lamentat. 1. 6. Principes tui fuerunt ſicut cervi, non invenerunt paſcuum, & abierunt ſine fortitudine.*

VII. R. Abraham Ben David plurimarum animadverſionum in Moſen Cordubenſem author exceptionem addit admodum utilem, פרק במה בהמה ופרק שבועת הדיינין ואפילו אם ספק בידו אם יקבלו דבריו צריך להוכיח כדמשמע התם בבמה בהם אמנם אם ודאי לו שלא יקבלו או נראה דפטור כדאמרינן התם *Colligitur ex capitibus quæ incipiunt Bameh Behema, & Sebuhat haddajanin, quòd etiamſi correpturus dubitat, an correptionem ſuſcipiant, tenetur eos corripere, ut in illo capite ſignificatur. Verùm ſi certum eſſet ei, & evidens, quòd eam non ſuſciperent, tunc videtur mihi ab ea correptione facienda liber, ut ibi ſtatuunt.* Promit hoc ex eo, quòd in Talmude dicitur de Deo, quòd eos non cohibuerit, eo quòd Deo notum erat eos prohibitioni non pariturus. Similiter igitur hoc eſt de hominibus colligendum, eandemque, ait, eſſe mentem Toſiphtæ in capite Chezkath Habbathim.

VIII. Moſes Mikotſi eadem Talmudis loca in explicatione undecimi præcepti affirmativi examinat, docetque Talmudiſtas hoc tantùm intelligere, cùm quis errore peccat. Verùm ſi per ſuperbiam, & contumaciam ad correptionem teneri, licèt evidens illi videatur, ſe ex admonitione ſua nullum fructum reportaturum. Sed hoc ſeveriùs dictum emollit Moſes, ואני אומר שאין זו כי אם עיצה טובה כי אף במורדין צריך לשתוק כדאמרי׳ ב״פ הבא על יבמתו שחובה על האדם שלא דבר שאינו נשמע שנ׳ אל תוכח לץ פן ישנאך. *Ego verò dico, quòd hoc non eſt aliud quàm bonum conſilium, eoquòd etiam in ſuperbis, & contumacibus obligatur ad ſilentium, ut dicitur cap. Haba bal jebimto, quòd tenetur homo ea non eloqui, quæ alius non eſt exauditurus, ut dicitur, Ne arguas irriſorem, ne odio te proſequatur.*

IX. Peccata in Deum publicè arguenda docent Talmudiſtæ, atque ab iis cæteri Rabbini hoc acceperunt. Tractatu Ioma *cap. 8. fol. 87. p.* 1. ita ſtatuunt, מפרסמין את החנפין מפני חילול השם שנ׳ ובשוב צדיק מצדקתו ועשה עול ונתתי מכשול לפניו תשובת המוחלטין מעכבת הפורענות ואף על פי שנחתם עליו גזר דין של פורענות שלות רשעים סופה תקלה והרשות מקברת את בעליה ערום נכנס לה וערום יצא ממנה׃ *Publicare ſolent Hypocritas propter prophanationem nominis Dei, ut dicitur Ezech. 3. 20. Cùm averſus fuerit juſtus à juſtitia ſua, & iniquitatem fecerit, tunc ponam ante ipſum offendiculum. Pœnitentia perfecta impedit vindictam, etiam ſi adverſùs eos ſententia vindictæ data, & obſignata eſſet. Tranquillitatis impiorum finis eſt offendiculum, & poteſtas, atque licentia deiiciens, & ſepeliens dominos ſuos. Nudus eam ingreſſus eſt, nudus ex ea egredietur.* R. Salomon Jarki iſta commentans, licèt id quod contendimus in iis perſpicuè admodum exprimatur, clariùs tamen explicat, publicè ſcilicet corripiendos nominis Dei prophanatores, מפרסמין את החנפין שהן רשעים ומראין עצמן כצדיקים אם יש מכיר במעשיו מצוה לפרסמו מפני חילול השם שכשאדם למודין ממעשיו שסבורין עליו שהוא צדיק ועוד כשבא עליו פורענות בני אדם אומרים מה הועיל לו זרותו שנ׳ ובשוב צדיק מצדקתו סיפיה דקרא ונתתי מכשול לפניו אני ממציא לידו חטא גלוי לכל שיכשל בו וידעו את מעשיו׃ *Publicant hypocritas, eo quòd impii ſunt, & oſtentant ſemetipſas velut juſtos. Si quis opera ejus cognoverit, præcipitur eum publicare propter divini nominis prophanationem. Nam homines diſcunt ex operibus ejus, eo quod exiſtimant eum eſſe juſtum. Sed inſuper cùm in eum exurgit ultio, dicunt homines, quid ei profuit pietas ejus? Ut dicitur Ezech. 3. 20. Cùm averterit ſe juſtus à juſtitia ſua: finis verſus', & dabo ante eum offendiculum: hoc eſt, Ego faciam, ut peccatum omnibus notum occurrat ipſi in manum, ut in illud impingat, & opera ejus omnes cognoſcant.* Cum igitur homines in Deum peccant, niſi admoniti ſtatim reſipiſcant, publicandi ſunt, ne nomen Dei per ipſos prophanetur. Similia leguntur tractatus Beracoth, *cap. 5. f. 31.* Eadem quoque docentur, & reperiuntur à Moſe Micotſi in Hilcoth Theshuba. Sed hæc pro ſcopo noſtro ſatis ſuperque.

CAPUT IX.

Antiquitus peccata occulta pleraque publicè in Pœnitentiam enunciata fuiſſe; Quodve temperamentum in hac enuntiatione obſervatum fuerit ex Origene, Socrate, & Sanctis Auguſtino, Proſpero, & Cæſario docetur.

PEccata notoria, & publica, publicè in Eccleſia, & omnium fidelium conſeſſu, non modò ab Epiſcopis, ſeu Præſidibus publicè enuntiata, ſed etiam omnibus audientibus à Reis confeſſa fuiſſe, & evulgata, atque ab iis veniam publicè ab Eccleſia exoratam, nemo, ut opinor, nec Catholicus, nec Hæreticus inficiabitur. Id faciendum non modò præcipit Concilium Trident. *ſeſſ. 24. cap. 8.* de reformatione, verumetiam potiſſimam ſancti iſtius moris rationem reddit: *Apoſtolus monet publicè peccantes palàm eſſe corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, unde alios ſcandalo offenſos, commotoſque fuiſſe non ſit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ Pœnitentiam, publicè injungi oportet, ut quot exemplo ſuo ad malos mores provocavit, ſuæ*

omen-

Digitized by Google

emendationis teſtimonio ad rectam revocet vitam. Hoc teſtimoniorum coacervatione demonſtrare, laborem eſt prodigere. Quapropter hoc omiſſo, de quo nemo controverſiam facit, ſpecialem Confeſſionis modum apud antiquos uſitatiſſimum, ſed ab annis pluſquam nongentis obſoletum hoc capite explicabimus. Peccata ſecreta nemini cognita dum ſecretò Pœnitens Sacerdoti aperiebat, ſæpè admonebatur ea per ſeipſum publicè fateri, & in omnium aure evulgare: non quidem omnia, ſed ea tantùm quorum Confeſſione judicabat Sacerdos Eccleſiam ædificatum iri. Cætera regebantur ne eorum evulgatio eſſet Eccleſiæ ſcandalo, aut etiam periculum confitenti crearet. Semper enim in Eccleſia prohibitum fuit, ne peccata ſecreta promiſcuè publicarentur; & univerſim, ne ex Confeſſione, & Pœnitentia Eccleſiaſtica grave aliquod incommodum, nedum mortis periculum, Pœnitentibus immineret.

I I. Hoc nos docent perſpicuè admodum S S. Patres Auguſtin. ſerm. 16. de verbis Domini, *Si ſolus noſti, quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, ſed proditor, &c. Novit neſcio, quem homicidam Epiſcopus, & alius illum nemo novit. Ego volo illum publicè corripere; at tu quæris inſcribere. Prorsùs nec probo, nec negligo: Corripio in ſecretò. Pono ante oculos Dei judicium, terreo cruentam conſcientiam. Perſuadeo Pœnitentiam. Hac charitate præditi eſſe debemus*. Hæc ibi pluribus exaggerat. Ideò rectè dicit Sozomenus hiſtor. *lib. 7. cap. 16. Odioſum, ut credibile eſt, Sacerdotibus ab initio viſum fuit, tanquam in theatro audiente Eccleſiæ multitudine delicta pronuntiare*. Quapropter dicit conſtitutum Præsbyterum Pœnitentiarium, quem tandem Nectarius ſuſtulit, de quo hoc capite plura. Sic & Sanctus Benedictus regulæ, *cap. 46. Si animæ peccati cauſa latens fuerit, tantùm Abbati, aut ſpiritualibus ſenioribus patefaciat, qui ſciant curare ſua, & aliena vulnera non detegere, aut publicare*: Ea ſcilicet, quæ confitenti perniciem afferre poſſent. Dixerat enim periodo præcedente alia peccata, quæ non eſſent hujus generis continuò Abbati, vel Congregationi eſſe prodenda, ne tandem ab alio prodantur, & eorum author graviori pœnæ ſubjaceat.

III. Verùm S. Leo non modò idem nos docet, ſed ne aliter fiat, ſeverè prohibet Epiſtola 80. ad Epiſcopos Campaniæ, *Illam etiam contra Apoſtolicam regulam præſumptionem, quàm nuper agnovi à quibuſdam illicita uſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoveri: De Pœnitentia videlicet, quæ ita à fidelibus poſtulatur, ut de ſingulorum peccatorum genere, libellis ſcripta profeſſio publicè recitetur, cùm reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicari confeſſione ſecreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur, tamen non omnium hujuſmodi ſunt peccata, ut ea, qui Pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi à Pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſua facta reſerare, quibus poſſunt legum conſtitutione percelli*. Ex quibus verbis tria colliguntur. Primùm, Eccleſiæ conſuetudinem nunquam fuiſſe, peccatores ad criminum ſuorum publicam Confeſſionem, ex qua periculum imminere poſſit, adigere. Secundùm, eam conſuetudinem, ſi obtineret, Sacramento Pœnitentiæ plurimùm nocituram. Tertiùm, ſi quis tamen in ædificationem Eccleſiæ id præſtare vellet, rem laudabilem præſtiturum, ſed propter rationes, quas affert Leo, neminem ad ejuſmodi Confeſſionis editionem eſſe cogendum. Eadem, quæ S. Leo, monet Concilium Tridentinum *ſeſſion. 14. capite 5. Et ſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem cùm ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem delicta ſua publicè confiteri poſſit, non eſt tamen hoc divino præcepto mandatum, nec ſatis conſultè humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda*. Quæ de hac publica peccatorum ſecretorum confeſſione nos docent tam Concilium Trident. quàm alii Patres, non modò jam citati, ſed plures alii infrà referendi, ex iis, quæ mox nobis dicenda ſunt, confirmabuntur.

I V. Moris iſtius antiqui de Confeſſione publica occultorum criminum multa ſunt, & evidentiſſima teſtimonia, Origenes *homil.* 2. in *Pſalm.* 37. quid ſuo tempore fieri ſoleret, perſpicuè enarrat. Poſtquam præclara conſuetudine demonſtravit Confeſſionis neceſſitatem, & utilitatem addit, *Tantummodo circumſpice diligentiùs, cui debeas confiteri peccatum tuum: Proba priùs Medicum, cui debeas cauſam languoris exponere, qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi, & compatiendi noverit diſciplinam, ut ita demum ſi quid ille dixerit, qui ſe priùs & eruditum Medicum oſtenderit, & miſericordem, ſi quid Conſilii dederit, facias, & ſequaris. Si intellexerit, & prævideret, talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortaſſis, & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facilè ſanari, multa hoc deliberatione, & ſatis perito Medici illius conſilio procurandum eſt*. De confeſſione autem peccatorum ſecretorum Origenem agere, ſingula quæ præcedunt verba demonſtrant, *Vide, ergo quid edocet nos ſcriptura divina: quia oportet peccatum non celare intrinſecùs. Fortaſſis enim ſicuti, quæ habent intus incluſam eſcam indigeſtam, aut humoris, vel phlegmatis ſtomacho graviter, & moleſtè imminentia evomuerint, relevantur: Etiam hi, qui peccaverunt, ſiquidem occultant, & retinent intra ſe peccatum, intrinſecùs urgentur, & propemodum ſuffocantur à phlegmate, & humore peccati*. Præterea ſi peccata illa eſſent publica, ut quid diſcretio illa tam ſcrupuloſa, quæ eſſent publicè enuntianda, quæ verò reticenda.

V. Circumſtantiæ celebris illius hiſtoriæ de Præsbyteri Pœnitentiarii per Nectarium abrogatione eundem morem luculentiſſimè demonſtrant. Narrat Socrates *lib. 5. c. 19.* nobilem illam mulierem, cujus confeſſio abrogationi moris antiqui occaſionem dedit, peccata ſua quæ poſt baptiſmum commiſerat, particulatim confeſſam eſſe, Præsbyterumque mulieri mandaſſe, ut jejuniis, & continuis precibus ſe dederet, quo unà cùm peccatorum confeſſione opus dignum pœnitentia oſtenderet. *Mulier autem*, inquit, *longiùs in confitendo progreſſa, alterius culpæ ſeipſam inſimulat: Docet, diaconum Eccleſiæ cùm ipſa dormiviſſe. Ob quòd facinus hoc modo patefactam, Diaconus ab Eccleſia ejectus eſt, &c.* Hoc aliter factum eſſe intelligi non poteſt, quàm eo modò, quem contendimus: Videlicet, Pœnitentiarium illum more Eccleſiaſtico certa peccata publicè exhortatum enuntiare; mulierem autem illam plura peccata, quàm admonita fuerat, imprudenter enuntiaſſe, ſcelus ſcilicet cùm Diacono perpetratum, ex quo ſcandalum ortum eſt. Undè enim fieri potuit, ut mulier illa omnibus audientibus, & nemine prohibente, ita ſeſe dedecoraret, niſi ex conſuetudine Eccleſiaſtico peccata ſua publicè confitendi? Ponamus enim conſuetudinem, qualis nunc eſt, peccata ſecreta nunquam evulgandi: Num ſi qua mulier in publico Eccleſiæ conſeſſu id facere aggrederetur, ſtatim ab omnibus tam inſolens facinus prohiberetur; tantùm abeſt ut diu evulgatio, & ſui infamatio in perſona præſertim nobili permitteretur, ut ibi factum eſt, ἡ δὲ γυνὴ προβαίνουσα, καὶ ἄλλο πταῖσμα ἑαυτῆς κατηγόρει. *Mulier verò longiùs progreſſa* (rectè, & neceſſariò ſupplevit Interpres, *confitendo*) *etiam aliud ſuum peccatum accuſavit*. Deinde niſi hæc conſuetudo, ut vulgata in Eccleſia tum viguiſſet, nemo mulieri fidem adhibuiſſet, cùm ſecundùm leges volenti perire non creditur, nec ſecundùm leges Eccleſiaſticas accuſanti alium de crimine, cujus reus eſt, fides, niſi illud probet, adhibeatur. Mulieri autem hoc ſcelus fatenti fides ſtatim contra leges adhibita eſt, eo quòd Pœnitentes peccata ſua in omnium conſpectu enuntiare ſolerent. Præterea quæ cauſa Pœnitentiarium illum abrogandi, cùm criminis auctor non eſſet, præter abrogatam evulgandorum certorum criminum conſuetudinem, ex qua evulgatione imprudenter edita ortum erat ſcandalum? Nam ſi ſecreta tantùm Confeſſio fuit, nullum inde potuit oriri ſcandalum, ut nullum nunc oriri videmus. Et ſi ſcandalum ex ejuſmodi Confeſſione oriretur, id ex Confeſſore, non ex Pœnitente timendum eſſet. Verùm hac in cauſa ex Pœnitente, ut fert hiſtoria, ortum eſt, non ex Confeſſore: Ejuſmodi enim Pœnitentiarii Confeſſionibus audiendis præficiebantur ἐχέμυθοι καὶ ἔμφρονες, ſecretorum tenaces, & prudentes. Denique id evidentiſſimo argumento demonſtratur, quòd hactenus ſecreta Confeſſio permanſit, & permanet apud Græcos, omneſque Orientales inviolata: nec ſecreta modò Confeſſio, ſed poſt Confeſſionem ſecreta Pœnitentiarum canonicarum impoſitio. Duo ergo ſupereſſe poſſunt, quæ Nectarius abrogaverit, Confeſſio certorum peccatorum publica, & publica peccatorum ſecretorum Pœnitentia: utrumque reverè ſuſtulit Nectarius, ſed prioris tantùm mentionem faciunt hiſtorici, quòd ſcandalo occaſionem dederat.

VI. In-

Digitized by Google

VI. Innuere videtur Sozomenus peccati iſtius occaſionem contigiſſe ex longa mora, quam orationis cauſa mulier illa in Eccleſia facere ſolebat. Sed rei circumſtantias accuratius reſcivit Socrates, quàm Sozomenus, quum Socrates quidquid de ea refert, ab eo ipſo teſtetur ſe didiciſſe, qui Nectario abrogandi iſtius Præsbyteri auctor fuit. Deinde circumſtantiæ illæ non ſibi repugnant, facilèque poſſunt eſſe ſimul veræ: Nihil enim impedit, quin mulier illa diuturnioris in Eccleſia moræ occaſionem perpetrandi ſceleris ſumpſerit, deinde ſcelus illud aliis, quæ confiteri juſſa erat, adjunxerit. Certum tamen eſt, Sozomenum circumſtantias multas perperam enarrare, caſque quia ſuo tempore in pleriſque Orientalium Eccleſiis ceſſaverant, omninò ignoraſſe: Exempli cauſa, cum dicit Pœnitentes finito Sacrificio, cujus participes non fiunt, in terram ſeſe proiicere, totamque Eccleſiam lacrymantem Epiſcopo præeunte pro iis preces fundere. Hæc enim fiunt ante inceptum ſacrificium, qua de re nullum omninò dubium, cùm exploratum ſit Pœnitentes illos cum Catechumenis exire juſſos, ne Sacrificio intereſſent. Nonnulla ſunt alia paucis verbis ab eo peccata, quibus omiſſis unum, quòd ad rem facit, adnotabo. Occaſionem ſceleris mulieris, & Diaconi dediſſe refert longam moram mulieris Pœnitentis in Eccleſia. Verùm Pœnitentes initio tantùm officii divini aderant; ultraque ambonem in templo progredi non audebant, eorumque multis limen tranſire neſas erat. Deinde illa peccatorum Confeſſio, ut & nunc, initium exterioris Pœnitentiæ erat, atque ab ea Confeſſione ſive ſecreta, ſive publica inchoabatur Pœnitentiæ exercitium. Initio igitur Pœnitentiæ ſcelus ſuum confeſſa eſt mulier illa Pœnitens: Illud ergo durante longo Pœnitentiæ curriculo in Eccleſia commorata non perpetravit. Quare manifeſtum eſt, Sozomenum occaſionem ſceleris ex genio ſuo divinaſſe, non ex certa narratione accepiſſe.

VII. His accedit id, quod Socrates refert Eudæmoni obieciſſe, quum ei narraret Eudæmon ſe Pœnitentiarii propter illud ſcelus abrogandi Nectario auctorem fuiſſe, *Conſilium tuum, ò Presbyter Eccleſiæ ne profuerit an ſecus, Deus viderit: Illud tamen planè animadverto, te anſam dediſſe, ut alter alterius peccata minimè coarguat, nec obſervet illud Apoſtoli præceptum, Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite*. Iſta enim verba de Confeſſione, & Pœnitentia publica intelligi neceſſariò debent, nec aliter interpretari poſſunt. Si quis autem vellet ad ſecretam Confeſſionem, & Pœnitentiam ea torquere, vim verbis manifeſtè faceret, & ridiculam prorſus interpretationem, ſed inſuper vim animo ſuo inutiliter inferret, quum de conſuetudine abrogata Socrates agat: Certum autem ſit, Confeſſionem, & Pœnitentiam ſecretam apud Græcos hactenus ſemper viguiſſe. Qua propter ex illis verbis neceſſariò colligitur, id, quòd abrogatum eſt, publicum fuiſſe: Quum autem Confeſſio abrogata fuerit, de publica neceſſariò id intelligendum eſt. Ergo ante Nectarium publica peccatorum ſecretorum profeſſio in Oriente uſitata fuit: in Occidente verò, ut teſtantur illi Hiſtorici, permanſit.

VIII. S. Auguſtinus *homilia ultima lib. 50. homiliarum* ejuſdem conſuetudinis obſervantiam verbis magis efficacibus ſtringit. De peccatis poſt baptiſmum commiſſis, & eorum Pœnitentia fideles monet. Enarratis ex S. Paulo variis peccatis, quæ mortem inferunt, tandem hæc ſcribit, *Judicet ergo ſeipſum homo in iſtis voluntate, dum poteſt, & mores in melius convertat, ne cùm jam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino judicetur*. Poſteà duo docet quæ facere tenetur, unum per ſeipſum, alterum per Miniſtros Eccleſiæ. Tenetur ſeipſum accuſare, judicare, & à Sacramento abſtinere: Ideò ſequitur, *Et cùm ipſe in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ, ſed tamen medicinæ ſententiam*, Hęc eſt prius quòd per ſeipſum in ſeipſum facere tenetur. Illud paucis explicat, quia fuſiùs anteà explicaverat, his ſcilicet verbis, *Conſtituto in corde judicio, adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, carnifex timor. Inde quidam ſanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Poſtremò ab ipſa mente talis ſententia proferatur, ut ſe indignum homo judicet participatione corporis, & ſanguinis Domini*. Hoc eſt ſententia, quam propter peccata in ſeipſum pronuntiare debet. Hac igitur pronunciata, quid opus facto? *Veniat ad Antiſtites*, inquit S. Auguſtinus, *Per quos illi in Eccleſia claves miniſtrantur; & tanquam bonus jam incipiens eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito à Præpoſitis Sacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum, ut in offerendo ſacrificio cordis contribulati devotus, & ſimplex, id tamen agat, quod non ſolùm illi proſit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cæteris ad exemplum: Ut ſi peccatum ejus non ſolùm in gravi ejus malo, ſed etiam in tanto ſcandalo eſt aliorum, atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ videtur Antiſtiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere Pœnitentiam non recuſet, non reſiſtat*. Videtur quodammodo Auguſtinus ab Origene verba mutuatus.

IX. Duo poſſunt nobis obiici: Prius agere S. Auguſtinum de peccatis publicis, eo quòd dicit peccatum illud multis eſſe ſcandalo. Deinde verba quædam ſequentia hoc videntur demonſtrare, *Quid enim eſt infeliciùs, quid perverſiùs, quàm de ipſo vulnere, quod latere non poteſt, non erubeſcere, & de ligatura ejus erubeſcere?* Peccata autem publica eſſe publicè confitenda, & per publicam Pœnitentiam eluenda nemo diffitetur. Solutio negotium expediet, & antiquum morem ante oculos graphicè deſcribet. Peccatorum occultorum, ut & publicorum multi ſunt gradus. Occultum enim non modò dicitur, quod nemo novit, ſed etiam quod duo, treſve, atque etiam plures cognoſcunt. Occultum etiam dicitur quod à multis ſcitur, ſed tamen probari non poteſt; vel quia eſt admodum difficile, & nemo hanc probationem vult inſtituere; vel quia nullus reperitur teſtis qui viderit, ſed ſolùm fama quadam crimen perpetraſſe conſtat, eique fides à multis adhibetur, eo quòd ita ſe gerit Reus, ut ſuſpicioni admodum probabili occaſionem præbeat. In quotidianis hominum moribus, commerciis, & converſationibus hoc deprehenditur, nec opus eſt pluribus adſtruere. Occultorum duo poſteriora genera, & poſtremum præſertim, reſpiciunt Patres, qui Confeſſionem peccati occulti publicam urgent. Ea enim eſt, de qua, ut ait Origenes, cæteri ædificari poſſunt, quæ, ut ait S. Auguſtinus, non prodeſt tantùm Confitenti ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cæteris ad exemplum. Illud eſt peccatum, quod licèt multis ſcandalo fuit, & latere non poſſit, ut loquitur S. Auguſtinus, dici tamen publicum non poteſt. Nam illud publicum dicitur, quod negari non poteſt, ut cùm quis Conſanguineam duxit, Concubinam, filioſque ex ea ſuſceptos domi alit, hominem in meridie, mediaque platea mactat, &c. vel cum in judicio ſive Eccleſiaſtico, ſive ſeculari criminis condemnatus eſt. Ejuſmodi autem non ſunt ea, de quibus verba facit S. Auguſtinus. Nam crimina publica in Eccleſia non tolerabantur: vel enim ad Pœnitentiam cogebantur Rei, vel ab ea pellebantur. Occulta igitur crimina ſecundi, & tertii generis ea erant, quæ Patres publicè fateri conſulebant, ut ex iis poſteà Pœnitentia ageretur publica, cunctaque Eccleſia humilitatis Confeſſione, & luctuoſæ Pœnitentiæ ardore ædificaretur. Ædificatio autem in tertio potiſſimum genere locum habebat. Verum primum occulti criminis genus ad ædificationem Eccleſiæ parum facere videtur: Cùm enim planè ſit occultum, illius publicatio Eccleſiæ ſcandalo potiùs eſſe poteſt quàm ædificationi, niſi ardentiſſima Rei contritio criminis atrocitati colorem aliquem inducat: Primis tamen Eccleſiæ temporibus, ut ex Tertulliano, & aliis conſtabit, erat plurimùm uſitata.

X. Statum autem difficultatis eum eſſe, quem explicavimus, non modò ex allegatis ſatis conſtare poteſt, ſed etiam ex iis, quæ apud S. Auguſtinum eodem loco ſequuntur, *Plerique boni Chriſtiani propterea tacent, & ſufferunt aliorum peccata, quæ noverunt, quia documentis ſæpè deſeruntur, & ea, quæ ipſi ſciunt, Judicibus Eccleſiaſticis probare non poſſunt. Quamvis enim vera ſint quædam; non tamen judici facilè credenda ſunt, niſi certis indiciis demonſtrentur. Nos verò à communione prohibere quemquam non poſſumus, quamvis hęc prohibitio nondum ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſive ſeculari, ſive Eccleſiaſtico judicio nominatum, atque convictum*. Ea peccata, quæ à multis ſciuntur, facilè tamen probari non poſſunt, quum de iis Reus peculiari Spiritus S. inſtinctu contritus, & Antiſtites Eccleſiæ adit, ſuadetur ut publicè ad multorum ædificationem confiteatur. Peccata enim publica non ſuadetur, ſed cogitur confiteri, & de iis Pœnitentiam agere canonicam.

XI. Poſteriùs quod obiici poteſt, Agere quidem S. Auguſtinũ de peccatis modo explicato ſecretis, & de pœnitentia eorum publica, ſed ex ipſius verbis confeſſionem publicam non colligi, quod tamen contendimus. Sed ſi verba omnia S. Auguſtini cum teſtimonio Origenis comparentur, manifeſtum erit, S. Auguſtinum eodem cum Origine tendere. Deinde peccatorem hortatus Sanctus Auguſtinus, ut eos ædificet, quibus ſcandalo fuit. Verùm ſi Pœnitentiam publicè agat, publicè non confeſſo peccato, qua de cauſa pœnitentiam agat, ignorabitur. Propter enim multa peccata agi Pœnitentia

tentia poteſt: Immò devotionis, & pietatis cauſa nullis peccatis confeſſis nonnunquam agebatur. Eos ergo, quos ſcandalizavit ſola Pœnitentia publica à Confeſſione publica ſejuncta non ædificabit. Ad Pęnitentiam autem publicam potiſſimùm invitatur, ut quos ſcandalizavit, ædificet. Erat igitur ex mente S. Auguſtini Pœnitentiæ publicæ conjuncta Confeſſio publica. Denique ille, de quo Auguſtinus agit, crimen confiteri non detrectabat, ſed Pęnitentiam propter labores in ea peragenda ſubeundos, *Quid*, inquit, *perverſius quàm de ipſo vulnere, quòd latere non poteſt, non erubeſcere, & de ligatura ejus erubeſcere?* Quare non confeſſus fuiſſet crimen, de quo non erubeſcebat.

XII. Sancto Auguſtino jungi debet Proſper Aquitanicus, fidus Sancti Auguſtini diſcipulus. Sic ille de peccatorum Confeſſione loquitur *lib.* 2. de vita contemplativa, *cap.* 7. Quatuor hominum genera ſtatuit, & triplicem confeſſionem. Primum eſt eorum, qui publicè crimina ſua enuntiant, ut eis canonica Pœnitentia imponatur. Secundum eorum, qui arguuntur, & convincuotur, ſive quorum peccata publicantur, & tandem ea fatentur, Pœnitentiæque ſeſe ſubiiciunt. Tertium eorum, quorum peccata publica ſunt, aut publicata, ſed pœnitentiam detrectant, & correctionem contemnunt. Poſtremum eorum, quorum peccata latent homines, nec publica ſcilicet, nec publicata, ſed ea clam Sacerdoti confitentur, & ab eo Pœnitentiam ſuſceptam fideliter exequuntur. De ſecundo, & tertio nulla poteſt eſſe difficultas, ſive theſim ſpectes, ſive verborum Proſperi hypotheſim. Primum igitur, & poſtremum nobis examinanda ſunt: Cùm enim, quæ ſcribit Proſper, quotidiano uſu publicè uſurparentur, nullo negotio tum intelligebantur, & minutim ea deſcribere fuiſſet importunum. Nunc verò cùm ea obſoleverint, diligentem attentionem, ut animo concipiantur, poſtulant. Primum ſic à Proſpero primo loco enuntiatur, *Cùm verò nobis, fratres, quilibet peccata ſua tanquam Medicis vulnera, quibus urgentur, aperiunt, operam dare debemus, ut quantocius ad ſanitatem Deo authore perveniant, ne in pejus diſſimulata curatione proficiant*. Dico hæc verba poſtremis comparata de publica peccatorum occultorum confeſſione tantùm intelligi poſſe. Hoc Lectori planum faciemus, cùm poſtremum genus hominum verbis Proſperi deſcripſerimus. Secundo igitur, & tertio deſcriptis, Quartum in duplici ſtatu ſic deſcribit, *Porrò illi quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipſis confeſſa, nec ab aliis publicata, ſi ea confiteri, aut emendare noluerint, Deum, quem habent teſtem, ipſum habituri ſunt & ultorem. Et quid eis prodeſt humanum vitare judicium, cùm ſi in malo ſuo permanſerint, ituri ſint in æternum Deo retribuente ſupplicium?* Poſteà pium eorum ſtatum, ſive pœnitendi affectum deſcribit, *Quòd ſi ipſi Judices fiant, & veluti ſuæ iniquitatis Ultores, hîc in ſe voluntariam pœnam ſeveriſſimæ animadverſionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna ſupplicia, & lacbrymis ex vera cordis compunctione fientibus æterni ignis incendia*. Nunc attende Lector argumenti conſequentiam. Dico, Proſperum his poſtremis verbis confeſſionem criminum ſecretam neceſſariò intelligere, & Pęnitentiam, quæ in ea conſequenter imponitur. Nam aut hoc intelligit illis verbis, aut crimina docet ſine confeſſione, & Pęnitentia canonicè à Sacerdote impoſita per ſolam interiorem Pœnitentiam deleri, ſine ulla ad Confeſſionem, & Eccleſiæ claves relatione, quod eſt hæreticum, & ab illius temporis praxi alieniſſimum, ut vel ex verbis S. Auguſtini in homilia ultima ex quinquaginta homiliis jam jam hoc capite citatis evidentiſſimè καὶ ἀναντιῤῥήτως demonſtratur. Ibi enim, ut legiſtis, eandem, quam Proſper hypotheſim proponit, immò ipſiſſimam, ita ut videatur Proſper ſuam ex hoc loco compendio exſcripſiſſe. Negat tamen Auguſtinus, Pęnitentiam illam interiorem, quam deſcripſerat ardentiſſimam, ſufficere. *Et cùm ipſe*, inquit *protulerit in ſe ſeveriſſimæ medicinæ, ſed tamen medicinæ ſententiam veniat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia claves miniſtrantur, &c.* Homilia verò, 49. ejuſdem libri non tantùm monet ad Antiſtites, & claves Eccleſiæ recurrendum eſſe, verumetiam graviter increpat non recurrente. Ita *capite tertio*, *Si præter uxores veſtras cum aliqua concubuiſtis, agite Pęnitentiam, qualis agitur in Eccleſia, ut ores pro vobis Eccleſia. Nemo ſibi dicat, occultè ago, apud Deum ago. Novit Deus, qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. Ergo ſine cauſa, dictum eſt, Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cęlo? Ergo ſine cauſa ſunt claves datæ Eccleſiæ Dei? fruſtramus Evangelium Dei, fruſtramus verba Chriſti?*

XIII. Quanquam igitur Proſper in poſtremò illo Pœnitentiam agentium genere de ſola interiori Pęnitentia videatur verba facere, qua homo ſeipſum judicat, & condemnat, neceſſariò, atque ex uſu Eccleſiæ quàm non tam ſevera docet, conjungenda eſt, ut interpretati ſumus, ſecreti criminis confeſſio ſecreta, & quæ eam conſequitur Pęnitentiæ canonicæ impoſitio. Cùm autem poſtremum hoc genus à primo manifeſtiſſimè diſtinguat, & ei Confeſſionis nomen non tribuat, procul dubio per primum eos intelligit, qui crimen occultum publicè enuntiabant, quibus proximi, qui crimen occultum ſpontè non enuntiabant, ſed ab aliis deprehenſi, & convicti tandem illud confitebantur. Dicit autem quartum illud genus pęnam voluntariam aſſumere, eo quòd, ut infrà *capite* 14. demonſtrabitur, ad Pęnitentiam agendam nullo modo cogi poterat: Sed qui ſemel publicè ſeipſum denuntiaverat, ut & is qui fuerat convictus Pęnitentiam canonicam ſuſcipere, & agere anathemate cogebatur. Si quis interroget, quamobrem in poſtremo Confeſſionis nomine non utitur, ut fecit in primo, præſto mihi videtur reſponſio. Confiteri, ut & ἐξομολογεῖσθαι, propriè eſt aliquid latens in publicum edere, prodere, profiteri. Optimè igitur primo loco conveniebat Confeſſionis nomen; non autem ita propriè poſtremò, in quo tota Confeſſio occulta eſt, nec qui à dicente reſcivit, prodere poteſt. Ejuſmodi enim Confeſſio, ſive criminis ſui Sacerdoti dictio, non eſt criminis profeſſio, vel editio, cum circa criminis Reum ita ſe gerere debeat, ac ſi nihil confeſſum, dictumve fuiſſet. Ne igitur poſtremum cum ptimo confunderet, in poſtremo enuntiando confeſſionis oomine abſtinuit.

XIV. S. Cæſarius Arelatenſis idem de ſuo tempore, quod S. Auguſtinus teſtatur, atque ad idem faciendum hortatur *homil.* 1. Poſtquam enim docuit, quomodo peccata levia remitterentur, ad gravia peccata deſcendit, quæ ſui atrocitate multos affixerunt, de quorum remedio idem mihi videtur dicere, quod ex S. Auguſtino collegimus: *Hæc, & ejuſmodi commiſſa expiari penitus communi, & mediocri licèt ſecreta ſatisfactione non poſſunt: Sed graves cauſæ graviores, & acriores publicas curas requirunt, ut qui cùm plurimorum afflictione ſe perdidit, ſimili modo cùm plurimorum ædificatione ſe redimat*. Idem confirmant exempla Regis Babilonii, & Zachæi, qui in hujus rei probationem enarrat. Graves enim illæ de agenda Pęnitentia curæ Confeſſionem publicam ſecutæ ſunt. Eadem ſententia ex *homilia* 8. & 29. colligitur, ad quarum conſiderationem, nè longior ſim, lectorem remitto.

CAPUT X.

Idem ex Tertulliano, Cypriano, Paciano, Ambroſio, Irenæo, Cornelio, Euſebio, Epiphanio, & variis exemplis demonſtratur. Publicam occulti peccati Confeſſionem aliquando laudabiliter fieri poſſe, Concilium Tridentinum, & Scholaſtici docuerunt.

HÆc Conſuetudo ſub ipſis Eccleſiæ initiis frequentiſſima fuit; paulatim tamen temperata, potiſſimùm regnantibus Chriſtianis Imperatoribus. Quum enim quidquid ſanguinolentum eſt, maximè refugiat Eccleſia, multaque crimina Imperatorum Chriſtianorum legibus vindicata fuerint, quæ anteà ne pro criminibus quidem agnoſcebantur; Ideò factum eſt, ut ſub illorum imperio multò rariùs Confeſſiones publicæ peccatorum occultorum editæ fuerint; Eccleſia diligentiſſimè cavente, ne mortis, aut gravis alicujus incommodi in adminiſtratione Sacramentorum filiis ſuis occaſionem daret. Sanè ſi animo non præoccupato diligenter conſiderentur antiqui authores, non modo animadvertet peccatorum occultorum publicam pęnitentiam, ſed etiam frequentiſſimè publicam Confeſſionem. Tertullianus *capite* 10. & 11. *Libri de Pęnitentia* acriter invehitur in duas rationes, quibus peccatores freti Pęnitentiæ actionem, aut differebant, aut intermittebant. Prior ratio, eſt peccati Confeſſio publica: Poſterior, labores, quibus in Pęnitentiæ curriculo affligebantur. In priorem rationem agit *cap.* 10. in poſteriorem *capite ſequente*. Sic igitur ille: *Pleroſque tamen hoc opus, ut publicationem ſui, aut ſuffugere, aut de die in diem differre præſumo, pudoris magis memores quàm ſalutis: Velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt, &c. Certè periculum ejus ſi fortè tunc oneroſum eſt, cùm penes inſultaturos in riſiloquio conſiſtit, ubi de alterius ruina alter attollitur, ubi proſtrato ſuperſcen-*

ſcenditur. Cæterùm inter fratres, atque conſervos, ubi communis ſpecies, metus, gaudium, dolor, paſſio (quia communis ſpiritus de communi Domino, & Patre) quid tuos aliud quàm te opinaris? Quid conſortes caſuum tuorum, ut plauſores fugis? Non poteſt corpus de unius membri vexatione lætum agere, condoleat univerſum, & ad remedium collaboret, neceſſe eſt, &c. Grande planè emolumentum verecundiæ, occultatio delicti pollicetur. Videlicet, ſi quid humanæ notitiæ ſubduxerimus, proinde & Deum celabimus. Adeòne exiſtimatio hominum, & Dei conſcientia comparantur? An melius eſt damnatum latere, quàm palàm obſolvi? Primum meridiano Sole clarius eſt, eo loco de peccatis occultis Tertullianum agere. Deinde clariſſimum eſt, cauſas detrectandæ Confeſſionis à peccatoribus allatas Confeſſioni ſecretæ, quæ uni fit homini, convenire non poſſe, ſed hominum multitudinem, immò totam Eccleſiam ſpectare. Idem evidenter, confirmatur ex poſterioris rationis refutatione, quam ad Pœnitentiæ actionem retardandam obtendebant: *Quid, ſi præter pudorem, quem potiorem putant, etiam incommoda corporis reformident, quòd inlotos, quòd ſardulentos, quòd extra lætitiam aportet deverſari in aſperitudine ſacci, & horrore cineris, & oris de jejunio vanitate?* Nota, lector, Peccatores illos pudorem Confeſſionis magis reformidaſſe, quàm tot corporis afflictiones, quas deſcripſit. Eſt igitur incredibile, Confeſſionem illam uni Sacerdoti ſecretò, & clam omnibus hominibus factam, ſed publica ſanè fuit, & in publico Eccleſiæ conſeſſu edita.

II. Quanquam S. Cyprianus hoc evidenter, & κατὰ λέξιν non dicat, nonnunquam tamen ea ſcribit de Confeſſione, quæ de publica tantùm intelligi poſſunt, aut quæ illius uſum notum, & frequentem apud Chriſtianos illius temporis ſupponunt. In libello de lapſis admonet eos, qui Idololatriam perpetraverant, & quorum crimen erat occultum, ut illud confiteantur; idque facit exemplo eorum, qui licèt crimen non perpetraverint, confitentur tamen quod, vel de eo cogitaverint, & de hoc occultiſſimo crimine Pœnitentiam à Sacerdotibus ſibi imponi humiliter efflagitant. Hujus autem ſecretiſſimi criminis pœnitentiam, & Confeſſionem fuiſſe publicam ex ipſius verbis non obſcurè colligitur: *Denique quanto & fide majores, & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii, aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc, vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter, & ſimpliciter confitentes Exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licèt, & modicis vulneribus exquirunt.* Primum occultiſſimum hoc crimen apud Sacerdotes exponunt, Deinde Exomologeſim faciunt, hoc eſt, publicè illud fatentur, & propter illud publicam ſuſcipiunt pœnitentiam. Exomologeſis enim actum publicum ſignificat, utrumque complectentem, & Confeſſionem, & Pœnitentiæ actionem, ſed hoc loco potiſſimum reſtringitur ad Confeſſionem, ut videre eſt *cap.* 2. hujus libri. Denique verba ſequentia idem perſuadent, quibus urget Deum non irrideri, & deludi, Chriſtum dicere, *Qui me confuſus fuerit, confundetur cum filius hominis*: plus delinquere, *qui ſecundùm hominem Deum cogitans, evadere ſe pœnam criminis credit, ſi non palàm crimen admiſit.* Quod magis de criminis confeſſione quàm de Pœnitentia intelligere neceſſe eſt, ut etiam ſupra Tertullianus monuit peccatores magis criminis Confeſſionem horruiſſe quàm Pœnitentiam. Immo verba Chriſti, quæ in propoſiti ſui confirmationem citat, de publica tantùm Chriſti Confeſſione intelligi poſſunt, ut ex loci inſpectione apud Marcum *c.* 8. clarum eſt. Docet igitur Cyprianus, eum, qui Chriſtum abnegavit, & iterum ad Eccleſiam revertens ſcelus publicè confiteri non vult, Chriſtum erubeſcere; ideò poſt verba Chriſti ſubjungit, *Et Chriſtianum ſe putat, qui Chriſtianus eſſe confunditur, aut veretur? Quomodo poteſt eſſe cum Chriſto, qui ad Chriſtum pertinet, aut erubeſcit, aut metuit?* Hæc iis applicat, qui ſacrificaverant, & ſcelus confiteri reformidabant, quæ niſi præpoſterè, & inficitè iis applicari poſſunt, qui ſecretò unico Sacerdoti confiteri recuſant. His accedit, quod paulò ante illa verba, enarraverat multa miracula, quæ Deus oſtenderat in eorum pœnam, qui ante peccatorum Confeſſionem, & Pęnitentiam, quia crimen incognitum erat, corpori Chriſti communicaverant. Deinde his enarratis ſubjungit. *Quàm multi quotidie Pœnitentiam non agentes, nec delicti ſui conſcientiam confitentes, immundis ſpiritibus adimplentur; Quàm multi uſque ad inſaniam mentis excordes, dementiæ furore quatiuntur?* Quid aliud iſta miraculorum enarratione demonſtrat quàm Deum eorum ſcelera portentosè publicare, qui ſponte ad ſuam ſalutem ea nolunt publicè confiteri? Sanè ſi quis diligenter conſiderat omnia, quæ de confeſſione, & Pęnitentia ſcripſit S. Cyprianus, de publica tantùm intelligi deberè facilè animadvertet. Antiquæ enim Confeſſiones criminum, ut & Pęnitentiæ, quando periculi temporalis, & civilis periculum aberat, pro magna parte erant publicæ, ut ex jam dictis, & multis aliis, quæ nobis explicanda erunt, evidentiſſimè conſtabit.

III. Hiſtoria quarumdam Sanctimonialium, quam *Epiſt.* 62. refert, quæ dicta ſunt, comprobat. Virgines illæ Deo ſacratæ in eodem lecto cum Maſculis deprehenſæ fuerant. Hoc ad Pomponium Epiſcopum relato vult eas pęnitentia canonica caſtigare. Obiciunt ſe corruptas non eſſe, & ab obſtetricibus inſpici, & probari petunt. Cyprianum conſulit Pomponius, quid facto opus ſit. Cyprianus autem à quatuor Epiſcopis, multiſque Presbyteris conſilio ſumpto reſpondet, primum Virgines illas ab Obſtetricibus diligenter inſpici debere, *& ſi virgines inventæ fuerint, accepta communicatione ad Eccleſiam admitti, hac tamen interminatione, ut ſi ad eoſdem maſculos reverſæ fuerint, aut ſi cum eiſdem in una domo, & ſub eodem tecto ſimul habitaverint, graviore Cenſura eiiciantur, nec in Eccleſiam poſtmodum facilè recipiantur.* Deinde addit, *Si autem de eis aliqua corrupta fuerit deprehenſa, agat Pœnitentiam plenam, quia quæ hoc crimen admiſit, non mariti, ſed Chriſti adultera eſt, & ideo æſtimato juſto tempore, poſteà Exomologeſi facta ad Eccleſiam redeat.* Certùm eſt, crimen illud publicum non fuiſſe ſed domeſticum: Non enim Virgines illæ erant meretrices, nec domus, in qua habitabant, proſtibulum: Sed quod ſecretò commiſſum erat, ab aliquo fuerat ad Epiſcopum delatum. Hinc tamen Confeſſio ſecuta eſt publica, & pęna publica, ut vides S. Cyprianum, & Collegas decreviſſe. Jamque Pomponius ſuopte conſilio id erga maſculos, quos inter unus erat Diaconus, publicè executus fuerat, cujus rei cauſa eum laudat Cyprianus, *Et idcirco conſultè, & eum vigore feciſti, frater chariſſime, abſtinendo Diaconum, qui cum virgine ſæpe manſit, ſed & cæteros, qui cum virginibus dormire conſueverunt.* Idem prorſus dicendum eſt, de quibuslibet accuſationibus ad Epiſcopum, vel ſenatum Eccleſiaſticum, quæ tum temporis erant frequentiſſimæ.

IV. S. Pacianus toto opere ad Confeſſionem illam ſpectat, ſed hæc Parænesis verba id evincunt, *Quid facies tu, qui decipis Sacerdotem? qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum ſcientem probandi difficultate confundis? Rogo ergo vos, fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum, quem occulta non fallunt, deſinite vulneratam tegere conſcientiam. Prudentes ægri Medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus etiam ſecaturos, etiam peruſturos. Meminimus quoſdam, remota etiam, & verecunda membrorum non erubeſcentes, in ferro, & cauterio, & graviſſima illa pulveris mordacitate duraſſe. Et quantum eſt illad quod homines præſtiterunt? Peccator timebit? Peccator erubeſcet perpetuam vitam præſenti pudore mercari? Et offerenti manus Domino vulnera malè tecta ſubducet? Et habet aliquid, quod in illo erubeſcat, qui Deum læſit?* Manifeſtum eſt negotii cardinem hoc loco in confeſſione publica verſari. Nam crimen jam novit Epiſcopus, immò & probare poteſt, ſed nondum plena probatione. Deinde quis tantopere ſecretam criminis, cujus jam multi conſcii erant, Confeſſionem uni homini tam ſalutarem, è qua nullum immineret civile periculum, facere reformidaret? Præterea exemplum Medicorum id comprobat, qui ſectiones, & curationes ſuas publicè faciunt, aut certè multis admotis adminiſtris. Denique quid illud, *offerenti manus Domino malè tecta ſubducet?* Imprudentia eſt, celare, quæ malè tecta ſunt, revelationi Deo manum præbente.

V. Sed omnem tergiverſationem verba, quæ ſequuntur, excludunt, *Quod ſi fratrum oculos erubeſcitis, conſortes caſuum veſtrorum timere nolite. Nullum corpus membrorum ſuorum vexatione lætatur; pariter dolet, & ad remedium conlaborat, &c. Atque ideo, qui fratribus peccata ſua non tacet Eccleſiæ lachrymis adiutus, Chriſti precibus abſolvitur.* Hæc à Tertulliano deſumpſit, ſed eo adhuc dilucidius morem peccata publicè confitendi expreſſit: Nihil enim Paciani verbis addi poſſe videtur. Conſiderandum præterea eſt, Pacianum Parænesim ſuam in quatuor membra diviſiſſe. Primo de iis peccatis agit, quæ Pęnitentia eluuntur: Secundò de iis, qui nec confiteri, nec Pęnitentiam agere volunt, atque ex illa parte deſumpta ſunt, quæ hactenus retulimus. Tertiò de iis tractat, qui bene quidem confitentur, & aperiunt vulnera ſua: *Nunc ad eos ſermo ſit, qui bene, ac ſapienter vulnera ſua Pœnitentiæ nomine confitentes, nec quid ſit Pœnitentia,*

nec quæ vulnerum medicina, ruerunt: Similesque ſunt illis, qui plagas quidem aperiunt, ac tumores, Medicisque etiam adſidentibus confitentur, ſed admoniti, quæ imponenda ſunt, negligunt. Ubi iterum ita eorum errorem deſcribit, ut Confeſſionem, quam fecerunt, generalem fuiſſe declaret, factam ſcilicet non modo Medicis, ſed etiam adſidentibus.

VI. Eodem ſenſu de Confeſſione loquitur S. Ambroſius, ut *libr. 2. de Pœnitent. capit. 10. An teſtes precationis, & Conſcios refugis, cùm ſi homini ſatisfaciendum ſit, multos neceſſe eſt ambias, obſecres, ut dignentur intervenire, ad genua te ipſe proſternat, &c. Hoc ergo in Eccleſia facere faſtidis ut Deo ſupplices, ut patrocinium ſibi ad Deum obſecrandum ſanctæ plebis exquiras, ubi nihil eſt quod pudori eſſe debeat, niſi non fateri, cum omnes ſimus peccatores, ubi ille laudabilior, qui humilior*. Alludit ad ſupplicationes à Pœnitentibus poſt criminis Confeſſionem fidelibus fieri ſolitas, ut eorum precibus criminum à Deo, & ab Eccleſia remiſſionem impetrarent. Nec enim fatebatur in genere ſe peccatores eſſe: Nihil enim opus erat ejuſmodi Confeſſione. Quis enim hoc diſſitetur? Quis Chriſtianus hoc confiteri erubeſcit? Sed & ipſe Pœnitentium habitus id ſatis oſtendit. Verùm duo ægerrimè ferebant niſi ſpiritu Dei cooperante cor eorum maxima pœnitudine tangeretur, peccata publicè confiteri: alterum, fideles quoſque, ut pro iis intercederent, rogare, quibus tertium, quod erat hæc conſequens, addendum eſt, veſtem humilem, & ſordidam geſtare, vitamque jejuniis aliiſque macerationibus frequentem ducere. Ad hunc morem ſæpius alludit *capit. 8. Quotieſcunque alicujus lapſi peccatum exponitur, compatiar, nec ſuperbè increpem, ſed lugeam, & defleam, &c. fortaſſe adoleſcentula lapſa ſit occaſionibus, quæ delictorum fomites ſunt, decepta ac præcipitata ſit; peccamus & ſeniores, &c. Non ergo erubeſcamus dicere graviorem noſtram culpam eſſe quàm ejus quem arguendum putamus, quia dixit hoc Judas, qui arguebat Thamar, & recordatus ſuam ipſe culpam ait, Juſtificata eſt magis Thamar quàm ego. Et cap. 3. ejuſdem libri, Ergo evidentiſſimè Domini prædicatione mandatum eſt etiam graviſſimi criminis Reis, ſi ex toto corde, & manifeſta confeſſione pecati Pœnitentiam gerant, ſacramenti cœleſtis refundendam gratiam.*

VII. Ideò initio enarrationis *in Pſalm. 73.* Pœnitentem monet, ut moleſtè non ferat, ſi quando accidat, crimen ſuum ſibi exprobrari. *Qui Pœnitentiam agit paratus eſſe debet ad opprobria perferenda, injuriaſque ſubeundas, nec commoveri, ſi quis ei peccati ſui crimen obiiciat. Cùm enim ipſe accuſare ſe debeat, quemadmodum alium non ſuſtinet arguentem? Quod ſi ab homine argui timere non debet, quanto magis à Domino Deo ſuo, cui omnes etiam in iis, quæ ſunt occulta peccamus? cum præſertim condemnatio præſentium, abſolutio futurorum ſit.* Quamobrem hæc exhortatio, ſi crimina, de quibus agitur Pœnitentia, latebant? Publica autem non tantùm ſpectare manifeſtum eſt, cum dicat, moleſtè ferre non debere ab alio argui, qui ſeipſum accuſare tenetur. Clarum videtur de peccatis agi occultis, quæ tamen ab aliquo deprehenſa ad Epiſcopum deferuntur. Si publica fuiſſent, nec delatore, nec ſui ipſius accuſatione opus fuiſſet. Ipſe Epiſcopus peccatorum vel adegiſſet ad Pœnitentiam, vel ab Eccleſia expuliſſet. Deinde quod addit à Deo argui timendum non eſſe, quia ei occultè peccamus, & ab eo nunc condemnari, & in futurum abſolvi, de Eccleſiæ judicio, & peccati occulti coram ipſa Confeſſione intelligit. Multis enim verbis tota enarratione ad Pœnitentiam ex Eccleſiæ præſcripto factam refert, quæ David. de Pœnitentia peccati, & coram Deo confeſſione dicit. Unde enarrans hiſtoriam David cum Nathan: *Vide quemadmodum ad Pœnitentiam provocat, ut nos offeramus injuriæ, eligere pœnam mandans, &c.* & paulò poſt, *plurimùm ſuffragatur Reo verecunda Confeſſio, & pœnam, quam defenſione evitare non poſſumus, pudere ſublevamus.* Similia multa ſunt in Enarrationis fine, quibus apertè colligitur, ſermonem illi eſſe de Confeſſione publica, ut de Pœnitentia publica. Ad quid aliud hæc Sancti verba *Epiſt. 3.* referri poſſunt, quàm ad Confeſſionem peccatorum publicè editam? *Quid tam rarum, quàm ut invenias virum, qui ſeipſum coarguat, & factum condemnet ſuum? Rara itaque Confeſſio de peccato, rara Pœnitentia, &c. Repugnat enim verecundia, quia erubeſcit unuſquiſque propriam culpam fateri, dum præſentia magis quàm futura cogitat.* Nullus eſt opinor, qui non videat hæc eſſe falſiſſima, ſi de Confeſſione, & Pœnitentia ſecreta intelligantur, eodemque ſenſu iſta dixiſſe, quo alibi dixit; Plures ſe vidiſſe, qui innocentiam ſervaverint, quam qui rectè pœnitentiam egerint.

VIII. Aliquot antiquis exemplis operæ pretium mihi videtur conſuetudinem illam illuſtrare. Refert S. Irenæus *libr. 1. capit. 9.* adverſus hæreſes, & ex eo S. Epiphanius hæreſi 34. Marcum quendam hæreſiarcham mulieres quaſdam non modò in hæreſim ſuam ſeduxiſſe, verumetiam amatoriis quibuſdam pharmacis in ſui libidinem pellectas corrupiſſe: Hæc autem omnia, quæ erant ſecretiſſima, mulieres illas poſteà converſas publicè in Eccleſia enuntiaſſe; ſed Irenæum audiamus hæc ſigillatim explicantem, *Quòd autem Marcus amatoria quædam, & illectantia pharmaca, quo videlicet earum quoque corporibus probrum, & contumeliam inferat, ſi non omnibus, at certè nonnullis adhibere ſoleat, ipſæ ſæpe, cùm ad Dei Eccleſiam rediiſſent, confeſſæ ſunt, ſeque corpore ab eo contaminatas fuiſſe, miroque ipſius amore exarſiſſe: adeò ut & Aſianus etiam quidam ex noſtris Diaconus, cùm eum hoſpitio excepiſſet, in hanc calamitatem inciderit. Ipſius enim uxor ſingulari pulchritudine fœmina, cum animo tum corpore ab hoc Mago corrupta eſt, eumque cùm perdiu ſecuta eſſet, poſt ea non ſine magno labore à fratribus converſa, per omne reliquum vitæ tempus admiſſum ſcelus confiteri non deſtitit, labem eam, quæ ei à Mago acciderat, lugens, ac lachrymis proſequens.* Antiquus ille mos Eccleſiæ neſcio quo exemplo, & quibus verbis evidentius notari poſſet.

IX. Hiſtoriam memorabilem refert Euſebius *hiſtoriæ libr. 6. capit. 8.* ſive 9. de Narciſſo Hieroſolymorum Epiſcopo ſanctiſſimo. Acerrimus erat in criminibus vindicandis: Nonnulli igitur viri perditi, & graviſſimorum criminum rei, & tres potiſſimùm ab ipſo canonicè puniri pertimeſcentes eum fœdis criminationibus appetunt, calumniaſque à ſe confictas jurejurando confirmant. Licèt autem propter viri ſingularem ſanctitatem pauci ejuſmodi calumniis fidem adhiberent, Narciſſus tamen, tum criminationum indignitate commotus, tum ſolitariæ vitæ ducendæ deſiderio accenſus, ſecedit clam omnibus, atque in deſertis locis longo annorum ſpatio omnibus incognitus degit. Interim ex calumniatoribus miſerrimè pereunt, illis infortunio contingente, quod jurantes deprecati fuerant. Nunc attende, quid tertius fecerit, ut peccatum expiaret, & quid ei contigerit. Hac divina vindicta tertius perterrefactus, *palàm inter omnes maleficia communiter à ſe, ſuiſque ſociis per fraudem contra Narciſſum admiſſa confeſſus eſt*, ὁμολογεῖ μὲν τοῖς πᾶσι τὰ κοινῇ σφίσιν αὐτοῖς ἐπιπεπραγμένα; *contiſque, & tam acerbis delicti pœnitens lamentis afflictus eſt, tantumque lachrymarum effundere non deſtitit, ut utrumque oculum ſibi extinxerit.* Hanc pœnam falsò jurans ſibi imprecatus fuerat. Calumniæ tamen ita erant obſcuræ, ut omnes, niſi revelaſſet, celarent.

X. Eodem hiſtoriæ libro, *capit. 35.* idem refertur de quibuſdam Confeſſoribus, qui à Novato ſeducti fuerant. Cùm ejus impietatem cognoviſſent, non modo ſectam ejus deſeruerunt, ſed etiam omnem ejus malignitatem publicè confeſſi ſunt: ſed præſtat verba S. Cornelii Pontificis exſcribere; quidquid enim in pari caſu dicendum eſſe putamus, explicat, *Cùm Novatum attentius conſideraſſent, & callidam ejus fraudem, verſutiam, perjuria, mendacia, agreſtem inhumanitatem, ab omni vitæ communione alienam, veteratoriam denique inſtar lupi amicitiam deprehendiſſent, eo relicto ad ſanctam Eccleſiam reverterunt, atque omnes ejus fallacias, & maleficia, quæ longo tempore intimo pectore obtexerat, multis præſentibus, tum Epiſcopis, tum Presbyteris tum Laicis quàm plurimis palàm oſtendere, & cum lachrymis, & querela, cum dolore, & pœnitentia ſuam vicem deplorare cœperunt; quòd ſubdola illius, & efferatæ beſtiæ conſilio ab Eccleſia, etiam vel ad exiguum temporis ſpatium deſciviſſent.* Non modò crimen publicum ſchiſmatis confitentur, ſed alterius varia, & occulta crimina, quibus ipſi ad tempus aliquod aſſenſum præbuiſſent. Eodem capite Cornelius narrata hiſtoria trium Epiſcoporum, qui magno cum crimine Novatum Epiſcopum ordinaverant, teſtatur ex iis unum facti pœnituiſſe, & ſcelus publicè confeſſum; *Ex quibus Epiſcopis unus non longè poſt peccatum flebiliter lamentatus, & idem apertè confeſſus*, ὑποδυρόμενος καὶ ἐξομολογούμενος τὸ ἑαυτοῦ ἁμάρτημα, *ad Eccleſiam reversus; quem, populo univerſo pro eo rogante, tandem ut laicum in communionem recepimus.* Crimen autem, ut ibi explicatur, erat, quòd ebrii, & crapula oppreſſi Novatum, ab eo tamen coacti, Epiſcopum ordinaſſent.

XI. De hac antiquorum conſuetudine generalius multò loquitur Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus Heraclæ prædeceſſoris ſui morem referens, ut legitur apud Euſebium *libr. 7. hiſtor. cap. 6.* Scribit enim, *Heraclam ſolitum eos, qui ab hæreſi veniebant, aut qui ab Eccleſia defecerant, & maxi-*

mè

n

Digitized by Google

mè qui nondum defecerant, ſed videbantur adhuc cum fidelibus congregari, accuſatos quod cum aliquo eorum, qui diverſu docent, converſati eſſent, & adhæſiſſent, ab Eccleſia expellere; Et licèt deprecarentur, non admiſiſſe, quo ad omnia, quæ ab Adverſariis audiviſſent, palàm apud omnes eſſeas elocuti, tumque in Eccleſiam eas recepiſſe. Sanè ſi aliena peccata, alienos errores, alienas calumnias publicè confiteri accuſatos cogebat, multò magis ſua.

XII. Ab his exemplis paulò differt illud Virginis lapſæ, ad quam ſcripſit S. Ambroſius libellum ad Pœnitentiam exhortatorium; Occultum enim crimen erat, nec ipſa ſeſe detulit, ſed ab alio delata poſteà crimen ex more publicatum eſt, Pœnitentiaque publica, & duriſſima ad finem uſque vitæ illi eſt impoſita. Ita ad finem *capit*. 8. *Non eſt dubium levius eſſe crimen, ubi peccatum ſuum ultro homo confitetur, & pœnitet. At ubi celans mala ſua invitus detegitur, & nolens publicatur, illud gravias ſcelus eſt, quod tibi utique proveniſſe negare non poteris, & ideo fortius eſt dolendum, quia peccatum eſt fortius*. Qua de cauſa illam ad Pœnitentiam in finem uſque vitæ agendam exhortatur. *Inhære Pœnitentiæ uſque ad extremum vitæ, nec tibi præſumas ab humano die poſſe veniam dari, quia decipit te, qui hoc ſibi polliceri voluerit*. Et in fine libelli orationem concipit Virginis illius nomine, cujus extrema verba ſunt, *Da Pœnitentiæ effectum, Confeſſionis perſeverantiam ne me induret deceptor animæ*. Confeſſionis perſeverantiam à Deo petit, quia ut plurimum toto Pœnitentiæ tempore peccata ſua publicè confiteri non deſinebant.

XIII. Videntur antiqui illi Patres hæc S. Pauli, 1. ad Timotheum *cap*. 5. rigidè ſumpſiſſe, *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant*. Deprehendimus enim in peccata ferè ſemper eos publicè animadvertiſſe, tantus erat illis peccatorum horror. Ideò criminum Rei delicta ſua publicè confitebantur, & publicè juxta Apoſtoli exhortationem ab Epiſcopo increpabantur. Si verò publicam Confeſſionem prætermittere periculum aliquod conſulebat, publicam tamen gravium peccatorum Pœnitentiam exigebant, ut ſemper aliquo modo peccatores coram omnibus arguerentur, cæterique formidine pœnæ perterriti à peccando abſtinerent. Publica autem illa animadverſio nunquam uſurpatur, niſi vel Rei confeſſione, vel convictione, de peccato conſtaret, ut SS. Hieronymus, & Chryſoſtomus in hunc locum adnotant, adnotatque ſæpius Clemens *libr*. 2. *capit*. 8. 10. 11. 13. &c. & jam non ſemel ex S. Auguſtino explicavimus. Obiicit ſibi Chryſoſtomus verba Chriſti *Matth*. 18. *Vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum, ſi in te peccaverit*. Sed ibidem quid regerat attende. *Chriſtus permittit, ut in Eccleſia redarguatur. Quid igitur? num magis ſcandalizat coram omnibus redargui? Quomodo? quum enim peccatum cognoverint, puniſionem verò minimè, magis ſcandalizantur. Sicut enim manentibus peccatis impunitis, multi delinquunt; ita iis punitis multi rectè faciunt*. Notat autem Chryſoſtomus, & poſt eum OEcumenius Paulum uſum verbo ἐλέγχειν, ut ſignificaret non modo publicè peccatores arguendos, ſed etiam ſeverè, & duriter, ut omnes Epiſcopum cum timore revereantur: *Agnoſce igitur, Epiſcope*, inquit Clemens, *dignitatem tuam, quod ſicut poteſtas ligandi tibi obtigit, ita quoque poteſtatem ſolvendi habes. Noſce teipſum, & ſic te in vitu gero, ut tuo loco dignum eſt*. *libr*. 2. *capit*. 18. Sanè ſi quis præter teſtimonia jam relata conſideret pleroſque canones Eliberitanos, modum, formamque pœnitentiam imponendi Romanam à Tertulliano *libr. de Pudicitia*, *capit*. 13. deſcriptam, tot inſuper lites antiquis illis temporibus à Montaniſtis, & Novatianis de Pœnitentia excitatas, tot ea de cauſa peccatorum diſtinctiones celebratas, nunquam autem toto illo tempore differentiæ inter pœnitentiam de peccatis publicis, & occultis agendam mentionem fieri, ſed hac prætermiſſa differentia, peccatique publici ab occulto diſtinctione, uno ſemper, & eodem modo de Pœnitentiæ actione verba facere, facilè colliget, ex uſu illius temporis peccata mortalia, potiſſimum, quæ in Deum commiſſa erant, quantum fieri potuit, & publicè confeſſa, & publicè correcta fuiſſe, ut ex ea Confeſſione, & correctione Eccleſia ædificaretur, & cæteri fideles peccare timerent. Inductio præterea eſt in hanc obſervantiæ fidem efficaciſſima, quæ probata ſunt capitibus 6. & 7. hujus libri, & decimo præcedentis. Nam ſi publicè non modo licuit omnibus alicujus criminis gnaris reum publicè accuſare, ſed etiam graviter puniebatur, qui id non præſtitiſſet, cùm legitimè poterat: Si reus, qui ſeipſum non detulerat, ab alio delatus pluribus pœnis damnabatur, ſane creditu facile eſt ſæpe ad publicam peccati occulti Confeſſionem obligatum fuiſſe, cum nullo imminente periculo edi poterat. Denique quanquam mos ille antiquus jam ſatis ſuperque mihi videatur demonſtratus, ex quæſtionibus tamen, quæ in hac cauſa nobis enodandæ ſuperſunt;, & innumeris aliis antiquorum teſtimoniis in operis progreſſu magis, ac magis innoteſcet.

XIV. Confeſſionem peccatorum publicè, & laudabiliter aliquando fieri poſſe, Scholaſticorum Theologorum auctoritate nihil opus eſt demonſtrare, cùm doctrina ſit apud eos vulgatiſſima, vixque unus, aut alter, qui contradicat, reperiatur, & Concilium Tridentinum id nos diſertè doceat *ſeſſ*. 14. *capit*. 5. *Et ſi Chriſtus non vetuerit, quia aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem, delicta ſua publicè confiteri poſſit, non eſt tamen hoc præcepto divino mandatum, nec ſatis conſultè humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præſertim ſecreta publica eſſent confeſſione aperienda*. Guillelmus Eſtius *in* 4. *diſt*. 17. § 8. prolato hoc teſtimonio hæc infert, *Ex quo Concilii doctrina primùm colligitur non pertinere ad eſſentiam Confeſſionis Sacramentalis, ut ſit ſecreta quemadmodum etiam ex definitionibus ejus ſupra poſitis facilè monſtratur. Deinde nec præcepti divini eſſe, ut ſecretò fiat: Non enim vetuit Chriſtus aliqua lege, quin publicè aliquando fieri poſſit. Immò ſatis declarant verba Concilii poſſe etiam laudabiliter, & cum fructu eam publicè fieri. Tertiò publicam Confeſſionem non eſſe præcepti divini*.

XV. Ægidius Conink *diſputatione* 6. *de qualitate Confeſſionis dubio* 2. *concluſ*. 1. *Ad eſſentiam hujus Sacramenti nihil refert, an Confeſſio ſecretò, an publicè fiat. Eſt jam communis Doctorum, & videtur aperta ſententia Tridentini ſeſſ*. 14. *cap*. 5. & paulò poſt teſtatur, *ex rationabili cauſa quandoque laudabiliter fieri, aut ob aliorum ædificationem, aut quia ſecretè fieri nequit*. Scotum verò, & Gabrielem, qui à nonnullis in contrarium citantur, excuſat, aſſerens ex verbis eorum colligi tantùm poſſe Pœnitentes, ad publicam Confeſſionem non teneri: Angelum verò expreſſe docere publicam Confeſſionem eſſe validam, fieri tamen contra præceptum Eccleſiæ, niſi ſubſit neceſſitas. Suarez *diſput*. 21. *de Confeſſione ſect*. 2. contendit non modo Confeſſionem ſecretam non eſſe de neceſſitate hujus Sacramenti, plurimoſque in ſuam ſententiam allegat autores, quos quiſque apud eum legere poteſt, verùm etiam de ea nullum eſſe præceptum divinum, immò nec Eccleſiaſticum ſcriptum. *Quia*, inquit, *ex inſtitutione non colligitur, & illa ſecluſa non eſt unde colligatur. Quod autem Tridentinum ait, non eſſe alienum &c. Intelligit non eſſe contrarium, nec repugnare divino præcepto, immò eſſe conſentaneum, quia ſuppoſita inſtitutione ille modus per ſe loquendo convenientior eſt, & aptior ad tollendas omnes difficultates, & ſcandala, &c. Neque etiam invenio Eccleſiaſticum præceptum de hac re ſcriptum. Nam quod dicitur in capite omnis utriuſque ſexus, non eſt ut ille modus proſcribatur, ſed ut alius non exigatur*. Quum igitur huic diſciplinæ licèt obſoletæ recentiorum contradicat nemo, eorum teſtimonia accumulare, aquam, ut eſt in Proverbio, mari eſſet addere, & ligna in ſylvam ferre.

CAPUT XI.

Non modò accuſationes fratrum de criminibus tam publicis quàm occultis, ſed etiam ſpontaneas eorundem criminum Confeſſiones in Presbyterorum conſeſſu aliquando factas fuiſſe. Populus aliquando admiſſus ut teſtis, vel interceſſor, non ut judex. Quamdiù mos ille viguit, adnotatur. Exempla iſtius conſuetudinis referuntur.

HActenus de modo Confeſſionis edendæ antiquo verba fecimus: Nunc de iis, apud quos Confeſſio edebatur, aliquid adnotandum eſt: quod enim erat antiquitus vulgatum, nunc inſolens videri poteſt. Paſſim diximus Confeſſionem fieri Epiſcopo, vel Presbytero, quod equidem veriſſimum eſt, & in Eccleſia univerſa hactenus ſemper uſitatum. Sed præterea deprehendimus Confeſſionem peccatorum factam non modo Epiſcopo ſeu Presbytero, ſed etiam Presbyterio ſeu ſenatui Eccleſiaſtico, & Epiſcopum unà cum Presbyterio audita Confeſſione Pœnitentiæ modum impoſuiſſe. Hoc eſt, quod nunc demonſtrandum ſuſcipimus. Antequam hoc aggrediamur, ne longè diverſa confundamus,

Digitized by Google

damus, triplex nobis eſt explicanda diſtinctio: Prima eſt, litium, ſeu Controverſiarum civilium, quas proceſſus vocare ſolent, diſtinctio à peccatorum accuſatione, confeſſione, & punitione. De Litibus, & Controverſiis civilibus non agimus, niſi forſan quatenus ex iis peccatum aliquod oritur, quod Confeſſioni, & reconciliationi obnoxium eſt, vel ipſiſſimæ ſunt actiones de peccatis inſtitutæ. De iis, ut civiles ſunt, & quantum propoſito noſtro conducere poteſt Libri primi *capit.* 9. jam egimus. Secunda diſtinctio peccata ipſa reſpicit: vel enim crimina ſunt majora, quæ Pœnitentia publica, & canonica ſanabantur, vel minora, quæ Pœnitentia tantum privata, & arbitraria, de quibus abundè libro quinto. De priori tantùm genere quæſtio noſtra intelligenda eſt: Hoc enim ſolùm peccatorum genus Pœnitentia publica damnabatur. Si poſterioris Pœnitentia agebatur publica, id ſponte, & ex animi devotione fiebat. Tertia diſtinctio quadrimembris eſt: in tot enim membra quæſtio nobis hoc capite diſcutienda diſtribui poteſt, hoc modo: An qui fratris peccata publica apud Epiſcopum accuſabat, id præſtaret in Epiſcopi, & Presbyterorum conſeſſu; aut ſaltem Epiſcopus ad hoc dijudicandum actionem ad Presbyterium referre teneretur. 2. An qui ſponte, & ante omnem accuſationem ſeſe de crimine notorio deferebat, id in eodem conſeſſu præſtaret. 3. An qui alium de crimine occulto accuſabat, eadem actione obligaretur. 4. An qui ſuum crimen occultum ſpontè fatebatur, idem faceret.

II. Qui ea mente cœperit, quæ quatuor præcedentibus capitibus enarrata ſunt, tria priora accuſationis, & Confeſſionis genera ad Presbyterium delata fuiſſe, ſive ſine Presbyterio Epiſcopum ea non judicaſſe, facilè coniiciet, aut ſaltem quominus id ita factum fuerit, nihil impedire. Capitibus enim 6. & 7. demonſtratum eſt, non modò peccata publica, ſed etiam occulta, modò ſuppeterent alicui legitimæ probationes ad Eccleſiam fuiſſe delata, & convictione facta Pœnitentiam publicè impoſitam, hac tantum adhibita cautione cùm eſſent occulta; ut prius Reus ab accuſatore privatim reſipiſcentiæ admoneretur. Cum dicuntur ad Eccleſiam peccata delata procul dubio per Eccleſiam non intelligitur ſolus Epiſcopus, ſed unà cum eo Presbyterium, quod S. Ignatius in Epiſtola ad Magneſios ſpiritualem vocat coronam, eo quod Epiſcopum cingere ſoleat, ut Aſſeſſores Præſidem ſuum. Prætermiſſis igitur illis omnibus peculiaria quædam teſtimonia quæſtionem propoſitam directè colligentia hic exſcribemus. Notabit autem lector, pleraque illa teſtimonia quartam quoque diſtinctionis partem comprobare, ut unumquodque attendens facilè animadvertet, noſque infra monebimus. S. Paulus in hac cauſa Epiſcopis præiſſe videtur 1. Cor. 5. Ita enim de Corinthio inceſtuoſo, *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi, ut præſens eum, qui ſic operatus eſt in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti congregatis vobis, & meo Spiritu, &c. & Epiſt. 2. capit. 2. Sufficit illi, qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc, quæ fit à pluribus; ita ut è contrario magis donetis, &c.* Non videtur expreſſiùs declarari poſſe quis ſit ad hanc actionem excipiendam idoneus. Itaque ab ipſis Apoſtolis hæc conſuetudo emanavit, immò ab ipſo Chriſto, ut conſtat *ex Matth. cap.* 18. & 17. cujus praxim nobis delineavit loco citato Apoſtolus, ut & qui ſequuntur viri Apoſtolici.

III. S. Clemens plura, quàm contendimus, largitur. Synedrio enim minora quoque peccata ſubiicit ex more temporis Apoſtolici quo ad Epiſcopum, & Senatum Eccleſiaſticum ut *capit.* 9. Libri præcedentis demonſtratum, non modò peccata ſed etiam lites deferebantur; peccata, ſi gravia erant, graviter, & publicè punienda; ſi levia, & publica, leviter, & publicè; ſi levia, & occulta, occultè, & leviter. Sanctus igitur Clemens *libr.* 2. *Conſtitut. capit.* 28. *Presbyteris ſi aſſiduè in ſtudio docendi verbum Dei laboraverint, ſeponatur dupla etiam portio in gratiam Apoſtolorum Chriſti, quorum locum tenent, tanquam Conſiliarii Epiſcopi, & Eccleſiæ corona, εἰσὶ γὰρ συνέδριον καὶ βουλὴ τῆς Ἐκκλησίας, ſunt enim Concilium, & Senatus Eccleſiæ &c. capit. verò* 47. *Aſſiſtunt judicio Diaconi, & Presbyteri, qui citrà acceptionem perſonarum tanquam homines Dei juſtè judicent &c. Ne de omni peccato idem judicium pronuntietis, ſed de unoquoque ſuum, ſingulis delictis tum parvis, tum magnis multa prudentia judicatis, aliter inquam facto, ſermone, item aliter propoſitio; alio modo, convitio, alio ſuſpicione, &c.* En Synedrio Eccleſiaſtico quælibet peccatorum genera, etiam ſuſpiciones ſubiiciuntur.

IV. Quæ Clemens ſtatuit de hoc Synedrio ſingulis prope Epiſtolis, aliquando bis terve repetit Sanctus Ignatius Sancti Pauli cum Clemente diſcipulus. *Epiſtola* 1. quæ eſt ad Smyrnæos, *Omnes Epiſcopum ſequimini, ut Jeſus Chriſtus Patrem, & Presbyterium ut Apoſtolos: Diaconos autem reveremini ut Dei mandatum*. Et in fine ſalutat Epiſcopum, Presbyterium, & Diaconos. *In Epiſt.* ad Epheſios optat eos eſſe Epiſcopo, & Presbyterio ſubjectos, quod in fine Epiſtolæ repetit. Et in Epiſtola ad Magneſios; laudat Diaconum quendam quod ſubjectus ſit Epiſcopo, *ut gratiæ Dei, & Presbyterio, ut legi Jeſu Chriſti*, & Paulò poſt ait: *Epiſcopum præſidere loco Dei, & Epiſcopos loco conſeſſionis Apoſtolorum, & Diaconorum*, εἰς τόπον συνέδριον τῶν Ἀποστόλων, ἢ τῶν διακόνων, Paulò poſt exhortatur eos, ne quid agant ſine Epiſcopo, & Presbyteris. Similia in fine repetit de Epiſcopo, Presbyterio, & Diaconis. In Epiſtola ad Philadelphenſes cùm bis eodem modo conjunxiſſet Epiſcopo Presbyterium, & Diaconos, poſteà ſubiicit, *Omnibus igitur Pœnitentibus dimittit Deus ſi pœniteant in unitatem Dei, & Concilium Epiſcopi*, ἢ συνέδριον τοῦ ἐπισκόπου. Imponitur, & agitur Pœnitentia in Concilio Epiſcopi, id eſt in Presbyterio, ac proinde in eorum conſeſſu editur peccatorum Confeſſio. Ut quid toties cum Epiſcopo recenſentur, atque tam ſolicitè obedientia iis præſtanda commendatur, niſi auctoritatis Eccleſiaſticæ, quæ in Pœnitentiis imponendis præcipuè lucet, unà cum Epiſcopis eſſent participes? Idem etiam demonſtrat Synedrii vox à Clemente, & Ignatio uſurpata, Chriſto & Apoſtolis frequens, ſed ſemper pro judicum conſeſſu accepta. Omnia hæc igitur in Presbyterorum conſeſſu cui præerat Epiſcopus, peragebantur. Nec illi diſtinguunt unquam inter occulta crimina, & publica, eo quod utrumque genus Senatui Eccleſiaſtico ſubiiceretur.

V. Sanctus Gregorius *libr.* 2. *Epiſt.* 49. *Si quid de quocumque Clerico ad aures tuas pervenerit, quod te poſſit juſtè offendere, facilè non credas, nec ad vindictam te res accendat incognita, ſed præſentibus ſenioribus Eccleſiæ tuæ diligenter eſt veritas perſcrutanda, & tunc ſi qualitas rei popoſcerit, canonica diſtrictio culpam feriat delinquentis*. Sic quod ad Clericos attinet, cauſæ peccatorum agebantur. Cùm criminis accuſabatur Epiſcopus, ſi negabat, Concilium Metropolitanum convocabat, in quo ſaltem juxtà Concilia Carthaginenſia duodecim Epiſcopi adeſſe debebant judices: Cùm verò Presbyter, ſex Epiſcopi, cum Diacono, tres Reliqui Clerici ab uno Epiſcopo judicabantur. Canones lege apud Gratianum 15. *quæſt.* 7. Rectè explicat Gratianus *canon.* 8. Conc. Carthag. 3. qui definire videtur, Epiſcopum Clericos Diacono inferiores ſolùm poſſe judicare, id eſt, inquit, ſine aliis aſſidentibus Epiſcopis, non ſine aliis Clericis, juxta, *canonem* 23. Concilii Carthag. 4. *Epiſcopus nullius cauſam audiat abſque præſentia ſuorum Clericorum; alioquin irrita erit ſententia Epiſcopi, niſi Clericorum præſentia confirmetur*, Quemadmodum igitur accuſatio, & condemnatio ad Presbyterium deferebantur, ſic & Confeſſio, ſive eſſet ſpontanea, ſive convictionem ſequeretur. Ad eundem enim pertinet Confeſſionem criminis excipere, vel extorquere, ad quem accuſationem, & teſtes audire.

VI. Concilium Eliberitan. *cap.* 74. *Falſus teſtis, prout eſt crimen, abſtinebitur, &c. Si autem non probaverit, conventui Clericorum placuit per quinquennium abſtineri*. Jam relatum eſt capite præcedente exemplum quatuor Confeſſorum ex *capit.* 35. *lib.* 6. hiſtoriæ Euſebienſis, qui de more non modò ſuam, ſed & Novati, à quo decepti fuerant, iniquitatem publicam, & ſecretam ad Eccleſiam redeuntes Epiſcopis, & Presbyterio confeſſi ſunt. Aderant & Laici, non equidem ut judices, ſed ut teſtes, & ſententiæ approbatores. Quum enim crimen erat publicum, aut occultum, ſed formâ judiciali per accuſationes, & teſtimoniorum collationes, & elevationes judicandum, ſemper aderat iis temporibus populus, & ſæpe illius precibus peccata citius Reis condonabantur, communioque redhibebatur, ut vel ex eo ipſo capite conſtat, in quo refertur ex Sancti Cornelii Pontificis Epiſtola unum ex Epiſcopis, qui Novatum ordinaverant, ita flebiliter peccatum ſuum lamentatum eſſe, ut Cornelius *populo univerſo pro eo rogante eum tandem, ut laicum in communionem receperit*. Quid verò incommodi eos crimina ſua non modò Epiſcopo, verùmetiam Presbyterio confeſſos eſſe, quos jam probavimus eadem crimina coram omni populi multitudine enuntiare ſolitos.

VII. Idem

VII. Idem etiam demonſtrat Natalii Confeſſoris exemplum apud Euſebium *capit. ultimo libri quinti* hiſtoriæ, qui peccati pœnitens ad Zephyrini Pontificis pedes ſeſe dejecit, *κυλιόμενος ὑπὸ τοὺς πόδας οὐ μόνον τῶν ἐν τῷ κλήρῳ, ἀλλὰ καὶ τῶν λαϊκῶν*, *ad pedes provolutus non modò Cleri, ſed & Laicorum*. Ille loquendi modus manifeſtè indicat provolutionem illam, & conſequentem peccati Confeſſionem ad clerum pertinuiſſe; Natalium verò ex abundanti, & contritionis exceſſu eandem obſervantiam Laicis demonſtraſſe.

VIII. Eodem tendunt iſta Tertulliani verba *capit. 4. de Pœnitentia*, ubi inter actus Exomologeſis hæc enumerat, *Presbyteri advolvi, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere*. Presbyteris advolvebantur, ut judicibus; legationes verò fratribus deprecationis ſuæ injungebant, hoc eſt, fraternitatem deprecabantur, ut pro iis apud Epiſcopum, & Presbyterium intercederent. Hoc enim Laicis ſtantibus pro Lapſis facere moris erit, ut ex *Epiſtola* 52. S. Cypriani colligitur, qui hoc argumento probat certis quibuſdam Lapſis citius remittendum, *fratres etiam plurimos, qui extorres, & profugi recedebant, in ſua tecta, & hoſpitia recepit, oſtendens, & offerens Domino multas viventes, & incolumes animas, quæ pro una ſaucia deprecentur*. Hic mos non ineleganter à Sancto Ambroſio deſcribitur *libr. 2. de Pœnit. cap. 7.* ſed de hac interceſſione plura *libr. 8. cap. 12.*

IX. Sæpius idem apud Sanctum Cyprianum legere eſt, ut *Epiſt.* 10. ad Presbyteros, & Diaconos ſcripta, de quibuſdam Presbyteris temerè tradentibus communionem Lapſis, *Interim prohibeantur offerre, acturi & apud nos, & apud Confeſſores ipſos, & apud plebem univerſam cauſam ſuam cum Domino permittente in ſinum matris Eccleſiæ recolligi cœperimus*. Et Epiſtola 14. ad Presbyteros iterum, & Diaconos, *Hoc enim & verecundiæ, & diſciplinæ, & vitæ ipſi omnium noſtrum convenit: ut Epiſcopi plures in unum convenientes, præſente & ſtantium plebe, quibus & ipſis pro fide, & timere ſuo honor habendus eſt, diſponere omnia Conſilii communis religione poſſimus*. Eadem repetit Epiſtola 52. Hæc autem S. Cypriani ſententia Clerò Romano placuit, ut ex ipſius ad Cyprianum Epiſtola colligitur, quæ inter Cypriani eſt 31. *Quanquam nobis in tam ingenti negotio placeat, quod & tu ipſe tractaſti prius: Eccleſiæ pacem ſuſtinendam; deinde, ſic collatione conſiliorum cum Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Confeſſoribus, pariter ac ſtantibus laicis facta lapſorum tractare rationem*. Conſidera, Lector, quid hoc rei ſit. Quia Lapſorum extraordinarius erat numerus, licèt crimen eſſet ordinarium, pœnas huic crimini, & ejus circumſtantiis debitas ſolus cùm Presbyterio definire non audet Cyprianus, primus tamen Africanarum ſedium Epiſcopus, ſed vicinos Epiſcopos ad hoc definiendum convocare ſtatuit, totumque negotium, & conſilium ſuum cum Clero Romano prius communicat, qui & ipſe, eo quòd ſedes Romana tum vacaret, nihil hac in re audet definire. An igitur putas, cùm Reorum numerus non eſſet extraordinarius, Epiſcopum ſolum ſine ulla cum Presbyterio communicatione crimina examinaſſe, & delinquentes caſtigaſſe? Sed non minimi intereſt Cleri Romani rationem hic adſcribere, *Perquàm enim nobis & invidioſum, & oneroſum videtur, non permultos examinare, quod per multos commiſſum videtur fuiſſe; & unùm ſententiam dicere, cùm tam grande crimen per multos diffuſum notetur exiiſſe; quoniam nec firmum decretum poteſt eſſe, quod non videbitur plurimorum habuiſſe conſenſum*. Quid? nec ipſe poſteà ordinatus Pontifex Sanctus Cornelius aliter ſe geſſit, hoc teſtante Cypriano *Epiſtola*, 52. *Romam ſuper hac re ſcripſimus ad Cornelium Collegam noſtrum, qui & ipſe cum plurimis Coepiſcopis habito concilio, in eandem nobiſcum ſententiam pari gravitate, & ſalubri moderatione conſenſit*. Attende verò quomodo de univerſa hac ſua ratione agendi loquatur S. Cyprianus, & quid de contraria ratione ſenſiſſet, *De quo tibi neceſſe nunc fuit ſcribere, ut ſcias me nihil leviter egiſſe, ſed ſecundùm quod literis meis fueram ante complexus, omnia ad commune concilii noſtri conſilium diſtuliſſe*. Eandem diſciplinam & litis tum inſtruendæ formulam à Cornelio Pontifice, & Clero Romano obſervatam in recipiendis Schiſmaticis lege ſigillatim explicatam *cap. 11. lib. 4.*

X. Atque hæc de tribus prioribus diſtinctionis partibus dicta ſunto. Multò plura in hanc ſententiam argumenta deſumi poſſunt ex *capit. 14. & 15. libri ſexti*, & *capit. 3. libri ſeptimi*, atque etiam ex iis, quæ infra de Pœnitentiæ publicæ impoſitione referemus. Quandiu enim viguerunt Pœnitentiæ publicæ, tamdiu criminum publicorum, & occultorum, quæ ad forum contentioſum delata erant, judex fuit cum Epiſcopo Senatus Eccleſiaſticus. Quanquam enim præ Presbyteris magna ſemper fuerit Epiſcoporum in judiciis quibuslibet Eccleſiaſticis auctoritas, ſemper tamen in publicis Pœnitentiis imponendis, & in reconciliandis Pœnitentibus, Presbyterorum Archidiaconorum, Decanorum, Archipresbyterorum ſciſcitati ſunt ſententiam, iiſque coram criminum Confeſſionem audierunt, & denegantium exceptionem examinarunt. Obſervandum tamen fieri ſæpe potuiſſe, in Accuſationibus potiſſimùm, quæ teſtibus ſatis probari non poſſent, ut ſolus Epiſcopus, aut Parochus, ſive Presbyter Cardinalis criminis admoneretur, atque ſic nulla juridica ederetur actio. Hoc in caſu, alio prorſus modo ſeſe gerebat Epiſcopus: Tum enim ita ſecretò accuſatum, ut à peccato ceſſaret vehementer admonebat. Si peccatum Epiſcopo confitebatur, ei, qua prece, & arte poterat, Pœnitentiam pro ratione criminis ſuadebat. Si Pœnitentiam agere recuſabat, nihil ultra quod tentaret, habebat Epiſcopus. Non enim licebat non confeſſum, aut convictum ad Pœnitentiam cogere, ut jam non ſemel, atque ex ſancto Auguſtino, adnotavimus. Si verò privatim ſic accuſatus crimen diffitebatur, præter exhortationes quaſdam charitatis plenas, quæ mente occurrere poterant, nihil ſimiliter quod ageret Epiſcopo ſupererat. Neceſſarium tunc non erat hanc informem accuſationem ad Presbyterium deferre; quanquam ſi delata fuiſſet, eodem quo Epiſcopus ſilentii ſecreto ligatum fuiſſet. Hujus caſus ſpeciem habemus apud Sanctum Augſtinum de Verbis Domini. ſerm. 16. *Aliquando homines reprehendunt nos, quod quaſi non corripimus: aut putant nos ſcire, quod neſcimus; aut putant nos tacere, quod ſcimus; ſed forte quod ſcis, ego ſcio, ſed non coram te corripio, quia curare volo. Sunt homines adulteri in domibus ſuis: In ſecreto peccant, aliquando produntur ab uxoribus ſuis plerumque Zelantibus, aliquando Maritorum ſalutem quærentibus: Nos non prodimus in palàm, ſed in ſecreto arguimus, Ubi contigit malum, ibi moriatur malum; Non tamen vulnus illud negligimus: ante omnia oſtendentes homini in tali peccato conſtituto, ſauciamque gerenti conſcientiam, illud vulnus eſſe mortiferum &c. Homilia ultima ex* 50. alias ſpecies indicat, eorum ſcilicet, qui nolunt alios accuſare, quia per illos ſe excuſant, ut dicitur, miſerorum conſolatio eſt habere pares; & eorum, qui illos non accuſant, eo quòd crimina, quæ norunt, probare non poſſunt, de quibus eo loco nihil ſtatuit. Quid verò ſit ſtatuendum tam ex Sancto Auguſtino quàm ex aliis ſupra explicavimus. Nonnullæ ſunt aliæ ſpecies difficiles, quæ ex Confeſſione ſecreta Epiſcopo, ſeu Presbytero facta naſcuntur, ſed de iis capitibus ſequentibus.

XI. In poſtrema diſtinctionis parte, hoc eſt, cùm aliquis occultum crimen ſponte confitetur, id etiam factum fuiſſe in Presbyterorum conſeſſu multa teſtantur. Primum, quæcunque capitibus *6.* & *7.* hujus libri relata ſunt. Nam ſi crimina occultiſſima deſerebantur ad Presbyterum à quolibet probationem præſto habente, Num tanti erat ſeipſum de crimine occulto ad Presbyterium deferre, quod non ſecus, ac ſi una perſona fuiſſet, ad ſecreti ſigillum tenebatur, cùm in præcedentibus quæſtionibus illi delatio nullam ſecreti obligationem induceret. Sanè minor videtur ad hoc poſtremum hominis repugnantia quàm ad tria præcedentia. Secundum, ſi criminum occultorum Rei nonnunquam hortationibus urgebantur ad ea publicè in conſpectu toties Eccleſiæ enuntianda, ut probatum eſt ſupra *capit. 9. & 10.* Quidni ad ea in conſpectu Presbyterii confitenda? Multò gravius eſt omnibus demonſtrare vulnera ſua quàm pauciſſimis quibuſdam ea curare valentibus. Prius ſæpe confitenti nocere poteſt; poſterius nunquam. Prius denique poſterius continet, non è contra. Tertium, ea argumenta, quibus tres priores quæſtiones probatæ ſunt, quartam etiam plerumque comprobare. Nonnulla tamen addemus quæ ſpecialiter eam confirmant.

XII. Sanctus Cyprianus in libello de Lapſis, *Quanto & fide majores, & timore meliores, qui quamvis nullo ſacrificii, aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter, & ſimpliciter confitentes, Exomologeſim conſcientiæ faciant &c.* Si hoc in peccatis levibus, quæ confiteri non

Morin. de Sacram. Pœnit.

L 3 tenen-

tenentur, multò magis in gravibus, quæ, ut ſanentur, non modo confiteri neceſſe eſt, verumetiam pro more illius temporis pœnitentia publica caſtigari. Clemens Romanus *Epiſt.* 1. ad Jacobum fratrem Domini Sancti Petri actiones referens, *Inſtruebat actus ſuæ vitæ omni hora cuſtodire, & in omni loco Deum reſpicere, firmiter ſcire cogitationes malas cordi ſuo advenientes mox ad Chriſtum allidere, & Sacerdotibus Domini manifeſtare.* En occultiſſima peccata pluribus Sacerdotibus ab ipſo Petro revelata, & confeſſa, immò peccata venialia: A ratione enim prorſus alienum, eſt cogitationes illas malas in Sancto Petro aduſque peccati mortalis gravitatem proceſſiſſe. Eandem inſuper coram Senatu Eccleſiaſtico Confeſſionem exigere videtur Pœnitentia criminì, de quo agitur, imponenda. Cum enim publica eſſet diuturna, & graviſſima, durum fuiſſet illius moderationem in ſolius Epiſcopi arbitrio reponere. Hoc præterea incommodum habet Confeſſio ſoli Epiſcopo, aut uni Sacerdoti credita, quod nullam exequendæ Pœnitentiæ neceſſitatem afferat, niſi is, cui imponitur, volens, lubenſque eam acceperit, ut infra *capit.* 15. multis ediſſeretur. Sed ſemel facta Epiſcopo, & Presbyteris, non præſtantem excommunicationi ſubiiciebat. Id etiam ſuadet antiqua Abſolutionis per manus impoſitionem Cleri, niſi mortis ſubeſſet periculum, præſtandæ conſuetudo. Quis enim negare poteſt, ad eos jus audiendarum Confeſſionum pertinuiſſe, penes quos erat Confeſſos abſolvendi poteſtas? Sed de hoc ritu ſuo loco. Hinc apud Monachos derivata eſt, frequens conſuetudo culpas ſuas coram Abbate, & fratribus confitendi, pœnamque imponendi, & de iis aliquando publicè, & in omnium præſentia ſumendi, ut videre eſt regulæ S. Benedicti *cap.* 46. quæ hactenus ubique acerrimè viget. Quæ à Monachis hac in cauſa obſervari quotidie videmus, hæc olim publicè in omnes Chriſtianos, cum temperamentis enarratis agebantur.

XIII. Duorum Lector eſt hic admonendus: Prius, hanc conſuetudinem, qua reſpicit ultimum diſtinctionis membrum, peccata ſcilicet occulta ſponte confeſſa, in pleriſque Orientis Eccleſiis, poſt Novati hæreſim deſiiſſe. Presbyter enim Pœnitentiarius ejuſmodi Confeſſionibus audiendis præfectus erat, propter rationes jam ex Socrate, & Sozomeno enarratas: Verùm iſtius Presbyteri inſtitutio aliis diſtinctionis partibus nihil nocuit, ut ex SS. Gregorio Thaumaturgo, Nyſſeno, & Baſilio colligitur, apud quos videmus accuſationes fratrum uſurpatas. Iſte enim Presbyter, ut illi hiſtorici etiam monent, & indicat Origenes *in Pſalm.* 37. inſtitutus tantùm fuit, & antiquo canoni additus, ne qui ſponte confitentur, imprudenter ſua delicta enuntiarent, cauſaque ideò una fuit illum inſtituendi, & abrogandi. Verum in Occidente quandiu viguit conſuetudo de criminibus occultis publicè pœnitendi, tandiu frequens fuit eorumdem criminum facta Epiſcopo aſſidentibus Presbyteris Confeſſio.

XIV. Poſterius cujus Lector nobis videtur admonendus eſt, primas ſemper Epiſcopo tributas fuiſſe, ita ut eo inſcio, & ſine illius permiſſu non liceret Presbyteris pœnitentiam publicè dare, non ſecus ac reconciliationem. Quanta eſſet illius auctoritas ex *can.* 32. Concilii Eliber. facilè colligitur, *Si quis gravi lapſu in ruinam mortis inciderit, non agat penitentiam ſine Epiſcopi conſultu, cogente tamen infirmitate non eſt Presbyterorum, vel Diaconorum communionem talibus præſtare, niſi juſſerit Epiſcopus.* In Concilio Carthag. 2. *cap.* 3. Presbyteris eadem fit probitio, ut & in Agathenſi *cap.* 44 ſed additur in Miſſa, ſive publico miniſterio, eo quod in mortis, aut urgentis periculi neceſſitate quilque Presbyter Pœnitentiam imponere, & reconciliare poterat, ut etiam jubet Sanctus Cyprianus *Epiſt.* 13. Sed præter hanc neceſſitatem tam Pœnitentiæ impoſitio quàm reconciliatio ſolemniter in Miſſa ab Epiſcopo præſente toto Clero celebrabatur, vel ipſo abſente aut jubente à Presbytero, ut infra, videre eſt *lib.*8. *cap.*13. Hæc obiter, nam de his infrà, & loco ſuo ampliſſimè dicendum erit.

XV. Lubet hic attexere nonnulla, quæ mihi occurrunt, exempla Confeſſionum multis ſimul Sacerdotibus factarum. Jam nonnullas, & antiquiſſimas indicavimus *capit.* 9. hujus libri non modò Sacerdotibus, ſed etiam plebe audiente publicè de criminibus occultis enuntiatas. Duas alias inſignes habes infra *libri quinti capit.* 7. *& libr.* 8. *capit.* 24. unam Potamii Bracarenſis in Toletano Concilio decimo factam, ubi grande crimen, & occultiſſimum confitetur, verumque eſſe jurejurando aſſirmat, cujus cauſa ab Epiſcopatu deponitur. Alteram Rotberti Cœnomanenſis Epiſcopi, qui morti proximus peccata ſua Concilio Duziacenſi per ſcriptum confitetur, atque à Patribus abſolvitur. Hæc locis indicatis alia in cauſa perſecuti ſumus. Guilielmus primus Northmaniæ Dux, & Angelorum Rex jam moriturus, ut inſert Anonymus auctor, qui aderat, & inter nonnullos ſcriptores Angelicos excuſus eſt, multis ſimul Sacerdotibus confitetur alta voce, audientibus utriuſque gentis Primoribus, quæque à pueritia ad ultimam uſque ſenectutem mala perpetraverat, multis verbis enuntiat, tandemque Sacerdotes ſic alloquitur, *Unde vos, ò Sacerdotes, & Miniſtri Chriſti ſuppliciter obſecro, ut orationibus veſtris me commendetis omnipotenti Deo, ut peccata quibus admodum premor, ipſe remittat, & per ſuam infatigabilem clementiam inter ſuos me ſalvum faciat. Theſauros quoque meos jubeo dari Eccleſiis, & pauperibus, ut quæ congeſta ſunt ex facinoribus, diſpergantur in ſanctis ſanctorum uſibus &c.*

XVI. Non eſt hic omittendum perinſigne hac in cauſa factum Erneſti Alemaniæ Ducis morituri à Ditmaro *libro* 7. relatum. Ictu ſagittæ cùm venaretur lethaliter vulneratus, *Quia tunc Presbyterum, cui ſua confiteretur peccata, non habuit, unum ex militibus hujus vice propius accodere juſſit: Quem cùm adeſſe perſpiceret, per eum vocavit alios. Omnes inquit accedite, & commortalis veſtri peccatoris facta aure cordis percipite, & qualiter careatur, unanimiter ſuccurrite, abſentibuſque cunctis fidelibus peccatricem meimet animam quæſo commendate; & uxorem meam ut honorem ſuum ſervet, & mei non obliviſcatur, admonete. Hæc dicens in quaſcunque unquam ſe aliquid deliquiſſe recordari potuit, cunctis præſentibus innotuit, & mox de hac luce, II. Kal. Junii diſceſſit.* Hæc multo magis coram multis Sacerdotibus profeſſus fuiſſet. Egit autem ex more illius temporis, & ſeculorum ſequentium, quo Sacerdotis non facta copia, occurrenti Laico peccatorum Confeſſio edi ſolebat, ut videre eſt infra *lib.*8. *cap.*23. Hæc Ditmari verba cùm retuliſſet Cardinalis Baronius anno 1015. in hæc verba prorumpit. *Planè mirandum exemplum contriti hominis corde, ut peccata ſua cunctis propalare non veritus ſit hominibus, cum, cui ſecretò confiteretur, Presbyterum non inveniſſet. Ejuſmodi erubeſcentiam ſponte pati hominem velle ob delictorum ſuorum Pœnitentiam: gratum eſſe Deo ſacrificium, per quod ipſe perpetrata delicta dimittat, in commentario illo, qui inſcribitur, Vitæ Patrum, & alibi ſunt exempla.*

XVII. Nicephorus Gregoras *libr.* 4. verſùs finem, eandem ſceleris publicè confitendi fiduciam de Michaele Palæologo refert, qui duorum ſcelerum graviſſimorum à ſe commiſſorum perfidiæ execrandæ, & filii Imperatoris à ſe excæcati pœnitens, ad Joſephum Patriarcham, cui peccata ſua confiteri ſolebat, ſe confert, dum publicè multis Epiſcopis, & Presbyteris circumdatus ſacra celebraret, illique pronus accidit ante Sanctuarii portas, *διαῤῥήδην ἐπιδοὺς ἁμαρτήματα ἐγκαλῶν ἑαυτῷ, τοῦ τε τῆς ἐπιορκίας φημι, καὶ τοῦ τῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ βασιλέως τυφλώσεως, καὶ ἐπὶ τούτοις αἰτεῖται συγχώρησιν, & manifeſtè, claraque voce horum duorum ſcelerum ſeſe accuſavit, perjurii ſcilicet, & excæcationis filii Imperatoris, & horum Abſolutionem rogavit.* Quid tunc Patriarcha, & Pontifices? *Πρῶτος μὲν οὖν ὁ πατριάρχης ἐπιστὰς, αὐτῷ κειμένῳ συγχωρήσιμον ἔγγραφόν τινα διεξῄει λόγον. Primus Patriarcha ipſi jacenti ſuperſtans ſcriptam quandam Abſolutionis orationem recitavit. Poſt ipſum Pontificem unuſquiſque juxta ordinem ipſis convenientem eandem Abſolutionis orationem ſuper ipſum ſucceſſivè recitaverunt. Sic Imperator lætus diſceſſit credens ſimul cum hac Abſolutione Deum illi eſſe placatum, & reconciliatum.*

CAPUT XII.

An peccata ſua ſecretò confitens, non modò ſe, ſed etiam criminis occulti participem ſemper accuſare teneretur. An verò aliqua daretur exceptio.

DIfficilis quæſtio, nec leviter agitanda nunc occurrit; An ſcilicet, qui peccata ſua confitebatur, non modo ſeipſum accuſaret, ſed etiam, eos quibuſcum peccaverat. Quæſtio hæc ſi antiqua diſciplina ſpectetur, nullo negotio ſolvitur: Si verò hodierna, difficilis videbitur, nec una propoſitione velut uno faſce involvenda. De antiqua diſciplina prius verba faciemus, hodiernam poſteà deſcribemus. Tribus de cauſis ſocii, ſive complicis accuſatio contingere poteſt, Vel propter peccati ſpeciem Sacerdoti

enun-

enunciandam, vel propter peccati gravitatem minuendam, vel augendam, ne æquo durior, vel levior Pœnitentia imponatur: Vel denique citra has cauſas, quia ſic expedire videtur, ne crimen committatur, vel ut ceſſet commiſſum. His omnibus de cauſis hoc factitatum eſſe, non eſt, cur quis ambigat, ſi eorum, quæ capitibus præcedentibus probata ſunt, non omnino eſt immemor: Licuiſſe ſcilicet unicuique fideli, quem ſciebat Reum criminis ad Epiſcopum, vel Presbyterum deferre; Reum verò ſic accuſatum, & convictum multò gravioribus, & diuturnioribus pœnis affectum fuiſſe, quàm ſi ſponte ſeipſum publicè, aut privatim accuſaſſet. Hoc ſi unicuique privato, & criminis minimè conſcio extra Confeſſionem non modò licuit, ſed paſſim magna cum omnium laude uſurpatum eſt, multò magis id unicuique privato in Confeſſione licuit. Longè enim ſecurius religioſa Confeſſione famæ proximi conſulitur, quàm naturali tantùm civilis amicitiæ ſecreto. Quòd ſi in Privato criminis nullomodo participe, ſed tantum gnaro hoc laudabile fuit; multò magis in criminis participe. Quidni autem alterius peccatum, cujus particeps eſt, judici revelabit, cum ſuum ipſe revelet? Neceſſe non eſt chariorem illi eſſe alienam famam quàm ſuam. Deinde falſum eſt cum alteri obtrectare, qui aliquem defert extra Confeſſionem multò minus in Confeſſione ad utriuſque Judicem, Paſtorem, & Principem, cujus præ cæteris intereſt ſubditorum crimina perſpecta habere, ut maturè provideat, ne ex iis damnum aliquod capiat Reſpublica, ſive unaquæque Eccleſia illi commiſſa, ut poſthæc multis explicabimus. Huic autem rationi ſi addas quod jam demonſtratum eſt, antiquos Chriſtianos ne cum impiis communicarent, tam religioſè reformidaſſe, ut ideò unuſquiſque cùm proximum criminis alicujus Conſcium reſciret, probationeſque legitimas in promptu haberet, illum ad Epiſcopum lubens deferret, niſi ſeſe Reus detuliſſet, & Pœnitentia crimen elueret; de hac Confeſſionis licentia non ampliùs ambiges.

II. Quanquam igitur ſententia iſta, ex iis, quæ demonſtrata ſunt, manifeſte colligatur, peculiaribus tamen argumentis in unaquaque ſpecie eam confirmabimus. Pœnitentes peccatorum Confeſſionem vel privatim edebant, vel publicè. Utroque modo non tantùm ſe, ſed etiam criminis ſocios in jam explicatis hypotheſibus accuſabant. Hoc factum fuiſſe, cùm ſpeciei peccatorum explicandæ neceſſitas id poſtulabat, ex antiquis canonibus eſt evidens. S. Baſilius ad Amphilochium *can. 67. Cum ſorore coitus Homicidæ tempore punietur. Et can. 75. Qui cum propria ex Patre, vel ex Matre Sorore pollutus eſt, in domum orationis ne permittatur accedere, donec ab iniqua, & nefaria actione deſiſtat. Poſtquam autem in horrendi peccati ſenſum, & animadverſionem venerit, triennio defleat, &c. Et can 79. Ii etiam, qui in ſuas Novercas inſaniunt, ſunt eidem canoni obnoxii, cui & ii, qui in ſuas ſorores inſaniunt.* Eadem dicenda de peccatis, quæ marito cum uxore, & uxori cum marito communia ſunt. Hæc enim vel nunquam Confeſſori enuncianda, vel Conſcio peccatum revelandum. Utriuſque generis peccata à canonibus caſtigata legere potes quàm plurima in antiquo Pœnitentiali Romano *tit. 3. cap. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 14.* ex antiquioribus Conciliis collecta. *Cap. 12.* referam: *Quidam fornicatus eſt cum quadam muliere; poſteà filius neſciens patris factum, ſtupravit eandem. Quod cùm pater reſciviſſet de ſe filioque confeſſus eſt. Statuerunt melius eſſe, ut taliter lapſis, cum digna Pœnitentia legitima permittantur conjugia; quàm fortè deterius delinquant: fornicaria autem ſine ſpe conjugii maneat.* Idem referunt prætereà Burchard. *libr. 17. cap. 16.* & Jvo *part. 9. cap. 76.* ex Concilio Triburienſi; legitur ibi *capit. 43.* Gratianus quoque 34. *qu. 1. cap. ult.* Alii canones iſto vix minus ſunt evidentes Ejuſdem Pęnitentialis *titulo 8. capit. 15. Si pater, aut filius, aut duo fratres cum una muliere, aut ſi cum matre, & filia, aut cum duabus ſororibus, aut cum duabus commatribus aliquis concubuerit, ſecundùm antiquam, & humaniorem definitionem octo annis pœnitent.* Gratianus 30. *qu. 4. capit. 2.* ex Concilio Chalcedonenſi, ut uterque autumat. In eodem Pœnitentiali *tit. 3 cap. 23. Frater carnalis cum fratre carnali fornicationem faciens quindecim annos ab omni carne ſe abſtineat.* Refert Burchardus velut ex Romano Pœnitentiali *libr. 17. cap. 56.* Et idem Pęnitentiale eodem titulo *cap. 39.* ex Theodoro Cantuarienſi Archiepiſcopo, *Exercuiſti lenocinium, &c. ſeu quod crudelius eſt, & periculoſius, alienum corpus, filiæ dico, vel neptis, & alicujus Chriſtianæ amatoribus vendidiſti, vel internuntia fuiſti, vel conſiliata es, ut ſtuprum aliquod tali modo perpetraretur, duos annos pęniteas per legitimas ferias.* Burchardus hanc interrogationem Pęnitenti faciendam docuit *lib. 19* His canonibus ſimiles lege apud Bedam de remediis peccatorum *cap. 2. & 7.* Sæpius quoque in Conciliis noſtratibus eadem decernuntur, ut Arvern. *cap. 12.* Turon. 2. *cap. 22.* Moguntino *cap. 56*

III. Manifeſtiſſimè inſuper in peccatis occultiſſimis ſocium in Confeſſione detegendum eſſe hæc confirmant, Triburienſe *capit. 43. Si quis cum qualibet fornicatus fuerit, & eo neſciente filius ejus, vel frater ejuſdem, & rei inſcius, cum eadem ſe polluerit; & poſtquam ſe pollutum eſſe cognovit confeſſus fuerit, & hoc ſe neſcire cum juramento confirmaverit, quia hoc pęnituit, & confeſſus fuit, poſt peractam congruam Pęnitentiam legitimo utatur matrimonio.* Vormacienſe *capit. 62. Si quis cum matre, & filia in adulterio manſit, neſciente matre quòd cum filia manſiſſet, ſimiliter & filia neſcia, & poſteà ille vir ſi acceperit mulierem dimittat eam, & uſque in diem mortis ſuæ non habeat uxorem: & illa mulier, quam reliquerit, accipiat virum. Et illa mater, & filia, cum quibus in adulterio manſit, ambabus neſcientibus, quòd cum matre, & filia manſiſſet, habeant viros. Nam in notitiam earum ſi venerit hoc ſcelus, dimittant maritos, & agant Pęnitentiam,* &c. Idem ibi decernitur de noverca, & filiaſtra, deque duabus ſororibus. Idem propè referunt Burchard. *libr. 17. cap. 12.* & Ivo *parte 9 cap. 72. ex can. 4.* Concilii apud Vermerias, & Gratian. 35. *q. 1. c. 9.* ex Concil. Tribur. Videre potes his ſimilia plura apud Burchard. & Ivonem locis citatis.

IV. Dicet forſan aliquis, iſta de peccatis publicis intelligi, non de occultis. Sed huic effato repugnant ſinguli propè canones: Rarum enim eſt, cùm ejuſmodi peccata publicari poſſunt. Intra enim domeſticos parietes perpetrantur, & ſceleris occultandi, & perpetrandi facilitatem maximam præbet conſanguinitatis, & affinitatis propinquitas. Deinde conſiderare lectorem oportet canones punire iſtorum criminum Reos, nec diſtinguere ſi ſæpius id commiſerint, aut cum ſcandalo; immò ſæpius indicare pęnam crimini, vel ſemel perpetrato infligendam eſſe. At ſanè crimina illa omnia ex una, aut altera perpetratione aſpergi ſuſpicione non poſſunt, nedum divulgari. Itaque canones illos ad publica tantùm crimina reſtringendos nulla ratione fieri poteſt probabile. Prætereà crimina nonnulla tam iniqua ſunt, & horrenda, ut, ſi eſſent publica, nullus eſſet Pęnitentiæ canonicè agendæ locus, nedum matrimoniis contrahendis, prohibendis, aut reſolvendis, ut præcipiunt illi canones: Gladio enim Judicum horum omnium occaſio amputaretur. Denique occultiſſima eſſe crimina ipſi canones allati apertiſſimè, & κατὰ λέξιν teſtantur, cùm diſertè aſſerant, & aſſumant, quorum affinium, vel Conſanguineorum circa eandem perſonam, etiam ipſis affinem, vel conſanguineam crimen perpetrantium neutrum alterius crimen cognoſcere.

V. Verùm fingamus tantiſper crimina illa eſſe publica. Hinc permulta conſequentur abſurda. Nulli enim pęnæ tam horrenda peccata erunt obnoxia, niſi fortè fortuna publicentur. Canones enim citati, neque alii in ejuſmodi peccatis diſtinguunt à publicatione occultationem. Pauci quidem canones eos, qui publicè pęnitere debent, generatim ab iis diſcriminant, quibus privata eſt imponenda Pęnitentia; ſed nulli canones, aut antiquæ hiſtoriæ definiunt, ſi hoc peccatum fuit publicum hac pęna punietur; iſta verò ſi remaneat occultum; ſed univerſaliter, & indiſtinctè ſemper ſtatuunt: Qui hoc peccatum commiſerit, hac pęna afficietur. Itaque ſi canones iſti de peccatis publicis tantùm intelligendi ſunt, non autem de occultis, quæ à Reis ſecretò ad Epiſcopum in Confeſſione deferuntur, nulla erit ejuſmodi peccatis à canonibus impoſita pęna, quod eſt abſurdiſſimum.

VI. Prætereà certum eſt, ut infra demonſtrabimus, cum Pęnitentiale Romanum conditum eſt Pęnitentiam occultorum peccatorum occultam fuiſſe, ſed eandem, quæ pro publicis peccatis impoſita fuiſſet. Itaque omnes illi canones de utriſque peccatis, ſed potiſſimùm occultis, intelligendi ſunt, cùm ejuſmodi peccata vix unquam publicè perpetrentur. Uno ex eodem Pęnitentiali teſtimonio in hujus rei probationem nunc contentus ero: *titulo 3. capit. 26. Si quis inceſtum occultè commiſerit, & Sacerdoti occultè confeſſionem fecerit, indicetur ei remedium canonicum quod ſubire debuiſſet, ſi ejus facinus publicatum fuiſſet. Verùm quia latet commiſſum, detur à Sacerdote conſilium, ut ad ſalutem animæ ſuæ pro occulta Pęnitentia proficiat; hoc eſt,*

Morin. de Sacram. Pœnit.

ut veraciter ex corde ſe graviter deliquiſſe confiteatur, & per jejunia, & eleemoſynas, vigiliaſque, atque ſacras orationes eam lachrymis ſe purgare contendat. Eadem referunt poſt Thedorum, & Pœnitentiale Romanum Burchard. *libr. 19. capit. 36.* & Ivo *parte 15. capit. 53.* Denique illa diſtinctio cum illius temporis conſuetudine ſubſiſtere non poteſt. Docuimus enim, eſtque res apud antiquos vulgatiſſima, Reos, ſi crimina ſponte accuſarent, longe mitioribus pœnis exceptos fuiſſe, quàm ſi ab aliis accuſati, & convicti fuiſſent, atque ideò crimina quæque occulta multò promptius unumquemque ad Sacerdotem detuliſſe. At ſi verum eſſet, criminis authorem ſecum non accuſaſſe participem, criminis horrendam deformitatem Sacerdos ignoraſſet; & conſequenter crimen qua tale impunitum dimiſiſſet: fornicationem enim pro inceſtu puniiſſet, furtum pro ſacrilegio, vel quid ſimile. Quo dato criminis author accuſationi ſemper fuiſſet obnoxius, nunquamque ab iſta moleſtia ſe liberare potuiſſet, nec unquam indulgentiæ privilegio, quo ſeipſos accuſantes fruuntur, potiri. His accedit, quod Scholaſticorum major pars in data hypotheſi propter Confeſſionis integritatem hoc eſſe neceſſarium affirmat, ut infra explicabimus.

VII. Idem probatur multis teſtimoniis ex *lib. 19. Burchardi de Pœnitentia* petitis. Ibi ex antiquorum præceptis Confeſſorem docet, quæ Pœnitentem interrogare debeat, & ſæpiſſimè interrogationes refert, quæ ſocium neceſſariò revelant, *Contigit tibi, ut uxor tua te conſcio, & hortante cum alio viro, illa autem nolente, adulterium perpetraret, &c. Illa autem ſi conſentiens fuerit, eadem jejunet, &c.* Sequuntur non diſſimiles de marito, & uxore interrogationes: & poſt multa, *Concubuiſti cum ſorore uxoris tuæ, &c. Feciſti fornicationem cum filiaſtra tua, &c.* Multæ ſequuntur conſimiles interrogationes, quibus neceſſariò Parochus, & Parochiani Presbyteri, in Conſcii cognitionem inducuntur. Nec tum poterant Pœnitentes, ut nunc ad Monachos recens in urbem advectos, & univerſæ plebi ignotos confugere. Similes interrogationes Pœnitentibus faciendas docet vetus Pœnitentiale Romanum *tit. 3. capit. 20.* ad quas omnes Lectorem lubens remitto. Cum Confeſſoribus ex publica Eccleſiæ Catholicæ diſciplina interrogationes ejuſmodi facere liceat, licet ſanè, immò neceſſe eſt Pœnitentibus criminis ſpeciem rectà confiteri; nec illis eſt ullomodo reformidanda Conſciorum, quæ inde conſequitur, revelatio, In re tam evidenti plura teſtimonia non opus eſt congerere.

VIII. Alicui forſan videbitur de peccatis, quæ ejuſmodi connexionem non habent, idem judicium non eſſe faciendum, irreligioſumque eſſe Conſcium revelare, cùm eo tacito, & præterito criminis ſpecies commodè explicari poteſt: Hoc tamen licitum fuiſſe, & paſſim antiquitus factum facilè demonſtratur. Beda de remedus peccatorum *capit. 2.* ex antiquorum canonibus. *Si uxor tua ancillam ſuam* (compreſſerit) *annum unum pœniteat, & tres quadrageſimas, & legitimas ferias tribus menſibus primis, & à ſua ſe contineat. Illa ſi invita paſſa eſt, quadraginta dies pœniteat: ſi conſentiens, tres quadrageſimas, & legitimas ferias.* Et capite tertio, *Qui jubente Domino ſuo ſervus* (laicum occiderit) *dies quadraginta. Qui liber jubente majore ſuo innocentem, annum unum, &c.* Paulò poſt, *Qui perjurat ſciens, compulſus à Domino ſuo, tres quadrageſimas pœniteat, ac legitimas ferias:* Quomodo dici poteſt Conſcium in his exemplis non eſſe in Confeſſione accuſandum, cum ex Conſcii ſecreta denuntiatione, vel nulla, vel minima pœnitentia confitenti juxta canones, ſit imponenda? Præterea tacito Conſcio alium omnino ſeſe Pœnitens confeſſori deſcribit, quàm reverà ſit. Exempli cauſa, Ancilla, quæ ſe à ſervo, aut à libero, ſed in eam nullam habente poteſtatem, violari paſſa fuerit, crimen magnum, & longa pœnitentia eluendum commiſit: In idem ſi paſſa fuerit à Domino vix canones animadvertunt. Cætera exempla ſimilia ſunt, quibus addi poſſunt innumera. Ut igitur ſincerè, quis confiteri poſſit, crimenque ſuum quale eſt Confeſſori denudare, ſocium neceſſe eſt revelet, & accuſet; alioquin Pœnitens graviſſima pœna juxta canones plecteretur, qui nullam, vel leviſſimam meretur. Denique quamobrem illa minutim, & ſigillatim diſtinxiſſent Canones, & Libri Pœnitentiales, & unicuique ſpeciei, & circumſtantiæ gravi, & pœnam analogam conſtituiſſent? Quamobrem tam ſeverè Sancti Patres juberent Presbyteros juxta canones, & Libros Pœnitentiales peccata punire, ſi peccatorum quibus pœnas appoſuerint, magnam partem confiteri non liceret?

IX. Ex ejuſmodi autem Confeſſione ſocium in individuo Confeſſori innotuiſſe unicuique ante oculos antiquam Eccleſiæ diſciplinam, ſibi proponenti evidentiſſimum eſt. Soli Epiſcopi, & Parochi, eorumque Vicarii, aut alii Presbyteri Parœciis adſcripti Confeſſiones audiebant. Illi autem in Parœciis ſuis totam vitam commorabantur, vixque, aut raro de loco in locum transferebantur. Itaque omnium Parœcianorum nomina, cognationem, ſervitia dignoſcebant, ſi urbem unam aut alteram primariam in maxima Provincia excipias. Cùm igitur Ancilla ſe à Domino compreſſam eſſe fateretur, ſtatim Sacerdos in individuo quis eſſet ille Dominus facilè dignoſcebat. Sic cum liber jubente ſeniore ſuo Laicum interfeciſſe fatebatur, ſtatim quis eſſet ille ſenior ignorare non poterat Sacerdos, & ſic de cæteris. Idem etiam nunc contingit in ſingulis, & oppidis, & ante annos quadraginta, aut quinquaginta ubique, ut plurimùm, ſi maximas urbes excipias, contingebat. Franciſcani enim, & Dominicani, aliique Monachi, qui Parochos in Confeſſionibus audiendis adjuvant, ſæpius multis annis in eadem urbe, vel oppido commorabantur, ſicque omnium familiarum cognationes, neceſſitudines, controverſias facilè cognoſcebant, atque ex unius perſonæ cognitione in alterius ſpecialem cognitionem nullo negotio deveniebant. Itaque ſi propterea antiquitus à confitendo ceſſatum fuiſſet, maxima pars criminum Confeſſioni non fuiſſet obnoxia, fruſtraque in eorum vindictam, tot canones fuiſſent conditi. Nec licuit unquam de Parocho in Parochum tranſilire: Nec tum erant in ſingulis urbibus Monachi omnium hominum Confeſſiones auctoritate Apoſtolica audientes.

X. His duo accedunt, Prius, exactiſſima, & minutiſſima circumſtantiarum uniuſcujuſque criminis juxta canones inquiſitio, ut crimini pœna analoga imponeretur, & medela ſalubris propinaretur. De hac inquiſitione in utroque foro infra multis diſputabimus. Sed inquiſitio illa tam minuta raro fieri poterat non revelato, & indiciis evidentibus non demonſtrato ſpecialiter criminis participe, aut conſcio. Poſterius Chriſtianorum illa conſuetudo quemcumque de crimine quantumvis occulto apud Epiſcopum accuſandi, modo legitimis probationibus id evincere poſſunt. Quidni Conſcios criminis ſecretò accuſaſſent, cum innocentium conſuetudo eſſet, criminis quoſcumque reos ad Epiſcopum deferre?

XI. Sed quid dico licitum fuiſſe ſceleri participem accuſare? Tenebantur ad hoc nonnunquam univerſi fideles: nec modo participes criminis ad hanc revelationem tenebantur, ſed etiam qui criminis quovis modo gnari erant, ut probatum eſt hujus libri *cap. 7.* Quis igitur hujus rei memor idem de conſciis, & participibus affirmare reformidabit? Idem tamen argumentum aliquot aliis teſtimoniis illuſtrare juvat. Pœnitentialis Romani *tit. 3. cap. 11.* ita decernitur. *Si homo fornicatus fuerit cum muliere, & frater ejus neſciens eandem duxerit uxorem, frater, eo quòd fratri crimen celaverit, quatuor annos Pœniteat, & poſt pœnitentiam, ſi vult, nubat. Mulier autem uſque ad mortem pœniteat, & ſine ſpe conjugii maneat.* Hæc omnia ſunt occulta, nec ſciri poſſunt niſi ſecreta Confeſſione. Si publicum fuiſſet crimen, mulierem illam non duxiſſet frater de quo agitur, neque hoc Epiſcopus, aut Parochus paſſus fuiſſet. Oportuit crimen eſſe occultiſſimum. Fornicator igitur ille occultiſſimum illud crimen confitens gravi pœna plectitur, eo quod fratri crimen ſuum non detexerit. Ex quo canone duo evidenter colliguntur: Prius, fornicatorem illum fratris infamiam, & gloris crimen cum ſuo crimine Sacerdoti confeſſum fuiſſe. Poſterius, ex diſciplina illius temporis fornicatorem debuiſſe extra Confeſſionem fratrem de crimine mulieris, quam in uxorem poſtulabat, monere, atque ob id non præſtitum gravi pœnitentia mulctatum fuiſſe. Eadem quæ Pœnitentiale Romanum referunt Burchard. *lib. 17. cap. 13.* Ivo *part. 9. cap. 73.* & Gratian. *35. qu. 2. c. 6.* & ante hos Concilium Tribur. *c. 44.*

XII. Hæc iterum evidentiſſimè confirmantur à Burchardo Vormatienſi Epiſcopo *Decretorum libr. 19.* ubi Confeſſorem docet quibuſnam de rebus Pœnitentes ſint interrogandi, *feciſti fornicationem cum aliqua fœmina, & frater tuus te ſciente eandem duxit uxorem? Si feciſti, eo quòd fratrem tuum crimen celaſti, ſeptem annos per legitimas ferias pœniteas, & poſt pœnitentiam, tu, & frater uxores accipere poteſtis, tantùm in Domino. Mulier autem uſque ad mortem pœniteat, & ſine ſpe conjugii permaneat.* Cùm igitur Burchar-

Digitized by Google

chardus, qui ante ſexcentos annos ſcribebat, ex uſu ſui temporis, & Antiquorum diſciplina ita doceat, Confeſſorem in foro conſcientiæ Pœnitentes interrogare, ad interrogata ſanè reſpondere tenebantur, aut inſani erant, quod cogitare ne dicam effari inſanum eſt, rituales illorum libri. Iterum Burchardus eodem libro poſt multas interrogationes, ſic inſtituit Confeſſorem. *Reticuiſti peccatum fratris, quòd erat uſque ad mortem, neque corripuiſti eum, nec exhortatus es eum, ut reſipiſceret, nec ſuccurriſti fratri ſub onere jacenti? Si feciſti, tam diù pœniteas, quamdiù reticuiſti*. En quomodo non Conſcios modò, ſive participes criminum accuſare tenebantur, ſed etiam quos criminis alicujus reos ſciebant, licèt ipſi eſſent innocentes; atque id niſi facerent, de hac re in foro conſcientiæ ſeſe accuſabant. Idem evidenter docet S. Auguſtinus initio quæſtionum in Leviticum, ſed hoc teſtimonium nunc omittimus, quia capite ſequenti fusè nobis erit enarrandum.

XIII. His addi debent iſtæ Burchardi interrogationes eodem loco, *Occidiſti tu liber ſervum ſenioris tui, qui nihil in te peccavit, ſed juſſu ſenioris tui, 40. dies, id eſt, carrinam in pane, & aqua cum ſeptem ſequentibus annis peniteas, & ſenior tuus ſimiliter, &c. Si autem tu ſervus conſervum tuum juſſu Domini tui occidiſti, Dominus tuus quadragiata dies, id eſt, carrinam in pane, & aqua cum ſeptem ſequentibus annis penitere debet, & tu tres quadrageſimas, &c.* Indicitur Pœnitentia in foro conſcientiæ accuſato à confitente, ſed ei antequam crimen confeſſus fuerit, imponi non poteſt. Docetur accuſator, quàm pœnam mereatur accuſatus, ſed accuſatori pœna juxta canonem infligitur.

XIV. Obiicietur forſan, conceſſo ſocium criminis accuſandum eſſe, cùm aliter peccati ſpecies explicari non poteſt, vel cùm circumſtantiæ ita augent, vel minuunt peccatum, ut pœna peccato impoſita notabiliter augeatur, vel minuatur, ſaltem cùm horum neutrum contingit, ſocius in Confeſſione nullo modo eſt accuſandus. Reſpondeo, ex iis, quæ jam demonſtrata ſunt, evidens eſſe ſocii accuſationem paſſim in Confeſſione uſurpatam fuiſſe. Si enim tam ſeverè juxta aliquos canones puniebatur innocens, qui fratrem peccantem poſt unam, aut alteram privatam admonitionem ad Eccleſiam non deferebat, tenebatur reus, aut ſaltem unicuique reo licebat, criminis participem, quum ad bonum publicum, aut privatum aliquod crimen, vitandum id expedire judicabat, in Confeſſione accuſare. Num licet nunc cuilibet in Congregatione Regularium, aut Monachorum viventi, quem novit illicitis actionibus ſeſe proſtituentem, ad ſuperiorem, ſi probare non poteſt, privatim deferre? multò ſanè magis eundem ſuperiorem in Confeſſione monere poteſt. Quis ideò proximum detractionis accuſat? Immò quis ideò Monachum illum, aut Clericum flagitioſam Collegæ vitam cognoſcentem, & Superiores monere negligentem meritò non judicabit, & Congregationis parum amantem, & zelo divino parum flagrantem? Idem cogita de antiqua Chriſtianorum diſciplina. Pluribus de hac quæſtione non agamus: Quæ enim teſtimonia hoc capite, & præcedentibus allata ſunt, illam evidenter demonſtrant, difficultateſque omnes, quæ ex ea oriri videntur, in ſequentibus fusè diſſolventur.

CAPUT XIII.

An qui crimina ſua publica, vel occulta publicè confitebatur, criminis participes publicè denuntiares? quæve antiquitus in ejuſmodi Confeſſionibus temperamenta adhibebantur. Confeſſionis publicæ modus, & ratio è ſecreta petebatur.

CApite præcedente, quid olim moris fuerit in Conſciorum criminis denuntiatione, cùm ſecretò Confeſſio edebatur, explicatum eſt. Quid fieri in eadem cauſa ſolitum fuerit, cùm Confeſſio publicè edebatur, eſt nobis nunc explicandum. Bifariam quæſtio dividi poteſt: Aut enim publicè confitetur Pœnitens crimen publicum, aut occultum. In peccatorum publicorum Confeſſione publica ſocios criminis edere, & publicare morem fuiſſe, non eſt cur aliquis ambigat. Hic eſt enim omnium gentium mos in pœnis ſumendis: Non modò laudatur Conſciorum à ſceleratis accuſatio, verùm etiam ad hanc accuſationem tormentis adiguntur. Ut quid verò hæc Juris Civilis accuſatio, atque tormenta? ut hac denuntiatione ſontes crudeli ſupplicio afficiantur. Eccleſiaſtica verò denuntiatio, ut criminis participes denuntiati, non ſecùs ac denuntiator, à vulnere per peccatum inflicto curentur, vitamque æternam modico pudore exhauſto conſequantur. Si prius igitur cum laude apud omnes gentes obſervatur, quid de poſteriori dicere fas eſt? Deinde cum crimen ponatur publicum, quid periculi eſt, illud publicè fateri, quod licèt reticeas, nemini eſt incognitum? Si quiſque, licèt criminis non particeps, crimen, cujus non erat inſcius, ad Epiſcopum deferre tenebatur, ſaltem ſecretò ſi legitimis probationibus deſtituebatur; quanto magis participes criminis publici, cujus eſt auctor, dum ut ſaluti animæ ſuæ conſulat, illud confitetur. Hoc cùm per ſe & notum ſit, & ex antecedentibus neceſſariò conſequatur, atque ex iis, quæ jam dicenda ſunt, evidenter confirmetur, fruſtra pluribus illud ſeparatim comprobaretur. Difficultas hæc cieri poteſt: licèt crimen ſit publicum, ſæpè tamen contingit criminis participes eſſe occultos. Rapuit quis mulierem, crimen publicum eſt, ſed non omnes, qui crimini faverunt, & opem tulerunt, cogniti ſunt: In multis criminibus id ſæpè contingit: An tenetur qui ſe publicè accuſat, ejuſmodi conſcios criminis publici publicè denuntiare? Si vero illos denuntiaverit, illi autem conſtanter negent, quid opus facto? Hanc difficultatem, cùm & ſequenti quæſtioni inſit, tantiſper differimus.

II. Verùm ſi crimen ſit occultum, quod Pœnitens publicè confitetur, multò major ex denuntiatione, & publicatione Conſciorum orietur difficultas. Solitos tamen publicè confitentes crimen occultum conſcios nominare facilè probari poteſt. Primùm id evidenter demonſtrat hiſtoria mulierum à Marco Hæreſiarcha deceptarum, & pollutarum, quæ & crimen, & cum quo crimen perpetraverant, diſertè explicaverunt: ſuprà relata eſt ex S. Irenæo, & Epiphanio. Idem etiam demonſtrat quatuor Confeſſorum hiſtoria ad Eccleſiam redeuntium, qui non modò crimen ſuum, ſed etiam omnes Novati verſutias, & fallacias, quibus tantiſper conſenſerant, detexerunt. Item illius Epiſcopi, qui cum duobus aliis Novato manus impoſuerat, quique poſteà ad Eccleſiam rediens, & crimen ſuum, & fallaciam, qua in crimen pellectus fuerat, ſigillatim expoſuit, quæ ſimiliter ex Euſebienſis hiſtoriæ *lib.6. cap.35.* retulimus.

III. Gregorius Nyſſenus in Epiſtola ad Letojum poſtquam docuit, occulta ſponte confitentem mitiori longè pœna caſtigari, ſubjungit, *Qui autem in malo deprehenſus eſt, vel propter aliquam ſuſpicionem, vel accuſationem invitus convictus eſt, longius illi converſionis tempus datur.* Ex his verbis manifeſtum eſt, licuiſſe cuicumque probabili aliqua ſuſpicione freto Reum occulti criminis publicè ad Epiſcopum deferre, atque in eum, ut pœnitentiam ageret, actionem intendere. Sed qui criminis auctor eſt, multò magis quàm probabili ſuſpicione nititur in complicis ſui delatione. Præter enim teſtimonium ſuum, quod verum eſſe novit, multis inſtructus eſt conjecturis, argumentis, & præſumptionibus, quibus teſtimonii ſui veritatem doceat: Cum igitur publicè ſeipſum accuſat, complices publicè indicandi jus habet. Prætereà in hac cauſa ſemper conſiderandum eſt, longè minus ſeipſum accuſantem criminis quoque conſcium judicare, quàm ſimpliciter aliquem criminis accuſare, & adverſus eum ſeſe inſcribere. Itaque cùm poſterius hoc liceat, ut jam tot teſtimoniis evidentibus demonſtratum eſt, multò magis prius licitum erit.

IV. In his caſibus antiquus procedendi modus illuſtrari poteſt ex circumſtantiis, quæ referuntur *in Epiſtola* S. Cypriani 72. in qua refert, quod Pomponius Epiſcopus illi ſcripſerat de quibuſdam virginibus Deo ſacris, quæ poſt votum *detectæ ſunt poſteà in eodem lecto pariter manſiſſe cum maſculis*. Vides quàm diligenter ad Epiſcopum deferebatur crimen perpetratum. Interrogatæ de hoc ſanctimoniales, nonnullæ confeſſæ ſunt, ſe cùm maſculis dormiſſe, ſed tamen ab iis, non corruptas, *planè eaſdem, quæ ſe cum viris dormiſſe confeſſæ ſint, aſſeverare ſe integras eſſe*. Cùm autem probabilis non eſſet exceptio, eaque prætерita Epiſcopus eas Pœnitentiæ juxta canones ſubdere vellet, ſe ab obſtetricibus inſpici petunt. Hæc ad S. Cyprianum refert Pomponius, ab eoque petit, quid fit in hac difficultate faciendum. Nec quæſtio tantum erat de illis Virginibus, ſed etiam de iis maſculis, cum quibus dormierant, quorum unus erat Diaconus. Interrogatæ enim, non modò confeſſæ erant in genere, ſe cum maſculis dormiſſe; verùm etiam maſculos criminis conſcios nominaverant, quorum unum, qui Diaconus erat, Pomponius abſtinuerat, cujus rei cauſa eum laudat, atque, ut cœteros communione privet, adhortatur, *Et idcircò conſultè, & cum vigore feciſti, frater chariſſime, abſtinendo Diaconum, qui cum Virgine ſæpè manſit, ſed & cæteros, qui*

ros, qui

vos, qui cum virginibus dormire conſueverunt. Quid verò de ſanctimonialibus illis decernat ſanctus Cyprianus? ſuprà retulimus: Inſpici vult, & quæ fuerint deprehenſæ Virgines ad communionem admitti, ea conditione, ut in eadem domo cum maſculis illis non ampliùs habitent: Quæ verò deprehenſæ non fuerint Virgines, agere Pœnitentiam plenam, & æſtimato juſto tempore ad Eccleſiam facta Exomologeſi redire.

V. Sed præ cæteris velim lectorem conſiderare rationes, quibus utitur Cyprianus. Ex iis enim apparet maximo ſtudio non modò Epiſcopis, & Clericis, ſed etiam plebi enitendum eſſe, ut vitiis purgetur Eccleſia, ſingulique Chriſtiani vitam, moreſque ſuos ſanctè componant. Ideò unuſquiſque pro virili, & officio ſuo proximi moribus invigilare debebat, eumque aliter agentem ad Epiſcopum deferre: Sanè multò magis ſceleris participem denuntiare, quum ſibi ipſi non parcebat. *Primò igitur in loco, frater chariſſime, & Præpoſitis, & plebi nihil aliud elaborandum eſt, quàm ut qui Deum timemus, cùm omni obſervatione diſciplinæ divina præcepta teneamus, nec patiamur errare fratres noſtros, & pro arbitrio & fructu ſuo vivere, ſed ad vitam ſingulis fideliter conſulere*. Qui hanc rationem, quam pluribus exaggerat, medullitùs conſideraverit, non mirabitur, antiquos Patres tantopere plebem monuiſſe, ut ſi quem ſceleris Reum quis deprehenderet, eum ad Eccleſiam deferret, & quum ſeipſum deferebat, criminis quoque participem denuntiaret: Non enim aliter facere poteſt, qui nihil aliud elaborat, quàm ut præcepta Dei à fratribus ſuis compleantur, atque ab iis diſciplina Eccleſiaſtica diligenter obſervetur. Ideò toties hæc S. Pauli præcepta inculcant, modicum fermentum totam maſſam corrumpit: Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio. Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, ſed magis ea redarguite. Scripſi vobis non commiſceri, ſi is, qui frater nominatur, eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, &c. Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant.

VI. Similiter Virgo illa lapſa, ad quam ſcripſit S. Ambroſius, quæ detecta fuerat, & nolens publicata corruptorem indicaverat, ut ex toto *cap.* 9. colligitur, quod in eum ſcripſit Ambroſius. *Quid de te arbitraris, perdite pariter, & perditor, qui vas rationabile conſecratum Chriſto, ſanctificatum Spiritui Sancto impiè temeraſti, polluiſti ſacrilegè, &c. Tamen ne quid à Paſtore etiam ovi morbidæ, vel moriture medicaminis denegatum ſit, do conſilium: Petas ultro carcerem Pœnitentiæ, obſtringas cutenis viſcera, animam tuam jejuniis, gemitibuſque diſcrucies, Sanctorum petas auxilium, jaceas ſub pedibus Electorum, &c.*

VII. Canon 7. Concilii Salegunſtadienſis, cui aderat Burchardus Canonum Collector, iis, quæ dicta ſunt, lucem plurimam affert: Hunc Canonem refert Ivo *part.* 15. *cap.* 173. Gratianus quoque, 2. *qu.* 5. *cap.* 24. *Interrogatum eſt ſi duo in adulterio inculpati fuerint, & unus profiteretur, & alter negaret, quid inde agendum eſſet? Decretum eſt etiam à Sancto Concilio, ut ille, qui negaverit probabili judicio ſe expurget, & qui profeſſus fuerit, dignè pœnitentiam agat*. Adulterii commiſſi duo accuſantur, Maſculus ſcilicet, & fœmina, ut rectè gloſſa ad Gratianum interpretatur: ſed probationes criminis convictionis non ſufficiunt. Unus tamen pœnitudine ductus crimen fatetur, alter pernegat. Quid in hoc caſu Epiſcopum præſtare oportet? Definit Concilium, confitentem eſſe Pœnitentiæ ſubiiciendum, negantem verò ad juramenti purgationem teneri. Reos criminis convinci non potuiſſe manifeſtum eſt: Uterque enim ad Pœnitentiam detruſus fuiſſet. Deinde illa per juramentum purgatio, in accuſationibus tantùm, quæ neque leviter intentatæ, neque inſtructæ erant, uſurpatur. Duo hinc colliguntur, Priùs confitentem criminis participem publicè accuſaſſe: aliter enim rem eveniſſe, ne fingi quidem poteſt. Poſteriùs, id etiam in aliis caſibus fiere licuiſſe: Nam ſi liceat accuſare aliquem criminis, vel ipſum denuntiare, modo ſincera mente id præſtes, & jure exiſtimes probationes tuas, aut indicia eſſe legitima, teneaturque reus deficiente Actoris probatione, vel etiam cùm nulla inſtituitur juridica probatio, ſed ex rumore plebejo publica fit per aliquem denuntiatio, ſeipſum Sacramento purgare, quemadmodum evidenter colligitur ex Decreto 2. *qu.* 4. *cap.* 5. 12. 13. 16. 18. & aliis, atque etiam ex Gratiani verbis, quæ *qu.* 3. *poſt canonem* 8. Ut quid denuntiationem ſive indicationem ejuſmodi à Reo criminis ſua ex pio animi affectu publicè prodente, ut ex ejuſmodi proditione ſalutem conſequatur, fieri olim potuiſſe inficias ibimus? Idem etiam comprobant rationes ex Tertulliano, Paciano, & Ambroſio allatæ ad perſuadendum criminum reis, ut publicè peccata ſua confiteantur, & de iis Pœnitentiam agant. Non enim conſcios criminis pudore debet, crimen ſuum enuntiatum eſſe, cùm enuntiatio illa fratribus facta ſit, qui de unius membri vexatione non lætantur, ſed condolent, qui ad remedium conlaborant, qui pro fratre Deum exorant, qui nihil pudendum exiſtimant, niſi confeſſionis pudere. Idem denique ſuadent canones alii antiqui, ſed his auctoribus recentiores ſuprà relati, quibus Pœnitentia gravi caſtigatur, qui proximo crimen proprium non denuntiat, cùm prævidet ignorantiam illius criminis, occaſionem proximo futuram alterius criminis perpetrandi. Exempli cauſa, Titius rem habuit cum muliere, ſed novit fratrem ſuum mulierem illam ducere velle. Graviter à Canonibus Titius punitur, ſi fratrem criminis à ſe cum illa muliere perpetrati non admonet. Si Titius crimen ſuum revelare tenetur fratri, ne contra leges Eccleſiaſticas uxorem ducat; Quidni Titius ſeipſum criminis publicè accuſans participem denuntiabit, ut particeps vel invitus ſanetur, & cæteri illius conſortio non contaminentur?

VIII. Verùm quod admodum periculoſa ſit hæc publica criminis proprii, ut & alieni denuntiatio, Eccleſia diligenter ab ipſis incunabulis ſuis proſpexit, ne quid inde ſcandali contingeret. Multa enim ſcandala hinc oriri poterant, præſertim cùm Eccleſia populoſior eſſe cœpit. Verbi gratia, fieri potuit, ut aliquis cum viri illuſtris uxore rem habuerit. Si Adulter ille conſcientiæ aculeis acriter ſtimulatus nobilem illam mulierem ſecum proderet, magnum in Eccleſia ſcandalum, ſive mulier crimen fateretur, ſive diffiteretur, crearet, magnumque & mulieri, & familiæ periculum. Innumeris aliis modis ejuſmodi ſcandala contingere poſſunt. Celeberrimum illud eſt, quod à Socrate, & Sozomeno commemoratur, de quo jam non ſemel mentionem fecimus, & cujus cauſa in pleriſque Orientalium Eccleſiis iſta confitendi ratio ſublata eſt. Quapropter ut omnibus periculis obviam iret, duas cautiones in ejuſmodi Confeſſionibus publicis adhibuit. Prior eſt, diſtinctio criminum in ea, quæ enſe, faſcibus, aut homogenea pœna legibus vindicantur, & ea, quæ ſolis canonibus caſtigantur. Prioris generis crimina à publico Pœnitente nunquam enuntiata ſunt, propter evidentiſſimum periculum, in quod ſeſe, & alios conjeciſſet: niſi forſan crimen Principis indulgentia remiſſum eſſet, aut ab homine tam potente perpetratum, ut legum pœnas non reformidaret. In his enim, & ſimilibus caſibus cautionis iſtius ratio ceſſat. Hoc ita ſe habere, & rationis naturalis dictamen ununquemque hominem docet, & jam initio capitis noni hujus libri evidentiſſimis Auguſtini, Leonis, & Socratis teſtimoniis demonſtravimus. His unicum, & non minus evidens S. Baſilii teſtimonium addemus ex *Epiſtola* ad Amphilochium *cap.* 34. *Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocumque convictas, publicare quidem Patres noſtri prohibuerunt, ne convictis mortis cauſam præbeamus, eas autem ſtare ſine communione ſufferunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ*. Vides, antiquiſſimam eſſe illam cautionem: Deinde ſeſe extendere cautionem illam ad omnia crimina, quæ legibus morte plectuntur. Denique hoc non impedire, quin canonibus agatur in Pœnitentes crimen ejuſmodi non confitentes, & auditis in presbyterio teſtibus convincantur, & legitimæ Pœnitentiæ ſubiiciantur. Obiter conſidera, Lector, quàm diligenter, & ut ita dicam ſcrupuloſè, ſigillum, ut nunc vocant, Confeſſionis obſervabant, cùm etiam in lege agentibus, & convictis, ne periculum aliquod civile ex Pœnitentiæ Sacramento oboriretur, idem ſecretum conſervarent. Sed hunc canonem, & quæſtionem de ſigillo Confeſſionis ex antiquorum monumentis ad finem hujus libri ediſſeremus.

IX. Poſterior cautio ab iis obſervata eſt, nemini licuiſſe, crimen aliquod ſecretum, ſive ſuum, ſive alienum, cujus erat particeps, publicè confiteri, qui priùs illud cum Sacerdote non communicaſſet, ne imprudens crimen aliquod enuntiaret, quòd eſſet Eccleſiæ ſcandalo, non autem ædificationi. Omnis enim illa criminis publicatio, & promulgatio in fidelium ædificationem, inſtructionem, & conſolationem ab Eccleſia inſtituta erat. Hanc cautionem nihil eſt opus hic demon-

demonſtrate, quum ex Origenis *homil. 2. in Pſal. 37.* Socratis *hiſtoriæ lib. 5. cap. 19.* S. Auguſtini *homil. poſtrema libri, 50. homiliarum*, Cæſarii Arelatenſis, *homil. 1.* & aliis, quæ fusè retulimus capite hujus libri nono, facillimè colligantur, nec ideò ſit opus longa illa teſtimonia repetere. Hoc tantum addam, hinc manifeſtiſſimum eſſe ſecretam Confeſſionem præceſſiſſe ſemper publicam, cùm Confeſſionis publicæ ratio, modus, & regula fuerit privata Confeſſio.

C A P U T   XIV.

Canones, legeſve, quæ opponi videntur publicæ Conſciorum criminis denuntiationi ab eo Pœnitente factæ, qui ſua crimina publicè enunciat, explicantur; docenturque rationes, propter quas enuntiatio illa licèt non probetur, aut etiam probari non poſſit, in calumniæ tamen pœnam non incidat. Juris civilis formulas canones ſequi jubeat. Quare ſeipſum in Pœnitentiam accuſans non creditur velle perire. Adnotatur differentia inter pœnas Laicis, & Clericis inflictas.

HUic antiquo mori, præſertim quà reſpicit criminis conſcios, nonnulli poſſunt opponi canones, quibus prohiberi videtur, ne credatut confitenti, de ſe crimen aliquod, dum alios accuſat. Oportet enim alios accuſantem criminis eſſe purum, nec priùs ad accuſationem admitti, quàm ſeſe purgavit. *Neganda eſt accuſatis licentia criminandi, priùs quàm ſe crimine, quo premuntur, exuerint. Quia non eſt credendum contra alios eorum Confeſſioni*, inquit, Stephanus Papa *Epiſt. 2. qui criminibus implicati ſunt, niſi ſe priùs probaverint innocentes: Quoniam periculoſa eſt, & admitti non debet Rei adversùs quemcunque profeſſio.* Refert præterea hunc canonem Hadrianus Papa, *1. cap. 31.* Collectionis ſuæ ad Epiſcopum Mediomatricum, Burchard. *lib. 1. cap. 164.* Ivo *part. 5. cap. 274.* Utrumque autem, & Stephani, & Hadriani Gratianus, *3. qu. 11. cap. 1. 3.* Dionyſius quoque Papa *Epiſtola 2. Nemini de ſe confeſſio credi poteſt ſuper crimen alienum: quoniam ejus, omniſque Rei profeſſio periculoſa eſt, & admitti non debet.* Eundem canonem refert Ivo *part. 5. cap. 228. & Epiſtolis 210. 231. 251.* & Gratianus *15. qu. 3. cap. ultimo ex Julii Epiſt. 2. cap. 18.* Quidquid ſit de Epiſtolis illis Pontificum, Dionyſii, Stephani, & Julii, approbata eſt ille canon ab Hadriano I. cujus rei nullum moveri dubium poteſt. Deinde quod maximè conſiderandum, excerptus eſt ex *lege 12. tit. 1. lib. 9. Codicis Theodoſiani*: Immò nihil aliud eſt, quàm exſcriptio interpretationis iſtius legis ab Aniano factæ, quæ ſe ita habet, *Non credendum eſt, contra alios eorum Confeſſioni, qui in criminibus accuſantur, niſi ſe priùs probaverint innocentes: Quia periculoſa eſt, & admitti non debet Rei adversùs quemcunque profeſſio.* Hanc omninò κατὰ λέξιν exſcripſit Hadrianus loco citato. Anianus autem ille Juriſconſultus erat inſignis tempore Theodorici Regis Gothorum, ejuſque Conſiliarius; unde manifeſtum eſt auctorem illarum Epiſtolarum, eſſe his Pontificibus longè poſteriorem. In Stephani Epiſtola eſt aliquid amplius; nam Aniani interpretationi conjunxit initium legis, quàm Anianus interpretatus eſt, quæ in textu ſic ſe habet, *Neganda eſt accuſatis licentia criminandi, priùs quam ſe crimine, quo premantur, exuerint.* Huc referri debet ejuſdem Hadriani collectionis canon. 64. *Qui crimen intendit, agnoſcendum eſt, ſi ipſe ante non fuit criminoſus. Quia periculoſa eſt, & admitti non debet Rei adversùs quemcunque profeſſio*, & refertur à Gratiano, *6. qu. 1. cap. 6.* Denique & lex 19. de his, qui accuſare poſſunt, *Neganda eſt accuſatis, qui non ſuas ſuorumque injurias exequuntur, licentia criminandi in pari, vel minori crimine, priuſquam ſe crimine, quo premuntur exuerint, ſecundùm ſcita veterum juris conditorum.*

II. Quanquam autem hi canones recentiores videri poſſunt, ac conſequenter conſuetudini, quæ eos præceſſit, non poſſe præſcribere, lex tamen Theodoſiana, quam exſcripſerunt, antiqua eſt, & ex antiquo jure Romano eruta. Antiqui autem canones in ejuſmodi juris formulis leges ſecuti ſunt: Ita enim edicit Concil. Carthagin. *7. cap. 1. 2. Servi & liberti proprii, ad accuſandum Clericos non recipiuntur; & omnes, quos leges publicæ non recipiunt ad criminum accuſationem.* Sic Concil. African. *cap. 95. 96.* Et Synodus Romana, 4. ſub Symmacho, *Patrum ſtatuta ſanxerunt, quos ad accuſationem leges ſeculi non admittunt, his dicendi in cognitione, vel accuſandi aliquem denegandam eſſe licentiam.* Ideò Ennodius pro Symmacho Papa, *Clamat in alio loco Carthaginenſe Concilium, quaſcunque ad accuſationem perſonas leges publicæ non admittunt, his impugnandi alterum, & nos licentiam ſubmovemus, & nullæ accuſationes à Judicibus audiantur Eccleſiaſticis, quæ legibus ſæculi prohibentur.* Idem habet Hadrianus I. *Collectionis cap. 19.* & Nicolaus I. *ad conſulta Bulgarorum cap. 48.* Idem paſſim dictitant, & inculcant vulgatæ illæ Pontificum Epiſtolæ, ut Stephani *Epiſt. 2. cap. 3.* Teleſphori *Epiſtolæ cap. 4.* Clementis *Epiſt. 1. poſt med.* Euſebii *Epiſt. 1.* Damaſi *Epiſt. 3. cap. 6.* quibus addendus Julius in *Epiſtola* ſua tam multorum canonum ferace. Quapropter hac in cauſa vicem canonum gerunt antiquæ illæ Imperatorum conſtitutiones.

III. Canones iſti omnia deſtruere videntur, quæ hactenus adſtruximus. Criminis enim Reus alium de eodem crimine accuſans non eſt audiendus. Ut quid igitur accuſat? quo jure accuſatus punietur, cum nulla accuſanti fides adhibeatur? Immò quo jure permittitur accuſatio ejuſmodi, quam nulla ſequitur criminis probatio? Teſtimonium ab innocentibus, & viris bonis petitur, non autem ab impiis, & iis qui tales ſeſe profitentur, immò impii legibus, & canonibus inteſtabiles ſunt, & infames. Denique ejuſmodi accuſatores cum publici ſunt, niſi crimen, quod denuntiant, legitimis probationibus confirment, ut calumniatores legibus, & canonibus puniuntur. Non difficili tamen negotio hæc argumenta diluuntur. Omnes enim illi canones probant accuſationem publicè fieri non debere niſi juxta legum iſtarum præſcripta, & formulas, quod equidem libenter concedimus, & nemo unquam, ut opinor, negavit. Ubi enim publica fit accuſatio apud Epiſcopum, ex canonum inſtitutis denuntiator, & teſtes civili juri conformiter examinantur. Quocirca primò manifeſtum eſt, canones iſtos, legeſque nihil facere contra correptionem fraternam, qua Chriſtianus, qui fratrem peccare videt, eum ſecretò admonere tenetur: Et ſi pertinacem in crimine deprehenderit, ad Eccleſiam, id eſt, ad Epiſcopum, vel Parochum, vel Presbyterum pro ratione loci, & conſuetudinis eum ſecretò deferre, ne ſi publicè id tentet, in laqueos ſe induat, de quibus poſteà ſe difficilè expediat. Immò licèt legitimis probationibus eſſet inſtructus, non ante debet eum publicè accuſare, quàm privatim, ut Pœnitentiam agat, admonuerit, & monitis ſuis contumacem deprehenderit, ut jam adnotavimus, & docet idem Stephanus *cap. 2.* ejuſdem Epiſtolæ. Tantum autem abeſt, ut illius ſolo teſtimonio, ſeu accuſatione fretus Epiſcopus Pœnitentiam infligere poſſit accuſato, ut ne quidem Epiſcopus ſibi crimen confitentem poſſit, ſi recuſet, ad Pœnitentiam cogere, niſi aliis argumentis eum convincere poſſit, aut Reus ſponte crimen fateatur, ut capite ſequente demonſtrabimus. Quapropter Epiſcopus his caſibus privatum tantum accuſatum monere poteſt, & ipſi ante oculos Dei judicia, pœnaſque futuras ponere, eumque ſeveris, ſed ſecretis adhortationibus ad Pœnitentiam commovere.

IV. Hæc jam multis ex S. Auguſtino quæſtionibus in Levitici *cap. 5. verſ. 1. ex ſermone 16. de verbis Domini, ex homiliis 49. & 50. libri quinquaginta homiliarum*, atque etiam ex aliis Patribus fusè explicata ſunt, & fruſtrà repeterentur. Hæc ſi attentè legantur, omnes difficultatis nubes, quæ ex oppoſitis canonibus contra privatam delationem, & correptionem fraternam excitari poſſunt, facilè difflabuntur. Ideò unum Nicolai I. Pontificis Salomoni Conſtantienſi Epiſcopo reſcribentis teſtimonium referam, quo tota iſta difficultas facilè enodatur, *Presbyter aut Diaconus, quem aſſeris crimina nolle confiteri; ſed velle cum Sacramento defendere ſe, etſi tamen Epiſcopo notum ſit ſcelus eſſe ab ipſo perpetratum, non poteſt per aliquam Pœnitentiam Sacerdotali, vel Diaconali officio privari. Sed mirandum eſt, ſi ipſe confeſſus non fuerit, quomodo notum eſſe poſſit Epiſcopo ſcelus ab ipſo perpetratum, niſi accuſatori fortè idoneo per teſtes idoneos approbante. Unde ſi examinante Epiſcopo cauſam Presbyteri, vel Diaconi non fuerit per teſtium approbationem Presbyter, vel Diaconus fortè convictus, non eſt ſcelus Epiſcopo legitimè manifeſtum, niſi ſua ſponte ſcelus ipſe confiteatur. Quod niſi fecerit, interim non videmus ſua debere Presbyterum, vel Diaconum officio privari. Sola ergo ſpontanea Confeſſio, & canonicus numerus, qualitas teſtium, decernentibus Epiſcopis, & accuſatore quod objecerat comprobante, Clericum privat proprio gradu.*

V. Sed inſtabit, & urgebit aliquis: Saltem ex canonibus, & rationibus allatis ſequitur fruſtra nos capite præcedente, conatos eſſe demonſtrare, confitentem publicè peccata ſua, publicè quoque enuntiaſſe eorum participem, cum ſic enuntiavit, fides ex legibus, & canonibus adhiberi non debeat;

atque

Digitized by Google

atque poſita illa enuntiatione publica nullus fructus ex ea decerpi potuerit, qui ex privata multò commodius non emerſerit. Verum ſic inſtanti, & urgenti reſpondeo, primùm canones iſtos, ſeu potius canonem iſtum ſæpius in illis Epiſtolis repetitum nihil ad rem facere. Poſita canonis ſpecie, & ſcopo utraque cauſa erit perſpicua. Canon ille prohibet, ne accuſato de aliquo crimine liceat accuſanti crimen ſuum induere, vel alium quenquam criminis accuſare, niſi prius ſe innocentem probaverit: Et meritò. Hoc enim ſi detur, vix unquam de crimine judicium ſetri poterit. Immò hac ſacta licentia Judex ipſe à Reo facilè criminis inſimulabitur, ut turbine concitato effugium captet. Hanc rationem clariſſimè lex Theodoſiana tradit. Poſtquam enim hoc prohibuit, addit, *Nullam itaque obtineat in judicis auctoritatem periclitantium furor, qui ſi latius evagetur, ne ipſe quidem cognitor tutus erit, aut quæſtionem ſecurus agitabit; qui exequendo juris ſeveritatem, non poteſt illorum, quos punit, odium evitare*. Lex tamen Juſtinianæa jam citata hoc limitat primùm in pari, vel minori crimine. Nam ſi accuſatus crimen ſuo longè atrocius accuſanti imputabat, Judex de atroci illo crimine prius inquirebat, quàm in accuſatum actio inſtrueretur: Deinde accuſatus crimen ſibi objectum perſequebatur. Hæc limitatio nobis prodeſſe poſſet. Enuntians enim crimen ſocii, cum ſuo injuriam ſuam perſequitur, ac proinde iſtis legibus, & canonibus non tenetur. Sed hac exceptione dimiſſa, quæ tamen objectionis vim prorſus infringit, duplex diſcrimen datæ nobis hypotheſis à ſpecie canonum, & legum oppoſitarum exequemur. Prius eſt quod in legibus, & canonibus illis agitur de Reo facto, qui crimine confeſſo alios ejuſdem criminis accuſat, atque in jus vocat. Huic in judicio, & alterius damnatione negant fidem adhibendam, eo quòd aliæ leges, ut notat Ivo *Epiſt.* 231. definiunt. *Neminem Reum eſſe judicandum niſi judiciario ordine convincatur. Id eſt, niſi ipſe, in quem crimen intenditur, aut ſpontè ſe Reum fateatur, aut per innocentes teſtes, in aliquo ſeculari Judicio, vel Eccleſiaſtico Reus eſſe comprobetur*. At hic de homine pio à nemine accuſato, qui ſervore pietatis accenſus ſeipſum ad Eccleſiam lubens, volenſque defert, ut ſcelere, quo maculatus eſt, purgetur. Dionyſii Papæ verba citata ad ſpeciem, quam defendimus, magis accedere videntur; ſed eorum ſenſus ex aliorum verbis, & potiſſimùm ex Theodoſiana lege, de qua expreſſa ſunt, erui, & intelligi debet. Itaque in Dionyſii verbis, *Nemini de ſe Confeſſo credi poteſt &c.* Subaudiendum *accuſato*, quòd etiam continent verba ſequentia, *Omniſque Rei Confeſſio periculoſa eſt*, Nonnulla alia *ἀπὸ δόξης* ille imperitè conſuit; ſed lex Theodoſiana eſt nobis potiſſimùm attendenda.

VI. Poſterius diſcrimen eſt, quòd qui confitendo crimen ſuum Presbyterio Conſcium revelat, eum non accuſat, libello ſe non inſcribit, ut Reum agat, vindictam non perſequitur, ſed quæ ipſe fecit; & qui eum adjuverunt, ſimpliciter enarrat. Quæ ſanè cum ſpecie, & ſcopo canonis, vel legis oppoſitæ nihil habent commune.

VII. Verum ut objectio iſta medullitus diſſolvatur, atque ut in ipſum diſcriminis ſontem digitum intendamus, diſcrimen inter pœnas civiles, & Eccleſiaſticas nobis obſervandum eſt. Pœnæ, quas Eccleſia, ſive Epiſcopus perſequitur, medicinales ſunt, ſalutiferæ, deſiderabiles, & prorſus ante mortem peccatori neceſſariæ, ut vitam æternam conſequatur. Qui ergo illas peccatori ſincerè procurat, non invidia, non odio in eum ducitur, ſed amore, & benevolentia. Quocirca periculum criminationis malignæ, quod ex accuſato leges timent, & cujus cauſa ſtatuunt, ne audiatur, antequam crimine objecto ſe exuerit, in ſpecie noſtra non eſt timendum.

VIII. Quæ autem fuerit, de hac criminis revelatione, & indicatione Sacramentali, potius quam accuſatione, Antiquorum ſententia vix poteſt expreſſius aperiri quàm verbis *cap.* 7. Regulæ S. Auguſtini, in quo de correptione agit fraterna: *Nec vos judicetis eſſe malevolos, quando hoc indicatis. Magis quippe innocentes non eſtis, ſi fratres veſtros, quod indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari, cùm timet ſecari, nonne crudeliter abs te ſileretur, & miſericorditer indicaretur? Quanto ergo potius debes manifeſtare, ne deterius putreſcat in corde*. En quomodo ante quingentos annos, in hæc verba commentatus eſt Hugo à S. Victore: *Si crudelis eſt, qui vulnus in corpore fratris celat; multò magis crudelis eſt, qui peccati vulnus in anima fratris non indicat, & Reus mortis illius exiſtit, quem tacendo perire permittit. Sicut enim ille ex opere; ita iſte damnatur ex taciturnitate*. Cenſet inſuper eum iſta revelatione magnum proximo ſuo beneficium conferre, quod mercedem apud Deum meretur: In cujus rei argumentum citat ex *Matth.* 5. Beati miſericordes quoniam ipſi miſericordiam conſequentur, & *Jacobi* 5. Qui converti fecerit animam ab errore viæ ſuæ ſalvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.

IX. Illuſtratur etiam hoc plurimùm ex pœnarum comparatione. Pœnæ pœnitentiales expungunt, & extinguunt pœnas æternas, Deum promerentur, ejuſque benevolentiam in peccatorem diffundunt, & eum Deo perfectè conciliant. Civiles verò pœnæ mortem, crudeliaque tormenta tantùm præparant, quæ pluribus exaggerare nihil attinet, quum hoc nemini ſit incognitum. Quapropter qui poſteriores pœnas procurat alteri ut Accuſator, & Denuntiator, præſumitur facilè odio, & invidia in Reum ferri, & meritò, ſi non evincat, ut calumniator puniatur, atque ideò diligenter & delator, & teſtes, examinari, infirmari, & juridicis exceptionibus ſubmoveri debent. Maximum enim malum, prout accuſatio eſt, proximo ſuo machinatur. Qui verò priores, ſive id contingat, ſive non, maximum bonum proximo ſuo procurat. Ideò incommoda, quæ poſteriores pœnas conſequuntur, & propter quæ vitanda leges illæ conditæ ſunt, ad priores non licet trahere.

X. Hinc tribus primis ſeculis potiſſimùm, incommoda illa, quæ ex Pœnitentialibus pœnis poſteà oriri exiſtimata ſunt, commoda potius quàm incommoda judicabantur, modo abeſſet, ut dictum eſt, illa publicatio, quæ civiliter obeſſet. Ipſa ſui accuſatio magni boni, & operis heroici inſtar cenſebatur; & quo magis erat ſpontanea, & publica, eo majus bonum, magis heroicum, magiſque Dei benevolentiam, & vitam æternam promereri credebatur. Quocirca ad hanc publicam Confeſſionem Pœnitentes hortabantur Epiſcopi, ut maximè utilem non modò Eccleſiæ, ſed etiam Pœnitenti. Ideò licèt denuntiatus negaret ſe criminis eſſe participem, quòd alius religioſè fatebatur, ſe cum eo perpetraſſe, & ejus cauſa humillimam Pœnitentiam ſibi concedi vehementer expoſcebat, nulla tamen ſic denuntianti pœna infligebatur: Rationalis enim, & non ſuſpecta judicabatur eo caſu denuntiatio, ut colligitur ex S. Cypriano *Epiſt.* 62. Gregorio Nyſſeno ad Letojum, & Burchardo, quorum teſtimonia capite præcedente examinata ſunt. Nec hoc inſolens videri debet, cùm in multis caſibus, quos enumerant Accurſius, & Cujacius *ad legem* 3. *tit.* 1. *lib.* 9. *Codicis*: Accuſator licèt Reum non peragat, aut inceptam accuſationem deſerat, Senatuſconſulti tamen Turpiliani pœna non teneatur.

XI. Interrogabis, Quid de Accuſato ſtatuebatur, qui crimen, cujus à publico Pœnitente accuſatus fuerat, pernegabat. Nulla illi Pœnitentia publica, vel privata infligi poterat, ſed ſibi relinquebatur, donec compunctus ſponté crimen fateretur, & Pœnitentiam poſceret, aut convictus ad eam cogeretur, juxta Sancti Auguſtini axioma jam ſæpius relatum *ex homilia poſtrema*, 50. *homiliarum*, & aliis locis, Nos à communione prohibere quenquam non poſſumus, quamvis hæc prohibitio non ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſponté confeſſum, aut in aliquo, ſive ſeculari, ſive Eccleſiaſtico judicio nominatum, atque convictum. Sed de hoc ſpeciali caſu fuſius, & data opera capite ſequente. Hinc etiam in cauſa Pœnitentiæ nullum locum habet hoc Juriſperitorum axioma, Volenti perire non creditur, eo quòd crimen ſuum ad obtinendam ab Eccleſia Pœnitentiam confiteri, non eſt perire, ſed pereundi periculum evitare, & heroicum opus confidenter aggredi, ne peccator & nunc, & in æternum pereat. Hoc enim niſi admittas, non modò Confeſſio publica, ſed etiam ſecreta illo axiomate prorſus abrogaretur. Quanquam autem talis ſit, & eſſe debeat Confeſſionis, & Pœnitentiæ Chriſtianæ exiſtimatio, ne tamen imprudenter ederetur ejuſmodi Confeſſio, maxima diligentia, ut capite præcedente, & aliis explicatum eſt, providebant.

XII. Notabit iterùm, lector, Pontificum Epiſtolas, ex quibus canones oppoſiti decerpti ſunt, de Epiſcopis tantùm verba facere, qui criminum accuſantur, ac proinde hoc ſenſu canones illos eſſe interpretandos. Quapropter Confeſſioni à nobis explicatæ adverſari non poſſunt, cum de rebus agant tam diſparatis. Non videtur hic prætereunda magna Clericos inter, & Laicos differentia: Dicimus pœnas Eccleſiaſticas medicinales eſſe. Hoc equidem verum eſt, ſed non æqualiter: Quà enim Laicos reſpiciunt purè ἢ καθ' ὅλον medicinales ſunt, & ſalutiferæ; nam nullis bonis ſe-

Digitized by Google

nis ſecularibus, aut ulla dignitate Pœnitentem ſpoliant. Quà verò Clericos, non ita: licèt enim ſalutares ſuo modo ſint, maximè tamen damnoſæ ſunt, & ignominioſæ: dignitate enim ſua, & dignitatis emolumentis eos privant; cum nempè ab officio ſuſpenduntur, & multò magis cum deponuntur. Prætereà juxta morem illorum temporum Clerici Pœnitentia ſemel acta dignitati priſtinæ nunquam reſtituuntur. Ideò quæ de Pœnitentiis Laicorum diximus, pœnis Clericorum integrè tribui non poſſunt. Quia pœnæ illæ magna ex parte pœnis civilibus ſimiles ſunt. Quapropter in iſtarum pœnarum executione in Clericos, ea omnia ſtrictè obſervari debent, quæ in pœnarum civilium executione obſervari ſolent. Hoc eſt, cùm de Epiſcoporum, & Clericorum ſuſpenſione, depoſitione, Pœnitentia, & Excommunicatione agitur, judiciales, & civiles formulæ à legibus præſcriptæ, ante ſententiæ pronuntiationem ſtrictiſſimè obſervari debent; immò nec ulla accuſatio, vel delatio niſi ſecundùm leges admitti. Canones autem ſuprà oppoſiti de Clericorum cenſuris verba faciunt, quæ cùm ſint à Pœnitentialibus pœnis tam diſſimiles, tantumque Clericis damnum inferant, nunquam ſunt inferendæ niſi poſt litem juridicè conteſtatam, & peractam. Alioquin quotidie Laicorum invidiæ, & odio proſtituerentur, ut notat eadem Stephani Epiſtola, *Semper carnales ſpirituales ſolent perſequi, & malevoli benevolos infamare, & lacerare. Ideòque Apoſtoli, & ſucceſſores eorum, ac reliqui Sancti Patres noluerunt fieri facilem Epiſcoporum accuſationem: Quoniam ſi facilis eſſet, aut nullus, aut vix aliquis modo inveniretur*. Non negamus tamen, cùm Laicus criminis extra actionem, Exomologeſis publicè accuſatur, eaſdem juris ſolemnitates licèt minus ſeverè, obſervari ſolitas. Quanquam enim canones oppoſiti id non indicent, alii tamen canones, & varia Sanctorum Patrum teſtimonia, & exempla nos docent, cùm Laicorum calumniatores calumniæ convictos graviter puniunt. Verùm in criminis alieni indicatione per Exomologeſim facta, ut explicatum eſt, nihil ejuſmodi obſervatur. Quapropter præter canonum verba, & contra auctorum mentem canonum ſenſus perperam extenditur.

CAPUT XV.

Qua ratione Epiſcopus crimen puniebat, de quo quis erat infamatus, ſed non convictus; aut quod ſolus per Confeſſionem noverat, vel extra Confeſſionem, ſed Reus illud perpetraſſe, aut confeſſum eſſe denegabat: Sex caſuum, quibus hoc contingere poteſt, enarratione ex antiqua traditione petita docetur.

HUjus doctrinæ illuſtrandæ cauſa nonnullas quæſtiones, ſive hypotheſum ſpecies præcedentibus ſimiles ex antiquis canonibus exhibebimus, & eadem opera ipſiſſimis canonum verbis illas explicabimus. Quidam de gravi aliquo crimine infamatur. Multi Epiſcopum ea de re privatim monent; nemo tamen audet adverſùs illum ſe inſcribere; vel quia quiſque legitimis probationibus deficeret, vel alia quacunque de cauſa perſuaſus. Quid tum faciebat Epiſcopus? Hunc caſum ponit Sanctus Auguſtinus *homilia poſtrema libr.* 50. *homiliar. Plerique boni Chriſtiani propterea tacent, & ſufferunt aliorum peccata, quæ noverunt, quia documentis ſæpè deſeruntur, & ea quæ ipſi ſciunt, Judicibus Eccleſiaſticis probare non poſſunt*. Ipſe verò eo loco ſpeciale aliquod remedium huic incommodo non docet. Monet tantùm Epiſcopos à communione quenquam removere non poſſe, niſi aut ſpontè confeſſum, aut convictum: ſed hoc præſtat in caſu ſequente, quod cum hic applicari poſſit, illud nunc prætermittimus. Verùm Burchardus *lib. 6. cap.* 24. & Ivo *parte* 10. *cap.* 153. *docent ex can.* 2. Concilii Turon. eadem ſpecie poſita, qua ratione Epiſcopus, aut Presbyter ſeſe gerere debeant. *Ubi manifeſtari poteſt, quemlibet hominem perpetraſſe homicidium, ſecundùm canonicam auctoritatem condignum Pœnitentiæ judicium illi ingeratur. Si autem manifeſtis indiciis non poteſt probari eum homicidam eſſe, nec ipſe vult confiteri, omnipotentis Dei Judicio, cui omnia occulta manifeſta ſunt, reſervetur: Ei tamen indicetur publicè à Presbytero, quòd communione Eccleſiaſtica indignus ſit, & ea carere debeat, donec perpetratum crimen confiteatur, & per Confeſſionem, & Pœnitentiam condignam ab hoc crimine ſe abſolvere certet*. Si verba iſta preſsè urgeamus, hypotheſis de eo intelligi debet, qui jam delatus eſt, ſed non ſuccubuit accuſationi; vel de eo, de quo vehemens eſt præſumptio. Concilium Tolet. 13. *cap.* 10. facta ſimili hypotheſi, ſed de Sacerdote, de quo non eſt tanta præſumptio, dicit tantùm, Utrùm audeat, vel non audeat ſacrificare Deo, ex ſui potiùs arbitrii poteſtate, quàm ex noſtri judicii permiſſione procedat.

II. Alii caſus videntur difficiliores, qui ſcilicet oriuntur ex cognitione, quam nactus eſt Epiſcopus, non alterius relatione, ſed per ſeipſum, aut ipſius Rei revelatione. Quinque autem caſus ex hac hypotheſi efformari poſſunt; quos ſingulos enarrabimus, & qua ratione in iis Epiſcop ſeſe gerere ſolerent, edocebimus. Primus caſus eſt ejuſmodi. Epiſcopus ex aliorum relatione non novit Titium criminis auctorem, ſed ipſe per ſeipſum hoc novit, utpotè, quia vidit perpetrari crimen, nec alius præter Epiſcopum, quòd quidem ſciat Epiſcopus, eſt iſtius criminis conſcius: Num poteſt Epiſcopus Titium ad Pœnitentiam cogere, & communione privare? Non debet, nec poteſt invitum ad hoc adigere, ſed tamen ut pro ratione criminis Pœnitentiam agat, occultè admonere. Ita Concilium Vaſenſe primum *cap.* 8. Eundem canonem Ivo Carnutenſis *Epiſtola* 97. tribuit Agathenſi Synodo, *Quòd ſi tantùm Epiſcopus alieni ſceleris ſe conſcium novit, quamdiù probare non poteſt, nihil proferat, ſed cum ipſo ad compunctionem ejus ſecretis correptionibus elaboret*. Nulla enim hac in cauſa eſt privatæ perſonæ ab Epiſcopo differentia. Hæc multis perſequitur Sanctus Auguſtinus *ſerm. 16. de Verbis Domini, cap.* 8. *Sic agamus, & ſic agendum eſt, non ſolùm quando in nos peccatur, ſed quando peccatur ab aliquo, ut ab altero neſciatur. In ſecretò debemus corripere, in ſecretò arguere, &c. Novit neſcio quem hominem Epiſcopus, & alias illum nemo novit. Ego volo illum publicè corripere; At tu quæris inſcribere. Prorsùs nec prodo, nec negligo. Corripio in ſecretò: Pono ante oculos Dei judicium; terreo cruentam conſcientiam, perſuadeo Pœnitentiam &c.*

III. Secundus caſus ex primo ſtatim oritur. Quid rei, cùm Titius non modò poſt correptionem pervicax eſt, ſed etiam communioni ſeſe publicè ingerit? Reſpondet idem canon, *Quòd ſi correptus pertinacior fuerit, & ſe communioni publicè ingeſſerit, etiamſi Epiſcopus in redarguendo illo, quem Reum judicat, probatione deficiat; indemnatus licet ab his, qui nihil ſciunt, ſecedere ad tempus pro perſona majoris auctoritatis jubeatur, illo quandiù probari nihil poteſt in communione omnium, præterquam ejus, qui eum Reum judicat, permanente*. Hæc praxis fuit illis Provinciis peculiaris: Nihil enim licebat Epiſcopo publicè in ejuſmodi hominem agere, ut ex teſtimonio Sancti Auguſtini jam allato evidenter probatur: Et adhuc evidentius ex illo axiomate homiliæ ultimæ ex 50. *Nos verò à communione quenquam prohibere non poſſumus, quamvis hæc prohibitio non ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſpontè confeſſum, aut in aliquo ſive ſeculari, ſive Eccleſiaſtico judicio nominatum, atque convictum. Quis enim ſibi utramque audeat aſſumere, ut cuiquam ipſe ſit & accuſator, & Judex?* Quod poſtquam nonnullis ſcripturæ teſtimoniis demonſtravit, tandem ſic colligit, *Quibus verbis ſatis oſtendit non temerè, aut quomodolibet ſed per judicium auferendos eſſe malos ab Eccleſiæ communione, ut ſi per judicium auferri non poſſunt, tolerentur potiùs, nec perversè malos quiſque evitando, ab Eccleſia ipſe diſcedeas, eos, quos fugere videtur, vinciat ad gehennam*. Et antiquiſſimus auctor quæſtionum in utrumque teſtamentum *qu.* 102. *Qui Judex accuſantis ſumat perſonam?* fieri hoc non debere exemplo Domini demonſtrat, qui Judam à nemine accuſatum ſuſtinuit, & corpore ſuo donavit. Idem argumentum eodem Domini exemplo tractat, & illuſtrat Sanctus Auguſtinus *Epiſt.* 48. Evidenter igitur tam Auguſtini, & aliorum Patrum auctoritate, quàm validis rationibus probatur, Epiſcopum cogere non poſſe ejuſmodi hominem ad pœnas ſubeundas, ſi eas detrectet.

IV. Cujus rei ne longè argumenta petamus, canon Carthaginenſis, quem mox in trium ſequentium caſuum ſolutione afferimus, Epiſcopum, qui hoc fecerit, Epiſcoporum communione, & charitate mulctat. Quod ad Vaſenſem canonem attinet jubentem à communione proprii Epiſcopi ſecedere eum, quem criminis accuſavit, ſed non convicit, pœnæ genus connotat in toto Occidente non infrequens, qua ſcilicet aliquis cum cæteris Eccleſiis non communicat, ſed tantùm cum ſua. Pari ratione cum cæteris communicare

quis

Digitized by Google

quis poteſt, non autem cum eo Epiſcopo, qui eum criminis accuſat. Hanc pœnam explicatam, illiuſque multa exempla habes exercitationum noſtrarum Eccleſiaſticarum *lib.* 2. *cap.* 18. Simile quid contingere oportebat ſæpè ante ducentos & aliquot annos, antè ſcilicet Bullam Martini Quinti, quia jubet eos tantùm excommunicatos vitari, qui nominatim denuntiati ſunt, niſi fuerint notorii Clericorum pereuſſores. Tum ſanè oportuit excommunicatum ab iis vitari, qui crimen excommunicatione percuſſum commiſiſſe credebant; ab iis verò in communionem recipi, qui illius rei ignari erant.

V. Tertius caſus Confeſſionem Epiſcopo, aut Parocho factam ſpectat: Epiſcopus ſcit, non amplius quia videt, aut per alterius relationem, ſed per Rei ipſius, Titii ſcilicet, Confeſſionem, cum crimen horrendum commiſiſſe. Crimen Titius ſoli Epiſcopo privatim confeſſus eſt, non Presbyterio. Epiſcopus autem crimen execratus Titium communione interdixit, & ad Pœnitentiam ablegavit. Verùm Titius labores pœnitentiales reformidans, Pœnitentiam impoſitam ſubire recuſavit, tale crimen & perpetraſſe, & confeſſum eſſe pernegans. Num poteſt Epiſcopus Titium ad pœnitentiam cogere? Non poteſt, ſi crimen eſt occultum, nec aliis documentis quàm proprio teſtimonio illud probare valeat. Duas quæſtiones uno faſce huic ſubjiciam quia iiſdem canonibus diſſolvuntur. Quartus igitur caſus eſto: Si Epiſcopus non poteſt à cæterorum communione ejuſmodi hominem ſeparare; Num poteſt eum à ſua communione ſeparare? Scrupulo enim conſcientiæ reformidat Epiſcopus cum eo communicare: certò enim novit Titium crimine inquinatum? Reſpondeo tantùm abeſſe ut Epiſcopus ille poſſit ſeſe à Titio ſegregare, ut ſi hoc tentaverit, ab aliis Epiſcopis ſit excommunicandus. Quintus, & poſtremus caſus: Eſto, Epiſcopum non poſſe neque à ſua, neque à cæterorum communione eum ſegregare, quem ſolus novit crimen perpetraſſe, Quæritur, an ſaltem poſſit crimen illud divulgare. Reſpondetur, non debere; & ſi illud faciat, excommunicandum eſſe.

VI. Solutiones illæ uno canone, qui ſæpiùs apud antiquos repetitur, evidenter confirmantur. Hic Canon eſt 5. Concil. Carthag. 7. & Africani, 99. Reperitur apud Zonaram in farragine Græca *cap.* 146. 147. & Balſamon. *cap.* 133. 134. Burchard. *l.*19. *cap.*127. Ivon. *p.*5. *cap.*363. *& Epiſtola* 97. & Gratianum 6. *qu.*2. *C. placuit.* Eſt autem ejuſmodi, *Placuit, ut ſi quando Epiſcopus dicit aliquem ſibi ſoli proprium crimen eſſe confeſſum, atque ille neget, & pœnitere noluerit, non putet ad injuriam ſuam Epiſcopus pertinere quod illi ſoli non creditur: Et ſi ſcrupulo propriæ conſcientiæ, ſe dicit neganti nolle communicare, quamdiù excommunicato non communicaverit ſuus Epiſcopus, eidem Epiſcopo ab aliis non communicetur Epiſcopis, ut magis caveat Epiſcopus, ne dicat in quemquam quod aliis documentis convincere non poteſt.* Ferrandus Diaconus ſic hunc canonem compendio effert *tit.*2. *cap.* 7. *Ut Epiſcopus à communione non ſuſpendat eum, quem aſſerit de peccato aliquo ſibi ſoli fuiſſe confeſſum.* Burehardus hunc canonem citat, ſed non integrum: Addit autem poſt hæc verba, *neganti nolle communicare*, hæc verba, *ſecretè tamen interdicat ei communionem, donec obtemperet*, quæ licèt cæteri non habeant, commodè tamen, & utiliter intelligi poſſunt, & ſic uſurpatum eſſe nemo ambigere poteſt. Cùm enim Titius peccatum mortale confiteatur ad pœnitendum publicè ex rigore canonum exhortandus eſt; ſed quia peccatum ſecretum eſt, nec hanc medicinalem pœnam admittere cupit, ab Epiſcopo ad illam admittendam cogi non poteſt: Debet tamen Epiſcopus renuentem publicam pœnitentiam ſecretò communione interdicere.

VII. At inquies, interdictionem illam Epiſcopalem non curabit peccator, & communioni ſeſe ingeret. Quid tum? Officio functus eſt Epiſcopus, nec ultra in hac hypotheſi poteſt procedere. Peccator ille peccata peccatis cumulabit. Hoc colligitur non modò ex Canone Carthaginenſi relato, atque ab omnibus Latinis, & Græcis approbato, ſed etiam ex teſtimoniis S. Auguſtini in primi, & ſecundi caſus explicatione relatis. Hæc eſt, fuitque perpetua ante, & poſt extinctas de peccatis occultis publicas pœnitentias in ſimili caſu Eccleſiæ conſuetudo. Cùm enim peccata ſunt occulta, nihil aliud habet Eccleſia, quod contra pervicacem, & refractarium Pœnitentem agat: Antiquitus tamen Eccleſia longè pluribus, quàm nunc, argumentis erat inſtructa, quibus ad Pœnitentiam pervicaces cogeret. Nam illis ante Pœnitentiam peractam non concedebatur Abſolutio. Itaque poſt Confeſſionem, & Pœnitentiæ acceptationem, oportebat, eum, ut Abſolutionem conſequeretur, Pœnitentiam peragere. Quapropter ſi ſalutis aliqua illi cura ſupererat tandem Eccleſiæ faſcibus ſeſe ſubmittere cogebatur. Hoc coactionis genus duæ aliæ cauſæ plurimùm adjuvabant: Prior ea, quam Burchardus ex Bedæ pœnitentiali refert *l.*19. *cap.*118. *Sciendum verò eſt quanto quis tempore moratur in peccatis, tanto ei agenda eſt pœnitentia.* Poſterior, ne tandem crimen per teſtes probari poſſet, reformidatio: tum enim, ut multis demonſtratum eſt, peccatorum pœnæ graviſſimè intendebantur.

CAPUT XVI.

Revelationis Conſciorum in Confeſſione multiplicem eſſe utilitatem, licèt ad forum externum deduci non poſſit. Sex illius fructus ex inſignium Theologorum Scholaſticorum doctrina enumerantur.

VIſum nobis eſt, non abs re fore, ſi tantiſper immoraremur, in multiplicis utilitatis enarratione, quæ ex hac Conſciorum à confitentibus revelatione tum in confitentes ipſos, tum in Conſcios, tum in Eccleſiam ipſam redundat. Id potiſſimùm ex Doctorum Scholaſticorum placitis hoc capite docebimus. Verùm ante omnia diligenter attendere debet lector, quòd jam monuimus, antiquos Patres admodum reformidaſſe, ne cum impiis communicarent, operumque tenebrarum participes eſſent. Ideò diligenter obſervaſſe eos, qui impiè vitam inſtituebant, & ardenti zelo eoſdem, vel ad Senatum Eccleſiaſticum publicè detuliſſe, ſi probationibus legitimis inſtructi erant; Aut ſi his fideles deſtituerentur, Epiſcopum privatim vel in Confeſſione, vel extra Confeſſionem de impiorum iſtorum moribus monuiſſe, ut quocumque modo id fieri poſſet, impii Pœnitentiam agerent, ne ſegnitie, aut ſilentio ſuo eorum communione polluerentur juxta S. Pauli admonitionem *Rom.* 16. *verſ.* 17. *Rogo vos fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones, aut offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis, & Epheſ.*5.11. *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum.* Prætereà non minùs diligenter attendere debes Confeſſiones illas ſolis Epiſcopis, eorum Vicariis, atque Parochis, fieri ſolitas. Propone igitur tibi ante oculos, cùm Confeſſorem audis, Patrem optimum de filiorum ſanitate, proſperitate, & ſalute ſolicitum: Is non modò, quæ judicat filiis ſuis utilia, procurat, ſed ab iiſdem, quæ neceſſaria ſunt ad eorum ſalutem, ſciſcitatur: Nec hoc contentus, alios etiam de liberorum ſuorum moribus, & animi dotibus interrogat, ut quæ ſunt laudabilia promoveat, quæ verò noxia, evellat, & removeat.

II. Nec tantùm ut Patres plebis ſibi commiſſæ conſiderandi ſunt Epiſcopi, & Parçci, verùm ut Medici qui non modò morbos curare tenentur, ſed alexipharmaca componere, & propinare ne adveniant, aut curati ne recrudeſcant: Nec tantùm ut judices ſpectari debent, qui vice Dei peccatorum remiſſionem largiuntur; ſed Epiſcopi ut Principes, atque etiam ſecundùm Epiſcopos Parçci quandiù hoc munere fungebantur, quorum ſpeciale munus eſt, hoſtium, & perduellionum conſilia, mentem, artificia diligenter inquirere, & perſpecta habere, ut ſedulò provideant, ne ex alienigenarum inſidiis, aut etiam ex civium malitia plebs Chriſti aliquid damni capiat.

III. Ergone, inquies, licebit Confeſſori, quem tot ornas glorioſis epithetis, criminum cognitionem, quam per confeſſionem aſſecutus eſt, extra Confeſſionis tribunal extendere, atque ea uti non ſolùm verſus Penitentem, ſed etiam criminis participem? Non ſum neſcius iſta omnia prorſus negare nonnullos Theologos, quod procul dubio non feciſſent, ſi antiquam Eccleſiæ diſciplinam ob oculos ſibi propoſuiſſent. Sed illi Theoreticæ Theologiæ toti dediti de illius praxi rationibus tantùm Metaphyſicis judicaverunt. Quàm autem fallacia ſint ejuſmodi ratiocinia in iis, quæ ſpectant mores, diſciplinam, & legum obſervationem vix dici poteſt. Quæſtiones iſtæ ex legibus, canonibus, Patrum dictis, & Eccleſiæ praxi dijudicandæ ſunt, non autem ex nudis argumentationibus, & conſequentiis ab uno aliquo dato, & conceſſo principio deductis. Innumeris enim modis propter infinitam circumſtantiarum varietatem, & diverſas agentium intentiones variant principiorum conſequentiæ, cùm ad mores, praximque devenitur. Verùm mihi non eſt animus nec Doctores iſtos, nec ullos alios carpere; ſententia

ſua

Digitized by Google

ſua quiſque fruatur. Neque mihi propoſitum eſt, iſtas quæſtiones allatis contrariis rationibus fusè diſcutere: unuſquiſque in Summiſtarum, & Scholaſticorum obviis libris hæc legere poteſt: Breviter tantùm vulgatam Theologorum de his quæſtionibus ſententiam ob oculos lectoris proponam, ut eam Eccleſiæ diſciplinam; quam ex antiquis monumentis redivivam coram eo ſiſtere conamur, ab hodierna praxi aut ſaltem ab hodierna inſignium Theologorum doctrina non abhorrere perſpiciat, atque ſi Pœnitentiarum canonicarum uſus non obſoleviſſet, idem nunc, aut quid ſimillimum Eccleſiam facturam, quod tunc uſurpaſſe demonſtramus. Ut hoc conſequamur, utilitatem cognitionis in Confeſſione adeptæ, uſumque ejus erga Pœnitentiam, & alios primùm docebimus. Poſteà de Conſciorum in Confeſſionis tribunali revelatione, iſtiuſque revelationis uſu, & utilitate erga Pœnitentem, ſive Conſcios, ſive alios, agemus. Utrumque ſex propoſitionibus complectemur.

IV. *Sacerdos, cui facta eſt confeſſio peccatorum, poteſt de licentia confitentis de rebus in Confeſſione auditis & cum eo colloqui, & cum qualibet alia perſona.* Hæc eſt Theologorum vulgata ſententia, quam docet S. Bonavent. 2. *part. diſtinct.* 21. *art.* 2. *qu.* 2. S. Thomas *diſtinct.* 21. *qu.* 3. *art.* 2. Richard. *ibid. art.* 4 *qu.* 1. Paludan. *ibid. qu.* 3. *art.* 3. Aſteſanus *Summæ lib.* 5. *tit.* 20. ubi in ſuam ſententiam citat Petrum à Tarantaſia præter SS. Thomam, & Bonaventuram. Adrian. *qu. de Confeſſ.* Sylveſter. *verb. Confeſſio* 3. *qu.* 3. Soto *diſtinct.* 18. *qu.* 4. *art.* 6. Medina *quæſt. de licentia Pœnit. ad revelat. Confeſſ.* S. Anton. 3. *part. tit.* 22. §. 5. Navarr. *in Summa cap.* 8. *num.* 2. & *cap.* 18. *num.* 12. & *in C. Sacerdos de Pœnit. diſt.* 6. *num.* 26. Covarruvias *in* 4. *decretal. part.* 2. *cap.* 8. §. 12. Archidiac. & Alexand. *in cap. ipſi Apoſtoli* 2. *qu.* 7. Panormit. *in cap. ſignificaſti de adult.* & alii permulti Juris canonici Doctores, Suarez *tom* 4. *in* 3. *partem diſput.* 33. *ſection.* 5. *num.* 6. Eſtius *in* 4. *diſtinct.* 17. §. 14. *verſiculo nonum.* Ubi admonet prudenter ea confeſſione Sacerdotem uti debere, & in utilitatem tantùm eorum quorum cauſa conceſſa eſt. Franciſcus Sylvius *in ſupplement.* S. Thomæ *qu.* 11. *art.* 4. Becan. *de Pœnit. cap.* 39. *concl.* 5. Gabriel Vaſquez *tom.* 4. *in* 3. *part. qu.* 93. *dub.* 5. *num.* 2. Gregorius de Valentia *tom.* 4. *diſput.* 7. *qu.* 13. *puncto.* 4. Laymannus *tract.* 6. *de Pœnitentia cap.* 14. *num.* 14. Cardin. Tolet. *Inſtr. lib.* 3. *cap.* 16. Addit. Navarrus *in* 4. *cap. Sacerdos num.* 151. & probare conatur teſtimonium Confeſſoris ad Pœnitentis innocentiam comprobandam in foro exteriori fidem facere poſſe, quod tamen & canonibus jam allatis, & rectæ rationi repugnare videtur. Nam in hac ſpecie Confeſſoris teſtimonium à Pœnitentis teſtimonio non differt: Nullius autem eſt fidei teſtimonium de ſeipſo redditum.

V. Secunda propoſitio. *Poteſt Confeſſor in multis caſibus nulla à Pœnitente petita venia licitè uti notitia per confeſſionem ſecretam comparata, modò nullum ſit revelandæ confeſſionis periculum.* Verbi gratia, Poteſt pro Pœnitente orare, ut eum Deus à pravis habitibus emundet, &c. Poteſt ex unius confeſſione plures interrogationes utiles faciendi in alterius confeſſione occaſionem captare. Poteſt ſi quid dubium in re confeſſa illi occurrit, virum doctum conſulere. Poteſt rem ſuam diligentius cuſtodire, atque alios, ut ſe, reſque ſuas diligentius cuſtodiant, monere. Poteſt inſidias paratas vitare, aut ut alii evitent monere. Hæc ſimilia docent innumeri Scholaſtici Doctores, antiqui & recentiores. Sylveſter, *verbo Confeſſio* 3. *qu.* 5. & 19. Navarr. *cap.* 8. *num.* 17. Suarez *ſect.* 7. *num.* 9. Conink. *diſput.* 9. *de ſigillo Confeſſ. dubio.* 4. *num.* 58. Tannerus *tom.* 4. *diſput.* 6. *de Pœnitentia. qu.* 9. *dubio*, 6. *num.* 140. qui plurimos auctores in hanc ſententiam refert. Sylvius ubi ſuprà, *art.* 1. §. Quæritur tertiò &c. Necnon illi, qui Confeſſorem nolunt etiam cum licentia pœnitentis, de rebus in confeſſione auditis verba facere.

VI. Plura dicunt, exempli cauſa, multi jus habent aliquem ad beneficium eligendi; eorum autem unus ex Confeſſione tantum novit Titium illo beneficio indignum, qui aliàs vulgò dignus habetur. An poteſt ille, qui ex ſola confeſſione indignitatem illam novit, Titio denegare ſuffragium ſuum. Doctores graviſſimi non reformidant abſolutè affirmare id non modò poſſe, ſed etiam debere, cum abeſt revelationis periculum, S. Thomas *in* 4. *diſtinct.* 21. *qu.* 3. *artic.* 1. *quæſtiunc.* 1. ſed clarius *Quodlibeto.* 5. *art.* 13. S. Bonavent. *eadem diſtinct.* 2. *part. art.* 2. *qu.* 5. Paludanus *in eandem diſtinct. qu.* 3. *verſus finem.* Aſteſanus *in Summa lib.* 5. *tit.* 20. in hoc caſu, & nonnullis aliis Sylveſter, *Confeſſio* 3. *qu.* 14. Petrus Soto *in relect. de Secret. memb.* 3. *qu.* 4. *poſt concluſ. quintam.* Scotus *diſtinct.* 21. *qu.* 2. *ad penult.* Navarr. *in cap. Sacerdos de Pœnit. diſtinct.* 6. *num.* 146. Ulterius progreditur Gabriel. *diſt.* 21. *qu.* 1. *art.* 3. *dubio* 1. *caſu* 2. vult enim id licere, licèt forſan ſuſpicio naſcatur id factum propter crimen in Confeſſione revelatum. Suarez eodem loco *ſection.* 7. *num.* 12. negat ullam eſſe obligationem denegandi ſuffragii; poſſe tamen illud denegare in occultis electionibus, ſecus in publicis; Ita Coning. *num* 51. Tanner. *num.* 143. Vaſquez *qu.* 93. *art.* 3. *dub.* 8. Objectionem eo loco ſibi proponit Suarez *num.* 3. cujus ſolutio antiquis canonibus applicata negotioſiores difficultates, quæ ex eorum obſervatione criminis occulti publicationem inducere videntur, commodè explicat, & expedit. Admittit ille quidem, Confeſſorem non poſſe imponere Pœnitentiam publicam in ſatisfactionem criminis commiſſi, ex qua, vel indirectè, quis poſſit ſuſpicari crimen aliquod perpetraſſe, niſi pœnitens ſponte ei ſubeundæ ſeſe offerat. At ſi opus injunctum eſt à Confeſſore non ſolum in pœnam peccati, verùm etiam in remedium peccato evitando, aut ſcandalo tollendo, aut alicui rei ſimili procurandæ neceſſarium, tum illud, inquit, acceptare, & exequi tenetur Pœnitens, licèt inde criminis confeſſi revelatio conſequatur. *In quo caſu*, inquit Suarez, *ſi ſupponatur illud medium eſſe neceſſarium, poteſt imprimis Confeſſor illud præcipere Pœnitenti, ut verbi gratia quod dimittat hoc officium, vel hanc domum, aut aliquid ſimile; & ipſe tenebitur obedire. Quòd ſi noluerit, dimitti poteſt ſine Abſolutione; & ita nulla eſt fractio ſigilli. Quia ſi aliquid ſit, totum eſt medio conſenſu, & voluntate Pœnitentis. Neque eſt gravamen, aut onus contra ſigillum, quòd ille conſenſus per præceptum, aut per comminationem negandi Abſolutionem extorqueatur: Quia ſuppoſita vera neceſſitate illud præceptum non tam imponitur à Confeſſore, quàm declaratur Pœnitenti obligatio, quam in ſe ipſe habet. Et ideò comminatio illa juſta etiam eſt, imò & neceſſaria; Quia non poteſt aliter Confeſſor debito modo fungi ſuo munere.* Nunquam olim criminis occulti publica eſt indicta Pęnitentia, quin Epiſcopi, & Sacerdotes Confeſſionibus audiendis præpoſiti hos omnes fines ſimul, aut eorum aliquem non ſibi propoſuerint.

VII. Joannes de Friburgo antiquus Scholaſticus, & S. Thomæ ætate ſuppar, *Summæ lib.* 3. *tit.* 34. *quæſt.* 91. licèt ſeverè contendat, Confeſſionem nuſquam eſſe revelandam, multas alias tradit occaſiones, quibus Confeſſor utiliter, & legitimè ſcientia per Confeſſionem comparata uti poteſt, *Si tamen aliquod periculum futurum ſciretur per Confeſſionem, ut de Hæretico, qui intenderet corrumpere fidem populi, vel etiam de damno aliquo temporali futuro, vel de conſanguinitate, vel affinitate inter aliquos volentes matrimonium contrahere; debet adhibere aliquod remedium quantum poteſt ſine revelatione Confeſſionis, ſicut monendo eos, qui confitentur ut deſiſtant, & aliis diligentiam apponendo ne corrumpantur per hæreſim, vel aliàs damnificentur Poteſt etiam dicere Prælato, quòd diligentius invigilet ſuper gregem ſuum &c. His ſatis*, inquit, *concordat Hoſtienſis* §. 15. *in quo tenetur, ver. Quid ſi aliquis, & in gloſſa ſuper capit. Omnis &c.* S. Raymundus diffuſius adhuc de ea utilitate, & licentia in illius uſu ſtatuere videtur *lib.* 3. *cap. de Pœnitent. & remiſſionibus* §. 60. ut & antiquus ipſius Gloſſator in eum locum, *Si quis confitetur Sacerdoti, quòd vult interficere hominem, vel aliquid nequiter operari, non tenetur Sacerdos omninò celare, ſed tali perſonæ revelare debet, quæ poſſit prodeſſe, & non obeſſe. Debet etiam præmonere quantum poterit ſine peccato, & ſcandalo illum cui alius proponit inferre damnum, vel injuriam &c.* Ita quoque Innocentius ſuper *cap.* Omnis.

VIII. Antiqui Magiſtri Pariſienſes hujus licentiæ habenas minùs premebant, ut colligitur ex Guillelmo Altiſiodorenſi Doctorum Scholaſticorum editorum poſt Lombardum antiquiſſimo, *in Summa lib.* 4. *tract.* 6. *quæſtione* 4. Proponit has hypotheſes. Titius Sacerdoti confitetur ſe cum Caja rem habuiſſe: moritur Titius: Cajam ducere vult Titii frater. Jubet Epiſcopus ut idem Sacerdos eos matrimonio conjungat. Si obtemperat, videtur mortaliter peccare. *In correptione fraterna*, inquit, *non dicitur proditor criminis ille, quid illud revelat ei, qui prodeſſe poteſt, & non obeſſe. Ergo ſi Sacerdos iſte illud revelat Epiſcopo, qui prodeſſe poteſt, & non obeſſe, non peccat, præcipuè cùm ille, qui eſt mortuus, ſi viveret, deberet velle quod revelaretur.* Aliam difficultatis hypotheſim enarrat. Jubet Epiſcopus alterum Sacerdotem eoſdem matrimonio conjungere, & excommunicatione ligat omnes, qui ſcientes hujus matrimonii impedimenta non enuntiaverint. Ergo Sacerdos prior hoc impedimentum ſibi confeſſum enuntiare tenetur. *Sed contra,*

in-

Digitized by Google

inquit, *ſi revelat, infringit ſigillum confeſſionis. Ergo peccat mortaliter. Prætereà ſi tacet, nullum damnum accidet: Ignorantia enim facti excuſat à peccato eos, qui conjunguntur. Ergo neque debet revelare*. Scholaſtices Novitius, qui eam proſpexit tan tùm, & à limine ſalutavit, ambages iſtas vix ſe dignas munc reputaret. Audiamus tamen, quid ſapientiſſimi Magiſtri, de his quæſtionibus ante annos circiter 450. definire ſolebant: *Ad hoc ſoleat dicere Magiſtri, quòd in hoc debet Sacerdos revelare confeſſionem, & non infringit ſigillum Confeſſionis, ſed aperit. Quia infringere importat deformitatem: Eſt enim infringere indebitè revelare. Et ad ultimo objectum dicunt, quod damnum accidit ſi taceat. Fit enim quiddam quod eſt contra Deum; & ſi ſciveat illi, qui conjunguntur, deberent ſe ſeparare*. Ipſe huic difficultati, & alteri ſimili favorabilius pro ſigilli Confeſſionis obligatione conſervanda reſpondet, tandemque multis cautionibus adhibitis colligit: Si aliter fieri non poteſt, Sacerdotem illum per ſeipſum perſonas illas jubente Epiſcopo matrimonio conjungere poſſe, nunquamque in periculum Sacramenti aperiendum eſſe iſtud ſigillum. Magiſtri qui ſecuti ſunt eodem propè modo iiſdem difficultatibus, reſponderunt. Prudenter enim aditus omnes ad ſigilli apertionem tendentes Eccleſia ſemper interelusit, eique praxi lubentius favit, quæ certiorem Confeſſioni ſecuritatem præſtitit; ita tamen ut uſum cognitionis ſic comparatæ, cùm intemerato ſigillo prodeſſe poterat, vel confitenti vel alteri, & non obeſſe, nunquam impediret. Hoc non difficilè poſſet comparatione antiquiorum Doctorum cum recentioribus facta demonſtrari. Sed iſta, quæ extremis tantùm digitis attingimus, non ſunt nobis curioſè ſollicitanda. Itaque abruptam tantiſper orationem renodemus.

IX. Tertia propoſitio, *Licitum eſt in Confeſſione conſcium ſceleris ex legitima cauſa Confeſſori revelare*. Legitima autem cauſa eſt, utilitas ſolius Pœnitentis, ut ſe conſiliis, & monitis Confeſſoris ab importunis Complicis ſuggeſtionibus liberet, ut induſtria, & prudentia Confeſſoris, peccati occaſiones vitet, ut Confeſſor, ſi poteſt ſine revelationis periculo, peccati occaſionem auctoritate ſua tollat. Conſimiles aliæ cauſæ, vel ſolæ vel aliis conjunctæ ſæpiſſimè contingere poſſunt. Idem dicendum, eſt de utilitate, quæ redundare poteſt non modò in complicem, ſed etiam in tertiam perſonam, verbi gratia, ſi poteſt ſine revelationis periculo damnum aliquod, vel complici vel tertiæ perſonæ imminens avertere, vel propter jam dictas cauſas, aliaſque nonnullas, quæ emergere poſſunt. Hæc eſt omnium propè Doctorum ſententia. Sylveſter *verbo Confeſſio 1. qu.* 24. Angelus *ibidem num.* 3. Medina *de Confeſſ. in quæſtione de circumſtantia loci*, Navarr. *in ſumma cap.* 7. *num.* 7. Suarez *Diſput.* 34. *ſection.* 1. *num.* 3. 4. 5. & *ſection.* 3. *num.* 7. cum Scholaſticorum antiquorum, & recentiorum ingenti turba, quos ibidem refert. *Aſſertione ſecunda ſectionis* 1. præclaras hujus licentiæ rationes reddit. D. Antoninus 3. *part. tit.* 14. *cap.* 19. exiſtimat licere Complicem Confeſſori revelare ſolùm, ut Confeſſor pro Complice Deum precetur, ſi Confeſſor præſertim vir Sanctus habeatur.

X. Quarta propoſitio, *Licèt nulla ſit utilitas ex Confeſſionis revelatione emerſura ſive in Pœnitentem, ſive in Conſcium, aut tertiam perſonam, tamen non modo licet, ſed etiam tenetur Pœnitens Conſcium Confeſſori revelare propter ſolam Confeſſionis integritatem, licèt Confeſſor ex ea revelatione Conſcium ſit in particulari cogniturus*. Hoc Confeſſionis genus contingit, cùm propter complicem peccatum mutat ſpeciem, ut in inceſtis plerumque fit, & in pleriſque peccatis à viro, & uxore commiſſis, aliiſque quorum ſpecies ſine ſocii accuſatione explicari non poteſt. Hæc eſt Theologorum longè communiſſima ſententia. Sic S. Bernardus ſtatim poſt formulam honeſtæ vitæ, S. Raymundus. *l.* 3. *cap. de Pœnitentiis, & remiſſ. §.* 24. *Tunc* inquit, *non eſt dicendus proditor, quia non dicit ut alium prodat, vel gravet, ſed ut ſe liberet, quod aliàs facere non poſſet*. Alenſis 4. *part. qu.* 18. *memb.* 4. *art.* 2. §. 4. & *art.* 3. S. Thomas *Opuſc.* 12. *qu.* 6. & *in* 4. *diſtinct.* 16. *qu.* 3. *art.* 2. *quæſtiunc.* 5. *ad quintum* Bonavent. *in* 4. *diſtinct.* 21. 2. *part. art.* 1. *qu.* 3. & *tom.* 1. *Opuſcul. tract. de modò confit. cap.* 1. Adrian. *quæſt.* 1. *de Confeſſ.* §. *ſed oritur dubium*. Durand. *in* 4. *diſtinct.* 16. *qu.* 4. Paludan. *diſt.* 17. *qu.* 2. *art.* 1. Almain. *diſt.* 17. *qu.* 2. *art.* 2. cum Altiſiodor. & Henrico, quos citat. Gerſon. *in tract. de præceptis Decalogi* 1. *part. cap.* 17. & 2. *part. cap. penultimo* Gabriel. *in* 4. *diſt.* 17. *qu.* 1. *concluſ.* 5. Sylveſter *Confeſſ.* 1. *qu.* 24. Angelus *eodem verbo num.* 3. Cajet. *verbo Confeſſ. condit.* 3. & *ſumma Roſella Confeſſio* 1. *num.* 6. Petrus Soto *lect.* 10. *de Confeſſ. Domin.* à Soto *in* 4. *diſtinct.* 18. *qu.* 2. *art.* 5. *ad quartum* ubi ſic ſentire ait. S. Thomam, Bonaventuram, Durandum, & Cajetanum, & recentiores omnes. Suarez *Diſput.* 34. *ſect.* 2. & multis rationibus hoc probare contendit *aſſert.* 1. & 2. Coning. *diſput.* 7. *de integritate Confeſſ. dub.* 9. *num.* 89. Vaſquez *qu.* 91. *art.* 3. *dub.* 3. *num.* 13. Tanncrus *diſput.* 6. *qu.* 7. *dub.* 4. *num.* 85. qui ambo magnam authorum turbam, in hanc ſententiam coacervant. Laymannus *tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 12. ſed non ita abſolutè, ut præcedentes: Aliique complures ab iis pro hac ſententia citati. Contrariam ſententiam pauciſſimi cum Navarro defendunt, ſcilicet, teneri Pœnitentem in Confeſſione criminis Conſcium non revelare, & ita quantum ad illam circumſtantiam ſeſe gerere debere quaſi Confeſſoris copiam non haberet.

XI. Quæſtionem movet Soto de eo, qui criminis non eſt particeps, ſed tantùm objectum, *an etiam ſit Confeſſori deaunt iandus, cùm ſine illius denuntintione Confeſſio integrè fieri non poteſt*. Verbi gratia, filius propinat venenum matri gravidæ ex illicitò concubitu, an tenetur addere matrem ex illicitò concubitu concepiſſe, hancque fuiſſe criminis à ſe perpetrati occaſionem. Utrumque reſpondet Soto eſſe declarandum, & mea quidem ſententia rectè non modò propter Confeſſionis, ut ipſe vult integritatem, ſed etiam propter rationes, quas ſtatim referemus. Atque hæc eſt fidelium conſuetudo perpetua, circumſtantias, quæ criminis gravitatem inſigniter augent, vel minuunt confiteri; & hoc planè neceſſarium videtur, cùm pro criminis gravitate, vel lenitate non modò augendæ ſint, vel minuendæ Pœnitentiæ, verùm etiam multò magis, vel minus peccati illius occaſiones vitandæ. Circumſtantia autem propoſita filii peccatum plurimùm minuit, quæ ſi taceretur, & Pœnitens longè majori pœnæ obnoxius foret, & Confeſſor Pœnitentis animum longè maligniorem, quàm revera eſt, ſibi perſuaderet: Nemo autem famam ſuam prodigere tenetur, ut alienæ conſulat.

XII. Quinta propoſitio, *Modò nullum ſit revelandæ Confeſſionis periculum, uti poteſt Confeſſor ſcientia de complicis crimine per Confeſſionem acquiſita eodem modo quo de Pœnitente dictum eſt*, ut pro illo oret, ut beneficium illi conferat ſi capax eſt, ut ad peccati occaſiones vitandas adjuvetur, ut damnum alteri imminens avertat. Pauci ſunt qui hanc propoſitionem non admittant.

XIII. Sexta propoſitio, *Licet uti ſcientia Confeſſionis etiam prodito Complice in bonam Pœnitentis, modò Pœnitens, qui in Confeſſione hoc revelavit, permiſerit. Licet etiam de eadem licentia complicem admonere, fraternè corrigere, neve Pœnitenti vel alteri noceat, procurare*. Cujus utilitatis multa dari poſſunt exempla. Immò poteſt, ait Suarez, Complicem de eadem Pœnitentis licentia ad ſuperiorem tanquam ad Patrem non tanquam ad judicem denuntiare, ut occultè, & prudenter peccati occaſionem complici auferat, neceſſariò quoque de Superiore præſumendum eſſe, quod imprudenter ſeſe non geret, nec ſubditum tyrannicè excipiet. Prior pars ex jam dictis manifeſta eſt: Nam ſi hoc licet de Pœnitente, qui ſecretum ſuum Confeſſori crediderit, multò magis de complice, cùm quo nulla eſt Confeſſori obligatio niſi ad Pœnitentem relatione facta. Scrupuloſum, & ſupervacaneè religioſum eſſe oportet eum, qui eo uſque Pœnitentis licentiam ſeſe extendere negaverit. De poſteriori parte pauci quidam dubitant, ſed communis Theologorum ſententia illam docet. S. Thom. *Opuſc.* 12. *qu.* 6. S. Antonin. 2. *part. tit.* 14. *cap.* 19. §. 11. Capreolus *in* 4. *diſtinct.* 21. *qu.* 2. *art.* 3. ad Octavum, *in ſumma* Capreoli *eadem diſtinct. qu.* 2. *concluſ.* 2. *ad.* 3. Adrian. *qu.* 1. *de Confeſſ.* §. *ſed oritur, & dubio penultimo illius materiæ* §. *ad primum, in reſponſione ad* 5. & §. *ad motiva aliorum*. Gabriel. *diſtinct.* 17. *quæſt.* 1. *art.* 2. *concluſ.* 5 Sylveſter *Confeſſio* 1. *quæſt.* 24. qui Bonaventuram, Richardum, Raymundum, Archidiaconum, & Cardinalem Monachum *in ſuæ ſententiæ demonſtrationem eodem loco refert*. Gerſon *tractatu de cognitione peccatorum venial. & mort. conſid.* 19. Et ſermon. *de Pœnitentia in Cœna Domini conſider.* 4. Navarrus *in ſumma num.* 7. Suarez *fusè, & operosè diſput.* 34. *ſection.* 4. hanc ſententiam rationibus, & auctoritatibus confirmat, ut & alii paſſim, quorum citatio nihil aliud, quàm tædium Lectori afferret.

XIV. Manifeſtum eſt igitur ex hodierna Theologorum doctrina, non modò Confeſſori licere, uti cognitione per Confeſſionem acquiſita in bonum ſpirituale, & temporale Pœnitentis, verum etiam licuiſſe immò nonnunquam debere Pœnitentem criminis conſcium Confeſſori revelare, non

ſolùm

Digitized by Google

ſolùm ratione integritatis Sacramenti, ſed etiam aliquando ut ea revelatione utatur Confeſſor in utilitatem, vel Pœnitentis, vel Complicis; vel tertiæ perſonæ, ut eas ſalvo, & incolumi ſigillo prudenter corrigat, vel à crimine perpetrando impediat, aut aliquod aliud bonum ſpirituale illis procuret; & conſequenter quamvis lege publica non liceat in criminis conſcium, nec per canones, nec per naturæ dictamen ex Confeſſionis cognitione agere, non eſſe tamen inutilem ejuſmodi cognitionem. Hoc mihi videtur evidens fore ei, qui ob oculos ſibi proponet, quod jam explicavimus: Confeſſorem eſſe Epiſcopum, quales erant Confeſſores ferè omnes primis Eccleſiæ temporibus; ſed Epiſcopum plebis Chriſtianæ Paſtorem, Principem, Patrem, Medicum, non venationibus deditum, non typho ſeculari turgidum, non honoribus aulicis inhiantem. Quid opus eſt ſcire Paſtorem ut oves paſcat, Principem ut bene præſit, Patrem ut filiis conſulat, Medicum ut ægrotis ſanitatem reſtituat? Quamobrem igitur timebit crimen ſuum revelari conſcius, quum remedia ſalutem æternam afferentia optimus pater ſemper adhibeat, & nonnunquam cum æterna ſalute procuret temporariam?

CAPUT XVII.

Multis rationibus, & Judiciorum, monitionumque ſecularium exemplis demonſtratur, Complicis, immò ſæpe & aliorum revelationem in Confeſſione non eſſe maledicentiam, ſed actionem utilem, juri naturali, & omnium gentium conformem. Hæc illuſtrantur ordinis deſcriptione, quem in Synaxium celebrationibus obſervabant antiqui Chriſtiani.

Nunc juvat in rationem præcipuam, qua commoti nonnulli Theologi tantopere reformidant Conſcii in Confeſſione revelationem inquirere: Hæc eſt, famæ proximi integritas, cui hac revelatione plurimùm detrahi autumant. Hanc cauſam miror à paucis obiici, & à multis ut ab ea ſeſe extricent, nonnihil ſudari: famæ proximi eſſe conſulendum, atque de ea aliquid momenti detrahere, grave habendum eſſe peccatum, nemo Chriſtianus dubitat. At complicem, aut alium reverà criminis reum tum temporis in Confeſſione accuſaſſe, modò Pœnitens optimo fine, atque in illius perſonæ bonum præſertim ſpirituale vergente moveretur, famæ fuiſſe detractionem à recta ratione, & ob omnium gentium ſentiendi, & loquendi uſu quotidiano mihi videtur planè alienum. Quàm contraria fuit S. Auguſtini ſententia, qui hanc delationem beneficii maximi loco cenſeri juſſit, reticentiam verò immitis crudelitatis accuſari! Hoc pluribus cum explicans Hugo à S. Victore demonſtrat, ut ex iis retulimus ſupra *cap.* 13. Sententia iſta, niſi plurimùm fallar, evidenti ratione niti mihi videtur, atque aliquod operæ pretium Lectori facturus videor, illam ſi paucis explicuero.

II. Theologi omnes fatentur, reſque ipſa ex ſcriptura evidenter colligitur, Sacramentum Pœnitentiæ judiciali forma eſſe inſtitutum, immò purum putumque eſſe de actionibus omnium Chriſtianorum tam interioribus quàm exterioribus, vel ut cum Tertulliano loquar, tam ſpiritalibus quàm corporalibus Judicium à Sacerdotibus nomine Chriſti exercitum. Non animadvertunt Regum tribunalia in hominum cogitationes, non rimantur mentis arcana, varioſque receſſus; in ea tantùm agunt, quæ extrinſecùs apparent, ipſos cætera fugiunt. Reo vix unquam credunt, niſi teſtibus aut urgentibus præſumptionibus nitatur ejus Confeſſio. Sed Pœnitentiæ tribunali omnes actiones obnoxiæ ſunt, & corporis, & animi; neque neceſſe eſt accuſatorem adeſſe, reo creditur, ipſe eſt, reus, accuſator, teſtis, ſuique criminis vindex. Itaque idem intrinſecùs, & intrinſecùs poſtulat Pœnitentiæ Sacramentum, quod ſeculare tribunal tantùm extrinſecùs. Nunc autem apud judicem licet unicuique criminis conſcium accuſare: Non modò licet, ſed juſtum, & Reipublicæ utile éxiſtimatur, nec ullus eſt, qui delationem iſtam vocet maledicentiam, calumniam, aut injuriam. Ratio manifeſta eſt: Naturæ lumen omnibus hominibus dictat utilitatem privatam publicæ poſtponendam. Licèt igitur utile ſit Titio crimen ſuum ſemper latere, Reipublicæ tamen eſt utiliſſimum crimen iſtud publicè prodi, ut impunitate fretus alia non committat, ut iis, quibus injuriam intulit, bonorumque fortè omnium ruinam attulit, verbi gratia, calumnia, falſo teſtimonio, furto, homicidio &c. fama, hortos, bona, reſtituantur, illataque damna reparentur, ut denique cæteri pœnis ſcelerato inflictæ formidine correpti talia audere pertimeſcant. Titii famam his publicis utilitatibus non eſſe præferendam gentium omnium motes etiam efferatiſſimè barbararum quotidiè teſtantur. Idem quoque dicendum, eſt enim par ratio, de interrogantibus, & inquiſitionibus à Judice reo faciendis. Judici licet, immò tenetur Judex, reum de conſciis interrogare, ut malos caſtiget, & ſi neceſſe eſt, à republica exterminet. Judiei quoque legitimè interroganti tenetur reus criminis conſcios detegere. Quis unquam hominum credidit, aut reum Judici conſcium ſponte prudentem, aut legitimis Judicis interrogationibus laceſſitum tandem indicantem detractionis, & maledicentiæ inſimulandum eſſe. Naturæ dictamine quod omnium gentium animo inſidet, qui crimini operam navavit, eo ipſo, & meritiſſimè, obnoxium ſeſe reddit ſocii ſui accuſationi, juſque dedit Judici ſocium de ipſius cooperatione interrogandi. Quid de criminis participibus loquor? unicuique licet autorem, vel participem criminis ad Magiſtratum deferre, modò id in Judicio probare poſſit. Si probet, nemo eum detractionis accuſat, nemo malignitatis. Hoc poſtulat Lex Divina, hoc poſtulat lex naturæ, hoc ſecuritas publica. Si quis obiiceret, ſic famæ proximi detrahitur, irrogaturque illi injuria maxima. Derediculo haberetur iſta objectio. Nihil enim fit fama privati, cum univerſi bono opponitur. Neceſſè eſt autem propter univerſi bonum impios poſt perpetratum crimen nuſquam eſſe tutos, quod fit, dum non tantùm à criminis ſociis accuſari poſſunt, ſed etiam à quolibet, qui legitimas criminis probationes nactus eſt. Hæc omnium gentium Confeſſione explorata ſunt, nec ampliori ſermone demonſtranda. Injuriam tamen irrogari nolim quorumdam populorum legibus, quæ multis criminibus poſt certum annorum ſpatium, ut pote 20. præſcribunt, voluntque actionem criminalem poſt hoc tempus perire, nec reſtitui poſſe. Poſſunt enim leges civiles omnibus actionibus propter bonum publicum certos definire terminos, intra quos niſi peragantur, excludi poſſint.

III. At Confeſſionis Sacramentum judiciale eſt; Sacerdotum ſacro-Sanctum eſt tribunal, ut ex verbis inſtitutionis eſt evidentiſſimum, nec ullus Theologorum hoc diffitetur. Ergo Judiciorum jure licet Pœnitenti complicem accuſare apud Sacerdotem, non ſecus ac ſeipſum; ſi ex hac accuſatione judicat aut ſibi, aut complici, aut alii aliquam utilitatem eventuram. Si enim nullam prorſus utilitatem prævideret, fruſtra eſſet accuſatio. Quod ſi maligno animo complicem Confeſſori denuntiaret, quia exiſtimat Confeſſorem magni eum facere, vel ob quid aliud, ſacrilegium ſanè committit Pœnitens, quod non eſt facilè de homine ad tam ſanctum opus ſe accingente præſumendum. Conſimiliter Sacerdos cum in hac cauſa vice Dei ſedeat, jus habet Pœnitentem de omnibus, quæ ad ipſius peccatum pertinent, inquirendi; de criminis conſciis, eorumque mente, animo, conſiliis, iiſque omnibus, quæ judicat Pœnitenti, conſciis, & aliis profutura, aut inſignem criminis gravitatem explicatura. Si ex ipſa Judicii natura hæc liceant Judicibus omnibus jure gentium inſtitutis ad populos in pace, & quiete continendos, quid non Judicibus à Deo ipſo inſtitutis ad peccatorum expiationem, & animarum ſanctificationem?

IV. Notabit obiter Lector cum utilitatis conditionem addidimus magis bodierna tempora atque à quadringentis annis uſitatam conſuetudinem nos reſpexiſſe, quàm antiquum Eccleſiæ morem trecentis annis obſervatum, & multis etiam poſt illa tempora ſeculis. In primæva enim illa antiquitate vix Pœnitens ſceleris conſcios inutiliter poterat Confeſſori revelare. Ferè enim ſoli Epiſcopi erant Confeſſores, vel ſimul cum Presbyterio: In majoribus Parochiis eorum Vicarii, ſive Parochi quibus ad certum tempus animas fidelium paſcendas committebant. Vide ſis an optimo paſtori, qui diu noctuque pro grege ſuo in pace regendo, & animabus omnibus ſanctificandis invigilare debet, poſſit inutiliter fieri conſciorum accuſatio ſecreta? Pro hodierna diſciplina fieri quidem ſæpe poteſt inutiliter ejuſmodi accuſatio. Confeſſionum enim maxima pars editur apud Monachos Sacerdotes, qui animarum curam non habent niſi momentaneam; pro illo ſcilicet momento quo ſeſe fidelis iis in Confeſſione ſubiicit. Itaque illis non conveniunt omnia jura Paſtorum, & principum plebis Chriſtianæ: Nec datur illis cognoſcendarum ovium Chriſti occaſio ſufficiens, neque etiam ex officio ſuo ad ejuſmodi regimen, & cognitionem obligantur. Apud iſtos, nec non apud Presbyteros permultos in magnarum urbium parochiis videmus ab omni ſocietatis vinculo ſolutos, Con-

feſſiones editæ inutiliter ſæpe criminis conſcios revelarent. Quapropter ſæpius niſi Confeſſionis integritas id poſtulet, meritò reticentur à Pœnitentibus criminum conſcii.

V. Ratio noſtra non modò hoc in conſcios licere probat, verùm etiam evincit de quibuslibet criminum autoribus, quod ſcilicet ab omni fideli, qui eorum crimina reſciverit, in Confeſſione ſecretò denuntiari poſſint apud Sacerdotem. Licet enim cuivis ad Magiſtratum deferre criminis reum, modò probationibus nitatur juridicis. Ergo multò magis ad ſecretum Confeſſionis tribunal deferri poterit: Prioris enim ratio eſt judicii natura: Sed Confeſſor eſt judex, & arbiter criminum immediatius à Deo conſtitutus quàm quivis Magiſtratus, ampliſſimaque poteſtate divinitus conceſſà potitur: Quæcunque ligaveritis &c. Quorum remiſeritis peccata &c. Præterea accuſatio illa apud Magiſtratum crimen publicat, ſed apud Confeſſorem crimen occultat. Si licet igitur reum apud Magiſtratum accuſare, multò magis apud Sacerdotem. Magiſtratus inſuper eum graviter, & publicè caſtigat, ſupplicio afficit; ſed Sacerdotis caſtigatio ſpiritalis morbi eſt curatio, & ſalutis æternæ pharmacum, tantum abeſt ut Pœnitenti mortem afferat. Denique licebat unicuique fideli autorem quemlibet criminis ad Epiſcopum, & univerſum Preſbyterium accuſare, judicia, rationes, teſtes proſerre, ut ad Pœnitentiam publicè agendam cogerentur, aut ab Epiſcopo excommunicaretur, omnique Eccleſiæ tecto exterminaretur. Hic erat Chriſtianorum mos antiquus, ut ex tot canonibus, & Patrum teſtimoniis jam relatis demonſtratum eſt. Hujus rei hæc erat ratio, quòd ſcelcratum neminem in cœtu u o pati vellent, ne illius conſortio pollucrentur. Itaque ſi ſeipſum ſecretò non denuntiabat, publicaque Pœnitentia crimen ſuum non eluebat, criminis in ſecreta confeſſione accuſari poterat, cujus accuſationis evidens erat utilitas, ut paſtor examinata ſecreti accuſatoris pietate, & mente, criminiſque indiciis, & præſumptionibus, diligentius Rei occulti actionibus, ab omni tamen revelatione procul, invigilaret, ne pecus morbida ſanas inficeret. Quòd ſi accuſatori ſuppetebant probationes legitimæ, occultum illum peccatorem non amplius occultè deſerebat, ſed publicè, ut à cæteris per Pœnitentiam ſeparatus peccata expiaret, & Eccleſiam reſipiſcentia publica ædificaret.

VI. At obiicies, qui ſic apud Confeſſorem accuſat, famæ proximi detrahit, injuriamque illi facit. Abſurda planè, ut jam dictum eſt, & ridicula objectio, ſas enim omne abrumpit, adverſaturque omni juri, naturali, gentium, civili, & divino. Duplici modo Reus alicujus criminis ad judicem deferri poteſt, vel delatione juridica, cùm ſeſe actorem inſcribit, & legi talionis ſi probando deficiat, ſeſe ſubiicit; vel delatione monitoria, cùm reipublicæ, vel Privato alicui grave periculum ab impio imminet, quod certò novit, probationibus tamen diffidit. Utrumque delationis genus omni jure non modò licitum eſt, ſed etiam juſtum, & ſanctum, prudenterque ad omnia Crimina è medio reipublicæ eliminanda inſtitutum. Quis ut calumniatorem, & maledicum infamaverit eum, qui Parricidam anteà occultum apud judicem detexerit, & legitimis probationibus convicerit? Nunquid omnes de Parricida ſupplicio ſumpto Deum laudat, ut ſcelerum vindicem, qui nihil impunitum patitur; qui occulta quæque è tenebris in lucem eruit. Quis ut detractorem, & maledicum condemnaverit eum, qui Magiſtratum ſecretò monuerit conjurationis occultæ in rempublicam, in principem, atque etiam in privatum aliquem? Notiones naturæ communes hoc licere, hoc utile eſſe, genus humanum docent. Nullus unquam hominum ejuſmodi delationes, monitiones ſive criminis indicationes maledicentiam nominavit. Nulla certi criminis revelatio judici legitimo facta, maledicentia dici poteſt materialis, ut ita loquar, multò minus formalis: Eſt enim ex natura ſua actio bona, & juſta, quodcumque jus conſideres. Malo quidem agentis fine perverti poteſt, & in maledicentiam reſpectu agentis formaliter degenerare, ſed etiam tum revelatio illa materialiter, & ex ſubſtantia ſua actio eſt bona, & ſancta; Ex accidente autem illi tunc contingit, ut perverſitate agentis inficiatur, quod vitium omnibus actionibus humanis quantum libuerit ex natura ſua piis, & ſanctis accidere nonnunquam ſolet. Si hæc ita ſe habent in judiciis humanis, quanto magis propter rationes jam enarratas in Confeſſionis tribunali divinitus inſtituto,

VII. Subjecit Chriſtus Eccleſiæ tribunali omnia omnino Chriſtianorum peccata, non ut peccatores ſupplicio afficiantur, & famæ jacturam faciant, quod in ſeculi tribunalibus contingere ſolet, ſed ut reſipiſcant, & acta ſecundùm canones, & Sacerdotis judicis prudentiam legitima Pœnitentia, priſtinam ſanctitatem, & dignitatem recuperent. Neque in hunc tantùm finem omnia omnino peccata Eccleſiæ paſtoribus ſubjecit, verùm etiam ut peccatorum cognitione adjuti Eccleſiam ut Principes, non modò ut Medici, exteriori regimine dirigant, & ne aliquis Deum vel proximum offendat, provideant; nunquam autem ad deſtructionem, ſed ad ædificationem ſolùm, hac poteſtate utantur. Hic poſterior finis regnantibus Ethnicis præſertim conſiderandus erat. Ideò tum temporis frequentiſſimæ erant publicæ peccatorum Confeſſiones, & accuſationes. At ſi contra omne fas, & planè abſurdum eſt maledicentiam vocare, delationem ad judicem ſecularem ſive juridicam, ſive monitoriam non modò Conſcii Criminis, ſed etiam cujuslibet crimina perpetrantis, licèt hanc delationem mors indubitata, æternaque infamia conſequatur, multò magis contra fas omne, abſurdiſſimumque erit, detractionem vocare delationem Conſcii, vel etiam cujuſvis peccatoris ad Confeſſionis occultæ tribunal, cùm hanc delationem nulla infamia, nulla mors ſed vita æterna conſequatur.

VIII. Quid de judiciis ſecularibus dico? Eſt tibi amicus ſingularis, cui plurimum debes; relatum eſt tibi velut indubitatum; Titium illi inſidias ſtruere, ut eum in via interficiat. Num cenſebis Titio detrahere, ipſumque inhoneſtare, ſi amicum tuum inſidiarum moneas, autoremque illi nominatim indices, etiamſi credas amicum tuum, ut pote virum potentem, & magnanimum, inſidias non declinaturum, ſed amicos, domeſticos, & publicos lictores advocaturum, contraque audenter inſidiatores iturum, ut eos vel opprimat, vel vivos capiat illos judicibus ſupplicio afficiendos repræſentaturus? Hoc licere, & æquum eſſe, quis vel Barbarus ambigat? Sic ſe res habet, ſicque à natura imbuti ſumus, Unicuique licere crimen perpetrandum, ſi poſſit, avertere, & perpetratum ſi fuerit, ut puniatur, procurare. Crimen res eſt tam deteſtabilis, ut omnibus hominibus ſas ſit in illud conſpirare ne perpetretur, ſi perpetratum fuerit, ut puniatur. Quid de amico verba facio? Num etiam proximo tuo, quicunque ille ſit, eadem monitio ſine ulla detractionis ſuſpicione fieri poteſt? Non modò igitur crimen licet ad judicem deferre, ſed etiam privato alicui ut ab eo, judicum auctoritate vel propria induſtria ſibi caveat. Hujus revelationis, quæ ſine ulla detractionis ſuſpicione fit, exempla præbet quotidiana experientia in conſiliis, furti, latrocinii, raptus, homicidii, aliiſque criminibus, quæ paſſim perpetrantur.

IX. Alia eſt peccatorum revelatio, quæ non ſpectat ad judicia, ſorumque contentioſum, ſed in privata perſona cum fit, ſiſtitur, Exempli cauſa: Titius vult Mæviam in uxorem ducere. Sed quidam Titii non conſanguineus, aut affinis, ſed amicus Titium ſecretò monet, Mæviam, licèt pudica illo in loco habeatur, ſui tamen corporis quæſtum feciſſe, hujuſque rei argumenta certiſſima Titio præbet, ita enim ſe res habet. Mæviæ tamen impudicitiam nulli præterquam Titio indicet, quis judicabit, Amicum illum propter monitionem ejuſmodi Titio factam detractorem, & maledicum? Sic Amicus ideò detractionis vitio non laborat, multò minus Conſanguinei, & affines: Quamobrem verò? Tantus eſſe debet criminis horror, ut illius reus etiam extra judicum formidinem, undique tutus eſſe non poſſit, nec peccet is, cujus aliqua intereſt, ſi in gratiam, & utilitatem Conſanguinei, Affinis, aut Amici illud ſecretò privatæ alicui perſonæ indicet. Huic obligationi ſeſe peccator obnoxium peccando reddidit, ut perpetuò non ſolum accuſationibus ſubiiciatur, & judicum ſententiæ, ne aliquando ſecurus vivere poſſit, ſed etiam extra judicium crimen in utilitatem proximi ſecretò declarari poſſit, licèt inde ſit Reus maximum incommodum paſſurus. Hæc onera crimen meritò conſequuntur.

X. Idem & eadem de cauſa judicium fieri debet de multis vitiis familiarum, quæ peccata non ſunt, aut ſaltem non ſunt peccata perſonalia. Ejuſmodi vitia ſecretò declarari poſſunt ſine ulla maledicentiæ infamia Conſanguineo tuo, Affini tuo, Amico tuo, ut ab iis ſibi caveat, ut famæ ſuæ, & honori conſulat; denique ut notabilem aliquam utilitatem inde capiat. Exempli cauſa, Conſanguineus, Affinis, vel Amicus tuus uxorem ducere ſibi proponit ex præcipuis civitatis familiis: Sed familiæ illius nonnulli lepra laborant, morbo caduco, aut alio conſimili, qui tamen occultiſſimi ſunt, & pauciſſimis civitatis Primoribus cogniti. Avus ejus propter aliquod grave crimen ſupplicio in alia Provinciæ urbe affectus eſt, cujus tamen infamiæ memoria in urbe commorationis contrahentium prope extincta eſt.

Digitized by Google

eſt. Amicus tuus Conſanguineus tuus &c. viros nonnullos frequentat, qui publicè magno in honore habentur; reſcivit tamen à fide digniſſimis impiè de religione ſentire, elam illicitis deliciis ſeſe dedere. Quis exiſtimavit unquam de ejuſmodi rebus Amicum, Affinem, Conſanguineum ſecretò monentem, ut ab iis caveat maledicum eſſe, & detractorem? Num hoc licere, & æquum eſſe natura nos docet?

XI. Quum igitur de vitiis occultis, quæ homini inſunt, citrà peccatum liceat Amicum, & Conſanguineos, quorum intereſt, modò ſine ſcandalo, admonere, immò id ab Amicis expoſtulent amicitiæ leges; cùm eadem amicitiæ, aut Conſanguinitatis lex in peccatis quantum libuerit occultis, citrà omnem judicii actionem, id exigat; Quis Catholicus exiſtimet declarantem Confeſſori peccata ſua, & peccatorum Conſcios, vel etiam peccata proximi cum ſuis nihil cohærentia, famæ proximi detrahere, & maledicentiæ reum eſſe? Sacerdos omnium peccatorum judex eſt. Poſſum igitur & me, & ſocium meum, & proximum apud eum accuſare. Caſtigat peccata mea, non ut judex ſeculi publicando illa, me infamando, & mortem inferendo, ſed pœna ſalubri, pœna medicinali, quæ peccata delet, vitamque æternam cauſatur. Sacerdos Eccleſiæ ſuæ pater eſt; non igitur tantum mea, ſed etiam fratrum peccata denuntiare poſſum, ut illis provideat, ut pacem in familia ſua, charitatemque conſervet. Sacerdos Eccleſiæ ſuæ princeps eſt; monere igitur illum debeo eorum, quæ perperam in republica ſua aguntur, vitiorum, quibus ſubditi obnoxii ſunt, conſpirationum, quibus impii quietem publicam perturbare conantur. In hoc naturæ lex nos inclinat, nativoque inſtinctu ſic ferimur in Judices, Patres, & Principes. Quidni in Sacerdotes, qui divinitus conſtituti ſunt Judices, Patres, & Principes, ut caſtigatione ſua animæ ſanctificationem vitamque æternam pariant, & nihilominus Sancti Confeſſionis ſigilli virtute peccata noſtra ſemper homines lateant?

XII. Hæc ex antiquiſſimo Eccleſiæ uſu refero, cùm in omnibus civitatibus idem erat Epiſcopus, Officialis, & Confeſſor, & ſeverè omnibus fidelibus prohiberetur, ne ad Curias ſeculares lites ſuas deferrent. Propone tibi Epiſcopum Eccleſiæ paſtorem, & Principem, omnium controverſiarum, quæ ad forum externum pertinent, unicum Judicem, aut Vicarium ab eo conſtitutum; Epiſcopum peccatorum Confeſſionibus publicis ſolùm vacantem, ſolùmque Penitentias, & pœnas his imponendas moderantem, præ cæteris quibuslibet Presbyteris Confeſſionibus privatis incumbentem. Delinea ante oculos tuos fidelium, & Pœnitentium in Eccleſia ſitum, & ordinem. En ad Eccleſiam unam conveniebant omnes fideles ſingulis diebus dominicis, & martyrum natalitiis: Aderant Pœnitentes ſubſtrati, & Cathecumeni, viri & mulieres, ſed retro Ambonem, ſive ſuggeſtum, intra tamen Eccleſiam: Extra Eccleſiam ſub porticu, Pœnitentes, qui audientes dicebantur, & Catechumeni, qui ad Baptiſmum nondum nomen dederant, Flentes verò in area extra porticum. Ab Ambone ad Sanctuarii cancellos fideles cum Pœnitentibus, qui Conſiſtentes vocabantur. Intra Sanctuarium Pontifex cum Sacerdotibus, & Diaconis. Ad Ambonem Pſaltæ, aliique Miniſtri cantus periti Cæteri, vel prope Cancellos Diaconorum mandata expectantes, vel in variis Eccleſiæ locis Diaconorum mandata exequentes. Dicta Miſſa Catechumenorum, & ſermone poſt Evangelii Lectionem habito, eiiciebantur Audientes, & priores Catechumeni; deinde vocatis à Diacono Catechumenis preces ſuper eorum capita fundebat Epiſcopus, iiſque dimiſſis, & à Diacono extra Eccleſiam ejectis, ſi quis criminis capitalis recens convictus fuiſſet, illud primum in conſpectu totius Eccleſiæ confitebatur, & deflebat, deinde pro criminis gravitate à fidelium cœtu, & conſortio ab Epiſcopo ſegregabatur, atque vel ad Pœnitentes ſubſtratos intra Eccleſiam ab eodem relegabatur, aut ad Audientes pellebatur, vel denique ab omni Eccleſiæ tecto ſubmovebatur, aut ſubmotus aliquamdiù multis ab univerſa plebe, & Clero precibus ad Epiſcopum ſuſis in Audientium, vel ſubſtratorum ſtatione collocabatur; Epiſcopo interim in omni ejuſmodi actione multa de peccati gravitate, & Dei clementia concionante, & populo ardentibus votis pro peccatore converſo Deum deprecante. Si verò crimen ſponte fatebatur, veniamque deprecabatur, aut crimen illud erat per ſe publicum, aut occultum. Si publicum, illud, ut in convictione, enuntiabat publicè, deinde ab Epiſcopo comitante Clero in Pœnitentium ſtationes ducebatur, ſed multò mitius quàm ſi convictus fuiſſet, excipiebatur, neque ad tam remotas à fidelibus ſtationes amandabatur, neque in iis quas ſubibat, tandiu commorabatur. Crimen autem ſi occultum erat, & ſponte confeſſum, illud ſæpe Sacerdotis conſilio publicè enuntiabat: Sæpe etiam contingebat, pleroſque intenſiſſima cordis contritione, & dolore ductos nemine ſuadente ſed αὐτομάτως, crimina occultiſſima publicare, inque omnium conſpectu cilicium, ſaccumque indutos, lacrymiſque vultum madefactos peccatorum veniam, & fidelium interceſſionem deprecari. His peractis, ſi quod ejuſmodi peragendum erat, Epiſcopus Clero comitatus manus Pœnitentibus proſtratis imponebat, precibuſque finitis, Diaconus viros ab Eccleſia pellebat, Diaconiſſa mulieres, clauſiſque poſt illorum egreſſum portis ſacra Epiſcopus inchoabat, & Sacrificium Deo offerebat, cui nefas erat adeſſe Energumenos, Catechumenos, & Pœnitentes. Soli fideles aderant, & Conſiſtentes: Verùm hi, eo quod Baptiſmum integrum non conſervaverant, nec dum peccata poſt Baptiſmum commiſſa perfectè expiaverant, myſteriorum tantùm erant auditores, & Epoptæ, non autem participes. Nullus peregrinus intereſſe ſacris permittebatur, niſi literas commendatitias ab Epiſcopo ſuo attuliſſet. Hoc enim erat apud antiquos Chriſtianos diſciplinæ Eccleſiaſticæ præcipuum caput: impiis non commiſceri. Ideò ſi quis ſive publicè, ſive occultè mortale crimen perpetraverat, ſive ſe accuſaſſet aut ab aliis accuſatus fuiſſet, ſeverè pro ratione criminis, ut dictum eſt, tractabatur. Nec ab hac lege excipiebantur maximi Principes, & Imperatores, ut celeberrimis exemplis manifeſtum eſt. Omnes autem fideles, Conſiſtentes, Pœnitentes, Catechumenos, qui nomen dederant, & Energumenos pariter ad Parœciam Epiſcopalem convenire oportebat, aut ad Parœciam quiſque ſuam, ſi plures in urbe erigere plebis Chriſtianæ multitudo coegerat. Tribus dominicis continuis à conventu abeſſe grave crimen. Omnes ſingulis dominicis ſacris publicis adeſſe, & ſeſe coram Epiſcopo aut Parocho in Eccleſia ſiſtere tenebantur. Non enim, ut à quadringentis annis in Eccleſia moris eſt, Dominica feſtis diebus ſine urgente neceſſitate deferebant, ut ad Oratoria privata orationis cauſa convenirent; Virginus, & Viduæ Deo ſacratæ, ipſique Monachi omnes, ſi in urbibus, aut non longè ab iis ipſos verſari oportebat, ad Eccleſiam cum cætera plebe, loco tamen primo, ut nobilior gregis dominici portio, ſeſſuri conveniebant. Cum verò Monaſteria illis erigi pax Eccleſiæ continua permiſit, in ſylvis, & deſertis longè à populi frequentia erecta ſunt. Si quæ propiora, ita ut populus poſſet ad eos commodè divertere, portas Monaſterii ſui dum Miſſæ ſolemniter celebrabantur, claudere jubebantur, ne ab Eccleſiis parochialibus plebs Chriſti avocaretur, neve Monachi ſibi impiorum communione imprudentes contaminarentur. Ideò etiam populo Sacramenta nuſquam adminiſtrabant, niſi graviſſima neceſſitas urgeret: facillimè enim ab impiis, Excommunicatis, Pœnitentibus, circumveniri potuiſſent, cùm populum Monachi illi non agnoſcerent, nullumque illis eſſet cum ſeculo, & ſecularibus commercium, nec ad eos literæ formatæ, aut commendatitiæ ab extraneis communionis cauſa allatæ dirigerentur. Hæc diſciplina ſeverè tum temporis exigebatur, ut oves medullitus cognitæ à morbidarum conſortio prohiberentur, morbidæ ſanarentur, pervicaces ab omni communione ſubmoverentur; exhibereturque tandem Chriſto ab unoquoque Paſtore Eccleſia ſua ſancta, & immaculata non habens maculam, aut rugam, aut aliquid ejuſmodi.

XIII. His ob oculos breviter delineatis, conſidera Chriſtiane Lector, ſi licet amicum inſidiarum ſtructarum, & conſpirationis monere, quomodo illæ ſtruantur, quive autores, & adminiſtri ſint, ſigillatim edocere, ut ſibi diligenter caveat, licèt poſteà Amicus ille aſtum aſtu ſit circumventurus, vim vi repulſurus, conſpirationiſque autores ad judices delaturus. Si licet tibi jure amicitiæ Amicum tuum admonere de peccato alterius olim commiſſo, quamvis occultiſſimo, & de conſimili familiæ vitio, ne illius contagione inficiatur aut dedecoretur, nec ullo jure ejuſmodi revelatio maledicentiæ condemnatur: Quid quæſo credere par eſt de plebe Chriſti à paſtoribus ſuis ea diſciplina, quam enarravimus, gubernata? Num maledicentiæ accuſabitur quis cum paſtori ſuo, Medico ſuo, Principi ſuo peccata quantumvis latentia ſecretò indicabit, ut illa Epiſcopus velut Paſtor præveniat, velut Medicus ſanet, velut Princeps cohibeat? Si ad Judices quoſque crimina latentia jure deferri poſ-

ſunt, ut nocentes licèt maximo cum damno, & infamia ſua publicè puniantur; conſidera quid liceat apud Eccleſiæ Rectores optimos omnium criminum judices à Deo conſtitutos, qui tantis cum cautelis juxta canonicam conſtitutionem plebem Chriſti regunt, ut ab omni macula, & immunditia eam tueantur; qui peccata nunquam exprobant, ſed ſemper ſanant; nunquam divulgant, ſed duplici ſigillo, naturali, & Sacramentali ſemper occulunt. Hæc amplius fruſtra exaggerarentur, nimiumque forſan pro inſtituto noſtro jam exaggerata ſunt.

XIV. Quæ hactenus diximus de quolibet criminis autore, qui ad Sacerdotem à Pœnitente deferri poteſt, intelligenda volumus præſertim de antiquis Epiſcopis, & Parochis. Illis enim potiſſimùm conveniunt rationes à nobis enarratæ; hodiernis autem Epiſcopis, & Parochis non ita commodè. Deinde diſciplina Eccleſiaſtica, præſertim à quadringentis, & aliquot annis, magna ex parte immutata eſt; ideò imprudenter nunc idem mos per omnia uſurparetur. Optimè quidem antiquæ conſuetudini hoc congruebat, ab hodierna autem nonnihil abhorret. Si promiſcuè autores criminum Parochis nunc revelarentur, ſæpius inutiliter hoc fieret: Quanquam ſi ſincerè hoc faceret Pœnitens, nullum majus eſſet propter rationes jam dictas detractionis, & infamationis periculum, quàm cùm ſua Confeſſori peccata detegit; ſed eſſet temporis jactura, & in re maximè ſeria rei inutilis ſermo. Si verò Monachos, & Regulares Confeſſionibus audiendis Præfectos ſpectemus, illis multò minus erit ejuſmodi revelatio neceſſaria: Non enim ſunt Eccleſiæ Principes, & Rectores, nec ullam præterquam in actu Confeſſionis animarum curam nanciſcuntur. Itaque cum Eccleſiaſtica diſciplina hodierna ab antiqua plurimum differat, hodiernæ conſuetudini nunc eſt inhærendum. Antiqui mores Eccleſiæ multis de cauſis explicandi ſunt, ſed hodierna, & probata Eccleſiæ conſuetudo amplectanda ſemper eſt, & tenenda: Diſputare enim contra id, quod univerſa tenet Eccleſia, ait S. Auguſtinus, inſolentiſſimæ eſt inſaniæ. Si tamen certò ſciret Pœnitens Monacho, cui confitetur, alios etiam quoſdam confiteri, vel erga alios eum magna eſſe in autoritate, quorum intereſt Conſanguineorum, Affinium, Domeſticorum &c. peccata reſcire, ut illis provideant, poſſet huic Monacho iſtorum Cónſanguineorum &c. crimina, quæ vera eſſe novit, in Confeſſione revelare, ut ille Monachus vel in Confeſſione, vel extra Confeſſionem admoneret eos, in quos eſt illi ſpiritalis auctoritas, criminum quæ Conſanguinei, Affines, Domeſtici ſervi, &c. Perpetrant, quo ne amplius perpetrentur, procurarent. Hæc omnia Confeſſor agere debet, & prudenter, & citrà revelationis periculum.

CAPUT XVIII.

Confeſſionis virtus admirabilis ad Deum placandum, & promerendum, ac culpam delendam variis Sanctorum Patrum teſtimoniis demonſtratur. Idem evidenter docuerunt antiquiores Scholaſtici, ſed antiquiſſimi plerique nihil illi virtutis hac in cauſa tribuerunt, pauca poſtremi: Quis primus Confeſſionis hunc vim Sacramentalem neglexit.

CUm tam accurata criminum Confeſſio ab antiquis Patribus exigeretur, ut hactenus hoc libro demonſtratum eſt, oportuit ſanè eos credidiſſe, illius virtutem ad ſalutem animæ conſequendam, & Deum peccatori propitiandum, eſſe maximam, & efficaciſſimam. Quis enim crimina ſua Sacerdotibus, & multò minus promiſcuæ plebi prodere in animum ſuum induceret, niſi hanc actionem ingenti aliquo beneficio remunerandam eſſe ſibi perſuaderet? Quanta ſit Confeſſionis virtus, quàm deſiderandus, & admirandus fructus, quantam à Deo remunerationem mereatur, ex ipſis Patribus edoceamur. Hoc demonſtrato nemo amplius mirabitur fidelis plebis ad peccatorum Confeſſionem ſtudium, diligentiam, frequentiam, & concurſum.

II. Tertullianus *capit. 8. de Pœnitentia*, *Tantùm revelat Confeſſio delictorum, quantum diſſimulatio exaggerat*. Et paulò poſt initio *capit. 9. Exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtrum confitemur, non quidem ut ignaro, ſed quatenus ſatisfactio Confeſſione diſponitur, Confeſſione Pœnitentia naſcitur, Pœnitentia Deus mitigatur*. Deinde multis exagitat pudorem crimina ſua publicè confitendi: præcipuum autem argumentum ab utilitate petit Confeſſionis, & reticentiæ damnis. *Ubi Pœnitendum eſt, deſinit miſerum, quia factum eſt ſalutare. Miſerum eſt ſecari, & cauterio exuri, & pulveris alicujus mordacitate cruciari. Tamen quæ per inſuavitatem medentur, & emolumento curationis offenſam ſui excuſant, & præſentem injuriam ſuperventuræ utilitatis gratia commendant*. Poſteà aliam eorum objectionem diluit, *Quid, ſi præter pudorem, quem potiorem putant, etiam incommoda corporis reformident, &c.*

III. Origines *homilia 3. in Leviticum* Confeſſionis virtutem demonſtrat duobus his ſcripturæ teſtimoniis, *Dic tu iniquitates tuas prior, ut juſtificeris. Eſaiæ 43. Dixi pronuntiabo adverſùm me injuſtitiam meam, & tu remiſiſti impietatem cordis mei*. Ex quibus ſtatim colligit, *Vide ergo quia pronuntiare peccatum, remiſſionem peccati meretur. Præventus enim Diabolus in accuſatione, ultra nos accuſare non poterit: Et ſi ipſi noſtri ſimus accuſatores proficit nobis ad ſalutem*. Homilia autem 17. eundem Pſalmi locum interpretans, ſubdit, *Si enim hoc fecerimus, & revelaverimus peccata noſtra non ſolùm Deo, ſed & his, qui poſſunt mederi vulneribus noſtris, atque peccatis, delebuntur peccata noſtra, &c.* Similiter Chryſoſtomus *homilia 20. in Geneſim*, *Qui hæc facit ſi voluerit ad Confeſſionem facinorum feſtinare, & Medico oſtendere ulcus, qui curet, & non approbet, atque ab illo remedia accipere, & ſoli ei loqui nullo alio conſcio, & omnia dicere cum diligentia, facilè ſua peccata emendabit. Confeſſio enim præteritorum eſt abolitio delictorum.*

IV. S. Pacianus paræneſi ad Pœnitentiam multis agit adverſus eos, qui pudore, ne peccata ſua enuntiarent, cohibebantur. *Peccator timebit, peccator erubeſcet perpetuam vitam præſenti pudore mercari? & offerentis manus Domino vulnera malè tecta ſubducet? Et habet aliquid, quod in illo erubeſcat, qui Dominum læſit? &c. Atque ideò qui fratribus peccata ſua non tacet, Eccleſiæ lacrymis adjutus, Chriſti precibus abſolvitur.*

V. S. Ambroſius *Epiſtola 3.* ſæpius pudorem crimina confitendi à peccatoribus avertere tentat, veluti magnum ſalutis acquirendæ impedimentum, tandemque concludit, *Illos itaque ſanavit, in quibus ſimplicem, & puram reperit Confeſſionem, nihil malignum, nihil fraudulentum.* Et initio enarrationis *in Pſalm. 37. Plurimùm ſuffragatur Reo verecunda Confeſſio, & pœnam, quam defenſione non poſſumus, pudore ſublevamus. Capite verò 10. libri ſecundi de Pœnitentia*, adverſus eundem Confeſſionis pudorem agens, *Hoc ergo in Eccleſia facere faſtidis, ut Deo ſupplices, ut patrocinium tibi ad Deum obſecrandum ſanctæ plebis requiras, ubi nihil eſt quod pudori eſſe debeas niſi non fateri, cùm omnes ſimus peccatores; ubi ille laudabilior, qui humilior? Ille juſtior, qui abjectior.* Iſtius virtutis fundamentum explicat *libr. 2. de Cain, & Abel. capit. 9. Confeſſio pœnarum compendium eſt. Inde in Judiciis ſecularibus impoſiti equuleo torquentur negantes, & quadam tangit Judicem miſeratio confitentis. Eſt quædam in peccatis verecundia, & Pœnitentiæ portio crimen fateri, nec derivare culpam ſed recognoſcere. Mitigat Judicem pudor reorum, excitat autem pertinacia denegantium. Et ſermone 10. in Pſalm. 118. Didiciſti cor eſſe mundandum, diſce quemadmodum mundes. Mundat hunc fontem juſtificatio legitima, hoc eſt, Confeſſio peccatorum. Denique Publicanus ille, qui peccata propria fatebatur, juſtificatus magis de templo quàm Phariſæus exivit.*

VI. Sanctus Auguſtinus *homilia 12. libri 50. homiliarum*, *Deus noſter quia prius eſt, & miſericors vult, ut eum confiteamur in hoc ſeculo ne pro illic confundamur poſtmodum in futuro. Si enim nos confitemur, ille parcit; ſi nos agnoſcimus, ille ignoſcit.* Ex enarratione *in Pſalm. 66. Ad hoc exigit Confeſſionem, ut liberet humilem: Ad hoc damnat non confitentem, ut puniat ſuperbum. Triſtis eſto antequam confitearis; confeſſus exulta, jam ſanaberis. Non confitentis conſcientia ſaniem collegerat, & apoſtema intumuerat, cruciabat te, requieſcere non ſinebat. Adhibet Medicus fomenta verborum, & aliquando ſecat; adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis. Tu agnoſce Medici manum, confitere, exeat in Confeſſione, & defluat omnis ſanies. Jam exulta, jam lætare, quod reliquum eſt, facilè ſanabitur.* Idem, & efficaciſſimè conſtat ex *capit. 3. homiliæ 49.* & poſtremæ libri quinquaginta homiliarum; ſed ea teſtimonia in alia cauſa nobis ſæpius erunt referenda. Ideò his, & pluribus aliis omiſſis, quæ Confeſſionem ſimul cum Pœnitentia conjungunt, eo quod multis locis de iis eſt nobis differendum, hoc unum præcedentibus addemus è libro de vera, & falſa Pœnitentia petitum, qui vulgò S. Auguſtino tribuitur. *Capit. 10.* ſic de Confeſſione diſſerit, *Qui per vos peccatis, per vos erubeſcatis. Erubeſcentia enim ipſa partem habet remiſſionis. Ex miſericordia enim hoc præcepit Dominus, neminem pœniteret in occulto. In hoc enim*

quod

Digitized by Google

quod per ſeipſum dicit Sacerdoti, & erubeſcentiam vincit timore offenſi ſit venia criminis. Fit enim per Confeſſionem veniale, quod criminale erat in operatione. Et ſi non ſtatim purgatur, fit tamen veniale, quod commiſerat mortale. Multam enim ſatisfactionis obtulit, qui erubeſcentiæ dominans, nihil eorum, quæ commiſit Nuntio Dei denegavit. Hæc meriti Confeſſionis ex parte hominis vera cauſa: Ideò accepta eſt Deo, & ad impetrationem veniæ apud eum plurimum valet.

VII. Caſſiodorus in Pſalmum ſextum, *Eſt quoddam judiciale genus, in quo Reus conſpectibus Judicis præſentatus aſſiſtit, peccatum ſuum lacrymis diluens, & confitendo diſſolvens, ſummum genus defenſionis afferens, quo ſeipſe condemnat, &c. Meretur veniam, qui ſe non excuſat a culpa. Sola igitur neceſſaria eſt, quæ dicitur Confeſſio, cùm Reus non id, quod factum eſt, defendit, ſed ut ignoſcatur, expoſtulat.* Hinc eſt, quod Gennadius *cap. 53.* de Eccleſiaſticis dogmatibus dicit, *Deum peccata piæ Confeſſioni donare conſueviſſe*, unde appoſitè Sedulius *libro 3. Paſchalis*,

——— magna eſt medicina fateri
Quod nocet abſcondi, quoniam ſua vulnera nutrit.
Si tegis, & plagam trepidat nudare medenti.

VIII. Gregorius Magnus *homilia 26. in Evangelia* perſpicuè docet, quanta ſit Confeſſionis virtus, cùm enarrat Lazari hiſtoriam, *Lazarus mortuus venit foras, cùm peccator nequitias ſuas ſponte confitetur. Lazaro ergo dicitur, veni foras, ac ſi apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur, Cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? foras jam per Confeſſionem egredere, &c. Veniat itaque foras mortuus, id eſt, culpam confiteatur peccator.* Ex Confeſſione colligit eum vivere, quia movetur, & procedit, ac proinde Abſolutioni idoneum, Nam Confeſſio argumentum eſt, gratiæ redivivæ, quæ per Confeſſionem ad Abſolutionem matureſcit. Idem ex S. Gregorio referunt Eligius *homil. 11.* Beda, Haymo, Anſelmus, & alii quos retulimus *lib. 1. cap. 6.* Deinde ex plurimis S. Auguſtini teſtimoniis toto ferè capite ſeptimo ejuſdem libri enarratis, quæ Confeſſioni proceſſionem, & gratiæ incrementum tribuunt, idem planè conſequitur.

IX. Confeſſionis virtutem præclarè docet S. Iſidorus libro 1. Synonymorum paulò poſt medium. Liber ille dialogus eſt, in quo inducitur homo interrogans, & ratio reſpondens. Homo ſic interrogat: *Id ſolùm quæro, id ſolùm ſcire volo, id noſſe tantummodò capio, ſi eſt ſpes in Confeſſione, ſi eſt fiducia, ſi eſt remiſſio, ſi eſt venia, ſi eſt indulgentia, ſi eſt locus per Pœnitentiam regredi ad juſtitiam.* Reſpondet ratio: *Eſt planè, eſt prorſus, eſt utique, eſt profectò, eſt procaldubio. Confeſſio ſanat, Confeſſio juſtificat, Confeſſio peccati veniam donat. Omnis ſpes in confeſſione conſiſtit, in confeſſione miſericordia eſt. Certiſſimè igitur crede, nullo modo hæſites, nullo modo dubites, nullatenus de miſericordia deſperes. Habeto ſpem in confeſſione, habeto fiduciam, non deſperes remedium ſanitatis.* Et in libro de contemptu mundi non procul ab initio, *Habeas Confeſſionem, habeto fiduciam. Confeſſio ſanat. Confeſſio veniam invenit. Ergo nullatenus de miſericordia Dei deſperes.* Similia leguntur apud eum in exhortatione ad Pœnitentiam paulò ante medium, & in regula Monachorum *cap. 16. Et in fine libr. 6.* Originum.

X. Sanctus Anſelmus in *cap. 17. Lucæ*, ſuper hæc verba, Ite, oſtendite vos Sacerdotibus, *Id eſt, per humilem oris Confeſſionem Sacerdotibus veraciter manifeſtate omnes interioris lepræ veſtræ maculas, ut mundari poſſitis: Et quod rogabant, factum eſt eis, dum irent ad Sacerdotes, quia ſcilicet mundati ſunt, quoniam peccatores, licèt gravi criminum lepra ſint fœdati, euntes tamen ad Confitendum, purgantur in ipſa Confeſſione propter Pœnitentiam, quam acturi ſunt.* Innumera ſunt alia teſtimonia, quæ paſſim per univerſum opus citabuntur, quibus Confeſſio aliis Pœnitentiæ partibus, aut operibus conjungitur, omnibuſque ſimul venia peccatorum, culpæ deletio, & ſalutis effectus tribuitur. Sed ex iis, quæ relata ſunt, & ſolius Confeſſionis virtutem prædicànt, evidentiſſimè mihi demonſtrari videtur id, quod contendebamus, maximam eſſe virtutem Confeſſionis Sacramentalis ad impetrandam à Deo peccatorum veniam. Non enim tantùm Contritioni, aut Abſolutioni dandum, ut Confeſſionis vim, & *ἐνέργειαν* obſcuremus, cùm illam Patres omnes uno ore prædicent, & maximi faciant. Confeſſio Contritionem initiatam auget, & nonnunquam ad perfectionem adducit: Si perfectam offenderit, eam inflammat: Si nullam, ſed ſolo gehennæ timore agatur, ſæpe illius intuitu Deus dilectionem ſuam confitenti inſpirat, & Abſolutioni excipiendæ idoneum reddit.

XI. Hanc ſententiam evidenter docuerunt antiquiores Scholaſtici, cùm dixerunt, hominem attritum tantùm, accedentem ad Confeſſionem ſæpè per Confeſſionem, & Abſolutionem fieri contritum; hoc eſt, remiſſionem peccatorum obtinere, ſive habitum gratiæ, quo ſecundum ſententiam ab ipſis libentius acceptam impius formaliter juſtificatur. Immò antiquiorum multi hoc caſu Confeſſionem Abſolutioni præferebant. Per Confeſſionem enim gratiam acquiri aſſirmabant: Abſolutionem verò gratiam, & juſtificationem factam ſupponere, atque ideò pœnæ tantùm eſſe deletricem, non culpæ, niſi quatenus Abſolutio Sacerdotis orationem complectebatur. Sic Alexander Halenſis *Summæ 4. parte q. 14. membr. 2. art. 1. §. 3.* dic. 1, Confeſſionem, quam contritio præcedit, *Signum eſſe remiſſionis peccati quantum ad culpam, & ſignum, & cauſam remiſſionis quantum ad pœnam aliquam*, poſtmodum excipit, *Hoc dico Contritione præcedente Confeſſionem. Si autem Pœnitens præparatus quantum in ſe etſi accedat ad Confeſſionem attritus non contritus, dico, quòd Confeſſio cum ſubjectione arbitrio Sacerdotis, & ſatisfactio Pœnitentiæ injunctæ à Sacerdote eſt ſignum, & cauſa deletionis culpæ, & pœnæ, quia ſic ſubiiciendo ſe, & ſatisfaciendo gratiam acquirit.* Item perſpicuè *q. 18. art. 4. §. 7 in 3.* argumento, cui non reſpondet, & reſponſ. ad 11. S. Bonaventura *in 4. diſt. 17. part. 2. art. 2. q. 4. Hæc autem diſpoſitio attritio eſt, quæ frequenter ob Confeſſionem ſuperadjunctam, & Abſolutionem formatur per gratiam, ut fiat Contritio, ſive ut ad ipſam ſubſequatur Contritio, & multis ibi gratia conceditur.*

XII. Hoc quoque docuit aliquando Sanctus Thomas, & ideo ad gratiæ, & juſtificationis in Sacramento productionem, ſæpe Confeſſionem Abſolutioni conjungit, ut *in 2. ſcripto ſuper ſententias ad Hannibaldum* Cardinalem *lib. 4. diſt. 18. q. 1. art. 2. Si aliquis inſufficienter ad gratiam ſuſcipiendam diſponeretur, in ipſa Confeſſione, & Sacramentali abſolutione diſponeretur, & gratiam ſuſciperet, niſi obicem poneret. Si autem priùs ſufficienter fuiſſet diſpoſitus, & gratiam obtinuiſſet, in Pœnitentia virtute clavium copioſius munus gratiæ reciperet, &c.* Similiter *in 4. diſt. 18. q. 1. art 3 Et in eodem libro diſt. 22. quæſt. 2. art. 1.* in reſolutione quæſtiunculæ 3. Petrus de Tarantaſia, qui fuit Innocentius V. eandem ſententiam amplectitur, & auctoritate Sancti Thomæ præceptoris ſui confirmat. Joannes de Friburgo Petro coætaneus *Summæ libr. 3. tit. 34 q. 177* Utriuſque auctoris ſententiam refert, & probat. Aliquid ampliùs affirmare videtur Sanctus Thomas in ſupplemento *qu. 10. art. 1. Pœnitentia in quantum eſt, Sacramentum præcipuè in Confeſſione perficitur, quia per eam homo Miniſtris Eccleſiæ ſe ſubdit, qui ſunt Sacramentorum diſpenſatores.*

XIII. Aſteſanus familiæ Franciſcanæ Doctor celebris in Summa, quæ ab ejus nomine ſive patria nomen duxit, *lib. 5. ad finem tituli 18. Hæc diſpoſitio eſt attritio: Quia ſæpe in Confeſſione, & Abſolutione Presbyteri formatur per gratiam ut Contritio fiat, vel ad eam Contritio ſubſequatur.* Aureolus ex eadem familia Archiepiſcopus Aquenſis, & Cardinalis *in 4. diſt. Ex hoc dicitur Confeſſio culpam delere directè, & gratiam conferre, quia de communi lege ſunt ad hoc, ſi culpam inveniant; & ſi non inveniant, tunc non cauſant gratiam novam, ſed priorem augmentant.* Perſpicuè iterùm in *diſtinct. 16. art. 1.* Richardus de Mediavilla, Paludanus, & Durandus de hac Confeſſionis Sacramentali virtute multò obſcurius loquuntur: videntur enim omiſſa Confeſſione omnem efficientiam ad gratiæ productionem Abſolutioni tribuere, & multò magis, qui eos ſecuti ſunt Scholaſtici. Efficientiam illam omnes propè illi antiqui, & præ cæteris Sanctus Thomas, ad gratiam extendere, vel inſtrumentaliter, ſcrupuloſè reformidabant; diſpoſitiones ad gratiam tantùm attingere docuerunt. Sed in hæc inquirere non eſt hujus loci. Antiquiſſimi nonnulli Scholaſtici, qui Alexandrum præceſſerunt, Confeſſioni minus tribuebant, ut & Abſolutioni: Utramque enim volebant à gratia, & charitate præcedi; ideò Confeſſionis, & Abſolutionis efficientiam ad pœnam ſolam, non ad culpam diffundebant; quod Alexander, & S. Bonaventura de Abſolutione, qua parte eſt indicativa, aſſeruerunt. Henricus à Gandavo antiquus Scholaſticus, forſan primus eſt, qui in hac cauſa Confeſſionem ab Abſolutione ſeparavit, quodlibeto 1. *qu. 32. Abſolutio Sacramentalis proprium habet effectum, ex virtute Sacramenti, quem non habet Confeſſio peccatoris. Illa enim ſolùm habet virtutem, ex devotione confitentis, &c.* Hanc ſententiam amplexus eſt Scotus cum diſcipulis ſuis, & Thomiſtæ parum hac in cauſa de Confeſſione ſoliciti fuerunt.

Digitized by Google

CAPUT XIX.

Confeſſionis ſigillum nunquam eſſe reſignandum, ab Apoſtolis continua traditione accepit Eccleſia.

NOnnulla nobis obiter dicta ſunt, quæ ad Confeſſionis ſigillum ſpectare poſſunt: Verùm hoc capite illius non reſignandi neceſſitatem, ex antiquorum teſtimoniis demonſtrare proponimus. Lectoris enim ſcire intereſt nihil nunc ab Eccleſia de iſto ſigillo doceri, quod ab antiqua traditione non acceperit. Quanquam autem jure naturali ſecretum illud arctiſſimè conſervare Sacerdotes teneantur, & conſequenter neceſſe non ſit pluribus argumentis hoc demonſtrare: Quanquam jure divino ejuſdem ſigilli tenacitate obſtringantur, cùm Confeſſio imperari non poſſit, quin eodem imperio ejus ſigillum contineatur; attamen eo quòd Eccleſiæ hoſtes in illud, ut in novum Scholaſticorum inventum pro viribus invehuntur, illius antiquitatem demonſtrare non erit ſupervacaneum. Incipiamus à Tertulliano: ſic ille agit adverſus eos, qui pudore commoti non confitebantur, & eorum excuſationes prævenit, *Certè periculum ejus* (Confeſſionis) *tunc ſi fortè onerosum eſt, cum penes inſultaturos in riſiloquio conſiſtit, ubi de alterius ruina alter attollitur, ubi proſtrato ſuperſcenditur. Cæterùm inter fratres, & conſervos, ubi communis ſpecies, metus, gaudium, dolor, paſſio, quia communis Spiritus de communi Domino, & Patre, quid tuos aliud quàm te opinaris? Quid conſortes caſuum tuorum, ut plauſores fugis? Non poteſt corpus de unius membri vexatione lætum agere; condoleat univerſum, & ad remedium collaboret, neceſſe eſt.* Occurrit Tertullianus excuſationibus, quas nonnulli obtendebant, ne confiterentur. Erubeſcimus, inquiebant, reformidamus, ne nobis peccata noſtra exprobrentur, ne periculum aliquod hinc nobis immineat. Quid reſpondet Tertullianus? Nullum ejuſmodi periculum imminere. Quamobrem? Eos coram quibus confiteris, ut teipſum exiſtimare debes: At teipſum non accuſabis, teipſum non prodes, *Quid tuos aliud quàm te opinaris? Quid conſortes caſuum tuorum ut plauſores fugis?* Ergo nec illi te accuſabunt, tibi non inſultabunt, nec Ethnicis te prodent. Quid ergo confiteri times? Certè periculum ejus tunc ſi fortè onerosum eſt, cùm penes inſultaturos in riſiloquio conſiſtit, ubi de alterius ruina attollitur, ubi proſtrato ſuperſcenditur. Sed hic nihil eſt ejuſmodi, quia inter fratres, & conſervos tuos id facis, quibus communis eſt metus, gaudium, dolor, paſſio; quia communis eſt Spiritus de communi Domino, & Patre. Quid confiteri times, & differs? Quod periculum apprehendis? Non poteſt corpus de unius membri vexatione lætum agere; Immò condoleat univerſum, & ad remedium conlaboret neceſſe eſt. En quibus argumentis ad Confeſſionem fideles hortatur Tertullianus, & impedimenta removet, quibus retardari poſſent. Tolle igitur ſecreti ſecuritatem; tolle à periculo, & infamia exemptionem, nulla ſecundum Tertullianum erit ad Pœnitentiam Eccleſiaſticam, quam ſemper Confeſſio præcedit, obligatio.

II. Idem docet verbis à Tertulliano mutuatis Sanctus Pacianus in parænesi ad Pęnitentiam. *Quòd ſi fratrum oculos erubeſcitis, conſortes caſuum veſtrorum timere nolite. Nullum corpus membrorum ſuorum vexatione lætatur, immò pariter dolet, & ad remedium conlaboret neceſſe eſt.* Quo igitur major eſt membri vexatio, magis corpus dolebit, & ad remedium conlaborabit. Maximè igitur à mortis vexatione abhorrebit.

III. Eandem conſuetudinem ab initio Eccleſiæ viguiſſe non minus evidenter refert Sozomenus hiſtor. *libr. 8. capit.* 16. cum celebrem Nectarii hiſtoriam refert, *Cùm prorſus non peccare naturæ ſit humana divinioris; Pęnitentibus autem quamvis frequenter deliquiſſent, veniam dare Deus juſſerit, & ad impetrandam denique veniam confiteri peccata neceſſariam ſit, odioſum, ut credibile eſt, Sacerdotibus ab initio viſum fuit, tanquam in theatro audiente Eccleſiæ multitudine delicta pronuntiare. Presbyterum itaque aliquem vitæ integritate quàm maximè ſpectabilem, ſecretorum etiam tenacem, ac ſapientem huic officio præfecerant, cum accedentes, qui peccarant, acta vitæ ſuæ confitebantur.* Vides ſecreti neceſſitatem ab initio Eccleſiæ creditam, & uſurpatam, ſemperque peccatorum publicationem duram, & odioſam habitam. Denique ſequentibus verbis affirmat Sozomenus hunc eſſe omnium Eccleſiarum morem, atque etiam ſectarum omnium ſi Novatianos excipias. Nec ſanè aliter fieri potuit inſtituta ſemel Confeſſionis diſciplina. Eadem refert, & approbat Caſſiodorus *libr. 9. capit. 35. hiſtoriæ tripartitæ*, ut & Nicephorus hiſtor. *libr. 12. capit. 28.*

IV. Luculentiſſimus eſt ſanè in hac cauſa Sancti Baſilii ad Amphilochium *canon. 34. Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocunque convictas publicare quidem patres noſtri prohibuerunt; ne convictis mortis cauſam præbeamus; eas autem ſtare ſine communione juſſerunt, donec impleretur tempus Pęnitentiæ.* Non modò ex antiquiſſima traditione mulieres adulteras ſponte confitentes publicare prohibetur, ſed etiam quomodocunque in judicio convictas. Ratio autem prohibitionis univerſalis eſt, *ne convictis mortis cauſam præbeamus*. Quoties igitur hoc periculum imminet, eadum ſecreti cautione utendum eſt. Nihil autem in pari caſu de Maritis decreverunt Patres, *Viri enim*, ut ſcribit Balſamon in hunc canonem, *adulterium confitentes immiſericorditer dictis pęnis ſubiiciuntur, quia non eſt timor in eis, qui de mulieribus dictus eſt*. Sed inde conſequitur, quòd ubicunque ſimilis timor ſubeſt, eadem providentia Patres uſos eſſe. Qua ratione autem huic periculo caveant, explicandum. Ex canone ejuſdem Patris 58. Adultero quindecim annorum Pęnitentia imponitur, & ſic diſpenſantur: Quatuor annis deflet, quinque audit, quatuor ſubſternitur, duobus ſtat ſine communione. Nunc autem, ſi periculum mulieri imminet rectà ad conſiſtentiam cæteris Pęnitentiæ gradibus præteritis relegatur. Cùm enim mulieres, præſertim ingenuæ, vix aliis criminibus præter adulterium, ſint obnoxiæ, ſi ſtationes iſtas obirent, facilè eorum mariti adulterio inquinatas eſſe coniicerent, atque ita fortè mortis cauſa, aut graviſſimæ pęnæ illis eſſet diſciplinæ Eccleſiaſticæ obſervatio. Ne igitur hoc contingat ultra Conſiſtentiæ ſtationem, in quo minimæ quæque culpæ purgantur, ab antiquiſſimis Patribus non pelluntur.

V. Obiicietur ſtatim, Ergo per Pęnitentiæ publicæ gradus peccata publicantur, cum quos publicare nolebant, gradus illos tranſilire juberent. Ratio conſequentiæ videtur evidens. Quum enim apud fideles vulgatum eſſet, hanc, & hanc pœnam ſic diſtributam, huic crimini attributam eſſe, facile erat quodnam crimen eſſet perpetratum, unicuique coniicere. Negatur conſequentia. Nam multa crimina ſimili, aut non multum diſſimili pœna plectebantur; atque ideò, ex Pęnitentia quale crimen eſſet, nemo divinare poterat. Viri autem cuilibet horum criminum erant obnoxii. Itaque propter quod horum criminum, ſic punirentur, erat incertum. Deinde, ut ex canonibus paſſim colligitur, grave crimen minori, & breviori pœna nonnunquam Propter Pęnitentis Contritionem caſtigabatur, multò gravius crimen aliàs caſtigatum fuiſſet: Atque è contra, minus grave propter cordis in Reo duritiem longiori, & ſeveriori pęna quàm multò gravius plectebatur. Quocirca criminis ſpecies, ex Pęnitentia publica dignoſci non poterat. Alia ejuſdem conſequentiæ infirmandæ argumenta ex antiquis Scholaſticis lege libro quinto. In mulieribus autem præſertim nobilibus incerta illa, & anceps conjectura locum non habet. Hic accedit quod Pęnitentiæ in eodem gradu, qua publicæ ſunt, omnes ſunt ſimiles. Verbi gratia, omnes, qui in ſubſtratione locantur, eadem ſordida veſte induebantur, omnes ſimul genuflectebant, omnibus ſimul manus imponebantur, omnes ſimul ab Eccleſia pellebantur. Quapropter coniici non poterat cujus criminis cauſa ad eam ſtationem fuiſſent ablegati. Denique peccatorum, quæ pęnitentia publica afficiebantur, maxima pars Cęſareis legibus non puniebatur, atque ideò mortis, aut alterius pęnæ civilis periculum Reis non imminebat.

VI. At inquies, ſaltem ex pęnitentia publica conſtabat, grave aliquod crimen Pęnitentem commiſiſſe. Poſſem negare conſequentiam, potiſſimum in Eccleſia Occidentale, in qua ſæpe devotionis cauſa nullum propter crimen Pęnitentiæ publicæ ſuſcipiebantur. Sed conſequentiam admittamus, ex Pęnitentiæ publicæ ſuſceptione grave aliquod crimen colligi: Negamus tamen ideò hunc hominem apud fideles infamiam tunc contraxiſſe. Longè enim aliter de Pęnitentia publica tum judicabant, quam nunc judicaretur. Si quis nunc Pęnitentia aliqua publica mulctaretur, omnium oculi in eum coniicerentur, omnium digitis demonſtraretur, quia hæc diſciplina prorſus

ſus obſolevit. Sed propone tibi ante oculos in unaquaque Eccleſia particulari paulò numeroſiori varios Pœnitentium greges, multos in fletu, plures in Auditione, permultos in Subſtratione, longè plures in Conſiſtentia. Propone tibi ante oculos longè plurimos cum fidelibus corpori quidem Chriſti participantes, ſed indignè, quorum nonnulli timidè à longo tempore ſeſe ad peccatorum Confeſſionem præparant, ſed qui partim pudore partim Pœnitentiæ ſeveritate Sanctum Confeſſionis propoſitum differunt: Alii verò quotidie trepidant, & contremiſcunt, ne crimen perpetratum tandem ab aliquo detegatur, & de more ad Epiſcopum deferatur. Tum ſanè evidenter tibi conſtabit, ex ſedula Pœnitentiæ publicæ functione non infamiam apud fraternitatem, ſed laudem Pœnitentes reportaſſe. In ſimili cauſa nunc idem à Catholicis fieret. Verbi gratia, ſi quis aliquem videret à Confeſſionis tribunali oculis madidis, geniſque adhuc lachrymarum rore perfuſis redeuntem, licèt crimen in ſpecie ignoret, grave tamen aliquod crimen commiſiſſe eum Pœnitentem facilè coniiceret. Num illi crimen exprobraret? Num ſcelus aliquod perpetraſſe divulgaret? Quin potius cordis contritionem, & animæ propter peccata commiſſa amaritudinem amaret, laudaret, atque ut idem de peccatis ſuis ſibi contingeret, vehementiſſimè optaret. Antiquitus ſanè multo magis laudi erat Pœnitentiam obire, cum tot erant in Eccleſia Pœnitentium greges, totque agendæ Pœnitentiæ Rei, qui crimina criminibus cumulaſſent, ſeque apud Epiſcopos miſericordia indignos reddidiſſent, ſi Pœnitentes ſubſannaſſent, ac velut inſignes peccatores infamaſſent.

VII. Longè aliam fuiſſe de Pœnitentiam publicam obeuntibus antiquorum opinionem, ex verbis Tertulliani, & Paciani jam citatis apparet, cum ea opinione, ut argumento utantur ad perſuadendum peccatoribus nullo peccati pudore à pœnitentia agenda eſſe ceſſandum. Nam, ut ibidem ait Tertullianus, *ubi pęnitendum eſt, deſinit miſerum, quia factum eſt ſalutare. Cùm provolvit hominem, magis relevat, cùm ſqualidum facit, magis mundatum reddit.* Eſt enim, ut ait in fine libri, alter ſalutis humanæ Pharus. Sanctus Cyprianus poſtremis verbis tractatus de Lapſis poſtquam multis verbis eos ad Pœnitentiam exhortatus eſt, & Pœnitentiæ publicæ labores, gemitus, ſordidas veſtes, jejunia, &c. deſcripſit, ita colligit, *Qui ſic Deo ſatisfecerit, qui pęnitentia facti ſui, qui pudore delicti, plus & virtutis, & fidei de ipſo lapſus ſui dolore conceperit; exauditus, & adjutus à Domino, quam contriſtaverat nuper, lætam faciet Eccleſiam; nec jam ſolum Dei veniam merebitur, ſed coronam.* Sæpius Sanctus Ambroſius non modo ex fructu Pęnitentiæ publicæ, ſed etiam ex laude, quam merentur Pęnitentes, ad Pęnitentiam hortatur, & exprobationis formidinem nullo fundamento niti demonſtrat, *libr. 2. capit. 1. de Pœnit. Nos ergo non erubeſcamus fateri Domino peccata noſtra. Pudor eſt, ut unuſquiſque crimina ſua prodat. Sed ille pudor agrum ſuum arat, ſpinas tollit perpetuas, ſentes amputat, &c. Et cap. 7.* ubi circumſtantias reſurrectionis Lazari de Pœnitentia explicat, *Quia venia donatus eſt, revelare faciem, aperire vultum tum jubetur. Non habet enim, quod erubeſcat, cui peccatum remiſſum eſt. In eunte verò Domini gratia, tantoque divini muneris miraculo, cùm oporteret univerſos lætari, commovebantur impii, &c. Et capit. 10. Hoc ergo in Eccleſia facere faſtidis, ut Deo ſupplices, ut patrocinium tibi ad Deum obſecrandum ſanctæ plebis requiras, ubi nihil eſt quod pudori eſſe debeat, niſi non fateri, cùm omnes ſimus peccatores; ubi ille laudabilior, ille juſtior qui abjectior, &c.* Ex his, & innumeris aliis Patrum de hac re teſtimoniis evidens eſt, publicam Pœnitentiam licèt gravis criminis commiſſi argumentum eſſet, non ideò tamen infamiam Pœnitenti inuſſiſſe, aut criminis ullo modo revelationem arguiſſe: Immò laudem, benedictionem, gaudium, & lætitiam apud plebem Chriſtianam Pœnitenti peperiſſe, & conciliaſſe.

VIII. Evidentiſſimo S. Baſilii canoni adiici debent, quæ in regulis brevioribus ſcribit interrog. 229. *Nunquid flagitiosè facta abjecto omni verecundia enuntiari apud omnes debent, aut apud aliquos tantummodò; & ſi hoc, apud quos, & cujuſmodi.* Sic reſpondet, *Omnino in peccatorum confeſſione eadem ratio eſt, quæ etiam in apertione vitiorum corporis. Ut igitur vitia corporis nequaquam quibusvis temerè hominibus aperiunt, ſed iis tantummodò qui rationem, qua ea curanda ſint, tenent. Eodem modo etiam peccatorum confeſſio fieri debet: apud eos videlicet, qui poſſint ea curare, &c.* Secretum confirmant, & interrogationis verba, & adhibita ſimilitudo. Nam ſi certis quibuſdam perſonis peccata confiteri debent Pœnitentes, non autem aliis, manifeſtum eſt multò minus ab iis eſſe enuntianda, quibus Pœnitentes illa declaraverunt. Unuſquiſque enim famæ ſuæ Dominus eſt, non alienæ. Si igitur mihi non licet, multò minus alteri. Idem evidenter adhibita ſimilitudo demonſtrat: A Medicis enim ſecretum natura duce quàm maximè requiritur. Ergo valentiori ratione à Presbyteris requirendum eſt, cùm jure divino animarum Medici conſtituti ſint. Idem argumentum colligitur ex interrogatione 288. quod fruſtra repeteretur.

IX. Paulinus Presbyter, & Sancti Ambroſii diſcipulus, in vita, quam de Magiſtro ſuo ſcripſit, & Sancto Auguſtino nuncupavit, idem ſigillum exemplo Magiſtri ſui plurimum laudat, & commendat, *Quotieſcumque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapſus ſuos confeſſus eſſet, ita flebat, ut & illum flere compelleret. Videbatur etiam ſibi cum jacente jacere. Cauſas autem criminum, quos illi confitebantur, nulli niſi Domino ſoli, apud quem intercedebat, loquebatur: bonum relinquens exemplum poſteris Sacerdotibus, ut interceſſores apud Deum magis ſint, quàm accuſatores apud homines. Nam & ſecundùm Apoſtolum circa hujuſmodi hominem confirmanda charitas eſt, quia ipſe ſui accuſator eſt, nec expectat Accuſatorem, ſed prævenit, ut confitendo ſuum allevet ipſe delictum, nec habeat, quod Adverſarius criminetur.* Non modo hoc feciſſe Sanctum Ambroſium teſtatur, ſed hoc eſſe faciendum demonſtrat. Illa autem verba, *bonum relinquens exemplum poſteris Sacerdotibus, &c.* Non innuunt, aliquos Sacerdotes id, quod ipſis in Confeſſione credebatur, divulgaſſe: & hic accuſationis occaſionem arripuiſſe: Quanquam hoc ſi concederetur, nihil nobis officeret. Id enim quidquid ſit reprehendit Paulinus, & non eſſe imitandum argumentis docet. Sed tantùm indicant, Sacerdotes, quos noverunt, criminis Reos accuſare non debere; ſed è contra, ipſorum officium eſſe pro illis preces ad Deum fundere, multoque minore pœna dignos eſſe, qui ſponte confitentur: immò non habere quod de iis criminentur, eo quod ſeipſos accuſant, & pęnis Eccleſiaſticis ſubiiciunt. Tantum erat apud antiquus Patres ſpontaneæ accuſationis meritum!

X. Poſteà idem Paulinus in virtutem, & laudem ſpontaneæ Confeſſionis ſermonem ſuum effundit, & ad antiquum morem accuſationis, quem ſupra enarravimus, alludens, illum paucis verbis egregiè explicat: Sequitur enim, *Ideòque ſcriptura dicit, juſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui: vocem enim eripit Adverſario, & quaſi dentes quoſdam paratos ad prædam criminationis infeſtæ, peccatorum ſuorum Confeſſione confringit, dans honorem Deo, cui nuda ſunt omnia, & qui vult vitam magis peccatoris quàm mortem.* Hoc autem ex diſciplina illius temporis ſic contingebat. Titius crimen ſuum, ut puta adulterium, Sacerdoti occultè confeſſus fuerat: Sed Cajus Titii occultam Confeſſionem ignorans, Titium ad Epiſcopum deferebat, ſeſeque adulterii crimen certis argumentis, aut teſtibus probaturum affirmabat. Ait Paulinus Caii accuſationem adverſus Titium ab Epiſcopo non eſſe admittendam, crimen illud non eſſe divulgandum, & ſeveriori pęna plectendum, ſed Reum amica, & favorabili charitate excipiendum, eo quod ſeipſum Titius detulerit, & Epiſcopi arbitrio ſeſe commiſerit. Sic criminationis infeſtæ dentes ad prædam paratos peccatorum ſuorum Confeſſione confringit. Sepoſita enim hac ſpontanea ſui delatione, non modo Epiſcopo licebat Caii accuſationem proſequi, & promovere, ſed etiam tenebatur, ut plebis Chriſtianæ judex, & gregis Paſtor, qui pecudem morbidam ab ovili tenetur abigere.

XI. Sanctus Auguſtinus ejuſdem reticentiæ teſtis eſt, locupletiſſimus duobus præſertim locis, quæ ſupra in alia cauſa retulimus. Prior habetur initio quæſt. in Leviticum, ubi explicans initium *capit.* 1. quo jubetur is, qui perjurium audivit, illud deferre, niſi criminis Reus velit eſſe, ſcribit, difficillimam eſſe quæſtionem, ſi prodendus ſit criminis auctor, cùm mortis imminet periculum. Quid igitur conſulit, ut ſatisfiat præcepto Dei, & non prodatur criminis auctor? Conſulit, ut declaretur Sacerdoti, eo quod Sacerdos pro ipſo orare poſſit, ſupplicio perſequi non poſſit. Quod ſanè reſpondere non potuit, niſi tum ignotum fuiſſet principium, nunquam Sacerdotibus ea revelare licet, quæ ipſis vel ſecreto deferuntur, vel in Confeſſionibus audiunt, *Sed quia non expreſſit, cui hoc ſit indicandum, utrùm illi cui juratur, an Sacerdoti cuipiam, qui non ſolùm non poteſt eum perſe-*

qui irrogando ſupplicium, ſed etiam orare pro illo poteſt; videtur mihi, quòd ſe homo ſolvat à peccati vinculo, ſi indicat talibus, qui magis poſſunt prodeſſe, quàm obeſſe perjuro, ſive ad corrigendum, ſive ad Deum pro illo placandum, ſi & ipſe Confeſſionis adhibeat diſciplinam. Quapropter Sacerdos crimen ſibi creditum perſequi non poteſt propter Sacroſanctum Confeſſionis ſigillum. Obiicies, indicationem non eſſe factam in Confeſſione. Utroque modo fieri potuit: Nam, ut dictum eſt, crimen proximi ad Sacerdotem deferri potuit vel confitendo, vel admonendo. Verum ſi Sacerdos admonitus ſit ſecreti Reus, multò magis dum Confeſſionem audit. Deinde illa admonitio, vel facta fuit in Confeſſione, vel ſaltem ad Confeſſionem referebatur, ut ex verbis poſtremis luce meridiana ſplendidius fulget. Denique ex antecedentibus ſatis conſtat, omnes omnino de criminibus admonitiones Sacerdotibus factas ad Confeſſionem peccatorum, & pœnitentiam ſpectaſſe.

XII. Illuſtre ejuſdem rei argumentum eſt ſermo 16. S. Auguſtini de Verbis Domini, cujus multa ſunt jam in alium finem relata. Hæc magis ad rem: *In ſecreto debemus corripere, in ſecreto arguere, ne volentes publicè arguere, prodamus hominem. Nos volumus corripere, & corrigere, Quid ſi inimicus quærit audire quod puniat? Novit enim neſcio quem homicidam Epiſcopus, & alius illum nemo novit. Ego volo illum publicè corripere, at tu quæris inſcribere. Prorſus nec prodo nec negligo: Corripio in ſecreto, pono ante oculos Dei judicium, terreo cruentam conſcientiam, perſuadeo pœnitentiam. Hac charitate præditi eſſe debemus. Unde aliquando homines reprehendunt nos, quod quaſi non corripimus: Aut putant nos tacere, quod ſcimus. Sed forsè quod tu ſcis, & ego ſcio: ſed non coram te corripio, quia curare volo, non accuſare*. Nihil poteſt deſiderari manifeſtius. Idem quod in antecedente teſtimonio obiici poteſt, ſed eadem eſt ſolutio: Omnis enim delatio Rei ad Epiſcopum in ordine erat ad Confeſſionem, & pœnitentiam agendam, ut Reus à communione fidelium abigeretur, ne criminis ſui contagione illos inficeret, juxta illud Apoſtoli 1. Cor. 5. Modicum fermentum totam maſſam corrumpit &c. Quapropter ſic admonitus Epiſcopus Reum ſeriò ad Pœnitentiam, & peccati Confeſſionem exhortabatur, ut vides hunc ſolum finem ſibi S. Auguſtinum proponere. Si verò pervicax crimen negabat, dimittebatur quidem; ſed ſi poſteà aliis teſtibus crimen juridicè probabatur, multò gravioribus pœnis Eccleſiaſticis obnoxius erat, nec antè abſolvebatur, quàm eas ſubiiſſet. Quidquid ſit, ad Sacramentum Pœnitentiæ ſpectabat quæcunque Sacerdotalis de crimine correptio. Eodem ſpectat ejuſdem Sancti admonitio ad uxores *cap. 4. homil. 49. ex 50. Nolite viros veſtros permittere fornicari. Interpellate contra illos Eccleſiam. Non dico Judices publicos, non Proconſulem, non Vicarium, non Comitem, non Imperatorem*.

XIII. Auctor libri de ſalutaribus documentis, qui operibus S. Auguſtini conjungitur, *cap. 52.* eandem ſigilli neceſſitatem ex uſui ſui temporis affirmat, *Si tranſgredimur in aliqua peccato poſt baptiſmum, nos abluere Pœnitentiæ lacbrymis curemus; quia pius Deus dedit ſecundum baptiſmum, id eſt, fontem lacbrymarum, & ordinavit nobis pœnitentiam propter fragilitatem noſtram. Ideò debemus noſtras Confeſſiones veraciter confiteri, & fructus dignos Pœnitentiæ facere, id eſt, præterita ne reiteremus ſecundùm juſſionem Domini, & conſilium Sacerdotis Deum timentis. Qui Sacerdos ut ſapiens, & perfectus Medicus primùm ſciat curare peccata ſua, & poſteà aliena vulnera detergere, & ſanare, & non publicare*.

XIV. Evidens eſt canon, *Placuit*, *cap. 15.* hujus libri à nobis relatum, & explicatum. Multorum teſtimoniorum eſt inſtar cum à Latinis, Burchardo, Ivone, Gratiano; Ab Africanis à quibus editus eſt, Concilio Carthag. 7. Africano, & Ferrando Diacono; A Græcis, Trullenſi Concilio Zonara, & Balſamone commendetur, & repetatur. Non agitur illo canone de aliquo crimine in particulari, ſed de crimine in genere à Sacerdote revelato, eùm ſcilicet Sacerdos ait, ille mihi crimen confeſſus eſt, quòd ſegregatione damnatur; itaque illum à communione ſegrego. Non credatur. Quòd ſi ulterius pergat Epiſcopus, dicatque ſe ſcrupulo conſcientiæ impediri, quo minus cum magni criminis Reo communicare poſſit, licèt alios libenter ferat cum eo communicantes: Ejuſmodi Epiſcopus, inquit canon, ab aliis Epiſcopis eſt excommunicandus. Quem verò in finem? *Ne dicat in quenquam, quod aliis documentis convincere non poteſt*. De Confeſſione ſecreta, ſive auriculari augere canonem evidens eſt, ex verbis canonis, *dicet aliquem ſibi ſoli proprium crimen eſſe confeſſum, & pœnitere noluerit*: Deinde ſic intellexerunt canonum Collectores, Burchardus, Ivo non tantùm in decreto ſed etiam *Epiſt. 97.* ubi ex profeſſo Confeſſionis ſigillum ex hoc canone demonſtrat: Gratianus, & Canonum Breviator Ferrandus Carthaginenſis Diaconus, qui ante annos centum ſupra mille ſcribebat; ſic enim *tit. 2. cap. 73. Ut Epiſcopus à Communione non ſuſpendat eum, quem aſſerit de peccato aliquo ſibi ſoli fuiſſe confeſſum*. Sic quoque hunc canonem interpretati ſunt Græci, Zonaras, & Balſamon. Poſterioris verba referam, quia præter explicationem ſuam refert Lucæ Patriarchæ C. P. ſententiam, *Nota ergo præſentem canonem propter Epiſcopos, & Monachos, qui peccatorum hominum Confeſſiones audiunt, & teſtimonium ferunt adversùs eos, qui dicantur feciſſe apud eos confeſſionem criminis. Quod autem ſit injuſtum unius teſtimonium, lege etiam 75. canonem Sanctorum Apoſtolorum. Sanctiſſimus quidem certè Patriarcha Dominus Lucas Excommunicationis pœnæ ſubjecit Monaſterii Gerotrophi Præfectum, qui fuerat Archiepiſcopus Heracliæ, quod tale teſtimonium tuliſſet adversùs ſuum ſpiritalem filium*. Si Sacerdos crimen ſola Confeſſione cognitum in genere divulgans tam ſeverè punitur, Quid in ſpecie ſi divulgaſſet, dixiſſetque, Titius adulterium, homicidium commiſiſſe mihi confeſſus eſt? Interrogabit forſan aliquis, qua ratione in animum ſuum inducere potuit Epiſcopus publicam criminis ſecretò confeſſi revelationem, cum hoc à jure omnium gentium videatur alienum? Fruſtra ſit hæc objectio quum perverſam illam quorundam temeritatem arguant, & condemnent multi canones jam citati. Quapropter nonnullos eò temeritatis deveniſſe neceſſe eſt: Nec iſta accuſatio tantopere abhorret ab horrore communionis cum impiis, cujus ſæpius meminimus.

XV. Non eſt hic omittenda S. Leonis Conſtitutio Epiſt. 80. ad Epiſcopos Campaniæ, &c. In qua de ſigillo ita diſertè ſcribit, ut nihil videatur ſuperaddi poſſe. Supra relata eſt, pauca tantùm exſcribemus. Graviter reprehendit Epiſcopos Campaniæ, Samnii, & Piceni, qui à Pœnitentiam ſubituris exigebant, *ut de ſingulorum peccatorum genere libellis ſcriptam profeſſionem publicè recitarent*. Leo ſcribit hanc præſumptionem Apoſtolicæ regulæ eſſe contrariam, ideò, inquit, *Removeatur tam improbabilis conſuetudo, ne multis à Pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt, inimicis ſuis ſua facta reſerare, quibus poſſunt legum conſtitutione percelli, &c. Tunc etiam plures ad Pœnitentiam poterunt provocari; ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis*.

XVI. Refertur à Gratiano *de Pœnit. diſt. 6. cap. Sacerdos*, & aliis Canonum Collectoribus, necnon à Magiſtro *libr. 4. diſt. 21.* ſub Gregorii nomine hoc decretum quod ex antiquis canonibus ſolùm in hanc rem à Scholaſticis citari ſolet, *Sacerdos ante omnia caveat, ne de his, qui ei confitentur peccata, alicui recitet, non propinquis, non extraneis, neque quod abſit, pro aliquo ſcandalo. Nam ſi hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſè peregrinando pergat*. Gregorius ille, aut eſt Gregorius ſeptimus, aut alius author iſti Gregorio æqualis, aut non multò antiquior. Nam eo ſæculo cœpit peregrinatio in Pœnitentiam dari. His adjungendus Ivo Carnutenſis, *Epiſt. 97.* ubi interrogatus, qua ratione excommunicati vitari debent, & non aperienda Confeſſionis ſecreta: Utrumque, ut certum, & indubitatum fundamentum jacit, & prius intelligi vult de illis, tantùm nocentibus, *quorum facinora, aut ita nota ſunt, ut probatione non egeant, aut quæ Confeſſione evidenti manifeſta ſunt, aut judiciario ordine publicata, aut ſufficientibus teſtimoniis probata*. Poſterius verò ſic explicat, *peccantem, peccata ſua ſecretò confitentem, non, debemus à noſtra communione corporaliter ſeparare, nec contactu cordis ejus pravitati communicare. Hoc tenore utramque ſententiam ſervabimus, & illam, qua præcipimur Excommunicatis non communicare, & illam, qua jubemur confitentium crimina non propalare*. Denique eſt Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. canon notiſſimus, qui refertur extra *de Pœnit. & remiſſ. can. Omnis utriuſque ſexus*, qui pœnam revelanti multò graviorem imponit. *Caveat autem omnino ne verbo, aut ſigno, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem. Sed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ cautè requirat. Quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolùm à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verumetiam ad agendum*

per-

perpetuam Pœnitentiam in arctam monaſterium detrudendum. Innocentius ipſe, qui præfuit huic Concilio, ſic ſcribit *ſermone 3. de conſecratione Pontificis*, *Gravius peccat Sacerdos, qui peccatum revelat, quàm homo qui committit.* Ex iis, quæ dicta ſunt manifeſtum puto nihil nunc in Eccleſia doceri de Confeſſionis ſigillo, niſi quod ab Apoſtolica traditione accepit. Curioſus forſan obſervare poſſet, pœnas reſignantibus hoc ſigillum eo ſeverius impoſitas fuiſſe, quo Pœnitentiarum canonicarum uſus remiſſior fuit.

CAPUT XX.

Quæ Judæi antiqui, & recentiores de peccatorum Confeſſione tradunt, explicantur. Sine Confeſſione quidem Reis mortis peccata remittuntur. De peccatis etiam voluntatis ſigillatim edi debet. Perfecta eſt Pœnitentia, & laudanda, ſi coram multis peccata ſigillatim divulgantur. Sed hoc de peccatis in hominem tantùm intelligendum. Quæ dicuntur peccata in Deum, quæ in hominem. Ter à proximo quem læſimus petenda venia cum trium comitatu. Quare hæc. At à præceptore diſcipulus etiam millies, donec pepercerit. Si proximus læſus mortuus eſt, quid faciendum. Pœnitentia, & Confeſſio unum ſunt præceptum, priuſque à poſteriore perficitur. Quid שורה *Talmudicis, &* ישור *apud Jobam.*

QUemadmodum in fine libri præcedentis ob oculos Lectoris propoſuimus, & delineavimus, quæ antiqui Judæi, & recentiores de conditionibus ad veram Pœnitentiam criminum expunctricem animo ingenerandam neceſſariò requiſitis docuerunt: Sic etiam nunc fert animus paucis explicare, quæ iidem de peccatorum Confeſſione tradunt, eaque ſigillatim evolvere, & deſcribere, ut eadem Lector cum præcedentibus, hoc eſt, cum antiqua, & recentiore Eccleſiæ hac in cauſa conſuetudine comparare poſſit. Judaicum morem graphicè deſcribit Moſes Cordubenſis *capit. 1. tractatus de Pœnitentia*: Ipſius verba opus eſt tantum huc referre, כל מצות שבתורה בין עשה בין שלא תעשה אם עבר אדם על אחת מהן בין בזדון בין בשגגה כשיעשה תשובה וישוב מחטאו חייב להתוודות לפני האל ב"ה שנ' איש או אשה כי יעשו וגו' והתודו את חטאתם אשר עשו זה וידוי דברים וידוי מצות עשה כיצד מתוודין אנא השם חטאתי עויתי פשעתי לפניך ועשיתי כך וכך והרי נחמתי ובושתי במעשי ולעולם איני חוזר לדבר זה וזהו עיקרו של וידוי וכל המרבה להתוודות ומאריך בענין זה הרי זה משובח וכן בעלי חטאות ואשמות בעת שמביאין קרבנותיהן על שגגתן או על זדונן אין מתכפר להן בקרבנן עד שיעשו תשובה ויתודו וידוי דברים שנ' והתודה אשר חטא עליה וכן כל מחוייבי מיתות בית דין ומחוייבי מלקות אין מתכפר להן במיתתן או בלקייתן עד שיעשו תשובה ויתודו וכן החובל בחבירו והמזיק ממונו אע"פ ששילם לו מה שהוא חייב לו אינו מתכפר עד שיתודה וישוב מלעשות כזה לעולם. *Si quis tranſgreſſus fuerit quodcunque præceptum legis, affirmativum aut negativum, ſive per ſuperbiam, & contemptum, ſive per errorem, poſtquam eum pœnituerit, & receſſerit à peccato obligatur ad confitendum coram Deo benedicto, ut dicitur Numeror. 5. 7. Vir, aut mulier cum fecerint, &c. confitebuntur peccatum ſuum quod fecerunt. Hæc Confeſſio verbalis præceptum eſt legis affirmativum. Sic autem fit, Obſecro Domine, peccavi, iniquè egi, prævaricatus ſum coram te, & feci hæc, & hæc. Ecce pœnitet me, & pudet actionum mearum, & nuſquam eas iterabo. Hoc eſt Confeſſionis fundamentum. Quicunque autem ſæpiùs ita confitetur, & in eo diutius perſeverat, hic laudandus eſt. Sic criminum Rei cùm offerunt oblationes ſuas propter peccata erroris, aut ſuperbiæ, non expiantur eorum crimina oblationibus illis, donec Pœnitentiam egerint, & confeſſi fuerint Confeſſione verbis expreſſa, ut dicitur, & confitebitur quod ſuper ea peccavit, &c. Ita Reis mortis, ſive flagellationis Judicum ſententia non condonantur crimina, morte aut flagellatione tolerata donec Pœnitentiam egerint, & confeſſi fuerint: Sic quoque lædens proximum, & pecuniis ejus damnum inferens, licèt reſtituat ei id ad, quod tenetur, non expiatur, donec confeſſus fuerit, & à ſimili iniquitate animum in perpetuum averterit.*

II. Nec ſufficit ex eorum ſententia generatim confiteri, ſe peccatorem eſſe coram Deo: Singula peccata, eorum partes, cauſas, motiva aperire eum oportet, ut miſericordiam conſequatur. Jam docuit Moſes ille neceſſe eſſe Reum confitendo nomen ſuum edere, atque dicere hæc, & hæc feci, quibus ſpecialis ἡ καθ' ἕκαστα peccatorum confeſſio ſatis indicatur. Sed multò clariùs capite ſequente ſeſe explicat, וצריך להתוודות בשפתיו ולומר ענינות אילו שגמר בלבו. כל המתודה בדברים ולא גמר בלבו לעזוב הרי זה דומה לטובל ושרץ בידו שאין הטבילה מועלת לו עד שישליך השרץ וכן הוא אומר ומודה ועוזב ירוחם וצריך לפרוט את החטא שנ' אנא חטא העם הזה חטאה גדולה ויעשו להם אלהי זהב מדרכי התשובה להיות השב צועק תמיד לפני ה' בבכי ובתחנוני' ועושה צדקה כפי כחו. *Neceſſe eſt confiteri ore proprio, & dicere res, & cauſas, quas in corde ſuo ſtatuit. Quicunque confitetur verbo, & in corde ſuo non ſtatuit ea derelinquere, hic ſimilis eſt lavanti ſe cum reptili in manu ſua; illius enim lotio illi inutilis eſt donec reptile excutiat, ſicut dicitur, qui confitetur, & peccata relinquit, miſericordiam conſequetur. Neceſſarium quoque eſt peccata ſigillatim, & particulatim explicare, ut dicitur, peccavit populus iſte peccatum grande, & fecit ſibi Deos aureos. De ratione, & conditionibus Pœnitentiæ eſt, quoque ut Pœnitens indeſinenter clamet coram Domino cum fletu, & precibus, & pro virili eleemoſynam elargiatur, &c.* Legimus initio hujus teſtimonii ענינות forſitan melius עונות. Quo poſito transferendum eſt, *& dicere iniquitates, quas in corde ſuo perfecit.*

III. Docet inſuper Moſes, Pœnitentiam multò perfectiorem fore, ſi publicè aut coram multis peccata ſua confiteatur, & illis aperiat, quæ damna proximo intulit, eorumque ſe pœnitere prædicet; occultantium aliquid Pœnitentiam eſſe imperfectam. Sic ſcribit eodem capite, ושבח גדול לשב שיתודה ברבים ויודיע פשעיו להם ומגלה עבירות שבינו לבין חבירו לאחרים ואומר להם אמנם חטאתי לפלוני ועשיתי לו כך וכך והריני היום שב ומתנחם וכל המתגאה ואינו מודיע אלא מכסה פשעיו אין תשובתו גמורה שנ' מכסה פשעיו לא יצליח. *Eſt autem laus magna pœnitenti, cùm confitetur multis, & iis declarat iniquitates ſuas, & revelat aliis prævaricationes, & rixas quæ intercedunt inter ipſum, & proximum ſuum, iiſque dicit, Sanè peccavi in talem, N. & ei feci ſic & ſic. En hodie reſipiſco, & pœnitet me. Quicunque autem ſuperbia elatus non declarat, ſed abſcondit iniquitates ſuas, illius Pœnitentia non eſt perfecta, ut dicitur, abſcondens iniquitates ſuas non aget proſpere.*

IV. Publicam illam peccatorum Confeſſionem, ad quæcunque peccata non diffundunt, Diſtinguunt illi peccata in Deum commiſſa ab iis, quæ in proximum committuntur. Priorum Confeſſionem publicam volunt tantum generatim fieri Deo; poſteriorum autem proximis. Ideò quæ dicta ſunt de ſpeciali peccatorum enuntiatione publicè, aut multis ſimul facta, de hoc poſteriori peccatorum genere volunt intelligi. Statim enim Moſes poſt verba citata ſic præcedentia interpretatur, במה דברים אמורים בעבירות שבין אדם לחבירו אבל בעבירות שבין אדם למקום אינו צריך לפרסם עצמו ועזות פנים היא לו אם גילם אלא שב לפני האל ברוך הוא ופורט חטאיו לפניו ומתודה עליהם לפני רבים סתם וטובה היא לו שלא נתגלה עונו שנ' אשרי נשוי פשע כסוי חטאה. *De quibus peccatis hæc dicta ſunt? De prævaricationibus contingentibus inter hominem, & ſocium ſuum. Verùm in peccatis inter hominem, & Deum non eſt neceſſe ſeipſum publicare: Impudentia quædam eſſet, & protervia, ſi ea revelaret; ſed coram Deo benedicto convertetur, minutim explicabit ante faciem ejus peccata ſua, & ea confitebitur in multorum conſpectu abſolutè tantùm, & generaliter. Illi enim expedit non revelari iniquitatem ſuam, ut dicitur, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.*

V. Verſus finem capitis diſtinctius explicat, quæ ſint peccata in Deum, & in proximum, & qua ratione ſeſe gerere debeat, qui ſocium ſuum læſit, ut ab eo veniam impetret; quove animo injuriam paſſus reſipiſcentem, & veniam poſcentem ſuſcipere debeat, quæ huc referre neceſſarium judicamus, ut originem, vel occaſionem videat Lector multorum, quæ Eccleſia uſurpavit, vel amplificavit, vel correxit. Iſta enim Judæi recentiores, ut infrà demonſtrabimus, à Talmudicis, Talmudici verò ab antiquiſſimis Judæis, Phariſæis potiſſimum, qui ante Chriſtum, & poſt Chriſtum docuerunt, derivarunt, & deſumpſerunt, אין התשובה ולא יום הכפורים מכפרין אלא על עבירות שבין אדם למקום כגון מי שאכל דבר אסור או בעל בעילה אסורה וכיוצא בהן אבל עבירות שבין אדם לחבירו כגון החובל את חבירו או המקלל חבירו או גוזלו וכיוצא בהן אינו נמחל לו לעולם עד שיתן לחבירו מה שהוא חייב לו וירצהו אע"פ שהחזיר לו ממון שהוא חייב לו צריך לרצותו ולשאול לו ממנו שימחול לו אפילו לא הקניט את חבירו אלא בדברי' צריך לפייסו ולפגוע בו עד שימחול לו לא רצה חבירו למחול לו מביא לו שורה של שלשה בני אדם מריעיו ופוגעין בו ומבקשין ממנו למחול לא נתרצה להן מביא לו שניה ושלישית לא רצה מניחו והולך לו וזה שלא מחל הוא החוטא. *Neque Pœnitentia, neque feſtum expiationis alia peccata expiant, quàm quæ ſunt inter Deum, & hominem: Videlicet cùm quis comedit aliquid prohibitum, aut rem cum muliere habuit congreſſu prohibito,*

& his

Digitized by Google

& his ſimilia . Sed peccata in proximum , videlicet cùm quis proximum læſit , aut ei maledixit , aut aliquid furripuit , & his ſimilia , nunquam ibi parcitur , donec reddiderit proximo ſuo , id quod tenetur , & cum placaverit . Quanquam reſtituerit ei pecuniam , ad quam obligabatur , neceſſe eſt placare ejus animum , & petere ſibi ab eo veniam : Vel etiamſi verbis tantùm eum irritaverit , neceſſe tamen eſt , eum deprecari , atque ei obviàm ire , & apud eum intercedere donec ei perpercerit . Quòd ſi parcere ei non vult proximus , tum ad eum adducit tres ex Amicis ſuis , qui eum adeunt , & ab eo poſtulat , ut parcat . Si non placatur , ſecundò , & tertiò eoſdem introducit ad eum . Denique ſi non vult , relinquit eum , & diſcedit : Qui autem non parcit , ille peccator judicatur . Vides igitur quæ peccata dicantur ab iis contra Deum , ea ſcilicet , quibus Dei mandatum ſine injuria homini illata violatur : Ea verò contra hominem , quibus homo ſocium , ſeu proximum lædit , aut contemnit . Hoc poſterius peccatorum genus ut curetur , non ſatis eſt in genere confiteri , ſed etiam particulatim , & publicè , aut coram multis : nec qui hoc præſtitit , plenè ſatisfecit , ſed quantum fieri poteſt , qui injuriam intulit veniam ab eo , qui paſſus eſt , impetrare debet , ut à Moſe enarratum legimus .

VI. Duo his ſubjungit , quæ non mihi videntur adnotatione indigna . Prius eſt , ואם היה רבו הולך ובא אפילו אלף פעמים עד שימחול לו׃ *Si verò fuerit Magiſter ejus , eum adit , etiam millies , donec ei pepercerit* . Multæ ſunt aliæ Rabbinorum in diſcipulos prærogativæ , quas diligenter tradunt in ſtatutis Diſcipulorum Legis ; Sed iſta mihi videtur nulli poſtponenda . Poſterius non modo adnotatione , ſed etiam admiratione mihi dignum videtur , החוטא לחבירו ומת חבירו קודם שיבקש ממנו מחילה מביא עשרה בני אדם ומעמידן על קברו ויאמר בפניהם חטאתי לה׳ אלהי ישראל ולפלוני זה כך וכך עשיתי לו ואם היה חייב לו ממון יחזירו ליורשיו לא היה יודע לו יורשין יניחנו בבית הדין ויתודה׃ *Si mortuus eſt proximus , in quem aliquis peccavit , antequam ab eo veniam impetraverit , adducit ſecum decem homines ad ſepulchrum ipſius , & ipſis ibi conſiſtentibus dicit , peccavi in Dominum Deum Iſrael , & in talem N. hoc & hoc modo feci illi . Quod ſi debitor illi eſt pecuniæ , reddet eam hæredibus ipſius : ſi hæredes non novit , relinquit eam in domo judicii , & poſteà confitebitur* . Hac occaſione ſumpta in gentes inſultat Rabbinus , illiſque exprobrat quod inimicitias immortales exerceant .

VII. Quæ inſignis ille Rabbinus ante multa ſecula de Confeſſione docuit , eadem omnes docent , & apud eos ab ipſis Talmudis initiis , ſive Phariſæorum ſtabili ſtatu uſurpari cœperunt . Moſes Tranenſis author recentior in Deciſionibus Talmudicis , tractatu de Pęnitentia eadem tradit , ſed cùm certis additamentis , quæ ſuperius dicta illuſtrant , ideò ex eo nonnulla referemus , התשובה והוידוי מצוה אחת היא שאין וידוי בלי תשובה כי מי שמתודה ואינו גומר בלבו לשוב מחטאתו הוא כטובל ושרץ בידו והוידוי הוא גמר התשובה אע״ג דמי שהרהר תשובה בלבו נקרא צדיק גמור אפילו הכי לא הוי תשובה מצוה בפני עצמה אלא עם הוידוי שהוא גמר התשובה וכל מצות שבתורה בין עשה בין לא תעשה אם עבר אדם על אחת מהם בין בזדון בין בשגגה כשיעשה תשובה וישוב מחטאו חייב להתודות לפני האל ברוך הוא שנ׳ איש או אשה כי יעשו וגו׳ והתודו את חטאתם אשר עשו זה וידוי דברים והוא מצות עשה׃ *Pœnitentia , & Confeſſio unum ſunt præceptum : Non eſt enim Confeſſio ſine Pœnitentia . Nam qui confitetur antequam ſtatuerit in corde ſuo avertere ſe à peccato ſuo , ſimilis eſt lavanti ſe dum habet in manu ſua reptile . Confeſſio autem Pœnitentiam perficit , licèt qui Pœnitentiam in corde conceperit , vocetur perfectus juſtus . Quamvis ita ſit Pœnitentia non eſt præceptum per ſe , & ſeparatum , ſed Confeſſioni conjunctum , cùm ab ea perficiatur . Si quis igitur vel unum mandatum ex quibuſcunque legis mandatis affirmativis , aut negativis tranſgreſſus fuerit , ſive per ſuperbiam , & contemptum , ſive per errorem , quocunque modo , cùm de iis Pęnitentiam aget , & animum ſuum avertet , tenetur Confeſſionem edere coram Deo benedicto , ut dicitur , vir aut mulier cum fecerint &c. confitebuntur peccata ſua , quæ perpetraverunt . Hæc eſt Confeſſio verbis prolatis facta , quæ eſt præceptum affirmativum .*

VIII. Neque coram Deo , vel publicè hæc Confeſſio generaliter tantum editur , ad hypotheſin , & peccatorum ſpeciem , & circumſtantias deſcendendum eſt ; idque publicè facere optimum . Sic ille capite ſequente , וצריך לפרוט את החטא שנ׳ אנא חטא העם הזה חטאה גדולה ויעשו להם אלהי זהב וכו׳ ושבח גדול לשב שיתודה ברבים ויודיע פשעיו להם ומגלה עבירות שבינו לבין חבירו לאחרים ואומר אמנם חטאתי לפלוני ועשיתי לו כך וכך והריני שב ומתנחם וכל המתגאה ואינו מודיע אלא מכסה פשעיו אינו תשובתו גמורה וכול׳ בד״א בעבירות שבין אדם לחברו אבל בעבירות שבין אדם למקום אינו צריך לפרסם עצמו ועזות פנים היא לו אם גלם אלא שב לפני האל ב״ה ופורט חטיו לפניו ומתודה עליהם לפני רבים סתם וטוב הוא לו שלא נתגלה חטאו שנ׳ אשרי וגו׳׃ *Neceſſe eſt autem ſigillatim , & in ſpecie explicare peccatum , ut dicitur , obſecro , peccavit populus iſte peccatum magnum , & fecerunt ſibi Deus aureos , &c. Laus autem magna eſt pœnitenti , cùm confitetur publicè , & notas facit iniquitates ſuas , revelatque aliis tranſgreſſiones , quæ contigerunt inter ſe , & proximum ſuum , dicitque , Certè peccavi adverſus N. feciique illi ſic & , ſic . En convertor , & pęnitet me . Omnis autem ſuperbè elatus , & peccatum ſuum non publicans , ſed abſcondens , perfectè non pęnitet , &c. Ea , quæ dicta ſunt , intelligere oportet de peccatis , quæ homini cum proximo intercedunt . Verùm in peccatis , quibus homo in Deum prævaricatur , neceſſe non eſt ſeipſum divulgare . Impudentia eſſet , & protervia , ſi ea revelaret : ſed coram Deo benedicto convertitur , & coram ipſo peccata ſua ſigillatim enuntiat , & ſimpliciter confitetur publicè ſuper illis ,* (hoc eſt , generatim , non ſpeciatim) *Ipſi autem expedit ſic confiteri , ut non reveletur peccatum ipſius , ut dicitur , Beati , quorum tecta ſunt peccata , &c.* Sic etiam paulò poſt ut Moſes Cordubenſis , docet Pœnitentiam , & diem feſtum Kipurim ea tantùm peccata expiare , quæ in Deum facta ſunt , non autem quæ in hominem ; iiſdemque exemplis docet , quæ vocentur peccata in Deum , quæ in hominem . Nam , inquit , oportet proximo reddere , quæ ipſi abrepta ſunt , & prætereà eum placare , & ſibi reconciliare . Reconciliationis autem conditiones eas tradit , quas jam ex alio Moſe excerpſimus .

IX. Sed hoc ſpeciale non videtur omittendum , מביא לו שורה של שלשה בני אדם מריעיו ופוגעין בו ומבקשין ממנו לא נתרצה להם מביא לו שורה שניה ושלישית דכתיב ישור על אנשים ויאמר ואין שורה פחותה משלשה אנשים וכתיב חטאתי הרי פעם אחד וישר העויתי הרי שנים ולא שוה לי הרי שלשה׃ *Introducit ad eum ſeriem trium hominum ſibi Amicorum , eumque adeunt , & ab eo quærunt . Si illorum authoritate , & rationibus non placatur , ſecundam ſeriem inducit , atque tertiam , ut ſcribitur Jobi 33. 27. Circumivit ſuper homines* ישור *autem ſignificationis eſt ,* שורה׃ *Series autem , & ordo tribus minimum conſtat . Scribitur prætereà eodem verſu , peccavi , En prima vice ; Et rectum perverti . Hæc eſt ſecunda . Et non profuit mihi . Hæc eſt tertia .*

X. Speculatio Rabbini iſtius verſatur in ſpeciali quadam verbi , שור acceptione , ut inde , שורה׃ derivet , quòd Rabbinis ſignificare ſolet , lineam , ordinem & ſeriem ; & conſequenter quendam numerum hominum , in eundem finem coeuntium , eo quòd certa quadam ſerie , & ordine diſponantur , שור׳ autem cum puncto in cornu dextro dupliciter ſumi ſolet , & pro cantu , & pro contemplatione . Verum cùm neutra ſignificatione שורה׳ ad accommodari poſſit , tertiam cingendi ſcilicet , & ambiendi illi tribuit , eamque probat verſu ex Jobo citato . Licèt ibi , ישר interpretari ſoleant proſpicere , contemplari , ut præter Kimhium , & vulgatos Interpretes , adnotat R. Levi Ben Gerſom in hunc locum , וישור הוא מענין הבטה והשגחה׳ *Verbum hoc de conſpectu , & providentia dicitur* . Aben Eſdra tamen in hunc locum authori noſtro ſuffragatur , ישור יסוב כמו ישור בשך יקושים על כן נקראת החומה שור כמו בנות צעדה עלי שור בעבור שהם סובבות׃ *Significat hic* ישור *circumdabit , veluti Jerem. 5. 26.* ישור *circumdabit , ut qui laqueos tendit , ideò murus vocatur* שור *ut Geneſeos 49. 22. filiæ incedebant ſuper* שור׳ *murum , eo quòd circumibant civitatem* . Colligit autem שורה tres homines complecti ex tribus illis unius verſus partibus , argumento parum ſapido . Quod ad rem tamen attinet , verùm eſt , ſeriem , & ordinem reperiri non poſſe in numero ternario minore . In aliis tamen rebus volunt שורה non eſſe decem hominibus minorem , ut tradunt in tractatu Sanhedrin *cap.* כוהן גדול׳ non longè à principio . Hæc Moſes è Tractatu Talmudico Joma , & ejus Gloſſatore deſumpſit , ut pluribus capite ſequenti enarratur . Idem quoque adnotat , quòd alius Moſes , de honore Magiſtris ſuis hac in cauſa deferendo , & de prærogativa humanitatis Judæorum ſuprà cæteras gentes , & de adeundo mortui ſepulchro : cujus aditus rationem reddit , quòd qui injuriam intulit , proximi tenetur domum adire ; Sepulchrum autem domus eſt mortui . Deinde rationem reddit aſſumptionis decem virorum , cum quibus ſepulchrum adire debet , qui injuriam fecit ; quia ſcilicet tres

homi-

Digitized by Google

hominum ſeries , quarum unaquæque tribus conſtat, comitari debent, cum proximo reconciliari ſatagit.

XI. Tertius Moſes , & admodum apud eos celebris ſecundo antiquior , eadem de Pœnitentia tradit in libro compendioſè , dicto Semeg in Explicatione decimi ſexti præcepti affirmativi . Poſtquam docuit, nullum peccatum contra legem commiſſum , ſive per errorem , ſive per ſuperbiam anteà remitti quàm Reum pœnituerit , à peccatis abſtinuerit, eaque ore proprio confeſſus fuerit, ſubdit, כן כל חייבי מיתות בית דין ומחוייבי מלקות אין מתכפר להם במיתתן או במלקיותן עד שיעשו תשובה ויתודו ותנו רבנן כפרק כמה מדליקין מי שחלה ונטה למות אומרים לו התודה וכן החובל בחברו או מזיק לו ממונו אף על פי ששלם לו כל מה שהוא חייב לו אין מתכפר עד שיתודה וישוב מלעשות כזה לעלם *Eadem ratio damnatum , qui à conſiſtorio damnati ſunt ad mortem , aut flagellationem , mors eorum , aut flagellatio non expiat eorum peccata , donec Pœnitentiam egerint , & confeſſi fuerint . Tradunt Magiſtri noſtri Cap. Bama MadliKim, Cùm quis ægrotat , & ad mortem vergit , dicunt illi , Confitere. Eadem quoque ratio ejus , qui proximum læſit , aut in pecunias ejus damnum intulit , licèt ei reſtituerit omnia, non expiatur tamen peccatum, donec confeſſus fuerit, reſipuerit , & ab ejuſmodi injuriis inferendis in poſterùm abſtinuerit* , Et paulò poſt , ועכשיו שחרב בית המקדש בעונותינו לא נשאר לנו כי אם כפרת דברים וחויבין כל ישראל ביום הכפורים לשוב ולהתודות *Hoc verò tempore quo domus Sanctuarii everſa eſt, propter peccata noſtra , ſola nobis ſupereſt expiatio verbis comparata . Ideò tenemur omnes , in die feſti Expiationis pœnitere , & confiteri* . Dixerat , cùm ſtaret templum , ter Sacerdotem illo die peccata confiteri ſolitum , bis ſuper vitulum , ſemel ſcilicet pro ſe , & familia ſua ; atque iterum pro ſe , & tribu ſua : Tertiò denique ſuper hircum emiſſarium pro ſe , & peccatis filiorum Iſrael . Sed his omnibus ruina templi ſublatis , ſola ſupereſt animi reſipiſcentia , & exterior , oreque deprompta peccatorum confeſſio . Eodem modo , & iiſdem verbis , quibus Moſes Cordubenſis laudat Confeſſionem peccatorum publicè , in multorum præſentia editam ; diſtinguitque ſimiliter & verbis ab eo deſumptis inter peccata in proximum , & peccata in Deum , docetque priora publicè confitenda , non poſteriora . Deinde Pœnitentiam à variis effectibus laudat , quæ cùm jam relata ſint, ea apud hunc Moſen haberi, adnotaſſe ſufficiat. In fine quoque illius ſectionis refert iiſdem verbis quæcumque ex duobus illis authoribus de exemplis quibus explicantur peccata in Deum , & in hominem , de modo ſeſe cum proximo læſo reconciliandi , de tribus Amicis ad eum mittendis , ſi precanti veniam nolit concedere , de inſtantia ut cum Magiſtro in gratiam redeat , de aſſumptione decem hominum ſi ante reconciliationem mortuus fuerit , & alia nonnulla, quæ jam exſcripſimus . Deniquis his dictis Judaicam clementiam jactat, עון גדול הוא להיות אכזרי מלמחול ודרכן של זרע ישראל להיות נוחין לרצות כדרך שמצינו ביוסף לאחיו אבל הגוים ערלי לב אינם כך שנאמר ועברתו שמרה נצח וכן הוא אומר על הגבעונים לפי שלא מחלו ולא נתפייסו והגבעונים לא מבני ישראל המה *Iniquitas magna eſt præbere ſe auſteram , & ferocem , atque ad parcendum difficilem . Sed Iſraelitarum mores tranquilli ſunt , & placatu faciles , ut deprebendimus Joſephum erga fratres . At Gentes corde incircumciſi tales non ſunt , ut dicitur , furorem ſuam conſervavit in perpetuum . Sic dicitur de Gobaonis , eo quòd non parcerent , nec reconciliarentur . Gabaonitæ autem non erant de numero filiorum Iſrael.*

C A P U T XXI.

Eadem demonſtrantur frequentibus aliorum Rabbinorum teſtimoniis . Plures conditiones , & nonnullæ eorum ſententia perdifficiles ad veram Confeſſionem edendam neceſſariæ ex variis Rabbinis enarrantur . In omni ſacrificio pro peccato neceſſaria eſt peccatorum Confeſſio , nec pœna tolerata remittitur peccatum ſine Confeſſione . Peccata publica publicè confitenda . Utile eſſe ad expianda peccata è domo , patriaque migrare , & ad loca incognita peregrinari , vulgata eſt Rabbinorum ſententia . Omnia ſuperiora ex libro Chaſidim demonſtrantur : Concupiſcentiam propter Dei amorem cobibere radix ſanctitatis . Publicè confiteri perfectum . Qui verè Sanctus . Ut accuratior eſſet Confeſſio, conſuelebant antiqui ſingula peccata ſcribere . Conſuluntur Rabbini à peccatoribus de modo Pœnitentiæ agendæ.

VIſum eſt nobis ad levandum lectionis tædium teſtimonia , quæ referimus , in duo capita ſcindere , quanquam in unum ſcopum & omnia conſpirent , & nos in iis citandis collimemus . Ideò quæ tres illi Moſes , docuerunt ab aliorum dictatis loco ſeparavimus , licèt mente , & ſenſu ſeparari non poſſint . Liber antiquus Beth Midoth dictus , de quo dictum eſt libro præcedente *cap.* 27. וצריך לו לבעל תשובה שיתודה גנות מעשיו והרפתם על הבירור שאם יסתפק לו בהם אי אפשר לו להתחרט עליהם חרטה גמורה וכן צריך לו לאדם לידע שאם לא ישוב בתשובה שלימה מחטאיו לפני המקום ואינו מתודה עליהם הקב״ה נפרע ממנו על מעשיו הרעים *Neceſſe eſt , Pœnitentem clarè , & perſpicuè confiteri turpitudinem , & opprobrium operum ſuorum . Nam ſi in iis , dubio eſt animo fieri non poteſt , ut reſipiſcat reſipiſcentia perfecta . Et ſic neceſſe eſt , hominem ſcire , quòd ſi à peccatis ſuis non ſe converterit ad Deum pœnitentia perfecta , & ea confeſſus fuerit , Deus benedictus vindictam ab eo ſumet de malis ejus operibus .*

II. Deinde poſt multa , ועוד צריך לו לבעל תשובה שיתודה על עונותיו וירבו בעיניו פשעיו ויגדלו חטאתיו בלבו כענין שנ׳ כי רבו פשעינו נגדך וגו׳ וצריך לו לפרוש כפיו לפני המקום בעבירות שעשה ולפרוט החטא שנ׳ אנא חטא העם הזה חטאה גדולה ויעשו להם אלהי זהב וכו׳ ועוד צריך לו לבעל תשובה שאם גנב או אנס או עשק ממון חבירו שיחזירנו לו שנ׳ אם און בידך הרחיקהו ואל תשכן באהליך עולה כי אז תשא פניך ממום והיית מוצק ולא תירא וכן אם הכה את חבירו או הונהו בדברים ישתדל לפייסו עד שירצהו ואם אינו מתרצה לו ירבה עליו רעים כענין שנ׳ עשה זאת איפוא בני והנצל כי באת בכף רעך לך התרפס ורהב רעיך וצריך לבעל תשובה למחול לכל אדם שחטא ושסרח לו כדי שימחול לו הקב״ה על כל עונותיו ומדרכי התשובה הגמורה שימעטו בעיניו כל המצות והחסדים וכל הצדקות שעשה ויחשוב בלבו שלא עשה מהן כטיפה מן הים לפי חיובו בהם ואם באין עליו יסורין וחלאים יקבלם מאהבה ויצדיק עליו את הדין שלא נגבה מחובותיו אחד מני אלף והרבה יסורין יותר מאלו היו ראוין לבא עליו לפי רוב עונותיו *Præterea neceſſe eſt , ut Pœnitentiam agens conteatur iniquitates ſuas , atque ut in oculis ejus multiplicentur , & in corde ſuo magna exiſtimet peccata ſua , ut dicitur , quoniam multiplicatæ ſunt iniquitates noſtræ coram te . Neceſſe eſt iterùm manus ſuas extendere coram Deo propter tranſgreſſiones quas , commiſit , & peccata ſigillatim enarrare , ut dicitur , obſecro , peccavit populus iſte peccatum grande , & fecerunt ſibi Deos aureos , &c. Neceſſe eſt inſuper , ut ſi pœnitentiam agens , furatus eſt , aut violentiam intulit , aut fraude pecuniam proximi detinuit , eum illi reſtituat , ut dicitur Job. 11. 14. Si eſt iniquitas in manu tua , longè remove eam , & ne habitare facias in tabernaculis tuis pravitatem , quia tunc abſterges faciem tuam à maculis , eriſque fortis , & non timebis . Similiter ſi percuſſerit proximum ſuum , aut verbis deceperit , diligenter curet , eum ſibi reconciliare , donec placaverit . Quòd ſi ei reconciliari nolit , multiplicabis malu ſuper eum , ut dicitur , Proverb. 6. 3. Fac hoc nunc , fili mi , & erue te , quia veniſti in manum Amici tui : Vade , præbe te conculcandum , & corrobora amicos tuos . Neceſſe eſt etiam , ut Pœnitentiam agens parcat cuicunque in ipſum peccavit , & perversè egit , ut ei Deus benedictus condonet omnes iniquitates ſuas . Eſt quoque de ratione Pœnitentiæ perfectæ , ut omnes juſtitiæ , & bona ejus opera parva videantur oculis ejus , & reputet in corde ſuo ſe tantùm ex iis , quæ obligatus fuerat egiſſe velut unam è mari guttulam . Si prætereà afflictiones illi advenerint , & morbi , cùm amore excipiat ea , ſicque juſtificabit ſuper ſe Judicium Dei . Quia de debitis ſuis , unum pro mille non exigitur , & judicabit afflictiones , quibus caſtigatur , multò minores eſſe iis , quas peccata merebantur .*

III. R. Levi Ben Gerſom commentario in legem initio Paraſchæ נשא commentans hæc verba *capit.* 5. *Numer. verſ.* 7. confitebuntur peccatum ſuum , למדנו שחייב החוטא להתודות על חטאו ואע״ף שכבר נענש עליו הלא תראה שזה הגוזל שהוא משיב הגזל ומוסיף חומש ומביא קרבן חייב להתודות ולזה יתבאר שכל חייבי מיתה חייב להתודות כדי שתהיה להם כפרה כי העונש לא יכפר עליהם בזולת הוידוי *Diſcimus , quòd peccator obligatur ad Confeſſionem peccati ſui , licèt jam pœna propter illud affectus fuerit . Nonne vides , quòd fur ille , qui reſtituit furtum , & addidit quintam partem , oblationemque obtulit , tenetur inſuper confiteri . Inde quoque manifeſtè probatur , quòd omnes ad mortem damnati ad Confeſſionem obligantur , ut à peccato expientur , quia ſupplicium non expiat eos ſine Confeſſione .*

IV. Iſaak Abarbinel in legem Paraſcha , אחרי מות ubi de duobus hircis diſputat , quorum unus in deſertum mittitur.

Sacer-

Sacerdos, inquit, confitetur omnia peccata populi ſuper hircum emiſſarium: Verum ejuſmodi Confeſſionis non meminit ſcriptura, cùm de altero hirco verba facit, quem vocat hircum pro peccato. Hujus rei rationem quærit Abarbinel, ואין ספק שהכ״ג מתודה גם כן על שעיר חטאת הכפורי׳ זדונות בני ישראל עם היות שלא זכרו הכתוב כי כבר כיארו חז״ל במסכ׳ זבחים שבכל חטאת היה וידוי בהכרח׃ *Non eſt dubium, quin Sacerdos magnus confiteatur etiam eodem modo, ſuper hircum peccati feſti expiationis peccata ſuperbiæ, & contemptus Dei filiorum Iſrael, quanquam illud non meminerit ſcriptura; quia jam declaraverunt ſapientes felicis memoriæ in tractatu Sacrificiorum, quòd in omni ſacrificio pro peccato neceſſaria eſt, confeſſio.* Paulò ante interpretatus fuerat, לכפר עליו *ad expiandum ſuper eum*, להתודות עליו׳ *ad confitendum ſuper eum*, eo quòd, inquit, expiationis cauſa ſit Confeſſio.

V. Bahal Hatturim in libro Orach Chaiim, *ſectione 607*. cùm pleraque, quæ jam relata ſunt, docuiſſet, quædam addit, quæ ſingularem ſententiam ſapiunt, in cauſa confeſſionis ſingularium peccatorum, ומפרטין כו החטאים וכן כתב רב עמרם וכן כתב הרמב״ם ז״ל והר״י כתב שצריך לפרט החטא ובספרד אין נוהגין לאומרו וכן נראה שאין צריך לפרט החטא שרבי עקיבא אומר שאין צריך לפרט החטא והלכת בדבריו׃ *Eo die peccata ſua ſigillatim confitentur. Sic ſcripſerunt R. Amram, R. Rambam, & R. Juda felicis memoriæ, neceſſarium eſſe peccata particulatim enuntiare: Sed in Hiſpania non ſolet hoc dici, & videtur hoc non eſſe neceſſarium, quia dixit R. Akiba non eſſe neceſſarium peccata ſua ſigillatim evulgare, & deciſio ſequitur verba ejus.* R. Joſeph Karo in ſcholiis ſuis multa in hanc rem commentatur, An ſcilicet ſententiam Alkibæ deciſio ſequatur, an verò ſententiam R. Jehuda, & licèt ſententiam authoris, quem commentatur, non damnet, multis tamen demonſtrat rationibus è textu Talmudis deſumptis ſententiam Moſis Cordubenſis, & aliorum qui deciſionem intellexerunt ſecundùm verba R. Judæ non Akibæ optimis niti fundamentis, Akibamque ipſum R. Judæ ſententiam, de particulari peccatorum Confeſſione non improbare, licèt ſatius duxerit ſingularia peccata, in illo die non evulgare ſaltem ita clarè, & alta voce, ut audiantur. Sed Bahalis Hatturim peculiaris eſt ſententia, quam nec alii Rabbini, aut pauciſſimi, nec praxis ſequuntur. Talmudis verba, quæ dubitationi occaſionem dederunt, capite ſequente referuntur, quibus conſideratis lector facilius de tota controverſia judicare poterit.

VI. R. Schem Tob in דרשות של התשובה quibuſdam ſermonibus de Pœnitentia, qui Conſtantinopoli cum prædicationibus ipſis in legem editæ ſunt, ad perfectam Pœnitentiam efformandam has ſeptem requirit conditiones, ראשון ראוי שיעזוב דרכו וזה דבר קשה עד מאד וכ׳ שלא יעביר אדם במחשבה והוא דבר קשה עד מאד וג׳ צריך כי כשיקרה לו שימצא עם אותה אשה ובאותו פרק ובאותו מקום בלי יראת שום דבר יעזבה בעבור יראת הש״י והוא דבר גדול וקשה עד מאד וד׳ צריך בעל תשובה להיות שפל ועניו כהיות אם חרפו אותו הכסילה במעשיהו הראשונים ואמרו לו אמש היתה גוזל ונואף וכיוצא בו ועתה תעשה צדיק וחסיד אל ירגיש להם אלא שומעים חרפתם ושמחי יודעים שזה זכות להם וזה דבר קשה עד מאד ה׳ שאם היה חטאתו שחטא ברבים ראוי שתשובה יהיה ברבים ויודיע להם ומגלה עבירות שבינו לחבירו לאחרים ויאמר ברבים חטאתי לפלוני וכל המתגאה ואינו מודיע אלא מכסה פשעיו אין תשובתו גמורה שנ׳ מכסה פשעיו וגו׳ וזה התשובה היא בתכלית הקושי ו׳ צריך השב להיות זועק תמיד לפני ה׳ בבכי ובתחנונים ועושה צדקה כפי כחו ומתרחק הרבה מהדבר אשר חטא ומשנה שמו כלו׳ אני אחר ואינו אותו שחטא ומשנה מעשיו כלם לטובה׃ *Primum eſt, juſtum eſſe ut Pœnitens viam ſuam, hoc eſt, vitam priorem relinquat, quòd factu eſt difficillimum. 2. Ut ne cogitatione quidem tranſgrediatur legem, quòd eſt factu admodum difficile. 3. Neceſſe eſt, ut cùm contigerit illum verſari cum eadem muliere, eum qua jam tranſgreſſus eſt, & eodem tempore, atque eodem loco nudo ſceleris perpetrandi timore excuſſo abea abſtineat propter Dei timorem: hoc autem magnum eſt, & valdè difficile. 4. Neceſſe eſt, Pœnitentem eſſe humilem, & manſuetum, ita ut ſi illi exprobretur ſtultitiæ in actionibus ejus prioribus, dicatur illi heſterna die latro fuiſti, & ſimilia, & nunc factus es juſtus, & ſanctus, non iraſcatur eis, ſed audiat opprobrium eorum, & lætetur ſciens hoc ſibi in meritum imputari, quòd eſt admodum difficile. 5. Si peccatum, quod commiſit, fuerit multis cognitum, juſtum eſt, ut pœnitentia fiat ſimiliter coram multis, & nota faciat eis, reveletque aliis peccata, quæ in proximum commiſit, & dicat in multorum præſentia, peccavi in N. Omnis enim ſuperbè elatus, quique iniquitates ſuas non publicat, ſed tegit, perfectè non pœnitet, ut dicitur abſcondens iniquitates ſuas, &c. Hæc autem pœnitentia eſt abſolutè difficilis. 6. Neceſſe eſt Pœnitentem perpetuò ad Dominum clamare in fletu, & deprecationibus, & eleemoſynas pro virili facere, & plurimùm elongare ſe à re, & occaſione, in qua peccavit, & mutare nomen ſuum, veluti dicenda, Ego ſum alius, & non ipſe qui peccavit, mutare quoque omnia opera ſua in melius, &c.*

VII. Hoc etiam poſtremùm monent uterque Moſes Cordubenſis, & Tranenſis. Addit Schem Tob quod à Moſe Cordubenſi *cap.* 2. Hilcoth Theſuba videtur deſumpſiſſe, cùm illud iiſdem verbis referat, quod etiam facit liber Muſar *cap.* 2. ante medium, ut à nobis *lib.* 1. *cap.* 20. jam exſcriptum eſt, ſcilicet oportere etiam Pœnitentem è loco ſuo migrare, שגלות מכפרת עון מפני שגורמת לו לכנע ולהיות עני ושפל רוח׃ *Eo quòd migratio expiat iniquitatem, & cauſatur ineo modeſtiam, humilitatem, & ſpiritus ſubmiſſionem.* Idem conſulit Samuel Japhe commentario, in præclarè dicta ſive apophthegmata Talmudis Hieroſolymitani, quem Japhe Mareh inſcripſit, ut publicum peccatum expietur, idque verbis, ut ait, è Talmude Babylonico exſcriptis. Peccantium publicè, inquit Samuel *cap* 1. *tractat.* Joma ad *numer.* 4. graviſſimum eſt peccatum, eo quòd ſit ei annexa nominis divini prophanatio, & ideò, כמ״ש במ״ק מי שיצרו מתגבר עליו ילבש שחור ויתכסה שחורים וילך למקום שאין מכירין אותו ואל יתחלל ש״ש על ידו׃ *Ut dicitur in tractatu Moed Katon, Ille, cui concupiſcentia mala dominatur, induat atras, & lugubres veſtes, & iis ſeipſum cooperiat, abſcondatque in locum, in quo ipſe incognitus eſt, ne nomen cœlorum propter ipſum prophanetur.* Plurimùm inſuper laudat Pœnitentiam R. Schem Tob, eaque è Talmude magna ex parte refert, in hunc finem, quæ capite poſtremò præcedentis libri ex eodem excerpſimus, & interpretati ſumus. Multa quoque alia præclarè ediſſerit, quæ hujus loci non ſunt propria, quæque ideò prætermittimus. Quanquam autem pleraque eorum, quæ excerpſimus ad caput ultimum libri præcedentis pertinere videantur, non ad Confeſſionem; quia tamen author iſta in unum faſcem conjunxerat, ea ſejungere noluimus.

VIII. Sermonem concludam verbis R. Judæ Balats *cap.* 2. libri Muſar, quia breviter complectitur quæcunque ſuprà retulimus. Poſtquam exaggeravit cauſas Pœnitentiæ ante mortem neceſſariò agendæ, his verbis omnia jam enarrata docet, וצריך להתודות בשפתיו ולומ׳ דברים שגמר בלבו שכל המתודה בדברים ולא גמר בלבו לעזוב הרי זה דומה לטובל ושרץ בידו שאין הטבילה מועלת עד שישליך השרץ מידו וכן הוא אומר ומודה ועוזב ירוחם וצריך לפרוט את החטא שנ׳ אנא חטא העם הזה חטאה גדולה ויעשו להם אלהי זהב ושבח גדול לשב שיתודה ברבים ויודיע פשעיו ומגלה עבירות שבינו לבין חברו לאחרים ויאמר להם חטאתי לפלוני ועשיתי לו כך וכך והריני היום שב ומתנחם וכל המתגאה ואינו מודיע אלא מכסה פשעיו אין תשובתו גמורה שנ׳ מכסה פשעיו לא יצליח בד״א בעבירות שבין אדם לחברו אבל בינו לבין המקום אינו צריך לפרסם עצמו ועזות פנים היא לו אם גילם אלא שב לפני הקב״ה ופורט החטא לפניו והוא מתודה עליהם לפני רבים סתם וטובה היא לו שלא נתגלה עונו שנ׳ אשרי נשוי פשע כסוי חטאה ואין התשובה ויום הכפורים מכפר אלא עבירות שבין אדם למקום כגון מי שאכל דבר אסור או בעל בעילה אסורה וכיוצא בהם אבל עבירות שבין אדם לחברו כגון חובל בחברו או מקללו או גוזל וכיוצא בהם אינו נמחל לו לעולם עד שיתן לחברו מה שהוא חייב לו וירצהו׃ *Neceſſe eſt etiam confiteri ore, & labiis propriis, & dicere, quæ in corde ſuo ſtatuit, & definivit. Nam quicunque verbis confitetur, & non ſtatuit in corde ſuo ea relinquere: En ſimilis ille eſt lavanti ſe, & reptile in manu tenenti, eo quòd illa lotio nihil ei prodeſt, donec reptile de manu projecerit. Et ſic Proverb. 28. 13 qui confitetur, & relinquit, miſericordiam conſequetur. Neceſſe eſt quoque peccatum ſigillatim, & in individuo declarare, ut dicitur. Obſecrò, peccavit populus iſte peccatum grande, & fecit ſibi Deos aureos. Laus etiam magna eſt Pœnitenti, ut confiteatur publicè, & notas faciat iniquitates ſuas, & revelet aliis tranſgreſſiones, quæ inter ipſum, & proximum intercedunt, dicatque eis peccavi in N. & illi feci ſic, & ſic: Nunc autem hujus rei pœnitet me. Omnis autem ſuperbiens, & ideò hæc non declarans, ſed tegens peccata, perfecta Pœnitentia non movetur, ut dicitur, abſcondens iniquitates ſuas non aget proſperè. De quibus rebus hæc intelligenda? De peccatis, quæ inter hominem, & proximum contingunt: Nam in peccatis, quæ inter Deum, & hominem, non eſt neceſſe ſeipſum publicare. Impudentia eſſet hæc revelare, ſed convertitur, & pœnitet coram Deo, & peccata eorum eo ſigillatim explicat, & ea confitetur publicè, abſolutè tantùm, & generatim. Bonum eſt autem illi, ut non revele-*

veletur

Digitized by Google

veletur iniquitas ejus, ut dicitur, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum ſunt tecta peccata. Pœnitentia autem, & dies feſtus expiationis expiant tantùm peccata hominis in Deum, veluti, cùm quis de cibo illicito comedit, vel concubitus illiciti reus eſt, & his ſimilia. Peccata verò contra proximum ſunt ejuſmodi, cùm quis lædit, & damno afficit proximum ſuum, aut ipſi maledicit, aut furatur, & his ſimilia. Iſta unquam condonantur, donec reſtituerit proximo ſuo quòd illi debet, & cujus in eum Reus eſt, eumque placaverit. Poſt hæc multa perſequitur, quæ ex aliis jam enarravimus: Verbi gratia, ſi deprecanti parcere non vult pars læſa, trium Amicorum conſortium debet ſibi adjungere, & his comitatus proximum, quem læſit, ut ſibi condonet bis, terve deprecari. Si pervicax eſt, dimittendus, cùm officio tam abundè defunctus fuerit, culpa in pervicacem non ampliùs in deprecantem redundante. Hinc etiam benignitatis laudat Iſraelitas, eoſque gentibus longè præfert. Idem quoque jubet Pœnitentem facere, ſi mortuus is, quem læſit, quod jam ex aliis enarratum eſt. Ex tot teſtibus per omnia ſibi conſentientibus evidens eſt, omnium Judæorum hanc eſſe ſententiam, & praxim. Sed ex iis, quæ capite ſequente demonſtraturi ſumus clarius, ſi quid clarius dici poteſt, hoc Lectori innoteſcet.

IX. Non videntur nobis hic omittenda nonnulla, in quæ incidimus librum חסידים ſive Sanctorum apud Judæos celebrem, nobis mutuò conceſſum percurrentes: Ea enim non modò ſuperiora confirmant, ſed etiam ut vulgata, & uſu trita tradunt. Deinde illius author R. Juda ab iis vocari ſolet חסיד Pius, ſive Sanctus, eoque præceptore gloriatur Moſes Cotſenſis. Author ille numero ſive *ſectione* 12. libri ſui ſanctitatis hanc radicem eſſe docet, à deſideriis concupiſcentiæ animum propter Dei timorem, & amorem cohibere, non propter futuri ſeculi pœnas, nec propter præſentis, aut futuri ſeculi delicias, ſed ſolùm timeat, פן לא יהיה תמים באהבת הבורא ית' שמו ne ſit perfectus in amore Creatoris, cujus nomen benedictum. Similia *numer.* 62. 63. Verùm quod à ſcopo noſtro propius abeſt, *numer.* 20. de Pœnitentia diſſerens omnia peccata Confeſſioni ſubjicit, ſive contra præcepta affirmativa, ſive negativa, ſive per errorem, ſive per ſuperbiam, ut ipſi diſtinguere ſolent, perpetrata. Deinde ea edita ſic dicere Pœnitentem docet, והרי נחמתי ובושתי במעשי ולעולם איני חוזר לדבר זה וזה עקרו של ווידוי וכל המרבה להתודות ומאריך בענין זה יהרי זה משובח וכן בעלי חטאות ואשמות בעת שמביאין קרבנותם על חטאתם ועל שגגתם אין מתכפר להם עד שיעשו תשובה ויתודו וידוי דברים שנאמר אשר חטא עליה וכן כל מחויבי מיתות בית דין ומחויבי מלקיות אין מתכפר להם במיתתן או במלקיותן עד שיעשו תשובה ויתודו וכן החובל בחבירו או המזיק בחבירו אעפ"י ששלם לו מה חייב לו אין מתכפר לו עד שיתודה וישוב מעשות כזה לעולם שנאמר מכל חטאת האדם *En pœnitet me, & pudet operum meorum, & unquam ea iterabo. Hoc eſt Confeſſionis fundamentum, & radix. Quicunque pluries confitetur, & in his commoratur, longiuſque Confeſſionem producit, ecce hic eſt laudandus. Eadem ratio eſt eorum, qui Rei ſunt peccatorum, & oblationum pro eis: Cùm offerunt oblationes pro peccatis ſuis, & erroribus, non fit ipſis remiſſio, donec Pœnitentiam egerint, & orali, verbiſque edita Confeſſione confeſſi fuerint, ut dicitur Levit. 5. verſ. 5. Et erit cùm deliquerit in uno ex iſtis, & confeſſus fuerit, id ſuper quo peccavit, &c. Ita quoque Reis mortis, aut flagellationis ex ſententia Synedrii non parcitur morte, aut flagellatione toleratа, donec Pœnitentiam egerint, & confeſſi fuerint. Sic ei qui læſit proximum, aut damnum intulit, licèt reſtituerit, id quod ei debebat, non parcitur, donec confeſſus fuerit, & reſipuerit, in animumque induxerit ſe nunquam ampliùs ita facturum, ut dicitur, Numer. 5. 6. Vir, aut mulier, cùm fecerint ex omnibus peccatis hominum, &c.*

X. Perfectam quoque Pœnitentiam deſcribit eadem ſectione iiſdem prope verbis, quæ jam ex Moſe, & aliis retulimus, cùm ſcilicet quis in idem objectum incidit, cum quo peccavit, ab eo tamen propter Pœnitentiam abſtinet, non timore ductus, non infirmitate impeditus. His dictis ſic quoque non ſecùs, ac alii præcipit, מדרכי התשובה צריך להיות צועק תמיד לפני ה' בבכי ובתחנונים ועושה צדקה כפי כחו ומתרחק הרבה מן הדברים שחטא בם ומשנה שמו כלומר שאני אחר ואיני אותו האיש שעשה המעשים הרעים ומשנה מעשיו כלם לטובה להדריך עצמו בדרך ישרה וגולה ממקומו שגלות מכפרת עון מפני שגורמת לו להכנע ולהיות עניו ושפל רוח ושבח גדול לשב שיתודה ברבים ויודיע חטאו ומגלה חטאו שבינו לבין חבירו לאחרים אומר להם חטאתי לפלוני כן וכן עשיתי לו והנני היום שב ומתנחם וכל המתגאה ואינו מודיע אלא מכסה פשעיו אין תשובה גמורה וכו' *De conditionibus ad Pœnitentiam agendam neceſſariis hæc ſunt.: Clamare ſemper coram Domino cum fletu, & precibus; & pro virili eleemoſynam largiri; & elongare ſe multùm à rebus, quibuſcum peccavit: mutare quoque nomen ſuum, velut dicendo, Alius ego ſum, & non idem ille homo, qui opera mala commiſi; & in melius omnes actiones ſuas commutare, ut ſeipſum dirigat in viam rectam, Migrare quoque debet de loco ſuo; quia migratio illa expiat iniquitatem, eo quòd humiliandi ſe occaſionem præbet, manſueti quoque, & depreſſi ſpiritus. Pœnitentis autem laus magna eſt, quòd publicè confiteatur, notumque faciat peccatum ſuum, & aliis revelet, & aperiat peccatum, quod in proximum commiſit, illis dicens, peccavi in talem, N. hic, & ſic illi feci, & ecce hodie reſipiſco, & pœnitet me. Quicunque autem ſuperbiens non notificat, & publicat iniquitates ſuas, ſed tegit, non eſt in eo Pœnitentia perfecta, &c.* Statim excipit non ſecùs ac cæteri, publicationem illam eſſe de peccatis in proximum intelligendam, non autem de peccatis in Deum: Hæc ſigillatim κατὰ μέρος, publicè confiteri impudentiam eſſe; publicè quidem confitenda, ſed ſimpliciter, & generaliter. Monet ſimiliter *num.* 23. 24. 25. peccata in proximum ne in feſto quidem Expiationis remitti, niſi Deus veniam ex intimo corde ab eo, quem læſit, inſtanter petierit, eumque ſibi reconciliaverit. Definierat *numer.* 11. eum eſſe verè חסיד hoc eſt, Sanctum qui cum poteſt ab eo, qui eum graviter offendit, vindictam ſumere, ipſi tamen lubens, & corde benevolo parcit. Denique ſi proximus læſus vitam cum morte commutaverit, eaſdem cautiones, quæ jam ex omnibus aliis explicatæ ſunt, adhibendas monet, gloriaturque hanc clementiam, & animi placabilitatem Judæorum eſſe propriam.

XI. Specialia duo tradit hic author, quæ adnotatione mihi digna videntur. Prius habetur *num.* 21. his verbis, חסידים הראשונים היו כותבים באגרת עונותיהם כשהיו חוטאים כדי להתודות על חטאתם וכדי שיזכור ויתחרט ויעשה תשובה מפני שזוכר עונותיו שהוא עתיד ליתן דין וחשבון עליהם ויעשה תשובה ולפיכך טוב לכתבם לקיים מה שנ' וחטאתי נגדי תמיד וזוכר יום המיתה וגיהנם ויום הדין ולבסוף אהבת שמים כי היא מובחרת אך ברמז יכתבם שלא ימצאם שום אדם' *Antiqui ſancti ſcribebant peccata ſua in Epiſtola, cùm ea committebant, ut ea confiterentur, & eorum memores de iis reſipiſcerent, & Pœnitentiam agerent, eo quòd peccatorum ſuorum memor paratus eſt, de iis Judicium, & rationem reddere, ut de iis Pœnitentiam agat. Ideò bonum eſt ea ſcribere, ut confirmetur quod ſcriptum eſt, Peccatum meum contra me, eſt ſemper: & de iis Pœnitentiam agit, recordeturque etiam diei mortis, & gehennæ, & diei judicii, & in fine amoris Dei quod eſt præcipuum, & optimum. Verùm per notas arcanas ſcribet peccata, ne aliquis ea deprehendat.* En diligentiam quam in confeſſionis editione adhibendam conſulunt.

XII. Poſterius eſt, ſolitos Judæos peccatorum Pœnitentiam acturos, de modo Pœnitentiæ agendæ Rabbinos ſuos conſulere; ut ipſis indicarent pœnas unicuique peccato conſtitutas, & ideò Rabbinis peccata ſua, ſive in Deum ſive in proximum perpetrata privatim, & ſecretò detegebant, ut Pœnitentiam acciperent uniuſcujuſque criminis gravitati conſentaneam: Sic liber idem Sanctorum *num.* 593. אחד חטא בעבירות גדולות ובא לפני החכם ושאלו במה יתכפר עון קטן ולא רצה להורות לו אמר לו למה לא תתן לו כפרה אמר על החמורות אינו שואל אלא על הקלות לכן לא אתן לו כפרה וכתיב הנני נשפט אותך על אמרך לא חטאתי אלא כל עונותיו יתודה וכתיב והתודה עליו את כל עונות בני ישראל וכתיב כל תשא עון *Quidam commiſit crimina magna, venitque ad Sapientem, eumque interrogavit, qua ratione eſſet expianda culpa levis; ſed ſapiens noluit eum hoc docere. Alius dixit Sapienti, Quare non dediſti ei expiationem? Reſpondit de gravibus non me interrogavit, ſed tantùm de levibus; ideò expiationem ei non dedi. Scriptum eſt enim, Ecce ego judicio tecum contendam, eo quòd dixeris, non peccavi. Jerem. 2. 35. Ideircò omnia peccata ſua confitebitur, ut ſcriptum eſt, Levit. 16. 21. Et confitebitur ſuper illud omnes iniquitates filiorum Iſrael: Scriptum quoque Oſeæ 14. 3. Omnem tolle iniquitatem. Numero* 181. Alterius eſt exemplum, qui Sabbatum violaverat, & à ſapiente criminis Pœnitentiam petierat; ſed eo quòd conſilium prævium exequi noluerat, Pœnitentiam illi non indicavit.

XIII. Non erat tamen neceſſarium ſeipſum Rabbino tum indicare, alterius nomine id poterat præſtare, ut docetur communi Rabbinorum ſententia idem Jehuda Chaſid. *nu.* 21. ומה שאמרו חצוף מאן דפריש חטאיו זהו שמגיד לכל אשר חטא אבל מותר להגיד לאדם צדיק וצנוע אחד מעונותיו כדי שיורה לו

והיאך

והיאך יעשה תשובה או ישאל לו סתם אדם שעשה עון זה ובא לשוב היאך יעשה תשובה *Quomodo intelligendum quod dicunt,* Talmudici, *impudens eſt, qui peccata ſua ſigillatim publicat? De eo hoc eſt intelligendum, qui narrat unicuique id, quod peccavit. Sed licet narrare homini juſto, & modeſto aliquod è peccatis ſuis, ut illum doceat quomodo agat Pœnitentiam: aut ſimpliciter, & generaliter eum interrogabit, Quidam homo tale crimen commiſit, venitque ad pœnitentiam, Quomodo Pœnitentiam aget?* Ex dictis tam ab hoc authore, quàm ab omnibus aliis manifeſtum eſt, axioma illud Talmudicum, de peccatis tantùm intelligi, quæ in Deum committuntur. Quapropter ex eorum ſententia neceſſariò, & evidenter colligitur licèt peccata in Deum publicè confiteri impudentia ſit, ea tamen privatim confiteri non modò utile eſſe, & conſultum, ſed etiam propter Pœnitentiam canonicam de crimine agendam, neceſſarium.

C A P U T XXII.

Eadem ex antiquiſſimis Judæorum libris demonſtrantur. Differentium Talmudiſtæ ponunt inter עון *&* פשע *&* חטא *Confeſſionis antiquæ formulæ. Peccata in proximum publica, & ſecreta, & peccata in Deum publica publicè, & ſigillatim confitenda. Huic praxi vix ulli Judæi contradicunt. Varia interpretari τοῦ* יתחלל *apud Samuelem, & Rabbinos ediſſeritur. Sola Pœnitentia peccata in Deum expiat. Cùm quis ab antiquis confitendi, & ſatisfaciendi formulis recedit, ab aliis acriter urguitur.*

Quæcunque capite ſuperiore, de Confeſſione apud Judæos uſitata diximus, decerpſerunt Rabbini è libris Miſnajoth, è Talmude, aliiſque libris apud eos antiquiſſimis, ita ut nullum ſubeſſe poſſit dubium, quin tempore Apoſtolorum, & ſequentibus ſeculis iſta omnia apud Judæos vulgata fuerint. Hoc nonnullis teſtimoniis è Talmude, aliiſque libris antiquioribus hoc capite demonſtrabimus. Teſtimonia autem illa non uno è loco petenda ſunt, ut ritum Confeſſionis ex eorum verbis non omninò inutilè componamus. Nulli enim Judæorum libri antiqui, ullum doctrinæ ordinem obſervant, ſed ſunt ſcopæ diſſolutæ, modò de hac re, modò de illa, ut in buccam animi ſenſa veniunt, differentes. Ab his tantùm excipiendus aliquatenus liber Miſnajoth, in quo generalis quidem eſt ordo, & ad ſex quædam doctrinæ, & ceremoniarum capita quecunque tractant, referuntur. Verùm ab annis paulò minùs ſexcentis viri docti ſcientiarum periti plures apud eos fuere, qui indigeſtam ſcriptorum antiquorum molem, in ordinem redegerunt. Ante illa tempora erant omnes eorum ſcriptores, Artifices, ruſtici, & litterarum planè rudes, ſed tamen legis, & traditionum ſuarum tenaciſſimi.

II. Tractatus Talmudicis Joma *cap. 3. fol. 36. pag. 2.* תנו רבנן כיצד מתודה עויתי פשעתי וחטאתי וכן בשעיר המשתלח הוא אומר והתודה עליו את כל עונות בני ישראל ואת כל פשעיהם לכל חטאתם וכן במשה הוא אומר נושא עון ופשע וחטאה׳ דברי ר׳ מאיר וחכמים אומרי׳ עונות אלו הזדונות וכן הוא אומר הכרת תכרת הנפש ההיא עונה בה פשעי׳ אילו המרדים וכן הוא אומר מלך מואב פשע בי אז תפשע לבנה בעת ההיא לכל חטאתם אילו השגגות וכן הוא אומר נפש כי תחטא בשגגה ומאחר שהתודה על הזדונות ועל המרדים חוזר ומתודה על השגגות אלא כך היה מתודה חטאתי ועויתי ופשעתי לפניך אני וביתי וכו׳ אלא מהו שא׳ משה נושא עון ופשע וחטאה אמר משה לפני הקב״ה רבונו של עולם בשעה שישראל חוטאין לפניך ועושין תשובה עשה להם זדונות כשגגות׳ *Docuerunt Rabanim, qua ratione quis confiteri debeat; Perversè egi, rebellis fui, peccavi. Sic fit in Hirco emiſſario, de quo dicitur, & confitebitur ſuper eum omnes iniquitates filiorum Iſrael, & omnes prævaricationes eorum, in omnibus peccatis eorum. Et ſic à Moſe dictum eſt Exodi 34. 7. Auferens iniquitatem, & ſcelus, & peccatum. Verba R. Meir. Dixerunt ſapientes, iniquitates ſunt peccata ſuperbiæ. Sic dictum eſt, exſcindendo exſcindes animam illam, iniquitas ejus in ea. Scelera, ſunt rebelliones, & ſic dictum eſt, Rex Moab rebellavit in me 2. Reg. 3. 8. Tunc rebellavit libna illo tempore, 2. Reg. 8. 22. In omnibus peccatis eorum: En erroris peccata. Et ſic dictum eſt, Levit. 4. 2. Anima cum peccaverit per errorem. Poſtquam autem Reus confeſſus fuerit peccata ſuperbiæ, & rebellionis, redibit, & confitebitur peccata ignorantiæ. Ideò ſic confitebitur, Peccavi, iniquitatem feci, rebellavi adversùm te ego, & domus mea, &c.* Poſtquam hoc probaverunt exemplo Davidis, Salomonis, & Danielis, ſermonem retexunt, *Quid eſt, quod dixit Moſes, auferens iniquitatem, rebellionem, & peccatum? Dixit Moſes in conſpectu Dei benedicti, Domine mundi, eu hora, qua Iſrael peccavit coram te, & Pœnitentiam egit, fac eis peccata ſuperbiæ velut, peccata ignorantiæ.* Omnia igitur peccata confitenda, graviſſima, gravia, & levia, fiuntque graviſſima, & gravia per Pœnitentiam interiorem, & Confeſſionem levia, & deletu facillima, hoc eſt, עון & פשעו fit׳ שגגה חטאת vel ſi mavis, Pœnitentibus, & confitentibus peccata gravia condonat ut levia, ut videtur intelligere gloſſator, nec prius remittuntur, quam Confeſſio edita fuerit. Eadem prope habet Talmud Hieroſolymitanum eodem tractatu *cap. 3.* ad Deciſionem Miſnæ ſeptimam, ubi his verbis hæc omnia concludit, אלא מכיון שהוא מתודה על הזדונות ועל מרדים כאילו הן שגגות לפניו׳ *Sed poſtquam confeſſus eſt, peccata ſuperbiæ, & rebellionis, facta ſunt coram facie ejus velut peccata erroris.*

III. Verba Confeſſionis illius, quæ fit à Sacerdote nomine populi, & pro ſeipſo, cùm hircum emittit, quæ etiam aliàs quiſque privatus confitens edere tenetur, expreſſius nobis repræſentat liber Miſnajoth eodem tractatus Joma *cap. 3. numer. 8.* וסומך שתי ידיו עליו ומתודה וכן היה אומר אנא השם עויתי פשעתי חטאתי לפניך אני וביתי אנא השם כפר נא לעונות ולפושעים ולחטאים שעויתי ושפשעתי ושחטאתי לפניך אני וביתי ככתוב בתורת משה עבדך כי ביום הזה יכפר וגו׳ והן עונין אחריו ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד׳ *Imponens duas manus ſuper eum confitetur, & ſic dicit, Quæſo, Domine, perversè egi, prævaricatus ſum, peccavi adversùs te, ego & domus mea; Quæſo, Domine, condona quæſo iniquitates, rebelliones, & peccata, quæ perversè egi, in quibus rebellavi, & peccavi, adversùm te, ego & domus mea, ſicut ſcriptum eſt, in lege Moſis ſervi tui, quoniam hoc die fit expiatio, &c. Illi verò reſpondent, benedictum nomen gloriæ regni ejus in æternum, & ultra.*

IV. Talmud Hieroſolymitanum, in fine ultimi capitis tractatus Joma aliis verbis eandem confitendi rationem tradit ex Barachiæ traditione, רבוני חטאתי ומורע עשיתי וברעת רעה הייתי עומד ובדרך רחוקה הייתי מהלך וכשם שעשיתי איני עושה יהי רצון מלפניך יי׳ אלהים שתכפר לי כל על פשעי ותמחול לי על כל עונותי ותסלח לי על כל חטאתי׳ *Domine peccavi, & malignè egi, & in opinione, animoque malo conſtanter ſteti, & in via longinqua ambulavi. Sicut ego feci, non ampliùs faciam. Sit voluntas, & beneplacitum tuum, Domine Deus, ut expies omnes prævaricationes meas, & parcas omnibus iniquitatibus meis, & condones omnia peccata mea.*

V. Capite verò octavo ejuſdem tractatus in Talmude Babylonico *fol. 87. pag. 1.* definiunt non ſufficere generalem confeſſionem in Confeſſionibus, quas edunt perſonæ privatæ pro peccatorum ſuorum redemptione, ſed peccatum ipſum quod peccaverunt nominatim confiteri oportere, וצריך לפרוט את החטא שנאמר אנא חטא העם הזה חטאה גדולה ויעשו להם אלהי זהב וכו׳ *Neceſſe eſt nominatim edere peccatum, ut dicitur, obſecro, peccavit populus iſte peccatum grande, & fecit populus iſte Deos aureos, &c.* Gloſſa in hæc verba, וצריך לפרוט את החט כשהוא מתודה אומר חט פלוני חטאתי׳ *Neceſſe eſt ſigillatim edere peccatum: Cùm enim confitetur, dicit, peccatum tale peccavi.* Non minùs evidenter Talmud Hieroſolymitanum idem apud eos fieri docet, in fine ejuſdem tractatus Joma, תני צריך לפרוט את מעשיו דברי רבי יהודה בן בתירה׳ *Traditio eſt, neceſſarium eſſe ſigillatim enuntiare opera ſua. Hæc verba R. Judæ filii Bathiræ.* Deinde paucis expreſſa Akibæ ſententia, ſubdit, מה טעמא דר׳ יהודה אנא חטא העם הזה חטאה גדולה ויעשו להם אלהי זהב׳ *Quæ ratio R. Judæ.* Ex hoc verſu ſumitur, *Obſecrò, peccavit populus iſte peccatum grande, & fecerunt ſibi Deos aureos.* Hinc, ut aliquos retulimus, ſpecialem peccatorum enumerationem in confeſſione confirmat.

VI. R. Akibæ ſententia huic traditioni videtur adverſari: refertur enim, eodem loco ſtatim poſt priora verba allegata Akibam dixiſſe, אינו צריך לפרוט את מעשיו *Neceſſe non eſt ſpeciatim enuntiare opera ſua.* Quid unus aut alter iſtorum Rabbinorum dixerit, parum nobis curandum eſt: Quid vulgò faciant tantùm attendamus. Attamen ſi textus Hieroſolymitanus accuratius inquiratur, nihil ejuſmodi tribuit Akibæ. Poſtquam enim ratio R. Judæ, qua nitebatur axioma ſuum de Confeſſione κατ̓ μέρος facienda, relata eſt, Akibæ quoque ratio in illam probationem refertur, quæ mihi videtur demonſtrare Akibam non rem ipſam improbaſſe, ſed ſolùm rationem, qua confirmabatur. Sic ſe textus habet, מה עבד לה ר׳ עקיבה מי גרם להם אני שהרביתי להם כסף וזהב למה שאין חמור נוהק אלא מתוך כפיפה של חרובין׳ *Quid fecit eis? R. Akiba intellexit, Quis dedit eis occaſionem? Ego, qui tantopere auxi eorum argentum, & aurum. Quare non rudit Aſinus niſi è medio caniſtro ſiliquarum?* Videtur planè dicere

hunc

Digitized by Google

hunc verſum ex 32. Exodi deſumptum non loqui de peccatorum Confeſſione facienda, ſed his verbis crimen populi elevare, & excuſare coram Deo, eo quòd ſuppeditaverit illis tantam auri, & argenti abundantiam, ut inde peccati occaſionem deſumpſerit, non ſecùs ac Aſinus pabulo abundans geſtit, & rudit. Hinc concludit Akiba ſpecialem peccatorum Confeſſionem ex hoc loco non rectè inferri.

VII. Confirmat hoc Talmud Babylonicum loco citato, ubi poſt verba Judæ jam relata de Confeſſione facienda immediatè ſubjungit Akibæ ſententiam his verbis, ר' עקיבה אומר אשרי נשוי פשע כסוי חטאה אלא מה שאמר משה ויעשו להם אלהי זהב כדברי ינאי דאמר ר' ינאי אמר משה לפני הק"בה רבונו של עולם כסף וזהב שהרבית להם לישראל עד שאמרו די גרם להם שיעשו אלהי זהב· *R. Akiba dixit, Beatus cujus iniquitas remiſſa eſt, & tectum peccatum. Verùm quid eſt quod dixit Moſes, Et fecerunt ſibi Deos aureos? Hoc intelligendum eſt, ſecundùm dictum Jannæi; Dicebat Moſes coram Deo benedicto, Domine mundi, argentum, & aurum quod Iſraelitis multiplicaſti donec dicerent, ſatis eſt, occaſionem dedit eis faciendi Deos aureos.* Nihil prorſus contra ſpecialem peccatotum Confeſſionem, quam paulò antè ex eodem loco adſtruxerat R. Juda. Solum colligi poteſt ex ſententia Akibæ, & Jannæi verba Moſis populi peccatum excuſare. Sic quoque Talmudis Gloſſator verba citata commentans, לא הזכיר העון אלא למעטו ולומר אתה גרמת להם משל לאדם שהיה לו בן נאה ומאכילו ומשקהו ותולה לו כיס של דינרין בצוארו והושיבו בפתח זונות מה יעשה שלא יחטא וכו' *Non meminit iniquitatis niſi ad eam minuendum, quaſi diceret, Tu dediſti eis occaſionem. Res ſimilis eſt homini, cui pulcher, & ſpecioſus eſt filius, quem dapibus, & potu lautè excipit, deinde appendit ejus collo crumenam pecunia plenam, & collocat eum ad proſtibuli portum. Quid tum faciet ſpecioſus adoleſcens, ut non peccet?* Res eſt igitur apud eos manifeſta, & confeſſa, cui ab Antiquorum nemine contradicitur, crimina in proximum etiam occulta particulatim eſſe confitenda, idque publicè laudabiliter fieri, nec aliter conſummatam eſſe Pœnitentiam. Quæ ſequuntur idem confirmabunt.

VIII. Quicumque pœna aliqua criminum cauſa afficiebantur criminis confeſſionem ſedulò monebantur, illiſque inculcabatur, Confeſſione peccata deleri, & confitentem in ſeculo futuro gloriæ participem fore. Sic in Miſnajoth tractatus Sanhedrin *capit. 6. numer.* 2. & in Talmude eodem tractatu, & capite ex Miſnajoth refertur *fol. 43. pag.* a. היה רחוק מבית הסקילה כעשר אמות אומרים לו התודה שכן דרך המומתין מתודין שכל המתודה יש לו חלק לעולם הבא שכן מצינו בעכן שאמר לו יהושע בני שים נא כבוד לאלהי ישראל ותן לו תודה ויען עכן את יהושע ויאמר אמנם אנכי חטאתי וכזאת וכזאת וגו' ומנין שכיפר לו וידוי שנ' ויאמר יהושע למה עכרתנו יעכרך ה' היום הזה היום הזה אתה עכור ואי אתה עכור לעולם הבא· *Cùm Reus ad ſupplicium duceretur, atque à loco lapidationis circiter decem cubitos abeſſet, dicebant illi, confitere, quia conſuetudo eſt, ut qui morte plectuntur, confiteantur, quia omnis qui confitetur partem habet in ſeculo futuro: Sic enim invenimus Joſuam Acani dixiſſe, fili mi, da quæſo gloriam Deo Iſrael, & da ei Confeſſionem. Et reſpondet Acan Joſuæ, & dixit, Verè ego peccavi, ſic & ſic, &c. Sed unde ſcis, quòd expiavit eum Confeſſio? Quia dictum eſt, Et dixit Joſue ad Acan; quare conturbaſti nos? turbet te Dominus hodie. Hodie turbatus eſto, dixit; non autem turbatus eſto in ſeculo futuro.* Moſes Cordubenſis, & Obadias à Bartenora in hunc locum ajunt, Reum admonitum fuiſſe, ut confiteretur antequam locum ſupplicii attigiſſet, ne loci conſpectu mens turbaretur, & confeſſioni eſſet impedimento.

IX. Neceſſe eſt prætereà confitentem apud ſe fixo, ratoque animi propoſito decernere crimina commiſſa non ampliùs perpetraturum, alioquin inutilem eſſe Confeſſionem, & Pœnitentiam. Sic R. Ada filius Ahaba tractatu Talmudico Thaanith *cap. 2. fol. 16. pag.* 1. אדם שיש בידו עבירה ומתודה ואינו חוזר בה למה הוא דומה לאדם שתופש שרץ בידו שאפילו טובל בכל מימות שבעולם לא עלתה לו טבילה זרקו מידו כיון שטבל בארבעים סאה מיד עלתה לו טבילה שנאמר ומודה ועוזב ירוחם· *Homo, in cujus manu eſt tranſgreſſio, & eam confitetur, ſed ab eo non recedit, cui ſimilis eſt? Homini qui apprehendit reptile in manu ſua; quia licèt lavet ſe in omnibus aquis mundi, non æſtimatur, nec proficit ei lotio: proiiciat illud de manu ſua, ſimul ac ſi lavaverit ſe in 40. menſuris aquæ, ſtatim proficit ei lotio, ut dicitur, qui confitetur, & relinquit, miſericordiam conſequetur.*

X. Ut vera ſit Pœnitentia, debet Reus à peccato commiſſo liberè abſtinere, ita ut poſitis eodem objecto, & iiſdem circumſtantiis, in quibus primum peccavit, iterùm peccare recuſet. Peccatum inſuper in proximum, ſive publicum ſit, ſive occultum eſt, illi publicè confitendum, ut & peccata in Deum publica. Hæc docet Talmudicus tractatus Joma *cap. 8. fol. 86. p.* 2. ubi cum verba fecerunt de effectibus veræ Pęnitentiæ, nonnulla ſigna tradunt, quibus dignoſcitur, אמר רב יהודה כגון שבאת לידו דבר עבירה פעם ראשונה ושניה וניצל הימנה מחוי רב יהודה באותה אשה באותו פרק באותו מקום אמר רב יהודה רב דמי כתיב אשרי נשוי פשע כסוי חטאה וכתיב מכסה פשעיו לא יצליח לא קשיא הא בחטא מפורסם כאן בחטא שאינו מפורסם רב זוטרא בר טוביא אמר רב נחמן כאן בעבירות שבין אדם לחבירו כאן בעבירות שבין אדם למקום· Refertur eo loco traditio quædam R. Meir dicentis rem magnam eſſe Pœnitentiam, eo quòd propter unius pęnitentiam toti mundo parcatur: Hoc autem probat ex *Oſeæ verſ.* 5. in quo dicitur, *Sanabo rebellionem veſtram, diligam eos ultro, quia averſus eſt furor meus ab eo.* Non dixit, inquit Meir, ab iis, ſed ab eo, quo Pęnitentem denotat, propter quem Deus cæteros homines diligit, & iis parcit. Hinc deſcribendi veri Pęnitentis occaſionem verbis citatis carpit Rabbinus alius, Quis Pęnitens dicendus, cui aſſimilandus? *Dixit R. Juda, cùm videlicet in alicujus poteſtatem ſemel atque iterùm redit occaſio tranſgreſſionis jam ab eo commiſſæ, & ab ea ſeſe innoxium eripit, & liberat. Addit R. Juda hoc eſſe intelligendum, occurrente eadem muliere, eodem temporis momento, & eodem loco. Dixit R. Juda, opponebat Rab, ſcriptum eſſe, Beatus cujus dimiſſa eſt prævaricatio, cujus tectum eſt peccatum; ſcriptum quoque eſſe, tegens prævaricationes ſuas non proſperabit. Non eſt difficultas. Poſteriore verſu ſermo eſt de peccato publico, priore, de occulto. R. Zutra filius Tobiæ, Dixit R. Nachman. Poſterior verſus de peccatis in proximum intelligendus; prior de peccatis in Deum.* Duo notabit Lector, Prius, conjunctionem כאן cum repetitur in dialecto Talmudica ad connexionem ſermonis, ſignificare ut plurimùm, *tam*, in priore parte, & *quàm* in poſteriore, vel *ſive* repetitum. Sed eo ſenſu hic interpretari non poteſt, cùm ad contraria membra repetitio referatur. Poſterius, duorum iſtorum Rabbinorum interpretationes non eſſe conjungendas, ſed eſſe planè differentes hoc eſt, licet ea verba, *tegentem peccata non proſperare*, Rabbinus unus interpretetur peccata publica. Altet verò peccata in proximum; hinc tamen colligete non oportere peccata in proximum, cùm publica ſunt, perperam tegi, ita ut, cùm occulta ſunt, tegi debeant. Hoc enim ex eorum ratiociniis non ſequitur, & omnibus eorum dictis contradicit.

XI. Ex iſtorum igitur Doctorum Talmudicorum ſententia beatus eſt, cujus Deus peccata texit, quique texit peccata occulta, in Deum: Infelix verò qui tegit ſive non confitetur peccata in proximu, quique tegit peccata publica, ſive in Deum ſive in proximum commiſſa. Sic etiam Talmudis Gloſſa hoc interpretatur, בחטא מפורסם טוב לו שיודה ויתבייש ולא יכפור בו בחטא שאינו מפורסם· לא יגלה חטאו וכבוד השם הוא שכל מה שאדם חוטא בפרהסיא מיעט כבוד שמים והוא עבירות שבין אדם לחבירו יגלה לרבים שיבקשו ממנו שימחול לו· *In peccato publico bonum eſt ei, ut confiteatur, & pudore confundatur, & non neget illud. Peccatum autem quod non eſt publicum, non revelabit. Hoc autem fit propter Dei gloriam. Quidquid enim publicè peccat homo, hoc minuit gloriam Dei. Peccata in proximum revelabit publicè, ut multorum precibus veniam ab eo impetret.* Occultatio igitur illa criminum eſt, in Deum commiſſorum, quæ publicè confiteri, ut jam demonſtratum eſt, ab iis cenſetur magna impudentia. Cùm verò publica ſunt, publicè quoque ſunt confitenda.

XII. Hanc ſententiam ita explicant, & tradunt R. Moſis Cordubenſis Scholiaſtes, & apud ipſum R. Abraham Ben Dior, vel David Confeſſionem ſcilicet fieri publicam non modò peccatorum in proximum, ſive publica ſint, ſive occulta; ſed etiam peccatorum publicè in Deum commiſſorum, כתב הראב"ד ז"ל וכן בעבירות מפורסמות ומגולות אע"ף שאינן עם חבירו שכמו שנתפרסם החטא כך צריך לפרסם התשובה ולהתבייש לרבים עכ"ל ואני אומר כי זאת סברא נכונה היא ויש כמה ראיות בתלמוד כמו וידוי עכן ומעשה דשמעון בן שטח שהיה משתטח על קבר עד וגם שהרג ומבזרין העם לומר קלו של הרוג הוא כו' ורוצח שגלה לעיר מקלטו ורצו בני העיר לכבדו אומר להם רוצח אני שנ' וזה דבר הרוצח וכהנה רבות· *Scripſit R. Abraham Ben Dior felicis memoriæ. Idem obſervatur in criminibus publicis.*

Digitized by Google

blicis, & publicatis, licèt eum proximo commiſſa non ſint. Sicut enim publicatum eſt peccatum, ſic neceſſe eſt publicari pœnitentiam, & peccatorem coram multis pudore ſuffundi. Hactenus Dior. Ego autem dico hanc ſententiam certam eſſe, & juſtam, & multis rationibus ex Talmude demonſtrari, ut ex Confeſſione Acan, & hiſtoria Simeonis filii Sata, qui expandit ſe ſuper ſepulchrum falſi teſtis quem occiderat, & exiſtimabat populus ab interfecto vocem emitti. Homicida quoque, qui confugerat ad urbem refugii, cùm eum honorare vellent cives, iis dicebat, Homicida ego ſum, ut dicitur, & hoc erit verbum homicidæ, & multa ſimilia.

XIII. Eodem tractatus capite cætera, quæ ex recentioribus Rabbinis retulimus ferè continentur, quæ ſufficiet huc referre, & Latinè interpretari: Res enim ſimpliciter expoſita per ſe perſpicua eſt. Talmudici commentantes hæc verba textus Miſnajoth, עבירות שבין אדם למקום יום הכפורים מכפר ושבינו לבין חבירו אין יום הכיפורים מכפר עד שירצה את חבירו׃ *Peccata, quæ commiſit homo in Deum, expiat feſtus dies Expiationis; ſed quæ in proximum non expiat, donec proximum placaverit*: Sic edifferunt, רמי ליה רב יוסף בר חבו לרבי אבהו עבירות שבין אדם לחבירו אין יום הכפורים מכפר והא כתיב אם יחטא איש לאיש ופללו אלהים מאן אלהים דיינא אי הכי אימא סיפא ואם לה׳ יחטא איש מי יתפלל לו הכי קאמר אם יחטא איש לאיש ופללו אלהים ימחול לו ואם לה׳ יחטא איש מי יתפלל בעדו תשובה ומעשי טובים׃ אמר רבי יצחק כל המקניט את חברו אפילו בדברים צריך לפייסו שנ׳ בני אם ערבת לרעך תקעת לזר כפך נוקשת באמרי פיך עשה זאת אפוא בני והנצל אם ממון יש בידך התר לו פסת יד ואם לאו הרבה עליו ריעים ואמר רב חסדא וצריך לפייסו בשלש שורות של שלש בני אדם שנ׳ ישור על אנשים ויאמר חטאתי וישר העויתי ולא שוה לי ואמר רבי יוסי בר חנינא כל המבקש ממו מחבירו אל יבקש ממנו יותר משלש פעמים שנ׳ אנא שא נא ועתה שא נא ואם מת מביא עשרה בני אדם ומעמידים על קברו ואומר חטאתי לה׳ אלהי ישראל שחבלתי בו׃ *Obiiciebat Rab Joſeph filius Chavo Rabbino Abohu, Cenſeſne peccata, quæ fiunt ab homine in proximum feſtum Kippurim non expiare. Verùm ſcribitur, Si peccaverit vir in virum, & placaverit eum, Elohim* parcet illi. *Quid intelligis per Elohim? Judicem. Si ita cenſes, opponam finem verſus, ſi verò in Deum peccaverit, quis orabit pro eo.* Quod Judici non convenit. *Sic igitur* conformiter *dico, Si peccaverit vir in virum, & placaverit eum, Deus parcet illi. Si verò in Deum peccaverit, quis orabit pro eo? Pœnitentia, & opera bona. Dixit R. Iſaac, Quicunque irritat proximum ſuum etiam verbis, neceſſe eſt, ut eum placet, ut dicitur Proverb. 6. 1. Fili mi ſi ſocio tuo ſpopondiſti, affixiſti alieno manum tuam; illaqueatus es verbis oris tui. Fac hoc nunc fili, & liberate. Si pecunia eſt in manu tua, ſolve illi in volam: Si nullam habeas, multiplica ſuper eum Amicos. Dixit autem Rab Chaſda, neceſſe eſt eum reconciliare ſibi cum tribus ordinibus, unoquoque ex tribus hominibus conſtante, ut dicitur Job. 33. 27. Circumibit ſuper homines, & dicet peccavi, & quod rectum eſt perverti, & non mihi profuit. Dixit verò R. Joſe filius Chanina, Quicunque veniam, & reconciliationem à proximo petit, ne eam petat amplius, quàm tribus vicibus, ut dicitur, Geneſ. 50. 17. Obſecro, parce nunc, & nunc parce quæſo. Si verò mortuus fuerit adducit decem homines, & conſtituit eos ſuper ſepulchrum ejus, & dicit, Peccavi in Dominum Deum Iſrael, & adverſùs hunc N. quem injuria affeci.*

XIV. Rabbini Talmudici ratiocinatio, qua demonſtrat verbum פלל 1. Samuelis *cap. 2. verſ. 25.* Significare placationem, & reconciliationem non autem Judicium, nonnihil obſcura eſt; ideò nonnulla verba ſenſus commodioris cauſa nobis ſupplenda fuerunt. Sed collectio potiſſimùm nobis attendenda eſt, non collectionis ratio, crimina ſcilicet in Deum per Pœnitentiam, & opera bona expiari: Crimina verò in proximum requirere præterea Proximi placationem, & cum eo reconciliationem: Gloſſa Talmudica interior ſic verba iſta obſcura interpretatur, והא כתיב ופללו אלהים וקא סלקא דעתך ופללו לשון תפילה ופיוס הוא שהקדוש ברוך הוא מפלל ומפייסו ומכפר לו׃ מאן אלהים דיין והאי אללו לשון ונתן בפללים הדיין ישפוט ביניהם׃ אי הכי ופללו דקרא לשון משפט ניהו אימא סיפא מי יתפלל לו מי ישפטנו בשביל המקום וכי אין שלוחין הרבה למקום ליפרע הימנו׃ הכי קאמר הכי נמי דפילול וקרא לשון פיוס הוא והכי קאמר אם יחטא איש לאיש ופילל לחבירו וריצהו האלהים ימחול לו ואם לה׳ יחטא איש מי יתפלל בעדו אם אינו שב מעבירות שבידו כך היה עלי הכהן מוכיח את בניו שישובו מרשעם׃ *Hæc verba* והא כתיב *&c. id eſt, Num venit tibi in mentem interpretari verbum,* ופללו *in ſignificatione orationis, & placationis quaſi Deus benedictus ipſe placaret, reconciliaret, & expiaret eum?* מאן אלהים דיין׃ *hoc eſt, An illud* פללו *ſignificant Judicium, ut Exod. 21. 22. dicitur, & dedit* פלילים *Judicibus, id eſt, Judex judicabit inter eos?* אי הכי׃ *Si ſic eſt, quod* ופללו׃ *illius verſus ſignificet Judicium dicam conſequenter finem illius verſus* מי יתפלל לו׃ *ſignificare quoque quis judicabit eum propter Deum. At quonam modo ad eum plures mitti poterunt ad vindictam ab eo ſecundum* הכי קאמר׃ *id eſt, Quapropter hoc verbum* פללו׃ *in hoc verſu ſignificat placationem. Et ſic intelligendus verſus, Si peccaverit vir in virum, & placaverit proximum ſuum, Deus illi parcet: Si verò in Deum peccaverit vir, quis pro eo orabit, ſive Deum placabit, niſi Pœnitentiam de iniquitatibus, quæ in ejus manu ſunt egerit? Sic filios ſuos reprehendebat Heli, ut à malitia ſua converterentur.* Aliquantulum à noſtra hæc interpretatio differt. Utriuſque Lector ſit Arbiter.

XV. Nihilominus alii Rabini frequentes verbum׃ פלל eo loco Samuelis Judicii ſignificatione utrobique interpretantur. Ita Salomon Jarki, qui etiam Elohim Judicem explicat, ut & Levi Ben Gerſom, qui ideò occaſionem captat de Dei Judicio ſevero & ejus zelo diſſerendi. R. Kimhi in hunc locum utramque ſignificationem amplectitur, ſed poſteriorem Jonathanis Paraphraſtæ authoritate commotus: Sed in radicibus prioris tantum ſignificationis meminit. R. Iſaias breviſſimis commentariis in hunc locum utramque explicationem conjungit, & ad Talmudici Doctoris ſententiam proximè accedit, אם יחטא איש לאיש ישפטנו הדיין ויפיים את החובע אבל אם יחטא איש לבורא מי יפיים לבורא ויתפלל בעדו שימחול לו אם לא ישוב החוטא מדרכו הרעה׃ *Si peccaverit vir in virum, judicabit eum Judex, & Exactorem placabit. Sed ſi peccaverit homo in Creatorem, quis placabit Creatorem, & orabit pro eo, ut ei parcat, niſi peccator converterit ſe à via ſua mala.* Septuaginta Interpretes, & S. Hieronymus verbum hoc eo loco in ſignificatione placandi, & orandi non ſecùs ac illi antiqui Talmudici tantùm uſurparunt. Hæc occaſione iſtius verbi dicta ſunto, forſan pluribus quàm par erat.

XVI. Eadem docet, licèt non ita particulatim, in Talmude Hieroſolymitano eodem capite R. Samuel initio deciſionis nonæ, שמואל אמר הדן דחטא על חבריה צריך מימר ליה סרחית עלך ואין קבליה הא מטאות ואין לא מייתי בני נש ומפיים ליה קומיהון הדא הוא דכתיב ישר על אנשים ויעשה שורה של אנשים ויאמר חטאתי וישר העויתי ולא שוה לי אם עשה כן עליו הכתוב אומר פדה נפשו מעבר בשחת וחייתו באור תראה מית צריך מפייסתיה על קבריה ומימר סרחית עלך *Dixit Samuel, qui peccavit in ſocium neceſſe eſt illi dicere, iniquè egi in te. Si eum recipit, bene eſt. Quòd ſi non adducit ſecum filios hominis, & coram iis placat eum, Hoc eſt quod ſcribitur, contemplabitur homines. Faciet ordinem hominum, & dicet peccavi, & rectum perverti, & æquitas non eſt mihi. Si ſic fecerit, de eo dicitur, redemit animam ſuam, ne tranſiret in foſſam, & vita ejus lucem videbit. Verùm ſi mortuus fuerit, neceſſe eſt eum placare ſuper ſepulchrum ſuum, & dicere iniquè egi in te.*

XVII. Jacob Aben Chabib in libro dictus, En Iſrael, oculus Iſraelis, in fine collectionum ejuſdem tractatus, hæc Samuelis verba refert, & illorum cauſa nonnulla adnotat, quibus evidenter demonſtratur, Judæos huc uſque rigidè, quæ de peccatorum in proximum Confeſſione, & publicatione, atque cum eo reconciliatione explicata ſunt, obſervaſſe, cùm Rabbinus ille, qui ſeculo proximè præterito ſcribebat, minimam iſtarum legum prævaricationem acriter carpat. Ideò cum in ea incideremus, prætereunda non judicavimus. מכאן נראה שהוא מנהג של טעות מה שנוהגים בזמננו אם יחטא איש לאיש והקניטו בדברים נכנס ביניהם אמצעי עושה שלום ומדבר עם העולב שירצה לקבל פיוס העולב ואחר זאת התקדמה יבא העולב לבקש מחילה ממנו ואין זאת כונת שמואל אלא שהעולב ילך מעצמו לפני העולב ויאמר לו סרחית עלך ואם לא קבלו אז יביא אנשים עמו וחוזר לחלות פניו בפניהם שימחול לו וכן יורה דקדוק לשון שמואל ועוד יגיד עליו רעו שאמר ואי מית צריך למיזל על קבריה וכו׳ וראוי שנאמר שההליכה לפיוס לפני החי וזאת אין בהם הקושיה בידיעה רק שהעלב ילך מעצמו לפיוס העלוב וזאת הבושה ובזיון הם לכפר עליו מאשר חטא לחברו אפילו לא הקניטו אלא בדברים וכשהולך לפייסו על קברו יוליך עמו עשרה אנשים ויאמר בפניהם חטאתי לה׳ ולפלוני זה שפשעתי בו והם ישיבו לו מותר לך מחול לך

Hinc

Hinc apparet, conſuetudinem, quam nunc obſervamus, erroneam eſſe, qua cùm vir peccavit in virum, & irritavit eum verbis, procedit inter eos quidam mediator pacem faciens, & loquitur cum injuriam paſſo, ut ei perſuadeat ſatisfactionem ab injuriam inferente accipere, & ei reconciliari; quo facto proœmio, & veluti præparatione Author injuriæ adit injuriam paſſum, & veniam ab eo poſtulat. Sed hæc non eſt intentio, & mens Samuelis: ſed ut injuriam inferens eat per ſeipſum ad injuriam paſſum, & ei dicat, iniquè egi adversùm te. Quod ſi illum non exceperit, tunc homines ſecum adducet, ut iterùm coram ipſis ejus animum ſedare, & placare tentet, ut illi parcat. Hoc docet, & poſtulat accurata verborum Samuelis explicatio. Narrabit inſuper contra ſe maledicta, quæ protulit. Quòd ſi injuriam paſſus mortuus eſt, neceſſe eſt, ut eat ad ipſius ſepulchrum, &c. Conſentaneum igitur eſt, ut dicatur itionem illam Mediatoris in conſpectum viventis, & mortui ad placationem obtinendam non eſſe illic prævium, ſed oportere duntaxat, ut offendens eat per ſeipſum ad placandum offenſum. Hæc autem erubeſcentia, & ignominia inſerviunt ad eum expiandum à peccatis, quæ in proximum perpetravit, licèt verbis tantùm ei tædium, & injuriam intulerit. Cùm autem ibit ad ſepulchrum ejus ad eum ſibi reconciliandum, ducet ſecum decem homines, & ante eos dicet, peccavi in Dominum, & in talem N. quia injuriam illi feci. Ipſi verò reſpondebunt illi, hoc tibi ſolutum eſt, hoc tibi condonatum. Hæc fuit Confeſſionis apud Judæos antiquos, & recentiores perpetua, & ab excidio templi ad noſtra tempora nuſquam interrupta praxis, ut ex iis, quæ hactenus dicta ſunt facilè colligi poteſt. Multa prætereà, ex capite ultimo libri noni, in quo enarramus Judæorum ſummam in confitendo diligentiam ſingulis annis cum Expiationis feſtum celebratur, adhibitam, huc ad Confeſſionis iſtius illuſtrationem referre poterit harum obſervationum curioſus Lector. Quapropter iſta hic prudenter omittimus.

COMMENTARII HISTORICI

DE

ADMINISTRATIONE SACRAMENTI POENITENTIÆ,

Ab Apoſtolis ad uſque ſeculi duodecimi initium tam in Eccleſia Orientali, quàm Occidentali obſervata.

LIBER TERTIUS,

Qui rationes explicat, quibus perſuaſi Sancti Patres in crimina Baptiſmum præcedentia indulgentiſſimi fuerunt, in ſequentia verò ſeveriſſimi; plebſque fidelis commota tantæ ſeveritati humilimè, & obſequentiſſimè ſe ſubmiſit.

CAPUT I.

In quo ſit differentia gravitatis peccatorum ante, & poſt baptiſma commiſſorum, quæ totius Pœnitentialis diſciplinæ eſt fundamentum, aduotatur; & ordo dicendorum ad hanc differentiam explicandam proponitur.

DUo ſunt totius Pœnitentialis diſciplinæ fundamenta, quæ neceſſarium nobis videtur explicare, antequam Pœnitentiæ labores antiquitus peccatoribus imponi ſolitos, hoc eſt, tertiam totius propoſiti noſtri partem ediſſerere aggrediamur. Prius rationes ſpectat gravitatis, & multiplicis varietatis pœnarum, quas toties legimus criminum Reis inflictas: Poſterius voluntariam earum à Reis acceptationem, & in ſeipſos executionem. Prius fundamentum eſt diſcrimen, quod Antiqui poſuerunt inter crimina ante, & poſt baptiſmum commiſſa, cujus cauſas ſtudioſè perſequemur. Criminum quidem puniendorum authoritatem Eccleſiæ dedit Chriſtus Matthæi *cap. 16. &* 18. & Joan. *cap.* 20. aliiſque in locis. Sed ratio propter quàm idem crimen commiſſum ante baptiſmum nulla pœna plectitur, paucula tantum Pœnitentia purgativa curatur; poſt baptiſmum verò ſi committatur, ſevera, longaque pœna caſtigatur, & eluitur, authoritatis iſtius communicationem natura præcedit, & illius eſt fundamentum. Tolle enim pœnas, quid prodeſt puniendi poteſtas? Hoc diſcrimen ſemper Eccleſia Catholica prædicavit, ab eoque criminum ſeverè in Chriſtianis puniendorum, in Catechumenis verò indulgenter habendorum cauſam repetivit. Quanquam autem doctrina iſta ſit apud Patres decantatiſſima, eam tamen iſtius libri magna parte explicabimus, & demonſtrabimus. Poſt enim abrogatum Pœnitentiarum canonicarum uſum mihi videtur minus conſiderata. Deinde tam immane, & immenſum ab iis ponitur inter utriuſque peccati malitiam diſcrimen, quod, licèt cæteras rationes prætermittamus, vel ex pęnis facilè innoteſcit, ut prorſus mihi videatur hujus diſcriminis intima cognitio ad Pęnitentiarum utilitatem explicandam neceſſaria. Iſtius enim diſcriminis, ut ita loquar, immanitas niſi attendatur, inſanum prope judicari poſſet eidem crimini, exempli cauſa homicidio voluntario ante baptiſmum commiſſo nullas pęnas à Patribus eſſe impoſitas, eidem verò poſt baptiſmum commiſſo, viginti annorum Pęnitentiam, qui ſic ſecundùm Baſilium *cap.* 56. ad Amphilochium diſpenſantur. *Debet quatuor annis deflere ſtans extra fores oratorii, & fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, ſuam iniquitatem pronuntians. Poſt quatuor autem annos inter Auditores recipietur, & quinque annis cum ipſis egredietur; ſeptem autem annis cum iis, qui in ſubſtratione orant, egredietur. In quatuor annis ſolùm ſtabit cum fidelibus, ſed non erit oblationis particeps. Iis autem expletis erit Sacramentorum particeps.* Mitto nunc varias toto illo tempore corporis afflictationes, jejunia, cilicia, exerophagia, chameunias. Unde tanta caſtigationis diſparitas apud æquiſſimos, & ſapientiſſimos judices, de quibus pronuntiant divina oracula, Quodcunque ligaveritis in terra, erit ligatum & in cęlis. &c. Nec hoc ſemel ſecerunt, aut uno, aut altero ſeculo, quod vel ſolum curioſam mereretur tantæ diſparitatis inveſtigationem; ſed undecim ſæculis, licèt cum varia pęnarum modo intenſione, modo remiſſione.

II. Majores noſtri, viri prudentiſſimi, Apoſtolicæ traditionis ſcientiſſimi, & tenaciſſimi magnis procul dubio, & religioſis admodùm rationibus commoti ſic ſeſe in criminum punitione geſſerunt. Quis enim tantos, tamque Sanctos viros levitatis, ignorantiæ, & iniquitatis ſuſpicari audeat? Diligentur igitur in rationes illas inquiramus. In hac inquiſitione hunc ordinem obſervabimus, Primùm quæ fuerit antiqua, & perpetua Eccleſiæ traditio de virture baptiſmi, & ampliſſima per eum remiſſione peccatorum conceſſa docebimus. Deinde difficultatem remiſſionis peccatorum poſt baptiſmum obtinendæ propter eorum malitiam ex Sanctorum Patrum evidentiſſimis teſtimoniis enarrabimus. Tertiò immanis iſtius malitiæ cauſas eruemus, ſeu potius Patres eas eruentes exhibebimus. Denique quædam hujus doctrinæ conſectanea, quæ moribundos Pęnitentes, & Catechumenos ſpectant, referemus, & ediſſeremus.

III. Peccatorum ante, & poſt baptiſmum diſcrimen, quæve ſit virtus baptiſmi, & quatenus ab ejus virtute deficiat Pęnitentiæ Sacramentum, evidenter docet Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. *de Pœnis Sacramento*, *Alius eſt baptiſmi, & alius Pœnitentiæ fructus. Per baptiſmum enim Chriſtum induentes, nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes: ad quam tamen novitatem, & integritatem per Sacramentum Pęnitentiæ, ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus, divina id exigente juſtitia pervenire nequaquam poſſumus, ut meritò Pęnitentia laborioſus quidam baptiſmus à Sanctis Patribus dictus fuerit.* Paucis his verbis complexi ſunt Sancti Patres Tridentini quæcunque de hac re multis verbis antiqui Patres tradiderunt. Quod ut fiat manifeſtius ordinem jam propoſitum ſecuti, tria demonſtrabimus, quæ verbis Concilii Tridentini commentarii loco eſſe poſſunt. Primum, Baptiſmum omnium peccatorum, omniſque pęnæ indulgentiam præſtare. Secundum, Baptiſmum hanc gratiam nullo labore, nullaque Pęnitentia operoſa impoſita præſtare. Tertium, ad eandem gratiam nonniſi multis pęnis, & laboribus per Pęnitentiæ Sacramentum perveniri, atque ideò à Sanctis Patribus Sacramentum illud vocari laborioſum, & lachrymarum baptiſmum.

CAPUT II.

Multis Patrum teſtimoniis clariſſimis probatur, omnia prorſus ſcelera, & peccata in baptiſmo remitti.

BAptiſmi Sacramentum omnia peccata, omnemque pœnam vi propria divinitus indita delere, atque hunc effectum comitari ſemper baptiſmum, modò ſine fictione, ut ajunt, hoc eſt, ſincerè cum religioſa fidei Catholicæ profeſſione, & vitæ prioris vera Pœnitentia, notius ſerè eſt apud omnes Catholicos, quàm probatione indigeat. Non putamus tamen lectori faſtidium allatura, quæ excerpſimus evidentiſſima de hac re Sanctorum Patrum teſtimonia. Juvat enim in cauſa potiſſimùm religionis ſcire nihil hodie doceri, quàm quod antiquitus evidenter docebatur, & quæ hodierni Doctores tradunt eſſe ab antiquis acceptum.

II. S. Auguſtinus ſæpiſſimè, & qualibet data occaſione hoc docet, & ſemper ut ſententiam in Eccleſia vulgatiſſimam. *In Enchiridio cap.* 64. ſic loquitur, *Excepto baptiſmatis munere, quod contra originale peccatum donatum eſt, ut quod generatione attractum eſt, regeneratione detrahatur, & tamen activa quoque peccata, quæcunque corde, ore, opere commiſſa invenerit, tollit. Hac ergo excepta magna indulgentia unde incipit hominis renovatio, in qua ſolvitur omnis reatus, & ingeneratus, & additus, ipſa etiam vita cætera jam ratione utentis ætatis, quantalibet præpolleat fœcunditate juſtitiæ, ſine remiſſione peccatorum non agitur. Sermone* 6. *de verbis Apoſtoli cap.* 9. *Quicquid in nobis egit concupiſcentia carnis præteritorum peccatorum, ſive in dictis, ſive in cogitationibus totum deletum eſt in ſacro baptiſmate: omnia dabita delevit, una indulgentia. Et lib.*3. *de Symbolo ad Catechumenos cap.* 10. *Omnia prorſus delicta delet Sanctum baptiſma, & originalia, & propria: dicta, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur. Innovat hominem, qui fecit hominem: donat delicta, qui non quærit merita.* Baptiſmi virtutem in remiſſione quorumlibet immanium peccatorum lege apud eum præclare exaggeratam *lib.*1. *de Symbolo ad Catech. cap.*6. *& cap.*1. *de utilitate Pœnitentiæ, & lib.* 1. *retractat. cap.* 7. contendit adverſus Pelagianos charitatem in hac vita eò perfectionis non pervenire, *Ut quemadmodum lavacrum regenerationis purgat à reatu omnium peccatorum, quæ humana traxit nativitas, & contraxit iniquitas: ita illa perfectio purget ab omni labe vitiorum, &c.* Eadem leget lector *lib.*2. *de Symb. ad Catech. cap.*10. *libello de Pœnit. Medicina ſæpius, ſerm.*29. *de verbis Apoſtoli c.*1.*&* 3. *lib.*1. *contra duas Epiſtolas Pelagian. & lib.*3. *c* 3. *Tractatu* 80. *in Joannem, & Epiſt.*23. aliaque infra referemus.

III. Verùm Rheticii Auguſtodunenſis Epiſcopi ſuo ſeculo celeberrimi teſtimonium ſilentio non eſt prætereundum. Illud refert Sanctus Auguſtinus *lib.*1. *contra Julian. cap.*3. *Hanc eſſe principalem in Eccleſia indulgentiam neminem præterit, & ignorantiæ noſtræ facinora priſca delemus; ubi in quo antiqui criminis omne pondus exponimus, & veterem hominem cum ingenitis ſceleribus exuimus.*

IV. Sanctus Hieronymus *Epiſt.* 83. *ad Oceanum, Omnia ſcorta, & publicæ colluvienis ſordes, impietas in Deum, parricidium, & inceſtus in Parentes, atque in extraordinarias voluptates utriuſque ſexus mutata natura Chriſti fonte purgantur, &c. Omnia in baptiſmate condonata ſunt crimina, nec poſt indulgentiam Judicis eſt metuenda ſeveritas, dicente Apoſtolo, & hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, &c.* Quibus verbis baptiſmi virtutem luculentius poterat, non dicam delineare, & adumbrare, ſed exprimere, & coloribus ſuis depingere? Libro 1. *adverſùs Rufinum cap.* 7. cùm ex hoc, & ſimilibus Sancti Hieronymi pronuntiatis quidam Chryſogonus inferret bigamum modo priorem uxorem ante baptiſmum duxiſſet, poſſe eſſe Sacerdotem, regerit Sanctus, *Audiat nos iterùm proclamantes; veterem Adam in lavacro totum mori, & novum cum Chriſto in baptiſmate ſuſcitari: perire choicum, & naſci ſupercœleſtem, &c.* Inde tamen quod concludebat Chryſogonus, ille concludi poſſe negat. Verſùs finem libri tertii adverſùs Pelagianos perfectæ converſioni peccantium poſt baptiſmum longè præponit innocentiam baptiſmo acquiſitam, *Quamvis ſit hominis perfecta converſio, & poſt vitia, atque peccata virtutum plena poſſeſſio; nunquid poſſunt ſic eſſe ſine vitio quomodo illi, qui ſtatim de Chriſti fonte procedunt?* Loquendi modus, & interrogandi circumſtantia manifeſtè docent commune hoc fuiſſe omnium Chriſtianorum effatum.

V. Sanctus Ambroſius hanc baptiſmi virtutem multis eloquenter proſequitur *ſerm.*31. pauca tantum ſeligemus, *Quænam eſt illa aqua, quæ conſumit flammas, nec ipſa conſumitur à peccatoribus, ſed gehennæ conſumit incendia? Quæ dum per baptiſmum infunditur, & ipſa in hominibus, & tartari reſtinguit ardorem:* Et poſt aliqua, *Sed nec mirum, ſi in baptiſmi Sacramento aperiatur infernum, cùm tunc quoque reſeretur & cœlum. Aperiuntur enim hæc elementa, ut ad lavacrum Chriſti conveniant libertas, & gratia. Libertas enim reſurrecturis tribuitur, gratia regnaturis. Illi eruuntur de pœna, hi aſſumuntur in gloria, &c. Et cap* 3. libri de iis, qui initiantur, cùm multa dixiſſet, ut aquæ bsptiſmalis virtutem efferret, concludit, *Aqua eſt ergo, qua caro mergitur, ut omne abluatur peccatum: ſepelitur illic omne vitium, &c.* Similem ſententiam fusè explicat *lib.*1. *de Sacramentis cap.*4. *&* 5. *& comment. in Luc capite* 22. alia nonnulla infra nobis erunt referenda. Vulgatiſſimæ in Eccleſia iſtius doctrinæ argumentum eſt, acclamatio populi Mediolanenſis Ambroſio jubenti ſontes torqueri, atque etiam mulieres impudicas domum ſuam ingredi, ne ad Epiſcopatum eligeretur, *Peccatum tuum ſuper nos*. Ita enim populi mentem interpretatur Paulinus in ipſius vita: *Non ſimiliter populus tunc clamavit, ſicut populus Judæorum. Illi enim vocibus ſuis Sanguinem Dominicum effuderunt, dicentes, Sanguis ejus ſuper nos: Iſti verò Catechumenum ſcientes, fideli voce remiſſionem illi peccatorum omnium per baptiſmatis gratiam promittebant.*

VI. His ſimilia Philo Carpathiorum Epiſcopus Sancti Epiphanii diſcipulus in Cantica. *Unde rectè ei dicitur, Veni de Libano ſponſa, veni de Libano, ut oſtenderet, omnes Sanctos, & electos Dei quamvis partim à Judæis, partim à Gentibus congregatos, ab uno tamen ſponſo per baptiſma lotos cœleſtis gratiæ candorem accepiſſe, &c. Quid ergo per Libanum niſi candidiſſimum ſacri fontis lavacrum, quo Sancta Eccleſia, & quæque fidelis anima per Spiritum Sanctum quem accepit, delictorum ſordibus abluta, & per Chriſti fidem dealbatur.*

VII. Non ſunt hic omittenda Lactantii verba elegantiſſima, & evidentiſſima. Poſtquam multis antitheſibus lectorem ſuaviſſimè detinuit *cap.*26. *lib.*3. *Inſtitut.* ſic pergit, *Da injuſtum, inſipientem, peccatorem, continuò & æquus, & prudens, & innocens eris. Uno enim lavacro malitia omnis abolebitur. Tanta divinæ Sapientiæ vis eſt, ut in hominis pectus infuſa matrem delictorum ſtultitiam uno ſemel impetu expellat. Ad quod efficiendum non mercede, non libris, non lucubrationibus opus eſt. Gratis iſta fiunt, facilè, citò, &c.* Non minus evidentia ſcribit *cap.*5. *lib.*7. Denique hujus rei fides adeò neceſſaria, & vulgata erat, ut Epiſcopus ordinandus ex Decreto Concilii Charthag. 4. *cap.*1. interrogaretur, an crederet, quòd *In baptiſmo omnia peccata, id eſt, tam illud originale contractum, quàm illa, quæ voluntariè admiſſa ſunt, dimittantur.* Refertur quoque à Burchardo *lib.*1. *cap.*8.

VIII. Clemens Alexandrinus *lib.*1. *Pædagogi cap.*6. *Multis modis vocatur hoc opus, Gratia, illuminatio, perfectum & lavacrum. Lavacrum quidem per quod peccata abſtergimus: Gratia autem, qua remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur: Illuminatio autem, per quam Sanctam illam, & ſalutarem lucem ſpeculamur, hoc eſt, per quam id, quod eſt divinum, perſpicimus. Perfectum autem dicimus, cui nihil deeſt, &c.*

IX. Gregorius Nazianzenus plura baptiſmi Epitheta cumulat *orat.* 40. *Donum vocamus, gratiam, baptiſmum, unctionem, illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lavacrum, ſigillum, ac denique excellentiſſimo quovis nomine appellamus.* Conſequenter ſubdit uniuſcujuſque Epitheti rationem, tandemque concludit, *Hæc baptiſmi gratia, & facultas eſt, non orbem terrarum, ut olim aquis obruens, ſed uniuſcujuſque hominis peccatum purgans, eaſque obſtructiones, vel maculas, quæ vitio contrahuntur, prorſus abſtergens.*

X. In hac fide inſtitutus Conſtantinus Imperator ita ad Sanctorum cœtum concionabatur *c.*20. *Reſurrectionis vis hominibus patefacta fuit, & ſi quæ labes humanorum ſcelerum reſidebat, illa univerſa ſacro baptiſmatis lavacro abſterſa.*

XI. Sanctus Gregorius Nyſſenus *orat. de baptiſmo, Compunctum notis peccatorum, & malis moribus inveteratum, gratia regia eo redigimus, ut innocens ſit ſicut infans. Ut enim modò natus puellus à criminibus, & pœnis liber eſt; ita etiam regenerationis puer non habet cujus nomine cauſam dicat, ut qui regio dono cauſæ dictioni exemptus, & à rationibus vitæ reddendis liberatus ſit.*

XII. Sanctus Chryſoſtomus *homil.* 11. *in Epiſtol. ad*

Philippenſes. *Chriſtus Pharmacum, quaſi quoddam antidotum, lavacrum dedit; ita omnem evomuimus vitioſitatem; ita omnia ſimul in fugam ſe dederunt: inflammatio ceſſit, febris extincta eſt, & ſanies exſiccata. Omnia enim & quæ ab avaritia, & quæ ab ira, & cætera omnia mala per Spiritum evanuerunt, aperti ſunt cęli, &c.*

XIII. Iſidorus Peluſiota *lib. 3. Epiſt. 195.* contendit nimis jejunè, & exiliter de baptiſmo ſentire, qui tantùm aſſerunt peccata omnia delere. *Neque enim ſolùm ſupplicio exempta eſt, atque improbitatem omnem exuit* (natura noſtra) *ſed etiam supernè regenita eſt, &c. & redempta, & ſanctificata, & in adoptionis jus adducta, & juſtificata, &c.* Eadem demonſtrant varia epitheta, quibus Sancti Patres baptiſmum cumulant, ut Optatus *lib. 5. de Schiſmate, Quis neſciat ſingulare baptiſma virtutum eſſe vitam, criminum mortem, nativitatem immortalem, cæleſtis regni comparationem, innocentiæ portum, peccatorum naufragium.* Plura hujus generis epitheta coacervant Sanctus Gregorius Nazianzenus *oratione* 40. Sanctus Cyrillus Hieroſolym. in procatecheſi, & alii plerique.

XIV. Concludamus hoc caput trium ſummum Pontificum teſtimoniis. Sanctus Innocentius *Epiſt. 22. & 23.* Multis diſputat adversùs eos, qui Bigamiam baptiſmo tolli contendebant, eo quod omnia crimina baptiſmo delerentur, urgetque adversùs eos, crimen non eſſe Bigamiam; *Dicite mihi, crimina tantùm dimittuntur in baptiſmo, an & alia, quæ ſecundùm Domini præcepta, ac Dei inſtituta complentur? Uxorem ducere crimen eſt, an non eſt crimen? &c.* Sanctus Gregorius *libr. 9. Epiſt. 39.* multis agit adversùs eos, qui dicebant, peccata in baptiſmate ſuperficie tenus dimitti, tandemque eis obiicit id, quod dicitur Joan. 13. *Qui lotus eſt non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus,* Quibus relatis ſic infert: *Si igitur peccata in baptiſmate funditus minime dimittuntur, quomodo is, qui lotus eſt, mundus eſt totus? Totus enim mundus dici non poteſt, cui de peccatu aliquid remanſit. Sed nemo reſiſtit voci veritatis, quæ ait, qui lotus eſt, mundus eſt totus. Nihil ergo ei de peccati ſui contagione remanet, quem totum fatetur mundum ipſe, qui redemit.* Innocentius III. ſerm. 2. in Feſtum Pentecoſtes. *Sciendum eſt, quod fides Chriſti, quæ juſtificat impium, revera mundat à culpa: ſed non ſemper ab omni pœna. Sacramentum verò baptiſmi, ſi dignè ſumatur, liberat omnino à culpa pariter, & à pœna.* Multis poſteà hoc demonſtrat.

CAPUT III.

Crimina quæcunque, ſine pœnæ inflictione, ſine ullo labore, & ſudore per baptiſmum integerrimè remitti, illuſtriſſimis Patrum teſtimoniis demonſtratur.

Secundum doctrinæ caput, quod nobis probandum ſuſcepimus, ſive ſecunda baptiſmi prærogativa, eſt, præſtantiſſimam illam omnium peccatorum, omniſque pœnæ indulgentiam ſine ulla pœnarum impoſitione conferre. Diù baptizandos docebant fidem, gradatimque myſteriis fidei eos imbuebant, ſed nullam ab eis pœnam criminum præteritorum ſatisfactoriam exigere ſolebant: Vindicta illa Sacramenti Pœnitentiæ propria erat, & criminum, quæ poſt baptiſmum committebantur. Hujus obſervantiæ plurima ſunt, & diſertiſſima Sanctorum Patrum teſtimonia præter illa, quæ capite præcedente allegata ſunt, ex quibus neceſſariò conſequitur nullam baptizandis imponi ſolitum Pœnitentium, cùm toties aſſerentes baptiſmo deleri omnia peccata, peccatorumque pœnas nuſquam laborioſæ vitæ anteà imperatæ mentionem faciant.

II. Sanctus Clemens *libr. 2. Conſtit. cap. 41. Ut Ethnicum baptiſmo locum poſt doctrinam admittis, ſic hunc* (peccatorem,) *ut pœnitentia purgatum per manus impoſitionem cunctis pro eo deprecantibus in antiqua paſcua reſtitues.* Quatuor ibi comparat Clemens, bina binis; lavacrum manus impoſitioni, hoc eſt, abſolutioni. Deinde doctrinam Pœnitentiæ. Ut baptiſmum neceſſariò doctrina præcedit, ſic abſolutionem Pęnitentia. Nulla igitur, ex ipſius mente Pęnitentia baptiſmo ſuſcipiendo neceſſaria eſt, ſed tantum doctrina, ſive catecheſis. Pęnitentiam, ſive opera laborioſa ante baptiſmum animæ requirere, eſſet reconciliatoriam manus impoſitionem cum baptiſmo confundere. Pęnitentiam autem manus impoſitione conjuncta virtute baptiſmo equipollet, ut ſtatim nos Clemens docet, *καὶ ἔσται αὐτῷ ἀντὶ τοῦ λούσματος χειροθεσία, Eritque ei loco lavacri manus impoſitio.* Itaque tanta eſt virtus baptiſmi, ut neceſſitati Pęnitentiæ repugnet. Tanta verò abſolutionis animæ reſipiſcenti datæ debilitas, ut ordinaria virtute ſine Pęnitentia integram peccatorum remiſſionem non operetur, baptiſmoque non æquiparetur.

III. S. Baſilius in exhortatione ad baptiſmum, poſtquam inſignia ei dedit elogia, vocavitque peccati mortem, animæ regenerationem, amictum ſplendentem, cęli iter, regni cęleſtis conciliationem, adoptionis gratiam, exclamat, *ò rem admirandam! Renovaris, nec conflaris; refingeris, nec contereris; curaris, nec dolorem ſentis: & tamen hanc gratiam non expendis.*

IV. Eadem verba imitatus eſt S. Ambroſius *cap. ultimo libri de Helia*, & jejunio, Cùm exhortatus eſſet baptizatos ad duram Pęnitentiam, ad baptizandos ſermonem convertit, ſed jejuniorum, fletuum, & laborum amplius non meminit, immò contrarium non innuit tantum, ſed diſertè docet, *Noli timere ignem per, quem illuminaris. Ideò tibi dicitur, accedite ad eum, & illuminamini. Suſcipite jugum Chriſti. Nolite timere, quia jugum eſt: feſtinate, quia leve eſt. Non conterit colla, ſed honeſtat, &c. Non alligat cervicem vinculis, ſed mentem gratia copulat, non neceſſitate conſtringit, ſed voluntatem boni operis dirigit.* Et poſt aliqua Sancti Baſilii phraſim imitatur, *Ad quantam gratiam vocaris, ò homo! Purgaris, & non exueris: ſanaris, & non doles: reformaris, ſed non diſſolveris: ictum mortis non excipis, & reſurgis.*

V. Idem Sanctus eandem Eccleſiæ praxim luculentius adhuc docet commentario in *capite 4. Epiſtulæ ad Romanos* explicans illud Pſalmi, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, &c. *Manifeſtè beati ſunt, quibus ſine labore, vel opere aliquo remittuntur iniquitates, & peccata teguntur, nulla ab his requiſita Pœnitentiæ opera, niſi tantùm ut credant.* Et poſt aliqua eundem ſermonem retexit, *Quemadmodum autem ad Pœnitentium perſonam poteſt pertinere, cum dicit, Beati quorum tecta ſunt peccata, cùm conſtet, Pœnitentes labore, & gemitu remiſſionem peccatorum acquirere. Aut quomodo martyrio congruit quod dicit: Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum; cùm ſciamus gloriam martyris paſſionibus, & preſſuris acquiri? Propheta autem tempus felix prævidens in ſalvatoris adventu beatos nuncupat, quibus ſine labore, vel aliquo opere per lavacrum remittuntur, & teguntur, & non imputantur peccata, &c.* Hoc non minus evidenter docemur Commentario in *cap. 11.* ſuper hæc verba, ſine Pęnitentia ſunt dona, & vocatio Dei, *Verum eſt, quia gratia Dei in baptiſmate non quærit gemitum, aut planctum, aut opus aliquod, niſi ſolam ex corde profeſſionem. Ne enim quia graviter deliquerant non recipiendo promiſſum Dei, & quia quæ graviter peccantur, non niſi fletu, & gemitu ad veniam pertinent, ne ideò illos non poſſe jam accipere miſericordiam putarent, quia dolere illos non videbant, oſtendit hoc inter primordia fidei non requiri. Donum enim Dei gratis donat peccata in baptiſmo.* Non quæritur hic an verbis Apoſtoli omnimo quadret Sancti Ambroſii interpretatio, ſed quænam hac in cauſa fuerit Eccleſiæ conſuetudo. Quidquid autem de priore dicatur, de poſteriore fidelis eſt teſtis Ambroſius. Eodem ſenſu, iiſdemque ferè verbis iſta docuit Sanctus Pacianus *Epiſt. 3. ad Sympronianum, Baptiſma omnes adipiſci poſſunt, quia gratia Dei donum eſt, id eſt, gratuita donatio.* Quod ad gratiæ perditæ recuperationem attinet, multis lachrymis, & laboribus per Pęnitentiam fieri contendit.

VI. Sanctus Chryſoſtomus *in homilia prima ad baptizandos*, ſive illuminandos eloquenter more ſuo rem eandem proſequitur: *Non quidem pollicemur vobis oſtendere totius malitiæ vinculis abſolvi, & omni immunditia liberari eos, qui hoc lavacrum promerentur. Verùm ratio longè majora declarat. Non enim mundos tantùm, ſed & Sanctos, & juſtos effectos oſtendit. Non enim dixit, lavati eſtis tantùm: ſed & ſanctificati, & juſtificati. Quid hac re mirabilius, quid inopinatius demonſtratur, quando ſine certamine, quando labore ceſſante, quando minimè ſudore decurſo, juſtitia procreari conſpicitur? Talis enim divinæ gratiæ miſericordia eſt, ut juſtos faciat ſudore ceſſante.* Quum autem hujus diſciplinæ rationem ſimilitudine illuſtraſſet, interrogat, quamobrem baptiſmus lavacrum remiſſionis peccatorum non dicitur, nec lavacrum purificationis, ſed lavacrum regenerationis? Quæſtioni ſic reſpondet, *Quia non nobis ſimpliciter peccata concedit, nec ſimpliciter nos purificat malis actibus implicatos, ſed tanquam è cælo generatos efficit. Nam de cęlo nos condit, & inde conſicit, non de terra componens iterùm, ſed alio nos elemento, id eſt, per aquarum naturam progenerat, &c.* Quum igitur per baptiſmum novi-

Digitized by Google

noviter regeneremur, atque è cœlo trahatur iſta generatio, reatui priore generatione contracto non amplius obligamur.

VII. Verum nihil in hac cauſa clarius, & elegantius Sancti Gregorii Nazianzeni teſtimonio in oratione 40. afferri poteſt. *Ecquando*, inquit, *tantùm laboris ſuſceperis, quantum Æthiopum Regina, &c. Et ecce pluſquam Salomon hic, &c.* Hoc argumento adverſus eos, qui baptiſmum differunt, amplificato, colligit, *Cùm autem tibi nec labore ullo, nec opera ulla ſuſcepta, rei expetitæ compotem fieri liceat, quæ tandem ſtultitia eſt, donum in aliud tempus rejicere? Sitientes venire ad aquas hortatur Eſaias, &c. ò ingentem benignitatis celeritatem! ò facilem contrahendi rationem! Hoc bonum ſola voluntate tibi proponitur: cupiditatem ipſam Deus ingentis pretii loco habet, ſitit ſitiri: bibere cupientibus potum præbet: cum ab eo beneficium petitur, beneficio afficitur.*

CAPUT IV.

Crimina poſt baptiſmum commiſſa ſine magnis fletibus, & laboribus non remitti; atque ideò Sacramentum Pœnitentiæ à Patribus laborioſum baptiſmum nuncupatum.

NUnc nobis altera comparationis pars eſt explicanda, quæ ſcilicet ſpectat peccata poſt baptiſmum perpetrata, de quibus, ut jam relatum eſt, ſic ſtatuit Concilium Tridentinum. *Ad quam tamen novitatem, & integritatem*, baptiſmo ſcilicet acquiſitam, *per Sacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus divina exigente juſtitia pervenire nequaquam poſſumus, ut meritò Pœnitentia laborioſus quidam baptiſmus à Sanctis Patribus dictus fuerit.* Hujus doctrinæ innumera occurrunt apud Patres teſtimonia. Jam plurima retulimus ad finem libri primi, ubi demonſtravimus, quæ præparatio ſit neceſſaria ad remiſſionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam; & plura libris ſequentibus erunt nobis variis de cauſis referenda. Quare nunc pauciſſima delibabimus, quæ ſcilicet, vel comparationem baptiſmi cum Pœnitentia, ut facit Concilium Tridentinum, diſertè inſtituunt, vel ut idem Concilium, Pœnitentiam vocant baptiſmum laborioſum, ad quæ omnia teſtimonia alluſerunt vetbis ſuis Tridentini Patres.

II. Origenes *homilia 5. in Ezechielem* hæc verba commentans, quatuor ultiones peſſimæ, id eſt, gladius, fames, beſtiæ malæ, & peſtilentia inducuntur ſuper terram peccatricem, ita ſcribit. *Omnes lamentationes, quas legimus in Hieruſalem, omnes querimoniæ, quibus eam plangit Deus, ad nos pertinent, qui guſtavimus ſermonem Dei, & poſteà mundatis ejus contraria fecimus. Non ſic plectitur Salomonis juris contemnens, non ſic punitur Lycurgi ſcita deſtituens. Aliud ſupplicium ejus, qui legem Dei per Moyſen traditam conculcent, & deſpicit. Maximum omnium eſt ejus pœna, qui præcepta Filii Dei pro nihilo duxerit. Irritam quis faciens legem Moyſi, &c. Quanto magis putatis deteriora ſupplicia mereri illum, qui Filium Dei conculcaverit? Hi ergo, quos enumeravimus, filium Dei non conculcaverunt, ſed tantùm legem Dei ingreſſi ſunt; maximèque hi, qui ante adventum Domini fuerunt. Sed neque hi, qui crucifixerunt Salvatorem meum, rei ſunt ingentis pœnæ, ſicut hi, quibus ait Apoſtolus, filium Dei conculcans, ſpiritui gratiæ contumeliam faciens, & ſi quid aliud ſignificat in eo loco, in quo eorum peccata replicat, qui poſt fidem in Deum peccaverunt. Hæc propter quatuor ultiones peſſimas, quæ inducuntur ſuper Hieruſalem.* Et *libr. 3.* contra Celſum poſt medium dicit, eos, qui poſt myſteriorum initiationem libidini, ſimilibuſque vitiis ſervierunt, *Reſipiſcentes haud ſecus, quàm redivivos recipi tandem, poſt longiorem melioris mentis approbationem, quàm cum primùm ad religionem diſcendam admittebantur: Ea tamen conditione, ut quoniam lapſi ſunt, excludantur in poſterùm ab omnibus dignitatibus, & magiſtratibus Eccleſiaſticis.*

III. Sanctus Chryſoſtomus *homilia 1. in Acta* Apoſtolorum utrumque ita explicat, ut verba clariora fingi non poſſint. *Illud conſidera. Habuit aliquis commiſſa gravia, vel homicidio, vel adulterio, vel alio quopiam facinore patrato: Hæc per lavacrum remiſſa ſunt. Non enim eſt, non eſt inquam ullum peccatum, ulla impietas, quæ non cedat, locumque det dono Dei. Nam divina res eſt gratia. Denuò mœchatus eſt aliquis, aut homicidium perpetravit: Priùs quidem adulterium condonatum eſt, & homicidium illud ſimul cum adulterio emiſſum, ac nequaquam revocatur. Neſciunt enim Pœnitentiam dona, & vocatio Dei. Cæterùm, pro his quæ poſt baptiſmum commiſſa ſunt, tantum damus pœnam, quaſi & illa revo-*

Morin. de Sacram. Pœnit.

cata ſint, ac multò etiam graviorem. Jam enim non ſimplex peccatum eſt, ſed duplex, aut triplex. Quòd autem bis gravior pœna debeatur, audi, quid dicat Paulus, Qui ſpernit legem Moyſis ſub duobus, aut tribus teſtibus abſque miſericordia mortis luit pœnas. Quanto putatis graviore vindicta dignus cenſebitur, qui filium Dei conculcarit? &c.

IV. Sanctus Pacianus Epiſtola 3. ad Sympronianum, *Baptiſmum Sacramentum eſt Dominicæ Paſſionis, Pœnitentium venia, meritum confitentis. Illud omnes adipiſci poſſunt, quia gratiæ Dei donum eſt, id eſt, gratuita donatio: Labor verò iſte* (Pœnitentiæ poſt Baptiſmum) *paucorum eſt, qui poſt caſum reſurgunt, qui poſt vulnera convaleſcunt, qui lachrymoſis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu reviviſcunt.* Quanta inter utrumque peccatum à Paciano conſtituitur differentia! Quam facilis, & unicuique Deo juvante parabilis ante baptiſmum Pœnitentia peccatorum! Poſt baptiſmum quam difficilis, quàm laborioſa, & moleſta! Paulo poſt adhuc clarius alteri iſtius Novatiani objectioni reſpondens, quæ erat ejuſmodi, *Si Deus jubet hominem pœnitere, ſæpius peccare permittit.* Attende, quæſo Lector, rationem qua probat Deum peccata non permittere, licèt pœnitentiam peccantis poſt baptiſmum indulſerit: *Fortaſſe pateret hoc credi, ſi Pœnitentia delitiæ putarentur, cui labor tantus imponitur, cui carnis interitus imperatur, cui juges lachrymæ, cui gemitus ſempiterni. Volet ergo ille ſanatus iterùm ſe ſecari, rurſus exuri? volet peccare iterum, & iterùm pœnitere, cùm ſcriptum ſit, Noli adjicere peccatum, ne quid tibi deterius contingat; Et adhuc, aſſiduè peccanti non miſereor.* Ratio igitur hæc eſt: dici non poteſt Deus hoc permittere, quod perpetratum ſeveriſſimè caſtigat, & iteratum ſeveriſſima illa ſeveritate durius. Qui Paciani verba, & ſeveritatem illam Pœnitentiæ antiquæ, ut par eſt, conſideraverit, non amplius admiratione tenebitur ſententiæ quàm multa experientia edoctus Sanctus Ambroſius pronuntiavit *lib. 2. de Pœnit. cap. 10. Faciliùs inveniri, qui innocentiam ſervaverint, quàm qui congruè egerint Pœnitentiam.*

V. Caſſianus *collatione 23. cap. 15.* diſtinctione explicata peccatorum poſt baptiſmum in Levia, & Capitalia, Levia docet quotidiana Chriſti gratia curari, ſed de capitalibus ſic edicit, *Quiſquis poſt baptiſmum, & ſcientiam Dei in illud corpus mortis irruerit, ſciat ſe non quotidiana gratia Dei, id eſt, facili remiſſione quàm momentis ſingulis exoratus Dominus noſter erroribus noſtris donare conſuevit, ſed aut diuturna afflictione pœnitudinis, ac pœnali dolore purgandum, aut pro his in futurum ignis æterni ſuppliciis addicendum.*

VI. Sæpius Sanctus Auguſtinus triplicem diſtinguit Pœnitentiam, unam ante baptiſmum, ut *homilia ex 50. poſtrema*, quæ inquit, *Novum hominem parturit, donec per baptiſmum ſalutarem omnium præteritorum fiat ablutio peccatorum.* Aliæ baptiſmum ſequuntur. Prior eſt quotidiana levium peccatorum; Poſterior gravium peccatorum, quæ gratiam baptiſmi extinguunt. Ut gratia his peccatis amiſſa reparetur, diuturna opus eſt, & laborioſiſſima Pœnitentia, ut multis paginis eo loco ſigillatim demonſtrat: Ex ipſis verbis paucula ſelegimus, *In hac Pœnitentia majorem quiſque in ſe ſeveritatem debet exercere, ut à ſeipſo judicatus non judicetur à Domino, &c. Aſcendat itaque homo adverſùm ſe tribunal mentis ſuæ, &c. Atque ita conſtituto in corde judicio adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, carnifex timor. Inde quidam ſanguis animi confitentis per lachrymas profluat, &c.* Deinde multis demonſtrato ſatis non eſſe baptizatis peccantibus ad gratiam baptiſmi renovandam in melius vitam mutare, tandem in fine homiliæ colligit, *Non ſufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, niſi etiam de his, quæ facta ſunt ſatisfiat Deo per Pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium cooperantibus eleemoſynis.* Eadem repetuntur in libro de medicina Pœnitentiæ. Perpende quàm differat iſta remiſſionis difficultas ab ea facilitate remittendi peccata ante baptiſmum, quam ejuſdem Auguſtini verbis *cap. ſecundo deſcripſimus*. Iterum enarrat. in *Pſal.* 80. ad hæc verba, Inimici Domini mentiti ſunt ei. *Renuntias: Renuntio, & redit ad quod renuntiatur. Utique quibus rebus renuntias niſi malis, factis diabolicis, factis à Deo damnandis, furtis, rapinis, perjuriis, homicidiis, &c. His omnibus renuncias, & rurſus his inflexus ſuperaris. Facta ſunt tibi poſteriora deteriora prioribus. Canis reverſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabris cœni. Et quanta patientia Domini? Quare non proſternuntur, &c.*

Digitized by Google

VII. Cæſarius Arelatenſis *homilia* 1. *Si verum baptiſmi tunicam, & ſpecioſam Virginitatis holoſericam cœno commaculaſi pudoris infecit: Si in ſemetipſo novum hominem nece hominis occidit, ſi per Augures, & divinos captivum ſe Diabolo trudidit. Hæc, & ejuſmodi commiſſa expiari penitus communi, & mediocri, licèt ſecreta ſatisfactione, non poſſunt, &c. Principalia mala ingenti rugitu, & gemitu, & fonte indigent lachrymarum*, & cætera, quæ multis exaggerat. *Et homilia* 41. *Nemo ſe circumveniat fratres: Omnis homo, qui poſt baptiſmum mortalia crimina commiſerit, homicidium, &c. Si Pœnitentiam non egerit, Eleemoſynam juſtam non fecerit, nunquam habebit vitam æternam, &c.*

VIII. Richardus à S. Victore *libr. de poteſtate ligandi, & ſolvendi cap.* 22. hoc diſcrimen plurimùm exaggerat. *Si vultis noſſe, & poteſtis patienter audire, facilius reconciliatur Paganus poſt crimina centum, quàm Chriſtianus quilibet poſt unum ſolum. Hinc eſt, quod cuilibet Pagano quantumlibet crimino ſo accepto baptiſmate nulla injungitur ſatisfactio. Chriſtiano autem criminaliter peccanti, ſed jam Pœnitenti, & Confitenti non ſufficit Sacerdotis abſolutio ſola ſine ſatisfactione injuncta. Sola verò Chriſti hoſtia, mactata videlicet caro, ſatisfacit pro recenter baptizato.* Tanti diſcriminis rationem reddit egregiam, quam capite ſequenti examinabimus.

IX. Ideò Sancti Patres Pœnitentiam vocant, ut Tridentinum Concilium notavit, baptiſmum laborioſum, & baptiſmum lachrymarum, cujus plurima referri poſſunt teſtimonia. Clemens enim Alexandrinus apud Euſebium *libr.* 3. *hiſt. cap.* 17. *ſive* 23. Juvenem poſt baptiſmum in ſceleratam vitam lapſum, & Sancti Joannis Apoſtoli exhortatione converſum, ſcribit *lachrymis ſecundò baptizatam*. Hanc hiſtoriam fusè refert ex Clemente Alexandrino Anaſtaſius Sinaita orat. in Pſal. 6. cui aliam adtexit ſimilem, quæ imperante Mauritio contigit, in cujus narratione ſic loquentem inducit prædonem inſignem morti proximum. *Quomodo illos, qui poſt undecimam horam venientes nihil dignum mercede effecerant, admiſiſti; eodem & meas haſce exiguas lachrymas excipe, purgans me, atque baptizans in eis, in morte ſaltem mihi peccatorum condonationem tribue tanquam baptiſmum aliquem, &c.* Sanctus Gregorius Nazianzenus *orat.* 40. *in ſancta lamina* baptiſmorum varia enarrans genera quinto loco Pœnitentiam ponit, de qua ſic ſcribit. *Quintum locum lachrymarum baptiſmus tenet: Verum aſperior eſt, & laborioſior, quo quidem ille tingitur, qui per ſingulas noctes lectum ſuum, ac ſtratum lachrymis lavat, cui ipſe quoque vitii cicatrices fœtent, qui lugens, & contriſtatus ingreditur, &c.* Frater ejus Gregorius Nyſſenus eodem ſenſu lachrymarum effuſionem lavacri vim habere contendit *homilia in eos, qui de aliis durius judicant.* Sanctus Chryſoſtomus lachrymas illas ſecundum baptiſmum diſertè vocavit *homil.* 4. *de Pœnitentia, Petrus tunc ſentiens cœpit flere, & non flevit modò, ſed amarè ſecundam baptiſma per lachrymas ex oculis oſtendens. Cùmque fleviſſet amarè, delevit peccatum.*

X. Ab iis Sanctus Damaſcenus edoctus *libr.* 3. *de Orthodoxa fide cap.* 10. varia quoque enumerat baptiſmata, & loco ſexto Pœnitentiam: *Sextum baptiſma in Pœnitentia, & lachrymis verſatur, eſtque ſanè grave, & durum, &c.* Et in hiſtoria Barlaam *cap.* 11. doctrinam hanc, & præcedentum ut Eccleſiæ communem ſententiam, & praxim luculenter tradit, *Poſtquam enim veritatis agnitionem ſuſcepimus, ac per aquam, & Spiritum Sanctificati, atque ab omni peccato, & ſpurcitie ſine ullo labore purgati ſumus, ſi nobis in aliqua peccatu labi contigerit, non quidem jam ſupereſt altera per baptiſmum regeneratio, quæ in piſcina aquæ per Spiritum comparatur, ac perfectè nos inſtaurat. Hoc enim beneficium ſemel duntaxat conceditur: Verùm per aſperam pœnitentiam, & calentes lachrymas, & labores, ac ſudores propter viſcera miſericordiæ Dei noſtri purgationem, ac remiſſionem peccatorum conſequimur. Etenim per Domini gratiam lachrymarum fons Baptimus appellatur; tametſi alioqui labore, & tempore opus habeat.*

XI. Iſidorus Peluſiota *libr.* 1. *Epiſt.* 408. *Deus, qui nos vitam per reſipiſcentiam obtinere cupit, de pectore tuo aquam ducat, quæ tibi pro altero quodam lavacro ſit, ut voluntaria piſcina conſcientiam ſuam ab inquinamentis repurgans, ut Angelis, quos in mœrorem conjeciſti, lætitiæ cauſam præbeas.* Theodoretus in Epitome divinorum decretorum in fine capitis de Pœnitentia, cùm multis diſputaſſet adverſus eos, qui pœnitentiam poſt baptiſmum negant, his verbis tandem ſermonem claudit, *Sunt ergo medicabilia etiam, quæ poſt baptiſmum fiant vulnera: medicabilia autem non ut olim per ſolam fidem data remiſſione, ſed per multas lachrymas, & fletus, & luctus, & jejunium, & orationem, & laborem facti peccati quantitati reſpondentem. Qui enim non ſic affecti ſunt, eos nec admittere quidem didicimus, nec divina eis facilè impertiri. Nolite, inquit, Chriſtus, dare Sanctum canibus, nec margaritas porcis.* Ne autem univerſi ſaltem Orientis hanc dubites fuiſſe conſuetudinem verbis allegatis iſta ſubiicit, *Has habet Eccleſia leges de Pœnitentia*, quibus tractatulus ille de Pœnitentia finitur.

XII. Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis *lib.* 2. *de Officiis cap.* 24. *Sanguis, & aqua baptiſmatis gemina figura eſt. Baptiſmum unum, quo regeneramur ex aquæ lavacro; aliud, quo conſecramur in ſanguine. Eſt & tertium, baptiſma lachrymarum, quod laborioſius tranſigitur, ſicut ille, qui per ſingulas noctes ſtratum ſuum rigat, qui imitatur converſionem Manaſſe.* Idem Haimo *libr.* 1. *commentarii in Apocal. cap.* 3. *Nunquid illi deſperandi ſunt, qui poſt baptiſmum maculis criminum coinquinantur? Non utique, quia & illi, ſi pœnitentiam egerint, lachrymarum fletibus prioris vitæ maculas detergunt, quod eſt ſecundum baptiſmi genus.* Denique Rabanus Maurus Archiepiſcopus Moguntinenſis, *libr.* 2. *de inſtitut. Cleric. cap.* 29. Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis in vita Sancti Remigii, & Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus Epiſtola Canonica ad Presbyteros Aurelian. *cap.* 36. pœnitentiam ſimiliter ſecundùm baptiſmum, & lachrymarum baptiſmum vocant. Ex iis, quæ hactenus dicta ſunt evidentiſſimè mihi conſtare videtur magnum, & inſigne diſcrimen à Patribus noſtris baptiſmum inter, & Pœnitentiam conſtitutum fuiſſe, quod varietatum, quæ in Catechumenorum, & Pœnitentium purgatione, & ſanctificatione ad remiſſionem peccatorum obtinendam à Sanctis Patribus obſervatæ ſunt, præcipuum fundamentum fuit. Sed priore diſciplina hoc opere penitus omiſſa, quod tertio loco nobis inquirendum propoſuimus capite ſequente exequemur.

CAPUT V.

Rationes, propter quas crimina poſt baptiſmum commiſſa longè graviora ſunt iis, quæ baptiſmum antecedunt, ex Concilio Tridentino enarrantur; & prima ab ignorantia petita teſtimoniis Patrum illuſtratur. Quid in vetere homine delinquere. Cur ante fidem tempus eſt ignorantiæ, & baptiſmus illuminatio dicitur. Cur pro voluntariè peccantibus non eſt hoſtia.

VArias inſignis iſtius diſcriminis cauſas nobis enarrant Patres, quas omnes, atque etiam plures Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. luculenter complectitur: Ideò illius verba huc integra referemus. Non enim nobis videmur quod de hac re mente concipimus, aut ſtudioſa Patrum, & canonum meditatione didicimus, dilucidius quàm Sancti iſtius, & œcumenici Concilii verbis explicare poſſe. Sic igitur docet, *Sanè & divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerint; aliter verò qui ſemel à peccati, & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, ſcienter templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contriſtare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut occaſione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii, & contumelioſi Spiritui Sancto in graviora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubio enim magnopere à peccato revocant, & quaſi fræno quodam coercent hæ ſatiſfactoriæ pœnæ, cautioreſque, & vigilantiores in futurum Pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus malè vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque verò ſecurior ulla via in Eccleſia Dei unquam exiſtimata fuit ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quàm ut hæc Pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hoc, quòd dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Jeſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur.* In hoc præclaro, & doctiſſimo Concilii Decreto quod pœnarum, & ſatisfactionum Chriſtianarum fundamenta, & rationes explicat, rationum duo genera continentur. Prius, fontem gravitatis peccatorum poſt baptiſmum edocet, treſque rationes complectitur: Quod per ignorantiam facta ſint peccata, quæ baptiſmum præcedunt; quæ verò ſequuntur poſt imbutam cognitione Dei, & filii ejus Jeſu Chriſti mentem: Quod per baptiſmum facti ſumus Dei templum, Spiritus Sancti habi-

habitaculum, Chriſto conſecrati ſumus: quæ ſanctitatis, conſecrationis, & dignitatis pignora peccato mortali poſt baptiſmum perpetrato violantur, non antè; cùm his peccator nondum inſtructus, & ornatus ſit. Denique quòd injurii, & contumelioſi ſint Spiritui Sancto: Gratiam enim ab eo per baptiſmum acceptam, immò ipſum Spiritum Sanctum, ludibrio habent, cùm eum à ſe tam levi de cauſa proiiciunt, Sanguinem Chriſti, quo redempti ſunt, & Spiritu Sancto operante ſanctificati contaminant, pactumque, & fędus in baptiſmo initum, quo mundo ejuſque pompis ſolemniter renuntiarunt, temerant, & polluunt. Poſterius rationum genus complectitur pęnarum iſtarum utilitates, quarum etiam cauſa peccantibus imponuntur: Ut vitioſos habitus contrariarum virtutum exercitio paulatim deleamus: Ut imminentem à Deo pęnam avertamus, ut Jeſu Chriſto Domino noſtro, qui vir fuit dolorum, conformes efficiamur. Denique ne leve, & ludicrum peccare exiſtiment homines, ſi nullis, aut levibus pęnis peccantes afficiantur; quam pęnitentiarum cauſam Patres ſæpius reddidiſſe ſupra vidimus. Poſterius hoc rationum genus propoſito noſtro nunc non convenit, cùm rationes majoris gravitatis, & ſceleris in crimine poſt baptiſmum quàm ante baptiſmum, tantùm inquiramus. Quapropter poſterioribus nunc dimiſſis, priores Patrum teſtimoniis confirmabimus.

II. Primam Concilii rationem ab ignorantia petitam tradit Tertullianus *capit. 5. & 6. libri de Pœnitentia*, & eam eleganter, & acutè admodum proſequitur, & exaggerat: *Nullum ignorantiæ prætextum tibi patrocinatur, quod Domino agnito, præceptiſque ejus admiſſis, denique Pœnitentia delictorum functus* (Pœnitentia quæ ante baptiſmum agitur intelligit) *rurſus te in delicta reſtituis. Ita in quantum ignorantia ſegregaris, in tantùm contumaciæ adglutinaris*: Atque iterùm paulò poſt. *Cum enim ignorantes Dominum nulla exceptio tueatur à pœna, quia Deum in aperto conſtitutum, & vel ex ipſis cæleſtibus bonis comprehenſibilem ignorari non licet, quanto cognitum deſpici periculoſum eſt; Deſpicit porrò qui bonorum, ac malorum intellectum ab illo conſecutus, quod intelligit fugiendum, quodque jam fugit, reſumes, intellectui ſuo, id eſt, Dei dono contumeliam facit: Reſpuit datorem cum datum deſerit, &c. Ita in Dominum non modo contumax, ſed etiam in gratus apparet.* Subtexit ejuſdem diſcriminis præclaram aliam rationem, vel potiùs circumſtantiam, quæ diligenter attendatur, digniſſimam. *Cæterùm non leviter in Dominum peccat, qui quum æmulo ejus Diabolo pœnitentia renunciaſſet, & hoc nomine illum Domino ſubjeciſſet, rurſus eundem regreſſu ſuo erigit, & exultationem ejus ſeipſum facit, ne denuo malus recuperata præda ſua adversùs Dominum gaudeat. Nonne quod dicere quoque periculoſum eſt, ſed ad ædificationem proferendum eſt, diabolum Domino præponit; comparationem enim videtur egiſſe, qui utrumque cognoverit, & judicato pronuntiaſſe eum meliorem, cujus ſe eſſe rurſus maluerit. Ita qui per delictorum pœnitentiam inſtituerat Domino ſatisfacere, diabolo per aliam Pœnitentiæ Pœnitentiam ſatisfaciet; eritque tanto magis peroſus Deo, quanto ejus æmulo acceptus.*

III. Concilium Eliberitanum aliis verbis, quæ lectoris meditatione digna ſunt, eandem rationem reddidit, *can. 45. Qui aliquando fuerit Catechumenus, & per infinita tempora ad Eccleſiam non acceſſerit, ſi eum de Clero quiſquam cognoverit eſſe Chriſtianum, aut teſtes aliqui extiterint fideles, placuit ei baptiſmum non negari, eo quod in vetere homine deliquiſſe videatur.* In vetere homine idem eſt, quod in homine fidei ignaro, legis Chriſtianæ imperito, in quo dominantur vitia, utpote, qui ab iis nondum eſt baptiſmo purgatus. Quocirca vitia omnia, & crimina illi facilè condonantur. Ita Sanctus Innocentius *Epiſtola 22. cap. 2. Certè ſi tres habuerit in vetere homine poſitus uxores, erit ei, quæ poſt baptiſmum quarta, &c.* paulò poſt: *ſed obiicitur, quod in baptiſmo totum quidquid in vetere homine geſtum eſt, ſit lotum.* Eandem phraſim paulò poſt uſurpat. Iſta phraſis frequenter uſurpata docet nos, Gentiles, & Catechumenos cum peccabant hac ratione excuſari ſolitos, quod in vetere homine quem nondum baptiſmo exuerant, peccaſſent. Phraſis iſta Sancto Paulo frequens fuit, ut legere eſt, *Rom. 6. 6. Epheſ. 4. 22. & Coloſſ. 3. 9. Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem, &c.* Ponitur igitur vetus ille homo ignarus, novus verò cognitione præditus, atque ideò facilè dimittuntur ab Eccleſia, quæ in vetere homine peccantur. Nam longè gravius in eodem crimine exceptus fuiſſet fidelis, ut ex comparatione cum ſequente canone demonſtratur: *Si quis fidelis Apoſtata per infinita tempora ad Eccleſiam non acceſſerit; ſi tamen aliquando fuerit reverſus, nec fuerit idololatra, poſt decem annos placuit eum communionem accipere.* Si fuiſſet idololatra: ne in fine quidem communione donatus fuiſſet.

IV. Præclarè hoc docet Sanctus Baſilius *capit. 20. Epiſtolæ ad Amphiloch.* ubi reſpondet quæſtioni illi factæ de mulieribus hæreticis, quæ virginitatem profeſſæ, poſteà nupſerant. Erant autem ex-quadam Hæreticorum ſecta, qui ad Eccleſiam baptizati recipiuntur. Reſpondet igitur, mulieres iſtas non eſſe condemnandas: *Quæcunque enim*, inquit, *dicit lex, iis dicit, qui ſunt in lege. Quæcunque autem jugum Chriſti nondum ſubierunt, eæ nec Domini leges norunt. Quare ſunt ab Eccleſia cum omnibus ſuſcipiendæ; & propter hoc habent remiſſionem ex fide in Chriſtum. Et omnino, quæ in vita Cathecumenica fiunt, in judicium non vocantur. Clarum eſt autem, quòd eas Eccleſia non ſine baptiſmo recipit: Quare regenerationis privilegia ſunt ipſis neceſſaria.* Paucis verbis tria nos docet Sanctus Baſilius: Primum, id quod hic probandum ſuſcipimus, peccata ante baptiſmum propter ignorantiam ſine vindicta condonari. Secundum, hoc eſſe intelligendum non modò de Ethnicis baptizatis, verumetiam de Hæreticis, quorum baptiſmus ab Eccleſia reprobatur; & ideò in Eccleſia baptizati recipiuntur. Tertium, omnia prorſus peccata ſine vindicta condonari, Baptiſmi privilegium eſſe apud omnes Chriſtianos vulgatum.

V. Juri autem naturali, & divino nititur hæc diſciplina. Quis enim hominum negabit, ignorantiam criminis gravitatem minuere? Ideo Chriſtus Lucæ 12. pronuntiat tanquam ex dictamine legis naturalis, *Servus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non fecit, vapulabit multis: Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Et S. Petrus *Epiſt. 2. cap. 2.* in eadem Baptizatorum hypotheſi idem docet evidentiſſimè. *Si enim refugientes coinquinationis mundi in cognitione Domini noſtri, & Salvatoris Jeſu-Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem, retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato.* Celebre autem erat, & ſolemne Sanctis Patribus vocare tempus ante baptiſmum tempus ignorantiæ, & non baptizatos Dei ignaros, atque ea de cauſa, ut infra docebimus, longo tempore eos, in Catechumenatu fidei myſteria diligenter edocebant. Hoc autem à traditione Apoſtolica acceperant. Ita enim Sanctus Paulus *act. 17. verſ. 30. Tempora quidem hujus ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annunciat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, &c. Et in Epiſt. ad Epheſ. cap. 3. verſ. 9.* ſcribit ſibi datam eſſe gratiam, *illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo.* Ideò Græci Patres omnes Baptiſmum vocant φώτισμα; illuminationem, Baptizatos φωτισθέντας illuminatos, competentes, ſive Baptiſmi candidatos, φωτιζομένους, qui illuminantur. Quod ſimiliter à Sancto Paulo *cap. 6. Epiſt. ad Hebræos* traditum uſurparunt.

VI. Præclarè hanc rationem proſecutus mihi videtur Richardus à Sancto Victore *cap. 22. libr. de poteſtate ligandi, & ſolvendi*: Quum enim dixiſſet. Paganum facilius reconciliari poſt centum peccata, quàm Chriſtianum poſt unum, atque ideò Pagano quantumlibet crimonoſo nullam injungi ſatisfactionem. Hujus rei rationem hanc reddit, & explicat, *Per ignorantiam enim peccantibus ſatisfacit ad expiationem, hoſtiæ per legem determinatæ oblatio. Sed voluntariè peccantibus, juxta Apoſtolum, non relinquitur hoſtia pro peccato.* Hoc præclara comparatione explicat, & probat: *Quod in lege myſticè præcipitur; Hoc ſub iſto tempore, amoto figuræ velamine quotidie verius adimpletur. Præcipitur in lege, ut anima, quæ per ignorantiam peccaverit, hoc, vel illud pro peccato offerat, & dimittetur ei, quod per ignorantiam commiſerat. Sed de voluntariè peccantibus præcipitur reddere animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede. Quidquid ab infideli committitur, inter peccatum ignorantiæ deputatur. Nam etſi ſciat ſe peccaſſe cùm peccet, neſcit tamen examinare pondus peccati: Neſcit enim illud non poſſe expiari niſi per mortem Hominis Dei. Caligo itaque hujuſmodi ignorantiæ ſupra modum levigat immanitatem culpæ. Chriſtiani verò, qui ſe cognoſcunt redemptos à morte per mortem Chriſti, proculdubio non poſſunt per hujuſmodi ignorantiam excuſari. Ad plenam itaque ſatisfactionem pro peccato illis hoſtia conceditur; iſtis omnino non relinquitur.* Ideò colligit, Chriſtianis peccantibus præter hoſtiam pro peccato carnis afflictiones, & macerationes eſſe injungendas, non

autem baptizandis. *Infideli itaque converſo, & in Chriſti fide baptizato nulla ſatisfactio, nulla carnis afflictio injungitur, cui propter priorem ignorantiam ad expiationem peccati hoſtia conceditur. Nam per paſſionem, & mortem Chriſti ab omni reatu ad plenum purgatur. Criminoſus autem Chriſtianus quoniam per infidelitatis ignorantiam de ſuis criminibus nullatenus excuſatur, in propria carne punitur, & quaſi voluntariè peccanti poſt acceptum veritatis notitiam voluntaria ſatisfactio injungitur.*

CAPUT VI.

Reliquæ ejuſdem diſcriminis rationes enarrantur, & antiquorum Patrum teſtimoniis demonſtrantur.

DUas alias rationes nonnunquam Sancti Patres diſertiſſimè nos edocent, ut Sanctus Auguſtinus *homil 41. lib. 50. Homiliarum*. Paucis ſanè verbis confirmat, non modo quod de differentia remiſſionis per baptiſmum, & remiſſionis poſt baptiſmum aſſeruimus, ſed etiam differentiæ rationem aſſignat, *Equidem, chariſſimi, ægrotant homines, mittunt ad Eccleſiam, vel portantur ad Eccleſiam, & baptizantur, & renovantur, & felices hinc erunt. Sed non ipſa eſt cauſa Pœnitentiæ.* Ut, quantum antecellat baptiſmi privilegium Pœnitentiæ Sacramentum, funditus intelligatur, notanda eſt hypotheſis à Sancto Auguſtino indicata. Baptizandum conſtituit in extremo vitæ periculo, quem tamen poſt baptiſmum morientem in cœlum ſtatim evolare ſcribit. Certum enim eſt ex Eccleſiæ traditione Baptiſmum ſive ſuſcipiatur ſtadio Catechumenatus decurſo, ſive neceſſitate urgente, ante ſtadium decurſum, vel etiam ante initium, omnem culpam, & pœnam, pęnęque reatum expungere, & delere. Certum quoque eſt ex eadem Eccleſiæ traditione hanc baptiſmi prærogativam Pęnitentiæ non eſſe aſſerendam. Pęnitentiæ enim longè alia ratio eſt. Quamobrem vero? differentiæ rationem ſtatim reddit Auguſtinus, *Qui nondum accepit baptiſmum, nondum violavit Sacramentum: Qui autem violavit Sacramentum malè, & perditè vivendo, & ideò remotus eſt ab altari, ne judicium ſibi manducet, & bibat, mutet vitam, corrigat ſe, & reconcilietur dum vivit, dum ſanus eſt.* Varietatis igitur ratio eſt Sacramenti violatio, perfidiaque ſacrilega, cujus reus eſt, qui poſt baptiſmum mortaliter peccat. In baptiſmo enim diabolo renuntiavit, & pompis ejus, Sacramentoque ſeſe Chriſti jugo addixit, & mancipavit. At qui per capitale peccatum fidem in batiſmo datam Chriſto violavit, Sacramentoque illi præſtito renuntiavit, Et nefario alio Sacramento tacitè præſtito Chriſti transfuga factus in Satanæ caſtra tranſiit, illique ſervit: Poſtulat quidem infinita Dei miſericordia, ut perfidus ejuſmodi, & ſacrilegus perduellionis reſipiſcens veniam conſequatur. Sed exigit ipſius juſtitia, ut non ea facilitate ei ſecundo venia concedatur, qua primùm obtinuit.

II. Eodem loco Sanctus Auguſtinus eandem rationem repetit, & amplificat, *Audi ergo: Certus ſum, quia homo baptizatus ſi vitam, non audeo dicere ſine peccato, quis enim ſine peccato? ſed vitam ſine crimine duxerit, & alia peccata habuerit, quæ quotidie dimittuntur in oratione dicentes, dimitte nobis, &c. quando diem finierit, vitam non finit, ſed tranſit de vita in vitam, de laborioſa ad quietem: de miſera ad beatam, &c. Baptizatus autem deſertor, & violator tanti myſterii ſi agat Pœnitentiam ex toto corde, &c. & ſolutus fuerit à ligamento, quo erat obſtrictus, & à Chriſti corpore ſeparatus, & bene poſt Pœnitentiam vixerit, ſicut ante Pęnitentiam vivere debuit, poſt reconciliationem quandocunque defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit.* Hypotheſim ſpecialem hominis in extremis baptizati, vel reconciliati, quam ibi tractat Sanctus Auguſtinus, infra multis agitabimus, & differentiam baptiſmi tunc dati à reconciliatione tum Pęnitentis explicabimus, & differentiæ rationes perſequemur.

Eandem cum Sancto Auguſtino iſtius differentiæ cauſam nos eleganter docet S. Leo *Epiſt. 91. Multiplex miſericordia Dei, ita lapſibus ſubvenit humanis, ut non ſolùm per baptiſmi gratiam, ſed etiam per Pęnitentiæ medicinam, ſpes vitæ reparetur æternæ, ut qui regenerationis donum violaſſent, proprio ſe judicio condemnantes ad remiſſionem criminum pervenirent, &c.* Nota primùm, baptiſmum vocari gratiam, Pęnitentiam verò medicinam. Qua Epithetorum varietate diſertiſſimè id, quod de Pęnitentiæ à baptiſmo differentia dictum eſt, ſignificatur. Deinde eandem, quam Sanctus Auguſtinus, cauſam κατὰ λέξιν, reddit, ob quam baptiſmus gratia dicatur, Pęnitentia verò medicina, regenerationis ſcilicet donum violatum. Iſtius doni violatio, & prophanatio pęnas, ut ipſe indicat, ante veniæ impetrationem meretur, nempe, ut ejus violator proprio ſe judicio condemnet, *& ſalubri ſatisfactione purgatus ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admittatur.*

III. Gravitatis peccatorum poſt baptiſma commiſſorum rationem egregiam à præcedente paulò diverſam reddit Nazianzenus ſub initium orationis 40. Eam à pacto, & fędere petit, quod in baptiſmo cum Deo inimus, cujus violatio grave ſupplicii genus expoſtulat. Virum Sanctum hoc eleganter explicantem audiamus, *Ut compendio dicam, nihil aliud eſſe vim, & facultatem baptiſmi exiſtimare debemus, quàm ſecundæ vitæ, ac purioris vivendi rationis pactum, & fędus cum Deo initum. Ac proinde vel maximo in metu omnes eſſe, atque omni cuſtodia noſtras animas ſervare debemus, ne hoc pactum violaſſe comperiamur. Nam cùm ad mutua hominum pacta firmanda Deus medius adhiberi ſoleat, quantum quæſo periculum eſt, ne fędera cum Deo ipſo contracta perfregiſſe reperiamur: idque cùm nulla jam poſthac altera regeneratio ſit, nec inſtauratio, nec in veterem ſtatum reſtitutio, quamlibet maximè eam cum multis gemitibus, & lachrymis requiramus, quibus quidem cicatrix ægrè tandem obducatur.* Et paulò poſt exaggerat adhuc difficultatem curandi vulneris poſt baptiſmum inflicti, per comparationem vulneris ante baptiſmum inflicti; *Grave enim eſt facilioris medicinæ loco ἀπονωτέρας, τὴν ἐπιπονωτέραν ἐργάσασθαι, quæ ſine labore eſt, difficiliorem, & multi laboris adhibere, ac projecta miſericordiæ gratia, ſuppliciis ſeipſum obnoxium reddere, &c. Quantam enim lachrymarum vim impendemus, ut ea cum baptiſmi fonte exæquari poſſit?* Multis hunc reſarciendi baptiſmi laborem exaggerat, quò lectorem remittimus.

IV. Eandem prorſus cum Sancto Gregorio Nazianzeno ejuſdem diſcriminis cauſam reddit Concilium Pariſienſe ſub Ludovico, & Lothario, *libr. 1. cap. 9. & 10.* Sed eam concilium paulò diſtinctius quàm Nazianzenus examinat. Explicatis pactis, quibus Deo in baptiſmate devincimur, ſic colligit, *Conſtat igitur, unumquemque fidelem Deo in batiſmate duarum pactionum nexibus ſe obligare: Altera, qua abrenuntiare diabolo, & omnibus operibus, & pompis ejus; Altera verò, qua ſe in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum credere profitetur.* Prior, inquiunt Patres, violatur peccato, & ſcelere quocunque: Utraque, Infidelitate, Hæreſi, vel Schiſmate. Quomodo verò qui prioris Reus eſt, in gratiam cum Deo redit? Hanc ineundam eſſe viam nos docent; *Quia baptiſmi iteratione nequit, Pęnitentiæ lamentis, eleemoſynarumque largitionibus, cæteriſque bonorum operum exhibitionibus dilui poteſt.* Quomodo verò qui poſterioris eſt Reus? *Altera verò, quæ prædictæ contagionis lepra commaculata fuerit, niſi hac primùm per Chriſti gratiam caruerit, & ad unitatem Eccleſiæ redierit, mundari, & priſtinæ fidei colorem, ſanitatiſque vigorem recuperare non poteris.* Hinc occaſione ſumpta fideles hortantur, ut diligenter conſiderent gratiam illis per baptiſmum collatam, ſtudioſèque illam conſervent: Sacerdotibus quoque, & Prædicatoribus injungunt, ut plebes ſibi commiſſas pacti cum Deo initi ſæpius memores faciant, ſceleriſque, quod in ejus violatione perpetratur. Nam ut *cap. 10. argumentantur, Si jura humanæ pactionis firmiter conſervantur, fixius atque ferventius jura tanti pacti, quæ cum Deo facta ſunt, inviolabiliter ſunt obſervanda.* Præterea docent illa tranſgreſſione immundum ſpiritum baptiſmate expulſum cum ſeptem aliis in violatores redire, & fieri *noviſſima pejora prioribus, ut impleatur in eis, quod B. Petrus Apoſtolus ait, Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod traditum eſt illis ſancto mandato, &c.* Atque ideò ad delenda peccata poſt baptiſmum multis lachrymis opus eſſe.

V. Concilium Aquiſgranenſe paulò ante illud Pariſienſe celebratum, jubet *in fine cap. 114.* Chriſtianos hoc pactum ſemper ob oculos ſibi proponere, quod iiſdem de cauſis violari docet, *Quod pactum irritum fit, cùm in fide permanendo, vitiis; aut à fide exorbitando, idolorum cultibus, aut hæreſum erroribus implicatur:* atque ideo, inquiunt Patres, *eadem peccata baptiſmatis iteratione nequaquam deleri poſſunt, neceſſe eſt, ut Pęnitentiæ lamentis, & eleemoſynarum largitionibus, & cæteris bonorum operum executionibus quàm celerrimè deleri procurentur.*

VI. Tertiam hujus diſcriminis cauſam reddere videtur Philo Carpathiorum Epiſcopus, & S. Epiphanii diſcipulus: poteſt enim à præcedentibus diſtingui, cùm ſingularem quen-

Digitized by Google

quendam baptiſmatis effectum conſideret, qui formali ſaltem ratione à præcedentibus differt. Sic igitur in Cantica, hæc verba interpretans, ſoror mea, hortus conclusus, fons ſignatus ſic ſcribit, *Fons quoque ſignatus eadem ſponſa dicitur, quia in baptiſmate ſignaculum Jeſu Chriſti accepit, & ejus ſacratiſſimi ſanguinis fonte perloſa. Unde non licet amplius ſponſæ adulterino diaboli ſigillo inſculpi, ne dicam inuri. Gravis enim injuria ſit diviniſſimo ſponſo, dum quæ ipſe ſuo pretioſiſſimo ſanguino clementiſſimè lavit, & ſanctiſſimè inſculpſit, eadem, noſtra nos ignavia, & improbitate patimur ab ejus Adverſario, ac noſtro, turpiſſimè fœdari atque deleri. Quare ſancta quæque anima ſtudioſè, ſe circumſpicere, & conſervare debet cœleſtis ſponſi characterem, cœleſtia cogitare, &c.* Sigillum igitur Chriſti per baptiſmum animabus noſtris inſculptum mortalia peccata delent, contrariumque, Satanæ ſcilicet, inurunt; atque hinc peccatorum poſt baptiſmum gravitas, & fœditas. Sigillum autem illud merito Paſſionis Chriſti animabus noſtris inſculpſit Spiritus Sanctus, ut docet S. Paulus, 2. *Cor. cap.* 1. *Qui confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus veſtris.*

VII. Auctor collectionis canonum Pœnitentialium, quæ poſt Gratiani decretum addi ſolet, ſive Aſteſanus ille ſit, ſive quis alius, objectionem ſibi creat, initio collectionis cujus ſolutio non eſt à propoſito noſtro aliena. *Si quæratur quare Pœnitentia ſit aggravata, cùm lex nova ſit lex miſericordiæ? Reſpondeo, quod hic eſt major ingratitudo propter majorem gratiam, & major contemptus propter majorem dignitatem novæ legis, in qua Chriſti ſanguis eſt effuſus; & gravius peccatum propter ſtatum peccantis, qui debet eſſe perfectior. Et ulterius ſatisfactio in lege nova debet eſſe perfecta, ut in priſtinum ſtatum reducat.* Facilè poteſt lector unamquamque rationum iſtarum ad aliquam præcedentium referre: Verba tamen, quibus efferuntur, aliquid ſpeciale inſinuant, quo præcedentes rationes illuſtrantur.

CAPUT VII.

Eadem peccatorum antè, & poſt baptiſmum differentia demonſtratur ex cap. 6. Epiſtolæ ad Hebræos, in quo juxta omnium Patrum Græcorum, & Latinorum interpretationem docetur remiſſionem peccatorum ea pœnitentiæ facilitate poſt baptiſmum, qua ante obtineri non poſſe. Hujus diſcriminis rationes explicantur. Chriſtianus cùm baptizatur, Deo per Crucis ſignum in Hoſtiam offertur. Qua ratione in actu baptiſmi crucifigitur, ſepelitur, & reſurgit; Chriſtuſque ſecundo baptiſmo iterùm crucifigitur.

DIfferentias omnes, quæ hactenus enarratæ ſunt, complecti videtur S. Paulus ad Epiſt. Hebræos c. 6 & inſuper aliquid docere, in quo potiſſimùm juxta Sanctos Patres reſidet differentia, quam explicatum imus. *Impoſſibile eſt*, inquit Apoſtolus, *eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſeculi venturi, & prolapſi ſunt, rursùs renovari ad pœnitentiam, rurſùm crucifigentes ſibimet ipſis filium Dei, & oſtentui habentes.* Facilè eſt, rationes, quas ex Patribus attulimus, ex his verbis colligere, præſertim ſi illa cum antecedentibus comparemus. Verum de his litem movere, & argumentis de genio noſtro ſumptis hæc demonſtrare non eſt animus: Quid de hac re Patres ſenſerint, redhibere nobis tantum proponimus. Eſt igitur concors Patrum omnium tam Latinorum quàm Græcorum ſententia de baptiſmo verba facere S. Paulum, illiuſque mentem eſſe, eos, qui baptizati ſunt poſt baptiſmum crimina perpetrantes pœnitentia, quæ antè baptiſmum agitur, & baptiſmo eam conſequente renovari non poſſe. Hujus impoſſibilitatis rationes multas reddit Apoſtolus; quia illuminati fuerunt; quia guſtaverunt donum cœleſte; quia participes facti ſunt Spiritus Sancti, &c. Et quod maximè Patres urgent, quia hoc eſſet iterùm Chriſtum crucifigere, & oſtentui habere; propter quod aſſerunt, impoſſibile prorsùs ejuſmodi criminum Reos baptiſmo renovari ad Pœnitentiam: Hoc eſt, ea facilitate, & ea perfectione, qua baptizati per baptiſmum renovantur; nullo ſcilicet cum labore, nullis cum jejuniis, & corporis macerationibus perfectam ſalutem adipiſci. Opus enim eſt mortaliter poſt baptiſmum peccantibus, longa, duraque Pœnitentia, multis jejuniis, & corporis afflictationibus, ut gratiam amiſſam recuperent. Nam, ut ait S. Cyprianus *Epiſt.* 52. *Aliud pro peccatis longè dolore cruciatum emendari, & purgari diù igne; aliud peccata omnia paſſione purgaſſe: Aliud denique pendere in die judicii ad ſententiam Domini, aliud ſtatim à Domino coronari.* Prius Sacramento Pœnitentiæ convenit, Poſterius baptiſmo & martyrio: Nec fieri poteſt, ut prius poſteriore commutetur. *Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia: terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt Adverſarios.* Neque etiam graviſſima illa afflictione Pœnitentiali, & ignis exuſtione purgatus in integrum quem amiſit ſtatum, perfectè reſtituetur, ut docet S. Athanaſius de peccato in Spiritum S. ad Serapionem, *Eſt inter Pœnitentiam, & baptiſma non leve diſcrimen. Quem enim pœnitet, is deſinit quidem peccare, ſed tamen retinet vulnerum cicatrices, Qui autem baptizatur, jam veterem hominem exuit, tum supernè renovatur, quaſi de integro regeneratus Spiritus gratia.* Ideò Patres omnes Chryſoſtomus, Ambroſius, Epiphanius, Auguſtinus, Cyrillus, Oecumenius, Remigius, Teophylactus, Hyamo, qui hunc locum enarrant, ex verbo renovationis, qui apud Paulum de baptiſmi effectu tantum uſurpatur, colligunt neceſſariò de Baptiſmi iteratione impoſſibilitatem illam eſſe intelligendam; Pœnitentiæ verò poſt baptiſmum non eſſe adſcribendam. Sed ipſos Patres hunc locum commentantes audiamus.

II. S. Chryſoſtomus *homil.* 9. *in Epiſt.* ad Hebræos, *Expergiſcimini, & attendite. Non licet dicere, ſi diſſolutè, & negligenter vixerimus, rursùs baptizabimur, catecheſi rursùs inſtituemur, accipiemus rursùs Spiritum. Et ſi à fide nunc exciderimus, rursùs poterimus baptizari peccata abluere, & eadem aſſequi, quę priùs. Erratis, inquit, hæc exiſtimantes. Impoſſibile eſt enim, eos, qui ſemel ſunt illuminati, &c. Ne ampliùs, inquit, expectes quod non poteſt fieri. Non enim dixit: Non decet, neque expedit, neque licet, ſed eſt impoſſibile, ut eos omninò dejiciat in deſperationem*, recuperandi ſcilicet peccatorum remiſſionem iteratione baptiſmi. Et paulò poſt, *Renovare dicit ad Pœnitentiam, hoc eſt, per Pœnitentiam. Quid ergo, ejecta eſt Pœnitentia? Non Pœnitentia, abſit: ſed quæ rursùs fit per lavacrum renovatio. Non enim dixit impoſſibile eſt renovari ad Pœnitentiam, & tacuit; ſed cum dixiſſet, impoſſibile eſt, ſubjunxit, Rursùs crucifigentes renovari; hoc eſt, novum fieri. Novos enim facere eſt ſolius baptiſmi, &c. Pœnitentiæ autem eſt, eos, qui novi facti ſunt, deinde in peccatis inveteraverunt, liberare à vetuſtate, ſolidoſque reddere; ad illum autem ſplendorem non licet reducere: Illic enim totum eſt gratia.* Quænam ergo Pœnitentia excluſa eſt? ea, qua per baptiſmum renovamur, in qua totum eſt gratia: in qua, ut capite præcedente ex Paciano diximus, labor non requiritur, non lachrymæ, non interitus carnis, ſed quæ eſt Dei gratuita donatio: Uno verbo, in qua totum eſt gratia. Nam, ut paulò poſt ratiocinatur, *Si ſemper ſalvi futuri ſumus gratia, nunquam erimus boni. Nam ſi ubi una eſt gratia, ſic quoque ſumus ignavi, ſocordes, & diſſoluti, ſi ſciremus abluenda rursùs eſſe peccata, ceſſaremuſne à peccatis? Ego quidem minimè opinor.* Huic fundamento innititur eorum axioma: Remiſſionem baptiſmalem eſſe puram gratiam, qua ſecundis criminibus nos reddimus indignos; Remiſſionem verò per Pœnitentiam, ut ajebat Pacianus, eſſe meritum confitentis; non quod poſterior, gratia non ſit, ſed gratia lachrymis, & laboribus donata, cùm prior tota ſit gratia.

III. Sed ex ipſius verbis doceamus quid intelligat per Pœnitentiam, qua peccata poſt baptiſmum perpetrata remittuntur. *Quid ergo, inquit, non eſt Pœnitentia? Eſt Pœnitentia, ſed non eſt ſecundùm baptiſma. Eſt autem Pœnitentia, & magnam habet vim, & quæ poteſt eum, qui eſt peccatis immerſus, ſi velit, liberare ab onere peccatorum, & eum, qui eſt in periculo, in tuto collocare, etiamſi venerit in ipſum vitii profundum.* His ab eo demonſtratis deſcribit multis qualis debeat eſſe illa Pœnitentia: præcipua tantùm capita colligemus. *Cujuſmodi ergo eſt medicamentum Pœnitentiæ, & quomodo conficitur? Primùm ex ſuorum peccatorum condemnatione, & confeſſione, &c. Secundò ex multa humilitate. Eſt enim veluti quædam catena aurea, & ſi initium acceperit, ſequuntur omnia, &c. Oportet autem alia quoque addere humilitati, ſi talis ſit, qualem beatus David habebat, dicens. Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpiciet, &c. Poſt humilitatem verò, opus eſt intenſis precibus, multis lachrymis interdiu, & noctu, &c. Et poſt orationem adeò intenſam opus eſt multa eleemoſyna, &c. Deinde non iraſci, neque injuriæ acceptæ meminiſſe, omnibus peccata re-*

mitte-

Digitized by Google

mittere. En qualis eſt peccatorum poſt baptiſmum commiſſorum agenda pœnitentia: ſic tandem ad peccatorum ejuſmodi remiſſionem pervenitur.

IV. Oecumenius in eundem locum, *Qui omnia hæc perdiderunt, & exciderunt, ut denuò renoventur per pœnitentiam hoc impoſſibile eſt. Quid igitur, abjecit ne Pœnitentiam? Abſit, quemadmodum habet* D. Cyrillus *libro ſexto 2. partis laceriæ, quæ eſt in Spiritu Sancto, & veritate, ſed Pœnitentiam quæ eſt per baptiſmum. Oportet enim primùm præcedere pœnitentiam, ac renuntiationem pravarum actionum, & ita baptizari. Illam itaque Pœnitentiam, ait quæ in baptiſmate eſt: unde & renovari dixit, quod proprium eſt baptiſmatis.* Ergo ſecundùm S. Cyrillum, & Oecumenium impoſſibile eſt peccantes poſt baptiſmum ea pœnitentia renovari, quæ ante baptiſmum exigitur; alia longè duriore, & luctuoſiore opus eſt. Poſteà ex Photio ſic interpretatur. *Quid eſt rurſum crucifigentes? Ad ſecundam crucifixionem, & ſecundam paſſionem ipſam vocantes. Siquidem talis pœnitentia, & dignum reputari remiſſione per baptiſmum* τῷ σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ μόνῳ κατορθοῦν, *ſola Cruce Chriſti comparatur, & obtinetur. Qui hoc igitur exiſtimant, cupiunt rurſùs Chriſtum crucifixum, & ſubſannatum, ac oſtentui expoſitum intueri.* Itaque eadem facilitate crimina ſua poſt baptiſmum velle ſibi remitti, qua ante baptiſmum remiſſa ſunt, Chriſtum eſt iterùm velle crucifigere. Ideò cùm antiqui Chriſtiani hanc doctrinam ſibi perſuaſam haberent, eorum plurimi baptiſmum in fine poſt baptiſmum peccantes luctuoſis Pœnitentiæ laboribus criminum remiſſionem redimere conarentur.

V. S. Epiphanius hæreſi 59. adversùs Catharos diſputans ſic interpretatur eundem locum, *Perfecta quidem in baptiſmo Pœnitentia eſt. Sed ſi quis exciderit, non illum Sancta Dei Eccleſia preditum velit; immò & receptum, & poſt pœnitentiam mutandi conſilii facultatem indulget.* Hoc cum probavit, obiicit ſibi locum ex *cap. 6.* ad Hebræos, cui ita reſpondet, *Revera qui ſemel renovati ceciderant, renovari ampliùs non poſſunt. Neque enim naſcetur ampliùs Chriſtus, ut pro nobis in Crucem agatur, &c. Neque alteram quis uſurpare lotionem poteſt, quod unus baptiſmus ſit, unaque renovatio.* Et paulò poſt, *Qui poſt baptiſmum in majora quædam crimina prolapſus eſt, perinde ac qui virginitate excidit, ſecundum habet in continentia, commendationis gradum: ſic ille poſt baptiſmum graviore obſtrictus ſcelere ſecundum habet ſanitatis genus. Quod tametſi cum tanta, quanta priùs virtute minimè conjunctum ſit, non eſt tamen à conſequenda vitæ ſpe, ac ſalutis alienum.* Quomodo autem eam conſequitur? paulò poſt explicat. *Quod ad eos verò ſpectat qui in perſecutione prolapſi ſunt, etiam illis, ſi in ſacco & cinere ſedentes, coramque Domino flentes perfectam præ ſe pœnitentiam tulerint, beneficus ille Deus miſericordiam adhibere poteſt.*

VI. S. Remigius in eandem Epiſtolam, illa verba commentans (Eadem omninò, & κατὰ λέξιν leguntur apud Haymonem Halberſtat. Epiſcopum in eundem locum) *Impoſſibile eſt, inquit, iterùm renovari poſſe eos per pœnitentiam, & per baptiſmum: quia omnia poſtquam ſuperiùs memorata perceperunt, prolapſi ſunt ad immunditiam criminalium peccatorum, aut etiam ad infidelitatem. Non dixit difficile eſt, ſed impoſſibile: Quod enim difficile eſt, utcumque poteſt agi. Impoſſibile verò eſt, quod nullomodo fieri poteſt. Quid ergo? excluſa eſt Pœnitentia poſt baptiſmum, & veniam delictorum? Abſit; duo ſiquidem ſunt genera Pœnitentiæ, unum quidem antè baptiſmum, quod & præparatio baptiſmi poteſt appellari, de quo ſuperiùs diximus; quia injungitur illis, qui inſtruuntur antequam ad baptiſmum perveniunt, quam beatus Apoſtolus excludit dicens, non poſſe iterùm renovari per pœnitentiam, quatenus Pœnitentia facta iterùm baptizetur. Alterum autem Pœnitentiæ genus eſt, per quod poſt baptiſmum delentur peccata, quod B. Apoſtolus minimè excludit. Terret ergo omnes, ut timeant poſt baptiſmi gratiam gravioribus peccatis ſe implicare; quia non poteſt fieri ſecunda vice renovatio per lavacrum baptiſmatis.* Quæ verò terroris cauſa? Quamobrem reformidare debet poſt baptiſmum gravioribus peccatis ſeſe implicare, ſi æqua facilitate per pœnitentiam obtinet remiſſionem peccatorum, qua per baptiſmum? Quid opus diſtinguere Pœnitentiam ante baptiſmum, & poſt baptiſmum, & tanto conſenſu profiteri, priorem inire velle, nihil aliud eſſe quàm Chriſtum velle iterùm crucifigere; Poſteriorem verò pium eſſe, & ad ſalutem neceſſarium amplecti, ſi una eſt, & eadem? Si quam ad baptiſmum ritè ſuſcipiendum agere teneris, eadem poſt baptiſmum tibi criminum Reo ad peccatorum remiſſionem conſequendam ſatis eſſe poteſt? Ut quid illi, contra quos agit Apoſtolus ſecundum baptiſmum affectaſſent, ſi eandem eſſe remedii facilitatem, & efficaciam in agenda ante, & poſt baptiſmum Pœnitentia edocti fuiſſent? Ideò Remigius poſtquam ſtultum illorum conatum, & vanam ſpem irriſit, eos docet, qua ratione criminum poſt baptiſmum Rei remiſſionem conſequentur, *Indulgentiam tamen valebunt accipere per confeſſionem peccatorum, per humilitatem, per patientiam, per eleemoſynam, &c.* Hoc eſt, per eandem duriorem Pœnitentiam, quæ ab Eccleſia imperatur.

VII. S. Ambroſius *lib. 2. de Pœnitentia cap. 2.* longo ſermone demonſtrat hunc locum Apoſtoli de baptiſmo eſſe intelligendum; peccantes ſcilicet poſt baptiſmum alio baptiſmo renovari non poſſe. Duobus potiſſimùm argumentis Novatianos urget, qui locum de Pœnitentia interpretabantur. Prius petit à renovatione quam dicit eſſe baptiſmi propriam, quod probat ex *cap. 6. Epiſt. ad Rom. & cap. 4. ad Epheſios.* Poſterius à morte Chriſti, qui ampliùs nec mori, nec crucifigi poteſt: Quapropter nec baptiſmus repeti. Licèt autem Ambroſius demonſtrato impoſſibilitatem illam de baptiſmi iteratione eſſe intelligendam non de Pœnitentia, nihil dicat eo capite de facilitate, qua peccatorum remiſſio per baptiſmum conceditur, nihilque de difficultate, qua per Pœnitentiam comparatur, id tamen neceſſariò conſequitur. Quum enim ſæpiùs inculcet, ut demonſtratum eſt, peccata ſine labore, & lachrymis per baptiſmum remitti, dum probat impoſſibile, ut ſecundò per baptiſmum remittantur, conſequens eſt, ut ſecundò ſine labore, & lachrymis remitti non poſſint: Ex quo iterum neceſſariò conſequitur per Pœnitentiam ſecundò quidem remitti, ſed cum lachrymis, jejuniis, variiſque corporis, & animæ afflictationibus, ut toties ex eodem libro jam demonſtratum eſt. Hinc evidentiſſimum, impoſſibilitatem unius adferre ſecum impoſſibilitatem alterius: hoc eſt, impoſſibilitatem ſecundæ remiſſionis nullo cum labore obtinendæ, inferre impoſſibilitatem remiſſionis per Pœnitentiam ſine labore, & lachrymis comparandæ. Idem probat S. Auguſtinus expoſitione inchoata in Epiſt. ad Romanos quod S. Ambroſius, & iiſdem argumentis: Quapropter idem omninò dicendum.

VIII. Ratio ſecunda, in quam Patres omnes mirificè conſentiunt, nobis videtur paulò fuſius explicanda. S. Auguſtinus loco citato ſingulari quodam modo illam explicat. Docet enim unumquemque baptizatum, ſeipſum in hoſtiam Dominicæ paſſionis Deo offerre, idque ſpecialiter fieri, cùm ejus nomine Sacerdos baptizans cum cruce ſignat. Sicut igitur Chriſtus ſemel paſſus eſt, ſic etiam ſemel nobis hanc hoſtiam licet offerre. Hæc autem erat communis Doctorum ſui temporis interpretatio. *Nam & illud ad Hebræos qui diligenter pertractant, ſic intelligant, ut non de Sacrificio contribulati per Pœnitentiam cordis accipiendum ſit quod dictum eſt, non adhuc pro peccatis relinquitur Sacrificium: Sed de Sacrificio, de quo nunc loquebatur Apoſtolus, id eſt, holocauſto Dominicæ Paſſionis quod eo tempore offere quiſque pro peccatis ſuis, quo ejuſdem paſſionis fide dedicatus, & Chriſtianorum fidelium nomine baptizatus imbuitur, ut hoc ſignificaret Apoſtolus, non poſſe deinceps eum, qui peccaverit, iterùm baptizando purgari;* & paulò poſt, *Illud Sacrificium, &c. tunc pro unoquoque offertur quodammodo, cùm ejus nomine in baptizando ſignatur.* Sanè antiquiſſima eſt iſta S. Auguſtini de natura, & virtute baptiſmi ſententia: Eam enim docet ut Chriſtianis vulgatam S. Clemens *Conſtitut. lib. 3. cap. 17. Baptiſmus igitur datur in mortem filii Dei, aqua adhibetur pro ſepultura, oleum pro Spiritu Sancto, Sigillum crucis pro cruce, &c. Mergi commori eſt, emergere conſuſcitari.* Dici clarius non poterat Chriſtianos per baptiſmum crucifigi, mori, ſepeliri, & cum Chriſto reſurgere, per baptiſmum crucis ſacrificium in ſeipſo offerre.

IX. Eandem rationem cæteri Patres paulò aliter, ſed tamen in unum, & eundem modum conſpirant, potiſſimùm autem Ambroſius, Chryſoſtomus, Ephrem, & Oecumenius, ſed præ cæteris Clemens Romanus. Ajunt igitur in baptizato crucifigi Filium Dei, atque hac ratione in nobis deleri peccatum, atque hoc eſſe fidei Chriſtianæ notum axioma. Ambroſius, *Illud quoque evidens, quòd in eo, qui baptizatur, crucifigitur filius Dei: Quia non potuit caro noſtra abolere peccatum, niſi crucifixa eſſet in Chriſto Jeſu.* S. Ephrem ad finem libelli *de Pœnitentia. Eos,* *qui*

qui prolapſi ſunt, rursùs crucifigere Chriſtum, id eſt, rurſum baptizari. Una eſt crux, unum eſt etiam baptiſma: ſi ſecunda crux eſt, erit & ſecundum baptiſma, &c. Tandem concludit in hæc verba, *Non ergo dixit Paulus de Pœnitentia, impoſſibile eſſe ſemel illuminatos reſipiſcere, ſed de non rebaptizando.* Chryſoſtomus adhuc expreſſiùs, *Baptiſma eſt crux, & crucifixus eſt vetus noſter homo, &c. Baptiſma enim nihil eſt quàm ejus, qui baptizatur peremptio, & illius excitatio.* Quo argumento probant hanc doctrinam, & Chriſtianæ fidei elementum? Ambroſius, *ſcriptum eſt, quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus.* Et infrà. *Si enim complantati ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus, ſcientes, quia vetus noſter homo ſimul confixus eſt cruci. Et ad Coloſſenſes ait, conſepulti ei in baptiſmo, in quo & conſurrexiſtis. Quod ideò ſcriptum eſt, ut credamus, quia ipſe crucifigitur in nobis, ut per illum peccata noſtra mundentur, ut ipſe chirographum noſtrum affigat cruci, qui ſolus poteſt donare delicta:* Specialiter adnotat S. Damaſcenus *lib.* 4. Orthodoxæ fidei *cap.* 10. *Baptiſmum mortis Chriſti figuram præferre. Baptiſmus ſiquidem per triplicem immerſionem tres dies quibus Dominus tumulo conditus jacuit, ſignificat.* His omnibus argumentis, aut aliquo eorum in eundem finem utuntur, Chryſoſtomus, Oecumenius, Theodoretus, Epiphanius, Ephrem, Damaſcenus, Theophylactus, Remigius, & alii, & hoc argumento colligunt Apoſtolum ad Hebræos de baptiſmo loqui, cùm ſcribit de iis, qui volunt renovari ad Pœnitentiam, *rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes.* Veteris enim hominis crucifixio, & renovatio ſeu reſurrectio in ſolo fit baptiſmate.

X. Ideò, ut vidimus, antiqui Patres dicere ſolebant, eos, qui ante Baptiſmum peccaverant, in vetere homine peccaſſe. Hinc eſt quod baptiſmus ubique terrarum, niſi moribundi exigeret infirmitas, per immerſionem, & emerſionem ſive unam, ſive trinam mille ſaltem, & ducentis annis ſemper celebratus eſt, ut officiorum divinorum auctores, & antiqua ritualia variorum temporum tam Græca quàm Latina teſtantur. Illa autem immerſio, & emerſio mortui, & ſepulti veteris hominis, & in novitate reſurgentis typum præclarè exprimebant, ut adnotavit Clemens; atque ad eas non modò alludit Paulus locis citatis, ſed etiam ex iis demonſtrat, & peccata noſtra nobis per baptiſmum integrè eſſe remiſſa, & à peccatis eſſe abſtinendum. Cùm igitur baptiſmus noſter ſit expreſſio mortis Chriſti, in baptiſmo crucifigamur, & ſimul reſurgamus, in baptiſmo deleatur chirographum peccatorum noſtrorum, & cruci affigatur, atque, *ipſe*, ut loquitur Ambroſius, *in nobis principatus, & poteſtates triumphet*, Quid aliud deſiderat, qui peccata ſua alio baptiſmate purgari cupit, quam iterùm Chriſtum crucifigere, & oſtentui habere? His addam ut coronidem S. Clementis teſtimonium *lib.* 6. *Conſtit. cap.* 15. quo manifeſtum erit ab ipſis Eccleſiæ primordiis vulgatam fuiſſe hanc argumentationem S. Pauli, baptiſmum iterare, vel quod idem eſt, remiſſionem peccatorum in baptiſmo partam, alio velle recuperare, Chriſtum eſſe crucifigere. *Qui myſterio baptiſmi initiatos, iterùm baptizare aggrediuntur, iterùm agunt in crucem Dominum, iterumque eum interficiunt, irrident divina, ludibrio habent ſancta, contumelia afficiunt Spiritum Sanctum, & Sanguinem illum ſanctum ut communem parvi pendunt.*

XI. Hinc fons perfectiſſimæ, & effuſiſſimæ peccatorum remiſſionis in baptiſmo ſcaturit. Cruce enim Chriſti omnia peccata purgantur, & baptiſmo purgatio illa in imaginem mortis, & ſepulturæ Chriſti perfectiſſimè applicatur, delictorum chirographum unicuique ſpeciale in eo non tantùm expungitur, ſed obliteratur, & veluti ſpongia deletur. Ideo ex decreto Dei peccatorum remiſſio integerrima purè gratis, nulloque labore noſtro parta baptizatis conceditur. *Illic enim*, ut ait Chryſoſtomus, *totum eſt gratia.* Ideo & Pacianus Baptiſmum vocavit, *Sacramentum Dominicæ Paſſionis, quia gratiæ Dei donum eſt, & gratuita donatio*, cùm remiſſio per Pœnitentiam comparata, labor ſit, & meritum Confitentis. Itaque ut Chriſtus ſemel crucifixus, crucifigi ampliùs non poteſt: Ita baptizatus ampliùs baptizari non poteſt, nec quam per baptiſmum obtinuit remiſſionem, iterum obtinere. Recentiores omnes, quos, legi exceptis, Cajetano, Guillibando Æduenſi Canonico, Eſtio, qui alias interpretationes improbat, & Dionyſio Carthuſienſi, qui eam aliis præfert, hanc antiquam Patrum interpretationem vel refutant, ut cum textu minimè convenientem, vel varias ei præferunt interpretationes à ſe excogitatas. Omnes autem excluſo baptiſmo de Pœnitentia Paulum interpretantur; atque illud *impoſſibile*, in quo tota hæret adverſus Novatianos difficultas, per *difficile* explicant, ſcilicet, plurimùm eſſe difficile, eos, qui labuntur poſt baptiſmum, & Dei donis, quæ ibi enumerantur, imbuti fuerunt, renovari ad Pœnitentiam: difficilem, & laborioſam eis eſſe agendam Pœnitentiam. Hactenus in eundem, quem nobis propoſuimus finem, hæc ſecunda interpretatio conſpirat. Verum nonnulli, quod Patres omnes de Capitalibus omnibus peccatis intellexerunt, de uno aut altero volunt accipiendum. Sed hac in cauſa quid recentiores dicant, diligentius attendere propoſiti noſtri limites longè eſſet excedere.

CAPUT VIII.

Pœnitentes in extremis reconciliati ſtationem ſuam convaleſcentes repetebant: Catechumeni verò in iiſdem anguſtiis baptizati ſanitate recuperata non ampliùs Catechumenis, ſed fidelibus adjungebantur.

UT doctrina hactenus explicata magis illuſtretur, quòd ultimo loco nobis propoſuimus, nunc eſt exequendum. Duo ſunt iſtius doctrinæ conſectanea, quorum cognitio, & demonſtratio non indigna mihi videtur, quæ ab antiquitatis Chriſtianæ ſtudioſis legatur. Prius eſt ejuſmodi. Pœnitens, qui reconciliationem in fine vitæ accipiebat, licèt eum reconciliatione Euchariſtia donatus fuiſſet, convaleſcens ad eam ſtationem, in qua eum morbus deprehenderat, redire tenebatur. Si nondum Pœnitentiam inchoaverat reconciliatione, & Euchariſtia potitus, integrum nihilominus Pœnitentiæ ſtadium decurrere jubebatur. Hoc eſt evidens, & perſpicuum, ut *libro* 10. peculiari capite demonſtrabimus, nec ullum de hac removeri dubium poteſt. Nonnulli tamen canones, ut Nicæni ad eandem ſtationem eos non remittunt, ſed ad communionem precum, ſive Conſiſtentiam, ſtationum Pœnitentiæ ſuarum ultimam. Sed ad rem nihil nunc confert hæc diſtinctio. Longè verò aliter cum Catechumenis agebatur: Catechumenus enim urgente morbo ſemel baptiſmo donatus ad Catechumenatum ampliùs non revocabatur, ſed perpetuò cum fidelibus conſortio fruebatur. Licèt plerique canones, pleraque decreta lata fuerint, de baptiſmo Catechumenis moribundis, immo Gentilibus morientibus conferendo, nuſquam tamen deprehendes, juſſum eſſe, ut convaleſcentes Euchariſtia privati Catechumenorum ſtationes inirent. Novatus in lectulo decumbens baptizatur, tantùm abeſt ut ſanatus ad Catechumenatum ablegetur, ut ceremonias baptiſmales morbi violentia ſuſcipere impeditus, iis nuſquam repetitis Presbyter ordinatus fuerit, ut docet ex Cornelii Papæ Epiſtola Euſebius *hiſtoriæ lib.* 7. *cap.* 43. Quatuor primis ſeculis tot homines baptiſmum ad uſque vitæ periculum differebant: Hinc variæ ſanctorum Patrum adverſus ejuſmodi dilationem homiliæ, nuſquam tamen repetiti Catechumenatus ulla mentio. Frequentior erat illis ſeculis Catechumenorum in Eccleſia quam Pœnitentium numerus. Unde ablegationis Pœnitentium reconciliationem in morbo accipientium ad ſtationem ſuam ſanitate recuperata tam frequens in canonibus mentio, nullo verò in pari caſu Catechumenorum, ſi par erat utrorumque conditio?

II. Caſum hunc in ſpecie ſibi propoſuit Concilium Laodicenum *cap.* 47. & quid eſſet faciendum edixit; *Oportet eos, qui in morbo baptiſmum accipiunt, deinde reſurgunt, fidem ediſcere, & noſſe, quòd divini muneris participes facti ſunt.* Hoc eſt planè neceſſarium, nihilque habet cum Catechumeni ſtatu commune. Cùm enim propter irruentem morbum fidei myſteria non ſit edoctus, deque Sacramentis, quæ percepit, Confirmatione ſcilicet, & Euchariſtia, nihil fortè audiverit, à recta ratione omninò eſſet alienum baptizatum ejuſmodi ad ediſcenda myſteria non obligare; cum quotquot fideles eorum ignari ſunt, ea ediſcere teneantur. Hoc evidentiſſimè demonſtrat ratio à canone addita. Quamobrem convaleſcens fidem diſcere jubetur? Ut cognoſcat divinam gratiam cui participavit. Edocetur igitur myſteria fidei, verùm ut fidelis, fidelium ordini ſemper adſcriptus, myſteriorum omnium non ſecus ac alii fideles indiſtinctè particeps, Catechumenorum nec manuum impoſitioni, nec genuflexioni, nec ſalis deguſtationi, nec dimiſſioni, nec Competentium ulli Pœnitentiæ, aut expiationi obnoxius. Eum autem fidem diſcere, aut catechizari nihil impedit; cùm fidelibus ſemper licuerit Pœnitentiam, & Catechumenorum myſticis expiationibus, & inſtructionibus adeſſe, non è contra. Atqui Pœnitens communione propter morbum potitus ſi convaleſcat, Pœnitentiæ ſtationem, cui ſanus adſcriptus fuerat, obire tenetur,

Digitized by Google

tur, nihilque illi in gratiam acceptæ Euchariſtiæ remittitur.

III. Hujus obſervantiæ ratio evidentiſſima colligitur ex præcedentibus. Cùm enim certum fuerit, & indubitatum apud omnes antiquos, baptiſmum licèt ante decurſum Catechumenatum in mortis periculo ſuſceptum omnem pœnam expungere, & delere; ſuſcepto baptiſmo, & baptizato fidelium cœtui aggregato, quamobrem regradaretur, & ſtatione fidelium privatus ad Catechumenos retrocederet, qui nulli pœnæ obnoxius erat? Cùm in extremis conſtitutus eſt Catechumenus breviſſimè præcipua fidei capita, & Symbolum illi explicatur, emiſſaque fidei profeſſione ſtatim baptizatur, ut nos docet Sanctus Auguſtinus *libr. de fide, & operibus, cap. 6. Fit hoc ubi quemquam fortè dies urget extremus, ut ad verba pauciſſima, quibus tamen omnia contineatur, credat, Sacramentumque percipiat, ut ſi ex hac vita migraverit, liberatus exeat à reatu præteritorum omnium peccatorum.* Nulla illi indicitur Pœnitentia, nullum jejunium, ſola requiritur ab ea poſt Catechiſmum fidei profeſſio: è vita tamen exit reatu peccatorum omnium liberatus. Quapropter ſanitati reſtitutum nulla pœna manet. At in Pœnitente moribundo longè aliter ſe res habet: Quum enim illi datur reconciliatio juxta morem illorum temporum, Pœnitentia primò illi imponitur, declaratur quænam canonicæ pœnæ peccatis ſecretò confeſſis, vel publicis conveniant, ut eas, ſi convaleſcat in ſeipſum exequatur: deinde ſi continuò creditur moriturus reconciliatio præſtatur. Quocirca ſi convaleſcere eum contingat, Pęnitentiæ impoſitæ ſedulò exequendæ reus manet.

IV. Hujus inſuper obſervantiæ argumentum invictum videtur totus S. Auguſtini liber de fide, & operibus. Agit enim eo libro adverſus nonnullos, qui contendebant à baptizandis ſolam fidei profeſſionem, cùm baptizabantur, eſſe requirendam, bona opera ab eis non eſſe exigenda niſi poſt baptiſmum. Multis argumentis, & verbis demonſtrat, baptizandis, antequam baptizentur, reſipiſcentiam peccatorum eſſe exigendam, à quibus niſi deſiſtant, ad baptiſmum non eſſe admittendos; immò etiam aliquot dierum auſteram pœnitentiam ante baptiſmi ſuſceptionem illis eſſe agendam, ne indignis Sacramenta miniſtrentur: hoc ſcripturam nos docere, hoc Eccleſiæ conſuetudinem nobis tradere. Moribundorum quoque Catechumenorum hypotheſim nonnunquam tractat, ut loco jam citato, & *cap. 9.* ubi iterum docet Eccleſiæ conſuetudinem ferre, ut Catechumeni moribundi ante baptiſmum myſteria fidei breviter eam fidem profiteantur, Adverſus enim illos diſputans, qui afferebant Spadonis exemplo ſufficere baptizando dicere, Credo filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum, opponit illis Eccleſiæ conſuetudinem, *Cur non id ſequimur, atque auferimus cætera, quæ neceſſe habemus, etiam cum ad baptizandum urget anguſtia, exprimere, interrogando ut baptizandus ad cuncta reſpondeat, etiamſi ea memoriæ mandare non valeat.* Nuſquam tamen innuit, nedum disertè aſſerit, Catechumenos illos, aut etiam Gentiles ſanitati reſtitutos ulla lege ad Catechumenatum, aut Pœnitentiam baptiſmi præparatoriam ablegari. Si tamen ejuſmodi fuiſſet aliqua Eccleſiæ conſuetudo, nullum in Adverſarios potentius argumentum intentare poterat. Docuiſſet enim adverſùs eos adeò neceſſariam eſſe iſtam in Catechumenatu pœnitentiam, & probationem, ut ſi morbus eam abrupiſſet, ſanato morbo eſſet redintegranda, quod cauſæ Adverſariorum jugulum recta petebat.

V. Idem colligitur ex S. Baſilio *in Exhortatione ad baptiſmum*, Gregorii Nazianzeni *orationibus 39. & 40. in Sancta lumina*, & S. Chryſoſtomo *homilia 1. ad Baptizandos*, ubi multis invehuntur in eos, qui baptiſma differunt, proponuntque illis potiſſimùm in certiſſimam vitæ durationem. Deinde conſequentiam, tum temporis pleriſque Chriſtianis communem, ex verò dogmate abſurdè deductam multis rationibus impugnant, eo quod ſcilicet baptiſmus omnia peccata elueret, omnemque pœnam ſolveret, in vitæ extrema differendum eſſe. Quid illa pœnitentia poſt baptiſmum, eo tempore ſuſceptum fingi poterat eorum propoſito accommodatius? Illius tamen in longa rerum, verborumque contentione nulla memoria, nullum veſtigium. Itaque differentiæ iſtius cauſa ſubſtantialis eſt, quòd quæcunque baptiſmum precedere jubet Eccleſia, ſolam diſpoſitionis ad gratiam recipiendam rationem habent. Unde fit, ut baptiſmo quocunque modo verè ſuſcepto nullus eis amplius ſit locus. Quæ verò Pœnitentium reconciliationem præcedunt, diſpoſitionis ſimul, & ſatisfactionis rationem habent. Quapropter reconciliatione ante eorum executionem impetrata, licèt diſpoſitionis ad reconciliationem ritè excipiendam ceſſet ratio, ſatisfactionis tamen, & pœnæ obligatio manet, donec eam peccator integram, & uſque ad ultimum quadrantem exolverit.

VI. Hoc nos ut ſanctè, ſic eleganter, docere videtur S. Cyprianus *Epiſt. 52.* ad Antonianum in cauſa comparationis Pœnitentiæ cum Martyrio, cujus eadem prorſus eſt ad ſalutem efficacia quæ baptiſmi. Doctrinæ ſuprà explicatæ univerſa ipſius ratiocinatio eo loco innititur. Opponebat Cypriano Antonianus, ſi lapſis reconciliatio, & pax tandem concedantur, virtus fratrum minuetur, & martyria deficient. Dupliciter reſpondet Cyprianus, primùm à ſimili, *Mœchis à nobis Pœnitentiæ tempus conceditur, & pax datur, non tamen idcircò virginitas in Eccleſia deficit, aut continentiæ propoſitum glorioſum per aliena peccata langueſcit, &c.* Non igitur laxata lapſis venia martyria deficient. Secundò intimam hujus rei rationem reddit ab Eccleſiæ diſciplina petitam: Quia ſcilicet iſta longiſſimè differunt peccatorum remiſſionem per Pœnitentiam conſequi, & per Martyrium. Per Martyrium enim ſtatim coronamur; per Pœnitentiam verò longo tempore ante veniæ adeptionem purgamur: *Aliud eſt ad veniam ſtare, aliud ad gloriam pervenire; aliud miſſum in carcerem non exire inde, donec ſolvat noviſſimum quadrantem; aliud ſtatim fidei, & virtutis accipere mercedem; aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari, & purgari diù igne; aliud peccata omnia paſſione purgaſſe; aliud denique pendere in die Judicii ad ſententiam Domini, aliud ſtatim à Domino coronari.* Nec pœnæ iſtæ ab Eccleſia Pœnitentibus impoſitæ fruſtra contemnuntur: Contemptores enim Deus inferorum pœnis graviſſimè punit, aut negligentius eas exequentes pœnis poſt hanc vitam purgatorii. Nemo autem neſcit Baptiſmum martyrio, & martyrium baptiſmo, quod ad ſalutis fructum ſpectat, ſemper æquari, utrumque videlicet perfectam nobis ſalutem operari. Hoc igitur intereſt Pœnitentiam inter, & baptiſmum ſive Martyrium, ut nos docet S. Cyprianus, quòd baptiſmo, & Martyrio ſtatim fidei mercedem accipimus, & coronamur; Pœnitentia verò ad veniam ſtamus, longo dolore cruciamur, & diù purgamur igne paſſionum, & afflictionum, antequam ab ejus ſtadio per reconciliationem dimittamur.

CAPUT IX.

Catechumenum, vel etiam Ethnicum in mortis articulo baptiſmum petentem, & ſuſcipientem, ſalutem æternam ſtatim poſt mortem conſequi credebant. De Chriſtiani autem ſalute Pœnitentiam, & reconciliationem in iiſdem anguſtiis ſuſcipiente plurimùm diffidebant. Diffidentiæ rationes præcipuæ, gravitas criminum poſt baptiſmum, & neceſſitas ex amore juſtitiæ pœnitendi, qui tum difficillimè concipitur. Iſta quoque ex Scoto, aliiſque Scholaſticis enarrantur. Error Fauſti regienſis notatur, negantis Pœnitentiam finalem valere poſſe.

POſteriùs ejuſdem doctrinæ conſectaneum, quod nobis explicandum ſuſcepimus, differentiam ſpectat Chriſtiani criminum Rei, & Pęnitentiam cum æger eſt poſtulantis, & Catechumeni ſive Ethnici in eadem anguſtia baptiſmum poſtulantis. Catechumenum enim, ſive Ethnicum tum baptizatum ſtatim æterna gloria frui ſecuri credebant. De Pęnitentis autem ejuſmodi ſalute, licèt ei Pęnitentiam, & reconciliationem concederent, plurimùm dubitabant, nihil aſſeverare audebant. Catechumenum autem, & Ethnicum conjunximus, eo quòd in hac cauſa inter tria iſta, Catechumenum bene, & Catechumenatum malè viventem, ac Ethnicum baptiſmum petentem non diſtinguerent. Immò vult S. Auguſtinus baptizari Catechumenum malè viventem, & morbo repentino ita oppreſſum, ut ne ſignum quidem Pęnitentiæ edere poſſit: Sed in ea ſpecie non omnes Antiqui conveniebant. Poſteriùs autem hoc de baptizato in extremis, ex iis, quæ dicta ſunt *capitibus 2. & 3.* facilè demonſtratur. Idque jam in ſpecie ex S. Auguſtini *homilia, 41. ex 50. initio cap. 6.* hujus libri retulimus, ex libro de fide, & operibus *cap. 6. initio cap. 8.* iterumque infrà ex eodem, & S. Ambroſio, Cæſarioque Arelatenſi in alterius membri demonſtratione referemus; eo quòd in eodem teſtimonio utriuſque demonſtratio conjungitur. Eandem præterea doctrinam præclarè docet auctor libri de vera, & falſa Pęnitentia apud S. Auguſtinum *cap. 17. Pœnitentia, ſi in extremo hiatu vitæ advenerit, ſanat, & liberat in ablutione baptiſmi, ita quod nec purgatorium ſentiunt, qui in fine baptizantur. Sed ipſi ditati bonis ſanctæ Eccleſiæ, ſunt recepturi multiplex bonum in vera beatitudine. Illi autem, qui cùm potuerunt, nunquam converti voluerunt, confitentes cùm jam peccare*

cate

Digitized by Google

care nequeunt, non ſic facilè acquirunt, quod volunt.

II. Hinc eſt, quòd nuſquam legas Patres de integra recens baptizati ſalute dubitantes, baptiſmum licèt ad finem uſque vitæ differat. Ideò antiquitus Catechumenorum magna pars de iſtius doctrinæ veritate perſuaſa baptiſmum ſuum, aut in finem vitæ, aut in periculum mortis retardabant. Sunt autem hujus retardationis illuſtria exempla, omnibus nota, ut Conſtantini, filiorumque ejus, & Auguſtorum Valentis, Valentiniani Junioris, Theodoſii, ejuſque Patris; Nectarii quoque, & S. Ambroſii qui ſacrorum ordinum recipiendorum cauſa jam ætate provecti baptizati ſunt. Aliis etiam de cauſis baptiſmum diutiùs retardabant multi, de quibus aliquando latiùs dicemus. Hanc conſuetudinem non improbaſſet S. Ambroſius, ſi nullus fuiſſet poſt baptiſmum Pœnitentiæ locus, ut ipſe teſtatur *lib. 2. de Pœnitentia cap. 11. Bona ergo Pœaiteatia*, inquit, *quæ ſi non eſſet, omnes ad ſenectutem differrent ablutionis gratiam.* Hoc ſanè, poſita patrum doctrina, non abs re faciebant: Nam cùm crimina poſt baptiſmum tanta, cum difficultate à Deo, & Eccleſia remitti docerent; in baptiſmo autem, licèt animam exhalanti detur, tanta cum facilitate: proclive ſanè fuit unicuique, ne poſt baptiſmum peccaret, illum quandiu per ſanitatem poterat, differre. Aliud ejuſdem doctrinæ de baptiſmo argumentum ex eo ſumitur, quòd licèt Patres ſæpiùs in eos invehantur, qui baptizari ultra tempus canonibus conſtitutum differebant, nuſquam tamen leguntur iis objeciſſe ſalutis per baptiſmum comparandæ incertitudinem, ſed baptiſmi ſuſcipiendi ancipitem eventum, cùm multis de cauſis fieri poſſit, ut certa, & improviſa mors baptiſmi occaſionem eripiat. Verum iidem Patres increpantes eos, qui peccatorum poſt baptiſmum commiſſorum Pœnitentiam differebant, utrumque objiciebant, & occaſionem Pœnitentiæ ſuſcipiendæ dubiam, & perplexam, & occaſione illà data ſalutis per Pœnitentiam ſic ſuſceptam obtinendæ incertum. Quum autem de baptiſmo id ſatis ſuperque probatum ſit, & nulla de eo dubitandi inter Chriſtianos naſci poſſit ocaſio, Quid Patres de moribundo Pœnitentiam poſtulante docuerint, attendamus.

III. Sanctus Auguſtinus *homil. 41. in libro 50. homiliarum* utramque ſpeciem, & Catechumeni moribundi baptiſmum petentis, & moribundi Chriſtiani Pœnitentiam, tum efflagitantis dilucidè enarrat, & explicat, *Si quis autem poſitus in ultima neceſſitate ægritudinis ſuæ, voluerit accipere Pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus quod petit, ſed non præſumimus quia benè hinc exit. Non præſumo, non vos fallo, non præſumo. Fidelis benè vivens ſecurus hinc exit. Baptizatus ad horam, ſecurus hinc exit. Agens Pœnitentiam, & reconciliatus cum ſanus eſt, & poſteà benè vivens, ſecurus hinc exit. Agens Pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit, ego ſum ſecurus. Unde ſecurus ſum, ſecurus ſum, & do ſecuritatem: Unde non ſum ſecurus, Pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum.* Clariſſima illa verba quid in hac cauſa ſenſerit Auguſtinus, neminem ambigere ſinunt. Eadem prorſus ſententia, & Pœnitentiæ cum baptiſmo comparatio legitur iiſdem verbis apud S. Ambroſium *lib. 2. de Pœnitentia, cap. 12.* vel in aliis codicibus ad finem ejuſdem libri ſub titulo exhortationis ad Pœnitentiam.

IV. Eadem populo ſuo prædicabat S. Cæſarius Arelatenſis *homiliis* 43. 44. In poſteriore præſertim, in qua præterea hæc, ut & apud Ambroſium, & Auguſtinum, *Quod dico, attendite: Ego illud planius expono, ne aliquis me malè intelligat, Nunquid dico damnabitur? non, ſed liberabitur? Non dico. Et quid mihi dicis, ſancte Epiſcope? Quid tibi dicam, neſciu. Dixit, non præſumo, non promitto, prorſùs neſcio de Dei voluntate. Vis te, frater, à dubio liberari? Vis, quod incertum eſt, evadere. Age Pœnitentiam, dum ſanus es. Si enim agis veram Pœnitentiam dum ſanus es, & invenerit te noviſſimus dies, currito ut reconcilieris. Si ſic agis, ſecurus es. Quare ſecurus es? Vis dicam tibi? Quia egiſti Pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuiſti. Ecce dixi, quare ſecurus es. Si autem tunc agere vis ipſam Pœnitentiam, quando peccare jam non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.* Nonnulla alia addunt ſancti illi Patres, quæ brevitatis cauſa omittimus, quanquam eidem argumento appoſitè ſuffragentur.

V. Eadem erat S. Eligii ſententia cum *homilia 6.* agens adverſus eos, qui ad finem vitæ Pœnitentiam differunt, ſcribit; *Cùm omnes homines Pœnitentiam velint in fine vitæ ſuæ accipere, vix paucos videmus eam ſecundùm quod deſiderant, adipiſci.* Deinde enarratis variis periculis, quibus ſingulis horis omnes homines objecti ſunt, atque hinc demonſtrato capitalia peccata eſſe fugienda, bonis operibus perpetuò eſſe incumbendum, tandem colligit, *Si nos tantis operibus fideliter occupatos dies tranſitus noſtri invenerit; Sicut jam dixi, etiam ſi in hora mortis noſtræ Pœnitentiam accipiamus; ſecuri de hac luce migrabimus, & non ſolùm pœnas evadere, ſed etiam ad æternam vitam poterimus donante Domino feliciter pervenire.* Hæc ſola vivendi ratio Pœnitentes in fine ſecuros reddit.

VI. Idem Auguſtinus *ſermone 57. de tempore* aliis verbis, & egregiis cum rationibus docet: *Ad emendanda crimina vox Pœnitentis ſola non ſufficit: Nam in ſatisfactione ingentium peccatorum non verba tantùm, ſed opera quæruntur. Datur quidem etiam in extremis Pœnitentia, quia non poteſt denegari; ſed auctores tamen eſſe non poſſumus, quòd qui ſic petierit, mereatur abſolvi. Quomodo enim agit Pœnitentiam lapſus? Quomodo agit Pœnitentiam in extremis vitæ finibus conſtitutus? Quomodo Pœnitentiam agere poſſit, qui nulla jam pro ſe opera ſatisfactionis operari poteſt, Et ideò Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma eſt. Pœnitentia quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne ipſa moriatur.* Multa quoque in eandem ſententiam docet ſermone ſequente.

VII. Cæſarius Arelatenſis *homil. 13.* multis in ejuſmodi procraſtinatores invehitur. *Sed dicet aliquis, cùm ad ſenectam venero, & aliqua nimia infirmitate fuero deſperatus, tunc Pœnitentiam petam. Non quidem dicimus Pœnitentiam prodeſſe non poſſe. Certum eſt, quia prodeſt.* At quia conditione prodeſt iſta Pœnitentia in fine vitæ acta, ſtatim explicat, *Si cum grandi eleemoſyna illam unuſquiſque accipiat, & omnibus inimicis indulgentiam tribuat, & quibuſcunque fecit injuriam veniam petat, & ita toto corde deliberet, ſi evaſerit, quandiù vixerit, totis viribus illam cum rugitu, & gemitu, & cum multis eleemoſynis humiliter agat.* Neque tamen his omnibus poſitis ſecuritatem promittit. *Multos novimus, dum ſani eſſent, frequenter dixiſſe Pœnitentiam ſe toto corde deſiderare, ſed tamen quia illam ſtatim agere noluerunt, ſine ipſius remedio de hoc ſeculo receſſerunt. Percutitur enim hac animadverſione peccator, ut moriens obliviſcatur ſui, qui vivens oblitus eſt Dei. Nam qui remedium animæ ſuæ quando potuit, noluit quærere, poſteà etiam ſi velit, dubium eſt, utrùm mereatur accipere.* Multa quoque habet in eandem ſententiam *homiliæ ſequentis initio*, præter ea, quæ ſuprà ex *homiliis 43. & 44.* citata ſunt.

VIII. Verùm nemo fuſiùs, & eloquentius Salviano Maſſilienſi Epiſcopo ad finem *lib. 1.* ad Eccleſiam Catholicam incertitudinem illam enarrat, & exaggerat: paucas periodos referemus. *Non quidem ulli vitiis carnalibus implicato ſufficere ad vitam æternam putem, ſi cum uſque ad mortem in flagitiis conſenuerit, in obitu benè cuncta diſpenſet, niſi anteà, & peccatis renuntiaverit, &c. alioqui peccare non deſinit, quem in extremis ſitum recedere à criminibus ſola tantùm facit impoſſibilitas non voluntas. Qui enim à malis actibus tantùm morte diſcedit, non relinquit ſcelera, ſed relinquitur à ſceleribus. Ac per hoc neceſſitate excluſus à vitiis, & tunc puto peccat, quando ceſſaverit; quia quantum ad animum necdum deſiit, qui adhuc velit peccare, ſi poſſit.* Et poſt multam hujus ſermonis continuationem ſubdit, *Quod ſi aut tanta vis morbi, aut tanta ægrotorum fuerit incuria, ut valetudinis labem uſque ad dies ultimos trahant, quid dicam neſciu, quid promittam prorſùs ignoro. Revocare ab inquiſitione ultimi remedii periclitantes durum, & impium: ſpondere autem aliquid in tam ſera curatione temerarium. Sed meliùs tamen eſt abſque dubio, quamvis diuturnâ paralyſi aridas manus, aliquo tamen niſu ad cœlum erigi, quàm lethali penitus deſperatione diſſolvi. Meliùs eſt nihil inexpertum relinquere, quàm morientem non curare: maximè quia neſcio an in extremis aliquid tentare medicina ſit, certè nihil tentare perditio.* Nonnulla ex eodem auctore jam retulimus *cap. 14. libri primi*, quæ iiſdem rationibus conducere poſſint.

IX. Attendenda quoque eſt iſtius difficultatis, & dubitationis ratio à Salviano reddita, *Unum ſcio, quòd quicunque in hanc miſeriam longi languoris extrema perduxerit, ineffabile dictu eſt quantum lamentationis erroribus ſuis debeat, quia nunquam errata cognovit. Et quid inter hæc fiet, quando lugebit, qui dies lugendi perdidit? Quando ſatisfaciet, qui tempus ſatisfactionis amiſit?* Deinde poſtquam eloquentiſſimè demonſtravit omnium ſatisfactionum propter corporis infirmitatem, & temporis brevitatem eſſe impotentem, docet, unicum illi reſtare perfugium, conſilium ſcilicet regi Babylonio à Daniele datum, iniquitates Eleemoſynis redimere. Hoc conſilio multis pro re ſubjecta eloquenter enarrato, & in omnes partes verſato, tandem propoſito ſemper inhærens urget

Da-

Digitized by Google

Danielis in conſilio addita, *forſitan propitiabitur Deus delictis tuis*, ſcribitque *hoc ipſum, quòd dicit forſitan, ſpem indicat, non fiduciam pollicetur. Et quo intelligi poteſt, quàm difficile jam in ſupremis poſiti peccatores qualibet munificentia ad perfectam indulgentiam pervenire poſſint, quando Propheta ipſe, qui ſuadet propitiationem Dei inquirendam, promittere tamen non auſus eſt promerendam. Dat conſilium de actu, & tamen dubitat de effectu; hortatorem ſe agendi, non impetrandi auctorem facit. Quare ita? Quia omnes ſcilicet peccatores debent pro ſe, vel in ſupremis cuncta tentare, & ſi non poſſunt alia præſumere.*

X. Iſidorus Hiſpalenſis *lib. 2. ſententiarum cap. 13.* idem ut communem Eccleſiæ ſententiam docet. *Si quando quiſque peccare poteſt, Pœnitet, vitamque ſuam vivens ab omni crimine corrigit, non dubium quod moriens ad æternam tranſeat requiem. Qui autem pravè vivendo, Pœnitentiam in mortis agit periculo, ſicut ejus damnatio incerta eſt, ſic remiſſio dubia. Qui ergo cupit certus eſſe in morte de indulgentia, ſanus Pœniteat, ſanus perpetrata facinora defleat*, Et *lib. 2. de Eccleſiaſticis officiis cap. 16. Non dubitamus circa finem juſtificari hominem per Pœnitentiæ compunctionem: Sed quia rarò id fieri ſolet, metuendum eſt, ne dum ad finem differtur converſio, incerta occupet mors, priuſquam veniat Pœnitentia, pro qua re etſi bona eſt ad extremum converſio, tamen multò melior eſt, quæ longè ante finem agitur, ut ab hac vita ſecurius tranſeatur.* Eadem confirmat, & repetit Rabanus Maurus *lib. 2. de inſtitut. Clericorum cap. 29*

XI. Iſtius difficultatis rationes nonnullas reddit Hugo de S. Victore *lib. 2. de Sacrament. fidei, cap. 5. Valdè difficile eſt, ut tunc vera ſit Pœnitentia, quando tam ſera venit. Quando cruciatus membra ligat, & dolor ſenſum opprimit, vix homo aliud cogitare poteſt. Ergo ſi vis ſecurus eſſe, Pœnitentiam age dum ſanus es; dum mens ſibi vacare poteſt. Exerce illam in opere ſuo. Valdè ſuſpecta debet eſſe Pœnitentia, quæ coacta videtur eſſe, facilè eſt, ut homo ſe nolle putet, quod poſſe non datur. Poſſibilitas optimè voluntatem probat. Si non facis, dum potes, manifeſtè oſtendis, quòd non vis.*

XII. Plures iſtius difficultatis rationes reddit, & exaggerat Euſebius ad Damaſum de morte S. Hieronymi, Auctor longè recentior quàm præ ſe fert, ſed tamen doctrinæ ſuo tempore vulgatæ teſtis fidelis, *Fortè quis iterùm dicet, Vir qui toto tempore, quo vixit maleſecit, in mortis articulo accepta Pœnitentia à Deo veniam obtinebit. Heu quàm vana ſuſpicio, & falſa meditatio. Vix de centum millibus hominum, quorum mala ſemper fuit vita; meretur à Deo habere indulgentiam unus. Vir totus in peccatis genitus, & enutritus, qui nec Deum vidit, nec agnovit, nec de eo audire voluit, nec ſe peccaſſe cognoſcit, nec quid Pœnitentia ſit, niſi fortè dormiendo novit, totus adhuc ſecularibus innodatus negotiis, quem anguſtia premit filiorum, quos diſerit, quem infirmitas coarcerit, quem dolor divitiarum, & temporalium bonorum cruciatit, cùm eis non poſſe frui ampliùs ſe cernit, quàm acceptam Deo accipit Pœnitentiam, quàm non acciperet, ſi adhuc ſe poſſe ſanari crederet? Certè verè concludam, qui dum ſanus eſt, & juvenis, Deum offendere non formidat, in morte non merebitur divinam obtinere indulgentiam. Quæ dilectiſſimi filii eſt Pœnitentia, quàm ſolùm qui accipit, quia ſe vivere non poſſe ampliùs cernit?*

XIII. Sanctus Bernardus, idem de Pœnitentia in extremis acta decernit *cap. 27. lib. de modo bene vivendi. Quando homo peccare poteſt pœnitet, & vitam ſuam vivens ab omni crimine corrigit, ſine dubitatione quando ei mors advenerit ad æternam perveniet requiem. Qui autem malè vivit, & in morte pœnitentiam agit, ſicut damnatio illius eſt incerta, ita & remiſſio illius eſt dubia, Qui ergo ſecurus cupit eſſe in morte de indulgentia, in ſanitate pœnitentiam agat, & in ſanitate peccata ſua lugeat. Igitur quia miſeratio Dei occulta eſt, ſine intermiſſione fieri neceſſe eſt.*

XIV. Pœnitendi in extremo mortis periculo difficultatem ex duplici capite collegerunt antiqui Patres: Ex gravitate criminum poſt baptiſmum perpetratorum, quia, ut probatum eſt, ingentem admodum contritionem poſtulant, quæ pœnis ſatisfactoriis augetur, & impetratur, potiſſimùm cùm à Sacerdote imperantur. Deinde ex morbo ipſo, & aliis circumſtantiis cum conſequentibus. Secundam cauſam poſteriores Theologi ſpectarunt, de prima parum ſolliciti, ſi paucos excipias, & in primis Adrianum Papam *quodlibeto quinto, & de Sacramento Pœnitentiæ §. ſecundo videndum, &c.* qui priorem illam cauſam non indiligenter attendit, & clarè explicat; cujus tamen mentem non intelligentes poſteriores plerique Theologi inſulſam illi opinionem affingere ſolent. Sed hujus rei excuſſio lineas noſtras prætergreditur. Cauſas poſteriores generis mihi videtur Scotus acutè excogitaſſe, & explicaſſe. Quapropter eas huc referre non erit ſupervacaneum. In Reportatis *ad diſtinctionem* 20. *lib. 4. ſententiarum* quatuor recenſet. Primam petit ab infirmitatis, & periculi effectibus qui animum ob ſui vehementiam ita occupant, infirmitas dolore, periculum timore, ut aliud vel cogitare non poſſit, vel debili admodum conatu. *Sed*, inquit, *nolendo peccatum oportet, quòd ſit magna conſideratio intellectus, & deteſtatio, ad hoc quod ſit attritio ſufficiens ex congruo ad remiſſionem peccati, ſicut fuit vehemens delectatio prior in peccato.* Sanctus Raymundus auctoritate SS. Hieronymi, & Auguſtini fretus, ſcitè hoc explicat *lib. 3. de Pœnit. & remiſſ. §. 23. In extrema ægritudine vix poteſt aliquis pœnitere, vel etiam cogitare. Hieronymus, cùm ægritudine opprimeris, vix potes aliud cogitare quàm quod ſentis, & illuc rapitur intentio mentis, ubi eſt vis doloris. Multa enim ut ait Auguſt. occurrunt tunc impedimenta: nam morbus urget, pœna terret: filii, quos illicitè dilexis, uxor, & mundus eum ad ſe vocant.*

XV. Secundam rationem petit à timore, qui tum totum hominem occupat. Sed ex ipſius ſententia non ſufficit iſta diſpoſitio ad promerendam gratiam. *Oportet quod ſit voluntaria deteſtatio, & debita circumſtantia finis, ut quòd homo non ſolùm pœniteat propter timorem pœnæ, ſed timore filiali: ſed difficile eſt tunc dolere, niſi ex timore ſolùm; & ſi non ſit cum amore, non diſponit ex congruo: ideò difficile eſt.* Eandem habet rationem Auguſtinus *de vera, & falſa Pœnit. cap. 17.* eandem in moribundo Pœnitendi difficultatem ediſſerens, *Quem verè pœnitet, oportet non ſolùm timere Deum Judicem, ſed & juſtum diligere. Non timeatur pro pœna, ſed ametur pro gloria.* Hanc rationem reddunt communiter Scholaſtici antiqui in eadem cauſa, *in 4. diſt. 20.* Albertus magnus *art. 3. Pœnitentia ex timore non audit Deus, & de illa loquitur gloſſa; ſed de illa, quæ eſt ex amore, loquitur hic: Et hanc Deus audit. Sed quia infirmitas potiùs eſt judicium timoris, ideò rarò fit, ut ex amore aliquis tunc pœniteat.* Sanctus Thomas *art. 1. qu. 1. reſpon. ad 1.* Richardus de media villa, *art. 1. qu. 1. Tunc eſt pœnitentia digna, cùm Pœnitens efficaciter dolet de præteritis, & proponit cavere à mortalibus futuris, & proponit confiteri verè, & ſatisfacere pro poſſe, & quod ad hæc omnia principaliter moveatur per amorem bonitatis divinæ*, quod ait in extremo vitæ periculo eſſe factu difficillimum. Thomas ab Argentina *art. 1. In rei veritate valdè eſt difficile in extremis ſic mentem colligere, quòd homo non ſolùm timore pœnæ, ſed ex Dei dilectione doleat ſe Deum per peccatum offendiſſe, & proponat, etiam ſi diù deberet vivere, ſemper de hoc in futurum cavere. In his enim duobus conſiſtit verum, & ſalutiferum pœnitere.* Idem docet S. Bonaventura *in diſt. 14. p. 2. art. 1. qu. 3.* ubi duplicem facit Pœnitentiam, propter læſionem naturæ, & offenſionem majeſtatis divinæ. Prior eſt naturalis, quia naturaliter nos diligimus, & odimus id, quod nobis nocet, & terrorem incutit; eſtque ideò etiam in Dæmonibus. Poſterior eſt gratia Deo, & accepta. Huc etiam referendus eſt Joannes de Friburgo *Summæ Confeſſorum lib. 3. tit. 34. qu. 159.*

XVI. Tertiam rationem petit Scotus ab habitu in peccatis contracto, qui non poteſt non eſſe vehemens. *Igitur difficile eſt tunc primò contra iſtum habitum inclinari deteſtando, quæ priùs erant delectabilia.* Denique ſcribit multò majorem in infirmo requiri diſplicentiam quàm in ſano, quia liberius pœnitet ſanus. *Ideò*, inquit, *credo, quod ad hoc, quòd infirmus mereatur gratiam ex congruo, multò majorem attritionem requireret, cùm ſit interitui proximus, quàm ſi eſſet ſanus. Sed difficile eſt habere tantam attritionem ſicut in ſanitate, non ſolùm majorem.* Hinc tandem colligit, cùm quis in ejuſmodi ſtatu verè pœnitet, rariſſimum eſſe, & inſtar miraculi. Cui certè conſentit Auguſtinus *cap. 17. de vera, & falſa pœnitentia, Convertitur qui jam totus, & omninò vertitur, qui jam non tantùm pœnas non timet, ſed ad bonum Deum contendere feſtinat. Quæ converſio ſi contigerit alicui etiam in fine, deſperandum non eſt de ejus remiſſione. Sed quoniam vix, vel rarò eſt tam juſta converſio, timendum eſt de Pœnitente ſerò. Quem enim morbus urget, pœna terret, ad veram vix venit ſatisfactionem, maximè cùm filii, quos illicitè dilexerit, ſint præſentes, uxor, & mundus ad ſe vocent.* Hunc locum, & in eundem finem referunt Magiſter *in 4. diſt. 20.*

Digitized by Google

diſt. 20. Gratian. *de Pęnitent. diſt. 7. cap.* Nullus expectet.

XVII. Hac veritate freti antiqui Patres ſæpè Chriſtianos à pœnitentia differenda deterruerunt, ut nonnullis exemplis probatum eſt. Nolim autem ſuſpiceris, Lector, eos de ſalutis tum temporis acquirendæ poſſibilitate dubitaſſe. Non ignorabant id, quod Cæleſtinus Pontifex *Epiſt. 2. cap.* 2. magno animo contendit, impium eſſe de hominis, in his anguſtiis poſiti, ſalute deſperare, *quaſi Deus noa poſſit ad ſe quovis tempore concurrenti ſuccurrere, & periclitante ſub onere peccatorum hominem pondere, quo ſe expediri deſiderat, liberare &c. Deſperat autem de clementia Dei, qui eum ad ſubveniendam morienti ſufficere, vel in momento poſſe noa credit.* Neque, id quod S. Leo docet *Epiſt.* 91. extremo illo tempore nec ſatisfactionem interdicendam, nec reconciliationem, *quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumas ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera converſio, dicente Spiritu Dei per Prophetam: Cùm converſus ingemueris, tunc ſalvus eris.* Id fatentur ipſiſſimi locis allegatis, ſed ſalutis eo tempore obtinendæ difficultatem tantùm urgent, quàm rationibus omnibus jam narratis demonſtrant. Pœnitentia peccatorum poſt baptiſmum agitur difficillimè; nam magnis fletibus, & laboribus agenda eſt: Pœnitentia illa laborioſus eſt baptiſmus, baptiſmus lachrymarum, &c. Ergo de ſalute eorum, qui Pœnitentiam ad extremum vitæ Spiritum differunt, grandis eſt dubitandi occaſio, cùm labores illos & corporis infirmitas, & temporis brevitas eos ſuſcipere, & exantlare vix patiatur. His igitur de cauſis ſedulò monuerunt fideles, de Pœnitentia non eſſe idem, quod de baptiſmo ſentiendum; ſalutem pœnitentia poſt baptiſmum comparari difficillimè: Maturè itaque Pœnitentiam agendam, nec in ea tempora differendam, quibus Deo ſatisfacere vix, ac ne vix quidem poſſumus.

XVIII. Ipſe Sanctus Leo, qui *Epiſt.* 86. docuerat, *ſicut nullus prohibendus eſt à baptiſmo, ita nullum eſſe, qui non peccato moriatur in baptiſmo: Parvulos tantùm originali, majores autem etiam his omnibus mori peccatis quæcunque malè vivendo addiderunt ad illud, quod naſcendo traxerant;* cùm eadem *Epiſtola* 91. demonſtravit nemini in extremis poſito denegandam eſſe pœnitentiam, & reconciliationem, ex Sancti Pauli teſtimonio *in Epiſt. ad Timoth. cap.* 2. Danielis verbis ſimili, *Ne forsè det illis Deus Pęnitentiam, &c.* ſimiliter cum Patribus ſuprà citatis breviter colligit ſalutis per pœnitentiam ea hora comparandæ propter ſatisfactionis labores, ſpem eſſe tenuem obſcuram, *Unde oportet unumquemque Chriſtianum conſcientiæ ſuæ habere judicium, ne converti ad Deum de die in diem differat: nec ſatisfactionis ſibi tempus in fine vitæ ſuæ conſtituat, quem periculosè ignorantia humana concludit, ut ad paucarum horarum ſpatium ſe reſervet incertum: Et cùm poſſit pleniore ſatisfactione indulgentiam promereri, illius temporis anguſtias eligat, quo vix inveniat ſpatium, vel confeſſio Pęnitentis, vel reconciliatio Sacerdotis.* Qua complexione concludi poſſet, pœnitentiam in eo vitæ periculo agentes ſalutem adipiſci non poſſe, quum Eccleſia, quæ vigentibus perſecutionibus reconciliare non ſolebat, eos, qui lapſi in iis temporis anguſtiis pœnitentiam, cùm reconciliatione flagitare tantùm incipiebant, ſalutem tamen à Deo non negaret obtinere poſſe? Immò, ne Hæretici quidem Novatiani, & Montaniſtæ, licèt omnem peccatis capitalibus veniam denegarent, eam à Deo verè Pœnitentes obtinere poſſe inficiabantur. Multò ſanè magis in illa extrema conjecti accedente Sacerdotis abſolutione, cui inceſſabiliter ſalvator intervenit, veniam, & gratiam impetrabunt. *Multùm enim utile eſt ac neceſſarium*, ait S. Leo, *ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali ſupplicatione ſolvatur.*

XIX. Ex dictis colligitur Fauſti Regienſis reſponſum Benedictino Paulino datum, quærenti an valeret Pœnitentia in vitæ fine acta, omninò improbandum eſſe. Ita enim de finali Pœnitentia ſcribere videtur, ut illam prorſus inutilem exiſtimet. *Quo tempore*, inquit, *Confeſſio eſſe poteſt, ſatisfactio eſſe non poteſt. Nam quia Deus non irridetur, ipſe ſe decepit, qui mortem multis temporibus vixit, & ad quærendam vitam jam ſemivivus adſurgit, &c. Inſultare Deo videtur, qui illo tempore ad medicum noluit venire, quo potuit, & illo tunc incipit velle, quo non poteſt, &c.* Videtur Fauſtus in eorum fuiſſe ſententia, quos tam acriter reprehendit Cæleſtinus I. *Epiſt.* 2. Nam nulla correctione dura illa verba emollit.

CAPUT X.

Explicantur ea confidentia, quam Patres habuerunt de Chriſtiani ſalute, qui ſanus Pęnitentiam ſuſcepit, ſed moribundus reconciliationem. Prioribus ſecalis minor fuit. Cur ſanitate recuperata ad Pęnitentiæ ſtationes revocabatur.

ANtequam ulterius progrediamur, occurrit ex jam dictis quæſtio breviter nobis definienda. Explicatum eſt, quid ſenſerint de eo, qui ſanus Pœnitentiam petiit, egit, & reconciliatus eſt; quidve de eo, qui Pœnitentiam moribundus petiit, & ideo ante Pœnitentiæ actionem completam altari reconciliatus eſt. Quæri nunc poteſt, quid de eo ſenſerint, qui ſanus Pœnitentiam petiit, & cum eam ſedulò ageret, in morbum incidit, atque ideò pœnitentia incompleta ne vacuus Dei gratia moreretur, reconciliationem obtinuit. Antiquiſſimis Eccleſiæ temporibus, de illius ſalute nonnihil ſubdubitaſſe videntur: ſaltem eadem ſecuritate, de illius ſalute non pronuntiarunt, qua de eo qui Pœnitentiæ ſtadium ad metas uſque decurrerat. Hoc evidenter colligitur ex Epiſtola Cleri Romani ad S. Cyprianum, quæ inter ipſius *Epiſtolas eſt* 31. Lapſi maximo numero reconciliationem urgebant, tempuſque canonicum expectare ægrè admodum ferebant. Quid Clerus Romanus, & S. Cyprianus cum eorum Collegis? Expectare jubent Lapſos donec pace reddita Eccleſiæ Epiſcopi in unum convenire poſſint, & Lapſi uniuſcujuſque cauſas examinare, tempuſque Pœnitentiæ ordinarium, ſi ita viſum fuerit, minuere & præſcindere: Interim verò ſi aliquorum exitus urgetur, iis reconciliationis beneficium impendere, modo ſincerè, & ardenter Pœnitentiam profiteantur, & agant. *Eorum autem, quorum vitæ ſuæ finem urgens exitus dilationem non poteſt ferre, acta pęnitentia, & profeſſa frequenter ſuorum deteſtatione factorum, ſi lachrymis, ſi gemitibus, ſi fletibus dolentis, ac verè Pœnitentis animi ſigna prodiderint, cùm ſpes vivendi ſecundùm hominem nulla ſubſtiterit, ita demum cautè, & ſollicitè ſubveniri.* Audi verò, Lector, quodnam de Pęnitente in ſpecie deſcripta moriente, judicium fecerint; *Deo ipſo ſciente quid de talibus faciat, & qualiter judicii ſui examinet pondera; nobis tamen anxiè curantibus, ut nec pronam noſtram improbi homines laudent facilitatem, nec verè Pęnitentes accuſent noſtram quaſi duram crudelitatem.* Hoc autem ab iis decretum eſt juxta immotum Eccleſiæ principium, reconciliationem eſſe iis concedendam, qui aliqua cum probabilitate diſpoſiti judicantur, cum mortis periculum ampliorem certitudinem expectare, & exquirere non permittit.

II. Eodem dubio teneri videtur Sanctus Cyprianus, de eodem decreto verba faciens ad Antonianum *Epiſtola* 52. *Quod ſi invenimus à Pęnitentia agenda neminem debere prohiberi, & deprecantibus atque exorantibus Domini miſericordiam, ſecundùm quod ille miſericors, & pius eſt, per Sacerdotes ejus pacem poſſe concedi, admittendus eſt plangentium gemitus, & Pęnitentiæ fructus dolentibus non negandus, &c. Qui ex toto corde pęnituerint, & rogaverint, in Eccleſiam debeat interim ſuſcipi, & in ipſa Domino reſervari, qui ad Eccleſiam ſuam venturus, de illis utique, quos in ea intus invenerit, judicabit.* Et in medio *Epiſtolæ* de iiſdem, quibus in exitu ſubventum fuerat, ſic ſcribit, *Neque enim præjudicamus Domino judicaturo, quo minùs ſi Pęnitentiam plenam, & juſtam peccatoris invenerit, tunc ratum faciat quod à nobis fuerit ſtatutum. Si verò nos aliquis Pęnitentiæ ſimulatione deluſerit, Deus, qui non deridetur, & qui cor hominis intuetur, de his, quæ nos minùs perſpeximus, judicet & ſervorum ſententiam Dominus emendet.* Nec hoc inſolens videbitur ei, qui cogitaverit eo tempore, & præcedente, pacem denegatam iis, qui poſt gravia crimina perpetrata ad Eccleſiam, tum confugere incipiebant, cùm mortis periculo urgerentur, ut hoc tum uſurpatum fuiſſe manifeſtiſſimis teſtimoniis infrà demonſtrabimus. Eos ſanè dubitare par erat, de eorum ſalute, qui ante completam Pęnitentiam morbo imminente reconciliabantur, niſi iis ſanè vehemens admodum contritio Sacerdotibus innotuiſſet. Idem colligi poſſe videtur ex antiquo more remittendi Pęnitentes, qui propter mortis periculum ante Pęnitentiam completam reconciliati fuerant, ad eam, quam obibant, ſtationem, ſi poſt reconciliationem convaleſcebant. Iſtius enim diſciplinæ origo videtur dubitatio veræ converſionis eorum, quos in eo caſu reconciliabant. Ideò ſanitate recuperata reconciliationem mereri volebant, quam fortè propter converſionis teporem à Deo non obtinuerant, ut

ex

ex poſt facto de vera eorum reconciliatione Sacerdotes, atque etiam ipſi Pœnitentes certiores eſſent. Quid ſimile hac in cauſa in mente habuiſſe videntur dogmati multorum Scholaſticorum, qui docuerunt, Abſolutionem validè, ſed non fructuosè datam propter contritionis defectum, fictione poſteà recedente, effectum ſuum operari, eandemque gratiam per retroactionem producere, quam produxiſſet, ſi reconciliationi conjuncta fuiſſet vera Contritio.

III. Poſteà tamen non adeò difficiles fuerunt, licèt idem mos remittendi Pœnitentes in extremis abſolutos, ad eam ſtationem, quam ſani obibant, permanſiſſet. Pronuntiarunt enim, eum, qui ſanus Pœnitentiam agebat, modò ante mortem reconciliaretur, ſalutem conſequi, licet reconciliatio propter mortis periculum tempora ſtatuta anteveniſſet. Hoc enim Sanctus Auguſtinus *homil. 41. in libro 50. homiliarum* evidentiſſimè docere videtur, *Vis te de dubio liberare; Vis quod incertum eſt evadere? Age Pœnitentiam, dum ſanus es. Si enim agis veram Pœnitentiam, dum ſanus es, & invenerit te noviſſimus dies, curre, ut reconcilieris. Si ſic agis, ſecurus es. Quare ſecurus es? Quia egiſti Pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuiſti. Si autem tunc vis agere Pœnitentiam ipſam, cùm jam peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa*. Idem habet Sanctus Cæſarius Arelatenſis *homilia* 44. S. Ambroſius *lib. 2. de Pœnitentia cap.* 12. Sanctorum illorum fundamentum, quo potiſſimùm nituntur, eſt impotentia Pœnitentiam agendi, cùm primùm petitur: quapropter exiſtimant rationem ſive motivum petendæ Pœnitentiæ, ſolùm eſſe gehennæ timorem, non juſtitiæ amorem. Cùm autem auctores omnes capite præcedente citati eandem dubitandi cauſam reddant, videntur omnes aſſerere nullam eſſe dubitandi cauſam, cùm ſanus quis, & peccare potens, & benefacere, Pœnitentiam petit: Sic expreſsè Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis jam relatus, *Si quando quis peccare poteſt, Pœnitet, vitamque ſuam vivens ab omni crimine corrigit, non dubium quòd morient ad æternam tranſeunt requiem*. Poſteà colligit, *Qui ergo cupit certus eſſe in morte de indulgentia, ſanus pœniteat, ſanuſque perpetrata facinora defleat*. De ſano igitur Pœnitentiam amplectente, ſi poſteà morte imminente ante pœnitentiam completam petere reconciliationem cogebatur, ſpem optimam de illius ſalute concipiebant. Hæc ſemper intelligenda ſunt de ſano Pœnitentiam non modò amplectente, ſed etiam alacriter, & piè eam agente. Quæri iterum poſſet, Quid verò de Pœnitente judicabant, qui ante Pœnitentiam completam reconciliatione non accepta caſu fortuito in agris, in mari, &c. moriebatur. Variabat obſervatio. Alii enim ut ſalutem conſecutum precibus juvabant: Alii verò nullis Eccleſiæ ſuffragiis eum dignabantur, ne cum eo communicarent, quem Deus fidelium communioni ſociare noluerat. Sed libris ſequentibus hanc quæſtionem fusè proſequemur: Hæc delibaſſe ſufficiat.

CAPUT XI.

Alterum diſciplinæ Pœnitentialis fundamentum explicatur. Auctores recentiores nonnulli illud adnotarunt. Complures illius cauſam aſſeruerunt. Quid ſit Sancto Auguſtino prima gratia, & principium meriti. Fidem & opera ex fide facta juxta Sanctum Auguſtinum mereri, & impetrare ampliores gratias, & veniam peccatorum. Satisfactionis pro culpa, & pœna æterna ſæpiſſimè, pro pœna temporali varius Patres prædicarunt, & quamobrem hoc.

ALterum diſciplinæ pœnitentialis fundamentum, quod nobis hujus libri initio explicandum propoſuimus, hoc eſt axioma Chriſtianorum omnium animis à Patribus inſinuatum, *Satisfactiones ab Eccleſia impoſitas diligenter, & ſtrenuè peractas non tantùm pœnæ temporariæ, ſed etiam æternæ ſatisfactrices eſſe, & expunctrices, animam purgare & emaculare, Dei miſericordiam in peccatores allicere, & ſcelerum veniam ab eo impetrare*. Ideò magno animo Pœnitentias juſſas excipiebant, & majore exequebantur. Nihil tam arduum, tam operoſum illis proponebatur, quòd ambabus ulnis non amplecterentur. Rem igitur maximi momenti ſuis laboribus ſeſe conſecuturos ſperabant. Quid autem majoris momenti concipi poteſt quàm peccatorum ingentium remiſſio, gratiæ Dei impetratio, æternæ pœnæ extinctio? Hæc Pœnitentes promereri, & impetrare laborum ſibi impoſitorum tolerantia, & actione Pœnitentiæ paſſim docent Patres, & ubique ferè, cùm ad Pœnitentiam ſcelerum Reos exhortantur. Hæc animadverterunt recentiores Doctores, plerique quorum hi nobis occurrunt, *Non dubito*, inquit Joannes Maldonatus, *quin omnes veteres Authores ſatisfactionem agnoverint pro culpa Nam non putabant, Deum culpam remittere peccatorum, priuſquam externis pœnitentiis Deum placaſſet: Neque Sacerdotes putabant dare poſſe Pœnitenti Abſolutionem priuſquam, quaſi interpretes divinæ voluntatis, viderent eam Pœnitentiam egiſſe peccatorem, ut credibile eſſet, Deum jam illi eſſe placatum.* Hoc autem probat nonnullis auctoritatibus, & rationibus *tom. 2. de Sacramentis cap.* 2. Idem de antiquis Patribus cenſet Guillelmus Eſtius *in 4. diſt. 15. §. 10.* & Franciſcus Sylvius in ſupplementum Summæ Sancti Thomæ *qu. 14. concluſ.* 2. Sed hi duo præſertim ſpectant pœnam æternam, pro qua peccatores ante juſtificationem ſatisfacere poſſe ex ſententia Patrum demonſtrant.

II. Joannes Lenſæus Lovanii Regius Theologiæ Profeſſor librum ſcripſit *de Eccleſiaſtica ſatisfactione Pœnitentis* adverſus hujus temporis Hæreticos. Omnes enim, licèt in aliis capitibus inter ſe cane pejus, & angue digladientur, in eo tamen conſentiunt, antiquas ſatisfactiones à Patribus tantopere commendatas, ab Eccleſia tantùm inſtitutas eſſe, ut in eam quando illi videbatur ſatis, exterius reciperentur, non autem ut Deo pro peccatis ſatisfacerent, veniamque ab eo impetrarent. Liber ille Academiæ Lovanienſis nomine non modò probatus eſt, ſed etiam laudatus, ut doctrinam Catholicam firmiſſimè ſtatuens, & feliciſſimè explicans. Quænam illa ſit ex ipſo audiamus. His verbis ſententiam Catholicam Hæreticæ opponit *c. 1. Satisfactiones à Chriſtianis lapſis ſuſcipi ſolitas non eò duntaxat pertinuiſſe, ut Eccleſiæ ſatisfieret, eique à Pœnitente veræ pœnitudinis, & intimi doloris documenta, atque experimenta præberentur, verùm eò propriè relatas fuiſſe, ut Deo ſatisfieret, ejuſque indignantis ira placaretur, plenaque iſta ratione percipi poſſet abolitio peccatorum*. In fine *cap.* 2. poſt relata Tertulliani verba multis finem ſatisfactionum, quem propoſuimus, colligit, hæcque pluribus aliis inſerit, *Per hoc idcircò ſtudium ſatisfactionis hominem reſtvari, mundari, excuſari, abſolvi, ad ſalutem recuperandam remedium adhiberi, æterna ſupplicia expungi, gehennæ ignem extingui*, ex verbis Tertulliani ſcribit evidentiſſimè demonſtrari. Similiter in fine *cap.* 3. poſt teſtimonium Sancti Cypriani, *Præcipuum ejus molimen eſt, ut Pœnitentiæ lamentis, jejuniis, ſacco, & cinere Deo ſatisfiat, ut ſatisfactionibus ipſe moveatur, ut ad miſericordiam & veniam inflectatur continuis operibus, ut ab eo denique ſatisfactionis merito venia obtineatur*. Deinde repetita Aretii Bernenſis Hæretici ſententia, nullam apud veteres meritoriæ ſatisfactionis memoriam fieri, *legimus & hoc ſuprà citatis* Cypriani *verbis expreſſum. Qui ſic ſatisfecerit Deo, illum ejus mereri veniam. Quod quid aliud eſt, quàm remiſſionis peccatorum meritoriam eſſe ſatisfactionem?*

III. Ex *cap.* 5. ex Sancto Hieronymo adversùs Hæreticum colligit, *Vult igitur Sanctus ille Doctor vitæ auſteritatem, & Pœnitentiæ ſaccum, atque cilicium, quandam eſſe pro contractis in Deum offenſis compenſationem*: Et paulò poſt, *Quid illa rursùm, quæ ſcripta ſunt ad Oceanum de Pœnitentia Fabiolæ? Num aliò ſpectaſſe declarant ejus lachrymas, & jejunia, & ſaccum, totumque illum triſtiſſimæ, & humillimæ dejectionis habitum, quàm ut obtineretur à Deo peccati remiſſio?* Sic *cap.* 6. *Hæc Origenes manifeſtum, & ipſe cuivis efficiens duram illam, & laborioſam Pœnitentiæ ſatisfactionem cauſam fuiſſe conciliatricem remiſſionis peccatorum, eaque gratia ſuſcipi ſolitam, ut animæ medicina adhiberetur, ut conſcientiarum maculæ penitus abſtergerentur, ut à Domino Deo venia peccatorum, & impietatis remiſſio impetraretur*. Poſtquam hoc multis ſcripturæ teſtimoniis demonſtravit, tandem in fine *cap.* 4. ſic concludit, *Luce meridiana clarius eſt, falſum eſſe, veterem illam ſatisfactionum diſciplinam non alio fuiſſe directam, quàm ut Pœnitentes datis iſto modo veræ pœnitudinis judiciis Eccleſiæ expectationi reſponderent, eique læſæ facerent ſatis*. Deinde multis aliis productis, quò ſpectaret tota illa Pœnitentiæ diſciplina, colligit, caput decimum concludens, *Nimirum hoc, tanti laboris, tamque aſſiduæ, & humilis precationis ambitu, à Chriſto Domino, cujus nomini facta erat injuria, indulgentia petebatur. Quæ ut conciliatur*

Digitized by Google

ciliaretur efficacius, & promptius obtineretur, jungebantur Eccleſiæ jugès ad Chriſtum preces, quo parceretur lapſo redeunti. Revocabantur etiam in memoriam priora benefacta, & paſſiones pro Chriſti nomine ſuſceptæ, ut & illorum intuitu gratia, & venia donaretur.

IV. *Cap.12.* ex antedictis colligit, *Itaque ex veterum libris quandam agnoſcimus ſatisfactionem pro æterno quoque gehennæ ſupplicio, ſed profectò imperfectam, minimèque adæquantem pœnam illam, pro qua abolenda ſuſcipitur. Satisfactionem quippe pro æterno ſupplicio perfectam ſolus Patri Chriſtus exhibuit, cujus intuitu, & illam tamen dignatur ſuſcipere, quam ei pro modulo ſuo humana præſtat fragilitas.* Iterúmque hoc probat multis breviter citatis Patrum teſtimoniis. Poſteà comparat ſatisfactiones illas remiſſionem peccatorum, & juſtificationes præcedentes cum iis, quæ illam ſequuntur; ttiaque hac in cauſa docet. Primum, poſteriores illas ſatisfactiones æternam pœnam non ſpectare, utpote quæ ſit per remiſſionem peccatorum expuncta, ſed temporariam tantùm plerumque poſt remiſſionem peccati reſtantem. Secundum, poſteriores illas ſatisfactiones eſſe pro temporario ſupplicio in hac vita, vel futura redimendo juſtam, & adæquatam compenſationem. Tertium, ſi priores ſatisfactiones tanti fiunt à Deo ut pęnam æternam removeant, & quandam habeant ea quoque comparatione ſatisfactionis rationem, multò valentiores eſſe poſteriores ad temporarii ſupplicii abolitionem, ſi quod adhuc remiſſa culpa ſuperfuerit.

V. *Cap.13.* multas ſatisfactionum utilitates recenſet, multaque antedicta confirmat: Deinde *cap.14.* hoc probandum contra hæreticos aſſumit, *Abſolutionem, quæ præſtabatur in Eccleſia ſatisfactionis intuitu, fuiſſe coram Deo Abſolutionem.* Quam apponit his Aretii Bernenſis Miniſtri verbis, *Peccatorem coram Deo non abſolvebant merito harum ſatisfactionum, ſed erat diſciplina politica morum in Eccleſia.* Hæretico opponit Sancti Innocentii teſtimonium *c.7.* Epiſtolæ ad Decentium, deinde Epiſtolam Sancti Leonis ad Theodorum Forojulienſem quam diligentiſſimè examinat. Ex ea octo Corollaria deducit, ex quibus pauca tantùm referemus, *De reconciliatione igitur illa ſermo eſt, qua Dei conciliabatur indulgentia, & remiſſio criminum, cujus etiam apertè meminit, obtinebatur, &c. Quæ quamvis hominum miniſterio fieret in terris, tamen interveniente Chriſto ſuum effectum coram divino tribunali ſortiretur in cœlis, &c. Hanc ipſam reconciliationem poſteà vocat ſolutionem reatus peccatorum, quam ante diem ultimum fieri neceſſe ſit ſupplicationibus Sacerdotum, &c. Eo ipſo quo Sacerdotum requirit ſupplicationem, qua ſine dubio non hominibus ſed Deo ſupplicabant, declarat reconciliationem hanc cum Deo fieri oportuiſſe. Nam ut cum Eccleſia rediretur in Eccleſiam duntaxat, quid ſupplicatione Sacerdotum opus erat, cum ipſi potius ex iis eſſent, quibus in ea reconciliatione conveniret ſupplicari.* Obiicit ſibi Sanctum Cyprianum in caſu neceſſitatis, & abſente Sacerdote hanc reconciliationem Diacono committere. Reſpondet in reconciliatione Idololatrarum de qua Cypriano ſermo eſt, duo ſpectari debere, ſolutionem à vinculo Excommunicationis quam fidei negatione incurrerant, & Abſolutionem à peccatis: Utrumque Sacerdotem præſtitiſſe; Prius verò urgente mortis periculo, & abſente Sacerdote Diacono permiſſum, poſterius autem quod Diaconus præſtare non poterat, de Domini miſericordia Martyrum interceſſione ſperatum: Ideò Cyprianum addidiſſe, pacem illis à Diacono dandam, quam dari Martyres literis ad Epiſcopum factis deſideraverant. Hæc pluribus eo quòd quæcunque Antiquorum monumenta evolventes de Pęnitentium ſatisfactionibus didiciſſe nobis videmur, auctor ille poſtremùm nobis lectus præclarè, & diligenter deſcripſerit.

VI. Gabriel Albaſpinæus eruditiſſimus Aureliæ Epiſcopus, & in iſtiuſmodi antiquitatis cognitione diligentiſſimè verſatus non modò eandem ſententiam, eundemque laborum pęnitentialium finem generatim, ut Lenſæus expreſſit, ſed ipſam hypotheſim acu tetigit, & ſpeciales uniuſcujuſque fines, & cauſas aperuit, & explicavit, quas diſcere non erit antiquæ Theologiæ ſtudioſo injucundum. *Obſervatione 22.* in qua enarrat primum Pęnitentiæ gradum, docet, Eccleſiam tria potiſſimùm ſpectaſſe, *Chriſtum, ejuſque legem, quam non timuerant; ſatisfaciendi debitum, & culpæ, quam commiſerant, exſolvendæ; Eucharíſtiam denique cujus accipiendæ jus amiſerant. His morbis ac vulneribus medelas invenit, totidem gradus Pęnitentiæ, quibus indocti legem Chriſti ediſcerent, Deo ſatisfacerent, Eucharíſtia denique digni redderentur. In auditione enim leges Chriſtianæ legis edocebantur. In tertio gradu graves illas pœnas ſubibant, quibus Deo ſatisfactum putabant. In quarto denique ſanctificabantur, & quaſi conſecrabantur, ut ornatiores, & digniores eſſent ad Eucharíſtiam ſuſcipiendam.* In fine autem iſtius obſervationis, *Fletus porrò hujus, & gemitus indicendi non aliam cauſam habuit fidelium mater, quàm vim eam propitiandi numinis quam ineſſe lachrymis Deus ipſe indicat, & placandi ſui rationem demonſtrat dicenti Deo, quoties ingemuerit peccator, &c.*

VII. *Obſervatione 24.* qua tertium gradum explicat poſt medium, ubi effectus impoſitionis manuum, quæ frequentes erant in illo gradu, ediſſerit, *Præcipuus is erat, ut Pęnitentem macula criminum ablueret, dæmonum impreſſiones averteret, malas denique peccandi habitudines expungeret, peccatumque penitus exterminaret.* Et paulò inferius, *Secundo canone Concilii Valenſis clarè patet, diuturnum illud tempus, quo in tertio gradu Pęnitentes hærebant, eam ob rem fuiſſe inſtitutum, ut admiſſa crimina expiarentur; Ex quo etiam conſequitur, ut dicamus impoſitiones illas manuum, & orationes in eos recitari ſolitas, ſpeciem quandam Exorciſmi fuiſſe.* Deinde permulta explicat, quibus Ethnicorum purgatio per Exorciſmos ante baptiſmum convenit cum Chriſtianorum poſt crimina mundatione ante peccatorum Abſolutionem, & cum grege Chriſti admiſſionem. *Impoſitionibus manuum, & orationibus invitabatur Spiritus Sanctus, uti animas eorum pravis habitibus, quos dæmon inſeruerat, purgaret, ſenſimque poteſtatem, quam peccato corroboraverat, gratiarum ſuarum infuſione ſanctificando infirmaret; idque eſt, in quo Exorciſmi cum Pęnitentiam impoſitione manuum, & orationibus conveniunt.* Et paulò poſt, *Quemadmodum Exorciſmi præparando ad cantam gratiam percipiendam Catechumeno ante baptiſmum fiebant, ſic illæ manuum impoſitiones ante Pęnitentiam reconciliationem fiebant, ut Pęnitentis animus redderetur dignum habitaculum Spiritus Sancti:* Deinde dicit orationum formas ita conceptas, *ut diſcedere dæmonem juberent ex animo Pęnitentis, vacuumque Deo, & Sancti Spiritus ſacris permotionibus, & afflatui locum relinquere: Quæ denique Spiritum Sanctum obteſtarentur, ut animam Pęnitentis mundaret, ſedemque ſibi in eo deligeret, pias ac ſalubres cogitationes infunderet, ſanctificaret, dignamque Abſolutione, & fidelium communione efficeret.* Ideò addit Pęnitens in eo gradu multis annis pro criminum gravitate ſubſtitiſſe, aliquando annis viginti; duos præcedentes gradus præparationem ad hunc fuiſſe. Omnes corporis afflictationes in eo exercuiſſe Pęnitentes, & eo ſupergreſſo nullas. *Quod ad ultimum attinet, non erat is ſatisfaciendo, cùm nullas contineret pęnas, inſtitutus: ipſi enim initium dabat prima Abſolutio; & cum à tertio gradu ad quartum Pęnitentes tranſibant ad fidelium communionem admittebantur. Quæcumque igitur expiandis criminibus admiſſis ſubeundæ erant pęnæ, eæ omnes in tertio gradu ferebantur: Is eſt, in quo pro admiſſis delictis ſolvebatur, ſatisfiebat Deo, ejuſque ira placabatur. In eo cęlum, ut loquitur Tertullianus, invidia commovebatur; Deo vis inferebatur, ipſique afflictiones corporis, & pęna pro impetranda ſceleris venia offerebantur.* Denique in fine adnotationis iterùm notat Abſolutionem à peccatis dari ſolitam, cùm Pęnitens ab hoc gradu egrediebatur, ut in quartum aſcenderet. Multa paſſim ejuſmodi occurrunt apud eum Auctorem: nec aliter fieri potuit, cùm huic fundamento magna pars obſervationis ejus innitatur.

VIII. Nec poteſt iſta ſententia non eſſe acceptiſſima iis Theologis, qui opinantur homines ex congruo fidem mereri poſſe, & prædeſtinationem, quos non tantùm ut in Scholis ſatis cognitos, & celebratos prætermittimus, ſed etiamne à propoſito noſtro digrediamur. Adnotabo tantùm quod hac in cauſa ſcribit Marianus Victorius Epiſcopus Reatinus editione, & recognitione operum Sancti Hieronymi celebris, & in lectione Patrum diligenter verſatus in *libro de Sacramento Confeſſionis cap.16.* ubi de virtute ſatiſfactoria eleemoſynæ verba facit, *Verum eſt, quòd Eleemoſyna peccatum extinguit; quia temporarios cruciatus tollit, & favillas omnes extincti ſoluit ignis. At non ſolùm extinguit, verùm etiam ſi ante fidem facta ſit, hominem ut à Deo illuminetur, de congruo, ut voeant, adjuvat; quemadmodum de Cornelio Centurione infideli homine legimus.* Et paulò poſt de ea ut à fideli ſed peccatore procedit, *Magna eſt ergo Eleemoſyna, quæ ardentium criminum globos benevolentiæ ſuæ fonte refrigerat, & quodam*

irriguo largitatis obruat incendia delictorum; ut quamvis offenſus Deus, quamvis criminibus provocatus cogatur liberare Eleemoſynis, quem diſpoſuerat punire peccatis. Cogitur enim à nobis quodammodo, dum compellitur pro actibus noſtris mutare ſententiam, &c.

IX. Iſtius ſententiæ baſim, & columnam docet, & fortiter tuetur Gabriel Vaſquez *in primam partem q.23. art.4. diſp. 91. c.5.* hoc eſt, juſtificationem noſtram, & remiſſionem peccatorum bonis noſtris operibus, & meritis à Deo impetrari poſſe. Ne verò Catholicus lector hoc indefinitè dictum legens commoveatur, diſtinctius ex iſtorum Doctorum mente eſt nobis efferendum. Primò advertendum eſt nos hic loqui non de Infidelibus & Hæreticis, ſed de Chriſtianis non modò Catholicis, verum etiam Pœnitentibus. Secundò, diſtinguendum eſſe inter opera, quæ natura dictante facimus, ſive ex ſolo liberi noſtri arbitrii motu; & ea quæ ex auxiliis Dei facimus, ſive per Dei gratiam prævenientem, excitantem, & moventem liberum noſtrum arbitrium, ejuſque motum comitantem. Dicunt igitur auctores illi per ſecundi generis opera Pœnitentes nondum juſtificatos, ſed adhuc in ſtatu peccati mortalis exiſtentes juſtificationem, & remiſſionem peccatorum à Deo impetrare poſſe. Hanc eſſe Sancti Auguſtini ſententiam contendit Vaſquez, & meritò; ita quoque ſentire S. Thomam, S. Bonaventuram, Alexandrum Halenſem, Marſilium, Ferrarienſem, Javellum, Cardinalem Roffenſem, Andream Vegam, & alios, quos ibidem refert, pluresque, ni res eſſet nota, referri poſſent. Diſtinguunt præterea auctores illi inter meritum de congruo, & de condigno, cenſentque bona opera eo, quem explicavimus, modo ab homine nondum juſtificato facta, remiſſionem peccatorum ex congruo mereri. Ideò Vaſquez ſæpius meritum de congruo, & meritum impetratorium confundit, & permutat.

X. Sanè ut Sanctus Auguſtinus vehemens eſt, ut demonſtret adverſus Pelagianos nulla eſſe ante fidem hominum merita, fidemque gratiæ Dei, non meritis humanæ voluntatis, imputari. Ita perpetuò docet, homines fide divina donatos, Dei gratia voluntatem comitante, & ei cooperante bona opera facere, gratias ampliores à Deo mereri, tandemque ipſam juſtificationem impetrare, hoc eſt, ut opinor, dilectionem Dei Spiritu Sancto inſpirante paulatim in iis efferveſcere, & ſic inflammari ut Deum creaturis omnibus præponant, & concupiſcentiæ dominentur. Illud quod Sanctus Auguſtinus tanto conatu adverſus Pelagianos contendit, quod ſibi eripi nuſquam patitur, eſt, *fidem meritis noſtris non dari:* Fides eſt illi prima illa gratia, quæ ſub meritum non cadit, à qua omne meritum originem trahit, quæ juxta ſolùm Dei beneplacitum nulla ratione habita ad opera præcedentia hominibus miſericorditer donatur. An autem Sancti Patres, qui eum præceſſerunt, & omnes Græci, & Latini, qui eum ſecuti ſunt, tam duri, & immiſericordes in opera liberi arbitrii fuerint, noſtra nihil prorſus intereſt hic inquirere. Verùm poſita fide in homine ex dono, & gratia Dei præveniente, hominem licet nondum juſtificatum, & adhuc, ut loqui ſolemus, in ſtatu peccati mortalis exiſtentem, bene operari, mereri, ampliores gratias impetrare, ſæpiſſimè, aut expreſsè ſignificat, aut doctrinæ, quam explicat, ſupponit.

XI. *Epiſt.106.* ad Paulinum, *Si quis dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non poſſumus, immò verò gratiſſimè confitemur. Hanc enim fidem volumus habeant, qui impetrent charitatem, &c. Qui ergo habent fidem, qua impetrent juſtificationem, per Dei gratiam pervenerunt ad legem juſtitiæ.* Epiſtola præcedente ad Sixtum, *Reſtat, ut ipſam fidem, unde omnis juſtitia ſumit initium, &c. Non humano quo iſti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcunque ſunt merita, ſed gratuitum donum Dei eſſe fateamur, ſi gratiam veram, id eſt, ſine meritis cogitamus.* Cardo hic erat controverſiæ Auguſtinum inter, & Pelagianos. Sed eo ſemel conceſſo, ab homine Dei gratia adjuto merita fluunt. Nemo, inquit, eadem Epiſtola *à peccatis ſuis liberatur & juſtificatur, niſi gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolùm remiſſione peccatorum, ſed prius inſpiratione fidei, & timoris Dei, impartito ſalubriter orationis affectu, & effectu, donec ſanet omnes languores noſtros, &c.* Et in libro de fide, & operibus *cap.14.* cùm explicaſſet, qua ratione per legem abundaret peccatum, addit, *Ac ſic magno terrore compellente confugerunt ad fidem, qua miſericordiam indulgentiæ mererentur, & auxilium à Domino, qui fecit cœlum, & terram.* Et *lib.83. quæſt. quæſt.66.* eandem doctrinam ediſſerens, *Neque lex mala eſt, quæ oſtendit homini, in quibus peccatorum vinculis jaceat, ut per fidem implorato liberatoris auxilio, & ſolvi, & erigi, & firmiſſimè conſtitui mereatur.* Ideò frequenter admodum hoc axioma uſurpat, fides impetrat, quod lex imperat, ut Enchiridii *cap.117. lib. de Spiritu & litera cap.13. Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat, & ibid. cap.30. lib.4. ad Bonifacium cap.5. lib.1. contra Adverſarium legis, & Prophetarum cap.17. & libro de gratia & libero arbitrio c.14. Ergo Spiritus gratiæ facit, ut habeamus fidem, ut per fidem impetremus orando, ut poſſimus facere, quæ jubemur. Ideò ipſe Apoſtolus aſſiduè legi præponit fidem, quia quod lex jubet facere non valemus, niſi per fidem rogando impetremus, ut facere valeamus.*

XII. Hæc ex Sancto Auguſtino paucis delibaſſe propoſito noſtro ſufficere videtur, nec nobis opus eſt in Ethnicorum, Hæreticorum, & infidelium actiones inquirere, niſi data opera digreſſiones, & diverticula quærere, & ſectari velimus, cùm de Chriſtianorum Catholicorum, & Pœnitentium operibus tota quæſtio vertatur. Nonnulli equidem Catholici trepidantes ubi non eſt timor, ut Dominicus Soto, & pauci alii, nullum meritum cujuſcunque ſit generis agnoſcunt ante hominis juſtificationem, & veram cum Deo reconciliationem. Itaque illi principium meriti non in fide ſtatuunt, ſed in gratia, ut ajunt, gratum faciente; primamque gratiam cenſent, qua peccatores actu juſti ſunt, Deo accepti, & cœli hæredes. Quapropter ſecundùm hanc ſententiam nullus mereri poteſt aut ſatisfacere niſi jam juſtificatus, & cœlorum candidatus. Quæ S. Auguſtinus, aliique Patres de fide dixerunt, ad remiſſionem peccatorum, & gratiam gratum facientem tranſtulerunt, ut rectè adnotavit Joannes Maldonatus. Contigit hoc etiam nonnullis Scholaſticis antiquiſſimis, qui idcircò opera quæcunque fidelium ante gratiæ gratum facientis acceſſum, Spiritus Sancti motu, & benigno auxilio facta pauci admodum fecerunt, eaque ſæpè cum naturalibus promiſcuè compoſita gratuitis oppoſuerunt.

XIII. Ex eodem dogmate conſequitur, Pœnitentem, antequam ſit juſtificatus, ſatisfacere non poſſe pro pœna temporali, multò minus pro æterna. Hinc nonnulli cenſent opera quæcunque ſatisfactoria ante juſtificationem edita nullius eſſe virtutis, ideò poſt remiſſionem peccatorum adeptam eſſe iteranda. Alii contendunt nullius tum eſſe virtutis, ſed adepta reconciliatione, ſeu fictione recedente, reviviſcere, & effectum, quem ſortiri debuerant, conſequi. Ex iſtorum Theologorum ſententia conſequens eſt, fidelibus nuſquam dari occaſionem pro pęna æterna ſatisfaciendi. Nam cùm nulla ſatisfactio ante juſtificationem valida ſit, pęnaque æterna per juſtificationem in temporalem commutetur, nulla profectò pęna æterna ſupererit, cui ſit ſatisfaciendum. Itaque omnis ſatisfactio ad temporalem pęnam revocabitur. Conſequitur inſuper & evidentius, nullum actum fidei, vel ſpei, nullaque opera inde profecta ante animam per abſolutionem, & indulgentiam peccatis emaculatam & juſtificatam aliquid à Deo mereri, & impetrare poſſe. An hæc ſententia cum teſtatiſſima antiquorum diſciplina convenire poſſit, alii judicent: Nec in hanc, nec in quamvis aliam à Catholicis aſſertam animus eſt inquirere. Sufficit nobis eam explicaſſe, & Catholicorum Doctorum teſtimoniis illuſtraſſe, quæ mihi videtur aut integrè, aut propius antiquæ diſciplinæ adhærere, & dogmati, quod ex ea diſciplina colligi poteſt, conſentire, ut videat ſtudioſus Lector, licèt antiqua diſciplina plurimùm immutata ſit, nihil tamen antiquos Doctores docuiſſe, quod hodierni ambabus manibus non amplectantur.

XIV. Animo igitur diligenter perpende, Lector, teſtimonia, quæ capite ſequente referimus, & tu ipſe judica, quouſque Sancti Patres opera, & ſatisfactiones Pęnitentium evexerint, & quid energiæ iis tribuerint. Innumera alia poſſent addi; nihil enim frequentius occurrit. Sed pleraque toto opere aliis in cauſis referentur; deinde tanta moles animum potius fatigaret, quàm inſtrueret. Ideò non mihi videtur à vero abhorrere, quod ſcripſit Maldonatus *tom.2. de Sacramentis c.2. Et ſi ſententia noſtra*, Catholicorum, *de pęnæ ſatisfactione vera eſt; tamen veteres ſcriptores valde parcè, & valde rarò fecerunt mentionem de illa; ſed quotieſcunque ferè agunt de ſatisfactione, agunt de ſatisfactione pro culpa, ut perſpicuum eſt ex ſuperius citatis: non quidem quod igno-*

Digitized by Google

ignorarint hanc ſatisfactionem pro pęna, ſed quòd cùm egiſſent tam accuratè de ſatisfactione pro culpa, quæ difficilior eſt, non putarint eſſe opus agere de altera ſatisfactione. Quanquam apud D. Auguſtinum duo ſunt loci ſingulares, ex quibus conſtat, Patres illos diſputaſſe de ſatisfactione pro pęna, poſtquam culpa remiſſa eſt. Alter in tract. in Joan. 124. ubi illa verba, Dimitte nobis, &c. interpretatur de remiſſione culpæ; illa autem, quæ ſequuntur, ſed libera nos à malo, interpretatur de remiſſione pęnæ, quæ ſæpè manet ſumenda poſt remiſſionem culpæ, Cogitur, inquit, homo tolerare etiam remiſſis peccatis, quamvis ut in eam veniret miſeriam primum fuit cauſa peccatum. Productior enim pęna quàm culpa, ne parva putaretur culpa, ſi cum illo finiretur & pęna. Alter locus eſt in commentariis in Pſal. 50. *&c.*

CAPUT XII.

Variis teſtimoniis demonſtratur, quid Antiqui Patres docuerint de virtute, & efficacia ſatisfactionum, & pęnarum pęnitentialium ab Eccleſia Pęnitentibus impoſitarum, quemve in finem illas impoſuerint. Communicatio cum fidelibus pro venia peccatorum ſumitur. Admiſſio ad orationes fidelium baptiſmo æquiparatur. Jam purgatæ, ut purgatiores fiant, aliquæ Pęnitentiæ impoſitæ. Patres ſæpius officium ſibi tribuant Medicorum, quàm Judicum. Incommoda, & pericula enarrant animæ, cui feſtinantius nimis Abſolutionis remedia præſtantur.

HOc nos primùm docet Sanctus Paulus 1. *Epiſt. ad Cor. cap.* 5. ubi de inceſtuoſo Corinthio verba facit: Dicit *eum tradidiſſe Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Antiquiſſimi Patres interitum carnis interpretantur Pœnitentiæ labores ob inceſtum inflictos, ut videre potes infra *lib. 6. cap.* 11. Pœnitentibus igitur labores imponebantur, ut tandem eorum tolerantia remiſſionem peccatorum, & ſalutem aſſequerentur. Aliquandiu autem labores illos ſubeundos colligitur ex *c. 2. Epiſtolæ* 2. Sufficit huc referre, quis fuerit Eccleſiæ antiquæ Romanæ ſaltem, & Carthaginenſis hac de re ſenſus. Perſpicuè admodum illum refert Tertullianus *c. 13. de Pudicitia*, ut poſteà refutet. Sic igitur Zephirinus, quem ironicè Benedictum Papam vocat, totaque cum eo Eccleſia Romana, & Carthaginenſis, *Hic jam carnis interitum in officium Pęnitentiæ interpretantur, quòd videatur jejuniis, & ſordibus, & incuria omni, & dedita opera malæ tractationis carnem exterminando ſatis Deo facere, ut ex hoc argumententur, fornicatorem, immò inceſtum illum non in perditionem Satanæ ab Apoſtolo traditum, ſed in emendationem quaſi poſteà veniam ob interitum, id eſt, conflictationem carnis conſecuturum igitur, & conſecutum.* Nihil ad propoſitum noſtrum expreſſius fingi poteſt. Magno conatu contendit Tertullianus probare labores illos ad veniam, & remiſſionem peccatorum conſequendam non pertinere, ſed fruſtra eſt, ut Lectori ſingula legenti perſpicuum erit.

II. Alterum eodem capite Lectori eſt maximè notandum, Communicationem ſcilicet cum fidelibus idem prorſus eſſe Tertulliano, & Eccleſiæ illius temporis cum venia, indulgentia, & remiſſione peccatorum. Cum enim de ea quæſtio cum Catholicis verteretur, effugium tutum ſibi inveniſſe viſus eſt Tertullianus, quod ſcripſiſſet Paulus de fornicatore, *conſtituatis in eum dilectionem*, non autem dixiſſet, *communicationem*, ſic enim, *Et tamen dilectionem audio, non communicationem.* Unde infert, Apoſtolum de peccatorum remiſſione non agere. Iſta tamen Catholicis nodo indiſſolubili connexa erant.

III. Sanctus Clemens *cap.* 41. *lib.* 2. poſtquam docuit capitibus præcedentibus qua ratione criminum Pœnitens eſſet exercendus, ſic ſcribit, *Quòd ſi quis converſus Pęnitentiæ fructus oſtenderit, tunc ad orationem admittite.* Quid eſt ad orationem admittere poſt labores Pœnitentiæ? *Ut illum filium qui perierat, qui luxurioſus fuerat, qui cum meretricibus patrimonium lapidaverat, &c. ad patrem rediit, peccavi, inquiens, in cœlum & coram te, &c. quem pater filiorum amans cum cantu excepit, &c.* Admiſſio igitur illa nihil aliud eſt quam peccatorum remiſſio laboribus Pœnitentiæ impetrata. Sed verba ſequentia id certiſſimè demonſtrant: comparant enim illius effectum, & dignitatem cum effectu & virtute baptiſmi. *Sic igitur faciendum tibi eſt, Epiſcope; atque ut Ethnicum baptiſmo lotum poſt doctrinam admittis; ſic hunc per manus impoſitionem, utpote factum mundum pęnitendo, cunctis pro eo deprecantibus, in antiqua paſcua reſtitue: Eritque ei loco lavacri manuum impoſitio.*

· *Morin. de Sacram. Pœnit.*

IV. Poſtquam Tertullianus multis deſcripſit labores Pœnitentiæ, *cap. 9. Libri de Pęnitentia*, quem finem Eccleſia in eorum impoſitione ſibi proponat, ſic explicat, *Hæc omnia Exomologeſis ut Pęnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipſa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna ſupplicia non dicam fruſtretur, ſed expungat.* Et capite undecimo, *Deliqui dicito in Deum, & periclitor in æternum perire. Itaque nunc pendeo, & maceror, & excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læſi;* Et initio cap. 12. *Si de Exomologeſi retractas, gehennam in corde conſidera, quam tibi Exomologeſis extinguet, & pęnæ prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites.* Et paulò poſt, Exomologeſim in effectu ſuo, & efficacia comparat baptiſmo. *Igitur cùm ſcias adverſùs gehennam poſt prima illa intinctionis dominicæ munimenta eſſe adhuc in Exomologeſi ſecunda ſubſidia, cur ſalutem tuam deſeris? Cur ceſſas aggredi, quod ſcias mederi tibi?* Exomologeſim autem accipit pro actu externo, & laboribus omnibus, quibus Eccleſia peccatorem purgat, ut ipſe eam definierat *cap. 9.* paulò ante verba primùm relata, ad quæ ſpectant, *Hæc omnia, &c.*

V. Similiter Sanctus Proſper *lib. 2. de vita contemplativa cap. 7. de Laicis*, qui ultro crimina confitentur, & de iis Pœnitentiam libentur, ſuſcipiunt, *Quòd ſi ipſi Judices fiant, & veluti ſuæ iniquitatis ultores hic in ſe voluntariam pęnam ſeveriſſimæ animadverſionis exerceant, temporalibus pęnis mutabunt æterna ſupplicia; & lachrymis ex vera cordis compunctione fluentibus reſtinguent æterni ignis incendia.* Et poſteà de Clericis, qui idem faciunt, *Ab altari, cui miniſtrabant, non animo ſed officio ſeparati, vitam tanquam mortuam plangunt, certi, quòd reconciliatio ſibi efficacis Pęnitentiæ fructibus Deo non ſolùm admiſſa recipiant, ſed etiam cives ſupernæ civitatis effecti, ad gaudia ſempiterna perveniant.*

VII. Sanctus Cyprianus *Epiſt.* 55. ad Cornelium Pontificem multis invehitur in fortunatum, & feliciſſimum Presbyteros, qui Lapſis ante ullam Pœnitentiam actam, reconciliationem & pacem præſtabant. Præcipuum autem argumentum, quo adverſus eos nititur ab effectu petit actionum Pœnitentialium, qui animum noſtrum ad reconciliationem præparare debet, & quo abſente incommoda magna conſequuntur. Qualia ſunt, & ad quem ſpectent, audiamus, *A primo perſecutionis die, cùm recentia delinquentium facinora ferverent, & Sacrificiis nefandis non tantùm Diaboli altaria, ſed adhuc manus ipſæ Lapſorum, atque ora fumarent, communicare cum Lapſis, & Pęnitentiæ agendæ intercedere non deſtiterunt, &c. Intercedunt, ne rogetur Deus, qui indignari ſeipſe teſtatur: Intercedunt, ne exoretur precibus, & ſatisfactionibus Chriſtus, &c. Elaborant, ne vulneratos divina clementia in Eccleſia ſua curet, ne Deo indignanti ſatisfaciat, &c. Datur opera, ne ſatisfactionibus, & lamentationibus juſtis delicta redimantur, ne vulnera lachrymis abluantur. Pax vera falſæ pacis mendacio tollitur.* Longa eſt Epiſtola, & tota ferè exaggerationibus ſcatet adverſùs eos, qui ſine Pœnitentiæ ſatisfactione communicationem Pęnitentibus concedebant.

VIII. In Libello de Lapſis totus ferè eſt in eodem adverſus illos Presbyteros argumento, *Putas tu, Dominum citò poſſe placari, quem verbis perfidis abnuiſti? &c. Putas, facilè eum miſereri tui, quem tuum non eſſe dixiſti? Orare oportet eum impenſius & rogare, diem luctu tranſigere, vigiliis noctes, ac fletibus ducere, tempus omne lachrymoſis lamentationibus occupare, ſtratos ſolo adhærere cineri, in cilicio, & ſordibus volutari, poſt indumentum Chriſti perditum, nullum hîc jam velle veſtitum; poſt Diaboli cibum malle jejunium; Juſtis operibus incumbere, quibus peccata purgantur; Eleemoſynis frequenter inſiſtere quibus à morte animæ liberantur.* Et paulò poſt, *Si precem quis toto corde faciat, ſi veris Pęnitentiæ lamentationibus, & lachrymis ingemiſcat, ſi ad veniam delicti ſui Dominum juſtis, & continuis operibus inflectat, miſereri talium poteſt, &c. poteſt ille indulgentiam dare, ſententiam ſuam poteſt ille deflectere.* Evidentiſſimè explicat, in quem finem labores illi Pęnit. ab Eccleſia impoſiti. Sic quoque *Epiſt.* 26. quæ in hac cauſa inſignis eſt, & cujus magna pars hic eſſet exſcribenda. Sed hæc, & alia ejuſmodi nobis erunt ex S. Cypriano aliis in libris referenda.

Digitized by Google

IX. Sanctus Pacianus in paræneſi ad Pœnitentiam de iis loquens, qui varia crimina commiſerant, dicit tamen eos ſanari poſſe, ſi ſecari ſe, & exuri ſuſtineant, *Ecce ſcalpellum propheticum, convertimini, inquit, ad Dominum Deum veſtrum, ſimulque jejunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra. Nolite hanc ſecturam timere dulciſſimi. Siſtinuit illam David, jacuit in cinere ſordenti, ſacco inſuper horrenti deformis*, &c. Poſteà proponit exemplum Babylonii regis, deinde ſic infert, *Ecce ſectio quam ſpopondi, qui poterit tolerare, ſanabitur. Admovebo adhuc ignes de cauterio Apoſtolico, videamus an ferre poſſitis. Judicavi, inquit, congregatis vobis, & ſpiritu meo in virtute Domini Jeſu Chriſti tradere ejuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in diem Domini. Quid dicitis Pœnitentes? ubi eſt veſtræ carnis interitus?* &c. Quis finis horum laborum? Sanitas, & ſalus animæ in die Domini noſtri Jeſu Chriſti. Cum inſuper peccatoribus voluptates, quibus delectantur, multis verbis exprobravit, quid reſpondere debeant ad eas allicientibus, eos docet; *Si quis ad balneum vocet, recuſare delicias; ſi quis ad convivium coget, dicere: Iſta felicibus, ego deliqui in Dominum, & periclitor in æternum perire. Quo mihi epulas qui Dominum læſi? Tenere præterea pauperum manus, viduas obſecrare, Presbyteris advolvi, exoratricem Eccleſiam deprecari, omnia prius tentare quàm pereas.* En quales habentur, & præſumuntur ii, quibus hos labores imperant: In ſtatu ſcilicet damnationis eſſe, à qua ut præſerventur, iſta juvant. Denique verſus finem ex Tertulliano multa repetit, *Si de cruciatu Exomologeſis retractatis gehennam recordemini, quam vobis Exomologeſis extinguet*, &c.

X. Sanctus Hieronymus poſtquam *Epiſt.30.* Fabiolæ Pœnitentiam publicam eloquenter deſcripſit, ſtatim exclamat? *Quæ peccata fletus iſte non purget? Quas inveteratas maculas hæc lamenta non abluant? Petrus trinam negationem trina Confeſſione delevit. Aaron ſacrilegium ob conflatum ex auro vituli caput fraternæ correxere preces*, &c.

XI. Sanctus Ambroſius *lib.1. de Pœnitentia c.4. Expectat gemitus noſtros ſed temporales, ut remittat perpetuos; expectat lachrymas noſtras, ut profundat pietatem ſuam. Sic in Evangelio viduæ matris lachrymis compaſſus, filium ejus reſuſcitavit.* Et lib.2. cap.5. *Qui agit Pœnitentiam non ſolùm diluere lachrymis debet peccatum ſuum, ſed etiam emendatioribus factis operire, & tegere delicta ſuperiora, ut non ei imputetur peccatum. Ergo tegamus lapſus noſtros poſterioribus factis, mundemus fletibus, ut audiat nos Dominus Deus noſter ingemiſcentes*, &c. Ad Virginem lapſam, *cap.8. Quantumvis afflictionem, quantumvis laborem, & indecorem ſubire eſto contenta dummodo ab æternalibus pœnis liberaris*: deſcriptis afflictionibus, & laboribus, quos pœnitendo ſubire debet, ſubdit, *Talis vita talis actio Pœnitentiæ, ſi fuerit perſeverans audebit ſperare, ſi non gloriam, certè pœnæ vacuationem.* Tandem concludit, *Peccator ergo ſi ſibi ipſi non pepercit, à Deo illi parcitur. Et ſi futuras pœnas, gehennæ præcipuas, in hoc parvo vitæ ſpatio compenſaverit, ſeipſum ab æterno judicio liberat.* Capite ultimo Libri 15. Hexameri, *Reſpice nos quoque Dominè Jeſu, ut & nos propria recognoſcamus erata, ſolvamus piis fletibus culpam, mereamur indulgentiam peccatorum.* Et in hymno ad matutinum cani ſolito, *Si reſpicis, labes cadunt, fletuque culpa ſolvitur.*

XII. Sanctus Auguſtinus *ſerm.34. de diverſis cap.12. Sunt quædam gravia, & mortifera, quæ niſi per vehementiſſimam moleſtiam humiliationis cordis, & contritionis ſpiritus, & tribulationis Pœnitentiæ non relaxantur. Hæc dimittuntur per claves Eccleſiæ*, &c. Nonnulla alia teſtimonia referentur *lib.6.* quibus eadem neceſſitas tam exterioris, quàm interioris Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum obtinendam demonſtratur. Huc etiam facit totus ſermo, aut ſermonis fragmentum quod 57. de tempore inſcribitur. In fine *ſerm.58. de tempore*, de iis qui criminibus perpetrandis inſueverunt, *Cùm ingenti rugitu, & gemitu Deum ſibi reconciliari contendat. Nec erubeſcat Pœnitentiam agere, qui non erubuit pœnitenda committere; ſed citò in ſe bonis operibus contendat imaginem reparare, ut inter filios mereatur agnoſci à Patre, ne ab illa æterna beatitudine excluſus, & à convivio nuptiali projectus, ligatis manibus, & pedibus projiciatur in tenebras exteriores*, &c. *ſed magis medicamentis Pœnitentiæ, humilitatis, vel compunctionis ad ſanitatem priſtinam revocatus, & bonorum operum margaritis ornatus, audire mereatur, Euge, ſerve bone*, &c.

XIII. Sanctus Innocentius *Epiſt. 22. c.4.* hoc aſſumit, ut ab omnibus Catholicis conceſſum. Cùm enim quidam Catholici Hæreticos ad Eccleſiam redeuntes cum honoribus reciperent, quibus in hæreſi potiti fuerant, prætexentes ordinationis benedictionem omne vitium purgare, Regerit Innocentius: *Ergo ſi ita eſt, applicentur ad ordinationem ſacrilegè, adulteri, atque omnium criminum Rei, quia benedictione ordinationis crimina, vel vitia putantur auferri. Nullus ſit Pœnitentiæ locus, quia id poteſt præſtare ordinatio, quod longa ſatisfactio præſtare conſuevit.* Vulgatum igitur, & confeſſum erat apud omnes Catholicos per ſatisfactiones Pœnitentiales crimina purgari. Ejuſdem *Epiſtolæ c.5.* alia leguntur evidentiſſima in eundem finem; ſed ea referentur *lib.5. cap.6.* ut & alia multa, quæ nunc, ne ſæpius eadem dicuntur, prætermittimus. Sanctus quoque Leo *ſermone 5. de Collectis, Eleemoſynæ peccata delent, mortem perimunt, & pœnam perpetui ignis extinguunt*, &c. *Exorabunt pro vobis & ipſæ eleemoſynæ, & ii, qui veſtris muneribus juvabuntur.* Sermone ſecundo dixerat, *Hoc remedium infirmitati humanæ divinitus eſſe donatum, ut ſi quid culparum in hac terrena habitatione contrahitur, Eleemoſynis deleatur*: Et Epiſt.91. *Non ſolùm per baptiſmi gratiam, ſed etiam per Pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparatur æternæ*, &c. *Mediator enim Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

XIV. Sanctus Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus *homilia 1. Mortificationi præſenti futura mortis ſententia prævenitur, & dum culpæ auctor humiliatur, culpa conſumitur; dumque exterior afflictio voluntariæ diſtrictionis infertur, tremendi Judicii offenſa ſedatur, & ingentia debita labor ſolvit exiguus, quæ vix conſumpturus erat ardor æternus.* Multa alia in eandem ſententiam in eadem homilia leguntur, ut & *homilia* 29 quæ alibi referentur. *Homilia 8. Quicunque aliqua de iſtis peccatis* (capitalibus) *in ſe dominari cognoverit, niſi dignè (ſi habuerit ſpatium) longo tempore Pœnitentiam egerit, & largus eleemoſynas erogaverit, & à peccatis ipſis abſtinuerit, illo tranſitorio igne, de quo dixit Apoſtolus, purgari non poterit, ſed æterna illa flamma, ſine ullo remedio cruciabitur.* *Homilia verò* 13. ſic definit utilem fore Pœnitentiam in fine vitæ cœptam, *Certum eſt quia prodeſt, ſi eam grandi eleemoſyna illam unuſquiſque accipiat, & omnibus inimicis indulgentiam tribuat, & quibuſcunque fecit injuriam veniam petat; & ita toto corde deliberet: Et ſi evaſerit, quamdiu vixerit, totis viribus illam cum rugitu & gemitu, & cum multis eleemoſynis humiliter, ac fideliter agat.*

XV. Sanctus Eligius *homil.11. Omnipotens Deus contritionem quæris, fletibus flectitur, lugentes lætificat, Pœnitentibus præſto eſt. Magnus profectus eſt lachrymarum, plorando ſervus propitiatur Domino; filius lachrymis mitigat Patrem, & aſperam matrem plorans mulcet parvulus. Ita ergo & peccator profuſis fletibus removet iram Dei. Petrus namque trinam negationem lachrymis diluit*, &c. *Oportet igitur nos ſalutem noſtram lugere perditam; atque animam noſtram mortuam lamentari; ut cùm de hoc ſeculo abſtracti fuerimus ad vitam mereamur pervenire ſempiternam*: Et in fine *homiliæ* 16. *Unuſquiſque veſtrum ad ſe redieus conſideret, ſi per amaritudinem Pœnitentiæ Deo ſatisfecerit pro ſuis offenſis, & delictorum maculis. Nam licèt miniſterium reconciliandi Epiſcopali auctoritate in vobis complere velimus, tamen niſi Spiritus Sanctus, per cujus invocationem iſtud officium agitur, corda veſtra interiùs purificata invenerit, à reconciliationis gratia vacui remanebitis.* Et poſteà, *In omni igitur culpa prius flendum eſt, & ſic deinde precandum: Lachrymæ enim tacitæ quodam modo preces ſunt. Veniam non loquendo poſtulant, ſed merentur.* Sanctus quoque Chryſoſtomus ſæpius, ut in fine *homil.6. Epiſt. ad Timoth.* dicit tantam eſſe Dei clementiam, ut nobis poteſtatem dederit mortem redimendi, non temporalem, ſed æternam. Et in fine *homiliæ primæ Epiſtol. ad Hebræos*, nos eleemoſynis irritum facere, & extinguere ignem æternum. Similia in fine *homil.38. in Joannem.*

XVI. Sanctus Gregorius in fine *homiliæ 20. in Evangelia: Idcircò omnipotens Deus Electos ſuos in quibuſdam lapſibus cadere permiſit, ut aliis in culpa jacentibus, ſi toto ad eum corde conſurgant, ſpem veniæ redderet; & eis per lamenta Pœnitentiæ jam cœleſtem patriam aperiret. Exerceamus ergo noſmetipſos in lamentis, extinguamus fletibus, & dignis Pœnitentiæ fructibus culpas, quas fecimus; ad veniam tempora nobis indulta non pereant*, &c.

XVII. San-

XVII. Sanctus Iſidorus in Exhortatione ad Pœnitentiam, multa de Pœnitentiæ laboribus locutus, tandem illorum effectum hac ſimilitudine illuſtrat, *Si enim noxium exterius cernerem in corpore vulnus, aut aliquem intrinſecùs ſentirem viſcerum dolorem, ocyus omnino ad Medicum currerem, ſecandam cum doloribus ferro traderem carnem, & ignito cremandam cauterio, atque cauſa reparandæ ſalutis, amariſſima bibere non recuſarem antidota. Cur ergo iſta moleſtè feram, per quæ anima de ſempiterno interitu ſaluti perpetuæ reſtauretur, &c. Hæc eſt enim via, per quam de inferis ad cœlum recurritur, de peccato ad juſtitiam reditur, de offenſione ad tuam gratiam revocatur.* Eadem ratio eſt non diſparium ſimilitudinum, quas in eadem quæſtione explicanda frequenter uſurpant Tertullianus, Cyprianus, Pacianus, Ambroſius & alii. Ut enim Medici diætas indicunt, potant, torquent, ſecant, urunt, ut ſanitatem ægrotus recuperet: Sic Sacerdotes ut Peccator remiſſionem peccatorum à Deo obtineat, & cum eo in gratiam redeat. Hinc iterum paulò poſt Iſidorus, *Sicut levia peccata occulta oratione delentur; ita gravia coram Eccleſia per Pœnitentiam, & ſatisfactionem remittuntur.* Et in Epiſtola ad Helladium verba faciens de Presbytero Lapſo, *Plangat Sacerdotii cultum, quem malè vivendo perdidit: Lugeat animæ ſuæ ſtatum, quem tanto putredinis cœno coinquinavit. Fortaſſe porriget illi manum quandoque Spiritus Sanctus, ut per dignam ſatisfactionem mereatur peccatorum remiſſionem.*

XVIII. Veneticum Concilium *cap.* 1. *Cenſemus Homicidas, & falſos teſtes à communione Eccleſiaſtica ſubmovendos, niſi Pœnitentiæ ſatisfactione crimina admiſſa diluerint.* Renovatur in Turonenſi *cap.* 7. & Agath. *cap.* 37. Referunt Burchar. *lib.* 6. *cap.* 29. Ivo *part. part.* 10 *cap.* 38. & Gratian. 24. *q.* 3. *cap. Itaque.* Concilium Pariſienſe ſub Ludovico, & Lothario *libro* 1. *c.* 1. & 5. *Statuimus ut unuſquiſque noſtrum plebes, &c. Solicitè admoneat, Denique, quem peccando ſibi iratum fecerant, digna Pęnitentiæ ſatisfactione, & eleemoſynarum largitione ſibi placabilem facere ſatagant.* Evidentius adhuc, & pluribus verbis Troslejanum Concilium *cap.* 15. ſed integrum referemus *lib.* 9. *cap.* 4.

XIX. Concilium Ilerdenſe *cap.* 10. referente Burchardo *lib.* 19. *c.* 150. ſic ſtatuit de Clericis, qui ante, vel poſt ordinationem in crimina lapſi ſunt. *Qui de prædictis viris per occultam Confeſſionem mala à ſe abſconsè commiſſa coram oculis Dei præſente etiam Sacerdote, qui eis indicturus eſt Pęnitentiam, confiteatur, & ſemetipſos graviter deliquiſſe accuſant, ſi veraciter pęnituerint, & ſe per jejunia, & eleemoſynas, vigiliaſque, atque ſacras orationes cum lachrymis purgare certaverint, his etiam gradu ſervato ſpes veniæ de miſericordia Dei promittenda eſt, qui omnes homines vult ſalvos fieri, &c.* Eadem ex eodem Concilio *refert Pęnitent. Roman. tit.* 8. *c.* 1. Rabanus Maurus *Pęnit. cap.* 1. *initio*, Ivo *part.* 9. *c.* 40. Grat. *diſt.* 50. *cap.* 3. *Et cap. ſequente* ex Concil. Toletano, de iiſdem Lapſis Presbyteris, *Si ſalubriter compuncti pro peccatis ſuis Confeſſionem Epiſcopo, ſive Presbytero occultè faciant, bonum mihi videtur, ut ſecundùm id, quod ſibi decretum fuerit ab Epiſcopo, ſive Presbytero Pęnitentiam agant, non trepidè, nec tardè, ſed ferventer, & ſollicitè, ac ſic ſe veniam peccatorum à Domino percepturos, & gradum ſe retenturos confidant:* Collectio Reginonis *lib.* 2. *cap.* 28. ex Concilio Moguntino *cap* 20. *Quia modernis temporibus Parricidæ profugi diſcurrunt per diverſa loca, & variis vitiis, & gulæ illecebris deſerviant, melius nobis videtur, ut in uno loco manentes Pęnitentia diſtricta ſemetipſos caſtigent, ſi fortè Domini bonitate indulgentiam facinoris ſui percipere mereantur.* Refert etiam Raban. Maurus *in Pęnitentiali c.* 11.

XX. Gregorius VII. cum in Concilio V. Romano *cap.* 5. oſtendiſſet, quæ eſſent veræ Pœnitentiæ, quæ falſæ, ſic conſulit ei, qui nondum animo paratus eſt ad veram Pœnitentiam agendam, hoc eſt, ad labores ſubeundos, qui criminibus ſuis imponi ſolent, *Ne tamen deſperet; interim quidquid bonifacere poterit, hortamur ut faciat, ut omnipotens Deus cor illius illuſtret ad Pęnitentiam. Pęnitent. Romanum tit.* 9. *c.* 14. Et Urbanus 2. *in Concilio Claromontenſi cap.* 22. in eadem cauſa idem conſulunt, *Attamen conſilium damus, ut jejunet, & eleemoſynas det, ut ad veritatis viam poſſit reverti.*

XXI. Sanctus Petrus Damianus in fine *cap.* 22. *libri* quem inſcripſit, *Gomorrhianus*, diſputationem præcedentem tandem ſic colligit, *Ut breviter cuncta concludam. Quiſquis quolibet eorum modo, quos ſupra diſtinximus, nefandæ turpitudinis ſe contagione fœdaverit, niſi fructuoſa Pęnitentiæ fuerit ſatisfactione purgatus, nunquam habere Dei gratiam poterit, nunquam Chriſti corpore, & ſanguine dignus erit, nunquam cœleſtis patriæ limen intrabit.*

XXII. Pœnitentiale Romanum *tit.* 1. *cap.* 11. duplex uxoricidæ dat conſilium: Prius, ut mundo valedicat, Monaſterium ingrediatur, Abbati ſubdatur, &c. *Si fortè ignoſcat infinita Dei bonitas peccatis ſuis.* Poſterius conſilium, ut Pœnitentiam agat publicam, cujus poſtquam multa capita ſevera admodum enarravit, ſubiicit, *Sunt & alia multa duriora, quæ tibi juxta pondus tanti facinoris eſſent adiicienda. Sed ſi hæc omnia, quæ ſupradicta, miſericorditer dicta ſunt, profectò corde, Deo auxiliante, perfeceris, & cuſtodieris, confidimus de immenſa clementia Dei, remiſſionem tuorum peccatorum te habiturum, & ſecundùm boni, juſtique paſtoris imperium, reſolvet te ſancta Eccleſia ab hoc vinculo peccati in terris, ut per ipſius gratiam qui eam ſuo ſanguine redemerat, ſis ſolutus in Cœlis.* Referunt Burchard. *lib.* 6. *cap.* 40. Ivo *par.* 8. *c.* 126. Gratian. 33. *q.* 2. *cap.* 8. *Et titulo* 3. *c.* 26. Sic ſtatuit de inceſtis occultis ex S. Auguſtino, *Quia latet commiſſum detur ei à Sacerdote conſilium, ut ad ſalutem animæ ſuæ pro occulta Pęnitentia proficiat, hoc eſt, ut veraciter ex corde ſe graviter deliquiſſe confiteatur, & per jejunia & eleemoſynas, vigiliaſque atque ſacras orationes cum lachrymis ſe purgare contendat, & ſic ad ſpem veniæ per miſericordiam Dei pervenire confidat.* Eadem referunt ex Auguſtino Burchard. *lib.* 19. *cap.* 36. Ivo *part.* 15. *cap.* 53.

XXIII. Aliquando poſt multorum annorum Pœnitentiam completam, & Corporis Chriſti communicationem, Pœnitentia aliqua injungitur: In quem finem præſtanda? Ejuſdem Pœnitentialis *tit.* 1. *c. ultimo de Homicida Clerici*, *Poſt quinquennium Eccleſiam ingredere, nondum verò communices, ſed in angulo Eccleſiæ ſtes, vel ſedeas. Cùm autem fuerit duodecimi anni circulus finitus, communicandi tibi licentia conceditur, & equitandi tribuatur remiſſio. Maneat autem in reliquis obſervationibus tres dies per hebdomadam, ut perfectius purificari merearis.* Eadem habentur quoque ejuſdem tituli *cap.* 2. & referuntur eodem modo à Burchardo *lib.* 6. *cap.* 8. Ivone *part.* 10. *cap.* 137. Concilio Vormacienſi *cap.* 26. Triburienſi *cap.* 5. *Ut purificationis mereatur culmen.* Moguntino ſub Arnulpho *c.* 16. *Ut ad perfectionis mereatur venire culmen.* Hi igitur labores omnes Pęnitentiales à Patribus impoſiti ſunt, ut peccati pęnitens à culpis, & immunditie ſua purgaretur, & purgatus peccatorum remiſſioni idoneus redderetur. Unde etiam quondam aliquantulas Pœnitentiolas, jam per longorum laborum tolerantiam purgatis, & communione donatis, impoſuerunt, ut perfectæ purgationis culmen attingerent. Ex quibus evidenter mihi colligi videtur præcipuum Sanctorum Patrum in laborum iſtorum impoſitione ſcopum fuiſſe, animarum à peccatis purificationem, & emundationem.

XXIV. Hinc eſt, quòd Patres multò ſæpius Medicorum nomen, & officium ſibi tribuant quàm Judicum, laboreſque pęnitentiales medicinas ſæpius vocent quàm pęnas, eoſque Pęnitentibus ſe indicere prædicent, ut animæ ſanitas vera non fucata, vividus color, non inanis tumor reſtituatur. Eadem præterea incommoda ex eorum neglectu animas invadere ſcribunt, quæ corporibus videmus contingere, cùm vulnera adhuc putrida in cicatricem obducuntur; criminumque veniam immaturè datam temerariam eſſe, & periculoſam, plerumque irritam, nihil profuturam. Ideò Clerus Romanus Cypriano ſcribens *Epiſt.* 31. de Lapſis qui veniam peccatorum laboribus Pęnitentiæ non exantlatis ſibi immaturè dari urgebant hæc exprobrat, volunt, inquit, *Ut properata nimis remedia communicationum, utique non profutura præſtentur, & nova per miſericordiam falſam vulnera veteribus tranſgreſſionis vulneribus imprimantur, ut miſeris ad everſionem majorem eripiatur & Pęnitentia. Ubi enim poterit indulgentiæ medicina procedere, ſi etiam ipſe Medicus intercepta Pęnitentia indulget periculis, ſi tantummodò operit vulnus, nec ſinit neceſſaria temporis remedia obducere cicatricem? Hoc non eſt curare, ſed ſi dicere verum volumus, occidere.* Ipſe Cyprianus ad eoſdem Lapſos ante libelli medium eadem præcipitationis incommoda non minus acri reprehenſione illis proponit: *Oportet Dei Sacerdotem non obſequiis decipientibus fallere, ſed remediis ſalutaribus providere. Imperi-*

Digitized by Google

tus eſt Medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in aliis receſſibus viſcerum virus incluſum dum ſervat, exaggerat. Aperiendum vulnus eſt & ſecandum, & putaminibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur, & clamet licèt, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget poſtmodum, cùm ſenſerit ſanitatem, &c. Temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio: irrita, & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærant ſanitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione medicinam, &c. Operiuntur morientium vulnera, & plaga lethalis altis, & profundis viſceribus infixa, diſſimulato dolore contegitur. Eodem ſenſu Confeſſores ſcribunt de carcere ad Sanctum Cyprianum, ut præproperam Lapſorum feſtinationem ad veniam autoritate ſua coerceant. *Ubi enim divinus metus relinquitur, ſi tam facilè peccantibus venia præſtetur? Fovendi ſunt ſanè ipſorum animi, & ad maturitatis ſuæ tempus autciendi, & de ſcripturis ſanctis, quàm ingens & ſupra omnia peccatum commiſerint inſtruendi, &c. Eluendæ ſunt operibus bonis manus impio ſacrificio inquinatæ, & nefario cibo ora miſera polluta, Pœnitentiæ veræ ſunt ſermonibus expianda: & in ſecretis cordis fidelis novellandus, & conſecrandus eſt animus; crebri Pœnitentium gemitus audiantur, & iterùm fideles ex oculis lachrymæ profundantur; ut illi ipſi oculi qui malè ſimulachra conſpexerunt, quæ illicitè commiſerant, ſatisfacientibus Deo fletibus deleant, &c. Infidelis cicatrix quam citò feſtinans Medicus induxit; & ad quemlibet caſum medela reſcinditur, ſi non fideliter de ipſa tarditate remedia præſtetur. Citò rurſus in incendium flamma revocatur, niſi totius ignis etiam uſque ad extremam ſcintillam materia reſtinguatur, ut meritò hujuſmodi homines ſciant ſibi etiam de ipſa mora magis conſuli, & fideliora neceſſariis dilationibus remedia præſtari.*

XXV. Manifeſtiſſimus eſt igitur finis ultimus, & palmaris, quem ſibi Patres in iſtorum laborum impoſitione ſibi propoſuerunt. Nec exiſtimo quenquam qui legerit Cleri Romani, Cypriani, & Confeſſorum de carcere ſcribentium has acerrimas admonitiones, & increpationes in Lapſos veniam ſine his laboribus præcipitari volentes exiſtimaturum veniam illam eſſe ſolùm intelligendam de ceremoniali quadam in Eccleſiam admiſſione, & levioris Excommunicationis Abſolutione, quæ difficillimè, & poſt ingentes plurium annorum labores exantlatos concedebatur. Quaſi verò maximum, & horrendiſſimum nefas crediddiſſent ceremoniolam illam, quæ jam à multis ſeculis paulatim obſolevit, marcuit, & prorſus evanuit, animis non purgatiſſimis, & ab omni vitio defecatiſſimis, exhibere; ipſam verò ſalutis ſubſtantiam, Pœnitentiæ vitale donum, fructum, mercedem, coronam, veram ſcilicet peccatorum remiſſionem, legitimè, & ſecundùm rigorem canonum licuiſſe, nullo examine facto, nullo purgationis habito delectu, omnibus ſe ex animo pœnitere jactantibus quàm ocyus elargiri? Mitto, quòd ſingulæ propè periodi tot antiquorum teſtimoniorum, quibus innumera addi poſſunt, expreſſiſſimè, & κτ̓ λέξιν indicant in iis agi de Pœnitentibus juſtificandis non juſtificatis, mortis æternæ Reis liberandis non ab eo liberatis. Idem etiam demonſtrant ea argumenta, quæ primis libri noni capitibus referemus, ad probandum Abſolutionem Sacramentalem majoribus criminibus poſt completam Pœnitentiam lege ordinaria datam fuiſſe, ut & ea, quæ *cap.* 12. 13. & 17. libri primi explicata ſunt.

COM-

COMMENTARII HISTORICI DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTI POENITENTIÆ,

Ab Apoſtolis ad uſque ſeculi duodecimi initium tam in Eccleſia Orientali, quàm Occidentali obſervata.

LIBER QUARTUS.

De exteriore diſciplina, quam in curandis, & puniendis fidelium tam Clericorum, quàm Laicorum peccatis obſervavit Eccleſia aduſque exortam Novati hæreſim.

CAPUT I.

Ex antecedente Libro generatim colligitur pænarum gravitas, quæ peccatis poſt baptiſmum debetur. Plebis Chriſtianæ obedientia, & tolerantia laudantur. Differentia pænarum peccatis impoſitarum ante, & poſt Novati hæreſim explicatur, & totius Libri materia proponitur.

CUm videamur nobis gravitatem peccatorum poſt baptiſma commiſſorum non indiligenter ex mente antiquorum Patrum Libro antecedente explicaſſe, rationeſque multas ex eorum verbis, & Concilii Tridentini authoritate reddidiſſe, ob quas ejuſmodi peccata gravitate, & ſceleris immanitate ea, quæ ante baptiſmum perpetrata ſunt, longiſſimè ſuperent: Cùm inſuper vim, & efficaciam pœnarum, & medicamentorum, quibus crimina illa curari, & puniri ſolerent, ex continua Patrum traditione demonſtraverimus, reliquum eſt, ut eo jacto fundamento, tertiam operis noſtri partem aggrediamur, ipſaque pęnarum, & ſatisfactionum ſpecies, quas Eccleſia peccatoribus ad remiſſionem criminum conſequendam præſcribere conſuevit, particulatim ob Lectorum oculos exponamus, & velut in tabella graphicè delineamus. Non enim unius modi fuerunt, ſed pro variis criminibus variæ. Nec ratione tantùm peccatorum variatæ ſunt, verùm etiam ratione temporum, conditionum, ætatum, ſexuum, ſanitatis, valetudinis: Singulæque iterum in unaquaque ſpecie pro compunctione animi, ardore, tempore, auctæ, vel imminutæ. Hæc omnia non adumbrare modo animus eſt, ſed velut in ſpeculo exprimere, & oculis tuis conſpicienda præbere. Labor, ni fallor, futurus antiquitatis Eccleſiaſticæ curioſis non ingratus. Animadvertent enim in eo quaſi perpetuum obedientiæ miraculum, cùm legent criminum Reos variis, & ſeveriſſimis pęnis longiſſimo tempore exercitos, vixque tandem priſtinæ in Eccleſia dignitati reſtitutos. Eos verò ad tantas pęnas tanto tempore tolerandas non ſatellitum armis, non lictorum faſcibus, non Carnificum ſecuribus coactos, ſed prompto, libentique animo huic tolerantiæ quantum libuit Magiſtratui Eccleſiaſtico, ſeſe expoſuiſſe. Quid magis miraberis hæc legens, mihi ambiguum eſt: Plebis Chriſtianæ obedientiam, an Epiſcoporum imperandi fiduciam? Epiſcoporum per tot pęnarum ambages, & anfractus plebem Chriſtianam ad criminis expiationem ſolo verbo deducentium: Plebis Chriſtianæ tam ardentibus votis criminum expiationem deſiderantis, ut ad eam conſequendam nihil arduum, nihil laborioſum, & ſalebroſum detrectaret? Vicit ſanè iter durum pietas, & imperii majeſtatem obſequii gloria. Neutrum, Lector, mirare; Sed potentiſſimæ Spiritus Sancti gratiæ diluvium per Evangelii prædicationem hominum animos inundans mente ſuſcipe, quod fontes omnes, & cataractas abyſſi magnæ gratiarum, & donorum Dei aperuit, & rupit, hominumque corda ita emolliit, & velut eliquavit, ut divinæ leges, mandataque facillimè poſteà iis inſcribi potuerint, ipſique cum S. Paulo ad Philippenſes *cap.* 2. profiteri, *Exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.*

II. Mihi hæc omnia pęnarum genera uno velut conſpectu animo percurrenti, & variorum ſeculorum mores Eccleſiaſticos ſibi invicem comparanti diſcrimen unum occurrit præ cæteris maximum. Ab incunabulis Eccleſiæ Chriſtianæ ad exortam Novati hæreſim diſciplina Eccleſiaſtica his in rebus unius ferè modi fuiſſe mihi videtur, licèt paulatim tepeſcente Chriſtiana charitate, pęnarum, & medicamentorum pęnitentialium amaritudo, & acerbitas nonnihil creverint. Verùm poſt exortam Novati hæreſim non modò pęnæ plurimùm auctæ, & exacerbatæ ſunt, ſed etiam diſciplinæ modus tactus, & plurimùm immutatus. Viguit autem pęnarum illarum incrementum, & durities ad annum Chriſti centeſimum ſupra milleſimum. Multæ equidem varietates toto illo tempore contigerunt, quas ſuis locis explicabimus; ſed pęnarum exequendarum modum vel permutationem affecerunt, acerbitatem, & durationem vix unquam imminuerunt. Breviſſimo autem poſt ſeculum adnotatum tempore diſciplina Eccleſiaſtica circa Sacramentum Pęnitentiæ ab utroque genere præcedente prorſus differre cępit, atque in tertium quoddam degenerare, quod tamen priori, & antiquiori multò magis conforme fuit, quàm poſteriori.

III. Prioris à poſteriori differentia in tribus potiſſimùm capitibus conſpicua fuit. Nam ante Novatum pęnæ fuerunt multò mitiores, earum duratio longè brevior. Denique ſtationum pęnitentialium toto illo tempore nulla mentio. In Oriente primùm inſtitutus eſt iſte ſtationarius ordo, quanquam hæreſis Novatiana in Occidente exorta fuerit, atque ideò forſan ſtationum iſtarum mentio apud authores occidentales multò rarior eſt, quàm apud orientales. Licèt autem ſtationum Pęnitentialium nulla ante Novatum expreſsè mentio apud autores Eccleſiaſticos deprehendatur, rei tamen per Conſiſtentiam, & ſubſtractionem potiſſimùm ſignificatæ uſus apud eos ſemper fuit, quamvis nominum iſtorum τεχνικῶν nullus eſſet. Semper enim, atque ab ipſis Eccleſiæ primordiis graviter peccantes communione ſaltem Euchariſtica mulctati ſunt, quod Conſiſtentiæ proprium eſt; gravius peccantes conſpectu prætereà myſteriorum, & precum Euchariſticarum auditu, quod Cenſuræ genus ſubſtratis infligebatur, ut ſequentibus capitibus demonſtrabitur.

IV. Cùm igitur deprehenderimus praxim infligendarum peccatis Pęnitentiarum, quæ ab Apoſtolis ad Novatum uſque viguit, ab ea, quam poſtmodum Eccleſia uſurpavit, magnopere differre, utramque ſeparatim explicare viſum eſt, atque à priore, ut antiquiore, & ſimpliciore inci-

pere. Id Deo dante, præſtare conabimur toto hoc libro quarto. Cum autem plurima ſint utrique diſciplinæ generi neceſſariò communia, explicabimimus hoc libro non modò, quæ ſunt antiquiſſimæ diſciplinæ propria, ſed etiam nonnulla utrique communia, ſine quibus antiquiſſima, nec commodè intelligi, nec perſpicuè tradi poteſt. Duabus autem de cauſis teſtimonia authorum, quæ poſt prima illa ſecula ſcripſerunt uſurpabimus: Primùm eo quod antiquiſſimi illi authores, & pauci ſuperſunt, & uno vel altero excepto, breviter admodum ſcripſerunt, & de rebus ad propoſitum noſtrum, ut plurimùm, non ſpectantibus. Unde fit, ut quæcunque ad perſpicuam antiquiſſimæ iſtius diſciplinæ explicationem neceſſaria ſunt, ex eorum ſcriptis erui non poſſunt. Deinde eo quòd rerum geſtarum legitimi quoque teſtes habeantur, qui tempori, quo geſtæ ſunt, vicini fuerunt.

CAPUT II.

Antiquiſſimos Patres tria tantùm pœnarum genera in caſtigandis peccatis ad Novatum uſque uſurpaſſe. Quibus nominibus ea enuntiaverint. Nomina illa νυχτικά *, Fletus, Auditionis, Subſtrationis, & Conſiſtentiæ poſt illam hæreſim vulgata fuiſſe ex Clemente Romano demonſtratur. Antiqua Cenſuras ferendi formula. Qua ratione ergo omni tecto pulſos ſeſe gerebat Eccleſia.*

ANtiqui Chriſtiani, quantum legendo & conjiciendo poſſumus aſſequi, peccata in tres tantum claſſes diſtinguebant, levia, gravia, & graviſſima, quibus purgandis, & caſtigandis tria tantum conſtituerant pœnarum, ſive alexipharmacorum genera, quæ etiam ſimpliciſſimis verbis enuntiabant. Peccata enim leviora ſola oblationis offerendæ, & participandæ abſtentione ſeu ἀφορισμῷ puniebant, ut ſic correpti non ampliùs peccare diſcerent. Gravius autem peccantes non tantùm ab omni Sacrificii participatione, ſed etiam illius agendi conſpectu, & præſentia ſemovebant, Satanæque inſuper tradebant, hoc eſt, variis jejuniis, & corporis macerationibus caſtigabant, ut in die Domini N. Jeſu Chriſti Spiritus ſalvus fieret. Contumaces autem, & graviſſimè peccantes non ſolùm ab omnibus myſteriis ſuis procul pellebant, verùm etiam ab omni Eccleſiæ tecto eliminabant. Verba autem quibus Cenſuras iſtas ſignificabant, vulgaria erant, & è media deprompta. Latini enim illius temporis verbo abſtinendi frequentiſſimè utebantur; excommunicandi rariſſimè: Græci verò τοῦ ἀφορίζειν quod primò & propriè ſegregare, & ſeparare ſignificat; atque eo ſenſu Eccleſiaſtici autores omnes, antiquiſſimi potiſſimùm, hanc dictionem uſurpant. Ut autem Græcis ἀφορίζειν primum, & ſecundum pœnæ genus ſignificat, ſic & Latinis abſtinere: cujus rei exempla multa jam collegimus Exercitationum noſtrarum Eccleſiaſt. *lib. 2. Exercitat. 3.* Multaque paſſim apud autores illorum ſeculorum proſtant, & infra neceſſe erit nos pauca referre. Significabant præterea Latini idem pęnæ genus nonnullis aliis nominibus, Pęnitentiam agere, plenam, veram, legitimam, juſto tempore. Græci μετανοεῖν, καὶ ἐν τῇ μετανοίᾳ εἶναι, ἀκοινώνητον εἶναι: Utriuſque ἐξομολογεῖσθαι, *Exomologeſim facere*. Antiquiſſima eſt etiam utriuſque pęnæ indigitatio per precum aſſiſtentiam conceſſam, vel negatam. Adeſſe precibus, ſive precum eſſe participem, prius pęnæ genus indicat; non eſſe participem, poſterius. Contumaces autem, & graviſſima ſcelera perpetrantes tertio pęnarum genere mulctabant, ejectione ſcilicet ab Eccleſia, expulſione, ejeratione, & omnimoda exciſione. His enim, & ſimilibus nominibus hanc pęnam efferunt antiquiſſimi Patres, ut eodem *lib. Exerc. 26.* multis exemplis demonſtratum eſt, & jam jam demonſtraturi ſumus. Aliis pęnis, pęnarumque nominibus ducentis ſupra quinquaginta poſt Chriſtum annis in peccantium caſtigatione uſi non ſunt antiqui Patres. Toto illo tempore verba illa artificialia, Fletus, Auditionis, Subſtrationis, Conſiſtentiæ apud eos non leguntur: Nihil iſtarum phraſium, *duobus annis defleat, tribus audiat, quatuor ſubſternatur, uno conſiſtat.* Si tamen priorem conſuetudinem ad poſteriorem exigere velimus, Conſiſtentiam dicemus antiquiſſimos Patres, ut ſubſtrationem uſurpaſſe. Rem enim amplexi ſunt, licèt aliis verbis eam retulerint. Auditionem autem, & fletum pęnarum loco nunquam habuerunt, & nunquam flere vel audire juſſerunt peccantem. Quid de his tradiderint Antiqui, operæ pretium mihi videtur ſubjectis ipſorum teſtimoniis demonſtrare.

II. Sanctus Clemens, ſive Conſtitutionum Apoſtolicarum auctor, rationem Eccleſiaſticam puniendi peccata fusè ſatis, & perſpicuè Epiſcopos docet; ſed ſtationum iſtarum nuſquam meminit. Multis diſſerit *libro 2. cap. 12. & ſequentibus*, quomodo Pęnitentes recipere debeat Epiſcopus, non repellere; adverſus eos agit, qui Pęnitentes docent non eſſe recipiendos; oportere Epiſcopum clementer, & prudenter de peccatis judicare, ea nec negligere, nec ira elatum corrigere; tandemque *cap. 16.* ſpecialius, *Cùm verò deliquiſſe viderit, jube eiici foras, acerbè ferens: de quo ejecto doleant item Diaconi, qui eum obſervent, & extra Eccleſiam continent: Iidemque in Eccleſiam poſteà ingreſſi pro eo te rogent, &c. Poſteà jubebis ingredi, & facta examinatione an pęniteat, ſitque dignus qui in Eccleſiam ex toto admittatur. Caſtiga illum jejuniis duarum, aut trium, aut quinque, aut ſeptem hebdomadarum, ut delicti genus, & ratio popoſcerit. Sic eum dimitte* ἄπος αὐτὸν ἀπόλυσον *abſolve, ea locutus quæ eum qui de peccato commiſſo alium admonendi cauſa increpas, docere, & monere convenit, &c.* Hoc probat ex iis, quæ Caino dicta ſunt, *peccaſti quieſce*, & ex iis, quæ Moſi Deus dixit, cum pro ſorore intercedebat. Tandem concludit, *Sic igitur vos facere oportet, eos ſcilicet, qui ſe pęnitere ajunt peccaſſe, ſegregare tempore proportione peccatorum definito poſteà verò recipere Pęnitentes tanquam Patres filios.*

III. Quum de ejectione ab Eccleſia loquatur, aut graviſſima peccata intelligit, aut maximam in peccatis contumaciam, ut ex *cap. 37. & 38.* probatur, & pluribus aliis, *Conveni accuſatum ſeorſim, & argue eum nemine præſente, ut eum Pęniteat. Si autem non paruerit, adhibito uno aut altero, indica ei erratum monens eum adhibitis manſuetudine, & diſciplina, &c. Si vobis tribus crediderit, bene habet: ſin aliquis durus, obſtinatuſque erit, dic Eccleſiæ. Hanc ſi contempſerit, ſit tibi ut Ethnicus, & Publicanus, nec eum ampliùs ad Eccleſiam ut Chriſtianum admittas.* Hoc eſt tertium, & maximum pęnæ genus quo contumaces, & graviſſimè peccantes plectebant. Notandum inſuper verbum ἀφορίζειν ſegregare: Eo enim appoſitè admodum Clemens utitur. Nam ſermo illi eſt de peccarore ejecto ad Eccleſiam redeunte. Dicit ergo quod tum ἀφορίζεται χρόνῳ ἀφωρισμένῳ κατὰ τὴν ἀναλογίαν τοῦ ἁμαρτήματος, *ſegregatur, tempore definito juxta peccati proportionem.* Hoc eſt, ad Pęnitentiam rędigitur temporis diuturnitate pro gravitate peccati menſurata. Verbo autem ἀφορίζειν canones frequenter utuntur, ſed Apoſtolici canones frequentiſſimè.

IV. *Toto capite 17.* rationes reddit, quare ſic ſegregari debeat peccator, quarum fundamentum eſt iſtud Apoſtoli *Galat. 5. Parum fermenti totum maſſam corrumpit*, tandemque ſubiicit *Oportet enim in delicto ulterius non connivere ſilendo, ſed potius urguere, monere, caſtigare, jejuniis ſtringere, ut aliis metum & reverentiam iniiciat* Epiſcopus. Hoc principio Apoſtolico nixi antiqui Patres maximè cavebant, ne cum impiis communicarent, æſtimantes ſe ejuſmodi communicatione pollui. Hanc rationem ſæpius inculcant, & ingeminant non modò Clemens, ſed Tertullianus, & præ cæteris S. Cyprianus, ut alios omittam, qui quacunque data occaſione hanc rationem urgent, ne diſciplina Eccleſiaſtica laxetur, & Cenſura divina ſolvatur. Hinc eſt, quòd facinoroſos antequam cum iis Eccleſiaſticè communicarent longa Pęnitentia purgabant; quæ quidem purgativa Pęnitentia præter lachrymas, ſanctumque animi propoſitum, complectebatur varia opera laborioſa, ut ipſe teſtatur S. Clemens, & pluribus poſthæc demonſtrabimus.

V. Eandem doctrinam refert, & precipit idem autor ad finem *cap. 18.* Sic Epiſcopum monens, *Quocirca curam omnium ſuſcipe, tanquam rationem de pluribus redditurus; ut ſanos quidem conſerva, lapſos verò mone, & qui in jejunio premis, leva in remiſſione, & eum qui luxit recipe, cuncta Eccleſia pro eo deprecante, & manu impoſita, ſine eum in poſterum in ovili ſubſiſtere, &c. Agnoſce igitur, Epiſcope, dignitatem tuam, quod ſicut poteſtas ligandi tibi obtigit, ita quoque poteſtatem ſolvendi habes.* Nec minus evidenter *cap. 41. Sic igitur faciendum tibi eſt, Epiſcope; utque ut Ethnicum baptiſmo lotum poſt doctrinam admittis, ſic hunc manu impoſita, ut per Pęnitentiam purgatum cunctis pro eo deprecantibus in antiqua paſcua reſtitue*, καὶ ἔσται αὐτῷ τοῦ λούσματος ἡ χειροθεσία, *eritque ei loco lavacri manus impoſitio. Capite verò 43.* conſimiliter edicit de calumniatore, *Itaque eiice eum ex Eccleſia tanquam fratris interfectorem: Deinde intervallo temporis interjecto, ſi dixerit pęnitere ſe, premite cum jejuniis, ac poſteà manus ipſi imponentes recipite, caventes tamen illi ne quem iterùm turbet*, Similia *cap. 50. & aliis locis.* Habes

hypo-

hypotypoſim conſuetudinis illorum temporum in puniendis, & curandis peccatis graphicè deſcriptam; ſed in ea nihil eorum, quæ poſteà prudenter Eccleſia inſtituit, priora non ſufficere experientia longi temporis edocta.

VI. Interrogabis Lector, quæ erat tum temporis circa expulſos ab omni Eccleſiaſtica communione Eccleſiæ diſciplina? Reſpondeo, aut illi prorſus Eccleſiam deſerebant, nec erat illis ampliùs animus revertendi: Quo dato, eadem prorſus erat eorum ratio, quæ Ethnicorum, & Judæorum. Aut ſupererat illis aliquantula pietatis ſcintilla, qua commoti reverſionis ad Eccleſiam deſiderio tenebantur. His licebat ad Eccleſiam convenire audiendi tantùm verbi Dei cauſa, eorumque ſtudium obſervabat Epiſcopus. Quòd ſi prædicationibus cordis eorum durities emollita Pęnitentiam ſibi imponi efflagitabat, tum ipſorum vita, mores, actiones diligenter aliquandiù obſervabantur, tandemque iſtis probatis Pęnitentium catalogo inſcribebantur. Hæc Clemens diſertè docet ejuſdem libri *cap. 39. Habe ergo loco Publicani, & Ethnici eum, qui convictus eſt in maleficio, neque eum tamen pęnitet. Quem ſi poſteà errati pęnituerit, in Eccleſiam admittimus ad audiendum verbum, ſicut Ethnicos cùm Pęnitentiam agere, & converti volunt, licèt communionem cum his, donec ſigillo accepto perficiantur, non habeamus. Sic horum ſimilibus donec fructus Pęnitentiæ proferant in Eccleſiam ingredi permittimus, ne planè funditùs pereant. Non autem communionem in oratione habeant, quin potiùs exeant poſt Lectionem legit, & Prophetarum, & Evangelii, ut excundo vitam emendent, ac meliores fiant, dum ſtudent ire quotidie ad conventus Eccleſiaſticos, & precationi incumbere, ut & ipſi poſſint admitti, &c.* Ejectia igitur donec fructus Pęnitentiæ proferant, ut Ethnicis, Eccleſiæ ingreſſum permittebant, Prophetarumque, & Evangelii Auditionem, & eatenus ab Ethnico, & Publicano non diſtinguebant. Poſtquam autem eum conſpexerant aliquandiù ſynaxes frequentantem, & Pęnitentiæ fructus edentem, ſi intereà Pęnitentiam inſtanter flagitaret, ad Pęnitentiam ex Eccleſiæ præſcripto agendam admittebant, ut *cap. 41.* admonet, *Quòd ſi quis converſus Pęnitentiæ fructus ediderit, tunc ad orationem admittite, &c.* quomodo verò? paulò poſt explicat verbis ſuprà relatis, *manum imponent ei, ut per Pęnitentiam purgatum, &c.* Atque hinc eſt quòd *lib. 8. c. 5.* poſt Evangelii lectionem, & ſermonem exhortatorium ante preces omnes purgatorias, nulla impoſitione manuum adhibita exclamat Diaconus, *ne quis adſit Audientium, ne quis infidelium*, & poſteà ſilentio facto, oratio fit pro Catechumenis, deinde emittuntur ab Eccleſia. Hanc ſequitur oratio Energumenorum, quàm excipit Pęnitentium oratio, & manus impoſitio: Audientes enim illi non ſecus ac Publicani, Ethnici, & Judæi ab omni precum communicatione ſubmovebantur.

VII. Notandum obiter tum temporis commercium civile cum ejectis ab Eccleſia non fuiſſe fidelibus interdictum: Hoc enim diſertè ſancitur *c. 40. Cum iis igitur, quos propter peccata excommunicaſtis, habere & congreſſus, & convictum, curantes, conſolantes, fulcientes, illudque dicentes, invaleſcite remiſſæ manus, &c.* Id eſt apud antiquos illos vulgatiſſimum, ut docet lapſorum hiſtoria apud S. Cyprianum, qui licèt ad Eccleſiam non admitterentur, Martyres tamen ambibant, literas communicationis ab iis impetrabant, quodvis fideles, ut pro ipſis intercederent, exorabant, aduſque Eccleſiæ limina cùm iis miſcebantur. Immò tum temporis ni hoc feciſſent, ſeſeque ad Eccleſiæ limina cùm ſani erant, repræſentarent, illis ægrotis, tumque Pœnitentiam petentibus reconciliatio denegabatur. Illa omnis commercii civilis, & Eccleſiaſtici prohibitio ſpectabat tantùm hæreſiarchas, & quoſdam hæreticos, quibus præcipua cura erat fidelium ſubverſio. Id paucis verbis Tertullianus more ſolito conſideratè loquens nos docet *Apologet. cap. 39.* Explicat, quæ in Chriſtianorum ſynaxi fieri ſoleant, *Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & Cenſura divina. Nam, & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conſpectu, ſummumque futuri judicii præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis ſancti commercii relegetur.* Maxima igitur Eccleſiæ Cenſura, quæ peccatis magis inſligebatur, erat ab omni ſancti commercio, non civili relegatio. Atinter civilia commercia ſcripturarum, & ſermonum auditio cenſebatur, tantùm abeſt ut Pœnitentiæ loco imponeretur.

CAPUT III.

Idem ex canonibus Apoſtolicis colligitur. Propter quæ peccata Laici pęnitebant, Clerici deponebantur. Quadruplicem phraſim uſurpant, ut Cenſuras tam in Clericos quàm in Laicos latus explicent. ἀφορισμὸς in iis pro leviori, & graviori pęna Laicorum ſumitur. Quid ſit idem ἀφορισμὸς de Clericis dictus ante depoſitionem, cum depoſitione, & poſt depoſitionem.

IDem obſervatur in antiquiſſimis Apoſtolorum canonibus: triplex tantùm cenſuræ genus in iis legitur, quarum una ad Pęnitentiæ gradus, ſive ſtationes pertinere non poteſt; duæ verò aliæ uno nomine ſemper offeruntur. Cenſura quæ ad Pœnitentiæ ſtationes pertinere non poteſt, ea eſt, qua graviſſimorum peccatorum rei, vel minus gravium ſed contumaces, ab Eccleſia percelluntur, ab Eccleſia ſcilicet expulſio, cùm quis ab Eccleſia omninò abſcinditur, atque ut ait Tertullianus aufertur, & ejeratur. Ut *can. 50. Siquis Epiſcopus, Præsbyter, &c. à nuptiis, carnibus, & vino non propter exercitationem, ſed propter abominationem abſtinet, &c. Vel corrigatur, vel deponatur, & ex Eccleſia eiiciatur, ſimiliter & Laicus.* Duas alias Cenſuras verbo ἀφορίζειν complectuntur. Inſliguntur enim vel propter levia peccata, vel propter gravia. De utriſque tamen decernunt uno, & eodem modo, verboque, ἀφοριζέσθω, *ſegregetur*, vel ut Dionyſius exiguus interpretatur, *communione privetur*.

II. Antequam penitiùs iſta ſcrutemur, monendus eſt Lector hic nos tantùm agere de Laicorum Cenſuria: Alibi enim de antiqua Cenſurarum in Clericos praxi abundè diſſeruimus, toto ſcilicet Exercitationum noſtrarum Eccleſiaſticarum *libro ſecundo*. Unus rei tantùm Lectorem admonebimus, Clericos poſt depoſitionem non ſecus, ac Laicos fuiſſe à canonibus exceptos: Depoſitione enim ad Laicorum ſortem redigebantur, à qua non licebat ampliùs ad Clericalem regredi. Prætereà canones Apoſtolici utuntur dupliciter verbo τοῦ ἀφορίζεσθαι, cùm de Clericorum cenſuris verba faciunt; ante ſcilicet, & poſt depoſitionem, vel ſimul cum depoſitione. Ante depoſitionem id ſignificat, quòd nos vulgò ſuſpenſionem dicimus. Poſt depoſitionem à Laicorum ſegregatione non differt. Nam depoſitione Clericus fit ut Laicus, non ſecus ac nunc, qui ab omni ordine, & Clericatu eſt degradatus. Nonnunquam tantùm erat crimen, ut ſimul, & ſemel deponeretur, & ſegregaretur. Hæc obiter monuiſſe ſufficiat. Nunc ad rem propriùs accedamus. Sciendum eſt, ea peccata, propter quæ Laici ad Pœnitentiam damnabantur, Clericos ad depoſitionem adegiſſe. Ratio eſt, quòd ſi Clerici ad Pœnitentiam propter ea peccata damnati fuiſſent, bis in idem peccatum vindicatum fuiſſet, depoſitione ſcilicet, & Pœnitentia: Nam exploratum erat apud eos, Clericum Pœnitentiam ſubire non poſſe. Ut igitur Pœnitentiæ, hoc eſt, ſubſtrationi ſubiiceretur, priùs erat deponendus, hoc eſt, ut nunc loqueremur, ab omni ordine, & Clericatu degradandus.

III. Iſta genio noſtro non confingimus; diſertè hujus rei nos admonent canones ipſi Apoſtolici *cap. 24. Epiſcopus, vel Præsbyter, vel Diaconus, fornicationis, vel perjurii, vel furti convictus, deponatur, & non ſegregetur*, καὶ μὴ ἀφοριζέσθω: *dicit enim ſcriptura, non vindicabis bis in idipſum, ſimiliter reliqui quoque Clerici.* Sic & Sanctus Baſilius *cap. 32.* qui alio loquendi modo, ſed æquipollente, explicat iſtud, καὶ μὴ ἀφοριζέσθω. *Qui peccatum ad mortem peccant Clerici de gradu quidem deiiciuntur, à Laicorum autem communione non arcentur. Non enim vindicabis bis in idipſum.* Legendus eſt Lectori canon tertius ejuſdem ſancti, in quo canon Apoſtolicus refertur, & præcedente allata ratione redditur ſecunda, *& etiam propter aliam cauſam, quòd qui ſunt quidem in ordine Laico, à loco fidelium electi, rurſus in eum, ex quo ceciderunt, locum recipiuntur. Diaconus verò ſemel habet quòd ſufficiat depoſitionis Judicium. Tanquam ergo ei non reddendo Diaconatu in ea ſola punitione ſteterunt.* Eadem ratio de cæteris ordinibus, licèt eo canone de ſolis Diaconis diſſerendi occaſio daretur. Ideò dicit Sanctus Auguſtinus *cap. 80.* Enchiridii, Nonnulla crimina in tam apertam conſuetudinem, *Ut pro his non ſolùm excommunicare aliquem Laicum non audeamus, ſed nec Clericum degradare.* Propter quæ enim crimina excommunicabatur, ſive ad humilem Pœnitentiam adigebatur Laicus, propter eadem deponebatur Laicus.

IV. In illis Cenſuris Apoſtolicis nobis potiſſimùm inquirendum

rendum eſt, qualis fuerit utraque illa ſegregatio. Nam in illis canonibus nulla fit unquam mentio alicujus è quatuor ſtationum Pœnitentiæ. Ante omnia advertendum eſt, canones illos, quadruplici loquendi genere Pœnas, ſive Laicis, ſive Clericis inflictas, exprimere. Primum τῷ *ἀφορίζεσθαι*, quòd tam de Clericis, quàm de Laicis ſenſu jam expoſito uſurpatur: Secundum *καθαιρεῖσθαι*, deponi, quod Clericorum proprium eſt, tertium *ἀφορίζεσθαι καὶ καθαιρεῖσθαι*, quod iterum ad ſolos Clericos ſpectat. Quartum *τῆς ἐκκλησίας ἀποβάλλεσθαι*, ab Eccleſia eiici. Duobus aliis utuntur, *c.13. εἰ δὲ ἀφωρισμένος εἴη, ἐπιτεινέσθω αὐτῷ ὁ ἀφορισμός. Si ſegregatus eſt, ejus intendatur ſegregatio*. Dionyſius interpretatur, *proteletur*, hoc eſt, extendatur: quidquid ſit, hoc nihil eſt aliud quàm prior Cenſura propter novum peccatum, ut ajunt, aggravata. Idem eſt de hac pronuotiandi formula, *ἔστω παντάπασιν ἐκκοπτέσθω τῆς ἐκκλησίας, ab Eccleſia penitus abſcindatur, can.27.* 28. Nihil eſt hoc aliud quàm id quòd paulò ante dictum, eiiciatur ab Eccleſia, niſi quòd forſan iſtud *παντάπασιν omnino*, aliquid ſuperaddit. Aliquid autem ſuperaddere, probabile facit, quod additur *cap.28. Ut Simon Magus à me Petro*, Omnimoda igitur illa ab Eccleſia, & communione abſciſſio omnem commercii, etiam civilis communionem excludit. Hæc ſunt omnia, quibus pœnæ ab Apoſtolis, & eorum proximis ſucceſſoribus peccatis inflictæ ſignificantur: ex quibus quinque pœnarum genera in univerſum colliguntur, quorum duo ad Laicos pertinent, duo ad Clericos; quintum utriſque commune eſt, ab Eccleſia ſcilicet, eiici, abſcindi, ejerari. Quid autem hoc ſit, facilè eſt unicuique intelligere; ſimul etiam unicuique perſpectum eſt, ad Pœnitentiæ ſtationes ejerationem illam non pertinere. Itaque nobis tantum ſupereſt in canonibus illis *τοῦ ἀφορισμοῦ*, ſegregationis, quam communionis privationem vocat Dionyſius, explicatio. Tripliciter in iis ſumitur, pro leviore, & graviore Laicorum pœna; & pro Clericorum ſuſpenſione. Quanquam duæ priores tantùm noſtri ſint inſtituti, ex earum tamen demonſtratione tertia conſurget.

V. Nihil legitur in canonibus illis ſpeciale, quo qualis ſit prior ſegregatio, quibus circunſtantiis à poſteriore diſtinguatur, ediſſeri poſſit: Nihil enim aliud dicitur quàm, *ſegregetur, ἀφοριζέσθω*. Quocirca id ex gravitate peccatorum, atque ex uſu illius temporis colligendum eſt. Primum iſtud, *ſegregetur*, de leviori pœna in canonibus illis uſurpari variis rationibus demonſtrabimus.

VI. Prima petitur à levitate peccati, quòd ibidem ſegregatione, ſeu *ἀφορισμῷ* mulctatur, ut *cap.9. Quicunque fideles ingrediuntur, & ſcripturas audiunt, in precatione autem, & ſacra communione non permanent, ut Eccleſiæ confuſionem afferentes ſegregari oportet*. Et *can.10. Si quis cum excommunicata, vel in domo una precatus fuerit, is ſegregetur*. Similia leget *cap.12.13.43.* Hæc peccata, cùm ſint levia gravi pœna fuiſſe caſtigata eſt improbabile, *ἀφορισμῷ* tamen puniuntur. Ergo *ἀφορισμὸς*, ille, ſeu ſegregatio levioris Cenſuræ genus eſt.

VII. Secunda ratio petitur à comparatione ſegregationis Clericalis ab officio, & ſegregationis Laicalis à communione. Segregationis enim pœna Clericis inflicta levioris Cenſuræ genus eſt, & *καθαιρέσει*, non modo minor, ſed alterius ſpeciei, ut potè quæ nihil ſit aliud quàm ſuſpenſio. Sed idem peccatum in Clericis *ἀφορισμῷ* caſtigatur, hoc eſt, ſuſpenſione ab officio, & in Laicis *ἀφορισμῷ* quoque. Ergo ſegregatio illa levioris Cenſuræ ſpecies eſt. *Can.3. Hypodiaconus, vel Lector, vel Cantor ſimilia faciens vel ceſſet, vel ſegregetur, ἢ ἀφοριζέσθω. Itidem & Laicus*. Similiter *can.57. Si quis Clericus claudum, vel ſurdum, vel eum, cui vitioſus eſt inceſſus, irriſerit, ἀφοριζέσθω, ſegregetur. Similiter & Laicus*.

VIII. Tertia ratio præcedentem validè confirmat. Ex iis canonibus colligitur, qui uno, & eodem canone Clericorum peccatum leviùs *ἀφορισμῷ* afficiunt, graviùs verò *καθαιρέσει*. Hinc enim evidenter ſequitur, quum peccata Clericorum *ἀφορισμῷ* caſtigantur, in eos levi Cenſura animadverti; multò ſanè magis id in Laicis obſervabitur. Can.5. ſic decernitur, *Epiſcopus, vel Præsbyter, vel Diaconus uxorem ſuam ne eiiciat prætextu religionis: Sin autem ejecerit, ſegregetur, & ſi perſeveret, deponatur*. Similiter *cap.4. Epiſcopus, vel Preſbyter, vel Diaconus, qui cum hæreticis, vel ſolùm comprecatus eſt, ſegregetur. Sin autem eis tanquam Clericis aliquid operari permiſerit, deponatur*. Vide quoque *canones* 58. 59. nec non *canon.29. Si quis Epiſcopus ſecularibus principibus uſus per eos Eccleſiam adeptus ſit, deponatur, & ſegregentur omnes, qui illi communicant*. Ita legebat Dionyſius exiguus. Ex his canonibus manifeſtiſſimum eſt, ſegregationem depoſitione multò eſſe leviorem pœnam. At propter gravia peccata deponuntur Clerici, ut præterea edicitur *c.24.* Ergo propter levia ſegregantur. Quum igitur propter eadem peccata Laici ſegregatione puniuntur, potiori ratione Cenſura levior erit intelligenda. Denique id demonſtrat ratio ipſa, uſus Eccleſiæ perpetuus, & Conſtitutiones Apoſtolicæ, quæ toties mandant pœnam pro ratione culpæ imponendam, canones demum ipſi præſertim vigeſimus quartus, levioribus peccatis leviores pœnas eſſe infligendas. Quum igitur leviora peccata juxta canones Apoſtolicos *ἀφορισμῷ* puniantur, *ἀφορισμὸς* leviorem pœnam ſignificare neceſſe eſt.

IX. Verùm nunc quæritur, quodnam levioris pœnæ genus ſit illa ſegregatio, atque in quo conſiſtat. Ex uſu perpetuò Eccleſiæ nulla alia eſſe poteſt, quàm communionis Euchariſtiæ ad tempus aliquod privatio, ſive quòd idem eſt, communio ſine oblatione, ſive denique quod æquipollet, ſolius orationis cùm fidelibus communio. Hæc eſt minima Eccleſiæ Cenſura, quæ levioribus infligebatur peccatis, quam canones illi per τὸ *ἀφορίζεσθαι* intelligunt, quæque pro ratione peccatorum *ἐπιτιμίων*, ut loquuntur *cap.12. extendebatur*: ideò hanc Cenſuram rectè eodem canone vocat Dionyſius correptionem, ut eam etiam vocat nonnunquam Concilium Eliberitanum. Confirmatur hoc ex *canone* 78. qui ſic ſe habet, *Si quis Dæmonem habeat, ne fiat Clericus, ſed neque cum fidelibus precetur*. Cùm fidelibus precari dicebantur, qui communione Euchariſtica privabantur quidem, ſed Sacrificio intererant, licèt de eo edendi jus non haberent. Energumeni autem neutro jure potiebantur, nec edendi, nec precibus, ſive Sacrificio Miſſæ adſiſtendi, ſed ante illas inchoatas poſt Cathecumenorum expulſionem expellebantur & ipſi, ut infrà explicabimus, & diſertiſſimè hæc omnia ordine explicat Sanctus Clemens *lib.8. Conſtit. cap.6. & 7.* Explicatur ergo *canone* illo 78. quæ ſit levior ſegregatio, cùm in cæteris aliis canonibus, ut omnibus nota, ſolo ſemper nomine enuntietur.

X. Secundò nobis demonſtrandum eſt, quænam ſit in iiſdem canonibus ſecunda illa ſegregationis ſpecies præcedente gravior. Ex eodem *canon.*78. id colligitur, fidelium ſcilicet precibus, & Sacrificio communicandi jus non habere, & Pœnitentibus publicis conſequenter adnumerari. Chriſtianum enim eſſe, & expelli ab Eccleſia, cùm preces fiunt, & Sacrificium celebratur, nihil eſt aliud quàm ad Pænitentiam redigi. Tertius enim gradus Pœnitentiæ, ſeu ſubſtratio erat eorum, qui precibus non communicabant. Quartus verò, ſeu conſiſtentia erat eorum, qui precibus communicabant, ſed jus participandi Corporis Chriſti erat illis ablatum. Duplicis tantùm iſtius ſegregationis mentionem faciunt canones Apoſtolici. Quapropter verum eſt id, quod initio diximus, primam, & ſecundam Pœnitentiæ ſtationem in iis canonibus non commemorari, ſed tertiam tantùm, & quartam, licèt harum nulla propriis nominibus, & artificioſis, quæ poſteà invaluerunt, appelletur. Poſteriorem autem illam ſegregationem, quæ ſtationi tertiæ reſpondet, fuiſſe priore multò ſeveriorem præter canonem jam allatum res ipſa demonſtrat. Gravioribus enim peccatis, iis præſertim, quæ gravitate ſceleris leviora multùm antecedunt, aliud pœnæ genus, & longè graviùs deberi dictat naturale lumen. Id autem in praxi paſſim videre eſt in illis canonibus, ubi propter idem peccatum deponuntur Clerici, & *ἀφορίζονται*, *ſegregantur* Laici, ut *cap.31.63.66.69.70.* Segregatio igitur illa alterius eſt generis à præcedente, ut *ἀφορισμὸς*, qui Clericos reſpicit, & præcedenti Laicorum *ἀφορισμῷ* reſpondet, alterius eſt generis à *καθαιρέσει*, quæ ſecundo Laicorum *ἀφορισμῷ* eſt analoga. Idem denique demonſtrant, quæ ex S. Clemente retulimus cum Apoſtolicis canonibus comparata.

CAPUT IV.

Idem ex Tertulliano probatur. Alii ſunt Audientes Græcis, alii Latinis.

ANtiqui quoque Latini fletum, & Auditionem, ut Pœnitentiæ gradus, vel ſtationes ab Eccleſia impoſitas non agnoverunt. Nihil apud eos legere eſt præter illas duas *ἀφορισμοῦ* ſpecies ex canonibus Apoſtolicis enarratas, quas tamen aliis verbis enuntiant. Quod ad quatuor illa verba artificialia, ut ita loquar, attinet, Fletum, Auditionem, Subſtrationem, & Conſiſtentiam, altiſſimum eſt apud eos ſilentium, quamquam ea, quæ duobus poſtremis conveniunt, uſurpave-

paverint, remque ipſam tenuerint, & exercuerint, Tertullianus librum ad Pęnitentiam exhortatorium ſcripſit, omiſſiſque fletu, & Auditione ſolius Pœnitentiæ, qua cum Subſtratione Græcorum convenit, meminit: cætera omnia videtur ignoraſſe, licèt ſæpius Pœnitentiam inculcet, & deſcribat. *Hujus igitur Pœnitentiæ*, inquit, *c.9. Secundæ, & unius quanta in arto negotium eſt, tanto operoſior probatio eſt, ut non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur. Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologeſis eſt*, quàm paulo poſt ſic definit, *Exomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ illicem. De ipſo quoque habitu, atque victu mandat ſacco, & cineri incubare, &c.* Quæ perſequitur. Quæcunque de Pœnitentia ſcribit eo libro ad ejuſmodi Pœnitentiam referuntur, ut verba initio allata, *Pœnitentiam ſecundæ, & unius.* Unam dicit, eo quod Pœnitentia illa publica nunquam reiteretur. Secundam verò, eo quòd multis anteà docuerat, baptiſmum primam eſſe Pœnitentiam. Sic verba ſequentia, *Pleroſque tamen hoc opus, ut publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre, &c.* Sic & cætera, de Pęnitentibus ſubſtratis, qui verè Pęnitentes ſunt, neceſſariò intelliguntur. Nihil verò deprehenditur toto illo tractatu, quòd ad fletum, aut Auditionem referri poſſit.

II. Notandum verò antiquis illis temporibus audientium nomine, aliud omninò intelligi apud Latinos, apud Græcos, & Orientales. Apud Græcos enim, ut ex ſæpius dicendis conſtabit, audientes ſunt quilibet homines, qui in Eccleſiæ veſtibulo, & limine verbi divini audiendi cauſa ſubſiſtebant, inter quos erant, poſtquam auditio facta eſt ſtatio Pœnitentiæ, ii, qui ut Pęnitentiæ ſtadium decurrerent, illuc miſſi fuerant. Sed Tertulliano, & S. Cypriano audientes ſunt Catechumeni, Baptizatiſque opponuntur. Multa verba de iis facit Tertullianus. *Nemo ſibi aduletur, quia inter Auditorum Tyrocinia deputatur, quaſi eo etiam nunc ſibi delinquere liceat*: Et paulò poſt, *Aut alius eſt intinctis Chriſtus, alius Audientibus, &c. Hæc prima Audientis intinctio eſt metus integer, &c. Itaque Audientes optare intinctionem oportet, non præſumere*. Ibidem eos novitiolos vocat, catulos infantiæ adhuc recentis, nec perfectis luminibus incerta reptantes, qui incipiunt divinis ſermonibus aures rigare. Similiter Sanctus Cyprianus *Epiſt.* 13. *Audientibus etiam ſi qui fuerint periculo præventi, & in exitu conſtituti, vigilantia veſtra non deſit, implorantibus divinam gratiam miſericordia Domini non deſit.* Catechumenis ægrotantibus baptiſmum vult conferri, ut & lapſis, qui à Martyribus libellos acceperint, reconciliationem: *Epiſt.* 24. *Optatum inter Lectores Doctorem Audientium conſtituimus.* Audientes igitur ſunt Catechumeni, quorum inſtitutionem in fide Eccleſia habet commendatiſſimam. Clemens, Pantænus, & Origenes hoc munus Alexandriæ ſucceſſivè exercuerunt, viri dum viverent celeberrimi. Ii erant tum temporis in Eccleſia Latina Audientes.

III. Tum erat tamen tum temporis in Eccleſia Latina inuſitatum Catechumeni nomen, Tertullianus enim *cap.* 41. de Præſcriptionibus nullam eſſe diſciplinam apud Hæreticos, ſed apud eos omnia perturbari contendens, ita ſcribit, *In primis quis Catechumenus, qui fidelis incertum eſt: pariter audiunt, pariter orant: Etiam Ethnici ſupervenerint, &c.* Et paulò poſt, *ante ſunt perfecti Catechumeni quàm edocti.* Catechumenos iterum commemorat *cap.* 2. *de corona militis.* Clerus quoque Romanus ſcribens ad Clerum Carthagin. *Epiſt.* 3. inter *Epiſt.* Cypriani, *Sed & Catechumeni adprehenſi in infirmitate, decepti eſſe non debebunt, ut eis ſubveniatur.* Catechumenos animam agentes baptizari jubet, quòd ſupra de Audientibus à Sancto Cypriano dictum legimus. Ex his manifeſtum eſt, Auditionis ſtationem Latinis, non ſecus ac Græcis fuiſſe incognitam.

IV. In Libro de Pęnitentia nullam deprehendo Conſiſtentiæ, ſive ſimplicis à communione Euchariſtica privationis mentionem. Ratio eſt in promptu. Cum enim liber ille ſit pareneticus ad rigidam illam Pęnitentiam, quæ, ut loquitur, temporali afflictatione æterna ſupplicia non modò fruſtratur, ſed expungit, levis illa Cenſura propoſito ipſius non conducebat. Illam tamen evidenter innuit in loco Apolog. *cap.* 39. jam citato, *Summum futuri Judicii præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis ſancti commercii relegetur*. Ergo quidam à communicatione orationis non arcebantur, cujus communicationis participatio Conſiſtentiam conſtituebat. Itaque eo teſtimonio tria, quæ jam ſæpius adnotavimus non obſcurè continentur, Expulſio ab Eccleſia, quæ toto teſtimonio deſcribitur. Actus Exomologeſis his verbis, *relegatio ab orationis communicatione, & conventu*. Expellebantur enim à conventu Pœnitentes, cùm fidelium orationes inchoandæ erant. Denique relegatio à communicatione orationis, dicit neceſſariò orationis communicationem, quæ cùm ab Euchariſtiæ participandæ jure ſeparatur, leviorem Eccleſiæ Cenſuram conſtituit.

V. Idem quoque non inevidenter colligitur ex *cap.* 41. *de præſcript.* ubi Hæreticos arguit perturbationis diſciplinæ Eccleſiaſticæ; *Imprimis quis Catechumenus, quis fidelis incertum eſt: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant. Etiam Ethnici ſi ſupervenerint, ſanctum canibus, & porcis margaritas, licèt non veras, jactabunt.* Reprehendit eos, quòd pariter adeant, Catechumeni, & fideles, hoc eſt, in Eccleſiam promiſcuè, cùm fidelibus ſeſe inſinuent, cùm ſtare debeant Cathecumeni loco ab altari longè remotiore. Pariter audiunt, loco ſcilicet eodem, & nulla cùm diſtinctione. Pariter orant, quòd gravius eſt, orant quidem fideles cùm Catechumenis, ſeu potiùs pro Catechumenis: ſed Catechumenos cum fidelibus orare, omnis diſciplinæ everſio eſt. Quæ autem de Catechumenis dicit, de Pęnitentibus etiam intelligenda ſunt, quum ſemper Pœnitentes hac in cauſa Catechumenis canones conjungant. Verum ii, qui leviter peccaverant, & rigidæ Pęnitentiæ, quæ toties à Tertulliano lugubre deſcribitur, ſubjici non meruerant, pariter adibant, pariter audiebant, pariter orabant, ſed Euchariſtiam medicam, ut alibi loquitur Tertullianus, modica interveniente culpa, non pariter ſumebant.

CAPUT V.

Idem ex Concilio Eliberitano demonſtratur. Impoſitio levioris pœnæ ab impoſitione Pęnitentiæ diſtinguitur. Priorem quilibet Præsbyter imponere poteſt, poſteriorem ſolus Epiſcopus.

Tertullianus ſequitur Concilium Eliberitanum, ſed Sanctum Cyprianum mea quidem ſententia antecedit, ut multis infrà demonſtrabitur. Dico igitur in canonibus Eliberitanis, qui plurimi ſunt, tria tantùm pęnarum genera ſuperiùs enumerata commemorari, quorum duo tantùm ad Pęnitentiæ ſtationes ſpectant, quæ canones illis verbis ita circumſcribunt, ut non omninò obſcurè, qualia ſint, perſpiciatur.

II. Graviſſima pœna, ſed quæ, ut jam ſæpius dictum, ad Pœnitentiæ ſtationes non pertinet, eſt ab Eccleſia ejectio, qua puniuntur quædam peccata *cap.* 20. 41. 49. 62. *Canone* 46. aliquid ſpeciale additur, *Si quis poſt interdictum facere uſurpaverit, penitus ab Eccleſia abjiciatur.* Simile quid ſupra in Canonibus Apoſtolicis obſervatum eſt, *cap.* 27. 28. *penitus abſcindatur*, quod tum de omni commercio tam Sancto, quàm civili interpretati ſumus. Sed hic forſan ulteriùs erit progrediendum, ut ſcilicet illi, qui peccatum, de quo agitur, iteratò commiſerunt, in Eccleſiam ampliùs non ſint recipiendi. Huic interpretationi duo favent: Priùs, ſæpiſſimè Patres iſtis communionem in fine denegare. Poſteriùs, communionem ſpecialiter illis denegare, qui crimen ſecundò perpetrarunt, licèt crimen aliàs remiſſibile exiſtiment. Quid igitur prohibet per hæc verba, *penitus abjici*, intelligere, ut omnis ad Eccleſiam reverſionis ſpes fruſtrà ſit.

III. Subſtratio, ſive locus, atque etiam tempus veræ Pęnitentiæ agendæ, ſæpè definitur illis canonibus, ut *can.* 3. *Flamines, qui non immolaverint, ſed munus tantùm dederint, eo quòd ſe à funeſtis abſtinuerunt ſacrificiis, placuit in fine eis præſtari communionem, acta tamen legitima Pęnitentia.* *Canone* quoque 31. Jubetur legitimam agere Pęnitentiam nulla ſimiliter addita temporis circumſtantia, & *can.* 5. *Si qua domina furore zeli accenſa flagris verberaverit ancillam ſuam, ita ut in tertium diem animam cum cruciatu effundat, eo quòd incertum ſit, voluntate an caſu occiderit, ſi voluntate poſt ſeptem annos; ſi caſu poſt quinquennii tempora, acta legitima Pęnitentia ad communionem placuit admitti.* Similes pęnæ criminibus decernuntur, *can.* 14. *can.* 64. 72. 76. Aliquando non additur Pęnitentiæ, Epithetum legitimæ, idem tamen eſt ſenſus. Abſurdiſſimum enim eſſet aliquem ex Eccleſiæ præſcripto Pęnitentiam agere illegitimam. Si dicas non agere quidem Pęnitentiam illegitimam, ſed tamen non integram, ſive tempus reſpicias, ſive modum agendi. Reſpondeo canones huic objectioni contradicere, *canon.* 22. *Si quis de Catholica ad hæreſim tranſitum fecerit, rurſuſque recurrerit, placuit huic Pęnitentiam non*

eſſe

eſſe denegandam, eo quod cognoverit peccatum ſuum. Qui etiam decem annis agit Pœnitentiam; cui poſt decem annos præſtari communio debet, Et *can.59. Prohibendum, ne quis Chriſtianus, ut Gentilis, ad idolum Capitolii, cauſa ſacrificandi aſcendat, & videat. Quòd ſi fecerit, pari crimine teneatur. Si fuerit fidelis, poſt decem annos acta pœnitentia recipiatur*. Clarum eſt, tam ex crimine, quàm ex diuturnitate pœnæ idem eſſe acta Pœnitentia recipiatur, ac ſi legitima additum fuiſſet. Idem colligitur ex *can.69.* Legitima ergo Pœnitentia ea eſt, quæ fit juxtà uſum, ceremonias, rigidas auſteritates, aliaſque obſervationes Eccleſiaſticas, quas canones antiqui nunquam definiunt, quia qualiter eſſet agenda ex praxi ſatis conſtabant. Id etiam raró definit Sanctus Cyprianus, agat pęnitentiam, vel legitimam, vel plenam, vel veram, dixiſſe contentus.

IV. Præter ſtationem illam Pœnitentiæ, alterius cenſuræ meminit ob leviora peccata inflictæ, quam canones illi his verbis exprimunt *can.21. Si quis in civitate poſitus, tres Dominicas ad Eccleſiam non acceſſerit, pauco tempore abſtineat, ut correptus eſſe videatur*. Et *can. 50. Si verò quis Clericus, vel fidelis cum Judæis cibum ſumpſerit, placuit eum à communione abſtinere, ut debeat emendari*, *can.79. Si quis fidelis alea, id eſt, tabula luſerit, placuit eum abſtineri. Et ſi emendatus ceſſaverit, poſt annum poterit reconciliari communioni*. Aliquando gravior infligitur: Abſtinentur enim triennii tempore Parentes, qui ſponſaliorum fidem fregerint *can.54.* ſic *can.57. Matronæ, vel earum mariti, ut veſtimenta ſua ad ornandam ſeculariter pompam non dent, & ſi fecerint, triennio abſtineantur*. Eadem tamen cenſura, quæ in præcedentibus canonibus, quia & eodem verbo abſtinendi enuntiatur, & Pœnitentiæ nomen abeſt; diuturnitate tantùm temporis ab ea differt.

V. Rogabis, in quo conſiſtit illa cenſura? in ſola communionis Euchariſticæ privatione, ut nonnulli canones citati diſertè explicant. Nulla opera laborioſa ejuſmodi abſtinentia imponebantur; ſaltem nulla unquam eorum in eo gradu fit mentio, nec in his, nec in aliis canonibus, aut ullis antiquorum Patrum teſtimoniis. Ideò ejuſmodi hominibus Pœnitentia propter hanc communionis privationem non dicitur imponi, immò nonnunquam id negatur, ut *can.14. Virgines, quæ virginitatem ſuam non cuſtodierint, ſi eoſdem, qui eas violaverint, duxerint, & tenuerint maritos, eo quòd ſolas nuptias violaverint poſt annum ſine Pœnitentia reconciliari debebunt*. Ad Pęnitentiam anteà damnari ſolebant, quòd prohibet canon, ſed jubet ſola communionis privatione mulctari. Addit quidem, *Si alios cognoverint viros, eo quod mœchatæ ſint, placuit per quinquennii tempora, acta legitima Pęnitentia, admitti eas ad communionem oportere*. Ubi manifeſtum eſt, gravia peccata mulctari pœnitentia, non autem levia. Ita *can.74. Falſus teſtis prout crimen eſt, abſtinebitur; ſi tamen non fuerit mortis quod objecit*. Si enim mortis fuiſſet, ad exitum uſque vitæ à communione arcebatur. Ut edicitur *can.4.* Arelat. Concil. 1. & c. Elib.78. *Si quis fidelis habens uxorem cum Judæa, vel Gentili fuerit mœchatus, à communione arceatur. Quòd ſi alius eum detexerit, poſt quinquennium, acta legitima Pęnitentia, poterit Dominicæ ſociari communioni*. Fortaſſe legendum, *Si quis fidelis non habens*, &c. Quidquid ſit, grave crimen pęnitentia punit, levius abſtentu. Exploratum enim eſt, peccata, quæ quis alius detexerit multò graviùs ſemper punita fuiſſe, quàm ſi conſcius ea detexiſſet. Ideò ſe accuſantem communione ſola privat, ab alio verò accuſatum, & convictum longa pœnitentia mulctat.

VI. Aliud diſcrimen inter utramque cenſuram maximè notandum conſtituunt iidem canones, hoc nempè. Gravior illa cenſura ab Epiſcopo tantùm infligi poterant, levior à Pręsbytero, ſic *c.32. Apud Præsbyterum, ſi quis gravi lapſu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere, ſed potiùs apud Epiſcopum*. Cenſuram mortali peccato inflictam Pęnitentiam vocat, vel ſaltem propter cenſuram illam Pœnitentiam agi jubet. Propter aliam leviori ſcilicet peccato infligi ſolitam Pœnitentia propriè non agebatur, quum eſſet ſimplex Juris Euchariſtiæ percipiendæ ſuſpenſio, quæ à Præsbytero inconſulto Epiſcopo indici poterat. Hęc omnia clariora evadent, quum infrà ſigillatim, quid in unaquaque ſtatione fieret, explicabimus. Ex iiſdem canonibus alia quæſtio oritur, Quid ſit nec in fine communionem accipere, qua explicata aliæ exoriuntur, quomodo erga ejuſmodi homines ſe gerebat Eccleſia; An in limine Eccleſiæ ſubſiſtebant, an in eam ingredi fas eſſet, & aliæ nonnullæ, quæ infrà commodiùs diſputabuntur.

CAPUT VI.

Idem ex Sancto Cypriano. Quid apud eum crimina minora, & extrema; In Deum, & hominem. Quid agere Pœnitentiam.

TErtiæ Pœnitentium ſtationis, quam Græcis ſubſtrationem dici ſæpè monuimus, mentio frequentiſſima eſt apud Sanctum Cyprianum; Auditionis verò nunquam, ſed ut adnotavimus, Audientium tantùm, non quà Pœnitentes ſignificant, ſed ſolùm quà Catechumenos. Fletus quoque nunquam meminit, ut ſtatio quædam eſt, & Pęnitentiæ gradus ab Eccleſiæ impoſitus. Flentium quidem, & lachrymantium nonnunquam meminit, ſed vel flentium in poſtulatione Pœnitentiæ, ut eam ſcilicet impetrarent, & æſtimato tempore illius ſtadium decurrerent; vel flentium in ipſo Pęnitentiæ ſtadio jam decertantium. *Epiſt.* 10. & ſequentibus graviter invehitur in eos, qui ante Pęnitentiam actam lapſis, hoc eſt, iis, qui idolis ſacrificaverant, communicationem concedebant. *Nam*, inquit, *cùm in minoribus peccatis agant peccatores Pœnitentiam juſto tempore, & ſecundùm diſciplinæ ordinem ad Exomologeſim veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi, & Cleri jus communicationis accipiant, nunc crudo tempore*, &c. *nondum pœnitentiæ acta, nondum Exomologeſi facta, nondum manu eis ab Epiſcopo, & Clero impoſita, Euchariſtia illis datur*, &c. Eadem & iiſdem ferè verbis repetuntur *Epiſt.* 11. & 12. Necnon in libello de lapſis circa medium, additurque *Epiſt.*12. *Et Exomologeſis fiat inſpecta vita ejus, qui agit pœnitentiam*: Pęnitentia enim illa rigidè juxtà canones, & conſuetudinem libratis actionibus imponebatur. Unde Sanctus Cyprianus *Epiſt.* 11. Martyres, & Confeſſores monet antequam literas ſuas lapſis concedant, *Utpotè amici Domini, & cum illo poſtmodum judicaturi, inſpiciant & actum, & opera, & merita ſingulorum; ipſorum quoque delictorum genera, & qualitates cogitent.*

II. Vim fortè faciet aliquis in verbis iſtis, *cùm in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam juſto tempore*, &c. Ut probet rigidam illam Pęnitentiam de levioribus, & venialibus agi peccatis. Sed Cypriani ex aliis locis mens clara eſt, quam breviter explicabo. Diſtinguit peccata gravia, ſive ſcelera in ea, quæ committuntur in Deum, & quæ committuntur in fratrem, ſive hominem: ita etiam ſæpè Tertullianus *lib. de pœnitentia, & de pudicitia*. Peccata in Deum ſunt Idololatria, blaſphemia, Apoſtaſia, & ſimilia: Peccata in fratrem, homicidium, furtum, &c. Peccata in Deum omnium cenſentur graviſſima, quorum reſpectu peccata in fratrem vocat Sanctus Cyprianus minora peccata: Agit enim Sanctus Cyprianus in Epiſtolis adversùs eos, qui idolis ſacrificaverant, & argumento à minori ad majus probat idololatras illos, atque ut ipſe ex tum vulgato loquendi modo loqui amat, ſacrificatos, multò magis juſto tempore, & ſecundùm ordinem diſciplinæ ad pęnitentiam agendam obligari. Itaque peccata illa minora cum iis, quæ venialia dicimus, nihil præter nomen habent affine. Cętera teſtimonia omittam, hoc tantùm ex *Epiſtola* 12. referam, quòd ea, quæ dicimus, evidenter comprobat, *Nam cùm in minoribus delictis, quæ non in Dominum committuntur, pœnitentia agatur juſto tempore, & exomologeſis fiat inſpecta vita ejus, qui agit pœnitentiam*, &c. *Quanto magis in his graviſſimis, & extremis delictis cautè omnia, & moderatè ſecundùm diſciplinam Domini obſervari oportet*. Similiter *Epiſtola* 10. pauló ante verba hinc excerpta, lapſorum peccatum vocat ſummum delictum; Et *Epiſt.*11. graviſſimum, & extremum delictum.

III. Quid verò ſit Sancto Cypriano agere pęnitentiam multis locis ab eo explicatur, *Epiſt.*25. quæ eſt Confeſſorum in carcere ad Sanctum Cyprianum, *In ſecretis cordis fidelis novellandus, & conſecrandus eſt animus, crebri pœnitentium gemitus audiantur; & iterùm fideles ex oculis lachrymæ profundantur; ut illi ipſi oculi, qui mali ſimulacra conſpexerunt, quæ inlicita commiſerant, ſatisfacientibus Deo fletibus deleant*. Multa in eandem rem antecedunt, & conſequuntur. Conſimilia leguntur *Epiſt.* 30. quæ eſt Cleri Romani ad Sanctum Cyprianum; & 31. quæ eſt ejuſdem Cleri ad eundem. *Non ſit minor medicina, quàm vulnus eſt, non ſint minora remedia quàm funera*, &c. Quæ pluribus ſequuntur. Sed hac in cauſa finis libelli de lapſis potiſſimum legendus. *Quàm magna deliquimus tam granditer defleamus; Alto vulneri diligens, & longa medicina non deſit: pœnitentia crimine minor non ſit. Putaſne Dominum citò poſſe placari, quem verbis perfidis abnuiſti, cui patrimonium præponere maluiſti,* cu-

cujus templum ſacrilega contagione violaſti? Putas facilè eum miſereri tui, quem tuum non eſſe dixiſti? Orare oportet impenſiùs, & rogare, diem luctu tranſigere, vigiliis noctes, ac fletibus ducere, tempus omne lacrymoſis lamentationibus occupare, ſtratos ſolo adhærere cineri, in cilicio, & ſordibus volutari, &c. Poſt diaboli cibum malle jejunium, juſtis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, &c.

IV. Ex his Sancti Cypriani, Cleri Rom. atque etiam Tertulliani teſtimoniis facilè colligit lector, quæ fuerit tum temporis Pœnitentiæ in Eccleſia Occidentali agendæ ratio moduſque; & conſequenter quomodo, & quibus actibus Pœnitentia legitima, cujus toties in Concilio Eliberitano fit mentio, fieri debeat. Eſt enim penitus à ratione alienum Bæticæ Hiſpanorum Provinciæ Epiſcopos ab Eccleſia Romana, ab Italis, ab Africanis diſſenſiſſe. Si diſcrimen aliquod ſtatuendum eſt in eo tantùm fuit, quod Romanis, Italis, & Africanis multò rigidiores fuerunt Eliberitani Patres: rigidiſſimos enim fuiſſe omnibus notum eſt. Notare velim lectotem Cypriani verba proximè citata, *ſtratos ſolo adhærere cineri, in cilicio, & ſordibus volutari*, quibus ſimilia leguntur *Epiſt.* 20. *Cùm ergo abluerint omne delictum, & maculam primam aſſiſtente ſibi Domino, poſteriore virtute deleverint, jacere ultrà ſub diabolo quaſi proſtrati non debent.* De iis verba facit, qui tormentis victi ceciderant, & poſteà reſurrexerunt, & exilium, bonorumque ſpoliationem perpeſſi fuerant. Scribit igitur eos poſteriore virtute priorem maculam eluiſſe, erexiſſe ſe, in priſtinum ſtatum ſe reformaſſe, & conſequenter parem meruiſſe, & pœnitentia non ampliùs indigere. Quomodo verò hoc poſterius explicat? *Jacere ultrà ſub diabolo quaſi proſtrati non debent.* Sanè luce meridiana clarius eſt, alludere Sanctum utroque loco ad Pœnitentium proſtrationem, ſive genufleſſionem, quum ipſis coram omni Eccleſia manus imponebantur, cujus cauſa ſtatio illa ὑπόπτωσις à Græcis dicta eſt.

V. Quarti Pœnitentiæ gradus, ſive Conſiſtentiæ nulla, vel rariſſima eſt apud Sanctum Cyprianum memoria. Totus enim eſt ubique, ut pœnitentiam adſtruat faciendam, ut pacem, quis mereatur; vel ut hæreſim eorum evertat, qui pęnitentiam quidem faciendam docebant, ſed pacem graviſſimis peccatis dandam negabant. Nam de quarto illo gradu nulla erat controverſia, nec ejuſmodi gradus Lapſis conveniebat.

VI. Quod autem attinet ad expulſionem ab Eccleſia, paſſim apud Sanctum Cyprianum legitur. Itaque maximus eſt inter Occidentales, Orientaleſque hac in cauſa conſenſus, ſcilicet præter expulſionem ab Eccleſia duas fuiſſe laicorum cenſuras, Clericorum cenſuris correlativas, Pœnitentiam ſcilicet, & ἀφορισμὸν ſegregationem, ſive à communione Euchariſtiæ abſtinentiam: Priorem depoſitioni reſpondentem, poſteriorem ſuſpenſioni. Ideò tum temporis Eccleſia ſecluſo ſanctuario in duas tantùm partes diſtinguenda erat, in eam quæ fideles continebat, & quæ Pœnitentes. Prior conſiſtentes, ſive qui minore cenſura notati erant complectebatur, poſterior Cathecumenos quoque eos videlicet, qui religione Chriſtiana jam imbuti erga eam benè affecti erant: immò ab ejuſmodi Catechumenis nomen potiſſimùm ſortiebatur. Nonnullis in locis ad eam quoque relegabantur Energumeni. Verùm de hiſce poſteà ſusè agemus. Quod ad expulſos attinet, & omnimoda communione abdicatos ad Eccleſiæ limina cum Ethnicis, ut ſermones, & ſcripturas audirent, adſiſtebant; & ubi Eccleſiæ longiores erant, facilioris auditionis cauſa in ipſa Eccleſia, cum iiſdem Ethnicis poſt Cathecumenos, & Pęnitentes ſtare poterant.

VII. Denique admonendus eſt lector ejuſdem rei, quam jam tetigimus: Licèt auditio, & fletus Pęnitentiæ Eccleſiaſticæ partes non fuerint, nec conſequenter Pœnitentibus, ut in iis velut in ſtationibus aliquandiù commorarentur, aſſignatæ fuerint, idem tamen ſpontè ſua Pœnitentes feciſſe, quod poſteà Eccleſiæ juſſu in iiſdem fecerunt. Ab Eccleſia enim pulſi ad Eccleſiæ veſtibula accedebant, ſcripturarum lectionem, & Epiſcoporum ſermones audituri, magniſque fletibus contriti Pœnitentiæ agendæ jus ſibi concedi efflagitabant; nec iis anteà concedebantur, quàm an lachrymæ ſinceræ eſſent, exploratum eſſet, ut infrà multis docebimus.

CAPUT VII.

Quum in Latinorum Patrum canonibus, aut ſcriptis ad Pęnitentiam moventur, urgentur, aut damnantur criminum Rei, Pęnitentia publica intelligitur, quæ in ſtatione poſtmodum dicta ſubſtratio, præcipuè agebatur.

ANtequam ulteriùs hac in cauſa progrediamur, operæ pretium nobis videtur lectorem monere, quo ſenſu antiqui Patres, atque etiam ex iis recentiores, Pœnitentiæ nomen potiſſimùm, & ut plurimum acceperunt. Animadverto enim Pœnitentiam agere eos ab ipſis Eccleſiæ incunabulis κατ' ἀντονομασίαν dici, qui afflictionibus, & macerationibus ab Eccleſia præſcriptis corpus ſuum propter perpetrata crimina caſtigabant, donec ſacrorum communioni digni judicarentur. Poſt Novati hæreſim Patres, præſertim Græci, ferè ſemper Pœnitentiæ actionem de ea, quæ in ſtatione, *Subſtratio*, dicta agebatur, intellexerunt; eò quod in ea corporis afflictiones exigerentur, & manuum impoſitiones ferè quotidianæ exetcerentut. Quo ſanè poſito id multò magis de fletu, & auditione cum ſubſtratione conjunctis eſt intelligendum. Multò enim ſeverior erat pœna, & Pęnitentia auſterior, quum criminis Reus ad fletum amandabatur: Nam poſtquam in ea ſtatione longo tempore detentus fuerat, ad Auditionem tranſmittebatur, in qua rursùs oportebat eum diù commorari, antequam ad ſubſtrationem tranſiret. Semper autem Patres, ſive Latini, ſive Græci, ſive antiquiores, ſive recentiores, ſive alludant ad illos gradus, ſive non alludant, eo quod nondum eſſent in uſu, vel vigere deſiiſſent, per Pęnitentiam, de qua verba faciunt, aut ad quam exhortantur, non intelligunt nudam à ſacra Euchariſtia abſtinentiam, ſed gravem aliquam inſuper adjunctam pœnam, cujus cauſa non modo à myſteriorum communione arcebantur criminum Rei, ſed etiam ab eorum conſpectu. Similiter per Pœnitentes antonomaſticè eos intelligunt, qui humilem, & ærumnoſam agunt Pęnitentiam, quique retrò ambonem in Eccleſia collocantur, & cum Cathecumenis, dum ſolemnia myſteriorum inchoant, ab Eccleſia pelluntur.

II. Hinc duo conſequuntur, Prius, ex antiquorum uſu, ſi propriè loqui velimus, Pœnitentiam non fuiſſe levioribus peccatis impoſitam. Licèt enim peccatores ejuſmodi abſtinerentur, abſtentio illa, ſive corporis Dominici denegatio, cujus tamen immolationi præſentes erant, nomine Pœnitentiæ ab iis non ſignificabatur; multò ſanè minus, qui ob leviſſima peccata leviori pœna plectebantur. Poſterius, Quoties legimus Patrum ad Pœnitentiam exhortationes, eas non eſſe ſimpliciter de reſipiſcentia, & animi converſione intelligendas: Nemo id diffitebatur; ſed de ejuſmodi converſione, & reſipiſcentia, quæ lubenter hoc Pœnitentiæ genus pro peccatis ſuis amplecteretur. Hoc eſt enim quod plerique peccatores refugiebant, cujus cauſa Pęnitentiam tamdiu differebant; Et ad quod ſubeundem quotidianis ſtimulis egebant. Hoc nobis eſt demonſtrandum.

III. Vix ulla eſt veterum ad Pęnitentiam exhortatio, quæ eò non collimet. Quid enim aliud eos in animo habuiſſe credere par eſt, cùm plebem ſibi ſubiectam ad Pęnitentiam cohortabantur, quàm tam multorum canonum de pęnitentiæ agendæ modo conditorum executionem? Verùm ne rationibus licèt evidentiſſimis tantùm agamus, veterum pleraque teſtimonia id videntur perſpicuè, & κατὰ λέξιν aſſerere. Nonnulla hoc capite, & ſequente colligemus: Plura in toto opere variis occaſionibus relata notari poterunt. Sanctus Auguſtinus *Epiſt.* 108. ad Seleucianum, *Agunt homines ante baptiſmum Pœnitentiam de ſuis prioribus peccatis, ita tamen, ut etiam baptizentur, ſicut ſcriptum eſt in Actis Apoſtolorum loquente Petro ad Judæos, &c. Agunt etiam homines Pęnitentiam, ſi poſt baptiſmum ita peccaverint, ut excommunicari, & poſteà reconciliari mereantur; ſicut agunt in Eccleſiis illi, qui propriè Pęnitentes appellantur. De tali enim Pęnitentia locutus eſt Apoſtolus Paulus ubi ait, Ne iterùm cùm venero humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt Pęnitentiam ſuper immunditia, &c.* Qui igitur graviſſimorum peccatorum Pęnitentiam agebant, atque ideò cum myſteriorum celebratio inchoabatur, ab Eccleſia pellebantur, propriè, & abſolutè Pęnitentes in Eccleſia vocabantur, atque à Sanctis Paulo, & Auguſtino Pęnitentiam agere dicuntur. Ita etiam interpretatur Sanctus Auguſtinus, id quod Simoni Mago dicit Petrus, ut ageret Pęnitentiam; de gravi ſcilicet peccato, quod perpetraverat. Alii propriè Pęnitentes non dicebantur, niſi quodammodo, nec pęnæ pro peccatis levioribus ſumptæ, vel impoſitæ, dicebantur propriè Pęnitentiæ. Ita enim eodem loco Sanctus Auguſtinus, *Eſt etiam Pęnitentia bonorum, & humilium fidelium penè quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes, dimitte nobis debita noſtra, &c. atque in iis verbis humiliantes animas noſtras quotidianam quodammodo agere pænitentiam non ceſſamus.* Id dicitur S. Auguſtino

agere

agere quodammodo Pœnitentiam, eo quòd ad veram Pœnitentiæ actionem quadantenus accedat.

IV. In fine libri de fide, & operibus Sanctus Auguſtinus tria peccatorum genera diſtinguit, Primum, quod Pęnitentia plectitur: Secundum, quod correptione fraterna: Tertium, leviſſimum, ſine quo hæc vita tranſigi non poteſt. Explicato primo genere ſic ſcribit in explicatione ſecundi. *Item niſi eſſent quædam non ea humilitate pęnitentiæ ſananda, qualis in Eccleſia datur eis, qui propriè Pœnitentes vocantur, ſed quibuſdam correptionum medicamentis, non diceret Dominus, corripe, &c.* *Homilia* 27. *in libro* 50. *homiliarum* triplicem ſimiliter diſtinguit, & explicat pœnitentiam, unam ante baptiſmum, duas poſt baptiſmum: de tertia ſic ſcribit, *Eſt pęnitentia gravior, & luctuoſior, in qua propriè* vocantur *in Eccleſia Pęnitentes, etiam remoti à Sacramento altaris participandi, ne accipiendo indignè, judicium ſibi manducent, & bibant.* Quorum verò peccatorum ſit, ſtatim explicat, *Illa verò pęnitentia luctuoſa eſt, grave vulnus eſt: Adulterium fortè commiſſum eſt, fortè homicidium, fortè aliquod ſacrilegium. Gravis res, grave vulnus, lethale, mortiferum, ſed omnipotens medicina.* Hæc eſt propriè Pœnitentia: Hi propriè Pęnitentes. Atque de ejuſmodi pœnitentia intelligendæ antiquæ cum hæreticis controverſiæ, ut disertè eodem loco teſtatur Sanctus Auguſtinus, *Contra nonnullas hæreſes tenuit Eccleſiæ Catholicæ iſtam veritatem de Pęnitentia agenda. Fuerunt enim, qui dicerent quibuſdam peccatis non eſſe dandam Pęnitentiam, & excluſi ſunt de Eccleſia, & hæretici facti ſunt. In quibuſcunque peccatis non perdit viſcera pia mater Eccleſia.*

V. Aliàs ſæpè ad eandem ſententiam, ut communem, & ubique uſitatam alludit, ut Enchiridii *cap.* 71. *De quotidianis autem brevibus, levibuſque peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium ſatisfacit, &c. Delet omninò hæc oratio minima, & quotidiana peccata. Delet, & illa, à quibus vita fidelium ſcelerate etiam geſta, ſed pęnitendo in melius mutata diſcedit, &c.* Et *cap.* 81. *Nam, & ipſa pęnitentia, quando digna cauſa eſt ſecundùm morem Eccleſiæ, ut agatur, plerumque infirmitate non agitur, quia & pudor eſt, & timor diſplicendi, dum plus delectat hominum æſtimatio, quàm juſtitia, qua ſe quiſque humiliat pęnitendo. Unde non ſolùm cùm agitur pęnitentia, verùm etiam ut agatur, Dei miſericordia neceſſaria eſt, &c.* Manifeſtum eſt, Pęnitentium abſolutè poni pro humili illa Pęnitentia, quæ in Eccleſia publicè agebatur, quam Sanctus Auguſtinus in *Epiſtola* 54. ad Macedonium humillimam non ſemel vocat; quam infrà ſuis circunſtantiis exactè deſcribemus. Idem colligitur ex *cap.* 80. ubi ſcribit, multa mala ita in conſuetudinem veniſſe, *ut pro his non ſolùm excommunicare aliquem laicum non audeamus, ſed nec Clericum degradare.* Propter enim eadem peccata & Clericus degradabatur, & Laicus ad Pęnitentiam illam detrudebatur, ut in Exercitationibus noſtris docuimus, & infrà iterùm probabimus.

VI. Eodem modo ex uſu ſui temporis loquitur Concilium Eliberitanum, quod minoribus peccatis licèt ea ſeverè caſtigat, nunquam tribuit pœnitentiam, ſed tantùm gravioribus. De minoribus enim tantùm jubet, ut qui ea commiſerunt, aliquanto tempore à communione abſtineant; nunquam autem ut pœnitentiam agant. De aliis verò ſemper edicit, ut agant legitimam Pœnitentiam, vel ut agant Pœnitentiam. Hujus rei frequentes ſunt canones, quos ſuprà in alia cauſa *capite quinto* retulimus: Quapropter nunc ad prius membrum propoſitionis demonſtrandum duobus canonibus lectori ſatisfactum eſto. *Can.* 21. *Si quis in civitate poſitus tres Dominicas ad Eccleſiam non acceſſerit, pauco tempore abſtineat, ut correptus eſſe videatur.* Pęnitentiæ nulla mentio, ſed tantùm correptioni, ut pari caſu ex Sancto Auguſtino initio capitis relatum eſt. Canone autem 14. expreſſè hanc abſtentionem opponit Pœnitentiæ, *Virgines, quæ virginitatem ſuam non cuſtodierunt, ſi eoſdem, qui eas violaverint, duxerint, & tenuerint maritos, eo quod ſolas nuptias violaverint poſt annum ſine pęnitentia reconciliari debebunt.* Pœnitentiam vocat operum laborioſorum, & corporis afflictationum impoſitionem, quæ publicæ manuum in Eccleſia impoſitioni, & à ſacrorum conſpectu expulſioni ſemper conjuncta erat. Addit canon, quæ iſta confirmant, *Si alios cognoverint viros, eo quòd mœchatæ ſint, placuit per quinquennii tempora acta legitima Pęnitentia admitti eas ad communionem.* In priori igitur peccato abſtinentur Virgines illæ, ſed Pœnitentiæ eximuntur: In poſteriore verò quod priore longè gravius, utroque modò puniuntur. Abſtinentia igitur illa à communione, cujus in eo Concilio toties fit mentio, Pœnitentiam non complectitur. Hæc è multis nunc ſufficiant, quibus evidenter demonſtratur, Patres illos frequentiſſimè per Pœnitentiam nihil aliud intellexiſſe quàm ſubſtrationem, ſive humillimam Pœnitentiam, ſi mavis eo nomine, quod non dum fortè in uſu erat, abſtinere.

VII. Hoc de Tertulliano præſertim verùm eſt: Nullam enim aliam poſt baptiſmum Pęnitentiam cognoviſſe videtur. Illuc enim referuntur omnia prorſus, quæ libro integro de Pœnitentia differit, *cap.* 7. *Clauſa ignoſcentiæ janua, & intinctionis ſera obſtructa aliquid adhuc permiſit patere. Collocavit in veſtibulo Pęnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus pateſaciat: ſed jam ſemel, quia jam ſecundo; ſed ampliùs nunquam, quia proximè fruſtra, &c.* De qua Pęnitentia ſit acturus, monet de ea, quæ baptiſmo æquiparatur, quæ ſemel tantùm agitur. Et *cap.* 9. *Hujus igitur Pęnitentiæ ſecundæ, & unius quanto in arto negotium eſt, tanta operoſior probatio eſt, ut non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur. Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologeſis eſt, &c. Itaque exomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ illicem. De ipſo quoque habitu, atque victu mandat, ſacco, & cineri incubare, &c.* Denique ſi attentè libri integri ſingula verba legantur, & conſiderentur, nihil aliud quàm ejuſmodi Pœnitentiam ſonabunt.

VIII. Quæ de Tertulliano dicta ſunt, eadem de Sancto Cypriano dicenda. Vix enim apud eum Pœnitentiæ nomen legas, quod de ejuſmodi Pęnitentia non ſit intelligendum. Quoties de Pęnitentia illi ſermo eſt, aut adverſus eos agit, qui peccatores pęnitentiæ ſtadio non decurſo reconciliant, quos ſæpiſſimè verbis acribus increpat, vel etiam inſectatur; aut adverſus eos, qui poſt pœnitentiam ſecundùm leges de criminibus actam, reconciliationem Pænitentibus negabant. Longum eſſet teſtimonia omnia referre, quæ quàm plurima ſunt; quiſque poteſt ea perpendere, præſertim quæ *Epiſt.* 52. ad Antonianum, & quæ libello de lapſis ſcribit: uno contenti ſumus, quod legitur *Epiſt.* 12. & leges exaggeratum *Epiſt.* 10. & 11. *Nam cùm in minoribus delictis, quæ non in Dominum committuntur; pęnitentia agatur juſto tempore, & Exomologeſis fiat inſpecta vita ejus, qui agit Pęnitentiam, nec ad communicationem venire quis poſſit, niſi priùs illi ab Epiſcopo, & Clero manus fuerit impoſita, quanto magis in his graviſſimis, & extremis delictis cautè omnia, & moderatè ſecundùm diſciplinam Domini obſervari oportet?*

IX. Sanctus Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus de Pœnitentia cum Novatianis diſputans, & in parænesi ad Pęnitentiam, per Pęnitentes, & Pęnitentiam, non ſecus, ac Tertullianus, & Cyprianus, quorum verba ubique mutuatur, eandem luctuoſam Pęnitentiam ſemper intelligit. Ita in fine primæ Epiſtolæ, *Scio, frater, hanc ipſam Pęnitentiæ veniam, non paſſim omnibus dari, nec antequam aut interpretatio divinæ voluntatis, aut forſitan viſitatio fuerit, relaxari; magno pondere, magnoque libramine, poſt multos gemitus, effuſionemque lacbrymarum, poſt totius Eccleſiæ preces, ita veniam veræ pænitentiæ non negari, ut judicaturo Chriſto nemo præjudicet.* Longum eſſet huc referre quæcunque in hanc ſententiam multis diſputat *Epiſt.* 3. in qua nihil aliud quàm hoc agit. Perpetuò enim contendit poſt gemitus, ſaccum, &c. Contra quod aſſerebant Novatiani, Pœnitentes eſſe reconciliandos. Teſtimonium unicum è Parænesi referam. Primum, quod probandum aggreditur, eſt, inquit, *ut de modo criminum ediſſeram, ne quis exiſtimet omnibus omninò peccatis ſummum diſcrimen impoſitum*, Hoc eſt, Pęnitentiam eſſe impoſitam, Pęnitentiam ſcilicet illam humillimam, quæ ubique per Pęnitentiæ nomen abſolutè poſitum intelligitur. Poſteà cum hoc explicat, crimina illa revocat ad tria, de quibus libro ſequenti, Idololatriam, Mœchiam, & homicidiũ. *Hæc eſt novi Teſtamenti concluſio. Deſpectus in multis Spiritus Sanctus hæc nobis capitalis periculi conditione legavit. Reliqua peccata meliorum operum compenſatione curantur, &c. Quare tenacitas humanitate redimetur; convitium ſatisfactione penſabitur, triſtitia jucunditate, &c. Et quæcunque contrariis emendata proficiunt. Quid verò faciet contemptor Dei? Quid aget ſanguinarius? Quod remedium capiet fornicator, &c.* Deinde multa ſermocinatione facta concludit, hæc tria crimina longa pęnitentia eſſe purganda, eumque, qui horum eſt reus, antequam ea confeſſus fuerit, & pęnitentia purgatus fuerit, ad altare non ſine grandi ſcelere accedere poſſe. Sermonem autem ſuum, ejuſque amplificationem, & ornamenta à Tertulliano eodem ſemper ſenſu, & iiſdem plerumque verbis mutuatur.

X. San-

Digitized by Google

X. Sanctus Ambroſius libris duobus de Pęnitentia hoc tantùm agit: Omnia teſtimonia huc referre, integrum ferè librum eſſet deſcribere. Legat, qui curioſus eſt rerum iſtarum *libri primi cap. ſecundum*, & nonnulla alia capita: Pauca tantùm excerpimus. *Lib.1. cap.7. Faſtidio vobis ſunt, qui volunt agere pęnitentiam. Perpeti videlicet flentium lacbrymas non poteſtis. Non ferunt oculi veſtri vilia veſtimentorum, illuviem ſordidatorum, ſuperbo oculo, & tumido corde delicati mei, arrogantı voce dicentes ſinguli, Noli me tangere, &c. Cap.16. ejuſdem libri, Si quis igitur occulta crimina babens, propter Chriſtum tamen ſtudioſè pęnitentiam egerit, quomodo iſtbic recipit, ſi ei communio non refunditur? Volo veniam Reus ſperet, petat eam lacbrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut ignoſcatur obſecret, & cùm ſecundò, & tertiò fuerit dilata ejus communio, credat remiſiſſe ſe ſupplicaſſe, fletus augeat miſerabiliter, &c.* Quæ multis perſequitur, quibus jungi poſſunt multa non diſſimilia, quæ *cap.6. lib.2.* eloquenter enarrat.

XI. *Capite ſeptimo, lib.2.* multis verbis verſat circumſtantias reſurrectionis Lazari, atque inter cæteras iſtam, *Dicet, ubi poſuiſtis eum? boc eſt, in quo reum ſtatu eſt, in quo Pęnitentium ordine? videam quem fletis, ut lacbrymis ſuis ipſe me moveat. Videam, ſi jam peccato ei, cujus venia poſcitur, defunctus eſt. Dicet plebs, veni, & vide, &c. Capite nono: Plerique futuri ſupplicii metu peccatorum ſuorum conſcii Pęnitentiam petunt, & cùm acceperint, publicæ ſupplicationis revocantur pudore, Hi videntur malorum petiſſe pęnitentiam, agere bonorum, &c. Itaque videas eos mutatu veſte incedere, quos lugere, & gemere oportebat, quia veſtem illam oblationis, & gratiæ ſordidarunt. Capite decimo: Meritò reprebenduntur, qui ſæpiùs agendam pænitentiam putant, quia luxuriantur in Chriſto. Nam ſi verè agerent Pænitentiam, iterandam poſteà non putarent, quia ſicut unum baptiſma, ita una Pænitentia, &c. Capite denique undecimo, quod eſt ultimum: Melius ergo eſt tunc quieſcere, cum exercere non queas opera Pænitentiæ, ne in ipſa Pænitentia fiat, quòd poſteà indigeat Pænitentia. Quæ ſi ſemel fuerit uſurpata, nec jure celebrata, nec prioris fructum obtinet, & aufert uſum poſterioris.* Ideò S.Cæſarius Arelat. *bom.32.* diſtinguit inter Pęnitentiam, & correptionem. Correptio enim erat peccatorum minorum. Pęnitentia verò majorum, ut feciſſe ſupra vidimus S.Auguſtinum in libro de fide, & bonis operibus. Hæc omnia luce meridiana fulgentiùs oſtendunt, S.Ambroſium, cæteroſque Patres, quum toties Pęnitentiæ actiones urgent, ad ſolemnem, vel ſaltem canonicam reſpexiſſe. Innumera poſteriorum Authorum teſtimonia his adjungi poſſunt: Ut Cæſarii Arelatenſis, Eligii Noviodunenſis, qui plurimas ad Pęnitentes conciones habuerunt. Sed hæc, & innumera alia teſtimonia variis datis occaſionibus infra toto hoc opere referentur. Interim tamen legere potes *c.12.lib.6. & c.2. lib.7.* Toletan. 1. *cap.2. Pæniteates non admittantur ad Clerum, &c.* Et paulò poſt definit, quid ſit intelligendum per illud nomen abſolutè poſitum: *Eum verò Pænitentem dicimus, qui poſt baptiſmum, aut pro bomicidio, aut pro diverſis criminibus, graviſſimiſque peccatis publicam Pænitentiam gerens ſub cilicio, divino fuerit reconciliatus altari.* Repetunt hunc canonem Burch. *lib.2. cap.37.* Ivo *part.6. cap.* 138. Gratian. *diſt.50. C. Placuit.* Carthagin. 3. *cap.31. Pænitentibus ſecundùm peccatorum differentiam Epiſcopi arbitrio Pænitentiæ tempora decernantur.* Nec minus evidentes ſunt canones Concilii Carthagin. 4. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. quos brevitatis causâ prætcrimus. Siricius Pontifex *Epiſt.1.cap.5.* de iis agit, *qui acta pænitentia tanquam canes, ac ſues ad vomitus priſtinos redeunt, &c. De quibus, quia jam ſuffugium non babent Pænitendi, &c.* Ita *cap.4. & 6.* Innocentius 1. *Epiſtol.3.cap.2. Conſuetudo prior tenuit, ut concederetur eis Pænitentia, ſed communio negaretur.* Et paulò poſt, *negata meritò communio eſt, conceſſa pænitentia, ne totum penitus negaretur.*

CAPUT VIII.

Idem de Patribus Græcis demonſtratur, & bujus rei ratio redditur. Pænitentia pro ſubſtratione ſumpta.

EUndem nominum Pęnitentiæ, & Pęnitentium uſum animadvertere eſt apud Græcos, & Orientales. Pęnitentia enim, & Pęnitentes intelliguntur, qui ad Pęnitentiæ claſſes relegati ſunt, ſubſtrationem ſcilicet, & ea inferiores: Pęnitentiam verò agere, in iis ſtationibus eſt commorari, vitamque juxta diſciplinam iis hominibus traditam ducere. Concilium Nicænum, *can.11. Quoſcunque verè, & germanè pœnitet, tres annos inter Auditores exigent, ſeptem ſubſternentur, &c. Can. verò 12. In bis autem omnibus examinare convenit conſilium, & ſpeciem Pęnitentiæ. Quicunque enim & metu, & lacbrymis, & tolerantia, & bonis operibus, converſionem, & opere, & habitu oſtendunt, bi impleto Auditionis tempore, quod præfinitum eſt, meritò orationum communionem babebunt, &c.* Concilium Ancyran. *c.6. Si qui ante banc Synodum ad Pœnitentiam admiſſi ſunt, ab illo tempore eis ſexennium reputetur.* Pœnam conſtituit Synodus iis, qui ſuppliciorum metu ſacrificaverunt, decernitque *ſi ad præſens uſque Synodi tempus pœnitentiam non egerunt*, ut ſex annis eam agant, anno uno Audientes, tribus ſubſtrati, duobus communicantes ſolis orationibus. Si verò Pęnitentiam ante illius Synodi tempus inchoarunt, tempus illud ad ſexennium imputari. Pęnitentiam agere non aliter intelligunt, quàm de animi converſione, quæ conjunctam habeat ejuſmodi pœnam. Similiter *can.2. Neocæſar.* bis ponitur Pęnitentia abſolutè, & ſemper cum relatione ad Pęnitentiam, quam deſcribimus.

II. Sanctus Baſilius ſæpiſſimè, ut cum *can. 1. Epiſtolæ* ad Amphilochium ſcribit, *Schiſma eſt de Pęnitentia diſſentire ab iis, qui ſunt ex Eccleſia.* Si Pœnitentiam intelligas peccatoris ad Deum converſionem, nulla erat de hac re inter Chriſtianos controverſia, & vix eſſe poterat, ſed de modo exteriori Pœnitentiæ agendæ, & reconciliatione poſt Pęnitentiam concedenda: ſic & *can.* 5. 7. 82. 84. & aliis. Ideò idem Sanctus *can.22.* ὑπόπτωσιν ſubſtrationem vocat abſolutè, *Pęnitentiam. Oportet eos anno primo à precibus expelli, & ipſos deflere ad fores Eccleſiæ: ſecundo ad Auditionem admitti. Tertio admitti ad Pænitentiam. Quartò ad Conſiſtentiam cum populo, abſtinentes ab oblatione; deinde eis permitti boni communionem.* Μετάνοιαν abſolutè poſuit pro ὑποπτώσει. Pœnitentiam enim pro actibus laborioſis, juxta Eccleſiæ præſcriptum exercitis perpetuò accipiebant: Cùm autem in ſubſtratione imponerentur, ideò pro ſubſtratione Pęnitentiam accepit.

III. Gregorius Nyſſenus ſimiliter in *Epiſt.* ad Letojum Melitines Epiſcopum, ubi de variis pęnis pro peccatis infligendis diſſerit, ita ex communiſſimo, & uſitatiſſimo loquendi modò Pęnitentiæ vocabulum ſemper accipit: Ut cùm de Idololatris ad Judæos, aut Manichæos deficientibus, *Totum tempus vitæ ſuæ babet Pænitentiæ tempus. Nunquam enim ſi myſtica peragatur oratio, Deum unà cum populo adorare dignus cenſebitur, &c.* Poſteà de variis fornicationum ſpeciebus verba faciunt, *Univerſale eſt remedium, ut à concitata in ejuſmodi voluptates rabie per pænitentiam bomo purus efficiatur.* Quid verò per Pœnitentiam intelligit? pœnas ex Eccleſiæ præſcripto ſubeundas, quas omnia Epiſtolæ verba ſonant. *Eſt autem*, inquit, *quædam differentia in ratione Pænitentiæ in iis, qui in voluptate peccarunt ejuſmodi.* Quænam porrò differentiæ? Qui occulta ſponte revelat, & accuſat, in mitioribus pœnis verſatur: Qui verò convictus eſt, *Longiùs illi converſionis tempus datur, ut ipſe purgatus, ſic ad Sacramentorum communionem admittatur.* Quid verò facit illo converſionis tempore? Immediatè explicat, *Eſt ergo canon ejuſmodi, ut qui in fornicatione polluti ſunt in tribus quidem annis ab oratione omninò expellantur; in tribus autem ſunt ſolius Auditiones participes, &c.* Quæ ordine perſequitur. Deinde cum Homicidii voluntarii pœnas enarrat, hanc cautionem adhibet, *Pro ratione converſionis illi quoque pænæ extenſio reſtringetur, ut pro novem annis in unoquoque gradu, vel ſex, vel ſeptem anni ſolùm fiant, ſi pænitentiæ magnitudo tempus vincat, & ſuperet correctionis ſtudio eos, qui in longo tempore præſtituto ſuſceptas à ſe maculas ſegniter eluunt.* Similia poſteà repetit. Præterea ad Epiſtolæ finem, ubi de latrone armis inſtructo, *Is bomicidarum judicio ſubiciatur, ſi per pænitentiam ad Dei Eccleſiam reverſus fuerit.* Cùm Sozomenus *lib.7. cap.16.* de Novatianis verba facit in causa Pœnitentiadi ab Eccleſiis ſublati ſcribit, *At Novatianis, quos pænitentiæ nulla cura tangit, iſto nihil opus fuit.* Si Pœnitentiam intelligas nudam ad Deum converſionem ad eam maximè exhortabantur Novatiani. Ideò Euſebius *lib.6. biſtor. cap.* 35. Synodi contra Novatianum ſententiam ſic exprimit, *Fratres, qui caſu infelici ceciderant, pænitentiæ medicamentis curandos eſſe, & ſanitati reſtituendos.* Animum ſemper habent Patres ad pęnitentiam canonicam attentum. Nuſquam finis huic ſermoni imponeretur, ſi ſingula antiquorum de hac re teſti-

Digitized by Google

teſtimonia nobis eſſent percurrenda. Ob oculos tandem ſibi proponat Lector id, quod eſt in Canonibus, & Decretis Pontificum perpetuum, Pœnitentium à fidelibus diſtinctionem, & oppoſitionem, quam Patres tam exactè obſervant, quum accuratè diverſa hominum genera, quæ in Eccleſia verſantur, enarrare volunt, ut videre eſt apud SS. Clementem, Dionyſium, Maximum, & Germanum, qui variis infrà locis referentur. Ad hoc explicandum nobis ſufficiat Sancti Auguſtini *lib. 1. cap. 14. de Sanctorum prædeſtinatione* teſtimonium, *Meruit in Eccleſia* (liber Sapientiæ) *de gradu lectorum Eccleſiæ Chriſti longa animoſitate recitari, & ab omnibus Chriſtianis ab Epiſcopis uſque ad extremos Laicos, fideles, Pœnitentes, Catechumenos.*

IV. Hinc eſt quod antiqui Patres Pœnitentiam in extremis poſcentem, & ſuſcipientem de ſalute ſecurum reddere non audebant. Quamobrem verò? quia Pœnitentia, quam longo tempore juxtà canones non probaverant, an vera eſſet, & ſincera, meritò dubii erant. Cum verò juxta Eccleſiæ præſcriptum agebatur, quem mors ſic agentem occupaverat, ſalvum eſſe non ambigebant, eumque recens baptizato comparabant. Ita Sanctus Ambroſius Exhortatione ad Pęnitentiam, Sanctus Auguſtinus *homil.* 41. & poſtrema ex quinquaginta; 57. quoque, & 58. de tempore.

V. Quapropter nullum dubium eſt, quin omnes, & ſingulæ Patrum ad Pęnitentiam exhortationes eodem modo ſint intelligendæ, non autem de ſimplici animi ad Deum converſione. Illuc omnes tendunt, ut quiſque juxta canones Pœnitentiam agat, ut qui ſcilicet peccata canonica, *ἐγκλήματα κανονικά*, ut loquitur Concilium in Trullo *cap.* 21. perpetraverit, juxta canonum præſcriptum pœniteat: Pęnitentiam, alio modo ſactam non admittebat Eccleſia, *Hæc omnia ſcribimus*, inquit Sanctus Baſilius in fine Epiſtolæ canonicæ, qua diffusè per varios canones ſingulis criminum ſpeciebus pęnas conſtituit, *ut Pœnitentiæ eorum fructus probetur: Non enim hoc omninò tempore judicamus, ſed modum Pœnitentiæ attendimus.* Ita quoque Sanctus Gregorius Nyſſenus evidentiſſimè Epiſtola citata, & paſſim canones id inculcant: Dicentibus enim ſe criminum pœnitere non credebant, niſi Pęnitentiæ ſinceritatem ex canonum præſcripto diligenter comprobaſſent. Si qui verò id præſtare abnuebant ab Eccleſia prorsus eliminabant. Ideò ſubjungit, *Quòd ſi qui à propriis moribus non facilè avellantur, & carnis voluptatibus potiùs quàm Deo ſervire voluerint, vitamque ex Evangelio conſtitutam non admittant, nulla eſt nobis cum illis communis ratio. Nos enim in inobediente, & contradicente populo audire docti ſumus, ſervans ſerva animam tuam. Ne itaque cum eis perire in animum inducamus, &c.*

VI. Hinc eſt præterea, quòd eo tempore Patres plerique, quibus adnumerandi videntur SS. Ambroſius, Auguſtinus, & Leo, Conciliaque nonnulla provincialia pro Pœnitentibus ante reconciliationem caſu aliquo repentino mortuis nec offerendum, nec orandum exiſtimabant, licèt Pęnitentiam publicè ſuſcepiſſent, & aliquandiù egiſſent. Tanti faciebant non modò Pęnitentiam agere, ſed etiam ea ſuſcepta Sacerdotum precibus reconciliari! Hinc denique eſt, quòd Pęnitentes; publicè & loco, & habitu à cæteris diſtinguerentur, quotidianæque preces ſingulis Synaxibus pro ipſis funderentur, magnaque cum diligentia, an vitæ formam ipſis præſcriptam obſervarent, caveretur, ut poſt hæc fusè enarrabimus. Vividis ſanè, & acribus exhortationibus opus fuit Sanctis illis Patribus, ut hominum animos ad tam ſeveram pęnitentiam amplexandam flecterent. Si enim à vitiis, quibus ſemel inſuevit tam difficilè avellitur animus, quid cùm ejuſmodi avulſioni, tam ſevera, longa, & dura conjuncta eſt pęnitentia? Non abs re igitur Pęnitentiam canonicè actam tantopere laudarunt, à moribundis verò petitam non actam tantopere imminuerunt, & elevarunt.

CAPUT IX.

Pœnas ſceleribus impoſitas à naſcente Eccleſia ad hæreſim uſque Montani breves admodum fuiſſe, qualeſve fuerint, deſcribitur. Iis vix unquam ulla temporis duratio adſcripta: tota ab Epiſcopi prudentia pendebat. Objectionibus occurritur.

POenæ peccatis impoſitæ, quas Pęnitentias vulgò, & antonomaſticè dici demonſtratum eſt, quæ antonomaſtica appellatio etiam nunc perſeverat, ante Novati hæreſim, multò quàm poſteà, & breviores fuerunt, & clementius inflictæ. Hoc forſan quis difficilè in animum ſuum inducet: Verum ſi conſideremus, quæ de iis nobis ſuperſunt antiquiſſimorum Patrum fragmenta, hujus pronuntiati veritas ſtatim eluceſcet. Immò ſi ſupra Novatum verſus Eccleſiæ origines animum reflectamus, Eccleſiæ clementia in peccatores major ſemper, & lenior apparebit. Ab ipſa incipiam origine. Crimen horrendum Corinthii cujuſdam nobis enarrat Sanctus Paulus 1. Cor. *cap.* 5. *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem Patris ſui aliquis habeat.* Conſideremus, & pęnæ durationem, & qualitatem. *Epiſtolæ* 2. *cap.* 2. jubet Sanctus Paulus huic Pęnitenti Corinthios parcere, *Sufficit illi, qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc, quæ fit à pluribus; ita ut è contrario magis donetis, & conſolemini.* Cauſa hujus indulgentiæ penſitanda, *Ne fortè abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui ejuſmodi eſt.* Indulgentiæ igitur, & remiſſionis peccatorum accelerandæ legitima cauſa eſt, vehemens animi compunctio. Quapropter ſtatim adjicit, *Propter quod obſecro, ut confirmetis in eum charitatem.* Quibus verbis regulam Eccleſiæ tradidit, quæ ſemper obſervata eſt, quamque ſingula ferè Concilia confirmarunt, ſcilicet pro Contritionis vehementia pœnas eſſe minuendas. Nunc ſi temporis durationem examinemus, vix interſtitium inter utramque Epiſtolam annum unum excedere poteſt. Itaque graviſſimi criminis Apoſtolica Cenſura annum unum non exceſſit, minus forſan duratura, ſi vehemens Corinthii illius pœnitudo citiùs Apoſtolo innotuiſſet.

II. Pœnæ qualitas *c.* 5. primæ Epiſtolæ indicatur, judicaverat *tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis.* Ex ſenſu autem antiquiſſimæ Eccleſiæ illa verba *in interitum carnis* ſignificant opera laborioſa, jejunia, chameunias, adgeniculationes, ſaccum, & cinerem, quæ Pęnitentibus poſtquam ab Eccleſia, & conſortio fidelium ejecti fuerant, imponebantur; Ita enim hunc locum Catholici teſte Tertulliano de pudicitia *cap.* 13. adversùs Montaniſtas interpretari ſolebant; eo enim relato ſubinfert, *Hic jam carnis interitum in officium pœnitentiæ interpretantur, quod videatur jejuniis, & ſordibus, & incuria omnia, & dedita opera malæ tractationis carnem exterminando ſatis Deo facere, ut ex eo argumententur, fornicatorem, immò inceſtum illum non in perditionem Satanæ ab Apoſtolo traditum, ſed in emendationem quaſi poſteà veniam ob interitum, id eſt, conflictationem carnis, conſecuturum; igitur & conſecutam.* Eadem ſententia Sancto Hieronymo in hunc locum probatur; cæterique Patres eam amplexi ſunt, ut videre potes infrà *lib.* 6. *c.* 11. Sed hanc Catholicorum interpretationem Tertullianus Montaniſta factus pro viribus evertere conatur, quo magis confirmatur apud Catholicos eo tempore vulgatam fuiſſe. Veram autem eſſe hanc interpretationem, atque ad Sancti Pauli mentem, teſtatur perpetua ad hunc uſque diem Eccleſiæ traditio, qua mortaliter peccantes iiſdem, aut ſimilibus pęnis ſemper afficiuntur. Sola hac differentia intercedente, quod pro variis temporibus pęnæ illæ auctæ fuerunt, vel imminutæ.

III. Pęnæ qualitatem eandem imponit Sanctus Clemens Sancti Pauli temporibus ſuppar, ſed tempus multò breviùs indicit, ut jam adnotatum eſt *cap.* 2. quæ tamen hic breviter repetemus. Sic ille jubet *lib.* 2. *Conſtitut. cap.* 16. de ejecto ab Eccleſia, ſed Pęnitente, *Facta examinatione an pœniteat, ſitque dignus, qui in Eccleſiam ex toto admittatur, caſtiga illum jejuniis duarum, aut trium, aut quinque, aut ſeptem hebdomadarum, ut delicti genus, & ratio popoſcerit; atque ita dimitte eum, eu locutus, quæ eum, qui de peccato commiſſo alium admonendi cauſa increpat, docere, & monere convenit, &c.* Omninò eadem, quæ Apoſtolus, & de admonitione, & de pœna, & de cordis compunctione. Sed ſpecialiùs, & graphicè magis pœnæ genera, ſpecieſve deſcribit Tertullianus *cap.* 9. *lib. de pœnitentia, & cap.* 13. *de pudicitia*, quæ infrà referimus.

IV. Verùm Clemens Pęnitentiæ tempus multò breviùs aſſignat; cujus rei duplex cauſa videtur: Prima, quòd criminis atrociſſimi mentionem facit Sanctus Paulus. Pęnæ autem, ſic monente Clemente, ut delicti genus, & ratio propoſcerit, ſunt infligendæ: quod iterum repetit in fine capitis. *Sic igitur vos facere oportet, Eos ſcilicet, qui ſe pœnitere ajunt peccaſſe, eiicere ex Eccleſia, tempore proportione peccatorum definito.* Secunda, quòd Sanctus Paulus abſens fuerit, atque ideò tardè Corinthii vehementem compunctionem reſciverit, quam ſi citiùs cognoviſſet, citiùs indulſiſſet. Quamprimum enim eam cognovit, pęnæ indulgentiam indixit. Tertia cauſa dari poteſt generalis, quòd Eccleſiæ Præpoſi-

poſitis remittendorum, & retinendorum peccatorum abſolutam ϗ αὐτοκρατορικὴν poteſtatem Chriſtus tradiderit; ideò rarò admodum apud antiquiſſimos illos Patres pœnas tempore definitas deprehendas, nec alibi quam loco citato eas definit Clemens. Ejuſdem libri *cap.*43. de calumniatore decernit, *Ejice eum ex Eccleſia tanquam fratris interfectorem. Deinde intervallo temporis interjecto, ſi dixerit Pœnitere ſe, premite eum jejuniis, &c.* Sed temporis definitio nulla eſt, ut & *cap.*18. Revera difficile eſt eam aſſignare, cum pro ſceleris malignitate ſit circumſcribenda: παχυμερῶς tamen ex vigente conſuetudine prudens Sacerdos eam moderare poteſt, & ſingulis ſcelerum gradibus accommodare.

V. Antiquiſſimum iſtius conſuetudinis argumentum nobis ſuppeditat Clemens Alexandrinus apud Euſebium *hiſtoriæ lib* 2. *c.*17. quam ab antiquis traditam ſe accepiſſe refert. Ea eſt de quodam Adoleſcente, quem Joannes Apoſtolus cuidam Epiſcopo educandum, & inſtituendum tradiderat: hiſtoriæ circumſtantias infra libro decimo enarrabuntur. His igitur omiſſis eas tantum, quæ ad præſentem quæſtionem ſpectant, referemus. Adoleſcens vir factus omni ſe vitiorum genere polluit, tandemque Prædonum dux factus, ad eum Joannes perrexit, & præſentia ſua ad Deum convertit. Quid verò Joannes Apoſtolus jam decrepitus ſenex (ea enim hiſtoria poſt reverſionem ab exilio contigit) Pœnitentiæ illi impoſuit: An annos plures omni ſcelerum genere ſordidato? Clementem audiamus, *Senem ad ſe advenientem complectitur*, Prædo pœnitens, *fletu & mœrore quoad poterat pro culpa ſatisfecit, & dextera ſola occultata lachrymarum unda ſecundò baptizatur. Apoſtolus rata, & conſtanti aſſeveratione, ei ſe à ſervatore veniam, & remiſſionem peccatorum precibus ſuis impetraturum pollicetur, neque ad genua accidens, ipſam manum dexteram tanquam aqua Pœnitentiæ ablutam purgatamque oſculatus, illum ad Eccleſiam reducit, & crebris precibus Deum pro illo invocat, continuis jejuniis unà cum eo ſe macerat, variis divinæ ſapientiæ ſententiis ejus animum quaſi quibuſdam lenociniis mitigat, tranquillatque, neque prius, ut fertur, inde diſceſſit, quàm illum Eccleſiæ reſtituiſſet.* Manifeſtum eſt Pœnitentiam illam paucis ſeptimanis, aut uno & altero menſe confectam. Diſceſſerat enim Epheſo Apoſtolus fratrum rogatione, ut Epiſcopatum illum viſitaret, à quo non receſſit donec pœnitens ille prædo pœnitentia completa Eccleſiæ eſſet perfectè reconciliatus.

VI. Liber ille Paſtoris, cujus Hermes S. Pauli diſcipulus auctor eſt, quem tanti fecerunt antiqui Patres, ut eorum nonnulli velut canonicum citaverint; in quo ait Origenes *homil.*9 in Numeros nihil eſt de quo dubitari poſſit; quem in *cap.*16. *Epiſt. ad Rom.* judicat utilem eſſe, & divinitus inſpiratum; quem utiliſſimum laudant S. Athanaſius *lib. de Incarnatione*, & Hieronymus in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum; quem denique ut clypeum Montaniſtis in cauſa Pœnitentiæ opponebant Catholici, ut apparet ex *cap.*10. & 20. *lib. Tertullianei de pudicitia*: Liber inquam ille Paſtoris, quem ipſe Hermes in proœmio *lib.*2. Nuntium vocat Pœnitentiæ (ille enim Angelus nonnunquam Pœnitentibus ſe propoſitum eſſe docet, & in fine *libri* 2. ſe Pœnitentiæ Nuncium vocat, cujus cauſa Tertullianus Montaniſta eum, ut Mœchorum paſtorem ridet) ſæpius de ea agenda verba facit, ſed nuſquam vel ullo indicio colligere eſt ex illo multorum annorum Pœnitentiam; immò licet tempus nunquam definiat, ſponte tamen ſua ex ipſius dictis fluit, brevem, veram tamen poſtulaſſe Pœnitentiam. *Lib.*2. *mandato* 4. *Domine, ſi quis habuerit uxorem fidelem in Domino, & hanc invenerit in adulterio, nunquid peccat vir, ſi convivit cum illa?* Reſpondet Angelus, virum, quamdiu hoc neſcit, non peccare; cum verò reſciverit, & ipſo ſciente cum eo habitat, tum fornicationis illius eſſe participem. Regerit Hermes, *Quid ergo, ſi permanſerit in vitio ſuo mulier? & dixit, dimittat illam vir; & per ſe maneat. Quòd ſi dimiſerit mulierem ſuam, & aliam duxerit, ipſe mœchatur.* Interrogat Hermes, Quid, ſi mulier dimiſſa Pœnitentiam egerit, Num eam vir recipere tenetur? Reſpondet, *Immò ſi non receperit eam, vir ſuus peccat, & magnum peccatum ſibi admittit.* Eandem ait rationem eſſe virorum, & mulierum. Poſteà docet Angelus, Pœnitentiam agere, magnam eſſe Sapientiam, quia *operatur bene, & humiliat animam ſuam, & torquet eam, quia peccavit*, quæ ex eo refert Clemens Alexandrinus *Stromat. lib.*2. Si permultis annis uxori fuiſſet agenda Pœnitentia ante illius à marito receptionem, ut duodecim vel quindecim annorum, quod poſteà factum eſt, quanto tempore vir celebs permanſiſſet, ipſe juvenis tamdiù uxore juvene fruſtratus. Uxor ſanè ad maritum rediens, cum Penelope dicere potuiſſet, *Certè ego quæ fueram te diſcedente Puella, Protinus ut redeas facta videbor anus.* Cùm igitur actionem Pœnitentiæ uxoris adulteræ receptio ſequeretur, multorum annorum eſſe non potuit Pœnitentiæ duratio.

VII. *Lib.*3. Similitudine ſeptima reprehenditur Hermes, quod ipſius familia perpetret multa gravia peccata, Reſpondet Hermes, *Sed ecce Domine, jam nunc agunt Pœnitentiam totis præcordiis.* Angelus verò, *Protinus putas aboleri delicta eorum, qui agunt Pœnitentiam? Non proinde continuò, ſed oportet eum, qui agit Pœnitentiam, affligere animam ſuam, & humilem animosè præſtare in omni negotio, & vexationes multas, variaſque perferre: cùmque perpeſſus fuerit omnia, quæ illi inſtituta fuerint, tunc forſitan qui ea creavit, & qui formavit univerſa, commovebitur erga eum clementia ſua, & aliquod remedium dabit, idque ita, ſi viderit ejus, qui Pœnitentiam agit, cor purum eſſe ab omni opere nequiſſimo.* Deinde conſiderandum eſt hac in cauſa Angeli de pœnarum pœnitentialium cruciatu φιλοσόφημα: Quærit Hermes, *an per idem tempus crucientur, qui diſcedunt à timore Dei, quantum uſi fuerunt falſa dulcedine, ac voluptatibus?* Ita rem ſe habere reſpondet Angelus. Objicit Hermes: Ergo parum cruciantur, eo quod falſa illa dulcedo ſtatim præterit. Sed Angelus longè aliter philoſophatur: Docet enim unius horæ pœnam triginta dierum virtutem habere, diemque unum pœnæ unius anni æquari, eo quod voluptatis guſtatæ memoria ſtatim prætereat, pœnæ verò toleratæ ſenſus memoriæ firmiter inhæreat. Hinc colligit pœnas æquari voluptatibus, licèt in punitionem annalis voluptatis unius diei pœna imponatur. *Dulcedo enim*, inquit, *& voluptas nullam memoriam habent propter ſtultitiam, quæ inſita eſt illis. Cùm verò uno die acceſſerit homini cruciatus ac pœna, toto anno torquetur: Magnam enim memoriam poſſidet pœna.* Quidquid ſit de iſta ſpeculatione numerica, ex ea manifeſtè colligitur, tempus, eo ſeculo Pœnitentiæ agendæ deputatum, breve fuiſſe.

VIII. S. Irenæus ejuſdem rei teſtis eſt *lib.*1. *c.*9. ubi de nonnullis mulieribus à quodam Marco Hæreſiarcha corruptis verba facit, *Ipſæmet ſæpè cum ad Eccleſiam Dei rediiſſent, confeſſæ ſunt, ſeque corpore ab eo contaminatas fuiſſe, miroque ipſius amore exarſiſſe.* Vides ad Eccleſiam poſt tantum ſceleris receptas, nec ullius longiſſimi interſtitii eſſe mentionem. Hiſtoriam adtexit Irenæus uxoris cujuſdam Diaconi ab eodem Marco ſeductæ, & corruptæ, quæque ipſum relicto Marco ſecuta fuerat. Eam poſteà, *cùm magno labore fratres convertiſſent, omne tempus in Exomologeſi conſummavit, plangens, & lamentans hanc, quam paſſa eſt ab hoc Mago, corruptelam.* Manifeſtum eſt ex ipſius ſermone longum illud tempus, quòd planxit mulier illa ex ſingularis devotionis zelo, non ex præcepto fuiſſe. Ideò nihil ſimile de prioribus adnotavit, quæ tamen ad Eccleſiam, non minus quàm hæc ultima, redierant.

IX. Refert Euſebius *hiſtor. lib.*6. *cap. ultimo* Natalium Confeſſorem ab Hæreticis quibuſdam ſeductum apud eos Epiſcopatum geſſiſſe, ſed ut ab iis recederet, divinitus admonitum fuiſſe, & cùm pertinax in propoſito permaneret, ab Angelis noctu verberibus acerrimè cæſum eſſe. *Tum*, inquit, *manè ſurgens cilicio, & ſacco indutus, cineribus aſperſus cum magno mœrore, & lachrymis ad pedes Zephyrini Pontificis ſe ſupplicem abjecit, & non modò ad Cleri, ſed & Laicorum etiam genua advolutus eſt; ita ut Chriſti miſericordis Eccleſia illum magnoperè commiſerata, lamentis unà ſe dederet. Attamen ille, licèt multis precibus uſus fuiſſet, & plagarum vibices, quas pertulerat, oſtendiſſet, vix tandem in communionem Eccleſiæ receptus fuit*, μόλις κοινωνηθῆναι. Duo hic clariſſimè lucent, Pœnitens vehementer contritus brevi cum Pœnitentia receptus: Deinde Pœnitentiam agentium miſerabilis habitus, & humilitas ad miſericordiam commovendam, & ad lachrymas ciendas totus comparatus.

X. Pœnitentias ante reconciliationem longas non fuiſſe, totus Tertulliani liber de Pœnitentia videtur mihi demonſtrare, cujus rei multa ſunt argumenta. Primùm nuſquam temporis meminit. Cum autem totus liber nihil aliud tractet, quàm Pœnitentiæ argumentum, ſi pœnæ tum temporis, ut poſteà factum eſt, imponebantur, decem, quindecim, & viginti annorum, non rarò in totam vitam, ſanè de pœnarum duratione, & relaxatione tractatus erat habendus, quòd poſt pœnarum illarum conſtitutionem fecerunt quotquot de illis vel tantillùm ſcripſerunt, aut ſtatuerunt. Deinde qua ratione de pœnis illis intelligi poſſunt hæc verba *c.*10. *Cùm te ad fratrum genua protendis, Chriſtum contrectas, Chriſtum exoras. Æquè illi cùm ſuper te lachrymas agunt, Chriſtus patitur, Chriſtus*

patrem deprecatur . Facilè impetratur ſemper, quod filius poſtulat . An facilè impetratur quod ſeptem, quod decem annis, &c. tantis cum ejulatibus à Deo tandem conceditur? Hoc ſupra rectè Joannes Apoſtolus promiſerat Prædoni, quem poſt aliquot ſeptimanarum jejunium Eccleſiæ reſtituit: ſed cum viginti anni expectandi ſunt, aut vitæ exitus, quis tam diuturnam rei optatiſſimæ expectationem impetrationis facilitate inſigniaverit? Idem demonſtrant fraternitatis preces, quibus exoratur peccatoris reconciliatio, quarum Tertullianus, aliique citati meminerunt. Non enim factæ dicuntur poſt Pœnitentiæ ſeptem decemve annos, &c. Ut fieri oportuit, ſi annorum quindecim, aut viginti pœnæ imponebantur, ſed ſtatim eum primum conciliatus, & lachrymabundus pœnitentiam efflagitabat. Quis enim in ipſo ingreſſu Pœnitentiæ indulgentiam urgeret, quæ ex Eccleſiæ ſtatuto in decimum, aut decimum quintum annum eſſet differenda? Tertiò idem demonſtrant comparationes, quibus utitur drachmæ perditæ, & inventæ, oviculæ errantis à Paſtore repertæ, & in ovile reportatæ, & filii prodigi, de quo ſic ſcribit. *Illam etiam mitiſſimam Patrem non taceba, qui prodigum filium revocat, & poſt inopiam peniteutem libens ſuſcipit, &c. Quis ille nobis intelligendus Pater? Deus ſcilicet. Tam Pater nemo: tam pius nemo. Is ergo te filium ſuum, etſi acceptam ab eo prodigeris, etſi nudus redierit, recipiet, quia rediiſti, magiſque de regreſſu tuo, quàm de alterius ſobrietate lætabitur, ſed ſi peniteat ex animo, &c.* Et verba ſcripturæ, & Tertulliani, & comparationis redditio longum tempus poſt erroris cognitionem ad reconciliationem uſque non admittunt, ut cuique legenti perſpicuum mihi videtur. Denique multa enarrat, quæ ad Pœnitentiam detrectantibus obiici ſolebant, quòd hac actione crimina ſua publicabant, quòd irridendos ſeſe propinabant, quòd corporis incommoda reformidabant, eo quòd, ut ipſe ait, *Extra lætitiam oportet diverſari, in aſperitudine ſacci, & horrore cineris, & oris de jejunio vanitate*: Quanta fuiſſet Pœnitentiam detrectantium exaggeratio, quàm propoſito accommodata, At hæc jejunia, has ſordes annis decem, annis viginti tolerare nos oportet: Hujus tamen excuſationis ne veſtigium quidem.

XI. Nec hic omittendi ſunt canones Apoſtolici, qui licet ferè omnes, quotquot ſunt, pœnas indicant Clericis vel Laicis, nuſquam tamen, ſi unum excipias, tempus aliquod definiunt, quod ſanè definire prorſus neceſſarium erat, ſi mortalium peccatorum pœnitentiam agere annos ſeptem, decem, quindecim, &c. Eccleſiaſtica conſuetudo tum fuiſſet, ut poſt Novatiani hæreſim ab omnibus Conciliis factum videmus. Sed cùm actio iſta aliquot tantùm hebdomadum, aut menſium eſſet, non abs re Epiſcopo, & Presbyterio temporis moderatio abſolutè permiſſa eſt: cùm verò in multos annos prorogata eſt, Epiſcopis aliquid de tempore canonico minuendi conceſſa tantùm fuit poteſtas, ut Concil. Nicæn. *cap.* 12. & Ancyran. *cap.* 5. Semel tantùm canone videlicet 24. triennii tempus laicis, qui ſeipſos mutilant, imponunt. Quamobrem verò huic ſoli peccato, cùm in multo gravioribus ſileant? Quamobrem Nicena Synodus his nullam pœnam impoſuit, ſed tantùm ne ad Clerum promoverentur, prohibuit? Quamobrem *can* 23. Clerico idem facienti depoſitionem minatur nulla temporis definitione adjecta, cùm ubique canones illi de Clerico, & Laico ſancientes, depoſitionem illi, ſegregationem verò huic intentent, neutri autem tempus definiant? Proculdubio irrepſerunt hæc verba, *τριετίαν*, quibus ſolis *canon* 24. differt à præcedente: Vel poſt Montanum, aut etiam Novatum à quibuſdam Conciliis Orientalibus ſic ſtatutum eſt, & in canones illos poſteà relatum. Conſtat enim, collectionem iſtam non modò canones Apoſtolicos, ſed etiam aliquot alios variis locis, & temporibus in Oriente editos complecti.

XII. Opponetur forſan, quod ſcribit Clemens Alexandrinus *Stromat. lib.* 6. ante medium, Sanctum Petrum prædicantem retuliſſe hanc ex Domini verbis ſententiam, *Si quis velit ex Iſrael duci Pęnitentia, & propter nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata poſt duodecim annos*. Si hoc in baptiſmo contigit, quanto magis in Pœnitentia poſt baptiſmum? Verùm hæc Clemens ex nonnullis libris Apocryphis deſumpſit, ut pleraque alia eodem loco, quæ univerſæ praxi Eccleſiæ contraria ſunt, ut per ſe planum eſt, & multis probatum *lib.* 3. *cap.* 2 & 3. Deinde exemplis adverſantur, quæ nobis ſuppeditant, & Evangelium, & actus Apoſtolorum, qui fidem profitentes ſtatim, & eodem die baptiſmo donarunt, & fidelium collegio allegerunt.

CAPUT X.

Eaſdem pęnas à Montano ad Novatum paulò auctas, breves tamen admodum fuiſſe cum ſequente ſeveritate comparatas variis argumentis ex Cypriano, Cornelio Pontifice, & Clero Romano colligitur. Quanti temporis fuerint.

POſt Tertullianum, & Montaniſtarum hæreſim, qui Męchiæ, Homicidio, & Idololatriæ veniam ab Eccleſia dari poſſe negabant, Eccleſiæ diſciplina in Pęnitentes ſeverior eſſe cępit; ſic ratione poſtulante, peccata hominum quò frequentiora ſunt, eò ſeverioribus pęnis eſſe coercenda. Ideò Sancto Cypriano Epiſcopum agente, ſub ipſis Novatianæ hæreſis initiis, aut paulò ante, nonnihil ubique ſeveritas illa creverat, & paucis in locis juſtum modum in immenſum exceſſerat. Qualis erat Romæ, in Italia, & Africa nobis hoc capite enarrandum ſuſcipimus. Breviſſimam Pęnitentiam eo tempore ſceleribus imponi ſolitam, ſi ad uſum poſteriorem examinetur, multis evidentibus argumentis colligitur. Primum ex Lapſorum tumultu, qui contendebant ſine Pęnitentiæ actione reconciliationem ſibi deberi, eo quòd à Martyribus libellos pacis accepiſſent, ut videre eſt *Epiſtola* 55. *S. Cypriani ad Corneliam, & Epiſt.* 30. 31. *Clers Romani ad Cyprianum*. An probabile, Lapſos in Idololatriam, cujus cauſa annorum duodecim, aut quindecim Pęnitentia poſt Novatum impoſita eſt, reconciliationem nulla acta Pęnitentia petituros?

II. Ejuſdem rei illuſtre eſt argumentum, authoritas Martyribus data Pęnitentiam ſceleribus impoſitam non modò minuendi, ſed etiam auferendi, ita ut eorum precibus communicatio ſceleratis concederetur, eaque de cauſa paſſim Martyres in carceribus, in metallis, in equuleis à Pęnitentibus, & ſcelerum Reis exambirentur. Chriſtianarum hæc erat antiquiſſima conſuetudo, cùm vivente Tertulliano fuerit vulgata. En libellum à Martyre obtinebat Męchus, Idololatra, Homicida, quo ſignificabat Martir ſe huic N. pacem dari cupere, ſtatimque abrupto Pęnitentiæ ſtadio reconciliabatur. Quæ fuerit libelli forma, quis honos illi delatus, qua ratione tandem in abuſum converſus eſt, infra fuſè deſcribemus. Sed vel hinc manifeſtiſſimum eſt, Pęnitentiales pęnas non adeò diuturnas fuiſſe; cùm unius Martyris libellus multis ſceleratis pęnas omnes remittere potuerit.

III. Deinde idem convincit Sancti Cypriani querela de quibuſdam Presbyteris, qui Lapſis multis communicationem nulla acta Pęnitentia conceſſerant, quam videre potes *Epiſt.* 10. *& ſequentibus*. Infra teſtimonia ipſa in alia cauſa referemus. Hæc ſolum ex libello de Lapſis, in quo hanc cauſam fuſè iterùm tractat, exſcribemus: *A Diaboli aris revertentes ad Sanctam Domini ſordidis, & infectis nidore manibus accedunt: Mortiferos idolorum cibos adhuc penè ructantes, exhalantibus etiam nunc ſcelus ſuum faucibus, & contagia funeſta redolentibus Domini corpus invadunt.* Et *Epiſt.* 55. inter varia ſcelera Presbyterorum illorum hoc enumerat, *A primo ſtatim perſecutionis die, cùm recentia delinquentium facinora ferverent, & Sacrificiis nefandis non tantùm Diaboli altaria, ſed adhuc manus ipſæ Lapſorum, atque ora fumarent, communicare cum Lapſis, & Pęnitentiæ agendæ intercedere non deſtiterunt, &c. Intercedant, ne rogetur Deus, &c. Intercedant, ne exoretur precibus, & ſatisfactionibus Chriſtus, &c.* Si graviſſimo huic peccato multorum annorum pęnitentiam imponere conſuetudo fuiſſet Eccleſiaſtica, nec Preſbyteris in mentem veniſſent nulla acta ex Eccleſiæ præſcripto Pęnitentia reconciliationem concedere, nec Lapſis ante actam aliquot annis Pęnitentiam ex Eccleſiæ lege eam efflagitare.

IV. Hoc comprobatur duobus decretis, in cauſa, & tumultu Lapſorum latis. Priore Eccleſiæ Romanæ, & Carthaginenſis, quod erat proviſorium, & ejuſmodi: Lapſos, quorum exitus urgebat, ſi literas à Martyribus accepiſſent, ſtatim reconciliandos eſſe; cæteros, qui Pęnitentiam agere nolebant, ſed ſtatim reconciliari, quidquid murmurent, & tumultuentur, differendos, donec pax Eccleſiæ reddita eorum cauſas, & excuſationes in Epiſcoporum concilio examinari permitteret, ut videre potes *Epiſt.* 12. 13. 14. & 52. Quamobrem, dices, morientibus reconciliandis addidiſti, *Si literas à Martyribus acceperint?* Præſto eſt reſponſum: Eo tempore Lapſis, & ſcelerum Reis, qui Pęnitentiam urgente morte petere incipiebant, pax denegabatur, ut multis infra demonſtrabimus. Verùm ii, de quibus agimus, Pęnitentiam

petere

Digitized by Google

petere nolebant, ſed ea contempta reconciliationem importunè extorquere volebant. Nihilominus propter Martyrum literas in fine reconciliatio clementer indulgetur. Alterum decretum erat peremptorium, quod Eccleſiæ Romana, & Carthaginenſis, pace per mortem Decii brevi reddita, concilio coacto ediderunt, cujus meminit *Epiſt.* 55. Cyprianus, *Concilio frequenter acto non conſenſione tantùm noſtra, ſed & comminatione decrevimus, ut Pœnitentiam fratres agerent; ut Pœnitentiam non agentibus nemo temerè pacem daret*. Ex quibus manifeſtum eſt, Lapſos illos reconciliationem repentinam, & ſine Pœnitentia poſtulaſſe, eorumque nonnullos à quibuſdam Presbyteris ſic reconciliatos fuiſſe. *Epiſtola* 52. clarius hoc edictum enarrat, decretum ſcilicet, ut *traheretur diù Pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur cauſæ, & voluntates ſingulorum ſecundùm quod libello continetur, quem ad te perveniſſe confido, ubi ſingula placitorum capita continentur* Si expreſſiſſet Cyprianus, quandiù trahi debuiſſet, Pęnitentia illa omni ſcrupulo nos exemiſſet. Hoc procul dubio continebat libellus Concilii, ſed illius memoria obliterata eſt. Notandum Romanum Concilium cum Africano, ut idem teſtatur Cyprianus, in eandem ſententiam conſpiraſſe. Quod dixit *Epiſt.* 52. diù trahi Pęnitentiam, ſcribit *Epiſt.* 54. agere diu Pęnitentiam plenam.

V. Quamdiù duraverit Pęnitentia illa, nobis aliunde inquirendum eſt. Factum eſt Concilium poſt Decii mortem Eccleſiæ reddita pace, & Cypriano ad Eccleſiam ſuam reverſo. Hoc autem contigit paulò poſt Paſcha, ut ex fine *Epiſtolæ* 40. demonſtratur. Eodem tempore Romæ ſtatim poſt perſecutionis ceſſationem Cornelius creatus eſt Epiſcopus ad quem ſcripſit *Epiſtolas* 41. 42. 43. approbationem continentes electionis ipſius, & contrariæ factionis repudiationem. Cùm igitur Cyprianus paulò poſt Paſcha ad Eccleſiam redierit, literas à Cornelio de ipſius ordinatione acceperit, aliàs à Novatiano, & ipſius factione, Caldonium & Fortunatum Epiſcopos de rei veritate inquiſituros Romam miſerit, Stephanum & Pompejum à Cornelio eadem de cauſa Carthaginè miſſos in Concilio audierit, ut ex *Epiſtolis* 41. 42. colligitur, ante menſem Julium, licèt hæc omnia quàm citiſſimè facta fuiſſe quis aſſerat, Concilium illud celebrari non potuit. Epoche igitur illius Concilii eſt annus Chriſti 252. quo mortuus à Chronologis dicitur Decius, menſis Julius, aut Auguſti initium.

VI. Huic jacto firmo fundamento aliud ex eodem Cypriano, & hiſtoria Eccleſiaſtica ſuperſtruendum; anno ſcilicet ſequente Gallum, & Voluſianum, qui Deciis occiſis ſucceſſerant, perſecutionem in Chriſtianos commoviſſe; Sanctumque Cyprianum perſecutionem illam divinitus præſentientem Concilium celebraſſe, quo ſtatutum eſt, ut omnibus Lapſis qui Pęnitentiam ſincerè hactenus egerant, pax daretur. Hanc perſecutionem, antequam emicaret, præſentit Cyprianus, ut teſtatur *Epiſt.* 54. *Sed enim cùm videamus diem rurſus alterius infeſtationis appropinquare cępiſſe, & crebris, atque aſſiduis oſtenſionibus admoneamur, ut ad certamen, quod nobis hoſtis indicit, armati, & parati ſimus, &c. neceſſitate cogente cenſuimus eis, qui de Eccleſia Domini non receſſerunt, ſed pęnitentiam agere, & lamentari, ac Dominum deprecari à primo Lapſus ſui die non deſtiterant, pacem dandam eſſe, & eos ad prælium, quod imminet, armari, & inſtrui oportere*. Ex his verbis duo colliguntur: Prius, Sanctum Cyprianum divinitus de iſta perſecutione admonitum. Poſterius illum cum Concilio ſuo judicaſſe pacem Lapſis in precedente perſecutione eſſe concedendam, qui ſincerè, atque ex animo à die Lapſus ſui Pęnitentiam agere non deſtiterant. Hoc autem poſt etius tota Epiſtola, quæ longa eſt, variis rationibus demonſtrat. Quia autem hoc decretum priori, quo jubebatur diu trahi pęnitentia, non convenire videbatur, diſparitatis rationem reddit, *Meritò trahebatur dolentium Pęnitentia tempore longiore, ut infirmis in exitu ſubveniretur, quamdiù quies, & tranquillitas aderat, quæ differre diù plangentium lacrymas, & ſubvenire ſerò morientibus in infirmitate pateretur. At verò nunc non infirmis, ſed fortioribus pax neceſſaria eſt, nec morientibus ſed viventibus communicatio à nobis danda eſt, ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis, & corporis Chriſti muniamus. Et cum ad hoc fiat Euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra Adverſarium volumus, munimento Dominicæ ſaturitatis armemus, &c.* Rationes iſtas multis tota Epiſtola exaggerat, & quæ obiici poterant, diſſolvit.

VII. Quæritur nunc quando celebratum eſt Concilium illud. Jam conſtat ante commotam perſecutionem celebratum fuiſſe. Sed Sanctus Cyprianus *Epiſtola* 55. diem notat, idus ſcilicet Majas. Addit inſuper prius Concilium anno præcedente habitum fuiſſe; oſtendimus autem id ante menſem Auguſtum fieri non potuiſſe. Itaque interſtitium inter utrumque Concilium novem menſes ſuperare non potuit. Cùm igitur pax data eſt Lapſis in perſecutione Deciana novem tantum menſes egerant Pęnitentiam canonicam, id eſt, auctoritate Eccleſiæ ſibi impoſitam: Canonicam dico, eo quòd eorum multi qui initio perſecutionis Lapſi erant, Concilium prius, ut juſſi erant, expectantes, Pęnitentiæ actionem ante illud tempus inchoaſſe poterant. Verùm nos Pęnitentiam canonicè impoſitam ſpectamus, licèt ſpontanea meritum ſuum, & æſtimationem habeat. Immò vix ſeptem menſium potuit eſſe illa Pęnitentia. Interceſſerunt enim dies multi à Decii morte ad nuntia mortis Carthaginem delata: Deinde indici oportuit Concilium, & celebrari, & unicuique ſignificari. Congruo igitur tempore his rebus agendis dato, vix ſeptem menſes interſunt inter Pęnitentiæ Canonicæ his Lapſis impoſitionem, & pacem iiſdem conceſſam. Ex iis, quæ dicta ſunt, tria evidenter conſequuntur: Primum, Sancti Cypriani tempore Pęnitentias longas non fuiſſe, ſed unius, aut in maximis peccatis alterius anni. Secundum, pro variis temporis, & perſonarum circumſtantiis Pęnitentias illas, licèt breves ſi poſterioribus comparentur, facilè diminui ſolitas. Tertium, univerſum hoc Eccleſiæ poteſtati à Deo permiſſum eſſe, hocque eſſe legitimum quod ipſa ſtatuerit. Huic fundamento innititur Cyprianus initio *Epiſt.* 54. ubi de prioris decreti relaxatione verba facit, & relaxationis rationes reddit. Prima enim occurrit, *Quando permiſerit ipſe, qui legem dedit, ut ligata in terris etiam in cęlis ligata eſſent, ſolvi autem poſſent illic, quæ hic prius in Eccleſia ſolverentur*.

VIII. Ut autem, lector, magis cognoſcas S. Cypriani, & Concilii ſui in Pęnitentes clementiam, conſideres velim, qua ratione in eos invehatur in fine ejuſdem *Epiſt.* 54. qui nollent indulgentiæ poſterioris Concilii acquieſcere, qua graviſſimis criminibus eluendis ſeptem menſium Pęnitentia ſufficere decreta eſt, *Quòd ſi de Collegis aliquis extiterit, qui urgente certamine pacem fratribus, & ſororibus non putat dandam, reddet ille rationem in die judicii Domino, vel importunæ cenſuræ, vel inhumanæ duritiæ ſuæ. Nos quod fidei, & charitati, & ſollicitudini congruebat, quæ erant in conſcientia noſtra, protulimus*.

IX. Menſe uno, aut altero ante poſterius Concilium quidam Epiſcopi Cyprianum conſuluerunt de nonnullis, qui initio Decianæ perſecutionis prehenſi, fortiter primò reſtiterant, ſed ſecundo tenti cruciatibus tandem ceſſerant, & ſacrificaverant, atque ab eo tempore hactenus, hoc eſt, ut ait, *Per hoc triennium à Pęnitentia agenda non deſtiterant*, Reſpondet Cyprianus *Epiſt.* 53. non modò fas eſſe eos ad communionem recipere, ſed etiam recipi debere, *Quod ad mei animi ſententiam pertinet, puto, his indulgentiam Domini non defuturam, quos conſtat ſtetiſſe in acie, &c. quibus exiſtimamus ad deprecandum clementiam Domini poſſe ſufficere quod triennio jugiter, ac dolenter, ut ſcribitis, cum ſumma Pęnitentiæ lamentatione planxerunt, &c.* Hujus rei argumentum ſumit ex decreto prioris Concilii, quod ſtatuerat reconciliandos quoſcunque, ſi exitus urgeret; multò magis, inquit, qui fortiter pugnarunt, licèt tandem ceciderint. Triennium autem illud non erat Pęnitentiæ injunctæ; octo enim, vel ſeptem menſes ab injuncta Pęnitentia tantum effluxerant. Quo Sancti Cypriani conficitur per brevi admodum pęnitentia ejuſmodi homines mulctandos, quum in reconciliatione moribundis pręferri debeant: moribundis autem differri non debeat reconciliatio. Nam quod tamdiù dilata ſit, interrogantium factum eſt ſcrupuloſa religione. Sed quàm primùm hoc ad Cyprianum delatum eſt, definivit, eos reconciliatione donandos. Eadem criminis ſpecies enarratur *can.* 4 & 5. Ancyranis, ſed longè ſeverior pęna illic indicitur, ut & à Petro Alexandrino *can.* 1. & 2 licèt Petrus ubique ſit Patribus Ancyranis clementior.

X. Notabit autem lector, Sanctum Cyprianum cum Concilio ſuo tempus Pęnitentiæ Lapſorum à præcedente Concilio conſtitutum aliquantum contraxiſſe propter imminentem, ut ait, perſecutionem, ut communione corporis Chriſti Pęnitentes corroborari, & fideles facti, martyrium confidentius ſubirent. Ideò longius erat ordinarium Pęnitentiæ tempus. Deinde ante Pęnitentiam canonicam impoſitam nonnulli. Poſt lapſum menſes aliquot, aut etiam annum, & biennium ſpontè pęnitentiam egerant, quod ex mente Concilii Pęnitentiæ Canonicæ accreſcebat. Itaque ſeptem illis Pęniten-

tiæ actæ menſibus lege extraordinaria contenti ſunt Patres, quibus inſuper adjungenda erat Pœnitentia ante menſes illos ſponté acta.

CAPUT XI.

Ex iiſdem auctoribus demonſtratur, ſceleratiſſimis hominibus ab Eccleſia profugis, animi poſteà compunctione ore, & vultu demonſtrantibus, nonnunquam pacem, & communionem nulla Pœnitentia impoſita ſtatim eſſe redditam. Illius Pœnitentiæ necnon lenitatis pœnarum rationes à Patribus datæ referuntur. Antiqua actionis à Presbyterio inſtruendæ formula enarratur. Pax poſt actam Pœnitentiam data certior, & pluris facta quàm ſine Pœnitentia.

QUanquam poſt Montaniſtarum de Pœnitentia hæreſim ad Novatum uſque nonnihil creviſſet Eccleſiæ adverſus ſcelera ſeveritas, ut capite præcedente enarratum eſt: Sæpè tamen eodem tempore contigit, reconciliationem ſceleratiſſimis hominibus, modò cognita ſceleris ſui gravitate, Eccleſiæ miſericordiam implorarent, ſtatim, nullaque edita Pœnitentiæ exterioris actione præſtari. Hoc eſt quod hoc capite ex SS. Cypriani, & Cornelii Pontificis Epiſtolis demonſtrare ſuſcipimus. Sanctus Cyprianus *Epiſt.* 55. verſus finem ſic ſcribit ad Cornelium de Lapſis, & Sacrificatis, qui idolatriæ peccato hæreſim, ſchiſmaque addiderant, *O ſi poſſes, frater chariſſime, iſthic intereſſe nobiſcum, cùm pravi iſti, & perverſi de ſchiſmate revertuntur, videres quis mihi labor ſit perſuadere patientiam fratribus noſtris, ut animi dolore ſopito recipiendis malis, curandiſque conſentiant. Namque ut gaudent, & lætantur, cum tolerabiles, & minus culpabiles redeunt: Ita contra fremunt, & reluctantur, quoties inemendabiles, & protervi, & vel adulteriis, & ſacrificiis contaminati, & poſthæc adhuc inſuper & ſuperbi, ſic ad Eccleſiam remeant, ut bona intus ingenia corrumpant. Vix plebi perſuadeo, immò extorqueo, ut tales patiantur admitti: Et juſtior factus eſt fraternitatis dolor, ex eo quod unus atque alius obtinente* (forſan obnitente) *plebe, & contradicente, mea tamen facilitate ſuſcepti, pejores extiterunt, quàm prius fuerant, nec fidem Pœnitentiæ ſervare potuerunt, quia nec cum vera Pœnitentia venerant.* Vides evidentiſſimè ſceleratos homines è ſchiſmate redeuntes ſtatim animi compunctione, & contritione verbis ſuis, & fletibus demonſtrata reconciliatos; eoſque duplices fuiſſe, ſceleratiſſimos, & tolerabiles: Priores Sanctum Cyprianum etiam plebe contradicente pace donaſſe; Poſteriores ex uſu Eccleſiæ, & omnibus approbantibus admiſiſſe.

II. Obiicietur forſan, admiſſos ſe ad Pœnitentiam, non ad pacem. Hoc ſi concedatur, nullus erit locus plebis querelæ, cùm ad Pœnitentiam admitti ſoleant quicunque peccatores, eoſque non admittere error ſit Novatianorum, qui tum exoriebatur. Deinde dicit, ejuſmodi homines nonnunquam bona intus ingenia corrumpere, quod de Pœnitentibus dici non poteſt, qui fidelibus in nulla re ſacra commiſcentur, atque ſemper dicuntur ἀκοινώνητοι. Sed verba accedentia evidenter demonſtrant, qua de re agatur. *Quibuſdam enim ita aut crimina ſua obſiſtunt, aut fratres obſtinatè, & firmiter remittuntur, ut recipi omnino non poſſint cum ſcandalo, & periculo plurimorum. Neque enim ſic putamina quædam colligenda ſunt, ut quæ integra & ſana ſunt vulnerentur; nec utilis aut conſultus eſt paſtor, qui ita morbidas, & contactas oves gregi admiſcet, ut gregem totum mali cohærentis afflictatione contaminet. O ſi poſſes, &c.* Idem verba ſequentia demonſtrant quibus agit de aliis Idololatris, & Schiſmaticis quos ad communionem admittere nolebat. Explicat Cornelio quos admittat, quos nolit admittere, *Denique ſi qua illis excuſatio, & defenſio poteſt eſſe* (graviſſimorum criminum accuſabantur, quæ confiteri nolebant) *videamus quem habeant ſatisfactionis ſuæ ſenſum, quem afferant Pœnitentiæ fructum. Nec Eccleſia cuiquam iſthic clauditur, nec Epiſcopus alicui denegatur, Patientia, & facilitas, & humanitas noſtra venientibus præſto eſt. Opto omnes in Eccleſiam regredi: Opto univerſos commilitones noſtros intra Chriſti caſtra, & Dei Patris domicilia concludi; remitto omnia, multa diſſimulo, ſtudio & voto colligendæ fraternitatis, etiam quæ in Deum commiſſa ſunt, non pleno judicio religionis examino; delictis pluſquam oportet remittendis pene ipſe delinquo: amplector prompta, & plena dilectione cum pœnitentia revertentes, peccatum ſuum ſatisfactione humili confitentes.* Vides virum Sanctum in Idololatris, & Schiſmaticis illis intra ovile Chriſti colligendis, licèt variis præter grandia ſcelera criminibus contaminati eſſent, longam Pœnitentiæ actionem non requirere, ſed tantùm ut animi compunctionem, & anteactorum ſcelerum ſeriam pœnitentiam demonſtrent, humileſque non minaces communicationem ab Eccleſia deprecentur.

III. Quos verò ab Eccleſia eliminet, & quibus rationibus, ab ipſo audiamus: ſtatim enim poſt verba citata eos ſuis coloribus pingit, *Si qui autem ſunt, qui putant ſe ad Eccleſiam non precibus ſed minis regredi poſſe; aut exiſtimant aditum ſibi non lamentationibus, & ſatisfactionibus, ſed terroribus facere, pro certo habeant, contra tales clauſam ſtare Eccleſiam Domini, nec caſtra Chriſti invicta, & fortia, & Domino tuente munita minis cedere.* Paulò poſt clarius adhuc cauſas, ob quas Idololatrias, & Schiſmaticos illos non recipiebat, Cornelio exponit, *An ad hoc, frater chariſſime, deponenda eſt Catholicæ Eccleſiæ dignitas, & plebis intus poſitæ fidelis atque incorrupta majeſtas, & Sacerdotalis quoque authoritas ac poteſtas, ut judicare velle ſe dicant de Eccleſiæ Præpoſito extra Eccleſiam conſtituti, de Chriſtiano Hæretici, de ſano ſaucii, de integro vulnerati, de ſtante lapſi, de judice Rei, de Sacerdote ſacrilegi.* Cauſæ illæ ſunt propter quas ſcelerati iſti Idololatræ ab Eccleſia expulſi in eam poſteà admiſſi non ſunt. At ſi lamentabundi, & lachrymabundi admiſſionem petiiſſent, ſeſeque lugubri habitu Eccleſiæ judicio dediſſent, quam impoſuiſſet pœnam lubenter ſubituri, non ſecus ac alii, nulla aut quàm brevi pœnitentiæ propter fraternitatis è ſchiſmate colligendæ ſtudium mulctati fuiſſent. Sed ſatius à Sancto Cypriano, & Catholicis Africæ Epiſcopis judicatum eſt, ſceleratos iſtos ſeſe cum ſchiſmate inquinaturos dimittere, quàm nulla Pœnitentiæ ſigna demonſtrantes, immò minas Eccleſiæ intentantes admittere.

IV. Secundum ejuſdem clementiæ exemplum ex actione Sancti Cornelii Pontificis colligitur, qui Schiſmaticos, & Hæreticos multos ad Eccleſiam redeuntes ſine Pœnitentia excipit. Paulò longiores in eo enarrando erimus, eo quòd Cornelius ad Cyprianum de hac reconciliatione verba faciens antiquam litis Chriſtianæ in puniendis criminibus inſtructionem accuratè referat, quam ſic obiter ex Cornelio deſcribere non judicamus fore ſupervacaneum. Anno præcedente ſchiſma factum in Eccleſia Cathaginenſi per Fortunati in Epiſcopum electionem. Novatianus Novati factione in Epiſcopum Romæ adverſus Cornelium creatus eſt. Huic creationi nonnulli Confeſſores à Cornelio deficientes conſenſerunt, ſeſeque infando ſchiſmate polluerunt. Literas inſuper calumniis, & maledictis plenas adverſus Cornelium ſparſerant, penèque, ut ſcribit ad Cyprianum Cornelius, omnes Eccleſias perturbaverant. Speciosum enim Confeſſorum nomen multos in errorem inducebat, Novatianoque addicebat, quaſi cum Confeſſoribus communicanti. Eos, ut ad Eccleſiam redeant, monet Cyprianus *Epiſt.* 44. Paulò poſt conſcientiæ aculeo puncti pacis, & unitatis ſe amantes eſſe fratribus quibuſdam ſignificant. Verum his verbis plenam fidem non adhibebat Cornelius. *Poſteà verò*, ſcribit Cornelius, *Urbanus & Sidonius Confeſſores ad Presbyteros noſtros venerunt, affirmantes Maximum Confeſſorem, & Presbyterum ſecum pariter cupere in Eccleſiam redire.* Necdum tamen fidem adhibebat Cornelius his rationibus motus, *Sed quoniam multa præceſſerant ab eis deſignata, quæ in quoque à Coepiſcopis noſtris è litteris meis cognoviſti, ut non temere eis fides adhiberetur, ex ipſorum ore, & confeſſione, iſta, quæ per legationem mandaverant, placuit audiri.* Vocati igitur veniunt ore proprio confeſſionem edituri: *Qui cùm veniſſent, & à Presbyteris, quæ geſſerant, exigerentur, noviſſimè quod per omnes Eccleſias literæ calumniis & maledictis plenæ, eorum nomine frequenter miſſæ fuiſſent, & penè omnes Eccleſias perturbaſſent, circumventos ſe eſſe affirmaverunt, nec quid in iſtis literis ineſſe, ſciſſe: tantummodo circumductos commiſiſſe ſe quoque Schiſmatis, & hæreſis authores fuiſſe.* Quibus in Cornelii præſentia actis ut iſtis *abolerentur, & de memoria tollerentur, deprecati ſunt.* Quid poſteà Cornelius, cùm nullam prævidit de eorum converſione dubitandi occaſionem? Presbyterium convocavit, cui quinque Epiſcopi Romæ tum præſentes adfuerunt, ut ex omnium ſententia, quid opus eſſet facto decernerentur. *Omni igitur acta ad me perlato placuit contrahi presbyterium. Adfuerunt etiam Epiſcopi quinque, qui & hodie præſentes ſunt, ut firmato conſilio quid circa perſonam eorum obſervari deberet, conſenſu omnium ſtatueretur.*

V. Con-

V. Condicto igitur die, veniunt in Presbyterium Schiſmatici illi Confeſſores cum nonnullis, quos converterant, fratribus, idemque profeſſi ſunt, & veniam popoſcerunt. Ex ipſo Cornelio rem, ut geſta eſt, audiamus. *In Presbyterium venerunt Maximus, Urbanus, Sidonius, & Macarius, & plerique fratres, qui ſe eis adjunxerant, ſummis precibus deſiderantes, ut ea, quæ antè fuerant geſta, in oblivionem cederent, nullaque eorum mentio haberetur, proinde atque ſi nihil eſſet vel commiſſum, vel dictum, invicem omnibus remiſſis, cor mundum, & purum Deo exhiberent, &c.* Ut ab iis modeſtè poſtulatum, ita conceſſum à Presbyterio. Sed hoc pro more illius temporis non ſufficiebat: plebs erat hujus indulgentiæ admonenda, *Quod erat conſequens*, proſequitur Cornelius, *omnis hic actus populo fuerat inſinuandus, ut & ipſos viderint in Eccleſia conſtitutos, quos errantes, & palabundos jam diù viderant, & dolebant*.

VI. Quum in frequentem Eccleſiæ conventum eos proditūros, crimenque confeſſuros, & veniam petituros publicatum eſt, magnus plebis concurſus factus eſt, *Una vox erat omnium gratias Deo agentium, gaudium pectoris lachrymis exprimentes, complectentes eos, quaſi hodie pœna carceris fuiſſent liberati*. Tanta fuit Eccleſiæ Romanæ in reditu iſtorum Confeſſorum, & eorum, qui eos comitabantur, lætitia, ut nulla illis impoſita Pęnitentia ſtatim omnibus præ gaudio geſtientibus ad communionem reciperentur. Eadem gratiam cæteris eorum Aſſeclis ad Eccleſiam revertentibus in fine Epiſtolæ pollicetur. Nec tantum Eccleſiæ communioni reſtituti ſunt, ſed Maximo, qui presbyter erat, presbyterale miniſterium redditum eſt, *Maximum Presbyterum locum ſuum agnoſcere juſſimus, cæteros cum ingenti populi ſuffragio recepimus*. Hanc autem Cornelii, & Eccleſiæ Romanæ indulgentiam laudibus in cœlum effert Cyprianus *Epiſt.* 47. *Meritò illos revertentes ſummo, ut ſcribitis, gaudio & Clerus, & plebs, & fraternitas omnis excepit. Quoniam in Confeſſoribus gloriam ſuam conſervantibus, & ad unitatem revertentibus nemo non ſocium ſe, & participem eorum gloriæ computat, &c. Quanto magis eſt gaudium, & in terris pariter, & in cœlo ſuper confeſſoribus ad Eccleſiam Dei cum gloria ſua, & cum laude revertentibus, &c.* Quibus verbis integram cum Eccleſia communicationem evidenter intelligit. Idem prætereà docet iſtorum Confeſſorum Epiſtola poſt reditum ſuum in Eccleſiam ad Cyprianum ſcripta, *Eccleſiæ paci magis conſulentes omnibus rebus prætermiſſis, & Judicio Dei ſervatis cum Cornelio Epiſcopo noſtro pariter, & cum univerſo Clero pacem feciſſe cum gaudio etiam univerſæ*. Sed nihil clarius reſponſo Sancti Cypriani ad eorum literas congratulatorio, quo ſic incipit, *Lectis literis veſtris, quas ad me, fratres chariſſimi, de veſtra regreſſione, & de Eccleſiaſtica pace, ac fraterna redintegratione feciſtis in tantùm me lætatum conſiteor, in quantum fueram & ante lætus, quando confeſſionis veſtræ gloriam comperi, &c.* Sed omnium evidentiſſimè hoc probat Maximo Presbytero dignitas, & functio presbyteralis reſtituta.

VII. Tertium ejuſdem obſervationis exemplum ex Cornelii Papæ facto nobis ſuppeditat Cyprianus *Epiſt.* 52. ad Antonianum. Trophimus Epiſcopus idolis ſacrificaverat: Abſtentus igitur ab Eccleſia prorſus defecerat, ſecumque in ruinam populi multitudinem præcipitaverat. Poſteà ſceleris pęnitens gemebundus regreſſum in Eccleſiam humiliter deprecatur, & pro ſatisfactione longi temporis, quæ ab eo exigenda erat, fratrum multitudinem, quam ſeduxerat, pęnitentem ſecum reducit. Huic Cornelius, & multitudini cum eo redeunti nulla temporis longiore mora interpoſita Eccleſiæ communionem, & pacem reſtituit: *Quoniam cum Trophimo pars maxima plebis abſceſſerat, redeunte nunc ad Eccleſiam Trophimo, & ſatisfaciente, & Pęnitentia deprecationis errorem priſtinum confitente, & fraternitatem, quam nuper abſtraxerat cum plena humilitate, & ſatisfactione revocante, auditæ ſunt ejus preces, & in Eccleſiam Domini non tam Trophimus, quàm maximus fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admiſſus eſt, qui omnes ad Eccleſiam regreſſuri non eſſent, niſi cum Trophimo comitante veniſſent*. Id à Cornelio, & Collegis obtinuit ſalutis populi cura, quæ rebus omnibus, etiam diſciplinæ Eccleſiaſticæ obſervationi meritò præfertur. Ideò adjicit Cyprianus, *Tractatu ergo illic cum Collegis habito ſuſceptus eſt Trophimus, pro quo ſatisfaciebat fratrum reditus, & reſtituta multorum ſalus*. Hac uti diſpenſatione imminens tum colligendæ fraternitatis neceſſitas Cornelium coegit. Sic enim hunc ſermonem ad Antonianum orſus eſt Cyprianus, *Nam ſicut anteceſſores noſtri ſæpè fecerunt, colligendis fratribus noſtris chariſſimus frater noſter Cornelius neceſſitati ſuccubuit*. Ita tamen ſuccubuit Cornelius, ut Trophimus Eccleſiæ communicaret ut Laicus, hoc eſt, precum, & oblationis ut Laicus eſſet particeps, ſed ſacerdotalia munera non exerceret: *Sic tamen admiſſus eſt Trophimus, ut Laicus communicet, non ſecundùm quod ad te malignorum literæ pertulerunt, quaſi locum Sacerdotis uſurpet*.

VIII. Quartum ejuſdem praxis exemplum habetur *Epiſtol.* 19. & 20. Rogat Cyprianum Caldonius *Epiſt.* 19. An Sacrificatis, qui iteratò tenti Chriſtum generosè confeſſi fuerant, atque ideò bonorum publicatione mulctati, pacem dari oporteret: Omnes enim illi pacem petebant, *dicentes, Recuperavimus fidem, quam amiſeramus Pęnitentiam agentes, & Chriſtum publicè ſumus confeſſi*. Hac illa actione ſe pacem meruiſſe contendebant, eorumque poſtulatio Caldonio æqua videbatur: *Quamvis mihi videantur debere pacem accipere, tamen ad conſultum veſtrum dimiſi, ne videar aliquid temerè præſumere*. Quid autem Cyprianus *Epiſt.* 20. *Rectè ſenſiſti circa impertiendam fratribus noſtris pacem, quam ſibi ipſi vera Pœnitentia, & Dominicæ Confeſſionis gloria reddiderunt, ſermonibus ſuis juſtificati, quibus ſe anteà damnaverant*. Additque, eos poſteriore virtute omne delictum abluiſſe, & primam maculam deleviſſe. Hæc poſterior actio longæ, & ſeveræ Pęnitentiæ vicem geſſit, tantique eam fecit Cyprianus, ut ibidem in hoc votum exclamaverit, *Utinam ſic, & cęteri poſt Lapſum Pęnitentes in ſtatum priſtinum reformentur*. Illud enim, quod potiſſimum ſpectat Eccleſia in reconciliationis præſtatione, non eſt Pęnitentiæ longitudo, aut ſeveritas, ſed ſinceritas, & veritas, quæ nullo alio argumento certius probari poteſt.

IX. Eſt igitur evidentiſſimum, Pęnitentias ab antiquiſſimis Patribus impoſitas ad Montanum uſque breviſſimas fuiſſe; poſt Tertullianum verò diuturniores, ita tamen ut annum unum, aut alterum vix excederent. Sæpiſſimè verò, ex Epiſcoporum Concilio, & urgentibus de cauſis abbreviatas, & nonnunquam nullas eſſe graviſſimis ſceleribus impoſitas, ſed interiori Contritioni, verbis, & fletibus præſentibus eos, ita credidiſſe, ut nihil inſuper laborioſum imponeretur, ſed illicò communio redhiberetur: Nam ut ait eodem loco Cyprianus, *Si pœnitentiam reſpuamus habeat iam aliquam fiduciam tolerabilis conſcientiæ, ſtatim cum uxore, cum liberis, quos incolumes reſervaverant, in hæreſim, vel ſchiſma Diabolo invitante rapiuntur, & adſcribetur nobis in die judicii, nec ovem ſauciam curaſſe, & propter unam ſauciam multas integras perdidiſſe*. Œconomiam iſtam obſervandam eſſe præclarè probat Cyprianus ea Chriſti actione, vulgata quidem, ſed appoſitè applicata, quæ hoc difficillimo propter hæreſes tempore, & diligenter adnotanda, & prudenter in praxim revocanda, *Cùm Dominus relictis nonaginta novem ſuis unam errantem, & laſſam quæſierit, & inventam humeris ſuis portaverit, nos non tantùm non quæramus lapſos, ſed & venientes arceamus: Et cum Pſeudoprophetæ gregem Chriſti nunc vaſtare, & lacerare non deſinant, occaſionem canibus, & lupis demus, ut quos perſecutio infeſta non perdidit, eos nos duritia noſtra, & inhumanitate perdamus. Et ubi erit, frater chariſſime, quod Apoſtolus dicit? Omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalventur, &c.*

X. His rationibus addi poteſt ea, quam reddit Caſſianus *collationis* 21. *cap. cap.*30. Quadrageſimalis jejunii primis Eccleſiæ naſcentis initiis non præcepti: Utriuſque enim eadem prorſus ratio. *Arctiſſimis jejuniorum terminis non claudebantur, qui totum anni ſpatium æquali jejunio concludebant. Verùm cum ab illa Apoſtolica devotione deſcendens quotidiè credentium multitudo ſuis opibus incubaret, nec eos uſus cunctorum ſecundùm Apoſtolorum inſtituta divideret, ſed privatim impendiis ſuis conſulens non ſervare tantùm, ſed etiam augere contenderet, Ananiæ & Saphiræ exemplum non contenta ſectari, id tunc univerſis Sacerdotibus placuit, ut homines curis ſæcularibus illigatos, &c. ad opus Sanctum Canonica jejuniorum indictione revocarent, & velut legalium decimarum neceſſitate compellerent*. Dicam pariter primitivæ Eccleſiæ zelum, pietatem, devotionem tam inſignem fuiſſe, peccantium converſionem tam ardentem & inflammatam ut ſeveriſſimis illis pęnis infligendis nullus eſſet locus. Iſtiuſmodi converſionis exemplum legitur in illo Corinthio, quem timebat Sanctus Paulus, ne triſtitia abſorberetur. Poſteà tamen creſcente Chriſtianorum iniquitate, & refrigeſcente charitate, ſeverioribus remediis occurrendum fuit ſerpenti malo. Ejuſdem obſervationis aliud argumentum eſt diſciplina in adminiſtratione baptiſmi obſervata. In illis primis Eccleſiæ initiis cognita converſione, & profeſſâ fide non

differebatur baptiſmus, ſed petentibus ſtatim concedebatur, *act. 2. v. 41. Qui ergo receperunt ſermonem ejus, baptizati ſunt; & appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia*. Eodem die baptizati quo converſi ſic *cap. 8.* Eunuchus audita Philippi prædicatione, & fide in Chriſtum profeſſa, ſtatim nulla mora facta baptizatus eſt. Poſteà tamen deſerveſcente paulatim Catechumenorum zelo in multos dies, menſes, atque etiam annos, Sancti Patres baptiſmum aliquando retardarunt.

XI. Quanquam autem variis occaſionibus jam explicatis, aliiſque occurrentibus, nulla impoſita pœna Abſolutionem, & communionem graviter peccantibus largirentur, longè tamen pluris faciebant fructum reconciliationis pœnitentia legitimè acta datæ, quàm ejuſdem ſine acta Pœnitentia conceſſæ. Nam ſicut reconciliationis moribundis ante ſuſceptam Pœnitentiam, cùm ſani eſſent, conceſſæ fructum in dubium revocabant, ſic & fructum iſtius, de quo loquimur. Ideò Cornelius Papa eadem *Epiſtola 46.* cùm dixiſſet, omnes illos ſciſmaticos fuiſſe receptos, addit, *Omnia autem remiſimus Deo omnipotenti, in cujus poteſtate ſunt omnia reſervata*. Et Clerus Romanus *Epiſt. 31.* cùm cenſeret Lapſis moribundis reconciliationem ante actam Pœnitentiam eſſe præſtandam, ſi lachrymis & gemitibus verè pœnitentis animi ſigna ederent, addit quoque. *Deo ipſo ſciente quid de talibus faciat, & qualiter judicii ſui examinet pondera; nobis tamen anxiè curantibus, ut nec pronam noſtram improbi homines laudent facilitatem, nec verè pœnitentes accuſent noſtram quaſi duram crudelitatem*. Eodem modo Cyprianus *Epiſt. 52.* in eadem cauſa, quem ſupra retulimus. Licèt autem ea fuerit communis Eccleſiæ ſententia, pauci tamen Epiſcopi Africæ ante Sanctum Cyprianum Mœchis reconciliationem prorſus negabant, & conſequenter Pœnitentiam. Verùm mos ille diverſus Eccleſiæ pacem non rupit, unoquoque in ſuo ſenſu abundante: *Manente concordiæ vinculo*, inquit Cyprianus, *& perſeverante Catholicæ Eccleſiæ individuo Sacramento, actum ſuum diſponit, & dirigit unuſquiſque Epiſcopus, rationem propoſiti ſui Domino redditurus*.

CAPUT XII.

Epiſcopos, Presbyteros, ac Diaconos tribus primis ſeculis & Pœnitentiæ publicæ, & manuum impoſitioni ſicut Laici obnoxios fuiſſe: Poſteà privatim, & in ſeceſſu Pœnitentiam egiſſe; antiquum tamen morem multis in locis, ſaltem in volentibus, diutius retentum. Nonnullæ objectiones enodantur.

EOdem tempore nulla videtur diſtinctio fuiſſe in actione Pœnitentiæ inter Clericos, & Laicos, hoc eſt, utroſque exigentibus peccatis publicè, & eodem modo Pœnitentiam egiſſe. Obſervabatur quidem ea peccatorum & pęnarum diſtinctio, ut propter quæ crimina Laici ad Pęnitentiam amandabantur, propter eadem Clerici deponerentur, & in ſortem Laicorum redigerentur, nulla ipſis humili impoſita Pęnitentia. Duabus tamen de cauſis Clerici eo tempore ad Pęnitentiam damnari ſolebant: Prior, ob crimen, propter quod depoſiti fuerant, repetitum; Poſterior, ob crimen gravius, eo quòd depoſitione puniebatur. De his pęnis, illarumque cauſis egimus *Exercitat. Eccleſiaſt. lib. 2. Exercitatione 10. 20. & 21.* differentiamque ex S. Leone, *& Concilio Carthagin. 5.* inter Laicos & Clericos Pęnitentes duplicem aſſignavimus, quòd Clericis manus non imponerentur, nec lugubri habitu publicè in Eccleſia comparerent, ſed ſecreto in loco, atque à fidelium conſpectu remoto ex Epiſcopi mandato pęnas impoſitas ſubirent. Præter iſtos auctores ad hanc conſuetudinem evidenter alludit Sanctus Hieronymus *Epiſt. 48.* ad Sabinianum Diaconum lapſum, *Hortatus ſum, ut ageres Pęnitentiam, & in cilicio, & cinere volutareris, ut ſolitudinem peteres, ut viveres in Monaſterio, ut Dei miſericordiam jugibus lachrymis implorares*. Evidentius Sanctus Auguſtinus *lib. 1. de Bapt. contra Donatiſtas, cap. 1. Ad Eccleſiam redeuntes, qui priuſquam recederent ordinati ſunt, non utique rurſus ordinantur, ſed aut adminiſtrat quod adminiſtrabant, ſi hoc Eccleſiæ utilitas poſtulat: aut ſi non adminiſtrant, Sacramentum ordinationis ſuæ tamen gerunt, & ideò eis manus inter Laicos non imponitur*. Eandem attendebat Siricius Pontifex, cùm *Epiſtolæ 1. cap. 14.* negat licere cuiquam Clericorum Pęnitentiam agere; publicè ſcilicet in Eccleſia modo Laicis uſitato. Tam ſacra veſtigia premit Sanctus Iſidorus *lib. 2. de Eccleſiaſticis Officiis cap. 16.* cùm utroſque Laicos & Clericos Pęnitentiæ ſubigit, *bonorum duntaxat dignitate ſervata, ita ut Sacerdotibus, & Levitis Deo tantùm teſte fiat, à cæteris verò adſtante coram Deo ſolemniter Sacerdote*. Hanc conſuetudinem, verbaque confirmat, & repetit Rabanus Maurus *lib. 2. de inſtitut. Clericorum cap. 29.* Illius illuſtre exemplum legitur apud Hincmarum in vita Sancti Remigii, quod fusè refertur *libro ſexto cap. 55.* Idem denique docent ii canones, qui Clericos ob crimina ſua in Monaſterium detrudi ad Pęnitentiam agendam juſſerunt, ut demonſtratum eſt eodem Exercitationum noſtrarum *libro Exercit. 24. & 25.*

II. Nunc autem demonſtrare aggredimur, antiquiſſimos Patres trecentis annis hanc inter Laicos, & Clericos Pęnitentes diſtinctionem non obſervaſſe, ſed eodem modo utriuſque Pęnitentiam publicè impoſuiſſe, lugubri ſcilicet cum habitu agendam, & ſub publica manuum Sacerdotalium impoſitione. Hoc colligi videtur evidenter ex canonibus Apoſtolicis, qui licèt ſæpius de graviſſimis pœnis, quæ Laicis & Clericis ob graviſſima peccata imponuntur, verba faciant, iſtam tamen diſtinctionem nunquam commemorant, ſed iiſdem verbis pęnas utriſque inflictas enuntiant. *can. 30. Si quis Epiſcopus ſecularibus principibus uſus, per eos Eccleſiam adeptus ſit, deponatur, & ſegregetur, & omnes qui illi communicant*. Conſtat graviſſimum eſſe exiſtimatum crimen, nempe propter quod duplici pęna, depoſitione & ſegregatione punitur Epiſcopus. Nam disertè prohibitum fuerat *c. 25.* ne Epiſcopus, &c. perjurii, fornicationis aut furti convictus deponeretur ſimul, & ſegregaretur, eo quòd edicat ſcriptura, ne bis in id ipſum vindicetur. Omnes igitur Laici cum eo communicantes ſegregatione, quæ pęnitentiam infert, plectuntur. Similiter igitur, & ille Epiſcopus cùm per depoſitionem in Laicam conditionem ſit redactus, & ulterius eadem afficiatur pęna ſegregationis, qua Laicus ipſius criminis participans. Illuſtratur hoc ex *can. 29. Si quis Epiſcopus per pecunias hanc ſit dignitatem aſſecutus, &c. deponatur & ipſe, & qui eum ordinavit, & à communione omnino excindatur, ut Simon Magus à me Petro*. En tria pęnarum genera Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis inflicta, depoſitio, ſegregatio, & ab Eccleſia omnimoda exciſio, & expulſio. Media eſt ſegregatio, hoc eſt, Pęnitentia, quæ depoſitioni ſuperadditur, exciſione tamen clementior, quæ pervicacibus, & ſceleratiſſimè peccantibus tantùm infligitur. Idem colligitur ex *can. 62. Si quis Clericus propter metum humanum, &c. negaverit, ſiquidem nomen Chriſti, ejiciatur, ſi autem nomen Clerici, deponatur: cùm autem pœnitentiam egerit, ut Laicus recipiatur*. Poſtrema verba, *μετανοήσας δὲ ὡς λαϊκὸς δεχθήτω*, ad priorem partem, negationem ſcilicet Chriſti, referri tantùm poſſunt. Quia propter poſterius crimen tantùm deponitur, & conſequenter ad pęnitentiam non relegatur; ſed propter prius ultra Pęnitentes pellitur; ideò ut in Eccleſiam recipiatur, media pęnitentia opus eſt, qua peracta priorem dignitatem recuperare non poteſt, ſed communioni Laicæ reſtituetur. Nulla autem nec illis locis nec alibi Pęnitentin Clericorum, & Laicorum diſtinctio indicatur.

III. Eodem modo licet ex Concilio Eliberitano argumentari: Ita *can. 76. Si quis Diaconus ſe permiſerit ordinari, &c. Si ſponte fuerit confeſſus, placuit eum acta legitima pęnitentia poſt triennium accipere communionem*. Dubitari non poteſt quin eadem ſit cum Laicorum Pęnitentia, & eodem modo acta, cùm dicatur legitima: Sic enim perpetuò vocat Laicorum pęnitentiam propter gravia peccati peragi juſſam. Concilium Neocæſareenſe *cap. 1.* non minus evidenter, *Presbyter ſi uxorem duxerit, ordine ſuo moveatur. Si autem fornicatus fuerit, expellatur, & ad pœnitentiam deducatur*.

IV. Ex Concilio Eliberitano licet aliud, & efficax argumentum colligere ei ſimile, quod ex Canonibus Apoſtolicis collegimus. Eodem enim ſenſu verbo abſtinendi utitur quo Apoſtoli *τῷ ἀφορίζεσθαι*: Ut *canone 20. Si quis Clericus detectus fuerit uſuras accipere, placuit eum degradari & abſtineri*. Degradari, hoc eſt deponi, abſtineri, poſt depoſitionem ad Pęnitentiam redigi, ut in criminibus Laicorum hoc verbum uſurpari ſolet: nec unquam illis ſeculis indicatur ulla differentia, ſed ubique verba, quæ Pęnitentiam agere, aut ad eam redigi ſignificant, de Laicis & Clericis indiſcriminatim uſurpantur. Tantùm igitur tamen in Clericis æſtimatur uſura, ut non modò degradatione, ſed etiam ad Pęnitentiam relegatione caſtigetur. Nec mirum, cùm in Laicis eodem canone poſt correptionem, ejectione ab Eccleſia puniatur.

V. Huc referri debet hiſtoria Natalii Confeſſoris, & primarii poſteà Hæreticorum Epiſcopi, quæ refertur ab Euſebio *lib. 5.*

lib.5. hiſt. c. ultimo, cujus jam à nobis non ſemel mentio facta eſt. Cùm ad Eccleſiam divinitus admonitus, & divinitus in corpore graviter percuſſus, redire decreviſſet, manè ſurgit, *Et cilicio, ſaccoque indutus cineribus aſperſus cum magno mœrore, & lachrymis ad pedes Zephyrini Pontificis ſe ſupplicem abiicit, & non modò ad Cleri, ſed ad Laicorum etiam genua advolvitur; ita ut Chriſti miſericordis Eccleſia illum magnopere commiſerata lamentis unà ſe dederet*. Hæc ille Epiſcopus pro Eccleſiæ more, ut etiam Eccleſia ipſa cum eo lamentans demonſtrat.

VI. Hujus rei argumentum certiſſimum eſt, univerſus Tertulliani de Pęnitentia liber, qui licèt peccata variè diſtinguat, nuſquam tamen hominum conditiones diſtinguit, ſed univerſis ex æquo Pęnitentiam tradit eſſe neceſſariam, & eam pęnitentiam, quam ille lugubrè admodum deſcribit. Itaque cum lugubrem illam, & miſerabilem ex more illius temporis publicam Pęnitentiam omnibus atrociter peccantibus neceſſariam doceat, diſtinctio iſta prorſus illi incognita fuit. Et nonnunquam id ſatis evidenter confirmat, ut *c.4. Eam tu peccator mei ſimilis; immò me minor; Ego enim præſtantiam in delictis meam agnoſco, ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem*. Si Presbyteri ab iſta pęnitentia immunes fuiſſent, quid ſuo exemplo alios ad eam amplexandam provocaſſet? Ita quoque in fine libri, *Peccator enim omnium notarum cum ſim, nec ulli rei niſi Pœnitentiæ natus, non facilè poſſam ſuper illa tacere, quam ipſe quoque & ſtirpis humanæ, & offenſæ in Dominum princeps Adam exomologeſi reſtitutus in paradiſum ſuum non tacet*. Dices, Pœnitentia iſta nunquam functus eſt Tertullianus. Non puto id probari poſſe. Sed imprudenter, & præpoſterè diceret ſe Pęnitentiæ publicæ & lugubri natum, ſe aliis peccatoribus, qui ad eam Pęnitentiam obligantur ſimilem; immò criminibus præſtare, ſi in ſtatu eſſet huic pęnitentiæ non obnoxio. Exempla Nabuchodonoſoris Regis, & ambientium Magiſtratus Romanos, neminem demonſtrant ab ea pęnitentia excipiendum. Cùm enim ex eorum lugubri ſtatu probet neminem à Pęnitentia agenda retardari debere propter labores, & ſqualores in ea ſubeundos, omnino erant ſacri Clerici excipiendi, ſi exceptio illa tum viguiſſet, præſertim cum libro integro & non obiter, quæ ad Pęnitentiam pertinent, explicet.

VII. Clariſſimè id ex multis Sancti Cypriani teſtimoniis colligitur. *Epiſt.68.* Baſilidem Epiſcopum ſcribit Idololatria, & blaſphemia pollutum, *Epiſcopatum pro conſcientiæ ſuæ vulnere depoſuiſſe, ad agendam Pęnitentiam converſam, Deum deprecari, & ſatis gratulari, ſi ſibi vel Laico communicare contingeret*. Et paulò poſt ex univerſali Eccleſiæ decreto, quod tum innovatum eſt, de non recipiendis Clericis Lapſis ad muneris ſui functionem, idem probatur evidentiſſimè; *Maximè cùm jampridem nobiſcum, & cum omnibus omnino Epiſcopis in toto mundo conſtitutis, etiam Cornelius Collega noſter, Sacerdos pacificus ac juſtus, & Martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreverit ejuſmodi homines ad Pęnitentiam quidem agendam poſſe admitti, ab ordinatione autem Cleri, atque Sacerdotali honore prohiberi*. Sic quæ *Epiſt.52.* de Trophimo Epiſcopo ſcribit à Sancto Cornelio acta, *Quoniam cum Trophimo pars maxima plebis abſceſſerat, redeunte nunc ad Eccleſiam Trophimo, & ſatisfaciente, & Pęnitentia deprecationis errorem priſtinum confitente, & fraternitatem quam nuper abſtraxerat, cum plena humilitate, & ſatisfactione revocante auditæ ſunt ejus preces, &c.* Et ipſe Cornelius ad Fabium Epiſcopum Antiochenum ſcribens ſic loquitur de alio quodam Epiſcopo ad Eccleſiam reverti ſatagente, *Ex quibus Epiſcopis unus non longè poſt peccatum flebiliter lamentatus* καὶ ἐξομολογούμενος τὸ ἑαυτοῦ ἁμάρτημα, *& Exomologeſim patefaciens univerſo populo pro eo rogante in communionem ut Laicum recepimus*. Hæc omnia verba & publicè, & coram omnibus, cum plena humilitate, & ſatisfactione, & Exomologeſi, docent nihil omiſſum, quod ad Pęnitentiam plenam, ut loquitur Cyprianus, conduceret.

VIII. *Epiſtola 63.* de Fortunatiano Epiſcopo, qui *poſt gravem Lapſum ruinæ ſuæ*, Epiſcopatum ſibi vindicare volebat, cùm debeat, inquit, *Satisfacere, & ad Dominum exorandum diebus, ac noctibus lachrymis, & orationibus, & precibus incumbere*. Et ad finem Epiſtolæ de eodem Fortunatiano Epiſcopo, & Laicis qui cum eo reciderant, indiſcriminatim loquitur, *Lapſi verò magnitudinem delicti ſui cognoſcentes à deprecando Domino non recedant, nec Eccleſiam Catholicam, &c. derelinquant, ſed ſatisfactionibus immorantes, & Domini miſericordiam deprecantes ad Eccleſiam pulſent, &c.* Hæc omnia publica, nihil ſecretum; nec unquam reperitur apud Cyprianum pro Clericis Exomologeſis ſecreta, ſive Pęnitentia per eos privatim acta.

Morin. de Sacram. Pœnit.

IX. *Epiſtola 19.* Caldonius Epiſcopus Cyprianum interrogat, an qui ſacrificaverunt, ſed poſteà Pęnitentiam agentes, & iteratò tenti fortiter Deum confeſſi ſunt; atque ideò exilio, & bonis mulctati, ad pacem admittendi ſint? Inter iſtos enumeratur quidam Felix Presbyter. Nec Caldonius interrogans, nec Cyprianus reſpondens de Pęnitentia aliquo modo diſtingunt. Sic Cyprianus *Epiſt. 20. Cùm ergo abluerint omne delictum, & maculam primam aſſiſtente ſibi Domino poſteriore virtute deleverint, jacere ultra ſub Diabolo quaſi proſtrati non debent, &c. Atque utinam ſic & cæteri poſt lapſum Pęnitentes in ſtatum priſtinum reformentur*. Illud, *quaſi proſtrati*, de omnibus ex æquo dictum ad publicam Pęnitentiam proſtrationem alludit.

X. *Epiſtolæ 59.* initio videtur mihi hoc evidenter admodum indicare: *Legimus literas tuas, frater chariſſimè, quibus ſignificaſti de Victore quodam Presbytero, quod ei antequam Pęnitentiam plenam egiſſet, & Domino Deo, in quem deliquerat ſatisfeciſſet, temerè Therapius Collega noſter immaturo tempore, & præpoſtera feſtinatione pacem dederit. Quæ res nos ſatis movit, receſſum eſſe à decreti noſtri auctoritate, ut ante legitimum & plenum tempus ſatisfactionis, & ſine petitu & conſcientia plebis, nulla infirmitate urgente, ac neceſſitate cogente pax ei concederetur*. Non mihi videtur id, quod contendimus clarius enuntiari poſſe, Presbyteros ſcilicet Pęnitentiam plenam egiſſe, tandemque pacem eis rogatione plebis eſſe conceſſam. Diligenter iterum notandum eſt id, de quo hac in cauſa conqueritur Sanctus Cyprianus, nempe temeraria iſta actione *receſſum eſſe à Decreti noſtri auctoritate*. Decretum intelligit, quod habetur *Epiſt.52. & 54.* quod omnes omnino Lapſos nulla prorſus habita Laici à Clerico diſtinctione complectitur. Itaque hac dilucida hypotheſi evidenter demonſtrat, quæ anteà de Lapſorum Pęnitentia facta ſunt decreta ad Clericos, & Laicos ex æquo pertinere.

XI. Eundem morem evidenter quoque innuit Optatus *libro 1. de Schiſmate Donatiſtarum*, ubi refert, Donatiſtas Cæcilianum calumniatos, quòd à Traditore ordinatus fuiſſet. Refert Cæcilianum, ut omnis calumniandi occaſio amputaretur, ſeſe rurſus ordinandum obtuliſſe. Quo audito, *Purpurius*, inquit Optatus, *Solita malitia fretus, &c. ſic ait, exeat huc quaſi imponatur illi manus in Epiſcopatu, & quaſſetur illi caput de Pœnitentia*. Fieri non potuiſſet illa alluſio, & impoſitionis manuum permutatio, ſi ſacratis Clericis manum in Pęnitentiam imponere fuiſſet inſolitum. Erat autem Cæcilianus ante Schiſmatis initium Archidiaconus.

XII. Non videtur ceſſantibus ubique perſecutionibus ceſſaſſe iſta conſuetudo, ſed nonnullis in locis Clericorum arbitrio ſaltem permiſſa. Multi enim Provincialium Conciliorum canones videntur aliquot poſt pacem Eccleſiæ datam ſeculis eam uſurpaſſe. Concilii Arauſican. 1. *can.4.* qui repetitur in Arelatenſi 2. *can.29.* non videtur aliter intelligendus, *Pęnitentiam deſiderantibus Clericis non negandam*. Quis enim dubitaſſet, Clericos Pęnitentia peculiari ſibi, & ordini ſuo ſecundum canones attributa puniendos? De vulgari igitur Pęnitentia commotum dubium, an ſicut Laici, ita & Clerici Pęnitere poſſent? Reſpondent Patres id fieri poſſe, ſi deſiderarent. Aliud Pęnitentiæ genus non fuiſſet eorum arbitrio permiſſum. Concilium Aurelianenſe 1. *can.12. Si Diaconus aut Presbyter pro reatu ſuo ſe ab Altaris communione ſub Pęnitentis profeſſione ſubmoverit; ſic quoque ſi alii defuerint, & cauſa certæ neceſſitatis exoritur, poſcentem baptiſmum liceat baptizare*. Evidenter indicant Patres duplici modo ſolitos Clericos Majores ab altaris communione removeri; ſine & cum Pęnitentiæ profeſſione; dubitatumque, an poſteriori modo ſemotis baptizare liceat: Reſponderunt, licere, modò Baptiſmi neceſſitas immineret. Non videtur ille Presbyter Monaſterio incluſus, eo quòd ſic Pęnitentem non profiteretur. Profiteri enim eſt palàm, & publicè aliquid edere, præ ſe ferre.

XIII. Eadem quoque videtur Sancti Proſperi ſententia *cap.7. lib.2. de vita contemplativa*: Privatam enim Pęnitentiam eorum tantùm ſcelerum admittit quorum, nec eſt convictio, nec publica confeſſio, *Qui neſcientibus aliis quales occulti ſunt, ipſi in ſe voluntariæ Excommunicationis ſententiam ferunt, & ab altari cui miniſtrabant non animo ſed officio ſeparati vitam tanquam mortuam plangant, &c.* Toto eo capite de Clericorum, & Laicorum Confeſſione, & Pęnitentia diſſerit; ſed licèt multa minutè ſatis diſtinguat, de utraque tamen eodem modo loquitur, nec ullum eſt diſtinctionis propoſitæ

veſtigium, quæ tum tamen multis in locis invaluerat.

XIV. Martinus Bracarenſis *cap.57. Si quis Presbyter propter publicam Pœnitentiam à Sacerdote acceptam, aut aliqua neceſſitate die Dominicæ pro quadam religione jejunaverit, anathema ſit*. Concilium Bracar.3. *cap.4. Hujus ergo perceptionis tranſgreſſor ſex menſibus ſe noverit Pœnitentiæ ſubjacere*. Pœnitentiam publicam accipere, legibus Pœnitentiæ ſubjacere infinitè, & abſolutè enuntiata non mihi videntur aliter intelligi debere, quàm de Pœnitentia ordinaria, cui Clerici ſeſe ſubmittebant. Deinde Pœnitentia publica ſecretæ, & in receſſu factæ opponitur. Idem præterea clariſſimè demonſtrat Pœnitentiæ ſpontaneæ ab ipſis Epiſcopis, nedum ab inferioribus Clericis aſſumptæ conſuetudo in Hiſpania præſertim uſitata, qua Pœnitens publicæ manuum impoſitioni cum lugubri veſte ſupponitur, ut videre eſt libri ſequentis *cap.17*. Cùm igitur ipſiſſimi Epiſcopi his publicis ritibus ſubiicerentur. Quid movere nos poteſt, ut tot canonum evidentia verba in alium ab eo, quem præ ſe ferunt ſenſum torqueamus.

XV. Verùm antiquæ huic conſuetudini tot exemplis, & canonibus ſtabilitæ tria teſtimonia velut è diametro repugnare videntur. Primum eſt Sancti Leonis 1. *Epiſtolæ 90. cap.2. ad Ruſticum Narbonenſem*, quod ſic ſe habet, *Alienum eſt à conſuetudine Eccleſiaſtica, ut qui in Presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint conſecrati, pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi*. Videtur enim diſertiſſimè Apoſtolicæ traditioni tribuere conſuetudinem, ei, quam explicamus, oppoſitam. Multiplex reſponſum, & peremptorium dari poteſt. Primum, cùm Clerici illi ad Pœnitentiam coguntur, Presbyteri amplius non ſunt, nec Diaconi, ſed tantùm Laici. Ut enim initio diximus, nunquam ad Pęnitentiam Clerici ſacrati detruduntur, niſi prius depoſiti, & Laicorum claſſibus addicti. Hoc etiam nunc obſervari videmus, cùm Presbyteri, vel Diaconi degradantur, & omni privilegio, & veſte Clericali exuuntur. Itaque Sancti Leonis ſententia tantùm demonſtrat, Clericos ſuſpenſos Pęnitentiæ ſupponi non poſſe, quæ per manus impoſitionem celebratur. Illud eſt quod juxta Leonem à traditione Apoſtolica deſcendit, & quod diligenter ad ipſum uſque obſervatum fuerat. Si quis latius Leonis pronuntiatum velit extendere, dici poteſt, eum ita ſenſiſſe, quòd hic mos in Eccleſia Romana, nonnulliſque aliis regionibus ab uno, aut altero ſæculo ante ipſum invaluiſſet, atque ideò ab Apoſtolis eſſe traditum credidiſſe. Denique abſolutè dici poteſt, hunc morem ab Apoſtolica traditione deſcendiſſe; ſed dum perſecutores ferverent, obſervari commodè non potuiſſe: Ideò Clericos depoſitos ſimul cum aliis Pęnitentibus in Eccleſia manuum impoſitioni ſuccubuiſſe. Pace tandem Eccleſiæ reddita, & Imperatoribus Chriſtianis, receſſus eſſe quæſitos, in quibus Clerici propter crimina depoſiti, & ad Pęnitentiam acti procul ab omni Laicorum conſpectu eam agerent: Nonnullas tamen Provincias utrumque morem pro datis occaſionibus obſervaſſe.

XVI. Opponi poteſt ſecundò Melchiadis Papæ & 18. Epiſcoporum ſententia, qua Donatus ſui Schiſmatis initio, ut refert Optatus *lib.1.* damnatus eſt, *Quod confeſſus ſit ſe rebaptizaſſe, & Epiſcopis lapſis manum impoſuiſſe, quod ab Eccleſia alienum eſt*. Sed his Epiſcopis manus impoſitio eſt ordinatio, quam temerè Donatus iteraverat, quòd etiam poſteà teſtibus Marcellino, & Fauſtino Presbyteris Romanis multi imprudenter fecerunt erga eos Epiſcopos, qui in Ariminenſi Conciliabulo ceciderant, ut cum iis poſſent velut Epiſcopis communicare. Duorum igitur criminum Reus in eo Conciſio peractus fuit Donatus: Baptiſmi iterati, in eos videlicet qui paulo ante ab Eccleſia ad ipſum deſecerant: Similiter & eadem de cauſa ordinationis repetitæ. Ut autem anabaptiſmus ille, qui Donato crimini imputatur, non eſt Hæreticorum, ſed Catholicorum: Nondum enim Hæreticorum anabaptiſmus in judicatum tranſierat, multò minus *ἀναχειροτονία*: Sic ordinatio, quam illa ſententia commemorat, Catholicorum eſt, non Hæreticorum. An paris unquam neceſſitatis judicata ſunt, Baptiſmum non repetere, & ſacros Clericos Pęnitentiæ non ſupponere?

XVII. Poſtremum teſtimonium ex fine *lib.2.* Optati Milevitani deſumitur. Eo loco in Donatiſtas invehitur, qui quoſdam Epiſcopos Pęnitentiæ ſubjecerant, atque iis exprobrat, feciſſe propter unitatem Eccleſiæ Catholicæ amatam, & ſuſceptam, quòd olim poſt thurificationem factum non fuerat. *A vobis occiſi ſunt in honoribus Dei Sacerdotes. Multis notum eſt, & probatum perſecutionis tempore Epiſcopos aliquot inertia à Confeſſione nominis Dei delapſos thurificaſſe; & tamen nullus eorum, qui evaſerunt, aut manum lapſis impoſuit, aut ut genua figerent, imperavit. Et facitis vos hodie poſt unitatem, quod à nullo factum eſt poſt thurificationem*. Non igitur ferebar conſuetudo Eccleſiaſtica, ut Epiſcopi ad Pęnitentiam detruderentur. Conſideranda quoque eſt ratio, quam dicti ſui reddit, *Scriptum eſt, ne tetigeritis unctos meos, neque in Prophetas meos manum miſeritis. Oleum ſuum defendit Deus. Quin ſi peccatum eſt hominis, unctio eſt tamen divinitatis*. Epiſcopis igitur peccantibus per manus impoſitionem ſubveniri non debet.

XVIII. Reſpondeo, verba Optati ad facti ſpeciem, de qua erat illi quæſtio cum Donatiſtis, eſſe reſtringenda, ne verba ſua examinantes cogamur iis abſurdiſſimam ſententiam affingere. Sequitur enim apud Optatum, *Judicio ſuo Deus ſervavit rem ſuam, & tamen vos paſſim irruiſtis in alienam, corrumpentes omnium felicitatem. Neque major infelicitas, quàm Dei Sacerdotes vivere, nec eſſe quod fuerant*. Videtur negare licitum eſſe Sacerdotes ab officio deponere, quod omnium conſenſu eſt planè abſurdum. Itaque ſecundum facti ſpeciem interpretandus Optatus, hoc eſt, propter eam cauſam Epiſcopos, de quibus agit, ad Pęnitentiam non fuiſſe relegandos. Eadem ratione in eoſdem invehitur, quod plebem Pęnitentiæ ſubmiſerint. Subdit enim, *Quot fuerunt Matronæ, pueri ſimul, & Virgines à vobis coactæ nullo interveniente peccato, ſalva innocentia & pudicitia, vobis docentibus Pœnitentiam gerere didicerunt? Nunquid minor eſt infelicitas? Contritæ ſexu vexaſtis ætates*. Deinde ſententiam ſuam, ut prius fecerar, allegato Scripturæ teſtimonio confirmat. Quæ erat Pęnitentiæ imponendæ communis cauſa? Conſtantius Cæſar Macarium in Africam miſerat, ut Donatiſtas ad Eccleſiam Catholicam cogeret. Donatiſtæ igitur multi, atque etiam ex iis nonnulli Epiſcopi pęnas ab Imperatoris Miniſtris infligendas pertimeſcentes Eccleſiæ Catholicæ ſeſe conjunxerunt. Julianus Conſtantio defuncto ſucceſſit, qui in odium Eccleſiæ Catholicæ Donatiſtis, quæ luberet facere, permiſit. Illi igitur inſaniæ ſuæ permiſſi, quotquot ad Eccleſiæ Catholicæ unitatem redierant, Epiſcopi, Clerici, Laici, Pęnitentiæ jugo ſubmiſerunt. In hoc factum generatim invehitur Optatus, nec minus propter plebem quàm propter Epiſcopos, *Dubium non eſt eſſe populum credentium Iſrael, id eſt, qui mente Deum videat, & tamen has plebes coegiſtis flectere, & inclinare cervices, & ſerie capitum juncta maſſam Pęnitentium facere. Has plebes dolet Deus per Ezechielem, Dicens, Væ filiabus Iſrael, quæ farciunt cervicalia, id eſt, membra cervicis, ut ſupponat ſub cubito, & manu. Utique ſub cubito, & ſub manibus veſtris, cum ſuper eorum capita velamina Pęnitentiæ tenditis*. Non minus reprehendit Donatiſtas, quòd plebem Pęnitentiæ ſubjecerint, quàm quòd Epiſcopos. Ergo ſi hinc colligis Epiſcopos Pęnitentiæ non eſſe ſupponendos, nec etiam plebs erit ſupponenda. Sicut igitur negat tantùm Optatus plebem ea de cauſa fuiſſe Pęnitentia afficiendam, ſic & de Clericis colligendum.

XIX. Eandem paritatem paulò ante clarius adhuc demonſtraverat: *Jugulaſtis non membra, ſed nomina. Quid prodeſt, quia vivunt homines, & occiſi ſunt honores à vobis? Valent quidem membris, ſed ereptæ portant funera dignitatis. Extendiſtis enim manum, & ſuper omne caput mortiferum velamina prætendiſtis, ut cùm ſint quatuor genera capitum in Eccleſia, Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & fidelium, nec uni parcere voluiſtis. Evertiſtis animas hominum. Has actus dolet Deus in Ezechiele Propheta, cùm dicit, Væ facientibus velamen, hoc eſt imponentibus manum ſuper omnem ætatem ad evertendas animas. Inveniſtis pueros, de Pęnitentia ſauciaſtis, ne aliqui ordinari potuiſſet. Agnoſcite vos animas evertiſſe. Inveniſtis Diaconos, Presbyteros, Epiſcopos, feciſtis Laicos. Agnoſcite vos animas evertiſſe*. Manifeſtum eſt, Optatum in manuum impoſitionem Epiſcopis non ſecus, ac Laicis factam non agere, ſed cauſam tantùm impoſitionis condemnare. Similiter in eos invehitur, quòd Epiſcopos, & Clericos depoſuerint, ut ex locis jam citatis colligitur, atque ex eo quòd paulò ante dixerat, *Sagittati ſunt innocentes, exarmati fideles, honore nominis ſui ſpoliati ſunt Sacerdotes. O impietas inaudita, quæ jugulas inter Pęnitentiæ tormenta ſecurè*. Quis ideò dicat, Epiſcopos, & Clericos propter ſcelera deponere, & ad Laicum ſtatum redigere, ab omni conſuetudine Eccleſiaſtica abhorrere? Cùm igitur ſcripſit Optatus, *Facitis vos hodie poſt unitatem, quod à nullo factum eſt poſt thurificationem*, à minori ad majus argumento ducto eorum impietatem execratur; quaſi diceret, Non-

nulli

nulli Epiſcopi tormentis victi ceciderunt, & thura idolis obtulerunt: ideò tamen Pœnitentiæ ſubjecti non ſunt, ut videre eſt *c.* 1. *&* 2. Concilii Ancyrani, & in Epiſt. canonica Petri Alexandrini *cap.* 10. Cur igitur vos non modò deponitis, ſed etiam Pœnitentiæ ſubmittitis Epiſcopos, qui Eccleſiæ unitatem amplexi ſunt?

XX. Malim tamen ea verba referre ad ſpeciale Donatiſtarum ſcelus, cujus anteà in eodem libro magna cùm execratione meminerat, *Docete, ubi vobis mandatum eſt radere capita Sacerdotum, cùm è contraria ſint tot exempla fieri non debere?* Deinde affert exemplum Saulis juſſu Dei uncti, & poſteà peccantis, à quo tamen Deus oleum ſuum auferri noluit, licèt ipſum unctionis pœniteret, ut inquit, doceret nos Epiſcoporum, qui deponuntur, aut Pœnitentiæ ſubjiciuntur, capita radi non debuiſſe. Poſteà probatione iſta interrupta eam retexit ad finem libri nominatis Epiſcopis, quos raſerant, & quibus manum impoſuerant, *Deuterium, Parthenium, Donatum, Getulicum Dei Epiſcopos linguæ gladio jugulaſtis, fundentes ſanguinem non corporis ſed honoris. Vixerunt poſteà homines, ſed à vobis occiſi ſunt.* Cætera habentur, ut jam in objectione citata ſunt. Deinde verba objectionis invectiva ſequitur, quæ demonſtrat, ad raſionem illam Optatum præcipuè collimare: reſumit enim ſermonem unctionis Epiſcopalis tactæ, quam Deus intactam voluit, & in id factum acriter adhuc invehitur. Argumentum efficax ex dictis hactenus contra objectionem in gratiam antiquæ illius conſuetudinis, quam demonſtramus, colligitur. Certum eſt, Donatiſtas Schiſmaticos fuiſſe, atque in fide, & ritibus, ſi anabaptiſmum excipias, cum Catholicis conveniſſe. Cùm igitur Epiſcopos, & Clericos Pœnitentiæ ſubiiciebant, id faciebant, quòd Catholicis facere conſuetum erat. Errabant equidem graviter in cauſa impoſitionis Pœnitentiæ, ſed non in impoſitionem. His accedit, quòd non videntur hanc injuriam paſſuri Epiſcopi Donatiſtæ, ſi Pęnitentiam Epiſcopis imponere inſuetum fuiſſet.

XXI. Denique monebo lectorem, conceſſo hanc Pęnitentiæ Epiſcopis impoſitæ actionem ab Optato reprehendi; nihil tamen inde contra id, quod aſſeruimus, colligi poſſe, eoquòd à Donatiſtis jam multis annis imperante Conſtantio id factum fuerit. Nos autem morem illum manus in Pœnitentiam Clericis Majoribus non imponendi longè ante Conſtantium Cæſarem cœpiſſe concedimus. Notabit iterum, Lector, ſolos Clericos majores ab illa publica manus impoſitione exemptos fuiſſe: Minores enim non ſecus ac Laici omnibus Pœnitentiæ ritibus, ac laboribus erant obnoxii, ut *cap.* 13. *lib.*6. demonſtrabimus.

CAPUT XIII.

Criminum poſt baptiſmum Reos nunquam licebat ad ſacras ordinationes evehere. Severitas in irrepentes variè temperata. Hinc vulgatum Latinorum axioma Pœnitentes non eſſe ordinandos.

NOn modò ab Eccleſiæ incunabulis Clerici non ſecus, ac Laici Pęnitentiæ luctuoſæ jugo ſuppoſiti erant, verumetiam ſemel ſuppoſiti priſtinam dignitatem recuperabant. Quo jure Clerici dignitate ob crimina ſpoliati, & cętu fidelium abdicati amiſſam dignitatem recuperare potuiſſent, cùm fidelibus eadem crimina perpetrantibus nunquam liceret ad clericalem dignitatem aſcendere? Utraque conſuetudo cum Eccleſia nata eſt, adolevit, & ubique obtinuit. A poſterioris probatione, quæ prioris eſt velut fundamentum, exordiemur. Canonem electionis magiſtratuum Eccleſiaſticorum fixit Sanctus Paulus *Epiſtolæ ad Titum cap.* 1. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates Præsbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Quales verò, *Si quis ſine crimine eſt, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos. Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum, &c.* Eadem præcipit *Epiſt.* 1. *ad Timotheum cap.*3. & addit, *Oportet autem illum, & teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum Diaboli.* Similem probitatem in Diaconis poſtulat, *Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes, habentes myſterium fidei in conſcientia bona. Et hi autem probentur primùm, & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes.* Secundùm iſtas conditiones inſtituitur examen Epiſcopi ordinandi in Conſtitutionibus Apoſtolicis *lib.*8. *cap.*4. & Diaconi *lib.*3. *cap.* 19. ſed fuſiùs iſta initio *lib.* 2. Ex quibus omnibus canon Apoſtolicus conditus eſt 61. *Si adversùs fidelem aliqua accuſatio intendatur, vel fornicationis, vel adulterii, vel alicujus alius prohibitæ actionis, & convictus fuerit, ad Clerum ne provehatur.* Fideles omnes criminum convicti ſemper irregulares, ſive ordinationis incapaces fuerunt.

II. Hoc erat omnium Chriſtianorum vulgatiſſimum axioma: Unde Origenes *lib.*3. *contra Celſum*, cùm docuiſſet, Chriſtianos cœtui ſuo tantùm aſciſcere viros probos anteà diu probatos, addit, ſeveriſſimam eſſe erga peccantes præſertim libidine contaminatos, diſciplinam, eoſque è cœtu ſuo expelli, & velut perditos, & Deo mortuos lugeri, *Sed rurſum reſipiſcentes, haud ſecus quàm redivivos recipiunt tandem poſt longiorem melioris mentis approbationem, quàm cùm primùm ad religionem diſcendam admitterentur, ea tamen conditione, ut quoniam lapſi ſunt, excludantur in poſterum ab omnibus dignitatibus, & magiſtratibus Eccleſiaſticis.* Tanta erat antiquis Patribus iſtius diſciplinæ obſervandæ cura, ut ſi aliquis criminis Reus clàm ad ordines irrepſiſſet, cognitus ſtatim deponeretur, ita ſtatuente Concilio Nicæno *can.* 10. *Quicumque ex iis, qui lapſi ſunt, vel per ignorantiam, vel ſcientibus iis, qui promoverunt, ordinati ſunt, hoc Eccleſiaſtico canoni non præjudicat. Ii enim cogniti deponuntur.* Sic quoque antiquiſſimum Concilium Eliberitanum *can.* 30. *Subdiaconum eum ordinari non debere, qui in adoleſcentia ſua fuerit mœchatus, eo quòd poſtmodum per ſubreptionem ad altiorem gradum non ſit promovendus. Si autem aliqui ſunt in præteritum ordinati, amoveantur.* Idem manifeſtè colligitur ex nonnullis aliis ejuſdem Concilii canonibus 19. ſcilicet 33. 51. & 65. Sic decernunt poſteriora Concilia, Agathenſe *can.*43. Epaun. *can.*2. Andegavenſe *can.* 5. Turonenſe 1. *cap.*2. Innocentius *Epiſtola* 6. allegato Concilio Nicæno, confirmat hoc Concilium Carthag. 4. *c.*69. & addit. *Si autem ſciens Epiſcopus ordinaverit talem, etiam ipſe ab Epiſcopatus ſui ordinandi duntaxat poteſtate privetur.* Ita reſcribit Sanctus Cyrillus ad Epiſcopos Libyæ, & Pentapolis, ut apud Balſamonem refertur; & Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus multis probat, & exaggerat in Epiſtola ad Joannem Præsbyterum, & Hegumenum, quæ habetur in fine actionis ſeptimæ Concilii ſeptimi, in qua inter multa hujus generis hæc habet, *In ſcortatione, aut adulterio, ſi quiſpiam poſt baptiſma fuerit deprehenſus, divini canones illum ad Sacerdotium non admittunt. Quin etiam ſi quiſpiam promotus ad Sacerdotium tale aliquid fecerit, confeſtim ejicitur.*

III. Aliqui Pontifices, ut & Concilia indulgentius ſic ordinatos excipiunt: permittunt enim iis in ſuſceptis ordinibus miniſtrare. Syricius Epiſt.1. *cap.* 15. *Quicunque Pœnitens, bigamus, aut viduæ maritus, ad ſacram militiam indebitè, & incompetenter irrepſerit, hac ſibi conditione à nobis veniam intelligat relaxatam, ut in magno debeat computare beneficio, ſi adempta ſibi omni ſpe promotionis, in hoc, quo invenitur ordine, perpetua ſtabilitate permaneat:* Minaturque Epiſcopis gravem pœnam, ſi poſt hanc prohibitionem idem iterum perpetraverint. Sic Taurinenſe Concilium *can.* 8. Arauſican. 1. *can.*24. Aurelianenſe 3. *can.*9. Aliud temperamentum miſcet Concilium Toletan. 1. *cap.* 2. *Pęnitentes non admittantur ad Clerum, niſi tantùm ſi neceſſitas, aut uſus exegerit, inter oſtiarios deputeatur, vel inter lectores, ita ut Evangelia, aut Apoſtolum non legant. Si qui autem ante ordinati ſunt Diacones, inter Subdiacones habeantur.*

IV. Eandem œconomiam obſervari jubet antiquiſſimum Concilium Neocæſarienſe *can.*9. *Si Præsbyter, qui corpore priùs peccaverat, promotus fuerit, ſi ante ordinationem peccaſſe confeſſus fuerit, ne offerat, manens in aliis, propter aliud ejus bonæ vitæ ſtudium, &c. Quòd ſi ipſe non confiteatur, apertè autem convinci non potuerit, illius quoque ei fiat poteſtas.* Iſtius canonis praxis legitur *cap.*5. Commonitorii Patriarchæ Alexandrini Theophili ad Ammon dati, quòd Balſamon Antiochenus Patriarcha commentariis illuſtravit. Hanc ſeveritatem canone præcedente multò ampliùs extenderat. Clericum enim non modò deponi vult propter crimen proprium, ſed etiam propter uxoris crimen, *Si alicujus uxor cùm eſſet Laicus, adulteratam fuiſſe convicta fuerit, is non poteſt ad miniſterium accedere. Sin autem etiam poſt ordinationem adulterata fuerit, debet eam dimittere. Quòd ſi cohabitet, non poteſt ſibi commiſſum miniſterium exequi.* Utrumque canonem obſervant adhuc Græci, &

ideò

Digitized by Google

ideò Sacerdotes eorum, cùm Clericorum Confeſſiones audiunt, ab iis primùm poſtulant, ut ſi in ejuſmodi vitia inciderint, canonum ſtatuta hæc, ſe executores polliceantur, ut in eorum Pœnitentialibus diſertè præcipitur.

V. Ex illa antiquiſſima, ut probatum eſt, & ſanctiſſima conſuetudine ortum eſt frequentiſſimum iſtud apud Latinos Patres axioma, Publicè Pœnitentes non eſſe ordinandos, quod nihil aliud, quàm quæ jam dicta ſunt, ſignificat: Pauca enim illa verba, omnia hactenus enarrata complectuntur. Hujus rei ratio eſt, quòd, ut libro ſequente demonſtrabimus, omnium illorum criminum Pœnitentiam agebant publicam: Ideò criminum illorum Reos, vel Pœnitentes ordinibus Eccleſiaſticis prohiberi, apud eos æquipollebant. Pœnitentes autem ordinibus prohiberi innumeris propè teſtimoniis demonſtratur. Concilium Carthaginenſe quartum *can.* 68. *Ex Pęnitentibus quamvis ſit bonus, Clericus non ordinetur.* Sanctus Innocentius Epiſtola 6. *Canones apud Nicęam conſtituti Pęnitentes etiam ab imis officiis Clericorum excludunt.* Eadem Syricius Pontifex *Epiſtolæ* 1. *cap.* 14. 15. Zoſimus *Epiſtol.* 1. *cap.*3. Hilarius *Epiſt.* 2. *cap.*4. Gelaſius *ad Epiſcopos Lucaniæ c.* 3. 6. Hormiſdas *Epiſtola* 4. *cap.* 1. aliis 25. Sanctus Gregorius *lib.* 2. *regiſtri*, *Epiſt.*25. Gregorius 2. *Epiſt.*3. *ad Clerum, & plebem Thuringiæ.* . Zacharias *Epiſtola* 4. Concil. Arelatenſe 2. *can.* 25. Arelat. 3. *can.* 3. Epaunenſe *can.*4. Aurelianenſe 3. *can.* 6. Ita ſæpius Capitularia Caroli, & Ludovici, & Collectores canonum Iſaacus Lingonenſis, Regino, Burchardo, Ivo Carnutenſis, Pęnitentiales quoque libri, quos huc referre nihil neceſſe eſt, cùm ea ferè tantùm repetant, quæ in ſuperioribus ſtatuta ſunt. Animadvertet Lector hunc loquendi modum, *Pęnitentes ordinari non debent*, vix apud Græcos deprehendi: Crimina, propter quæ Pœnitentia agi ſolet, ſpectant non Pęnitentiam, ſed eodem iſta redeunt. Revera enim Pœnitentia publica per ſe non eſt quid infame, & dedecoroſum; proſterni, genibus Præsbyterorum advolvi, eorum manibus ſubjacere laudabile eſt, Deoque, & hominibus acceptum; Immò qui poſt crimen hæc facere detrectant, ab Eccleſia excommunicantur. Sed eatenus tantùm hæc notam inurunt, quatenus crimen habent conjunctum, cujus cauſa Pęnitentiæ ſubiiciuntur. De hac quæſtione plura *c.* 16. & ſequentibus *libri quinti*.

C A P U T XIV.

Clericos propter crimen depoſitos, multò magis propter actam publicè Pęnitentiam priſtino gradui, vel dignitati nunquam reſtitutos. Temperamenta huic ſeveritati ab antiquis aliquando adhibita, eorumque rationes Sanctorum Patrum verbis explicantur. Qui his temperamentis non acquieverunt, Schiſmaticis adſcripti. Ceſſante neceſſitate antiqua ſeveritas reſumenda.

QUòd poſteriùs nobis enarrandum propoſuimus, ex præcedente neceſſariò fluit. Nam ſi criminum Rei dignitatum Eccleſiaſticarum incapaces ſunt, multò magis qui dignitatibus Eccleſiaſticis fulgent, eadem crimina ſi perpetraverint. Longè enim deteſtabiliùs eſt crimen à paſtore commiſſum, quàm ab ove, cujus eſt paſtorem ſequi, non ei præire, ut vel ſolo lumine naturæ omnibus cognitum eſt. Quapropter cùm capite præcedente perpetua Eccleſiæ traditione demonſtratum ſit gravium criminum Reos ordinibus Eccleſiaſticis initiari non debere, profectò conſequitur initiatos in eadem crimina ſi lapſi fuerint, nunquam eſſe reſtituendos, & multò minus cùm tam atrocia fuerint, ut ad Pęnitentiam auctores damnentur. Nihilo ſecius tamen hoc capite referemus, & quid de hac re antiqui Patres ſenſerint, & quæ aliquando temperamenta huic ſeveritati adhibuerint; & ſequenti capite quando tandem poſt actam Pęnitentiam fuerint dignitatibus ſuis reſtituti.

II. Clericum propter crimen depoſitum, quamlibet pęnitentiam agat, honori priſtino non eſſe reſtituendum ſtatuit canon Apoſtolicus, 62. *Si quis Clericus propter metum humanum, vel Judæi, vel Græci, vel Hæretici negaverit, ſiquidem nomen Chriſti, ejiciatur: Si autem nomen Clerici deponatur. Pęnitentiam autem agens, ut Laicus recipiatur.* Vel omninò ejectus, & ab Eccleſia præciſus, vel quòd multò minus grave eſt, tantùm de poſitus, quolibet modò propter crimen à dignitate dejiciatur, eam non ampliùs recuperat, ſed tantùm ut Laicus in Eccleſiam admittitur. Si Clericus vi, & metu adactus crimen committens, ita ſecundùm canones excipitur, Quid, ſi volens, lubenſque commiſiſſet? Praxis iſtius canonis exempla ſunt antiquiſſima. Cornelius Pontifex in Epiſtola ad Fabium Antiochenum Epiſcopum apud Euſebium hiſtor. *lib.*6. *cap.* 35. refert trium Epiſcoporum, qui Novatum ſimplicitate animi ab eo decepti ordinaverant, unum facti pęnituiſſe, & peccatum flebiliter lamentantem, & apertè confitentem ad Eccleſiam reduiſſe, *Quem*, inquit, *populo univerſo pro eo rogante tandem, ut Laicum in communionem recepimus.* Dixerat tamen paulò ante tres illos Epiſcopos homines ſimplices, *& in perditorum fallaciis, doliſque diſcernendis minus perſpicaces.* Quanquam ejuſmodi eſſet Epiſcopus ille, & Novati aſtu, ut enarrat, circumventus, tantaque animi contritione publicè pungeretur, & univerſus populus pro eo rogaret, priſtinæ tamen dignitati non reſtituitur.

III. Relatum fuerat ad Antonianum Epiſcopum eo tempore celebrem, eundem Cornelium admiſiſſe Trophimum Epiſcopum Schiſmaticum, & Idololatriæ accuſatum, ad Eccleſiam revertentem, & cum eo, ut Epiſcopo communicaſſe. De hoc Cornelii, ut exiſtimabat, facto, graviter ad Sanctum Cyprianum ſcribens conqueritur Antonianus. Quid verò Sanctus Cyprianus ad Antonianum reſcribens? *De Trophimo, de quo tibi ſcribi deſideraſti, non ita res eſt, ut ad te pertulit rumor, & mendacium malignorum. Nam ſicut anteceſſores noſtri ſæpè fecerunt, colligendis fratribus noſtris, chariſſimus frater noſter Cornelius neceſſitati ſuccubuit.* Et paulò poſt, *Tractata ergo illic cùm Collegis habito, ſuſceptus eſt Trophimus, pro quo ſatis faciebat fratrum reditus, & reſtituta multorum ſalus: ſic tamen admiſſus eſt Trophimus, ut Laicus communicet.* Non eſt reſtituta illi dignitas quàm crimine ſuo perdiderat, licèt humili admodum animo, & criminis ſeriò pœnitente veniam peteret, & obtineret, & quos auctoritate, & exemplo ſuo ſeduxerat, ad Eccleſiam reduceret, *Redeunte ad Eccleſiam Trophimo*, inquit Cyprianus, *& ſatisfaciente, & pœnitentia deprecationis errorem priſtinum confitente, & fraternitatem, quam nuper abſtraxerat cum plena humilitate, & ſatisfactione revocante auditæ ſunt ejus preces.*

IV. Antoniani illa querela, & Cypriani reſponſum, & Cornelii de Collegarum ſententia factum evidentiſſimè demonſtrant, quæ fuerit tùm hac in cauſa univerſæ Eccleſiæ diſciplina. Sed nihil mihi videtur hoc illuſtrius demonſtrare quàm decretum illud, quod refert Sanctus Cyprianus Epiſtola 68. immò quàm tota illa *Epiſtola*, quæ ad hoc unicum probandum videtur tantùm compoſita. Agitur in ea quæſtio de Baſilide, & Martiale Epiſcopis idololatriæ, & aliorum criminum convictis, de quibus ſcribit, *Cumque alia multa ſint, & gravia peccata quibus Baſilides, & Martialis implicati tenentur, fruſtra tales Epiſcopatum ſibi uſurpare conantur; cùm manifeſtum ſit, ejuſmodi homines nec Eccleſiæ Chriſti poſſe præeſſe, nec Deo ſacrificia offerre debere. Maximè cùm jampridem nobiſcum, & cùm omnibus omninò Epiſcopis in toto mundo conſtitutis, etiam Cornelius Collega noſter Sacerdos pacificus, ac juſtus, & Martyrio, quoque dignatione Domini honoratus decreverit, ejuſmodi homines ad Pœnitentiam quidem agendam poſſe admitti, ab ordinatione autem Cleri, atque Sacerdotali honore prohiberi.* Decreti æquitatem multis rationibus, & ſcripturæ teſtimoniis tota Epiſtola demonſtrat.

V. Epiſtola vero 64. admodum excandeſcit adversùs Fortunatianum, qui lapſus gradum, quem amiſerat, recuperare conabatur, & in eos acriter invehitur, qui hæc tentanti applaudebant, *Graviter, & dolenter motus ſum, fratres chariſſimi, quòd cognoverim Fortunatianum, quondam apud vos Epiſcopum, poſt gravem lapſum ruinæ ſuæ pro integro nunc agere velle, & Epiſcopatum ſibi vindicare cœpiſſe. Quæ res contriſtavit me, primò propter ipſum, qui miſer, vel Diaboli tenebris in totum excæcatus, vel quorumdam ſacrilega perſuaſione deceptus, &c. audet ſibi adhuc Sacerdotium, quod prodidit, vindicare; quaſi poſt aras Diaboli accedere ad altare Dei fas ſit.* Hoc argumentum multis rationibus perſequitur, ad quas lectorem remitto, tandemque colligit, *Quòd ne tales ad altaris impiamenta, & contagia fratrum denuò redeant, omnibus viribus excubandum eſt, omni vigore niſendum, ut quantum poſſumus, ab hac eos ſui ſceleris audacia retundamus: ne adhuc agere pro Sacerdote conentur, qui ad mortis extrema dejecti, ultrà lapſos Laicos ruinæ majoris pondere proruerunt. Si verò apud inſanos furor inſanabilis perſeveraverit, &c. Conſilium nobis erit ſingulos fratres ab eorum fallacia ſeparare, &c.* Deinde acriter in Fortunatianum invehitur, ſi in Epiſcopatus recuperandi voluntate permanſerit. His teſtimoniis nihil deſiderari poteſt certius, illuſtrius, & vehementiùs. Huc etiam directè pertinet non minus quàm ad caput præcedens Origenes teſtimo-

Digitized by Google

ſtimonium, *Quoniam lapſi ſunt, excluduntur in poſterùm ab omnibus dignitatibus, & magiſtratibus Eccleſiaſticis.* Hoc enim axioma Lapſos ante ordines ſuſceptos, & poſt ſuſceptos ex æquo complectitur.

VI. Vix minus evidenter, & vehementer S. Petrus Martyr, & Patriarcha Antiochenus, in Epiſt. canonica *cap.10. Non eſt æquum, ut vel Clerici, qui ſua ſponte auſugerunt, Lapſi autem & reluctati ſunt, ampliùs in ſacro miniſterio maneant, ut qui Domini gregem reliquerint, & ſtipſos vituperaverint, quòd nullus fecit ex Apoſtolis, &c. Unde qui in carcere contendentes, à miniſterio exciderunt, & reluctati ſunt, ſenſus planè ſunt expertes: Quomodo enim petunt quòd reliquerunt, cùm in ea tempeſtate eſſe poſſent fratribus utiles? Quandiu itaque firmi, ſtabileſque manſerunt ejus, quod præter rationem fecerant, eis venia dabatur. Quando autem lapſi ſunt, ut qui perperam ſe geſſerunt, & ſeipſos vituperaverunt, non poſſunt ampliùs ſacra miniſteria obire, & ideò magis curam gerant, quomodo in humilitate confeſſionem peragent, à vana gloria ceſſantes, &c.* Quid ſi lapſi fuiſſent, & poſt lapſum non teluctati? multò ſanè graviùs excepti fuiſſent. Nam prioribus licèt depoſitis communio concedebatur, ut ſtatim poſt verba citata monet Petrus: poſterioribus communio denegabatur, & forſan etiam Pœnitentia injungebatur. Paulò clementiùs ab Ancyrani Concilii Patribus tractantur: diſtinguunt enim eos, qui poſt Lapſum reapſe certarunt, & à Tyrannis torti tandem negarunt, & poſteà revera reluctati ſunt, ab iis, qui fraude aliqua, aut ſpecie tenus, ut poſt Lapſum teluctari viderentur, procurarunt. Priores enim omni functione Eccleſiaſtica abdicat, iis honore conceſſus, & Cathedræ conceſſo: Poſteriores conſequenter ἁπλῶς καὶ ὁλοσχερῶς deponit, ut videre eſt *can. 1. & 2.*

VII. Ejuſdem diſciplinæ teſtis eſt locuples S. Baſilius *can. 3.* Epiſtolæ ad Amphilochium, ubi reddit rationem, propter quam Diaconus fornicans deponitur, ſed communione non arcetur. Iſtius praxis duas tradit rationes, priorem ab antiquo canone Apoſtolico petitam, qui bis in idipſum vindicare prohibet; poſteriorem his verbis, quæ, quod contendimus, pulcherrimè probant, *Et etiam propter aliam cauſam, quòd qui ſunt quidem in ordine Laico, à loco fidelium ejecti, rurſus in eum ex quo ceciderunt locum recipiuntur. Diaconus verò ſemel habet quòd ſufficiat, depoſitionis judicium. Tanquam ergo ei non reddendo Diaconatu in ea ſola punitione ſteterunt.*

VIII. Sanctus Syricius paucis verbis utramque propoſitionem complectitur, & utriuſque rationem reddit *Epiſtolæ 1. cap.14. Sicut Pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & poſt pœnitudinem, ac reconciliationem, nulli unquam Laico liceat honorem Clericatus adipiſci. Quia quamvis ſint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum inſtrumenta ſuſcipere, qui dudum fuerint vaſa vitiorum.*

IX. Sanctus Gregorius ſæpiùs hanc diſciplinam confirmat, contraque agentes graviter puniendos cenſet. *lib.4. Epiſt.5.* ad Venantium Epiſcopum de quodam Saturnino Præsbytero, *Pervenit ad nos, quia poſtquam pro crimine Lapſus ſui à Sacerdotii ordine eſt dejectus ad explendum miniſterium Sacerdotii præſumpſit accedere, &c. Quòd ſi ita factum fraternitas veſtra repererit, eum ſacri Corporis, & Sanguinis Dominici participatione privatum in pœnitentiam redigas, ita ut uſque ad diem obitus ſui in eadem Excommunicatione permaneat, & viaticum tantummodo exitus ſui tempore percipiat.* Et iterùm *Epiſtola 116.* ejuſdem ad eundem Venantium de eodem Saturnino, & nonnullis aliis. *Ad fraternitatis tuæ conſulta reſpondentes ſtatuimus, Diaconum, & Abbatem de portu veneris quem indicas cecidiſſe, ad ſacrum ordinem non debere, vel poſſe ullo modo revocari. Quem quidem ſacro ordine privatum in Pœnitentiam deputare te convenit; cujus ſi poſtea actus, converſatioque meruerit, priorem inter alios Monachos, ubi tu tamen decreveris, ſtandi locum obtineat. Subdiaconi quoque quos ſimilis culpa conſtringit, ab officio ſuo irrevocabiliter depoſiti inter Laicos communionem accipiant. In portu autem veneris loco lapſi Diaconi alium, qui hoc officium implere debeat, ordinabit. Saturninum verò expræsbyterum, ut nunquam ad ſacri ordinis miniſterium præſumat accedere, ſcriptis cavere decrevimus, ſed eum in inſula Gorgona, atque Capraria ſollicitudinem de monaſteriis gerere, &c.* Clariùs adhuc *Epiſtola* ſequente, ad Conſtantium Epiſcopum Mediolanenſem, ſi quid præcedentibus clariùs eſſe poteſt: *Si Lapſis ad ſuum ordinem revertendi licentia concedatur, vigor canonicæ procul dubio frangitur diſciplinæ, dum pro reverſionis ſpe pravæ actionis deſideria quis concipere non formidat. Fraternitas ſiquidem veſtra nos conſulit, ſi Amandinus ex Præsbytero, & Abbate, qui à ſuo eſt deceſſore culpa exigente depoſitus, in eo, quo fuerat ordine conſtitutus, debeat revocari. Quod quidem nec licet, nec fieri poſſe aliqua ratione decernimus. Ejus tamen ſi converſio meruerit, ſacro ſicuti eſt per omnia privatus officio in Monaſterio eum ante alios, ut prævideritis Monachos ordinate. Illud igitur præ omnibus ſtudete, ut Lapſos in ſacrum ordinem nullius nobis ſupplicatio aliquo modo revocare ſuadeat, ac hujuſmodi non ſtatuta, ſed temporaliter dilata credatur eis eſſe vindicta.* Vix minus evidentia ejuſdem Pontificis leguntur decreta *lib. 3. Epiſtola 26. libro 6. Epiſtola 39. & lib.7. Epiſtola 25.* quæ brevitatis cauſa prætermittimus. Eadem decreta in ſuum decretum intulit Ivo Carnutenſis *part.6. cap.80. 78. & 83.* & in Panormia ſæpiùs.

X. Joannes II. Sancti Gregorii Deceſſor in *Epiſtola* ad Sanctum Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum in cauſa Contumelioſi Epiſcopi depoſiti, quem nonnulli contra Cæſarium contendebant acta Pœnitentia eſſe teſtituendum. *Dolemus de amiſſione Pontificis, rigorem tamen canonum ſervare neceſſe eſt. Atque ideò prædictum ab Epiſcopatus ordine noſtra ſuſpendit auctoritas. Neque enim fas eſt pollutum criminibus, ſacris miniſteriis deſervire. Sed te ordinante in monaſterio dirigatur, ubi delictorum memor in Pœnitentia lachrymas effundere non omittat, &c.* Deinde jubet, ut Viſitatorem Epiſcopatus conſtituat, qui illius curam gerat, donec depoſito ſufficiatur alius. Poſteà breviculum ſubjicitur, quo nonnulli canones continentur, omnem reſtitutionis ſpem depoſitis Clericis eripientes. Eadem repetit *Epiſtola 2.* ad univerſos Galliæ Epiſcopos, & *Epiſt.3.* ad Clerum Eccleſiæ Regienſis cujus Epiſcopus erat Contumelioſus. S. verò Cæſarius his Epiſtolis fretus, *Ecce manifeſtiſſimè conſtat, quia ſecundùm quòd & tituli antiquorum Patrum à S. Joanne tranſmiſſi, & trecentorum decem, & octo Epiſcoporum ſententia, ſed & canones Gallicani continere videntur, Clerici in adulterio deprehenſi, aut ipſi confeſſi, aut ab aliis revicti, ad honorem redire non poſſunt, &c.* Deinde totus eſt, ut demonſtret, etiam acta penitentia Clericos tedire non poſſe ad Sacerdotii honorem. Nonnulli enim canonibus hoc temperamentum miſcebant, *Hoc diligenter attendendum eſt, quòd ſi ſecundùm quod ſupra ſcriptum eſt, illi Clerici, qui ad uxores proprias redeunt, ad integrum ab officio ſuſpenduntur, & ſi etiam Bigami, aut internuptarum mariti, qui utique rem licitam faciunt, Clerici tamen ordinari non poſſunt, aut ſi ordinati fuerint, deiiciuntur, &c. Qua conſcientia quiſquam dicere poterit, quòd ille, qui adulterium commiſerit, iterùm ad honorem redire poſſit?* Et paulò poſt, *Propter regulam Eccleſiaſticam, &c. Eum, quem credimus ad vitam æternam poſt actam Pœnitentiam venire, ad honorem Clericatus ſecundùm tantorum Patrum præcepta novimus non debere reverti, in tantùm ut canonibus præceptum ſit, Ne ullus unquam Pœnitens Clericus ordinetur. Et ſi ille qui ultro petit Pœnitentiam, quamvis perfectè agat, non poteſt aut Epiſcopus, aut Presbyter ordinari, ita ut etiamſi per ignorantiam ordinatus fuerit, & poſtea convincitur pœnitentiam accepiſſe, deiiciatur; ille qui invitus ad Pœnitentiam agendum in monaſterium mittitur, & utique qui aliud quàm pœnitens dicendus eſt, qua conſcientia, ad Sacerdotium redire permittitur?* Univerſus ille Cæſarii tractatus lectori legendus eſt. Habentur iſta *tom.1.* Conciliorum Galliæ ad an. 534.

XI. Sanctus Iſidorus *lib.2.* de divinis officiis, non modò aſſerit de conſuetudine Eccleſiæ peccato mortali ſordidatos ad ſacros ordines promoveri non poſſe, ſed etiam iis donatos ſi mortale quid perpetraverint, miniſterii ſui functionem exercere non poſſe. Probato igitur priori ſic ſcribit de poſteriori, *Sed quid plura ſubiiciamus? Si enim is, qui jam in Epiſcopatu, vel præsbyterio eſt poſitus, mortale aliquod peccatum admiſerit, non debet offerre panes Domini: Quanto magis ante ordinationem peccator inventus repudiari debet, ut non ordinetur? Quapropter quia lex peccatores à Sacerdotio removet, conſideret ſe unuſquiſque, &c.* Idem in Epiſtola ad Helladium de Cordubenſi Epiſcopo in vitium carnis lapſo, eum, & Collegas monet, *Ut idem Lapſus Sanctæ cœtui veſtro præſentatus agnito à vobis Confeſſionis eloquio Synodali ſententia à gradu Sacerdotii deponatur. Melius eſt illi, ut temporaliter judicetur à vobis quàm æterno judicetur judicio, &c. Sciat enim ſe amiſiſſe nomen, & officium Sacerdotii, qui meritum perdidit ſanctitatis. Quapropter judicii veſtri decreta Pœnitentiæ flagitia perpetrata lamentatione deploret: plangat Sacerdotii cultum, quem malè vivendo perdidit:* Tandemque concludit, *fortaſſe porriget illi manum quandoque Spiritus Sanctus, ut per dignam ſatisfactionem mereatur peccatorum remiſſio-*

Digitized by Google

miſſionem . De dignitatis reſtitutione nihil ſpondet.

XII. Diutiſſimè poſt illa tempora viguit iſta ſeveritas: Obſervandam eſſe reſpondet Zacharias de variis capitulis à Pipino Majore domus, & Epiſcopis Francorum interrogatus *Epiſt. 9. in tom.* 1. *Concil. Galliæ*. Sic ille *Capitulo* 2. *De Epiſcopis, Præsbyteris, & Diaconis damnatis, quòd priſtinum officium uſurpare non debeant, ex libro canonum Sanctorum Apoſtolorum cap.29. dictum eſt, &c. Epiſtola* 11. ad Bonifacium Archiepiſcopum idem fieri jubet in impios quoſdam Sacerdotes. Joannes Papa VIII. reſcribens Uceticenſi Epiſcopo, miratur eum cenſere Sacerdotem perpetrato homicidio Sacerdotalis functionis eſſe capacem, *Quis enim*, inquit, *tam demens, tamque perverſi ſenſus, tale quid æſtimaret, vel poſt quantamcunque Pœnitentiam concedendum, cùm omni ſit canonicæ diſciplinæ contrarium? Debet ergo Sacerdotio privatus lachrymarum fonte flagitium tam immane diluere, ut talibus ſaltem remediis curatus, ſalutis poſſit invenire ſuffragium*. Referunt hoc Ivo *part.6. cap.*114. & Gratianus *diſt.*50.*C. miror nimus*. Gregorius quoque 7. *lib.*1. *Epiſt.*34. ad Lincolnienſem Epiſcopum de Sacerdote homicida ſic ſcribit, *Nulla Sanctorum Patrum auctoritas concedit ulterius ſacris altaribus miniſtrare, nec nos decet conſtitutioni illius, quod abſit, aſſenſum præbendo, canonum ſtatutis contraire*. Ex Gregorii verbis colligitur, aliquam conſuetudinem huic diſciplinæ contrarium in Anglia tum invaluiſſe. Addit Pontifex Sacerdotem iſtum ſi veræ Pœnitentiæ fructus erat, & pauper ſit, Eccleſiæ ſumptibus ali debere, *Licèt namque Sacerdotium*, inquit, *nullo pacto unquam mereatur accipere, dignum tamen eſt conſequi eum aliquod beneficium ab Apoſtolica ſede*. Quæ duo illi ſummi Pontifices de homicidio, reſponderunt de cæteris atrocibus peccatis eſt intelligendum: canonibus enim ſolis nituntur, quibus alia atrocia peccata depoſitionibus, aut etiam Pœnitentiæ fulminibus ex æquo cum homicidiis percutiuntur. Quemadmodum igitur non conſequitur: Alii Pontifices de homicidio verba non faciunt; ergo homicidium depoſitionis cauſa eſſe non poteſt; ſic nec ſequitur: Duo hi Pontifices de homicidio tantùm verba faciunt, ergo propter cætera crimina Sacerdos non eſt deponendus. De ſolo homicidio reſponderunt, quia de ſolo homicidio ſunt interrogati.

XIII. Iſtius diſciplinæ ſeveritatem adhibito aliquo temperamento nonnunquam emollierunt. Sic jam vidimus Ancyranos Patres cathedræ honorem nonnullis omni functione Sacerdotali nudatis detuliſſe. Ita videtur intelligendus canon 76. Eliberitanus, qui alioquin in hac cauſa difficilis eſt. *Si quis Diaconum ſe permiſerit ordinari, & poſteà fuerit detectus in crimine mortis, quod aliquando commiſerit, ſi ſponte fuerit confeſſus, placuit eum acta legitima Pœnitentia poſt triennium accipere communionem. Quòd ſi alius eum detexerit, poſt quinquennium acta Pœnitentia accipere communionem laicam debere*. Planè enim videtur aſſerere, canon. Diaconum Pœnitentia ob grave crimen acta priori dignitati reſtitui. Nam triennali acta Pœnitentia cùm Patres communioni reſtituunt. Non eſt autem communio laica; eo quòd ſeverior criminis pœna, quæ de crimine convictis ex definitione canonis imponitur, Laica eſt communio. Communio igitur, quam triennali acta Pœnitentia illi reſtituit canon, communio eſt Eccleſiaſtica, & conſequenter Diaconatus. Huic objectioni duo reſponderi poſſunt. Priùs, communionem Eccleſiaſticam illi revera reſtitui, verùm honorificam, qua Cathedræ, & conſeſſus in Sanctuario honos illi permittitur, ſed Diaconalis functionis exercitium interdicitur: quòd communionis genus eſt Laica longè tolerabilius. Poſteriùs, nihil impedire, quo minus communionem priorem interpretemur Laicam, & illi attribuamus hoc epithetum, licèt de poſteriore tantum enuntietur: Nam ad gravitatem pœnæ poſterioris ſufficiunt anni duo Pœnitentiæ ſuperadditi: Sic interpretatus eſt hunc canonem Epiſcopus Aurelianenſis. Aliter non eſſe intelligendum hunc canonem quàm alterutro modo, nequaquam autem eo quem fert objectio, demonſtrant evidentiſſimè multi ejuſdem Concilii canones, 19. 30. 33. 51. & 65. quos lector conſulere poterit.

XIV. Sanctus Gregorius alio modo ſeveritatem iſtam emollit, cùm depoſitis quibuſdam regendorum Monachorum auctoritatem conceſſit; ipſeque, ut & Gregorius VII. eos Eccleſiæ ſumptibus ali voluerunt. Concilium Chalcedonenſe nonnullos à ſe depoſitos eadem benignitate fovit. Iſta, ſimiliaque remittebant conſiderata Reorum Pœnitentia, & ſincera animi compunctione, necnon criminis perpetrati gravitate. Oeconomicæ iſtius diſpenſationis præclarum legitur exemplum in Epiſtola Sancti Athanaſii ad Rufinianum, quòd non tantùm ipſius approbatione, ſed univerſæ propè Eccleſiæ Catholicæ conſenſu commendatur. Contigit autem in Arianorum perſecutione, quorum partim aſtu, partim violentia Epiſcopi multi cum innumera plebe ceciderunt, & cum iis communicarunt. Sedata igitur perſecutione cum his temperamentis admiſſi ſunt, *Cùm vis, quæ facta eſt, ceſſaſſet*, inquit Athanaſius, *facta eſt Synodus præſentibus ex partibus externis Epiſcopis. Facta eſt autem & apud Sacrorum comminiſtros, qui habitant in Græcia: Nihilo ſecius autem & apud eos, qui habitant in Hiſpania, & Gallia. Et placuit hoc quod hic, & ubique, ut iis quidem, qui lapſi ſunt, impietati autem præſunt, venia quidem detur Pœnitentibus, ac reſipiſcentibus, eis autem locus Cleri non detur. Iis autem, qui impietatis auctores non fuerunt, ſed vi, & neceſſitate tracti ſunt, viſum eſt dari veniam, habere autem etiam locum in Clero, maximè quia probabilem excuſationem attulerunt, & viſum eſt, hoc quodammodo œcumenico quodam Concilio factum eſſe. Affirmarunt enim ſe non fuiſſe ad impietatem traductos, ſive ei non conſenſiſſe. Ne autem quidam à pietate longè alieniſſimi Eccleſias corrumperent, maluerunt vi cedere, & onus ferre, quàm populos perdere*. Exemplo autem Aaron ſeſe defendebant, qui conſenſum prævaricationi populi datum excuſavit, allegando ſe conſenſiſſe, ne populus in Ægyptum retrocedens in impietate perſeveraret, à qua multum probabile erat in deſerto manentem facilè retrahi poſſe. Hanc excuſationem approbat Athanaſius, & Concilium approbaſſe indicat. Poſteà ſubdit, *Hac ergo de cauſa Clerus illis conceſſus eſt. Deceptis autem, & vim paſſis datur venia. Hæc tuæ pietati ſignifico, confidens quòd quæ decreta fuerint, tua admittet pietas, nec condemnabit eorum, qui ſic convenerunt, & conſtituerunt clementem ad ſedendas diſſenſiones remiſſionem*.

XV. Nec hìc omittendum eſt Africani Concilii decretum *cap.*35. apud Græcos 71. quo propter Eccleſiæ Africanæ *magnam neceſſitatem, pacem, & utilitatem*, ſtatuitur, *ut ex ipſis Donatiſtis quicunque Clerici correcto conſilio ad Catholicam unitatem tranſire voluerint, ſecundùm uniuſcujuſque Epiſcopi Catholici voluntatem, atque conſilium, qui in eodem loco gubernat Eccleſiam, ſi hoc paci Chriſtianæ prodeſſe fuerit, in ſuis honoribus ſuſcipiantur, ſicut prioribus ejuſdem diviſionis temporibus factum eſſe manifeſtum eſt*. Teſtantur ibi Patres, aliter quidem in Concilio Tranſmarino ſtatutum eſſe, ſed Provinciæ ſuæ neceſſitatem, in qua Donatiſtarum maximus erat numerus, aliam diſciplinam poſcere. Ideò ſtatuunt, ut de decreto ſuo literæ ad Tranſmarinos Epiſcopos, præcipuè ad Anaſtaſium Pontificem mittantur, quibus doceantur ſe, ita ex antiquo more, propter ſummam Eccleſiæ ſuæ neceſſitatem iterùm ſtatuiſſe, non ut Concilium Tranſmarinum diſſolvatur, aut contemnatur.

XVI. Hanc Africani Concilii œconomiam, & illius rationem ſæpiùs aſſerit, & adversùs Donatiſtas defendit Sanctus Auguſtinus, ut *lib.* 2. *in Creſconium cap.* 11. *De Epiſcopis quidem, & Clericis alia quæſtio eſt, &c. Ita ſuſcipiuntur, ut videatur paci, & utilitati Eccleſiæ convenire. Neque enim Epiſcopi propter nos ſumus, ſed propter eos, quibus verbum, & Sacramentum Dominicum miniſtramus: ac per hoc, ut eorum ſine ſcandalo gubernandorum ſeſe neceſſitas habuerit, ita vel eſſe, vel non eſſe debemus, quòd non propter nos, ſed propter alios ſumus*. Et *capite ſequente, Proinde veſtri Epiſcopi, ſeu quilibet Clerici, quantum ad ipſa Eccleſiaſtica officia pertinet, ſic in Catholicam ſuſcepti ſunt unitatem, quemadmodum expedire videbatur iis, quorum ſaluti per eorum conſulebatur officium, vel exercendum, vel omittendum*. Apud ſapientes enim, cordatoſque viros ſalus populi diſciplinæ variandæ ſuprema lex eſt. Eadem prudentia in his extremis conferri præcipit dignitates Eccleſiaſticas Gelaſius Pontifex *Epiſt.* 9. ad Lucaniæ Epiſcopos *c.*11. Ideò Lucifer Calaritanus, vir alioquin pius, & fidei zelo admodum ardens, cum Aſſeclis ſuis Schiſmaticorum catalogo adnumeratus eſt, quòd cum Epiſcopis lapſis, & Eccleſiæ decreto dignitati reſtitutis communicare nollet. Pertinaciter enim aſſerebat Clericos, quoſque à fide Lapſos, Pœnitentes quidem in Laicam communionem recipi debere, ſed gradum recuperare non poſſe. Ita enim ſcribunt Marcellinus, & Fauſtinus Presbyteri Romani, hujus Schiſmatis participes ad Theodoſium, & Valentinianum Imperatores adverſus Damaſum Pontificem, *Nullo genere talibus Epiſcopis poſſe communicari, qui fidem illo modo, quo ſupra retulimus, prodiderunt, niſi ſi Laicam poſtulaverunt communionem dolentes ſuis impietatibus*. Quapropter eo tempore nonnulli, ut Charybdim ſua ſententia vitarent, in Scyllam incidebant: Conceſſa enim Epiſcopis

pis

pis Pœnitentibus Laica communione eoſdem iterùm ordinabant, ut iidem Preſbyteri eodem ſupplice libello ſæpiùs teſtantur.

XVII. Si quis iſtius temperamenti plures ſpecies cognoſcere cupiat, legat *cap.*12. & ſequentia *lib.* 2. Exercitationum noſtrarum Eccleſiaſticarum: Nunc ſatis ſuperque ſit nobis velut coronidis loco Sancti Auguſtini teſtimonium præcedentibus ſuperaddere, quod non modo antiquam diſciplinam hoc, & capite antecedente enarratam præclarè confirmat, verùmetiam temperamentorum adhibendorum rationes ſapienter explicat. Sic igitur Auguſtinus *Epiſtola* 50. verſus finem ubi occaſione Donatiſtarum agit etiam de iis, qui olim Arianæ hæreſi conſenſerant, *Ut conſtitueretur in Eccleſia, ne quiſquam poſt alicujus criminis pœnitentiam Clericatum accipiat, vel ad Clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum eſt diſciplinæ: alioquin contra claves Eccleſiæ datas diſputabitur, de quibus dictum eſt, Quæcumque ſolveritis, &c. Sed ne forſitan etiam de cæteris criminibus ſpe honoris Eccleſiaſtici animus intumeſcens ſuperbè ageret pœnitentiam, ſeveriſſimè placuit, ut poſt actam de crimine damnabili pœnitentiam nemo ſit Clericus, ut deſperatione temporalis altitudinis medicina major, & verior eſſet humilitatis.* Deinde allatis exemplis Davidis, & Petri, qui poſt crimina dignitatem conſervaverunt, ſubiicit, *Sed non ideò ſupervacua putanda eſt poſteriorum diligentia, qui ubi ſaluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo ſalus tutius muniretur, experti credo aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas invenire medicinas, multarum experimenta malorum.* Poſteà rationem brevem explicat remittendæ ſeveritatis, *Verùm in hujuſmodi cauſis, ubi per graves diſſenſionum ſciſſuras, non hujus, aut illius hominis periculum, ſed populorum ſtrages jacent, detrahendum eſt aliquid ſeveritati, ut majoribus malis ſanandis charitas ſincera ſubveniat.*

XVIII. Eam tamen cautionem, ut ex præcedentibus manifeſtum eſt, obſervarunt Patres, quam in eadem reſtitutionis Hæreticorum cauſa tradit Sanctus Innocentius *Epiſt.*22. *cap.* 5. *Quòd neceſſitas pro remedia invenit, ceſſante neceſſitate, debet utique ceſſare pariter quod urgebat: Quia alius eſt ordo legitimus; alia uſurpatio, quam ad præſens, fieri tempus impellit.* Ideò licèt Epiſcopos, qui in Concilio Ariminenſi ceciderant, Eccleſiæ clementia, & œconomia reſipiſcentes cum dignitatibus ſuſceperit, idemque erga Donatiſtas præſtiterit Eccleſia Africana, eodem privilegio Novatianos, & Meletianos olim donaverit Concilium Nicænum, id tamen ceſſante neceſſitate continuari non debet, nec in caſu ſimili ad alios prorogari. Nam ut jubet Bonifacius VIII. regula Juris 78. *argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa.*

CAPUT XV.

Quando tandem, & quibus gradibus criminum occultorum Reis conceſſus eſt poſt actam privatim Pœnitentiam canonicam ad priſtinam dignitatem reditus. Multi tamen Pontifices, & viri inſignes paſſim huic indulgentiæ ſeſe oppoſuerunt. Ut prævaleret iſta indulgentia canones partim incerti, partim commentitii effecerunt. Nihil antiquitus tam ſeverè obſervatum, quod nunc obſervandum eſſe ab omnibus non doceatur.

PRævaluit tandem, ſed tardè admodum, maxima ſeveritatis remiſſio, ita ut Pœnitentia purgati priſtinæ dignitati reſtituerentur. Nec ſimul, & ſemel, ſed paulatim obtinuit, ad eamq; veluti gradibus quibuſdam, qui nobis explicandi ſunt, aſcenſum eſt. Proſper *lib.*2. *de vita contemplativa* videtur indicare ſuo tempore, in provincia ſcilicet ſua, hoc in peccatis occultis eſſe factitatum, cùm ſcribit de iis, *Qui neſcientibus aliis quales occulti ſunt, ipſi in ſe voluntariæ excommunicationis ſententiam ferunt, & ab altari cui, miniſtrabant, non animo ſed officio ſeparantur,* eos eſſe certos, *quòd reconciliatio ſibi efficacis Pœnitentiæ fructibus Deo, non ſolùm amiſſa recipient, ſed etiam cives ſupernæ civitatis effecti ad gaudia ſempiterna pervenient.* Nonnulli hoc contendebant aliquanto poſt in Gallia Narbonenſi, ſed iis cum Concilio ſuo ſeſe oppoſuit Sanctus Cæſarius Arelatenſis Archiepiſcopus, auctoritate inſuper Joannis II. Papæ fretus, ut capite præcedente probatum eſt. Multi aliarum Provinciarum Epiſcopi hoc variis temporibus præſumpſerunt, ſed iiſdem ſeculis varii Pontifices iſtius diſciplinæ relaxationi ſeſe oppoſuerunt, eamque ab interitu longo tempore conſervarunt, ut fusè ſatis jam enarratum eſt, & ampliùs hoc capite demonſtrabimus.

II. Ante Gregorium VII. qui Pontificatum iniit anno 1073. ſub Leone IX. qui Pontifex anno 1049. renuntiatus eſt, eadem diſciplina procurante S. Damiano innovata eſt, & contra eos, qui eam nimium relaxabant, propugnata. In una quidem ſpecie experimentum factum, eo quod in ea effrænis relaxatio paſſim admittebatur, ſed ex ea, atque ex rationibus, quibus eam ſtringebant Damianus, & Pontifex ipſe, velut è culmo ſpica, facilè colligitur, quo rigore in cætera crimina animadverterent. Immò aliquando expreſſiſſimè alia crimina refert, propter quæ omnium conſenſu Clericus ſine ſpe reſtitutionis deponitur, atque hinc, velut ex palam conceſſo, ad ſpeciem de qua lis intendebatur, argumentum ducit. Ut *cap.*9. *Si quilibet Canonicus Præsbyter cum muliere cecidit, cui pœnitentiæ judicium vel ſemel indixit, à nemine prorsùs ambigitur, quin Synodalis cenſura judicii degradetur.* Et *cap.*8. *Quæro abs te, ſi quis ſacrilegè cum virgine periclitatus fuerit, nunquid in ſuo gradu tuo judicio permanebit? Sed non eſt ambiguum, quin hujuſmodi cenſeas deponendum, &c.* Quæſtio inter Sanctum Damianum, & Eccleſiarum aliquarum Rectores de *ἀρσενοκοιτίας* pœna agebatur, crimen cujus tùm Clerici frequenter accuſabantur. Quatuor iſtius criminis gradus diſtinguit, quorum poſtremus ſolum eſt crimen, quod *τῆς ἀρσενοκοιτίας* intelligitur. Omnes tamen & depoſitione in Clericis condemnant, quæ nulla unquam ſit ratione reſtitutionem conſecutura; & Laicis perpetua ad ordines incapacitate. Sic Damianus *cap.*3 *libri Gomorrhianus dicti*, *Ut nobis videtur, valdè præpoſterum eſt, ut conſuetudinaliter hac purulenta contagione fœdati, vel ad ordinem provehi, vel in gradu perſiſtere audeant jam promoti: Quia & rationi contrarium, & canonicis Patrum ſanctionibus probatur adverſum.* Deinde cæteris rationibus, quibus ſententiam ſuam probat, Sancti Gregorii ſcribentis ad Paſſivum Epiſcopum, de quodam ad ordines promovendo teſtimonium adtexit: *Si nulla ei crimina, quæ per legis ſacræ regulam morte mulctata ſunt, obviant, tunc ordinandus eſt, ut vel Monachus, vel à vobis Subdiaconus fiat, & poſt aliquantum temporis, ſi Deo placuerit, ipſe ad paſtoralem curam debeat promoveri.* Denique aliquot rationibus ex hac Sancti Gregorii ſententia deductis tandem ſic colligit: *Luce ergo clariùs conſtat, quia quicunque dicto modo lapſus eſſe convincitur, quod ſine dubio mortale crimen eſt, omninò contra divinæ auctoritatis regulam ad Eccleſiaſticum ordinem promovetur.* Dixerat paulò ante, ſequente pietate, & vitæ religioſæ approbatione, *Reatus quidem indulgentiam plenè poſſe accipere, ad Eccleſiaſticum verò ordinem nequaquam permitti aſpirare.* Capite verò quarto demonſtrat multis nulla neceſſitate urgente id eſſe permittendum, & *cap.*5. in reprobum ſenſum datos eſſe, qui hoc vitio maculati ſacrum ordinem concupiſcunt. Illi autem ſemper idem eſt, & Laicum non poſſe promoveri, & promotum non poſſe officio fungi. Ideò acriter inſurgit *cap.*8. in eos, qui aſſerebant, Pœnitentia elui poſſe hoc ſcelus, & Clericus *irrevocabiliter à ſuo gradu deiici non debere.* Damianum autem de criminibus univerſum agere, ſive occulta ſint ſive publica, ex ipſa quadrimembri diſtinctione manifeſtum eſt, deinde ex nonnullis locis, quibus in hypotheſi occultorum criminum exempla profert. Vide, quæ hac in cauſa diximus *lib.*7. *cap.*11.

III. Notabit autem lector eos, cum quibus agit Damianus in poſtremò *τῆς ἀρσενοκοιτίας* gradu ab eo nullomodo diſſentire, ſed tres priores longa pœnitentia emaculari aſſeruiſſe, eaq; acta ad officium Clericos regredi debere. Leo autem IX. Pontifex litem ſic diremit in *Epiſtola* ad Damianum, *Omnes illi, qui quavis quatuor generum, quæ dicta ſunt, fœditate polluuntur proſpectu æquitatis cenſura, ab omnibus immaculatæ Eccleſiæ gradibus tam ſacrorum canonum quàm noſtra judicio depelluntur.* En Eccleſiæ mens, ſenſus, & praxis legitima. Poſteà Pontifex auctoritate ſua ſeveritatem illam remittit, ſed quatenus remittat diligenter attendere debet lector. Verba ſententiamq; Pontificis fusè referemus *lib.*7. *cap.*11. Quocirca eam hic enarrare ſupervacaneum eſſet.

IV. Quanquam Rectores Eccleſiarum permulti, & inſignes variis ſeculis ita cenſuerint, prævaluit tamen primum ea ſententia, quæ diſtinxit inter crimina publica, aut legitimo aliquo judicio publicata, & crimina occulta, affirmavitque priora efficere Laicum ſacrorum ordinum ſuſcipiendorum, Clericum verò exercendorum incapacem, licèt uterque longa aliqua pœnitentia criminis ſui ſcelus eluiſſet, & peccati veniam impetraſſet: poſteriora autem crimina, hoc eſt, occulta per Pœnitentiam canonicam privatim, & ſecretò actam ita expiari, & emaculari poſſe, ut ea peracta tam Laicus, quàm Clericus priſtinæ capacitati, & prærogativæ reſti-

Digitized by Google

reſtitueretur. Poſtquam obtinuit in Eccleſia ea diſciplina, qua de criminibus tantum publicis, aut publicatis acta eſt Pœnitentia publica, de ſecretis, & occultis ſecreta, & privata, mirificè etiam placuit præcedens diſtinctio in favorem tam Laicorum, quàm Clericorum peccantium excogitata, cujus fundamenta, quà Clericos ſpectat, Sancti Proſperi tempore jactari cœpiſſe videntur. Iſta demonſtrantur ex Pœnitentiali Rabani Mauri, & aliis, qui eum ſecuti ſunt Pœnitentialibus: Sic igitur Rabanus initio Pœnitentialis ſui, *In primis viſum eſt vobis conſcribi de his, qui ſacros ordines habent, & ante, vel poſt ordinationem contaminatos in capitalibus criminibus ſe eſſe profitentur, in quibus, ut mihi videtur, hæc diſtantia debet eſſe, ut hi, qui deprehenſi, vel capti fuerint publicè in perjurio, furto, atque fornicatione, & cæteris hujuſmodi criminibus ſecundùm ſacrorum canonum inſtituta à gradu proprio deponantur: Quia ſcandalum eſt populo Dei, tales perſonas ſuper ſe poſitas habere, quas ultra modum vitioſas conſtat eſſe. Nempè inde detrahunt homines ſacrificio Dei, &c. Qui autem de prædictis viris per occultam confeſſionem mala à ſe abſconsè commiſſa coram oculis Dei, præſente etiam Sacerdote, qui eis indicturus eſt pœnitentiam, confitentur, & ſemetipſos graviter deliquiſſe accuſant, ſi veraciter pœnituerint, & ſe per jejunia, & eleemoſynas, vigilias, atque ſacras orationes cum lacbrymis purgare certaverint, his etiam gradu ſervato ſpes veniæ de miſericordia Dei promittenda eſt*. Ea, quam præpoſuimus, diſtinctio, & diſciplina evidentiùs, & preſſius explicari non poterat. Idem omninò, & iiſdem verbis præcipiunt, velut ex Concilio Ilerdenſi deſumptum, Burchardus *lib.19. cap.* 150. Ivo Decreti *part.6. can.*400. Pœnitentiale Roman. *titul.*8. *cap.*1. Gratianus *diſtinct.* 50. *c.* de his. Tarraconenſis compilatio *lib.6.c.*277.

V. Iidem auctores, Burchardus *lib.* 19. *can.* 151. Ivo Decreti *part.* 15. *can.*160. Pœnitentiale Romanum *tit.* 8. *cap.*2. referunt alium canonem velut ex Concilio Toletano, quo eadem diſciplina, de criminibus occultis non minus disertè præcipitur, *De viris ordinatis, quorum occulta peccata ſunt, nec manifestè ab aliquo argui poſſunt, ſi ſalubriter compuncti pro peccatis ſuis confeſſionem Epiſcopo, ſive Præsbytero occultè faciunt, bonum mihi videtur, ut ſecundùm id, quod ſibi decretum fuerit ab Epiſcopo, ſive Præsbytero Pœnitentiam agant non tepidè, nec tardè, ſed ferventer, & ſolicitè, ac ſic ſe veniam peccatorum à Domino percepturos, & gradum ſe retenturos confidant*.

VI. Præter hæc evidentiſſima teſtimonia ex Conciliis Ilerdenſi, & Toletano, ut arbitrabantur, deſumpta, duobus aliis innitebantur, quorum unum è Sancti Gregorii Epiſtola ad Secundinum, quæ habetur regiſtri *lib.7. Indict.2. Ep.*54. alterum è Sancti Iſidori Epiſtola ad Maſſanum petebatur. Verùm duæ illæ Epiſtolæ reſolutionem in integrum Clericis dandam eſſe demonſtrant, poſt actam ex æquo de criminibus publicis, & occultis Pœnitentiam. Poſtquam enim teſtati ſunt, antiquos canones in hac quæſtione definienda varios, & ſibi contrarios apparere, illos ita conciliant, ut exiſtiment canones eos tantùm Clericos gradibus ſuis reſtituendos negare, qui nondum Pœnitentia mundati ſunt, vel qui Pœnitentiam agere nolunt, criminum publicorum ab occultis diſtinctione prætermiſſa, & inſuper habita. Prior canonum interpretatio, & ipſis canonibus, & Eccleſiæ antiquioris praxi, & potiſſimùm Sancti Gregorii teſtatiſſimæ tot locis ſententiæ planè contraria eſt. Poſterior inſuper cum canonibus comparata planè eſt abſurda, & ridicula. Hoc ex jam dictis manifeſtiſſimum mihi videtur; ideò illius probationi non immoramur. Quod ad illam Sancto Iſidoro tributam Epiſtolam attinet, planè commentitia eſt, ut & aliæ nonnullæ ipſi nuncupatæ. Quæ verò S. Gregorio tribuitur, varias complectitur, & reſolvit quæſtiones, quibus præteritis aſſerimus nonnulla eſſe in ea de qua contendimus corrupta, & ſuperaddita. Iſtius aſſertionis particulatim demonſtrationi diligentiùs incumbere parum propoſito noſtro conduceret. Sufficit lectori innotuiſſe, & demonſtratum eſſe, quanquam Conciliorum canones, Pontificum decreta, & inſigniorum Patrum ſententiæ ad annum, uſque circiter milleſimum centeſimum omnem Clericis propter graviſſima crimina tam privata, quàm publica depoſitis reſtitutionis ſpem ſuſtulerint, nihilominus contrarium ſæpè poſt actam Pœnitentiam ab annis octingentis non modò factum eſſe in utroque criminum genere, & potiſſimùm in occulto, ſed etiam fieri debere paſſim aſſertum, & prædicatum, atque ſic ab annis ſeptingentis, aut paulò minus, licet multi contra niterentur, uſurpatum, ut certiſſimè demonſtrant, præter Epiſtolam SS. Gregorii, & Iſidori jam commemoratas, libri Pœnitentiales citati, qui omnium Parochorum manibus ex Synodorum Diœceſanorum decretis verſabantur: quibus adjungendæ ſunt auctoritates in fine capitis ex *diſtinct.*82. repetitæ.

VII. Rabano Mauro accedit Hincmarus Rhemenſis in fine ſecundi Capituli ad Decanos Diœceſis ſuæ, quod habetur ad calcem *tom.*3. *Concil. Galliæ*. Diſputat adverſus nonnullos, qui Clericos criminum convictos, vel ea confeſſos deponi nolebant, ſed tantùm ſuſpendi, & Pœnitentia peracta reſtitui, contrariam ſuæ opinioni ſententiam Novatianiſmi accuſantes. Multis Patrum, & Pontificum teſtimoniis demonſtrat, *Clericos de crimine confeſſo, vel convictos eſſe meritò à gradu Eccleſiaſtico deponendos*. Quo facto quid de iis, qui detecti non ſunt, ſentiendum ſit, aperit, atque ita definit, ut longa pœnitentia doceat eos miſericordiam à Deo impetrare; nec ullam voluntariæ ſuſpenſionis mentionem facit, quam tamen exiſtimo mente ſuppoſuiſſe: *Lapſos autem in ordine Eccleſiaſtico, ſed non detectos judicio Dei committimus, cujus miſericordiæ, ut Leo dicit, nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora diffinire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera confeſſio, &c.* Deinde multis verbis Pœnitentiæ virtutem exaggerat, & oſtendit, Deum, eò clementiorem in nos eſſe quo inclementiores ſumus. Tandemque colligit, *Sic nimirum lapſos, atque detectos cum Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ doctrina, ſacrorum canonum ſeveritatis cenſuram ſequimur. Sic de lapſis, ſed non detectis, & peccata ſua lugentibus cum Eccleſia Catholica de omnipotentiſſima Domini benignitate ſentimus, quia nullum eſt peccatum, ut dicit, Gelaſius, pro quo aut non oret Eccleſia remittendum, aut quod data ſibi divinitus poteſtate deſiſtentibus ab eodem non poſſit abſolvere, vel pœnitentibus relaxare, cui dicitur, Quæcumque remiſeritis, &c.* Utrumque complectitur, & peccati abſolutionem, atque ut loquimur, de irregularitate propter peccatum incurſa diſpenſationem.

VIII. Eam denique Hincmari mentem fuiſſe demonſtrat evidentiſſimè, quòd in poſterioris iſtius partis probationem Sancti Gregorii à Rabano, & aliis citatam Epiſtolam fusè quoque citat, & ei conjungit Calixti I. Epiſtolam ſecundam, cujus magna parte idem multis argumentis aſſeritur. Sed plura probat iſta Epiſtola, ut nunc extat, quàm velit Hincmarus; immò directè, & toto propoſito ſententiam, quam ſibi oppugnandam ſumpſit Hincmarus, propugnat illius auctor, ſcilicet Clericum publicè lapſum, & confeſſum dignitati acta Pœnitentia eſſe reſtituendum. Verùm Concilium Hybernenſe à Gratiano relatum *diſt.*82. *can. ultimo* Epiſtolæ iſtius mentem cepit. Ea enim fretus, & alia Sancti Sylveſtri ejuſdem fabricæ probat Præsbyterum fornicantem, & confeſſum poſt longam, & ſeveram Pœnitentiam dignitati reſtituendum. *Præsbyter ſi fornicationem fecerit, quanquam ſecundùm canones Apoſtolorum debeat deponi, tamen juxtà auctoritatem B. Sylveſtri, ſi in vitio non perduraverit, ſed ſua ſpontè confeſſus adjecit, ut reſurgat, decem annis in hunc modum pœniteat*. Deinde particulatim explicata uniuſcujuſque anni pœnitentia ſubdit, *Eadem quoque erit Pœnitentia Sacerdotis de omnibus aliis peccatis, & criminibus, quæ in eum depoſitionem inducunt. Neque hoc cuilibet videatur oneroſum, ſi Sacerdos poſt lapſum dignè, ut ſupra dictum eſt, pœnitens ad priſtinos redeat honores*. Diſciplinam Eccleſiaſticam Patres iſti multò magis quàm Hincmarus relaxant, erantque in ea prorſus ſententia, quam pro viribus loco citato Hincmarus Archiepiſcopus refutat.

IX. Poſt annum milleſimum centeſimum, & circiter quadrageſimum res aliter tranſacta eſt. Scholaſtici Doctores diſtinxerunt inter Pœnitentiam publicam, & ſolemnem; & ſolemni tribuerunt, quæcunque de publica dixerant antiqui. Solemnis autem non imponebatur, niſi propter graviſſimum crimen, & adeò publicum, ut totam urbem commoveret. Itaque rara admodum erat ejuſmodi Pœnitentia, & Clericis tantùm infligebatur poſt depoſitionem. Ex eorum autem doctrina, & uſu illius temporis, qui Pœnitentia illa ſemel functus erat, ad ordines ſacros evehi non poterat, aut evectus eos exercendi jus recuperare, ut fusè hæc enarrabimus libri ſequentis *cap.* 25. Quid antiquam ſeveritatem miraris, lector, cùm illi hodierna, ſi diſpenſationes Pontificias excludas, minimè cedat? Numquid Laicus, qui homicidium cl[illegible]n, vel publicè commiſit, irregularis eſt? Similiter & Clericus? [illegible]: proinde ſecluſa diſpenſatione nuſquam ad ordines promoveri poteſt, nec hic illos exercere. Quot alia crimina eandem irregularitatem pariunt? Eadem igitur utrobique ſeveritas; ſed relaxationem nunc diſpenſatio concedit, quam antiquitus longa, & dura Pœnitentia concedebat.

C A-

CAPUT XVI.

Sceleram Pęnitentes primis Eccleſiæ ſecalis ſacco, & cinere ſordaleatos jas agendæ Pęniteatiæ multis precibus, & fletibus aate fores Baſilicarum ad Clerum, & popalam effuſis impetraſſe.

QUanquam antiquiſſimi Patres graviſſimorum criminum Reis Pœnitentibus pœnas imponerent, & minores multò, & breviores iis, quæ poſteà ab eorum ſucceſſoribus decretæ ſunt; Immò nonnunquam Pœnitentiam magna cùm animi humilitate, & cordis mœrore petentibus reconciliationem ſtatim clementer concederent, omnium pœnarum canonicarum indulgentia facta: Pęnitentiam tamen ipſam, ſive jus agendæ apud Eccleſiam Pęnitentiæ multò difficiliùs quàm poſteà factum eſt, conceſſerunt. Diligenter enim cavebant ne excellens Pęnitentiæ donum indignis crederent, neve benedictio, quæ in Pœnitentiæ ſuſceptione funditur, effectu ſuo fruſtraretur. Ideò neminem ad agendum poſt gravia peccata pœnitentiam admittebant, niſi qui eam diù cùm magnis fletibus, & gemitibus ab Epiſcopis poſtulaſſet. Eos verò, qui perpetratis ejuſmodi criminibus eam petere non curabant, ſed vitiis conſequenter ſeſe dedebant, Pęnitentiæ fructum, præſertim in Occidente, non tribuebant, ſi moribundi eam petere primùm incipiebant, ut quiſque ſibi timens moneretur Pœnitentiæ actionem ſedulò, & diligenter, dum ſanus eſt, eſſe expoſcendam. Poſt Novatum, & reddita Eccleſiæ pace multò faciliùs ad Pęnitentiam ſuſcepti ſunt peccatores. Cùm enim in Pœnitentiæ ſtationibus multò diuturniore tempore antequam reconciliarentur, eos detinerent, in ſuſceptione minus ſcrupuloſi fuerunt. Ideò ferè poſt illa tempora in Eccleſia vulgatum eſt, Pęnitentiam nulli peccatori quovis tempore eam petenti eſſe denegandam; atque ut ſtatutum, ita factum. Innocentius *Epiſt.* 25. *initio*, *Ve durum arbitror conniveatiam præbere peccatoribas, ita impium judico manam negare converſis.* Et Cæleſtinus *Epiſt.* 2. ad Epiſcopos Galliæ *cap.* 2. *Cùm ergo ſit Dominas cordis inſpector, quovis tempore non eſt deneganda Pœniteatia poſtalanti, cùm ille ſe obliget jadici, cui occalta omnia noverit revelari.* Concilium Andegav. *c.* 13. *Pęnitentiæ locus omnibus pateat, qui converſi errorem ſaum volnerunt confiteri.* Et Concilium Epaunenſe *can.* 36. *Nenllus ſine remedio, aut ſpe veniæ ab Eccleſia repellatur, neve ulli ſi aut pęnituerit, aut ſe correxerit, ad veaiam redeundi aditas obſtruatur. Et ſi cuique forſitan diſcrimen mortis immineat, damnationis conſtitata tempora relaxeatar.*

II. Verùm antiquitus multò cautiùs in Pęnitentiæ conceſſione ſeſe gerebant; atque eò cautiùs, quò difficiliùs iſtorum criminum, ſi repeterentur, ſecunda permittebatur Pœnitentia. Ideò ultrà omne Eccleſiæ tectum in area, & ſpatio ante portas Eccleſiæ, & ipſis contiguo ſcelerum Reos Pęnitentiam ambientes aliquandiù diſtinebant, ubi omnibus fidelibus Eccleſiam ingreſſuris ſaccum, cineremque, & miſerabilem habitum indutum advolvebantur, eos rogantes, ut non modò Deum ipſis inſenſum exorarent, ſed etiam ut apud Epiſcopum, & Præsbyterium, univerſamque fraternitatem intercederent, quo Pœnitentiæ donum, & benedictio ipſis concederetur. Hoc eſt nobis nunc probandum. Apoſtolicum morem docet nos Clemens Romanus *l.* 2. *Conſtit. Apoſtol. c.* 16. Verba enim faciens de ejecto ab Eccleſia propter peccata, jubet, Diaconos eum obſervare, ne Eccleſiam ingrediatur. Intereà ſi converti velit, eoſdem Epiſcopum rogare, ut eum ad Pœnitentiam admittat. *Exeuntem Diacoai ſeverè objurgeant, & eum obſervantes extra Eccleſiam contiaeant. Poſteà ingreſſi, te pro eo rogent, &c. Tuac jubebis eum ingredi, & examiae facto, an pęniteat, ſitque digaus, qui in Eccleſiam ex toto admittatur, &c.* Hunc morem ſpecialiùs explicat *c.* 39. *Habe loco Publicani, & Ethaici eam, qui convictus eſt in maleficio, neque eam tamea pęnitet: Quem ſi poſteà errati ſui pęnituerit, in Eccleſiam admittimus.* Qua ratione verò, & quam uſque claſſem? *Ad audiendum verbum ſicut Ethaicos cùm Pęnitentiam agere, & converti voluat, licèt communionem cùm bis, quoad baptizantar, non habeamus: Sic horum ſimilibus donec fructus Pęnitentiæ proferaat, ingredi in Eccleſiam permittimus, ne planè funditas pereant; ſed ne communioaem in oratione habeant, quia potiùs exeant poſt lectionem legis, & Prophetarum, & Evangelii, ut exeando vitam emendent, ac meliores fiant, dum ſtadeat ire quotidie ad conventas Eccleſiaſticos, & precationi incumbere, ut & ipſi poſſint admitti.* Volentibus enim Pœnitentiæ ſe ſubmittere non ſtatim credebant, niſi ſinceri animi argumenta αὐτόπτα demonſtrarent, ſed aliquanto tempore eos diſtinebant, donec eorum precibus fideles commoti pro iis apud Epiſcopum intercederent.

III. Id luculenter de ſuo tempore in Africa, & Romæ factum teſtari videtur antiquiſſimus Tertullianus *cap.* 9. *libri de Pęnitentia*, ubi inter cætera, quæ facere docet Pœnitentia, & Exomologeſis, hæc refert, *Præsbyteris advolvi, charis Dei adgeniculari, omnibas fratribus legationes deprecationis ſaæ injungere.* Et *cap.* 10. *Cùm te ad fratrumgenua protendis, Chriſtum contrectas, Chriſtum exoras. Æquè illi cùm ſuper te lacbrymas agunt, Chriſtus patitur, &c.* Hæc fieri tantùm potuerunt ante ſuſceptam Pęnitentiam, ut ea concederetur. Ea enim ſuſcepta nihil aliud reſtabat quàm illius adimplendæ ſtudium. Fas quidem ſemper fuit Epiſcopis tempus, moleſtiaſque Pœnitentiæ, pro uniuſcujuſque in ea adimplenda ſtudio, & diligentia minuere. At ut id fieret Pœnitentes precibus, & aliis modis contendere, argumentum fuiſſet animi parum Pœnitentis, & conſequenter illius nunquam minuendæ juſta cauſa. Verùm equidem eſt in decurſu Pęnitentiæ ſolitos Pœnitentes fraternitatem rogare, ut pro ſe precibus ad Deum intercederent, atque ideò poſterius teſtimonium ad hanc rogationem referri quadantenus poſſe. Sed priùs eo torqueri non poſſe videtur.

IV. Eodem evidenter alludit idem Tertullianus *c.* 22. de Patientia, ubi inter patientiæ effectus & hunc enarrat; *Hæc expectat, hæc exoptat, hæc exorat pęnitentiam, quandoque inituris ſalatem. Libro* quoque *de pudicitia c.* 3. *Adſiſtis enim pro foribas ejas, & de notæ ſaæ exemplo cæteros admones, & lacbrymas fratram ſibi quoque advocat, & redit plus negotiata compaſſionem ſcilicet quàm communicationem.* Jam Montaniſta hunc librum conſcripſit Tertullianus; ſed ad id, quod vertitur, parum intereſt: Refert enim quæ ex utriuſque partis conſenſu Pœnitentiam antecedebant, quibus tamen ſubjungit, quòd hæreſim ſapit, hoc ſcilicet, *Compaſſionem plas negotiata, quàm communicationem.* Actibus enim antecedentibus ſecundùm orthodoxam fidem Pœnitens compaſſionem negotiabatur, atque ex compaſſione Pęnitentiæ ab Eccleſia impoſitionem, qua exacta perfecta ſequebatur communicatio. At ſecundùm Montaniſtas, quidquid lugubre agerent ejuſmodi homines, communicationem nunquam aſſequebantur, ut verbis citatis teſtatur, & evidentiùs *cap. primo*, *Bigamos foris ſiſtimus, eandem limitem Męchis quoque, & fornicatoribus figimus, jejunas pacis lacbrymas profuſuris, nec ampliùs ab Eccleſia quàm publicationem dedecoris relataris. Capite* 5. idem docet, ſimulque quo habitu poſtularetur Pęnitentia, *Adſiſtit Idololatra, adſiſtit homicida; in medio eorum adſiſtit & Męchus. Pariter de Pęnitentiæ officio ſedent in ſacco, & cinere inhorreſcant, eodem fletu ingemiſcunt, eiſdem precibus ambiunt, eiſdem genibus exorant, eandem invocant matrem. Quid agis molliſſima, & humaniſſima diſciplina? Idololatram quidem, & Homicidam ſimul damnas, Męchum verò de medio excipis, &c. Planè ſi oſtendas de quibus patrociniis exemplorum, præceptorumque cęleſtium ſoli Męchiæ, & in ea fornicationi quoque januam Pęnitentiæ expandas.* En poſtremis verbis declarat, propter quid præcedentia dixerit, & quid in ſacco, & cinere cum precibus tantoperè criminum Rei ambiebant, januam ſcilicet Pœnitentiæ ipſis aperiri.

V. Gregorius Thaumaturgus *can.* 11. ſtationes Pœnitentiarum explicans, poſtremam, & à communione remotiſſimam πρόσκλαυσιν, fletum vocat. Denominationis ratio nobis hic eſt attendenda, *Fletus eſt extra portam Oratorii ubi peccatorem ſtantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro ſe precentur.* Sanctus Baſilius *can.* 56. *Epiſt.* ad Amphiloch. pœnas homicidæ voluntario conſtituens, *Debet quatuor annis deflere ſtans extra fores Oratorii, & fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, ſuam iniquitatem confitens, & enuntians.* Eadem *can.* 75. Hoc unum de Pœnitentibus in hac ſtatione refertur. Ante quidem Novatum, ut jam dictum eſt, & infrà fuſius explicabimus, fletus ille non erat ſtatio Pęnitentialis, in qua certo tempore commorari juberentur Pęnitentes; ſed locus erat poſtulantium Pœnitentiam extra Eccleſiæ fores, in προαυλῇ ſive areola Eccleſiæ contigua. Quod ſpontè faciebant, ut Eccleſiæ miſericordiam promererentur, idem illis poſteà, ut certo tempore facerent, injunctum eſt, non ut pœnitentiæ actionem promererentur, ut anteà fiebat; eam enim jam obtinuerant, ſed partim in pœnam, & ſupplicium peccati commiſſi, partim ut fidelium precibus apud Dominum juvarentur. Ex eo videtur mihi evidenter colligi

mos

mos ille antiquus Reorum ad Eccleſiæ fores lachrymantium, & Pœnitentiæ benedictionem efflagitantium, præſertim ſi quæ de ſtatione iſta dicta ſunt, cum iis, quæ ex Tertulliano retulimus, comparentur. Ad hunc morem ſpectant Laodiceni Patres, cùm ſtatuunt *can.2. Eos qui in diverſis delictis peccant, & perſeverant τῇ προσευχῇ τῆς ἐξομολογήσεως, καὶ μετανοίας in deprecatione Confeſſionis, & Pœnitentiæ, & à malis perfectè convertuntur, tempore Pœnitentiæ eis pro delicti proportione dato propter Dei miſerationem, & miſericordiam offerre communioni*. Demonſtrat evidenter, conſtantem Confeſſionis, & Pœnitentiæ poſtulationem præcedere Pœnitentiæ impoſitionem. Dionyſius exiguus ita vertit, *De his, qui diverſis facinoribus peccaverunt, & perſeverantes in oratione Confeſſionis, & Pœnitentiæ Converſionem à malis habuere perfectam, &c.*

VI. Eadem obtinendæ Pœnitentiæ difficultas plurimùm illuſtratur ex reſponſo ejuſdem Gregorii *can.7.* Interrogatur ab Epiſcopo, quomodo ſeſe gerere debeat erga quoſdam Chriſtianos, qui in bello, & excurſione Barbarorum quoſdam cives ligno, & ſuffocatione interſecerant, domoſque & vias Barbaris neſcientibus indicaverant: Reſpondet, ejuſmodi homines efferatos, καὶ ἐκθηριωθέντας, *etiam ab Auditione arcendos eſſe, donec de iis congregatis ſanctis aliquid communiter viſum fuerit, & ante eos Sancto Spiritui*. Propter criminis ſcelus vult, ut Epiſcopus ille Pœnitentiæ impoſitionem differat, donec Concilio congregato, quid de iis ſit faciendum ſtatuatur. Balſamon in hunc canonem ſcribit, *Ne ad divinarum quidem laudum Auditionem admittendos eſſe decernit, ſed eos omninò extra Eccleſiam ſtatuit in loco deflentium poſt confeſſionem ſcilicet, vel condemnationem, donec Sancti ſimul congregati de iis communiter ſtatuerint*. Ex verbis Gregorii tria manifeſta videntur. Primum, eo canone agi de iis, qui criminis commiſſi ex animo pœnitebant. Secundum, Pœnitentiam ſedulo, & diligenti cum examine pro gravitate peccatorum eſſe unicuique impoſitam, & intereà illius impoſitionem ſuſpendi ſolitam. Tertium, intermedio illo tempore extra Auditionem Reos eſſe relegatos, hoc eſt, ne quidem Pſalmorum, ſcripturæ, aut prædicationis auditione dignos habitos, ſed extra omnia Eccleſiæ tecta ad flendum peccata ejectos, donec difficultas Pœnitentiæ imponendæ occurrens ſoluta fuiſſet.

VII. Eadem diligentia examinabant lapſorum cauſa Sanctus Cyprianus, Cleruſque Romanus, & illius temporis Epiſcopi omnes. Jubent lapſos expectare pacem Eccleſiæ, ut Epiſcopi in unum convenientes, quid de Pœnitentia ſtatuendum ſit, deliberare poſſint. Intereà jubent eos bonis operibus vacare, & fletibus ſcelera eluere. Cyprianus *Epiſt.12.13.14.15.* & Clerus Romanus *Epiſt.31.* idem docent in tanta lapſorum ruina eſſe faciendum; Quid intereà ſit iis agendum his verbis docent, *Pulſent ſanè fores ſed non utique confringant. Adeant ad limen Eccleſiæ, ſed non utique tranſiliant. Caſtrorum cœleſtium excubent portis, ſed armati modeſtia, qua intelligant ſe deſertores fuiſſe. Reſumant precum ſuarum tubam, ſed qua non bellicum clangant, &c. Multum illis proficiet petitio modeſta, poſtulatio verecunda, humilitas neceſſaria, patientia non otioſa. Mittant legatos pro ſuis doloribus lachrymas, advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commiſſi criminis, & pudorem.* Ita monentur Pœnitentiam, & pacem petere, donec perſecutione ſedata Concilii celebrandi copia fiat, quo modus Pœnitentiæ illis agendæ definiatur.

VIII. His ſuffragatur multis aliis locis S. Cyprianus, ut in fine libelli de lapſis, ubi lapſos docet, qua ratione ad Pœnitentiam ſuſcipiendam ſeſe præparare debeant, *Lamentari eum putamus ex toto corde, ieiuniis, fletibus, planctibus Dominum deprecari, qui ex primo criminis die lavacra quotidie celebrat; qui epulis affluentibus paſtus, & ſagina largiore diſtentus cruditates ſuas poſtridie eructat, nec cibos, & potus ſuos cùm pauperum neceſſitate communicat? Qui hilaris, & lætus incedit, quomodo mortem ſuam deflet? &c.* Et paulò ante medium tractatus Caſti, & Æmilii, qui tormentis vexati lapſi erant, Pœnitentiæ poſtulationem deſcripſerat. *Deprecabantur illi non lachrymarum miſeratione, ſed vulnerum; nec ſolo lamentabili voce, ſed laceratione corporis, & dolore. Manabat pro fletibus ſanguis, & pro lachrymis cruor ſeminuſtulatis viſceribus defluebat.* Ideò breviſſima acta Pœnitentia reconciliatio illis conceſſa. *Poteſt*, inquit, *citò proficere ad veniam cauſa talis, poteſt ejuſmodi excuſatio eſſe miſerabilis.* Verſus finem ejuſdem tractatus præclara ſimilitudine docet, qua ratione & petenda, & agenda ſit Pœnitentia: *Si quem de tuis charis mortalitatis exitu perdidiſſes, ingemiſceres dolenter, & fleres, facie inculta, veſte mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto indicia mœroris oſtenderes. Animam tuam miſerè perdidiſti, ſpiritaliter mortua, &c. Non acriter plangis, non jugiter ingemiſcis?* Et poſt aliqua, *Orare oportet impenſius, & rogare; diem luctu tranſigere, vigiliis noctes, ac fletibus ducere, tempus omne lachrymoſis lamentationibus occupare, ſtratos ſolo adhærere cineri, in cilicio, & ſordibus volutari, poſt indumentum Chriſti perditum, nullum hic jam velle veſtitum.* Neque tantùm ab habitu miſerabili luctus, qui pro defunctis geri ſolet, argumentum ducebant ad petendæ, & agendæ Pœnitentiæ rationem, quam inde luctuoſam vocabant, verùm etiam à pulla, & ſordida veſte, cæteroque apparatu ad miſericordiam movendam compoſito, quem induebant criminum Rei, & qui pro Reis intercedebant, ut Tertullianus in fine libri de Pœnitentia, & ex eo Pacianus in exhortatione ad Pœnitentiam.

IX. Idem Sanctus Cyprianus in *Epiſtola 52.* explicat, qua ratione ſeſe gerat erga lapſos minorum criminum Reos, ut eos ad petendam Pœnitentiam moveat, & quo deinde animi zelo illam poſtulent, *Qui libello maculatus eſt, poſteaquam nobis admonentibus didicit, nec hoc ſe facere debuiſſe, etſi manus pura ſit, & os ejus feralis cibi contagia nulla polluerint, conſcientiam tamen ejus eſſe pollutam, flet auditis nobis, & lamentatur, & quod deliquerit nunc admonetur, & non tam crimine, quàm errore deceptus, quàm jam de cætero inſtructus ſit, & paratus conteſtatur: Quorum ſi Pœnitentiam reſpuamus, &c. Statim cum uxore, cum liberis, quos incolumes reſervaverant, in Hæreſim, vel Schiſma Diabolo invitante capiuntur.* Et in fine Epiſtolæ; *Quia apud Inferos confeſſio non eſt, nec Exomologeſis illic fieri poteſt, qui ex toto corde pœnituerint, & rogaverint, in Eccleſiam debent interim ſuſcipi, & in ipſa Domino reſervari, &c.* Notandum autem Sanctum Cyprianum his omnibus locis de poſtulatione, & conceſſione Pœnitentiæ potiſſimùm agere adverſus nonnullos lapſos, qui Pœnitentiam, ſtatim ac petierant, ſibi concedi inſtabant, & ea obtenta mox reconciliationem, de qua re *lib.9.* pluribus agetur.

X. Ejuſdem conſuetudinis evidens argumentum eſt prærogativa morientium, non modò qui Pœnitentiam agebant, ſed etiam qui ſani petierant præ illis, qui crimine perpetrato eam tum petebant, cùm morbo urgebantur. Poſterioribus enim ex conſuetudine illius temporis communio denegabatur, licèt eam vehementer efflagitarent. Tanta erat optatæ, & poſtulatæ, eo quem deſcripſimus modo, Pœnitentiæ reverentia, & æſtimatio! Sic docet Sanctus Cyprianus *Epiſtola 52. Idcirco, frater chariſſime, Pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omninò cenſuimus à ſpe communicationis, & pacis, ſi in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari, quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit moriturum.* Idem ſtatuunt Patres Concilii Arelat. primi canone poſtremò, & obſervatum fuiſſe urgentibus perſecutionibus, teſtatur Sanctus Innocentius *Epiſt.3.* De antiqua iſta traditione *lib.9.* diſſeremus.

XI. Huc referri debet *can.2. Concilii Neocæſar.* quo jubetur ab Eccleſia uſque ad mortem excludi mulier, quæ duobus fratribus nupſerit: *Sed ſi mortua fuerit tali matrimonio implicita, aut ejus maritus, difficilis*, inquit canon, *erit Pœnitentia remanenti*, Eo quòd ſuperſtes videtur à peccato deſertus, non peccatum deſeruiſſe. *Igitur*, ut rectè monent Zonaras, & Balſamon, *velut qui quantum in ipſo eſt, in nefario crimine perſeveret, ad Pœnitentiam multis difficultatibus obſeptum iter inveniet*.

XII. Pœnitentiæ hoc modo petitæ illuſtre exemplum legitur apud Euſebium in fine *lib.5. hiſtoriæ*: Contigit illud Romæ ſub Zepherino Pontifice, qui Eccleſiam regebat, cùm Tertullianus Montaniſta factus eſt. Natalius quidam Chriſti Confeſſor ab Hæreticis deceptus, ex Laico apud eos factus eſt Epiſcopus. Verùm Chriſtus, qui ſuarum paſſionum teſtem perire nolebat, multis viſionibus divinitus immiſſis eum Pœnitentiæ admonuit. Sed pecuniæ, & honoris hamo ineſcatus viſiones iſtas parum curavit, donec per integram noctem ab Angelis flagris, & verberibus acerbè admodum cæderetur. Tum, inquit Euſebius, *Manè ſurrexit cilicio, & ſacco indutus, cineribus aſperſus, cum magno mœrore, & lachrymis ad pedes Zepherini Pontificis ſe ſupplicem abjecit, & non modò ad Cleri, ſed ad Laicorum etiam genua advolutus eſt, ita ut Chriſti miſericordis Eccleſia illum magnopere commiſerata lamentis*

unà

Digitized by Google

unà ſeſe dederet. Attamen ille, licet multis precibus uteretur, & plagarum vibices, quas pertulerat, oſtenderet, vix tandem in Eccleſiæ communionem receptus fuit. Alterum ejuſdem poſtulationis exemplum ſed auguſtum nobis ſuppeditant hiſtorici Eccleſiaſtici, Theodoretus *lib.5. c.17.* Sozomen. *lib.7. c.24.* & alii cùm enarrant, qua ratione S. Ambroſius Mediolani Theodoſium à cæde Theſſalonicenſi revertentem excepit; quod cùm ſit omnibus notum indicaſſe ſufficit. Ab auguſtiſſimo hoc exemplo, velut à fimbria textum, facilè judicatur, quid in pari cauſa erga privatos, plebejoſque homines uno aut altero ante Theodoſium ſeculo factum fuerit.

CAPUT XVII.

Pęnitentibus lugubrem veſtem indutis Pęnitentiam cum manus impoſitione variis precibus conjuncta datam fuiſſe, tumque illius agendæ rationem præſcriptam, & ſcripto datum, Patrum, Conciliorumque decretis demonſtratur. Comam, barbamque multis locis tonſas geſtaſſe; aliis intonſas, ſed incomptas, & neglectas. Utriuſque pro more regionum eadem ratio.

SIc petito, & tandem ab Eccleſia interpretato Pęnitentiæ agendæ jure, eam imponebat Epiſcopus, aut eo abſente, vel legitimè impedito Presbyter. Iſtius impoſitionis ritum, & formulam ex antiquis monumentis, quanta poterimus diligentia nunc eruemus, & explicabimus. In primis autem, ne, quæ ſunt admodum diſtincta, lectores confundant, duplicis diſtinctionis admonendi ſunt. Priores uſus fuit ſex primis ſeculis; ſequentibus verò poſterioris. Prior diſtinctio eſt criminum graviorum, & minus gravium. De gravioribus Pęnitentia agebatur publica, & canonica; de minus gravibus privata, & arbitraria. Hæc demonſtrantur libri quinti capite 9. & ſequentibus multis. Quæ de impoſitione Pęnitentiæ dicturi ſumus ſexcentorum, & aliquot annorum ſpatio in Eccleſia Occidentali, quadringentorum autem in Orientali, de Pęnitentia tantum publica, & canonica ſunt intelligenda. Privatæ enim quæ de minoribus criminibus agebatur, nulla erat ſolemnitas, nullæ ceremoniæ publicæ, niſi lubens aliquis, & pietatis zelo, & exceſſu inflammatus, quod his ſeculis non erat infrequens, Pęnitentiæ publicæ addici vellet. Poſterior diſtinctio eſt criminum publicorum, & occultorum. Poſt ſeculum ſextum apud Latinos de criminibus publicis tantùm acta eſt Pęnitentia publica, & canonica; de occultis privata, & canonica, ſolaque ſolemnitate Pęnitentiæ genus unum ab altero differebat. Hæc libro ſeptimo fusè demonſtrabuntur. Quæ de impoſitione Pęnitentiæ dicturi ſumus, ad prius membrum prioris diſtinctionis, & ad utrumque poſterioris pertinebunt, modò detrahas in privata nudam ſolemnitatem. Id ex ipſo enarrandorum teſtimoniorum textu facilè colligetur. Pleraque enim monumenta, quæ de hoc ritu nobis ſuperſunt, publicam Pęnitentiæ impoſitionem à privata diſtingunt. Hæc monuiſſe neceſſarium credidimus: Rei propoſitæ explicationem nunc aggreditur.

II. Teſtimoniorum duo genera nobis occurrunt; Prius eſt eorum, quæ univerſaliter dicunt Pęnitentibus ſaccum, & cilicium indutis, cinerem aſperſis, comas tonſis, vel intonſis, ſed neglectas, & incomptas per impoſitionem manus precibus conjunctam dandam eſſe Pęnitentiam. Poſterius eſt eorum, quæ hæc omnia, aut pleraque teſtantur, ſed inſuper ſigillatim referunt unaſquaſque preces ſuper Pęnitentem, cùm ipſi Pęnitentia datur, & manus imponitur, fundi ſolitas: Utraque ſeparatim referemus. Suſcepturus Pęnitentiam eo lugubri, & humili habitu, quem jam deſcripſimus, coram univerſa Eccleſia comparebat, concineratus, conciliciatus, ut loquitur Tertullianus, cum dedecore, & horrore compoſitus, in medium ſeſe proſternens ante viduas, ante Presbyteros, omnium lachrymas ſuadens, omnium veſtigia lambens, omnium genua detinens. Pęnitenti ad miſericordiam illiciendam ſic compoſito, univerſa fideli plebe pro eo Deum rogante, atque apud Epiſcopum intercedente, manus in Pęnitentem imponebat Epiſcopus, variaſque ſuper ipſum genuflexum, & proſtratum fundebat preces, quibus Dei miſericordiam, & benedictionem in eum alliciebat, ut Pęnitentiæ labores tum impoſitos diligenter, & ſedulò ſubiret, & exequeretur. Brevem tum habebat Epiſcopus ſermonem tam ad eum, quàm ad plebem, actioni, quæ gerebatur, convenientem, *inque eum quantis potes miſericordiæ illecebris*, inquit Tertullianus, *bonus paſtor, & benedictus Papa concionaris*. Poſthæc ſententiam pro ſceleris gravitate in eum pronuntiabat: Tot annis Pęnitentiam ages, hoc & hoc modo. Stationibus autem pęnitentiæ conſtitutis pronuntiabat, Tot annis in fletu ſtabis, tot in Auditione, tot in Subſtratione, tot in Conſiſtentia: vel abſolutè, Communioni in ſummo tantùm vitæ periculo redintegraberis. Simul quoque indicebat, qua ratione eſſet illi agenda Pęnitentia; Tot ſeptimanis, tot annis hoc modo jejunabis, toties in ſeptimana: Primò, & ſecundo anno cum hac auſteritate; tertio anno hæc tibi indulgebuntur, &c. Verùm lapſu temporis notiſſimæ fuerunt iſtæ Pęnitentiæ, & publici de earum modo, & quantitate libri editi, ut hujus rei teſtes ſunt Epiſtolæ Canonicæ SS. Thaumaturgi, Baſilii, Dionyſii, & aliorum ejuſdem ſeculi, qui etiam antiquiorum de Pęnitentia ſtatutorum diſertam mentionem faciunt. Solebant enim ſimul convenire Epiſcopi, cùm crimen aliquod novum emergebat, aut circunſtantiæ criminis difficiles, ut illis examinatis quæ unicuique Pęnitenti eſſet Pęnitentia imponenda, definirent, ut jam ex Gregorii Thaumaturgi Epiſtola adnotavimus, & præclarè docet S. Cyprianus *Epiſt. 52.* ubi refert reddita Eccleſiæ pace Epiſcopos in unum conveniſſe, lapſorum cauſas examinaturos, & definiſſe, *Ne ad communicationem temerè proſilirent, ſed traheretur diù Pęnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur cauſæ, & voluntates, & neceſſitates ſingulorum ſecundùm quod libello continetur, quem ad te perveniſſe confido, ubi ſingula placitorum capita conſcripta ſunt*. En quanta diligentia diſquirebant, quæ unicuique peccato eſſet imponenda pęnitentia. Vide, quæ de hac diligentia demonſtrantur infra *lib.6. c.14. & 15.* Libelli autem illi Africanæ ſub S. Cypriano Synodi, ut & plurimi alii, temporum injuria perierunt.

III. Poſt illam verò ætatem multò notiores fuerunt ejuſmodi libelli, multòque plures editi, Pęnitentiales vulgò dicti, quorum exemplar quiſque Presbyter ſecum habere tenebatur, ut ad ipſorum præſcriptum Pęnitentiis modum imponeret, ut multis probatur *lib.7. capite ultimo*. Quapropter tunc in ſententia dicenda nihil opus erat auſteritatum in ſubſtratione ſubeundarum ſpeciali enuntiatione; ſed hoc breve decretum, quo etiam canones nonnumquam utuntur, ſatis, ſuperque erat, de Homicidio, Adulterio, &c. quod perpetraſti, quinquennium, ſeptennium pęnitentiam ages, ut ex Ancyranis canonibus, & aliis antiquiſſimis *lib.6. c.2.* demonſtratum eſt. Cætera Presbyter, cui curæ erat Pęnitens ex libro pęnitentiali edocebat, &c. Et ſcriptis plerunque tradebat.

IV. Hæc evidentibus Patrum teſtimoniis nunc nobis ſunt demonſtranda. Tertullian. *cap. 9. de Pœnitent.* dicit Pęnitentiæ probationem eſſe operoſam, *Ut non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur*; Actum illum Exomologeſim vocat, quam ſic definit, *Exomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt converſationem injungens miſericordiæ illicem*. Qua ratione verò Dei miſericordiam illicit, *De ipſo quoque habitu atque victu mandat, ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare*, &c. Quæ ſæpius relata ſunt, in quibus graphicè deſcribuntur labores, auſteritateſque omnes, quæ in toto pęnitentiæ ſtadio imperantur. Ideò appoſitè *cap.13.* de pudicitia habitum iſtum legatum pęnitentiæ vocat.

V. Sanctus Cyprianus ſæpius ſcribit manus in Pęnitentiam imponi, *Epiſtola 11. Illi contra Evangelii legem, contra veſtram quoque honorificam petitionem, ante actam Pœnitentiam, ante Exomologeſim graviſſimi, atque extremi delicti factam, ante manum ab Epiſcopo, & Clero in Pęnitentiam impoſitam, offerre lapſis pacem, & Euchariſtiam dare, id eſt, ſanctum Domini corpus prophanare audeant*. Similia legere eſt *Epiſt.* 13. 14. 15. & 52. atque in tractatu de Lapſis non ſemel, quæ aliis in cauſis referuntur. Refert Optatus libro primo de Schiſmate Donatiſtarum hiſtoriam quandam, ex qua Pęnitentiam manus impoſitione datam conſtat. Calumniabantur in Synodo Donatiſtæ Felicem Cæciliani ordinatorem deificas ſcripturas tradidiſſe, atque ideò Cæcilianum ea ordinatione nihil accepiſſe. Hæc audiens Cæcilianus, ut Schiſma, quod parturiebant, antequam ederetur in lucem ſuffocaret, obtulit ſe veluti nihil accepiſſet, ordinandum. *Tunc Purpurius*, inquit Optatus, *ſolita malitia fretus, &c. ſic ait, Exeat huc quaſi imponatur illi manus in Epiſcopatu, & quaſſetur illi caput de Pęnitentia*. Alluſionem illam in odium Cæciliani facere non potuiſſet Purpurius Epiſcopus niſi in Pęnitentiæ impoſitione, ſicut & in Epiſcopi creatione manus quoque Pęnitentis capiti imponi ſolita fuiſſet.

VI. Hoc probant evidentiſſimè ii canones, qui prohibent Cle-

ricis propter crimina depoſitis manus imponi ad Pœnitentiam, Ita Carthag. 5. *can.* 11. *Confirmatum eſt, ut ſi quando Presbyteri, vel Diaconi in aliquo graviori culpa convicti fuerint, qua eos à miniſterio neceſſe fuerit removeri, non eis manus tanquam Pœnitentibus, vel tanquam fidelibus Laicis imponatur.* Nihil novum ſtatuunt, ſed antiquum morem, ne obſoleſcat, confirmant. Repetunt hunc canonem Capitular. *lib.* 5, *cap.* 66. Burchard, *lib.* 9. *cap.* 72. Ivo *part.* 15. *cap.* 66. Ita interpretatur Zonaras in *can.* 30. Carthagin. qui eſt ille ipſe; Scribit non oportere Presbyterum, aut Diaconum, *Segregare, aut quaſi Pœnitenti manus imponere.* Hujus inſtituti planè ignarus Balſamon hunc canonem in alienum ſenſum torquet, qui ad nos nihil attinet. Eodem quo canon Carthagin. tendit Sancti Leonis decretum *Epiſtol.* 90. qui ab omnibus canonum collectoribus refertur. *Alienum eſt à conſuetudine Eccleſiaſtica, ut qui in presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint conſecrati, pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant Pœnitendi, quod procul dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit.* Argumenti conſequentia plana eſt. Si non licet Clericis, ut Laicis manus in Pœnitentiam imponere; Ergo mos erat Laicis criminum Reis Pœnitentiam per manus impoſitionem tradere. Quum autem dicat Leo ex Apoſtolica traditione deſcendere, Clericis non eſſe manus in Pœnitentiam imponendas, ex eadem traditione conſequenter deſcendit Pœnitentiam Laicis per manus impoſitionem eſſe tradendam.

VII. Præter auctores, canoneſve citatos multi alii idem diſertiſſimè præſcribunt: Concilii Agathenſis *canon.* 15. *Pœnitentes tempore, quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum, & cilicium ſuper caput à Sacerdote, ſicut ubique conſtitutum eſt, conſequantur. Si autem comas non depoſuerint, aut veſtimenta non mutaverint, abjiciantur.* Hunc canonem repetunt Capitularia *lib.* 5. *cap.* 17. Burchard. *lib.* 19. *cap.* 27. Ivo *part.* 15. *cap.* 17. Gratian, *diſt.* 50. *cap.* 63. Et multæ aliæ canonum collectiones Burchardo antiquiores. Duo fieri ſolita docet, & manus, & cilicii impoſitionem, Concilium Toletan. 11. *can.* 12. *Qui pœnitentiam in mortis agit periculo non diutius à reconciliationis gratia differendus eſt, ſed ſi pro certo, mortis urgeatur articulo, pœnitentia per manus impoſitionem accepta, ſtatim ei reconciliatio adhibenda eſt, ne prius ab humanis rebus æger abſcedat, quàm donum reconciliationis accipiat.* Repetitur Capitular. *lib.* 5, *cap.* 65 Vides in ipſis moribundis iſta manifeſtè diſtingui; Pœnitentia primum per manus impoſitionem tradebatur, deinde reconciliatio. Eodem ſenſu nonnulli alii canones intelligi debent, qui de ægrotis idem definiunt nulla facta manus impoſitionis mentione, ut Carthagin. 4. *can.* 76. & Leo *Epiſt.* 89. ad Theodor. Forojul. Epiſcopum, & alii. Nec enim neceſſe eſt, ut ubicunque de Pœnitentiæ impoſitione ſermo eſt, importunè addatur id per manus, & cilicii impoſitionem fieri.

VIII. Antiquus *canon lib.* 5. *Capitul. cap.* 52. refertur, in quo hæc verba continentur, *Sacerdos ſibi ſcelera ſua confitenti juxta prædictam canonicam modum pœnitentiam tribuat, ſi comam demiſerit, aut habitum mutaverit, & manus ei ſecundum canonicam auctoritatem imponat, cum orationibus quæ in Sacramentario ad dandam pœnitentiam continentur.* Orationes illas *cap. ſequenti* ex variis Sacramentariis referemus. Quoties enim legimus in antiquis auctoribus, & canonibus ſive Pontificum decretis Pœnitentiam imponi, ſive addatur manus impoſitio, ſive non addatur, tacita ſemper intelligitur ad Sacramentaria illorum temporum relatio. Semper enim fuit, nec fieri aliter poteſt, praxis, & uſualis ritus iſtius actionis peragendæ quem repræſentabant Sacramentaria, & libri Pœnitentiales, ut in unquaque Provincia Presbyteri omnes pœnitentiam uniformiter imponerent.

IX. Eandem comæ depoſitionem cum iſto antiquo canone, & Agathenſi jam citato ſtatuit Concilium Toletan. 3. *can.* 12. qui etiam decernit, quid circa mulieres faciendum ſit, ideò huc neceſſariò videtur referendus, *Quicunque ab Epiſcopo ſanus vel infirmus Pœnitentiam poſtulat, id ante omnia Epiſcopus ſervet, & Presbyter, ut ſi vir eſt, ſive ſanus, ſive infirmus prius eum tondeat, & in cinere, & in cilicio habitum mutare faciat, & ſic pœnitentiam ei tradat. Si verò mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam niſi prius velata fuerit, aut mutaverit habitum.* Ad hunc morem alludit Sanctus Auguſtinus *ſerm.* 58. *de tempore, Quaſi nos quando pœnitentiam ſuademus, hoc dicamus, ut unuſquiſque magis ſibi capillos ſtudeat auferre, & non peccata dimittere, & veſtimenta prius evellat quam mores.* Sic etiam Optatus Milevitanus *libr.* 2. cùm in Donatiſtas invehitur, quòd Sacerdotum, quos Pœnitentiæ ſubiiciebant, capita raderent. Moris igitur erat Pœnitentes tondere, At Donatiſtæ Sacerdotes, & Epiſcopos in majorem contumeliam radebant. Itaque videtur illum Eccleſia Africana uſurpaſſe. Talis etiam fuit Eccleſiæ Mediolanenſis conſuetudo teſte S. Ambroſio *capite* 8. *libr. ad Virginem Lapſam lugubris tibi accipienda eſt veſtis, & mens, ac membra ſingula digna caſtigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occaſionem luxuriæ præſtiterunt, &c. Denique totum corpus macerum maceretur, cineri aſperſum, & opertum cilicio perhorreſcat.* Capitul. quoque *lib.* 5. *cap.* 2. *Similiter & Nonnanes velatæ eadem pœnitentia continentur, & radantur omnes capilli capitis earum.*

X. Mos tamen ille non fuit in Occidente univerſalis, immò ne toti Hiſpaniæ, & Galliæ Gothicæ communis, ut ex Sancto Iſidoro conſtat *lib.* 2. *de Eccleſiaſt. officiis cap.* 16. Cujus verba utile erit referre, cùm paucis ſordulentarum veſtium myſteria explicent. *Hi verò qui Pœnitentiam agunt, proinde capillos, & barbam nutriunt, ut demonſtrent abundantiam criminum, quibus caput peccatoris gravatur. Capilli enim pro vitiis accipiuntur, &c. Ipſam ergo ignominiam ſuſcipiunt pœnitentes pro merito peccatorum. Quod verò in cilicio proſternuntur, per cilicium quippe eſt recordatio peccatorum propter hœdos ad ſiniſtram futuros, &c. Quod autem cinere aſperguntur, velut ſint memores, quia cinis, & pulvis ſunt, vel quia pulvis, id eſt, impii facti ſunt, &c. Idcircò in utroque pœnitentiam agimus: ut & compunctione cilicii agnoſcamus vitia, quæ per culpam commiſimus, & per favillam cineris perpendamus mortis ſententiam, ad quam peccando pervenimus.* Nec etiam Gallis, & Germanis hoc in uſu fuiſſe videtur: Rabanus enim Maurus, qui Franco Germanus erat ſcribit *libr.* 2. *de Inſtitutione Clericorum cap.* 29. Pœnitentiam agentes, Capillos, barbamque nutriviſſe, eodemque modo de capillis, barba, cinere, & cilicio philoſophatur quo Iſidorus, ab eo non modò ſenſum, ſed etiam verba mutuatus. S. quoque Eligius Noviomenſis Epiſcopus, qui Iſidori ſeculo vivebat Pœnitentes cum crine demiſſo deſcribit *homilia* 11. *Ad vos nunc ſpiritualis noſter ſermo transfertur, quos ſub pœnitudinis habitu conſtitutos, facie ſqualida, & crine demiſſo peccamina veſtra planxiſſe, &c. conſideramus. Homilia verò* 8. de ratione, & ſignificatione cilicii, ſimulque loci, quem in Eccleſia Pœnitentes occupabant, ea docet, quæ hic adſcribere viſum eſt. *Cur ergo in ſiniſtra parte Eccleſiæ poſiti eſtis? Non ſine cauſa uſus Eccleſiæ hoc obtinuit. Verùm quia Dominus in judicio oves, hoc eſt, juſtos à dextris; Hœdos verò, id eſt, peccatores à ſiniſtris ponet: Hœdi enim ſignificant peccatores. Unde & cilicia, quæ ſunt indumenta Pœnitentium, è pilis hœdorum, atque caprarum fiunt. Hœdus namque in lege pro peccato ſemper jubetur offerri, &c.* His junge, quæ habentur *libr.* 5. *cap.* 2. Quidquid ſit, utraque conſuetudo licet contraria, in eundem tendit finem atque è variarum gentium moribus pètita eſt: Apud has comam nutrire honorificum eſt; apud illas ignominioſum. Utræque autem quod lugubre eſt, quod ſordidum, quod ignominioſum, Pœnitentibus eligunt.

XI. Memorabilis eſt hac in cauſa *canon.* 76. Concilii Meldenſis anno 845. celebrati, in quo jubent Patres poſt feriam 4. in capite Quadrageſimæ juſtitium aliquod eſſe, atque à litibus judicandis feriationem, ut Pœnitentes tota Quadrageſima Pœnitentiæ exercendæ vacare poſſint: Illius verba poſitam quæſtionem maximè confirmant, *Nemo comitum, aut quiſquam ex judiciaria poteſtate poſt quartam feriam, quæ caput jejunii nominatur, in qua omnes Pœnitentes manus impoſitionem ad vacandum ſolummodo Pœnitentiæ, & divinis officiis accipiunt, placitum aut mallum tenere præſumat.* Itaque ſemper Pœnitentiæ impoſitioni manus impoſitio conjungebatur; nec unquam ex Eccleſiaſtica traditione, ut probabimus *lib.* 6. *cap.* 9. manus impoſitio ſive in ordinatione, ſive in Confirmatione, ſive in Pœnitentia, ſive in alia quacunque re ab oratione ſeparabatur. Ideò licèt in quibuſdam ritualibus manus impoſitionis diſerta mentio non habeatur, illa tamen omiſſio tam ex canonibus iſtis, quàm ex aliis ritualibus ſupplenda eſt. In Halitgarii Cameracenſis Epiſcopi Pœnitentiali non jubetur diſertè manus impoſitio, poſtrema tamen oratio vocatur manus impoſitio, eo quòd cùm recitaretur fieri tum manus impoſitionem oportebat. Prætereà ſatis illa intelligitur ex cilicii, & cineris ſuper caput impoſitione, quam rituales libri nunquam omittunt. Plura, quæ huc referri poſſunt, & debent, lege libri octavi capite decimo quarto.

XII. Cùm manuum impoſitio criminum Reis fiebat, ſive Pœni-

Digitized by Google

Pœnitentia illis declarabatur, modus, & quantitas Pœnitentiæ illis declarabatur, & injungebatur, ut res ipſa, verba quæ quibus enuntiatur, poſtulant. Pœnitentiam enim imponere non eſt manus imponere, aut Deum ſuper Pœnitentem precari, facillima aut potius nulla eſſet ejuſmodi Pœnitentia; ſed eſt medicamenta ſalutis dare, pœnaſque de peccatis commiſſis ſumere. In Medicamentorum autem iſtorum, & pœnarum indictione, ut eſſent utilia, & efficacia manus Pœnitenti imponebantur, & orationes ſuper eum fundebantur. Concilium Carthagin. 3. *can.* 31. ſic decernit, *Ut Pœnitentibus ſecundum peccatorum differentium Epiſcopi arbitrio Pœnitentiæ tempora decernantur*. Repetitur in Concilio Afric. *cap.* 10. *Capitul. lib.* 7. *cap.* 18. Raban. *cap.* 35. Pœnitentiale Rom. *tit.* 9. *c.* 9. apud Burchard. *l.* 19. *cap.* 40. Ivonem *part.* 15. *cap.* 4. Gratian. 26. *q.* 7. *cap.* 5. Et Zonarum in Concilium Carthag. *cap.* 46. cujus cauſa hæc ſcribit, *Hic canon Epiſcopis arbitrio ſuo decernendi, hoc eſt præfiniendi, ſtatuendi, declarandi pro criminum varietate pœnitentiæ tempora, hoc eſt, quamdiu eum qui lapſus eſt conſtrictum pœnæ vinculis retineri, quando ſolvi oporteat, conſtituendi poteſtatem adjudicavit*. Quomodo, & quando hæc fieri debeant, vide præclarè, & fusè ſatis explicatum can. ultimo ſextæ Synodi in Trullo. Sanctus Innocentius *Epiſt.* 1. *cap.* 7. *Cæterùm de pondere æſtimando delictorum Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad Confeſſionem pœnitentis, & ad fletus, atque lacbrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cùm viderit congruam ſatisfactionem*. Repetitur Capitular. *lib.* 5. *c.* 67. Raban. *cap.* 35. *de pœnis*. Burch. *l.* 18. *cap.* 18. Ivon. *part.* 15. *cap.* 40. Eadem decernit S. Leo, *Epiſtola ad Nicetam Aquil. Epiſcopum cap.* 6. quæ ab omnibus canonum collectoribus ſimiliter proponuntur.

XIII. Verùm fruſtra in probationibus conquirendis laboramus, cùm res aliter fieri non poſſit. Quando enim Pœnitentia κατ' μέρος, imponi debet niſi ſtatim audita peccatorum Confeſſione, cùm Pœnitentia omnis pro ratione peccatorum, κατ' τὴν ἀναλογίαν τοῦ πταίσματος, ut docet Concil. Laodic. *cap.* 2. temperanda ſit? Si longo poſt tempore ſpeciatim declararetur, longum tempus ſine Pœnitentiæ canonicæ actione inutiliter elaberetur, atque iterùm eſſet edenda Sacerdoti Confeſſio propter peccatorum oblivionem, ut Pœnitentia peccatis ſigillatim, & ἀναλόγως imponi poſſet. Hoc adnotavit, & præſcripſit Theodorus Cantuarienſis Archiepiſcopus ante mille annos in Pœnitentiali ſuo, ut ex eo refert Burchardus *lib.* 19. *cap.* 33. & Ivo *part.* 15. *cap.* 51. *Quotieſcunque dederis conſilium peccanti, ſimul quoque da illi Pœnitentiam ſtatim quantum debeat jejunare, aut Eleemoſynis redimere peccata ſua, ne forte obliviſcaris quæ ſibi jam dixis, & iterùm neceſſe ſit ſibi interrogare, & forſitan erubeſcet iterùm peccata ſua confiteri, & invenietur jam amplius judicari*. Idem conſilium annis ante Burchardum pluſquam ducentis dederat Sacerdotibus Flaccus Alcuinus, ut apud eum legere eſt in libro de divinis Officiis, capite cui titulus, in capite jejunii, & capite ſequente reſeretur. Equidem poſt impoſitionem illam initio factam, pro diligentia, & zelo pęnitentiam agentium primitus data Pœnitentia minui ſolet, ut volunt Nicæni Patres *cap.* 12. & Ancyrani *cap.* 2. & 5. & alii paſſim, ſed augeri nunquam niſi novo accedente peccato.

CAPUT XVIII.

Ordo, ritus, & ceremoniæ Confeſſionis peccatorum edendæ, & Pœnitentiæ tam publicè quàm privatim imponendæ, & ſuſcipiendæ. Pſalmi, preces, & benedictiones, cæteraque ejuſmodi ex antiquis Latinis variorum ſeculorum Sacramentariis, & Pęnitentialibus manuſcripsis particulatim exponuntur. Pœnitentia multis ſæpe ſimul imponebatur. Deſcribitur corporis ſtatus, & compoſitio pęnitentium ſuſcipientium.

EDendum nobis nunc eſt ſecundum teſtimoniorum genus, quo idem ſigillatim demonſtratur, ſingulæque ceremoniæ, preces, veſtes, actiones in impoſitione Pœnitentiæ adhibitæ explicantur. Iſta ex variis Sacramentariis, & Pœnitentialibus manuſcriptis, tam Græcis quàm Latinis, & nonnullis etiam editis colligemus. Quum autem eorum nonnulli ante mille annos ſcripti ſint, nonnulli auctores multò antiquiores ferant; omnes autem ritum tum communem, & in Eccleſia vulgatum, ut ab Epiſcopis, & Presbyteris ritè, & uniformiter exerceretur, deſcribant, nihilque aliud particulatim exprimant, quàm quod canones, & Patrum ſermones, & tractatus generatim enuntiant, manifeſtiſſimum eſt, eos antiquiſſimam, & Apoſtolicam Eccleſiæ diſciplinam, & traditionem πατροπαράδοτον ſcriptis, ut ὁμοιομερῶς ubique obſervaretur, conſignaſſe. His accedit omnium iſtorum Pœnitentialium, & Græcorum, & Latinorum, & antiquorum, & recentium admirabilis conſenſus, quo Apoſtolicæ traditionis veritas maximè colligitur: Ecquid enim veriſimile eſt, ait Tertullianus, ut Eccleſiæ tot ac tantæ in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus eſt exitus: Variaſſe debuerat error doctrinæ Eccleſiarum. Cæterum quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum.

Morin. de Sacram. Pœnit.

II. Antequam teſtimonia illa producam, notare velim lectorem publicam illam Pęnitentiam, ut plurimum multis ſimul impoſitam fuiſſe, præſertim poſtquam ſolemnis dies huic actioni deſtinatus eſt, cujus ritus rituales Latinorum libri quotquot ſunt, meminerunt. Hunc pęnitentiam imponendi modum præclara metaphora illuſtrat Optatus in fine *libri* 2. deſcribens quod fecerant Donatiſtæ: *Has plebes coegiſtis flectere, & inclinare cervices, Et ſerie capitum juncta Maſſam pęnitentium facere*. Videtur per quandam μίμησιν rem, ut ſe habet cum agitur expreſſiſſe, & ob oculos depinxiſſe. Deinde paulò ante dixerat Pęnitentes genua figere. Itaque hæc erat Pęnitentiam excipientium oris, & corporis compoſitio, genuflexi, cervicem inclinati, juncti, & preſſi ſibi invicem, ita ut videretur ex eorum capitibus una Maſſa componi. Super eos ſic ordinatos Epiſcopus manus imponebat, hoc eſt, extendebat. Ideò Optatus illam manuum ſuper Pęnitentes extenſionem velaminibus comparat, & cervicalibus capita ſic inflexa: Ita enim apud Optatum ſequitur, *Has plebes dolce Deus per Ezechielem dicens, Væ filiabus Iſrael, quæ farciunt cervicalia, id eſt, membra cervicis, ut ſupponant ſub cubito, & manu. Utique ſub cubito, & manibus veſtris, cùm ſuper earum capita velamina Pęnitentiæ tenditis*. De genuflexione pęnitentium lege, quæ infra dicentur *lib.* 6. *cap.* 8. Super Pęnitentis igitur ſic compoſitos, & conglobatos, & lugubre, ut capite præcedente deſcripſimus, veſtitos, Pontifex preces, quæ ſequuntur, expanſis manibus fundebat.

III. Incipiemus ab antiquiſſimo Sacramentario Petaviano quod erat in uſu in Eccleſia Romana ante Sanctum Gregorium, licèt poſt Sanctum Gregorium in Gallia ſcriptum fuerit. Statim poſt Miſſam Sexageſimæ ponitur titulus cum iis, quæ ſequuntur.

ORATIO, ET PRECES SUPER POENITENTES.

Exaudi Domine preces noſtras, & confitentium tibi parce peccatis, ut quos conſcientiæ reatus accuſat, indulgentiæ tuæ miſeratio abſolvat. Per. Præveniat hunc famulum tuum, quæſumus Domine, miſericordia tua, & omnes iniquitates ejus celebrî indulgentia deleantur. Per Dominum noſtrum. Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab hoc famulo tuo clementiæ tuæ longinqua miſeratio; ſana vulnera, ejuſque remitte peccata, ut nullis à te iniquitatibus ſeparatus tibi ſemper Domino valeas adhærere. Per. Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris, ſed ſatisfactione placaris, reſpice ad hunc famulum tuum, qui ſe tibi peccaſſe graviter confitetur. Tuum enim eſt, ablutionem criminum dare, & veniam præſtare peccantibus, qui dixiſti pęnitentiam ſe malle peccatorum quàm mortem. Concede ergo Domine hoc, ut & tibi pęnitentiam excopius celebres, ut correctis actibus ſuis conferre tibi ad te ſempieterni gaudia celebretur. Per. Corrige hæc poſteriora ex ordine Romano, *ut & tibi pęnitentiæ excubias celebret, & correctis actibus ſuis conferri ſibi à te ſempiterna gaudia gratuletur*. Sequitur, *Precor Domine clementiam tuæ majeſtatis, ac nominis, ut huic famulo tuo peccata, & facinora ſua confitenti veniam dare, & præteritorum criminum relaxare digneris, qui humeris tuis ovem perditam reduxiſti ad caulas, qui Publicani precibus, vel confeſſione placatus es. Tu etiam Domine, & huic famulo tuo placare: Tu eum precibus benignus adſiſte, ut in Confeſſione flebili permanens clementiam tuam celeriter exoret, & ſanctis, ac ſacris altaribus reſtitutus ſpei rurſus æternæ, & cęleſti gloriæ reformetur. Per.*

ORDO AGENTIBUS PUBLICAM POENITENTIAM.

Suſcipis eum quarta feria mane in capite Quadrageſimæ, & cooperis eum cilicio, oras pro eo, & includis uſque ad Cęnam Domini; qui eodem die in gremio præſentatur Eccleſiæ, & proſtrato eo omni corpore in terra das orationem ſuper eum ad reconciliandum in quinta feria Cœnæ Domini, ſicut ibi continetur.

IV. Multis eo loco iſta deſcribuntur, quæ referemus, cùm de reconciliatione nobis erit agendum. Exſcripſimus autem integras illas orationes, licèt habeantur in vulgato ordine Romano propter eximiam manuſcripti antiquitatem; atque ut colligatur, Sanctum Gregorium in ritualibus vix aliquid de antiqua conſuetudine mutaſſe, ſed ritualia tantùm in meliorem ordinem, & legentibus ad quæcunque neceſſaria erant reperienda commodiorem, digeſſiſſe, ceremoniaſque in antiquioribus omiſſas, fieri tamen conſuetas expreſſiſſe. Ita quidem pro impoſitione Pœnitentiæ publicæ. Pro privata autem idem ferè erat ordo, ſi excipias ſolemnitatem, id eſt, quod fieret in capite Quadrageſimæ, & coram univerſa plebe convocata, cilicium quoque, & publicam coram omnibus ab Eccleſia expulſionem. Imponebatur quoque Pœnitentia publica extra tempus Quadrageſimale, ſed ejuſmodi Pœnitentes poſteà tenebantur in capite Quadrageſimæ cum Pœnitentiam ſuſcepturis iterùm ſeſe Epiſcopo præſentare ad novam ſuſcipiendam Pœnitentiæ benedictionem. Privatæ Pœnitentiæ ordo in eodem antiquiſſimo codice legitur, & eo explicato finit codex.

INCIPIT AD POENITENTIAM DANDAM.

Dicis Pſalmum ſextum totum, & iterùm dicit, Oremus, & incipis Pſalmum 102. uſque renovabitur, ut Aquilæ juventus tua. Dicis deinde Pſalmum 50. Poſt hoc oratio ſequitur, Deum omnipotentem, ac miſericordem, qui non vult mortem peccatorum, ſed ut convertantur, & vivant, fratres chariſſimi, ſupplices deprecemur, ut converſo ad viam rectam famulo ſuo illi miſericordiæ ſuæ veniam propitiatus indulgeat, & ſi qua culparum ſuarum omnium vulnera, quæ poſt ſacri Baptiſmi undam contraxit, ita in hac publica confeſſione delicta ſanentur, ut nulla in eum ultro cicatricum ſigna remaneant. Per. Lugendum videtur *delictorum.*

Deus juſtorum gloria, miſericordia peccatorum, da huic famulo tuo illi plenæ indulgentiæ veniam, & Pœnitentiæ loco exoratus, indulge, ut qui præterita peccata deplorat, futura mala non ſentiat, neque jam ulterius lugenda committat. Dimitte ei Domine omnia crimina, & in ſemitis eum juſtitiæ placatus reinſtaura, ut ſecurus mereatur deinceps inter ſuos benemeritis currere, & ad pacis æternæ præmia pervenire. Per. Domine Deus omnipotens ſempiterne, qui peccatorum indulgentiam in confeſſione celeri poſuiſti, ſuccurre lapſis, miſerere confeſſis, ut quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis abſolvat. Per Dominum.

VI. Quòd in priore titulo, qui ſolemnem Pœnitentiæ impoſitionem continet, Pſalmorum non fiat mentio, id factum eſt, quod unuſquiſque Presbyter illos memoria teneret. Eadem quoque ratione multa, quæ ad particulares quoſdam ritus pertinent, in iis omitti ſæpe ſolent, quæ ex aliis ſupplere oportet. Deinde fieri potuit, ut qui Sacramentarium ſibi deſcriberet, aut deſcribi curaret aliqua prudens omitteret, vel quod ea memoriter ſciret, vel quod ex alio codice præſto haberet. His accedit, quod Sacramentaria, & Pœnitentialiar ecentiora, ſicut & omnes libri rituales recentiores, ab antiquioribus dupliciter ſemper differunt: Primùm, quòd illa ceremonias accuratius, & minutius deſcriptas contineant, hæc negligentius, & pinguius: Deinde quod ferè ſemper poſteriora prioribus novas quaſdam addant. Solent enim plerumque poſteriores Pontifices variis cauſis ducti ceremonias aliquas anterioribus addere.

VII. Paulò ante finem in titulo pro defuncto, qui deſideraverat Pœnitentiam, & eam minimè eſt conſecutus, initio ſic admonet, *Si quis Pœnitentiam petens dum Sacerdos venit, fuerit officio linguæ privatus, conſtitutum eſt, ut ſi idonea teſtimonia dixerunt, & ipſe per motus aliquos ſatisfacit, Sacerdos impleat omnia circa Pœnitentem, ut moris eſt.* Moribundo ut ſano pęnitentia imponitur. Hoc ex aliis Sacramentariis, & pœnitentialibus explicandum, ſi tempus non urgeat; alioquin multæ illæ oratione, & pſalmi in unum, aut alterum contrahuntur, magis aut minus pro morbi violentia, ut nonnulli libri pęnitentiales diſertè adnotant.

VIII. Poſt hoc Sacramentarium vetuſtiſſimus eſt liber Pœnitentialis Ecberti Eboracenſis Archiepiſcopi viri ſuo tempore doctiſſimi, cujus magiſterio gloriatur Alcuinus. Pœnitentiales autem libri, quæ ad Pœnitentiam ſpectant, multò accuratius, & minutius explicant quàm Sacramentaria. Librorum enim Pœnitentialium potiſſimus finis, immò ſolus, eſt Preſbyterum de ſingulis quibuſque ad Pœnitentiam quoquo modo pertinentibus admonere, & qua ratione in iis agendis ſe gerere debeat, docere. Sacramentariorum verò, Miſſæ ordinem, Orationes, Præfationes, & ejuſmodi digeſta habere; Pœnitentiam autem quatenus illius impoſitio publica in capite Quadrageſimæ, aut Pœnitentium reconciliatio in Cœna Domini, ad Epiſcopum aut presbyterum pertinent. Sic Ecberti liber particulatim ordinem Pœnitentiæ privatim ſuſcipiendæ delineat.

AD SUSCIPIENDUM POENITENTEM.

Oratio, quam Sacerdos pro ſe dicere debet. Domine Deus omnipotens propitius eſto, &c. Alia, Deus qui omnium confitentium. Alia, Da nobis Domine, ut ſicut Publicani, &c. Iſtud ſuppliciter antequam Confeſſio fiat, Creator omnium Deus, factor meus, & judex, &c.

Et cantu pro hoc Pſalmos quinque, Miſerere mei Deus ſecundùm. Miſerere mei Deus, Miſerere mei, &c. Cùm nonnullis verſiculis, & reſponſoriis, & tribus orationibus, quas omitto, eo quòd Pœnitentialis integer in fine operis editur. Hæc Sacerdos poſtquam primam orationem pro ſe dixit, ſuper accedentem ad Pœnitentiam pronuntiat. Poſteà ſequitur, *incipit ordo ad pœnitentiam dandam, & judicandum. Prius dicit Epiſcopus, aut Presbyter, Capitulum, Deus in adjutorium meum intende; deinde dicit pſalmum totum, Benedic anima mea Dominum, deinde alium pſalmum totum, Miſerere mei Deus ſecundùm magnam. Poſt hæc interroget ipſum Epiſcopus, aut Sacerdos.* Interrogationibus factis, & unicuique peccato impoſita Pœnitentia, ut in fine hujus operis legere poteſt, tandem Confeſſionem in hæc verba finit, *Rogo te cum humilitate, ut digneris orare pro me infelice, & indigno, ut mihi dignetur per ſuam miſericordiam dare indulgentiam peccatorum meorum. Et dicit Sacerdos.* Sequuntur duæ orationes in Pœnitentem, quibus finitis dicit Pœnitens ſeptem Pſalmos pęnitentiales; Poſtmodum dicatur hæc oratio, *Omnipotens Deus miſerere ſupplici tuo, &c.* quibus aliæ duæ attexuntur. Plures ſequuntur; ſed adnotat duas illas ſufficere, ſi Sacerdoti non vacet plures addere.

IX. Poſtquam Ecbertus de impoſitione privata pœnitentiæ egit, atque etiam de reconciliatione privatim data, ritum explicat publicæ pœnitentiæ imponendæ. Quo explicato publicæ reconciliationis ordinem ſtatim aggreditur.

ORDO AGENTIBUS PUBLICAM POENITENTIAM.

Suſcipis eum quarta feria manè in capite Quadrageſimæ, & cooperis eum cilicio, oras pro eo, & includis uſque ad Cœnam Domini, qui eodem die in gremio præſentetur Eccleſiæ, & proſtrato eo omni corpore in terra dat orationem Pontifex ſuper eum ad reconciliandum in quinta feria Cœnæ Domini, ſicut ibi continetur. Item Oratio.

Confitenti tibi Domine famulo tuo illi remitte delicta, ut qui intrinſecùs conſcientia flagellatur, reconciliationis tuæ gratia conſoletur. Per. Aliæ ſequuntur orationes quas in impoſitione privatæ Pœnitentiæ retulerat, quibus omnibus orationibus explicatur id, quod in rubrica dictum fuerat, *& oras pro eo.* Statim poſt hæc ſequitur ritus reconciliationis publicè factæ, *Feria S. Cœnæ Domini egreditur Pœnitens de loco, ubi Pęnitentiam geſſit, &c.*

X. Ita quoque infirmo tradebatur Pœnitentia, ciliciique, & cineris quædam formula, quod ſanis in pęnitentia privata non legitur factum: ideo opinor, quòd infirmis in lecto jacentibus ceremonia illa facilè uſurpari poterat, ſanis verò in privata Pœnitentia difficilè; ſtatim enim in publicam, aut quaſi publicam degeneraſſet. Hæc erat formula.

ORATIO AD INFIRMO POENITENTIAM TRADENDAM.

Cùm ingreditur Sacerdos ad infirmum dicit primùm orationes, quæ ſuperius pro infirmis ſcriptæ ſunt. Poſteà dicit ad infirmum, quid me vocas? R. ut mihi Pęnitentiam tradas. Reſpondet Sacerdos: Det tibi Dominus Jeſus Chriſtus veniam; tamen ſi Deus reſpexerit, cuſtodies illam, R. Cuſtodiam. Tunc Sacerdos facit crucem ex cinere ſuper pectus ejus, & imponit cilicium deſuper, & dicit orationem, Deus qui neminem vis perire, &c. Poſteà ſequuntur ſuper pœnitentem infirmum variæ benedictiones, quas in pęnitentiali hoc ad finem operis addito legere potes. Jubet autem ſpecialiter de infirmo, *Et omni*

tem-

Digitized by Google

tempore, quo ad ægrotum venerit, data Pœnitentia, ſtatim reconcilia eum, ita dicendum. Majeſtatem tuam, Domine, ſuppliciter deprecamur. Propter enim temporis anguſtias reconciliatio à Confeſſione, & Pœnitentiæ impoſitione tempore non ſeparabatur; ſicut & propter eandem cauſam omnes illæ preces, & pſalmi ſuper infirmum ſæpè non dicebantur, ſed aliquæ tantùm, ut morbi violentia patiebatur.

XI. Ecberti diſcipulus fuit Flaccus Alcuinus, & Caroli Magni Imperatoris præceptor, vir ſuo tempore, ut apud omnes conſtat, doctiſſimus, de divinis officiis librum ſcripſit, qui decimo Bibliothecæ Patrum tomo inſeritur. Inter alia caput longum eſt, cui titulus, *In capite jejunii* quod brevis Pęnitentialis vicem gerere poteſt: ex eo nonnulla exſcribemus. Primùm dicit Sacerdotem tum admonere teneri omnes Chriſtianos, ut ad Confeſſionem & Pęnitentiam accedant, & in Cęna Domini ad reconciliationem. Addit autem. *Si verò intereſt cauſa aut itineris, aut cujuslibet occupationis, aut ita fortè hebes eſt, ut ei hoc Sacerdos perſuadere nequeat, injungat ei tam Quadrageſimalem, quàm annualem Pœnitentiam, & reconciliet eum ſtatim.* Ita enim præceperat Ecbertus Archiepiſcopus, *Expleta Pœnitentia ſi homo intelligibilis eſt, veniat ad Sacerdotem, & reconciliet eum, ſi verò ſimplicem, vel brutum eum intellexeris, ſtatim reconcilia eum, ita dicendo, Præſta quæſumus, &c.* Ita quoque adnotant pleraque alia Pęnitentialia. Longo facto de peccatorum ſpeciebus ſermone, tandem ait, *Quoties dederis conſilium peccanti, ſimul quoque da illi Pœnitentiam ſtatim quantum debeat jejunare, & redimere peccata ſua, nè fortè obliviſcaris quantum oporteat eum abſtinere: Tibi enim neceſſe eſt, ut iterùm ab eo exquiras peccata, quia ille forſitan erubeſcit peccata ſua confiteri: Non enim omnes Clerici, aut ullus Laicus hanc ſcripturam uſurpare, aut legere debent, niſi ſoli illi, quibus neceſſe eſt: hoc ſunt Epiſcopi, vel Preſbyteri, quibus claves regni cœleſtis datæ ſunt; ſic nec iſta judicia alius uſurpare debet.* Duas rationes reddit, propter quas ſtatim poſt Confeſſionem Pęnitentia debet imponi. Prior, quia debet juxta unius cujuſque peccati modum imponi; ſed Sacerdos peccati obliviſci poteſt: Quapropter neceſſariò iterùm Pęnitenti repetenda eſſet Confeſſio, quod illi eſſet moleſtum. Poſterior, priorem confirmat: Quia vicem Sacerdotis alii Clerici ſubire non poſſunt, nec ullus omnino Laicus, cùm ad illos claves Eccleſiæ non pertineant.

XII. Pergit Alcuinus Confeſſionis ritum deſcribere, Et primò quid Confeſſuro ſit faciendum. *Denique Sacerdos hac auctoritate imbutus, ſive compunctus ſuſcipiens Pęnitentem, ſi Laicus eſt dimiſſo baculo: Quiſquis verò ille eſt ſive Laicus, ſive Clericus, ſive Monachus ſuppliciter ſe inclinet ante Sacerdotem. Tunc Sacerdos dicit hanc orationem, Domine Deus omnipotens propitius eſto mihi peccatori, &c. Deinde jubeat eum Sacerdos ſedere contra ſe, & colloqui cum eo de ſupradictis vitiis, &c. Conſideret etiam ſexum, ætatem, conditionem, ſtatum, perſonam, & ſecundùm hoc, ut ſibi viſum fuerit, ſingula quæque judicet, id eſt, aliquos à cibis abſtinendo, alios eleemoſynas dando; nonnullas ſæpius flectendo genua, ſive in cruce ſtando, aut aliquid ejuſmodi quod ad animæ ſalutem pertinet. Non omnibus verò una eademque diſcretio ſit, unicuique horum, hoc eſt, inter divitem & pauperem, liberum & ſervum, inter infantem & puerum, juvenem & adoleſcentem, ætate ſenem, hebetem & ſtultum, ſcientem & ignarum, Laicum & Clericum, Monachum & Epiſcopum, Presbyterum & Diaconum, Subdiaconum & lectorem, in gradu, in conjugio, vel ſine conjugio, inter Virginem & fœminam, inter Canonicam, & Sanctimonialem, debiles & infirmos, ſanos & ægros, &c. Utrùm voluntate vel caſu, vel in abſcondito, quali compunctione emendet, neceſſitate vel voluntate, loca & tempora diſcernat.* Ita omnes antiqui rituales Confeſſionem peccatorum ſedendo editam teſtantur. Facta tandem omnium peccatorum Confeſſione, & admonitionibus ad Pęnitentem, pro Sacerdotis prudentia, nonnullas interrogationes facit, quæ fidem ſpectant, quas nonnulli rituales peccatorum confeſſionem præcedere volunt, *Poſt iſta ſcrutata, & Pęnitentem corroboratum, interrogat eum Sacerdos, &c.*

XIII. Finitis interrogationibus, & Confeſſionibus proſequitur Alcuinus, *Quo facto, fixis genibus in terram, & ſuper ipſa innixus ſtans ſuppliciter tenſis manibus, blando ac flebili vultu reſpiciens Sacerdotem, dicat his verbis, Multa quidem & innumerabilia ſunt alia peccata mea, quæ recordari nequeo, in factis, in dictis, & cogitationibus, pro quibus omnibus miſera mens ea compungitur, & acri interdum pœnitentia cruciatur, ideoque conſilium, immò judicium tuum, qui ſequeſter ac medius inter Deum, & peccatorem hominem ordinatus es, ſuppliex deprecor, & ut pro iiſdem peccatis meis interceſſor exiſtat, humiliter imploro. Quo prædicto totum ſe in terram proſternat, gemitus, atque ſuſpiria, vel lachrymas prout Deus dederit, ab intimo cordis producat. Sacerdos verò patiatur eum aliquantiſper jacere proſtratum, juxta quod viderit eum divina inſpiratione compunctum. Deinde jubeat eum Sacerdos ſurgere, & cum ſteterit ſuper pedes ſuos cum tremore, & humilitate præſtoletur judicium Sacerdotis, & indicet ei Sacerdos abſtinentiam, ſive obſervantiam, &c.* Nunc attende quid poſteà Sacerdos agat, & in quem finem, quive ſit illius actionis effectus, *Percepta autem ſententia Sacerdotis, iterùm proſternat ſe Sacerdotis pedibus, ejus petens pro ſe orationem fieri, ut ſuggerat ei divina viſitatio virtutem conſtanter obſervandi, quæ illi injuncta ſunt, & ita reverenter Sacerdotis judicio obtemperare, ac ſi ab ipſo divinæ Majeſtatis ore opportuna ſalutis ſuæ medicamenta ſuſcepiſſet.* Quid igitur ad hæc Sacerdos? *Poſt hæc verò dicat Sacerdos ſuper eum has orationes, Exaudi Domine preces noſtras, & tibi confitentium parce peccatis, &c.* Sequuntur aliæ ſex orationes, quarum initia tantùm refert, ut pote quæ erant apud omnes, & ubique vulgatæ: continent enim illas omnes omnium Occidentalium libri Pęnitentiales. *Quibus dictis jubeat Sacerdos Pęnitentem ſurgere de terra, ſed & ipſe ſurgat de ſedili ſuo, & ſi loco, vel tempori congruit, ingreſſi Eccleſiam, & ſuper genua vel cubitos uterque innixus, decantent Pſalmos, Domine ne in furore tuo. Benedic anima mea Dominum. Miſerere mei Deus. Deus in nomine tuo. Quid gloriaris? Deinde Kyrie eleiſon. Pater noſter. Salvum fac ſervum tuum. Illuſtra faciem tuam. Mitte eis Domine. Oratio, Deus cujus indulgentia nemo non indiget.* Non eſt prætereunda cautio, quam adhibet, immò maximè notanda; illius enim meminerunt omnes rituales libri tam Græci, quàm Latini, ut infra adnotabimus, *Sed & hoc ſciendum eſt, ut cùm venerint ſervi, vel ancillæ ad Pęnitentiam, non eos cogatis tantùm jejunare quantum divites, quia non ſunt in ſua poteſtate, ideoque medietatem Pęnitentiæ eis imponite.* Manifeſtum eſt inſuper ex ſingulis ferè circunſtantiis, quæ enarratæ ſunt, Alcuinum de Confeſſione ſecreta, & privata Pęnitentiæ impoſitione potiſſimùm agere. Quòd ſi hæc in privata Pęnitentia fiunt, quid in publica factum fuiſſe cenſendum eſt?

XIV. Antiquus ordo Romanus, qui extat excuſus in eodem Bibliothecæ Patrum volumine eadem prorſus habet, & iiſdem prope verbis, ſed preces, & orationes integras, quarum initia tantum notat Alcuinus; quapropter eorum repetitione ſuperſedebimus. Idem etiam leges *lib.19.* Burchardi ab ipſo initio, & deinceps fuſiſſimè, quæ, inquit, ex antiquo Pęnitentiali Romano, atque etiam ex Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis, & Bedæ Pęnitentialibus excerpſit. Singula quæ ex Alcuino, & ordine Romano adnotata ſunt, ibi deſcribuntur, & inſuper interrogationum, quæ Pęnitentibus pro uniuſcujuſque ætate, & conditione faciendæ ſunt, ampliſſimus catalogus. Cùm iſta excuſa ſint, ad ea lectorem remittimus, ne rem obviam, licèt propoſito noſtro directè conducentem, ad nauſeam uſque repetere videamur.

XV. Quæ tamen habet de hac re antiquiſſimus codex ordinis Romani in Bibliotheca Abbatis Conſtantini Gaetani exſcribemus, eo quòd in eo exemplari iſta compendiosè referuntur.

ORDO SUPER POENITENTES.

Feria 4. in Capite Jejunii veniunt ad Collectam. Hac die flectamus genua pronuntiatione Diacono ſuper populum cum inclinatione capitis. In primis præmonere debet Sacerdos omnes Chriſtianos ex ſacris ſcripturarum teſtimoniis quatenus in capite jejunii ad veram Confeſſionem, veramque Pęnitentiam feſtinantius accedant. Denique ammonendi ſunt, ut Cęna Domini redeant ad Conciliationem. Si verò ineſt cauſa aut itineris, aut cujuslibet occupationis, aut ita fortè hebes eſt, ut ei hoc Sacerdos perſuadere nequeat, injungat ei tamen quadrageſimalem, quamque annualem Pęnitentiam, & conciliet eum ſtatim. Sicut autem Sacrificium offerre non debent niſi Epiſcopi, vel Preſbyteri quibus claves regni cęleſtis traditæ ſunt, ſic nec judicia iſta alius uſurpare debet. Si autem neceſſitas evenerit, & Preſbyter non fuerit præſens, Diaconus ſuſcipiat Pęnitentem, ac det Sanctam Communionem. Denique cùm Sacerdos ſuſcipit Pęnitentem, ſi Laicus eſt, dimiſſo baculo; quis verò ille eſt, ſive Laicus, ſive Clericus, ſeu Monachus ſuppliciter inclinet ſe ante Sacerdotem, humiliterque faciat Confeſſionem dicente Sacerdote orationes, & preces, quæ ſubſcriptæ ſunt in ordine Pęnitentiali. Deinde mittendus eſt cinis ſuper caput Pęnitentis,

dicens, Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris; ſtatimque imponendum eſt cilicium dicendo, Contere cor tuum, & humilia animam tuam in cinere, & cilicio; cor enim humiliatum Deus non deſpicit. Sequitur Oratio, Adſit quæſumus, Domine, huic famulo tuo inſpiratio gratiæ ſalutaris, quæ cor ejus fletuum ubertate reſolvat, ſicque macerando conficiat, ut iracundiæ tuæ motus idonea ſatisfactione compeſcat. Per. Poſt hunc ejiciendus eſt ab Eccleſia, & tali modo increpandus, Ecce ejiceris hodie à ſinu Matris tuæ S. Eccleſiæ propter peccatum tuum, ſicut Adam primus homo ejectus eſt à Paradiſo propter peccatum ſuum. Sequitur Reſp. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Eodem die fit collecta ad Sanctam Anaſtaſiam, & primitus agitur Benedictio cineris. Nulla mentio loci ubi Pœnitentes publici Pœnitentiam tota quadrageſima agant; id imprudens omiſerat. Verùm feria 5. in Cœna Domini illum indicat, *Hora tertia ſonent ſignum, ut omnes veniant ad Eccleſiam, in qua Chriſma debet conſecrari. Tunc egrediatur pœnitens de loco, in quo Pœnitentiam geſſit, ut gremio præſentetur Eccleſiæ, &c.* Miſcet indiſtinctè ritum impoſitionis Pœnitentiæ privatæ cum ritu publicæ. Priora enim ad Pœnitentiam privatam pertinent, poſteriora ad publicam, ut unicuique legenti manifeſtum eſt. Cujus rei duplex illi cauſa fuit, Compendioſa locutio, communitaſque, & conſociatio rituum privatæ Pœnitentiæ cum publica, quæ non eſt reciproca.

XVI. Burchardus *lib. 19. cap. 26.* Ivo Carnut. *p. 15. c. 45.* Rhebaldus Cardinalis de Pęnitentia publica, Gratian. *diſt. 50. c. In capite*, & ante Buachardum annis plus centum hoc eſt ante annos 740. Regino Abbas in Collectione canonum *lib. 1. c. 191.* hoc caput unanimi conſenſu ex Concilio Agathenſi referunt. Apud Reginonem ita ſe habet, *In capite Quadrageſimæ omnes Pęnitentes qui publicam ſuſcipiunt, aut ſuſceperunt Pęnitentiam ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo civitatis, ſacco induti nudis pedibus, vultibus in terra proſtratis reos ſe eſſe ipſo habitu, & vultu proclamantes, ubi adeſſe debent Decani id eſt, Archipresbyteri Parochiarum, id eſt, Presbyteri Pęnitentium, qui eorum converſationem diligenter inſpicere debent, & ſecundùm modum culpæ pęnitentiam per præfixos gradus injungat. Poſthæc in Eccleſiam eos introducat, & cum omni Clero ſeptem Pęnitentiæ Pſalmos in terra proſtratus cum lachrymis pro eorum abſolutione decantet. Tunc ſurgens ab oratione, juxta quod canones jubent, manus eis imponat, aquam benedictam ſuper ſpargat, cinerem prius mittat, quòd ſicut Adam projectus eſt de paradiſo, ita & ipſi ab Eccleſia ob peccata ejiciantur. Poſt hæc jubeat Miniſtris, ut eos extra januas ab Eccleſia expellant. Clerus verò proſequatur cum reſponſorio, In ſudore vultus tui veſceris, &c. Ut videntes Sanctam Eccleſiam ob facinora ſua tremefactam, atque commotam non parvipendant Pęnitentiam. In ſacra autem Domini Cęna rurſus Eccleſiæ liminibus ſe repræſentent.* Iſta tantùm ad Pęnitentiam publicam pertinent. Initio ejuſdem Collectionis exponitur formula viſitationis Epiſcopalis, & plurimæ enumerantur interrogationes faciendæ, quarum 98. & ultima hæc eſt, *Si habeat Pęnitentialem Romanum, vel à Theodoro Epiſcopo, aut à Venerabili Presbytero Beda editum, ut ſecundùm quod ibi ſcriptum eſt, interroget confitentem, & confeſſo modum Pęnitentiæ imponat.* Jubebantur enim ubique Presbyteri antiquas Pęnitentiæ formulas diligenter obſervare. Ideò intra collectionem ſuam inſeruit Pęnitentialem ex Theodori, & Bedæ Pęnitentialibus compoſitum, quem ad finem libri adtexemus.

XVII. In antiquiſſimo, & pulcherrimo Sacramentario Turonenſi versùs finem in Miſſis communibus hæc leguntur.

ORDO AD POENITENTIAM DANDAM.

Primò decanta Pſalmum 50. cum Antiphona, Cor mundum crea in me, Deus. Pater noſter, Salvum fac ſervum tuum. Convertere, Domine, uſquequo. Mittat tibi Dominus auxilium de Sancto. Illuſtra faciem tuam ſuper. Domine vide humilitatem meam. Exaudi me, Domine, quoniam benigna eſt. Ne memineris Domine. Adjuva. Deinde ſequuntur tredecim orationes, quarum pleræque habentur in ordine Romano edito. *Quibus dictis jubeat Sacerdos Pęnitentem ſurgere de terra, ſed ipſe ſurgat de ſedili ſuo; Et ſi loco, vel tempore congruit, ingreſſi Eccleſiam, & ſuper genua, vel cubitos uterque innixus decantent Pſalmos, Domine ne in furore tuo, Benedic anima mea Domino, uſque renovabitur ut Aquilæ. Miſerere mei Deus, uſque, dele omnes iniquitates meas. Deus in nomine tuo. Quid gloriaris, uſque videbunt juſti, & timebunt. Deinde, Kyrie eleiſon, & Pater noſter, Salvum fac ſervum tuum: Mitte ei auxilium de Sancto* Sequitur oratio, *Deus cujus indulgentia nemo non indiget, memento, Domine, famuli tui illius. Et qui lubrica, terrenaque corporis fragilitate circumdatur. Quæſumus, ut des veniam confitentibus, parce ſupplicibus, ut qui noſtris meritis accuſamur, tua miſeratione conſolemur.* Oratio illa ſcribitur ſingulari, & plurali numero. Dicta illa oratione Miſſa incipit pro illo Pęnitente. Hic ordo eſt ad dandam privatim alicui Pęnitentiam. Confeſſionis formula, ſeu peccatorum enarratio addita non eſt, quia Miſſale eſt orationes complectens, non autem liber Pęnitentialis. Poſt tamen libri finem & hoc additum eſt literis aut ætate æqualibus, aut paulò minus antiquis, cui titulus eſt.

INCIPIT ORDO, QUALITER CONFITERI DEBET HOMO REATUM SUUM.

Interrogatio Sacerdotis, Credis in Deum Patrem, &c. Ferè ut in ordine R. poſteà titulus. *Confeſſio omnimoda per quam conſiteri poteſt peccator peccatum ſuum.* Sequitur ipſa Confeſſio, quæ ſimilis eſt Confeſſioni, quæ habetur in ordine R. Sed multo amplior enarratio. Inter cætera ſic confitetur, *Confiteor etiam quia Corpus, & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti indignus & pollutus, & immundus, & ſine confeſſione communicavi, tetigi, portavi, &c. Et in Quadrageſima ſicut conſtitutum eſt, confeſſus non fui, neque Pęnitentiam de præteritis omnibus egi, ſed ſi aliquando confeſſus fui, poſt Confeſſionem iterùm, & in prioribus culpis corrui, &c.* Poſt multa ſimilia iis, quæ in ordine R. habentur, addit, *Ideòque ò Domine Sacerdos conſilium tuum, immò judicium, qui ſequeſter ac medius inter Deum, & peccatorem hominem ordinatus es, ſupplex deprecor, ut pro eiſdem peccatis meis interceſſor exiſtas. Humiliter imploro, ſupplico, Dei Sacerdos, ut de his omnibus ſis mihi teſtis in die judicii, ne gaudeat de me inimicus meus, & dignare pro me Dei miſericordiam deprecari, ut donet mihi veniam indulgentiæ, &c.* Confeſſione ſic edita Sacerdos ita precatur, *Miſereatur tui omnipotens Deus, & donet tibi veram indulgentiam, & emendationem, & de peccatis tuis veniam, & remiſſionem, & eleiſcatur te de omnibus inimicis tuis inviſibilibus, donet tibi conſilium in hoc ſeculo, ut prævideas, quæ recta ſunt coram eo, & in futuro perducat te feliciter ad vitam æternam:* Sequuntur plurimæ aliæ orationes, nihil prætereà. Hæc ad privatam Pęnitentiæ impoſitionem ſpectant, ſed quæ ſequuntur pleraque ad ſolam publicam.

XVIII. In antiquiſſimo, & Longobardico Abbatiæ Sancti Remigii Rhemenſis codice poſt Dominicam in Quinquageſima ſic legitur.

ORDO AGENTIBUS PUBLICAM POENITENTIAM.

Suſcipis eum quarta feria manè in capite Quadrageſimæ, & cooperis eum cilicio cum cinere ſparſo capite. Benedictio cinerum, Omnipotens ſempiterne Deus parce metuentibus, ignoſce ſupplicibus, &c. Alia, Deus, qui non mortem ſed pęnitentiam deſideras peccatorum, &c. Alia, Deus, qui humiliatione flecteris, & ſatisfactione placaris, &c.

Et poſteà oras pro ea, & includis uſque in Cęna Domini, qui eodem die in gremio præſentatur in Eccleſiæ. Oratio ſuper Pęnitentem. Exaudi, Domine, preces noſtras, & confitentium, &c. Alia, Præveniat hunc famulum tuum, &c. Alia, Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris. Alia, Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non, &c. Alia, Precor, Domine, clementiam tuæ majeſtatis, &c.

XIX. In Bibliotheca Eccleſiæ Metropolitanæ Sanctæ Mariæ Rhemenſis eſt antiquum, & parvum Manuale, quod ſcriptum videtur ante annos circiter quingentos, vel aliquid amplius. Incipit liber à viſitatione infirmi, cui ex more Pęnitentia imponebatur antequam daretur Extrema-Unctio.

Dum Pſalmi Pęnitentiales recitantur, imponitur cilicium ſuper infirmi pectus. Infirmus dicat orationem Dominicam, & Symbolum cum ſignaculo Trinitatis, & faciat Confeſſionem. Deinde incipiat Sacerdos ſeptem Pſalmos Pęnitentiales, & orationes, & preces dicat ſuper Pęnitentem faciens crucem ex cinere ſuper pectus ejus, & imponens cilicium dum Pſalmi cantantur. Poſteà reconcilietur ita, Orationes, Exaudi Domine, &c. Septem aliæ ſequuntur. Poſteà immediatè ſequitur, Tunc Sacerdos accipiens Oleum ungat infirmum, &c.

XX. In alio ejuſdem Bibliothecę codice, qui mihi non videtur trecentis annis antiquior, ſed ex alio multò antiquiore deſcriptus, *In capite Quadrageſimæ Pęnitentes, qui publi-*

Digitized by Google

publicam ſuſceperunt, aut ſuſcipiunt Pœnitentiam, ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo civitatis ſacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram proſtratis reos ſe eſſe Epiſcopo habitu, & vultu proclamantes. Ibi adeſſe debent Diaconi, id eſt, Archipresbyteri Parochiarum id eſt, Presbyteri Pœnitentium, qui eorum cum converſationem diligenter inſpicere debeat, & ſecundùm modum culpæ Pœnitentiam per præfixos gradus injungant. Poſt hæc in Eccleſiam eos introducant, & cum omni Clero, 7. Pſalmos Pœnitentiæ in terram proſtratus cum lachrymis pro eorum abſolutione decantet. Tunc reſurgens ab oratione juxta quod canones jubent, manus eis imponat, aquam benedictam ſuper eos ſpargat, cinerem prius mittat, deinde ſilicio capita eorum cooperiat, &c. Deinde ab Eccleſia more jam enarrato, & ſolito expelluntur. Poſteà ſequitur.

ABSOLUTIO POENITENTIS IN CAPITE JEJUNII.

In primis dic, 7. Pſalmos. Deinde Kyrie. Oratio. Sequuntur variæ orationes, quas excipit iſta cum hoc titulo.

ABSOLUTIO.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Beato Petro Apoſtolo ſuo, cæteriſque diſcipulis ſuis ſuam licentiam dedis ligandi, atque ſolvendi, ipſe vos abſolvat ab omni vinculo delictorum, & quantam noſtræ fragilitati permittitur, ſitis abſoluti ante Tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, habeatiſque vitam æternam, & vivatis in ſecula ſeculorum intercedente Beata, &c. In Cœna Domini pro abſolutione variæ tantùm habentur orationes; ultimæ titulus imponitur, *Abſolutio*, eſtque illa ipſa, quam exſcripſimus, unaque & eadem utuntur impoſitione Pœnitentiæ, & reconciliatione. Eſt alius in eadem Bibliotheca Pontificalis liber iſto paulò antiquior, in quo eadem leguntur. In Toloſano recentiore adnotatur inſuper, *Et quilibet Archipresbyter nominatim vocat Pœnitentes ſui Archipresbyteratus*. Duo alia refert, quæ in Pontificali Romano non ſunt omiſſa: Pœnitentium nomina eſſe deſcribenda; Deinde pro ipſorum Abſolutione eſſe dicendos ſeptem Pſalmos Pœnitentiales.

XXI. In Eccleſiæ Metropoditanæ Rothomagenſis Bibliotheca eſt antiquum Pontificale annorum circiter quingentorum, quod pro Eccleſia Rhemenſi ſcriptum eſt, Ordinem impoſitionis Pœnitentiæ in capite jejunii, & reconciliationis in Cœna Domini ex eo deſcriptum ad finem libri relegamus. Cæteris ſimilis, Pœnitentes ſacco indutos ſuſcipit ante fores Eccleſiæ, in eam eos introducit, manus illis ante abſidam imponit, cinerem in eos mittit, ab Eccleſia eos eiicit: Deinde habetur abſolutio Pœnitentis in capite jejunii, pro qua variæ tantum orationes referuntur. In eadem Bibliotheca Sacramentarium eſt Romanum, quod trecentorum annorum ætatem non videtur excedere. In eo poſt benedictionem cinerum, & aliquot orationes ſic legitur.

ABSOLUTIO SUPER POENITENTES,

Salvos fac. Deus meus. Eſto eis Domine. A facie. Domine exaudi orat. Dominus vobiſcum. Oratio. Exaudi Domine preces noſtras, &c. *Adſit quæſumus Domine famulis tuis*, &c. *Da quæſumus Domine Deus noſter his famulis tuis*, &c. Quinque aliæ ſequuntur orationes, quæ omnes veniam poſtulant peccatorum. Poſtrema eſt, *Precor Domine clementiæ tuæ, & miſericordiæ majeſtatem*, &c.

XXII. Joannes Abrincenſis Epiſcopus, qui ante annos circiter ſexcentos ſcribebat de officiis Eccleſiaſticis, *In capite Jejunii Nona dicta Clerus, & populus ante altare ab unoquoque Confeſſione ſingulariter facta, & Pœnitentia accepta proſternantur, & ſic ab Epiſcopo, vel à Majore Eccleſiæ Sacerdote abſolvantur. Poſt incipiente Epiſcopo Antiphonam, Immutemur, cinerem cum aqua benedicta tribuat, & ſic cum Antiphonis, vel reſponſoriis afflictioni congruis ad quandam Eccleſiam, vel Oratorium pergant, ubi dum pervenerint, finitis Antiphonis: terræ ſtrati proſternant, & orationem Dominicam dicant. Sed ante proceſſionem Pœnitentes eiiciantur; ſicque miſerere mei Deus cum precibus, & Oratione finiantur.*

XXIII. In Pontificali manuſcripto Eccleſiæ Bellovacenſis annorum forſan quingentorum, *In capite Jejunii Benedictio ſuper cineres, Deus qui non mortem ſed Pœnitentiam deſiderat*, &c. Ut in ordine Romano, poſtea ſequitur, *Abſolutio ſuper pœnitentes. Salvos fac ſervos tuos, & ancillas tuas. Mitte eis Domine auxilium de ſancto. Eſto illis Domine turris fortitudinis. Nihil officiat inimicus in eis. Exurge Domine adjuva nos. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum. Oremus, Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & me qui etiam miſericordia tua primus indigeo*, &c. Ut in ordine Romano in Cœna Domini. *Alia oratio. Præſta quæſumus Domine his famulis. Alia oratio, Omnipotens ſempiterne Deus confitentibus tibi. Alia oratio, Omnipotens & miſericors Deus, qui peccatorum. Alia oratio, Deus humani generis benigniſſime conditor, & miſericordiſſime reformator, qui hominem invidia Diaboli.* Orationes illæ eædem, quæ in ordine Romano, & in aliis quoque proſtant: In ultima quia longior eſt, nonnulla omittuntur, tandem ſubiicitur: *Abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum percipere mereamini à Domino Deo noſtro in ſecula ſeculorum. Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti deſcendat, & maneat ſemper vobiſcum.* Quæ ſequuntur Pœnitentiæ imponendæ formulæ omnes ferè ad Pœnitentiam privatam pertinent.

XXIV. Ex antiquiſſimo manuſcripto ſiculo pauciſſima tantùm adnotabo, eò quod longior eſt, & ad operis finem quæcunque habet de Pœnitentia edi curamus integra. Titulus eſt, *Qualiter Sacerdos ſuſcipere debeat Pœnitentes more ſolito.* Eſt autem formula quotidiana Pœnitentiæ imponendæ. 1. Sacerdos rogatus ad Confeſſionem audiendam jubetur domi, aut apud ſe Deum deprecari. 2. Deinde ſuper Pœnitentem orationem fundere. 3. Varias interrogationes ſciſcitari. 4. Super Pœnitentes varios Pſalmos, & orationes dicere. 5. De peccatis eum interrogare, & unicuique Pœnitentiam canonicam imponere. 6. Aliqua interrogata facit de voluntate ad pœnitendum. 7. Pſalmos, verſiculos, & orationem ſuper eum dicit, quibus dictis, *Tunc proſternat ſe in vice Dei ad pedes Sacerdotis ita dicens, Recipe me ſceleratum in vice Judicis mei, quia non eſt quò fugiam niſi ad te, confitendo tibi peccata mea. Recepto à Sacerdote fiat oratio cum Pſalmo iſto, Ad te levavi oculos. Et ſequatur ammonitio ſcripturarum ſanctarum, Deinde dicatur hæc oratio, Exaudi Domine preces noſtras, & confitentium tibi parce peccatis*, &c. Quas aliæ ſeptem conſequuntur, cum quibus finit actio.

XXV. Eſt in eodem codice, *Ordo Pœnitentis ad mortem*, quem integrum ad finem libri relegamus, cujus ſumma capita hic adiungimus. 1. Sacerdos orat intra ſe. 2. Super Pœnitentem proſtratum dicuntur Litaniæ, verſiculi, Pſalmi, & variæ orationes. 3. Deinde variis admonitionibus ad Pœnitentialem Confeſſionem excitatur. 4. *Poſt hæc inquiratur à Sacerdote de peccatis, de adulterio, de fornicatione, de furto, de homicidio*, &c. *Poſt denumerata, diſcuſſa, atque confeſſa crimina interrogat Sacerdos, ſi iſta peccata, quæ confeſſus eſt Pœnitens, plangere vult, ut & etiam ampliùs ad ea non revertatur*, &c. 5. Tunc Sacerdos, & Pœnitens proſtrati Pſalmos, & verſiculos cantant, ſequitur oratio. *His dictis ſignas eum de oleo ſancto in fronte, & dicis, Benedicat te Deus omnipotens, & cuſtodiat te, oſtendat Dominus faciem ſuam tibi*, &c. Denique ſequitur, *Reconciliatio Pœnitentis ad mortem*, quæ varias preces continet, quibus peccatorum remiſſio, & vulnerum à peccato inflictorum perfecta curatio poſtulatur. *Mox ſubſequitur Miſſa, quam Sacerdos pro ſibi Confeſſo cantare debet.*

XXVI. In Andegavenſi manuſcripto annorum 550. facta ſuper Pœnitentem oratione. *Tunc jubeas eum ſurgere, & ſedeant pariter in ſecreto loco, & interroget eum de peccatis ſuis, de invidia, ira*, &c. Poſteà unicuique peccato pœnam imponit: Deinde admonitione quadam facta, aliiſque interrogationibus, quæ fidem, & animi diſpoſitionem ad Pœnitentiam ſpectant, *Dicat Sacerdos hanc orationem homine proſtrato, Domine Jeſu Chriſte*, &c. Non plura, quod cum aliis conveniat, & eum cudi curemus.

XXVII. In alio admodùm antiquo codice *cap.41.* hæc leguntur.

ORDO AD REVOCANDOS PECCATORES IN QUADRAGESIMA.

Primùm dicendi ſunt ſeptem Pſalmi cum Letania, Deinde interroges unumquemque, Credis in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, &c. Deinde facta longa enumeratione peccatorum, & unicuique impoſita Pœnitentia, pergit, *Habes in voluntate ut quidquid egiſti contra mandata Dei emendes, R. Habeo. Et ſic judica ſecundùm modulum criminum ejus. Proiiciat ſe in terram, & dicat, multa ſunt Domine peccata mea, quæ ego peccavi in cogitatione, in locutione, in pollutione, in detractione, in perjurio, in adulterio, in luxuria, in gula, in ſuperbia, in vanagloria, in ebrietate, & in omnibus operibus malis, Tunc dicat Sacerdos. Miſereatur tui omnipotens Deus.*

Alia, Exaudi, Domine, preces meas. Alia, Præveniat hos famulos. Alia, Adeſto Domine, Alia, Domine Deus noſter. Alia, Domine Jeſu Chriſte.

XXVIII. Ad calcem antiquæ Collectionis Canonum eſt Pœnitentialis libellus, cui titulus, *Incipiunt interrogationes ad Confeſſionem dandam*, quibus finitis ſequitur, *Poſtquam de ipſis Confeſſus fuerit, projicite vos ambo pariter in terra. Dicat ut ipſe dicat, mea culpa, peccavi Domine. Iterùm interroges ei, recognoſcis te culpabilem de omni peccato, quod poſt baptiſmum ſciendo, vel neſciendo commemoras, vel recordaris, quod in verbo, aut in opere, aut in cogitatione contra mandata Dei egiſti. Culpabilem exinde te recognoſcis, R. Sic facio. Iterùm dicet ei, Promittis te de præteritis culpis emendare, & in Sanctam Trinitatem, quæ eſt Deus, credere, & omnibus adinventionibus Diaboli abrenuntiare. R. Promitto. Tunc dicet ei, Dominus ſit tibi adjutor, & protector, & præſtet tibi indulgentiam de tuis peccatis, Et Deus miſericordiæ det tibi veram emendationem, & in vera Pœnitentia perſeverare. Et admoneas eum, ut orationem Dominicam, & Symbolum dicat. Et tunc dices Capitulum, Deus in adjutorium meum intende, &c.* Sequuntur, verſiculi, reſponſoria, Pſalmi, *Poſt hæc dic orationem, Exaudi, Domine, ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, ut quem conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſolvat. Alia, Præveniat, Domine, quæſo miſericordia tua, &c. Alia, Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris. Alia, Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris. Alia, Præſta quæſo, Domine, huic famulo tuo, &c.*

XXIX. In antiquo Pontificali manuſcripto Bibliothecæ Abbatiæ S. Victoris *p. 146.* hæc habentur.

Ordo ad dandam Pœnitentiam.

Cùm venerit Pœnitens ad Sacerdotem primò inquiratur de peccatis, & credulitate ſua, & ſi vult dimittere illis, qui in ſe peccaverunt, Poſteà faciat puram Confeſſionem, deinde proſternat ſe in terram. Sed hoc ſciendum, ut cùm venerint ſervi, & ancillæ ad Pœnitentiam non cogantur jejunare tantum, quantum divites, quia non ſunt in poteſtate ſua. Tunc imponat Sacerdos ſeptem pſal. Pœnitentiales cum gloria. Kyrie el. Chriſte el. Kyrie el. Pater noſter, Et ne nos. Salvum fac ſervum tuum, Deus meus. Convertere, Domine, uſquequo. Et deprecabilis. Mitte eis Domine, auxilium de Sancto. Et de Sion. Domine, exaudi. Dominus vobiſcum. Or. Exaudi, Domine, preces noſtras, &c. Oremus, Præveniat hunc famulum tuum ℞. *Oremus. Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris. Oremus, Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris. Oremus, Deus, cujus indulgentia, &c. Abſolutio ſuper eundem.*

Abſolvimus te vice B. Petri Apoſtolorum Principis, cui Dominus poteſtatem ligandi, atque ſolvendi dedit, & quantum ad te pertinet accuſatio, & ad nos remiſſio, ſit Dominus omnipotens tibi vita & ſalus, & omnibus peccatis tuis indultor. Qui vivit. Alia. Omnipotens Deus qui dixiſti, qui me confeſſus fuerit corā hominibus, confitebor & ego illum coram Patre meo, ipſe te benedicat, & cuſtodiat ſemper, detque tibi remiſſionem peccatorum, & vitam æternam, Amen Ejuſdem codicis *fol. 150. p. 2. & ſeq* legitur ritus reconciliationis Pœnitentium in Cœna Domini, de quo ſuo loco.

XXX. Eſt alius in eadem Victorina Bibliotheca codex manuſcriptus, in quo varia continentur, atque præ cæteris, liber de Sacramento Pœnitentiæ, cujus auctor Hugone à S. Victore poſterior fuit, jamque incipiebant quæſtiones Scholaſticæ Scholaſticè exagitari. Poſt librum illum de Pœnitentia multa addidit excerpta de canonibus in eundem finem, ſed omnia illa ex ſolo Burchardo prope decerpta ſunt. Hæc ſequitur ordo confitendi, qui idem eſt apud Burahardum, quædam ſunt tantùm alio loco poſita. Illa admonitio, quæ in ſcribitur, *Salubre antidotum animabus*, apud Burchardum eſt in fine, hic initio: Poſteà ſequitur, *Oratio Sacerdotis Pœnitentiam venientibus dicenda, Domine Deus omnipotens propitius eſto, &c.* Ut apud Burchardum. Sequuntur orationes, *Credis in Deum, &c.* Et Rubricæ eædem quæ apud Burchardum. Deinde interrogationes omnes de peccatis, quæ apud Burchardum vix una excepta uſque ad hanc, *Feciſti tibi Miſſam cantare*: Quæ illam ſequuntur ferè abſunt. Apud Burchardum quoque interrogationes, quæ ſpecialiter ad mulieres ſpectant, plures ſunt. Deinde ſequitur ratio Pœnitentiæ per annos diſtribuendæ, & redimendæ etiam iis, qui jejunare non poſſunt, planè apud Burchardum. Poſteà ex Concilio Agathenſi. *In capite Quadrageſimæ omnes Pœnitentes, qui publicam ſuſceperunt, aut ſuſcipiunt Pœnitentiam, &c.* quod ſequitur, *admonitio* octo principalium vitiorum, ut apud Burchardum legitur, ſed alio loco diſpoſita. Quæ omnia quum ſint longiſſima, & apud Burchardum edita, hic ea inſerere operæ pretium non duximus, Lectorem admonuiſſe contenti.

XXXI. Denique ſequitur quod præſentem cauſam per ſe juvat, *Poſtquam de his factis confeſſus fuit, tunc dicat, Recognoſcis te eſſe culpabilem de omnibus peccatis tuis, quæ poſt baptiſmum ſciendo, vel neſciendo commemoras, aut recordaris, in verbo, aut in opere, aut cogitatione contra mandatum Dei egiſti, culpabilem exinde te recognoſcis. R. facio. Interr. Promittis te de peccatis, & culpis emendare, & omnes adinventiones Diaboli abrenuntiare: R. Promitto. Interr. habes fidem confeſſam, & peccata confeſſa Deo & Sacerdoti ſuo, ut remittantur tibi peccata tua, Credis hoc? R. Credo. Interrog. Habes in voluntate tua, quod egiſti contra mandata Dei hoc emendare? R. habeo. Interr. Unde confeſſus fuiſti, vis Pœnitentiam ſuſcipere, & illam bene cuſtodire, & omnes adinventiones Diaboli abrenuntiare, & Sanctam Trinitatem credere. R. Volo. Tunc proſternat ſe Pœnitens in terram, & cum lacbrymis dicat, Et in his, & in aliis vitiis quibuſcunque humana fragilitas contra Deum, & creatorem ſuum aut cogitando, aut loquendo, aut delectando, aut concupiſcendo peccare poteſt, in omnibus me peccaſſe, & Reum in Conſpectu Dei ſuper omnes homines eſſe cognoſco, & confiteor. Humiliter etiam te Sacerdos Dei expoſco, ut intercedas pro me, & peccatis meis ad Dominum, & creatorem noſtrum, quatenus de his, & de omnibus ſceleribus meis veniam, & indulgentiam conſequi merear.*

XXXII. His à Pœnitente dictis ſic Sacerdoti jubetur, *Tunc Sacerdos dicat, Miſereatur tibi Chriſtus filius Dei vivi: Donet tibi Deus veram Pœnitentiam facere, fidem certam, ſpem rectam, charitatem perfectam, veram humilitatem & ſapientiam, ſobrietatem & tolerantiam, bonum finem, & perſeverantiam bonam. Indulgeat tibi Dominus omnia peccata tua, præterita, præſentia, & futura, illuminet te Spiritus Sanctus, ſenſum tuum dirigat, animam tuam ſalvet, cogitationes ſanctas in te inſtruat, ad vitam æternam te perducat, Amen. Deinde Sacerdos cum Pœnitente ſe proſternat in terram, & decantent hos Pſalmos, Miſerere mei Deus, uſque, omnes iniquitates meas dele. Domine, exaudi orationem meam, uſque, velociter. Benedic, anima mea, Dominum, uſque, renovabitur. V. Salvum fac ſervum tuum. Domine. Mittat tibi auxilium de ſancto. Dominus cuſtodiat te ab omni malo. Dominus cuſtodiat introitum & exitum. Oratio, Chriſtus filius Dei vivi perſeverare te in bonis operibus faciat cunctis diebus vitæ tuæ, & perducat te in vitam æternam. Amen. Oratio. Deus cujus indulgentia nemo non indiget, &c.* Sequuntur aliæ duæ, quæ ſimiliter apud Burchardum extant, poſt quas, *Omnipotens ſempiterne Deus confitenti huic famulo tuo,* ℞ *pro tua pietate peccata relaxa, ut non plus ei noceat conſcientiæ reatus ad pœnam, quàm indulgentia tuæ pietatis ad veniam. Per. Oratio. Precor Domine*, ut apud Burchardum. *Deinde adjunge, Deus omnipotens ſit adjutor, & protector tuus, & præſtet indulgentiam de peccatis tuis præteritis, præſentibus, & futuris. Amen.* Sic finitur ordo Confeſſionis. Poſteà ſtatim ſequitur in eodem libro canonum collectiuncula, quorum primus eſt, *Curandum eſt maximè, & omni cautela providendum, ne quis fratrum, Coepiſcoporum noſtrorum, aut etiam Presbyterorum in alterius civitate vel diœceſi Pœnitentem, vel ſub manu poſitum Sacerdotis, aut eum, qui reconciliatum ſe dixerit eſſe, ſine Epiſcopi, vel Presbyteri teſtimonio, & literis, ad cujus Parochiam pertinet, ſuſcipiat.* Ex quo manifeſtum eſt, ſicut ex canone Agathenſis Synodi, etiam tum temporis in traditione Pœnitentiæ manum fuiſſe impoſitam.

XXXIII. Alius eſt codex in eadem Bibliotheca ſcriptus ante annos circiter quingentos, in quo inter cætera deſcriptus eſt *liber 19* Burchardi, qui Corrector, & Medicus vocatur, qui non modò ſeriem, & ordinem Confeſſionis privatæ, & publicæ cum omnibus circumſtantiis integrè continet, ſed etiam minutam peccatorum enumerationem cum debita ſecundùm canones unicuique Pœnitentia. Quapropter nihil ex eo deſcribemus, cum apud Burchardum hæc omnia jam excuſa ſint. Unum tantùm hinc Lectorem colligere velim, eundem & Confeſſionis faciendæ, & Pœnitentiæ imponendæ modum poſt annum à Chriſto nato milleſimum, & centeſimum continuaſſe. Finiente ſeculo duodecimo Pœnitentiæ canonicæ impoſitio ad Pœnitentias ſolemnes, & publicas limitata eſt. Sed de hac immutatione libro poſtremo erit diſſerendi locus.

XXXIV. Antiquum Sacramentarium Toloſanum iſta omnium diſtinctiſſimè, & fuſiſſimè enarrat: Summa capita tangemus, eò quod ordinem integrum in fine hujus operis repræſentamus. Disertè ritum Pœnitentiæ privatim imponendæ diſtinguit à ritu publicæ impoſitionis. Deinde poſtquàm hunc ritum latè, & minutè deſcripſit, hunc ſubiicit titulum, *Si verò cauſa Pœnitentis fuerit, ut ab Epiſcopo vel ipſa jubente à Presbytero à liminibus Eccleſiæ arceri debeat, adducatur in Eccleſiam ante Epiſcopum, vel Presbyterum indutus cilicio, atque peractis primùm*

primùm

niùm omnibus, quæ ſupra taxato Pœnitentium ordine expreſſa ſunt, his verbis inſtruatur. Inſtructione data eorum, quæ neceſſaria ſunt ad graviſſimorum peccatorum expiationem, ſequitur in codice, *His dictis operiat caput, & ſuitem ejus ponat cilicii, & apprehenſa manu ejus expellat eum ab Eccleſia, cantantibus choris reſponſorium, In ſudore vultus tui. Quo finito dicatur ante oſtium Eccleſiæ hæc oratio ab Epiſcopo, vel Præsbytero, &c.* Pergit codex, *Hac oratione expleta recludatur Pœnitens in loco ſecreto uſque in Cœnam Domini, deputato ſibi idoneo teſte, qui ſollicitè inſpiciat inſtantiam devotionis ejus, macerationem corporis, & ſuper omnia deſiderium emendandæ prioris vitæ ſuæ.*

XXXV. Ex præcedentibus quinque conſequuntur. Primum, patere quæ ad Pœnitentiæ privatæ imponendæ ritus ſpectant, ea ſcilicet, quæ iſtum titulum præcedunt, quæ in fine libri integra referimus, & quorum præcipua capita ex aliis jam relata ſunt. Hinc etiam fit de cęteris Pœnitentialibus, & Sacramentariis hac in cauſa judicium. Secundum ceremonias, & ritus privatæ Pœnitentiæ impoſitionis eoſdem eſſe, qui & publicæ, id eſt, eadem fieri pro privata, quæ pro publica, ſed iſta non eſſe reciproca: Mulcta ſcilicet Pœnitentiam publicam privatæ ſuperaddere. Tertium, In privata Pœnitentia neminem ab Eccleſiæ liminibus arceri. Quartum, publicam Pęnitentiæ impoſitionem intra Eccleſiam fieri, eaque impoſita Pęnitentem ab Eccleſia pelli. Denique iſtos titus non tantùm exerceri, cum plures Pœnitentiæ jugo ſeſe ſubmittunt, verùm etiam cùm vel unus. Nonnulla alia adnotari poſſent, ſed non ſunt hujus loci: Iſtud tamen non videtur prætereundum, impoſitionem illam non tantùm publicam, ſed etiam privatam inter Miſſarum ſolemnia factam fuiſſe, aut ſaltem Miſſam in illa impoſitione celebratam. Immediatè enim ſequitur in codice, *Miſſa pro Pęnitentibus, & Confitentibus, ſive unus, ſive plures fuerint.*

CAPUT XIX.

Idem demonſtratur ex antiquis Græcorum Pęnitentialibus manuſcriptis.

QUæcunque hactenus de impoſitione Pœnitentiæ apud Occidentales Eccleſias dicta ſunt, eadem de Orientalibus eſt aſſerendum. Quemadmodum enim idem ritus non modò ex canonibus, & dictis Occidentalium Patrum, ſed etiam ex eorum Sacramentariis, & Pęnitentialibus libris demonſtratur: Ita etiam de Patribus Orientalis Eccleſiæ dicere poſſumus. Ut enim Occidentalium praxis ab eorum decretis varia non fuit; ſic nec Orientalium: Neutri enim ſententiam canonibus, & dictis ſuis præ ſe tulerunt, contrariam verò factis probarunt. Id eſt, quod ex eorum Pœnitentialibus libris hoc capite breviter demonſtramus: Pęnitentiales illos libellos ad finem operis integros excudi curamus. Eſt in Bibliotheca illuſtriſſimi, & eruditiſſimi Præſulis D. de Montchal Archiepiſcopi Toloſani antiquus codex manuſcriptus, qui continet orationem Joannis Monachi Patriarchæ CP. Jejunatoris dicti ad eos, qui peccata ſua Patri ſpirituali confeſſuri ſunt, ſic ille, & Confitentem, & Confeſſorem inſtituit. *Debet, qui confitetur tres facere Pęnitentias* (tres corporis inclinationes reverentiæ cauſa) *In ingreſſu ſancti altaris, terque dicere, Confiteor tibi Pater, Domine Deus cęli, & terræ quæcunque ſunt in occulto cordis mei. Et poſtquam hæc dixit, ſurgere, & ſtare Confitentem, & Confeſſionem excipientem, ipſumque hilari vultu interrogare, & ſi fieri poteſt, Confitentem, ejuſque manus deoſculari, maximè ſi eum animadverterit magnitudini triſtitiæ, & erubeſcentiæ ſuccumbentem, poſtmodum miti, & hilari voce ſic dicere, &c.* Sequuntur nonaginta quinque interrogationes, quibus factis, & reſponſis acceptis pergit, *Et poſtquam ipſum, vel ipſam interrogavit iſta, ipſum niſi mulier ſit, jubet caput detegere, licèt diademagestet, ſicque precatur. ORATIO, Deus ſervator noſter, qui per Prophetam tuum Nathan Pęnitenti David, &c. Oratio, Ipſe igitur ſervator noſter, & Dominus Jeſus Chriſtus condonet tibi quæcunque coram ipſo meæ parvitati confeſſus es. Oratio, Domine, Deus noſter, qui Petro, & meretrici per lacrymas, &c. Oratio alia ad abſolvendum Pęnitentem poſtquam implevit tempus Pęnitentiæ ſuæ. Here Domine Deus noſter, qui adfuiſti diſcipulis, & Apoſtolis tuis, dum portæ clauſæ eſſent, &c. Poſteà eum erigit à terra, & caput tegere jubet, & cum eo conſidet, interrogatque quid Pęnitentiæ ferre poſſit, &c.* Pęnitentiamque, atque illius tempus juxta canones, & confitentis ætatem, & infirmitatem injungit.

II. Idem Joannes Patriarcha hæc omnia longè ſpecialius, & diſtinctius exponit in ordine, & rituali confitentium, quem ex antiquo, & annorum circiter quingentorum Bibliothecæ Altempſianæ codice exſcripſimus, *Aſſumit Sacerdos volentem peccata confiteri, eumque ad altaris conſpectum ducit, & cùm eo Triſagion canit, & Pſalmum ſextum, Domine, ne in furore tuo corripias me; Et Pſal.24. Ad te, Domine, levavi animam meā, & Pſal.50. Miſerere mei Deus ſecundùm magnum. Dicit Kyrie eleiſon, & Gloria Patri, Dicit poſteà Pſal.31. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & Pſal.69. Deus, in adiutorium meum intende, & Pſal.101. Domine, exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat, gloria, & dicit Troparium octavi Toni, Humilem animam meam reſpice. Aliud, Navigans pelagus, ad Deiparam attentè nunc confugimus. Poſteà & orationem hic adpoſitam dicit, Domine Deus noſter, omnium pater, & Herus, &c. Admonet eum poſteà, ut capite ſit aperto, treſque genuflexiones faciat, quas conſimiliter facit confeſſor, erectum poſt à ſe inſtituit.* Docet ſe auctoritatem à Deo peccata condonandi accepiſſe, qui dixit, Quæcunque ligaveritis in terra, &c. Confidenter igitur ipſi veluti Deo peccata omnia confiteatur, nihil abſconditum habeat, quod non revelet. Ipſi à Deo optat, & precatur veram humilitatem, & charitatem, patientiam, modeſtiam, & ſinceram ad Deum converſionem. Variis ſcripturæ locis docet, Deum Pęnitentibus veniam pollicitum eſſe; ne differat ergo confiteri, ſatius eſſe coram homine aliquandiu erubeſcere, quàm coram Deo, & ejus Angelis. *Poſteà capite eſſe aperto monet eum, etiamſi diadema ferat, niſi mulier ſit: Si verò Abbas cucullum, qui ſupra caput deiicere, & proſterni ante altare, & dicere, Confiteor tibi pater, ita, Domine, factor cęli, & terræ, omnia abſcondita cordis mei. Quibus dictis ſurgere, & ſtare in parte una introitus ad altare, Sacerdotem verò ex altera interrogare eum cum omni hilaritate, & humanitate, & ſi poſſibile eſt ipſum deoſculari, manuſque ipſius confitentis collo ſuo imponere, præſertim ſi viderit eum magna, & vix ferenda triſtitia, & rubore laborare, eiſque ſuccumbere, mitique, & ſerena voce ità cum ipſo colloqui, Quomodo potiſſimum, Domine, frater, vel ſoror, corrupta eſt Virginitas tua, per fornicationem, an in legitimo matrimonio, an per mollitiem, An verò aliqua ratione contra naturam. Confitentem verò, & dicentem hoc, & hoc modo, iterùm interrogare, &c.* Sequuntur multæ interrogationes, & peccatorum ſpecies ſigillatim diſtributæ, & enumeratæ, tandemque ſic monet, *Poſtquam igitur omnia diligenter, & accuratè inquiſiverit, quæ eum audierit confiteri, & concedere, debet ad unumquodque dicere, Deus tibi condonet. Et cùm omnia enumeraverit, & Confeſſionem exceperit, iterùm confitente infernè jacente ſuper eum pronuntiare, Herus, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus condonet tibi omnia, quæ in conſpectu ejus nullitati meæ confeſſus es.* Duæ ſequuntur orationes, quibus titulus imponitur, Alia abſolutio, quas iterum ſequuntur quinque aliæ ſatis longæ orationes ſine titulo, niſi quod initio dicitur, *poſteà ſic precatur.* Finitis orationibus eum erigit Sacerdos, bono eſſe animo, & ad perſeverantiam bonorum operum exhortatur, lectionem ex Ezechiele, atque aliam ex Evangelio ſecundùm Lucam actioni Pęnitentiæ convenientes legit, quas ſequuntur varia Troparia, & verſiculi. His peractis conſident ambo, & de Pęnitentia ſecundùm canones, & Pęnitentis ætatem, & vires colloquuntur, cujus cauſa Joannes ille Patriarcha de ratione imponendæ Pęnitentiæ varia ediſſerit. Cùm autem varia eſſet Pęnitentia, & per multos annos variè exercenda, certiſque feſtis pro magna parte remittenda, illius agendæ ratio ſcriptis tradebatur, ne lapſu temporis è memoria elaberetur. Notant etiam Græci, id quod à Latinis omnibus obſervatum, Pęnitentiæ, quæ Dominis, & Dominabus jure convenit mediam tantùm partem ſervis, & ancillis eſſe imponendam.

III. Alius antiquus auctor, Joannes quoque Monachus dictus, qui S. Baſilii ſcribitur Diſcipulus, poſtquam minutè peccatorum enuntiandorum ſpecies diſtinxit, & Pęnitentiam unicuique convenientem expoſuit, juxtaque annos, feſta, menſes, & Quadrageſimas diſtribuit, & interrogationes faciendas Confitentibus ſigillatim expreſſit, ritum Confeſſionis faciendæ, & Pęnitentiæ imponendæ ſic deſcribit, *Ante hæc omnia debet, qui alicujus Confeſſionem ſuſcipit, in Eccleſiam, vel aliquem alium locum occultum eum blanda appellatione, & hilari corde, velut ad ſplendidum aliquod convivium advocare, hortarique, ut ſe coram ipſo omnium peccatorum magnorum, & minorum Reum profiteatur. Poſteà ſic Pſal.69. cum Triſagio recitare, & cum eo Deum tantiſper deprecari; ipſius caput ſi vir eſt, ut detegat curare, nec ullo modo utroſque ſedere, donec confitendo omnia compleverit, particulatim videlicet, & minutim omnia qualia, & qualiter diſcernenda. Poſtquam verò perfecerit, ille quidem enuntians, hic verò audiens, & audita perſcrutans, & dijudicans, donec ille*

dixe-

Digitized by Google

dixerit, ſe nihil ampliùs habere; hic verò nihil dimiſerit, quòd non dijudicaverit, vel de quo non interrogaverit, numquid oblivione, vel pudore celaverit, Tunc ſeſe in terram deiiciet, jacebitque ſeſe non erigens, ſuperque eum jacentem hæc, & ſimila deprecabitur, eoque ſic jacente ſic dicere incipiet.

Deus, qui propter nos homo factus eſt, & totius mundi peccata portavit ipſe, propter immenſam ſuam bonitatem hæc omnia frater ſuſcipiat, & approbet, quæ meæ indignitati coram eo dixiſti, omnia tibi condonans in præſenti ſeculo, & in futuro, qui vult, expectat, & diſtribuit omnium ſalutem, quique eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Tunc eum erigit, & deoſculatur, ut propriam animam, Et ſi fieri poteſt manum ſuam ſuper ipſius cervicem imponit, ipſi dicens, A modò ſiut, frater, omnia iſta ſuper me, præſertim ſi eum videris intolerabili aliqua triſtitia ſubmerſum. His ſic peractis ſedet cum eo, & hilari facie eum interrogat, trium modorum Pęnitentiæ dandæ quem velit; Et imprimis optimè de miſericordia Dei ſperare jubebit, &c. Vult quoque Pœnitentiam, ne de memoria elabatur, ſcriptis tradi, multòque mitiùs, & clementius ſervos, & ancillas quàm Dominos excipi.

IV. Antiquus ordo, ſive ἀκολουθία Confeſſionis, & Pœnitentiæ imponendæ ex antiquo manuſcripto erutus, ita conſequentiam actionis exponit. *Dicit Sacerdos, Benedictus Deus noſter ubique nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen. In pace Dominum deprecemur. Pro pace ſuperna, & ſalute animarum noſtrarum Deum deprecemur. Pro remiſſione peccatorum, & condonatione prævaricationum hujus ſervi Dei, atque ut ipſi condonetur omnis offenſa voluntaria, & involuntaria Dominum deprecemur, ut Dominus Deus largiatur ei remiſſionem peccatorum, & tempus Pęnitentiæ, Dominum deprecemur. Ut ipſe, noſque eruamur ab omni tribulatione, ira, periculo, & neceſſitate Dominum deprecemur. Sanctiſſimæ, immaculatæ, & ſuper omnia benedictæ, glorioſæ Dominæ noſtræ, Deiparæ, & ſemper Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum memoriam facientes, noſmetipſos, & vitam noſtram Domino commendemus, quia decet omnis honor, & adoratio Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen. Poſteà dicit Sacerdos hanc orationem, Dominum deprecemur. Domine Jeſu Chriſte, agne, & paſtor, Fili Dei vivi, qui tollis peccata mundi, &c.* Completa oratione longa, *Cantat Triſagium, & venite adoremus, & Pſalmum 50. & præſentia, ſive occurrentia eo tempore Troparia toni ſecundi, miſerere nobis, Domine miſerere. Gloria, Domine miſerere nobis, Et nunc miſericordiæ, Kyrie eleiſon quadragies. Proſtratus dicit, Peccavi Domine, parce mihi, ter. Deinde ſurgens dicit, Deus propitius eſto mihi peccatori. Dominum deprecemur. Deus ſalvator noſter, qui per Prophetam Nathan pęnitentem David, &c. Poſteà qui confitetur manus in altum ſublatas tenens dicit, Pater Domine cęli, & terræ tu cognoſcis omnia abſcondita cordis mei. Deinde interrogat eum miti voce, frater, Propter quid veniſti ad Deum, & ad me? Ne erubeſcas; non enim mihi revelas, ſed Deo in quo ſubſiſtis, Quomodo corrupta eſt Virginitas tua, per mollitiem, an per fornicationem, vel in legitimo matrimonio, &c.*

V. Plurimis interrogationibus factis ſubiicit, *Poſtquam ipſum interrogaveris ſigillatim, accipe iudiculum, & inquire peccatum ejus, atque in pręſentia ipſius demonſtra illi, quali pęna ſit afficiendum crimen, poſteà ſic eum alloquere, ſpiritualis fili mi, ego humilis, & peccator, qui meæ humilitati confiteris, non poſſum dimittere peccata in terra, ſed ſolus Deus. Propter autem divinam hanc vocem, quæ poſt reſurrectionem ſuam facta eſt ad Apoſtolos, quorum remiſeritis, quorum retinueritis, retenta ſunt, confidentes dicimus, Quæ omiſiſti dicere humilitati meæ, quæ non pręveniſti, vel per ignorantiam, vel per oblivionem, quocumque modo Deus condonabit tibi in præſenti ſeculo, & in futuro. Vade in pace. Connectè, & hanc orationem, Deus, qui pepercisti David per Prophetam Nathan propria mala, quæ confeſſus fuerat, &c. De confeſſis criminibus ne ſis ampliùs ſollicitus, vade in pace.*

VI. Simeon Theſſalonicenſis Archiepiſcopus in libris de Sacramentis Eccleſiæ, ubi de Sacramento Pęnitentiæ diſſerit, *Oportet excipientem Confeſſionem in loco venerando, & ſacro ſolùm, & extra omnem tumultum ſedere cum timore, & reverentia præ ſe ferentem animum hilarem, vultumque lenem, & ſerenum, divinam, qua imbuitur, charitatem habita, geſtuque demonſtrantem: Confitentem autem cùm fiducia, & divina timore, atque cum reverentia, & pietate ſedere in conſpectu Confeſſoris, vel potius Chriſti ipſius, cùm per Confeſſorem ipſi Chriſto confiteatur, qui remiſſionem donat peccatorum. Ipſum quoque exhortari debet Confeſſor, ut cum humilitate, & veritate nihil hæſitans omnia enunciet, nihilque celet.* Poſteà doctam peccatorum diviſionem, ex variis animi affectibus petitam, magna ex parte ex Gregorio Nyſſeno excerptam perſecutus, docet qua ratione, & Pęnitens ſeipſum examinare teneatur, & Confeſſor eum interrogare. Pluribus autem ritum Confeſſionis excipiendæ, & imponendæ non explicat, ſicut nec alii Doctores Græci, Latinive quum hæc ritualibus, & quotidianæ praxi relinquantur.

VII. Græcorum Euchologia orationes magis vulgatas, quæ ſuper Pęnitentes dicuntur, adhuc nobis repræſentant, quibus conſentiunt duo antiquiſſima Euchologia. Prius eſt in Bibliotheca Eminentiſſimi Cardinalis Barberini, cujus character uncialibus literis paulò longioribus exaratus antiquitatem arguit ſaltem annorum ſeptingentorum. Poſterius eſt in Abbatia Cryptæ propè Romam ante annos ſexcentos deſcriptum. Oratio in priore ab ea, quæ vulgatis Euchologiis fertur nonnihil differt, quapropter eam hic exſcribemus.

ΕΥΧΗ ΕΠΙ ΜΕΤΑΝΟΟΥΝΤΩΝ.

Ὁ Θεὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν ὁ διὰ τοῦ προφήτου σου Νάθαν μετανοήσαντι τῷ Δαβὶδ ἐπὶ τοῖς ἰδίοις πλημμελήμασιν ἄφεσιν δωρησάμενος, καὶ τοῦ Μανασσῆ τὴν ἐπὶ μετανοίᾳ προσευχὴν δεξάμενος, αὐτὸς καὶ τὸν δοῦλόν σου τόνδε μετανοοῦντα ἐν τοῖς ἰδίοις πλημμελήμασι, πρόσδεξαι τῇ συνήθει σου φιλανθρωπίᾳ παρορῶν τὰ αὐτῷ πλημμεληθέντα. Σὺ γὰρ εἶ Κύριε ὁ καὶ ἑβδομηκοντάκις ἑπτὰ ἀφιέναι κελεύσας τοῖς περιπατοῦσιν ἁμαρτίαις, ὅτι ὡς ἡ μεγαλωσύνη σου, οὕτω καὶ τὸ ἔλεός σου. Καὶ σὺ ὁ Θεὸς τῶν μετανοούντων ἐν πάσαις ταῖς ἀδικίαις ἡμῶν. Ὅτι σὺ εἶ ὁ Θεὸς ἡμῶν καὶ πρέπει σοι ἡ δόξα, &c.

ORATIO SUPER POENITENTES.

Deus ſalvator noſter, qui per Prophetam tuum Nathan Davidi pęnitentiam agenti peccatorum ſuorum remiſſionem tribuiſti, & Manaſſes orationem pęnitentiæ plenam ſuſcepiſti, ſuſcipe conſueta erga genus humanum benignitate, hunc ſervum tuum de delictis ſuis pęnitentem, quæ deliquit, diſſimulans, & ei non imputans. Tu enim es, Domine, qui juſſiſti ſeptuagies ſepties his parcere, qui in peccatis ambulant: Quia ſicut magnitudo tua, ita & miſericordia tua. Tu quoque es Deus Pęnitentium, qui in omnibus iniquitatibus noſtris ſententiam pęnæ mutas, Quia tu es Deus noſter, & te decet gloria, &c. Cæteros ritus non deſcribunt, Euchologia, eo quòd orationes ſuper unaquaque re faciendas potiſſimùm contineant; deinde proſtent in unaquaque Diœceſi Pęnitentiales libri juxta, quos Pęnitentiæ canonicæ imponendæ ſint, cęteros Pęnitentiæ ritus complectentes.

CAPUT XX.

Nonnulla, quibus antiqui Pęnitentiales hodiernæ pœnitendi conſuetudini vel conſentiunt, vel ab ea diſſentiunt, reſumuntur, & adnotantur.

NOnnulla duobus poſterioribus capitibus dicta ſunt, quæ iterata animadverſione, & mente præſenti digna videntur. Primum quòd occurrit eſt multiplex, nempè, His Ritualibus libris omninò explicatum eſſe, quod toties Patres omnium ſeculorum dixerunt, Peccata ſigillatim, & κατὰ μέρος eſſe Sacerdotibus confitenda; Manus imponi in Pœnitentiam; Sacerdotes, Eccleſiam, fraternitatem pro Pęnitentibus Deum precari. Quum enim Ritualium allegatorum nonnulla, tam Græca, quàm Latina annos mille præcedant, nulla cum ratione dubitari poteſt, quin Patres, qui hoc tempus præceſſerunt, vel qui ſecuti ſunt, cùm breviter vel in canonibus ſuis, vel in ſcriptis dixerunt, manus imponi in Pęnitentiam, Sacerdotem pro Pœnitenti precari, Peccatorum Confeſſionem apud Sacerdotem edi, ad morem, & ritum explicatum, atque, ut ita dicam, in Sacramentariis, & Pęnitentialibus libris expanſum alludere, & verba ſua referre, non ſecus ac hodierni Doctores, cùm breviter, & uno verbo in ſcriptis ſuis enuntiant, quæ ad Sacramentorum adminiſtrandorum ritus pertinent, ad vulgatos hujus temporis rituales alludunt, & verba ſua referri volunt. His accedit precum, & ceremoniarum uniformitas, licèt ritualium illorum Collectores variis ſeculis, & diſſitis admodum in regionibus vixerint: Sed lectorem mea quidem ſententia præſertim movere debet precum, & orationum conformitas, & ut ita dicam, *ὁμοτελὴς ταυτότης*. Quòd certiſſimè arguit antiquam, eandemque ritus originem, Apoſtolicam videlicet traditionem, ut ex Tertulliano *cap.* 18. adnotavimus. Præterea ſi orationem, verba phraſeſque attentè conſideret; manifeſtè deprehendet ea non modò Sancti Gregorii, ſed etiam Sancti Leonis ſecula pręcedere, & SS. Hieronymi, Siricii, & Ambroſii ſeculo inferiora eſſe non poſſe; Non enim ſtylo Sancti Gregorii,

Ge-

Digitized by Google

Gelaſii, Leonis, aut Chryſologi convenire poſſunt.

II. Secundò notandum eſt cùm ritualia illa compoſita ſunt, ritum quotidianæ manuum ſuper Pœnitentes impoſitionis apud antiquos celebrem jam obſoleviſſe, atque in ejus locum morem Pœnitentes publicos tempore Quadrageſimali includendi ſucceſſiſſe. Sanè morem illum longo tempore poſt orationum illarum compoſitionem invaluiſſe, vel ipſa verba, phraſiſque, quibus in omnibus ritualibus enuntiatur, evidenter comprobant. Sed de quotidianæ manuum impoſitionis ceſſatione erit nobis infrà pluribus agendum.

III. Tertiò notabit lector omnia illa antiqua ritualia confitentem repræſentare nobis ſedentem, qui mos viget adhuc in Oriente. Antiquæ hujus conſuetudinis, atque illius mutationis cauſa eſt in promptu. Frequentes ut nunc, tum temporis non erant peccatorum Confeſſiones, eo quòd Pœnitentiæ ſecundum canones ſemper imponerentur. Ideò abſolutio, & myſteriorum communio in multos ſæpè annos differebantur. Quapropter cùm peccata confitebantur, neceſſe erat eos diù in actione illa immorari, cùm propter criminum declarationem, & ad ſingula interrogata reſponſionem, tum præſertim propter Pœnitentiæ impoſitionem, & illius ſecundum annos diſtributionem. Laborioſum ſanè, & vix tolerabile fuiſſet Pœnitentem genuflexum, vel proſtratum tandiù manere. Ut igitur tanta moleſtia vitaretur, neve corporis afflictio Pœnitentis mentem aliò diſtraheret, viſum eſt, ut bis tantùm in ea actione genuflecteret, in principio, & fine, cùm videlicet à Sacerdote benedicebatur, ut à Deo auxilium Spiritus Sancti ad ingenuè, & cum cordis compunctione confitendum impetraret: Deinde cùm actione perfecta iterùm benedicebatur, ut idem auxilium ad Pœnitentiam rectè, & piè peragendam obtineret. Nunc autem cùm Pœnitentia non imponatur amplius canonica, nec illius executio ante reconciliationem ampliùs poſtuletur, fruſtrà inter utramque benedictionem ad ſedendum ſurgeret Pœnitens, propter breve quòd intereſt temporis ſpatium. Hinc factum eſt, ut paulatim in Occidente ſedendi in Confeſſione obſoleſceret conſuetudo, quæ in Oriente propter contrariam rationem conſervata eſt.

IV. Quartò, privatam Pœnitentiæ impoſitionem à publica differre tantùm ſolemnitate: Hoc eſt, non modò eaſdem preces, & benedictiones factas ſuper Pœnitentem privatim ſcelus confitentem, quæ factæ fuiſſent, ſi ſcelus publicum fuiſſet, aut illud publicè enuntiaſſet, ſi ea, quæ ad apparatum publicum, & plebem commovendam ſpectant, detrahas: Verùm etiam eaſdem illi pœnas canonicas ad exolvendum privatim, & domeſticè impoſitas. Ideò nuſquam aut in canonibus, aut in Sacramentariis, & Pœnitentialibus legas, hæc pœna crimini publico eſt imponenda, iſta occulto: Quòd certè factum oportuit in canonibus, & Pœnitentialibus libris; ſed in poſterioribus potiſſimum, qui Præsbyterorum omnium manibus teruntur, eoſque particulatim docent, qua pœna ſit unumquodque crimen eluendum, ut ſic quotidie in praxi judicent, & judicatum exequantur; quique libri inſuper diſertè Pœnitentiam publicam à privata diſtinguere ſolent, ſed unius ab altera differentiam ultrà quaſdam actiones ſolemnes non diffundunt. Hæc nunc lector, *ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσι*: poſtremis enim libri octavi capitibus multis argumentis demonſtrabuntur.

V. Quintò, in memoriam hìc revocari debet, quòd adnotatum eſt ſupra initia *capitis* 17. Pœnitentiæ privatæ canonicæ impoſitionem criminibus occultis factam à ſeculo ſeptimo tantùm eſſe intelligendam: anteà nullum uſum fuiſſe Pœnitentiæ privatæ canonicæ, cùm omnia crimina graviora pœnitentia publica punirentur, minus gravia Sacerdotis arbitrio, & conſilio. Denique forſan negotium lectori faceſſet, quòd aliquando in Pœnitentialibus relatis, legerit Abſolutionis nomen cùm orationibus in impoſitione Pęnitentiæ fuſis, communicatum longo tempore ante Pœnitentis reconciliationem. Hujus difficultatis ſolutionem habes *lib. 9. cap. 31.* in quo docetur hoc nomen multis orationum generibus tribui ſolitum, & quare id fiat, explicatur.

CAPUT XXI.

Primis Eccleſiæ ſæculis reconciliationem Pœnitentium ab Euchariſtiæ participatione temporis ſpatio ſejunctam non fuiſſe, ex Sancto Cypriano probatur.

ANtequam huic libro finem imponamus lectorem monere viſum eſt conſuetudinis Eccleſiaſticæ, quæ paulò poſt Novatum immutata eſt. Primis Eccleſiæ ſeculis non video participationem corporis Chriſti poſt exactos Pœnitentiæ labores aliquo temporis ſpatio fuiſſe dilatam; ſed ſemper uno, & eodem tempore Pœnitentibus labore Pœnitentiæ functis, & reconciliati conceſſa eſt, & corporis Chriſti communio. Quemadmodum enim Ethnicos Chriſtianæ religionis appetentes catecheſibus, exorciſmis, & jejuniis functos ſtatim baptizabant, & baptizatos nulla interpoſita mora corpore Chriſti paſcebant: ſic & criminum Pœnitentes poſt jejunia, macerationes, & corporis toleratas afflictationes ſtatim reconciliabant, & corpore Chriſti donabant. Hoc tamen poſt Novatum creberrime factum non eſt: Ideò tum inſtituta eſt ſpecialis Pęnitentiæ ſtatio, in qua poſt toleratos illos labores aliquandiu ſubſiſterent, & ſola precum communione fruerentur, donec purgatiores redditi ultima perfectione digni cenſerentur. Itaque inter pacem, ſive reconciliationem, & cum corpore Chriſti communicationem nonnunquam biennium, immò triennium interpoſitum eſt, quod anteà uſurpatum non legi. Ex quo conſequitur primis illis ſeculis communionem dare, pacem dare, reconciliari, ſimileſque auctorum illius temporis phraſes pro Euchariſtiæ participatione ſumendas eſſe, & viciſſim Euchariſtiæ participationem pro pace, reconciliatione, & Abſolutione; quia unum ab altero ex Eccleſiæ præcepto non ſejungebatur.

II. Clariſſimè hoc nos docet S. Cyprianus: In illius enim verbis evidentiſſimum videtur, non modò ipſum, ſed & Clerum Romanum, cæteroſque illius temporis Epiſcopos non aliter pacem, & communicationem, quæ lapſis datur, intellexiſſe. *Epiſt.* 54. tota eſt in hoc aſſerendo. Repetit primò decretum Concilii Romani, & Africani, quo ſtatutum erat, ut lapſi, *Diu agerent Pœnitentiam plenam, & ſi periculum infirmitatis urgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent. Nec enim fas erat, &c. dolentibus, ac deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium denegari, ut de ſeculo recedentes ſine communicatione, & pace ad Dominum dimitterentur.* Deinde refert Cyprianus ſe clementius propter vicinam perſecutionem de lapſis ſtatuiſſe, *Cenſuimus eos, qui de Eccleſia Domini non receſſerunt, ſed pœnitentiam agere, & lamentari, ac Dominum deprecari à primo lapſus ſui die non deſtiterunt, pacem dandam eſſe, & eos ad prælium, quod imminet, armari, & inſtrui oportere.* Quum de lapſis moribundis, & Pœnitentiam agentibus verba faciat, dubium eſſe non poteſt, quin per pacem, & communicationem intelligat corporis Chriſti participationem, ſed illud ipſum diſertiſſimè explicat, *At verò nunc non infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt, nec morientibus, ſed viventibus communicatio à nobis danda eſt, ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, ſed protectione Sanguinis, & corporis Chriſti muniamus. Et cum ad hoc fiat Euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra Adverſarium volumus, munimento Dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quomodo docemus, aut provocamus eos in confeſſione nominis Sanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? aut quomodo ad Martyrii poculum idoneos facimus, ſi non eos priùs ad bibendum in Eccleſia poculum Domini jure communicationis admittimus?* Tranſcribenda eſſet integra Epiſtola. Nihil enim aliud agit quàm de pace, & communicatione lapſis ſanis, & non tantùm moribundis concedenda, ſemperq; pacem, & communicationem Corpus, & Sanguinem Domini interpretatur. Non quod iſta ſint, ut loquuntur, idem formaliter: hoc fingere ridiculum eſt, ſed quod æquivaleant, unumq; ex altero ſecundùm illius temporis morem conſequatur, *Nec quiſquam dicat, qui martyrium tollit ſanguine ſuo baptizatur, nec pax illi ab Epiſcopo neceſſaria eſt, habituro gloriæ ſuæ pacem, &c. Idoneus eſſe non poteſt ad Martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium, & mens deficit, quam recepta Euchariſtia non erigit, & accendit.*

III. *Epiſtola* 10. in quoſdam Presbyteros invehitur, qui ante actam Pęnitentiam lapſis pacem reddebant, & ſic in eos argumentatur, *Cùm in minoribus peccatis agant peccatores pęnitentiam juſto tempore, & ſecundùm diſciplinæ ordinem ad exomologeſim veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi, & Cleri jus communicationis accipiant, nunc crudo tempore, &c. ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pęnitentia acta, nondum exomologeſi facta, nondum manus eis ab Epiſcopo, & Clero impoſita Euchariſtia illis datur.* Hoc eſt quod dixerat, pax illis datur, & paulò poſt repetit, *Exponunt invidiæ Beatos Martyres, &c. cùm illi memores loci noſtri ad me literas direxerint, & petierint deſideria ſua examinari, & pacem dari, &c. ſi ſublato honore, quem nobis Beati Martyres ſervant, &c. communicant cum lapſis, & offerunt, & Euchariſtiam tradunt.* Pacem dare, & communicationem, & Euchariſtiam illius ſunt ſynonima; evidenſque eſt ſtatim pęnitentia peracta non uno, aut altero poſt anno redhibitam pacem, & Euchariſtiam.

Digitized by Google

ſtiam. Idem & eodem modo colligitur non minus evidenter ex *Epiſtolis* 11.12.& 31.quæ eſt Cleri Romani ad Cyprianum.

IV. Quæ diximus egregiè confirmant Martyrum verba, quibus indulgentiam lapſis concedebant, & eorum interpretatio omnium conſenſu eo tempore facta erant. Erant autem in eorum libellis verba ejuſmodi, *His pacem dedimus, &c.* Quorum lapſi Euchariſtiam non acta legitima Pœnitentia ſibi concedi urgebant. Nec huic interpretationi ſe unquam opponit S. Cyprianus; quippe qui ſciebat ex uſu Eccleſiæ, pacem, & Euchariſtiam permutari, ſed in lapſos acriter invehitur, necnon etiam in Martyres, quod pacem, ſive Euchariſtiam ante actam legitimè Pœnitentiam extorquere vellent, ut videre eſt in *Epiſtolis* 17.22.23. ubi libellorum iſtorum habentur formulæ, & in formulas animadverſiones, de quibus multa infrà *lib.9.*

V. Caldonius Epiſcopus à S.Cypriano quærit *Epiſt.*19. Num ſit danda pax iis, qui cum tormentis victi ſacrificaſſent, iteratò tenti Chriſtum eſſent confeſſi, atque ideò extorres facti bonorum amiſſione mulctati eſſent. Quid per pacem intelligat ex S. Cypriani Epiſtola ſequente colligitur: perfectam ſcilicet cum Chriſto, & Eccleſia communionem reconciliatione, & corporis Chriſti participatione conſtantem, *cùm*, inquit, *abluerint omne delictum, & maculam primam aſſiſteate ſibi Domino poſteriore virtute deleverint, &c. Atque utinam ſic, & cæteri poſt lapſum Pœnitentes in ſtatum priſtinum reformentur.* Amplioris reſponſionis cauſa, & librum de lapſis illi mittit, & quinque præcedentes *Epiſtolas*, ſcilicet 10.11. &c.

VI. In libello de lapſis, in quo totus eſt contra eos, qui lapſis ſine Pœnitentia pacem dabant, eo quòd à Martyribus literas acceperant, pacem ſemper, & communicationem, & Euchariſtiæ participationem commutat, atque ut res actu æquipollentes uſurpat: *A Diabolis aris revertentes, ad Sanctum Domini ſordidis, & infectis nidore manibus accedunt. Mortificos idolorum cibos adhuc penè ructantes, exhalantibus etiam nunc ſcelus ſuum faucibus, & contagia funeſta redolentibus, Domini corpus invadunt, &c.* Poſt quam multis hæc eleganter exaggeravit, velut ſummum ſcelus ſubiicit, *Ante expiata delicta, &c. pacem putant eſſe, quam quidam verbis fallacibus venditant. Non eſt pax illa ſed bellum.* Hæc iterùm poſtquam multis exaggeravit, addit, *Cęterùm ſi quis præpropera feſtinatione temerarius remiſſionem peccatorum dare ſe cunctis putat poſſe, aut audet Domini præcepta reſcindere, non tantùm nihil prodeſt, ſed & obeſt lapſis.* Remiſſionem quoque peccatorum pro pace, & communicatione, & Euchariſtia uſurpat, quia illa tum temporis erant connexa, unumque ſine alio non concedebatur. Pergit Sanctus in ejuſmodi lapſos pacem, & communicationem extorquere volentes: *Jacens ſtantibus, & integris vulneratis minatur; & quod non ſtatim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini Sanguinem bibat, Sacerdotibus ſacrilegus iraſcitur, &c.* Et poſt multa idem illis exprobrat, quibus verò verbis? *Pacem ſibi altro nemine dante ſumpſeriat falſa pollicitatione ſeducti, & Apoſtatis ac perfidis juncti, errorem pro veritate ſuſcipiunt, communicationem non communicantium ratam ducunt.* Ubique hæc ut connexa, & neceſſariò ſibi conjuncta intelligit. Quapropter hæc oratorio more, ut ſemper ſolet, ediſſerens, perpetuò commutat, modòque unum, modò alterum, modò plura conjungit. Niſi hæc ita ſeſe habuiſſent, nùllus eò temeritatis deveniſſet, ut data pace crimini ſuo ſine Pœnitentiæ actione, auſus fuiſſet hinc, & corporis Chriſti communionem, ut ſibi debitam efflagitare, urgere, & quod ſibi non daretur, conqueri, & velut de injuria illata expoſtulare.

VII. Plura ex eodem authore argumenta deſumi poſſunt ex iis teſtimoniis, quæ ſuprà relata ſunt *cap.6.* 10. *&* 11. hujus libri, in quibus ex Cypriano probatur pœnas criminibus impoſitas ante Novatum breves admodum fuiſſe, & nonnunquam ſceleratiſſimis hominibus pacem, & communionem certis de cauſis nulla imperata exteriore Pœnitentia ſtatim eſſe redditam, quæ nunc, ne ſæpiùs idem repetatur, præterimus.

CAPUT XXII.

Idem demonſtratur ex Concilio Eliberitano, nonnullis authoribus Gręcis, & antiqua Eccleſiæ Mediolanenſis conſuetudine.

EAdem ex antiquiſſimo Concilio Eliberitano vix minus evidenter colliguntur. *Can.*37. Statuunt *eos, qui, ab immundis ſpiritibus vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptizari: Si fideles fuerint, dandam eſſe communionem.* Communio eo canone primò, & directè remiſſionem peccatorum ſignificat: Nam opponitur baptiſmo. Sicut igitur baptizatus ſtatim Euchariſtia donabatur, ita & Abſolutus à peccatis. Id etiam convincit perſonæ, de qua agitur, conditio Eſt enim fidelis: Quis autem audivit unquam fideli abſoluto negatam Euchariſtiam? Quanquam igitur propter oppoſitionem baptiſmi, & Abſolutionis, ſive potiùs propter parallelum uſum utriuſque, Communio primùm dicat eo loco Abſolutionem, ſecundariò tamen, & neceſſariò Euchariſtiæ conceſſionem infert. Verùm obiicies, ſi tanta ſemper fuit neceſſitas ſive Euchariſtiæ, ſive remiſſionis dandæ fideli, ut quid hoc revocatum eſt in dubium, ita ut neceſſe fuerit ſententiam intercedere Concilii? Præſto eſt reſponſio, non ſimpliciter eo canone agi de homine fideli, ſed de fideli Energumeno ab immundis ſpiritibus vexato, de quo non abs re dubitari potuit, an in extremis eſſent communione donandi, ut etiam de ejuſmodi Catechumenis dubitatum eſt, an eſſent baptizandi.

II. In poſteriori canonis pericope res contrario modo ſe habet. Communio enim Euchariſtiam primò ſignificat; Secundariò verò, ſed eadem conſequentiæ neceſſitate reconciliationem, ſeu Abſolutionem. *Prohibendum etiam ne lucernas hi publicè accendant. Si facere contra interdictum voluerint, abſtineant à communione.* Si per communionem non intelligas primò Euchariſtiam, aut eam ſaltem cum Abſolutione non permutes, quid ſignificare poterunt hæc verba imperativa, *Abſtineant à communione*: An à remiſſione peccatorum, ab abſolutione, à reconciliatione? Dices forſan, abſtineant à precibus Euchariſticis. Verùm hoc eſt, ad luctuoſam Pœnitentiam eos amandare, quod non facit canon, nec rei levitas, & Energumenorum ſtatus hoc patiuntur: Euchariſtiam igitur primò ſignificat Communio. Videri poſſet non abs re poſterior canonis pars priori contradicere. Vult enim in priori fidelem à Dæmone vexatum in fine vitæ Euchariſtia potiri; ſed in poſteriori minatur, ſi faciat contra interdictum, à communione abſtinendum fore. Idem igitur, & communione ordinaria fruebatur, Facilè ſolvitur nodus, ſi conſideremus Energumenos dilucida habuiſſe intervalla, nec ſemper à Dæmonibus vexatos. Quamdiù vexantur, communione ſunt abſtinendi, Sic ejuſdem Concilii *can.*29. *Energumenus, qui ab erratico ſpiritu exagitatur, hujus nomen neque ad altare cum oblatione recitandum, neque permittendum, ut ſua manu in Eccleſia miniſtret.* Excipiunt Patres *can.*37. priori parte imminens mortis periculum; poſteriori verò de iis verba faciunt, qui à Dæmone vexati non ampliùs vexantur, aut vexationis habent longa intervalla, quos Timotheus Alexandrinus Patriarcha ſi myſterium non evulgent, Euchariſtia donari jubet.

III. Eadem ratio canonis, 50. *Si quis Clericus, vel fidelis cum Judæis cibum ſumpſerit, placuit eum à communione abſtinere, ut debeat emendari.* An jubent Patres, ut à reconciliatione abſtineat? Evidentiſſimè *canone 47. Si quis fidelis habuerit uxorem, non ſemel ſed ſæpè fuerit mœchatus in fine mortis eſt conveniendus. Quòd ſi ſe promiſerit ceſſaturum detur ei communio. Si reſuſcitatus rurſus fuerit mœchatus, placuit ulteriùs non edere eum de communione pacis.* In priore canonis parte Communio Abſolutionem primò ſignificat; in poſteriore Euchariſtiam. Nam edere de communione pacis; nullo colore ad aliquid aliud quàm ad Euchariſtiam primò referri poteſt. *Can.* 61. *Si quis poſt obitum uxoris ſuæ ſororem ejus duxerit, & ipſa fuerit fidelis, quinquennium placuit à communione abſtineri, niſi fortè dari pacem velociùs neceſſitas coegerit infirmitatis.* Pax igitur, & communio idem ſunt, & conſequenter idem quoque dare pacem, & communionem ſive pacem denegatam redhibere. Ut igitur dixit canon à communione abſtineri, ſic dicere potuit, à pace abſtineri. Nam ſecundùm eos communione frui, idem eſt quod pace frui. Rectè equidem pacem cum Eccleſia habere dicitur, cui Euchariſtia frui licèt, & qui illa fruendi jure abdicatus eſt, pacem cum ea non habere, cùm perfecta Chriſtianorum unio in Euchariſtiæ participatione conſiſtat, omniſque unio ad eam aſpiret, & ſine ea tantùm inchoata ſit, & adumbrata.

IV. Quædam exemplaria habent *c.47. Ludere*, prò *edere*, cui phraſis ſimilis legitur *can.3. Si poſt Pœnitentiam fuerint mœchati, placuit ulteriùs his non eſſe dandam communionem, ne luſiſſe de Dominica communione videantur.* Eadem utriuſque verbi ratio; quanquam expreſſiùs edere ad corpus Chriſti referatur quàm ludere, & aliorſum trahi non poſſit. Sed *can.3.* ludere conjunctum cum communione Dominica vix minus eſt efficax ad ejuſdem rei probationem, quàm ſi edere ſcriptum eſſet. De eadem igitur re intelliguntur, dare communionem, & ludere de Dominica communione. Sed poſteriùs de Chriſti corpore, & ſanguine intelligitur. Ergo & priùs, neceſſaria ſaltem conſequentia.

Digitized by Google

tia. Prior can. 3. pars ſic ſe habet, *Item flamines, qui non immolaverant, ſed munus tantùm dederant, eo quòd ſe à funeſtis abſtinuerint ſacrificiis, placuit in fine eis præſtari communionem.* Eo loco communio Abſolutionem primò ſignificat: Eſt enim illud, quod acta legitima Pœnitentia primò datur, ut ratio poſtulat, & omnium antiquorum Sacramentariorum, & Pœnitentialium uſus, & praxis demonſtrat. Eodem ſenſu bis legitur, *Communio* canone quinto. *Si voluntate* occiderit, *poſt ſeptem annos; ſi caſu poſt quinquennii tempora, acta legitima Pœnitentia ad communionem placuit admitti. Quòd ſi infra tempora conſtituta fuerit infirmata, accipiat communionem.*

V. Canon 14. aliquid ſpeciale nos docet, & adnotatione dignum: *Virgines, quæ virginitatem ſuam non cuſtodierunt, ſi eoſdem, qui eas violaverunt, duxerint, & tenuerint maritos, eo quòd ſolas nuptias violaverint, poſt annum ſine Pœnitentia reconciliari debebunt.* Idem eſt reconciliari quod communionem accipere, & reconciliare quod communionem dare, aut pacem dare, quod ex can. 61. jam allatum eſt. Hæc omnia ſunt *ἰσοδυναμοῦντα* unumque pro alio indiſcretè ſumunt Patres. Ideò in poſteriore illius canonis parte dicunt eodem ſenſu *ad communionem admitti*, quo dixerant, reconciliari: Sed in priori parte reconciliatio dicitur ſine Pœnitentiæ impoſitione propter levius peccatum facta; in poſteriore acta legitima Pœnitentia propter gravius peccatum: *Vel ſi alios cognoverint viros, eo quòd mœchatæ ſint, placuit per quinquennii tempora, acta legitima Pœnitentia, admitti eas ad communionem oportere*, Hoc eſt poſt quinquennium reconciliari. Et cùm id dicatur fieri poſt actam legitimam Pœnitentiam, neceſſariò Euchariſtiæ participatio conceditur. Can. 79. Utrumque conjungitur *communioni reconciliari*, & opponitur, *τῷ abſtineri*: Ceſſatio igitur abſtinentiæ eſt communionis reconciliatio. Sic canon 79. *Si quis fidelis alea, id eſt, tabula luſerit, placuit eum abſtineri: Et ſi emendatus ceſſaverit, poſt annum poterit communioni reconciliari.* Canone 78. par omninò oppoſitio, *à communione arceri, &, acta legitima Pœnitentia Dominicæ ſociari communioni.* In priore parte iſtius poſtremi canonis non ſignificat tantùm *communione arceri*, Euchariſtia privari, ſed etiam precibus Euchariſticis, & ad Pœnitentiam redigi. Nam hoc exigit & criminis, de quo queritur, gravitas, & verborum, quibus communionis reſtitutio ſignificatur, neceſſitas; *Si quis fidelis habens uxorem cum Judæa, vel Gentili fuerit mœchatus à communione arceatur. Quòd ſi alius eum detexerit, poſt quinquennium acta legitima Pœnitentia poterit Dominicæ ſociari communioni.* Sicut in canone 79. criminis in fideli levitas demonſtrat per communionem neceſſariò intelligi, aut inferri Euchariſtiam, quidquid ſit de eo, quòd primò, & directè per communionem ſignificetur: Ita idem præſtant in can. 78. Epitheti *legitimè* additio, & Pœnitentiæ legitimè actæ commemoratio.

VI. Eadem identitas, permutatio, & rerum, dictionumque ſynonymia, & ſignificatio manifeſtè admodum colligi mihi videtur ex can. 22. & 59. De eo, qui ad Hæreticos tranſitum fecit, ſed rediit, ita decernunt Patres can. 22. *Decem annis agat Pœnitentiam: Cui poſt decem annos præſtari Communio debet: Si verò Infantes fuerint tranſducti, quòd non ſuo vitio peccaverint, incunctanter recipi debent.* Idem eſt igitur communionem præſtari, ac recipi; incunctanter recipi, & incunctanter communione donari. Evidentius adhuc *cap. 56. Si fuerit fidelis, poſt decem annos acta Pœnitentia recipiatur.* Idem eſt quod ſæpiùs ſic enuntiant, *acta legitima Pœnitentia communio præſtetur*, & can. 67. *poſt decem annos accipiat communionem acta legitima Pœnitentia.* Itaque inutilis eſt in cauſa Pœnitentiæ prioribus illis ſeculis diſtinctio reconciliationis, & communionis Euchariſticæ, ſive Abſolutionis, & Euchariſtiæ, ut ex temporis inter hujus, & illius conceſſionem interjecto Eccleſiæ ſeveritatem, vel clementiam explicemus, aut excuſemus.

VII. Utrumque denique colligi poteſt ex S. Clemente, & canonibus Apoſtolicis. Primùm ex perpetuo ſilentio: nuſquam enim in iis mentio fit poſt abſolutionem Pœnitentibus datam temporis alicujus neceſſarii ad Euchariſtiæ participationem. *Cap. 41. lib. 2.* Conſtitutionum aliquid ampliùs, & non inevidens dicitur, *Ut Ethnicum baptiſmo lotum poſt doctrinam admittis, ſive hunc per manus impoſitionem, &c. Eritque ei loco lavacri manus impoſitio. Si quidem per manuum noſtrarum impoſitionem dabatur Spiritus Sanctus credentibus.* Ultima igitur illa manuum impoſitio, qua peccatorum remiſſio Pœnitentia acta conferebatur, erat eorum ſenſu, & fide alterum baptiſma. Sicut igitur incunctanter baptizato, ut ab omnibus criminibus purgato Confirmatio, & Euchariſtia conferebantur, ſic & Pœnitentiam executo Euchariſtiæ communio.

VIII. Eadem fuit Eccleſiæ Mediolanenſis antiqua conſuetudo, ut mihi evidentiſſimè conſtare videtur ex verbis Sancti Ambroſii *lib. 2. de Pœnitentia cap. 3.* in cujus fine hæc ſcribit, *Sicut ſemel pro omnibus immolatus eſt, ita quotieſcunque peccata donantur, corporis ejus Sacramentum ſumimus, ut per Sanguinem ejus fiat peccatorum remiſſio.* Hæc conſuetudo apud Latinos poſteà revaluit, multiſque obnoxia fuit varietatibus, ut libris ſequentibus explicatur.

IX. Multa alia admodùm evidentia argumenta ejuſdem cauſæ colligi poſſunt ex variis teſtimoniis ſancti Clementis, quæ referuntur *cap. 2.* hujus libri ad probandum tria tantùm pœnarum genera Sanctiſſimos Patres uſurpaſſe; ut etiam ex *cap. 3.* in eundem finem ex canonibus Apoſtolicis. Capite autem 9. varia teſtimonia ex antiquis authoribus Græcis exſcribuntur, quibus demonſtratur, à naſcente Eccleſia ad Montanum uſque pœnas ſceleribus poſitas cùm ſequentibus comparatas admodum fuiſſe breves. Ea teſtimonia ſi tantiſper attendantur, id, quod hoc capite contendimus, evidenter confirmant: Quapropter Lectorem ad ea remittimus. His omnibus accedit, quod licet ſæpiſſimè, in authoribus iſtorum ſeculorum commemoretur poſt actam Pœnitentiam data communio, ſeu reconciliatio, nuſquam tamen aliquod ſpatium intereſſe innuunt, quo poſt reconciliationem præſtetur Euchariſtia; aut ut fit in canonibus Græcorum ſæpè, quo conferatur id, quod bonum, ſeu perfectum eſt: immò ſemper de his rebus, ut ſibi invicem conjunctis, & neceſſariò ſuccedentibus ſermonem faciunt.

CAPUT XXIII.

Tria Excommunicationum, ſive pœnarum genera habent Judæi. In minima Excommunicatione prohibetur ſe lavare, radere, vel tondere, calceatum per urbem incedere, cum aliis conveſci, conſidere, niſi uxor, filii, vel ſervi ſint, conſultationibus, quibus decem homines neceſſarii ſunt, adeſſe: Mortui exequiis ſuæ ris, benedictione, & omni, qui vivis deferri debet, honore privantur. Sepulchrum lapidatur. Quæ Excommunicationis formula, quæ Abſolutionis. Excommunicandi, & abſolvendi auctoritatem non modò penes Synedrium, ſed etiam quoslibet Rabbinos, & principem captivitatis. Rabbinus contemnentem ſe excommunicare poteſt. Quando hoc laudabile. Synedrii in minuenda Excommunicatione ſumma auctoritas. Quorum Excommunicatio rata ſit apud omnes, quorum apud quoſdam. Differentia inter Excommunicationem à Synedrio, & Rabbino latam. In quibus caſibus privatus quiſque excommunicare poteſt.

IIs, quæ de antiquiſſima Chriſtianorum diſciplina in criminibus puniendis obſervata hactenus explicavimus, multa habuere prorſus ſimilia antiquæ Judæorum Synagogæ, quæ JESU CHRISTI Domini noſtri ſeculo, & ſequentibus viguerunt, quæque hactenus ſuperſunt, ut ex antiquiſſimis, recentioribuſque Rabbinorum libris evidentiſſimè colligitur. Paucis ea referemus, & ob lectorum oculos deſcribemus iiſdem, quibus Rabbini ea efferunt, verbis: Perſpicuè enim ſatis ſeſe explicant, ſuoſque mores, & ritus ediſſerunt. Ne lectori tędio ſit oratio mea utriuſque diſciplinæ comparationem hoc capite non inſtituam, cum ipſemet, eorum recordatus, quæ ſupra enarravimus, eam facilè poſſit inſtituere. Judæi pœnas, quibus crimina caſtigant in tria genera dividere ſolent, ſive in tres Excommunicationis ſpecies, aut, ut ipſi loquuntur, in tres ſeparationis ſpecies. Primam, & leviſſimam generico nomine appellant, duas poſteriores, ſpecifico; Licèt quoque nonnunquam nomina iſta permutent, ut infra in locis idoneis explicabitur. Primam ſpeciem vocant Rabbini, נדוי Niddui id eſt, ſeparationem, ſegregationem. Antiqui Græcorum canones, ſed potiſſimùm Apoſtolici, & Clemens Romanus, Verbum è verbo tranſtulerunt, ἀφορισμὸν, & excommunicare, ἀφορίζειν quod eſt propriè נדה ſeparavit, ſegregavit. Hinc frequenter in lege mulier menſtruis immunda dicitur נדה ſeparatio, eo quòd ſit ob hanc immunditiem ab aliis quibuſque ſegreganda. Non ſecùs autem ac Græci primam, & ſecundam Excommunicationis ſpeciem vocant ἀφορισμὸν, & Latini omnes ſpecies Excommunicationis nomine indigitant, ſic & Judæi dicunt verbaliter נדה ſeparare de quacunque Excommunicationis ſpecie, ut in pleriſque teſtimoniis, quæ infra alia in cauſa nobis citanda ſunt, erit manifeſtum.

II. In minima Excommunicatione hæc ab Excommunicato ratione ſui obſervantur, & ab aliis obſervari ſolent, ut refert

Moſes

Digitized by Google

Moſes Cordubenſis *cap.* 7. tractatus Deciſionum doctrinæ legis, מהו המנהג שינהג המנודה בעצמו ושנוהגין עמו מנודה אסור לספר ולכבס כאבל כל ימי נדויו ואין מזמנין עליו ולא בוללין אותו בעשרה לכל דבר שצריך עשרה ולא יושבין עמו בארבע אמות אבל שונה הוא לאחרים ושונים לו ונשכר ושוכר ואם מת בנידוי בית דין שולחין ומניחין אבן על ארונו כלומר שהן רוגמין אותו לפי שהוא מובדל מן הציבור ואין צריך שאין מספידין אותו ואין מלוין את מטתו׳ *Quæ eſt cauſuetuda, & praxis, quam Excommunicatus obſervare ſolet erga ſe, & alii erga ipſum? Prohibitum eſt illi radere ſe, & lavare ſicut in luctu omnibus diebus Excommunicationis ſuæ. Non invitant eum ad convivium; neque recipiunt eum in concilio decem virorum in iis rebus quibus agendis, aut definiendis decem opus eſt adeſſe. Non ſedent cum eo niſi interſtitio facto quatuor cubitorum. Licet tamen ei alios docere, & ab iis doceri, mercede conducitur, & alios conducit. Si autem in Excommunicatione moriatur, domus judicii curat mitti, & poni lapidem ſuper loculum ejus, veluti dicerent, quòd eum lapidant, eo quòd à Congregatione ſit ſeparatus. Neceſſe non eſt addere quod eum mortuum non plangant, neque ejus feretrum deducant.* Hæc de minima Excommunicatione, quam Niddui vocat: ſtatim enim ſubiicit, יותר עליו המוחרם׳ Præter iſta Excommunicatus Excommunicatione חרם Cherem his obligatur, &c. quæ referemus infra. Quod ſpatium quatuor cubitorum interponant Judæi inter ſe, & Excommunicatum, id immunditiei cauſa faciunt. Non enim illis licet in loco immundo, aut graveolente legi, vel orationi vacare, ſed ab eo loco quatuor cubitis ſecedere jubentur, ut teſtatur author Reſith Cochma *in fine capitis* 2. *de Penitentia*. Pari ſpatio Excommunicatum, ut immundum, à ſe removent.

III. R. Jacob Bahal Hatturim in Libro Jore deah in Deciſionibus Niddui, & Cherem numero ſeu *ſectione* 334 nonnulla addit, aut clarius explicat, וזה דין המנודה והמוחרם אין אוכלים ושותין עמו ואין יושבים בד׳ אמותיו חוץ מאשתו ובניו ובני ביתו שמותרין לישב עמו ואין מזמנין עליו ואין בוללין אותו לכל דבר שצריך עשר ואסור בתספורת כאבל׳ *Hoc eſt ſtatutum Excommunicati, & maledicti: Non manducatur, aut bibitur cum eo, neque aſſident ei, niſi diſtent quatuor cubitis præter uxorem, & filios, & vernaculos, quibus ipſi aſſidere licet. Non condiunt ei, nec invitant, aut admittunt ad actionem, aut deciſionem rei, quæ homines decem requirit. Prohibetur quoque illi tondere ſe, ut in luctu.*

IV. Nonnulla poſteà refert, de quibus Rabbini diſputant, an ſint ſimplici Excommunicatione innodatis licita, aut prohibita, quæ huc mihi videntur referenda, ut quæ ſit eorum hac in cauſa praxis lectori innoteſcat, ומבעיא אם חייב בקריע ובעטיפת הראש ובכפיית המטה ואם אסור ברחיצה ובסיכה ובתשמיש המטה ואם מותר בתפילין ובשאלת שלום ולא אפשיטא ויש אוסרים דאזלינן בהו לחומרא כיון דלא אפשיטא ורב אלפס פסק לקולא ולזה הסכים אדוני אבי הרא״ש ז״ל ולכול עלמא מותר לדבר עמו ובנעולת הסנדל כתב רב אלפס שהוא מותר והרא״בד כתב שהוא אסור וכן היא מסקנת א״א הרא״ש ז״ל׳ *Quæritur autem an Excommunicatus teneatur, ad veſtium dilacerationem, & caput obnubendum, & ad incurvationem baculi. Item an prohibita ſunt, lavatio, unctio, & cum uxore congreſſus. Item an licitum ſit uti Tephilin, & ſalutatione. Hæc non ſunt certa, & deciſa. Nonnulli dicunt ideò inclinandum eſſe, & eundum in duriorem, & ſeveriorem partem: R. tamen Alphes leviorem, & faciliorem definivit, & in eo conſentit pater meus R. Aſer felicis memoriæ. Sed toti mundo, ſive cuilibet, licitum eſt cum eo colloqui. Quod ad calceationem attinet R. Alphes ſcripſit licitam eſſe: Verum R. Abraham Ben David eam probibet, & hæc erat ſententia Domini mei, & Patris R. Aſer felicis memoriæ.* Videbimus poſteà hoc poſtremùm à multis diſtingui, licitum Excommunicato per campos calceatum incedere, non per urbem, בפיית המטה׳ quod tranſtulimus incurvationem baculi, ſive inflexionem ſuper baculum, coniicimus, Excommunicatum aliquando apud eos, veſte mutata, baculo innixum incedere ſolitum. Monent enim Rabbini quemcumque, ut demiſſo capite incedat, ne gloriam Dei lædat ſuper ipſum inſidentem. Cui hæc tranſlatio non placuerit, commodiorem quærat.

V. Aliquando poſt addit eodem loco R. Jacob, מנודה שמת בית דין סוקלין את ארונו לא שיעשו עליו כל בגלו של עבן אלא בית דין שולחין ומניחין אבן על ארונו ללמוד שבל המתנדה ומת בנידוי בית דין סוקלין את ארונו ואע״ף שאהרן לאכול ולשתות עם המנודה מכול מקום האוכל ושותה עמו אין לו דין מנודה׳ *Excommunicati in Excommunicatione mortui feretrum Judices lapidant, non quod imponant ei lapidum tumulum, ut Acani factum eſt, ſed mittunt aliquem, qui feretro ejus lapidem imponat, ut te doceant, quod omnem excommunicatum, & in excommunicatione ſua mortuum lapidatione in feretro Judices dignum cenſent. Quanquam autem prohibitum ſit edere, & bibere cum Excommunicato, nihilominus edens, & bibens cum ipſo non eſt excommunicatus, nec mulctatur excommunicatorum pœnis.*

VI. R. Moſes Bar Nachman, de hac re agens in libro תורת אדם׳ inſcripto, lex hominis, ea ſcribit, quæ hic videntur addenda, אין יושבים בד׳ אמותיו אין עושין לו שורה ואין מברכין עליו ברכת אבלים ותנחומי אבלים שכל שהוא בבוד לחיים אין עושין לאבל מנודה וכן יראה לי במנודה שמת שדינו כמאבד עצמו ואין קורעים ולא חולצים ולא מספידין עליו שאין עושין לו כבוד ולא עוד אלא שמבזים אותו כדאמרינן שסוקלין את ארונו׳ *Non ſedent niſi quatuor cubitis remoti, non admittunt eos, in ſeriem, nec benedictionem ſuper lugentes fieri ſelitam ſuper eos recitant, nec lugentium conſolationes, eo quòd nihil eorum, quæ fiunt ad honorem vivorum in Excommunicatorum luctu faciunt. Atque ita videtur mihi, quòd ſit eadem ratio Excommunicati mortui, & illius, qui ſeipſum perdidit. Neque veſtes ſuper eum lacerant, nec jus habent uxorem fratris mortui ducendi, nec ſuper eum plangitur, eo quòd nullo honore eum dignantur. Nec hoc tantùm, ſed eum contemnunt, ſicut dicitur, quòd feretrum ejus lapidant, &c.*

VII. Formula Excommunicationis apud eos brevis eſt, & ſententiæ Judicum civilium omninò ſimilis. Moſes Cordubenſis *cap.* 7. libri jam citati iſtius ſententiæ tam contra præſentem, quàm contra abſentem pronunciatæ ἀπόδειγμα nobis exhibet, וכיצד הוא הנדוי אומרים פלוני יהיה בשמתה ואם נדהו בפניו אומרים לו פלוני זה בשמתה והחרם אומ׳ פלוני מוחרם וארור בו אלה בו שבועה בו נידוי׳ *Quomodo autem fertur Excommunicatio? dicunt, Talis ſit in Schamatha. Si verò præſentem excommunicant, dicunt ei, Hic talis ſit in Schamatha. In Cherem autem ſive anathemate, dicunt, Talis anathematizatus eſto, & maledictus: In eo eſt execratio, & juramentum, & ſeparatio.* Videtur planè Maimonides Nidui, & Schamatham confundere, tantùm abeſt, ut Schamatham omnium Excommunicationum graviſſimam cenſeat. Hoc notavit Bahal Hatturim initio ejuſdem tractatus, non tantùm de ſua, ſed etiam de mente R. Abraham Ben David Relatis enim Maimonidis verbis ſubiicit, והרא״בד כתב שאין אומרים בשמתא יהא שהוא חמור יותר מן נדוי אלא אומר בנדוי יהא ואם נראה לבית דין להחמיר עליו מפני גודל חטאו אומרים ארור והיינו שמתא שיש בו נדוי וקללה׳ *Sed R. Abraham Ben David ſcribit non eſſe dicendum, ſit in Schamatha, quoniam multò gravior eſt, quàm Nidui, ſed ſit in Nidui. Si autem viſum fuerit Concilio Judicum propter peccati magnitudinem aggravare excommunicationem dicunt, maledictus eſt; tuncque eſt Schamatha, quando ſcilicet Excommunicationi juncta eſt maledictio.* Clarius adhuc R. Joſeph Caro in ampliſſimis gloſſis ſuper Arba Turim ad hunc locum ex ſua, ejuſdem Ben David, & R. Aſer ſententia, בפרק אלו מגלחין כתב הרא״ש בשם הרא״בד הכל תלוי בדעת בית דין לטעם ולהרבות בימי נידוי ולהוסיף על הנדוי ממעשה דברק דשמתיה למרוז דכתיב אורו מרוז שהוא נדוי וקללה כי בלשון ארור יש נדוי וקללה מאי שמתא שם מיתא ושממה יהא נדוי להודיה אין בו קללה אלא אומר בנדוי יהא ובלשון ארור יש נידוי וקללה כדאיתא בפ׳ שבועת העדות׳ אלו מגלחין׳ *Scribit R. Aſer in caput; ex ſententia R. Abraham Ben David hoc omne pendere à ſententia Judicum, minuere ſcilicet, vel ampliare dies Excommunicationis, & addere aliquid ſupra illam. Hoc autem ſumptum eſt ex facto Barac, qui Schamatizavit Meroz, ut ſcribitur Judic.* 5.23. *Maledicite Meroz quod complectitur excommunicationem, & maledictionem, quoniam in ſignificatione* ארור *ineſt Excommunicatio, & maledictio. Quid igitur eſt Schamatha? mors: Excommunicatio verò erit tantùm deſolatio; non eſt in ea maledictio. Ideò dicitur, ſit in Nidui. At in ſignificatione Arur, ineſt Excommunicatio, & maledictio, ut refertur in capite Schebuot Haheduth.* Hæc ad demonſtrationem diſtinctionis Schamathæ à Nidui ſufficiant. Infra pluribus de hac diſtinctione diſſeremus.

VIII. Brevis etiam eſt apud eos, Abſolutionis formula: Sic eam loco citato nobis repræſentat Moſes, וכיצד מתירין הנידוי או החרם אומרים לו שרוי לך ומחול לך ואם התירוהו שלא בפניו אומרים פלוני שרוי לו ומחול לו׳ *Quomodo ſolvunt Excommunicationem, aut anathema? dicunt ei, dimiſſum eſt tibi, parcitum eſt tibi. Si ſolvunt Abſentem, dicunt, Tali, dimiſſum eſt illi, & parcitum eſt illi.* Eadem, & iiſdem verbis Bahal Hatturim eodem tractatu, ſed addit ejus Commentator Joſeph Karo, & obſervationibus R. Mardochai in tractatum Talmudicum Mohed Katon. בתוב שדרו ממתיבתא מי שבקשו להתיר לו הנדוי יאמר כך פלוני איחייב שמתא בי דינא ואשתמית וקביל דיניה חדרית׳ ודינא דרבנן השתא שרי ושביק ליה מאן דאמר למשה סלחתי ברבריך הוא ישרי וישבוק ליה עכ״ל תשובת הגאונים׳ *Scriptum miſerunt, è Schola illis ſcilicet, qui deſiderant aliquem*

quem

Digitized by Google

quem ab Excommunicatione ſolvere, ſic eſſe dicendum: Talis tenetur Excommunicatione Schammatha domus judicii, excommunicatus eſt, & ſuſcepit judicium legis, & judicium Rabbanim. Nunc ſolvat illum, & parcat ei, qui dixit Moſi, peperci ſecundùm verbum tuum, ipſe ſolvet eum, & parcet ei. Haſtenus reſponſum Gheonim. Ita cenſet Excommunicationem eſſe ſolvendam tota Magnatum Rabbinicorum ſchola.

IX. Plurimùm diffunditur apud Judæos excommunicandi auctoritas: Non enim tantùm hanc auctoritatem ſibi uſurpant Judices Ordinarii, quorum cœtum vocare ſolent domum judicii, verùmetiam Rabbinus quilibet ad auctoritatem Rabbinicam promotus, cùm ab aliquo contemnitur: Hanc prærogativam ſibi tribuunt Judæorum Magiſtri. Nec illi tantùm, ſed quilibet hanc auctoritatem ſibi uſurpat in manifeſta legis, & traditionum prævaricatione: Etiam mulieres in eadem cauſa id ſibi aliquando arrogant. Sed præ cæteris viget certis in caſibus auctoritas illius, quem vocant captivitatis Principem. Iſtius diſciplinæ exordia cœperunt aliquot ante Chriſtum annis, ſed poſt templum dirutum plurimùm aucta eſt, & in certam formam redacta. Cùm enim eſſent in varias orbis regiones diſperſi, legibuſque propriis regerentur, nullos alios, ſicut & nunc, Judices habuerunt, quàm legis ſuæ Doctores; nec diſtinxerunt; ut in terra Iſraelis, Sacerdotes à Judicibus, & populi principibus, quod etiam poſtmodum deleto templo in terra Iſraelis obtinuit. Præcipua iſtius confuſionis cauſa fuit illis ſacrificiorum poſt deletum templum ceſſatio, quæ Sacerdotalis, & Leviticæ dignitatis neceſſitatem abrogavit, & ſcientiæ tantùm, quæ quibuſlibet hominibus, etiam mulieribus competere poteſt, neceſſitatem induxit. Itaque longo ante templum deletum tempore Eccleſiaſticæ juriſdictioni extra terram Juda temporalis conjuncta eſt, & poſt deletum templum ubique terrarum ad quas Judaicæ gentis diſperſio pervenit. Eadem fuit Chriſtianorum ratio vigentibus perſecutionibus, ut libri primi capite 9. explicatum eſt. Non eſt hujus loci pœnitius in Judæorum politiam Eccleſiaſticam, & civilem inquirere: Nunc nobis ſatis eſt varias, quas in ſontes exercent pœnas generatim enarrare.

X. Sic de hac re ſancit Moſes Cordubenſis tractatus citati c.6. המבזה את החכמים אין לו חלק לעולם הבא אם באו עדים שבזהו אפילו בדברים חייב נדוי ומנדים אותו ב"ד ברבים וקונסין אותו ליטרא זהב בכל מקום ונותנין אותו לחכם והמבזה את החכם בדברים אפילו לאחר מיתה מנדין אותו בית דין והם מתירין אותו כשיחזור בתשובה אבל אם היה החכם חי אין מתירין אותו עד שירצה זה שנדוהו בשבילו. *Qui contemnit ſapientes, partem non habet in ſeculo futuro. Si veniant teſtes affirmantes ſapientem ab aliquo contemptum eſſe, vel verbis reus eſt excommunicationis, domuſque judicii excommunicat publicè, & condemnat ad litram auri ubique, quam ſapienti tradunt. Qui etiam contemnit ſapientem verbis vel poſt mortem, excommunicat quoque eum domus judicii, eum quoque abſolvunt, quum ipſum pœnituerit: ſed dum vivit ſapiens, non abſolvunt eum, donec placaverit eum, cujus cauſa excommunicatus eſt.*

XI. Sic & Bahal Hatturim non longè ab initio tract. jam citati, ואם רצו בית דין למעט הנידוי פחות משלשים יום או להוסיף עליו הרשות בידם למעט או להוסיף סוף דבר כפי מה שקצבו זמן הנדוי כך הוא וכשיגיע הזמן מתירין לו אם ירצו אף אם לא יחזור בו ומ"מ טוב שלא יתירו לו אם לא יחזור בו שלא תתמעט יראתם ואם ירצו בית דין להחמיר עליו עוד ולהחרימו שהוא חמור יותר כפרישית הרשות בידם ואפילו המוחרם האוכל ושותה עמו אינו מוחרם ואם ירצו בית דין להחמיר עליו יותר לפי שראו בו קושי האיסור והעברה מחמירין גם האוכל ושותה עמו והיושב בד' אמותיו. *Si placuerit domus judicii Excommunicationis tempus minùs quàm triginta dierum judicere, aut ei aliquid addere, in ipſius eſt poteſtate. In ſumma, quomodo definierint tempus Excommunicationis tale erit. Cùm autem advenerit tempus definitum, ſi illis ita placuerit, ipſum abſolvunt, licèt ad eum non redierit. Attamen bonum eſt, ut eum non abſolvant Judices niſi poſt reditum, hoc eſt, poſt Pœnitentiam, ut non minuatur reverentia ipſis debita. Præterea ſi voluerit domus judicii aggravare ipſius excommunicationem, & ipſi anathema dicere quod multò gravius eſt, ut jam explicavi, in ipſius eſt poteſtate. Et quanquam converſcens cum anathematizato non ſit anathema, tamen ſi placuerit domui judicii ampliùs aggravare Excommunicationem prout viderint, in eo gravitatem, & difficultatem rei prohibitæ, & tranſgreſſionis illiuſque, in ea pertinaciam anathematizant quoque cum eo converſcentem, atque etiam à quatuor cubitis ſedentem.* Quæ fuerit auctoritas Judicum Judaicorum in diſpoſitione gentium, ex dictis liquere ſatis mihi videtur.

XII. Jus non diſſimile ſibi tribuunt quicunque Rabbini Doctoratus laurea donati, quos propriè Rabbinos, & ſapientes vocare ſolent. Moſes Cordubenſis ſtatim poſt verba ſuperius citata, וכן החכם עצמו מנדה לכבודו לעם הארץ שהפקיר בו ואין צריך לו עדים ולא התראה ואין מתירין לו עד שירצה את החכם ואם מת החכם באין שלשה ומתירין לו ואם רצה החכם למחול לו ולא נדהו הרשות בידו: הרב שנידה לכבודו כל תלמידיו חייבין לנהוג נדוי במנודה אבל תלמיד שנדה לכבוד עצמו אין הרב חייב לנהוג בו נדוי אבל כל העם חייבים לנהוג בו נידוי וכן מנודה לנשיא מנודה לכל ישראל מנודה לכל ישראל אינו מנודה לנשיא מנודה לעירו מנודה לעיר אחרת מנודה לעיר אחרת אינו מנודה לעירו: *Sic etiam ſapiens ipſemet excommunicat propter gloriam, & famam ſuam populum terræ, qui eum injuria affecit, nec opus eſt ipſi teſtibus nec monitione, nec abſolvitur, antequam ſapientem placaverit. Quòd ſi ſapiens obierit, tres eum abſolvant. Quòd ſi voluerit ſapiens ei parcere, & non excommunicare, eſt in ejus poteſtate, cùm Rabbinus excommunicavit aliquem propter gloriam ſuam, omnes diſcipuli ejus tenentur obſervare Excommunicationem in excommunicatum. Verùm cum diſcipulus propter ſui ipſius honorem, & famam excommunicavit, non eſt obligatus Rabbinus ad obſervationem excommunicationis ipſius: ſed omnis populus eſt obligatus ad illius obſervationem. Sic excommunicatus à Principe, excommunicatus eſt univerſo Iſraeli; ſed excommunicatus univerſo Iſraeli, non eſt excommunicatus principi. Excommunicatus urbi ſuæ eſt Excommunicatus alienæ; ſed Excommunicatus alienæ urbi, non eſt Excommunicatus ſuæ.*

XIII. Eadem Bahal Hatturim Jore deah *ſectione* 334. Addit Excommunicatum urbi ſuæ, eſſe Excommunicatum alienæ etiamſi major ſit; & excommunicatum alienæ urbi eſſe excommunicatum aliis urbibus æqualibus, & minoribus. Sed non videtur prætereundum, quod adnotat Joſeph Karo ex R. Scheſath, כתב הרי"בש בתשובה ז"ל מה שצוו לו הנאמנים שלא יצא מן העיר בכח חרם ונדוי ועבר וברח אחר שהם לא פרסמוהו ולא הכריזו עליו אין לנהוג בו נדוי במנודה לעירו כי כן נהגו שלא לנהוג נדוי על העובר על גזירתם בכח נדוי עד שיכריזו עליו: *Scripſit R. Iſaac Bar Scheſath in libro de Pœnitentia hæc verba, Quid quod præcipiunt auctores certi, & fideles, ut non egrediatur è civitate in virtute anathematis, & excommunicationis? Si tranſgreſſus eſt, & fugit, antequam publicaverint, & excommunicationem in eum promulgaverint, non eſt obſervanda in eum excommunicatio in urbe ſua: ſic enim fert conſuetudo, ut non obſervetur excommunicatio in tranſgredientem decretum eorum virtute Excommunicationis, donec eam promulgaverint.* Itaque Excommunicatio, ut leges, ab ejus publicatione vim tantùm obtinet. Quomodo enim obſervari poteſt, ſi incerta eſt? multò minus ſi incognita. Ex iis autem, quæ paulò ante dixerat Bahal Hatturim videntur hæc tantum intelligenda de actionibus realibus, pecuniariis ſcilicet, & ſimilibus, & perſonalibus quæ Magiſtrorum honorem, & decus ſpectant. Sic enim ſcribit, ואם נדה התלמיד על דבר איסור הוא מנודה גם לרב וכן כל מי שנדה על דבר איסור אין לזלזל בנדויו ואין להתיר לו עד שיחזור בתשובה מהדבר שנדוהו בשבילו וכו' *Si excommunicaverit aliquem diſcipulus propter rem prohibitam, excommunicatus etiam erit ille Magiſtro. Eadem quoque ratione nullus excommunicatus propter rem prohibitam contemnet Excommunicationem ſuam, neque abſolvi poterit, donec cum pœnitentia reverſus fuerit, & facti, propter quod excommunicatus eſt, pœnituerit.*

XIV. Digna eſt ſcitu Moſis animadverſio, אע"ף שיש רשות לחכם לנדות לכבודו אינו שבח לתלמיד חכם להנהיג עצמו בדבר זה אלא מעלים אזניו מדברי עם הארץ ולא ישית לבו להן כענין שאמר שלמה בחכמתו גם לכל הדברים אשר ידברו אל תתן לבך וכן היה דרך חסידים הראשונים שומעים חרפתם אינן משיבין ולא עוד אלא שמוחלים למחרף וסולחים לו וחכמים גדולים היו משתבחים במעשיהם הנאים ואומרים שמעולם לא נידו אדם ולא החרימוהו לכבודן וזו היא דרכן של תלמידי חכמים שראוי לילך בה בד"א כשבזהו או חרפוהו בסתר אבל תלמיד חכם שבזהו או חרפו אדם בפרהסיא אסור לו למחול לו על כבודו ואם מחל נענש שזה בזיון תורה: *Quanquam facultas ſapienti conceſſa ſit excommunicandi propter gloriam ſuam, non eſt tamen laudabile diſcipulo Sapientis aſſueſacere ſeipſum huic rei, ſed occludere debet aures ſuas rumoribus plebis, & iis animum ſuum non applicare, ut monet Salomon in Sapientia ſua, omnibus verbis, quæ dicunt, ne apponas cor tuum. Sic faciebant ſancti priores, audiebant opprobria ſua, & non reſpondebant: nec hoc tantùm, ſed parcebant exprobranti, & remittebant ei. Et nonnulli Sapientes magni laudati ſunt propter opera ſua præclara, qui dicebant, quòd neminem unquam excommunicaverant, nec anathematizaverant propter læſam gloriam, & famam ſuam: atque hæc eſt via, ſecundùm quam incedere decet ſapientum diſcipulos.*

Digitized by Google

pulos. Sed hoc ſic eſt intelligendum, cùm videlicet contemnuntur, & opprobrio afficiuntur clanculum: ſed diſcipulo ſapientis prohibitum eſt propter gloriam ſuam parcere ei, qui publicè eum contemnit, & probris afficit. Quòd ſi pepercerit, punitur eo quòd hoc in legis contemptum vergat.

XV. Eadem præcepta tradit auctor libri Chaſidim *num.* 4. אמרו כל השומע הזכרה מפי חבירו צריך לנדותו ואם לא נדהו הוא עצמו כנדוי ומעשה בחסיד אחד שהיה יושב בבית חופה ושמע אחד מן המשור רים בתהלות היה מזכיר את ה׳ בשירו לידו״ן ד״י והיה אותו חסיד מנדהו על כל פעם ופעם וגם שדים אינם מזכירים שם שמים לבטלה כדאי׳ במגילה׳ *Dicunt ſapientes, Quicunque audit commemorationem nominis divini ab ore proximi ſui, neceſſe eſt, ut eum excommunicet: Si eum non excommunicat, ipſe eſt in Excommunicatione. Refertur hiſtoria cujuſdam ſancti, qui cùm verſaretur in domo Nuptiarum, audivit quendam è cantoribus commemorantem nomen Dei cantione ſua. Sanctus ille ipſum excommunicabat, quoties illud pronunciabat. Immò Dæmones ipſi nomen Dei in vanum non commemorant, ut refertur in tractatu Meghilla.* Dictiones illæ punctatæ ſunt propriæ regionis, in qua vivebat Rabbinus ille. Videtur omninò Gallus fuiſſe, aut in Gallia vixiſſe. Quæ enim, בלעז ſive barbarè refert, Gallica ſunt, obſoleta quidem nunc, ſed intellectu facilia. *Numero* 3. docet juſti nomen nunquam eſſe ſine benedictione nominandum, & multò magis nomen Dei, ſive Hebraicè pronuntietur, ſive barbarè. Euphemiæ barbaræ dat ſpecimen, שי״ש בנור״ם׳ אישי״ם לואו״ין׳ *ſes bnit, & ſet lovia*, ſit benedictum, & laudatum. Et iterum eodem *numero*. בו״ן יו״רא אים״יל אווי אגוס״רא שי״רא׳ *Bon jour eſt-il huy à noſtre Sire.* Verba in textu citata, *Lo Doven Rē*, Decanum, ſive Dominum Regem ſignificant.

XVI. Numero verò, ſive capite ſexageſimo alia pleraque jam dicta confirmat, & illuſtrat, אע״פ שיש רשות לתלמיד חכם לנדות לכבודו אינו שבח לתלמידי חכמים להיות נוהג בדבר הזה כי אם להעלים עיניו מעיני עם הארץ וכן אמר שלמה בחכמתו גם אל כל הדברים אשר ידברו אל תתן לבך וכן היה דרך החסידים הראשונים היו שומעים חרפתם ואינם משיבים ולא עוד אלא שמוחלים למחרף וחכמים גדולים משתבחים במעשיהם הנאים ואומרים שמעולם לא נידו ולא החרימו לכבודם וזו דרכם של תלמידי חכמים הראוים לשתוק כשיבוהו או יחרפוהו בסתר אבל תלמיד חכמים שביזהו או חרפוהו בפרהסיא אסור לו למחול על כבודו ואם מחל הוא נענש מפני שהוא בזיון התורה אלא נוקם ונוטר בנחש עד שיבקש מחילה ממנו׳ *Licèt Diſcipulus Sapientis auctoritatem habeat excommunicandi propter gloriam ſuam, non eſt tamen in eo laudabile aſſueſacere ſe huic rei: Immò oculos ſuos avertere debet, & abſcondere ab oculis populi terræ. Sic enim in ſapientia ſua dixit Salomon, ne apponas cor tuum ad ea omnia, quæ loquentur. Hæc fuit conſuetudo Sanctorum priorum: Audiebant injurias, & opprobria in ſe conjecta, nihilque reſpondebant. Nec hoc tantùm, ſed probra, & contumelias inferenti parcebant. Sapientes etiam magni, & laudati propter præclara opera ſua dicebant, & jactabant ſe, quod neminem unquam excommunicaverant, neque anathematizaverant propter gloriæ propriæ vindictam. Hic igitur mos Diſcipulos Sapientum decet, tacere cùm contemnuntur, aut probris clanculum afficiuntur. Verùm ſi qui publicè contemnuntur, aut probris afficiuntur, illis prohibitum eſt parcere propter gloriam ſuam ſic contemptam. Quòd ſi quis tum pepercerit, punitur, eo quòd ſit legis ipſius contemptus. Ideò vindictam ab eo ſumet, & eum obſervabit, ut ſerpentem, donec veniam ab eo petierit.*

XVII. Non abs re percontaberis, Num diſcrimen aliquod faciunt inter utriuſque Excommunicationis effectus, hoc eſt, inter eam, quæ à Concilio Judicum alicujus urbis, & eam, quæ ab uno aliquo Sapiente pronuntiatur? Magnum ſanè. Hoc explicat eodem tract. Bahal Hatturim ex ſua, & R. Abraham ſententia his verbis, כתב הר״אבד הא דאמרינן במנודה סתם שהוא אסור כדיני המנודה הינו במנודה לבית דין שהוא מנודה לכל אדם בין דלא אתי לבי דינא או דלא צייח דינא או לאפיקורותא או לדבר עבירה דכיון שנידוהו בית דין נדהו לכל אדם דינו שוה בין לעירו בין לעיר אחרת אבל מנודה להצנעת כגון תלמיד שנדה לכבודו וכן מנודה לעיר אחרת שנדהו לכבודו כיון שאינו מנודה לכל אינו אסור בכל דין המנודה אלא שבני אדם מרחיקין אותו כדי לביישו אבל אבלות אין עליו שאין אבלות לנזופין׳ *Scripſit R. Abraham Ben Dior, hoc quod dicunt Doctores de Excommunicato ſimpliciter, prohiberi ab iis, quæ Excommunicatis prohiberi ſolent: hoc intelligendum duntaxat de eo, qui excommunicatus eſt à domo Judicii, eo quòd ſit excommunicatus omni homini, ſive quod non comparuerit in domo Judicii, ſive quod Judicatum non fecerit, & actori ab ſatisfecerit, vel propter contumaciam, & projectam animi protervitatem, aut propter aliquam aliam iniquitatem. Nam cùm excommunicat eum domus Judicii, excommunicat eum omni homini, & æqua ratio eſt civitatis ſuæ, & alienæ. Sed Excommunicatus dimidiatè, Veluti cum diſcipulus excommunicavit aliquem propter gloriam ſuam conſervandam: Sic excommunicatus ab alia urbe, quem excommunicavit propter gloriam ſuam, cùm non ſit omnibus excommunicatus, non prohibetur ab omnibus, à quibus arceri ſolet Excommunicatus; ſed homines illum tantùm à ſe removeant, ut pudore afficiant; luctus tamen ſuper eum non eſt, quia dimidiatè Excommunicati lugere non ſolent.* Hoc confirmat Joſeph Karo, idemque ſcribere, & ſentire ait R. Aſer inſignem apud eos Talmudicis Gloſſatorem.

XVIII. Alia eſt apud Judæos privatis excommunicandi attributa poteſtas, de qua quis mirari poſſit: Non enim ſapientum, aut Rabbinorum eſt propria, ſed plebejorum, & quarumcunque perſonarum. Sic hoc explicat idem auctor ad finem ejuſdem tractat. השומע הזכרת השם מחבירו צריך לנדותו ויכול להתיר לו מיד ואם לא נדהו הוא עצמו חייב נדוי וכתב בספר המצות בד״א במזיד אבל בשוג׳ שאינו יודע שהוא אסור אין לו לנדותו והרמ״בם כתב אם הוא שנגב אין לנדותו אלא מזהירו שלא לשנות בכך׳ הרואה חבירו שאכל ספירותיו ואומר יהא בנדוי והשיב לו אדרבה הוא יהא בנדוי נדוי של השני הוא נדוי ולא של הראשון וכן כל כיוצא בזה כל כיוצא בזה כל המנודה חברו שלא כדין ואמר השני אדרבא אבל אם קודם שלקה ספיצותיו התרה בו ולא שמע לו ונדהו נדוי נדוי שבדין נדהו׳ *Neceſſe eſt, eum, qui audierit nomen divinum à proximo ſuo pronuntiari, pronuntiantem excommunicare. Poteſt etiam ſtatim eum abſolvere. Quòd ſi eum non excommunicaverit, ipſe Excommunicationis reus eſt. Scribitur autem in libro præceptorum hoc eſſe intelligendum de peccante per ſuperbiam, & protervìam, ſed non eſſe excommunicandum eum, qui id fecit per errorem neſciens hoc eſſe prohibitum. Scripſit quoque Moſes Ben Maimon, ſi errans id faciat, non eſſe excommunicandum, ſed admonendum, ne hoc iteret. Qui videt proximum ſuum de fructibus ſuis comedentem, quique dicit illi, eſto excommunicatus. Ipſe verò regerit, contra, Ipſe eſto excommunicatus: Excommunicatio poſterioris eſt excommunicatio, non autem prioris, & ſic in omnibus ſimilibus, ubi quis excommunicat ſocium non ſicut oportet, & ſecundus ſeſe opponit. At ſi antequam de fructibus ejus acceperit, eum monuerit, & non obaudientem excommunicaverit, juridica excommunicatione eum ligavit.* Non explicant Rabbini, illi quouſque ſeſe diffundat illa Excommunicatio; nec hoc in longis ſuis commentationibus præſtat Joſeph Caro; addit tantum, ne totus mundus ſit in Excommunicatione hoc eſſe, ut ait Moſes, de contemptore ſuperbo intelligendum, & inſuper neceſſe, ut excommunicatus à ſe excommunicatum cito ſolvat, כדי שלא יהא מכשול לאחרים *ut non ſit aliis offendiculum*. Deinde cum ex verbis alterius Rabbini dixiſſet audientem in vanum jurantem per imprudentiam, non eſſe ad illius Excommunicationem obligatum, quaſi non ſatis emphaticè locutus fuiſſet, addit, ואני אומר אסור מנדותו לא ענש הכתוב שוגג אלא מזהירה כד שלא יחזור׳ *Ego verò dico prohiberi eum excommunicare; non punit ſcriptura imprudenter errantem, ſed admonet eum, & exhortatur, ut peccatum non iteret.* Itaque hæc excommunicatio privatorum, licèt ita loquantur Rabbini, non videtur propriè excommunicatio, ſed admonitio tantum rem hanc eſſe cum excommunicatione prohibitam, & excommunicationem latæ ſententiæ eum, qui hoc ſecerit, præſertim admonitum, incurrere, cujus declarandæ, & promulgandæ privatis concedunt facultatem.

CAPUT XXIV.

Qui poſſunt abſolvere, & quot ad id requiruntur. A pluribus Excommunicatus à tot idem abſolvi debet. Quiſnam poteſt ſeipſum excommunicare, & abſolvere. Princeps, pater Synedrii, & Rabbini publicè non excommunicantur, ſed privatim ſalvo honore caſtigari poſſunt, niſi ut Jeroboam peccent. Qualis ſit percuſſio rebellium, & quatenus differat à percuſſione legali 40. plagarum. Quando ad Excommunicationem neceſſaria eſt trina monitio, quando non. Quibus diebus fiunt monitiones, & dierum ratio. Ordinaria Excommunicationis duratio triginta eſt dierum. Si non reſipiſcit, iterùm excommunicatur, & ſexageſimo die non reſipiſcens anathematizatur. Synedrium his legibus non tenetur, ſed ex æquo, & bono hæc agit.

ANntequam duas alias Excommunicationis ſpecies explicare aggrediamur, cæteras Excommunicationis generales conditiones perſequemur, quæ non modò *qui*, נידוי, minimæ excommunicationi, verùm etiam duabus aliis ſpecies conveniunt, & nonnunquam magis his poſterioribus quàm primæ. Formam Abſolutionis capite præcedente docuimus, ſed quis poſſit abſolvere, non eſt explicatum. Longè alio modo de his rebus philoſophantur quàm Chriſtiani: ſed eos audiamus. Moſes Cordubenſis. בכמה מתירין הנידוי או החרם בשלשה׳

Digitized by Google

בשלשה אפילו הדיוטות ויחיד מומחה מתיר הנדוי או החרם לבדו ויש לתלמיד להתיר הנדוי או החרם ואפי' במקום הרב׃ *Cum quantis ſolvitur Excommunicatio, Nidui, & Cherem? cum tribus, licèt Idiotæ ſint, ſive homines privati. Unus tamen, modò ſit probatus, & excellens, ſolvit ſolus utramque Excommunicationem. Idquoque poteſt diſcipulus, etiam loco Magiſtri.* Notandum, cùm dicunt, diſcipulus hoc facere poteſt, &c. Eos non intelligere adoleſcentes quos vulgò Scholaſticos vocamus, ſed viros apud eos doctoratu, ſeu Rabbinatu præditos, quorum Magiſtri, ſive præceptores vivunt, quos maximis honoribus diſcipuli illi proſequi debent; de quibus honoribus velut de traditionibus Moſi in Monte Sinai traditis plures edunt libellos. Sæpe etiam ſimpliciter, & abſolutè nullo ad Magiſtros habito reſpectu ipſos Sapientes, ſive Rabbinos per modeſtiam Sapientum diſcipulos vocant, ut poſteriores Græcorum Sapientes ſeſe Sapientiæ amatores nuncuparunt.

II. Alias hypotheſes ſubjungit Moſes à noſtro uſu magis abhorrentes, ג' שנידו והלכו להן וחזר זה מדבר שנדוהו בגללו באין שלשה אחרים ומתירין לו׃ מי שלא ידע מי שנידהו ילך לו אצל הנשיא ויתיר לו נדויו׃ נדוי על תנאי אפילו על פי עצמו צריך הפרה׃ תלמיד חכם שנדה ואפילו נידה עצמו על דעת פלוני ואפילו על דבר שחייב עליו נדוי הרי זה מיפר לעצמו מי שנידוהו בחלום אפילו ידע מי נדהו צריך עשרה בני אדם ששונין הלכות להתירו מנידויו ואם לא מצא מודה אחריהם עד פרסה לא מצא מתירין לו מי שיודעים לקרות בתורה לא מצא מתירין לו אפילו עשרה שאינן יודעין לקרות לא מצא במקומו עשר׳ מתירין לו אפי לו ג׳׃ *Tres excommunicaverunt, & abierunt, & excommunicatus converſus eſt ab opere, propter quod eum excommunicaverant: Veniunt tres alii, & eum ſolvunt. Qui neſcit, qui ipſum excommunicaverunt, accedit ad principem captivitatis, & ſolvit ejus excommunicationem. Excommunicatio conditionalis, licèt in ſeipſum lata, opus habet ſolutione. Diſcipulus Sapientis, qui excommunicavit, etiam ſi ſeipſum excommunicaverit ex ſententia alterius cujuslibet, etiam propter rem, quæ excommunicatione damnata eſt, ipſe ſeipſum ſolvit. Qui excommunicatus eſt in ſomnio, licèt cognoſcat Excommunicatorem, opus habet ad ſui abſolutionem decem hominibus, qui traditiones didicerint. Quod ſi eos non invenerit, laborandum eſt ei, ut intra miliare eos accerſat. Si intra hoc ſpatium eos non deprehendat, abſolvent eum, qui in lege ſciverint legere. Quòd ſi eos non reperit, abſolvent eum alii decem, etiam ſi legere neſciverint. Si decem, ubi habitat, non inveniat, vel tres ipſum poterunt abſolvere.* Mirum, ne dicam ridiculum, alicui, nec abs re, videbitur per inſomnia aliquem excommunicari. Deinde deridiculum augeri videtur, cum ajunt decem Doctores ad iſtius modi excommunicationis ſolutionem requiri. Mihi iſta primum legenti ſuſpicio obrepebat dictionem, בחלום alia quadam peculiari ſignificatione eſſe interpretandam. Verum cum ipſum Talmud, & illius gloſſatores non ſecus ac alii Rabbini, iſtiuſmodi Excommunicationis mentionem faciant, in eaque θεῖόν τι ſubodorent, atque ideo à decem Doctoribus eſſe ſolvendam pronuntient, dictionem בחלום ordinaria, & nativa ſignificatione intelligendam eſſe non eſt dubitandum. Sed de hoc pluribus capite ſequenti.

III. Eadem Bahal Hatturim, ſed nonnullas addit ex ſua, & aliorum ſententia limitationes, & ampliationes. Tres illos, qui abſolvunt, quod alii tres ligaverant, vult Abraham Beodior eſſe tribus, qui ligaverant auctoritate non inferiores, duoſque id poſſe modo tertius abſens facultatem nomine ſuo dederit, & generalius tot ipſius ſolutioni adeſſe debere, quot adfuerunt ligationi. Deinde ſic admonet, אבל מאוד צריך מדקדק בעצמו מי שרוצה להתיר מה שאסר חברו שיהיה שוה לו שאם הוא שקול בחכמה שמא אינו דומה לו ביראת שמים ובגדולה ובשנים׃ *Sed plurimum neceſſe eſt, ut apud ſe conſideret, qui voluerint ſolvere, quod ipſius ſocius ligavit, Num ſit ei æqualis. Nam licet æqualis ſit ei, & ſcientia æquiparandus, fortè non eſt ei ſimilis in timore cælorum, & dignitate, & ætate.* Hoc admonet, ne quid, quod juſtè ligatum eſt, temerè ſolvat.

IV. Conſideratione quoque mihi videtur dignum, quod ex R. Tham, & aliis admonet de excommunicatione conditionali, נדוהו על תנאי חל הנדוי וצריך התרה אף על פי שמקיים התנאי ואפילו נדה את עצמו על תנאי ומיהו פירש ר"ת דוקא שהמנודה מסופק בשעת התנאי אם יוכל לקיימו אבל אם ברור לו שיכול לקיימו אין צריך התרה וכתב א"א הרא"ש ז"ל אפילו אם קבע זמן שאומר יהא בנדוי לא יעשה דבר פלוני לזמן פלוני יכול להתירו מיד אע"פ שלא הגיע הזמן ולא חל הנדוי עדין׃ *Excommunicant aliqui cum conditione, valida eſt Excommunicatio, & ſolutione opus habet, licèt conditionem impleat excommunicatus, atque etiamſi quis cum conditione ſeipſum excommunicaverit. Attamen hoc interpretatur R. Tham duntaxat cum excommunicatus dubitat in hora conditionis ſi poterit eam præſtare. Verùm ſi clarum eſt ei quod poſſit eam præſtare, non eſt neceſſaria ſolutio. Scripſit etiam Dominus pater meus R. Aſer felicis memoriæ, licèt præfixerit tempus dicens, eſto Excommunicatus, ſi facias tale opus tanto tempore, poteſt illum ſtatim ſolvere, licèt nondum advenerit tempus, necdum inciderit, ratave ſit Excommunicatio.*

V. Aliam addit cautionem iis, quæ definierat Maimonides de ſui ipſius excommunicatione, quæ non eſt omittenda, אבל מי שאינו ת"ח אינו יכול להתיר לעצמו ואם היה הנדוי דרך שבועה אפילו תלמיד חכם אינו יכול להתיר לעצמו׃ *Verùm qui non eſt diſcipulus ſapientis non poteſt ſeipſum abſolvere. Quod ſi facta fuerit Excommunicatio per modum juramenti, neque ipſe ſapientis diſcipulus ſeipſum poterit abſolvere.* Genus illud Excommunicationis, qua quis ſeipſum excommunicat, non eſt Chriſtianis ignotum. Sic loquitur S. Auguſtinus de eo, qui ſeipſum ſponte ab Euchariſtia ſeparet. Proſper Aquitanicus idem, & eadem de cauſa de Laicis, atque etiam de Clericis, qui ſeſe ab officio Eccleſiaſtico propter crimina ſuſpendunt. Si hoc faciant ſine ulla peccati mortalis conſcientia, ſed ſolius pietatis, & perfectionis cauſa, ſeipſos ſolvere poſſunt. Si cum juramento, aut voto id feciſſent, nullatenus ante tempus voto definitum id præſtare poſſent, niſi intercederet Judicis, aut ſaltem Confeſſoris voti obligationem interpretantis auctoritas. Excommunicationum etiam conditionalium ab annis præſertim quingentis multa poſſunt dari exempla, eo videlicet ſenſu, niſi his ſatisfecero, quæ tibi nunc promitto, excommunicari volo. Nonnunquam Magnates inter ſe ſic paciſcebantur: filiam meam nondum nubilem filio tuo, cùm nubilis erit, nuptum collocabo, quod niſi præſtiterim, tot auri libris mulctari volo, atque inſuper talis Epiſcopi Excommunicationem ſubire. Pactionum ejuſmodi exempla multa in hiſtoriis Francorum leguntur. Hæc admonuiſſe ſatis.

VI. Rabbinos, eorumque diſcipulos, gradum ſcilicet aliquem adeptos, publicè nolunt excommunicari, ſed privatim flagellari, niſi ut Jeroboam filius Nabat peccaverint. Idem privilegium Principi, & Synedrii principi tribuunt. Ideò niſi grande illud ſcelus perpetraverint, ab officio, & dignitate nunquam deponuntur. Sed præſtat eorum verbis hoc explicare quàm noſtris, Sic igitur Moſes initio capitis ejuſdem tractatus, חכם זקן מופלג בחכמה וכן נשיא או אב בית דין שסרח אין מנדין אותו בפרהסיא לעולם אלא אם כן עשה כירבעם בן נבט וחביריו אבל כשחטא שאר חטאות מלקין אותן בצנעא שנ' וכשלת היום וכשל גם נביא עמך לילה אע"פ שכשל כסהו כלילה ואומר לו הכבד ושב בביתך וכן כל תלמיד חכם שנתחייב נדוי אסור לבית דין לקפוץ ולנדותו במהרה אלא בורחים מדבר זה ונשמטים ממנו וחסידי החכמים היו משתבחים שלא נמנו לעולם לנדות תלמיד חכם אע"פ שנמנין להלקותו אם נתחייב מלקות ואפילו מכות מרדות נמנין עליו להכותו׃ *Sapiens ſenex, & inſignis ſapientia; ſic & Princeps, & pater domus judicii, cùm peccant, nunquam publicè Excommunicantur, niſi fuerint ſicut Jeroboam filius Nabat, & ſocii ejus. Sed cum reliqua peccata commiſerint, flagellant eos occultè, ne dicatur, Oſeæ 4. 5. Et corrues hodie, & corruet etiam propheta tecum nocte. Licèt ceſpitaverit, & corruerit, nocte tegit eum, & dicit ei fruere honore tuo, & ſede domi tuæ, Eadem ratio cujuſcunque diſcipuli ſapientis, qui peccati excommunicatione damnati reus eſt, non licet domui judicii confeſtim proſilire, & ſtatim eum excommunicare; ſed ab hac re fugiunt, & abſtinent: & nonnulli è ſapientibus viri ſancti gloriati ſunt, quod nunquam decreviſſent Excommunicationem diſcipulo Sapientis, quamvis ad flagellationem, cùm flagelli Reus peractus erat, atque etiam ad rebellium percuſſionem eum condemnaſſent.* De his paucis Bahal Hatturim ad finem tractatus de Excommunicatione, & anathemate, ſed multa Joſeph Karo in ipſum commentans, quibus tantum probatur id, quod ex Maimonide retulimus. Hinc forſan antiqui Chriſtiani plures, Sacerdotes ſuos, alioſque viros ſacratos pœnitentiæ publicæ honoris cauſa non adigebant, ſed privatim pro ſcelerum gravitate puniebant. Diſtinguit Moſes inter, מלקות׃ & מכת מרדות׃ flagellationem, & percuſſiones rebellium. Prius eſt pœna 39. percuſſionum: Poſterius eſt flagellatio, quæ non numeratur, ſed quæ continuatur, donec confiteatur. Eſt idem utrobique flagrum, ſed prior flagellatio pœna eſt crimini impoſita, qua ſecundum legem 39. plagis Reus afficitur, tredecim ſcilicet ſuper humerum dextrum, tredecim ſuper ſiniſtrum, & tredecim inferius. Poſterior flagellatio torturæ vicem tenet, ſuperque humeros nullo numerante infligitur.

VII. Non ſtatim autem ad Rei excommunicationem ſeſe accingebant, ſed trina monitione cum ad facti pœnitentiam

exhortabantur. Non tamen ſemper monitiones præcedebant: aliquando enim ſtatim à cognitione criminis perpetrati Reum excommunicatione percellebant. Quomodo hæc diſtinguebant, & uſurpabant, ex ipſis audiamus. Sic Bahal Hatturim in Jore deah initio tractatus citati, קודם שינדו מתרים בו שני וחמשי ושני בד״א כשמנדים על עסקי ממון אבל אם מנדין שעובר על דבר איסור מנדין אותו לאלתר׳ *Antequam aliquem excommunicent, monent eum feria 2. 5. & 2.* (hebdomadæ ſeq.) *Quomodo hoc intelligitur? Quando Excommunicatio fertur propter negotia pecuniaria. Sed ſi feratur propter tranſgreſſiouem rei probibitæ, ſtatim in tranſgreſſorem fertur.* Cautiones adhibet Scholiaſtes celebris, ex ſua, aliorumque ſententia, quæ Judaicam diſciplinam hac in cauſa Lectori illuſtriorem faciunt: nonnullas hic adtexemus, אמר רב חסדא מתרים ביה ב׳ וה׳ וב׳ ה״מ לממונא אבל לאפקירותא לאלתר ופר״שי לממונא שחייב ממון לחבירו ולא רצה לשלם ע״פ ב״ד לאפקירותא מבזה ת״ח וכתבו התוספות מתרין בו ב׳ וה׳ וב׳ פר״שי שני מתרים בו תולה ומנדין אותו וכן בה׳ ובשני אחר מחרימין אותו ואחר שלשים יום ויש קודם שינדוהו כלל יתרו בו וכן משמע בפרק הגוזל בתרא ע״כל׳ *Dixit Rab Chaſda, Admoneut eum feria 2. & 5. & 2. Ea verba* (quæ ſcilicet ex Talmude citavit Bahal Hatturim, & jam jam allata ſunt) *de pecunia intelliguntur. Sed cum de proterva, & contumacia agitur, ſtatim excommunicatio infligitur. Interpretatur autem Salomon JarKi id, quod de pecunia dictum eſt, de ea pecunia, quam quis proximo debet, nec vult eam ſolvere juxta mandatum domus Judicis. Quod de contumacia, de contemnente diſcipulum ſapientis. Scribunt quoque Hatoſiphoth, admonent eum 2. 5. & 2. interpretatur Salomon JarKi, feria 2. admonent eum primùm, deinde ipſum excommunicant, & ſic feria 5. & ſecunda ſequente, anathemotizant eum, & iterùm poſt triginta dies. Nonnulli explicant, antequam quomodocumque excommunicent, monitiones eſſe faciendas. Talis eſt ſenſus capitis Hagozel poſterioris. Hactenus ille.* Hanc ſententiam præter Tuſiphoth ſcribit amplecti Rambam, ſive Maimonidem in tractatu Sanhedrin, & Rabbinum quendam celebrem, quem Notaricè vocat הריף׳ Hareph.

VIII. Triplex igitur hac in cauſa animadvertenda eſt apud eos diſtinctio. Prima, inter actiones civiles, quæ pecuniam, cæteraque bona ſpectant, & actiones religioſas, quæ ad legis, & traditionum tranſgreſſionem ſpectant. In illis neceſſaria eſt trina monitio, quibus faciendis octiduum conceditur; in his ſtatim à re facta, & cognita excommunicatio infligitur. Secunda diſtinctio ad prius membrum pertinet: Pecunia illa petitur, vel ante ſententiam ſolutionis latam, vel poſteà. Si prius, trina monitio neceſſaria eſt, ſi poſterius, & protervè ſententia contemnatur, ſtatim excommunicari poteſt: hoc eſt, veluti ipſo jure excommunicatus eſt, & talis poteſt à Judice declarari. Poſtrema diſtinctio reſpicit monitiones, ſed ipſi inter ſe variant. Alii enim volunt poſt primam monitionem excommunicari poſſe, poſt tertiam anathematizari; alii tertiam admonitionem expectandam ante ſimplicis Excommunicationis inflictionem. Refert prætereà ex antiquis quaternionibus monitionem ſemper fieri ſolitam in cauſis pecuniariis, niſi publicum eſſet, & evidens debitorem ſolvere nolle cùm poſſit, quod cognitu difficile eſt, eo quòd latere ſoleat hominum animus, & intentio. Quòd ſi publicum ſit malo animo id agere, tum ſicut ſtatim, & nulla præmiſſa monitione excommunicari poteſt, ita & ſtatim abſolvi, cùm ſententiæ ſe ſtare velle demonſtraverit. Solemnes autem illis ſunt feria 2. & 5. ad monitiones illas faciendas, eo quòd illis diebus ad Synagogam conveniant orationis ergo, tumque libri legis ſectiones aliquæ publicè legantur, & poſteà per Synagogam deferatur procumbentibus omnibus, & librum ſanctificationis hauriendæ cauſa tangentibus, & oſculantibus, ut legere potes apud Buxtorfium Synagogæ Judaicæ *cap. 9.*

IX. Ut Judaica excommunicandi praxis graphicè magis ob oculos proponatur, exſcribam, quæ refert idem R. Joſeph Karo ex auctore libri de oblationibus, qui forſan eſt Samuel Hiſpanus. Anguſtius ille multo quàm præcedentes de ratione, & cauſa Excommunicationis propter res pecuniarias diſputat, ut ex ipſius verbis colligere eſt. כשבא הלוה לפני ב״ד ובקש זמן לפרוע לב״ח ועבר הזמן ולא בא ולא פרע אין מנדין אותו כלל שאין זה אפקירותא וממונא הוא שנשמט מלפרוע וביון שהודנו הב״ח בהם אין מנדין אותו כלל אבל אם לא קבלם לדון לפניהם וחייבוהו ואמרו לו צא תן לו ומרד על פיהם דאיתיה גברא ולא ציית דינא בזה כמו כן אין מנדין אותו דהוא כמו ממונא הוא ולא אפקירותא וביון שעשינו אדרכתא והמלוה הוא פרוע אין לנו שוב לנדותו אבל אם לא מצאו לזה הסרבן לקבל דינו לא קרקעות ולא מטלטלין ואף הוא לא רצה לטעון שאין לו במה לפרוע אלא שמורד ואומר לא אעשה מצותכם ולא אפרענו לב״ח בהא ודאי מתרין בו ב׳ וה׳ וב׳ ואחר כך מנדין אותו ועומד בנדוי עד שיתן לו הלואתו או עד שיטען שאין לו כלו׳ ויקבל שבועתו כראוי עכ״ל׳ *Cùm* inquit, *ſiſtit ſe debitor coram domo Judicii, tempuſque poſtulat, ut creditori ſatisfaciat, elapſoque tempore neque ſiſtit ſe debitor, neque ſolvit, ideò tamen nullo modo eſt excommunicandus, quia hoc nondum eſt contumacia, ſed pecunia, cujus ſolutio differtur. Poſtquam etiam Creditor effecerit, ut coram Judicibus ſeſe ſiſteret, nullo modo eum excommunicant. Immò ſi eos Judices non agnoverit, conqueraturque ab iis judicari, eum tamen condemnaverint, & ei dixerint vade, ſolve illi, & eis in faciem reſiſtat, quia vir eſt, qui judicio non paret, nec vel ſic propter hoc, erit excommunicandus; quia hoc eſt etiam pecunia, non contumacia. Poſtquam etiam nos fecerimus literas ſententiæ executorias, ut creditori ſolutio fiat, non eſt nobis amplius facultas eum excommunicandi. Sed ſi non invenerint apud ejuſmodi Refractarium, nec fundos, nec mobilia, ex quibus Judicatum ſolvatur, nec etiam ipſe velit obiicere, & allegare, quod non eſt ſolvendo, ſed rebellet, & dicat, mandato veſtro non parebo, nec ſolvam creditori, tum certum eſt, quòd propter hoc monendus eſt feria ſecunda, & quinta, & ſecunda ſequente, & poſteà excommunicandus; manebitque in Excommunicatione, donec quod illi mutuo datum eſt, creditori reſtituerit, aut donec allegaverit nihil omnino ſupereſſe ſibi quo ſatisfaciat, tuncque, ut par eſt, juſjurandum ab eo exigetur. Hactenus illius verba.* De his monitionibus ſatis pro inſtituto.

X. Tandem, ut finiamus, nobis inquirendum eſt, quid illi dicant de tempore, & duratione Excommunicationis. Erat enim breve admodum, ut ex jam dictis colligi poteſt, ſed clariſſimè ex jam dicendis. Bahal Hatturim, הא דאמרינן סתם נידוי שלשים יום היינו לענין כשמנדין אותו אומרים פלוני יהא בנידוי שלשים יום ומכל מקום אם חזר בו אם היה הנמוי בשביל ממון או בשביל דבר עבירה או אפיקורותא ופייס לבעל דינו מתירין אותו לאלתר ואפילו אם לא חזר בו מתירין לו לאחר שלשים יום והוא שיבא לבית דין ומבקש שיתירו לו אבל אם מזלזל בנדויו ואינו מבקש שיתירו לו מניחין אותו בנדויו עד שימות וכשימות סקלין את ארונו׳ *Quod dicitur in* Talmude, *Excommunicatio ſimpliciter dicta, triginta eſt dierum. Hoc intelligendum eſt, cùm excommunicando aliquem dicunt, talis ſit in Excommunicatione* (ſubaudiendum) *triginta diebus. Nihilominus ſi reſipuerit, & reſtituerit, & fuerit excommunicatio propter pecuniam, & placaverit actorem, ſtatim Excommunicatum abſolvunt. Atque etiam ſi non reſtituerit, abſolvitur tamen poſt trigeſimum diem: Judices adierit modo, & ab iis abſolvi petierit. Verùm ſi Excommunicationem contempſerit, nec abſolutionem petierit, relinquunt eum in Excommunicatione donec moriatur, & poſt mortem ſepulchrum lapidant.*

XI. Idem etiam colligitur non inevidenter ex *capit.* 7. tractatus jam citati, ex Moſe Cordubenſi circa medium, מי שישב בנדוי שלשים יום ולא בקש להתירו מנדין אותו שנייה ישב שלשים יום אחרים ולא בקש להתירו מחרימין אותו׳ *Qui permanſit in Excommunicatione triginta diebus, & abſolutionem non petiit, excommunicant eum ſecundò. Aliis triginta diebus abſolutionem non petit, anathematizant eum.* Idem demonſtrat Scholium in verba quædam ſequentia, הכי מסקינן לממון אבל לאפיקורותא אין מתירין עד שלשים יום וכן כתב בספר המצוה וכן כתב רבינו שמחה דלאפיקרות׳ שמבזה תלמידי חכמים שלושים יום בדאשכחן התם בההוא בהא דאיתפקר ברב טובי׳ *Ita colligunt de pecunia. Sed cum de contumacia agitur, non ſolvunt ante triginta dies, & ſic ſcribitur in libro præceptorum, ſicque ſcripſit Magiſter noſter Simcha quod contumacia qua ſpernit quis diſcipulos ſapientum, triginta diebus* caſtigatur, *ut reperimus ibidem in hiſtoria cujuſdam lanioais, qui R. Tobiam injuria affecerat.*

XII. Synedrium tamen hac in cauſa magnam habet auctoritatem: pœnas enim pro criminis gravitate plurimùm augere, & minuere poteſt, ut pauló poſt Cordubenſis, ואם ראו בית דין להניח זה בנדוי כמה שנים מניחין בפי רשעו וכן אם ראו בית דין להחרים לזה בתחילה ולהחרים מי שיאכל עמו ושותה עמו או מי שיעמוד עמו בארבע אמות מחרימין כדי לייסר וכדי לעשות סייג לתורה עד שלא יפרצו החוטאים׳ *Si Synedrio viſum fuerit hunc in excommunicatione relinquere aliquot annis, pro ratione iniquitatis id facit. Similiter ſi viſum fuerit ſynedrio eum vel in principio anathematizare, atque etiam qui comederit, aut biberit cum eo, aut qui cum eo ſteterit intra quatuor cubitos, anathematizare poſſunt, ut corrigatur, atque ut Synedrium ſepem legi faciat, & eam non effringant, & diſrumpant peccatores.* Capite præcedente eadem prope ex Arba Turrim relata ſunt.

Digitized by Google

CAPUT XXV.

Præcedentia ex antiquis libris demonſtrantur. Ghematricè demonſtrant Talmudici Excommunicationem omnia hominis membra penetrare. Quare alium excommunicaturus nonnunquam ſeipſum prius excommunicat. Quæ Excommunicatis prohibeatur. Excommunicatos leproſis, & ingentibus comparant. Qui nomen Dei prophanant, ſtatim excommunicandi. Excommunicationi per ſomnium quædam creditur ineſſe divinitas, ideò decem Rabbini ad illius ſolutionem requirantur.

NUnc ex inſtituto noſtro demonſtrandum eſt, quod eadem in cauſa Judæorum antiquiſſimi ſtatuerint. Ut enim ſunt paternarum traditionum ſtudioſiſſimi; ita pauciſſima in hodiernum uſque diem uſurpant, quæ ab antiquiſſimis non derivent. Antiquiſſimos illos voco, qui ab annis centum ante Chriſtum natum paulò plus minuſve uſque ad compoſitionem τῶν Miſnajoth floruerunt. Talmudici enim qui iſtos ſecuti ſunt, nihil aliud ex propoſito præſtant quàm iſtorum librorum juxta antiquorum traditiones, aut omiſſas, aut non ſatis explicatas, interpretationem. Quid iſti dicant, inveſtigemus.

II. Magna pars eorum, quæ duobus capitibus præcedentibus enarrata ſunt, habetur *cap. 3. fol.* 17. 1. tractatus Talmudici Mohed, ideò textum paulò diffuſius referemus,

תלמיד שנדה לכבודו נדויו נדוי דתניא מנודה לרב מנודה לתלמיד
מנודה לתלמיד אינו מנודה לרב לרב הוא ואינו מנודה הוא לבולי
עלמא מנודה למאי או במילי דשמיא אין חכמה ואין תבונה ואין עצה
לנגד ה' אלא לאו לכבוד עצמו אמר ר' יוסף צורבא מרבנן עביד
דינא לנפשיה במילתא דפסיקא ליה ההוא צורבא מרבנן דהוו סנו
שומעניה אמר ר' יהודה היכי ליעביד לשמתיה צריכי ליה רבנן
לא לישמתיה קא מתחיל שמא דשמיא אמר ליה לרבה בר בר חנה
מידי שמיע לך בהא אמ' ליה הכי אמר רבי יוחנן מאי דכתיב כי
שפתי כהן ישמרו דעת ותור' יבקשו מפיהו כי מלאך ה' צבאות
הוא אם דומה הרב' למלאך ה' יבקשו תורה מפיו ואם לאו אל
יבקשו תורה מפיו שמתיה רב יהודה לסוף איחלש רב יהודה אתו
רבנן לשיולי ביה ואתא איהו נמי בהדייהו בר חזייה רב יהודה
חייך אמר ליה לא מסתייך דשמתיה לההוא גברא אלא אחוכי נמי
חייך בי אמר ליה לאו בדידך מחייכנא אלא דבי אזילנא לההוא
עלמ' בדיחא דעתאי דאפילו לגברא כוותך לא הניפי ליה נח נפשיה
דרב יהודה אמרו ליה רבנן גברא דהשיב תבא ברב יהודה ליכא
הכא דלישרי לך אלא זיל לגבי דרבי יהודה נשיאה דלישרי לך
אזל לקמיה אמר ליה לרבי אמי פוק עיין בדיניה אי מבעי למישרא
ליה עיין רבי אמי בדיניה סבר למשרי ליה עמד ר' שמואל בר'
נחמני על רגליו ואמר ומה שפחה של בית רבי לא נהגו חכמים
קלות ראש בנדויה שלש שנים יהודה חבירינו על אחת כמה וכמה
אמר רבי זירא מאי דקמיה דליתי האידנא סבא בבי מדרשא ההוא
כמה שני לא אתא שמע מינה לא מיבעי למישרא ליה לא שרי
ליה נפק בי קא בכי וזיל אתא זיבורא וטרקיה אאמתיה ושכיב
עיילוה למערתא דחסידי ולא קיבלוה למערתא דדייני וקיבלוה
מ"ט דעבד כר' אלעאי דתניא רבי אלעאי אומר אם ראה אדם שיצרו
מתגבר עליו ילך למקום שאין מכירים אותו וילבש שחורים ויתעטף
שחורין ויעשה בה שלבו חפץ ואל יחלל שם שמים בפרהסיא
שפחא של בית רבי מאי היא דאמתא דבי רבי חזיתים לההוא גברא
דהוה מחי לבנו גדול אמרה ליהוי ההו' גברא בשמתא דקעבר משום
לפני עור לא תתן מכשול דתניא לפני עור לא תתן מכשול במכה
לבנו גדול הכתוב מדבר ר' לקיש הוה מנטר פרדיסא אתא ההוא
גברא וקאכיל תאיני רמא ביה קלא ולא אשגח בית אמר ליהוי
ההוא גברא בשמתא אמר ליה אדרבה ליהוי ההוא גברא בשמתא
אם ממון נתחייבתי לך נדוי מי נתחייבתי לך אתא לבי מדרשא
אמר ליה שלו נדוי שלך אינו נדוי ומאי תקנתיה זיל לגביה דלישרי
לך לא אידענא ליה אמרו ליה זיל לגביה נשיאה דלישרי לך דתניא
נידהו ואינו יודע מי נדהו ילך אצל נשיא ויתיר לו נידויו אמר
רב הונא באושה התקינו אב בית דין שסרח אין מנדין אותו אלא
אומר לו הכבד ושב בביתך חזר וסרח מנדין אותו מפני חילול
השם ופליגא דר"ל דאמר ר"ל תלמיד חכם שסרח אין מנדים אותו
בפרהסיא שנ' ובשלת היום וכשל גם נביא עמך לילה כסהו לילה
מר זוטרא חסידא כי מחייב צורבא מרבנן שמתא ברישא משמית
נפשיה והדר משמת לדידיה כי הוה עייל באושפיזיה שרי ליה
לנפשיה והדר שרי ליה לדידיה אמר רב גידל אמר רב תלמיד חכם
מנדה לעצמו ומיפר לעצמו אמר רב פפא תיתי לי דלא שמיתי
צורבא מרבנן מעולם אלא כי קא מחייב צורבא מרבנן שמת' היכי
עביד בי הא דבמערבא ממנו אנגידא דצורבא מרבנן ולא ממנו
אשמתא מאי שמתא אמר רב שם מיתה ושמואל אמר שממה יהיה
ומתניא בית בי מיתיה בתגורב ופליגא דריש לקיש דאמר ר"ל
כשם שנכנסת במאתים וארבעים ושמנה איברים כך כשהיא יוצאה
יוצאה ממאתים וארבעים ושמונה איברים כשהיא נכנסת דכתיב
והיתה העיר חרם חרם בגמטריא מאתים וארבעים ושמונה הוי
כשהיא יוצאה דכתי' ברוגז רחם תזכור רחם בגימטריא הכי הוי'

Diſcipulus, qui excommunicavit aliquem gloriæ ſuæ tuendæ cauſa, excommunicatio ejus eſt excommunicatio, id eſt, valida eſt. Traditio eſt enim: Excommunicatus Magiſtro excommunicatus eſt Diſcipulo; Excommunicatus Diſcipulo, non eſt excommunicatus Magiſtro, quanquam autem non ſit excommunicatus Magiſtro, cæteris tamen omnibus eſt excommunicatus. Ut quid hoc ſi propter cauſam cœlorum eſt excommunicatus? Non eſt enim ſapientia, non eſt intelligentia, non eſt conſilium contra Dominum; ſed non eſt ita, cùm excommunicat ad propriæ dignitatis conſervationem. Dixit R. Joſeph, ſubtilis quidam inter Magiſtros litem ſuam in cauſa, quæ illi videbatur certa, & indubia in ſui favorem diremit. Subtilis iſtius Magiſtri famam odioſam habebant, & de illo ſiniſtros rumores ſpargebant. Dixit R. Juda, Quid illi faciendum? Excommunicandus eſt? Sed eo opus habeat Magiſtri. Non excommunicetur: At prophanat nomen cœlorum. Dixit Rabæ Bar filius Chanæ, Audiſti ne aliquid de hac re? Reſpondit ei, ſic dicebat R. Jochanan: Quid eſt quod ſcribitur, labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent de ore ejus, quoniam Angelus Dei Sabaoth ille eſt. Si Rabbinus ſimilis eſt Angelo Dei, requirent legem ab ore ejus: Si verò non, ne requirant legem ab ore ejus. Excommunicavit eum R. Juda, tandemque ægrotavit R. Juda. Venerunt Magiſtri ad eum, ut aliquid ab eo ſuſcitarentur; Venit etiam Excommunicatus cum eis. Cùm eum vidit Rab Juda, riſit: Dixit ei: Num ſufficit tibi quod hominem iſtum excommunicaſti, ut etiam irrideas irrideas me? Reſpondit ei Judas, non te irridemus: ſed quoniam ad hunc levicaiam è vulgò jocum animo læto, & alacri devenimus, adhuc dico homini tibi ſimili non eſſe adblandiendum. Moritur Rab Juda. Dixerunt ei Magiſtri noſtri non eſt hìc homo R. Juda æquiparandus, qui poſſit te ſolvere: Sed vade ad R. Judam principem, qui te ſolvat. Eum adit Excommunicatus. Dixit autem R. Juda Princeps R. Ammi. Egredere, conſidera, & examina cauſam ejus, ſi poſtulat, ut abſolvatur. Examinat R. Ammi cauſam ejus, judicat eum eſſe ſolvendum. Erigit ſe in pedes R. Samuel Bar Nachman, & ait, Ecquid! Excommunicationem ab Ancilla domus Rabbinicæ latam non ſolent Sapientes tribus annis contemnere, quanto minus à Juda Collega noſtro? Dixit R. Zira, Quis nunc nobis obviàm venit? Senex eſt ille, qui in hanc ſcholam ſeſe confert. Quanti anni ſunt cum ad eam non venit? Diſce ex eo quod non deſiderat eum abſolvere, non abſolvet ipſum. Egreſſus eſt Excommunicatus, eo quòd fleret, & abiit. Venit Veſpa, & momordit eum in pudendis, unde mortuus eſt. Detulerunt eum in ſpeluncam Sanctorum, ſed non ſuſceperunt eum; In ſpeluncam Judicum, & ſuſceperunt eum, hoc eſt, ab aliis qui alios ſanctitate antecelluerunt, poſt mortem non eſt ſuſceptus. *Quis eſt ſenſus iſtius rei, quod fecit ſicut R. Elahi? De eo fertur talis traditio: Dixit R. Elahi, ſi ſenſerit homo concupiſcentiam ſuam ſibi prævalentem, abeat in locum in quo ignotus eſt, induat veſtes nigras, & nigris cooperiat ſe, tunque id faciat, quod ipſi eſt cordi, & nomen cœlorum publicè non prophanet. Quid jactari ſolet de ancilla cujuſdam Rabbini? Ancilla domus Rabbinicæ quendam hominem vidit verberantem filium natu grandem. Dixit, at homo ille eſſet in Excommunicatione, eo quòd tranſgrederetur hoc mandatum, cæco non pones offendiculum, Quia traditio eſt, hunc ſcripturæ verſum, ante cæcum non pones offendiculum, loqui de percutiente filium adultum. R. Lachis hortum cuſtodiebat: Venit quidam, & hortum ingreſſus ficus comedit: Vocem in eum extulit Reſch Lachis, ſed eum ille non videbat. Dixit Reſch Lachis, at iſte homo eſſet in excommunicatione. Ipſe verò dixit, immò contra, tu ſis in Excommunicatione. Si pecuniam tibi debeo, regerit, num ideò Excommunicationis tibi ſum Reus? Vadit ad domum ſcholæ: ipſi reſpondetur, Illius excommunicatio valida eſt, tua minimè. Quæ ſuit iſtius excommunicationis reparatio? Vade, inquiunt, ad eum ut ſolvat te. Sed eum non agnoſco: Dicunt ei, ito ad principem ut ſolvat te. Eſt enim traditio: Excommunicatur aliquis, & neſcit quis eum excommunicavit, eat ad Principem, & ſolvet ipſius Excommunicationem. Dixit R. Hona: Quæ ſunt perversè acta corriguntur. Pater domus judicii qui iniquè egit, non excommunicatur, ſed illi dicitur, honore tuo fruitor, & ſede domi tuæ. Iterùm peccat, excommunicatur propter prophanationem nominis divini. Contradicebat Reſch LaKis, dicebatque, Diſcipulus Sapientis, qui iniquè egit non excommunicatur publicè, ut dicitur, Corruiſti hodie; corruit etiam tecum Propheta nocte Oſeæ 4 5. Eum ſcilicet, nox tegit. Mar Zutra ſanctus, cùm inſignis aliquis Rabbinus Reus erat Excommunicationis, primum ſeipſum excommunicabat, & poſteà illum. Cùm verò hoſpitium ingreſſus eſſet, ſeipſum prius ſolvebat, deinde alium. Rab Gidal dixit, dicebat Rab: Diſcipulus ſapientis ſeipſum excommunicat, & ſeipſum liberat. Dixit R. Papa,*

adveniat mihi, ut præcipuum aliquem Rabbinum nunquam excommunicem. Verùm cum aliquis ejuſmodi Reus eſt excommunicationis, hîc illi infligitur, ſed in Occidente flagellationem decernunt in præcipuum illum Rabbinum, non excommunicationem. Quid eſt Excommunicatio Sebamata? Reſpondit Rab, ibi Mors: Samuel verò, deſolatio erit. Ipſius dictam juvat, & confirmat quod Excommunicatio eſt, velut illinimentum aliquod in fornace. Contendebat Reſch LaKis, & dicebat, Quemadmodum Excommunicatio in 248. membra, ſeu oſſa hominis ingreditur; ſic cùm egreditur, egreditur ex 248. illis membris. Cùm ingreditur, Quia ſcribitur Joſuæ 6. 17. Et fuit civitas illa חרם· *Cherem, hoc eſt, anathema. Cherem autem ghematricè ſive arithmeticè valet 248. Cum verò egreditur ex homine, egreditur ex 248. oſſibus ejus. Sic quoque cum egreditur, ut dicitur HabaKuK c. 3. verſ. 2. in ira miſericordiæ recordaberis. Nominis* רחם *rachem, miſericordia, literæ eundem numerum conficiunt.*

III. Vel ex hoc ſolo Talmudis teſtimonio ferè omnia, quæ de excommunicatione anteà nobis dicta ſunt, demonſtrantur, non quidem ordine aliquo doctrinæ, quod nunquam faciunt Talmudici, ſed per occaſionem, & quandam traditionum, & geſtorum paternorum, ut memoriæ occurrunt, concatenationem. Notum eſt multis, Talmudicos, atque ab iis Rabbinos omnes jactare in homine 248. oſſa numerari: Cherem autem quod anathema ſignificat, ·חרם literis arithmeticè ſumptis huic ſummæ æquivalet: ·ח׳ 8. ·ר׳ 200. ׳ם 40. Ideò hic fabulantur excommunicationem Cherem omnia hominis oſſa penetrare, ut cæmentum, ſive illinimentum in muros furni, ſive fornacis iis illitos. R. Salomon Jarki antiquiſſimus Talmudis gloſſator eorum ſententiam de efficacia Excommunicationis egregia ſimilitudine explicat, iſta verba commentans, כשומן ששורים את התנור ונבלע בתוכה שאין יוצא לעולם בלומר מכה לכל מאן דמשמתינן ליה דלא נפקא מיניה לעולם· *Similis eſt pinguedini, qua fornax illinitur, & in interioribus ejus abſorbetur, quæ nunquam ab ea egreditur. Quaſi diceretur, Plaga ſit omni, qui excommunicatur, quæ nuſquam ex eo egreditur.* Hoc eſt, cicatrix ſupereſt, quæ nunquam deletur. Per abſolutionem ſimiliter omnes maledictiones anathemate immiſſas emitti, & ab iis hominem liberari, quod eadem induſtria probant, ex nomine ſcilicet ·רחם rachem, *miſericordia*, eundem numerum præſtante. Sunt enim eædem literæ, ſed alio ordine diſpoſitæ. Nunquam autem ipſorum deliriis demonſtrandis deſunt ſcripturæ textus. Prius igitur probant verbis Joſuæ, poſterius ex Propheta Habachuk in locis quæ in textus interpretatione adſcripſimus.

IV. Iſta verba, ·הכבר ושב בביתך quæ vertimus, honore tuo fruere, & ſede domi tuæ, teſtatur idem Gloſſator transferri quoque poſſe, עשה עצמך באדם שכבר עליו ראשו ·ושב בביתך *Fac teipſum velut hominem, cujus caput gravedine capitis laborabat, & ideò domi tuæ ſede.* Licèt hic ſenſus poſſit iſtis verbis affingi, alius tamen mihi videtur commodior, & iis, quæ hactenus de Rabbinorum prærogativa explicata ſunt, convenientior. Videri poſſet ridiculum quod Mar Zutra Rabbinum aliquem excommunicaturus ſeipſum prius excommunicat. Rationem iſtius moris reddit in Scholiis R. Aſer, משום צער שצריך לנדות תלמיד חכם אינמי כדי שיהא זכור להתיר והא דלא התיר לחבירו מתחילה כדאמרינן בשבועות פרק קמא יבא זכאי ויכפר על החייב לכך טוב בשיתיר לחבירו שיהא הוא מותר קודם· *Propter dolorem*, inquit, *quia cogitur excommunicare diſcipulum Sapientis, vel etiam ut recordetur illius abſolvendi, atque ut non ſtatim, & ab initio proximum abſolvat, ut dicitur cap. 1. tractatus Sebubet, Veniet purgatus, & juſtus, & expiabit Reum. Ideò bonum eſt, cùm abſolvit proximum, ut prius ſit abſolutus.* Nonnulla eſſent forſan animadverſione digna, ſed Talmudicam commentationem non ſuſcepimus: Deinde ex ſequentium lectione illuſtrantur. Satis nobis eſt, quæ probanda ſuſcepimus lectori ex citatis teſtimoniis evidenter demonſtraſſe.

V. In eodem tractatu Mohed Katon, *fol.* 16. 1. multa quoque diſputant, quæ inſtituto noſtro conveniunt, מנלן דשמתינן דכתיב אורו מרוז דהכי סברא דגברא פלוניא דכתיב אמר מלאך ה׳ ומנלן דמחרימינן דכתיב אורו ארור דאכיל ושתי בהדיה וקאי בארבע אמות דידיה דכתיב יושביה ומנלן דפרטינן חטאה בציבורא דכתיב כי לא באו לעזרת ה׳ ואמר עולא בארבע מאה שיפורי שמתיה ברק למרוז איכא דאמרי גברא רבה ואיכא דאמרי כוכבא הוה שנ׳ מן השמי׳ נלחמו הכוכבים ומנלן דמפקרינן נכסיה דכתיב וכל אשר לא יבא לשלשת הימים בעצת השרים והזקנים יחרם כל רכושו והוא יבדל מקהל העדה· *Unde eſt quod excommunicamus? Ex eo quod dicitur, maledicite Meroz. Sic ſentiunt aliqui, hominem quendam ſubintelligi, cujus mandato* Excommunicatio lata fuerit, *Quoniam ſcribitur, dixit Angelis Domini. Unde nobis quod anathematizamus? Ex eo quod ſcriptum eſt, maledicite maledicendo. Unde verò cum qui comederit, aut biberit cum eo, & ſteterit quatuor cubitis ab eo; quia ſcribitur, ſedentes in ea. Unde nobis quod ſigillatim explicantur peccata in Congregatione, quia ſcribitur, eo quod non venerunt in auxilium Domini. Dixit autem Ola, BaraK excommunicavit Meroz cum quadringentis tubis. Nonnulli dicunt hominem aliquem magnum fuiſſe; alii ſtellam, ut dicitur, de cœlis pugnaverunt ſtellæ. Et unde nobis eſt, quod publicamus ſubſtantiam ejus, ex eo quod ſcriptum eſt, & omnis, qui non venerit tribus diebus, juxta conſilium principum, & ſeniorum, anathematizabitur omnis ſubſtantia ejus, & ipſe ſeparabitur à cœtu Congregationis.* Hoc Eſdræ 10. *verſ.* 8. ſed pro ·העדה Congregatio, cœtus, legitur, ·הגולה transmigratio, captivitas, multò melius: Nam nomen præcedens à ſubſequente vix differt. Prius teſtimonium deſumitur ex *cap.* 5. Judicum quod ſic ſe habet, *Maledicite Meroz dixit Angelus Domini; maledicite maledicendo habitatores ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini.* Ex quibus verbis iſta colligunt, in quibus videntur, ישביה, non pro incolis ſed pro aſſidentibus explicare; accuratius enim ipſorum propoſito quadrat hæc explicatio. Unde autem ſpatium quatuor cubitorum colligant, ex illis verbis non apparet. Gloſſator per ſtellam intelligit ·מזליה דסיסרי aſtrum Siſaræ, ſive ſidus ipſius nativitati prædominans, eo quòd dicitur eodem capite Judicum *verſ.* 20. de cœlis pugnaverunt ſtellæ. Cenſet quoque eadem gloſſa in textu ſcripturæ additum eſſe, *dixit Angelus Domini*, ut BaruK oſtenderet ſe Nuntium eſſe Dei ad hanc in Meroz ferendam excommunicationem.

VI. Et poſt nonnulla in eadem pagina docet R. Samuel Bar Silath nomine Rab, מנדים לאלתר ושונין לאחר שלשים ומחרימים לאחר שישים אמר ליה רב הונא בר חיננא הכי אמר רב חסדא מתרין ביה שני וחמשי ושני הני מילי לממונא אבל לאפיקרותא ·לאלתר *Statim excommunicant, ſed excommunicationem tantùm repetunt poſt triginta dies, & poſt ſexaginta dies anathematizant. Dixit ei R. Hona filius Chenna, ſic dicebat Rab Chaſda, admoneat eum feria ſecunda, quinta, & ſecunda. Hæc verba ſunt intelligenda de cauſis pecuniariis; ſed in inſolenti impietate, & protervitate illicò, & ſine monitione excommunicatur.* De pecunia, inquit Gloſſa, שחייב ממון לחבירו ולא ·רצה לשלם על פי בית דין *Quam quis proximo debet, & ſolvere non vult juxta ſententiam domus Judicii*, tum terna illa monitio neceſſaria eſt. Verum ſi protervè reſiſteret, & judicati nihil ſe facturum arroganter diceret, ſtatim excommunicaretur.

VII. Alius Rabbinus eodem loco inquit, Veni, & audi, מנודה לרב מנודה לתלמיד מנודה לתלמיד אינו מנודה לרב מנודה לעירו מנודה לעיר אחרת מנודה לעיר אחרת אינו מנודה לעירו מנודה לנשיא מנודה לכל ישראל מנודה לכל ישראל אינו מנודה ·לנשיא וכו׳ *Excommunicatus Rabbino eſt excommunicatus diſcipulo: Excommunicatus diſcipulo non eſt excommunicatus Rabbino. Excommunicatus urbi ſuæ, eſt excommunicatus urbi alienæ. Excommunicatus urbi alienæ non eſt excommunicatus urbi ſuæ. Excommunicatus principi eſt excommunicatus univerſo Iſraeli, Excommunicatus univerſo Iſraeli, non eſt Excommunicatus Principi, &c.* Ante illa omnia eodem capite nonnulla enumeraverant ex antiqua traditione Excommunicatis illicita. Ut interdiu opus, ſive artificium ſuum exercere: Non licet illi lavare totum corpus, ſed licet faciem, manus, & pedes: Non licet illi calceatum per urbem incedere, ſed per vias camporum licet, ita ut urbem ingreſſurus diſcalceet ſe, Et ejuſdem tractatus fol. 15. 1. מנודין ומצורעין מה הן בתספורת תא שמע מנודין ומצורעין אסורין לספר ולכבס מנודה שמת בית דין סוקלין את ארונו ר׳ יהוד אומר לא שיעמידו עליו גל אבנים כגלן של עכן אלא בית דין שולחין ומניחין אבן גדולה על ארונו ללמוד שכל ·המתנדה ומת בנידויו ב״ד סוקלין את ארונו *Quid de Excommunicatis, & Leproſis in cauſa tunſuræ, & raſuræ dicendum? Veni, & audi. Excommunicati, & Leproſi prohibeantur radere, & lavare ſe. Excommunicati mortui domus judicii feretrum lapidat. Dixit R. Juda, non quòd imponant ſuper eam cumulum lapidum, ut cumulum ſuper Achan factum; ſed domus judicii mittit, qui imponat lapidem magnum ſuper feretrum ejus: ad te docendum quod omnis Excommunicati, & in excommunicatione mortui feretrum domus judicii lapidat.* Volunt inſuper Excommunicatum capite eſſe operto, neque licitum eſſe illum ſalutare: An verò liceat ipſi in occaſionibus ſolitis veſtes diſrumpere, & orantem induere Thephilim, maxima eſt apud eos difficultas, quam תיקו theco eſt ſoluturus, hoc eſt, Thesbites, ſive Elias. Notandum autem mihi videtur in plerisque illis Talmudicos Excommunicatis jungere leproſos, & luctum agentes.

VIII. Tra-

VIII. Tractatus Sebuhot, ſive de juramentis *capit.* 4. *fol.* 36. 1. quid in maledictione contineatur, explicat, תנא אחר בן נדוי בו קללה בו שבועה בו נדוי דכתיב אורו מרוז אמר מלאך ה׳ ארור ארור יושביה ואמר עולא בארבע מאה שיפורי שמתיה ׃ברק למרוז בו קללה דכתיב ואלה יעמוד על הקללה וכתיב ארור האיש אשר יעשה פסל וגו׳ בו שבוע׳ דכתיב וישבע יהושע בעת ההיא לאמר ארור האיש לפני ה׳ וגו׳ *Traditio eſt, quæ ſic docet, Maledictus, in eo eſt Excommunicatio, in eo eſt maledictio, in eo eſt juramentum. In eo Excommunicatio. Quia Scriptum eſt, Maledicite Meroz. Dixit Angelus Domini, Maledicendo maledicite habitantes in eo. Dixit autem Ola, cum quadringentis tubis Barac excommunicavit Meroz. In eo maledictio, quia ſcribitur, illi autem ſtabunt ſuper maledictionem: Scriptum quoque, maledictus vir, qui fecerit idolum, &c. In eo eſt juramentum, quia ſcriptum eſt, Et juravit Joſue in illo tempore dicens, Maledictus vir coram Domino, &c.*

IX. In tractatu Nedarim *capit.* 1. *fol.* 7. & 8. nonnulla quoque leguntur, quæ ſuperiora illuſtrant, אמר רב נידהו בפניו אין מתיר לו אלא בפניו נידהו שלא בפניו מתיר לו בין בפניו בין שלא בפניו אמר רבי חנין אמר רב השומע הזכרת השם מפי חבירו צריך לנדותו ואם לא נידהו הוא עצמו יהא בנדוי שכל מקום שהזכרת השם מצויה שם עניות מצויה ועניות במיתה שנ׳ כי מתו כל האנשים׃ *Dixit Rab, qui excommunicat aliquem præſentem, non ſolvit eum niſi præſentem. Excommunicat eum abſentem, abſolvit eum ſive præſentem, ſive abſentem. Dixit R. Chanin, dixit Rab, Qui audit commemorationem nominis divini ex ore proximi ſui tenetur eum excommunicare: Quod ſi eum non excommunicaverit, ipſe jacet in excommunicatione; quoniam in omni loco in quo invenitur nominis divini commemoratio, ibi afflictio, & miſeria inveniuntur, quæ morte puniuntur, ut dicitur, & mortui ſunt omnes homines, &c.* Homines illi, ut notat Gloſſator, erant Datan & Abiron, שנפלו בעניות׃ qui in miſerias, & afflictiones inciderunt, mortem, ut notum eſt, ſecum afferentes. Idem docetur in textu exemplo R. Hona, qui cùm audiſſet quandam mulierem nomen Dei in vanum commemorantem eam excommunicavit, & ſtatim ſolvit, cujus exempli cauſa iterùm repetit, quæ jam retulimus, & expoſuimus.

X. Idem proportione quadam obſervare ſolent, cùm Priorum, & Impiorum nomina commemorant. Illos enim ſemper cum benedictionis præfatione nominant, unde dicitur in Bereſith Raba *ſect.* 3. כל המזכיר את הצדיק ואינו מברכו עבר בעשה מ״ט זכר צדיק לברכה׃ *Quicunque commemorat juſtum, & ei non benedicit, tranſgreditur præceptum affirmativum. Quamobrem? Dicitur, memoria juſti ſit in benedictione,* Prov. 10. 7. Hos vero ſemper cum maledictione כל מזכיר את הרשע ואינו מקללו עבר בעשה מ״ט שם רשעים ירקב׃ *Quicunque commemorat impium, eique non maledicit, tranſgreditur præceptum affirmativum. Quamobrem? Dicitur, ibidem, Nomen impiorum putreſcat.* Hinc vix unquam legas apud eos virorum, quos exiſtimant pios mentionem fieri quin addant hoc notaricum ז״ל׃ id eſt, memoria eorum ſit in benedictione: & ſæpe cum de impiis, addunt iſtud ׃ שר״י id eſt, nomen eorum putreſcat. Nec vult auctor libri Hachaſidim hoc proverbiorum loco nixus nomen impiorum ne per Notarica quidem immutatum, ut lateat, ſcribi aut pronuntiari, *cap.* 136.

XI. Probant inſuper, Rabbinum poſſe ſeipſum excommunicare exemplo Mar Zutræ ſancti, qui Rabi Rab excommunicaturus ſeipſum prius excommunicavit, & poſteà domum ingrediens ſeipſum ſolvit, deinde alium. Exemplum hoc initio capitis ex tractatu Mohed relatum eſt, & explicatum. Addit ex Gloſſatoribus unus Zutram domum ingredientem ſeipſum ſolviſſe, כדי שלא יצטרך בני ביתו לתתרחק ממנו ומיהא משמע דמנודה אפילו בני ביתו נותנין בו נדוי׃ *Ut neceſſe non eſſet domeſticis ſeſe ab eo removere, & elongare. Ex eo colligitur etiam domeſticos excommunicationis jura obſervare.* De Uxore diſputat, concludit tamen cum R. Ben Dior ad remotionem teneri, eo quòd ſit unum cum marito corpus.

XII. Multa alia in textus allati confirmationem diſputant, quæ longum eſſet, & inutile huc referre. His itaque omiſſis aliud ipſorum effatum, quod Excommunicationem in ſomnio factum ſpectat, referemus, & habetur folio ſequente non longè à verbis citatis, אמר רב יוסף נידוהו בחלום צריך עשרה בני אדם להתיר לו, והוא דתני הילכתא אבל מתנו ולא תנו לא ואי ליכא דתנו הילכתא אפי׳ מיתנא ולא תנו ואי ליכא|לזיל וליתיב אפרשת דרכים ויהיב שלמא לבי עשרה עד דמקלעים לית עשרה דגמרי הילכתא א״ל רבינא לרב אשי ידע מאן שמתיה מהו דלישרוה ליה אמר ליה לשמתיה שויוה שליח למישרי ליה לא שויוה שליח אמר ליה רב אחא לרב אשי שמתיה ושרו ליה בחילמיה מאי א״ל כשם שאי אפשר לבר בלא תבן כך אי אפשר לחלום בלא דברי׳ בטילים׃ *Dixit R. Joſeph, excommunicatur aliquis per ſomnium, decem hominibus opus eſt ut abſolvatur, iiſque qui Ghemuræ deciſiones didicerint. Verùm ſi Miſnam didicerint, non Ghemaram, non ſufficit. Si nulli ſint Chemaræ Doctores, ſufficient, qui Miſnam non Ghemuram. Quod ſi nullus ejuſmodi reperiatur, ipſi eundem, & ſedendum in trivio, ubi expectans dabit pacem domus, decem virorum, donec occurrunt ei decem deciſionum, & traditionum periti. Dixit Rabona R. Aſe, cognovit quis eum à quo excommunicatus eſt, quis eum poteſt ſolvere, quid faciendam ut abſolvatur? Reſpondit ei, ad excommunicandum ſufficit Synagogæ Miniſter, non autem ad abſolvendum. Dixit R. Acha R. Aſæ, In ſomnio excommunicat unus, ſed plures in ſomnio abſolvunt. Quamobrem? Dixit ei, Quemadmodum non eſt poſſibile, ut frumentum ſit ſine ſtramine, ſic nec ſomnium ſine rebus, & verbis vanis, & inutilibus.*

XIII. Non abs re videri poteſt Excommunicatio illa per ſomnium non modò vana, & inutilis, ſed etiam planè ridicula. Attamen qui ſic excommunicatus eſt, ex eorum dictatis decem homines, & juris peritos inquirere debet, qui eum ab in ſomniis abſolvant. Hoc jam vidimus ſæpius inſignes Rabbinos docuiſſe, ita ut nullus ſit de iſtorum dogmate, mea quidem ſententia, dubitandi locus. Talmudicæ gloſſæ rationem reddunt neceſſitatis decem virorum ad ejuſmodi excommunicationis neceſſitatem, לפי שאפשר שבשליחות המקום נתנדה ולפיכך צריך עשרה להתירו ששכינה עמהם׃ *Quia fieri poteſt, ut per immiſſiones Dei excommunicatus ſit, & ideò opus eſt decem hominibus ad eum ſolvendum, eò quod cum iis habitet majeſtas divinitatis.* Idem ait R. Aſer eadem verba commentans, ſed addit, quod non eſt omittendum: יש לחוש שמא בשליחות המקום נתנדה צריך עשרה בני אדם להתיר לו ועל כל כי עשרה שיש שכינה והרי הותר לו באותו בית דין שנתנדה׃ *Sentiendum, & judicandum eſt, quòd forſan per immiſſiones, & legationes Dei excommunicatus eſt, ideo opus eſt decem hominibus ad eum ſolvendum. Omni enim Concilio decem virorum ineſt divina majeſtas: Eſt autem abſolvendus in eodem Concilio, in quo fuerat excommunicatus.* Denarius numerus apud Judæos ſacer eſt, & aliquando κατ᾽ ἐξοχὴν, ׃מנין numerus dicitur; multique apud eos conventus, ſi hic numerus deficiat, rati non ſunt.

XIV. Quid de hoc numero philoſophetur R. Levi Ben Gerſom in Paraſcham ׃וירא ubi rationem reddit, quare Abraham pro Sodomitis Deum rogans in numero decimo ſubſtiterit, non mihi videtur in hac occaſione omittendum, והוסיף אברהם לבקש עליהם מדרגה אחר מדרגה עד הגיעו לעשרה להיותו המספר היותר מעטי שיתכן שידבק בו ההשגחה מפני הרבוי ר״ל שהאנשים הטובים בשהיו עשרה תתחדש בהן השגחה מפני הרבוי זולת ההשגחה הראויה לכל אחד ואחד מהם ולזה אמרו רז״ל בשלישי ממגילה שאין דבר שבקדושה בפחות מעשרה והיה זה כן לפי שזה המספר הוא אחד מהמדרגה השנית מהמספר שהוא עשיריות ולזה לא מצא אבינו מספר שלם כולל הרבוי יותר מעט מעשרה׃ *Addidit autem Abrahum, ut inquireret de his gradatim, donec ad denarium perveniret, eo quòd numerus ille minimus eſt, cui conveniens ſit providentiam divinam propter pluralitatem adhærere. Ideſt, cùm viri boni decem fuerint renovat ſeſe ſuper eos, atque ipſis attendit propter pluralitatem providentia divina præter providentiam unicuique eorum conſentaneam. Ideò dixerunt Patres noſtri bonæ memoriæ c. 3. tractatus Meghilla ſanctitatem in nulla re inveniri denario minorem. Hoc autem ita eſt, quia numerus iſte unus eſt de ſecundo gradu numeri, qui eſt Decadum. Quapropter non invenit Pater noſter numerum perfectum pluralitatem complectentem Donario minorem.*

XV. In Talmude Hieroſolymitano tractatus Mohed Katon *cap.* 3. nonnulla de Excommunicatione dicuntur, quorum pleraque huc referemus, quibus, quæ jam explicata ſunt, confirmantur. Ferunt velut quid apud Judæos tum vulgare viginti quatuor eſſe cauſas excommunicationis quarum nonnullas enumerant, veluti cùm quis ad judicium vocatus tertio die non comparet, על עשרים וארבעה דברים מנדים וזה אחד מהון וכל אשר לא יבוא לשלשת הימים בעצת השרים והזקנים יחרם כל רכושו והוא יבדל מקהל הגולה׃ *Propter viginti quatuor cauſas fit excommunicatio, quarum hæc una eſt, omnis ad Concilium Principum, & ſeniorum vocatus, & tertio die vadimonium non præſtans, omnia bona ejus anathematizantur, & ipſe ſeparatur à Congregatione captivitatis.* Sic excommunicationis Reus illis eſt, qui ad prophanationem nominis divini alios inducit, quique prohibet, & impedit, ne legis præcepta quis exequatur. Hoc exemplis probant,

Digitized by Google

deinde ſic definiunt, נידוהו ומת בנדוי וסקלו בית דין ארונו ללמדך שכל המנודה ומת סוקלין ארונו׃ הדא אמרה המבזה זקן אפילו לאחר מיתה צריך נדוי׃ *Si excommunicatus aliquis in excommunicatione moritur, feretrum ejus lapidat domus judicii, ut doceat te omnis excommunicati, & in excommunicatione mortui feretrum eſſe lapidandum. Dicitur præterea, Quicunque ſeniorem ſpernit, etiam poſt mortem excommunicatus eſt.* Et paulò poſt, המנודה לרב מנודה לתלמיד המנודה לתלמיד אינו מנודה לרב המנודה לאב ב״ד מנודה לחכם המנודה לחכם אינו מנודה לאב ב״ד המנודה לנשיא מנודה לכל אדם׃ *Excommunicatus Rabbino eſt excommunicatus diſcipulo: ſed excommunicatus diſcipulo non eſt excommunicatus Rabbino. Excommunicatus Patri domus Judicii, excommunicatus eſt ſapienti; ſed excommunicatus ſapienti, non eſt excommunicatus Patri domus Judicii. Excommunicatus principi, omni hominis eſt excommunicatus.* Poſteà duobus exemplis, quibus ſimilia jam ex Talmude Babylonico exſcripta ſunt, docent, ſpernendam non eſſe Excommunicationem: priore ab ancilla petito, quæ hominem immodicè puerum verberantem excommunicationi dixit ſubjacere; de qua re interrogatus R. Acha, אמר צריך את השש על נפשך הדא אמרה העושה דבר שלא בשורה צריך נדוי׃ *Reſpondit excommunicato, neceſſe eſt, ut de hoc actio animo tuo curam habeat. Qui aliquid facit non ſecundùm ordinem obnoxius eſt excommunicationi.* Alterum exemplum eſt R. Simeonis latrones, qui ficus furati erant, excommunicantis, de quo idem decernitur.

XVI. Dicit præterea, cùm plures aliquem excommunicarunt, eorumque aliquis mortuus eſt, ſi ibi ſit Princeps, ad eum recurrendum eſſe, ut excommunicatus ſolvatur. Tandem ſic decernunt, זקן שאירע בו דבר אין מורידין אותו מגדולתו אלא אומרים לו הכבד ושב בביתך רבי יעקב בר אביי בשם רבי אחא זקן ששנה תלמודו מחמת אונסו נוהגין בו כקדושת ארון רבי אחא ר׳ חייה בשם ר׳ יוחנן זקן שנידה לצורך עצמו אפילו כהלכה אין נדויו נדוי ביומוי דר׳ ירמיה אתה עקא על טיבריא שלח בעי מנרתא דכספא גבי רבי יעקב בי רבי בון שלח אמר לית ארוין לא שב ירמיה מרעתו וביקש לנדותו והוה ר׳ חייה בריה דר׳ יצחק עטושיא יתיב תמן אמר ליה שמעתי שאין מנדין זקן אלא אם כן עשה כירבעם בן נבט וחביריו׃ *Senior cui aliquid contigit, non dejicitur à dignitate, & gradu ſuo, ſed dicitur ei, fruere dignitate tua, & ſede domi tuæ. R. Jacob filius Abie nomine R. Acha: Senior qui laudat, & commendabiliorem reddit doctrinam, & ſtudium ſuum propter oppreſſionem, qua premitur, æſtimari ſolet, ut arcæ ſanctificatio R. Acha. R. Tanchum, R. Chia nomine R. Jochanan, Senior qui excommunicavit propter neceſſitatem propriam licèt in re traditionibus congruente, excommunicatio ejus non eſt excommunicatio. In diebus R. Jeremiæ venit tribulatio Tiberiadem, miſitque ad R. Jacob, qui repoſceret ab eo candelabrum argenteum. Miſit ad domum R. Bon, qui dixit ei nunc nondum converſus eſt R. Jeremias à malitia ſua, & ideò quærit, ut ipſum excommunicet. Erat autem R. Chia filius R. Iſaac Hatuſiæ, ibique commorabatur. Dixit ei, audivi quod non excommunicatur ſenior, niſi feceris ut Jeroboam, & ſocii ejus, &c.* Auctor libri Migdal hos dicit ſe neſcire unde cœperit Moſes Cordubenſis ſapientem non eſſe excommunicandum niſi, ut Jeroboam peccaverit, ſed ex verbis citatis manifeſtum eſt ex Talmude Hieroſolymitano depromptum eſſe.

CAPUT XXVI.

De variis peccatorum apud Judæos diſtinctionibus. Quæ dicuntur ipſis peccata gravia, quæ levia. Enumerantur 24. peccatorum ſpecies, quorum Rei Iſraelitæ ſalutem non conſequuntur, niſi Pœnitentiam egerint. Nonnullorum levium peccatorum conſuetudo damnat. Nullum tam execrabile crimen quod Pœnitentia non deleat. Peccatorum 24. ſpecies hominibus, ne Pœnitentiam agant, ſunt impedimento. Quædam peccata ſtatim poſt pœnitentiæ actum condonantur, aliorum remiſſio in feſtum Expiationis ſuſpenditur; aliorum uſque ad afflictiones colerantur, aliorum uſque ad mortem.

Multæ ſunt apud Judæos ſolemnes peccatorum diſtinctiones. Duas occaſione data explicavimus *cap.*20. libri ſecundi, quæ apud eos frequentiſſimæ ſunt, quarum una peccata diſtinguit in commiſſa בזדון *bezadon*, per ſuperbiam, & contumaciam; & commiſſa, בשגגה, *biſchgagah*, per errorem: altera, in commiſſa contra Deum, & commiſſa contra proximum. Capite verò præcedente obiter ex Talmude explicati ſunt gravitatis peccatorum tres gradus, quos his nominibus diſtinguunt עון פשע חטא׳ Priore quoque diſtinctiones eodem capite ex Talmudicis Doctoribus confirmatæ ſunt.

II. Nunc nobis proponimus generalius explicandum, quæ illi in cauſa Pœnitentiæ, & Confeſſionis exiſtiment peccata gravia, quæ levia. Rectè notat R. Juda Calats in libro Muſar, ſive eruditionis, & diſciplinæ moralis Conſtantinopoli typis excuſo anno Chriſti 1541. *cap.*2. poſt medium in quo de Pœnitentia, & illius agendæ ratione diſſerit, unum, & idem peccatum gravius cenſeri, & puniri ratione perſonæ perpetrantis pro varia ſcilicet illius dignitate, ſapientia, facultate, aliiſque circumſtantiis, idque multis exemplis, & ſcripturæ teſtimoniis demonſtrat, & illuſtrat, יש עונות שאדם עושה ונענש עליהם יותר ממה שהיה נענש אדם אחר ואלו עשאן כל אחד ואחד לפי מעלתו וכפי חכמתו כי חטאת החכם חמורה יותר מן חטאת ההדיוט וענשו גדול כמו שאמרנו שנ׳ כי גם נביא גם כהן חנפו בביתי וגו׳ חטאת הזקן חמורה יותר מחטאת הבחור שנ׳ גם שיבה זרקה בו והוא לא ידע ועשיר גנב חטא גדול מעני גנב שנ׳ ויבא הלך לאיש העשיר ויחמול לקחת מצאנו ומבקרו לעשות לאורח הבא לו ויקח את כבשת האיש הרש ויעשה לאיש הבא אליו וכתיב ויחר אף דוד באיש מאד ויאמר אל נתן חי יי׳ כי בן מות האיש העושה זאת׳ וההדיוט מתגאה חטאו גדול מאדם חשוב שתגאה שנ׳ כרום זלות לבני אדם והגוזל את הרש חטאו גדול מן הגוזל את העשיר שנ׳ לאכול עניים מארץ ואביונים מאדם והמזיק חטאו גדול מן המזיק לרשע שנ׳ כי ידעתי כי רבים פשעיכם ועצומים חטאתיכם צוררי צדיק׳ והחוטא ביום המקודש יותר גדול מן החוטא בשאר הימים שנ׳ הן ביום צומכם תמצאו חפצכם׳ *Multa ſunt crimina, quæ homo perpetrans multò gravius punitur quàm alius homo eorundem criminum Reus. Hoc autem fit pro ratione dignitatis, & ſapientiæ uniuſcujuſque. Nam peccatum ſapientis,* (Doctoris) *multò gravius eſt peccato hominis plebeii, & pœna ejus multò major, ut diximus: Dicitur enim, Jerem. 29. 9. quoniam tam Propheta, quàm ſacerdos polluerunt domum meam, &c. Peccatum ſenis multò gravius eſt peccato Juvenis, ut dicitur, Oſeæ 7. 9. etiam canities ſparſit ſe in eo, & ipſe neſcivit. Divitis furantis peccatum gravius eſt peccato pauperis furantis, ut dicitur 2. Sam. 12. Et venit viator ad virum divitem, & pepercit pecudibus ſuis, & bobus ne de iis ſumeret ad parandum hoſpiti ad ſe venienti convivium, ſed cepit agnum viri pauperis, atque ea paravit convivium hoſpiti, qui ad eum venerat. Scriptum eſt autem, & exarſit plurimùm ira David in hominem illum divitem, dixitque Nathani, Vivit Dominus, dignus eſt morte qui hoc fecit. Peccatum viri Idiotæ, & vilis ſuperbientis multo majus peccato hominis illuſtris, & exiſtimatione digni ſuperbientis, ut dicitur Pſalm. 12. 9. Vilitas filiis hominum juxta modum exaltationis. Qui prædatur pauperem, gravius peccat eo, qui prædatur divitem, ut dicitur Proverb. 30. 14. Ut conſumat pauperes è terra, & egenos ab hominibus. Qui nocet juſto gravius peccat, quàm qui nocet impio, ut dicitur Amos 5. 12. Quoniam cognovi multas prævaricationes veſtras, & gravia, magnaque peccata veſtra, hoſtes viri juſti. Denique peccatum in die ſanctificato commiſſum multò majus eſt peccato aliis diebus commiſſo, ut dicitur Iſaiæ 58. 3. Ecce in die jejunii veſtri invenietis quod vobis placet, &c.* Idem demonſtrat poſteà de bonis operibus. Idem ſcilicet opus bonum ab hoc homine proveniens majoris eſſe meriti quàm ab iſto.

III. Verum licèt hæc vera ſint, aliquid generalius quærimus, qua ratione ſcilicet peccata gravia univerſaliter, & abſolutè ſumpta à levibus diſtinguant. Sic hoc iſti expediunt. Moſes Tranenſis in libro, קרית ספר׳ *cap.*1. de deciſionibus Pœnitentiæ, ומה הן הקלות ומה הן החמורות הן שחייבין עליהן כריתות או מיתות בית דין ושבועת שוא ושקר אע״ף שאין בהן כרת הרי הן חמורות ושאר מצות לא תעשה ומצות עשה שאין בהם כרת הין הקלות ויום כפור מכפר עליהם בלא תשובה׃ *Quæ ſunt peccata levia, quæ verò gravia? Gravia ea ſunt, quæ excisione à populo Dei, aut morte à domo judicii damnantur. Juſjurandum vanum, & mendax his quoque adnumerantur, licèt his non ſit adjudicata exciſio. Hæc ſunt peccata gravia. Reliqua verò præcepta ſive negativa, ſive affirmativa, quibus non eſt adjuncta exciſio, levia ſunt, eaque expiat ſine pœnitentia feſtum Expiationis.* Eodem modo, atque iiſdem ferè verbis diſtinguit peccata gravia à levibus Moſes Cordubenſis *cap.*1. *de pœnitentia*, liber Hachaſidim num.20. & alii plerique, quorum nonnullos alibi hoc opere retullimus. Sunt aliæ celebres apud eos peccatorum diſtinctiones, quæ cùm ad pœnitentiam relationem neceſſariam habeant, non videtur nobis ſupervacanea, aut à propoſito noſtro aliena earum enarratio.

IV. Sententia Judæorum omnium eſt, Iſraelitas vita æterna tandem fruituros, licèt vel gravium criminum pœnitentiam non egerint: Pios quidem, & ſanctos ſtatim poſt mortem, alios autem purgatoriis pœnis punitos, & purgatos, tandem ab inferis eripi, & in cœlum evehi, mercedem quidem ea, qua pii, & ſancti fruuntur, minorem reportaturos; ſa-

ctave-

Digitized by Google

ła verò ad ſeipſos comparatione, pro uniuſcujuſque meritis majorem, vel minorem. Viginti quatuor tamen peccatorum genera excipiunt, quorum Rei, licèt Iſraelitæ ſint, in æternum cruciandi ſunt, niſi de iis Pœnitentiam ante mortem egerint. Eſt enim tritum, & exploratum apud eos axioma, nullum eſſe tam grave peccatum, quod Pęnitentia non expietur. Itaque ex eorum mente diſtingui poſſunt peccata in ea, quæ ſine Pęnitentia per pœnas purgatorias tandem remittuntur, & ea quorum remiſſioni prorſus neceſſaria eſt in hoc ſeculo Pęnitentia, alioquin æternis flammis eorum Rei addicuntur. Prioris generis ſunt omnia peccata, decem aut duodecim exceptis, quæ poſteà in 24. ſpecies diſtinguit. Iſta nunc ex eorum verbis doceamus.

V. Moſes Cordubenſis *cap.* 3. Deciſionum pęnitentiæ hæc ita explicat, כל ישראל יש להם חלק לעולם הבא אף על פי שחטאו שנ' ועמך כולם צדיקים לעולם ירשו ארץ ארץ זו משל כלומר ארץ החיים והוא העולם הבא וכן חסידי אומות העולם יש להם חלק לעולם הבא ואילו הן שאין להם חלק לעולם הבא אלא נכרתין ואובדין ונידונין על גודל רשעם וחטאתם לעולם ולעולמי עולמי' המינין ואפיקורוסין והכופרי בתורה והכופרי בתחיית המתים ובביאת הגואל והמשומדין ומחטיאי הרבים והפורשין מדרכי ציבור והעושה העבירות ביד רמה בפרהסיא כיהויקי' והמוסרי ומטילי אימה על הציבור שלא לשם שמים ושופכים דמים ובעלי לשון הרע והמושך ערלתו· *Omnis Iſrael partem habet in futuro ſeculo, licèt peccaverint, ut dicitur Iſaiæ 60. 21. Populus tuus omnes juſti ſunt in æternum, hæreditate poſſidebunt terram. Terra iſta ſimilitudo eſt, & parabola, quaſi diceretur, terra viventium, quæ eſt ſeculum futurum. Sic etiam ſanctiè populis mundi partem habebunt in ſeculo futuro. Iſti ſunt quibus non eſt pars in ſeculo futuro, ſed qui exſcinduntur, perduntur, & condemnantur propter magnitudinem iniquitatis, & peccatorum ſuorum in ſeculum, & in ſecula ſeculorum: Hæretici, Epicuræi, negantes legem, negantes reſurrectionem mortuorum, & adventum redemptoris, Apoſtatæ, & qui multos in peccatum inducunt, Qui ſe ſeparant à moribus, & conſuetudinibus Synagogæ, qui tranſgreditur confidenter, & in manu excelſa ut Joachim, Proditores, & afferentes terrorem ſuper Synagogam, quæ non eſt propter Deum, Effundentes ſanguinem, & maledici, & attrahens præputium.*

VI. Explicat poſteà clarius, & ſpecialius quinam homines per iſtos intelligendi, ita ut eos in 24. ſpecies ſeu claſſes diſtinguat quas hic verbum è verbo translatas omnia textus Hebraici exſcriptione enarrabimus; Videntur enim mihi in minutiori explicatione nonnulla obiter inferi quæ evangelicis præceptis comparata non inutiliter legi poſſunt; *Quinque iſti hæretici vocantur. Qui dicit quod non eſt Deus, neque mundi Rector, & Gubernator. Qui dicit quod eſt quidem Deus mundi Rector, & Gubernator, ſed quòd duo ſint, aut etiam plures. Qui fatetur quidem Deum unum eſſe Dominum, ſed afferit corpus eſſe, & figuram habere. Sic qui docet, quòd non ſit ſolus primus, & fundamentum, rupeſque omnium. Ejuſmodi eſt, qui præter eum facit ſtellam, vel Planetam Deum ut ſit interpres, & mediator inter ipſum, & Dominum ſeculorum. Unuſquiſque ex iſtis à lege deficit, & eſt hæreticus. Tres iſti vocantur Epicurei: Qui dicit, quòd nulla eſt omnino Prophetia, neque ulla à creatore in cor hominum emanat ſcientia. Qui mendacii arguit Moſis Magiſtri noſtri prophetiam; & qui dicit creatorem non cognoſcere opera hominum. Unuſquiſque ex his tribus Epicuræus eſt. Tres iſti legem abnegant: Qui dicit legem non eſſe à Deo, vel unum verſum, immò vel unam dictionem; ſi dixerit Moſen hoc locutum eſſe ex ore ſuo, & motu cordis proprio, hic legem negavit. Eadem ratio eſt negantis interpretationem legis, quæ eſt lex oralis, ſive traditio, & mendacii accuſantis enarrationes ejus ab antiquis acceptas, ut fecerunt SadoK & Baitbus: Et qui dicit, creatorem mutaſſe mandatum hoc in mandatum aliud, atque etiam abrogaſſe, & abolevíſſe legem hanc, licèt à Deo data fuerit: Una quæque ex his tribus Iſraelitarum ſpeciebus legem abnegat. Duo hi ſceleſti prævaricatores ſunt; Qui contumaciter unum legis mandatum tranſgreditur, & qui univerſam legem tranſgreditur. Præfractè committere prævaricationem unam dicendus eſt ille, qui corroborat, & indurat ſeipſum, ut eam faciat per ſuperbiam, & ſeipſum in ea oſtentat, & jactat, & aſſuefacit, licèt ſit levioris mandati tranſgreſſio, veluti qui pertinaciter in animum ſuum inducit, ut heterogeneis, & variegatis veſtibus induatur, aut in gyrum tondeat angulum capitis. Deprehenditur enim ille quantum in ſe eſt, velut abrogans, & delens hoc mandatum è mundo. En ejuſmodi homo prævaricator ſceleſtus eſt hac in re, id enim facit ad Deum irritandum. Univerſæ legis prævaricator, veluti qui ad leges gentium convertitur, cum aliqua perſecutio decernitur, iiſque adhæret, dicitque, Quæ mihi utilitas adhærere Iſraeli: Sunt enim humiles, abjecti, perſecutiones patiuntur: Bonum mihi ut firmiter dæmonis eorum adhæream, Hic eſt univerſæ legis Apoſtata. Qui plures ad peccatum inſtigat: Velut, qui in grande peccatum induxit, ſicut Jeroboam, & SadoK, & Boithus; & qui ad leve, etiamſi ad abrogandum mandatum affirmativum; & qui alios cogit ut peccent, ut Manaſſe qui occidebat Iſraelem donec ſervirent idolis; aut qui alios ad errorem agit, & impellit. Qui ſe ſeparat à viis, & conſuetudinibus Congregationis, licèt prævaricationes non perpetret, ſed ſeparetur tantùm à cœtu, & conventu Iſraelis, & non exequatur mandata juxta univerſum eorum canonem, neque afflictionibus eorum velit eſſe obnoxius, & non affligit ſe in afflictionibus eorum, ſed ambulat in via, & voluntate propria ſicut unus è Cuthæis terræ, & velut non pertineret ad Iſraelem, Non eſt iſtiuſmodi hominis pars in ſeculo futuro. Qui tranſgreditur cum manu excelſa velut Joachim, ſive tranſgreſſiones leves fiat, ſive graves, non eſt ei pars in ſeculo futuro. Talis vocatur aperiens faciem in legem, eo quod corroborat, & indurat frontem ſuam, & faciem detegit, neque erubeſcit ad verba legis. Duo hi ſunt Proditores: Qui tradit proximum ſuum in manus Cuthæorum velut occidatur, vel ut flagelletur: Et qui tradit pecuniam proximi ſui in manum Cuthæorum, aut in manum opprimentis ſicut Cuthæus. His duobus non eſt pars in futuro ſeculo. Terrorem inducentis in Congregationem, qui non eſt propter Deum cælorum: Qui per vim, & potentiam Congregationi dominatur, quem idcircò multi timent, & reformidant, ſed intentio ejus eſt ſeipſum honorare, & non ſecus ac reges gentium nullo deſiderio honoris Dei tenetur. Unumquodque ex 24. iſtis hominum generibus, quæ enumeravimus, quanquam Iſraelitæ ſint, nullam habebit in futuro ſeculo partem.*

VII. Nonnulla ait eſſe peccata his leviora, de quibus inquit, Sapientes pronuntiarunt eos, qui ſeſe his aſſuefecerint nullam in futuro ſeculo partem habituros, להתרחק מהן ולהזהר בהן *Ut ſcilicet ab his homines longe arcerent, & de iis moniti ea caverent*, quemadmodum apud eos vulgò dicitur, הוי זהיר במצוה קלה כבחמורה· *Admonitus, & cautus eſto in mandato levi, ut in gravi.* Levia autem ejuſmodi peccata hæc enarrat המכנה שם רע להבירו והקורא לחבירו בכינויו והמלבין פני חבירו ברבים והמתכבד בקלון חבירו והמבזה תלמידי חכמים והמבזה רבותיו והמבזה את המועדות והמחלל את הקדשים בד"א שכל אחד מאלו אין לו חלק לעולם הבא כשמת בלא תשובה· *Qui proximo turpe cognomen impingit, & eum ſic vocat: Qui faciem proximi ſui publicè padefacit; qui gloriam captat ex opprobrio proximi ſui: Qui contemnit diſcipulos Sapientium, & Magiſtros ſuos, & conventus ſacros, & prophanat ſancta, Quid de iis dicendum? Nullam habere in ſeculo partem, cùm ſine Pęnitentia moriuntur.*

VIII. Addit ille Rabbinus celebris, quæ notatione digniſſima ſunt, ut quæ Judæi de virtute Pœnitentiæ ſentiunt, explicentur. אבל אם שב מרשעו ומת והוא בעל תשובה הרי זה מבני העולם הבא שאין לך דבר שעומד בפני התשובה אפילו כופר בעיקר כל ימיו ובאחרונה שב יש לו חלק לעולם הבא שנ' שלום שלום לרחוק ולקרוב אמר ה' ורפאתיו כל הרשעים והפושעים והמשומדים וכיוצא בהן שחזרו בתשוב' בין בגלוי בין במטמוניות מקבלין אותן שנ' שובו בנים שובבים· *Verùm ſi converſus fuerit ab impietate ſua, & mortuus fuerit Pœnitentiam agens, En pertinet iſte ad filios futuri ſeculi, eo quod nulla tibi res eſt, quæ ſubſiſtat in conſpectu Pęnitentiæ, ut quidem crimen negantis principia fidei per totam vita. Nam in extremis converſus partem habet in futuro ſeculo, ut dicitur, Pax, pax ei qui longè eſt, & qui prope, dicit Dominus, & ſanabo eum. Omnes impii, & prævaricatores, & Apoſtatæ, hiſque ſimiles qui per Pęnitentiam redeunt ſive apertè, ſive occultè, recipiuntur, ut dicitur, revertimini filii averſi, &c.* Itaque ſecundùm Judæos nullum prorſus crimen eſt, nullum tam horrendum ſcelus, quod Pęnitentia non deleatur; multa tamen minora, quæ ſcilicet in enumeratis non continentur, Judæis non Pęnitentibus remittuntur, poſtquam ſcilicet in purgatorio pœnas luerint, & purgati fuerint. Auctor *Migdal hos* propoſitiones iſtas Moſis in Talmude paſſim legi demonſtrat; ſed nobis hæc obiter tantùm adnotantibus præpoſtera digreſſio eſſet Talmudicos textus huc referre.

IX. Aliam peccatorum diſtinctionem exequitur Moſes eodem loco toto capite ſequente, eorum ſcilicet quæ Pęnitentiam impediunt, & conſequenter eorum, quæ non impediunt. Enumerat viginti quatuor peccatorum ſpecies, quæ hominibus impedimento ſunt ne Pęnitentiam agant. Impedimenta autem illa in quinque dividit genera, & unicuique aliquas ex illis ſpeciebus attribuit, עשרים וארבעה דברים מעכבין את התשובה ארבע מהםעון גדול והעושה אחת מהם אין הק"בה מספיק בידו

לעשות תשובה לפי גודל חטאו ואלו הן א׳ המחטיא את הרבים ובכלל עון זה המעכב את הרבים מלעשות מצוה ב׳ המטה את חבירו מדרך טובה לרעה כגון מסית ומדיח ג׳ הרואה בנו יוצא לתרבות רעה ואינו מוחה בידו הואיל ובנו ברשותו אלו מיחה בו היה פורש ונמצא כמחטיאו ובכלל עון זה כל שאיפשר בידו למחות באחרים בין יחיד בין רבי׳ ולא מיחה אלא מניחם בכשלונם ד׳ האומר אחטא ואשוב ובכלל זה האומר אחטא ויום הכפורים מכפר׳ *Viginti quatuor res remorantur, & impediunt Pœnitentiam, Quatuor ex iis crimina ſunt magna: Qui vel unum ex his quatuor perpetraverit, non ſuppeditat rei Deus facultatem Pœnitentiam agendi propter peccati ſui magnitudinem. Sunt autem illa. 1. Inducens multos in peccatum, in ſumma, crimen hoc committit, quicunque multos ab implendis præceptis retardat. 2. Avertens, & inclinans proximum ſuum à via bona in malam, veluti perſuadens, & impellens. 3. Qui videt filium ſuum ad indolem, moreſque malos deflectentem, & non impedit, & coercet eum, quandoquidem eſt filius in ejus poteſtate, & eum cohibere poteſt, intelligitur, & eſt veluti eum ad peccatum inducens. In ſumma crimen hoc complectitur unumquemque in cujus poteſtate ſitum eſt alios impedire ſive aliquem unum ſolum, ſive plurimos, & eos à malo non coercet, ſed in offendiculo ſuo, & ruina relinquit. 4. Qui dicit peccabo, & convertar: Et in ſumma quicunque dicit, peccabo, & dies feſtus expiationis expiabit, & delebit peccata mea.* Ex iſtis 24. quinque ait vias obſtruere Pęnitentiæ. Alia quinque, quæ poſtquam quis commiſit, fieri non poteſt ampliùs, ut de iis perfectam agat Pęnitentiam, eo quod peccata hæc ſint inter hominem, & proximum ſuum, & non cognoſcat quem offendit, ut ad eum redeat, & ab eo veniam petat. Quinque alia ſunt, quæ cum aliquis committit, non eſt illis vis, & animus ut ab iis convertatur, eo quòd levia multis videantur, & ipſe judicet ea non eſſe peccata. Denique alia quinque ſunt, quæ cum quis facit, ab iis ſemper attrahitur, & difficilè ſeparatur. Itaque diligenter attendendum, eſt ne fortè illis adhæreatur; ſpectant autem omnia ad pravos admodum animi ſenſus, & opiniones. Hæc ſufficiant; ſingulas enim diſcutere longioris eſſet operæ. Iſta ſunt, quæ juxta eorum Theologiam peccatores ab agenda pœnitentia retardare ſolent. Eadem habet, & ſigillatim enumerat, & explicat liber Muſar *cap. de Pœnit.* circa medium Sic quoque liber Chaſidim, & copioſe *cap. 19* Auctor libri Reſchith Chocmah ea enumerat *tractatus de Pœnitentia, cap. 6.* longè ante medium.

X. Ratione temporis, quo peccata remittuntur, varias eorum conſtituunt ſpecies. Minutè eas diſtinguit Moſes Tranenſis in fine capitis primi de Pœnitentia, ſeu potius omnes ſtudiosè collegit. Peccata in quinque claſſes dividit: In ea quæ ſtatim per Pęnitentiam remittuntur; Quæ tantùm poſt actam Pęnitentiam; Quorum poſt actam pęnitentiam remiſſio uſque in feſtum Expiationis differtur; Quorum remiſſio nec poſt actam pœnitentiam, nec in feſto Expiationis conceditur, ſed à Deo ſuſpenditur, donec variis afflictionibus illius criminis Reum caſtigaverit. Denique in ea, quæ ne quidem his omnibus modis remittuntur, ſed eorum remiſſio in diem mortis ſuſpenditur. Commemorat prætereà alium remiſſionis modum, qui ſtante templo vigebat, ſed eo diruto nullus ſupereſt illius uſus. Opinantur, cùm vigebat templum per hircum emiſſarium levia peccata ſine Pęnitentia dimiſſa fuiſſe, quæ nunc etiam in feſto Expiationis non ſine Pœnitentia dimittuntur. Sed Moſen ipſum audiamus.

XI. יש עבירות שהן מתכפרין לשעתן בתשובה ויש עבירות שהן מתכפרין אלא לאחר זמן התשובה כיצד מצות עשה שאין בה כרת אם עשה תשובה לא זז משם עד שמוחלין לו ש׳נ׳ שובו בנים שובבים ארפה וגו׳ עבר על מצות אל תעשה שאין בה כרת ודאי ולא מיתת בית דין ועשה תשובה תשובה תולה ויום הכיפורים מכפר ובאלו נאמר כי ביום הזה יכפר וגו׳ עבר על מצות לא תעשה דכריתות ומיתות ב״ד בסייר דאינו חייב חטאת ולא אתרו ביה דאינו חייב מיתה ועשה תשובה תשובה וי״ה ויסורין ממרקין דאף על גב דבשעיר משתלח מכפר אכריתות ב״ד בשעשה תשובה היינו משום דבקלות לא בעי תשובה בשעיר המשתלח אבל ביום כפורים לבולהו בעות תשובה ואך חלק כתיב משום הכי אחמורות שהן כריתות ומיתות ב״ד לא גמירה כפרה עם התשובה אלא עד דאתו עליה יסורין שנ׳ ופקדתי בשבט פשעם וגו׳ בד״א בשלא חללאת ה׳ אבל חלל ה׳ אף על פי שעשה תשובה והגיע יום כיפור והוא עומד בתשובתו ובאו עליו יסורין אין מתכפר לו כפרה גמורה עד שימות ובולם תולין מ״ת׳ מכפרת שנ׳ ונגלה באזני וגו׳ אל יכופר העון הזה לכם עד תמותון *Sunt tranſgreſſiones, quæ eadem hora per Pœnitentiam expiantur: Sunt tranſgreſſiones, quæ non expiantur, niſi poſt elapſum Pœnitentiæ tempus: veluti præcepta affirmantia, quibus non additur exciſio, ſi Pœnitentiam quis de iis egerit, non recedit inde, donec ipſi condonatum fuerit, ut dicitur, revertimini filii averſi, ſanabo, &c. Tranſgreditur aliquis præceptum negativum, cui non eſt evidenter annexa exciſio, neque mors à domo Judicii, egit autem de eo Pœnitentiam; Pœnitentia ſuſpendit veniam, & dies expiationis expiat. De his dicitur, quia hoc die expiabitur, &c. Tranſgreditur verò quis præceptum negativum, cui adnexa eſt exciſio, & mors à conſilio Judicum per ſuperbiam, quæ non eſt peccati rea, & non admonuerunt eum, quia non eſt mortis reus, fecit autem de iis pęnitentiam. Pœnitentia, & dies Expiationis, & caſtigationis purgant: Nam licèt per hircum emiſſarium exciſio, & mors à Judicis domo infligenda expientur, cùm pęnitentiam fecerit, atque etiam ita ſit quod propter levia non requiratur pęnitentia in Hirco emiſſario, attamen in die expiationis requiritur pęnitentia de omnibus. Verumtamen diſtinguit ſcriptura propter gravia peccata, quæ à domo Judicii exciſione, & morte condemnantur: Iſtorum criminum expiatio per pęnitentiam non perficitur, donec Reus caſtigationes, & afflictiones ſuſtinuerit, ut dicitur, Viſitavi in virga iniquitates eorum, &c. Quomodo hoc eſt intelligendum? De eo qui nomen Dei non prophanat. Verùm ſi praphanavit, licet pęnitentiam egerit, & pervenerit ad feſtum Expiationis conſtanter in pęnitentia ſua permanens, venerintque ſuper eum afflictiones, non expiatur tamen expiatione perfecta, ſive non remittuntur ei perfectè peccata, donec obierit: Omnia ſuſpenduntur, mors iſta remittit, ut dicitur Iſaiæ 22.14. Revelatum eſt in auribus meis, ſi expiabitur iniquitas hæc vobis, donec moriamini.*

XII. Liber Chaſidim n.20. minus quidem minutè hæc explicat, ſed clarius, & expeditius. Ex eodem fonte non modò rem, ſed & verba ambo deprompſerunt; nonnullæ tamen apparent inter utramque enuntiationem differentiæ, quas, utraque conſpecta, lector ipſe colliget. Poſtquam igitur auctor ille univerſaliter aſſeruit quæcunque peccata per Pœnitentiam remitti, etiamſi in iis ad mortem uſque perſeveraverit, dummodo ante mortis ictum reſipuerit, ita excipit, יש עבירות מתכפרות בשעתן ויש עבירות שאין מתכפרות אלא לאחר זמן ביצד עבר אדם על מצות עשה שאין בה כרת ועשה תשובה אין זז משם עד שמוחלין לו ובאלו נאמר שובו בנים שובבים ארפא משובותיכם עבר אדם על מצות עשה שאין בהן כרת ומיתת ב״ד ועשה תשובה התשובה תולה וי״ה מכפר באלה נאמר ביום הזה יכפר עבר על כרת ומיתת ב״ד ועשה תשובה תשובה וי״ה תולין ויסורים הבאים עליו גומרים לו את הכפרה ולעולם אין מתכפר לו כפרה גמורה עד שיבואו עליו יסורים ועליהם הכתוב אומר ופקדתי בשבט פשעם ובנגעים עונם בד״א שלא חילל את ה׳ בעת שעבר כמו שעשה העבירה בצניעה אבל מחלל את ה׳ בפרהסיא אע״פ שעשה תשובה והגיע י״ה ועודנו עומד בתשובתו ובאו עליו יסורין אין כל אלה מועלין למרק עונו ולהתכפר כפרה גמורה עד שימות אלא תשובה ויום הכפורים ויסורין שלשתן תולין ומיתה ממרקת והכפרה שנ׳ ונגלה באזני ה׳ צבאות׳ *Nonnulla ſunt peccata quæ ſtatim expiantur, nonnulla verò, quæ tantùm poſt aliquod tempus: Veluti cùm tranſgreſſus eſt homo aliquod præceptum affirmativum, cui non eſt adnexa exciſio è populo, & de eo pęnitentiam egit, non inde recedit, donec ei parcitum fuerit. De ejuſmodi peccatis dictum eſt, revertimini filii rebelles, & ſanabo averſiones veſtras. Tranſgreſſus eſt homo præceptum affirmativum, cui annexa non eſt nec exciſio à lege, nec mors à domo Judicii, & de eo pęnitentiam egit, pœnitentia ſuſpendit, & feſtum Expiationis remittit. De his dicitur, Quoniam in illa die remittetur, &c. Tranſgreſſus eſt præceptum, cui annexæ ſunt exciſio, & mors à domo Judicii, & de eo Pęnitentiam egit; pęnitentia, & feſtum expiationis ſuſpendunt, ſed afflictiones ipſi advenientes perficiunt in eo remiſſionem, & nunquam remiſſionem perfectam obtinet, donec in eum venerint afflictiones; Et de his dicit ſcriptura, Viſitavi in virga iniquitates eorum, & in plagis ſcelera eorum. Quomodo hoc intelligendum? De eo qui non prophanavit nomen Dei eo tempore, quo tranſgreſſus eſt, velut ille qui occultè, & verecundè peccatum perpetravit. Sed ſi nomen Dei prophanavit publicè, & impudenter, licèt pœnitentiam agat de peccato ſuo; & advenerit feſtum Expiationis, dum adhuc in pęnitentia ſua perſeverat, & venerint ſuper eum afflictiones, hæc omnia non proſunt ad abſtergendam iniquitatem ejus, & ei remiſſionem perfectam obtinendam donec moriatur; ſed pœnitentia, & feſtum Expiationis, & afflictiones, tria hæc ſuſpendunt remiſſionem, & expiationem peccatorum, ſed mors eam reddit perfectam, & abſolutam, ut dicitur Iſaiæ 22.14. Et revelabitur in auribus Dei Sabaoth.* Videtur duas priores ſpecies, quas Moſes diſtinxit, peccatorum ſcilicet, quorum remiſſio ſtatim, & eadem hora, qua reſipiſcit homo, conceditur, & quorum remiſſio in finem pęnitentiæ differtur, in unam conjungere. Deinde in ſecundo exemplo, ſive tertia remiſſionis ſpecie videtur in textu per incuriam omiſſa negatio, & legendum, tranſgreſſus eſt homo præceptum negativum, לא תעשה non, affirmativum. Verum iſta ex perpendiculo non metimur, nec ſcopus noſter in Rabbinorum περιεργίας facem mittere.

XIII. Au-

XIII. Auctor libri Muſar *cap.* 2. non longè ab initio peccata ratione remiſſionis, & expiationis in quatuor ſpecies diſtinguit præcedentibus conſimiles, eaſque à Talmudicis Rabbinis velut apud eos vulgatas derivat, quorum tres Pœnitentia, quarta morte expiatur. Sic iſta ediſſerit, עבר על מצות עשה ועשה תשובה אינו זז משם עד שמוחלין לו ובאלו נאמ׳ שובו בנים שובבים׳ עבר על מצות לא תעשה ועשה תשובה תשובה תולה ויום הכפורים מכפר ועל זה נאמ׳ כי ביום הזה יכפר עליכם׳ עבר על כריתות ומיתות בית דין ועשה תשובה תשובה ויום הכפורית תולין ויסורין ממרקין ועל זה נאמר ופקדתי בשבט פשעם ובנגעים עונם׳ אבל מי שיש בידו חלול השם אין כח בתשובה לתלות ולא ביום הכפורים לכפר ולא ביסורין למרק אלא כלן תולין ומיתה מכפרת שנ׳ ונגלה באזני יי׳ צבאות אם יכופר העון הזה לכם עד תמותון ואין חלול השם מתכפרת עד שימות המחלל׳ *Tranſgreſſus eſt quis præceptum affirmativum, & de hoc Pœnitentiam egit, non inde recedit, donec peccata ipſi remittantur, & de illis dicitur: Convertimini filii averſi. Tranſgreſſus eſt præceptum negativum, & de hoc pœnitentiam egit, pœnitentia ſuſpendit, & dies Expiationis remittit: Et de hoc dicitur, Quoniam hac die remittetur vobis. Tranſgreſſus eſt præceptum, cui domus Judicii exſiſionem è populo, & mortem impoſuit, & de hoc pœnitentiam egit, Pœnitentia, ac dies Expiationis ſuſpendunt; caſtigationes autem, & afflictiones abſtergunt, & remiſſionem perficiunt: Et de hoc dicitur, viſitavi in virga ſcelera eorum, & in plagis iniquitates eorum. Verùm Pœnitentia ejus, qui Reus eſt prophanationis nominis divini, vim non habet ſuſpendendi, neque dies Expiationis propitiandi, neque caſtigationes abſtergendi, & perficiendi, ſed hæc omnia ſuſpenduntur: Mors verò expiationem perficit, ut dicitur Iſaiæ vigeſimo ſecundo, verſ. 14. Et revelatum eſt, in auribus meis Domini Exercituum, ſi expiabitur iniquitas hæc vobis, donec moriamini. Ideò prophanatio nominis divini non expiatur, & remittitur donec prophanus moriatur.* Eadem habet Moſes Cordubenſis *in ſuo cap. 1. de Pœnit.* & iiſdem ſcripturæ teſtimoniis demonſtrat. Ita quoque Moſes Kotſenſis ad præceptum ſecundùm negativum prima libri pagina, & auctor Reſith Chocma ad finem *cap. 2. tractatus de Pœnitentia.*

CAPUT XXVII.

De Cherem ſecunda Excommunicationis ſpecie. Excommunicationem 24. de cauſis ferri poſſe dicunt, quæ enumerantur. Nominis Cherem ratio, & variæ ſignificationes. Quid minimæ Excommunicationi hæc gravior ſuperaddat. Quid Cherem ghematricè. In Cherem præter minimam Excommunicationem ineſt execratio, & jusjurandum. A decem infligi debet. Magna cum ſolemnitate feratur. Virtutis, & ſolemnitatis antiquæ exempla referuntur.

QUanquam Judæi multis modis peccata diſtinguant, ut capite præcedente enarratum eſt, non nemini tamen me legiſſe, apud eos ſpecialiter definitum hæc peccata ſunt excommunicatione, quæ dicitur, נדוי׳ plectenda; iſta verò Excommunicatione, quæ dicitur Cherem, aut Schammatha: Judicibus hanc diſtinctionem videntur commiſiſſe: Monent quidem ſæpius levioris Excommunicationis contemptores duriore, Cherem ſcilicet aut Schammata, eſſe plectendos; ſed hoc crimen eſſe pœna Nidui, iſtud verò pœna Cherem, aliud verò Schammatha, non legi apud eos, ſic diſtinctè definitum, quanquam nonnunquam reperire ſit aliquos propter criminis ſcelus extrema pœna ſtatim affectos. Ferunt ex antiqua traditione, cujus mentio fit in Talmude Hieroſolymitano *cap. 3. tract.* Moed viginti quatuor eſſe cauſas Excommunicationis. Eas omnes breviter collegit Moſes Cordubenſis *in ſuis cap. 6. tract.* de doctrina legis, & ex eo Bahal Hatturim parte ſecunda, ſive in Jore deha *in fine ſectionis 334.* Ut & R. Elias filius Moſis, de Vidas in libro Reſchith Chocmah, *tract. de Pœnitent. cap. ult.* Peccata illa omnia indiſcretè Excommunicationi, τῷ Nidui, obnoxia ſcribunt, licèt nonnulla per ſe videantur maximam pœnam requirere. Omnes ex Moſe hic exſcribemus.

II. על עשרים וארבעה דברים מנדים את האדם בין איש בין אישה ואלו הן׳ א המבזה את החכם ואפילו לאחר מותו׳ ב המבזה שליח בית דין׳ ג הקורא לחבירו עבד׳ ד מי ששלחו לו בית דין וקבעו לו זמן ולא בא׳ ה המזלזל בדבר אחד מדברי סופרים ואין צריך לומר בתורה׳ ו מי שלא קבל עליו את הדין מנדין אותו עד שיתן׳ ז מי שיש ברשותו דבר המזיק כגון כלב רע או סולם רעוע מנדין אותו עד שיסיר היזקו׳ ח המוכר קרקע שלו לגוי מנדין אותו עד שיקבל עליו כל אונס שיבא מן הגוי לישראל חבירו בעל המיצר׳ ט המעיד על ישראל בערכאות של גוים והוציא ממנו בעדותו ממון שלא כדין ישראל מנדין אותו עד שישלם׳ י טבח כהן שאינו מפריש המתנות ונותנן לכהן אחר מנדין אותו עד שיתן׳ יא המחלל יום טוב שני של גליות אע״פ שהוא מנהג׳ יב העושה מלאכה בערב הפסח אחר חצות׳ יג המזכיר שם שמים לבטלה או בשבועה בדברי הבאי׳ יד המביא את הרבים לידי חילול השם׳ טו המביא את הרבים לידי אכילת קדשים בחוץ׳ טז המחשב שנים וקובע חדשים בחוצה לארץ׳ יז המכשיל את העור׳ יח המעכב את הרבים מלעשות מצוה׳ יט טבח שיצאת טרפה מתחת ידו׳ כ טבח שלא בדק סכינו לפני חכם׳ כא המקשה עצמו לדעת׳ כב מי שגירש את אשתו ועשה בינו ובינה שותפות או משא ומתן המביאין להן להזקק זה לזה כשיבאו לב״ד מנדין אותן׳ כג חכם ששמועתו רעה׳ כד המנדה מי שאינו חייב נדוי׳ *Propter viginti quatuor cauſas excommunicantur homines ſive viri, ſive fœminæ. Sunt autem iſtæ. 1. Contemnens ſapientem, etiamſi poſt ipſius mortem, 2. Contemnens Miſſum, ſive Miniſtrum, & Viatorem domus Judicii. 3. Vocans proximum ſuum ſervum. 4. Cui vadimonium conſtituit domus Judicii, & illud non obivit. 5. Qui vilipendit unum ex verbis Scribarum, multò magis cum de verbis legis agitur. 6. Qui non paret ſententiæ Judicis in ſe latæ, excommunicatur, donec ei ſeſe dediderit, & ſolverit. 7. in cujus poteſtate eſt, res aliqua nociva, veluti canis malus, vel ſcala fragilis, excommunicatur donec removerit, quòd in ea eſt nocivum. 8. Qui vendidit fundum ſuum Gentili, excommunicandus, donec promiſerit, ſe reſarturum omnem rapinam, & damnum, quod Iſraelita proximus ſuus à Gentili patietur. 9. Qui teſtimonium profert contra Iſraelitam in tribunalibus gentium, & per illud pecuniam ab eo exegit, quæ ei ſecundùm Judicium Iſraelis non erat debita, excommunicatur, donec reſtituerit. 10. Sacerdos lanio, qui non ſeparat dona, parteſque Sacerdotales rei mactatæ, ut eas det alteri Sacerdoti, excommunicatur, donec eas dederit. 11. Qui prophanat diem feſtum ſecundum captivitatis, licèt ex conſuetudine tantùm obſervetur. 12. Qui facit opus in veſpera Paſchatis poſt medium diem. 13 Qui in vanum commemorat nomen Dei, aut per juramentum in rebus falſis, aut frivolis. 14. Qui multos inducit ad prophanationem divini nominis. 15. Qui alios inducit ad eſum ſanctificatorum extra templum. 16. Qui ſupputat annos, & figit menſes extra terram Iſraelis. 17. Qui impingere facit cæcum. 18. Qui multos ab implendis præceptis impedit. 19. Lanio, de cujus manu egreditur raptum, & laceratum,* (id eſt, qui illegitimè beſtiam mactat, ita ut habenda ſit polluta non ſecus, ac à feris laceratum.) 20. *Lanio, qui non examinavit cultrum ſuum coram ſapiente. 21. Qui difficilem ſe præbet ad diſcendum. 22. Qui repudiavit uxorem ſuam, & poſtmodum cum ea init ſocietatem, vel habet commercium quod inducit eos ad mutuam copulationem, cùm ad domum Judicii venerint, excommunicandi ſunt. 23. Sapiens, de quo fama mala ſpargitur. 24. Excommunicans eum, qui excommunicationem non meruit.* Has ob cauſas excommunicare ſolent, aut anathematizare, aut Schammatizare, ſed ut plurimùm excommunicare tantum. Unaquæque enim ex iſtis cauſis pro variis circumſtantiis graviori Excommunicationi erat obnoxia.

III. Hoc ut diſtinctius intelligatur, duas alias Excommunicationis ſpecies, Nidui, ſive ſimplice Excommunicatione graviores, ut nobis initio propoſitum fuit, proſequemur. Secunda Excommunicationis ſpecies Judæis dicitur, חרם *Cherem*, nomen in Scriptura ſacra frequens, in qua duo ſignificat, *ἀνάθημα*, & *ἀνάθεμα*, rem Deo conſecratam, & devotam, deinde rem execrandam, & ab omni hominum conſortio exterminandam. Prior ſignificatio uſurpatur *Levitici cap. 27. verſ. 21.* כשדה החרם לכהן תהיה אחזתו׳ Quæ ſic vertit S. Hieronymus, *Et poſſeſſio conſecrata, ad jus pertinet Sacerdotum.* Clarius *verſ. 28.* אך כל חרם אשר יחרם איש לה׳ *Veruntamen omne conſecratum, quòd conſecraverit homo Domino ex omnibus, quæ ad ipſum pertinent, ex homine, & animali, & agro poſſeſſionis ſuæ, non vendetur, neque redimetur,* כל חרם קדש קדשים הוא ליהוה *Omne conſecratum ſanctitas ſanctitatum erit Domino.* Ita quoque verſu ſequente. Paraphraſis Onkelos, ut & verſio Syra, atque Samaritana idem nomen חרם retinent, ratione tantùm propriæ pronunciationis variatum: ſed Thargum Jonathanis, & Hieroſolymitanum interpretantur per verbum פרש׳ quod ſeparare ſignificat, unde efformant, אפרשות׳ & אפרשא׳ ſeparationem, quòd etiam תרומה׳ ſignificat, oblationem Deo factam, ut notat Elias Levita in radice׳ פרש quæ propria eſt τοῦ Cherem locis citatis ſignificatio. Poſterioris ſignificationis paſſim proſtant exempla, *Exodi 22. verſ. 19.* ubi primùm hæc dictio in ſacris occurrit, זבח לאלהים יחרם׳ *Sacrificans idolis exterminabitur*: Vulgata, *occidetur*, Thargum Onkelos eodem modo, יתקטיל׳ Addit Jonathan Uzielis, יתקטל בסייפא ונכסוי יתגמרין׳ *Occidetur gladio, & facultates, opeſque ejus conſumentur.* Syria verſio, *peribit*, נאבד׳ Samaritana verbum retinuit יתחרם׳ frequentiſſima eſt iſta ſignificatio in libro Joſuæ. Notat Elias Levita in Methurgemam Chaldæos interpretes illam di-

ctionem

ctionem interpretari, בלשנא גמירה או קטלא ſignificatione conſumptionis, aut exciſionis: Numerorum tamen 18. *verſ.* 14. priorem ſignificationem retinet, vertitque Onkelos, חרמא.

IV. Hanc frequentiſſimam in ſcripturis ſignificationem ſpectantes Judæi acerbiorem excommunicationem, *Cherem*, vocarunt, & verbum ex hoc nomine in Conjugatione Hiphil apud ſacros auctores uſitatiſſimum quod occidere, exterminare, delere ſignificat, pro Excommunicationis iſtius fulmine percellere, uſurparunt. Quid Excommunicationi ſimplici, ſive τῷ Nidui, ſuperaddat ex ipſorum dictatis jam explicemus. Quæcunque enim hactenus de Excommunicationis prima ſpecie, vel potius primo gradu dicta ſunt, de duobus ſequentibus dicta intelligi debent. Rambam *cap.* 7. deciſionum doctrinæ legis poſtquam explicavit, quæ ad Nidui pertinent, quæque ſupra *cap.* 1. retulimus, tradit quæ τὸ Cherem ſuperaddit, יותר עליו המוחרם שאינו שונה לאחרים ואין שונין לו אבל שונה הוא לעצמו שלא יתכח תלמודו ואינו נשכר ואין נשכרין לו ואין נושאין ונותנין עמו ואין מתעסקין עמו אלא מעט עסק כדי פרנסתו מי שישב בנדויו שלשים יום ולא בקש להתירו מנדין אותו שנייה ישב שלשים יום אחרים ולא בקש להתירו מחרימין אותו. *Præter illa, quæ omni Excommunicato conveniunt, Hamacharam, ſive anathematizatus alios docere non permittitur, neque ab aliis doceatur, ſed ſeipſum docere poteſt, ne doctrinæ ſuæ obliviſcatur; nec mercede conducitur; nec ab eo conducuntur alii, nec commercia, & negotiationes cum eo ineuntur, neque cum eo alicui rei, aut labori vacant, niſi paululùm alimoniæ, & ſuſtentationis ipſius cauſa. Qui triginta diebus in Excommunicatione ſimplice permanſit, & Abſolutionem non efflagitavit, ſecundò excommunicatur. Si triginta aliis diebus ſine abſolutionis petitione permanſit, excommunicatione Cherem afficitur.* Hac in cauſa, ut jam adnotatum eſt, maximam habet auctoritatem domus judicii. Paulò poſt enim verba citata ſic ſcribit idem auctor, ואם ראו ב״ד להכיח זה בנדוי כמה שנים מניחין בפי רשעו וכן אם ראו בית דין להחרים לזה בתחילה ולהחרים מי שיאכל עמו ושותה עמו או מי שיעמוד עמו בארבע אמות מחרימין כדי לייסרו וכדי לעשות סיג לתורה עד שלא יפרצו החוטאים. *Si viſum fuerit domui Judicii, eum in Excommunicatione ponere, eam illi aliquot annis imponant pro ratione ſcilicet criminis perpetrati. Sic etiam ſi judicaverit domus Judicii ab initio eum eſſe Excommunicatione Cherem feriendum, & qui cum eo convivatus fuerit, aut qui intra quatuor cubitos cum eo ſteterit, eos Excommunicatione Cherem ferit, ut eum corrigat, & ſepem legi faciat, ne eam diſrumpant, & effringant peccatores.* Eadem Bahal Hatturim, quæ multis *in fine cap.* 2. relata ſunt, quibus paucula addemus, quæ ibidem ſequuntur, אבל אין מחרימין מיד אלא לפי שנתקשה על פעם ושתים כדפרישית לעיל שבפעם הראשון מנדין אותו ושוכין לו הנדוי לאחר שלשים וממתינין לו עוד שלשים יום ומחרימין אותו. *Sed neminem ſtatim excommunicatione Cherem feriunt, niſi prima, & ſecunda vice difficilem, & rebellem ſe præbuerit, ut ſupra explicavi: Quia prima vice excommunicatur, & poſt triginta dies excommunicationem iterant, expectantque adhuc triginta dies, quibus elapſis eum tandem Excommunicatione Cherem percellunt.* Eadem propè dixerat in ipſo initio tractatus de utraque iſta excommunicatione.

V. Multa *cap.* 3. *retulimus ex cap.* 3. *tractatus* Talmudici Mohed Katon, quę pręcedentibus convenire poſſunt, ſed quod nunc exſcribimus idem prorſus continet, & confirmat, ſic *fol.* 15 *p.* 1. מנודה מהו בדברי תורה אמר רב יוסף תא שמע מנודה שונה ושונין לו נשכר ונשכרין לו מוחרם לא שונה ולא שונין לו לא נשכר ולא נשכרין לו אבל שונה הוא לעצמו שלא יפסיד את תלמודו ועושים לו חנות קטנה בשביל פרנסתו. *Quid dicendum, de Excommunicato propter verba legis? Dixit R. Joſeph, Veni & audi, Excommunicatus docet, & docetur, mercede conducitur, & ab eo conducuntur alii. Excommunicatus autem excommunicatione Cherem, nec docet, nec docetur, nec mercede conducit, nec conducitur; ſeipſum tamen docet, ne pereat ipſius doctrina, licetque illi officinulam, & ergaſtulum habere alimoniæ, & ſuſtentationis propriæ cauſa.* Aliter enim omni commercio, & vitæ ſuſtentandæ facultate interdictus fame periret. Eadem prorſus Bahal Hatturim non longè ab initio tractatus ſæpiùs citati: Poſtquam enim enarravit omnia commoda, quibus ſimpliciter excommunicatus privatur, quæ retulimus ſupra *cap.* 1. addit ut ſupra Moſes, מוחרם לא שונה ולא שונין לו לא נשכר ולא נשכרין לו אבל שונה הוא לעצמו שלו ישכח וכו׳ quæ verbum è verbo excerpſit ex tractatu Mohed Katon jam exſcripto. Quapropter nec opus eſt prolixius illius verba exſcribere, nec nova eorum interpretatione.

VI. Cùm fulminatur, ut ita loquar, Excommunicatio Cherem, id non fit verbis ſimplicibus. Eſto in Cherem ſive, Eſto Mucharam, ut in ſimplice Excommunicatione, ſed inſuper maledicitur ſic excommunicatus. Hoc docet Ramban *cap.* 7. Ubi enim formulam ſimplicis Excommunicationis enarravit, addit, ובחרם אומרים פלוני מוחרם וארור בו אלה בו שבועה בו מדוי. *In Anathemate autem, ſive Cherem dicunt, Talis ſit Macharam, ſive anathematizatus, & maledictus. In eo eſt execratio, in eo jusjurandum, in eo Excommunicatio.* Hæc ex *cap.* 3. tractatus Talmudici Mohed Katon decerpſiſſe videtur, quæ ſupra retulimus, & ad quæ alludit Bahal Hatturim initio tractatus de Excommunicatione. Quibus verbis conceptæ fuerint maledictiones illæ, qua ſolemnitate pronuntiatæ non explicant Rabbini jam citati. Hoc monuiſſe ſatis illis fuit; forſan quia pleræque in eorum captivitate non ſunt ampliùs in uſu. Nonnullas certè commemorant, quæ fabulis longè ſimiliores ſunt quàm veritati, ut quod ex Talmude retulimus Barac excommunicaſſe, & Cherem pronuntiaſſe in Meroz, cum quadringentis tubis. Incredibilius, quod referunt Pirke Elizeris *cap.* 38. & auctor libri antiqui Tanchuma, ſive Jelammedenu dicti in Paraſcha וישב. Sermo illis eſt, de Samaritanis ædificium templi impedientibus. Centum & octaginta millia militum ferunt Samaritanos in Judæos coegiſſe. Quid tum fecerunt Nehemias, Eſdras, Salathiel, aliique Judæorum duces, קבצו את כל הקהל אל היכל ה׳ והביאו שלש מאות כהנים ושלש מאות תינוקות ושלש מאות שופרות ושלש מאות ספרי תורה בידם והיו תוקעים והלוים משוררים ומזמרים ומנדים את הכותים בסוד שם המפורש ובכתב הנכתב על הלוחות ובחרם בית דין העליון ובחרם בית דין התחתון שלא יאכל אדם מישראל פת כותי עד עולם מכאן אמרו כל האוכ׳ בשר כותי כאלו אוכל בשר חזיר ואל יתגייר אדם כותי ואין להם חלק בתחיית המתים שנא׳ לא לכם ולנו לבנות בית אלהינו לא בעולם הזה ולא בעולם הבא ועוד שלא יהיה להם חלק ונחלה בירושלם שנ׳ ולכם אין חלק וצדקה וזכרון בירושל׳ ושלחו החרם אצל ישראל שבבבל ועוד הוסיפו עליהם חרם על חרם והוסיף עוד המלך כורש וקבע עליהם חרם עולם. *Congregaverunt omnem cœtum Iſraelis in templo Domini, & venire fecerunt trecentos Sacerdotes, & trecentos pueros, & trecentæ tubæ, trecentique libri legis erant in manibus eorum, tubiſque clangebant, & Levitæ cantabant, & inſtrumenta muſica plectebant, atque anathematizabant Cuthæos per ſecretum nominis expoſiti, & divini, & per ſcripturam inſcriptam tabulis legis, & per anathema domus judicii ſuperioris, & per anathema domus judicii inferioris, edicentes ne quis Iſraelita comederet unquam fruſtulum aliquod de cibo Cuthæi. Ab eo tempore ſtatuerunt, omnem comedentem carnem à Cuthæo provenientem pariter æſtimandum, ac ſi carnem porcinam comederet, neve quis Cuthæus in Proſelytum admitteretur, neque partem haberet in reſurrectione mortuorum, ſicut dictum eſt, Non vobis, & nobis ædificare domum Dei noſtri, nec in hoc ſeculo nec in futuro. Statuerunt inſuper ut Cuthæis nulla eſſet pars, neque hæreditas in Jeruſalem, ut dicitur, & vobis non eſt pars, nec juſtitia, nec memoria in Jeruſalem. Poſteà miſerunt hoc Cherem ad Iſraelitas Babylone commorantes, qui his addiderunt Cherem ſupra Cherem, addiditque & ipſe rex Cyrus, & fixit contra eos Cherem, ſive anathema perpetuum.*

VII. Vides magna ſolemnitate pronuntiatum anathema, ſive Cherem adverſus Samaritanos, nec uno verbo, ſed multis uſos maledictionibus, licèt actionem illam generali excommunicationis nomine, מנדים ſcilicet appellaverint, quod habita ratione ad antecedentia, in quibus 180. milliũ Samaritanorum ad bellum accinctorum fit mentio, interpretari poſſet, *expulerunt, fugaverunt*: Liber tamen Tanchuma, qui loco citato eandem hiſtoriam refert, verbo מנדים adjungit duo alia, quibus reliquæ duæ gravioris excommunicationis ſpecies ſignificantur, והלוי׳ משוררים ומזמרים ימחרימין ומשמתין ומנדין את הכותים. Iſta autem non refero, quòd credam, Eſdram, & collegas his omnibus ſolemnitatibus uſos, ſed tantùm ut demonſtrem Judæos ab antiquo in pronuntiatione τοῦ Cherem magnam verborum, & actionum ſolemnitatem adhibuiſſe. Iſtas enim tam extraordinarias anathematizandi formulas non finxiſſent Judæi antiqui Eſdra poſteriores, niſi multas ipſi uſurpaſſent.

VIII. In eodem Eliezeris capite fabula legitur de filiis Jacob Patriarchæ, ex qua alia ejuſdem ſolemnitatis circumſtantia, apud eos in uſu neceſſariò fuiſſe colligitur. Cùm filii Jacob fratrem ſuum vendidiſſent, venditionem Patri ſuo occultare voluerunt, ideò ne quis eam revelaret execrationis anathemate ſeſe obligarunt; rem autem ſic tranſegerunt, אמרו נחרים בינינו שאין אחד ממנו מגיד הדבר ליעקב אבינו עד שיהיה ברשו׳ כלנו אמר להם יהודה ראובן אינו כאן ואין החרם מתקיי׳ אלא בעשרה מה עשו שתפו למקום עמהם והחרם וירד ראובן בלילה לעלות את יוסף מן הבור ולא מצא אותו שם אמר להם הרגתם את יוסף ואני אנה בא והגידו לו את הדבר שעשו ואת החרם שהחרימו ושמע ראובן את החרם ושתק וגם הק״בה שתק ומפני החרם לא הגיד הדבר ליעקב׳ *Dixerunt, anathemate ſtatuamus inter nos, ut nullus ex nobis annuntiet rem iſtam Jacob Patri noſtro, donec hoc nobis omnibus placuerit. Dixit eis Juda, Ruben hìc non adeſt: Anathema autem Cherem ratum non eſt, niſi à decem viris emanet. Quid fecerunt? Adjunxerunt Deum ſibi, & anathema pronuntiarunt.*

Nota

Digitized by Google

Noctu autem deſcendit Ruben, ut educeret Joſephum de puteo; ſed eum non invenit ibi. Dixit eis, occidiſtis Joſephum, ideò mæſtus diſcedo. Tum declaraverunt ei rem, quam fecerant, & anathema quod anathematizaverunt. Audiens autem Ruben anathema, Cherem, ſiluit, ſiluit quoque Deus benedictus, & propter anathema rem Jacobo non renuntiavit. Manifeſtum eſt ex hac fabula, cùm ficta eſt, decem viros in anathematis pronuntiatione fuiſſe requiſitos: Deinde magnam anathematis virtutem ab iis creditam fuiſſe, quòd potiſſimum illo capite demonſtrare contendit auctor. Ideò poſteà refert anathema illud non prius ſolutum, quàm cum Joſephus in Ægypto vivus à fratribus viſus eſt, & quod longè incredibilius, propter illud anathema ſpiritum ſanctum à Patriarcha Jacob diſceſſiſſe, & anathemate ſoluto iterùm ſuper eum habitaſſet, ut ab initio. In cujus rei teſtimonium citat, quod dicitur *Geneſ.* 45. 28. revixit ſpiritus ejus, & confirmat auctoritate Onkelos, qui hæc verba, ותחי רוחו יעקב אביה interpretatus eſt, ושרת ושרת רוח נבואה על יעקב אבוהון *& habitavit ſpiritus prophetiæ ſuper Jacob Patrem eorum.*

IX. Eandem virtutem iterùm demonſtrat variis argumentis; primùm auctoritate R. Akibæ, ר' עקיבא אומר החרם היא השבועה ושבועה היא החרם וכל מי שהוא מפר את החרם כאלו מפר את השבועה וכל מי שיודע הדבר ואינו מגיד בא עליו החרם ומכלה אותו ואת עציו ואת אבניו שנ' וכלתו ואת עציו ואת אבניו *Dixit R. Akibo, Cherem eſt juſjurandum, & juſjurandum eſt Cherem; & quicunque frangit Cherem, ſimilis eſt ei, qui frangit juſjurandum. Quicunque etiam rem novit, & non revelat, in eum venit Cherem, & eum conficit, & ligna ejus, & lapides ejus, ut dicitur, Zachar.* 5. 4. Deinde ſubdit, תדע לך כח החרם שהוא גדול בא וראה מיהושע בן נון שהחרים את ירחו היא וכל אשר בה ושרף באש עכן *Nota ſit tibi virtus anathematis Cherem, quàm magna ſit. Veni, & vide ex Joſua filio Nun qui anathematizavit Jericho, & quidquid erat in ea, & igne combuſſit Acan, &c.* Multis hiſtoriam illam exaggerat: Poſteà id quod omnes tribus, in Benjamitas perpetraverunt, ubi eorum juramentum conjungit eum anathemate, velut unum complectens aliud. Idem colligit ex præcepto Saulis ſub maledictione facto ne quis aliquid deguſtaret: unde colligit, & anathemati ineſſe maledictionem, & grave admodum crimen perpetrare, qui illud tranſgreditur. Formulam integram iſtiuſmodi Excommunicationis, & data opera compoſitam, ut eſſet *in τοῦ* Cherem archetypon ex antiquis membranis refert Joannes Buxtorfius in dictionario illo ſuo laborioſiſſimo, & omnibus rerum Rabbinicarum, & Talmudicarum ſtudioſis utiliſſimo: Illam quiſque legere poteſt in radice חרם ideò à nobis brevitatis cauſa præteritur.

CAPUT XXVIII.

Tertia, & graviſſima Excommunicationis ſpecies Schamatha dicitur. Nominis etymon ſecundùm Rabbinos ad Apoſtoli Maranatha facilè revocari poteſt. Dictio eſt antiquiſſima Rabbinis uſitata. Nomen, & ſignificatio planè Arabica. Schamatha per Cherem ſæpè ſignificatur, necnon ſimplex. Excommunicatio. Moſes Cordubenſis à Rabbinis reprehenditur, quòd Schamatham, cum ſimplici Excommunicatione confuderit; multò graviorem eſſe demonſtratur. Aliud pœnæ genus præcedentibus multò levius uſurpant, quòd objurgationem dicunt, Quomodo infligitur. Qua ratione à minima Excommunicatione diſtinguatur. Septem diebus finitur. Judæis Orientalibus diutius non durat Excommunicatio, quàm Occidentalibus objurgatio. Excommunicati lugentibus ſimiles per eandem portam ingrediebantur. Quid alii ipſis occurrentes precabantur.

Tertia Excommunicationis ſpecies, ſive pœna, qua Judæi ſonies afficere ſolent, ipſius dicitur שמתא *Schamatha*. R. Elias levita in Theſbite ad hanc vocem ſic iſtam, & præcedentes ſpecies explicat, שלשה מיני חרמות הן נדוי חרם ושמתא ונדוי הוא הרחוק עיין בשרשו ואם לא היה שב היו מחרימין אותו ונקרא חרם שנכנס ברמ"ח אבריו ואם לא היה שב היו משמתין אותו ופי' שמתא שם מיתה כ"מ *Hæ ſunt tres excommunicationum ſpecies, Nidui, Cherem, & Schamatha. Nidui eſt ſejunctio, & ſeparatio, vide in illius radice. Quòd ſi ſeparatus non convertitur, anathematizant eum, & vocatur, Cherem, anathema, eo quòd in* 248. *membra ejus ingreditur. Quòd ſi nec dum convertitur, Schamatizant eum, prorſùs eum à ſe ablegant, & diris devoveat. Interpretare Schamata, Scham Mitam, ibi mors, quæ longè ſit à nobis.* Idem auctor in Methurgeman, Schamatha, הוא חרם חמור ונקרא כן כי שם מיתה *Eſt Cherem, ſive anathema grave, ſicque dicitur, quia ibi mors.* Hanc etymologiam mutuatus videtur Elias à Doctore Talmudico Rab, ut videre potes ſupra *cap.* 25. Ibidem R. Samuel aliud tradit etymon, שממה יהיה *deſolatio erit*. Sed mihi videtur appoſitiſſima ea, quam nonnulli tradunt, & ex *cap.* 16. *Epiſt.* 1. *ad Corinthios, verſ.* 22. *eruunt, Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema maranatha.* Notum eſt enim omnibus, qui vel à limine litteras Rabbinicas ſalutarunt, שם ſæpiſſimè Deum ſignificare. Itaque immutata propè pronuntiatione, immò immutatis litteris omnibus, uno tantùm Aleph eliſo, ſed ipſius pronuntiatione, & poteſtate conſervata שמתא Schamatha, idem videtur eſſe quod שם אתא Schem Atha, *Dominus venit*, ſive quod Syrum Maranatha. Unde manifeſtè demonſtratur, quod ſcribit Elias, *Schamatha* excommunicationem eſſe graviorem, quàm *Cherem*, ſive anathema, ſolereque poſt anathematis contemptum infligi. Hoc confirmat Interpres Syrus, qui quod S. Paulus dixit anathema, vertit, Cherem. Vult igitur Apoſtolus eum, qui Jeſum non amat tertiò illo, & graviſſimo excommunicationis fulmine percelli.

II. Confirmari poteſt iſta etymologia ex modo loquendi paraphraſis Chaldaicæ Jonathanis, quæ nonnunquam vocat Excommunicationem illam, Schamatham Dei, ut *Deuter.* 7. 2. וימסרינון י"י אלהיכון קדמיכון ותמחינון גמרא תגמרון יתהון בשמת' דיי *Et tradet eos Dominus Deus tuus ante te, & percuties eos, perfectè con[...]mes eos per Schamatham Domini.* Sic *Numeror.* 21. 25. & paraphraſtes Cantici Canticorum *c.* 2. *verſ.* 16 Mihi nullo modo videtur improbabile ſi nomen hoc ab Arabico verbo שמת derivemus, quod frequens eſt, ut & שמתה & ſignificant diffamare, probris afficere, abominari. Certum eſt enim, nomen illud Hebræum non eſſe, ſed peregrinum. Deinde illo nuſquam utitur antiquiſſimus Paraphraſtes Onkelos licet ſæpiùs, ut & aliis Paraphraſtis illius uſurpandi daretur occaſio. Nec eſt inuſitatum Judæos ab Arabibus multas dictiones in ſuam linguam tranſtuliſſe, ut multis exemplis docuimus ex Rabbinorum ſententia in Excercitationibus noſtris biblicis, Exercitationis ſextæ *cap.* 4. Quidquid ſit, manifeſtum eſt, Doctores Talmudicos, & Paraphraſtas hoc nomine auſteriſſimam Excommunicationem appellaſſe: non ita tamen univerſaliter, ut aliquando nomine *τοῦ* Cherem eam non ſignificaverint, ut videre eſt capite præcedente, in exemplis potiſſimùm *τοῦ* Cherem, quæ ad tertium illum gradum non poſſunt non referri. Qui triginta diebus in Excommunicatione ſimplice manſit, nec ſatisfecerit, aut Pœnitentiam egerit, ſecunda Excommunicatione afficitur; non ideò ſanè execrandis illis maledictionibus, quibus Cuthæi perculſi ſunt, & formula illa *τοῦ* Cherem concipitur, devovetur. Nemo, ut opinor, ad hæc animum advertens id inficiabitur. Idem denique demonſtrat frequentiſſima dictionis iſtius חרם ſignificatio, quæ ut notat R. Kimhi in radicibus ſignificat, הריגה וכריתה והשחתה איבוד occiſionem, exciſionem, corruptionem, & perditionem, ut paſſim legere eſt, in textu ſacro, unde tertio excommunicationis gradui commodè poteſt convenire.

III. Ut nomen ſecundæ ſpeciei tertiæ tribuitur, & propriè, ſi nominis חרם ſignificationem ordinariam ſpectes: Ita Schamatha ſæpè idem eſt, quod ſimplex excommunicatio, & verbum שמת idem, quod ſimpliciter excommunicare, cujus ſignificationis multa argumenta colligi poſſunt ex teſtimoniis Talmudicis, quæ *cap* 25. retulimus: paſſim enim Nidui, & Schamatha, eorumque verba permutantur. Deinde ita ſenſit, & uſurpavit Rambam, qui nihil ſpeciale de Schamatha tradidit: Immò *cap.* 7. Interrogatione facta, quomodo fertur Nidui, Excommunicatio, reſpondet ut jam à nobis relatum eſt אומרים פלוני יהא בשמתא *Talis ſit in Schamatha.* Quaſi Schamatha unum prorſus, & idem eſſet cum Nidui. R. Abraham Ben David, ut refert Bahal Hatturim non longè ab initio tractatus de Excommunicatione, Moſen ea de cauſa reprehendit, כתב הרמ"בם כיצד הנדוי אומרים פלוני יהא בשמתא והרא"בד כתב שאין אומרים בשמתא יהא שהוא חמור יותר מן נדוי אלא אומר בנדוי יהא ואם נראה לבית דין להחמיר עליו מפני גודל חטאו אומרים ארור והיינו שמתא שיש בו נדוי וקללה *Scripſit Rambam, Quomodo fertur Excommunicatio Nidui? dicunt N. ſit in Schamatha. Sed R. Abrabam Ben David ſcribit dicendum non eſſe, ſit in Schamatha, eo quòd ſit longè gravior, quàm Nidui, ſed dicendum, ſit in Nidui. Quòd ſi viſum fuerit domui judicii eam ſuper ipſum aggravare propter peccati magnitudinem, dicunt, maledictus eſt; tumque eſt Schamatha, quia Excommunicationi conjuncta eſt maledictio.* Nec huic ſententiæ contradicit Bahal Hatturim. Verùm Joſeph Karo commentario in Bahal Hatturim demonſtrat Moſis ſententiam, qua Nidui permutat cum Schamatha, multis Talmudis teſtimoniis, & ipſius loquendi modo confirmari, ita ut in ſententiam Moſis multò magis, quàm in Ben David propendeat. Illa autem teſtimonia è locis petita ſunt, quæ *cap.* 23. enarravimus, Colligit quoque R. Karo clarum eſſe ex verbis R. David Schamatham eſſe Excommunicationem Nidui graviorem, & *τοῦ* Cherem leviorem. Quidquid enim ſit, de nominum attributione, ex dictis certiſſimum eſt, & evidentiſ-

ſimum

ſimum tres eſſe pœnarum, & excommunicationum apud eos gradus, Secundò, quòd ad ipſa nomina attinet, Cherem ſemper pro graviore pœna ſumi, ſi non pro graviſſima. Nida autem verbum, & participia Menudah, Excommunicatus, & Menadeh excommunicans, ſicut & ſchemat, & inde derivata, pro qualibet aliquando Excommunicatione ſumi; quòd in priore, & inde conjugatis frequentiſſimè contingit.

IV. Eſt aliud pœnæ genus apud eos, uſitatum quod objurgatione caſtigatur, non autem Excommunicatione. Eam vocant נזיפה Nezipham. Sic ipſa, ejuſque vis, & ratio à Bahale Hatturim explicatur, נזיפה הוא שאדם גדול גוער בו לומר במה פלוני חצוף וכיוצא בו וזה משפטו שיהא מתחבא ויושב בביתו ויהא כבלם ולא יראה פנים למי שמכלימו ולא יעמוד בפניו בגילוי הראש וימעט בשחוק ובדיבור ובעסקיו כמי שמרחק ממי שגדול ממנו ויצער עצמו לעיני רואיו אבל אין צריך להתרחק מבני אדם לא באכילה ושתייה ולא בשאלת שלום ואין צריך לנהוג באחד מכל דיני האבל ואין צריך לפיים למי שהחציף בכנגדו ואין צריך שיתירו לו אלא כיון שנהג בנזוף זמן נזיפה מותר מטילא׳ *Nezipha, ſive increpatio eſt, cùm vir quidam magnus increpat aliquem dicendo, quàm N. eſt impudens, & his ſimilia. Hoc autem eſt ipſius judicium, & pœna, ut abſcondat ſe, & domi reſideat, ſitque pudibundus, nec faciem intueatur illius, qui pudore eum affecit; neque ſtet ante ipſum audenter, riſumque, & ludicra, & ſermones, & negotiationem ſuam diminuat, velut is, qui ſe avertit, & elongat ab eo, qui ſe major eſt, & potentior, & comprimat ſeipſum ante oculos ipſum intuentium. Verùm neceſſe non eſt, ut ſeipſum removeat, & elonget ab hominum conſortio, neque in cibo, neque in potu, neque in ſalutatione. Nec eſt etiam neceſſe, ut vel unum obſervet ex iis, quæ conſueta ſunt in luctu. Non eſt ſimiliter neceſſe, ut placet, & ſibi reconciliet eum, qui ipſum objurgavit. Neque abſolutione ulla indiget; Sed cum obſervavit in objurgatione illa tempus ſtatutum, en ipſe ſolutus eſt, & liber*. Tempus autem iſtius occultationis ob ſapientis objurgationem vulgò ſtatuitur ſeptem dierum, illiuſque ratio ex dicto Dei ad Moyſen in cauſa Mariæ ſororis ſuæ petitur, ut tradunt Doctores Talmudici in tractatu Mohed Katon *cap.3. fol.16. p.1.* תנו רבנן אין נדוי פחות משלשי יום ואין נזיפה פחות משבעה ימים ואע״ף שאין ראיה לדבר זכר לדבר שנ׳ ואביה ירק ירק בפניה הלא תכלם שבעת ימים אמר רב חסדא נידוי שלנו כנזיפה שלהן ונזיפה דידהו שבעהותו לא׳ *Tradunt Rabbini, Excommunicationis tempus non eſt brevius triginta diebus; & Objurgationis non eſt minùs ſeptem. Et licèt huic rei non ſit ratio, eſt tamen illi memoriale, & convenientia, id quod dicitur Numer. 12. 14. Et pater ejus ſi ſpuendo ſpuiſſet in faciem ejus, nonne erubuiſſet ſeptem diebus. Dixit Rab Chaſda, Excommunicatio noſtra eſt ſicut increpatio eorum, & increpatio eorum ſeptem dierum, & ampliùs non.* Peculiaris eſt illa R. Chaſdæ ſententia; Intelligit autem teſte gloſſâ R. Salomonis Jarki per שלנו *noſtra*, Babylonios Judæos, & per דידהו *eorum*, Judæos terræ Iſraelis. Hinc conſequeretur ſimplicem Excommunicationem apud Judæos Orientales, ſive Babylonios, ſeptem dierum tempus non excedere, cum Judæis terræ Iſraelis, & cæteris Occidentalibus triginta eſſet dierum.

V. Bahal Hatturim initio tractatus ſui de Nidui, & Cherem, qui habetur *tom.2.* operum qui dicitur Jore deah. *ſect.334.* poſt quam dixit Excommunicationem non eſſe breviorem triginta diebus, poſt quos niſi reſipiſcat, iterum repetitur, quibus elapſis anathematizatur, addit, נידוי שלשים יום בנדוי דידהו אבל בנדוי דידן בנזיפה דידהו שהוא ז׳ ימים ובנזיפה דידן הד׳ יומא ושל נשיא שלשים יום׳ *Excommunicatio 30. dierum intelligenda eſt de Excommunicatione eorum: Verùm excommunicatio noſtra, eſt velut increpatio eorum, quæ eſt ſeptem dierum; ſed increpatio noſtra eſt unius diei; at quam fert princeps, triginta eſt dierum*. Videtur igitur Babyloniorum excommunicatio ſeptem dierum eſſe, & objurgatio unius diei pœnam indicere. Verùm hæc verba commentans Joſeph Karo difficilia intellectu judicat, teſtaturque Moſen ea omnia prætermiſiſſe.

VI. R. Eliezer in capitulis ſuis *cap. 17.* refert Salomonem duas ſpeciales portas in templo ſuo ædificaſſe, unam, qua ſponſi templum ingrediebantur, alteram qua lugentes, & Excommunicati. An ita ſit, parum noſtra refert. In rebus quæ hiſtoriam antiquam ſpectant, nulla prorſus fides Judæis adhibenda. Spectamus tantum circumſtantias, quæ ad doctrinam, & diſciplinam pertinent, non ut probemus eam à Moſe, & prophetis, ut delirant, acceptam eſſe, ſed tantùm ut doceamus, quid vulgò factum, creditum ve ſit ab iis, cum auctores, quos citamus, ſcriberent, & aliquot ante ipſos ſeculis. Iſtarum autem traditionum prima principia, & incunabula, vix ac ne vix quidem uno, aut altero ſeculo Chriſti Domini noſtri nativitatem præceſſerunt. Quæ igitur ſcribit Eliezer ille de duabus iſtis portis referemus, eo quòd nonnulla inſerit, quæ diſciplinam Judæorum in Excommunicatos illuſtrant, ראה שלמה שמדת גמילות חסדים גדולה לפני המקום וכשבנה בית המקדש בנה שני שערים אחת לחתנים ואחת לאבלים ולמנודים והיו ישראל הולכים בשבתות ויושבים בין שני שערים הלל והנכנס בשער חתנים היו יודעין שהוא חתן והיו אומר לו השוכן בבית הזה ישמחך בבנים ובבנות · והנכנס בשער אבלים והיה שפמו מכוסה אז היו יודעים שהיה אבל והיו אומרים לו השוכן בבית הזה ינחמך והנכנס בשער האבלים ולא היה שפמו מכוסה אז היו יודעים שהיה מנודה והיו אומרים לו השכן בבית הזה ינחמך ויתן בלבך שתשמע לחבריך ויקרבוך כדי שיצאו כל ישראל ידי חובתן בגמילות חסדים׳ *Vidit Salomon menſuram, & virtutem beneficentiæ Sanctorum magnam eſſe coram Deo: Ideò cùm ædificavit domum Sanctuarii, duas conſtruxit portas, unam pro ſponſis, alteram pro lugentibus, & Excommunicatis. Cùm autem Iſraelitæ in Sabbatis incederent, & ſederent inter duas illas portas, & ingrederetur aliquis per portam ſponſorum, inde cognoſcebant eum ſponſum eſſe, dicebantque illi: Qui habitat domum iſtam lætificet te in filiis, & filiabus. Cùm verò ingrederetur aliquis per portam lugentium, eratque ipſius myſtax, labrumque ſuperius velatum, tunc cognoſcebant lugentem eſſe, dicebantque illi: Qui habitat domum iſtam conſoletur te. Sed ſi per portam lugentium ingrederetur, nec labrum ſuperius velatum haberet, tunc cognoſcentes eum eſſe excommunicatum dicebant illi: Qui habitat domum iſtam conſoletur te, detque in corde tuo, ut obaudias proximis tuis, & te accedere faciant, ut omnis Iſrael ultronea erga proximum beneficentia officio ſuo faciat ſatis*. Hinc colligitur Excommunicatos ab omni templi ingreſſu non fuiſſe prohibitos, & lugentibus fuiſſe, hac in cauſa æquiparatos, lugentiumque habitu, non tamen in omnibus, incedere ſolitos. Verùm quouſque in templum procederent, non legi ab iis definitum.

VII. R. Juda ab his dictus ſanctus *cap.2.* Midoth ſive de menſuris templi *num.2.* ſic tradit de Excommunicatis ingredientibus templum, כל הנכנסין להר הבית נכנסין דרך הימין ומקיפין ויוצאין דרך שמאל חוץ ממי שארעו דבר שהוא מקיף לשמאל מה לך מקיף לשמאל שאני אבל השוכן בבית הזה ינחמך שאני מנודה השוכן בבית הזה יתן בלבך ויקרבוך דברי ר״ם אמר ליה ר׳ יוסי עשיתן כאלו עברו עליו את הדין אלא השוכן בבית הזה יתן בלבך ותשמע לדברי חבריך ויקרבוך׳ *Omnes qui ingrediuntur montem domus*, templum, *ingrediuntur per viam dexteram, & gyrantes egrediuntur per ſiniſtram præter eum, cui caſus aliquis contigit, quia hic gyrat ad ſiniſtrum*. Cùm interrogatur, *Quid tibi quod ad ſiniſtram gyras?* reſpondet? *Quia ego lugeo*, dicunt ei, *Qui habitat domum iſtum, conſoletur te*. Vel reſpondet, *quia ſum excommunicatus*, tum dicitur illi, *Qui habitat domum iſtum, ponat in corde tuo, & te accerſent, & ſolvent. Verba hæc ſunt R. Meir. Dixit ei R. Joſe, facitis quaſi prævaricati eſſent adverſùs eum*, qui eum excommunicarunt. *Ideò* dicendum, *Qui habitat domum iſtam ponat in corde tuo, ut obaudiat verbis ſociorum tuorum, & te ſolvant, ſibique admoveant*. Non benè cohærere videtur hoc poſterius teſtimonium cum priori. Nam ex poſteriori narratione una eſt porta, per quam utrique templum ingrediuntur, alius ad dexteram poſteà procedit, alius ad ſiniſtram: In priore verò duæ ſignificantur. Una, per quam Sponſi templum ingrediebantur; altera, per quam lugentes. Quidquid ſit in aliam templi partem ſecedunt liberi, & ſoluti, in aliam Excommunicati, nec ſimul commiſcentur, cujus conſuetudinis lectorem admonitum eſſe volumus. Vides præterea ſemper Excommunicatos lugentibus conjungi, quod jam à nobis adnotatum eſt.

Digitized by Google

COMMENTARII HISTORICI DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTI POENITENTIÆ,

Ab Apoſtolis ad uſque ſeculi duodecimi initium tam in Eccleſia Orientali, quàm Occidentali obſervata.

LIBER QUINTUS.

De antiqua peccatorum in tres ſpecies diſtinctione, & generalibus remediis, & pœnis ad eorum curationem, & expiationem, annorum quadragintorum ſpatio unicuique ſpeciei adhibitis.

CAPUT I.

Totius libri materia exponitur, & demonſtratur, antiquos Patres peccata in tres claſſes, ſeu genera diſtribuiſſe; primumque genus Pęnitentia publica, & luctuoſa curaſſe; aliis remediis duo poſtrema.

Libro præcedente tertiam Pœnitentiæ ſacramentalis partem explicare aggreſſi ſumus, quæ hactenus ab omnibus auctoribus Eccleſiaſticis, atque etiam à vulgo Pœnitentia per quandam antonomaſiam dici conſuevit, hoc eſt, ſatisfactio, caſtigatio, pœnæ impoſitio, & tolerantia, qua pœnas pro peccatis meritas ab Eccleſia indictas in noſmetipſos exequimur. Ea autem potiſſimùm ediſſeruimus, quæ peculiaria fuerunt ante Novati hæreſim; quibus adjunximus Pœnitentiæ imponendæ ritus utrique tempori communes, eo quod antiquiſſima rituum iſtorum καθ' ἕκαστα obſervatio ab aliis, quàm à poſterioribus auctoribus peti non poteſt. Hoc libro ea complectemur, quæ utrique tempori communia fuerunt, non tamen admodùm diuturna. Nam in Eccleſia Occidentali ad ſeptingenteſimum annum variante obſervatione vix durarunt; in Orientali verò multò citiùs obſoleverunt. Hæc initio monuiſſe ſufficiat, variationum, & differentiarum ſingularis adnotatio ab explicatione, quam toto libro perſequimur, eruenda eſt.

II. Antiqua illa Theologia peccata in tres claſſes diſtinguebat, & unicuique claſſi ordinaria lege peculiarem aſſignabat ſanationis, & caſtigationis rationem. Prima claſſis erat graviſſimorum criminum, quæ capitalia, & nonnunquam mortalia ſimpliciter dicebant; aliquando canonica, utpotè à canone Cenſuris affecta. Secunda erat criminum, quæ mortalia quidem cenſebant, hoc eſt, mortem æternam auctoribus inferentia, ſi ante mortem non reſipuiſſent, ſed præcedentibus erant longè leviora. Tertia venialium, quę hactenus eodem nomine appellantur, & eodem ſenſu intelliguntur. In prima claſſe tria tantùm collocabant, Idololatriam, Mœchiam, & Homicidium, eorumque manifeſtas ſpecies, & ramuſculos: In ſecunda claſſe cætera, quæ nunc à Theologis mortalia dicuntur: In tertia, venialia omnia. Primum peccatorum genus grandi illa, & luctuoſa Pœnitentia ſanabant, & caſtigabant: atque ea de cauſa potiſſimùm canonicas pœnas indicebant, ut unam, eandemque formam caſtigationis, & ſanationis Eccleſiæ omnes obſervarent. Secundum verò eodem modo curabant, quo nunc curari ſolet; Confeſſione ſcilicet, & orationum, operumque aliquot accuſato vitio contrariorum impoſitione ad Sacerdotis arbitrium facta. Aliquoties tamen legere eſt, ejuſmodi peccata à canone caſtigata; ſed non humili, luctuoſaque Pœnitentia, ut libro ſequente capite ſpeciali demonſtrabitur. Tertium denique ſine Confeſſione ſpecialiter juſſa, & conſequenter ſine ullius oneris ab Eccleſia præſcriptione, ſed ſola orationum, & potiſſimùm orationis Dominicæ voluntaria recitatione, pectoris percuſſione, eleemoſynarum largitione, bono cordis in Deum affectu, & ſimilibus actionibus, ut nunc fieri, & doceri videmus. Poterant equidem ad peccata iſta expianda, præſertim ſecundæ claſſis, auſteriorem, & luctuoſam Pœnitentiam ſuſcipere; Sed ad hoc præſtandum, nec ex canone, nec ex uſu Eccleſiæ invitabantur, nedum cogebantur.

III. Animadvertendum inſuper primæ claſſis peccata fuiſſe ex uſu, & praxi illorum temporum publica pœnitentia caſtigata, & ſanata, ſive fuiſſent publica, ſive occulta: Atque ideò cum ad Pœnitentiam luctuoſam Patres illi antiqui peccatores exhortantur, aut de Pœnitentibus verba faciunt, de iſtis criminibus, & Pœnitentia publica, ſive luctuoſa eſſe intelligendos. Secundæ verò claſſis peccata, multò minùs tertiæ, licèt publica fuerint, per Pœnitentiam publicam, hoc eſt, illam luctuoſam ex Eccleſiæ præſcripto nunquam fuiſſe caſtigata. Si ſcandalum aliquod in Eccleſia concitaſſent, eorum auctores, in multorum præſentia, aut etiam publicè admoneri, & corripi potuerunt, atque etiam ſacra communione abſtineri: Verum ad ſubſtrationis ſtationem, ſive ad Pœnitentes propriè dictos amandari non ſolebant. Paulatim autem primæ claſſis peccata cœperunt augeri, & conſequenter ſecundæ claſſis minui. Uno modo, cùm trium illorum criminum ſpecies plures diſtinctæ ſunt, & eodem Pœnitentiæ genere punitæ; altero, cùm nonnulla ſecundæ claſſis crimina primis ad eandem pœnam ſubeundam paulatim addita ſunt. Hinc creſcente illa additione factum eſt, ne Pœnitentia res eſſet intolerabilis, primùm, ut mos Pœnitentiæ cujuſdam ſemipublicæ, de quibuſdam criminibus agendæ, in certas perſonas uſurparetur, quæ non coram univerſa Eccleſia, ſed adhibitis determinatis quibuſdam teſtibus agebatur. Deinde lapſu temporis clementiùs ad huc actum eſt, publiciſque tantum criminibus publica remedia ſunt applicata, occultiſque occulta. Diſtinctum enim eſt ab omnibus inter crimen publicè, & occultè perpatratum, adeò ut publicis criminibus imponeretur Pœnitentia, occultis ſecreta. Hanc autem diſtinctionem ita obſervarunt, ut in gravitate, & rigiditate Pœnitentiæ non diſtinguerent, ſed tantùm in impoſitionis, & exercitii modo. Eadem enim Pœnitentia crimini imperabatur, ſive publicum eſſet, ſive occultum. Sed in crimine publico eo Pœnitentia imponebatur, & agebatur publicè, quæ in occulto imponebatur, & agebatur occultè.

IV. Hæc, nonnullaque alia his intelligendis neceſſaria nobis proponimus toto hoc libro evidentibus Patrum, & canonum teſtimoniis ſigillatim demonſtrare. Incipiemus ab illa peccatorum in tria genera diſtinctione, quam commemoravimus; omnibus enim, quæ toto libro explicaturi ſumus, ſubſternitur. Quanquam autem res ſit, apud omnes in confeſſo, & illi evidentiſſimè ſuffragetur ratio, nonnulla tamen ſanctorum

Digitized by Google

rum Patrum teſtimonia referemus, quibus evidenter ſtabilitur. Multa equidem nunc prætermittemus, eo quòd pleraque eorum, quæ diſtinctionem illam evidenter probant, probant quoque non minùs evidenter remedia, & pœnas, quibus ſananda, & caſtiganda ſunt; Ea igitur locis propriis ſemel retuliſſe ſufficiet. Adeò autem naturalis eſt, & rectæ rationi evidenter conformis iſta diſtinctio, ut eam facilè ſuppoſuiſſemus, non probaſſemus, niſi nonnulla quorundam antiquorum, & potiſſimùm S. Auguſtini teſtimonia ſecundam peccatorum claſſem cum tertia confundere viderentur, de quibus infra nobis erit dicendum.

V. Dimiſſis igitur multis clariſſimis hujus diſtinctionis argumentis, quæ capite ſequente, tertio, & penultimo præſertim, legi poſſunt, ab Auguſtini teſtimonio exordiemur. Nihil mihi videtur clarius dici poſſe, quàm quòd habet *lib. de fide, & bonis operibus cap. penultimo, Niſi eſſent quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda ſiat, non diceret Apoſtolus, Congregatis vobis, & meo ſpiritu tradere hujuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini Jeſu; Unde etiam dicit, ne lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt Pœnitentiam ſuper immunditiem, & fornicationem quam geſſerunt. Item niſi eſſent quædam non ea humilitate Pœnitentiæ ſananda, qualis in Eccleſia datur eis, qui propriè Pœnitentes vocantur, ſed quibuſdam correptionum medicamentis, non diceret ipſe Dominus, Corripe eum inter te, & ipſum ſolùm, & ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum. Poſtremò niſi eſſent quædam, ſine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam poneret in oratione, quam docuit, ut dicamus, dimitte nobis, &c.* Non modò trimembris illa peccatorum diſtinctio ſigillatim enarratur, verùm etiam, quæ unicuique curatio adhiberi debeat, explicatur. Prima ſpecies luctuoſa Pœnitentia expiatur; Verùm ſecunda, quæ peccatorum eſt minùs gravium eo modo, ut ipſe docet, ſanari non debet, ſed quibuſdam tantùm correptionum medicamentis. Quæ ſint illa correptionum medicamenta, diligenter inquirere conabimur *cap. 31.* libri ſequentis, ubi manifeſtis antiquorum Patrum teſtimoniis, demonſtrabimus præcipuum iſtorum peccatorum medicamentum fuiſſe Confeſſionem Sacerdoti de iis ſecretò factam, & Pœnitentiam ex illius arbitrio geſtam. Tertiæ verò ſpeciei ſanandæ ſufficit oratio Dominica, proſunt pia opera, atque in primis Confeſſio: Unde conſequitur poſtremam iſtam ſpeciem purè venialia complecti.

VI. Idem docet *cap. 15.* libri de correptione, & gratia, licèt non ita evidenter, ſed iſtud cum præcedente comparatum ab eo lumen mutuatur, ſitque ſine illa obſcuritate perſpicuum, *Corripiantur itaque à Præpoſitis ſuis ſubditi fratres correptionibus, de charitate venientibus pro culparum diverſitate diverſis, vel minoribus, vel amplioribus; quia & ipſa quæ damnatio nominatur, quàm facit Epiſcopale judicium, qua pœna in Eccleſia nulla major eſt, poteſt, ſi Deus voluerit, in correptionem ſaluberrimam cedere, atque proficere.* Per damnationem Epiſcopalis Judicii vel intelligitur expulſio omnimoda ab Eccleſia, quæ in contumaces peccato probato decernebatur, vel Pœnitentia publica, quæ ab Epiſcopis tantùm imponi ſolebat. Vel certè hic eſt ordo verborum, & ſenſus, ut per minores correptiones intelligantur eæ, quæ peccatis ſimpliciter mortalibus fiebant; per ampliores, quæ gravibus, luctuoſa ſcilicet pœnitentia; per damnationem verò expulſio ab Eccleſia. Vel denique in primò genere pœnæ peccata venialia intelliguntur; in ſecundò ſimpliciter mortalia; in tertiò gravia: quo poſito damnatio erit publicæ Pœnitentiæ caſtigatio. Quidquid autem eligas, ad id quod probandum ſuſcipimus, parum refert: Tria ſemper peccatorum, pœnarumque genera neceſſariò colliguntur.

VII. Idem Auguſtinus *qu. 26. libri 83. quæſtionum* perſpicuè iterùm eandem doctrinam docet, *Alia ſunt,* inquit, *peccata, infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ, Infirmitas contraria eſt virtuti, imperitia contraria eſt ſapientiæ, malitia contraria eſt bonitati. Quiſquis igitur novit quid ſit virtus, & ſapientia Dei, poteſt exiſtimare, quæ ſunt peccata venialia, & quiſquis novit, quid ſit bonitas Dei, poteſt, exiſtimare quibus peccatis certa pœna debeatur, & hic, & in futuro ſeculo. Quibus benè tractatis probabiliter judicari poteſt, qui non ſint cogendi ad Pœnitentiam luctuoſam, & lamentabilem, quamvis peccata fateantur, & quibus nulla omninò ſperanda ſit ſalus, niſi ſacrificium Deo obtulerint ſpiritum contribulatum per Pœnitentiam.* Manifeſtum eſt, propter certa quædam crimina Pœnitentiam luctuoſam fuiſſe impoſitam. Præterea nonnulla alia fuiſſe, ob quæ ad luctuoſam Pœnitentiam non cogebantur. Rectè dixit, non cogebantur; licèt enim propter iſta peccata eam ſubire non cogerentur, eam tamen ſponte ſuſcipere poterant, & nonnunquam contritionis ardore inflammati ſuſcipiebant. Levia quoque, & leviſſimam commemorat, quum ea, quæ per malitiam perpetrantur ab iis diſtinguit, quæ per ignorantiam, aut infirmitatem.

VIII. In libro ſimiliter, 50. *homiliarum homil. 27.* Explicatis duobus Pœnitentiæ generibus tertium aggreditur, *Eſt Pœnitentia gravior, atque luctuoſior, in quo propriè vocantur in Eccleſia Pœnitentes, etiam remoti à Sacramento altaris participandi, ne accipiendo indignè Judicium ſibi manducent, & bibant.* Quibus autem peccatis illa convenit? *Illa verò Pœnitentia luctuoſa eſt, grave vulnus eſt; adulterium fortè commiſſum eſt, fortè homicidium, fortè aliquod ſacrilegium. Gravis res, grave vulnus, lethale, mortiferum, ſed omnipotens Medicus.* En quibus peccatis debeatur illa Pœnitentia. Illis autem debetur, & infligitur poſtquam reapſe perpetrata ſunt, & executioni mandata. Ita enim ſubiicit; *Jam poſt ſuggeſtionem facti, & delectationem, & conſenſionem, perpetrationem, quaſi quatriduanus mortuus putet. Sed nec ipſum Dominus deſeruit, ſed clamavit, Lazare prodi foras. Ceſſit miſericordiæ moles ſepulturæ, ceſſit mors vitæ, ceſſit infernus ſuperno. Elevatus eſt Lazarus, proceſſit de tumulo, & ligatus erat, ſicut ſunt homines in Confeſſione peccati agentes Pœnitentiam, &c.* Ejuſmodi enim Pœnitentia internis actionibus nunquam imponebatur. Ex quibus iterùm manifeſtum eſt, peccata, quæ diceremus mortalia, in duo genera diviſiſſe, gravius, & minus grave; & priori tantùm luctuoſam illam Pœnitentiam fuiſſe præſcriptam.

IX. Clariſſimè iterùm, & breviter Eccleſiæ illius temporis praxim deſcribit *in fine libri de Symbolo ad Catechumenos: Nolite illa committere, pro quibus neceſſe eſt, ut à Chriſti corpore ſeparemini: Quod abſit à vobis. Illi enim, quos videtis agere Pœnitentiam, ſcelera commiſerunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania. Inde agunt Pœnitentiam. Nam ſi levia peccata ipſorum eſſent, ad hæc quotidiana oratio delenda ſufficeret. Ergo tribus modis dimittuntur peccata in Eccleſia, In baptiſmate, in oratione, in humilitate majoris Pœnitentiæ.* Idem dixerat ſanctus Auguſtinus in teſtimonio præcedente, ſed multò fuſius: Ideò quod ad tertium genus pertinebat tantùm retulimus. Sed illud effatum de tribus his Pœnitentiæ ſpeciebus apud ſanctum Auguſtinum crebèrrimum eſt. Unum tantùm in eo videtur difficilè, quod aliquando non ſatis videtur diſtinguere inter peccata venialia, & mortalia leviora pro quibus Pœnitentia luctuoſa non infligebatur, quod præſertim verùm eſt de remediis, quibus curantur: Unum enim ab alio nonnunquam vix videtur diſtinguere, ſed loca iſta aliorum comparatione illuſtrari debent. Hujus autem apparentis confuſionis ratio eſt, quòd utrumque peccati genus iiſdem remediis ſine luctuoſa Pœnitentia ſanatur. Ideo tribus Pœnitentiis tria remedia tribus verbis commodè applicare ſolet. Pœnitentia ante baptiſmum, qua peccata baptiſmate ſanantur. Poſt baptiſmum duplex, quotidiana leviorum peccatorum, quæ oratione ſanantur; luctuoſa qua graviora. Verùm levia illa peccata, vel ſunt venialia, vel mortalia minùs gravia, quæ oratione quidem, & bonis operibus, ut venialia curantur, ſed multò difficiliùs. Præterea venialia ſine Confeſſione curari ſola oratione, & pectoris tunſione, non item mortalia leviora, ut poſthac horum unumquodque ex ſanctorum Patrum perſpicua doctrina demonſtrabimus. Sed ex allegato loco evidenter mihi colligi videtur, id quod nunc nobis proponimus, tres eſſe peccatorum ſpecies ſeu claſſes, ſcelera quæ purgantur luctuoſa illa Pœnitentia, à qua propriè Pœnitentes in Eccleſia dicebantur; crimina multò minus gravia; & peccata ſimpliciter venialia, quæ ſola oratione Dominica deleri poſſunt. Cùm enim ſcribit, *ſcelera commiſerunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania*, qui ad pœnitentiam luctuoſam damnantur, procul dubio aliud criminum genus non tam immane ſubaudiendum relinquit, quod alia pœnitentia, quàm luctuoſa purgatur, multò tamen gravius iis, ſine quibus dicit alibi vitam hanc tranſigi non poſſe, quæ ſola tunſione pectoris, aut oratione dominica deleri poſſunt.

X. Gennadius Maſſilienſis *cap. 53.* de Eccleſiaſticis dogmatibus, quod opus habetur *tom. 3.* operum S. Auguſtini, & nonnunquam ſub ejus nomine citari ſolet, diſertè mortalia illa peccata diſtinguit, atque ejus remedia. Verba ipſius non ſunt leviter prætereunda, *Quamvis quis peccato mordeatur, ſi peccandi de cætero non habeat voluntatem, & communicaturus ſatisfaciat lachrymis, & orationibus, & confidens de Domini miſeratione, qui peccata piæ Confeſſioni donare conſuevit, accedat ad Euchariſtiam intrepidus, & ſecurus.* Loquitur igitur de peccatore, qui peccandi voluntatem exuerat, & pro peccatis Confeſſione, lachrymis, & orationibus ſatisfecerat; & qui conſequenter peccata digna morte æterna perpetraverat. Ejuſ-

modi

Digitized by Google

modi homo poſtquam his modis ſatisfecit pro peccatis, ſecurus, & intrepidus ad Euchariſtiam accedere poteſt. Sed peccata illa licèt mortiſera, grandia tamen non erant ſcelera, quia hæc tam facilè non ſanantur. Audiamus quomodo auctor ille excipit. *Sed hoc de illo dico, quem capitalia, & mortalia peccata non gravant.* Qua ratione igitur eum, qui hujuſmodi eſt, ſanat? *Nam quem mortalia crimina poſt baptiſmum premunt, hortor priùs publica Pœnitentia ſatisfacere, & ita Sacerdotis Judicio reconciliatum communioni ſociari, ſi vult non ad Judicium, & condemnationem Euchariſtiam percipere.* Eodem planè modo, quo S. Auguſtinus: Verba autem adeò clara ſunt, ut nullis meis verbis illuſtrari poſſe exiſtimem. Ne quis autem exiſtimet ſecretam Pœnitentiam ad iſtorum peccatorum ſanationem omninò inſufficientem eſſe, qua ratione eandem ſanationem ſecreta ſatisfactio efficere poſſit, veluti per anticipationem objectionis ſtatim explicat, *Sed & ſecreta ſatisfactione ſolvi mortalia crimina non negamus; ſed mutato priùs ſeculari habito, & confeſſo religionis ſtudio per vitæ correctionem, & jugi, immò perpetuo luctu miſerante Deo; ita duntaxat, ut contraria pro iis, quæ pœnitet, agat, & Euchariſtiam omnibus Dominicis diebus ſupplex, ſubmiſſus uſque ad mortem percipiat.* Hæc ſecreta ſatisfactio, eo nempe modo quem deſcribit facta, publicæ, ex ejus ſententia æquiparatur, & atrocia peccata ſanandi quoque vim habet, ex communi Eccleſiæ illius temporis doctrina, & praxi: Nihil enim Gennadius toto libro tradit quàm ea, quæ putat eſſe communia, & vulgata totius Eccleſiæ Catholicæ dogmata, & principia.

XI. Notabis, Lector, quòd cum graviſſima peccata vocat mortalia, id ex antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine κατ' ἐξοχὴν, & per antonomaſiam eſſe intelligendum. Ita enim Tertullianus, Origenes, Cyprianus: hocque erat vulgatiſſimum apud Catholicos atque etiam Hæreticos, Novatianos præſertim, & Montaniſtas, qui his graviſſimis peccatis nullam concedebant reconciliationem, eaque vocare ſolebant peccata mortalia, mortifera, peccata in Deum, capitalia, exitioſa, graviora. Idem, quod ad ſcopum noſtrum attinet, de Catholicis illorum temporum nobis eſt dicendum. Iiſdem enim nominibus illa crimina indigitabant, iiſque ſemel tantum Pœnitentiam, & reconciliationem largiri ſolebant. Quæ ſanè ſunt inviciſſima καὶ ἀναντίῤῥητα ejuſdem diſtinctionis in Eccleſia antiquiſſimæ, & perpetuæ argumenta. Quis enim non videt præter iſta graviſſima peccata mortalia, alia fuiſſe mortalia, ſed minora quibus Pœnitentiam, ſed non luctuoſam, ſæpius imponebant? Quis non videt ſimiliter Hæreticos illos alia agnoviſſe, & prædicaſſe peccata mortalia, quibus ipſi Pœnitentiam, & reconciliationem præſtabant? Id de ſe Montaniſta Tertullianus ſæpius teſtatur, & de Novatianis S. Ambroſius, & alii. Hæc autem cum diffuſè tractata ſint *cap.* 3. & 4. *lib.* 2. & tractanda nobis ſunt iterùm ex propoſito capite hujus *l.* 31. eò lectorem remittimus. Interim meminerit tria illa peccata antiquis propter iniquitatis ὑπεροχὴν mortalia dicta fuiſſe, atque ideò medicamento peculiari ſanata; non autem quod ſola eſſent mortalia, hoc eſt, Inferorum pœnis obnoxia.

XII. Alcuinus *lib. de divinis officiis, ſectione cui titulat, in capite Jejunii*, tacito Gennadii nomine poſteriorem hanc partem citare videtur, ſed non integram. *Quapropter oportet*, inquit, *ad Pœnitentiam accedere cum omni fiducia, & ex fide credere indubitanter Pœnitentia aboleri poſſe peccata, etiamſi in ultimo vitæ ſpiritu commiſſa pœniteat, & publica lamentatione peccata prodantur, quia non vult Deus, &c. Nam ſecreta ſatisfactione ſolvi mortalia crimina non negamus; quotidiana verò, leviaque peccata, ſine quibus hominis vita non ducitur, dominica oratione purgantur, &c.* Appoſitè ſubjunxit ſecreta ſatisfactione ſolvi peccata mortalia, ut Gennadius, ne quis æſtimaret publicè ſemper eſſe ſatisfaciendum. Non addidit autem cætera, quæ Gennadius, eo quòd Alcuini tempore occultorum peccatorum canonicæ quidem eſſent ſatisfactiones, ſed ſecretò impoſitæ, & ſecretò agendæ, ut ex toto illo capite, in quo hæc ſigillatim deſcribuntur, evidenter conſtat. Mos autem ille ſecretò ſatisfaciendi à Gennadio commemoratus, aut obſoletus tum erat, aut rariſſimè, aut ſpontè tantùm ſuſceptus, niſi illum ad profeſſionem Monachicam extendere velis. Verùm illa ἐπανορθώσεως ſpecies de ſecreta Confeſſione textui interjecta evidenter demonſtrat, vulgatiſſimum anteà fuiſſe pro peccatis mortalibus publicè ſatisfacere: ideò monet Alcuinus ſolvi etiam poſſe mortalia peccata per ſecretam ſatisfactionem, ne quis antiquiore conſuetudine commotus, de ſecreta ſatisfactione humilius æquo ſentiret.

XIII. Sed ad ſcopum noſtrum multò clarius antiqua quædam collectio, in tres libros diſtributa, cujus exemplar habemus, ante circiter ſeptingentos annos deſcriptum, ut ex charactere apparet: Poſtquam enim in procemio hæc, & ſimilia multa tanquam ex ſenſu ſuo, nemine citato, locutus eſt, *In actione Pœnitentiæ ubi tale commiſſum eſt, ut is, qui commiſit, à Chriſti etiam corpore ſeparetur, non tam conſideranda eſt menſura temporis, quàm doloris: Cor enim contritum, & humiliatum Deus non ſpernit, &c. Ergo cùm tanta eſt plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta corporis, & ſanguinis Chriſti diù differenda ſint, auctoritate Antiſtitis debet quiſque ab Eccleſia removeri ad agendam Pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari. Hoc eſt enim indignè accipere corpus, & ſanguinem Domini, ſi eo tempore accipiat, quo debet agere Pœnitentiam, &c.* Tandem ſubdit, *Hæc dicta ſunt de publica ſatisfactione, qua quiſque humiliando ſe non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram Eccleſia, quæ habet claves regni cælorum, in qua fit remiſſio peccatorum, ad arbitrium Antiſtitis ſatisfacere debet.* Ne quis autem exiſtimaret eum negare ſecretam ſatisfactionem eſſe fructuoſam, eo quòd omnium ferè peccatorum mortalium Pœnitentiam publicè faciendam eſſe docuiſſet, Gennadii verba refert tanquam ſua, ut & pleraque ex S. Auguſtino nemine prorſus commemorato, *Sed & ſecreta ſatisfactione ſolvi mortalia crimina non negamus, ſed mutato priùs ſeculari habitu, & indefeſſo religionis ſtudio per vitæ correctionem, & jugi immò perpetuo luctu miſerante Deo: Ita duntaxat, ut contraria pro his, quæ pœnitet, agat.*

XIV. Differt auctor ille à Gennadio, eo quòd cum ſcriberet jam ſecundum peccatorum genus cum primò magna ex parte coaluerat: Ideò apud eum omnia ferè peccata mortalia externis perpetrata publicè ex ipſius ſententia purgabantur, ut infra docebimus. Triplex tamen peccatorum genus non inevidenter indicat, licèt intermedii medicamentum obſcurius explicet: Sic enim perſequitur, *Quotidianis autem, levibuſque peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio ſatisfacit, &c. Delet omninò hæc oratio Dominica quotidiana peccata.* Medium peccati genus verbis ſequentibus manifeſtè adnotat, ſed idem remedium & illi, & præcedenti videtur applicare. Reverà enim iiſdem propè remediis utrumque genus curare ſolebant, ſi Confeſſionem excipias, quàm peccatis venialibus nulla unquam lege poſuerunt. Cætera remedia non genere, aut qualitate, ſed ſola quantitate differebant. Hinc eſt, quod ille Sanctum Auguſtinum ſecutus utrumque peccati genus, in unitatem remedii conjungat. Statim igitur poſt verba citata ſubdit, *Delet & illa, quibus vita fidelium etiam ſceleratè geſta, ſed pœnitendo in meliùs mutato diſcedit, ſi quemadmodum veraciter dicitur, dimitte nobis debita noſtra, etiam veraciter dicimus, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Tam multa dimiſſionis genera ſubjungit, & explicat, ut præter orationem Dominicam ſingula ferè bona opera complectatur, & eodem, quod ad remedium attinet, redeat quò Sanctus Auguſtinus, ex cujus verbis ſua ferè concinnat.

XV. Quæ de antiqua illa collectione diximus, eadem prorſùs & eodem modo dicenda, & intelligenda ſunt de præfatione, quàm Halitgarius Cameracenſis Epiſcopus, qui ante octingentos annos ſcribebat, Pœnitentiali ſuo præpoſuit: Videtur enim Halitgarius præfationem ſuam de utilitate Pœnitentiæ ex collectionis iſtius præfatione compendio deſcripſiſſe: Eorum autem, quæ retulimus, nihil omiſit. Quapropter eadem opera ex utroque exceptum eſt teſtimonium.

XVI. Sanctus Cæſarius Arelatenſis *homil.* I. utrumque peccati genus eodem modo conjungit in remedii unitatem, ita tamen ut facilè appareat, & in peccatis, & in remediis eſſe diſcretionem. *Si levia ſunt fortè delicta, verbi gratia, ſi homo vel in ſermone, vel in aliqua reprehenſibili voluntate, ſi oculo peccavit, aut corde, verborum, & cogitationum maculæ quotidiana oratione curandæ, & privata compunctione terendæ ſunt. Si verò quiſque conſcientiam ſuam interrogans, facinus aliquod capitale commiſit, aut ſi fidem ſuam falſo teſtimonio expugnavit, ac prodidit, aut ſacrum veritatis nomen perjurii temeritate violavit, ſi veram Baptiſmi tunicam, & ſpecioſam Virginitatis holoſericam cœno commaculati pudoris infecit, ſi in ſemetipſo novum hominem nece hominis occidit; ſi per augures, & divinos, atque incantatores captivum ſe Diabolo tradidit: Hæc, & ejuſmodi commiſſa expiari penitus communi, & mediocri, licèt ſecreta ſatisfactione non poſſunt: ſed graves cauſæ graviores, & acriores publicas curas requirunt, ut qui cum plurimorum afflictione ſe perdidit, ſimili modo cum plurimorum ædificatione ſe redimat. Homo enim ipſe ſe decipit, ſi cum in medullis fervere ſibi ſentiat morbum, per ſuperficiem corporis molle deducat unguentum, &c.* En qua ratione gravia peccata

eata curari debeant. Cùm autem negat ſecreta ſatisfactione curari poſſe, id intelligendum eſt ratione habita ad conſuetudinem Eccleſiaſticam, quam qui negligit, peccata curare non poteſt; non quòd abſolutè id fieri non poſſit.

XVII. Aliquis forſan colliget, Cæſarium de peccatis publicis verba facere propter illa verba, *Ut qui cum plurimorum afflictione ſe perdidit, ſimili modo cum plurimorum ædificatione ſe redimat*. Verùm ea verba propter publicum crimen ſolùm non dicuntur, ſed quia ut plurimùm crimina cum nonnullorum hominum notitia perpetrantur. Fornicatur aliquis, Conſcii ſunt ſervuli, conſcia eſt fornicatrix, conſciæ ſunt Ancillæ: Dignoſcunt hoc vicini, familiareſque permulti, licèt non ea cognitione, quæ in judicio probari poſſit. Ita de Perjuris, Auguribus, Divinationibus, & aliis plurimis vitiis. Maxima pars peccatorum eſt hujus generis, quæ publica, & notoria dici non poſſunt, licèt ſæpè permulti ea probè cognoſcant, plureſque legitimè ſuſpicentur. Rem ita ſe habere nemini poteſt eſſe incognitum, illudque nos admonet S. Auguſt. homilia poſtrema ex 50. à qua deſumpſit pleraque Cæſarius, *Plerique boni Chriſtiani propterea tacent, & ſufferunt aliorum peccata, quæ noverunt, quia documentis ſæpè deſeruntur; & ea, quæ ipſi ſciunt, judicibus Eccleſiaſticis probare non poſſunt, &c.* Omnes igitur illi, quos commemoravimus, quum vident eum publicè pœnitentem, plurimùm ædificantur, atque ad idem agendum, ſi conſcii ſunt, commoventur. De occultis autem criminibus Cæſarium agere manifeſtiſſimum eſt, primum ex altero diſtinctionis membro quod occulta tantùm crimina continet, & quæ ſunt occultiſſima, oculorum nutus, cordis affectus, mentis cogitationes. Deinde remediorum varietates à publicatione, vel occultatione non petit, ſed tantùm à gravitate, vel levitate peccatorum. Itaque occulta ſint, vel publica nihil ad rem; gravitatem, aut levitatem tantùm ſpectat: Ideò vult publicè curari, quia gravia ſunt, *Sed graves cauſæ graviores, & acriores, & publicas curas requirunt*, & univerſus Cæſarii ſermo tam qui præcedit, quàm qui ſequitur eò tendit, *Hæc itaque principalia mala ingenti rugitu, & gemitu, & fonte indigent lachrymarum*, Integra homilia à capite ad calcem legenda eſt; tota verſatur in eo demonſtrando, nec ullibi criminis publici ulla memoria. Præterea intellecto crimine publico cum occulti negatione viri Sancti ratiocinatio funditùs evertitur. Levia peccata inquit, oculorum nutus, verborum, & cogitationum maculæ, &c. privata compunctione ſanantur: Verùm non ita capitalia crimina, ſed publica pœnitentia curanda ſunt. Non opponit venialibus peccatis peccata publica, ſed mortalia quæcunque illa ſunt occulta, vel publica; docetque illa ſanari privata pœnitentia, hæc publica. Denique idem probant, & quæ enumerat peccata, præſertim homicidium, atque etiam auguria, & incantationes, quæ eo tempore apud Chriſtianos publica eſſe non poterant.

XVIII. Commemorat quoque non omninò obſcurè ſecundum peccati genus, & ſecundum remedium, ſi comparentur hæc verba, *Hæc, & ejuſmodi commiſſa expiari penitus communi, & mediocri, licèt ſecreta ſatisfactione, non poſſunt*, cum remedio, quo levia delicta curantur, & eo quo graviſſima. Videtur enim manifeſtè alludere ad medium peccatorum genus, & medium quoque quo ſanatur remedium: leviaque delicta oratione quotidiana, & privata, ſeu ſecreta cordis contritione curari; minùs autem gravia communi, & mediocri, ſecretaque ſatisfactione: graviſſima verò, publica, & acriore.

XIX. Pleraque alia Sanctorum Patrum teſtimonia occurrunt, ex quibus idem evidenter, & neceſſariò colligitur, nihil autem quod contradicat: Eorum bonam partem infra multis locis referemus, & potiſſimùm, quum ſpecialiter demonſtrabimus, quo remedio ſecundùm peccatorum genus ab Eccleſia ſanabatur. Ea nunc præterimus, ne bis, terve idem repetere cogamur. Hoc ſolùm S. Chryſoſtomi teſtimonium è multis ejuſdem generis præcedentibus adtexemus, quo demonſtratur illud intermedium peccati genus, licèt exteriùs non proferatur, mortale tamen eſſe peccatum, & animi contritione, contrariiſque bonis operibus eſſe curandum, & redimendum, Ita Chryſoſtomus *homilia 42. in Matth.* inter multa alia, quæ in hanc rem eloquenter ediſſerit, *Quis ab avaritiæ crimine mundus eſt? Noli enim mihi dicere te moderatè aliena, atque timidè tetigiſſe. Sed cogita propter hanc rem parvam, quam rapuiſti, non parvo te cruciatu in æternum eſſe puniendum. Id inquam cogita, & Pœnitentiam age. Quis à convitio, atque obtrectatione liber eſt? Id autem procul dubio in gehennam intrudit. Quis occultè proximum calumniatus non eſt? Quis ſuperbia non intumuit? Hic etiam cæteris omnibus immundior eſt. Quis oculos à laſcivo aſpectu continuit, quem adulterio deliquiſſe non dubitamus? Quis fruſtra fratri ſuo iratus, non conſilio, atque reatui reus eſt? &c. Si ſingula iſtorum ad gehennam deducunt, quid futurum eſt, ſi ad unum omnia coeunt?* Nunc autem qua ratione iſta ſanentur, audiamus. *Quomodo igitur inquies, ſalvari poſſibile eſt? Si oppoſita his adhibeamus remedia, miſericordiam in pauperes, orationem, compunctionem, pœnitentiam, humilitatem, contritum cor apprimè, contemptum rerum præſentium. Mille namque ſalutis vias Deus nobis propoſuit, dummodo diligenter velimus attendere.*

XX. Huc referenda ſunt, quæ multis enarravimus *cap. 4. & 5. lib. 2.* de peccatorum diſtinctionibus, quas inſtituunt SS. Cyprianus, Ambroſius, & Auguſtinus. Duo quidem priores crimina diſtingunt paulò aliter; criminum enim, quorum agitur Pœnitentia publica, & canonica, duos gradus faciunt, graviſſima, Dei abnegationem, & idololatriam, & his minora, adulterium, homicidium, &c. deinde levia. Sed eòdem redit illa diſtinctio, quoad Pœnitentiæ actionem, quam hic ſolùm conſideramus. Quapropter ne jam ſatis ſuperque enarrata repetamus, ad locum indicatum lectorem remittimus. Eandem diſtinctionem, & curandi modum attigit Magiſter *lib. 4. d. 14.* Allegato enim Origenis teſtimonio quod *cap. 14.* examinabimus ita ſcribit, *Communia dicit venialia peccata, & fortè mortalia quædam aliis minùs gravia; quæ ſicut ſæpè committuntur, ita frequenter per pœnitentiam redimuntur. Sed de gravioribus criminibus ſemel tantùm agitur Pœnitentia, ſcilicet ſolemnis.*

CAPUT II.

Primis Eccleſiæ ſeculis tria tantùm peccatorum mortalium genera per publicam, ſeu luctuoſam, & humilem Pœnitentiam curata fuiſſe, neque pluribus canones antiquos Pœnitentiam impoſuiſſe.

Explicata iſta peccatorum diſtinctione, inquirendum nobis eſt, qua ratione, quibuſve medicamentis unumquodque peccatorum genus ab antiquis Patribus noſtris curari ſolebat. Vulgò fertur apud Græcos ſenarius iſte.

Ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι.

Ægrotantis animi Medici ſunt ſermones. Sicut enim adversùs corporis morbos multa ſunt à Medicis excogitata remedia, & uſu probata: Sic exiſtimarunt Philoſophi animi morbos, cupiditates, effrænes motus, ſui impotentiam, cæteraque πάθη exhortationibus, & ſapientibus monitis commodiſſimè curari. Hinc iſtud Horatii.

Sunt verba, & voces, quibus hunc lenire dolorem
Poſſis, & magnam morbi depellere partem.

Quanquam hoc animi curandi genus utiliſſimum ſit, & ſaluberrimum, atque illud ſæpiùs conſulat, & adhiberi jubeat ſacra ſcriptura, idque Sancti Patres diligentiſſimè præſtiterint, graviſſimis tamen peccatis integerrimè eluendis, & abſtergendis ſufficere ſæpiùs non judicarunt. Ideò varias huic curationi perficiendæ pharmacorum, & pœnarum ſpecies applicarunt, quas ſigillatim *lib. 6. & 7.* trademus: Sed generalia tantùm iſtorum criminum medicamenta hoc libro inveſtigabimus. De primo peccatorum genere tria potiſſimùm demonſtrabimus, quibus defuncti aliorum peccatorum curationem aggrediemur: Primum, tres tantùm criminum ſpecies genus illud complecti conſueviſſe, Idololatriam, Homicidium, & Mœchiam. Secundum, iſta crimina ſive occulta, ſive publica fuerint per Pœnitentiam publicam indiſcretè curata fuiſſe. Poſtremum, nonnulla iſtorum ſcelerum, & Pœnitentiæ de illis actæ conſequentia maximi momenti enarrabimus, & quid de unoquoque variis temporibus ſtatutum fuerit, aperire conabimur: Duo priora ferè ſimul demonſtrabuntur, eo quòd teſtimonia, quibus iſta docemur, utrumque complectantur.

II. Sanctus Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus, qui, ut ſcribit Sanctus Hieronymus, ſub Theodoſio Principe ultima ſenectute mortuus eſt, & conſequenter imperantibus Conſtantini magni filiis, necnon Juliano, Joviano, & Valentiniano Principibus, hanc Eccleſiæ diſciplinam diſertiſſimè nos docet in Parænesi ad Pœnitentiam, eamque vocat Apoſtolicam traditionem, & illius originem, & neceſſitatem ab Apoſtolorum decreto repetit. Ut autem Paciani antiquitatem, & ſanctitatem prætercam, plurimi eſt in hac cauſa faciendus, cùm egregiè de Pœnitentia contra Novatianos ſcripſerit, ac proinde poſt longam, & ſeriam hujus rei meditationem. Itaque opus eſt tantùm ipſius verba deſcribere. Singula enim iſta perſpicuè explicat, & probat, *Primùm igitur de modo peccantium retractemus ſedulò requirentes, quæ ſint*

pecca-

Digitized by Google

peccata , quæ crimina ; ne quis exiſtimet propter innumera deliſta quorum fraudibus nullus immunis eſt , ne omne hominum genus indiſcreta pœnitendi lege conſtringere . En quàm exactè ſtatum controverſiæ proponat . Non omnibus igitur , ſed quibuſdam tantùm peccatis Pęnitentia tribuitur . Illum præterea explicat , & illuſtrat legis Moſaicæ ſtatu propoſito. *Apud Moſen , & veteres minimi quoque peccati , & quadrantis unius , ut ita dixerim , rei , in eodem infelicitatis æſtuario voluti ſunt : Et qui Sabbata violaverant , & qui immunda tetigerant , & qui oſcarum vetita præſumperant , & qui murmurabant , & qui pariete corrupto , & qui veſte maculata in templum ſummi regis intraverant , & qui altarium hic obnoxii manu contrectaverant , aut veſte contigerant , ut in cœlum aſcendere citius fuerit , aut emori ſatius quàm hæc univerſa ſervare .* His omnibus , & pleriſque aliis gravium ſuppliciorum metu obnoxii erant Judæi , quibus , ut docet nos Sanctus Pacianus, Chriſti gratia nos liberavit. *His igitur nos omnibus , multiſque præterea carnalibus vitiis , ut citius ad deſtinata quiſque perveniat , Sanguis Domini liberavit redemptus à ſervitute legis , & libertate fidei emancipatos . Idedque Apoſtolus Paulus , vos autem , inquit , in libertatem vocati eſtis . Hæc illa libertas quod non omnibus adſtringimur , quibus veteres tenebantur , ſed donata , ut ita dixerim , ſylva delictorum , & remediorum indulgentia deſtinata , in pauca concluſi ſumus , & neceſſaria , quæ & ſervare facillimum eſſet credentibus , & cavere , ut meritiſſimum Tartarum non recuſaret , qui tantæ donationi ingratus , vel hæc quidem pauca ſervaſſet .*

III. His præmiſſis aperit , quæ ſint illa peccata , quibus ſanandis auſtera , & luctuoſa Pęnitentia imponi debeat , hæc ſubjungens , *Quæ ſint autem iſta , videamus . Poſt Domini paſſionem , Apoſtoli , tractatis omnibus , atque diſcuſſis , Epiſtolam tradiderunt his , qui ex gentibus crediderant perferendam , cujus Epiſtulæ ſententia hæc fuit , &c.* Poſt recitatam magna ex parte Epiſtolam addit , *Hæc eſt novi Teſtamenti tota concluſio , deſpectus in multis Spiritus Sanctus hæc nobis capitalis periculi conditione legavit . Reliqua peccata meliorum operum compenſatione curavit : Hæc verò tria crimina , ut Baſiliſci alicujus afflatus , ut veneni calix , ut lætalis arundo metuenda ſunt ; non enim vitiare animam , ſed intercipere noverunt , &c. Quid faciet contemptor Dei ? Quid aget ſanguinarius ? Quod remedium capiet fornicator ? Nunquid aut placare Dominum deſertor ipſius poterit ; aut conſervare ſanguinem ſuum , qui fudit alienum ; aut redintegrare Dei templum , qui illud fornicando violavit ? Iſta ſunt capitalia , fratres , iſta mortalia .* Poſteà docet hæc tria peccata morte per legem plexa fuiſſe ; in eorum , qui ejuſmodi crimina perpetrarunt , poteſtate fuiſſe , ea non perpetrare : ideò nullam excuſationem prætexere poſſe : Tandem ſubinfert , *Ergo , inquiet aliquis , perituri ſumus ? Et ubi miſericors Deus , qui mortem non inveait , nec lætatur in perditione vivorum ? Moriemur ne in peccatis noſtris ? Et quid facies tu Sacerdos ? Quibus emolumentis eos Eccleſiæ detrimenta penſabis ? Accipite remedium , ſi deſperare cœpiſtis , ſi miſeros vos agnoſcitis , ſi timetis , &c. Vos ergo primum appello fratres , qui criminibus admiſſis Pœnitentiam recuſatis .* Deinde multis invehitur in eos , qui cum ſint iſtorum peccatorum rei , ea tamen confiteri nolunt , tantùm abeſt ut Pęnitentiam unicum iſtorum malorum remedium amplecti velint . Hoc eſt ſecundùm parænesis ſuæ caput , quod potiſſimùm urget exaggeratione impietatis , quæ ſumptione corporis Dominici pęnitentia noo acta perpetratur .

IV. Alio argumento utitur , quod eſt ejuſmodi , ut dignum mihi videatur , quod hic inferatur . *Si veſtra vilis eſt anima , parcite populo , parcite Sacerdotibus . Clamat Apoſtolus , Exiguum fermentum totam Maſſam fermentat . Quid facies tu , propter quem omnis Maſſa corrumpitur ; propter quem laboratura eſt tota fraternitas ? Vivet tot animarum reus ? Excuſaberit cum tibi communionem ſuam imputaverint innocentes , cum te Eccleſia dixerit ſuæ cladis auctorem ? Ecce iterùm Apoſtolus ad Sacerdotem , Manus citò nulli imponas , nec communices peccatis alienis . Quid facies tu , qui decipis Sacerdotem ? Qui aut ignorantem fallis , aut non ad plenum ſcientem probandi difficultate confundis , &c.* Rationem eandem ſæpe urgent Patres , cujus exempla attulimus *libro 1. cap. 17.* & alibi . Eſt enim illis familiare plurimùm reformidare , ne impiorum contagio polluantur ; ſed verba , quæ attulimus , id faciunt eleganter , & *ἰδιωτικῶς* , dum eos ad agendam Pęnitentiam exhortatur , & incitat , ne polluti cum fidelibus communicando eos peccatis ſuis inficiant . Poſteà tertium parænesis caput aggreditur , adverſùs ſcilicet eos , qui acta confeſſione peccatorum pęnitentiam impoſitam agere , aut negligunt , aut reformidant . Sed iſta perſequi propoſito noſtro nihil nunc conducit . Vides , lector , quæ primum crimina pœnitentia damnari ſolebant , & quo argumento id è traditione Apoſtolica eliciebant .

Morin. de Sacram. Pœnit.

V. Ante Sanctum Pacianum multis annis Tertullianus idem eodem modo ex eo loco probaverat . Idem dico non omni ex parte , ſed quatenus tria illa peccata à cæteris pœnitentiæ cauſa eximuntur . Pacianus enim ex eodem loco demonſtravit tria tantum illa peccatorum genera , utpote cæteris longè graviora , debere Pœnitentia luctuoſa puniri : Tertullianus verò Hæreticus factus demonſtrare nititur eadem ratione tria illa peccatorum graviſſimorum genera ab Eccleſia remitti non poſſe , & conſequenter ſpecialem illis pœnitentiam non eſſe ab hominibus imponendam , ſed eorum auctores ad Pœnitentiam agendam cohortandos , & Deo commendandos . Contrarium Paciano conſequens deducit , iiſdem tamen generalibus fretus principiis . Probat enim ex eodem Apoſtolorum decreto , tria illa peccata de Pœnitentia Eccleſiaſtica eſſe eximenda , cæteris verò imponi debere . Ita loquitur Tertullianus *libr. de pudicitia capit. 12.* poſtquam textum illum ex Actis Apoſtolorum retulit , *Sufficit , & hic ſervatum eſſe Mœchiæ , & fornicationi locum honoris ſui inter idololatriam , & homicidium . Interdictum enim ſanguinis , multò magis humani intelligemus . Porrò qualia videri volunt Apoſtoli crimina , quæ ſola in obſervatione de lege priſtina excerpunt , quæ ſola neceſſariò abſtinenda præſcribunt . Non quòd alia permittant , ſed quòd hæc ſola præponant , utique non remiſſibilia , qui Ethnicorum cauſa cætera legis onera remiſſibilia fecerunt . Cur ergo cervicem noſtram à tanto jugo excuſant , niſi ut illis compendia iſta diſciplinæ ſemper imponant ? Cur tot vincula indulgeat , niſi ut perpetuò ad neceſſariora conſtringant ?*

VI. Eſt igitur manifeſtiſſimum Tertulliani ævo Chriſtianos auſteræ Pœnitentiæ his tribus peccatis imponendæ rationem vulgò , ex hoc Apoſtolico decreto deſumpſiſſe , & Montaniſtas eo argumento preſſos illud , ut dictum eſt , in Catholicos retorſiſſe . Si quis autem Tertulliani librum integrum de pudicitia diligenter conſideret , facilè animadvertet caput totius diſputationis Catholicos inter , & Montaniſtas de his tribus ſolis peccatis fuiſſe . Montaniſtæ nolebant his dari Abſolutionem , ſed tantùm Pœnitentiam . Catholici verò utrumque concedi volebant . De Mœchia autem potiſſimùm diſputat Tertullianus , eo quòd auſteram illam Pœnitentiam , quæ propriè Pœnitentia dicebatur , Mœchis plurimùm Zepherinus laxaverat . Quia autem auſtera illa , & luctuoſa Penitentia his tantùm tribus peccatis infligebatur ideò abſolutè dicti ſunt Montaniſtæ , ut & Novatiani , negaſſe Pęnitentes eſſe recipiendos , hoc eſt , Penitentes propriè dictos , qui horum erant criminum Rei . Nam quod attinet ad alia peccata , ſive mortalia eſſent ex natura ſua , ſive venialia , ea purgabant ſine Pęnitentia , ſola Confeſſione , & correptione , ut Catholicos feciſſe infra docebimus . Sed Montaniſtæ hanc ſtrictam Pęnitentiæ ſignificationem non uſurpabant , eo quòd leviorum tantùm criminum reconciliationem ſibi vindicarent . Ideò ut legere eſt *cap. 4.* Pęnitentiam duplicem conſtituebant , unam , cui veniam homines dare poterant , aliam , cui ſolus Deus , quæ tria illa enormia peccata tantummodo complectebatur . & de quibus ſolis inter eos , & Catholicos erat orta Controverſia .

VII. Idem nos præclarè , & eruditè docet Sanctus Gregorius Nyſſenus tota Epiſtola ad Letojum Mitilenes Epiſcopum . Qui diſciplinæ Eccleſiaſticæ circa Pęnitentes antiquiſſimam praxim , illiuſque rationes intimas penetrare voluerit , hanc Epiſtolam legat neceſſe eſt , utiles , jucundoſque ex ea fructus refert . Nonnulla , ſed propoſito noſtro maximè convenientia referemus . Pęnitentiæ ſolis his tribus criminibus impoſitæ rationem petit non à decreto Apoſtolico , ſed à tribus præcipuis animæ humanæ facultatibus , ſeu affectibus , Ratione , concupiſcentia , & ira , quibus ſolidè , & ſubtiliter diſtinctis ſic colligit , *His itaque hoc modo diſtinctis quæcunque quidem peccata ratione præditam animæ partem attingunt , eſſe graviora à patribus judicata ſunt , & majori , ac ſufficientiori , & laborioſiori converſione digna . Quemadmodum ſi quis fidem in Chriſtum negavit , vel ad Judaiſmum , vel idolorum cultum , vel Manichæiſmum , vel aliquod aliud impietatis genus deſciviſſe viſus ſit . Qui voluntariè quidem ad id malum ſe contulit , deinde ſeipſum condemnavit , totum tempus vitæ ſuæ habet Pœnitentiæ tempus . Nunquam enim ſi myſtica peragatur oratio , Deum unà cum populo adorare dignus cenſebitur ; ſed ſeorſum precabitur , à Sacra-*

mentorum autem communione omnino erit alienus. In hora autem ſuà è vita exceſſus Sacramenti communionis erit particeps. Sin autem contigerit, ut is præter ſpem vivat, in eodem rurſus vivet judicio, myſteriorum Sacramentorum ad vitæ exitum uſque expers.

VIII. Vides quàm ſeverè peccator ejuſmodi punitus fuerit. Si verò tormentis ad abnegationem Chriſti coactus fuerat, multò clementius excipiebatur, ut ſtatim poſt ea verba Sanctus adnotat. Idem edicit de Præſtigiatoribus, & Incantatoribus, facta ſimiliter eadem liberæ voluntatis, & coactionis diſtinctione, ſtatimque tranſit ad ſecundam animæ paſſionem, cupiditatem, cujus duo facit genera, adulterium, & fornicationem. Sub adulterii nomine ζωοφθορίαν complectitur, & παιδεραστίαν, eaque vocat naturæ adulteria. Quæ omnia & Tertullianus, & Pacianus, & alii Mœchiæ vocabulo, ut dictum eſt, ſignificari docent. Pœnitentiæ autem tempora ita diſtribuit, ut adulterio, Præde-raſtiæ, & Zoophtoriæ æqualia aſſignet, fornicationi verò temporis dimidium, cætera ſimilia.

IX. Poſteà perſequitur peccata, quæ ex tertia animæ facultate procedunt, ex quibus omnibus ſolam cædem ait pœnitentia fuiſſe caſtigatam, & purgatam. Lectori non erit inutile viri Sancti verba huc referre, ut penitus perſpiciat, quo ſenſu de his peccatis & loquebantur, & decernebant, *Reſtat ad hæc, ut iraſcentem animæ partem examinandam proponamus, quando lapſa à bono iræ uſu in peccatum ceciderit. Cùm autem multa ſint, quæ per iram fiunt peccata, & omnis generis mala, placuit omnibus noſtris Patribus, in aliis quidem non nimium ſubtiliter agere, nec nimium in eo ſtudii, operæque ponere, ut omnia, quæ ex ira naſcerentur, delicta curarent, quamvis ſcriptura non ſolùm vulnus tantummodò probibeat, ſed etiam omne convicium, vel maledictum, & ſi quid aliud ejuſmodi ira efficit, ſed ſolam cædis cautionem ſuis pœnis introduxerunt. Dividitur autem hoc malum differentia voluntariæ, & involuntariæ, &c.* Refert prætereà ex antiquorum Patrum ſententia cædi involuntariæ Pœnitentiam eſſe impoſitam fornicationis pœnitentiæ æqualem. Qualis autem fuerit cædis voluntariæ canonica pœnitentia ipſius verbis referendum eſt, *In his ergo cædes quidem in triplex tempus extenditur iis, qui per converſionem voluntario facinori remedium afferunt. Ter novem enim anni ſunt, novenario annorum numero in unoquoque gradu præfinito, ut in perfectà quidem ſegregatione novem annorum tempore verſetur ab Eccleſia probibitus: Alios autem tot annos in Auditione permaneat, ſolùm doctorum, & ſcripturarum auditione dignus habitus; In tertio autem novenario cum ſubſtratis in converſione orans, ut perveniat ad communionem Sacramenti, &c.* Hoc ita ſtatutum erat de iis, qui ſponte ſeſe cædis factæ accuſabant. Quid credere par fuit de eorum pœnitentia, qui cædis convincebantur, cum aliis multò ſeverius puniri ſolerent? Addit Gregorius unumquemque novenarium, ab Epiſcopo in ſexennium, vel ſeptennium mutari poſſe, *Si pœnitentiæ magnitudo tempus vincat, & ſuperet correctionis ſtudio eos, qui in longo tempore præſtituto ſuſceptas à ſe maculas eluunt.*

X. De nonnullis aliis peccatis ea addit expreſſiſſimè, quæ hìc diligenter ſunt adnotanda. Sed prius non omittendum eſt, immò ſæpius memoria repetendum, quod dixit, antiquos Patres ex omnibus delictis, quæ ex affectu iræ inordinato oriuntur, ſolam cædem pœna affeciſſe, licèt plurima ex ea oriantur à ſacra ſcriptura condemnata: Certum eſt, pleraque ejuſmodi peccata eſſe mortalia, hoc eſt æterna morte punienda. Si tamen cædem excipias horum nulli pœnitentiam Patres impoſuerant, nec ille imponit. Nunc idem alio ipſius teſtimonio non minus expreſsè probatur. Avaritiam ſcribit eſſe idololatriæ ſpeciem, multaque congerit, ut hujus vitii malitiam exaggeret, poſteà ſubjicit, quòd in cauſa, quam agimus, magni eſt momenti, *Et tamen hæc morbi ſpecies inconſiderata, & abſque ulla ejus cura prætermiſſa eſt, quo fit, ut hic morbus in Eccleſiis redundet, & nemo in iis, qui ad Clerum adducuntur, inquirit, num eorum aliqui eo genere idololatriæ polluti ſint.*

XI. Opponi poteſt Gregorii Thaumaturgi Epiſtola, in qua rerum alienarum raptores pœnis canonicis afficiuntur, propter horrendam avaritiam. Verùm apud Gregorium Thaumaturgum peculiaris eſt criminis ſpecies, quæ pœnis canonicis mulctatur, furtum ſcilicet, aut detentio rei à Barbaris relictæ, qui totam Provinciam cædibus, & deprædationibus infeſtaverant. Speciem criminis πλεονεξίας, ipſe deſcribit *cap. 2. In tempore incurſionis, in tanto luctu, tantiſque fletibus auſos eſſe aliquos tempus, quod omnibus exitium afferebat, exiſtimare eſſe ſibi lucri tempus, eſt hominum impiorum, & Deo inviſorum, & quorum improbitati nihil poteſt adjici.* Tanto crimini quod Barbarorum cædibus, & deprædationibus affine eſt, & iis multò gravius gravem indicit pœnam, *Unde eis omnibus ejuſmodi interdicere viſum eſt, eoſque abdicare, ne forte ad totum populum ira veniat, &c.* Quare hæc ab avaritia, & furto vulgari longè ſunt diſſimilia.

XII. Idem docet Nyſſenus de fœnore, & uſura nullis nempè pœnis canonicis eſſe prohibita, quod de Laicis intelligendum eſt. Clericis enim fœnerantibus depoſitionem interminatur *canon Nicænus* 17. Quanquam nec alio modò intellectus canon Gregorii Nicæno contradicat, cùm ille de Pœnitentia publica, hic de Clericorum cenſura verba faciat. Ex quibus omnibus manifeſtiſſimum eſt Pœnitentiam à Patribus non eſſe peccatis omnibus mortalibus impoſitam, ſed certis quibuſdam, iis videlicet, quæ expreſſimus, ut inſuper, quæ ſequuntur, evidentiſſimè demonſtrant.

XIII. Tres alias peccatorum ſpecies enarrant, furtum, ſepulchrorum effoſſionem, & ſacrilegium, quibus Pœnitentia imponi ſolebat; ſed iis tantum imponebatur, ut ipſe docet, quatenus ad unum ex his tribus capitalibus perſpicuè referuntur. Furtum dividit in violentum, quum latro paratus eſt armis id, ad quod inhiat, occupare, & prohibentem interficere: Et clandeſtinum, cùm latenter in rem alienam ſubrepit, eamque tollit. Prius ideò ut homicidium punit; poſterius nulla Pœnitentia publica caſtigat. Sepulchrorum effoſſionem duplicem quoque facit: Priorem, cùm tantùm lapides moventur, & in alium uſum rapiuntur, ſed corpus intactum relinquitur, nec Soli illius turpitudo detegitur. *Hoc*, inquit, *licet laudabile non ſit, at tamen venia dignum eſſet, efficit conſuetudo.* Poſteriorem cui Pœnitentia adnexa eſt, ſic deſcribit, *Sed carnis in terram redactæ pulverem perſcrutari, & oſſa movere, ſpe aliquem ex defoſſis lucrifaciendi ornatum, id eodem judicio condemnatum eſt, quo fornicatio ſimplex.* Pœnitentia hanc ſpeciem damnarunt, eo quòd quaſi fornicatio videatur. Denique ſacrilegium ſcribit pœna minus ſevera quàm adulterium, aut homicidium puniri, cujus rei cauſam forte brevitatis cauſa, inſtabat enim Epiſtolæ finis, prætermiſit.

XIV. Idem prætereà probatur ex univerſo canonum conſenſu, qui ante Gregorium Nyſſenum, & ipſius ætate conditi ſunt. Nullis enim aliis peccatis quàm tribus iſtis, & eorum ramis, & variis ſpeciebus Pœnitentiam imponunt. Tot canones deſcripſit Sanctus Baſilius in Epiſtolis ad Amphilochium, nulluſque eſt, qui ad hæc disertè non pertineat. Nam quod de furto ſtatuit *cap. 61.* de eo furto eſt intelligendum, quod Sanctus Gregorius Nyſſenus explicavit. Quod de Periuro *cap. 64.* id facilè ad religionis abnegationem reducitur, non ſecus ac præſtigiatores, & incantatores; idque etiam ex gravitate pœnæ colligitur. Quod denique de ſepulchrorum effoſſoribus decernit *cap. 66.* cum ea diſtinctione intelligendum, quam ex Gregorio jam enarravimus. Quapropter nihil horum vel leviſſimè cauſæ noſtræ contradicit, ſed quotquot ſunt in ea canones, illam confirmant. Verùm diſertiſſimè vel ſolus *canon.* 30. *De his qui rapiunt, canonem quidem antiquum non habemus, ſed propriam ſententiam proferimus, ut ipſi, & qui cum eis rapiunt, tribus annis ſint extra orationes.* Raptus mulierum, crimen certè magnum, & legibus civilibus morte vindicatum; ante tamen Sanctum Baſilium nulla lege Eccleſiaſtica punitum eſt. Itaque qui illud commiſerat ante hoc tempus nulla pœna canonica, hoc eſt, nulla Pœnitentia luctuoſa poſt Confeſſionem afficiebatur. Addit autem Sanctus Baſilius, *Quod autem violenter non fit, nulli pœnæ eſt obnoxium.* Si vidua, aut virgo rapiatur volens, nullam pœnam Raptoribus imponit, quanquam crimen magnum ſit, & civili lege ſeverè vindicatum. Sed antiqui Patres licèt hoc, & multa ſimilia crimina non dimitterent impunita, non punire tamen ea tum dicebant, quum gravi illa, & luctuoſa Pœnitentia non puniebant.

XV. Idem colligitur ex Concilio Eliberitano, cujus licèt tot ſint canones, nuſquam tamen Pœnitentiam niſi ob hæc tria peccata indicunt. *Canon.* 73. 74. 75. Delatoribus, & falſis teſtibus Pœnitentiam imperant, ſed delationes illæ ſunt criminum, ut ipſi Patres teſtantur, quæ mortem accuſato inferunt. Idem dicendum de *canon.* 14. *Concilii Arelatenſis* 1. ut ex Pœnitentia impoſita, quæ ad finem uſque vitæ protogatur, manifeſtum eſt. Idem velut in ſpeculo conſpicere eſt in Concilio Ancyrano, in quo tribus his criminibus non modo Pœnitentia imponitur, ſed nonnunquam additur, *Talis Pœnitentia ex antiqua conſuetudine illi convenit.*

In Con-

Digitized by Google

In Concilio Neocæſarienſi nulli alii crimini quàm ex his tribus alicui infligitur. Nihil diſſimile apud Sanctum Cyprianum reperitur. De Pœnitentia agenda ſæpius verba facit, ſed ſemper de Lapſis, hoc eſt, iis, qui idolis ſacrificaverant, aut idolothyta comederant, illi ſermo eſt, ſi duo loca excipias, in quibus agit de Mœchia, ſive adulterio. Nullum dubium eſt, quin idem de homicidio pronuntiaſſet, quod de Mœchia, ſi ſeſe occaſio dediſſet.

XVI. Eandem Eccleſiæ praxim evidenter quoque docet Sanctus Chryſoſtomus *homil. 17. in Matth. Si viderimus vos, inquit, in eiſdem manentes, etiam interdicemus omnino vobis ſacri iſtius ingreſſionem veſtibuli, & cæleſtis participationem myſterii, ſicut fornicatoribus, & Adulteris, & his, qui de homicidiis arguuntur. Melius namque eſt cum duobus, ac tribus divinæ legis præcepta ſervantibus orationes Deo offerre ſolitas, quàm iniquè agentium, cæteroſque prudentiam multitudinem congregare*. Iſte loquendi modus comparativus manifeſtè indicat tria iſta crimina præ cæteris luctuoſa, & majore Pęnitentia puniri ſolere; poſte præterea Epiſcopos eandem pœnam aliis criminibus inferre, cum præſertim iis conjuncta eſt contumacia. De luctuoſa autem loqui Pœnitentia ex pœnæ gravitate conſtat, cùm Eccleſiæ veſtibula adire prohibeantur peccatores; hoc eſt ad fletum relegentur. Idololatriæ autem mentionem non fecit, eo quòd cum ſcriberet ejuſmodi crimen, nunquam, aut rarò committeretur; ſed idololatriæ loco, ut numerum ternarium ſervaret, Mœchiam in duas ſpecies diviſit, fornicationem, & adulterium.

XVII. Vivente Auguſtino multi adhuc erant Eccleſiæ Paſtores, qui rigidè hanc diſciplinam obſervabant, ſolaque hæc tria peccata luctuoſa Pęnitentia curabant, ut evidenter colligitur ex iis verbis, quæ ſcribit *cap. 19.* libri de fide, & bonis operibus, Qui autem opinantur cætera eleemoſynis facilè compenſari, tria tamen mortiſera eſſe non dubitant excommunicatione punienda, donec Pęnitentia humiliore ſanentur, impudicitiam, idololatriam, homicidium. Hanc autem ſententiam, qua dicit hæc tria peccata humiliore Pęnitentia ſanari approbat Sanctus Auguſtinus: Quà verò dicit hæc tria ſola ſic ſanari debere, nec approbat, nec improbat; improbare tamen magis videtur. Sic enim ſubiicit, *Neque nunc opus eſt quærere qualis ſit eorum ſententia, & utrùm corrigenda, an approbanda, ne opus ſuſceptum mittamus in longum, propter eam quæſtionem, quæ huic abſolvendæ minimè neceſſaria eſt. Si autem tria illa excipienda ſunt, etiam in his tribus eſt adulterium, unde iſta diſputatio mota eſt*. Hujus rei ratio eſt, quod cùm ſcribebat Auguſtinus iſtius tribus criminibus multa alia Eccleſiæ praxis conjunxerat, ut capite quarto docemus.

XVIII. Tot igitur, & tantis teſtimoniis freti rectè nobis videmur colligere quadringentis prope annis à Chriſto nato Patres hæc ſola tria crimina, eorumque ſpecies Pęnitentia caſtigaſſe: Cætera verò aliis medicamentis lenioribus, & paratu, hauſtuque multò facilioribus, quæ poſtmodum deſcribemus, & multis argumentis, qua ratione componantur, & miſceantur, demonſtrabimus.

CAPUT III.

Judæos antiquos, & recentiores eadem crimina judicaſſe graviſſima, & ea ſimul velut vulgari axiomate conjungere ſolitos, & ab aliis ut graviſſima ſeparare. Maledicentia quantum illis peccatum. Calumniæ ſcelus cùm exaggerant, his tribus æquiparant. Quid ſit eis lingua tertia.

TRium iſtorum peccatorum præ cæteris deformitatem, & pravitatem agnoſcebant, & prædicabant antiquiſſimi Judæi, quod etiam nunc celebri apud eos fertur axiomare. Unde forſan non malè coniiciet, qui dixerit, antiquos Chriſtianos hanc de tribus iſtis ſceleribus doctrinam à Judæis accepiſſe. Quæ de iſtorum ſcelerum præ cæteris gravitate docent, paucis hic exleribemus, ut poſſit iſta Lector cum præcedentibus, & ſequentibus comparare, & ipſemet de iis Judicium ferre. Moſes Cordubenſis in Miſneh Thorah *parte 1.* tractatus ſive libri Hilcoth Dehoth *cap. 7.* אמרו חכמים שלש עבירות נפרעין מן האדם בעולם הזה ואין לו חלק לעולם הבא עבודה זרה וגלוי עריות ושפיכות דמים ולשון הרע כנגד כולם ועוד אמרו חכמים כל המספר בלשון הרע כאלו כפר בעקר שנא' אשר אמרו ללשוננו נגביר שפתינו אתנו מי אדון לנו ועוד אמרו חכמים שלשה לשון הרע הורגת האומרו והמקבלו וזה שאומר עליו והמקבלו יותר מן האומרו׃ *Dixerunt Sapientes de tribus peccatis pœnas ab homine ſumi in hoc ſeculo, & ei non eſſe partem in futuro, de Idololatria, de ſcortatione, & ſanguinis effuſione; ſed calumniam, & maledicentiam eſſe inſtar omnium. Dixerunt præterea ſapientes omnem calumniatorem, & detractorem eſſe ſimilem neganti principia fidei, ut dicitur Pſ. 12. 5. Qui dixerunt linguam noſtram corroboremus: labia noſtra nobiſcum, Quis dominus nobis? Dixerunt adhuc ſapientes, lingua mala, ſive calumniatrix tres occidit, dicentem, excipientem, & eum de quo factus eſt ſermo, ſed excipientem multò magis quàm dicentem*. Scholium breve in hæc Cordubenſis verba gravitatis iſtorum ſcelerum rationem ex ſcripturæ teſtimoniis petitam breviſſimè reddit, דבכולהו נאמר גדולה עבודה זרה חטא העם הזה חטאה גדולה שפיכות דמים גדול עוני גילוי עריות הרעה הגדולה ובלשון הרע מדברת גדולות׃ *Quoniam de unoquoque horum dicitur, quod magnum ſit. De Idololatria, peccavit populus iſte peccatum grande. De effuſione ſanguinis, magna eſt iniquitas mea. De ſcortatione, malitia magna, & de calumnia, & detractione, lingua magna loquens*. Eadem prorſus Moſes Tranenſis in libro Kiriath Seper, non longè ab initio libri, & ad finem tractatus inſcripti Hilcoth dehoth; ideò verborum ipſius relatione abſtinemus cum omnia quæ Moſes prior, & nihil diverſum doceat.

II. Hæc omnia ab antiquiſſimis eorum Doctoribus acceperunt: Sic enim R. Iſmael in tractatu Talmudico Aracin *c. 3. fol. 15. pag. 2.* כל המספר לשון הרע מגדיל עונות כנגד שלש עבירות עבודה זרה וגילוי עריות ושפיכות דמים כתיב הכא לשון מדברת גדולות וכתיב בע"ז אנא חטא העם הזה חטאה גדולה בגילוי עריות כתיב ואיך אעשה הרעה הגדולה הזאת בשפיכות דמים כתיב גדול עוני מנשוא גדולות אימא תרתי הי מינייהו מפק במערבא אמרו לשון תליתאי קטיל תליתאי הורג למספרו ולמקבלו ולאומרין עליו׃ *Quicunque calumniatur, & detrahit, alteri auget, & amplıat iniquitates in modum, & vicem trium iniquitatum, Idololatriæ, ſcortationis, & effuſionis ſanguinum. Scriptum eſt de calumnia, Pſal. 12. 4. Diſperdet Dominus univerſa labia blanda, & doloſa, & linguam magna loquentem: Scriptum eſt de Idololatria. Quæſo, peccavit populus iſte peccatum grande. De Scortatione ſcriptum, Geneſis 39. 9 Et quomodo faciam malum hoc grande. De ſanguinis effuſione ſcriptum Geneſ. 4. 13. Major eſt iniquitas mea quàm ferre poſſim. Magna dixit, Quia duæ illæ poſteriores ex iſta oriuntur. In Occidente dicere ſolent, lingua tertia tres occidit; occidit detrectantem; & excipientem, & eum, de quo detrectatur*. Linguam tertiam gloſſa explicat לשון רכיל׃ calumniantem, detrahentem, quia tertia eſt inter proximum, & eum, de quo detrahitur. Liber Muſar *cap. 13.* verſus finem, רבותינו ז"ל קראו את רכילות שלישי מפני שהוא הורג שלשה האומרו והמקבלו ומי שנאמר עליו׃ *Patres noſtri bonæ memoriæ vocant detractionem, tertiam, eo quod tres interficit, detrahentem, excipientem, & eum, de quo fit detractio*, quod exemplo Doeg Idumæi demonſtrat: Eandem affert iſtius ſignificationis rationem antiquus Midras Raboth in Vaikra Rabba paraſcha 26. & ea ſignificatione uſus eſt liber Eccleſiaſtici *cap. 28. verſ. 16. & 19.* Lingua tertia multos commovit, *&c.*

III. Mirum eſt quanto odio Rabbini illi calumniam, & maledicentiam execrari videantur: Non modo enim dicunt tribus his graviſſimis criminibus æquiparari, verumetiam ſpem veniæ illius Reos non habere. Sic Talmud Jeroſolymitanum tractatu Bava Kama in fine capitis ſexti, cùm dictum fuiſſet, eum, qui proximum injuria affecit, veniamque ab eo deprecatus eſt; terque trium hominum turbam, ut ſe cum illo reconciliarent, ſecum adduxit, quidquid ſic de eventu, animam ex inferis liberare, regerit R. Joſe, הדא דתימר שלא הוציא לו שם רע אבל הוציא לו שם רע אין לו מחילה עולמית׃ *Hoc, quod dixiſti, intelligitur, cùm ei cauſa non eſt malæ famæ. Verùm ſi hoc illi cauſatus fuerit, veniam non conſequetur in æternum*. Idem omnino ſcribit Moſes Cotſenſis in fine Deciſionum de pęnitentia, צריך למחול באדם שלא הוציא עליו שם רע אבל באותו שהוציא עליו שם רע אין לא מחילה עולמית׃ *Neceſſe eſt parcere homini, qui adverſùm ſe calumniam non protulit. Verùm ſi maledicentiam diſſeminavit, non erit illi in æternum venia*. Idem ſcribit Rabbi Jacob Aben Chabib in libro En Iſrael in fine tractatus Joma, ex quodam Samuele Doctore Talmudico deromptum. Auctor libri Chaſidim *num.* 34. ad hæc verba *Pſalmi* 12. Succidet Dominus labia blanda, linguam magna loquentem, ſcribit, כל המספר לשון הרע כאלו כפר בעיקר׃ *Quicunque conviciatur, ſimilis eſt ei, qui fidem negavit*. Non igitur mirum, ſi antiqui Patres, & potiſſimùm Eliberitani, calumniam in gravi tribus illis criminibus velut homicidii, aut etiam infidelitatis ſpeciem commiſcuerunt, & inſeruerunt.

IV. Verùm ut ad trium iſtorum criminum ſceleſtam apud Judæos celebritatem redeamus, ea iterùm colligi poteſt evidenter ex Talmude Hieroſolymitano tractatus Jomæ *cap. 1.*

circa medium, ubi illæ everſionis templi cauſæ referuntur, quæ trium iſtorum peccatorum præ cæteris gravitatem ut doctrinæ, & ratiocinationis ſuæ fundamentum poſtulant, מצאנו שלא חרב הבית בראשונה אלא שהיו עובדי ע"ז ומגלי עריות ושיפכין דמים וכן בשני ר' יוחנן בר תורתא אמר מצאנו שלא חרבה שילה אלא שהיו מבזין את המועדות ומחללין את הקדשים מצאנו שלא חרב הבית בראשונה אלא שהיו עובדי ע"ז ומגלי עריות ושופכין דמים אבל בשני מכירין אנו אותם שהיו יגיעין בתורה וזהירין במצות ובמעשרות וכל ווסת טובה היתה בהם אלא שהיו אוהבין את הממון ושונאין אילו לאילו שנאת חנם וקשה היא שנאת חנם שהיא שקולה כנגד ע"ז וגילוי עריות ושפיכות דמים׳ *Invenimus, quòd domus non ob aliam rationem prima vice everſa eſt quàm quòd idolis ſerviebant, ſcortationibus indulgebant, & ſanguinis effuſioni: Idem eſt de ſecunda. R. Jochanam Bar Thoreta dixit, Invenimus, quòd Silo deſtructa non eſt ob aliam rationem, niſi quòd contemnerent feſta, & prophanarent ſanctificata. Invenimus, quòd non ob aliam cauſam domus prima vice everſa eſt, quàm quòd ſerviebant idolis, indulgebant ſcortationibus, & ſanguinis effuſioni. Verùm in ſecunda novimus eos legis ſtudio diligenter incubuiſſe, & mandatis decimiſque attendiſſe, omniſque probæ conſuetudinis amantes fuiſſe, ſed pecuniæ cupidiſſimos fuiſſe, ſeſeque odio mutuo gratis perſecutos. Plurimùm autem grave eſt, & ſceleſtum odium gratis conceptum. Nam æquiparatur Idololatriæ, Mœchiæ, & homicidio.* Evidens mihi videtur, hæc tria crimina cæteris vulgò ſceleſtiora judicaſſe, & gravitatis aliorum fuiſſe menſuram. Unde non mirum videtur, ſi antiqui Patres è Judæorum Synagoga, ut plurimùm, ad Eccleſiam vocati, hæc tria crimina potiſſimùm per ſeveram pœnitentiam caſtigarunt, & purgarunt.

V. Quanquam Judæi tria iſta crimina, & graviſſima opinentur, & ex antiqua traditione ſimul ea conjungant; cum tamen de criminibus generatim loquuntur, ex alio capite de eorum gravitate, & levitate ſententiam ferunt. Ea enim gravia definiunt, quæ à lege exciſione è populo, & morte à Senatu ſuo damnantur. Cætera verò levibus adjudicant, ut demonſtratum eſt *libri 4. cap. 26.* & alibi. Simile de peccatis judicium probavit, & uſurpavit Eccleſia, ut infra *cap. 5.* latè demonſtramus.

CAPUT IV.

Progreſſu temporis non modò plura crimina, & trium illorum criminum plures ſpecies per publicam Pœnitentiam ſanata, & punita fuiſſe, ſed quæcunque judicabantur graviſſima. Explicantur teſtimonia, quæ hoc ad quæcunque mortalia videntur extendere.

NEceſſitas, quæ legem non habere dicitur, antiquos Patres noſtros coegit, ut varias de peccatis leges ferrent, & priſcis adderent. Cùm enim fidelium charitatem, zelumque deferveſcere viderent, eorumque complures in cætera vitia impudenter ſeſe præcipitare, judicarunt iis curandis non tantùm fomentis, & malagmatis opus eſſe, ſed etiam ferro, & cauterio; Legum ſeveritatem, & Excommunicationum fulmen uſurpandum eſſe, ut ea vitia committere formidarent, quorum vel nomina Majores eorum exhorruiſſent, ne lapſu temporis ea levicula, & nullis lachrymis deflenda exiſtimarent. *Cogunt enim multas invenire medicinas*, inquit S. Auguſtinus *Epiſt. 50. multorum experimenta morborum*. Poſterioribus igitur ſeculis multa alia peccata, quæ ad hæc tria non referuntur, in capitalium claſſem diſtributa ſunt, luctuoſaque pœnitentia, & diuturnis pœnis caſtigata: Eoque tandem deventum eſt, ut præter hæc tria, capitalia illis eſſent pleraque alia peccata, quæ nunc mortalia vocare ſolemus, ſi exterius executione, aut conatu proderentur. Verùm cùm graves illæ Pœnitentiæ adeò multiplicarentur tum ratione peccatorum, tum ratione ipſarum pœnitentiarum, quæ per ſingulos annos variè admodum diſtribuebantur, tum propter eorum multitudinem, qui pœnitentiæ ejuſmodi luctuoſæ agendæ rei erant, duo paulatim eodem ferè tempore per univerſam Eccleſiam ſeſe inſinuarunt: Prius eſt, Pœnitentialium librorum introductio, qui continerent, quæ unicuique peccato pœnitentia eſſet imponenda, qua ratione agenda, & pro tempore diſtribuenda. Non enim viſi ſunt canones ea de re conditi ſufficere, eo quòd hic, & illic eſſent diſperſi, nec omnes ſpecies, & formulas amplecterentur. Ne igitur Presbyteri in imponendis Pœnitentiis variarent, licereque ſibi exiſtimarent Pœnitentias pro animi arbitrio criminibus imponere, unaquæque provincia authenticos habuit Pœnitentiales juxta quorum præſcriptum Pœnitentias dare Preſbyteri jubebantur. Inter Pœnitentiales iſtos libros maximè celebres fuerunt, Romanus, Theodori Cantuarienſis, Ecberti Eboracenſis, Bedæ & Rabani Mauri, ſed de his poſteà.

II. Poſterius eſt Pœnitentiæ publicæ pro criminibus occultis agendæ deſuetudo, quæ quaſi neceſſariò ſecuta eſt iſtam Pœnitentiæ ad alia quàm ad hæc tria peccata extenſionem. Primùm autem cœptum eſt pro ejuſmodi peccatis pœnitentiam agere quaſi publicam, hoc eſt, non in conſpectu totius plebis in media Eccleſia, ſed in aliquorum hominum, qui ab Epiſcopo in hunc finem eligebantur, privato conſpectu, & obſervatione: Non quòd omnes horum peccatorum occultè Rei Pœnitentiam ſic agerent, ſed Sacerdos peccatorum circumſtantias audiens definiebat, qua ratione agenda eſſet illius peccati Pœnitentia; an publicè, an hac à publica deficiente. Deinde paulatim pœnitentia pro criminibus occultis publica prorſus obſolevit, & diſtingui ceptum eſt ratione Pœnitentiæ inter crimina publica, & occulta, quod accidiſſe videtur in Eccleſia Occidentali circa annum Chriſti ſeptingenteſimum. Verùm in Orientali multò citius antiqua conſuetudo deſueſcere cœpit, omnes ſtatim Eccleſiæ Nectarii factum imitantes. De his omnibus infra ſeparatim agemus; ſed iſta ad eorum, quæ ſequuntur intelligentiam anticipare viſum eſt.

III. Nemo, ut mihi quidem videtur, jure dubitare poteſt antiquiſſimos Patres, eorumque ſucceſſores paulatim tria illa crimina non modò ad varias ſpecies Homogeneas extendiſſe; Verumetiam prout rerum neceſſitas, & criminum frequentia eos veluti manu docebat alia crimina eodem pœnæ genere vindicaſſe. Sic vidimus Cornelium Pontificem, & Sanctum Cyprianum Concilia poſt perſecutionem Decianam celebraſſe, ut quæ cuique lapſo pœnæ convenirent, decernerent: Sic poſt Diocletianeam Ancyrani Patres; ſic Petrus Alexandrinus Patriarcha; ſic Eliberitani Patres. Si qui ante eos Eccleſias rexerunt, ſpecies omnes peccatorum complexi fuiſſent, fruſtra novos canones condidiſſent: fruſtra Clerus Romanus, Sanctus Cyprianus, Gregorius Thaumaturgus de pœnis certo peccato imponendis rogari judicium ſuum ſuſpendiſſent, & Concilii futuri ſententiam expectari juſſiſſent. Gregorius Thaumaturgus interrogatus de iis, qui in Barbarorum deprædationibus nonnulla ſurripuerant, & detinebant, quæ ad contribules ſuos pertinere ſciebant, eos ad gravem pœnitentiam condemnat. Cùm autem poſſent eſſe iſtius criminis variæ ſpecies Euphroſynum ad interrogantes mittit, *ut ſecundùm formam*, inquit, *quæ hic eſt, & quorum accuſationes admittere oporteat, & quos à precibus abdicare decernat*. Manifeſtum eſt ante illud tempus, ſaltem in Provincia Pontica crimen illud Pœnitentia canonica caſtigatum non fuiſſe. Teſtatur Gregorius Nyſſenus uſuram ab antiquis Patribus nulla pœna affectam. Ut pluribus demonſtratum eſt capite præcedente. Quanquam teſte tam locuplete aſſerente, id de Græcis, ſaltem pleriſque inficiari abſurdum ſit; ab Hiſpanis tamen hoc vitium ab antiquo ſeverè vindicatum eſt, ut conſtat ex *can. 20. Conc. Eliberis. Si quis Clericorum detectus fuerit uſuras accipere, placuit eum degradari, & abſtineri. Si quis etiam laicus accepiſſe probatur uſuras, & promiſerit correctus jam ſe ceſſaturum, nec ulterius exacturum, placuit ei veniam tribui. Si verò in ea iniquitate duraverit, ab Eccleſio eſſe proiiciendum.*

IV. Sanctus Baſilius *cap. 30.* idem *αὐτολεξὶ* docet, de raptu Viduarum, & Virginum: Ait enim ſe primùm huic crimini Pœnitentiam canonicam impoſuiſſe. *De his, qui rapiunt, canonem quidem antiquum non habemus, ſed propriam ſententiam proferimus, ut & ipſi, & qui cum eis rapiunt, tribus annis ſint extra orationes.* Notat prætereà, S. Patres cædes in bellis factas pro cædibus non reputaſſe, ignoſcentes, inquit, *Ut mihi videtur iis, qui pro pudicitia, & pietate decertant.* Quid verò ipſe iis conſulat, non imperet, attendamus, *Rectè autem fortè habet conſulere, ut qui ſunt manibus non puri, ſola trium annorum communione abſtineant.* Pœnitentiam iis non conſulit, hoc eſt, ſubſtrationem, ſed ut tribus annis in conſiſtentia cum fidelibus ſubſiſtant. Extendit aliquatenus ad univerſos milites crimen cædis, qui in cauſa, ut notat Balſamon ipſius canoni non eſt obtemperatum. Sæpius eadem extenſio colligi poteſt ex ipſius canonibus, ut ex 2. 8. 33. 43. 52. & nonnullis aliis, in quibus ad homicidium, aut ad aliud ex tribus criminibus caſus propoſitos pertinere definit. Sed *canone 80.* evidentiſſimè, *Patres Polygamiam ſilentio prætermiſere, ut belluinam, & penitus ab hominum genere alienam. Nobis autem probatur*

tur eam majus eſſe fornicatione peccatum, & ideò conſentaneum eſt, ut ii canonibus ſubiiciantur, ut ſcilicet poſtquam anno fleverint, & tribus ſubſtrati fuerint, ſuſcipiantur. Polygamiam intelligit Tetragamiam, & matrimoniales contractus, qui Tetragamiam ſuperant, ut rectè interpretatur Balſamon. Omnes Concilii Grangenſis canones ejuſdem rei teſtes eſſe poſſunt, licèt Hæretici, de quibus intelligendi ſunt, alio modo quàm per manuum impoſitionem ad Pœnitentiam apud Orientales in Eccleſiam reciperentur.

V. Vix clarius aliquid fingi poteſt Gregorii Nyſſeni teſtimonio in Epiſtola ad Letojum quod capite præcedente alia in cauſa relatum eſt, iterùmque infra referetur: Ibi enim evidenter teſtatur, fœnori, & furto latenti, aliiſque vitiis Patres pœnitentiam non impoſuiſſe, quibus tamen certum eſt poſteà impoſitam eſſe. Clariſſimè inſuper id teſtari videtur antiquum Concilium Toletan. 1. *cap.* 2. cum ſic Pœnitentem definit, *Pœnitentem dicimus de eo, qui poſt baptiſmum, aut pro homicidio, aut pro diverſis criminibus, graviſſimiſque peccatis publicam Pęnitentiam gerens, ſub cilicio divino fuerit reconciliatus altario.* Itaque non tria tantùm peccata, ſed graviſſima Pęnitentiæ publicæ erant obnoxia: Nec diſtinguunt Patres illi, ratione pęnitentiæ publicè, vel privatim agendæ, ſicut nec ulli iſtorum ſeculorum auctores inter crimen publicum, & ſecretum, ſed inter crimen graviſſimum, & minus grave, aut etiam leve. Sic Sanctus Auguſtinus in fine libri de Symbolo ad Catechumenos, *Illi, quos videtis agere Pœnitentiam, ſcelera commiſerunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania: inde agunt Pœnitentiam, &c.* Vide eundem *homil.* 27. *libri* 50. *homiliarum*, & in fine libri de fide, & bonis operibus ubi explicat, qui *propriè pœnitentes* in Eccleſia dicantur; capite primo relata ſunt.

VI. Varia ſunt Sancti Auguſtini teſtimonia, ex quibus idem colligi poteſt, ſed duorum examine lectori ſatisfactum eſto. In utroque loco ſibi proponit graviſſimum quorundam Chriſtianorum errorem refutare, qui exiſtimabant Chriſtianos omnes quantiſlibet ſceleribus contaminatos ſalvatum iri, idque ex verbis Sancti Pauli 1. *Cor.* 3. *Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*, demonſtrabant. Adversùs ejuſmodi homines diſputans diligenter diſtinguit peccata capitalia à venialibus, quæ minuta vocat; ſimiliter docet, quibus rationibus utriſque mederi oporteat. Verum equidem eſt, Sanctum Auguſtinum neutro loco evidenter τῷ ἁπλῶς diſtinguere inter peccata graviſſima, & minus gravia. Hujus rei præter cauſas capite primo datas duæ ſunt aliæ potiſſimæ, & locis citatis convenientes: Prior, ipſius ſcopus cui conveniebat iſta non diſtinguere, ut efficacius eſſet adverſus iſtum errorem argumentum. Sufficiebat enim propoſito, immò id ſolùm requirebatur, peccata in duo genera diſtinguere; Prius quod ignem æternum merebatur; Poſterius quod non merebatur. Illum intermedium genus diſtinguere ad rem non pertinebat. Poſterior ratio præcedenti accedebat, quòd cùm Sanctus Auguſtinus iſta ſcriberet, jam multa ſecundi generis peccata exterius ad executionem prodeuntia cum primo ad unam curationis ſpeciem coaluerant. Quanquam autem his rationibus commotus Sanctus Auguſtinus non ita diſertè mortalia duplicia diſtinguat, iſta tamen diſtinctio, & qua ratione unicuique ſpeciei medendum ſit, perſpicuè colligi poteſt. Quapropter his prælibatis rem ipſam aggrediamur.

VII. Prior locus eſt ſermo totus licèt bene longus, qui eſt 41. inter eos qui de ſanctis inſcribuntur: Sic igitur ille. *Quamvis Apoſtolus capitalia plura commemoraverit, nos tamen ne deſperationem facere videamur, breviter dicimus, quæ ſunt illa,* Statim ea recenſet, *ſacrilegium, homicidium, adulterium, falſum teſtimonium, furtum rapina, ſuperbia, invidia, avaritia, & ſi longo tempore teneatur, iracundia, & ebrietas, ſi aſſidua ſit, in eorum numero computatur.* Vides multa tribus antiquis adjungere. Continuò autem addit rationem ob quam capitalia dicuntur, eamque petit ab eorum curationis modo, atque à morte æterna, quam merentur: *Quicunque enim aliqua de iſtis peccatis in ſe dominari cognoverit, niſi agrè ſe emendaverit, & ſi habuerit ſpatium longo tempore Pœnitentiam egerit, & largas eleemoſynas erogaverit, & à peccatis ipſis abſtinuerit, illo tranſitorio igne, de quo ait Apoſtolus, purgari non poterit, ſed æterna illum flamma ſine ullo remedio cruciabit.*

VIII. Iſta longè magis perſpicua fient, ea ſi comparaverimus cum peccatis, quæ minuta vocat, & cum curatione, quam iis adhiberi jubet, ſubjungit igitur. *Quæ autem ſunt minuta peccata, licet omnibus nota ſint, tamen quia longum eſſet, ut omnia replicentur, opus eſt, ut ex iis vel aliqua nominemus. Quoties aliquis aut in cibo, aut in potu plus accipit, quàm neceſſe ſit, ad minuta peccata noverit pertinere. Quoties plus loquitur quàm oportet, aut plus tacet quàm expedit: Quoties pauperem importunè petentem exaſperat: Quoties cum corpore ſit ſanus aliis jejunantibus prandere voluerit, aut ſomno deditus tardius ad Eccleſiam ſurgit: Quoties excepto deſiderio filiorum uxorem ſuam cognoverit, &c.* Hæc & ſimilia permulta peccata venialibus adnumerat, quæ igne æterno non puniuntur. Nunc qua ratione ex ipſius mente curanda ſint, intelligamus. Curari ea devota orationis Dominicæ recitatione ſæpiſſimè docet Sanctus Auguſtinus. Verùm aliis remediis, præſertim cùm multa ſunt, & nonnunquam majoribus opus eſt: Differentem de his remediis Sanctum Auguſtinum eodem loco audiamus, *Continuis*, inquit, *orationibus, & frequentibus jejuniis, & largioribus eleemoſynis, & præcipuè per indulgentiam eorum qui in nos peccant, aſſiduè redimuntur, ne forte ſimul collecta cumulum faciant, & demergant animum.* Hac ratione pro venialibus, minutiſque peccatis Deo ſatisfit: Et poſt aliquanta in eodem ſermone. *Quibus operibus minuta peccata redimantur, plenius vobis inſinuare deſidero. Quoties infirmos viſitamus, in carcere clauſos, & poſitos in vinculis requirimus; diſcordes ad concordiam revocamus; indicto Eccleſiæ jejunio jejunamus; pedes hoſpitibus abluimus; ad vigilias frequenter convenimus; Eleemoſynam ante oſtium prætereuntibus pauperibus damus: Inimicis noſtris quoties petierint veniam indulgemus. Iſtis enim operibus, & his ſimilibus minuta peccata redimuntur quotidie.* Cogita nunc qua ratione redimenda ſint capitalia crimina, quæ mortem æternam merentur, ſi minuta, & ad purgatorium ignem deſtinata tam ſeverè caſtigantur.

IX. Colligit præterea qua ratione intelligenda ſint, quæ de capitalium redemptione, & ſanatione jam ex ipſius verbis relata ſunt. Sed ne quid obſcurum remaneat, immediatè iterum capitalium curationem explicat, *Pro capitalibus verò criminibus non hoc ſolùm ſufficit, ſed addendæ ſunt lacrymæ, rugitus, & gemitus, continuata longo tempore, ac protracta jejunia, & largiores eleemoſynæ erogandæ; ultro nos ipſos à communione Eccleſiæ removentes, in luctu, & in triſtitia multo tempore permanentes, & pęnitentiam etiam publicè agentes, quia juſtum eſt, ut qui cum multorum deſtructione ſe perdiderit, cum multorum ædificatione ſe redimat.* Iſtius curationis neceſſitatem præclarè illuſtrat exemplo hominum charos ſuos defunctos lugentium. *Si aut uxor, aut filius, aut maritus mortui fuerint, in terram ſe collidunt homines, capillos trahendo pectora tundendo, in luctu & pœnitentia, vel in lachrymis non parvo tempore perſeverant. Rogamus fratres, exhibeamus nos animæ noſtræ quod illi exhibent alienæ carni. Et hoc videre fratres quàm malum ſit, ut lugeamus quam non poſſumus ſuſcitare, &c. Et animam noſtram mortuam non plangimus, quam poſſumus per pęnitentiam ad ſtatum priſtinum revocare.* Iſtud argumentum pluribus proſequitur.

X. Sic igitur quum hæc ſcribebat Sanctus Auguſtinus, non modo tria illa capitalia, Idololatriam, Homicidium, & Mœchiam, eorumque fibras, & appendices puniebat Eccleſia; Verumetiam, furtum, rapinam, ſuperbiam, invidiam, avaritiam, longam iracundiam, & ebrietatem. Horum tria negotium faceſſere poſſunt, ſuperbia, invidia, iracundia, cùm ſint tantùm, ut loquitur, Tertullianus, peccata ſpiritalia. Sequeretur enim pro ejuſmodi peccatis pęnitentiam etiam publicè eſſe agendam, quod ab omni Eccleſiæ conſuetudine abhorrere videtur. Unde canon ille Neocæſareenſis Concilii, *Si quis propoſuerit concupiſcere mulierem ad dormiendum cum ea, ejus autem deſiderium ad opus non venerit, videtur eſſe à gratia liberatus.* Nec ullam huic crimini pęnitentiam canon imponit. Imponentur quidem ipſi jejunia, orationes, opera pia, longè graviora quàm propter peccata venialia imponi ſoleant, ſed privatim exercenda. Quapropter pęnitentia tribus illis criminibus à Sancto Auguſtino attributa, intelligenda eſt, ſi crimina illa ſpiritalia in opus eruperint. Eam eſſe Sancti Auguſtini mentem non obſcurè colligitur ex fine illius ſermonis. *Illi verò qui aut homicidium, aut ſacrilegium, aut adulterium, vel his ſimilia commiſerunt, ſicut jam dictum eſt, ſi eis digna Pęnitentia non ſubvenerit, non per purgatorium ignem tranſire merebuntur ad vitam, ſed æterno incendio præcipitabuntur ad mortem.* Oportet igitur eo medicamento ſanari peccata, quæ homicidio, aut adulterio ſimilia, & conſequenter quæ ſunt corporalia, & in externum opus emiſſa. Unde præterea confirmatur id, quod jam explicatum, & demonſtratum eſt, præter illa capitalia crimina, & minuta peccata medium eſſe genus, quod luctuoſa Pęni-

tentia non punitur, numerumque ejuſmodi peccatorum eo tempore fuiſſe imminutum, primi verò generis auctum. Nonnihil difficultatis ſupereſt, ſed in ſecundi teſtimonii illuſtratione, nequid bis repetere cogamur, diſſolvetur.

XI. Alterum Sancti Auguſtini teſtimonium eſt integra homilia poſtrema libri 50. homiliarum. Ibi duplicem facit poſt baptiſmum actionem Pœnitentiæ, priorem peccatorum venialium à quibus nemo immunis, quorum cauſa quotidie jubemur dicere, dimitte nobis debita noſtra; poſteriorem peccatorum quorum merces mors eſt æterna. Poſtquam fuſiſſimè probavit, neminem illis peccatis non eſſe maculatum, & peccata iſta minuta, quæque pro illis Pœnitentia eſt agenda, multis deſcripſit, (quæ hic fruſtra referrentur, cùm capite ſpeciali eorum curationem explicemus,) docet poſteriorem Pœnitentiæ actionem *pro illis peccatis ſubeundam, quæ legis Decalogus continet, & de quibus Apoſtolus ait, Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* Cujuſmodi autem ſit illa Pœnitentia, hoc eſt, quod nobis videtur diligenter attendendum. Generalis eſt admodum propoſitio, & omnia mortalia peccata complectitur, quatenus venialibus mortem æternam non merentibus opponuntur. Quæ eſt igitur his peccatis ſanandis, & puniendis medicina, pœnaque conveniens? In hac, inquit, actione Pœnitentiæ *majorem quiſque in ſe ſeveritatem debet exercere, ut à ſeipſo judicatus non judicetur à Deo, &c. Aſcendat itaque homo adverſùm ſe tribunal mentis ſuæ, &c. Atque ita conſtituto in corde judicio adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, carnifex timor. Inde quidam ſanguis animi confitentis per lachrymas profluat. Poſtremò ab ipſa mente talis ſententia proferatur, ut ſe indignum homo judicet participatione Corporis, & Sanguinis Domini, ut qui ſeparari a regno cœlorum timet, per ultimam ſententiam ſummi Judicis, per Eccleſiaſticam diſciplinam à Sacramento cœleſtis panis interim ſeparetur.*

XII. Hæc Pœnitentia licèt admodum ſevera, omnibus tamen peccatis mortalibus ex Auguſtini ſententia convenit, ut prætereà ex longo ſermone, qui ſequitur, manifeſtum videtur: Quemadmodum autem non diſtinguit diſertè tota illa homilia peccata graviſſima à minus gravibus, ſic nec Pœnitentiam horum ab illorum Pœnitentia. Ideò fit, ut in progreſſu ſermonis multa dicat velut generaliter de Pœnitentia mortalibus peccatis debita, quæ de omnibus abſolutè nullo modo poſſunt intelligi, ſed tantum de gravioribus, ut ex ſequentibus fit planiſſimum. Poſtquam enim enarravit ex *cap 6. Epiſt.* 1. ad Corinthios, quæ peccata mortalia intelligeret, ſcilicet fornicationem, idololatriam, adulterium, mollitiem, *παιδοφθορίαν* furtum, avaritiam, ebrietatem, maledicentiam, rapinam, concludit, hæc omnia eſſe Paſtoribus confitenda, & ex eorum præſcripto per Pœnitentiam eluenda, *Implicatus ergo quis jam mortiferis vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipſas claves Eccleſiæ, quibus ſolvatur in terra, ut ſit ſolutus in cœlo, & audet ſibi poſt hanc vitam, quia tantùm Chriſtianus dicitur, ſalutem aliquam polliceri, nec veridicum illud Dominicæ vocis tonitruum contremiſcit, &c.* Deinde nonnullis interjectis peccatorum mortalium ſeriem iterum texit ex *Epiſtol. ad Galatas cap.* 5. ex qua evidentius, adhuc quod contendimus, colligi poteſt: complectitur enim ampliorem peccatorum tam minus gravium quàm graviſſimorum enarrationem: *Manifeſta ſunt*, inquit, *opera carnis quæ ſunt, fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, hæreſes, invidiæ, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* Finita hac Apoſtoli enumeratione promiſcua peccatorum utriuſque generis, ſtatim infert quaſi omnibus, quæ enumeraverat, peccatis ex quam deſcribit pęnitentia integrè convenirent, *Judicet ergo ſeipſum homo in iſtis voluntate dum poteſt, & mores convertat in melius, ne cùm jam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino judicetur. Et cùm in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ, ſed tamen medicinæ ſententiam, veniat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia claves miniſtrantur, & tanquam bonus jam incipiens eſſe filius maternorum membrorum ordine cuſtodito à propoſitis Sacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum, ut in offerendo ſacrificio cordis contribulati devotus, & ſupplex; id tamen agat, quod non ſolùm illi proſit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cæteris ad exemplum, ut ſi peccatum ejus non ſolùm in gravi ejus malo, ſed etiam in tanto ſcandalo eſt aliorum, atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ videtur Antiſtiti in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pęnitentiam non recuſet, non reſiſtat, non lethali, & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem.*

XIII. Manifeſtum eſt, Pœnitentiam, quam poſtremò deſcripſit, ſi omnes illius partes ſumantur, omnibus iſtis peccatis convenire non poſſe. Quis enim exiſtimet propter inimicitias, contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſentiones, invidias, aliquem Pœnitentia publica, & luctuoſa defungi debere? Hoc ſanè eſſet in illud incommodum incidere, quod vitari vult Sanctus Pacianus, *Ne quis exiſtimet propter innumera delicta, quorum fraudibus nullus immunis eſt, ut omne hominum genus indiſcreta pœnitendi lege conſtringere.* Sicut igitur Sanctus Auguſtinus utrumque peccati genus cumulat, ſic & Penitentiam, quæ utrique poteſt convenire. Itaque indiſcretè ſingulis iſtis peccatis non ſunt tribuendæ ſingulæ pęnitentiæ enarratæ partes, ſed eæ tantùm quæ convenientes ſunt. Utrobique igitur hac facta diſtinctione duo manifeſtè colliguntur: Prius peccata illa omnia eſſe mortalia, & conſequenter pœnitentia primùm deſcripta ſanari oportere, quæ etiam hic repetitur. Poſterius, iſtorum peccatorum nonnulla, pœnitentia inſuper publica curari ſolita fuiſſe, ut ex poſterioribus textus jam citati verbis evidenter patet. Ut quid enim pęnitentiæ publicæ conditionem commemoraſſet, ſi præcedentium nulli conveniſſet?

XIV. Duo tamen cum tantilla probabilitatis ſpecie mihi videntur obiici poſſe. Prius, Sancto Auguſtino ſermonem eſſe de peccatis publicis, non occultis propter iſta verba, *Si peccatum ejus non ſolùm in gravi ejus malo, ſed etiam in tanto ſcandalo eſt aliorum, &c.* Capite primo hujus libri ſimilis objectio facta ex verbis Sancti Cæſarii ad verba hæc Sancti Auguſtini alludentis explicata eſt; Quapropter paucis eam attingimus. Hæc verba crimen publicum non arguunt, ſed multis notum, aut ſaltem ſuſpectum, qualia, ut diximus, ſunt ferè omnia crimina, ita tamen ut aliquando pluribus, aliquando paucioribus nota ſint, ſed non ejuſmodi cognitione, quæ in judicio probari poſſit; ſive id contingat ex juridicæ probationis defectu, ſive ex ſcientium voluntate, qui nolunt probandi moleſtiam ſuſcipere, ſive ex utraque parte. Ejuſmodi crimina eſſe intelligenda, longus, qui ſequitur Sancti Auguſtini, ſermo demonſtrat, *Nemo arbitretur, fratres, propterea ſe conſilium ſalutiferæ hujus debere Pœnitentiæ contemnere, quia multos fortè advertit, & novit ad ſacra altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. Multi enim corriguntur ut Petrus, multi tolerantur, ut Judas, multi neſciuntur donec veniat Dominus, &c. Nam plerique nolunt alios accuſare, dum ſe per illos volunt excuſare. Plerique autem boni Chriſtiani propterea tacent, & ſufferunt aliorum peccata, quæ noverunt, quia documentis ſæpe deſeruntur; & ea, quæ ipſi ſciunt, Judicibus Eccleſiaſticis probare non poſſunt.* Deinde multis docet Judices Eccleſiaſticos neminem ad pęnitentiam condemnare poſſe, ſeu, ut loquitur, communione prohibere, niſi aut ſponte confitentem; aut in ſeculari, vel Eccleſiaſtico judicio convictum, quod de peccatis publicis eo præſertim tempore dici non potuit. Ut enim peccatores publicos nondum Chriſtianos non modò à baptiſmo repellebant, ſed etiam ab electione in competentes: Sic etiam eoſdem jam baptizatos ab omnium Sacramentorum communione longè arcebant; nec peccata deferentem communione donabant, priuſquam ea per canonicam pęnitentiam eluiſſet, ut hujus rei præter innumera teſtimonia teſtis eſt totus liber de fide, & bonis operibus.

XV. Poſterius quod obiici poteſt ex iſtis Auguſtini verbis emergit, *Si hoc expedire utilitati Eccleſiæ videtur Antiſtiti, &c.* Hinc colligi poſſe videtur, Pœnitentiam illam publicam Antiſtitis prudentiæ permiſſam fuiſſe, non autem à canonibus indictam. Verum iſta non opponuntur: A canone indictam eſſe Pœnitentiam publicam. Et Epiſcopi prudentiæ illius inflictionem eſſe permiſſam. Certis enim criminibus eam canones impoſuerunt; ita tamen ut ſi graves rationes obſtarent, aliter diſpenſare poſſet Epiſcopus, cujus ſententiæ Pœnitentem obedire planè vult Sanctus Auguſtinus: *In notitia multorum, vel etiam totius plebis agere Pœnitentiam non recuſet, non reſiſtat, non lethali, & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. Meminerit ſemper quod ſuperbis Deus reſiſtit, humilibus dat gratiam. Quid enim eſt*, inquit, *infelicius, quid perverſius, quam de ipſo vulnere, quod latere non poteſt, non erubeſcere, & de ligatura ejus erubeſcere?* En quanta, & quàm ſtricta obligatione Epiſcopo Pœnitentiam publicam imperanti obtemparare tenetur! Quæ ſanè tanta, & tam rigida eſſe non poſſet, niſi Conciliorum auctoritate niteretur. Dici tamen poteſt ſecundùm ea, quæ paulò antè demonſtravimus, illud de Antiſtite ab Auguſtino additum eſſe, eo quod de peccatis mortalibus agat in genere, ut venialibus mortem æternam non merentibus opponuntur. Quum autem mortalium peccatorum

rum

Digitized by Google

rum generaliter ſumptorum pleraque publica pœnitentia canonibus non damnentur, ideò neceſſitas illi videtur impoſita dicendi in Epiſcopi prudentia poſitum eſſe, de quo peccato mortali pœnitentia publicè eſſet agenda definire, ne quis imprudenter exiſtimaret de peccatis omnibus mortalibus id aſſeruiſſe.

XVI. Quanquam autem hæc omnia vera ſint, alia fuit iſtius additionis, ut mihi videtur, principalior cauſa. Cùm peccata, propter quæ Pœnitentia agebatur, publica multiplicarentur, indeque incommoda nonnulla, quod conjicere facile eſt, naſcerentur, ut incommoda iſta evitarentur, prudentiæ Epiſcoporum commiſſum eſt, quando id liceret, definire. Eodem etiam tempore propter eadem incommoda cœptum eſt diſtingui inter Pœnitentiam publicam, & quaſi publicam, quæ in conſpectu quorundam ſelectorum hominum, non totius plebis imponebatur, atque etiam agebatur: ad quem morem alludit loco citato Auguſtinus cum ſcribit disjunctivè, *In notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuſet, &c.* De hac conſuetudine poſteà. Multis igitur de cauſis neceſſe fuit illi hanc addere conditionem, ne ea omiſſa, & infinitè loquendo, videretur quibuſcunque peccatis mortalibus Pœnitentiam publicam abſolutè imponere.

XVII. Negotium forſan alicui faceſſent hæc Sancti Auguſtini verba, *Quid perverſius quàm de ipſo vulnere, quod latere non poteſt, non erubeſcere, & de ligatura ejus erubeſcere?* Verùm eodem ſenſu hæc dixit quo ſupra, *Si peccatum in ſcandalo aliorum eſt, &c.* Quapropter his verbis eodem reſponſo ſatisfactum eſt. Præterea ſi de peccato publico, quà publicum eſt, hoc voluiſſet intelligi, dicendum fuerat, quod non latet, quod omnes cognoſcunt. Quamobrem enim ait, *quod latere non poteſt*, ſi de crimine jam publico, atque ideò Pœnitentia publica per leges Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas afficiendo verba facit? Dignoſcere facile eſt, qua ratione ductus dixit, *quod latere non poteſt*: Alluſit ad rationem vulneris, quod aliquandiù latere poteſt; ſed malo paulatim ſerpente neceſſariò tandem medico aperiendum. Ait igitur confeſſus es peccatum tuum, quod latere non poterat; te enim accuſaſſent ii, quibus erat cognitum: Aut ſi planè erat incognitum, quod vix unquam contingit, conſcientia tua te tandem confiteri coget, ut confeſſione veniam impetrare poſſis. Utraque enim ratione, aut alterutra peccatores ad Confeſſionem commoveri poſſunt. Quid igitur perverſius quàm Pœnitentiam, id eſt, medicinam præ verecundia detrectare, & vultus, id eſt crimen, quod neceſſariò divulgabitur, non erubeſcere? Eadem, quæ de iſtis Sancti Auguſtini teſtimoniis dicta ſunt, dici, & colligi debent de *homilia* 8. Sancti Cæſarii Arelatenſis, & *homiliis* 4. & 8. Sancti Eligii, quæ pro magna parte de Sancti Auguſtini verbis depromptæ ſunt.

CAPUT V.

Tandem Patribus vulgatum fuit axioma, crimina, quæ leges ſanguine vindicant, Pœnitentia publica in Laicis, & depoſitione in Clericis vindicanda ſunt. Antiquiſſimi Patres pœnas à lege ſacra non à civili illatas ſpectarunt. Poſteriores modò hanc, modò illam. Qua ratione ducti hoc ſtatuebant. Nonnulli canones difficiles explicantur.

MUlti Patrum, qui poſt Sanctum Auguſtinum ſcripſere, hoc extenderunt ad omnia crimina, quæ morte, exilio, aut alia gravi pœna corporali ſecundùm leges vindicabantur. Hunc limitem ponit Proſper *lib. 2. de vita contemplativa cap. 7. Qui in aliquo gradu Eccleſiaſtico conſtituti aliquod occultè crimen admittunt, ipſi ſe vana perſuaſione decipiunt ſi eis videtur propterea communicare, & officium ſuum implere debere quod homines occultatione ſui criminis fallunt. Exceptis enim peccatis, quæ tam parva ſunt, ut caveri non poſſint, pro quibus expiandis quotidie Deo clamamus, & dicimus, dimitte nobis debita noſtra, &c. Illa crimina caveantur, quæ publicata ſuos auctores humano faciunt damnari judicio. Qui autem ea commiſerint, & ideò prodere metuunt, ne ſententiam juſtæ excommunicationis accipiant ſine cauſa communicant. Immò verò dupliciter contra ſe iram divinæ indignationis exaggerant, &c.* Tria hinc manifeſtiſſimè colliguntur, Primum, id, quod contendimus, ea ſcilicet crimina Clericos gradu dejicere, quorum auctores humano judicio damnantur. Secundum, Clericos propter crimina occulta ab officio ceſſare debere, donec ſaltem longa pœnitentia crimen abſterſerint. Tertium, triplex eſſe peccatorum genus, venialia, quæ caveri non poſſunt, ut ipſe loquitur: graviſſima, propter quæ homines legibus damnantur, & Clerici gradu deponuntur. Ex his duobus ita explicatis tertium, & medium quoddam genus neceſſariò conſurgit.

II. Cæſarius Arelatenſis *homilia* 42. eandem omnibus regulam ponit, *Nemo ſe circumveniat fratres. Omnis homo, qui poſt baptiſmum mortalia crimina commiſerit, hoc eſt, homicidium, adulterium, furtum, falſum teſtimonium, vel reliqua crimina perpetraverit, unde per legem mundanam mori poterat, ſi Pœnitentiam non egerit, Eleemoſynam juſtam non fecerit, nunquam habebit vitam æternam.* Strictius videtur hoc intelligere, cùm crimina illa morte puniri per leges civiles aſſerat: non tamen negat publica pœnitentia eſſe punienda ea quoque crimina, quæ gravi tantùm, ſed non capitali pœna plectuntur. Concilium Toletanum 4. *capite* 46. Clericum non modo vult deponi, ſed etiam ad Pœnitentiam redigi, qui crimen ſanguine à legibus vindicandum commiſerit: *Si quis Clericus in demoliendis ſepulchris fuerit deprehenſus, quia facinus hoc pro ſacrilegio legibus publicis ſanguine vindicatur, oportet canonibus in tali ſcelere proditum Clericatus ordine ſubmoveri, & Pœnitentiæ triennio deputari.* Perpendenda pœnæ ratio; & deponitur, & Pœnitentiæ publicæ ſubjicitur, quod crimen ſanguine ſecundùm leges puniendum perpetraverit. Ratum igitur erat ſecundùm eorum diſciplinam, depoſitione Clericos, & Pœnitentia publica Laicos eſſe purgandos, & puniendos, qui crimina ſecundùm leges gravi ſupplicio plectenda committebant. Hunc canonem refert Burchardus *lib. 11. cap. 63.*

III. Epaunenſe Concilium *cap. 31. De Pœnitentia homicidarum, qui ſeculi leges evaſerint, hoc ſumma reverentia de eis inter nos placuit obſervari, quod Ancyritani canones decreverunt.* Voluntarium Homicidam ſubſterni jubent, & communione Euchariſtica in fine tantùm vitæ donari; involuntarium verò poſt ſubſtrationem anno ſeptimo. Æquant utrique Patres Homicidæ pœnam publicæ multorum annorum Pœnitentiæ. Concilium Turonenſe 2. Raptores Virginum ſacrarum ad longam Pœnitentiam damnat, & hac in cauſa *canonem* 52. *Concilii Arelat.* 2. innovat, cujus hanc rationem reddit, *Quia etiam lex Romana conſtituit, ut quicunque ſacratam Deo Virginem, vel viduam fortaſſe rapuerit, ſi poſtea eis de conjunctione convenerit, capitis ſententia feriantur.* Et poſt aliqua tandem præcisè ad propoſitum noſtrum. *Nos verò, quos lex perimi jubet, ſi cupiunt audire præconem, volumus, ut convertantur ad vitam. Nam perimendi ſunt oris gladio, & à communione privandi, ſi relicta ſibi decreta ſeniorum obſervare noluerint, & paſtorem ſuum audire deſpexerint.* Eo etiam referri poteſt, quod dicitur *can. 15. Concilii 5. Aurelianenſis, Si quis aliquid de Xenodochio Lugdunenſi abſtulerit, ut Xenodochium eſſe deſinat, ut necator pauperum irrevocabili anathemate feriatur.* Axioma erat apud eos vulgatum, ea crimina eſſe Pœnitentia publica, aut etiam anathemate, & exciſione omnimoda ab Eccleſia punienda, in quæ leges civiles morte animadvertebant. Inde tamen colligi neceſſariò non poteſt his ſolis criminibus pœnitentiam fuiſſe impoſitam.

IV. Pelagius II. Papa *Epiſt.* 2. idem commemorat, ut obſervari ſolitum, *Omnes quos divinæ leges mortuos appellant ſubmovendos eſſe ab eadem accuſatione* (Epiſcoporum,) *& publicæ Pœnitentiæ ſubmittendos judicamus.* Qui enim alii mortui dici poſſunt, atque ideò inteſtabiles, quam qui criminum morte damnandorum Rei ſunt? Alludere videtur ad id, quod ſæpe in lege repetitur, Qui hoc fecerit, morte morietur: filius eſt mortis, ſive morte dignus.

V. Evidentius paulò S. Gregorius *l. 10. Epiſt.* 13. ad Paſſivum Firmanum Epiſcopum, ut Opportunum quendam ad Subdiaconatum, deinde ad paſtoralem curam promoveat, ſed hac conditione, *Si nulla ei crimina, quæ per legis ſacræ regulam morte mulctanda ſunt, obviant, tunc hortandus eſt, ut vel Monachus, vel à vobis Subdiaconus fiat: Et poſt aliquantulum temporis, ſi Deo placuerit, ipſe ad paſtoralem curam debeat promoveri.* S. Damianus libri, quem inſcripſit Gomorrhianus *cap. 3* hanc ſententiam iſta S. Gregorii auctoritate fretus mordicus defendit. *Quod ad Eccleſiaſticum ordinem*, inquit, *promoveri non debeat, qui* in illud crimen lapſus eſt quod vetus lex præcipit morte damnari, teſtatur Papa Gregorius, &c. Deinde prolato teſtimonio præcedente colligit, *Patet profectò, quia quem dignum morte crimen abjecerat, quælibet religioſa vita ſubſequens ad ſuſcipiendum Eccleſiaſtici gradus ordinem non reformat. Nec valet ad obtinendum honoris culmen aſſurgere, qui in mortalis culpæ barathrum non ambigitur cecidiſſe.* Hanc Damiani ſententiam decreto ſuo in hypotheſi data confirmat Leo IX. ut videre eſt infra *libr. 7. cap. 11.* Eadem eſt ratio criminis ante, & poſt ſuſceptos ordines commiſſi.

miſſi. Hoc eſt, ut ante ſuſceptionem à ſuſcipiendis prohibet, ſic poſt ſuſceptionem ab exercendis, ut ſæpius libro præcedente dictum, & probatum.

VI. Eandem diſciplinam, eundemque canonum ſcopum adnotavimus, & explicavit Ivo Carnutenſis in fine prologi ad Decretum, & Panormiam, ubi rationem reddit, qua motus canonibus leges de ſanguine latas aliquando immiſcuit, *Si quæ verò ſententiæ de forenſibus legibus inſertæ ſunt, quæ judicium ſanguinis contineant, non ad hoc inſertæ ſunt, ut Eccleſiaſticus judex per eas aliquem debeat condemnare; ſed ut ex eis uſſer tionem canonicorum faciat decretorum. Hinc attendens quanta pœnitentia puniendum ſit facinus illud, vel flagitium, quod judicant judices ſeculi morte, vel membrorum mutilatione mulctandum. Hanc enim rationem Romani Pontifices in aſſertione decretorum ſuorum frequenter interponunt. Nam ſi hoc leges ſeculi continent, quanto magis divinæ?* Comparationis à Patribus factæ fundamentum aperit. In mente autem habuit ea Pontificum, quæ retulimus, decreta, aliaque forſan nobis nunc non occurrentia. Quale eſt illud Calliſto Papæ imputatum, quod ipſe refert Decreti *p.9. cap.23. Similiter de ſuperioribus, vel eis, qui ſeniores impetunt, fieri cenſemus. Hos verò ſeculi leges interficiunt, ſed nos præeunte miſericordia ſub infamiæ nota ad pœnitentiam recipimus. Ipſum quoque infamiam delere non poſſumus, qua ſunt aſperſi, ſed animas eorum per pœnitentiam publicam, & Eccleſiæ ſatisfactionem ſanare cupimus.* Hanc diſciplinam ut ſuo tempore vulgatam præ oculis habuit, qui hanc finxit Epiſtolam.

VII. Inſolens forſan alicui videbitur, quod ad hanc diſciplinam probandam teſtimonia nonnulla uſurpaverimus, quæ fidem faciunt, Clericos propter crimina morte ſecundum leges punienda deponendos eſſe, cùm demonſtrare inſtituerimus, Laicos propter eadem crimina ad pœnitentiam publicam eſſe cogendos. Sed qui ſic obiicit, meminiſſe oportet ſæpius à nobis dictum, & nonnunquam probatum, Laicos propter eadem crimina ad Pœnitentiam publicam eſſe relegatos, propter quæ Clerici ab officio deponebantur. Idem igitur eſt hac in cauſa Clericum propter crimen aliquod ſupplicio dignum deponi, & Laicum publica Pœnitentia puniri. Idem præterea demonſtratur ex Reginone Summæ *lib.2. cap* 405. ex Concilio Rothomagenſi, *Si enim Laici non canonicè excommunicantur, niſi tertiò fuerint vocati, atque commoniti; indignum videtur, ut Sacerdotibus denegetur, quia majoris ordinis, & dignitatis ſunt, quod Laicis regula Eccleſiaſtica permittit.* Quod verò ratiocinationis fundamentum cui velut notiſſimo innituntur? *Pro tanto enim habetur Sacerdotem ab officio removere, pro quanto Laicum à communione Eccleſiæ ceſſare. Nam unde Laici excommunicantur, inde Presbyteri ab officio altaris ſubmoventur.* In conventu quoque Piſtenſi ſub Carolo Calvo *c.* 20. idem axioma ponitur, ut exploratum *καὶ αἰώνιον*, ut etiam iſtud quod hujus loci proprium eſt, *De tali cauſa unde ſeculares homines vitam perdunt, inde Clerici Eccleſiaſticum gradum amittunt.* His poſitis Epiſcopi demonſtrant, Laicum uſuras exercentem à Magiſtratu capitali pœna punitum, ſubdendum poſteà Pœnitentiæ publicæ, eo qood Conciliom Nicænum deponat Clericum uſuris vacantem.

VIII. Mihi iſta diligentius conſideranti videntur Patres antiqui rationem potiſſimùm legis antiquæ habuiſſe, hoc ordine: Primùm ex omnibus legis illius mandatis ſive moralibus, ſive etiam ceremonialibus tria tantùm quorum tranſgreſſionem Pœnitentia punirent, ſelegerunt. Pacianus in parænesi ad Pœnitentiam, *Apud Moſen, & veteres minimi quoque peccati, & quadrantis unius, ut ita dicam, Rei, in eodem infelicitatis æſtuario volutati ſunt; Et qui Sabbata violaverant, & qui immunda contigerant, & qui eſcurum vetitu præſumpſerant, &c. Hæc illa libertas, quod non omnibus adſtringimur, quibus veteres tenebantur; ſed donata, ut dixerim, ſylva delictorum, &c. in paucu concluſi ſumus, & neceſſaria.* Pauca illa, tria eſſe peccatorum genera ſtatim explicat, ut ex eo & aliis Patribus *cap.2.* demonſtratum eſt. Non reſpexiſſe autem antiquiores Patres ad leges civiles ſed ad legem Moſaicam, hinc manifeſtum eſt, quod ex tribus criminibus primum, & nefandiſſimum legibus civilibus præcipiebatur, nedum prohibebatur. Secundum verò pro magna parte uniuſcujuſque libidini permiſſum erat. Poſteà imperio ad Chriſtianos devoluto, & idololatria prohibita, libidinumque ſpurcitiis, auctis quoque criminibus, quibus pœnitentia publica imponebatur, convenientia magna fuit inter leges civiles, & Eccleſiaſticas, quibus Pœnitentia luctuoſa Laicis infligebatur, aut Clericis depoſitio.

IX. Hinc axioma ab antiquis dupliciter factum, ut patet ex teſtimoniis jam citatis, crimina, quæ legibus civilibus, vel quæ ſacra lege morte plectebantur, publica Pœnitentia Laicis eluenda ſunt, Clericis depoſitione, Ideo S. Auguſtinus quæſtionum in Deuteron. *lib.5. cap. 39.* ſcribit, *Hoc nunc agit in Eccleſia Excommunicatio, quod agebat tunc interfectio.* Cùm enim Eccleſiæ nunquam licuerit ſanguinem fundere, ſanguinis vicem ſubiit Excommunicatio, luctuoſaque Pœnitentia. S. Auguſtini axioma, ut ſit univerſale, accipiendum eſt hoc ſenſu, illud, crimen cui adnexa eſt excommunicatio in antiqua lege morte puniebatur; non reciprocè, crimen quod antiquitus morte puniebatur, nunc excommunicatione plectitur. Multa enim crimina antiquitus morte aut gravi aliqua, & corporali pœna afficiebantur, quæ, ut ex dictis manifeſtum eſt, humili pœnitentia non caſtigabantur. Verum tamen eſt, nullum gravi illa pœnitentia plexum fuiſſe, quod lege ſacra non fuerit graviſſima pœna vindicatum. Hinc videre eſt paſſim antiquiſſimos quouſque Patres exemplis, & argumentis à lege petitis demonſtrantes quàm gravem pœnitentiam ſcelerum Rei mereantur.

X. Gregorius Nyſſenus *in Epiſtola ad Letojum* ad ſacram legem non ad civilem reſpexit, cùm ſcripſit, *Sacrilegium in antiqua quidem ſcriptura ac cædis quidem condemnatione viſum eſt tolerabilius. Similiter enim & qui cædis convictus erat, & qui res Deo dedicatas abſtulerat, lapidationis ſupplicium ſubibat. In Eccleſiaſtica autem conſuetudine de pœnæ gravitate neſcio quomodo aliquid detractum, & eò lenitatis deſcenſum eſt, ut illius morbi exiſtimaretur tolerabilius piaculum.* Duo hinc manifeſtè colliguntur, Primum, Patres Pœnitentiam publicam ſuppliciis antiquæ legis ſuffeciſſe, eaque crimina per Pœnitentiam publicam caſtigaſſe, quæ antiquitus morte plectebantur. Secundum, non omnia crimina, quæ lex morte, aut corporali pœna puniebat, pœnitentia publica caſtigaſſe, ut uſura, & latens furtum, aliaque nonnulla capite præcedente ex eodem Nyſſeno, & aliis enarrata, ſed leviore pœnitentia, ut illud quod in teſtimonio allato commemoratur. Sed mens S. Baſilii *can.* 32. anceps eſt, *Qui peccatum ad mortem peccant Clerici de gradu quidem deiiciuntur, &c.* Non enim apparet, an mors intelligatur ſecundùm leges civiles illata, an ſecundùm ſacras. Tertium ſenſum affert Balſamon ex quorundam ſententia non improbabilem. Peccatum ad mortem Baſilio eſſe peccatum actu completum: Tum Clericum deponendum, non autem propter conſenſum. Huic interpretationi favere videtur *can.*4 Neocæſar. in quo gratis liberatus dicitur, qui deſiderium ad opus non perduxit. Nam, ut ait Balſamon, in conſenſum pœna non cadit. Dubium quoque eſt quid *can.76.* Eliberitano per crimen mortis intelligatur; augeturque dubium, ſi canon iſte cum 32. & primo comparetur. Nullomodo probabile videtur, Patres ad leges civiles reſpexiſſe.

CAPUT VI.

Pœnitentiam auctoritate Eccleſiæ publicè geſtam tantæ virtutis ab antiquis Patribus judicatam eſſe, ut aliquando dixerint, graviora crimina non modò per publicam pœnitentiam eſſe remittenda, ſed etiam aliter remitti non poſſe. Hinc graviter Lapſorum ad eam amplectendam, & ageudam concurſus. Friget enim labor, cui merces non redditur.

POEnitentiam publicè, & canonicè actam utiliſſimam eſſe, vimque habere maximam ad perfectam peccatorum remiſſionem à Deo impetrandam, Sanctorum Patrum animis fixum erat, immotumque. Ideò ſæpe illius auxilium, & medicamentum adeò neceſſarium prædicant, ut ingentium peccatorum curationem ſine illius ope fieri non poſſe affirmare videantur. Si mentem eorum alia ſententia inſediſſet, nunquam tanto ardore plebs Chriſtiana pœnitentiam canonicam appetiiſſet, & poſtulaſſet. Quis enim ingratis tantos labores ſuſcipere, eoſque plurimis annis, nonnunquam ad finem uſque vitæ tolerare in animum ſuum induxiſſet, niſi multò facilius, & perfectius hac ratione peccata ſua, præſertim cùm atrocia ſunt, condonari & deleri crediditſſet? Pone enim pœnitentiæ publicæ, & canonicæ virtutem privata non eſſe majorem; Utramque æqua facilitate Deum nobis conciliare, quis poblicè pœnitere volet? Quis privatæ pœnitentiæ libertatem ſervituti, quæ publicæ conjuncta eſt, non præponat? Hæc aſſertio pœnitentiam publicam funditus tollere videtur, atque ab Eccleſia veluti eradicare. Laboranti nega mercedem, pugnanti coronam, medecinæ aſperitati utilitatem, Quis laborabit, pugnabit, medicamentis utetur? Vulgo fertur, honos alit artes: unde Martialis,

Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones.
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.

II. Ad-

Digitized by Google

II. Adverſus Novatianos, & Montaniſtas qui ad Pœnitentiam hortabantur, & Pœnitentibus veniam denegabant eo argumento utebantur antiqui Patres. S. Ambroſius *lib. 2. de Pœnit. cap. 3. Tolle gubernatori perveniendi ſpem, & in mediis fluctibus incertus errabit. Tolle luctatori coronam, lentus jacebit in ſtadio. Tolle piſcatori capiendi efficaciam, deſinit jactare retia.* Non abs re S. Cyprianus ridet ſic ſuadentem, *Materiam de excellentibus ſylvis mercare frater, carinam prævalidis, & electis roboribus intexe; clavo, funibus, velis ut fabricetur atque armetur navis, operare: Sed cùm hæc feceris; fructum de actibus ejus, & curſibus non videbis.* Hoc equidem ut rectè colligit, *Præcindere eſt, atque abſcindere iter doloris, ac pœnitendi viam.* Cùm igitur tanto conſenſu, tanto impetu deſiderata, & poſtulata fuerit antiquitus publica Pœnitentia, certiſſimum eſt, & ineluctabile virtutis, & energiæ ipſi tributæ argumentum. Iſtius praxis nonnulla teſtimonia hoc capite referemus ab iis diverſa, quæ *cap. 16.* libri præcedentis retulimus, in quo jus agendæ Pœnitentiæ multis precibus, & lachrymis petitum fuiſſe demonſtravimus. Sed anteà nonnulla Patrum teſtimonia exſcribemus, quæ Pœnitentiæ publicæ ad crimina atrocia curanda neceſſitatem, & virtutem ſtatuunt, & exponunt.

III. S. Innocentius *Epiſtolæ 22. cap. 5.* velut doctrinam in Eccleſia ſuo tempore vulgatam tradit, *Si quis de Catholica ad Hæreſim tranſiens, aut fidelis ab Apoſtaſia revertens, & reſipiſcens redire voluerit, nunquid eadem ratione poterit ad Clerum admitti, cujus commiſſum non niſi per longam Pœnitentiam poterit aboleri?* Publicam eo loco Pœnitentiam intelligi nemini dubium eſſe poteſt, cùm de peccato publico quæſtio vertatur. Deinde initio capitis eadem ſententia iis verbis enuntiata fuerat, quæ publicam Pœnitentiam neceſſariò inferunt. *At verò hi, qui à Catholica ad hæreſim tranſierunt, quos non aliter oportet, niſi per Pœnitentiam ſuſcipi, apud vos non ſolùm Pœnitentiam non agant, verùm etiam honore cumulantur.* Si Pœnitentia illa non eſſet publica, an agerent Pœnitentiam necne, ſciri non potuiſſet. Deinde illa phraſis, *non agant Pœnitentiam*, demonſtrat rem permanentem, & hominum oculis expoſitam, quod Pœnitentiæ internæ, & ſecretæ convenire non poteſt.

IV. S. Leo *Epiſt. 92.* ad Ruſticum Narbonenſem diſtinctiſſimè hoc, ut communem Eccleſiæ doctrinam tradit, & explicat. Interrogatus, qua ratione recipiendi eſſent, qui Gentilium conviviis interfuerant, & idololthyta comederant, ita diſtinguit, & diſtinctione facta, de unaquaque parte definit, *Qui convivio ſolo Gentilium, & eſcis immolatitiis uſi ſunt, poſſunt jejuniis, & manuum impoſitione purgari, ut deinceps ab Idolothytis abſtinentes, Sacramentorum Chriſti poſſint eſſe participes. Si autem idola adoraverint, aut homicidiis, aut fornicationibus contaminati fuerint, ad communionem eos niſi per Pœnitentiam non oportet admitti.* Refertur hoc decretum Capitularium addit. *4. cap. 56.* cum hoc titulo, *Quòd hi qui homicidia, vel alia capitalia perpetrant flagitia, non niſi per Pœnitentiam publicam ſanari poſſint.*

V. Vigilius Papa à Theodeberto Francorum Rege interrogatur, *Cujuſmodi Pœnitentia poſſit illius purgare delictum, qui cum uxore fratris ſui illicitum præſumpſit inire conjugium.* De interna animi contritione quæſtio non eſt: Quis enim magnam requiri dubitaſſet? Sed de exteriore pœnitendi modo. Publicum autem conſtitui ex reſponſo conſtat, atque etiam ex ipſo crimine quod erat publicum. Reſpondet igitur Pontifex primùm, *Tale commiſſum non parva cordis afflictione valere expiari.* Deinde *modum Pœnitentiæ præſentium potiùs Sacerdotum inſpectioni committendum, ut juxta compunctionis meritum veniæ quoque poſſit indulgeri remedium.* Hoc planè canonicum eſt. Ideò Pontifex regem ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum remittit, *Ut totius facti qualitate, ac Pœnitentis ipſius compunctione perſpecta de temporis obſervatione regem inſtruat.* Planè manifeſtum eſt, ex Eccleſiæ conſuetudine ejuſmodi crimina per Pœnitentiam publicam purgari ſolita. Perpendat verò lector, quàm de purgandis peccatis ſuis ſoliciti eſſent, cùm Francorum Rex qua ratione peccatum iſtud per Pœnitentiam publicam eſſet curandum à Pontifice ipſo inquireret. Hæc referuntur *tom. 1. Concilior. Galliæ ann. 539. in Epiſt.* Vigilii ad Cæſarium.

VI. S. Auguſtinus *ſerm. 57.* de tempore in quoſdam agit, qui conſcientia ingentium peccatorum territi communionem declinabant. Conſilium hoc vocat pravum, & inſalubre quia, *Hoc eſt*, inquit, *reatum congregare, & remedium devitare.* Quid igitur faciendum? Communione dignum ſe faciat. Et quomodo? *Errores priſtinos relinquat, & Pœnitentiam petat, ut qui criminum ſuorum ſorde pollutus eſt Exomologeſis ſatisfactione purgetur.* De Pœnitentia publica illi ſermonem eſſe ex communionis abſtinentia clarum eſt: Deinde ex exomologeſis quam uſurpat ſignificatione. Denique ex verbis ſequentibus. *Nec illud ſervet, ut in extremo vitæ ſuæ tempore Pœnitentiam petat, quando jam agere non poſſit. Parum eſt, peccatorem pœnitere, niſi Pœnitentiam peregerit. In ſatisfactione ingentium peccatorum non verba tantùm, ſed opera quæruntur.* Unde eſt, quòd moribundis Pœnitentia canonica publicè imponitur, & ſi convaleſcant ad eam publicè agendam coguntur, ut libro decimo demonſtrabitur.

VII. Idem *ſermone 34. de diverſis cap. 12.* cum diſtinxiſſet gravia, & mortifera peccata à minoribus, & venialibus, ſubjungit, *Cætera autem hujus vitæ ſunt quædam gravia, & mortifera, quæ niſi per vehementiſſimam moleſtiam humiliationis cordis, & contritionis Spiritus, & tribulationis Pœnitentiæ non relaxantur. Hæc dimittuntur per claves Eccleſiæ.* Per tribulationem Pœnitentiæ junctis clavibus Eccleſiæ nihil aliud intelligi debet, quàm Pœnitentia publicè impoſita. Sic enim potiſſimùm claves Eccleſiæ ſolet intelligere, ut *homil. 49. ex 50. cap. 3. Qui poſt uxores veſtras vos illicito concubitu maculaſtis, ſi præter uxores veſtras cum aliqua concubuiſtis, agite Pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia, ut oret pro vobis Eccleſia. Nemo ſibi dicat, occultè ago, apud Deum ago. Novit Deus, qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt, Quæ ſolveritis in terra, &c. Ergo ſine cauſa ſunt claves datæ Eccleſiæ Dei. Fruſtramus Evangelium Dei, &c.* Vix clarius ſignificare poterat Pœnitentiam publicam pro tam gravi crimine eſſe neceſſariam, privatam verò, & proprio arbitrio ſuſceptam non ſufficere. Ideò poſteà Theodoſii Imperatoris exemplo univerſos adulteros exhortatur, ne publicè pœnitere erubeſcant. Cui autem potiſſimùm rationi innititur? Clavibus Eccleſiæ datis, quas fruſtrare non debemus, quod illi faciunt, qui Pœnitentiam publicam his criminibus impoſitam detrectant. Hæc multis perſequitur; uxoreſque ſimiliter exhortatur, ut viciſſim adulteros maritos ad Epiſcopos deferant, ut Pœnitentia conveniente puniantur. Idem etiam demonſtratur multis locis homiliæ ultimæ ejuſdem libri, ſed ea nonnullis aliis locis jam enarrata ſunt.

VIII. Quid verbis Sancti Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi clarius *homil. 1.* Poſtquam enarravit graviſſima peccata poſt baptiſmum perpetrata, ſubiicit, *Hæc & ejuſmodi commiſſa expiari penitus communi, & mediocri licèt ſecreta ſatisfactione non poſſunt, ſed graves cauſæ graviores, & acriores, & publicas curas requirunt, ut qui cum plurimorum afflictione ſe perdidit, ſimili modo cum plurimorum ædificatione ſe redimat. Homo enim ipſe ſe decipit, ſi cum in medullis fervere ſibi ſentiat morbum per ſuperficiem corporis molle deducat unguentum. Hæc itaque principalia mala ingenti rugitu, & fonte indigent lacrymarum, &c.* Idem *homil. 8.* de iiſdem criminibus agens, *Pro capitalibus verò criminibus non hoc ſolùm ſufficit, ſed addendæ ſunt lacrymæ, & rugitus, & gemitus, continuata, & longo tempore procraſtinata jejunia, &c. Ultro nos à communione Eccleſiæ removentes in luctu, & triſtitia permanentes multò tempore, & Pœnitentiam publicè agentes, quia juſtum eſt, ut qui cum multorum deſtructione ſe perdidit, cum multorum ædificatione ſe redimat.* Licèt addiderit Cæſarius hunc Reum cum multorum deſtructione ſe perdidiſſe, non ideò neceſſe eſt crimen fuiſſe publicum. Plurimi enim criminum Rei, immò maxima pars multos crimine ſuo inficiunt, & polluunt, licèt crimen eorum occultum ſit, atque ideò ad Eccleſiaſticum judicium deduci non poſſit. Ejuſmodi tamen occulti Rei cum publicè Pœnitentiam agunt, eos ædificant, quos crimine ſuo privatim infecerant, vel ſcandalizaverant, vel etiam in criminis ſui ſuſpicionem adduxerant.

IX. S. Eligius ex antiqua traditione, ut ipſe monet, idem nos docet *homilia 4. Ut ante nos, dictum eſt, à Patribus cum tanta eſt plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta Corporis, & Sanguinis Domini differenda ſint, auctoritate Antiſtitis debet ſe quiſque ab altario removere ad agendam Pœnitentiam, & eam auctoritate reconciliari.* De gravioribus peccatis Eligium loqui clarum eſt. Sed negabit forſan aliquis, eum Pœnitentiam publicam intelligere. Contrarium tamen omnia propè verba demonſtrant. Primùm totius homiliæ Scopus, & materia, quæ in die Cœnæ Domini pronuntiata eſt, & in qua duo hæc tantùm explicat, lotionem pedum Apoſtolicorum à Chriſto factam, & publicorum Pœnitentium in die illo reconciliationem. Poſtquam verò priore parte defunctus eſt, poſteriorem aggreditur, *Ut igitur audivit veſtra dilectio, hæc omnis pedum lotio, noſtrorum peccatorum eſt purgatio:*

tio: Unde non incongruè hac ipſa die, ſicut Eccleſiæ tenet conſuetudo, Pœnitentium fit reconciliatio. Ut enim ante nos dictum eſt, &c. Sequuntur verba ſuperius relata. Aliò igitur quàm ad publicam Pœnitentiam, & reconciliationem torqueri non poſſunt. Sermonem autem ſuum de publicæ reconciliationis myſterio à criminum indicatione orditur, de quibus Pœnitentia agitur publica: Illa autem definit, ut ex eo enarratum eſt.

X. Præterea alium ſenſum non tolerant verba citata: dicit enim, quemque iſtorum criminum Reum teneri ſe auctoritate Antiſtitis ab altario ad agendam Pœnitentiam removere, & eadem auctoritate reconciliari. At certum eſſe, auctoritatem Epiſcopalem Pœnitentibus publicis reconciliandis, aut etiam Pœnitentiis publicis imponendis tantùm neceſſariam fuiſſe. Ideò ſtatim poſt verba citata pergit, *Vade mihi ad vos, ô fratres, nunc habendus eſt ſermo, quos mater ſancta præſens Eccleſia noſtro officio reconciliat Deo*. Totus, qui ſequitur ſermo, & longus eſt, & ad Pœnitentes tum reconciliandos dirigitur. Homilia quoque octava, quæ tota ad eoſdem Pœnitentes in eodem die habetur, quodnam Pœnitentiæ genus in ea actione ſit intelligendum, breviter, & dilucidè explicat, *Nunc ad vos ſermo noſter dirigitur, quos mater Eccleſia, quaſi non ſuos recognoſcens ob fœditatem ſcelerum veſtrorum dudum à ſe repulit: modò verò, quia Domino per dignos Pœnitentiæ fructus placuiſtis, mundatos vos, quantum humana fragilitas permittit, ab omni inquinamento carnis, ac Spiritus per crebra jejunia, & afflictiones corporum, quaſi jam ſuos ad ſe revocat.*

XI. Idem argumentum iterùm colligi poteſt ex fine *homiliæ* 8. Ibi enim inducitur fidelis velut ex communi Eccleſiæ doctrina apud ſe ſic ratiocinans, *Si tanta eſt plaga peccati, atque ulcus morbi, ut medicamenta talia differenda ſint; auctoritate Antiſtitis debet quiſque ab altari removeri ad agendam Pœnitentiam, & ejuſdem auctoritate reconciliari*. Erat igitur certum, & vulgatum ex ordinaria Eccleſiæ praxi ea crimina publicè, & auctoritate Epiſcopali eſſe punienda, quæ tam gravia ſunt, ut privationem communionis ad tempus ex Eccleſiæ canone mererentur. Iſta cum exaggeravit, tandem in fine homiliæ concludit: *Poſtremò ab ipſa mente talis ſententia proferatur, ut ſe homo judicet indignum participatione Corporis, & Sanguinis Domini, ut qui timet ſeparari à regno cœlorum per ultimam ſententiam ſummi judicis, per Eccleſiaſticam diſciplinam à Sacramento cœleſtis panis interim ſeparetur*, Quo demonſtratur, in ejuſmodi criminibus gravibus neceſſarium eſſe publicam, & à judice decretam ſeparationem, nec ſufficere voluntariam *κὴ αὶ τὸ μετον*. Hæc quæ de Sanctis Eligio, & Cæſario retulimus ex S. Auguſtini 50. *in lib.*10. *quinquaginta homiliarum* excerpſerunt. Ideò cùm ſic Auguſtinum intellexerint, dubitari non poteſt S. Auguſtinum in eadem cum iis, fuiſſe ſententia, ac proinde hanc fuiſſe vulgatam illorum ſeculorum Eccleſiæ praxim.

XII. Gennadius *cap.*53. libri de Dogmatibus Eccleſiaſticis eandem diſciplinam, ut Eccleſiæ communem refert. Cùm enim dixiſſet, communicare poſſe aliquem ſecurè Corpori Chriſti, licèt peccato mordeatur, modò non habeat de cætero peccandi voluntatem, & communicaturus ſatisfaciat lachrymis, & orationibus, ſtatim ſic excipit, *Sed hoc de illo dico, quem capitalia, & mortalia peccata non gravant*. Quid igitur in hoc caſu opus eſt facto? Reſpondet, *Nam quem mortalia crimina poſt baptiſmum commiſſa premunt, hortor priùs publica Pœnitentia ſatisfacere, & ita Sacerdotis judicio reconciliatum communioni ſociari, ſi vult non ad judicium, & condemnationem ſui Euchariſtiam percipere*. Excipit tamen, ſecreta quoque ſatisfactione purgari poſſe hæc crimina. Sed ſatisfactionem tam duram præſcribit, atque adeò publicam, ut publicæ Pœnitentiæ moleſtiis æquivaleat, ab eaque tantùm differat quod publicè in Eccleſia non agatur, & genua non figantur, ut videre potes capite primo hujus libri, ubi teſtimonium hoc cum aliquot ſimilibus integrè refertur. Plurima in ejuſdem diſciplinæ demonſtrationem teſtimonia legi poſſunt capitibus 12. 13. & potiſſimùm 14. libri primi, & hujus libri *cap.*1. & 2. immò paſſim in antiquorum Patrum ſcripus omnium oculis obverſantur. Ubi enim Pœnitentiam docent criminibus eluendis neceſſariam, gravioribus graviorem, & diuturniorem, atque ad eam amplexendam lapſos quoſcunque exhortantur, ibi pro maxima parte Pœnitentiam publicam canonicè actam intelligunt, non tantùm internam, & animo conceptam.

XIII. Hinc tot iſtius Pœnitentiæ laudes, cum baptiſmi virtute comparatio, & æquiparatio. Hinc ſalutis ſecuritas ſolis eam agentibus promiſſa; & illius repetendæ denegata facultas, ne maximum donum donationis frequentia vileſceret. Hinc eſt, quod morientibus ſedulò ſemper indicata eſt, & ab iis convaleſcentibus ſeverè ſemper exacta: Quæ tot ſunt diſciplinæ explicatæ argumenta certiſſima. Nec ſanè, ut initio capitis pluribus adnotatum eſt, ad hanc ſecundam poſt naufragium tabulam tam aſperam, tam ſpinoſam, tanto cum labore arripiendam, & amplexandam tantis animis olim confugiſſent criminum Rei, niſi illius in remittendis, & curandis criminibus virtus, efficacitas, & neceſſitas vehementiſſimè laudatæ, & deprædicatæ fuiſſent. Perperam tamen, & contra omnium Patrum mentem abſolutè colligeretur, ſalutem ſine ejus actione acquiri non poſſe. Illis enim ſemper conſtitit tantum, & tam efficacem eſſe poſſe internum animi dolorem, ut vel momento atrociſſimum crimen expiare poſſit. Sed illis loquendi formulis ſolùm ſignificare voluerunt dolorem illum Pœnitentiæ canonicæ auxilio longè facilius concipi; eaque ad finem vitæ retardata, difficillimè, & rariſſimè. Deinde cùm Eccleſiæ ligandi, & ſolvendi ſuprema poteſtas à Deo collata ſit, illud neceſſarium meritò dixerunt, quòd ipſi, aut eorum deceſſores, Synodicè præſertim congregati, conſtituerant: Quanquam enim abſolutè loquendo ſine illius præſtatione ſalus eſſe poſſit, ac proinde, ut ajunt, neceſſitate medii neceſſaria non ſit conſtitutio: Quandiù tamen obligationem non ſolvit Eccleſia, damnat illius contemptus, & urget iſta procurandæ ſalutis neceſſitas, & adipiſcendæ efficacitas.

CAPUT VII.

Eadem Pœnitentiæ publicæ utilitas, & efficacia demonſtrantur multis canonibus, & illuſtribus aliquot exemplis eorum, qui infirmi eam deſideraverunt, & ſponte ſuſceperunt, nullius atrocis criminis conſcii, nullumque crimen publicè confeſſi: Atque etiam, eo quòd infirmis, & obmuteſcentibus Amicorum precibus impoſita eſt, & ab iis convaleſcentibus ſeverè exacta. Pœnitentia nullo crimine prodito acta neminem ab ordinibus ſuſcipiendis, aut exercendis prohibebat: Pœnitentis hoc dimittebatur.

QUanta fuerit antiquitus Pœnitentiæ publicæ æſtimatio, quàm efficax auxilium ad dolorem, de peccatis concipiendum, & de iis remiſſionem obtinendam afferre judicata ſit, nullo mihi videtur illuſtriore argumento demonſtrari poſſe quàm ea conſuetudine, quæ præſertim in Hiſpania viguit, illius ſpontè ſuſcipiendæ, & agendæ nulla præcedente criminum atrocium conſcientia, nulla criminum publicorum, aut occultorum confeſſione publica, nedum convictione. Hanc exiſtimationem augere plurimùm mihi videtur altera eorundem ſeculorum conſuetudo, qua infirmis morbi violentia obſtupeſcentibus amicorum poſtulatione beneficii maximi loco impetrari ſolebat. A poſteriore hac conſuetudine, quæ inſolens magis videri poteſt, initium faciemus. Conſpicua eſt in canone 2. Concilii Toletani 12. quod anno Chriſti 681. celebratum eſt. Diffuſus eſt canon, & facti rationes reddit: ſingula, quæ propoſito conducunt, examinabimus.

II. In canone illo quæſtio vertitur de iis, qui cùm ſani eſſent, verbis demonſtraverant, ſe Pœnitentiam aliquando ſuſcipere velle; quippe poſteà in tantùm morbum inciderunt, ut nullus ſenſus, & mentis effectus in iis animadverterentur. *Multos*, inquiunt Patres, *ſæpè vidimus in ſalute poſitos altiùm deſiderantes Pœnitentiæ fructum, & rursùs nimietate ægritudinis ita loquendi, & ſentiendi perdidiſſe naturale officium, ut nulla illis cura ſalutis ſuæ videretur ineſſe, nullo etiam priſtinæ devotionis noſcerentur deſiderio anhelare.* Quid igitur de illis actum eſt? Aſſidentes eorum commiſerati Sacerdotem petierunt, ut Pœnitentiam illis imponeret, ſimulque Pœnitentiæ fructum, hoc eſt, Abſolutionem, & Euchariſtiam traderet; ſpondentes eos ſanitate recuperata leges Pœnitentiæ executuros. At illi ſanitati reſtituti negant ſe hac promiſſione teneri, eo quòd nec Pœnitentiæ habitum, cæteraque Pœnitentium inſignia ſe jure abiicere profitentur: *Quorum caſibus fraternitas condolens, ita talium neceſſitates in fide ſua ſuſceperit, ut ultimum illis tribuatur viaticum: quòd ſcilicet ſine fructu Pœnitentiæ non videantur tranſire ſeculo. Si forſitan reſpiciente Deo ſaluti priſtinæ reformentur, agunt cautionibus vanis, & oppoſitionibus execrandis qualiter à ſe tonſuræ venerabile ſignum expellant, atque habitum religionis abiiciant, impudentiſſimè aſſerentes ideò ſe nullis regulis Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſub hoc voto teneri, quia Pœnitentiam nec ipſi petierint, nec ſcientes acceperint.*

III.

III. Nunc videamus quanta ſit Pœnitentiæ ſic impoſitæ nedum decurſæ efficacia, cujus cauſa amici adſtantes moribundum ea donari efflagitarunt. Tanta ſanè ab iis judicatur, & adeò clarè, & ſine ambagibus enarratur, ut malim eorum verbis quàm meis id referre. *Quorum impudentia procax, & obſtinata procacitas nequaquam talia diceret, ſi qualiter ad vitam per ſacroſancti lavacri gratiam venerit, meminiſſet. Etenim Parvulorum infantium vita originali peccato obnoxia, quæ nulli per ætatem diſcernendi, vel expetendi ſenſui aptior judicatur, niſi ſponſione fidelium baptiſmi accipiant Sacramentum, nullo ſenſu, nulla etiam diſcretionis induſtria id appetere poſſunt. Unde ſicut baptiſmum quod neſcientibus parvulis ſine ulla contentione in fide tantùm proximorum accipitur, ita & Pęnitentiæ donum quod neſcientibus illabitur, abſque ulla repugnantia inviolabiliter hi, qui illud exceperint, obſervabunt.* Primum vides lector, Pœnitentiam publicam amicorum rogatu illis datam. Exiſtimabant igitur amici, qui eorum vitam noverant, crimina ab iis perpetrata longè facilius per eam expiari, quòd etiam vel canonis verba ſatis indicant. Eſt igitur manifeſtum, ea crimina tum temporis per Pœnitentiam publicam expiata fuiſſe. Hoc enim ſi vulgata Eccleſiæ praxis non tuliſſet, improbabile omninò eſſet, Amicos inconſulto moribundo luctuoſam illi Pœnitentiam procuraturos. Improbabile rurſus Sacerdotes tam gravem Pœnitentiam non petenti impoſituros, cùm ſecreta Pœnitentia, quæ crimina omnia ſanaret, præſto illis eſſet. Quis enim credat & Amicos, & Sacerdotes bona infirmi voluntate tam prodigè abuſos, ut cum leni medicamento morbum ipſius facilè ſanare poſſent, ferrum, & cauterium adhibuiſſe, ſtultèque ſperaſſe quæ fecerant, boni conſulturum.

IV. Excipietur forſan, crimina illa publica fuiſſe, & conſequenter ex praxi Eccleſiæ Pœnitentiæ publicæ obnoxia. At ſi crimina illa publica fuiſſent, ea ratione ad Pœnitentiam publicam ejuſmodi homines obligari fuiſſent, & ante Pœnitentiam impoſitam, & cùm imponeretur, & poſt impoſitam donec ea defuncti fuiſſent. Verùm Patres illi neceſſitatem agendæ Pœnitentiæ ſic impoſitæ inde tantùm petunt, quod Pœnitentiæ donum neſcientibus illabatur, ut parvulis donum baptiſmi. Si publica fuiſſent crimina quàm validis rationibus petitis ex Scriptura, ex canonum præſcripto, ex perpetua Eccleſiæ univerſalis praxi eos, homines ad Pœnitentiam publicam coegiſſent, aut ab Eccleſia duro anathemate abegiſſent? Immò ex praxi illorum temporum, atque etiam hodiernorum, ſi publicis peccatis maculati fuiſſent, Pęnitentia ſic pervicacibus imponi non potuiſſet, multòque minùs Euchariſtia dari. Certum eſt enim, peccatoribus publicis, niſi reſipiſcant, aut reſipiſcentiæ teſtimonia præbeant, Pęnitentiam imponi non poſſe. Quid de communione Corporis Chriſti dici par eſt, qua ii, de quibus agitur, donati ſunt?

V. Præterea eodem canone duo adduntur, quæ peccata illa occulta fuiſſe demonſtrant. Priùs, verba quæ citatis immediatè ſubſunt, *Si quis autem quolibet modo Pęnitentiam accipiens hoc Synodale violaverit inſtitutum, ut verè tranſgreſſor paternis regulis ferietur.* Quid opus hac interminatione peccatori publico jam ipſo jure excommunicato, quique inſuper recens Dei gratiam, ab Eccleſia oblatam tam imprudenter expuerat? Non levibus minis cum eo erat agendum, ſed anathematum fulguribus percellendus: *Paternis regulis ferietur.* At jam erat propter peccatum publicum anathemate contritus. Horum tamen Patres illi nihil commemorant, aut exprobrant, vel leviſſimè innuunt. Poſterius colligitur ex poſtremis canonis verbis: *Sacerdos tamen, qui non ſentienti, neque petenti auſu temerario Pęnitentiam dederit, neque ſe exhortatu ejus, qui Pęnitentiam accipit, manuum indiciis, aut quibuslibet aliis evidentibus ſignificationibus invitatum fuiſſe probaverit, unius anni excommunicationis ſententiæ ſubjacebit.* Sacerdoti prohibetur Pęnitentiam non ſentienti, nec Pęnitenti imponere, ſed tamen data non declaratur irrita. Nunc animo tibi propone peccatorem publicum. An licet ei Pęnitentiam, & ultimum viaticum dare non petenti, nec quid agatur ſentienti? Sed plura. Si poſteà convaleſcens Pęnitentiæ luctuoſæ leges exequi nolit, num rata poterit judicari ejuſmodi Pęnitentia tam temerè, ne dicam impiè data?

VI. Illuſtre, & auguſtum hujus rei argumentum nobis præbet Rex Gothorum Hiſpanorum Vvamba ſanctitate clarus. Illum hiſtoricorum nullus criminis accuſat, ſed omnes illius religionem, & vitæ ſanctitatem laudant, & admirantur. Quod inſuper ad rem maximè facit, ipſi graviter ægrotanti nihilque ſentienti pęnitentia, de qua agimus, data eſt, eamque convaleſcens regia auctoritate depoſita in hoc ipſo Concilio probavit, & aſſumpſit. Ut ſe res habuit, breviter tam ex Luca Tudenſi quàm ex hoc Concilio enarrandum eſt. Cùm Cindaſiunthus in Hiſpania regnaret ad eum venit Græcus quidam vir nobilis, Andabaſtus nomine ab Imperatore in exilium pulſus. Receceſvinthus Rex Cindaſiunthi ſucceſſor eum favore plurimo proſecutus eſt, & conſobrinæ ſuæ matrimonii junxit, Comitiſque dignitate illuſtrem fecit. In Receenſvinthi defuncti locum Vvamba electus eſt, in quem occulto odio furens Andabaſtus venenum ei propinari curavit, cujus virulentia lecto decumbens memoria, ſenſuque aliquanto tempore privatus eſt. *Cumque Epiſcopus civitatis, & optimates palatii, qui erant fideles Regi, quos potionis cauſa latebat, vidiſſent regem jacentem abſque memoria, cauſæ pietatis commoti, Pęnitentiam volentes illi perficere, unctionem ſancti Olei, & Communionem Corporis Chriſti obtulerunt. Sed factum eſt, ut Rex à potione liberatus, cùm præſenſiſſet, quod illi Extremæ Unctionis Epiſcopus peregerit Sacramentum, ad monaſterium perrexit, ibique in Chriſtiana religione permanſit.* Hæc Lucas Tudenſis. Narrant Concilii 12. Toletani Patres *cap.* 1. Vvambam morbi cauſa Pęnitentiam ſuſcepiſſe, regno renuntiaſſe, Ervigium Principem in ſui locum elegiſſe, litteraſque tam renuntiationis ob Pęnitentiam ſuſceptam, quàm Ervigii in Regem electionis, Concilio oſtendiſſe, ut à Patribus in regem, quod factum eſt, ungeretur; *In quibus*, inquiunt, *& præcedentis Vvambæ Principis Pęnitentiæ ſuſceptio noſcitur, & tranſlatus regni honor in hujus noſtri Principis nomine derivatur. Idem enim Vvamba dum inevitabilis neceſſitudinis teneretur eventu ſuſcepto religionis debito cultu, & venerabilis tonſuræ ſacræ ſignaculo, mox per ſcripturam definitionis ſuæ hunc inclytum Dominum noſtrum Ervigium poſt ſe prælegit regnaturum, &c. Vidimus, intuitu prælucente perſpeximus hujus præmiſſi ordinis ſcripturam, id eſt, notitiam manu ſeniorum Palatii roboratam, coram quibus antecedens princeps & religionis cultum, & tonſuræ ſacræ adeptus eſt venerabile ſignum, &c.*

VII. Rex ille Vvamba pius admodum erat, nec illius criminis publici ſuſpectus nedum diffamatus; ægrotanti tamen, nec roganti aſſidentes amici procurant, ut Pęnitentia publica imponatur, eamque impoſuit Julianus ipſiſſimus Toletanus Archiepiſcopus, approbantque factum Toletani Patres. Evidens igitur eſt de criminibus publicis eo canone non agi, ſed de peccatis occultis, & mortalibus à quibus difficillimum eſt, quemcunque Chriſtianum prorſus immunem eſſe; ac proinde piè admodum Amici moribundorum, ut illis ante mortem Pęnitentia præſtetur, procurant; quod & nunc in Eccleſia Catholica diligenter, & ſolicitè procurari videmus. Si crimina publica fuiſſent, Pęnitentia illa perfecta, id eſt, cùm abſolutione, & Corporis Chriſti communione conjuncta, præſtita illi nunquam fuiſſet, ſicut etiam nunc non præſtaretur. Nulli enim, cujus ſcimus publica peccata, & nullo modo ſcimus reſipiſcentiam, adminiſtranda eſt reconciliatio. Verum ille, cujus nulla certò ſcimus crimina, moreſque apparent nullius criminis accuſandi, non abs re moriens præſumitur corde contritus, & reconciliationi idoneus. Quanquam enim falli poſſit Sacerdos, præſtat tamen, ut ex SS. Cornelio, Cypriano, & Auguſtino demonſtratum eſt, cùm ulterius inquirendi vitæ periculum occaſionem intercipit, multis indignis ſancta myſteria præbere, quàm dignos aliquos iis fruſtrare. Hunc autem Concilii canonem Concilium ſequens 13. quod duobus poſt antecedens annis celebratum eſt, anno 683. prid. Non. Novembris, nominatim *cap.* 9. approbavit, & confirmavit. Dicitur à Luca Tudenſi Vvamba Monaſterium ingreſſus, non quod ex ſuſceptione Pęnitentiæ quis Monachus efficeretur; Pęnitentem eſſe, & Monachum longè differebant, ſed quod ex more illorum temporum, & ſequentium Pęnitentes ad agendam Pęnitentiam in loca ſecreta ad Quadrageſimam uſque ſecederent, ut infra demonſtrabitur.

VIII. Alterùm ejuſdem interpretationis, & conſuetudinis argumentum illuſtre, & evidentiſſimum colligitur ex can. 10. Concilii 13. Toletani, in quo viginti quatuor Epiſcopi ſedebant, qui in duodecimo ſederant. Canonis occaſio hæc eſt, Gaudentius Valerienſis Epiſcopus declarat Concilio per legatum, *Quòd incommodæ valetudinis nimietate præventus, per manus impoſitionem ſubactus fuiſſet Pęnitentiæ.* Patres rogat, *Utrùm accepta Pęnitentia liceret ſibi præcepta ſui ordinis contrectare myſteria, &c.* Quæſtione in deliberationem vocata reſpondent Patres, *ut reconciliatione præmiſſa, ſoliti ordinis retineret officia.* Cujus definitionis rationem hanc nobis diligenter perpendendam reddunt Patres, *Si enim regulæ*

præce-

Digitized by Google

præcedentium Patrum, eos, qui Pœnitentiam in diſcrimine mortis accipiunt, & nulla de ſe manifeſta ſcelera confitentur, (ſi adſit tamen in his, & talibus probitas morum) ad Eccleſiaſticos gradus pervenire permittunt, quanto magis ut hi, qui in ipſo Sacerdotio conſtituti Pœnitentiam accipiunt, à ſui ordinis officio retrahantur? Tantùm ſi ſeipſi mortalium criminum profeſſione propria non notarunt. Rationis ſuæ conſequentiam poſt ea multis probant. Habes lector Pœnitentiam maximè publicam, & de peccatis occultis, quæ nemo præſumitur agnoſcere; Pœnitentiam publicam hominis, cujus mores habentur boni, probique, & qui nec publicè ſeſe accuſat, nec ab alio accuſatur.

IX. Ne autem quis obiciat ejuſmodi homines nulla peccata confiteri ſolitos, ſæpiùs in eodem canone repetunt Patres Pœnitentiam illam dari in remedium, & remiſſionem peccati, *Pœnitentia enim ad hoc ſuſpicitur, ut peccatum diluat, & peccati ſordes hominem iterare non ſinat. Qui ergo confidit per ſuſceptam Pœnitentiam dimiſſa ſibi peccata, cur confidenter ad altare Domini non accedat?* Et poſt multa, *Numquid Pœnitentiæ donum quod in remedium ſit peccati, in prohibitionem devocandum eſt Sacramenti?* Peccata igitur, & mortalia confiteri poterant, atque id feciſſe aſſumit Concilium. Sed quia publicè peccata illa non enuntiaverant, nec erant publicè nota, immò publicè pro viris bonis habebantur, poterant laici ejuſmodi ad gradus Eccleſiaſticos promoveri, & Clerici ordinis ſui functiones exercere. Verum cum eo diſcrimine quod Clerici à ſacris functionibus propter Pœnitentiam illam non abſtinerentur, cùm laicis ſeculares functiones obire non liceret. Quia inquiunt Patres, *Pœnitens abſtinere debet à peccatis pariter, & negotiorum ſæcularium tumultibus, non ab iis, quæ ſancta videntur, & ſumma, ſe abſtrahere, quæ operantem plus expiant, quàm commaculando deturpant.* Tandem Patres quæſtione ventilata ſic definiunt, *Ut ſtante priſcorum canonum ſanctione, quicunque Pontificum vel Sacerdotum deinceps per manus impoſitionem Pœnitentiæ donum exceperint, nec ſe mortalium criminum profeſſione notaverint, tenorem retentandi regiminis non omittant, ſed per Metropolitanum reconciliatione Pœnitentium more ſuſcepta, ſolita compleant ordinis ſui officia, vel cætera myſteriorum ſibi credita Sacramenta.* Quibus ſanè verbis vix clariùs docere potuerunt criminum occultorum non modò publicam, ſed & ſolemnem Pœnitentiam. Præterea, quòd abſurdiſſimum ſit aſſerere nulla peccata confeſſos eſſe, & nihilominus Pœnitentiam illis ſolemniter impoſitam, & reconciliationem præſtitam. Verùm hoc abſurdum demus, ſi nullis peccatis confeſſis, aut ſi mavis, venialibus tantùm, infligitur tamen publica Pœnitentia, ſolemniſque reconciliatio adhibetur, multò ſanè magis criminibus occultis.

X. Gravius opponi poteſt, Sacerdotem propter multa crimina occulta ab ordinum functione ſuſpendi. Ergo ſi illa confiteatur, ut ad id obligatus eſt, qua ratione decernunt Patres crimina tantùm publica, aut publicè ab auctoribus enuntiata ſacris functionibus abſtinendos eſſe? Huic objectioni Patres ipſi in fine canonis occurrunt. Non aliter ideò quàm ipſorum verbis eam diſſolvemus. *Cæterùm, ſi, ut dictum eſt, ſub Pœnitentiæ perceptione conſiſtens, nihil mortalis criminis ſe admiſiſſe prædixerit, ut tamen quod fateri hominibus erubeſcit, intra clauſtra ſui pectoris deliteſcit; noverit ipſe ſibi de ſe poteſtatem eſſe conceſſam, ut juxta conſcientiæ ſuæ fiduciam, utrùm audeat, aut non audeat ſacrificare Deo, ex ſui potiùs arbitrii poteſtate, quàm ex noſtri judicii permiſſione procedat.* Cùm quis Sacerdos ejuſmodi criminum occultè reus eſt, eaque publicè fateri non vult, ne ab ordinum exercitio ſuſpendatur, ad ea enuntianda, aut ad ſacrarum functionem ceſſationem cogi non poteſt, licèt ea ſecretò confeſſus fuerit, ut pluribus *lib.* 2. de ejuſmodi caſibus demonſtratum eſt; An ea exerceat necne, ipſius conſcientiæ permittitur, quia eo caſu prohiberi non poteſt: ſi tamen Dei timens eſt, non ſacrificabit; ſi impiè agere velit, ſacrificabit. Verùm ſi poſteà criminis commiſſi convincatur, graviſſimè propter ſacrilegium perpetratum in eum animadvertetur.

XI. Ajunt Patres iſta ſe ſtatuere antiquos ſecuti canones. Quæri poteſt non immeritò, qui fuerint illi canones? Ex eorum enim cognitione id, quod hactenus contendimus, illuſtrius evadet. Primus occurrit canon 53. Concilii Tolerani 4. quod 13. annis 50. præcedit, *Hi, qui in diſcrimine conſtituti Pœnitentiam accipiunt, nulla manifeſta ſcelera confitentes, ſed tantùm peccatores ſe prædicantes, hujuſmodi ſi revaluerint, poſſunt etiam pro morum probitate, ad gradus Eccleſiaſticos pervenire. Qui verò ita Pœnitentiam accipiunt, ut aliquod mortale peccatum perpetraſſe publicè fatentur, ad Clerum, vel ad honores Eccleſiaſticos pervenire nullatenus poterunt, quia ſe confeſſione propria notaverunt.* Eadem protsùs canonis ſpecies: Pœnitentiam publicè accipiunt ſecreta tantùm peccata confeſſi, nulla publica. Clariſſimè Patres illi explicant, quid ſibi velint, cùm dicunt, *tantùm ſe peccatores prædicantes*, hoc eſt, ut ajunt, nulla manifeſta ſcelera confitentes: Et paulò poſt, Qui ita Pœnitentiam accipiunt, *ut aliquod mortale peccatum perpetraſſe publicè fateantur.* Mortalia igitur peccata occultè commiſſa fatebantur; ſed quia non publicè, ideò à functionibus Eccleſiaſticis non abſtinebantur, licèt Pœnitentiam publicam egiſſent. Quapropter evidentiſſimum eſt ex eorum interpretatione ea verba, *tantùm peccatores ſe prædicantes*, generaliter tantùm ſumi non debere; ita ut in genere tantùm, nullo particulari crimine confeſſo, ſeſe peccatores profeſſi fuerint; ſed ſic intelligendum, ſe tantùm peccatores profeſſi ſunt, nullo edito ſingulari crimine. Quod cùm canonis verba tam clarè, tam ſplendidè adnotant, fruſtra in eo adſtruendo immoraremur. Idem inſuper confirmat ejuſdem Concilii can. 19. in quo recenſentur qui ad ſacros ordines admitti non debeant. Hos inter adnumerant Patres, *Qui in aliquo crimine detecti ſunt; Qui infamiæ nota aſperſi ſunt; Qui ſcelera aliqua per publicam Pœnitentiam admiſiſſe confeſſi ſunt.*

XII. Sic videtur intelligendus canon 2. Concilii Tolet. 1. quod ante quartum annis 233. celebratum eſt, cùm decernit, Nullum Pœnitentem ad Clerum eſſe admittendum. Quod per Pœnitentem intelligat, ſtatim explicat, *De eo verò Pœnitente dicimus, qui poſt baptiſmum, aut pro homicidio, aut pro diverſis criminibus, graviſſimiſque peccatis publicam Pœnitentiam gerens ſub cilicio, divino reconciliatus eſt altario.* Duplex genus publicè Pœnitentium conſtituit: Unum eorum, qui cum cilicio reconciliantur; aut ſi mavis cilicium ad antecedentia referre, quibus cum cilicio Pœnitentia imponitur, hoc eſt, quibus publicè diebus ſolemnibus inter Miſſarum ſolemnia Pœnitentia pro criminibus imponitur, aut reconciliatio datur. Alterùm qui publicè quidem Pœnitentiam agunt de criminibus ſuis, ſed non ſub cilicio eis imponitur, non ſolemniter, nec ſolemni die, eo quòd nec propria confeſſione ſeſe notarunt, nec aliqua convictione notati ſunt. Quod igitur Patres univerſaliter pronuntiaverant, *Pœnitentes non admittantur ad Clerum*, interpretantur de eo Pœnitente publico, qui ſub cilicio reconciliari ſolet. Huic interpretationi convenit lectio, *De eo Pœnitente, &c.* Ita ut nolint Patres ſub eorum decreto Pœnitentes omnes complecti, ſed eos tantùm, qui ſcelera publica, aut occulta publicè confeſſi fuerint.

CAPUT VIII.

Referuntur Doctores recentiores plures, & celebres, qui docuerunt, Pœnitentiam de criminibus occultis antiquitus publicè fieri ſolitam, atque etiam à Patribus eſſe præceptam. Nonnulli aſſeruerunt, crimina occulta ſecretò Sacerdoti confeſſa ad Epiſcopum ab eo relata fuiſſe, & ab Epiſcopo publicè antiquitùs renuntiata. Crimen publicum ex Pœnitentia publica non revelari, multò minùs occultum. Ex criminum occultorum publica Pœnitentia invictum argumentum pro Confeſſione auriculari colligitur. Ad ejuſmodi Pœnitentiam neminem cenſuris cogi poſſe aſſerunt antiqui Patres.

Rerum, doctrinæque ordo à nobis nunc poſtulare videtur, ut ſigillatim explicemus, qua ratione unumquodque peccatorum genus ſanabatur, & caſtigabatur: Non eſt nobis hoc libro propoſitum Pœnitentiæ publicæ, aut privatæ partes, minutiaſve proſequi, nec quæ unoquoque ſeculo ſunt in utraque immutata, addita, ablata inquirere. Studium hoc *lib. 6. & 7.* conſecramus. Satis ſuperque nunc erit nomina Pœnitentiæ publicæ, & privatæ uſurpare. Propoſitum nobis eſt, in crimina ipſa inquirere, atque docere, qua ratione annorum propè ſeptingentorum ſpatio cum Pœnitentiæ publica, & privata componebantur. Nemini dubium eſſe poſſe nobis videtur, crimina publica per pœnitentiam publicam curata, & punita fuiſſe, niſi forſan graviſſima cauſa interceſſiſſet, quæ tanti momenti eſſe potuit, ut non modò Pœnitentia publica intermitteretur, verumetiam privata, ſtatimque omni pœna remiſſa criminis Reo communio præſtaretur, ut jam demonſtratum eſt libri primi *capite* 19. & *lib.* 9. fuſius demonſtrabitur. Quòd ſi lectoris animo dubium aliquod hac de re inſidet, ex iis, quæ de peccatis occultis diſſeremus, facilè diſſolvetur. Quapropter peculiari de hac re tractatu ſuperſedebimus. Pauci equidem Doctores Scholaſtici rem iſtam magis ex ingenii ratiociniis, quàm ex Eccleſiæ conſuetudine putantes, docuerunt, Confeſſionem publicè factam non eſſe Sacramentalem, idemque de Abſolutione aſſeruerunt: Pari jure videntur ſatisfactionem publicam de Sacramenti natura, & poteſtate exempturi: Ita Scotus *in 4. diſt. 7. qu. 1. ad finem*, Gabriel Biel *ibid. qu. 1. art. 2. concluſ. 3.* Angelus verbo, *Confeſſio*, *num.* 32. & ſi qui alii.

Verùm

Digitized by Google

Verùm cùm à cæteris refutentur, univerſæque Eccleſiæ Catholicæ conſuetudini hoc effatum adverſetur, nulla ratio nos movet, ut in iſtius abſurdi convictione immoremur.

II. Supereſt igitur, ut de criminibus occultis, & enormibus diſputationem noſtram inſtituamus. Quemadmodum diximus crimina publica omnium propè ſententia per Pœnitentiam publicam ſanata fuiſſe: Sic etiam crimina occulta per Pœnitentiam privatam ſanari potuiſſe, & ſanata fuiſſe, nemo, ut opinor, Catholicus diffitebitur, idque jam data occaſione probatum eſt, hujus libri *cap. 1. & 6.* Quocirca omnis difficultas ineſt in compoſitione criminum occultorum cum Pœnitentia publica. Ab annis enim nongentis, & ultra hæc axiomata per univerſam Eccleſiam vulgata fuerunt, ut demonſtrabitur libri ſeptimi *capite 1. De peccatis publicis agenda eſt Pœnitentia publica; De occultis occulta, & ſecreta.* Praxis prætereà his axiomatis ita conſenſit, ut antiqua illorum, ſeculorum monumenta vix nobis contraria exempla ſuppeditent. Hinc factum eſt, ut Scholaſticorum Doctorum maxima pars hanc diſciplinam, & non aliam ab Apoſtolis derivatam eſſe cenſuerit, & diſſertationibus ſuis velut principium notiſſimum, & conceſſum ſuppoſuerit. Eo uſque tamen hæc aſſeveratio non proceſſit, ut prohibitum aſſererent, de criminibus occultis Pœnitentiam publicam agere, ſi quis ſponte ſua, & teſtandæ reſipiſcentiæ cauſa id feciſſet. Hoc Hugo antiquiſſimus Gratiani Interpres excipit, quem refert, & amplectitur Gullielmus ſummæ S. Raimundi Gloſſator ipſi Raimundo ætate ſuppar ad *ſ. 6 tit. de pœnit. & remiſſ. Dicit etiam quod aliquis poteſt cogi per Excommunicationem ad ſuſcipiendam ſolemnem Pœnitentiam, ſi ſponte non velit ſubire, dum crimen ſit magnum, & publicum, & moveat ſcandalum: Et quod pro occulto crimine imponi poteſt, ſi Pœnitens voluerit, aliàs non. Et quod etiam pro veniali poteſt imponi ſi inſtanter petatur. Nam & ſine omni peccato poteſt quis ſic pœnitere, ſi voluerit, & petierit, aliàs non.* Eadem docet iiſdem auctoribus fretus Joannes de Friburgo Summæ Confeſſorum *lib. 3. tit. 34 qu. 8.* Sanctum quoque Thomam in ſuam ſententiam adducit *in 4. diſt. 14.* Gerſon in regulis Moralibus, Sylveſter verbo; *Pœnitentia, num. 2.* Idem quoque dicere debent Theologi quotquot aſſerunt Pœnitentem crimina ſua occulta publicè confiteri poſſe, ut poſt S. Leonem disertè docet Concilium Tridentinum *ſeſſione 14. cap. 5.* Nam ſi crimina occulta in eorum vindictam, in ſui humiliationem, in Eccleſiæ ædificationem poteſt quiſque ſponte confiteri, quidni & de iis publicam Pœnitentiam agere? Antiquiores Scholaſtici, & Canoniſtæ citati id, quod ſuo ſeculo uſurpari aliquando videbant, teſtati ſunt. Nec ubique circa initium ſeculi præcedentis abrogatus, aut planè inſolitus erat mos ille de criminibus occultis publicè pœnitendi, ut teſtantur Doctores Colonienſes in Enchiridio Chriſtianæ inſtitutionis in Concilio Provinciali Colonienſi edito, Capite de Confeſſione *ſ. Verùm poſteà. Hodie pro crimine quantumlibet enormi occulto nolenti non imponitur Pœnitentia publica: Nam volenti adhuc eam imponi poſſe, vetus Eccleſiæ, præſertim Romanæ, conſuetudo teſtis eſt. Nudantur enim etiam hoc tempore Romæ quibuſdam ſcapulæ, & extra templum cæduntur interdum uſque ad ſanguinem, idque numeroſiſſima populi multitudine ſpectante, ſolus tamen Pœnitentiarius novit, quid admiſſum ſit, niſi quòd omnes facinus admiſſum ſuſpicantur.*

III. Verùm recentiores Theologi plerique, qui novarum hæreſum occaſione antiquis Scholaſticis multò diligentiùs veterem Eccleſiæ diſciplinam indagarunt, & nobis tradiderunt, iis quoque multò longiùs hac in cauſa proceſſerunt. Eorum enim alii ſcripſerunt Pœnitentiam publicam, de criminibus occultis apud antiquos fuiſſe frequentiſſimam, & uſitatiſſimam: Alii non modò commendatam, ſed etiam præceptam fuiſſe: Alii addiderunt, certorum criminum occultorum confeſſionem publicè juſſam. Ita Ruard. Tapperus Academiæ Lovanienſis Cancellarius *in articulo 5.* ubi hiſtoriam Nectarii ab Hæreticis objectam diſſolvit. Contendit enim Confeſſionem ſecretam ab eo abrogatam non fuiſſe, ſed duo alia, quæ antiqui Patres occaſione Novatianæ hæreſeos ubique conſtituerant, Confeſſionem videlicet deſignato cuidam Preſbytero edendam, quæ anteà promiſcuo permittebatur; deinde atrocium peccatorum ſecretò confeſſorum ad Epiſcopum relationem, quæ poſteà publicè toto adſtante populo Chriſtiano ab Epiſcopo, vel ipſo Pœnitentiario enuntiabantur. *Continebat etiam hæc Epiſcoporum adjectio*, inquit Tapperus, *quod ad Epiſcopum referret hic Pœnitentiarius peccata audita maximè enormia, quamvis ſecreta, & per eum publicè recitarentur in Eccleſia. Ait enim proptereà ab initio viſum eſt Epiſcopis peccata annuntiare, ſive promulgare quaſi in theatro ſeſe multitudine Eccleſiæ.* Et paulò poſt, *Utcunque tamen hoc ſeſe habeat, ſive per Epiſcopos, ſive per Presbyteros Pœnitentiales, ſive per ipſos Pœnitentes publicè coram tota Eccleſia occulta recitata fuerint, hoc erat additamentum, ſive appendix, quam Epiſcopi propter Novatum adjecerant veteri canoni, & regulæ Eccleſiarum, quæ apud omnes jam obtinuerat à tempore Apoſtolorum.* In fine reſponſionis ad eundem articulum hæc eadem non minùs clarè colligit, additque, antiquos illos Patres hoc conſtituiſſe, ne data cuilibet confitendi libertate velut ſub latebra ſegniores ad confitendum deliteſcerent: ut prætereà ſcirent nullum eſſe crimen tam atrox, cui Eccleſia mederi non poſſet, modò ad eam confugerent, & preces ejus implorarent.

IV. Hæc ſententia non fuit tantùm Ruardi Tapperi, ſed etiam Joannis Heſſelani celeberrimi in Academia Lovanienſi Theologi, quo præceptore gloriantur non modò Tapperus eodem loco, ſed etiam Lindanus *Panopliæ lib. 4. cap. 69.* Heſſelanus ad Concilium Tridentinum miſſus hanc coram Patribus, & Theologis iſtius Hiſtoriæ explicationem fusè enarravit, peculiaremque poſteà de hac re libellum conſcripſit, quem diſcipulus ejus Tapperus eo defuncto evulgavit. Sententiam iſtam amplexi ſunt, & laudarunt, non modò ejus diſcipuli Tapperus, & Lindanus, verum & multi alii; Petrus Soto *de inſtitutione Sacerdotum lect. 2. de Confeſſione*, Bullingerus *lib. 4. Chriſtianorum Inſtitut.* Alanus Copus *Dialogo 2. cap. 27.* Pamalius *in adnotationibus ad* tractatum Sancti Cypriani de Lapſis, & initio adnotationum ad librum Tertulliani de Pœnitentia, ubi hæc adjungit, *Quanquam interim ipſi illi Sozomenus, & Socrates adteſtantur quod anteà minora fuerint perpetrata peccata tum ob verecundiam, tum ob ſeveritatem eorum, qui Judices erant conſtituti; quippe qui peccata ſibi privatim confeſſa populo publicare fuerint ſoliti, & ſic cogere ad Pœnitentiam publicam, quæ ſublato Pœnitentiali Presbytero, eadem opera fuiſſe ſublata videtur.* Eandem Heſſelii ſententiam laudat, & ſequitur Gregorius de Valentia *diſput. 7. qu. 9. de Confeſſione, puncto 2.* quam ab Heſſelio dicit eſſe in Concilio Tridentino expoſitam. *Quam etiam rem*, addit, *ita ferè declaravit Ruardus Tapperus ſecutus Heſſelii ſententiam.* Hanc diſciplinam, qua Pœnitentiarius audita in Confeſſione certa quædam peccata ad Epiſcopum referebat, ut decerneret quænam eſſent publicè recitanda, & de iis poſteà Pœnitentia certò, & præſcripto modo publicè ageretur, ſcribit Eccleſiæ propter hæreſim Novatianorum tum utilem fuiſſe. *Huc enim recitatio illa publica majorum peccatorum pertinebat, nempè ut populo ea re inculcaretur nullum eſſe tam enorme peccatum quod auctoritate miniſterii Eccleſiaſtici non remitteretur: Eodemque ſpectabat Pœnitentiæ, & ſatisfactionis illius publicæ certa, & præſcripta ab Epiſcopis forma, &c.* Hæc autem occaſione ſcandali à Diacono cum Matrona commiſſi à Nectario ſimul cum ipſo Pœnitentiario, inviolata tamen ſubſiſtente ſecreta Confeſſione, ſublata fuiſſe cenſet. Sanè iſtorum Doctorum ſententiæ de peccatorum ſecretorum publicatione planè ἀδιαφορῶς favere videtur Sozomenus, ut à Caſſiodoro in hiſtoria tripartita refertur.

V. Heſſelani, & Tapperi ſententiam ſequitur Cardinalis Bellarminus, ſed peccati occulti Confeſſionem fuiſſe præceptam hos hiſtoricos ſcripſiſſe non admittit: Sic ille *lib. 3. de Pœnitentia cap. 14. Noluiſſe autem Epiſcopos illos peccata occulta, ſed publica duntaxat (in quo à Ruardo, & Heſſelano diſſentire cogor) confeſſioni publicæ ſubjicere tribus argumentis comprobo, &c.* Et poſt aliqua, *Conſueverunt quidem aliqui juxta Conſilium Sacerdotis, cui peccata omnia confeſſi fuerant, aliqua graviora, & publica publicè confiteri, ut ex Origene cognoſci poteſt homil. 2. in Pſalm 37. tamen ut dixi non tenebantur, ſed ſatis erat peccata omnia privatim confiteri, & pœnitentiam privatam, vel publicam juxta Sacerdotis imperium agere, &c. Abrogavit Nectarius omnium conſenſu Presbyterum pœnitentiarium; id enim omnes Hiſtorici communiter tradunt. Abrogavit etiam pœnitentiam publicam: Nam ex occaſione ejus acciderat flagitium Diaconi cum muliere, &c. Abrogavit denique Confeſſionem publicam, tum quia pars erat pœnitentiæ publicæ, tum quia ex ea cognitum fuerat ſacrilegium Diaconi, & mulieris, &c.* Pœnitentiam publicam de criminibus publicis profectò non abrogavit Nectarius: Viguit enim ſemper in Eccleſia, eique hactenus Novatorum nemo contradixit. Immò publicos, & notorios peccatores ad Pœnitentiam publicam Eccleſia, cùm expedire judicavit, ſemper coegit, juxta mandatum

Digitized by Google

tum Apoſtoli 1. *Timoth, cap.5. Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant*, Et extra *cap.1. de pœnitentiis, & remiſſ. Manifeſta peccata non ſunt occulta correctione purganda*, Necnon Sancti Auguſtini monitum, *Ergo ipſa corripienda ſunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus*. Jus hoc inviolatum, & integrum Eccleſiæ conſervavit Concilium Tridentinum, *Quando ab aliquo publicè, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, &c. huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè injungi oportet: Seſſ.24.cap. 8. de reformat.* Vide, quæ referuntur *infra lib.6.cap.40.& lib. 7. cap.4. & 5.* Ex ſententia igitur magni iſtius Cardinalis abrogavit Nectarius pœnitentiam publicam de peccatis occultis, quam Eccleſiarum Epiſcopi occaſione Novatianæ hæreſis inſtituerant, Nam, ut vult idem Cardinalis *lib. 1. de pœnitentia cap. 21. Publica peccata ad pœnitentiam publicam, occulta ad privatam pertinent: neque enim licet peccatum occultum publicare, aut etiam pro occulto pœnitentiam ita publicam imponere, ut ex ea peccatum ipſum detegatur*. Nunquam enim licuit quavis prætexta occaſione Confeſſionis ſigillum reſignare, ut multis antiquiſſimorum Patrum teſtimoniis *capite 19. lib. 2.* probavimus. Sed licuit pro criminibus occultis Pœnitentiam publicam ita imponere, ut crimen inde non innoteſceret.

V I. Epiſcopus Roffenſis, & ipſe Cardinalis, & Martyr, qui ante omnes ſcriptores recentiores citatos ſcripſit, contendit, ut Cardinalis Bellarminus, Hiſtoricos illos de Confeſſione peccatorum privata agere, non de publica, huicque Confeſſioni ſpeciatim præpoſitum fuiſſe Presbyterum, qui crimina publica, & occulta, quæ publica egebant Pœnitentia, ad Epiſcopum remitteret, *Sed & de publicè pœnitentibus poſteà loquitur*, Sozomenus, *quippe qui non ad hunc Presbyterum, ſed ad Epiſcopum acceſſerunt, ex cujus ſententia jejuniis, ac cæteris afflictionibus macerarunt ſeſe, atque communionis tempus, quod decrevit Epiſcopus, expectarunt. Et ct iſtis publicè pœnitentibus Epiſcopus indicebat pœnitendi modum. At illis, qui Presbytero privatim confitebantur, ſecundùm uniuſcujuſque culpam Presbyter ipſe taxavit mulctam. Et fortè ſi quos invenerit enormia commiſiſſe flagitia, & quæ publicam exigerent pœnitentiam, eos ad Epiſcopum miſit, quemadmodum ex Origenis ſententia ſupra diximus. His accedit, quòd cùm Diaconus quidam flagitium in Eccleſia commiſit cum egregia quadam fœmina, & iſta ſcelus propter enormitatem publicè confitebatur, tum propter furorem populi, Nectarius Epiſcopus haud permiſit Presbyterum diutius ſuper pœnitentes eſſe, ſed unumquemque reliquit ſuæ conſcientiæ, quòd nequaquam pro publicis criminibus intelligi debet, quæ ſemper publicè vindicabantur, juxta Pauli doctrinam Corinthiis traditam, ſed pro privatis duntaxat. Hæc articulo* 8. contra Lutherum. Itaque ex iſtius Cardinalis ſententia duo ſuſtulit Nectarius, Presbyterum Pœnitentiarium, & publicam de peccatis occultis Pœnitentiam, & unicuique permiſit, ut pro peccatis occultis cui vellet ſecretò confiteretur, & de iis ſecretam Pœnitentiam pro Sacerdotis electi arbitrio præſtaret, inviolata remanente pro peccatis publicis antiqua, & Apoſtolica diſciplina.

V I I. Henriquez Summæ *lib.5. cap.2. num.4.* ejuſdem hiſtoriæ circumſtantiis illibenter adactus, ſcribit, Nectarium abdicaſſe officio Presbyterum illum, & conſuetudinem de peccatis occultis pœnitendi publicè, propter abuſum abrogaſſe. *Reverà non tam abrogavit modum aliquem, qui tunc eſſet certò tempore confitendi Pœnitentiario publicè in Eccleſia, quàm abuſum quo etiam de occultis à pœnitentiario recipiebant, & implebant in Eccleſia publicas, aut ſolemnes pœnitentias. Nectarius propter vitandum periculum abſtulit appendicem illam doctrinam Epiſcoporum, id eſt, abrogavit officium pœnitentiarii, ne deinceps abſolutio, aut injunctio publicæ pœnitentiæ reſervaretur pœnitentiario, ſed Presbyteri Confeſſarii contenti eſſent ſecretis pœnitentiis, ut olim Apoſtolorum tempore.* Atqui eo tempore certum eſt, peccata publica publicis pœnitentiis caſtigata fuiſſe. Sublatus eſt igitur ſimul cum Pœnitentiario mos ille, de peccatis occultis publicè pœnitendi, quem Epiſcopi propter Novatum in Eccleſias introduxerant. Poſteà iſtius moris abuſum, cujus occaſione abrogatus, eſt deſcribit. Ibidem in adnotationibus marginalibus ad litteram, *Sozomenus ſupra, & alii Hiſtorici poſtquam referunt, Sacerdotem pœnitentiarium in theatro audire confeſſiones, ſubdunt inſtitui presbyterum bonæ converſationis, ſapientem, & qui ſervet ſecretum: ubi conſtat Confeſſionem fieri occultè, & tamen quibuſdam imponi publicam pœnitentiam.*

V I I I. Plures, & inſignes alii Eccleſiæ Doctores hanc conſuetudinem, de criminibus occultis publicè pœnitendi in Eccleſia veteri frequentem fuiſſe, immo frequentiſſimam teſtantur. Concilium Provinciale Colonienſe in Enchiridio Chriſtianæ inſtitutionis titulo de Confeſſione §. *Reſtat ut*, ſic docet, Confeſſionem *olim, & in Romana, & in Græca Eccleſia Epiſcopi, & Sacerdotes privatim audiebant, ac admittebant, ſed cum quodam peccatorum diſcrimine. Nam ſi crimen aliquod manifeſtum, aut tale unde læſa eſſet Eccleſia, offendiſſent, erat in eorum poteſtate, non tamen ſine magna diſcretione, ac deliberatione, ut Origenes ait, hoc crimen in conventu totius Eccleſiæ exponere, & publicare aut ſaltem publicam delinquenti pœnitentiam injungere, qua, & ſi qui deliquit, non proderet ſpeciatim crimen ſuum, tamen ipſo facto confitebatur, ac declarabat Eccleſiæ ſe graviter peccaſſe*. Deinde eodem capite, ſed multò poſt §. *Sed qui*, ubi de hiſtoria Nectarii verba facit, *Ex eo quidem, noſtra ſententia, non convincitur, Confeſſionem ſecretam omninò abolitam fuiſſe, ſed tantùm ritum illum publicè in Eccleſia ob occulta peccata pœnitendi. Nam, ut ſupra diximus, ea erat veteris Eccleſiæ ſeveritas, ut & pro occultis delictis pœnitentiam, & mulctam publicam indiceret, ac confeſſum in locum pœnitentium relegaret, cui rei præerat Presbyter, qui ſuper pœnitentes vocabatur. Dicebantur enim tunc pœnitentes hi ſoli, qui publicam pœnitentiam, id eſt, ſatisfactionem in Eccleſia facerent, &c. Hic ergo Presbyter, qui ſuper tales pœnitentes fuit, & qui publicam mulctam indicebat, remotus eſt, & ea ſeveritas ſublata, ne confeſſi de occultis publica ſatisfactione gravarentur.* Immò Doctores illi communi conſenſu tradunt neceſſitatem ſic poſt confeſſionem ſecretam pœnitendi tantùm ſublatam eſſe, ſed nemini, ſi vellet hanc ſeveritatem amplecti, prohibitum fuiſſe: Ita enim proſequuntur, *Quin Nectarius eam ſeveritatem non in totum ſuſtulit, ſed, ut habet hiſtoria, ſingulos ad communicandum judicio conſcientiæ ſuæ reliquit, ſic ſcilicet, ut his qui adhuc putarent ipſis ante communionem publica ſatisfactione opus eſſe, eadem petentibus daretur; cæteri verò ſuæ conſcientiæ relinquerentur, ut ſcilicet ad communionem admitterentur, nulla ſatisfactione publicè expleta.*

I X. Lindanus Ruremundenſis Epiſcopus vir in Eccleſia Dei præſertim Belgica celeberrimus *lib. 4. Panopliæ cap.62.* non modò probat adverſus Hæreticos hunc morem fuiſſe, in Eccleſia veteri uſitatiſſimum, ſed etiam illius ex natura rei præclaram rationem reddit, Pœnitentia, *non ſemper ex peccatorum, aut publicè, aut privatim admiſſorum varietate, uti quidam ſuſpicantur, variabat; ſed ex Sacerdotis arbitrio, qui aliam atque aliam pro pœnitentium diverſitate præſcribebat. Cùm enim non minùs ſolo animi propoſito Deus optimus offendatur, ſanctiſſimæque ejus leges ſola voluntatis rebellione violentur, quid quæſo cauſæ fuerit, cur peccatum idem, puta idololatria, adulterium, &c. juxta Deum offendens, puniatur acerbius in aliorum conſcientiam productum, quàm ſolo Deo teſte clanculum perpetratum? Atqui fortaſſis inquies, quòd publicè peccatur, ac in multorum oculos ſimul, & conſcientiam incurrit, in multorum item geritur offendiculum, gravemque infirmorum fratrum habet conjunctam offenſionem: ſecùs ſanè quod privatim nullo mortalium conſcio delinquitur. Iſthac quidem ratione conficerent adverſarii publica tantùm peccata, publica item habere opus pœnitentia, ſi illa propriè veteribus dicta pœnitentia in populi exemplum duntaxat, ut volunt illi, non in remedium quoque animorum fuiſſet olim delinquentibus admota. Quod cùm adverſarii ſuæ doctrinæ jaciunt velut fundamentum, quia eſt veritatis ſoliditate deſtitutum, ultro corruit, quidquid futiliter magno conamine moliuntur. Publicam igitur hanc pœnitentiam non ob publica tantùm peccata, quæ multos publicitus offendiſſent, ſed occultè etiam admiſſa, fuiſſe apud priſcos illos ſuſceptam antè declarabimus quam quænam ſit illius ſolemnis à publica non ſolemni atque privata diverſitas oſtendatur. Quanquam qui peccatorum ſummulas nobis reliquere, publicam docent pœnitentiam publica propter peccata apud veteres, in uſu fuiſſe habitam, negari tamen non poteſt veterum ſcripta accuratius conſideranti propter occulta, etiam olim fuiſſe interdum adhibitam. Quòd nec illos latuiſſe ſubindicant dum publicam ajunt propter publica fuiſſe impoſitam non ex pœnitentium arbitrio, ſed Sacerdotum imperio; publicam quoque propter occulta peccata, ſed pœnitentium voluntate, non Sacerdotis auctoritate, atque neceſſitate ultrò fuiſſe ſuſceptam haud obſcurè ſignificantes. Quod multò eſſe veriſſimum paucis, ſed luculentis ex veterum ſcriptorum monumentis illuſtrandum eſt teſtimoniis. Hunc igitur morem apud Priſcos fuiſſe uſitatiſſimum, inde conſtare liquidò poteſt, quod Adamantius Origenes, &c.* Allatis ex Origene Sancto Cypriano, & Nectarii hiſtoria argu-

Digitized by Google

argumentis, ſubjungit, *Quod ſecretorum tenacem dicit, quid ſibi vult obſecro aliud quàm propter ſecreta etiam peccata illam, de qua agit, pœnitentiam publicam priſco ex more imponi ſolitam. Sin propter publica tantùm, quid opus erat Sacerdote prudenti, & eo ſecretorum tenaci? ubi omnia, ut publicitus commiſſa, ita publicitus quoque nota, quæ ſecretorum vox reſpuit. Quare cum pœnitentia publica propter etiam occulta animi vitia fuit adhibita, nunc ejus ſpecies, &c.*

X. Hunc antiquum Eccleſiæ morem adnotavit Eminentiſſimus Cardinalis Perronius Senonenſis Primas, & cæteris, qui cum hac in cauſa præceſſerunt, diſtinctius explicavit in eruditiſſimo illo opere, quod Replicam ad Regem Angliæ inſcripſit, *cap.* 3. in ſecundam Regis obſervationem. Triplex genus Pœnitentiæ in antiqua Eccleſia obſervatum fuiſſe ſcribit, publicum pro peccatis publicis, occultum pro occultis, & tertium, pro peccatis occultis publicum. Poſteà duobus prioribus præſertim ſecundo demonſtratis, ſubdit, *Tertii pœnitentiæ generis, quod erat pœnitentia publica pro ſecretis peccatis, uſus apud Antiquos præcedentibus non fuit infrequentior.* Hoc cùm demonſtravit Origenis, Cypriani, & Tertulliani auctoritate, hæc reconditionis antiquæ doctrinæ myſteria obſervatione digniſſima revelat, *Verùm iſta peccatorum occultorum pœnitentia, non agebatur tantùm ut ſecreta, ad impetrandam pœnitentibus pœnæ æternæ remiſſionem; ſed etiam ad impetrandam pœnæ temporalis relaxationem per publicam caſtigationem, quam à ſeipſis exigebant, quæ vice temporalis ſatisfactionis fungebatur, pœnitenteſque priſtino ſtatui, quem in baptiſmo adepti erant, reſtituebat. Ideò quoties poſtulabatur, concedi non ſolebat, ſed ſemel tantùm ordinaria lege, unde à Sancto Hieronymo, ſecunda poſt naufragium tabula dicitur. Hoc autem obſervabatur, ne frequenti conceſſione homines abuterentur. Hujus pœnitentiæ, inquit Tertullianus, ſecundæ, & unius, quanto in arto negotium eſt, tanto operoſior probatio eſt. Et paulò poſt, ut oſtenderet pœnitentiam iſtam, ut Scholaſtico more loquar, pœnam omnem, & culpam tollere, id eſt, remiſſionem tam pœnæ æternæ, quàm temporalis impetrare, & homini ſtatum baptiſmo acquiſitum reſtituere, ait, temporali afflictione æterna ſupplicia non dicam fruſtratur, ſed expungit, &c. Quibus dictis pœnitentiam publicam, de peccatis occultis legitimè actam baptiſmo exæquat quantum ad remedium contra gehennam, eo quòd utrumque gehennæ pœnas æternas, & temporales diſſolvit.*

XI. Deſcripta iſta Pœnitentia publica, tranſit Cardinalis ad hiſtoriam Nectarii, in qua tria obſervat. Primum occaſione Novatianæ hæreſis inſtitutum fuiſſe à Sanctis Patribus Pœnitentiarium illum Presbyterum. Secundum, officium ipſius fuiſſe confitentes peccata occulta monere, quæ peccata eſſent publicè, & in totius Eccleſiæ conſpectu enuntianda, quæ verò reticenda; deinde certis peccatis occultis Pœnitentiam publicam imponere: denique Pœnitentibus publicis attendere, ut Pœnitentiam ſecundùm canones, & leges ab eo præſcriptas peragerent. Tertium, Nectarium occaſione ſcandali tria abrogaſſe ab antiquis inſtituta, Pœnitentiarium illum Presbyterum, publicam occultorum peccatorum Confeſſionem, & publicam de peccatis occultis Pœnitentiam: cætera, ut anteà exerceri ſolita erant, inviolata permanſiſſe. Iſta legi poſſunt eodem loco perſpicuè enarrata. Si Cardinalis verba attentius conſiderantur, non ſuſtulit Nectarius planè conſuetudinem de peccatis occultis publicè pœnitendi, immò conſervavit; ſed ea ſemel ſuſcepta ſuſtulit obligationem Pœnitentiario, vel alicui, ut agatur ſeſe ſubiiciendi, & unicuique Pœnitenti permiſit Pœnitentiam à Sacerdote ſuſceptam deinceps independenter ab eo peragere, & ad communionem nullius poſteà venia petita, & nulla peccatorum confeſſione iterum facta, accedere. Sic ſeſe explicat verſus finem capitis, *Coactus eſt Nectarius officium pœnitentiarii, quod Novatianorum cauſa inſtitutum fuerat, Confeſſiones quoque criminum occultorum publicas abrogare, & unicuique pœnitentium, ſcilicet publicorum, conceſſit, ut juxta conſcientiæ propriæ dictamen ad communionem accederet, ſed poſt, non ante, pœnitentiæ ſuſceptionem. Non enim dicere vult in poteſtate cujuſque fuiſſe ad Pœnitentiam ſeſe accingentis, eam ſuſcipere, & profiteri antequam peccata ſua ordinariis Confeſſoribus confeſſus eſſet. Sed vult dicere, quod poſtquam ſemel Pœnitentiam publicam ſuſcepiſſent, eorum judicio permittebatur definire, an ſufficienter, & legitimè eam peregiſſent: Nec in fine Pœnitentiæ tenebantur Confeſſionem peccatorum publicam edere, neque ea exacta ad communionem acceſſuri altero quàm propriæ conſcientiæ teſtimonio egebant, ut illis præſtaretur.*

XII. Adam Tannerus inſignis Societatis Jeſu *Theolog. tom.* 4. *Theologiæ Scholaſticæ diſp.* 6. *de Pœnit. qu.* 7. *dub.* 1. *num.* 13. 14. eadem de Pœnitentia pro peccatis occultis juſſu Pœnitentiarii acta cum præcedentibus docet, *Primò, abrogavit munus Pœnitentiarii, qui occaſione hæreſis Novatianæ, &c. in ſingulis Eccleſiis unus quidam, & certus fuerat deſignatus, & deſtinatus ad fidelium Confeſſiones eo fine privatim audiendas, ut auditis Confeſſionibus prudenter poſteà diſcerneret, quænam peccata publica confeſſione, & pœnitentia eſſent expianda. Secundò, abrogavit Confeſſionem publicam occaſione cujuſdam Confeſſionis, qua mulier quædam imprudenter, & cum gravi ſcandalo occultum ſcelus cum Eccleſiæ illius Diacono perpetratum publicè manifeſtavit. Tertiò, abrogavit etiam pœnitentiam publicam, ad quam Confeſſio publica ordinabatur.* Profectò non vult Tannerus abrogatam eſſe à Nectario Pœnitentiam publicam de criminibus publicis. De occultis igitur publicam, ut in prima re abrogata disertè docuit.

XIII. Dionyſius Petavius ejuſdem Societatis Sacerdos varia eruditione meritò celebris eandem ſententiam præcedente multo diligentius, & diſtinctius docet animadverſionibus in S. Epiphanium ad hæreſim 59. *fol.* 238. & 239. Duo, inquit, peccatorum genera apud antiquos fuerunt, mortalia ſive capitalia, & venialia. Mortalia non intellexerunt more noſtro, quæcunque hominem charitate ſpoliant, ſed certa quædam cæteris graviora, & canonibus expreſſa. Cætera his leviora, ſive mortalia more noſtro eſſent, ſive non eſſent, venialia dixere, quorum in canonum decretis nulla erat mentio. *Quiſquis igitur prioris generis crimen aliquod perpetraſſet, hic ad Antiſtitem, ac Sacerdotem accedens ab eo pœnitentiæ publicæ jus cupiebat præſtituto ex canonibus modo ac tempore, quo demum expleto à peccatis abſolutus, communioni reſtituebatur, neque alia ratione quàm publicè obita pœnitentia reconciliari poterat quod infinitis locis, cum PP. cæteri, tum Cyprianus evidentiſſimè declarat. Aliorum cauſa erat explicatior, quorum lethalis alioqui culpa nulla canonum definitione comprehenderetur, ideòque privata pœnitentia ſatisfaciebant quam Sacerdotis prudentia moderabatur: Ac priores illi pœnitentes propriè dicebantur, &c. Cæterùm poſt publicam illam pœnitentiam, ſi iiſdem ſe criminibus obſtrinxiſſent, ab Eccleſiæ aditu, & à myſteriorum communione penitus excluſi reconciliari ampliùs non poterant.* Idem folio præcedente aſſeverantius, ſed non ita explicatè affirmaverat. Item folio 248. *Quod autem arcanis ſceleribus publicè inflicta pœnitentia ſit, fidem faciunt antiquiſſimi canones, imprimis Baſilii, qui can.* 71. *ad Amphilochium ſic præcipit, &c. In Concilio Carthag.* 3. *cap.* 32. *decretum eſt, &c. Hac ipſa Concilii Sanctio clariſſimè ſignificat, alia præter publica fuiſſe peccata, quæ pœnitentia coercerentur, cùm à cæteris publica nominatim excipiat.*

XIV. Gabriel Albaſpinæus Aurelianenſis Epiſcopus in antiqua Eccleſiæ diſciplina elucidanda diu, diligenterque exercitatus hanc ſententiam non modò amplexus eſt, ſed velut fundamentum omnibus propè obſervationibus ſuis ſubſtravit. Nuſquam enim diſtinguit inter peccatum publicum, & occultum, ut explicet, quæ huic vel illi Pœnitentia ſit tribuenda, ſed hac inſuper habita diſtinctione crimina enumerat, aut graviora à levioribus diſtinguit; licèt obſervationum ſuarum longè maxima pars ad Pœnitentiam criminibus imponendam pertineat. Quanquam doctrinam iſtam dictis ſuis magis ſuppoſuerit, quàm nominatim expreſſerit, aliquando tamen eam adnotat, ut *in fine obſervationis* 5. *lib.* 2. & effugium diſtinctionis privatæ Pœnitentiæ à publica intercludit, *Quod ad illam diſtinctionem, ſeu diſcrimen pœnitentiæ publicæ, ſeu ſolemnis, privatæ, & ſingularis attinet, quod plerique in medio ponunt, exiſtimantque hac illata, inductaque differentia omnes difficultatum nodos poſſe convelli, & diſſolvi, qui legentibus, & pervolventibus ſcripta, & canones Patrum inexplicabiles occurrunt, idipſum nonniſi ad quartum ſeculum, & conſequentes annos referri, & valere poteſt. Primis enim temporibus non unius ejuſdem peccati lethalis cauſa, duo diſtincta reperias pœnitentiæ genera, nec probare quis poſſet propter unius fornicationis crimen ſive publicam, ſive privatum aliam fuiſſe quàm publicam indictam pœnitentiam.* Et ejuſdem *libri obſervat.* 19. dicit primorum Chriſtianorum tam calentem pietatem fuiſſe, *ut palàm in oculis, auribuſque hominum peccata ſua quodammodo divulgando defigerent, magnoque ſe beneficio affectos, cumulatoſque jactarent, ſi ſibi viginti, immò triginta annorum, atque adeò ad extremum vitæ diem pœnitentia aliqua imponeretur.* Initio *obſervationis* 32. *Nam propter omnia genera peccatorum, quæ mortifera nominabantur, privari neceſſe erat communione fidelium, & à corpore, atque adeò Eccleſiæ*

Digitized by Google

cleſiæ communitate ſeparari, ad quam nonniſi maximo labore, & moleſtia animi redire fas erat. Et in fine illius obſervationis: *Non in hac obſervatione de illo genere reconciliationis diſputo, quæ ob leviores noxas tribueretur, quam, uti judico, ſinguli Presbyteri ſine Epiſcopi conſenſu, aut approbatione conferebant.* Et initio obſervationis 34. *Cicatrix tamen illa*, actæ Pœnitentiæ publicæ, *ab ordinibus ſacris eum repellebat, quantumvis peccatum ab hominum oculis, & cognitione remotum fuiſſet*. Pleraque ejuſmodi ex hoc auctore colligi poſſunt.

XV. Eadem Cardinalis Baronius ad ann. Chriſti 56. *num.* 33. Quanquam enim varias iſtius Nectarianæ hiſtoriæ interpretationes proponat, hanc tamen præ cæteris amplectitur, *Si quidem ſecretè confiteri idem æſtimabatur, quòd Deo tantummodò eadem propalare, &c. Sicut è contra palàm confiteri, eadem erat hominibus potiùs quam Deo propalare. Quam quidem Confeſſionem publicam dicendus eſt Nectarius dimoviſſe: nam eamdem alicubi adhuc uſu retentam S. Leo Papa ampliùs exercendam eſſe prohibuit*, &c. Exſcriptoque Leonis teſtimonio infert, *Hæc Leo in omnibus conſentiens his, quæ feciſſet Nectarius, & Chryſoſtomus eſſe facienda admonuit*. Juxta igitur Cardinalis Baronii mentem tria ſuſtulit Nectarius, Presbyterum Pœnitentiarium, certorum peccatorum occultorum publicam Confeſſionem, & publicam de iis Pœnitentiam. Sed publicam peccatorum publicorum confeſſionem, & Pœnitentiam, intemeratas reliquit. *Sic igitur*, ait Cardinalis *num.* 35. *Non modò non ſecreta à Nectario, ſed nec publica illa eſt abrogata Exomologeſis, quæ ex publico, ac omnibus manifeſto peccato provenit, quæ hactenus in Eccleſia perſeverat*. Hoc probat exemplo Fabiolę illuſtriſſimæ Matronæ à S. Hieronymo tantopere laudato. Quid igitur ſecundùm Cardinalem illum ſuſtulit Nectarius? non publicam de peccato publico Pœnitentiam, ut expreſsè notat Cardinalis. Non ſecretam de peccato ſecreto Pœnitentiam. Totus enim eſt, ut hoc demonſtret. Ergo publicam de peccato occulto Pœnitentiam. Erat igitur ex ejus ſententia de criminibus occultis publica Pœnitentia antiquiſſimis illis ſeculis non modò uſitata, ſed etiam præcepta.

XVI. Franciſcus Suarez *tom.* 4. *in tertiam partem* D. Thomæ *diſp.* 49. *ſect.* 2. inquirit indulgentiarum antiquitatem. Cùm autem Doctores multi eam ex antiquis canonibus, Decretis, & Patrum homiliis demonſtrent, huic demonſtrationi alios Doctores ſcribit occurrere affirmando Patribus, *Sermonem non eſſe in eis, de remiſſione pęnæ in foro animæ, per quam liberatur homo à reatu pęnæ coram Deo, ſed ſolùm de remiſſione exterioris, & quaſi civilis pęnæ debitæ in foro externo.* Quid verò Suarez cum aliis? *Quam reſponſionem aliqui contemnunt, &c. quia eæ pęnitentiæ non ſolùm imponebantur pro delictis publicis, & ſcandaloſis, pro quibus imponi ſolent exteriores, & publicæ pęnæ; ſed etiam pro occultis criminibus; immò non ſolùm pro externis, ſed etiam pro merè internis, quæ ſola cogitatione, & affectione committuntur.* Et paulò poſt diſtinguit pœnas canonicas, ut imponuntur in Sacramentali foro Pœnitentiæ, ab iis quæ extra forum illud imponuntur ſpeciali Prælatorum mandato. De prioribus pœnis inquit, *Verùm eſt non ſolùm pro delictis publicis, vel externis, ſed etiam pro internis, & occultis fuiſſe taxatas, nec ſolùm pro gravioribus, ſed interdum etiam pro levioribus delictis*. Suarez igitur non repugnante, Pœnitentiæ illæ, quas legimus apud Cyprianum, Tertullianum, Concilium Nicænum, Epiſtolas S. Baſilii ad Amphilochium, & Gregorii Nyſſeni ad Letojum (hæc enim nominatim citat,) non modò ſpectant crimina publica, ſed etiam occulta, & interna. Nec potiſſimum revocat in dubium Suarez an hoc fieri poſſit, aut factum fuerit. Sed an ſatisfactiones illæ canonicæ pro reatu pœnæ apud Deum ſatisfacerent. Cenſet enim probabilius politicas tantùm fuiſſe non Sacramentales, Eccleſiæ tantùm propter peccata per ſe debitas, non Deo: Ideò eorum remiſſionem à Prælatis factam ad indulgentias, quæ nunc in uſu ſunt, non pertinere, cùm indulgentiæ, licèt extra Sacramentum quoque concedantur, altioris longè ſint ordinis, & pœnam peccatori apud Deum debitam remittant, & extinguant. Hac poſita doctrina ſic colligit *num.* 7. *Ex quibus conjectare licet, hujuſmodi pœnas non fuiſſe ſolitas imponi pro quibuſcunque criminibus, ſed tantùm pro gravioribus; Nec pro occultis ſed tantùm pro publicis*. In ſententia igitur iſtius Doctoris tria probabilia ſunt, Pœnas illas canonicas, & publicas peccatis occultis impoſitas fuiſſe, non tantùm publicis. 2. Plurimos Doctores hoc ſimpliciter, & abſolutè aſſerere, qui conſequenter illis adjungendi ſunt, quos jam retulimus. 3. Ipſum tamen probabiliter conjicere pœnas illas canonicas peccata tantùm publica ſpectaſſe: quod timidè, non abſolutè definit. Addit enim conjecturæ ſuæ pœnas illas, *Solitas tantùm pro publicis imponi*; qua reſtrictione occulta crimina uſquequaque non excludit. Quod ad alterum ipſius inventum, de eo forſan hoc Theocriti non immeritò dicetur, Amori ſæpiùs τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται. Eandem ſententiam tandem amplectitur in explicatione hiſtoriæ Nectarii eodem *tom. diſp.* 17. *ſect.* 2. *num.* 38. Non enim dici poteſt, Nectarius abrogaſſe publicam de peccatis publicis pœnitentiam.

XVII. Eadem eſt Franciſci Hallerii celebris Sorbonæ Doctoris, qui nunc Syndicatus munere in ea fungitur in opere de Sacris *Ordinat. p.* 24. Ibi enim laudata S. Chryſoſtomi ſententia, infert, *Recta ſanè, & ex antiqua Eccleſiæ praxi argumentatio, in qua cùm pęnitentes nefas fuerit eſſe Sacerdotes, aut Clericos: & à Majoribus criminibus vix ullus niſi auſteriori injuncta pęnitentia ſoleret abſolvi, ſequitur, eos, qui ſcelerum compedibus adſtricti ordinarentur, ſublato veluti pęnitentiæ ſalutaris remedio, non habuiſſe, quo ab iſtis vinculis ſolverentur*, &c. Collectioni ſuæ, ut non ſit prorſus irrita, neceſſariò ſupponit hoc axioma, de Majoribus criminibus occultis ex uſu conſtanti Eccleſiæ Antiquæ Pœnitentiam publicè actam fuiſſe. Nam indifferenter loquitur de Majoribus criminibus, nec diſtinguit publicane fuerunt, an occulta. Deinde id, quod inde colligit, vix locum habet niſi in criminibus occultis: Nam ſi publica fuiſſent, ad Clericatum eorum Rei admiſſi non fuiſſent, ac conſequenter incommodum, quod inde elicit, nunquam contigiſſet. Huc accedit, quod ſi ratio tantùm criminum publicorum habeatur, id raro contingat: Raró enim ejuſmodi crimina ſunt ita publica, ut facile negari non poſſint. Deinde, ut dictum eſt, cùm hoc accidit, Clericatus eorum Reis nunquam conferebatur. Denique ipſe à me de hac re interrogatus, non modò reſpondit hanc fuiſſe ipſius mentem, ſed etiam iſtius ſententiæ, quam eo loco ut certum fundamentum diſputationi ſuæ ſubſtravit, multa collegiſſe in adverſariis ſuis argumenta.

XVIII. Non ſum neſcius, multos, & inſignes Doctores contrarium ſentire, & opinari Pœnitentiam publicam pro peccatis occultis jure imponi non poſſe: Nemo tamen mihi lectus eſt, qui adverſæ ſententiæ notam aliquam inuſſerit. Potiſſimum eorum fundamentum eſt, Pœnitentia publica occultum crimen revelari, quòd ex omnium conſenſu fieri nunquam debet. Rectè mea quidem ſententia, & appoſite ad hodiernum morem, quo pro peccatis publicis nullæ aguntur Pœnitentiæ publicæ nedum pro occultis. Imprudentiſſimè ſanè nunc pro crimine occulto Pœnitentia publica non petenti, & efflagitanti imponeretur, immò vix petenti, & efflagitanti, ut ſunt mores noſtri, eſſet imponenda. Sed ut antiqua ſecula prætermittam, ratio iſta ante quadringentos annos nullius æſtimata fuiſſet roboris: Hanc enim ſibi opponunt Alexander Halenſis, & S. Thomas *in lib.* 4. *diſt.* 14. *qu.* 1. *art.* 5. *quæſtiuncula* 1. *reſponſ.* ad primum; quid reſpondeant, attende Lector: *Dicendum, quòd Sacerdos non revelat Confeſſionem talem pęnitentiam injungendo, quamvis ſuſpicio oriatur illum aliquod enorme peccatum commiſiſſe. Non enim culpa pro certò ſcitur ex pęna, quia quandoque aliquis pęnitentiam pro alio facit, ut legitur in vitis Patrum de quodam, qui ut ſocium ſuum ad pęnitentiam provocaret, ipſe cum eo pęnitentiam egit. Si autem peccatum ſit publicum ipſe pęnitens exequendo pęnitentiam, confeſſionem à ſe factam manifeſtat*. Eadem Alexander 4. *parte Summæ qu.* 14. *membr.* 6. *art.* 1. *reſp.* ad penultimum, ubi aliam rationem reddit, *Quia quandoque accidit, quòd ad aliquos adjudicatos alicui pęnæ aſſociantur alii ex quadam familiaritate charitatis, & conſimilem pęnam ſubeunt cum illis, &c. Ex quo patet quod pęna non eſt ſemper manifeſtativa culpę, licèt hoc accidat quando culpa eſt publica*. S. Thomæ ſententiam, verbaque refert, & ſequitur Joannes de Friburgo *Summæ lib.* 3. *tit.* 34. *qu.* 8. Sylveſter, *Verbo, Pęnitentia num.* 1. Rationem aliam reddit Paludanus, & efficacem *in* 4. *diſt.* 14. *qu.* 6. eo quòd *multi faciant graves pęnitentias ſibi non impoſitas, non habentes graves culpas: Immò illi ſunt majoris pęnitentiæ, qui ſunt minoris culpæ*. Hæ rationes omnes, & longè plures, Pœnitentiæ publicæ antiquitus ſuberant, cùm Pœnitentium greges in ſingulis Eccleſiis conſpiciebantur, quæ ex capitibus hujus libri antecedentibus, & iis, quæ ſequuntur, non difficilè colliguntur.

XIX. Eandem ſententiam amplecti debent, & negare per pœnitentiam publicam revelari crimen, omnes propè Theologi tam antiqui quàm recentiores, qui contra Navarrum, & pauciſſimos alios aſſerunt, Confeſſorem poſſe in foro interno Pœnitentiam publicam pro crimine publico imponere, *Credo*, inquit Vaſquez poſtquam multos auctores retulit, *omnium ſententiam eſſe apertè contra Navarrum. Immò ita definitum eſt in cap.* 1. *de pęnit. & remiſſ. & clariſſimè in Concilio Tridentino ſeſſ.* 14. *cap.* 8. *de reformat. Immò inquit oportere injungi*

Pęni-

Pœnitentiam publicam, ut quos Pœniteat exemplo ſuo ad malos mores provocavit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocet vitam: Et conſtet, eam fuiſſe in Eccleſia antiquiſſimam conſuetudinem. Joannes Puteanus *part.3. de ſatisfact. dub.2.* cenſet, Pœnitentem jure naturali ad acceptationem Pœnitentiæ publicæ teneri, ſi Confeſſor eam reparando ſcandalo neceſſariam judicaverit. Nam unicum quod illis obiicitur argumentum eſt, iſta Pœnitentiæ publicæ impoſitione reſignari, & frangi Confeſſionis ſigillum. Unanimi enim conſenſu tradunt Confeſſorem nullo modo revelare poſſe crimen publicum quod audivit, nec de publica meretrice, aut alio peccatore publico dicere poſſe, confeſſus eſt peccatum ſuum magno cum animi dolore. Negant omnes hac impoſitione aliquid contra ſigillum committi, multò ſanè minus cùm peccatum eſt occultum. Quidquid autem dixerint ad amoliendam contempti ſigilli invidiam de impoſitione pęnitentiæ publicæ peccato publico illud probabiliori ratione peccato occulto per Pęnitentiam publicam caſtigato imputabitur.

XIX. Quapropter cum tot viri docti, & in Eccleſia Catholica celeberrimi crediderint, & docuerint, uſum Pęnitentiarum publicarum criminibus occultis impoſitarum antiquitus in Eccleſia frequentem fuiſſe, immò præceptum; nullaque ratio ex natura Sacramenti opponi poſſit, eundem morem antiquum à nobis amplius probari, & illuſtrari, nemo, ut opinor, inſolens judicabit. Verùm demus recentiorum neminem hunc morem ſubodoraſſe, quacunque tandem de cauſa hoc contigerit, quis unquam criminis poſtulavit antiquitatis amantem, quòd anteriorum diligentiæ aliquid addiderit? quòd anteriorum humeris, & oculis adjutus, & ſurſum elatus iis longius proſpexerit? Quis adeò ἄμουσος, & gratiis inſenſus, ut illi non congratuletur? Quid dicam cum εὕρημα utiliſſimum eſt, & hæreſi jugulandæ opportuniſſimum. Ex eò enim fordidiſſimè demonſtratur Confeſſionis ſecretæ, quam auricularem vocare ſolent, conſuetudinem Apoſtolicam eſſe, & continua traditione uſurpatam. Innumera autem ſunt iſtius moris & teſtimonia, & exempla, ſole meridiano clariora, & ſplendidiora. Rarò enim cum de Pęnitentia in canonibus aliquid ſtatuunt, aut in homiliis, & ſermonibus populum inſtruunt, aliò colliniant antiquiſſimi Patres. Hæc invitis Patribus, & contenta voce reclamantibus ſi referas, & conſtringas ad ſola peccata publica, quæ Hæretici omnes & Confeſſione publica, & Pęnitentia publica juxta Apoſtolicum præceptum puniri debere contendunt, eadem opera conſtringes admodum, & ad anguſtias compelles ea argumenta quibus ex Antiquorum dictis ſecreta Confeſſio demonſtratur.

XX. Priuſquam iſtius moris antiquiſſimam traditionem demonſtrare aggrediamur, lectorem iterum monitum velim ſecretò confitentem cogi non potuiſſe ad amplexandam Pęnitentiam publicam pro crimine occulto, ut jam demonſtratum eſt *lib.2. cap.15.* & iterum demonſtrabitur infra *c.16.* & ſæpius alibi in hoc opere adnotatur: Contra verò in crimine publico, ut probamus hujus libri *c. 20. & lib.7. c. 4 & 5.* Deinde licèt Pęnitentias publicas his criminibus occultis imponere ferè ſemper ſoliti fuerint, eas tamen in privatas commutaſſe, cum ex iis revelationis Pęnitentibus damnoſæ periculum probabile fuit, *ut libri 2. capite 19.* probatum eſt. Ita enim Pęnitentias publicas uſurpabant, ut privatis, & ſecretis vittutem non adimerent, quemadmodum probavimus hujus libri *cap.1. & ſexto.* Denique licèt iſtius frequentiſſimæ conſuetudinis demonſtrationem nos aggredi hoc capite, & ſequentibus diximus, eam tamen eſſe omnibus propè teſtimoniis, quæ ſeptem capitibus præcedentibus relata ſunt, efficaciſſimè probatam, licèt directè in cum finem non fuerint iis locis producta, & penſitata. Verùm teſtimoniorum de hac re tam ampla meſſis eſt, & conſerta, ut his prætermiſſis innumera ſuperſint.

CAPUT IX.

Criminum occultorum Capitalium Confeſſione Sacerdoti ſecretò facta Pœnitentiam ſecundùm canones publicè actam fuiſſe tribus argumentis ex antiqua diſciplina erutis; deinde Sancti Auguſtini variis teſtimoniis demonſtratur.

Tot ſunt hujus antiquæ praxis argumenta, quot ferè canones ante mille annos in criminum Reos conditi. Quid eſt enim aliud, immò quid aliud animo fingi poteſt, quàm Pęnitentia publica, cùm edicunt canones, Qui homicidium perpetraverit, Qui fornicationem, Qui adulterium, Qui inceſtum, Qui magos, & incantatores conſu-

luerit, &c. in Auditione perſeveret tot annis; in Subſtratione tot annis; In Conſiſtentia tot annis: deinde Boni, Perfecti, Communionis ſit particeps? His enim, & aliis nominibus reconciliatio cum Deo, & Eccleſia ab antiquis vocari ſolet. Excipiet forſan aliquis negari nullo modo poſſe pęnas iſtas publicas eſſe: Quis enim ſui compos hoc diffiteri poſſet? Sed de peccatis publicis tantùm eſſe intelligendas. Qui ſic excipit, tria velim conſideret. Primum eſt, quod rectè etiam adnotavit Albaſpinæus Epiſcopus Aurelianenſis in *can.32. Concil. Carthag.3.* nullum iſtorum canonum diſtinguere inter crimen publicum, & occultum. Cujus fornicatio eſt publica ſtabit inter audientes, &c. Sed abſolutè, Qui fornicatus fuerit, Qui homicidium perpetraverit. Diſtingunt ſæpè canones homicidium ultrò factum, aut caſu; fornicationem ab adulterio; Adulterium naturæ ab humano; Inceſtus varias ſpecies, & unicuique convenientes pęnas, ſed ſemper publicas imponunt. At nunquam leges, ſi crimen iſtud eſt publicum, ita punietur; hoc verò modo ſi occultum. Statim forſan obiiciet Lector *can.3. Concilii Carthag.3. Cujuſcunque Pœnitentis publicum, & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſa Eccleſia noverit, ante Abſidam manus ei imponatur.* Diverſa quædam eſt lectio in iſto canone, ſed ad rem nihil facit. Verùm ut bene animadvertit laudatus à nobis capite præcedente Dionyſius Petavius validum ex hoc canone cum præcedente comparato pro ſententia noſtra colligitur argumentum. Præcedit enim, *Presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet Pœnitentem niſi abſente Epiſcopo, & neceſſitate cogente.* Poſteà ſequitur, *Cujuſcunque autem Pœnitentis publicum, &c.* Evidentiſſimè duas Pęnitentium publicorum ſpecies conſtituit: Unam, quorum crimen eſt publicum. Alteram quorum crimen non eſt publicum, hoc eſt, occultum: Poſteriori ſpeciei manus imponi debere ante Abſidem Eccleſiæ; Priori verò non eſſe neceſſe, licèt neutra inconſulto Epiſcopo citrà neceſſitatem reconciliari debeat. Alterius ab altera differentias fusè perſequitur infra *c.16.*

II. Secundum, ſequeretur, antiquos Patres de publicis criminibus curam tantùm geſſiſſe, de occultis verò nullam. Si enim canones illi de peccatis publicis intelligendi ſunt, de occultis homicidiis, fornicationibus, &c. nulli ampliùs ſuperſunt. Atqui crimina ejuſmodi ſexcenta perpetrantur occultè, dum unum, aut alterum publicè deprehenditur. Conſequeretur igitur graviſſimorum animi morborum ſanationem antiquos Patres prorſus neglexiſſe; quod cogitare nefas eſt; nedum dicere. Si Pęnitentiæ rationem tantùm haberent pęnarum, tolerari forſan hoc poſſet. Verùm cum medicamentorum rationem potiſſimùm induant, hancque rationem Patres præ cæteris ſpectent, dici non poteſt ulcerum tam peſtiferorum niſi publicè, & in propatulo ſerperent, (quod quàm rariſſimè, & vix contingit,) curationem deſeruiſſe, fuſque deque habuiſſe, & de levibus tantùm, venialibuſque peccatis ſanandis curioſos fuiſſe, & ſolicitos.

III. Tertium, ſi crimina quis ſponte enuntiaſſet, minori tempore in Subſtratione, Auditione, &c. commoraturum, quàm ſi accuſatus, & convictus eſſet. Plerique enim canones, & Patrum pleraque dicta hanc legem Reis criminum dictant, cujus rei teſtimonia multa legere potes *lib.2. c.6.* Si crimina ponas publica pro ſpecie iſtarum legum explananda, Quæ ratio fingi poteſt iſtius temperamenti. Si crimen publicum eſt, jam convictio per ſe facta eſt. Ipſa facti, ut ita dicam, notorietas convictioni æquivaluit. Delatus tergiverſari non poteſt. Immò ne delatore quidem opus habet Epiſcopus, cùm ponatur crimen publicum, & notorium; ſed monitore, ac ne monitore quidem: cùm eo caſu Epiſcopus ſola muneris peragendi conſcientia ſtimulatus publicum peccatorem, & reſipiſcentem pęnitentia caſtigare poſſit. Quanquam igitur tot iſtius ſententiæ argumenta jam explicata ſint, nullique ferè de Pęnitentia canones, nulla decreta legi poſſint quibus ex mente Patrum non ſtabiliatur: Nunc tamen viſum eſt nonnulla teſtimonia proferre, quibus antiquorum Patrum mens, ſenſuſque luculenter demonſtrentur, idque non acceſſoriè, & ex rerum conſequentia, ut anteà, ſed ſpeciatim & de induſtria.

IV. Sanctus Auguſtinus *homiliæ 49. ex 50. c. 3. & ſequentibus* evidenter admodum hoc nos docet, Baptizatos, & fideles compellat, *Si non potuiſtis habere, vel noluiſtis pudicitiam conjugalem, ſeu continentiam, & deviaſtis à propoſito, ſeu viduale conjugali, vel devotione continentiæ, ſit in vobis dolor, & humilitas Pœnitentiæ.* Quia verò alicui forſan obſcurum eſſet, quod peccati genus, quam Pęnitentiam intelligeret, ſtatim hoc explicat, *Apertius dico: nemo dicat, non intellexi. Qui poſt uxores veſtras vos illicite concubitu maculaſtis; ſi*

præter uxores veſtras cum aliqua concubuiſtis, agite Pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia, ut pro vobis oret Eccleſia. De adulterio perpetrato illi quæſtio eſt, eoque potiſſimum occulto; Generatim enim quoslibet adulteros compellat, eoſque pari, & indiſtincta neceſſitate, verbiſque de crimine hypotheticis, quæ de publico ſtolidè enuntiarentur, ad Penitentiam publiblicam exhortatur, & adſtringit, Penitentiam ſcilicet qualis agitur in Eccleſia, ut pro iis oret Eccleſia. Deinde prorſus improbabile eſt, eos de peccato publico ſecretam eſſe agendam Penitentiam pertinaciter contendiſſe, ut contendebant ii, quos refutat. Statim enim occurrit quorundam objectioni, qui ut publicæ Penitentiæ dedecus vitarent, prætexebant ſe privatim, & occultè Penitentiam agere, quaſi crimini ſuo eluendo privata Penitentia ſufficeret. Sed hoc negat Auguſtinus, & negationis ſuæ rationem reddit. *Nemo ſibi dicat, Occultè ago, apud Deum ago; Novit Deus qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt, Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cœlo? Ergo ſine cauſa ſunt claves datæ Eccleſiæ Dei? Fruſtramus Evangelium Dei, fruſtramus verba Chriſti? Promittimus vobis quod ille negat? Nonne vos decipimus?* Qui Penitentiam occultè vult agere de eo peccato, cui publicam impoſuit Eccleſia, fruſtrat Evangelium Chriſti, & ſupervacanea exiſtimat illius verba, quibus Eccleſiæ tribuit ligandi poteſtatem, cùm illi, ejuſque decretis ſeſe non ſubmittat. Exiſtimat Eccleſiam eum fallere, & vana remiſſionis peccatorum promiſſione, ſi juſſa fecerit, deludere.

V. Sublato hoc Penitentiæ occultæ ſuffugio aliud Penitentiæ publicæ agendæ impedimentum tollit, erubeſcentiam ſcilicet, non confeſſionis publicæ; nam ad eam nemo adſtringitur: non occultæ; nam non magis erubuiſſet occultè confiteri, quàm occultè penitere, unumque facilè ex alio conſequitur. Deinde probabile videtur, immò certum, eos de quibus agit privatim peccata confeſſos, ſed Penitentiam publicam recuſaſſe, & privatæ actionem prætexuiſſe. Nam totus eſt Sanctus Auguſtinus ad actionum publicarum neceſſitatem adſtruendam. Unde neceſſariò inferendum, eos, in quos diſputat, aut jam confeſſos eſſe privatim, aut de confeſſione privata litem nullam moviſſe, ſed tantùm Penitentiam publicam exhorruiſſe. Sed quidquid ſit, actiones occultas non ſpectavit Auguſtinus, ſed publicas tantùm, de quibus erubeſcentiam amollire conatur. *Reſiſtit mihi filius peſtilentiæ, & erubeſcit genua figere ſub benedictione Dei? Quod non erubeſcit Imperator, erubeſcit nec ſenator, ſed tantùm curialis, &c. Propterea Deus voluit, ut Theodoſius Imperator ageret Penitentiam publicam in conſpectu populi, maximè quia peccatum ejus celari non potuit, & erubeſcit ſenator quod non erubeſcit Imperator, &c.* Hoc eſt quod præſertim erubeſcebant genua figere in Eccleſia cum Penitentibus, & caput manibus, & benedictionibus Sacerdotum ſupponere, ac conſequenter Eccleſiæ ſacrificio, & fidelium cœtu expelli. Ut autem iſta modeſtè & humiliter perferant, Theodoſii Imperatoris exemplo hortatur.

VI. Quod notat Sanctus Auguſtinus, Theodoſium penitentiam publicam egiſſe, maximè quia peccatum ejus celari non potuit, criminis occulti Penitentiam publicam novo dicto confirmat. Neceſſariò enim hinc infertur, criminis & occulti, & publici penitentium agi publicam, ſed publici, aut qui celari non poteſt maximè. Quilibet enim ad criminis occulti penitentiam publicam moneri poteſt, cogi verò nemo poſt; in ipſius arbitrio hoc poſitum: Sed ad penitentiam publicam de crimine publico agendam Excommunicatione cogendus eſt, ut de facto Theodoſius ab Ambroſio coactus eſt. Hoc ipſum eodem loco docet Sanctus Auguſtinus, ne aliunde probationes conquiramus. Poſtquam enim ſequente textu multis verbis exhortatus eſt mulieres, ut maritos adulteros ad Eccleſim deferrent, & iis graviter minatus eſt, ſi hoc non facerent, (quod ſanè de Adulteriis publicis intelligi non poteſt: Eccleſia enim, vel tacentibus uxoribus ſcelus vindicaſſet) tandem viros alloquens hanc aliis monitionibus adjungit, *Ego ſcio, quia ſapientes amant me, in hoc à communione ſe cobibeant, qui ſciunt, quia novi peccata ipſorum, ne de cancellis proiiciantur. Quorum autem neſcio, hos coram Deo convenio. Agant etiam ipſi Penitentiam ſuam, & deinceps ab immunditia abſtineant fornicationum ſuarum.* Cùm ait, novi peccata ipſorum; Notitiam intelligit, quæ probari poſſit, alioquin punitur Epiſcopus, qui Reum expulerit crimen negantem, niſi probaverit, ut multis demonſtratur *lib. 2. cap. 14.* Denique in actione Penitentiæ publicæ de crimine publico multa ſunt ſingularia, quæ in penitentia criminis occulti publica non deprehenduntur, quorum ratione dici poteſt & debet, de crimine publico maximè Penitentiam agi publicam, quæ infra *toto capite 16.* explicabimus.

VII. Idem Auguſtinus *ſerm. 41.* de Sanctis explicato leviorum peccatorum remedio, graviorum curationem ſic explicat; *Pro capitalibus verò criminibus non hoc ſolùm ſufficit, ſed addendæ ſunt lachrymæ, rugitus, & gemitus, continuata longo tempore ac protracta jejunia, & largiores eleemoſynæ erogandæ, ultro nos ipſos à communione Eccleſiæ removentes, in luctu, & in triſtitia multo tempore permanentes, & Pœnitentiam etiam publicè agentes; quia juſtum eſt, ut qui cum multorum deſtructione ſe perdiderit, cum multorum ædificatione ſe redimat.* Hæc remedia, præter medicamenta levioribus peccatis idonea, ſunt neceſſaria ad peccatorum capitalium curationem. Unum autem ex illis eſt actio Pœnitentiæ publicæ. Itaque ejuſmodi peccatis non modò non ſufficiunt remedia levioribus deſtinata, ſed nec lachrymæ, nec rugitus, nec continuata longo tempore jejunia, nec largiores eleemoſynæ ſpontaneæ, nec etiam ultronea à communione Eccleſiæ ſeparatio, ſed adeundus eſt Eccleſiæ Antiſtes, exponenda eſt illi, & denudanda conſcientia, ut ab eo ſatisfactionis leges accipias, Penitentiamque agas publicam ea ratione, quam tibi dictaverit. Alioquin obiicietur illi quod ſuperiore teſtimonio dicebat, *Ergo ſine cauſa dictum eſt, Quæcunque ſolveritis, &c.* Secundum igitur Sanctum Auguſtinum, qui capitaliter peccavit, ſtatim lachrymari debet, gemere, jejunare, largas Eleemoſynas facere, à communione Corporis Chriſti ſeſe ſeparare. Sed hæc ſolùm præſtare, Eccleſiæ claves, & Chriſti oraculum eſt contemnere: Antiſtes eſt adeundus, qui juſtum penitentiæ publicè agendæ modum illi aperiat, & indicet. Minutiùs hoc enarrat Sanctus Auguſtinus *homilia poſtrema libri 50. homiliarum*, Variis criminibus enumeratis, tandem ait, *Judicet ergo ſeipſum homo in iſtis voluntate dum poteſt, & mores convertat in melius, &c. Et cùm ipſe in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ, ſed tamen medicinæ ſententiam, veniat ad Antiſtites per quos illi in Eccleſia claves miniſtrantur, & tanquam jam bonus incipiens eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito à Præpoſitis Sacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum, &c.* Evidentiſſima eſt in eundem finem illa quinquageſima homilia; ſed quæ huc referri poſſent jam enarrata ſunt *lib. 2. c. 8.* & potiſſimùm hujus libri *c. 3.*

VIII. Præterea tota *homilia 41.* de diſtinctione peccatorum venialium à capitalibus, & eorum remediis diſſerit; uniuſcujuſque varias ſpecies enumerat; ſed nuſquam diſtinguit, an publica ſint, vel occulta: Verùm indiſcriminatim ratione publici, & occulti unicuique applicat ſua remedia, & licèt ſæpius peccatorum leviorum, & graviorum diſtinctione ea reſumat, & repetat, nunquam tamen apparet eum publici, & occulti rationem aliquam habuiſſe. Itaque capitalia omnia abſolutè ſubiicit Penitentiæ publicæ. Obiici poſſent extrema verba, *Ut qui cum multorum deſtructione ſe perdiderit, cum multorum ædificatione ſe redimat.* Sed ea nullam peccati publici neceſſitatem inducunt, ut jam ſæpius explicatum, & demonſtratum eſt. Ex iis, quæ dicta ſunt colligere poteſt lector eandem eſſe rationem, & ſenſum multorum Sancti Auguſtini dictorum, in quibus docet graviſſimorum criminum Penitentiam eſſe agendam, licet publicam non addat. Non dico, nec occultationis mentionem faciat: Nunquam enim nec ipſe, nec alius ratione penæ gravius vel mitius, ſecretò vel publicè inferendæ occultum à publico diſcernit. Exempli cauſa ad finem ejuſdem homiliæ ſic dicta recolligit, *Illi verò qui aut homicidium, aut ſacrilegium, aut adulterium, vel reliqua his ſimilia commiſerunt ſicut jam dictum eſt, ſi eis digna Penitentia non ſubvenerit, non per purgatorium ignem tranſire merebuntur ad vitam, ſed æterno incendio præcipitabuntur ad mortem.* Licet Penitentiam ſimpliciter dixerit, nec addiderit publicam, certum tamen eſt publicam intelligere. Simile eſt illud quod habetur in fine libri de Symbolo ad Catechumenos, & retulimus hujus libri *cap. 1. & ſermone 34. de diverſis c. 12.* quod relatum eſt ſupra *cap. 5.* De peccatis gravioribus ſive occultis, ſive publicis non aliter agi Penitentiam, quàm publicè, teſtimonium eſt ejuſdem Auguſtini evidentiſſimum capite penultimo libri de fide, & bonis operibus, quod interprete & ratiocinatore non eget. Sed integrum *cap. 1.* hujus libri in alia cauſa retulimus, quo poteſt lector recurrere. Eſt ſimiliter aliud ejuſdem diſciplinæ non inevidens teſtimonium *q. 26. libri 83. quæſtionum*, quod integrè excerptum eſt ejuſdem libri *c. 1.* & alibi quædam alia. Hæc de Sancti Auguſtini ſententia hactenus dicta ſunto.

CAPUT X.

Idem ex Sanctis Leone, Innocentio, Baſilio, Iſidoro, & Eligio probatur.

SAnctus Leo Pontifex ſæpius his circumſtantiis ornat verba ſua cum illi de Pœnitentia quæſtio eſt, quæ non modo aliter, quàm de publica intelligi non poſſunt, ſed etiam quæ apertè doceant gravia crimina aliter, quam per publicam pœnitentiam ab Eccleſia purgari non ſolere. Hujus rei evidens argumentum eſt integra *Epiſtola* 91. ad Theodorum Epiſcopum Forojulienſem, quæ pro varietate cauſarum ſæpè hoc opere citatur. Quærit initio Epiſtolæ quo remedio ad vitam æternam reparentur, qui gratiam baptiſmi violarunt. Reſpondet per Pœnitentiæ medicinam. Per Pœnitentiam autem & Pœnitentes, ea Epiſtola, ut ferè ſemper, Pœnitentiam intelligit publicam, & Pœnitentes publicos: *Chriſtus Jeſus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Deinde laudata actionis illius virtute cui per Miniſtros ſuos intervenit Spiritus Sanctus, occurrit dubio ex dictis emergenti, quòd ex ſecreta Pœnitentia concipi nulla ratione poteſt, nedum efformari. *Si autem aliquis eorum pro quibus Domino ſupplicamus, quocunque interceptus obſtaculo à munere indulgentiæ præſentis exciderit, & priuſquam ad conſtituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non receperit, conſequi exutus carne non poterit.* Interrogatus, qua ratione donum regenerationis violatum reparari poſſit, ſic generatim nulla publici aut occulti criminis diſtinctione reſpondet, ſicut nulla facta diſtinctione interrogatus fuerat, caſque poſteà objectiones iterùm movet, quæ ad Pœnitentiam publicam neceſſariò quoque ſpectant.

II. *Epiſtolæ* 92. verba ſupra capite quinto relata, ſunt nobis iterùm in finem noſtrum diligenter penſitanda. *Qui convivio ſolo Gentilium, & eſcis immolatitiis uſi ſunt, poſſunt jejuniis & manus impoſitione purgari, ut deinceps ab idolothytis abſtinentes Sacramentorum Chriſti poſſint eſſe participes. Si autem idola adoraverunt, aut homicidiis, aut fornicationibus contaminati ſunt, ad communionem eos niſi per Pœnitentiam publicam non oportet admitti.* Referunt hoc decretum Rabanus Maurus *Pœnitentialis c.* 21. *& Capitularia c.* 56. *Additionis* 4. cum hoc titulo hic inſerendo, *De his qui ſolo convivio Gentilium, vel eſcis immolatitiis uſi ſunt; aut quod hi qui homicidia, vel alia capitalia perpetrant flagitia, nonniſi per Pęnitentiam publicam ſanari poſſunt.* Hinc manifeſtè primò colligitur, capitalia crimina, tria præſertim hæc fuiſſe, Idololatriam, Homicidium & fornicationem. Secundò, capitalia crimina ex antiquis Eccleſiæ decretis per Pœnitentiam publicam expiata fuiſſe, nec aliter expiari debuiſſe. Tertiò, ea crimina quæ capitalia non fuerunt, Pœnitentiæ privatæ fuiſſe tantum obnoxia, velut in canone propoſito, ſolis conviviis Gentilium interfuiſſe, & eſcis immolatitiis uti.

III. Abſurdè admodum diceretur, ſi Leonis verba & circumſtantias rei conſideremus, decretum iſtud de criminibus tantùm publicis eſſe intelligendum. Fingamus tantiſper rem ita ſe habere. Quamobrem docet tria illa crimina cum publica ſunt per pœnitentiam publicam ſanari debere, cum hoc ſit, fueritque ſemper ingentibus criminibus commune? An dubitabat Ruſticus Narbonenſis Archiepiſcopus cum Clero ſuo publica crimina publicè corripienda? Deinde unum ex tribus illis criminibus in duas ſpecies diſtinguit Leo, & priorem licet publicam ſecreta tantùm Pœnitentia punit, Gentilium ſcilicet adeſſe convivio, & idolothyta comedere: Poſteriorem verò publica, idolorum nempe adorationem. Cùm utraque & publica ſit, & gravis, & jejuniis expianda; Quare uni remedium publicum adhibet, & alteri occultum? Certum eſt S. Leonem, & Ruſticum Narbonenſem ad gravitatem criminis reſpexiſſe, non autem ad publicationis rationem, & Leonem docuiſſe crimina iſta, propter ſui gravitatem publica pœnitentia expiari debere: alterum verò propter ſui levitatem ſecreta. Si publici & occulti rationem habuiſſent, Quid erat proclivius, & quæſtioni magis appoſitum quam crimina publica ab occultis diſtinguere, ut Pœnitentiam publicam à privata diſtinxerat, & quæ Pęnitentia unicuique per canones debebatur, definire?

IV. Verùm ex re ſubjecta demonſtratur, & Ruſtici interrogationem, & Leonis reſponſionem de peccati occultis factas eſſe. Homicidia enim illa ſi publica fuiſſent, capitali ſupplicio vindicata fuiſſent, ac proinde nec Pęnitentiæ publicæ, nec privatæ obnoxia. Intelligit ergo canonis auctor occulta homicidia, quæ ſaltem notoria non erant, nec poterant ad forum civile deduci. Idem eſt de fornicationibus, & adulteriis judicium quum mulieres ſpectant. Idem quoque de furtis, & latrociniis, aliiſque criminibus, quæ à Magiſtratu enſe animadvertuntur.

V. Eidem ſententiæ ſuffragatur Leo *Epiſt.* 80. ad Epiſcopos Campaniæ. Verba paulò ſuſius referemus, ut quæ ex iis colligenda ſunt manifeſtius appareant, *Illam etiam, contra regulam Apoſtolicam præſumptionem, quam nuper agnovi à quibuſdam illicita uſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoveri: De Pęnitentia videlicet, quæ ita à fidelibus poſtulatur, ut de ſingulorum peccatorum genere, libellis ſcripta profeſſio publicè recitetur, cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicari confeſſione ſecreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non videtur, tamen non omnium hujuſcemodi ſunt peccata, ut ea qui Pęnitentiam poſcunt, non timeant publicare. Removeatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi à Pęnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt aut metuunt inimicis ſuis ſua facta reſerare, quibus poſſunt legum conſtitutione percelli. Sufficit enim illa Confeſſio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis Pęnitentium peccator accedit. Tunc enim demum plures ad Pęnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis.*

VI. Primùm in his verbis luce meridiana clarius vides S. Leoni ſermonem eſſe de peccatis occultiſſimis, & eorum Pęnitentia publica. Cum enim de peccatorum occultorum confeſſione publica quæſtio mota ſit, omnino improbabile eſt eos quos improbat publicam occultorum criminum confeſſionem inſtituiſſe, Pęnitentiam verò privatam. Nam poſita confeſſione publica, ex occultis crimina fiunt publica, & conſequenter juxta Apoſtolum, & perpetuum Eccleſiæ morem, publicè corripienda: Sed in eorum praxi Sanctus Leo nihil aliud reprehendit, quam confeſſionis publicæ morem; Pęnitentiam autem quàm illi capitalibus criminibus clam commiſſis, ſed palàm confeſſis imponebant, intactam relinquit, decernitque tantùm ut confeſſione ſecreta contenti ſint. Peccatorum igitur ſecretò confeſſorum Pęnitentiam agere publicam mos erat Eccleſiæ Catholicæ, quem ſola remotione, & defenſione Confeſſionis publicæ criminum occultorum validè confirmat. Idem inſuper demonſtrat incommodum ex confeſſione publica emanans, quòd in Pęnitentiam publicam redundat, non in privatam. Quapropter id quod ait, *Plures ad Pęnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia Pęnitentis*, de Pęnitentia tantùm publica intelligi poteſt. Quid enim Confeſſio publica, vel privata ad Pęnitentiam privatam conſulendam, & perſuadendam? Non magis commoveris, ad privatim, & ſecretò pęnitendum ſi ſecretò confiteris, quàm ſi publicè: Semper enim utrolibet modo confitearis, ſecretò & apud te tibi pęnitendum eſt. At ſi ad Pęnitentiam publicam ritè peragendam requiritur publica confeſſio, plurimi meritò ab ejuſmodi pęnitentia deterrebantur, privataque contenti erunt, ſine qua ſaltem peccatorum remiſſionem conſequi nemo poteſt. Præterea notabit lector S. Leonem peccatorum confeſſionem publicam non improbare, immò laudare, ſed adversùs publicæ peccatorum καθ' ἕκαστα confeſſionis obligationem invehi; eo quod non omnium ea ſint peccata, quæ non timeant in vulgus edere. Nonnulli enim ea peccata peccarunt, quæ legibus civilibus puniuntur, aut quæ gravem infamiam illis inurunt. Idcircò injuſtè & contra Apoſtolicam regulam ejuſmodi peccatores ad confeſſionem publicam cogerentur. Itaque publica illa peccatorum in ſpecie confeſſio à nemine eſt exigenda.

VII. Sanctus Innocentius *Epiſt.* 2. *cap.* 12. *Quæ Chriſto ſpiritualiter nupſerunt, & velari à Sacerdote meruerunt, ſi poſtea vel publicè nupſerint, vel ſe clanculò corruperint, admittendas non eſſe ad agendam pęnitentiam, niſi is cui ſe junxerant, de ſeculo deceſſerit.* Evidens eſt Innocentio ſermonem eſſe de Pęnitentia publica quum de crimine publico, nuptiis ſcilicet inceſtis agat. Deinde quæ ſequuntur idem probant. Quod enim dixit, confirmat ex conſuetudine Eccleſiaſtica, quæ non permittit, mulieri vivente marito nuptæ alteri Pęnitentiam agere. Sanctus autem Innocentius nullum diſcrimen facit in Pęnitentiæ ſpecie, ſive crimen ſit publicum, ſive occultum; Utrumque enim eodem faſce involvit, &

Morin. de Sacram. Pœnit. N 2 indiſcri-

indiſcriminatim habet. *Si poſteà vel publicè nupſerint, vel clanculò ſe corruperint*, non vult ad Pęnitentiam admitti, niſi poſt illius, cui ſe junxerant, mortem. Propoſita illi fuerat quæſtio cum criminis diſtinctione, An Monialis clanculò corrupta ad Pęnitentiam publicam non eſſet ante admittenda, quàm obiiſſet ipſius corruptor, cui ſe clam omnibus junxerat, ſicut id obſervabatur in publicè nupta: Nulla privatæ, & publicæ Pęnitentiæ diſtinctione facta, reſpondet eandem eſſe utriuſque rationem. Nec etiam Rotomagenſis Epiſcopus, qui quæſtionem propoſuerat in Pęnitentiæ modo nodum ſtrinxerat: Erat enim omnibus exploratum, tantum crimen eſſe publica Pęnitentia ſanandum, nec referre, publicè ſit commiſſum, an occultè. Sed dubitaverat, an in Pęnitentia imponenda eſſet expectanda mors conſcii criminis in furtiva corruptione, ſicut in ea quæ nuptiarum publica figura cohoneſtatæ fuerant. Nec abs re dubitaverat, cùm in poſteriore caſu Adultera juſtæ uxoris vicem civiliter haberet. Aliud Sancti Innocentii teſtimonium allatum eſt *c.* 5. ex quo idem conſequitur.

VIII. Memorabilis eſt in hanc ſententiam, & examine dignus Sancti Baſilii ad Amphilochium *c.* 34. qui ſic ſe habet, *Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocunque convictas publicare quidem Patres noſtri prohibuerunt, ne convictis mortis cauſam præbeamus, eas autem ſtare ſine communione juſſerunt, donec impleretur tempus Pœnitentiæ*. Primùm vides adulterii manifeſtiſſimè occulti ſpontaneam, & religioſam confeſſionem, nec tamen expreſsè notatur occultum eſſe; ſed canonum & Patrum antiquorum perpetuo more ſimpliciter edicitur, *Adulterio pollutas, &c.* Nihil enim ad Pęnitentiæ rationem illo tempore referebat, crimen illud occultum eſſet, an manifeſtum. Sic & cæteri omnes canones de crimine quocunque, ſive occulto, ſive publico interpretandi ſunt. Deinde Pęnitentiam publicam rigidiſſimam illi debere, non tamen infligi, ſed leviorem, publicam tamen. Remiſſæ Pęnitentiæ cauſa juſtiſſima, ne Pęnitentiæ rigore in adulterii ſuſpicionem veniant. Mulieres enim, præſertim ingenuæ, in graviore Pęnitentia adulterii facilè ſuſpectæ ſunt. Quid enim criminis, ut plurimum, ingenua mulier præter adulterium committere poteſt? Nihil furata eſt; neminem occidit, idola non adoravit. Quid igitur illam perpetraſſe veroſimile eſt? Ne ergo peccata publicarentur, quæ mortem auctoribus afferre poſſent, non modò peccatorum confeſſionem publicam prohibebant, ſed etiam Pęnitentiam criminis ſceleri publicè æquatam, ſi ex ea mortis occaſio probabiliter oriebatur. Cum autem in viris pro quocunque crimine capitali, & in viduis pro fornicatione nulla cædis occaſio formidaretur, occulti adulterii agebant pęnitentiam publicam, & rigidam.

IX. Hunc canonem rectè explicat Balſamon, *Adulteri*, inquit, *ſecundùm 58. canonem, ſtant quatuor annis cum deflentibus, quinque cum audientibus, quatuor cum ſubſtratis, & duobus cum iis, qui conſiſtunt abſque communione. Dicit ergo Sanctus, ſi qua mulier adulterata peccatum confeſſa fuerit, vel quomodocunque convicta ſit, non oportet eam publicare, id eſt, eam in dictarum pœnarum locis ſtatuere. Qui enim eam viderit extra divinos Eccleſiæ ambitus ſtantem, vel etiam cum Cathecumenis exeuntem primo aſpectu omnino intelliget propter adulterii crimen eam illi pœnam injunctam, & fiet punitio cauſa mortis, poſt futurum fortè viri reditum, qui id animadverterit. Permittitur ergo conſiſtere, & cum fidelibus comprecari, à Sacramentorum autem communione abſtinere, donec Pęnitentiæ tempus completum fuerit*. Viris, inquit, nulla indulgentia conceditur, ſed ſi iſtius criminis Rei ſunt, omnes Pęnitentiæ gradus juxta tempus ſtatutum percurrunt. Ad conſiſtentiam igitur relegantur adulteræ mulieres, ne ſcelus detegatur, eo quòd in eo ordine Pęnitentes promiſcuè ſubſiſtant cum fidelibus, & cum iis, qui privatim Pęnitentiam ſive à Sacerdote injunctam, ſive ſpontaneam agebant, & cum iis denique, qui publicam in Auditu, & ſubſtratione egerant. Manifeſtum eſt igitur, Sanctorum Patrum prudentia ita diſpenſatam fuiſſe mulieribus iſtis Pęnitentiam, ut criminis ſecretò confeſſi nullum dari poſſet argumentum. Hoc igitur caſu excepto, & ſimilibus, ſi qui fuerunt, occultorum criminum quorumcunque Pęnitentia publicè ſecundum canonum rigorem gerebatur.

X. Sic quoque hunc canonem interpretatur Ariſtænus, *Mulier, quæ adulterium commiſit, & crimen ſuum pietate commota confeſſa eſt, vel alio quovis modo à Patre ſpirituali deprehenſa, non eſt publicanda, nec viro ſuo ut adultera notificanda, ne hoc ſit illi mortis cauſa: ſed ſine communione ſtare debet cum mulieribus fidelibus, donec compleatur tempus adulterio ſtatutum. Si enim cum flentibus aut audientibus conſtitueretur, ſuſpicio aliqua marito iniiceretur, à quo forſan occideretur*. Nec auctor ille, nec canon evidentius dicere poterant occultorum criminum publicam eſſe agendam Pœnitentiam, quàm cum ex tot perſonarum generibus hoc ſolum excipiunt.

XI. Difficultatis aliquid ineſſe videtur in his canonis verbis, *mulieres quomodocunque convictas*. Eſſene poteſt crimen illud ſecretum, cujus eſt mulier convicta? poteſt quidem, cum pietate ducta confitetur: utroque tamen modo eam publicare prohibent canones, ſive ſponte confeſſam, ſive convictam. Occurrit huic objectioni Balſamon, *Quomodocunque convinci mulieres, non debes accipere de omnibus nota probatione, ſed de mulieris conſcientiæ probatione: Hoc eſt, ſive mulier ſua ſponte confeſſa ſit, vel ut etiam à pariendi periculo coacta, vel aliqua alio modo clanculum, & non publicè ſeipſam condemnans ſeipſam enuntiaverit*. Hæc rectè Balſamon, ſed omiſit, quod non erat prætereundam: Si accuſata & convicta ab aliquo apud Epiſcopum, & Presbyterium fuerit. Moris enim erat apud antiquos privatim, & ſecretò eos apud Epiſcopum accuſare, qui ſeipſos non deferebant. Qui verò criminis hoc modo convicti erant, multò graviori Pœnitentia puniebantur, quàm ſi ſe detuliſſent, ut multis ſupra demonſtratum eſt. Quid verò, inquies, fieri ſolebat, cùm mulieris hoc crimen erat publicum? Reſpondet Balſamon, & appoſitè, *Rectè omnes pœnæ in eam congerentur. Neque enim canon in ea locum habet, quoniam ſemel publicata eſt, & ex viri reditu nulla cædis ſuſpicio tenetur propter pęnarum denuntiationem*.

XII. Sanctus Iſidorus in exhortatione ad Pœnitentiam paucis verbis hoc clariſſimè docet: *Pœnitentia juxta qualitatem delictorum agenda eſt. Nam ſicut levia peccata occulta oratione delentur: ita gravia coram Eccleſia per Pęnitentiam, & ſatisfactionem remittuntur*. Peccata in duo genera dividit, in levia & gravia, & utrique generi curationis modum proprium attribuit. Levibus ſcilicet occultam Pœnitentiam, gravibus autem publicam. Imperitè admodum vir tantus, & omni ſcientiarum genere cumulatiſſimus remedia ſua diſpeſcuit, ſi ferè omnia gravia peccata occultè remittuntur; & pauciſſima, publica ſcilicet, publicè. Quod enim uni diſtinctionis membro velut proprium, & ſpecificum aſſignat, vix unquam illi convenit, ſed oppoſito. Ex ipſius igitur ſententia manifeſtum eſt, remitti occultè, proprium eſſe levium peccatorum; publicè verò & coram Eccleſia, gravium. Immò ſi quis de peccatis levioribus ſecretò admonitus non corrigebatur, publicè ex ipſius decreto corripi debet. Ita enim ſcribit *lib. 3. ſententiarum cap. 46. Qui admonitus ſecretè de peccato, corrigi negligit, publicè arguendus eſt; ut vulnus quod occultè ſanari neſcit, manifeſtè debeat emendari*. Hoc intelligendum cum iſta conditione, modo teſtes criminis præſto ſint: Aliàs enim ut demonſtratum *lib. 2. cap. 14.* hoc prohibetur Epiſcopo.

XIII. Sanctus Eligius in fine *homiliæ 16.* ea refert, quæ ſine hac doctrina conſiſtere non poſſunt: *Duos præterea, fratres mei, alloquimur, quos publica actio criminalis publicam coegit agere Pęnitentiam. Unde unuſquiſque veſtrum ad ſe rediens conſideret, ſi per amaritudinem Pęnitentiæ Deo ſatisfecerit pro ſuis offenſis, & delictorum maculis. Nam licèt miniſterium reconciliandi Epiſcopali auctoritate in vobis complere velimus, tamen niſi Spiritus Sanctus, per cujus invocationem iſtud officium agitur, corda veſtra intrinſecùs purificata invenerit, à reconciliationis gratia vacui remanebitis*. Ante omnia notandum, homiliam iſtam habitam eſſe in quadrageſima, ut apparet ex toto contextu: Nec hoc tantùm, ſed habitam eſſe in fine Quadrageſimæ, ut demonſtrant verba, quæ ſtatim ſequuntur. *Quapropter ſi deinceps ad ea, quæ pęnituiſtis, redire non vultis; neque alia crimina cuſtodiente, & protegente Deo perpetrare in animo habetis, Date nobis ſignum, quo cognoſcamus, quòd magis cęleſtia, quàm terrena ametis*. His verbis manifeſtum eſt, S. Eligium hanc concionem pronuntiaſſe, vel in ipſa Cęna Domini, ut pleraſque præcedentes; vel cùm dies ille proximus eſſet, Pęnitenteſque ad reconciliationem brevi excipiendam præparare vellet Ea verba, *Date nobis ſignum, &c.* Reconciliationis jam faciendæ certiſſimum ſunt argumentum. Solet enim in omnibus prope homiliis, quas eo die pronuntiavit, à Pęnitentibus idem elevationis manuum ſignum requirere. Nunc autem manifeſtiſſimè duo Pęnitentium publicè genera diſtinguit, ſive duas pęnitendi publicè cauſas: Crimina publica, & crimina occulta. In magno illo Pęnitentium numero duo tantùm erant publicè ob crimina publica pęnitentes: ut ipſe κατὰ λέξιν initio loci citati teſtatur: Ideo particula-

tim

Digitized by Google

tim de iis dicit, *Quos publica actio criminalis publicam coegit agere Pœnitentiam*. Nam alii ad Pœnitentiam publicam poteſtate externa cogi non poterant; ſpontè, & ſola interiore animi pietate, & devotione eò ferebantur, ut ſæpius diximus. Hinc occaſionem cepit iſtos duos ſpeciatim compellandi, atque à cætera publicè Pœnitentium turba, quam ſimul & in globo ad ſedulam Pœnitentiam excitaverat, diſcernendi, & diſcriminandi; cujus turbæ exhortationem ſtatim poſt compellationem reſumit, ut citata verba expreſsè demonſtrant. Denique non modo hæc homilia ſed præcedens, & aliæ multæ, ut 4. 7. 8. & 11. magnam publicè Pœnitentium turbam tum temporis in Eccleſia ſemper verſari ſolitam, non duos tantùm, effuſiſſimè prædicant.

CAPUT XI.

Idem demonſtratur ex antiquis canonibus, & auctoribus qui propter crimina occultiſſima Clericos quoſvis ab officio deponunt, aut in multos annos ſuſpendunt: Confirmaturque hæc praxis illuſtriſſimis exemplis, & antiquis Orientalium Pœnitentialibus, & canonum commentatoribus, apud quos in hunc diem viget.

ARgumentum ejuſdem rei non minus evidens, quàm validum colligi mihi videtur ex ea pœna, ſeu Pœnitentia, qua occultè peccantes Clerici afficiebantur. Cùm enim propter crimina occulta non modò ab officio ſuſpenderentur, verùm etiam deponerentur, ita ut per aliquot ſeculorum ſpatia ab omni reſtitutionis ſpe deiicerentur; Non video, qua ratione idem de publica Laicorum Pœnitentia dici non debeat. Si conſulendum honori, & famæ, id ſanè potius factum oportuit Clericis, quàm Laicis: Atque ita factum fuiſſe ex Sancto Leone, Carthaginenſi canone, Proſpero, & aliis jam oſtenſum eſt; ideòque cum Pœnitentia illis imponebatur, eam non publicè in Eccleſia & in omnium conſpectu, Laicorum more agebant, ſed in loco, ſeceſſuque privato, ut iidem auctores teſtantur, & jubent. Deinde ſimiliter demonſtravimus, canones antiquos propter idem Laicum in Pœnitentiam retrudere, & Clericum ab officio deponere: Nec hoc tantùm ſimpliciter edicere, ſed ita faciendum eſſe jubere, & præcepti ſui rationes reddere, quod præ cæteris diſertè faciunt canones Apoſtolici, & Sanctus Baſilius. Quapropter par eſt hac in cauſa argumentum; immò neminem negaturum opinor, quin id longè potiori ratione Laicis conveniat, quam Clericis. His adde, quod ſæpè notatum eſt, Canones eodem modo quod ad publicum, & occultum attinet, de utrorumque criminibus ſtatuere, hoc eſt, ſimpliciter & abſolutè definire nulla publici, aut occulti mentione facta. Non eſt igitur, quòd aliquis horreat Pœnitentiam publicam Laicis propter crimina occulta imponi, ſi ſemel admittat propter crimina occulta Clericos modò ab officio deponi, modò ſuſpendi, pro eorum majori, aut minori ſcelere.

II. Sed rem ipſam aggrediamur. Antequam canones proferamus, quæ Proſper Aquitanicus hac de re nos docet, quanquam jam alia in cauſa relata ſunt, repetemus. Sunt enim litis decretoria, quum occulta crimina à publicis diſtinguant, & utraque ejuſdem ab officio depoſitionis condemnet. Sic docet *lib 2. de vita contemplativa cap. 7. Hi qui aliquo gradu Eccleſiaſtico conſtituti aliquod occultè crimen admittunt, ipſi ſe vana perſuaſione decipiunt, ſi eis videtur propterea communicare, & officium ſuum implere debere, quod homines occultatione ſui criminis fallunt. Exceptis enim peccatis, quæ tam parva ſunt, ut caveri non poſſint, pro quibus expiandis quotidie Deo clamamus, & dicimus, Dimitte nobis, &c. illa crimina caveantur, quæ publicata ſuos auctores faciunt humano damnari judicio*. Vides propter quæ crimina occulta ab officio ſuo ceſſare debent. Sed forſan peccata Epiſcopo confeſſi unum aut alterum diem abſtinebant, ita ut facilè abſtinentia illa aut in morbum, vel negotium improviſum referri potuerit. Non ideò diſtinxit crimen publicum ab occulto, quòd occultum abſtinentia unius aut alterius diei expletur, publicum verò depoſitione, aut multorum ſaltem annorum ceſſatione. Quid enim reformidaſſent, & erubuiſſent crimen occultum confiteri, quo per unius aut alterius diei abſtinentiam expiato, ſtatim nemine hoc advertente honori priſtino reſtituerentur: ſed ideò criminis occulti mentionem facit, ut Eccleſiaſticos acriter reprehendat, qui criminis occultatione freti ab officio non ceſſabant, ſed illud exercere impiè pergerent; eos verò laudet, qui licet propter occultationem criminis ad ceſſationem cogi non poſſent, ſpontè tamen illud confeſſi, non ſecus ac ſi publicum fuiſſet, ſeipſos deponebant: Audiamus, ea quæ ſequuntur, *Qui autem ea commiſerint, & ideò prodere metuunt, ne ſententiam juſtæ Excommunicationis accipiant, ſine cauſa communicant: Immò verò dupliciter contra ſe iram divinæ indignationis exaggerant, quod & hominibus innocentiam fingunt, & contempto Dei judicio abſtinere ſe ab altari propter homines erubeſcunt*. Graviter igitur eos reprehendit, quod pœnam publicam crimini occulto debitam ſubire detrectant, & erubeſcunt. Eos poſteà laudat, qui formidine illa inſuper habita, & peccata confitentur, & publicam pœnam ſecretò crimini indictam ſpontè ſubeunt, *Quapropter Deum ſibi facilius placabunt illi, qui non humano convictio judicio, ſed ultro crimen cognoſcunt: Quia aut propriis illud Confeſſionibus produnt, aut neſcientibus aliis quales occulti ſunt, ipſi in ſe voluntariæ Excommunicationis ſententiam ferunt, & ab altari cui miniſtrabant, non animo ſed officio ſeparati, vitam tanquam mortuam plangunt, certi quod reconciliatio ſibi efficacis Pœnitentiæ fructibus Deo, non ſolùm amiſſa recipiant, ſed etiam cives ſupernæ civitatis effecti ad gaudia ſempiterna perveniant*. Dicit autem iſtos poſteriores facilius Deum placaturos, eo quod, ut jam ſæpius dictum eſt, multò ſeverius à canonibus ii puniantur, qui criminis convincuntur, quàm qui ſpontè fatentur. Itaque ex communi Eccleſiæ illius temporis praxi in deponendis, aut ſuſpendendis Clericis non criminis publicatio, aut occultatio, ſed *ἀνομία*, & ſcelus conſiderabatur.

III. *Iſta* Proſper canones antiquos ſecutus, non tantùm quam videbat Eccleſiæ conſuetudinem. *Canon enim Neocæſarienſis nonus* ita definit, *Si presbyter qui corpore prius peccaverat, promotus fuerit, & ſe ante ordinationem peccaſſe confeſſus fuerit, ne offerat, manens in aliis propter aliud ejus bonæ vitæ ſtudium, &c. Quod ſi ipſe non confiteatur, apertè autem convinci non potuerit, illius quoque ei fiat poteſtas*. Palàm eſt crimen fuiſſe occultum; nec id verbis enuntiari poteſt magis perſpicuis, quàm quibus in textu enuntiatur: ideò niſi illud confiteatur, ſuæ relinquitur fidei; Confeſſus verò à ſacrificandi munere deponitur, qua pœna nulla poterat eſſe magis publica, præſertim eo tempore, quo Presbyteri tantùm creabantur neceſſarii, ut & nunc in oppidis, & pagis. Si convictus confeſſus fuiſſet, graviori pœna eum corripuiſſent. Martinus Bracarenſis hunc canonem repetens collectionis *cap. 25.* hoc poſterius enuntiat clarius, *Si quis Presbyter ante ordinationem peccaverit, & poſt ordinationem peccatum confeſſus fuerit, quòd ante erraverit, non offerat, ſed tantùm pro religione nomen Presbyteri portet. Si autem non ipſe confeſſus, ſed ab alio publicè fuerit convictus, nec hoc ipſum habeat poteſtatem, ut nomen Presbyteri portet*. Eadem de Diaconis ſtatuunt. Eodem manifeſtè tendit Nicænum Concil. *c. 10. Quicunque ex iis, qui lapſi ſunt vel per ignorantiam, vel ſcientibus iis, qui promoverunt, ordinati ſunt, hoc Eccleſiaſtico canoni non præjudicat. Hi enim cogniti deponuntur*. Concilium Eliberitanum *c. 76.* & crimen occultum Diaconi, ſi ab eo enuntietur, depoſitione puniri, & inſuper triennali pœnitentia; ſi verò detegatur ab alio, quinquennii pœnitentia, *Si quis Diaconum ſe permiſerit ordinari, & poſtea fuerit in crimine detectus mortis, quod aliquando commiſerit, ſi ſpontè fuerit confeſſus, placuit eum acta legitima Pœnitentia poſt triennium accipere communionem. Si alius detexerit poſt quinquennium acta Pœnitentia accipere communionem Laicam debere*. Illud primùm *detectus* generaliter intelligendum, quod poſteà ſpecialiter explicat vel accuſatione ſua, vel aliena. Si enim ab alio detectus, & convictus confiteatur, nullam prorſus pœnæ remiſſionem meretur. Quid enim laudabile? Deinde alterum membrum id convincit, *Si alius detexerit*, Ergo in priore membro alius non detexerat, ſed ipſe ſeipſum. Tres poſſunt conſtitui iſtius criminis, & aliorum ſpecies: Vel crimen per ſe publicum eſt. Hanc ſpeciem in hac quæſtione vix enuntiant canones, certum eſt enim ex antiqua Traditione, & canonibus Apoſtolicis ejuſmodi homines promoveri non poſſe. Vel eſt occultum quod in duas ſpecies ſcinditur; aut enim Reus ſeipſum enuntiat, aut ab alio defertur, & in judicio convincitur, ſicque, quod erat anteà occultum, publicatur. Utroque caſu publicè punitur Clericus, ab Officii ſcilicet depoſitione, aut ſaltem pro ratione temporum longa ſuſpenſione, hoc tamen adhibito temperamento, ut ſeſe ultro accuſantes multò clementius caſtigarentur, quàm ab aliis delati. Utramque hanc ſpeciem, aut alterutram canones ferè omnes complectuntur, ita tamen ut primam velut exploratam, de qua nulla moveri poſſit controverſia, ſupponant.

IV. Ita neceſſariò ex re ſubjecta intelligendi Baſilii *canones 69. Lector ſi cum ſua ſponſa commercium habuerit, poſtquam*

Digitized by Google

anno ceſſaverit, ad legendum recipietur, muneas non ulterius recipieadus. Quod ſi abſque deſpenſatione furtim coierit, ceſſabit à miniſterio idem & miniſter. Et 70. *Diaconus, qui pollutus eſt in labris, & ſe eouſque peccaſſe confeſſus eſt, à miniſterio probibebitur, &c. Si quid ampliùs peccaſſe quis deprebenſus faerit, in quocunque ſit gradu, deponetur.* Idem planè de cæteris omnibus dicendum, ſive ſpectent Clericos, ſive Laicos, Ideò c. ſequente de omnibus generatim edicit. *Qui uniuſcujuſque prædictorum peccatorum fuit conſcius, & non confeſſus, ſed convictus eſt, tanto tempore, quanto maiorum effector punieus eſt, ipſe quoque punietur.* Vix aliquid magis occultum dici potuit. Quid enim occultius eſſe poteſt eo crimine, quod ſponſus cum ſponſa perpetrat, cùm familiaritas legitimè conceſſa ſiniſtri rumoris occaſionem avertat? Quid eo peccato, cujus accuſatur ille Diaconus, ſecretius? ab officio tamen ſuſpenditur. Deinde ut per ſe, atque ex antecedentibus manifeſtum eſt, illa diſtinctio ſpontaneæ Confeſſionis, & convictionis de crimine tantùm occulto poteſt intelligi, quòd quibuſdam teſtibus tandem excitatis, aut propria Rei confeſſione evulgatur. Plures ejuſmodi canones tam Græci, quàm Latini, Patrumque monita referri poſſunt, ſed hæc, ut de cæteris judicium fiat, mihi ſufficere videntur.

V. Specialis eſt *canon* 4. Concilii Valentini Galliæ. Refertur in fine Concilii Toletani 10. *Quicunque ſub ordinatione vel Diaconatus, vel Presbyterii, vel Epiſcopatus mortali crimine dixerint ſe eſſe pollutos, à ſupradictis ordinationibus ſubmovendos, Reos ſcilicet vel veri Confeſſione, vel mendacio falſitatis. Neque enim abſolvi poteſt is, qui in ſeipſum dixerit, quod dictum in alios puniretur: Quomodo omnis, qui ſibi fuerit mortis cauſa major homicida ſit.* Crimina planè occulta fuiſſe palàm eſt, immò ita occulta ſunt, ut confitentium teſtimonio ſolo ſtandum ſit, nec aliter quam per eos veritas cognoſci poſſit. Unde ajunt Patres, ſive verum profiteantur, ſive falſum eos eſſe deponendos. Quoniam licèt falſum fortè dicant, ſui ipſius falſi enuntiatione homicidæ ſunt. Non attendunt igitur Patres omnibus illis canonibus ad crimina publica, ſed ad crimina, propter quæ, ſi quolibet modo in notitiam veniunt, Clerici deponuntur.

VI. Sed Lectori enarranda eſt hujus decreti citandi occaſio. Potamius Bracarenſis Archiepiſcopus Epiſtolam obſignatam miſit Patribus Toleti in Concilio congregatis. Reſignata Epiſtola audiunt Patres Potamium fornicationis crimen ultrò confiteri. Obſtupeſcentes omnes, nihilque tale de Potamio ſuſpicantes Epiſcopi ſolitarii, & ſecretò conveniunt, Potamium adeſſe jubent, præſentemque interrogant, an Epiſtolam ſcripſerit, an quod in ea continetur, aſſeveret, *Ille ſuum actum, ſuique oris eloquium, ſuorum quoque digitorum eſſe robur aſſeruit, quod illic relegendo pervidit.* Hac aſſeveratione non contenti Epiſcopi ajunt, *Rurſum divini nominis conteſtatione hunc adjurantes obteſtati ſumus, ut an de ſe ſponte mendacium diceret, aut alicujus violentia premeretur, & perterritus talia enarraret, veraciter indicaret.* Nunc quid reſpondeat, quid fecerit, quibus pœnitentialibus laboribus crimen eluere ſategerat antequam Concilio illud confiteretur, Lector, attende quæſo diligenter, & verba ſingula perpende, ut antiquæ Eccleſiæ diſciplinam perſpectam habeas, & qua ratione tot præcedentes canones, Patrumque dicta ſint intelligenda non ampliùs dubites: *Qui mox flebili voce, luminibuſque ploratu madentibus, & fragore ſingultuum cum unius Dei jurumento clamavit, ſe & verè eadem mala de ſe confiteri, & ad hæc confitenda nulla ſe violentia prægravari. Unde etiam fermè per novem menſes ſpontè deſeruiſſe regimen Eccleſiæ ſuæ, & ergaſtulo quodam pro admiſſo flagitio acturus pœnitentiam, ſe concluſiſſe edixit.*

VII. Ne autem dicat quis ſcrupuloſa nimis conſcientia, & mente non ſatis ſana, crimen ſuum confeſſum eſſe Patribus, tantum dolorem concepiſſe, ſeſe tot menſes in Ergaſtulo ad agendam Pœnitentiam incluſiſſe, referenda nobis eſt totius Concilii hoc eſt, viginti Epiſcoporum, quorum tres erant Metropolitani, & inſuper quinque Vicarii abſentium Epiſcoporum de Potamii facto, & crimine ſententia. Nullo argumento Eccleſiæ Catholicæ praxis illis ſeculis efficacius demonſtrari, & auguſtius illuſtrari poſſe videtur. *Tunc per fidelem Confeſſionem ejus, agnito quod tactu fœmineo ſorduiſſet, & declarato, licèt hunc Paterna antiquitus ſacris regulis dejicere ab honore decernat, nos tamen miſerationis jura ſervantes, non abſtulimus nomen honoris, quòd ipſe ſibi ſui criminis confeſſione jam tulerat, ſed valida auctoritate decrevimus, perpetuæ Pœnitentiæ hunc inſervire officiis, & ærumnis: Providentes melius illum per aſperam, & dumoſam ire Pœnitentiæ ſolitudinem, ut quandoque perveniret ad refrigerii manſionem, quàm relictum in voluntatis ſuæ latitudine, ad præcipitium dejici æterna damnatione.* En non modo approbant quod jam in ſui caſtigationem præſtiterat, ſed ulterius ſecundùm regulas Patrum ab Epiſcopatu deponunt, ipſi miſericorditer honoris nomine relicto, licèt, inquiunt, & rem, & nomen, & honorem crimine ſuo jam ſibi eripuiſſet. Neque tanta pœna publica contenti eum inſuper ærumnis luctuoſæ Pœnitentiæ ſubjiciunt. Nec decreti iſtius executioni mora injicitur: Eodem enim Decreto ab Epiſcopatu deponitur, & fructuoſus Eccleſiæ Dumienſis Epiſcopus in ejus locum à Patribus eligitur, & Concilio ſubſcribit, *Fructuoſus Bracarenſis Metropolitanus Epiſcopus.* Quoniam autem dixerant paternas regulas Potamium ob tantum crimen ab honore dejicere Concilii Valentini in Gallia canonem initio hinc exſcriptum referunt, cui hæc verba quæ lector perpendere velim, adtexunt, *Multæ quidem, & aliæ ſententiæ huic poterant inecti decreto, quæ prædictum Potamium Epiſcopum ſeveriſſima auctoritate abjicere jubent. Sed ex omnibus hanc conſcriptam ponere ſententiam maluimus, ne ſi totius damnationis edicta replicaſſemus, graviſſimæ ultionis auctores exiſtere videremur.* Sic intellexerunt, & executi ſunt non modò hunc Valentinum canonem, ſed etiam alios ab antiquioribus Patribus de his Clericorum criminibus editos: Quis autem audeat aſſerere, eos Patres perperam intellexiſſe, & injuſtè executos canones quorum quotidiana erat praxis, atque, ut ajunt, viridis obſervantia, noſque poſt nongentorum annorum deſuetudinem multò melius iſtorum canonum ſenſum capere?

VIII. Hæc anno Chriſti 656. peracta ſunt. Illuſtriſſimo alio exemplo, quod in Gallia annis ante illud tempus 122. contigit, idem docetur. Referuntur ea, quæ dicturi ſumus ex *tom.* 1. Conciliorum Galliæ ad ann. 534. ſub Joanne II. Papa, & Childeberto Rege. Contumelioſus Regienſis in Gallia Epiſcopus adulterii accuſatur, & convincitur judicio præſidente S. Cæſario Arelat. Epiſcopo. Deponitur, & ad Pœnitentiam perpetuò agendam in Monaſterium relegatur. Duplex quæſtio, ut ex actis, quæ ſuperſunt colligere eſt, hinc inter Epiſcopos exoritur; Prior, an deponendus eſſet; poſterior, an poſt depoſitionem reſtituendus. De his quæſtionibus conſulitur Papa Joannes ſecundus, ipſique quæſtionum occaſio exponitur. Reſpondet Joannes Epiſtola ad Cæſarium miſſâ, *Dolemus de amiſſione Pontificis, rigorem tamen canonum ſervare neceſſe eſt. Atque ideò prædictum ab Epiſcopatus ordine noſtra ſuſpendit auctoritas. Neque enim fas eſt pollutum criminibus ſacris miniſteriis deſervire. Sed te ordinante in monaſterio dirigatur, ubi delictorum memor in Pœnitentia lachrymas effundere non omittat, ut ab eo, qui omnibus miſeretur, Domino noſtro Jeſu Chriſto miſericordiam valeat promereri.* Ne autem exiſtimes, eo quòd crimen eſſet publicum, aut in judicio probatum, hac pœna fuiſſe damnatum, non autem ſimpliciter propter ipſum crimen commiſſum, jubet Pontifex, ut Clerici criminum Rei divulgentur, ut eùm viderint ſecreta ſua crimina omnibus neceſſario revelanda diligentius à criminum perpetratione caveant. *Si quis tamen Pontificatus immemores criminibus ſe fortaſſis involverint, & eorum perſonas vulgus cognoſcat: facilius enim à delictis caveat, ſi non videant etiam hominibus ſecreta eſſe, quæ fecerint.* Quanquam ſufficeret S. Pontificis auctoritas Epiſtolæ, tamen ſubjicit antiquorum canonum, & decretorum teſtimonia, ut Galliæ Epiſcopos doceat iis morem gerendo hæc definiſſe. Unde manifeſtum eſt, hanc praxim ad illud uſque tempus in Eccleſiam perpetuam fuiſſe.

IX. Eadem ſententia eſt Sancti Cæſarii Arelatenſis, qui idem eſſe faciendum multis probare nititur, quique præter Pontificis Joannis auctoritatem nonnullos etiam canones Gallicanos refert, Valentinum 4. paulo ante exſcriptum, Aurelian. *cap.* 9. Arauſican. 1. *cap.* 2. & Epaunenſem alium. His probatis infert, *Ecce manifeſtiſſimè conſtat, quia ſecundùm quod & tituli antiquorum Patrum à Sancto Joanne Papa tranſmiſſi, & 318. Epiſcoporum ſententia, ſed & canones Gallicani continere videntur, Clerici in adulterio deprehenſi, aut ipſi confeſſi, aut ab aliis revicti ad honorem redire non poſſunt.* Itaque vide manifeſtiſſimè eodem modo puniri, ſive crimen ſit publicum, ſive occultum. Quæritur tantùm an fecerint: Eadem pœna plectuntur, ſive in ipſo facto deprehenſi fuerint, ſive convicti, ſive nemine deferente ſeipſos accuſaverint.

X. Illuſtre quoque eſt Genebaldi Laudunenſis Epiſcopi exemplum, licèt tam ſplendida teſtium corona non ſit redimitum: Contigiſſe potuit ante præcedens annis circiter triginta. Refert illud Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus in vita Sancti Remigii Rhemenſis quoque Archiepiſcopi. Res

ita

Digitized by Google

ita ſe habet : Genebaldus vir nobilis pius, & eruditus Sancti Remigii neptem duxerat. Poſteà relicta conjuge vitam monaſticam amplectitur , quam cùm ſanctiſſimè duceret, Epiſcopus Laudunenſis à Sancto Remigio creatur. Eum Epiſcopum uxor ſæpius viſitare cœpit, unde factum eſt ut ex ea marem ſuſciperet. Id Genebaldo cum renuntiari curaſſet, *Confuſus & dolens nuntio dixit . Quia latrocinio ut lateret homines quod Deum latere non potuit , in cubiculi abſconſo generatus eſt , rectè vocabitur latro , ſic ei nomen imponat*. Addit autem Hincmarus, *Et quia culpa hominibus non innotuit , ne ſuſpicio inde procederet , ſi ſe à ſolita viſitatione fœmina illa ſubtraheret , cœpit ut anteà domum frequentare Epiſcopi*. Unde factum eſt ut iterùm mulier conciperet, ſed fœminam quam vulpeculam nominari voluit. Tandem Genebaldus ſeriò ad Deum converſus Sanctum Remigium rogat, ut ad ipſum venire dignetur . *Quia tales cauſæ emerſerant , quas per ſe diffinire non poſſet* . Poſterius enim crimen non ſecus ac prius occultiſſimum erat ; nec prius Remigio indicavit, quam cum Lauduni ſecretò cum allocutus eſt. Poſtulationi ſatisfecit Remigius, Laudunumque venit, *Et ſuſceptus cum debita reverentia, ac ſecreta cubiculi petens , Genebaldum interrogavit , pro qua cauſa illum vocaverit . Genebaldus verò cum maximo fletu , & ejulatu volens tollere ſtolam de collo ſuo , & procidere ad pedes Sancti Remigii cum magna virtute à Beato Remigio eſt detentus , ne ſtolam de collo ſuo tolleret . Et poſtquam diutius ambo fleverunt (intellexerat enim Beatus Remigius Genebaldum admiſiſſe crimen pro quo ſtolam vellet deponere) vix ſingultibus , & lachrymis Genebaldus per ordinem omnia retulit, quæ commiſerat . Quem Sanctus Remigius videns contritum , & pene deſperatum conſolatus eſt , dicens , &c.* Propoſitis & enarratis multis de Dei erga Pœnitentes miſericordia argumentis, *Teſtimonia de latitudine ſanctæ Scripturæ , & exempla Pœnitentium in unum colligens ad animandum eum illi propoſuit.*

XI. Pœnitentiæ genus , modumque audiamus à Sancto Remigio crimini occultiſſimo, & quadam ratione veniali impoſitum , *Exhortato Pœnitentiam indixit , factaque manſiuncula cum lecto in modum ſepulchri , & parviſſimis feneſtellis , ac Oratorio , quæ hodieque manent ſecus Eccleſiam Sancti Juliani , Genebaldum in ea recluſit , & Clerum ac Parochiæ ipſius populum per ſeptem annos , ut & propriam Parochiam gubernavit , & unam diem Dominicam Rhemis , alteram apud Laudunum celebravit*. Quid magis ſecretum eſſe potuit eo crimine? quid Pœnitentia de illo facta magis publicum? Tandem ſeptimo anno in Vigilia Cœnæ Domini Genebaldo in oratione pernoctanti apparuit Angelus, eique dixit , *Suſcepit Dominus Pœnitentiam tuam , & dimiſſum eſt peccatum tuum . Surgere, & hinc egredere , fac que miniſterii Epiſcopalis officium , & reconcilia Domino Pœnitentes* , Ipſe autem Angelo reſpondit ſe egredi non poſſe, *Quia* , inquit, *Dominus & pater meus Remigius clavem hujus oſtii ſecum habet , quod & ſigillo ſuo ſignavit* , Ad quem Angelus, *Ut non dubites, me à Domino miſſum , ſicut patet tibi cœlum , ſic & oſtium iſtud patebit , & ſtatim ſalvo ſigillo, & ſera oſtium illud apertum eſt* . Genebaldus tamen in modum crucis ſeſe jactans egredi noluit, Sanctum Remigium qui eum incluſerat , expectans . Eodem tempore Sancto Remigio Angelus apparuit, qui quæcunque Genebaldo acciderant, enarravit . Quapropter *nihil dubitans cum ſumma celeritate Laudunum petiit , & in limine oſtii ſalvo ſigillo , & cera reſerati Genebaldum jacentem reperit, quem extenſis brachiis cum gaudio, & lachrymis laudans Domini miſericordiam elevavit , eumque ſedi, & officio Epiſcopali , ut Angelus præceperat , reſtituere maturavit* . His illuſtriſſimis exemplis, quæ fuerit in criminibus occultis puniendis Eccleſiæ conſuetudo , & quo ſenſu canones citatos, & ſimiles intellexerint , ita mihi videtur perſpicuum, ut tam ſplendido ſoli verborum noſtrorum facula nihil lucis ſit additura.

XII. Hos canones ſic intellexerunt antiquiorum Pœnitentialium Græcorum auctores, qui reapſe Confeſſionibus audiendis vacabant, licet longè ante eorum ſecula , publica criminum occultorum Pœnitentia apud eos obſoleviſſet. Sed hac in parte mos antiquus apud Orientales in hunc uſque diem illibatè conſervatus eſt. Joannes Neſteuta ,ſive jejunator , qui Sancti Gregorii tempore Patriarcha erat Conſtantinopolitanus, *Non oportet , Sacerdotes , Epiſcopos , aut Diaconos, qui in gradu ſunt , vel eorum uxores ad Confeſſionem ſuſcipere, donec cum Deo ſecuritatem præſtiterint Confeſſoribus , ſi aliquod crimen habuerint prohibent , videlicet eos ſacrificandi poteſtate abdicans , non ampliùs ſacra facere auſuros . His enim nulla omnino datur Pœnitentia , aut abſtinentia quælibet à cibo , vel potu , vel communione , ſed ſola à Sacerdotio ceſſatio . Nihil igitur Sacerdotem ſacro munere abdicat præterquam ſi mulieri non legitimæ commiſceatur : Licet enim uni ſoli, non ampliùs ſacrificandi poteſtate aliquando potiatur , quamvis poſtea fortiter pro Chriſto decertet , & vel mortuos ſuſcitet*. Propter autem peccata minora ejuſdem ſpeciei vult eos tantùm ab officio ſuſpendi , quod Sancti Baſilii 70. canone probat. Prætereà ſi eorum uxores adulterium commiſerunt , & hoc ſcientes ipſis poſteà commixti ſunt , eos ait ſacro munere ſungi amplius non poſſe. De furto , & aliis nonnullis idem decernit. Eadem Joannes Monachus, & S. Baſilii diſcipulus in ſuo canonario Pœnitentiali docet eos, qui Confeſſiones excipiunt , cujus verba huc referre opus non eſt,cùm canonarium integrum iſtius operis fini adjungatur. Ita etiam Græcos hodiernos intelligere canones iſtos, & ad praxim revocare nobis auctor eſt Petrus Arcudius Corcyreus vir egregiè doctus *lib.4. cap.2.* de concordia in Sacramentis Eccleſiæ Occidentalis cum Orientali.

XIII. Hinc eſt quod Zonaras, & Balſamon antiquos canones de hac diſciplina commentantes nunquam diſtinguunt, an crimen illud ſit publicum, vel occultum , ut quando pœna ſit infligenda doceant , ſed universè pronuntient Clericos , qui iſta perpetraverint , à gradu ſuo decidiſſe , quem amplius recuperare non poſſunt. In mentem eorum cadere non potuit Sanctos Patres crimina publica tantùm punire voluiſſe , occulta verò prætermiſſe. Ut legere eſt in *can* 8. *& 9. Concilii Neocæſar.* & 9. & 10. *Concilii Nicæni* 1. Ideò ipſi , ut & canones illi , docent deponendos eſſe Clericos, qui clam & inſciis Ordinatoribus promoti ſunt , cum hoc confitentur , aut quovis alio modo cognoſcitur, *Patrato namque adulterio* , inquit Zonaras in *cap.*8. *Neocæſar. mulier polluta eſt, quique pollutæ commiſcetur, unum corpus efficitur , eademque proinde contagione ipſum maculari neceſſe eſt , Hominem verò pollutum in ſacro miniſterio quis ferat :* Nec reverà intereſt , aut illi intereſſe unquam dicunt , an crimen occultum ſit, an publicum, niſi quod in occulto crimine Reus cogi non poteſt , ſed ſuæ voluntati permittendus ut volunt canones , & nominatim *Neocæſar. nonus*. Deinde Zonaras eundem *can.9.* commentans in quo poſtquàm edictum eſt, Presbyterum fornicantem deponendum eſſe , additur , *Reliqua enim peccata dicunt multi manuum impoſitione tolli* , Hæc verba interpretatur de occultis admodum actionibus , *Reliqua minora crimina , quæ conjunctionem corporum videlicet comitantur , quale eſt facinori aſſentiri , contrectare manu fœminam , oſculum eidem impertiri : Hæc , inquit , manuum impoſitione tolluntur* . Non igitur crimina ſpectant , ut publica ſunt , ſed ut crimina , pœnaſque illis debitas nulla ad publicationem , vel occultationem ratione habita , diſtinguunt, & explicant. Eodem prorſus modo Balſamon eoſdem canones commentans, atque iterùm in *can* 70. Baſilii ubi interpretatur quid ſit Diaconum labris pollui : Hinc colliges Sanctum Baſilium , & cum eo Balſamonem , & illorum temporum Græcos in ejuſmodi pœnis decernendis criminum gravitatem ſpectaſſe , non publicationem , aut occultationem. Eadem ratio *69.* & commentarii , quem in eum edidit .

C A P U T XII.

Idem ex Tertulliano , & Paciano probatur .

HUjus conſuetudinis Eccleſiaſticæ antiquiſſimi quique Patres teſtes eſſe videtur , ne exiſtimes poſteriorum ſeculorum eſſe œconomiam & diſciplinam . Tertulliani ſeculo hanc communem fuiſſe praxim nemo dubitare poteſt , qui meminerit nos *lib.2. cap.9.* evidentiſſimis illius verbis demonſtraſſe publicam occultorum criminum confeſſionem tum uſitatam fuiſſe ; Sanè multò magis publicam pœnitentiam . Quapropter illuc recurret Lector , & quæ ibi dicta ſunt animo complectetur. Tam frequens eſt, atque fervens Tertullianus in exhortatione ad publicam Confeſſionem, & Pœnitentiam , ut privatæ Pœnitentiæ oblitus videatur , & difficillimum ſit ex eo ſecretam Pœnitentiam adſtruere , quæ publicè imperata non ſit, & publicæ conjuncta, Peccata diſertiſſimè in corporalia, & ſpiritualia diſtinguit ; quæ animo tantum, & voluntate , & quæ ipſo facto , & opere perpetrantur . Ad utrorumque pœnitentiam publicè agendam Chriſtianos, qua poteſt, verborum eloquentia incitat : Nec unquam vel ullo verbo , tantus eſt ipſius zelus ! toto illo libro innuit ſpiritualium , ſive ſecretorum peccatorum pœnitentiam eſſe occultè agendam , corporalium verò publicè : *Hoc eò præmiſerimus* , inquit , *ut non minorem alteri , quàm utrique parti , ſi quid deliquerit , pœnitentiæ neceſſitatem intelligamus impen-*

dere. Communis reatus amborum eſt, communis, & Judex, Deus ſcilicet; communis igitur & Pœnitentiæ medela. Et poſt aliqua, *Omnibus ergo delictis ſeu carne, ſeu Spiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium diſtinxit, idem & veniam per Pœnitentiam ſpopondit.* Hæc Tertullian. *cap* 3. & 4. Nec poſteà toto libro diſtinguere voluit inter Pęnitentiam ſecretam, & publicam, ut inter peccata ſecerat animi, & corporis, ſed quæcunque toto libro de Pęnitentia ediſſerit, publicæ tantùm conveniunt. Sic immediatè ferè poſt verba citata, *Eam tu peccator mei ſimilis ita invade, ita amplexare, ut Naufragus alicujus tabulæ fidem, &c.* Initio *cap.*5. iterùm explicat, quam intelligit Pęnitentiam, *Hoc enim dico Pœnitentiam, quæ per Dei gratiam oſtenſa, & indicta nobis in gratiam nos Domino revocat ſemel cognitam, atque ſuſceptam, nunquam poſthac iteratione delicti reſignari oportere*, multiſque probat non eſſe iterandam. Deinde ad Pęnitentiam digreditur, quæ ante baptiſmum agenda eſt; qua explicata, & remiſſione per baptiſmum obtenta, ſubdit, *Hæc venena ejus providens Deus clauſa licèt ignoſcentiæ janua, & intinctionis ſera obſtructa, aliquid adhuc permiſit patere. Collocavit in veſtibulo Pœnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus patefaciat, ſed jam ſemel, quia jam ſecundo; ſed ampliùs nunquam, quia proximè fruſtra.* Publicam eſſe eam Pęnitentiam, quæ non iteratur, quæ unica eſt, nemini, ut opinor, notum non eſt.

II. Probato poſt baptiſmum alteram eſſe Pœnitentiam, toto *cap.*9. quomodo ſit agenda illa Pęnitentia ediſſerit, *Hujus igitur Pœnitentiæ ſecundæ, & unius quanto in arcto negotium eſt, tanto operoſior probatio eſt, ut non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur. Is actus qui magis vocabulo Græco exprimitur, & frequentatur, Exomologeſis eſt, &c. Itaque exomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt.* Verba autem omnia in Pęnitentiam publicam conſpirant. *Capite autem* 10. & 11. duo impedimenta removet, quorum remotio quod contendimus ſole clarius illuſtrat. Prius eſt, Confeſſionis publicæ pudor: Sic de eo *capite* 10. *Pleroſque tamen hoc opus, ut publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre præſumo, pudoris magis memores, quàm ſalutis: Velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt, &c.* Et paulò poſt adverſus eos ironicè argumentantur: *Grande planè emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur. Videlicet quid humanæ notitiæ ſubduxerimus proinde, & Deum celabimus, &c. An melius eſt damnatum latere, quàm palàm abſolvi?* Similitudine ad ſignificationem occultiſſimorum criminum magis appoſita non poterat uti. Alterum impedimentum removet, laborem ſcilicet & moleſtiam jejuniorum, vigiliarum, chameuniarum, & ſimilium, quas Pęnitentiam agentes tolerare oportebat, *Quid ſi præter pudorem quem potiorem putant, etiam incommoda corporis reformident, quòd inlotos, quòd ſordulentos, quòd extra lætitiam oportet deverſari, in aſperitudine ſacci, & horrore cineris, & oris de jejunii vanitate?* Vides igitur evidentiſſimè peccati occulti ſive privatim, ſive publicè confeſſi Pęnitentiam de more atque Eccleſiæ inſtituto fieri publicam.

III. Tertulliano jungam S. Pacianum in parænesi ad Pęnitentiam: Non modò enim eandem cum illo ſententiam docet, ſed etiam plerumque ipſius verba, ut eam explicet, mutuatur. Verùm Pacianus disertè peccata graviora à minus gravibus diſtinguit, ſimulque curationis modum. Graviora publicæ, & luctuoſæ Pęnitentiæ curanda tribuit, leviora ſecretæ, & faciliori: Nec ut Tertullianus omnia hinc lugubri Pęnitentiæ indiſcretè committit, ſed tantùm tria illa graviſſima, de quibus jam actum eſt. Hoc initio parænesis profitetur: Sic enim materiam tractandum proponit, *Primùm de modo criminum ediſſeremus, ne quis exiſtimet omnibus omnino peccatis ſummum diſcrimen impoſitum. Tum de his fidelibus dicam, qui remedium ſuum erubeſcentes malè verecundi ſunt, & inquinato corpore, ac polluta mente communicant, &c. Tertiò de his ſermo, qui confeſſis bene, apertiſque criminibus, remedia Pœnitentiæ, actuſque ipſos Exomologeſis adminiſtrandæ aut neſciunt, aut recuſant.* Et paulò poſt. *Primùm igitur, ut diximus, de modo peccantium retractemus, ſedulò requirentes quæ ſint peccata, quæ crimina; ne quis exiſtimet propter innumera delicta, quorum fraudibus nullus immunis eſt, me omne hominum genus indiſcreta pœnitendi lege conſtringere.*

IV. Hoc feciſſe videtur Tertullianus, cùm nuſquam in libro bene longo aut crimina, aut Pęnitentiam diſtinguat, ut certa crimina certæ Pęnitentiæ ſpeciei attribuat. Peccata equidem diſtinxit, ſed ut omnia ad unum, & idem Pęnitentiæ genus damnaret. Pacianum autem de Pęnitentia publica agere evidentiſſimum. Nam ſi de privata illi ſermo eſſet, quid his verbis opus, quæ diſtinguunt inter peccata, & crimina; & peccata quibus diſcrimen ſummum eſt impoſitum, & quibus non eſt impoſitum? De prioribus Pęnitentiam agi, non autem de poſterioribus. Deinde quid opus erat enumeratione, quæ ſtatim ſequitur trium capitalium vitiorum, quibus Pęnitentia imponitur, & aliorum, quibus non imponitur? Fieri non poteſt, ut iſta aliter quàm de publica Pęnitentia intelligantur. Denique quid hæc verba ſibi volunt aliud, *Actus exomologeſis adminiſtrandæ recuſare*, niſi actus illos exomologeſis ex Tertulliano ad quem alludit, jam deſcriptos? Alia ex eodem auctore huic ſcopo appoſitiſſima leges hujus libri *c.*2.

V. Sed audiamus ipſum deſcribentem Pęnitentiam, quam peccatores illi recuſabant. Pauca ex multis referemus: Pacianus enim hoc fusè exaggerat, *Ubi eſt veſtræ carnis interitus? An quod ipſa Pœnitentia lautiores ſemper inceditis, convivio farti, balneis expoliti, veſte compoſiti? Ecce aliquem video aliquando frugi, aliquando pauperculum, aliquando vili tunica ſordulentum: nunc bene cultus, & locuples, & decorus eſt, quaſi imputet Deo quod illi ſervire non potuit.* Hæc perſequitur exemplo Danielis, qui in ſacco, & cinere exanguis ſodalibus loquebatur; Azariæ, qui ſimul cum ſodalibus exomologeſim Deo faciebat. *Nos verò quid tale, quid ſimile? Non dico illa quæ congregamus ad cumulum, cauponando, mercando, rapiendo, foris lucra, intus libidines aucupando, nihil agendo ſimpliciter, nihil pauperibus largiendo, nihil fratribus remittendo. Ne hæc quidem quæ videri à Sacerdote poſſunt, & Epiſcopo teſte laudari. Ne hæc quidem quotidiana ſervamus, flere in conſpectu Eccleſiæ, perditam vitam ſordida veſte lugere, jejunare, orare, provolvi. Si quis ad balneum vocet, recuſare delicias: Si quis ad convivium roget dicere; Iſta felicibus, ego deliqui in Dominum, &c.* Et poſt multa ejuſmodi de Tertulliano verbo tenus tranſſumpta, ſubiicit, *Per communes omnium animas obteſtor, & deprecor, ne pudeat in hoc opere, ne pigeat opportuna quamprimum remedia ſalutis invadere, deiicere mœroribus animum, ſacco corpus involvere, cinere profundere, macerari jejunio, mœrore conficere, multorum precibus adjuvari.* Vel cæco, ut mihi videtur, perſpicuum eſt S. Paciano de Pęnitentia publica quæſtionem eſſe, & ad hanc exhortari, & urgere trium illorum criminum Reos.

VI. Criminum autem ſcelus eum ſpectare, & nullo modo, an ſint publica vel occulta, ex ipſius verbis non minus eſt perſpicuum. Primùm ex homicidiis ea ratione, quàm hujus libri capite enarravimus. Deinde ferè initio parænesis ſic tria illa crimina explicat, ut manifeſtè occulta complectatur: *Addo etiam non ſolas manus in homicidio plecti, ſed & omne conſilium quod alterius animam impegit in mortem: nec eos tantùm qui thura mentis adolevere prophanis, ſed & omnem prorſus libidem extra uxoriam thorum, & complexus licitos evagantem reatu mortis adſtringi.* Et poſt multa, *Ecce iterùm Apoſtolus ad Sacerdotem, Manus citò nulli imponas, nec communicee peccatis alienis. Quid facies tu, qui decipis Sacerdotem? Qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum ſcientem probandi difficultate confundis? Rogo ergo vos, fratres, etiam pro periculo meo per illum Dominum, quem occulta non fallunt, deſinite vulneratam tegere conſcientiam. Prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus etiam ſecaturos, etiam peruſturos, &c.* Hæc criminibus publicis ne per ſomnium quidem accommodari poſſunt. Adjungit multa alia ex Tertulliano, quæ initio capitis breviter enarrata ſunt.

VII. His accedit, quod Pacianus in eos graviter invehitur, qui capitalia illa crimina commiſerant, quique licet præ rubore non eſſent confeſſi, ſanctiſſimum tamen Chriſti corpus comedere non reformidabant. *Qui peccare non erubeſcitis, & erubeſcitis confiteri: Qui cum mala conſcientia Dei ſancta contingitis, & altare Domini non timetis; qui ad manus Sacerdotis, qui in conſpectu Angelorum ſub fiducia innocentiæ acceditis, qui divinæ pęnitentiæ inſultatis, qui tacenti Deo, velut neſcienti pollutam animam, & prophanum corpus ingeritis, audite quid fecerit Dominus, &c.* Exemplum affert Ozæ, qui non explorata conſcientia arcam tetigit; prohibitionem Domini ne ſacrificii carnem immundus comederet, *Levit.*7. & 22. Sermonem S. Pauli 1. *Cor* 11. & alia in eundem finem. Num ſi peccata illa fuiſſent publica, eorum perpetratoribus Sacroſanctum Chriſti Corpus ſanctus Epiſcopus prodidiſſet? Num ſi tantum facinus vir ſanctus commiſiſſet, impunitum dimiſiſſent Collegæ? Num tantopere erubuiſſent

pecca-

peccatores crimina publica confiteri? Num de publicis peccatoribus hæc dici poſſent, *Tacenti Deo, velati neſcienti pollutam animam, & prophanum corpus ingeritis*. Evidens eſt igitur poſt criminis occulti confeſſionem antiquos Patres Pœnitentiam de illo publicam exegiſſe. Immò univerſus Tertulliani, & Placiani ſermo, univerſa rationum, quas explicant acies in occulta crimina ſtringitur, ut Reis perſuadeant ea eſſe Sacerdoti confitenda, & poſt Confeſſionem de iis publicè puniendum. Nam de criminibus publicis res erat explorata. Deinde probatione de occultis inſtructa, idem multò magis de publicis conſequebatur.

CAPUT XIII.

Idem probatur ex Sancto Cypriano.

SAnctum Cyprianum eandem diſciplinam obſervaſſe, ut in Eccleſia Catholica vulgatiſſimam multis argumentis eſt manifeſtum. Primùm ex eo quòd nunquam, ut Pœnitentiam imponat, rationem habet criminis publici, & occulti, ſed tantùm atrocitatis in crimine, ut Pœnitentia majore, vel minore puniatur. Hoc etiam demonſtrat, quòd ferè ſemper de Pœnitentia loquitur, ut de medicina, qua vulnera animæ per peccatum inflicta curantur; & toties aſſerit ſcelera ſine gravi Pœnitentia, non ſecus ac gravia vulnera ſine igne, cauterio, & ſectione curari non poſſe. Ad curationem autem vulneris nihil refert publicè, vel occultè ſit inflictum. Præterea nonnunquam in hypotheſi criminum occultorum Pœnitentiam publicam urget: Immò ſi id quod res eſt, affirmare velimus, nuſquam ad aliam Pœnitentiam, quæ exterior, & Sacramentalis dici poſſit, exhortatur, & urget, quam ad publicam, ut deprehendet facilè, qui omnia ejus opera æquo animo evolverit.

II. Hujus rei multa argumenta ex tractatu de lapſis erui poſſunt. Circa medium tractatus in eo invehitur, qui peccata confiteri, & de iis Pœnitentiam agere recuſant. Erant autem duorum generum. Alii publicè idololatriam commiſerant, nec diffitebantur; alii latenter, necdum accuſati, aut confeſſi. Prioribus erat interdicta communio, donec Pœnitentiam canonicam egiſſent. Verùm eam detrectabant, & propter rationes *lib.9.* examinandas tumultu facto pacem, nulla Pœnitentia acta ſibi redhiberi impudenter contendebant. Poſteriores autem nec erant interdicti, nec interdici poterant. Utroſque tamen ex æquo ad eandem medicinam hauriendam exhortatur, & urget; & poſteriores inſuper nonnullis exemplis docet, quanto cum periculo ſuo ad Sacroſanctam Corporis Chriſti communionem, ante actam legitimam Pœnitentiam obrepant, *Quid cæci oculi iter Pœnitentiæ non vident, quod oſtendimus? Quid perculſa, & alienata mens remedia vitalia non percipit, quæ de ſcripturis cœleſtibus & diſcimus, & docemus, &c. Ecce eorum, qui negaverunt quæ ſupplicia conſpicimus? Quos eorum triſtes exitus flemus? Nec hìc eſſe ſine pœna poſſunt, quamvis necdum dies pœnæ venerit. Plectuntur interim quidam, quo cæteri corrigantur. Exempla ſunt omnia tormenta paucorum.*

III. Poſteà exempla duo refert pœnæ duobus publicis idololatris divinitus inflictæ: Deinde quatuor ejuſdem caſtigationis latentibus, & occultis criminibus illatæ. Primum eſt puellulæ, quam nutrix neſcia matre ad Magiſtratus detulerat, & de idolothytis comederat, quæ poſteà ad Eccleſiam à matre delata Euchariſtiam in os vi infuſam evomuit. Hoc exemplum eo quod ſe præſente contigerat, multis deſcribit, *Secreta tenebrarum ſub ejus luce detecta ſunt; Sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt*. Secundum poſteà ſic breviter enarrat: *At verò ea quæ ætate provecta, & in annis adultioribus conſtituta ſacrificantibus nobis latenter irrepſit, non cibum ſed gladium ſibi ſumens, & velut quædam venena lethalia inter fauces, & pectus Sanguinem admittens angi, & anima exæſtuante concludi poſtmodum cœpit, & preſſuram, non jam perſecutionis, ſed delicti ſui paſſa, palpitans, & tremens concidit. Impunitum diù non fuit, nec occultum diſſimulatæ conſcientiæ crimen; quæ fefellerat hominem, Deum ſenſit ultorem.* Tertium exemplum eodem loco immediatè ſequitur, *Et cùm quædam arcam ſuam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere.* Mulier illa clam idololatriæ crimine polluta communioni ſeſe cum aliis obtulit, & Chriſti Corpus acceptum, pro more illius temporis domum detulit, & in arca, ut tempore commodo illius potiretur, reſervavit. Sed cùm id præſtare vellet, miraculum contigit, quod Cyprianus enarrat. Poſtremum exemplum eſt viri, *qui & ipſe maculatus, ſacrificio à Sacerdote celebrato partem cum cæteris auſus eſt latenter accipere, Sanctum Domini edere, & contrectare non potuit; cinerem ferre ſe apertis manibus invenit.*

IV. His ſic enarratis occaſionem arripit omnes ejuſmodi quomodocunque lapſos indiſcriminatim ad Pœnitentiam exhortandi, & urgendi, *Quàm multi quotidie Pœnitentiam non agentes, nec delicti ſui conſcientiam confitentes, immundis ſpiritibus adimplentur? Quàm multi uſque ad inſaniam mentis excordes dementiæ furore quatiuntur? Nec neceſſe eſt ire per exitus ſingulorum, cùm per orbis multiformes ruinas tam delictorum pœna ſit varia, quàm delinquentium multitudo numeroſa.* Deinde poſt aliqua, eundem ſermonem perſequens adverſus eos invehitur, qui eo quòd latent eorum crimina, ante criminis confeſſionem, & Pœnitentiam actam ad ſacram communionem irrepunt. *Perſpicit ille abdita, & ſecreta, atque occulta conſiderat. Nec Dei oculos poteſt aliquis evadere dicentis; Ego Deus approximans, & non Deus de longinquo. Si fuerit homo in abſconditis, Ergo non videbo eum? &c.* Deinde occaſionem capit eos laudandi, qui licèt modicè, atque animo tantùm peccaverint, id tamen confitentur, & de eo Pœnitentiam agunt: *Quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter, & ſimpliciter confitentes exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licèt, & modicis vulneribus exquirunt, &c. Deluderi Deus, & circumveniri non poteſt, nec aſtutia aliqua fallente deludi. Plus immò delinquit, qui ſecundùm hominem Deum cogitans evadere ſe pœnam criminis credit, ſi non palàm crimen admiſit.* Clarum eſt, Sanctum Cyprianum ex æquo arguere, & qui publicè, & qui latenter ſacrificaverant. Illos, quia peccatum confitentes quod inficiari non poterant, remitti tamen ſibi ſine Pœnitentiæ actione propter Martyrum literas importunis precibus contenderent; hos, quod ad ſacram communionem irrepentes crimen poſteriùs, priore graviùs perpetrarent.

V. His peractis utroſque ad agendam publicam Pœnitentiam ex æquo invitat, & urget, *Convertantur ad Dominum mente tota, & Pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes Dei miſericordiam deprecemur, &c. Lamentari eum putamus ex toto corde, jejuniis, fletibus, planctibus Dominum deprecari, qui ex primo criminis die lavacra quotidie celebrat, qui epulis affluentibus paſtus, &c. An illa ingemiſcit, & plangit, cui vacat cultum pretioſæ veſtis induere, nec indumentum Chriſti quod perdidit cogitare?* Poſtquam hæc, & ſimilia multis perſecutus eſt, enarrat fletus, lugubremque habitum, & totius oris compoſitionem charos amiſſos lugentium, *Animam tuam miſera perdidiſti, ſupervivere hìc tibi, & ipſa ambulans funus tuum portare cœpiſti, & non acriter plangis, non jugiter ingemiſcis, &c. Ecce majora adhuc peccandi vulnera, ecce majora delicta: peccaſſe nec ſatisfacere, deliquiſſe nec delicta flere, &c. Agite pœnitentiam plenam; dolentis, ac lamentantis animi probate mœſtitiam. Nec vos quorundam moveat, aut error improvidus, aut ſtupor vanus, qui cùm teneantur in tam grandi crimine, percuſſi ſunt animi cæcitate, ut nec intelligant delicta, nec plangant. Indignantis Dei major hæc plaga eſt.* Deſcribit poſteà quibus precibus, fletibus, jejuniis, vigiliis, veſtibus, ſacco, & cinere Pœnitentia agenda eſt, quæ ad Pœnitentiam publicam pertinere nullum eſt dubium.

VI. *Epiſtola* 52. ad Antonianum refert quoſdam olim Epiſcopos Provinciæ ſuæ *dandam pacem Mœchis non putaſſe, & in totum Pœnitentiæ locum contra adulteria clauſiſſe*. Num de publicis Adulteris tantùm hoc intelligebant; aut adulterium ſecretò commiſſum aliquot dierum pœnitentiola eluebant? Itaque ex mille criminibus unum forte fortuna puniebant. Adulteriorum enim quotum, quodque publicè innoteſcit? Unde eſt igitur, quod nunquam diſtinguunt inter peccatum occultè, & publicè commiſſum. Tot ſeculis magna animi contentione diſputatum eſt contra Montaniſtas, deinde contra Novatianos de Pœnitentia gravibus criminibus danda, aut non danda. Nunquam tamen legas, diſtinctum eſſe inter crimen occultè, & publicè commiſſum; Pœnitentiam publicam, & ſecretam; ſed equidem inter peccata remiſſibilia, & irremiſſibilia, mortalia, & venialia. Unde eſt quòd paſſim legas, ut in tractatu de lapſis, *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus; alto vulneri diligens, & longa medicina non deſit, &c.* Et apud eundem Cyprianum Clerus Romanus *Epiſt.31. Non ſit minor medicina, quàm vulnus eſt, non ſint minora remedia quàm funera, &c.* Et pleraque alia collecta *lib.1. cap.14.* Nuſquam autem hæc, & ſimilia, Si publicè peccavit

Digitized by Google

vit granditer deflendum, publicè vulnerato longa medicina non deſit. Unde eſt, quòd Virgines Deo ſacratæ, accuſatæ, quòd cum viris in eadem domo habitaverint, atque etiam earum quædam cum eis dormierint, negantes tamen ſe corruptas, ab obſtetricibus diligenter inſpici jubentur, ſi crimen publicum publicè tantùm curatur? Unde eſt quod ait Cyprianus *Epiſt.62. Si autem de eis aliqua corrupta fuerit deprehenſa agat Pœnitentiam plenam, & æſtimato juſto tempore, poſteà exomologeſi facta ad Eccleſiam redeat?* Occaſio quidem criminis detecta, & confeſſa, ſed crimen occultiſſimum, & perſeveranter negatum, ſubtiliſſima tamen indagatione inquiritur, ut probatum publica, graviq; Pœnitentia curetur, & caſtigetur.

CAPUT XIV.

Idem probatur ex Origine, S. Ambroſio, Concilio Ancyrano, variiſque rationibus confirmatur.

IDem non minus evidenter de ſuis temporis conſuetudine teſtatur Origenes *homil.2. in Pſal. 37.* in hæc verba, *quoniam iniquitatem meam ego pronuntio*. Teſtimonium retulimus integrum *lib.2. cap.9.* Ex eo enim evidentiſſimè demonſtratur publica peccatorum occultorum confeſſio; & ſanè multò magis publica Pœnitentia, quod nemini, ut opinor, incertum erit. Quia tamen verba nonnulla publicam quoque Pœnitentiam disertè complectuntur, ejuſdem teſtimonii partem referemus. *Circumſpice diligentiùs, cui debeas confiteri peccatum tuum: Proba prius Medicum, cui debeas cauſam languoris exponere, qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi, & compatiendi noverit diſciplinam, ut ita demum ſi quid ille dixerit, qui ſe priùs & eruditum Medicum oſtenderit, & miſericordem, ſi quid conſilii dederit, facias, & exequaris. Si intellexerit talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortaſſis, & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facilè ſanari, multa hoc deliberatione, & ſatis perito Medici illius conſilio procurandum eſt.* Vide Originem non facere tantùm verba de peccatorum occultorum publica Confeſſione, ſed de eorum publica curatione, & ſanatione utrumque enim ſemper conjungit.

II. Si tamen ſubtiliter, & Dialecticorum more loqui velimus, poſt criminis occulti publicam Confeſſionem agi non poteſt criminis occulti publica Pœnitentia. Confeſſione enim publicè edita crimen ceſſat eſſe ſecretum, & factum eſt publicum, & notorium. Sed eo quòd iſtæ actiones, ut unum quid aggregatum conſiderantur, cujus variæ ſunt actiones, & primæ actionis initio crimen erat occultum, ideò criminis occulti, & confeſſio, & Pœnitentia fieri dicuntur. Magna illa circumſpectio, quàm tantopere commendat Origenes in criminum diſtinctione, & Medici periti probatione, peccatorum publicam confeſſionem præcipuè ſpectat propter pericula, quæ emergere poſſunt maxima. Spectat quoque duplici ratione Pœnitentiam publicam: Priore, propter peccatorum de quibus agenda eſt publica Pœnitentia, electionem: Non enim omnium peccatorum mortem æternam afferentium, agenda eſt publicè Pœnitentia, ut ſupra probatum. Poſteriore, propter peccati curationem ipſam, ut morbo medicamenta idonea, & ſalubria adhibeantur.

III. Idem Origenes *homilia 2. in Leviticum*, enumeratis ſex modis remiſſionis peccatorum obtinendæ, ſeptimam, ſic enarrat, *Eſt adhuc & ſeptima, licèt dura, & laborioſa, per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cùm lavat peccator in lacrimis ſtratum ſuum, & fiunt ei lacrymæ ſuæ panes die ac nocte, & cum non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam ſecundùm eum qui ait, Dixi pronuntiabo adverſùm me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei.* De Pœnitentia publica eum loqui evidens eſt: illa enim à Patribus dicitur, dura, laborioſa, & luctuoſa: De Confeſſione verò criminis occulti ex ſequentibus verbis. Privatim enim illa fit Sacerdoti, ſed publicum crimen publicè ad peccatorum remiſſionem obtinendam enuntiandum eſt. Deinde hunc locum paſſim Doctores Catholici citare ſolent, ut ex eo ſecretam peccatorum occultorum confeſſionem demonſtrent.

IV. S. Ambroſius libros duos de Pœnitentia ſcripſit, ſed ferè ubicumque de peccatorum occultorum confeſſione, & eorum Pœnitentia verba facit, Pœnitentiam publicam intelligit. Vix aliquis locis indicabitur, quem de ſecreta Pœnitentia neceſſe ſit intelligere. Ratio eſt in promptu: Unicus illi ſcopus eſt in Novatianos agere. Sed Novatianorum cum Catholicis controverſia de gravioribus erat criminibus, quorum Pœnitentia ex utriuſque partis conſenſu ſemper erat publica. Ideò nulla erat illis de ſecreta Pœnitentia, controverſia cum minoribus peccatis remiſſionem concederent Novatiani. Dimiſſis tamen cæteris teſtimoniis unum, aut alterum referemus. *Libri 1. cap.16.* refutat data opera Novatianorum errorem, qui de prædicatione Pœnitentiæ gloriabantur, cujus tamen fructum gravioribus peccatis denegabant, *Fruſtrà dicitis vos prædicare Pœnitentiam, qui fructum Pœnitentiæ tollitis.* Propoſitionis ſuæ ratione reddita ſic colligit, *Si quis igitur occulta crimina habens propter Chriſtum tamen ſtudioſè Pœnitentiam egerit, quomodo iſthic recipit, ſi ei communio non refunditur?* Quàm verò Pœnitentiæ de criminibus occultis actionem intelligit? *Volo veniam Reus ſperet, petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut ignoſcatur, obſecret: Et cum ſecundo, & tertio fuerit dilata ejus communio, credat remiſſiùs ſe ſupplicaſſe; fletus augeat miſerabilior; poſteà revertatur, teneat pedes brachiis, oſculetur oſculis, lavet fletibus, &c.* En Pœnitentiam, quam de criminibus occultis exigit! Catholicos inter & Novatianos diſcrimen erat non in actione Pœnitentiæ, & modo, ſed in ſpe veniæ, quam Novatiani à Deo non ab Eccleſia ſperare jubebant.

V. *Libro 2. cap.9.* varias ſuſcipiendæ Pœnitentiæ cauſas enarrat; cujus verò Pœnitentiæ? *Eos, qui Pœnitentiam agunt, hoc ſolùm emere oportet, ne ipſius Pœnitentiæ agant Pœnitentiam. Nam plerique futuri ſupplicii metu, peccatorum ſuorum conſcii Pœnitentiam petunt, & cùm acceperunt, publicæ ſupplicationis revocantur pudore. Hi videntur malorum petiiſſe pœnitentiam, agere bonorum.* Manifeſtum eſt, S. Ambroſium in mente habuiſſe crimina occulta, quorum ſoli Rei ſunt conſcii, licèt de Pœnitentia publica ſit illi ſermo. *Nonnulli ideò poſcunt Pœnitentiam, ut ſtatim ſibi reddi communionem velint, &c. Itaque videat eos mutata veſte incedere quos lugere, & gemere oportebat, quia veſtem illam ablutionis, & gratiæ ſordidarunt. Feminas autem margaritis onerare aures, curvare cervices, quas benè Chriſto non auro inclinarent, &c.* Nullam aliam Pœnitentiam ob oculos ſibi proponit quàm publicam. *Sunt etiam, qui arbitrentur hoc eſſe pœnitentiam, ſi abſtineant à Sacramentis cœleſtibus. Hi ſeveriores in ſe Judices ſunt, qui pœnam præſcribunt ſibi, declinant remedium, quos vel pœnam ſuam conveniebat dolere, quia cœleſti fraudarentur gratia.* Pœna eſt hæc abſtinentia, non peccati remedium. Deinde multis toto *c.10.* docet qua ratione agenda ſit Pœnitentia, in quo nihil eſt, quod ad Pœnitentiam publicam non referatur, & multa quæ ad crimina occulta, *An teſtes precationis, & conſcios refugis, cùm ſi homini ſatiſfaciendum ſit, multos neceſſe eſt ambias, obſecres, ut dignentur intervenire, &c. Hoc ergo in Eccleſia facere faſtidis, ut Deo ſupplices, ut patrocinium tibi ad Deum obſecrandum Sanctæ plebis requiras, ubi nihil eſt quod pudori eſſe debeat, niſi non fateri.* Poſtquam hæc multis exaggeravit, tandem ſic ſcribit, *Meritò reprehenduntur, qui ſæpiùs agendam Pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Chriſto. Nam ſi verè agerent Pœnitentiam, iterandam poſteà non putarent; quia ſicut unum baptiſma, ita una pœnitentia, quæ tamen publicè agitur. Nam quotidianè nos debet pœnitere peccati: Sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.* Pœnitentia igitur illa publica, quæ una eſt, graviorum eſt peccatorum; Privata verò leviorum. Ergo ſecundùm illorum ſeculorum morem peccata gravia occulta, non ſecus ac publica ad Pœnitentiam publicam pertinent; aut falſa eſt S. Ambroſii diſtributio, levia peccata ad privatam Pœnitentiam pertinere, ad publicam graviora.

VI. Eadem diſciplina ex variis Concilii Ancyrani canonibus evidenter colligitur: Peccatis enim ejuſmodi Pœnitentiam publicam inducunt, quæ publica fuiſſe omninò improbabile eſt, aut id fuit quàm rariſſimè, & difficillimè, ut *cap.16.* eos, qui cum brutis nefandè coierunt in tres ordines pro ætatis ratione diſtinguit, in eos qui viceſimum annum ſupergreſſi non ſunt, qui ſupergreſſi matrimonio juncti ad quinquageſimum uſque, & denique qui quinquageſimum exceſſerunt. Hoc crimen publicè commiſſum fuiſſe, quis credat? Gravi tamen, ut par erat, & longa pœnitentia publicè plectitur. Idem & de canonibus 21. 23. 25. æqua ratione dicendum, qui ſic ſe habent, *De mulieribus, quæ ſunt fornicatæ, & fœtus in utero perimunt, & fœtuum necatoriis medicamentis faciendis dant operam, prior quidem definitio uſque ad vitæ exitum prohibebat, & ei quidam aſſentiuntur, ſed humanitate tamen utentes decrevimus, ut decenniam per gradus præfinitos impleant. De voluntariis cædibus ſupplices quidem ſubſternantur; eo autem quod perfectum eſt, in fine vitæ digni habeantur. Quidam cui erat puella deſponſa, ejus ſorori vitium attulit, ita ut*

etiam

Digitized by Google

etiam conciperet ; ſponſam autem poſteà uxorum duxit. Ea autem, cui vitium erat illatum, ſe ſuffocavit. Qui conſcii fuerant, juſſi ſunt decennio in eos, qui conſiſtunt, recipi per gradus definitos. Hæc crimina quàm rariſſimè publica ſunt ; & cum è tenebris in lucem variis indiciis eruuntur, id fit difficillimè : Hoc verò cùm eſt factum, nec privatæ nec publicæ Pœnitentiæ locus eſt, morte puniuntur. Itaque hæc neceſſariò ſunt de criminibus in genere, ſive occultis, ſive publicis intelligenda, quæ privata, & auriculari confeſſione Sacerdotibus prius revelata, publica deinde pœnitentia eluuntur.

VII. Loquendi modus Patrum in poſtremo canone, & hypotheſis ab iis propoſita, idem velut praxi data confirmant. Nam fertur canon, ut alii univerſaliter, *Mulieres*, *De voluntariis cædibus*, *Quicunque*, *&c.* Sed ſingulariter, atque in individuo. Hypotheſis enim ingentis criminis recens commiſſi Patribus proponitur, ut qua ratione ſit puniendum definiant. Quid illi faciunt, ut criminis Reus non reveletur? Nomen non edunt, ſed perſonam ſingularem ne canone ſuo prodatur, indefinitè enuntiant, *Quidam cui erat puella deſponſa*. Termini omnes Syncathegorematici ſunt indefiniti. Erat igitur crimen ſingulare occultum, quod pœnitentia publica eo modo, quo enarratum eſt, puniendum decernunt. Itaque ipſo facto, & praxi id, de quo quæſtio vertitur, eo canone demonſtratur.

VIII. His addere poteſt Lector, quæ de criminum occultorum Confeſſione publica dicta ſunt *lib.* 2. *cap.* 9. *&* 10. Nam ſi eorum Confeſſio publicè nonnunquam edi ſolebat, multò magis Pœnitentia publica. Prætereà oſtendi non poteſt alio modo mille propè, & ducentis annis Eccleſiam in crimina publica animadvertiſſe quàm in occulta ; alios canones pro criminibus publicis, alios pro occultis edidiſſe, ne quidem poſtquam ratione Pęnitentiæ inter crimina publica, & occulta diſtingui cęptum eſt. Iidem canones, eadem pęna utriuſque ſubeunda, ſola ſolemnitatis differentia obſervata, ut demonſtrabimus *lib.* 7. *cap.* 20. 21. Diſtinctum eſt quidem inter Clericos, & Laicos, ita ut illi Pęnitentiam acturi in locum ſecretum amandarentur. Sed mos ille non obſervabatur ad Pęnitentiæ publicationem evitandam. Certum enim, & publicum erat ex depoſitione, non modo ex ceſſatione ab officio, eos in grave crimen cecidiſſe. Deinde licet ad Pęnitentiam cum Laicis publicè agendam in Eccleſiam non convenirent, nemini tamen erat, aut poterat eſſe incognitum eos ad Pęnitentiam agendam juſſu Epiſcopi ſeceſſiſſe. Hæc Laicos inter & Clericos differentia obſervabatur, ut notant antiqui Patres, qui illius mentionem faciunt, eo quod indecorum judicabatur, iis manum imponi, qui cæteris manum imponebant ; pro iis orare, quorum erat officium pro aliis orare. Verùm ſi tantilla differentia toties ab iis adnotata eſt, unde contigit, ut nunquam adnotarint, cùm criminum Reos ad Pęnitentiæ ſtationes condemnant, de peccatoribus publicis ſententias ſuas eſſe intelligendas? Cur millies, & μνεμονις errandi occaſionem præbent, cùm uno verbo eam potuiſſent avertere ; Cur peccatorum ſecretiſſimorum accuſationes ſuſcipiunt, & probatum crimen publica pęnitentia caſtigant? Cur non corripientem peccata ſecreta quæ novit, & pertinaces ad Eccleſiam non deferentem, ut demonſtratum *lib.* 2. *cap. &* 7. gravi Pęnitentia plectebant, ſi mens eorum fuit, & conſuetudo publica tantùm peccata canonibus ſuis vindicare? Ut quid toties teſtantur ſe canonibus ſuis pęnitentialibus vulneribus mederi, quæ crimina animabus noſtris inflixerunt? An vulnerum tantum, quæ crimina publica infligunt, quòd contingit rariſſimè, curam habuere, nullam vero eorum, quæ innumera ſunt, & ſingulis horis experimur?

CAPUT XV.

Poſt annum ſalutis quingenteſimum vulgò uſurpari cępit Pęnitentia quaſi ſemipublica, qua criminum Rei poſt acceptam publicè Pęnitentiam in locis ſecretis includebantur eam acturi. Prima iſtius moris initia eruuntur, & occaſio indicatur.

Dubium eſſe non poteſt multos ab Eccleſiæ dura diſciplina ſubeunda deterritos fuiſſe. Ideò paſſim videre eſt Sanctos Patres magna animi contentione peccatores ad Pęnitentiam amplectendam cohortantes, cujus rei exempla multa retulimus. Hinc factum opinor, antequam mos ille Pęnitentiam publicam pro pleriſque peccatis occultis agendi abrogaretur, ut medium quoddam Pęnitentiæ genus inter occultam, publicamque Pęnitentiam, ſi non ubique, multis ſaltem in locis per Occidentem uſurparetur, quo ſevera ſla ν' δυσφήμητος ſui publicatio quadantenus temperata eſt. Hujus conſuetudinis nonnulla veſtigia, & argumenta leguntur apud auctores poſteriorum ſeculorum, qui diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſuis temporibus obſervatæ legitimi ſunt teſtes: Qualis autem fuerit, ex ipſorum verbis Lector facilè colliget. Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 598. refert ex antiquo codice Gothico Monaſterii S. Æmiliani in Hiſpania Concilium Narbonenſe celebratum æra 627. hoc eſt anno Chriſti 589. cujus canon ſextus eſt ejuſmodi. *Secundùm Concilia priſcorum orthodoxorum decrevit fraternitas, ut quicunque fuerit culpabilis inventus Clericus, aut honoratus de civitate, & ad monaſterium fuerit deputatus, ſic Abba, qui eſt Præfectus cum illo, qui dirigitur, agat, ſicut ab Epiſcopo manifeſta correctione fuerit ordinatus. Aliter ſi Abba facere elegerit, pro correctione tempus aliquod ſuſpendatur ; quia ob hanc cauſam dirigitur, ut emendetur, non ut paſſim ferculis diverſis ſaturetur.* Ex hoc canone clarum eſt, honoratos cives in Actione Pœnitentiæ Clericorum in Hiſpania, & Galliæ parte tractari ſolitos: in monaſteria ſcilicet relegatos, in quibus Abbas Pœnitentiam juxta præſcriptum Epiſcopi ab iis exigere tenebatur.

II. Herivæus Remenſis Archiepiſcopus in Epiſtola ad VVitonem Archiep. Rotomagenſem de Pœnitentia injungenda Baptizatis, & non baptizatis, &c. quæ habetur *part.* 2. *tom.* 9. Bibliothecæ Patrum editionis Colonienſis refert ex libro miraculorum S. Baſilii Cæſarienſis Juvenem quendam Chriſtianum Chriſto renuntiaſſe, & ſcripto in Diaboli nomen juraſſe, eumque à S Baſilio tandem converſum fuiſſe, & poſt actam Pœnitentiam dæmonem omnibus videntibus ſchedulam per aerem demiſſam S. Baſilio reddidiſſe. In hujus miraculi enarratione hæc habentur, *Dicit ad puerum idem Sanctus ; Credis ſalvari? Qui ait, credo, Domine, adjuva incredulitatem meam. Et continuò apprehendens manum ejus, faciens Chriſti ſignum in ipſo, & orans recluſit eum in uno loco interioris ſacri periboli, & dans ei regulam collaborabat ei per tres dies.* Et poſt aliquanta, *Quadrageſimo die ipſe Sanctus ad eum rediit, & dicit ei, Quomodo habes frater? &c.* Sic ante annos circiter 800. referebat ex illo libro Herivæus. Quando autem compoſitus fuit ille miraculorum liber, mihi ignotum eſt ; ſed cum inter antiquos eum Herivæus recenſeat, ponamus annis ducentis, aut aliquot minus Herivæum præceſſiſſe, cumque hunc pœnitendi modum uſitari cœpiſſe.

III. Eundem morem indicat *canon.* 7. Concilii Toletani 11. quod celebratum eſt anno 675. Querelæ fuerant ad Concilium delatæ de quibuſdam Eccleſiarum Rectoribus, qui odio quodam in ſubditos commoti eorum peccata graviſſimè, & indiſcreta admodum Pœnitentia vindicabant. *Relatum eſt nobis, quod quidam ex fratribus, plus livore odii quàm correctionis ſtudio ſubditos inſequentes, dum ſe ſimulant ſpiritualem eis adhibere correctionem indiſcretam ſubitò afferunt mortem, cùm inauditos à ſe proiiciunt, & occultis eos judiciis ſub Pęnitentia puniunt.* Vitium erat, quod in Eccleſiæ Prælatis ſæpè redarguunt Sancti Patres, & cujus cauſa ſæpiſſimè monent, ut omni perſonarum acceptione poſthabita æqua omnibus judicia dictent, non privato odio ducti, non amicitia, non conſanguinitate, non favore, aut quovis alio animi affectu. Hoc ſupra vidimus, Sanctum Clementem, alioſque Patres ipſis tanta cùm verborum inſtantia commendaſſe ; SS. Hieronymum, & Gregorium eos ideò admonuiſſe mundos ex immundis ſe pro libidine facere non poſſe, eorum ſententiam divini Judicis ſententiam ſequi neceſſe, ut in cœlo rata habeatur. Hoc idem diligenter admonent Patres Cabillonenſes *cap.* 34. *Quia Apoſtolo teſte non eſt perſonarum acceptio apud Deum, & in omnibus judiciis ſervanda non eſt, multò magis in hoc Pœnitentiæ judicio præcaveri debet, ut nullus Sacerdotum unquam aut gratia, aut odio alicujus perſonæ ſecus judicet, quàm quod in canonibus ſacris invenerit, aut quod illi ſecundùm Sanctarum ſcripturarum auctoritatem, & Eccleſiaſticam conſuetudinem rectiùs viſum fuerit, &c.* Idem, & Burchard. *lib.* 19. *cap.* 100. ex Alexandri Papæ decretis, & alii plerique frequentiſſimè : ſed non eſt hic locus iſta perſequendi. Unde digreſſa eſt, revertatur oratio.

IV. Nobis præſertim attendendum eſt juris remedium, quod Toletani Patres adhiberi volunt, ne Sacerdotes aliqua animi perturbatione correpti in hæc vitia præcipitentur, *Non ergo de cætero perverſis voluntatibus ſit liberum ſimulare, quod fingunt ; ſed quotieſcunque quilibet ex ſubditis corrigendus eſt, aut publica debet à Sacerdote diſciplina curari : aut ſi aliter Rectoribus placet, duorum, vel trium fratrum ſpiritualium teſtimonio peculiariter adhibito, & modus criminis agnoſcatur, & modus Pœnitentiæ irrogetur : ita tamen ut ſi exilio,*

vel

vel cetruſione dignum eum eſſe, qui deliquit, judiciam peculiare decreverit, modus Pœnitentiæ, quam coram tribus fratribus Sacerdos tranſgreſſori indixerit, ſpeciali debeat ejus, qui ſententiam protulit, manus propriæ ſubſcriptione notari, Nec tacenda ſunt commoda, quæ hinc Patres deducunt, *Sicque fiet, ut nec tranſgreſſores ſine teſtimonio excidia vitæ ſuæ incurrant; nec Rectores accuſatos, ſed de quorumlibet interemptionibus erubeſcant*. Maxima ſanè fuit tum temporis in Hiſpania Sacerdotum auctoritas, qui non modò Pęnitentes in aliquo loco ſecreto, ut in aliis regionibus moris erat, includebant, ſed etiam exilio mulctabant. Tres illæ ſpirituales perſonæ in conſilium, & teſtimonium Pęnitentiæ imponendæ non agendæ vocantur. Hoc multis poſteà ſeculis Pęnitentium precibus ſæpè factum eſt, cùm Sacerdotem judicarent canonum non ſatis peritum. Rogabant enim, ut ſibi aliquem virum doctum etiam non Sacerdotem ſibi adſciſceret, qui cum eo confeſſionem audiret, & cujus conſilio adjutus canonicam imponeret Pęnitentiam; ſed de hac conſuetudine poſteà.

V. Antiquiſſimum Sacramentarium Romanum, cujus uſus erat ante Sanctum Gregorium, poſt ipſius mortem tamen ſcriptum, non modo ejuſdem conſuetudinis meminit, ut jam communis, verùm etiam eſſe obſervandam monet: ſic habet, *Ordo agentibus publicam Pęnitentiam. Suſcipis eum quarta feria manè in capite Quadragesimæ, & cooperis eum cilicio, oras pro eo, & includis uſque ad Cęnam Domini, qui eodem die in gremio præſentatur Eccleſiæ, & proſtrato eo omni corpore in terra dat orationem, ſuper eum ad reconciliandum in quinta feria Cęnæ Domini, ſicut ibi continetur*. Poſteà in fine Miſſæ feriæ 5. in Cœna Domini in eodem codice ſic legitur, *Ordo agentibus publicam Pęnitentiam, Egreditur Pęnitens de loco, ubi Pęnitentiam geſſit, & in gremio præſentatur Eccleſiæ proſtrato omni corpore in terra, & poſtulat in his verbis Diaconus, Adeſt ô venerabilis Pontifex, &c.* fortè legendum, *impoſito Pœnitentia*.

VI. Gregorius II. Papa, qui Pontificatum iniit anno 714. teſtis eſt locuples ejuſdem conſuetudinis non modò invaleſcentis, ſed jam obtinentis. Ita ſcribit *Epiſtola* 2. ad Leonem Iſauricum Imperatorem, quam refert Baronius ad an. 726. *Vides, Imperator, Pontificum, & Imperatorum diſcrimen? Si quiſpiam te offenderit, domum ejus publicas, & ſpolias, ſolam illi vitam relinquens, tandemque illum etiam vel ſuſpendio necas, vel capite truncas, vel relegas, eumque longè à liberis, & ab omnibus cognatis, & amicis ſuis amandas. Pontifices non ita: Sed ubi peccarit quis, & confeſſus fuerit, ſuſpendii, vel amputationis loco Evangelium, & crucem ejus cervicibus circumponunt, eumque tanquam in carcerem in ſecretaria, ſacrorumque vaſorum ærario conjiciunt in Eccleſiæ Diaconio, & in Catechumena ablegant, ac viſceribus eorum jejunium, oculiſque vigilias, & laudationem ori ejus indicant: cùmque egregiè caſtigarint, probèque fame affixerint, tam pretioſam illi Domini Corpus impartiunt, & ſancto illum ſanguine potant, & cùm illum vas electionis reſtituerint, ac immunem peccati ſic ad Dominum purum, inſontemque tranſmittunt*. Deſcribit loca, in quibus Pœnitentes publici includebantur ab initio, ut plurimum Quadrageſimæ aduſque Cœnam Domini: Hoc enim tempus tam ex jam dictis, quàm ex dicendis hoc capite colligitur. Perpetuò tamen obſervatum fuiſſe, ut in ejuſmodi locis includerentur, non exiſtimarem, cum libri rituales iſtius rei non meminerint: ſed locus huic actioni commodus in unaquaque regione, & Diœceſi, atque etiam Parœcia electus eſt: Ideò Sacramentaria, librique rituales de locis illis generaliter loquuntur. Hinc eſt quòd Pęnitentium curam Archidiaconis, & Parœciarum Archipræsbyteris demandabatur, qui eos in capite Quadrageſimæ, & in die Cœnæ Domini Epiſcopo repræſentare tenebantur, ut ex libris ritualibus conſtabit. Quod attinet ad morem illum Evangelia, & cruces collis Pœnitentium circumponendi, hoc in Pœnitentiæ ſignum factum fuiſſe alibi non legi. Mos fuit eo ſeculo ſpecialis Eccleſiæ Romanæ, & finitimarum regionum.

VII. Ekbertus vir ſuo tempore doctiſſimus Gregorio coætaneus ſed junior; factus eſt enim Archiepiſcopus Eboracenſis, cùm obiit Gregorius, ſic ſcribit, *Ordo agentibus publicam pœnitentiam. Suſcipit eum quarta feria manè in capite Quadrageſimæ, & cooperis eum cilicio, oras pro eo, & includis uſque ad Cœnam Domini, qui eodem die in gremio præſentatur Eccleſiæ, & proſtrato eo omni corpore in terra dat orationem ſuper eum, &c.*

VIII. Anno 742. habita eſt Synodus ex Epiſcopis Francis præſide Sancto Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino, quæ habetur initio *lib.* 5. *Capitularium*. Inter cætera iſtius Synodi decreta hoc legitur, *Statuimus ſimiliter, ut poſt hanc Synodum, quæ fuit XI. Kal. Majas, ut quiſquis ſervorum Dei, vel Ancillarum Chriſti in crimen fornicationis lapſus fuerit, ut in carcere Pœnitentiam faciat in pane, & aqua, & ſi ordinatus Præsbyter ſit, duos annos in carcere permaneat, & antea flagellatus, & ſcorticatus videatur, & poſt Epiſcopus adaugeat. Si autem Clericus, aut Monachus in hoc peccatum ceciderit, poſt tertiam verberationem in carcerem miſſus vertentem annum ibi Pęnitentiam agat. Similiter & Nonnatæ velatæ eodem Pœnitentiæ contineantur, & radantur omnes capilli capitis earum.* Anno ſequente confirmatur Synodus illa in Synodo Liptinis habita. Prima periodus de quibuslibet Chriſtianis intelligitur: Secunda de Præsbyteris: Tertia de cęteris Clericis, & Monachis; poſtrema de Sanctimonialibus: Pœnæ tribus poſtremis impoſitæ extraordinariæ ſunt, & Principum conſenſu inflictæ: Synodo aderat Carolomannus Princeps, & quæ decernebantur, auctoritate, & ſuffragio ſuo confirmabat: Poſteà in Occidente Epiſcoporum poteſtate creſcente pœnæ illæ vulgatæ fuerunt. Diutiſſimè hanc auctoritatem conſervarunt Epiſcopi, atque etiamnum multis in locis conſervant. Sed cùm primùm hæc cœperunt, & aliquot poſteà ſeculis ad Confeſſionem Sacramentalem iſta pertinebant, nec mos erat iſta ſeparare. Hoc eſt, poſt peccati Confeſſionem ipſis ejuſmodi Pœnitentia canonica imponebatur, & ea exacta Abſolutio concedebatur, & Corporis Chriſti communio. Diſtinguendum ſemper, ut alibi docuimus inter ſpontaneam criminis Confeſſionem, & convictionem: multò enim clementiùs excipiebatur, qui ſpontè fatebatur, quàm qui accuſatus, & convictus. In eodem ſenſu intelligi poteſt ejuſdem libri c. 64. *Quia communione ſeparantur, in locis ſceleſti fuerant, per manus impoſitionem recipiant communionem.*

IX. Eodem tempore florebat, & ſcribebat Flaccus Alcuinus Ekberti diſcipulus Caroli Magni nepotis Carolomanni præceptor. Ille *libro de divinis Officiis cap. de Cœna Domini, Poſt hæc egreditur Pœnitens manè de loco ubi Pœnitentiam geſſit, & in gremio Eccleſiæ præſentatur proſtrato omni corpore in terra, tunc decantantur hi Pſalmi, &c.* Deſcribitur reconciliationis forma, & ritus.

X. Ordo Romanus, cujus auctor Alcuino antiquior eſt, cùm ab eo citetur, in ordine Cœnæ Domini, Hora tertia ſonetur ſignum, ut omnes veniant in Eccleſiam in qua Chriſma debet conſecrari. *Tunc egrediatur Pœnitens de loco, ubi Pœnitentiam geſſit, ut gremio præſentatur Eccleſiæ. Sedente autem Pontifice pro foribus Eccleſiæ, Pœnitentibus in atrio Eccleſiæ eminus cum Archidiacono juſſum illius præſtolantibus, antequam eos offerat, poſtulat Archidiaconus his verbis, Adeſt ô venerabilis Pontifex, &c.* Eadem habet antiquiſſimus ejuſdem ordinis codex à nobis exſcriptus, cujus verba relata ſunt *lib.* 4. *cap.* 16. Eadem quoque leguntur in antiquiſſimo codice Longobardico, qui ad Abbatiam Sancti Remigii Rhemenſis pertinet, quæ eodem capite retulimus.

XI. Chrodogangus Epiſcopus Metenſis, qui Pipino regnante, cujus ex ſorore nepos erat, vivebat, Canonicorum regulam compoſuit, ex qua multa ſunt excerpta in antiquo codice, cujus character ſeptingenteſimum annum excedit: Hæc autem ad rem noſtram.

De reconciliatione Pœnitentis capitale crimen, Ordo Pęnitentiam agentis publicam hic eſt, ſuſcipies eum quarto ferio manè in capite Quadrageſimæ, id eſt, in capite Jejuniorum, & cooperies eum cilicio, & oras pro eo, & includes eum uſque in Cœnam Domini; qui eodem die præſentatur in gremio Eccleſiæ: Quidum vocatus venerit ad reconciliandum ante Epiſcopum, vel Clerum eum omni humilitate proſtrato, omni corpore ſuper terram, ante Abſidam petat ab omnibus veniam. Et Epiſcopus, vel qui ſub eo eſt, det orationes ſuper eum ad reconciliandum in quinta feria Cęnæ Domini. Antiquum Pontificale Toloſanum ſcriptum annis centum, aut inſuper paucis aliquot poſt Chrodrogangum; *Hac oratione expleta, recludatur Pęnitens in loco ſecreto uſque ad Cœnam Domini deputato, ſibi idoneo teſte, qui ſollicitè inſpiciat inſtantiam devotionis ejus, &c.*

XII. Iſtius conſuetudinis initia videntur multò longiùs repetenda. In Africa enim, dum viveret Sanctus Auguſtinus, nonnulla deprehenduntur illius veſtigia. Quomodo aliter intelligi poteſt, quod idem Auguſtinus ſcribit homilia poſtrema libri quinquaginta homiliarum? *Si peccatum ejus non ſolùm in gravi ejus malo, ſed etiam in tanto ſcandalo eſt aliorum, atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ videtur Antiſtiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere Pœnitentiam non recuſet, non reſiſtat, non lethali, & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem.* Quæ præcedunt verba iſta, fusè relata ſunt ſupra *cap.* 3. atque etiam alibi. Ut quid enim illa disjunctio

exe-

Digitized by Google

exegetica, *In notitia multorum, vel etiam totius plebis Pænitentiam agere*, niſi mos ſaltem in Africa uſurpari jam cœpiſſet in locum aliquem ab Eccleſia ſeparatum, ubicunque tandem fuiſſet, Pœnitentes relegare, ubi Pęnitentiam Ephoris quibus obſervantibus agerent? Videtur enim omninò ex illius Provinciæ more in peccatis occultis, de quibus aliqui clam ſcandalizati ſunt, Pœnitentiæ optio data, publicæ, aut ut ita dicam, ſemi-publicæ.

XIII. Non abs re huc refertur *canon. 7. Concilii Tolet. 1.* quod vivente, & adhuc juvene S. Auguſtino celebratum eſt, *Placuit ut ſi quorumcunque Clericorum uxores peccaverint (ne fortè licentiam plus peccandi habeant) accipiant mariti earum hanc poteſtatem præter necem cuſtodiendi, ac ligandi in domo ſuo ad jejunia ſalutaria non mortifera cogentes: ita ut invicem ſibi Clerici pauperes auxilium ferant, ſi ſervitia fortè non habeant. Cum uxoribus autem ipſis, quæ peccaverint, nec cibum ſumant, niſi fortè ad timorem Dei acta Pænitentia revertantur.* Quod Clerici auctore Concilio uxores ſuas peccantes ſic excipiant, & ad Pęnitentiam conſtringant, potuit ad alios ἀναλόγως transferri, hoc eſt, dimiſſa illa maritali poteſtate, quæ aliis convenire non poteſt, potuit Eccleſia quod ſupereſt in aliis peccantibus obſervare, eorumque peccata in locis privatis per jejunia, aliaque opera laborioſa curare.

XIV. Illuſtrari, & confirmari conſuetudo poteſt alia, quam erga Competentes idem Africani Patres obſervabant, cujus mentionem facit Sanctus Auguſtinus *lib. 2. c. 1.* de Symbolo ad Cathecumenos, *Quid eſt, dilectiſſimi, quod in vobis celebratum eſt? Quid eſt, quod hac nocte circa vos actum eſt? Quod præteritis noctibus actum non eſt, ut ex locis ſecretis ſinguli produceremini in conſpectu totius Eccleſiæ, ibique cervice humiliata, quæ malè fuerat ante exaltata, in humilitate pedum cilicio ſubſtrato in vobis celebraretur examen, &c.* Quemadmodum igitur in locis aliquot ſecretis Competentes aliquandiu continebant, ut diligentiùs eorum vitam, mores, converſionem, ſtudia explorarent, antequam eos baptiſmi gratia imbuerent: ita in gravium peccatorum pœnitentia ſimile quid propter eaſdem rationes feciſſe videntur, antequam Pęnitentibus reconciliationis gratiam elargirentur. Forſan etiam non modò antiqui illi Patres Africani, ſed etiam poſteriores, quorum teſtimonia multa relata ſunt, alia ratione ducti ſunt, nempè quod nonnullos aliquando deprehenderent, quibus Pœnitentia publica perſuaderi non poſſet, ideò judicarunt eos hac ſemipublica purgandos, ut hæc poſterior prioris vice fungeretur. Homericū enim illud in pœnis Eccleſiaſticis ſæpiſſimè locum habet, ἄποντα ἢ σ' ἄως ἰμᾶξυ, ſed tempori, quantum ſalva fide, & pietate poteſt, ſerviendum, atque etiam perſonis, ut toties monent canones, & Pœnitentialium auctores. Vix dubium eſſe poteſt, eos in hoc Pęnitentiæ publicæ temperamento ob oculos ſibi propoſuiſſe Præsbyterorum Pœnitentiam, ut quos ad publicè in Eccleſia pęnitendum rationibus adigere non poterant, Præsbyterorum ſaltem more pœniterent. Præter utriuſque actionis ſimilitudinem eò collimare videtur Concilii Narbonenſis canon initio allegatus.

XV. Non modò propriæ Clericorum erant Pęnitentiæ ejuſmodi, ſed etiam Monachi ſponte eas ſubibant, ut ille, de quo fusè diſſerit Sanctus Chryſoſtomus parænesi ad Theodorum lapſum. Lapſus erat graviter Monachus ille, quem Phenicem Urbani filium nominat: A ſocio prudenter admodum converſus hanc optat, & ab eo ſuſcipit Pęnitentiam. In domuncula includitur, paniſque, & aqua à ſocio ei ſuppeditatur, quærentibuſque de ſe, reſpondere rogavit ſe ſomnum capere, *Perſeveravitque illic per omnem vitam in jejuniis, in precationibus, in lacbrymis repurgans animam à ſorde peccati.* Simile quid alii feciſſe commemorantur, licèt nullius gravis peccati conſcientia tenerentur, ut Alexandra Virgo inſignis, quam dicit Palladius *cap. 5.* ſe in monumento incluſiſſe, ut à nemine videretur, ibique annis 12. aduſque vitæ finem perſeveraviſſe. Teſtatur Theodoretus in Philotheo, Macedonium quendam Monachum à Sytis Gubbam dictum, quod in foſſa profunda habitaret. Sed antiqua illa ritualia aliquid aliud prætereà nos docent, incluſionem illam factam fuiſſe in capite quadrageſimæ, atque in Cęnam uſque Domini perduraſſe; quo tempore reconciliabantur, qui reconciliatione digni judicabantur. Interrogabis, quid faciebant, & quid circa illos reliquo anni tempore, & ſequentibus annis agebatur? libro ſequenti diſtinctiùs, & commodiùs explicabitur.

CAPUT XVI.

Quinque differentiæ explicantur inter Pænitentiam propter peccata publica, & eandem propter occulta publicè actam. Primis ſeculis differentia illa multo minor fuit.

NOn abs re Lector percontabitur, Num ulla eſſet differentia inter Pęnitentiam publicam de peccato publico, & de occulto. Præpoſterum enim videtur, eum, cujus crimina plebem latent, in conſpectu plebis Pęnitentiam agere, non ſecus ac ille, qui plebem univerſam crimine ſuo ſcandalizavit. Multiplices fuerunt differentiæ, quarum aliquas enumerabimus. Prima occurrit ea, quæ refertur in Concilio Carthag. 3. *cap. 32.* qui à nullo canonum Collectore omittitur, *Cujus Pænitentis publicum, & vulgatum crimen eſt, quod totam Eccleſiam commoverit, ante Abſidem ei manus imponatur.* In publico crimine manus Pęnitenti imponebatur publicè in media Eccleſia ante Abſidem, hoc eſt, in gremio navis Eccleſiæ Epiſcopo extra Sanctuarii cancellos, ſed ipſis vicino, tergoque in ipſos obverſo ſedente, Cleroque ipſi aſſidente. Abſis enim, vel Abſida Eccleſiæ Sanctuarium eſt. Epiſcopus igitur ante Abſidem ſedens Clero circumdatus circumfuſo populo, peccatori publico manum imponit. Nec refert manus impoſitionem intelligas reconciliatoriam, an admiſſoriam ad Pęnitentiam: Utraque enim ſolemni fiebat ritu. Ex hoc canone non evidenter colligitur, negativa propoſitio. Cùm crimen non eſt ejuſmodi, ut univerſam Eccleſiam commoverit, illi manus non eſſe neceſſariò ante abſidem imponendas. Sicut igitur ſecretò confeſſus eſt, ſic & ſecretò poteſt abſolvi, nec eſt neceſſe, ut in publica populi Synaxi reconcilietur. Notabit tamen Lector vulgata Chriſtianorum tam Occidentalium, quàm Orientalium conſuetudine, utrumque Pęnitentem in die Cęnæ Domini fuiſſe reconciliatum, niſi periculum imminens reconciliationem præcipitaret. Nam eo tempore propter diei feſtivitatem, & communionis Euchariſticæ ſolemnitatem, non modò publicæ, ſed etiam privatæ reconciliationes fieri ſolebant. Verùm cùm de reconciliatione Pęnitentium publicorum propter crimina occulta quæſtio vertebatur, facilè, & multis de cauſis Paſchale tempus pręveniri poterat. Vide, quæ de die, & ſolemnitate reconciliationis dicentur infrà *lib. 9. c. 24.*

II. Secunda differentia. Publicè Pęnitens ob crimen occultum finita Pęnitentia, aut imminente periculo à Præsbytero quolibet potuit ſecretò reconciliari inconſulto Epiſcopo. Sed publicè Pęnitens ob crimen publicum nullo caſu à Præsbytero reconciliari poterat inconſulto Epiſcopo, niſi extrema neceſſitas licentiæ petendæ tempus intercluderet. Generaliter autem Præsbyteris interdictum erat Pęnitentes publicos quacunque de cauſa Pęnitentiam publicam agerent, niſi licentia ab Epiſcopo ſpecialiter conceſſa, publicè reconciliare, non ſecus ac Virgines benedicere, Eccleſias, & altaria, calices, & alia ejuſmodi conſecrare. Sanctus Leo *Epiſt.* 88. ad Epiſcopos Galliæ, & Germaniæ inter cætera, quæ Chorepiſcopis interdicta sũt, multò magis Præsbyteris, hoc enumerat, *Nec publici quidem in Miſſa quenquam Pænitentem reconciliare.* Eadem enumerantur à Concilio Hiſpalenſi 2. *cap. 7.* quibus ſimiliter additur, *Sed nec publicè quidem in Miſſa quenquam Pænitentium reconciliare.* Idem & iiſdem verbis longo poſt tempore ſtatuit Concilium Vormacienſe *cap. 8.* Sed ante hos omnes idem prohibuerant Patres Carthaginenſes *cap. 3.* Concil. 2. *Reconciliare quenquam Pænitentem in publico miniſterio Præsbytero non licet.* Conſtat autem evidentiſſimè tam ex his canonibus, quàm ex antiquis libris ritualibus, qui ſigillatim, & Miſſæ, & reconciliationis ordinem explicant, Pęnitentium reconciliationem inter Miſſarum ſolemnia factam fuiſſe. Quum autem illis temporibus unum eſſet in Eccleſia altare in totius plebis conſpectu, & Miſſam, & reconciliationem celebrari neceſſe erat. Quum igitur publicè, in Miſſa, aut publico Miniſterio quenquam Pęnitentium reconciliare Præsbyteris prohibitum eſſet, ſanè conſequens eſt extra publicum miniſterium hoc illis aliquando permiſſum fuiſſe.

III. Obiici poteſt, citatos canones non diſtinguere inter Pęnitentem publicum ob crimina occulta, & publica: Nulla igitur eſſe debet in conſequente, hoc eſt in reconciliatione diſtinctio. Qua igitur de cauſa diximus, Pęnitentem publicè ob crimina occulta extra publicum miniſterium à Præsbytero, ſine licentia Epiſcopi reconciliari poſſe; Pęnitentem verò ob crimina publica non poſſe? Diſtinctionis illius neceſſitas petitur ex

primo

primo canone citato cum ſequentibus comparato. Crimina publica publicè tantum reconciliari debent, ac proinde non ſecretò, ut vult famoſus ille canon: ſed canones alii citati prohibent, tantùm publicè reconciliare pęnitentem, non prohibent ſecretò. Ergo ſunt quædam criminale, de quibus Pœnitentia agitur publica, quæ tamen ſecretò licèt reconciliare, & alia, quæ ne ſecretò quidem. Sed poſteriora hæc definit canon primus ea eſſe, quæ totam Eccleſiam commoverint. Priora igitur ſunt occulta de quibus Pœnitentia agitur publica. Hoc confirmat canon, qui præcedit famoſum illum, *Præsbyter inconſulto Epiſcopo non recuncilizet Pęnitenſem, niſi abſentia Epiſcopi neceſſitate cogente*. Quæ ſunt autem illa crimina, quæ ſolus debet Epiſcopus reconciliare, niſi aliter fieri cogat neceſſitas, ſtatim explicant Patres, *Cujuſcunque autem Pœnitentis publicum, & vulgatiſſimum crimen eſt*, &c. Unde evidenter colligitur, ſi crimen illud non ſit publicum, & vulgatiſſimum illius abſolutionem à Præsbytero extra illam neceſſitatem, & extra miniſterium publicum concedi poſſe.

IV. Tertia differentia. Impoſitio Pęnitentiæ publicæ ob crimina publica, ut reconciliatio, publicè inter Miſſarum ſolemnia, atque in totius Eccleſiæ conſpectu fiebat: Impoſitio verò Pœnitentiæ publicæ ob crimina occulta, ſicut & reconciliatio, privatim à Præsbytero, & Epiſcopo inconſulto plerumque fiebat. Nec enim erat neceſſe, cùm quiſque ex animi devotione Pęnitentiam publicam ſuſcipiebat, ut undequaque publicam ſuſciperet. Ratio hujus differentiæ eadem eſt, quæ præcedentis: Nam inſignes illæ actiones publicæ Epiſcopis reſervabantur. Unde ſemper legere eſt in libris ritualibus, & Sacramentariis, non modo antiquis, ſed & recentioribus, Epiſcopos & publicè reconciliare, & publicè Pęnitentiam imponere. Ideò Concilium Agathenſe *cap.*44. univerſaliter pronuntiat, *Benedictionem quoque ſuper plebem in Eccleſia fundere, aut Pœnitentem in Eccleſia benedicere Præsbytero penitus non licebit*, Immò ne Chorepiſcopis quidem id licebat, ut refertur in *Epiſt.*4. Damaſi Papæ, Leonis *Epiſt.*88. Concilio Hiſpal. 2. *cap.*7. Poſteà tamen iis permitti cœpit, ut in Concilio Meldenſi *cap.*44. *Chorepiſcopus impoſitioni pęnitentiæ, aut pœnitentiam recuncilistioni per Parochiam ſecundùm mandatum Epiſcopi ſui inſerviat*. Sed privatim Præsbyterum Pęnitenti benedicere, & Pęnitentiam imponere, quam poſteà publicè exequatur, nihil impedit.

V. Notabit Lector iis ſeculis, quibus de criminibus occultis Pœnitentia publica geri conſuevit, nullam fieri diei definiti mentionem, quo Pœnitentia publica ſolemniter imponeretur, ut pluribus exponemus *lib.*7. *cap.*18. Id fiebat, quoties ſeſe dabat occaſio. Cùm aliquis gravis alicujus criminis publicè Reus erat, aut publicè convictus ante Abſidam Eccleſiæ magna cum ſolemnitate deducebatur, ibique circunſtante fidelium, & Clericorum corona crimen confitebatur, ſupplexque veniam deprecabatur: Tumque ſuper ipſum Pœnitentiales preces fundebantur, & manus imponebantur, pęnæque pęnitentiales ſubeundæ publicè, omnibus audientibus præſcribebantur. Cùm verò crimen erat occultum, hęc omnia ſecretò fiebant, niſi forſan Reus devotionis zelo omnia publica poſtularet. His autem ſecretò ab Epiſcopo, vel Præsbytero præſtitis, Pœnitentium publicorum gregi adſcribebatur, veſtem aliis ſimilem indutus, eadem Eccleſiæ parte ſtans, cum iis à ſacrificio pulſus, eidemque impoſitioni manuum ſuppoſitus, & iiſdem ritibus quotidie purgatus. Ideò poſt impoſitionem illam ſecretò, ut dictum eſt, factam nullo poſteà diſcrimine ab aliis Pœnitentibus facto excipiebatur. Hinc Patres eos exhortantes, ſermonemque ſuum in mediis concionibus ad eos dirigentes nulla diſtinctione facta eos Pœnitentes compellent, ut videre eſt paſſim apud Sanctum Ambroſium, Pacianum in exhortatione ad Pœnitentiam ſæpiſſimè, & in variis homiliis Sanctorum Auguſtini, Cæſarii, & Eligii, & aliis pleriſque. Habes ſupta *cap.* 8. hujus rei teſtimonium evidens, in quo adnotantur duo propter crimina publica Pœnitentiam publicam agere, nihilominus tamen cùm cęteris Pęnitentibus, ſecundùm omnia permiſcentur, & æquantur.

VI. Quarta igitur differentia, Pœnitentem ob peccata publica neceſſe erat crimen publicè confiteri: Cùm enim crimen ponatur publicum, illud publicè non fateri, diffiteri eſt. Sed publicè ob peccata occulta Pœnitentem nullo modo neceſſe erat publicè confiteri. Hoc poſterius probatione non eget, nec etiam prius egere videtur. Præcipit hoc Concilium Antiochenum *can.* 2. *Qui ingrediuntur Eccleſiam, & audiunt ſacras Scripturas, non verò communicant oratione cum populo, aut averſantur ſuſceptionem Euchariſtiæ propter aliquam inſolentium, eiiciantur ab Eccleſia, quod confiteantur, & oſtenderint fructus pęnitentiæ, & deprecentur veniam*. Quæ de peccatis occultis publicè antiquitus confeſſis *cap.* 6. & 7. 8. & 9. *lib.*2. demonſtrata ſunt, multò magis de publicis intelligi debent. Itaque huc referenda eſſent, quæ ex Tertulliano, Paciano, Ambroſio, & multis aliis ibi retulimus. Eorum, qui erant in fletu, hoc proprium erat crimen omnibus confiteri, licèt ſæpiſſimè occultum eſſet, aut tale ſaltem, quod probari non potuiſſet. Sanctus Baſilius *can.* 56. *Debet quatuor annis deflere ſtans extra fores Oratorii, & fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur* ἐξαγορεύων τὴν ἰδίαν παρανομίαν, *Confitens, declarans, & evulgans proprium peccatum.* Et *can.*73. *Qui Chriſtum negavit, & ſalutis myſterium tranſgreſſus eſt, eum toto vitæ ſuæ tempore deflere, & confiteri convenit*. Ut Sanctus Irenæus de quibuſdam mulieribus ab Hæreſiarcha Marco corruptis teſtatur. Sanctus Clemens *lib.*2. Conſtit. Apoſtol. *c.*18. *Lapſos move, & qui in jejunio premis, leva in remiſſione, & eum, qui luxit, recipe, cuncta Eccleſia pro eo deprecante*, &c. Qua ratione deprecaretur Eccleſia, niſi eſſet ipſi cognitum peccatum, & judicaret actam pœnitentiam eluendo peccato ſufficere, jamque dignum eſſe Pœnitentem, cui venia donetur. Sic ſæpè apud Cyprianum legis totam Eccleſiam, aut veniæ donandæ reclamare, aut ut donetur deprecari. Toto item *cap.* 10 ejuſdem libri de officio agens Epiſcopi, *Oportet enim in delictu alterius non convivere ſilendo, ſed potiùs arguere, monere, caſtigare, jejuniis ſtringere, ut aliis metum, & reverentiam iniciat*. Cætera omitto, quæ ſunt evidentiſſima. Sic *cap.* 16. *Cùm delinquentem videris, jube eiici furas*, &c. Vult poſteà Diaconos pro eo rogare ſi pœniteat, *Poſteà jubebis eum ingredi Eccleſiam, & facta examinatione an pęniteat, ſitque dignus, qui in Eccleſiam ex toto admittatur, caſtiga illum jejuniis*, &c. *ea locutus, quæ eum, qui de peccatu commiſſo alium admonendi cauſa increpat, ducere, & admonere convenit*. Publicè eiicitur, publicè in Eccleſia examinatur criminis acta Pęnitentia; publicè arguitur, & corripitur, juxta Pauli præceptum 1. ad Timoth. *cap.* 5. *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant*. Publicè igitur fateri crimen neceſſe eſt, aut nulla ejus Pęnitentia tangitur. Primus enim Pęnitentis animi actus eſt peccati Confeſſio, ut res ipſa poſtulat, & toties nos docent Patres. Quid? ſi cum publicè de peccato corripitur, illud diffiteretur, num de eo Pœnitentiam concepiſſe dicendus eſſet? Ut tandem finiam, lege, quæ Sanctus Paulus ſcribit de Corinthio inceſtuoſo *c.* 5. *Epiſtolæ primæ ad Corinthios, & c.* 2. *Epiſtolæ ſecundæ*.

VII. Quinta differentia. Quum peccatum erat publicum ad Pœnitentiam publicè agendam peccatores excommunicatione, & omnimoda ab Eccleſia expulſione cogebantur. At quum peccatum erat occultum Pęnitentiæ publicæ actio erat ſpontanea, hoc eſt, ad eam cogi non poterant ulla Excommunicatione, aut Sacramentorum publica denegatione. Peccatori equidem ejuſmodi ſecretò confitenti, niſi pęnitentiam canonicam agere vellet, reconciliationem ſecretò denegabat Sacerdos, ſed quod ultrà in eum ageret, nihil habebat. Nam, ut docet Sanctus Auguſtinus homilia poſtrema *lib.* 50. *homil. Nos à communione prohibere quenquam non poſſumus*, &c. *niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſive ſeculari, ſive Eccleſiaſtico judicio nominatim atque convictum. Quis enim ſibi utrumque audeat aſſumere, ut cuiquam ipſe ſit & accuſator, & Judex?* Quæſtionem iſtam, omneſque ejus appendices explicatæ ſunt *lib.*2. *c.* 15. Quapropter hoc monuiſſe ſatis eſto. Ex iiſdem S. Auguſtini verbis prius differentiæ membrum perſpicuè colligitur, nempè quum peccatum erat ſponte confeſſum, vel ita publicum, & notorium quocunque modo id contingeret, illius peccati Reum niſi pęnitentiam ageret, fore excommunicandum. Totus liber Sancti Auguſtini de fide, & bonis operibus in eo verſatur, ut probet, nec baptiſmum Catechumenis, nec Pœnitentiam baptizatis, qui à vitiis non abſtinent, eſſe concedenda, ſed utroſque à tanto beneficio eſſe conſtanter arcendos. Sanctus Baſilius *c.* 23. *Qui ſui fratris uxorem accepit, non priùs admittetur, quàm ab ea receſſerit*. Sic can. ſequente de Vidua, quæ annum agens ſexageſimum Deo conſecrata eſt, *Si rurſus cum viro habitare voluerit, boni communione non dignabitur, donec ab impuritatis perturbatione ceſſaverit*. Et *can.*84. *Quod ſi qui à propriis moribus non facilè avellantur, & carnis voluptatibus potiùs quàm Deo ſervire voluerint, vitamque ex Evangelio inſtitutam non admittant, nulla eſt nobis cum illis communis ratio*. Sic Sanctus Innocentius *Epiſt.*2. non priùs permittit pœnitentiam ei mulieri dari, quæ cùm Deo eſſet conſecrata, vel publicè

blicè

Digitized by Google

blicè nupſit, vel clanculò ſeſe corrupit, quàm is cui eſt conjuncta deceſſerit. Aquiſgran. Concil. *c.134. Si quis in collegio Canonicorum culpam criminalem admiſerit, huic nulla danda eſt dilatio, quin aut ſponte pœnitentium pro admiſſo crimine gerat; aut ſi id agere recuſaverit, coram Epiſcopo deducatur, ut ab eo publica mulctetur pœnitentia.*

VIII. Severior multò fuit poſteriorum temporum diſciplina: Regnantibus enim Caroluvingiis paſſim auctoritate regia per Germaniam, Italiam, & Galliam Peccatores publici ad pęnitentiam publicè agendam coacti ſunt, ut *lib.* 7. demonſtrabimus. Ante illa ſecula ſola auctoritate ſpirituali, Sacramentorum ſcilicet denegatione, aut etiam ab Eccleſia expulſione ad eam agendam cogere mos fuerat. Antiquiſſima diſciplina hac media fuerat aliquanto ſeverior. Ejuſmodi enim hominibus ſi moribundi reconciliationem, & pœnitentiam peterent, quam ſani non petiiſſent, reconciliatio denegabatur, & negatis ſalutis auxiliis Dei judicio deſerebantur: de qua conſuetudine *lib* 9. Quanquam autem hæc ita ſe habuerint à ſeculo tertio ad ſeptimum exiſtimarem, tamen ante ſeculum quartum, & vigentibus perſecutionibus multò minorem fuiſſe in utraque pœnitentia differentiam. Vix enim in Tertulliani, & Cypriani ſcriptis, & eorundem ſeculorum canonibus ullius differentiæ veſtigia comparent.

CAPUT XVII.

Inhabilitatis ad ordines ſuſcipiendos, vel exercendos cauſa eſt crimen commiſſum, non publicè acta de crimine pœnitentia. Quo caſu publicè pœnitens inhabilitatem illam non contrahebat. An alibi quàm in Hiſpania ageretur de levioribus culpis publica pęnitentia. Quid de pœnitente publico ſtatuebatur, qui tamen gravioribus criminibus leviora tantùm confitebatur. Gravis difficultas ex duobus canonibus conſurgens explicatur.

LEctis, quæ capite præcedente enarrata ſunt, non abs re percontari quis poſſet. Num axioma illud, Publicè pęnitentes non ſunt ordinandi, ex æquo ſpectet publicè propter crimina publica, & occulta pœnitentes: Num aliquod diſcrimen inter utramque pœnitendi cauſam ſit admittendum, & iis, quæ mox explicata ſunt, adjungendum? Demonſtratum eſt *cap.* 13. libri præcedentis nemini licitum fuiſſe gravis criminis Reo ad ſacras ordinationes provehi, & Antiquos pœnitentiæ ſolemnitatem in ſacrorum ordinum collatione non ſpectaſſe, ſed perpetrati criminis gravitatem. Idem etiam colligitur ex iis, quæ nobis infrà probanda ſunt. Revera enim pęnitentiæ publicè ſolemnitas, humileſque actiones in ea ſubeundæ non infamiam ſed laudem, eamque maximam merentur: Eatenus tantùm infamiam inurere poſſunt, quatenus in criminis alicujus pœnam, & remedium infliguntur: Unde conſequi videtur, pœnitentiam publicè agit, aliquod ergo crimen grave commiſit. Primò igitur crimini convenit iſta ad ſacros ordines inhabilitas, deinde pœnitentiæ publicæ, quæ criminis anteà perpetrati eſt argumentum. Eadem ratio eſt criminum à Clericis commiſſorum, quibus deponuntur. Iis enim perpetratis dignitati non amplius reſtituuntur, ſive pœnitentiam egerint, ſive non egerint, ut demonſtravimus libri præcedentis *cap.* 14. Quapropter ex antiquorum Patrum mente non refert, ad inhabilitatem ſacrorum ordinum contrahendam, pęnitentiam quis agat propter crimina publica, aut occulta: criminis enim atrocitas, non criminis pęnitentia, aut pęnitentiæ modus, inhabilitatis illius cauſa eſt.

II. Efficax ejuſdem propoſitionis argumentum nobis ſuppeditant aliqua Hiſpaniæ Concilia. In illa enim Provincia frequens fuit Laicis, & Clericis publicam pietatis, & devotionis cauſa pęnitentiam agere. Sic autem illi diſtinguebant; Si nulla crimina pęnitentiam ſuſcipiens publicè confeſſus fuerit, ſi Laicus eſt, acta pęnitentia poterit ad ordines promoveri; Si Clericus, dignitatem recuperare. Quòd ſi crimina confeſſus fuerit, nec Laicus ordines ſuſcipere poterit, nec Clericus exercere. Non igitur pęnitentia criminis publica, ſed crimen ab ordinibus ſuſcipiendis, vel exequendis hominem prohibet. Sic Concilium Toletan. 4 *cap.* 54. cui aderant Epiſcopi 62. & Epiſcoporum Vicarii multi. *Hi, qui in diſcrimine conſtituti pœnitentiam accipiunt, nulla manifeſta ſcelera confitentes, ſed tantùm peccatores ſe prædicantes, hujuſmodi ſi revelaverint, poſſunt etiam pro morum probitate ad gradus Eccleſiaſticos pervenire. Qui verò ita Pœnitentiam accipiunt, ut aliquod mortale peccatum perpetraſſe publicè fateantur, ad Clerum, vel ad honores Eccleſiaſticos pervenire nullatenus poterunt, quia ſe Confeſſione propria notaverunt.* Ratio igitur repudiationis eſt criminis perpetratio, quæ ſpontanea confeſſione, vel convictione cognoſcitur, non autem de crimine acta pęnitentia. Id etiam demonſtratur ex ejuſdem Concilii *canone* 19. ubi fit longa enumeratio vitiorum, & defectuum, quorum cauſa à ſacris ordinibus aliqui canonicè arcentur, ſed imprimis ii, de quibus agimus, collocantur, *Qui non promoventur ad Sacerdotium, ex regulis canonum neceſſariò credimus inſerendum, id eſt, qui in aliquo crimine detecti ſunt, Qui infamiæ nota aſperſi ſunt, Qui ſcelera aliqua per publicam pęnitentiam admiſiſſe confeſſi ſunt, &c.* Subaudiendum ex canone præcedente, *publicè*; Non modo igitur quorum ſcelera deteguntur, irregulares ſunt, ſed etiam qui ſua publicè enuntiarunt. Nec ex canone præcedente tantùm id colligitur, ſed ex cauſis irregularitatis ante enumeratis, & potiſſimùm ex quindecim, aut ſexdecim, quæ poſt enumerantur: Omnes enim publicæ ſunt, & ejuſmodi, quæ delatæ nulla tergiverſatione negari poſſunt.

III. *Canon.* 10. Concilii 13. Toletani idem velut ex antiquo more de Sacerdotibus ſtatuit, & quod de Laicis jam dictum eſt, confirmat. Gaudentius Valerienſis Epiſcopus morbo graviter afflictus pęnitentiam publicam ſuſceperat. Sanitate recuperata Synodum conſuluit, *Utrùm accepta pęnitentia, liceret ſibi præcepta ſui ordinis contrectare myſteria, vel Miſſarum ſolita explere officia.* En Epiſcoporum 48. & Vicariorum 27. reſponſum, *Collatis in unum de hujuſmodi canonicis inſtrumentis, hoc ſancta Synodus definivit, ut reconciliatione præmiſſa, ſoliti ordinis exerceant officia.* Reſponſi ratio plurimum conſideranda eſt, *Si enim regulæ præcedentium Patrum, eos, qui pœnitentiam in diſcrimine mortis accipiunt, & nulla de ſe manifeſta ſcelera confitentur (ſi adſit tamen in his, & talibus probitas morum) ad Eccleſiaſticos gradus pervenire permittunt, quanto magis ut hi, qui in ipſo Sacerdotio conſtituti pęnitentiam accipiunt, à ſui ordinis officio retrahantur, tantùm ſi ſe ipſi mortalium criminum profeſſione propria non notarunt.* Deinde poſtquam alias iſtius diſciplinæ rationes attulerunt, tandem ſic decernunt. *Quicunque Pontificum, vel Sacerdotum deinceps per manus impoſitionem pœnitentiæ donum exceperint, nec ſe mortalium criminum profeſſione notaverint, tenorem retinendi regiminis non omittant; Sed per Metropolitanum reconciliatione pœnitentium more ſuſceptæ, ſolita compleant ordinis ſui officia.*

IV. Hormiſdas Pontifex *Epiſtola* 25. aliàs 4. *cap.* 1. rationes reddit, propter quas Pœnitentes ab ordinibus arceri debent, quæ eandem diſciplinam mihi confirmare videntur, *Nec tantùm de Laicis conſecrari inhibemus, ſed de pœnitentibus quiſquam quidem ad hujuſmodi gradum prophanus temerator aſpiret; Satis illi poſtulanti ſit veniæ. Qua conſcientia abſolvat Reum, qui ſe peccata ſua populò ſcit teſte confeſſum? Quis enim quem paulò ante vidit jacentem, veneretur Antiſtitem? Præferens miſerandi criminis lubem, non habet lucidam Sacerdotii dignitatem.* Totam ab ordinibus pęnitentes arcendi rationem petit à crimine, & criminis confeſſione: Qui igitur nulla criminis confeſſione ſe dedecoravit, licèt pœnitentiam publicè agat, nulla ordinum ſuſcipiendorum inhabilitate tenetur. Idem ſtatuere mihi videtur admodum evidenter Concilium Toletanum 1. quod quarto annis 233. eſt antiquius cùm explicat *can.* 2. quem pœnitentem intellexerit ordinum incapacem. *De eo verò pœnitente dicimus, qui poſt baptiſmum, aut pro homicidio, aut pro diverſis criminibus, graviſſimiſque peccatis publicam pęnitentiam gerens ſub cilicio divino fuerit reconciliatus altario.* Sunt igitur duplices Pœnitentes publici; Alii pœnitentiam agunt propter crimina perpetrata; Alii ſponte ſua, & animi devotione, nullius criminis, propter quod ſolet agi pęnitentia ſibi conſcii. Cum prohibent canones pęnitentem ſacris ordinibus initiari, prius, inquit Concilium, pęnitentium genus intelligunt, non poſterius.

V. Ut jam vidiſti, Lector, exemplum illuſtre pęnitentiæ publicæ à Gaudentio Epiſcopo Valerienſi ſine criminis confeſſione ſuſceptæ, atque ideò ex decreto Concilii Toletani 13. nullam ab ordinum exercitio ea peracta ceſſationem inferentis: Ita legitur in Concilio Toletano 10. illuſtriſſimum in perſona Potamii Bracarenſis Archiepiſcopi exemplum pęnitentiæ, ob crimen occultiſſimum ſponte confeſſum ſuſceptæ, Conciliique pęnitentem Archiepiſcopum perpetua depoſitione, & ad ordines exercendos inhabilitate mulctantis. Hiſtoriam retulimus, & explicavimus hujus libri *cap.* 10. quod Lector adire poteſt.

VI. Animum duo ſubeunt, quæ negotium faceſſere poſſunt. Prius eſt, An alibi quàm in Hiſpania, & Gallia Aquitanica uſitatum fuerit iſtud pœnitentiæ publicæ genus ſine

ulla

Digitized by Google

ulla criminis confeſſione ſuſceptæ, atque hoc demonſtrato, an alibi, ut in Hiſpania nullum ad ſacros ordines ſuſcipiendos, & exercendos impedimentum attulerit. Reſpondeo, me non videre, quamobrem alibi non fuerit uſitata: Cùm enim hoc Pęnitentiæ genus ex vehementiſſima animi erga Deum pietate, & ardenti peccatorum odio procedat, cur hoc cæteris nationibus denegetur, non video. Deinde nonnullis argumentis colligitur ejuſmodi pœnitentiam, alibi quàm in Hiſpania, frequentem fuiſſe. Romæ, & in Italia frequentatam demonſtrant Sancti Innocentii verba *c.7. Epiſt.1. De Pęnitentibus verò, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pænitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat*. De Pœnitentia publica Innocentium verba facere, nemini dubium eſt. Pœnitentiam verò publicam ratione criminum duplicem commemorare videtur manifeſtum. Ea quæ de levioribus agebatur, ut eſt per ſe evidens, nec irregularitatem inducebat, nec ſui neceſſitatem: Omnes autem canonum Collectores hoc Sancti Innocentii decretum collectionibus ſuis inſeruerunt. Quapropter quot Collectores, tot ſunt iſtiuſmodi Pęnitentiæ teſtes. In Africa ſimiliter tempore Cypriani frequens erat, ut vel ex hoc ſolo in tractatu de lapſis teſtimonio evidentiſſimè colligitur, *Quanto & fide majores, & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii, aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter, & ſimpliciter confitentes. Exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licèt, & modicis vulneribus exquirunt*. Nullibi autem inhabilitatem ad ordines induxiſſe criminis levitas demonſtrat, & inſuper confirmant quæcunque allata ſunt, non modò hujus libri *cap.*2.4.5. ſed etiam libri præcedentis *cap.* 13. & 14. Atrocia enim tantùm crimina pœnitentiæ publicæ neceſſitatem in Eccleſia Dei induxerunt, & ordinum ſuſcipiendorum, vel exercendorum prohibitionem.

VII. Poſterior difficultas occulta crimina reſpicit, quæ ut Lectori perſpecta habeatur, triplex nobis eſt conſtituenda hypotheſis. Vel enim ſuſcepturus pęnitentiam crimina publicè confitetur; Vel ſecretò, vel nulla confitetur. De prima ſpecie non eſt nobis quæſtio: Conſtat enim ex antedictis, & ſæpiùs probatis ad ordines ſuſcipiendos, vel exercendos eſſe intentum. Secundæ ſpeciei eadem propè ratio; utroque impedimenti genere, & ligamine conſtringitur, ut innumeris argumentis hoc libro, & præcedente probatum eſt. Supereſt igitur tertia hypotheſis examinanda, cujus iterum tres poſſunt eſſe ſpecies, quarum examen non erit ſupervacaneum. Prima eſt mentientis, qui crimina commiſit per pœnitentiam tantùm purganda, & conſequenter *ἀκανονίαν* inducentia, ſed nulla ejuſmodi confitetur: Pœnitens iſte fidei ſuæ committitur. Eorum quæ non apparent, & quæ non ſunt, eadem ratio, ajunt Juriſconſulti; nec fieri aliter poteſt, cùm de incognitis homines ſententiam ferre non poſſint. Non aliter igitur excipietur hic pœnitens, quàm ſi nulli criminī fuiſſet obnoxius. Sic reſpondit ea hypotheſi propoſita Concilium idem Toletan. 13. in fine ejus canonis. *Cæterum, ſi ut dictum eſt, ſub Pœnitentiæ perceptione confiſſus nihil mortalis criminis ſe admiſiſſe prædixerit, attamen quod fateri hominibus erubeſcit, intra clauſtra ſui pectoris deliteſcit, noverit ipſe ſibi de ſe poteſtatem eſſe conceſſam, ut juxta conſcientiæ ſuæ fiduciam, utrùm audeat, aut non ſacrificare Deo, ex ſuì potiùs arbitrii poteſtate, quàm ex noſtri judicii permiſſione procedat*. Sic decreverat aliquot ante hoc Concilium annis Concil. Neocæſar. *cap.9. de Præsbytero lapſo, Quòd ſi ipſe non confiteatur, apertè autem convinci non potuerit, illius quoque ei fiat poteſtas*, id eſt, non modò cathedræ, ſed etiam ſacrificii faciendi honore, & fructu potiatur. Nonnullæ difficultates hic proponi poſſunt, quas ſupra *lib.2.c.14.* ſolutas habes.

VIII. Secunda ſpecies ejuſmodi Pęnitentis eſt, qui nullis quidem ſordidatus eſt criminibus, propter quæ Pęnitentia publica ſecundùm canones imponi ſolet, vel quæ irregularitate damnata ſunt, ſed ea tamen commiſit, quæ poſſunt eum præmio vitæ æternæ fruſtrare. Pęnitentia hac de cauſa ſuſcepta ea propriè eſt, quam canones intelligunt, dum affirmant, Pęnitentiam, in qua nulla crimina enuntiantur, irregularitatem non inducere. Non enim exiſtimandum eſt ſic Pęnitentem nulla prorsùs confiteri crimina ne leviora quidem. Ut quid enim diuturnam pœnitentiam ſubiret, & ea peracta aliorum pęnitentium more reconciliaretur, ut teſtantur diſertiſſimè Concilium Toletanum, Innocentius, & Cyprianus? Deinde ipſum Concilium Tolet. *c.* 10. in quo hoc pęnitentiæ genus diffusè explicatur, id diſertis verbis docet, *Pęnitentia enim ad hoc ſuſcipitur, ut peccatum diluat, & peccati ſordes hominem iterare non ſinat. Qui ergo confidit per ſuſceptam Pęnitentiam dimiſſa ſibi peccata, cur confidenter ad altare Domini non accedat?* Et paulò poſt repetit, *Etenim Pęnitentia in remedium peccati accipitur*. Tertia ſpecies eſt, cùm pęnitentiam publicam ſuſcipiens nulla revera crimina confitetur, ne leviora quidem: ſed tantùm delicta, quæ vulgò venialia dicuntur. Ejuſmodi omnium maximè aberant ab irregularitate contrahenda. De his duabus peccatorum leviorum ſpeciebus intelligitur à Patribus, ea Pœnitentia publica, quæ nec Laicos à ſuſcipiendis ordinibus, nec Clericos ab exercendis prohibet: Quibus rectè, ut par eſt, perpenſis, clarum eſt, non pœnitentiæ publicæ ſolemnitatem, ſed criminis gravitatem utriuſque irregularitatis cauſam eſſe.

IX. In Conciliis Gerundenſi *cap.9.* & Barcinonenſi primo *c.*8. aliquid videtur ſpeciale, atque ut ita dicam, locale. In Barcinonenſi enim jubentur moribundi poſt pœnitentiam ſuſceptam convaleſcentes pœnitentiam agere, ſine manus impoſitione, *De his, qui in infirmitatibus pęnitentiam à Sacerdote accipiunt, ſi poſteà convaluerint, vitam Pęnitentium peragant, excepta manus impoſitione, &c.* Gerundenſe verò duplicem iſtiuſmodi convaleſcentium Claſſem conſtituit; unam eorum, quibus manus poſt ſanitatem recuperatam imponebantur; alteram eorum, quibus non imponebantur. Poſteriores videtur ad Clerum admittere, ſi vitiis prohibitis non inficiuntur, non autem priores. Itaque iſtis Patribus non Pœnitentia, ſed manus impoſitio Pœnitentiæ conjuncta inhabilitatem illam cauſatur. Quia tamen vix credibile eſt, iſtos Patres ab aliis diſſenſiſſe, ſatiùs eſt dicere, canonem Gerundenſem de Pœnitentia publica verba non facere, ſed ſimpliciter de Abſolutione, quæ moribundo dari ſolet, quamque communio Euchariſtica conſequebatur. Dicit igitur, hunc hominem ita reconciliatum, ſi ſanitate recuperata pœnitentiam publicam non profiteatur, & vitiis non prohibetur, ad Clerum admitti poſſe. Ergo, regeres, ſi pœnitentia publica fuiſſet aſſectus, repulſam ab ordinibus pateretur, ac proinde Pœnitentia publica per ſeipſam irregularitatem cauſatur. Negatur conſequentia, eo quòd ex jam dictis examinanda fuiſſet Confeſſio præcedens, quæ ſi crimina enuntiaſſet, tum pœnitentia publica impedimentum attuliſſet. Sed nulla fuit pœnitentia publica ſuſcepta nec in morbo, nec poſt morbum, ergo nulla impedimenti cauſa prætexi poteſt. Si poſt morbum ſanus illam ſuſcipiat, quod canon ponit non facturum, tum examinata Confeſſione judicabitur, an ſit necne admittendus: Non admittendus, ſi crimina confeſſus fuerit; admittendus, ſi nulla. De his duobus canonibus plura hujus libri *cap. penultimo*.

CAPUT XVIII.

Publicè pænitentibus militiam, & munera ſecularia Matrimonii uſum, & alterius contractum interdicta fuiſſe quibuſdam in locis ſeveriſſimè. Antiquiore tamen obſervatione Matrimonii, & Matrimonialis actionis interdictum cum pænitentia ceſſaſſe.

EXplicatis rationibus, propter quas Pęnitentia agebatur publica, publicationis moderatione, differentiis, quas afferunt variæ publicationis cauſæ, & examinata in actione pęnitentiæ publicæ inhabilitatis ad ſacros ordines ſuſcipiendos, vel exercendos cauſa, nobis videtur opportunum mira quędam, & ſtupenda pęnitentiæ publicæ adjuncta enarrare, quando cęperint, qua ratione tandem invaluerint, ubi eorum uſus, & praxis viguerit: Quæ temperamenta huic ſeveritati allata ſunt, quando tandem obſoleverint, quæ praxis recentior obſoletæ ſucceſſerit: Varia inſuper incommoda, quæ ex hac obſervatione exoriri videntur, explicare, eaque cum alia recentiore praxi, & vix faciliori comparare. Stupenda illa pęnitentiæ publicæ adjuncta multiplicia quidem ſunt, ſed in duo capita facilè contrahi poſſunt. Prius eſt, Matrimonii, quod ad torum attinet, perpetua ſeparatio, & mortuo conjuge ne altero Matrimonio jungantur, ſevera interdictio. Poſteriùs, à militia ſeculari, cui anteà vacabant, hoc eſt, ab officio ſeculari, quòd exercebant, cùm illius exercitium peccatorum occaſiones ſeſe ſuppeditabat, ut militia bellica, mercimonia, forenſes cauſæ, judicia civilia, & ejuſmodi, perpetua ceſſatio, non tantùm eo tempore, quo pęnitentiam agebant.

II. Hæc

Digitized by Google

II. Hæc niſi teſtatiſſimis auctoritatibus demonſtrarentur, incredibilia planè, & meritò viderentur. Sed teſtimoniis adeò evidentibus, frequentibus, & auguſtis fulciuntur, ut nulla vel tenuiſſima dubitationis umbra ſupereſſe poſſit. Syricius Pontifex *Epiſt.* 1. *cap.* 5. ab Himerio Tarraconenſi Epiſcopo interrogatur, quid faciendum eſſet iis, *Qui Actu Pœnitentia tanquam cunes, ac ſues ad vomitus priſtinos, & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuò appetivere concubitus. Quorum profeſſum incontinentiam generati poſt abſolutionem filii prodiderunt*. En quibus elogiis ornet in pœnitentibus conjugium novum, aut conjugii prioris amplexus, & artis, quam ante Pœnitentiam profitebantur, iterationem. Quid Himerio reſpondeat nunc attendamus, *De quibus quia jam ſuffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut ſola intra Eccleſiam fidelibus oratione jungantur, &c. A Dominicæ autem menſæ convivio ſegregentur, ut hac ſaltem diſtrictione correpti, & ipſi in ſe ſua errata caſtigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obſcœnis cupiditatibus retrahantur*. Communionem tamen illam in extremis vult illis redhiberi, quia fragilitate peccaverunt. Emphaſis verborum, qua in vituperatione actionum iſtarum utitur, dubium forſan movere poſſet alicui, an de illicitis natura ſua actionibus eſſet illi ſermo. Sed præter novorum conjugiorum, & cinguli militiæ expreſſionem teſtimonia, quæ ſequuntur, dubium iſtud facile diſſolvunt, & Emphaſim ſermonis confirmant. Concilium enim Aurelian. 3. *cap.* 24. paucis verbis idem ſtatuit, *Si quis Pœnitentiæ benedictione ſuſcepta ad ſecularem habitum, militiamque reverti præſumpſerit, viatico concesſo uſque ad exitum, excommunicatione plectatur*. Idem de agentibus Pœnitentiam decernit Concilium Arelatenſe 2. *cap* 21. quod Siricius de iis, qui egerant. *Pœnitentes, quæ defuncto viro alii nubere præſumpſerint, vel ſuſpecta, vel interdicta familiaritate cum extraneo vixerint, cum eodem ab Eccleſiæ liminibus arceantur. Hoc etiam de viro in Pœnitentia poſito, placuit obſervari*. Conjungit in eundem faſcem, eademque plectit pœna alterum pœnitentis Matrimonium, & interdictam, vel ſuſpectam familiaritatem. Eadem repetuntur Capitul. *l.* 7. *c.* 237.

III. Concilium Barcinonenſe 1. *cap.* 7. de militia ſeculari, & moribus teſtimonium perhibet; *Ut pœnitentes epulis non intorſint, nec negotiis operam dent in datis, & acceptis, ſed tantùm in ſuis domibus vitam frugalem agere debeant*. Sed Barcinonenſe ſecundum *cap.* 4. continentiam poſt Pœnitentiæ benedictionem ſeveriſſimè injungit, *Si qua Virgo propria voluntate abjecta Laicali veſte devotarum more induta caſtitatem ſervare promiſerit: Vel ſi qui hominum utriuſque ſexus pœnitentiæ benedictionem expetendo à Sacerdote perceperint, & ad terrena connubia ſponte tranſierint; aut violenter abſtractæ fœminæ à pudicitiæ violatore ſe ſequeſtrare noluerint, utrique ab Eccleſiarum liminibus expulſi, ita ab hominum Catholicorum communione fiat ſeparati, ut nulla prorſus eis vel colloquii conſolatio ſit relicta*. Æquant Patres Matrimonium, dum agitur Pœnitentia contractum, inceſtis, & ſtupris publicis. Similiter Concilium Ilerdenſe *can.* 6. *qui Pœnitenti viduæ, vel Virgini religioſæ vim ſtupri intulerit, ſi ſe ab eo ſequeſtrari noluerint, pariter à communione, & à Chriſtianorum conſortio ſegretur*. Sanctus Leo *Epiſt.* 92. ad Ruſticum Narbonenſem, & Concilium Toletanum ſextum iſta multis docent, & jubent, rationeſque obſervationis explicant. Sed quoniam variis temperamentis hanc ſeveritatem moderantur, eorum teſtimonia ſtatim infra referemus, quò nunc Lector ſi velit ampliùs ſibi ſatisfactum recurrere poteſt.

IV. Hæc omnia complectitur, & explicat *cap.* 15. liber de vera, & falſa Pœnitentia, quem Gratianus, Lombardus, & his antiquiores auctores ſub nomine Sancti Auguſtini citare ſolent, *In his omnibus dolens aut ſeculum derelinquat, aut ſaltem illa, quæ ſine admiſtione mali non ſunt adminiſtrata, ut mercatura, & militia, & alia, quæ utentibus ſunt nociva, ut adminiſtrationes ſecularium poteſtatum, niſi his utatur ex obedientiæ licentia*. Et poſt aliqua, *Abſtineat à multis licitis, qui per libertatem arbitrii commiſit illicita. Semper offerat Deo mentem, & cordis contritionem, &c. Cohibeat ſe præterea à ludis, & à ſpectaculis ſeculi, qui perfectam vult conſequi gratiam remiſſionis*. Clarum eſt ex iſtius auctoris verbis, ſicut ex nonnullis aliis quos citavimus, quid apud Siricium, & antiquiſſimos auctores per militiam intelligendum ſit. Nihil de nuptiis aut Matrimonio, quia ante illius auctoris ſeculum mos ille non nubendi deſueverat.

V. Sancti tamen Auguſtinus, & Ambroſius ad hunc morem alludentes deo verba faciunt tanquam uſitato quidem ſed non neceſſario. Unde colligere eſt, in Africa, & in Provincia Mediolanenſi uſurpatum eo tempore fuiſſe, ſed perpetuum illud Matrimonii interdictum apud eos nondum viguiſſe. Ita Sanctus Auguſtinus *ſermone* 58. *de Tempore*, *Fortè eſt aliquis, qui dicat, Ego in militia poſitus ſum, uxorem habeo, & ideò Pœnitentiam agere quomodo poſſum? Quaſi nos quando Pœnitentiam ſuademus hoc dicamus, ut unuſquiſque magis ſibi capillos ſtudeat auferre, & non præcepta dimittere, & veſtimenta potius evolvat quàm mores*. Unde illa objectionis anticipatio, niſi ex vulgata jam apud multos conſuetudine Pœnitentes, & militiam deſerere, & actione conjugali abſtinere? Ita verò Sanctus Auguſtinus reſpondet, ut id non neceſſariò requiri demonſtret, ſed peccatorum dimiſſionem, & morum perverſorum correctionem. Deinde hæc peccatores à Pœnitentia agenda retardare non debere, quum Davidum, Achabum, & Manaſſem nec honor regni, nec dignitas veſtimenti ab agenda Pœnitentia retardaverint: quæ exempla quadrare mihi non videntur, ſi ex uſu illius Eccleſiæ, & Matrimonii uſus Pœnitentibus fuiſſet perpetuò interdictus, & militiæ cingulum perpetuò depoſitum. Reges enim illi ne momento quidem dignitate regia privati ſunt, & ſi uxoribus abſtinuerunt temporaria fuit abſtinentia. Ideò ſi utrumque interdictum obſervare neceſſarium fuiſſet, à propoſito aberrabant omnia S. Auguſtini argumenta.

VI. Sanctus Ambroſius *lib.* 2. *de Pœnitentia cap.* 10 ita loquitur, *An quiſquam illum Pœnitentiam putat, ubi acquirendæ ambitio dignitatis, ubi vini effuſio, ubi ipſius copulæ conjugalis uſus? Renunciandum ſeculo eſt, ſomno ipſi minus indulgendum quàm natura poſtulat: interpellandus eſt gemitibus, &c.* Nihil prætereà nec ibi nec alibi; quod profectò oſtendit, Matrimonii interdictum non fuiſſe apud eos perpetuum, ſed durante Pœnitentia illius uſum prohiberi ſolitum, vel potius temperatum, ſicut & cætera, quibus illum conjungit Ambroſius.

VII. Idem evidenter demonſtrat Exuperii Toloſani Epiſcopi interrogatio, & Sancti Innocentii reſponſio *Epiſt.* 3. *cap.* 4. *Illud deſiderandum eſt ſciri, cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniunt, cùm contra uxores in conſortio Adulterorum virorum manere videantur*. Quæſtionis ratio alia eſſe non poteſt, quàm diſciplinæ jam explicatæ praxis. Uxor adultera cum viro non convenit, ejus conſortio non utitur, ab eo propter adulterium ſeparatur: Hoc autem ab Eccleſia nunquam fiebat, niſi Pœnitentia indicta. Rogat Exuperius quare eadem pœna viris Adulteris non infligebatur. Innocentii reſponſio demonſtrat, Exuperium quæſtionem ſuam, & intellexiſſe, & propoſuiſſe de pœna juridicè ab Eccleſia inflicta. Reſpondet enim, *Super hoc Chriſtiana religio adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat. Sed viros ſuos mulieres non facilè de adulterio accuſant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberiùs uxores adulteras apud Sacerdotes deferre conſueverunt, & ideò mulieribus prodito earum crimine communio denegatur. Virorum autem latente commiſſo non facilè quiſquam ex ſuſpicionibus abſtinetur*. Ratio igitur ob quam uxores in conſortio virorum Adulterorum ſæpe manere videamus, viros autem ab Adulteris uxoribus ſeparari, ea eſt, quòd viri illi adulterii nondum ſunt damnati, nec proinde communione privati; ideò nec uxorum conſortio ab Eccleſia interdicti; uxores verò convictæ ſunt, & ideò in Pœnitentiam à maritorum toro ſubmotæ. Multò autem ſæpius hanc ſeparationem in uxoribus quàm in viris contingere videmus, eò quod, inquit Innocentius, multò facilius uxores adulteræ à viris deferantur ad tribunal Eccleſiaſticum, quàm viri adulteri ab uxoribus innocentibus. Manifeſtum igitur totius iſtius ratiocinationis, & interrogationis, & reſponſionis fundamentum eſſe viri ab uxore, & uxoris à marito ſeparationem Pœnitentiæ cauſa factam.

VIII. Abſtinentia illa nemini dura nimis, & extraordinaria videri debet: Nam cum fidelibus ſæpe conſuletur, immò imperatur propter temporis ſanctitatem ab uxoribus abſtinere, quanto magis Pœnitentibus. Beda de remediis peccatorum *cap.* 10. *Qui in Matrimonio ſunt, abſtineant ſe tres Quadrageſimas, & in Dominica nocte, & in Sabbato, & feria 4. & 3. quæ legitimæ ſunt, & tres noctes abſtineant ſe antequam communicent*. De quadrageſima verò ante Paſcha ſic ſtatuit. *Qui in Quadrageſima ante Paſcha cognoſcit uxorem ſuam, & noluit abſtinere, unum annum pœniteat, vel ſuum pretium reddat ad Eccleſiam, vel pauperibus dividat*. Vide Pœnit. Roman. *tit.* 7. *cap.* 9. Burchard. *lib.* 19. *cap.* 75. ex Concilio, ut putat Eliberit. *cap.* 5. Hæc propter ſimilem cauſam conſulit Paulus I.

Morin. de Sacram. Pœnit.

lus 1. *Epiſt. ad Corinth. cap. 7. Nolite fraudare invicem niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterùm revertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram.* Qui hæc conſideraverit, nihil mirabitur eadem Penitentibus, ut ſibi miſericordiam Dei promererentur, à Patribus eſſe propoſita, & ſuaſa.

IX. Nonnullæ autem Provinciæ hanc ſeveritatem publicæ pœnitentiæ ita ſeverè, & rigidè obſervabant, ut mallent eam negare iis, qui continentiam præceptam ſe non poſſe ſine gravi periculo cuſtodire aſſerebant, quàm tantiſper de iſta ſeveritate remittere; contra quam ſenſerunt S. Leo, & Patres Toletani, de quibus poſteà. Ita definivit Concilium Arelatenſe 2. *c.* 22. *Pœnitentiam conjugatis nonniſi ex conſenſu dandam.* Aurelianenſe 3. *c.* 24. *Ne quis Pœnitentiæ benedictionem juvenibus perſonis credere præſumat. Certè conjugatis niſi ex conſenſu partium, ætate jam plena dare non audeat.* Agath. *c.* 15. *Juvenibus Pœnitentia non facilè committenda eſt propter ætatis fragilitatem.* Qui compoſuit Synodum Romanam ſub nomine Sylveſtri hunc canonem duodecimo loco collocavit, *Nemo det Pœnitentiam niſi quadraginta annorum petenti.* Ita conſuetudo tum temporis invaluerat eo loco ubi degebat iſtius Concilii auctor, aut ſaltem ut invaleſceret, ſatagebat.

CAPUT XIX.

Crimina apud Orientales incapacitatis ad ordines cauſam fuiſſe non publicam Pœnitentiam: nec unquam Pœnitentiæ cauſa Matrimonii celebrationem, aut celebrati uſum, militiæque, & muneris civilis honeſti exercitium Laicis apud eos interdicta fuiſſe. Gravis ex Concilio Nicæno difficultatis enodatio.

REctè admodum Pacianus ad Pœnitentiam fideles exhortaturus primùm inquirit, quænam eſſent illa peccata quibus expiandis neceſſaria prædicaretur auſtera illa Pœnitentia, *ne quis*, inquit, *exiſtimet, propter innumera delicta, quorum fraudibus nullus immunis eſt, me omne hominum genus indiſcreta pœnitendi lege conſtringere.* Si quæ duobus capitibus præcedentibus de Pœnitentiæ attributis demonſtrata ſunt, generaliter de pœnitentia publica Patribus dicta intelligantur, non abs re quis de iis conqueri poſſit, omne hominum genus indiſcreta pœnitendi lege conſtrinxiſſe. Cum enim demonſtratum ſit, actam fuiſſe publicè Pœnitentiam de capitalibus peccatis non modò publicè, ſed etiam occultè commiſſis; occultorum peccatorum magnam partem, propter accuſandi apud Epiſcopum, & Senatum Eccleſiaſticum non modò libertatem, ſed etiam obligationem, publicari, & evulgari; Capitalium peccatorum numerum Pœnitentiæ publicæ obnoxium poſt extinctos Tyrannos, & redditam Eccleſiæ pacem plurimùm auctum. Quotus quiſque ex fidelium magno numero ad ſacros ordines bonâ fide aſpirare potuit, aut iis ſuſceptis debita miniſteria exercere? Quotus quiſque Matrimonium contrahere, aut contractò uti legitimè potuit? An militiam, mercimonia, actiones forenſes deſerere potuerunt iis obligati? Quid intereà faciebant? Qua ratione victitabant, qui ex iis erant pauperes, nec iis erat domi unde aliter ſeſe, familiamque ſuſtentarent? Deinde prohibent canones ne juvenibus credatur Pœnitentia: Alii volunt conjugatis cum mutuo conſenſu imponi. Quum igitur ex canonum auctoritate juvenum crimina per Pœnitentiam publicam non purgarentur; nec etiam Conjugatorum niſi alterius partis conſenſus accederet, quem ſæpe non acceſſiſſe dubitare nemo poteſt, quibus interim medicamentis iſtiuſmodi hominum crimina ſanabantur? Iſta ſunt in quæ nobis inquirendum eſt, & potiſſimum an Pœnitentiæ quæ de criminibus occultis publicè agitur convenirent tria illa, quæ de Pœnitentibus SS. Patres enuntiaſſe, duobus præcedentibus capitibus demonſtratum eſt. Nam de criminibus publicis hæc omnia intelligi debere mihi videtur eſſe procul omni dùbio. Si de his enim intelligi non debent, de quibus intelliguntur? An Patres in re tam ſera, ἀχρειογελῶντες ἐξ ἀγύρ ſeſe, alioſque ludificabantur? Antequam hoc aggrediamur, duo nobis inquirenda ſunt, quæ ad faciliorem iſtarum difficultatum explicationem viam ſternunt.

II. Prius eſt, an iſta fuerint aliquando apud Orientales obſervata: Poſterius, an ab antiquiſſimis temporibus in Eccleſia Occidentali. Ut iſta primum in duo capita diſtinximus, ſic eſt cum diſtinctione reſpondendum. Vel enim quæſtio eſt de irregularitate pœnitentiæ publicæ attributa; vel de caſtitate, & ceſſatione à militia ſeculari Pœnitentiam agentium. Quod ad priùs attinet, Non lego apud Orientales Pœnitentiæ publicæ actionem inter cauſas fuiſſe relatam, quæ Laicum à conſecutione ordinum ſacrorum arceret. Varia quidem crimina perpetrata incapacitatem illam inducebant; ſed criminum, non autem Pœnitentiæ publicæ, aut privatæ ratio habebatur. Ideò canones edicunt; Qui tale crimen commiſerit, deponatur; Vel, qui tale crimen commiſerit, Clericus non fiat; ſi factus fuerit, & poſteà commiſiſſe innotuerit, deponatur: Nuſquam autem, ſi publicè commiſerit, deponatur; ſi privatim, recipiatur, multò minus abſolutè, ſi publicè pœnituit, non admittatur. Itaque qui crimina quibus depoſitio per canones attributa eſt, perpetraverant, ſi nota erant illa crimina, aut legitimè probata, ad Clerum auctores non admittebantur, aut ſi irrepſerant, cogniti deponebantur. Si occulta erant, ii, qui Confeſſiones audiebant, antequam Pœnitentiam imponerent, ſecuritatem non amplius miniſtrandi exigebant. Denique ſi occulta crimina quoquomodo detegebantur, à miniſterio turpiter eiiciebantur. Hæc praxis hactenus apud Orientales obſervatur, ut jam adnotavimus ex Joanne Monacho Baſilii diſcipulo, atque ex Joanne Jejunatore Patriarcha CP. necnon ex Arcudio Corcyræo. Duorum priorum opuſcula integra hujus operis fini adtexuimus, quò poteſt Lector recurrere. Jam demonſtratum eſt *c.* 17. irregularitatis cauſam apud Latinos à criminis gravitate peti, non à Pœnitentiæ publicatione. Idem ſanè apud Græcos factum fuiſſe multò probabilius eſt. Nuſquam enim apud eos legitur, ut apud Latinos innumeris locis, publicè Pœnitentes ad ordines non admittantur. Quapropter omnia Græcorum dicta conſpirant ad hunc effectum criminum gravitati tribuendum, nulla Pœnitentiæ publicationi.

III. Unum, aut alterum canonem exempli cauſa proferemus. Concilium Nicænum *cap.* 2. refert neceſſitate cogente nonnullos Neophytos contra regulas Eccleſiaſticas ad Presbyteratum, & Epiſcopatum eſſe promotos, prohibetque, ne poſthac idem fiat; Deinde generaliter edicit, *Si verò proceſſu temporis aliquod delictum animæ circa perſonam reperiatur hujuſmodi, & à duobus vel tribus teſtibus arguatur, à Clero talis abſtineat.* Ejuſdem Concilii *can.* 9. *Si qui Presbyteri ſine examine ſunt provecti, vel cùm diſcuterentur, peccata ſua confeſſi ſunt, & homines contra canones commoti, manus confeſſis imponere tentaverunt, tales regula non admittit.* Et canone ſequente, *Quicunque de Lapſis ad ordinem Cleri promoti ſunt, per ignorantiam, vel per ordinantium diſſimulationem, hoc Eccleſiaſticæ non præjudicat regulæ; cogniti namque deponuntur.* S. Baſilius *can.* 32. univerſaliter edicit, *Qui peccatum ad mortem peccant Clerici, de gradu quidem deiiciuntur, à Laicorum autem communione non arcentur.* Sic *can.* 3. & 51. Longè ante Baſilium, & Concilium Nicænum idem ſtatuerat canon Apoſtolicus 25. *Epiſcopus vel Presbyter, vel Diaconus, fornicationis, vel perjurii, vel furti convictus deponatur, & non ſegregetur.* Aliis canonibus aliorum criminum meminerunt. Gregorius Nyſſenus Epiſtola canonica, ubi de Pœnitentia homicidiis imponenda, *Etiamſi quis involuntariè fuerit in ſcelere homicidii eum tanquam jam profanum piaculum redditum à Sacerdotali gratia eiiciendum pronuntiavit canon.* Quanto magis voluntarius homicida. Sic in alio crimine Concilium Neocæſar. *c.* 9. diſertiſſimè quoque Origenes *lib.* 3. contra Celſium, & alii *cap.* 13. libri præcedentis relati.

IV. Eadem ratio de quibuſcunque aliis canonibus. Criminis ſcelus ſemper ſpectant, vel ut ſacrorum ordinum candidatos ab iis repellant, vel ut jam compotes iis abdicent. Si repulſam paſſi pœnitentiam publicam egerunt, id eſt per accidens: Sive enim eam egerint ſive non egerint, ab ordinibus ſuſcipiendis repelluntur, aut ſuſceptorum miniſterio prohibentur, ſi quovis modo probetur, aut confeſſi fuerint, crimenſe perpetraſſe, cui ſit iſta cenſura canonicè conjuncta. Verum equidem eſt adusque Nectarii Patriarchæ CP. tempora, iſta fere æqua fuiſſe, & reciproca, crimen ab ordinibus prohibens perpetraſſe, & pœnitentiam publicè egiſſe, eo quòd crimina ferè omnia, quæ irregularitatem inducebant, pœnitentia publica ſanarentur, atque è contra, Quæcunque pœnitentia publica ſanabantur, ordinibus ſacris prohibebant. Sed iſtud per accidens, nec unquam Orientales pœnitentiæ publicæ actionem irregularitatis cauſam prædicarunt. Unde eſt, quòd poſt Nectarium abrogatis pœnitentiis publicis eadem apud eos permanſit irregularitas, ſive crimina illa occulta fuerint, ſive publica. Solam enim criminis ἀνομίαν, ut jam ſæpe dictum eſt, ſpectarunt, non illius publicationem, aut occultationem, neque pœnitentiam de eo publicè, vel occultè actam.

V. Altera diſtinctionis pars bimembris eſt; Caſtitatem enim, & militiæ ſecularis deſertionem complectitur. De utraque

que

Digitized by Google

que ſimiliter reſpondeo, Neutram apud Orientales cum Pœnitentia publica fuiſſe conjunctam. Nihil ſimile in Orientalium canonibus, aut ſcriptis me unquam legiſſe memini. Nuſquam legas Juvenibus Pœnitentiam non eſſe credendam; Conjugatis verò cum alterius partis conſenſu eſſe concedendam; Multò minus eum, qui Pœnitentiam geſſit, conſorte mortuo ab omni iterandi Matrimonii ſpe dejectum. Concilium Ancyran. *cap.16.* ætatem *τῶν ἀλογευσαμένων* in tria tempora dividit. Primum eorum qui viginti annos attigerunt; Secundum eorum qui hanc ætatem ſuperarunt; Tertium qui quinquageſimum ſupergreſſi ſunt. Primos vult annis 20. Pœnitentia functos altario reconciliari: Secundos, ſi uxores habent, poſt annum trigeſimum idem conſequi. Poſtremos, ſi uxores ſimiliter habent, in vitæ exitum reſervari. Nihil de primis quod caſtitatem ſervare debeant; nihil de aliis quod ab uxoribus abſtinere. Quam hoc durum parti innocenti, ne dicam iniquum! Quid de conjugibus Ethnicis? Quid marito Ethnico cum uxore Chriſtiana Pœnitente, ut tamdiu ab illius congreſſu abſtinere debeat? Quid uxori Ethnicæ cum marito Chriſtiano Pœnitente, ut illius caſtitatem tamdiu ferat?

VI. Sed Sancti Baſilii *canon.* 34. diſertiſſimè contrariam arguit conſuetudinem, *Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocunque convictas, publicare Patres noſtri prohibuerunt, ne convictis mortis cauſam præbeamus, &c.* Non fuit igitur iis interdicta copula maritalis durante Pœnitentia: Hæc enim interdictio maritis eas prodidiſſet. Sic ex *canone* 25. *Qui à ſe ſtupratam mulierem detinet, ſtupri quidem pœnam ſubibit, ei autem mulierem habere permittetur.* Poſt corruptionem non impeditur corruptam ducere, licèt Pœnitentia fungatur. Canone ſequente de fornicantibus ſtatuit eos ſeparari melius eſſe; Verùm ſi placeat eis conſortium. *Fornicationis quidem pœnam agnoſcant, ne ſeparentur autem, ne quid deterius contingat.* Matrimonium inire permittit, & nihilominus fornicationis pœnam ſubire. In hunc canonem ſic ſcribit Balſamon, *Hæc, ut mihi videtur, locum habuerant, quando ſolo conſenſu contrahebatur Matrimonium, non autem etiam hodie, quando per ſacrum officium, & divinam Corporis, & Sanguinis Chriſti participationem conſtituitur.* Diſtinctionis ratio à Balſamone reddita hac in cauſa conſideranda eſt. *Quomodo enim,* inquit, *ii quibus fornicationis pœna injuncta eſt, nec Sacramentorum fuere participes inter ſe matrimonialiter convenerint?* Cauſam propter quam hodie Matrimonium contrahere ſtuprator cum ſtuprata non poteſt, docet, quòd in Matrimonio contrahendo interveniat neceſſe eſt Corporis Chriſti participatio, quod cum Pœnitentiam agente communicari non poteſt. Anteà verò cùm illa participatio neceſſaria non eſſet, ſed ſolus conſenſus, nihil erat quod impediret ſtupratorem cum ſtuprata Matrimonium contrahere. Ipſe igitur, atque Sanctus Baſilius neſcierunt Pœnitentiæ publicæ actionem Matrimonialem copulam, multò minus Matrimonium impedire. Idem colligitur ex *can.* 8. Concilii Neocæſar. *Si alicujus uxor, cùm eſſet Laicus, adulterata fuiſſe convicta fuerit, is non poteſt ad miniſterium accedere. Sin autem etiam poſt ordinationem adulterata fuerit, debet eam dimittere. Quòd ſi cohabitet, non poteſt ſibi commiſſum miniſterium exequi.* Quot ſunt canonis commata, tot ſunt iſtius ſententiæ argumenta. Laicus cujus mulier adulterii convicta eſt, promoveri non poteſt, ſed uxoris maritali congreſſu non prohibetur: immò ait hoc illi permitti, ſed miniſterium ſuum exequi ampliùs non poſſe. Optio illi ex canone datur, aut uti uxore ſua adultera, & miniſterium ſuum non exequi; aut miniſterium ſuum exequi, ſed uxore non uti: Sicque in hunc uſque diem obſervant Græci, jamque ex Joanne Monacho, & Joanne Jejunatore Patriarcha CP. adnotavimus, poteſque hoc in eorum opuſculis ad finem hujus operis editis diſertè explicatum legere.

VII. Idem dicendum eſt de altero membro, militiæ ſcilicet ſecularis deſertione. Nuſquam legitur illa deſertio ab Orientalibus Pœnitentiæ neceſſariò conjuncta. Quapropter temerè tantùm id affirmari poteſt. Verùm equidem eſt ab omni ævo Clericis prohibitam fuiſſe: Sed cum Clericis ſolis, & conſtanter prohibeatur, Laicis ſanè illius conceſſio conſtanter aſſeritur. *Canon. Apoſtol.6. Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus ſeculares curas non ſuſcipiat, alioqui deponatur.* Ex explicatur *c.*81. aut curas illas deſerere perſuadeatur, aut deponatur. *Canone* 83. *Epiſcopus vel Presbyter, vel Diaconus exercitui vacans, & utraque obtinere volens Romanum ſcilicet Magiſtratum, & Sacerdotalem adminiſtrationem, deponatur.* Chalcedonenſe Concil. *c.*3. ſeverè prohibet omnibus in Clerum cooptatis, & Monachis, *Vel poſſeſſiones conducere, vel ſecularibus poſſeſſionum adminiſtrationibus ſe ingerere, niſi utique ex lege ad inexcuſabilem impuberum tutelam vocetur, vel civitatis Epiſcopus cum rerum Eccleſiaſticarum curam gerere permittat, vel orphanorum vel viduarum, quibus provideri non poteſt, &c.* Ex *can.* 7. *Eos, qui in Clero ſemel ordinati ſunt, & itidem Monachos, ſtatuimus nec ad militarem expeditionem, nec ad ſecularem dignitatem poſſe venire.* Renovantur, & confirmantur canones illi à Concilio Nicæno 2. *c.*10. & Synodo quæ ab iis prima, & ſecunda dicitur *c.*11.

VIII. Hinc manifeſtiſſimum videtur mihi apud Orientales in uſu nunquam fuiſſe, Laicos Pœnitentiam agentes ad militiæ ſecularis deſertionem obligare, ullamque ex eorum mente alterius cum altera, [illegible] fuiſſe. Obiicietur fortè *canon.* 12. Concilii Nicæni. 1. Qui de Lapſis generaliter edicit, *Qui autem à gratia quidem evocati, & primum ſuum ardorem oſtenderunt, & cingula depoſuerant; poſteà autem ut canes ad ſuum vomitum reverſi ſunt, ut nonnulli etiam pecuniam profunderent, & beneficiis militiam aſſequerentur, hi decem annis proſternantur ſupplices, &c.* Severam Pœnitentiam impoſuerunt Patres iis, qui militiæ cingulum depoſitum reſumunt. Sed hoc dici non poteſt de militibus propriè dictis, alioquin colligeretur, Patres Nicænos militiæ exercitium non modò prohibuiſſe, ſed etiam illud exercentes graviſſima Pœnitentia mulctaſſe. Neceſſariò igitur dicendum videtur militiæ ſecularis ceſſationem Pœnitentiam agentibus ſtrictiſſimè fuiſſe injunctam, & eam reſumentes gravi pœna affectos,

IX. Verùm ſi Concilii Nicæni tempora, & quæ illud præceſſerunt attendamus, nihil ejuſmodi colligi poteſt. Ethnici Imperatores cum Chriſtianos proſequi inſtituerant, milites primum adoriebantur, eoſque ſacrificare cogebant, aut militiæ cingulum deponere, ut legere potes apud Euſebium *hiſtor. lib.*8. *cap.*3. de Diocletiano, & quibuſdam aliis, qui ipſum præceſſerant, & *lib.*10. *cap.*10. de Licinio, ad quæ exempla Patres Nicæni, qui eorum oculis obverſabantur, mentem advertebant. Hos Imperatores imitatus eſt Julianus Apoſtata, ut referunt Sozomenus *lib.*5. *cap.*16. & Nicephorus *lib.* 10. *cap.*23. Cujus rei exemplum habes in Valentiniano, & Valente, qui poſteà imperium adepti ſunt apud eundem Sozomenum *lib.*6. *cap.*6. & Socratem *lib.*4. *cap.*1. Multæ prætereà erant actiones militibus faciendæ, quæ idololatriam ſapiebant, ut coronarum in capite certis occaſionibus geſtatio, quam Miles Tertullianeus manu geſtavit. Ideò *cap.*19. libri de Idololatria ſcribit, eam militiam Chriſtiano convenire, *Cui non ſit neceſſitas immolationum, vel capitalium judiciorum.* Cùm autem ingruebat perſecutio, notabantur Milites, qui eas non præſtabant; Quod ſi conſtanter earum præſtationem recuſabant, militia abdicabantur. Plurimi igitur milites in Diocletiani, & Licinii Perſecutione Chriſtianè, & animosè cinguli militaris depoſitionem potius elegerant, quàm idololatricas actiones committere. Verùm poſteà optimæ, & generoſiſſimæ actionis pœnitentes abjecti cinguli reſtitutionem non modò precibus efflagitarunt, ſed etiam pecunia, & donis eam redemerunt, aut redimere conati ſunt, & conſequenter idololatricas actiones ſponte perpetraverant, aut ſe perpetraturos ſpoponderant. Ejuſmodi homines ſopita perſecutione ad Eccleſiam redeuntes graviter puniunt Nicæni Patres. Hic eſt genuinus canonis ſenſus, quem amplectuntur Zonaras, Balſamon, Ariſtænus, & antiquæ verſiones, quique nec perpetuæ Orientalis Eccleſiæ traditioni jam demonſtratæ ullomodo repugnat, nec militiam, ut ita dicam, bellicam condemnat, nec militiæ, & negotiationis ſecularis deſertionem cum Pœnitentiæ publicæ profeſſione conjungit.

CAPUT XX.

Nihil horum ſimiliter apud Latinos pluſquam trecentis annis interdictum fuiſſe, aut uſurpatum.

ALterum, in quod inquirere nobis propoſuimus, eſt, An iſta, non ſecus ac Græci, ignoraverint antiqui Patres Latini, qui ante Conſtantini imperium vixerunt. Certum omnino videtur nihil horum Pœnitentiæ ab antiquis Latinis Patribus eſſe attributum. Nullum enim apud eos hujuſce rei veſtigium extat. Nuſquam apud eos leges: Qui Pœnitentiam egit publicam, ordinum ſuſcipiendorum eſt incapax, aut ab uxore abſtinere debet, eaque mortua aliam legitimè non poteſt ducere; nuſquam, à republica gerenda, à negotiatione ſua, à militia vacare debet, multò minus poſt actam Pœnitentiam iſta nunquam reſumere. Tertullianus de Pœniten-

tia tam multis agit, eaque minutim explicat, propter quæ peccatores eam agere refugiebant. Unde eſt, quòd horum nullam mentionem faciat? Id debuerat, potiſſimùm de caſtitate, & militia: cùm omnium operum laborioſorum, quæ Pęnitentiæ tribuuntur, hæc ſint laborioſiſſima, & quæ omnium maximè peccatores poſſunt ab agenda Pœnitentia deterrere. Idem de Sancto Cypriano dicendum, qui toties, tamque variis occaſionibus de Pœnitentia diſſerit. De Concilio Eliberitano, cujus tot ſunt de Pœnitentia canones; De Arelatenſi primo; de tribus Hermæ ſeu Paſtoris libris, qui de Pœnitentia potiſſimùm tractant, quoſque ab Angelo Pœnitentibus præfecto ſe excepiſſe teſtatur; De S. Paciani ad Pœnitentiam exhortatione, in qua multis perſequitur, & quæ ad agendum invitant, & quæ ab ea deterrent, & quæ Pœnitentibus, ut rectè agatur, præſtanda ſunt, quæque fugienda. Omnes tamen profundiſſimo ſilentio iſta prætereunt. Idem colligitur ex capitibus 13. & 14. libri præcedentis, quibus probatum eſt criminum poſt baptiſmum Reos non licuiſſe ad ſacras ordinationes evehere, nec ordinatos ordinum miniſteria exercere: Necnon ex cap. 9. ejuſdem libri, quo demonſtratum à naſcente Eccleſia ad Montanum uſque breves admodum fuiſſe pœnas peccatis inflictas. Denique ex nonnullis Epiſcopis, aliiſque Clericis, qui poſt grave crimen commiſſum in Eccleſia urgentibus de cauſis ſine Pœnitentiæ actione recepti ſunt, dignitate tamen non recuperata, ut legere potes libri præcedentis capite undecimo.

II. Præter profundiſſimum illud ſilentium multa ejuſdem ſententiæ τεκμήρια colliguntur. *Can. 30.* ſtatuunt Eliberitani Patres, *Subdiaconum eum ordinari non debere, qui in adoleſcentia ſua fuerit mœchatus, eo quod poſtmodum ad altiorem gradum non ſit promovendus.* Incapacitatis ratio crimen eſt, non acta Pœnitentia, ut in ſimili cauſa ex canonibus Græcis capite præcedente ratiocinati ſumus. *can. 65. Si cujus Clerici uxor fuerit mœchata, & ſcierit eam maritus ſuus mœchari, & non eam ſtatim projecerit, nec in fine accipiat communionem.* Idem hactenus obſervant Græci. Sed nulla alia ratio quàm τῆς ἀνομίας in crimine. Quod capite præcedente obſervatum fuit huc eſt referendum: Æqua ferè illo tempore crimina fuiſſe, quæ incapacitatem ordinum inducerent, & quæ Pęnitentiam publicam. Quocirca propter quæ crimina quis pęnitebat publicè, propter eadem erat ordinum incapax. Sed incapacitatis cauſam in Pœnitentiam publicam nunquam referunt, in ſcelus ipſum tantummodò. Ideò Clerici pleraque ſcelera committentes, ob quæ Laici ad Pęnitentiam relegabantur, ipſi ad Pœnitentiam non relegati ab exercitio ordinum in perpetuum removebantur.

III. Eadem Matrimonii ratio. De illius impedimentis verba faciunt nulla unquam Pœnitentiæ facta mentione: Et de Pœnitentia publica, præterito quolibet Matrimonii incundi aut exercendi impedimento. *Can. 10.* Arelat. Concilii 1. *De his, qui conjuges ſuas in adulterio deprebendunt, & iidem ſunt adoleſcentes fideles, & probibentur nubere,* Quæ ratio prohibitionis, & quando prohibentur nubere? *Placuit ut inquantum poteſt, conſilium eis detur, ne viventibus uxoribus ſuis licèt adulteris, alias accipiant.* Prohibentur nubere, hoc eſt, alias uxores ducere propter propriæ uxoris adulterium, donec vixerit. Ratio in promptu, quia uxor legitima vivit, nec poteſt Chriſtianus duabus uxoribus conjungi. Non prohibetur illis uti; immò licentia dari videtur, cùm conſilium dari jubetur, ne aliàs accipiant. Conſilium dicit, eo quod nondum in Occidente exploratum erat matrimonium adulterio non ſolvi, ut teſtatur de ſuo tempore Auguſtinus, multò magis de antiquiore verum erit. Quod ad Orientem attinet, mos ille matrimonii propter adulterium ſolvendi ſere ſemper obtinuit. Occaſio iſta efflagitabat, ut de nubendo poſt alterius mortem, aut de Matrimonio propter adulteræ pœnitentiam non exercendo monerentur à Concilio Chriſtiani. At ne verbulo quidem.

IV. In Eliberitano *cap. 8.* decernitur, ne communio, vel in fine detur mulieribus, quæ ſine cauſa viros ſuos reliquerint, & aliis nupſerint: Et can. ſequente, ſi propter adulterium hoc fecerint, ne prius illis communio præſtetur quàm obierit prior maritus, niſi mortis periculum contigerit. De Matrimonii ſolutione, de abſtinentia à copula conjugali in occaſione tam idonea nihil prorſus: immò Concilii definitio his contraria uſurpari, & factitari ſupponit. *Can. 14.* occaſio opportunior, *Virgines quæ virginitatem ſuam non cuſtodierint, ſi eoſdem qui eas violaverint, duxerint, & tenuerint maritos, eo quòd ſolas nuptias violaverint, poſt annum ſine Pœnitentia reconciliari debebunt. Vel ſi alios cognoverint viros, eo quod mœchatæ ſint, placuit per quinquennii tempora acta legitima Pœnitentia admitti eas ad communionem.* *Can. 72.* viduis, quæ idem perpetraverunt, Pœnitentiæ quinquennium imponit: Quòd ſi alium priore relicto duxerint, nec in fine dari communionem. *Vel ſi fuerit ille fidelis, quem accepit, communionem non accipiat niſi poſt decem annos acta legitima pœnitentia.* Similiter *can. 78. Si quis fidelis habens uxorem cum Judæa, vel Gentili fuerit mœchatus, à communione arceatur: quòd ſi alius eum detexerit poſt quinquennium acta legitima Pœnitentia, poterit Dominicæ ſociari communioni.* Ἐν καιρῷ tam ἀκαίρῳ nulla poſteriorum obſervationum memoria, immò & Matrimonia jungere, & Matrimoniis uti licere, ex definitionibus colligitur.

V. Hermas Sancti Pauli diſcipulus *lib. 2.* mandato 4. de muliere adultera ſic docente Angelo ſcribit. Interrogat, an vir fidelis habens uxorem fidelem, ſed adulteram, peccet cum ea cohabitans, Reſpondet, *Quamdiù neſcit peccatum ejus, ſine crimine eſt vir vivens cum illa. Si autem ſcierit vir uxorem ſuam deliquiſſe, & non egerit Pęnitentiam mulier, & permanet in fornicatione ſua, & convivit cum illa, vir Reus erit peccati ejus.* Regerit Hermas, Quid ſi mulier vitio ſuo pertinaciter adhæſerit. Reſpondet Angelus, *Dimittat illam vir, & vir per ſe maneat. Quod ſi dimiſerit mulierem ſuam, & aliam duxerit, & ipſe mœchatur.* Hoc accepto reſponſo interrogat iterùm, *Quid ſi mulier dimiſſa Pęnitentiam egerit, & voluerit ad virum ſuum reverti, annè recipietur à viro ſuo?* Reſpondet, *immò ſi non receperit eam vir ſuus peccat, & magnum peccatum ſibi admittit.* Ab uxore ſua non ſeparatur licèt adultera, niſi in vitio pertinax fuerit, quo caſu eam dimittit, nec prius recipit quàm Pęnitentiam egerit. Quando igitur in vitio pertinax non eſt, ſed admonita reſipiſcit, cum ea cohabitat, & conjugali actione non prohibetur. Immò ea dimiſſâ ſi Pęnitentiam egerit, in domum recipit, & cum ea ſolito more conveſcitur: Disertè contradicit Hermas, vel Matrimonii ſolutioni, vel etiam perpetuæ illius uſus interdictioni, vel caſtitati alterutro conjuge mortuo neceſſariò ſervandæ. Docet tamen aliquid faciendum, cujus licèt alii non meminerunt, illud tamen obſervaſſe non eſt improbabile: Nempe quandiù mulier Pęnitentiam agebat, tamdiu à mariti thoro ſeparatam fuiſſe, nec anteà marito licuiſſe eam reſumere, quàm Pęnitentia completa criminis maculas eluiſſet. Quanquam autem ea Hermæ ſeculo præcepta fuiſſent Pęnitentibus, multò tolerabiliora fuiſſent quàm quarto aut quinto ſeculo. Pęnæ enim peccatis in Pęnitentiam cùm Hermas ſcriberet, impoſitæ, breviſſimæ erant, paucorum menſium, aut anni forſan unius, aut alterius. Quocirca conjugum caſtitas propter Pęnitentiam imperata non difficilè pauco illo tempore ſuſtineri potuit, ut in caſu ab Herma judicato id fieri ſolebat, cùm ſcilicet dimiſſa erat mulier, ſtatimque à crimine reſipiſcens Pęnitentiam agebat; poſt Pęnitentiam enim à marito recipienda erat. Hic caſus comparari poteſt ei, quem notat S. Paulus *Epiſt. 1. ad Cor. cap. 7. Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterùm revertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam.*

VI. Eodem tempore jam definito non lego militiam ſecularem fidelibus permiſſam, fuiſſe Pęnitentibus prohibitam. Nonnullorum munerum civilium exercitia in fidelibus tolerabantur, modò ab iis, quæ idololatriam ſapiebant, abſtinerent, cujus cauſa dum ea gererent, eorum actiones ab Epiſcopis diligenter conſiderabantur. *Ut cum cœperint*, inquit, Concil. Arelat. 1. *cap. 7. contra diſciplinam publicam agere tunc demum à communione excludantur. Similiter & de his fiat qui rempublicam agere volunt.* Eliberitani Patres ſeveriores ſunt; nullam enim in ſimili cauſa diſtinctionem videntur admittere *cap. 56. Magiſtratum anno quo agit duumviratum prohibere placet, ut ſe ab Eccleſia cohibeat.* Verum iſta, & alia ejuſmodi ſi quæ ſunt, nihil ad Pęnitentiæ adnexa, de quibus agimus, cùm ante Pęnitentiæ actionem, & ante crimen perpetratum in fidelibus improbarentur.

VII. Obiici poſſunt, quæ de Donatiſtis ſcribit Optatus in fine libri 2. *Juvenilis pueros: de pęnitentia fauciaſtis, ne aliqui ordinari potuiſſent.* Vulnus igitur infligit Pęnitentia non crimen. Reſpondeo primum Optatum referre actionem tempore, quod nobis circumſcripſimus multò poſteriorem. Contigit enim poſtquam fratribus mortuis imperio Occidentis potitus eſt Conſtantius Conſtantini magni filius. Deinde Pęnitentia illa propter crimen ingens ſecundum impiam Donatiſtarum ſententiam pueris illis, ut, & aliis fidelibus impoſita fuerat. Itaque non ratione Pęnitentiæ ſed ratione criminis pueros illos Donatiſtæ fauciaverant, cujus Pęniten-

tia

tia erat argumentum. Loquitur autem Optatus ex eorum ſententia, atque ideò eos reprehendit, quòd ſeveriſſimam pœnam leviſſimis criminibus, ſi modò crimina, indixiſſent.

CAPUT XXI.

Militiæ, & negotiorum ſecularium exercitium, Matrimonii in conjugatis uſum, in non conjugatis contractum, publice quacunque de cauſa Pęnitentibus, ſive propter crimina publicè, ſive occulta, ſive nullo judicato crimine, ſed ſola animi devotione pęnitentiam publicam agerent, à ſeculo quarto ad octavum interdicta fuiſſe.

EX iis, quæ demonſtrata ſunt poſtremis duobus capitibus præcedentibus, necnon hujus libri *cap.16.* tria perſpicuè & neceſſariò colliguntur, quæ lectoris animo inſidere debent. Primùm, fruſtra quæri, an aliquando apud Orientales Pœnitentia de criminibus occultis publicè geſta inhabilitatem ad ordines ſuſcipiendos, vel exercendos inferret: Aut ex eorum diſciplina in eadem Pœnitentiæ publicæ cauſa prohiberetur militia ſecularis, & Matrimonii contractus, vel contracti uſus, cùm nulli Pœnitentiæ apud eos iſta convenirent, & nulli crimini duo poſteriora. Secundùm, idem prorſus eſſe dicendum in tribus illis capitibus de Eccleſia Latina trecentorum annorum ſpatio, quæ de Græca hactenus. Tertiùm, Pęnitentiam publicam quacunque de cauſa geſtam nullo tempore apud Latinos non ſecus quàm apud Græcos irregularitatem ratione ſui peperiſſe. Quapropter nobis tantùm inquirendum ſupereſt, an Pęnitentia propter crimina occulta, vel etiam ſine crimine publicè geſta, ut ea quæ propter crimina publica gerebatur, conjunctum haberet trecentis poſt ſanctiſſimam Chriſti nativitatem, annis militiæ ſecularis, & Matrimonii contrahendi, vel contracto utendi interdictum. Deinde hoc demonſtrato inquirendum erit, quandiu apud Latinos viguit iſta diſciplina, & ea extincta, cujuſmodi fuerit, quæ ſucceſſit, & invaluit.

II. Mihi ſingula teſtimonia, quæ de hac praxi apud Latinos quarti ſeculi, & ſequentium leguntur, diligenter animo perpendenti, neceſſariò ſtatuendum videtur, ea eſſe de Pęnitentia publica generatim intelligenda, quacunque de cauſa agatur, ſive ob peccata publica, ſive ob occulta, ſive puta pura animi pietate, & devotione, nullis occultè, vel publicè criminibus confeſſis. Ut ita cenſeam, multa ſuadent. Primùm omnia, quæ occurrunt de hac re teſtimonia: Eorum enim nullum inter publicè, & occultè commiſſa diſtinguit, ſed de Pęnitentibus, & Pęnitentia iſta univerſaliter pronuntiant, ut legere potes ſupra *cap.* 18. in quo omnia prope exſcripta ſunt. Certum eſt autem, pleraque crimina propter, quæ Pęnitentia agebatur publicè, fuiſſe occulta: Utraque igitur complectuntur. Cujus ratio vix alia eſſe poteſt quàm quod in illis interdictis de quibus diſputamus, imponendis, ſolam Pęnitentiam publicam, non Pęnitentiæ publicæ cauſas attendebant.

III. Deinde nonnulli ſunt Hiſpanicorum Conciliorum canones, qui magna ex parte exſcripti ſunt ſupra *cap.17.* in quibus commemorantur Pęnitentiæ publicæ, & ſolemnes ſponte ſuſceptæ, de quibus disertè dicitur, nulla crimina fuiſſe ab eas ſuſcipientibus enuntiata, quarum tamen ſuſceptores iiſdem canonibus Hiſpanicis, ut Toletano 4. *cap.* 55. *Tolet.* 6. *c.* 7. Barcinon. 2. *c.*4. & nonnullis aliis, ut Arelat. 2. *c.*25. Andegav. *cap.*6. Aurel. 3. *cap.* 24. ad eam ſolemniter peragendam indiſcriminatim adſtringuntur: aut ſi refugiant, inviti retrahuntur, & in monaſteria relegantur, in quibus nec ſeculari militiæ, nec uxoribus vacare poſſunt. Aut ſi id fieri non poteſt, ut Apoſtatæ, & religionis perduelliones anathemati, donec obediant, ſubiiciuntur. Non igitur criminibus ſed Pęnitentiæ publicæ illa militiæ ſecularis interdicta conveniunt; criminibus autem quatenus Pęnitentiæ publicæ conjunguntur, cùm Pęnitentiam publicam, etiam nullo præcedente crimine, geſtam conſequantur.

IV. Tertiò tribus hypotheſibus ex Hiſpaniæ Conciliis deſumptis idem demonſtratur. Primam nobis exhibet *can.* 2. Concilii Toletani 12. quem infra fuſius explicabimus. Hæc nunc ſatis. Quidam morbo ita corripiuntur, ut nullius prorſus ſenſus videantur eſſe compotes: Tum Amicorum adſtantium precibus Pęnitentia publica illis imponitur, ſpondentque Amici eos, quæcunque moris ſunt, facturos. Sanitati reſtituti ægroti, quæ eorum nomine promiſſa ſunt, adimplere recuſant, *Agunt cautionibus vanis*, inquiunt Patres, *& oppoſitionibus execrandis, qualiter à ſe tonſuræ venerabile ſignum expellant, atque habitum religionis abiiciant, impudentiſſimè aſſerentes ideò ſe nullis regulis Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſub hoc voto teneri, quia Pœnitentiam nec ipſi petierunt, nec ſcienter acceperunt.* Poſtquam in eos acerrimè invecti ſunt Sancti Patres, ita ſtatuunt, *Qui qualibet ſorte pęnitentiam ſuſceperint, ne ulterius ad militare cingulum redeant, religamus.* Nulla crimina confeſſi ſunt, nequidem confeſſi ſunt. Sani tantùm Amicis dixerant ſe aliquando velle Pęnitentiam publicè ſuſcipere. Vides tamen eos de more à militia ſeculari prohiberi, cæteraque illis injungi, quæ alii facere tenentur.

V. Secunda hypotheſis eſt Regis Gothorum Hiſpanicorum Vambæ, qui ſimiliter pęnitentiam publicam ſponte, & religione ductus aſſumpſit. Nullius accuſatur criminis, immò pius ſemper, & juris religioniſque amans Princeps habitus eſt. Cùm autem ex regulis Eccleſiaſticis neceſſe eſſet agentem Pęnitentiam publicam militiæ ſeculari valedicere, ipſe Rex potentiſſimus, univerſæque Hiſpaniæ, & Galliæ Narbonenſi dominans, nulliuſque criminis quod cognitum ſit, conſcius, regno ſe abdicat, Ervigium principem ſibi ſucceſſorem eligit, tonſuſque, & Pęnitentis habitum indutus Pęnitentiam ſuſcipit, ut pluribus ſupra enarratum eſt. Non crimen, quod de eo nullum narratur, ſed Pœnitentiæ publicæ ratio perſuaſit illi tam illuſtrem, & auguſtam militiam deſerere. Immotum erat igitur eorum animis ſecularia negotia ſimul cum hac Pœnitentia agi non poſſe.

VI. Tertia hyoothesis legitur in Concilio Tolet. 13. *cap.* 10. de qua jam ſupra *cap.17.* Sed rem aliam nunc agimus. Gaudentius Epiſcopus Valerienſis Pœnitentiam publicam ſuſceperat, nullum crimen confeſſus, nulliuſque criminis, propter quod agi ſolet, ſibi conſcius. Interrogat Concilii Patres ex univerſa Hiſpania, & Gallia Narbonenſi congregatos an illi liceret peracta Pœnitentia Sacerdotali munere defungi? Reſpondent Patres, hoc ſecundùm canones illi licere, ut ſupra multis explicavimus. Deinde objectioni occurrunt, cujus ſolutio litem, quam intendimus, planè dirimit. Objectio petitur à perpetua deſertione militiæ, & officii, quæ in omni Pœnitentiæ publicæ actione neceſſaria eſt. Diſtingunt illi Patres inter negotia prophana, quibus homine polluuntur, & ſacra, præſertim Sacerdotalia, quibus purificantur: Reſpondentque, illa exercere nec in Pęnitentia licitum eſſe, nec poſt Pęnitentiam; hæc verò poſt actam Pęnitentiam licere iis, qui pęnitentiam nullius criminis Rei geſſerunt, *Pęnitens abſtinere à peccatis pariter, & negotiorum ſecularium tumultibus debet; non ab iis, quæ ſancta videntur, & ſumma ſe abſtrahere, quæ operantem plus expiant, quàm commaculando deturpant. Scriptum eſt enim, Sacerdos ad hominem mortuum non accedat. Ergo abigenda ſunt ab omni Sacerdote, quæ maculant, exercenda, quæ mundant.* Erat igitur apud eos res confeſſa, Pęnitentiam publicam quacunque de cauſa actam, etiam ſine crimine, & criminis ſuſpicione militiæ ſecularis deſertionem inferre, & Matrimonii contrahendi, aut contracto utendi auctoritatem auferri.

VII. Denique ex antiquorum teſtimoniis quæ *capit.* 18. retulimus inter ſe comparatis idem manifeſtè colligitur, Primum, hanc abſtinentiam initio, ſaltem in Africa, & Mediolanenſi Provincia, non fuiſſe præceptam, ſed ſuaſam. 2. Juvenes ab ea, ut plurimùm fuiſſe exemptos iis in locis, in quibus arctius obſervatur. 3. Conjugatis ex conſenſu alterius partis injunctam fuiſſe 4. Eam militiam, ſive munus ſeculare tantum prohibitum, quod difficile ſine peccato exerceri poterat. Tot exceptiones, & limitationes mihi videntur contigiſſe, eo quod iſta à quocunque Pœnitente exigerentur. Cùm enim publicè Pęnitentium magnus eſſet numerus, præſertim illo tempore, eo quòd, ut demonſtratum eſt, de plurimis criminibus mortalibus nulla habita ratione publicationis, aut occultationis Pœnitentia ageretur publica, ſæpiſſimè coacti ſunt Patres diſciplinam ſuam relaxare, quod non videtur neceſſariò futurum, ſi diſciplina iſta nihil aliud quàm crimina publica ſpectaſſet.

VIII. Ut diſciplinam iſtam deprehendimus paulatim à trecentis poſt Chriſtum annis invaluiſſe; ſic circa ſeptingenteſimum ceſſaſſe conſtat, atque in aliam degeneraſſe, quæ ſeveritate ſua prioris duritiem maximopere confirmat. Limites durationis iſtius diſciplinæ nos rectè aſſignaſſe certiſſimum argumentum eſt, quod nec ante, nec poſt tempus aſſignatum ulla ſit apud auctores Eccleſiaſticos illius mentio: Quicunque enim citati ſunt intra limites illos continentur. Poſt illud tempus non equidem illa interdicta ceſſarunt, ſed alio modo obſervata, & diſpenſata ſunt. A ſeculo enim ſeptimo ad duodecimum video ea tributa non Pœnitentiæ publicæ, ſed certis criminibus,

Digitized by Google

nibus, ita ut qui ea perpetraſſent, ſive de iis Penitentiam agerent publicam, ſive privatam „iſta interdicta obſervare tenerentur. Finiente ſeculo duodecimo diſciplina iſta poſterior, quæ jam collabebatur, paulatim deſuevit. Criminum enim iſtorum effectus ad Matrimonii impedimenta contraxerunt Scholaſtici plures, eaque impedimenta, quæ, ut loquuntur, Matrimonium contrahendum impediunt, contractum non dirimunt. Dixerunt inſuper in iſtis impedimentis Epiſcopum diſpenſare poſſe, & ſæpiſſimè debere. Iſta quoque omnia jam ab aliquot ſeculis in deſuetudinem prope abierunt. Horum unumquodque ſigillatim capite ſequente demonſtrabitur.

CAPUT XXII.

Eadem interdicta ſeculo octavo uduſque duodecimum non penitentiæ publicæ, ſed certis, & atrocibus criminibus ſeu occultis ſeu publicis facta fuiſſe, ſeveritate antequam ſuperante. Qua ratione ſeculo duodecimo, & ſequentibus hæc relaxata ſunt, & tandem obſoleto, enarratur.

QUæ hoc capite demonſtraturi ſumus, ſeveritatem Eccleſiæ in puniendis criminibus capite præcedente explicatam maximè confirmant, & commendant. Confirmationis ratio de ſe perſpicua eſt, nec Syllogiſmis eget, ut demonſtretur. Quis enim audiens, & ſibi perſuadens atrocia crimina occultiſſimè committentem nedum publicè, ut ea expiet prohiberi Matrimonium contrahere, vel uti antea contracto; militiamque, & negotia publica exercere, non facilè credat propter eadem crimina publica, vel occulta, aut etiam nullo ejuſmodi crimine commiſſo Penitentem publicè iiſdem teneri interdictis? Immò hæc poſterior diſciplina priore videtur ſeverior. Prior enim hæc interdicta Penitentiæ tantum publicæ conjungebat, poſterior verò criminibus; & conſequenter quæcunque Penitentia de iis ageretur, ſive publica, ſive occulta Penitens horum interdictorum exequendorum Reus erat. Mutationis iſtius cauſa fuit de occultis criminibus publicè penitendi ceſſatio, quæ ut libro 7. demonſtrabitur, cepit eodem ſeculo ſeptimo. Cum enim viderent Patres non amplius de criminibus iſtis penitentiam agi publicam, ne Rei penis meritis, & ſolitis eximerentur, quod Penitentiæ publicæ tribuere ſolebant, in ipſa criminia tranſtulerunt. His accedit Penitentiæ ſine conſcientia criminis publicè gerendæ deſuetudo. Utraque igitur diſciplina deſueſcente, & de crimine occulto, & ſine ullo crimine, publicè pœnitendi, nulla amplius cauſa neceſſaria fuit hæc interdicta Pœnitentiæ publicæ affectandi. Ideò ne iſtius diſciplinæ ceſſatione criminum impunitas inveheretur, antiquam recentiore jam explicata permutarunt. Iſta ſunt nobis auctorum, & Conciliorum illius temporis auctoritatibus demonſtranda.

II. Iſaac Lingonenſem Epiſcopatum regebat circa annum 850. Collegit canones in uſum Eccleſiæ ſuæ, quos Bonifacius Epiſcopus Moguntinus, & ſedis Apoſtolicæ legatus cum Carolomanno Francorum principe in duobus Conciliis, & Zacharias Pontifex anno ſalutis 742. confirmaverant. Sic *titulus 3. cap. 1. Si quis homo habeat mulierem legitimam, ſi frater ejus adulteraverit cum ea; ille frater, vel illa fœmina, qui adulterium perpetraverunt, interim quòd vivunt, nunquam habeat ampliùs conjugium.* Sic & Capitular. *lib. 5. cap. 19. Cap. verò 8. Mulier, quæ duobus fratribus nupſerit; abiici debet uſque ad diem mortis, ſed propter humanitatem in extremis ſuis Sacramentis reconciliari oportet; ita tamen ut prius ſolvatur conjugium, & maneat innupta, & vir ejus abſque uxore ſimili Pœnitentiæ ſit ſubditus. Quòd ſi duo fratres cum una fœmina fornicati fuerint neſcientes ad alterutrum fornicationem, ſtatim ut cognoverint, adulterium, Qui eam habet uxorem, dimittat. Et ille quidem poſt actum penitentium, ſi uxor defuncta fuerit, poteſt ulteri ſociari, illa vivente nequaquam. Illa verò nunquam ulterius poterit in conjugium aſſumi, & jugi Penitentiæ ſummiſſa ad exitum vitæ communionis gratiam percipiat.* Ex ſecunda canonis parte manifeſtiſſimum eſt, crimen illud occultum eſſe, cum alter de altero nihil cognoverit. Deinde ſeparationem illam fieri præcipi, antequam crimen evulgatum fuerit, ſi tamen aliquando evulgatum fuit: *Statim ut cognoverint adulterium.* Tertiò innocentem maritum ab uxore ſeparari, nec alteram poſſe ducere; nocentem verò conjugem mortuo marito ab omni conjugii ſpe deiici. Quartò, quod mirum admodum videri poſſet, niſi illis ſeculis frequentiſſimum eſſet, Innocentem maritum ad Pœnitentiam condemnari. His denique addendum criminis iſtius occulti talem eſſe Pœnitentiam, ut in vitæ exitu nocens conjunx communionem tantùm percipiat. Eadem referunt Capitular. *lib. 7. c. 296.*

III. *Titulo 2. cap. 6. Quicunque propria uxore derelicta, vel ſine culpa interfecta, aliam duxerit, armis depoſitis publicam agat Penitentiam.* Quid facto opus eſt, ſi Pœnitentiam publicam agere nolit: *Et ſi contumax fuerit, deprehendatur à Comite „& ferro vinciatur, & in cuſtodiam mittatur, donec res ad noſtram notitiam deducatur.* Utrumque vides conjungi, & militiæ depoſitionem, & alterius uxoris ducendæ licentiam ablatam. Sic Capitul. *libr. 5. cap. 149.* In non diſſimili cauſa Concilium Meldenſe omni ſpe conjugii poſt Pœnitentiam factam eos privat, *can. 69.*

IV. *Titul. 4. cap. 5. De inceſtuoſis, & Parricidis ut canonicè coerceantur, ſicut de illo judicatum eſt, qui Matertera ſuæ filiam ſtupravit, ut conjugium ultra non repetat, & militiæ cingulum derelinquat, & aut monaſterium petat; aut ſi foris remanere voluerit, tempora Penitentiæ ſecundùm canones plenè exolvat.* Eadem Capitular. *lib. 6. c. 71.* Utrumque conjungi vides. Et judicium canonicum de iſto crimine anno Chriſti circiter 740. aut antea. Cum monaſterium petere jubetur, conjugii uſus interdici intelligitur.

V. *Titulo 11. cap. 14.* Si Virgo, aut vidua deſponſata raptui conſenſit, ante vel poſt raptum, en qua ratione punitur, *Ipſa autem, quæ rapitur, ſi aut primò, aut poſtmodum tam nefario ſceleri libens conſenſerit, nunquam poſteà nubat, ſed publica Penitentia mulctetur, & ſub tali cuſtodia ponatur, ut ei nullatenus luxuriari cum quoquam liceat.* Hujus tam ſeveri canonis ratio additur. *Taliter enim memorata flagitia puniantur, ut omnes cognoſcant, quoniam nec ſeculi leges tam nefandis conjunctionibus conſentiant, nec ſacri canones conſilium ullam præbeant.* Eadem Capitular. *lib. 6. cap. 95.* Concilium Meldenſe eodem cum Iſaaco tempore celebratum Virgines, & viduas raptas ſed non deſponſatas, & poſtmodum à Raptoribus cum conſenſu parentum ductas, Pœnitentiæ publicæ ſubigere jubet, eaque acta relinquit arbitrio Epiſcopi, quando convenire debeant, ne, inquit, in pejus corruant. Si verò ante hujus Canonis promulgationem Matrimonio non erant conjuncti, *Separentur*, inquit, *& publicæ Penitentiæ ſubigantur. Raptæ autem parentibus legaliter reſtituantur. Poſt peractam verò publicam Penitentiam ſi ætas, & incontinentia exegerit, legitimo, & ex utriſque partibus placito conjugio ſocientur.* Monent ſtatim Patres citatis Sancti Leonis verbis, ſe non regulam conſtituere, *Sed quid tolerabilius ſit, æſtimare. Quod ſi unus ex conjugatis obierit, is qui publicam Penitentiam egit, & ſuperſtes extiterit, iterum conjugium non præſumat, niſi fortè Epiſcopus præviderit aliquam concedere indulgentiam, ut graviorem poſſit amovere offenſum.* Hæc Patres clementer admodum de raptu facto ante Concilium ſuum. At de futuro multò ſeverius canone ſequente decernunt, *Quicunque verò deinceps rapere Virgines, vel viduas præſumpſerint, ſecundùm Synodalem B. Gregorii diffinitionem, ipſi, & complices eorum anathematizentur, & Raptores ſine ſpe Conjugii perpetuò maneant.* Hoc ex Gregorio II. qui Pontificatum iniit anno 714. Ivo Carnut. iſta repetit. *part. 8. c.* 177. & 172. De Raptoribus autem ſacrarum Virginum, vel viduarum, eas in conjugium ſumentibus, *Publicæ*, inquiunt, *Penitentiæ juxta modum, quem præviderit Epiſcopus, ſubigantur. Ipſæ verò locis congruis Penitentiæ retradantur, & ad habitum religionis redire cogantur. Uterque autem ſine ulla ſpe uxoriæ copulationis perenniter maneant.* Ivo quoque *part. 7. c.* 70. Addunt Patres, *Si forte obedire monitis ſalutaribus noluerint, anathematizentur.* Hoc Meldenſe Concilium *can. 64. 65. 66. 67.*

VI. *Si quis Sacerdotem, vel Levitam, aut Monachum interfecerit, vel debilitaverit, juxta ſtatuta priorum capitulorum, quæ legi ſalicæ ſunt addita, componat, & inſuper bannum noſtrum, id eſt 60. ſolidos nobis perſolvat, & arma relinquat, atque in monaſterio diebus vitæ ſuæ ſub ardua Penitentia Deo ſerviat, nunquam poſtmodum ſeculo, vel ſecularibus militaturus, neque uxori copulaturus.* Idem Iſaac Lingon. *tit. 2. cap. 9.* & Capitular. *lib. 6. cap. 97.* Repetita ſunt, & renovata multos poſt annos in Concilio Troslejano *cap.* 13. & retulit Ivo *p.* 10 *cap.* 10. Tria, quæ ad ſpiritalem animæ ſanationem pertinent, ponuntur, ſecularibus negotiis non amplius militare, Uxori non copulari, duramque reliquo vitæ tempore in Monaſterio pœnitentiam agere. Sæpe autem iis ſeculis contingebat criminis Reum utroque fulmine percelli, & politico, & Eccleſiaſtico, ſed de hac conſuetudine libro ſeptimo. Similis eſt canon ille Capitular. *l. 6. c. 90. Qui occiderit Monachum, aut Clericum, arma relinquat, & Deo in Monaſterio*

ſerviat

Digitized by Google

ſerviat cunctis diebus vitæ ſuæ, nunquam ad ſeculum reverſurus, & ſeptem annos publicam pœnitentiam gerat. Iſaac Lingon. *tit.2.c.9.* Concilium Troslejanum *c.13.* Gratian. 17. *qu.4. c.28.* Simile ferè de Perjurio ſtatuitur *in Pœnitent. Rom. tit. 2. cap.7.* Burchard. *lib.12. cap.21.* Ivo *parte 12. c.78.* Beda *de remediis peccat. cap.4.*

VII. In Concilio apud Theodonis Villam ſub Carolo Magno, cui aderant 32. Epiſcopi, & Epiſcoporum Galliæ, & Germaniæ Nuncii, ſic de interfectore Epiſcopi ſtatuitur, *Si quis autem ſponte eum* (Epiſcopum) *occiderit, carnem non comedat, vinum non bibat cunctis diebus vitæ ſuæ, cingulum militare deponat, abſque ſpe conjugii in perpetuum maneat.* Iſta quoque referunt Burchard. *libr.6. cap.5. & 6.* & Ivo *Decreti p. 10.* Multis poſt hoc Concilium annis, anno ſcilicet 847. idem decrevit Concilium Moguntinum *c.24.* de eo, qui Presbyterum occidit. Quoniam crimen occultum ponitur, cum duodecim aliis ſe innocentem eſſe jurare compellitur. *Convictus verò noxa, uſque ad ultimam vitæ tempus militiæ cingulum deponat, & uxorem amittat.* Burchardus *lib.6. cap.7.* Ivo *parte 10. c.134. Pœnitent. Rom. tit. 1. c.1.*

VIII. Plurimùm attendendum eſt, quod idem Concilium notat *cap.20.* ubi Parricidis pœnam imponit: *Sed quia in modernis temporibus Parricidæ profugi currunt per diverſa, & variis vitiis, atque gulæ illecebris deſerviunt, melius nobis videtur, ut in uno loco manentes Pœnitentia diſtricta ſemetipſos caſtigent, ſi fortè à Domini bonitate indulgentiam facinoris ſui percipere mereantur. Non enim eis licebit ultra militiæ cingulum ſumere, & nuptiis, vel conjugiis copulari, quia facri canones hoc eis non conſentiunt.* Multa hic notare debet Lector. 1. Illius temporis conſuetudinem, qua atrocium criminum Rei peregrinari per multos annos jubebantur, quam non probat Concilium: frequentiſſima tamen multis ſeculis poſt hoc Concilium viguit, ut videre potes infra *lib. 7. c.15.* 2. Jubet uno in loco Parricidas manere, & ibi Pœnitentiam agere. 3. Militiam, negotiationemque ſecularem cum uſu conjugii, & illius contrahendi, aut iterandi facultate, eſſe interdictas. Denique Concilium antiquos canones ita intellexiſſe. Canone demum 29. multas inceſtarum nuptiarum, aut conjunctionum ſpecies enumerat: Deinde jubet *eos disjungi, & ulterius nunquam conjugio copulari.* Vormacienſe Concilium, quod Moguntino poſterius eſt annis viginti & uno, clementius eſt. Parricidis enim permittit *cap.30.* arma ferre in Paganos, & Matrimonii contrahendi licentiam tradit, *Ab uxoribus, ſi habuerint, non ſeparentur. Si autem non habuerint, & ſe continere non valuerint, legitimas in conjugio accipiant fœminas, ne in fornicationis voraginem incidere videantur.*

IX. Concilium Tribirienſe celebratum eſt anno 895. In eo tres canones leguntur, qui præ cæteris nobis examinandi ſunt: Quod enim contendimus, undequaque videntur confirmare. Canones autem intellectu faciles ſunt, & perſpicui, Primus eſt 43. *Si quis cum qualibet fornicatus fuerit, & eo neſciente filius ejus, vel frater ejuſdem rei inſcius cum eadem ſe polluerit, & poſtquam ſe pollutam eſſe cognovit, confeſſus fuerit, & hoc ſe neſcire cum juramento confirmaverit.* En canonis ſpeciem dilucidè expoſitam: Pœna attendenda. *Quin hoc pœnituit, & confeſſus fuit, poſt peractam congruam Pœnitentiam legitimo utatur Matrimonio, &c. Mulier verò, quæ tantùm nefas commiſerat, ulterius pœniteat, atque contineat, & innupta permaneat.*

X. Canon ſequens ſpeciem huic affinem attingit, quæ ex canonis lectione per ſeſe dilucida eſt. *Si quis cum aliqua crimen fornicationis fecerit, & frater ejus ejuſdem ſceleris ignarus, duxerit illam uxorem, frater qui prior per fornicationem polluerat illam, quia non judicavit fratri uxorem ducenti, prædura arceatur Pœnitentia, & condigna caſtigatione. Qua peracta ſi continens eſſe non poſſit, indulgentia ſublevetur, ne libidini proſternatur, quatenus legitimo conſoletur Matrimonio. De muliere verò ſancimus, ſicut de ea in Neocæſarienſi Concilio diffinitum legimus cap.2. Mulier ſi duobus fratribus nupſerit, abiiciatur uſque ad mortem, Verumtamen in exitu propter miſericordiam fructum Pęnitentiæ conſequatur, ſi promiſerit quod facta incolumis, conjunctionis vincla diſſolvat, &c. Epiſcopus verò poteſtatem habeat ſecundùm conſtitutionem ipſius adiicere negligenti, aut minuere Pęnitenti. Tamen ulterius continens, & à viro disjuncta permaneat.* Canon ſequens non minus ad rem noſtram facit, *Simili modo ſecundùm ſanctos canones definimus, & judicamus de eo, qui cum duabus ſororibus fuerit pollutus, ut uſque in exitum vitæ Pęnitens, & continens permaneat. Soror autem quæ poſterior libidinis perforata aculeis, ſcienter ſe cum eo-*

dem commaculaverit uſque in finem vitæ Pęnitens, & continens perduret, &c.

XI. In tribus illis canonibus primum vides, id quod nunc vertitur, perpetuam continentiam criminum Reis impoſitam. 2. Criminum Reos quoſdam, quia levius peccaverant, ab ea eximi, Matrimoniumque eis permitti. 3. De criminibus agi occultiſſimis, cùm Conſciorum alter de altero neſciverit: Reos tamen crimina illa occultiſſima confiteri, & duriſſimam de iis Pœnitentiam agere. 4. Antiquo more multò clementius excipi qui ſponte occultum illud crimen fatetur, quàm qui delatus convincitur. 5. Qui crimen occultiſſimè commiſit, teneri illius monere proximum, ſi prævideat eum non monitum crimen commiſſurum: Multò enim graviore pœnitentia frater punitur, qui prævidens fratrem in uxorem ducturum eam mulierem, cum qua rem ipſe habuit, eum non monuit, quàm ſi ſimpliciter rem cum ea habuiſſet. Denique diligenter velim conſideret lector quàm exactè, & κατὰ λέξιν antiquos canones ſecuti fuerint. Hæc eadem leges in Pęnitentiali Romano *tit.3. cap.9. 10. 11.* apud Burchardum *lib 17. cap.9.* & ſequentibus deſumptæ, ut ait ex Concilio Moguntino, & Concilio apud Vermerias. Ivonem *p.9. c.71. 79. 72. 73. 77.* Gratianum 32. *q.7. c.20. & 35. q.2. & 3. c.5. 6.* Ante hos omnes ex antiquis Patrum ſtatutis ita excerptum fuerat Capitular. *lib.5. c.101. & lib.7. c.296. vel c.3.* poſt finem.

XII. Concilium Vormatienſe, quod Tribirienſe annis 27. antecedit, nonnunquam cum ejuſmodi criminum Reis clementius agit, *ut cap.33.* cum eo, qui cum duabus ſororibus ſeſe inquinavit, & cum Parricidis ut ſupra notatum eſt. Deinde *cap.37.* generaliter edicit, *Qui pro diverſis erratibus, vel quibuſcumque piaculis Pęnitentiæ jugo fuerint ſummiſſi, legitimo nullatenus Matrimonia ſeparentur, ne in fornicationis voragine demergantur, & dum ad alta ſublevari ſperantur, corruant in cęno.* Nihilominus quædam ſunt atrociſſima crimina, de quibus idem ſtatuit quod Tribirienſe, & Antiquiora Concilia: Ea habentur *can.63. Si quis cum matre, & filia in adulterio manſit, neſcia ejus matre quòd cum filia manſiſſet; ſimiliter & filia neſcia quòd cum matre manſiſſet; Et poſteà ille vir ſi acceperit mulierem dimittat eam, & uſque in diem mortis ſuæ non habeat uxorem. Et illa mulier, quam reliquerit accipiat virum. Et illa mater, & filia, cum quibus in adulterio manſit, ambabus neſcientibus, quòd cum matre, & filia manſiſſet, habeant viros. Nam in notitiam illarum ſi venerit hoc ſcelus, dimittant maritos, & agant Pęnitentiam, & illorum mariti, & illi poſteriores accipiant mulieres.* Tres alias conſimiles criminum ſpecies eodem canone enarrat, quæ eadem prorſus pœna caſtigat. Hæc referunt Burchard. *lib.17. c.12* Ivo *parte 9. c.62.* Gratian. 34. *q.1. & 2. c.9. & 35. q.2. & 3. c.5.*

XIII. Frequens quoque erat iſtiuſmodi Pœnitentiæ impoſitio, cùm de atrocibus criminibus, homicidiis voluntariis, Parricidis, inceſtibus, & ſimilibus agebatur, *Arma non ſumat, & ubicumque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur, ſed propriis pedibus proficiſcatur.* Concil. Vormatienſe *c.26.* Moguntin. ſub Arnulpho *c.16.* Tribirienſe *c.5. & 55.* Pœnitentiale Rom. *tit. 1. c.11. 21. 34. tit.2. c.7.* Burchard. *lib.12. c.21.* & Ivo *p.12. c.78.* Pœnitent. Rom. *tit. 3. c.8.* Burchard. *lib.17. c.8* Nicolaus Papa *Epiſt.5. ad Rivoladrum Epiſcopum*, & alia ad Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum *tom.3. Concil. Galliæ.* Iſtorum teſtimoniorum nonnulla Paganos excipiunt, contra quos arma licere volunt. In Capitular. *l.6. c.306.* Iis qui ab inceſtu perpetrando ceſſare nolunt, donec Pœnitentiam agant, hæc inter cæteras pęna infligitur. *Uſquequo Pęnitentiam ſequeſtratione teſtentur, utrique communione priventur: & neque in palatio habere militiam, neque in foro agendarum cauſarum licentiam habebunt.* Repetit hoc Iſaac Lingon. *tit.4. c.7. Libro verò Capitular. 7. c.331.* videtur hoc etiam illis in Pęnitentiam imponi, debent *uſque ad ſatisfactionem Eccleſiæ, & proprii Epiſcopi canonicam reconciliationem manere, & ad priſtinum inceſtum nunquam redire, nec ſecularia negotia exercere, nec placitis accuſationibus, vel teſtimoniis intereſſe, &c.* Iſaac quoque Lingonenſis *tit. 4. cap.14.* His poſterioribus teſtimoniis cum præcedentibus conjunctis propè explicatur quidquid per militiam ſecularem Patres intellexerunt.

XIV. Quum igitur tot tamque evidentibus teſtimoniis conſtet tam multis annis, immò ſeculis poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum conſtanter obſervatum fuiſſe, ut certorum criminum Rei, ſive publicè ſive privatim Pęnitentiam agerent, militiam, armaque deponerent, negotiiſque ſecularibus, & forenſibus renuntiarent, ab uxoribus conjugati continerent, ab iis ſoluti Matrimonia quandoque in perpetuum abſtinere cogerentur: Quid mirum, ſi ante illud tempus quicunque, & quacunque de cauſa Pęnitentiam age-

Digitized by Google

rent publicè, & continentiam amplecti, & militiæ ſeculari valedicere juberentur. Sanè quum tot ſint apud antiquos Patres qui ab anno quadringenteſimo ad ſeptingenteſimum floruerunt hujus obſervationis teſtimonia, & certum planè ſit id multis poſteà ſeculis in aliquot atrocibus criminibus pariter obſervatum fuiſſe, Non video quamobrem ſine ullo Antiquorum teſtimonio hæc obſervatio ad Penitentiam publicam de peccato publico actam reſtringatur. His accedit, quod etiam nunc non abſimilia obſervantur, quæ ab antiqua fluunt obſervatione, & illius ſunt argumenta. Hactenus enim qui inceſta commiſerunt, qui uxores occiderunt, licèt occultè hæc crimina perpetraſſent, quique Penitentiam publicè egerunt, ſine diſpenſatione Matrimonium licitè non contraherent, licèt contractum non diſſolveretur, quod argumentum eſt antiquæ conſuetudinis nondum planè abrogatæ.

XV. Horum canonum obſervantiam conſtanter viguiſſe ad annum uſque milleſimum, centeſimum, & quinquageſimum ex Decreto Ivonis, Collectionibus canonum manuſcriptis Anſelmi Lucenſis Epiſcopi, Cæſaraugustana inſuper, & Tarraconenſi, quas ſæpe in Epitome juris Pontificii refert Antonius Auguſtinus Tarraconenſis Archiepiſcopus, atque etiam ex Gratiani concordia canonum evidenter colligitur. Hi enim omnes ab anno 1050, ad annum 1080, ex canonibus diſciplinam Eccleſiaſticam explicarunt, docueruntque Clericos ſui temporis qua ratione Sacramenta adminiſtranda, crimina punienda, penitentia agenda, denique quidquid in adminiſtratione Eccleſiæ factu neceſſarium erat. Nec aliter iſta præſtant, quàm ex canonum citatione ſuper unaquaque re propoſita. Verum ut cætera omittamus, ea de quibus quæſtio vertitur productis in medium canonibus ipſi confirmant, nec unquam abrogatos iſtos canones oſtendunt. His conſentit Scholaſticorum Magiſter Lombardus, qui Gratiano erat coætaneus, eique ſuperfuit, Sic ille *diſtinct. 34. libr. 4. lit. E. De his etiam, qui cum duabus ſororibus, vel quæ cum duobus fratribus dormiunt, videndum eſt, quid ſentiunt canones, Qui dormierit cum duabus ſororibus, & una ex illis ante fuerit uxor, neutram ex ipſis habeat; nec ipſi Adulteri unquam in conjugio copulentur. Item nec propriæ uxori licèt ſibi reddere debitum, quam ſibi reddidit illicitum, ſororem ejus cognoſcendo; Nec poſt mortem uxoris licet ei, vel adulteræ copulari in conjugium, Item Zacharias Papa, concubuiſti cum ſorore uxoris tuæ, ſi feciſti, neutram habeas: Et uxor tua ſi non fuerit conſcia ſceleris; & continere non vult, nubat in Domino cui vult. Tu verò, & adultera ſine ſpe conjugii maneatis, & dum vivitis Pœnitentiam agite*. Rectè ex Sancto Gregorio interpretatur, *cui vult nubat*, poſt mortem viri. Ejuſdem argumenta multa vide *diſt.* 42. ejuſdem libri, quæ hic longum eſſet referre. Sic & Hugo à Sancto Victore ratiocinabatur, & colligebat *ſummæ ſententiarum tractatu 7.*

XVI. Litis ſic judicatæ exemplum refertur apud Hugonem Falcandum Hiſtoricum Siculum, qui ſcribebat ſub Alexandro III. Papa, & Friderico I. Imperatore. Richardus quidam Matrimonium ſuum ſolvi procurat, allegans ſe cum uxoris conſobrina ante Matrimonium rem habuiſſe, cujus rei teſtes duos proferebat. Joannes Neapolitanus Cardinalis pecunia corruptus in Richardi favorem litem dirimit. Matrimonium nullum eſſe pronuntiat, & Richardo facultatem concedit aliàs nuptias incundi, mulierem verò ſpe ſimili prorſus ſpoliat. Injuriam omnes exhorruerunt, quod innocentem graviter puniſſet, nocentem verò liberum dimiſiſſet: Sed pœnæ genus nemo averſatus eſt. Erat enim conſueta, ſed tunc iniquiſſimè inflicta.

XVII. Verum poſt annum 1200. multò aliter de his canonibus, & eorum praxi loqui cœptum eſt: quod ipſum ſententiam noſtram maximè confirmat. Omiſſo enim militiæ ſecularis interdicto, ut planè obſoleto, & abolito de conjugiorum interdictis pauca, & admodum remiſsè, atque in dies remiſſius locuti ſunt Doctores Scholaſtici, & Canoniſtæ. Sanctus Raymundus *libr. 4. ſummæ tit. de Matrimonio*, ubi de impedimento criminis agit. *Crimina multa ſunt, quæ impediunt Matrimonium contrahendum propter eorum enormitatem, ſicut eſt inceſtus 32. qu. 7. Si quis viduam, &c. & qui interfecit Presbyterum, &c.* Poſtquam ſex enumeravit, addit, *Quamvis autem iſta crimina, & forte aliqua alia impediant Matrimonium contrahendum, generaliter tamen ſi adoleſcentes ſunt, & timetur de incontinentia eorum, Eccleſia debet eis concedere licentiam nubendi*. Initio ſeculi cum præcedentis non modo contrahere impediebant, ſed contracto uti: deinde Eccleſia diligenti examine facto poſt actam de peccato duram Pœnitentiam aliquando in nonnullis criminibus diſpenſabat. Ipſe vult propter periculum incontinentiæ adoleſcentibus Matrimonii ſemper copiam fieri. Sed audiamus Raymundi gloſſatorem in verbum, Eccleſia, *Id eſt Diocæſanus Epiſcopus. Forte etiam ſufficit diſpenſatio quoad hoc proprii Sacerdotis. Immò de conſuetudine hodie, quoad hoc non ſervatur iſte rigor, quod petatur diſpenſatio Eccleſiæ in hoc caſu*. Scripſit Commentator ille gloſſas ſuas ante Sancti Raymundi mortem. Sex illa crimina duobus verſibus complectitur,

Presbyterum, uxoremque necans, natique Patrinus
Inceſtus, Raptor ſolemnis non faciantur.

XVIII. Idem quod Raymundus, docuit Cardinalis Hoſtienſis de Matrimonio §. 8. Sed his ſex criminibus ſeptimum addit, ſi Monialem ſciens Matrimonio ſibi jungat. Joannes de Friburgo antiquus Scholaſticus idem ſentit quod Raymundi gloſſator *ſummæ libr. 4. titul. 9. qu.* 1. S. Bonaventura *in* 4 *diſt.* 34. in expoſitione literæ. Eadem eſt Paludani ſententia *in* 4. *diſtinct.* 34. *quæſt.* 1. *art.* 2. *Concluſ.* 3. Sed diſpenſationem ab Epiſcopo tantum contendit dari poſſe, eo quod canones illi non dicunt pœnam illam eſſe imponendam, ſed ipſo facto imponunt. Non eſt adeo facilis Albertus magnus, ut videre eſt *in* 4. *diſt.* 37. *artic.* 12. Scribit crimina Matrimonium impedientia vulgò ſex aſſignari: Deinde reſp. ad 5. *Dicendum quod enormitas criminis exigit longam, & aſperrimam Pœnitentiam, & ideò interdicitur ei Matrimonium, ut nullo alio occupatus poſſit deflere peccata ſua. Tali enim conſulendum eſt, ut intret religionem*. Et paulò poſt addit, Eccleſiam aliis criminibus in pœnam imponere poſſe, quòd Matrimonium contrahere non poſſint.

XIX. Hodiernorum Doctorum ſententia de ſeptem illis criminibus, inter quæ Pœnitentia publica reponitur, eo quòd propter atrocia crimina fieri ſoleat, duas habet partes: Prior in qua omnes conveniunt, iſta crimina impedire ne Matrimonium contrahatur, neve reddatur debitum ſi poſt contractum crimen commiſſum eſt. Poſterior pars bipertita, aliqui dicunt qui Matrimonium ſine diſpenſatione contrahit mortaliter peccare, eo quod Eccleſiæ interdictum in re gravi contemnat, ita Sylveſter *verbo Matrim. 8. q. 6.* Navarr. *c. 22. p.* 74. Toletus *lib. 7. c.* 8. Alii nullum volunt eſſe peccatum, eo quòd horum criminum Reus Matrimonium ſine diſpenſatione contrahere ſoleat, nec ideò puniatur; quod idem eſt, ac aſſerere canones illos prorſus eſſe abrogatos: aut ſi aliquod ineſſe contenditur, veniale tantum dicendum. Bonacina *de impedimentis Matrimonii qu. 3. puncto* 14. mediam quandam viam incedit, Nempe, ubi diſpenſatio non petitur, nec ſic contrahentes puniuntur, ibi nullum eſſe peccatum, ita contrahere. Ubi verò viget lex, ibi ſine diſpenſatione contrahendo committi mortale peccatum, ſuamque ſententiam amplecti, ait, Gutierem, & Reginaldum. Alterius eſt generis interdictum Matrimoniale ſive impedimentum, quo qui rem habuit cum muliere, non poteſt ejus conſanguineam ducere. Hoc impedimentum etiam nunc obſervatur. Verùm hoc non ſpectamus hic, ſed interdictum, quo in criminis Pœnitentiam Matrimonium, aut Matrimonii uſus, ſi anteà contractum fuerat, abſolutè interdicitur. Hæc de recentioribus ſatis ſuperque, quum quos de Sacramentis, & caſibus conſcientiæ libros ſcripſerint, *ναῖς μὴ μία πάντως ἀγγ*.

CAPUT XXIII.

Difficultates quædam emergentes ex iis, quæ demonſtrata ſunt capit. 18. & 19. proponuntur, & brevi enarratione ſeveritatis majoris, aut æqualis longo poſt tempore in multis capitibus ſine controverſia obſervatæ elevantur, & generatim ſolvuntur.

NOnnullas difficultates antecedentibus capitibus, & initio cap. 19. poſuimus, quas nunc evolvere, & elucidare opportunum videtur. Ad duo capita revocabantur: unum ſpectabat Clericos, & Clericatum: alterum ſimpliciter Laicos. Prius nullius mihi videtur eſſe momenti, cùm vix aliquid olim obſervatum fuerit in hac cauſa, quod etiam nunc non obſervetur: Immò irregularitates recens inductæ, hoc eſt, ab annis quadringentis, multò plures ſunt quàm antiquæ, & antiquas omnes, aut propè omnes complectuntur. In eo tantùm diſcrimen eſt, quòd nunc vix eſt ulla irregularitas, à qua facilè relaxatio, ſive diſpenſatio non obtineatur: Itaque quidquid prohibeant canones Conciliorum, & Pontificum decreta, antiqua, & recentia, facilè quiſque ad ordines nunc, & ab annis pluſquam trecentis promovetur.

Digitized by Google

vetur. Ab antiquis temporibus licèt multò pauciores eſſent irregularitatis cauſæ, nuſquam tamen ab iis concedebatur diſpenſatio, niſi Concilium eam approbaſſet, aut extrema Eccleſiæ neceſſitas omnibus nota, votis totius plebis confirmata efflagitaſſet, aut canon ipſe Epiſcopi prudentiæ hoc commendaſſet, ſed iſta quàm rariſſimè contingebant. Præterea apud Græcos viget adhuc mos ille ad ordines non admittendi, vel ab iis deponendi eos, qui crimina enarrata perpetraverint, ſive publica fuerint, ſive occulta. Nec propter crimina tantùm ſua, ſed etiam propter uxorum crimina deponuntur, ut jam adnotatum eſt, & in ipſorum ritualibus hic adnexis legitur. Quocirca nulla mihi videtur in hac parte legitimæ difficultatis, aut admirationis occaſio, quæ eadem etiam nunc obtinendi non poſſit.

II. Poſterius difficultatis caput, quod ſpectat ad Laicos, multò magis urgere videtur. Nam ſi in Eccleſia Latina poſt annum à Chriſto trecenteſimum Pœnitentia publica quacunque de cauſa acta ab opere Matrimoniali conjugatos arcebat, à Matrimonio ipſo non conjugatos; Quoſcunque autem homines à militia, & munere ſeculari, ut *capite* 18. tot antiquorum teſtimoniis demonſtratum eſt, rariſſimi fuerunt, qui Pœnitentiam publicam in Eccleſia Latina egerunt: Vix enim pro criminibus publicis agi potuit, Quotus enim quiſque eſt, qui has Pœnitentiæ publicæ tributas conditiones obſervare poſſit? Quàm multi publicè peccant, qui nulla ratione hæc obſervare poſſunt; præſertim iſtud de militia ſeculari non ampliùs reſumenda? Quòd ſi res ita ſe habet in Pœnitentia publicè de peccatis publicis acta, quanto majora, & frequentiora incommoda emergent de Pœnitentia publicè de peccatis occultis acta? Præſertim ſi locum demus iis, quæ tot evidentibus argumentis demonſtrata ſunt, paulatim nempè numerum criminum, pro quibus Pœnitentia agebatur publica creviſſe, ita ut illis temporibus, quibus potiſſimùm hæc duo Pœnitentiæ publicæ tributa ſunt, adeò numerus ille creverit, ut omnia propè crimina atrocia extrinſecùs perpetrata, ſive occulta forent, ſive publica, Pœnitentiæ publicæ fuerint obnoxia. An Milites, Artifices, Mercatores, Advocati, Judices, aliique negotiis ſecularibus ex neceſſitate conditionis, & artis ſuæ, non ex animi arbitrio occupati crimen perpetrantes, militiam, opera ſua, mercimonia, forenſes actiones, deſerere, ea nunquam reſumpturi jubebantur? Quid agebant intereà? Qua ratione pauperibus potiſſimùm ſuccurrebatur? Si caſtitatem ſpectemus, vix minùs frequentia contingent incommoda. Cùm enim juvenes multi ea crimina perpetrent, quibus Pœnitentia publica de jure debetur, qua prudentia caſtitas perpetua ab iis exigitur? Deinde ſæpius contingit conjugum alterùm à peccato prorsùs vacare. Qua juſtitia damnatur nocens pariter cùm innocente? Immò nunquid injuſtum eſt, uno conjuge peccante ab altero innocente caſtè vivendi conſenſum expoſcere? Sed conceſſo juvenum, pauperumque crimina per Pœnitentiam publicam iis de cauſis non purgari, Qua ratione purgabantur? An alia erat apud antiquos methodus Pauperum, Juvenumque crimina ſanandi, alia divitum, ſenumque?

III. Habes, ut opinor, planè enarrata omnia, aut præcipua incommoda, quæ ex diſciplina antiqua hactenus explicata probabiliter deduci poſſunt. Quid de iis dicendum, quibuſve modis ſolerent antiqui iis occurrere, eſt nobis nunc explicandum. Antequam hoc particulatim aggrediamur, nonnulla ſunt nobis ob Lectorum oculos breviter proponenda, de quibus nullus eſt dubitandi locus ob teſtatiſſimam, καὶ κατὰ λέξιν evidentiſſimam Antiquorum ſententiam, ut Lector oculos tantiſper avertat ab hodiernæ diſciplinæ clementia, & ad manifeſtiſſimam καὶ ἀναντίῤῥητον præcedentium ſeculorum diſciplinam convertat. Primum quidquid capite præcedente tot evidentibus teſtimoniis demonſtratum eſt; Scilicet propter tot inceſtorum genera, propter uxoricidium, Raptum Virginis, aut viduæ deſponſatæ, propter parricidia, Clericorum, & Monachorum homicidia, militiæ ſecularis ceſſationem eſſe decretam, & nonnunquam perpetuam ab ea interdictionem; perpetuam inſuper tam conjugatis, quàm non conjugatis caſtitatem impoſitam, ſive ſcelera fuerint occulta, ſive publica. Id enim erat à canonibus, & libris Pœnitentialibus ipſis criminibus attributum. Itaque reconciliationem non promiſſa prius ſedula iſtorum obſervantia nunquam ab Eccleſia conſequebantur. Ita quingentis annis in Eccleſia Latina ſemper obſervatum eſt. Quum igitur rem ita ſe habuiſſe ab anno ſeptingenteſimo ad centeſimum ſupra milleſimum teſtatiſſimum ſit: Quare mirum, & intolerabile videbitur, eandem diſciplinam ad aliquanto plura crimina tribus ante hoc tempus continuis ſeculis extenſam, & prorogatam fuiſſe, ad ea ſcilicet omnia, quibus erat Pœnitentia publica ex canonum præſcripto tributa.

IV. Secundum: Uſitatiſſimum erat iis poſterioribus ſeculis innocentiſſimum conjugem cum nocente punire, ut cum ea reconciliatus cohabitare poſſet, Concilium Nannetenſe *can.* 12. *Si cujus uxor adulterium perpetravit, & hoc à viro deprehenſum fuerit, & publicatum, dimittat uxorem ſi voluerit propter fornicationem: illa verò ſeptem annis publicè pœniteat. Vir verò ejus illa vivente nullatenus aliam accipiat. Quòd ſi voluerit adulteram ſibi reconciliari, licentiam habeat; ita tamen ut pariter cum illa pœnitentiam agat, & exacta pœnitentia poſt ſeptem annos ad communionem uterque accedat. Similis forma, & in muliere ſervabitur, ſi eam vir ejus adulteravit.* Canonem integrum exſcripſimus, quia nihil clarius dici, fingive poteſt. Idem canon habetur *lib.* 7. *Capitular. cap.* 298. in quibuſdam editionibus poſt finem libri. Iſaac Lingon. *tit.* 3. *cap.* 9. En qua conditione facultas reconciliationis illis conceditur, ut poſt Pœnitentiam actam mutuò conſortio frui poſſint.

V. Tertium: Probatum eſt ſupra, & canones, Pontificumque decreta, & multæ Patrum homiliæ nihil aliud paſſim canunt, quàm Pœnitentiam agi publicam non modò criminum quæ per ſe notoria ſunt, atque in propatulo perpetrata, verumetiam eorum, quæ ad Epiſcopos deferuntur, & legitimè probantur. Ita ſemper factum eſt à naſcente Eccleſia; immò probatum eſt non modò eos, qui conſcii fuerunt, & complices, ſed etiam qui crimina illa certò cognoverunt gravi Pœnitentia affectos niſi criminum auctores ad Epiſcopum detuliſſent: Pluresque inſuper ſeſe detuliſſe; eo quòd ab aliis delati multo graviùs punirentur. Velim prætereà conſideres, quod ſtatuitur in Concilio Salegunſtadienſi anno 1023. celebrato, quodque à Burchardo, Ivone, & Gratiano refertur, ut medullitus cauſas agendæ Pœnitentiæ animo concipias. Ita *can.* 6. quæritur, & reſpondetur, *Interrogatum eſt, ſi duo in adulterio inculpati fuerint, & unus profiteretur, & alter negaret, Quid inde agendum eſſet. Decretum eſt etiam à Sancto Concilio, ut ille qui negaverit, probabili judicio ſe expurget; Et qui profeſſus fuerit, dignè Pœnitentiam agat.* Hæc Burchard. qui Concilio aderat in fine libri. Ivo *parte* 15. *cap.* 173. Gratian. 2. *qu.* 5. *cap.* 24. *Canone* 14. altera quæſtio proponitur, quæ ex priore ſponte emergit, *Statuit Sancta Synodus ſi duo de adulterio accuſati fuerint, & ambo negaverint, & orant ſibi concedi, ut alter illorum utroſque divino purget judicio, ſi unus in hoc ceciderit, ambo Rei habeantur.* Hæc quoque Burchardus, Ivo, & Gratianus ibidem. Sic illis temporibus in criminibus tum per ſe notoriis, tum legitimè probatis, tum dubiis ſeſe gerebant. In his omnibus Pœnitentiam publicè agere criminum Rei Excommunicationibus, & anathematis cogebantur.

VI. Id autem tripliciter pro ſeculorum varietate factum eſt. Primò enim trecentis, & ulterius annis denegata, in fine vitæ omni reconciliatione niſi Pœnitentiam ſani ſedulò, & inſtanter petiiſſent. Deinde poſt illa tempora anathematis, & ab Eccleſia expulſione. Denique poſt annum ſeptingenteſimum Epiſcopi anathematis non contenti, aut non ſatis proficientes, Reges, eorumque Legatos, & judices implorarunt, ut Pœnitentiæ agendæ Reos, ſed refractarios, ad eam ſubeundam cogerent. Ante hoc tempus idem in Hiſpania legitur uſurpatum. Verùm quod ad Pœnitentiam peccatorum occultorum, ea ſemper ut & nunc, in Reorum arbitrio poſita fuit, nullaque vi exteriori ad eam ſubeundam coacti ſunt, neve cogerentur aliquando ſeverè prohibitum eſt, ut *lib.* 1. probatum: Hinc eſt quod antiquitus tam multi Pœnitentiam in finem vitæ differebant, Pœnitentiæ canonicæ criminibus ſuis poſitæ ſeveritatem reformidantes. Hinc Patrum de hac præpoſtera dilatione tot querelæ, atque ut ex animis Chriſtianorum eradicetur, tot exhortationes. Hinc eſt, quòd tam ſæpè ob oculos Pœnitentiæ in extremis actæ periculum proponant. Quapropter id, quod de militia ſeculari, & conjugio non ineundo dictum eſt, in cauſa criminum occultorum rariùs contingebat, Reis ejuſmodi peccata rariùs confitentibus, & pœnitentiam canonicam amplexantibus, niſi morbo ingruente, aut aliquo alio vitæ periculo urgerentur.

VII. Quartum: Robertus de Flammesburg Abbatiæ Sancti Victoris Canonicus, & Pœnitentiarius Pariſienſis, qui poſt annum 1200. Pœnitentialem ſuum librum ſcribebat ex ſua, & Doctorum illius temporis mente Pœnitentiæ ſolemni ſex elogia tribuit, quorum unum eſt, Matrimonium non contrahere, de

quo

Digitized by Google

quo ſic ille; *Hoc reſtringunt aliqui ad tria, ad raptam, ad inceſtum, ad uxoricidium. Quia qui propter raptum ſolemniter pœnituit, de cætero non contrahet. Item ſi ſolemniter pœnituiſti, quia poſt contractum Matrimonium cognoviſti conſanguineam uxoris tuæ in tertio gradu, vel ſupra non contrahes poſteà. Idem eſt in uxoricida; nec mirum, quia ſi occulta eſſent iſta, non poſſent tales contrahere niſi cum diſpenſatione. Dignè igitur propter ſolemnitatem pœnæ debet talibus diſpenſatio negari.* Petrus quoque Pictavienſis, qui eodem tempore ſcribebat, aut paulò poſt in Pœnitentiali, titulo de compenſationibus, *Omnes, qui ex juſta cauſa videntur non poſſe, ſine magno gravamine frequenter, vel in arcta diæta jejunare, poſſunt redemptiones, vel compenſationes adhibere, per orationes, per jejunia, per eleemoſynas, per peregrinationes, vel diſciplinas, vel abſtinentiam à carnibus, vel piſcibus, vel hujuſmodi ſecundùm ſtatum perſonarum à vino, vel in quadrageſimalibus cibis. Accepi ab illo quo interfuit, quod Dominus Innocentius III. noluit concedere peregrinis redeuntibus Jeruſalem ſpoliatis, quòd bis comederent in quadrageſima; ſed id etiam vix, quòd ſi frangerent tot dies in Patria jejunarent.* Idem altero exemplo docebo, ut quaſi in Epitome graphicè ob oculos deſcriptum habeat Lector illius poſtremi temporis ſtatum, quo publicè docebatur Pœnitentias à canonibus inſtitutas eſſe arbitrarias, antiquaque illa diſciplina pro magna parte erat antiquata. Robertus de Flammesburg eodem libro Pœnitentiali, *Pœnitens venit ad nos, confeſſuſque eſt, ſe filiam Patrui ſui corrupiſſe, cui, 14. annorum Pœnitentiam injunximus, ut jejunet tribus quadrageſimis. In quadrageſima poſt Pentecoſten duobus diebus in ſeptimana in pane, & aqua, & in adventu tribus, & in majore quadrageſima tribus, & abſtineat ſe ab ingreſſu Eccleſiæ, & à communione duobus annis.* Iſta pluribus *lib.* 10. ubi quales fuerint uſitatæ Pœnitentiæ ab anno 700. ad 1200. ſigillatim explicabimus.

CAPUT XXIV.

Eædem difficultates ſigillatim excutiuntur, & diſſolvuntur; doceturque primùm continentiam matrimonialem, & militiæ ſecularis abdicationem ſuaſas fuiſſe; deinde in Pœnitentia, & poſt Pœnitentiam imperatas; quando continentiam illam remiſſam, idque variè, etiam prætermiſſam: Militiam paludatam abſolutè prohibitam. Milites etiam in bello juſto pugnantes à multis Pœnitentia damnatos, & quamobrem. Pœnitentiam publicam propter has difficultates ex Patrum conſenſu dilatam, vel dilationem excuſatam, à nonnullis ſeverioribus privata permutatam.

HÆc qui perpenderit, & velut in tabella delineata, animo propoſuerit, non exiſtimabit, opinor, dura, & intolerabilia, quæ de militia ſeculari, & conjugii abſtinentia diximus trium ſeculorum ſpatio fuiſſe obſervata, nec antiquis illis Patribus exprobrabit, quod à ſe, & ab Eccleſia ſui temporis amolitur Sanctus Pacianus, eos omne hominum genus indiſcreta Pœnitendi lege conſtrinxiſſe. Ne autem aliquis de hac re ſcrupulus, vel tantilla ſuſpicio Lectori hæreat, difficultates propoſitas ſigillatim examinemus, & quid unicuique Sancti Patres reſpondeant, quo remedio unicuique occurrant, qua prudentia, quove temperamento canones ſuos obſervandos eſſe doceant, inquiramus, & exponamus. Singula enim diligenter conſideranti manifeſtum erit antiquos Patres prudenter admodum ſeveritatem ſuam aliquando diſpenſaſſe, aliquando intermiſiſſe, aliquando fortiter exercuiſſe, nec imperitorum Medicorum inſtar, uno eo lyrio omnium oculos ſanaſſe. Primum conſtat ex Sancti Auguſtini teſtimoniis *cap.* 18. allatis, & militiam, & à conjugali copula abſtinentiam ſolitas conſuli, non imperari. Deinde, nec perpetuam à Matrimonio ſeparationem uſitatam fuiſſe, nec poſt alterius mortem ſecundum Matrimonium prohibitum. Idem de Eccleſia Mediolanenſi vivente Sancto Ambroſio, ut ex verbis ipſius eodem capite exſcriptis colligere eſt, quæ ibi diximus, ſi memoria elapſa ſunt, relegere opus eſt.

II. Eadem diſpenſatio ſedente Leone I. Pontifice, & multis poſteà ſeculis in uſu fuit: è Leone præcedentia teſtimonia, ſi quid auſterum nimis videtur, emollienda ſunt, aut non univerſæ Eccleſiæ Latinæ, ſed quibuſdam particularibus provinciis tribuenda. Quæ dicturi ſumus tripartienda ſunt. Militia enim in ſenſu canonum duplex eſt, togata, & paludata: Hæc arma, & bella reſpicit; iſta artes, muneraque politica. Eſt inſuper continentia agentibus Pœnitentiam, & ea defunctis cuſtodienda. De militia togata hæc Sanctus Leo Ruſtico Narbonenſi Epiſcopo interroganti reſpondet *Epiſtola* 11. ut habetur, *tom.* 1. *Conciliorum Galliæ*, & alibi 92. Ex Conciliis Galliæ potiùs, quàm ex aliis editionibus, quæ hoc capite relaturi ſumus exſcribimus, eo quòd interrogationes Ruſtici factæ Leoni in ea editione expreſſę ſunt, quibus Leonis mens, verbaque plurimùm illuſtrantur. Interrogatio decima eſt, *De his, qui Pœnitentiam profeſſi ſunt, ſi in foro litigare cœperint*, Reſponſum eſt ejuſmodi, *Aliud quidem eſt debita juſta repoſcere, aliud propria profectionis amore contemnere. Sed illicitorum veniam poſtulantem oportet multis etiam licitis abſtinere, dicente Apoſtolo, Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Unde ſi quis Pœnitens habet cauſam, quam negligere fortè non debeat, melius expetit Eccleſiaſticum, quàm forenſe judicium.* Interrogatione verò ſequente quęritur, *De his qui in Pœnitentia, vel poſt Pœnitentiam negotiantur.* Cui quęſtioni ſic reſpondet, *Qualitas lucri negotiantem aut excuſat, aut arguit, quia eſt honeſtus quæſtus, & turpis.* Evidens eſt igitur, primum hęc à Sancto Leone vehementer conſuli, non imperari; perfectionis eſſe, non neceſſitatis. Deinde per militiæ ſecularis prohibitionem ea tantum munera intelligi prohibita, quę vel ſine peccato exerceri non poſſunt, vel difficillimè, ut verba ſequentia docent evidentiſſimè, *Verumtamen Pœnitenti utilius eſt diſpendia pati, quàm periculis negotiationis obſtringi: Quia difficile eſt, inter ementis, vendentiſque commercium non intervenire peccatum.* Quapropter nec Agricolę, nec artifices his legibus vinciuntur. Quum enim & laboris, & artificii pretium ſit ęſtimatu facilè, & obvium, in eorum commercio, niſi admodum maligni ſint, non intervenit peccatum, & quanquam fallere velint, id non facilè pręſtare poſſunt, quia unicuique artificii pretium, aut cognitum eſt, aut ab inquirente nullo negotio cognoſci poteſt. Sed Argentariorum, Trapezitarum Collybiſticas teſſeras exſolventium, mercimonia nautica exercentium, & aliorum ejuſmodi longè alia ratio eſt. Ideò Agricolæ, & artifices ſub militia ſeculari prohibita comprehendi non poſſunt, nec trivialium Mercatorum magna pars. Ii tantum comprehenduntur, ut dictum eſt, quorum ars ſine peccato exerceri non poteſt, aut difficilè exerceri poteſt. Qui primum genus artis profitentur abſolutè à Pœnitentia repelluntur, ut docet Innocentius II. in Concilio Romano *cap.* 22. *Falſa etiam fit Pœnitentia, cùm Pœnitens ab officio vel Curiali, vel negotiali non recedit, quod ſine peccato agi nulla ratione prævalet.* Sic quoque Gregorius 7. *in Synodo Rom.* ann. 1078. Pœnitent. Romanum *tit.* 9. *cap.* 15. atque res per ſe clara eſt, & prorſus neceſſaria.

III. Controverſiæ igitur cardo in iis vertitur, qui artem, aut munus aliquod politicum profitentur, quod ſine peccato difficilè exerceri poteſt. De hoc genere docet Leo utilius eſſe Pœnitentem cum aliquo diſpendio illud deſerere, quàm evidenti peccati periculo ſeſe exponere. Hoc igitur Sanctus Leo non proponit, ut Pœnitentiam agentibus omninò neceſſarium, ſed conſulit ut admodum utile. *Sunt enim pleraque negotia, quæ ſine peccatis exhiberi aut vix, aut nullatenus poſſunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc neceſſe eſt, ut poſt converſionem animus non recurrat*, Ut docet Sanctus Gregorius *homil.* 24. *in Evangelia*. Sanè vix aliter ſincera Pœnitentia poteſt agi, niſi peccati vitentur occaſiones. Ad id autem plus minuſve obligamur, quo civilis Pœnitentium profeſſio plus minuſve peccati occaſionibus implicatur. Quam diligenter autem artem, ſive munus, quod quiſque in Republica gerebat, examinarent, colligitur ex reſponſo Zachariæ, & Concilii Romani ad Gallorum quæſtiones *tom.* 1. Conciliorum Galliæ *qu.* 10. *Eos qui ſecularem poteſtatem adepti jus ſeculi exercuerunt, immunes à peccato eſſe non poſſe, manifeſtum eſt. Dum enim & gladius exeritur, aut judicium confertur injuſtum, aut tormenta exercentur pro neceſſitate cauſarum, aut parandis exhibent voluptatibus curam, aut præparatis interſunt, in his ſe, quibus renuntiaverunt, ſociantes, diſciplinam obſervationis traditam mutaverunt. Multùm ſibi præſtant, ſi non Epiſcopatum affectant, ſed propter hæc omnia agentes Pœnitentiam, certò tempore impleto, merentur altaribus ſociari.* Hæc reſpondebat Concilium Romanum ante nongentos annos ſecundum antiquas, ut in præfatione loquitur, Eccleſiæ traditiones.

IV. In paludata militia, ut ita loquar, res paulò aliter ſe habet. Nonnulli enim Patres animum ab iſta militia plurimùm averſum habuerunt, ita ut militiam ſine peccato exerceri non poſſe crederent. In ea ſententia fuit Sanctus Ba-

ſilius

Digitized by Google

filius ut ex *can.* 13. ad Amphilochium evidenter colligitur, *Cædes in bellis factas Patres pro cædibus non reputavere, ut mihi videtur ignoſcentes iis, qui pro pudicitia, & pietate decertant. Rectè autem fortè habet conſulere, ut qui ſunt manibus non puris ſola trium annorum communione abſtineant.* Peculiaris eſt Sancti Baſilii ſententia, cui, ut ipſe teſtatur, cæteri Patres non aſſentiebantur. Balſamon in hunc canonem, *Hic canon divini Patris ſanctitati convenienter editus eſt, ſed non eſt in uſu, eo quòd ex eo eveniret, ſi admitteretur, ut milites Sacramentorum nunquam eſſent participes, &c.* Ita tamen apud Græcos valuit, ipſo teſte, ut cùm Phocas Imperator milites in bellis interfectos Martyribus adnumerare vellet, reſtiterint, & impedierint Epiſcopi hoc canone freti. Longè aliter Sanctus Athanaſius in Epiſtola ad Ammum Monachum: *Quemadmodum non licet occidere, ſed occidere in bello adverſarios eſt & juſtum, & laude dignum: Ita & magnis laudibus digni habentur, qui ſe in bello præclarè, & fortiter geſſerint, & eorum columnæ excitantur, quæ rectè geſta prædicent.* Hinc velut certò, & ab omnibus confeſſo fundamento demonſtrat nonnulla certò tempore, & occaſione prohiberi, alio licere, & rectè fieri.

V. Sententiæ tamen Sancti Baſilii Latini multi acceſſerunt: Sic decernit, & contendit Rabanus Maurus in Pœnitentiali *cap.* 15. aliterque ſentientes arguit. Iſta Rabanus ſcripſit ad Heribaldum Epiſcopum Antiſiodorenſem ab eo interrogatus de militibus in prælio Fontanacenſi inter Francorum Reges Ludovici Pii filios commiſſo interfectis, ut ex eo refert Regino collectionis ſuæ *lib.* 2. *cap.* 50. Oportet, inquit, *Eos conſiderare, qui hanc necem nefariam defendere cupiunt, utrùm illis coram oculis Dei quaſi innoxios excuſare poſſint, qui propter avaritiam, quæ omnium malorum radix eſt, & idolorum ſervituti comparatur, atque propter favorem Dominorum ſuorum temporalium æternum Dominum contempſerunt, & mandata illius ſpernentes, non caſu, ſed per induſtriam, homicidium perfecerunt.* Multis in hanc ſententiam allegatis tandem concludit, *Tales ergo mortificant animas, quæ non moriuntur, & vivificant, quæ non vivunt.* Eadem refert Burchardus *lib.* 6. *cap.* 23. ſed ea citat ex Concilio Moguntino *cap.* 2. ſic & Ivo Decreti *p.* 10. *cap.* 152. Pœnitentiale Romanum adhuc clariùs *titulo* 1. *cap.* 20. *Feciſti homicidium in bello juſſu legitimi principis, qui pro pace hoc fieri juſſerat, & interfeciſti tyrannum, qui pacem pervertere ſtuduit, tres Quadrageſimas per legitimas ferias pœniteas. Si autem, &c. Sine juſſu legitimi principis, ut homicidium ſponte commiſſum pœniteas, id eſt, quadraginta dies cum ſeptem ſequentibus annis.* Regino loco citato *cap.* 51. ex antiquo Pœnitentiali brevius. *Si quis hominem in bello publico occiderit, quadraginta dies pœniteat.* Fulbertus quoque in breviculo Pœnitentiarum.

VI. Sic quoque ſentiebant Patres Triburienſes, cùm de militibus Chriſtianis contra Paganos militantibus ita decernunt, ſimulque decreti ſui rationem reddunt *cap.* 34. *Una cum interfectis Paganis perempti fuerunt Chriſtiani captivi à Barbaris; Quia in impetu belli nequeunt diſtingui. Idcircò juſtum decernentes ſtatuimus, cum interfectoribus miſericordiùs agendum, ita ut quadraginta diebus Pœnitentiæ indulgentiùs tranſactis, penes Epiſcopum ſit auctoritas, & poteſtas, ut perpendat culpam, agat indulgentiam.* Cauſa tamen belli juſtiſſima erat, non tantùm, eo quòd contra Paganos, & Infideles gereretur, ſed etiam ratione cauſæ, quæ bellum excitaverat: Ita enim Patres eodem canone, *Zelo divinæ æmulationis accenſus Chriſtianorum exercitus procedunt ad bellum confidentes in eum, qui dixit, vos ad certamen acceditis, ego prælior pro vobis. Fit conventus Chriſtianorum, & Paganorum. Fortiter dimicant iſti pro fide, illi contra fidem.* Hunc canonem in decretum ſuum retulit Burchard. *lib.* 6. *cap.* 48.

VII. Epiſcopi Provinciæ Rhemenſis in Concilio celebrato anno 923. gravem Pœnitentiam indicunt iis, qui in prælio Sueſſionico inter Robertum, & Carolum interfuerant; nec diſtinguunt inter eos, qui à Roberti partibus, aut Caroli ſtabant, licet Carolus legitimus Rex eſſet à Pipino, Carolove Magno per Ludovicum proavum, Carolum Calvum Avum, & Ludovicum Balbum legitimè progenitus; Robertus verò Comes in eum tumultu concitato rebellaret. Hæc erat Pęnitentia, *Videlicet ut tribus Quadrageſimis per tres annos agant Pœnitentiam: ita ut prima Quadrageſima ſint extra Eccleſiam, & Cœna Domini reconcilientur. Omnibus verò his tribus Quadrageſimis ſecunda, quarta, & ſexto feria in pane, ſale, & aqua abſtineant, aut redimant. Similiter quindecim diebus ante nativitatem Sancti Joannis Baptiſtæ, & quindecim diebus ante Nativitatem Domini Salvatoris, omni quoque ſexta feria per annum niſi redemerit, aut feſtivitas celebris ipſa die acciderit, vel eum infirmitate, ſive militia detentum eſſe contigerit.* Pęnitentia gravis, præſertim cùm ante prælium nulla facta fuiſſet ab Epiſcopis cauſæ diſtinctio.

VIII. Opiniones illæ, quæ prima fronte videntur contrariæ, conciliari forſan potuerunt, ſi dixerimus omnes bellum juſtum approbaſſe, plurimos tamen militibus Pęnitentiam impoſuiſſe, eo quòd difficillimum ſit, militem in bello juſto, & legitimo juſtè, & legitimè verſari. Deinde contingit ſæpiſſimè bellum eſſe dubium, probabilibuſque cauſis utrumque niti principem. Ideò in dubiis peccatis tutiorem partem eſſe eligendam, juxta illud Sancti Auguſtini *cap.* 20. *lib. de fide, & bonis operibus, Quantum fieri poteſt, impediendum eſt, ne fiat, id quod dubium eſt an ſit peccatum; faciat tamen baptizandus, aut reconciliandus.* Ita facere ſolent natura duce omnes homines, quum de ſumma ſalutis, aut fortunarum agitur. Hoc ſolo Sancti Auguſtini, & naturæ axiomate perſpicuè, ſanctè, & Evangelio conformiter reſolvi poteſt caſuum, quos vocant conſcientiæ maxima pars, de quibus ingentes libri quotidie ſcribuntur. Difficultatem militandi ſine peccato reſpexiſſe Patres illos ſequentia confirmant.

IX. Sanctus quoque Leo loco jam citato hoc militiæ bellicæ genus averſatur magis, quàm præcedens: De eo enim à Pœnitentibus deſerendo abſolutè loquitur, interrogationi duodecimæ reſpondens, *Contrarium eſt omninò Eccleſiaſticis regulis poſt Pœnitentiæ actionem redire ad militiam ſecularem, cùm Apoſtolus dicat, Nemo militans Deo implicet ſe negotiis ſecularibus. Unde non eſt liber à laqueis Diaboli, qui ſe militia mundana voluerit implicare.* Militiam tamen ipſam non damnat: Paulò poſt enim de Monacho, qui factus fuerat miles, ſcribit, *Qui relicta ſingularitatis profeſſione ad militiam, vel ad nuptias devolutus eſt, etſi innocens ſit militia, & honeſtum poteſt eſſe conjugium, electionem tamen meliorem deſeruiſſe tranſgreſſio eſt.* Gregorius VII. cùm Concilio Romano 5. de militia armata non minus abſolutè, quàm Leo definit, *Falſas Pœnitentias dicimus, quæ non ſecundùm auctoritatem SS. Patrum pro qualitate criminum imponuntur. Ideòque quicunque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quòd ſine peccato exerceri non poſſit, ſi culpis gravioribus irretitus ad Pœnitentiam venerit, &c. recognoſcat ſe veram Pęnitentiam non poſſe peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, niſi arma deponat, ulteriuſque non ferat, niſi conſilio religioſorum Epiſcoporum pro defendenda juſtitia, &c.* Primò videtur militiam abſolutè damnare, quaſi ſine peccato exerceri non poſſit; ſed ſtatim lectori ſcrupulum eximit, quum addit id Pęnitentem facere poſſe Epiſcopi conſilio. Auctor libri de vera, & falſa Pęnitentia jam relatus eodem ſenſu dixit, *Niſi his utatur ex obedientiæ licentia.* Quapropter Pęnitentiam agentibus, aut Pęnitentia defunctis paludatam iſtam militiam difficillimè concedebant, ut ex his Pontificibus, & iis, quæ *capite* 18. adducta ſunt, manifeſtum eſt. Non dubito tamen, quin militibus pauperibus, qui non habebant, unde aliter, quàm de ſtipendiis ſuſtentaretur, militiæ iterùm exercendæ facultatem poſt actam Pęnitentiam concederent.

X. Poſtrema pars nobis examinanda ſupereſt, Continentia, quæ duplici tempore conſideranda eſt, & cùm agitur Pęnitentia, & poſt Pęnitentiam actam. Utrumque tempus videntur Patres à Pęnitentibus exegiſſe: Hoc enim teſtimonia ſuperiùs relata poſtulare videntur. Neutrum tamen, potiſſimùm ſecundùm, ut abſolutè neceſſarium ab iis exactum eſt: Hoc nos docet Sanctus Leo Epiſtola jam citata ad Ruſticum Narbonenſem *quæſt.* 13. cujus titulus eſt, *De his qui poſt pœnitentiam uxores accipiunt, vel concubinam ſibi conjungunt.* Clara, & perſpicua reſponſio, *In Adoleſcentia conſtitutus ſi urgente, aut metu mortis, aut captivitatis periculo, Pęnitentiam geſſit, & poſteà timens Lapſum incontinentiæ juvenilis, copulam uxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur fuiſſe venialem, ſi præter conjugem nullam omninò aliam cognoverit. In quo tamen non regulam conſtituimus, ſed quid ſit tolerabilius exiſtimamus. Nam ſecundùm veram cognitionem nihil magis ei congruit, qui Pęnitentiam geſſit, quàm caſtitas perſeverans & corporis, & mentis.* Duo hinc manifeſtiſſimè colliguntur. Primùm, Leonis tempore ex vulgata Eccleſiæ praxi Pęnitentes, non conjugatos poſt actionem Pęnitentiæ continentiam obſervare

vare ſolitos. Unde ſanè colligitur, multò magis conjugatis uxore mortua prohibitum ſuiſſe, ne ſecundis illigarentur nuptiis. An autem poſt Pęnitentiam actam uxore liceret uti, quàm ante Pęnitentiæ actionem duxerat, non definit Sanctus Leo. Quia tamen ambigua ſunt illius verba, Concilii ſexti Toletani Patres ea de uxoribus ante Pęnitentiam ductis intellexerunt, & conſequenter ex vulgata Eccleſiæ praxi non licebat Pęnitentibus miſceri cùm propriis uxoribus, multò minus iis mortuis, alias ducere.

XI. Concilii verba nobis referre neceſſe eſt, cùm & Leonem referant, & explicent, atque id, quòd contendimus clariſſimè præcipiant. Sic illi *can.* 8. *Antiqui, & ſanctiſſimi eſt Patris ſententia Papæ Leonis, ut is qui in ætate adoleſcentiæ poſitus, dum mortis formidat caſum, pervenerit ad Pęnitentiæ remedium, ſi conjugatus, & fortè fuerit incontinens, ne poſteà adulterii incurrat lapſum, redeat ad priſtinum conjugium, quouſque poſſit adipiſci temporis maturitate continentiæ ſtatum. Quod nos ſicut de viris, ita & de fęminis æquo modo cenſemus.* Hoc autem ęconomicè, & per indulgentiam ab iis fieri, non autem ex ordinaria Eccleſiæ diſciplina non ſecùs ac Leo ſtatim ſignificant, quod prius dictum fuerat correctione quadam temperantes, *Non quidem generaliter, & legitimè præceptum, ſed conſtat à nobis pro humana fragilitate indultum.* Ex qua correctione ſicut ex verbis Leonis, ſecundò manifeſtum eſt, priorem obſervationem non ita fuiſſe rigidam, quin ſæpè aliter diſpenſaretur, canonibus, & Pontificum decretis hoc Epiſcoporum poteſtati permittentibus.

XII. Patres illi, non ſecùs ac Leo Pontifex, difficultatem ex priori definitione ſpontè, & evidenter emergentem non attingunt. Cùm enim de Pęnitente conjugato verba faciant, ſtatim ſuboritur difficultas, qua æquitate conjunx innocens propter conſortis crimen ad continentiam obligabitur? Hanc difficultatem prætericrunt, quia id, quod ut iniquum aſſumit, æquitatis eſſe non dubiæ cenſuerunt; his forſan rationibus freti, quòd maritus, & uxor in individuum ejuſdem vitæ, & fortunæ, bonæ malæve conſortium convenerint, atque ideò alterum conjugum alterius incommoda ferre obligatum, juxta regulam juris, *qui ſentit commodum, ſentire debet & onus.* Deinde ratione à pari ducti ſunt: Conjugum alter altero ægrotante abſtinere tenetur, donec ſanitatem recuperaverit; Quidni feret idem alter altero ſpiritaliter ægrotante? Alii tamen canones *cap* 18. relati deſiderant alterius conjugis conſenſum, alii juvenibus volunt non facilè Pęnitentiam concedi, de quibus infrà. Sed prior ſeveritas diutiſſimè manſit, ut ex iis manifeſtum eſt, quæ *cap.* 21. & præcedente dicta ſunt.

XIII. Verùm Toletani Patres aliam difficultatem ex præcedente ortam commemorant, & diſſolvunt: indulgentiam enim illam ad priſtinum Matrimonium revertendi hac conditione permittunt, *Ea dumtaxat ratione, ut ſi is, qui Pęnitentiæ non eſt legibus deditus, ante ab hac vita deceſſerit, quàm ex conſenſu ad continentiam eorum fuerit regreſſus, ſuperſtiti non liceat denuò ad uxorios tranſire amplexus. Sin autem illius vitæ extiterit ſuperſtes, qui non accepit benedictionem Pęnitentis, nubat, ſi ſe continere non poteſt, & alterius conſortio fruatur uxoris. Quod de utroque ſexu pari modo à nobis manifeſtum eſt decretum eſſe.* Quanquam iſtius ſpeciei mentionem diſertam non faciat Leo, ipſius tamen menti eſſe conformem, non video, quare dubitare poſſit. Denique nullo modo ſunt omittenda, quæ in fine canonis addunt Patres, cùm ſecundùm conſectaneum mirificè confirment. Quæ igitur ſtatuerunt, eo modo docent obſervanda, *Ut in his omnibus Sacerdotis ordinatio expectetur, ut juxta quod ætatem aptam proſpexerit continentiæ, abſolutionis, vel deſtrictionis tribuat legem.* Nonnulli alii canones Conciliorum poſteriorum ejuſdem indulgentiæ teſtes relati ſunt.

XIV. Difficultas opponi poteſt, quod & Sanctus Leo, & Concilium Toletanum de Pęnitentia tantum loquantur in periculo mortis juvenibus impoſita, ac proinde non conſequi eandem indulgentiam juvenibus, qui eam ſani accipiunt, eſſe præſtandam. Immò à contrario planè argumentandum eſt: Si in periculo mortis elapſo periculo hæc indulgentia præſtatur, multò magis extra hoc periculum præſtabitur. Pœnitentiæ enim in extremis petitæ licèt concederentur, nunquam fuerunt favorabiles. Multò pluris ſemper fecerunt ſanorum Pœnitentiam quàm ægrotorum, eo quòd, ut ajebant, illi peccata relinquerent, hi verò à peccatis relinquerentur. Ideò cum ſanis Pœnitentiam agentibus dubium non eſſet apud eos hanc indulgentiam præſtari poſſe; de ægris, & in periculo conſtitutis dubitatum eſt, & modo enarrato reſponſum fuit.

XV. Gratian. 3. *qu.* 2. *cap.* 13. refert Sancti Leonis multò clementius hac in re decretum ex Epiſtola ad Galerium Epiſcopum Tripolitanum, *Audivimus à quibuſdam, quòd in veſtris diœceſibus, ac finibus Chriſtianorum cœtus levi occaſione ſe ſubtrahunt Pœnitentiæ jugo, dicentes, quia ſi Pœnitentiam egimus, conjugii debemus relinquere copulam. In quo errant, & de veritatis calle diſcedunt, &c.* Quæ apud eum legi poſſunt. Verùm inter Epiſtolas Leonis nulla eſt hujus tituli, nec in qua iſta continentur. Stylus quoque, & formulæ phraſium Leonem non ſapiunt. Auctoris eſt longè poſterioris, in cujus Provincia deficiebat antiqua Eccleſiæ ſeveritas, & antiqua traditio ſaltem ab eo ignorabatur. Ideò errori imputat, quod antiquiores omnes legitimæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ tribuebant.

XVI. Facilè eſt nunc κατὰ μέρος reſpondere omnibus argumentis, quæ initio capitis præcedentis oppoſita ſunt. Omnia enim vel ab incommodis petuntur, quibus ratione jam ex ipſis Patribus explicata occurritur: Vel ſunt ejuſmodi, quæ ferre potuerunt Pœnitentes, & quæ eos ferre in criminis perpetrati pœnam ex Eccleſiæ præcepto neceſſe fuit. Incommodum à multitudine Pœnitentium nullum eſt. Primùm eo quòd caſtigationis ſeveritas efficiebat, ut pauci crimina atrocia propter, quæ tantùm Pœnitentia agebatur publica, committerent. Præterea qui Pœnitentiam criminis agebat, ſeriò admodum apud ſe proponebat crimen non ampliùs iterare. Graviſſima enim pœna caſtigabantur ii, qui poſt Pœnitentiam ſuſceptam criminibus aliis animum inquinabant. Ideò multi ſibi diffidentes, & nondum animum ſuum à criminibus perpetratis conſtanter averſum ſentientes diu Pœnitentiæ actionem differebant, ne in ipſa Pœnitentia, vel poſt pœnitentiam crimen aliquod Pœnitentia damnandum iterarent. Nec hanc dilationem improbabant Patres, niſi ex ſocordia, & ſalutis ſuæ incuria proveniret. Sic Sanctus Ambroſius *lib.* 2. *capite* 11. de Pœnitentia, cùm enarraſſet hanc ſententiam, *Nemo in peccato poſitus arrogare ſibi debet auctoritatem, aut uſurpationem Sacramentorum, quia ſcriptum eſt, peccaſti, quieſce,* Subjungit, *Melius eſt ergo tunc quieſcere, cùm exercere non queas opera Pęnitentiæ, ne in ipſa Pęnitentia ſint, quod poſteà indigeat Pęnitentia. Quæ ſi ſemel fuerit uſurpata, nec jure celebrata, nec prioris fructum obtines, & aufert uſum poſterioris.* Et paulò poſt hujus ſermonis continuationem, *Didicimus ergo & agendam Pęnitentiam, & eo agendum tempore quo culpæ deferveſcat luxuria, & in peccati captivitate poſitos, reverentiores nos, non uſurpatores eſſe debere.* Ita S. Leo *Epiſt.* 11. jam ſæpè ex 1. Tomo Concil. Galliæ allata, quæ alibi 92. Quærenti Ruſtico, *de his, qui dolore nimio perurgente rogant dari ſibi Pęnitentiam, & cùm venerit Presbyter daturus quod petebant, ſi dolor paum perquieverit, excuſant, & nolunt accipere, quod offertur,* ſic reſpondet, S. Leo, *diſſimulatio hæc poteſt non de contemptu eſſe remedii, ſed de metu gravius delinquendi. Unde Pęnitentia, quæ dilata eſt, cùm ſtudioſius petita fuerit, non negatur, ut quoquomodo ad indulgentiæ medicinam anima vulnerata perveniat.* Pœnitendi in eo caſu dilationem clementer interpretatur, & boni conſulit; multò magis cùm eſt integra ſanitas, modò dilatio iſta de metu gravius delinquendi, non de contemptu remedii procedat.

XVII. Illuſtratur eadem conſuetudo ex alia actione, quam culpat quidem S. Leo, clementer tamen cum illius auctoribus agendum eſſe monet *eadem Epiſtola, inquiſitione,* 7. quæ eſt, *de his, qui in ægritudine Pęnitentiam accipiunt, & cùm revaluerint, agere eam nolunt.* Perfidia videtur magna, decernit tamen in eos clementer: *Culpanda ſanè eſt talium negligentia, ſed non penitus deſerenda; ut crebris cohortationibus incitati, quod neceſſariò expetierunt, fideliter exequantur.* S. Pontificis ratio lectori ponderanda eſt, *Nemo enim deſperandus eſt, dum in hoc corpore conſtitutus eſt. Quia nonnunquam quod diffidentia ætatis differtur, conſilio maturiore perficitur.* Concilium Toletanum 12. *cap.* 2. quod ſupra alia in cauſa examinatum eſt, eos, qui minus in eodem genere deliquerant, excommunicatione ad Pœnitentiam cogit. Sed ii ab omnibus graviſſimè ſemper puniti ſunt, qui Pœnitentiam, quam ſani acceperant, deſerebant. Eſt igitur manifeſtum ex illorum temporum vulgatiſſima conſuetudine ingentem iſtam Pœnitentium multitudinem non fuiſſe promiſcuè viſam. His addendum, quòd Pœnitentia publica ſemel tantùm agebatur; ideò plerique eam differebant, ut jam teſtatus eſt S. Ambroſius, & cum cauſa factum non improbavit. Plurimùm enim averſabantur ſæpiùs pœnitendi conſuetudinem, licèt graviſſimè poſt Pœnitentiam actam peccantes, aut eam ſuſceptam deſerentes, punirent, ut præ cæteris legere potes in Concil. Tolet. 3. *cap.* 11. ſed de his paulò poſt fuſè. Quibus ſanè poſitis dilatio

quæ-

Digitized by Google

quædam neceſſaria ſæpiſſimè fuit. Nam ſi meritò dixit S. Ambroſius *lib. 2. de Pœnit. cap. 11. Bona Pęnitentia, quia ſi non eſſet, omnes ad ſenectutem differrent ablutionis gratiam*, eo quòd Baptiſmus non repetitur, quo peccatorum remiſſionem conſequi poſſimus: dici pariter poteſt de Pęnitentia, ſi non omnes, plurimos tamen in infantia, aut adoleſcentia baptizatos non abs re eam differre, cùm illius iterum agendæ, non ſecus ac baptiſmi iterùm ſuſcipiendi ab Eccleſia non detur facultas. Immò licèt poſt baptiſmum peccantes, ſuffugium, ut ait Tertullianus, haberent Pęnitendi, quàm multi tamen illis temporibus baptiſmum, etiam in vitæ finem differebant! Ne igitur mirere, ſi Pęnitentiam.

XVIII. Supereſt nobis enodanda difficultas jam propoſita, quæ ex nonnullis canonibus exurgit, quibus propter cauſas jam allegatas edicitur, Pęnitentiam conjugatis ex mutuo tantùm conſenſu eſſe imponendam: Juvenibus verò aut difficilè, aut nullo modo imponendam. Quæritur enim quo tum remedio Patres juvenum, & conjugatorum à quibus mutuus non poterat exprimi conſenſus, crimina curabant: Nullam enim atrocium criminum, Reos propter juventutem, aut conjugis à mutua copula abſtinere nolentis negatum conſenſum, Pęnitentiam egiſſe, & ideò antiquos Patres iſtorum criminum vindictam non ſumpſiſſe, cui probabile fiet? Reſpondeo, Patres ea crimina curaſſe ſatisfactione ſecreta, non ſecus ac crimina minus atrocia, quibus nulla erat à canonibus impoſita Pęnitentia, de quo curationis modo infra multis agemus. Quamquam enim exiſtimarent Pęnitentiæ publicæ longè majorem eſſe efficaciam quàm privatæ, ut ſupra probatum, ideòque atrociora crimina pęnitentia publica curarent, ſecreta verò, quæ erant minus atrocia. Utraque tamen nonnunquam ſecretæ pęnitentiæ remedio curabant. Nunquam enim negarunt capitalia crimina confeſſione, & Pęnitentia ſecreta, licet minùs efficaciter, ſolvi poſſe, ut teſtatur Gennadius de dogmatibus *Eccleſ. cap.* 52. Huic autem curationi, ſive privatæ Pęnitentiæ non erat iis ſeculis adnexa continentia, nec à militia ſeculari ceſſatio. Nullo enim teſtimonio demonſtrari poteſt, iſta ſecretæ ſatisfactioni tum fuiſſe tributa. Illa enim perhibentur ſemper Pęnitentiæ publicæ conſectanea, nunquam privatæ. Sed ſequentium ſeculorum, ut jam adnotatum eſt, alia ratio fuit: Iſta enim duo non Pęnitentiam publicam, ſed quædam atrociſſima crimina conſecuta ſunt. Ideò qui illa perpetraverat, ſive publicè, ſive ſecretò pęniteret, iis obſervandis erat obnoxius. Undè colligere eſt omnibus, quæ dicta ſint inter ſe comparatis, antiquos Patres poſt annum à Chriſto ſeptingenteſimum in ſumendis pęnis iis, qui eos præceſſerant, fuiſſe ſeveriores, licèt multis cauſis commoti, de publica pęnarum ſumptione multum remiſiſſent.

XIX. Adnotandum præterea, illos Patres, qui noluerunt Pęnitentiam juvenibus credi, aut conjugatis ſine mutuo conſenſu dari, rigidiores aliis coætaneis fuiſſe. S. enim Leo, & Toletani Patres, quos certum eſt plurimos alios eſſe imitatos, Pęnitentiam publicam juvenibus, & conjugatis, laxata quandoque continentia, & militiæ ceſſatione, imponebant, ut jam demonſtratum eſt. Illi verò malebant publicam Pęnitentiam privata commutare, quàm leges publicè Pęnitentiæ poſitas intermittere.

CAPUT XXV.

Quæ in antiqua Pęnitentiarum praxi duriora videntur, Doctores ſcholaſtici teſtantur, quiſque de ſuo tempore ad annum propè, 1300. in Pęnitentia ſolemni obſervata fuiſſe; omnia tandem ſeculo decimo quarto abique propè obſoleviſſe. Antiquiſſimos Scholaſticos, & Canoniſtas Pęnitentiam ſolemnem à publica non diſtinxiſſe, ut nec Patres publicam à ſolemni. Quæ data Scholaſticis, & Canoniſtis antiquis iſtius diſtinctionis occaſio; & quæ illius cum antiquo more convenientia. Solemnis Pęnitentiæ à publica differentiæ juxta Scholaſticos enarrantur.

DEmonſtratum eſt à naſcente Eccleſia ad ſeculum propè ſeptimum Pęnitentiam publicè agi ſolitam non modò propter publica crimina, aut legitimè in Eccleſiaſtico, vel forenſi tribunali probata, ſed etiam propter pleraque crimina occulta: Actam inſuper aliquando fuiſſe ſola animi religioſi pietate, & devotione, Pęnitente nullius criminis ſibi conſcio. Explicatæ ſunt inſuper differentiæ multæ, quibus Pęnitentiæ ob publica crimina publicè geſta differt ab eadem Pęnitentia propter occulta crimina publicè quoque geſta. Nunc juvat recentiorum auctorum, hoc eſt, antiquorum Scholaſticorum, & Canoniſtarum de duplici Pęnitentia publica doctrinam explicare. Ex iſtius enim doctrinæ explicatione facilè colliget lector, nihil hactenus tam durum explicatum fuiſſe, & ab Antiquis obſervatum, quòd multis annis poſt annum milleſimum ducenteſimum in Eccleſia Occidentali non viguerit, cujuſque continua, licèt multò infrequentiora, non extent uſque ad illud tempus exempla, & præcepta.

II. Vulgata eſt, apud Scholaſticos Theologos, Pęnitentiæ in tres ſpecies diſtributio; in ſolemnem, publicam, & privatam: eorum tamen antiquiſſimi τριχοτομίαν iſtam ignoraſſe videntur. Hugo enim à S. Victore, Gratianus, Sententiarum Magiſter, & alii ejuſdem temporis Scholaſtici, & Canoniſtæ ſolemnem Pęnitentiam à publica non diſtinguunt. Hanc diſtinctionem tum parturiebat Scholaſticè, ſed eam nondum pepererat. Cum Hugo à S. Victore *tract. 6. Summæ, cap. 12.* retuliſſet dictum S. Ambroſii de una Pęnitentia, ſic illud interpretatur, *Dictum eſt de ſolemni pęnitentia. In eodem enim Capitulo Ambroſius ſupponit, quæ tantùm publicè agitur.* Poſteà ſolemnem Pęnitentiam ita definit, ut eam à publica non dividat: *Solemnis*, inquit, *pęnitentia dicitur, quæ fit in manifeſto extra Eccleſiam, ſcilicet quæ de gravibus peccatis tantùm injungitur, & de iis, qui manifeſtè Eccleſiam læſerunt, & olim illa Pęnitentia non iterabatur: Et adhuc quidem in quibuſdam Eccleſiis hoc ſervatur pro reverentia Sacramenti: Nec injungitur illa Pęnitentia ſolemni iterùm criminaliter peccanti, ſed datur aliquod conſilium.*

III. Eſt in Abbatia S. Victoris propè urbem antiquus liber manuſcriptus, qui de Pęnitentia fusè agit, cujus auctor ab Hugone multa excerpſit, aut ab ipſo Hugo. Multas habet Pęnitentiæ diſtinctiones, ſed nullibi Pęnitentiam ſolemnem à publica diſtinguit. Occaſione ejuſdem dicti Ambroſiani, quòd de Pęnitentia ſolemni interpretatur, eadem prorſus, quæ Hugo ſcribit de Pęnitentia ſolemni, ſed aliquid quod prætereundum non videtur, adiicit, *Nec illa ſolemnis pęnitentia iterùm criminaliter peccanti injungitur, ſed multoties conſilium Pœnitentia ſolemni gravius indicitur.* Videtur ſupplere, quod omiſit Hugo, aut in ipſius textu truncatum eſt, & cujus rationem reddit Alexander Halenſis. Neque etiam legitur apud Magiſtrum, ut videre eſt *lib. 4. diſt.* 14. ubi de Pœnitentia ſolemni intelligit, quæ de unica Pœnitentia ſcribunt Ambroſius, Auguſtinus, & Origenes, quæ pro gravioribus, horrendiſque criminibus, ac manifeſtis tantùm imponitur, & in cinere, & cilicio agitur. Eadem Gratianus *diſt.* 50. *poſt canonem* 61. & illius ritus canonibus ſequentibus deſcribit. Verùm, ut præcedentes, diſtinctionem iſtam prætermittit. Cardinalis Rhebaldus, qui ante Hugonem florebat, librum ſcripſit de Pœnitentia publica non iteranda, quam referunt Gratiani emendatores diſtinctione, & canone jam citatis. Publicam Pœnitentiam videtur eam vocaſſe, quam Hugo, Lombardus, & Gratianus ſolemnem. Nondum ſolemnis Epithetum vulgò Pœnitentiæ publicæ tributum fuerat, quod antiquæ diſtinctioni tertium membrum addendi occaſionem dedit.

IV. Petrus Pictavienſis fidus Magiſtri diſcipulus forſan primus, hac diſtinctione uſus eſt. Sic ſcribit in fine Pœnitentialis, *Non videtur, quòd pro peccatis occultis debeat Pęnitens aliquis arctari præcisè ad aliquod genus ſatisfactionis ſoleas, ſed redimere poteſt, vel aliter compenſare. Secùs eſt in manifeſtis, ſicut eſt videre in ſolemni Pœnitentia, quæ etiam Carena dicitur, quæ injungi ſolet pro peccatis enormioribus, ut pro parricidio: quod vocabulum ſecundùm leges extenditur ad conjunctas perſonas, ut parricidium complectatur non ſolùm interfectionem Patris, & Matris, ſed & filii, & filiæ, ſororis & fratris, & hujuſmodi. Hæc enim Pœnitentia certam habet formam, & ſtatuta (ſimiliter, & minores Homicidæ, & alii publicè Pœnitentes quandam certam habent formam) ut in die cineris ejecti de Eccleſia cum certa æquè forma in die cœnæ recipiantur. Et hæc pęnitentia dicitur publica non ſolemnis. In multis quoque caſibus, multis ad tempus ingreſſus Eccleſiæ prohibetur.* Trium Pœnitentiæ ſpecierum manifeſta eſt profeſſio, & diſtinctio, atque ab eo tempore nullus Scholaſticus iſtam Pœnitentiæ τριχοτομίαν non celebravit. Juxta igitur Pictavii diſtributionem, pro graviſſimis criminibus ſolemnis agitur Pęnitentia, pro minus gravibus publica, & utrique certa erat ſua formula.

V. Robertus de Flammesburg in Pœnitentiali accuratius multò iſta explicat, *Pęnitentia alia ſolemnis, alia publica, alia privata. Solemnis eſt, quæ fit in capite jejunii; quoniam*

eam

Digitized by Google

cum ſolemnitate, in cinere, & cilicio ejiciuntur Pœnitentes ab Eccleſia. Hæc etiam eſt publica, quia publicè fit. Publica, & non ſolemnis eſt, quæ fit in facie Eccleſiæ ſine ſupradicta ſolemnitate, ut Peregrinatio. Privata eſt illa, quæ quotidie fit privatim coram Sacerdote. Solemnem Pœnitentiam non injunget aliquis niſi Epiſcopus, vel aliquis ejus auctoritate, niſi in neceſſitate. Tunc etiam poterit Laicus eam reconciliare, arg. de Conſecrat. diſt. 4. Sanctum eſt. Publicam Pœnitentiam ſicut, & privatam ſimplex injungit Sacerdos, & quolibet tempore. Poſteà ſex attributa explicat, quæ ſolemni Pœnitentiæ conveniunt, Videlicet, Clerico non imponi; Laicum ea functum ad ordines promoveri non poſſe; non eſſe iterandam; Matrimonium ea peracta non eſſe contrahendum; Militiam deſerendam; & negotiis ſecularibus non ampliùs eſſe vacandum.

VI. S. Raymundus *lib. 3. Summæ cap. de Pœnitentiis, & remiſſionibus §. 6. Species Pœnitentiæ ſunt tres: Nam alia eſt ſolemnis, alia publica, alia privata. Solemnis eſt, quæ fit in capite Quadrageſimæ, cum ſolemnitate, quæ eſt diſt. 50. In capite. Dicitur etiam ſolemnis, licèt non ita propriè, quando aliquis invitus ad Pœnitentiam agendam mittitur in Monaſterium, diſt. 50. Si ille. Hæc debet imponi ab Epiſcopo tantùm, vel de mandato ejus à Sacerdote, & debet imponi pro crimine publico, & vulgatiſſimo, quod totam commoverit urbem.* Recenſet poſteà ſex illa attributa Pœnitentiæ ſolemnis propria jam enarrata; deinde publicam deſcribit: *Publica dicitur quandoque, quæ ſupradicta eſt, ſolemnis, ideò quia publicè fit: Propriè tamen dicitur illa, quæ fit in facie Eccleſiæ non cum prædicta ſolemnitate, ſed cùm injungitur peregrinatio per mundum, cum baculo cubitali, & ſcapulari, vel veſte aliqua ad hoc conſueta. Hanc poſſet imponere quilibet Sacerdos ſuo Parochiano, &c.* Hæc, inquit, ſicut & privata iterari poteſt. Monet tamen Gloſſator antiquus nonnullas Eccleſias contrarium obſervare. Monet & alia notatu digna, quorum ſuo tempore nondum obſoleverat uſus: In ſolemni Pœnitentia viros teneri comam deponere, quod tamen, inquit, malè obſervatur: Ad Pœnitentiam ſolemnem ſuſcipiendam, cùm crimen magnum publicum eſt, & ſcandalum movet. Reos Excommunicatione cogi poſſe: imponi quoque poſſe pro occulto, ſed ſi Reus velit, atque etiam pro veniali, ſi inſtanter petatur. Nam, inquit Hugo, antiquiſſimus Decreti commentator, ex quo hæc deprompſit Raymundi gloſſator, ſine ullo peccato poteſt, quis ſic pœnitere ſi voluerit, & petierit, aliàs non. Juvenibus inſuper, & ætatis decrepitæ ſenibus non eſſe facilè imponendam.

VII. Quærit prætereà, quanto temporis ſpatio ſolemniter Pœnitens extra Eccleſiam ſubſiſtere debet: Reſpondet autem hoc *pendere ex arbitrio Pœnitentiam indicentis, quia quandoque per annum, quandoque per biennium, quandoque per triennium differtur ſolemnis reconciliatio, quæ fit per Epiſcopum. Particularis tamen quædam reconciliatio, & introductio in Eccleſiam facienda eſt, ſingulis annis in die Cœnæ per proprium Sacerdotem, & audiet divina uſque ad octavam Paſchæ tantùm; non tamen recipiet corpus Domini, niſi fuerit hoc ei conceſſum. Quia receptio Euchariſtiæ quandoque differtur plùs, quandoque minùs, quandoque uſque ad finem pœnitentiæ, quandoque uſque ad mortem ſecundùm arbitrium Epiſcopi, &c. ab octava tamen Paſchæ debent exire ab Eccleſia, & eſſe extra uſque ad diem Cœnæ ſequentis anni, & hoc faciendum eſt, omni anno pœnitentiæ, quandiù interdictus eſt, ejus generalis introitus in Eccleſiam, ſcilicet, uſque ad ſolemnem reconciliationem, quæ per Epiſcopum eſt facienda, vel de ſpeciali ejus mandato.* Particularis illa reconciliatio, & in Eccleſiam introductio Paſchali tempore Gratiano antiquior eſt. *De hac libri 9. cap. 24.* peculiariter agemus.

VIII. Iſta propè omnia leguntur apud S. Thomam *in 4. diſt. 14. qu. 1. art. 5.* Joannem de Friburgo *Summæ lib. 3. tit. 34. qu. 8. 9. 10. & 11.* ubi quæ dicta ſunt, demonſtrat ex Hugone, Raymundo, Gulielmo Durandi, & S. Thoma, eorumque verba exſcribit, ideò his relictis ex *qu.* 12. nonnulla deſcribemus: Pœnitentia publica *non debet imponi Clerico niſi depoſito, nec debet imponi niſi pro crimine enormi, & manifeſto.* In ſuam ſententiam citat antiquos Canoniſtas, Hoſtienſem, & Goſredum. Notat autem ex S. Thoma, & Bernardo, Gulielmoque publicam Pœnitentiam Clerico poſſe imponi, quum crimen eſt publicum, additque hanc eſſe Curiæ Romanæ conſuetudinem, *Pœnitentiam publicam ſedes Apoſtolica nemini agendam indicit, niſi in eo loco, in quo eſt Curia Romana, & tunc tantùm pro Homicidio, & hujuſmodi enormibus. Pœnitentiarii enim D. Papæ tales faciunt nudos triduo vel plus, vel minus incedere per omnes Eccleſias, in qua eſt Curia, & non alibi. Quo facto eos remittunt ad ſuos Epiſcopos, ut conſideratis debitis circumſtantiis eis indicant pœnitentiam ſalutarem.*

IX. Albertus magnus *in 4. diſt. 14. art.* 28. Eadem de ſolemni Pœnitentia quæ cæteri; de publica verò nonnulla, quæ non ſunt inſuper facienda; *Publica autem pœnitentia eſt, quam aliquis publicè facit, in ſignis publicationis Pœnitentiæ, licèt non ita ſolemnibus: Et hæc etiam, ut dicunt quidam, non eſt injungenda Sacerdotibus, &c. tamen contrarium videtur dicendum 28. diſtinct. Presbyter. Et ſolvitur, quia ſi crimen eſt occultum, non debet publicè pœnitere. Si autem publicum, tunc poteſt eſſe enormitas delicti, quod poteſt publicè pœnitere, & debet. Alio modo dicitur Pœnitentia publica, ſcilicet quæ fit in facie Eccleſiæ, ſicut cum injungitur peregrinatio per mundum cum baculo cubitali. Hanc autem, ut dicunt, poteſt quilibet Sacerdos injungere ſuo Parochiano.* Diſtinctiùs aliis cum Pictavienſi, explicat naturam Pœnitentiæ publicæ, ut à ſolemni diſpeſcitur; ut & Sylveſter ex Panorm. V. Pœnitentia, *num.* 2. Diſertè enim docent, Pœnitentiam agi ſolemnem de graviſſimo crimine, quod totam commovit civitatem: Publicam de crimine publico, ſed non ita gravi, & ſcandaloſo. Docet autem Albertus illud exemplum peregrinationis, quod tam conſtanter authores illorum temporum proponunt, unam tantùm Pœnitentiæ publicæ partem ſpectare, & propter varia crimina publica injungi Pœnitentiam publicam, quibus peregrinationis pœna non imponitur: Inter omnes autem conſtare peregrinationem cum certa veſte à quolibet Sacerdote imponi poſſe; de aliis autem pœnæ generibus publicè imponendis variare Eccleſiarum conſuetudines.

X. Alexander Hal. *lib. 4. Summæ quæſt. 14. memb. 6.* de utraque Pœnitentia tribus articulis tractat, eademque docet, quæ alii ut videre eſt, præſertim *art.* 3. ubi Pœnitentiæ ſolemnis ritus ex Gratiano explicat. His ergo non repetitis, adjiciam, eum quatuor ponere differentias inter Pœnitentiam ſolemnem, & publicam: Solemnem à ſolo Epiſcopo imponi, publicam etiam à Sacerdote; ſolemnem Clericis non imponi, publicam imponi nihil prohibere: ſolemnem non iterari; publicam iterari: ſolemnem cum ſolemnitate dari, quæ fit in capite Quadrageſimæ; Publicam in facie quidem Eccleſiæ, ſed ſine illa ſolemnitate. His adjiciendum eſt, quod ante dixerat, ſolemnem imponi pro peccato, quod univerſam urbem commovit; Publicam verò pro manifeſto, ſed quod ut præcedens, ſcandalum non parit. Eadem leguntur apud S. Bonaventuram *in 4. diſt. 14. part. 2. in Expoſitione litteræ.*

XI. Cardinalis Hoſtienſis *lib. 5. Summæ cap. de Pœnit. & remiſſ. num. 55. 5. His prælibatis.* Non conſentit Pœnitentiam ſolemnem ab alio poſſe imponi quàm ab Epiſcopo. Hoc fuſiùs *lib. 1. de officio Archipresbyteri num. 3. Unum ſcias quod dupliciter dicitur ſolemnis Pœnitentia, uno modo quia ſolemniter agitur, & de hac intelligo, quæ Sacerdotalis officii eſt, & delegari poteſt; alio modo, quia ſolemniter imponitur, ſcilicet per manus impoſitionem Epiſcopalem, & cum publica Miſſa, ſcilicet Epiſcopali, & hæc demandari non poteſt, quia Epiſcopalis officii eſt, non Sacerdotalis. Item reconciliatio, alia publica, & hæc demandari non poteſt, alia privata, & hæc demandari poteſt.* Vult à Presbytero de Epiſcopi mandato reconciliari poſſe, ſed privatim. Deinde addit, *Puto ſecurius, quòd non intromittat ſe Archipresbyter niſi conſulto Epiſcopo, qui Pœnitentiam impoſuit, ſicut ſervat conſuetudo.* Sed potiſſimùm nobis attendendum eſt, quod in utroque loco ſcribit, præſertim priore: Pœnitentia ſolemnis imponi non debet, *niſi pro crimine publico, & vulgatiſſimo, quod totam urbem commoverit, & quod tantùm ad Epiſcopum pertinet, puta pro homicidio, ſacrilegio, inceſtu, & conſimilibus, quæ gravia ſunt horrenda, & publica: Et ut breviter dicam, de omni peccato, quod totam commoverit civitatem, vel villam, vel caſtrum, per Epiſcopum Pœnitentia indici debet. Presbyteri autem de occultis tantùm pœnitentiam dare poſſunt.* Hoc poſtremùm, *de occultis tantùm, &c.* non eſt ſtrictè intelligendum, ſed relativè ad ea crimina, quæ totam civitatem commovent. Statim enim docet, Pœnitentiam publicam propriè dici eam, quæ fit in facie Eccleſiæ, ſed ſine prædicta ſolemnitate; *quàm quilibet Sacerdos poteſt injungere, quia nec prohibitam invenitur, &c. quæ non imponitur Clerico niſi depoſito, & pro gravi crimine.*

XII. Hactenus Scholaſtici, & Canoniſtæ, qui ſcripſerunt à ſeculo duodecimo ad decimum tertium completum. Ex iis evidenter colligitur, publicas Pœnitentias illis ſeculis, hoc eſt, ad annum 1400. non omninò deſiiſſe, ſed uſurpatas adhuc, & non diligenter exercitas. Ea enim teſtabantur illi auctores, quæ videbant in Eccleſiis agi, & celebrari, ut & ipſi diſertè monent. Nec modò Pœnitentias publicas uſurpatas, ſed cum antiqua ſeveritate geſtas. Verùm Pœnitentiarum publicarum praxi ab ineunte ſeculo duodecimo paulatim deſueſcente, tandem ineunte ſe-

te ſe-

Digitized by Google

te ſeculo, 14. nonnullis in locis prorsùs evanuit, & in aliis veſtigia tantùm, & umbræ illius ſuperfuerunt. Durandus, qui ſcribebat circa annum 324. ſimilia quidem præcedentibus Scholaſticis de Pœnitentia ſolemni, & publica ſcribit *in 4. diſt. 14. qu. 4.* ſed magis, ut intactum non relinquat, quod Anteceſſores exagitaverant, quam ut rem factu neceſſariam doceat, *Licèt iſta fieri debeant ſecundùm jus ſcriptum, tamen quia tota prædicta ſolemnitas eſt purè de jure poſitivo, cui conſuetudo derogat; ideò ſi ſecundùm ritum, & conſuetudinem aliquarum Eccleſiarum amittatur aliquid de prædictis, vel etiam dimittatur totus ritus ſolemnis Pœnitentiæ, non eſt hoc deteſtandum. Nam plures Eccleſiæ hodie de ſolemnibus Pœnitentiis non ſe intromittunt. Aliqua enim uno tempore congrua, quæ alio tempore nociva ſunt.* Similiter poſtquam docuit, Pœnitentiam ſolemnem imponendam eſſe pro gravioribus ſceleribus, & notoriis, quæ commovent totam urbem, vel totam viciniam, & conſequenter publicam pro minùs gravibus, & minùs notoriis imponi poſſe, Poſt aliqua addit, Pœnitentiam cum iſta ſolemnitate quàm jam jam deſcripſerat, non imponi, *ſicut de flagellantibus ſe, vel peregrinantibus per mundum, cùm baculo cubitali, & hæc iterari poteſt, & à Sacerdote ſimplici imponi. Verùmtamen in talibus ſecundùm curſum hodiernum videtur potiùs ſcandalum quàm ædificatio. Et ideò non videtur magna eſſe diſcretio imponendi tales Pœnitentias, nec pro nunc imponuntur*, Teſtatur inſuper Romæ Pœnitentiarios Papæ, *confitentes ſibi facere ſpoliari, & ſpoliatos publicè circumduci per Eccleſiam, & verberari*. Hujus etiam conſuetudinis teſtis eſt Paludanus *in 4. diſt. 14. qu. 6.* ubi de Pœnitentia ſolemni, & publica diſputat, & eadem, quæ alii de ea docent; Imponi ſcilicet tantùm ab Epiſcopo, vel de ejus mandato; & pro gravi crimine, non pro quocunque mortali, & tantùm pro crimine manifeſto, non pro occulto, & Laicis ſolùm non Clericis: Publicam verò à quocunque ſimplici Sacerdote; non modò Laicis, ſed etiam Clericis, in cujus rei teſtimonium refert multorum Collegiorum conſuetudinem eſſe, *ſuos delinquentes publicè in proceſſione eorum omnibus punire*. Quæcunque ex Hugone, Raymundo, Hoſtienſi, Guilelmo, & aliis retulimus refert Aſteſanus ſummæ *lib. 5. tit. 34. 35.* & à ſe invicem multa rectè diſtinguit. Scribebat autem eodem cum Paludano & Durando tempore.

XIII. Eadem plerique alii Scholaſtici, ſed magis quæ facta fuerunt, quàm quæ ſuo tempore fuerint obſervata enarrant. Pœnitentiæ enim iſtius ſive ſolemnis, ſive publicæ, quæ à longo tempore deſueſcebat poſt Durandum, & Paludanum rariſſimus fuit uſus, licèt non fuerit nullus. Nec etiam nunc planè, & omninò ubique extinctus eſt. Conſervantur enim in quibuſdam Eccleſiis Cathedralibus, licèt paucis, ſolemnis Pœnitentiæ nonnulla veſtigia: ſed eam ſuſcipiunt tantùm pauci, & pauperes Ruſtici, Ruſticæve mulieres quæ infantulos ſuos ſomno oppreſſæ ſuffocarunt. Iſtius conſuetudinis ſuo tempore obſervatæ teſtis eſt Guilelmus loco jam citato, ut & Aſteſanus, aliique. Sed eam improbant, quà publica eſt, Gerſon de Viſitatione Prælatorum, & Panormitanus multis clois à Sylveſtro adnotatis in verbo *Pœnitentia num.* 2. Quòd ad Pœnitentiam attinet, omnes conveniunt eam eſſe, quæ quotidie in Confeſſione ſecreta ſolet imponi.

XIV. Mihi Scholaſticorum dogma de Pœnitentia ſolemni, & publica conſideranti, & cum antiquiorum auctorum doctrina conferenti, viſum eſt Scholaſticos diſtinctionis ſuæ condendæ occaſionem ſumpſiſſe ex duplici varietate, quam animadvertimus Patres variis ſeculis in obſervationem Pœnitentiæ publicè intuliſſe. Demonſtravimus à ſeculo quarto ad ſeptimum Pœnitentes ob crimina ſua irregulares fuiſſe, & ad ordines non ulterius promovendos, negotia ſecularia capeſſere non poſſe, nec matrimonium contrahere, aut contracto uti: Clericis inſuper Pœnitentiam publicam non imponendam, & Laico impoſitam non eſſe iterandam. Cum apud Gratianum legerent canones multos iſta præcipientes: Deinde eodem conſpectu apud eundem legerent canones multos contrarios, aſſerentes Clericos poſt actam Pœnitentiam dignitati reſtitui, laicos promoveri ad Clericatum, utroſque negotia ſecularia capeſſere, matrimonia inire, Pœnitentiam publicam iterato crimine iterare, duplicem animo conceperunt Pœnitentiam publicam; Priorem, cui attributa priora conveniebant, quàm ſolemnem dixerunt; Poſteriorem, cui poſteriora attributa; iſtamque, ut ab alia diſtinguerent, publicam *κοινὴν* appellarunt, & ita judicarunt illos Conciliorum canones optimè ſe conciliare poſſe. Non enim animadvertebant utraque hæc uni, & eidem Pœnitentiæ publicæ pro varietate temporum, aut etiam regionum convenire. Aberrationis iſtius cauſa non poſtrema fuit Gratiani indiſcernendis Auctoribus, eorumque ætate cæcutientia, quæ eruditorum nemini ignota eſt. Hinc ſæpiùs apud eum præpoſtera diverſorum canonum concordia, qui temporum diſtinctione nullo negotio verè, & piè conciliari poterant. Hunc ſecuti Scholaſtici, & Canoniſtæ decreta, & canones variorum ſeculorum uni, & eidem tempori tribuerunt, & reconciliationem, quæ obviàm ſæpè occurrebat, in tranſverſum egerunt.

XV. Sed ut redeat oratio noſtra unde egreſſa eſt, Scholaſtici, & Canoniſtæ illi Doctores iſta diſtinctione canones illos inter ſe conciliarunt appoſitè magis, & ad veritatem hiſtoricam propiùs quàm Gratianus. Quanquam enim falſum ſit id, quod fundamenti loco ſternunt, duplicem fuiſſe Pœnitentiam publicam, uni ſex illa attributa convenire, alteri minimè, cùm omni Pœnitentiæ publicæ hæc convenerint. Quanquam falſum ſit hæc ſoli Pœnitentiæ publicæ conveniſſe, cùm criminibus occultis eo tempore convenerint, quo de iis Pœnitentia tantùm agebatur occulta: Quanquam falſum ſit hæc omni Pœnitentiæ publicæ ſemper conveniſſe, cùm multis ſeculis acta Pœnitentia in nonnullis locis ſemper, & ubique aliquando relaxata fuerint: Nonnulla tamen quæ utrique Pœnitentiæ à Scholaſticis expoſitæ convenire dicuntur, antiquiſſimæ conſuetudini partim ſimilia, partim eadem ſunt. Multa enim, quæ de diſtinctione Pœnitentiæ ſolemnis à publica tradunt, ſimilia ſunt differentiæ Pœnitentiæ publicæ de peccatis publicis actæ, ab ea quæ de peccatis occultis agebatur, ut conferentibus hoc caput cum capite hujus libri decimo ſexto perſpicuum erit. Deinde dividunt illi peccata in tria; graviſſima de quibus Pœnitentia ſolemnis agitur; minus gravia de quibus publica; & levia, de quibus nulla agitur Pœnitentia publica. Sic hujus *lib. cap.* 1. peccata tripliciter antiquitus diſtingui docuimus, & unicuique peculiarem Pœnitentiam tribui: Solemnem ſive publicam graviſſimis, privatam aliis unicuique peccato analogam, ut explicabitur poſtremis hujus libri capitibus. Denique quæcunque ferè antiqui Patres de Pœnitentia publica nobis tradiderunt, & lectori negotium, & admirationem propter inſuetudinem creare poſſunt, eadem, ut jam demonſtratum eſt, Scholaſtici antiquiores docuerunt, & ſuo tempore adhuc obſervari in Pœnitentia ſolemni teſtati ſunt; cujus rei potiſſimùm lectorem monitum voluimus.

CAPUT XXVI.

Eccleſiam Catholicam in hunc uſque diem auctoritatem peccata occultiſſima pœnis, & remediis publicis caſtigandi, & ſanandi ſibi conſervaſſe. Differentia inter cenſuras à jure, & ab homine latas. Omnes conſentiunt cenſuras ferri poſſe etiam in crimina interna, quæ aliquid extrinſecum produnt, licèt illud ſit occultiſſimum, ita ut à nemine cognoſci poſſit. Hujus rei rationes à Doctoribus redditæ. Pœnæ à Cenſuris inflictæ ferè omnes ſunt neceſſariò publicæ, & occultari non poſſunt. Quot cauſæ publicationem illam intervertendi, tot argumenta eam à lege ſtatui. Ex Cenſura Clericis inflicta faciliùs devenitur in cognitionem criminis occulti, quàm ex Pœnitentia Laicis impoſita. Pœnitentiam publicam veram Cenſuram fuiſſe. Cenſuras omnes nihil aliud olim fuiſſe, quàm Pœnitentias publicas peccatis impoſitas. Quando Cenſuræ ab ordinariis Pœnitentiis diſtingui cœperunt. In Pœnitentiam ejuſdem criminis Clericus deponebatur, & Laicus ad tertiam Pœnitentiæ ſtationem relegabatur. Eadem ratione, & in eundem finem Pœnitentiæ, & quæ nunc dicuntur Cenſuræ, infligebantur. Eadem colliguntur de Excommunicationibus, quæ generaliter, & indefinitè ferri ſolent.

QUædam antecedentibus capitibus nobis elapſa, non videntur tamen prorſus oblivione contegenda, cùm noſtra quidem ſententia eorum enarratione, quòd potiſſimùm hoc libro contendimus, non parum eluceat. Durum nonnullis videtur, atque etiam inconſideratè factum, crimina occulta nonnulla publicè puniri: Ideò hanc diſciplinam antiquitùs uſurpatam fuiſſe in animum ſuum inducere non poſſunt. Si tamen in memoriam quis revocet nonnulla, quæ ab annis quingentis in hunc uſque diem frequentiſſimè in Eccleſiam ſtatuuntur, & ab omnibus docentur, ſcribuntur, & cum abeſt de ſpecie controverſia, rigidiſſimè obſervari jubentur, deprehendet, Eccleſiam perpetuò ſibi vindicaſſe auctoritatem nonnulla peccata gravia licèt occultiſſima, & in publicum non modò nunquam emerſura, verùm etiam quæ ex natura ſua, niſi Reo ſponte confitente, emergere non poſſint, publicè tamen, & graviſſimè puniendi, auctoreſque, ut pœnas illas publicas in ſeſe exequantur, aliarum ſubeundarum ingenti

genti

Digitized by Google

genti terrores obligandi, & cogendi: Immò quod Eccleſia antiqua in pauciſſimis criminibus fecit, cùm tantùm extrinſecùs completa erant, idem in plurimis hodiernam facere, licèt extrinſecùs tantùm inchoata fuerint, ipſiſque incredibilia videri, quæ ipſiſſimi docent, quotidie faciunt, & faciendum monent. Quid hoc rei ſit, Lector, attende.

II. Nihil eſt in Scholis & Theologorum, & Canoniſtarum frequentiùs, & decantatum magis, quàm duplicem eſſe Cenſuram; unam ab homine latam, aliam à jure. Diſcrimen præcipuum inter utramque eſt, quod illa crimen notorium, aut legitimè probatum, atque inſuper Rei admonitionem poſtulat, ut juſtè infligatur. Hæc verò nihil horum: ſed ſtatim crimine perpetrato, ſive occultè ſive publicè, nihil refert, Reo inflicta eſt Cenſura, ipſa criminis perpetratio Cenſuram infert, & ſententiam exequitur, lexque ante crimen lata monitionis vice fungitur. Hanc auctoritatem ſibi vindicant Eccleſia, ut legem ferre poſſit, quę Subditos ad executionem pœnæ in ſeipſos obliget nullo præter ſeipſum accuſante, examinante, teſte, judice, vindice. Itaque quòd crimen ſit publicum, aut occultum, nihil prorſus ad rem facit: ſpectatur tantùm criminis perpetratio, quam eodem momento lex Cenſura punit. Tam pauci autem, flocci que fit in ejuſmodi criminibus Cenſura afflatis publicum eſſe, ut ſi fortè fortuna crimen illud ex occulto publicum evadat, atque ad judicem deferatur, nulla alia pœna plectatur, aut damnetur quàm ea, qua jam cùm occultum erat, à lege damnatum fuerat; ſed damnatum eſſe, & Cenſuram incurriſſe tantùm declaretur.

III. Iſtius vulgatiſſimæ, & certiſſimæ doctrinæ occaſione Theologis, & Canoniſtis agitatur iſta quæſtio, an Eccleſia Cenſuram ferre poſſit in peccatum prorſus internum, quòd exterius nullo modo proditum fuit. Sanè viri graviſſimi, & numero non pauci cenſuerunt Eccleſiæ auctoritatem huc uſque ſeſe diffundere. Eos inter enumerat Franciſcus Suarez *diſp. 4. de Cenſuris Sect. 2. num. 5.* Gloſſæ auctorem *in cap. Cogitationis de Pœnit. d. 1. & in Clementia. 1. de Hæreticis §. Verum.* S. Antoninum *3. part. tit. 24. cap. 7.* Panormit. *in cap. Extirpandæ §. Qui verò*, in ejus repetit. *num. 21.* Majorem *in 4. diſt. 12. qu. 7. §. contra Primam* Roſellam *Verb. Abſolutio, 1. num. 28. & verbo, Hæreſis.* Sed præcipuè Adrian. *quodlib. 8. & in 4. qu. 3. de Confeſſione.* Albertum Piphium *lib. 6. de Eccleſiaſt. Hierarchia cap. 16.* Cordubam *lib 4. quæſtion. Theolog. qu. 13.* Joann. Medinam *cap. de Pœnit. tractata de Oratione quæſt. de poteſtate Eccleſiæ.* Ab iſtorum Doctorum ſententia vix, ac ne vix quidem diſcedit Tertullianus in libro de Pœnitentia, ut jam non ſemel adnotatum eſt. Iſti longè plura concedunt, quàm nos petimus, & à quibus antiquos Patres abhorruiſſe demonſtravimus. Profectò à peccatis internis publicè puniendis tantùm abſuerunt, ut pauca externa, quæ publicè punirent in canonibus ſuis, ut primis hujus libri capitibus probatum eſt, exceperint.

IV. Cæteri omnes maxima turba cenſent Eccleſiæ Cenſuras, in peccata merè interna, & ſpiritalia ſeſe non extendere, niſi exterius prodierint, aut exterioribus conjuncta fuerint, quod fieri docent multis modis, ſed quocunque modo exterius, hoc eſt, extra animumque mentemque prodeant, modò prodeant, Eccleſiæ juriſdictioni, & Cenſuris ſubiici docent: Quòd autem peccata illa nota, ſint aut incognita, publica vel occulta, id, habita Cenſurarum ratione, eſt per accidens: Hoc eſt, illa ratio publicationis, aut occultationis Cenſuræ jam inflictæ, & effectu ſuo potitæ eſt acceſſoria. Verbi gratia, Aliquis ficto titulo per fraudem ordinatus eſt, ab ordinum uſu ipſo facto ſuſpenſus eſt. Non quæritur, an fraus illa ſit publica, an occulta. Ipſo jure, ipſa ordinis fraudulenta ſuſceptione ſuſpenditur: Hoc ſit publicum, hoc ſit occultum, nihil ad rem. Ordinis miniſterio abſtinere debet. Hoc operatur tantum publicatio, ut à judice coerceri, & conſtringi poſſit, atque ſi Cenſuram, qua innodatus eſt, non obſervavit, puniri. Presbyter aliquis homicidium perpetravit, ſive hoc perpetraverit publicè, ſive occultè, hoc nihil ad rem, irregularis eſt, ordinum miniſterio fungi non poteſt, Ut omnibus notum. Eadem autem eſt ratio irregularitatis, & depoſitionis, licèt ſecundùm Canoniſtas cenſuræ non ſint, quæ & Cenſurarum. Hic enim Cenſuras tantùm conſideramus, ut pęnæ ſunt peccatis ab Eccleſia inflictæ. Quid igitur prima ſententia cenſet? Eum qui deliberavit, & apud ſe conſtituit hominem occidere, poſſe irregularem ab Eccleſia pronuntiari, licèt nihil exterius, ut hoc animi propoſitum exequatur, tentaverit. Secunda ſententia primæ addit, Eccleſiam hoc non poſſe niſi aliquid ad hoc animi propoſitum exequendum revera tentaverit, & præter cogitationem, & animi actionem aliquid exterius in hunc finem prodiderit; quod rationi, & antiquæ diſciplinæ conſentaneum eſt. Poſteriores non attendunt, an illud exterius hominibus cognitum ſit, an incognitum, occultum aut publicum. Conſiderant tantùm, an ſit aliquid præter animi deliberationem, & propoſitum exterius tentatum. Cùm poſteriores hoc tantùm ſpectent, multò minùs operis occultationem, & publicationem ſpectabunt priores.

V. Iſta multis docet Franciſcus Suarez *diſputat. 4. de Cenſuris Sect. 3. num. 16. & ſequentibus:* Pauca de multis referemus: *Actus purè interior eſt, per ſe occultus Eccleſiæ; & ideò omninò eſt extra juriſdictionem, & poteſtatem vindicativam ejus, quia eſt, ut ſic dicam, extra objectum talis potentiæ. Actus verò exterior, licèt interdum ſit occultus, eſt per accidens: quia ipſe ſecundùm ſe non eſt extra objectum talis potentiæ; & ideò ille ſæpè punitur per legem, &c.* Poſteà demonſtrat, Eccleſiam poſſe, & ſolere Cenſuris prohibere actionem aliquam externam, ut à tali intentione, affectu, & diſpoſitione emanat, ita ut ſi hoc modo fiat, illius auctor Cenſura feriatur. Quoniam verò obiici poterat actionis modum illum eſſe occultiſſimum, immò aliquando talem eſſe, ut probari non poſſit, ſic obiicienti occurrit, hoc verum eſſe, ſed Cenſuris nihil officere, *Non obſtat*, inquit, *quòd illa limitatio, quam Eccleſia adhibet ſuæ legi, interdum talis eſt, ut ſub humanam probationem cadere non poſſit. Nam illa non eſt ratio per ſe talis Cenſuræ, ſed potiùs adhibetur ad coarctandam Cenſuram Et alioqui pœna talis eſt, ut ſine ſtrepitu exterioris judicii poſſit in conſcientia incurri ex vi ipſius legis; ideòque ſatis eſt, quòd ille peculiaris reſpectus ad actum interiorem poſſit eſſe in conſcientia notus ipſi delinquenti.*

VI. *Diſputat. 31. Sect. 1. num. 67.* Quæſtionem movet, de variis ſuſpenſionibus à jure inflictis, de quibus verba fecerat, an ſcilicet infligi poſſent per delicta occulta. Occaſionem quæſtioni illi præbet Alphonſus de Caſtro, qui docet *lib 2. de lege pœnali, cap. ultimo* ſuſpenſionem impoſitam ipſo jure ob aliquod crimen non incurri, ſi crimen illud per accidens ſit occultum, idemque dicendum de irregularitate, & depoſitione. Quid de hac Caſtri ſententia judicet Suarez, audiamus, *Hanc doctrinam loquendo in foro Conſcientiæ falſam eſſe opinor, & non ſecuram practicè. Nam in primis nullus dubitare poteſt, quin poſſit Eccleſia per legem punire pœna ſuſpenſionis externa crimina etiam occultiſſima, quòd de irregularitate rectè contra Caſtrum notavit Covarruvias in Clement. Si furioſis 2. part. §. 3. num. 4. Eſtque eadem, vel major ratio de ſuſpenſione, & de Cenſura in communi. Id latè probatum eſt à nobis ſupra diſpat. 4. Et in excommunicatione eſt extra omnem controverſiam, & omnia ibi adducta à fortiori procedunt in ſuſpenſione. Quo fit, ut primùm Caſtri fundamentum invalidiſſimum ſit. Nam licèt Eccleſia de occultis per ſe, id eſt, merè internis non judicet, quia ſunt extra forum ejus, & de occultis per accidens, id eſt, externis, quæ probari non poſſunt, non judicet per ſententiam hominis, quia hæc requirit ſufficientes probationes, & teſtimonia, hæc autem occulta talia ſunt, ut probari non poſſunt: nihilominus tamen hæc occulta per accidens vindicat, & punit per ipſam legem: quia hæc non ſunt extra forum Eccleſiæ, & aliunde ſunt aliquæ pœnæ accommodatæ, ut per legem ipſam inferantur, quæ et in conſcientia ligent, ſufficit teſtimonium conſcientiæ ipſius delinquentis; & hujuſmodi pœna eſt Cenſura quælibet, & conſequenter ſuſpenſio.* Egregiè, & perſpicuè non modò teſtatur quæcunque diximus, ſed etiam rationes intimas, quibus Eccleſia in Cenſuris ejuſmodi ferendis commovetur, aperit, & explicat. Deinde hoc probat tam de irregularitate, quàm de Cenſuris evidentiſſimo Concilii Tridentini teſtimonio *in cap. 6. Seſſionis* 24. ubi facultatem concedit Epiſcopis à ſuſpenſionibus abſolvendi propter crimina occulta contracti. Præterea *ex cap. 7. Seſſ.* 24. ubi negat Epiſcopis facultatem, de irregularitatibus diſpenſandi ex homicidio occulto contractis, & aliis locis, quæ in idem conſpirant.

VII. Denique ſic infert, *Quòd in caſibus ſpecialibus, de quibus in hac lectione egimus, incurratur ſuſpenſio, etiamſi delicta occulta fuerint, probatur, quia jura indiſtinctè loquuntur: Ergo non poſſunt à nobis coarctari ad crimina publica: aliàs etiam in Cenſura Excommunicationis ipſo jure lata eadem limitatio adhiberi poſſet. Ubi ergo lex non limitat, neque nos limitare poſſumus.* Validum argumentandi genus, quo ſimiliter demonſtratur, pęnitentias publicas ab antiquis Patribus, & canonibus impoſitas, crimina tam publica, quàm occulta ſpectaſſe, quum 600. annorum, & ampliùs ſpatio certis criminibus indiſtinctè eas tribuerint. Idem auctor *diſp. 21. ſect. 2. num. 2.* ubi incipit explicare caſus in Bulla Cęnæ Domini contentos, ſcribit hæreſim mentalem hac Cenſura non affici, *quia, ut in prin-*

cipio

cipio diximus, nullus actus purè internus eſt materia Cenſuræ, quia non eſt materia Eccleſiaſticæ juriſdictionis, per quam fertur Cenſura, &c. Intelligendum eſt autem de hæreſi purè mentali: Nam ſi in actum exteriorem prodeat, etiamſi occultiſſimus ille ſit, ſatis eſt ad incurrendam Cenſuram, ut ſuperiori loco declaratum eſt.

VIII. Eodem modo, atque etiam ſtrictius Adam Tannerus ejuſdem ſocietatis Doctor inſignis, *tom 4. Theologiæ Schol. diſp.6. de Pœnit. q.10. dub.3. nu.55.* poſtquam ſcripſit actum [illegible] internum Cenſuræ non eſſe capacem, addit, *dicere autem, actus quamvis externos, ſi occultè, & abſque teſte fiant, non eſſe materiam Excommunicationis; aut propter eos non incurri Excommunicationem, non ſolùm hactenus apud Doctores ſeu Canoniſtas, ſeu Theologos eſt inauditum; ſed & rationi, & autoritati manifeſtè repugnat: ne proinde tutum non videtur aſſerere, ut in ſpecie inferius de hæreſi ex communi docetur. Docuerat id quidem olim de ſuſpenſione, & irregularitate*, Caſtro *lib.2. de leg. pœn. cap. ult. concluſ.3.* Sed id ex communi meritò refellunt Covarruvias, Clementina, ſi furioſus, *2. p. §.3. nu.4.* & Suarez *diſput.31. ſect.1. n.68. &c.*

IX. Barth. Hugolinus Juriſconſ. eximius, qui ante præcedentes ſcribebat, *in lib. de Cenſuris Eccleſiaſt. tabula 1. c.9.* §. 12. poſtquam multis autoribus, & teſtimoniorum è jure petitorum citationibus demonſtravit delictum animo tantùm conceptum nec ab homine, nec à lege puniri poſſe, ſcribit, *Aut delictum conceptum animo tantùm non eſt, ſed extrinſecus quidpiam deinceps eſt conſecutum, ut pote, aut verbis, aut ſcriptis, aut nutibus, aut reipſa delictum eſt expreſſum, & tunc & à judice, & à lege punitur, ac delinquens in Cenſuram incidit. Nam ecce primò judex, ſi delictum ſciatur, ipſius verò autor ignoretur, generatim tamen qui delictum illud commiſit, Cenſura irretire poteſt. Hinc receptum Antiſtitum conſuetudine videmus, ut ſæpius qui intra præſcriptam diem damni alicujus autorem non patefacit, cùm id ſciat, in eum Excommunicationem ferunt.* Cum hæc multis è jure teſtimoniis probavit. *Lex quoque ubi jure ipſo Cenſuræ ab ipſo promulgantur, eos conſtringit, qui ſe delicto ab ea lege prohibito, exteriori aliquo facto contaminarunt, etiamſi delictum illud ſic occultum ſit, ut ab omnibus ignoretur, ut probatur juribus à gloſſa cit. in ead. Clem. 1. §. Verum, &c.* Deinde hoc multis exemplis probat, Verbi gratia Excommunicatione eorum, qui malo animo hæreſis notam cuipiam inurunt: Qui ſecretò cum Cardinalibus in Conclavi colloquuntur, rationeve quapiam occultè contra eam conſtitutionem faciunt: Qui teſtimonii nomine, re autem vera fraude ad mulierem domum venit: Qui iniquo animo ſententiam tulit. Longè pluribus aliis è jure canonico allatis exemplis ſubdit, *Ex quibus juribus omnibus apparet in pœnam legis eos incidere, non qui delictum animo tantùm conceperunt, ſed qui aut illud conſummarunt, aut facto exteriori aliquo id conſummare conati ſunt, quamvis id ſciri, ut pote ſecretò, occultève factum non poſſit, vel quo animo factum ſit, ignoretur.* Denique ſermonem his verbis concludit, *Ubi ergo ratione hac quis legem offenderit, in Excommunicationem, Cenſuramve ab eo latam, etiamſi occultiſſimum ſit delictum, non aliàs incidet.*

X. Idem docet, & egregiè explicat Bonacina *de natura, & cauſis Cenſuræ puncto 3. n.4. & 5.* Variiſque docet exemplis Eccleſiam ſæpius tuliſſe, atque etiam nunc ferre Cenſuras in crimina non ſolùm occultiſſima, ſed etiam interna, modò per accidens aliquid extrinſecus, vel latentiſſimè prodierit. Sic quoque ubi de legibus diſputat, *diſp.1. q.1. punct.5. n 8. 9. 10. &c. Sicut*, inquit, *ob rectam Eccleſiæ gubernationem præcipiuntur actus externi, ita compræcipi poſſunt actus interni, qui connexionem habent cum externis, vel ſine quibus actus externi non poſſunt ſubſiſtere ſecundùm eſſe morale, vel phyſicum.* Hinc colligit, Eccleſiam præcipiendo divini officii recitationem, præcipere quoque attentionem; præcipiendo annuam confeſſionē, dolorem peccatorum præcipere, & peccatorum mortalium manifeſtationem; prohibere quoque poſſe ſub Cenſuris efficacem, & internam furandi voluntatem, multaque alia ejuſmodi. Denique *jure optimo excommunicari eos, qui hæreſim internam externo aliquo ſigno produnt, etiam nullo audiente vel præſente.* Innumeros in iſtius ſententiæ confirmationem fert autores, aut ab aliis relatos indicat; nec ullus autor qui contradicat, ſi unicum excipias, commemoratur. Quapropter cùm tanta ſit omnium Eccleſiæ Doctorum in hanc ſententiam conſpiratio, oleum ſanè eſſet, & operam perdere autorum catervam in hujus ſententiæ demonſtrationem aggerere.

XI. Poſito igitur hoc principio ab omnibus confeſſo, & hactenus ab Eccleſia univerſa uſurpato, crimina occultiſſima Eccleſiam Cenſuris caſtigare; aliud aſſumendum eſt præcedente, licèt notiſſimo, & certius & evidentius, Pœnas videlicet Cenſuris inflictas, eſſe pœnas publicas, quæ latere non poſſunt. Crimina igitur occultiſſima ex uſu Eccleſiæ quotidiano pœnis publicis omnibus Chriſtianis, ut conſpiciantur expoſitis vindicantur. Ut hoc doceamus ab Excommunicatione, quæ Laicis, & Clericis communis eſt, initium faciamus. Excommunicatus Sacerdos celebrare non poteſt: Nec refert Excommunicatus ſit ab homine vel à jure, celebrans irregularis fit, & ex Charybdi in Scyllam incidit. Quid magis publicum fingi poteſt? Pone te in Parœcia, in qua duo, treſve tantum ſunt Sacerdotes, qui ſolent ſingulis diebus, aut ſaltem ſingulis Dominicis, & feſtis Miſſam celebrare. Cum eorum unus novit ſe in Excommunicationem latæ ſententiæ incidiſſe, num debet non abſtinere? Pœna igitur eſt omnibus nota, ſed crimen ignotum. Ut Sacramenta facere non poteſt, ſic nec ea miniſtrare: Ab officio, & beneficio ſuſpenſus eſt; Nullum actum juridicum legitimè exercere poteſt, non eligere, non excommunicare, non teſtari, non audire Miſſam, non publicum & Eccleſiaſticum officium recitare: Multa ejuſmodi ab omnibus Canoniſtis, & Summiſtis enumerantur. Quodnam pœnæ genus his omnibus magis publicum fingi poteſt?

XII. Quid de ſuſpenſione dicam? Quid de depoſitiotione, de irregularitate, de interdicto? Quoties ob peccata occulta Clerici his Cenſuris percelluntur? Perculſi autem nec Sacramenta miniſtrare, nec ea facere, nec officio fungi poſſunt. Omnibus notæ pœnæ ſunt, cauſæ omnibus incognitæ. Nihilo tamen ſecius Clericus ſecundùm omnes Canoniſtas, & Theologos fit irregularis, hoc eſt, depoſitus eſt, degradatus, ab officio remotus, à communione Eccleſiaſtica pulſus. His, & ſimilibus phraſibus nihil aliud in Clerico ſignificarunt, quàm quod nos irregularitatem dicimus: Semper autem Eccleſia ab incunabulis ſuis in hunc uſque diem has Cenſuras nulla publicationis, & occultationis habita ratione criminibus impoſuit.

XIII. Verum equidem eſt crimina occulta poſt Concil. Conſtantienſe pœnis publicis multò minus obnoxia fuiſſe, eo quod per quandam Bullam Martini V. in eo Concilio latam communicatio cum Excommunicatis permiſſa eſt, niſi Excommunicati eſſent nominatim denuntiati, aut notorii Clericorum percuſſores. Licèt autem in diplomate ſuo admoneat ſe ita conſtituiſſe in fidelium gratiam, non in ullum Excommunicatorum commodum, attamen nonnullæ occurrunt ab eo tempore hypotheſes, in quibus multa poſſunt officii ſui miniſteria ſine crimine nunc exercere, quæ antea ſacrilegè tentaſſent, ut iſta paſſim à Doctoribus explicantur. Sed quidquid ſit, longè plures ſuperſunt hypotheſes, in quibus propter Cenſuras à jure per crimina occultiſſimè commiſſa inflictas eorum autores pœnis publicis, quas jam enarravimus, ex hodierna conſuetudine mulctantur.

XIV. Alia ratio publicam Cenſurarum inflictionem his temporibus impedit, ſeu potius tegit, circumvenit, eludit, fruſtratur, atque hæc occurrit ſæpiſſimè, immò nunquam non occurrit. Ea autem eſt multiplex, & ideò Cenſuras & ſacrorum ordinum impedimenta omnia complectitur. Diſpenſationis facilitas, quæ ſemper velut Panacæa quædam, & malorum averruncatrix Dea Reis omnibus præſto eſto: Abſolutionis à Cenſuris conſequendæ æqua facilitas, vel potius nulla unquam intercedens difficultas: Delicatiſſimarum, & tenellarum Pœnitentiolarum cum Cenſuræ diſſolvuntur, impoſitio, quas Reum, quia crimen confitetur, ſubpudet recuſare; natura enim omnium hominum animis inſevit, crimen quodcunque eſſe aliqua pœna redimendum: Cenſuras ſummo Pontifici, Majoribuſque Antiſtitibus reſervatas ſolvendi facultas promiſcuè conceſſa, & Cenſura tactis quocunque ſeſe vertant, objecta. His accedit doctorum virorum, quos Caſuiſtas vocamus, vigilantiſſimum ſtudium, ut nos doceant, quando mortaliter peccamus, quando venialiter, quando legibus tenemur, quando non tenemur, & quouſque tenemur: Qui ſtricto jure cum legibus agunt, neve nimium nos premant diligentiſſimè cavent: Qui dies, noctéſque laborant, animumque, & corpus defatigant, ne crimina Cenſuris ligentur, & ligata quàm facillimè, & commodiſſimè ſolvantur. Denique mos à multis annis receptiſſimus Doctorum Caſuiſtarum aliquem conſulendi, ejuſque arbitrio de quacunque re ſtandi, & viciſſim Doctorum de quacunque re propoſita ſolitariè pronuntiandi, & definiendi. Hæc cùm ab aliquot ſeculis, & potiſſimùm, hoc & præcedente invaluerint, mirari nemo debet, quòd pœnæ publicæ criminibus occultis per canones, Pontificumque recentia decreta impoſitæ prope evanuerint, & tam multiplici virorum doctorum arte, Pontifi-

eumque indulgentia veniam clementer accelerante, & ſæpe Collybiſtarum obreptionibus, & fraudibus circumventa pęnæ publicæ ſecretis ferè perpetuò commutentur. Quæ enim lex tot ſolertiſſimorum hominum technis, & argutis interpretationibus firma, & integra perſeverare poſſe? Miror magis eaſdem leges ab hodiernis Pontificibus, & Conciliis ſæpe renovari, ampliari, ſeverioribuſque Cenſuris muniri, & antiquas leges, Pontificumque decreta novis quotidie ſuſtentari, ut à ſubtilibus Doctorum hodiernorum interpretamentis vindicentur. At hæc omnia animo tantiſper ſubmove. Tolle diſpenſationes, vel quàm rariſſimas, ut par eſt, fingito. Tolle immodicam illam à Cenſuris abſolvendi facilitatem. Reſervationem illam pauciſſimis, & graviſſimis viris tribue. Tolle innumeros Caſuiſtarum libros qui ante 450. ann. nulli prorſus erant, quorum non eſt poſtrema cura ingenioſè docere qua ratione legibus ſine peccato non obediatur, atque ita mentem agendo intendere, & dirigere, ut quemadmodum patet ille ſagittandi peritiſſimus, Draconem filium rapientem ita confixit, ut prædam dimitteret illæſam, ſic homines canonum & Pontificum decretis illæſis votorum tamen omnium, & deſideriorum potiantur, tandemque fiat quod unum Ariſtoteles ab ipſis Diis fieri non poſſe credidit, ut factum infectum redderetur

Μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ Θεὸς στερίσκεται
Ἀγένητα ποιεῖν, ὅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα.

Tolle hæc, inquam, paucaque alia, nihil ab hodierna differet antiqua praxis, in iis potiſſimùm, quæ Clericos ſpectant, niſi quod hodierna eſt antiqua longè operoſior & moleſtior. Clerici enim necnon Laici nunc pluribus Cenſuris quàm olim tam à Conciliis, quàm à Pontificibus feriuntur.

XV. Verum enim verò non ne hæc omnia tot ſunt ſententiæ quam illuſtratum imus argumenta? Quum enim tot artibus, interpretationibus, Prudentum conſiliis, & reſponſis, Pontificis, & Majorum Antiſtitum diſpenſationibus, canonum relaxationibus, Abſolutionis feſtinatione, legum ſeveritati occurratur, judicium certiſſimum eſt, leges eſſe ſeveriſſimas. Quales autem ſunt leges, de quibus nunc agimus? Cenſuræ à canone, & Pontificum decretis in crimina latæ. Atqui Cenſuræ illæ, ut jam demonſtratum eſt, & omnibus notiſſimum, pęnas continent non modo ſeveras, ſed etiam publicè inflictas. Quum igitur Cenſurarum effectus tanto molimine eludatur & hebetetur, ne in publicum prodeat, pęne per canones & Pontificum decreta publicè inflictæ argumentum hoc eſt, non ſecretæ. Conſideranda ſunt Pontificum decreta quæ Cenſuras ferunt, non qua ratione ingenioſa hominum dexteritas frangit, quod erat fulminandum!. Quis toleret ſic colligentem? inauditum eſt ſeculo noſtro aliquem ob crimen publicum publica eſſe damnatum Pęnitentia. Quis hoc unquam vidit? Ergo falſum eſt hoc eſſe à Concil. Trident. decretum. Deinde hac aſſumpta hypotheſi torturæ ſubiiceret evidentiſſima Concilii verba, ut ex iis alium ſenſum exprimeret. Innumera ejuſmodi exempla dari poſſunt, non modò actionum, quæ jam dudum obſoletæ ſunt, ſed etiam earum, quæ tantùm obſoletæ ſunt, eo quòd ne fiant perpetua, diſpenſationis conceſſio intercedit. Quis non potius ſic colligat? diſpenſatione opus eſt, artificioſa Doctorum interpretatione, &c. Ergo ſecundùm omnium ſententiam lex ſic conſtituit, ſic poſtulat legis obſervatio. Sed longiùs digredi non lubet.

XVI. Lectoris mentem forſan ſubibit hæc objectio, Cenſuras à Pœnitentiis ſacramentalibus longè differre; nos autem toto hoc capite de Cenſuris egiſſe, cùm de Pęnitentiis in foro conſcientiæ nobis eſſet agendum. Lectorem qui ſic obiicit, tria velim conſiderare, quæ difficultatem penitus dirimunt. Primum, hinc neceſſariò, & evidenter conſequi, quod præcipuè nobis eſt probandum, Eccleſiam ſæpè crimina occultiſſima pęnis publicis caſtigate, hocque demonſtrare & Doctores omnes Scholaſticos, & Eccleſiæ conſuetudinem in hunc uſque diem ſolemniter obſervatam. Si hoc in Cenſuris, & quaſi Cenſuris, irregularitate, & depoſitione perpetuò factum eſt, Quid impii, quid erroris, quid incommodi erit, idem ſi fiat in Pęnitentiarum Sacramentalium impoſitione?

XVII. Secundum, hoc unicum incommodum, ſive diſcrimen quod ad rem faciat, mihi videtur aſſignari poſſe: Per Pęnitentiæ publicæ ob crimen occultum impoſitionem crimen confeſſum revelari, non autem per Cenſuræ inflictionem. Jam *cap.* 8. hujus libri, & alibi demonſtratum eſt, hoc conſequens eſſe falſum. Demus verò hoc abſurdum ex Pęnitentia publica conſequi; multò magis ex Cenſuris hoc conſequetur, ut in hypotheſis expoſitione clarum eſt. Homicidium commiſerunt Sacerdos, & Laicus. Sacerdos ab officio deponitur, ſacrificium non celebrat ampliùs, aut celebranti non concelebrat, vel miniſtrat: immò ex uſu illius temporis è Sacerdotum, & Diaconorum conſeſſu ſeſe ſubducit. Non modò non celebrat, ſed ſacrorum Miniſtrorum conſortio non amplius miſcetur. Fidelium, Pęnitentium, & Catechumenorum nemo poteſt hoc ignorare: Pęnitentiam forſan ſecretò agit, hoc eſt, veſte detrita, ſacco indutus in Eccleſia non comparet Sacerdotali manuum impoſitioni cum Laicis Pęnitentibus ſuccumbens. Sed cum officio, & dignitate Sacerdotali abdicatum eſſe nemo ignoret, crimen aliquod ingens perpetraſſe nemo diffitetur. Laicus verò Homicida confitetur crimen ſuum; Pęnitentia illi imponitur publica: In Synaxibus cilicio indutus caput cum aliis Sacerdotum orationibus ſubmittit, cæteraque humilis Pęnitentiæ munia exequitur. His poſitis dico longè proclivius fuiſſe ex Cenſuris in criminis Clerici cognitionem devenire, quàm ex Pęnitentia publica Laico impoſita. Primum, erat inuſitatum Sacerdotem ſeſe officio ſponte abdicare, nec hoc impunè feciſſet; tenebatur enim cum aliis ſtatis diebus intereſſe officiis Eccleſiaſticis, & munere ſuo defungi. Sed Laici ſæpè Pęnitentiæ publicæ jugum ſponte nullo crimine adacti ſubibant. Itaque certa hæc erat de Clericis collectio: Eccleſiaſtica munera non amplius exercet, Ergo grave aliquod crimen commiſit. Sed in Laicis erat fallaciſſima, quia ſæpè Pęnitentiam publicam ultro, & devotionis cauſa amplexabantur. Deinde pauci tum erant Clerici, quantum ſcilicet unicuique Eccleſiæ neceſſarii erant: nec licebat illis in varias Eccleſias ſeſe conferre; omnes certæ Eccleſiæ aut altari addicti erant, & è gradu inferiori ad ſuperiorem Clericorum electione, & populi approbatione promovebantur. Ideò toti Eccleſiæ ipſi, eorumque actiones erant prope ab infantia notiſſimæ. Qua propter cum ab officio eccleſiaſtico ceſſabant, ſtatim hoc omnibus notum erat, quid rei eſſet nemo non coniiciebat. Verùm Laici Pęnitentes plurimi ſemper erant, eorum actionibus nec ante Pęnitentiam, nec in ſtadio Pęnitentiæ, ut in Clericorum cauſa, invigilabat populus. Quare crimen Clericorum occultum per Cenſuras velut notitiæ publicæ, & plebeiæ famigerationi erat expoſitum: ſed ob rationes jam dictas, Laicorum multò minus.

XVIII. Poſtremum, quod Lectorem conſiderare velim, eſt multiplex. Primum, Pęnitentiam publicam fuiſſe Cenſuram. Ut hoc intelligatur, notandum eſt hanc diſtinctionem, *Cenſura*, ut eſt artificiale nomen certa quædam pęnæ genera ſignificans, dictionem eſſe prorſus Scholaſticam, & antiquis omnibus auctoribus inauditam. Dico igitur ex uſu, & praxi Eccleſiæ eodem modo Pęnitentiam, ſive publicam, ſive occultam ad Sacramentum ſeſe habere, quo Cenſuræ à Scholaſticis κυρίως dictæ, atque etiam illæ quæ ſic ſecundum ipſos κατ' ἐξοχήν dicuntur. Quid enim aliud eſt Pęnitentia publica, quàm pura puta Excommunicatio, tertia Cenſuræ ſpecies? Omnis enim Pęnitentia publica, ut privata, etiam mitiſſima, communione corporis Chriſti Pęnitentem interdicebat, Gravior non modò communione corporis Chriſti, ſive τοῦ τελείου καὶ ἀγαθοῦ, Pęnitentem interdicebat, ſed etiam præſentia ſacrificii quo ſanctiſſimum Chriſti corpus conſecrabatur, atque illius conſpectu. Hac gravior præterea precum ferè quotidianarum, quæ ſuper Pęnitentes fundebantur, communione privabat. Hac inſuper gravior, & introitu Eccleſiæ, & prædicationum, verbique divini auditione. Graviſſima, quæ Peccatorem ab Eccleſia, & conſortio fidelium prorſus exterminabat, Pęnitentiæ nomine non appellabatur, eo quòd in eo momento nondum erat Pęnitens. Itaque omnis Pęnitentia antiqua erat verè, & ſubſtantialiter Excommunicatio, cæteræ pęnæ erant huic acceſſoriæ, & pro maxima parte privatæ, & ſecretæ, ut iſta fuſè docebuntur libro ſequente. Ideò frequentiſſimè in canonibus tam Græcis, quàm Latinis Pęnitentia illa publica non aliter appellatur, quàm Excommunicatio, & communionis privatio. Quum igitur antiqua illa Pęnitentia nihil aliud ſit quàm Excommunicatio, & Cenſura propriè dicta, quid impediet quo minùs poſſit occultiſſimis delictis infligi?

XIX. Præterea conſtat evidentiſſimè pęnas illas Clericis impoſitas, quas nunc Cenſuras vocamus, non aliter, neque alia ratione, neque alium in finem Clericis, quàm Pęnitentias Laicis eſſe impoſitas, neque alio nomine generico tam Græcis, quàm Latinis appellatas, cum puniebantur Clerici, quàm cùm puniebantur Laici. Cenſuræ dictio τεχνικὴ eſſe cępit, cùm forum externum ab interno diſtinctum eſt. Tum enim una & eadem opera Cenſuræ de Pęnitentia Sacramentali exemptæ ſunt, & habitæ ut pęnæ quædam judicales cum ſtrepitu forenſi infligendæ, vel relaxandæ. Anteà verò ſuſpenſio, & depoſitio non intelligebantur aliter propter peccata Clericis infligi, ſi ſolæ, quàm ut Pęnitentia Laico crimen confitenti, aut de crimine convicto; ſi cum aliis laborioſis operibus, quàm

ut

ut pars Pœnitentiæ, ſivè conſiderentur ut à jure, ſive ut ab homine cum ſolemnitate inflictæ. Utroque modo non ſecus ac Pœnitentiæ Laicorum creditæ ſemper ſunt infligi, non modò ad Clericos puniendos, ſed etiam ad eorum animas à macula per crimen contracta eluendas. Hoc teſtantur quotquot ſunt Pœnitentiales,& antiqui de pœnis Clericorum canones. Hinc Antiquorum perpetua conſuetudo, crimen, propter quod Laicus abſtinebatur, in Clerico ſuſpenſione ab officio, hoc eſt, ordinum executione; propter quod verò ad Pœnitentiam, luctuoſam ſcilicet, amandabatur, in Clerico depoſitione punire; Nec alia propter crimen illud Clerico Pœnitentia ſive opus laborioſum quàm ſuſpenſio, aut depoſitio, imponebatur. Suſpenſio Clericorum, abſtinentiæ Laicorum; & depoſitio illorum Pœnitentiæ horum æquiparabantur, crimenque à Clerico commiſſum credebant eadem efficacia purgari per ſuſpenſionem vel depoſitionem, qua à Laico commiſſum per abſtinentiam,vel Pœnitentiam purgabatur. Immo aliam pœnam Clerico propter illud peccatum addere iniquum judicabant; Bis enim, inquiunt, eſſet, contra id quod lex jubet, in idipſum vindicare, ſic Apoſtolicus canon 25. & S. Baſilii tertius, 32. & 51. & alii, noſque de hac re nonnulla jam hoc libro diximus, & fusè egimus Exercitationum Eccleſiaſticarum libro ſecundo, moſque ille apud Græcos conſtantiſſimè in hunc uſque diem obſervatur, ut jam adnotavimus, & ex illorum Pœnitentialibus manifeſtum eſt. His addimus *cap.* 27. ex Breviario canonico Creſconii, *Ut Epiſcopus, Presbyter, Diaconus, ſi pro criminibus damnati fuerint, minimè communione priventur. Similiter & reliqui Eccleſiæ Miniſtri. In can.* Apoſt. *tit.* 25. 26. Ex decretis Papæ Siricii. *tit.* 7. Ex decretis Papæ Innocentii *tit.* 21. & 33. Ex decretis Papæ Leonis *tit.* 16. Ex decretis Papæ Gelaſii *tit.* 18 Concil. Carthag. *tit.* 27. ex tot Anteceſſorum decretis canonem iſtum collegit. Unde conſequitur,diſciplinam illam in univerſa Eccleſia fuiſſe obſervatam. Eadem etiam prorſus eſt Excommunicationis ratio ſive Laicos ſpectet, ſive Clericos. Nihil de interdicto dicimus, cùm illud Antiquos uſurpaſſe non deprehendamus. Cum igitur evidens planè ſit Cenſuras eadem ratione ab Antiquis uſurpatas qua aliæ pœnæ, quæ nunc etiam Pœnitentiæ dicuntur, omneſque fateantur occultiſſimis peccatis ſæpe inſligi, palàmque ſit omnibus pœnas maximè publicas, & omnium oculis expoſitas criminum Reis eaſdem Cenſuras inferre; neceſſariò ſanè conſequitur,Pœnitentias publicas ex omnium Doctorum Scolaſticorum implicito ſaltem conſenſu, criminibus occultiſſimis imponere, non modò Eccleſiam antiquam, ſed etiam hodiernam uſu frequentiſſimo conſueviſſe.

XX. Denique, ut tandem his finem imponamus, remque controverſam familiari exemplo illuſtremus, confeſſionis antiquitus edendæ formulam,velut in tabella,quàm breviſſimè delineabimus. Secretò confeſſus eſt Sacerdos ſe in fornicationis crimen incidiſſe. Examinat Sacerdos iſtius Confeſſionis exceptor circumſtantias criminis, deinde ex Pęnitentiali de eo judicat, & ſecundùm Pęnitentialem illi in Pęnitentiam imponit ut ab officio ceſſet totam vitam, vel tot annos: Poſteà ut jejunet aliquot quadrageſimas, & nonnulla alia, quæ in Pęnitentiali deſcribuntur. Antiquiſſimis temporibus vix pro his criminibus alia Pęnitentia, quàm Depoſitio illi decreta fuiſſet, juxta præſcriptam à canonibus Apoſtolicis, & S.Baſilio diſciplinam. Similiter Laicis crimen confeſſurus Sacerdotem adeat, idemque crimen enuntiet; Quid tum Sacerdos? Eodem modo, verborumque formula Laicum aliquot annis à communione arcebit, plurimorum annorum jejunia per quadrageſimas, & legitimas ſeptimanæ ferias varia cum ſeveritate diſpenſabit, cujus diſpenſationis multa exempla libro 7. referentur. Eodem modo cum crimina erant publica,Clerici Cenſuris nunc ſic dictis, & Laici Pęnitentiis, utriſque publicè pronuntiatis percellebantur. Numquid etiam hodie idem data occaſione uſurpatur? Confeſſorem adeat Sacerdos Homicida, ſed occultiſſimus, ſoli Deo cognitus. Num illi ex diſciplina hodierna non injunget ut à ſacrificando ceſſet, atque id niſi polliceatur, abſolutionem denegabit? Nec refert quod ex hac ceſſatione crimen aliquod commiſiſſe forſan conjicietur, modò criminis perpetrati,quod capite plectitur, cognitio ex hac ceſſatione non colligatur. Hac enim ſincerè data hypotheſi non ſimulatè & fucatè, mutata aut interpolata fuiſſet antiquitus Pęnitentia: Nunc quanto magis? Qui igitur hoc factum aliquando fuiſſe negant, non modo cornicum oculos, ut dicitur, configere videntur, ſed etiam hodiernis, & domeſticis exemplis convinci.

XXI. Non modò iſta evidenter, & neceſſariò hodie conſequuntur ex Cenſuris à jure latis, ſed etiam & eadem ratione ex generalibus Excommunicationibus, quæ ab homine frequentiſſimè feruntur. Verbi gratia, cùm excommunicantur quicunque ſcientes autorem criminis non revelant. Nihil eſt occultius iſta ſcientia: Titius tamen, qui ſcivit, & non detulit, quod obſcurius,& ſecretius! Excommunicatus eſt, atque donec reſipuerit, & abſolutus fuerit, Excommunicati perſonam induere debet, iiſque omnibus privare ſe, quibus à jure privari ſolent Excommunicati, licèt hæc fere omnia ſint maximè publica, nec Doctorum Scholaſticorum ullus refragatur. Non ego ſum neſcius Doctorum iſtorum pleroſque ἀμφοτεροδεξίους eſſe, & ut de Marte dicebat Homerus ἀλλοπροσάλλους, nec de una fidelia duos tantum parietes dealbare, ſed quoſcunque: Ideo quum ad hypoteſin devenitur reſponſis ſuis eam ita interpretari, ut vix unquam lege agendi locus detur. Sed nos attendimus, & examinamus ea quæ lex decernit, quæque pronuntiant Doctores legibus attenti; non quæ affectibus capiti interrogantibus ad blandiuntur.

CAPUT XXVII.

Antiquitùs ſemel tantùm Pœnitentiam graviorum criminum poſt baptiſma commiſſorum eſſe conceſſam, antiquiſſimorum Patrum teſtimoniis probatur, hanc praxim à Novatiana hæreſi longiſſimè diſtare. Stantium, & integrorum præ lapſis in Eccleſia prærogativæ. S. Chryſoſtomi de ſeveritate Pœnitentiæ ſententia explicatur, calumnia eidem imputata abſtergitur. Ejuſdem interpretatio aliquot locis emendatur. Mos iſte quando, & qua occaſione in Oriente ceſſavit.

ANtiquiſſimam Eccleſiæ, præſertim Latinæ, praxim de unica poſt baptiſmum Pęnitentia concedenda, explicare nunc aggredimur. Praxis hæc multis forſan videbitur inſolens, præſertim ſi infinitè, ut à nonnullis factum eſt, enuntietur. Verum ſi temperamentis idoneis ab antiquitate expoſitis,& præceptis proponatur, omne malum ſtatim veluti deſpuetur, horrorique τοῦ εὐωδίας ſuavis afflabit aura. Ante omnia igitur nobis definiendum eſt quouſque ſeſe diffundat hæc praxis, ſive de quibus peccatis intelligamus unicam concedi Pęnitentiam; qualiſve ſit iſta Pęnitentia. Demonſtratum eſt initio hujus libri tria tantum peccatorum genera publicæ,& luctuoſæ Pęnitentiæ obnoxia: Deinde libri præcedentis *cap.* 7. & 8. Pęnitentiam abſolutè ſic dictam Patribus pro gravi, publica, & luctuoſa Pęnitentia ſumi. Itaque cùm dicimus,antiquos Patres unicam tantùm poſt baptiſmum Pęnitentiam concedere ſolitos de tribus tantum criminum generibus hoc eſt intelligendum, Idololatria videlicet, mœchia, & homicidio, quibus publica ſemper,& luctuoſa injungebatur Pęnitentia. Quum autem eadem Pęnitentia ad plures criminum ſpecies extenſa eſt,& ampliata, de illis quoque peccatis intelligenda eſt propoſitio. Non eſt igitur temerè ad omnia crimina, & peccata,de quibus Pęnitentiam agere jubemur,trahendum dictum iſtud [illegible], ut evidenter quoque demonſtrabatur, Patrum quæ ſequuntur teſtimonia.

II. Antiquiſſimus autor, quem ego quidem animadverterim, qui disertè hanc Eccleſiæ praxim teſtetur, eſt Hermas S. Pauli diſcipulus in libro Paſtoris ab antiquiſſimus Patribus maximi ſemper factus, publicè in Eccleſiis multis ad fidelium inſtructionem lectus, primaque autoritate poſt canonica ſcripta donatus. Ille igitur *lib.* 2. *mandato* 4. de muliere adultera diſſerens, an poſt actam Pęnitentiam à marito recipi debeat, reſpondet, *Immò ſi non receperit eam vir ſuus peccat; & magnum peccatum ſibi admittit; ſed debet recipere peccatricem, quæ Pęnitentiam egit; ſed non ſæpe: ſervis enim Dei Pęnitentia una eſt.* Paulò poſt clarius & diffuſius ſententiam ſuam explicat, *Quoniam cogitationes præcordiorum novit Deus, & ſcit infirmitatem hominum, & multiplicem nequitiam diaboli, qua molitur aliquid ſiniſtri ſervis Dei, & malignè inſidiatur illis. Miſericors ergo Dominus miſertus eſt figmenti ſui, & poſuit Pœnitentiam iſtam, & poteſtatem Pęnitentiæ hujus mihi dedit. Et ideò dico tibi quod poſt vocationem illam magnam, & ſanctam* (per baptiſmum) *ſi quis tentatus fuerit à Diabolo, & peccaverit unam Pęnitentiam habet. Si autem ſubinde peccet, & Pęnitentiam agit, non proderit homini talia agenti; difficile enim vivet Deo.* Similia *lib.* 3. *in fine ſimilit.* 9 & non ſemel aliis locis hoc indicat.

III. Sixtus Senenſis, & qui Hermam in Bibliotheca Patrum edi curavit,hoc non attendentes, Novatianæ hæreſeos eum ſuſpectum reddiderunt. Sed hæc ſunt diverſiſſima, Unam eſſe Pęnitentiam quæ ſcilicet baptiſmum antecedit; & unam eſſe Pænitentiam peccantibus poſt baptiſmum relictam. Prius

eſt Montaniſtarum, & Novatianorum hæreſis: Poſterius ab antiquis pleriſque Eccleſiæ Doctoribus traditum, atque ut vulgata praxis celebratum. Hoc autem poſterius eſt, quod docet Hermas in locis citatis. De Pęnitentia verò poſt Baptiſmum agenda eum verba facere, ubique per tres libros manifeſtum eſt. Immò tribus illis libris præcipuus ſcopus demonſtrare peccantibus poſt baptiſmum pęnitentiam peccatorum eſſe agendam, ut à Deo miſericordiam conſequantur, ut hoc vel ex initio libri, & ipſo Herma conſtat, qui admonetur, ut diligenter curet filios ſuos, atque uxorem Pęnitentiam criminum, quæ commiſerunt agere, & acriter increpatur, quòd illius nimium indulgeat, ut fusè legere potes *lib.1.c.2. & lib.3. ſimilit.7.* cætera prætermitto, quia totius iſtius operis pars potiſſima huic axiomati illuſtrando impenditur.

IV. Præterea tantum abeſt, ut Hermas propter illa dicta Novatianiſmi, vel Montaniſmi ſit accuſandus, quod volunt autores illi, ut propter illa ipſa dicta ſuum vindicaverint antiqui Patres, & Romana Eccleſia potiſſimum, illaque ipſa dicta quæ hæreſeos ſuſpecta habent, ut ſincera & Catholica Montaniſtis oppoſuerint, & per ea velut authentica, aut ab omnibus propter viri autoritatem maximi ſaltem facienda, Montaniſtas confutaverint. Hujus rei exemplum & certiſſimum argumentum habes apud Tertullianum Montaniſtam factum, cui hæc Hermæ dicta Catholici, & Zepherinus Pontifex ut Achillea argumenta obiiciebant, quibuſque aliter reſpondere non potuit, quàm auctoritati libri detrahendo, atque in librum auctoremque debacchando. Libro enim de pudicitia *cap.*10. poſtquam ironicè, & ſalſa miſcens Catholicorum teſtimonium ex Paſtore depromptum recitavit, *Si qua te carnis vacillatio, animi avocatio, oculi evagatio de tenore decuſſerit, Deus bonus eſt. Suis non Ethnicis ſubiicit, ſecunda te Pęnitentia excipiet, eris iterùm de Mœcho Chriſtianus.* Reſpondet, *Hæc tu mihi benigniſſime Dei Interpret. Sed cederem tibi, ſi ſcriptura Paſtoris, quæ ſola Mœchos amat, divino inſtrumento meruiſſet incidi, ſi non ab omni concilio Eccleſiarum etiam veſtrarum inter apocrypha, & falſa judicaretur, adultera & ipſa, & inde patrona ſociorum.* Falſa duo aſſumit Tertullianus, unum, cùm ait omnes Eccleſias ſcripturam Paſtoris inter apocryphas reiicere: Plurimæ enim tum temporis inter ſcripturas canonicas ſecundæ claſſis, quæ publicè in Eccleſia legebantur, libros Paſtoris reponebant. Alterum, cùm confundit apocrypha cum falſis. Apocrypha enim dicebatur ſcriptura, non quod falſa eſſet, quanquam id fieri poſſet; ſed quod ejus autoritatis, & dignitatis non cenſeretur, ut eam publicè legi in Eccleſia fas eſſet. Sed Tertullianus calumniandæ iſtius ſcripturæ cujus autoritate, quæ apud omnes Eccleſias magna erat, jugulabatur, occaſionem arripit. Ipſe verò Catholicus longè aliter de ea ſcripſit in libro de Oratione *cap.* 12. quorundam enim conſuetudinem ſedendi cùm oratio haberetur, improbans, Hermæ autoritatem ex genio ſuo ſibi opponit, & honorificè interpretatur, *Quod aſſignata oratione aſſidendi mos eſt quibuſdam, non perſpicio rationem, niſi ſi Hermas ille, cujus ſcriptura ferè Paſtor inſcribitur, tranſacta oratione non ſuper lectum aſſediſſet: verùm aliud quid feciſſet, id quoque ad obſervationem vindicaretur? Utique non. Simpliciter enim, & nunc poſitum, cùm adoraſſem, & aſſediſſem ſuper lectum, ad ordinem narrationis, non ad inſtar diſciplinæ.* Verba, quæ refert Tertullianus, habentur in proœmio *lib.*2. Conſtat igitur tam ex Herma quàm ex conſenſu Catholicorum eum adverſus Montaniſtas pro Pęnitentiæ poſt baptiſmum agendæ defenſione, primo, ſecundove Eccleſiæ ſeculo trium atrocium illorum criminum ſemel tantùm datam fuiſſe Pęnitentiam: Inter Catholicos enim & Montaniſtas de tribus illis criminibus quæſtionem agitatam fuiſſe manifeſtum eſt.

V. Clemens Alexandrinus Stromatum *lib.*2. ante medium multa refert ex eodem Paſtoris libro in eundem ſenſum, & finem, quæ etiam multis verbis amplificat, ut ex eo unius Pęnitentiæ poſt baptiſmum agendæ ſententiam confirmet, *Idem autem dicit etiam Pęnitentiam eſſe magnam intelligentiam. Qui enim eorum quæ facit, ducitur Pęnitentia, non ampliùs facit, vel dicit. Propterea autem quæ peccavit torquens animam, bona facit, &c. Eum ergo qui accepit remiſſionem peccatorum, non oportet ampliùs peccare. Nam quod attinet ad primam, & ſolam Pęnitentiam peccatorum, ipſa quidem eſt eorum, quæ facta ſunt ſecundum gentilem & primam vitam, eam judico, quæ ignorantia tranſacta eſt. Statim enim vocatis proponitur Pęnitentia, quæ locum animæ à peccatis expurget, ſidei fundetur.* Poſtea enarratis, hominis ad mutationem facilitate, Diaboli in hominem invidia, & odio, Deique præſcientia futurorum, ſubdit, *Dedit ergo cùm ſit multæ miſericordiæ, & jam iis, qui fide ſuſcepta in peccatum incidunt Pęnitentiam ſecundam, quam ſi quis poſt vocationem tentatus, coactus, & callidè circumventus fuerit,* μίαν ἔτι μετάνοιαν ἀμεταμέλητον, *unam adhuc Pęnitentiam alterius Pęnitentiæ neſciam accipat. Voluntariè enim peccantibus nobis poſtquam acceperimus agnitionem veritatis, non ampliùs relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis autem quædam expectatio judicii, & velut ignis, qui eſt devoraturus Adverſarios. Continuæ autem & ſe viciſſim excipientes propter peccata Pęnitentiæ, nihil differunt ab iis, qui omnino non crediderunt, præterquam in eo ſolo quòd ſe peccare ſenſerunt. Neque ſcio utrum deterius prudentem peccare, an Pęnitentia peccatorum ſanctum iterùm peccare.* Et poſt aliqua, *Etenim iterùm meditatio peccatorum, ſæpe pęnitere, & diſpoſitio ad inducendam mutabilitatem ex inertia. Apparentia igitur eſt Pęnitentiæ, non Pęnitentia, veniam ſæpius petere eorum, quæ ſæpe peccavimus.* Erat igitur iis vulgatum axioma, Unam eſſe ante baptiſma Pęnitentiam, quam baptiſma, & remiſſio peccatorum conſequerentur: Unam poſt baptiſma, quæ eſſet ſecunda, qua defunctis propter rationes allatas tertia non concederetur; atque ex hac doctrina S. Pauli ad Hebræos locum difficultate ſua celebrem interpretatur, ita ut voluntariè peccare, ſit illi poſt actam Pęnitentiam denuò peccare, *Nam*, inquit, *qui iterùm facit illud, cujus cauſa Pęnitentiam egit, voluntariè facit, cùm illud condemnans perficiat.* Qui ſic peccat Dei clementiam per Eccleſiæ miniſterium diſpenſatam experiri ampliùs non poteſt, ſed ſevero Dei judicio relinquitur.

VI. S. Clemens Romanus per multò majorem libri ſecundi partem in eos acriter invehitur, qui peccatoribus, etiam ſi ſæpius peccaverint, Pęnitentiam, & reconciliationem denegant, ita ut hæc, vel eorum magnam partem à quibuſdam, ſaltem poſt Montanum, addita videantur; vel aliqui fuerunt antiquiores Hæretici qui Pęnitentiam poſt baptiſmum negarunt, ut Montaniſtæ, quibus ſeſe eo libro toties opponit. Verum ita verba ſua componit, ut nuſquam ſecundæ poſt baptiſmum Pęnitentię mentionem faciat, vel reconciliationis datæ fidelibus, qui poſt Pęnitentiam actam peccaverunt, ut videre eſt *lib.* 2. *c.* 12. 14. 16. 21. 22. *Capitibus* 24. & 39. exempla profert multa eorum quibus Deus parcit, ſed omnia ſunt unius Pęnitentiæ poſt peccatum actæ. *Capite* 40. *Cæterùm, Epiſcope, ne eum, qui ſemel & iterùm lapſus ſit, averſeris, neque audire verbum Domini vetes, &c.* quæ continuantur *cap.* 41. At hæc ſunt multorum peccatorum ante Pęnitentiam perpetratorum: *Sic igitur faciendum tibi eſt, Epiſcope, atque ut in Ethnicum baptiſmo lotum poſt doctrinam admittis, ſic hunc per manus impoſitionem, ut pote factum mundum pęnitendo, cunctis pro eo deprecantibus in antiqua paſcua reſtitue, eritque ei loco lavacri manuum impoſitio.* Idem evidenter ſignificare videntur poſtrema hæc verba, quæ toties alii Patres dixerunt, Pęnitentiam eſſe ſecundum baptiſmum, ſecundam poſt naufragium tabulam, unam eſſe poſt baptiſmum Pęnitentiam. Unde colligitur, Pęnitentiam iſtam inſtar baptiſmi non eſſe repetendam.

VII. Capite 43. ejuſdem libri docet poſt ejectionem ab Eccleſia, ſi criminis eum pęniteat, poſt actam pęnitentiam eſſe per manus impoſitionem recipiendum. Verùm ſi poſtea in crimine continuet, jubet, eum eiici tanquam peſtilentem, ne Eccleſiam Dei vitiet, & fędet, nec de iterata receptione ampliùs verba facit; immò ſimilitudinibus quibuſdam docet, qua ratione reſecandum ſit vitioſum illud membrum, quæ perpetuam καὶ ἀδιάλειπτον ſeparationem inducere videntur. Dicit equidem *c.* 53. ſepties ſeptuagies peccata eſſe remittenda, ſed quæ in nos fratres commiſerunt: attendenda ſunt ipſius verba, *Si Chriſtianus eſſe vis, ſequere legem Domini, diſſolve omne vinculum iniquitatis. In te enim poſuit Dominus poteſtatem remittendi peccata in te commiſſa uſque ſeptuagies ſepties.* Frequens eſt & celebris SS. Patrum diſtinctio criminum in fratrem & in Deum commiſſorum. Illa, ut alii Patres, ſæpius remitti docet, hæc ſemel tantùm.

VIII. Clemens *c.* 41. jam citato ex quorundam fidelium ſententia ſibi obiicit, *Quòd ſi quis ejus fratribus, qui non ſuit tentatione quateſactus, te reprehenderit, quòd ei ſis reconciliatus, illud ei reſpondebis, tu ſemper mecum es, mea omnia tua ſunt, lætari te oportebat, & gaudere, quoniam hic frater tuus mortuus fuerat, & revixit, perierat, & inventus eſt. Quod enim Deus non ſolùm recipit Pœnitentes, ſed in priorem gradum dignitatis reſtituit, teſtis eſt ſanctus David, &c.* Ex qua objectione, & reſponſione duo fiunt manifeſta, Prius, nonnullos fideles fuiſſe, qui licèt recipiendos poſt Pęnitentiam actam peccatores faterentur, negarent tamen iis æquandos, qui innocentiam baptiſ-

baptiſmalem conſervaſſent. Poſterius, S. Clementem docere eos priori dignitati per Pœnitentiam, & reconciliationem perfectè reſtitui, & Pœnitentiam reconciliationi conjunctam ejuſdem eſſe cum baptiſmo virtutis, & efficaciæ.

IX. Verùm conſtat, multorum antiquorum Patrum ſententiam fuiſſe, fideles qui innocentiam baptiſmalem conſervaverant, cæteris dignitate, autoritate, & merito in Eccleſia longè præferendos. Ita Patres Eliberitani *c.38. Peregrè navigantes aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelium qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, baptizare in neceſſitate infirmitatis poſitum Catechumenum, &c.* lavacrum integrum habet, qui poſt baptiſmum lapſus non eſt. S. Cyprianus eos antonomaſticè, & ad lapſos oppoſitè ſæpè ſtantes vocat, & eis autoritatem, privilegiaque multa tribuit, *Epiſt.14. Hoc enim & verecundiæ, & diſciplinæ, & vitæ ipſi omnium noſtrum convenit, ut Epiſcopi plures in unum convenientes præſente & ſtantium plebe, quibus & ipſis pro fide, & timore ſuo honor habendus eſt, diſponere omnia conſilii communis religione poſſimus:* Hoc diſtinctius repetitum confirmat Clerus Romanus *Epiſt.31. Epiſt. verò 27. Miror quoſdam audaci temeritate, ſic mihi ſcribere voluiſſe, quando Eccleſia in Epiſcopo, & Clero, & in omnibus ſtantibus ſit conſtituta. Abſit enim nec Dei miſericordia, & poteſtas ejus invicta patiatur, ut Eccleſia eſſe dicatur lapſorum numerus, &c. Si apud illos, atque in illis eſt Eccleſia, quid ſupereſt, quàm ut ipſi rogentur à nobis, ut nos ad Eccleſiam dignanter admittere?* De ſtantibus quoque in tractatu de lapſis, & de laude Martirii, aliiſque locis. Alibi eos integros vocat, *ut Epiſtola 52. Copioſus Epiſcoporum numerus, quos integros & incolumes fides ſua, & Domini tutela protexit, in unum convenimus.* Et initio tractatus de Lapſis: *Doleo, fratres, doleo vobiſcum, nec mihi ad leniendos dolores meos integritas propria, & ſanitas privata blanditur, quando plus paſtor in gregis ſui vulnere vulneretur.*

X. Hanc Eccleſiæ vulgatam doctrinam ſpectans Optatus Milevit. invehitur ſæpius in Donatiſtas & acriter, eo quòd innocentibus Pœnitentiam impoſuiſſent, eoſque ideò modò homicidii, modò vulneris illati accuſat, *Quid prodeſt, quia vivunt homines, & honore occiſi ſunt à vobis? Valeant quidem membra, ſed ereptæ portant funera dignitatis. Extendiſtis enim manum, & ſuper omne caput mortifera velamina prætendiſtis, &c. Væ facientes velamen, hoc eſt, imponentes manum ſuper omnem ætatem ad avertendas animas. Inveniſtis pueros, de Pœnitentia ſauciaſtis, ne aliqui ordinari potuiſſent. Agnoſcite vos animas evertiſſe. Inveniſtis fideles antiquos, feciſtis Pœnitentes. Agnoſcite vos animas evertiſſe. Inveniſtis Diaconos, Presbyteros, & Epiſcopos, feciſtis Laicos. Agnoſcite vos animos evertiſſe.* Similem adverſus eoſdem in ipſo libri fine inſtituit invectivam. Librum ſextum his verbis claudit, *Tales ſunt quos rebaptizatione, aut Pœnitentia ſauciaſtis, ne ſoli aut ſolæ periiſſe videantur, alios vel alias ſecum perire magno labore, & ſtudio contendunt.* Ex hac vulgata Eccleſiæ doctrina promanabat Purpurii Epiſcopi dictum in Cæcilianum furentis, quod refert *lib.1.* idem Optatus: *Exeat huc quaſi imponatur illi manus in Epiſcopatu, & quaſſetur illi caput de Pœnitentia.* Clemens igitur Romanus eo libro non modò propugnat adverſus quoſdam ſchiſmaticos, Baptizatis poſt ingentium criminum perpetrationem acta Pœnitentia reconciliationem eſſe præſtandam, ſed etiam adverſus nonnullos fideles ea reconciliatione perfectè reſtitui lapſos priſtino ſtatui & dignitati. Hæc Clementis de iſtius Pœnitentiæ virtute ſententia illius, cum baptiſmo æquiparationem jam inſtitutam plurimùm confirmare videtur.

XI. Quod Tertullianus Montaniſta factus negaverat, Pœnitentiam nempe capitalium peccatorum dari poſt baptiſmum, hoc toto ferè libro de Pœnitentia Catholicus aſſeruerat. Qua ratione verò illud aſſerit? Unicam ab Eccleſia dari poſt baptiſmum iſtorum criminum Pœnitentiam. Poſtquam de pœnitentia Catechumenorum, & de Baptiſmi effectu diſſeruit, *c.7.* ſermonem de Pœnitentia poſt baptiſmum proſphonematicos ſic incipit, *Huc uſque, Chriſte Domine, de Pœnitentiæ diſciplina ſervis tuis dicere vel audire contingat, quouſque etiam delinquere non oportet Audientibus, vel nihil jam de Pœnitentia noverint, nihil ejus requirant.* Idem precantur plerique Patres, cùm à pœnitentia, quæ ante baptiſmum agitur ad eam, quæ fit poſt baptiſmum, tranſeunt. Quamobrem ita precetur, ſtatim explicat, *Piget ſecundæ, immò jam ultimæ ſpei ſubtexere mentionem, ne retractantes de reſiduo auxilio pœnitendi, ſpatium adhuc delinquendi demonſtrare videamur. Abſit ut aliquis ita interpretetur, quaſi eo ſibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum, & redundantia clementiæ cæleſtis, libidinem faciat humanæ temeritatis.* Pœnitentiam poſt baptiſmum vocat ſecundam, & ultimam ſpem ſalutis, quod tamen non ita vult interpretari quaſi propoſito poſt baptiſmum peccati remedia peccandi licentia concedatur. Iſta poſtquam eleganter exaggeravit, & verſutias Diaboli ut nos poſt baptiſmum in peccati barathrum deturbaret, explicavit, ſubdit, *Hæc igitur venena ejus providens Deus, clauſa licet ignorantiæ janua, & intinctionis ſera obſtructa, aliquid adhuc permiſit patere. Collocavit in veſtibulo pœnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus patefaciat; Sed jam ſemel, quia jam ſecundò, ſed ampliùs nunquam, quia proximè fruſtra.* An ita locutus fuiſſet, ſi ter, quinquies, ſepties, millies iſtud remedium iterare licuiſſet? Nunquam amplius, inquit, licet iſtud remedium iterare, *quia proximè fruſtra*, id eſt, quia jam primum remedium in baptiſmo collatum inutile fuit. Rationes alias præclaras unius Pœnitentiæ poſt baptiſmum agendæ ſubjungit, quas hic adtexere opportunum ducimus. *Non enim & hoc ſemel ſatis eſt? Habes quod jam non merebaris: amiſiſti enim quod acceperas. Si tibi indulgentia Domini accommodat unde reſtituas quod amiſeras, iterato beneficio gratus eſto, nedum ampliato: Majus eſt enim reſtituere quàm dare, quoniam miſerius eſt perdidiſſe, quàm omnino non accepiſſe.* Deinde poſtquam multis exemplis lectores ad Pœnitentiam illam amplexandam cohortatus eſt, *capite 9.* quomodo ſit agenda ediſſerit, atque initio unam eſſe repetit, *Hujus igitur pœnitentiæ ſecundæ, & unius, quanto in arto negotium eſt, tanto operoſior probatio eſt, ut non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur.*

XII. Verùm ante hæc omnia, & antequam ad ſpecialem tractatum de Pœnitentia ante baptiſmum feratur, monet gratiam Pœnitentia comparatam diligenter eſſe cuſtodiendam. Ita de pœnitentia *cap.4. & 5.* diſſeruerat, *Quod igitur Deus tantopere commendat, quod etiam humano more ſub dejeratione teſtatur, ſummâ utique gravitate & aggredi, & cuſtodire debemus, ut in aſſeveratione divinæ gratiæ permanentes, in fructu quoque ejus, & emolumento perſeverare poſſimus.* Attende, qua ratione ſuadeat in gratia, quæ per pœnitentiam acquiritur, eſſe perſeverandum. *Hoc enim dico, Pœnitentiam quæ per Dei gratiam oſtenſa, & indicta nobis in gratiam nos Domino revocat, ſemel cognitam, atque ſuſceptam nunquam poſthac iteratione delicti reſignari oportere.* Quia pœnitentia poſt baptiſmum ſemel acta non ampliùs iteratur. Quibus autem rationibus id demonſtrat? *Jam quidem nullum ignorantiæ prætextum tibi patrocinatur, quòd Domino agnito, præceptiſque ejus admiſſis, denique peccatorum pœnitentia functus, rurſus te in delicta reſtituis. Ita, in quantum ignorantia ſegregaris, in tantùm contumaciæ adglutinaris. Nam ſi idcircò te deliquiſſe pœnituerat, quia Dominum cœperas timere, cur quod metus gratia geſſiſti, reſcindere maluiſti, niſi quia metuere deſiſti? Neque enim timorem alia res, quàm contumacia ſubvertit.* Rationem Pœnitentiæ iterum non concedendæ poſt baptiſmum, à cognitione Dei petitque baptizatus donatus eſt. Ideò nihil prætexere poteſt, non ignorantiam Judiciorum Dei, non beneficium per Chriſti mortem partum: Hæc illi cognita ſunt ante baptiſmum. Gratiam inſuper per baptiſmi ſuſceptionem accepit, ideò in Deum & contumax, & ingratus eſt, cùm peccat. Nihilominus tanto crimine per Pœnitentiam condonato, iterùm ſi poſt pœnitentiam illud committat, omnis Dei timor eum deſeruit. Pergit hoc argumentum illuſtrare opportuna comparatione. *Cùm etiam ignorantes Dominum nulla exceptio tueatur à pœna. Quia Deum in aperto conſtitutum, & vel ex ipſis cæleſtibus bonis comprehenſibilem ignorare non licet, quanto cognitum deſpici periculoſum eſt. Deſpicit porrò, qui bonorum, ac malorum intellectum ab illo conſecutus, quod intelligit fugiendum, quodque jam fugit, reſumens, intellectui ſuo, id eſt, Dei dono contumeliam facit, &c. Ita in Dominum contumax ſed etiam ingratus apparet.* Alludere videtur ad ea, quæ leguntur *c.6. & 10. Epiſtolæ ad Hebræos*, eodemque nititur argumento, quo ſupra Clemens Alexandrinus.

XIII. Origenes *homil.15. in c.25. Levitici*, clariſſimè totum negotium, ut pleriſque Orientalium Eccleſiis exercebatur, explicat; Verſum commentatur, in quo enarratur differentia redemptionis domorum, quæ in pagis, & quæ in urbibus: Quæ in pagis ſemper redeunti Jubilæo redimi poſſunt; Quæ verò in urbibus anno præterito redemptionis jus perimitur. *Iſtas ergo domos, ſi fortè alicui, ut ſupra expoſuimus, lapſus acciderit, ſemper eſt recuperandi facultas, ut verbi gratia dicamus, ſi nos aliqua culpa mortalis invenerit, quæ non in crimine mortali, non in blaſphemia fidei, quæ muro Eccleſiaſtici, & Apoſtolici dogmatis cincta eſt, ſed vel in ſermonibus, vel in morum vitio conſiſtat: hoc eſt vendidiſſe domum, quæ in agro eſt, vel in vico, cui murus non eſt. Hæc ergo*

venditio hujuſmodi culpa ſemper poteſt reparari; nec aliquando tibi interdicitur de commiſſis hujuſmodi pęnitudinem gerere. In gravioribus enim criminibus ſemel tantùm, vel raro Pęnitentiæ conceditur locus. Iſta verò communia, quæ frequenter incurrimus, ſemper Pęnitentiam recipiunt, & ſine intermiſſione redimuntur. Vix aliquid clarius in eam ſententiam dici poterat, atque ex iis verbis, quæ generaliter dixiſſe videtur Tertullianus, temperanda ſunt; quanquam ſatis temperari, & reſtringi poſſint ex iis, quæ contra Catholicos diſputat in libro de Pudiditia, ſi cum iis comparentur, quæ ex libro de Pęnitentia relata ſunt. Sed de hoc temperamento, & de diſtinctione peccatorum, de quibus agebatur Pęnitentia publica, & de quibus tantùm privata, infra diſſeretur. Notandum dixiſſe *ſemel tantùm, vel rarò*, quia tum mos ille unius Pęnitentiæ pro gravioribus criminibus agendi in Oriente abſoleſcere incipiebat. Sententiarum Magiſter hunc locum citat *lib.4. diſt.*14. Sed illud *vel rarò* præterit, adnotatumque eſt in textus margine, *Ita legitur apud Cyrillum*. Quidquid ſit, nihil ſimile poſt Originem apud Græcos Patres lego. Non ideò tamen peccatoribus fibulam, ut ait Tertullianus, laxaverunt, ſed in eos cenſuram divinam ſeveriſſimè exercuerunt, ut ex canonibus Ancyranis, Baſiliique, & Gregorii Nyſſeni, & aliorum qui paſſim hìc citantur, certiſſimè conſtat.

XIV. Severæ iſtius diſciplinæ poſt Originem exercitæ, vel unicus Neocæſareenſis Concilii *canon* 2. nobis locuples eſt teſtis. *Fęmina ſi duobus fratribus nupſerit, extrudatur uſque ad mortem. Sed in morte propter humanitatem, ſi dixerit, quòd ſi convaluerit, ſolvet Matrimonium, habebit Pęnitentiam.* Non addit quantam; nec erat neceſſe cum morituræ imponatur; ſed graviſſimam fore, ſi convaleſceret, duo demonſtrant: Unum, quòd ad mortem uſque ab Eccleſia, & communione fidelium, & Pęnitentium expellatur: Alterum, quòd jure id non fiat, ſed clementia, & benigna juris remiſſione. Sed quod in canone ſequitur nobis eſt præſertim perpendendum, *Si verò mulier in tali conjugio mortua fuerit, aut ejus maritus, difficilis erit ſuperſtiti Pęnitentia*, hoc eſt, difficilè ſuperſtiti concedetur Pęnitentia. Veram iſtius difficultatis cauſam attingit Balſamon, *Qui agit Pęnitentiam à peccato deſiſtens, is creditur Pęnitentia dueì. Qui autem ad mortem uſque ab eo non deſiſtit, oſtendit, quòd etiam ſi illa pars adhuc ſupereſſet, quæ eſt mortua, à peccato non deſtitiſſet.* Ideò difficilè huic homini, Pęnitenti licèt, & confitenti, Pęnitentiæ donum Eccleſia tunc concedebat. Quanquam dura ſit admodum hæc Pęnitentiæ ſpecies, caſus tamen hypotheſis, ab ea, quam agitamus, plurimùm differt.

XV. Secundi canonis Laodiceni eadem ratio. Dubitatum fuerat à quibuſdam, An qui variis criminibus ſeſe ſordidaſſent, non tantum uno, ad Pęnitentiam eſſent admittendi. Reſpondent Patres, id miſericorditer, & ex imitatione Dei eſſe faciendum, eam modo conſtanter petant, & perfectam animi converſionem reſipiſcentiæ, & exomologeſis actibus demonſtrent. *Eos qui in diverſis delictis peccant, & in oratione, Confeſſioneque, & Pęnitentia fortiter perſeverant, & ſe à malis perfectè convertunt, tempore Pęnitentiæ eis pro delicti proportione dato, propter Dei miſericordiam, & bonitatem ad communionem adducendi ſunt.* Ut ſpecies canonis ab ea, quam tractamus, non obſcurè variat, ſic perſpicuè docet, quanta prudentia, & cautione Pęnitentiæ agendæ gratiam largiebantur, nedum Pęnitentiæ fructum.

XVI. Ad hanc Pœnitentiæ non repetendæ conſuetudinem propius accedere videtur accuſatio Sancti Chryſoſtomi, cujus ſextus articulus, ut ex Photio refert Cardinalis Baronius ad annum 403. fuit ejuſmodi, *Sextò quod aditum aperit peccatoribus dicens, Si iterùm pecces, iterùm Pęnitentiam facito, & quoties peccaveris, accede ad me, & ego te curabo.* Criminis rationem cum aliqua veriſimilitudine inducere non potuiſſet hæc accuſatio, præſertim apud Epiſcopos, niſi conſuetuini Eccleſiaſticæ contraria fuiſſet ſecundæ Pęnitentiæ conceſſio. Sed articuli verba poſtrema demonſtrant nimiam reconciliationis facilitatem reprehenſam eſſe, & criminis poſtulatam non autem duræ Pęnitentiæ ſecundæ ſolemnem conceſſionem: Huic enim nullo modo poſſunt poſtrema illa verba convenire.

XVII. Huic accuſationi præſentiſſimam occaſionem videtur aliquando dediſſe S. Chryſoſtomus, præſertim ſi textus ejus ex Magiſtri lectione approbetur, Sic in fine *diſt.*14. *lib.* 4. *Sciendum, quòd hic quidam exurgunt, horum verborum occaſione Pęnitentiam auferentes, quaſi per Pęnitentiam non valeat peccator poſt Lapſum reſurgere ſecundò, tertiò, & deinceps. Verùm etiam in hoc Pęnitentiam non excludit, nec propitiationem quæ ſæpè fit per Pęnitentiam, ſed ſecundùm baptiſmum.* Hæc refert Magiſter ex homiliis in Epiſtol. ad Hebræos ad hæc verba *c.*10. *Voluntariè peccantibus nobis, &c.* Verùm nihil horum textus Græcus, neque ex eo translatio Latina. Sic Chryſoſtomus, Πάλιν ἐν ταῦθα ἡμῖν ἐπιφύονται οἱ τὴν μετάνοιαν ἀναιροῦντες, καὶ ὅσοι πρὸς τὸ βάπτισμα ὀκνοῦσιν ἐλθεῖν. ἐκεῖνοι μὲν λέγοντες, ὅτι οὐκ ἀσφαλὲς αὐτοῖς τῷ βαπτίσματι προσελθεῖν, εἴγε οὐκ ἔστιν ἄφεσις δευτέρα. οὗτοι δὲ φάσκοντες, οὐκ ἀσφαλὲς εἶναι μεταδοῦναι μυστηρίων τοῖς ἁμαρτάνουσιν, εἴγε μὴ ἔστιν ἄφεσις δευτέρα. τί οὖν πρὸς ἀμφοτέρους ἐροῦμεν; ὅτι ὁ σκοπῷ τούτῳ ἐν ταῦτα τοῦτό φησιν, οὐδὲ τὴν μετάνοιαν ἀναιρεῖ, οὐδὲ τὸν διὰ μετανοίας ἐξιλασμόν, οὐδὲ αὐτὸν καταβάλλει διὰ τῆς ἀπογνώσεως τὸν ἐκπεπτωκότα. οὐχ οὕτως ἐχθρός ἐστι τῆς σωτηρίας τῆς ἡμετέρας. ἀλλὰ τί; τὸ δεύτερον ἀναιρεῖ λουτρόν. οὐ γὰρ εἶπεν, οὐκέτι ἐστὶ μετάνοια, οὐδὲ οὐκέτι ἐστὶν ἄφεσις, ἀλλὰ θυσία οὐκέτι ἐστί. τουτέστι, σταυρὸς δεύτερος οὐκέτι ἐστί. θυσίαν γὰρ τοῦτον καλεῖ. Hoc eſt, *Iterùm nos adoriuntur, qui Pęnitentiam tollunt, & quicunque ad baptiſmum ſegniter properant. Illi quidem prætexunt, ſecurum ſibi non eſſe ad baptiſmum accedere, ſi non eſt ſecunda remiſſio. Iſti verò, non eſſe ſecurum myſteria cum peccatoribus communicare, ſi non eſt ſecunda remiſſio. Quid igitur utriſque dicemus? Quod in hunc ſcopum hæc non dixerit Apoſtolus; nec Pęnitentiam tollit, nec quæ per eam fit, propitiationem; Lapſum expellit, & deiicit per deſperationem: Non tantopere ſaluti noſtræ adverſatur. Quid igitur? Secundum tollit lavacrum. Non enim dixit, nulla eſt amplius Pęnitentia, neque, nulla eſt amplius remiſſio; ſed hoſtia non eſt amplius; hoc eſt, ſecunda crux non eſt amplius; hanc enim hoſtiam vocat.* Quantopere hæc diſtant ab interpretatione, qua uſus eſt Magiſter, & plerique poſt ipſum Scholaſtici, ob oculos conſpicis. Nulla ſanè ex primigeniis Chryſoſtomi verbis, vel leviſſima accuſationis iſtius captendæ occaſio datur. Alia eſt ejuſdem Sancti homilia ſoluta ad finem homiliarum in Epiſt. ad Hebræos in operibus Latinis collocata, qua eadem Pauli verba interpretatur. Sed in ea quoque nulla mentio eſt eorum quæ refert Magiſter, *Secundo, tertio, deinceps, & ſæpè*, de quibus nunc agitur. Nec etiam ipſius propoſito conducebat iſta commemorare, cum obiter hæreſim Novatianorum perſtringeret, qui ſecundam remiſſionem dari inficiebantur, hoc eſt, alteram poſt baptiſmum.

XVIII. Idem Magiſter eadem diſtinctione, & Gratianus *de Pęnitentia diſt.*3. *C. Talis*, referunt alium ejuſdem Sancti Chryſoſtomi locum, qui eandem Pęnitentiæ, & reconciliationis dandæ, atque etiam ſæpius iterandæ facilitatem manifeſtè videtur, qua freti & perſuaſi nonnulli Scholaſtici frigidius, quàm par erat de animi converſione ad Deum locuti ſunt. Locus eſt *Epiſt.*5. ſive parænesi priore ad Theodorum Monachum Lapſum, *Talis mihi crede, talis eſt erga homines pietas Dei; nunquam ſpernit Pęnitentiam, ſi ei ſincerè, & ſimpliciter offeratur. Etiamſi ad ſummum quis perveniat malorum, & inde tamen velit reverti ad virtutis viam; ſuſcipit libenter & amplectitur, & facit omnia quatenus ad priorem revocet ſtatum. Quodque eſt adhuc præſtantius, & eminentius etiamſi non potuerit quis explere omnem ſatisfaciendi ordinem, quantulamcunque tamen, & quantumlibet brevi tempore geſtam non reſpuit Pęnitentiam. Suſcipit etiam ipſam, nec patitur quamvis exiguæ converſionis perdere mercedem.* Errori occaſionem dedit dictio, *quantulamcunque*, quæ Lectoris mentem à temporis quantitate divertit ad converſionis qualitatem, ſive quantitatem. Sæpius enim Sanctus Chryſoſtomus, & pręſertim in longa illa exhortatione ad Theodorum contendit, exiguum temporis momentum ad veram converſionem, & peccatorum quorumlibet veniam impetrandum ſufficere: Interiorem, & efficacem Pęnitentiam compunctionis magnitudine, & vehementia menſurari, non tempore, quod ſemper Eccleſia docuit, & prædicavit. Sed longè diverſum eſt, quod illa dictio innuit: Ex ea enim non abs re colligerunt nonnulli Scholaſtici vel minimam cordis contritionem, & tantillam converſionem ad ſalutis impetrationem ſupereſſe.

XIX. Verùm Sancti verba iſtius collectionis anſam præſcindunt. Ea cum ſincera interpretatione retuliſſe ſufficier. Καὶ τὸ πολλῷ τούτου φιλανθρωπότερον. κἂν γὰρ μὴ πᾶσάν τις ἐπιδείξηται τὴν μετάνοιαν, οὐδὲ τὴν βραχεῖαν καὶ πρὸς ὀλίγον γεγενημένην ἀποτίμηται, ἀλλὰ καὶ ταύτης πολὺν τίθησι τὸν μισθόν. *Quodque eſt majoris humanitatis, & clementiæ argumentum, licèt quis non omnem demonſtret Pęnitentiam, & expleat ſatisfaciendi ordinem, brevem tamen, & exiguo tempore actam non averſatur, aut negligit, ſed & hanc magna mercede compenſat.* Appoſitè vertit antiquus Interpres, πᾶσαν τὴν μετάνοιαν, *omnem ſatisfaciendi ordinem*, quod & retinuimus: Ibi enim μετάνοια pęnitentia eſt, non quæ ſola conſcientia pręfertur, ſed quę aliquo etiam actu adminiſtratur, ut loquitur Tertullianus. Verba

etiam

etiam ſequentia probant, Chryſoſtomum alludere ad Pœnitentiæ ſtationes, quas licet quis Pœnitens explere non poſſit, ardore tamen contritionis eas poſſit compenſare; quod directè ſenſui, quem innuit dictio, *quantulamcunque*, opponitur.

XX. Non ſolùm autem verba citata nihil habent cum illa dictione commune, verùm etiam quæ paulò poſt ſequuntur in contextu orationis ei manifeſtè repugnant. Poſtquam enim, quæ de clementia Dei dixerat, nonnullis ſcripturæ teſtimoniis demonſtravit, tandem ſubiicit, ὁ χρόνυ γὰρ ποσότητι, ἀλλὰ διαθέσει ψυχῆς ἡ μετάνοια κρίνεται). *Non enim temporis quantitate, ſed animi diſpoſitione Pœnitentia judicatur: Ninivitæ enim multis diebus non indiguerunt, ut illud peccatum deleretur. Tempus exiguum potuit univerſam eorum delere iniquitatem; & latro haud longo tempore ingreſſum Paradiſi impetravit.* Probat hoc iterùm Martyrum exemplo, quorum nonnulli dieculæ ſpatio ſplendidas coronas conſecuti ſunt, tandemque colligit, *Quapropter ubique nobis opus eſt animi alacritate, ſeduloque affectu. Quod ſi ita præparemus conſcientiam, ut tanta vehementia cum veterem odiſſe malitiam, tum diverſam elegiſſe viam videamur, quantam Deus nobis imperat, & requirit, nihil ob temporis brevitatem habebimus minus, quando multi ex poſtremis priores ſe ardenti ſtudio prævenerunt.* De ejuſmodi Pœnitente, qui rariſſimus eſt, dici poteſt quod legitur *Sapientiæ 4. Conſummatus in brevi explevit multa tempora.* Ut autem Theodorum illum Lapſum ad Pœnitentiam magis accendat, multis poſteà demonſtrat Deum quibuslibet operibus bonis, vel minimis mercedem retribuere, & nullum Pœnitentiæ conatum indonatum dimittere.

XXI. Eodem ſenſu de facilitate veniæ obtinendæ diſſerit in homilia de Sancto Philogonio, ubi contendit, dies quinque, qui ad Nativitatem Domini ſupererant, ſufficere ad dignam ſuſcipiendo Corpori Chriſti præparationem ſibi comparandam. Sed qua conditione? *Si ſobrius fueris, ſi attentus, ſi vigilaveris, ut multitudinem peccatorum reddas contractiorem.* Id probat Ninivitarum exemplo, & illius meretricis, quæ Chriſti pedes obſculata eſt. *Quid ita tandem? quoniam fervent animo, & flagranti corde, ardentique accenſis fide, ſanctoſque illos ac ſacros attigit pedes, ſolutis capillis, fontibus lachrymarum ex oculis emiſſis, &c.* Iſta multis proſequitur, *Ex hoc jam tempore feſtum auſpicemur, hoſce dies quinque negotiis omnibus valere juſſis. Valeat forum, valeat curia, faceſſant mundanæ curæ cum pactis, & contractibus. Animam meam ſervare volo.* Deinde poſt multa ejuſdem generis inculcata, *Quapropter adhortor vos omnes, ne negligenter velut feſto die cogente ad divina myſteria accedatis. Sed ſi quando paratis hujus ſacræ Hoſtiæ fieri participes, multis ante diebus repurgetis vos ipſos per Pœnitentiam, precationem, & eleemoſynam.* Ideò in homilia ſuper hæc verba, *Sponſè enim peccantibus, &c.* Multis diſputat adverſus eos, qui quotannis ſemel ad ſacra myſteria accedentes ſibi tempus quadraginta dierum ſupereſſe ad animi præparationem exiſtimabant; multuſque eſt, ut illis demonſtret pauculum hoc tempus non ſufficere, niſi ardua ſit, & ingens cordis Pęnitentia, *Magna nobis Pœnitentia opus eſt, Chariſſimi, crebra oratione, magna conſtantia, magna perſeverantia, ut ea bona, quæ nobis promiſſa ſunt, adipiſcamur.* Hæc ſanè longiſſimè abſunt ab ea calumnia, cujus inſimulatus eſt Sanctus Chryſoſtomus; longè quoque diverſa ſunt ab eo ſenſu, quem luxuriantis interpretationis occaſione nonnulli Scholaſtici illi tribuerunt. Notari prætereà velim in ea homilia, ut & in ea, quæ eſt de Sancto Philogonio, virum Sanctum non agere de graviſſimorum criminum Reis, ſed de minoribus criminibus, ad quorum expiationem ſi tam ſedulus eſt, & ſeverus, quid in graviſſimis facturus erat: In parænеſi verò ad Theodorum illi præſertim propoſitum fuiſſe hunc conſolari, ne gravitate criminis ad deſperationem adigeretur. Hæc obiter, nunc ad lineas noſtras dimicandum.

XXII. Deſuetudinis unius Pœnitentiæ apud Orientales agendæ cauſa mihi videtur duplex fuiſſe. Prior, & potiſſima quanquam tempore poſterior, Nectarii factum, de quo libro ſequente *cap.22. & 23.* Poſterior longa Pęnitentia gravioribus criminibus poſt Novatiani hæreſim imponi ſolita. Cùm enim voluntariis homicidis, & ſic de cæteris criminibus, ἀναλόγως plus minuſve, viginti annorum Pęnitentia imponeretur, rarò ſecundæ locus eſſe poterat. Quapropter ſi fortè occaſio ſecundæ Pęnitentiæ ſeſe daret, id fieri non prohibebant. Verùm in Eccleſia Latina aliquot poſt ſeculis eadem diſciplina conſtanter viguit, ut capite ſequenti evidenter demonſtrabitur.

CAPUT XXVIII.

Idem demonſtratur ex Concilio Eliberitano, SS. Paciano, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, & Concilio Toletano 3. Quando conſuetudo iſta in Occidente obſolevit.

SEveritas iſta in Occidente retenta eſt, & diligenter exacta aliquot ſeculis, poſtquam in Oriente ceſſavit; immò ſeverius, & inclementius nonnullis in locis exercita, quàm unquam in Oriente fuiſſet. Sanè Eliberitani Patres, ut unicuique canones eorum examinanti manifeſtum erit, hac in cauſa ſeveriſſimi fuerunt. Tribus in capitibus potiſſimùm emicat iſta ſeveritas. Primum in eo quòd multa peccatorum genera perpetuò damnat, eorumque Reis ne in fine quidem pacem concedit; ut videre eſt *canone 1. & 2. c.17.66.71.75* Secundùm in iis criminibus conſpicitur, quæ aliis neceſſariò conjuncta ſunt, aut perpetrantium voluntate conjunguntur. Ejuſmodi enim criminibus, quia duplicata ſunt, aut triplicata, licet uno actu mortali peracta, reconciliatio ab Eccleſia Hiſpanica ne in fine quidem vitæ præſtabatur. Prolatis in medium canonibus res clara fiet. *c.6. Si quis maleficio interficiat alterum, eo quod ſine idololatria ſcelus perficere non potuit, nec in fine impartiendam eſſe illi communionem.* Item canone 63. *Si qua mulier per adulterium abſente marito conceperit, idque poſt facinus occiderit, placuit ei nec in fine dandam eſſe communionem, eo quod geminaverit ſcelus.* Vide *can.12.70.72.73.* Sed canon ſecundus non eſt omittendus. *Flamines, qui poſt fidem lavacri, & regenerationis ſacrificaverint, eo quod geminaverint ſcelera accedente homicidio, vel triplicaverint facinus cohærente Mœchia, placuit eos nec in fine accipere communionem.* Manifeſtum eſt ſanctos illos Patres in duobus iſtis capitibus multò ſeveriores fuiſſe Patribus anteà relatis: De primo capite nullum dubium moveri poteſt: de ſecundo quoque perſpicua res eſt, cùm duplicatis peccatis illis, ſive neceſſaria unius ex altero conſequentia, ſive auctorum voluntate, nuſquam reconciliatio præſtetur, & conſequenter Pęnitentia ab Eccleſia non imponatur. At Patres anteà citati criminibus illis Pęnitentiam, & acta pęnitentia reconciliationem conceſſiſſent: Illi verò ne ſemel quidem Pęnitentiam concedunt. Accedit tamen multò magis ad antecedentium Patrum clementiam ſecundum caput quàm primum, cùm ſecundum bis peccantibus non ſemel deneget Pęnitentiam. Præcedentes Patres cauſam Pęnitentiæ negandæ ab ea jam ſemel acta deſumpſerunt; Eliberitani verò à criminis ipſius gravitate.

II. Tertium ſeveritatis caput præcedentibus multò clementius eſt, idque demonſtrat, quod hoc capite probandum ſuſcepimus, *Canone 3.* ita decernitur de flaminibus, qui jam ſemel Pęnitentiam de adulterio egerant, *Si poſt Pęnitentiam fuerint mœchati, placuit ulterius eis non eſſe dandam communionem, ne luſiſſe de Dominica communione videantur.* Ratio addita manifeſtum facit Pęnitentiam ſecundò non fuiſſe poſt baptiſmum conceſſam. Ita *canone 7. Si quis fortè fidelis poſt lapſum Mœchiæ, poſt tempora conſtituta acta Pęnitentia, denuò fuerit fornicatus, placuit eum nec in fine habere communionem.* Itaque plurimis peccatis nuſquam dabant Pęnitentiam; quibus verò dabant cæterorum more ſemel tantùm.

III. Idem ex S. Paciano colligendum eſſe dubitari non poteſt, cùm Hiſpanus ſit Epiſcopus, & Tertulliano, dum eſſet Catholicus ſe conſentire dicat, & pleraque ex ejus libro de Pęnitentia in ſuas contra Sympronianum Novatianum Epiſcopum Epiſtolas tranſtulerit. Inter Catholicos, & Novatianos quæſtio non erat de peccatis minoribus, ſed de capitalibus: utrique fatebantur peccatis minoribus imponendam Pęnitentiam, & ea acta dandam reconciliationem. Neutri, ut opinor, negabant his peccatis ſæpius recurrentibus ſæpius dandam eſſe pęnitentiam, & reconciliationem, ideò Montaniſtæ, & Novatiani hæc peccata venialia, & remiſſibilia vocare ſolebant. Quæſtio erat de capitalibus peccatis: Utrique fatebantur ea per baptiſmum remitti; Controverſia erat de iiſdem commiſſis poſt baptiſmum. Negabant Novatiani ejuſmodi peccata remittendi Eccleſiæ datam eſſe poteſtatem; affirmabant Catholici. Hoc contra Sympronianum probat Pacianus. Initio *Epiſt. 3.* ſtatum controverſiæ ita ſtatuit. *Tractatus omnis Novatianorum, quem ad me confertis, undique propoſitionibus deſtinaſti, Semproniane frater, hoc continet: Quod poſt baptiſmum pęnitere non liceat: quod mortale peccatum Eccleſiæ donare non poſſit; immò quod ipſa pereat recipiendo peccatores.* Cùm igitur Controverſia non ſit,

an peccatorum mortalium una ſit poſt baptiſmum Pęnitentia, ſed an concedi debeat Pęnitentia, nemini mirum videri debet, quòd de Pęnitentia poſt baptiſmum agenda diſputationem tantùm inſtituat, nihil verò de una Pęnitentia agenda contendat. Deinde hoc de una Pęnitentia agenda diſciplinæ erat Eccleſiaſticæ caput, non ubique tum eodem modo obſervatum, cujuſque obſervatio, moderatio, & exceptio ab Eccleſiæ prudentia pendebant. Quapropter nec erat de hac re controverſia, nec eſſe poterat, niſi forſan apud Schiſmaticos, qui cum Eccleſia in doctrinæ capitibus convenientes ipſius diſciplinam, & œconomiam reprehenderent.

IV. Quanquam hæc ita ſint, ſignificat tamen nonnunquam Pacianus eam Pęnitentiam de qua erat illi quæſtio cum Symproniano ſemel tantum imponi ſolitam *Epiſtola* 3. circa medium refutans id, quod Adverſarius dixerat hæc nempe verba Domini, *Quæcunque ſolveritis, &c.* Eſſe de Catechumenis intelligenda, non de baptizatis; Deinde pravam intelligentiam verborum illorum, quæ apud Matthæum antecedunt, *Si in te peccaverit frater tuus, vade, & corripe, &c.* Quorum comparatione Sympronianus ſubſequentia torquere conabatur ad mutuas tantùm offenſas, quæ & ab invicem, & ab Eccleſia utriuſque partis conſenſu remitti poterant, hæc inquam refutans, ſcribit inter cætera, *Attende quod ad Petrum dicat inferiùs; id quod peccatur in hominem, ſeptuagies, & ſepties relaxandum, ut oſtendat aliàs vel ſemel poſſe. Tamen qui in Petrum peccat, Dominum lædit; ſicut ad Samuel ipſe ſignificat: Non te nullius momenti fecerunt, ſed me. Conceditur ergo vel ſemel Eccleſiæ, quod nobis ipſis toties imperatur.* Manifeſtiſſimum eſt, Pacianum ad eam ſui temporis conſuetudinem alludere, qua trium graviſſimorum peccatorum ſemel tantùm agebatur Pęnitentia, ſemelque tantùm ab Eccleſia venia dabatur, de qua venia inter Catholicos, & Novatianos controvertebatur, non autem minorum peccatorum indulgentia, quæ in proximum committuntur.

V. His conſonat alterius argumenti ſolutio. Obiiciebat remedium peccati ſæpius datum ad illud repetendum provocare. *Si Deus*, inquit, *ſæpius jubet hominem pęnitere, ſæpius peccare permittit.* Primùm reſpondet, *Quid ais? Ergo qui ſæpius remedium criminis monſtrat, crimen oſtendit: Et medicus ille cùm curat, aſſiduè vulnerari docet: Deus nec peccare vult hominem ſemel, & tamen liberat à peccato. Nec atque cùm liberat, peccatum docet; ſicut nec qui ab incendio liberat, incendium monſtrat, nec qui Naufragum eripit ſcopulis, in ſaxa compellit.* Deinde propius ad rem noſtram. Colligit enim ex modo, & duratione Pęnitentiæ, quæ poſt baptiſmum in remedium peccati imponitur ſæpius illud remedium præberi vix poſſe, & conſequenter elumbe eſſe Novatianorum argumentum. *Et fortaſsè pariter hoc credi ſi Pęnitentia delitiæ putarentur, cujus labor tantus imponitur, cui carnis interitus imperatur, cui juges lachrymæ, cui gemitus ſempiterni. Volet ergo ille ſanatus iterùm ſe ſecari, rurſus exuri? Volet peccare iterùm, & iterùm pœnitere, cùm ſcriptum ſit, Noli adiicere peccatum, ne quid tibi deterius contingat, & adhuc, aſſiduè peccanti non miſereor?* Tam gravis, longa, duraque imponebatur poſt baptiſmum Pęnitentia, ut ad peccati iterationem provocare non poſſet Pęnitentem, non ſecus ac membrorum ſectiones, & exuſtiones ad morborum occaſiones ſectandas non impellunt, ſed maximè retrahunt & dimovent: Ideò paulò ante de Pęnitentia poſt baptiſmum dixerat, *Labor verò iſte paucorum eſt, qui poſt caſum reſurgunt, qui poſt vulnera convaleſcant, qui lachrymoſis vocibus adjuvantur, qui cum interitu reviviſcant.* Eadem de cauſa Sanctus Ambroſius loco mox citando de eadem Pęnitentia poſt baptiſmum agenda de ſeipſo refert, *Faciliùs inveni qui innocentiam ſervaverint, quàm qui congruè Pęnitentiam egerint.* Quæ ſanè omnia dicta manifeſtè probant ex illius temporis uſu ſemel tantùm his criminibus conceſſam eſſe pęnitentiam.

VI. Eandem Eccleſiæ conſuetudinem evidentiſſimè docet S. Ambroſius *lib.2. de Pęnit. c.10. Meritò reprehenduntur, qui ſæpius agendam Pęnitentiam putant, quia luxuriantur in Chriſto. Nam ſi verè agerent Pęnitentiam, iterandam poſteà non putarent: Quia ſicut unum baptiſma, ita una Pęnitentia, quæ tamen publicè agitur. Nam quotidiani nos debet pęnitere peccati; ſed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.* Singulæ periodi perſpicuæ videntur, ſeſeque mutuò confirmare. Reprehendit eos, qui ſæpius Pęnitentiam agendam putant. Rationem iſtius ſententiæ reddit, quia luxuriantur in Chriſto, quod immane nefas eſt. Deinde duobus argumentis à vulgata Eccleſiæ ſententia petitis eos revincit. Prius eſt, ſi verè agerent Pęnitentiam, non putarent iterandam: Nam qui ita agit Pęnitentiam, ut animo ſibi proponat iterum agendam, aut cum affectu ad iterationem peccati Pęnitentiam agit, aut remiſsè admodum & imperfectè: Neutrum autem eſt verè Pęnitentiam agere. Poſterius, ſicut eſt unum baptiſma, ſic eſt una poſt baptiſmum Pęnitentia: Ideò Pęnitentia dicitur altera poſt naufragium tabula. Cùm igitur ſit una Pęnitentia, meritò reprehenduntur, qui eam ſæpius agendam putant. Poſteà occurrit Ambroſius huic objectioni: ſi una eſt Pęnitentia, quid faciemus omnes, qui quotidiè peccamus. Paucis verbis dupliciter diſtinguit, Pęnitentiam eſſe publicam & ſecretam; hanc eſſe Leviorum peccatorum, quæ ſæpè committi ſolent; illam graviorum, quæ, ſi eorum verè nos pęnitet, nunquam poſteà committere nobis erit certum, & efficax propoſitum. Docet igitur axioma illud, unam eſſe Pœnitentiam, intelligendum eſſe de Pœnitentia publica, quæ fit ob graviora peccata, non autem de privata, quæ levioribus peccatis indicitur, quæque quotidiè fit, aut fieri poteſt. Idem non minus perſpicuè probat id, quod ſcribit in fine ejuſdem libri, melius eſſe Pœnitentiam differre, *Cùm exercere non queas opera Pęnitentiæ, ne in ipſa Pęnitentia fiat, quod poſteà indigeat Pęnitentia: Quæ ſi ſemel fuerit uſurpata, nec jure celebrata, nec prioris fructum obtinet, & aufert uſum poſterioris.* Sancto Ambroſio conjungam Syricium Pontificem *Epiſt.1.cap.5.* qui hanc conſuetudinem ut vulgatam, & ab omnibus acceptam ſermoni ſuo ſupponit. *De his, qui acta Pęnitentia tanquam canes, ac ſues ad vomitus priſtinos, & volutabra redeuntes, &c. de quibus quia ſuffugium non habent pęnitendi, id diximus decernendum, &c.* Capite ſequente integrum referemus. Interim ex ipſius verbis clarum eſt, acta ſemel Pœnitentia alteri amplius locum non fuiſſe ex publico omnium conſenſu.

VII. Nonnulla ſunt Sancti Hieronymi dicta, quæ præcedentibus comparata eandem omnino ſententiam continent, ut eum in *c.3. Eſaiæ ſcribit, Secunda poſt naufragium tabula eſt Pęnitentia, & conſolatio miſerorum impietatem ſuam abſcondere*, Ita quoque in Danielem; & in Epiſtola ad Demetriadem, *Ignoremus Pęnitentiam ne facilè precemus: illa quaſi ſecunda poſt naufragium miſera tabula ſit: In Virgine integra ſervetur navis.* Et in fine Epiſtolæ ad Salvinam: *Ne ſtatim nobis Pęnitentiæ ſubſidia blandiantur, quæ ſunt infelicium remedia. Cavendum eſt vulnus, quod dolore curatur. Aliud eſt integra nave, & ſalvis mercibus portum ſalutis intrare, aliud nudam hærere tabulæ, & crebris fluctuum occurſibus ad aſperrima ſaxa collidi.* Alibi quoque eadem metaphora tabulæ naufragii utitur, quam dubium non eſt à Tertulliano deſumpſiſſe, & conſequenter eodem, quo ipſe, ſenſu uſurpaſſe. Verùm Tertullianus ita hoc intelligit, ut unam poſt baptiſmum Pœnitentiam ſecundam vocet tabulam ratione habita ad baptiſmum, qui eſt prima poſt naufragium tabula. Sic etiam eodem ſenſu eadem Tertulliani metaphora uſus eſt Sanctus Ambroſius in libro ad Virginem Lapſam. Nihil igitur aliud Sanctus Hieronymus intellexit, quum eam metaphoram in cauſa Pęnitentiæ uſurpavit. Nec tantùm hoc demonſtrat ejuſdem phraſis, & Metaphoræ uſurpatio, ſed pleraque adjuncta, quæ ex libro Tertulliani de Pœnitentia deſumpſit, aut illam imitans excogitavit. Illis enim manifeſta fit non modò ad verba Tertulliani alluſio, ſed etiam illius ſententiæ comprobatio.

VIII. Neminem latet Sancti Auguſtini de hac re teſtimonium *Epiſt.54.* ad Macedonium, ubi clariſſimè humilem illam graviorum pœccatorum Pœnitentiam non repeti docet: *In tantùm autem hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam poſt actam Pęnitentiam, poſt altaris reconciliationem vel ſimilia, vel graviora committant, & tamen Deus facit etiam ſuper tales oriri ſolem ſuum; nec minus tribuit, quàm ante tribuebat largiſſima munera vitæ, ac ſalutis. Et quamvis eis in Eccleſia locus humillimæ Pęnitentiæ non concedatur, Deus tamen ſuper eos ſuæ patientiæ non oblviſcitur, &c.* Et paulò poſt idem argumentum tractans ſcribit, *cautè, ſalubriterque proviſum eſſe, ut locus illius humillimæ Pęnitentiæ ſemel in Eccleſia concedatur, ne medicina vilis minus utilis eſſet ægrotis, quæ tanto magis ſalubris eſt, quanto minus contemptibilis fuerit.* Adeò hæc diſciplina publica erat, ut Macedonius in Africa Præſes, aut Proconſul ex ea conſuetudine argumentaretur adverſus Epiſcopos Africæ, qui pro quibuſcunque ſupplicio afficiendis intercedebant, *Vehementer*, inquit, *ambigo utrùm iſtud à religione deſcendat. Nam ſi à Domino peccata adeò prohibentur, ut ne pęnitendi quidem copia poſt primam Pęnitentiam tribuatur, quemadmodum nos poſſumus, & religione contendere, ut nobis qualecunque illud crimen fuerit, dimittatur.*

IX. Hanc conſuetudinem multis poſt S. Auguſtinum annis viguiſſe

viguiſſe ex *can.*11. Concilii Toletani 3. colligitur, quod celebratum eſt an. 589. Ita enim decernit adverſus eos, qui ſæpiùs Pœnitentiam agendam eſſe exiſtimabant, illiuſque iterationem uſurpabant, *Quoniam comperimus per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias non ſecundùm canonem, ſed fœdiſſimè pro ſuis peccatis homines agere Pœnitentiam, ut quotieſcunque peccare libuerit, toties à Præsbytero ſe reconciliari expoſtulent, & ideò pro coercenda tam execrabili præſumptione à S. Concilio jubetur, ut ſecundùm formam canonum antiquorum dentur pęnitentiæ, hoc eſt, ut priùs eam, quem ſui pœnitet facti à communione ſuſpenſum, faciat inter reliquos pœnitentes ad manus impoſitionem crebrò recurrere; expleto autem ſatisfactionis tempore, ſicuti Sacerdotalis contemplatio probaverit, eum communioni reſtituat. Hi verò, qui ad priora vitia, vel infrà pœnitentiæ tempus, vel poſt reconciliationem relabuntur, ſecundùm priorum Canonum ſeveritatem damnentur.* Hoc canone mihi videntur omnia exprimi clariſſimè, quæ ad hoc demonſtrandum requiri poſſunt. Itaque hanc diſciplinam ad annum circiter ſeptingenteſimum in Eccleſia Latina viguiſſe ex dictis facilè colligitur. Ex capite præcedente ſpatium temporis longè majus colligi poſſet. Certum eſt enim, & ab omnibus confeſſum Pęnitentiam publicam, ſeu ſolemnem de qua nobis eſt ſermo, mille ducentis annis in Eccleſia non fuiſſe repetitam. Verùm diſcrimen eſt magnum inter diſciplinam ab anno ſeptingenteſimo ad illud uſque tempus obſervari cęptam, & illam de qua nunc agimus. Illa enim poſterior de criminibus tantùm publicis erat: Prior, non de omnibus criminibus, ſed de ſpecialibus quibuſdam, ſive publica eſſent, ſive occulta. Poſterior non equidem repetebatur, ut publica erat, ſed privatim ex Eccleſiæ præſcripto agebatur, cùm peccatum publicum poſt actam Pęnitentiam publicam iterabatur, & privatim ea acta Pęnitens reconciliabatur. Prior autem nec publicè, nec privatim ex Eccleſiæ præſcripto agebatur, nec proinde reconciliationem ab Eccleſia merebatur. Unde conſequebatur aliud diſcrimen, nempè criminum antiquitus ſemel tantùm actam fuiſſe Pęnitentiam. Poſteà verò uſurpatum fuiſſe, ut ſemel tantùm publicè ageretur, privatim ſæpiùs agi poſſet. Verùm de hac diſciplina capite ſequenti: multa enim complectitur, quæ diligentem diſcuſſionem exigunt.

CAPUT XXIX.

Fidelibus poſt actam ſemel de graviſſimis criminibus Pęnitentiam graviter iterùm peccantibus, neque privatim, neque publicè Pęnitentiam ab Eccleſia eſſe impoſitam multis rationibus, & auctoritatibus demonſtratur. Quorundam Recentiorum ſententia refertur. Qua ratione Scholaſtici antiqui hac in cauſa philoſophati ſunt. Eorum interpretationem, & praxim Antiquorum verbis, & praxi non ſatisfacere. Pęnitentiam privatim impoſitam dici non poſſe. Quibus remediis peccata levia, & crimina minus gravia iterata curabantur. Crimina nonnulla minus gravia poſt actam Pęnitentiam, quàm ſeverè punita fuerint, licèt alia Pęnitentia illis non fuerit impoſita. Sancti Siricii conſtitutum de hac re examinatur. Duo hinc conſectanea colliguntur.

Quicunque caput præcedens legerit, in animum ſuum gliſcere ſentit hanc difficultatem; Si res ita ſe habet, quo remedio Pęnitentia functos ſanabat Eccleſia, quum in peccata ſive eadem, ſive alia, ſed æquè gravia, aut etiam graviora incidebant? Ut omnis difficultatis umbra ex lectoris animo depellatur, vel minimam difficultatem, quæ in animum ipſius obrepere poteſt, ex antiquæ praxis ratione, & exemplis diſſolvere, aut emollire conabimur. Demonſtravimus *capite* 1. hujus libri Antiquos Patres in cauſa Pœnitentiæ peccata in tres claſſes diſtribuiſſe: In graviora, minus gravia, & levia. Hoc capite inquiremus, quo remedio antiqui Patres unamquamque peccati ſpeciem acta publicè pœnitentia curabant. Certum eſt enim, fidelem poſt actam publicè pœnitentiam in unamquamque ſpeciem impingere potuiſſe. Prima ſpecies, ſive claſſis maximi eſt momenti, & difficultate ſua multorum animos percellere poteſt. Nam ſi ſemel tantùm pœnitentia datur iſtorum graviorum peccatorum, quo remedio ii ſanantur, qui poſt eam peractam graviter iterùm peccant?

II. Recentiores auctores nonnulli diligentes antiquæ Eccleſiarum diſciplinæ Inquiſitores abſolutè pronuntiarunt, poſt actam Pœnitentiam graviter peccantes, prioribus ſeculis ad ſecundam Pœnitentiam non fuiſſe admiſſos, nec conſequenter alteram peccatorum remiſſionem ab Eccleſia obtinuiſſe. Ita Epiſcopus Aurelianenſis *Obſervat. lib.* 2. *Obſerv.* 6. Nec illi durum fuit ita cenſere, ut potè, qui doceat ex ordinaria trium ſeculorum praxi tribus graviſſimis peccatis Idololatriæ, Mœchiæ, & Homicidio, præcipuiſque eorum ſpeciebus veniam nuſquam fuiſſe indultam, quo collimat Obſervationum ipſius pars maxima. Hanc quæſtionem ſibi ſolvendam propoſuit Dionyſius Petavius in doctiſſimis ad Epiphanium adnotationibus hæreſ. 59. ubi primò Recentiorum refutat, qui ſecundò ſic peccantes privata Pœnitentia purgari aſſeruerat. Nam ut argumentatur, *Si ad communionem, pacemque reverti alteriùs, ac privatæ beneficio potuerint, nonne melior illorum quàm cæterorum conditio fuit, quibus ſine publica pœnitentia reditus in Eccleſiam non patuit? Atqui nemo tam vecors erit, qui humaniùs cum illis Actum putet, qui in eadem ſæpiùs incurriſſent, & quidem horrenda flagitia, quam cum iis, qui ſemel ea commiſiſſent, quod ex illa opinione conſequitur.* Hoc argumentum perſecutus tandem quæſtionem ſolvit, *Cæterùm poſt publicam illam Pęnitentiam, ſi iiſdem ſe criminibus obſtrinxiſſent, ab Eccleſiæ aditu, & à Myſteriorum communione penitus excluſi, reconciliari ampliùs non poterant, quod imprimis Auguſtinus affirmat, &c. Neque verò id aut incredibile, aut adeò mirabile videri par eſt, ſi quis animo repetat, quanta in pleroſque peccatores canonum auſteritas, & conſtantia fuerit.* Illi præſertim, qui tribus illis nefandis criminibus antiquitus veniam, ne in fine quidem conceſſam fuiſſe docet.

III. His auctoribus clementiùs multò cenſet Marianus Victorius in libello de Pœnitentia publica; *Si quis autem peracta publica Pęnitentia in ſimile aliquod crimen, de quo illam egerat, recidiſſet, quia iterari pro eodem non poterat ſcelere, à ſacra communione percipienda uſque ad obitum, licèt ſacris intereſſe intereà poſſet, prohibebatur.* Sancti Siricii Pontificis decreto, ut illi videtur, nixus ita pronuntiavit. Itaque juxtà hunc auctorem, altera illi non imponebatur Pęnitentia, ſed ſola Euchariſtiæ perceptione ad finem uſque vitæ prohibebatur; interim ſacris adeſſe poterat. A vera illorum temporum praxi præcedentibus longiùs abeſſe videtur.

IV. Antiqui Scholaſtici primævæ Eccleſiæ praxim ex uſu temporis ſui metientes docuerunt Origenis, & Sanctorum Ambroſii, & Auguſti teſtimonia, nec enim plura illis cognita fuere, de Pęnitentia publica eſſe tantùm intelligenda, non autem de privata. Hoc eſt, antiquitus crimina poſt actam publicè Pęnitentiam iterantibus, non eſſe per aliam pęnitentiam publicam ſuccurſum, ſed per privatam. Quia autem crimen iteratum, vel propter ſolam iterationem gravius eſt, ideò dicebant opera laborioſa in hac privatæ pęnitentiæ impoſitione, difficiliora, & duriora quàm in pęnitentia publica eſſe injungenda. Sic philoſophati ſunt, eò quòd paucas quaſdam Eccleſias antiqui moris tenaciores viderent Pęnitentiam publicam, ſive ſolemnem non iterare; & iterùm graviter peccantibus graviſſimam pęnam, ſed privatim imponere, eaque completa illos privatim reconciliare. Hujus rei teſtimonia ex antiquis Scholaſticis allata ſunt ſupra *cap.* 25. quibus adjungi poteſt Alexander Halenſis 4. *parte ſummæ quæſt.* 14. *memb.* 6. *artic.* 2. ubi toto articulo contendit pęnitentiam ſolemnem non eſſe repetendam, ſed iterantibus crimina privatim eſſe ſuccurrendum. Deinde *reſponſ. ad* 2. *Ipſa ſolemnitas dicit quandam confirmationem, & excellentiam propter quod repugnat, ut in quantùm ſolemnis iteretur: Quod enim ſolemniter fit, perpetuitatem importat, & ideò repugnat ei mutabilitas, & per conſequens iterabilitas; ſed non repugnat, quin iterùm puniatur, ſi recidivetur. Debet enim puniri tanta pęna, ut confuſio ſolemnis Pęnitentiæ in acerbitate, & magnitudine recompenſetur.*

V. Hæc equidem appoſitè ſatis ratione habita ad modum, & quantitatem pęnitentiarum illo ſeculo impoſitarum, quarum ſolemnitas graviore pęna privatim, ſubeunda facilè compenſari poterat. Sed antiquæ conſuetudini, & teſtimoniis de ea citatis, non ſatis quadrare videntur. Non antiquæ conſuetudini: Quia gravia peccata non modo Pęnitentia publica, ſed etiam gravi admodum pęna caſtigabantur; & quo graviora erant peccata, eo ſeverior, & auſterior erat labor impoſitus. Quapropter ſi aliquis iterùm in grave crimen incideret, pęna ſeveriore quàm prima fuerat, plecti eum ex canone oportuit. Verùm tam duræ pęnæ pęnitenti publico imponebantur, ut vix duriores excogitari potuiſſent. Itaque multo clementius, cum eo ſecundùm peccante actum fuiſſet, quàm cum primum peccaverat, ſi crimen iſtud iteratum pęnitentia privata expiatum fuiſſet; quod & rectè rationi, & omnium Patrum menti planè oppoſitum eſt. Nam ſimiliter rebantur de Pęnitentia, quam alterum baptiſmum paſſim prædica-

Digitized by Google

dicabant, & de baptiſmo. Quemadmodum igitur peccatum ante baptiſmum multò leviùs, & remiſſibiliùs cenſebant, quàm idem peccatum poſt baptiſma commiſſum, ut *lib.*3. multis eſt demonſtratum: Sic & crimen ante Pęnitentiam actam, ſive ſecundum baptiſmum, perpetratum multò leviùs judicarunt, quàm idem crimen poſt pęnitentiam jam ſemel actam perpetratum. Hujus ſceleſtæ gravitatis poſt Pęnitentiam eædem ferè ſunt rationes, quæ poſt baptiſmum ante Pęnitentiam. Nonnullæ obiter indicatæ ſunt capite præcedente cùm Clementis Alexandrini, & Tertulliani ſententia explicata eſt. Ergo ſi geſta prima Pęnitentia ſecundam impoſuiſſent, publicam, & longè graviorem impoſuiſſent. At certum eſt apud omnes publicam non dediſſe, ergo nullam. Cùm enim Sanctorum Paciani, Ambroſii, & Auguſtini tempore graviſſimæ, & publicæ pęnitentiæ imponerentur, ab iis ſi tollas publicationem, quid gravitatis addi poteſt propter crimen iteratum?

VI. Præterea ſi crimen iteratum multò graviùs eſt eodem primùm commiſſo, longè magis adhuc crimen aliud natura ſua priore graviùs, & atrociùs. Patres autem paſſim inculcant gravioribus peccatis graviora remedia eſſe adhibenda, ut videre potes *lib.*1. *cap.*14. Sepoſito igitur tantiſper gravitatis ob iteratum peccatum augmento, Si poſt pęnitentiam publicam crimen perpetrabatur genere ſuo multo graviùs eo, propter quòd Pęnitentia fuerat acta: Qua pęna privatim puniri potuit crimen illud, quòd per ſe ſolum pęnitentiam multò duriorem ea, quæ jam acta eſt, demeretur? Adde nunc ſcelus crimini ex iteratione accreſcens. Quæ potuit pęna privata ex eorum conſuetudine tanto crimini puniendo ſatisfacere? His accedit, quòd in publicatione pęnitentiæ pars ſeveritatis conſiſtit, illudque potiſſimum eſt, quod refugiunt criminum Rei, & in quo perſuadendo maximè laborant Sancti Patres, ut videre eſt apud Tertull. *cap.*10. *de Pęnitentia*, Ambroſ. *lib.*2. *de Pęnit. cap.*9. *&* 10. Pacianum *in parænesi ad Pęnitentiam*, & alios pleroſque. Quo igitur privato remedio tantum vulnus ſanari potuit? Quæ pęna privata tanto ſceleri æquiparabitur?

VII. Hoc inſuper Lectorem velim animo perpendere. Illis temporibus ſolebat univerſa Eccleſia, precibus ſuis per multos annos quotidie ferè Pęnitentibus cooperari ad promerendam à Deo peccatorum veniam, ut videre potes apud eoſdem auctores, & iiſdem locis, Sanctum Cyprianum paſſim, & pleroſque alios: vix enim antiquorum aliquis de pęnitentia tractavit, hoc ſpecialiter non commemorans. Sed in privata Pęnitentia nullus erat uſus aſſiduarum precum Eccleſiæ, Quapropter hoc utiliſſimo ad promerendam Dei gratiam, adjutorio Pęnitentes ſecretò deſtituebantur. Evidens eſt igitur ex uſu, & praxi illorum temporum, quòd ſi peccantibus poſt actam publicè Pęnitentiam, Pęnitentia ſecundò impoſita fuiſſet, publicam non privatam impoſitum iri. Denique idem demonſtrant, pleraque Patrum teſtimonia initio libri expoſita, quæ aſſerunt certa quædam crimina eſſe, per Pęnitentiam publicam purganda; nec unquam legas hoc, vel quid ſimile exceptum, ſi pęnitentia jam acta fuerit, privatam ſufficere.

VIII. Sed omnium minimè huic interpretationi convenire poſſunt antiquorum teſtimonia, quæ unam hanc Pęnitentiam commemorant, ut ſingula legenti, quæ capite præcedente exſcripta ſunt erit evidentiſſimum. De Herma dubitari non poteſt, quum nonnulli recentiores eum ideò Novatianiſmi accuſaverint. De Clemente Alexandrino idem judicium, cùm ſententiæ Hermæ totus innitatur, eamque explicet, & probet. Deinde, in quem finem poſt explicatam unam, ſolam καὶ ἀμετανόητον Pœnitentiam ad illius confirmationem citat hæc *Epiſt. ad Hebræos cap.*10. *Voluntariè peccantibus nobis poſtquam acceperimus agnitionem veritatis, non ampliùs relinquitur pro peccatis hoſtia, &c.* His etiam conſonat Zephirinus Pontifex cum Eccleſia Catholica adversùs Montaniſtas diſputans, qui ex Hermæ teſtimonio demonſtrabat, unam dari poſt baptiſmum Pœnitentiam. Huc referuntur ſingula ferè Tertulliani verba, ejuſque rationes omnes. Ut clarius hæc percipias relege per te ipſum citata illa teſtimonia, & unicuique teſtimonio, & unicuique auctoris rationi applica diſtinctionem, hoc verùm eſt de Pœnitentia publica, non autem de privata, quæ ejuſdem eſt cum publica virtutis, & efficaciæ, ſtatimque videbis non modò prorsùs concidere ipſorum rationes, ſed etiam beatos eſſe, & felices poſt peccati iterationem, eo quòd ſecundùm peccatum elementer expient, duriſſimo Pœnitentiæ publicæ jugo liberati, quo nihil poteſt ab eorum mente verbi, & rationibus alienius ſingi.

IX. Quid? Nonnullorum verba contrarium aliquando diſertè efferunt, ut Origenes, qui diſtinguit peccata in leviora, & graviora. Leviora dicit poſſe ſemper reparari, & nunquam illorum Pœnitentiam interdici; de gravioribus verò ſemel tantùm Pœnitentiam agi. Age nunc. Qua ratione leviora ſemper reparantur? Certum eſt nunquam de iis præceptam fuiſſe Pœnitentiam publicam: ſed vel hoc ponamus. Diſtinctio inter leviora, & graviora hæc datur, quod leviorum repetitur Pœnitentia: Privata igitur. Ergo graviorum ne privata quidem eſt ſecunda Pœnitentia, aut nulla prorsùs eſt differentia ab Origene aſſignata, cùm hoc dato utrique Pœnitentiæ conveniat, quòd pro differentia ſpecifica unius ab altera ſtatuitur. Unum effugium fingi poteſt, ut diſtinctionis umbra aliqua ſtabiliatur: Graviorum Pœnitentiam ſecundam eſſe, ſed publicam, leviorum verò ſecundam eſſe, ſed privatam. Verùm hoc communi omnium poſitioni contradicit, & aſſumit ut verum, cujus contrarium ipſe Adverſarius exploratæ veritatis eſſe conceſſit, unam ſcilicet eſſe graviorum peccatorum poſt baptiſma publicam Pœnitentiam, non ſecundam. Quocirca ut ſtabiliat differentiam ab Origene aſſignatam, planè deſtruit non modò ipſam differentiam, ſed etiam illud Origenis, & tot Patrum Latinorum effatum, unam eſſe Pœnitentiam. Nam ſi publicè repetitur ut privatim, qua ratione una fingetur?

X. Eadem planè ratio dicti Ambroſiani, qui ut Origenes, Pœnitentiam unam dixit eſſe graviorum peccatorum, leviorum verò quotidianam. Eadem quoque S. Paciani, qui opponens Pœnitentiam de levioribus peccatis, quæ in proximum committuntur frequentiſſimè, vel ex Novatianorum conſenſu actam, de graviorum peccatorum Pęnitentia ſcribit, *Conceditur ergo vel ſemel Eccleſiæ quod nobis ipſis totiens imperatur*. Idem conſequitur, ſed diſpari ratione ex altero S. Ambroſii dicto, *Si ſemel fuerit uſurpata, nec jure celebrata, nec prioris fructum obtinet* (illius ſcilicet, quæ ante baptiſmum) *& aufert uſum poſterioris*. Quàm falsò, & temerè dictum, ſi privata Pœnitentia idem fructus obtinetur! Quòd minarum genus hoc eſt? Vide ſis, ut benè de criminibus tuis Pœnitentiam agas. Nam Pœnitentia iſta malè acta poſterioris uſum aufert. Immò proſperè hoc evenit; dicere poteſt, quòd eſt in proverbio, ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον. Duro Pęnitentiæ publicæ jugo liberatus ſum; jam ſecreta idem ab Eccleſia obtinebo. Qua ratione ſimiliter dixit Siricius Pontifex, ejuſmodi homines non habere ſuffugium pœnitendi, cùm illis ſit tam obvium καὶ ἀπαραίτητον. Denique quo ſenſu canonem Concilii Toletani tertii interpretabimur? *Quoniam comperimus per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias non ſecundùm canonem, ſed fœdiſſimè pro ſuis peccatis homines agere Pęnitentiam, ut quotieſcunque peccare libuerit, totiens à Præsbytero ſe reconciliari expoſtulent, &c.* Quid de Eliberitano dicemus, quod tot criminum ſpeciebus, nè ſemel quidem Pęnitentiam concedi, ut capite præcedente explicatum eſt: quod Pœnitentia functis alteram non permittit, quoniam exiſtimat eos de communione Dominica ludere?

XI. Verùm regeres: Ex dictis difficultas aggraveſcit, non elevatur. Quum enim tot argumentis conſtet poſt actum de gravioribus peccatis Pœnitentiam, quæ ex uſu illius temporis neceſſariò erat publica, remedium pęnitendi neque privatim, neque publicè ab Eccleſia fuiſſe conceſſum: Quo remedio Pęnitentia functos ſanabat, cùm in crimina ſive eadem, ſive alia æquè gravia, ſive etiam graviora incidebant? Quo remedio quum in minus gravia, de quibus Pęnitentia non agebatur publica, aut etiam cùm in levia, & venialia? Hæc ſunt nobis ex Sanctorum verbis nunc explicanda. A poſtremis ordiemur. Eadem eſt ratio purgationis levium, & venialium peccatorum poſt actam pęnitentiam, & poſt baptiſmum. Sæpiùs docent antiqui Patres, qua ratione peccatorum venialium remiſſio impetretur; ſed nuſquam diſtinguunt peccata venialia commiſſa poſt baptiſmum, & ante actam Pęnitentiam, ab iis quæ committuntur, poſt actam Pęnitentiam. Ideò qua ratione priora remittuntur, eadem & poſteriora. Deinde ſi eorundem peccatorum naturam, & demeritum conſideres, non erit magni momenti diſcrimen. Sunt enim utraque ejuſmodi, quæ ab homine quantumvis pio, & ſancto vitari non poſſunt, licèt ex jam dictis major ingratitudo in poſterioribus notari poſſit, quàm in prioribus. Sed nunquam memini propter tantillum diſcrimen me aliquando apud Antiquos legiſſe aliquam in eorum remiſſione differentiam. Quibus autem remediis ſanentur, & remittantur fusè explicamus capite hujus libri poſtremò: Quapropter fruſtra nunc his immoraremur.

XII. Eadem propè ratio peccatorum ſecundi generis: Quanquam enim peccata ſint natura, & ſcelere ſuo mortalia, eorumque gravitas plurimùm augeatur ex eo, quòd poſt ſecundam veniam hoc eſt, poſt baptiſmum, & actam ſemel Pęniten-

nitentiam, perpetrata ſunt; Quanquam inter ea, & quæ ſunt primi generis, magna poſſit notari diſparitas, eo quòd hæc facillimè committantur, vitarique omnia nullo modo poſſint, atque ideò facilè excuſari ante, & poſt actam Pęnitentiam poſſint, & debeant; Illa verò vitare quiſque fidelis poſſit, & debeat, nec niſi lubens volens in ea incidat, atque ideò horum Reus mortis æternæ inflictionem à Deo mereatur, ab Eccleſia verò pęnarum Eccleſiaſticarum augmentum; non tamen memini legiſſe me propter iſta peccata Eccleſiam extraordinarias aliquas pęnas inſtituiſſe. Sanctus Auguſtinus *homilia 41. in libro* 50. *homiliarum* utrumque ſtatum ante, & poſt actam Pęnitentiam conſiderat, examinat, & comparat, ubi ſi quid ejuſmodi obſervatum fuiſſet, illud proferendi, & explicandi locus erat opportuniſſimus: Nihil tamen adnotat quòd eo referri poſſit: *Qui egerit veraciter Pęnitentiam, & ſolutus fuerit à ligamento, quo erat obſtrictus, & à Chriſti corpore ſeparatus, & benè poſt Pęnitentiam vixerit, ſicut ante Pęnitentiam vivere debuit, poſt reconciliationem quandocunque defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit, &c.* Nullum diſcrimen notat inter utriuſque ſtatus peccata; non quòd nullum ſit, ſed quod illius cauſa nullum in eorum caſtigatione, & curatione diſcrimen Eccleſia poſuerit. Et paulò poſt, fidelem inducit eum ſic interrogantem, *Inſtrue ergo nos ergo quomodo benè vivere poſt Pœnitentiam debeamus*. Ibi occaſio videtur præſentiſſima de pęnarum iſtarum varietate diſſerendi: Attendamus quid reſpondeat, *Dico, abſtinete vos ab ebrietate, à concupiſcentia, à furto, & maliloquio, ab immoderato riſu, à verbo otioſo, unde reddituri ſunt homines rationem in die judicii. Ecce quàm levia dixi: omnia tamen gravia, & peſtifera. Et aliud dico, non ſolùm poſt Pęnitentiam ab iſtis vitiis ſe homo ſervare debet, ſed & ante Pęnitentiam dum ſanus eſt. Quia ſi ad ultimum vitæ ſteterit, neſcit ſi ipſam Pęnitentiam accipere, ac ſic Deo, & Sacerdoti peccata ſua confiteri poterit. Ecce quare dixi, quia & ante Pęnitentiam benè vivendum eſt, & poſt Pęnitentiam melius*. Docet poſt Pęnitentiam melius adhuc vivendum, ſed de duriore Pęnitentia, aut alio Pęnitentiæ genere, propter ſecundum fidelis ſtatum nullum verbum. Hæc Sanctus Auguſtinus ex Sancto Ambroſio *lib. 2. c. 12. de Pœnitentia verbum è verbo decerpſit*. Itaque una, & eadem eſt utriuſque ratio.

XIII. Hoc confirmant quàm plurima teſtimonia, præſertim Sanctorum Auguſtini, Ceſarii, & Eligii relata *cap. 1. & 2.* hujus libri, & alia referenda *cap. ultimo*, quæ duo hęc peccatorum genera, quod ad curationis, & caſtigationis modum, confundere videntur, alterumque ab altero non diſtinguere, cujus indiſcretæ remediorum conjunctionis cauſas ibidem, & alibi reddimus. Profectò cùm toties de curatione, & Pœnitentia utriuſque generis peccatorum diſſerant, nec unquam diſtinguant an ante, vel poſt Pœnitentiæ actionem perpetrata ſint, totieſque de utroque genere curando indiſtinctè verba faciant, veluti ſi uno, & eodem modo curarentur, mihi planè exploratum videtur, nihil fuiſſe in utriſque generis peccatorum curatione, propter actam Pęnitentiam immutatum. Hoc unum credibile mihi videtur, nempè propter jam actam Pœnitentiam, ac proinde peccati ſcelus aggravatum ſolitas quoque à Sacerdotibus aggravari pęnitentias. Cùm igitur hæc ita ſint caput ſequens, in quo de ſecundi peccatorum generis purgatione fusè diſſerimus, utrique ſtatui ſatisfaciet.

XIV. Non ſunt tamen iſta ſic generatim accipienda, ut non ſit aliqua locorum ſaltèm adhibenda diſtinctio. Nonnunquam enim quædam ſecundi generis peccata, poſt actam Pœnitentiam tantæ gravitatis, quibuſdam, ſi non omnibus, viſa ſunt, ut eorum Rei ab Eccleſia perpetuò eliminarentur, & gratioſè cum eis diſpenſaretur, ſi precum communione viventes, & Euchariſtia morientes donarentur. Dici tamen poteſt, Eccleſias illas hæc ſpecialia peccata ad tertium genus, graviora ſcilicet crimina, revocaſſe, quanquam aliis videri potuerint ad ſecundum pertinere. De hac difficultate judicium facilè feret Lector audita hypotheſi: Ex illius enim explicatione, evidentiſſimè colligetur graviorum peccatorum Pęnitentiam ab Eccleſia ſecundò nec publicè, nec privatim datam fuiſſe. Siricius Pontifex refert *cap. 4. Epiſt. 1.* Himerium Tarraconenſem Epiſcopum ſibi hanc quæſtionem propoſuiſſe. *De his verò non incongruè dilectio tua Apoſtolicam ſedem credidit conſulendam, qui acta Pęnitentia tanquam canes, ac ſues ad vomitus priſtinos, & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuò appetivere concubitus. Quorum profeſſam incontinentiam generati poſt abſolutionem filii prodiderunt*. En ſpeciem luculenter propoſitam: ſequitur: *De quibus quia jam ſuffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum*. Vides ex vulgatæ conſuetudinis conſenſu inter eos convenire poſt actam de gravioribus peccatis Pęnitentiam, nullum ſupereſſe amplius pęnitendi ſuffugium, quod abſurdiſſimè dictum eſſet, ſi privatum aliquod eſſet. Et ridiculè propoſita fuiſſet quæſtio, & magis adhuc ridiculè, & abſurdè in ea diſſolvenda laboratum eſſet. Quæ umbra difficultatis in hac interrogatione? Pœnitentiam publicam egerunt, agant nunc privatam. Ad exprimendum hoc reſponſum, eratne à Tarracone ſollicitandus Romanus Pontifex? Teſtatur tamen ſe non incongruè conſultum, & ſolicitatum.

XVI. Pontificis reſponſum prius nobis eſt proponendum, deinde in quo Himerii difficultas, quam Pontifex rationabilem judicavit, conſtituta fuerit. Decernit igitur, *Ut ſola intra Eccleſiam fidelibus oratione jungantur, ſacræ myſteriorum celebritati, quamvis non mereantur, interſint: à Dominicæ autem menſæ convivio ſegregentur, ut hac ſaltem diſtrictione correpti, & ipſi in ſe ſua errata caſtigent, & aliis exemplum tribuant quatenus ab obſcœnis cupiditatibus retrahantur. Quas tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cùm ad Dominum cœperint proficiſci, per communionis gratiam volumus ſubveniri. Quam formam, & circa mulieres, quæ ſe poſt Pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, ſervandam eſſe cenſemus*. Clarum reſponſum, ſed longè clarius evadet, ſi tantiſper illuſtretur. Ut difficultatis ab Himerio propoſitæ ratio intimè perſpiciatur, ſpecies propoſita accuratè ponenda eſt. Primum conſtat evidentiſſimè de iis agi, qui poſt actam Pœnitentiam iterùm peccaverunt. De hoc dubium moveri non poteſt. Secundum, manifeſtum eſt, eos homines poſt actam Pęnitentiam, non peccaſſe in mandata Dei, hoc eſt, fornicationes, adulteria, homicidia, falſa teſtimonia in mortem proximi, & ejuſmodi ſcelera, quorum cauſa Pęnitentia publica ſolita erat imponi, non commiſiſſe, ſed in conſtitutiones Eccleſiaſticas iis, qui Pœnitentiam egerant, impoſitas, ſcilicet de cingulo militiæ non ampliùs reſumendo, de Matrimonio non contrahendo, & de contracto non exercendo, de quibus fusè dictum eſt ſuprà *cap. 18. & ſequentibus*. Quæritur ergo, quid eſſet iis hominibus faciendum. En difficultatis Himerianæ occaſio, digna ſanè, ut & judicavit Pontifex, quæ à ſede Apoſtolica inquiratur, & diſſolvatur. Maximum enim erat diſcrimen inter hos poſteriores, & priores, qui alia homicidia, & adulteria poſt actam Pœnitentiam perpetraverant. Priores omni Pœnitentia, & communione ex vulgata apud omnes Eccleſiæ conſuetudine interdicebantur. Dubitat Himerius, an eadem ſeveritas in poſteriores ſit exercenda. Dubitationis ratio evidens eſt, & duplex, Prior jam enarrata, in una peccatur in Deum, atque in præcepta divina, & naturalia, in alia verò, in Eccleſia præcepta, quæ aliter, atque aliter pro perſonarum, & circumſtantiarum varietate ſeſe habere poſſunt. Poſterior hinc emanat, Præcepta illa Eccleſiaſtica, neque erant univerſalia, neque perpetua, & quibus in locis vigebant, in iis ſæpè multis de cauſis œconomicè diſpenſabatur, ut ſuprà explicatum eſt, & præſertim *c. 24.* Meritò igitur Himerius dubius ſedem Apoſtolicam conſuluit, fierique etiam potuit, ut in hac occaſione variaverint Eccleſiarum Hiſpanicarum traditiones.

XVII. Negotium faceſſere poſſet, quòd Syricius dixit, ejuſmodi homines non habere ſuffugium pœnitendi, & tamen iis interdicit Euchariſtiæ communionem in finem uſque vitæ. Sed negotium ſtatim expediet, qui memor fuerit eorum, quæ dicta ſunt, & demonſtrata *c. 7. & 8.* libri præcedentis. Cognoſcet enim Pœnitentiam antonomaſticè à Patribus ſubſtrationem dici, ſive abſtinentias, jejunia, chameunias, aliaque laborioſa in iſta ſtatione indici ſolita, ſive, ut uno verbo omnia complectar, luctuoſam, & humillimam Pœnitentiam, ita κατ' ἐξοχὴν & proprio dici, & Pœnitentiæ nomen de ſuperiore ſtatione negari. Ejuſmodi igitur homines meritò dicuntur non habere ſuffugium pœnitendi, illiſque Pęnitentiam non imponi, licèt à myſteriorum communione arceantur.

XVIII. Duo ſunt igitur ex dictis conſectanea. Prius eſt evidens, & κατὰ λέξιν expreſſum, Eos, qui poſt actam Pęnitentiam uxores ducunt, vel ante Pęnitentiam ductis utuntur, vel militiam ſecularem denuò ſectantur, Eccleſiam ſanare non alia Pęnitentiæ impoſitione, ſed reconciliationis, & communionis Euchariſticæ, cùm in extremis verſantur, præſtatione, quòd eadem ſeveritate in mulieres, qua in viros obſervabatur. Tam grave cenſuit crimen hoc Siricius, tamen graviter ex conſuetudine Eccleſiæ Romanæ, licèt conſtitutiones Eccleſiaſticas tantùm violaſſet, puniendum decrevit! Poſterius ex

com-

Digitized by Google

comparatione pœnæ, & criminum, de quibus in priore conſectaneo, atque ex legitima dubii Himeriani occaſione neceſſariò conſequitur, Ingentium ſcilicet criminum poſt actam Pęnitentiam Reos, tum temporis ſanationis, ſecundò amiſſæ recuperandæ cauſa Dei miſericordiæ, & voluntariæ ſuæ Pęnitentiæ ſuiſſe commiſſos, aliamque Pœnitentiam ab Eccleſia non impetraſſe; ſed ut aſſiduè à Deo veniam peccatorum exorarent, diligenter admonitos fuiſſe; auxilium tamen Eccleſiaſticum ad Dei miſericordiam impetrandam plurimùm efficax, quia eo indigni cenſebantur, iis denegatum.

C A P U T X X X.

Explicatur remedium, quo graviſſima crimina poſt actam Pęnitentiam iterata curabantur. Hinc evidenter demonſtratur, Pęnitentiam iſtorum criminum iteratam non fuiſſe. Severitas iſta rigore diſciplinæ non poteſtatis defectu introducta. Iſta ſeveritas multis ſimilibus exemplis fit probabilis. Quid dicendum de iis, qui Pęnitentiam ſemipublicam agebant. Ineunte tertio ſeculo Abſolutio criminum poſt actam Pęnitentiam iterantibus, cùm animam agebant videtur pluribus locis conceſſa, ſed Pęnitentiæ agendæ beneficium ad annum propè ſeptingenteſimum iis negatum: poſteà ſecunda Pęnitentia publica conceſſa.

EX ſevero Siricii Pontificis reſponſo de criminibus non magnis, colligere eſt, quid in graviorum iteratione fieri ſolitum eſſet. Eos de quibus ab Himerio conſultus eſt, à peccatorum abſolutione, & à communione Euchariſtica uſque in finem vitæ ſuſpendit, atque ex indulgentia myſteriorum celebrationi intereſſe conceſſit. Itaque Siricii definitio capite præcedente explicata, licèt admodum ſevera nunc videri poſſit, prioris tamen ſeveritatis eſt remiſſio. Quo vel ſolo manifeſtum eſt jus Pęnitentiæ agendæ, nondum eo tempore conceſſum fuiſſe, gravia crimina poſt actam Pœnitentiam iterantibus, & conſequenter veniam ab Eccleſia non obtinuiſſe; multò minus Sanctorum myſteriorum communionem. Verùm inquies, illa crimina inſtar Herculani morbi erantne inſanabilia? An his hominibus, ſi Pœnitentiam impoſuiſſet Eccleſia, & ea peracta veniam largita fuiſſet, mortuis verba feciſſet, aut ſurdis ecciniſſet? Jam dictum ſæpiùs, demonſtratumque eſt, Eccleſiam ita ſe geſſiſſe, non poteſtatis defectu, quæ illi ampliſſima data eſt, ſed œconomiæ causâ, ſecundùm quam peccatoribus fœdere certo habenas modò premit, modò laxat. Æquum Eccleſiæ aliquo ſeculis viſum non eſt, ut filii ſui maxima matris indulgentia ter abuterentur. Illi, de quibus agimus, liberaliſſima Dei, & Eccleſiæ indulgentia, quæ per baptiſmum profuſiſſimè in fideles exundat, abuſi ſunt; Sanguinem Chriſti, quo redempti ſunt, ut vilem, & prophanum contempſerunt, ſuſque deque habuerunt. Altero tamen, ſed laborioſiſſimo Baptiſmo, Pœnitentia ſcilicet, eos priſtinæ ſanitati clementiſſimè reſtituit. *Iterato beneficio*, ut ait Tertullianus, *gratus eſto; nedum ampliato*. Bis ampliſſimum patrimonium prodegerunt, decoxerunt; immeritis datum, ingratis reſtitutum. Quæ ſpes tertia gratia non abuſuros, qui primæ, & ſecundæ tam turpiter, & contumelioſè illuſerunt? Deinde quæ tam atrox pœna tam grandia crimina æquare poteſt? Ampliſſimè diſſeruimus toto libro tertio de gravitate ſceleris, qua crimina poſt baptiſmum commiſſa antecedebant ea, quæ ante baptiſmum, & in veteri homine commiſſa fuerant. Quantum cenſemus crimina poſt actam Pœnitentiam tertiò commiſſa excedere, magnitudine, malitia, contumelia, impudentia, omnique ſceleris genere, ea quorum iniquitatem tam multis rationibus ex antiquitate deſumptis graviſſimam eſſe demonſtravimus. Si ſecunda crimina non aliter ſanantur, quàm baptiſmo lachrymarum tam longo, tam anxio, tam laborioſo; quo baptiſmo niſi ſanguineo, quibus lachrymis niſi perennibus, & nunquam areſcentibus tertia crimina purgabuntur?

II. His, & ſimilibus rationibus freti antiqui Patres tertiam Pœnitentiam, ſive ſecundum baptiſmum lachrymarum tertiò graviſſimè peccantibus concedere quanquam poſſent, æquum non judicaverunt, ne parcendi facilitas fieret peccati incentivum, & cùm vitiis imprudenter mederi vellent, ea irritarent. Quapropter quæcunque dicta ſunt, tum de una poſt baptiſmum Pœnitentia, tum alibi de gravioribus criminibus publica Pœnitendi, tantùm eluendis, & caſtigandis, & ſimilibus propoſitionibus, quæ nunc Paradoxorum inſtar videri poſſunt, cum ea cautione, & interpretatione intelligenda ſunt, quam in aliquot propoſitionibus planè ſimilibus Sanctus Auguſtinus adhibuit *Epiſt. 50. Ut conſtitueretur in Eccleſia, ne quiſquam poſt alicujus criminis Pœnitentiam Clericatum accipiat, vel ad Clericatum redeat, vel in Clericatu maneat, non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum eſt diſciplinæ. Alioquin contra claves Eccleſiæ datas diſputabitur, de quibus dictum eſt, Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cælo.*

III. Quum igitur iſta crimina tertiò iterata nec per Pœnitentiam publicam, nec per privatam curaret Eccleſia, qua ratione iis tum medebatur? Hæc ipſiſſima quæſtio facta eſt S. Auguſtino *Epiſtola* 54. Quid illi reſpondeat, tantiſper examinemus: Hinc enim & conſuetudo jam demonſtrata confirmabitur, & quæ medicina his criminibus tum adhiberetur, colligetur. Ex vulgatiſſima hac per omnes Eccleſias Occidentales conſuetudine argumentabatur Macedonius adverſus Epiſcoporum conſuetudinem, qui pro Reis intercedere ſolebant, nec pro iis tantùm, qui ſemel illud perpetraverant, ſed pro iis etiam, qui in crimine perſeveraverant: *Pro iis quoque interveniendum putat Sacerdotium veſtrum, de quibus adeò futuri nulla ſpes eſt, ut etiam in præſcati eadem criminis ratio perſeveret, &c.* Quærebat ab Auguſtino Macedonius, qua ratione id facerent religioſè Epiſcopi, cùm Deus pœnitendi copiam poſt primam Pœnitentiam non tribueret. Illius rationem, ita exhibet S. Auguſtinus, *Si à Domino peccata, inquis, adeò prohibentur, ut nec pœnitendi quidem copia poſt primam Pœnitentiam tribuatur, quemadmodum nos poſſumus ex religione contendere, ut nobis qualecunque illud crimen fuerit, dimittatur?* Quæſo te, Lector, ſi conſuetudo in Eccleſia Romana, & Africana fuiſſet poſt pœnitentiam publicam ſemel actam privata aliqua Pœnitentia ſcelus iteratum eluere, & Pœnitenti iterùm parcere, an ullus fingi potuiſſet huic objectioni locus? Immò num præſentiſſima fuiſſet S. Auguſtino occaſio, & cuicunque homini moris Eccleſiaſtici non ignaro contrarium colligendi? Poſt pœnitentiam primam non modo datur ſecunda, ſed etiam tertia, quartave iterantibus eadem crimina, aut prioribus atrociora perpetrantibus; intercedit tantùm hoc diſcrimen, quòd prima publica eſt, poſteriores privatæ; in eo tantùm clementior eſt in ſæpiùs peccantes Eccleſia, quod ſecundò tertiòve peccantes privatìm tantùm puniat, primò verò peccantes, publicè: Sed publicationem Pęnitentiæ quantum poſſumus gravitate pœnæ compenſamus. Ergo rectè nos Epiſcopi Deum, ejuſque Eccleſiam imitantes meritò pro criminum Reis licet bis, terve idem crimen, aut etiam majus commiſerint, apud vos, alioſque Magiſtratus intercedimus.

IV. Verùm quid quæſtioni propoſitæ reſpondeat Sanctus Auguſtinus perpendamus. Fatetur aliquando contingere, ut poſt Pęnitentiam actam crimina iterentur, *In tantùm hominum aliquando progreditur iniquitas, ut etiam poſt actam Pœnitentiam, poſt altaris reconciliationem, vel ſimilia, vel graviora committant*. Fatetur quoque Auguſtinus ſemel tantùm humilem illam Pęnitentiam concedi, & hujus rationem jam exſcriptam affert. An recurrit Auguſtinus ad ſolvendam Macedonii objectionem ad iteratam, ſed privatim Pęnitentiam, quæ erat propoſitio, ſi ex uſu fuiſſet, ad objectionis diſſolutionem expeditiſſima? Longa eſſet Epiſtola, varia in ea tractantur, & retractantur, ſed de hac re ne verbum quidem. Ad Dei miſericordiam confugit ſemper, quam criminis iterati reus non modò vitiorum, ſed etiam licitorum abſtinentia, libidinum coercitione, carnis maceratione, & bonis operibus promereri poteſt. Hoc unicum remedium poſt actam publicè pęnitentiam proponit; ad hoc amplexandum criminis Pęnitentes tantùm exhortatur. Ad ſecundam verò Pęnitentiam privatim, aut publicè ab Eccleſia impoſitam, nunquam. Bono fine Pęnitentiam non iterari demonſtrat; non ideo tamen Deo exprobrandum eſſe, quòd homini iterùm parcat, cùm quotidie ſolem ſuum ſuper peccatores oriri faciat, maliſque ut ad Pęnitentiam invitentur, vitam prorogare ſoleat. *Quamvis ejus in Eccleſia locus humillimæ Pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen ſuper eos ſuæ patientiæ non obliviſcitur. Ex quorum numero ſi quis nobis dicat, Aut date mihi eundem iterùm pœnitendi locum, aut deſperatum me permittite, ut faciam quidquid libuero quantum meis opibus adjuvor, & humanis legibus non prohibeor, &c. Aut ſi me ab hac nequitia advocatis, dicite utrùm mihi aliquid proſit ad vitam futuram, ſi in iſta vita illecebroſiſſimæ vitæ blandimenta contempſero, ſi libidinum incitamenta frænavero, ſi ad caſtigandum corpus meum multa mihi etiam licita, & conceſſa ſubtraxero, &c. Quis noſtrum ita deſipit, ut huic dominidicat,*

Nibil

Digitized by Google

Nihil tibi iſta proderunt in poſterùm, *vade ſaltem vitæ hujus ſuavitate perfruere. Avertat Deus tam immanem, ſacrilegamque dementiam.*

V. Quòd dictum eſt de objectione Macedonii, nullam omninò fingi potuiſſe, ſi criminis iterati dari ſolita fuiſſet Pœnitentia privata; dicendum quoque de propoſitione iterantis crimen ſuum poſt actam Pęnitentiam ab Auguſtino per proſopopœam inducta. Nulla fingi poteſt occaſio in medium inducendi ejuſmodi hominem criminis iterati poſt actam pœnitentiam reum ſic Epiſcopis obiicientem, *Aut date mihi euadem iterùm pœnitendi locum*, *&c.* Num data pęnitendi privatim facultate, præſto erat unicuique hoc reſponſum. Quid tu petis eundem iterùm pœnitendi locum, aut ut deſperatio tibi concedatur, cùm non modò tibi, ſed & omnibus poſt Pęnitentiam criminum Reis, & tolerabilior, & æquè efficax privatim pœnitendi indulgeatur facultas? Eadem ratio ſecundæ interrogationis, *Aut ſi me ab hac nequitia advocatis, dicite utrùm, &c.* Quid tu ſtultè proponis, an bona opera, jejunia, caſtigationes corporis, &c. tibi poſt actam Pœnitentiam iterùm peccanti ſint exercenda? an ad ſalutem proſint, cùm ea ſeverè in Pœnitentiæ privatæ actione imperentur? Manifeſtum mihi videtur, omnem hanc Auguſtini ſermocinationem neceſſariò ſupponere, nullam ejuſmodi hominibus ab Eccleſia impoſitam fuiſſe Pœnitentiam: Nam hoc non dato, planè ſtultè, aut ignoranter Macedonius dubitaſſet, & Sanctum Auguſtinum interrogaſſet; Sanctus quoque Auguſtinus difficultatem non enodaſſet, ſed eluſiſſet, ſtultèque admodum iterantem poſt actam pœnitentiam crimina induxiſſet obiicientem. Nec harum rerum ignorantia Auguſtinus ut Macedonius excuſari poteſt.

VI. Eodem tendunt S. Auguſtini verba, quæ ſtatim citata ſequuntur: *Quamvis ergo cautè, ſalubriterque proviſum ſit, ut locus illius humillimæ Pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concedatur, ne medicina vilis minus utilis eſſet ægrotis, quæ tanto magis ſalubris eſt, quanto minus contemptibilis fuerit, Quis tamen audeat dicere Deo. Quare huic homini, qui poſt primam Pęnitentiam rursùs ſe laqueis iniquitatis obſtringit, adhuc iterùm parcis? &c.* Sanè locus erat, & poſt illa, quæ præceſſerunt, urgens occaſio de privata Pœnitentia verba faciendi: At contrà, neceſſitatem unius Pęnitentiæ repetit, & confirmat. Aut ſaltem poſt iteratam, unius Pęnitentiæ mentionem debuerat privatæ explicationem ſubtexere, qua omnis ſcrupulus dubitantis animo ſtatim eximebatur. At contrà, iterantem crimina poſt Pęnitentiam publicè actam ad Deum remittit, atque ab eo veniam impetrandam monet; De venia autem ab Eccleſia impetranda, de qua tamen propoſita fuerat quæſtio, ne γρὺ quidem. Erat quidem uſitata apud eos privatæ Pęnitentiæ impoſitio, & illius ob peccata repetita frequens repetitio, ut capite ſequente demonſtrabitur. Sed propter atrocia crimina nec primùm imponebatur, niſi, ut ſæpiùs dictum eſt, ingrueret extraordinaria aliqua cauſa, nec ſecundò propter eadem iterata, nec in univerſum poſt actam ſemel Pęnitentiam publicam.

VII. Dura ei non videbitur hæc diſciplina, qui vulgatas aliàs ejuſdem ſeculi conſuetudines ob oculos ſibi proponet. Frequens erat ob varia peccata communionis ad ultimum vitæ diem dilatio, hoc eſt, perpetuæ pęnitentiæ impoſitio, ut libro ſequente demonſtrabitur, hancque pęnitentiam imponit Monachis, & Monachabus Apoſtatis Siricius in decreto ſequente illud, quòd citatum eſt de pęnitentia non imponenda iis, qui poſt actam pęnitentiam crimina iteraverunt. Ut quid durum hoc obſervantibus videbitur ſecundæ pęnitentiæ ob iteratum crimen denegatio? Præterea ſeculo præcedente, non infrequens erat apud multas Eccleſias non modò ſecundæ, ſed vel unius Pęnitentiæ in atrociſſimis criminibus perpetua denegatio. Qui vel ſemel certa crimina fecerat, nunquam ab Eccleſia veniam conſequebatur, ut ex canonibus Eliberitanis ſupra enarratum eſt. Idem teſtatur Cyprianus de crimine Męchiæ apud multas Eccleſias Africanas in uſum fuiſſe; nec minori pęna Homicidas, & potiſſimum Idololatras affecerunt, cùm poſteriora illa crimina Męchia ſint graviora. Libro decimo demonſtrabimus in univerſa Eccleſia Occidentali Apoſtatis, & graviſſimorum criminum Reis denegatam fuiſſe in fine vitæ communionem, ſi moribundi tantùm eam petiiſſent. Ut quid durum videbitur iſtas obſervationes in memoriam revocantibus, poſt actam ſemel de quocunque crimine pęnitentiam, nullam ampliùs crimina iterantibus pęnitentiam ab Eccleſia concedi? Denique antiquæ iſtius conſuetudinis argumentum eſt frequentiſſima illis ſeculis Pęnitentiæ in finem vitæ dilatio, adverſus quam legimus Patres toties, tantaque verborum copia invectos. Quum enim atrocium criminum ſecundò non daretur pęnitere, qui eorum conſcii erant, Pęnitentiam ſæpiùs tardiſſimè amplexabantur, hoc verùm S. Ambroſii *lib. 2. de Pęnit. cap.* 11. effatum reformidantes, *Pęnitentiam ſemel uſurpatam nec jure celebratam poſterioris uſum auferre.*

VIII. Quæſtiones duæ ſupereſſe mihi videntur huic tractatui opportunæ. Prior de iis eſt, qui quinto ſeculo, & ſequentibus Pęnitentiam agebant, ob gravia crimina quaſi ſemipublicam, de quibus egimus hujus libri *cap. decimo quinto.* Duas partes habet illa quæſtio, nec utrique uno modo eſt reſpondendum. Qui ſic Pęnitentiam agebant, vel è locis ſecretis evocabantur in capite Quadrageſimæ, ut publicè Pęnitentiam acciperent, quam tota Quadrageſima ad reconciliationem uſque profitebantur; vel in iis ſemper commorabantur, donec pęnitentia completa abſolutionem impetraſſent. Prioribus acta ſic Pęnitentia non concedebatur ſecunda; cùm Pęnitentiam ſolemniter publicam ſuſciperent, & agerent, ut per ſe manifeſtum eſt. Hoc autem verùm fuit ad annum uſque ſeptingenteſimum, quo tempore ceſſatum eſt de peccatis occultis pęnitentiam agi publicam. Poſterioribus poſt actam pęnitentiam iterùm peccantibus non puto denegatam alteram pęnitentiam. Quanquam huic ſententiæ confirmandæ nec mihi præſto ſit canon, nec exemplum, illi tamen validæ rationes ex uſu temporis ſuffragantur. Primò hic mos includendorum Pęnitentium invaleſcere cępit, quum antiquus rigor reconciliationis negandæ, vel differendæ plurimum remitteretur. Itaque probabile non eſt illi adnexam eſſe ſecundæ pęnitentiæ denegatioqem. Secundò hoc pęnitentiæ Laicæ genus de Clericali expreſſum eſt. Sed Clerici ſeculo quinto, & ſexto poſt actam pęnitentiam antiqua ſeveritate emollita priſtinum gradum multis in locis recuperabant; Probabile igitur eſt, antiqua ſimiliter in Laicos, emollita ſeveritate poſt actam illam pęnitentiam, iterùm peccantibus aliam fuiſſe conceſſam. Denique licèt primevæ Eccleſiæ ætate in puniendis criminibus ratio potiſſimùm haberetur ſceleris in crimine, poſteà tamen magni facta eſt ipſa pęnæ ſolemnitas, & pęnitere publicè magnum pęnæ genus judicatum eſt. Cùm igitur ex eo pęnitentiæ genere, de quo nobis ſermo eſt, publica illa ſolemnitas, quæ illis temporibus per multos annos in Eccleſia exercebatur, clementer exempta eſſet, probabile omninò eſt, ſeveriſſimam quoque illam pęnitentiæ ſecundæ negandæ conſuetudinem ex eo exemptam fuiſſe. Alia quæſtio proponi poteſt, Quid ſcilicet juris erat in eos, qui pænitentiam ſuſceptam, & profeſſam antequam peracta eſſet, deſerebant. Sed opportuniùs libro ſequente examinabitur.

IX. Quæſtio poſterior iſtius diſciplinæ durationem ſpectat. In ea duo poſſunt conſiderari: Priùs, peccatorum Abſolutio; Poſteriùs, pęnitentia ipſe, ſive labores ab Eccleſia impoſiti ad criminum expiationem. Conſtare videtur, peccatorum abſolutione toto vitæ tempore illis non fuiſſe datam. Nam ſi pęnitentia negata, multo magis Abſolutio; cùm pænitentia tantùm imperetur, ut Abſolutionem impetret. Sed animum ſcrupulus commovere poteſt, An multis ſeculis viguerit conſuetudo abſolutionem denegandi animam jam jam exhalaturis? Pleræque rationes præcedente capite expoſitæ videntur de iſta ſpecie idem probare, quòd de ipſa pænitentia. In partem tamen contrariam, & remiſſiorem, ut inclinem nonnulla me movent. Primum Concilii Nicæni *c.* 13. qui prohibet morituros neceſſario viatico fraudari. Quanquam enim de primo Pęnitentibus verba faciat, eſt tamen ipſius mandatum generale, nulla reſtrictione circumſcriptum. Deinde Cælestinus Papa *Epiſt.* 2. ad Epiſcopos Galliæ generaliter invehitur in eos, qui pęnitentiam morientibus denegant, iiſque hoc remedio ſubvenire nolunt. Videtur eos arguere, qui antiquæ huic diſciplinæ mordicùs adhærebant. Poteſt tamen referri hoc decretum ad eos, qui abſolutionem iis negabant, qui perpetrato crimine ad Eccleſiam morituri tantùm confugiebant, de quibus *libri 9. c.* 1. Sed ut ad hanc etiam ſpeciem illud extendam, facit ratio Cęleſtini, quæ univerſalis eſt, & quamcunque criminis ſpeciem complectitur. Itaque exiſtimare par eſt ſtatim poſt Concilium Nicænum Eccleſias, quaſdam cæpiſſe huic antiquæ conſuetudini derogare, quas paulatim aliæ imitatæ ſunt, & Cęleſtinum eas, quæ antiquæ conſuetudini ſeveriùs æquo inhærebant, ſeverè redarguiſſe. Nam ſi Eccleſiæ illæ primæ pænitentiæ contemptoribus veniam denegarunt, multò magis ea acta crimina iterantibus. Ergo ſi prioris obſervantiæ à Cæleſtino arguuntur, multò magis poſterioris. His planè ſuffragari videtur Siricius in de-

creto

Digitized by Google

ereto ſupra relato. Nam cùm eos viatico Euchariſtico ad mortem uſque interdicit, qui Pœnitentia acta leges Eccleſiaſticas violaverant, ſed orationibus fidelium intereſſe concedit, ut jam explicavimus, conſequens videtur, ut qui acta Pœnitentia enormia crimina perpetraverat, his privatus viatico ſaltem τῷ ἀναγκαιοτάτῳ minimè defraudetur.

X. Expreſſius hoc nos docet S. Innocentius *Epiſt.* 3. ad Exuperium. Non equidem ediſſerit hypotheſim noſtram; Eam tamen proſequitur, quæ à reconciliationis præſtatione multò longiùs abeſt. Interrogatur enim ab Exuperio Toloſano Epiſcopo, *Quid de bis obſervari debeat, qui poſt baptiſmum omni tempore incontinentiæ, & voluptatibus deditl in extremo fine vitæ ſuæ pœnitentiam ſimul, & reconciliationem communicationis expoſcunt*. Iſti ſanè tantò deteriores videntur iis, qui acta Pœnitentia iterum peccant, & peccati denuò reſipiſcunt, quantò religio præſtat impietate, & Pœnitentia Dei contemptu. Iſtis tamen, ait, cùm animam agunt, reſipiſcentibus reconciliationem eſſe concedendam, licèt antiquitus aliter obſervatum fuerit. Multò ſanè magis iis, de quibus nunc agimus. Innocentii verba relata, & explicata leges *cap.* 1. & 2. *lib.* 10. Hinc duo conſequuntur; Primum, Innocentii tempore Romæ, multiſque aliis in Eccleſiis veniam datam fuiſſe morientibus, qui poſt actam Pœnitentiam in eadem aut ſimilia crimina lapſi fuerant: Alterum, nondum hoc conſtanter obſervaſſe omnes Eccleſias, cùm de hac quæſtione dubitaverit Exuperius, & Pontificem, quid ea occurrente eſſet agendum interrogaverit. Probabile inſuper eſt, Cæleſtinum de eadem difficultate ad Galliæ Epiſcopos reſcripſiſſe, hypotheſique prætereà theſim ipſam definiſſe.

XI. Verùm Pœnitentiæ, ſeu laborum Pœnitentialium longè diſpar ratio. Nam allata omnia teſtimonia Pœnitentiæ diſertam mentionem faciunt, quæ neceſſe eſt, aut hoc ſenſu intelligi, aut planè ſunt ſupervacanea, & ridicula: Beneficium autem magnum illis ſeculis reputabatur Pœnitentiæ juxtà Eccleſiaſtica præcepta agendæ jure potiri, ut dictum *lib.* 4. *cap.* 16. 17. & hujus libri *cap.* 6. & 7. Hinc enim dignitas, virtuſque plurima laborioſis operibus accreſcebat. Propter hanc, aliaſque rationes explicatas pœnitentia ſecunda ſex ſeculis integris ægrè in Eccleſia Occidentali conceſſa eſt. Circa, aut paulò ante annum Chriſti ſeptingenteſimum, hoc eſt, cùm de peccatis occultis ceſſatum eſt publicè pœnitere, deſiiſſe videtur mos ille non ampliùs pœnitendi poſt ſemel actam publicè Pœnitentiam. A tempore enim adnotato iterantibus peccata gravia poſt acceptam Abſolutionem ſecunda Pœnitentia publicè agenda non modò permiſſa eſt, ſed etiam juſſa. Ita decernitur Capitular. *lib.* 5. *cap.* 72. *Hi, qui frequenti prævaricatione peccant, vel pœnitentiam iterant, frequenti ſententia, niſi per ſatisfactionem, quæ prævaricati ſunt, emendare nitantur, coercentur, vel condemnentur, ut hæc quæ voluntariè non diluerunt, inviti emendent. Quòd ſi aliquis renuerit, & præceptis ſui Sacerdotis inobediens apparuerit, ſecundùm modum culpæ excommunicetur*, &c. Eadem Iſaac Lingonenſis *tit.* 1. *c.* 18. Hincmarus quoque in capitulis datis Archidiaconibus, Presbyteris an. 874. *c.* 10. cui titulus, *De relapſis poſt Pœnitentiam publicam*, ſic de ea re ſtatuit, *Sollicitè providete, ut ſi aliqui poſt reconciliationem publicam in publicum peccatum ceciderint, ad notitiam meam perferatis, ut ſciatis qualiter & vos, & Præsbyteri agere debeatis*. Non dicit præcisè eos ad Pœnitentiam publicam eſſe cogendos, ſed hoc ex perpetua illius temporis diſciplina facilè colligitur. Erat enim tum univerſale axioma, de criminibus publicis eſſe publicè pœnitendum, ut multis probamus *lib.* 7. *c.* 1. Cùm igitur iteratum crimen publicum ponatur, erat quoque publica pœnitentia afficiendum. Sed cum relapſus ille eſſet ſingulari Pœnitentia dignus, illius impoſitionem ſibi reſervari voluit. Deinde nuſquam lego apud illorum temporum auctores ſemel tantùm Pœnitentiam eſſe imponendam, immò aliquando contrarium, ut adnotatum eſt, legitur. Primi quidem Scholaſtici publicam pœnitentiam repeti poſſe dixerunt, non autem ſolemnem. Qua de cauſa ſic docuerunt, ſupra explicatum eſt. Sed illud ipſum argumentum eſt, antiquiorem obſervationem, quæ ſolemnem à publica non diſtinguebat, publicam data occaſione iteraſſe. Prætereà quod de ſolemni non iteranda affirmant, paucas quaſdam Eccleſias hoc obſervare fatentur. Denique quæſtio illa poſt annum ſeptingenteſimum pauci fuit momenti: Certum eſt enim, & demonſtrabitur *lib.* 8. graviſſimorum peccatorum ſi occulta erant, Pœnitentiam fuiſſe ſecretam, nihilque à publica, ſi quoſdam ſolemnitatis ritus excipias, diſcrepaſſe; Ideòque parum, aut nihil interfuiſſe ad animæ curationem utralibet ageretur.

CAPUT XXXI.

Explicatur, & demonſtratur, qua ratione antiquitùs Eccleſia ſecundum criminum genus, hoc eſt peccata mortalia minus gravia, quod Pœnitentia publica non damnabatur, ſanare, & caſtigare conſueverit.

CApite primo hujus libri demonſtratum eſt, antiquos Patres peccata in tria genera diſtinxiſſe, graviſſima, minus gravia, & levia: Graviſſima peccata in tres potiſſimùm ſpecies diſtributa fuiſſe, quibus aliæ ſic diſpenſante Eccleſia ſuccreverunt. Demonſtratum quoque eſt primum illud peccati genus ſive publicum, ſive occultum fuiſſet, Pœnitentia publica, humili, & luctuoſa ſanatum fuiſſe, & punitum. Variæ inſuper difficultates ex dictis emergentes, variaque tam pœnitentia illa fungentibus, quàm ea functis à ſanctis Patribus attributa hactenus explicata ſunt. Docere nunc ſupereſt qua ratione antiqui Patres ſecundum, tertiumve peccati genus curaverint, & caſtigaverint. A ſecundo exordiemur.

II. Secundum hoc peccati genus, id eſt, peccata mortalia minus gravia eodem planè modo curabat, quo nunc univerſa ferè mortalia curare ſolet. Illorum enim peccatorum curatio Sacerdotis erat arbitrio commiſſa, nec à canonibus in ſpecie præcepta. Ideò nunquam publica illi Pœnitentia imponebatur licèt publicum eſſet. In hoc enim caſu peccati Reus ab Epiſcopo publicè tantùm correptus, & admonitus fuiſſet, & publicè pervicax à myſteriorum communionem ad tempus aliquod ſegregatus, ſive, ut eorum verbis eloquar, ad Conſiſtentiam relegatus, aut quod idem illis erat, ſolarum precum communione donatus. Cùm enim ex hypotheſi non eſſet huic peccato a Canone impoſita Pœnitentia, jus imponendæ Pœnitentiæ publicæ non competebat Epiſcopo, niſi forſan ex Presbyterii, aut etiam Collegarum conſilio accedente gravi contumacia. Cùm autem dicimus his peccatis non eſſe à canonibus impoſitam Pœnitentiam, intelligimus Pœnitentiam propriè dictam, quæ in ſubſtratione decurritur, quam Sanctus Auguſtinus humilem, & luctuoſam nonnunquam vocat; non autem correptionem aliquam, quæ nec ab ingreſſu Eccleſiæ, nec à precum communione peccatorem ſeparat. Huic enim peccatorum ſecundo generi, aliquando legere eſt in canonibus correptiones aliquas eſſe impoſitas, de quibus libro ſequente multis diſſeremus. Sed nihil horum, quæ ſuprà diximus, Pœnitentiam comitari, & ſequi, ad correptiones ejuſmodi pertinebat. Denique, ut compendio dicam, peccatorum hoc genus quantum diligenter legendo, & inquirendo conſequi potui, eodem planè modò ab Eccleſia curatum, & punitum eſt, quo ab annis quadringentis ad hunc uſque diem omnia ferè mortalia peccata legimus ex Doctorum Scholaſticorum præceptis, & Eccleſiæ approbata praxi curata fuiſſe. Quapropter curationis iſtius ratio probanda tantùm eſt, non ampliùs explicanda.

III. S. Gregorius Nyſſenus in Epiſtola canonica ad Letojum poſtquam latrocinium diſtinxit in illud, quod fit vi armata, & illud, quod clàm, & latenter; priùs homicidio æquiparat, & homicidii judicio, ſeu Pœnitentiæ ſubiicit: De poſteriore verò ſic edicit, *Qui autem latenti ablatione ſibi alienum uſurpat*, ὅτε δὲ ἐξαγορεύσας τὸ πλημμέλημα ἑαυτοῦ τῷ ἱερεῖ φανερώσας, *deinde per confeſſionem peccatum ſuum ſacerdoti declarat, vitii ſtudio in contrarium mutato ægritudinem curabit: Dico autem largiendo quæ habet pauperibus, ut dum quæ habet, profundit, ſe avaritiæ morbum purgare apertè oſtendat. Sin autem nihil aliud præter ſolum corpus habeat, jubet Apoſtolus per laborem corporalem ei morbo mederi. Dictionis autem ita habet contextus, Qui furatur, non ampliùs furetur*, &c. Hoc latrocinii genus purgat Confeſſione Sacerdoti facta, & eleemoſynis, ſi eò ſe extendat Rei facultas: Anteceſſiſſe ſupponit ablati reſtitutionem, nec alio modo nunc purgatur ejuſmodi peccatum.

IV. Idem Gregorius paulò ante avaritiæ iniquitatem deteſtatus fuerat: *Divinus*, inquit, *Apoſtolus eam non ſolùm idololatriam, ſed etiam omnium malorum radicem pronuntiavit, & tamen hæc morbi ſpecies inconſiderata, & abſque ulla ejus cura prætermiſſa eſt; quo fit ut hic morbus in Eccleſia valdè redundet, & nemo in eis, qui ad Clerum adducuntur, inquirit, num eo idololatriæ genere polluti ſint. Sed de iis quidem quoniam id à Patribus prætermiſſum eſt, ſufficere exiſtimo publica doctrinæ ratione quantum fieri poteſt, curare veluti quoſdam morbos ex repletione ortos inexplebilis avaritiæ affectione purgantes*. Hoc crimen nec Patres, nec ipſe gravi illa, & luctuoſa pœniten-

Digitized by Google

nitentia caſtigat, ut eadem Epiſtola homicidium, fornicationem, &c. Sed oratione, hoc eſt, correptione, admonitione, judiciorum divinorum comminatione, & ejuſmodi ſermonibus, qui ex Sacerdotis prudentia, & doctrina pendent. Quamquam autem hic Confeſſionis, ut ſuprà, mentionem non faciat, neceſſariò tamen intelligitur ex correptione ſubjuncta, in hoc præſertim vitio, quo, ut notum eſt, nunquã eſt, ita publicum, ut contra negantem probari poſſit. Alias fuiſſe pœnas Avaritiæ ex Sacerdotũ arbitrio poni ſolitas, dubitari non poteſt, qui huic *Epiſtolæ* conjunxerit, quæ idem Gregorius ſcribit in fine orationis 39. *Novati crudelitatem pro lege habeam, qui avaritiam quidem, hoc eſt, alterum idololatriæ genus, nullo ſupplicio vindicavit, ſtuprum autem ita ſævè, acerbèque condemnavit, quaſi nuda ipſe carnis, & corporis parte conſtaret.* Cùm igitur ex *Epiſtola* conſtet avaritiæ nullam pœnam Patres impoſuiſſe, illi tamen imponi ſolitas, manifeſtum eſt arbitrarias fuiſſe, & ad luctuoſam Pœnitentiæ ſtationem non pertinuiſſe.

V. Eadem ratio eſt ejus, quod adnotat S. Baſilius *cap. 30. De his, qui rapiunt* (mulieres) *canonem quidem antiquum non habemus, ſed propriam ſententiam proferimus, ut & ipſi, & qui cum eis rapiant, tribus annis ſint extra orationes.* Gravis pœna. Saltem ad ſubſtrationem, in qua agitur luctuoſa Pœnitentia, eos relegat. An credendum antiquiores Patres hoc crimen non vindicaſſe, & unicuique illud permiſiſſe? Incredibile prorſus. Sed nulla erat impoſita Pœnitentia canonica, quæ ſaltem in S. Baſilii cognitionem veniſſet. Permiſſa erat Sacerdotum arbitrio iſta vindicta, privatimque ex eorum prudentia caſtigabatur. Verùm juſſit Baſilius, ut tribus annis publicè pœniterent.

VI. Idem colligitur ex *can.* 80. ubi polygamiam vocat belluinam, & ab humano genere alienam, cenſetque fornicatione graviùs peccatum, atque ideò Pœnitentiam illi ſeveram indicit, quod Antiqui non fecerant. Cùm autem illud cenſeat adeò grave crimen, non eſt credibile, antiquiores Patres, qui Pœnitentia publica illud non vindicabant, privata non vindicaſſe, prorſuſque impunitam dimiſiſſe, cùm paſſim legamus illos levia, & venialia non publicè, ſed privatim ſeverè caſtigare, & paſſim fideles exhortari, ut ea in ſeſe ſeverè vindicent, &c. & nonnulla alia de hoc Patre in diverſa cauſa *c.* 4. retulimus, de quibus idem eſt judicium.

VII. Idem genus mediocrium peccatorum ſpectabat S. Chryſoſtomus Oratione in S. Philogonium, quam quinque diebus ante Natale Domini pronuntiavit, cùm populum ſuum ad communionem eo die hortabatur: propter ejuſmodi peccata non ad ſolemnem, & luctuoſam pœnitentiam eos hortatur, ſed brevem, facilemque: *Neque mihi quiſquam dixerit, vereor habere conſcientiam peccatis oppletam, &c. Sufficit enim horum quinque dierum tempus, ſi ſobrius fueris, ſi attentus, ſi vigilaveris, &c.* Deinde nonnullis allatis exemplis, *Tu nunc quibus rebus provocaſti Deum, per has rurſum facito propitium. Provocaſti illum pecuniarum rapina, per eaſdem illum reconcilia, &c. Provocaſti lingua, & maledicentia, & multis contumelia affectis; viciſſim lingua placata, puras emittens, benedicens maledicentibus, laudans vituperantes, gratias agens injuriam inferentibus. Hæc non egent multis diebus, anniſve, ſed ſola animi propoſito, & unico die perficiuntur.* At de aliis peccatis quid S. Patres? Sanè iis non contradicit S. Chryſoſtomus, An ſic facilè remittuntur? *Nolite illa committere*, inquit Auguſtinus in fine libri de Symbolo ad Cathecumenos, *pro quibus neceſſe eſt, ut à Chriſti corpore ſeparamini, quod abſit à vobis. Illi enim, quos videtis agere Pœnitentiam, ſcelera commiſerunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania. Inde agunt Pœnitentiam.* Vide *c.* 4. quæ ex S. Auguſt. *ſerm* 41. *de Sanctis*, & quæcumque *cap.* 5. ex variis referuntur: neve longiùs abeas, attende, quæ ſequuntur, ſed potiſſimùm quod jam ex S. Paciano.

VIII. S. Pacianus in Exhortatione ad Pœnitentiam hæc diſtinctè admodum ediſſerit. Diſtinguit primùm, quibus criminibus conveniat publica illa, & auſtera Pœnitentia, à qua Pœnitentes in Eccleſia dicuntur, *Primùm igitur de modo peccantium retractemus, ſedulò requirentes quæ ſint peccata, quæ crimina: ne quis exiſtimet propter innumera delicta, quorum fraudibus nullus immunis eſt, me omne hominum genus indiſcreta pœnitendi lege conſtringere.* Probat poſteà iſtam Pœnitentiam tribus tantùm peccati generibus convenire, Idololatriæ, Homicidio, & Mœchiæ, ne quis exiſtimet omnia prorſus peccata, quæ poſtmodum dicta ſunt mortalia, imprudenti quodam curationis zelo luctuoſæ Pœnitentiæ ab Eccleſia Catholica ſubjecta fuiſſe. Verba retulimus hujus libri *cap.* 2. Deinde aliorum peccatorum curationem ſic explicat, *Reliqua peccata meliorum operum compenſatione curantur: Hæc verò tria crimina, ut Baſiliſci cujuſdam afflatus, ut veneni calix, ut lethalis arundo metuenda ſunt: Non enim vitiare animam, ſed intercipere noverunt. Quare tenacitas humilitate redimetur; convitium ſatisfactione penſabitur: triſtitia jucunditate, aſperitas levitate, gravitate levitas, honeſtate perverſitas, & quæcunque contrariis emendata proficiunt. Quid verò faciet contemptor Dei? Quid aget ſanguinarius? Quod remedium capiet fornicator? &c. Iſta ſunt capitalia, fratres, iſta mortalia, &c.* Duo ſunt ex his verbis manifeſta. Priùs, quæ vocet peccata mortalia, & capitalia, tria ſcilicet illa, propter quæ pœnitentia agitur canonica, & publica, & quibus venia datur, ſed difficillimè, & poſt exantlatos multos labores: Poſteriùs, aliis peccatis licèt genere ſuo mortalibus, id eſt, infernum, & mortem æternam ex Dei decreto merentibus, ut unicuique patet, Pœnitentiam illam laborioſam non fuiſſe impoſitam; ſed iſta peccata virtutum oppoſitarum compenſatione fuiſſe curata. Noli autem, Lector, exiſtimare eadem remedia non fuiſſe magnis illis criminibus adhibita: Sed hoc volunt S. Patres, tribus illis graviſſimis criminibus præter illud curationis genus cæteris commune, alia, & multò efficaciora, & laborioſiora, & ſolemniora eſſe applicanda, quæ nomine Pœnitentiæ per varias ſtationes decurſæ complexi ſunt.

IX. Hanc Eccleſiæ praxim perſpicuè mihi videtur docere S. Auguſtinus *cap. ult. lib.* De fide, & bonis operibus, ubi de pœnis, & remediis peccatorum diſſerens peccata in tres diſtinguit gradus, ut *cap.* 1. explicatum eſt: Deinde unicuique gradui proprium remedium aſſignat, *Niſi eſſent quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda ſint, non diceret Apoſtolus, congregatis vobis, & meo ſpiritu tradere ejuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini Jeſu. Unde etiam dicit, Ne lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt Pœnitentiam ſuper immunditiam, & fornicationem, quam geſſerant.* Sunt igitur graviſſima quædam crimina, ob quæ luctuoſa pœnitentia imponi debet. Cujuſmodi verò illa crimina ſunt, ab exemplis ſubjectis facilè eſt colligere. Poſtea docet diſertiſſimè alia eſſe peccata, quæ ejuſmodi Pœnitentia ſanari non debent, ſed alio remedio, quod tradit, *Item niſi eſſent quædam non ea humilitate Pœnitentiæ ſananda, qualis in Eccleſia datur eis, qui proprii Pœnitentes vocantur, ſed quibuſdam correptionum medicamentis non diceret ipſe Dominus, Corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Et ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum.* Alia igitur peccata mortalia non pœnitentia illa publica, & luctuoſa, ſed privatis correptionum medicamentis curantur, quæ ſcilicet à Sacerdote fiunt, cum Reus illi confitetur. Nam peccata, quæ nullo modo ſunt mortalia, quiſque per ſeipſum facilè ſanat orationis Dominicæ recitatione, aliiſque bonis operibus, de quibus *cap. ſeq.* Hanc S. Auguſtini fuiſſe mentem ex tertii gradus peccatorum ſanatione quam immediatè ſubjicit, evidenter conſtat. *Poſtremò, niſi eſſent quædam ſine quibus hæc vita non quotidianam medelam poſceret oratione quam docuit, ut dicamus, dimitte nobis debita noſtra, &c.*

X. Inter varias Epiſtolas, quæ falsò tribuuntur S. Hier. 39. inſcribitur de variis generibus linguarum; in ea hæc habet auctor vir pius, & antiquus, licet S. Hieronymo poſterior, *Avaritiæ crimen facilè curare poteſt, qui converſus ad Dominum, & ea poſſederit, indigentium alimoniæ miniſtraverit, ita ut Dominus in Evangelio ait. Verùm date eleemoſynam, & ecce omnia vobis munda ſunt. Libidinem quoque celeriter mundare poterit, ſi jejuniis frequentiſſimis, & abſtinentia corpus attriverit.* Per libidinem non intelligit, fornicationem, adulterium, & ſimilia, ſed libidinis æſtus à concupiſcentia exhalatos. *Sed his omnibus medelam per Sacerdotem præcepit Dominus adhiberi. Dicit enim eſſe lepram, quæ ſacrificiorum oblationibus emundetur. Aliam verò, quam aquæ facilius abluant, necnon quæ, & extra caſtra poſita mundetur. Eſſe quoque lepram aſſerit, quæ mundari omninò non poſſit. Horum igitur ſecundùm figuram graviorum peccatorum crimina congregantur. Alia ſunt, quæ ante baptiſmum videntur eſſe commiſſa, quæ tamen per gratiam baptiſmi diluuntur. Alia verò, quæ poſt lavationem baptiſmatis perpetrantur, quæ ſive graviora, ſive minora peccata ſint, viſus tamen Sacerdotis emundat. Quodcunque enim modicum delictum fuerit, poteſt à Sacerdote omninò relaxari. Quæ autem graviora ſunt, diſciplina debent Eccleſiaſticæ regulæ, & oratione purgari. Quæ verò inſanabilia ſunt Deo judici reſervantur.* Ex hoc teſtimonio tria evidentiſſimè colliguntur. Primum, graviſſimorum peccatorum à minus gravibus, atque etiam venialibus diſtinctio. Secundum, utraque, atque etiam illa tria Sacerdoti confitenda, & ab eo ſanari. Tertium,

ad

ad graviorum ſanationem præter Confeſſionem, Eleemoſynam, & opera pia humiliore opus eſſe pœnitentia: Ad minus gravium verò ſanationem non eſſe illam Pœnitentiam adhibendam, ſed ſufficere Confeſſionem Sacerdoti factam, operumque piorum vitiis commiſſis contrariorum præſtationem. Quantùm verò ad illud, quod vocat inſanabile, paulò poſt peccatum in Spiritum S. interpretatur.

XI. S. Cæſarius Arelatenſis *homil.* 32. quam ad Monachos habuit, eandem tradit doctrinam, ut quotidianam Eccleſiæ praxim, quæ ex comparatione eorum, quæ ex S. Auguſtino tradita ſunt, illuſtrantur. Peccata diſtinguit in ea, quæ in Deum committuntur, & in nos. In capitalia quoque, & minuta. Poſteriorem ſpeciem oratione Dominica, & bonis operibus deleri tradit, & iis parcendo, qui in nos peccaverunt. *Qui enim omnibus in ſe peccantibus clementer indulſerit, nullum peccati veſtigium, nullius macula remanebit. Attendite, fratres, diligenter conſiderate, quod dixi; qui in ſe peccanti indulſerit: non enim dixit, quod in Dominum peccaverit, ipſi debeas indulgere, ſed qui in te peccaverit, debeas veniam dare.* Quomodo autem ex ipſius doctrina curantur peccata capitalia, quæ in Deum committuntur, ſequitur apud Cæſarium, *Quod pejus eſt, aliquoties qui in nos peccaverit, aut tardè, aut difficilè veniam damus. Qui in Dominum deliquerit, celeriter indulgemus. Sed ſi volumus juſtè agere, illi qui in Dominum peccaverit, ſine ſeveriſſima diſtrictione, non debemus penitus indulgere; ne dum illi per indiſcretam pietatem remittitur, exemplum perditionis aliis præbeatur.* Medium autem peccatorum genus quod correptione poſteà tradit, *Et ideò ſicut ſuprà ſuggeſſi non ſolùm capitalia crimina caveamus, ſed etiam pravas negligentias quotidie, quaſi venena Diaboli reſpuamus.* Et negligentiis illis applicat illud Apocalypſis, Utinam calidus eſſes, aut frigidus. Nunc autem quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Paulò poſt, *Lugendus eſt ille, qui corpore tantùm de ſeculo exiſſe videtur, corde tamen in mundo, aut remanſiſſe infidelitor, aut infoliciter rediiſſe cognoſcitur, & pro humilitate profert ſuperbiam, pro patientia iracundiam, pro charitatis medicamento, malitiæ effundit venenum.* Ex quibus manifeſtum eſt, peccata iſta, licèt non capitalia, eſſe tamen mortalia, & non ex eorum, quæ venialia abſolutè dicuntur, ut potè, non mortem æternam, ſed pœnas temporarias tantùm promerentia. Iſta autem correptione, & pœnitentia, ſed non propriè dicta, quam ſupra diſtrictionem appellavit ſeveriſſimam, curantur. *Nam nec illi, qui boni ſunt, ſed debent quaſi de ſuis meritis extollere; nec illi, qui negligentes ſunt, de Dei miſericordia deſperare: ſed illi cum humilitate Dei dona cuſtodiant, & iſti cum grandi compunctione celeriùs ad Pœnitentiæ, vel correctionis medicamenta confugiant, &c.*

XII. Diſjunctim autem dixit, *ad Pœnitentiæ, vel correctionis medicamenta*, quia nunquam prohibitum fuit, immò ſemper laudatum, ut capite ſequenti demonſtrabitur, Pœnitentiam pro minoribus peccatis agere publicam, ſed correctionis medicamenta neceſſaria erant; Pœnitentiæ verò ex Reorum devotione pendebant. Vel potiùs dicendum ea verba, *qui negligentes ſunt*, de graviter, & graviùs peccantibus eſſe intelligenda: Hoc teſtantur verba ſequentia, quæ crimina complectuntur utriuſque generis, præſertim ſi Monachorum ſtatus, quos exhortatur, attendatur. Hoc igitur, ut neceſſe eſt, poſito, pœnitentiæ medicamenta ad graviora delicta referuntur; correctionis verò ad minus gravia, quæ luctuoſa pœnitentia non curabantur. Eadem evidenter colliguntur ex homilia prima, cujus verba *cap.* 1. hujus libri amplè ſatis diſcuſſa ſunt, & facilè præſenti negotio poſſunt applicari. Idem etiam facilè deducitur ex fine *homiliæ* 8. ejuſdem Sancti.

XIII. S. Leo *Epiſt.* 92. ad Ruſticum Narbon. *cap.* 18. *Si qui convivio ſolo Gentilium, & eſcis immolatitiis uſi ſunt, poſſunt jejuniis, & manuum impoſitione purgari; ab idolothytis abſtinentes ſacramentorum Chriſti poſſunt eſſe participes. Si autem aut idola adoraverunt, aut homicidiis, aut fornicationibus contaminati ſunt, ad communionem eos niſi per Pœnitentiam publicam non oportet admitti.* Duo mihi videtur maniſeſtiſſimè diſtinguere, & docere. Priùs, certorum peccatorum ſemper fuiſſe actam publicè Pœnitentiam, quod argumentum ex hoc loco fusè perſecuti ſumus hujus libri *cap.* 10. Poſteriùs, eos, qui peccata minora commiſerunt, qualia ſunt, ſoli convivio Gentilium adeſſe, & eſcis immolatitiis uti, ſecreta confeſſione, & aliquot jejuniis ſanari poſſe, quod nunc contendimus. In textu quoque ſecreti contineri Pœnitentiam, & confeſſionem ex criminum diſtinctione, & variorum remediorum applicatione manifeſtum eſt. Atrociora crimina, inquit Leo, poſſunt tantùm per publicam Pœnitentiam ſanari. Ergo minora per ſecretam Pœnitentiam; quòd neceſſariò intelligit per hæc verba, *Poſſunt jejuniis, & manus impoſitione purgari*, cùm publicæ Pœnitentiæ opponantur. Certum eſt enim, & notum manus impoſitionem apud antiquos poſt datam, & actam pœnitentiam eſſe abſolutoriam.

XIV. Sententia iſta evidentiſſima, evidentior erit, ſi cùm Ruſtici interrogatione, quæ primo tomo Concil. Galliæ legitur, comparetur, *De his, qui Parvuli quidem baptizati, à Gentilibus capti ſunt, & cum illis Gentiliter convixerint; cùm ad Romaniam adhuc Juvenes venerint, ſi communionem petierint, quid erit obſervandum?* Reſpondet S. Leo diſtinctione facta, & peccatorum, & Pœnitentiæ unicuique ſpeciei attribuendæ, ut expreſſum. Unde manifeſtum de peccatorum agi Confeſſione, & Pœnitentia unicuique peccato conveniente injungenda. Idem ſenſus *c.* 12. in quo contra Monachos profeſſionem deſerentes invehitur, *Qui relicta ſingularitatis profeſſione, ad militiam, vel ad nuptias devolutus eſt, publicæ Pœnitentiæ ſatisfactione purgandus eſt, &c.* Dubitabatur, Qua Pœnitentia Monachus uxorem ducens, aut ad negotia ſecularia rediens eſſet puniendus? Reſpondet Leo, Pœnitentia publica. Erat igitur privata ab Eccleſia impoſita, quam cenſet tanto crimini eluendo non ſufficere.

XV. S. Eligius utriuſque generis peccati confeſſionem, & utrique ſuam pœnam attributam evidenter docet *homil.* 15. *Quicunque ergo veſtrum his quadragenorum dierum obſervationibus pœnitentiam, & confeſſionis ſuæ debitum ſe exercuiſſe recolit, agat Domino gratias, & quiſquis templum Dei violando in ſe deſtraxerit, non deſperet, ſed citò de malo iniquitatis ſuæ conſurgat, &c. Ut ergo verbis Domini ſecundùm Marcum utar, quibus dicit, quod dico, omnibus dico, Vigilate; Similiter quod dico, omnibus vobis dico, Clericis, Laicis, ac Sanctimonialibus, ut quiſquis ſe recolit invidiæ, aut detractionis, odii quoque, & fornicationis, ſive inceſtus, vel perjurii, cæterorumve vitiorum contagione adtactum, ſaltem hodie per divinæ ſalutis medicamentum in quantum prævalet, ſe purificare procuret.* Qua verò ratione procurare debet? *Confiteatur adverſùm ſe iniquitatem ſuam Domino, &c. Tunc enim reliquiæ cogitationis diem feſtum agunt Domino, quando peccator quilibet poſt prius datam confeſſionem ſe cohibere pollicetur ab iniquitate ſua, totaſque prorumpit in lacbrymas, &c.* Clarum eſt hic non agi de criminibus capitalibus: Omnes enim alloquitur, & notanter dicit, ſe omnes alloqui velle, quod dicit, omnibus dicere Clericis, Laicis, & Sanctimonialibus. An omnes lugubris Pœnitentiæ Rei erant? Ar fornicationis, Inceſtus, & Perjurii mentionem facit. Ita eſt, ſed non dicit eos iſta crimina perpetraſſe, ſed enumerando vitia monet eos, ut ſaltem hodie purificent, quidquid impuritatis ex eorum contagione contraxerunt, ſive ut minus efficaciter loquitur, adtigerunt: quod etiam vel Sanctis contingere ſolet, cogitatione, delectatione, & aliquali conſenſu. Ideò à Clericis, Laicis, & Sanctimonialibus præter Confeſſionem peccati, unius diei purificationem tantùm poſtulat. Sed attendamus ſequentia. Poſtquam ſic exhortatus eſt omnes prorſus fideles, ſtatim ad Pœnitentes ſermonem convertit, *Quia erga majora crimina admittentibus majora ſunt adhibenda remedia, convertam me ad vos, quos Eccleſia ex more Pœnitentes vocat, cupiens audire, & videre quanta intentione deflere ſtuduiſtis commiſſa veſtra, &c.* Præcedentia igitur crimina minora erant, quibus fideles aliquando maculari contingit; ſed ideò non conſtituuntur in Eccleſia propriè Pœnitentes, cùm poſt Confeſſionem facilè purgentur. Idem etiam evidenter demonſtrat, quod ait *homil.* 6. *Cùm omnes homines Pœnitentiam velint in fine vitæ ſuæ accipere, vix paucos videmus eam ſecundùm quod deſiderant adipiſci, Quanti enim, qui ſe ad extremum vitæ ſuæ Pœnitentiam accepturos eſſe credebant, aut ſubita ruina oppreſſi ſunt, aut naufragio fortè demerſi, &c.* Omnes ſanè Pœnitentiam publicam non ſuſcipiebant. Quis enim fidelis locum occupaſſet? nec omnes ea crimina perpetraverant, propter quæ infligitur. Evidenter igitur minora crimina complectitur, à quibus vix erat aliquis immunis.

XVI. S. Iſidorus Hiſpalenſis in exhortatione ad Pœnitentiam longè ante medium ex vulgata ſui temporis doctrina ſic ſcribit, *Ipſa autem Pœnitentia qualitatem delictorum agenda eſt: Nam ſicut levia peccata occulta oratione delentur: ita gravia coram Eccleſia per Pœnitentiam, & ſatisfactionem remittuntur.* Vides diſtinctionem peccatorum, & curationis diſcrimen, unum publicum, alterum occultum. Occulta oratione, hoc eſt, occulta abſolutione, & remiſſione: annis enim centum ſupra mille, & aliquid ampliùs peccatorum remiſſio ab Eccleſia obtenta, non aliter à Patribus appellata eſt quàm verbis ora-

Digitized by Google

orationem, & preces ſignificantibus. Dicet forſan aliquis, per levia peccata intelligi tantùm venialia, quæ pœnas æternas non merentur. Sed hinc ſequeretur, Iſidorum omnia mortalia, etiam interna, quæ actu exteriore commiſſa non ſunt, Pęnitentia publica velut in unum faſcem involvere, quod ſanè, & per ſe abſurdiſſimum eſt, & periodis ferè ſingulis Sanctorum Patrum, & canonum adverſantur, quæ in Eccleſiis fideles fuiſſe permultos teſtantur: Quis autem fidelis eſſe potuiſſet, & non Pœnitens, ſi omnia prorſus peccata mortalia fuiſſent, cùm Iſidorus ſcribebat. Pœnitentia publicè affecta? Nunquid hoc fuiſſet incommodum inducere, quod & à ſe & ab Eccleſia avertit Pacianus, omne hominum genus indiſcreta pœnitendi lege conſtringere? Eadem abſurditas ſingula, quæ jam allata ſunt teſtimonia conſequitur, ſi aliter quam à nobis factum eſt, explicentur. Denique venialibus non convenit remedium occultum ab Iſidoro aſſignatum prout publico opponitur. Nam peccata abſolutè venialia occulta oratione per ſe non curantur, ſed publica potius. Actiones enim, quibus iſta peccata curantur, publicè fieri ſolent ab omnibus, nec unquam ſecretò niſi per accidens, ut notorium eſt, velut ſunt orationis Dominicæ recitatio, pectoris tunſio, eleemoſynarum diſtributio, peccatorum, quæ fratres in nos commiſerunt, condonatio, & cætera hujuſmodi, de quibus toto capite ſequente. Ratio hujus rei evidens eſt. Hæc peccata ab omnibus committuntur, à viris etiam ſanctiſſimis: Remedia quoque quibus curantur, omnibus communia ſunt. Ideò nihil eſt in eorum Confeſſione, & Pœnitentiæ actione pudendum, niſi ea non confiteri, & remedia quibus curantur, non amplecti. Ut quid igitur eorum tantùm cauſa dicere, occulta oratione deleri oportere?

XVII. In Concilio Carthagin.4. *cap.78. de Pœnitentibus* ita decernitur, *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credunt abſolutos, ſine manus impoſitione ſi ſupervixerint*. Conſuetudo erat Eccleſiaſtica, Pœnitentes ob morbi vehementiam abſolutione donatos ſanitate recuperata ad eam Pœnitentiæ ſtationem relegare, in qua eos morbus corripuerat, ut libro decimo multis teſtimoniis demonſtrabitur. Volunt igitur Patres illi Pœnitentes propter morbum Abſolutione, & Euchariſtia donatos ad manus impoſitionem nihilominus recurrere, ſi poſteà contingat eos convaleſcere, hoc eſt, ad ſubſtrationis ſtationem in qua manus crebrò Pœnitentibus imponebantur, cùm cæteris Pœnitentibus reverti, ut cœptam Pœnitentiam conficiant. Id enim fieri ſolebat non modo in eos, qui poſt cœptam Pœnitentiam in morbum incidebant, ſed in eos etiam, qui in ipſo morbo Pœnitentiam publicam ſuſcipiebant, ut ex *can.76.* ejuſdem Concilii evidens eſt, *Si ſupervixerit, admoneantur à ſupradictis teſtibus petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis Pœnitentiæ legibus*.

XVIII. His poſitis, quæ ſunt certiſſima, examinemus *can.9.* Gerundenſis Concilii, *Qui ægritudinis languore depreſſus Pœnitentiæ benedictionem, quam viaticum deputamus, per communionem acceperit, & poſtrà convaleſcens, caput Pœnitentiæ in Eccleſia non ſubdiderit, ſi probibiſis vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad Clerum*. Eorum, qui Pœnitentiæ benedictionem ſuſcipiunt, manifeſtè duplex facit genus. Unum eorum, qui caput Pœnitentiæ publicè ſubiiciunt; Aliud enim ſignificare non poteſt caput in Eccleſia ſubdere, quàm publicè; alterum, eorum qui non ſubiiciunt in Eccleſia, hoc eſt, publicè, ſed tantùm ſecretò, quod contendimus. Ex dictis præterea manifeſtum eſt, eos qui poſt morbum, Pœnitentiæ caput non ſubiiciunt, nec ante morbum ſubjeciſſe; nec in morbo Pœnitentiæ publicæ inſignia ſuſcepiſſe: Illa enim ſi ſuſcepiſſent, ingenti cum anathemate ex vulgatiſſima Hiſpaniæ conſuetudine Pœnitentiæ publicæ ſtadium decurrere coacti fuiſſent, ut videre eſt in *c.2.* Conciliis Tolet.12. & aliis pluribus, quæ ſupra *cap. ſeptimo collegimus*. Cùm igitur tales ſint ii, de quibus agit Concil. Gerundenſe, nulla peccata commiſerant, propter quæ pœnitentiæ publicæ Rei eſſent, ſed propter alia ſecretò Pœnitentiæ benedictionem, & manus impoſitionem ſuſcipiebant: Pœnitentiæ enim benedictio ſine manus impoſitione ſecreta, vel publica pro ratione pœnitentiæ non conſerebatur.

XIX. Verùm, inquies, quare Patres in canone hanc conditionem adiiciunt, *& poſteà reconvaleſcens caput Pęnitentiæ publicè non ſubdiderit*, cùm non publicè ſolerent caput Pœnitentiæ ſubdere, qui capitalium criminum erant immunes? Quare præcaverit id, quod fieri non ſolebat? Hoc addiderunt ex conſuetudine Hiſpanica illorum temporum: Pœnitentiam enim publicam ſuſcipiebant vel ex canone propter crimina perpetrata, quæ Pœnitentiæ ſuſceptio ab eorum arbitrio non abſolutè pendebat; vel ſpontè, & ex animi devotione, cùm perpetrata crimina ſecundùm canones tantam pęnam non merebantur. Quanquam autem ſpontanea eſſet pœnitentiæ publicæ iſta ſuſceptio, ſuſceptæ tamen actio, & peractio apud Hiſpanos erat neceſſaria, ut videre potes multis canonibus, & exemplis demonſtratum eodem capite ſeptimo hujus libri. Cùm igitur moribundi nonnulli pęnitentiam publicam ex ſingulari animi devotione ſuſciperent, nullorum criminum ob quæ neceſſariò infligitur ſibi conſcii, meritò hanc conditionem addiderunt canoni ſuo Gerundenſes Patres, *& poſtrà reconvaleſcens, &c.* Volunt igitur eos omnes ad Clericatum admitti poſſe, qui pęnitentiæ benedictionem moribundi acceperunt, modò pęnitentiæ publicæ, ut fieri aliquando ſolebat, caput ſanitate recuperata non ſubdidiſſent.

XX. *Can.8.* Concilii Barcinonenſis non videtur hac in cauſa prætereundus, *De his, qui in infirmitatibus poſcunt Pœnitentiam, & à Sacerdote accipiant, ſi poſteà convaluerint, vitam Pęnitentium peragant, excepta manus impoſitione, ſegregati à communione, quandiù probabilem Sacerdos eorum approbaverit vitam*. Caſus eſt ejuſmodi. Quidam peccatorum Rei, ſed non ita gravium, ut Cenſura publica à canonibus inurantur, ejuſmodi tamen ut Pęnitentiam privatam longam, & ſeveram mereantur, morientes Pęnitentiam poſcunt, atque à Sacerdote accipiunt. Quæritur, ſi tales homines convaleſcant, quid de illis ſit agendum? Reſpondent Patres, eos à communione ſegregandos, & vitam privatam Pęnitentium agere debere, quandiù Sacerdos, cui confeſſi ſunt, æquum judicaverit. Cùm enim nihil commiſerint Pęnitentia publica damnandum, omnis eorum ſatisfactio Confeſſoris arbitrio eſt obnoxia. Vides evidenter omnes iſtos canones mediam illam Pęnitentiam, mediumque peccatorum genus inter graviſſima, & venialia confirmare, Confeſſionique Sacerdotali illud ſubiicere, & privata pęna ſanare.

XXI. Clariſſimè mihi videtur hoc indicare Concil. Tolet. 4. *c.6.* Tollunt Patres pravam conſuetudinem, quæ in Hiſpaniarum Eccleſiis inoleverat, Eccleſias ſcilicet in Sancto veneris die occludi, nullumque in iis officium celebrari, *Oportet*, inquiunt, *eodem die myſterium Crucis, quod ipſe Dominus cunctis annunciandum voluit, prædicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum poſtulare, ut compunctione Pęnitentiæ mundati, venerabilem diem Dominicæ Reſurrectionis, remiſſis iniquitatibus, ſuſcipere mereamur, corporiſque ejus, & ſanguinis ſacramentum mundi à peccato ſumamus*. Quæſo te Lector, An omnis populus erat Pęnitens, nulluſque fidelis? Conſtabant Hiſpaniarum Eccleſiæ ſolis Pęnitentibus? Solebant igitur ſacris illis diebus peccatorum remiſſionem non modo Pęnitentibus propriè dictis, ſed etiam fidelibus concedere. Criminum ergo minus gravium erat confeſſio, Pęnitentia, & Abſolutio privatim conceſſæ, ſed poſtremam non ſecus ac ſi publica fuiſſet, Chriſtiana plebs illis diebus potiſſimùm ſibi procurare ſatagebat, ut hoc opere non ſemel animadverſum eſt; Huc etiam referri poteſt vulgatum S. Innocentii dictum *Epiſt.1.c.7.* de gravioribus, & levioribus peccatis, quæ in Cęna Domini remitti ſolent.

XXII. His teſtimoniis jungi debent, quæ *c.26.* ex Origene, & S. Ambroſio retulimus, ut graviſſimorum peccatorum unam eſſe Pęnitentiam demonſtraremus. Nam eadem opera evidentiſſimè quoque mihi videntur demonſtrare peccatorum minus gravium Pęnitentiam datam fuiſſe privatim, & ſæpius repeti ſolitam. Ita autem perſpicuè hoc docent illa teſtimonia, ut longis ambagibus ad hoc colligendum non ſit opus *Homilia 15. in cap.25. Levitici, Si nos aliqua culpa mortalis invenerit, quæ non in crimine mortali, non in blaſphemia fidei, quæ muro Eccleſiaſtici, & Apoſtolici dogmatis cincta eſt, ſed vel in ſermonibus, vel in morum vitio conſiſtit, hoc eſt vendidiſſe domum, quæ in agro eſt, vel in vico, cui murus non eſt. Hæc ergo venditio, hujuſmodi culpa ſemper poteſt reparari, nec aliquando tibi interdicitur de commiſſis hujuſmodi pęnitudinem gerere. In gravioribus enim criminibus ſemel tantùm, vel rarò Pęnitentiæ conceditur locus. Iſta verò communia, quæ frequenter incurrimus, ſemper Pęnitentiam recipiunt, & ſine intermiſſione redimuntur*. Tota difficultas, quæ ad hoc teſtimonium reiiciendum commoveri poſſet, ex illa poſitione ſequitur, quæ aſſereret in eo commemorari tantùm peccata purè, & abſolutè venialia. Sed huic exceptioni adverſatur præter ipſiſſima textus verba, *Si nos aliqua culpa mortalis invenerit, &c.* quæ ex diametro huic opponitur, univerſus Origenis contextus, ubi manifeſtum eſt de peccatis agi mortalibus, ſed non gravioribus. Primùm ex eo quòd poſtquam

dixit non in crimine mortali, addit, non in blaſphemia fidei, quo demonſtratur mortalia crimina eum intelligere graviſſima. Deinde hoc probant quæcunque dicta ſunt de graviſſimis peccatis, quibus Pœnitentia infligebatur publica, & quibus Montaniſtæ, & Novatiani nullam imponi volebant Pœnitentiam. Tertiò ipſe explicat illud medium peccati genus in ſermonibus, & morum vitio ineſſe, quibus plerumque, ut omnibus notum eſt, inſidet peccatum natura ſua mortale. Denique quid clarius? ipſe hoc diſtinguit, *In gravioribus criminibus ſemel tantùm vel rarò Pœnitentiæ conceditur locus*, Semel tantùm de gravioribus criminibus pœnitentia agitur. Ergo de criminibus gravibus ſæpius agitur. Crimina autem minus gravia quis dubitat eſſe mortalia?

XXIII. Præterea manifeſtum eſt ex iiſdem verbis de Pœnitentia, quæ à Sacerdote imponitur, non de ea, quam quiſque ſibi marte ſuo dicit, Origenem verba facere. Ut quid enim hoc? *nec aliquando tibi interdicitur de commiſſis hujuſmodi Pœnitudinem gerere?* In priori peccatorum genere ſecunda Pœnitentia non conceditur, ab Eccleſiâ ſcilicet. At hoc negat de poſteriore peccatorum genere. Ergo in utroque ea Pœnitentia intelligenda eſt, quam imponit Eccleſia. Denique hoc aliter intelligere planè, & apertè ridiculum eſt. Quis enim, vel Hæreticus Montaniſta & Novatianus, aliquando negavit, quenquam ſecundò, & tertiò apud ſe pœnitere poſſe, & longa contritione, operibuſque laborioſis, quæ ſibi imperaverit, miſericordiam Dei conciliare poſſe? In quem igitur finem hoc excipere, quod negare hactenus nemo auſus eſt? Eadem eſt prorſus ratio, & argumentatio inducenda ex dicto Ambroſiano, *Sicut unum baptiſma, ita una Pœnitentia, quæ tamen publicè agitur, Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati; ſed hæc levium delictorum, illa graviorum*. Quibus ſpeciale habes quod diſertè graviorum criminum Pœnitentia agitur publica; minus gravium conſequenter privata. Lege, quæ à nobis dicta ſunt *cap.28 tam citato*.

XXIV. Denique ejuſdem praxis validiſſimum mea quidem ſententia, & evidentiſſimum argumentum eſt controverſia Catholicos inter, & Montaniſtas, Novatianoſque quam *libri 2 c.3, & 4* explicavimus. De tribus criminibus Idololatria, Homicidio, & Mœchia diſſentiebant; de cæteris conſentiebant. Aſſerebant Montaniſtæ, & Novatiani tribus his criminibus veniam dare non poſſe Eccleſiam, ſed à Deo ſolo poſt baptiſmum eſſe expectandam. Catholici verò nullum crimen excipiebant quod ab Eccleſia remitti non poſſet. Conveniebat igitur illis crimina his minora Pœnitentia ſanari poſſe. Sed hi differebant iterum, quod quæ crimina Pœnitentia luctuoſa puniebat Eccleſia, non remitterent illi hæretici; Quæ verò privata & arbitraria caſtigarent, punirent illi ut plurimum luctuoſa, & publica. Sic Tertullianus *c 1. de Pudicitia*, crimina explicat, quibus ex ſententia ſua non indulgendum, & quibus indulgendum, *Nec enim Mœchia, & fornicatio de modicis, & de mediis delictis deputabuntur, ut utrumque competat, & ſolicitudo quæ præcavet, & ſecuritas quæ indulget. Sed cùm ea ſint, quæ culmen criminum teneant, non capiunt & indulgeri quaſi modicis, & præcaveri quaſi maxima*. De maximis criminibus, & de culminibus criminum quæſtio vertebatur, non de modicis, & mediis; Sic in fine *cap.7. Juxta drachmæ quoque exemplum etiam intra domum Dei Eccleſiam licet eſſe aliqua delicta pro ipſius drachmæ modulo, ac pondere mediocria, quæ ibidem deliteſcentia, mox ibidem & reperta, ſtatim ibidem cum gaudio emendationis tranſigantur. Mœchiæ verò & fornicationis non drachma, ſed talentum, quibus exquirendis non lucernæ ſpiculo lumine, ſed totius ſolis lancea opus eſt*. Cætera igitur peccata utpotè mediocria, ab Eccleſia emendantur.

XXV. Nota Tertullianum ea peccata dicere deliteſcentia, & mox reperta, deinde cum gaudio emendari. Unde manifeſtè tria conſequuntur. Primum, de peccatis occultis ſermonem eſſe, quæ vel Reus fatetur, vel eorum accuſatur, & convincitur. Secundum, iſta peccata mediocria eſſe, cætera peccata mortalia tribus illis leviora, non autem leviſſima illa, quæ nunc vocari ſolent abſolutè venialia. Quis enim ea deferret, cùm omnibus omnino hominibus competant? Sanè oportuiſſet Chriſtianos omnes nihil aliud in Eccleſia egiſſe, quàm infinitas, & mutuas accuſationes, quod dicere, planè inſanum eſt, & ridiculum. Similiter dicendum, ſi ea potiſſimum confeſſi fuiſſent. Hoc inſuper diſertiſſimè demonſtrat, quod ſtatim ſequitur Tertulliani teſtimonium ſi ſingula crimina, quæ in eo enarrantur, quis animo perpendat, & conjungantur alia permulta tam Tertulliani ipſius, quàm aliorum Patrum de horum criminum gravitate decreta. Tertium, de Pœnitentia quæſtionem eſſe ab Eccleſia impoſita, non autem de ea, quam quiſque ſibi imponit, ut clarius paulò ante expreſſerat, *Perit igitur & fidelis elapſus in ſpectaculum quadrigarii furoris, & gladiatorii cruoris, & ſcenicæ fœditatis, hyſticæ vanitatis; in luſus, in convivia ſecularis ſolemnitatis, in officium, in miniſterium alienæ idololatriæ, aliquas artes adhibuit curioſitatis, in verbum ancipitis negotiationis impegit. Ob tale quid extra gregem datus eſt. Vel & ipſe fortè ira, tumore, æmulatione, quod denique ſæpe fit dedignatione caſtigationis obrupit, debet requiri, atque revocari*. Propter hæc omnia extra gregem dabant, hoc eſt, à conſortio fidelium pellebant Montaniſtæ, & ſevera Pœnitentia caſtigabant, non autem Catholici.

XXVI. Itaque manifeſtum eſt, cùm eadem crimina *c.19.* vocat quotidianæ incurſionis delicta, mentem ad leviſſima peccata non advertere. Nam ſi ſingula quæ enumeravit, perpendas, nullum videbis, quod ex eo numero ſit, ſine quibus vita iſta tranſigi non poſſit. Vocat autem ea quotidianæ incurſionis, eo quod ſæpè fideles in horum aliqua incidant, cum in graviſſima eorum plerique nunquam incidant. Sed hæc eodem loco explicantem Tertullianum audiamus, *Sunt quædam delicta quotidianæ incurſionis, quibus omnes ſumus objecti*. Non dicit, quorum omnes ſumus Rei, ut de omnibus leviſſimis neceſſariò dicendum. Hoc inductione probat, *Cui enim non accidet, aut iraſci iniquè, & ultra ſolis occaſum, aut & manum immittere; aut facilè maledicere, aut temerè jurare, aut fidem pacti deſtruere, aut verecundia, aut neceſſitate mentiri, in negotiis, in officiis, in quæſtu, in victu, in viſu, in auditu quanta tentamur, ut ſi nulla ſit venia iſtorum, nemini ſalus competat*. Pleraque, ut vides, horum ſunt ex ſeſe mortalia; quanquam vel ex levitate materiæ, vel ex animi inadvertentia aliquando fieri poſſint venialia.

XXVII. Sed quid ſibi velit Tertullianus ex comparatione ad graviſſima peccata, quam ſubiicit, ſatis explicat, *Sunt autem & contraria iſtis, ut graviora, & exitioſa, quæ veniam non capiant, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blaſphemia, utique & Mœchia, & fornicatio, & ſi qua alia violatio templi Dei*. Omnia igitur his minora vocat quotidianæ incurſionis, & conſequenter eorum nonnullis luctuoſam pœnitentiam imponebant Montaniſtæ, privatam verò Catholici. Capitalibus autem criminibus veniam negabant iidem Hæretici, luctuoſam verò Pœnitentiam imponebant Catholici, qua peracta communionem redhibebant. Quæ autem capitalia crimina, & graviora, & exitioſa hic vocat, à Catholicis mutuo accepit; Eadem enim recenſet *lib.4. in Marcionem capite 9.* ubi, *ſeptem maculas delictorum capitalium* vocat, *Idololatriam, blaſphemiam, homicidium, adulterium, ſtuprum, falſum teſtimonium, fraudem*. Quæ nihil aliud ſunt, quàm trium famoſorum in varios ramos diſtributio. Eadem prorſus ex controverſia Catholicorum cum Novatianis colliguntur, ut unicuique examinanti, quæ de hac controverſia retulimus *cap.4. lib.2.* manifeſtum fiet; Sicut ex iis prope omnibus, quæ *capite 1. hujus libri* dicta ſunt, ut triplex peccatorum diſtinctio à Patribus uſurpata demonſtraretur.

CAPUT XXXII.

Varii modi curationis peccatorum venialium explicantur, & probantur. Severiores ultro aliquando poſtulati, & impetrati. Quidam utriſque eandem neceſſitatem temerè imponunt. Oratio Dominica præ cæteris eminet. A ſancto Auguſtino ſæpè vocatur baptiſmus quotidianus, quotidiana mundatio, & lavacrum, quotidiana Pœnitentia, medela, penicullum, & peccatorum antidotum.

EXplicare nobis ſupereſt, qua ratione antiqui Patres tertium peccatorum genus, quod venialia, & leviſſima peccata complectitur, expiaverint. Primùm manifeſtum eſt, ex iis, quæ dicta ſunt, ea per luctuoſam pœnitentiam ex Eccleſiæ præcepto expiata non fuiſſe. Dico ex Eccleſiæ præcepto, eo quòd nonnunquam illis temporibus contingebat aliquos nullius peccati mortali conſcios ex animi tantum devotione publicam, & luctuoſam Pœnitentiam propter maximam illius utilitatem, & ad curanda peccata [illegible] ab Eccleſia efflagitare, & impetrare: Cùm enim pœnitentiam illam graviſſima quæque crimina ſanare crederent, multò ſanè magis venialia. Deinde manifeſtum quoque eſt ad eundem conſequendum effectum confeſſione Sacerdoti facta opus non fuiſſe. Cùm tamen confeſſione ejuſmodi gravia, & mortalia peccata curata fuerint, eodem medicamento venialia curari potuiſſe negari non poteſt. Difficillima enim ſunt hac in cauſa Pœ-

Digitized by Google

ſa Pœnitentiæ pharmaca ab Hippocratis medicamentis. Si quis levi, & tractabili vulneri cauterium & ferrum applicaret malum malo, medicaretur, oleumque flammæ, ut loquitur ſanctus Hieronymus, adiiceret: τὸ πῦρ ἐπὶ πῦρ, inquiunt Græci. Sed medicamentorum Pœnitentialium longè diſpar ratio, quæ quo vehementiora ſunt, eo ſalubriora, & ſanctitatis, bonorumque omnium fœcundiora. Ideò ſæpè levium delictorum Rei aſperrimis remediis curari voluerunt, licèt hoc illis nunquam imperaretur, vix unquam conſuleretur.

II. Præter difficiles iſtos curationis modos ſcelerum proprios, quos antiqua fidelium pietas ultro ſæpè amplexa eſt, nonnulli alii venialium proprii fuerunt, qui illius curandis ſufficiebant, non autem mortalibus. Hæc poſteriora remedia fidelibus imperabantur, ad ea vehementiſſimè excitabantur; quia peccatorum levitati par erat remediorum facilitas. Doctores recentiores nonnulli rem in omnium oculis, & conſpectu poſitam Syllogiſmis ſuis perplexam admodum reddiderunt. Longum eſſet, & moleſtum difficillimos, quos in ſcirpo nodos quæſierunt, enarrare. Eo tandem devenerunt inter eos pauci, ſed inſignes, ut velut palpantes in media luce, & cæca ſpeculatione correpti aſſererent venialia peccata iiſdem medicamentis, quibus mortalia eſſe neceſſariò curanda; in minoribus ad hoc efficiendum non eſſe ſatis virtutis, contra id quod dictant Philoſophi omnes, univerſa natura, & communes omnium hominum animis inditæ notiones. Hoc revera eſt non omnes quidem oculos, quod imperitis Medicis tribuit ſanctus Hieronymus, ſed omnia peccata uno curare collyrio. Quis putaſſet ab alio, quàm Stoico Philoſopho hoc axioma probatum iri? Peccata venialia, & mortalia eadem medicamenti aſperitate curanda ſunt; Illis remittendis, & his æqua Contritio neceſſaria eſt. Verùm pro inſtituti noſtri ratione omnia ejuſmodi prætermittentes quæ antiqui, recentioreſve Patres de hac re nos docuerint, à quibus Scholaſticorum Coriphæi, vulguſque minimè abhorrent, paucis exponemus. Ut autem medicamentorum iſtorum praxis ad omnes prorſus homines ſpectant, ſic verba, ratio, modus, quibus tam medicamenta, quàm praxis iſta traditur, plana ſunt, omnibus obvia, ruſticis quibuslibet mulieribus intellectu facillima.

III. Quatuor modis peccata venialia curari, & deleri poſſe ab Antiquis accepimus. Primus eſt Confeſſio iſtorum peccatorum Sacerdoti facta; qui evidenter colligitur ex iis, quæ capite præcedente dicta ſunt de Montaniſtis, & Novatianis leviorum peccatorum Confeſſionem, Pœnitentiam, & reconciliationem admittentibus, & Catholicorum hac in cauſa conſenſu, quæ iterum legi poſſunt *cap.3. & 5.* hujus libri. Hoc quoque remedium nos docet ſanctus Auguſtinus in fine *ſerm.29. de verbis Apoſtoli*, illud cum multis aliis conjungens: *Confeſſio nos ſanat, & vita cauta, vita humilis, oratio cum fide, contritio cordis, lachrymæ non fictæ, de vena cordis profluentes, ut dimittantur nobis peccata, ſine quibus eſſe non poſſumus. Confeſſio inquam nos ſanat, dicente Apoſtolo Joanne, ſi confiteamur peccata noſtra, &c.* Idem etiam colligitur perſpicuè ex ſecundi modi enarratione, qui primum neceſſariò complectitur; quapropter ampliori probatione ſuperſedemus.

IV. Secundus expiationis iſtius modus, qui præcedentem ſupponit, erat ſpontanea Pœnitentiæ publicæ ſuſceptio. Antiquiſſima eſt iſta conſuetudo, cùm illam commemorat, & laudet ſanctus Cyprianus in tractatu de Lapſis. Agit eo loco adverſus nonnullos Lapſos Pœnitentiam agere recuſantes, eo quòd crimen clam omnibus perpetraſſent, eoſque ad eam agendam urget argumento ab iis ſumpto, qui quanquam nullius criminis conſcii eſſent, ſed tantùm de eo perpetrando cogitaſſent, quo nihil occultius eſſe poteſt, Pœnitentiæ tamen publicæ ſe ſubiiciebant, quod ſanè peccatum veniale erat. *Denique quanto & fide majores, & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter, & ſimpliciter confitentes exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licet, & modicis vulneribus exquirunt, ſcientes ſcriptum eſſe, Deus non deridetur. Deus derideri & circumveniri non poteſt, nec aſtutia aliqua fallente deludi. Plus immò delinquit, qui ſecundùm hominem Deum cogitans, evadere ſe pœnam criminis credit, ſi non palàm crimen admiſit.* Primùm vides peccati occultiſſimi confeſſionem, & peccati admodum venialis; & quidquid excipi temerè poſſit, peccati ſaltem interni, & ſpiritalis ſola voluntate concepti. Deinde illius peccati Pœnitentiam publicè ſuſceptam, ut evidens ex verbo Exomologeſis; quod ſemper in ea ſignificatione ab eo, & Tertulliano accipitur: Id inſuper demonſtrat ratio propter quam hoc exemplum affertur, ut ſcilicet quoſdam, propter crimen lapſus occultum pœnitere publicè nolentes ad pœnitentiam publicè agendam urgeret. Si enim clam omnibus Pœnitentiam egiſſent, quid hoc alios commovendum, qui & eorum Pœnitentiam ignorarent, & quibus alterius generis Pœnitentia imputaretur?

Morin. de Sacram. Pœnit.

V. Eandem conſuetudinem ſuo tempore uſitatam demonſtrat Tertullianus *cap. 3. & 4. libri de Pœnitentia*, ubi diſtinctione facta peccatorum in ſpiritalia, & corporalia, ad Pœnitentiam de utroque genere faciendam exhortatur. Videtur aliquando utrique parem neceſſitatem pœnitendi imponere, & ſeverius æquo iſta definire: Sed eo uſque ipſius zelus non prorupiſſet, niſi multos in Eccleſia vidiſſet propter cogitatum crimen, aut conſenſum crimini præſtitum publicè pœnitentiam agentes.

VI. Ad eandem Pœnitentiam hortatur oves ſuas ſanctus Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus tota *homilia* 13. non quidem unius peccati venialis cauſa, ſed ne multorum, quæ quotidiè ſubrepunt, multitudine opprimantur. *Hoc conſiderate, Fratres, quia etiamſi vobis capitalia crimina non ſubrepereat, ipſa minuta peccata, quæ quod pejus eſt, aut non attendimus, aut certè pro nihilo reputamus, ſi ſimul omnia congregentur, neſcio quæ bonorum operum abundantia illis præponderare ſufficiat. Cogitemus ex quo ſapere cœpimus, quid pro juramentis, pro perjuriis, quid pro maledictis & detractionibus, quid pro otioſis ſermonibus, quid pro odio, quid pro ira, quid pro invidia, quid pro concupiſcentia mala, quid pro ſomnolentia, &c.* quæ magno numero recenſet. *Hæc ergo, & ſimilia, quæ vix enumerari poſſunt, ſi ex eo tempore quo ſapere cœpimus, in unum cumulum colligantur, etiamſi capitalia crimina non addantur, quantis, & qualibus bonorum operum copiis redimi poterunt, niſi præponderare divina miſericordia per humilem, & compunctam miſericordiam additis ſecundùm vires noſtras largioribus eleemoſynis Dei ſeveritas, vel juſtitia fuerit mitigata? Cum ergo & iſta, quæ dixi, ſine quibus nullus hominum poteſt eſſe, nos nimium premant, & fortè etiam capitalia nobis crimina & peccata ſubrepant, neſcio qua conſcientia periculoſum nobis ſecuritatem inducimus, & remedium Pœnitentiæ quærere mortifera diſſimulatione negligimus.* Tandem homiliam ſic concludit: *Hæc ergo, Fratres, chariſſimi tam viri, quàm ſeminæ tam Religioſi, quàm Laici, tam ſenes, quàm juvenes, tam pueri, quàm puellæ attentius cogitemus, & ſine ulla diſſimulatione ſecuritatem mortiferam reſpuentes quotidianis peccatis noſtris Pœnitentiæ medicamenta apponere ſtudeamus.* Perperam irrepſit in textum & ſine ſenſu, *diebus*, hoc contextu, *quotidianis diebus peccatis noſtris, &c.* Ideò vocem illam omiſimus. Evidentiſſimè igitur docet ſanctus Cæſarius, cùm magna peccatorum venialium multitudo nos premit, ad ea expianda, Eleemoſynas, Orationes, & bona opera non ſufficere, ſed Pœnitentiam agendam, opera laborioſa, non ſecus ac in capitalibus fieri ſolet, ex Eccleſiæ præſcripto ad eorum expiationem eſſe ſuſcipienda, ad idque præſtandum quantis poteſt eloquentiæ viribus plebem ſuam exhortatur. Hujus praxis canones, & exempla nonnulla hujus libri capite ſeptimo relata ſunt. Obiicies forſan: Si huic objectioni locus detur, quis ab agenda Pœnitentia publica liber erit? Sed aliud eſt conſulere, & hortari, aliud imperare. Quis prædicando non conſulit omnibus virginitatem, aut viduis viduitatem? Nunquid tamen periculum eſt, ne omnes Virgines permaneant, aut viduæ caſtè ſemper vivant? Deinde falſum eſt, Cæſarium omnes prorſus homines ad Pœnitentiam publicam hortari. Diſtributio, qua utitur, demonſtrat verba ipſius de generibus ſingulorum non de ſingulis generum, ut loqui ſolent, eſſe intelligenda.

VII. Tertius modus, quo peccata venialia expiantur fit peccatorum iſtorum mutua proximo confeſſione, ut docet Beda in *cap.5. Epiſt. S. Jacobi* in hæc verba, Confitemini alterutrum peccata veſtra. Sic ſcribit, *In hac autem ſententia illa debet eſſe diſcretio, ut quotidiana, leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, eorumque quotidiana credamus oratione ſalvari. Porrò gravioris lepræ immunditiem juxta legem Sacerdotis attendamus, atque ad ejus arbitrium qualiter, & quanto tempore juſſerit, purificari curemus.*

VIII. Idem nos docet Hugo à S. Victore *inſtitutionum Monaſticarum ſermone* 53. verbaque Bedæ maxima ex parte mutuatur, & nonnulla addit, quibus nonnihil illu-

Q 2 ſtran-

ſtrantur. *In facienda Confeſſione talis diſcretio eſſe debet, ut quotidiana, leviaque peccata alterutrum co æqualibus confiteamur, ut orationibus pro invicem factis ſalvemus. Porrò gravioris lepræ immunditiem Sacerdoti, id eſt, noſtro ſummo Prælato, ſcilicet Abbati pandere debemus, ut ad ejus arbitrium juſtificari curemus. Eſt enim quædam communis in Eccleſia Confeſſio, & Pœnitentia, quam quotidiè ad invicem facimus, in qua oratione fuſa pro invicem, pro quotidianis, & levibus peccatis indulgentiam, & remiſſionem conſequimur. Gravioris autem culpæ reatum ſingulari confeſſione Sacerdoti aperimus, & ſecundùm ejus conſilium munere ſatisfactionis oblato indulgentiam peccati obtinemus.* Eandem quæſtionem movet Hugo, & iiſdem ferè verbis ſolvit *lib.2. de Sacramentis fidei part.13. cap.1.* Sed nihil de Abbate definit, univerſaliter loquitur. Mutuam illam Confeſſionem refert Hugo ad generalem illam Confeſſionem, quæ initio Miſſæ, & in horarum canonicarum recitatione ad Primam, & Completorium quotidiè fieri ſolet. His igitur, & ejuſmodi confeſſionibus, quæ Presbyteri Laicis, & Laici Presbyteris, vel ſibi invicem faciunt, peccata venialia expiari poſſe credebant.

IX. Petrus Pictavienſis Doctor inſignis Pariſienſis, qui annis 48. Theologiam docuit, multiſque ante Sorbonicum nomen in Domino quievit, adnotationes breves in Lombardi ſententias compoſuit, quæ manuſcriptæ habentur in Bibliotheca ſancti Victoris, & inſcribuntur, Gloſſæ ſuper ſententias, *in diſtinct. 20. lib.4. lit. F, fol.97. p.2.* ſic ſcribit: *Notandum quod duplex eſt generalis Confeſſio, ſcilicet ſpecialis, in qua omnia exprimuntur peccata, & generalis, in qua generaliter confitetur Eccleſia bis in die, ſcilicet in Prima, & Completorio, quæ fit pro venialibus, & criminalibus, quæ ſunt oblivioni tradita. Et hoc eſt juge ſacrificium quod fiebat manè, & veſpere in veteri Lege. Ideò autem fit manè, & veſpere hæc Confeſſio, quia quotidiè & in multis offendimus omnes.*

X. Eadem docet Guilelmus Altiſiodorenſis *lib.4. Summæ qu. ult. ma de Confeſſione*, in cujus rei confirmationem refert Præpoſitivi, viri ſuo tempore celeberrimi, ſententiam, *Dicimus*, inquit, *ſicut dicebat Præpoſitivus, quod hoc obſervat Eccleſia* (agitur de hoc loco, Confitemini alterutrum) *quando fit generalis Confeſſio in Prima, & Completorio. In Primo, ut purè ſerviat Deo; in Completorio, ut poſteà quieſcat in Deo, Et in quibuſdam Eccleſiis duo, & duo in illa hora confitentur ad invicem quotidiana, & levia.* Similia ibidem reſponſione ad primum.

XI. Petrus Cantor Pariſienſis *in Summa de Sacramentis, & animæ Conſiliis fol.240. & 141.* idem docet, & ſimul addit peculiarem expiationis modum, *Quia humana natura fragilitati obnoxia ſine peccato non ducitur, inſtitutum fuit, ut hoc Sacramentum conficeretur contra venialia, quæ obrepunt. Similiter Oratio Dominica, & tunſio pectoris cum generali Confeſſione, quæ fit coæqualibus de ejuſmodi levibus, quæ in obreptione aliqua emergunt. Nam de gravioribus confitendum eſt Sacerdotibus, & Majoribus.* Et poſt aliqua, *Et ut generaliter dicamus, nullus conſecrare, vel percipere debet Eucharistiam, qui fuerit in mortali, niſi peracta Pœnitentia tota, vel ſaltem ex magna parte. Sed cum ſerenata eſt conſcientia, & homo confidit ſub Deo ſe de cætero non caſurum, tunc conficere vel percipere poteſt Eucharistiam. Sed ruina vel obreptio venialium non ſubmovet aliquem à confectione, vel perceptione tanquam indignum: Immò præcipuè celebrandum eſt contra obreptionem & inſultum; quoniam Euchariſtia medicina eſt propria contra venialia.*

XII. His teſtimoniis addi poſſunt eorum autorum teſtimonia, qui aſſerunt, in caſu neceſſitatis, quum non datur copia Sacerdotis, mortalium peccatorum Confeſſionem Laico factam valere, & peccatorum remiſſionem ex deſiderio Sacerdotis operari. Quam ſententiam tuetur Præpoſitivus *in ſumma manuſcripta, fol. 53. pag.2. capite de Confeſſione.* Petrus Cantor Pariſienſis *in ſumma, fol.203.* ubi hanc proponit quæſtionem, *quod in neceſſitate confitendum ſit Laico*, eamque ut Præpoſitivus multis probat. Plures autores apud S. Raymundum dicuntur eam tueri *lib.3. tit. de Pœnit. & remiſſionibus, §.20.* & S. Bonaventuram *lib.4. diſt.17. p.3. in expoſitione literali dubio 1.* quam ſententiam ambo non improbant. Multò magis idem fatebuntur omnes illi autores, qui aſſerunt generali Confeſſione, vel ſpeciali Laico facta expiari peccata venialia, ut hoc fatetur S. Bonaventura *in 4. diſtinct.17. p.4. art.1. reſp. ad 1. & 2.* Albertus Magnus *in eandem diſtinct. art. 39. reſponſ. ad primum* utrumque amplecti videtur: Prius manifeſtè, Confeſſionem peccatorum generalem, quæ in Prima fit, & Completorio venialia peccata delere, ſic Bedam interpretatur; & Gloſſam dicentem, majora majoribus, & minora minoribus. Poſterius non obſcurè: facta enim diſtinctione Confeſſionis in generalem, & privatam quam dicit de peccatis mortalibus fieri, addit, *Hæc non poteſt fieri niſi Sacerdoti præterquam in neceſſitate, ubi neceſſitatis articulus non contemptus religionis Sacramentis excludit.* Negat tamen ægrotum ad eam teneri. Verùm antiquiores Scholaſtici Magiſtrum ſecuti *in libro 4. diſtinct.17. lit. E*, obligationem imponebant, exiſtimantes ægrotum in tanto ſalutis periculo obligatum ad id quod eſſet evidenter utile amplexandum. Iſta de Confeſſione Laico facta hoc loco ſufficiant. Plura leges libri octavi, capite penultimo. Non legi autorem Beda antiquiorem, qui venialium peccatorum expiationem mutuæ Confeſſioni diſertè tribuerit.

XIII. Ad hunc expiationis modum commodè referri poteſt id, quod dicit S. Ambroſius *lib.1. c.9. de Pœnitentia*, ubi ad juſtorum orationes refert expiationem gravium peccatorum, levium verò ad promiſcuam plebem. Initio *c.9.* Sic concludit quæ diſputaverat capite præcedente, *Tales igitur peccatores in delictis maximis ſunt requirendi. Nam ſi quicunque de populo orent, non exaudiuntur. Unde nec illa quæſtio veſtra quicquam ferre poterit ponderis, quam ſumitis de Epiſtola Joannis dicentis, Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, &c. Eſt peccatum ad mortem non de illo dico ut oret. Non enim ad Moyſen, & Hieremiam loquebatur, ſed ad populum, qui ſuorum peccatorum alium precatorem deberet adhibere, cui ſatis eſt ſi pro levioribus delictis Deum deprecetur, graviorum veniam juſtorum orationibus reſervandam putet.* Quæ de juſtis Moyſe, & Hieremia antiquitus dictum fuerat pro populo graviter peccando deprecantibus, aliter ad praxim Eccleſiæ Chriſtianæ referre non potuit Sanctus Ambroſius, quàm intelligendo Juſtorum vicem Sacerdotes, Clerumve ſuſtinere, qui graviſſima quæque peccata contra Novatianorum ſententiam delinquentibus per preces ſuas remittere ſolebant. Levia igitur, & venialia plebs, ſive proximus proximo remittere ſolebat. Quod cum S. Jacobi verbis quadrat, *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem ut ſalvemini*; & Confeſſione generali de qua Doctores citati; atque etiam cum condonatione peccatorum, quæ in nos proximi peccaverunt, de qua nonnulla ex S. Auguſtino, Cæſario, & aliis dicta ſunt *lib.2. & capite præcedente*, & jam jam ad finem uſque capitis nobis dicenda ſuperſunt.

XIV. Quartus expiationis modus varias habet partes, Orationem potiſſimum Dominicam, eleemoſynam, & quævis opera bona, quæ nonnunquam Eleemoſynæ nomine ſignificantur. Hæc omnia peccata venialia delent. Non dico hæc collectivè ſumpta, ſed ſigillatim, & diviſim: Quod ſanè præſtabunt majori, & diffuſiori virtute, ſi plura vel omnia collectim ſpectentur. Sæpiſſimè de peccatorum venialium purgatione verba facit S. Auguſtinus, ſed præter iſtum purgationis, ſeu ſatisfactionis modum vix alium attigit. Sæpè etiam clariſſimis verbis addit peccata mortalia his ſolis expiationibus non deleri; opera laborioſa conjungenda eſſe; lugubrem, & luctuoſam Pœnitentiam inſuper ſubeundam. Paucula ex S. Doctore excerpamus. Cætera locis notandis legere poterunt harum rerum curioſi: diffuſè enim iſta ubique tractat.

XV. *Homil.19. ex libro, 50. Homiliarum, Cæterùm non me latet vitam iſtam mortalem, & in carne corruptibili conſtitutam ſine peccatis eſſe non poſſe, ſed illa quotidiana, & levia habent etiam ſua lavacra quotidiana, hoc eſt, quod pectus tundimus, & dicimus in oratione Domino noſtro, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, &c. Omnia autem cavere impoſſibile judicavit eſſe, qui iſtam orationem quotidianam non quoſlibet Chriſtianos, ſed ipſos arietes Apoſtolos docuit. Ubi autem Apoſtoli pectus tundunt, & dicunt dimitte nobis debita noſtra, hoc eſt, peccata noſtra, audet aliqua ovicula ſuperbire de juſtitia?*

XVI. *Homilia 27. & ultima ejuſdem libri* Pœnitentiam hanc vocat quotidianam. Triplex enim Pœnitentiæ genus diſtinguit, primum Competentium, & ad baptiſmum, ut ait, venire ſitientium. Secundum Pœnitentiæ quotidianæ, *Ubi illam oſtendimus Pœnitentiam quotidianam? Non habeo, ubi melius oſtendam, quàm in oratione quotidiana, ubi Dominus orare nos docuit, &c. Homilia verò 50.* poſt longam peccatorum venialium orationem adjicit, *Quàm multa ſunt alia peccata; ſive in loquendo de rebus, & negotiis alienis, quæ non ad te pertinent; ſive in vanis cachinnationibus cùm ſcriptum ſit, ſtultus in riſu exaltat vocem ſuam, ſapiens autem vix tacitè ridebit: ſive in ipſis eſcis, quæ ad neceſſitatem ſuſtentandæ hujus vitæ præparantur, avidior, atque immoderatior appetitus, ſæpè exceſſum*

modum

modum poſtriduana eruditate conteſtaus; *ſive in vendendis, & emendis rebus coritatis, & viliatis nota perverſa. Pigot cuncta colligore, &c. Quæ quamvis ſingula non lethali vulnere ferire ſentiantur, ſicut homicidium, & adulterium, vel cætera ejuſmodi, tamen omnia ſimul congregata, velut ſcabies, quo plura ſunt, necant; & noſtrum decus ita exterminant, ut ab illius ſponſi ſpecioſa forma præ filiis hominum caſtiſſimis amplexibus ſeparent, niſi medicamento quotidianæ Pœnitentiæ deſecentur. Quod ſi falſum eſt, unde quotidie pectora tundimus? Quod nos quoque Antiſtites ad altare aſſiſtentes cum omnibus facimus, &c.* quæ longum eſſet huc referre.

XVII. Sermo integer 41. de Sanctis eſſet exſcribendus. Jam multa exſcripſimus: Hic paucula verba addemus. Poſt longiſſimam peccatorum venialium enumerationem. *Ideò continuis orationibus, & frequentibus jejuniis, & largioribus eleemoſynis, & præcipuè per indulgentiam eorum, qui in nos peccant, aſſiduè redimantur, ne fortè ſimul collecta cumulum faciant, & demergant hominem. Quidquid enim de iſtis peccatis redemptum non fuerit, illo igne purgandum eſt, de quo Apoſtolus, &c.* Poſteà multis deſcribit ignem purgatorium in quo ejuſmodi peccata ante mortem non expiata, poſt mortem expiantur.

XVIII. *Homil.28. lib.50. homiliarum* hæc habet conſideratione digniſſima, *Propter ipſa peccata humana, & tolerabilia, & tanto crebriora, quanto minora, conſtituit Deus in Eccleſia tempore miſericordiæ prærogandæ quotidianam medicinam, ut dicamus, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, ut his verbis læta facie corpore Chriſti, & ſanguine communicemus, &c.* Leviorum peccatorum Reum ſola oratione Dominica purgatum recipiendo corpori Dominico idoneum cenſet. Et *homil.34. de diverſis c.6.* Orationem Dominicam antidotum vocat contra peccatorum omnium venena, & pactum, quod cum ægrotis inivit Medicus. *Capite verò 13.* concupiſcentiam comparat ſentinæ navis, quæ per rimulas fragilitatis noſtræ peccatorum aquas paulatim undique contrahit, quæ tandem hominem demergunt, niſi orationis Dominicæ ſitula exhauriantur.

XIX. Enchiridii *cap.71. De quotidianis autem brevibus, levibuſque peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium ſatisfacit, eorum eſt enim dicere, Pater noſter, qui es in cœlis, qui jam Patri tali regenerati ſunt ex aqua, & Spiritu S. Delet omnino hæc oratio minima, & quotidiana peccata. Delet & illa, à quibus vita fidelium ſceleratè etiam geſta, ſed pœnitendo in melius mutata diſcedit, &c.* Idem docet Concilium Tolet.4.*cap.*10. Illudque demonſtrat S. Auguſtini auctoritate, iiſdem omnibus verbis allegatis. Præſtari idem per eleemoſynas paulò poſt probat, quas ita interpretatur, ut non ſolùm omnia pia humanitatis, & religionis officia per eleemoſynas intelligat, veluti peregrinanti hoſpitium dare, fugienti latibulum, triſti conſolationem, deliberanti conſilium, cæco deductionem, &c. ſed etiam preces pro amicis, inimiciſque factas. Unde ſubjungit, *Verùm etiam & qui dat veniam peccanti, eleemoſynam dat, & qui emendat verbere, in quem poteſtas datur, vel coercet aliqua diſciplina, & tamen peccatum ejus, quo ab illo læſus eſt, aut offenſus, dimittit ex corde, vel orat, ut ei dimittatur, non ſolùm in eo quod dimittit atque orat, verùm etiam in eo quod corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemoſynam dat, &c.* Poſtmodùm concludit, *Multa itaque ſunt genera eleemoſynarum, quæ cùm facimus, adjuvamur, ut dimittantur nobis noſtra peccata.* Denique ut hæc finiamus, conſulat Lector S. Auguſtini enarrationem in *Pſal.129.* circa medium; *Epiſtolam* 108. ad finem, & præſertim totum caput undecimum libri de decem chordis, qui operum ipſius tomo nono habetur.

XX. Adnotandum eſt Lectori ſpeciale quoddam epithetum, quo S. Auguſtinus orationem Dominicam ornat propter excellentem ipſius vim in peccatorum venialium expiatione. Duplicem docet eſſe Chriſtianorum baptiſmum, unum qui ſemel confertur, alterum qui quotidie repetitur. Hac doctrina Catechumenos imbuit *lib.1. c.7.* De Symbolo ad Catechumenos, *Propter omnia peccata Baptiſmus inventus eſt, propter levia, ſine quibus eſſe non poſſumus, oratio inventa. Quid habet oratio? Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Semel abluimur baptiſmate, quotidie abluimur oratione.* Et ſermone 119. de tempore: *Quoniam victuri ſumus in iſto ſeculo, ubi quis non vivit ſine peccato, ideò remiſſio peccatorum non eſt in ſola ablutione ſacri baptiſmatis, ſed etiam in oratione Dominica, & quotidiana, quam poſt octo dies accepturi eſtis. In illa invenietis quaſi quotidianum baptiſmum veſtrum, ut agatis Deo gratias, qui donavit hoc munus Eccleſiæ ſuæ, &c.* Ideò *lib.1. cap.33. de Nuptiis, & concupiſcentia,* orationem Dominicam vocat, *quotidianam mundationem noſtram.* Et *hom.19 ex quinquaginta* ſcribit, *quotidiana & levia habeat etiam ſua lavacra quotidiana,* & in libro de fide, & bonis operibus Dominum in ea oratione, *quotidianam medelam* poſuiſſe, & in fine quoque *ſermonis 29. de verbis Apoſtoli, quotidianum periculum eſſe* quo peccata ejuſmodi *terguntur.* Quæ omnia manifeſtiſſimè docent orationis Dominicæ in expiatione peccatorum venialium virtutem, & conſequenter illius frequentiſſimum uſum ab Eccleſia Catholica meritiſſimè celebrari.

XXI. S. Cæſarius Arelatenſis eadem docet, quæ S. Auguſtinus de peccatorum venialium expiatione, & doctrinæ ſuæ explicationem à S. Auguſtino mutuatur. *Homil.8.* enumeratis multis peccatis venialibus addit, *Quibus peccatis licet occidi animam non credamus, tamen ita eam velut quibuſdam puſtulis, & quaſi horrenda ſcabie repentè deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius ſponſi cœleſtis, aut vix, aut cum grandi confuſione venire permittant, &c. Et ideò continuis orationibus, & frequentibus jejuniis, & largioribus eleemoſynis, & indulgentia eorum, quæ in nos peccant, aſſiduè redimantur, ne fortè ſimul collecta cumulum faciant, & demergant.* Poſteà ſpecialius deſcribit opera, quibus venialia peccata redimuntur: Quo facto ſubdit, *Iſtis operibus, & his ſimilibus minuta peccata quotidiè redimuntur. Pro capitalibus verò criminibus non hoc ſolùm ſufficit, ſed addendæ ſunt lachrymæ, &c.* Quæ ſupra relata ſunt, & ad Pœnitentiam luctuoſam, & propriè dictam pertinent. Eodem modo S. Eligius *homilia 8. Aliud eſt mutare vitam, aliud tolerare vitam. Mutare vitam, eſt, à capitalibus criminibus abſtinere. Tolerare eſt minuta peccata, ſine quibus eſſe non poſſumus, eleemoſyna quotidiana redimere. Homil 6.* precatur, ut Deus inſpirare dignetur, *Capitalia crimina non admittere, minuta peccata, ſine quibus eſſe non poſſumus, per indulgentiam inimicorum, & eleemoſynam pauperum indeſinenter redimere.* Pleraque alia referri poſſunt, ſed iſta propoſito noſtro ſufficiunt: Nec mihi videtur in hac doctrina difficultas occurrere, quæ ampliorem explicationem, & demonſtrationem expoſcat.

myſterii perſeverant. Statio verò cum fidelibus, fit participatio vivifici panis, & communicatio, & libatio Calicis Domini.

V. Harmenopulus in Epitome canonum *ſect.5. titulo 3. canonem* 58. Sancti Baſilii ſic abbrevians, Qui adulterium commiſit annis quindecim, quatuor quidem annis plorans, quinque verò audiens, quatuor ſe ſubſternens, & uno conſiſtens, poſteà omnes hos gradus ſigillatim, & breviſſimè explicat. 1. *Hoc eſt, ſtans extra Eccleſiam, & ingredientes orans, ut pro ſe preces fundant.* 2. *Hoc eſt, ſtans foris in Narthece.* 3. *Hoc eſt, ſtans intra Eccleſiam poſt ambonem, & cum Catechumenis egrediens.* 4. *Hoc eſt, cum fidelibus orans, qui nondum tamen Sacramentis dignus cenſetur, niſi poſt hoc.*

VI. Matthæus Blaſtares ſimul quoque in Nomocanone eos omnes in littera, μ, explicat, Εἰς τέσσαρας τάξεις οἱ μετανοοῦντες διῄρηνται, εἰς τοὺς προσκλαίοντας, τοὺς ἀκροωμένους, τοὺς ὑποπίπτοντας, καὶ τοὺς συνισταμένους. Καὶ προσκλαίοντες μέν εἰσιν οἱ ἔξω τῆς θύρας τοῦ εὐκτηρίου ἱστάμενοι, καὶ πρὸς τῶν εἰσιόντων καὶ ἐξιόντων πιστῶν εὐχὴν αἰτούμενοι, καὶ τὴν τῆς ἁμαρτίας συγχώρησιν. Ἀκροώμενοι δὲ οἱ ἔνδον τῆς θύρας ἱστάμενοι ἐν τῷ λεγομένῳ νάρθηκι, καὶ τῶν θείων γραφῶν, καὶ τῆς κοινῆς ἐπακούοντες διδασκαλίας, εἶθ' οὕτως μετὰ τῶν κατηχουμένων ἐξερχόμενοι. Ὑποπίπτοντες δέ εἰσιν, οἱ ἔνδον τῆς ἐκκλησίας, κατόπιν δὲ τοῦ ἄμβωνος ἱστάμενοι, καὶ μετὰ τῶν κατηχουμένων καὶ αὐτοὶ ἐξιόντες, ἡνίκα τό, ὅσοι κατηχούμενοι, ἐκφωνηθείη παρὰ τοῦ διακόνου. Συνιστάμενοι δὲ οἱ τοῖς πιστοῖς μὲν συνευχόμενοι καὶ συμψάλλοντες, τῶν δὲ ἁγιασμάτων ἀπεχόμενοι παντελῶς, μέχρις ἂν ἐξήκοντος τοῦ νενομισμένου χρόνου οἱ τέλειοι αὐτοὶ τῆς θείας ἀξιωθῶσι κοινωνίας. *Pœnitentes in quatuor ordines diſtinguuntur, Flentes, Audientes, Subſtratos, & Conſiſtentes. Flentes illi ſunt, qui ſtant extra portam Oratorii, & ab ingredientibus & egredientibus fidelibus & precum ſubſidium expoſtulant, & peccati condonationem. Audientes illi ſunt, qui ſtant intra portam in loco, qui Narthex dicitur, & divinas ſcripturas, communiſque doctrinæ explicationem audiunt, & poſtea cum Catechumenis exeunt. Subſtrati verò ſunt, qui intra Eccleſiam ſtant, ſed poſt Ambonem, ipſique cum Catechumenis exeuntes, cùm ſolemne illud,* Quicunque Catechumeni, *à Diacono promulgatur. Conſiſtentes denique, qui cum fidelibus precantur, & pſallunt, ſed tamen Sanctorum participatione abſtinentur, donec elapſo tempore ſtatuto divina communionis perfectio eos exceperit.*

VII. Ariſtenus in 21. *canonem* Synodi Ancyranæ mihi videtur clarius antiquam illam conſuetudinem tradere, eamque verbis novis eam non obſcurare. Sic explicat ἐπιτιμίου decennium à Patribus impoſitum mulieribus, quæ fœtum ſuum in utero perimunt. Δύο μὲν ἔτη ἔξω τοῦ περιβόλου τῆς ἐκκλησίας ἱστάμεναι καὶ προσκλαίουσαι, τρία δὲ παρὰ τοῖς βασιλικοῖς ἑστῶσαι πυλῶσι, καὶ τῶν θείων γραφῶν ἀκροώμεναι. ἄλλα δὲ τέσσαρα ἔσω τοῦ περιβόλου τῆς ἐκκλησίας ἱστάμεναι μέχρι τοῦ ἄμβωνος ὑποπίπτουσαι καὶ μετὰ τῶν κατηχουμένων συνεξιοῦσαι. ἐπὶ δὲ ἐνιαυτὸν συνιστάμεναι τοῖς πιστοῖς, καὶ τῶν εὐχῶν κοινωνοῦσαι, καὶ οὕτω μετὰ τοὺς βαθμοὺς τούτους τῆς τελειώσεως ἀξιούμεναι. *Stabunt, & flebunt duobus annis extra peribolum, ſive ambitum Eccleſiæ; Tribus autem ſtantes ad portas baſilicas, & ſcripturas ſacras audient: Quatuor verò aliis ſtabunt intra ambitum Eccleſiæ uſque ad Ambonem proſtratæ, & cum Catechumenis exeuntes. Anno denique unà cum fidelibus conſiſtent orationum participes, & ſic his gradibus decurſis perfectione digni cenſebuntur.*

VIII. Gabriel Philadelphiæ Metropolita bene, & perſpicuè eaſdem explicat *cap.10. libelli* quem de Pęnitentia ſcripſit, ſed eum integrum in fine operis exſcribimus, & latinitate donamus. Sæpius quoque deprehendes omnes illas ſtationes uno, & eodem canone apud S. Baſilium in Epiſtolis canonicis ad Amphilochum enumeratas, ut id ſequentibus capitibus pro data occaſione referemus. Verum præter illos duos auctores antiquos vix alios invenies, qui ſtationes illas ex profeſſo explicaverint. Alii earum mentionem faciunt, vel omnium, vel unius aut alterius, ut pęnæ ratio, quam explicant, aut imponunt, expoſcit. Ad eas omnes alludit S. Ambroſius *lib.2. de Pœnitentia cap.7.* licèt nullas nominet, dum paraphraſi hiſtoriam illuſtrat Lazari, *Movebitur miſericordia, cùm viderit in ſuo obitu lachrymas plurimorum, & dicet, ubi poſuiſtis eum? hoc eſt, in quo Reorum ſtatu eſt, in quo Pęnitentia ordine? Videam quem fletis, ut lachrymis ſuis ipſe me moveat: Videam, ſi jam peccato ei, cujus venia poſcitur, defunctus eſt.* Sic quoque Gregorius Nazianzenus in fine *orationis 39.* in Novatianos inſurgens. *Nec ipſe quidem eos recipio, qui vel nullo modo, vel non ſatis deprimantur, nec patrato crimini parem vitæ emendationem afferunt, cumque recipio, convenientem ipſis locum aſſigno.* Huc etiam referri poteſt, quod ex Sancto Hieronymo de Fabiola retulimus, *Stabat in ordine Pœnitentium, Epiſcopo, & omni populo collachrymantibus.* Sed Pęnitentium varios ordines non ita clarè ſubindicat, ut quæ antecedunt teſtimonia. Omnium clariſſimè Sanctus Baſilius à quo Græci commentatores omnia ſua decerpſerunt. Sed illius canones, & nonnunquam cum Zonaræ, & Balſomonis Commentariis in ſpeciali ſtationum explicatione erunt nobis referendi. Univerſa Pęnitentiæ antiquæ diſciplina verſatur in explicatione pęnarum, quæ in unaquaque ſtatione criminum Reis infligebantur, & myſteriorum, quorum conſpectu, auditu, aut participatione privabantur. Hoc eſt, quod hoc libro ſigillatim explicare nobis proponimus. Sed antequam hoc aggrediamur, multa nobis breviter adnotanda ſunt in teſtimonia jamjam allegata.

IX. Primum eſt, poſtremum illum canonem Gregorio Thaumaturgo attributum non eſſe ipſius, ut vulgo creditur, & opinatur Balſamon, ſed ex canonibus præcedentibus, & potiſſimum ex Sancto Baſilio collectum, & Gregorii canonibus adnexum. Manifeſtum eſt hoc ex ſermonis tenore: Non eſt enim canon, ſed commentarius, verba, quibus Gregorius uſus erat, explicans. His enim ſtationibus, & earum nominibus uſus erat ut vulgatis, & ab omnibus cognitis, ut & Sanctus Baſilius, Concilium Nicænum, Ancyranum, &c. nec in ipſorum mentem venit, utpote rem omnibus cognitam, eas interpretari. Deinde ipſe ſe prodit, cùm ſcribit, *Auditio, inquit*, &c. quum hæc auctor ſcribebat, habebat in mente S. Baſilii canonem, unde illa interpretatio deſumpta eſt. Eſt in Bibliotheca Illuſt. Franciæ Cancellarii antiquiſſima canonum Græcorum collectio à Gregorio Patriarcha CP. ante octingentos annos elaborata, quæ cæteros Thaumaturgi canones præter iſtum complectitur: Argumentum evidens commentarium illum poſt tempus adnotatum Thaumaturgi Epiſtolæ fuiſſe aſſutum.

X. Secundum, nuſquam apud antiquos auctores Narthecis mentionem fieri. Antiqui enim Græci, ut & Latini, Eccleſias in duas tantum partes diſtinxerunt, in Aulam ſive Atrium Laicorum, & Sanctuarium, in quo conſiſtere Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis tantùm licebat. Sanctuarium non modo ἱερατεῖον, ſed ſæpiſſimè βῆμα vocarunt, ut & ἅγιον τῶν ἁγίων, quandoque etiam ἄδυτον, ἀνάκτορον, & ἱλαστήριον. Uſurpari cępit νάρθηξ in Typicis, & Euchologiis poſt annos à Chriſto nato quingentos. Tum enim Orientales Monachi cęperunt Eccleſias in tres partes dividere, ἱερατεῖον, ναὸν, καὶ νάρθηκα. Pertinebat ad Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, ἱερατεῖον; ibi erat altare, ibi Liturgia celebrabatur. Naós ſive templum, ad cęteros Clericos, & Monachos: Ibi ſedebant, & cantabant Monachi, & præcipua officia celebrabant: Nonnulla enim in Narthece peragebant. Narthex autem dicebatur quidquid Eccleſiæ ſupererat ad portas uſque exteriores, quas etiam complectebatur: Ideò nonnulli duplicem fecerunt νάρθηκα, interiorem, & exteriorem. In interiore Monachorum Idiotarum, Laicorum fidelium; & in inferiori parte uſque ad Narthecem exteriorem, erat Catechumenorum, & Pęnitentium Subſtratorum locus. Ut autem Sanctuarium à templo, tabulato aliquo, aut etiam muro dividebatur, in quo erant portæ ab illis Sanctæ dictæ; ita templum à Narthece, in quo ſimiliter portæ erant, quas ὡραίας ſpecioſas vocant, quibus templum cum Narthece communicabat. Eadem planè diviſio in omnibus majoribus noſtris Eccleſiis conſpicitur, niſi quod raro Sanctuarium, ſive pars quæ ad altare, & Miſſæ celebrationem pertinet, à Cantorum, & Canonicorum choro tabulatis ſeparatur. Hujus triplicis diſtinctionis occaſione, quæ Antiquis non erat in uſu Græci canonum commentatores Pęnitentium loca cum fidelium, aliquando videntur confundere.

XI. Tertium, Joannis Raithu effatum; diviſionem ſcilicet Pęnitentium, purgandorum, & Catechumenorum eſſe Apoſtolicam, ulterius extendi non debere, nec pertinere formaliter, ut ita loquar, ad quinque Pęnitentium locos poſteà enumeratos. Iſtorum enim locorum ducentis ferè poſt Apoſtolos annis nulla eſt apud auctores Eccleſiaſticos mentio, ut primis capitibus libri quarti diffusè demonſtratum eſt. Fieri tamen poteſt, ut Joannes ille crediderit iſtam ſtationum pęnitentialium diſtinctionem eſſe Apoſtolicam, cùm illam videret à Sanctis Gregorio Thaumaturgo, Baſilio, Nazianzeno, & illorum temporum Conciliis commemorari, quanquam ex ipſius verbis neceſſe non ſit hoc illi imputare. Hoc ſi credidit, à vero nonnihil aberravit. Quod ad diſtinctionem, Pęnitentium, purgandorum, & Catechumenorum, omnino eſt Apoſtolica. Per purgandos, Energumenos neceſſariò intelligit, atque à Sancto Dionyſio iſta excepit, qui homines impuros in tres claſſes diſtinguit, *Hierarchiæ Ec-*

*cleſiaſt. cap.*3. Pœnitentes, Energumenos, & Catechumenos.

XII. Quartum, Audientium locum ante portas Baſilicas conſtituit ut & Ariſtænus; Quocirca utriuſque idem hac in cauſa judicium. Portæ Baſilicæ Græcis poſterioribus ſeu Monachis qui tempore S. Sabæ, & poſteà vixerunt dicuntur τοῦ ναοῦ qua Narthecem reſpicit. In Euchologiis ſæpe ὡραῖαι dicuntur ſpecioſæ in quibus ſedet Pontifex, cum Subdiaconos, & Lectores ordinat. Sed fieri non poteſt, ut iſtas Joannes, & Ariſtænus intellexerint: Infimi enim Pœnitentis locus cum fidelium primo conſunderetur, & Monachorum ſive Canonicorum, & Cantorum choro audientes eſſent contigui, & in Eccleſiæ umbilico collocati. Baſilicas igitur portas vocant primas, & maximas Eccleſię portas quibus in Eccleſiam ab area aut porticu, ſi Eccleſię porticus adhęret, eſt ingreſſus. Id ex verbis ſequentibus evidenter colligitur, ubi ait Joannes ſubſequeſtrationem tertiam Pœnitentium claſſem, *intra ambitum Eccleſiæ* contineri. Clariora ſunt adhuc Ariſtæni verba, qui Subſtratorum locum ad Ambonem uſque protendit. Secundus igitur locus, qui hunc antecedit, extra ambitum Eccleſiæ continetur. Perperam admodum, & omnino præpoſterè Balſamon commentans *can.*2. Dionyſii Alexandr. Audientium locum in portis illis, quibus Narthex choro jungitur, collocat, Narthecemque ſic ſumptum πρόναον vocat, ἀπὸ τῶν τοῦ ναοῦ προπυλαίων diſtinguit. Nam idem eſt, ac ſi quis infimorum Pœnitentium locum in portis chori noſtrarum Eccleſiarum collocaret. Quo dato ubi Catechumeni, qui Audientibus ſuperiores ſunt, ubi Pœnitentes ſubſtrati, ubi conſiſtentes, ubi denique fideles collocabuntur? Ubi Eccleſiæ Ambo poſt quem Catechumeni, & Pœnitentes ſtare jubentur? Hæc diligentius perſequi non credimus hujus eſſe loci.

XIII. Quintum, Neſcio quid in mentem venerit Interpreti ut ὑπόστασιν verteret ſubſequeſtrationem. Non enim dubito quin in Græco textu ſcriptum fuerit ὑπόπτωσις, quæ dictio nihil aliud ſignificare poteſt quàm Subſtrationem, ſubjectionem, humiliationem, dejectionem, & caſum.

XIV. Sextum, In poſteriori parte Ambonis, hoc eſt, retro, poſt Ambonem. Locus tertius Pœnitentium collocatus erat à portis exterioribus Eccleſiæ, quas Baſilicas vocavit, ad Ambonem: Ultra hunc limitem illis non licebat progredi, ut paſſim monent canones, & antiqui auctores, de quibus poſteà. Septimum, notabit Lector quintum, Pœnitentium locum malè aſſignari. Nullus enim eſt ejuſmodi. Eſt enim locus fidelium, quem Pœnitentes acta Pœnitentia recuperant, & ab eo recuperato non amplius Pœnitentes, ſed fideles appellantur. Multò melius rem expreſſit canon Gregorio additus, *Poſtremò eſt participatio Sacramentorum*. Id eſt verum, & accuratum. Quapropter præpoſterè & ἀκύρως admodum nonnulli ex his verbis quintam ſtationem, & μέθεξιν illius nomen finxerunt. Nonnulla ſunt alia in translatione digna animadverſione, quibus tamen, quia non eſt nobis præſto textus Græcus, abſtinemus.

XV. Denique videtur in verbis Blaſtaris ineſſe aliquid inuſitatum, cùm ait, Audientes ab Eccleſia lectis ſcripturis cum Catechumenis diſcedere. Hoc enim ſubſtratis convenit, ut ipſe poſt hæc verba immediatè docet. Paucißimis verbis Lectorem monebo, tres Catechumenorum gradus olim in Eccleſia fuiſſe. Primus eorum qui præ ſe ferebant religionem Chriſtianam ſe amplecti velle, ideò Synaxes frequentabant, ſcripturas & prædicationes audiebant, ſed nomen nondum dederant. Hi cum Ethnicis, & Pœnitentibus Audientibus diſcedebant. Secundus eorum erat, qui Eccleſiæ nomen dederant, qui genua in Eccleſia flectebant, & ſuper quibus genuflexis orationes pronuntiabantur. Hi propriè dicuntur Catechumeni, & illi intelliguntur, cum in Synaxi Diaconus edicebat, Quicunque Catechumeni diſcedite. Nam priores promiſcuè cum Ethnicis, & Pœnitentibus Audientibus pellebantur, nec id fiebat ullo ſpeciali edicto. Ad utroſque reſpicit Blaſtares; Ad primos cùm ait, *Poſteà cum Catechumenis exeunt*: Ad ſecundos cùm addit, *Ipſique cum Catechumenis exeuntes, cum ſolemne illud, Quicunque Catechumeni, à Diacono promulgatur*. Rariſſimè autem, vel nunquam in antiquis canonibus legas ſecundam Pęnitentiæ ſtationem per diſceſſum Catechumenorum ab Eccleſia ſignificatam, Sed tertiam & in canonibus, & in dictis Patrum, Commentatoribus frequenter. Tertius gradus eorum erat, qui à Latinis competentes, & electi dicebantur, à Græcis φωτιζόμενοι, qui Quadrageſimali tantum tempore, aut paulò ante Pentecoſten erant in Eccleſiis conſpicui. Hæc inuſitati Blaſtaris dicti cauſa paucis delibaſſe Lectori ſatis eſto.

XVI. Habuerunt quoque Ethnici ſuas ſcelerum purgationes, & luſtrationes. Ita enim à natura omnes homines imbuti ſunt, & inſtituti, ut non modo Deum eſſe, ſed etiam ſcelerum vindicem credant, atque ideò Sacrificiis, orationibus, & ad meliorem mentem converſione, ſive reſipiſcentia propitiandum. Itaque cùm hoc ſit natura hominibus inditum, dici non poteſt expiationis neceſſitatem Chriſtianos ab Ethnicis didiciſſe. Idem de expiationis ratione, & formulis, ſi forſan aliquæ concurrant, dicendum eſt. Cùm enim unus ſit omnium generaliſſimus finis, natura infuſus, fieri vix poteſt quin aſſecutionis media quædam, & formulæ aliquando non conveniant. Nonnunquam enim ſe in Angelum lucis transfigurat Diabolus. Non ideò tamen dicendum Chriſtianos iſtas formulas ab Ethnicis derivaſſe, ſed vel Ethnici Chriſtianos imitati ſunt, ut ſæpè teſtantur Patres, vel utrique ab eadem luce radios iſtos exceperunt.

XVII. Quidam Ethnici, ut teſtatur Olympiodorus in Platonis Phædonem, quatuor purgationem gradus conſtituebant, antequam quis Epopta fieret, hoc eſt, antequam id quod erat apud eos, Sanctiſſimum, conſpicere permitteretur, ἐν τοῖς ἱεροῖς ἡγοῦνται μὲν αἱ πάνδημοι καθάρσεις. εἶτα ἐπὶ ταύταις αἱ ἀπορρητότεραι. μετὰ ταύτας συστάσεις. καὶ ἐπὶ ταύταις μυήσεις. ἐν τέλει δὲ ἐποπτεῖαι. *In ſacris præcedebant publicæ, communeſque purgationes. His ſuccedebant ſecretiores: poſteà documentorum, & inſtructionum collectiones; ſequebantur initiationes: Denique Epoptiæ*. Quanquam & numerus quaternarius, & nomen σύστασις ab iis commemorentur, inde tamen confici non poteſt ad iſtas purgationes antiquos reſpexiſſe, cùm præter numerum, & nomen iſtud nihil habeant commune, ut manifeſtum eſt tum ex iis, quæ hoc capite dicta ſunt, tum ex iis, quæ in uniuſcujuſque ſtationis explicatione dicentur. Conſtabit id evidentius, ſi quæ apud Olympiodorum ſequuntur, exſcribamus, ἀναλογοῦσι αἱ ἠθικαὶ τε καὶ πολιτικαὶ ἀρεταὶ τοῖς ἐμφανέσι καθαρμοῖς. αἱ δὲ καθαρτικαὶ, ὅσαι ἀποσκευάζονται πάντα τὰ ἐκτὸς, τοῖς ἀπορρητοτέροις. αἱ δὲ περὶ τὰ νοητὰ θεωρητικαὶ ἐνέργειαι, ταῖς συστάσεσι. αἱ δὲ τούτων συναιρέσεις εἰς τὸ ἀμέριστον, ταῖς μυήσεσι. αἱ δὲ ἁπλαῖ τῶν ἁπλῶν εἰδῶν αὐτοψίαι, ταῖς ἐποπτείαις. *Morales, & Politicæ virtutes proportione reſpondent publicis purgationibus; Purgativæ verò, quæcunque ſcilicet omnia exteriora repudiant, ſecretioribus: ſed facultates contemplativæ quæ circa intelligibilia verſantur, documentorum collectionibus: documentorum autem iſtorum contractio, & in indiviſibile quoddam coalitio, initiationibus: Simplex verò ſimplicium idearum per ſe ipſam conſpectus, Epoptiis*: Perſpicuum eſt iſta per accidens nomenque unum cum Pęnitentiæ ſtationibus commune habere; Nomen autem literis commune, ſed ſignificatione diverſiſſimum. Σύστασις enim in cauſa Pęnitentiæ nihil aliud ſignificat, quàm Conſiſtentiam, eo quod ejuſmodi homines ſimul cum fidelibus ſacrorum celebrationi adſint, nec ut inferiores expellantur, Itaque illi eſſent potius Epoptæ, licet τοῦ τέλους καὶ τελειώσεως nondum ſint participes, & conſequenter juxta Ethnicam illam Theologiam non eſſent amplius purgationi obnoxii, cùm juxta Chriſtianam Myſtæ tantum habeantur.

XVIII. Tertullianus multis contendit in Apologetico *c.*47. Ethnicos è Libris Chriſtianorum Myſticam ſuam doctrinam hauſiſſe. *Quis Poetarum, quis Sophiſtarum, qui non omnino de Prophetarum fonte potaverit? Inde igitur Philoſophi ſitim ingenii ſui rigaverunt, ut quæ de noſtris habent, ea nos comparent illis, &c. Omnia adverſus veritatem de ipſa veritate conſtructa ſunt, operantibus æmulationem iſtam ſpiritibus erroris. Ab iis adulteria ejuſmodi ſalutaris diſciplinæ ſuborta, ab iis etiam quædam fabulæ immiſſæ, &c.* Sic loquebantur ante Tertullianum Juſtinus Martyr *orat. ad Gentiles*, & Clemens Alex. *l.*1. *& 5. Stromatum*, & poſt eum Sanctus Auguſtinus *lib. de Civitate Dei*, 8.*c.*11. Euſebius *de præpar. Evang. initio lib.*11. *& toto lib.*12. Minutius in Octavio, Julius Firmicus plurimis exemplis id demonſtrat à *cap.*18. ad finem uſque Libri de Erroribus prophan. religionum, & alii. Tantum autem aberant ab Ethnicorum in ſacris ſui imitatione, ut ſi qui novum aliquem ritum ἀδιάφορον induceret, repudiationis legitima cauſa cenſeretur, quod ab Ethnicis uſurparetur. Sic Tertullianus *cap.*12. *libri de Oratione, Porrò cum perinde faciant nationes adoratis ſigillaribus ſuis reſidendo, vel propterea in nobis reprehendi meretur, quod apud idola celebratur*. Et paulò ante de alio ritu edixerat, *Certè vel eò coercenda, quod Gentilibus adæquent*. His generaliter de quatuor Pœnitentium ſtationibus prælibatis unaquæque ſigillatim nobis explicanda eſt, & quod expiationis genus Pęnitentibus, in unaque ſtatione adhibebatur, inquirendum.

CAPUT II.

Fletus prima Pœnitentiæ ſtatio explicatur: ubi collocata, quando cœpit, illius periphraſes. Quid, & qua veſte in ea flentes agebant. Quibus myſteriis imbuebantur. Quanta in ea erat mora. Quid ſit inter hyemantes orare.

A Fletu, quo nomine prima Pœnitentium ſtatio indigitatur, ſermonem exordiar. De eo tria inquiremus. 1. Quo loco ſtatio illa collocata fuerit. 2. An ante Novatum illius fuerit uſus, aut quid ſimile obſervaretur. 3. Quid in ea Pęnitentes agebant, quæve Sacerdotum in eos cura, & ſolicitudo. De prima quæſtione pauca nobis dicenda ſunt, eo quòd in libris, quos de antiquis Chriſtianorum Eccleſiis ſcripſimus, quæſtionem iſtam, ſimileſque, quotquot nobis occurrerunt, quanta potuimus diligentia, diſſolvimus. Breviter igitur reſpondeo, in omnibus antiquis Eccleſiis baptiſmalibus aream quandam fuiſſe, & ſpatium ante templum, & ipſius veſtibulum: & cum Synaxes in domibus privatis propter perſecutionum furorem, aut fidelium paucitatem habebantur, ſimile quid nihilominus obſervatum: Conclave ſcilicet aliquod, vel porticum, vel aliquod aliud ſpatium, ad cubiculum, ſeu aulam, in qua Synaxis fiebat, attinens, relictum fuiſſe. Cryptarum eadem erat ratio. In ea area, ſeu domuncula, qua ad Eccleſiam proximum erat iter, collocatus erat fletus: Ibi ſtabant flentes, nec ultrà progredi fas illi erat. Id manifeſtè colligitur ex duobus teſtimoniis capite præcedente citatis; docetque idem non minus evidenter S. Baſilius *cap. 56. Debet quatuor annis deflere* ἔξω τῆς θύρας ἑστὼς τοῦ εὐκτηρίου, *ſtans extra portam Oratorii*. *Canone* 75. paulò propius eos accerſit, Triennio defleat, τῇ θύρᾳ τοῦ εὐκτηρίου οἴκου παρεστὼς, portæ domus Oratoriæ adſtans, ad portam Eccleſiæ ſeſe ſiſtens.

II. Ad eundem locum alludit Sanctus Chryſoſtomus *homil.* 17. in Matth. cùm inobedientes exhortationibus ſuis, ſi diutiùs contumaces fuerint, ſic terret, ἀπαγορεύσω λοιπὸν ὑμῖν τῶν ἱερῶν τούτων ἐπιβῆναι προθύρων, *Cæterùm prohibebo vobis, ne ſacra hæc veſtibula conſcendatis, & immortalibus myſteriis participetis, ut Fornicatoribus, Adulteris, & Homicidiorum Reis*. A veſtibulo arceri, quid aliud eſſe poteſt quàm ne intra quidem Eccleſiæ portam, & ædificiolum ipſi attinens jure non conſiſtere? Tertullianus *lib. de Pudicitia c.* 4. Fornicatoribus, & Adulteris eundem locum aſſignat, ultra quem pelli jubet criminum monſtra, *Reliquas autem libidinum furias, impias, & in corpora, & in ſexus, ultra jura naturæ, non modo limine, verùm omni Eccleſiæ tecto ſubmovemus, quia non ſunt delicta, ſed monſtra*. Sed de loco fletus, quòd cis Eccleſiæ portam ſit collocandum, dubium ullum moveri poſſe non video, confirmabiturque evidentiſſimè id, quod dictum eſt ex quæſtionum, quæ ſequuntur, reſolutione: Iſta enim connexa ſunt, unumque eſt alterius argumentum.

III. Ante Novatum, atque ab incunabulis Eccleſiæ fletum fuiſſe antiqua monumenta luſtranti manifeſtiſſimum eſt, licèt illo tempore nuſquam legatur in Pœnitentiæ ab Eccleſia impetratæ partem veniſſe. Hujus rei argumenta expoſuimus *cap.16. libri quarti*, ubi ex auctoribus, qui Novatum præceſſerunt oſtendimus quanta cum humilitate, precibus, fletibus, quàm lugubri habitu criminum Pœnitentes jus agendæ Pœnitentiæ ante fores Eccleſiæ proſtrati, non modo ab Epiſcopo, ſed etiam ab univerſo Eccleſiæ cœtu efflagitarent. Nihil poſt Novatum in fletu factum eſt, quod anteà factum, & ab omnibus pœnitentibus uſurpatum non fuerit. Verùm poſtquam ad pœnitentiam agendam admiſſi ſunt, nuſpiam lego pœnitentes extra Eccleſiam certo tempore miſſos, ut idem præſtarent. Ad pœnitentiam admiſſio, erat illis actionum in illo fletu fieri ſolitarum ceſſatio. Itaque, ut Pœnitentiam nunc accipimus pro actione pęnali ab Eccleſia impoſita, & à Reo ſuſcepta fletus non erat ante Novatum ſtatio Pęnitentialis, licèt ad pœnæ imponendæ remiſſionem plurimum ſæpè conferret.

IV. Fletus diſerta mentio apud Gregorium Thaumaturgum non habetur. Ex *canone* tamen 8. colligitur, *Eos, qui alienas domos invadere auſi fuerint, ſi accuſati fuerint convicti, ut Auditione quidem dignos haberi*. Manifeſtum eſt, eos Eccleſiam agnoſcere. Ergo ſi Auditione indigni cenſentur, vel ab Eccleſia omninò exſcinduntur, vel ad fletum amandantur: Tertium enim non datur. At prorsùs exſcindi eſt improbabile, cùm contumaciæ mentio non fiat, nec crimen adeò ſit atrox, ut tanta pœna plectatur, Fletu igitur, qui Auditione luctuoſior eſt, punitur. Idem jubet *can.7.* Ab Auditione, inquit, arcendi ſunt. Sanctus Baſilius eadem periphraſi fletum ſignificavit *cap.4.* Sic de Polygamis ſtatuit, *Oportet eas non omninò arcere ab Eccleſia, ſed dignari Auditione duobus, vel tribus annis*. Utrumque canonem de fletu Balſamon interpretatur. Sed evidentiſſimè iſtius ſtationis mentionem facit Sanctus Baſilius, eoque ſæpè Pęnitentem relegat aliquot annis, ut videre potes canonibus, 56. 57. 58. 59. 64. 66. & aliquot aliis, ubi longam Pęnitentiam in quatuor enumeratas Pęnitentiæ ſtationes diſtribuit. Eandem ſtationem ſignificare videtur *c.80.* duabus aliis phraſibus τρισὶν ἔτεσιν ἄδεκτοι ἔστωσαν, *Tribus annis ſint non recipiendi*; Et paulò poſt de alterius criminis Reis, *tribus annis ejiciantur*: Sequitur enim utrobique, *& duobus audiant, & cum tribus annis ſubſtrati fuerint, &c.* Rectè equidem, qui in fletu collocati ſunt, ejecti, & non recepti dicuntur, licèt Epiſcopi mandato ibi ſubſiſtant, cùm extra Eccleſiam, & omne Eccleſiæ tectum ſummoveantur.

V. Sanctus Gregorius Nyſſenus fletus κατὰ λέξιν non meminit; diſertiſſimè tamen ad ſtationem illam nonnullorum criminum Reos damnat, *Eſt*, inquit, *canon ejuſmodi, ut qui in fornicatione polluti ſunt, in tribus quidem annis ab oratione omninò expellantur: in tribus autem ſint ſoliùs Auditionis participes: In tribus autem aliis cum iis, qui in converſione ſubſternuntur, precentur*. Ab oratione omninò expelli, eſt ad fletum mitti, cùm gradus ille ſit Auditione inferior non modò tempore, ſed etiam criminis curatione, & myſteriorum participatione. Poſteà cùm voluntariæ cædis curationem deſcribit ad eandem ſtationem novem annis relegat Homicidam. *Ter novem enim ſunt anni, novenario annorum numero in unoquoque gradu præfinito, ut in perfecta quidem ſegregatione novem annorum tempore verſetur ab Eccleſia prohibitus, alios autem tot annos in Auditione permaneat*. Fletus ſtationem perfectam ſegregationem παντελῆ ἀφορισμὸν vocat, ut paulò vidimus Baſilium ad fletum pellere, dixiſſe, πάντῃ δ' ἐκκλησίας ἀπείργειν. Nota autem Sanctos illos Patres de iſtis ſtationibus verba facere non tanquam de praxi à ſe inventa, aut recens excogitata, ſed antiqua, & à Patribus accepta. Concilium Nicænum fletus non meminit, quia mentionis iſtius occaſio ſeſe non dedit. Idem dicendum de aliquot aliis Græcorum Conciliis, quæ non modò hujus ſtationis, ſed nec aliarum meminerunt, eo quòd de gravibus Laicorum criminibus, quæ hac plena plectuntur, non erat illis quæſtio.

VI. Nonnunquam tamen ſtationes illas, & pęnas, quæ in eis exercentur, ſubindicant ut omnibus notas, ad quas uno verbo Lectorem remittere ſatis exiſtimant, ut Neocæſar. *cap.3. De iis, qui in plurima Matrimonia incidunt, tempus quidem præſtitutum eſſe manifeſtum eſt. Sed converſio, & Pęnitentia eorum tempus contrahit*. Ita *can.* 1. 2. 7. Concilium Ancyranum licèt ſtationes ſæpè κατὰ μέρος commemoret, aliquando tamen, ut pęnam per ſe notam eas velut in faſce uno verbo connotat, ut *can.21.* ſtatuunt de mulieribus, quæ fornicatæ fœtus in utero perimunt. *Humanitate utentes decrevimus, ut decennium per gradus præfinitos impleant*. Sic *can.*20. 22. 25. Eadem de Laodicenſi Synodo dicenda, quæ de Neocæſarcenſi, ideò harum ſtationum ſpecialiter non meminit; omnes tamen *can.2.* ſimul indicat, *Eos, qui in diverſis delictis peccant* (Legit Dionyſius ἐξαμαρτάνοντας, & multò melius) *Et in oratione, confeſſioneque, & Pęnitentia fortiter perſeverant, & ſe à malis perfectè convertunt, tempore Pęnitentiæ eis pro delicti proportione dato propter miſerationes Dei, & bonitatem offerri communione*. Manifeſtum eſt, Patres iſtos aliis rebus intentos Lectorem remittere ad canones vulgatos, quibus unicuique crimini erat pęna conveniens impoſita. *Can.* 19. præcipua myſteria, quibus Pęnitentes imbuuntur, explicat, ſed infrà de hoc canone erit nobis longus ſermo habendus.

VII. Ex iis, quæ de fletus ſtatione dicta ſunt, lux affulgere mihi videtur *canoni* 17. Ancyrano, *Eos, qui rationis expertia animantia inierunt, & qui lepro ſi ſunt, vel fuerunt, juſſit S. Synodus inter hyemantes orare*. Duplex eſt in eo canone difficultas. Prior, quinam ſunt, ἀλογευσάμενοι καὶ λεπροί. Nam confundi non debet canon ille cum præcedente, in quo τῶν ἀλογευσαμένων cauſa, & pęnarum circumſtantiæ pro modulo canonis fusè tractantur. Itaque τῶν λεπρῶν additio propoſitionis ſubjectum variat. Poſterior in explicatione pęnæ iſtius verſatur, inter hyemantes orare. Quod ad poſteriorem difficultatem attinet, Pęna illa ad fletus ſtationem referenda mihi videtur, quæ ſub dio erat conſtituta, aeriſque tempeſtatibus expoſita. Inter hyemantes igitur orare, nihil aliud eſt quàm eſſe in fletu, atque ab omni Eccleſiæ ambitu ſemotum.

Eo

Digitized by Google

Eò igitur relegarunt Leproſos, qui Bruta turpiter inierant. Zonaras hunc canonem interpretans eorum ſententiam, qui per hyemantes intelligunt Dæmoniacos refutat: ſed quid hoc ſit, ingenuè fatetur ſe neſcire. Balſamon ad Auditionis ſtationem hoc refert, ſed Metaphora non aptè Auditioni, ut fletui quadrat. Martinus Bracar. *cap.* 81. ut & Breviculum canonum Adriani Papæ, & Ferrandi Breviarium *tit.* 27. interpretantur inter dæmoniacos orare. Sic & Dionyſius exiguus, & Iſidorus Mercator. Græcorum Euchologium precum ordinem habet in vexatos à ſpiritibus immundis, quos vocat *χειμαζομένοις ὑπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων καὶ ἐπηρεαζομένους* *tempeſtate vexatos à ſpiritibus immundis, & noxam ſuſferentes*. Antiquiſſimum Euchologium Barberinæ Bibliothecæ *tit.* 406. habet ſimpliciter, *εὐχὴ ἐπὶ χειμαζομένων πνεύματι ἀκαθάρτῳ*. At Energumeni, intra Eccleſiæ ambitum orabant, retro ambonem poſt Pęnitentes ſed ante Cathecumenos, ut infrà *cap.* 7. demonſtrabimus. Deinde quamobrem Patres Eccleſiaſticum, & uſitatiſſimum Energumenorum nomen non uſurparunt, ſed aliud eo ſenſu inauditum? Si quis tamen hanc interpretationem præferat antiqua magnorum virorum auctoritate nitetur: tumque dicendum Leproſos illos *κτηνοβάτας* in Eccleſia poſt pœnitentes cum Energumenis oraſſe.

VIII. Quid per Leproſos intelligant Patres illi, nunc eſt deſpiciendum. Neſcio quare difficultas in verbo *Leproſi* velut nodus in ſcirpo quæritur. Canone præcedente cum Brutis commixtio damnata fuerat longiſſima, & dura pœnitentia, quæque juxta Reorum ætatem producta fuerat. Eorum autem nullus ad fletum, vel Auditionem pulſus fuerat, non miſericordiæ cauſa ſed ſeveritatis. Quod enim tempus aliàs in fletu, & Auditione tranſigere debuerant, illud omne in Subſtratione tranſigunt, quæ ſtationum duriſſima eſt; immò in qua ſola, ut poſteà docebimus, opera laborioſa imperantur. *Canone* igitur 17. addunt, ſi ejuſmodi homines Leproſi fuerint, ad hyemantes, hoc eſt, extra omnem Eccleſiæ ambitum *εἰς ὑπαίθριον καὶ τοῦ ναοῦ προπύλαια* eſſe ſubmovendos, ne ſcilicet ſui corporis contagio cæteros inficerent, ut ibi Pęnitentiam, quæ canone præcedente definita fuerat, peragant. Moſaica lege Leproſi à reliquo cœtu prohibentur, qui mos in Europa viget ſanitatis non religionis cauſa. Teſtatur Balſamon commentario in Epiſtolam Sancti Athanaſii ad Ammum in Oriente hoc non attendi, *Apud nos in Eccleſia verſantur, & comprecantur, lege nihil impediti; ſed potiùs inſinuati, ne recepti*, Sed alia fuit in Ancyrana Provincia conſuetudo. Alii Leproſos intelligunt eos, qui *κτηνοβατείας* vitio cæteros infecerunt: alii ſimpliciter pollutos, vitiis inquinatos. Sed iſtæ ſententiæ parum probabiles mihi videntur.

IX. Tertium nobis ſupereſt explicandum. Quid in fletu pœnitentes agebant, quibuſve myſteriis, aut precibus expiabantur. Pœnitentibus exiſtentibus in fletu nulla pietatis officia antiquitus impendebantur, nulla Sacramenta, vel ſi mavis, nulla Sacramentalia miniſtrabantur, nullæ manuum impoſitiones ſuper eos frequentabantur, nullæ orationes expiatoriæ, aut alterius generis ſuper ipſis ſpecialiter fundebantur. Privatim plebs pro illis Deum deprecabatur, ut verum illis Pęnitentiam concederet. Sæpè etiam apud Epiſcopum, & Clerum pro iis intercedebat, ut cordis contritione attenta Pœnitentiæ tempus minueret: Eccleſia verò in precibus tantùm generaliter eorum memoriam faciebat; Pœnitentium enim nomine & illi veniebant. Ratio hujus rei eſt evidens: Perfecta enim ſeparatione, ut dixit Gregorius Nyſſenus ab Eccleſia ſejuncti erant, & ab omni oratione expulſi; extra omnem Eccleſiæ ambitum poſiti, ut dixit Joannes Raithu; extra portas Eccleſiæ, ut Baſilius notat. Ne quidem ſcripturarum Lectiones, & Epiſcoporum prædicationes iis audire licebat: Hæc erat Audientium prærogativa. Idem confirmat ſtationis collocatio, è qua legentium, & Prædicantium in Eccleſia ſonum articulatum exaudire non poterant. Intereà autem diligenter Epiſcopus, & Clerus flentium vitam, mores, ſtudium, converſationem examinabant, ut pro vitæ integritate, & erga pœnitentiam ſtudio tempus fletui impoſitum minuerent. Gregorius Nyſſenus poſtquam Homicidam voluntarium annis novem ad unamquamque trium ſtationum poſteriorum condemnavit, addit quod paulò antè monuerat, quodque canones antiqui, recentioreſve paſſim admonent, *In eodem eadem erit obſervatio ab eo, qui Eccleſiam adminiſtrat, & pro ratione converſionis illi quoque pęnæ extenſio reſcindetur, ut pro novem annis in unoquoque gradu, vel ſex, vel ſeptem anni ſolùm fiant, ſi Pęnitentiæ magnitudo tempus vincat, & ſuperet correctionis ſtudio eos, qui in longo tempore præſtituto ſuſceptas à ſe maculas ſegniter eluunt.*

X. Non abs re, Lector, interrogabis, Quid igitur in fletu Pęnitentes illi agebant? Ut tibi abundè ſatisfiat, tria breviter ob oculos proponemus, quid potiſſimùm fecerint, quo habitu fecerint, & quamdiù. Duo præ cæteris feciſſe toto fletus ſtadio narrant nobis Patres: Iniquitatem ſuam publicè confitebantur, & deplorabant, ingredientibuſque Baſilicas fidelibus adgeniculabantur, ut apud Deum, Epiſcopum, Clerum, univerſamque Eccleſiam pro ipſis intercederent. Sanctus Baſilius ad Amphilochium *c.* 56. de Voluntario Homicida, *Debet quatuor annis deflere extra fores Oratorii, & fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, ἐξαγορεύων τὴν παρανομίαν, propriam iniquitatem enuntians, ovulgans*. Et *canone* 75. de eo, qui cum propria ſorore pollutus eſt, *Triennio defleat ſtans propter fores domus Oratoriæ, & rogans populum ingredientem ad orationem, ut unuſquiſque pro ipſo miſericorditer ad Dominum intenſas fundat preces*. Eadem lege capite præcedente in teſtimoniis ex Gregorio Thaumaturgo, & Joanne Raithu relatis.

XI. Eundem morem docet nos Sanctus Ambroſius *lib.* 2. *de Pęnitentia cap.* 10. atque in illius originem digitum intendit. Agit adverſus eos, qui propter actionis jam explicatæ humilitatem ab agenda Pęnitentia deterrentur, *An teſtes precationis, & conſcios refugis, cùm ſi homini ſatisfaciendum ſit, multos neceſſe eſt ambias, obſecres, ut dignentur intervenire, ad genua te ipſe proſternas, oſculeris veſtigia, filios offeras culpæ adhuc ignaros paternæ, etiam veniæ precatores? Hoc ergo in Eccleſia facere faſtidis, ut Deo ſupplices, ut patrocinium tibi ad Deum obſecrandum ſanctæ plebis requiras, ubi nihil eſt, quod pudori eſſe debeat, niſi non fateri, cùm omnes ſimus peccatores, ubi ille laudabilior qui humilior, ille juſtior, qui ſibi abjectior? fleat pro te mater Eccleſia, & culpam tuam lacbrymis lavet: Videat te Chriſtus mœrentem, ut dicat, beati triſtes, quia gaudebitis. Amat ut pro uno multi rogent. Denique in Evangelio motus viduæ lachrymis, quia plurimi pro ea flebant, filium ejus reſuſcitavit, &c.* Similiter Pacianus in exhortatione ad pęnitentiam, *Quòd ſi fratrum oculos erubeſcitis, conſortes caſuum veſtrorum timere nolite. Nullum corpus membrorum ſuorum vexatione lætatur, pariter dolet, & ad remedium conlaborat. In uno, & altero Eccleſia eſt; in Eccleſia verò Chriſtus. Atque ideò qui fratribus peccata ſua non tacet, Eccleſiæ lachrymis adjutus, Chriſti precibus abſolvitur*. Hæc ferè κτ̃ λέξιν è Tertulliano deſumpta, quibus evidenter oſtenditur, quid in fletu factum fuerit. Non autem neceſſe eſt in fletu tantùm hæc facta fuiſſe. Fieri enim poterant, immò neceſſe erat idem aliquandiù fieri in petitione Pœnitentiæ antequam fletus ſtatio ex Eccleſiæ præcepto adiretur. Fieri præterea poterant, licèt non neceſſariò, in qualibet ſequente ſtatione, ſi Conſiſtentiam eximas. Sed fletus ſtatio locus erat his actionibus humilibus propriè deſtinatus.

XII. In iſta potiſſimùm ſtatione veſtem lugubrem induere ſolebant Pœnitentes, ut facilè colligitur ex humilibus actionibus, quas illis tum imponi probavimus: Ideò ut plurimum cilicio, & cinere ſordidati, capillos tonſi, aut intonſi pro regionum more, ut *capite* 17. *lib.* 5. demonſtratum eſt, totique ad movendam miſericordiam compoſiti Pœnitentiam in eo loco agebant. Hujus rei rationem à ſimili reddit Sanctus Cyprianus, *Si quem de ſuis charis mortalitatis exitu perdidiſſes, ingemiſceres dolenter, & flores: facie inculta, veſte mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto indicia mœroris oſtenderes. Animam tuam miſerè perdidiſti, ſpiritualiter mortua ſupervivere hîc tibi, & ipſa ambulans funus tuum portare cępiſti, & non acriter plangis, non jugiter ingemiſcis? non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abſcondis?* lib. de Lapſis.

XIII. Hæc omnia graphicè deſcribit Sanctus Hieronymus *Epiſtola* 30. ad Oceanum in exemplo Fabiolæ Matronæ Romanæ nobiliſſimæ. *Qui hoc crederet, ut poſt mortem ſecundi viri in ſemetipſam reverſa, quo tempore ſolent viduæ negligentes jugo ſervitutis excuſſo agere ſe liberiùs, adire balnea, volitare per plateas, vultus circumferre meretricis, ſaccum indueret, ut errorem publicè fateretur; & tota urbe ſpectante Romana, ante diem Paſchæ in Baſilica quondam Laterani, qui Cæſariano truncatus eſt gladio, in ordine Pęnitentium, Epiſcopo, Præsbyteris, & omni populo collachrymantibus; ſparſum crinem, ora lurida, ſqualidas manus, ſordida colla ſubmitteret? Quæ peccata fletus iſte non purget?*

Poſt-

Digitized by Google

Poſtquam multis ex veteri Teſtamento prolatis exemplis, hunc Pœnitentiæ gerendæ mortem approbavit, ſubiicit, quæ huc referre ſunt neceſſaria: *Non eſt confuſa Dominum in terris, & illa eam non confundet in cœlo. Aperuit cunctis vulnus ſuum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conſpexit, diſſuta habuit latera, nudum caput, clauſum os. Non eſt ingreſſa Eccleſiam Domini, ſed extra caſtra cum Maria ſorore Moyſi ſeparata conſedit; ut quam Sacerdos ejecerat, ipſe revocaret, &c. faciem per quam ſecundo viro placuerat verberabat; oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat, ſic dolebat quaſi adulterium commiſiſſet, & multis impendiis medicaminum vulnus ſanare cupiebat.* Vides Sanctum Hieronymum ibi ipſum tangere actionis Pœnitentialis initium, Fabiolam extra Eccleſiam ejectam, quo ſtatu, luctuoſoque habitu Eccleſiæ fores pulſaverit, expectaſſe donec in Eccleſiam ab eo revocaretur, qui ejecerat: Intereà plebem, Clerum, Epiſcopum lachrymis ora perfuſam deprecari. Non admodum tamen grave tunc erat peccatum, cujus cauſa tam auſteram Pœnitentiam ſubiit religioſiſſima mulier: Adulterum Maritum dimiſerat, eoque vivente alteri nupſerat. Hoc Cæſarum, etiam Chriſtianorum, legibus permiſſum erat. Ita hac in cauſa, & multis aliis ſtatuunt Theodoſius, & Valent. Cæſares *l. Conſenſu C. de Repudiis*, Anaſtaſius *l. Si conſtante eodem Cod.* & Juſtinianus *Novell.* 117. Has leges amplexi ſunt Græci Patres non pauci, & eas Græci hactenus obſervant, ut legitur apud Balſamonem in *can.* 5. *Apoſtol.* Photium *in Nomoc. tit.* 13. *cap.* 4. & Balſamonem eo loco. Nec tum Latinis omnibus res planè conſtabat, ut colligitur ex S. Ambroſio in 1. *ad Cor. c.* 7. *v.* 11. Immò Auguſtinus an hoc ſit peccatum aliquando dubitavit, eo quòd, inquit, *In divinis ſententiis ita obſcurum eſt, utrùm, & iſte, cui quidem ſine dubio adulteram licèt dimittere, adulter tamen habeatur, ſi alteram duxerit, ut quantum exiſtimo venialiter ibi quiſque fallatur, lib. de Fide, & operibus cap.* 19. Ideò non abs re S. Hieronymus loco citato Fabiolæ crimen elevat.

XIV. Hujus miſerabilis habitus rationem reddit Sanctus Hieronymus in *cap.* 3. lamentationum, quæ hic adtexatur meo judicio digniſſima: *In cilicio quipppe aſperitas, & compunctio peccatorum, in cinere autem pulvis oſtenditur mortuorum. Et idcircò utrumque hoc adhiberi ad Pœnitentiam ſolet, ut in compunctione cilicii cognoſcamus, quid per culpam fecimus; & in favilla cineris perpendamus, quid per vitium facti ſumus. Conſiderentur ergo in cilicio pungentia vitia: Conſiderentur in cinere per mortis ſententiam ſubſequens juſta pœna vitiorum. Quia enim poſt peccatum carnis contumeliæ ſurrexerunt, videat homo in aſperitate cilicii ſuperbiendo quid fecit; Videat in cinere uſquequo peccando pervenit*, Aliam ſubjungit rationem, ſed à præcedente non diſſimilem. *Poteſt quoque cilicio ipſa in reprehenſione, atque Pœnitentia dolorum compunctio deſignari. Nam hoc quod agit beatus Job, ipſe me reprehendo; quaſi quodam cilicio pungitur, dum in mente ſua aſperis redargutionum ſtimulis confricatur: In cinere autem agit Pœnitentiam: quia ex primo peccato, quid per juſtum judicium factus ſit, ſolerter attendit.* Prima tamen iſtius tam lugubris habitus, & Europæis tam inſolentis cauſa eſt antiquorum Judæorum imitatio, qui in veteri Teſtamento, vel Pœnitentiam de criminibus agentes, vel dolorem maximum teſtantes, vel periculum imminens avertere apud Deum ſatagentes ſemper cum cinere, cilicio, & ſacco, veſte lacerata nobis exhibentur. Hujus conſuetudinis exempla multa refert Sanctus Hieronymus Epiſtola jam citata ad Oceanum, facilèque ex ſcriptura ſacra poſſunt colligi, neminique literas ſacras profitenti hunc Judaicum morem incognitum exiſtimo: Quapropter hoc adnotaſſe ſatis ſuperque eſt. Qui de hoc more Eccleſiaſtico in principio pœnitentiæ, ſive dum petitur, ſive dum imponitur plura deſiderat teſtimonia, legat *lib.* 4. *cap.* 16. 17. & 18. integra. Quæ inſuper adnotavimus, hic ſufficiant. Multa quoque infrà ſuo loco de habitu Pœnitentium ordinario, quo cum toto pœnitentiæ curriculo in publicum prodire ſolebant, referenda nobis erunt ex antiquis monumentis. Hic quoque mihi monendus videtur Lector ea, quæ de veſte lugubri dicta ſunt in Eccleſia Latina potiſſimùm obtinuiſſe; vix enim iſtius conſuetudinis Græci mentionem faciunt, niſi ex conſequentia fletus, & humilis Pœnitentium deprecationis, ut pro ſe oretur, quam ſæpè teſtantur, eam, ut par eſt, colligere velimus.

XV. Supereſt ut quamdiu in fletus ſtatione commorati fuerint, explicemus. Primum de hac ſtatione, ut de cæteris dicendum, hoc à criminum gravitate pependiſſe: Secundò à diligentia, & ſtudio pœnitendi. Nam pro utriuſque ratione intenditur, aut remittitur tempus uniuſcujuſque ſtationis. Sanctus Baſilius *cap.* 56. Homicidam voluntarium annorum viginti Pœnitentia mulctat, quam ita diſpenſat, ut fletui quatuor attribuat. Homicidæ involuntario annorum undecim Pœnitentiam tribuit, quorum duos in fletu vult tranſigere. *Can.* 58. & 59. Adulterum quatuor annis ex quindecim vult deflere, fornicatorem duobus ex ſeptem. Variantur iſta pro criminum varietate. Severior multò Gregorius Nyſſenus, vult enim viginti ſeptem annis pœnitere Homicidam, quorum novem fletui tribuit. Tanta malitia nonnunquam poteſt intercedere, ut ad fletum totam vitam condemnetur, ut Baſil. cap. 73. *Qui Chriſtum negavit, & ſalutis myſterium tranſgreſſus eſt, eum toto vitæ ſuæ tempore deflere, & confiteri convenit; in tempore, quo è vita excedit Sacramento dignum habitum, propter fidem divinæ clementiæ.* Nonnulli exiſtimant, inquit Balſamon, quorum ſententiæ accedit, hoc non debere de loco fletus intelligi, ſed de ipſa flendi peccata actione in qua toto vitæ tempore perſeverare debent; Intereà ſecundùm canones Ancyranos loca ſtationum peragrare, ſub ictu tantùm mortis Sacramentorum participes. Quidquid ſit, hæc ſeveritas non impedit, quin, ut canone ſequente præcipitur, ſi ardens Pœnitentiæ ſtudium exhibeant, Epiſcopus pœnæ rigorem remittat.

XVI. Idem quod Baſilius, ſtatuere videtur Gregorius Nyſſenus ipſius frater, licèt fletus non meminerit, *Si quis fidem negavit, vel ad judaiſmum, vel idolorum cultum, vel Manicheiſmum, vel aliquod aliud impietatis genus deſciviſſe viſus ſit, qui voluntariè quidem ad id malum ſe contulit, deinde ſeipſum condemnavit, totum tempus vitæ ſuæ habet Pœnitentiæ tempus. Nunquam enim ſi myſtica peragatur oratio, Deum unà cum populo adorare dignus cenſebitur, ſed ſeorſum precabitur.* Illud ſeorſum, κατὰ μόνας, ſolitarius, videtur intelligi non poſſe de ſubſtratis, qui licèt cum fidelibus non precarentur, cum iis tamen fideles precabantur. Deinde illi precari dicuntur κατὰ μόνας. At Subſtrati in Eccleſia ſimul precantur, atque ſuper eos in omnium fidelium conſpectu precatur Epiſcopus. Tanta eſt autem Nyſſeni ſeveritas, ut ſi moribundi Sacramentorum fuerunt participes, ſanitate recuperata idem judicium ſubeant. Antequam finiam, velim Lectorem notare hanc fletus ſtationem, ut ſtatio certa, cui ex Eccleſiæ mandato Pœnitentes aliquot tempus adſtringebantur, Græcorum propriam fuiſſe, & in Eccleſia Latina parum uſitatam. Licèt enim legantur criminum Rei extra Eccleſiam flere, concineratos, conciliatos Epiſcoporum fideleſque rogare, vix aut nunquam leges, id certo tempore juſſos extra Eccleſiam feciſſe. Nam id zelo, & deſiderio communicationis in aliis ſtationibus factitaſſe dubium non eſt. Poſt unum ſeptingenteſimum apud Latinos nonnunquam fletus mentio legitur, fuitque illius ſtationis uſus in criminum publicorum curatione, ſed ab eo, quem hactenus explicavimus, plurimùm recedebat, ut eo loco exponemus.

CAPUT III.

Auditio ſecunda Pœnitentiæ ſtatio explicatur. Auditionis locus demonſtratur. Unde narthex, & qua occaſione pars Eccleſiæ ſic dicta. Enarrantur pietatis officia, quibuſcum Audientes expiabantur.

SEcunda Pœnitentiæ ſtatio dicta eſt ἀκρόασις, Auditio, quòd probant omnia ea loca, quæ capite primo, & ſecundo exſcripta ſunt: In iis enim non modò fletus, ſed etiam τῶν ἀκροωμένων diſerta mentio habetur: Eadem nobis de iſta ſtatione quærenda ſunt, quæ de præcedente. Sed antequam hoc præſtemus, duorum monendus eſt Lector, quæ uno verbo hic repetemus, quoniam à nobis jam demonſtrata ſunt. Prius, antiquis Latinis, ut Tertulliano, & Cypriano Audientes dictos Catechumenos, quos etiam ſic vocavit Sanctus Auguſtinus: Non erat tamen illis inuſitatum Cathecumenorum nomen, cùm apud eoſdem auctores ſæpiùs quoque repetatur. Poſteriùs, Græcos auctores ſemper diſtinxiſſe τοὺς ἀκροωμένους ἀπὸ τῶν κατηχουμένων, Audientes à Catechumenis: Ideò cùm antiqui illi auctores Græci de pœnis peccatorum verba faciunt, Audientes illis ſemper ſunt Pœnitentes; Catechumeni verò Chriſtianæ doctrinæ Tyrones. Apud Latinos autem antiquos hoc non eſt animadvertere, cum vix apud eos Auditio, & Audientes pro ſtatione Pœnitentiæ, & iis, qui in ea verſantur, deprehendantur, ut infrà docemus.

II. Auditionis locus erat in porta Eccleſiæ, ſeu porticu ma-

Digitized by Google

magnis Eccleſiæ portis connexa. Ut hoc diſtinctiùs intelligatur, notandum eſt antiquarum Eccleſiarum portis ædificiolum quoddam conjunctum ſemper fuiſſe, quod veſtibulum, προπύλαιον πρόθυρον, & πρόναον meritò dici poteſt, quale viſitur in omnibus antiquis Romanis Eccleſiis, quod ingentibus columnis marmoreis innititur, quæ Conſtantinianum opus manifeſtiſſimè arguunt, & nonnulla opera unius, aut vix alterius poſt Conſtantinum ſeculi. Hoc ædificiolum propter figuram, quæ longitudine multis partibus latitudinem excedebat, à Græcis νάρθηξ, ferula dictum eſt: videbatur enim tam ratione ſui, quàm templi quid ναρθηκῶδες templo adnexum. Hanc denominationem poſteriores Græci Monachi reliquæ Eccleſiæ ſuæ, quà à choro ſuo dividitur, poſtmodum tribuerunt, quòd poſteà Græcis occaſionem dedit Eccleſiam in tres partes diſtinguendi, ut *capite primo* enarratum eſt. Auctor Etymologici magni νάρθηκα dictum vult ὅτι ἐν νέρθεν εἶναι τοῦ ναοῦ, quod ſit in templi parte inferiore. Inſulsè ſanè, ſi ad Grammaticam ſpectes. Si verò ad conſuetudinem ſignificationis Eccleſiaſticæ, non eſt ſine ſenſu, & rationis umbra originatio. Huic ædificiolo ſimilia videre eſt in ſingulis ferè Galliæ ruſticorum Eccleſiis: Sed ea nunc prophanis inſerviunt uſibus, quos in Eccleſiis religione ducti exercere non audent. Ingredientibus igitur in Eccleſiam primum occurrit area ſive ὑπαίθριον in quo diximus fletum collocatum fuiſſe; progredientibus ſuccedit ædificiolum illud, ſeu veſtibulum portis Eccleſiæ adhærens, atque in eo ad limen uſque portarum conſtituta erat Auditionis ſtatio. Hoc autem non eſt ita mathematicè intelligendum, ut paulò ampliùs progredi ad faciliùs audiendum piaculare fuerit. Immò in majoribus Eccleſiis, quod potiſſimùm poſt Conſtantinum contigit, Auditionis ſtatio interioris Eccleſiæ extremam partem portis Eccleſiæ attinentem complectebatur. Auditionis etymon, ratioque hoc demonſtrant; Cum enim longæ ſunt, & amplæ Eccleſiæ, Pęnitentes in veſtibulo, aut etiam in porta, Scripturarum lectiones, & Epiſcoporum prædicationes audire non poſſunt, niſi aliquanto propius accedant, à quorum tamen auditione Audientes dicti ſunt, & locus nomen accepit. Hinc occaſionem puto Græcos accepiſſe inferioris Eccleſiæ partis de Narthecis nomine vocandæ, quod prius ad ſolum ædificiolum jam deſcriptum pertinebat. Ea tamen lege portam prætergrediebantur, ut cis Catechumenos, & Pęnitentes ſubſtratos ſubſiſterent.

III. Quæ dicta ſunt, iiſdem auctoritatibus evidentiſſimè probantur, quibus fletibus ſtatio probata eſt. Lege igitur duo teſtimonia *capite primo* integrè relata, quorum primum eſt S. Gregorii Thaumaturgi, alterum Joannis Abbatis Raithu. Unus dicit, Auditionem eſſe ante, alius intra portas Eccleſiæ. Sanctus Baſilius *cap.* 56. poſtquam ſtationem fletus deſcripſit, ita de auditione ſcribit, *Poſt quatuor autem annos inter Auditores recipietur, & quinque annis cum ipſis egredietur.* Poſteà de ſubſtratis, *Septem autem annis cum iis, qui in Subſtratione orant, egredietur.* Eſt igitur duplex egreſſus, Prior eſt Audientium, poſterior Subſtratorum. Retrò igitur Pœnitentes Subſtratos ad portam ſtabant Audientes. Clariſſimè idem Baſilius *cap.* 22. Raptum mulierum puniens, *Oportet eos anno primo à precibus expelli, & ipſos deflere ad fores Eccleſiæ, ſecundò autem ad Auditionem admitti.* Poſt igitur fletum ad fores Eccleſiæ, in quibus audire non poſſunt, ad ipſas portas καὶ τὸ πρόναον, aut etiam paulò ulteriùs admittuntur, ut ſcripturas, & prædicationes audire poſſint. Id etiam neceſſariò requirit ſtadium Pœnitentiæ decurrendum, cujus meta eſt myſteriorum participatio. Antequam attingatur meta, ſtationes quatuor figuntur, priorque ſemper poſteriore à meta longiùs abeſt, & in poſteriore ſemper myſteria plura communicantur quàm in priore: Ideò etiam poſteriores ſtationes τῷ ἱερατείῳ, quod myſteriorum thronus eſt, & Dei ſedes, viciniores ſunt, ut loca myſteriorum participatione, & expiationis perfectioni conveniant.

IV. Zonaras in *can.* 11. Nicænum, in quo puniuntur ii, qui ſine neceſſitate lapſi ſunt, *Culpam verò ſic redimant, ut triennium quidem inter Audientes agant:* Quo verò Eccleſiæ loco? ἄγουσιν ἔξω τῆς ἐκκλησίας ἱστάμενοι ἐν τῷ νάρθηκι, *videlicet extra Eccleſiam in Narthece conſiſtant, divinaſque ſcripturas audiant. Septem verò annis ſubſternantur,* ὅτι ἔσω μὲν τῆς ἐκκλησίας εἰσέρχωνται, *Videlicet intra Eccleſiam ingrediantur, & in ea parte, quæ eſt retrò Ambonem, conſiſtant, & cum Catechumenis exeant.* Eadem ſcribit iterùm Zonaras in *cap.* 4. Concilii Ancyrani, & Balſamon in *can.* 11. & 12. Nicænos, & 4. 6. Ancyranos eadem prorſus; quibus jungendus eſt Harmenopulus in Epitome canonum *ſect.* 5. *tit.* 3. ubi canonem Sancti Baſilii 58. quo adulterii crimen punitur, explicat. Quod enim dixerat Baſilius, quatuor annis erit deflens, ſic interpretatur, *id eſt, Extra Eccleſiam ſtans, & ingredientes deprecans pro ipſo intercedere;* Quod verò dixerat, quinque Audiens, *id eſt,* inquit, *extra ſtans in Narthece:* Et quod dixerat, quinque ſubſtratus, *id eſt,* inquit, *intra Eccleſiam ſtans retro Ambonem.* Alii ſimiliter. Ejuſdem rei argumentum efficax erit, id quod de myſteriis, quibus in Auditione imbuebantur, infrà dicemus.

V. Secundò nobis inquirendum eſt, quibus pietatis officiis Audientes ab Eccleſia expiabantur, quidve ab eis exigebat. Quæ de flentibus dicta ſunt, eadem propè de Audientibus intelligi debent, ſi duo excipias, Lectionem ſcripturarum, & ſermonum, ſive interpretationis ſcripturæ auſcultationem Nulla alia pietatis officia toto Auditionis ſtadio ipſis publicè impendebantur. His duabus prærogativis flentes præcedebant. Tertia quædam erat, & magni momenti non poſitiva, ſed ratione habita ad flentes, negativa: Humili enim illa, & lugubri fratrum rogatione, quæ flentium propria erat, liberabantur. Nullæ ſuper eos manuum impoſitiones frequentabantur, Nullæ orationes expiatoriæ, aut alterius generis ſuper eos ſpecialiter fundebantur. Iſtarum enim expiationum nondum capaces cenſebantur. Præter autem duas illas prærogativas, à quibus nomen illis erat inditum, cæteras cum illis non eſſe communicatas, hinc demonſtratur, quòd aliarum nulla fiat mentio. Iidem autem canones, quibus, quæ ad fletum pertinent, probata ſunt, quæ nunc de Auditione aſſerimus, demonſtrant. Lege primùm duo illa teſtimonia Gregorii Thaumaturgi, & Joannis Raithu jam ſæpiùs citata. *Audiens,* inquit Gregorius, *ſcripturas, & doctrinam eiiciatur, & precatione indignus cenſeatur.* Sanctus Baſilius *can.* 75. paulò fuſiùs idem explicat. *Poſteà autem alio triennio ad ſolam Auditionem admittatur, & ſcripturam, ac doctrinam audiens eiiciatur, & oratione dignus non habeatur. Deinde ſi quidem illam cum lachrymis exquiſivit, & Domino cum cordis Contritione, & valida humiliatione ſupplex procidit, ei detur ſubſtratio.*

VI. Duo hic Lector diligenter notare debet: Priùs, duplex antiquis fuiſſe orationum genus, purgatorium ſive expiatorium, & Euchariſticum. Priùs fuit Pęnitentium proprium, ſed in tertiò tantùm gradu exercebatur. Poſteriùs erat fidelium, atque etiam Conſiſtentium, cujus Pœnitentes participes eſſe non poterant. Hæc capitibus ſequentibus pluribus explicabuntur, & demonſtrabuntur. Cùm igitur Audiens locis citatis oratione indignus cenſetur, intelligendum purgatoria; nam Euchariſtica ne ſubſtratum quidem, niſi decurſo Subſtrationis ſtadio, dignabantur. Poſteriùs in Sancti Baſilii verbis notatione dignum eſt, in Auditione, magna animi Contritione, & cordis humilitate Subſtrationem, ſive altiorem ſtationem eſſe expoſcendam. Hoc autem in unaquaque ſtatione faciendum eſt, ut ad altiorem, tandemque ad ipſam myſteriorum participationem perveniatur; alioquin ut jubet Concilium Nicænum *cap.* 12. tempus integrum unicuique ſtationi conſtitutum nulla remiſſione facta decurrent.

VII. Huic Sancti Baſilii canoni jungendus eſt 56. & Commentatores Zonaras, Harmenopulus, Balſamon locis paulò ante citatis in canones Baſilianos, Nicænos, & Ancyranos, in quibus Auditionis Pœnitentialis ſtatio frequenter commemoratur. Sanctus quoque Gregorius in Epiſtola ad Epiſcopum Melitinenſem, Homicidam voluntarium poſt novem annos in fletu exactos, *Tot annos,* inquit, *in Auditione permaneat ſola Doctorum, & ſcripturarum Auditione dignus habitus.* Antiquiſſima illa conſuetudo evidenter quoque colligitur ex *cap.* 5. *lib.* 8. *Conſtitut. Apoſtolicarum,* ubi Synaxis ordo deſcribitur: Poſt enim lectionem legis, Epiſtolarum, & Evangeliorum, *Alloquatur populum ſermone exhortatorio. Quo ſermone habito ad docendum, ſtatuo ego Andreas frater Petri, ut cunctis conſurgentibus, edicat Diaconus ex loco alto, ne quis adſit Audientium, ne quis infidelium. Et ſilentio facto dicat, orate Catechumeni.* Excludebantur igitur Audientes ab omnibus precibus, non ſolùm fidelium ſed etiam Cathecumenorum. Eodem tendit *canon.* 12. Concilii Laodiceni, *Oportet ſeorſum primùm poſt Epiſcoporum ſermones, Catechumenorum orationem peragi, &c.* Evidens eſt igitur Audientes ſola Lectionum ſacrarum, & ſermonum Eccleſiaſticorum auditione fuiſſe expiatos, & ab omni prece, & manuum impoſitione ſubmotos. Idem ex quæſtionibus quarum explicationem in caput ſequens relegamus, non minus evidenter demonſtratur.

CA-

CAPUT IV.

Auditio ſex hominum genera complectebatur. Omnes eodem modo audire ab Eccleſiæ incunabulis uſurpatum. Unum tantùm ex illis rationem Pœnitentis habuiſſe. Quando & ſtatio, & pœna pœnitentialis eſſe cœpit. Apud Latinos illius uſus rarò manifeſtus eſt. Enumerantur tria hominum genera, quæ probabile eſt huic ſtationi apud Latinos adſcripta fuiſſe.

HOc capite tria nobis explicanda proponimus, quæ ad Auditionis ſtationem penitiùs cognoſcendam ſpectare videntur. Primùm, quæ hominum genera complectatur: Deinde, an fuerit illius apud Græcos ante Novatum uſus. Denique, an apud Latinos. Alia ſuperſunt, quæ tam fletum reſpiciunt, quàm Auditionem, ſed de iis *capite ſequente*. Statio illa, ſive locus Auditionis, ut *capite* præcedente deſcriptus eſt, ſex hominum genera complectebatur, Ethnicos, Judæos, Hæreticos, Schiſmaticos, primi generis Catechumenos, & Audientes Pœnitentes: His enim omnibus cùm ad Eccleſiam ſeſe conferebant, hic locus adſignabatur, iiſque omnibus, Pſalmorum cantum, ſacræ Scripturæ lectionem, & ſermones Epiſcoporum audire licebat: Neminem enim ab horum auſcultatione prohibebant, Sic Concilium Carthag. *cap.* 84. *Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire verbum Dei, ſive Gentilem, ſive Hæreticum, ſive Judæum uſque ad Miſſam Catechumenorum*. Concilium verò Ilerdenſe *can.* 4. *De his, qui ſe inceſtus pollutione commaculant, placuit, ut quouſque in ipſo deteſtando, & illicito carnis contubernio perſeverant, uſque ad Miſſam tantùm Catechumenorum in Eccleſia admittantur, cum quibus etiam nec cibum ſumere ullum Chriſtianorum, ſicut Apoſtolus juſſit, oportet*. Ne ii quidem à ſanctarum Scripturarum, & homiliarum auditione prohibentur, qui ab Eccleſia Satanæ traditi ſunt, & Eccleſiæ propter contumaciam tantopere exoſi, ut cum eis vel cibum ſumere filiis ſuis non permittat.

II. Hujus rei rationem reddit Concilium Valentinum Hiſpaniæ *can.* 1. *Antiquos canones relegentes inter cætera hoc cenſuimus obſervandum, ut Sacroſancta Evangelia ante munerum illationem, vel Miſſam Catechumenorum in ordine Lectionum poſt Apoſtolum legantur: quatenus ſalutaria præcepta Domini Noſtri Jeſu Chriſti, vel ſermonem Sacerdotis, non ſolùm fideles, ſed etiam Catechumeni, ac Pœnitentes, & omnes, qui ex diverſo ſunt, audire licitum habeant: Sic enim Pontificum prædicatione audita nonnullos ad fidem attractos evidenter ſcimus*. Hanc rationem reddiderat multis ante ſeculis Sanctus Clemens *lib.* 2. Conſtit. *cap.* 39. Mos quidem pravus, & contra perpetuam Eccleſiæ traditionem in quibuſdam Hiſpaniæ locis inoleverat, ut Evangelium in Miſſa legeretur poſt Catechumenorum dimiſſionem, & offertorium. Præpoſterum hunc ordinem ex antiquis Canonibus corrigunt Patres propter utilitatem in quaſvis perſonas ex Evangelii, & Sermonum Auditionem redundantem. Miſſa Cathecumenorum dicuntur preces, & explicationes, quibus purgabantur, quæque dimiſſis omnibus perſonis jam enumeratis, & portis Eccleſiæ occluſis ſuper eos fundebantur, quibus fuſis ipſi Catechumeni ab Eccleſia dimittebantur, & Januis poſt eorum dimiſſionem iterum clauſis, offertorium fiebant, & ſacrificium celebrabatur, ut hæc ſigillatim explicabuntur, cùm de tertia ſtatione erit nobis ſermo.

III. Antiquiſſima eſt iſta Eccleſiæ conſuetudo, ut conſtat evidentiſſimè ex *cap.* 5. *lib.* 8. conſtit. Apoſtolicarum, quarum verba in fine *capitis* præcedentis retulimus. Ita uſurpare conſueverant ipſi Apoſtoli, ut ex *cap.* 14. *Epiſt.* 1. *ad Corinth. verſ.* 23. 24. evidenter colligitur, *Si ergo conveniat univerſa Eccleſia in unum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles, nonne dicent, quòd inſanitis? Si autem omnes prophetent, intrent autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus. Occulta cordis ejus manifeſta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quòd verè Deus in vobis ſit*. Hæc ante preces Euchariſticas fiebant, ad quas Pœnitentium, & Catechumenorum nullus, nedum Infidelium aliquis, admittebatur. In illis igitur ad Euchariſticæ celebrationem præambulis naſcente Eccleſia non modò Pſalmi cantabantur, lex, Prophetæ, Epiſtolæ, & Evangelia legebantur, & Homiliæ ad populum habebantur, quod hactenus in utraque Eccleſia Orientali, & Occidentali viget, ſed etiam collationes variæ, & ſermunculi à duabus, aut tribus fidelibus in unaquaque Synaxi pronuntiabantur, de quibus cæteri judicabant; aliquot etiam Hymnos, & Pſalmos quandoque fidelium nonnulli componebant, non modo vernacula lingua, ſed etiam peregrina, quos publicè recitabant, ut videre eſt eodem Epiſtolæ loco. Hæc omnia non modò fidelibus, ſed etiam infidelibus audire ſemper licuit. Hoc etiam colligitur ex Luciani Dialogo Philopatris dicto, ubi Chriſtianum inducit cum Ethnico colloquentem, cumque ad Eccleſiam ducentem, in qua ab omnibus læto vultu excipitur. Ex ſermonis autem contextu apparet, exceptum fuiſſe Ethnicum illum ante myſteriorum celebrationem, cùm ea, quæ ex Sancto Paulo enarravimus, agerentur.

IV. Admiſſos autem fuiſſe ad hanc ſtationem, ut vult Concilium Ilerdenſe, etiam maxima Excommunicatione damnatos, cùm quibus ne cibum quidem ſumere licebat; etiam eos de quibus Joannes ait in 2. *Epiſtola*, *Nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis: Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis*, Probant inſuper ea teſtimonia, quæ crimini imputant, Pœnitentiamque augent Apoſtatis, & Excommunicatis, cùm ad Eccleſiam revertuntur, quòd longo tempore Eccleſiam non frequentaverint, ut *cap.* 46. Eliberit. *Si quis fidelis Apoſtata per infinita tempora ad Eccleſiam non acceſſerit, ſi tamen aliquando fuerit reverſus, nec fuerit Idololatra, poſt decem annos placuit eum communionem accipere*. Simile decreverant Patres canone præcedente pro Baptiſmo concedendo Catechumenis, qui poſt Catechumenatus initiationem ad Eccleſiam per infinita tempora non acceſſerant. Idem etiam demonſtratur iis teſtimoniis, quæ prohibent, ne Apoſtatis, aut Eccleſia pulſis reconciliatio in fine præſtetur, ſi ad Eccleſiam tantùm redire cœperint, cùm morte urgentur, de qua antiquorum conſuetudine *libro* 9. fusè diſputabimus. Hinc igitur excerpat Lector, quæ cauſæ præſenti inſerviunt.

V. Lectori autem diligenter notandum eſt, Auditionem, uni tantùm hominum generi ex ſex enumeratis, rationem ſtationis pœnitentialis habuiſſe. Nam quinque aliis, ut ibi ſtarent in pœnam, ſtatutum non erat: Non Ethnicis, non Judæis, quia ad Eccleſiam non pertinent, nec de iis, qui foris ſunt judicat, ut ſcribit prima ad Corinth. *cap.* 5. Sanctus Paulus, & omnibus notum eſt: Non Hæreticis, non Schiſmaticis; eo quòd quamdiù tales manent, & Eccleſiæ juriſdictioni ſeſe non ſubmittunt, alia pœna quàm omnimoda ab Eccleſia exciſione, & communione puniri non poſſunt, qua jam, ut vel ipſum nomen demonſtrat, puniti ſunt. Sceleris primùm eos pœnitere oportet, & animi converſionem Eccleſiæ teſtatam facere, poſteà pro ratione tam delictorum, quàm compunctionis cordis Pœnitentiæ ſtatio illis conveniens attribuetur. Ibi tamen ſubſiſtere non prohibentur, ut ſcripturarum, & ſermonum Eccleſiaſticorum auditione Ethnici ad Dei cognitionem, & idololatriæ, qua polluti ſunt, horrorem, Judæi ad Chriſti amorem, Hæretici, & Schiſmatici ad pœnitentiam flecti, & commoveri poſſint, quod ſæpè contingere, canones citati nos admonent. Denique ſi hæc omnia, cùm ejuſmodi hominibus quovis loco, & quovis tempore opportuno communicari poſſunt, quidni in Eccleſia? Verùm alia ratio eſt Pœnitentium in ea ſtatione collocatorum. Ibi enim ex mandato Eccleſiæ ſubſiſtunt temporis ſpatio iis conſtituto, tenenturque huic ſtationi adeſſe, quoties fit Synaxis, & ibi permanere, donec ejiciantur, ut fideles ipſis Synaxibus, cum aliis omnes enumerati pro animi arbitrio audiant, & recedant. De Catechumenis paulò alia ratio eſt: Nam illis ſtatio illa imponi poteſt, & eſſe pœnalis: Catechumenus enim Eccleſiam ingrediens, & genu flectens, ſi peccat ad Auditionem remittitur, ut jubet Concilium Neocæſar. *cap.* 5. & aliàs à nobis explicatum eſt; ſed baptizatorum Pœnitentias nunc enarramus.

VI. Secundò nobis inquirendum eſt, An ſtationis iſtius ante Novatum uſus in Eccleſia Orientali fuerit. Secundum diſtinctionem præcedentem reſpondendum mihi videtur. Statio illa, ſi pro loco Audientibus deſtinato, atque etiam pro re ipſa, hoc eſt, pro ſcripturarum, & ſermonum auditu ſumatur, nulla habita ratione ad pœnæ impoſitionem perpetua fuit in Eccleſia, ut rei neceſſitas jam explicata, & teſtimonia initio capitis allata convincunt: Nec, ut opinor, de hac re lis eſſe poteſt. Verùm nuſquam lego ante Novatianam hæreſim aliquem ita eſſe damnatum, ut expreſſum ſit tot annis, menſibus, aut diebus in Auditione ſubſiſtes, aut Scripturarum ſacrarum Lectionem, & ſermones Eccleſiaſticos audies, poſteà verò genu flectes, & cum Catechumenis in

Ec-

Digitized by Google

Eccleſia convenies. Itaque cum fidelis aliquis peccaverat, ab Eccleſia pulſus pro animi arbitrio ad eam ſcripturas audiendi cauſa ſeſe conferebat, ut hoc graphicè deſcriptum videbis *lib. 2. Conſtit. S. Clementis c. 39.* retulimuſque locum integrum *lib. 4. cap. 2.* quò te remittimus. Cum verò Pęnitentia ductus veniam poſcebat, non imponebatur illi in pœnam, quòd poſt Novatum ſæpiùs factum eſt, ſcripturarum, & ſermonum per aliquot annos ſola Auditio, néve ultra portas Eccleſiæ progrederetur, ſed recta ad Eccleſiam cum Catechumenis admittebatur poſt ambonem ſubſtitutus, & cum iis egreſſurus.

VII. Obiici poteſt id quod in fine capitis præcedentis ex *c. 5. lib. 8.* Conſtitutionum Clementis allatum eſt, ubi Audientes ab Infidelibus diſtinguuntur, & utrique ab Eccleſia pelluntur, cùm Catechumenicum officium celebrandum eſt; *Edicat Diaconus ex loco alto, ne quis adſit Audientium, ne quis Infidelium, &c.* Multa reſponderi poſſunt; primùm, Infideles ibi Ethnicos eſſe, Audientes verò Schiſmaticos, Hæreticos, & Judæos: Poſtremi enim illi eo tempore ab Infidelibus, & Ethnicis diſtinguebantur, ut & hactenus Eccleſia in precibus publicis utroſque diſtinguit, & ſeparatis pro iis preces fundit, quòd multò magis tempore Apoſtolico neceſſarium erat. Deinde licèt nomine Infidelium intelligerentur Hæretici, Schiſmatici, & Judæi; per Audientes intelligi poſſent peccatores Pœnitentiam petentes, atque ideò Eccleſiam cum lachrymis, & animi converſione frequentantes, ſed nondum ad Pœnitentiam admiſſi, ut colligitur ex comparatione iſtorum verborum, cum iis, quæ docet idem Clemens *cap. 38. & 39. lib. 2.* Conſtit. Præterea Audientes intelligi poſſunt Catechumeni imperfectiores, qui nondum genu flectebant, quibus tantùm licebat ſcripturas, & ſermones cum Ethnicis, & Judæis audire. Denique plurima ſunt in illis Conſtitutionibus poſt Clementem addita, ut in omnibus ritualibus contingit. Liber enim ille Eccleſiæ Orientalis cęremonias nobis exhibet, quales erant regnantibus Ethnicis Imperatoribus. Itaque dici poſſet diſtinctio illa Infidelium ab Audientibus poſt Novatum additam eſſe, ut innumera poſt Clementem his libris ſuperaddita ſunt. Sed neceſſe non eſt ad hoc poſtremum confugere. Si de hac quæſtione plura cupis, lege, quæ ſcripſimus *cap. 2. & 3. libri quarti.*

VIII. Denique inquirendum nobis eſt, quis fuerit in Eccleſia Occidentali illius uſus. Tribus temporibus queſtio hęc examinari poteſt: Ante Novatiani hęreſim, poſt Novatiani hæreſim ad annum uſque ſeptingenteſimum, & poſt illud tempus. Ante Novatiani hæreſim ſuppoſita diſtinctione jam explicata, quum de Eccleſia Orientali verba fecimus, nullus prorſùs apparet iſtius ſtationis apud Occidentales uſus, ut *libro quarto cap. 2. 4. 5. & 6.* demonſtratum eſt. Nam ubicunque Audientes eo tempore commemorantur, ut apud Tertullianum, & Cyprianum, non Pœnitentes aliqui, ſed Catechumeni intelliguntur, à Latinis Audientes vulgò dicti, ut ſæpiùs à nobis adnotatum eſt, & probatum.

IX. Poſt Novatiani hæreſim ad tempus uſque definitum vix diſertam illius reperies mentionem; nec nomen tantùm intelligo, ſed rem ipſam; hoc eſt, vix aliquando leges aliquem ita fuiſſe punitum, duobus, tribus, &c. annis ſtabit inter Audientes, vel ſcripturas, & ſermones audiet, poſteà tot annis manuum impoſitioni ſubjacebit. Omnia ferè antiqua Latinorum monumenta nihil aliud commemorant, quàm antiquas pœnas, ab Euchariſtia ſcilicet ſuſpenſionem, Pœnitentiam, & ab Eccleſia expulſionem: Vix leges pœnitentiam ita explanatam, & diſtributam, ut pars aliqua Auditionem, aut id quod in Auditione exercetur, comprehenderit. Reperitur illius mentio in *Epiſtola 7.* Felicis 3. ad univerſos Epiſcopos: Jubet enim eaſdem pœnas in eos exercere, qui rebaptizati ſunt, quas in Lapſos decrevit Concilium Nicænum, *Tribus annis inter Audientes ſint, ſeptem annis ſubjaceant inter pęnitentes manibus Sacerdotum: Duobus autem annis oblationes modis omnibus non ſinantur offerre, ſed tantummodo ſecularibus in oratione ſocientur.* Idem poſteà decernit in Catechumenos, qui ab ejuſmodi hæreticis permiſerant ſe baptizari. Hæc Felix annis ducentis, & aliquot poſt hæreſim Novatianam.

X. Præter hoc teſtimonium aliud difficile apud Latinos invenies, quo Auditio, vel id, quod Auditione ſignificatur in Pęnitentiam fuerit impoſitum. Sanctus Ambroſius *lib. 2. de Pęnit. cap. 7.* quod *capite primo* hujus libri relatum eſt, nulla nominata ſtatione ad omnes generaliter videtur alludere Martinus Bracarenſis Epiſcopus licèt natione Græcus, & collectionem ſuam de canonibus Græcis pro longè maxima parte compilaverit, nuſquam tamen Auditionis mentionem facit, quamquam multos canones Græcos referat, in quibus Auditionis diſerta habetur mentio. Sanè hujus rei nulla alia ratio eſſe poteſt, quam quòd hæc pęna apud Hiſpanos non eſſet uſitata. Non enim canone κτ᾽ λέξιν refert, ſed & regionis, in qua vivebat, conſuetudini, & interpretationi propriæ accommodat. Dicere forſan poſſet aliquis Auditionem intelligi *can. 78. Si quis voluntarium homicidium fecerit, ad januam Eccleſiæ Catholicæ ſemper ſubjaceat, & communionem in exitu vitæ ſuæ accipiat, &c.* Canonis hanc partem exſcripſit ex 22. *can.* Ancyrano, ut ſequentem ex *can. 23.* Ita ſe habet 22. *De voluntariis cædibus, ſupplices quidem ſubſternantur, eo autem, quod perfectum eſt, in fine vitæ digni habeantur.* Itaque verba iſta, *ad januam Eccleſiæ ſubjaceant,* Subſtrationem denotant tertiam Pœnitentiæ ſtationem; & conſequenter januam Eccleſiæ ab interiori parte intelligit. Pœnitentes enim ſubſtrati locum à januis Eccleſiæ ad Ambonem occupant. *Canone* 81. qui ex 16. Ancyrano decerptus eſt, eodem modo Subſtrationem interpretatur.

XI. Fieri tamen poteſt, ut Latini hac pœna uſi aliàs fuerint propter Nicæni Concilii auctoritatem, cujus canones nemini fuerunt incogniti; necnon etiam propter Concilium Ancyranum cujus canones, ut & aliorum Conciliorum Græcorum Latinè ab antiquo redditi ſunt: Sed iſtius praxis vix unquam occurrunt exempla. Coniici tamen poteſt ad hanc ſtationem ablegatos fuiſſe, qui poſt Pœnitentiam actam eadem crimina, aut majora perpetrabant, quibus Pœnitentiam, ut probatum eſt, iterare non licebat. Pœnitentia enim, ut ſæpiùs adnotatum ea propriè dicitur, quæ in Subſtratione geritur. Nam ſi Siricius Pontifex *cap. 5. Epiſt. 1.* ſcribit, ſe clementer iis, qui poſt actam Pœnitentiam ex infirmitate iterum peccaverunt, indulgere, *Ut ſola intra Eccleſiam fidelibus oratione jungantur, quamvis non mereantur.* Omninò videtur neceſſarium, ut ante decretum illud Auditio illis præſcripta fuerit; idque etiam obſervaverint ii, quibus decretum illud aut ignotum fuit, aut non acceptum. Idem etiam colligendum de iis, qui poſt actam Pœnitentiam graviſſimè peccaverant. Indulgentia enim Siricii ad graviſſima crimina non diffunditur, ſed in minoribus ſubſiſtit. Ii quoque, quibus ad finem uſque vitæ communio interdicebatur, quorum multa occurrunt exempla, ut apud Martinum *cap.* 29. 30. 78. 79. Concil. Eliberit. *cap.* 10. 13. Aurelian. 3. *cap.* 24. Toletan. 4. *cap.* 54. planè enim improbabile eſt tam longo tempore laborioſis Subſtrationis operibus fuiſſe cruciatos.

XII. Præcedentibus multò magis jungendi ſunt ii, quos quædam Eccleſiæ in fine vitæ communione privabant. Iis enim, ut infra probabitur, Pœnitentia, hoc eſt, Subſtratio non imponebatur, nec tamen inhumanitùs, & crudeliſſimè excipiebantur, cum Eccleſiæ ſeſe permitterent: Auditioni igitur, à qua neminem arcebat Eccleſia, deputabantur. Nec ideò contra Patrum axioma itum eſt, quo adverſus Novatianos contendunt præpoſterum eſſe, & ridiculum, Pœnitentiam iis imponere, qui reconciliationem, & pacem non ſunt conſecuturi. Auditionis enim, ut juſſæ nullus erat uſus, nec ſi fuiſſet, ex eorum praxi ut nec ex praxi Novatianorum, ad Pœnitentiam, quam intelligebant, pertinuiſſet. Supereſt tertii temporis examen: Poſt enim ſeptimum ſeculum frequenter apud Latinos Auditionis mentio habetur, & ad eam non infrequenter Pœnitentes relegantur. Sed cum ab ea, quæ apud Orientales in uſu fuit, plurimum differat, & propter peccata tantùm publica inflicta fuerit, illius explicationem in librum ſequentem differimus.

CAPUT V.

Quatuor quæſtiones ſtationibus fletus, & auditionis communes diſſolvuntur.

SUperſunt aliquot quæſtiones fletui, & Auditioni communes, quæ tam ex dictis, quàm ex reipſa in unius cujuſque viri prudentis animo exoriri poſſunt; Eas breviter explicamus. Prima eſt, An in ſtationibus fletus, & Auditionis munus imponeretur: Diximus enim, & probavimus nulla alia pietatis officia præter Scripturarum ſacrarum, & ſermonum Eccleſiaſticorum auditionem illis fuiſſe adminiſtrata. Certum eſt primò, frequentem illam manus impoſitionem, quæ in omnibus propè ſynaxibus in tertio gradu repeti ſolebat, ſuper eos nunquam celebratam fuiſſe. Iſtius enim ritus nunquam fit mentio. Deinde in Eccleſia tantùm celebrari ſolebat; At illi extra Eccleſiam ſtabant. Præterea manus impoſitio

poſitio

Digitized by Google

poſitio Sacerdotalis ſemper erat orationi conjuncta: Sed utraque ſtatio, ut demonſtratum eſt, oratione cenſebatur indigna. Denique genuflexis manus impoſitio applicabatur; at in iſtis ſtationibus non flectebatur genu. Hæc clariora fient in tertiæ ſtationis enarratione, ubi, quando, quave ratione impoſitio illa fiebat, & antiquorum canones, qui de ea extant, explicabuntur.

II. Semel tamen flentibus, & Audientibus manuum impoſitionem fuiſſe videtur mihi non eſſe dubitandum. Flentibus dico, & Audientibus, non autem inflectus, & Auditionis ſtationibus, eo quòd manus illa impoſitio fieret, antequam in ſtationibus illis Pœnitentes collocarentur; in ipſa ſcilicet Pœnitentiæ impoſitione. Paucis res ita ſe habebat. Criminis Reo poſt crimen ſive publicè, ſive privatim enuntiatum Pœnitentia in media Eccleſia imponebatur ab Epiſcopo, ſtatioque, in qua Pœnitentiam ageret, deſignabatur, atque ad eam ablegabatur. Semper autem Pœnitentiæ impoſitioni conjuncta erat manus impoſitio. Quapropter flentes, & Audientes antequam ad ſtationem ſuam accederent, manus impoſitionem ſuſceperant. Nec hoc tantùm, ſed etiam cilicium, cineresque capitibus impoſita fuerant, iis in locis quibus, hic mos inoleverat. Cùm enim ex data hypotheſi Fletus, & Auditio in Pœnitentiam imponantur, Pœnitentia more ſolito impoſita fuit: Nec enim unquam legitur, aut aliquantulo indicio innuitur, his, & diverſo modò fuiſſe impoſitam Pęnitentiam, uno modo cum ad Fletum, vel Auditionem quis mittebatur, altero cùm ad ſubſtrationem. Pœnitentiæ autem impoſitioni ſuiſſe ſemper conjunctam manus impoſitionem, & alia, quæ ad hanc materiam pertinent, vide multis demonſtrata *libro quarto, cap.* 17. *&* 18. Ideò rem ex antecedentibus clariſſimam adnotaſſe ſufficiat. Inſuper animadvertet Lector, in graviſſimis peccatis, propter quæ peccator ab Eccleſia pulſus, & excisus fuerat, per Pęnitentiæ impoſitionem Excommunicationis maximè vinculum frangi, eumque hominem, qui ad Eccleſiam non amplius pertinebat, quique cum ea nullo religioſo commercio devinciebatur, per Pœnitentiæ impoſitionem incipere ad Eccleſiam pertinere, ei curæ eſſe, juſque ad communionem, etiam perfectiſſimam, recuperare, quæ ab eo tempore ſi periculo mortis urgeatur, illi denegari non debet. Quocirca cùm tantum illi beneficium Pœnitentiæ conceſſione conferatur, per manus impoſitionem cæterorum more illi conferendum fuit.

III. Secundò quæritur, An aliquando preces ſuper flentes, & Audientes ab Epiſcopo fierent. Reſpondeo idem eſſe de hac quæſtione, quod de præcedente judicium; Semel, in impoſitione ſcilicet Pœnitentiæ preces ſuper eos fuiſſe fuſas, poſteà non amplius, ut canonum verba diſertiſſimè demonſtrant. Ipſa manus impoſitio id evidenter demonſtrat: Semper enim orationi, & conceptis verborum formulis conjuncta fuit. Nunquam enim ſilens manum Sacerdos impoſuit. Iſtius moris teſtes ſunt præter canones, Patrumque teſtimonia, quotquot nobis ſuperſunt antiqui, & recentiores rituales libri, Græci, & Latini. Lege *libri quarti* capita jam notata, in quibus iſta fusè referuntur.

IV. Tertiò quæritur, An opera laborioſa, jejunia, chameuniæ, certæque preces crebrò recitandæ, &c. ipſis imponerentur. Reſpondeo hujus mandati nulla me videre veſtigia. Verùm equidem eſt iſta à Pœnitentibus pleriſque ſponte ſuſcepta fuiſſe, ab iis præſertim, qui ſpiritu fervidi erant, magnaque peccatorum contritione augebantur: Sed in illis ſtationibus imperata fuiſſe non legu. Hæc omnia in tertio gradu imperabantur, & exercebantur, in quo propriè agebatur humillima, & expiatoria Pœnitentia. Auditio enim in ſecundum Pœnitentiæ gradum conſtituta eſt veluti opprobrii cauſa, ut ad eum relegati Pœnitentes fidei rudimenta iterum edocerentur, non ſecus ac infimæ claſſis Catechumeni. Ea enim non didiciſſe cenſebantur, qui regenerationis lavacro abluti graviſſimis ſceleribus iterum ſeſe polluerant; necdum digni cenſebantur, quibus opera laborioſa ad promerendam Dei gratiam, & redimenda peccata impetrarentur. Fundamenta fidei, quæ tam malè, & negligenter dedicerant, in eorum animis iterum jacere neceſſarium judicabatur.

V. Ad fletum quoque eos pellebant, ut omni Eccleſiæ tecto nudati continuis precibus reditum in Eccleſiam à Clero, & fidelibus impetrarent, & tantis, totieſque iteratis precibus quantam ſalutis jacturam feciſſent, demonſtrarent. Ideò ſtationes illæ, ut præparationes ad Pœnitentiam rectè, & utiliter agendam, inſtitutæ erant. Pro ratione autem Contritionis, & humiliationis in illis ſtationibus demonſtratæ citius, aut tardius ſubſtratio concedebatur: ut res iſta manifeſta eſt, & diſertè eam docet Sanctus Baſilius, *cap.* 75. *Si quidem illam cum lacbrymis exquiſivit, & Domino cum cordis contritione, & valida humiliatione ſupplex procidit, detur ei ſubſtratio, &c.* Et Gregorius Nyſſenus in *Epiſt.* canonica tempus in his ſtationibus lege conſtitutum relaxari jubet, *Si converſionis magnitudo vincat, & ſuperet correctionis ſtudio eos, qui in longo tempore præſtituto ſuſceptas à ſe maculas ſegniter eluunt.* Quapropter licèt iis opera laborioſa, non ſecus, ac Catechumenis donec Competentium numero adſcripti eſſent, nulla in illis ſtationibus imperarentur, ſponte tamen ſuſcepta plurimùm, ut explicatum eſt, eos juvabant.

VI. Quartò quæri poteſt, quo ritu, quave ceremonia à fletu ad Auditionem erat tranſitus. Non memini me legiſſe hoc aliquando cùm aliqua ſolemnitate factum; neque ut factum fuerit, ullo modo videtur neceſſarium. Satis fuit primum edictum, quo in impoſitione Pœnitentiæ Reo juridicè ſignificatum eſt, tot annis in Fletu, tot in Auditione, &c. commoraberis. Elapſo tempore ex edicto jus erat illi altiorem ſtationem petendi, nec poterat denegari niſi novi criminis Reus fuiſſet peractus, ut fieri etiam nunc videmus in Clericorum ab officio, vel ordinibus ſuſpenſione, ubi elapſo tempore limitato ceſſat eo ipſo ſuſpenſio, nec ulla opus eſt ad peragendam ceſſationem accedat ſolemnitas. Si verò ante tempus præſcriptum ad Auditionem evehebatur, id Epiſcopi, aut ejus vices agentis auctoritate, & Cleri conſilio, & ſæpè plebis accedente rogatione concedebatur, ut videre eſt Concilii Nicæni *can.* 12. & aliàs ſæpè, ſed nuſquam ſolemnitatis adhibitæ ulla mentio. Hæc de fletus, & Auditionis ſtationibus Pœnitentialibus dicta ſunto.

CAPUT VI.

Ὑπόπτωσις, ſive Subſtratio, unde dicta. Quibus nominibus tam Græcis, quàm Latinis aliter vocatur. Eorum eſt, qui propriè Pœnitentes in Eccleſia dicuntur. Qua ratione in ea expiabantur. Expiatio Catechumenorum ante Baptiſmum comparatur cum expiatione. Pœnitentium ante reconciliationem. Subſtrationis locus deſcribitur, & quid ambo fuerint, explicatur.

TErtia Pœnitentium ſtatio Græcis vulgò dicta eſt *ὑπόπτωσις*, ſubſtratio, ſubmiſſio, ſubjectio, à verbo *ὑποπίπτειν* ſuccidere, ſe ſubjicere, ſubſternere, ut vel ſolus *canon.* 16. Ancyranus nos docet, ubi de graviſſimis peccati Reis dicitur *annis quindecim ὑποπεσόντες κοινωνίας τυγχανέτωσαν τῆς εἰς τὰς προσευχάς. ſubſtrati orationum communione fruuntur*. Et paulo poſt, *ἐξεταζέσθω δὲ αὐτῶν καὶ ὁ ἐν τῇ ὑποπτώσει βίος, Examinetur autem, & eorum in ſubſtratione vita, & ita humanitatem conſequantur.* Deinde ſequitur, *Si qui autem improbè, & immodicè hoc crimen perpetrarant, τὴν μακρὰν ἐχέτωσαν ὑπόπτωσιν, longam ſubeant ſubſtrationem.* Deinde de his, qui ætate provectiores hoc crimine ſe inquinaverunt, *Viginti quinque annis ὑποπεσόντες ſubſternantur.* Ut innumera alia teſtimonia prætereamus, manifeſtiſſimum eſt *ὑπόπτωσιν* dictam *ἀπὸ τοῦ ὑποπίπτειν*, & idem eſſe, ut Heſychius docet quod *καταπτῶσις*. Ideò neſcio qua ratione, & qua Grammatica fulti viri quidam docti hanc dictionem interpretati ſunt contemplationem, cùm ut ab *ὑποπτεύεσθαι* derivetur nec ſenſus, nec Grammatica, nec exemplum patiantur: *ὑποπίπτεσθαι* autem rectiſſimè dicuntur, eo quòd omnes Pœnitentes in ea ſtatione ſubſtrati, & genuflexi permaneant, ut poſteà docebimus. Nonnunquam Græcis iſta ſtatio aliis nominibus ſignificatur, Gregorius Thaumaturgus *cap.*5. eam his verbis expreſſit *ἐκκηρύξαι τῶν εὐχῶν, precibus abdicare*. Antiquiſſima eſt iſta expreſſio, & à primario effectu publico petita, qui eſt à precibus Euchariſticis expulſio: Omnes illi Pœnitentes quum erat ſacrificium inchoandum ab Eccleſia ejiciebantur. *Canone* tamen 8. *&* 9. verbo *ὑποπίπτειν* utitur. Inde eſt quod ſtatio ſubſtratione ſuperior dicatur precum communio, ut eidem Gregorio *can.*9. & pluribus, cùm de illa nobis erat ſermo demonſtrabimus, Ab antiquo quoque dicitur eadem de cauſa *ἀφορισμὸς*, & ſubſterni *ἀφορίζεσθαι*, *ſegregatio, & ſegregari*, eo quod à conſortio precum fidelium expellantur: antiquis auctoribus uſitata plurimum phraſis; ita ſæpiſſimè Clemens Romanus, & canones Apoſtolici, ut explicatum eſt *lib.*4. *cap.*2. *&* 3. Erat autem, ut ibi adnotatum eſt, *ἀφορισμὸς* quartæ ſtationi communis: Nam communio Chriſtianorum duobus potiſſimùm capitibus cenſebatur, communione precum, & communione corporis Chriſti, quæ ſæpè vocatur *τὸ ἀγαθὸν, καὶ τὸ τέλειον*. Ideò Petr. Alexandrinus Martyr *c.*8. ait, æquum eſſe in omnibus communicare cum iis, qui poſt-

quam

quam infirmitate ceciderunt; poſtmodum fortiter depugnarunt. Quid autem hoc eſt in omnibus communicare? *& in orationibus, & in participatione corporis, & ſanguinis, & ſermonis adhortatione*, ἀφορισμὸς ab oratione idem eſt, quòd ſubſtratio; ἀφορισμὸς à corpore Chriſti idem quod, σύστασις Conſiſtentia, ſive communio ſine oblatione.

I I. Hanc ſtationem etiam intellexerunt Patres tam Latini, quàm Græci quoties ferè de Pœnitentibus, & Pœnitentiali pęna verba faciunt, ut multis demonſtratum eſt *libro quarto, cap.7. & 8.* Sic Concilium 1. Tolet. *c.2.* explicans quos Pœnitentes dixiſſet ad Clerum non eſſe admittendos, ſic eos deſcribit, *Eum verò Pęnitentem dicimus, qui poſt baptiſmum aut pro homicidio, aut pro diverſis criminibus, graviſſimiſque peccatis publicam Pęnitentiam gerens ſub cilicio divino fuerit reconciliatus altario.* Siricius quoque Papa *Epiſt.1.cap.5.* de iis, qui ſemel Pœnitentiam propter crimina egerunt, definit, eos non habere amplius ſuffugium pœnitendi; tamen clementer iis indulget, ut precibus fidelium adſint licèt indigni, quia carnali fragilitate ceciderant, & in fine vitæ communione fruantur; perpetuam ad finem uſque vitæ corporis Chriſti privationem à Pœnitentia diſtinguens. Propriè enim Pœnitentes, ut ſæpius docet Sanctus Auguſtinus, dicebantur illi, qui humilem, & luctuoſam Pœnitentiam agebant, quod in hoc contingebat gradu. Sanctus Dionyſius, *capite 3.* Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, eam ſtationem intellexit per dimiſſionem, & egreſſum Catechumenorum, *Extra templi ambitum collocantur Catechumeni, & una cum eis Energumeni, atque ii, qui ſunt in Pęnitentia: manent autem ii, qui digni ſunt aſpectu rerum divinarum, & communione.* Cùm Catechumenis autem, & Energumenis ii Pœnitentes, de quibus nunc agimus, genu flectebant, & ab Eccleſia eiiciebantur. Itaque nomine Pœnitentium illos non alios intelligit. Sic Concilium Agathenſe *c.60.* *In Pęnitentium loco ſtandi, & orandi humilitatem ita noverint obſervandam, ut etiam ipſi, cum Catechumeni egredi commonentur, abſcedant.* Idem canone ſequente repetitur in alio criminis genere. Ita paſſim Canonum Græcorum Commentatores, & Abbreviatores hanc ſtationem vocant. Innumera ſunt alia hujus rei argumenta, quæ partim locis jam adnotatis relata ſunt, partim ea in ſequentibus nos referre neceſſe erit. Ideò eorum relatione ſuperſedemus.

I I I. Auctores Latini variis modis enunciant, quod canones Græci per ὑποπίπτειν exprimunt, Dionyſius Exiguus *canon.* 11. Nicæno, *Sex annis omni ſe contritione deiiciant.* Alia antiqua translatio, *Septem annis inter Pęnitentes ſint.* Rem acu Interpres ille tetigit. Sic Felix I I I. ejuſdem canonis verba interpretans *Epiſt.7.* *Tribus annis inter Audientes ſint, ſeptem annis ſubjaceant inter Pœnitentes manibus Sacerdotum.* Epitome canonum Adriani Pontificis, ut & Dionyſius Exiguus in Concilio Ancyrano, ſemper ubi eſt ὑπόπτωσις, aut verbum ὑποπίπτειν, transferunt aut Pęnitentiam, aut pœnitere. De Concilio Nicæno par eſt judicium, licèt illius epitome non extet. Martinus Bracarenſis Epiſcopus eoſdem canones, aut ſimpliciter per Pœnitentiam enuntiat, aut per hæc verba, *Subjaceant ad januam Eccleſiæ Catholicæ*, aut, *Subjaceant in humilitate ad januam, &c.* Duæ verò antiquæ Conciliorum verſiones, quarum altera eſt Dionyſii exigui ſemper transferunt, ubi eſt in canonibus Ancyranis, ὑποπίπτειν, eſt autem ſæpiſſimè, Pęnitentiam, & pœnitere. Eſt autem ubi per Pœnitentiam ſimpliciter reddunt, quod generaliter Patres Ancyrani de ſtationibus enuntiaverant, *per definitos gradus id, quod perfectum eſt, aſſequantur.*

I V. Itaque in hac ſtatione potiſſimum criminum maculæ eluebantur, fuitque in Eccleſia perpetua quamdiù Pœnitentiarum publicarum diſciplina viguit. Exomologeſis enim Antiquorum, & legitima plenaque Pœnitentia, quas tantopere commendant Sanctus Cyprianus, & Eliberitani Patres, nihil aliud ſunt quàm ὑπόπτωσις, ſeu Subſtratio, & Genuflexio in antiquis canonibus adeò celebratæ. Tertull. *cap.9. de Pęnitentia*, poſtquam de hac re multis diſſeruit, tandem colligit, *Itaque exomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ illicem. De ipſo quoque habitu, & victu mandat, ſacco, & cineri incubare, &c. Hæc omnia Exomologeſis, ut Pœnitentiam commendet, &c. & temporali afflictatione æterna ſupplicia non dicam fruſtretur, ſed expungat.* Duobus autem modis peccata in iſta ſtatione expiabantur, orationibus Eccleſiæ, & propriis Pœnitentium actionibus. Utroque enim modo conjuncto ſanctiſſimi Patres ſceleratorum hominum animos ad gratiam, & beneficium reconciliationis ſuſcipiendum præparabant. Ideò in ſingulis ferè ſynaxibus antequam offerrent fideles, & ſacrificium inchoaretur poſt Audientes omnes expulſos, & occluſas Eccleſiæ portas Epiſcopus ſuper iſtos Pœnitentes ſubſtratos, & genuflexos manus imponebat, & precabatur, aſſiſtente, & comprecante toto fidelium cœtu; quibus peractis ab Eccleſia expellebantur, portiſque iterùm occluſis fidelium preces inchoabantur. Ipſis præterea opera laborioſa imponebantur, preces, eleemoſynæ, varia jejunia, quæ ſigillatim, & eleganter loco citato deſcribit Tertullianus. Exiſtimabant enim, & meritò, precibus Eccleſiæ, & operibus à Pœnitente ex ipſius imperio, & directione factis maximam vim ineſſe ad obtinendam à Deo ſedulam animi converſionem, & tantam cordis contritionem, quæ & criminibus eluendis, & remiſſioni peccatorum à Deo per reconciliationem Sacerdotum obtinendæ ſufficeret. Ut quid enim ſingulis ferè ſinaxibus, per multos annos, aliquando decem, duodecim, quindecim, in hac ſtatione manus illis imponebantur, preces ſuper eorum capita fundebantur, perpetuis jejuniis, & orationibus exercebantur?

V. Alterum eſt, cujus Lectorem velim eſſe admonitum, quod jam in fine capitis præcedentis tetigimus. Expiationem Pœnitentium analogam fuiſſe expiationi Catechumenorum, ſi modò exceperimus pœnas propter idem crimen longè graviores Pœnitentibus impoſitas quàm Catechumenis. Ut enim Catechumeni antequam aliquo ritu ipſis adhibito ab Eccleſia purgarentur, ſcripturas tantùm, & prædicationes audiebant, unde à Latinis Audientes dicebantur; ſic & Pœnitentes. Catechumenos enim generalia, & communia fidei principia diſcere oportebat, antequam precibus expiatoriis digni cenſerentur. Ita Pœnitentes fidei principia generalia, quæ etiam Ethnicorum, & impurorum hominum vulgus enuntiabantur, iterùm ediſcere jubebantur: Perperam enim didiciſſe credebantur, quæ tam malè executi erant. Immò nonnunquam ipſis Ethnicis duriùs ab initio excipiebantur. Nam nullus Ethnicus à ſcripturarum, & ſermonum auditione excludebatur.

V I. Verùm aliquando tam atrox Pœnitentium crimen judicabatur, ut ne Auditione quidem digni cenſerentur, Quocirca fletus inventus eſt, quo relegarentur, ut ibi ad animi expiationem, & emaculationem, quæ fit per ſcripturarum, & ſermonum exauditionem, præpararentur. Purgat enim, & emundat animas Chriſti ſermo, *Jam vos mundi eſtis*, inquit Dominus Joann.15. 3. *propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.* Et Iſaiæ 55.11. *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, &c.* S. Dionyſius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ *cap.* 3. explicans rationem Auditionis ſacrarum Scripturarum, Catechumenis, Energumenis, & Pęnitentibus permiſſæ, docet *lib. Pſalmorum, Aptum animum afferre, & cauſari ad omnia pontificia Sacramenta adipiſcenda, & communicandum iis, qui ipſum ſanctè recitant.* Et paulò poſt, *Sacrorum ſapiens diſciplina, & ſcientia, primum quidem eos divinorum Scriptorum, quæ formandi, vitæque dandæ vim habent cibo ad inſtruendum, & introducendam plurimùm valente obſtetricant.* Iterùmque poſteà, *Neque enim fas eſt iis patere aditum ad ullum aliud ſacrum, niſi ad doctrinam ſcriptorum divinorum, qua ad meliora perveniant.*

V I I. Poſtquam Catechumeni generalia fidei principia edocti fuerant, orationibus, & exorciſmis purgabantur. Donec enim baptiſmo abluti eſſent in Dæmonis poteſtate cenſebantur; ideò longo tempore orationibus ſuper eorum capita ſuſis expiabantur, & exorciſmis à Diaboli poteſtate liberabantur, ut huc uſque in Eccleſia fieri ſolet. Idem etiam de Pœnitentibus antequam altario reconciliarentur, cenſebant, eos iterùm per crimina denuò perpetrata in diaboli poteſtatem recidiſſe: Ideò poſtquam longo tempore fidei principia, ut Ethnici, & primæ ſtationis Catechumeni, edocti eſſent, intra ambitum Eccleſiæ cum Catechumenis, & Energumenis admittebantur, & non ſecus, ac ipſi præter ſcripturarum Auditionem orationibus, & manuum impoſitionibus quotidie purgabantur, & juvabantur ad diaboli tyrannidem animo excutiendam. Inſuper & toto illo tempore, quod ut primum in multos annos prorogabatur, variis jejuniis, & operibus laborioſis caſtigabantur, ut his ſimul conjunctis auxilia gratiæ divinæ impetrarent, quibus cordis ad Deum converſio juvaretur, & ad Satanæ jugum, quod crimine ſuo induerant, confringendum corroborarentur, ſicque reconciliationi idonei redderentur. Hæc nobis ſigillatim demonſtranda ſunt. Sed antequam hoc aggrediamur, pauca de loco, quem in Eccleſia Pęnitentes illi occupabant, ediſſeremus.

V I I I. Ex iis, quæ de locis fletus, & Auditionis demonſtrata ſunt,

ſunt, neceſſariò ſubſtrationis locus colligitur. Oportet enim eum eſſe intra Eccleſiæ ambitum, à portis Eccleſiæ verſus Sanctuarium progrediendo. Quouſque autem progredi liceret, Eccleſiæ ambo definiebat. Erat enim velut limes inter Pœnitentes, & fideles, hoc eſt, Pœnitentibus ad Ambonem uſque intra Eccleſiam progredi licebat, prætergredi verò limitem iſtum nefas erat. Docentur iſta evidenter teſtimoniis ex Gregorio Thaumaturgo, & Joanne Raithu capite primo hujus libri integrè relatis. Sic etiam eundem locum explicant Zonaras, & Balſamon in *can.* 11. & 12. Nicænos, & in Ancyran. 4. & 5. & alibi ſæpius, ut & Harmenopulus, & Ariſtænus. Idem evidenter quoque colligitur ex multis S. Baſilii canonibus, præſertim ex canonibus 22. 56. & 75. Cùm enim Audientes Eccleſiæ portas occupent, & eos antecedant ſubſtrati, nec tamen cum fidelibus congregentur, ut omnes illi canones notant, neceſſariò intra Eccleſiam medii inter Audientes, & fideles conſiſtunt. Hoc etiam colligitur ex precibus, quæ ſuper eos fiunt, non autem ſuper Audientes: Preces enim & manus impoſitiones intra Eccleſiam celebrantur. Denique id demonſtrat emiſſio Catechumenorum, & Pœnitentium ab Eccleſia, cùm ſacrificium inchoatur, & portarum Eccleſiæ occluſio, cùm preces ſuper ipſos habendæ ſunt, ne myſteriorum, quibus imbuuntur, participes ſint Audientes.

IX. Operæ pretium eſt paucis explicare quid antiquitus fuerit Eccleſiæ Ambo, & quo loco collocatus, ut diſtinctius intelligat Lector, qui fuerint Pœnitentium in Eccleſia limites. Ambo ædificiolum erat in Eccleſia excelſum, in quod aliquot gradibus aſcendebatur *ἀπὸ τοῦ ἀναβαίνειν* dictus, ut vult Heſychius, unde *ἄμβων* quaſi *ἀνάβων*. Dici etiam potuit Ambo, eo quòd, ut plurimum orbicularis eſſet figuræ: Ambo enim Græcè limbum alicujus rei orbicularis ſignificat. Valfridus Stabo Ambonem derivat ab ambiendo, *quia intrantem ambit, & cingit*. Ex eo loco Evangelium, & Epiſtola in celebratione Miſſæ legebantur, diptycha recitabantur, Cantores in eo ſtabant, Hymnos, & pſalmos decantaturi; ex eo loco prædicationes ad populum habebantur. Quidquid denique publicè in Eccleſia edicebatur, ex eo loco adnuntiabatur, *Can.* 15. Laodicenus, *Non oportere præter canonicos Cantores, qui ambonem aſcendunt, & ex membrana pſallunt, aliquos alios canere in Eccleſia*. In Menologio die 1. Octobris, in commemoratione ſancti Romani *εὐθέως ἐξυπνος γενόμενος ἀναβὰς ἐν τῷ ἄμβωνι ἤρξατο ψάλλειν*, *Confeſtim experrefactus Ambonem aſcendit, & cœpit pſallere*. Concilium in Trullo, *cap.* 33. prohibet ne quis eorum, qui in Clericorum ordinem non ſunt relati, & tonſura inſigniti, ſacras Scripturas in Ambone legant. Concil. Conſtantinop. ſub Menna act. 5. univerſus populus clamat, *τὰ δίπτυχα τῷ ἄμβωνι*, *Diptycha ad Ambonem*, ſcilicet deferantur, nempe ut publicè legerentur, & exaudiret populus reſtituta in iis quatuor Synodorum, & Leonis Pontificis Romani. Euphemiique CP. nomina, quæ paulò poſt ex ambone cum iſta reſtitutione toto populo acclamante, gloria tibi, Domine, lecta ſunt. Socrates *lib.* 6. *hiſtoriæ ſuæ cap.* 5. ait S. Chryſoſtomum in Ambone ſolitum conciones ad populum habere. In Breviario Synodi 8. quod habetur in fine prioris partis tertii tomi Conciliorum, Joannes 8. Papa Ambonem aſcendit, atque ex eo anathematis ſententiam adverſus Photium pronuntiavit, & Prædeceſſorum Nicolai I. & Adriani II. ſententias in eum latas confirmavit.

X. Scribitur in vita Pelagii I. quod à populo accuſatus Vigilii faviſſe inimicis Evangelia in manibus ſumpſerit, crucemque capiti impoſuerit, & hoc habitu Ambonem aſcenderit, & juramento ſe purgaverit. In ordine Romano capite, cui titulus, *Qualiter celebrandum ſit officium Miſſæ*, hæc habentur, *ille Subdiaconus, qui lecturus eſt, poſtquam viderit Epiſcopos, ſive Presbyteros poſt Pontificem ſedere, &c. tunc aſcendit in Ambonem, & legit lectionem. Poſt quam Lector legerit, Cantor cum cantatorio aſcendit, & reſponſorium dicit, ac deinde per alium Cantorem allelaja, &c.* Similiter & Diaconus Evangelium lecturus. Sed ea eſt differentia, quòd Diaconus Evangelium legit in loco ſuperiore Ambonis; Subdiaconus verò in inferiore. Ita capite primo ejuſdem ordinis, *Subdiaconus, qui lecturus eſt, aſcendit in Ambonem ut legat, non tamen in ſuperiorem gradum, quem ſolus ſolet aſcendere, qui Evangelium lecturus eſt*. Nec etiam altius Subdiacono aſcendit Cantor, ita enim adnotatur, *Poſtquam legerit, Cantor ſine aliqua neceſſitate non aſcendit ſuperius, ſed ſtat in eodem loco ubi & Lector, & ſolus inchoat reſponſoriam; & cuncti in choro reſpondent, &c.* Ibidem etiam verſum reſponſorii incipit, & Alleluja. Antiquiſſimis Latinis dictum eſt Pulpitum: Unde ſanctus Cyprianus *Epiſt.* 33. de Confeſſore verba faciens qui poſt varia tormenta fortiter tolerata factus fuerat Lector, dicit eum ad pulpitum poſt cataſtam veniſſe. Et *Epiſt. ſequente, Quid aliud quàm ſuper pulpitum, id eſt, ſuper tribunal Eccleſiæ oportebat imponi, ut loci altioris celſitate ſubnixus, & plebi univerſæ pro honoris ſui claritate conſpicuus, legat præcepta, & Evangelium Domini*. Valfridus Strabo *cap.* 6. *de rebus Eccleſiaſticis* ab eo ſenſu illius etymon ſolicitat, *Pulpitum quod ſit in publico ſtatutum, ut qui ibi ſtant, ab omnibus videantur*. Semper enim ſcripturæ, & prædicationes in Eccleſia habitæ ſunt è loco excelſo, antequam ambonis & nomen, & ædificiolum uſurparentur, ut ex Clemente Romano *lib.* 2. *Conſtitutionum cap.* 57. qui præcipit, ut Lector ſtans in medio Eccleſiæ è loco excelſo lectiones legat. Latinis poſterioribus ſæpe Analogium, & Analogius, & aliquando lectorium dictus eſt. Sed hæc inſtituto noſtro ſufficiunt, cætera, quæ multa ſunt, ut nunc non neceſſaria, prætermittimus; ea in libro quem de antiquis Chriſtianorum Eccleſiis ſcripſimus, diligenter perſecuti ſumus.

XI. Ex iis, quæ de Ambone Eccleſiæ hactenus explicata ſunt, facile eſt colligere, in quo Eccleſiæ loco collocatus fuerit. Monachorum Eccleſias excipio, in quibus nec plebis, nec Catechumenorum, nec Pœnitentiam ratio habebatur. In eodem Eccleſiæ loco conſtituebatur, quo nunc Prædicatorum cathedræ, & pulpita, cùm eadem fuerit utrorumque ratio. Itaque pro ratione magnitudinis, & capacitatis Eccleſiarum non modò plus minuſve à Sanctuario diſtabant Ambones; ſed etiam ampliores erant, & magnificentiores; ita ut ſubtus plures perſonæ ſubſiſterent, & nonnunquam corpora ſepelirentur, dupliceſque eſſent gradus, Orientales, & Occidentales, per illos aſcendebatur, per hos deſcendebatur: Spatium igitur intra quod ſubſtrationis ſtatio continebatur, definitum erat ab Eccleſiæ portis ad Ambonem uſque, ita tamen ut poſt Ambonem ſubſiſterent. Hi erant limites quos tranſilire nefas erat impuris illis hominibus, Cum verò fidelium magnus ad Eccleſiam confluebat numerus, & ſpatium à Sanctuario ad ambonem omnes non caperet, pedem verſus Eccleſiæ portas referebant Pœnitentes, ut fidelibus ſemper poſtponerentur.

CAPUT VII.

Energumenorum baptizatorum curationem duplicem eſſe; Unam in ſubſtratione, dum celebrabatur Synaxis, Alteram extra Synaxim in Eccleſia, vel in privatis ædibus. Utriuſque ritus exponitur. An ordinum capaces Energumeni. Quàm latè hoc nomen extenſum. Quando ceſſavit prior curandi ratio. Qua ratione in Catechumenos ſanos, & moribundos ſeſe gerebat Eccleſia. Extraordinariæ Energumenos curandi rationes enarrantur.

STatio Subſtrationis, ut capite præcedente explicata, & circumſcripta fuit, quatuor hominum genera complectebatur. Primum Catechumenos, ſecundi ſcilicet gradus, à quibus nomen etiam ſtatio accepit: Sæpe enim apud Antiquos pro ſubſterni dicitur cum Catechumenis egredi, & precari; Deinde Energumenos; Tertiò Competentes, ſive tertii gradus Catechumenos; Denique Pœnitentes, de quibus agimus. De utriſque Catechumenis, & eorum expiatione quotidiana non eſt hic dicendi locus: Pauca tamen erunt attingenda, eo quod nonnulla teſtimonia, quæ de duobus aliis loquuntur, etiam iſtos complectuntur. De Energumenis, & eorum expiatione hoc capite diſſeremus: Quanquam enim à Penitentibus diſtincti eſſent, impurum tamen cenſebatur hominum genus, & fidelibus commiſceri non permittebatur, illiſque ſpecialis expiationis ratio procurabatur, quam breviter exponemus. Energumeni vel erant baptizati, vel adhuc Cathecumeni: De utriſque, ſed de baptizatis priùs agemus. De his quatuor quæremus: Primum, qua ratione curabantur. Secundùm, An ordinum capaces eſſent, tertiò quàm latè apud aliquos auctores extenſum ſit Energumeni nomen. Denique quid ex antiquo more abrogatum eſt.

II. Curationis Energumenorum apud Antiquos ratio duplex fuit: Una in media fidelium Synaxi procurabatur, altera extra Synaxim. Priorem deſcribit Clemens Romanus. *lib.* 8. *Conſtit. Apoſtolicarum, cap.* 5. ubi nos docet, poſt Audientes ab Eccleſia expulſos, poſt Catechumenorum orationem, & dimiſſionem, ſuper Energumenos in omnium fidelium pro iis orantium conſpectu manus fuiſſe impoſitas, & preces ab Epiſcopo fuſas, deinde ab Eccleſia dimiſſos, ut precibus Pœnitentium daretur locus. Sic Clemens poſt Evan-

Digitized by Google

gelii in Synaxi lectionem, & Concionem habitam iſta enarrat, Audientes ab Eccleſia pelluntur, & ipſis expulſis, edicit Diaconus, *Orate Catechumeni, & omnes fideles attentè pro ipſis orent, dicentes, Kyrie eleiſon*. Capite ſexto continetur oratio Epiſcopi ſuper Catechumenos, qua finita edicit Diaconus, *Exite Catechumeni in pace, & poſtquam exierint, dicat, Energumeni, quos ſpiritus immundi urgent, Deum precamini. Intentè omnes pro eis precemur, ut Deus miſericors increpet per Chriſtum immundos, & malos ſpiritus, & eruat ipſi ſupplices ab extranea poteſtate, & tyrannide, qui increpavit legionem dæmonum, & diabolum principium peccati increpet ipſe, & nunc Apoſtatas pietatis in Deum, eripiatque, quos ipſe condidit ab illius actu, & repurget eos, quos cum magna ſapientia effecit. Deprecemur adhuc intentè pro ipſis: libera, & ſuſcita eos Deus tua patientia. Inclinate Energumeni, & accipite benedictionem, & Epiſcopus precetur illis dicens, &c.* Sequitur *cap* 7. oratio Epiſcopi, qua exaltata Dei potentia oratur, ut dæmonem compeſcat, & creaturam ſuam ab ejus poteſtate liberet, qua completa jubet Diaconus ſecedere Energumenos, *ac poſt egreſſum eorum dicat, orate, qui baptiſmum petitis, &c.* Hujuſmodi erat antiqua, & quotidiana expiationis Energumenorum formula.

III. Eidem teſtimonium perhibet S. Chryſoſtomus *homil.* 3. de incomprehenſibili natura Dei, ubi eloquenter orationis virtutem exaggerat, & illius potiſſimum, quæ ab univerſa fit Eccleſia. Dicit Angelos hominibus tum comprecari, & corpus Chriſti ut Dei clementiam flectant, dum offert ſacrificium, protendere. Et cum multa ejuſmodi edifferuit, addit, *Agitatos quoque ob eam rem Diaconus tempore illo adducit, & jubet caput inclinare. Cùm eos unà cum fratribus orare non liceat, adducit eos ut tu miſertus, quia tam acerbè vexantur; & quia vocem reddere nequeunt, tua facultate ad eorum utaris defenſionem, & auxilium*. Nonnulla alia teſtimonia ex eodem Sancto infra *cap.* 9. referemus, cùm de oratione, quæ ſuper pœnitentes fieri ſolet, agemus.

IV. Ejuſdem quoque ritus teſtis eſt S. Dionyſius Hierarchiæ Eccleſiaſticæ *cap.* 3. cum Catechumenis, & Pœnitentibus ab Eccleſia expulſus conjungit Energumenos, lectione, inquit, ſanctorum Librorum recitata, *extra templi ambitum collocantur Catechumeni, & cum iis Energumeni, & Pœnitentes*. Et poſteà hoc ex eccleſiaſtico more fieri teſtatur, *Catechumenos autem, & Energumenos quoque in pœnitentia ſunt, ſanctæ Hierarchiæ mos patitur quidem audire ſacram Pſalmorum modulationem, divinamque ſacrarum Scripturarum recitationem: ad ſacra autem opera, quæ deinceps ſequuntur, atque myſteria ſpectanda non eos convocat, ſed perfectos integrorum oculos*. Rationem inſuper reddit, qua Eccleſia commota prius Catechumenos arcet quàm Energumenos, longiuſque ab altari illos removet quàm iſtos, *Energumenorum autem multitudo à ſacris quidem etiam arcetur, ſed ſecundum locum in ſuperiore parte extremitatis Catechumenorum obtinet. Neque enim par eſt mea quidem ſententia id, quod particeps aliquando ſanctiſſimorum Sacramentorum fuit, ſed etiam contrariis, aut voluptatibus, aut perturbationibus conſtrictum tenetur ei, quod penitus ſacris initiatum non eſt, nec ulla ex parte eſt particeps divinorum Myſteriorum*. Quare autem à Myſteriorum non modò participatione, ſed etiam conſpectu arceantur Energumeni varias ibidem lege rationes. Capite quoque Hierarchiæ quarto ubi ſacri Chriſmatis confectionem, ritusque enarrat, eoſdem iterum Energumenos ab iſtius myſterii conſpectu longè arcet. Ita curatus fuit Monachus quidam, quem ait Severus Sulpitius è deſerto ad ſeculum fugientem à dæmone arreptum, & crudeliter vexatum, *Poſt biennium*, inquit, Dialogo 1. de vita ſancti Martini, *cap.* 15. *dæmon oratione Sanctorum ab immundo ſpiritu liberatur*.

V. Idem inſuper docet *canon. Apoſtolicus* 79. paucis verbis quæ Clemens, & Dionyſius explicatius tradiderunt, *Si quis dæmonem habet, Clericus non fiat: ſed nec ſimul oret cum fidelibus; Purgatus verò admittatur*. Traditionis igitur eſt Apoſtolicæ, ut Energumeni cum fidelibus non orent, antequam purgati ſint, ſed ſeparatim, ut pro Catechumenis, & Pœnitentibus, ita pro iis orationes habeantur. Præſumuntur enim immundi, qui ſunt dæmonis habitaculum, ut inquit Zonaras in hunc canonem; & Balſamon in reſponſiones Timothei Alexandrini, *Nam ſi vaſi putri non creditur unguentum, ſecundùm magnum in Theologia Gregorium, quomodo receptaculo dæmonis gratia Spiritus S. creditur?* Ideo Concilium Eliberitanum, *cap.* 29. ne nomen quidem eorum cum oblatione vult ad altare recitari, hoc eſt, precibus fidelium non vult adeſſe, nec oblationes eorum recipere, *Energumeni, qui ab erratico ſpiritu exagitantur nomen neque ad altare cùm oblatione recitandum, neque permittendum, ut ſua manu in Eccleſia miniſtret*. Refert Balſamon quæſtiones quaſdam à Monachis Synodo Conſtantinopolitanæ ſub Alexio Comneno celebratæ propoſitas, inter quas hæc habetur, An oportet dæmoniacum ſancti Sacramenti eſſe participem, Reſpondent Patres, *Si quis atra bile agitatur, ut videatur eſſe dæmoniacus, non prohibebitur. Sed ſi eſt revera dæmoniacus, Sacramentis minimè dignabitur: Nulla eſt enim luci ſocietas cum tenebris*. Utrumque genus arcet ſanctus Dionyſius ab omni Sacramentorum non modò participatione, ſed etiam conſpectu. Concilium tamen Eliberitanum, ſi quis preſsè verba ipſius conſectaretur, ſic poteſt intelligi, ut Græci illi reſponderunt.

VI. Timotheus Alexandrinus Epiſcopus interrogationi 3. cum temperamento reſpondet, *Si myſterium non enuntiet, nec ullo alio modo blaſphemet, ſit particeps* (corporis Chriſti) *ſed non ſingulis diebus: ſufficit enim ſi ſtatis ſolùm temporibus*. Antiquæ ſeveritatis relaxatio quædam eſt. Præſumendus eſt ejuſmodi Energumenus magna jam ex parte ſanatus, cùm nec myſteria dum corripitur enuntiet, nec ullo modo blaſphemet, quod in hoc hominum genere niſi ſanitati perfectæ proximo vix unquam deprehenditur. In hac eſſe ſententia, aut ad eam quàm proximè accedere videtur Concilium Arauſ. 1. *cap.* 14. cum ſic ſtatuit, *Energumeni baptizati, ſi de purgatione ſua curent, & ſe ſolicitudini Clericorum tradant, monitiſque obtemperent, omnimodè communicent, ſacramenti ipſius virtute, vel muniendi ab incurſu dæmonum, quo infeſtantur, vel purgandi, quorum jam oſtenditur vita purgatior*. Cum igitur modeſti ſunt, non blaſphemant, Curatoribus ſuis obediunt, purgatiorque quam anteà vita eorum apparet, tum juxta recentiorem illam diſpenſationem cum fidelibus poſſunt Energumeni congregari, & Sanctorum eſſe participes. Hujus rei exemplum legitur apud Proſperum, quod in fine capitis referimus.

VII. Talem nobis exhibent priorem curationis Energumenorum modum antiqui Patres. Poſterior purgationis modus fuit uſurpatus extra ſacrificii, & Synaxeos ſolemnitatem, qui ſimiliter per manus fiebat impoſitionem. Sed in tribus potiſſimum à priore diſtinguebatur. Primò, quòd poſterior ab Exorciſta fieret, Prior ab Epiſcopo tantùm, aut Presbytero, forſan etiam à Diacono, ſi abeſſet Presbyter, aut legitimè impediretur: Secundò, quòd ille extra Synaxim, hic in ipſa Synaxi: Tertiò, quòd ille per Exorciſmos, hic ſola oratione. Poſterior iſta purgatio duplici loco fieri potuit in Eccleſia, omniumque conſpectu, ſed extra myſticæ celebrationis tempus; vel in domibus privatis nulla, aut pauciora turba admota. Sulpitius Severus, *dialogo* 3. *de vita S. Martini* ſic purgandi modum ab eo adhibitum deſcribit, *Siquando exorcizandorum dæmoniorum Martinus operam recepiſſet, neminem manibus attrectabat, ſermonibus increpabat, ſicut plerumque per Clericos rotatur turbo verborum: ſed admotis Energumenis cæteros jubebat abſcedere, ac foribus obſeratis in medio Eccleſiæ cilicio circumtectus; cinere aſperſus, ſolo ſtratus orabat. Tum verò cerneres miſeros diverſo exitu perurgeri; hos ſublatis in ſublime pedibus quaſi de nube pendere, nec tamen veſtes defluere ſuper faciem, ne faceret verecundiam nudata pars corporum, &c.*

VIII. De poſteriori iſta curandi Energumenos ratione ſic ſtatuit Concilium Cartag. 4. *c.* 90. *Omni die Exorciſtæ Energumenis manus imponant*. Et juſdem Concilii *c.* 6. *Exorciſta cum ordinatur accipiat de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſint Exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo, Accipe & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenum ſive Baptizatum, ſive Catechumenum*. His verbis poſteà in hunc uſque diem Eccleſia Latina uſa eſt in ordinatione Exorciſtarum. Vide Iſidorum *l.* 2. *c.* 13. *de officiis Eccleſiaſt.* Rabanum Maurum *lib.* 1. *c.* 10. *de inſtit. Clericorum*, Amalarium *lib.* 2. *c.* 9. Aquiſgran. Concilium *c.* 4. Antiquus ordo Romanus, Gregorii Sacramentarium, & Romana, cæterorumque Europæorum Pontificalia. Ex quibus manifeſtum eſt, Exorciſtas & manuum impoſitione, & Exorciſmis dæmoniacos curaſſe. Hoc autem non feciſſe in media Synaxi evidens videtur, quod nuſquam id de Exorciſtis, ut de Epiſcopis, ſignificatur. Exorciſtarum tamen curationem in Eccleſia factam fuiſſe colligi præterea videtur ex *can.* 92. Concilii Carth. 4. *Energumenis in domo Dei aſſidentibus victus quotidianus per Exorciſtas opportuno tempore miniſtretur*. Quare eorum in Eccleſia aſſiduitas laudatur, & remuneratur, niſi quod ut ex Concilio Arauſicano oſtendimus, curatio ſua illis curæ eſt, & ſeſe Clericorum ſolicitudini committunt; Hinc eſt, quòd Paulinus in vita S. Ambroſii dicit ſervum Stiliconis Comitis dæmonio laborantem, ab Ambroſio verò curatum in Ambroſiana Baſilica

man-

Digitized by Google

manſiſſe. Ideò quoque Patres Carthaginenſes canone præcedente Energumenis injungunt, ut Eccleſiæ pavimenta verrant.

IX. Utrunque locum curationis Energumenorum & in Eccleſia, & in domibus privatis evidenter nos docet *can.26.* Laodicenus dum Exorciſtas id facere prohibet, qui ab Epiſcopis promoti non fuerunt, *Eos exorcizare, ἐφορκίζειν, non oportere, qui ab Epiſcopis promoti non ſunt, neque in Eccleſiis, neque in ædibus*. Refert Poſſidonius in vita S. Auguſtini multos dæmoniacos ſic ab eo curatos eſſe, *Novi quoque eundem & Presbyterum, & Epiſcopum pro quibuſdam Energumenis patientibus, ut oraret rogatum, eumque in oratione lacrymas fundentem Deum rogaſſe, & dæmones ab hominibus receſſiſſe*. Hoc privatim ab eo factum fuiſſe formula loquendi à Poſſidonio adhibita planè demonſtrat. Ut quid enim de ſe peculiariter diceret, *Novi quoque*, ſi publicè in Eccleſia hoc factum fuiſſet? Ut quid ait, *pro quibuſdam Energumenis rogatum?* Quæ enim in Eccleſia fiunt, omnium ſunt communia. Sic ſolebat aliquando Energumenos curare S. Ambroſ. ut ex Paulino in illius vita colligitur. *Multos*, inquit, *etiam diebus ipſis imponente illo manus, & imperante à ſpiritibus immundis vidimus eſſe purgatos*. Eodem ferè modo privatim hoc factum fuiſſe argumentari licet, quo ex Poſſidonio. Paulò ante idem evidenter inſinuaverat his verbis, *Cùm vir illuſtris Probus puerum ſuum Notarium, qui ſpiritu immundo graviter vexabatur, duxiſſet ad Epiſcopum egreſſum urbe, dimiſit diabolus, timens ad virum Sanctum perduci. Atque ita puer quamdiù Mediolani apud Epiſcopum fuit, nulla comminatio diaboli apparuit. Sed ubi egreſſus Mediolano eſt, &c. idem ſpiritus, qui illum ante habuerat, vexare eum cœpit*. Poſteà Exorciſtis, inquit, eo commendato quæſierunt illi à dæmone cur Mediolani non appareret, *confeſſus eſt diabolus timuiſſe ſe Ambroſium, & ideò receſſiſſe ſe ad tempus*. Hinc iterùm colligitur Exorciſtarum munus in Eccleſia Latina ordinarium ſemper fuiſſe. Verùm in Orientali rarus fuit illius uſus. Eſt tamen aliqua ejus mentio, ut canone Laodiceno jam citato, Antioch. *cap. 10. & in Epiſtola Firmiliani Cæſareæ in Cappadocia Metropolitæ*, quæ apud S. Cyprianum eſt 75. apud S. Ignatium *in Epiſt. ad Antiochum*, & alibi, necnon Conſtitutionum Apoſtolorum, *lib.8. c.27.* Sed Exorciſtam non intelligit Conſtitutionum autor aliquem ad id humanitus ordinatum, ſed divinitus ſanitatum miraculis fulgentem. Quidquid ſit, eſt idem utriuſque in Energumenos effectus. Gabriel Philadelphienſis Metropolita, autor recens Græcus in libello de ſacramentis Exorciſtam cæteris ordinibus adnumerat, eumque definit, cui poteſtas data eſt adversùs malignos ſpiritus.

X. Verùm licet rariſſima, ſit Exorciſtarum apud antiquos Græcos mentio, & apud recentiores vix ulla, tamen munus ipſum apud eos, ut apud Latinos frequentiſſimum fuit, ſed à Presbyteris exercitum. Ideò in eorum Euchologiis eſt conſequentia, ſive ordo ad conſolationem infirmorum agitatorum à ſpiritibus immundis, & moleſtiam afferentibus, in quo habentur variæ preces, Pſalmi, cantus, & Hymni. Sunt etiam Exorciſmi, & preces variæ in Exorciſmi modum enunciatæ, quas partim tribuunt magno Baſilio, partim Chryſoſtomo. In iis particulare eſt, quod inter recitandum hæc omnia Energumenum oleo inungunt. Græcos quod ad praxim curationis attinet, imitati ſunt ab aliquot ſeculis Latini. Exorciſmos enim, qui Energumenis curandis nonnunquam adhibentur, à nullis aliis quàm à Presbyteris pronuntiari videmus. Præter Euchologium, Energumenorum curationem teſtantur Trullani Patres, qui paulò poſt annum ſeptingenteſimum convenerunt, jubent enim *cap.60.* eum, qui ſe Energumenum ſimulaverit, *Iiſdem afflictionibus, laboribuſque ſubiici, quibus ii, qui verè à dæmone correpti ſunt, ut dæmonis operatione liberentur*. Quo canone demonſtratur non modo Exorciſmis, & precibus curari ſolitos Energumenos, ſed etiam aliquot corporis afflictationibus, quod etiam non inevidenter innuit jam citatum Concilium Carthag. 4. & ſuffragatur Balſamon in hunc canon. Trullanum.

XI. Si quæratur quænam fuerit Eccleſiæ antiquæ Oeconomia in Energumenorum ſanatione, cùm urgebat ultimus vitæ exitus, facilè erit reſpondere. Tum illis perfecta communio præſtabatur, etiam in illis Provinciis, in quibus ſeveriſſima erat Eccleſiæ diſciplina. Concil. Eliberit. *can. 37. Eos qui à ſpiritibus immundis vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptizari placet. Si verò fideles fuerint, dandam eis eſſe communionem*. Si concedunt hoc rigidiſſimi illi Patres, multò magis quivis alii, ut etiam colligitur ex Timotheo Alexandrino, & Arauſicano, *cap. 14.* jam relatis. Objectionibus autem, quæ fieri poſſunt, occurrit Arauſicanum idem *can.13.* his verbis, *Amentibus quæcunque ſunt pietatis, conferenda ſunt*. Inquiramus nunc an Energumeni ſint ordinum capaces, quod ſecundò nobis propoſitum fuit.

XII. Energumeni quamdiù tales ſunt, non modò ordinum ſunt incapaces, verumetiam ſi ordinati ſunt, eos exercere non poſſunt, ut per ſe ex dictis manifeſtum eſt, Quis enim aut ordinari poteſt, aut ordinum exercitio fungi, cui myſteria non licet conſpicere? Concilium Arauſic. *cap.16. Energumeni non ſolùm non aſſumendi ſunt ad ullum ordinem Clericatus; ſed & illi, qui ordinati ſunt, ab impoſito officio ſunt repellendi*. Gelaſius I. Pontifex audiens in quibuſdam Lucaniæ locis hoc præſumptum fuiſſe, acerrimè in eos invehitur, qui ejuſmodi homines ordinare auſi fuerant, rationeſque reddit, quare hoc & impium ſit, & Eccleſiæ ſcandalum inferat. Sic ad Epiſcopos Lucaniæ ſcribit, *Uſque adeò ſanè comperimus illicita quæque prorumpere, ut dæmoniacis, ſimilibuſque paſſionibus irretitis, miniſteria ſacroſancta tractare tribuantur. Quibus ſi in hoc opere poſitis aliquid propriæ neceſſitatis occurrat, quis de ſua fideliumque ſalute confidet, ubi Miniſtros ipſos curationis humanæ tanta perſpexerit calamitate vexari. Atque ideò neceſſariò removendi ſunt, ne quibuslibet, pro quibus Chriſtus eſt mortuus, ſcandalum generetur infirmis. Poſtremò ſi corpore ſauciatum, fortaſſis & debilem, nequaquam ſanctu contingere lex divina permittit; Quanto magis doni cæleſtis diſpenſatores eſſe non convenit, quod eſt deterius, mente perculſos?* Nec igitur ordinandi ſunt Energumeni, nec ordinati miniſtrare, ne in ea incommoda, quæ enarrat Pontifex, incidatur. Videtur præterea tam Pontifex, quàm Concil. Arauſicanum Energumenos, ab ordinibus ſuſcipiendis, aut ſuſceptos adminiſtrandis perpetuò arcere. Idem etiam ſtatuit Concil. Aurelian.3. *c.6.* antiquos canones, ut ait, ſequens. Sic & Tolet.11. *c. 13. Benè ſiquidem Majorum regulis definitum eſt, ut dæmoniis, aliiſque paſſionibus irretitis miniſteria ſacra tractare non liceat*. Creſconius *in Breviario, cap.242.* Gennadius quoque *in Dogm. Eccleſiaſt. c.72.* à Diabolo vexatos iis adſcribit, qui ad ordines nunquam promovendi ſunt.

XIII. In canone Toletano tria notatu digna ſunt, quorum primum continet id, quod tertio loco nobis explicandum propoſuimus. Antequam trium illorum explicationem aggrediamur, canonis contextum referemus, *Cui præcepto conſenſu rationis adhibito id communiter definimus, ut nullus de iis, qui aut in terram arrepti à Dæmonibus eliduntur, aut quodlibet modo vexationis incurſibus efferuntur, vel ſacris audeant miniſtrare altaribus, vel indiſcuſſi ſe divinis ingerant Sacramentis; exceptis illis, qui variis corporum incommoditatibus dediti, in ejuſmodi paſſionibus in terram approbantur eliſi. Qui tamen & ipſi tamdiù erunt ab officii ſui & ordine, & loco ſuſpenſi, quouſque unius anni ſpatio per diſcretionem Epiſcopi inveniantur ab incurſu Dæmonum alieni*. Primum eſt, Energumenorum catalogo antiquitus adſcriptos fuiſſe non modo à dæmonibus vexatos, ſed etiam morbo aliquo correptos, cujus violentia in terram eliderentur, ut epilepſia afflicti, & aliis morbidis paſſionibus, è quibus ſimiles effectus erumperent. Idem etiam evidenter demonſtrant Gelaſii verba, quæ retulimus. Euchologii Græci eadem quoque eſt ſententia, ut ex Hymnis, Exorciſmis, & Orationibus colligere eſt.

XIV. Sed S. Dionyſius Energumenos à Catechumenis, & Pœnitentibus diſtinctos multò adhuc latiùs diffundit. Non modo enim iis adſcribit, qui à dæmonibus ita vexantur, ut corporis poteſtate, & dominio priventur, quos ſolos nunc Energumenos dicimus, & qui epilepſi, & ſimili morbo corripiuntur, ſed etiam eos, qui vitiis, & voluptatibus ſuccumbunt, & in vitia irruunt, licèt ea ſe deteſtati profiteantur. Sic enim *cap.3. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ* Energumenos deſcribit, *Contrariis aut voluptatibus, aut perturbationibus conſtrictos, &c. Sceleſtiſſima, & maximè nefaria impulſione agitatos, qui deſertâ divina vita, & ſententia, ac moribus, cum perniciosis dæmonibus conſentiunt, &c. Qui ad Adverſariorum terrores, & viſa propter ignaviam proclives ſunt, &c.* Et ejuſdem libri, *cap.4.* poſtquam à conſpectu confectionis ſacri unguenti Catechumenos removit, ſubiicit, *Eos autem qui à dæmonibus agitantur, ſanctè in viam reducunt, contrariumque metum, & voluptates demunt iis, qui per ignaviam à dæmonibus agitantur, dum ſuum divini ſtatus gradum eis pro captu ſuo monſtrant, quo terrebunt magis ipſi poteſtates contrarias, &c.* Poſteà de Pœnitentibus verba facit. Hoc notavit apud S. Dionyſium, S. Maximus, *cap.3. Hierarc. Eccleſ.* commentans, *Nota eum in numerum Energumenorum adſcribere etiam eos, qui corporis illecebris ſine animi mutatione, & Pœnitentia manent, velut ſcortatores, ſtudioſos ſpectaculorum, & eos, qui ſimilia tractant, &c.*

Digitized by Google

Eodem modo iſta intelligit, & interpretatur Pachymeres. An aliquis unquam Energumenos tam diffuſè, ut Dionyſius interpretatus fuerit, atque an aliquando Eccleſiæ, aut Eccleſiæ aliqua pars diffuſam illam interpretationem uſurpaverit, meritò dubitari poteſt.

XV. Secundùm, in verbis Concilii Tolet. notandum eſt, diſtinguere Patres inter eos, qui morbi violentia in terram Dæmoniacorum more colliduntur, & verè Dæmoniacos. Priores enim ordinum munere fungi poſſunt, ſi anni ſpatio à morbida illa correptione ſunt immunes. Unde colligitur poſteriores, ſcilicet verè dæmoniacos, ordinum exercitio nunquam fungi poſſe, & conſequenter nunquam eſſe ordinandos. *Canon. Apoſtol. 79.* mitius agit cum iis; permittit enim poſt curationem, ſi aliàs digni cenſentur, in Clerum cooptari. Differentia tamen illa facilè conciliari poteſt, ſi dixerimus Toletanum canonem de ſacris ordinibus eſſe intelligendum, alium verò de ordinibus non ſacris. Tertiò denique notandum relaxationem illam à Patribus Toletanis permiſſam in iis, qui morbi violentia dæmoniaco more ad terram eliduntur, intelligendam tantùm de iis eſſe, qui ad ordines promoti ſunt. De iis enim verba faciunt Patres, & proptereà non eſſe ad promovendos extendendam.

XVI. Difficile denique eſt, tempus definire, quo publica illa Energumenorum curatio ab Epiſcopo, aut Presbytero in media Synaxis ſolemnitate facta ceſſavit apud Latinos. Obſoleverat prorſus apud Græcos ante annos circiter mille, quum ſcribebat S. Maximus, nec erat tum ulla iſtius memoria, ut ipſe teſtatur in illud *caput 3. Ordo hic obſervabatur tempore hujus Patris forſitan in quibuſdam Eccleſiis*. Et poſteà iterùm, *Sciendum eſt autem huic talium rerum differentiæ, & diſtantiæ nunc non eſſe locum*. Dubitari non poteſt hujus moris ceſſationem in Oriente cœpiſſe, cum publicæ de peccatis occultis Pœnitentiæ ceſſare cœperunt, quod contigit Nectario Conſtantinopolitanam Eccleſiam regente, longo ante Maximum tempore. Ceſſationem illam etiam ante Nectarium cœpiſſe in nonnullis Orientis Eccleſiis non eſt improbabile. Illius enim mentionem raró faciunt antiqui auctores, & eorum multi, licèt eadem, aut ſimilia tractent, ut Baſilius, Gregorius Nyſſenus, Petrus Alexandrinus, Concilium Ancyranum, hoc tamen purgationis genus non commemorant. Apud Latinos diutius multo viguit hoc curationis Energumenorum genus, quia Pœnitentiarum publicarum curationi conjunctum ſemper fuit. Ideò, cùm preces illæ quotidianæ, & manuum impoſitiones ad annum uſque ſeptingenteſimum viguerint, probabile eſt, Energumenos cum aliqui fuerunt, eodem modo fuiſſe curatos. Sed præter teſtimonia relata pauca reperiuntur. Quapropter conjicere eſt, publicam illam in media Synaxi curationem minùs uſitatam; Privatam verò Exorciſtarum miniſterium exercitam, quæ hactenus viget, potiſſimùm eſſe tam apud Græcos, quàm Latinos celebratum.

XVII. Supereſt, ut de Energumenis Catechumenis agamus. Energumenos Catechumenos nullibi lego publicè in fidelium Synaxi curatos fuiſſe. Itaque in Eccleſia Occidentali curatio illa facta eſt per Exorciſtas, & privatim, & publicè, ſed extra Synaxim. Hinc eſt quod in eorum ordinatione, ut jubet *cap. 7.* Concilii 4. Carthag. ſupra exſcriptus poteſtas illis datur imponendi manus ſuper Energumentum ſive baptizatum, ſive Catechumenum, quòd ab eo Concilio ſumptum hactenus obſervatur. In Eccleſia autem Orientali, in qua rariſſimus erat Exorciſtarum uſus, id per Presbyteros peragebatur. Notant autem antiqua monumenta Catechumenos ejuſmodi prius non eſſe baptizandos quam curati fuerint, niſi vitæ periculum immineret: Noluot antiqui Patres gratiam Spiritus Sancti illis impertiri, quibus dæmon, ut mancipiis, abutitur. *Timotheus Alexandrinus Epiſcopus interrogatus, ſi Catechumenus à dæmone corripiatur, & voluerit ipſe, vel ſui, ut ſanctum baptiſma accipiat, debetne accipere, an non, & maximè ſi morti propinquus fuerit?* Reſpondet ſanctus ille vir, qui Concilio ſecundo generali aſſidebat, *Si is, qui à Dæmone corripitur, non fuerit ubi immundo ſpiritu mundatus, non poteſt ſanctum baptiſmum accipere, ſed in exitu à vita baptizatur*. Idem ante Timotheum ſtatuerat Concilium Eliberit. *cap. 37.* jam citato, & ſtatuit poſt Timotheum Concil. Arauſicanum, *cap. 15. Energumenis Catechumenis, in quantum vel neceſſitas exegerit, vel opportunitas permiſerit, de baptiſmate conſulendum*.

XVIII. Ex ea diſciplina colligitur id, quod jam aliunde demonſtrandum eſt, Energumenis baptizatis, & nondum curatis communionem Euchariſticam non eſſe præſtandam, niſi vitæ periculum coegerit. Cùm enim hoc obſervatum fuerat in Catechumenis, multò magis in baptizatis; Semper enim Eccleſiæ diſciplina multò fuit in baptizatos ſeverior, quàm in Catechumenos. Caſſianus equidem teſtatur pleroſque ſui temporis Abbates, Energumenis Euchariſtiam dare ſolitos, *Communionem eis ſacroſanctum à ſenioribus noſtris nunquam meminimus interdictum, quin immò ſi poſſibile eſſet, etiam quotidie eis impartiri eam libere cenſebant. Collat. 7. c. 30.* Negatque hoc eſſe ſanctum dare canibus: Sed hæc fuit ſpecialis quorundam Monachorum praxis, quæ parvi aut nihili facienda eſt, cùm canonicæ praxi contradicat, ut ibidem teſtatur Germanus Abbas, *à communione Dominica in noſtris Provinciis perpetuò videmus abſtinere* (Energumenos) *ſecundùm illam Evangelii ſententiam, Nolite ſanctum dare canibus, &c.*

XIX. Refert Proſper in prædictionibus de dimidio temporis, *c. 6.* Quandam puellam octoginta duos dies dæmonis opera nihil guſtaſſe; tandemque cum puellarum monaſterio à parentibus tradita eſſet, & in eo quindecim diebus commorata, nihil cibi ſimiliter deguſtans, ad ſacrificii celebrationem adductam eſſe, & ſacra communione refectam ſanitati reſtitutam. Sed actio iſta nihil ad Caſſiani, & Monachorum iſtorum ſententiam. Puella enim illa, ut ex iis, quæ diximus, & ex integra Proſperi narratione manifeſtum eſt, eorum numero adſcribenda eſt, de quibus ſupra locuti ſunt Timotheus Alexandrinus Patriarcha, & Concilium Arauſicanum.

XX. Alia duplex fuit curandi Energumenos ratio, utraque mirabilis, & extraordinaria, Prior Sanctis quibuſdam dono Dei quaſi per modum habitus conceſſa, ita ut quoties vellent, & quomodo vellent eos ſanarent, quos inter ſingularis planè eſt ille, de quo mentionem facit nomine tacito Sulpitius Severus dialogo primo, *Quidam Sanctus fugandorum de corporibus obſeſſis Dæmonum incredibili præditus poteſtate, inaudita per ſingulos dies ſigna faciebat. Non ſolùm enim præſens, neque verbo tantùm, ſed abſens quoque, interdum cilicii ſui fimbriis, aut Epiſtolis miſſis corpora obſeſſa curabat. Hic ergo mirum in modo frequentabatur à populis ex toto ad eum orbe venientibus. Taceo de minoribus: Præfecti, Comiteſque, ac diverſarum Judices poteſtatum, pro foribus illius ſæpe jacuerunt. Epiſcopi quoque ſanctiſſimi Sacerdotali auctoritate depoſita, contingi ſe ab eo, atque benedici humiliter poſtulantes, ſanctificatos ſe, atque divino munere illuſtratos, quoties manum illius, veſtemque contigerant, non immeritò crediderunt. Hic ferebatur omni potu in perpetuum penitus abſtinere, ac pro cibo ſeptem tantùm caricis ſuſtentari.* Scribit, eundem Sanctum tantæ poteſtatis occaſione alioquando gloriolæ ſenſu titillatum, atque ut ſeipſum hoc vitio purgaret, à Deo impetraſſe, ut menſibus quinque à Dæmone poſſideretur; quod & factum eſt, ita ut in vinculis eum teneri neceſſe eſſet. *Quinto demum menſe*, inquit, *purgatus eſt non tantùm Dæmone, ſed quod illi erat utilius, atque optatius vanitate*. Multi viri ſancti hoc dono commendantur, ut S. Martinus, S. Ambroſius, aliique complures de qua re fidem faciunt, qui eorum vitas ſcripſere. Poſterior curandi Energumenos ratio extraordinaria, & mirabilis eſt ſanctarum Reliquiarum, ad quarum contactum, aut etiam præſentiam ſæpe Energumeni ſanantur, ut apud Severum, Paulinum, locis citatis, S. Hieronymum, S. Auguſtinum, & pleroſque alios ejuſdem ſeculi, & ſequentium paſſim legitur. Neutra inſtituto noſtro convenit: Quapropter ne ab eo digrediamur, utriuſque curationis Lectorem uno verbo admonuiſſe ſat eſto.

CAPUT VIII.

Toto Subſtrationis tempore, quod plurium ſemper erat annorum, in ſingulis prope Synaxibus manus Pœnitentibus genuflexis fuiſſe impoſitas.

Diligenter nobis nunc incumbendum eſt, in explicatione curationis Pœnitentium, quæ in Subſtratione fieri ſolebat. Quandiu enim in eo gradu ſubſiſtebant Penitentes, in iis purgandis attentiſſima erat Eccleſia. In præcedentibus ſtationibus nulla alia in eos commemoratur Eccleſiæ cura, quàm Scripturarum, & Homiliarum auſcultandarum licentia, quæ Judæis, & Ethnicis concedebatur. Verùm in hac ſtatione quotidianæ manuum impoſitiones multorum annorum circula fiebant ſuper ipſorum capita ipſis genuflexis, preceſque ab Epiſcopo, & Clero ſuper eos ita poſitos fundebantur, cuncta ſimul orante Eccleſia, in cujus conſpectu hæc, quoties habebatur Synaxis, celebrabantur. Intereà variæ imponebantur illis abſtinentiæ, varia opera laborioſa privatim exercenda, & diligenter inquirebant Epiſcopi per ſe, & Vicarios ſuos, & quo ſtudio, qua ſedulitate opera injuncta exequerentur, ut pro animi

ardo-

ardore Pœnitentiæ tempus conſtitutum, aut contraherent, aut integrè decurri juberent. Hæc ſunt nobis ſigillatim demonſtranda. A frequenti illa manuum impoſitione exordium faciemus. Manus enim impoſitionem fieri cum primum Pęnitentia imponebatur, jam multis demonſtratum eſt.

II. Annorum quibus Pœnitentia imponebatur maxima pars in Subſtratione tranſigebatur, ut videre eſt in annorum Pœnitentialium diſtributione, quam canones inſtituunt. Ubi verò rarus erat ſtationum fletus, & Auditionis uſus, ut in Occidente, & ubique ante Novatiani hæreſim tota Pœnitentia in hac ſtatione exercebatur. Immo Pœnitentiam agere illis eſt, idem quod ſubſterni, genua flectere, & manibus Sacerdotum ſupponi. Toto illo igitur Pœnitentiæ, ſeu ſubſtrationis tempore, quod ferè ſemper in multos annos extendebatur, ſingulis propè Synaxibus manus Pœnitentibus publicè imponebantur, Toletan. Concil. 3. *cap.* 11. *Jubemus, ut ſecundum formam antiquorum canonum detur Pœnitentia. Hoc eſt, ut prius eum, quem ſui pœnitet facti, à communione ſuſpenſum, faciat inter aliquos pęnitentes ad manus impoſitionem crebrò recurrere. Expleto autem ſatisfactionis tempore, ſicut Sacerdotalis contemplatio probaverit, eum communioni reſtituat.* Hæc eſt, inquiunt Patres illi, antiqua canonum praxis, quam innovant, eo quod forſitan aliquid de ea remiſſum fuerat. Sextum quoque ejuſdem urbis Concilium, *cap.* 7. *Hi, quos ſub religioſo habitu pœnitentiæ profeſſio pro peccatorum venia ad manum Sacerdotis deduxit, &c.* Non aliter de ea, quam de re ordinaria, & vulgò nota verba facit.

III. Felix III. Pontifex, qui Pontificatum iniit an. 483. *epiſt.* 7. ad univerſos Epiſcopos, hac pœna Laicos, qui ſe rebaptizari paſſi fuerant, caſtigandos monet, *Tribus annis inter Audientes ſint, ſeptem autem annis ſubjaceant inter Pœnitentes manibus Sacerdotum; duobus autem annis oblationes modis omnibus non ſinantur offerre, ſed tantummodò ſecularibus in oratione ſocientur, nec confundantur Deo colla ſubmittere, qui non eum timuit abnegare.* Et paulò poſt de pueris quibus idem contigerat, ſic decernit, *Quibus*, inquit, *ignorantia ſuffragatur ætatis, aliquandiù ſub manus impoſitione detentis reddenda communio eſt:* Atque iterum in fine epiſtolæ, *Cavendum verò maximè eſt, & omni cautela providendum, ne quis fratrum, Coepiſcoporumque noſtrorum, aut etiam Presbyterorum in altera civitate, vel diœceſi Pœnitentem, vel ſub manu poſitum Sacerdotis, aut eum qui ſe eſſe reconciliatum dixerit ſine Epiſcopi, vel Presbyteri teſtimonio, & literis ad cujus pertinet parochiam, Presbyter aut Epiſcopus in civitate ſuſcipiat.* Vides Felici ſubſterni, in tertia eſſe Pœnitentium ſtatione, Pęnitentem eſſe, Sacerdotum manibus ſubjacere, Deo colla ſubmittere, ſub manus impoſitione detineri, ſub manu poni Sacerdotis, idem prorſus ſignificare: Prætereà manus illam impoſitionem non ſignificare actionem quandam ſemel factam, ſed Pęnitentis ſtatum, in quo manus creberrimè imponebantur, vel potius ſtatum, cui annexa erat ex ſui conditione, & natura frequens manuum impoſitio.

IV. Sed longè ante hos omnes Concil. Carth. 4. *cap.* 80. ſic præcepit, *Omni tempore jejunii manus Pœnitentibus à Sacerdotibus imponantur.* Creberrimæ erant manuum impoſitiones. Ab hoc jugo liberari cupiebant certis jejuniorum diebus Pœnitentes, ſed hoc illis non concedunt Patres. Qua de cauſa id ambirent Pœnitentes, coniici poteſt, ſed vera cauſa inventu difficilis. Conjectutis autem agere nihil nobis opus eſt. Quæcunque enim illæ ſint, certum eſt ex eo canone ſæpiſſimè repetitam fuiſſe expiatoriam illam manus impoſitionem. Idem non minus evidenter colligitur ex *can.* 82. ejuſdem Concilii *Pœnitentes etiam diebus remiſſionis genua flectant.* Genua flectere, non eſt idem formaliter, ut ita loquar, quod manus imponere, ut palàm eſt; ſed non modò in Pęnitentibus, verum etiam in Catechumenis hæc erant neceſſariò connexa. Genua enim flectebant, & capita ſua inclinabant ut ipſis manus imponerentur, & preces ſuper ipſos funderentur. Unde S. Auguſtinus initio *homiliæ* 41. *in lib.* 50. *homil. Pœnitentiam agis, genu figis, & rides, & ſubſannas patientiam Dei.* Et *libr.* 3. contra Donatiſtas, *c.* 16. *Quid eſt aliud impoſitio manuum, quàm oratio ſuper hominem?* Idem dicuntur Auguſtino, non quòd reapſe manus impoſitio ſit oratio: Hoc enim vel cogitare ſtultum eſt; ſed quod ſemper ex praxi Eccleſiæ manuum impoſitioni conjuncta fuerit oratio. Vide, quæ initio *cap.* 18. *lib.* 4. de inclinatione, & genuflexione pęnitentium diximus. Duplex potuit eſſe hujus canonis occaſio, prior quod tempore Paſchali, & diebus Dominicis propter illorum dierum feſtivitatem fideles genua non flectant. Exiſtimabant igitur nonnulli, eo quod his diebus jejunia, & au-

ſteritates Pęnitentibus remittantur, eos quoque ad genuflexionem in Synaxi non teneri. Reſpondent Patres Hilario, illos dies de genuflexione non eximere Pœnitentes. Merito equidem, nam genuflexioni conjuncta erat Epiſcopi ſuper eos oratio, cujus fructu genua non flectentes privati fuiſſent. Poſterior occaſio eſt, quod aliis diebus feſtivis præter enumeratos auſteritates pęnitentium remittantur. Dubitant aliqui, an his diebus genua flectere debeant? Idem reſponſum, & eadem reſponſi ratio. Ex quibus manifeſtiſſimum, eſt propè quotidianam fuiſſe illam manus impoſitionem.

V. Concilium idem Carthag. 4. *cap.* 78. *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſupervixerint.* Hinc eadem conſuetudo evidentiſſimè colligitur. Certum eſt moribundis pęnitentiam cum manuum impoſitione concedi. Cùm igitur reviviſcunt, jubet canon ſuper eos repeti manus illam impoſitionem, hoc eſt, excipi ſicut Pęnitentes ſani. Solebant enim pęnitentes, qui pęnitentiam in mortis articulo ſuſcipiebant, ad eaſdem Pęnitentiæ leges adſtringi; ſi convaleſcebant, quas ſubiiſſent, ſi ſani pęnitentiam ſuſcepiſſent, & egiſſent, ut vel ipſum idem Concilium ſtatuit, *can.* 76. ubi de morituris, & obmuteſcentibus, antequam ad eos accedat Sacerdos, verba facit, *Si ſupervixerit, à ſupradictis, admoveatur petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis pęnitentiæ legibus, quandiù Sacerdos, qui pęnitentiam dedit, probaverit.* Eadem Concil. Arauſican. *l. c.* 3. Epaunenſe *c.* 36. S. Gregorius Nyſſenus, *Epiſt. canonica ad Letojum*, & alii, de quibus fusè libro ultimo. Idem etiam probant multi canones, & nonnulla illuſtria exempla, quæ alia in cauſa prolata ſunt, *c.* 7. libri præcedentis. Eandem manus impoſitionis frequentiam demonſtrant, *canon.* 9. *Gerundenſis &* 8. *Concilii Barcinonenſis*; prior præcipuè, ut explicatum leges capite penultimo libri præcedentis, quod hic non duximus repetendum.

VI. Capitularia Caroli magni *lib.* 5. *c* 62. *Criminalia peccata multis jejuniis, & crebris manus Sacerdotum impoſitionibus, eorumque ſupplicationibus juxta canonum ſtatuta placuit purgari, ita ut nemo ſine manus impoſitione Epiſcopi, aut ejus juſſu alicujus Presbyteri ſe credat eſſe à ſuis facinoribus abſolutum, &c.* Hæc ex antiquo aliquo canone, qui antiquorum canonum auctoritatem citat. Vix autem aliquando Capitularia adnotant, ex quo Concilio, & autore ſua decerpant. Caput ſequens eſt, idem quod ſupra ex Concilio Tolet. 2. *cap.* 11. relatum eſt, qua propter illud non repetimus. Similiter *cap.* 69. *ex Felice* 3. ut ex toto contextu apparet deſumptum eſt: Paucula tantum hæc excerpemus, *Pęnitentes, qui ex gravioribus peccatis pœnitentiam gerunt, ſi ex corde pęniteant, ſicut Nicæna Synodus de Lapſis conſtituit; tribus annis ſint inter Audientes: Quinque verò, vel ſeptem annis ſubjaceant inter Pęnitentes manibus Sacerdotum, &c.* Quod Felix de rebaptizatis conſtituerat, illi indefinitè ad graviora peccata diffundunt. Idem etiam, quod ad frequentum illam manus impoſitionem repetitur *c.* 71. Admonendus Lector. *c.* 68. initio ſcriptum eſſe, *& crebris manuum impoſitionibus* purgari, ſed legendum, *& manus impoſitione purgari.* Totum enim caput ex S. Leonis ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum epiſtola deſumptum eſt, in qua legitur ut corrigendum diximus, ſicque textus ille ex antiquis manuſcriptis exhibetur *tom.* 1. Conciliorum Galliæ, ut corrigendum dicimus. Eadem quæ ex Capitularibus citata ſunt, ex antiquis canonibus collegit, & exſcripſit Iſaac Lingonenſis Epiſcopus, *tit.* 1. *c.* 11. 13. 16. & 17.

VII. Idem inſuper demonſtrat Eccleſiaſtica conſuetudo, quæ Clericis ſacratis non patiebatur manus imponi in Pęnitentiam, Concil. Carthag. 5. *cap.* 11. quod etiam referunt Ferrandus *tit.* 118. Creſconius, & Capitul. *lib.* 5. *c.* 66. *Presbyteris, vel Diaconis de crimine convictis, & à miniſtero amotis manus non imponantur, ut Pęnitentibus, vel tanquam fidelibus Laicis.* Videtur manifeſtum ex loquendi formula manus illam impoſitionem non ſemel, ſed ordinariè Pęnitentibus adhibitam. Eodem modo intelligenda ſunt S. Leonis verba *Epiſtol.* 92. ad Ruſticum Narbonenſem, qua prohibet, ne Presbyteri, vel Diaconi pro crimine *per manus impoſitionem remedium accipiant Pęnitendi.* Quo conſtituto ſic infert, *Unde hujuſmodi lapſis ad promerendam Dei gratiam privata eſt expetenda ſeceſſio, ubi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa.* Non igitur Leoni ſermo eſt, tantùm de impoſitione Pęnitentiæ, ſed de toto Pęnitentiæ ſtadio, in quo creberrimæ fiebant manuum impoſitiones. Nam ſi ſemel tantùm facta manus impoſitio, initio ſcilicet, cùm Pęnitentia imponebatur, & poſteà non fuiſſet iterata, corrueret conſequens à Leone illatum. Ideò ſeceſſio Presbyteris quærenda, & cum Pęniten-

Digitized by Google

nitentibus non ſunt permiſcendi, ne ipſis, inquit, manus imponantur. In illo Pœnitentiæ loco publico annis 7. 10. 12. &c. commorabantur Pœnitentes. Si ſemel tantum cum ſcilicet primum ibi collocabantur, manus illis impoſitio facta fuiſſet, & nulla poſteà, ut quid ſeceſſio expetenda? Privatim Clerico Pœnitentia potuit imponi ſine illa manus impoſitione, quod ſemi horulæ ſpatio peragitur. Quidni poſteà cum cæteris Pœnitentibus in Eccleſia conveniſſet, ſi poſteà toto ſtadio nullæ manuum impoſitiones, nullæ preces ſuper ipſos habebantur? Sed ponamus id quod verum eſt, quotidie toto Pœnitentiæ tempore preces, & manus impoſitiones ſuper illis factas, ſanè conſtat & Leoni, & Concilio Carthaginenſi ratio Seceſſionis Clericorum ad Dei gratiam ſine manus impoſitione promerendam. Idem non minus evidenter colligitur ex iis, quæ capite ſequente de precibus propè quotidianis ſuper Pœnitentes fieri ſolitis demonſtrabimus. Erant enim preces illæ, ut disertè docent antiqui Patres, manuum impoſitioni ſemper conjunctæ.

CAPUT IX.

Manuum ſuper Pœnitentes impoſitioni orationem ſemper conjunctam fuiſſe demonſtratur, & in qua ſynaxis parte id factum fuerit.

DUo nobis hoc capite ſimul demonſtranda proponimus; Prius manuum impoſitioni conjunctam fuiſſe orationem; Poſterius quando, & qua parte Synaxis uterque ritus celebrabatur. Concilium Laodicenum nos docet utrumque paucis verbis, *Oportet*, inquit, *ſeorſum primum poſt Epiſcoporum ſermones Catechumenorum orationem peragi; & poſtquam exierint Catechumeni, eorum, qui Pœnitentiam agunt, fieri orationem, & cum ii ſub manum acceſſerint, & receſſerint, καὶ τούτων προσελθόντων ὑπὸ χεῖρα, καὶ ὑποχωρησάντων, fidelium preces ſic ter fieri, unam quidem ſcilicet primum ſilentio; ſecundam autem, & tertiam per pronuntiationem impleri; Deinde ſi pacem dari, & ſic ſanctam oblationem perfici*. Habes breviter deſcriptum totius Liturgiæ ordinem: Poſt Pſalmorum cantum, poſt Apoſtoli, & Evangelii Lectionem, poſt Epiſcoporum ſermones oratio habeatur ſuper Catechumenos. Ipſis ab Eccleſia pulſis ſub manum ſuccedebant Pœnitentes, & ipſorum oratio recitabatur. His ab Eccleſia emiſſis fidelium preces inchoabantur: quibus intereſſe nefas erat Catechumenis, & Pœnitentibus. Itaque impoſitio illa manus, & oratio ante offertorium, ſive oblationem, & preces ſuper oblationem factas celebrabantur.

II. Vice commentarii in canonem Laodicenum fingi poteſt, quæ habet Clemens *Conſtitutionum, lib.8. cap.5. 6.7.* & ſequentibus; Synaxeos enim ordinem ſigillatim deſcribit. *Capite 5. & 6.* docet poſt Epiſtolarum, Actuum, Legis, Prophetarum, & Evangelii lectionem, ſermonemque ad populum habitum Diaconum è loco edito edicere, nequis adeſſet Audientium, & Infidelium. His pulſis ſuper Catechumenos orationem factam; Dimiſſis Catechumenis Energumenos ſucceſſiſſe: Eorum oratione peracta, & ipſis ſimiliter dimiſſis prodire juſſòs Competentes, quorum oratione completa, ut legere eſt, *cap.7. & 8. Dicit Diaconus, Exite qui illuminamini; & poſteà dicat, precamini intentè qui in Pœnitentia eſtis. Omnes pro fratribus, qui in Pœnitentia ſunt, preces adhibeamus, ut miſericors Deus oſtendat eis viam Pœnitentiæ, approbet eorum palinodiam, & Confeſſionem, & conterat citò Satanam ſub pedibus eorum, ac liberet eos à laqueo Diaboli, & à violenta aggreſſione Dæmonum, eripiatque eos ex omni ſermone illicito, & ex omni abſurda actione, ac prava cogitatione, remittatque eis omnia delicta eorum tum voluntaria, tum non voluntaria, &c. Deprecemur adhuc intentiùs pro eis, quoniam gaudium eſt in cœlo ſuper uno peccatore Pœnitentiam agente, ut averſi ab omni opere illicito, applicent ſe ad omne opus bonum, &c. Adhuc intentè omnes pro ipſis dicamus, Kyrie eleiſon. Salva eos Deus, & miſericordia tua ſuſcita. Qui ſuſcitati eſtis Deo per Chriſtum, inclinate, & accipite benedictionem. Precetur igitur Epiſcopus in hunc modum*, Deinde ſequitur oratio, cujus titulus, *Manus impoſitio, & oratio pro iis, qui ſunt in Pœnitentia*. Oratione finita, qua Deum precatur Epiſcopus, ut veram Pœnitentiam his infundat, qui cervicem animæ, & corporis illi inclinant, peccata illis dimittat, & reſtituat Eccleſiæ in priorem dignitatem, & honorem per Chriſtum Deum, & Salvatorem noſtrum, Additur, *Et dicat Diaconus, exite qui in Pœnitentia eſtis, & adjiciat; Nemo eorum, quibus non licet, exeat, Omnes fideles flectamus genu, &c.* Habes graphicè deſcriptum, & expreſſum antiquum Synaxis ordinem, cui conſonant, quod ad Energumenos attinet, ea, quæ ſupra capite ſeptimo multis argumentis à nobis relata ſunt, & demonſtrata; & quod ad Pœnitentes, quæ *can.19.* Laodicenus nos brevius docet, & alia plura teſtimonia, quæ nunc referimus. Manifeſtiſſimum eſt denique, in qua Miſſæ, ſive Liturgiæ parte hæc fierent, & quando dimitterentur pœnitentes, quave ratione purgarentur.

III. Hujus rei hypotypoſim delineatiſſimam habes *libro 2.* ejuſdem Auctoris toto *cap.57.* quod integrum cum fructu leges. Ibi Eccleſiæ delineata figura, & uniuſcujuſque in ea ſede, Lector jubetur è pulpito veteris Teſtamenti ſcripturas legere, Apoſtolorum ſcripta, Pſalmos canere, Diaconus, aut Presbyter Evangelia; Presbyteri inſuper populum exhortari jubentur, poſtremò Epiſcopus, *Deinde cuncti pariter conſurgentes, & in Orientem ſpectantes, egreſſis Catechumenis, & Pœnitentibus Deum precentur, &c. Diaconi autem poſt precationem alii, oblationi Euchariſtiæ operam dent, miniſtrantes Corpori Domini cum timore, alii obſervant turbam, ut ſilentium teneant, &c.* Breviter poſteà deſcribitur, ordo Sacrificii, & communionis Euchariſticæ. Eodem modo, & expreſsè Sanctus Dionyſius *cap.3.* Hierarchiæ Eccleſiaſticæ iſta tradit, ut apud eum legere potes, & verba citavimus ſupra capitis ſeptimi initio, quia cum iis, quæ de Energumenis ſtatuit, conjuncta ſunt. Idem præterea manifeſtè colligitur ex multis teſtimoniis, quæ jam relata ſunt, ut ex Gregorio Thaumaturgo, & Joanne Raithu, quæ integra capite primo exſcripſimus; ex S. Baſilio *cap.56. Poſt quatuor autem annos inter Auditores recipietur, & quinque annis cum ipſis egredietur: Septem autem annis cum iis, qui in Subſtratione erant, egredietur. In quatuor autem annis ſtabit cum fidelibus, ſed non erit oblationis particeps, &c.* Vel ex iis ſolis verbis tria manifeſta ſunt. Primum, in ſubſtratione orationem fieri ſuper Pœnitentes quotidianam. Secundum, oratione facta eos ab Eccleſia emitti; Tertium, poſt eorum emiſſionem orationes fidelium fieri, & oblationem, ſive Offertorium inchoari. Eadem ex *can. 22. & 75.* & eadem ratione colliguntur: Sed potiſſimùm ex *can.75.* in quo evidentius hæc habentur, ut plures alios canones omittam, ex quibus idem certò, minus tamen evidenter, colligitur.

IV. Sanctus Chryſoſtomus *homil.72. in Matth.* ſic eundem ordinem deſcribit, *Prima, quæ in myſteriis dicitur, Oratio, quæ pro Dæmoniacis deprecamur, miſericordiæ plena eſt: Secunda pro iis, qui in Pœnitentia ſunt, multam miſericordiam poſtulat: Tertia eſt, quam pro nobis ipſis fundimus.* Vides non modò pro Pœnitentibus, ſed etiam pro Energumenis in Synaxi orationes fieri; Et poſteà fidelium preces inchoari. Similiter *Homilia 18. in 2. Epiſt ad Cor.* magna contentione demonſtrat univerſæ Eccleſiæ preces multum eſſe efficaces, atque inter alia argumenta hoc utitur, *Omnibus unum corpus, unum poculum proponitur. Quin & in precibus conſpiciet quis populum multùm contribuere. Nam & pro Energumenis, & pro iis, qui ſunt in Pœnitentia, communiter & à Sacerdote, & à populo fiunt preces, omneſque unam dicunt precem, precem miſericordia plenam. Iterùm cùm à ſacris ſeptis arcemus eos, qui non poſſunt ſacræ menſæ participes eſſe, aliam fieri oportet precem, omneſque ſimiliter humi jacere, & omnes ſimiliter conſurgere, &c.* Ad eundem vulgatiſſimum in Eccleſia morem alludit in fine *homil.17. in Matth.* ſed clariùs *homil.3. in Epiſt. ad Epheſios* invehens in fideles, qui cum adeſſent myſteriis, iis tamen participare nolebant, dicitque à Pœnitentibus, & Catechumenis, qui Præconis, ſive Diaconi voce à myſteriis abigebantur, non differre. *Non es dignus ſacrificio, neque participatione. Ergo nec prece. Audis Præconem ſtantem, & dicentem, Quicunque eſtis in Pœnitentia, abite. Omnes qui non participant, ſunt in pœnitentia. Si es ex iis, qui ſunt in Pœnitentia, non debes participare: Nam qui non participat, eſt in pœnitentia. Cur ergo dicit, abite, qui non poteſtis precari. Tu autem ſtas impudenter. At non es ex his, ſed ex iis, qui poſſunt participare, & nihil curas? ad rem nihil eſſe putas? &c.* Et in ejuſmodi homines invectivam continuans, refert hanc Domini increpationem, Amice quid hic ſtas non habens veſtem nuptialem, & exaggeratione facta ſubjicit, *Hæc ergo nunc quoque dicit nobis omnibus, qui impudenter, & inverecundè ſtamus. Quicunque enim eſt, qui myſteriorum non eſt particeps, is impudenter ſtat, & nimis audacter. Qui ſunt in peccatis propterea primi ejiciuntur. Quomodo enim cùm Dominus adeſt in menſa, non oportet adeſſe famulos, qui offenderunt, ſed procul amandantur: Ita hic quoque, cum offertur ſacrificium, & Chriſtus ſacrificatur, & ovis Dominica. Quando audieris, Oremus omnes communi-*

ter;

Digitized by Google

ter; quando videris trahi, quæ in oſtiis ſunt, cortinas, tunc exiſtima cœlum ſupernè diduci, & deſcendere Angelos. Quomodo ergo nullum oportet adeſſe ex iis, qui myſteriis non ſunt initiati, ita nec ex iis, qui ſunt initiati, & ſordidi, &c. Hæc illuſtria Sancti Chryſoſtomi verba non modò conſuetudinem, de qua agimus, præclarè confirmant, verumetiam illius rationes reddunt conſideratione digniſſimas.

V. Timotheus Alexandrinus Patriarcha, & Chryſoſtomo ſenior eundem morem ut vulgatum, & in Miſſæ ordinarium teſtatur in Reſponſis apud Balſamonem. Interrogatur, *An debet Clericus præſentibus Arianis, vel aliis Hæreticis orare, & an eum aliquid lædit, quando facit Orationem, ſive oblationem?* Reſpondet, *in divina oblatione Diaconus ante ſalutationem proclamat*, οἱ ἀμύητοι περιπατεῖτε, *Qui non communicatis, ambulate. Non debent ergo intereſſe, niſi profiteantur ſe Pœnitentiam acturos, & hæreſim vitaturos.* Hæretici illi, de quibus quæſtio, in Eccleſiam Catholicam erant propenſi, & converſionem præ ſe ferebant; alioquin nulla fuiſſet difficultatis proponendæ occaſio. Certùm eſt enim ex *canon. Apoſtolicis* 10. 11. 45. & multis aliis poſterioribus hoc eſſe ſeverè prohibitum. Cum Catechumenis igitur, & Pœnitentibus in tertia ſtatione conſiſtere permittebantur; ideò interrogatur Timotheus, an etiam iis præſentibus precari liceret.

VI. Sozomenus *lib. 7. cap. 16.* Hiſtoriæ ſuæ eundem morem, quem in Eccleſia Romana dicit eſſe celebrem, ſic deſcribit, *Salicitè autem in Occidentalibus Eccleſiis, & maximè in Romana ſervatur: Ibi enim manifeſtus eſt Pœnitentium locus. Stant autem in eo mœſti, ac velati lugentes. Cùm verò completur Dei Liturgia, non participantes iis, quæ initiatis fas eſt, cum planctu, & lamentatione ſemetipſos pronos in terram abiiciunt. Tunc ex adverſo lamentabundus Epiſcopus occurrens conſimiliter humi cum ejulatu collabitur, ac tota denique Eccleſia multitudo lacrymis ſuffunditur. Poſt hæc Epiſcopus primus exurgit, ac jacentes erigit, & quantum ſatis eſt pro peccatoribus Pœnitentiam agentibus precatus eos dimittit.* Graphicè ob oculos delineat orationis quotidianæ ſuper Pœnitentes habitæ circumſtantias, tam quæ ad Pœnitentes, quàm quæ ad Epiſcopum, & plebem ſpectant. Notandum nos vertiſſe πληρωθείσης τοῦ θεοῦ λειτουργίας, *Cum completur Dei Liturgia:* Aliter enim intelligi non poteſt quàm de tempore indefinito, quo res jam cœpta eſt, & agitur. Nam ſi per præteritum explicetur, falſa prorſus erit Sozomeni ſententia; & ab eo proferri non potuit, cum quotidianæ, & publicæ, omniumque oculis expoſitæ Eccleſiæ praxi contradicat. Certum eſt, enim non finita Liturgia, ſed paulò poſt eam inchoatam, vel circiter temporis medium ſpatium orationem ſuper Pœnitentes fundi ſolitam.

VII. His conjungi poſſunt duo alia inſignia teſtimonia, licèt Pœnitentium non faciant mentionem. Prius eſt S. Gregorii Nyſſeni Homilia contra eos, qui differunt baptiſmum, *Me tui pudet, quòd cùm ſenueris adhuc eiiciaris cum Catechumenis tanquam inſipiens puellus, & qui arcana non poteſt celare, cùm dicendum ſit myſterium; unire populo myſtico, & arcanos diſce ſermones. Dic nobis cum ea, quæ ſex alas habentia Seraphim cum Chriſtianis dicunt, &c.* Poſterius Sancti Ambroſii *Epiſt. 33. Sequenti die, erat autem Dominica, poſt Lectiones atque tractatum dimiſſis Catechumenis Symbolum aliquibus Competentibus in Baptiſteriis tradebam Baſilicæ, &c.* Primùm ſolemnis illa dimiſſio hominum indignorum, cùm Miſſæ ſacrificium offerendum eſt, confirmatur: Deinde tempus, cùm in Miſſa hoc fieri debet, poſt Lectiones, & tractatum, ſive ſermonem. Tertiò Catechumenos prius dimitti, quàm Competentium myſteria celebrentur. Denique Competentium officium immediatè ſequi illud quod Catechumenos ſpectat, & conſequenter Pœnitentium orationem præcedere. His adde, quòd ſæpe locus, & dimiſſio Pœnitentium ab antiquis Auctoribus ſub nomine loci, & dimiſſionis Catechumenorum intelliguntur. His ſimile prorsùs teſtimonium capite ſequente ex S. Iſidoro referemus.

VIII. Agathenſe Concil. *cap. 60.* quem repetit, & confirmat paucis poſt annis Concilium Epaunenſe *can. 29.* ita punit eos, qui poſt baptiſmum, & acceptam fidem, in hæreſim Lapſi ſunt, *Pœnitentiam biennii conditione infra ſcriptæ obſervationis imponimus, ut præſcripto biennio, tertio ſine relaxatione jejunent, & Eccleſiam ſtudeant frequentare. In Pœnitentium loco ſtandi, & orandi humilitatem ita noverint obſervandam, ut etiam ipſi, cum Catechumeni egredi commonentur, abſcedant.* Complectitur ferè hic canon quæcunque in hac cauſa deſiderari poſſunt, docetque modus loquendi iſtam praxim eo tempore fuiſſe vulgatiſſimam. Similiter canone ſequente; *Quos omnes, & olim, atque ſub hac conſtitutione inceſtos eſſe non dubitamus, & inter Cathecumenos uſque ad legitimam ſatisfactionem manere, & orare præcipimus.*

IX. Refert Gregorius Turonenſis in vita Patrum Theodebertum Francorum Regem Eccleſiam ingreſſum eſſe cum quibuſdam Magnatibus, quos propter crimen Nicetius Trevirenſis Epiſcopus communione privaverat, Miſſaque uſque ad Offertorium completa, Nicetium publicè denuntiaſſe, Miſſam celebratum non iri, niſi abſcederent communione abſtenti. *Advenit dies Dominicus, & ecce Rex cum his, qui ab hoc Sacerdote communione abeſſe juſſi fuerant, Eccleſiam eſt ingreſſus. Lectis igitur Lectionibus, quas Canon ſanxit antiquus, Oblatis muneribus ſuper altare Dei, ait Sacerdos: Non hîc hodie Miſſarum ſolemnia conſummabuntur, niſi communione privatis priùs abſcedant, &c.* Tandem interveniente cujuſdam Energumeni miraculo abeuntes illi criminum Rei, & contumaces, ejectoque Energumeno celebrata eſt. Hoc exemplo manifeſta fit quotidiana illa Eccleſiæ praxis, quam hic explicamus. Ejuſdem generis eſt id, quod Sanctus Gregorius ſcribit *libr. 2. Dialog. capit. 23.* de duabus Sanctimonialibus à S. Benedicto excommunicatis, & in excommunicatione defunctis, in Eccleſia tamen ſepultis, *Cum in eadem Eccleſia Miſſarum ſolemnia celebrarentur, atque ex more Diaconus clamaret; Si quis non communicat, det locum, Nutrix earum quæ pro eis oblationem Domino offerre conſueverat, eas de ſepulchris ſuis progredi, & exire videbat. Quod dum ſæpius cerneret, quia ad vocem Diaconi clamantis exibant foras, &c.* Manifeſtum eſt, eo tempore à Diacono ſolemniter ante Miſſæ celebrationem pronuntiatum fuiſſe, ut ſecederent, qui jure communicandi interdicti erant.

CAPUT X.

Quid per Miſſam Catechumenorum Latini intellexerint. Eam celebrare Diacono permiſſam. Ubi Miſſæ fidelium, ſive ſacrificii initium tam apud Græcos quàm Latinos. Hymni triſagii à Cherubico diſtinctio. Triſagion à Græcis quotidie canitur, à Latinis ſemel quotannis. Miſſæ nomen ob antiquo univerſo officio Eccleſiaſtico ſignificat.

EA, quæ capitibus præcedentibus demonſtrata ſunt de variis hominibus, quos Subſtratio complectitur, & de officiis Eccleſiaſticis quibus adeſſe jubebantur, & purgabantur, nos manifeſtè docent quid per Miſſam Catechum. ſit intelligendum, & quid propriè ad Miſſam fidelium pertineat. Quanquam actio Miſſæ ſive Liturgiæ eadem fuerit apud Orientales, & Occidentales, eademque apud utroſque circa Catechumenos, & Pœnitentes obſervatio, non lego tamen Liturgiam apud Orientales expreſsè diſtinctam in Liturgiam Catechumenorum, & Liturgiam fidelium: Ita non ſunt locuti Orientales ut Occidentales plerique. Concilium Carthag. 7. *capit. 48. Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire verbum Dei, ſive Gentilem, ſive Hæreticum, ſive Judæum uſque ad Miſſam Catechumenorum.* Sanctus Auguſtinus *ſerm. 37. de tempore cap. 8. Ecce poſt Sermonem fit Miſſa Catechumenis. Manebunt fideles, venietur ad locum Orationis, &c.* Ilerdenſ. Concil. *can. 4.* Inceſtos uſque ad Miſſam tantùm Catechumenorum vult admitti, & Valentinum Hiſpaniæ c. 1. *Antiques canones relegentes cenſuimus, ut Sacroſancta Evangelia ante munerum illationem in Miſſa Catechumenorum poſt Apoſtolum legantur, &c.*

II. Quæres non immeritò, quid per Miſſam Catechumenorum his canonibus intelligitur? Ex anteà demonſtratis manifeſtum eſt, Miſſam Catechumenorum eam Miſſæ partem complecti, quæ eſt ab introitu aduſque Offertorium. Catechumenorum autem dicitur Miſſa, quia huc uſque officio Miſſæ illis adeſſe licebat, & in illius partis fine ſpeciale quoddam officium pro Catechumenis peragebatur, quod κυρίως, Catechumenorum Miſſa dicebatur, ut à nobis explicatum eſt: Difficultas duplex hic occurrit: Prior, quod Energumenorum, & Pœnitentium officium ſeparatum eſt ab officio Catechumenorum, quodque Catechumeni ante utroſque exeant. Sed præſto eſt reſponſio, ſub Catechumenis Pœnitentes contineri, & multò magis Energumenos, qui in paucis Eccleſiis, nec ſemper videbantur. Catechumeni autem cæteros complexi ſunt ex uſu quotidiano loquendi Synecdochico, & Antonomaſtico. Primis enim Eccleſiæ ſeculis magna ſemper erat in Eccleſiis Catechumenorum turba, non modo recens advenientium, ſed etiam veteranorum, qui totam ferè vitam Catechumeni permanebant: Sæpe etiam pauci erant

Digitized by Google

Pœnitentes publici, & contingere nonnumquam poterat, præſertim in parum populoſis Eccleſiis, ut nulli eſſent. Ideò apud Chriſtianos Occidentales invaluit, ut pars illa Miſſæ à Catechumenis potis quàm à Pœnitentibus nomen ſortiretur. Poſterior difficultas in modo loquendi Conciliorum Carthag. & Ilerdenſis conſiſtit. Videntur enim Miſſam Catechumenorum ad precem, quæ ſuper Catechumenos funditur reſtringere. Reſpondeo, Miſſam Catechumenorum in duas partes dividi. Prior communis eſt Audientibus, Judæis, & quibuſvis aliis, & complectitur Pſalmorum, & Hymnorum cantus, ſcripturarumque ſacrarum Lectionem, & Epiſcoporum tractatus ſive ſermones. Poſterior orationes reſpicit, & manus impoſitiones, à quarum non ſolummodò participatione, ſed etiam conſpectu arcentur Audientes quicunque. Hæc pars propriè eſt Catechumenorum, & pœnitentium quia his ſolis convenit. Concilia autem allegata definiunt, quæ Audientibus quibuſvis conveniunt, quæque ipſis non licent. Quapropter neceſſe fuit illis Miſſam Catechumenorum ita circumſcribere, ut quod ad ipſos tantum pertinet diſtingueretur ab eo, quod ipſis cum Audientibus commune eſt.

III. Confirmat eandem appellationem, & rem, quæ appellationi ſubeſt hiſtoria, quam Caſſianus *lib.* 11. *Inſtitut. cap.* 15. refert. Viſitabat ſenex quidam Monaſterii cellas: ad oſtium cujuſdam cellæ accedens obmurmurantem aliquid intus ſubaudit Monachum. Subſiſtit, aurem applicat, quid diceret, audire geſtiens, deprehendit Monachum, *Cenodoxiæ vitio ita tentatum ut in Eccleſia facere ſe crederet exhortatorium plebi ſermonem, Cumque ſubſiſtens ſenex audiſſet eum fuiſſe tractatum, & mutato rurſum officio celebrare velut Diaconum Catechumenis Miſſam, tum demum pulſavit oſtium, &c.* Videtur Caſſianus auctoritatem Diaconis dare Miſſam Catechumenorum faciendi. In Ægypto forſan id obſervabatur: Nihil enim eſt in Miſſa Catechumenorum, quod Diaconus exequi non poſſit. Deinde ſi diligenter attendatur Græcorum Liturgia, pars Liturgiæ Catechumenicæ maxima, atque ea, quæ Catechumenorum propria eſt, à Diacono celebratur.

IV. Hinc alterius antiquæ quæſtionis enodatio pendet, ubi ſcilicet Miſſa fidelium incipiat: Definita enim, & circumſcripta Catechumenorum Miſſa, ſtatim apparet Miſſæ fidelium initium, in offertorio ſcilicet, id eſt, in oblatione, quæ Deo fit panis conſecrandi. Hoc ita definio, quod antiquitus, ut & nunc fieri ſolet, in Miſſis ſolemnibus præſertim, quæ pro mortuis dicuntur, populus gregatim ad altare munera ſua afferebat poſt Evangelii Lectionem, & concionem ſi aliqua habebatur, dumque hæc afferret, Pſalmi cantabantur, cujus unus aut alter verſus adhuc füpereſt, qui offertorium vocari ſolet. Offertorium igitur voco non iſtorum numerum præſentationem Sacerdotibus à populo factam, aut Pſalmum tunc cantari ſolitum, ſed oblationem unius partis iſtorum munerum ad conſecrationem ſelectæ, Orationem ſcilicet hanc, *Suſcipe, quæſumus Domine, hanc immaculatum Hoſtiam, &c.* Ibi eſt Miſſæ fidelium initium, à quo tempore nec Catechumenis nec Pœnitentibus licebat in Eccleſia commorari, ſed omnes diligenter ante illius inchoationem expellebantur, ut ex capite præcedente ſatis conſtitit. Diù eſt, cum à Chriſtianis parum diligentibus poſtulatum eſt, quando Miſſa inciperet: Multis enim è plebe ſufficere videbatur Lectioni Evangeliorum, & tractatibus Epiſcoporum adeſſe. Sed reſponſum, quod enarravimus, ſemper tulerunt.

V. Amalarius Trevirenſis Epiſcopus *lib.* 3. de divinis Officiis *cap.* 36. *Solet vulgus indoctum requirere à quo loco totius Officii Miſſa inchoatur, ut ſi fortè ad totum non occurrerit, poſſit ſcire, quibus officiis ſe præſentare debeat ſine cotractatione. Nobis videtur Miſſa vocari ab eo loco quo incipit Sacerdos ſacrificium offerre Deo, uſque ad ultimam benedictionem, id eſt, ab offerenda uſque ad, ite Miſſa eſt.* Suam ſententiam confirmat auctoritate S. Iſidori Hiſpalenſis, *A tempore ſacrificii Iſidorus officium Miſſæ deputat inquiens in libro Etymologiarum: Miſſa tempore ſacrificii eſt, quando Catechumeni mittuntur foras, clamante Levita, Si quis Catechumenus remanſit, exeat foras. Et inde Miſſa, quia Sacramentis altaris intereſſe non poſſunt, qui nondum regenerati noſcuntur.* Hæc leguntur apud Iſidorum *lib.* 6. Originum *cap.* 19. Eandem ſententiam ante utrumque prodidit Sanctus Cæſarius Arelatenſis *Homil.* 12. adverſus eos agens, qui Myſteriorum celebrationem ad finem uſque non expectant: *Si diligenter attenderitis, cognoſcetis, quia non tunc fiunt Miſſæ, quando divinæ lectiones in Eccleſia recitantur, ſed quando munera offeruntur, & Corpus, vel Sanguis Domini conſecratur, &c.* Idem teſtatur, & auctoritate canonis Miſſæ probat Micrologus *cap.* 51. *Sciendum eſt juxta antiquos Patres, quòd ſoli Communicantes divinis myſteriis intereſſe conſueverant, Unde & ante oblationem juxta canones jubebantur exire Catechumeni, & Pœnitentes, &c. Hoc quoque ipſa Sacramentorum confectio innuit, in qua Sacerdos non pro ſola ſua oblatione, & communicatione, ſed & aliorum rogat, & maximè in oratione poſt communionem pro ſolis communicantibus orare videtur.*

VI. In Græca Liturgia licèt eadem ſit prorſus obſervatio, circumſtantiæ tamen propter rituum differentiam ſunt variæ. Miſſa fidelium iis paulò citius incipit quàm Latinis, magiſque eſt conſpicuum illius initium: Quanquam enim nulli ſint Catechumeni, ſemper tamen ſolemniter Catechumenos dimittunt poſt orationem Catechumenorum pronuntiatam; Ita enim ſolemniter Diaconus, Ὅσοι κατηχούμενοι προέλθετε, οἱ κατηχούμενοι προέλθετε, ὅσοι κατηχούμενοι προέλθετε. μήτις τῶν κατηχουμένων. Ὅσοι πιστοὶ ἔτι καὶ ἔτι ἐν εἰρήνῃ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν, ut in eorum Liturgia legere eſt. Catechumenis ſolemniter expulſis, incipiunt fidelium preces, cum quibus Miſſa fidelium incipit, duabuſque recitatis precibus incipit apud eos Cherubicus Hymnus, quo decantato ad menſam τῆς προθέσεως redeunt Sacerdos, & Diaconus cum Clero, tolluntque oblata ex illa menſa, & magna cum pompa per Eccleſiam delata in altari reponuntur. Hanc ſolemnem admodum delationem *μεγάλην εἴσοδον, magnum introitum* vocant, qua peracta Sancta Dona ſuper altari poſita velis nudantur, & Deo ſolemniter offeruntur. Hæc ante oblationem faciunt, quorum non eſt apud Latinos uſus, ſi Hymnum Cherubicum excipias, quem Latini poſt oblationem in fine præfationis canunt. Antiquitus ante primam fidelium orationem poſt dimiſſionem Catechumenorum oratio ſuper Pœnitentes dicebatur, ut demonſtratum eſt. Eſt igitur perſpicuum ex dictis, ubi erat initium apud utroſque Miſſæ fidelium, & Conſequenter quidquid hoc præcedebat, Miſſæ Catechumenorum deputandum eſt.

VII. Monendus eſt Lector apud Græcos, & Orientales diſtinguendum eſſe Hymnum Triſagion dictum à Cherubico, & ἐπινικίῳ victorioſo: Prior enim initio Liturgiæ ante Epiſtolæ Lectionem canitur, Poſterior poſt Catechumenorum, & Pœnitentium dimiſſionem eo, quo dictum eſt, loco. Prioris nullus apparet apud Latinos uſus, ſi officium excipias feriæ ſextæ ante Paſcha in quo ſolemniter decantatur; Poſterioris uſus eſt apud Græcos, Latinoſque quotidianus; ut apud Græcos conſtat ex eorum Liturgiis, ex quinta Catecheſi Myſtagogica S. Cyrilli, & ex Gregorio Nyſſeno capite præcedente citato. Triſagion, eſt ejuſmodi, ἅγιος ὁ θεὸς ἅγιος ἰσχυρὸς; ἅγιος ἀθάνατος ἐλέησον ἡμᾶς. *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miſerere nobis.* Liturgia Sancti Baſilii hunc Hymnum κατὰ λέξιν refert, ut & antiqua Liturgia Syriaca Indorum Orientalium, quæ ter initio Miſſæ illum integrum repetit: Aliæ monent tantùm cantari tali loco Triſagion, & iterùm, poſt Triſagion cantatum, &c. Sed Hymni expreſſionem, ut rem quotidianam, & vulgò notiſſimam prætermittunt. Jobius antiquus auctor apud Photium, *Simulac Sacerdotes ad altare ingrediuntur, ſacer Pſaltes de loco excelſo clamat, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, &c.* Synodus Conſtantinopolitana ſub Menna circa medium actionis quintæ, *Cantores aſcendentes permiſſi ſunt dicere Triſagion, & cum ipſi cœpiſſent, populus quievit, & audiebat attentis auribus triſagion, & poſt Lectionem Sancti Evangelii, januis clauſis, & ſacra Liturgia ex more incipiente, &c.* Vides quid ſit triſagion, & quo Miſſæ ſive Liturgiæ loco cantetur. Diſci hoc poteſt, aliaque multa in hanc rem ex Balſamonis commentario in *cap.* 82. Concilii Trullani, Joan. Damaſceno *lib.* 3. *cap.* 10. de Orthodoxa fide, & Jacobi Billii in illud caput Commentario, atque ex Jovio jam citato apud Photium *n.* 222. Quid ſit verò uterque Hymnus docet nos paucis verbis S. Cæſarius Gregorii Nazianzeni frater Dialogi 1. Interrogatione 29. *Neque Sancta Cherubim aliquid addunt in cœlo Sanctæ Trinitati, cùm reſonant Sanctus, Sanctus, Sanctus: Neque nos cum in Triſagio clamamus Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, &c.*

VIII. Qui Hymnos iſtos non diſtinxerit Orientalium Liturgias perturbatas, & à Latinis hac in cauſa plurimùm differre credet. Triſagium enim non modo ante ſacras lectiones, ſed etiam iterum poſt Catechumenorum dimiſſionem, duaſque fidelium preces à Græcis ſolemniter cantari ſibi perſuadebit, cùm tamen Græci nihil perturbatè permiſceant, & utrique in Hymno poſteriore conveniant, & in priore ſive Triſagio, non aliter quàm ut explicatum eſt, diſſentiant. De Triſagio iſto non autem de alio triſagio ſive Hymno Cherubi-

Digitized by Google

rubico, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus ſabaeth*, *&c.* Intelligenda eſt additio illa impia, *Qui paſſus es pro nobis* à Petro Fullone facta, quàm antiqui Patres tantopere execrati ſunt. Hæc initii Miſſarum explicandi cauſa adnotaſſe ſufficiat.

IX. Quanquam officium Catechumenorum antiquis Latinis Miſſa dictum fuerit, monendus eſt iterum Lector, hoc non obſtitiſſe, quo minus idem nomen cum integro fidelium officio, & ſacrificio communicatum fuerit, ut apparet ex Concilio 2. Carthag. *cap.* 3. *Reconciliare quenquam in publica Miſſa presbytero non licet*. Et Leonis *Epiſt.* 88. ubi idem prohibetur. Sanctus Auguſtinus initio Sermonis 91. de tempore eandem uſurpat ſignificationem, *In Lectione, quæ nobis ad Miſſas legenda eſt, fratres chariſſimi, audituri ſumus, quòd filii Iſrael poſt tranſitum maris rubri venerunt ad Mara*, *&c.* & Sanctus Leo *Epiſt.* 88. Concilium Agath. *can.* 47. *Miſſas die Dominico ſecularibus totas tenere, ſpeciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præſumat*. Similiter Aurelian. 1. *cap.* 28. Victor Uticenſis *lib.* 2. *de perſec. Vandalica circa med.* Felix 4. *Epiſt.* 1. *cap.* 2. Tolet. 7. *cap.* 2. Bracar. 1. *anathemate* 17 Bracar. 2. *cap.* 10. & poſt plerique alii, quorum numerus iniri facilè non poteſt.

X. Miſſæ nomen ab antiquis Chriſtianis Latinis generalius uſurpatum eſt, pro quocunque officio Eccleſiaſtico. Hac voce uti videtur in eo ſenſu Concilium Milevitanum *cap.* 12. cum ſtatuit, *Ut preces, vel orationes ſeu Miſſæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, ſive præfationes, ſive commendationes, ſed manus impoſitiones ab omnibus celebrentur*, *&c.* Sed hoc ſæpè citat Caſſianus, *ut lib.* 3. *cap.* 5. *Inſtitut. Miſſa canonica celebrata uſque ad lucem, poſthæc vigilias extendunt*: Miſſa canonica eſt officium Matutinum. Et *cap.* 6. *Noſſe debemus nihil à ſenioribus noſtris, qui hanc eandem matutinam ſolemnitatem addi debere cenſuerunt, de antiqua Pſalmorum conſuetudine immutatum, ſed eodem ordine Miſſa, quo priùs in nocturnis conventibus perpetuò celebratam*. *Cap.* 11. *Verùm ne hoc quidem ignorandum die Dominico unam tantùm Miſſam ante prandium celebrari*, *&c.* Sic ante hos omnes uſurpavit nomen iſtud S. Cornelius in *Epiſt.* ad Lupicinum Viennenſem Epiſcopum, *Publicè neque in Cryptis notioribus Miſſas agere Chriſtianis licet*. Et poſt hos omnes eodem ſenſu nonnunquam idem nomen acceptum eſt, ut à Gregorio Turon. *lib.* 6. *hiſtor. cap.* 46. qui ſcribit Regem Chilpericum, *Opuſcula vel Hymnos, ſive Miſſas* compoſuiſſe, & paulò poſt S. Iſidorus in Hiſpania regulæ Monachorum *cap.* 6. *In quotidianis officiis vigiliarum primùm tres Pſalmi canonici recitandi ſunt; deinde tres Miſſæ Pſalmorum, quarta Canticorum, quinta Matutinorum officiorum*. Si occurrat dies aliquis feſtivus unam ait ſuper adiiciendam eſſe Miſſam.

XI. Cùm igitur Miſſa quodlibet officium Eccleſiaſticum ſignificet nonnunquam pro officio fidelium, nonnunquam pro horis canonicis, aut harum aliqua non abs re ab auctoribus Eccleſiaſticis deſumpta eſt. Tandem tamen uſus invaluit, ut pro ſacrificii celebratione tantùm acciperetur. Variarum iſtarum acceptionum origo fuit naturalis iſtius nominis ſignificatio, quæ Miſſionem antiquis, & probis auctoribus Latinis ſonat, ut remiſſa remiſſionem apud Tertullianum, & Cyprianum. Hinc illud ſolemne, & antiquiſſimum *ite Miſſa eſt*, & eodem ſenſu Caſſianus *lib.* 3. *cap.* 7. *Qui in Tertia, Sexta, vel Nona prinſquam Pſalmus cœptus finiatur ad orationem non occurrerit, ulterius oratorium introire non audet, nec ſemetipſum admiſcere pſallentibus, ſed Congregationis Miſſam ſtans pro foribus præſtolatur*. Quum igitur in ſingulis Officiis Miſſa, ſive Congregationis dimiſſio ſolemniter pronuntiaretur, hinc ipſi Officio nomen factum eſt.

CAPUT XI.

Varias pœnas, atque opera laborioſa privatim ſive toleranda, ſive præſtanda Pœnitentibus imperata fuiſſe; & diligenter, an imperata exequerentur Patres attendiſſe. Quid, ſit tradi Satanæ in interitum carnis, ex antiqua, & continua Eccleſiæ traditione explicatur.

Officia publica, rituſque, quibus Pœnitentes in Subſtrationis ſtatione, & Eccleſiæ totius conſpectu expiabantur, & imbuebantur, quantum legendo conſequi potuimus, hactenus explicavimus: Quid illis privatim agendum imperabatur, nobis inquirendum eſt. Huc referenda ſunt opera quæcunque dura, laborioſa, & corpus, corporiſque pravos affectus exterminantia Pœnitentibus imperata. Illa enim omnia, ut jam ſæpiùs indicatum eſt, in hac ſtatione injungebantur, & præſtabantur. Statio enim hæc erat propriè Pœnitentialis, atque ideò in Eccleſia nunquam non viguit; cui aliæ diſciplinæ tantum cauſa, ut demonſtratum eſt, adjectæ ſunt. Quot ſunt duræ Pœnitentiæ apud antiquos auctores monumenta, tot ſunt hujus rei argumenta. Pauca delibabimus, ne lectori in re perſpicua faſtidium creemus: neque omnia uno in capite colligere opus eſt, cùm pleraque alia ſparſim jam exſcripſerimus, & nobis neceſſariò variis occaſionibus exſcribenda ſint.

II. Satis non fuit antiquis Patribus noſtris gravium criminum Reos à Sacramentorum, & orationum participatione expellere, eos ab Eccleſia, & omni Eccleſiæ tecto ſubmovere, in Eccleſia dum Synaxis celebratur tantiſper poſtmodum admiſſos, ſupplices, & in terram poſtratos deiicere manibus Sacerdotum ſuppoſitos. Hæc enim omnia externa ſunt, impoſturæ obnoxia. Ideò vitam Pœnitentium, ſtudia, mores, actioneſque diligenter obſervabant, & minutè examinabant an ſyncera eſſet eorum converſio, atque ut ait Gregorius Nyſſenus ὁλοκάρδως, Pœnitentiæ faciem non perſonam, aut imaginem præſtari volebant, ut multis infra *cap.* 16. demonſtrabimus. Ideò Sanctus Baſilius *cap.* 3. ſic ſtatuit. *Qui propter carnis voluptatem gratiam vilipendit, perfectam ſuæ curationis demonſtrationem nobis exhibebit per carnis afflictionem, & contritionem, omniſque generis ſervitutum, à voluptatibus quibus ſubactus ad temperantiam deficiens.* Similiter *& can.* 75. 77. *&* 82. Concilium quoque Laodic. *cap.* 2. Canon ultimus Concilii in Trullo hæc ſigillatim docet, atque ideò hac in cauſa diligenter legendus: Omnem, inquit, rationem inire debet Paſtor, ut ovem à ſerpente vulneratam ſanet, *Sive per acriora, & aſtringentia, ſive per molliora, & leniora medicamenta affectioni reſiſtat, & ad ulceris obductionem aduitatur, fructus Pœnitentiæ examinans, & ſapienter diſpenſans, & gubernans hominem, qui ad ſuperiorem illuminationem vocatur*. Non itaque ad curanda, & expianda Pœnitentium crimina adhibebant ſola expulſionis ab Eccleſia, manuum impoſitionis, & Orationis medicamenta; ſed longè acriora, & auſteriora, quæ unicuique Pœnitenti pro vulneris ratione applicabant. Plurima, quæ idem demonſtrant antiquorum teſtimonia, lege *lib.* 1. *cap.* 12. 13. 14. 15. 16. Quapropter iſtius argumenti vim ultra non urgemus.

III. Specialius quandoque, ad particularem auſteritatum diſtinctionem antiqui Auctores deſcendunt, licèt quales eſſent ex quotidiana praxi nemini tum temporis eſſet incognitum. Sozomenus *hiſtor. lib.* 7. *cap.* 16. ubi deſcripſit ritus, quibus Pœnitentes publicè in Eccleſia, cùm in Subſtratione ſubſiſtunt, expiantur, quos ſupra *cap.* 9. retulimus, adiicit, *Privatim deinde ſponte ſua quiſque vel jejuniis, vel Lotionum, ciborumve abſtinentia, vel aliis quibus juſſus eſt, ſemetipſum affligent, tempus expectat, inquantum Epiſcopus præſtituit. Elapſo demum præfinito die pœna jam quaſi debito quopiam exolata à peccatis abſolvitur, & populo in Eccleſia conjungitur*. Et initio narrationis iſtius docet Presbyterum Pœnitentibus præpoſitum hoc munere functum. *Ille verò pro cujuſque delicto quid, aut facere ſingulos, aut quam pœnam oporteret, imponens dimittebat à ſeipſis vindictam ſumpturos*. Hanc autem diſciplinam Romæ eſſe antiquiſſimam, & ſuo tempore maximè vigere teſtatur Sozomenus, deploratque eam Conſtantinopoli eſſe laxatam.

IV. Antiquiſſima Synodus Romana, quæ habetur *tom.* 1. Concil. Galliæ, Galliorum Epiſcoporum interrogatis reſpondens *cap.* 1. Sic ſtatuit de Virginibus velatis, quæ propoſitum non ſervarunt, *Quali hîc, & quanta ſatisfactione opus eſt? quam magna Pœnitentia ejus, quæ interitum carnis incurrit? Non eſt parva culpa reliquiſſe Deum, & iviſſe poſt hominem. Unde annis quamplurimis deflendum ei peccatum eſt, quo dignæ fructu Pœnitentiæ facto poſſit aliquando ad veniam pervenire*. Et canone ſequente ſic ſtatuit tam de Virgine, quæ velum nondum acceperat, ſed virginitatem ſervare ſibi propoſuerat, quàm de ipſius corruptore, *Utriſque ergo expedit ſub eadem temporis conſtitutione à communione ſuſpendi, dignamque agere Pœnitentiam, fletu, humilitate, jejunio, miſericordia redimere crimen admiſſum*.

V. Felix III. Pontifex *Epiſt.* 7. poſtquam rebaptizationis varias examinavit circumſtantias, crimen aut augentes, aut minuentes, addit, *Nec pudeat forſitan, aut pigeat indictis jejuniorum, gemituumque temporibus obedire, aut aliis obſervantiæ ſalubrioris obtemperare præceptis; quia humilibus datur gratia, non ſuperbis. Sit ergo ruinæ ſuæ dolore proſtratus, quiſquis in Chriſto fieri quærit erectus*. Refertur canon antiquus

Digitized by Google

quus Capitular. *lib.5.cap.71.* in quo poſtquam ſeptennis Pęnitentia variè diſtributa eſt ratione actionum, quæ publicè in Eccleſia tranſiguntur, additur, *In his verò ſeptem annis multiplicitor jejuniis, & orationibus, fletibus, & eleemoſynarum, prout meliùs potuerint, exhibitionibus, & lachrymis perſiſtaat; Et ne ulterius eis talia contingant, admodùm caveant.* Concilium Barcinonenſe primum *cap.6. Pęnitentes viri tonſo capite, & religioſo habitu ntentes jejuniis, & obſecrationibus vitæ tempus peragant.* Ex canone ſequente ſtatuit de eorum converſatione tam domi, quàm extra domum. *Ut Pęnitentes epulis non interſint, nec negotiis operam dent in datis, & acceptis; ſed tantùm in ſuis domibus vitam frugalem agere debeant.*

VI. Quanti erant Pœnitentiæ labores conijcere, quis poterit ex iis, quæ refert Joannes Climacus ſcalæ gradu, 5. quem inſcribit de accurata Pœnitentia. Primùm tradit varias Pœnitentiæ deſcriptiones, *Pœnitentia eſt corporeæ conſolationis perpetua, & jugis repudiatio. Pœnitentia eſt voluntaria rerum omnium, quæ affligunt, toleratio. Pœnitens eſt cruciatuum ſibi ſemper opifex. Pœnitentia eſt valida ventris afflictio, animæque in ſenſu firmiſſimo jugis reprehenſio.* Ex his deſcriptionibus manifeſtum eſt, Pœnitentiam præter ea, quæ demonſtrata ſunt capitibus præcedentibus, opera laborioſiſſima complecti. Poſteà deſcribit Monaſterii carcerem, in quo Pœnitentia agebatur, variaque Pœnitentiarum genera, *Cùm perveniſſem*, inquit, *ad Pœnitentium monaſterium, vidi revera, ſi dicere id audeam, quæ negligentis oculus non vidit, auriſque deſidioſi non audivit, & in cor pigri hominis non aſcenderunt, res, & verba, quæ Deo vim inferre poſſent, habitus, & ſtudia, quæ ipſius clementiam celerrimè flecterent.* De laboribus quos Pœnitentiæ cauſa ſubibant, nihil prorsùs referam. Climacum adeat, eos fusè ſatis deſcribentem. Terribiles ſanè viſu formæ, quas cùm enarraſſet, ſubdit, *Quæ ergo omnia, cùm apud illos audiſſem, & vidiſſem, parum abfuit, quin deſperatione abſorberer, cùm meam intuerer malitiam, & negligentiam, eamque Sanctorum illorum afflictioni compararem. Quænam verò, qualiſve erat ejus loci facies, & habitatio, tota tenebroſa erat, informis, fœtida, ſordida, ſqualida, &c.* Qui expreſſiſſimam veræ Pœnitentiæ imaginem animo ſuo inſcribi cupit, hunc Scalæ Sancti Climaci gradum evolvat, tunc jactare poterit ſeſe didiciſſe, quid ſit agere Pœnitentiam, nec mirabitur, Climacum iſtorum Monachorum Abbati interroganti, an vidiſſet laborantium certamina, reſpondiſſe; *Vidi pater, vidi & admiratus ſum, felicioreſque exiſtimavi, qui poſt lapſum ita lugent, quàm qui nunquam lapſi ſunt, & ſeipſos non ſic deflent. Illis enim ruina ſua cauſa fuit beatiſſimæ, ac tutiſſimæ reſurrectionis.*

VII. Sed audiamus, qua ratione Pœnitentiam agere juſſerunt Patres Joanne Climaco, & Concilio Barcinonenſe, & Felice Pontifice multò antiquiores, quanquam Laicos non Monachos alloquerentur. S. Pacianus Parænesi ad Pœnitentiam, illius actionem deſcribens, in Pœnitentes ſui temporis invehitur, quòd ne has quidem communiſſimas Pœnitentiæ actiones obſervarent. *Ne hæc quidem, quæ videri etiam à Sacerdote poſſunt, & Epiſcopo iſta laudari; ne hæc quidem quotidiana ſervamus; flere in conſpectu Eccleſiæ, perditam vitam ſordida veſte lugere, jejunare, orare, provolvi: Si quis ad balneum vocet, recuſare delicias: Si quis ad convivium roget, dicere; Iſta felicibus, ego deliqui in Dominum, & periclitor in æternum perire. Quo mihi epulas, qui Dominum læſi? Tenere præterea pauperum manus, viduas obſecrare, Presbyteris advolvi, exoratricem Eccleſiam deprecari, omnia priùs tentare quàm pereas. Scio quoſdam ex fratribus, & ſororibus veſtris cilicio pectus involvere, cineri incubare, jejunia ſera meditari, & non talia fortaſſe peccarunt, &c.* Vides quæ vocet quotidiana, in actione Pœnitentiæ. Pleraque ſunt alia eodem loco, quæ præcedunt, quæque ſequuntur, quibus Pœnitentiæ actio perbellè, & graphicè deſcribitur, ſed eorum permulta jam citata ſunt, & apud auctorem à Lectore examinari poſſunt. Hæc propoſito noſtro ſufficiant. Iſtorum pleraque, & ferè omnia decerpſit Pacianus è Tertulliano libro de Pœnitentia. Nihil aliud agit Tertullianus capitibus hujus *libri 9.* 10. 11. & 12. ad finem uſque, quàm auſteritatum Pœnitentiæ deſcriptionem. Plurima hinc teſtimonia ut *lib.1.cap.12.* & alibi ſæpiùs depromſimus, ideò illis nunc miſſis ad Auctorem Lectorem remittimus, unico & breviſſimo ex *cap. 11.* contenti. *Quid ſi præter pudorem, quem potiorem putant, etiam incommoda corporis reformidant, quòd inlotos, quòd ſordulentos, quòd extra lætitiam oportet diverſari, in aſperitudine ſacci, & horrore cineris, & oris de jejunio vanitate?* Acerrimè in eos ad finem uſque libri invehitur, qui tantorum laborum, & cruciatuum formidine à ſuſcipienda, & agenda Pœnitentia retardantur, & argumentis, exemplisve velut fulguribus eos percellit.

VIII. Actionis Pœnitentiæ amplam hypotypoſim, non adumbratam, ſed expreſſam nobis exhibet Sanctus Ambroſius *cap. 8. libelli ad Virginem Lapſam*, cujus magna pars variis occaſionibus ſupra nobis exſcripta eſt; hujus lectione integra Lectori hac in cauſa erit ſatisfactum, Virginis corruptorem capite ſequente acriter increpat, & multa inter monita hoc inſerit, *Petas ultro carcerem Pœnitentiæ, obſtringas catenis viſcera, animam tuam gemitibus, jejuniiſque diſcrucies, Sanctorum petas auxilium, jaceas ſub pedibus Electorum, ut non per cor impœnitens theſaurizes tibi iram in die judicii, &c.* Pœnitentiæ præterea agendæ modum docet *lib.2. de Pœnit. cap.7. &* 10. Nec minùs ſunt evidentia Sancti Cypriani teſtimonia, & potiſſimùm in libro de Lapſis, & Cleri Romani in Epiſtola ea de cauſa ad ipſum ſcripta, quæ inter ipſius Epiſtolas eſt 32. Pleraque ex iis relata ſunt *cap.12. & ſeq. libri primi*, ut & Clementis Romani *lib.4. cap.2.* atque etiam ex Sancti Joannis Apoſtoli *eodem lib.1.cap.12.*

IX. Gregorius Nyſſenus *in homil. de Pœnitentia* eadem fusè, & eleganter perſequitur, *Verbis pœnitentiam pollicemur, factis verò nihil ſtudii, laboriſque præſtamus, ſed eadem vivendi conſuetudine utimur, qua priùſquam peccata confitendo deteſtaremur. Eadem in vultu hilaritas, idem in corporis cultu, victuque ſplendor; Somno ad ſatietatem uſque indulgemus, &c.* Id exaggerat variis comparationibus illius, qui ob crimen regia menſa interdictus eſt, *Quantam pecuniæ vim expenderes, ut in regis gratiam redires, ut honorem priſtinum redimeres. Quorum autem fores ſupplex, hæſitans, dolens frequentares, &c. ſquallore, & luctu, & vultus demiſſione dolorem animi præ te ferres, &c.* Idem Pœnitentibus multò magis eſſe faciendum contendit, ut menſæ divinæ, qua exciderunt reſtituantur. Utitur præterea comparatione victus ægroti, & ſani. *Non eſt conſentaneum, ut qui ſe ægrotare confitetur, eadem victus ratione utatur, qua utuntur illi, qui proſpera ſunt valetudine,* Tandemque multis eleganter allatis, ait, *Deliciis indulgens in morbum delapſus es, eum inedia, & jejuniis cura. Animus laborat incontinentia, adhibeatur temperantiæ medicamentum, &c. Explora celeriter, & diligenter animadverte morbum, quo affectus es; Suſcipe ex eo dolorem quantum maximum potes: affige te, fratreſque benevolos, atque unanimes adhibe, qui ſimul doleant, & adjumento ſint, ut libereris. Oſtende mihi amaras, atque uberes lachrymas tuas, &c.*

X. Denique idem directè, & evidenter demonſtrant tot antiquorum Patrum teſtimonia, & rationes, quibus aſſerunt, & probant peccata poſt baptiſmum commiſſa longè eſſe graviora iis, quæ baptiſmum antecedunt, atque ideò magnis fletibus, Jejuniis, Vigiliis, Eleemoſynis, & corporis longis, & duris macerationibus, & afflictionibus eſſe curanda, & expianda, quæ capitibus 4.5.6.7. libri tertii, retulimus, & explicavimus. His accedit, quod libro ſequente hanc eandem Pœnitentiæ afflictionem fusè retractabimus, explicando ſcilicet Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem, quæ à ſeculo ſeptimo viguit aduſque duodecimum: Nunc enim Eccleſiæ ritus, qui hoc tempus præceſſerunt, tantùm attingimus.

XI. His igitur omiſſis, ne ſæpiùs idem repetere cogamur, hoc unum argumentum præcedentibus adtexemus. Sanctus Paulus *Epiſtola 1. ad Cor. cap.5.* dicit, ſe inceſtuoſum Corinthium, *Tradidiſſe Satanæ in interitum carnis, ut Spiritus ſalvus ſit, &c.* Antiquiſſimi Patres interitum illum carnis de Pęnitentiæ laboribus interpretantur: Ita Zepherinus Pontifex, & Carthagin. Eccleſia teſte Tertulliano *libro de Pudicitia cap. 13. Hic jam carnis interitum, in officium Pœnitentiæ interpretantur, quòd videatur jejuniis, & ſordibus, & incuria omni, & dedita opera malæ tractationis carnem exterminando ſatis Deo facere, ut ex hoc argumententur, fornicatorem, immò inceſtum illum non in perditionem Satanæ ab Apoſtolo traditum, ſed in emendationem, quaſi poſteà veniam ob interitum, id eſt, conflictationem carnis conſecuturum.* Quid clariùs, & antiquius ad rationem Pœnitentiæ ut privatim, & extra Eccleſiam agitur, demonſtrandum? Ideò Tertullianus tum factus Hæreticus, in hanc interpretationem pro viribus inſurgit; ſed eo pluris facienda, & ardentius amplectenda, quo propenſius in eam evertendam incumbit.

XII. Eodem planè modo Origenes *in fine homil.24. in Levit. Quod dicit tradidi in interitum carnis, hoc eſt, in afflictionem corporis, quæ ſolet à Pœnitentibus expendi, eumque carnis interitum nominavit, qui tamen carnis interitus vitam Spiritui conferat. Unde & nunc ſi quis fortè noſtrum recordatur in ſemetipſo alicujus peccati conſcientiam, ſi quis ſe obnoxium*

novit

Digitized by Google

novit eſſe delicta, confugiat ad Pœnitentiam, & ſpontaneum ſuſcipiat carnis interitum, ut expurgatus in præſenti vita Spiritus noſter mundus, & purus pergat ad Chriſtum. Spontaneum dicit, non quòd non ſit ab Eccleſia impoſitus, ſed quòd pœnæ tolerantia, & executio ab ipſo Reo in ſeipſum agatur. Unde ex eo loco colligit Origenes criminis confeſſionem, & vindictam. Ad hanc interpretationem ſpectabat S. Baſilius *cap. 7. Epiſt.* ad Amphilochium, ubi de inflictione pœnæ 30. annorum propter crimen ignoranter factum verba faciens ſtatuit poſt illud tempus eſſe recipiendos; *Nam*, inquit, *& ignorantia eos venia dignos facit, & ſpontanea confeſſio, & temporis diuturnitas: ferè enim tota hominis ætate Satanæ traditi ſunt, ut diſcant non ſe turpiter gerere.*

XIII. Ita Pacianus eundem locum intelligit Parænesi ad Pœnitentiam, *Admoveba adhuc ignes de cauterio Apoſtolico. Videamus, an ferre poſſitis. Judicavi*, inquit, *congregatis vobis, & Spiritu meo in virtute D. Jeſu Chriſti tradere ejuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, &c. Quid dicitis Pœnitentes? Ubi eſt veſtræ carnis interitus? An quod in ipſa Pœnitentia lautiores ſemper inceditis, convivio farti, balneis expoſiti, veſte compoſiti? &c.* Multis increpat Pœnitentes, quòd conformiter legibus Pœnitentiæ non vivant; & poſteà quæ ſint illæ leges, eos docet iis verbis, quæ ſupra retulimus. *Epiſt. 3.* ad Sympronianum ad hæc S. Pauli verba alludit, cùm Novatianorum objectioni, indulgentia peccati peccatum doceri, ſic reſpondet, *Fortaſſe pateret hoc credi ſi Pœnitentia deliciæ putarentur, cujus labor tantus imponitur, cui carnis interitus imperatur, cui juges lachrymæ, cui gemitus ſempiterni.*

XIV. Sanctus Ambroſius *lib. 1. de Pœnit. cap. 12.* non videtur κατὰ λέξιν ad Pœnitentiam illa verba referre, ſed ad corporis caſtigationem, quæ mortificationis cupiditatum cauſa ſuſcipitur. Attamen cum Apoſtoli eo loco, & S. Ambroſii univerſus ſermo de Pœnitentia ſit, & ad Pœnitentiam propriè pertineat carnis, & cupiditatum ejus mortificatio, atque ea de cauſa omnis Pœnitentia, & imponatur, & agatur, neceſſe eſt Ambroſii verba ad Pœnitentialem mortificationem pertinere. De his Lector judicet; ejuſmodi ſunt Sancti Ambroſii verba, *Hic traditur Satanæ in interitum carnis, ut ſerpens terram ejus lingeret, animæ non noceret. Moriatur ergo caro noſtra cupiditatibus, ſit captiva, ſit ſubdita, nec legi mentis noſtræ repugnet, ſed bonæ ſervituti ſubjecta moriatur, ſicut in Paulo, qui caſtigabat corpus ſuum, ut ſervituti redigeret, &c. Interit enim caro, cùm ſapientia ejus tranſit in ſpiritum, ut jam non, quæ carnis ſunt, ſapiat, ſed quæ ſunt Spiritus. Utinam videam infirmari carnem meam, &c.* Et in fine *lib. 2. de Pœnitentia, Interitus non conſummatam abſumptionem carnis ſignificat, ſed caſtigationem. Sicut enim mortuus peccato Deo vivit; ita illecebra carnis interit, & cupiditatibus moritur caro.* Sic planè Origenes *homil. 1. in Pſal. 37.* ita ut ab eo interpretationem ſuam mutuatus videatur Sanctus Ambroſius. Eandem interpretationem amplectitur Sanctus Hieronymus *in Pſal. 83. v. 2.*

XV. Denique eadem eſt Sancti Auguſtini interpretatio *in lib. de fide, & bonis operibus cap. 26. Niſi eſſent quædam ita gravia, ut etiam Excommunicatione plectenda ſint, non diceret Apoſtolus, Congregatis vobis, & meo ſpiritu tradere ejuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, &c. Unde etiam dicit, ne lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt Pœnitentiam ſuper immunditiam, & fornicationem, &c.* Eſt igitur tradere Satanæ in interitum carnis, Excommunicatione plectere, & ad Pœnitentiam trudere. Itaque quicunque gravia crimina perpetraverant, dum ad Pœnitentiam damnabantur, tradi dicebantur Satanæ ad interitum carnis. Licèt autem perſpicuè admodum verbis citatis expreſſiſſet S. Auguſtinus, de qua Pœnitentia eſſet illi ſermo, verbis tamen ſequentibus hoc iterùm explicat minorum peccatorum curationem tradens, *Item niſi eſſent quædam non ea humilitate Pœnitentiæ ſananda, qualis in Eccleſia datur eis, qui propriè Pœnitentes vocantur, ſed quibuſdam correptionem medicamentis, &c.* Gravia igitur illa peccata ea humili Pœnitentia ſanantur, à qua Pœnitentes propriè dicuntur, atque hoc probavit ex verbis Pauli, *Tradere Satanæ in interitum carnis, &c.*

XVI. S. Auguſtinus *lib. 3. cap. 1.* contra Epiſtolam Parmeniani duplicem ejuſdem loci affert explicationem, hanc quam ediſſerimus, & multis confirmat, & ſecundam, quam tantum innuit, qua tradi Satanæ in interitum carnis explicatur divinitus corporaliter torqueri. *Quid ergo agebat Apoſtolus, niſi ut per interitum carnis saluti ſpiritali conſuleret, ut ſive aliqua pœna, vel morte corporali ſicut Ananias, & uxor ejus ante pedes Apoſtoli Petri ceciderunt, ſive per Pœnitentiam, quoniam Satanæ traditus erat, interimeret in ſe ſceleratam carnis concupiſcentiam: Quia ipſe item dicit, Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, inter quæ & fornicationem commemorat, &c.* Multis ibidem hanc interpretationem illuſtrat, & eam ſemper ad Pœnitentiam refert, quæ pro criminibus ab Eccleſia infligi ſolet, eamque probat comparatione illius, quod habet idem Apoſtolus 2. *ad Cor. cap. 2.* quo huic inceſtuoſo Pœnitenti parci jubet, *Sicut adhibet peccanti damnationem, ſic correctio, atque trementi, atque humilianti in Pœnitentia cor ſuum, vult reddere conſolationem.* Sic quoque S. Benedictus *in regula cap. 25.* intellexit, cùm ait de Excommunicatione ob graviores culpas, *Solus ſit ad opus ſibi injunctum perſiſtens in Pœnitentiæ luctu, ſciens illam terribilem Apoſtoli ſententiam dicentis, Tradite hujuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis.* Patres etiam Triburienſes *cap. 2.* ſic Apoſtoli verba interpretantur, & iis conjungunt, quæ alibi ſcribit, *cum hujuſmodi nec cibum ſumite.* Auctor Commentariorum *in Epiſt.* Pauli qui inter Opera Sancti Hieronymi legitur, hæc verba commentans præter hanc interpretationem, quam amplectitur, aliam tradit, ſcilicet, tradi Satanæ, eſſe, à dæmone juſſu Eccleſiæ corripi.

XVII. Licèt Græci nonnulla, ut Sanctus Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius eam amplectantur, eſt tamen parum probabilis, cùm tam prodigioſæ pœnæ propter peccata ab Apoſtolis, aut Epiſcopis inflictæ vix ſit apud auctores Eccleſiaſticos mentio. Prætereà hoc ſi feciſſent Apoſtoli, eorumque ſucceſſores, homicidii, & veneficii apud Judices Ethnicos accuſati fuiſſent, utpote qui mandatis non obtemperantes, vel enecarent, vel faſcinationibus dementarent. Refert Paulinus in vita Sancti Ambroſii, Sanctum hac ratione criminis Reum Satanæ tradidiſſe. *Oportet illum*, ait Ambroſius, *tradi Satanæ in interitum carnis, ne talia in poſterùm audeat admittere. Quem eodem momento, cùm adhuc ſermo eſſet in ore Sacerdotis, Spiritus immundus arreptum diſcerpere cœpit.* Sed ratio planè ſpecialis fuit: Erat enim crimen publicum, de quo convictus fuerat. Deinde Dæmoniacus erat ille à Sancto Ambroſio paulò ante curatus. Denique ſervus erat, quem criminis convicerat Dominus, & cui rogante Ambroſio pepercerat. Quare in tali Hypotheſi enarrata incommoda conſequi non poterant. Immo tum juſtum planè erat, ut iterùm ægrotaret, qui crimina, dum ſanaretur, perpetraverat. Deinde poſt Dæmonis irruptionem in Reum non fuiſſet omninò ab Eccleſia projiciendus, ſed ut verè Energumenus Energumenorum more curandus; qua de re nihil prorſus Apoſtolus. Denique jubet ibidem Apoſtolus ejuſmodi hominem demonſtrata ingenti criminis Pœnitentia in gratiam recipi, & quod pœnæ ſubeundæ ſupererat, ipſi remitti, ne triſtitia, & mœrore abſorbeatur. Quæ ſanè nihil aliud probant, quàm pœnæ ordinariæ criminum Reis inflictionem. Sed quidquid ſit de hac ſecunda interpretatione, certum eſt ex dictis, antiquiſſimos Chriſtianos traditionem Satanæ in interitum carnis eſſe de Excommunicatione interpretatos, qua gravium criminum Rei poſt expulſionem à myſteriis, longis jejuniis, macerationibus, & afflictionibus corporis ab Eccleſia curantur; & conſequenter, ad eorum curationem non adhibitas fuiſſe tantùm publicas manuum impoſitiones, & orationes, ſed etiam toto illo tempore imperatas Pœnitentibus varias corporis afflictiones, quod nobis hoc capite probandum propoſueramus.

CAPUT XII.

In omnibus propè Parœciis non modò conſpicuum fuiſſe Catechumenorum, ſed etiam Pœnitentium ſtatum à fidelibus loco, veſte, oratione, diſceſſione ab Eccleſia, & variis prærogativis diſtinctum. Ideò paſſim populus Eccleſiam frequentans in fideles, Pœnitentes, & Catechumenos diſtributus. Horum etiam pleraque extra Eccleſiam conſpicua fuiſſe.

OPeræ pretium aliquod Lectori facturus mihi videor, ſi breviter hoc capite, & velut in tabella, ob oculos proponam Pœnitentium in Eccleſia illis temporibus ſtatum. Multa enim eorum, quæ dicta ſunt, quæque dicturi ſumus, negotium multis facere poſſunt, non propter perplexam aliquam, quæ in iis inſit, difficultatem, ſed propter antiquæ conſuetudinis ab aliquot ſeculis deſuetudinem. Ea enim mirari ſolemus, & ſæpè refugere licèt facilia, quibus non aſſuevimus: Nihil verò tam difficile, & ferum, quod aſſiduitate videndi animo non miteſcat. Antiquitus vix unquam videre erat aliquam Eccleſiam baptiſmalem, ſeu Parœciam, in qua non eſſet omnium oculis expoſitus magnus Pœnitentium numerus. In omnibus

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiis conſpicui erant, & diſtinctiſſimi quatuor hominum ordines, tres potiſſimum, fideles, Pęnitentes, Catechumeni, Audientes. Quoties in Eccleſias conveniebant Chriſtiani, pars Eccleſiæ portas tranſilire non audebat; pars ad Ambonem nec ulterius progredi; Pars Eccleſiæ ſpatium ab Ambone ad Sanctuarii cancellos complebat. In omni propè Synaxi, ſive Miſſa quatuor hæc publicè, & eodem ſemper ordine peragebantur. Cantatis Pſalmis, lectis ſcripturis, & ſermone habito pellebantur Audientes, & portis occluſis Catechumenorum oratio in omnium fidelium conſpectu agebatur; iiſque ab Eccleſia dimiſſis ſub manum veniebant Pœnitentes, factaque oratione, & manus impoſitione ab Eccleſia eiiciebantur, tumque portis omnibus Eccleſiæ diligenter clauſis myſteria celebrabantur. Ideo Sanctus Clemens, Sanctuſque Dionyſius cum Synaxis actionem explicant, hæc omnia, & officia, quibus quiſque expiabatur, ſigillatim enumerant, & Concilium Laodicenum licèt tribus, aut quatuor lineis rem expediat, omnium tamen meminit, ut innumera alia prætexeam, quorum magna pars relata eſt *cap. 8. & 9.* atque etiam præcedente.

II. Cùm igitur hi omnes in omnibus Eccleſiis tam conſpicui eſſent, hinc contingit, ut Sancti Patres, cùm aliquid exegeticè enuntiant, quòd ab omnibus Chriſtianis audiri volunt, aut cujus teſtes volunt eſſe omnes Chriſtianos, Laicos in hac ſpecies nonnunquam diſtribuant, Sanctus Auguſtinus *lib. 1. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 14. Meruit in Eccleſia* (Liber Sapientiæ) *de gradu lectorum Eccleſiæ Chriſti tam longa antiquitate recitari, & ab omnibus Chriſtianis ab Epiſcopis uſque ad extremos Laicos fideles, Pęnitentes Catechumenos.* Ex *homil. 49. ex libro 50. homiliarum cap. 2. Audite Chariſſimi, membra Chriſti, & matris Catholicæ filii, Quod dico competentibus, audiant fideles, audiant & Pęnitentes: Quod dico fidelibus, dico & competentibus, & Pęnitentibus, audiant Catechumeni, audiant omnes: Omnes timeant, nemo contemnat.* Et *in fine Homiliæ, Pęnitentibus dico, Quid eſt, quod agitis? Scitote, nihil agitis. Quid prodeſt, quia humiliamini, ſi non mutamini. Catechumenis dico, exardeſcite voluntate ad percipiendum gratiam.* Et *homil. 41. ejuſdem libri*, ſic incipit, *Pęnitentes, Pęnitentes, Pęnitentes, ſi tamen eſtis Pęnitentes, & non irridentes, mutate vitam, & reconciliamini Deo, &c. Pęnitentiam agis, genu figis, & rides, & ſubſannas patientiam Dei.* Et *libri de Virginitate cap. 48. Omnes omninò Chriſtianos à ſpiritualibus uſque ad carnales, ab Apoſtolis uſque ad ultimos Pęnitentes, à ſummis cęlorum uſque ad terminos eorum, docuit orare, & in ipſa oratione dicere admonuit, dimitte nobis, &c.*

III. Sanctus Pacianus hos ſtatus in Eccleſia ordinarios præclarè deſcribit paræneſi ad Pęnitentiam, docetque ad hos tres ſtatus univerſam Eccleſiæ diſciplinam eſſe quaſi conſtrictam, & alligatam, *Nullus exiſtimet hunc ipſum de Pęnitentiæ inſtitutione ſermonem ſolis tantummodò Pęnitentibus ordinatum, ne propter hoc quiſquis extra hunc gradum poſitus eſt, ea quæcunque dicentur, velut in alios diſtinta faſtidiat, cùm in hanc quaſi fibulam totius Eccleſiæ diſciplina coarctetur: Quando & Catechumenis, ne in hoc tranſeant, & fidelibus, ne in hoc redeant, providendum ſit; Ipſis verò Pęnitentibus, ut celeriter ad hujus operis fructum perveniant, laborandum.* Ideò quod eſſent in Eccleſia conſpicui, & à cæteris diſtinctiſſimi, ab iis nonnunquam promiſſionem publicam exigit *in media homelia* S. Eligius *Homilia 7. Si quantum humanæ fragilitati ſcire permittitur, dignè pęnituiſtis, & deinceps ne talia facere velitis tota mentis contritione promittitis, dexteras manus veſtras in ſublime extendite, ut abhinc cęleſtem converſationem, & vitam Deo dignam gerere oſtendatis.* Idem exigit *homilia 8. 16. & 11.* poſt ſignum promiſſionis, in media concione petitum, datum, & acceptum, in eorum laudem, & confirmationem multa concionatur. Sanctus Auguſtinus *lib. 1. de Symbolo ad Catechumenos cap. 7.* proponit eos Competentibus in exemplum, & digito præſentes monſtrat, ut eorum caſtigatione admoniti ad vomitum poſt baptiſmum acceptum non redeant, *Nolite illa committere, pro quibus neceſſe eſt, ut à corpore Chriſti ſeparemini, quod abſit à vobis. Illi enim, quos videtis agere Pęnitentiam ſcelera commiſerunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania: Inde agunt Pęnitentiam, &c.* Hinc S. Hieronymus *Epiſt. 30.* ſcripſit de Fabiola illuſtri Matrona ſtetiſſe in ordine Pęnitentium ſparſum crinem, ora lurida, ſordida colla ſubmittentem: & Gregorius Nazianzenus *in fine orat. 39. de criminis Reo Pęnitente convenientem ipſi locum aſſigna.*

IV. In omnibus igitur Eccleſiis Pęnitentium erat turba omnibus conſpicua, nomine, loco, ſedibuſve, ut immunda à cæteris ſegregata. Diſtinctionis iſtius longè alia erant inſignia. Omnis illa turba continentiam obſervare tenebatur, etiam ab uxoribus, qui conjugati erant, abſtinere: Plurimis matrimonia in perpetuum erant interdicta: Eorum nullus ad ſacros ordines pervenire poterat: Qui ex eis evadebant optimi ordinibus inferioribus initiari tantùm poterant. Militiam exercere, ſive bellicam, ſive forenſem iis non licebat, Iſta *libro præcedente cap. 18. 21.* & ſequentibus multis perſecuti ſumus, quandove iſta obſervari cœperunt, remitti quoque, & abrogari, iiſdem locis explicavimus. Magnæ quoque erant in Eccleſia ſtantium, & integrorum non modò præ Lapſis, & Pœnitentibus, ſed etiam præ Reſtitutis prærogativæ, de quibus *libro præcedente cap. 27.* Tam conſpicua denique, & illuſtris erat Pœnitentium à fidelibus differentia, ut præter hæc omnia veſte ſordida, & peculiari quandiù Pęnitentia in Subſtratione durabat, publicè prodirent, ita ut non modò in Eccleſia, ſed etiam ubique nemini poſſent eſſe incogniti. Diverſis occaſionibus de hac veſte diſſeruimus, *lib. 4. cap. 16 & 17.* ubi de ratione Pęnitentiæ petendæ, & imponendæ verba fecimus; & hujus *libri cap. 2.* ubi diximus, hanc lugubrem veſtem in fletu uſurpatam. Quæ tum allata ſunt teſtimonia, huc quoque referri poſſunt, quum iſtius veſtis uſum continuum demonſtrent, & non tantùm initio Pęnitentiæ adhibitum. Sed idem nunc eſt nobis aliis argumentis ſuadendum.

V. Hunc lugubris veſtis uſum quandiu Pęnitentiæ durabat humilitas docet Pacianus in Paræneſi, *Ne hæc quidem quotidiana ſervamus fiere in conſpectu Eccleſiæ, perditam vitam ſordida veſte lugere, jejunare, orare, provolvi, &c. Scio quoſdam ex fratribus, & ſororibus noſtris cilicio pectus involvere, cineri incubare, jejunia ſera meditari, &c.* Et poſt aliqua, *Per communes omnium animas obteſtor, & deprecor, ne pudeat in hoc opere; ne pigeat opportuna quàm primùm remedia ſalutis invadere, deiicere mœroribus animum, ſacco corpus involvere, cinere perfundere, macerari jejunio, &c.* Sanctus Ambroſius Virginem Lapſam ſic Pęnitentiam agere docet *cap. 8.* libelli quem ad eam reſcripſit, *Lugubris tibi accipienda eſt veſtis, & mens, ac membra ſingula digna caſtigatione punienda, amputentur crines, qui per vanam gloriam occaſionem luxuriæ præſtiterunt. Defluant oculi lachrymas, qui maſculum ſimpliciter non aſpexerunt. Palleſcat facies, quæ quondam viruit impudicè. Denique totum corpus incuria maceretur cinere aſperſum, & opertum cilicio perhorreſcat.*

VI. Optatus *Milevit. in fine lib. 2.* conquerens de Donatiſtarum impietate, qui quaſdam Virgines innocentes ad Pęnitentiam coegerant, ait, *Super earum capita velamina Pœnitentiæ tenditis.* Idem aliquantum anteà dixerat, de omni genere hominum, quos injuſtè ad Pęnitentiam detruſerant, & hoc iis verbis enuntiavit, quæ varium planè Pęnitentium ſtatum à fidelium ſtatu luculentiſſimè demonſtrat, *Jugulaſtis non membra ſed nomina. Quid prodeſt quia vivunt homines, & honore occiſi ſunt à vobis? Valent quidem membris, ſed erepta portans funera dignitatis. Extendiſtis enim manum, & ſuper omne caput mortifera velamina prætendiſtis. Ut enim ſunt ſicut ſupra dixi, quatuor genera capitum in Eccleſia Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & fidelium, nec uni parcere voluiſtis, evertiſtis animas hominum. Hos actus veſtros odit Deus in Ezechiele Propheta, cùm dicit, Væ facientes velamen, hoc eſt, imponentes manum ſuper omnem ætatem ad evertendas animas. Inveniſtis pueros, de Pœnitentia ſauciaſtis, ne aliqui ordinari potuiſſent. Agnoſcite vos animas evertiſſe. Inveniſtis fideles antiquos, feciſtis Pœnitentes. Agnoſcitis vos animas evertiſſe. Inveniſtis Diaconos, Presbyteros, Epiſcopos, feciſtis Laicos. Agnoſcite vos animas evertiſſe.* En quàm differentem ex omnium conſenſu judicabant Pęnitentium ſtatum à ſtatu fidelium, cùm inter Laicos, & ordinibus ſacris initiatos paritatem ponat cum fidelibus, & Pęnitentibus, ita ut ex fideli Pęnitentem facere idem illi ſit, quòd ex Presbytero Laicum, quòd convenit cum multis canonibus, qui propter idem crimen detrudunt Laicum ad Pęnitentiam, & Clericum ſacratum in Laicorum ordinem, ut jam non ſemel adnotatum eſt. Idem non minus luculentur colligitur ex verbis, quibus utitur, ut exprimat injuſtam fidelis ad Pęnitentiam detruſionem, cùm id appellat, ſauciare, occidere, jugulare.

VII. Sanctus Eligius *homil. 8.* non modò docet eos veſte vili, & lugubri veſtitos, ſed etiam in ſiniſtra Eccleſiæ parte locatos, & collocationis iſtius rationem reddit, *Cur ergo in ſiniſtra parte Eccleſiæ poſiti eſtis? Non ſine cauſa uſus Eccleſiæ hoc obtinuit. Verùm quia Dominus in judicio oves, hoc eſt, juſtos à dextris, hædos verò id eſt, peccatores à ſiniſtris ponet, &c. Unde & cilicia, quæ ſunt indumenta Pœnitentiam è pilis hædorum, atque caprarum ſiunt.* Eandem rationem à Sancto Iſido-

ro red-

Digitized by Google

ro redditam, & illuſtratam *lege libri 5. cap. 17.* & aliam de cilicio, & cinere in Pęnitentia adhibitis ex S. Hieronymo hujus *libri cap. 2.*

VIII. In Hiſpania videtur admodùm inſignis fuiſſe veſtis illa Pęnitentialis, & Pęnitentes à fidelibus inſigniter diſtinxiſſe; vocant enim canones veſtem illam religioſam, Barcinon. Concil. *cap. 6. Pœnitentes viri tonſo capite, & religioſo habitu utentes jejuniis, & obſecrationibus vitæ tempus peragant.* Toto igitur Pęnitentiæ tempore, non modò religioſam veſtem geſtabant, ſed etiam capite tonſi incedebant. Et *cap. 2.* Concilii Tolet. 12. de iis ſic loquitur, qui Pęnitentem in infirmitate ſuſceptam exequi nolunt, *Agunt cautionibus vanis, & oppoſitionibus exeerandis, qualiter à ſe tonſuræ venerabile ſignum expellant, atque habitum religionis abiiciant, &c.* Longè ante hoc Concilium idem fieri juſſerat, non modò in viris ſed etiam in mulieribus Concil. Toletan. 3. *cap. 12.* Addit Concilium Agathenſe *cap. 15.* ſi hoc non fecerint, abiiciendos eſſe. *Si autem comas non depoſuerint, aut veſtimenta non mutaverint, abiiciantur.* Quod ex aliis antiquis canonibus repetitur *Capitular. l. 5. cap. 52.* Ideò Vamba rex pius, cùm ipſi ægrotanti Pęnitentia eſſet impoſita, tonſuram, & religioſam veſtem ſuſcepit, regnoque ſe abdicavit, ut reliquo vitæ tempore ſedulus Pęnitentiam ageret, ut refertur Concilii Tolet. 12. *cap. 1 & libro præcedente* pluribus explicatum eſt.

IX. Ejuſdem conſuetudinis exemplum legitur apud Sidonium Apoll. *lib. 4. Epiſt. 24.* Refert ſe Toloſæ viſitaſſe Maximum quendam virum illuſtrem, & prædivitem olim ſibi familiarem, quem tum ab antiqua vitæ conditione deprehendit plurimum immutatum, Erat, inquit, *Habitus viro, gradus, pudor, color, ſermo religioſus; tum coma brevis, barba prolixa, tripodes ſellæ, cilicii vela foribus appenſa, lectus nihil habens plumæ, menſa nihil purpuræ, humanitas ipſa ſic benigna, quòd frugi, nec ita carnibus abundans, ut leguminibus. Certè ſi quid in cibis unctius, non ſibi, ſed hoſpitibus indulgens.* Cùm hominem prædivitem videret Sidonius à priſtino luxu tam alienum, vitæque religioſæ cultorem, quid Sidonio putas in animum veniſſe? *Cùm ſurgeremus clam percunctor adſtantes, quod genus vitæ de tribus arripuiſſet ordinibus; Monachum ageret, an Clericum, Pœnitentemne? Dixerunt nuper impacto Sacerdotio fungi, quo recuſantem factioſè ligaſſet civicus amor.* Ex hoc Sidonii judicio tria manifeſta ſunt, Primùm Pęnitentium ſtatum quendam fuiſſe ſtabilem, quandiù ſcilicet Pęnitentiam agebant, hoc eſt, multis annis permanentem. Secundùm, Pęnitentes non modò vitæ regimine, ſed etiam veſte, & coma à Laicis fidelibus planè fuiſſe diſtinctos. Tertium ad Monachalem, aut Clericalem habitum propè acceſſiſſe Pęnitentialem veſtem, & amictum, eaque veſte & totius oris habitu Pęnitentes publicè, & privatim inceſſiſſe. Quod ad comam, barbamve attinet, varii fuerunt regionum mores: In quibuſdam enim comam, barbamve radere lugubre fuit, in aliis promittere. Lege, quæ hac de re adnotata ſunt *lib. 4. cap. 17.*

CAPUT XIII.

Monachos, & Moniales, ſive Monaſteriis addicti eſſent, ſive ſoluti, Clericos quoque inferiores, publicæ Pęnitentiæ pro ratione peccatorum obnoxios fuiſſe. Clericorum ſingularis quædam ratio: nonnullaque aliæ occurrentes quæſtiones explicantur.

Diximus *libri quinti cap.* 12. Clericos quoſvis tribus primis ſeculis propter graviſſima ſcelera Pęnitentiæ publicæ, & manuum impoſitioni obnoxios fuiſſe, poſteà id ſeverè prohibitum, ut probavimus *lib.* 2. Exercitationum Eccleſiaſticarum. Duo nunc quæri poſſunt his affinia, Prius, An peccantes Monachi, & Virgines, viduæve ſacræ Pęnitentiæ publicæ, non ſecùs ac Laici, fuerint ſubditæ: Poſteriùs, an idem ſit etiam dicendum de Clericis minoribus, hoc eſt, ſacro ordine non imbutis. Priori quæſtioni nullo negotio reſpondetur, Monachos, Monachaſve Pęnitentiæ publicæ æquo jure cum Laicis fuiſſe ſubditos. Evidentiſſimè enim canones iiſdem pœnis utroſque indiſtinctè plectunt, diſertèque & κατ λέξιν utroſque Pęnitentiæ publicæ ſubiiciunt. Concil. Chalcedon. *cap. 2. Si quis autem ſequeſter, & interceſſor adeò turpibus, & nefariis lucris apparuerit, hic quoque, ſi ſit quidem Clericus, proprio gradu excidat: Si ſit autem Laicus, vel Monachus, anathematizetur.* Repetitur canon ille à Concilio Nannetenſi *cap. 7.* Canone iterùm 8. Chalcedon. *Qui hanc conſtitutionem evertere auſi fuerint, ſi ſint quidem Clerici, canonum pœnis ſubiiciantur, ſi autem Monachi, vel Laicis ἀκοινώνητοι ſint excommunicati.* Concilium Barcinon. 1. *cap.* 10. hunc canonem refert, & in ſua Provincia obſervari jubet. Eodem planè modo Concilium in Trullo can. 82. & Concil. Nicænum 2. *cap. 5. & 13.* Concilium Tarracon. *cap.* 1. eandem diſtinctionem inter Clericum, & Monachum nulla facta Laicorum mentione evidenter obſervat, *Si quis hæc à nobis ſtatuta contempſerit, ſi Clericus eſt, loci ſui dignitate privetur: Si verò religioſus, vel Monachus, in cella Monaſterii recluſus Pœnitentiæ lamentis incumbat, &c.*

II. Quum igitur in criminum vindicta Reos antiqui Patres nullo diſcrimine habeant, Laici, Monachive ſint, quid mirum, ſi paſſim legere eſt, Monachos Monachaſve ad Pœnitentiam publicam agendam damnatos? Sanctus Leo *Epiſtola 92* ad Ruſticum Narbon. *cap. 12. Propoſitum Monachi proprio arbitrio, aut voluntate ſuſceptum, deſeri non poteſt abſque peccato, &c. Unde qui relicta ſingularitatis profeſſione, ad militiam, vel ad nuptias devolutus eſt, publicæ Pęnitentiæ ſatisfactione purgandus eſt.* Gelaſius 1. *Epiſt.* 9. ſive prima decretali *cap. 22. Virginibus ſacris temerè ſe quoſdam ſociare cognovimus, & poſt dicatum Deo propoſitum, inceſta fœdera, ſacrilegaque miſcere. Quos protinus æquum eſt, à ſacra communione detrudi, & niſi per publicam, probatamque Pęnitentiam, omninò non recipi.* De utriſque decretum intelligitur, & de Virginibus, & de eorum corruptoribus, ut manifeſtum eſt illis verbis, *poſt dicatum Deo propoſitum*, quod ad Virgines neceſſario refertur, & ex relativo, *quos*, quod utroſque, ſed corruptores primò connotat.

III. Hoc idem multi canones edicunt, ut Canon 16. Concil. 3. Aurelian. in quo ſic punitis Raptoribus diſertè edicitur, *Virgines ſacras ſi conſenſerint eadem pœna plectendas.* Et Concil. Ilerd. *cap 6. Qui Pęnitenti viduæ, vel Virgini religioſæ ſtuprum intulerit, ſi ſe ab eo ſequeſtrare noluerit, pariter à communione Chriſtianorum, & conſortio ſegregentur. Si verò illa, quæ vim pertulit, ad ſanctam religionem redierit, in illo ſolo ſententia Excommunicationis teneatur, quoadusque publicè pęniteat.* Eadem eſt in utraque ſpecie Arelatenſis ſententia *cap.* 33. *Decrevimus, ut cum his, cum quibus ſe obligaverint, communione priventur, ita ut eis poſtulantibus Pęnitentia non negetur, cujus Pęnitentiæ communio multò tempore differatur.* Concilium Turonenſe 2. *cap. 21.* hunc Arelatenſem Canonem integrum repetit, & renovat. Concilium denique Toletanum 1. quod Pontifices illos, & Concilia multis annis præceſſit, de utriuſque idem conſtituerat *cap.* 16. *Devotam peccantem, non recipiendam in Eccleſia cenſemus, niſi peccare deſierit; & ſi deſinens Pęnitentiam egerit aptam, annis decem recipiat communionem, &c. Corruptorem etiam par pęna conſtringit.*

IV. Idem de Monachabus mentionem tantùm faciens ſtatuit Sanctus Innocentius, & rationibus confirmat *Epiſt. 2. cap. 12. & 13. Quæ Chriſto ſpiritualiter nupſerunt, & velari à Sacerdote meruerunt, ſi poſteà vel publicè nupſerint, vel ſe clanculo corruperint non admittendas eſſe ad agendam Pęnitentiam niſi is, cui ſe junxerant, de ſeculo deceſſerit.* Hujus rei rationem reddit, quod idem obſervetur in Laicis mulieribus, quæ vivente priore Marito alius nupſerunt, *Quanto magis*, inquit, *de illa tenendum eſt, quæ ante immortali ſe ſponſo conjunxerat, & poſteà ad humanas nuptias transmigravit?* Exemplum iſtius diſciplinæ habemus in Fabiola apud Sanctum Hieronymum, de quo hujus *libri cap. 2.* Ulterius progreditur Innocentius. Non modò enim quæ votum emiſerunt, ſed etiam quæ ſe emiſſuras promiſerant, ad Pœnitentiam condemnat. *Hæ verò quæ necdum ſacro velamine tectæ, tamen in propoſito virginali ſemper ſe permanere promiſerant, licèt velatæ non ſint, ſi fortè nupſerint, his agenda aliquanto tempore Pęnitentia eſt, quia ſponſio earum à Domino tenebatur. Si enim inter homines ſolet bonæ fidei contractus nulla ratione diſſolvi, quanto magis iſta pollicitatio, quam cum Deo pepigerunt, ſolvi ſine vindicta non debet, &c.* quem ſequitur S. Leo *Epiſt. 92. cap. 13.* S. Innocentii decretum integrum renovat Concil. Turon. 2. *cap. 21.* quod ann. 570. celebratum eſt. Idem pœnæ genus, ſed multò ſeverius in eaſdem Virgines longè antè hos omnes decreverat Concilium Eliberit. *cap. 13.* & poſt eos Leo 4. in Synodo Rom. *cap.* 32. *Qui ſponte ad Monaſterium pervenerit, & poſtmodùm ad nuptias, vel ad militiam devolvitur; publicè ſatisfactionem Pęnitentiæ gerat.*

V. Eandem Pœnitentiæ pœnam, ſed clementiorem propè ante hos omnes decreverat Concilium Ancyran. generaliter de utroque ſexu, *Quicunque virginitatem profitentes profeſſionem ſuam irritam reddunt, ii bigamorum definitionem impleant.* Verùm Sanctus Baſilius can. 18. & 19. mentione facta

iſtius

iſtius benignæ caſtigationis vult Virgines Deo ſacratas Adulterarum pęnis ſubiici, Monachos verò fornicatorum. Utroſque ſimiliter gravi Pœnitentia caſtigant Concilia Arelat.2. *cap.*25. quem renovant *Capitular. lib.*6. *cap.*139. Aruſic.1. *cap.*28. Toletan.4. *cap.*54. & Toletan.6. *cap.*6. Deniquehis omnibus addam S. Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum *homil.*13. *Hæc ergo, fratres chariſſimi, tam viri quàm fęminæ, tam Religioſi quàm Laici, tam ſenes quàm juvenes, tam pueri quàm puellæ attentiùs cogitemus, &c. Peccatis noſtris pęnitentiæ medicamenta apponere ſtudeamus*. Idem multi alii Patres, & canones poſt ſeculum ſeptimum conditi, quos hic nihil attinet recenſere, cum eo ſeculo, & ſequentibus nulla facta fuerit ratione Pœnitentiæ inter Monachos, & Sacerdotes diſtinctio.

VI. Eadem videtur eſſe de poſteriori ſententia, Clericos ſcilicet inferiores Pęnitentiæ fuiſſe ſubjectos; non ita equidem ut Laici. In Clericis enim inferioribus non ſecus, ac ſuperioribus munus conſiderandum eſt, quo in Eccleſia funguntur. Sunt igitur quædam crimina, propter quæ Laici, cui nullum in Eccleſia munus incumbit, pęnitentia plecteretur, & minor Clericus tantùm deponeretur; eo quòd Clerici depoſitio Pęnitentiæ Laicali æqualis eſſet. Id monet Apoſtolicus canon 25. faciendum eſſe non modò in Clericis majoribus, ſed etiam in minoribus, quem canonem iterùm ſancit Sanctus Baſilius *cap.* 32. ne, inquiunt, contra Domini præceptum bis in idipſum vindicetur. Plerique canones ſunt ejuſmodi, de quâ re multis diſputatum eſt Eccleſiaſticarum Exercitationum *lib.*2. Sunt etiam alii canones, quibus Minores Clerici Laicis conjuncti ad Pęnitentiam damnantur, ut can. 42. & 43. *Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus aleis, & ebrietatibus vacans, vel ceſſet, vel deponatur. Hypodiaconus, vel Lector, vel Cantor ſimilia faciens vel ceſſet, vel ſegregetur. Itidem & Laicus*. Sic canon. 57. & 72. Cùm autem illo tempore Clerici majores ad Pęnitentiam ob gravia crimina truderentur, quis de minoribus dubitabit?

VII. Quidquid in hac cauſa deſiderari poteſt, tradit Felix III. Pontifex, qui poſt Leonem annis 22. ſedit. Ita *Epiſt.*7. *De Clericis autem, & Monachis, aut puellis Dei, aut ſecularibus ſervari præcipimus hunc tenorem, quem Nicæna Synodus circa eos, qui Lapſi ſunt, vel fuerint, ſervandum eſſe conſtituit, ut ſcilicet, qui nulla neceſſitate nullius rei timore, aut periculo ſe, ut rebaptizentur, hæreticis impiè dediderunt, ſi tamen eos ex corde pęniteat, tribus annis inter Audientes ſint: Septem autem annis ſubjaceant inter Pęnitentes manibus Sacerdotum: Duobus autem annis oblationes modis omnibus non ſinantur offerre, ſed tantummodò ſecularibus in oratione ſocientur*. Ut clarius, quod contendimus, demonſtretur, notandum eſt, Felicem capitulo præcedente de Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis ſeparatim ſententiam tuliſſe, præcedente multò ſeveriorem. Eos enim ad finem uſque vitæ ad Audientes damnat, & ab omni oratione fidelium, & Catechumenorum removet: permittit tamen, ut in vitæ periculo communione Laica fruantur. Unde manifeſtum eſt, eos, licèt Pœnitentiam illis dicat imponi, Pęnitentiam aliorum more non agere, publicæ manuum impoſitioni ſubſtratos. Eſt igitur ex Felicis verbis perſpicuum, Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, quod ad Pęnitentiam attinet, claſſem unam conſtituere; aliam verò, cæteros Clericos, unamque cum Monachis, & Laicis claſſem facere, & cum iis quotidianæ manuum impoſitioni ex æquo ſubiici.

VIII. Idem prætereà colligitur ex capitulo ſequente: Diviſerat enim Felix claſſem illam Clericorum, Monachorum, Puellarum, & Laicorum, in puberes, & impuberes. De prioribus capitulo allegato verba fecit, de impuberibus ſequente. Puberes enim gravius plecti debent quàm impuberes. Ait igitur. *Pueris autem, quibus, quòd adhuc impuberes, à pubertate vocabulum eſt, ſeu Clericis, ſive Laicis, aut etiam ſimilibus puellis, quibus ignorantia ſuffragatur ætatis, aliquandiù ſub manus impoſitione detentis reddenda communio eſt, &c.* Poſteà ſtatuens qua ratione puniendi erant, qui crimen illud coacti perpetraverant, Sic ſcribit, *Cæteros, id eſt, ſeu Clericos, ſive Monachos, ſeu Laicos utriuſque ſexus perſonas, quas violentiæ periculis coactos iterationem baptiſmatis ſubiiſſe conſtiterit, &c. his Pęnitentiam per triennium durare decrevimus, & per manus impoſitionem ad ſocietatem eos recipi Sacramenti*. Ita prorſus, ſed paucis verbis Sanctus Iſidorus *liber.* 2. *de Eccleſiaſt. officiis capite* 16. Ubi cùm dixiſſet poſt unum baptiſmum ſubſtituiſſe Deum Pęnitentiæ remedium, addit, *Honorum duntaxat dignitate ſervata, ita ut à Sacerdotibus, & Levitis Deo tantùm teſte fiat, à cæteris verò adſtante coram Deo ſolemniter Sacerdote, &c.* Sacerdotum, & Levitarum Pœnitentia ſecreta eſt, in media Eccleſia non agitur; cæterorum verò omnium, Clericorum, Monachorum, & Laicorum adſtante ſolemniter in Eccleſia Sacerdote. Eodem modo loquitur Sanctus Eligius *homilia* 15. *Quod dico, omnibus vobis dico, Clericis, Laicis, ac ſanctimonialibus, ut quiſquis ſe recolit invidiæ, aut detractionis, odii quoque, & fornicationis ſive inceſtus, vel perjurii, cæterorumve vitiorum contagione adtactum ſaltem hodie per divinæ ſalutis medicamentum, inquantum prævalet, ſe purificare procuret*. In hos omnes eadem eſt Pœnitentiæ ratio, ideò ſimul eos conjungunt Sancti Patres.

IX. Probant eandem ſententiam canones, quibus prohibetur manus Presbyteris imponere. Subſiſtunt enim in Diaconis, ut videre eſt apud Leonem Pontificem in *Epiſt.* ad Ruſticum Narbonenſem, & in Concilio Carth. 5. *cap.* 11. ex quibus teſtimoniis hæc doctrina potiſſimùm colligitur, & confirmatur. Cùm igitur de Presbyteris, & Diaconis tantùm verba faciant, non eſt extendendum ad reliquos Clericos hoc privilegium. Deinde ratio, cui innititur S. Leo, non minus evidenter probat, *Secundùm quod*, inquit, *ſcriptum eſt, ſi Sacerdos peccaverit, quis orabit pro eo?* Incommodum, & indecorum exiſtimabant, ut pro iis publicè oraretur, & ſuper eos publicè manus imponerentur, quorum munus erat pro aliis orare, & ſuper alios manus imponere. Sed hoc incommodum, & dedecus in minoribus Clericis locum non habebat, qui nunquam pro Pœnitentibus publicè orabant, niſi ſecretò fidelium Laicorum more, nec iis manus imponebant. Hæc ſi Monachis applices, Clericis arctius conſtringentur. Idem etiam evidentiſſimè demonſtrant non modò canones citati, ſed etiam ii, qui ſacratos Clericos ad Pœnitentiam in Monaſteriis agendam damnant, cùm in Diaconis ſubſiſtunt, ut Agath. *cap.*50. & Epaun. *cap.*22. *&c.*

X. His duo quanquam inter ſe contraria obiici poſſunt. Primùm eſt Syricii Papæ decretum *Epiſt.* 1. *cap.*14. *Illud quoque nos par fuit providere, ut ſicut Pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum: ita & poſt pœnitudinem, ac reconciliationem nulli unquam Laico liceat honorem Clericatus adipiſci, &c.* Secundùm quod priori videtur prorſus contrarium colligitur ex Concilio Aurelianenſi 1. *cap.* 12. *Si Diaconus aut Presbyter pro reatu ſuo ſe ab altaris communione ſub Pœnitentis profeſſione ſubmoverit, ſic quoque, ſi alii defuerint, & cauſa certæ neceſſitatis exoritur, poſcentem baptiſmum liceat baptizare*. Syricii decretum ex verbis conſequentibus facilè explicatur, & ad Clericos ſacratos reſtringitur: Subiicit enim, *quia quamvis ſint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum ſacramentorum inſtrumenta ſuſcipere, qui dudum fuerint vaſa vitiorum*. Illa ſanè verba intelligi non poſſunt de Janitoribus, Lectoribus, & Exorciſtis, neque etiam de Acolythis. Poſtremi, ad quos referri poſſunt, Subdiaconi ſunt. Itaque ſaltem à Pœnitentiæ jugo non eximuntur quatuor minores ordines. Si quis tamen pertinaciter obniti vellet, conſequeretur tantùm ex Syricii verbis eo, tempore Romæ minores ordines hac in cauſa majoribus æquatos fuiſſe, quòd tamen admittere ipſius verba non cogunt, ut manifeſtum eſt. Quid, ſi comparentur cum præcedentibus teſtimoniis, quæ contrarium teſtantur, & ad majores ordines illam propoſitionem contrahunt?

XI. Canonis Aurelianenſis alia ratio eſt. In eo enim mentio fieri videtur Pœnitentiæ ſpontaneæ, quam Sacerdotes ſuſcipiebant devotionis cauſa: Quod Pœnitentiæ genus in Hiſpania potiſſimùm frequens erat. Aliquando non modò Laici, ſed etiam Sacerdotes ſola devotione moti, non autem criminibus canonicis coacti Pœnitentiam publicam à Sacerdotibus ſponte ſua petebant, & obtinebant. Pœnitentiæ autem ſic ſuſceptæ hic erat effectus erga Laicos, ut ea peracta ſacris ordinibus non prohiberentur: Erga verò Sacerdotes, ut ea ſimiliter peracta ſacrorum ordinum executione non privarentur. De hac Pœnitentia lege, quæ ſcripſimus *libri præced. cap.* 7. & alibi, atque Exercitationum noſtrarum Eccleſiaſticarum, *lib.*2. *cap.*23. Opponere forſan quis poſſet, quod in canone dicitur Presbyter *pro reatu ſuo*, id facere. Verùm, ut videre eſt, locis omnibus citatis, qui huic Pœnitentiæ ſeſe devovebant, omnes ſe peccatores fatebantur, & peccatorum conſcientia territos eam ſuſcipere, ſed nullum peccatum ſigillatim, cujus cauſa eſſet illis Pœnitentia publicè ſubeunda. Quocirca hujuſmodi Pœnitentiæ non malè convenit, quod dicunt Patres, Sacerdotes, & Diaconos ſe ab altaris communione pro reatu ſuo ſub Pœnitentis profeſſione ſubmoviſſe. Sed præſtat canonem illum de Pœnitentia Sacerdotum publica intelligere, cujus exempla illuſtria attulimus *libri præcedentis, cap.*7. & de

qua

Digitized by Google

qua multis diſſeruimus, *lib.4. cap.* 12. ubi demonſtratum eſt, multis poſt perſecutiones annis humili, & luctuoſæ Pœnitentiæ in aliquot Provinciis Sacerdotes fuiſſe ſuppoſitos.

XII. Antequam finem capiti imponamus, admonendus eſt Lector, Monachos, Monachaſve duplices fuiſſe, alios in Monaſteriis habitaſſe, alios apud Parentes, aut in domibus propriis: & quo altius verſus religionis Chriſtianæ originem aſcendemus, eò pauciora deprehendi monaſteria, ſive ſacras Monachorum, & Sanctimonialium ædes. Quando hæc cœperunt, nihil attinet nunc inquirere. Monachi igitur, & Monachæ, quibus nullæ erant ædes ſacræ in Eccleſiam, cum cæteris fidelibus conveniebant, & crimina mortalia perpetrantes, eo, quo explicavimus, modo caſtigabantur, & non ſecus ac cæteri Chriſtiani in media fidelium Eccleſia caput Pœnitentiæ, & manuum impoſitioni ſubdebant, exactoque Pœnitentiæ ſtadio per manuum impoſitionem reconciliabantur. Quid enim aliud Monachis, & Monachabus fieri potuit, qui ſemper Laicis adſcripti ſunt, quanquam in Laicorum ordine ſupremi? Quibus Sanctuarium ingredi nefas erat; Quibus vel Epiſtolam in Eccleſia legere crimen. Ne longiores ſimus, lege, quæ de his rebus ſcribunt Sanctus Dionyſius, *cap.6. Hierarchiæ Eccleſiaſt. & in Epiſt.8.* quæ eſt ad Demophilum Monachum, Sanctique viri, in hæc loca commentatores, Reſponſa Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Alexio Comneno ad quaſdam Monachorum interrogationes apud Balſamonem, Synodum in Trullo, *cap.*33. & Nicænam 2.*cap* 14. atque in hos canones Balſamonem, & Zonaram.

XIII. Cùm verò Monachi, & Monachæ Monaſteria inhabitabant Laicorum more, in ipſorum Eccleſiis manus impoſitionem ſubibant, cùm ut ex ſuperioribus demonſtratum eſt, nulla ratione eorum Pœnitentia à Laicali differat; ut inſuper colligitur ex Concilio Turonenſi 2.*cap.*15. & Toletan.4.*cap.* 52. Sed poſtquam monaſteria multiplicata ſunt, alius mos invaluit paulatim, cujus antiqua ſunt veſtigia. Gravium enim criminum rei, in cellas quaſdam Monaſterii velut in carceres, & ergaſtula miſſi ſunt, in quibus variis jejuniis, & inediis, aliiſque corporis afflictionibus longo tempore purgabantur, tandemque obtenta, per manus impoſitionem reconciliatione fratribus aggregabantur. Ea pœna caſtigat Syricius Monachos, Monachaſve, qui profeſſioni ſuæ renuntiantes inceſtis conjugiis ſe polluerant, *Has ergo impudicas, deteſtabileſque perſonas à monaſteriorum cœtu, Eccleſiarumque conventibus eliminandas eſſe mandamus; quatenus retruſæ in ſuis ergaſtulis, tantùm facinus continua lamentatione deſiccates purificatorio poſſint Pœnitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem ſaltem ſolius miſericordiæ intuitu per communionis gratiam, poſſit indulgentia ſubvenire. Epiſtolæ* 1.*cap.*6. Severa Pœnitentia quæ eos, in ergaſtulis illis ad mortem uſque detinet, nec citius abſolutione donat. Concilium Tarrac. *cap.* 1. quod celebratum eſt anno 516. Sic punit Clericos, & Monachos, qui Conſanguineos ſuos, & affines ſine teſte, & æquo frequentius viſitant, *Si Clericus eſt, loci ſui dignitate privetur: Si verò Religioſus, vel Monachus in cella Monaſterii recluſus, Pœnitentiæ lamentis incumbat, ubi ſingulari afflictione panis, & aquæ victum ex Abbatis ordinatione percipiat.* Eandem ſententiam profert Concilium Toletan. 10. *cap.*5. adverſus mulieres, quæ veſtem religioſam ſumpſerant, & continentiam coram Epiſcopo in Eccleſia profeſſæ veſtem tamen ſanctam abjecerant, *Quæ ex omnibus his fuerint repertæ animum, aut veſtem in tranſgreſſionem dediſſe, & Excommunicationis ſententiam ferant, & rursùm mutato habitu, in Monaſteriis donec diem ultimum claudant, ſub ærumnis arduæ Pœnitentiæ maneant religatæ.* Mulieres illæ, de quibus canon loquitur, nulli erant Monaſterio dicatæ, quales tum temporis, & multis poſt ſeculis erant permultæ. His ſimilia decernit Concilium in Trullo, *cap.* 41. Hujus rei exemplum nonnullaque alia huic ſententiæ accommodata lege apud Balſamonem commentatio in *cap.* 44. Concilii Trullani. Illuſtriſſimum habes hujus rei exemplum apud Climacum gradu 5. quod ſupra relatum eſt, ex quo colligitur diſciplinam iſtam fuiſſe in eo monaſterio conſtantem. Si quando ſuſpicio erat, Monachum in Monaſterio ſuo ſecundùm canones non fore puniendum, ut nonnunquam in Monaſteriorum Abbatibus contingebat, tum Epiſcopi juſſu in aliud Monaſterium transferebatur, in quo pro criminis ſcelere Pœnitentia canonica emendaretur, ita Concilium Antiſiodorenſe, *cap.* 23. *Si Monachus in Monaſterio adulterium commiſerit, &c. & hoc Abbas per ſe non emendaverit, aut Epiſcopo, aut Archidiacono non intimaverit, ad Pœnitentiam agendam in alio Monaſterio retrudatur.*

XIV. Idem etiam poſt quintum ſeculum fieri cœptum eſt in minores Clericos, non quidem ſemper, aut erga omnes, ſed in quoſdam, & certis de cauſis, quæ ex canonibus facilè colliciuntur. Nonnunquam igitur Minores Clericos è publica illa manuum impoſitione exemerunt, & eodem, quo Majores gaudent, privilegio donarunt, ut Concilium Aurelian. 3. *cap.* 7. *De adulteriis honoratorum Clericorum id obſervandum eſt, ut ſi quis adulteraſſe, aut confeſſus fuerit, vel convictus, depoſitus ab officio communione conceſſa, in monaſterio toto vitæ ſuæ tempore retrudatur.* Non mihi videtur per honoratos Clericos intelligere Epiſcopos, & Presbyteros, ſed Clericos inferiores, qui generis, aut ſcientiæ, aut alterius cujuſque rei cauſa nobilitati erant. Quidni enim Epiſcopos, & Presbyteros more ſolito nominaſſet. Sic quoque intelligendum, quod dicitur in Concilio Narbonenſi, *cap.*6. Clericum culpabilem, aut honoratum civem in Monaſterium ad Pœnitentiam agendam eſſe relegandum: Non ſanè componit Epiſcopos, & Presbyteros in Pœnitentia, cum Laicis dignitate aliqua præſtantibus. Sed evidentiſſimè Concilium Toletan. 4. *cap.* 29. *Si Epiſcopus, aut Presbyter, ſive Diaconus, aut quilibet ex ordine Clericorum, Magos, aut Aruſpices, aut Ariolos, &c. conſulere fuerit deprehenſus, ab honore dignitatis ſuæ depoſitus Monaſterii pœnam excipiat, ibique perpetuæ Pœnitentiæ deditus ſcelus admiſſum Sacrilegii luat.* Cui addendi ſunt canon. 3. Concil. Toletan.7. & 6. Concil. Toletan. 8. quo de Subdiaconis agitur poſt ordinem ſuſceptum matrimonia jungentibus, *Mox erunt ſub Pœnitentiæ oneribus uſque ad extremum vitæ Monaſteriis religandi.*

XV. Mirum videri non debet, Monachos, & inferiores Clericos non ſecus ac Majores in Monaſteria, locaque ſecreta Pœnitentiæ cauſa tum relegatos fuiſſe, cùm iiſdem temporibus in Laicos eadem pœna cœpiſſet uſurpari, ut latè probatum eſt *libri præcedentis, cap.*15. Verum duo quæri poſſunt, Prius, an illis in locis manus imponerentur. Reſpondeo, Relegationem illam dupliciter intelligi poſſe, ut ſcilicet in quadam cella includerentur; quo caſu nulla illis fiebat manus impoſitio: Ibi enim tanquam in carcere detinebantur. Vel ut relegarentur ſimpliciter in Monaſterium, quo eorum actionibus invigilaret Abbas, inſpiceretque, an Pœnitentiam impoſitam exequerentur. Relegatio ejuſmodi non impediebat, quo minus Monachorum Synaxibus precum Euchariſticarum tenus adeſſent, & ante dimiſſionem manuum impoſitioni ſubeſſent, ut ex dictis evidenter colligitur. Quæſitum poſterius eſt, An ſicut Laici è ſecretis locis inſtante Quadrageſima educebantur, ad manus impoſitionem ſolemniter ſuſcipiendam; ita Monachi, & Clerici minores è Monaſteriis ſuis. Reſpondeo idem obſervatum fuiſſe in eos, qui in Monaſteria velut in carcerem conjecti fuerant, ſed eductos fuiſſe in Monaſterii Eccleſiam ad manus impoſitionem publicè ſuſtinendam, non ad aliam Eccleſiam, niſi propter cauſas ſingulares id conſtituiſſe Epiſcopus.

CAPUT XIV.

Antiquos Patres, cùm criminis nova ſpecies, aut inſignis circumſtantia exoriebatur, non auſos illi, privata ſententia Pœnitentiam decernere; ſed Concilia celebraſſe, Epiſcopos inſignes conſuluiſſe, ut convenientem huic crimini Pœnitentiam communi concilio definirent, ex S. Cypriano, Clero Romano, Cornelio Pontifice, & Conciliis eorundem temporum demonſtratur; & cum non erat Concilia celebrandi facultas, Pœnitentiam ſuſpendiſſe.

AGgredimur hoc capite ſanctorum Patrum conſuetudinem explicare, quæ, Ut eorum auctoritas, & ſanctitas poſtulant, diligenter conſiderata Chriſtianum quemcunque cogit magni facere eam, quam nobis tradiderunt curandi peccata rationem. Nihil enim in ea curatione uſurparunt, quod anteà diù à multis Epiſcopis deliberatum, & examinatum non fuiſſet. Quoties peccatum aliquod novum occurrebat, aut peccati nova, ſed magni momenti circumſtantia, toties in unum conveniebant Epiſcopi, & ſcrupuloſè admodùm inquirebant, quo Pœnitentiæ genere peccatum illud eſſet expiandum, & re deliberata, & definita ſingulis Parœciis ſuis id, quod communi conſenſu ſtatutum erat, ſignificabant, ut Epiſcopi omnes, & Presbyteri crimen illud juxta canonem recens conditum Pœnitentia impoſita curarent. Tanto ſtudio cavebant, ne reconciliationem cum indignis communicarent! Videre eſt, inſignes, & doctiſſimos Epiſcopos emergente aliquo novo crimine hærentes, qua Pœnitentia eſſet eluendum, jubenteſque criminis Reos tantiſper apud ſe flere, orare, jejunare, donec Epiſcopi convenientes deliberaſſent, quo Pœnitentiæ medicamine eſſent ſublevandi, & curandi. Videre

eſt

Digitized by Google

eſt alios in ejuſmodi caſu ſuſpenſos nihil, de Pœnitentia ſtatuentes, donec à Vicinis Epiſcopiſcopis reſponſum tuliſſent. Quàm ſedula eſſet, & ſcrupuloſa iſta diligentia exemplis multò fiet evidentiùs quàm verbis. Niſi enim ipſos loquentes quis audiat, vix aliquid de ea ſolicitudine ſuſpicari poterit, quàm in curandis, & expiandis per Pœnitentiam criminibus adhibere ſolebant. Nec iſta diligentia tribus, aut quatuor tantùm ſeculis in Eccleſia viguit, ſed undecim integris ita conſtanter perduravit, ut de ea nihil prorsùs remiſſum fuerit.

II. Antiqui iſtius moris locupletiſſimus teſtis eſt ſanctus Cyprianus multis *in Epiſtolis*. *Epiſtola* 53. Epiſcopi ſex eum conſulunt, an tutò poſt triennii Pœnitentiam iis reconciliatio præſtari poſſet, qui fortiſſimè coram Magiſtratu, & populo frementе tormenta paſſi fuerant, & vicerant, deinde à Proconſule tenti, & graviſſimis pœnis diutiſſimè excruciati, tandem ceciderant, & gloriam priore certamine partam maculaverant. Neque tantùm de hac re Cyprianum conſulunt, ſed etiam rogant, ut cum aliis Epiſcopis quæſtionem illam communicet, *Quoniam tamen ſcripſiſtis, ut cum pluribus Collegis de hoc ipſo pleniſſimè tractem, & res tanta exigit, & majus, & impenſiùs de multorum collatione conſilium, & nunc omnes ferè in Paſchæ prima ſolemnia apud ſe cum fratribus demorantur, quando ſolemnitati celebrandæ apud ſuos ſatisfecerint, & ad me venire cœperint, tractabo cum ſingulis plenius, ut de eo, quod conſuluiſtis, figatur apud nos, & reſcribatur vobis firma ſententia, multorum Sacerdotum conſilio ponderata*. En quanti momenti ſex illi Epiſcopi, & Cyprianus hanc quæſtionem judicaverint. Interim tamen reſpondet Epiſcopis illis ſibi videri pacem tutò his lapſis credi poſſe poſt actam triennio Pœnitentiam. *Quod ad mei animi ſententiam pertinet, puto his indulgentiam Domini non defuturam, quos conſtat ſtetiſſe in acie, &c. Sit ſatis talibus gloriam perdidiſſe; non tamen debemus eis & veniæ locum claudere, atque eos à paterna pietate, & à noſtra communicatione privare; prius exiſtimamus ad deprecandam clementiam Domini poſſe ſufficere, quòd triennio jugiter, ac dolenter, ut ſcribitis, cum ſumma Pœnitentiæ lamentatione planxerunt*. Quamobrem verò? *Certè non puto incautè, & temerè his pacem committi, quos videmus militiæ ſuæ fortitudine, nec prius pugnæ defuiſſe, & ſi acies etiam denuò venerit, gloriam ſuam poſſe reparare*.

III. *Epiſtola* 18. Caledonius Epiſcopus hunc caſum S. Cypriano proponit. Quidam tormentis ſubacti lapſi ſunt; Poſteà referveſcente perſecutione Chriſtum confeſſi, tormentis à confeſſione deiici non potuerunt: ideò in exilium miſſi ſunt, & eorum bona fiſco addicta; Verùm antequam in exilium proficiſcerentur, reconciliationem ſibi redhiberi obnixè poſtularunt. A Cypriano petit Caledonius an jure hoc fieri poſſit, expoſito prius quid illi videretur, *Cùm ergo univerſi pacem peterent, dicentes; Recuperavimus fidem, quam amiſeramus Pœnitentiam agentes, & Chriſtum publicè ſumus confeſſi: Quamvis mihi videantur debere pacem accipere; tamen ad conſultum veſtrum eos dimiſi, ne videar aliquid temerè præſumere. Si quid ergo ex communi conſilio placuerit, ſcribite mihi*. Reſpondet Cyprianus epiſtola ſequente, & Caledonium laudat quod *in ſcripturis Dominicis peritus, cautè omnia, & conſultè gerat*, & ipſius ſententiam approbat, cùm hoc epiphonemate, *Utinam ſic & cæteri poſt lapſum Pœnitentes in ſtatum priſtinam reformentur!*

IV. *Epiſtola* 62. reſcribit ſanctus Cyprianus Pomponio hac de cauſa. Conſuluerat Pomponius Cyprianum, & Collegas, qua ratione caſtigandæ eſſent Virgines ſacræ, quæ in eodem lecto cum maſculis deprehenſæ fuerant, quæ tamen ſe Virgines eſſe aſſeverabant. Cyprianus quatuor Epiſcopis cum multis Presbyteris in Conſilium vocatis Pomponio ſcribit inſpiciendas diligenter ab obſtetricibus virgines illas, *Et ſi virgines inventæ fuerint, accepta communicatione admittantur ad Eccleſiam; hac tamen interminatione, ut ſi ad eoſdem maſculos poſtmodùm reverſæ fuerint, aut ſi cum eiſdem in una domo, & ſub eodem tecto ſimul habitaverint, graviore Cenſura eiiciantur, nec in Eccleſiam poſtmodùm facilè recipiantur. Si autem de eis aliqua corrupta fuerit deprehenſa, agat Pœnitentiam plenam, quia quæ hoc crimen admiſit, non mariti, ſed Chriſti adultera eſt, & ideò æſtimato juſto tempore, poſteà Exomologeſi facta ad Eccleſiam redeat*. Epiſtola præcedente conſultus fuerat Cyprianus ab Euchratio, an Communio danda Hidrioni, qui Hiſtrionicam non exercebat, ſed tamen paupertate coactus Hiſtrionicam docebat. Reſpondet, nobiſcum communicare non poſſe, ſi perſeveret Doctor non erudiendorum, ſed perdendorum puerorum.

V. Hac in cauſa inſignis eſt Lapſorum contentio apud S. Cyprianum, quam lib. 9. multis diſcutiemus: Nunc pauca tantùm, quæ ad rem faciunt, delibabimus. Quanta cum cautione Lapſis adminiſtraretur abſolutio, hinc patet, quòd lapſi illi, licet parum prudentes, reconciliationem tamen tempore Pœnitentiæ non expleto poſtulare non auderent, niſi Martyrum libellis, & precibus muniti, ut ex *Epiſtol*. 10. 11. 12. & aliis manifeſtum eſt. Cyprianus autem, quia communionis redhibitio res erat maximi momenti, eam, licèt inſtantiſſimè afflagitatam, iis reddere conſultum non putat, ne margaritas imprudens porcis obtrudat. Quid igitur ipſe? De hac quæſtione à Presbyteris, & Diaconis rogatus *Epiſt*. 14. reſpondet, *Deſideraſtis in hac re formam à me vobis dari. Satis plenè ſcripſiſſe me ad hanc rem proximis litteris ad vos factis credo, ut qui libellum à Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt, ſi premi infirmitate aliqua, & periculo cœperint, exomologeſi facta, & manu illis à vobis in Pœnitentiam impoſita, cum pace à Martyribus ſibi promiſſa ad Dominum remittantur. Cæteri verò qui nullo libello à Martyribus accepto invidiam faciunt, quoniam non paucorum, nec Eccleſia unius, aut unius Provinciæ, ſed totius orbis hæc cauſa eſt, expectent ante de Domini protectione Eccleſiæ ipſius publicam pacem. Hoc enim & verecundiæ, & diſciplinæ, & vitæ ipſi omnium noſtrorum convenit, ut Epiſcopi plures, in unum convenientes præſente, & ſtantiam plebe, quibus & ipſis pro fide, & timore ſuo honor habendus eſt, diſponere omnia conſilii communis religione poſſimus*. Eadem fuit vacante ſede ſententia Cleri Romani, ut Epiſtola ſequente ad eos, ſcripta teſtatur ſanctus Cyprianus. Non ſunt hic omittenda ſancti Cypriani verba *Epiſt*. 18. quam de hac re iterùm rogatus ſcribit, *Quæ res cùm omnium noſtrum conſilium, & ſententiam ſpectet, præjudicare ego, & ſoli mihi rem communem vindicare non audeo*. Addit ſententiam ſuam Collegis placuiſſe, ut ex plurimorum litteris cognoverat.

VI. Operæ pretium eſt, his addere Cleri Romani vacante ſede in eadem cauſa ſententiam verbis propriis expreſſam. Sic illi ad ſancti Cypriani litteras reſpondent, *Epiſt*. quæ eſt 31. inter Cypriani *Epiſtolas*, *Nobis in tam ingenti negotio placet, quòd & tu ipſe tractaſti prius: Eccleſiæ pacem ſuſtinendam; deinde ſic collatione conſiliorum cum Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Confeſſoribus, pariter ac ſtantibus Laicis facta, Lapſorum tractare rationem. Perquam enim nobis & invidioſum, & oneroſum videtur, non per multos examinare, quod per multos commiſſum videatur fuiſſe, & unum ſententiam dicere, cùm tam grande crimen per multos, diffuſum notetur exiiſſe: Quoniam nec firmum decretum poteſt eſſe, quod non plurimorum videbitur habuiſſe conſenſum*. Huic ſententiæ ſubſcripſiſſe ajunt Epiſcopos vicinos, & nonnullos alios, quos perſecutionis furor Roma ejecerat. Quid verò interim de Lapſis faciendum judicant? Idem prorsùs quod ex Cypriano enarravimus, *Eorum autem, quorum vitæ ſuæ finem urgent exitus dilationem non poteſt ferre, acta Pœnitentia, & profeſſa frequenter ſuorum deteſtatione factorum, ſi lacrymis, ſi gemitibus, ſi fletibus dolentis, ac verè pœnitentis animi ſigna prodiderint, cùm ſpes vivendi ſecundùm hominem nulla ſubſtiterit, ita demum cautè, & ſollicitè ſubveniri. Deo ipſo ſciente quid de talibus faciat, &c*. Nullis verbis id, quòd contendimus, clariùs enarrari, & confirmari potuit. Cùm primùm *Epiſtolam* iſtam accepit ſanctus Cyprianus eam ſtatim deſcribi, & cum multis Epiſcopis, & Presbyteris communicari juſſit, ut ipſe Epiſtola ſequente teſtatur.

VII. Quid autem, inquies, tandem factum eſt, pace Eccleſiæ reddita? Hoc nos docet Cyprianus *Epiſt*. 52. *Secundùm quod ante fuerat deſtinatum, perſecutione ſopita, cùm data eſſet facultas in unum conveniendi, copioſus Epiſcoporum numerus quos integros, & incolumes fides ſua, & Domini tutela protexit, in unum convenimus, & ſcripturis diù ex utraque parte prolatis, temperamentum ſalubri moderatione libravimus, ut nec in totum ſpes communicationis, & pacis lapſis denegaretur, &c. nec tamen rurſùs cenſura Evangelica ſolveretur, ut ad communicationem temerè proſilirent, ſed traheretur diù Pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur cauſæ, & voluntates, & neceſſitates ſingulorum ſecundùm quod libello continetur, quem ad te perveniſſe confido, ubi ſingula placitorum capita conſcripta ſunt*. Vides, qua diligentia ſtatim poſt ſedatam perſecutionem ſanctus Cyprianus, & Africani Epiſcopi ſanandis per Pœnitentiam Lapſis invigilaverint, & quanta diſcretione, & moderatione criminum circumſtantias examinaverint, quantave prudentia, & ſolertia unicuique criminum ſpeciei medicamentum proprium applicaverint,

Digitized by Google

caverint, ita ut libellos de hac re communi conſenſu in Concilio ederent, quos Epiſcopi omnes, & Presbyteri in dandis Pœnitentiis ſequi tenerentur.

VIII. Idem quod Africani Epiſcopi; fecerunt & Romani, ut ſtatim poſt verba ejuſdem Epiſtolæ exſcripta ſcribit ſanctus Cyprianus, *Ac ſi minus ſufficiens Epiſcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam ſuper hac re ſcripſimus ad Cornelium Collegam noſtrum, qui & ipſe cum plurimis Coepiſcopis habito concilio, in eandem nobiſcum ſententiam pari gravitate, & ſalubri moderatione conſenſit. De quo tibi neceſſe nunc fuit ſcribere, ut ſcias me nihil leviter egiſſe, ſed ſecundùm quod literis meis fueram ante complexus, omnia ad commune concilii noſtri conſilium diſtuliſſe, &c.* Denique notandum inſuper eſt paulò poſt hoc decretum S. Cyprianum cum Collegis aliud tuliſſe de Abſolutione citius quàm priori decreto conſtitutum erat, Lapſis concedenda, cujus occaſio fuit novæ perſecutionis exoriendæ formido. Crediderunt enim Lapſos corpore Chriſti armandos ut inſtanti perſecutioni conſtanter obſiſterent. De hac re Cyprianus, & Collegæ ad Cornelium ſcribunt Epiſtolam 54. & mutatæ ſententiæ varias illi reddunt rationes; in quibus videre eſt quanta diligentia, & prudentia ſemper antiqui Patres cauſam abſolutionis dandæ tractaverunt, ita ut ſi quid novi exurgeret, ſimul ſtatim conventuri, difficultatem examinaturi, & Pœnitentiæ agendæ rationem ad reconciliationem promerendam ſibi, & Presbyteris dicturi.

IX. Ejuſdem circa Pœnitentiam criminibus deſignandam diligentiǽ argumenta inſignia ſunt ſinguli ferè canones antiquiſſimorum Conciliorum Eliberitani, & Ancyrani. Singulos lege, videbiſque primam, potiſſimamque conveniendi cauſam Epiſcopis illis fuiſſe explicationem Pœnitentiæ certis peccatis emergentibus imponendæ. Canones Eliberitani ſunt 81. & Ancyrani 25. Pauciſſimis exceptis in omnibus agitur de Pœnitentia certis criminibus imponenda; criminum ſpecies, variæ circumſtantiæ, peccantium voluntas, neceſſitas, occaſio, diſcutiuntur, & unicuique ſpeciei ſua circumſtantia aggravatæ, aut ſublevatæ analoga Pœnitentia à Patribus imponitur. Eadem ferè Apoſtolicorum canonum: Eorum enim pluſquam media pars pœnas, ſeu Pœnitentias tantùm ſpectat, quibus tam Laicorum, quàm Clericorum crimina puniri debent. Idem potiori adhuc cum ratione de Concilio primo Arelatenſi, cujus viginti tres canones feruntur. Canonum enim illorum major pars fidelium criminibus per pœnitentiam purgandis impenditur. Ex quibus manifeſtum eſt, antiquorum Epiſcopum primam ſolicitudinem fuiſſe peccatis, ne committerentur, per Pœnitentiam occurrere, & Sacerdotes qua ratione anima criminibus infecta mundanda eſſet, ut reconciliationi fieret idonea. Eadem ratio cæterorum Conciliorum: ſed Pœnitentiarum criminibus impoſitarum in iis non adeò frequens mentio, quod tum id ſupervacaneum fuiſſet, quia ex antecedentibus Conciliis, atque ex Pœnitentialibus libris qui de canonibus Conciliorum ſelectis frequentes componebantur, omnibus notum eſſet, quæ cuique crimini Pœnitentia deberetur: quanquam antiqua Concilia in ea diligentia ſuperentur à pleriſque recentioribus poſt octingenteſimum annum celebratis.

X. Itaque in antiquiſſimis illis Conciliis contrarium contigit ejus, quod Cypriano, & ejus Concilio narravimus contigiſſe. Canones enim illius Concilii, ſive liber Pœnitentialis ab illo Concilio Africano de ſingulis Lapſorum ſpeciebus, & de Pœnitentiis unicuique ſpeciei curandæ attributis injuria temporum periit; Hiſtoria ſola Concilii in Epiſtolis S. Cypriani nobis ſuperfuit. At Conciliorum Eliberitani, & Ancyrani ſoli canones ſuperſunt; Hiſtoria verò, & canonum condendorum occaſiones nobis perierunt; quæ ſanè ſi literis mandatæ ad nos uſque perſtitiſſent, idem prorſus κατὰ λέξιν ex illa hiſtoria erueretur, quod ex S. Cypriano collegimus, nec conjecturis, ſed verbis, & toto ſenſu ageremus: Nihil aliud ſunt canones illi quam iſtorum Patrum liber Pœnitentialis hiſtoriæ, & actis Conſilii ſuperſtes.

CAPUT XV.

Idem demonſtratur variis Conciliis, & auctoribus, qui præcedentes ad annum uſq; centeſimum ſupra milleſimum ſecuti ſunt. Item variis eorundem temporum libris pęnitentialibus, quos Concilia dicant ſe recenſuiſſe, & Presbyteris tradere, ut ſecundùm illos, & non aliter Pęnitentias imponant; Annua quoque iſtorum Pęnitentialium in Synodo commendatione ab Epiſcopis facta: Officio etiam Viſitatorum, quibus illa commendatio injungebatur. Ex fine denique, & ſcopo, quem Pęnitentialium, & Collectionum canonicarum auctores in opere ſuo ſe habuiſſe teſtantur.

Morin. de Sacram. Pœnit.

IN tanta teſtimoniorum, & exemplorum meſſe, quæ mille, & centum annorum ſpatio paſſim ſit obviam hæc inquirentibus, tenui ſpicilegio contenti eſſe non debemus, cum præſertim totius operis noſtri hic tractatus ſit velut fundamentum. Niſi enim nobis conſtet antiquos, recentioreſque Patres præcipuam Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & auctoritatis in ea peccatorum punitione, & curatione repoſuiſſe, deferveſcet plurimum iſta cognoſcendi ſtudium. Quapropter antiquæ iſtius, & operoſiſſimæ ſolicitudinis plura δείγματα celare non debemus, ut velut è culmo de ſpicarum fœcunditate poſſit Lector judicare.

II. Gothi, & Boradi, populi Barbari, Pontum regioneſque finitimas depopulati fuerant, nonnullaque crimina iſtius incurſionis occaſione multi Chriſtiani perpetraverant: Ab Epiſcopis vicinis interrogatur Gregorius Thaumaturgus, quæ Pœnitentia eſſet his criminibus imponenda; qua ratione diſpenſanda. Ut his Epiſcopis ſatisfieret, tria fecit Gregorius, Epiſtolam ad eos mittit, quæ reſpondet quæſitis, & Pœnitentiarum modum docet. Prætereà unum ex Presbyteris ſuis à ſe bene inſtitutum ad eos ablegat, qui eam, quam ipſe obſervabat formam, apud eos ſtabiliret. Denique nonnullis peccatis Pœnitentiam definire non audet, ſed expectandam ait Epiſcoporum Synodum, & eorum Reos interim ab Eccleſia pellere conſulit. Sic ſcribit *can. 5. Propterea ergo fratrem, & conſenem noſtrum Euphroſinum ad vos miſimus, ut ſecundum formam quæ hic eſt, & ipſe ſimiliter det, & quorum accuſationes admittere oporteat, & quos à precibus abdicare*, Canone verò 7. modum curationis ſequentis criminis præſcribere ſolus non audet: Nonnulli Pontici Barbaris ſeſe miſcuerant, nefandaque barbarico more perpetraverant; concives enim trucidaverant, viaſque, & domos neſcientibus Barbaris indicaverant, *Ejuſmodi*, inquit, *etiam ab Auditione arcere oportet, donec de iis congregatis Sanctis aliquid communiter viſum fuerit, & ante eos ſancto Spiritui.* Qua ratione commoti ita ſolicitè in hæc inquirunt? Plurimæ ſunt, ſed ea, quam *can. 1. & 2.* indicat, ſufficiet, *Unde iis omnibus ejuſmodi interdicere viſum eſt, eoſque abdicare, ne forte ad totum populum ita veniat, & in eos primùm qui præſunt, & non inquirunt. Vereor enim, ut ait ſcriptura, ut impius juſtum unà ſecum perdat.*

III. Qui hujus rei aliud inſigne exemplum videre cupit, legat S. Petri Alexandrini Patriarchæ, & Martyris Pœnitentiales canones quatuordecim, in quibus ſingulas ſpecies Lapſorum examinat, & unicuique Pœnitentiam convenientem aſſignat, ut hanc formam univerſæ Patriarcharus Eccleſiæ ſequantur. Singulis canonibus longas rationes ex ſcriptura petitas adtexit, in quibus perſpicuè conſpicitur antiqua Chriſtianorum eo tempore de his rebus tractandi, & philoſophandi methodus. Non minus perſpicuè eadem methodus, & Epiſcoporum de imponenda peccantibus pœnitentia ſolicitudo, demonſtratur ex breviſſima S. Athanaſii ad Ruffinianum Epiſtola. Ab Athanaſio quærit, qua ratione puniendi ſint, qui in hæreſim per violentiam lapſi ſunt. Primum ipſius ſtudium ut Eccleſiaſticum laudat, *Quoniam ſtudiosè, & Eccleſiaſticè, hoc enim tuę pietati valdè convenit, interrogaſti de iis, qui propter neceſſitatem tracti ſunt, &c.* Deinde quid in variis conciliis Occidentalibus ſtatum fuerit, illi refert: Poſteà rationem explicat, qua potiſſimùm freti canones de hac re, ejuſque nonnullis circumſtantiis condiderunt.

IV. Omnium ejuſmodi tractatum antiquorum fœcundiſſima eſt Epiſtola S. Baſilii ad Amphilochium: In ea enim continentur 85. canones, qui vix uno excepto nihil aliud ſpectant quàm Pœnitentias peccatis imponendas. Ideò ſcelerum, criminumve ſpecies propè omnes enarrantur, & unicuique conveniens Pœnitentia ſive medicamentum applicatur. Id autem fecit Amphilochii Iconienſis Epiſcopi interrogatis ſtimulatus, qui à tanto, & tam celebri viro edoceri volebat quibus pœnis peccata curari poſſent: Non enim à ſeipſo vir aliàs magnus id audebat ſtatuere. Qua ratione autem juſtam pœnam ſceleribus dixit Baſilius, ipſe monet in canonum prœmio, *Cum tua interrogata nunquam nobis ſolicitudini fuiſſent, coacti ſumus, & accuratè conſiderare, & ſi quid à Senioribus audivimus, in memoriam revocare, & iis, quæ docti ſumus cognata animo apud nos cogitare.* His conformiter *can. 3. Hæc quidem ſunt quæ ex conſtitutionibus habentur, &c. Nos ergo utrumque ſcire oportet, & quæ ſunt ſummi juris, & quæ ſunt conſuetudinis: Sequi autem in iis, quæ ſummum jus non admittunt, formam traditam.* Ex c. 4. *Conſuetudine autem accepimus in trigamis quinquennii ſegregationem, non à canone, ſed ex eorum, qui ita acceperant, conſequentia.* Vides quanta diligentia plebis peccata dijudicabant, nihilque in ea ſtatuere auſos, niſi

quòd aut canon, aut conſuetudo Eccleſiaſtica, aut evidens, & diu utrimque librata ratio ſuaderet.

V. Gregorius Nyſſenus Baſilii frater de eadem materia doctiſſimam illam Epiſtolam ſcripſit ad Letojum Melitines Epiſcopum, ab eo, & Collegis rogatus, ut in fine teſtatur Epiſtolæ: Quæcunque autem ſtatuit ex antiquis canonibus, & conſuetudine excerpit, & ingenioſiſſimè diſtribuit, primumque præfatur non eſſe parvum opus ea, quę de peccatorum curatione dicenda ſunt, *Recto, & probato judicio diſpenſare*; Eo quod ut in morbis corporis, *ita & in morbo animæ multa ſit affectionum varietas, multiformis quoque neceſſariò fuerit medica curatio ad affectionis rationem medicinam exercens*. Deinde ſępe teſtatur ea tradere, quæ ex Antiquorum inſtitutis accepit: *Cùm autem multa ſint, quæ per iram fiant, peccata, & omnis generis mala, Placuit omnibus noſtris Patribus, in aliis quidem non nimium ſubtiliter agere, nec nimium in eo ſtudii, operæque ponere, ut omnia, quæ ex ira naſcerentur delicta curarent, ſed ſolam cædis curationem ſuis pœnis introduxerant*. Ideò his contentus, nec ille plura ſcrutatur. Poſteà ſimiliter loquitur de avaritia, de cujus curatione pęnali nihil, inquit, ſtatuerunt: Nyſſeni verba fusè retulimus libro præcedente, *cap.* 21. Sic poſteà ubi de ſepulchrorum effoſſione, *Nec hoc eſt laudabile, ſed ut eſſet venia dignum effecit conſuetudo, &c. Id eodem judicio condemnatum eſt, quo ſimplex fornicatio.* In opere explicando quod ſemper magnum, & difficile judicarunt S. Patres traditionem paternam ut Helicen ne aberraret, ſecutus eſt. Ex reſponſis iſtorum Patrum, ut etiam ex Concilio Ancyrano, in quo ſæpe mentio fit definitionis præcedentis, prioris, & ſecundæ, ut *can.* 19. 21. 22. 24. &c. evidenter colligitur ante illos omnes Patres, hoc eſt ab ipſis propè Eccleſiæ incunabulis, publicatos fuiſſe de Pęnitentiis criminibus tribuendis canones, ſeu libellos Pęnitentiales, quos Provinciæ ſequebantur, licèt tam antiquorum canonum, & Pęnitentialium nullus ſit hoc tempore ſuperſtes.

VI. In hac accuratiſſima animorum ſceleribus infectorum per varias, longaſque Pęnitentias purgatione perſeverarunt ſecula poſteriora, cujus rei longè plura nobis ſuperſunt monumenta. Libelli enim Pęnitentiales permulti adhuc extant antiquiſſimi hujus ſolicitudinis, & ſeveritatis teſtes locupletiſſimi. Tres editi ſunt ab Antonio Auguſtino Archiepiſcopo Tarraconenſi, quorum unus Bedæ eſt, & ipſius operibus inſeritur. Multos, & antiquiſſimos Græcos & Latinos huic operi conjungemus. Complures quoque canones de hac re Concilia poſteriora magna cum cura ediderunt, ſed de hiſce rebus tractatum in librum ſequentem differimus. Nunc teſtimonia tantum ſelegimus, quæ docent conſuetudinem Eccleſiæ crimina puniendi, & curandi ſecundùm Patrum canones, & Pęnitentiales libellos; & ſiquid novum, & inſolens in crimine occurrit, vel concilia congregandi, vel Pontifices, & viros doctos interrogandi qua ratione quod in crimine novum eſt, & inſolens, aut nondum canonibus ſatis explicatum, puniatur & curetur.

VII. Pontifices ſæpe conſulti ſunt, non modo de fidei dogmatibus, & Eccleſiæ politia, præcipuiſque officii divini ceremoniis, ſed etiam quæ Pęnitentia nonnullis criminibus eſſet imponenda, & præſtanda, ut Peccator reconciliationem à Deo, & ab Eccleſia mereretur. Tanti enim æſtimatum eſt ab antiquis dignam, & ſceleribus æquam Pęnitentiam agere, ut non modò Epiſcopi, quorum erat Pęnitentiam dictare, ſed etiam ipſi criminum Rei doctiſſimos quoſque, & in canonum lectione optimè verſatos diligenter conſulerent, ut eorum conſilio, & ductu canonicam Pęnitentiam agere, ejuſque omnes moleſtias perpeti poſſent. Pontificem autem adibant, non ut relaxationem nedum immunitatem à Pęnitentia canonibus inſtituta obtinerent: Hoc erat illis ſeculis inauditum; ſed ut eam integrè, & juxta canonum placita, mentemque pręſtarent. Fixum enim erat eorum animis Pęnitentiam, ejuſque labores omnes auxilia Dei impetrare, quibus peccatores adjuti multò facilius, ſecurius, & efficacius ad gratiam Dei, & remiſſionem peccatorum obtinendam diſponebantur. Ejuſmodi interrogationum, & reſponſionum multa ſunt exempla quæ tantùm indicabimus, cum eorum pleraque vel jam citata ſint, vel inferius citanda. Legantur Epiſtolæ 1. Syricii *capita* 3. 5. & 6. Innocentii Epiſtol. 1. *c.* 7. Epiſtol. 2. *cap.* 12. 13. Epiſt. 3. *c.* 2. Epiſtol. Leonis 79. *cap.* 4. 5. & 6. & Epiſtolæ 92. pleraque capita. Epiſtol. Felicis III. 7. ferè integra, Gelaſii quoque nona. Nonnulla feruntur exempla inſignia hominum ſceleratorum, qui Romam ad Nicolaum I. profecti ſunt, ut Pęnitentiam ſceleribus æquatam ab eo acciperent, & agerent. Refertur unum à Gratiano 12. *q.* 2. *c. De viro occiſo*; In Pęnitentiali quoque Romano, *tit.* 8. *c.* 19. & *tom.* 3. Conciliorum Galliæ. Aliud habetur eodem tomo & loco Conciliorum de quodam, qui cum Presbyterum, & Monachum occidiſſet, Pontificem Nicolaum adiit, & ab eo graviſſimam Pęnitentiam tulit. Tertium eſt in appendice Epiſtolæ 18. iſtius Pontificis, & hinc refertur eodem tomo ad an. Chriſti 860. Ivo quoque Carnutenſis ſuo decreto illud inſeruit *part.* 10. *cap.* 33. Teſtatur inſuper Nicolaus ad Rivoladrum Epiſcopum de hoc Pœnitente ſcribens, plurimos ad eum ea de cauſa venire ſolitos, *Undique etenim venientes admodum plurimi ſuorum facinorum proditores quantum dolorem inferant pectori noſtro, plus ſingultu reminiſcimur, quàm calamo ſcribi queat*. Libro ſequente hæc exempla nobis erunt neceſſariò alia in occaſione examinanda: Quapropter ſatis nunc eſt in ea digitum intendiſſe.

VIII. Sed exemplum ſequens, utpote auguſtum, & celebre non mihi videtur omittendum. Theodebertus Francorum Rex Vigilium Papam interrogat, qua Pœnitentia purgandus eſſet is, qui fratris ſui uxorem duxerat. *Glorioſi filii noſtri Regis Theodeberti interrogationem, qua nos per Modericum virum illuſtrem Legatum ſuum credidit inquirendos, duximus amplectendam; in quo gloriam ſuam deſiderat informari, cujuſmodi Pœnitentia poſſit illius purgare delictum, qui cum uxore fratris ſui illicitum præſumpſit inire conjugium*. Sic reſcribit Pontifex ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum, cui Pœnitentiæ illius temperamentum pro variis circumſtantiis, quæ ſuboriri poſſunt, commendat, ſimulque ſignificat ſe ea de re literas ſpeciales ad Regem dediſſe. Hæc 1. *tomo* Conciliorum Galliæ an. 538.

IX. Quàm fuerit accurata, & ſcrupuloſa Patribus noſtris ſolicitudo, ut Pœnitentiæ criminibus æquarentur, vel ex caſu, qui refertur ultimo capite Pœnitentialis Romani, colligi poteſt. Difficultas, & ejus ſolutio ex ipſo textu perſpicuæ ſunt, *De quodam Sacerdote quæſtio propoſita eſt, qui cum populo deberet cantare Miſſam, & fuiſſet oblitus portare hoſtiam pro verecundia populi ſcienter ſacrificavit corpus Chriſti hoſtiam, ſcilicet jam conſecratam cum non haberet aliam. Concilium Cardinalium, & plurium Epiſcoporum in hoc conſenſit, quod ſi occultum fuit, moneretur, deterreretúrque, ut omni tempore vitæ ſuæ in Pœnitentia eſſet, & ſi poſſet ſine ſcandalo, abſtineret à conficiendo corpore Domini: Si autem publicum, toto tempore ceſſaret à Miſſæ celebratione. Pars tamen eorum dicebat, niſi ſe fecerit Monachum, vel Canonicum, & tunc meritis exigentibus permiſſu Abbatis, & conſilio Apoſtolici, vel Epiſcopi in neceſſitate poſſet accedere*. Duo hic præ cæteris notari velim. Prius, hoc caſu contingente Doctorculum aliquem non fuiſſe conſultum, cujus ſententia Pœnitens ſtaret, aut caderet, ſed Cardinalium, & multorum Epiſcoporum Concilium. Poſterius, graviſſimum Pœnitentiæ genus huic crimini impoſitum, licèt infirmitate, non malitia aut contemptu perpetratum. Tempus, quo hoc contigit, non adnotatur, ſed ex modo loquendi facilè conjicitur poſt annum milleſimum contigiſſe.

X. Reginonis collectione *lib.* 2. *cap.* 362. Heribaldus Epiſcopus Rabanum interrogat, qua pœnitentia ſint plectenda crimina, quæ ſequuntur, *De his etiam, ſuper quibus interrogaſti, hoc eſt, de illa fœmina, quæ menſtruum ſanguinem ſuum immiſcuit cibo, vel potui, & dedit viro ſuo, ut comederet, & de illa quæ ſemen viri ſui in potu bibit, & de ea quæ teſtam hominis combuſſit igni, & viro ſuo dedit pro infirmitate vitanda, quali Pœnitentia ſint plectendæ?* Sic reſpondet Rabanus, *Ut nobis videtur tali ſententia feriendæ ſunt, ſicut Magi, & Arioli, qui Magicam artem exercuiſſe noſcuntur.* In Concilio Lemovicenſi Hiſtoria narratur de quodam Vaſcone qui jubente Duce Dominum ſuum occiderat; Deinde Pœnitentia ductus Epiſcopum adiit, ut ab eo Pœnitentiam acciperet, qui illic ſic reſpondit, *Neſcio tibi conſilium ferre Pęnitentiæ, ſed vade quantociùs ad Papam Romanum: Si tibi ille Pęnitentiam concedit, & ego gaudeo, & confirmo, &c.* Ille, ut juſſus erat ab Epiſcopo ſuo, Romam ivit; ſceleréque ſummo Pontifici expoſito ab eo Pœnitentiam obtinuit, ut pluribus refertur libro ſequente, *cap.* 16. ut & nonnulla alia quæ quæſtionem hic tractatam illuſtrare poſſunt. Burchardus *libro* 19. *cap.* 152. eadem trium mulierum crimina, quæ jam ſecundum Reginonem ex Rabano retulimus, Pœnitentiaſque iis impoſitas exſcribit ex Concilio, ut ipſe putat, Toletano canone decimo ſeptimo. Conſuluntur Concilii Patres quali pœna plectendæ ſint facinoroſæ illæ mulieres, reſpondentque conſulentibus ut jam ex Reginone expoſitum eſt, ſed reſponſum ſuum auctoritate Teodori Cantuarienſis Ar-

ſis Archiepiſcopi confirmant: *Nam de his, qui Magicam artem exercuiſſe noſcuntur, & qui augaria attendunt, & divinationes obſervant, Theodori Archiepiſcopi gentis Anglorum conſtitutiones habemus, in quibus ſcriptum eſt, Qui immolat Dæmonibus in minimis, anno uno Pœniteat; Qui verò in magnis decem annos.*

XI. Hinc frequentiſſimæ leguntur ſanctorum Patrum præceptiones, ne quis aliter Pœnitentias quàm ex canonum, & ſanctorum Patrum dictatis, criminum Reis imponat. Cùm verò plurima in libris, & collectionibus canonum habeantur, quæ ad remedia peccatorum non referantur, multoque plura in ſanctorum Patrum libris occurrant ejuſmodi; Sint etiam nonnulla à Conciliis Provincialibus de peccatorum Pœnitentiis propter emergentes quaſdam cauſas ſpecialiter decreta, ideò antiqui Patres colligi curarunt ex canonibus Conciliorum, atque ex Patrum, qui eos præceſſerant, ſcriptis, libellos quoſdam, quæ cuique peccato Pœnitentia eſſet imponenda, & qua ratione agenda demonſtrantes, quos à ſe probatos publicè edebant, unumquemque Presbyterum illorum exemplar apud ſe habere jubebant, neve aliter quàm in iis eſſet præſcriptum, Pœnitentias darent, ſeverè prohibebant. Multiplicatis enim canonibus, & innumeris exiſtentibus Patrum ſcriptis, fieri non poterat, ut in omnium Presbyterorum manibus verſarentur. Quocirca opportunè admodum libelli illi à viris doctis unoquoque ſeculo Epiſcoporum juſſu, vel approbatione collecti ſunt, ut unuſquiſque Presbyter in promptu ſemper haberet regulam Pœnitentiæ criminibus imponendæ. Hi libri vulgò dicti ſunt à materia ſubjecta Pœnitentiales. Aliæ iſtorum libellorum componendorum fuerunt cauſæ de quibus libro ſequente plura nobis dicenda ſunt.

XII. Quæ dicta ſunt, comprobant multi iſtorum ſeculorum canones, & auctores, Concilium Toletan. 3. *c.* 11. *Quoniam comperimus per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias, non ſecundùm canonem, ſed fœdiſſimè pro ſuis peccatis homines agere Pœnitentiam, ut quotieſcumque peccare libuerit, toties à Presbytero ſe reconciliari expoſtulent, & ideò pro coercenda tam execrabili præſumptione, id à ſancto Concilio jubetur, ut ſecundùm formam canonum antiquorum dentur Pœnitentiæ, &c.* Concilium Moguntinum ſub Rabano, *c.* 31. *Modus, tempuſque Pœnitentiæ peccata ſua confitentibus, aut per antiquorum canonum inſtitutionem, aut per ſanctarum Scripturarum auctoritatem, aut per Eccleſiaſticam conſuetudinem imponi debet à Sacerdotibus. Nam qui pro peccatis gravibus leves quoſdam, & inuſitatos imponunt Pœnitentiæ modos, conſuunt pulvillos ſecundùm propheticum ſermonem ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas.* Eadem repetunt Pœnitent. Romanum, *tit.* 9. *c.* 11. Burchardus, *lib.* 19. *cap.* 28. Ivo, *part.* 15. *cap.* 46. Concilium Turon. 3. *cap.* 22. Cabillon. 2. ſub Carolo Magno, *cap.* 38. Pariſienſe 6. ſub Ludovico, *lib.* 1. *cap.* 32. graviterque invehuntur iſta concilia in quoſdam libros Pœnitentiales non approbatos, ſeverèque Sacerdotibus, ne iis utantur, interdicunt, *Quorum*, inquiunt Cabillonenſes Patres, *ſunt certi errores, incerti auctores, de quibus rectè dici poteſt, Mortificabant animas, quæ non moriuntur, & vivificabant animas, quæ non vivebant.* Ideò Turonenſes jubent, ut aliquando congregatis in regio Palatio Epiſcopis definiatur quis potiſſimum liber Pœnitentialis ſit Presbyteris tradendus. Canon ipſe neceſſariò videtur exſcribendus, cùm ſingula propè verba ſint in hac cauſa attendenda, *Epiſcopis, & Presbyteris diligenti cautela pertractandum eſt, qualiter hominibus ſua ſibi delicta confitentibus tempus abſtinendi adſcribant, ut juxta modum peccati Pœnitentibus abſtinentia judicetur: Quoniam variè ab aliquibus Sacerdotibus, & indiſcretè hæc judicia proferuntur. Idud neceſſarium videbatur nobis, cùm omnes Epiſcopi ad ſacrum Palatium congregati fuerint, ab eis edoceri, cujus Antiquorum liber Pœnitentialis potiſſimùm ſit ſequendus.* En quo ſtudio, quave diligentia verſabantur in aſſignatione pœnarum criminibus convenientium.

XIII. Ne autem Sacerdotes errore, aut malitia eluderent, quæ à Conciliis definita fuerant, præcipit Concilium Pariſienſe, *Ut unuſquiſque Epiſcoporum in ſua Parochia eoſdem erroneos codicillos diligenter perquirat, & inventos igni tradat, ne per eos ulterius Sacerdotes imperiti homines decipiant.* Deinde Epiſcopus ita monet, *Presbyteri etiam imperiti ſolerti ſtudio ab Epiſcopis ſuis inſtruendi ſunt, qualiter & confitentium peccata diſcretèque inquirere, eiſque congruum modum ſecundùm canonicam auctoritatem Pœnitentiæ noverint imponere.* Ratio, quam reddunt quæ notetur, digniſſima eſt, *Quoniam hactenus eorum incuria, & ignorantia multorum flagitia remanſerunt impunita.* Duplici potiſſimùm ratione ad canonicarum Pœnitentiarum impoſitionem Sacerdotes adſtringebant, ut ſic peccantium animæ ad gratiam Dei recipiendam purgarentur, & propter commiſſa crimina punirentur. Et *capite* 34. acriter increpant eos Sacerdotes, qui peccata contra naturam aliter puniunt, quàm canones jubeant, & potiſſimùm Ancyrani canones quos referunt, *Omnibus nobis valdè neceſſarium viſum eſt, ut quidam Sacerdotes, qui hoc vitium aliter quam ſacri canones ſanciunt, non ad ſalutem, ſed ad deceptionem animarum puniunt, corrigantur, & inſtruantur, &c.*

Morin. de Sacram. Pœnit.

XIV. Præ cæteris autem probatis Pœnitentialibus celebres erant, Pœnitentialis liber Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis, Romanus, & Bedæ. Omnium antiquiſſimus videtur Theodori Pœnitentialis. Tres Pœnitentiales iſti à Conciliis commendabantur Sacerdotibus; & Provinciarum Pœnitentiales ex illis potiſſimùm, atque ex Patrum canonibus, & dictis componebantur. Burchardus, qui ſcribebat ante annos ſexcentos, *cap.* 8. *lib.* 19. *Fratres, qui voluerit Sacerdotis nomen habere imprimis propter Deum cogitet, ut diſcat ea, quæ ei neceſſaria ſunt, antequam manus Epiſcopi caput ejus tangat; id eſt, Pſalterium, Lectionarium cum Evangeliis, Sacramentorum librum, &c. Adhæc autem ſuum Pœnitentialem, qui & ſecundùm canonum auctoritatem, & juxta ſententias trium Pœnitentialium, Theodori Epiſcopi, & Romanorum Pontificum, & Bedæ ordinetur, &c.* Hæc autem Burchardus verbo tenus ferè ex Bedæ Pœnitentiali deſumpſit, *c.* 1. *Fratres*, ait Beda, *qui voluerit ſacerdotalem auctoritatem accipere, &c.* Ferè ut apud Burchardum, *Poſteà autem ſuum Pœnitentialem, qui hoc ordine ſecundùm canonum auctoritatem ordinatur, ut diſcretiones omnium cauſarum inveſtiget.* Deinde poſtquam Perſonarum varietates, conditiones, actionum circumſtantias enarravit, ſcribit de his antiquos Patres ſcripſiſſe, quos inter nominat Hieronymum, Auguſtinum, Gregorium, Theodorum, *Ex quorum omnium*, inquit, *iſta deſcripſimus dictis, & ſententiis, &c.*

XV. Qui Idololatras convertebant, hoc in primis eſſe neceſſarium illos docebant. Ideò Bulgari à Nicolao Papa I. Pœnitentialem librum petebant, ipſeque reſpondet delaturos qui ad ipſos mittendi erant Epiſcopi unà cum codice ad Miſſas celebrandas, *Judicium Pœnitentiæ quod poſtulaſtis, Epiſcopi noſtri, quos in Patriam veſtram miſimus, in ſcriptis ſecum utique deferent; aut certè Epiſcopus, qui in vobis ordinabitur, hoc cum oportuerit, exhibebit: Nam ſeculares tale quid habere non convenit, nimirum quibus per id quemquam judicandi miniſterium nullum tribuitur. Similiter & de codice ad faciendas Miſſas aſſerimus.* Hæc interrogatione 75. Capite verò, ſeu Interrogatione 30. interrogatus de eo qui nolens hominem interfecerat, ſic reſpondet, *Statuimus, quod ſacræ regulæ ſtatuunt, quas Epiſcopum veſtrum apud ſe penes vos poſitum præ manibus oportet ſemper habere.* Tanta rum judicabatur pœnitentiæ ſecundùm canones imponendæ neceſſitas!

XVI. In exhortatione, ſeu ſermone ſolemni, qui fieri ſolebat Presbyteris in fine Synodi Diœceſanæ, ſemper illis hoc Epiſcopus, aut abſente Epiſcopo Vicarius, inſtanter commendabat; neve aliter quàm ex Pœnitentiali pœnas criminibus imponerent, injungebat; ut videre eſt in ordine versùs finem, ubi Synodi celebrandæ ritus enarratur, & ſermo integer refertur, *Feria quarta ante Quadrageſimam plebem ad Confeſſionem invitate, & ei juxta qualitatem delicti Pœnitentiam injungite, non ex corde veſtro, ſed ſicut in Pœnitentiali ſcriptum eſt.* Eandem admonitionem legere eſt in pleriſque aliis ordinibus, & Pontificalibus antiquis. Exſcriptus eſt penes me ex antiquiſſimis membranis manuſcriptus ordo, de quo non ſemel mentionem feci, in quo & idem ſermo, & eadem, de quibus agimus, verba. Collectio canonum Reginonis Abbatis incipit à modo viſitandi Eccleſias, Viſitantis interrogatio 59. hæc eſt, *Si feria quarta ante Quadrageſimam, plebem ſibi commiſſam ad Confeſſionem invitet, & ei juxta qualitatem delicti Pœnitentiam injungat, non ex corde ſuo, ſed ſicut in Pœnitentiali ſcriptum eſt.* Interrogatio 98. & poſtrema Presbytero facta, hæc eſt, *Si habeat Pœnitentiale Romanum, vel à Theodoro Epiſcopo, vel à venerabili Presbytero Beda editum, ut ſecundùm quod ibi ſcriptum eſt, interroget Confitentes, ut Confeſſo modum Pœnitentiæ imponat.* Et apud Burchard. *lib.* 1. *poſt cap.* 94. inter ea, quæ Epiſcopi in Synodis diœceſanis quærere debent hoc interrogatione 58. continetur, *Eſt aliquis qui modum Pœnitentiæ ſibi injunctum non cuſtodierit?* Eodem planè ſenſu Iſaacus Lingonenſis in canonibus

Digitized by Google

ſuis capite ultimo tituli primi, dixit, *Qualis verò peccato adhibenda ſit medicina, ſecundùm canonum authenticorum, & ſanctorum Patrum eſſe debet inſtitutionem, & non ſecundùm placitum hominis, ſed ſecundùm Dei voluntatem.* Ex Capitularium, *lib. 7. cap. 294.* hunc canonem deprompſit.

XVII. Hinc eſt, quòd omnes antiqui Eccleſiæ doctores annis ferè mille ducentis, cùm de pœnis, & Pœnitentiis, criminibus tam Clericorum quàm Laicorum debitis, libros aliquos ſeu tractatus compoſuerunt, nihil aliud quàm antiquos Conciliorum canones, & Patrum dicta collegerunt, vixque ſententiolam aliquam de ſuo genio addiderunt. Varias criminum ſpecies per libros, titulos, & capitula diſtinxerunt, & ſemper unicuique pœnam convenientem ex canone aliquo, aut Patrum pronuntiato applicuerunt. Plurimi ſunt ejuſmodi libri, ſeu Summæ, & Collectiones editæ; Plurimæ in antiquis Monaſteriorum, & Eccleſiarum Cathedralium Bibliothecis paſſim occurrunt hactenus ineditæ, ſed omnes, quotquot ſunt, nihil aliud ſunt quàm præcedentium canonum, & ſententiarum paternarum collectiones inter ſe tantùm differentes, quòd & ordinem varium ſequuntur, & varias librorum, titulorum, & capitum diſtinctiones. Quum enim quæſtioni propoſitæ reſpondent, nihil de ſuo proferunt, ſed nudos canones, & nuda Patrum verba referunt. Annis 1160. nullus Doctor privatus inventus eſt, qui aliter de Pœnitentiis, & remediis, quibus peccata per Sacramentum Pœnitentiæ puniuntur, & curantur, ſcribere tentaverit.

XVIII. Rabanus Maurus in fine Pœnitentialis, quem juſſu Othgarii Archiepiſcopi collegerat, *Hæc tibi, ſancte Pater, pauca capitula ex ſanctorum Patrum Conciliis colligere curavi, ut haberes in promptu ex eorum ſententiis, quo judicare poſſis rudes, & indomitos animos novellæ gentis, apud quam modo converſaris, ut ſciant ſe impunire peccatò non poſſe.*

XIX. Iſaacus Epiſcopus Lingonenſis in proœmio collectionis ſuæ teſtatur eam ſcripſiſſe, ut os occluderet quibuſdam improbis, *qui omnia quæ ad emendationem, vel ad ſuam cautelam dicuntur, à nobis ficta, & excogitata garriunt, & inventa.* Ideo inquit, *Utile duximus, quædam ſaluberrimarum capitula ſanctionum, quæ ſanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ Legatus Bonifacius, venerabilis Moguntiacenſis Archiepiſcopus, Zachariæ Papæ, unà cum orthodoxo Karlomanno Francorum Principe in duobus Epiſcoporum Conciliis ad honorem, & profectum Eccleſiæ Dei conſcripſit, quæque etiam idem Papa Zacharias ſub anno Incarnationis Dominicæ 742. auctoritate Apoſtolica confirmavit, & omnibus Eccleſiæ Dei fidelibus irrefragibiliter obſervanda conſtituit, revolvere, & ad meam, meorumque utilitatem quædam ex his, quæ in quæſtionem ſæpe veniunt, colligere, & in unum corpuſculum adgregare.*

XX. Halitgarius Cameracenſis Epiſcopus idem teſtatur in fine Præfationis ad Pœnitentialem ſuum, & in fine uniuſcujuſque libri, atque ideò auctorum nomina ad marginem adſcripſiſſe. Sed præcipuè nobis adnotandum eſt, quod Ebbo Archiepiſcopus Rhemenſis ad eum ſcripſit, ut ad novi Pœnitentialis collectionem eum ſtimularet. Scribit Ebbo ſe propter varias curas, quibus agitatur, *Ex Patrum dictis, canonum quoque ſententiis ad opus Conſacerdotum noſtrorum excerpere Pœnitentialem minimè valuiſſe.* Quamobrem autem vult Ebbo novum condi Pęnitentialem? *Quod ita confuſa ſunt judicia Pęnitentium in Presbyterorum noſtrorum opuſculis, atque ita diverſa, & inter ſe diſcrepantia, & nullius auctoritate ſuffulta, ut vix propter diſſonantiam poſſint diſcerni. Unde fit, ut concurrentes ad remedium Pœnitentiæ, tam pro librorum confuſione, quàm etiam pro ingenii tarditate nullatenus eis valeant ſubvenire. Quapropter, charisſime Frater, noli teipſum nobis negare, &c.* Duo ſunt maniſeſtiſſima in Ebbonis verbis, Eccleſię conſuetudinem juxta librum Pęnitentialem confitentibus remedia peccatorum dare; Deinde Pœnitentiales libros ex canonum, & Patrum ſcriptis eſſe collectos. Ideò Halitgarius reſpondens, Ebbonis exhortationem eſſe repetit, *Ut ex ſanctorum Patrum, canonumque ſententiis Pœnitentialem in uno volumine aggregaret.* Ut hoc Lector experientia diſcat, & Halitgarii, & aliorum Pœnitentiales libros examinet.

XXI. Quę Ebbonem movit ratio, ut Halitgarium ad novum Pœnitentialem componendum hortaretur, movit quoque Burchardum Vormatienſem, ut ipſe idem pro Diœceſi, & Provincia præſtaret, ut ipſe teſtatur in epiſtola ad Brunichonem ejuſdem Eccleſiæ Præpoſitum, qui ut hoc opus aggrederetur, eum vehementer incitabat. *Qua de cauſa,* inquit, *ſæpe accidit, ut ad Pęnitentiæ remedium confugientibus, cum ob canonum deſcriptionem confuſam, tum ob Presbyterorum noſtrorum ignorantiam, non facilè ſubveniatur.* Hoc verò qua ratione præſtitit? *Synodalia præcepta, ſanctaque inſtituta, tam ex ſanctorum Patrum ſententiis, quàm ex canonicis ſcriptis, adjutore Deo in unum faſcem ex ampliſſimo orbe collegi; eaque ut potui uno veluti corpore connexa viginti libris diſtinxi, &c. Certè coegit ſacrarum in immenſum ſcripturarum diffuſa amplitudo, necnon noſtrorum negligentia, & inſcitia Sacerdotum in hoc genere deſudare, in quo colligere quidem licitum fuit, canones verò ſoli mihi ſancire illicitum.* Id autem præſtitit Burchardus non modo in iis quæ Pœnitentias, & peccatorum remedia ſpectant, ſed etiam in iis quæ purè ad forenſia judicia pertinent. Hoc autem, ut verum eſt, ita vult Lectoribus ſuis eſſe perſuaſum. *Porrò legentibus etiam id perſuaſum eſſe cupimus, nihil de meo in hoc opere additum eſſe, ſed ex divinis teſtimoniis ſcripturarum ſingula eſſe decerpta, &c. Ex quibus autem ſcriptis ſelegerim ordo ſequens indicat.* Sequitur enumeratio Conciliorum, Romanorum Pontificum, Scripturarum ſacrarum, & Patrum Gregorii, Hieronymi, Auguſtini, Ambroſii, Benedicti, Baſilii magni, Iſidori, & trium Pœnitentialium, Romani, Teodori, & Bedæ. Quod ipſe obſervavit, alios verbis S. Auguſt. monet obſervare, *lib. 19. c. 29. Solerter admonemus doctum quemque ſacerdotem Chriſti, ut non ex ſuo ſenſu, ſed ſecundùm canonum ſtatuta, & traditiones Patrum univerſa diſponat, & conditionem utriuſque ſexus, ætatem, paupertatem, cauſam, ſtatum, perſonam cujuſque Pęnitentiam agere volentis, ipſum quoque cor Pęnitentis inſpiciat, & ſecundùm hæc, ut ſibi viſum fuerit, ut ſapiens Medicus, ſingula quæque dijudicet.* Non modo enim imperitus, & ſtultus eſſet Medicus, qui omnibus morbis Agyrtarum more eodem collyrio mederetur, ſed etiam qui eandem pharmaci δόσιν omnibus eundem morbum ægrotantibus nulla habita ratione ætatis, ſexus, conditionis, temporis, humoriſque dominantis imperaret.

XXII. Quum igitur criminibus tanto cum delectu, & accurata circumſpectione Pœnitentiæ imponerentur, meritiſſimè dixit Tertullianus *Apologetici, cap. 39.* de cœtibus Chriſtianorum, *Ibidem exhortationes, caſtigationes, & cenſura divina. Nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conſpectu: ſummumque futuri judicii præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis ſancti commercii relegetur.* Judicii iſtius magno cum pondere facti formulas ſæpè deſcribit ſanctus Clemens, huicque adeſſe ſcribit *cap. 47. libri 2.* Presbyteros, & Diaconos, unde tandem concludit, *Qui juſtè à vobis punitus eſt, & excommunicatus, idem à vitâ immortali, & gloria rejectus eſt.*

CAPUT XVI.

Epiſcopos ſollicitè attendiſſe, & inquiſiviſſe, an Pęnitentes pęnas canonicas ſibi impoſitas in ſeipſos diligenter exequerentur. Presbyteris in Oriente, Diaconis in Occidente hanc Provinciam potiſſimùm demandaſſe. Unde Diaconorum adversùs Presbyteros in Occidente ſupercilium.

DUobus capitibus præcedentibus demonſtratum eſt, quanta cum prudentia, & quàm diligenti, & ſcrupuloſo examine facto pęnas canonicas criminibus ſancti Patres indicebant, quave vigilantia cùm novum aliquod crimen emergebat, ſtatim ſimul conveniebant, ut de medicamento, quo curandum erat, deliberarent, & illius curandi, & puniendi rationem, ac methodum ſingulis Presbyteris traderent. Nunc nobis agendum eſt de canonum iſtorum executione: Fruſtra enim à Principibus leges conduntur, niſi earum obſervationi Magiſtratus invigilent. Duo nunc in Pęnitentibus conſideranda, & diſtinguenda ſunt. Prius eſt publicum, poſterius privatum. Quod Pęnitentes in Eccleſia publicè agere, aut ſubire neceſſe erat, obſervatu facillimum fuit. Hæc ad tria capita revocari poſſunt, Synaxes ſtatis diebus frequentare, ordinariæ manuum impoſitioni ſubeſſe, & orationi, quæ adjungebatur, caput ſubdere, denique modeſtam, ſeu lugubrem veſtem geſtare. An hæc Pęnitentes exequerentur, nemo non videbat. Sed pleraque alia erant privata, partim domi agenda ſeu ſubeunda, ut omnia opera laborioſa ipſis injuncta, jejunia, abſtinentiæ ciborum, vigiliæ, quotidianæ orationes, & ejuſmodi; partim extra domum, & magis publicè, ut balnea non frequentare, à ludicris alioquin permiſſis abſtinere, à negotiis forenſibus ceſſare, certa, quæ ipſis indicebantur commercia, non exercere, & alia ejuſmodi. An hæc, ut imperata erant, exequerentur Pęnitentes, deinde quo animi affectu, diligentia, & perſeverantia

exe-

Digitized by Google

exequerentur, vigilanter, & conſtanter obſervare Epiſcopos, juſſerunt Concilia Generalia, & Provincialia, ut jam adnotatum eſt ſupra initio capitis 11. & aliquot teſtimoniis demonſtratum. Jure ſanè, meritoque: Ut quid enim tantopere Patres illi definiendis, ſi ad decretorum obſervationem nemo ex munere ſibi impoſito attendiſſet? Num hoc fuiſſet leges poſt longam deliberationem latis in aqua ſcribere?

II. Evidenter hoc teſtatur Origenes, *lib. 3.* contra Celſum circa medium, *Erga peccantes quàm ſevera eſt diſciplina, præcipuè contaminatos libidine, quos è ſua republica reiiciunt noſtri, &c. ut rurſum reſipiſcentes, haud ſecus quàm redivivos recipiunt tandem poſt longiorem melioris mentis approbationem, quàm cum primum ad religionem diſcendam admitterentur.* Ardixerat anteà, accedentibus ad religionem noſtram conſtitutos eſſe, qui in vitam, moreſque eorum inquirerent, ne interim aliquid eorum, quæ non conceduntur, perpetrarent. Multo magis igitur conſtituti erant, qui in Pœnitentium vitam, moreſque animadverterent, & diligenter an ſibi ad purgationem imperata præſtarent.

III. Coocilium Nicænum *cap. 12.* diligenter Epiſcopos ad hanc ſolicitudinem exhortatur, *In his omnibus examinare convenit conſilium, & ſpeciem Pœnitentiæ. Quicunque enim & timore, & lachrymis, & tolerantia, & bonis operibus converſionem reapſe non ſpecie tenus demonſtrant, hi impleto Auditionis tempore, quod præfinitum eſt, meritò orationum communionem habebunt, cum eo quod etiam liceat Epiſcopo humaniùs aliquid de iis ſtatuere.* Sigillatim deſcribit Concilium, quæ potiſſimùm oporteat Epiſcopos in Pœnitentiarum actione attendere. Deinde rationem iſtius attentionis reddit, quę, & Pęnitentes, & Epiſcopos ſpectat; Pœnitentes ut diligentius, & animoſius Pœnitentiis incumbant; Epiſcopos ut laborum indulgentiam ipſis concedere poſſint. Hoc ut clarius doceant, ſubdunt, *Quicunque verò non adeo graviter tulerunt, nec multum ſua referre exiſtimarunt, ſatiſque eſſe putarunt in Eccleſias ingredi ad converſionem, tempus omnino impleant.* Neceſſarium igitur Epiſcopis fuit, ut iſta diſtinguerent, & de iis judicium ferrent, ad Pœnitentium vitam, & actiones animum appellere. Idem repetit in canonibus ſuis Concilium Ancyranum, *can. 5. Statuimus ut Epiſcopi modo converſationis examinato poteſtatem habeant vel utendi clementia, vel plus temporis adiiciendi. Ante omnia autem, & præcedens vita, & quæ conſecuta eſt, examinetur, & ſic eis clementia impertiatur.* Similia, aut etiam efficaciora repetit, *c. 2. 7. & 16.*

IV. Concilium Laodicenum *c. 2.* jubet, *Eos, qui in oratione, Confeſſioneque, & Pœnitentia fortiter perſeverant, & ſe à malis perfectè convertunt, &c. offerri communioni.* Ad hoc ſanè dignoſcendum per totum Pœnitentiæ ſtadium ſumma erat opus attentione; ad quam etiam ſimiliter tendit Carthagin. Concilii 4. *cap 75. Negligentiores Pęnitentes tardiùs reconcilientur.* Quomodo judicium ferri poſſet de negligentioribus, aut diligentioribus Pœnitentibus, niſi eorum vita in ſtadio Pœnitentiæ diligenter examinaretur. Eadem ſententia colligitur ex *can. 79. Pęnitentes qui attentè leges Pęnitentiæ exequuntur, ſi caſu in itinere vel mari mortui fuerint, ubi eis ſubveniri non poſſit, memoria eorum & orationibus, & oblationibus commendetur.* Leges autem Pœnitentiæ non ſpectabant tantùm publicas expiationes, ſed potiſſimum privatas corporis afflictationes, ut ſupra probatum eſt, ac per ſe antiqui moris ſcientibus eſt manifeſtum. Eodem Concilio *can. 85.* ſic ſtatuitur, *Baptizandi nomen ſuum dent, & diù ſub abſtinentia vini, & carnium, ac manus impoſitione crebra examinati, baptiſmum percipiant.* Non minore cura Pœnitentibus providebant, ut Pœnitentiam, quæ abſolutione juncta iis erat alter baptiſmus, juxta canones agerent, eaque peracta, quod eſt apud Chriſtianos perfectiſſimum conſequentur.

V. Petrus Martyr Patriarcha Alexandrinus *can. 11.* ſic agendum eſſe præcipit, *Memores itaque multorum laborum, & miſeriarum, quas pro Chriſti nomine ſuſtinuerunt, cum ipſi etiam Pęnitentiam egerint, & quod à ſe factum eſt per proditionem, in corporis afflictione, & mortificatione defleverint, & ſe præterea teſtentur in vita ſua fuiſſe à civitate alienos, ſimul oremus, & poſtulemus pro eorum reconciliatione, &c.* Singuli ferè hujus Patriarchæ canones iſtius praxis teſtes eſſe poſſunt: In unoquoque enim ſingulæ Pœnitentiales actiones examinantur. Noo enim tantùm initium Confeſſionis, & Pœnitentiæ ab Epiſcopis conſiderandum eſt, ſed etiam ſequens vitæ emendatio, ut omnibus actionibus ſimul perpenſis & comparatis de idoneo tempore reconciliationis præſtandæ judicium fiet, ut nos docet S. Innocentius, *cap. 7. Epiſt. 1. De pondere æſtimando delictorum Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad Confeſſionem Pęnitentis, & ad fletus, atque lachrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cùm viderit congruam ſatiſfactionem.* Idem in cauſa diſſimili, ſed argumento pari, vel potius majore colligitur ex ſtatuto Conſilii Arelatenſis 1. *cap. 7. De Præſidibus, qui fideles ad Præſidatum impetu proſiliunt, ita placuit ut cùm promoti fuerint, literas accipiant Eccleſiaſticas communicatorias, ita tamen ut in quibuſcunque locis geſſerint, ab Epiſcopo ejuſdem loci cura de illis agatur, ut cum cęperint contra diſciplinam publicam agere, tunc demum à communione excludantur. Similiter & de his fiat, qui rempub. agere volunt.* Si fidelium qui Magiſtratus gerebant, in quibus tum difficile erat ſine idololatriæ pollutione verſati, actiones tanta ſolicitudine obſervabant, & à recto tramite deflectentes ſtatim communione privabant, quid de Pœnitentium actionibus par eſt exiſtimare quibus invigilare toties jubentur. Simili comparationis argumento eadem ſententia evidenter demonſtratur ex Concilii Milevitani, *c. 23. Placuit, ut quicunque converſus ab Hæreticis, dixerit ſe apud eos Pęnitentiam accipere unuſquiſque Catholicus Epiſcopus requirat, ubi & ob quam cauſam apud eoſdem hæreticos Pęnitentiam ſuſceperit, ut cum documentis certis hoc ipſum approbaverit, ſibi pro qualitate peccati, ſicut eidem Epiſcopo Catholico viſum fuerit, tempus Pęnitentiæ, vel reconciliationis decernet.* En quàm ſolicitè in vitam, moreſque Hæretici, & Pœnitentis, ſed ad fidem Catholicam converſi, inquirant. An probabile eſt ſuorum Pœnitentium vitam, moreſque neglexiſſe, ſola officiorum Eccleſiaſticorum frequentatione contentos.

VI. Iſtius praxis inſignia mihi videntur ex S. Cypriani auctoritate deſumi argumenta. Admonet Martyres, ut libellos indulgentiæ lapſis magna cum cautione, & prudentia concedant, graviterque eos increpat, qui temerè iis libellos pacis ad Epiſcopos dabant, *Oro vos*, inquit Epiſt. 11. *quibus poſſum precibus ut Evangelii memores, & conſiderantes quæ, & qualia in præteritum Anteceſſores veſtri Martyres conceſſerint, quam ſolliciti in omnibus fuerint, vos quoque ſolicitè, & cautè petentium deſideria ponderetis, utpote Amici Domini, & cum illo poſtmodum judicaturi, inſpiciatis, & actum, & opera, & merita ſingulorum, ipſorum quoque delictorum genera, & qualitates cogitetis, ne ſi quid abruptè, & indignè, vel à vobis promiſſum, vel à nobis factum fuerit, apud Gentiles quoque ipſos Eccleſia noſtra erubeſcere incipiat.* Epiſtola verò 12. in quoſdam Presbyteros agit, qui non examinata prius lapſorum cauſa, & Pœnit. ſtatim ac Martyrum libelli ipſis porrigebantur, pacem ſupplicibus Lapſis reddebant, *Cùm in minoribus delictis quæ non in Dominum committuntur, Pęnitentia agatur juſto tempore, & Exomologeſis fiat inſpecta vita ejus, qui agit Pęnitentiam, &c. quanto magis in his graviſſimis, & extremis delictis cautè omnia, & moderatè ſecundùm diſciplinam Domini obſervare oportet.* De acceleranda reconciliatione Lapſorum quæſtio vertebatur, de qua multis *lib.* 8. Precibus Martyrum id fieri ſolebat. Libellos ideò Lapſis dabant, iiſque plurimum Epiſcopi deferebant: Quocirca diligenter monet Martyres Cyprianus, ut ſolicitè, & cautè Lapſorum vitam, actiones, merita, criminis genus, & qualitatem examinent, antequam ipſis libellos ejuſmodi concedant. Quanto diligentius, & cautius ipſi Epiſcopi idem curare debent, antequam Lapſos reconcilient? Nam libellos ipſos Martyrum recognoſcebant, & ſi quid imprudenter conceſſerant, emendabant, *Etiam Martyres*, inquit Epiſt. 10. *per calorem gloriæ, ſcripturam minus contemplantes contra legem Domini plus aliquid cuperent, à Presbyteris, & Diaconis ſuggerentibus admoneri deberent, ſicut ſemper in præteritum factum eſt.* Libellos autem Martyrum ita aliquando recognoſcebant, ut planè non admitterent, ut videre eſt Epiſt. 23. Sed Epiſcoporum judicium nemo retractabat. Quapropter diligentiſſima cum morum, actionum, meritorum uniuſcujuſque attentione id fieri oportebat. Quæcunque autem hac de re Cyprianus cùm Collegis ſenſit, & præſtitit, Clerus Romanus confirmavit, ut ex Epiſt. 30. & 31. manifeſtum eſt.

VII. Exemplum aliud inſigne apud eundem Cyprianum legere eſt Epiſt. 62. Virgines ſacræ dormire deprehenduntur cum Diaconis. Negant ſe cum eis rem habuiſſe; Virgines ſe vindicant. An ipſis affirmantibus creditur? Longè ſolicitior eſt Eccleſiæ cura: Pomponio hæc ad ſanctum Cyprianum referenti, & quid facto opus eſſet poſtulanti, reſpondet Cyprianus, inſpiciendas eſſe virgines illas, & ſi integræ inventæ fuerint, ad Eccleſiam admittendas, ea tamen lege ut in poſterum cum illis Viris ſub eodem tecto non habitent: Quod ſi corruptæ deprehendantur, plenæ Penitentiæ ſubdantur, ut ſupra Cypriani verbis hæc relata ſunt. In Concilio

Morin. de Sacram. Pœnit.

cilio Eliberit. *cap.13.* Virginibus Deo dicatis, quæ poſt adulterium ſemel commiſſum eidem libidini poſteà ſerviunt, in fine negatur communio, *Quod ſi ſemel perſuaſæ, aut infirmi corporis lapſu vitiatæ, omni tempore vitæ ſuæ hujuſmodi fœminæ egerint Pœnitentiam, & abſtineant ſe à coitu, eo quod lapſæ potiùs videantur, placuit eas in fine communionis accipere.* Affirmantibus de virtute ſua non creditur, præſertim iis, qui crimina jam perpetrarunt. Oportuit igitur virgines illas reliquo vitæ tempore continentiam ſuam operibus, & converſatione Epiſcopo probare, & Pœnitentiam publicè agere, ut morientes communione fruerentur.

VIII. Ejuſdem Concilii Patres id paſſim ſuis canonibus ſupponunt, cùm dicunt ſæpiſſimè, *Acta legitima Pœnitentia admittantur ad Communionem.* Legitima enim Pœnitentia non ſpectabat tantùm actiones expiatorias, quibus Pœnitentes publicè in Eccleſia purgabantur, ſed corpori afflictiones ipſis injunctas, quæ domi tantùm exerceri poterant, de quorum præſtatione certior eſſe non poterat Epiſcopus, niſi vel *ipſe*, vel aliquis ejus vices gerens ſingularibus Pœnitentium extra Eccleſiam actionibus diligenter attenderet. Legitimam autem Pœnitentiam privatas corporis afflictionis ſupponere, eo quòd ipſis fuerint ſemper conjecturæ ſupra *cap.11.* ſatis ſuperque demonſtratum eſt. Sed vel ſolùm Tertulliani teſtimonium ex *cap. nono, libri de Pœnitentia*, quod ſæpiùs allatum eſt, abundè ſufficit. Eandem Epiſcoporum diligentiam ſupponunt Tertulliani verba *ejuſdem libri, c.11. Quid ſi præter pudorem quem potiorem putant, etiam incommoda corporis reformidens, quod inlotos, quod ſordulentos, quod extra lætitiam oportes deverſari, in aſperitudine ſacci, & horrore cineris, & oris de jejunio vanitate.* Hæc tantopere non reformidaſſent, ſi uniuſcujuſque conſcientiæ credita fuiſſet executio.

IX. Denique eò conſpirat totius diſciplinæ ordo, & contextus. Ut quid enim tanta cura, ſolicitudo, deliberatio, & inquiſitio, ut juſta pœna crimen feriatur, atque ut criminis gravitas, aut levitas cognoſcatur? His conſequens videtur in pœnarum executione par cura, & ſolicitudo. Præterea ſeverè prohibent canones, ne Epiſcopus alterius Pœnitentem recipiat, ſed ab eo reconcilietur, à quo excommunicatus eſt. Quamobrem hoc? Quia neſcit Epiſcopus alienus an legitimè Pœnitentiam egerit, licèt Pœnitentem eſſe ex habitu, & confeſſione propria non ignoret. Felix III. Pontifex in Synodo Romana id ſeverè cavit. *cap.6. Curandum maximè, & omni cautela eſt providendum, ne quis fratrum, Coepiſcoporumque noſtrorum, aut etiam Presbyterorum in alterius civitate, vel diœceſi Pœnitentem, vel ſub manu poſitum Sacerdoti, aut eum, qui reconciliatum ſe eſſe dixerit, ſine Epiſcopi vel Presbyteri teſtimonio, & literis ad cujus Parochiam pertinet, Presbyter, aut Epiſcopus ſuſcipiat.* Idem canon repetitur Capitular. *l.7. c.49.* Grande nefas judicaſſent cum ſceleris Reo nondum expiato communicare. Idem longè ante Felicem conſtituerat Concil. Arelat. 1. *c.16. De his, qui pro delicto ſuo à communione ſeparantur, ita placuit, ut quibuſcunque locis fuerant excluſi, eodem loco communionem conſequantur.* Et Concil. Eliberitanum ante Arelatenſe *c.53.* idem ſtatuit, Epiſcopis ſi aliter faciant pœna impoſita. Eodem referenda eſt magna pars canonum, qui ab uno Epiſcopo Excommunicatum prohibent ab alio ſuſcipi, ut Nicænum *cap. 5.* Antioch. *cap.6.* Lugd. *c.4.* Cæſarauguſtanum *cap.5.* Turon. 2. *cap.8.* & ante hos omnes *canon.12.* Apoſtol.

X. Deinde ſolebant Chriſtiani crimina, quæ à fratribus commiſſa noverant, ad Epiſcopum deſerre, graviterque, qui crimen reticuerat, caſtigabatur, ut *cap.6. & 7. lib.2.* demonſtratum eſt. Quapropter cùm crimen eſſet Pœnitentiam impoſitam non peragere, familiares Pœnitentis, & qui ipſum frequentabant, ipſius erant ad Epiſcopum delatores, ut etiam ſinceræ ipſius converſionis, & zeli teſtes. Ideò tot ferè habebat Epiſcopus Pœnitentium vitæ Ephoros, quot habebat familiares, & ſodales. Mos inſuper erat Epiſcopis, cùm Eccleſias diœceſis viſitabant inter plurima, quæ Parœciæ incolas prævio juramento interrogabant, hoc interrogare, An Parœciæ Pœnitentes impoſitam ſibi Pœnitentiam peragerent, ut libro ſequente enarrabimus. Denique idem colligitur evidenter ex comparatione pœnitentiarum Clericis impoſitarum. In loca enim quædam ſecreta mittebantur, aut in monaſteria, in quibus imperatos pœnitentiæ labores teſtibus multis exequerentur, nec erat eis liberum agere pro animi arbitrio Pœnitentiam, ut pluribus *lib.4. c.12.* declaratum eſt. Nec igitur Laicis fuit liberum Pœnitentias imperatas pro animi arbitrio exequi, licèt in monaſteria, aut alios ſeceſſus mitterentur. Tota enim differentia, ut demonſtratum eſt, Pœnitentiæ laicalis, & clericalis in manuum impoſitione, & oratione ſuper inclinata capita conſiſtebat. Id inſuper, ut per ſe notum eſt, confirmat mos, qui paulò poſt annum quadringenteſimum paulatim invaluit, Laicos non ſecus, ac Clericos ad Pœnitentiam agendam includendi, de quo multa ſcripſimus, *lib.5. cap.15. & libro ſequente* nobis erunt retexenda.

XI. Non abs re hic quæret aliquis; Num Epiſcopi aliquem, aut aliquos Pœnitentibus præficerent, qui obſervarent, an indictas Pœnitentias diligenter exequerentur. Id enim per ſeipſos præſtare vix potuerunt Epiſcopi tot aliis rebus intenti, *niſi* ab aliis, quibus hoc munus ſpeciale eſſet demandatum, adjuvarentur. Socrates, Sozomenus, & Caſſiodorus in hiſtoria tripartita, quos ſecuti ſunt hiſtorici Eccleſiaſtici permulti, teſtantur Præsbyterum Confeſſionibus, & Pœnitentiis fuiſſe Præfectum. *Per id tempus*, inquit Socrates, *lib.5. cap.19. viſum fuit Eccleſiæ, ut Præsbyteri, qui in ſingulis Eccleſiis Pœnitentiæ præerant, tollerentur.* Cauſam famoſam infra enarrabimus. Iſtius Præsbyteri munus erat duplex, & confeſſiones audire, & Pœnitentias imponere, atque ut præſtarentur, providere. *Mulier quædam nobilis ad Præsbyterum Pœnitentiarium accedit; peccata quæ poſt baptiſmum commiſerat, particulatim confiteri. Præsbyter mulieri mandatum dat, ut jejuniis, & continuis precibus ſe dederet, quo unà cum peccatorum confeſſione opus dignum Pœnitentia oſtenderet.* Idem teſtatur Sozom. *lib.7. c.16. Hoc tempore Præsbyterum Pœnitentibus Præfectum eſſe non ampliùs paſſus eſt omnium priùs Nectarius, &c.* Et paulò poſt, *Præsbyterum aliquem vitæ integritate quàm maximè ſpectabilem ſecretorum etiam tenacem, ac ſapientem huic officio præfecerunt, &c. Ille verò pro cujuſque delicto, quid aut facere ſingulos, aut luere oporteret, cum injunxiſſet, dimittebat, ut à ſeipſis commiſſorum pœnas exigerent.* Hinc Pœnitentiarum non modò Catholici, ſed etiam Hæretici, & Sectarii omnes præter Novatianos admittebant, ut iidem teſtantur auctores.

XII. Hunc Præsbyterum Pœnitentiarum vocat Gregorius Nyſſenus in fine Epiſt. ad Letojum, Oeconomum, & idem munus illi tribuit, *Conſiderante ſcilicet, & examinante Oeconomo ex ipſa vita ejus, cui medela adhibetur τὴν θεραπείαν medicinam, & curationis rationem, ut ſpatium à canonibus præſtitutum poſſit contrahere.* Et Balſamon in hunc locum, *Gubernanti Pœnitentem, οἰκονομοῦντι τῶν μετανοούντων, dat facultatem* (Gregorius) *contrahendi tempus pœnæ ſi fortè ejus vehementem videat Pœnitentiam.* Semel, aut bis anteà ejuſdem Oeconomi mentionem fecerat. S. Clemens hoc minus tribuere videtur Diaconis, *lib.2. Conſtit. cap.16. Ejectum amarè increpent Diaconi, eumque obſervent, & extra Eccleſiam contineant, iidemque poſteà Eccleſiam ingreſſi pro eo te rogent, &c. Cap.* verò ſequente Epiſcopum & Diaconus monet, cùm alios judicare, & caſtigare debeant, ut conſervent ſe ab omni reprehenſione immunes, & in pœnis decernendis, favore, vel odio non ducantur. Ideò *cap.30. Veſter Aaron eſt Diaconus; Epiſcopus verò veſter Moyſes, & Deus. Si igitur Moyſes à Domino appellatus eſt Deus, Epiſcopum in honore habete, ut Deum, & Diaconum, ut Prophetam ejus. Ut enim Chriſtus ſine patre nihil agit, ſic neque Diaconus ſine Epiſcopo.* His conſentit Epiſtola prima ejuſdem Clementis, *Diaconi verò Eccleſiæ tanquam oculi ſint Epiſcopi, oberrantes, & circumluſtrantes cum verecundia actus totius Eccleſiæ, & perſcrutantes diligentiùs ſi quem videant vicinum fieri præcipitio, & proximum eſſe peccato, ut referant hæc ad Epiſcopum, &c.* Multis iſta perſequitur.

XIII. Hanc praxim ſecutæ ſunt potiſſimùm omnes Eccleſiæ Occidentales: Præcipua enim quæque per Diaconos egerunt Epiſcopi. Per Diaconos pauperum curam gerebant, eos viſitabant, alimenta miniſtrabant: Confeſſores, & Martyres in carceribus conſolabantur, & quæcunque illis neceſſaria ſuppeditabant; Viduas, Pupillos, & Peregrinos regebant, ut Concil. Carthag. *cap.17.* definit, & de Lucio Papa ſcribit Damaſus, *Omnem poteſtatem Eccleſiæ dediſſe Archidiacono dum ad paſſionem pergeret.* Hinc Diaconorum ſupercilium, qui ordinis ſui immemores Præsbyteris præferri volebant, in quem faſtum acerbè invehitur antiquus auctor quæſtionum in utrumque Teſtamentum apud Sanctum Auguſtinum *quæſt.* 101. faſtus autem cauſam reddit hunc neceſſarium, & frequentem, quem habent ad Epiſcopos acceſſum, quo illis & accuſandi occaſio datur. Ne igitur boni, malive ab iis accuſentur, atque ut mali excuſentur, ab omnibus illis honos magnus defertur: *Tollunt hæc de memoria* (humilitatis ſub Præsbyteris cauſas) *aſſiduæ ſtationes domeſticæ, & officialitas, quæ per ſuggeſtiones malas ſeu bonas nunc pluri-mùm poteſt. Aut timentur enim ne malè ſuggerant, aut emuntur, ut præſtent. Hæc ſunt, quæ faciunt eos ordines ſui non conſiderare* ratio-

Digitized by Google

rationem. Dum enim per adulationem obſequuntur illis illicitè, præcipites illos faciunt, at plus ſibi putent licere: Quippe cùm videant non ſic deferri Sacerdotibus, ac per hoc anteferri ſe putant. Eundem Diaconorum faſtum carpit vix minus acerbè Sanctus Hieronymus *Epiſt.*85. & auctor tractatus de ſeptem gradibus Eccleſiæ apud S.Hieronymum, necnon Concilium Toletan.4.*c.*38. & Trullanum *cap.* 7. Gelaſius quoque Pontifex *Epiſt.*1.*cap.*13. atque ante omnes Concil. Nicænum 1.*c.*18. Id eò mihi videtur admodum probabile, Epiſcopos Occidentis poſt Novatum curam, & ſolicitudinem Pœnitentium, quà injunctarum Pœnitentiarum executionem ſpectat, Archidiaconis potiſſimùm commendaſſe. Ita factum fuiſſe ante nongentos annos certiſſimè ex antiquiſſimis illorum temporum ritualibus colligitur, in quibus ſemper Archidiaconus inducitur Pœnitentes colligens, vocans, admonens, & ad Epiſcopum adducens, eique teſtimonium de eorum exacta Pœnitentia, ut reconciliationem aſſequantur, perhibens; quod ſanè bona fide præſtare non potuiſſet, niſi actionibus eorum Pœnitentialibus præfuiſſet. Verba autem, atque illa deprecatio, quibus Pœnitentes ab Archidiaconis offeruntur reconciliandi, ejus ſunt ſtyli, ut qui in auctorum uniuſcujuſque ſeculi lectione mediocriter verſatus fuerit, facilè deprehenſurus ſit fieri non potuiſſe, ut ſaltem trecentis annis ante annum ab hinc nongenteſimum compoſita non fuerint.

XIV. Cùm autem dicimus, curam Pœnitentium Archidiaconis demandatam fuiſſe, non ideò ab hoc munere Archipræſbyteros, & Decanos rurales removemus, potiſſimum in ampliſſimis diœceſibus, ut pleræque ſunt in Gallia, Germania, & Hiſpania. Omnium enim curam per ſeſe gerere non poterant Archidiaconi. Cùm enim unus eſſet tantùm in unaquaque Cathedrali Eccleſia Archidiaconus, neceſſe erat multos huic muneri vacare, non modò Decanos, ſed etiam Parochos, qui de Pœnitentibus reconciliandis teſtimonium dicere poſſent Epiſcopo, aut Archidiacono, ut ad Epiſcopum referret. Hæc manifeſtè conſtant ex antiquiſſimis ritualibus, & canonibus Conciliorum, quæ ante annos octingentos, & nongentos celebrata ſunt; in quibus iſta referuntur, ut antiqua, & communi Eccleſiæ praxi uſurpata, ut *σὺν Θεῷ* libro ſequente enarrabimus. Ex ejuſmodi enim argumentis, licèt poſterioribus, certiſſimè colligitur, quæ fuerit anterior Eccleſiæ diſciplina. Ante Novatum, & circa illius tempora, alia fuit in hac cauſa diſciplinæ Eccleſiaſticæ ratio. Cùm enim non magnus eſſet Chriſtianorum numerus, Epiſcopus ipſe huic ſolicitudini facilè vacare poterat. Deinde ob eandem rationem Chriſtiani omnes ejuſdem civitatis incolæ ſibi invicem cognitiſſimi erant, atque ideò, ut etiam propter religionis zelum tum maximè ardentem, uniuſcujuſque vitæ ratio fidelium aliquem vix latere poterat. Quapropter non erat tum magnopere neceſſarium Diaconorum in hac cauſa miniſterium, ſed cum univerſo Clero ad teſtimonium hoc perhibendum, & reconciliationem conſequenter obtinendam concurrebant totius plebis ſuffragia, preceſque, ut videre eſt in Eccleſia Romana obſervatum à Pontificibus Zephyrino, & Cornelio apud Euſebium *hiſtoriæ lib.*5.*capite ultimo*, *& lib.*6.*cap.*43. & in Africana apud Tertullian. *lib. de Pœnit. capite* 9. cujus obſervationis multa extant apud S.Cyprianum exempla.

CAPUT XVII.

Quartæ ſtationis varia nomina, & epitheta enarrantur, atque ex iis ſtationis natura, & proprietates eruuntur. Quid communicare ſine, & cum oblatione. Jus offerendæ oblationis quanti æſtimatum.

Quarta, & poſtrema Pœnitentiæ ſtatio multis nominibus à Sanctis Patribus inſignita eſt, quorum vel ſola enarratione, quid ſit illa ſtatio, & in quem finem inſtituta non inevidenter explicabitur. Dicitur nomine quaſi *τεχνῷ*, *Conſiſtentia*, *σύστασις*, ultimo canone Epiſtolæ S. Gregorii Thaumaturgi, & à Joanne Abbate Raithu, ut legere eſt *capite primo* hujus libri, à S. autem Baſilio in Epiſtolis canonicis ad Amphilochium adeò frequenter, ut id probare non ſit opus. Semel tantùm verbo *συνίστασθαι* utitur Concilium Ancyranum *capite* 25. ſed iſto nomine nunquam. Græci canonum commentatores, ut hanc ſtationem ſignificent *σύστασιν* paſſim uſurpant. Licèt autem *σύστασις* ſicut, & *συνίστασθαι*, apud Græcos Auctores multa, & diverſiſſima ſignificet, ut videre eſt apud Budæum in Commentariis, Heſychium quoque, & Suidam; in cauſa tamen canonicarum pœnarum nihil aliud quam ſimul eſſe, ſimul congregati ſignificant. Unde *Σύστασις*

Morin. de Sacram. Pœnit.

canonica, propriè Conſiſtentia dicitur, eo quod qui ſunt in ea ſtatione ſimul cum fidelibus in Eccleſia conſiſtant, & cum Cathecumenis non expellantur.

II. Antiquiſſimæ iſtius cenſuræ periphraſes ſunt, *Precum eſſe participem, vel orationibus communicare.* Concilium Nicænum *c.*2. *His impleto Auditionis tempore quod præfinitum eſt, ἐκτὸς τῶν εὐχῶν κοινωνήσουσι, meritò orationibus communicabunt.* Sic & canone præcedente. Concilium Ancyranum Nicæno antiquiùs *cap.* 4. *Viſum eſt anno audire, tribus autem annis ſubſterni, orationis verò duobus annis communicare, & tunc ad id, quod perfectum eſt, accedere.* Ita quoque *c.*16. Ante utrumque Concilium Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium hiſtoriæ *lib.*6.*capite* 8. in Epiſtola ad Xyſtum Pontificem ſic hanc ſtationem appellavit, *Vir oratus precibus intereſſe ſuſtinuit, συνεστάναι ταῖς προσευχαῖς, conſiſtere precibus.* Gregorius Thaumaturgus hanc ſtationem ſic expreſſit, *Sin autem ſeipſos renuntiaverint, & reſtituerint, etiam precibus digni habeantur.* *Can.*5. precibus indignum judicari dixerat, *à precibus abdicari.* *Συστάσεως* voce nunquam utitur. Ante hos omnes canon Apoſtolicus 79. *Si quis dæmonem habeat, ne fiat Clericus, ſed neque cum fidelibus precetur, μηδὲ τοῖς πιστοῖς συνευχέσθω.* Et Clemens Romanus *lib.*2. *Conſtitut.* *c.*39. *&* 41. Tertullianus hanc Cenſuram Apolog. *c.*39. evidenter commemorat, ut paulò ante enarratum eſt, *Summum futuri judicii præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis ſancti commercii relegetur.* Idem cum Tertulliano contraria enuntiatione dixit Petrus Alexandrinus *cap.* 8. Oportet *cum eis in omnibus communicare, & in orationibus, & in participatione Corporis, & Sanguinis, & ſermonis adhortatione.*

III. Iſta Cenſuræ periphraſis perſpicuè docet ipſius vim, & naturam eſſe precibus fidelium adeſſe, ſed tamen ejus quod eſt perfectum, hoc eſt, Corporis Chriſti, communionem non habere, Conſiſtentes igitur dicuntur, eo quòd precibus fidelium adſunt, hoc eſt, ſacrificio, & omnibus, quæ ad ſacrificium pertinent ritibus, à quibus cæteri inferiores Pœnitentes expelluntur.

IV. Concilium Nicænum, ſicut & Ancyranum præcedenti pariphraſi appendicem addunt, quæ Cenſuræ iſtius naturam penitiùs explicat: Nicænum *cap.*11. *Duobus annis abſque oblatione, erunt orationum cum populo participes.* Ancyranum *c.*5. *Cum duobus annis ſupplices, ſubſtratique fuerint, tertio anno communicent ſine oblatione, ut id quod perfectum eſt, triennio accipiant.* Paulò ante in alio caſu dixerat, *Si triennale ſubſtratione tempus impleverint, χωρὶς προσφορᾶς δεχθήσονται, ſine oblatione recipiantur.* Iſtam ſtationem ſæpiſſimè ita deſcribit Concilium iſtud, *c.*6.7.8.9.16. *&* 24. Felix III. *Epiſt.*7. Omnium preſſiſſimè, *duobus annis oblationes modis omnibus non ſinantur offerre, ſed tantummodo ſecularibus in oratione ſocientur.* Eadem Capitularium *lib.*5.*c.*69. Hac deſcriptione docemur, eos, qui ſunt ad iſtam ſtationem relegati, licèt ſacrificio, precibuſque fidelium adſiſtant, tamen oblationis non habere, hoc eſt, ipſorum munera ad altare non offerri. Lectori notandum eſt, ſolitos olim fuiſſe, quoſcunque fideles Laicos, & Clericos ſacrificio adſtantes, niſi ſumma paupertate excuſarentur, munera ſua altari offerre, unde tum temporis offertorium dictum eſt Miſſæ pars inſignis: Pſalmi enim decantabantur, dum Sacerdotes, Clerici, Cantores ipſi, univerſuſque populus munera ſua offerebat, ex quibus Pſalmis verſiculus nobis ſuperfuit, qui Offertorii nomen retinuit, licèt à populo nihil ampliùs offeratur. Peracto offertorio, & acceptis muneribus, conſecrandorum munerum, ut nunc moris eſt, fiebat oblatio.

V. Hic mos ille, & ducentis annis in univerſa Eccleſia Occidentali conſtantiſſimè, & inſigniter viguit, eratque inſigne fidelium privilegium, quo carebant Hæretici, Schiſmatici, Pœnitentes, Peccatores publici, omneſque infames, ut Concil. Lateran. 3.*cap.*25. & quartum *cap.*3. definiunt. Ideò Sanctus Ambroſius, licèt indignatione frenderent Imperatoris Comites, ipſius tamen oblationes recipere noluit, *Cauſa commotionis hæc fuit*, inquit Paulinus in ejus vita, *quia munera Imperatoris, qui ſe ſacrilegio commiſcuerat, ab Eccleſia reſpuebantur, nec orandi illi cum Eccleſia ſocietas tribuebatur.* Sic non auſi ſunt Valentis Imperatoris oblationem recipere Clerici Sancto Baſilio ſacrificanti adſidentes, ut teſtatur Gregorius Nazianzenus in Oratione funebri, quam de eo habuit. Immò nec fratrum diſſidentium oblationes ſuſcipi permittit Concil. Carthag. 4. *capite* 93. Poſteà tamen paulatim deferbuit mos ille celebris, pluſque ab annis ſexaginta refrixit præſertim in celebrioribus urbibus, quàm integris tribus ſeculis quæ præceſſerant. Ita enim ſæpè fieri ſolet, ut quo ſunt Parochi ſubti-

litatum Philoſophicarum rudiores, eò ſint antiquorum rituum tenaciores, eoſque, ut ait de plebe Chriſtiana Sanctus Auguſtinus, non intelligendi vivacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimos facit. Multa tamen ſuperſunt, præſertim in Gallia, iſtius antiquiſſimæ, & laudatiſſimæ conſuetudinis veſtigia. Hæc obiter iſtorum canonum occaſione adnotaſſe ſatis: Plura dicendi non eſt locus. Forſan aliquando commodior ſeſe offeret occaſio hanc pulcherrimam, & myſterii plenam conſuetudinem explicandi.

VI. Pœna igitur qua mulctabantur Conſiſtentes, hæc fuit, quòd munera eorum ut fidelium non acciperentur; unde conſequens erat, eos Corpori Chriſti non communicare. Quibus enim non licebat offerre, unde Corpus, & Sanguis Chriſti conſecrarentur, iis non judicabant licere ipſum Corpus, & Sanguinem manducare & bibere. Quapropter iſta ſunt æquipollentia, communicare precibus ſine oblatione, & non communicare Corpori Chriſti, ut manifeſtum erit unicuique canones citato comparanti, & adnotavit Balſamon in *capite* 4. Ancyran. *Divinis Sacramentis digni non habebuntur, id enim eſt, ſine oblatione ſuſcipi*, & Zonaras, aliique. Sed modus ille loquendi peculiariter notat eos jure oblationis offerendæ fuiſſe privatos, ut ſpecialiùs adnotavit antiqua verſio, *Si compleverint Pœnitentiam trienuii temporis, ſine oblatione ſuſcipiantur ad communionem, id eſt, ut ipſi oblationem non offerant*. Demonſtratur hoc evidenter ex *can.* 16. *Viginti quinque annis ſubſtrati communionem ad preces aſſequantur. Deinde cum in precum communione quinque annos peregerint, oblationem conſequantur*. Nihil enim aliud poteſt hoc ſignificare, quàm quod aliis canonibus dicit, perfectum conſequantur, Antiqua verſio una ſic transfert, *In qua quinquennia perdurantes tunc demum oblationis Sacramenta percipiant*, altera, *In qua communione orationum altero quinquennio perdurantes ad plenam communionem cum oblatione ſuſcipiantur*. Eſt plena communio, cùm quis participat cum oblatione. Ideò *c.*7. jus participandi cum oblatione non cuivis Presbytero, ſed Epiſcoporum examini committit; Sic enim *cap.*7. *Viſum eſt cum biennio ſubſtrati fuerint eſſe recipiendos; An autem id fieri debeat cum oblatione uniuſcujuſque Epiſcoporum eſt examinare, & in uniuſcujuſque vitam inquirere*; Antiqua translatio, *utrùm cum oblatione recipiendi ſint, an ad ſolam communionem admitti debeant, unuſquiſque Epiſcoporum examinet, vitæ eorum præteritæ ac præſentis habita conſideratione*. Hoc eſt, an poſt biennii ſubſtrationem recipiendi ſint perfectè, an verò ad ſolam precum communionem Epiſcoporum eſt examinare. Huic canoni planè ſimilis finis *can.*13. Nicæni, ut legenti perſpicuum erit, & infra demonſtrabimus.

VII. Antiquiſſimum iterum, & vulgatum iſtius Cenſuræ nomen eſt ἀφορισμὸς, & illius exercitium ἀφορίζεσθαι, ſegregatio, ſeparatio, atque etiam Excommunicatio, leviſſima ſcilicet. Antiqui Latini dicebant, abſtinere, & abſtineri, abſtentum eſſe, ut ſæpè apud S. Cyprianum videre eſt, & Concil. Eliberit. ut *cap.*21. *Si quis in civitate poſitus, tres Dominicas ad Eccleſiam non acceſſerit, pauco tempore abſtineat*. Eodem ſenſu Concilium Arelatenſe *c.*11. *De puellis fidelibus, quæ Gentilibus junguntur, placuit ut aliquanto tempore à communione ſeparentur*. Canone ſequente eodem verbo utitur, *De Miniſtris, qui fœnerant, placuit eos juxta formam divinitus datam à communione abſtineri*. Dicitur ſegregatio, & excommunicatio, & ſeparatio, eo quòd à communione Corporis Chriſti, qui ea puniuntur, removentur. Eadem quoque verba de majori Excommunicatione, ſeu ſubſtratione dicuntur. Verùm quoniam de utraque ſignificatione vocum abſtinere, & ἀφορισμῷ ut ad hanc ſtationem pertinent, multa nobis dicta ſunt ex antiquis auctoribus, *lib.*4. *cap.*2. *& ſequentibus*, Lectorem ad hæc loca remittimus.

CAPUT XVIII.

Quæ tæ ſtationis quis locus; An fidelibus permiſtus. Quatuor hominum genera complectebatur. Quæ crimina iſta Cenſura per ſe puniebantur, quæ per accidens. An ſpeciali ritu expiarentur. Qua ratione, & quando, quæ ſubſtrationem conſequebantur, huic ſtationi tributa ſunt. Nullius in hac ſtatione nomen offerebatur.

UT quid fuerit Antiquis Conſiſtentia ob Lectorum eruditorum oculos evidentius proponatur, dubia nonnulla, quæ diligenter iſta conſiderantibus occurrere poſſunt, obiter hoc capite diſſolvemus. Quæritur primùm, quo Eccleſiæ loco Conſiſtentia collocata fuerit. Ab Ambone verſus Sanctuarium ſedem Conſiſtentium fuiſſe dubitari non poteſt: Cùm enim demonſtratum fuerit, Pœnitentes ſubſtratos locum ab Eccleſiæ porta ad Ambonem uſque occupare potuiſſe, conſequens eſt, ut Conſiſtentibus locus conſtitutus fuerit ſupra Ambonem. Idem etiam colligitur ex ipſo conſiſtentiæ nomine. Non exibant cum Cathecumenis, & Pœnitentibus, ut probatum *capite* præcedente, ſed cum fidelibus ad finem uſque Synaxeos ſubſiſtebant. Oportuit igitur eos eſſe loco ſuperiores. Idem conficit totius Pœnitentiæ ordo, ratio, & finis hactenus ſatis explicatus.

II. Difficiliùs eſt definire, an à fidelibus loco ſeparati fuerint, an verò permiſti: Conſiſtentiæ enim ratio utrumque tolerare poteſt, cùm relationem ad locum non habebat, nec Patres de hac quæſtione perſpicuè loquantur. Nunquam enim leges eos definire, an diverſis locis ſteterint, an verò permiſti. Nihil aliud de iis proferunt, quàm quòd cùm Cathecumenis non diſcedunt, ſed audita Miſſa cum fidelibus. Videtur tamen quod quærimus innuere Concil. Nicænum *cap.*13. *Si quis deploratus, & communionem aſſecutus, rursùs in vivos relatus ſit, cum iis ſit, qui orationi tantùm participant*. Quomodo poteſt is, qui eſt ejuſmodi, cum iis collocari, qui ſunt tantùm orationis participes, ſi promiſcuè cum fidelibus ſedent? Sanctus Baſilius *cap.*4. de Trigamis ita decernit, *Oportet eos non omnino arcere ab Eccleſia, ſed dignari auditione duobus, aut tribus annis, & poſteà permitti quidem conſiſtere, à boni tamen communione abſtinere, & ſic poſtquam Pœnitentiæ fructum aliquem oſtenderint*, ἀποκαθιστᾶν τῷ τόπῳ τῆς κοινωνίας *communionis loco reſtituere*. Itaq; penſiculatis omnibus certum videtur, ſediſſe poſt fideles: Permiſtos enim ſi dicamus, contingere potuit paſſim eos ipſi Sanctuarii cancellis adhærere, quod de iis dictu nefas, quibus communionis perfectæ nondum jus erat conceſſum. Deinde illorum temporum ordini minimè convenit iſta confuſio: fidelium enim ordinis, ſedeſque in Eccleſia locis diſtinguebantur; Viri à mulieribus ſeparabantur, nec erat idem utriſque introitus, & exitus. Viri meridianam Eccleſiæ partem occupabant, mulieres Aquilonarem, ſive quod idem eſt, Viri in dextro Eccleſiæ latere ſtabant, mulieres in ſiniſtro. Introeuntibus enim Baſilicas meridies dexter eſt, Aquilo ſiniſter. Præterea Monachi, Virgineſque, & viduæ ſacræ primæ ſedebant, id eſt, Sanctuario proximæ; poſt hos cæteri fideles: Neve in ſedibus perturbatio aliqua oriretur, diligenter cavebant in parte virorum Diaconi, & Subdiaconi, in parte mulierum Diaconiſſæ. Videtur igitur improbabile in tam accurato ordine fidelibus conſiſtentes fuiſſe permiſtos.

III. Tertiò quæritur quot hominum genera ſtatio illa complectebatur. Diligenter illa conſiderans deprehendo quatuor hominum genera ad hanc ſtationem variis de cauſis relegari ſolita. Primum genus eorum eſt, vel qui leviùs peccaverant, vel qui graviter quidem peccaverant, ſed ſeſe ſponte ad Epiſcopum detulerant, & inſigni aliqua animi Contritione crimen deflebant. Hi poſteriores nonnunquam Pœnitentia lugubri remiſſa ad Conſiſtentiam rectò mittebantur. Leviùs peccantes, quos tamen corripere neceſſe erat, aliquot diebus, ſeptimanis, menſibus ad hanc ſtationem mittebantur, hoc eſt, tantulo illo tempore privabantur communione Corporis Chriſti, & nulla Pœnitentia mulctabantur, Eliberit. *c.* 21. *Si quis in civitate poſitus tres Dominicas ad Eccleſiam non acceſſerit, pauco tempore abſtineat, ut correptus eſſe videatur*: Temporis menſura Sacerdotis arbitrio permittitur, ut menſem unum, pluresve pro inobedientiæ gravitate, & circumſtantiis communione Reum privet. Ex *canone* 50. *Si quis Clericus, vel fidelis cum Judæis cibum ſumpſerit, placuit eum à communione abſtineri, ut debeat emendari*. Eadem prorſus iſtius canonis ratio, quæ præcedentis, & *can.*79. *Si quis fidelis alea, id eſt, tabula luſerit nummos, placuit eum abſtineri*. Huc referendi ejuſdem Concilii *canones* 55. 57. 74. Peccatum leve, ſi modo peccatum eſt, eadem cenſura, ſed multò diuturniore punit S. Baſilius, quod tamen antiquiores Patres impunitum dimiſerant, ita *can.*13. *Cædes in bellis factas Patres pro cædibus non reputavere, iis, ut mihi videtur, ignoſcentes, qui pro pudicitia, & pietate decertant. Rectè autem fortè habet conſulere, ut qui ſunt manibus non puris, ſola trium annorum communione abſtineant*. Nullam iis Pœnitentiam propriè dictam imponit, & communionis abſtinentiam conſulit, non imperat, ne ab antiquis Patribus nimium diſſideat, qui nullum huic actioni crimen ineſſe cenſebant. C.38. Virgines, quæ invitis Parentibus nupſerunt, ſi poſtmodum nuptias approbant, eadem cenſura caſtigat. Concilium Arelat. *cap.*11. Puellas, quæ Gentilibus junguntur, multò clementiùs excipit; eas enim tantùm aliquanto tempore à communione ſeparat.

Digitized by Google

rat. In hoc Concilio ſæpiùs eſt iſtius cenſuræ uſus, ut *capite 3. 4. 5. 6.*

IV. Nonnulla hic ſunt Lectori notanda, atque in memoriam revocanda. Primum, Hanc cenſuram, qua reſpicit eos, qui propter levia peccata, aut crimina caſtigabantur, eſſe antiquiſſimam, & primam ex tribus, quas probavimus à primis Eccleſiæ Chriſtianæ exordiis uſurpatas fuiſſe, ut legere potes *libri quarti, cap. 2. 3.* & ſequentibus, in quibus & plurima iſtius cenſuræ exempla referuntur, & illius origo, natura, & cùm duabus aliis comparatio explicantur. Unde conſtat, iſtam cenſuram, ut nunc explicata eſt, longè ordinem ſtationum pœnitentialium præceſſiſſe. Secundùm, iſta cenſura pro Sacerdotis arbitrio affici ſolita quæcunque crimina, quibus non erat à canonibus pœna injuncta. Demonſtratum eſt initio libri præcedentis, tria tantùm crimina lugubri Pęnitentia fuiſſe perculſa, cætera Epiſcoporum diſeretioni fuiſſe commiſſa, ſi illa excipias, quæ lapſu temporis illis tribus ſolemnibus fuere à Patribus adjuncta. Itaque cætera omnia cùm pœnitentia puniri non poſſent, in hac ſtatione, ut opportunum judicabant Sacerdotes, eluebantur: Ad eam quoque pertinebat ſecundum illud criminum genus, quod latè explicavimus *capite penultimo* præcedentis. Denique notandum eſt, ſtationem Conſiſtentiæ eam eſſe, quæ nomine Pęnitentiæ non intelligitur, ut legere potes hoc demonſtratum *cap. 7. & 8. libri quarti*.

V. Nonnunquam, ut dictum eſt, qui gravia crimina perpetraverat, quæ Subſtrationem ex canone merebantur, propter ſpontaneam ſui ipſius delationem, & demonſtratam animi ingentem contritionem, ad Conſiſtentiam condonata ſubſtratione mittebantur. Hujus praxis exempla ſunt apud Gregorium Thaumaturgum *c. 9. Si accuſati convicti fuerint, ſint ſimiliter in iis, qui ſubſternuntur: Sin autem ſeipſos enuntiaverint, & reſtituerint, etiam precibus digni habeantur.* Et S. Baſilium *cap. 61. Qui furatus eſt, ſi ex ſe quidem Pœnitentia motus ſeipſum accuſaverit, anno à ſola Sacramentorum communione arcebitur. Sin autem convictus fuerit, duobus annis tempus illud ſubſtrationem dividetur, & Conſiſtentium, & tunc communione dignus habeatur.* Prorsùs ſimilis eſt *can. 78.* Concil. Eliberitani.

VI. Secundum hominum genus, quod ſtatio illa complectebatur, eorum erat, qui inferiores Pęnitentiæ ſtationes decurrerant, quippe ideò propriè pœnitentes fuerant: Propter illos in Pœnitentialem ſtationem inſtituta fuit hæc antiqua cenſura, ut poſt toleratas graves Pœnitentiæ moleſtias aliquanto tempore experirentur Patres, an iis liberati vitam ducerent fideli dignam, atque ita poſſent illis tutò credere Chriſti Corpus, & Sanguinem. Hæc demonſtrant quæcunque hoc *capite*, & præcedente è canonibus illata ſunt, & quæ etiam dicta ſunt, cùm de ſubſtratione tractaremus.

VII. Tertium hominum genus ad hanc ſtationem per accidens tantùm pertinebat. Mulieres enim nuptæ, potiſſimum ingenuæ, quæ adulterio pollutæ erant, ad hanc ſtationem mitti ſolebant, ne ſi ad Subſtrationem relegatæ fuiſſent, criminis perpetrati aliquid Maritus ſuſpicaretur, necemque Zelotypia abreptus uxori intentaret. Hoc præſertim in ingenuis mulieribus contingere poteſt. Nemo enim ad ſubſtrationem mittitur niſi propter grave crimen. At quodnam grave crimen præter adulterium mulier ingenua diveſque perpetrare poteſt? Hoc nos docet Sanctus Baſilius *c. 34. Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocunque convictas publicare quidem Patres noſtri prohibuerunt, ne convictis mortis cauſam præbeamus: Eas autem ſtare ſine communione juſſerunt, donec impleretur tempus Pœnitentiæ.* Si peccatum eſſet publicum, aut mulier publicè convicta, eò quod ſecreti reſignandi nullum eſſet periculum, ad ſubſtrationem, aut etiam Auditionem truderetur. Canonem iſtum pluribus explicavimus *lib. 2. cap. 19.* Sed propoſitæ quæſtioni demonſtrandæ hoc ſatis.

VIII. Poſtremum genus eorum eſt, qui Pœnitentiam publicam ſemel egerunt, & poſteà redierunt ad vomitum, criminaque per Pœnitentiam purgata iterùm perpetrant. Ejuſmodi homines ad Pœnitentiam agendam non ampliùs admittebantur, ut probatum eſt *libro quinto cap. 29.* Sed ex decreto Syricii Pontificis ad Conſiſtentiam reliquo vitæ tempore admittebantur, unaque cùm fidelibus precabantur, ut ibidem explicatum eſt. Admodum probabile eſt ante Syricium Audientium loco tantùm habitos fuiſſe: Verba enim ipſius declarant eum iſto decreto aliquid per indulgentiam de antiqua ſeveritate remiſiſſe. Omnes iſtæ perſonæ fidelium precibus integrè adſiſtebant, licèt ſacrificii non eſſent participes; locoque jam adnotato inter Catechumenos, & fideles ſedebant.

IX. Quartò quæritur, an conſiſtentibus aliquod pietatis officium peculiare adminiſtraretur. Diximus enim, Catechumenis, & Pœnitentibus in ſubſtratione manus fuiſſe impoſitas, & preces ſuper eorum capita fuſas. An quid tale fiebat Conſiſtentibus, ut poſſent à fidelibus diſtingui? Reſpondeo me hactenus non legiſſe peculiare aliquid conſiſtentibus factum. Precum Euchariſticarum non ſecus ac fideles erant participes, nullis verò ſpecialibus leguntur purgati. Duobus autem à fidelibus dicuntur diſtincti, participatione Corporis Chriſti, & oblationum ad altare illatione, quibus prærogativis, ut probatum eſt, non gaudebant.

X. Denique neceſſariò hic explicandum eſt, An ea, quæ diximus humilem Pœnitentiam conſequi, omnibus quoque in conſiſtentia verſantibus conveniant. Ea autem duorum ſunt generum: Quædam enim Pœnitentibus conveniunt, & dum Pœnitentiam agunt, & poſt actam Pœnitentiam. Alia verò ſolùm dum Pœnitentiam agunt. Prioris generis ſunt ea, quæ ex multis Conciliis, & Decretis retulimus: Matrimonium iis eſſe interdictum; ſacrorum ordinum ſuſceptionem prohibitam, militiam quoque, & forenſia negotia; iis inſuper à conviviis, balneis, aliiſque deliciis abſtinendum; Conjugatis Pœnitentiam non niſi ex conſenſu dandam, aliaque nonnulla, quæ libro præcedente *cap. 18. cap. 21.* & ſequentibus explicavimus, & qua ratione intelligenda, & temperanda ſint, demonſtravimus. Ad poſteriùs genus pertinent, quæ docet Sanctus Innocentius *cap. 8. Epiſt. 1.* ad Decentium, ut rem vulgatam, & exploratam, Sacramenta ſcilicet illis adminiſtrari non poſſe, *Pœnitentibus*, inquit, Extrema-unctio, *infundi non poteſt, quia genus eſt Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi?* Et Concilium Pariſienſe ſub Ludovico, & Lothario *lib. 1. c. 54.* prohibet, ne ſuſceptores ſint vel in baptiſmo, vel in Confirmatione, *Donec per dignam Pœnitentiæ ſatisfactionem reconciliationem mereantur.*

XI. Perſonæ conſiſtentes diſtinguendæ ſunt; non eſt enim de omnibus eodem modo judicandum. Tribus poſtremis hæc propriè conveniunt, quia propriè ſunt, aut fuerunt Pœnitentes, variè tamen pro attributorum, & perſonarum varietate. Poſtremæ perſonarum claſſi duobus nominibus hæc omnia conveniunt; & quòd ex hypotheſi fuerunt verè Pœnitentes; & quòd propter iteratum lapſum in multò quàm Pœnitentes deteriore ſint conditione. Ideò Sanctus Syricius communione tantùm eos donat, cùm cœperint ad Dominum proficiſci. Quapropter in hypotheſim incidunt, de qua loquitur Innocentius. Tertiæ claſſi iſta perfectè convenire non poſſunt, tum quòd pœnitentia eorum propter rationes dictas celari debet, & occultari, tum quòd mulieres ferè ſolas hæc claſſis ſpectet. Quia tamen crimen eorum veram ſubire Pœnitentiam meretur, utrumque attributorum genus, quantum ſilentii, & occultationis ratio patitur, & mulierum conditio ſuadet, ad eos pertinet, & ipſis eſt ſubeundum. Sed qui Confeſſionibus audiendis præeſt, prudenter admodum, & circumſpectè in hac hypotheſi ſeſe gerere debet, ne publicet imprudens, quæ canones celari volunt. Ideò cum menti dubium aliquod ſuboritur, an quæ dicta ſunt obſervari debeant, in negativam partem illi ſemper propendendum eſt.

XII. Ut propter probandum poſt Pœnitentium ſecundum perſonarum genus hæc ſtatio κυρίως inſtituta eſt, ita ad iſtas perſonas maximè pertinent omnia illa attributa; Priora, & dum Pœnitentiam agunt, & poſt actam pœnitentiam, cùm iis tamen modificationibus quas libro præcedente adhibuimus. Poſteriora tantùm dum pœnitentiam agunt. Quanquam enim id quod laborioſum eſt in pœnitentia peractum fuerit, cætera tamen quibus pœnitentes mulctantur eos manent, cùm & ii, de quibus loquimur, verè adhuc ſint pœnitentes, eorum pœnitentia nondum completa quamdiù in conſiſtentia ſubſiſtunt. Ideò canones cum pœnitentibus iſta tribuunt, infinitè loquuntur, & ille, quem retulimus, disertè pœnitentiæ finem expectari jubet. Hinc etiam ſequitur, pœnitentes in conſiſtentia veſtes lugubres geſtaſſe, ubi conſuetudo fuit in ſubſtratione eaſdem geſtare.

XIII. Verùm hæc omnia nihil prorsùs ad primum hominum genus pertinebant. Cùm enim propter peccata levia, aut non multum gravia in hanc ſtationem obligati eſſent, quis hominum ab incommodis, & infamia humilem pœnitentiam conſequentibus immunis fuiſſet? Quid aliud hoc eſſet quàm *omne hominum genus*, ut rectè infert Pacianus, *indiſcreta pœnitendi lege conſtringere?* Deinde ut qui hac ſimplici cenſura feriebatur, non dicebatur à Patribus Pœnitentiam agere; ſic nec qui in ea verſabantur, pœnitentes, ut multis demonſtratum eſt *lib. 4. cap. 7.*

Digitized by Google

cap.7. & 8. & ſæpè à nobis adnotatum. Quocirca pœnis, & ignominia Pęnitentium inuri non poſſunt.

XIV. Duo hic quæri poſſunt, quæ breviter enarramus. Priùs, an quibus jus ſolarum precum erat conceſſum, nec fuerant anteà ad inferiores ſtationes relegati, jus quoque concederetur oblationis ad altare offerendæ. Reſpondeo, jus oblationis illis denegatum, ut manifeſtum eſt ex multis canonibus *capite* præcedente relatis, in quibus, hæc ſtatio abſolutè vocatur ſine oblatione communicatio. Quamobrem hoc; ſi illi, ad quos potiſſimùm pertinet, oblationis jure potirentur? Deinde aliunde conſtat, omnes fideles poſt Evangelium initio Miſſæ obtuliſſe, & id non facientes acriter objurgatos, ut videre eſt apud SS. Irenæum *lib.4. cap.34.* Clement. *lib.2. Conſtitut. cap. 25.* Cyprian. *in ſerm. de opere, & Eleemoſ.* Auguſtin. *ſerm.215. de tempore.* Concilium Matiſcon. 2. *c.4.* Moguntin. *c.44.* Nicolaum 1. in reſponſis ad Conſulta Bulgarorum *cap.11. & 35.* & alios pleroſque. Cùm igitur hoc eſſet fidelium proprium, & perfectæ communionis argumentum, cum iis, qui boni, & perfecti communione, ut loquuntur Patres, nondum fruebantur, communicari non potuit. Erat enim doctrinæ antiquæ velut principium. Eos jus non habere oblationis offerendæ, quibus jus non erat de oblatione conſecrata guſtandi, ut vel ex hoc canone Concilii Eliberitani conſtat, *Epiſcopos placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere.*

XV. Poſteriùs quæſitum eſt, An eorum nomen ad altare offerretur, ut loquitur S. Cyprianus; ſive, An in ſacrificio Eccleſiæ iſtarum perſonarum diſerta, & ſpecialis fieret mentio; ſive iterùm, quòd idem eſt, an pro ipſis ſpecialiter, ut pro fidelibus ſacrificium offerretur. Certum eſt trium poſtremarum claſſium nomina ad altare non fuiſſe oblata, nec pro iis ſacrificium oblatum, niſi in genere pro eorum converſione, & animi contritione à Deo obtinenda. Ideò ſi eorum aliquis erat ſolemniter Diptychis Eccleſiaſticis inſcriptus, ſolemniter ab iis expungebatur. De prima tantùm claſſe dubitari poſſe, An etiam eorum in ſacrificio memoria fieret. Factam non fuiſſe ex præcedentibus conſequi videtur: Eorum enim nomina tantùm recitabantur, & pro iis ſacrificium in particulari offerebatur, qui munus obtulerunt. Atqui muneris offerendi jus non habebant: Nec igitur pro iis offerre licebat, aut ad altare eorum nomina recitare. Id præterea videtur evidenter colligi ex *Epiſtola* 10. Sancti Cypriani, in qua conqueritur de quibuſdam Sacerdotibus, qui ante actam Pœnitentiam, & manus in reconciliationem impoſitam Pœnitentium nomina offerebant, & Euchariſtiam illis dabant, *Cùm in minoribus peccatis agant peccatores Pęnitentiam juſto tempore, &c. & per manus impoſitionem Epiſcopi, & Cleri jus communicationis accipiant, Nunc, &c. nondum reſtituta Eccleſiæ pace ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum Pęnitentia acta, nondum exomologeſi facta, nondum manu eis ab Epiſcopo, & Clero impoſita, Euchariſtia illis datur, &c.* Erat utriſque exploratum poſt jus communicationis Euchariſticæ conceſſum nomen offerri poſſe. Idem Cyprianus utrumque diſertè explicat *Epiſt.66.* & quid ſit nomen offerre, & quando ſit offerendum: *Epiſcopi Anteceſſores noſtri religiosè conſiderantes, & ſalubriter providentes, cenſuerunt, ne quis frater exeedens ad tutelam, vel curam Clericum nominaret; ac ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ob altari Sacerdotes, & Miniſtros voluit avocare.* Canonem Miſſæ antiquo more precem vocat. Nomen igitur offerre, eſt apud altare nominare; nec apud altare nominandi ſunt, niſi quibus cum Eccleſia perfecta eſt communio, de quorum numero non ſunt ii, de quibus non quæritur.

CAPUT XIX.

Neceſſarium non fuiſſe, ut Pęnitens ad ſuperiorem ſtationem per mediam eveheretur, neque ut ad infimam, quam crimen merebatur, detruderetur.

PAuca nobis ſuperſunt explicanda, quæ non pertinent ad particularem aliquam ſtationem, ſed vel ad omnes, vel ad earum inter ſe comparationem, vel ad quam pertineant, dubitatur. Prima nobis occurrit hæc quæſtio, An Pœnitenti miſſo ad inferiorem ſtationem neceſſariò eſſet in media commorari, ut ad ſuperiorem aſcenderet. Hoc non fuiſſe neceſſarium, exempla nos docent, & ratio. Concilium Nicænum *can. 12.* auctoritate ſua rem definit, *Quicunque & metu, & lacrymis, & tolerantia, & bonis operibus, converſionem & opere, & habitu oſtendunt, hi impleto Auditionis tempore quod præfinitum eſt, meritò orationum communionem habebunt, cum eo quod etiam liceat Epiſcopo humaniùs aliquid de eis ſtatuere.* Duo ſunt in hoc canone notanda, quæ quæſtionem, & quidquid in ea moveri poteſt, apertiſſimè reſolvunt. Priùs eſt, Epiſcopum poſſe transferre Pœnitentem ab Auditione ad conſiſtentiam ſubſtratione præterita, ſi magnam viderit animi ejus converſionem, aliqua opera in canone deſcripta. Cùm enim ſubſtratio propriè ſit Pœnitentium ſtatio, in qua omnia opera laborioſa imperantur, multò magis cæterarum unaquæque Epiſcopi auctoritate tranſiliri poterit. Poſteriùs notandum eſt, quòd Concilium Epiſcopo permittit aliquid ampliùs quam totam ſubſtrationis ſtationem remittere. Eandem pęnè condonationem facit Sanctus Baſilius *cap. 4.* ubi de Trigamis verba facit, *Oportet eos non omninò arcere ab Eccleſia, ſed dignari Auditione duobus vel tribus annis, & poſteà permitti quidem conſiſtere, à boni tamen communione abſtinere, &c.*

II. Vix minus evidenter Concilium Ancyranum idem teſtatur de præteritione conſiſtentiæ *can. 7. Viſum eſt, cùm biennio ſubſtrati fuerint, eſſe recipiendos.* Quomodo recipiendos? In poteſtate, inquit, eſt Epiſcopi id decernere, an recipiendi ſint cum oblatione, hoc eſt, perfectè ad Corporis Chriſti communionem, an verò ſine oblatione, hoc eſt, ad conſiſtentiam. *An unumquemque autem cum oblatione recipere oporteat, eſt Epiſcoporum examinare.*

III. Sanctus Gregorius Thaumaturgus ſubſtrationis ſtationem condonari vult in certo crimine ei, qui ſeipſum enuntiaverit, & rectè conſiſtentiæ ſubmitti, *Si accuſati convicti fuerint, ſint ſimiliter in iis, qui ſubſternuntur; ſin autem ſeipſos enuntiaverint, & reſtituerint, etiam precibus digni habeantur.* Idem crimen, & eadem diſtinctione facta eodem modo punit Sanctus Baſilius *can.61.* Ut & Concil. Eliberit. *can.78. Si quis fidelis habens uxorem cum Judæa, vel Gentili fuerit mœchatus à communione arceatur. Quòd ſi alius eum detexerit, poſt quinquennium acta legitima Pęnitentia poterit Dominicæ ſociari communioni.* Felix III. Pontifex *Epiſt.7.* Pueris voluntate ſua rebaptizatis conſiſtentiæ gradum condonat, iis aliquanto tempore ſub manus impoſitione detentis, *Pueris, &c. quibus ignorantia ſuffragatur ætatis aliquandiù ſub manus impoſitione detentis reddenda communio eſt, nec eorum expectanda Pęnitentia, quos excipit à coercitione Cenſura.* Repetuntur iſta *Capitular. lib.5. cap.69.*

IV. Idem ratione probatur. Sæpiùs enim probavimus, Epiſcopis poteſtatem factam fuiſſe pœnas à canone impoſitas remittendi; & plerique canones, qui paſſim obvii ſunt, hoc edicunt; nec definiunt remiſſionem pœnæ concedi intra ſtationem, aut totius ſtationis, ſed generaliter licere pro converſionis Pœnitentium ardore de pœnis aliquid remittere. Quapropter id ex æquo intelligi videtur de remiſſione Pœnæ in eadem ſtatione, verbi gratia, ut qui in ea ſeptem annis juxta canonem commorari debet, tribus tantùm commoretur; & de totius ſtationis condonatione, & ea præterita in ſuperiorem evectione. Hujus indulgentiæ primum, & originarium fundamentum nos docet paucis verbis Sanctus Gregorius Nyſſenus in Epiſtola ad Leotium de hujus indulgentiæ cauſis doctiſſimè diſſerens, *Quemadmodum enim*, inquit, *porcis margaritas proiicere eſt vetitum; ita & pretioſa margarita privare eum, qui jam per alienationem à vitio, & purgatione homo factus eſt, abſurdum eſt.* Cùm igitur videt Epiſcopus certis conjecturis Pœnitentem interiùs ad gratiam Dei ſuſcipiendam optimè diſpoſitum, ſine injuria pretioſam illam margaritam illi denegare non poteſt, & contra canonum mentem canonicam exigeret purgationem, & pęnam. De hac re poteſt Lector conſulere *c.17. libri primi* hujus operis.

V. Quæri poteſt iterùm, An qui gravis criminis rei eſſent, ad infimam ſtationem relegarentur per gradus ad perfectam communionem aſcenſuri. Reſpondeo hac in cauſa ſequendos canones. Primùm igitur raró ad fletum qualecunque fuiſſet crimen ablegabatur Pœnitens, ut ſuprà, cùm de fletu ageremus, demonſtratum eſt. Deinde ut ex dictis hoc capite conſtat, nonnunquam crimen cujus Reus ad ſubſtrationem mittendus eſſet, propter præſentem animi compunctionem ſubſtratione condonata, ad conſiſtentiam mittebatur. Præterea ſæpè graviſſimi criminis Rei ad Subſtrationem immediatè damnantur, & nuſquam in fletu, vel Auditione ſubſiſtunt, quòd ſæpè à Patribus Ancyranis factum eſt, ut canonibus 5.7.8.16.24. Sanctus Baſilius videtur admodum diligenter obſervare, ut in magnis quibuſque criminibus quatuor ſtationes ineantur, & in unaquaque moram diuturnam faciat Pœnitens. Variavit ſemper in ſingulari pœnarum

Digitized by Google

rum impoſitione, & curationis animi ratione Eccleſiæ praxis. Quapropter in pœnarum impoſitione ſequendi ſunt canones, & Eccleſiæ propriæ conſuetudo, ut monet Sanctus Baſilius *cap.7.* & multis ſupra hoc libro probatum eſt. Ad eam igitur ſtationem mittebatur peccator pœnitens, quam canon indicebat, niſi juſtis de cauſis aliquid remittendum eſſe judicaret Epiſcopus.

CAPUT XX.

Peccatores publicos ad agendam publicè pœnitentiam; & deſertores pœnitentiæ publicæ quacunque de cauſa ſuſceptæ, ad eam reſumendam graviſſimis cenſuris cogi ſolere.

INquirendum nobis hoc capite proponimus, qua ratione ſeſe gerebat Eccleſia in pœnitentiæ deſertores. Crimina primum nobis diſtinguenda ſunt in publica, & occulta: Deinde Pœnitentia, in Pœnitentiam jam impoſitam, & agi cœptam, & Pœnitentiam nondum impoſitam, ſed quæ propter crimen perpetratum jure imponi debeat. De criminibus poſt actam Pœnitentiam perpetratis, quæ canones Pœnitentia publica punire ſolent, & qua ratione in eorum auctores Eccleſia ſoleret animadvertere, actum eſt libri præcedentis *cap.29.* 30. His igitur dimiſſis Pœnitentiam ſuſceptam, vel non ſuſceptam ſolummodo conſiderabimus. Si crimen publicum eſt, ſive quia non poteſt ulla tergiverſatione celari, ſive quia Reus eſt de eo convictus; ad Pœnitentiam agendam cogendus eſt. Si occultum, licèt ab Epiſcopo non ignoretur, Pœnitentia confitenti, & volenti tantùm imponi poteſt, ut multis *lib.2. cap.15.* enarravimus, & varias hypotheſes, & difficultates hinc emergentes diſſolvimus, ut etiam aliis locis. Quapropter hæc quoque nunc prætermittimus. Si verò Pœnitentia impoſita eſt, ſive crimen ſit publicum, ſive occultum, amplius deſeri non poteſt, ſed ad eam perficiendam ab Epiſcopo cogeretur. In multis regionibus hoc ita ſeverè obſervabatur, ut vel iis, qui nulla crimina perpetraverant, propter quæ canonicè illis injungi poſſet Pœnitentia publica, illam tamen ſpontè ſuſceptam deſerere nullo modo liceret. Sed ad eam reſumendam, & redintegrandam graviſſimis pœnis cogebantur. Itaque tria tantùm nobis ſuperſunt hoc capite demonſtranda. Primum, criminum publicorum Reos ad Pœnitentiam ſuſcipiendam, & agendam cogi ſolitos. Secundum, Pœnitentiam ſemel ſuſceptam deſerere, licèt crimina fuiſſent prorſus occulta, & nemini præterquam Confeſſori cognita, graviſſimum crimen fuiſſe, & ſeveriſſima pœna caſtigatum. Tertium, Pœnitentiam ſpontè, & nullo cogente interiori crimine ſuſceptam deſerere grave quoque crimen judicatum fuiſſe, & in illud ſeverè animadverſum.

II. Prima propoſitio per ſe nota eſt Catholicis omnibus, necnon hæreticis: Omnes enim Excommunicationibus, atque omnis religioſi commercii interdictione publicos peccatores ad ſanam mentem, quantum in ipſis eſt, redire cogunt, juxtà præceptum Chriſti, *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus*, & Apoſtoli ad Titum *cap.* 3. 10. *Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correptionem devita, &c.* Et Sanctus Joannes *Epiſt.* 2. *Nolite recipere eum in domum, ne Ave ei dixeritis: Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.* Et Conſtitutionem Apoſtolic. *lib. 2. cap. 38. Sin aliquis durus, obſtinatuſque erit, dic Eccleſiæ. Hanc ſi non audierit, ſit tibi ut Ethnicus, & Publicanus, & ne eum ad Eccleſiam tanquam Chriſtianum admittas, &c. Si autem vult agere Pœnitentiam, ſuſcipe, &c.* Et *cap.41. At verò quem à Pœnitentia alienum videris, & obduruiſſe, hunc tu cum mœrore, ut inſanabilem, eiice ex Eccleſia; tolletis, inquit, improbum ex vobiſmetipſis, & facietis reverentes filios Iſrael.* Eutychianus Papa apud Burchardum, *libro duodecimo*, *cap.14.* ad rem noſtram directiùs collimare videtur, *Si quis verò perpetrato perjurio, aut quolibet criminali peccato, timens Pœnitentiam longam, ad Confeſſionem venire noluerit, ab Eccleſia repellendus eſt, ſive à conſortio, & communione fidelium, ut nullus cum eo comedat, atque bibat, neque oret, neque in ſua domo eum recipiat.* Antiqui iſtius moris teſtis eſt Sanctus Cyprianus *Epiſt.* 52. adversùs Novatianos diſputans cum dicit, *Nec ad Pœnitentiam quis à nobis compelli poteſt, ſi fructus Pœnitentiæ ſubtrahatur.* Ad Pœnitentiam igitur compelli ſolebant, quos crimina perpetraſſe conſtabat. Idque probat Cyprianus argumento ſanè notando; eo quod auctoritatem peccata remittendi Deus Eccleſiæ conceſſerit, credens auctoritatem cogendi ad Pœnitentiam ex auctoritate abſolvendi neceſſariò conſequi. Ad eundem morem reſpiciens quoque Pacianus ſcribebat *Epiſt.3.* contra Sympronianum. *Sive baptizamus, ſive ad Pœnitentiam cogimus, ſeu veniam relaxemus, Chriſto id auctore tractamus.* Sanctus Eligius in fine *homiliæ* 16. preſſiùs ad id, quod contendimus, *Duos præterea alloquimur, quos publica actio criminalis publicam coegit agere Pœnitentiam.* Unde cæteros Pœnitentes, qui ſpontè propter crimina publicam Pœnitentiam agebant ad Pœnitentiæ amaritudines amplexandas cohortandi occaſionem capit, *Unde, inquit, unuſquiſque veſtrum ad ſe rediens, conſideret ſi per amaritudinem Pœnitentiæ Deo ſatisfecerit pro ſuis offenſis, &c.* Inter Pœnitentes illos duo erant criminum publicè convicti, quos ideò à cæteris diſtinguens pœnitentiam publicam agere dicit coactos.

III. Hinc eſt, quòd publicis peccatoribus nuſquam Pœnitentiam imponebant, multò minus reconciliationem præſtabant, quamdiu peccato hærebant: Qui fratris ſui uxorem accepit, non priùs admittetur, qui ab ea receſſerit. Sanctus Baſilius *can.* 23. & ſimiliter *can.*24. Ideò *can.* 84. regulam generalem tradit, *Quod ſi qui à propriis moribus non facilè avellantur, & carnis voluptatibus potiùs quàm Deo ſervire voluerint, vitamque ex Evangelio inſtitutam non admittant, nulla eſt nobis cum illis communis ratio.* Sanctus Auguſtinus in eum finem librum de fide, & operibus ſcripſit, ut demonſtraret, neminem ad baptiſmum, & Pœnitentiam priùs admittendum quàm vitiis, quibus tenetur obnoxius, valedicat. Idem argumentum, quod ad Pœnitentiam erroris attinet, fusè tractat Gelaſius Pontifex in commonitorio ad Fauſtum. Eadem ratione paſſim prohibent canones ſeveriſſimè, ne cum publicè abſtento, aut Excommunicato, cuiquam fas ſit communicare, ut Apoſtol. *canone* 10. 11. Antiochenum *capite* 2. Arelatenſ. 2. *can.*30. Carthagin.4. *cap.*73. Toletan.1. *cap.*15. Cæſarauguſt. *can.*5. Bracar. *capite* 33. Antiſiodor. *cap.* 38. Martinus Bracar. *cap.*85. Concilium Chalcedon. in Epiſtola ad Valentinian. & Marcianum, Pergamius, & alii Epiſcopi in Epiſtola ad Leonem Imperat. in Concilio Chalcedon.

IV. Primis religionis Chriſtianæ ſeculis præter hanc coactionis rationem aliam uſurpabant. Gravium enim criminum Reis, atque ideò ab Eccleſia pulſis, ſi Pœnitentiam ſani non petebant, ſed moribundi, reconciliatio denegabatur, ut hac ſeveritate, quoniam incertus eſt dies mortis, quàm primùm ad Pœnitentiam ab Eccleſia obtinendam interiùs ſtimularentur, & cogerentur, ut *lib.9.* demonſtrabitur. Hoc nunc ſatis ſit monuiſſe. Poſterioribus verò ſeculis cœptum eſt longè majori, ut publicos peccatores ad Pœnitentiam requirendam cogere, cujus exemplum habemus *canone* 17. Concilii Milevitani, *Placuit, ut ſecundùm Evangelicam, & Apoſtolicam diſciplinam, neque dimiſſus ab uxore, neque dimiſſa à marito alteri conjungantur; ſed ita maneant, aut ſibimet reconcilientur. Quod ſi contempſerint ad Pœnitentiam redigantur. In qua cauſa legem imperialem petendam.* Hoc poſt annum ſeptingenteſimum in Eccleſia Occidentali frequentiſſimum fuit, ut libro ſequente docebimus. Nonnulla ſunt iſtiuſmodi coactionis ab Epiſcopis uſurpatæ exempla poſt Concilium Milevitanum, & ante tempus adnotatum in cauſa deſertionis Pœnitentiæ ſuſceptæ, ut iterùm reſumatur, quæ ſtatim referimus. Initium imperialis auctoritatis advocandæ ad agendam Pœnitentiam non videtur altiùs, quàm ab eo Concilio repetendum. Nam Sanctus Auguſtinus, qui huic adfuit Concilio, in ea primùm ſententia fuit, Hæreticos ad fidem non eſſe cogendos bonorum mulctatione, multò minus ſuppliciis; atque ita cenſebant antiquiores Chriſtiani, ut ex Severo Sulpitio in vita Sancti Martini, atque ex ipſius Sancti Martini actionibus in ea vita relatis colligitur. Sed poſtquam Sanctus Auguſtinus plurimos animadvertit, præſertim Donatiſtas, ad Catholicam harum pœnarum formidine reverſus, & Schiſma, cui priùs corde, & animo adhærebant, deteſtantes, priorem ſententiam mutavit. In eadem ſententia fuit Concilium Milevitanum, ut non obſcurè elicitur ex *canone* 11. *Placuit illud adverſus Hæreticos, vel Paganos, vel eorum ſuperſtitiones, ut legati miſſi de hoc glorioſo Concilio, quidquid utile providerint, à glorioſiſſimis Principibus impetrent.* Cùm igitur Imperatores pœnis corporis Hæreticos, & Schiſmaticos ad fidem amplectendam cogerent, viſum eſt poſteà Epiſcopis eandem auctoritatem in publicos peccatores advocare, ut Pœnitentiæ, quam deſpiciebant, vel inviti ſubderentur. Hoc fecerunt anno 630. Galliæ Epiſcopi Rhemis magno numero congregati *can.* 8. Inceſtas conjunctiones ſi non ſeparentur, Excommunicatione primùm plectunt, deinde ſententiam ſuam Regi, ejuſque judicibus ſignificari volunt, *Ut ſe ab eorum communione, aut cohabita-*

tione

tione ſequeſtrent , & res eorum ad proprios parentes proveniant ſub ea conditione , ut antequam ſequeſtreatur per nullum ingenium , neque per parentes , neque per emptionem, neque per auctoritatem regiam , ad proprias perveniant facultates , niſi præfati ſceleris ſeparatione Pœnitentiam fateantur . Flodoardus *lib. 2. hiſtor. Eccleſ. Rom. capite* 5. hoc Concilium cum canonibus refert. Canon autem iſte repetitur *Capitular. lib. 6. capite* 306.

V. Secunda propoſitio multis Patrum , & canonum teſtimoniis confirmatur , quæ referre, cùm intellectu facilia ſint , ſufficiet. Concilium Turonenſe 1. quod celebratum eſt anno poſt Sancti Leonis mortem primo *can.* 8. *Si quis poſt acceptam Pœnitentiam, ficut canis ad vomitum ſuum , ita ad ſeculares illecebras , derelicta quam profeſſus eſt Pœnitentia , fuerit reverſus , à communione Eccleſiæ , vel à convivio fidelium extraneus habeatur : quo faciliùs & ipſe compunctionem per hanc confuſionem accipiat , & alii ejus terreantur exemplo*. Canone præcedente ſtatuerat , quod ad propoſitionem præcedentem pertinet eam , & illuſtrat, *Homicidis penitus non communicandum , donec per confeſſionem Pœnitentiæ , ipſorum crimina diluantur*. Idem ſtatuit Concilium Veneticum *can.* 3. *Pœnitentes , qui ſuſceptam publicè Pœnitentiam intermiſerint , & ad prioris erroris conſuetudinem revoluti vitæ ſe ſeculari , converſationique reddiderint , non ſolùm à communione dominicorum Sacramentorum , ſed etiam à conviviis fidelium ſubmovendos* . Eodem prorſus modò Concilium Aurelian. 1. *c.* 11. quod addit, *Quod ſi poſt interdictum , cum eis quiſquam præſumpſerit mandacare , & ipſe communione privetur*. Sic & Epaunenſe *can.* 23. quod paulò poſt iſta Concilia celebratum eſt . *Si quis accepta , profeſſaque Pœnitentia , boni immemor ad ſecularia relabatur , prorsùs communicare non poterit , niſi profeſſioni , quam illicitè prætermiſerat , reformetur*. Nihil ſeveriùs adverſus pœnitentiæ deſertores ſtatuere poterant antiqui illi Epiſcopi , quos in eadem ſeveritates poſteriores ſecuti ſunt.

VI. Nec minus ſevera ſunt Hiſpaniæ Concilia , Toletan. 3. in fine *can.* 11. *Hi verò , qui ad priora vitia , vel infrà Pœnitentiæ tempus , vel poſt reconciliationem relabuntur , ſecundùm priorum canonum ſeveritatem damnentur* . Hæc pœna nova non eſt , ſed ex antiquorum canonum præſcripto continuata , crimenque deſertionis Pœnitentiæ cœptæ comparat , cùm crimine iterati lapſus poſt Pœnitentiam completam , & acceptam reconciliationem . Concilium Barcinon. 2. *can.* 4. pœnam illam ſic explicat , *Ab Eccleſiarum liminibus expulſi , ita ab omnium Catholicorum communione ſint ſeparati , ut nulla prorsùs ei , vel colloquii conſolatio ſit relicta* . Comparat inſuper hoc crimen cum ſacræ Virginis inceſtu , & utrumque eadem pœna plectit . Concilio Toletan. *cap.* 55. *Quicunque ex ſecularibus accipientes Pœnitentiam , totonderunt ſe , & rursùs prævaricantes Laici effecti ſunt ; comprehenſi ab Epiſcopo ſuo ad Pœnitentiam , ex qua receſſerant , revocentur . Quod ſi aliqui per potentiam irrevocabiles ſunt , nec admoniti revertuntur , verè ut Apoſtatæ coram Eccleſia , anathematis ſententia condemnentur* . Concilium Tolet. 6. *can.* 7. evidentiùs adhuc exprimit , qua ratione ad pœnitentiam conſummandam ab Epiſcopo cogi debeant , & quid in hac cauſa faciendum , Concilia priora ſtatuerint , *Quamvis priora nunquam ſiluerint de tanto facinore Concilia , ratio tamen poſcit , ut ea quæ frequenti prævaricatione iterantur , frequenti ſententia condemnentur . Et ideò quoniam tanta exiſtit perverſitas hominum , ut hi , quos ſub religioſo habitu Pœnitentiæ profeſſio pro peccatorum venia ad manum Sacerdoti deducit , vel adduxit , iterùm rediviva malitia ad vitæ priſtinæ ſordes revocet , hujus rei cauſa ſancta Synodus decernit , ut ſi qui ingenuorum utriuſque ſexus , ſub nomine Pœnitentiæ in habitu religioſo ſunt converſati , poſthæc autem comam nutrientes , vel veſtimenta ſecularia ſumentes , ad id , quod reliquerant , redierant , aut redierint , ab Epiſcopo civitatis , in cujus territorio ſunt converſi , comprehenſi rursùs legibus Pœnitentiæ in monaſteriis ſubdantur inviti . Quod ſi facere propter aliquem poteſtatis vigorem difficile fuerit , tunc ſicut priſcorum canonum ſtatuerant decreta , quouſque ad dimiſſum ordinem revertantur , excommunicati habeantur , ſed & hi , qui poſt excommunicationem , vel interdictum , cum ipſis communicaverint*. Hæc paulò fuſiùs retulimus , ſed nihil eſt quod ad explicationem , & confirmationem ejus rei , quam contendimus , requiri poſſit .

VII. Probatur præterea ex eodem canone , ut ex præcedente , Epiſcopos Hiſpaniæ auctoritatem temporalem exercuiſſe ad ejuſmodi coactionem inducendam . Eandem auctoritatem iiſdem temporibus uſurpatam eſſe in Italia , & in eundem finem , demonſtrari poteſt ex ordine Romano in *capite* de ædificanda Eccleſia . Prohibetur ne quis Miſſam injuſſu Epiſcopi in oratorio domeſtico celebret . *Quod ſi fecerit , domus illius fiſci juribus addicatur , & ab Epiſcopo diſtricta pœnitentia coerceatur . Comes , qui hoc ab Epiſcopo narrante cognovit , & non prohibuit , libra auri mulctabitur , & ab Epiſcopo loci illius canonicam ſuſcipiat Excommunicationem* .

VIII. Poſtrema propoſitio ex iis canonibus Toletanis evidentiſſimè demonſtratur , quos retulimus , & excuſſimus *c.* 7. *libri præcedentis* , ideò horum exſcriptione , & examine nunc ſuperſedemus . Allata quoque ſunt hujus praxis illuſtria exempla , quæ ibidem legi poſſunt . Univerſa, quæ hoc capite probavimus neceſſariò etiam colligi poſſunt ex comparatione eorum , quæ libro præcedente demonſtrata ſunt de pœnis, quas infligere ſolebant iis , qui poſt ſuſceptam , vel completam Pœnitentiam , militiam ſecularem repetebant , novaque contrahebant matrimonia , aliaque reſumebant , quæ Pœnitentia functis prohibebantur . Nam ſi iſtarum rerum , quæ natura ſua , aut bonæ ſunt , aut indifferentes, iterata actio ſeverè caſtigabatur , Quid factum fuiſſe cenſendum eſt in Pœnitentiæ ſuſceptæ contemptu , atque in criminum, quorum pœnitentia cœpta eſt , aut decurſa , iteratione ?

CAPUT XXI.

Quæritur , in qua ſtatione humilibus Pœnitentibus Abſolutio à peccatis concedebatur . Quando iis , qui tantùm abſtinebantur poſt criminum Confeſſionem . Abſolutionem duplicem fuiſſe : Varia utriuſque Epitheta ex antiquis canonibus enarrantur . Variis temporibus conceſſa ſunt . Maximè neceſſaria à Præsbyteris in mortis periculo data : Altera nequidem tunc , niſi Epiſcopi permiſſa.

OPportunum nobis videtur nunc inquirere, quando abſolutio , ſive reconciliatio Pœnitentibus præſtabatur , An cum à tertia ſtatione ad quartam aſcendebant . An verò cùm de quarta ad participationem τοῦ ἀγαθοῦ καὶ τελείου boni , & perfecti tranſibant : Vel quod idem eſt , An peccatorum Abſolutio daretur tantùm poſt perfectam , & omnibus ſuis partibus completam Pœnitentiam , an verò poſt labores Pœnitentiæ exantlatos , cùm ſtationem Conſiſtentiæ eſſet Pœnitens ingreſſurus . Fruſtrà, ut mihi videtur, de tempore ante Novatum hæc quæſtio proponeretur . Tum enim , ut probatum eſt *libri 4. capitibus* 20. & 21. poſt ſubſtrationem , hoc eſt , poſt operum laborioſorum executionem nullus erat quartæ ſtationis uſus , ſed ſtatim redhibebatur Corporis Chriſti communio . Itaque toto illo tempore conjuncta ſemper fuit in humilibus Pœnitentibus abſolutioni peccatorum Corporis Chriſti communio. Quæritur, an poſt Novatum , & conſtitutas Pœnitentes ſtationes tempore diſtinxerint Patres inter Abſolutionem , & communionem Corporis Chriſti . Utrumque ſi conjunxerunt , dari tantùm potuit Abſolutio à peccatis in egreſſu Conſiſtentiæ : Si verò ſeparaverunt unum ab altero , neceſſariò data eſt Abſolutio, cùm pœnitens Conſiſtentiam ingrederetur . Anteà dari potuiſſe nulla cum probabilitate , ut mihi quidem videtur , dici poteſt . Deinde hanc quæſtionem multis *lib.* 9. agitabimus : Quapropter nunc rem ita ſe habere aſſumimus . Nobis diligenter Sanctorum Patrum dicta perpendentibus unum ab altero ſeparandum eſſe videtur , & conſequenter Abſolutionem à peccatis in exitu Subſtrationis datam , cùm Pœnitens conſiſtentiam ingrederetur . His autem argumentis adducimur .

II. Concilium Nicænum videtur evidenter diſtinguere *c.* 13. inter utramque communionem , ſive reconciliationem . *De iis autem , qui excedunt , antiqua , & canonica lex nunc quoque ſervabitur , ut ſi quis vita excedat , ultimo , & maximè neceſſario viatico ne privetur* . Quæritur quid per viaticum intelligant Patres . Corporis Chriſti participationem intelligere non poſſunt : Nam in fine canonis monet , ut Euchariſtia morienti non detur niſi poſt examen Epiſcopi . *In ſumma autem , de quolibet excedente , & Euchariſtiæ participationem petente , Epiſcopus cum examinatione eum oblatione impertiat* . Antiqua verſio ſic habet , *De omnibus tamen his , qui à corpore recedunt , & Eucharistiam poſtulant , in tradenda eis communione cura , & probatio ſit Epiſcopi* . Martinus verò Bracar. *can.* 83. addit explicationis cauſa , *Nam non accipiat Sacramentum , donec conſtitutum Pœnitentiæ impleat tempus* . Unde iterùm poſteà , *Qui ergo in exitu mortis ſunt , & deſiderant accipere Sacramentum cum conſideratione , & probatione Epiſcopi accipere debent* . Quo vix aliquid clariùs dici potuit , ut ſignificaretur , communionem Euchariſtiæ non eſſe viaticum

Digitized by Google

ticum *ἀναγκαιότατον*, & omnibus morientibus neceſſariò dandum. Viaticum igitur priùs omnibus morientibus datur. Poſteriùs non omnibus, ſed iis tantum, quos eo dignos poſt maturum examen judicat Epiſcopus. Deinde viaticum priùs eſt *ἀναγκαιότατον*, maximè neceſſarium; ideò jubet Concilium, ut eo nemo privetur. Quis verò etiam nunc temporis viaticum Euchariſticæ *ἀναγκαιότατον* dicat? Cùm igitur priùs viaticum ſit maximè neceſſarium, & nemini denegari oporteat, nihil aliud præter Abſolutionem peccatorum intelligi poteſt. Eſt igitur antiquæ admodum traditionis unum ab altero temporé ſeparare.

III. Notabit obiter Lector Patres eo canone de Pœnitentiam agentibus verba facere, cum quibus negant ſecundùm viaticum ſine diſcuſſione eſſe communicandum. Quis enim fidelibus illud negaſſet? Atque ea ratio mihi videtur, qua commoti Patres Pęnitentem iſtum ſi convaleſcat, ad conſiſtentiam remittunt. Exiſtimarunt enim, ei locum eſſe poſt convaleſcentiam conſervandum, quem morbi occaſio illi conceſſerat. Hoc decretum Latini plerique amplexi ſunt, ſed Græci ſeveriùs egerunt: Ad eam enim ſtationem poſt convaleſcentiam relegarunt, in qua morbus eum deprehenderat.

IV. Plurimùm illuſtrari poteſt canon Nicænus ex *can.* 7. Ancyr. Decernunt Patres Ancyrani Chriſtianos, qui in feſto Ethnico convivati ſunt in loco Gentilibus deputato, licèt de propriis cibis quos attulerant, comederint, *Cum biennio ſubſtrati fuerint, eſſe recipiendos*. Quid autem ſit recipi, *δεχθῆναι*, fit manifeſtiſſimum, ſi quæ ſequuntur cùm iis, quæ ex Nicæno *canone* explicata ſunt, comparentur, *An unumquemque autem cùm oblatione recipere oporteat, eſt Epiſcoporum examinare*. Priùs igitur illud *δεχθῆναι recipi*, quod ſubſtrationi ſuccedit, eſt illud *ἀναγκαιότατον ἐφόδιον*, Viaticum maximè neceſſarium, de quo Concilium Nicænum verba facit, ſive à peccatis Abſolutio, quæ nulli morienti denegari poteſt. Itaque verba iſta, *Viſum eſt, cùm biennio ſubſtrati fuerint, eſſe recipiendos*, ſunt planè, & manifeſtiſſimè his æquipollentia, Viſum eſt, cum biennio ſubſtrati fuerint, peccatorum Abſolutionem illis eſſe concedendam. An verò ſimul Corporis Chriſti communio ſit illis danda, ſive ut loquuntur, recipiendi ſint cum oblatione, *Epiſcoporum eſt examinare, & uniuſcujuſque vitam inquirere*. Hinc igitur pari ratione, & evidentia conſequitur *can.* 5. Ancyrano, hæc verba, *Si triennale ſubſtrationis tempus impleverint, ſine oblatione recipiendos*, idem eſſe, ac ſi dictum fuiſſet, poſtquam triennium in ſubſtratione laboraverint, Abſolutionis gratia donandi ſunt. Similiter quod eodem canone ſequitur, *Si autem non comederunt, cùm duobus annis proſtrati fuerint, tertio anno communicent ſine oblatione, ut id, quod perfectum eſt triennio, accipiant*, Nihil aliud quàm peccatorum Abſolutionem ſignificat. Itaque recipi, vel recipi ſine oblatione, communicare ſine oblatione, quod in eo Concilio toties repetitur, nil aliud ſunt quàm abſolvi à peccatis, cujus erat conſectaneum cùm fidelibus conſiſtere, eorum precibus, & ſacrificio participare, ut nos docet Concilium Nicænum *can.* 11. *Septem annis proſternentur ſupplices; duobus autem annis abſque oblatione erunt orationum cum populo participes*, Hoc eſt, poſt ſeptem annorum proſtrationem viaticum maximè neceſſarium illis tribuetur, quod conſequitur orationum cum populo participatio.

V. Quod ex duobus illis Conciliis collegimus, disertè docet, & confirmat Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 16. ubi praxim Pœnitentiæ publicæ Romæ uſitatam hiſtoriæ Nectarii occaſione enarrat, *Elapſo demum præfinito die pęna jam quaſi debito exoluta, à peccatis abſolvitur, & populo in Eccleſia conjungitur*. Recipitur in Eccleſia poſt peccati remiſſionem: *τῆς ἁμαρτίας αὐτὸς, καὶ μετὰ τοῦ λαοῦ ἐκκλησιάζει*. Recipi igitur, & admitti ad preces fidelium, ſive cùm fidelibus conſiſtere, peccatorum Abſolutionem conſequitur, ut Abſolutio pœnæ ſolutionem. Itaque hæc tria tempore manifeſtè diſtinguuntur, Pœnitentiæ actio, Abſolutio, & Euchariſtiæ communio. Sic Clemens Romanus peccatorem Eccleſiæ reſtituere, & eum à peccatis abſolvere, ut æquipollentia ſumit, eo quod unum ex altero neceſſariò conſequatur *lib.* 2. *cap.* 20. *Pax verò, & tranquillus portus eſt Eccleſia Chriſti, in quam peccatores abſolvendo reſtituis ſanos, & à macula liberos*. Et iterum *cap.* 39. ut criminis Reum pœnitentem *in Eccleſiam admittimus ad audiendum verbum, ſicut Ethnicos cùm Pęnitentiam agere volunt, licèt communionem cum iis donec baptizentur, non habeamus. Sic horum ſimilibus, donec fructus Pęnitentiæ proferant, ingredi in Eccleſiam permittimus, ne planè funditùs pereant; ſed ne communionem in oratione habeant, quin potiùs exeant poſt lectionem legis, & Prophetarum, & Evangelii, ut exeundo vitam emendent, ac meliores fiant, dum ſtudent quotidie ire ad conventus Eccleſiaſticos, & precationi incumbere, ut & ipſi poſſint admitti*. Comparat admiſſionem ad orationem fidelium, hoc eſt, ſtationem conſiſtentiæ cum baptiſmo; Et ſtationem ſubſtrationis, quæ conſiſtentiam præcedit cùm diſciplina, qua Catechumeni ante baptiſmum inſtruuntur. Quapropter nullo jure videtur mihi dubitari poſſe, admitti ad Eccleſiam cùm fidelibus, & orationis fidelium participem eſſe, & peccati remiſſionem obtinere *ἰσοδυναμεῖν*. Eadem ratio manus impoſitionis poſt actam Pœnitentiam quam *cap.* 41. dicet eſſe Pœnitentibus loco lavacri. At manus illam impoſitionem nemo dubitat eſſe remiſſioni peccatorum conjunctam. Sic hoc intellexit, & interpretatus eſt Zonaras in *can.* 6. Carthagin. *Pœnitentium reconciliatio fit, cùm quiſquam crimen confeſſus, poſtquam inter pœnitentes egit, mulctamque perſolvit, à pœna in futurum tempus abſolvitur. Tanquam enim is fortè jam ſatis ſupplicii luerit, vel etiam quia definitum tempus impleverit, ac ſatis magnum animi dolorem pro ratione criminis indicarit, à pœna liberatur, eique vel cum fidelibus conſiſtere, vel ſacris etiam myſteriis communicare permittitur*. Non ſemper utroque modò conciliatur. Sed Pœnitentium conciliatio priorem modum hoc eſt, cùm fidelibus conſiſtentiam ſemper complectitur. Eadem habet Balſamon in eundem canonem.

VI. Concilium Arauſicanum 1. *cap.* 3. repetit canonem Concilii Nicæni, eo tamen non nominato; eaque periphraſticè addit, quæ propoſitam quæſtionem manifeſtè diſſolvunt, & illuſtrant, *Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eis communicari, quod morientis ſufficit conſolationi, ſecundùm definitiones Patrum, qui hujuſmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. Quod ſi ſupervixerint, ſtent in ordine pœnitentium, & oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiant*. Multa ſunt in hoc canone breviter nobis ediſſerenda, ut quàm appoſitè propoſito noſtro quadret, Lector intelligat. Primum eſt, Arauſicanos Patres de Pœnitentibus moribundis, qui ante morbum pœnitentiam acceperant, verba facere, & Concilii Nicæni *can.* 13. ſic intellexiſſe. Secundum, duplicem manus impoſitionem diſtinguere, reconciliatoriam unam, non reconciliatoriam alteram. Tertium, manus impoſitionem, quæ non eſt reconciliatoria, communionem eſſe; fideles per eam cùm Pœnitentibus communicare; morientis ſufficere conſolationi, & communionem iſtam congruenter viaticum à Patribus nominari. Ex quibus manifeſtiſſimum videtur communionem illam, ſeu manus impoſitionem non reconciliatoriam, ſive viaticum, idem prorſus eſſe quòd nos Abſolutionem à peccatis vulgò dicimus. Quartum, poſt eam acceptam, & nonnullos alios Pœnitentiæ fructus demonſtratos, reconciliatoriam dari manus impoſitionem, quam Patres legitimam vocant communionem. Itaque prior communio ſecum non habet adnexam communionem Euchariſticam, & pœnitentibus, qui nondum pœnitentiam compleverunt, propter inſtans mortis periculum conceditur, & conſequenter jus dat tantum ad ſubſiſtendum in Eccleſia cum fidelibus, & precibus Echariſticis communicandum.

VII. Denique hinc ſequitur, poſteriorem communionem ab illis Patribus meritò dictam eſſe reconciliatoriam, & legitimam, cùm jus ad Corpus Chriſti participandum tradat. Ideò Ancyrani Patres, & Sanctus Baſilius hanc communionem ſæpè vocant perfectam, & per excellentiam, *boni, & perfecti* participationem. Nam, ut rectè admodum ſcribit Sanctus Dionyſius initio *cap.* 3. Hierarchiæ Eccleſ. ubi de conſecratione Corporis Chriſti verba facit, *ταῖς τῶν ἄλλων ἱεραρχικῶν συμβόλων μεθέξεσιν, ἡ τελείωσις ἐκ τῶν ταύτης θεαρχικῶν καὶ τελεσιουργῶν ἐστι δωρεῶν. Cæterorum Sacramentorum Hierarchicorum communionibus perfectio, & efficacia ex divinis, & perficiendi vim habentibus hujus myſterii donis accedunt*. Ideò licèt Abſolutio, quæ in ingreſſu ad conſiſtentiam datur, aut moribundis in quocunque ſtatu morientis ſufficiat conſolationi, & ſaluti, non abs re tamen à Patribus non dicitur reconciliatoria, & legitima.

VIII. Concilium Vaſenſe *can.* 2. idem non minus manifeſtè docet. Jubet Pœnitentium, quos conſtat in ſtadio Pęnitentiæ piè, & diligenter currere, ſi caſu aliquo inopinato ante communionem morte præveniuntur, oblationem recipi, & funera Eccleſiaſtico more, & affectu deduci, & curari, *Quia nefas eſt eorum commemorationes excludi à ſalutaribus ſacris, qui ad eadem ſacra fideli affectu contendentes, dum ſe diutiùs reos ſtatuunt, indignos ſalutiferis myſteriis judicant; ac dum pur-*

purgatiores reſtitui deſiderant, abſque Sacramentorum viatico intercipiuntur: quibus fortaſſe nec abſolutiſſimam reconciliationem Sacerdos denegandam putaſſet. Duplicem vides reconciliationem; priorem, quam vocat Sacramentorum viaticum, quæ omnibus Pœnitentibus ante mortem neceſſariò tribuitur, niſi infortunato caſu præveniantur. Poſteriorem, quam vocat abſolutiſſimam, quæ criminum Pœnitentibus etiam morientibus magno cùm examine præſtabatur. Ideò Patres de Pœnitentibus illis diligenter Pęnitentiam agentibus, ſed caſu in ægris, aut itinere ſine priore reconciliatione defunctis, dicunt, ut oblationem eorum recipiendam eſſe perſuadeant, Sacerdotem iis fortaſſe abſolutiſſimam reconciliationem non fuiſſe denegaturum. De priore conditionaliter, & ambiguè non loquitur, quia Sacramentorum eſt viaticum, ut loquuntur Patres Niceni, *ἀναγκαιότατον*. Poſterior autem reconciliatio, ſeu communio propter cauſas jam dictas meritò dicitur abſolutiſſima.

IX. Hinc eſt, quòd nonnunquam canones abſolutiſſimam illam reconciliationem vocent ad altarium admiſſionem, ut Agathenſe *can. 60. Standi, & orandi humilitatem ita noverint obſervandam, ut etiam ipſi, cùm Catechumeni rgrrdi commonentur, abſcedant. Hoc ſi obſervare voluerint, conſtituto tempore admittendis ad altarium obſervatio relaxetur*. Admiſſio ad altarium fit conſtituto tempore; aut ſi tempus conſtitutum aliquando prævenitur, vel propter Pœnitentium in exequenda Pœnitentia diligentiam, vel propter mortis periculum, iſta præventio juxta canones ex Epiſcopi fit ſententia vitam anteactam diligenter examinantis. Concilium Epaun. *can.* 29. eadem ſtatuit quæ Agathenſe. Turonenſe 2. *can.* 22. eandem reconciliationem vocat ſancti altarii participationem. *Eos ab Eccleſia repellant, nec participare ſancto altario permittant, qui Gentilium obſervationes cuſtodiunt. Quid enim Dæmonibus cum Chriſto commune*. Toletan. 1. *c.* 2. idem appellat reconciliationem cum altario, cùm dicit, Pœnitentem eum fuiſſe, qui pro graviſſimis peccatis, *Sub cilicio divino fuerit reconciliatus altario*. Concilium Carthag. 2. *cap.* 4. eadem utitur phraſi, & reconciliationem iſtam prohibet Præsbyteris inconſulto Epiſcopo, licèt abſens ſit, Pœnitentibus præſtare, *Si quis quum in periculo fuerit conſtitutus, & ſe reconciliari divinis altaribus petierit, ſi Epiſcopus abſens fuerit, debet utique Præsbyter Epiſcopum conſulere, & ſic periclitantem ejus præcepto reconciliare*. Quum verò agitur de ſimplici reconciliatione, ſi abſens eſt Epiſcopus, & neceſſitas urget, Pœnitentem reconciliare poteſt, ut dicitur in Concil. Carthag. 3. *c.* 32. Quandiu quis in conſiſtentia eſt, nondum eſt altario reconciliatus, cùm nec jus habeat aliquid altario offerendi, nec oblatis participandi. Concilium Eliberitanum ideò hanc communionem *cap.* 3. & 78. vocat Dominicam, quod Corporis Dominici communionem præſtet.

X. Priorem, & minorem reconciliationem Concilium Gerundenſe *cap.* 9. vocat communionem, & viaticum; addit autem Pœnitentiæ benedictionem, eo quòd in caſu, quem ſibi proponit, quæſtio eſt de infirmis, qui moribundi Pœnitentiam ſimul, & reconciliationem petunt. *Canon* eſt, *Is, qui ægritudinis languore depreſſus Pœnitentiæ benedictionem quam viaticum deputamus, per communionem acceperit, & poſtmodum reconvaleſcens, &c.* Accipere igitur benedictionem Pęnitentiæ per communionem, eſt ſimul cùm impoſitione Pœnitentiæ reconciliari. Nec aliter fieri poteſt, cùm de moribundo agatur, & Patres dicant, benedictionem illam Pœnitentiæ per communionem eſſe viaticum. His accedit, quòd Pœnitentiæ impoſitio in canonibus ſæpè benedictio dicatur, ut in Concilio Barcinon. 2. *can.* 4. *Vel ſi qui hominum utriuſque ſexus pœnitentiæ benedictionem expetendo à Sacerdote perceperint, &c.* Aurelian. 3. *cap.* 24. *Ne quis benedictionem pœnitentiæ juvenibus perſonis credere præſumat*. Et canone ſequente, *Si quis Pęnitentiæ benedictione ſuſcepta ad ſecularem habitum, militiamque rrverti præſumpſerit, viatico conceſſo uſque ad exitum Excommunicatione plectatur*. Cùm igitur Pęnitentiæ impoſitio, dicatur benedictio, ideò addidit per communionem, ut impoſitioni Pœnitentiæ intelligatur conjuncta reconciliatio; & non viderentur uſitatiſſimæ praxi præjudicium aſſerre, quæ ægrotis reconciliationem ſemper cum Pœnitentiæ impoſitione, ſi anteà facta non fuit, conjungit, ut præcipit Concilium Toletan. 11. *cap.* 12. *Qui Pœnitentiam agit in mortis periculo, non diutiuè à reconciliationis gratia differendus eſt; ſed ſi præcincto mortis urgeatur periculo, Pœnitrntia per manus impoſitionem accepta, ſtatim ei reconciliatio adhibenda eſt; ne priùs ab humanis rebus ægrr abſcedat, quàm donum reconciliationis accipiat*. Hoc idem eſt, quòd viaticum accipere, & benedictionem Pœnitentiæ per communionem. Reconciliatio enim, & donum reconciliationis, ſi nihil aliud addatur, Euchariſtiæ participationem non ſignificat. Idem docet S. Leo *Epiſt.* 91. ad Theodorum Forojulienſ. Epiſcopum, quem etiam in decreti ſui confirmationem allegat Concilium. Eandem reconciliationem vocat Concilium Toletan. 12. *c.* 2. ultimum viaticum, quòd ibidem ſimul cùm impoſitione Pęnitentiæ ſine Euchariſtia, ut ex circumſtantiis planum eſt, aſſidentium precibus neſcienti datum eſt.

XI. Videtur tamen colligi poſſe ex *can.* 76. Concil. Carthagin. 4. Infirmis dari ſolitum utrumque viaticum, ſive utramque reconciliationem, *Det teſtimonium, qui eum audierunt* (petentem Pœnitentiam) *& accipiat Pœnitentiam. Et ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia*. Verùm ex canonibus aliis jam enarratis ſubaudiendum, aut Epiſcopum id agere, aut Præsbytero id mandaſſe, aut Epiſcopum, vel ejus vices gerentem eſſe conſultum. Ne verò longè hujus rei probationes accerſamus, hoc evidenter docent duo, qui ſequuntur, canones, *cap.* 77. *Pęnitentes, qui in infirmitate ſunt, viaticum accipiant*. Omnibus infirmis Pœnitentibus viaticum abſolutionis concedi jubetur. Verùm *can. ſequenti*, ubi de viatico Euchariſtiæ quæſtio eſt, non amplius infinitè loquitur, *Pęnitentes, qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſupervixerint*. Si unum eſſet, & idem viaticum, aut unum ſemper cùm altero conjungeretur, quamobrem canone ſequente ſpecialiter diceret. *Qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, &c.* Non omnes igitur in extrema infirmitate viaticum Euchariſtiæ accipiunt, licèt omnibus detur Abſolutionis viaticum. Deinde ratio peculiaris eſt, ſecundæ partis canonis à Viatico Euchariſtiæ fluentis, quæ viatico ſimplicis reconciliationis, de quo canone præcedente non ineſt. Pœnitentes enim, qui moribundi Euchariſtiam acceperant, & abſolutiſſimam reconciliationem non abs re præſumere potuerunt, ſe non amplius eſſe manuum impoſitioni obnoxios, propter Euchariſtiæ cujus fuerant participes ſuper eminentem dignitatem, & virtutem; quod ſanè præſumi non potuit, aut debili admodum prætextu ab iis, qui ſimplice reconciliationis viatico donati fuerant. Quæret hic induſtrius Lector, quando poſterior illa, & perfectiſſima abſolutio concedebatur; deinde à quibus per eam Pœnitens abſolvebatur. Iſtæ quæſtiones, quoniam adhuc utriuſque abſolutionis uſus apud Orientales viget, capitibus ſequentibus explicantur.

XII. Diximus ſtationem conſiſtentiæ quatuor hominum genera complecti. Hactenus hoc capite inquiſitum eſt, quando ſecundo hominum generi conceſſa eſt à peccatis abſolutio, & Euchariſtiæ communio. Idem de cæteris nunc eſt nobis inquirendum. Tertium hominum genus mulieres potiſſimum ſpectat, quæ ad ſubſtrationem propter crimina mittendæ erant, ſed ne revelentur, in Conſiſtentia ſubſiſtere jubentur. De iis quæri poteſt, quando concedebatur illis à peccatis Abſolutio. Docet Sanctus Baſilius *can.* 34. ab antiquo conſtitutum eſſe, ut in Pœnitentia ſubſiſterent; donec tempus Pœnitentiæ impletum eſſet. Eodem igitur modo erga illas perſonas agebatur in iis, quæ criminis revelationem non inducebant, quo in alias ejuſdem criminis reas. Quocirca abſolutione à peccatis donabantur, eo tempore, quo canonicè finiebat Pœnitentia crimini debita, & poſt aliquantum tempus altario reconciliabantur: Sed privatim, non publicè, & ſolemniter prior Abſolutio concedebatur, ne ſolemnitate in id quod vitare volebant impingerent. Quartum perſonarum genus primùm nulla abſolutione, aut reconciliatione dignabantur; poſteà, ut decernit Siricius Pontifex, *Epiſt.* 1. *cap.* 5. morientes viatico per indulgentiam donati ſunt.

XIII. Denique ſi diligenter Siricii ſcopus, & quæſtio illi propoſita conſiderentur, nihil ab antiqua praxi diverſum docet. Non enim agit de iis, qui ea crimina, propter quæ apud Pœnitentiam damnati erant, iterum perpetrant; ſed de iis, qui violant ea præcepta, quæ Pœnitentia functis reliquo tempore obſervanda injungebantur. Ea autem ſpectabant abſtinentiam à rebus, aut actionibus non malis, ſed per ſe licitis, vel etiam bonis, quæ agere, aut quibus ſe immiſcere Pœnitentia functos judicabatur indecorum. Si Pontifex præceptorum iſtorum violatores tam graviter caſtigat, quid de iis cenſendum, qui ea crimina iterant, propter quæ ad Pœnitentiam primum relegati fuerant? Quare videtur prioribus morientibus viaticum ſimplex per indulgentiam conceſſum: In poſterioribus verò de antiqua praxi nihil eſſe mutatum, quam docuimus, *lib.* 5. *cap.* 29.

XIV. Pri-

Digitized by Google

XIV. Primum ſupereſt hominum genus, quòd in duas ſpecies ſupra, *cap.*18. diſtinximus; Eorum qui levia tantùm crimina perpetraverant, propter quæ ad Pœnitentiam ex canone non damnabantur, ſed taotùm ad Conſiſtentiam; vel eorum, qui gravia, ſed eo quòd ſeſe ſpontè accuſaverant, & inſigniter peccata ſua deflebant, condonata Subſtratione eidem ſtationi addicebantur: Ex iis, quæ initio hujus capitis demonſtrata ſunt, atque etiam, *cap.* 31. libri præcedentis, manifeſtè colligitur conceſſam fuiſſe iſtis hominibus abſolutionem à peccatis ſtatim poſt iſtorum criminum confeſſionem, & poſteà Pœnitentiam Sacerdotis arbitrio ſibi impoſitam dum in Conſiſtentia ſtarent, eſſe executos, non ſecus ac nunc quotidie fieri videmus. Cùm enim iis non liceat precibus fidelium adeſſe Viatico maximè neceſſariò donati non ſunt: illi ſanè, qui precibus fidelium adſunt, abſolutionem, quæ Viaticum eſt maximè neceſſarium, priùs obtinuerunt. Deinde, qui in Conſiſtentia verſantur ſola corporis Chriſti communione privantur, ut ex tot teſtimoniis toto hoc libro allatis conſtitit, atque in eo potiſſimùm ineſt Conſiſtentiæ à Subſtratione diſcrimen. Atqui ex hypotheſi, horum criminum Rei in Conſiſtentia verſantur: Sola igitur corporis Chriſti communione mulctantur. Precedentem ergo communionem, ſive reconciliationem, non abſolutiſſimam, hoc eſt, peccatorum Abſolutionem, quæ nondum corporis Chriſti participaodi prærogativam confert, conſecuti ſunt. Denique minus perfecta reconciliatio, ſive Abſolutio à peccatis jus Conſiſtentiæ cùm fidelibus, & eorum Sacrificio adſiſtendi communicat, ut perfectiſſima jus oblationes conſecrandas offerendi, & conſecratis participandi: Cùm fidelibus autem conſiſtunt, & eorum ſacrificio adſunt. Neceſſe eſt igitur, ut minus perfectam reconciliationem anteà perceperint. Nonnulla alia de Abſolutione quæri poſſunt, ſed ea libris nono, & decimo explicabimus, ubi de omnibus agere, quæ ad Abſolutionem ſpectant, nobis eſt propoſitum: Nunc ſatis ſit indicaſſe, quo tempore concedi ſolebat.

CAPUT XXII.

Demonſtratur ſigillatim, quid apud Orientales Eccleſias de antiqua Pœnitentiæ diſciplina hactenus explicata, relaxatum, immutatum, aut abrogatum ſit. Quando, quave occaſione id factum.

EOrum, quæ hactenus demonſtravimus in expiatione, & ſanatione peccatorum ab antiquis Patribus obſervata fuiſſe, pleraque tandem lapſu temporis, & variis occaſionibus abrogata ſunt, aut immutata, tam in Eccleſia Orientali, quàm Occidentali, ſed in hac multò diutiùs perſeverarunt. Nunc Lector nobis monendus videtur, quid, quando, & qua ratione unumquodque in utraque Eccleſia abrogatum eſt, aut immutatum, quæve abrogationi, aut immutationi antiquæ obſervationis ſucceſſit Eccleſiæ praxis. Ab Orientali Eccleſia, quæ prior inveteratum morem deſeruit, exordium faciemus. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ perhibent, hoc primum factum fuiſſe in Eccleſia Conſtantinopolitana à Nectario iſtius Eccleſiæ Epiſcopo. Quæ autem ab antiqua conſuetudine detraxit, ſive in ea abrogavit, ad ſex ſumma capita revocari poſſunt. Primùm, Præsbyterum Confeſſionibus, & Pœnitentiis publicis præfectum ſuſtulit. 2. Morem antiquum publicè enuntiandi quædam crimina, quæ Præsbyter ille monuerat, abrogavit. 3. Quotidianas manuum impoſitiones, & orationes ſuper Pœnitentes ab Apoſtolorum ætate fieri ſolitas, in quibus univerſum ferè Subſtrationis myſterium conſiſtebat, interdixit. 4. Pœnitentiarum, ſive pœnarum in Confeſſione ſecreta impoſitarum executionem, quod ex primo, & tertio neceſſariò conſequebatur, Pœnitentium fidei commiſit, ut eas quiſque in ſeipſum pro contritionis zelo, & ardore nemine conſcio, aut judice exequeretur. 5. Hinc accuſationes criminum à proximis commiſſorum apud Epiſcopum ex præcepto religionis factæ, & judicium pœnitentiale, de iis licèt occultis publicè redditum, obſoleverunt. Unde preterea obſolevit ſeipſum, de occultis criminibus accuſandi feſtinatio, & acceleratio, ne Reus præventus, & convictus multò ſeveriore pœna plecteretur, ut explicatum eſt, *cap.*6. *&* 7. *libri ſecundi*. Denique Pœnitentiæ publicæ de criminibus occultis penitus abolitæ ſunt. Itaque hoc uno Nectarii decreto omnis ferè circa Pœnitentes diſciplina, quàm hactenus explicavimus, Conſtantinopoli ſublata, & abrogata eſt. Singula nunc incumbit nobis demonſtrare.

II. Socrates, & Sozomenus illorum temporum Hiſtorici, Caſſiodorus, Nicephorus, & poſt eos permulti, nos hæc omnia docent. Socrates hiſtoriæ *lib.* 5. *cap.*19. teſtatur Nectarium ſuſtuliſſe Præsbyterum pœnitentiis, & Exomologeſibus Præfectum, de cujus inſtitutione ſupra hoc libro multis actum eſt, *Qaamvis ad longinquum temporis ſpatium hoc tenerent inſtitutum, tamen temporibus Nectarii Epiſcopi immutarunt propter ejuſmodi facinus, quod tum fortè fortuna in Eccleſia admiſſum fuit. Mulier quædam nobilis ad Præsbyterum Pœnitentiarium accedit: peccata quæ poſt baptiſmum commiſerat, particulatim confitetur. Præsbyter mulieri mandatum dat, ut jejunaret, & continuis precibus ſe dederet, quo unà cum peccatorum confeſſione opus dignum Pœnitentiæ oſtenderet. Mulier longiùs in confitendo progreſſa, ulterius culpæ ſeipſam inſimulat: docet Diaconum Eccleſiæ cum ipſa dormiviſſe, &c.* Addit Socrates nomen illius, qui Nectario abrogandi Pœnitentiarii conſilium dedit, *Eudæmon quidam Eccleſiæ Præsbyter genere Alexandrinus, Epiſcopo Nectario dedit Conſilium, ut Præsbyterum Pœnitentiarum tolleret; & liberam daret poteſtatem, uti pro ſua quiſque conſcientia ad myſteria participanda accederet.* Socrates præterea, qui hoc ab Eudæmone reſcivit, refert ſe illi exprobaſſe magnum malum conſilio ſuo Eccleſiæ procuraſſe, *Ego Eudæmonem ſic jam pridem compellabam: Conſilium tuum, ô Præsbyter, Eccleſiæne profuerit, an ſecus, Deus viderit: Illud tamen planè animadverto, te cauſam dediſſe, ut alter alterius peccata minimè coarguat, &c.* Verba Socratis allegata, quinque ex ſex capitibus nobis propoſitis evidenter demonſtrant; omnia ſcilicet præter tertium. Nec mihi videtur ullo modo neceſſarium conſequentiam pluribus deducere, & enarrare. Poteſt tamen Lector his conjungere, quæ *lib.*2.*cap.*9. & ſupra hoc libro *cap.*16. dicta ſunt.

III. Eadem colliguntur ex Sozomeno hiſtoriæ *lib.*7. *cap.* 16. *Hoc tempore Præsbyterum, qui Pœnitentibus deputatus eſſet, non ampliùs paſſus eſt omnium primus Nectarius ille Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, quem omnium fermè Eccleſiarum Præſules imitati ſunt.* Deinde explicat. Quid hoc ſit, aut unde originem ſumpſerit, aut quam ob cauſam ſublatum fuerit, ut loco citato legi poteſt. Conſtantinopoli ſcribit Presbyterum permanſiſſe, *donec mulier quædam nobilis ob peccata, quæ confeſſa erat, ab hoc Præsbytero jejunare, ac Deò ſupplicare juſſa, & ob eam ipſam cauſam in templo morata ſe à Diacono conſtupratam prodidiſſet.* Antiquum verò morem teſtatur adhuc in Eccleſiis Occidentalibus ſervari, & Romæ præſertim, quem deſcribit, atque in ea deſcriptione tertium illud caput, quod à Socrate diximus omiſſum, evidenter continetur. Illud integrum retulimus hujus libri *cap.*9. Nonnulla quoque ex eodem Sozomeno in eundem finem exſcripta ſunt *cap.*11. *&* 16.

IV. Multa poſſunt alia ejuſdem Præsbyteri abdicationis, publicæ Pœnitentiæ neceſſariò non agendæ, & ceſſationis quotidianæ manuum impoſitionis, orationiſque ſuper Pœnitentes publicè fieri ſolitæ, colligi argumeuta. Verbi gratia, id quod ſcribit Anaſtaſius Sinaita ad finem orationis de ſancta Synaxi, *Eſto, Fratrem tuum peccatorem eſſe, Unde cæteras ejus actiones compertas habes? Nam multi crebrò reperiuntur, qui palàm peccarunt; Sed clam, & occultè magnam Pœnitentiam egerunt. Et nos quidem novimus quando peccant, ut verò Pœnitentiam, & converſionem illorum ignoramus, & à nobis quidem judicantur peccatores, apud Deum autem juſtificati ſunt.* Manifeſtum eſt publicis peccatoribus, multò minus occultis Pœnitentiam agentibus neminem præfectum fuiſſe, quum Pœnitentiam publicam ne publici quidem peccatores agere tenerentur. Nam ex verbis Anaſtaſii prorſus evidens eſt eodem modo, etiam in criminibus publicis, quod ad publicationem attinet, ſeſe geſſiſſe Orientales, quo nunc Eccleſiæ Latinæ. Obiit autem Anaſtaſius ſenex admodum paulò ante annum Chriſti ſexcenteſimum.

V. Actione quoque 9. Concilii Octavi, Theodorus quidam Protoſpatharius falsò juraverat, teſtimonium in Ignatium Patriarcham perhibens; ab ipſo Imperatore, ut id faceret, ut cum multis aliis adactus fuerat. Peccatum erat publicum, & cum ea quæ ſequuntur, retulit, publicè in judicio confeſſum, *Eam ob cauſam adii ad Monachum, qui quadraginta annos in columna habitarat, meumque illi ſcelus aperui, à quo pœnam Epitimii irrogatam accepi, quam adhuc hodie ſubeo.* Hac confeſſione Pœnitentiæ acceptæ contenti Patres ab eo tantùm petunt, an Synodi decretis ſeſe ſubmittat. Anaſtaſii verſio addit, Vicarios ſedis Apoſtolicæ ab eo petiiſſe, *Cuſtodiſti Epitimia, Theodorus dixit; Si vult Deus, cuſtodivi ea, quia Chriſtianus ſum.* Paulò ante petierant ab eodem, an peccatum illud eſſet confeſſus, & Epitimium accepiſſet. Idem à nonnullis aliis in eadem actione petitum eſt. Quæ ſanè demonſtrant publicorum peccatorum Pœnitentiam non fuiſſe neceſſariò publicam, multò minus aliquem iis fuiſſe Præfectum, & omnium mini-

mè

Digitized by Google

mè de occultis publicè actam. Unde conſequitur, orationum, & manuum impoſitionis ſuper Pœnitentes quotidianam repetitionem iis ſeculis omninò ceſſaſſe.

VI. Ceſſationis cęremoniarum iſtarum, in quarum obſervatione ſtatio Subſtrationis potiſſimùm conſpiciebatur, multa paſſim occurrunt ſpecialia teſtimonia. Verùm ut Lector id quod dicturi ſumus, diſtinctiùs animo complectatur, duo ſunt nobis in actionibus Subſtrationis nunc diſtinguenda. Priùs eſt oratio, & manus impoſitio: Poſteriùs ſolemnis pœnitentium dimiſſio. Poſteriùs hoc, quod ad verba attinet, diu in Eccleſia Græca permanſit; Nam etiam poſt annum ſexcenteſimum Diaconus facta Evangelii lectione ſolemniter pronuntiabat, diſcedite, qui non communicatis, qui in pœnitentia eſtis, ut ex auctoribus illorum temporum docebimus. Prioris autem ab eo tempore nulla ſupereſt memoria. Balſamon *can.19. Laodiceni Concilii*, in quo explicatur, & decernitur illa manuum ſuper pœnitentes impoſitio, & oratio, atque etiam expulſio, dicit ex hoc canone colligi aliam tum fuiſſe in divinis myſteriis economiam, & ideò iſta ſic ſtatuiſſe illos Patres, *Quoniam autem hæc ad aliam conſequentiam devenerunt, non ſunt*, inquit, *interpretanda*. Adeò deſueverat antiqua praxis, ut commentans Timothei Patriarchæ Alexand. reſponſa, illud *ἀκοινώνητοι* ambulate, quòd de Pœnitentibus potiſſimùm intelligebat, de ſolis Catechumenis interpretatus fuerit. Similiter & Zonaras, qui eum centum annis præceſſit, eundem canonem Laodicenum commentans, *Verùm hoc tempore, quæ ad Pęnitentes ſpectant, neſcio quomodo intermiſſa obſoleverunt*. Quapropter nihil mirum, ſi Nicolaus Cabaſilas, qui Balſamone multis annis poſteriùs fuit iſtorum prorsùs non meminerit, licèt Liturgiæ Græcæ ſingulas ferè periodos examinet, & interpretetur. Horum enim nihil continebant, quas nanciſci potuerat Liturgiæ, ſed ſolùm Catechumenorum orationem, & dimiſſionem, quas *capite* 23. præterita prorsùs Pœnitentium memoria, enarrat.

VII. Idem demonſtratur ſancti Germani Patriarchæ Conſtantinopolitani auctoritate, qui florebat ante poſtque annum Chriſti 720. Hic in explicatione Liturgiæ Græcè ſingula, quæ pertinent ad Catechumenos, explicat, eorumque orationem edíſſerit: De fidelium verò prece nihil, quia tum à Græca Liturgia aberat. *Ideò*, inquit, *Preces, & poſtulationes, quæ fiunt poſt lectionem divinorum Evangelicorum uſque ad Hymnum Cherubicum, Chriſti, & Dei noſtri doctrinam tribus annis indicant, & catecheſim eorum, qui ſe ad baptiſmum præparant, ut eos pelliciat verborum virtus, & mirandorum efficacia, &c. Quæ verò intereà fiunt preces, pro ipſis fiunt Catechumenis, fidelibus, & ipſo Pontifice*. Verùm equidem eſt Germanum inter ediſſerendum verba Liturgiæ adhortari quoque eos, qui ſunt in Pœnitentia, ut cum Catechumenis orent, & exeant, eo quod hic mos apud Græcos ſemper viguerit, ut non modò multorum criminum Reis, ſed etiam vario ſpurcitiarum genere, aliquando innoxio, contaminatis ſecretò in Pęnitentiam imponeretur ab Eccleſia cùm Cathecumenis diſceſſio, ut nos inferiùs demonſtrabimus: Unde poſtquam edictum de ſeceſſu Pęnitẽtium è Liturgiis expũctum eſt, eundem ſeceſſum ſub edicto ſeceſſus Catechumenorum quadantenus comprehenderunt. Sed precum, manuſq; impoſitionis ſuper eos factarũ nulla eſt apud eum mentio.

VIII. Cùm ſanctus Cyrillus ſcribebat, videtur etiam in Alexandria idem ritus ceſſaſſe. Nam *lib.12. in Joan. cap.*50. rationem inquirit iſtius prohibitionis à Chriſto factæ Magdalenæ, *Noli me tangere*. Multis docet, Chriſtum dum viveret, cùm impiis ſæpè verſatum, ab iis contrectatum, eorum domos ingreſſum, ſed poſt reſurrectionem id prohibere, donec Spiritum S. miſerit, quo ſi quis fuerit afflatus, fas eſt ad eum accedere. *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum, id eſt, nondum Spiritum ſanctum demiſi ad vos. Inde ſanctæ Eccleſiæ exemplum ſampſerunt. Quippe à ſacra menſa arcemus eos, qui Deitatem quidem ejus agnoſcunt, & fidem jam profeſſi ſunt, id eſt, Catechumenos; ſed nondum tamen S. Spiritu ditati ſunt. Nec enim in iis, qui nondum baptizati ſunt, inhabitat*. Admodum appoſitè à Pœnitentibus exemplum petiiſſet, multò magis propoſito quadraſſet, quàm id quo utitur Catechumenorum exemplum, vel utrumque potuiſſet conjungere. Neutrum tamen facit ſanctus Cyrillus. Quamobrem verò? Nulla alia cauſa ſubeſſe videtur, quàm certorum Pœnitentium à ſacrorum conſpectu arcendorum abolita conſuetudo, quæ in Catechumenis maximè tum vigebat. Sanctus Maximus in libro de Eccleſiaſtica myſtagogia Liturgiam explicat, ſed Pœnitentiam, orationem, & manus impoſitionem nunquam commemorat. Verùm quidem eſt, dimiſſionis Pęnitentiam mentionem facere, *cap.* 14. ſed orationis ſuper eos factæ, & conjunctæ manuum impoſitionis profundum eſt ſilentium. Ideò in *cap.* 3. Hierarchiæ Eccleſiaſt. S. Dionyſii ubi diſtinguuntur Catechumenorum, Energumenorum, & Pęnitentium ordines, & ſingulis loca diſtribuuntur, ſcribit, *Ordo hic tempore hujus Patris obſervabatur*. Et paulò poſt Lectorem admonet, *non eſſe ampliùs locum diligentiæ in ejuſmodi rerum differentia, & diſtantia inquirenda*.

IX. Denique ejuſdem ceſſationis ab eo tempore apud Orientales factæ evidens argumentum mihi videtur, quòd ab eo tempore in nullo Græcorum canone ulla habetur amplius harum ſtationum mentio, nullo canone jubetur, tot annis in Auditione, in Subſtratione ſubſiſtet, deinde quod perfectum eſt conſequetur; ſed ſimpliciter decernunt, *εἶναι ἀκοινώνητον non communicet*, ut Epheſin. Concilium *c.6.* Chalcedon. *c.*4. 8. 16. 23. Segregetur, *ἀφοριζέσθω*, ut ſæpiſſimè in concilio Trullano, cujus ſunt 102. canones. Id etiam obſervat Synodus 7. ut canonibus 3. 4. 5. 6. 9. 13. & octava Synodus *c.*8. 12. 13. Hæc ſemper nulla addita aut temporis, aut ſtationis definitione. Chalcedonenſis Synodus ſæpè pœnam ſic effert, *κανονικοῖς ἐπιτιμίοις ὑποκείσθω*, ut *c.* 3. 8. 9. Octava quoque, ut *cap.*9. 15. Trullana ſæpè, ut *c.*46. 53. 54. 44. 49. &c. Verùm inde non ſequitur eos Pœnitentiam ratione habita ad ſtationes antiquas exercuiſſe; nuſquam enim earum in ſpecie mentionem faciunt. Hæc verba ex uſu, & praxi nos interpretari oportet, *Subjectatur pęnis canonicis*, hoc eſt, à communione tot annis arceatur, quot decernunt canones; & jejuniis, cæteriſque operibus laborioſis juxta morem, & Pœnitentialium conſtitutionem affligatur. Hactenus enim Græci edicunt Pęnitentias ex præcepto canonum eſſe injungendas, ut capite ſequente demonſtrabitur. At quotidianæ orationis, manus ſuper pęnitentes impoſitionis, certorum peccatorum publicæ confeſſionis, pęnitentium variæ ſtationis, Præsbyteri Pęnitentiarii ſatisfactionibus exequendis Præfecti, nulla praxis, nullum *σωζόμενον*, nullum veſtigium: vix apud literatos, & Polyhiſtores aliquantula harum rerum memoria.

X. Denique idem probatur ex univerſis Græcorum Liturgiis, in quibus à multis ſeculis hæc tria non ampliùs comparent, oratio ſpecialis ſuper Pœnitentes, manuum impoſitio ſuper eorum capita, & poſteà eorum ſolemnis dimiſſio. Extant SS. Baſilii, & Chryſoſtomi Liturgiæ ante annos ſexcentos, & ſeptingentos ſcriptæ, in quibus nihil horum comparet. Interpretabatur Liturgiam ſanctus Germanus Conſtantinop. Patriarcha ante annos nongentos, nec tria hæc agnoſcit. Verùm ſanctus Maximus, qui Germanum annis centum præceſſit, dimiſſiones Catechumenorum, & Pœnitentium rationem reddidit. Itaque edictum illud dimiſſionis, & expulſionis Pœnitentium ad hæc uſque tempora in illorum Miſſis uſitatum fuit. Idem videre eſt in Liturgiis Chriſtianorum Patriarchatus Antiocheni, atque etiam in ipſa Malabarorum Neſtorianorum Liturgia, qui lingua Syra ſacris operantur: Catechumenorum tantum meminerunt, ut omnes Orientalium Liturgiæ. Idem quoque factum eſt & in Liturgia ſancti Marci Evangeliſtæ, qua uti dicuntur Hieroſolymitanæ, & Alexandrinæ Eccleſiæ. In Liturgiæ ſancti Jacobi Apoſtoli, quam laudarunt ante annos mille Trullani Patres *c.*32. aliquid eſt peculiare, quod ad pœnitentium dimiſſionem referri poteſt. Lecto enim Evangelio edicit Diaconus, *Nullus Catechumenorum; Nullus eorum, qui nondum initiati ſunt ad ſacra: Nullus eorum, qui orare nobiſcum non poſſunt, interſit. Recognoſcite vos invicem. In his* verbis, *Nullus eorum, qui Orare nobiſcum non poſſunt*, agnoſco veteris veſtigia moris: Intelligi enim poſſunt pœnitentes, ii ſcilicet, quibus in pœnam peccatorum abſtinentia corporis Dominici juſſa fuerat. Abyſſinorum Æthiopum Liturgia, idem non modò obſervat, ſed plurimùm ampliat, ad eos videlicet omnes, qui quacunque ratione communicare nolunt: Lecto enim Evangelio edicit Diaconus, *Exite foras, qui non vultis accipere Sacramentum. Ite Catechumeni*. Paulò poſt, cantato ſcilicet Triſagio, & pronuntiata generali quadam pro omnibus oratione, dictoque, *Credo, &c.* iterùm Diaconus, *Qui communicare non vultis, diſcedite, Qui autem vultis communicare, amplectimini invicem in plenitudine cordis*. Vidimus ſupra *c.* 9. *ſect.*4. S. Chryſoſtomum Auditoribus ſuis exprobaſſe, cùm eſſent fideles, quod non communicarent; & non communicantes, licèt ad Pœnitentiam non damnatos, Pœnitentibus propè æquaſſe; iis quoque dixiſſe ab Eccleſia cùm myſteria celebrantur, ſi communicare nolunt, ſecedendum eſſe. Hanc ſeveram Chryſoſtomi reprehenſionem amplexæ videntur Eccleſiæ illæ, cùm edicto ſuo quoslibet non communicantes diſcedere monent. Quæ qualicunque ſunt antiquæ erga Pœnitentes diſciplinæ veſtigia. Itaque circa annum quadringente-

Digitized by Google

gentefimum omnis ferè antiqua circa Pęnitentiam diſciplina Nectarii decreto in Oriente ſublata eſt, & abolita. Creatus eſt enim Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus anno 381. & obiit anno 397. Septembris 25.

XI. Tria poſſunt obiici, quorum primum eſt ſancti Chryſoſtomi auctoritas in iis teſtimoniis, quæ relata ſunt *cap.9.* hujus libri; Nectario enim in Epiſcopatu ſuffectus eſt. Cùm igitur ipſius teſtimonio confirmetur antiqua praxis, videtur Nectarii decretum irritum fuiſſe, & in ipſa Conſtantinopoli ſuſque deque habitum, contra quam tamen retulerunt Socrates, & Sozomenus Nectario, & Chryſoſtomo tempore ſuppares. Secundum, *canon.* 87. Trullani Concilii, in quo canon antiquus adverſus Adulteros cum harum ſtationum mentione repetitur, *Is, qui legitimè ſibi datam uxorem relinquit, & aliam ducit, ex Domini ſententia eſt adulterii judicio obnoxius. A Patribus enim noſtris ſtatutum eſt, ut qui ſunt ejuſmodi, annum defleant, biennio audiant, triennio ſubſternantur, & ſeptimo cum fidelibus conſiſtant, & ſic oblatione digni habeantur, ſi cum lacbrymis Pœnitentiam egerint.* Tertium, S. Damaſceni verba in hæreſi Maſſalianorum, ubi in illos invehitur, quod *graviſſimis criminibus inquinatos ad ſe confugientes nullo extante fructu Pœnitentiæ, ſine Sacerdotis auctoritate, nulla habita ratione graduum, qui canonibus Eccleſiaſticis excipiuntur, primo quoque die ſe expiaturos profitentur.* Primæ objectioni facile eſt reſpondere. Vixit ſanctus Chryſoſtomus annos ferè 53. in Epiſcopatu novem, & aliquot menſes; Anno verò Epiſcopatus ſexto, & vix quatuor inſuper menſibus completis in exilium pulſus eſt, in quo tandem multis ærumnis afflictus, & rerum magna neceſſitate laborans animam Deo reddidit. Quapropter librorum ſuorum longè maximam partem Antiochiæ, & in vicinis regionibus neceſſariò compoſuit, antequam ad urbem regiam advocaretur, & multos probabile eſt ediſſe ante Nectarii de tollendo Pęnitentiario decretum. Homilias autem in Evangelium Matthæi, è quibus præcipuè argumentati ſumus, teſtatur S. Chryſoſtomus, *homil.* 7. ſe Antiochiæ habuiſſe, *Vos autem, ſi quidem aliquod de honore certamen oriatur, omni ambitione contenditis, ut vel univerſo præſideatis orbi: illo ſcilicet privilegio vobis blandientes, quod hæc prima civitas fidelibus Chriſtianorum nomen impoſuit. Cum verò de honeſtate, & caſtitate certandum eſt, ne à viliſſimis quidem viculis non pudet ſuperari.* Quocirca nullius eſt momenti argumentum à Chryſoſtomi auctoritate petitum, cum ſcripſerit vel ante Nectarii decretum, vel antequam ad exteras nationes throno Conſtantinopolitano non ſubditas penetrare potuerit.

XII. Ex ſecunda objectione nihil mihi videtur poſſe colligi: Nihil enim decernunt Patres. ſed tantùm hiſtoricè referunt quid olim de hoc crimine decretum fuerit. Præterea licèt canonem illum Patres innovaſſent, hoc eſſet intelligendum juxta morem, qui tum invaluerat, non autem ſecundum cæteras canonis antiqui circumſtantias. Verbi gratia, in Capitularibus Caroli magni, Ludovici, & Caroli calvi plurimi canones antiqui referuntur, & eorum obſervantia commendatur, non tamen ut eodem modò, quo antiquitus obſerventur, ſed pro more à Conciliis illo tempore conſtituto, qui plurimas antiquæ obſervationis circumſtantias ſuſtulerat. Ita quoque & Trullanus canon, & ſi qui ſunt alii, eſt interpretandus, id eſt, qui hoc crimen commiſerit, ſeptem annis eſt abſtinendus, non quod annos illos more antiquo Reis diſtribuerint, annum unum, duos in Auditione, &c. Ideò etiam nunc pęnas canonicas Græci criminibus imponunt, ſed antiquis circumſtantiis quas indigitavimus, & hactenus explicavimus, prætermiſſis, & ſublatis. Qua ratione autem a Nectarii decreto in hunc uſque diem canones antiquos Græci obſervaverint, & pęnas ex eorum præſcripto peccatoribus inflixerint, quoque modo, & ritibus ſacramentum pęnitentiæ adminiſtraverint, capitibus ſequentibus velut in tabella delineamus.

XIII. Eadem ratio eſt objectionis tertiæ: Refert enim Damaſcenus quid olim fecerint antiqui illi hæretici, & quid in iis reprehenderint eorum temporum Eccleſiæ Doctores. Non autem ſequitur, ut per ſe evidens eſt, Ergo iidem Pęnitentiæ agendæ ritus Damaſceni tempore, quod quadringentis annis poſterius eſt, obſervabantur. Deinde ſi quæ ſequuntur in textu attendantur, illa verba, *Nulla habita ratione graduum qui canonibus Eccleſiaſticis excipiuntur*, facilè intelligi poſſunt de ordinibus Clericatus, ad quos evehebant ſceleratos ejuſmodi homines, licèt nulla ante acta Pęnitentia expiatos. Sequitur enim, *Itaque nonnullos ejuſmodi hominum antequam à criminibus expientur, ad Clericorum approbationes, & ordines ducunt*, Græcè legitur, *ὥς τινας τῶν τοιούτων πρὸ τ' ἀναλλαγῆς τῶν ἁμαρτημάτων ἄγειν αὐτοῖς εἰς κληρικῶν χειροτονίας. Ita ut nonnullos ejuſmodi hominum ante criminum expiationem ad Clericorum ordinationes inducant.* Criminis igitur gravitas à Damaſceno exaggerata eſt, quod nulla habita ratione puritatis animæ, quam poſtulant ſacræ ordinationes, ſceleratos homines ſectam ſuam amplexantes ſtatim nulla expiatione adhibita ad gradus Eccleſiaſticos contra canonicas ſanctiones provehant.

Morin. de Sacram. Pœnit.

XIV. Difficilius forſan negotium faceſſet Pęnitentia à Vicariis Sedis Apoſtolicæ actione 9. Concilii 8. impoſita iis, qui falſum teſtimonium adverſus ſanctum Ignatium tulerant. Sic Pęnitentiam ſeptennem diſtribuunt approbante Concilio, *Definimus, &c. propter manifeſtatum peccatum tale, eſſe illos duobus annis extra Eccleſiam, & in aliis duobus annis intra Eccleſiam audire divinas Scripturas uſque ad Catechumenos, non tamen alio modo communicare, ſed abſtinere à vino, & carnibus quatuor annis præter Dominicos dies, & præter Dominicas feſtivitates, & in aliis tribus annis ſtare cum fidelibus, & mereri Divinam communionem in ſolis Dominicis ſolemnitatibus, cum Eleemoſynis, & Orationibus, atque Jejuniis, ita ut tribus diebus hebdomadis, ſecunda videlicet, & quarta, & ſexta feria, abſtineant à carnibus, & vino.* Ex iis, quæ toto libro ſequente tractabimus, evidens eſt, Latinam hanc eſſe Pęnitentiæ imponendæ rationem, & Græcis in omnibus ferè partibus, & loquendi modis incognitam, ut ex eorum Pęnitentialibus, & iis quæ toto capite ſequente demonſtrabuntur. Vicarii ſedis Apoſtolicæ Pęnitentiam imponentes vulgatum Latinis pęnitentiæ modum meritò ſecuti ſunt; ſententiamque, ut lata eſt retulit Anaſtaſius illius temporis auctor. Verùm textus Græcus, ut multa omiſit, ſic & hoc Epitimium; ſat Scribis fuit generaliter ſcripſiſſe, Epitimium illis impoſitum; nec illius quoque meminit altera verſio Latina. In fine verò action. 2. tam juxta Græcos, quàm Latinas verſiones Epitimium à Patriarcha Clericis Lapſis imponitur quod horum nihil habet, *Patriarcha dixit, Epitimiorum pœna cunctis Lapſis, audientibus omnibus relegatur. Acceptam ergo Stephanus Notarius legit: Qui carnibus veſcuntur, pœna eſt, ne carnibus, caſeo, ovo veſcantur. Qui alias à carnibus abſtineant, abſtineant ab ovo, caſeo, piſce, feria quarta, & ſexta; oleraque, & legumina comedant cum modico oleo, & vino. In genua procumbant quotidie quinquagies, & illud, Domine ignoſce mihi, inclament centies, recitentque pſalmos, ſextum, 37. & 50.* Vel ex ſola utriuſque comparatione facilè hujus rei peritus deprehendit priorem Latinam eſſe, poſteriorem Græcam. Sed conceſſo, priorem eſſe Græcam cum de crimine publico agatur, nihil colligi poteſt ex ea contra ſex illa capita, quæ paulò poſt Nectarii decretum obſolevisſe diximus.

CAPUT XXIII.

Qualis fuerit Orientalium Eccleſiarum in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ diſciplina, tam in Clericos, quàm in Laicos, ab annis mille ducentis ad uſque hoc ſeculum, breviter deſcribitur, & demonſtratur. Joannis Patriarchæ libellus Pœnitentialis licèt videri poſſit valde ſeverus, nimiæ tamen relaxationis à poſterioribus Græcis damnatur. Græci poſteriores plerique Pœnitentias criminibus imponi volunt juxta antiquorum canonum rigorem. Quid hoc apud Græcos in cauſa Pęnitentiæ vulgatum, canonem dare, canonem facere, culpas canonizare. Culpas leves confitentibus Græci non dant Abſolutionem, ſed pia monita. Quæ dona vice Euchariſtiæ concedere ſoleant iis, qui ea plurimis annis interdicuntur, Quid ἀντίδωρον, & qua de cauſa datur.

POſt Nectarii decretum, quo plurima, quæ ad Pęnitentiæ Sacramentum pertinebant, relaxata, vel abrogata ſunt, ut capite præcedente explicatum eſt, iſtius Sacramenti praxis apud Græcos, cæteroſque populos Orientales in horum quatuor capitum ſedula obſervatione potiſſimum ſita fuit, quæ ab eo tempore in hunc uſque diem conſtantiſſimè viguit. Primùm eſt, diligentiſſima, & minutiſſima peccatorum omnium ſecreta Confeſſio. 2. Diligens, & accurata Sacerdotis interrogatio de his omnibus Pęnitenti facta. 3. Pęnitentiarum, & pęnarum unicuique peccato ſevera impoſitio, vel ſecundum canones, vel ſaltem juxta approbatos Pęnitentiales libros, qui de canonum ſeveritate non admodum remittebant. 4. Abſolutionis poſt confeſſionem, aut etiam Pęnitentiæ impoſitionem conceſſio, ſed communionis Euchariſticæ, pro ratione criminum, & Pęnitentium ad agendam pęnitentiam fervore, & zelo, in longum, breviuſve tempus dilatio. Præter hæc quatuor, duo digna ſunt, quæ à Lectore conſiderentur:

Prius, humilitas, cum qua Pœnitens quacunque dignitate fulgeret, ad Sacerdotem accedere tenebatur: Poſterius, Pœnitentem propter multa crimina, atque etiam inquinamenta nonnulla naturalia obligatum fuiſſe à templo ſecedere, atque in Narthece ſubſiſtere, dum ſacrificium Miſſæ peragebatur; quod antiqui moris, quo Pœnitentes à myſteriorum conſpectu, & ab Eccleſia pellebantur, ſive tertiæ Pœnitentium ſtationis, qualecunque eſt monumentum. Aliis autem temporibus quodcunque officium in Eccleſia celebraretur, ubique, ut cæteri fideles Laici, in Eccleſia conſiſtere poterat. Quum autem dico obligatum fuiſſe Pœnitentem, obligationem intelligo interiorem, & ut dici ſolet in conſcientia tantùm. Nam cùm ipſius confeſſio, & Pœnitentiæ impoſitio ſecretæ eſſent, atque ut ita dicam, auriculares, nulla auctoritate canonica exteriori cogi poterat non modò, ut in Narthece ſubſiſtere, ſed neque ut, quod ipſi erat in pœnitentiam præſcriptum, exequeretur. Omnia erant ipſius bonæ fidei, & pietati commiſſa.

II. Hæc fuerunt apud Orientales populos præcipua diſciplinæ Eccleſiaſticæ circa Laicos Pœnitentes capita à Nectarii tempore in hunc uſque diem. Sed in Pœnitentia Clericorum nonnulla ſpecialiter obſervata ſunt, quæ ad tria capita revocamus. Primum eſt, Sacerdotem Clerici Confeſſionem auditurum ab eo promiſſionem exigere ab officio ceſſaturum, ſi crimina confiteatur, quæ canones depoſitione, aut ſuſpenſione condemnant. Secundum, Clericum propter crimen ſic ſecretò in Confeſſionis auricularis tribunali depoſitum, aut ſuſpenſum, communione Euchariſtica non privari, pœna priore juxta canones crimini ſufficiente. Tertium, Quoniam Clerici conjugati, etiam Presbyteri, ordinari ſolent, ſi reſciverint uxores ſuas adulterio pollutas, eas dimittere tenentur, aut ſi iis commiſceantur, ab officio Eccleſiaſtico ceſſare. Cætera Clericis, & Laicis ſunt communia. Ut hæc melius intelligantur in memoriam revocandum eſt, quod capite penultimo libri præcedentis, & nonnullis aliis demonſtravimus, leviorum ſecretam fuiſſe Pœnitentiam, graviorum verò publicam. Quod igitur proprium erat leviorum criminum ante Nectarium cum omnibus criminibus poſt ipſius decretum communicatum eſt; omnium criminum ſecretò facta eſt pœnitentia, ut ſecretò impoſita. Sed Pœnitentiæ ratio utroque tempore eadem permanſit; Utroque enim juxta canones impoſita eſt. Præterea in levioribus criminibus Abſolutio ſimul cum Pœnitentia data eſt: Ita quoque in gravioribus poſt Nectarium in Oriente fieri cœpit. Iſta probare nunc noſtrum eſt.

III. Teſtimonia multa iſtarum obſervationum huc non afferemus, eo quod ad finem operis hujus antiquos Græcorum pœnitentiales edimus, Joannis ſcilicet Jejunatoris Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui Gregorii primi Pontificis coetaneus erat, Joannis Monachi, quem ajunt ſancti Baſilii diſcipulum, eo tamen tempore multò poſterioris; & tertium anonymum his duobus aliquot ſeculis recentiorem. Libellum præterea Simeonis Archiepiſcopi Theſſalonicenſis, de Sacramento Pœnitentiæ, & Gabrielis Philadelphiæ Metropolitæ, de eodem Sacramento ſcriptum, in quibus capita illa omnia quæ ſtatum diſciplinæ Pœnitentialis in Oriente demonſtrant evidentiſſimè, & prorſus κατὰ λέξιν continentur. Pauciſſima igitur ex his auctoribus, & nonnulla ex aliis, in capitum, quæ propoſuimus, probationem exſcribemus. Primum, & ſecundum caput quibus peccatores ad ſingula crimina, minutiſſimaſque criminum ſpecies ſecretò Sacerdoti confitendas obligantur, Sacerdoſque de his minutiſſimis criminum ſpeciebus confitentes interrogare tenetur, demonſtratione præſenti vix egent, cùm Pœnitentialium iſtorum bona pars in criminum ſingulorum λεπτομερῆ diſſectione conſiſtat, & unicuique particulæ poſtea ſuum tribuat ἐπιτίμιον. Sanè dicere auſum Scholaſticorum Doctorum nullum ante Lutherum crimina confitenda in tam varias, & minutas partes diſtribuiſſe, ut vel obiter Pœnitentiales iſtos luſtranti conſtabit. Hanc quoque praxim adverſus Lutheranos propugnavit Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus, *cap.*11. primi reſponſi ad eorum ſcripta.

IV. Tertium caput hodiernæ Orientalium diſciplinæ non minus fulget in Pœnitentialibus illis, quàm duo præcedentia. Sed antequam hoc explicare aggrediar, Lectorem monitum velim, ut lecto Joannis Jejunatoris Pœnitentiali libello, qui adeò ſeverus videtur, & Pœnitentias ſive ἐπιτίμια tam dura, longa, & varia criminibus imponit, conſideret, quæ judicia tamen de eo Græci recentiores fecerint, ut eorum in caſtigandis per Pœnitentiam criminibus ingenium intimè perſpectum habeat. Nicephorus Chartophylax in Epiſtola ad Theodoſium Monachum Corinthi incluſum, qui ſcribebat circa annum Chriſti octingenteſimum, ita de illo judicat, *Quod autem ad editos* (canones) *à Joanne Jejunatore, conſuetudinem recipimus, juxta uniuſcujuſque vires, correctionum moderandarum: eo excepto quod dicimus, quæ ſecundùm canonum diſciplinam viſa ſunt à Joanne Jejunatore dicta eſſe, ſi quis cordatus conſideraverit, ex Patrum ſententia dependere.* Jejunatorem multò acrius carpit Concilium Conſtantinopolitanum imperante Alexio Comneno celebratum quorundam Monachorum interrogationibus reſpondens *quæſt.* 11. *An oporteat, ut vult canonicum Jejunatoris canonicè ſe gerere.* Reſpondent Patres, *Hoc jus canonicum jejunatoris nimia indulgentia uſum multos perdidit. Qui itaque in boni cognitione exiſtunt, & ab eo excidunt, corriguntur.* Alexius autem Comnenus Auguſtus ſalutatus eſt anno Chriſti 1081. Sæpe quoque Harmenopolus, qui eodem ſeculo aut paulò poſt ſcribebat, nimiæ indulgentiæ Jejunatorem accuſat. Leo Allatius Corcyræus, *lib.*3. de conſenſu Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali, *cap.*9. idem de Joanne teſtatur, nonnullaque alia paucis verbis de ſuis Græcis aperit, quæ legiſſe Lectorem non pœnitebit: *Confeſſiones fidelium illi tantùm audiunt, quibus ab Epiſcopo facultas facta eſt. Non genu flectentes, ſed ſedentes cum reverentia, & capite aperto peccata confitentur. Pœnæ Pœnitentibus impoſitæ, mitiores multò nunc ſunt, quàm erant anteà. A Joanne enim Neſteuta antiquus ille pœnarum rigor remiſſus eſt, licèt id alii inter eos non probent.* Hæc eſt hodierna die Græcorum de Joanne Neſteuta ſententia. De eo, ejuſque Pœnitentiali plura, cum in fine hujus operis illum edemus, & interpretabimur. Poſſet equidem Joannes facilè excuſari ea ratione, quam ex ſancto Baſilio affert in fine Pœnitentialis ſui, ſed Joannis excuſationem non moramur. Lectorem tantùm ex dictis colligere volumus, quæ fuerit poſt Nectarium apud Græcos Eccleſiæ diſciplina Pœnitentialis, quæ manifeſtiſſimè repræſentari mihi videtur ex iſtis Pœnitentialibus, addito præſertim id, quod notavimus, Pœnitentialem illum librum vulgò exiſtimatum eſſe æquo indulgentiorem. Sunt tamen quædam peccata quorum Reos, decem, duodecim, quindecim annis communione privat; & intereà per totum illud tempus jejunia, ciborum abſtinentias, & varias precationes ſingulis diebus dicendas illis aſſignat; neve earum obliviſcantur, omnem iſtius Pœnitentialis diætæ ordinem ſcriptis, ut & alii Pœnitentiales volunt, illis tradi jubet.

V. Pœnitentialium iſtorum, ſed potiſſimùm canonum, auctoritatem in definiendis Pœnitentiis hactenus ſecuti ſunt, & ſequuntur Orientales Eccleſiæ, quod tertiò nobis enarrandum incumbit. Nicephorus Cartophylax nihil ferè aliud contendit Epiſtola jam citata, tandemque concludit, *Si vos, qui te adeunt, vis ad exactam, & rectam dirigere normam, percurre diligenter canones à ſacris præconibus, diviniſque Apoſtolis, & divinitus afflatis editos, &c.* Paulò ante dixerat, *Dicere autem eos, qui peccant non ferre canonum ſeveritatem, nihil ad nos. Ait enim cœlitus reſplendens Baſilius in 84. canone fructus Pœnitentiæ probari oportere, &c.* Et in fine ſecundæ Epiſtolæ, *Adhærendum ergo eſt iis, quæ ſynodicè promulgata, & confirmata ſunt; Deinde etiam ex perſonarum, & temporum, morumque qualitate correctionis diſpenſatio facienda.* Ideò *Epiſt.* 3. quæ eſt de Ligandi, ſolvendique poteſtate, Pœnitenti conſulit, ut ſpiritualem Medicum inquirat canonum peritum, apud quem Confeſſionem edere poſſit: *Quanto,* inquit, *divinorum, ſacrorumque canonum peritior fueris, hoc ampliùs inſtruet. Contrà, qui canonum vigorem, & ſuam cujuſque delicti multam ignorarit, is nulli alia in re unquam uſui eſſe poterit.*

VI. Vix canonum in impoſitione Pœnitentiarum obſervantia accuratius, & ſtudioſius commendari poteſt quàm verbis Simeonis Theſſalonicenſis, *Videant,* inquit, *ne præter canones dijudicent, ne quis præter canones agens, ulterius peccata in ſe trahat. Nemo ſeipſum ſeducat exiſtimans ſe accuratiùs quàm Patres judicare. Quis eorum in ejuſmodi caſtior, aut purior, aut iis diligentiùs adhæc mentem advertit. Neque iterùm quis deceptus, videri affectet magis quàm Patres infirmis compati, languidè, & remiſsè agens, & imprudenter cadentibus concedens. Quis ita audax fuerit, ut confidat ſe Patribus humaniorem, & clementiorem eſſe? Unde illi auctoritas, & poteſtas ſi eos exauctoret, & præter eorum definitiones agat? &c.* Deinde cùm dixiſſet eos eſſe medicinæ ſpiritalis peritiſſimos, & neminem noſtrum debere in ejuſmodi cognitione iis ſe præferre, ideò ſequendos canones, & non attendendum quibuſdam aliis præter canones editis, addit, *Quia gratia eſt ſecundùm ſucceſſionem: Nam à gratia-*

rum

Digitized by Google

rumſante Domino, & ſervatore noſtro in Apoſtolos ejus venit, ab Apoſtolis in Patres, à Patribus noſtris ad nos. Igitur ſi quæ ſunt Patrum obſervamus, ſucceſſio gratiæ erit in nobis, certaque etiam, & firma ſententia noſtra. Si verò aliter quàm definierint Patres, egeris, incertum eris, & anceps quod decreveris, &c. Hinc in poſtremo pœnitentiali legitur, *Poſtquam pœnitentem ſigillatim interrogaveris, accipe indiculum, & inquire quale ſit peccatum. Deinde accipe eum, & illi demonſtra in libro crimina, quæ commiſerit, &c.* Similia legere potes diffuſè ſatis enarrata in procemio Joan. Monachi; & in literis Germani Amathuntis Epiſcopi, quibus Sacerdoti dat Confeſſiones audiendi auctoritatem, quas Pœnitentialibus adjungimus.

VII. Gabriel Philadelphiæ Metropolita, & Græcus recentiſſimus *cap* 8. libri de Sacramentis, Latinorum more tres conſtituit Pœnitentiæ partes συντριβὴν τῆς καρδίας, τοῦ στόματος ἐξομολόγησιν, καὶ ἱκανοποίησιν, Contritionem cordis, oris confeſſionem, & ſatisfactionem. Poſtremam partem ſic definit, *Satiſfactio eſt efficax adimpletio, & perfectio canonis, quem pater ſpiritualis hujus rei poteſtatem habens dedit peccatori propter ipſius peccata ſecundùm ſanctæ Eccleſiæ traditionem, & ſpiritualem ſacrorum canonum pœnam, quam non ſolùm divini, & ſpirituales Eccleſiæ Catholicæ præcones docuerunt, ſed etiam divina Scriptura perſpicuè prædicat.*

VIII. Petr. Arcudius Corcyræus Græcus, ſed Latini ritus, eandem permanere apud Græcos canonum Pœnitentialium obſervationem teſtatur, *c.*1. & 2. *lib.*4. *de Sacramentis*; eaque inſuper docet, quæ explicant id, quod Philadelphius dicit, ſatisfactionem eſſe perfectionem canonis, quem dedit Pater ſpiritualis. Ait enim inter cætera nomina, quibus Pœnitentia apud Græcos ſignificatur, canonis nomen recenſeri, ſed hac ratione, *Κανὼν non ſimpliciter, & ſeparatim à recentioribus Græcis uſurpatur, ſed in compoſitione ſoleat dicere κανόνα ποιεῖν, quod in hac materia non quod præ ſe ferunt verba, ſignificat, nempe canonem condere, ſed pœnam erratorum ſuſtinere ſecundùm præſcripta canonum. Quippe canones extant Apoſtolorum, & antiquorum Patrum, ſacrorum item Conciliorum, quibus pro peccatorum diverſitate varia pœna decernitur. Unde quando communiter Græci interrogant, ἐποίησας, ſive, ἐτελείωσας τὸν κανόνα; nihil aliud ſibi volunt, quam ſatisfeciſti pro delictis? ſeu ſubiiſti pœnas culparum, quæ ſunt à Patribus per canones conſtitutæ?*

IX. Ejuſdem τοῦ κανόνος acceptionis multa legere eſt infra exempla apud Simeonem Theſſalonicenſem, & ſæpius in literis Abſolutoriis, quas ex manuſcripto Euchologio referimus: Eandem uſurpat, ut omnino vulgatam, Michael Patriarcha Antiochenus in ejuſmodi literis, quas ex Turcogræcia Cruſii exſcribit Arcudius *lib.*4. *cap.*3. Jeremias quoque Patriarcha CP. in primo reſp. ad Tubingenſes Luteranos ad *cap.*11. teſtatur pœnam, ſeu medicinam peccatis dandam κατὰ τὸν κανόνα τὸν ὡρισμένον, καὶ τοῖς πατράσι δογματιζόμενον; quod iterum repetit ad *cap.*12. Variaſque ſatisfactionum imponendarum, quæ κατὰ τρόπους ἱκανοποιΐας vocat, rationes affert.

X. Neophytus quoque Rodinus Cyprius in libello, quem de Confeſſione lingua vulgari Græca compoſuit, ſæpiſſimè per κανόνα enuntiat, quæ nos per Pœnitentiam peccatis impoſitam, ut cum definit ἱκανοποίησιν, ſatisfactionem ἡ ἱκανοποίησις εἶναι νὰ κάμῃ κανεὶς τὸ ἱκανὸν, τουτέστι τὸ ἀρκετὸν, ἤγουν ἐκεῖνον τὸν κανόνα ὁποῦ τοῦ δώσῃ ὁ πνευματικός. *Satisfactio eſt, ut faciat aliquis id, quod ſufficit, hoc eſt, illum canonem quem ei dederit Pater ſpiritualis, &c.* Et longè poſteà docet duos eſſe modos canonem imponendi, alterum ſeverum qui κατὰ τοὺς antiquos Patrum canones inſequitur; alterum cum Confeſſor pro poteſtate ſibi ab ipſis canonibus conceſſa canones, ut illi videtur opportunum, temperat, & mitigat: ἐγὼ τὸν κανονίζω κανόνα κατὰ τὴν ἐπιστροφήν του, καὶ τὸν κανονίζω μέρος κατὰ τὸ μὲ φωτίσῃ ὁ Θεὸς, κατὰ τὸ ὁρίζουσιν οἱ κανόνες. *Cæterùm ego eum canonizo aliquem, hoc eſt, Pœnitentiam illi impono, conſidero, & examino converſionem ejus, eumque canonizo partim, ut me docet Deus, partim juxta id quod definiunt canones.* Nomocanonem ipſius ad operis finem exſcribemus, ut videat Lector, quid Græcis ſuis conſulat Rodinus, licèt eos qua valuit arte ad Latinorum mores eo libro pellicere voluerit.

XI. Jacobus Goar Dominicanus, qui multis annis in inſula Chio commoratus eſt, & hac opportunitate data utiliſſimam cognoſcendis eorum ritibus operam navavit, in Euchologio, quod Latinè vertit, nonnulla adnotat pag.678. quæ jam dicta non modo confirmant, ſed etiam illuſtrant, *Patres ſpirituales ſedentes, pœnitentes pariter ſedentes pro Exomologeſi audiunt. Si leves, & venia dignas pœnitentis culpas deprehenderint, nullam adhibeant ſolutionem, ſed de pio, devotoque quodam opere exercendo monitum amicè remittunt: Si lethifera, quæ θανάσιμα*

Morin. de Sacram. Pœnit.

dicunt, crimina detegunt, illa in nomocanone juxta ſe poſito examinant, cenſurarumque deſtrictioni, prout legunt, cuncta ſubjiciunt, & tandem pœnitenti bene precantur, his atque aliis orationibus, aut in remedium præteriti delicti, vel in cautelam futuri compoſitis. Peccata tandem cuncta κανονίζουσι, id eſt, ad canonum rigorem examinata, pœnis in eis perlectis caſtigant, & emendant: proptereàque Pœnitentiam impoſitam, ut canonibus præſcriptam, ſolent ipſi κανόνα vocitare. Quæ refert de levibus peccatis quibus Pœnitentiam non imponunt, ſed confitentem tantùm monent, ut pia opera exerceat, quibus ea redimat, antiquæ diſciplinæ plurimum retinent, & multis teſtimoniis, præſertim S. Auguſtini, quæ duobus ultimus *libri* 5. capitibus relata ſunt, illuſtrari poſſunt.

XII. Pergit, & nonnulla ſcribit quæ Lectorem ſcire juvabit. *Publica pœnitentia nulli licèt ampliùs imponatur, aliquos tamen Confeſſione expiatos à ſacra communione per annum, vel plures quandoque arcent. Hi non ita plenè reconciliati privationem Euchariſtiæ panis Eulogici Communionis vices agentis, vel tunc ἀντιδώρου, ſumptione ſolantur: Et ſanguinis Dominici ſameā ili loco, aquam in Theophaniis benedictam, Diacono eam μετὰ λαβίδος porrigente, Communionis diebus Paſchatis ſcilicet, Apoſtolorum Petri, & Pauli, Aſſumptionis, & Chriſti natalitiorum, ſumma cum religione hauriunt, & tandem oratione ἐπὶ τῶν ἐξ ἐπιτιμίων λυομένων ſuper eis recitata, ex integro Eccleſiæ reconciliantur.* Sic Pœnitentes ſuos in longa communionis Euchariſticæ privatione, quæ apud eos uſitatiſſima eſt, conſolari ſolent. Dici poſſet ritum panis benedicti in univerſa Gallia uſitatiſſimum primò in eundem finem inſtitutum eſſe, & poſteà omnibus promiſcuè, & indiſtinctè conceſſum, quod etiam in Græcia uſurpatur. Vidi enim Romæ in Eccleſia Græcorum Miſſa peracta ἀντίδωρον ad portam Sanctuarii meridionalem omnibus accedere volentibus promiſcuè diſtribui. Hoc ita fieri ſolere teſtatur quoque Leo Allatius Corcyræus, vir ſanè Græcè, Latinèque eruditiſſimus, & de utraque Eccleſia Latina, & Græca bene meritus, *lib.*3. de perpetua Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali conſenſione, *c.*9. Ubi quoque morem de aqua in feſto Epiphaniæ vice ſanguinis Chriſti ab iis, quibus communicare illicitum haurienda commemorat, *Curantque omnes ſedulò, ut panem, ex quo conſecratæ particulæ deſumptæ ſunt, ideòque multis benedictionibus ſubactum, quem antidorum vocant, in fine Miſſæ per Sacerdotem cunctis præſentibus donatum, jejuni manducent. Si quis jejunus non eſt, quamvis eum accipiat, vicino tamen eam porrigit ad conſumendum. In ſolemnitatibus Paſchæ, & Chriſti natalium, ſolemni ritu ferè omnes communicant. Qui difficultate præpeditus, ad communionem non accedit, aquam die Epiphaniæ ſacro benedictam, quam in vaſe retinet Sacerdos, in medio Eccleſiæ, quantum cochlear capit, haurit. Nunquam niſi confeſſi, & de conſenſu Confeſſorii communicant.*

XIII. Eandem τοῦ ἀντιδώρου Liturgia completa fidelibus donati cauſam reddidit ante aliquot ſecula Simeon Metropolita Theſſalonic. Enarrationis in ſanctam Liturgiam *c.*10. Verba ipſius referemus, cùm ſimul quid ſit, & qua ratione fiat ἀντίδωρον nos edoceant: Poſtquam dixiſſet Sacerdotem ſacro modo Chriſtum confeciſſe, ipſius participem fuiſſe, & ſacratis Clericis tradidiſſe, populum quoque fidelem ſanctificatione egere, quam jam per precum Euchariſtacarum communionem conſecutus eſt, addit, ἐπεὶ γὰρ καὶ δι' αἰσθητῶν τινῶν ὡς σῶμα περικειμένους, ἁγιάζεσθαι δεῖ, λαβεῖν διὰ τοῦ ἀντιδώρου γίνεται, τοῦτο καὶ ἡγιασμένος ἐστὶν ἄρτος ἐν τῇ προθέσει προσαχθεὶς, ἐξ οὗ τὸ μεσαίτατον ἐξεβλήθη, καὶ ἱερουργηθὲν προσαχθὲν ὕστερον ὡς ἐκ τῇ λόγχῃ σφραγισθεὶς, ἐκ θείων δεξάμενον ῥημάτων ἀντὶ τῶν δώρων, τῶν φρικτῶν δηλαδὴ μυστηρίων, τοῖς μὴ μετασχοῦσι τούτων παρέχεται. *Quandoquidem nos oportet, ut corpore circumdatos, per ſenſibilia quædam ſanctificari, id fit per antidorum. Illud autem eſt panis in menſa propoſitionis precibus, & benedictionibus ſanctificatus; De quo ipſiſſimum medium ſublatum precibus conſecratum eſt. Ille poſtmodùm, ut lancea per crucis ſignum ſigillatus, diviniſque verbis donatus, & affectus, in locum donorum, nempe tremendorum myſteriorum, iis, qui ea non participant, præbetur.* Hanc Antidori largitionem, ut Liturgiæ partem aſſignare videtur: Subſequitur enim, τὸν γενέσθαι, καὶ εὐλογίαν ἀποδεξάμενοι τῷ λαῷ ἀρχιερεὺς, τέλος ἐπιτίθησι τῇ ἱερᾷ συνάξει. *Cùm hoc fecit Epiſcopus, & populo bene precatus eſt, ſacro officio finem imponit.*

CAPUT XXIV.

Græcos à mille ducentis annis ſtatim poſt Confeſſionem peccatorum Sacerdoti editam, vel pœnitentiam ab eo impoſitam, ante quamlibet pœnitentiæ executionem à peccatis ſincerè pœnitentes abſolvere; ſed communionem Euchariſticam, aliquando in plurimos annos retardare, longa interim, & multiplici Pœnitentia

impoſita demonſtratur. Ab eo tempore tres apud eos Pœnitentiæ ſtationes obſolevisſe, ſed quartam retentam. Hinc quadam diſciplinæ neceſſitate fluxit venia ante actam Pœnitentiam donandæ innovatio, Scholaſtica de Sacramentis philoſophandi methodus Græcis olim incognita, pauciſſimis, & primariis vix nunc cognita.

QUartum, & poſtremum caput notabile, quod conſtanter apud Orientales viguiſſe diximus poſt Nectarii decretum, ſpectat peccatorum Abſolutionem. Videntur enim ſemper poſt peccatorum Confeſſionem Sacerdoti editam, aut Pœnitentiæ impoſitionem ſtatim eam conceſſiſſe, & communionis propter crimina retardationem, & ſuſpenſionem ad ſolam Euchariſtiæ, bonique perfecti participationem contraxiſſe. Nam ex eorum praxi deprehenditur ſemper id, quod reconciliationis, & peccatorum Abſolutionis rationem inducere poteſt, criminum enarratione facta, aut Pœnitentia Reo impoſita, confeſtim ipſi concedi, atque ſuper eum humiliter proſtratum à Sacerdote pronuntiari, Sacerdotemque eo pronuntiato, ita cum Pœnitente agere, ut cum homine Eccleſiæ ſibique reconciliatio, licèt immediatè poſt, vel anteà, graviſſimis pœnis, & multorum annorum circulo ſubeundis, eum afficiat, vel affecerit. Verùm ex eorum verbis, doctrina, & praxi, pœnæ iſtæ ſive Pœnitentiæ, atque ut loquuntur ἐπιτίμια, ſumendæ tantum intelliguntur, & exequendæ ante ſanctiſſimi Chriſti corporis participationem, quam ideo ſemper propter gravia crimina differunt, nonnunquam in longiſſimum tempus.

II. Itaque poſt illud famoſum Nectarii decretum ex quatuor Pœnitentiæ ſtationibus tres apud Orientales obſoleverunt, Fletus, Auditio, & omnium antiquiſſima, Subſtratio; Sed quarta, Σύστασις, Conſiſtentia dicta, mordicus ab iis retenta eſt, & conſervata, adeò ut eam multò ſeveriùs quàm antiqui Patres hactenus exigant, cùm quorumdam criminum Reos nonnunquam decem, duodecim, quindecim annis, communione Euchariſtica mulctent, & intereà variis pœnis domi, privatimque expendendis exerceant. Moris iſtius invectio cum eo quod ſupra *cap.*21. demonſtratum eſt, in tranſitu tertiæ ſtationis ad quartam, peccatorum Abſolutionem antiquitus à ſanctis Patribus indultam fuiſſe, videtur optimè quadrare. Nam, ut aliquis Pœnitens fidelibus aggregetur, & cum iis conſiſtat, & comprecetur, & antiquæ diſciplinæ dictatis neceſſe prius erat eum peccatorum indulgentia donari; Unde apud eos, orationum fidelium eſſe participem, conſiſtere, in Eccleſiam recipi, reconciliari, peccata remitti, ſemper æquantur, ut eodem loco pluribus explicatum eſt. Quapropter ex antiquiſſimæ diſciplinæ conſequentia, primis iſtius innovationis auctoribus viſum eſt, abrogata Subſtratione cum antecedentibus ſtationibus, criminum Abſolutionem verè, & ſincerè Pœnitentibus ante Pœnitentiæ executionem indulgere, cum ſtatim poſt illius acceptationem ex novata diſciplina eſſent fidelibus in Eccleſia aggregandi, ad eorum orationes admittendi, & ſacrificiorum conſpectu gratificandi. Præterea tres illæ antiquæ ſtationes non ita ſunt apud eos abolitæ, quin in eorum nova diſciplina umbræ quædam aliquando non delineentur. Nonnunquam enim in Epitimium Pœnitentibus imponendum monent, ut cum ſacrificium proximè celebrandum eſt, è templo ſive choro in Narthecem, & inferiorem Eccleſiæ partem ſecedant: quod eſt pœnitentiam ab Eccleſia expulſionis, quæ in Subſtratione fieri ſolebat, tenuiſſima adumbratio. Diligenter quoque notandum eſt duplicem apud eos ab eo tempore huc uſque in ſtadio pœnitentiæ Abſolutionem concedi ſolere. Unam in principio pœnitentiæ, quam enarravimus; alteram poſt eam completam, vel relaxatam, qua pœnarum pœnitentialium gratia fit, & jus communionis Euchariſticæ, quod per Epitimium ſuſpenſum erat, Pœnitentia functo confertur. Itaque antiquam illam Patrum conſuetudinem duplicis Abſolutionis à peccatis, & à pœnis Eccleſiaſticis quam ſupra *cap.*21. explicavimus, & diximus ſimul cum Stationibus pœnitentialibus ortam eſſe, & uſurpatam, Græci hactenus retinent, & obſervant.

III. Antequam iſtorum demonſtrationem ex recentiorum Græcorum teſtimoniis aggrediar, Lectorem monitum velim, Scholaſticorum de Sacramentis Eccleſiæ philoſophandi methodum Græcis omnibus, etiam doctiſſimis, propè eſſe incognitam. Ideò nunquam apud eos legas, hæc eſt, Sacramenti materia, hæc forma, ſi paucos forſan ab annis 80. excipias qui in collegio Romano operam literis Theologicis navaverunt, aut cum iis, aliiſque Latinis verſati ſunt. Id antiquorum, & recentiorum ſcriptorum Lectio non modo docet, in quibus iſta nunquam occurrunt, verumetiam Petrus Arcudius Græcus Theologus, Philoſophiæ, & Theologiæ Scholaſticæ peritiſſimus, & qui cum Græcis Schiſmaticis in Italia, Græcia, & Ruſſia ſæpiſſimè congreſſus eſt *cap.*3. *lib* 4. *Concordiæ Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali*: Scribit enim, *Græcos paſſim ne quidem ſcire quid ſibi velint hujuſmodi termini, materia, & forma in tractatu de Sacramentis*. Ideò fruſtra ſæpe in nonnullis Sacramentis quæras apud eos formas, & ſtata quædam, & ſolemnia verba quibus conficiantur, & conſecrentur. Id faciunt variis verbis, & orationibus multiformiter repetitis, ſed eodem ſenſu conſervato variatis, quas ab antiqua traditione acceptas hucuſque conſervarunt. Si quis igitur quærit apud eos formulas juris ſtrictas, & legitima quædam verba, quibus immutatis Sacramenti actio concipi debeat, & iis pronuntiatis nec repetitis, ſtatim peragi fruſtra ſæpe erit. Multò minus hoc illi ſuccedet, ſi ex pluribus illis verbis, & orationibus certa quædam eligat, in quibus formam figat; deinde hac ſic poſita argumentetur ex habitudine phyſica quam habet forma cum materia, aut ex effectibus quos in materia, ſive in toto compoſito forma producere ſolet. Non ſunt enim Græcorum rituales libri huic docendi methodo accommodati, necdum ipſis in mentem venit in eorum Ritualibus, & Sacramentariis definere hic, & hic materia continetur, hic verò forma; Cætera ad Sacramenti ſubſtantiam non pertinent.

IV. Gabriel Severus Philadelphiæ Metropolita, noſtri ſeculi autor, & literis Latinis eruditus, Latinos imitatus aliquid ejuſmodi tentavit. Sed formam, verbaque ſolemnia, brevia καὶ μονοειδῆ præterquam in baptiſmo, & matrimonio non aſſignavit; & ſi Confirmationis Sacramentum excipias, difficillimè, licèt in ſuo ſcripto Scholaſtico Latinorum methodum totus ingenii viribus æmulatus fuerit, aſſignaſſet. Confirmationis ſive unguenti formam ſcribit, τὴν τῶν ῥημάτων δύναμιν τοῦ ἀρχιερέως ἐπ' αὐτὸ λεγομένων, καὶ εἰδοποιοῦσαν αὐτὸ, *virtutem eſſe verborum, quæ Epiſcopus ſuper unguentum pronuntiat*. Itaque longiſſimas orationes quibus ſacrum chriſma conſecratur, Sacramenti iſtius arbitratur eſſe formam. Similiter formam Euchariſtiæ dicit eſſe primùm hæc Chriſti verba, *Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum, & hoc, Bibite ex eo omnes; hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti, quod pro vobis, & multis effunditur in remiſſionem peccatorum*, συντετμημένα ἔχον, καὶ τὰ ὑπὸ τοῦ ἱερέως ἐφεξῆς λεγόμενα ῥήματα, καθάπερ ἐν τῇ θείᾳ φέρεται λειτουργίᾳ. *Deinde verba, quæ his conſequenter à Sacerdote pronunciantur, ſicuti in Liturgia habentur*. Ita quoque extremæ unctionis formam aſſeverat eſſe omnia, quæ à Sacerdotibus in ejus collatione recitantur. Formam denique pœnitentiæ ait poteſtatem à Salvatore noſtro ſolis ipſius Diſcipulis, & Apoſtolis conceſſam, quam poſteà Epiſcopis per univerſam terram mutua ſucceſſione tradentes exercere juſſerunt. Abſolvendi poteſtatem intelligit, ſed nos actum iſtum à legitima poteſtate exercitum quærimus, hoc eſt, Abſolutionem, quibus namque verbis pœnitenti concedatur. Hieremias quoque Patriarcha CP. primi reſponſi *c.*7. ſcribit obiter Sacramentorum unumquodque definitam habere materiam, & formam, hocque in baptiſmate demonſtrato, ait idem in cæteris inveniri poſſe, ſed eo labore abſtinet.

V. Eo quoque abſtinebimus. Nunc enim nobis ſatis eſt aſſumere Sacramentorum formas apud eos, eſſe, & haberi gratiæ divinæ effectrices. Quales ſint, indicativæ an deprecativæ, aliaque ejuſmodi libro nono explicabimus. His igitur omnibus prætermiſſis, quartum illud notabile, quod Abſolutionis conceſſionem ſpectat, & ab innovatione Nectarii Patriarchæ ad hæc uſque tempora apud Orientales perſeveravit, juxta ordinem ſupra definitum, explicabimus, & demonſtrabimus. Ut iſta explicatio Lectori perſpectior fiat, tria ſeparatim diſcutiemus; Duo priora hoc capite, tertium capite ſequenti. Primum eſt, Peccatorum veniam, ſive Abſolutionem confeſtim poſt editam peccatorum Confeſſionem, aut Pœnitentiam impoſitam à Sacerdote Pœnitenti datam fuiſſe. Ita evidentiſſimè Presbyteros mihi videntur inſtruere Pœnitentiales Græcorum libri antiqui, & recentiores. Joannes Jejunator Confeſſuro primùm proponit Confeſſionem ejus ſe principaliter non recipere, nec Abſolutionem concedere, ſed utrumque Deo tribuendum: Nihil ideò celandum eſſe, ut per Confeſſionem peccatorum veniam conſequatur. Confeſſione particulatim edita ſtatim ſuper Pœnitentem ſeptem orationes pronuntiat, quæ omnes peccatorum veniam à Deo pro Confitente poſtulant, quas ipſe λύσεις, ſolutiones vocat. Finitis his orationibus abſolutoriis jubet eum à terra ſurgere, oſculatur, & bono animo eſſe jubet dicens, *Ecce Dei voluntate homines amantis, & omnium ſalutem volentis ad Pœnitentiam confugiſti, & confeſſus ab omnibus malis operibus prioribus liberatus es. Ne igitur per injuriam divinorum præceptorum ſecundis malis te proſtituas, ne ſint tibi ſecundùm Evangelicum dictum poſteriora pejora*

prio-

Digitized by Google

prioribus, à quibus per Dei miſericordiam abſolutus es. Sed ſtudioſè, & pro viribus contende Dominica cuſtodire præcepta, & ſalutem conſequenter adipiſci. Deinde Sacerdos lectis ſuper eum quibuſdam Evangelicis pericopis, & aliis precibus, & cantibus dictis, quæ ad Abſolutionem nihil pertinent, de Pęnitentia imponenda cum jam Confeſſo, & Abſoluto colloquitur.

VI. Idem docet iterum Joannes ille Patriarcha in oratione ad eos, qui Patri ſpirituali confitentur. Poſtquam illos ad Pœnitentiam exhortatus eſt, & qua ratione confitendum ſit, edocuit, variiſque interrogationibus factis omnia peccata Pœnitens confeſſus eſt, tum Sacerdos jubet eum caput aperire, & preces abſolutorias varias ſuper eum fundit, quæ nihil aliud poſtulant, quàm ut peccatorum remiſſionem Deus Pœnitenti per ipſius miniſterium concedat. Simili modo, ſed adhuc præcedentibus evidentiori, Sacerdotes inſtituit in ſuo Confeſſionis canonario Joannes Monachus S. Baſilii dictus diſcipulus. Confeſſione minutiſſimè peracta Pœnitentem monet ſe non dimittere niſi ea, quæ confeſſus eſt: deinde ſic cum Pœnitente peccata confeſſo agendum eſſe docet, *Tunc in terram ſeſe deiiciet, jacebit, & non ſe eriget, ipſique hæc adprecabitur, & eo jacente ſic dicere incipiet, Deus qui propter nos factus eſt homo, & totius mundi peccato portavit, omnia hæc, frater, quæ indignitati meæ confeſſus es, boni conſulat, ipſe dimittat tibi omnia in hoc ſeculo, & in futuro, qui vult, expectat, & donat omnibus ſalutem, qui eſt benedictus in ſecula Amen. Tum ipſum erigit, & ut propriam animam amplectitur, & ſi fieri poteſt, manum ſuam ipſius collo imponit, dicens: Hæc omnia, frater, ab hac hora ſint ſuper me.*

VII. Idem, nec minus evidenter ex quarto Pœnitentiali colligitur. *Poſtquam ipſum minutim interrogaveris accipe indiculum tuam, & inquire quale illud eſt peccatum, atque ſiſte Confitentem coram hoc libro, & loco ubi peccato Pœnitentia imponitur. Poſteà hæc dicito, fili mi ſpiritualis, ego humilis, & peccator ſum: Quod meæ humilitati confeſſus es, dimittere non valeo. Nullus eſt qui peccata dimittere poſſit, niſi ſolus Deus. Sed propter hanc à Deo pronuntiatam Apoſtolis vocem poſt ipſius reſurrectionem dicentem. Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis; quorum retinueritis, retenta erunt, huic, inquam, voci nos confidentes dicimus, quæcunque declaraſti meæ humilitati, quæcunque non es confeſſus, vel propter ignorantiam, vel propter oblivionem, qualecunque ſit, Deus tibi dimittat, in hoc ſeculo, & in futuro: vade in pace. Adjunge quoque hanc orationem, Deus qui Davidi propria mala confitenti per Prophetam Nathan pepercisti, & Petro abnegationem amarè deflenti, & meretrici ſuper immaculatos ipſius pedes lachrymanti, Publicano quoque, & Prodigo, dimittat tibi per me peccatorem, & in hoc ſeculo, & in futuro, & indemnatum te ad tremendum ipſius tribunal ſiſtat. De peccatis autem confeſſis ne ſis ſollicitus Vade in pace.* Sequuntur aliæ preces, verſus, & hymni, qui in fine operis, ubi Pœnitentiales integri repræſentantur, legi poſſunt. Iſta ſanè mihi videntur evidentiſſimè, quod nobis primum propoſuimus, demonſtrare; nec, ut mihi quidem videtur, ullus eſſe poteſt tergiverſationi locus, maximè ſi perpendatur nullum eſſe verbulum præter jam citata, in quo fingi poſſit ulla Abſolutionis umbra.

VIII. Simeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis non enarrat Abſolutionis Pœnitentialis ritus. Ideò non ita evidenter ex ipſius verbis, ut ex Pœnitentialibus, id quod contendimus colligi poteſt: Ea tamen non obſcurè tradit, ex quibus facile idem comprobatur. In finem enim tractatus ſui citato S. Jacobi teſtimonio, confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut Salvemini, addit, *Vulnerati enim omnes ſumus, & plagis, liberibuſque ſcatemus, nulluſque eſt, qui medicina non egeat. Unus eſt ſolus ſine peccato, qui & humiliter medetur, & per humilitatem propinat nobis medicinam, dum invicem accidimus, & humiliamur, quique jubet ab invicem ſanari; & ſi quis ſanatus fuerit, & ad virtutum actiones factus animi prompti, non à ſeipſo ad hoc feratur, ſed hoc cum Patris benedictione faciat, canonemque perficiat non proprium, ſed per vivam vocem illam accipiat, & cum animi ſubjectione quærat, nulluſque omnino ſibi ipſi confidat, &c.* Ad ita faciendum exemplo Chriſti adhortatur, qui ad mortem uſque Patri obediens fuit. Manifeſtum eſt ad pęnitentiam agendam hortari, & canonem ſuum faciendum, id eſt, pœnam canonicam ſubeundam, non modò poſt confeſſionem editam, ſed etiam poſt precem factam, in qua conſiſtit Abſolutio, & ſanitatem prece recuperatam.

IX. Tertia Nicephori Carthophylacis Epiſtola ad Theodoſium Monachum eundem morem multis videtur evidenter innuere, *Qui fratrem in ſe | uno eodemque die ſepties peccantem venia condonandum, ſuſcipiendumque dijudicarit, is lapſos, quamvis & ſæpè, & multùm deliquerint, quo pacto repellet, & abiiciet? immò ſpiritualibus increpationibus admonebit utiliter conſonet vitam futuram, & æterna ſupplicia in memoriam reducet. Unum cavebit, ne indulgentiùs, & citrà omnem increpationem abſolvat.* Quum ait *citrà omnem increpationem abſolvat*, hoc eſt, citrà Pœnitentiæ canonicæ impoſitionem. Tota enim Epiſtola, quæ brevis eſt, agit de ligandi, & ſolvendi poteſtate. Deinde verba, quæ citamus immediatè ſequuntur ea, quæ paulò ante ex eodem auctore relata ſunt, quibus dixit, qui canonum vigorem, & uniuſcujuſque delicti mulctam ignoraverit, nulli eſſe uſui. Prætereà totus eſt in Pœnitentiis ſecundum canones imponendis. Itaque intelligi aliter iſta non poſſunt, quàm ſupponendo ex praxi communi Pęnitentiæ impoſitioni ſtatim ſucceſſiſſe abſolutionem: ſic & quæ initio dixit de veniæ condonatione, & ſuſceptione, intelligenda ſunt. Idem demonſtratur evidenter poſtremis Epiſtolæ verbis, *Etſi menſura temporis cui injungatur, is tamen tandem declarabit, an dignè admiſſus, vel repudiatus fuerit, qui mandatis obtemperavit, &c.* Qui mandatis in Confeſſione datis obtemperat, id eſt, pęnitentiam canonicam exequitur, demonſtrat, an dignè admiſſus, vel repudiatus fuerit, hoc eſt, an meritò reconciliatus, vel dilatus fuerit.

X. Eadem praxis evidenter quoque colligitur, ex eo quòd ſecundo loco nobis propoſuimus probandum; Videlicet, Omnem apud Græcos ab eo tempore communionis dilationem, quæ nonnumquam hactenus in plurimos annos diffunditur, eſſe de communione Euchariſtica intelligendam, Hoc ipſorum Pęnitentiales libros, atque etiam Doctores expreſſiſſimè adnotare, & nunquam ullum verbum de peccatorum remiſſione differenda facere. Scrupuloſiſſimi ſanè ſunt eorum libri Pęnitentiales in communione Euchariſtica præſtanda: Unicum eorum ſtudium, idque vehementiſſimum in id incumbere videtur, ne cui indigno Euchariſtia præbeatur. Ideò communionem illam diutiſſimè differunt, & intereà variis jejuniis, & orationibus in multos annos certa ratione quam tradunt, diſtributis; peccatores diligenter purgant, antequam ea donentur, *Iſtas differentias peccatorum, & pœnitentiarum pro communione definimus*, inquit Joannes Jejunator, *Omnium enim peccatorum graviſſimum eſt indignè communicare*. Ideò paulò poſt de iis agens, qui vel natura, vel malo conſilio, vel prava conſuetudine ſæpius in eadem peccata incidunt, *Hujuſmodi*, inquit, *quoties ceciderint confiteri debent: ſi verò Pœnitentias ipſis impoſitas compleverint, Itaut communicare ipſis liceat, ſi omnino ſui ipſius miſereantur, ne vel tunc communicent, ſed expectent donec profecerint, & puram, ſineque macula communionem facere poſſint. Propter hoc enim ſolùm in judicio Dei miſericordia digni erunt.* Quòd ſi, inquit, in eadem peccata ſemper relabantur, *Saltem abſtineant per totam ſacram quadrageſimam, & cum timore, & tremore tribus Paſchatis diebus communicent, &c. ſi verò in magna quadrageſima labantur, ne vel ſic communicent.* Eadem animadvertit, & præcipit in Pęnitentiali ſuo Joan. Monachus. Prætereà poſtquam varias peccatorum differentias variæ perſonarum conditioni applicatas enarrare deſiit, unicuique variam jejuniorum, & diætæ rationem indicturus, ait, *de communione autem, ut ſupra dictum eſt, in annum, in duos, in tres, in quatuor, in quinque, in ſex, in ſeptem concedere.* Quibus evidenter teſtatur, quæcunque ſupra de communionis dilatione dixerat, eſſe de communione Euchariſtiæ intelligenda. Eodem modo loquitur, & præfatur Joannes Monachus, cùm poſtquam varias peccatorum differentias juxta varias perſonarum differentias examinavit, & unicuique abſtinentiam à communione Euchariſtica in certos annos definivit, præcepta diætæ pęnitentialis explicare aggreditur.

XI. Paucis ordinem, & mentem Pęnitentialium in hac cauſa explicabo. Operum Pęnitentialium præcepta in tres generales ſpecies dividunt: In ea quæ communionis Euchariſtiæ privationem ſpectant, & ad iſtam privationem referuntur unius ad plurium annorum mulctæ: Deinde in ea, quæ jejuniorum, & ciborum abſtinentiam; ubi explicant, quibus diebus abſtinendum ſit, quibus remiſſius agendum, quibus non abſtinendum: Denique in ea, quæ preces, & orationes ſingulis diebus recitandas. Quod ad abſolutionis attinet denegationem, aut dilationem vix unquam de ea verba faciunt, eo quòd omnibus poſt confeſſionem concederetur, niſi forſan ſe reſtituere velle, aut peccata deſerere verbis, vel factis negarent. Ita enim ex ſancto Baſilio decernit Hieremias Patriarcha reſponſi 1. ad Lutheranos *cap.21.* ad quartum, *Neceſſarium eſt iis, quibus œconomia myſteriorum Dei concredita eſt, confiteri peccata. Ita enim qui antiquis temporibus Pœnitentiam egerunt, apud Sanctos feciſſe inveniuntur. Quod attinet autem ad poteſtatem remittendi peccata, ea non abſolutè data eſt.*

Digitized by Google

ſed ea conditione, ut Peccati Pœnitens obediat, & conſentiat illi, qui animæ ſuæ curam gerit, & veram pœnitentiam demonſtret. Ideo dixerat initio *cap.* 12. Pœnitentes juxta ſententiam Patrum canonibus eſſe ſubiiciendos, & ſatisfactionis iſtius multam eſſe virtutem, quam ibidem particulatim enarrat, ſed ab infirmis negas exigendam, ſufficere aſſerens ad remiſſionem peccatorum iis procurandam τὴν τοῦ μετανοοῦντος γνησίαν πρόθεσιν καὶ ἐπιστροφήν.

CAPUT XXV.

Græcos alteram Abſolutionem poſt Pœnitentiam completam dare ſolitos multis exemplis docetur. Quis iſtius Abſolutionis effectus. Idem effectus elapſo tempore conſtituto ex rei natura ſine Abſolutione obtineri poterat: quare id non factum. Perfectam peccatorum remiſſionem operari dicunt. In ea impertienda conjungit aliquando generalem peccatorum Abſolutionem. Ante Pœnitentiam integrè completam quandoque conceditur per indulgentiam, vix ante inceptam. Concedunt Epiſcopi Græci Indulgentiarum diplomata, quæ vocant συγχωροχάρτια, & ἀφορισμοὺς. Convenientiæ, & differentiæ iſtius Abſolutionis cum Excommunicatione minori. Excomm. minor uno tantùm caſu incurritur. Cenſura nomen hic ἐν πλάτει ſumitur, non Scholaſticè. Rigida illa acceptio Græcis, primiſque Scolaſticis incognita. Plures Excommun. minoris ſpecies olim datas: dari potuiſſe agnoſcunt multi Scholaſtici, ſed nunc unam ſpeciem eſſe in uſu. Criminum Rei apud Græcos, licèt occulti, Sacrificii tempore è choro ſecedunt. Antiqua diſciplina in Clericos multa capita obſervant.

TErtium eſt poſtremum, quod explicatu neceſſarium judicamus, ut nobis penitus innoteſcat, qua ratione Pœnitentialis Abſolutio poſt Nectarii innovationem apud Orientales huc uſque adminiſtrata eſt, ſecundam quandam Abſolutionem ſpectat, quæ duobus temporibus apud eos dari conſuevit; vel legitimè, videlicet poſt peractam Pœnitentiæ actionem; vel clementer, & œconomicè, cum nondum iſta actione peracta pœnarum canonicarum aliqua remiſſio Pœnitenti conceditur. Non abs re interrogabit Lector, Hæc poſterior Abſolutio cujus rei erat Abſolutio? Cùm enim prior Pœnitentem abſolviſſet à peccatis, quis erat poſterioris effectus? Manifeſtum eſt ex iis, quæ proximè de Græcorum diſciplina demonſtrata ſunt, Pœnitentem poſt peccatorum Confeſſionem, & remiſſionem eſſe nihilominus ἀκοινώνητον, Excommunicatum, ea nempe Excommunicatione, quæ vulgò minor dicitur; quæque ex uſu antiquo neminem ſuffragiis Eccleſiæ privabat, neque dum myſteria celebrantur, fidelium conſeſſu; ſed ſolùm oblationis offerendæ, & illius poſt conſecrationem participandæ prærogativis. Verùm Excommunicatio illa Græcorum recentiorum non ſolùm hoc, ſed etiam multa alia magni momenti ſecum trahit, omnia ſcilicet illa laborioſa opera, quibus antiquitus Pœnitentes privatim in Subſtratione mulctari ſolebant. Notandum autem ex eorum conſuetudine priorem Abſolutionem veluti parere minorem illam Excommunicationem: Nam remiſſionis criminum gratiam ita faciunt, ut ſæpe hac excommunicatione eum ligent. Cùm igitur ex omnibus, quæ capite præcedente dicta ſunt, evidens planè ſit, Pœnitentem poſt acceptam peccatorum veniam communione Euchariſtica in multos annos ſæpe interdici, variis deinde pœnis canonicis toto illo tempore puniri, manifeſtum profectò eſt, Abſolutionem illam eſſe vinculorum iſtorum ſolutionem. An autem jure oblationis ad altare offerendæ iſta Excommunicatione apud Græcos ut olim, hodierna die privetur, mihi eſt incompertum.

II. Si res in ſe, & circumſtantiis nudata examinetur, poterat forſan tempore interdictionis completo ſine ulla Abſolutione ab homine data, diſſolvi ejuſmodi Excommunicatio, ut in canonica Suſpenſione contingit. Verùm aliter, & non abs re Græci uſurparunt: Non enim æquum videtur, ut qui in ſtatione à Præpoſito collocatus eſt, illius injuſſu diſcedat; nec ſanum ut ratione abſtinentiæ, & diætæ à Medico ſibi imperatæ non reddita, cibis ſolidis ſuopte judicio veſcatur. Deinde jubent Canones, ut Pœnitentis vita, moreſque diligenter à Sacerdotibus attendantur, ut juxta zelum ipſius in pœnis impoſitis in ſeſe exequendis citiùs aut tardiùs vinculo quo ligatus eſt, ab iis liberetur. Denique ipſa Præpoſiti benedictio, & cum ipſius bona gratia dimiſſio, non eſt humiliter petenti ſterilis, & inefficax. Sed quidquid ſit, ſic agunt Græci, & credunt ſecunda iſta Abſolutione perfectiorem peccatorum remiſſionem à Deo ſe conſequi. Joannes Jejunator Patriarcha poſtquam rationem confitendi, interrogandi, abſolvendi à peccatis, & Pœnitentiam imponendi fuſiſſimè docuit, tandem in Pœnitentialis fine modum à Pœnitentiis, ſive vinculo canonico abſolvendi tradit, in hæc verba, εὐχὴ ἐπὶ τοῦ ἐν δεσμῷ ὄντος ὑπὸ ἱερέως, καὶ λυομένου, *Oratio ſuper eum, qui à Sacerdote ligatus eſt, cùm ſolvitur.* Orationis verba eandem Pœnitentialis vinculi ſolutionem evidentiſſimè demonſtrant. *Tu, Domine, libera benignitate tua hunc præſentem ſervum tuum N. à jugo, cui ſubjacet, & relaxa hoc ſibi impoſitum jugum, &c.* Eadem oratio legitur in Euchologio, ſed titulo immutato, ita tamen ut immutatio illa, quod contendimus, diſertiſſimè ſtabiliat, εὐχὴ ἐπὶ τῶν ἐξ ἐπιτιμίων λυομένων, *Oratio ſuper eos, qui à Pœnitentiis ſibi impoſitis ſolvuntur.* Epitimium enim Græcis eſt Pœnitentia, ſive pœna canonica peccatori poſt Confeſſionem, à Sacerdote ante, vel ſtatim poſt peccatorum remiſſionem impoſita. Eadem oratio cum eodem prorſus titulo legitur in antiquiſſimo Abbatiæ Græcæ, quæ dicitur Crypta ferrata, Euchologio.

III. Omnium evidentiſſimè hoc probat alia oratio, quæ in antiquo Allatiano codice legitur cum hoc titulo, εὐχὴ ἑτέρα εἰς τὸ λῦσαι κανόνα εἰς ἀφορισθέντα, *Alia oratio ad ſolvendum canonem Excommunicato impoſitum.* Capite præcedente multis expoſitum eſt, & probatum canonem dare, facere, apud Græcos recentiores ab aliquot ſeculis ſignificare Pœnitentiam juxta canones imponere, & exequi. Quapropter illa oratio pœnitentem ab eo onere, & minori excommunicatione, qua poſt peccatorum abſolutionem à peccatore ſemper percutitur, liberat. Hoc ipſa oratio diſertè continet, *Ut meretricibus, & Publicanis, qui olim peccaverant integram, & perfectam remiſſionem dediſti, ſic abſolve ſervum tuum hunc à vinculo Excommunicationis ſibi impoſito, &c.* Integra cum Pœnitentialibus, & aliis ejuſmodi à nobis in libri fine exſcribitur.

IV. Paulò curioſiùs nobis ſunt examinanda hæc verba, *integram, & perfectam remiſſionem dediſti.* Non ſemper integrè ab Eccleſia peccata remittuntur, neque etiam Deus peccata ſemper integrè remittit. Sæpe enim condonata culpa pœnas è venia eximit, eaſque peccatorem, vel in hoc ſeculo, vel in futuro luere decernit, ut nos docet Catholica fides. Sic etiam ſeſe gerit Eccleſia: Filiorum culpas ſemper condonat, ſed pœnas nihilominus quando expedire judicat, ab iis expoſcit. Sic veniam primis Eccleſiæ ſeculis ipſa diſpenſavit, ut ſupra *cap.* 21. probatum eſt. Sæpe enim peccatum culpa donata cum eos à Subſtratione dimiſſos ad Conſiſtentiam admiſit, longa Euchariſtiæ privatione purgavit, tandemque ſic purgatiores facti abſolutiſſima reconciliatione beavit, qua jus ad Euchariſtiam, corpuſque Chriſti verum illis conceſſum eſt. Sic prior Abſolutio eos nec Deo, nec Eccleſiæ perfectiſſimè reconciliabat, ſed poſterior, quæ priorem ſequebatur, nunquam antecedebat: Ex miſericordia tamen in unam conjungebantur. Hunc Eccleſiæ antiquæ morem Græci hactenus conſervarunt: Duobus tamen modis ab eo variarunt. Nam pœnas in Subſtratione tolerandas abrogata Subſtratione ad Conſiſtentiam revocarunt. Deinde cum antiquitus Ephori Pœnitentibus præficerentur, qui inſpicerent, an pœnas ſibi imperatas legitimè exequerentur, ipſi illarum executionem Pœnitentium fidei crediderunt, interea humili eorum Confeſſione, & pœnarum acceptatione, executioniſque promiſſione contenti à peccatis Abſolutionem ſtatim hæc præſtantibus conceſſerunt, perfectam, & integram remiſſionem acta Pœnitentia conceſſuri. Hunc loquendi morem, ſenſumque retinuit Concilium Tridentinum, *ſeſſione* 14. *cap.* 3. cùm dixit, Pœnitentis actus eſſe quaſi materiam hujus Sacramenti, *Qui quatenus in Pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remiſſionem, ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicantur.*

V. His conformiter docent Græci poſteriore Abſolutione priorem perfici, & integrari, atque in hunc finem ab iis concedi. In antiquo Euchologio Allatiano, ἄνες αὐτῷ τὸν ἐπιτεθέντα δεσμὸν, καὶ ζυγόν. Καὶ δώρησαι αὐτῷ τελείαν τὴν συγχώρησιν, ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος. *Remitte ipſi vinculum, & jugum impoſitum, atque ut benignus, & clemens dona illi perfectam, & integram veniam.* Et iterùm in fine Orationis. *Exorare, Domine, & concede illi* τελείαν συγχώρησιν, *integram veniam, omnem maledictionem, & Excommunicationem irritam effice, &c.* Integrè inter Pœnitentiales libros refertur. Hunc abſolvendi ordinem paucis verbis, ſed perſpicuis tradere videtur Hieremias Patriarcha in Cenſura Confeſſionis Auguſtanæ. Primi reſponſi *capite* 12. *Remiſſionem porrò facimus ex poteſtate illius, qui dixit, Quorum remiſeritis peccata, &c. Hoc modo etiam pœnas condonari credimus, & in hujus rei pignus*

divi-

divinum Euchariſtiæ donum damus. Diſtinctæ igitur non modò ſunt Abſolutiones illæ, ſed etiam tempore ſeparatæ, diverſiſque fulciuntur objectis: Prior enim culpam habet, quam deleat; poſterior pœnas, quibus vel finem imponit, vel nondum integrè exactas remittit. Nam, ut dixerat capite præcedente, imponuntur Pœnitentiæ κατὰ τὸν κανόνα τῶν συνηγμένων καὶ τοῖς πατράσι διωρισμένων: Et initio capitis ſequentis, οἱ θεῖοι πατέρες κανονίζεσθαι προσέταξαν τοὺς ἐπιστρεφομένους καὶ μετανοοῦντας, *Divini Patres canonizare* (canonibus ſubiicere, ſecundum canones judicare) *juſſerunt eos, qui convertuntur, & reſipiſcunt.* Quapropter cùm ſint ſententiæ, non modò longo tempore diſjunctæ, ſed etiam poſterior in objectum feratur multis pœnis, & medicamentis purgatum, non immeritò dicitur ab iis remiſſionis peccatorum integritatem conferre.

VI. Refert Petrus Arcudius *lib.4. cap.3.* Michaelis Patriarchæ Antiocheni deprecationem abſolutoriam εὐχὴν συγχωρητικήν, quia cuidam Theodoſio poſt Confeſſionem peccatorum Patribus ſpiritualibus factam, ut & Pœnitentiam canonicam de iis actam, Abſolutionem ſolemniter concedit, *Mediocritas noſtra habet venia condonatum ſpiritualem filium ſuum Theodoſium, in quibuſcunque etiam ipſe ut homo deliquit, atque in Deum verbo, opere, cogitatione, omnibuſque ſuis ſenſibus peccavit, & ſi imprecatione, ſeu Excommunicatione Pontificis, ſeu Sacerdotis, vel Patris, aut matris ſuæ obnoxius fuit, vel ſibi ipſe malum imprecatus eſt, ſeu jusjurandum violavit, vel etiam aliis quibuſdam erratis, quippe qui homo ſit, & ipſe confixus eſt, & hæc quidem Patribus ſpiritualibus confeſſus eſt, & ab iis impoſitum canonem diligenter perfecit, à reatu, ut & à ligamine horum omnium omnipotenti poteſtate, gratiaque ſancti, & adorandi ſpiritus eum ſolvimus, & habemus liberum, & venia donatum.* Abſolutionem illam non eſſe à peccatis, ſive ut loquimur, Sacramentalem, duo quæ in ea narrat manifeſtiſſimum faciunt. Prius, quod nihil eſt ipſi confeſſum: ſemper enim vel generaliter, vel conditionaliter loquitur. Poſterius, quod Confeſſionem, & Abſolutionem Sacramentalem ſupponat, Pœnitentiæque actæ adiiciatur. Qui enim Sacramentaliter abſolvens dicat, ego te à peccatis abſolvo, ſi ea Sacerdoti confeſſus fueris, & de iis Pœnitentiam canonicam egeris: Perſpicuum eſt igitur, & planè neceſſarium hic agi de poſteriore Abſolutione, quæ poſt toleratas pœnas canonicas à Confeſſoribus impoſitas concedi ſolet.

VII. At inquies, Quid igitur ſibi volunt priora verba, *Habet venia donatum in quibuſcunque etiam ipſe ut homo deliquit, atque in Deum verbo, opere, &c.* Facilis reſponſio. Generalis eſt Abſolutio, qua cum à pœnis canonicis abſoluturus Abſolutionem jam à Sacerdote datam confirmat, quaſi diceret, cum quæcunque in Deum, & proximum peccaſti, Patribus ſpiritualibus confeſſus fueris, & Pœnitentiam ab iis impoſitam ſincerè executus fueris, id, quod tecum egerunt, approbo, ratum habeo, te à peccatis abſolutum agnoſco, & pœnarum canonicarum vinculum, quo ligatus es, ſolvo, in cujus rei gratiam, & σημεῖον tecum in Sanctiſſimo Chriſti Corpore communicare volo. Addit his Patriarcha, ſi maledictioni, vel Excommunicationi Patris, aut Matris, aut Pontificis, &c. obnoxius fuit, vel ſibi ipſe malum imprecatus eſt, ſeu jusjurandum violavit, &c. Se eum quoque ab his omnibus abſolvere; eo quòd Græcorum moris eſt in iſta incidentes ſeveris Epitimiis afficere, quibus completis, orationibus reconciliatoriis abſolvuntur, ut videre eſt in eorum Euchologiis. Ait igitur Patriarcha ſe Theodoſium à quibuſcunque ejuſmodi pœnis abſolvere, ſi iis obnoxius ſit, modo prius crimina Patri ſpirituali confeſſus fuerit. Scribit Arcudius ſimilem Orationem Abſolutoriam legiſſe Leopoli in Ruſſia cuidam Petro Archidiacono Rutheno conceſſam à Joachimo Patriarcha Antiocheno. Unde coniicit, hanc Abſolutionis formulam in Antiocheno Patriarchatu obſervari. Duæ omnino ſimiles leguntur in antiquo Allatiano Euchologio, à Germano Amathuntis Epiſcopo datæ: quarum altera mulieri cuidam conceditur; altera indefinita eſt, & formulæ vicem tenet. Duæ aliæ è membranis regiis ſimiliter indulgentias concedunt, ſed jam peccata confeſſis, *Omnia tibi per nos à prima ætate ad præſentem uſque ſtatum in opere, verbo, & cogitatione ſcicator, aut ignoranter peccata perpetrata condonet, quæ videlicet patribus ſpiritualibus confeſſus es, & ab iis pro viribus abſtinere ſtuduiſti, &c.* Idem ex ſecunda colligitur: Omnes fini hujus operis adiicientur. Ex quibus omnibus manifeſtiſſimum, eſt peccatorum Abſolutionem in iis commemoratam, non eſſe Sacramentalem, ſed illius jam utiliter datæ approbationem.

VIII. Dicimus Abſolutionem illam à pœnis canonicis nonnunquam ante ſolutas integrè pœnas à Græcis concedi ſolere. In hac aſſertione nihil extraordinarium, nihil inſolens: Ab incunabilis Eccleſiæ ad uſque diem in utraque Eccleſia, Latina, & Græca, hoc ſemper obſervatum eſt, ut pœnas canonicas peccatis inflictas Epiſcopis, eorumque Vicariis pro converſionis vehementia, & in iis exercendis ſtudio, liceret contrahere, aut remittere. Jam ſæpius data occaſione hoc probatum eſt, licèt probatione non indigeat. Id fieri poteſt variis temporibus, ut etiam res ipſa condonata cum variis temporamentis condonari. Poteſt enim indulgentiæ gratia fieri ſtatim poſt datam à peccatis Abſolutionem, vel ſimul cum ea, vel longo poſt tempore quòd tertium, ut manifeſtum eſt, varia habet indulgentiæ momenta. Sic etiam res ipſa condonata, vel integrè donari poteſt, vel particulatim. Rariſſimè apud Græcos condonatio fit integra, ſtatimque poſt priorem Abſolutionem, vel ſimul cum ea. Tam effuſæ enim largitioni adverſatur pœnarum canonicarum conſuetudo nondum obliterata. Unde poſterior Abſolutio, in criminibus præſertim, vix unquam cum priore, ſed multo poſt tempore conceditur: De jure, poſt pœnarum canonicarum ſolutionem; de indulgentia, ante ſolutionem.

IX. Petrus Arcudius de Græcis ſuis hoc teſtatur eodem loco, *Solent autem Græci Patriarchæ ejuſmodi diplomata, indulgentiarum inſtar, & cujuſdam Jubilæi concedere, ob eamque cauſam appellant eu* συγχωροχάρτια, *quaſi dixeris, condonatitias literas. Concedunt autem tum his, qui apud eos confitentur, ſi poſtulant, tum aliis, quos jam ſupponunt prius confeſſos fuiſſe, cujus ſanè confeſſionis auricularis mentionem in literis faciunt.* Quod ait Aricudius Patriarchas, illas indulgentias inſtar Jubilæ dare, gratis dicit, nec ullo exemplo doceri poteſt. Omni enim illa συγχωροχάρτια privatis, & ſingularibus perſonis conceduntur. Quare indulgentiarum, non Jubilæi, rationem induere poſſunt. Præterea hanc indulgentiarum concedendarum auctoritatem ſolis Patriarchis vindicare videtur. At ea utuntur ἀνεπαρρήσιαστως, in ſingulares perſonas, ut ſibi ratione Epiſcopatus conveniente omnes Orientalium Epiſcopi, ut videre eſt in literis ab Amathuntis Epiſcopo conceſſis, atque in literarum ejuſmodi formula, quam ex antiquo Euchologio exſeriptam Pœnitentialibus adtexuimus. Idem poſtulat ratio, reique neceſſitas: Literæ enim Sacerdotibus, & Monachis, ut jure Confeſſionis, & Patrum ſpiritualium gaudeant, utramque Abſolutionem complectuntur, ut in eadem formula legitur, & in Germani Amathuntis diplomate. Idque neceſſario, vix enim aliter fieri poteſt. Nam qui propter crimina à peccatis abſolvit, tenetur poſteà à pœnis, cùm toleratæ ſunt, abſolvere. Ergo ſi ad Patriarcham propter poſteriorem Abſolutionem recurrendum eſt, toties erit ad eum recurſus, quoties ad proprium Pontificem, quod eſt planè ridiculum. Deinde, ut notum eſt, omnia antiqua Concilia, quorum decreta Græci in hac cauſa hactenus obſervant, hanc auctoritatem Epiſcopis in pœnitentias canonicas ſemper tribuerunt. Ideo longè accuratius ſcripſit Jacobus Goar pagina 680. Euchologii à ſe Latinè tranſlati, *Pontifices quoſvis, maximè Epiſcopo ſuperiores diplomata quædam à pœnis, & canonibus non plenè adimpletis Pœnitentes eximentia, maximè circa diſceſſum ex hac vita, extra Sacramenti ſuceptionem, ut fiant,* κατὰ τρόπον συγκεχωρημένοι *concedere, & hæc* συγχωροχάρτια, *chartæ condonativæ, indulgentiarum vicem apud Græcos obtinent.* Συγχωροχάρτια illa dicuntur etiam, ἀφίσιμα. Duæ ſunt ejuſmodi preces pœnarum canonicarum abſolutoriæ in Regiæ Bibliothecæ Euchologio, quibus titulus inſcribitur, ἀφίσιμον Dimiſſorium, Indulgentia. Immò Epiſcopus indulgentiam concedens, intra ipſam indulgentiæ orationem, eam vocat ἀφίσιμον.

X. Secunda illa Abſolutio, cùm non ſit à peccatis niſi per accidens præcedentem Excommunicationem ſupponit, quæ affinis eſt ei, quam Theologi, & Canoniſtæ minorem vocant. Ut enim minor Excommunicatio ſolam Sacramentorum participationem κυρίως interdicit, cæterum officiis omnibus Eccleſiaſticis intereſſe, permittit precumque Eccleſiæ fructu gaudere; ita hæc. Ut quivis Sacerdos auctoritate abſolvendi, vel ab officio, vel ab homine donatus, ab hac Excommunicatione ſaltem in foro interno poteſt abſolvere; ita & hic. Ut minor Excommunicatio non modò à quocunque Epiſcopo ferri poteſt, ſed etiam à quovis Prælato, & quocunque Eccleſiaſtico inferiori, ut loquitur Sylveſter, Excommun. 4. n. 2. Ita & hæc.

XI. Verùm differentiæ plures ſunt. Prima, Tertia illa convenientia cum minori Excomm. à plurimis annis deſuevit. Nam non ampliùs ab homine fertur minor Excommunicatio, à jure tantùm incurritur, ut ibidem teſtatur Sylveſter. Similiter Franciſcus Suares ſcribit, *De iſta cenſura, quæ ab homine fertur, vix aliquid probari poteſt ex praxi, quia non*

Morin. de Sacram. Pœnit. 1 4 *eſt in*

eſt in uſu diſput. 24. de cenſuris, ſect. 3. n. 9. & 1. Laymannus verò *fermè deſiiſſe, lib. 1. tract. 5. parte 1. capite 3. n. 9.* Hoc experientia docet. Itaque convenientia illa tantùm Theoretica eſt: Revera enim Excommunicatio minor à jure tantum infligitur; ſed iſta ab homine, ſecundùm tamen canones. Secunda, Excommunic. minor uno tantùm in caſum locum habet juxta hodiernos Theologos, cùm ſcilicet quis cum excommunicato declarato peccaminosè, ut ipſi loquuntur, communicat. Ita Cardinalis Tolet. *Summæ lib. 1. capite* 17. *n. 3.* Suarez ibid. *n. 3.* Navarrus in Manuali *capite* 27. Laymannus loco jam citato. Sylveſter decem caſus ponit; Antoninus de Excomm. *cap. 79.* novem. Innocentius *in capite 1. de ſententia Excomm.* octo: Henriquez *Summæ lib. 13. cap. 3. n. 4.* ita ſcribit, *Olim ob quodlibet peccatum notorium incurrebatur hæc minor, & privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ: Et jure antiquo deſignabantur octo caſus, qui tamen ſunt conſuetudine abrogati, &c. At poſt Concilium Conſtantienſe nunquam incurritur niſi ipſo jure propter ſolam participationem cum excommunicato nominatim, & publicè denuntiata, &c.* Hic autem caſus vix unquam multorum annorum ſpatio in Gallia deprehendetur. Excommunicatio verò, de qua nobis ſermo eſt, à Confeſſore quolibet poſt ſcelus confeſſum, & datam peccatorum Abſolutionem in criminis Reum fertur. Itaque tot illius ferendæ ſunt caſus quot ſcelera. Ingens, & multiplex differentia.

XII. Non ſum neſcius ab homine Scholaſtico dici poſſe, in ratione cenſuræ perperam iſta conferri. Excommunicationem, de qua loquimur, non eſſe cenſuram: Excommunicationem dici non poſſe niſi admodum impropriè. Cenſura omnis ad forum externum pertinet, hæc autem ad forum internum. Ad cenſuram ferendam neceſſariam eſſe juriſdictionem fori contentioſi, cui hìc nec eſt, nec poteſt eſſe locus: Longum eſſe diſcrimen inter ſatisfactionem peccatum in Sacramento remiſſum conſequentem, quæ Pœnitentiæ tertia pars eſt, quæque volenti virtute Sacramenti ſemper imponitur, & cenſuram, quam contumacia ſemper præcedit, & qua peccator extra Sacramentum percutitur. Verùm, ut opinor, cordatus quiſque, & in auctorum Eccleſiaſticorum, qui undecim ſeculorum ſpatio ſcripſerunt, lectione tantillùm verſatus, mihi facilè concedet artem illam ſtrictè, præcisèque, & ſecùndum formalitates Logicas, de Cenſuris Eccleſiaſticis loquendi, & Philoſophandi, ante illud tempus ab Eccleſiaſticis auctoribus non fuiſſe uſurpatum. Ut enim prætercam Burchardum Vormacienſem Epiſcopum, & Ivonem Carnutenſem Canoniſtarum ſuo tempore Coryphæos, in quorum collectionibus nihil ejuſmodi deprehenditur; Hugonem Victorinum his poſteriorem tot ſcriptis celebrem, in quibus tamen nihil ejuſmodi agitat. Lombardus, & Gratianus ἀκρόται κεφαλαὶ, ille Theologorum, hic Canoniſtarum, qui annis poſt Ivonem quinquaginta, & ſeculo duodecimo in decimum tertium jam inclinante per orbem Chriſtianum celeberrimi fuerunt, nihil tamen ſcripſerunt, ex quo conjici poſſit hunc de Cenſuris præciſum, & artificialem loquendi modum illis fuiſſe cognitum; immò de Gratiano facilè demonſtrari poſſet illi fuiſſe prorſus incognitum, aut tunc velut paucis ſic philoſophantibus planè præteritum. Unde enim apud eos colligetur eſſe tres tantùm Cenſuras? Depoſitionem, & degradationem eo nomine non eſſe cenſendas: Interdictum cenſuram eſſe, non autem ceſſationem à divinis: Irregularitatem impedimentum eſſe canonicum, non Cenſuram: Cenſuras ad forum externum pertinere, non ad internum, ſive Sacramentum Pœnitentiæ: Immò ubi apud eos ipſum Cenſuræ nomen ſic acceptum, & à cæteris pœnis, & impedimentis Eccleſiaſticis diſtinctum? Iſtius generis quæſtiones plures fieri poſſunt, de quibus apud iſtos auctores nulla memoria, licèt de clavibus Eccleſiæ, è quibus originem ducunt, multus ſit, & frequens ſermo. Iſta diſciplinam ſapiunt poſterius reformatam, & inſtitutam. Quapropter qui ante iſtam inſtitutionem ſcripſerunt, de iiſdem rebus, factiſque inartificialiter καὶ ἐν πλάτει locuti ſunt, atque, ut ita dicam, πίονι μέτρῳ, pinguiore, & cumulatiore menſura. Itaque de poſterioribus Conciliis, canonibus, decretis, auctoribus ſic colligere fas eſt, vimque habent ejuſmodi argumenta maximam; quia diſciplinæ jam inſtitutæ, & ubique acceptæ conformiter ſtatuerunt, definierunt, ſcripſerunt. Nobis, qui antiquis, & laxioribus limitibus circumſcribimur, non licet eſſe tam accuratis: maximè cum de Græcorum hic agamus diſciplina, quibus iſta omnia hactenus incognita fuerunt.

XIII. Quapropter his præteritis, ut ad nos nihil ſpectantibus, rem ipſam conſideravimus, antiquaſque loquendi formulas, quæ Excommunicatos, & ἀκοινωνήτους vocant, ſacra Euchariſtia quomodocunque privatos, & interdictos; multòque magis qui inſuper à precibus expelluntur, omnium maximè poſtremos Pœnitentes, quibus in Eccleſiam ingredi nefas erat, licèt Excommunicatione maxima jam ſoluti eſſent, & in gratiam cum Eccleſia redire cœpiſſent. Compendio dicam, Minoris Excommunicationis ſpecies quatuor, ſive gradus apud antiquos fuiſſe frequentiſſimos, licèt Doctores omnes tam Scholaſtici, quàm Canoniſtæ uno prope conſenſu unicam illius ſpeciem conſtituant, atque praxis ab aliquot ſeculis id confirmet. Primus peccatorem à ſola Euchariſtiæ participatione excommunicabat, ſive interdicebat: Secundus priore gravior, ab Euchariſtia, & precibus Euchariſticis, ſive fidelium. Tertius duobus his gradibus addebat expulſionem ſive Excommunicationem à precibus ſuper Catechumenos, & Pœnitentes ſubſtratos factis. Quartus ab omni Eccleſiæ ingreſſu eos excommunicabat, ſive ſubmovebat: vel quod idem eſt, quatuor erant Excommunicatorum minori Excommunicatione gradus, Conſiſtentes, Subſtrati, Audientes, flentes; Græci, ut dictum eſt, primam ſpeciem retinuerunt, quam cum minori Excommunicatione in Canoniſtarum, & Theologorum libris tantopere decantata, licet à multis annis penitus prope obſoleta, comparavimus. Rem per umbram proſpexit, καὶ ὡς ἐν σκότῳ ἐψηλάφησε τὸ πρᾶγμα Laymannus cum ſcribit Theologiæ Moralis *lib. 1. Tract. 5. par. 1. cap. 3. n. 5. Quamvis abſolutè nihil obſtet quo minus ea* (Excomm. minor) *etiam ab homine decernatur, ut videlicet in pœnam alicujus delicti, præſertim accedente contumacia, nominatim alicui interdicatur uſus Sacramentorum, vel ſaltem unius præcipui, S. Euchariſtiæ. Atque olim ita in uſu erat, ut alicui, ſeu ob hoc ipſum vetitæ communicationis, ſeu ob aliud peccatum præteritum, partialis excommunicatio à ſacra Synaxi, vel etiam oratione imponeretur, uti frequenter legere potes in regula S. Benedicti. Nunc autem talis excommunicandi modus fermè deſiit.*

XIV. De hiſce prudenter, & modeſtè philoſophatur Franciſcus Suarez: nonnunquam enim Lectorem ſuum monet, ſe de Cenſuris diſputare ſecundum præſentem Eccleſiæ conſuetudinem, alios eſſe poſſe in Eccleſia, atque etiam fuiſſe excommunicandi modos, de quibus, cùm deſueverint, verba non facit. Ita *diſput. 24. ſect. 1. n. 3.* & aliis locis, *Loquendo de Excommunicatione, quæ propriè cenſura ſit, & præſertim ſecundùm præſentem ſtatum, & conſuetudinem Eccleſiæ, non videtur neceſſarium diſtinguere illam ſpeciem Excommunicationis minoris, præter eam, quæ conſiſtit in ſeparatione à perceptione Sacramentorum.* Hujus dicti rationem veram, & intimam reddit, *Quia ratio harum cenſurarum tota pendet ex inſtitutione; & Pontifices aliam inſtitutionem nobis non declarant, ut patet ex d. cap. ultimo de Cler. Excommun. min. & cap. penult. de ſent. Excomm. Neque alius modus Excommunicationis minoris jam eſt in uſu. Non ergo alios diſtinguere, vel declarare neceſſe eſt. Fateor enim poſſe excogitari alium modum Excom. minoris, ut poſſibilem, & non tantùm unum ſed plures. Et fortaſſe olim alius fuit in uſu, &c.* Et poſteà n. 6. agnoſcit *interdum vocari excommunicationem in antiquis juribus ſolam privationem Euchariſtiæ, cujus uſus per antonomaſiam dicitur communio.* Cujus duo, aut tria exempla ex Gratiano refert. Deinde dictum confirmat auctoritate Victoriæ, *Nobiſcum ſentit dicens olim fuiſſe in Eccleſia alios modos pœnarum, ſeparando fidelem peccatorem propter aliquas culpas, vel à perceptione ſolius Euchariſtiæ, vel ab ingreſſu Eccleſiæ, & communicatione in divinis officiis, aut communi oratione, quæ omnes, ait Victorio, poterant vocari excommunicationes minores. Nunc autem inquit, una tantùm eſt Excommunicatio minor, quæ privat uſu paſſivo Sacramentorum.*

XV. Comparationis inſtitutæ occaſionem nacti nonnihil forſan alicui videbimur à propoſito digreſſi; cum eo igitur cominus nunc congrediamur. Præter quatuor illa primaria capita hactenus explicata, quibus diximus totam prope Eccleſiarum Orientalium in Sacramento Pœnitentiæ diſciplinam poſt Nectarii innovationem contineri, duorum notavimus Lectorem eſſe admonendum. Prius eſt, humilem eſſe admodum apud Græcos peccata Confitentium ſtatum, ſupplicemque oris, & corporis habitum, quem fusè ex eorum Pœnitentialibus, & auctoribus *cap. 19.* libri quarti deſcripſimus: Nonnulla etiam *capite 23.* hujus libri huic deſcribendo idonea retulimus. Sed hoc diſtinctiſſimè haberi, & colligi poteſt ex Pœnitentialibus, quos huic operi adteximus. Quocirca hoc labore nunc abſtinemus.

XVI. Poſterius adnotandum ſpectat locum, quem in Eccleſia gravium criminum Rei occupare debent. Pauca ſtatuunt de hoc loco Græci Nectario poſteriores. Hoc ſolum lego, eos monere, ut ejuſmodi criminum Rei, cùm Liturgia inchoatur, ἀπὸ τοῦ ναοῦ è templo, hoc eſt, choro in Narthecem ſece-

ſecedant, nec ulterius progrediantur. Quid ſit Narthex explicatum eſt hujus *libri cap.* 3. Itaque dum celebratur Liturgia, non modò intra Eccleſiæ parietes, ſed cum promiſcua multitudine, cis chorum, ſive locum Clericis inferioribus, Monachis, Cantoribus, & de more noſtro, Canonicis peculiariter deſtinatum, recedunt, & verſantur. In cæteris verò Eccleſiaſticis officiis nullus locus eſt illis prohibitus. Cùm ſcriberet Joannes Jejunator, ut ex illius Pœnitentiali colligitur, de choro in Narthecem recedebant Pœnitentes illi, dum Catechumeni egredi juberentur. Quanquam enim eo loco in manuſcripto noſtro fuerit menda aliqua in fragmento tamen iſtius loci apud Balſamonem verba, quibus opus habemus, Latinè deprehenduntur integra in hunc modum: *In rei autem ſacra celebratione omnes, qui Pœnitentiam agunt, & non communicant, diximus Catechumenorum edicto debere ex templo egredi, & ſtare in ferula.*

XVII. Simeon Theſſalonicenſis Archiepiſcopus *capite* 2. enarrationis in ſacram Liturgiam, quæ manuſcripta extat in Bibliotheca Regia iſtius obſervationis mentionem facit, eamque commendat, cùm Eccleſiam in tres partes dividit, veſtibulum ſive Narthecem, templum ſive chorum, & *βῆμα* Sanctuarium, *ὃ δὴ καὶ τὴν τριάδα σημαίνει, καὶ τὰς τάξεις τῶν ἄνω τριαδικῶς συνηγμένας, καὶ τοὺς δήμους τῶν ἀνθρώπων εἰς τριάδα διῃρημένους, ἱερατικῶν, καὶ πιστῶν τελείων, καὶ τῶν ὄντων ἐν μετανοίᾳ. Quod Trinitatem ſignificat, & ſuperiores ordines in tria diſtinctos, Piorumque multitudines in tria diviſas; Sacerdotum dico, fidelium perfectorum, & Pœnitentium.* Non obſcurè unicuique ordini in Eccleſia locum proprium tribuit, nempè, Sacerdotibus Sanctuarium, fidelibus chorum, Pœnitentibus Narthecem.

XVIII. Clarius multò id, quod contendimus, exprimit ejuſdem enarrationis *cap.*4. Cùm enim dixiſſet *ναὸν*, chorum, dum extra nonnullæ preces fiunt, cœli rationem habere, & Paradiſi; atque ideò tum in ſacris Monaſteriis velis occludi, contrahi verò vela illa, & aperiri chorum, cùm in eum Monachi regrediuntur; hocque ſignificare Chriſti ad nos adventum, mediique parietis maceriæ ſolutionem, & noſtri in cœlos deductionem, addit *ἀλλ' οἱ μεμαρτηκότες ἐγκλήμασιν οὐκ ἔνδον τολμῶσιν εἰσελθεῖν. Ideò qui in crimina lapſi ſunt, intus ingredi non audeant.* Cùm verò extra fiunt preces, præſertim cum ſacrificium celebratur, tum altare, & ſacrarium cœlos adumbrare, Chorum verò quæ circa terram, *ἐν αὐτῷ γὰρ πάντες ὁμοῦ καὶ προστρέχουσι, καὶ συνίστανται: In ipſum enim omnes concurrunt, & conſiſtunt.* Moris Græcorum eſt, viros quoslibet audiendi ſacri cauſa chorum ingredi, nunquam autem Sanctuarium. Immò ne Clericis quidem inferioribus, in eo conſiſtere permittunt. Mulieres verò omnes in Narthece ſubſiſtunt, nec ultra illis progredi fas eſt. Sic Leo Allatius operis jam citati *lib.*3. *capite* 9. de iis, qui in Choro, & Narthece verſantur: *Secunda,* Eccleſiæ, *quæ ſubſequitur pars, vocatur propriè ναὸς, templum: Chorus eſt, in quo commorantur, dum ſacra fiunt, reliqui Chriſti fideles, etiamſi Sacerdotes ſint, aut Epiſcopi, qui vel illa audiunt, vel miniſterio inſerviunt, ut Cantores. Mulieres excluduntur, quibus nunc temporis Narthex deſtinatur, cùm Narthecis munia ceſſaverint, & Gynecion aptiùs diceretur; & eſt tertia pars, quæ etiam cabulato à Nao dividitur.* Certùm eſt autem, Narthecem in Eccleſiis Parœcialibus choro eſſe multò capaciorem, ac proinde licèt viri in choro, quantum poſſunt, ſubſiſtant, magnam tamen eorum partem feſtis præſertim, in Narthece neceſſariò ſubſiſtere, cùm omnes Chorus capere non poſſit. Ideò qui propter crimina communione prohibentur, facilè poſſunt, dum myſteria peraguntur, in Narthece cum cætera mulierum, & plebejorum turba conſiſtere.

XIX. Tria ſuperſunt ex iis, quæ initio *capitis* 23. diximus ad hanc innovationem pertinere; quæque propriè diſciplinam ſpectant erga Clericos ab eo tempore huc uſque obſervari ſolitam. Sed ea jam alibi ſatis ſuperque explicata, & probata videntur, partim *libri præcedentis cap.* 11. & 19. *partim libri quarti cap.* 13. & manifeſtiſſimè in eorum Pœnitentialibus continentur. Vigent adhuc apud Græcos tria illa ſeveræ diſciplinæ capita, ut præter iſtos Pœnitentiales nos docet harum rerum peritiſſimus Petrus Arcudius Corcyræus, *lib.*4. *cap.*2. de Concordia Eccleſiæ Occidentalis cum Orientali in Sacramentorum adminiſtratione. Canones antiquos, quibus Græca conſuetudo nititur, refert, incommodaque hinc exorientia enarrat, & qua ratione commoda canonum interpretatione illis occurri poſſit, explicat. Hæc de praxi Sacramenti Pœnitentiæ apud Orientales à Nectarii decreto, in hunc uſque diem dicta ſunto.

CAPUT XXVI.

Praxis Eccleſiæ Orientalis capitibus præcedentibus enarrata, & probata multis, & inſignibus exemplis demonſtratur. Epiſcopis licet pœnas canonicas augere, & minuere, ſed non araneis filis ligare, quæ tribus rudentibus alliganda ſunt. Qua ratione Pœnitentia publica illis ſeculis in Oriente permanſit.

QUanquam ex præcedentibus capitibus ſatis ſuperque nobis conſtare videatur, quænam fuerit Orientalis Eccleſiæ diſciplina pœnitentialis à Patriarchatu Nectarii ad hunc uſque diem; evidenſque ſit pœnas criminum canonicas non eſſe ſublatas, ſed etiam nunc vigere, & obſervari; atque ita eſſe diſtinctum in Oriente inter publicam, & ſolemnem Pœnitentiarum impoſitionem, & executionem, ut eo abrogato quod erat, in pœnis illis canonicis publicum, & ſolemne, cætera illibata, & inviolata permanſerint, ſicque eorum Patriarchas, Metropolitas, & Doctores definiiſſe, atque ut Patres ſpirituales, id eſt, Confeſſores, ita exequerentur, procuraſſe: Quanquam luce meridiana ſplendidius hoc iterum demonſtrent antiqui, recentioreſque eorum Pœnitentiales libelli, quos integros ad finem hujus operis excudimus, idem tamen continuo mandatum, & rigidè obſervatum fuiſſe ſpeciatim hoc capite multis inſignibus exemplis docebimus, ex quibus luculentiſſimè patebit, quæ fuerit poſt Nectarium in toto Oriente in rebus ejuſmodi Eccleſiaſtica diſciplina.

II. Leo VI. Imperator, Sapiens dictus, & Philoſophus cùm ex tribus uxoribus nullos liberos ſuſcepiſſet, quartam duxit, quæ Conſtantinum illi peperit. Nicolaus Patriarcha acerbè admodum tulit canones Orientales ſic violari. Hoc enim publico facto canon S. Baſilii octogeſimus impiè violatur, cui conjungere potes quartum, & quinquageſimum. Ideò congregato Epiſcoporum Concilio Imperatorem excommunicat. Epiſcoporum nonnulli Excommunicationem volebant brevi tempore durare; Patriarcha verò cum aliis nullam gratiam eſſe Cæſareæ Majeſtati faciendam contendebat. Hinc Schiſma inter eos emergit, aliis Imperatorem in communionem admittentibus, aliis *πολλὰ δεόμενον καὶ παρακαλοῦντα* multùm orantem, & deprecantem conſtanter reiicientibus. Tandem iratus Imperator Nicolaum ſede pellit, cauſatus perjurum eſſe, & ſibi *τοῦ ἐπιτιμίου*, pœnæ canonicæ indulgentiam promiſiſſe, aliumque in ejus ſede ſufficit, quem in Patrem ſpiritualem ſibi aſſumit, & à quo pœnæ canonicæ remiſſionem obtinet. Leoni paulò poſt defuncto ſuccedit frater Alexander, qui Nicolaum reſtituit, & alium ignominioſè expulit. Sed ea reſtitutione Schiſma extinctum non eſt, his Nicolao, illis expulſo adhærentibus. Alexandro è vivis dempto ſuccedit Conſtantinus VIII. Leonis filius, qui tandem diſſidentes Epiſcopos conciliavit, edicto canonico promulgato ſeverè interdicente, ne quis ſcelus hoc amplius perpetrare auderet, viciſſimque Conſtantino ab Epiſcopis, ut Patri defuncto crimen remitterent, impetrante. Hæc in Oriente agebatur anno Chriſti nongenteſimo, & ſequentibus.

III. Quibus verbis edictum hoc canonicum Patriarchæ, & Epiſcoporum conſenſu promulgatum quartas nuptias condemnet, mihi videtur hic referre neceſſarium. *Quamobrem nos ſimul congregati Pontifices, atque Sacerdotes ſententia, judicioque communi decrevimus, ut ab hoc anno præſenti, qui eſt mundi 6428. indictione 8. quartas nuptias ullus contrahat, ſed ut prorſùs eæ reiiciantur. Quòd ſi quis ad ejuſmodi conjugium progredi decreverit, ab omni cœtu Eccleſiaſtico excluſus eſto, & ab ipſo in ſanctum templum ingreſſu alienus donec in hoc conjugio permanſerit. Hoc enim ſanctis quoque Patribus, qui ante nos vixere, viſum fuit. Ac nos ſanè ſententiam reddentes apertiorem, eum velut alienum à republica Chriſtianorum abdicamus.*

IV. Hoc ſic conſtituto de Trigamiæ pœnis ita definiunt, *Si quis ad annum quadrageſimum provectus, & neque naturæ motus reverentia, neque vitæ decentis, & honeſtæ, quæ à Chriſtianis requiritur, habitu ratione, ſed vitioſa tantùm libidine victus, ad tertiam matrimonium ſe projecerit, quinquennio privari debet participatione ſanctificationis, hocque diligenter, & rigidè obſervari, ita ut ex hoc tempore nihil omnino reſcindatur. Nam qui poſt annum ætatis quadrageſimum in Eccleſia Chriſti & eſſe, & appellari amat inquinamentum, quodnam in corrigenda vita ſtudii certum præbebit argumentum*

propter

Digitized by Google

Propter quod tempus participationis ſanctificationum ſit ei minuendum? Qui ne poſteà quidem quàm ad illibatam hanc perceptionem admiſſus fuerit, ei licitum erit ad eam alio tempore accedere, quàm in ſola ſalutari Chriſti, Deique noſtri reſurrectione propter factam, quanta fieri potuit, ex præcedenti jejuniorum abſtinentia purgationem. Hæc autem dicimus, quum nulli de prioribus Matrimoniis extant iis liberi, qui jam poſt annum ætatis quadrageſimum uxorem ducere voluerint. Quippe ſi liberi ſint, tertium conjugium eis permittendum non erit. Statuunt igitur Epiſcopi illi cum Imperatore, ſuo quartas nuptias omninò eſſe diſſolvendas, & qui eas contraxerit non modò à Sacramentorum participatione arcendum eſſe, ſed etiam ab omni Eccleſiæ aditu donec conjugio renuntiaverit. Tertias verò illegitimè fieri, tolerandas tamen, ſi ex prioribus nulli ſuſcepti fuerint liberi; ſed contrahentem propter canonis violationem pœnis enarratis ſubiici. Hæc in eum qui quadrageſimum annum attigerit, ſic ſtatuta ſunt.

V. Eum qui triginta annos natus eſt, & liberos ex prioribus conjugiis ſuſcepit, clementius excipiunt: Quatuor enim tantum annis ſed ἀσυγχωρήτως, ſine ulla indulgentiæ ſpe, à Sanctorum communione repellunt; ita tamen ut quotannis ter tantùm communicet, in Paſchate, in Aſſumptione Virginis, & in Natali Chriſti, *Eo quòd hæc feſta jejunium præcedat, & utilitas ex eo proveniens*. Quòd ſi liberos ex antecedentibus conjugiis non ſuſcepit, condonandum erit hoc Matrimonium, κὶ μόνῳ τῷ ἐξ ἀρχῆς κὶ μέχρι τοῦ νῦν κρατήσαντι ἐπιτιμίῳ θεραπευθήσεται, & ſolo Epitimio, ſive ea tantum pœnitentia, quæ ab initio in hunc uſque diem obtinuit, curabitur. Primas, & ſecundas nuptias admittunt, ſed cum cautione, ut nulla iis improba cauſa ſubſit, vel ex raptu, vel ex præcedente clandeſtino ſtupro. Quòd ſi aliquid ejuſmodi primis, & ſecundis nuptiis ſubſit, Sacerdos contrahentes *non prius ad ſacrorum perceptionem myſteriorum admittet, quàm definitum ob ſcortationem tempus accuratè compleverit, niſi fortè neceſſarium è vita diſceſſus urgeat, hoc eſt, donec annus ſeptimus completus fuerit*. Neque Sacerdotem, qui hæc obſervare neglexerit impunitum dimittunt: *Sacerdos autem, qui neglecta lege jam ſancita quemquam horum ad ſacram participationem admiſerit, de gradu ſuo periclitabitur: Et qui contra ſanctionem promulgatam ad divinam communionem admiſſus fuerit, rurſùs inter communione pulſos referetur, donec annus ſeptimus completus fuerit*. Quàm hæc omnia diligenter, & ſeverè illis temporibus obſervata, & exacta fuerint, tu ipſe Lector judicare potes ex iis, quæ breviter de Leone Imperatore enarrata ſunt. Nam ſi tam ſeverè in ipſum animadverſum eſt, tandemque poſt longam animadverſionem vicit Eccleſiæ diſciplina, quid in aliis factum, & caſtigatum fuiſſe cenſendum eſt? Deinde idem judicare potes, ex eo quòd edictum illud ſingulis annis menſe Julio ex ambone legebatur, ut teſtis eſt Matthæus Monachus *Juris Orientalis lib.* 8. Tandem Patres Synodum anathematis concludunt, quibus zelum ſuum non in Canonum antiquatorum laudem aliquam, ſed in diligentem, & præſentem perpetuamque canonum obſervationem demonſtrant, *Univerſis quæ præter Eccleſiaſticam traditionem, & doctrinam ac diſpoſitionem ſanctorum laudabiliumque Patrum innovata geſtaque ſunt, vel in poſterùm gerentur, anathema*. Et paulò poſt, *Contemptui ſacros divinoſque canones ſanctorum Patrum noſtrorum habentibus, qui & Sacroſanctam Eccleſiam fulciunt, & univerſam rempublicam Chriſtianam ornantes ad divinam pietatem dirigunt, anathema*. Hæc ex *libro* 2. *Juris Græcoromani*. Harmenopulus quoque *ſectione* 5. *Epitomes canonum, titulo* 3. poſt canon. 4. Sancti Baſilii compendio refert hæc omnia ex eodem unionis *tomo*.

VI. Arſenius Patriarcha Michaelem Palæologum Imperatorem, eo quòd Joannem imperii hæredem excæcaſſet, Excommunicatione ferit, ut refert Nicephorus Gregoras *hiſtoriæ lib.* 4. Ne tamen in Pſalmodiis conſueta ejus memoria fieret prohibere non auſus eſt Arſenius, reformidans, inquit, Gregoras, ne fumum fugiens, ut eſt in Proverbio, in ignem incideret. Sed quod reformidabat Patriarcha vitare non potuit. *Imperator enim pœnam impoſitam modeſtè ferens, compluribus diebus* ὑποπεπτωκὼς διέμεινε χρόνων χρόνον· κὶ λύσιν τ' ἐπιτιμίου ἀναμένων, *Supplicis, & in pœnitentia lapſi habitum ſtatumque ferens Abſolutionem expectavit*. Cùm autem expectando videret ſe nihil proficere, & Abſolutionem quam ſperabat, à Patriarcha ſibi non concedi, ſiniſtros rumores qui invidia, & odio in ipſum ſpargebantur, undique collegit, Epiſcoporumque Concilium coegit, in quo Patriarcha accuſatus condemnatur, & deponitur. Imperator abdicatum in exilium pellit, aliumque ſibi antiqua amicitiæ familiaritate conjunctum throno Conſtantinopolitano ſufficì curat.

VII. Miles quidam cædem ſponte patraverat: Ab Epiſcopo brevi data Pœnitentia abſolvitur, Emanuel Comnenus Imperator hoc ægrè fert, vultque de hoc Patriarcham Lucam cognoſcere: An legitimè eſſet illi militi conceſſa Abſolutio. Cogitur Epiſcoporum Synodus, vocatoque qui abſolverat Epiſcopo, & illam pœnæ levitatem excuſante, propoſito etiam in eum finem aliquo canone, *Sancta Synodus canones rectè diſtinguens, & explicans ſecundùm divinam ſanctiſſimi Spiritus ipſi adhærentem illuminationem, militem quidem canonicarum pœnarum rurſùs compedibus ſubiicit, Epiſcopum autem ad aliquantum temporis, officii ac miniſterii ſuſpenſione punivit, dicens, Epiſcopis quidem licere pœnas canonicas augere, & diminuere; araneis autem filis ligare, quæ debent tribus rudentibus alligari, non eſſe conceſſum*. *Juris Orientalis lib.* 3. *Sentent. Synodalium. lib.* 1. *Sententiam* 10. Eandem Patriarchæ Lucæ, & Synodi ſententiam integrè refert Harmenopolus in Epitomæ can. *ſect.* 5. *tit.* 3. in Scholio ad can. 54. 8. Baſilii. Synodi ratio illa omnibus canonum moderatioribus maximè conſideranda. Poſſunt equidem pœnas canonicas augere, & minuere; ſed non licet illis araneis filis alligare, quæ tribus rudentibus alliganda ſunt.

VIII. In eodem jure *lib.* 4. *ex Epiſtola* Michaelis Patriarchæ hæc tertio loco referuntur, *Quidam Sacerdos quoſdam præter parentum ſententiam in Matrimonium coeuntes precibus ſacris initiavit. Inde divulſis à ſeinvicem, & alia conjugia contrahentibus Sacerdos alius benedixit. Si quidem ignoravit Parentes non conſentire, certum quoddam tempus à miniſterio ſacro jubebitur abſtinere, & jejuniis ac orationibus ſemet affliget. Ipſius pœnæ tempus ad dies* 40. *vel alios totidem ſeſe porriget. Sin norat, Sacerdotio excidet*. Sic reſpondebat Patriarcha ille circa annum Chriſti 1055.

IX. Eodem libro inter reſponſa incertorum Patriarcharum legitur Patriarchæ huic quæſtioni reſponſum, An ejus qui conſobrinam matris ſuæ duxerat, nuptiæ eſſent legitimæ? Nuptias illas illicitas eſſe, & pœnis canonicis ſubiici, non tamen diſſolvi. Pœnas canonicas ſic deſcribit: *Si veritatem haud dubiè ſic ſe habere deprehenderis, Matrimonium quidem in ſtatu ſuo relinques; ut pœnæ ſubiicies tum ipſum, tum mulierem ei copulatam, nimirum, ut à carnis eſu toto biennio ſemet abſtineant, & quarta, quintaque feriis ne vinum quidem bibant: Communionis tamen participes ſint in ſolis feſtis Dominicis. Scias enim ejuſmodi Nuptias, prius quidem quàm contrahantur non permitti; poſt verò quàm contractæ ſunt, non dirimi quidem illas, ſed pœnis tamen ſubiici*.

X. Elias Cretenſis Metropolita à Dionyſio Monacho interrogatus, An qui poſt primum Matrimonium cum muliere extranea ſeſe contaminabat, Bigamus eſſet dicendus, & Trigamus qui idem poſt ſecundum Matrimonium peccabat? Reſpondet primum, tantam eſſe inter hæc differentiam, & tam evidentem, ut miretur qua ratione quis de hac re quæſtionem movere poſſit. Deinde nonnullis aliis ſecundùm canones deciſis ſubdit, *Bigami quidem duobus annis vacant communione, quibus impletis eam impetrant. Scortatores autem, ſi quidem à ſcortatione ceſſent, per annos ſeptem integros Excommunicatione damnantur, poſt quos ad communionem admittuntur* Hæc prorsùs ſecundùm antiqua Eccleſiæ Orientalis ſtatuta. Sic Nicephorus Cartophylax eodem tempore reſpondet. *Eas autem mulieres, quæ fœtum enecant, homicidii pœnis ſubiici extra dubitationem eſt, ut ſecundus magni Baſilii canon latè perſequitur*. Aliquot poſt ſeculis, poſt ſcilicet Alexii Comneni principatum. Nicetas Theſſalonices Metropolita interrogatus an oporteret ſerviles nuptias benedici, cum Dominorum juſſu ſervi ſervæque conjunguntur, reſpondet hoc neceſſarium eſſe, *Quod niſi fecerunt*, Domini, *canonicis obnoxii ſunt pœnis, ſegregationibus ſcilicet, & Excommunicationibus, Eorum autem nec oblationes accipiendæ donec corrigantur. Sed & qui ad ea obſervanda, corrigendaque deputati ſunt, niſi id fecerint, ſacris canonibus obnoxii erunt*.

XI. Balſamon in reſponſis ad interrogationes Marci Alexandriæ Patriarchæ, interrog. 41. repetit breviter controverſiam, de quarto Leonis Matrimonio, docetque factam ea de cauſa omnium propè Epiſcoporum Synodum, cujus ſententia calculo Imperatorio confirmata eſt. Hanc Synodi ſententiam initio capitis retulimus. Tandem addit Balſamon, *Cæterùm Eccleſia noſtra ætate tertii Matrimonii contractum non permiſit*: Itaque rigidior hac in cauſa fuit Eccleſia Orientalis Balſamonis tempore. quàm eſſet annis anteà ducentis. Utroque tamen

modo

modo canones antiquos imitata eſt, & preſsè ſecuta. Interrogatione ſequente interrogatus, an ſanctorum myſteriorum communio eſſet in Concubinatu agentibus permittenda, ſic reſpondet, ut omnia ſemper ſecundum canones eſſe agenda, & corrigenda perſpicuè demonſtret. *Magnus in Antiſtibus Baſilius in variis canonibus ſuis non dat ſcortantibus licentiam divinis ſanctificationibus participandi. In 80. autem canone definit; Scortatricem, quæ à ſcortatione diſceſſit, non exinde, ſed poſt triennium divinarum ſanctificationem participem fieri.* Nec plura: Illi ſatisfeciſſe credit, poſtquam ad Sancti Baſilii canonem eum remiſit.

XII. Quinquageſima interrogatio Orientalium auſteritatem maximè mihi videtur Europæis probare poſſe. Petit, an conjuges, qui Quadrageſimali tempore continentiam non ſervant, digni cenſendi ſunt myſteriorum communione in ſalutaris Paſchatis feſto? Ita reſpondet Balſamon, *Si neque piſces edere docemur, neque ſanctam Quadrageſimam diſſolvere, neque ullam quartam, ſextamve feriam, multò magis carnali complexu abſtinere cogentur. Conjuges ergo qui ſic tranſgreſſi ſunt, & in Satanicam incontinentiam commutarunt ſalutarem Pœnitentiam, quæ ex jejunio eſt, & liberatione cupiditatum carnalium (quaſi totius anni curriculum illis non ſufficiat ad explendas carnales concupiſcentias) divinam, & ſanctam participationem in die ſancti, magnique Paſchatis non promerebuntur, ſed inſuper pœnis caſtigabuntur.* Quid cenſes de ſcortationibus judicaturos?

XIII. Refert Harmenopulus in *Epitome canon. ſect. 5. tit. 3. in Scholio ad can. 13. S. Baſilii*, ſententiam Synodi celebratæ ſub Patriarcha Conſtantino Chliareno, circa annum 1155. quæ vel ſola poteſt demonſtrare, quæ fuerit tum Eccleſiæ Orientalis ſeveritas. Ideò eam huc integrè referemus, *Sub Patriarcha Conſtantino Chliareno Synodaliter conſtitutum eſt, Quòd ſi quis cùm latronis inſidias effugere poteſt, non hoc contentus, ſed data opera latronem aggreſſus interfecerit, tanquam homicida ſit puniendus. Si verò latro primus gladium in eum ſuſtulerit, eum Pœnitentia non punietur, ſi eum interfecerit. At verò qui utilitatis publicæ cauſa valdè rogatus hunc latronem quæſitum invenerit, & occiderit, non pęna, ſed præmiis dignus habebitur. Cautionis tamen cauſæ placuit & hos ad triennium condemnari: Clericos verò, qui quamcunque cædem commiſerint, confeſtim puniri, nullo diſcrimine hoſtis habito, vel Latronis, vel cujaſcunque. Quo factum eſt, ut Pontifex qui occiderat Agarenum tempore belli, qui gladium adversùs ipſum ſtrinxerat, de Synodi ſententia depoſitus ſit.*

XIV. Initio libri ſexti juris Orientalis, Petrus Chartularius magnæ Eccleſiæ interrogatus, An liceret ſervos Dominorum juſſu copulatos ſine benedictione Sacerdotali ſacræ communionis partipes facere, hoſtiaſque illorum ſuſcipere, Reſpondet, *Quoniam coitus abſque ſacris precibus eſt ſcortatio, ſive ſervus ſit, qui benedictionis expers eſt, ſive liber, nec ad oblationem muneris eſt admittendus, nec ad precationem in domo Domini. Quippe divinus etiam Apoſtolus ille nec veſci cum eis, nec conſuetudinem habere præcipit.* Eodem libro Nicetas quidem Theſſalonices Metropolita de eadem quæſtione interrogatus qua Dominos ſpectat, ſic reſpondit, *Quum alicujus ſervi, & ancillæ ſcortantur, deque hoc factus certior eorum Dominus, non omni modo peccatum hoc corrigit, & benedictionem ſuper eos fieri non permittit, ſegregationis pęnam meretur ſecundùm ſacros, & divinos canones, uti tu quoque peraccuratè diſſerendo commonſtraſti.*

XV. Juris Orientalis *lib. 8.* ex quodam Matthæo Monacho repetitur hiſtoria quarti Matrimonii Leonis Sapientis, & Schiſmatis inde inter Epiſcopos exorti, atque etiam reconciliationis Epiſcoporum per tomum unionis procurante Conſtantino ejus filio peractæ; confirmanturque, approbantur, & laudantur, quæ à Concilio contra Leonem pro canonum obſervatione conſtituta ſunt. Scribit igitur Matthæus leges non agnoſcere quartas nuptias, & hoc illuſtrat S. Baſilii 80. canone qui docet Patres, Polygamiam ſilentio prætermiſiſſe, ut belluinam, & ab humano genere penitus alienam. Unde ait Baſilius ſibi probari eam majus eſſe fornicatione peccatum. *Propterea*, inquit ille Matthæus, *poſt ceſſationem à crimine, & ſinceram confeſſionem vult etiam ipſos gravius puniri, quàm qui ſcortati fuerint. His enim ſeptennium, illis annos octo conſtituit.* Ideò colligit ſimiliter eſſe faciendum, iſtas ſcilicet nuptias eſſe diſſolvendas, & ſcortatione graviùs puniendas.

XVI. His exemplis perſpicuum fit, pœnas canonicas in Eccleſia Orientali nunquam eſſe abrogatas, ſed privatim, & publicè fuiſſe criminibus ex conſuetudine, & conſtitutionibus illius Eccleſiæ impoſitas: Publicum tantùm illum apparatum, quo in Synaxibus ſe ſiſtere ad genua flectenda, capita manuum impoſitioni, & orationibus ſubiicienda, & alia, quæ jam explicavimus agenda, eſſe Conſtantinopoli abrogatum, & aliis in locis paulatim obſoletum. Deinde colligitur, crimina publica fuiſſe publicè ſecundum canones caſtigata, longè tamen alio modo, quàm ante apparatus illius abrogationem. Nam cùm crimen erat omninò publicum, ita ut negari, aut excuſari nullo modo poſſet, à crimine ceſſare debebat, nec ante ad communionem Euchariſticam admittebatur, quàm publicè ceſſaſſet, ſi crimen erat ex eorum natura, quæ continua ſunt. Relicto igitur crimine tenebatur multis annis juxta præſcriptum canonum, & Pœnitentialium ab Euchariſtia abſtinere, niſi fortian majoribus quibuſdam feſtis ut dictum eſt, Euchariſtiæ gratia illi fieret. Quòd ſi ad illius participationem accedere voluiſſet, repulſam actem paſſus eſſet. Tenebatur præterea ut plurimùm in Narthece ſubſiſtere, atque ſenſim ab Eccleſiæ ναῷ ſive templo ſecedere, cùm myſteriorum conſecratio ageretur. Intereà canonica illi imponebatur pœna, ſed an illam exequeretur, in illius arbitrio non ſecus, ac in privata, ſitum erat. Nemo Pœnitentium vitæ, motibus, actionibus, examinandis præficiebatur. Confeſſio quoque criminis, licèt publici, non legitur imperante Eccleſia publicè facta, niſi caſus converſionis ab Hæreſi, aut Schiſmate intercederet; Tum enim hæreſim, aut ſchiſma ejerare, & fidem Catholicam profiteri tenebatur, ut pluribus *lib 9.* docebitur. Sufficiebat Confeſſio ſecreta, & publica à myſteriorum participatione ſecundùm canones abſtinentia, cujus rei exempla nonnulla ſuppetit nobis ſeptima Synodus. Denique ex teſtimoniis allegatis evidenter conſequitur, id quod multis probatum eſt ſupra *capitibus 14. & 15.* cùm aliqua nova, & inuſitata criminis ſpecies, & canonum prævaricatio exorta eſt, congregata Concilia, conſultos Patriarchas, Epiſcopos celebres, ut quæ pœna ſalutaris exorto crimini eſſet imponenda, diligentiùs diſcuteretur.

CAPUT XXVII.

Eaarrontur, quæ circa finem ſeculi ſeptimi, de antiquæ Sacramenti Pęnitentiæ diſciplina apud Latinos abrogata ſunt, quæ perſeveraverunt ſeveriùs obſervata, quæ in aliam formam immutata, quove ſeculo diſciplina ſic innovata viguit. Catechumeni duplices. Utrorumque in Liturgiis Græcis ſolemnis, ſed verbo tenus, fit dimiſſio. Amalarii, & Remigii Lugdunenſis dicta de Catechumenorum in Miſſa dimiſſione explicantur. Diſciplina in poſteriores Catechumenos antiquitùs obſervata diutiſſimè in Eccleſia Latina perſeveravit.

ANtiqui illi Pęnitentiæ ritus in Eccleſia Latina multò diutius, quàm in Græca perſtiterunt. In Latina enim trecentis poſt Nectarium annis inviolati ferè viguerunt, ut ex variis illorum ſeculorum teſtimoniis, quæ toto hoc libro locis ſuis præſertim *capitibus* 8.9.12.13.15. retulimus. Circa enim illud tempus tria potiſſimum mutari, & abrogari cœperunt. Primùm, mos ille de peccatis occultis, quæ non eſſent aliquo modo publicata pęnitentiam publicam agendi, abrogari cępit, & brevi poſt tempore ſublatus eſt. Secundùm, quotidiana illa manus impoſitio, & oratio publicè in media Synaxi ſuper Pęnitentes genuflexos fieri ſolita in deſuetudinem abiit; ſive, ut uno verbo dicam, tertia Pęnitentiæ ſtatio ſublata eſt. Cætera omnia apud eos, antiqua permanſerunt, & antiquo ferè more, ſed aliquanto ſeveriore obſervata ſunt. Verùm in crimina per ſe publica, aut quæ judicio civili, aut Eccleſiaſtico publicata fuerant, ſeverè admodùm animadverſum eſt, multæque peculiares leges de ratione puniendorum iſtorum criminum latæ ſunt, quas etiam varii novi ritus, omnes ad ſeveritatem maximam compoſiti, conſecuti ſunt. Modus quoque novus ad Pęnitentiam publicam publicos Pęnitentes cogendi antiquo ſuperadditus eſt.

II. Quod attinet ad occulta crimina, eandem iis medendi rationem generalem obſervavit Eccleſia Latina, quam diximus Græcam obſervaſſe, hoc eſt, juxta canones antiquos, Pęnitentialeſque libellos approbatos criminibus occultis non ſecus, ac publicis pęnam imponi juſſit. Sed ut prætermittat ſpecialem, & Græcis inuſitatam crimina occulta inquirendi, & detegendi rationem, Latinorum Pęnitentialia pęnarum genera multa continebant, quæ apud Græcos non erant in uſu; quæ verò pęnæ ſimiles erant, longè ſeveriùs à Latinis inflictæ ſunt, quàm à Græcis. Nova iſta ratio Pęnitentiam agendi publicam de criminibus publicis, & occultam de occultis, quæque illam conſeque-

Digitized by Google

ſequebantur, quadringentis annis integris inviolata viguit in Eccleſia Latina, à ſeculo ſcilicet ſeptimo ad undecimum. Poſthanc epochen diſciplinæ Pœnitentialis ſeveritas remitti cœpit. Iſtius remiſſionis cauſas, & occaſiones *in fine libri decimi* ediſſeremus. Cum iſta ſint admodum varia, plurimaque contineant ſpecialia innovatæ ſeveritatis capita, nonnullamque conſervati antiqui moris interpolationem paucis, ut quæ ſunt à Græcis innovata, explicari, & demonſtrari non poſſunt: Ideò totum librum ſequentem huic ſœcundæ materiæ deſtinavimus, nihilque jam factæ hypotypoſi ſubiiciemus.

III. Tertium quod à ſeculo ſeptimo in Eccleſia Latina, ut in Græca deſiiſſe diximus, ſecundi abrogationem conſequitur. Dato enim nullam fieri manuum impoſitionem, & orationem ſuper Pœnitentes, conſequens videtur, ut nulla eorum in Synaxi ſolemnis fiat dimiſſio. Ab annis autem nongentis, & ultra, ſolemnem illam Pœnitentium in Miſſa dimiſſionem ceſſaſſe demonſtrant antiqua omnia Miſſalia, & Ritualia, in quibus nulla fit iſtius dimiſſionis mentio. Illius non meminit ordo Romanus editus, nec quem habemus ex antiquo manuſcripto pluſquam ſeptingentorum annorum exſcriptus, nec antiquum Sancti Gregorii Sacramentarium Romæ ex antiquis membranis evulgatum, nec his omnibus antiquius ante paucos annos editum à viro antiquitatis Eccleſiaſticæ admodum perito Hugone Mainardo Congregationis S. Mauri Monacho; nec alia duo ad illius quod edidit ætatem proximè accedentia, quorum ſæpè mentionem facit: Nec denique antiquiſſimum Sacramentarium Eccleſiæ Romanæ Petavianum, quod ante nongentos annos mihi videtur ſcriptum fuiſſe. Prætereunt quoque eandem dimiſſionem Græcæ, quæ proſtant Sanctorum Petri, & Gregorii Liturgiæ, Ambroſiana officia, & Mozarabica, quæ antiquorum Hiſpaniæ Chriſtianorum ſunt Liturgiæ. Non meminerunt quoque hujus ritus divinorum Officiorum Interpretes, Stephanus Æduenſis, Micrologus, Vvalfridus Strabo, Rabanus Maurus, Amalarius Fortunatus, & his omnibus antiquior Alcuinus, licèt cæteros Miſſæ ritus diligenter variis locis explicent. Ex quibus ſanè evidenter colligitur, ante, aut circiter annum à Chriſto ſeptingenteſimum ubique in Eccleſia Latina, ut & in Græca hanc ſolemnem Pœnitentium in Miſſa dimiſſionem obſoleviſſe.

IV. Lectoris animadverſione non indignum mihi videtur diſcrimen, quòd eſt hac in cauſa Latinos inter, & Græcos. Quæ diximus de Pœnitentium apud Latinos in Synaxi dimiſſione, ad Catechumenorum quoque ſolemnem, in eadem Synaxi dimiſſionem extendenda ſunt. Iidem enim rituales libri, eædem Miſſæ, iidem auctores utramque dimiſſionem pariter omittunt. Verum Græci hactenus ſolemnia dimiſſionis Catechumenorum verba in Liturgiis ſuis omnibus conſtanter retinuerunt, licèt in eorum Synaxibus non ſecùs, ac in noſtris nulli prorsùs Catechumeni compareant. Quando autem aliqui religionem Chriſtianam profiteri cupiunt, eos privatim, ut & nos, inſtituunt, ſed publicè, & in Eccleſia Catechumenos ſolemniter efficiunt, Verùm una actione, cui cum Liturgia nulla eſt connexio, ut in eorum Euchologiis quiſque legere poteſt. Omnis enim exterior illa antiquorum Patrum erga Catechumenos diſciplina apud eos, ut & apud nos, à multis ſeculis tacito quodam omnium Eccleſiarum conſenſu abrogata eſt.

V. Præter hanc Catechumenorum verbo tenus dimiſſionem quam toties iterant, quoties Liturgias celebrant, aliud ejuſdem generis à media Quadrageſima ad Sanctum Paſcha præſtant commemoratione dignum. A tempore notato ſingulis diebus præter Sabbata, & Dominicas, feſtumque Annuntiationis, hoc eſt, quoties præſanctificatorum officium celebrant, duas Catechumenorum dimiſſiones faciunt, licèt nullos habeant. Ut hoc intelligat Lector, neve exiſtimet dimiſſionem ſecundam ſupervacaneam fuiſſe, breviter monendus eſt, Catechumenos propriè dictos, hoc eſt, qui ſolemniter Eccleſiæ nomen dederant, & ſuper quos olim orationes quotidie fundebat, duplices fuiſſe; alios ſimpliciter Catechumenos vocatos, qui eo nomine omnibus propè canonibus, Patrumque dictis intelliguntur; alios, qui à Latinis Competentes, & Electi, à Græcis verò φωτιζόμενοι, *qui illuminantur*, hoc eſt, proximè illuminandi, ad illuminationem diſpoſiti, appellabantur. Priores totum annum in Eccleſiis exponebantur, & de iis intelligendum eſt illud edictum, diſcedite Catechumeni, cùm fidelium Miſſa inchoabatur. Poſteriores in Eccleſiis tantùm conſpiciebantur ab initio Quadrageſimæ ad uſque Paſcha. Poſteà univerſali quodam Occidentalium, & Orientalium conſenſu, contracto tempore tantùm à media Quadrageſima ad eundem terminum. Iſtius moris ratio eſt, quòd appetente antiquitus Quadrageſimali tempore, poſteà illius medio, Epiſcopi ex Catechumenorum turba eligebant, moribus, pietate, & doctrina præſtantiores, aut etiam baptiſmi magis cupidos, ut eos in Vigilia Paſchatis baptiſmo donarent. Competentes illi, ſeu φωτιζόμενοι non modò ſpecialiter, & eximiè fidei myſteria edocebantur, Symbolum Apoſtolicum, & oratio Dominica illis tradebantur, ſed etiam variis Exorciſmis, precibus, abſtinentiis, & jejuniis curabantur, ut mundiores, ſanctioreſque baptiſmum perciperent. Quapropter à media Quadrageſima ad uſque Paſchatis Vigiliam præter orationes ſuper Catechumenos ordinaria lege fuſas, & eorum quotidianam dimiſſionem, aliæ ſuper Competentes in Synaxi habebantur orationes, quibus peractis ipſi quoque antè fidelium Miſſam dimittebantur.

VI. Iſta nos evidentiſſimè docent Præſanctificatorum Liturgiæ, in quibus poſt Catechumenorum orationem, & dimiſſionem ſic adnotatur, Ταῦτα μόνα γίγονται μέχρι τῆς τρίτης καὶ τετάρτης ἑβδομάδος. Ἀπὸ δὲ τῆς μεσονηστίμου, μετὰ τὸ εἰπεῖν τό, Ἵνα καὶ αὐτοί, λέγονται καὶ ταῦτα τὰ διακονικά. *Hæc ſola dicuntur uſque ad tertiam, & quartam hebdomadam. A quarta verò feria medii jejunii, poſtquam dictum eſt, ut & ipſi* (initium eſt concluſionis, ſive ἐκφωνήσεως orationis ſuper Catechumenos) *dicuntur & iſta Diaconica*. Poſteà ſequitur, *Quicunque Catechumeni procedite. Catechumeni procedite. Qui ad illuminationem, accedite. Orate qui ad illuminationem. Fideles Dominum deprecemur pro fratribus ſeſe ad ſanctam illuminationem, & ſalutem ſuam diſponentibus, Dominum deprecemur, &c.* Tandem Diaconus clamat, οἱ πρὸς τὸ φώτισμα τὰς κεφαλὰς ὑμῶν τῷ κυρίῳ κλίνατε, *Qui ad illuminationem acceditis, inclinate capita veſtra Domino*. Quo dicto ſtatim orationem ſuper eos fundit Sacerdos, cujus titulus, εὐχὴ ὑπὲρ τῶν πρὸς τὸ ἅγιον φώτισμα εὐτρεπιζομένων, *Oratio ſuper eos, qui ad ſanctam illuminationem præparantur*. Qua finita à Diacono dimittuntur clamante, *Illuminandi diſcedite, illuminandi diſcedite, &c.* Denique hæc Rubrica ſequitur ἕως ὧδε τὰ ἀπὸ τῆς τετάρτης τῆς μεσονηστίμου. *Hactenus ea, quæ à quarta medii jejunii*. Poſteà more ſolito fidelium incipiunt. Græcorum Liturgiæ Orationes quanquam à multis ſeculis nulli ſint apud eos Catechumeni, aut Competentes, hactenus tamen orationes ſuper utroſque verbo tenus ſolemniter concipiunt, & utroſque ſeparatim à Synaxi dimittunt. Latini ritu abrogato formulas quoque ritus è libris ſuis expunxerunt.

VII. Iis, quæ dicta ſunt de abrogatione edicti de Catechumenorum apud Latinos in Miſſa dimiſſione, videtur planè contrarium aſſerere Amalarius *lib 3. cap. 36. de officiis Eccleſiaſticis*, & quod omittunt rituales libri ſupplere, cùm improbat ſui temporis morem, qui Catechumenos ante Evangelii lectionem ab Eccleſia dimittebat. Dimittebant igitur, quod tamen in Eccleſia Latina centum, & aliquot ante Amalarium annis obſoleviſſe probavimus. Sic ille S. Iſidori auctoritatem ex Etymologiis de initio Miſſæ allegans, *Miſſa tempore ſacrificii eſt, quando Catechumeni mittuntur forus, clamante Levita; Si quis Catechumenus remanſit, exeat forus. Et inde Miſſa: Sacramentis altaris intereſſe non poſſunt, qui nondum regenerati noſcuntur. Conſuetudo noſtra tenet, ut Catechumenos repellamus ante Evangelium. Non mihi videtur ex ratione incumbere, cùm procul dubio prædicatoribus gentium præceptum ſit, ut Evangelium eis prædicent. Sed ſacrificio omninò intereſſe non poſſunt niſi renati, quia neque pro eis rogatur à Sacerdote, neque confectum illis porrigitur*. Idem de Catechumenis, & Infidelibus teſtatur S. Remigius Lugdunenſis Archiepiſcopus, qui eodem cum Amalario tempore ſcribebat in libro *de tenenda veritate ſcripturæ cap. 14. Cùm illa myſteria offeruntur, nullum omninò Infidelem, nullum etiam Catechumenorum, nullum niſi gratia baptiſmatis regeneratum intereſſe patiatur, tanquam verè oſtendens atque conteſtans pro illis Dominum in ara crucis oblatum, paſſum, ac mortuum, & pretioſum ejus ſanguinem fuſum, pro quibus in altari Eccleſia illa ſacroſancta, & cœleſtis oblatio in myſterio paſſionis ejus, ac mortis offertur.*

VIII. Non mihi tamen videtur ex his teſtimoniis neceſſariò conſequi Edictum illud Diaconicum eo tempore in Miſſarum ſolemniis ordinarium fuiſſe; cùm multa iſtius ſeculi ritualia ſuperſint, quæ ejuſmodi edicti nullam faciunt mentionem. Quid ergo, dices, ſibi volunt Metropolitæ iſti duo, qui conſuetudinem Eccleſiaſticarum ignari eſſe non poterant? Reſpondeo, facillimè id conjici poſſe, atque etiam probari, ſi antiquos rituales libros conſuluerimus. Antiquus ordo Romanus ubi deſcribit formam ſcrutinii de Catechumenis habendi adnotat Exorciſmos, &

nos, & omnes ceremonias fieri ante Epiſtolæ lectionem. Deinde iis peractis Diaconum Catechumenos monere, ut ſtent cum diſciplina, & ſilentio attentè audientes, tum Epiſtolæ lectionem incipi, qua finita cum Graduali, *Admonentur à Diacono ita; Catechumeni recedant. Si quis Catechumenus eſt, recedat: Omnes Catechumeni recedant foras. Et egrediuntur de Eccleſia ipſi Electi, expectantes pro foribus uſque dum completa fuerint Miſſarum ſolemnia. Deinde legitur Evangelium ſecundùm Matthæum, &c.* Et idem fit in cæteris ſcrutiniis. In antiquiſſimo Toloſano codice, qui iſtorum Archiepiſcoporum tempore ſcriptus eſt, ordo ille fusè, & diſtinctè habetur; ſingulorum enim ſcrutiniorum Miſſæ deſcribuntur. Deſcriptis igitur Exorciſmis, & omnibus ceremoniis, additur, *Item dicit Diaconus, ſtate cum diſciplina, & ſilentio. Inde revertitur Sacerdos ad ſedem ſuam, Et legitur lectio quam in Capitulari commemorat. Inde ſequitur reſponſorium, & admonentur à Diacono, ita dicendo, Catechumeni recedant: Si quis Catechumenus eſt, recedat. Omnes Catechumeni exeant foras. Et egrediuntur omnes expectantes pro foribus, uſque dum completa fuerint Miſſarum ſolemnia. Deinde legitur Evangelium, & offeruntur oblationes, à parentibus, vel qui eos ſuſcepturi ſunt.* Eadem erat cæterorum ſcrutiniorum ratio.

IX. Videmus praxim illius, quod aſſeruit Amalarius, atque Miſſos ab Eccleſia ante Evangelii lectionem Catechumenos. Sed mos ille à media tantùm Quadrageſima ad Sabbatum Paſchæ perſeverabat; & ſepties tantum iterabatur, quot ſcilicet ſcrutinia pro examinandis, & inſtituendis Catechumenis habebantur. Feria enim ſecunda tertiæ hebdomadis Quadrageſimæ dies primi ſcrutinii adnuntiabatur; & in fine ſcrutinii cujuſque dies futuri indicebatur; ita ut ſeptimum in Sabbato ſancto celebraretur. Quæ igitur ſcribunt Amalarius, & Remigius de Scrutiniis baptizandorum intelligenda ſunt, non de Edicto ordinario, quod ſingulis Synaxibus, ut apud Græcos fieri ſolet, promulgaretur. Genuina autem hujus rei ratio eſt, quod à longo tempore nulli erant in illis regionibus Catechumeni Ethnici, aut admodùm rari, ſed omnes Chriſtianorum filii, quorum nonnulli ſemper, quod obſervatum eſt aliquot poſt Amalarium ſeculis, in Scrutiniorum ſolemnitatem baptizandi in Paſchate reſervabantur. Fateor equidem, rationes ab illis auctoribus datas demonſtrare ex more illius temporis non paſſuros Chriſtianos myſteriis ſuis intereſſe Ethnicos. Sed hoc, ut nunc, vix contingebat: Si tamen contigiſſet, eos ab Eccleſia ante Offertorii ſolemnitatem expuliſſent, ut in cauſa pari Excommunicatos, & denuntiatos expelleremus, licèt hoc in quotidianis Miſſis non edicatur. Aut quod credibilius eſt, cùm aliqui inter eos verſabantur, tum eſſe illis ſecedendum præmonebant; ne aliquis imprudens ſcandali occaſionem præberet. Ulterius igitur Amalarii, & Remigii verba non ſunt protendenda: Nos autem de quotidiana dimiſſione verba facimus, quæ uno, aut altero ferè ſeculo ante eos ceſſaverat, & de qua Iſidorus, quem Amalarius citat, verba facit. Neque eſt universè verum, quod ſcribit Amalarius, Catechumenos in ſcrutiniis ante Evangelii lectionem eſſe dimiſſos: Nam in tertio ſcrutinio, quod dicebatur in apertione aurium, non modò initia Evangeliorum, & eorum ratio Catechumenis tradebantur, ſed etiam Symbolum Græcè, & Latinè, & oratio Dominica illis explicabantur, ut in Sabbato Paſchæ ea redderent. Ex demonſtratis colligere eſt, non ſolum Catechumenorum ſecundi generis dimiſſionem, ſed totum quod illis competebat officium multò diutius in Eccleſia Latina reapſe perſeveraſſe, quàm in Græca. Iſta enim omnia non modò ad Amalarium uſque, & Remigium obſervata ſunt, verùm etiam anno ſalutis 1150. non indiligenter obſervabantur. Sed in hæc inquirere non eſt hujus loci.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARII HISTORICI DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTI POENITENTIÆ,

Ab Apoſtolis ad uſque ſeculi duodecimi initium tam in Eccleſia Orientali, quàm Occidentali obſervata.

LIBER SEPTIMUS.

Explicatur Pœnitentiarum varia praxis, publica & privata; intra & extra Eccleſiam, à ſeculo ſeptimo uſque ad finitum undecimum uſurpata.

CAPUT I.

Axioma iſtud; De peccatis publicis publicè pęnitendum, de occultis occultè, paulò ante annum 700. vulgari cęptam. Quis illius in Occidente auctor, & unde mutationis occaſio ſumpta. Poſt annum 700. ſtatim univerſam Occidentem pervaſit, & criminum occultorum Pœnitentia Presbyteris conceſſa, publicorum Epiſcopis reſervata. Nonnullis objectionibus accurritur. Qua ratione, & quamobrem in explicatione Pęnitentiæ differunt libri Pęnitentiales tam ab ordinibus Sanctorum officiorum, quàm ab antiquis canonum collectionibus.

ORdinem, ritus, formulaſque agendæ Pœnitentiæ, quæ circiter annum à Chriſto nato ſeptingenteſimum in Eccleſia Latina invaluerunt, enarraturi, à diſtinctione peccatorum in publica, & occulta, Pœnitentiæque in publicam, & occultam initium faciemus. Iſta enim axiomata, Pœnitentia publica pro peccatis tantùm publicis agenda eſt, occulta pro occultis, ſunt fundamentum potioris partis eorum, quæ in antiqua diſciplina immutata ſunt. Illis enim conceſſis concedant neceſſe eſt, quæcunque ferè de tribus illis criminibus, & de iis, quæ lapſu temporis adjecta ſunt, demonſtravimus *lib. 6. cap.* 1. 2. & ſequentibus; Quæ de criminum occultorum Confeſſione *lib. 2. cap. 9.* 10. & ſequent. Quæ de Pœnitentia minorum criminum *lib. 5. cap.* 31. nonnullaque alia, probabiliter, ut nobis quidem videtur, aſſerta. Præterea hæc diſtinctio quæcunque hoc libro dicturi ſumus, amplectitur, & ubique alterutra pars locum occupat. Ideò demonſtrato iſtius diſtinctionis uſu apud illius ſeculi, & ſequentium auctores, utriuſque Pœnitentiæ praxim iiſdem ſeculis vulgatam toto hoc libro deſcribemus, & ob Lectorum oculos velut in tabella proponemus. Verùm antequam propoſitum aggrediamur, monendus eſt Lector, tempus in iſta propoſitione à nobis ſæpè prolata, diſtingui cœptum eſſe poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum inter crimina publica, & occulta, illiſque criminibus Pęnitentiam publicam eſſe tributam, his verò occultam, non eſſe Mathematicè ſumendum. Mutatio enim illa facta non eſt Phyſico more in temporis momento, aut Concilii alicujus generalis decreto, ſed paulatim, & tacito quodam Eccleſiarum conſenſu. Ideò fieri poſſe, ut aliquot ante, vel poſt annum ſeptingenteſimum annis contrarium alicubi obſervatum fuerit. Hoc tum profitemur, ab eo tempore, aut paulò ante, hanc conſuetudinem in Occidente propagari cęptam, brevique tempore, hoc eſt, triginta circiter annis ſupra ſeptingentos univerſum pervaſiſſe.

II. Primus auctor, apud quem lego diſtinctionem iſtam, ut Pœnitentiam imponendam ſpectat, Venerabilis eſt Beda, qui *cap. 7.* libelli de remediis peccatorum, manifeſtè diſtinguit inter crimina Clericorum publica, & occulta, & utriuſque convenientem aſſignat Pęnitentiam, *Si Presbyter vel Diaconus, vel Monachus uxorem duxerit in conſcientia populi deponatur. Si adulterium perpetraverit cum ea, & in conſcientia populi devenerit, proiiciatur extra Eccleſiam, & inter Laicos pęniteat, quandiù vixerit.* Clarum eſt, eo loco in conſcientiam populi venire, idem eſſe quod in cognitionem. Capite autem primo ejuſdem libelli generaliter loquitur, cùm inter cætera monita, quibus Confeſſorem inſtruit, ne eidem ſemper vitio eandem ſemper imponat Pęnitentiam, & hoc recenſet, *Non omnibus in una eademque libra penſandum eſt, licèt in uno conſtringantur vitio, ſed diſcretio ſit in unoquoque eorum, hoc eſt, inter divitem, & pauperem, liberum, ſervum, infantem, &c. voluntate vel in caſu, in publico, vel in abſcondito, &c.* Specialius hoc poſtremum non definit: Praxis tamen, quæ ſecuta eſt, demonſtrat, eſſe ita intelligendum, ut diſcretio illa inter peccatum publicum, & abſconditum, in eo præſertim conſiſtat, quòd peccata publica publicè ſint purganda, abſcondita occultè. Scribebat autem Beda jam ſenex librum de ratione temporum anno Chriſti 725. ut præter auctorem antiquæ præfationis in illum librum ipſe ſæpiùs teſtatur; Nam *cap. 47.* docens qua ratione ſit invenienda Indictio, *Sume*, inquit, *annos ab Incarnatione Domini quotquot fuerint in præſenti, verbi gratia 725. adde ſemper tria:* Similiter *cap. 50.* eundem annum ad inveniendas Epactas Lunæ in Exemplum proponit: Sic *cap. 52.* ad Epactas Solis eruendas, & *cap. 56.* ad annum Cycli Lunaris inveniendum, aliiſque locis idem faciat. Unde evidentiſſimum eſt, eo anno libri iſtius compoſitioni vacaſſe. Colligitur præterea ex *cap.* 45. ejuſdem libri anno Chriſti 701. Bedam jam ætate grandem fuiſſe, & ſtudiis vacantem. Quanquam autem incertum ſit, an librum ſuum ſcripſerit Beda ante librum de ratione temporum, an poſteà, ex dictis tamen certum eſt, mortali, & vulgari ratione loquendi, quo tempore illum ſcripſerit.

III. Ecbertus factus Eboracenſis Archiepiſcopus anno 731. eadem habet, quæ Beda in Pęnitentiali ſuo, & totum primum caput ab eo eſcripſit. Quapropter eadem eſt utriuſque ratio. Alterum ex eodem Ecberto, cum aliis comparato, & conjuncto argumentum in fine capitis colligimus. Bedæ, & Ecberti diſtinctionem refert quoque Alcuinus, & totam periodum iiſdem verbis libro de divinis Officiis in capite Jejunii, ut & antiquus Ordo Romanus in officio ejuſdem diei. Unde dubium nullum eſſe poteſt, eo, quo diximus, modo Bedæ verba eſſe explicanda.

IV. Capitularium *lib. 5. cap. 52. Si occultè, & ſpontè confeſſus fuerit, occultè fiat, & ſi publicè, ac manifeſtè convictus, aut confeſſus fuerit, publicè, ac manifeſtè fiat, & publicè coram Eccleſia juxta canonicos pęniteat gradus. Poſt peractam verò ſecundùm canonicam inſtitutionem Pęnitentiam occultè, vel manifeſtè canonicè reconcilietur, & manus ei cum orationibus, quæ in Sacramentario ad reconciliandum Pęnitentem continentur, imponatur.* Ita ſtatutum eſt in conventu Francorum Epiſcoporum inito anni 743. Liptinis, præſidente S. Bonifacio Moguntino Archiepiſcopo, & ſedis Apoſtolicæ legato, quod poſteà cum aliis canonibus ibidem latis à Zacharia Papa confirmatum eſt.

V. Iſaacus Lingonenſis Epiſcopus, qui collectionem ſe

feciſſe

feciſſe teſtatur ex iis canonibus, quos ſtatuerunt, cum Sancto Bonifacio Francorum Epiſcopi ſub annum Incarnationis Dominicæ 742. quos poſtmodum Zacharias Papa confirmavit, hunc canonem refert *tit. 3. cap. 9. Mulier habens virum, ſi adulterium perpetraverit, & occultè ad Confeſſionem venerit, ſeptem annis pœniteat, &c. Si cujus uxor adulterium perpetraverit, & hoc à viro deprehenſum fuerit, & publicatum, dimittat uxorem ſi voluerit propter fornicationem: illa verò ſecundùm quod ſuperius inſertum eſt, publicè agat Pœnitentiam, &c.* Capitularibus inſertum eſt *lib. 7. cap. 298.* alibi poſt finem *lib. 7.* Idem ſtatuitur eodem tempore in Concilio Nannetenſi *cap. 2.* Iterùm *titulo 6. cap. 2.* adverſus Raptores bonorum proximi, *Si publicè actum fuerit, publicam inde agat Pœnitentiam juxta ſanctorum canonum ſanctionem. Si verò occultè, Sacerdotum conſilio ex hoc agat Pœnitentiam: Quoniam Raptores, ut ait Apoſtolus, niſi veram egerint Pœnitentiam, regnum Dei non poſſidebunt.* Innovatus eſt canon ſub Ludovico, & inſertus ipſius *capitulis lib. 6. cap. 96.* atque iterum ſub Carolo Calvo Rege Ludovici filio in Synodo Cariſiacenſi ann. 857.

VI. Concilium Arelatenſ. 6. canon. 26. quod anno 813. celebratum eſt, *Qui publicè crimine convicti ſunt, Rei publicè judicentur, & publicam Pœnitentiam agant ſecundùm canones.* Rhemenſe 2. can. 31. eodem anno celebratum, *Ut diſcretio ſervanda ſit inter Pœnitentes, qui publicè, & qui abſconſè pœnitere debent.* Quum autem hujus novi moris occaſione, quo gravia crimina, modò eſſent occulta, eodem modo purgarentur, quo leviora, plerique publicorum criminum Rei occultè tantùm pœnitere vellent, monentibuſque Epiſcopis, ut Pœnitentiam publicè agerent, nollent obtemperare, ſicque antiquus pœnitendi publicè mos in nonnullis Provinciis obſoleſceret, Epiſcopi Provinciæ Lugdunenſis in Cabillonenſi Concilio decreverunt, ann. 813. ab Imperatore auxilium poſtulandum, ut publici peccatores ad Pœnitentiam publicam cogerentur, *Pœnitentiam agere juxta antiquam canonum conſtitutionem in pleriſque locis ab uſu receſſit, & neque excommunicandi, neque reconciliandi antiqui moris ordo ſervatur: ut à Domino Imperatore impetretur adjutorium, qualiter ſi quis publicè peccat, publica mulctetur Pœnitentia, & ſecundùm ordinem canonum pro merito ſuo excommunicetur, & reconcilietur.*

VII. Rabanus Maurus initio libri Pœnitentium, *In primis viſum eſt vobis conſcribi de his, qui ſacros ordines habent, & ante, vel poſt ordinationem contaminatos in capitalibus criminibus ſe eſſe profitentur, in quibus, ut mihi videtur, hæc diſtantia debet eſſe, ut hi, qui deprehenſi, vel capti fuerint publicè in perjurio, furto, atque fornicatione, & cæteris ejuſmodi criminibus ſecundùm ſacrorum canonum inſtituta, à gradu proprio deponantur, quia ſcandalum eſt populo Dei, &c. Qui autem de prædictis viris per occultam Confeſſionem malè à ſe abſconsè commiſſa coram oculis Dei præſente etiam Sacerdote, qui eis indicturus eſt Pœnitentiam, confitentur, & ſemetipſos graviter deliquiſſe accuſant, ſi veraciter pœnituerint, & ſe per jejunia, & eleemoſynas, vigilias, atque ſacras orationes cum lachrymis purgare certaverint, his etiam gradu ſervato ſpes veniæ de miſericordia Dei promittenda eſt, &c.* Et paulò poſt eodem capite longè ante finem, *De his autem, quorum occulta peccata ſunt, nec manifeſtè ab aliquo argui poſſunt, ſi ſalubriter compuncti pro peccatis ſuis confeſſionem Epiſcopo, ſive Presbytero occultè faciunt, bonum mihi videtur, ut ſecundùm id, quod ſibi decretum fuerit ab Epiſcopo, ſive Presbytero, Pœnitentiam agant, &c.* Ita ille diſtinguit in cauſa Clericorum, ut ii deponantur, qui crimina publicè perpetraverunt, aut publicè convicti ſunt. Qui verò occultè, acta Pœnitentia ſecreta gradus ſuos recuperare poſſe. Auctoritate quidem ſanctorum Gregorii, & Iſidori ſententiam ſuam demonſtrat: ſed nec Gregorius, nec Iſidorus ullo verbulo innuunt diſtinctionem criminis publici, & occulti; Verum generaliter loquuntur, Sacerdotem, Presbyterum, & Diaconum carnali vitio lapſos poſt actam Pœnitentiam priſtino honori reſtitui debere. Exempla equidem, quibus utuntur, ut ſancti Petri, ovis perditæ, Angeli Epheſi ex Apocalypſi, Heli Sacerdotis, & filiorum ejus, Mariæ ſororis Aaron, evidenter probant eos, peccata publica complecti; at de occultis nihil negant. Itaque Rabani citatio probat tantùm, Clericos majores poſt Pęnitentiam dignitati reſtitui poſſe, ſed non demonſtrat ipſius diſtinctionem, hoc de criminibus publicis, non de occultis, eſſe intelligendum.

VIII. Concilium Moguntinum ann. 847. ſub eodem Rabano celebratum, *cap. 31. Diſcretio ſervanda eſt inter Pœnitentes, qui publicè, & qui abſconsè pœnitere debent. Nam qui publicè peccat, oportet ut publica mulctetur Pęnitentia, & ſecundùm ordinem canonum pro merito ſuo & excommunicetur, & reconcilietur.* Pœnitentiale Rom. eadem habet *tit. 9. cap. 11.* & repetit Burchard. *lib. 19. cap. 28.* Concilium quoque Nannetenſe, *cap. 17. Si quis voluntariè, & per inſidias hominem interfecerit, jugi ſe Pœnitentiæ ſubmittat. Et ſi hoc publicè actum conſtat, ſi Laicus eſt, à communione orationum quinquennio removeatur, &c.* Burchardus ex antiquo auctore, quem nomine ſancti Auguſtini citat, hæc habet *lib. 19. cap. 36. Si quis inceſtum occultè commiſerit, & Sacerdoti occultè confeſſionem egerit, indicetur ei remedium canonicum quod ſubire debuiſſet, ſi ejus facinus publicatum fuiſſet. Verùm quia latet commiſſum, detur ei à Sacerdote conſilium, ut ſaluti animæ ſuæ pro occulta ſua Pęnitentia proficiat, &c.* Capitularium *lib. 6. cap.* 203. dicitur publicorum peccatorum cognitionem, & caſtigationem ad Epiſcopum pertinere, occultorum ad Presbyterum ex Epiſcopi delegatione, *Quia variâ neceſſitate præpedimur canonum ſtatuta, de reconciliandis Pœnitentibus pleniter obſervare, propter hoc omninò non dimittatur, ut unuſquiſque Presbyter juſſione Epiſcopi de occultis tantùm, quia de manifeſtis Epiſcopis convenit, judicet, &c.*

IX. Sæpiſſimè, ut videas, à tempore notato diſtingunt Patres, cùm Pœnitentiam criminibus imponunt, inter crimina publica, & occulta, Pœnitentiamque publicam publicis criminibus imponebant; occultam occultis. Hoc ex ſequentibus adhuc evidentius Lectori conſtabit, non modo ex teſtimoniis auctorum, qui ſeculum ſeptimum ſtatim conſecuti ſunt, ſed etiam ex poſterioribus. Ab eo enim tempore in hunc uſque diem axioma hoc ab omnibus acceptiſſimum fuit: Publicam Pœnitentiam de peccatis publicis eſſe agendam, occultam de occultis. Verum illa teſtimonia hic præpoſterò exſcriberentur, præſertim in cauſa ab omnibus confeſſa, quæ neceſſe eſt nos infra referre, & diſcutere. Differebat autem pleriſque magni momenti ceremoniis Pœnitentia publica à privata, ut toto hoc libro demonſtrabitur. Ante vero tempus adnotatum nihil horum lego. Canones, dictaque Patrum Pœnitentiam criminibus ipſis imponunt, eorumque Reos, præter privatum afflictionis corporalis imperium, ſimpliciter ad manus impoſitiones, orationeſque quotidianas adigunt; præterita criminis occulti, aut publici diſtinctione, ut ex omnibus quæ libris præcedentibus dicta ſunt, neceſſariò colligi mihi videtur.

X. Aliud ejuſdem praxis argumentum deſumitur certiſſimum, ex antiquis Sacramentariis, & Pœnitentialibus, in quibus manifeſtè diſtinguntur crimina publica, & occulta, Pœnitentia quoque publica, & ſecreta, Ut videre eſt in antiquiſſimo Sacramentario Romano, cujus uſus erat ante S. Gregorium, & qui diu infra annum ſeptingenteſimum ſcriptus non fuit. In capite enim Quadrag. & in Cœna Domini habetur *tit. Ordo agentibus Pœnitentiam publicam*, & quæ ſequuntur omnia ad Pœnitentiæ publicæ ritus pertinent. Ex iſto codice colligitur annum 700. praxim illam anteceſſiſſe. Ut quid enim diceretur, ordo ad agendam Pœnitentiam publicam, niſi alius eſſet ad agendam Pœnitentiam privatam: Sed iſta evidentiſſimè Ecberti Pœnitentiale, & Chrodogangi regula, quæ in fine operis edidimus, quæque cæteris poſt Sacramentarium illud antiquitate præſtant. Eandem praxim docent recentiores Pœnitentiales; Immò quia de iis dubium moveri non poteſt, demonſtrant antiquiores ſic eſſe neceſſario interpretandos. Similes enim prorſus ſunt recentioribus. Quapropter idem omninò argumentum de antiquioribus, quod de recentioribus, colligitur. Quum prætcrea eorundem ſeculorum canones, & auctores eandem praxim teſtentur, & præcipiant, quis de ea ſcrupulus iniici poteſt?

XI. Secundo idem colligitur ex antiquis ordinibus Romanis, tam editis, quàm manuſcriptis, licet disertè, & κατὰ λέξιν id non exprimant. Nam poſt enarrationem, qua ratione ſit prædicanda initio Quadrageſimæ Pœnitentia, & unicuique pro gravitate criminum, pro ſexus, ætatis, & conditionis modo imponenda; quæ interrogationes faciendæ, quæ orationes dicendæ, &c. Publicas ſtatim Pœnitentiæ ceremonias deſcribunt, *Hic mittendus eſt cinis ſuper caput Pęnitentis, & dicendum, Memento homo, &c. ſtatimque imponendum cilicium, &c. Poſt hanc orationem eiiciendus eſt ab Eccleſia, & tali modo increpandus, &c.* Clariſſimè hoc iterùm demonſtratur ex officio in Cœna Domini, quod hac in cauſa neceſſariam habet cum impoſitione Pœnitentiæ, quæ fit initio Quadrageſimæ, relationem, & connexionem. Monentur enim ut in Cęna Domini ad reconciliationem redeant, quo tum die publicè in Eccleſiam deducuntur cum iis, publicis ceremoniis, quas unuſquiſque legere poteſt: *Tum egreditur Pęnitens de loco, ubi Pęnitentiam geſſit, ut gremio præſentetur Eccleſiæ. Sedente autem Pontifice*

Digitized by Google

tiſico pro foribus Eccleſiæ, Pœnitentibus in atrio Eccleſiæ eminus cum Archidiacono juſſum illius præſtolantibus, &c.

XII. Vice verſa ſi examines, quæcunque de Confeſſione criminum, de qualitate, & conditione perſonarum, de exhortatione omnium prorſus Chriſtianorum ad Confeſſionem illo tempore edendam, & Pœnitentiam ſuſcipiendam, luce meridiana ſplendidius apparebit iſtorum longè maximam partem de peccatis occultis, & ſecreta Pœnitentia eſſe interpretandam; ut cùm monuit poſt acceptam Pœnitentiam admonendos eſſe, ut in Cœna Domini ad reconciliationem redeant, adiicit, *Si verò intereſt cauſa itineris, aut cujuslibet occupationis, aut ita fortè hebes eſt, ut ei hoc Sacerdos perſuadere nequeat, injungat ei tam quadrageſimalem quàm annualem Pœnitentiam, & reconciliet eum ſtatim.* At publici peccatores non modò anathematis, & expulſione ab Eccleſia, atque interdictione ab omni commercio ad Pœnitentiam coguntur, ſed etiam brachium ſeculare ad id præſtandum invocatur. Oratione ſuper Pœnitentiam fuſa, *Jubeat eum Sacerdos ſedere contra ſe, & colloqui cum eo de ſuprascriptis vitiis ſine exhortationibus, ne fortè pro verecundia, aut ignavia, ſive oblivione, aliquid putridum in corde remaneat, &c.* Poſteà ſequitur peccatorum Confeſſio minutiſſima, qua facta ſic monetur Sacerdos, *Præcavendum tamen eſt Sacerdoti, de ſupra ſcriptis vitiis, ut ei exhortationis gratia ad memoriam reducat, ne quid adverſante Diabolo occultum remaneat.* Deinde aliis dictis jubetur Pœnitens totum ſe in terram proſternere, &c. *Deinde jubeat eum Sacerdos ſurgere. Et cùm ſteterit ſuper pedes ſuos cum tremore, & humilitate præſtoletur judicium Sacerdotis.* Et poſt multa ſequitur, *Quibus dictis jubeat Sacerdos Pœnitentem ſurgere de terra. Sed & ipſe ſurgat de ſedili ſuo, & ſi loco vel tempori congruit, Eccleſiam ingreſſi, & ſuper genua, vel cubitos utorque innixas decantet Pſalmos, &c.* Eſt igitur maniſeſtiſſimum antiquos illos ordines, & Pœnitentiales utramque Pœnitentiam, & utraque crimina complecti. Quod de Romano ordine edito retulimus, idem de Pœnitentialibus, & aliis ordinibus dicendum eſt, ut iſta videre eſt *lib. 4. cap.* 18. ubi iſtorum magnam partem exſcripſimus, atque etiam *cap.* 15. *libri quinti*, ſed potiſſimùm, ſi Pœnitentiales ipſos, quos in lucem edimus, integros percurras.

XIII. Operæ pretium mihi videtur Lectorem admonere occaſionis, quam habuerunt ordinum auctores, iſta ſimul commiſcere, & qua ratione in hoc differant ab ordinibus officiorum libri Pœnitentiales, ut quæ videntur in ejuſmodi ſcriptis confuſa, diſtinctè intelligantur. Quoties peccator publicus erat Pœnitentiam publicam acturus, Confeſſio ſecreta publicam peccati publici Confeſſionem neceſſariò præcedebat. Peccator enim publicus procul dubio crimina occulta præter illud quod erat publicum perpetraverat, ſi non opere, ſaltem interno mentis aſſenſu. Quapropter cum ex Eccleſiæ traditione Confeſſioni ſint obnoxia crimina omnia, Pœnitentem publicum oportuit prius peccata omnia Sacerdoti confiteri, quàm ad Pœnitentiam admitti de peccato publico. Sed criminum occultorum Reum ad publicam eorum Confeſſionem adigere nefas erat. Secreta igitur Confeſſio omnem Pœnitentiam publicam neceſſariò antecedebat. Ideò Eccleſiaſticorum Officiorum antiqui auctores, qui iſta amplè tractarunt, ſatis diligenter minutas peccatorum ſpecies, virtuteſque iis oppoſitas perſecuti ſunt, ut Sacerdotes iis inſtructi commodas interrogationes Confitentibus facere docerentur. Secretæ inſuper Confeſſionis ritus omnes explicarunt, cùm utrumque Pœnitentiæ publicæ agendæ neceſſariò prærequireretur. Sed eo quod præcipuus auctorum illorum ſcopus eſſet Pœnitentiam, ut pertinet ad Officium Eccleſiæ publicum, explicare, idcircò enarratis, quæ pertinent ad crimina occulta, & ſecretam eorum confeſſionem, ſtatim ad ritus Pœnitentiæ publicos explicandos redeunt. Cùm verò Pœnitentium publica reconciliatio nihil habeat neceſſariò cum privata reconciliatione permiſtum, idcircò Officia Eccleſiaſtica, prætèrita reconciliationis privatæ commemoratione, ritibus tantùm publicis explicandis incumbunt. Contrarius eſt Pœnitentialium librorum ſcopus: Sibi enim potiſſimum proponunt Sacerdotum, quà Confeſſiones audiunt, inſtructionem. Ideò maxima pars eorum in definiendis unicuique peccato Pœnitentiis conſiſtit. Explicant etiam diligenter ritus Confeſſionis edendæ, & interrogationum faciendarum, qui ferè ſunt utrique Pœnitentiæ, & privatæ, & publicæ communes. Sed ritus publicos leviter attingunt, quia ii ſunt Epiſcoporum proprii, & cum pauciſſimis Sacerdotibus Epiſcoporum delegatione communicati. Hæc omnia denique confirmantur ex antiquo canone, qui ſub nomine Concilii Agathenſis citatur non modò à Gratiano, Ivone, Burchardo, & aliis, ſed etiam à Reginone Abbate in collectione ſua centum ante Burchardum annis, in cujus initio ſic ſcribitur, *In capite Quadrageſimæ omnes Pœnitentes, qui publicam ſuſcipiunt, aut ſuſceperunt Pœnitentiam, ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo, &c.* Ex quibus verbis manifeſtum eſt, duplicem fuiſſe Pœnitentiam, publicam de qua omnia, quæ ſequuntur in canone intelligenda ſunt, & privatam, cujus eſt alia ratio, & ad quam ritus illi publici, quas deſcribit, non pertinent. In Pontificali antiquo S. Mariæ Remenſis, initio Quadrageſimæ eadem prorſus verba repetuntur, quæ ſic intelligi nemini dubium eſſe poteſt.

XIV. Duo poſſunt obiici, quibus neceſſe videtur occurrere. Prius ex antiquo Sacramentario Romano: Diximus enim officiorum ordinem complecti, qualis ante ſanctum Gregorium uſurpabatur. Hinc conſequens videtur, diſtinctionem illam criminum publicorum, & occultorum in cauſa Pœnitentiæ longè ante tempus adnotatum initium habuiſſe. Facilis reſponſio. Scriptus eſt liber poſt ſanctum Gregorium: certum eſt autem ejuſmodi libris ritualibus addi ſolitos ritus tempore, quo ſcribuntur uſurpatos. Deſcribuntur enim ſæpiſſimè hujuſmodi libri in præſentem uſum: Quapropter ſi quid novi additum, aut in illa regione, in qua ſcribitur, invaluit, illud neceſſariò inſerendum eſt, ne mancum videatur opus. Unde colligi tantùm poteſt, conſuetudinem illam, cùm ſcriberetur liber, jam invaluiſſe.

XV. Opponi rurſum poteſt, cùm codicis illius ſcriptio, ut coniicimus, annum ſeptingenteſimum antecedat, ſequitur praxim illam eundem annum antecedere. Conſequentiam facilè conceſſerim: Conſequens enim demonſtrat non modò codex ille, ſed etiam Theodori Cantuarienſis Archiepiſcopi liber Pœnitentialis ab auctoribus iſtius ſeculi, & ſequentium tantopere celebratus. Theodorus Græcus erat Monachus Tharſiæ Ciliciæ natus, quem Epiſcopum ordinavit Vitalianus Papa anno Chriſti 668. & in Britanniam miſit, ad quam pervenit anno ordinationis ſuæ ſecundo. Cantuariæ ſedit annos 21. Menſes 3. dies 26. ut ſcribit Beda *hiſtoriæ Anglorum libr. 4. cap.* 1. & 2. obiit autem anno 690. Itaque intra illud tempus Theodorus Pœnitentiale ſuum compoſuit, in quo ſigillatim unicuique peccato Pœnitentias impoſuit, Confeſſioniſque, & Abſolutionis ritus deſcripſit. Omnium librorum Pœnitentialium apud Latinos primus ille laudatur, cujus poſteà imitatione multi compoſiti ſunt, quos inter laudatiſſimi fuerunt, Romanus, & qui Bedæ nomen tulit. Theodorus autem Græcus Græcorum morem magna ex parte retulit, qui diu ante ipſius ætatem, ut libro præcedente demonſtratum eſt, mori de peccatis occultis publicè pœnitendi renuntiaverant, quotidianas manuum impoſitiones ſuſtulerant, multaque alia immutaverant. Theodorus igitur Græcus Græcos imitatus, eædem in Pœnitentiali ſuo præteriit, & pœnas tantùm ſeu Epitimia ſingulis peccatis convenientia attendit, & definivit, publicè, & ſolemniter imponenda, ſi crimen erat publicum, privatim ſi privatum. Pontificale Damaſi in Vitaliano, *Theodorus Archiepiſcopus peccantium judicia, quot ſcilicet annis pro uno peccato quis pœnitere debeat, mirabili, & diſcreta conſideratione deſcripſit.* Iiſdem verbis eum laudat Regino in Chronicis, atque Beda in libro de temporibus referente Ivone Decreti *part.* 4. *cap.* 146. Hinc, ut ex variis capitulis, quæ canonum, & regularem Eccleſiaſticarum poſteriores Collectores ex eo citant, manifeſtum eſt, quid potiſſimùm in Pœnitentiali ſibi Theodorus propoſuerit.

XVI. Itaque innovationis, quæ in Eccleſia Latina facta eſt, quamque deſcribere hoc libro nobis propoſitum eſt, origo, & occaſio prima fuit Theodori Pœnitentialis ille liber Græcorum imitatione compoſitus, & annis viginti quinque, aut pauló minùs ante ſeptingenteſimum in Anglia editus, & pauló poſt per univerſam Eccleſiam Latinam divulgatus, & celebratus. Divulgationem tam promptam, & feſtinam nemo, opinor, mirabitur, qui differentiam Pœnitentialis à canonum collectione, & quaſdam alias tum Pœnitentialibus, tum datæ hypotheſi connexas circumſtantias, diligenter conſiderabit. Utrumque ideò breviter ob Lectorum oculos proponimus. Differentia inter Pœnitentiales libros, & canonum collectiones, in tribus potiſſimùm capitibus conſiſtit. Primum, quòd collectiones illæ κατὰ λέξιν, & indiſcretè canones omnes complectebantur, vario tamen ordine obſervato, ut unicuique Collectori opportunum videbatur. Primæ collectiones Conciliorum, canones ſibi conſequenter adtexebant, poſteriores prioribus, iiſque eadem antiquitatis prærogativa Pontificum decreta nonnullæ conjungebant. Plurimis poſteà, & ferè omni-

omnibus Collectoribus, tam Græcis, quàm Latinis viſum eſt omnes ſimiliter canones, & decreta vel in titulos diſtinguere, & unicuique titulo canones, & decreta convenientia adſcribere, vel in libros pro ratione materiæ, quod eodem tefertur; & in unoquoque libro, canones, decreta Pontificum, atque etism varias Patrum ſententias in eundem finem conſpirantia congerere. Verùm Pœnitentiales libelli eos tantùm canones, & decreta continebant, quæ criminibus pœnas indicebant; nec nudos canones, ut Collectoribus mos erat, proponebant, ſed plerumque nonnullis verbis interpretationis cauſa mutatis, aut additis. Secundum differentiæ caput eſt, quòd Collectiones canones tantùm continebant, & decreta, ſive etiam aliquas ex Patribus propoſito convenientes ſententias. At Pœnitentiales præter hæc multa alia complectebantur ex probata ſui temporis conſuetudine deſumpta. Denique Pœnitentiales libri Confeſſionis, Pœnitentiæ impoſitionis, & Abſolutionis formulas, & ritus deſcribebant, quæ canonum, & decretotum collectiones omittebant.

XVII. Hinc facilè judicabit Lector quàm opportuna, & commoda fuerit ſiogulis Sacerdotibus nova illa Pęnitentialium libellorum conſcriptio. Sic enim unicuique Presbytero erat in promptu indiculus velut in tabella effigiatus, ſecundum quem ſingulis peccatis erant Pœnitentiæ aſſignandæ; quomodo juxta varias perſonatum conditiones, ætates, incommoditates, morbos, erant temperandæ, commutandæ, redimendæ. Quapropter oihil mitum eſt ſi Theodori Archiepiſcopi, viri ſuo ſeculo doctiſſimi, atque propter auctoritatem ſummi Pontificis, à quo conſecratus, & in Angliam miſſus fuerat, omnibus acceptiſſimi liber pœnitentialis brevi tempore univerſum ferè Occidentem pervaſi, illumque imitati ſint multi alii Epiſcopi, non tantùm ipſius Pœnitentialem probantes, ſed etiam alios inſtar illius commodiores, & ampliores componentes. Nihil quoque mitum ſi Concilia, Synodaleſque conventus ſingulis annis poſt ſeculum ſeptimum celebrati ſeverè ſemper conſtituerunt, ut ſinguli Presbyteri Theodori Pœnitentialem præ manibus haberent, ut ex illius præſcripto peccantibus Pœnitentias imponerent.

XVIII. Poſterius quod obiici poteſt petitur ex *can. 32.* Concil. Carthagin. 3. quem Collectorum vix aliquis omittit, *Cujus Pęnitentis publicum, & vulgatum crimen eſt, quod totam Eccleſiam commoverit, ante abſidem ei manus imponatur*. Ergo longè ante tempus à nobis adnotatum publicorum tantùm criminum publica erat Pœnitentia. Sed nihil tale ſonat canon. Jubet ut Reo criminis, quòd totam Eccleſiam commovit, manus in pœnitentiam ante abſidem imponatur. Hinc tantùm ſequitur, neceſſe non eſſe ut criminis occulti, aut minus publici Reo manus in pœnit. ante abſidem imponatur, ſed alibi manus ei, & pœnitentia publica imponi poteſt, privatim ſcilicet in Eccleſia à Presbytero, aut domi ſi ægrotat. Nec enim neceſſe erat, omnes pœnitentiam publicam ſuſcipientes, eadem ſolemnitate ſuſcipere. Hunc canonem *toto cap. 16. lib. 5.* explicavimus, & ibidem quinque differentias inter utramque pœnitentiam publicam tradidimus.

CAPUT II.

Multis teſtimoniis, & argumentis docetur, poſtquam ceſſavit publica de criminibus occultis Pœnitentia, magnum tamen multis poſt ſeculis Pęnitentium publicorum in Eccleſia numerum fuiſſe, loco, veſte, luctu, vitæque diæto conſpicuum, & à fidelibus diſcretum.

QUanquam à ſeculo ſeptimo fuerit ab omnibus recepta diſtinctio capite præcedente explicata, deſitumque ſit pro peccatis occultis pęnitentiam publicam agere, non deſiit tamen publicus, & continuus Pęnitentium ſtatus in Eccleſia conſpicuus, qualem libri præcedentis *cap.* 12. deſcripſimus. Magnus enim ſemper fuit Pęnitentium publicotum in Eccleſia numerus, veſte, loco, victu, luctu, totaque vitæ diæta à fidelibus diviſus; adeò ut perpetuò fuerit omnium oculis expoſita fidelium à Pęnitentibus diſtinctio. Hinc illæ in antiquis canonibus, & Pęnitentialibus frequentes conſtitutiones, & peccata Confitentium interrogationes, *Si quis hominem publicè Pęnitentem interfecerit, ut homicidium ſponte commiſſum dupliciter pęniteat, & niſi in finem non communicet*. Pęnitent. Romanum, *tit. 1. cap. 5.* Eodem modo hunc canonem referunt Burchard. *lib. 6. cap.* 20. & Ivo Decreti *part.* 10. *cap.* 149. Præterea Capitularium *lib. 4. c.* 18. *Qui hominem publicam Pęnitentiam agentem interfecerit, bannum noſtrum in triplo componat, & VVirgildus ejus proximis ejus perſolvatur.*

Morin. de Sacrum. Pœnit.

Iſaacus Lingonenſis capitulum hoc ſuæ collectioni inſeruit *tit. 1. cap. 2. & tit. 2. cap. 3* Itaque non ſolum Eccleſia crimen hoc ſeverè puniebat, ſed etiam ſecularis auctoritas. Burchardus *lib.* 19. catalogo interrogationum, quas Presbyter Confitenti facere tenetur, hanc inſerit, *Occidiſti, aut in conſilio fuiſti, ut occideretur Pęnitens qui publicè pęniteret, & in ipſo veſtitu, vel habitu eſſet, quo ſolent illi eſſe, qui corinam jejunant: ſi feciſti, idipſum debes jejunare quod ipſe inceperat, & hoc totum obſervare quod retro præceptum eſt de his qui homicidia ſponte, & per cupiditatem commiſerunt*. Robertus de Flammesburg, qui Pariſiis ſcribebat ducentis ferè poſt Burchardum annis, ita quoque definit in Pęnitentiali, *fol. 29. p. 2.* & canonem repetit prout ex Pęnitentiali Rom. illum exſcripſimus.

II. Similes ſunt, & ſimiliter colligunt, canones, & interrogationes de iis factæ, qui Pęnitentes invitant ad bibendum aut edendum contra pęnitentiæ illis impoſitæ ſtatuta. Hoc ita piaculare cenſebatur, ut in ſingulis Synodis Diœceſanis, ne fieret, diligenter præciperetur, & in methodo Parœciarum viſitandarum Epiſcopis, & Archidiaconis traderetur, ut de hac re Parœcos, & Parœcianos interrogarent: in pęnitentialibus quoque Confeſſoribus injungeretur, ut hoc à Confitentibus inquirerent. Iſaacus Lingonenſis *tit. 1. cap. 1. ex capite* 54. ut ipſe citat *lib.* 5. Capitularium, *Nullus Presbyter aut Laicus Pęnitentem cogat vinum bibere, aut carnem manducare niſi ad præſens pro ipſo unum, vel duos denarios juxta qualitatem Pęnitentiæ dederit*. In antiquo ordine Romano poſt abſolutam Synodum Diœceſanam formula eſt orationis exhortatoriæ, quam habet Epiſcopus ad Parœcos, & Presbyteros, in qua eos muneris diligenter exercendi admonet. Inter cætera monita hoc habetur, *Nullus Pęnitentem invitet carnem manducare, & bibere vinum, niſi pro eo ad præſens eleemoſynam faciat*. Idem præceptum iiſdem verbis continetur in antiquo pluſquam ſeptingentorum annorum ordine Romano manuſcripto.

III. Herardus Archiepiſcopus Turonenſis canones permultos collegit ad Diœceſis ſuæ diſciplinam Eccleſiaſticam reformandam variis bellorum tumultibus concuſſam, eoſque anno Chriſti 858. ordinationis ſuæ tertio, 17. Kalend. Junii in Synodo Diœceſana publicavit, omnibuſque Presbyteris ut eorum breviculum ſemper haberent, injunxit. Capitulo 26. ita præcipitur, *Nullus pęnitentem cogat manducare vel bibere niſi redemptio permiſſa ſit: ita tamen ut prius pro eo donet coram ipſo redemptionem*. Initio collectionis Reginonis Abbatis catalogus texitur inquiſitionum, quas Epiſcopus Diœceſim viſitans facere tenetur, quas inter hæc eſt, 51. *Si pęnitentem invitat carnem manducare, & bibere vinum, niſi pro eo ad præſens eleemoſynam fecerit*. Poſteà *cap.* 260. *libri primi* idem repetit, & demonſtrat ex Capitular. *lib. 1. cap.* 151. ut ipſe citat. In editis legitur *lib. 1. cap.* 157. iiſdem prorſus verbis quibus eum ex Iſaaco retulimus, eo tantùm excepto quod pro, *cogat*, legitur, *invitet*. Itaque canon ille eorum unus eſt, quos Carolus magnus promulgavit; Ita enim Anſegiſus capitula illa diſtinxit, ut in primum librum conjecerit, quæ ad Carolum magnum pertinent: Dicendum non tantùm quæ ad Carolum magnum pertinent, ſed etiam quæ ad Pipinum Patrem, & Carolomannum Patruum. Hic enim canon, ut cæteros omittam, ad anteriores illos Principes pertinet, cum ab Iſaaco Lingonenſi referatur. Burchard. *lib.* 19. hujus rei interrogationem annumerat iis, quos Presbyteri Confitentibus facere tenentur, *Coegiſti publicè Pęnitentem manducare, & bibere ultra id quod ſibi imperatum fuerat, niſi ad præſens pro eo eleemoſynam dediſſet? Si feciſti decem dies in pane, & aqua pęniteas.* Erat igitur admodum conſpicuus Pęnitentium in Eccleſia ſtatus, eorumque à fidelibus diſtinctio, licèt iis ſeculis Pęnitentia publica propter crimina publica tantùm ſuſciperetur.

IV. Magnus inſuper erat eorum numerus, ut conſiderantibus ea, quæ adnotamus, erit manifeſtum. Primum Homicidæ omnes publici Pęnitentiæ ſubigebantur, licet à Principe criminis indulgentiam impetraſſent, quæcunque illa fuiſſet indulgentia, modò criminibus ſuperſtites eſſent; vel ita potentes eſſent, ut de iis ſupplicium reſpublica ſumere non poſſet. Notandum autem multis ſeculis in Gallia, Italia, Germania, homicidia raro morte plexa fuiſſe, niſi à vilibus hominibus perpetrarentur, ſed cum Principe, & parte læſa mulcta pecuniaria cōpoſitum fuiſſe, ut paſſim colligitur ex Capitularibus Caroli magni, Ludovici Imperatoris, & ejus filiorum, atque Nepotum, quod multò magis contingebat in Gallia, & Italia, atque etiam in Germania poſt extinctos Caroli

magni poſteros. Homicidia quoque fortuita, aut in ſui conſervationem perpetrata, aliaque ejuſmodi, quæ legibus civilibus non vindicabantur, Eccleſiaſticis Pœnitentia publica caſtigabantur. Virginum, Viduarumque raptus, licèt Rapta conſentiret Raptori, Parenteſque poſteà Raptæ matrimonio faverent, Pœnitentia publica, & longa eluere neceſſe erat. Eadem Fœnorantium ratio, fornicantium quacunque de cauſa licèt promiſſio de futuro matrimonio anteceſſiſſet, & matrimonium poſteà ſubſequeretur; multò magis meretricum, & adulteriorum, quæ in publicum erumpebant. Ita in perjurio, falſo teſtimonio, ebrietate deprehenſi, quæ crimina publicè contingere ſolent, & quorum ſæpe auctores in judicio convincuntur. Similiter alienorum bonorum raptus, incendia, ſortilegia, & incantationes graves, inceſtus matrimonii prætextu colorati, quis illis ſeculis in quibus vix aliqua deprehenduntur diſpenſationum Pontificiarum veſtigia, & ad ſeptimum uſque gradum conjunctiones matrimoniales prohibebantur, non erant infrequentes.

V. Iſtorum criminum Rei ſæpius erant publici, aut facilè publicabantur. Quapropter cùm non abſolverentur niſi peracta Pœnitentia publica; aut ſi urgente mortis periculo ante pœnitentiam ſuſceptam vel perfectam neceſſe eſſet eos abſolvi, ea tantùm conditione abſolvebantur, ut ſanitati reſtituti pœnitentiam canonicam agerent, aut inchoatam complerent, planè neceſſarium fuit permultos paſſim reperiri præſertim in majoribus Eccleſiis publicos pœnitentes. Verùm ut graphicè magis hoc ſibi Lector ob oculos proponat; quatuor inſuper adnotabo.

VI. Primum, omnium criminum actam fuiſſe Pœnitentiam publicam, quæ in judicio civili probata fuerant, ſive condemnationis ſententia ſecuta fuiſſet, ſive aliquo caſu non ſecuta; ſive cum poſt condemnationem quocunque prætextu, aut favore ſententia executioni non mandabatur, ſive cùm mandabatur equidem, ſed capitis non erat ſententia. Uno verbo, quoties poſt criminis legitimam probationem civilem Reus ſuperſtes erat, publicæ pænitentiæ ſubiiciebatur. Aliud præcedentibus criminis à Principe condonati genus adiiciendum eſt. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſæpe referunt, Epiſcopos pro criminum Reis apud Magiſtratus interceſſiſſe: Sola Epiſtola 54. ſancti Auguſtini huic conſuetudini probandæ ſufficere poteſt. Aliquando Rei ad Eccleſiam ut ad Aſylum confugiebant, nec prius patiebantur Epiſcopi eos ab Altaribus avelli, quàm de eorum vita, & membrorum integritate Magiſtratus ſecuritatem præſtitiſſent, quam ſi poſteà violaſſent, ab Eccleſia graviter puniebantur, Concil. Remenſe, an. 630. celebratum, *c. 7. Si quis fugitivum ab Eccleſia abſque Sacramento, quo ei jurandum eſt, ut de vita, tormento, & truncatione ſecurus exeat, qualicunque occaſione abſtraxerit, communione privetur. Similiter ſi quis jus Sacramenti præſtitam violaverit, communione privetur.* Ejuſmodi homines Eccleſiæ auctoritate, & beneficio à morte liberari, Pœnitentiæ poſteà ſecundùm canones agendæ ſubdebantur. *Ille verò qui ſanctæ Eccleſiæ beneficio liberatur à morte*, inquiunt Patres eodem canone, *non prius egrediendi accipiat libertatem, quàm pœnitentiam ſe pro ſcelere eſſe facturum promittat, & quod ipſi canonicè imponetur, impleturum.*

VII. Secundum, multa crimina à Magiſtratu vindicata non fuiſſe, atque ideo ſæpiſſimè publicè perpetrata, quæ tamen legibus Eccleſiaſticis ſeveriſſimè coercebantur, ut, uſuræ, fornicationes, matrimonia inceſta in gradibus purè Eccleſiaſticis, Monomachiæ, Homicidia fortuita, aut in juſtam, & neceſſariam ſui defenſionem facta, Ebrietas. Crimina præterea Eccleſiaſtica, Simonia, Hæreſis, Schiſma, & varii rerum divinarum contemptus. Tertium, inquiſitum fuiſſe diligenter ab Epiſcopis, & Archidiaconis in viſitationibus in crimina occulta; admiſſos, & adjuratos teſtes, ut quæ cognoſcerent publicè teſtarentur; qui juſtam delationem retardaverant, punitos, qui neglexerant, ſeverius punitos. Quartum, ſeveriſſimè animadverſum fuiſſe in peccatores publicos, qui Pœnitentiam publicam agere negligebant, atque ideò non contentos Epiſcopos pœnis Eccleſiaſticis ad eos cogendos, regiam quoque poteſtatem invocaſſe, Regeſque lubentes eam obtuliſſe. Qui hæc animo perpenderit, facilè ſibi perſuadebit, licèt occultorum criminum pœnitentiam agere publicam à tempore adnotato ceſſatum ſit, magnum tamen ſemper publicorum Pœnitentium numerum in Eccleſiis fuiſſe conſpicuum. Rem autem ita ſe habere quis poterit dubitare, cum ſequentia legerit, quę certiſſimis argumentis demonſtrant quæcunque jam diximus, in quibus tantulus poſſet hærere ſcrupulus?

CAPUT III.

Demonſtratur quanto ſtudio, & ſolicitudine, quove juris ordine Epiſcopi illis ſeculis invigilarint in univerſa Diœceſi ſua ad crimina publica revincenda, & occulta juridicè detegenda, ut publicam, & canonicam utriſque Pœnitentiam imponerent.

SOlicitè admodum, & diligenter providebant illorum ſeculorum Epiſcopi non modò ut peccatorum publicorum, quę per varias Diœceſis parœcias perpetrabantur cognitio illos non lateret, ſed etiam ut occulta ipſos non effugerent. Ea enim diſciplina, & cautione in iis inquirendis utebantur, ut difficile eſſet crimina occulta, nedum publica, eorum ſolertiam, & ſolicitudinem effugere. Quamobrem hoc? non peccantium odio, ſed amore, & ſtudio; non ut malum malo medicarentur, ſed ut optimi Medici, ſanitatis ægrotorum deſiderantiſſimi. Omnis enim eorum cura, & ſolicitudo eò tendebat, ut vulnera per crimen animæ illata curarentur, ne mors Pęnitentiam præveniens animæ ut corporis interitum afferret.

II. Morem illorum temporum vix aliquis luculentiùs deſcribit quàm Hincmarus in Capitulis, quæ anno Epiſcopatus ſuî duodecimo Sacerdotibus Diœceſis ſuæ tradidit, quæ referuntur *tom. 3.* Conciliorum Galliæ. Verba clariſſima ſunt, & expreſſiſſima, *Unuſquiſque Sacerdos maximam providentiam habeat, quatenus ſi fortè in Parochia ſua publicum homicidium, aut adulterium, ſive perjurium, vel quodcunque criminale peccatum publicè perpetratum fuerit, ſtatim, ſi auctorem facti, vel conſentientem adire potuerit, hortetur eum quatenus ad Pęnitentiam veniat coram Decano, & compresbyteris ſuis, & quidquid ipſi inde invenerint, vel egerint, hoc Commiſtris noſtris, Magiſtris ſuis, qui in civitate conſiſtunt, innoteſcat, ut infra quindecim dies ad noſtram præſentiam publicus peccator, ſi intra Parochiam noſtram fuerimus, veniat; & juxta traditionem canonicam publicam Pęnitentiam cum manus impoſitione accipiat. Et ſi longiùs à Parochia noſtra fuerimus, annus, & dies Kalendarum ſubtiliter deſcribatur, quando peccatum publicum quiſque admiſit, & quando ad Pęnitentiam coram Miniſtris venit, vel quando ad impoſitionem manus noſtræ pervenit. Et ſemper de Kalendis in Kalendis menſium, quando Presbyteri de Decanis ſimul conveniunt, collationem de Pœnitentibus ſuis habeant, qualiter unuſquiſque ſuam Pęnitentiam faciat, & nobis per Commiſtrum noſtrum renuntietur, ut in actione Pęnitentiæ penſare valeamus, quando quiſque Pœnitens reconciliari debeat, &c.* Nec hac admonitione contentus Hincmarus graves indicit pęnas admonitionem negligentibus, *Sciat quiſque Presbyter, quia ſi per alium nobis cognitum fuerit, quòd in ſua Parochia admittatur, & tardius ad noſtram notitiam perlatum fuerit, tantos dies à miniſterio ſuſpenſus in pane, & aqua excommunicatus morabitur, quantos dies noſtram, vel Comminiſtrorum noſtrorum notitiam ipſa actio ſive illius ſuggeſtione, & debita ac juſſa commonitione ſupertranſierit. Et in cujus negligentia peccator publicus non commonitus poſt tantos dies ſicut præfiximus obierit, ſciat ſe quiſque Presbyter gradum amiſſurum.* Per Comminiſtros intelligit Hincmarus Archipresbyteros, & Archidiaconos, ut ſatis ex teſtibus citatis manifeſtum eſt, & evidenter colligitur ex aliis Capitulis, quæ an. 874. longè poſt præcedentia Archidiaconis, & Presbyteris tradidit, quæ ſic incipiunt, *Beatus Petrus Apoſtolus, cujus vice in Eccleſia funguntur Epiſcopi, & ſub eorum diſpoſitione ipſorum Comminiſtri, &c.*

III. Herardus Archiepiſcopus Turonenſis, de quo cap. præcedente idem præcipiebat eodem tempore Presbyteris ſuis *cap. 14. Tempore opportuno publica crimina ad notitiam Epiſcopi deducantur: maximèque in die magna cœnæ reconciliandi, vel adhuc ſuſpendendi per proprium Presbyterum, vel per legatum ipſius, eundemque Presbyterum, cui cauſa ipſius criminis bene habetur cognita, ad præſentiam Epiſcopi deferantur, ne animæ fratris negligentia, vel otio Sacerdotis abſque reconciliatione permanens ejus periculo pereat.* In Capitulis quoque conventus Toloſæ habiti in præſentia Caroli Calvi an. 843. cujus acta inſerta ſunt Capitularibus Caroli Calvi, & 3. *tom.* Conciliorum Galliæ, *cap.* 4. ita de Epiſcopis viſitantibus Diœceſim ſtatuitur, *Conſiderent, & denuntient loca ſibi, & populo convenientia, & illuc Presbyteri, quotquot poſſibilitas, & moderatio providerit, plebes ſuas adducant, & ibidem Epiſcopi prædicent, confirment, & populi errata inquirant, & corrigant.* Ita in Hiſpania regnante Ferdinando primo in Concilio Coyacenſi an. 1050. conſimiliter ſtatutum eſt *can. 4. Statuimus, ut omnes Archidiaconi, & Presbyteri ſicut ſacri canones præcipiunt, vocent ad Pęnitentiam Adulteros, inceſtuoſos, ſanguine miſtos, fures,*

Digitized by Google

fures, homicidas, maleficos, & qui cum animalibus ſe inquinant. Et ſi pœnitere noluerit, ſeparentur ab Eccleſia, & à communione.

IV. Hæc autem diligentia non verſabatur tantùm in caſtigatione, & curatione peccatorum publicorum per publicam pœnitentiam, ſed etiam in occultorum criminum inquiſitione, ut iis in lucem expoſitis competens medicina præberetur. Ideò viri aliqui pii, quos Decanos in quibuſdam Provinciis vocabant, ab Epiſcopis in ſingulis civitatibus, & pagis conſtituebantur cæterorum inſpectores, & exploratores, qui de cujuſque criminibus juramento prius ab iis requiſito teſtimonium perhiberent: Sed illorum temporum auctores, & canones præſtat audire. Iſaacus Lingonenſis *tit. 3. cap. 12. De inceſtis omni ſtudio perquirendum eſt Sacerdotibus per homines veraces, & timorem Dei ante oculos habentes: Et ſi reperti fuerint, ſtatim aut per ſe emendare ſtudeant, aut cum ſtudio Archidiaconi ſui, Epiſcopi hoc ipſum exſtirpare ſatagant, ne tanto flagitio, & ſcelere, ut illi polluantur, & pereant, &c.* Idem eſt præceptum antiqui Rotomagenſis Concilii, cujus licèt nec canones, nec acta ſuperſint, canones tamen ab antiquis Collectoribus paſſim referuntur. Canon nonus à Burchardo citatur, & ante Burchardum annis centum à Reginone, *Decani in civitatibus, & in vicis publicis viri veraces, & Deum timentes conſtituantur, qui deſides, & negligentes commoneant, ut ad Dei ſervitium abſque occaſione properent; & ut ipſi Decani Sacramento adſtringantur, ut nulla interveniente cauſa, ſcilicet aut amoris, aut timoris, aut propinquitatis, muneris negligentes, & tranſgreſſores reticeant, quia Sacerdotibus eorum culpas manifeſtent. Sacerdotum autem erit eorum vitia, zelo, & amore divino cum debita diſciplina corrigere, ſicut ipſi nolunt pro aliorum erratibus ſententiam juſtæ damnationis ſuſcipere.*

V. Exploratiſſimum ejuſdem rei argumentum eſt iſtorum ſeculorum praxis, quam ex eodem Rotomagenſi Concilio nos docent idem Regino initio *libri* 2. & Burchardus *lib. 1. poſt caput* 92. Epiſcopus Diœceſim viſitaturus uno aut altero die ante adventum ſuum Archidiaconos, aut Archipresbyteros præmittebat, qui Presbyteris, & plebe convocata Paſtorem advenientem nuntiarent, atque ut adeſſent, niſi legitimè excuſarentur, juberent. Intereà ipſi, quæ leviora erant, judicabant, & emendabant. Cùm advenerat Epiſcopus, *ſeptem ex plebe ipſius Parochiæ, vel eò ampliùs prout viderit expedire, maturiores, honeſtiores, atque veraciores viros, in medium,* inquiunt, *debet evocare, & allatis ſanctorum pignoribus unumquemque illorum tali Sacramento conſtringat.* Sacramentum exſcripſimus *cap. 7. lib.* 2. quo loco multa legere potes in eandem ſententiam, quæ hic non repetuntur. Retulit quoque Sacramentum hoc Gratianus 35. *q. 6.* C. Epiſcopus. Poſteà Epiſcopos eos admonet quanta fide juramentum ſit obſervandum, & in hæc verba finit, *Cavete, ne aliquid abſcondatis, & ex alterius peccata veſtra fiat damnatio.* Videbis ex juramenti tenore qua diligentia in occulta crimina inquirebant. Hæc omnia Regino ex Concilio Rotomagenſi refert, & materiæ contextus neceſſariò poſtulat, ut ex eodem iſta excerpantur: Burchardus nonnulla ex Eutychiani decreto adnotat, quod ita intelligendum eſt, ut Eutychianus hoc etiam juſſerit.

VI. Hoc licèt ſit evidentiſſimum, evidentius tamen fiet, ſi interrogationes conſiderentur, quæ ab Epiſcopo fieri jubentur his teſtibus poſt acceptum jusjurandum. Apud Reginonem, & Burchardum ex eodem Concilio 88. enumerantur. Nonnullas huc referemus. Prima eſt, *Eſt in hac Parochia homicida, qui hominem, aut ſpontanea voluntate, aut cupiditatis, aut rapacitatis cauſa, aut caſu, aut nolens, aut coactus, aut pro vindicta Parentum, aut in bello, aut juſſu Domini, aut proprium ſervum occiderit?* Secunda eſt de Parricidis 3. de Clericorum, & Presbyterorum interfectoribus. 4. *Eſt aliquis vel aliqua quæ infantem proprium oppreſſerit, vel veſtimentorum pondere ſuffocaverit, &c. aut ſi infans infirmatus per negligentiam Parentis abſque baptiſmo obierit?* 5. *Eſt aliquis, vel aliqua, quæ alterius partum excuſſerit, &c.* 13. *Eſt aliquis, qui in conſilio fuerit, ut homo interficeretur, & non fuit in facto, &c.* 22. *Eſt aliqua mulier, quæ conſcio viro ſuo fornicata fuerit.* 35. *Eſt aliquis, qui irrationabiliter, id eſt, contra naturam cum maſculis, & mutis miſceatur animalibus.* 40. *Interrogandum ſi aliquis ſcienter contra aliquem falſum teſtimonium protulerit, & quale damnum aliquis per hanc teſtificationem habuerit.* 47. *Eſt aliquis, qui bibit de liquore, in quo muſtela, vel mus, ſive aliquod immundum animal necatum eſt?* 48. *Eſt aliquis, qui jejunium Quadrageſimale, vel quatuor Temporum, ſive Letaniæ majoris, vel Rogationum, ſive indictum ab Epiſcopo jejunium pro quacunque plaga non obſervaverit.* 49. *Eſt aliquis, qui bibit aut manducavit, aut portavit ſuper ſe, quo exiſtimaverat ſe Dei judicium pervertere poſſe.* 57. *Eſt aliquis Excommunicatus, qui pro nihilo duxerit Excommunicationem, Et ſi aliquis cum Excommunicato communicaverit.* 58. *Eſt aliquis, qui modum Pœnitentiæ ſibi injunctum non cuſtodierit?* Ex his interrogationibus, ſicut ex pleriſque aliis fit manifeſtiſſimum inquiſitum fuiſſe diligenter in crimina occulta, nec tantùm in publica. Ferè enim omnia, quæ relata ſunt, ad occulta crimina pertinent. Occulta enim dicuntur, ut notum eſt, quæ à pauciſſimis ſciuntur, qualia ſunt ea, quæ enumeravimus. De his interrogantur juridicè teſtes illi, ut occulta illa peccata Epiſcopo legitimè innoteſcant, & impunita non permaneant. Quoniam autem de Decanis plebeis jam mentio facta eſt, non eſt omittenda ad eorum illuſtrationem interrogatio 68. *Interrogandum, ſi in unaquaque plebe Decani ſint per villas conſtituti viri veraces, & Dominum timentes, qui cæteros admoneant, ut ad Eccleſiam pergant, ad Matutinas, ad Miſſam, & ad Veſperam, & nihil operis in diebus feſtis faciant; & ſi horum quiſquam tranſgreſſus fuerit, ſtatim Presbytero adnuntient; ſimiliter de luxuria, & omni opere pravo.*

VII. Quamobrem verò tanta diligentia in criminum publicorum, & occultorum perquiſitione? Non conſiderabant illi Sacerdotes ſolum ut Judices, ſed potiſſimùm ut Medicos; Nec peccatores ſimiliter tantùm ut nocentes, ſed etiam ut ægrotos. Tanta autem erat iſtorum Medicorum Judicum in ægrotos ipſis à Deo commendatos pietas, & miſericordia, ut iis etiam nolentibus, & refugientibus Pœnitentiæ medelam adhiberent. Non enim iſta tam operosè, & ſolicitè inquiſierunt, ut poſteà nihil agerent. Hoc cogitare prohibet & ipſorum prudentia, & interrogatio 58. à nobis exſcripta, & 55. *Eſt aliquis, qui non communicet vel tribus temporibus in anno, id eſt, in Paſcha, Pentecoſte, & Natali Domini, niſi pro mortiferis criminibus, & Epiſcopi vel Sacerdotum judicio à communione fuerit remotus:* Et 64. *Eſt aliquis, qui ad Confeſſionem non veniret, vel una vice in anno, id eſt, in capite Quadrageſimæ, & Pœnitentiam pro peccatis ſuis non ſuſciperet?* Et denique innumeri illorum temporum canones quibus crimina interrogationibus illis confeſſa gravibus Pœnitentiis caſtigantur, & curantur. Quibus omnibus perſpicuum eſt, ideò factas eſſe interrogationes illas, ut crimina confeſſa poſtmodum Pœnitentia curarentur. Sed hoc κατὰ λέξιν teſtatur Regino. Finitis enim illis 88. interrogationibus ſtatim adiicit, *Capitula hæc quæ per ordinem adnotavimus, canonicis oportet roborari decretis.* Deinde pro ſingulis interrogationibus canonem unum, & ferè ſemper plures refert quibus unicuique peccato, & peccati ſpeciebus pœnitentia aſſignatur, atque in hac Pœnitentiarum ſecundùm ordinem interrogationum aſſignatione totus ferè liber occupatur. Libri enim materiam dirigunt interrogationes illæ propoſitæ. Incipit à prima, cui titulum ponit, *De Pœnitentia homicidarum ex Concilio Triburienſi*, quod ſeveriſſimam homicidis Pœnitentiam imponit, & ita de cæteris. Idem facit Burchardus, ſed non ad has interrogationes relativè, & conſequenter. Verùm ſparſim per novemdecim libros, eo quòd alium in libris ſuis ſecutus eſt ordinem.

VIII. Alia iſtorum ſeculorum, ut & antiquiſſimorum vivida diſciplina, idem convincit, qua graviter puniuntur, qui fratrum crimina reticent. Sic Regino *lib. 1. cap.* 213. *Qui reticuerit peccatum fratris, quod eſt ad mortem, neque eum corripuerit, aut Eccleſiæ Dei ut emendetur, non dixerit, quandiù conſenſit, tamdiù pœniteat.* Burchardus *lib.* 12. *cap.* 15. de iis, qui juramentis blaſphemant in Deum agens, poſtquam gravem Pœnitentiam iis indixit, addit, *Si quis autem talem hominem non manifeſtaverit, non eſt dubium quòd divina condemnatione ſimiliter coerceatur, Et ſi Epiſcopus iſta emendare neglexerit, à Synodo corripiatur.* Hanc praxim pluribus demonſtravimus *lib. 2. cap. 7.* quo Lectorem remittimus.

CAPUT IV.

Publicos peccatores, aut de crimine quomodocunque convictos, ſi ſponte Pœnitentiam publicam agere nollent, ad eam Excommunicatione, & anathemate coactos, nec prius ſolutos, quàm eam ſuſcepiſſent.

CUra, & ſolicitudo, qua Epiſcopi in criminum cognitionem toto tempore adnotato incubuerunt, ut Reos ſanarent, & crimina à ſuis Diœceſibus eliminarent, quam capite præcedente demonſtravimus, trium praxi maximè confirmatur, quæ tribus ſequentibus capitibus enarramus, & probamus.

bamus. Primum eſt, publicos peccatores, aut publicè de crimine quomodocunque convictos, ſi ſponte Pœnitentiam publicam agere nollent, ad eam Excommunicatione, & anathemate coactos fuiſſe, nec prius eo ſolutos quàm eam ſuſcepiſſent. Itaque poſterior iſta Eccleſiæ diſciplina antiquiori quam demonſtravimus, *capite decimo quinto, & ſequentibus libri præcedentis*, ſeveritate nullomodo ceſſit, ut ex teſtimoniis, quæ ſequuntur, manifeſtum eſt. Inter Capitula, quæ Carolo Magno jubente ex Capitulis Patris, & Patrui collecta ſunt hoc unum eſt, relatum Capitul. *lib. 7. capite* 331. & ab Iſaaco Lingonenſi, *titulo quarto, capite* 14. *Inceſti dum in ipſo deteſtando, atque nefando ſcelere manent, non inter fideles Chriſtianos, ſed inter Gentiles, aut Catechumenos, vel Energumenos habeantur, id eſt, cum Chriſtianis non cibum ſumant, non potum, non in eodem vaſculo edant, aut bibant, ſed ſoli hoc faciant. Non oſculentur, aut ſalutentur ab eis. Et ſi ſuis Sacerdotibus inobedientes extiterint, & à tam nefandiſſimo ſcelere ſegregari, atque ad publicam Pœnitentiam redire noluerint, inter eos habeantur, qui ſpiritu periclitantur immundo, vel etiam inter eos, de quibus ipſa veritas dicit, ſi te non audierit, &c.* Eadem Capitularia, *lib. 7. cap.* 185. & Iſaac Lingonenſis, *tit. 4. cap.* 10. de pęna inceſtus ſic ſtatuunt, *Inceſtum nullus ſibi unquam ſociet conjugium. Quòd ſi contigerit, ab Epiſcopo loci illius ſeparentur, & publicam ſeptem annorum juxta canonicos gradus agant Pœnitentiam. Qui autem hoc agere noluerint, anathema ab omnibus habeantur.* Caroli Calvi, & Ludovici Capitula apud Confluentes acceptata jubent, Raptores rerum ſacrarum extorres fieri à liminibus ſanctæ Matris Eccleſiæ, quæ repetuntur in Synodo Piſtenſi ann. 862. *capite* 4. Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus in Epiſtola monitoria ad Presbyteros Diœceſis ſuæ *capite* 26. *Si quis perpetrato perjurio, aut quolibet criminali peccato, timens Pœnitentiæ longam ærumnam ad Confeſſionem venire noluerit, ab Eccleſia repellendus eſt, ſive à communione, & conſortio fidelium, ut nullus cum eo comedat, neque bibat, neque oret, neque in ſuam eum domum recipiat.*

II. Hincmarus quoque Remenſis Archiepiſcopus in capitulis, quæ obſervanda tradit Epiſcopatus ſui Presbyteris, & referuntur *tom.* 3. Concil. Galliæ, *cap.* 1. ſic eos inſtruit, *Si fortè quis ad Pęnitentiam venire noluerit, infra quindecim dies poſt perpetrationem peccati, & exhortationem Presbyteri, in cujus Parochia actum fuerit, & ſedulitatem Decani, & compresbyterorum ſuorum, atque inſtantiam Comminiſtrorum noſtrorum, decernatur qualiter qui peccatum perpetravit, & ad Pęnitentiam redire contemnit, à cętu Eccleſiæ, donec ad Pęnitentiam redeat, ſegregetur.* Pœnitentiale Romanum *titulo* 1. *cap.* 11. poſtremis verbis ex antiquo decreto, poſt explicatam graviſſimam Pœnitentiam Uxoricidæ infligendam, *Sin aliter feceris, & ſanctæ matris Eccleſiæ ſalubre conſilium deſpexeris, ipſe tibi ſis Judex, & in laqueo Diaboli, quo irretitus teneris, maneas: Sanguiſque tuus ſit ſuper caput tuum, & ſub indiſſolubili anathemate permaneas, donec Deo, & ſanctæ Eccleſiæ ſatisfacias.* Rabanus Maurus, *cap.* 2. Pœnitentialis ſui eandem pœnam ex antiquis canonibus renovat. Ex *can.* 4. Ilerdenſi, Inceſtu pollutos donec perſeveraverint *uſque ad Miſſam tantùm Catechumenorum in Eccleſia permitti, cum quibus etiam nec cibum*, inquit, *ſumere, ullum Chriſtianorum, ſicut Apoſtolus juſſit, oportet.* Concilium Vormatienſe, anni 868. *can.* 24. *Si quis ſecularium per calumniam Eccleſiam, aut Clericum fatigare tentaverit, & convictus fuerit; ab Eccleſię liminibus, & à Catholicorum communione, niſi dignè pęnituerit, arceatur.*

III. Anno 884. regnante in Francia Carlomanno Ludovici Balbi filio in conventu Vernenſi ab Epiſcopis, & Abbatibus *capite* 5. ſtatutum eſt de bonorum alienorum Raptore, quòd Epiſcopus, *Semel, & bis, atque tertiò, ſi neceſſe fuerit, vocabit illum ſua admonitione per ſuum Presbyterum canonicè ad emendationem, & ad Pęnitentiam, ut Deo, & Eccleſiæ ſatisfaciat, quam læſit. Si autem deſpexerit, atque contempſerit admonitionem, atque ſaluberrimam invitationem, feriat illum paſtorali virga, hoc eſt, ſententia Excommunicationis, & à communione ſanctæ Eccleſię, omniumque Chriſtianorum ſit ſeparatus uſque ad congruam ſatisfactionem, & emendationem.* Tribus poſt annis Concilium Coloniæ habitum perſeverantibus in inceſtu Excommunicationem, & anathema indicit, antiquoſque renovat canones, Agathenſis Concilii, *can.* 61. Ilerdenſis, *cap.* 4. Eliberitani, *cap.* 13. & Chalcedon. *cap.* 16. ut ibidem legere eſt. Eadem ratio de cæteris vitiis. Huc referendus eſt *canon* 4. Concilii Coyacenſis in Hiſpania, an. 1050. celebrati, capite præcedente exſcriptus: utramque enim propoſitionem evidentiſſimè confirmat. Conſuetudo enim erat ſtudioſè, & ſeverè obſervata, crimina publicè perpetrantes atque in iis perſeverantes ab Eccleſiæ ingreſſu, & omni Eccleſiaſtico commercio, ſæpe etiam ab omni civili ſubmovere, donec à crimine ceſſarent, & Pœnitentiæ publicæ ſeſe ſubmiſiſſent. Hanc praxim inſuper probant quæcunque capite ſequente dicturi ſumus.

CAPUT V.

Publicos peccatores, aut criminis convictos, ſi Cenſuris Eccleſiaſticis ad Pęnitentiam publicam cogi non poterant, Principum auctoritate coactos fuiſſe. Auctoritatem hanc Epiſcopos imploraſſe: Principes ſecundùm poſtulationem Epiſcopalem non modo leges ſanciſſe, Comiteſque ſuos Epiſcopis auxilium denegantes graviter puniſſe, ſed etiam ſtatuiſſe, ut qui de regno ſuo in ulterius regnum Pęnitentiæ vitandæ cauſa fugeret, petenti Epiſcopo redderetur, ut apud eum Pęnitentiam ſuſciperet, & legitimè exequeretur.

QUandoque contingebat, publicos illos peccatores nullis cenſuris Eccleſiaſticis ad publicam Pœnitentiam cogi poſſe. Quæritur, quid tum ab Epiſcopis factum fuit, ut peccatores illi vel nolentes, in viam ſalutis, à qua pervicaciter ſecedebant, redirent? Hoc inquirere ſecundò nobis eſt propoſitum. Tunc Principum implorabatur auxilium, ut pœnis corporalibus, & armata manu, medicinam ſanitatis reſtitutricem haurire cogerentur, & tantum beneficium vel inviti acciperent. Recordabantur enim Epiſcopi verborum Davidis pſalmo 77. de Iſraelitis, *Cùm occiderit eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum, & rememorati ſunt, quia Deus eſt adjutor eorum.* Experientia cognoſcebant idem hac in cauſa ſæpius contingere quod Abſaloni Joabi colloquium poſcenti, 2. Reg. 14. bis rogatus Joab ad eum venire contempſit, ſed igne in maturas meſſes injecto ſtatim relictis omnibus ad ipſum cucurrit. Ideo Regum, & Principum opem, vimque armatam expoſcebant Epiſcopi, eamque lubenter admodum præſtabant Reges, Comitibuſque, & Officialibus ſuis diſtrictè imperabant, ut Epiſcopis, & eorum Miniſtris rogantibus præſto ſemper adeſſent, ſi recuſarent, pęnas graves interminati.

II. Ludovicus, & Carlomannus Francorum Reges, hujus auxilii utilitate, & neceſſitate cognita, ita ſtatuerunt ann. 883. in Palatio Vernenſi, *c.* 9. *Quia ad tantum malum funditùs eradicandum, & tantum bonum plantandum, neceſſe habet Epiſcopalis auctoritas judiciali poteſtate adjuvari; placuit nobis, noſtriſque fidelibus in commune, ut Miſſi Dominici ſuis in locis ex hoc fideliter adjuvent, & Comes præcipiat ſuo Vicecomiti, ſuiſque Centenariis, ac reliquis Miniſtris Reipublicæ, necnon Francis hominibus mundanæ legis documentis eruditis, ut pro amore Dei omnipotentis, ac pace ſanctæ Eccleſiæ, & fidelitate noſtra, ex hoc adjuvent, quantum melius potuerunt, quoties Epiſcopi, & Miniſtri illorum, ſive etiam ipſi pauperes eos appellaverint, ita ut Miniſtri Eccleſiæ habeant auctoritatem ſui Epiſcopi, & Miniſtri Comitis auctoritatem noſtram, & ſui Comitis.* Idem mutuum auxilium præſtari præceperat longè ante illud tempus Carolus Calvus iſtorum Regum Avus, ut legitur *c.* 6. Capitulorum apud Valentianas ipſo regnante factorum. Et ante Carolum Calvum Carolus Magnus iſtius Caroli Avus, ut ex *lib.* 2. *Capitular. cap.* 23. conſtat, & renovatur à Carolo Calvo in Synodo Piſtenſi ann. 862. Sed operæpretium eas proferre leges, quæ disertè auxilii ad agendam publicè Pęnitentiam mentionem faciunt.

III. Iſtius conſuetudinis veſtigia nonnulla deprehenduntur in legibus Imperatorum, & quibuſdam Epiſcoporum poſtulationibus, quæ libri præcedentis locis jam citatis adnotavimus. Verùm ab anno ſeptingenteſimo conſuetudo iſta fuit illuſtriſſima, & frequentiſſima, illiuſque extant permulta teſtimonia. *Capitular. lib.* 5. *cap.* 149. *Quicunque propria uxore derelicta, vel ſine culpa interfecta, aliam duxerit, armis depoſitis publicam agat Pœnitentiam: Et ſi contumax fuerit, comprehendatur à Comite, & ferro vinciatur, & in cuſtodiam mittatur, donec res ad noſtram notitiam deducatur.* Idem caput collectioni ſuæ inſeruit Iſaac Lingonenſis, *titulo ſecundo, cap.* 6. Carolus Calvus in Concilio Sueſſionenſi *cap.* 10. ſeptimæ actionis in Capitularibus Caroli Calvi, & *tom.* 3. Concil. Galliæ ann. 853. præclaram, & utiliſſimam legem condit, vel potius renovat: *Miſſi noſtri omnibus Reipublicæ Miniſtris renuntient, ut Comites, vel Reipub. Miniſtri ſimul cum Epiſcopo uniuſcujuſque Parochiæ ſint in Miniſteriis illorum, quando idem*

Epiſ-

Epiſcopus ſuam Parochiam circumierit, cùm Epiſe opus eis notum fecerit: Et quos per Excommunicationem Epiſcopus adducere non potuerit, ipſi regia auctoritate, & poteſtate ad Pœnitentiam, vel rationem, atque ſatisfactionem adducant.

IV. Concilium Moguntinum ſub Rabano *can.* 28. *Ut Epiſcopi inceſtuoſos penitus inveſtigare ſtudeant, omnino decrevimus. Qui ſi peaitere noluerint, de Eccleſia expellantur. Quòd ſi Sacerdotum admonitionibus noluerint aurem accommodare, volentes in priſtinis perdurare criminibus, oportet eos per ſecularis potentiæ diſciplinam à tam prava conſuetudine coerceri.* Similis canon legitur in Concil. Turon. ſub Carolo *cap.* 41. Capitul. *lib.* 2. *cap.* 43. Burchard. *lib.* 7. *cap.* 29. Vormac. Concil. *cap.* 79. Sueſſion. verò *cap.* 12. Ivo *parte* 9. *cap.* 65. *Obtentum eſt etiam à devotiſſimo Principe, ut inceſti, & quilibet alii perditi, examen Epiſcoporum refugientes, per judices publicos ad eorum præſentiam deducantur, ne alterius illecebram peccandi nutriat impunitas vitiorum.* Hinc fit manifeſta ratio, qua Reges, ac Principes commoti tam lubenter Epiſcopis, & eorum Miniſtris auctoritatis ſuæ auxilium commodarunt. Tum enim vitiis regna purgantur, cùm diſciplina Eccleſiaſtica in iis diligenter cuſtoditur. In Concilio Tullenſi 2. *cap.* 2. ſic ſtatuitur de Virginum, & Viduarum corruptoribus, *Viri autem, qui vim eis intulerunt, & ipſi Cenſura Eccleſiaſtica ad Pœnitentiam conſtringantur; habeantque Principes, & Judices hanc in populo Dei diligentiam, ut ubicunque tales in poteſtate eorum ab Epiſcopis requiſiti fuerint, abſque mora eos exhibeant: ne fortè ſi diſſimulaverint, aut mandatum Epiſcopi contempſerint, ab Eccleſia Dei projecti, nec ſepulturam cum fidelibus accipiant.*

V. Si Comites, aut eorum Miniſtri auxilium Epiſcopis, vel eorum vices gerentibus denegabant, tum graviſſimè pro ratione denegationis à Principibus puniebantur. Explicari hoc melius, & disertius non poteſt quàm verbis Carolini *Capituli quod habetur lib.* 7. *Capitular. cap.* 330. *aliàs* 335. & ferè ante octingentos annos in ſuos canones retulit Iſaacus Lingonenſis, *titulo* 4. *cap.* 13. *Si aliquis, tam liber, quàm ſervus, aut Eccleſiaſticus, vel Fiſcalinus proprio Epiſcopo, vel ſuo Sacerdoti, aut Archidiacono inobediens, vel contumax ſive de hoc, ſive de alio quolibet ſcelere extiterit, omnes res ejus à Comite, aut à Miſſo Epiſcopi contendantur, uſque dum Epiſcopo ſuo obediat, aut canonicè pœniteat. Quòd ſi nec ſe ita correxerit, & ad Epiſcopum, & canonicam pœnitentiam venire diſtulerit, à Comite comprehendatur, & in carcerem ſub magna ærumna retruſus teneatur, nec rerum ſuarum poteſtatem habeat, quouſque Epiſcopus juſſerit. Quòd ſi Comes, vel ejus Miniſtri hæc adimplere diſtulerint, canonicè ab Epiſcopo vel à ſuo Miniſtro excommunicetur, & uſque dum hæc pleniter adimpleat, ſemper communione Catholicorum careat, uſque dum ipſi Epiſcopo humanius erga eum aliquid agere placuerit. Si verò quod non optamus, ipſe Comes aut de prædictis cauſis, aut de ipſa Excommunicatione inobediens, aut negligens apparuerit, honore Comitatus, pariter & communione careat, aſque dum ambo in noſtram præſentiam veniant, ut nos illum Epiſcopali auctoritate, atque imperiali metu ita corrigatur, ut cæteri timorem habeant, ne deinceps talia committere ullatenus audeant.* Hæc multis, ſed mihi neceſſarium hæc exſcribere viſum eſt, eo quòd illius temporis praxim evidentiſſimè admodum explicent.

VI. Similiter in Capitulis Caroli Calvi ex Synodo Piſtenſi an. 862. *cap.* 4. *Vos autem Epiſcopi, Evangelica, & Apoſtolica, atque Epiſcopali auctoritate, ſeniorem, & regni quemlibet potentem, ſi commonitus juxta Evangelicum præceptum ſe ſuoſque homines corrigere noluerit, & licèt ipſe talia non faciat; tamen ſi ſui, vel in ſuo obſequio manentes talia fecerint, ſi eos non correxerit, & emendari, quæ faciunt, non obtinuerit, eoſque ad Pœnitentiam non perduxerit; ipſe excommunicetur ſecundum ſacros canones, donec ſuos homines ad emendationem, & Pœnitentiam reducat.* Dmnde hujus rei ratione reddita, pergit: *Si autem ipſe potens, vel ſenior ſatisfecerit Epiſcopo, & Miſſis regiis, quia ſuos homines ad emendationem, & ad Pœnitentiam non poteſt adducere: Sed ſeipſum vult aut talibus incommunem oſtendere, aut dignè ſatisfacere, & hujuſmodi maleficos à ſuo obſequio rejicere, & ut Dei inimicos perſequi; tunc aut non excommunicetur, aut ab Excommunicatione ſolvatur.* Nec minus evidenter præcedente hoc capitulum quod contendimus, confirmat.

VII. Nihil hac in cauſa legi poteſt illuſtrius, & auguſtius lege Arnulphi Imperatoris quæ refertur, *can.* 3. Concilii Triburienſis quod celebratum eſt anno 895. ſedente Papa Formoſo. Poſtquam præclarum prœmium legi ſuæ texuit ex variis ſcripturæ locis, tandem ſic colligit, *Idcirco non potentiam oſtendentes, ſed juſtitiam exhibentes, præcipimus, & auctoritate noſtra injungimus omnibus regni noſtri Comitibus, poſtquam ab Epiſcopis anathemate Excommunicationis percelluntur, & tamen ad Pœnitendum non inclinantur, ut ab ipſis comprehendantur, & ante nos perferantur, ut qui divina judicia non verentur, humana ſententia feriantur, &c. Si tam rebelles fuerint, ut comprehendentibus repugnare ſtuduerint, & in tali temeritate interfecti fuerint, judicio Epiſcoporum interfectoribus nulla imponatur Pœnitentia, & præcepto noſtro, VVeregildi nulla ab eis exterqueatur compoſitio.* Ipſi Comites ab Epiſcopis Excommunicati ad Pœnitentiam agendam ab ipſis Epiſcopis coguntur, & Imperatori ab eo puniendi ſiſtuntur. VVeregildi vox Germanica ſignificans illis temporibus mulctam pecuniariam homicidii cauſa impoſitam.

VIII. Diviſo poſt Ludovici Pii mortem Francorum, Romanorumque Imperio, ſæpe contingebat, ut qui crimen aliquod capitale perpetraverat in uno regno, in aliud fugeret, ne Pœnitentiæ publicæ ſubderetur. Fratres Reges in conventu apud Marſnam anno 851. conſulentibus Epiſcopis idem de ejuſmodi hominibus ſtatuerunt *cap.* 5. *quod cap.* 4. de pœna civili criminum Reis in alterum regnum fugientibus ſtatuerant, ſcilicet nullomodo ſeſe impedituros, quo minus de iis ſupplicium ſecundum leges ſumeretur. Ipſorum lex digniſſima quę Lectori proponatur: *Similiter & de eo agendum, qui pro aliquo capitali, & publico crimine à quolibet Epiſcopo corripitur vel excommunicatur, aut ante Excommunicationem crimen faciens regnum, & regis regimen mutat, ne debitam Pœnitentiam ſuſcipiat, aut ſuſceptam legitimè peragat. Interdum etiam inceſtam propinquam ſuam, aut ſanctimonialem, vel raptam, ſive adulteram, quam illic ei non licebat habere, fugiens ſecum ducit. Hic talis, cùm Epiſcopus ad cujus curam pertinebit, nobis notum fecerit, diligenter perquiratur, ne morandi vel latendi locum in regno alicujus noſtrum inveniat, & Dei, ac noſtros fideles ſuo morbo inficiat. Sed à nobis vel per Miniſtros Reipublicæ conſtringatur, ut ſimul cum Diabolica præda, quam ſecum duxit, ad Epiſcopum ſuum redeat; Et de quocunque crimine publico debitam Pœnitentiam ſuſcipiat, aut ſuſceptam ut legitime peragat, compellatur.* Eadem lex renovata eſt communi Regum conſenſu in Baſilica ſancti Caſtoris apud Confluentes, anno 860. & duobus poſt annis graviter conqueſtus eſt Carolus Calvus Rex de Nepote ſuo Lothario, quòd Balduinum ob Judithæ filiæ ſuæ raptum, ab Epiſcopis ſecundùm canones excommunicatum, in regno ſuo detineret contra pacta inita, & omnium conſenſu firmata, *Ut nemo noſtrum*, inquit, *hujuſmodi hominem in regno ſuo recipiat, neque immorari permittat; ſed ad rectam rationem reddendam, & ad Pœnitentiam agendam, ſicut ſtatutum eſt, illum redire cogat.* Ut videre eſt in Caroli Calvi Capitulis.

IX. Credibile eſt nobis tacentibus Reges, & Principes ea ſtatuiſſe Epiſcoporum precibus, & conſiliis permotos. Vix quiſquam dubitare poteſt rem ita ſe habuiſſe. Sed hoc teſtantur ipſiſſimi Epiſcopi, & Synodi. Concilium Cabillonenſe 2. anno 813. celebratum, *can.* 25. *Pœnitentiam agere juxta antiquam canonum conſtitutionem in pleriſque locis ab uſu receſſit, & neque excommunicandi, neque reconciliandi, antiqui moris ordo ſervatur: Ut à Domino Imperatore impetretur adjutorium, qualiter ſi quis publicè peccat, publica mulctetur Pœnitentia, & ſecundùm ordinem canonum pro merito ſuo excommunicetur, & reconcilietur.* Relatus eſt hic canon inter Caroli Magni Capitula *lib.* 7. *addit* 3. *cap.* 25.

X. Epiſcopi Provinciarum Remenſis, & Rotomagenſis Epiſtolæ ad Regem Ludovicum, *c.* 13. *anno* 858. quæ habetur *inter capitula Caroli Calvi, & tomo* 3. *Concil. Galliæ, Homines etiam, & potentes ſeculi, qui inter iſtas ſeditiones legis jugum, & juſtitiam æquitatis refugerunt, & talia ac tanta fecerunt, pro quibus Eccleſiaſticam, & Epiſcopalem Excommunicationem meruerunt, ad leges, & juſtitiæ tramitem revocati, & ut ad ſuos Epiſcopos humiliter, ſicut eis neceſſe eſt, veniant, jubete, vel cogite. Et ut Eccleſiæ, in quam peccaverunt, aut cum debita neceſſaria humilitate ſatisfaciant, aut humiliter, & veraciter ſe excuſent, qualiter abſolvi à Domino per miniſterium Epiſcopale valeant, ſuadete, atque regia poteſtate præcipite. Et ſi forte vos vel quicunque alii de eorum ſocietatis, & conjunctionis communicatione infecti, & condemnati ſunt, Pœnitentiam quiſque ſe recognoſcendo faciat: Quia teſte ſacra auctoritate non poterit abſolvi à ſuis, qui damnabiliter gravatur externis.* Eodem tempore Ciſalpini Epiſcopi Ticini convocati regnante Ludovico Juniore Imperatore ab eo Comitum auxilium petunt *can.* 10. ut quidam matrimoniorum inceſtorum Rei Pœnitentiæ publicæ ſubiiciantur. Sueſſionenſe verò Concilium *can.* 12.

ſupra relato ſibi congratulatur, quod hoc à Principe obtinuiſſet.

XII. Inſignis eſt occaſio, cujus cauſa univerſi Galliæ, & Germaniæ Epiſcopi in Theodonis villa congregati, Francorum, Germanorumque Reges rogaverunt, ut pęnas temporales ſpiritalibus conjungerent. Joannes quidam in Aquitania Epiſcopus trucidatus fuerat: Hujus cædis cauſa ab Imperatore vehementiſſimè poſtulant, ut pecuniariam mulctam pęnitentiæ impoſitioni legibus ſuis addat, decretumque hoc ſua auctoritate confirmet, *Si quis Subdiaconum calumniatus fuerit, vulneraverit, vel debilitaverit, & convoluerit, quinque Quadrageſimas ſine ſubditis annis pęniteat, & trecentos ſolidos cum ſua compoſitione, & Epiſcopalibus Epiſcopo componat. Si autem mortuus fuerit, ſingulas ſupradictas Quadrageſimas cum ſequentibus annis pęniteat, & 400. ſolidos cum tripla ſui compoſitione, & Epiſcopalibus bannis triplicibus Epiſcopo componat.* Idem de Diaconis, Presbyteris, & Epiſcopis decernitur, ſed cum majore pęnitentia, & multa juxta dignitatis proportionem. Tandemque, *Aiſtolphus Moguntinus Archiepiſcopus dixit: Si principibus placuerit, aliiſque ſuis fidelibus, rogemus, ut collaudetur, & ſubſcribatur; & collaudatum eſt, & ſubſcriptum eſt, tum à Principe, quàm à cæteris omnibus.* Hæc refert ex iſto Concilio Burchard. *lib. 6. cap.* 5. Eadem poſteà confirmata ſunt in quodam Concilio Triburienſi à Carolo Rege, & Galliæ, Germaniæque Principibus, ut capite ſequente fusè narrat Burchardus, id plurimum rogantibus univerſis Epiſcopis. Ita quoque Ivo Decreti, *p. 10. c. 9. & 134. 135.*

CAPUT VI.

Poſt ſumptam lege civili de criminis Reo pęnam, Pęnitentia publica illi canonicè imponebatur, illiuſque ſtadium Principalibus etiam edictis decurrere tenebatur. Si Rei Dominus ſeſe opponeret, diſtringebatur.

ILlorum ſeculorum praxis erat alia frequens, & familiaris, quam utile eſt hic enarrare; Illius mentio facta eſt capite ſecundo; Nunc autem eam probamus. Pęnæ temporales, & ſpirituales non erant oppoſitæ, ſed ſibi mutuò ſuccedentes. Qui propter crimen lege civili punitus fuerat; quia civili examine, & convictione crimen publicatum erat, pęnitentiæ publicæ poſt toleratam pęnam civilem, ſive pecuniariam, ſive corporalem ſubiiciebatur: Nonnunquam etiam poſt actam Pœnitentiam publicam pœna civili puniebatur. Pœnitentiam enim ut medicinam potiſſimum conſiderabant, Peccatorem ut ægrotum: Ideò punitum quidem propter crimen pœna civili cenſebant, non autem ſanatum. Chriſtiana tantum Pœnitentia eum verè ſanare, vulnera per peccatum inflicta obducere credebatur. Quapropter crimen actione civili detectum, & condemnatum medicina pœnitentiali publicè diligenter curabant. Verbi gratia Capitular. *lib.* 8. *capite* 306. *aliàs* 311. Et Iſaacus Lingonenſ. *tit.* 5. *capite* 8. ex antiquioris Concilii canone excerpſerunt, *Si quis uxorem habere voluerit, canonicè, & legaliter eam accipiat, & non rapiat. Qui verò eam rapuerit, vel furatus fuerit, aut ſeduxerit, nunquam eam uxorem habeat, ſed propinquis ſuis eam legibus reddat, & in triplo plenum bannum Dominicum componat, & inſuper canonicè publicam Pœnitentiam gerat. Ad quod omnes una voce clamaverunt dicentes: Iſta omnes firmiter tenere volumus, &c.*

II. Simile decretum Synodale Capitulis Ludovici Imperatoris inſertum eſt *lib. 6. cap. 96.* Repetitur in Capitular. Caroli Calvi, *parte* 27. poſt reditum à confluente; *& parte 29. cap. 4.* illudque exſcripſit Iſaacus Lingon. *tit. 6. cap. 2. Si quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam noſtro fideli, ejuſque homini aliquid vi abſtulerit, in triplo, cui aliquid abſtulerit, legibus componat, inſuper bannum noſtrum, id eſt, 60. ſolidos nobis perſolvat. Poſtmodum verò ante nos à Comite adducatur, ut in baſtonico retenſus, uſque dum nobis placuerit, pœnas luat. Nam ſi publicè actum fuerit, publicam inde agat Pęnitentiam juxta ſanctorum Canonum ſanctionem. Si verò occultè, Sacerdotum conſilio ex hoc agat Pęnitentiam, &c.* Baſtonicum Francicis, & Germanicis illorum ſeculorum Auctoribus, genus eſt carceris arctiſſimi. Capitular. quoque *libro 7. cap. 330.* contra inceſtum in ſeptimam uſque generationem commiſſum, *Si quis hoc ſcienter temerare præſumpſerit; ſi liber eſt, bannum noſtrum, id eſt, 60. ſolidos fiſco noſtro perſolvat, & inſuper canonicè, ut inceſtus luat, ac publicè juxta canonicos gradus pęniteat. Si autem ſervus, vel Eccleſiaſticus fuerit, publicè flagelletur, ac decalvetur, & juxta proprii Epiſcopi juſſionem Pęnitentiam publicè, & canonicè gerat.* Et Concilium Tullenſe 2. *can.* 1. adverſus rerum Sacrarum raptores, *Si Clericus tonſa cupiditate ſacrilegii corruptus, aut Laicus quicunque hac iniquitate deceptus fuerit, & cognoſcens damnationem ſuam, Pęnitentiæ remediis ſecundùm ordinem, & diſpenſationem ſui Epiſcopi ſe ſubmiſerit, volumus, ut pervaſa, & præſumpta ſecundum qualitatem perſonæ, aut in ſimplum, aut in duplum, aut in triplum, aut in quadruplum Eccleſiæ, cui damnum illatum eſt, primùm reſtituat. Inde pro ſacrilegio ab Epiſcopo ſuo conſilium ſalutis, & Pęnitentiæ modum ſuſcipiat.*

III. Regnante Carolo Calvo, atque Nepotibus ejus, Ludovico, & Carolomanno Epiſcopi idem conſtituerunt, aut velut à Prædeceſſoribus conſtitutum, & ubique obſervatum retulerunt, Regeſque id confirmarunt. In Capitularibus Caroli Calvi, *parte 9. an.* 853. ex Synodo Sueſſionenſi, *capite 9. & tom.* 3. Concil. Galliæ, eodem anno, & capite, Licentia datur Epiſcopis colonos in criminibus deprehenſos virgis cædendi, *Ut vel inviti Pęnitentiam temporaliter, & corporaliter agant.* Jubentur præterea Miſſi Dominici hanc auctoritatem Epiſcopis conceſſam ubique per Parœcias promulgare. Additur hoc, quod non eſt leviter attendendum. *Si ſeniores ipſorum colonorum indignè tulerint, & aliquam vindictam inde exercere voluerint, aut eoſdem colonos ne diſtringantur, contendere præſumpſerint, ſciant, quia & bannum noſtrum component, & ſimul cum Excommunicatione Eccleſiaſtica noſtram Harmſcaram duriſſimam ſuſtinebunt.* Harmſcara, vel harmiſcara, mulcta erat arbitrio principis inflicta. Parte 12. apud Sylvacum omnes Reges, Avi, Patiſque ſui ſtatuta innovantes adverſus eos, qui privilegia Eccleſiaſtica temerare non audebant, jubent hominem ejuſmodi, *Ad præſentiam illius in cujus regno tales inventi fuerint, perducatur, ut inde ipſo commendet quid de tali homine fiat, qui nec Deum timet, nec contra ſanctos canones facere, nec legem, & præceptum regium infringere pertimiſcit, ſalva Cenſura Eccleſiaſtica, & Epiſcopalis Pęnitentiæ vindicta.* In Edicto Piſtenſi *parte 31. an.* 864. *c.* 20. *Homines etiam qui providentiam habere debebunt, ne mancæ menſuræ fiant, ſi de perjurio quod juraverunt, quia hoc conſentire non debuiſſent, revicti fuerint, ſecundùm legem puniantur, ſicut in fine capituli decimi ex libro 3. Capitulorum habetur; & poſteà ab Epiſcopo publicam Pęnitentiam de perjurio accipiant.* Poſtea quoque eadem parte, *c.* 33. *Si quis præſumpſerit, ſimiliter bannum noſtrum componat, & inde Pęnitentiam Epiſcopali judicio faciat.* Alia videre eſt in Synodo Cariſiaca, *cap.* 4. In Piſtenſi Edicto jam citato, *cap.* 20. & in fine Capitulorum Caroli Calvi, cùm jam factus eſſet Imperator.

IV. Nepotes ipſius, Reges Carlomannus, & Ludovicus anno 883. Capitularis ſui *cap.* 4. in Palatio Vernenſi cum Epiſcoporum, Abbatum, Comitum, & Judicum conſenſu ſic ſtatuunt: *Placuit etiam nobis, & fidelibus noſtris, ut quicunque infra regnum noſtrum aliquid rapuerit, aut deprędatus fuerit, omnia in triplum componat, & bannum Dominicum perſolvat, & inſuper publicam Pęnitentiam inde faciat, ſicut in Capitulis Anteceſſorum continetur. Si autem colonus, aut ſervus fuerit, ſimiliter omnia in triplum componat, aut Dominus pro eo LX. ictus bene preſſos accipiat, & inſuper publicam Pęnitentiam inde agat, cujus modus erit in conſideratione Epiſcopi ſecundùm quantitatem facti, &c.* Si corporali ſupplicio vita ſuperſtes erat, Reum manebat poſteà Pœnitentia publica. His pleraque jungi poſſunt, quæ capite præcedente enarrata ſunt: Ex iis enim eadem prorſus ſententia colligitur.

V. In Concilio Romano ſub Joanne IX. anno 904. nonnulli præſumebant poſt ſumptum lege civili de Reis ſupplicium nullam ſupereſſe Epiſcopis infligendarum Pœnitentiarum auctoritatem; Reique ipſi hoc impudenter contendebant, jactantes, *Nihil pertinere ad Epiſcopum quæ à publico examinata dignoſcuntur, & redempta.* Quid verò Concilium? Ita canone ultimo, *Quod omnino irregulariter inoleviſſe manifeſtum eſt. Habeant igitur Epiſcopi ſingularum urbium in ſua Diœceſi liberam poteſtatem, adulteria, & ſcelera inquirere, ulciſci, & judicare ſecundùm quod canones cenſuerunt abſque impedimento alicujus. Et cùm opus fuerit ad comprimendos rebelles, & contemptores publicum placitum convocent non ad præjudicandum, ſed potius ad ea quæ Deo placita ſunt, & ſaluti animarum conveniunt, proſequendum.*

CAPUT VII.

Explicantur publici ritus, ſecundùm quos Pęnitentia publica ab anno 700. ad centeſimum ſupra milleſimum agi ſolebat.

EOrum, quæ hactenus enarrata ſunt, nonnulla adhuc veſtigia conſpiciuntur. Frequentiſſima eſt apud Scholaſticos

Do-

Digitized by Google

Doctores criminis occulti, & publici diſtinctio. Frequentiſſimè apud eos celebratur hoc axioma, de criminibus publicis publicam eſſe Pœnitentiam agendam, de occultis occultam. His omiſſis quæ neminem in hæc inquirentem latere poſſunt, unicum referemus hac de re Concilii Tridentini decretum, *ſeſſione 24. cap. 8.* ſic in Eccleſia Dei agendum eſſe definit, *Apoſtolus monet publicè peccantes palàm eſſe corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, unde alios ſcandalo offenſos, commotoſque fuiſſe non ſit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ Pœnitentiam injungi oportet, ut quos exemplo ſuo ad malos mores provocavit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocet vitam.* Quanquam tam inſignis, tamque evidens ſit iſta Concilii definitio, vix unquam tamen aliquis memoria recordari poteſt, id uſurpatum vidiſſe. Quorum incuria id contingat, aliorum eſto judicium. Forſan recordabitur quis alicubi ſe vidiſſe datam publicè alicui abſolutionem ab Excommunicatione, ſed qui viderit aliquem agentem publicè Pęnitentiam ſibi ab Eccleſia impoſitam, difficile erit reperire. Ab annis quinquaginta, aut ſexaginta in libris Doctorum hæc tantùm leguntur. Itaque Pœnitentium ille ſtatus tot ſeculis in Eccleſia inſigniter conſpicuus, loco, veſte, & humilibus officiis à fideli plebe diſtinctiſſimus, ut probatum eſt *cap.* 2. hujus libri, & præcedentis duodecimo, in praxi prorſus concidit. Concilii Tridentini exceptionem quæ verba allegata ſequitur, omnes ambabus ulnis amplexi ſunt, *Epiſcopus tamen publicè hoc Pęnitentiæ genus in aliud ſecretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.* Contingere reverà poteſt aliquando, ut de quibuſdam perſonis magis expediat pœnam ſecretò ſumere quàm publicè. An id ſemper nunc fieri expediat, & nunquam aliter, noſtrum non eſt inquirere.

II. Proponet forſan aliquis quarundam regionum morem, in quibus videre eſt, quoſdam homines certis ſolemnibus diebus facie tecta incedentes, veſtemque ſuperindutos quaſi cilicinam, Pœnitentes vulgo dictos. Sed vix illis eſt aliquid cum Pœnitentibus noſtris commune: Antiquæ tamen obſervationis qualiacunque hæc ſunt monimenta, ſimulataque magnis Pergama. Expreſſiora extant inquiſitionis criminalis veſtigia, in Epiſcoporum, Archidiaconorum, & Archipresbyterorum annuis viſitationibus; poſſentque etiam nunc, ſi diligenter Epiſcopi iis incumbere vellent, in publicorum criminum Reos pervicaces ſeveritate Eccleſiaſtica procedere, eoſque ad aliquod Pœnitentiæ publicæ genus, Excommunicatione cogere. Hodierna quoque Brachii ſecularis, ut vulgò dicitur, imploratio originem accepit à Regum auxilio, qui ad Pœnitentiam ablegatos, ejuſque actionem ſpernentes ad eam amplexandam, & agendam pœnis civilibus cogebant. Iſta imploratio, ut pleraque alia, præter antiquum uſum ad meras litis conteſtationes, & proceſſuum civilium mæandros detorta ſunt, quorum enarratio à ſcopo noſtro abeſt quàm longiſſimè. Sed eorum, quæ ſequuntur, veſtigia ſunt multò obſcuriora.

III. Demonſtravimus Epiſcopos, eorumque Miniſtros, ſive Officiales diligenti ſtudio, & ſolerti cura in criminum non modò publicorum, ſed etiam occultorum inquiſitionem incubuiſſe, ut publica pœnitentia eorum Reos curarent, & ſanitati Chriſtianæ reſtituerent; nolentes, & pervicaces Excommunicatione coegiſſe, Principeſque Epiſcopis ad hoc obtinendum ſuppetias dediſſe. Nunc nobis inquirendum eſt, qua ratione ab anno ſeptingenteſimo ad centeſimum ſupra milleſimum Pœnitentia acta, temperataque eſt; Hinc ſponte emerget diſcrimen actionis pœnitentialis prioris ab hac poſteriore. De pœnitentiæ impoſitione, ejuſque ritibus tempore adnotato uſurpatis nihil ſpeciale dicendum habemus. Hæc omnia fusè explicata, & demonſtrata ſunt *libro quarto, cap.* 17. 18. *&* 19. De actione pęnitentiæ aduſque Abſolutionem nobis tantùm agere proponimus. Pęnitentiæ actio illis temporibus in duas partes ſeparabatur. Priorem eam vocamus, quæ toto anno præter Quadrageſimam exercebatur: Poſterior, quæ in Quadrageſima. In priore præterea duo diverſiſſima conſideranda ſunt: Unum publicum, omnium oculis expoſitum, quod in Eccleſia præſertim erat conſpicuum; alterum privatum, & domeſticum, quod cùm multas contineat partes, multis erit nobis exponendum. De Priore nobis eſt hoc capite agendum.

IV. Pęnitentiæ publicæ actio in Eccleſia tribus potiſſimùm capitibus ſpectabilis erat. Eccleſiam ingredi tempore quodam definito fas illis non erat, ſed ad portas ſtabant, orabantque. Antiqui Eccleſiæ fletus vicem gerebat hæc canonica obſervatio. Secundò, Elapſo iſto tempore ſolemniter in Eccleſiam introducebantur, à fidelibus tamen ſeparati ſtabant, aut ſedebant intra portam Eccleſiæ in ipſius latere velut in quendam angulum redacti, atque ita utroque in loco extra, intrave Eccleſiam omnibus ſpectabiles, & inſigniter conſpicui. Hic locus Auditionis vicem gerebat; Ideo ab iſtorum ſeculorum auctoribus Pęnitentes tum dicuntur inter Audientes ſtare. Tertiò, emenſo tempore huic ſtationi conſtituto, ulterius in Eccleſiam pergebant, fidelibuſque miſcebantur, licèt participatio Corporis Chriſti nondum illis concederetur. Hic ritus quartæ antiquorum ſtationis locum tenebat. Ab eo tempore præter veſtem Pęnitentialem, qua induebantur, nihil erat in iis ſpeciale, quo præ cæteris in Eccleſia notarentur. Iſta nobis ſunt evidentiſſimis illorum temporum teſtimoniis demonſtranda.

V. Nicolaus 1. ita ſcribit ad Rivoladrum Epiſcopum de Pęnitentia, quam cuidam VVimaro impoſuerat, qui tres filios ſuos occiderat. Epiſtola eſt in appendice Epiſtolarum iſtius Pontificis 18. refertur *tom. 3. Concil. Galliæ* an. 862. & ab Ivone *Decreti p.* 10. *c.* 33. In Pęnitentia inquit, quam illi impoſuimus; *ita ſtatutum eſt, ut triennio ante fores Eccleſiæ pro peccatis ſuis oraturus conſiſtat; & deinde inter Auditores permaneat quadriennio, ut ſeptem annorum curricula abſque communione Dominici Corporis, & Sanguinis ducat, &c.* Idem Nicolaus Papa ad Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem ſcribens de Pęnitentia, quam cuidam Eriarth nomine impoſuerat, qui Monachum Presbyterum interfecerat, ita ſe ſtatuiſſe refert. *Nos ei injunximus ut duodecim annorum meta terminum Pęnitentiæ ſibi injunctæ includeret. Quorum tribus prioribus ante fores Eccleſiæ lugendo, ſingultus edendo, miſericordiam à Domino conſequi feſtinare procuret. Quarto deinde, atque quinto inter Auditores omnipotentem exorare ſtudeat, abſque Corporis, & Sanguis Domini ſuſceptione, &c.* Habetur *Epiſtola tom. 3. Concil. Galliæ* an. 867.

VI. Præterea idem Nicolaus Frontario Burdegalenſi Archiepiſcopo ſimilia quoque ſcribit de quodam Burgando ejuſque ſociis qui res ſacras rapuerant. Refertur Epiſtola in Pęnitentiali Romano, *tit. 8. c. ultimo, & 12. q. 2. C. de viro nefando, & tom. 3. Concil. Generalium* poſt appendicem Epiſtol. Nicolai 1. *tit.* 17. *Tomo quoque 3. Concil. Galliæ* an. 867. in Fragmentis Epiſtolarum Nicolai primi, *Jubemus*, inquit, *cum ad Pęnitentiam reverti acceleraverint, uno anno extra Eccleſiam Dei conſiſtere, cujus ſacratiſſima vaſa extra ritum fidei Chriſtianæ diripienda auferre non dubitaverint. Secundo verò anno, ante fores Eccleſiæ ſine communione maneant. Tertio verò anno, Eccleſiam Dei ingrediantur, & inter Audientes adſtent ſine oblatione non manducantes carnem, neque bibentes vinum præter Natalis, & Reſurrectionis Dominicæ dies. Quarto præterea anno, ſi his prioribus tribus annis fructuoſus fuerit Pęnitentiæ labor communioni fidelium reſtituantur, &c.* Denique refert Burchard. *lib. 6. c.* 46. & Gratian. 33. *q.* 2. C. Latorem, eundem Nicolaum ita reſcripſiſſe ad Rodaldum Epiſcopum de quodam, qui matrem interfecerat, *Præcipimus, & Patrum almorum cenſuris ſtatuimus, ut ſub Pęnitentiæ jugo permaneat, ita ut unum per annum Eccleſiam non ingrediatur, ſed ante fores Baſilicæ, orans ac deprecans Deum perſeveret, qualiter tanto eripiatur piaculo. Completo verò anni circulo, introeundi in Eccleſiam licentiam habeat, tamen inter Audientes ſtet, & nondum communicet. Completis autem trium annorum circulis, ſacra communionis illi gratia concedatur, &c.*

VII. His ſimilia ſtatuit Vormatienſe Concilium ſub Hadriano, 2. celebratum *can.* 30. Reginonis Collectio *lib. 2. c.* 27. hunc canonem in eundem finem citat ex Concilio Moguntino. *Statuimus, ut Patricidæ, & fratricidæ per unius anni circulum ante fores Baſilicæ orantes Domini clementiam perſeverent. Completo autem anni circulo introducantur in Eccleſiam, tamen inter Audientes, uſque dum unius anni ſpatium finiatur, ſtent, cùm ad Miſſarum ſolemnia, vel alia ſacra audire officia venerint. His ita peractis, ſi Pęnitentiæ fructus in eis conſpicitur, Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti participes fiant, &c.* Eandem pęnitentiam imponunt Vicarii ejuſdem Pontificis in Concilio octavo Generali *act.* 9. iis, qui adverſus Patriarcham Ignatium falſum teſtimonium tulerant: Jubent enim *eos duobus annis eſſe extra Eccleſiam, & aliis duobus annis intra Eccleſiam audire divinas ſcripturas uſque ad Catechumenos, non tamen ullo modo communicare, &c. & in aliis tribus annis ſtare cum fidelibus & mereri divinam communionem in ſolis Dominicis ſolemnitatibus, &c.* Eadem de Sacerdotum interfectoribus ſtatuuntur *c.* 26. & in Pęnitentiali Rom. *tit.* 1. *c.* 2.

VIII. Moguntinum ſub Stephano V. an. 888. celebratum ea-

Morin. de Sacram. Pœnit.

dem ratione, ſed multo ſeveriori idem crimen plectit *c. 16. Eccleſiam per quinquennii tempus non ingrediatur, ſed cum ſacrarum orationum officia, aut Miſſarum ſolemnia celebrantur, ante fores Baſilicæ perſeveret, orans ac deprecans Dominum, ut tanto crimine abluatur. Poſt expletum verò quinquennii tempus ingrediatur Eccleſiam, non tamen communicet, ſed inter Audientes tantummodo ſtet, vel dum facultas conceditur, ſedeat. Dum autem duodecimi anni curſus fuerit finitus, communicandi ei tribuatur medela.* Eadem prorſus Reginonis Collectio *c. 42.* ubi explicat ex Concilio Vormatienſi quali ſit Pœnitentia afficiendus, qui Sacerdotem occidit.

IX. Triburienſe verò ſub Arnulpho annis 7. poſt præcedens celebratum *can. 5. Eccleſiam non intret, ſed ante fores ſtet orans Dominum puro corde, ut abluatur tanto crimine. Expleto verò quinquennio introducente Epiſcopo ingrediatur Eccleſiam, nondum tamen communicans, ſed inter Audientes ſtans. Et aliud quinquennium indulgentiùs introeat indultam. Quo verò expleto cum decimi anni curſus fuerit finitus gratia communicandi, & licentia conceditur equitandi, &c.* Canone autem 55. & 56. & ſequentibus pœnam homicidæ ſpecialiſſimè enarrat: Ideo aliquid ſpeciale addit, quod ad Eccleſiam pertinet: *Si quis ſponte homicidium fecerit quadraginta diebus ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, &c.* can. ſequente, *Poſt illos quadraginta dies unum annum integrum ab introitu Eccleſiæ ſuſpenditur.* Ratio iſtius diſtinctionis in duas partes eſt, quod quadraginta illis primis diebus dura quædam præ cæteris diebus, & annis injungitur Pœnitentia, ut videre eſt in canone. Poſteà ſequitur, *Completo verò unius ejuſdemque anni curriculo ita caſtigatus ritè, & ordinabiliter more Pœnitentium introducatur in Eccleſiam:* Tandemque canone 58. cunctis Pœnitentiæ minutiis explicatis concludit, *His ſeptem annis ritè expletis reconcilietur, & more Pœnitentium ſacris altaribus, & ſanctæ communioni reſtituatur, atque perfectionem conſequatur.* Eadem leges apud Burchardum *lib. 6. c. 1. 8. & 34.* Severè enim iſta illis temporibus obſervabantur. Dixit autem Concilium, *Ingrediatur Eccleſiam introducente Epiſcopo,* &, *more Pœnitentiam introducatur in Eccleſiam,* eo quod iis quibus erat prohibitum Eccleſiam ingredi, id injuſſu Epiſcopi facere non liceret. Disertè hoc prohibuit Concilium Salegunſtadienſe *capite 20. Nullus Presbyterorum quenquam niſi juſſu Epiſcopi in Eccleſiam introducere præſumat, cui pro aliquo delicto illam ingredi non liceat.*

X. Romanum Pœnitentiale addit aliquid, quod antecedentia explicat, & perpendi meretur *tit. 1. cap. 22.* de eo qui parricidium commiſerit, *Obſervare debes, ut per unius anni circulum ante fores Baſilicæ orans Domini clementiam, completo anni circulo introducaris in Eccleſiam; tamen in angulo Eccleſiæ uſque dum unius anni ſpatium finiatur, ſtes, &c.* Eadem Burchardus *l. 19. poſt cap. quintum.* Idem Pęnitentiale eodem titulo; capite ultimo, de illo qui occiderit aliquem ex Eccleſiaſticis, *Eccleſiam per quinquennium non ingrediaris, ſed ante fores Eccleſiæ ſtes. Poſt quinquennium Eccleſiam ingredere, nondum verò communices, ſed in angulo Eccleſiæ ſtes, vel ſedens, &c.* Eadem habet Burchard. *lib. 19.* paulò poſt locum jam citatum. In eodem titulo Pœnitentialis decretum refertur ſub nomine Pii Papæ de Uxoricida, in cujus Pœnitentia hoc continetur, *In Eccleſia ſegregatus ab aliis Chriſtianis poſt oſtium humiliter ſtes, ingredientium, & egredientium orationibus te ſuppliciter commendes. Communione ſacri Corporis, & Sanguinis Domini cunctis diebus vitæ tuæ indignum te exiſtimes, &c.* Idem decretum habetur apud Burchardum *lib. 6. cap. 40.* Paulini Forojulienſis Epiſcopi nomine: Sed apud Ivonem *part. 8. cap. 126.* & Panor. *lib. 7. c. 16.* & Gratian. *33. q. 2.* Admonere, citatur Stephanus V. Papa. Sed ubique eadem verba, idem ſenſus. Non aliter intelligenda ſunt antiqui Pœnitentialis Romani verba *tit. 3. cap. 19.* quæ ex eodem Pœnitentiali refert Burchard. *lib. 17. cap. 38. Si quis cujuslibet animalis commixtione peccaverit, quindecim annis in humilitate ſubjaceat ad Eccleſiæ januam: Et poſt hoc aliis quinque annis in orationis communione receptus, Pęnitentiam agat, & ſic gratiam Sacramenti percipiat.* Ex Concilio Ancyrano deſumpta ſunt, ſed uſui, & praxi illius temporis accommodata.

XI. Nonnulla videtur & hoc capitulum eluriùs explicare, quod inſeritur Capitularium Caroli Magni *lib. 5. cap. 71. Qui Pęnitentiam publicè gerunt, debent unum annum eſſe cum cilicio inter Audientes, vel uſque ad magnum diem, & populo quando intrat in Eccleſiam perfuſi lachrymis veniam poſtulare, precarique qualiter ſeptem annorum Pęnitentia agatur cum humilitate, ut pro eis dignentur orare. Tribus verò annis ſubjaceant inter Pęnitentes manibus Sacerdotum in loco retro oſtium Eccleſiæ pęnitentibus conſtituto, & ſeorſum, infra ipſum tamen Eccleſiam ſecluſo: populo tamen jam non in terram proſtrati, ſed vultu, & capite humiliato, humiliter, & ex corde, ut ſupradictum eſt, veniam poſtulent, & pro ſe orare expoſcant. Duobus etiam annis oblationes modis omnibus non ſinantur offerre, ſed populo tantummodo in oratione ſocientur, ut perfectionem ſeptimo in Cęna Domini conſequantur anno, &c.* Negotium ſorte faceſſet alicui, quod canoni inſeritur, *Tribus annis ſubjaceant inter Pęnitentes manibus Sacerdotum.* Hinc enim colligere poterit Pęnitentibus quotidianam eſſe factam manuum impoſitionem. Sed ſubjacere manibus Sacerdotum in eo canone nihil aliud eſt quàm Sacerdotibus ſubjici. Toto enim illo tempore graviſſimas ſubibant Pęnitentias, quas Sacerdotes non modò ſigillatim illis explicabant, verùmetiam diligenter attendebant, an ſingula præſtarent, ut infra demonſtrabimus. Prætereà cum manuum impoſitione conſiſtere non poſſunt, quæ ſequuntur, *In loco retro oſtium Eccleſiæ Pęnitentibus conſtituto, &c.* Hæc fieri ſolebant ante illa ſecula in media ferè Eccleſia tota ſpectante, & orante fidelium turba. Sic etiam in impoſitione Pęnitentiæ, & in reconciliatione iiſdem ſeculis poſterioribus, ut prioribus ſemper obſervatum eſt. Intermedio verò tempore in angulis, & poſt oſtium frequentem manus impoſitionem factam fuiſſe planè eſt inauditum; nec apparatui, & Pompæ Epiſcopi ad quem hæc actio pertinet, accommodatæ ſunt angulares illæ latebræ. Cætera omitto, ne in re clariſſima fruſtra deſudem.

XII. Alexander II. Pontifex, licèt his omnibus poſterior, cum Pontificatum inierit an. 1060. ſimiles tamen ritus obſervari voluit. Interfectori filiæ Patrui ſui ingreſſu Eccleſiæ duobus annis interdixit: Interfectorem Presbyteri, qui in eum armatus irruebat, ſeptem annis ab Eccleſiæ ingreſſu prohibuit, & aliquandiu ſive calceamentis, & lino procedere juſſit. Presbyterum alterius occiſorem tribus annis extra Eccleſiam ſtare voluit, & ſeptem aliis inter Idiotas. Quod ad reliquas Pęnitentiæ partes attinet, anteriorum nulli ceſſit, ut videre potes infra ad finem cap. undecimi, ubi decreta integra referuntur.

XIII. Lectori duo notanda ſunt, quorum prius eſt, Canones illa omnia, quæ explicata ſunt, non ſemper commemorare, ſed aliquando unum tantùm aut alterum; non tamen ſequi iſta variè tum fuiſſe obſervata: Verbi gratia, in Pęnitentiali Romano *tit. 3. cap. 8.* de muliere inceſti Rea dicitur, *Abſtineat ſe ab ingreſſu domus Dei anno uno, &c. Sex deinde annis ingrediatur quidem domum Dei, ſed carnibus, & vino, & ſicera minimè utatur, &c.* Eadem refert Burchardus *lib. 17. cap. 8.* & uterque ex Concilio Moguntino. Ivo quoque *parte 9.* Decreti *cap. 70.* nemine citato. Ante hos omnes Concilium Nannetenſe *c. 17. tom. 3.* Concil. Galliæ adſignans Homicidæ Pęnitentiam, *Si Laicus eſt, à communione orationum quinquennio removeatur. Poſt quinquennium tantùm in orationum communione recipiatur non autem offerat, non Corpus Domini contingat, &c.* Refertur ab Ivone *parte 10. c. 141.* Ejuſdem eſt tenoris ſequens *canon* 18. Quem etiam in eundem finem refert Regino *lib 2 cap. 22.* & Ivo eodem loco *cap. 145.* Ratio eſt in promptu, & uniuſcujuſque captui obvia. Cùm Pęnitentiæ agendæ mos eſſet publicus, in omnibus Eccleſiis uſitatus, omniumque oculis tam fidelium quàm Cathecumenorum expoſitus, neminemque prorſus latere poſſet, importunum procul dubio fuiſſet, & moleſtum quoties de Pęnitentiæ impoſitione loquuntur, toties ritus minutias explicare. Satis eſt præcipua capita notare, ex quibus cætera facilè erat unicuique ex iis, quæ quotidie ob oculos verſabantur, colligere. Immò, ut videre eſt ex teſtimoniis jam citatis, fieri non poteſt ut exeqoaris quæ canones illi, & pęnitentiales ſtatuunt, quin in mentem tibi veniant ea, aut ſimilia iis, quæ ſuſius ex aliis teſtimoniis enarrata ſunt.

XIV. Poſterius Lectori notandum ejuſdem eſt rationis. Sępe canones, & Pęnitentiales libri, iſtorumque temporum canonicæ collectiones quum pęnitentiam imponunt, nullam horum mentionem faciunt: Sed tantùm edicunt, pęnitentiam agat, vel, Pęniteat. Manifeſtum eſt iſta referri ad Pęnitentiæ ritum vulgatum, & quotidianum quem ſingulis periodis iterùm explicare non modò importunum eſſet, ſed planè ridiculum. Aliquando explicant ſigillatim modum diætæ Pęnitentialis domi agendæ, & prætereunt ea, quæ publicè in Eccleſia fiunt hoc capite enarrata. In promptu quoque eſt hujus rei ratio. Quæ publicè in Eccleſia fiunt, unius modi ſunt, nec unquam mutantur. Verùm diæta illa, & ratio vivendi Pęnitentialis infinitis prope modis pro criminum gravitate, & levitate tam reſpectu ſui quàm perſonarum, & aliarum circumſtantiarum variatur, intenditur, & remittitur, ut infra explicabimus. Ideò opus eſt eam ſæpiſſimè pro criminum varietate ſpeciatim definiri.

C A-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Differentiæ rituum publicorum in Pœnitentia publica primis ſeculis obſervatorum ab iis, qui ab anno 700. ad 1100. invaluerunt, colliguntur, enarrantur, comparantur.

TAm evidentia, & frequentia iſtorum ſeculorum teſtimonia neminem iis attendentem ignorare ſinunt, qui fuerint illis ſeculis ritus publici in actione Pœnitentiæ obſervati. Nec ceſſavit eorum obſervatio ſeculo undecimo, ſed uſque ad duodecimum, & ultrà conſtanter viguit, quod *cap.* ſequentibus demonſtrabimus. Ut hæc magis graphicè ob lectorum oculos delineentur, paucis antiquum morem libro præcedente demonſtratum cum hoc recentiore comparabimus. Differentiæ quatuor inter utrumque potiſſimum ſpectandæ ſunt. Prima differentia, & præcipua eſt, quod more recentiore tertia pœnitentiæ ſtatio, quæ *ὑπόπτωσις* ſive ſubſtratio dicebatur, quod ad ritus publicè in Eccleſia exercitos penitus ſublata eſt. Videt enim Lector in tot teſtimoniis allatis recentioris ritus nullam prorsùs mentionem fieri duorum, in quibus potiſſimum ritus Subſtrationis conſiſtebat, quorum unum erat quotidiana manuum ſuper eos ſubſtratos impoſitio publicè in totius Eccleſiæ conſpectu facta: Alterum oratio impoſitioni manuum conjuncta. Secunda differentia tribus partibus conſtat, dimiſſione Pœnitentium, dimiſſione Audientium, & portarum Eccleſiæ occluſione, ne myſteriorum celebrationis præter fideles alii eſſent participes. In recentiore obſervatione horum trium nihil eſt factum. Allata enim teſtimonia nullius dimiſſionis, aut expulſionis memoriam faciunt, ſicut nec portarum occluſionis. Hinc, ut libro præcedente adnotatum eſt, ex antiquis Miſſalibus, & Ritualibus expuncta Pœnitentium illa dimiſſio. Tertia differentia ex ſecunda neceſſariò conſequitur. Pœnitentes recentiore obſervatione aderant myſteriorum celebrationi in angulo Eccleſiæ verſus portam ſeparatim ſubſiſtentes: Quod etiam ſuo modo dici debet, quandiu non licebat illis Eccleſiam ingredi. Quum enim non expellerentur extra porticum, vel atrium Eccleſiæ, & portæ illis non occluderentur, Myſteriorum celebrationem cum fidelibus conſpiciebant, jureque iis adeſſe dici poterant, quod antiquiori obſervationi prorsùs repugnabat.

II. Hoc inſuper disertè affirmant nonnulla ex citatis teſtimoniis, ut Vormatienſe *cap.* 30. *Introducantur in Eccleſiam, tamen inter Audientes, uſque dum unius anni ſpatium finiatur, ſtent, cum ad Miſſarum ſolemnia, vel alia ſacra audire officia venerint.* Et *c.* 16. Moguntinæ Synodi ſub Arnulpho Imperatore, idem aſſeritur de Pœnitentibus Eccleſiam non ingredientibus, *Eccleſiam per quinquennii tempus non ingrediatur, ſed cùm ſacrorum orationum officia, aut Miſſarum ſolemnia celebrantur, ante fores Baſilicæ perſeveret orans, ac deprecans, &c.* Idem prorsùs *can.* 26. Concil. Vormatienſis definitur. Quarta denique differentia petitur à loco. Recentiore obſervatione Pœnitentes in angulum Eccleſiæ coguntur. Sed in antiquiore iidem Pœnitentes integram Eccleſiæ partem, quæ à porta eſt uſque ad Ambonem, occupare poterant, ut libri præcedentis *cap.* 6. probatum eſt.

III. Nonnulla alia conſideratione digna ſunt, quæ breviter indicamus. Primum eſt, Auditionem recentioribus quaſi vicem geſſiſſe antiquæ Conſiſtentiæ. Ubique enim de illa Auditione adnotatur tamdiu eos non communicaſſe Corpori Chriſti, juſque oblationis non habuiſſe, quamdiu in eo loco ſubſiſtebant; non quod ſtatim poſtquam in ſublimiorem locum aſcenderant, communicarent, ſed quod perpetuum eſſet, eos, quandiu in illa Auditione detinebantur, nec offerre, nec communicare. Præterea ſæpè Pœnitentibus communionem Corporis Chriſti multis annis ante finem Pœnitentiæ concedebant, ut in Vormatienſi Concilio *c.* 26. Pœnitent. Roman. *tit.* 8. *cap. ultimo, & tit.* 1. *c.* 22. Triburienſi quoque *cap.* 5. Quæ conſuetudo ab antiquo more prorsùs aliena eſt. Cùm enim τῶ τελείω participatione omnis Pœnitentia finiebatur. Nicolaus I. ad Hincmarum ſcribens, idem non modo permittit cuidam Homicidæ, quem ad duodecim annorum Pœnitentiam damnaverat, ut ſcilicet poſt tres annos ante fores Eccleſiæ exactos, duos in Auditione privatus communione, reliquis ſeptem communione Euchariſtica fruatur, non quidem quibuslibet anni diebus, ſed celeberrimis feſtivitatibus: Verùm inſuper conditionem addit antiquis prorsùs inuſitatam, *Oblationes nullatenus offerendo.* Unde colligere eſt quanti jus offerendarum Altari oblationum illis ſeculis fecerunt. De Pœnitentia poſt communionis perfectionem pluribus *lib.* 9. agemus.

V. Unum ſupereſt, quod licèt in Eccleſia peculiariter non fieret, in Eccleſia tamen, ut & extra Eccleſiam, inſigniter erat conſpicuum; Ideò illud breviter explicare nobis eſt propoſitum. Sæpiùs *libro* 4. de Pœnitentium veſte verba fecimus. Demonſtratum eſt pro regionum varietate, Pœnitentes capite, barbaque tonſos fuiſſe, vel barba, capilliſque prolixis. Prætereà ſacco, cinere, cilicioque tectos cùm Pœnitentiam ſuſciperent; & poſt ſuſceptam humili, lugubrique veſte indutos in publicum proceſſiſſe, ita ut à cæteris fidelibus facilè diſtinguerentur. Veſtis illa poſt annum ſeptingenteſimum in ſuſceptione Penitentiæ ferè fuit eadem, quæ anteà, ut demonſtratum eſt, *lib.* 4. *cap.* 17. Sed poſt ſuſceptam Pœnitentiam ſui humilitate, & abjectione fuit præcedente multo magis conſpicua, moſque ille veſtis planè lugubris geſtandæ multis ſeculis ſubſtitit. Nicolaus I. Epiſtola ad Rivoladrum Epiſcopum, jam citata, nonnulla ſcribit, ex quibus multa de ejuſmodi veſte evidenter colliguntur, *Conceſſimus*, inquit, *ei calceatum ad vos pervenire, ac deinde triennio diſcalceatum ire debere, & veſtimentis ſecundùm qualitatem temporis, & aeris temperiem indui, atq; lacte perfrui.* Iſta ex miſericordia, eo quòd è media Gallia Romam ad Pontificem Pœnitendæ cauſa profectus fuerat. Diſcalceati igitur ſolebant incedere, & veſtibus tenuibus, & vilibus ad aeris injurias tolerandas parum accommodatis.

VI. Concilium Triburienſe *cap.* 55. diſtinctiùs hoc explicat, *Nudis pedibus incedat, Lineis non induatur veſtibus, niſi tantùm femoralibus, ſecularia arma non portet. Nullo vehiculo utatur.* Eundem canonem refert Burchard. *lib.* 6. *cap.* 1. Et confirmatur ex Pœnitentiis voluntariis, & luctibus publicè aſſumptis, in quibus ſimilia ab omnibus fidelibus factitabantur, ut in triduo Rogationum. Ita enim Burchard. *lib.* 13. *cap.* 7. *Nullus his diebus veſtimentis pretioſis induatur, quia in ſacco, & cinere lugere debemus, &c. Nemo ibi equitare præſumat, ſed diſcalceatis pedibus omnes incedant, &c.* Multò magis veri pœnitentes, & criminum Rei. Ideò maximè conſpicui erant, & extra, & intra Eccleſiam illorum ſeculorum Pœnitentes, ut hujus libri *cap.* 2. probatum eſt.

VII. Iis, quæ hoc capite, & præcedente dicta ſunt, opponi poſſunt Capitularia Caroli Magni, ejuſque ſucceſſorum, & variæ collectiones, Reginonis, Burchardi, Ivonis, & aliorum, quæ in antiquis Bibliothecis reperiuntur: Continent enim omnes canones antiquos variis titulis diſtinctos. Non ſequitur tamen canones illos iiſdem ritibus, & eadem praxi fuiſſe obſervatos, quo ante eorum collectiones obſervabantur. Exceptiones enim ſemper intelligendæ ſunt, quas addiderunt poſteriores. Nec etiam ſemper ejuſdem rationis ſunt canones antiqui: Sæpè enim poſteriores aliquid de antiquorum ſeveritate remittunt; ſæpè etiam aliquid ei ſuperaddunt. Varias autem canonum ſummas tum componebant, eo quod & Pœnitentias, & judicia proximè ad canonum dictata exercerent, nonnunquam tamen ſeveriùs, nonnunquam remiſſiùs, pro diverſa perſonarum, & circumſtantiarum ratione, ut ipſi canones jubent. Verùm antiqui libri pœnitentiales, qui varia criminum pœnas, & medelas docent, prætérita illa canonum multitudine, quæ cauſas forenſes etiam ſpectat, antiquos canones ita cùm novis componunt, & temperant, ut utrique praxi ſeculi in quo collecti ſunt, accommodentur. Quapropter ex illis Pœnitentialibus, ſicut & ex recentioribus cujuſque ſeculi Conciliis directè, & per ſeſe illorum ſeculorum mores colliguntur, ex quorum poſteà, cùm antiquioribus comparatione emergit unius ab altero differentia.

CAPUT IX.

Quæ Pœnitentiæ, corporiſve afflictiones, abſtinentiæ, jejunia, &c. Seculiſ octavo, & nono publicam Pçuitentiam agentibus imponi ſolerent, privatim, & domi exercenda, & exequenda, demonſtratur. Et qua ratione iſta per omnes Pœnitentiæ impoſitæ annos diſtribuebantur, & temperabantur. Doceturque illorum ſeculorum Eccleſiam hac in cauſa diſciplinæ antiquæ ſeveritati non ceſſiſſe.

EXplicatis Pœnitentiæ publicæ publicis ritibus, inquirendum nobis eſt, quid Pœnitentibus agendum, vel tolerandum præſcriberetur tum domi ſuæ, tum alienæ, ſive in agris commorarentur, ſive in urbe, ſive iter agerent, ſive domi quieſcerent. Illorum enim ſeculorum Epiſcopi, non ſecus ac præcedentium, opera varia laborioſiſſima, ærumnis, & corporis afflictionibus toleratu difficillima ipſis imperabant. Immò illorum ſeculorum Epiſcopi Anteceſſores ſuos hac in cauſa longiſſi-

giſſimè mihi videntur anteceſſiſſe, tantùm abeſt, ut ipſis ceſſerint. Saltem, laborum, ærumnarum, jejuniorum, abſtinentiarum, & ejuſmodi afflictationum corporearum ab anno ſeptingenteſimo ad milleſimum centeſimum imponi ſolitarum, quæ nobis ſuperſunt monumenta graviores fuiſſe ab eo tempore Pœnitentias demonſtrant, quàm quæ antecedentibus ſeculis imponi ſolebant. Verùm equidem eſt antiquorum illorum ſeculorum longè pauciora extare monimenta quàm recentiorum. Recentiorum enim habemus non veſtigia, non judicia, non monimenta tantùm, ſed ipſas ſpecialiſſimas Pœnitentiarum leges ſuperſtites, κατὰ μέρος unicuique peccato diſtributas: Neque unius tantùm regionis, aut unius ſeculi, ſed variarum regionum, & temporum. Ideò facillimè minutiſſima quæque ob oculos Lectorum exponi poſſunt: ſed antiquioris ætatis nihil ita ſingulare ad nos uſque pervenit. Ex iis tamen, quæ nobis ſuperfuerunt, quorum magnam partem explicavimus libro præcedente, ſatis evidenter colligitur Eccleſiam quatuor poſterioribus ſeculis adnotatis ſeverius erga Pœnitentes quàm anterioribus ſeſe geſſiſſe. Minimè neceſſarium videri poſſet illa huc referre, cùm, & hoc quòd aſſerimus de illa ſeveritate, & de minuta unicuique crimini, & criminis ſpeciei attributa pœna in unoquoque Pœnitentiali ſplendidiſſimè fulgeat; & præter tres jam editos, librumque Burchardi 19. in quibus hæc omnia minutiſſimè deſcribuntur, multos huic operi adjungamus nondum editos illorum ſeculorum Pœnitentiales, Græcos, & Latinos. Verumtamen duabus præſertim de cauſis Pœnitentias à Pontificibus, & Conciliis criminum Reis in data hypotheſi conſtitutas hoc capite exſcribemus. Primùm, ut totius Eccleſiæ in eandem diſciplinam conſpiratio evidentiùs appareat: Deinde, ut per multa Pœnitentiæ genera vulgò tum uſurpata, Lectoribus exponamus, quorum apud antiquiores auctores nulla eſt memoria.

II. Antequam hoc agere aggrediar, Lector monendus eſt pœnas illas, quas enarramus, à Pontificibus, & Conciliis ſæpè dici ſecundùm indulgentiam à ſe decerni, & imponi, non ſecundùm diſciplinæ Eccleſiaſticæ rigorem; aliquando pœnæ jam ab aliis impoſitæ eſſe relaxationem, Unde colliget Lector, quales tum fuerint Pœnitentiales pœnæ, cùm nulla indulgentia temperabantur. Gregorius III. Interrogationi 7. Bonifacii reſpondens *tom.* 1. Conciliorum Galliæ an. 738. hanc certis homicidis Pœnitentiam imponit, *De his verò, qui Patrem, matrem, fratrem, & ſororem occiderint, dicimus, ut toto vitæ tempore Corpus Dominicum non ſuſcipiant, niſi in ſuo exitu pro viatico. Abſtineant ſe à carnis comeſtione, & potu vini, donec advixerint, jejunent* 2. 4. *&* 6. *feria, ut ſic poſſint deflentes diluere commiſſum ſcelus.*

III. Nicolaus I. Epiſtola ad Rivoladrum Epiſcopum, quæ refertur *tom.* 3. *Conciliorum Generalium* in appendice Epiſtolarum iſtius Pontificis 18. *&* *tom.* 3. *Concil. Galliæ* an. 862. & ab Ivone *parte* 10. *cap.* 33. VVimaro cuidam filiorum interfectori, qui Romam ad Pontificem ſuſcipiendæ Pœnitentiæ cauſa profectus fuerat, hanc Pœnitentiam imponit, & in Brevi ſcriptam tradit, *Im eu*, inquit, *ita ſtatutum eſt, ut triennio ante fores Eccleſiæ pro peccatis ſuis oraturus conſiſtat, & deinde inter Auditores permaneat quadriennio, ut ſeptem annorum curricula abſque communione Dominici Corporis, & Sanguinis ducat: Ita quidem ut omnibus diebus vitæ ſuæ carnem non manducet, & in iſto ſeptennio vinum non ſumat, niſi diebus Dominicis, & feſtivitatum. Abeinde quinquennio tribus diebus per ſeptimanam à vino abſtineat, ut duodecim annis quantitas Pœnitentiæ extendatur. Liceat itaque illi uxorem propriam non deſerere, ne fortè incidat in adulterium, & pro occaſione unius delicti præcipitetur fragilitate carnis in pejus. Conceſſimus enim ei calceatum ad vos pervenire, ac deinde triennio diſcalceatum ire debere, & veſtimentis ſecundùm qualitatem temporis, & aeris temperiem indui, atque lactè perfrui. Cęterùm verò ita actus ipſius diſcernentes, per omnia conſiderate, atque diſponite, quatenus & Evangelica miſericordia in illo cognoſcatur, & canonica auctoritas conſervetur. Attamen permittimus eum caſeum ſumere, atque poſſeſſionem ſuam habere, & poſt ſeptimum annum uſque ad diem mortis perſeverare in jam dicta Pęnitentia, atque arma, niſi contra Paganos, non ferat.*

IV. Hæc eſt Pœnitentia huic Parricidæ à Nicolao Pontifice impoſita, in qua tria velim Lectorem notare. Primum, Pęnitentiam illam datam eſſe ſecundum indulgentiam à Pontifice, eo quòd Reus à Gallia Romam uſque ſeſe contulerat, ut Pęnitentiæ criminis ab Epiſcopo ſuo impoſitæ relaxationem impetraret. Hoc monet Pontifex initio Epiſt. ad Epiſcopum illum ſcriptæ, *Iſtum VVimarum ad Apoſtolorum limina feſtinaſſe cognoſcite, & Pęnitentiæ modum pro perpetrato triumfiliorum ſuorum homicidio ſibi impoſitum manifeſtaſſe. Quorum quędum temperavimus, eo quòd ſuffragia Apoſtolorum Principis nutritoris noſtri poſtulare feſtinavit.* Secundum, Pontificem dediſſe in ſcriptis Pęnitentiam, ne vel ille falleret Epiſcopum ſuum alia fingens, quàm quæ à Pontifice ſibi conceſſa eſſent, vel Epiſcopus illi narranti diffideret. Tertia accedit ratio diuturnis omnibus Pœnitentiis communis, ne Pœnitentiæ præcepta memoria elaberentur. Tertium, Epiſcopum à Pontifice moneri, relaxationem ita conſiderandam, & exequendam eſſe, ut nullum canonicæ auctoritati præjudicium crearetur.

V. Idem Papa Præsbyteri Monachi interfectori hanc pœnitentiam imponit, de qua monet Hincmarum iſtius Homicidæ Epiſcopum, ut refertur *tom.* 3. *Concil. Gall.* an. 867. *Nos ei injunximus, ut duodecim annorum metu terminum Pęnitentiæ ſibi injunctæ includeret. Quorum tribus prioribus ante fores Eccleſiæ lugendo, ſingultus edendo, miſericordiam à Domino conſequi feſtinare procuret. Quarto deinde atque quinto, inter Auditores omnipotentem exorare ſtudeat abſque Corporis, & Sanguinis Domini ſuſceptione. Reſiduis præterea ſeptem annorum curriculis, communionem Dominici Sacramenti ſuſcipere liceat celeberrimis feſtivitatum diebus; oblationes quidem nullatenus offerendo. Veruntamen omnibus prædictis temporibus, excepto feſtivitatum diebus, & Reſurrectione Dominica, continuè Quadrageſimali more, uſque ad Veſperam jejunus perſeveret. Et ſi alicubi opportunus habuerit iter, nullo vehiculo deducatur, ſed pedeſtri itinere utatur. Uſque ad mortem denique Pęnitentiæ ejus quantitas extendi debuerat. Sed devotionem ejus fidei conſiderantes, ſive quia ad ſuffragia Apoſtolorum feſtinaverit, humaniùs cum illo peregimus.*

VI. Eadem notanda ſunt, quæ in præcedente teſtimonio notavimus, nec ea minus evidenter indicat Pontifex in hac Pęnitentiæ aſſignatione quàm in præcedente. Sed poſtremum longè clariùs, & manifeſtiùs. Quum aliquid Pontifices in impoſitione Pœnitentiarum ab Epiſcopis facta relaxabant, non modò Reos ad Epiſcopos remittebant, ſed etiam eos admonebant, ut diligenter Pœnitentibus invigilarent, ne Pœnitentiam à Pontifice impoſitam, & taxatam negligerent, *Hos itaque Apoſtolatus noſtri apices*, inquit Pontifex Hincmaro, *ſuſcipientes, ita ſpiritali oculo vitam futuram Pœnitentiæ ipſius diſcutite; & Catholica pietate manu diſcretionis, quæ oportuerit perpendentes, ſic cum illo peragitis, quatenus & canonica auctoritas obſervetur, & ovis Dominica raptoris vulnere ſauciata nullo neglectu perdatur.*

VII. Duo ſunt alia ejuſdem Pontificis Pœnitentialia decreta cujus *capite* 7. initia retulimus eo quòd publicum Pœnitentiæ ritum in Eccleſia explicant; cætera nunc referemus quæ Pęnitentiam privatam imperant. Unum eſt reſponſum Frontario Epiſcopo Burdegalenſi à Nicolao petenti, qua Pœnitentia eſſent afficiendi rerum ſacrarum Raptores, *Tertio verò anno, Eccleſiam Dei ingrediantur, & inter Audientes adſtent ſine oblatione; non manducantes carnem, neque bibentes vinum præter Natalis, & Reſurrectionis Dominicæ dies. Quarto præterea anno, ſi his prioribus tribus annis fructuoſus fuerit Pęnitentiæ labor, communioni fidelium reſtituantur, totaque mentis intentione ſpondentes talia ſe ulteriùs nunquam facturos, Corpus, & Sanguinem Domini ſuſcipere mereantur: & uſque ad ſeptimum annum tribus in hebdomada diebus ſine eſu carnium, & vini potatione maneant Pęnitentes.* Alterum Pœnitentia eſt impoſita cuidam Matricidæ, de quo ſcribit Pontifex ad Ratoldum Argentoratenſem Epiſcopum, *His autem omnibus annis, atque temporibus carnem non manducet, nec vinum bibere præſumat, exceptis feſtivis diebus, atque Dominicis, & à Paſcha uſque ad Pentecoſten. Et quocunque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur, ſed pedibus proficiſcatur, arma non ſumat niſi contra Paganos. Jejunet autem tribus diebus per hebdomadam uſque ad Veſperum, à propria, & legitima conjuge non ſeparetur, ne in fornicationis voraginem corruat, quod ne fiat, optamus.*

VIII. Conſilii Triburinenſis Patres Pœnitentiam homicidio voluntario ſigillatim impoſituri ſic præfantur, *Nobis, qui Paſtores Chriſti ovium ſumus, pro moderni temporis qualitate, & hominum fragilitate bonum, & utile videtur, ut his, qui voluntariè homicidium fecerint, auctoritate Synodali, & judicio generali & modum caſtigationis imponamus, & certum, ne definitum Pęnitentiæ tempus præmonſtremus, ne prolixum tempus Pęnitentiæ generet faſtidium negligentibus; ſed curſim exercitatis accreſcat opus ſalutis.* Nunc attende, Lector, cujuſmodi ſit illa relaxatio, qua pro fragilitate illius temporis utuntur, ut vel hinc judices quales fuerint Pęnitentiæ antea imponi ſolitæ. Ca-

none

none ſequente, qui eſt 55. & ſequentibus, definiunt, qua ratione pęnitere debeat Homicida voluntarius, & quando aliquid in pęnitentiam impoſitum implere non poteſt, quid illi in compenſationem ſit præſtandum; alias inſuper circunſtantias, quæ nonnunquam contingunt, enarrat, & qua ratione ſit illis medendum, explicat: Integros canones exſcribemus, *Si quis ſponte homicidium fecerit, quadraginta diebus ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur. Et nihil manducet illis 40. diebus præter ſolum panem, & ſalem, neque bibat niſi puram aquam. Nudis pedibus incedat. Lineis non induatur veſtibus, niſi tantùm femoralibus. Secularia arma non portet. Nullo vehiculo utatur. Ad nullam fœminam, nec ad propriam his diebus miſceatur. Nullam communionem his 40. diebus cum aliis Chriſtianis, nec cum alio habeat Pœnitente, in cibo, vel potu, aut ullis rebus.* Quia verò nonnulla incommoda contingere poterant executioni, tam duri mandati, iis ſtatim occurrit, *Si verò fiat aliquis vitæ ſuæ inſidiatores, ut præ illis non poſſit digne pœnitere, interim differatur ei eadem Pœnitentia, donec ab Epiſcopo proprio pax ei ab illis ſit facta. Si enim aliqua corporali infirmitate detentus ſit, ut non poſſit jejunare, adhibeatur ei miſericordia, quouſque convaleſcat, & tunc demum pœniteat. Si verò longo tempore eadem ſit occupatus infirmitate, ad Epiſcopum pertinebit, ut prudenter pertractet, quomodo infirmum peccatorem curare diſponat.*

IX. Hæc primis quadraginta diebus: Poſteà explicat *can.*56. quæ diæta pœnitentialis toto primo anno ſit Pœnitenti adhibenda. *Poſt illos quadraginta dies, unum annum integrum ab introitu Eccleſiæ ſuſpendatur, & abſtineat ſe à carne, & vino, & Medone, ac mellita cerviſia, niſi Dominicis diebus, & feſtis, qui per illum Epiſcopatum publicè celebrantur apud cunctum populum: Et niſi vel in hoſte, aut in aliquo magno ſit itinere, vel longè, aut diù ad Dominicam curiam, vel ſi in infirmitate detentus ſit: Tunc licitum ſit ei tertiam feriam, & quintam, atq; ſabbatum redimere uno denario, vel pretio denarii, ſive tres pauperes pro nomine Domini paſcendo: ita dumtaxat, ut vel carne, vel vino, vel medone, id eſt, de tribus una re utatur, non omnibus veſcatur. Poſtquam autem de itinere domum revertatur, aut de infirmitate liberetur, prædictas ferias non redimat, ſed ſtatuto modo pœniteat. Completo verò unius, ejuſdemque anni curriculo, ita caſtigatu ritè, & ordinabiliter, more Pęnitentium introducatur in Eccleſiam.* His de diæta Pœnitentiali primi anni ſtatutis *can.*57. ſic de duobus ſequentibus annis breviter definit, *Secundum verò, & tertium annum ſimili modo pœniteat, excepto quòd prędictas tres ferias redimere jus habeat, ubicunque eſt, ſive in domo, ſive in itinere. Cętera per omnia obſervet, ut in primo anno.*

X. Reliquorum autem annorum Pœnitentiam ſic diſtribuit *can.*58. *Quartum enim annum, quintum, & ſextum, & ſeptimum iſto modo obſervet. Jejunet autem bis ſingulis tres Quadrageſimas. Unam ante Paſcha Domini à caſeo, & pinguibus piſcibus, à vino, & Medone, & mellita cerviſia. Alteram ante Nativitatem S. Joannis Baptiſtæ. Si verò deſunt quadraginta dies ante nativitatem, impleantur poſt nativitatem. Tertiam quadrageſimam ante Nativitatem Domini Salvatoris jejunet, & abſtineat ſe à carne, & cæteris rebus prædictis. Et in his quatuor annis tertia feria, & quinta, ac Sabbato manducet, & bibat, quodcunque libeat. Et ſecundam, atq; quartam ferià denario, aut prędicto Denarii pretio redimere jus habeat. Sextam verò feriam cautè obſervet. His ſeptem annis ritè expletis reconcilietur, & more pęnitentium ſacris altaribus, & ſanctæ communioni reſtituatur, atque perfectionem conſequatur.* En diatypoſin Pœnitentiæ homicidio voluntario impoſitæ, graphicè deſcriptam ad cujus formam cæteræ omnes criminibus debitæ imponebantur. *Canone* 5. ejuſdem Concilii Pœnitentiam deſcribunt Patres imponendam ei, qui lubens Sacerdotem occidit, quam ajunt Sacerdotibus illius temporis eſſe vulgarem. Sed Pęnitentia illa decem eſt annorum, quam breviùs, ſigillatim tamen exponunt.

XI. In Concilio Vormatienſi, quod Triburienſe multis annis præceſſit *can.*26. Sacerdotem voluntariè occidenti hæc decernitur Pœnitentia, & ſigillatim diſtribuitur, *Qui Sacerdotem morti voluntariè tradiderit, carnem non comedat, nec vinum bibere præſumat: jejunet autem uſque ad Veſperam, exceptis feſtis diebus, atque Dominicis. Arma non ſumat, & ubicumque voluerit, nullo vehiculo deducatur, ſed propriis pedibus proficiſcatur. Eccleſiam per quinquennii tempus non ingrediatur, ſed cùm ſacrarum orationum officia, aut Miſſarum ſolemnia celebrantur, ante fores Baſilicæ perſeveret, orans, ac deprecans Deum, ut tanto crimine abluatur. Poſt expletum verò quinquennii tempus ingrediatur Eccleſiam, nondum verò communicet, ſed inter Audientes tantummodò ſtet, vel dum facultas conceditur, ſedeat. Et cùm decimi anni curſus fuerit finitus communicandi ei licentia concedatur, & equitandi tribuatur medela: maneat autem in reliquis obſervationibus, tres dies per hebdomadam, ut perfectiùs ad culmen purificationis pervenire mereatur.* Hujus canonis pericopen, quæ ad publicos Pœnitentiæ in Eccleſia ritus pertinet, ſupra retulimus. Quòd autem ait, poſt finitum annum decimum, *Maneat in reliquis, &c.* Id factum eſt, quòd Pœnitentia illa duodecim annis continuaretur, ut conſtat ex Pœnitentiali Rom. *tit.* 1. *c.*2. Burch. *lib.*6. *cap.*8. & Ivone *part.* 10. *c.* 137. quanquam id etiam poſſit intelligi de Pœnitentia poſt decimum, vel duodecimum annum agenda. Sæpè enim poſt tempus canonicum pęnitentiæ decurſum aliqua Pęnitentiola ſupererat reliquo vitæ tempore ſubeunda. Idem canon repetitur in Concilio Moguntino *can.*16. ideò quæ de Vormatienſi dicta ſunt, de Moguntino dicta judicantur.

XII. Ejuſdem Concilii *can.*30. in Patricidas, & Fratricidas ſic decernitur, *Carnem non manducent omnibus diebus vitæ illorum, & jejunent uſque ad nonam horam diei quotidie, exceptis feſtis diebus, atq; Dominicis. Abſtineant à vino, medone, atque cerviſia mellita tres dies per hebdomadam. Arma gerere non audeant, vel ſumere niſi contra Paganos. Et ubicunque ire maluerint, nullo vehiculo deducantur, ſed pedeſtri more proficiſci ſtudeant. Tempus autem hujus pęnitentiæ in Epiſcoporum ponimus arbitrio, ut ſecundùm converſationem illorum aut extendere, vel minuere valeant. Ab uxoribus ſi habuerint, non ſeparentur. Si autem non habuerint, & ſe continere non valuerint, legitimas accipiant in conjugio fœminas, ne in fornicationis voraginem incidere videantur: Et ſi finis vitæ illorum venerit antequam duorum prædictorum annorum finiantur curricula, Viaticum illis non negetur.* Nonnulla antecedunt quæ ad publicos Pœnitentiæ ritus ſpectant, quæ ſupra exſcripſimus.

XIII. *Can.*36. alterius criminis genus ſic punit, *Si vir viduam in conjugium duxerit, quæ ex priori marito filiam habuit, & cum eadem filia poſtmodum concubuerit, conjugium modis omnibus diſſolvatur, & vir ille pęnitentiæ ſubjaceat ſanctionibus, ita ut per triennii tempus à ſacro Corpore D. noſtri Jeſu Chriſti ſuſpendatur, & Sanguine. Carnem non manducet, abſtineat à vino, & ſingulis diebus jejunium celebrare feſtinet, exceptis feſtis diebus, atq; Dominicis. Orationibus omni inſiſtere ſolicitudine, integriterq; perficere, ſummopere ſtudeat. Similiter autem de mulieribus, quæ oraculo Patri ſe in concubitu ſubſternunt, & filio obſervandum eſt. Taliter quidem, & de his ſancimus, qui duabus ſe abſconsè ſororibus pollutos cognoſcunt.* Horum criminum Reos Pœnitentiæ ſanctionibus, & præceptis ſubiicit, quæ breviter indicat; Non enim patitur canonum modulus, ut cuncta ſemper ſigillatim, & minutè enarrentur: Hoc ad pœnitentiales libros, aut anteriores canones vulgò notos remittebatur. Sufficit Patribus ad pœnitentiam condemnaſſe, & ſi quid ſpeciale obſervari volunt, illud in canone adnotare. Iſtorum autem criminum pœnitentia longè ſpecialior legitur in Pœnitentiali Romano *tit.* 3. *c.*8. ex Concilio Moguntino, & magis adhuc ſpecialis apud Burchardum *lib.*17. *c.*8. ex eodem Concilio, & Ivonem *part.*9. *c.* 70. ex Aurelianenſi Concilio. Sæpè idem Vormatienſe Concilium, ut & cætera illorum temporum varia crimina punit pœnitentia ſimpliciter, vel tali Pœnitentia, ut Homicidæ, vel ſecundum canones agenda, nec aliquid ampliùs addit, ut *c.*10.20. 24.27.29.35.39.44. & aliis. Eo quod iſta ſatis tum intelligebantur ex antecedentibus canonibus, & vulgaribus Pœnitentialibus, atque ex quotidiana praxi.

XIV. Idem demonſtratur ex nonnullis aliis Conciliis, ut ex Concilio generali 8. *act.*9. quod ſupra ex parte allatum eſt, ubi Vicarii Pontificis hanc Pœnitentiam iis imponunt, qui falſum teſtimonium adverſus Patriarcham Ignatium tulerant, *Abſtinere à vino, & carnibus quatuor annis præter Dominicos dies, & præter Dominicas feſtivitates: Et in aliis tribus annis ſtare cum fidelibus, & mereri divinam communionem in ſolis Dominicis ſolemnitatibus, cum eleemoſynis, & orationibus, atque jejuniis; ita ut tribus diebus hebdomadis, ſecunda videlicet, quarta, & ſexta feria abſtineant à carnibus, & vino.* Ex Concilio Nannetenſi, *can.*17. & 18. atque ex Burchardo, & Ivone idem etiam probatur, quorum verba jam citata ſunt. Hæc omnia ex tot Conciliis, atque etiam ex Nicolao I. Pontifice deſumpta, maniſeſtiſſimè demonſtrant Eccleſiæ Latinæ praxim; junctaque cùm Pœnitentialibus variorum ſeculorum, & canonum collectionibus, quas variorum quoque ſeculorum auctores compoſuerunt, neminem, ut opinor, de poſteriore hac Eccleſiæ Occidentalis praxi dubitare ſinent. His addi debent plurima, & evidentiſſima quotidianæ iſtius praxis totis illis quatuor ſeculis uſurpatæ argumenta, & exempla, quæ toto ferè *cap.*15. libri præcedentis enarrata ſunt.

Digitized by Google

CAPUT X.

Eandem ſeveritatem toto ſeculo decimo domeſticè obſervatam fuiſſe, nec tantillùm de ea remiſſum, Eandem quoque operum laborioſorum per varios Pœnitentiæ impoſitæ annos diſtributionem factam.

EAndem fuiſſe praxim ſeculorum duorum ſequentium, hoc eſt, noni, & decimi, uſque ad undecimum completum, vel ex ſolis Decretis Burchardi, & Ivonis Epiſcoporum, quæ jam ſæpiùs in hunc finem citata ſunt, eſt planè maniſeſtiſſimum. Scribebat enim Burchardus ad finem ſeculi decimi, & ineunte undecimo: Adfuit enim Concilio Salegunſtadienſi, quod celebratum eſt ab Archiepiſcopo Moguntino ann. Chriſti 1023. illudque fini ſuæ collectionis adtexuit. Ivo verò Carnutenſis Epiſcopus in Eccleſia celebris fuit ad finem ſeculi undecimi, & ineunte duodecimo. Anno enim 1092. creatus eſt Epiſcopus, & anno 1108. acceleratæ coronationis Ludovici VI. Francorum Regis præcipuus auctor fuit. Sed Ambo nihil aliud ſonant, quàm canones, nullam aliam pœnam criminibus imponunt quàm canonicam, ſive antiquos ſpectes canones, ſive recentiores, ut ex antecedentibus capitibus, in quibus eorum teſtimonia notata ſunt, unicuique apparet. Immò univerſæ ipſorum collectiones pura ſunt canonum, decretorumque exſcripta; ne verbulum quidem canonibus, & decretis addunt, ſicut nec quæ illorum ætatem præceſſerunt Collectiones. Sed ne idem argumentum ſæpiùs repetamus, lege quæ ſcripſimus libri præcedentis c.15. Ubi non ſolùm hoc, ſed etiam quamplurimis illorum ſeculorum teſtimoniis demonſtravimus diligentiſſimè ab Epiſcopis cautum fuiſſe, ne Pœnitentiæ criminibus aliter quàm juxta Conciliorum canones, Pontificumq; decreta imponerentur. Quapropter hæc obiter iterùm monuiſſe contenti, nunc planum fecimus ſpeciales Pœnitentias criminibus poſt annum nongenteſimum uſque ad milleſimum centeſimum impoſitas, ejuſdem prorſus ſpeciei fuiſſe, & ſeveritatis, quæ duobus præcedentibus ſeculis.

II. Primùm nobis occurrit Concil. Remenſe anno 923. celebratum, ut in commune conſulerent illius Provinciæ Epiſcopi, quæ Pœnitentia eſſet iis indicenda, qui bello inter Carolum, & Robertum interfuerant. Illi autem ſtatuunt, *Ut tribus Quadrageſimis per tres annos agant Pœnitentiam: Ita ut prima Quadrageſima ſint extra Eccleſiam, & Cœna Domini reconcilientur. Omnibus verò his Quadrageſimis, ſecunda, quarta, & ſexta feria, in pane, ſale, & aqua abſtineant, aut redimant. Similiter quindecim diebus ante Natalem S. Joannis Baptiſtæ, & quindecim diebus ante Nativitatem Salvatoris, anni quoque ſexta feria per totum annum niſi redemerit, aut feſtivitas celebris ipſa die acciderit, vel eum infirmitate, ſive militia detentum eſſe contigerit.* Tom.3. Concil. Galliæ an. 923. En Pœnitentiam planè præcedentibus ſimilem auctoritate Concilii impoſitam crimini, quod nunc leviſſimi quidem peccati rationem habere judicaretur.

III. Reginonis Abbatis collectio juſſu Ratbodi Eccleſiæ Trevirenſis Epiſcopi facta eſt poſt annum Chriſti 906. ut patet ex *lib.2.c.447. & 448.* ubi habetur exemplar literarum formatarum Ratbodi Archiepiſcopi ad Rotbertum Metenſem Epiſcopum datarum an. 906. indict. 9. Scripta tamen eſt poſt annum 912. ut ex fine conſtat. In illius *lib.2.* plurima de Pœnitentiis, & pœnis criminibus imponendis, de quibus hæc ſelegimus. *Cap.5.* ex Concilio Triburienſi citat primùm, *Ut Pœnitentia ſuper homicidiis non diverſo more, ut priùs, ſed in Epiſcopis ſingulis una more agatur.* Poſteà explicat, qua ratione ſpeciale ſit agenda de homicidio Pœnitentia. Hanc rationem, & in minutas partes diſtributionem huc referemus, eo quòd canones illi Triburienſes à Reginone citati ab editis, quos capite præcedente exſcripſimus, in multis conſideratione dignis, & propoſito noſtro conducentibus differant.

IV. *Si quis ſpontanea voluntate, Diabolo ſuadente, homicidium perpetraverit, juxta canonum ſanctiones, & judicium Epiſcoporum talem Pœnitentiam accipere debet. In primis ut licentiam non habeat Eccleſiam intrandi illos proximos quadraginta dies, nudis pedibus incedat, & nullo vehiculo utatur: In laneis veſtibus ſit abſque femoralibus, arma non ferat, & nihil ſumat his 40. diebus, niſi tantùm panem, & ſalem, & puram bibat aquam; & nullam communionem cum cæteris Chriſtianis, neque cum alio Pœnitente habeat in cibo, & potu antequam 40. dies adimpleantur, & ex cibo quem ſumit, nullus alius manducet. Conſiderata verò perſonæ qualitate, vel infirmitate de pomis, vel holeribus, ſeu leguminibus, prout viſum fuerit aliquid permiſcendum indulgeatur: Maximè ſi quis coactus, & non ſponte homicidium fecerit, & ei omnimodis ex canonica auctoritate interdicatur, ut in his diebus cum nulla fœmina miſceatur, nec ad propriam uxorem accedat, nec cum aliquo homine dormiat. Juxta Eccleſiam ſit, ante cujus januas peccata ſua defleat diebus, & noctibus, & non de loco ad locum pergat, ſed in uno loco his quadraginta diebus ſit. Et ſi fortè habuerit inſidiatores vitæ ſuæ, interim differatur ei Pœnitentia, donec ab Epiſcopo pax ei ab inimicis reddatur: Et ſi infirmitate detentus fuerit, ita ut non poſſit dignè pœnitere, differatur Pœnitentia, donec ſanitati reſtituatur. Si autem longa ægritudine detentus fuerit, ad ſententiam Epiſcopi pertinebit, quomodo Reum, & infirmum ſanare diſponat. Completis 40. diebus aqua lotus, veſtimenta, & calceamenta, quæ à ſe abjecerat, rurſùs ſumat, & capillum incidat.*

V. Pergit explicare primi anni Pœnitentiam, deinde ſecundi, & tertii, quæ non referimus, cùm nihil contineant diverſum ab iis, quæ capite præcedente ex eodem Concilio exſcripſimus. Satis ſit Lectorem eſſe monitum, hoc modo actam eſſe Pœnitentiam circa annum Chriſti 900. & 950. Additur tantùm à Reginone poſt ingreſſum pœnitentis in Eccleſiam, *Et pacis oſculum concedatur.* Deinde ibidem in fine hæc habentur ſeveriora quàm in editis, *Secundam, & quartam feriam omnimodis obſervet, & nequaquam redimat.* Alius enim textus vult tribus poſterioribus annis facultatem eſſe redimendæ tertiæ, & quartæ feriæ, ſed non ſextæ. Poſteà varios canones antiquos refert, atque etiam recentiores, in quibus variæ homicidiorum ſpecies Pœnitentia puniuntur, ſed penitentia illis κατὰ μέρος niſi in quibuſdam non diſtribuitur. Refert ex Concilio Nannetenſi *can.* jam exſcriptum. In Patricidas quoque, & Fratricidas *canonem* 30. Vormatienſis Concil. quem totum quoque exſcripſimus, ut potè Pœnitentiæ partes ſigillatim explicantem; ſed Concilio Moguntino illum tribuit, in quo notandum in Vormatienſi malè legi, *Sed pedeſtri more proficiſci ſtudeant.* Apud Reginonem, *Sed pedibus propriis pergant.* Alium canonem citat ex alio Concilio Moguntino, *Parricidium quàm ſit deteſtabile crimen judicio facto inter Cain, & Abel fratrem ſuum Dominus oſtendit. Sed quia modernis temporibus Parricidæ profugi diſcurrant per diverſa loca, & variis vitiis, & gulæ illecebris deſerviant: Melius nobis videtur, ut in uno loco manentes Pœnitentia diſtricta ſemetipſos caſtigent, ſi fortè Domini bonitate indulgentiam facinoris ſui percipere mereantur.* Ita quoque docens, qua ratione agenda ſit de Sacerdote interfecto Pœnitentia *c.42.* refert *canonem* 26. Concilii Vormatienſis, quem integrum ſupra exſcripſimus, quo decem annorum pœnitentia ſigillatim deſcribitur. Atque ex antiquo pœnitentiali, *Si quis Epiſcopus, aut aliquis ordinatus homicidium fecerit decem annos pœniteat, tres ex his in pane, & aqua. Si quis ad homicidium faciendum conſenſerit, & conſilium dederit, & factum fuerit, ſeptem annos pœniteat. Si verò non fuerit factum, tres annos pœniteat. Si quis proximum, & conſanguineum ſuum occiderit, decem annos pœniteat. Similiter ſi quis ſeniorem, & Dominum ſuum dolo trucidaverit.*

VI. *Capite 61.* docet ex Concilio quodam Moguntiacenſi, ſic eſſe Pœnitendum ei, qui infantem oppreſſerit, *Si quis Infantem ſuum incautè oppreſſerit, aut veſtimentorum pondere ſuffocaverit, & hoc poſt baptiſmum factum fuerit, quadraginta dies pœniteat in pane, & aqua, holeribus, atque leguminibus, & à conjuge ſe abſtineat. Poſteà tres annos pœniteat per legitimas ferias, & tres in anno Quadrageſimas obſervet. Quod ſi ante baptiſmum infans oppreſſus fuerit, proximos quadraginta dies ut ſupra pœniteat. Poſteà verò quinquennium expleat.* Multa ſimilia ex canonibus, & Pœnitentialibus affert, ut Pœnitentiæ imponendæ, & agendæ modum explicet. *Cap.* 132. & aliis fornicationem ſeptem annorum ex Nannetenſi Concilio, & aliis, Pœnitentia caſtigat: & *c.136.* ex Pœnitentiali. *Cap.* 135. *Si uxoratus ancillam propriam tenuerit an.1. Pœniteat, vel in alio anno tres quadrageſimas, & legitimas ferias, & tribus menſibus priùs ſe à ſua conjuge contineat. Ancilla verò ſi vim paſſa eſt, quadraginta dies: Si conſentiens fuit, tres in anno quadrageſimas, & legitimas ferias pœniteat. Si Laicus cum Laica fœmina, id eſt, uterque abſolutus à lege conjugis, tres annos pœniteat, & quanto ſæpiùs, & negligentiùs ea peccata commiſerit, tanto magis, & tempus addatur, & modus Pœnitentiæ.*

VII. Operæpretium mihi videtur hic inſerere canonem integrum cujuſdam Concilii Moguntiacenſis, cujus auctoritate docet, qua ratione καθ' ἕκαστον ſit de variis criminibus agenda Pœnitentia: Habetur ejuſdem libri *cap.* 201. *Si quis fornicatus fuerit cum duabus ſororibus, vel cum Noverca ſua, vel*

cum

Digitized by Google

eum Amita ſua, vel eum ſorore ſua, vel cum filia Patrui ſui, & Avunculi ſui, vel cum filia Amitæ ſuæ, cum Nepte ſua, vel commatre ſua, aut filia ſua, ſive quam de fonte ſuſcepit, vel ante Epiſcopum tenuerit, ſive cum filia Materteræ ſuæ, Et ſi qua mulier ſimili modo fornicata fuerit: Abſtineat ſe ab ingreſſu domus Dei annum unum, & eodem anno niſi Dominicis, & Feſtis duobus ſolummodo pane, & aqua, & ſale utatur. Arma non ferat, oſculum nulli præbeat, ſacrificium, niſi pro viatico, minimè ſumat. Sex denique annis ingrediatur quidem domum Domini, ſed carnibus, & vino, & ſicera minimè utatur niſi feſtis diebus. De armis verò, vel oſculis, ſive ſacrificiis ſicut ſupra dictum eſt. Poſteà verò duobus annis quando carne veſcitur, à potu omni, qui inebriare poteſt, ſe contineat: Et ſi potum biberit minimè carne veſcatur abſque præcipuis feſtis diebus. De armis, vel oſculo, & ſacrificio modum teneat jam dictum. Inde uſque ad obitum ſuum, niſi prædictis feſtis diebus à carne ſe abſtineat: Tres legitimas ferias in omni Hebdomada, & tres quadrugeſimas in anno legitimè cuſtodiat. De armis verò, ut ſupra dictum eſt, & nunquam aliquando conjugio copuletur. Hæc eadem Pœnitentia imponenda eſt Parricidis, vel Fratricidis, vel Conſanguineis, necnon & qui ſponte per fraudem, & avaritiam hominem innoxium occidant, quod morthidum vocant.

VIII. Inceſtorum varias ſpecies poſteà perſequitur, & unicuique Pœnitentiam propriam ex canonibus, & Pœnitentialibus aſſignat: ſpeciminis cauſa unum, aut alterum caput viſum eſt adiicere. Alios *cap.* 245. ſic ait ſtatuere, *Qui cum Matre fornicatus fuerit*, 15. *annos pœnitent. Qui cum filia, vel ſorore fornicatus fuerit, ab omni carne ſe abſtinent*, 15. *annos pœniteat. Si mater cum filio ſuo parvulo fornicata fuerit, tres annos abſtineat ſe à carne, & diem unam in unaquaque hebdomada jejunet uſque ad veſperum*. Aliam aliorum obſervationem, ita explicat, *Qui habet matrem, & filiam, duas ſorores, uxorem Patris, & Fratris, Patruelis, aut Avunculi neptem, aut Conſobrinam, aut in prima, ſecunda, vel tertia generatione juncti ſunt, iſtis volumus, judicare ut ſeparentur, & propter novellam plantationem Eccleſiæ, ut ſeptem annos agant Pœnitentiam. Tres primos annos, tres dies in hebdomada, id eſt, feria* 2. 4. & 6. *quadraginta dies ante Paſcha, viginti ad Miſſam S. Joannis*, 20. *ante Natalem Domini. Quatuor verò reliquos annos feria* 4. & 6. *& quatuordecim dies ante Miſſam S. Joannis, & alias ante Natalem Domini. Si ſe redimere vult, donet unum denarium, aut pretium unius denarii pro uno die*. Hæc Neophytis injunguntur. *Cap.* inſuper. 253. *Si quis furtum capitale commiſerit, id eſt, quadrupedia tulerit, vel caſas effregerit: ſeptem annos pœniteat, & quod furatum eſt reddat. Si quis verò de minoribus ſemel, aut bis furtum fecerit, reddat quod tulit, & annum unum pœniteat in pane, & aqua. Et ſi reddere non potuerit, annos tres pœniteat.*

IX. Hæc collectionis iſtius ſpecimina ex innumeris aliis collecta nobis evidenter demonſtrant, & veluti in tabella depingunt, qualis viguerit ubique in Occidente Pœnitentiæ praxis toto ſaltem ſeculo nono uſque ad annum Chriſti milleſimum. Nihil ſanè de antiquæ Pœnitentiæ ſeveritate remiſſum eſt, ſed eodem legum, & canonum rigore omnia, quæ ad Pœnitentiam ſpectant, ſunt adminiſtrata.

CAPUT XI.

Continuatam eſſe, & diſtrictiſſimè obſervatam hanc ſeveritatem toto ſeculo undecimo illuſtriſſimis, & auguſtiſſimis ſancti Petri Damiani Cardinalis, Anſelmi Lucenſis Epiſcopi, Leonis IX. & Alexandri XI. Pontificum teſtimoniis demonſtratur, nec eſſe conſideratum, crimina fuerint, ne publica, vel occulta, ut Pœnitentia canonica in Laicis, & inſuper depoſitione in Clericis plecterentur. Qua ratione longæ illæ Pœnitentiæ per varios annos diſpenſatæ. Quid ſit Treva, vel Tregua Dei, & quando cœpit, enarratur.

De ſeculo undecimo, & poſtremo, ut ita dicam, Pœnitentiali, dicere aggreſſuri, à ſancto admodum, & illuſtri viro, Petro Damiano Eccleſiæ Romanæ Cardinali, eo tempore, doctrina, eloquentia, & ſanctitate famoſiſſimo exordium multis de cauſis faciemus. Primum enim floruit in illius ſeculi medio; nam natus anno 1006. obiit in Domino, anno 1072. Deinde multis elogiis ſummorum Pontificum ejus pietas, doctrina, libri, Epiſtolæ, honoratæ ſunt, & coronatæ. Sed nunc potiſſimùm maximi nobis faciendum eſt, quòd præcipua ipſius dicta, quæ in teſtimonium Pœnitentiæ ab eo referimus, Leonis IX. qui Pontificatum iniit anno 1049. auctoritate, & decretis ſolemniter confirmata ſunt. Quocirca ipſius ſententia non tam ipſi, quàm ſedi Apoſtolicæ tribuenda eſt. His accedit, quòd in ſententiæ ſuæ confirmationem ſeniores nonnunquam profert, qui licèt ſuo tempore adhuc viverent, vertente ſeculo decimo in orbe Chriſtiano magna cum fama floruerant. Itaque licèt cæteros paulò antiquiores, quos capite ſequenti relaturi ſumus, dignitate non antecederet, in ipſo tamen utrumque ſeculum rectè conjungi videtur, & committi.

II. Quanta fuerit illius temporis in infligendis Pœnitentiis ſeveritas, graphicè magis deſcribi non poteſt, quàm ex iis, quæ in libro docet, quem, *Gomorrhianus*, inſcripſit, & Leoni IX. Pontifici nuncupavit. Sic illius libri *c*. 2. *Quidam Rectores Eccleſiarum circa hoc vitium humaniores, forſitan quàm expediat, abſolutè decernunt propter tres illos gradus, qui ſuperiùs enumerati ſunt, neminem à ſuo ordine deponi debere. Hos autem ſolummodo non abnuunt degradari, quos ultimo actu cecidiſſe conſtiteris. Unde fit, ut qui cum octo, vel etiam decem aliis æquè ſordidis in hanc nequitiam lapſus eſſe cognoſcitur, nihilominus in ſuo ordine permanere videatur.* Ut hæc intelligantur duo notanda ſunt. Prius Damianum diſputare, qua pœna Sodomiæ crimen eſſet afficiendũ. Illud in quatuor ſpecies diſtinxerat eorum, qui ſeſe propriis manibus polluerant, qui cùm aliis id cõmiſerant, qui eo uſque devenerant, ut in ſocii femora ſemen emiſiſſent; denique qui rem nefandiſſimam reapſe perpetraſſent. Diſtinguebatur inſuper inter eos, qui crimen ſemel, vel raro, & qui ſæpiùs, & longo uſu cùm pluribus perpetraſſent. Rectores, de quibus verba facit Damianus, Clericos tantùm degradabant, qui poſtremum criminis gradum perpetraverant, licèt ſæpiùs, & cum pluribus antecedentia crimina peregiſſent. Poſteriùs notandum, Eo libro Damianum de degradatione Clericorum diſputare: nam de gravi Pœnitentia apud omnes conſtabat, ſed nonnulli negabant Pœnitentiæ canonicæ adjungendam degradationem, niſi ad criminis conſummationem deventum fuiſſet. Agitur autem inter eos de crimine abſolutè, præcidendo, ut ita loquar, à publicatione, & occultatione. Idem enim ſtatuunt ſive ſit occultum, ſive publicum, nec attendunt ad has circunſtantias, ut ſuis locis adnotabimus. Quod mirum videri non debet, cum crimen tam fœdum nemo publicè perpetret.

III. Iſtis Eccleſiarum Rectoribus ſic it obviam Damianus, *Quæ procul dubio impia pietas non vulnus amputat, ſed ut augeatur fomitem ſubminiſtrat, &c. Carnalis quippe cujuslibet ordinis homo magis formidat, & expaveſcit in conſpectu hominum deſpici, quàm in ſuperni Judicis examine condemnari; ac per hoc mavult quemlibet diſtrictæ, quemlibet annoſæ Pœnitentiæ ſuſtinere laborem, quàm ſui gradus ſubjacere periculo.* Peccata illa occulta eſſe, & à Rectoribus illis Pœnitentia gravi caſtigata ex his verbis manifeſtum eſt. Pœnitentiam autem, vel graviſſimam non ſufficere contendit Damianus, ſed addendam degradationem, quæ Clericis longè eſt Pœnitentia formidabilior. Degradatio enim omnium oculis eſt objecta, ſed pœnitentia ſecreta eſt, hominumque oculos fugit.

IV. *Cap.* 3. pergit, *Sed ut nobis videtur, valdè præpoſterum eſt, ut conſuetudinaliter hæc purulenta contagione fœdati, vel ad ordinem provehi, vel in gradu perſiſtere audeant jam promoti: Quia & rationi contrarium, & canonicis Patrum ſanctionibus probatur adverſum, &c. Quod autem ad Eccleſiaſticum ordinem promoveri non debeat, qui in illud crimen lapſus eſt, quod vetus lex præcepit morte damnari, teſtatur B. Papa Gregorius, qui in ſuis Epiſtolis Paſſivo Epiſcopo ſcribit, &c. Patet profectò, quia quem dignum morte crimen abjecerat, quslibet religioſa vita ſubſequens ad ſuſcipiendum Eccleſiaſtici gradus ordinem non reformat; nec valet ad obtinendum honoris culmen aſſurgere, qui in mortalis culpæ baratrum non ambigitur cecidiſſe.* Poſteà *cap.* 4. multis probat lapſos in ejuſmodi vitium nec eſſe promovendos, nec ſi fuerint promoti, permittendum ut in officio miniſtrent. *Cap.* verò quinto probat, *Quod in reprobum ſenſum lapſi ſunt, qui poſt hoc vitium habere ſacrum ordinem concupiſcunt.*

V. Huc operæ pretium eſt referre hypotheſim quandam, quam tractat *c*. 7. Ex ea enim colligitur luce meridiana, clarius agi in toto libro de criminibus occultis; de publicis verò tantum comparativè, quatenus ſcilicet ab occultis licèt argumentari à minori ad majus. Deinde illo tempore nemo negaſſet degradandum publicum iſtorum criminum perpetratorem, ſi modò contigiſſet aliquem publicè iſta perpetrare. *Quidam hujus veneno criminis ſatiati*, inquit Damianus, *dum quaſi ad cor redeunt, ne reatus ad aliorum notitiam prodeat, inter ſe invicem confitentur, & dum hominum faciem erubeſcunt, qui reatus*

tus

Digitized by Google

tus auctores exiſtunt, ipſi Judices fiunt, & indiſcretam indulgentiam, quam ſibi quiſque affectat impendi, gaudeat alteri vicaria permutatione largiri. Unde fit, ut & majorum criminum pœnitentes ſint, & tamen nec ora jejunio palleant, nec corpora macie contabeſcant. Sacerdotes iſtorum criminum Rei ſibinvicem confitebantur, ne in tertii cognitionem crimen confeſſione deveniret, & alter alterum pro criminis conſortio indulgentiùs exciperet. Verùm eodem capite Confeſſionem ejuſmodi non modo improbat, ſed etiam nullam eſſe multis contendit.

VI. *Cap.* 8. iterùm in eos invehitur, qui crimen hoc confiteri erubeſcunt, ne ipſis ceſſationis ab officio pœna imponatur: Docetque prætereà ex omnium conſenſu eandem depoſitionis pœnam, præter gravem Pœnitentiam, duobus aliis criminibus imponi, Sacrarum ſcilicet Virginum corruptoribus, & Patribus ſpiritualibus ſimilia crimina cum filiis, & filiabus perpetrantibus. Unde colligit, & huic crimini eandem pœnam irrogandam, licèt ad poſtremum gradum nequitiæ non pervenerit. *Sed jam te ore ad os, quiſquis es, carnalis homo convenio. Nunquid nam ideò ſpiritualibus viris confiteri commiſſa detrectas, quia & ab Eccleſiaſtico gradu ceſſare formidas? Sed quanto ſalubriùs erat in conſpectu hominum temporalem perpeti verecundiam, quàm ante tribunal ſuperni Judicis æternam ſubire vindictam? Dicis forſitan mihi, ſi ſolummodo inter femora vir cum viro ceciderit, Pœnitentiam quidem aget* (de gravi enim Pœnitentia omnes conveniebant) *ſed piæ humanitatis intuitu irrevocabiliter à ſuo gradu dejici non debet. Quæro abs te, ſi quis ſacrilegè, cum Virgine periclitatus fuerit, nunquid in ſuo gradu tuo judicio permanebit? Sed non eſt ambiguum, quin hujuſmodi cenſeas deponendum. Conſequens igitur eſt, ut quod de ſacra Virgine rationabiliter aſſeris, de filia ſpirituali & jam inevitabiliter fatearis, ac per hos, quod de ſpiritualibus Patribus videris aſſerere, idipſum neceſſe eſt te de Clericis aſſerere.*

VII. Ejuſdem ſeveritatis, immò longè auſterioris argumentum memorabile eſt, id quod diſputat Damianus *cap.* 10. ejuſdem libri, & ſequentibus. Nullo argumento efficaciori demonſtrari poteſt, quæ fuerit illius ſeculi diſciplina pœnitentialis, quam ex iis, quæ jam enarraturi ſumus. Hinc enim omnium oculis expoſitum erit, quid in pœnis peccatorum definiendis ſtatuebant Epiſcopi remiſſiùs agentes, quid verò Damianus, & alii auſteriùs judicantes. Invehitur Damianus in libros quoſdam Pœnitentiales, *in quibus*, ut ait, *perditi homines vana præſumptione confidunt*. In iſtis libellis dicit multa contra canones eſſe falſata, multa addita; nonnullaque ſpeciminis ergo profert, ut iſta, *Præsbyter non prolato Monachi voto cum puella, vel meretrice peccans, annis duobus, & tribus Quadrageſimis ſecunda, quarta, & ſexta feria, & ſabbatho ſemper cum ſicco pane pœniteat. Si cum Ancilla Dei, aut maſculo addatur jejunium, id eſt, quinque annos, ſi in conſuetudine eſt. Similiter Diaconi, ſi Monachi non ſunt, duos annos, ſicut Monachi, qui ſine gradu ſunt.* Paulò poſt ſubditur, *Clericus cum puella ſi ſine voto Monachi fornicatus fuerit, dimidium annum pœniteat. Si Canonicus ſimiliter, ſi frequenter, duos annos. Item ſi quis peccaverit ſicut Sodomitæ, quidam dicunt decem annos Pœnitentiæ. Qui in conſuetudine habet, ampliùs pelli debet. Si eſt in gradu degradetur, & ſicut Laicus pœniteat. Vir, qui inter femora fornicatus fuerit, uno anno pœniteat: Si iteraverit, duobus annis, ſi autem in terga fornicatus fuerit, tres annos pœniteat. Si puer, duos annos pœniteat. Si cum pecude fuerit fornicatus, vel jumento, decem annos pœniteat. Item Epiſcopus cum quadrupede peccans decem annos pœniteat, & gradum amittat; Præsbyter quinque; Diaconus tres; Clericus duos.*

VIII. Vides quanta hæc ſeveritas, præſertim ſi cum ſeculis ſubſequentibus comparetur. Audi tamen, quæ ſit de hac diſciplina Sancti Damiani ſententia. His, & aliis relatis ſic perſequitur, *Et multa alia mendoſa, atque ſacrilega verſutia Diaboli ſacris canonibus reperiuntur inſerta, quæ nobis magis libet obliterare, quàm ſcribere; magis conſpuere, quam vana ludibria ſchedulis inculcare. Ecce his deliramentis carnales homines confidunt; his velut ſomniorum portentis fidem attribuunt, & vanæ ſe ſpei ſecuritate deludunt. Sed videamus an canonicæ auctoritati iſta conveniunt, &c. Cap.* 11. ſingula refutat, *Ut ad principium*, inquit, *hujus captioſi Capituli redeamus, dicitur quia Præsbyter non prolato Monachi voto cum puella, vel meretrice peccans annos duos pœniteat. Et quis tam hebes, quis tam inſanus reperiri valeat, qui duorum annorum Pœnitentiam deprehenſo in fornicatione Præsbytero idoneam credat? Si quis enim quantulamcunque ſcientiam canonicæ auctoritatis, vel ſummo tenus attigit, ut diſtrictiora judicia taceamus; quia lapſo in fornicationem Præsbytero ſaltem decem annorum Pœnitentia decernatur, patenter agnoſcit. Hæc autem duorum annorum Pœnitentia de fornicatione, non modo non Sacerdotum, ſed nec Laicorum eſſe perpenditur, quibus nimirum ex hac ruina ad ſatisfactionem currentibus triennium judicatur.* Cætera capitula eodem modo refutat, & inſequitur, tandemque addit, *Quis non perpendat, quis apertè non videat, quia hæc & his ſimilia ſacris canonibus fraudulenter immiſſa figmenta ſunt Diabolica, atque ad decipiendas ſimplicium animas callidis machinationibus inſtituta? &c. Cave ab his quicunque es, ne te Sirenarum carmen mortifera ſuavitate demulceat, ne navim tuæ mentis in Scyllæ voraginis profunda demergat, &c.*

IX. En quàm Pœnitentiam vult Damianus agere fornicantem Præsbyterum, quàm verò Laicum! En quam ſeverè in eos invehatur, qui remiſſiorem introducebant! Sed his non contentus ulteriùs pergit *cap.* 12. Notat enim iſtorum Pœnitentialium nullum certum ferri auctorem, modò Theodorum dici, modò Pœnitentialem Romanum, modò canones Apoſtolorum, tandemque ſubjicit, *Jam verò his ſcenicis deliramentis, de quibus carnales homines præſumebant ex numero canonum eliminatis, ac perſpicua argumentorum ratione convictis, illos canones apponamus, de quorum fide, & auctoritate, nulla prorsùs ambiguitate diffidimus*. Deinde *cap.* 13. & 14. exaggerat ancyranum canonem ſeveriſſimum, *de iis, qui irrationabiliter, &c.* docetque hoc de Laicis dictum eſſe, ac multo magis de Præsbyteris, & Clericis, eoſque ad munera ſua obeunda reverti non poſſe.

X. Ancyrano canoni aliud addit velut ex S. Baſilio petitum, qui eſt ejuſmodi, *Clericus, vel Monachus adoleſcentium, vel puerorum inſectator, vel qui oſculo, vel qui aliqua occaſione turpi deprehenſus fuerit, publicè verberetur, & coronam amittat, decalvatuſque turpiter ſputamentis obliniatur in facie, vinculiſque arctatus ferreis, carcerali ſex menſibus anguſtia maceretur, & triduo per hebdomadas ſingulas ex pane hordeaceo ad veſperam reficiatur. Poſt hæc aliis ſex menſibus ſub ſenioris ſpiritualis cuſtodia, ſegregata in curticula degens, operi manuum, & orationi ſit intentus, vigiliis, & orationibus ſubjectus, et ſub cuſtodia ſemper duorum ſpiritualium fratrũ ambulet, nulla prava locutione, vel Concilio deinceps Juvenibus conjungendus*. Eundem canonem ex dictis S. Baſilii refert Ivo *part.* 9. Decreti *cap.* 93. Ita S. Damianus de Pœnitentiæ actione loquitur, ita docet, atque ita in eos invehitur, qui remiſſiùs eam adminiſtrant, tandemque *cap.* 22. ſermonem in hæc verba concludit, *Ut breviter cuncta concludam: Quiſquis quolibet eorum modo, quos ſupra diſtinximus, nefandæ turpitudinis ſe contagione fœdaverit, niſi fructuoſa Pœnitentia fuerit ſatisfactione purgatus, nunquam habere Dei gratiam poterit, nunquam Chriſti Corpore, & Sanguine dignus erit, nunquam cœleſtis patriæ limen intrabit*. Severam hanc Pœnitentiam in iis requirit Damianus, qui dicta crimina perpetrarunt, ut gratiam Dei, & criminis remiſſionem ab eo impetrare poſſint.

XI. Exponamus nunc, quæ fuerit ea de re S. Leonis Papæ IX. ſententia. Ad ipſum enim ſcribebat Damianus, & ab eo quid faciendum eſſet, edoceri poſtulabat. Velim autem, Lector, primùm notes, quanti momenti exiſtimabat Damianus de hac diſciplina judicium facere. Quanquam enim Pontificis decretum poſtulet, vult tamen, Pontificem, antequam reſponſum ferat, canones diligenter conſiderare, viroſque doctos, & pios conſulere. An alicujus de trivio Doctoris ſola ſententia extemporanea contentus fuiſſet Damianus? Ita ſermonem in fine libri ad Pontificem dirigit, *Petimus igitur, & humiliter imploramus, ut clementia veſtra, ſi dicere fas eſt, ſacrorum canonum decreta, quæ tamen vobis notiſſima ſunt, ſolerter inſpiciat, ſpirituales, & prudentes viros ad conſultum hujus neceſſariæ indagationis adſciſcat, nobiſq; ſuper his capitulis ita reſpondeat, ut omne de noſtro pectore dubietatis ſcrupulum tollat.*

XII. Pontifex igitur diligenter examinata quæſtione, & libro Damiani, reſpondet in hæc verba, *Omnes illi, qui quavis quatuor generum, quæ dicta ſunt, fœditate polluuntur, proſpecta æquitatis Cenſura ab omnibus immaculatæ Eccleſiæ gradibus tam ſacrorum canonum, quàm noſtro judicio depelluntur. Sed nos humaniùs agentes, eos, qui vel propriis manibus, vel invicem inter ſe egerunt ſemen, vel etiam inter femora profuderunt, & non longo uſu, nec cum pluribus, ſi voluptatem refrænaverint, & digna pœnitudine probroſa commiſſa luerint, admitti ad eoſdem gradus, in quibus in ſcelere manentes, non permanentes fuerant, divinæ miſerationi confiſi volumus, atq; etiam jubemus, ablata aliis ſpe recuperationis ſui ordinis, qui vel per longa tempora ſecum, ſive cum aliis, vel cum pluribus, brevi licèt tempore, quolibet duorum fœditatis genere, quæ deſcripſeras, maculati, vel quod eſt horrendum dictu, & auditu, in terga prolapſi ſunt.*

Con-

Contra quod noſtrum Apoſtolicæ ſanctionis decretum ſi quis auſus fuerit vel judicare, vel latrare, ordinis ſui ſe noverit pericula agere. Qui enim non pungit vitium, ſed palpat, cum eo, qui vitia moritur, ipſe quoq; mortis Reus merito judicatur. In Pontificis reſponſo tria potiſſimum notanda ſunt. Primum, fateri Pontificem quatuor prædictas fœdi criminis ſpecies, juxta canonum rigorem Clericos ab omni graduum ſuorum exercitio depellere, & ſic eſſe faciendum judicare. Secundum, Pontificem tamen ex miſericordia in tribus prioribus ſpeciebus indulgentius agere modo crimina illa, cùm pluribus, & frequenti uſu non commiſerint: Permittit enim iis poſt actam Pœnitentiam gravitati criminis convenientem prioribus gradibus reſtitui; Sed in quarta ſpecie, licèt vel ſemel crimen atrox perpetraverint, redintegrationem nunquam concedere. Tertium, de criminum fœditate in ſe tantum agi, nec attendi, an ſit publica, an occulta, cùm hujus diſtinctionis nunquam fiat mentio; immò prima ſpecies ſemper eſt occultiſſima, cùm illam ſolus nemine conſcio perpetret criminis Reus. Quod ad alias ſpecies attinet, crimen cum ſocio committitur, ſed propter ſceleris fœditatem, quàm fieri poteſt occultiſſimè. Sequi denique quod jam non ſemel monuimus, degradationem cum ſevera Pœnitentia eſſe conjunctam.

XIII. Notabit inſuper Lector Sancti Damiani, Leoniſque Pontificis auſteram diſciplinam, eo ſæculo, magna cum animi conſtantia prædicatam. Pœnitentiales enim libri, quos nimiæ indulgentiæ verbis tam acribus accuſant, ii ſunt, quos magna ex parte ſuperſtites habemus, & ex quorum præſertim placitis trium antecedentium ſeculorum diſciplinam eruimus. Omnia enim ferè illa, quæ ex iis Pœnitentialibus eruit Damianus, & nimiæ, intolerabiliſque relaxationis accuſavit, leguntur in Pœnitentiali Bedæ *cap.* 8. & apud Burchardum ex Pœnitentiali Theodori *lib.* 17. *cap.* 39. Itaque omninò dicendum videtur, undecimo ſeculo Pœnitentiam auſteriſſimè fuiſſe ab Eccleſiæ Rectoribus obſervatam.

XIV. Multa ſunt alia ſimilis ſeveritatis apud eundem Damianum exempla. Refert in opuſculo 5. de actis Mediolani ſe cum Anſelmo Epiſcopo Lucenſi Mediolanum eſſe miſſum à Nicolao II. ut Eccleſiam illam lue Simoniaca, & Nicolaitica repurgaret: Mediolani verò tum conſuetudinem fuiſſe, *Ut quiſquis ad Clericales ordines provehendus accederet, de Subdiaconatu quidem duodecim nummos, de Diaconatu verò* 18. *poſtremò de Præsbyterata ſuſcipiendo* 24. *quaſi per præfixam conditionis regulam daret.* Ambo illi inſignes Pontificis legati, ita ſolerter, & proſperè rem egerunt, ut Guidonem Archiepiſcopum, omnemque Clerum ad reſipiſcentiam flecterent, Pœnitentiamque pro criminis ſcelere ſuſcipiendam. Archiepiſcopo igitur proſtrato, & humiliter crimen confitenti centum annorum Pœnitentiam dedit, redemptionemque ejus taxatam per unumquemque annum pecuniæ quantitate præfixit. Qualis autem illa fuerit, facilè conjici poteſt, ex determinata κ͞τ μέρος Clericorum inferiorum Pœnitentia. *Qui ſolùm conſtitutæ à Diabolo regulæ canonem dederunt; ita ut nonnulli eorum vix peccatum hoc eſſe cognoſcerent, quinque annorum Pœnitentiam acceperunt, hoc modo, ut omni tempore, æſtate, & hyeme duos dies, duabus autem anni Quadrageſimis, Natalem videlicet, & S. Paſcha præcedentibus, tres dies per hebdomadam jejunarent in pane, & aqua. Eorum autem, qui plus dederunt, ſeptem annorum eſt Pœnitentia ſub eadem ſcilicet jejunii quantitate diſtincta: Poſtquæ ſeptennium quamdiù vixerint, ſextam feriam jejunabunt. Qui autem jejunare facilè non poteſt, unum ex his diebus per hebdomadam redimere licentiam habet, ita ut unum pſalterium meditetur, aut medium cum quinquaginta Metanœis, aut unum pauperem paſcat, & latis pedibus nummum porrigat. Hoc inſuper D. Archiepiſcopo permitteute, quod omnes orationis cauſa procul ipſe dirigeret, ſive videlicet Romam, ſive Turonum: Ipſe autem Archiepiſcopus profecturum ſe ad B. Jacobi venerabilem tumulum, qui eſt in Hiſpania, diſponebat.* Hæc Damianus ex quibus colligitur quanta fuerit centum annorum Pœnitentia Archiepiſcopo impoſita, qualeſque tum criminibus imponerentur Pœnitentiæ.

XV. Hoc inſuper in Damiano, & Anſelmo mirari nunc quis poterit, quod poſt tam longam, & gravem impoſitam Pœnitentiam adhuc in hæc verba erumpant, *Ecce omnem diſcretionis illius ordinem apud Mediolanenſem Eccleſiam habitam, breviter expoſuimus: Adhuc tamen utrùm ſedis Apoſtolicæ judicio placeat, ignoramus. Nec enim ſi quid erravimus ad Petri Magiſterium corrigendi libenter accedimus, & retractationis opprobrium non veremur.* Et paulò poſt, *Apoſtolica tamen ſedes hæc apud ſe tractanda diſcutiat, & utrùm puncto, an lima digna ſint ex auctoritate ſuæ Cenſura diſcernat.* Dubitant inſignes illi viri, an Apoſtolica ſedes Pœnitentiam illam crimini æquam eſſet judicatura. Coacti enim fuerant multum de canonica remittere, ut ajunt, propter ingentem ſic promotorum in tam amplo Epiſcopatu multitudinem. Multi enim oſtendebant Innocentii Papæ ſententiam, quod à multis peccatur, in ultum eſt. Alii Oeconomiam, qua uſi fuerant antiqui Patres, in Novatianorum, & Donatiſtarum Pœnitentium admiſſione ad Eccleſiam. Tandem re in utramque partem, diù librata in illud, quod exſcriptum eſt, convenerunt Pœnitentiæ temperamentum.

XVI. Ne autem exiſtimes magnam pecuniæ ſummam pro ordinibus datam, pro Subdiaconatu 12. nummos, pro Diaconatu 18. pro Præsbyteratu 24. quaſi taxato pretio tantum dederunt. Nummus, ut apparet ex libello Pœnitentiæ vix aſſem unum, aut alterum Gallicum excedit, hoc eſt aurei nummi octogeſima, vel quadrageſima pars. Nummus enim in pœnitentiam jubetur dari cibando pauperi; quod iterum in pœnitentiam Florentino Epiſcopo, ut ſtatim referimus. Itaque judicabatur grande ſcelus 24. aſſes, hoc eſt, circiter mediam partem Ducatonis argenti pro Subdiaconatus collatione accepiſſe.

XVII. Idem Damianus refert *lib.* 6. *epiſt.* 3 a. ſe viſitaſſe quendam Monachum paululum, ut judicabatur, ægrotantem, eique ſtatim conſuluiſſe, ut confiteretur, & Pœnitentiam ageret, *Et ſi quid in te*, inquit, *quod fortaſſis à tremenda Miſſarum celebratione te prohibeat, Venerabilis tua fraternitas ſacris obtemperare canonibus non contemnat. Ad quod ille, peccata mea omnia quamplurimis ſpiritualibus viris innotui, ſed mandatum, ut à ſacrificandi miniſterio recederem, non accepi.* Notandum primum antiquum morem hactenus obſervatum, Presbyteros propter occulta crimina à Miſſarum celebratione juxtà canones à Confeſſoribus arceri. Sed quæ ſequuntur, potiſſimùm conſideranda ſunt. Petit Monachus ille, ut ipſi ſacroſanctum Chriſti corpus in viaticum tribueretur. Cunctatur Abbas, eo quod nihil dum ad mortem vergens in eo conſpiceret. Inſtat Monachus; inſtanti petitioni ſatisfit, *Sacerdote jam cum Miniſtris accedente*, inquit Damianus, *applicant ſibi unum ex fratribus, ne ſcio quod grave peccatum confitens inſuſurravit in aurem. Continuò ille attonitus, ut poſtmodum mihi retulit, & certum pœnitendi calculum, quem præfigeret tam ſubito neſciens, licèt addubitans, auriculatoriè ſubloquens, quindecim ſibi annos Pœnitentiæ indixit. Mox autem, ut ſacroſanctum Myſterium de manu Sacerdotis accepit, heu proh dolor accepit! Horreſco referens cum felle ſimul, & animam exhalavit.* Quis dubitare poteſt agi eo loco de crimine occultiſſimo? propter illud tamen Pœnitentia quindecim annorum injungitur, quam ſi ſuperſtes fuiſſet, obire juxtà canones tenebatur.

XVIII. Simile, & non minus evidens ejuſdem praxis argumentum colligitur ex hiſtoriola, quam narrat *cap.* 6. de perfectione Monachorum. *Quidam*, inquit, *frater ad nos de Monaſterio venit, quod in laicali vita commiſerit, confeſſus eſt. Porrò debebatur illi ſeptuaginta, ſi rectè teneo, annorum Pœnitentia, ſicut nobis ex ſacrorum canonum ſententia videbatur. Erat autem ferè jam ſeptennis in habitu religionis. Cùmque quæreremus, pro his peccatis quantum Pœnitentiæ pereègiſſet, reſpondit Domino quidem Abbati ſe cuncta fuiſſe confeſſum, ſed eum præter communem Monaſterii obſervantiam, nullam ſibi Pœnitentiam indidiſſe, quia perhibuit ſolam converſionem pro omnium peccatorum ſuorum abſolutione plenè ſufficere.* Quid hanc Abbatis ſententiam audiens Damianus? Horruit, inquit, & hominem deceptum eſſe clamavit, *Nimirum qui Pœnitentiam necdum haberet inceptam quam diverſis afflictionum modis jam habere poterit conſummatam.* Secretam Confeſſionem de occulto peccato commemorari luce meridiana clariùs eſt. Canonicam tamen, & rigidiſſimam Pœnitentiam ex vulgato more dixit huic Monacho imponendam, à qua eum eximi Monachatus profeſſione abſurdiſſimum judicavit, vel cogitare. En uſitatiſſimus toto illo ſeculo Pœnitentiam imponendi modus.

XIX. *Epiſtola* 8. *lib.* 5. agit animo vehementi adverſus quoſdam, qui flagellationum uſum, quem pro Pœnitentia in Occidentem introduxerat Damianus, improbabant. Sic eos inducit obiicientes, *Ecce*, inquiunt, *peregrinando carina, ecce nova Pœnitentia, & tranſactis tot ſeculis hactenus inaudita. Si hoc ſemel admittitur, ſi ratum ducitur, ſi tenetur, omnes profectò ſacri canones deſtruuntur; antiquorum Patrum præcepta depereunt; Et ut Judæis dixerat, paternæ traditiones ad nihilum rediguntur.* Poſt multa in eos adhuc invehens, ſic argumentatur, *Sed dicat mihi Cenſor iſte fratrum, &c. Cùm Sacerdotes Eccleſiæ annoſam indicant quibuſdam peccatoribus Pœnitentiam, nunquid non aliquando certam pecuniæ præfigunt pro annorum redemptione menſuram, ut nimirum facinora ſua eleemoſynis*

redi-

Digitized by Google

redimunt, qui longa jejunia perhorreſcunt? Sed quia hæc pecuniæ redemptio in antiquis Patrum canonibus non reperitur, abſurdum eſſe, & frivolum judicabitur? Planum eſt omninò, & evidens ex utriuſq; partis argumentis, tum canonicæ Pœnitentiæ impoſitionem fuiſſe vulgò ubique uſurpatam, cùm utrique argumentationi tuæ hanc veritatem, ut fundamentum ſubſternant.

XX. *Libro* quoque *primo Epiſt.* 19. virtutes enarrans Rodulphi cujuſdam ſancti Epiſcopi hanc cæteris inſerit, *Congregans annualiter, Synodum, nullum aſſuetæ oblationis, vel Exeniorum canonem à Clericis exigi permittebat; ſed ne à lapſis quidem commodum aliquod præter ſolam Pœnitentiam requirebat. Abſit, inquit, ut Synodum vendam. Lapſos etiam potiùs erigam, quàm ex eorum cadaveribus corvino more pingueſcam, &c.* Hæc Pœnitentium multitudinem, & Pœnitentiæ gravitatem evidenter ſonant. Rodulphum autem laudat, quod pretio, munere, aut favore aliquo reconciliationem iis non accelerabat; quod ſæpè prohibent illorum ſeculorum canones, & Pœnitentiales. Itaque iſta animo perpendenti mirandum non eſt, quòd *lib.* 1. *epiſt.* 10. ſcribens ad Alexandrum II. dicat ſe Florentino Epiſcopo, eo quòd Scachis, ſive Latrunculis luſiſſet in Pœnitentiam impoſuiſſe, *Ut ter pſalterium meditando percurreret, ac duodecim Pauperum pedes ſub totidem numiſmatum erogatione, eorumque recreatione lavaret*. Opponebat quidem Epiſcopus ludum hunc aleæ nomine non contineri. Sed audi qua ratione Epiſcopo probavit, & perſuaſit contrarium: *Ad quod ego, Scachum inquam, ſcriptura non ponit, ſed utrinſque ludi genus aleæ nomine comprehendit. Quapropter dum alea prohibetur, & nominatim de Scacho nihil dicitur, conſtat procul dubio utrumque genus, uno vocabulo comprehenſum, unius ſententiæ auctoritate damnatum.* Hac ratione perſuaſus Epiſcopus lubens pœnitentiam indictam executus eſt.

XXI. Alexander II. qui Pontificatum iniit anno 1060. & obiit anno 1072. eodem quo Damianus non modò iis, quos hoc capite retulimus indulgentior non fuit, ſed etiam eorum, qui ſeculo octavo vixerunt, nemini ſeveritate ceſſit, ut ex nonnullis exemplis, quæ poſteritas conſervavit, manifeſtè demonſtratur, ita ſcribit ad Berengarium Baſileenſem Epiſcopum de Pœnitentia à ſe impoſita, *Iſte Pœnitens venit ad nos, confeſſuſq; eſt ſe filiam Patrui ſui corrupiſſe, cui quatuordecim annorum pœnitentiam injunximus, ut jejunet quidem tribus quadrageſimis. In Quadrageſima poſt Pentecoſten duobus diebus in pane, & aqua in ſeptimana, & in adventu tribus, & in majori quadrageſima tribus, & abſtineat ſe ab ingreſſu Eccleſiæ, & à communione duobus annis.* Hoc refert Ivo *p.* 9. *c.* 9.

XXII. Idem Alexander II. ſcribit Clero Vulturnenſi, ut refert Ivo *part.* 10. decreti *cap.* 16. hunc ſe Pœnitentiam cuidam dediſſe: *Pœnitens præſentium portitor ad nos veniens retulit, ſe inſtinctu Diaboli quendam Presbyterum armatum ſuper ſe irruentem, illumque ferientem occidiſſe. Unde quia in canonibus habetur, pro interfectione armati Presbyteri ſimplicem pœnitentiam eſſe dandam, injunximus Pœnitentiam decem annorum: ita ut hinc uſque ad Paſcha jejunet tribus diebus per ſeptimanam in pane, & aqua, & non utatur calceamentis neque lina. Ab octava Pentecoſtes uſque ad feſtivitatem S. Martini jejunet duobus diebus per ſeptimanas; & feſtivitate S. Martini uſque ad Natalem Domini, aut faciat carcerem jejunans quotidie in pane, & aqua, aut eat exul, & jejunet tribus diebus in pane, & aqua. Ab octava Epiphaniæ uſque ad Quadrageſimam jejunet diebus. A Quadrageſima uſque in Paſcha jejunet tribus diebus in pane, & aqua: Et hæc faciat uſque ad annos quinque. Ab ingreſſu autem Eccleſiæ, & communione ſeptem annos abſtineat.* Species criminis Pontifici propoſita per ſeſe venialis videtur. Quamobrem igitur tantam, tamque longam huic crimini imponit Pœnitentiam? Quia ſanè in ea crimen magnum ineſſe judicavit; Multò tamen minus quàm ſi Præsbyterum inermem occidiſſet: Eo enim caſu non ſimplicem Pœnitentiam, ſed duplicem ſubiiſſet. Simplex Pœnitentia eſt ſeptem annorum, duplex itaque quatuordecim annorum. Quocirca pro, *decem*, reſtitui velim ſeptem. Id videntur demonſtrare ultima Decreti verba: Deinde id, quod ex eodem Alexandro ſtatim referimus, quadruplicem Pœnitentiam 28. annos continere. Denique illud vulgatum, pro peccato mortali ſeptem annorum Pœnitentiam eſſe agendam. Ea verba, *aut faciat carcerem*, alludunt ad morem ſupra explicatum, & nondum planè extinctum, Pœnitentes tempore Quadrageſimæ in locis aliquot ſecretis includendi. Optionem dat Pontifex Pœnitenti, aut incluſionis ſubeundæ, aut peregrinationis ſuſcipiendæ.

XXIII. Quod ſcripſit hac in cauſa idem Alexander Amalgerio, Cluitanenſi Epiſcopo, licèt paulò longius, huc referendum cenſuimus ex Decreto Ivonis, *p.* 10. *c.* 14. *Fratri huic, quem perpetrati homicidii reatu ad judicium canonicæ Pœnitentiæ ſuſcipiendum, ad Apoſtolicam ſedem miſiſti, noveris nos hujus ordinis Pœnitentiam miſericordiæ reſpectu injunxiſſe. Nam quia Presbyter Presbyterum occidit, quadrupliciter 28. videlicet annis eum pœnitere oportet; quatuordecim annos ſibi miſericorditer indiximus, irrecuperabiliter deiicientes eum à Presbyteratu, & omni adminiſtratione altaris. Quos quidem 14. annos hoc ordine obſervabit. Tribus prioribus annis extra Eccleſiam, niſi ad extrema mortis abſq; communione, & menſæ participatione, & pace ſit. Sed à Cœna Domini ſolummodo reconcilietur uſq; ad octavas Pentecoſtes. Hac præſenti Quadrageſima quotidie jejunet in pane, & aqua tribus diebus Hebdomadæ uſq; in Paſcha. Ab octavis Pentecoſtes uſq; in feſtum ſancti Michaelis duobus diebus, deinde tres. Poſt tres annos reddita ſibi communione Eccleſiæ, & menſa inter Idiotas ſit uſq; ad expletos ſeptem annos, eodem modo totum Pœnitentiæ tempus ſervans. Et quia convenit eum eſſe ſub regimine Abbatis, mandamus tibi, ut mittas eum in aliquo monaſterio, ut ibi condignè pœnitens ſalvetur: Et ſi tibi, vel Abbati videtur ſibi remittere, ſi hunc condignè obſervaſſe pœnitentiam videris, poſt tres annos liceat.* Nota primùm temporis morem Pœnitentes in criminibus extraordinariis Romam remittendi, ut ibi crimini convenientem Pœnitentiam ſuſcipiant, de quo more infra pluribus. Adeò ſtudioſi erant pœnæ criminibus æquandæ! Secundum, remiſſum pœnæ dimidium ob iter Romam ſuſceptum. Tertium, à Cœna Domini uſque ad octavas Pentecoſtes ſolùm reconciliari: Intelligendum, non altari, ſed menſæ, & paci, ſive civili converſationi, à quibus tres annos excludebatur. Denique poſt tres annos ſeveriſſimæ Pœnitentiæ diligenter exactæ, Abbati, & Epiſcopo licere in ſequente Pœnitentia pro prudentia ſua aliquid remittere.

XXIV. Idem Alexander Vilſredo, Conſtantiæ Epiſcopo, *Dicebant ſe latores præſentium homicidio illi, pro quo Pœnitentia illis injuncta eſt, penitus non interfuiſſe, ſed præliantibus ſolummodò caſu ſuperveniſſe, Quod ſi ita eſt quandoquidem nec in cauſa homicidii, nec in culpa fuerint, miſericordia ſuper eos moti, exilium eis Apoſtolica auctoritate remiſimus.* Romam itur non modò ad Pœnitentiam crimine dignam ſuſcipiendam, verumetiam ad ſuſceptam mitigandam. Non enim tollitur pœnitentia, ſed exilium Pœnitentiæ adnexum. Qui enim fortuitò tantùm, non ſponte homicidium commiſerat, non cenſebatur immunis à culpa, ut reſcribit Nicolaus Papa Tadoni Mediolanenſi Archiepiſcopo, eodem referente Ivone *p.* 10. *c.* 29. *Propterea de Presbyteris, qui non ſponte homicidium perpetrarunt, & tamen homicidii noxam, qua revera homicidæ ſunt, incurrunt; ſancimus ut ſubducti à Sacerdotali miniſterio Pœnitentia juxta ſacros canones macerentur, & poſt emenſis temporibus Pœnitentiæ indictæ dignam ſatisfactionem præbentes, communionis gratiam conſequantur. Intemeratis duntaxat in omnibus ſacroſanctis canonibus, ac Apoſtolicæ ſedis Pontificum decretis, &c.*

XXV. Longiſſimæ Pœnitentiæ à Sueſſionenſi Epiſcopo Homicidæ impoſitæ mentionem facit idem Alexander in epiſtola ad eum data, cujus partem refert Ivo *part.* 10. *cap.* 31. *Quod in* 30. *annorum longitudinem homicidis in Treva Dei facti Pœnitentiam extendiſtis, conſtitutioni huic auctoritatem non damus: quia in ſacris hoc canonibus non invenimus. Tamen quoniam à prudentibus, & religioſis viris Treva Dei pro conſervanda in populo pace eſt conſtituta, omninò non reprobamus.* Vides eo tempore qualiter in Gallia fuerit exercita Pœnitentia non improbante Pontifice. Rectè ait Pontifex ſe non invenire in ſacris canonibus ejuſmodi Pœnitentiam: Viginti enim tantùm annis antequam Pontificatum iniret, inceperat. Res eſt ejuſmodi. Cùm quotidiana eſſent, & perpetua bella inter Proceres Galliæ, tandem circiter annum 1040. Aquitani Principes, & Magnates Epiſcopis collaborantibus convenerunt, ut ubique induciæ eſſent à veſpera feriæ quartæ ad ineuntem feriam ſecundam. Inducias iſtas lingua Vernacula vocarunt Treviam Dei. Ivo *Epiſtola* 90. accommodatius ad dialectum Gallicam ciſligeranam vocat Treviam Dei. Ab Aquitania in reliquum Franciæ regnum propagatæ ſunt induciæ illæ, ut refert *lib.* 5. qui eo tempore ſcribebat Rodulphus Glaber. Gallicani Epiſcopi pacis ſtudioſi duras Pœnitentias divinæ iſtius pacis perturbatoribus impoſuerunt, triginta ſcilicet annorum, ſi homicidium iis feriis perpetraſſent, ut ex Alexandri Epiſtola colligimus.

XXVI. Eadem Tregua, ſive pax annis poſt Alexandrum II. pluſquam centum diligentiſſimè obſervata eſt, & illius infractores ſeveriſſimè puniti, ut conſtat ex *cap.* 21. Concilii

Late-

Digitized by Google

Lateran. 3. ſub Alexandro III. celebrati : *Treguas à quarta feria poſt occaſum ſolis uſque ad ſecundam feriam in ortum ſolis , & ab Adventu Domini uſque ad octavas Epiphaniæ , & à Septuageſima uſque ad octavas Paſchæ, ab omnibus inviolabiliter obſervari præcipimus. Si quis autem treguam frangere tentaverit, poſt tertiam commonitionem ſi non ſatisfecerit , Epiſcopus ſuus ſententiam Excommunicationis dictet in eum , & ſcriptam vicinis Epiſcopis adnuntiet , quorum nullus Excommunicatum in communionem ſuſcipiat.* Canon ille in Decretales relatus *lib.1.tit.34.* qui inſcribitur de Tregua , & pace . Induciæ illæ 23. annis poſt Alexandri II. mortem ab Urbano II. Pontifice in Concilio Claromontano confirmatæ ſunt , pœnæque infractoribus impoſitæ : Ita enim ipſo *can. 1. Statuimus , & ut omni die , & Monachi , & Clerici, & fœminæ , & quæ cum eis fuerint, in pace permaneant; tribus autem diebus , ſcilicet ſecunda , tertia , & quarta injuria ab aliquo alicui illata non reputabitur pacis fractio. Quatuor autem reliquis diebus , ſi quis alicui injuriam intulerit , fractionis ſanctæ pacis Reus habeatur , & prout judicatum fuerit , puniatur.* Tempore Alexandri Papæ III. & Concilii Lateranenſis prorogatæ fuerant induciæ illæ ab Adventu in Octavam Epiphaniæ, atque à Septuageſima in Octavam Paſchæ.

CAPUT XII.

Idem evidentiſſimè demonſtratur aliis celebribus ejuſdem ſeculi auctoribus, Epiſcopis , Burchardo, Fulberto, Lanfranco, Ivone, Conciliis, Salegunſtadienſi, Coyacenſi, Gregorio VI. Pontifice, & aliquot inſignibus exemplis.

QUanquam ex tam evidentibus tantorum Auctorum , & Pontificum teſtimoniis capite præcedente exſcriptis unicuique promptiſſimum ſit colligere, quænam fuerit diſciplina Pœnitentialis toto ſeculo undecimo ; neminemque ad ea mentem advertentem latere poſſit ſeculum illud anterioribus ſeveritate non ceſſiſſe, ſed nonnulla anteceſſiſſe, quædam tamen adjungemus ex auctoribus famoſis, qui ſeculo ineunte , & finiente ſcripſerunt , ut totius iſtius ſeculi in ea ſeveritate concordiam Lector ob oculos effigiatam habeat. Burchardus Vormacienſis Epiſcopus , & Conradi Imperatoris præceptor obiit ſenex anno 1026. Itaque matura ætate floruit ante ſeculum iniens undecimum , & poſt initum multis annis. Decretorum viginti libros collegit , in quibus nihil aliud unquam legas quam Pœnitentias canonicas veteri more criminibus impoſitas , ut pluribus exemplis toto hoc opere pro variis occaſionibus docuimus , & unuſquiſque legendo experiri poteſt . Verùm quia plurima habent libri illi, quæ lites Eccleſiaſticas ſpectant , non Pœnitentiæ actionem , Lectorem remittemus ad librum ipſum 19. in quo compendium fecit canonum , & trium antiquorum Pœnitentialium Romani , Theodori , & Bedæ , ut liber ille 19. eſſet velut Sacerdotum manuale, quod præ manibus Pœnitentiam impoſituri ſemper haberent. *Liber hic* , inquit in principio , *Corrector vocatur , & Medicus; quia correctiones corporum , & animarum medicinas planè continet , & docet unumquemque Sacerdotem , etiam ſimplicem , quomodo unicuique ſuccurrere valeat , ordinato vel ſine ordine , Pauperi, Diviti, Puero, Juveni, Seni, Decrepito, Sano , Infirmo , in omni ætate, & utroque ſexu.* Nuſquam autem toto libro pœnam refert, quam Canonicam ex canonibus antiquis , & potiſſimum ex aliquo trium Pœnitentialium decerptam . Hoc autem, ut doceat unumquemque Sacerdotem , & ſimplicem, qua ratione omni hominum generi mederi oporteat . Quapropter capitula ipſius omnia de peccatis potiſſimum occultis ſunt intelligenda , cum iis mederi ſit quorumcunque Sacerdotum, non tantùm Epiſcoporum , eaque paſſim à quibuslibet hominibus committantur , non autem publica .

II. Idem quoque teſtatur Burchardus in Decreti ſui præfatione , *A multis ſanè diebus , & ſæpè quidem coram , familiaritas tua hortando à nobis contendis , ut utile aliquod opus non minus ex ſanctorum Patrum ſententiis quàm canonicis ſcripturis , vel à comprobatis pœnitentium exemplis ad neceſſarium Eccleſiæ noſtræ deſervientium uſum, vigilanti ſtudio colligerem .* Deinde cauſatur Pœnitentium formas, & canonum jura in Diœceſi ſua eſſe confuſa, *Qua de cauſa*, inquit, *ſæpe accidit , ut ad pœnitentiæ remedium confugientibus , cum ob canonum deſcriptionem confuſam , tum ob Presbyterorum noſtrorum ignorantiam non facilè ſubveniatur* . Ideò teſtatur opus hoc ſuſcepiſſe ut Sacerdotum imperitiæ ſubveniret , qui propter non ſatis accuratè ſcripta canonica peccatorum remedia iis nonnunquam ſalutaria remedia neſciunt applicare , *Et quia hæc res ita habet , eo dilectio tua me rogavit , ut opellam hanc congeſtam junioribus noſtris legendam proponerem , quo ipſi in idonea nimirum ætate, ea diſcant, quæ vel ſerior æqualium noſtrorum ætas modo aſſequi non poſſit, vel Anteceſſorum negligentia non attingit, &c. & in ſcholis diſcat, quod ſuæ fidei commiſſos doceat* . Tandemque ſæpius profitetur in ea Collectione nihil eſſe ſuum , *Coegit ſacrarum in immenſum ſcripturarum diffuſa amplitudo , nec non noſtrorum negligentia , & inſcitia Sacerdotum in hoc genere deſudare, in quo colligere quidem licitum fuit , canones verò ſoli mihi ſancire illicitum , &c. Quare etiamſi noſtræ Provinciæ limites non exierit , nil omnino ægrè feremus , modò noſtrorum Miniſtrorum manibus teratur . Porro legentibus etiam id perſuaſum eſſe cupimus , nihil de meo in hoc opere additum eſſe* . Doctorum illius temporis nemo adeò ſibi confidebat , ut Pœnitentiam ex mero arbitrio ſuo imponeret.

III. Clariſſimum Galliæ , & ſeculi ſui lumen fuit Fulbertus Epiſcopus Carnutenſis, obiit anno 1028. duobus poſt Burchardum annis. Extat in Bibliotheca Patrum poſt ipſius Epiſtolas , & Sermones, breviculum Pœnitentiarum Laicis ex ipſius ſententia imponendarum . Duplex eſt , alterum viros reſpicit , alterum ſpecialia quædam mulierum crimina . Prius hic deſcribere ſatis erit . Ex eo enim evidentiſſimè conſequitur id, quod probandum ſuſcepimus : *Si quis hominem occiderit ſponte, ſeptem annis Pœniteat . Si immeritum , decem annis pœniteat . Si Diaconum, 14. annis . Si Presbyterum, viginti , & uno anno pœniteat . Si quis hominem non ſponte occiderit , tribus annis pœniteat : Si publico bello , uno anno pœniteat . Si quis hominem debilitaverit , tres Quadrageſimas pœniteat . Si quis membrum principale alicui tulerit , tribus annis , & dimidio pœniteat. Si conſueverit , 14. annis pœniteat . Si quis fornicatur inter femora ſemel , quatuor Quadragenis pœniteat . Si conſueverit , tribus annis . Si parvulus oppreſſus hoc patitur , una quadragena pœniteat . Si per ſeipſum , duas quadragenas pœniteat . Si conſueverit , uno anno . Si quis adulterat ſimpliciter , quinque annis pœniteat. Si dupliciter, decem annis . Si quis raptum fecerit , tribus annis, anno uno de his foris Eccleſiam pœniteat. Si quis Nonnam corruperit , ſeptem an. pœniteat . Si quis conſanguineam , quinque an. Si quis Divinos conſulit , tribus an. pœniteat . Si quis Sacrilegus , & Perjurus extiterit , ſeptem an. pœniteat. Si quis jurat contra pacem , uno anno pœniteat , cum eleemoſynis & redeat. Si quis pertinaciter odit, excommunicetur* . Nihil addit de modo Pœnitentiæ . Cum enim dixit , ſeptem annis, &c. pœniteat, qua ratione unoquoque anno Pœnitentia diſtribuebatur , erat quotidiano uſu notiſſimum . Deinde ſeveritatem colligere potes , ex eo quod idem de vitio fœdo ſtatuit , quod capite præcedente ſtatuiſſe vidimus Damianum .

IV. Severitatis iſtius ſtudioſiſſimum fuiſſe Fulbertum Epiſt. ipſius 22. ad Joannem Papam demonſtrat . Comes quidam Rodulphus Clericum Carnutenſem occiderat , prædiaque Eccleſiæ invaſerat , & diripuerat . Fulbertus eum excommunicat . Romam ad Joannem Pontificem proficiſcitur , ut Excommunicatione ſolvatur , & Pœnitentiam ſuſcipiat . De hoc Fulbertus admonitus ad Pontificem ſcribit , ne ignaro ſubrepat Rodulphus , & impunitus abſolvatur . *Nunc vero ad limina S. Petri contendit, tanquam ibi poſſit accipere de peccatis abſolutionem, unde venire non vult ad emendationem. Unde rogamus te , dilectiſſime Pater , cui totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt , ut eum de ſanguine , atque injuria filiorum tuorum ita arguere , & caſtigare memineris , ſicut meritum eſſe tua prudentia novit : Nec tua ſanctitas injuſtè in communionem recipiat, quem divina auctoritas , ſicut Ethnicum alienat . Unde bone Paſtor evigila ſuper nos, ne per incuriam tuam grex Domini detrimentum ſuſtineat* . Gravem ſanè oportuit eſſe illam Pœnitentiam quæ Pœnitentem Romam ire ad eam mitigandam obligabat . Frequentiſſima erat illis ſeculis iſta Romam profectio , ut infra *c.16.* docebimus, & ex auctoritate ſequente demonſtratur .

V. Concilium Salegunſtadienſe an. 1023. celebratum eſt . Interfuit Burchardus , illiuſque canones omnes in ſuum Decretum retulit Ivo *part. 15.* Eadem ſeveritas in ejus canonibus lucet *c. 17. Sub Anathemate præceptum eſt , ut nullus Presbyterorum cuiquam Pœnitenti carinam dividere præſumat , ſi infirmitas non intervenerit* . Carina , & Quadrageſima illis ſunt idem . Illuſtrior adhuc eſt canon ſequens , *Quia multi tanta mentis ſuæ fallunt ſtultitia, ut in aliquo capitali crimine inculpati pœnitentiam à Sacerdotibus ſuis accipere nolint , in hoc maximè confiſi , ut Romam euntibus Apoſtolicus omnia ſibi dimittat peccata , ſancto viſum eſt Concilio , ut talis indulgentia illis non proſit , ſed prius juxta modum delicti Pœnitentiam ſibi datam à ſuis Sacerdotibus adimpleant , & tunc Romam ire ſi velint ab Epiſcopo proprio licentiam, & literas ad Apoſtolicum ex iiſdem rebus deferendas accipiant* . Neſcio, quo argumento eorum ſeveritas, & in ea obſervanda tenacitas magis illuſtrari poſ-

ſit. Canon 19. vix in ea probatione cedit præcedenti, Decernunt enim, *ne omnis Pœnitens, dum Curinam ſuam jejunat, de loco in locum non migret, ſed ibi permaneat, ubi ſuam acceperit Pœnitentiam, ut proprius Sacerdos ſibi præbeat teſtimonium. Si autem ibi propter hoſtiles inſidias jejunare non poterit, ſuus Sacerdos eum Confratrum ſuorum alicui ubi pacificè poſſit jejunare, diligentiſſime commendet*. An in executione Pœnitentiæ diligentia ſolicitior deſiderari poteſt?

VI. Anno 1050. Coyacenſe Concilium in Hiſpania celebratum eſt, in quo nonnulla deprehenduntur ejuſdem vulgatæ praxis indicia, *capite 4. Statuimus ut omnes Archidiaconi, & Presbyteri, ſicut ſueri canones præcipiunt, vocent ad Pœnitentiam Adulteros, inceſtuoſos, ſanguine mixtos, fures, homicidas, maleficos, & qui cum animalibus ſe inquinant; Et ſi pœnitere noluerint, ſeparentur ab Eccleſia, & communione*. Alludit ad morem antiquum, qui ubique tum in Eccleſia obſervabatur, quo Archidiaconi, & Archipresbyteri in capite Quadrageſimæ publicos Parochiarum Pœnitentes, omneſque publici criminis convictos ad Epiſcopum deducebant, de quo late infra. In ſexto quoque canone ſive titulo prohibent, ne quis fidelis cum Judæo cibum ſumat, aut cum eo in una domo habitet, *Si quis autem hanc noſtram conſtitutionem fregerit, per ſeptem dies Pœnitentiam agat. Quod ſi pœnitere noluerit: Si major perſona fuerit, per unum integrum communione careat; Si inferior perſona fuerit, centum flagella accipiat*.

VII. Idem probat Gregorii VII. ſolicitudo, qua falſis Pœnitentiis obviam ire conatus eſt, Non vertebatur quæſtio, an de criminibus dura ſecundum canones agenda eſſet Pœnitentia: Hoc omnes confitebantur; ſed nonnulli eo tempore exiſtimabant hoc ſibi ſufficere, nec opus eſſe à certis actionibus, & officiis ceſſare, quæ ſine aut vix ſine peccato, exerceri poſſunt. Pontificem in Concilio Romano anno 1078. de hac quæſtione ſtatuentem audiamus, *Falſas Pœnitentias dicimus, quæ non ſecundùm auctoritatem ſanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur. Ideò quicunque Miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod ſine peccato exerceri non poſſit, ſi culpis gravioribus irretitus ad Pœnitentiam venerit: Vel qui bona alterius injuſtè detinet, vel qui odium in corde gerit, recognoſcat ſe verum Pœnitentiam non poſſe peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, niſi arma deponat, ulteriuſque non ferat, niſi conſilio religioſorum Epiſcoporum pro defendenda juſtitia, vel negotium derelinquat, vel officium deſerat, & odium ex corde dimittat, bonaque quæ injuſtè abſtulit, reſtituat*. Idem ab eodem Pontifice renovatum eſt in Concilio 7. anno 1080. & ab Urbano II. in Concilio Melphitano, anno 1090. Renovarunt Pontifices illi antiquum canonum rigorem, qui Pœnitentibus militiam, & ſecularia negotia interdicebant, de quibus lege, quæ ſcripta ſunt *capite* 18. *lib.* 5. Verùm de matrimonii prohibitione nihil decernunt iſti Pontifices, eo quòd rigor ille ab antiquo relaxatus fuerat, ut ejuſdem libri capite 22. enarratum eſt.

VIII. Itaque nihil adeò mirum erat in multis exemplis illorum temporum, quæ nunc ſummæ ſunt admirationi, ut in Pœnitentiæ à Godefrido Lotharingiæ Duce ſuſcepta, eo quòd ipſius juſſu Eccleſia Virdunenſis incenſa fuiſſet, de quo Lambertus Schafnaburgenſis an. 1046. *Poſt modicum, facti tantùm eum pœnituit, ut publicè ſe verberari faceret, & capillos ſuos ut tonderentur, multa pecunia redimeret, ſumptus ad reædificandam Eccleſiam daret, & in opere cæmentario per ſeipſum plerumque vilis mancipii miniſterio functus deſerviret*. Suenonis Daniæ Regis Pœnitentia publica, quam ex Saxone Grammatico refert Cardinalis Baronius ad an. 1077. quò Lectorem remitto. Henrici III. Imperatoris, qua ab Excommunicatione ſe ſolvi à Gregorio Pontifice deprecabatur; de qua ſic ipſe Gregorius ſcribit *lib.* 4. *Epiſt.* 12. ad omnes Archiepiſcopos, Epiſcopos, Duces, &c. *Tandem per ſemetipſum nihil hoſtile, aut temerarium oſtentans, ad oppidum Canuſii, in quo morati ſumus, cum paucis advenit, ibique per triduum ante portam Caſtri depoſito omni regali cultu miſerabiliter, ut pote diſcalceatus, & laneis indutus perſiſtens; non prius cum multo fletu Apoſtolicæ miſerationis auxilium, & conſolationem implorare deſtitit, quum omnes qui ibi aderant, & ad quos rumor ille pervenit, ad tantam pietatem, & compaſſionis miſericordiam movit, ut pro eo multis precibus, & lachrymis intercedentes, omnes quidem inſolitam mentis noſtræ duritiam mirarentur; nonnulli verò in nobis non Apoſtolicæ ſeveritatis gravitatem, ſed quaſi tyrannicæ feritatis crudelitatem eſſe clamarent*. Ideo diutius eum non detinuit, ſed anathemate ſolvit, & communione donavit, multis prius promiſſis ab eo exactis, & jurejurando firmatis. Ejuſmodi eſt Pœnitentia multis Epiſcopis, & Laicis ab eodem Pontifice impoſita, eo quòd cum Henrico Imperatore excommunicato communionem coluiſſent, *Illis paratos ſe profitentibus ad omnia, quæ impoſuiſſet, ſufferenda, inquit Lambertus, Epiſcopos omnes à ſeinvicem ſeparatos præcepit ſingulis cellis ſolitariis includi, nec ullum cum aliquo habere colloquium, ad veſperam autem cibi, & potus mediocri menſura refici. Laicis quoque pro ætatis vel virium conſideratione congruentem ſingulis Pœnitentiam indixit*. Ita aliquot diebus examinatos abſolvit.

IX. In Epiſtolis manuſcriptis Lanfranci Abbatis Cadomenſis una eſt, quam hic inſerere neceſſarium judicavimus: Ex ea enim illius temporis conſuetudo in imponenda Pœnitentia perſpicuè colligitur, *Lanfrancus indignus Antiſtes dilectiſſimo Eboracenſi Archiepiſcopo Thomæ ſalutem cum orationibus. Robertus Sagienſis Epiſcopus hunc Pœnitentem ad me miſit, & mandavit, quod iſte miſerrimus tres homines montem ſancti Michaelis adeuntes tertia Pentecoſtes die invaſerit, & interfecerit, cui ex more pœnitentia injuncta commonitorias ſibi literas tradidit, ut ſi quis Epiſcopus pietate motus miſericordiam ei vellet impendere, poteſtatem haberet, quantum vellet ipſi ignoſcere. Hujus itaque rei teſtis eum ad vos mitto, quatenus hoc verum eſſe ſciatis, atque animæ ejus, ſecundùm quod vobis viſum fuerit, conſulatis*. Graviſſimam illi de more Pœnitentiam impoſuerat Sagienſis Epiſcopus. Quum autem in ea poſt aliquod tempus relaxanda ſibi diffideret, alterius Epiſcopi judicio hoc maluit committere, quàm aliquid contra canones ſtatuere. Vel dici poteſt, Pœnitentem hunc aliqua neceſſitate domeſtica extra Sagienſem Diœceſim evocatum fuiſſe, literaſque ab Epiſcopo ſuo de more impetraſſe, quibus licentia concederetur alteri injunctam Pœnitentiam juxta canones moderandi. Hoc enim alteri Epiſcopo, niſi à proprio permiſſum eſſet, non licebat.

X. Denique idem demonſtratur toto Ivonis Carnutenſis Decreto, qui finiente ſeculo undecimo, & ineunte duodecimo per aliquot annos vixit, & in Eccleſia præ cæteris Epiſcopis celeberrimus fuit. Quæcunque enim de Burchardo, aliiſque canonum Collectoribus diximus, de eo æquo jure dicenda ſunt. Licèt enim duodecimum ſeculum attigerit, nuſquam tamen in ejus ſcriptis, quæ multa ſunt, ullius relaxationis præter antiquam conſuetudinem, apparet argumentum. Doctam præfationem præpoſuit Decreto ſuo, quæ etiam præpoſita eſt Panormiæ, & ipſius Epiſtolis ultima inſerta, in qua doctiſſimè diſſerit de diſpenſatione Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Sed nullam aliam diſpenſationem admittit, quàm canonicam ratione alicujus gravis circumſtantiæ, quæ rigorem canonum ſine imminenti periculo pati non poteſt, quæ diſpenſationes, ut ait, *Salubri deliberatione admiſſæ ceſſante neceſſitate debent & ipſæ ceſſare. Nec eſt pro lege habendum, quod aut utilitas ſuaſit, aut neceſſitas imperavit*. Hoc demonſtrat S. Leonis Epiſtola ad Epiſcopos Africæ, *Supereſt, Fratres, concorditer ſalubres ſuſcipiatis hortatus, & nihil per contentionem agentes, ſed ad omne ſtudium devotionis unanimes divinis, & Apoſtolicis conſtitutionibus pareatis, & in nullo patiamini providentiſſima canonum decreta violari. Quæ enim hactenus certarum remiſimus conſideratione cauſarum, antiquis deinceps cuſtodienda ſunt regulis: ne quod ad tempus pia levitate conceſſimus, juſta poſt ultione plectamus*. Idem probat ex Jure civili, quo prohibetur, ne quod perſonis conceſſum eſt, ad exemplum trahatur, quia perſonam non tranſgreditur: Hoc argumentum tota illa præfatione perſequitur. Ideò in varias partes, ſeu libros, partiumque innumeros titulos opus partitus, (non enim ſolùm Pœnitentiam, ſed forenſes quaſcunque cauſas complexus eſt) quæſtionibus definiendis ſola Pontificium decreta, Conciliorum canones, & Patrum ſententias adhibuit.

XI. Sæpius in Decreto ſuo poſtquam egit de perſonis, & eorum actionibus, virtutibus, & vitiis; Pœnitentiam explicat ſolam, quæ ſecundum canones decernitur, ut *parte* 7. ubi de Monachis, & Monachabus. *Parte* 8. ubi de legitimis Conjugiis, de Virginibus, & viduis. Ibi quoque de horum tranſgreſſionibus, & Pœnitentia unicuique danda. *Parte* 9. de inceſtis Copulationibus, & Pœnitentia unicuique conveniente. *Parte* 10. de Homicidiis, & eorum Pœnitentia, atque ita ſemper ubi actionibus impoſita eſt Pœnitentia. *Parte* 15. de ipſa agit Pœnitentia, qua ratione imponenda, facienda, indicanda, commutanda, redimenda, tam ſanis, quam infirmis. Ut hæc omnia ſigillatim explicet, canones tantum refert, & tria antiquorum Pœnitentialia, Theodori, Bedæ, & Romanum, atque ita ſibi temperat, ut de ſuo ne vel verbum uſquam immiſceat. Id exemplis probare eſt ſupervacaneum, cùm tam multa paſſim hujuſce rei exempla protulerimus, ut vel ſolum caput præcedens fidem dictis facere poſſit. Deinde cuivis hoc in ipſo auctore peculiari poteſt.

XII.

Digitized by Google

XII. Idem etiam ex plerisque ipſius epiſtolis colligitur, in quibus de variis quæſtionibus quid opus factu eſſet, interrogatus, nunquam aliter quam juxta canonum rigorem reſpondit; aut ſi quid clementius interrogantes importunè efflagitarent; ad Pontificem eos remiſit, ut legere eſt *Epiſt.* 54. 98. & 201. & alibi non ſemel. Hoc nunc unica quæſtione propoſita illuſtrabimus. *Epiſt.* 230. interrogat cum quidam Presbyter, *Quomodo inter ſe conveniant Prophetica ſententia quæ dicit: In quacunque hora peccator ingemuerit, ſalvus erit, & Synodalis, quæ crimina ſua confitentes aliquandiù à corporis, & ſanguinis Chriſti communione ſuſpendit.* Poſtquam rationem hujus differentiæ reddidit, addit, *Hinc eſt quòd Eccleſia ſua crimina confitentes à Sacramentorum communione ſuſpendit, & in cinere, & in cilicio poſitos ab introitu Eccleſiarum ſtatuto tempore excludit, ut per hoc experiatur, ſi jam ſunt intus vivificati, cùm fuerint longa pęnitentiæ maceratione probati, &c.* Quæ ſanè demonſtrant vividum antiquæ diſciplinæ illo tempore rigorem.

CAPUT XIII.

Pęnarum pęnitentialium duo genera, eorumque ſpecies, & varia impoſitio explicantur. Quę antea inuſitatæ circa annum ſeptingenteſimum uſurpari cęperunt. Feſtivis diebus Pęnitentiæ ſolvebantur, quia feſtivis diebus jejunare antiquitus mos non erat, ut nec etiam nunc apud Orientales. Jejunium unicum in Sabbato obſervabant Judæi, ut etiam nunc Orientales Chriſtiani. An tres Quadrageſimas aliquando plebs obſervaverit. Quis primus jejunium trium Quadrageſimarum, & Feriarum legitimarum in Pœnitentium apud Occidentales introduxit.

POenarum, ſive medicinarum Pœnitentialium tribus præcedentibus capitibus expoſitarum nonnullæ ſunt, quarum ante ſeculum ſeptimum nullam in actione Pęnitentiæ apud Occidentales Eccleſias deprehendi memoriam. Ad quatuor genera revocari poſſunt; Aliæ reſpiciunt Pœnitentium veſtes, & inceſſum; Aliæ certos jejuniorum dies; Aliæ genus quoddam caſtigationis corporalis: Poſtremæ exilia, peregrinationes, ſtatuſque ſecularis, & totius vitæ conditionis mutationem: de his nunc ſigillatim. Primi generis tres deprehendo. Nudis pedibus incedere, ſive diſcalceatum: utroque enim nomine utuntur: lineis, ſive laneis veſtibus ſine ſemoralibus in medium procedere; nullo vehiculo uti, nec curru, nec equo. Iſta utpote dura toto Pœnitentiæ tempore non imponebantur, ſed uno, altero, aut tribus annis, plus minuſve. Quod ad armorum prohibitionem, antiquæ Pœnitentiæ erat continuatio, qua Pœnitentibus militia ſeverè interdicebatur. Iſtarum obſervationum plura exempla legere potes *libri* 5. *cap.* 18. Duę priores in Eccleſia diutiſſimè viguerunt; Seculo enim duodecimo, & decimo tertio magna cum ſolemnitate nonnunquam uſurpatæ ſunt.

II. Secundi generis conſimiliter tres notari poſſunt; quarum duæ priores, quæ diligenter attendi debent, à Græcis, ut demonſtrabimus, derivatæ ſunt. Prima eſt ſeptimanæ in duas partes diſtinctio, & unicuique parti trium dierum diſtributio. Prior pars continebat feriam ſecundam, quartam, & ſextam, quæ dicebantur vulgò legitimæ feriæ: Unde frequenter in Pœnitentialibus jejunare legitimas ferias, hoc eſt, feriis 2. 4. & 6. feriæ iſtæ erant maximè eſuriales, nec redimebantur facilè initio Pœnitentiæ, niſi itineris aut infirmitatis cauſa. Procedente tamen tempore eas redimendi facultas concedebatur. Poſterior ſeptimanæ pars continebat ferias, tertiam, quintam, & ſabbatum. Tres illæ feriæ initio Pœnitentiæ facilè redimebantur, niſi Pœnitentia eſſet graviſſima; ſed in progreſſu ſine ulla redemptione relaxabantur; & in minoribus Pœnitentiis à jejunio planè erant liberæ, jejunio tribus aliis feriis tantùm indicto. Hæc non modo conſtant ex teſtimoniis jam allatis, ſed etiam ex antiquis Pœnitentialibus, in quibus iſta frequentiſſimè leguntur.

III. Prima Feria, ſive Dominica ex antiqua, & Apoſtolica conſtitutione jejunio ſemper fuit exempta: Nec iſta tantum dies, ſed quilibet vulgò feſtivus. Ideò diebus ſeptimanæ, velut tertia pars, dies feſtivi accedunt, qui à jejunio liberi agebantur. Antiquorum enim erat axioma die feſto non eſſe jejunandum, quod etiam nunc Græci obſervant, *Feſtus dies*, inquit Balſamon in *can.* 52. Trullan. *nihil eſt aliud quam gaudium. Quomodo ergo poteſt quis ſimul, & mœrere, & lætitia diffuadi.* Hinc Græci propter jejunium nulla hactenus celebrant feſta in Quadrageſima, niſi feſtum Adnuntiationis, quo die non jejunant. Ideò quoque hactenus omnibus illis diebus non ſacrificant, præterquam Sabbatis, Dominicis, & feſto Adnuntiationis, quibus jejunium illis interdicitur, ut eodem canone Trullano definitur. Idem longè antea decreverat, quod ad feſta attinet, Concilium Laodicenum, *c.* 31. *Non oportet in Quadrageſima Natales Martyrum peragere, ſed ſanctorum Martyrum facere commemorationes in Sabbatis, & Dominicis.* Ex quo etiam alterum conſequitur, diebus feſtis non eſſe jejunandum: ideo enim feſtum illis diebus non agitur, quia jejunium celebratur. Eodem axiomate freti Concilii Toletani 10. Patres c. 1. prohibent, ne Adnuntiationis feſtum in Quadrageſima celebretur, illudque in antecedentia transferentes diebus octo ante Nativitatem aſſigant, *Quoniam die, qua invenitur Angelus virgini Verbi conceptum & nuntiaſſe verbis, & indidiſſe miraculis, eadem feſtivitas non poteſt celebrari condignè, cùm interdum Quadrageſimæ dies, vel Paſchale feſtum videtur incumbere, in quibus nihil de Sanctorum ſolemnitatibus, ſicut ex antiquitate regulari cautum eſt, convenit celebrari &c. Sancitur, ut ante octavum diem, quo natus eſt Dominus, genitricis quoque ejus dies habeatur celeberrimus.* Hoc etiam obſervavit Eccleſia Mediolanenſis, in qua hactenus nullæ Quadrageſimali tempore Sanctorum Miſſæ celebrantur, ut teſtatur illius Eccleſiæ Presbyter Alumnus Vicecomes *lib.* 3. *cap.* 4. de Miſſæ ritibus. In Gallia, aut plerisque ſaltem Gallię Provinciis eundem morem antiquitus invaluiſſe evidenter colligitur ex *can.* 17. Concilii Turon. 2. an. 567. celebrati, in quo de Monachis ita ſtatuitur, *In Auguſto, quia quotidie Miſſæ Sanctorum ſunt, prandium habeant.* Et paulò poſt, *Et quia inter Natale Domini, & Epiphaniam omni die feſtivitates ſunt, itemque prandebunt.* Vides hæc duo ſibi invicem eſſe conſectanea, feſtum eſſe diem, & non jejunare; Miſſas Sanctorum celebrari, & non jejunare.

IV. Hæc ſancti Patres ex antiquo Judæorum more acceperant. Cùm enim ſacra Scriptura ſanctæ viduæ Judith auſteritates enumerat *cap.* 8. Sabbatum, feſtoſque dies excipit, *Jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ præter Sabbata, & Neomenias, & feſta domus Iſrael.* Nehemias quoque populum Iſrael ſic alloquitur *cap.* 8. *Dies ſanctificatus eſt Domino Deo noſtro. Nolite lugere, & nolite flere. Flebat enim omnis populus, cùm audiret verba legis, & dixit eis, Ite, comedite pinguia, & bibite mulſum, & mittite partes his, qui non præparaverunt ſibi, quia ſanctus dies Domini eſt.* Huic conſuetudini in hunc uſque diem mordicus adhærent Judæi: Nulla enim in Sabbato jejunia celebrant, ſed quæcunque in eum diem incidunt ut jejunium Godoliæ, jejunium Eſther, apud eos ſunt translatitia. Unum expiationis jejunium, quod cæteris celebritate præeminet, in Sabbato obſervatur. Sic etiam antiquiſſimi Patres, ut teſtantur Canon Apoſtolicus 66. Clemens Romanus Conſtit. *lib.* 7. *cap.* 24. & S. Ignatius in Epiſt. ad Philippenſes, unum Sabbatum jejunabant, Paſchatis ſcilicet vigiliam: quod etiam nunc ſcrupuloſè admodum obſervant Eccleſiæ Orientales. Antiquiſſimæ iſtius conſuetudinis redivivam imaginem vides in omnibus illis canonibus, & libellis Pœnitentialibus, in quibus ſemper dies Dominici, & feſtivi jejuniis eximuntur.

V. Secunda obſervatio peculiaris ad ſecundum genus initio capitis adnotatum ſpectans, quæ ſcilicet poſt annum ſeptingenteſimum emerſit, aut eum non multùm anteceſſit, trium eſt Quadrageſimarum. Ante tempus definitum nuſquam apud Latinos trium Quadrageſimarum mentionem invenio. Montanum quidem tres Quadrageſimas jejunandas imperaſſe teſtatur ad Marcellam de erroribus Montani ſcribens S. Hieron. Sed tamen licèt tam opportuna daretur de pluribus Quadrageſimis ſponte obſervandis diſſerendi occaſio, aut ſaltem Catholicos excuſandi neceſſitas, ſi aliqui tum plures obſervaſſent, ne eos cum Montaniſtis confundere videretur, nihil tamen de hoc Catholicorum more indicat, aut innuit. Scribit tantùm toto anno præter Pentecoſten jejunari poſſe, ſed aliud eſt ſponte aliquid facere, aliud neceſſitate. Sanè ſi aliquos Catholicos noviſſet tres Quadrageſimas jejunantes, ut multi toto anno jejunabant, triplex illud quadrageſimale jejunium non prætermiſiſſet. Plurium Quadrageſimarum morem apud Hiſpanos antiquitus invaluiſſe indicare videtur Conc. 1. Cæſarauguſt. an. 380. celebratum *c.* 2. *Ne quis jejunet die Dominico cauſa temporis, aut perſuaſionis. Ut de Quadrageſimarum diebus ab Eccleſiis non deſint, &c.* Videntur plures innui Quadrageſimæ. Sed alia lectio à Garſia Loiſa adnotata habet, *Nec Quadrageſimæ diebus ab Eccleſia fideles deſint.* Prior Lectio ſtrictè ſumpta ad Montaniſtarum errorem hac in parte videri poſſet accedere. Æqua enim neceſſitate ad omnium obſervationé adſtringit. Facile tamen, & obvium eſt unicuique aliter eam interpretari, cum ex phraſi ſcripturæ, & auctoribus Eccleſiaſticis conſueta patrius

Morin. de Sacram. Pœnit.

caſus cum Recto compoſitus vicem ſubeat Adjectivi, quo fit, ut dies Quadrageſimarum nihil aliud ſignificent quàm dies Quadrageſimales.

VI. Capitularium *lib.6. c.*184. refertur conſtitutio velut ex antiquo uſu trium Quadrageſimarum obſervandarum, *Admoneant Sacerdotes, ut jejunia tria legitima in anno agantur, id eſt, 40. dies ante Nativat. Dom. & 40. ante Paſcha ubi decimas anni ſolvimus, & poſt Pentecoſten 40. dies. Quanquam enim nonnulla ex his canonica priventur auctoritate, nobis tamen omnibus ſimul propter conſuetudinem plebis, & Parentum noſtrorum morem hunc obſervare, ut ſuperius comprehenſum eſt, convenit.* In hoc caput multa ſunt nobis adnotanda. Primum, hanc conſuetudinem plebis, ſi quæ fuit ejuſmodi, non eſſe admodum antiquam, nec tempus à nobis definitum prætergredi, cum dicat canonica auctoritate privari. Itaque ut ea, quæ in capitulo dicuntur de conſuetudine plebis, & Parentum more, vera concedantur, ſufficit annorum centum, & ultra ſpatium. Colligebat autem iſta Capitula Benedictus Levita regnantibus Ludovici Pii filiis, qui regnare cœperunt anno 840. & uſque ad annum 877. continuarunt. Ponamus igitur ſub Ludovico Patre, ut multa eorum, quæ collegit Benedictus hoc conſtitutum fuiſſe, ad conſuetudinis paternæ demonſtrationem 120. aut 130. annorum ſpatium ſatis ſuperque erit.

VII. Secundum, Rem ita ſe non habuiſſe antiquitus clariſſimè demonſtratur ex *c.*17. Concil. Turon.2. quod explicat omnia jejunia à Monachis celebranda, *De jejuniis verò antiqua à Monachis inſtituta ſerventur, ut de Paſcha uſque Quinquageſimam exceptis Rogationibus omni die fratribus prandium præparetur: Poſt Quinquageſimam tota hebdomada ex aſſe jejunent. Poſteà uſque ad Kalendas Auguſti ter in ſeptimana jejunent, 2. 4. & 6. die, exceptis his, qui aliqua infirmitate conſtricti ſunt. In Auguſto, quia quotidie Miſſæ Sanctorum ſunt, prandium habeant. In Septembri toto, & Octobri, & Novembri, ſicut prius dictum eſt, ter in ſeptimana. De Decembri uſque ad Natale Domini, omni die jejunent. Et quia inter Natale Domini, & Epiphania omni die feſtivitates ſunt, itemque prandebunt, &c. Poſt Epiphania verò uſque ad Quadrageſimam ter in ſeptimana jejunent.* En omnia Monachorum jejunia in quibus unica eſt Quadrageſima, aut ſaltem duæ, ſi Adventus pro ſecunda ſumatur, eo quod utrobique eodem modo jejunatur. Sed poſterior trium tantum erit ſeptimanarum. Si tum apud Monachos nulla erat trium Quadrageſimarum memoria. Quid de univerſa plebe conſentaneum eſt dicere? Jubent aliquando eorum temporum Concilia, ut ſtrictè jejunium Quadrageſimale ab omnibus fidelibus obſervetur, *Placuit etiam ut omnes Eccleſiæ filii, exceptis diebus Dominicis, in Quadrageſima etiam die ſabbati, Sacerdotali ordinatione, & diſtrictionis comminatione jejunent, Agath.* 12. *& Aurelian.* 4. 2. At de aliis Quadrageſimis ne verbum quidem. Immò nuſquam reperietur poſteriora Concilia, quæ circa tempora Capitularium celebrata ſunt, tres Quadrageſimas populo imperaſſe. Tertium, ex dictis conſequi, atque etiam ex ipſo capitulo, nihil unquam tale uſurpatum fuiſſe. Quis enim unquam tale quid legit? aut qui fieri potuit ut tres iſtas Quadrageſimas populus obſervaret. Itaque ſuppoſititium eſt capitulum, aut corruptum: quanquam ſi genuinum concedatur nobis non officiat, ut jam probatum.

VIII. Non abs re nos hic interrogabit aliquis. Unde igitur in Europam derivata eſt iſta quadrageſimarum triplicitas, cujus uſus nuſquam apud Europæos niſi in Pœnitentiarum impoſitione conſpicitur? Digitum in fontem intendere mihi videor, ſi ad Theodorum Cantuarienſem Archiepiſcopum originem retulero. Ante annos mille, & aliquot non modo trium Quadrageſimarum uſus apud Græcos in Pœnitentiarum impoſitione celebris fuit, ſed etiam ſeptimanæ in tres dierum ſpecies, diſtributio. Hujus rei teſtes ſunt antiquiſſimi Græcorum Pœnitentiales, Joannis Jejunatoris, & Joannis Monachi, quorum prior ſaltem Theodorum Cantuarienſem multis annis præceſſit. Præter enim Quadrageſimam omnibus Chriſtianis communem duas alias Pœnitentibus nonnunquam imponunt: Priorem vocant Quadrageſimam Apoſtolorum, Sanctorum ſcilicet, Petri & Pauli: Poſteriorem, S. Philippi Quadrageſimam. Teſtimonia hujus rei fruſtra hic adſcriberentur, cum integra Pœnitentialia referamus. Ita quoque iidem Pœnitentiales libelli Septimanam dividunt in tres ſpecies. Prima continet, ut apud Latinos, Feriam 2. 4. & 6. Secunda, Feriam 2. & 5. non autem ſabbatum in quo ſolum hac in cauſa à Latinis differunt. Sabbatis enim jejunare non ſolent Orientales, non ſecus ac Dominicis. Itaque tertia pars Sabbata continet, & Dominicas, inſigneſque feſtos dies occurrentes, quibus non ſecus ac antiqui Latini jejunare non ſolebant. Præcipui autem jejuniorum ſeptimanæ dies ſunt Feriæ 2. 4. & 6. In tertia enim, & quinta abſtinentia longè eſt indulgentior, planè ut à Latinis obſervatum vidimus, quod ipſe Pœnitentialium iſtorum finem legens animadvertere potes. Quum igitur obſervatio iſta fuerit apud Græcos antiquiſſima, apud Latinos autem recentior, primumque apud eos in Pœnitentialibus libris comparuerit, Pœnitentialeſque libros iſtos primus Theodorus Græcus in Angliam detulerit, unde in reliquas Europæ regiones derivati ſunt, omni dubio procul videtur à Græcis, famoſo iſto Theodoro eam ad nos deferente, initium ſumpſiſſe.

IX. Videri poſſet antiquior dierum ſeptimanæ diſtinctio ex allegato canone Conc. Turon. 2. in quo, jubentur Monachi à Pentecoſte ad Kal. Auguſti jejunare feriis 2. 4. & 6. Sed hoc nihil ad Pœnitentiam Laicis imponendam: Quanquam dici poſſit Monachicam illam obſervationem viam quodammodo ſtraviſſe ad facilius amplectendam Græcorum conſuetudinem. Dici quoque poteſt, & reverà res ita ſe habuit, quum jejunium 3. dierum imperaretur, tres hos dies natura duce cæteris prælatos, ut ſpatium æquabile eſſet inter dies ſeptimanæ jejunos, & jejuniis exemptos. Hæc autem in Pœnitentiæ impoſitione obſervata non fuiſſe, præter altum de hac re ſilentium demonſtrat Concilium Epaunenſe an. 509. celebratum, quod can. 29. certis criminum Reis in Pęnitentiam imponit per biennium tertiæ diei ſine relaxatione jejunium.

X. Lectori prætereà notandum eſt, duabus minoribus Quadrageſimis in Pœnitentiæ actione non ſemper quadraginta dies tributas, ſed aliquando viginti, aliquando quindecim, ut ab exemplis prolatis conſtat; aliquando, plus minuſve, Epiſcopis, ut ſæpe dictum pro ratione criminum, Contritionis, & perſonarum iſta diſpenſantibus. Nonnunquam etiam in Pœnitentiam ſolùm Quadrageſimale tempus præſcribebatur jejunandum ſoluto reliquo anni tempore; nec una tantum Quadrageſima, ſed plures conſequentes, ut in Concilio apud Theodonis villam ſub Ludovico Pio an. 821. can. 1. *Si quis Subdiaconum calumniatus fuerit, vulneraverit, vel debilitaverit, & convaluerit, quinque Quadrageſimas ſine ſubditis annis pœniteat, &c. Si autem mortuus fuerit, ſingulas ſupradictas cum ſequentibus annis pęniteat, &c.* Et qui eandem injuriam Diacono intulerit, ſex; qui Presbytero, 12. Quadrageſimas eodem modo imponit. Qui verò Epiſcopo, *Decem Quadrageſimas cum ſubditis annis pęniteat, &c. Si quis autem ſponte eum occiderit, carnem non comedat, vinum non bibat cunctis diebus vitæ ſuæ cingulum militare deponat, abſque ſpe conjugii in perpetuum maneat.* Iſta *tom.*2. Conc. Galliæ, & poſteà confirmantur in alio Concilio Triburiæ celebrato. Hæc inſuper retulit in Decretum ſuum Burchardus. Jubent Patres, ejuſmodi hominem perpetuò cælibem vivere. Ita in graviſſimis criminibus edicebatur, quale illud Epiſcopum nefariè occidere. In levioribus criminibus, licèt de iis Pęnitentia ageretur publica, rariùs hæc pœna infligebatur, & inflicta variis de cauſis facilè remittebatur, ut ex ante citatis teſtimoniis colligitur. Verùm hanc obſervationem, varioſque illius caſus libri 5. capitibus 18. & 22. fusè enarravimus.

XI. Tertia obſervatio ſpecialis illorum temporum, quæ ad ſecundum genus ex ordine nobis propoſito pertinet, eſt perpetua aliqua poſt abſolutionem peccatorum, & communicationem corporis Chriſti, pęnitentia. Aliquando tanta judicabatur criminis gravitas, ut licèt omnibus in rebus Eccleſiæ reconciliaretur, aliqua tamen dies, & potiſſimum feria ſexta ipſi imponeretur tota vita jejunanda; vel ſi non integrè illo die jejunaret, à vino ſaltem, & carnibus abſtineret. Hoc autem injungebatur, aliquando pro ratione criminum, aut perſonarum ſæpius vel durius faciendum, ut ſupra non ſemel, & in Pęnitentialibus ſæpe legitur. Unde illorum admonitio. *Et nunquam ſit ſine Pęnitentia*, ut Pęnitentialis Romani *tit.* 2. *c.*4. *tit.* 6. *c.* 17. *& tit.* 3. *c.* 20. ſæpius, Burchard. *l.*12. *c.* 8. 9. *&* 11. *lib.* 19. *c.* 5. ubi de Mœchia, Ivo *part.* 12. *c.*65. 66. *&* 68. Gratian 6. *q.* 1. *c.* 18. Sæpe etiam in collectione Conciliorum Anglicana, ut p. 271. 461. & 468. Hanc obſervationem apud Veteres nuſquam invenio; Omnes enim pœnæ cum Euchariſtiæ communione condonabantur. Niſi forte ad eam referre quis voluerit conſuetudinem, qua olim Provinciæ quædam aliquo tempore uſæ ſunt, ut continentiam perpetuam ſervarent, militiamque ſecularem nunquam reſumerent, qui aliquando pęnitentiam egerant, de qua vide, quæ ſcripſimus libro 5. Plura adhuc poſterior hæc ætas, quàm etiam poſtrema imitata eſt. Sæpe enim, ut ab exemplis allatis conſtitit, magna Pęnitentiæ pars non modo poſt Abſolutionem peccatorum, ſed etiam poſt corporis Chriſti communionem perſolvenda differebatur. Hæc obiter hic adnotaſſe ſat eſt; libro enim ſequente hanc

Digitized by Google

hanc Abſolutionis præceſſionem, & ſubſecutionem data opera explicabimus.

CAPUT XIV.

Tertium pœnitentiæ recentiores genus flagellationem ſpontanem circa annum 960. cœpiſſe. Quis illius auctor. Flagellatio Monachis vice argenti fuit, qua pœnitentia redimerent. Quidam ſæpius centum annorum pœnitentiam compleverunt. Longè ante annum 960. Servos, Colonos, Clericos, Monachos in canonicam criminum pœnitentiam flagellatos. Laicos ingenuos ab ea fuiſſe liberatos. Quod in pœnitentiali Bedæ nunc legitur, pœnitentiam impoſitam multis corporis ſui percuſſionibus redimi, recentius eſſe additamentum.

TErtium pœnarum genus antiquis inauditum hoc capite explicabimus. Illud eſt ſpontanea corporis per ſemetipſum in Pœnitentiam flagellatio. Pœnæ, ſeu medicinæ pœnitentialis genus eſt non modò ante ſeculum ſeptimum inauditum, ſed etiam duobus integris poſt ſeptimum ſeculis. Circa annum quinquageſimum, aut ſexageſimum ſupra nongenteſimum hoc pœnæ genus in Italia à quodam Dominico Eremita uſurpari cœpit, quod mirum in modum laudavit, & promovit Petrus Damianus Monachus S. E. R. Epiſcopus Cardinalis, atque ab eo tempore in hunc uſque diem non modò Monachi, & Monachæ, ſed etiam ſeculares multi hanc Pœnitentiæ actionem exercuerunt. Dominicus ille dictus eſt Loricatus, & Prior fuit Eremitarum montis Sutriæ, ut colligitur ex Epiſt. 31. libri 6. Quum Epiſtolam ejuſdem libri 30. ſcribebat Damianus, annum dicebatur agere Dominicus ille centeſimum quadrageſimum, ſanguinemque è venis nunquam emiſiſſe, nec pharmacum ſumpſiſſe. Mira prorſus ſunt, & quaſi incredibilia quæ de Dominici iſtius ſpontanea flagellatione ſcribit Damianus; ſed ea credibilia facit, quæ de ſeipſo ad illius imitationem ſcribit. Paucula referemus, ut quanto fervore hæc nova Pœnitentiæ actio à fidelibus tum ſuſcepta ſit, Lector intelligat. A fidelibus autem dixi, eo quod flagellationes illæ paſſim ab innumeris perſonis ſponte exercitæ ſunt, quæ nulla Pœnitentiæ obligatione tenebantur, & eo magis ab iis exercitæ, quo ſanctiores fuerunt. Notandum præterea eſt, idem illis tum nomen diſciplinæ eſſe impoſitum, quod vulgò hactenus conſervarunt.

II. De Dominico quem ferè ſemper Patrem, & Dominum ſuum vocat, potiſſimum ſcribit Damianus lib. 1. Epiſt. 19. ad Alexandrũ II. Pontificem: Tum paucos ante dies diem obierat, ideò vitæ illius compendium Pontifici narrat. Dominicus initio erat Clericus, factuſque eſt Presbyter argento à parentibus dato, cujus erat neſcius. Ut criminis, quod Parentes commiſerant, Pœnitentiam ageret, *Contempſit ſeculum, induit Monachum, arduumque mox Eremiticæ vitæ, tanquam Bellator intrepidus, arripuit inſtitutum. Sed quia malè promotus eſt, donec advixit, ſacroſancti altaris uſurpare miniſterium non præſumpſit.* Procul dubio, Lector, hæc legens exiſtimas Dominici Parentes magnam aliquam pecuniæ Summam Epiſcopo tradidiſſe, grandeque aliquod Simoniæ crimen perpetraſſe: En crimen, *Ut Presbyter fieret, à Parentibus ejus data eſt Epiſcopo Hircinæ pellis aluta*, nihil amplius. Ex more tamen illius temporis hanc egit Pœnitentiam. Verùm ad rem revertamur, vix dies, inquit, *ulla præterit, quin duo pſalteria modulando, utraque manu ſcopis armata, nudum corpus allidat. Et hoc remiſſiori quidem tempore. Nam quadrageſimalibus circulis, ſive cum pœnitentiam peragendam habet, crebrò enim centum annorum pœnitentiam ſuſcipit, tunc per dies ſingulos, dum ſe ſcoparum tunſionibus afficit, ut minus tria pſalteria meditando perſolvit.* Paulò poſt ita refert Damianus, *Quadam die poſt veſperam cellulam meam ingreſſus, Magiſter, inquit, Hoc enim vocabulo indignum me ex humilitate compellat, hodie feci quod hactenus me feciſſe non memini, octo nempe pſalteria inter diem, & noctem modulatus explevi. Videbatur autem tunc totus vultus ejus ita ſcopis attritus, ac ſulcantibus quibuſdam vibicibus livefactus, tanquam ſi pila fuerit, ptiſanarum videlicet more contuſus.*

III. In eadem Epiſtola de eodem, *Eſt inter nos qui nonnunquam uno die continuato cum nocte novem pſalteria meditando decurrat: & interim pene ſemper utraque manu ſcopis armata nudum corpus afficiat. Notandum autem, quia dum hæc peragere ſatagat, nocte vel die dormire non vacat; ſed aliquando genua flectens, dum caput terræ deponit, ſic undo repente ſomnus obrepit, quo ſolo contentus eſt.* Poſteà ſic ſeſe mortificando ad initium uſque decimi tertii pervenit. Refert etiam de quodam iſtius Dominici Monacho qui admodum ejuſmodi verberationem exhorruerat, ſed tamen Dominici exhortationibus tandem acquieverat, *Ac per modulationem totius pſalterii, & inſuper quinquaginta Pſalmorum ſibimet diſciplinam inferre non ceſſaverat.* Hoc indicat Domino, ſeſe magnum quid egiſſe reputans, laudeque heroica dignum. Ad eum verò Dominus, *Noli, frater, puſillanimis eſſe, vel pro hac tua, quæ nunc eſt, infirmitate diffidere. Poteſt enim Deus ex imis te ad altiora provehere, & hujus lacteolæ tuæ converſationis infantiam ad juvenilis roboris incrementa firmare. Et adiiciens ait, Nos etiam primò pedetentim cœpimus, ſenſimque ad quos nos divina pietas perducere voluit, licèt imbecilles ac fragiles, edacti ſumus.*

IV. Eadem quoque Epiſtola mentionem facit cujuſdam Rodolphi Epiſcopi Eugubini miræ ſanctitatis viri, de quo hæc ſcribit, *Ferreo circa pectus circulo jugiter cingebatur: quem tamen circulum ſub ilia demerſum, dum coram fratribus nudaretur, diligentius occultabat. Nunquam ſcilicet Capitulo Confeſſor intererat, in quo non acciperet diſciplinam; & tunc feſtivus exultabat, ſi non ab uno tantùm, ſed à duobus flagellari fratribus juberetur. Sæpe pœnitentiam centum ſuſcipiebat annorum, quam ſcilicet per viginti dies alliſione ſcoparum, cæteriſque pœnitentiæ remediis perſolvebat. Pſalterium quotidie quum duo non poſſet, unum ſaltem non negligebat implere. Quod nimirum cum eſſet in cellula conſtitutus armata ſcopis utraque manu, totum cum diſciplina continuare conſueverat.* Similia leguntur lib. 6. epiſt. 30.

V. Hoc autem Pœnitentiæ genus anteà fuiſſe inauditum ipſi exprobrant Florentinæ Eccleſiæ Clerici, lib. 5. *Epiſtola* 8. quorum verba capite præcedente retulimus: nec ipſe diffitetur, nulloque exemplo ſeſe tuetur niſi Martyrum, & Apoſtolorum exemplis, qui Judicum impiorum juſſu flagellis cæſi ſunt. Quo demonſtrat flagellis cædi, aut ſeſe cædere rem non eſſe malam, ſed ſpontaneam ſui flagellationem anteà uſitatam fuiſſe hinc non demonſtratur. Ideò ad hoc confugit, ut demonſtret, eo quòd res ſit nova, & inuſitata, non eſſe damnandam, quod cum nonnullis exemplis probavit, colligit, *Quia igitur hæc, & alia multa pœnitentiæ genera ſacris non reperiuntur inſerta canonibus, nunquid penitus execranda ſunt, & Patrum ſanctionibus perhibenda ſunt eſſe contraria?* Paulò poſt hoc probat ex Pœnitentiarum redemptionibus, quarum in antiquis canonibus nulla eſt memoria, an hoc, inquit, *abſurdum eſſe, & frivolum judicabitur? Quod ſi hoc Laicis indulgetur, ut peccata ſua eleemoſynis rediment, ne ſarripiente mortis articulo, ex hac vita ſine reatus ſui, quod abſit, abſolutione recedant; Quid Monacho præcipiendum erit, qui & longam fortè Pœnitentiam, peccatis exigentibus, accipit; & pecunias olim funditùs, quibus redimatur, abjecit?* Docet præclarè flagellationem meritò apud Monachos induci, ut eodem quo Laici privilegio fruantur. Licet Laicis pœnitentias impoſitas pecunia, & eleemoſynis redimere. Sed Monachi pecuniæ, boniſque omnibus renuntiarunt, & conſequenter iſta redimendi Pœnitentias facultate privati ſunt. Quidni multiplici flagellationi certa Pœnitentiæ quantitas æquabitur.

VI. Id ſanè juxta regulam juris. Qui non habet in ære, ſolvat in corpore, ut ſtatuitur *ff. lib. 48. tit. 19. leg. 1. §. 3* Ita etiam Dominus noſter Matth. 18. & 25. eum qui talenti ſibi commiſſi fructum reddere non poteſt, corporaliter punit. Utrumque monuit S. Ambroſius ſerm. 78. *Chriſtus talentum, quod commendat, neceſſe ut requirat, & ſolventi gratiam referat, non ſolventem ſubdat injuriis. Subdit planè injuriis more mundi, ut debitor qui redhibitione ſubſtantiæ ſatisfacere non poteſt, ſatisfaciat vel corporis ultione.* Quum igitur non habeant Monachi, quod in ære ſolvant, poſſunt idem Jure civili corporaliter luere.

VII. Epiſtola inſuper 19. jam citata initium iſtius conſuetudinis, ſaltem apud Italos, ab eodem ſene Dominico repetit, *Hujus itaque ſenis exemplo faciendæ diſciplinæ mos adeò in noſtris partibus inolevit, ut non modo viri, ſed, & nobiles mulieres hoc Purgatorii genus inhianter arriperent. Nam & relicta Tebbaldi, ſublimis utique generis, & non infimæ dignitatis, mihi aliquando retulit, per præfixam hujus diſciplinæ regulam centum annorum ſe Pœnitentiam peregiſſe.* His adiiciendus eodem tempore Henricus II. Imperator, qui hanc Pœnitentiam lubentiſſimè ſæpius ſuſcepit, Reginardus in vita S. Annonis Colonienſis apud Surium 4. Dec. *Nunquam inſignia regalia ſibi præſumpſit imponere, niſi clam per Confeſſionis, ac pœnitentiæ verberum inſuper ſatisfactionem, licentiam à quolibet Sacerdotum ſuppliciter mereretur.* Horum imitatione plures idem fecerunt, & ſeculo ſequente in Pœnitentiis publicis impenendis, & exolvendis adhibita eſt, publica hæc verberatio, ut infra adnotabimus.

Digitized by Google

VIII. Hanc regulam infligendæ diſciplinæ Monachis ſuis imponit *lib.6. epiſt.34. Adhibito diſcretionis moderamine conſtituimus, ut ad diſciplinam ſibimet ingerendam nullus in eremo compellatur; quem verò Sanctus adhuc fervor impellit per quadraginta Pſalmos in unoquoque die diſciplinam ſibi facere liceat; ita dumtaxat, ut quadragenarium hunc Pſalmorum numerum non excedat. In duabus autem Quadrageſimis, quæ videlicet Natalem Domini, vel ſacroſanctum Paſcha præcedunt, uſq; ad ſexaginta Pſalmos cum diſciplina procedere liceat: neq; hanc menſuræ, quam præfigimus, regulam, temeraria, quod abſit, quiſq; præſumptione tranſcendat.* Jam tum etiam in multis Cœnobitarum monaſteriis mos invaluerat ſingulis ſextis feriis ſeſe verberandi, ut teſtatur *lib.2. epiſt.14. Qua die omnes fratres noſtri, quos utique monaſterialis ordo connectit, hoc etiam ad cumulum propriæ ſalutis adiiciunt, ut & ſe mactent in capitulo vicaria colliſione ſcoparum, & inſuper celebrent in pane, & aqua jejunium.*

IX. Non incaſſum diximus ſpontaneam flagellationem, non flagellationem ſimpliciter, vertente ſeculo decimo, & ineunte decimo initium ſumpſiſſe. Judiciariæ enim, & invitis in Pœnitentiam inflictæ uſus eſt in Eccleſia longè antiquior. Verum eam tantum exercitam deprehendo in ſervos, & colonos, aut in Clericos, Monachos, & Monachas; nuſquam in perſonas ingenuas, & liberas. Capitularium *lib.7. c.330.* & Iſaacus Lingon. *tit.4. c.13. Si autem ſervus, vel Eccleſiaſticus fuerit, publicè flagelletur, ac decalvetur, & juxta proprii Epiſcopi juſſionem Pœnitentiam publicè, & canonicè gerat.* In Concilio Sueſſionenſi 2. *cap.9.* ut refertur 3. *tom.* Concil. Galliæ. Ita quoque in Capitularibus Caroli Calvi, *Miſſi noſtri per ſingulas Parochias denuntient, quia ſi Epiſcopus, & Miniſtri Epiſcoporum pro criminibus colonos flagellaverint cum virgis propter metum aliorum, & ut ipſi criminoſi corrigantur, &c. Sicut in Synodo collocutum eſt, ut vel inviti Pœnitentiam corporaliter, & temporaliter agant, ne æternaliter pereant, &c.* Prohibet Rex, ne hac de re Colonorum Domini vindictam ſumant; ſi aliter faciant, graves pœnas comminatur. Itaque licebat Epiſcopis alienos colonos in Pœnitentiam flagellare, & inſuper ad reliquam Pœnitentiam canonicam cogere. Hoc erat adeò uſitatum Burchardi ſeculo, ut Parœciarum Viſitatoribus præciperetur diligenter inquirere, an aliquis Epiſcopos prohiberet Vindictam iſtam exercere, ut pœna canonica plecteretur: Ita enim habet Interrogatio 75. *Eſt aliquis, qui contradicit Epiſcopo, aut ejus Miniſtris, ne coloni, aut ſervi pro commiſſis criminibus virgis nudi cædantur?*

X. Memorabile eſt hac in cauſa *capitulum 311. lib.7. Statuimus, ut quiſquis ſervorum Dei, vel Ancillarum Chriſti in crimen fornicationis lapſus fuerit, quod in carcere pœnitentiam faciat in pane, & aqua: Et ſi ordinatus Presbyter ſit, duos annos in carcere permaneat, & ante ſcorticatus, & flagellatus videatur, & Epiſcopus adaugeat. Si autem Clericus, vel Monachus in hoc peccatum inciderit, poſt tertiam Verberationem in carcerem miſſus vertentem annum ibi Pœnitentiam agat. Similiter & Nonnatæ velatæ eadem Pœnitentia teneantur.* Hoc autem ſtatutum eſt in Synodo Liptinenſi celebrata ann. 742. & inde ſumptum, ut manifeſtum eſt ex *lib.5.* Capitular. *c.2. & tom.* 1. Concil. Galliæ in Synodo Liptinenſi *c.6.* Refert Burchard. *lib.17. cap.34.* ex Pœnitentiali Theodori, *Qui fornicatus fuerit ſicut Sodomita, ſi ſervus eſt, & ſi ſcopis caſtigabitur, duos annos, ſi liber eſt, & conjugatus decem annos pœniteat, &c.* Pœnitentiale verò Romanum *tit.3. c.21.* ita hæc diſtinguit, *ſi ſervus eſt, qui hæc fecerit, & uxoratus eſt, & cum animalibus peccat, ſi cum ſcopis benè caſtigatus fuerit, tres annos per legitimas ferias pœniteat. Si autem talis eſt ſervus, ut gratis verbera pati non velit, & eſt tam digna perſona, ita pœniteat, ut ille qui ingenuus eſt.*

XI. Verùm longè ante illa tempora hoc ſtatutum fuerat à Galliæ Epiſcopis in Clericos. In Concilio Matiſconenſi 1. *cap.8.* in Clericos, qui cauſas Eccleſiaſticas ad Judices ſeculares deferunt, non ad Epiſcopum, aut Presbyteros, *Quod ſi quicunque Clericus hoc implere diſtulerit, ſi junior fuerit, uno minus de quadraginta ictus accipiat, ſin certè honoratior, triginta dierum concluſione mulctetur.* Ex eodem Concilio hunc canonem refert Burchardus *lib.16. cap.21.* Similiter Concilium Agathenſe anno 506. *can.41.* ſtatuit Clericum, *Quem ebrium fuiſſe conſtiterit, ut ordo patitur, aut triginta dierum ſpatio à communione ſtatuimus ſubmovendum, aut corporali ſubdendum ſupplicio.* S. Gregorius *Epiſt.66. lib.9.* Subdiaconum verberibus publicè caſtigari jubet, & in exilium deportari. Sed Bracarenſe 3. *can.7.* eandem pœnam moderatur: Honoratos enim Clericos prohibet verberibus cædere, niſi graviorum, & mortalium culparum convincantur. *Qui gradus Eccleſiaſticos jam meruerunt, id eſt, Presbyteri, Abbatis, ſive Levitæ, excepto gravioribus, & mortalibus culpis, nullis debent verberibus ſubjacere.*

XII. Ex Pœnitentiali Bedæ iſta videri poſſent antiqua: Scribitur enim ultimo capite, *Si quis intinxerit manum in aliquo cibo, & non idonea manu, centum palmatis emendetur.* Et paulò poſt, *Pro uno die valent ducenta genuflexiones, vel unus denarius pro die valet, & tres eleemoſynæ tribus pauperibus valent: Quidam dicunt quadraginta percuſſiones, vel pſalmos, & in æſtate centum quadraginta pſalmos, vel percuſſiones:* eodem capite plura. Sed antiquitatis indubitatam fidem non faciunt, quæ ex illis antiquis Pœnitentialibus referuntur, niſi antiquiſſimi ſint codices; eo quod ejuſmodi libri, ut & rituales, quò recentiores ſunt codices, eo ſint additamentis magis obnoxii. Non eſſe Bedæ iſta, tribus argumentis demonſtrari poteſt. Primò, hæc repetita ſæpiùs, *quidam dicunt*, probant totum illud caput ultimum eſſe à poſterioribus additum. Nemo enim ante Bedam ejuſmodi Pœnitentialibus componendis inſudaverat præter Theodorum Cantuarienſem, de quo ſemper loquitur honorificentiſſimè. Secundò, antiquum Pœnitentialis exemplar ab Ecberto, qui florebat Beda adhuc vivente, recenſitum capita illa non agnoſcit. Denique his accedit, quod recentiores, de quibus jam agemus, iſta variè referunt, nec ex Beda, ſed ex Pœnitentiali Romano.

XIII. Burchardus *lib.19. cap.17.* Percuſſiones, & palmatas ejuſmodi refert ex Pœnitentiali Romano, *Quidam dicunt viginti palmatas valere pro uno die. Capite* verò 24. iis, qui nec jejunare poſſunt, nec redimere, imponit varios Pſalmos recitandos, & multiplices genuflexiones, & in terram proſtrationes, *Qui autem*, inquit, *Pſalmos neſcit pro uno die, quem in pane, & aqua jejunare debet, centies proſternat ſe in terram, & per ſingulas genuflexiones, Pater noſter dicat.* Hæc ex Pœnitentiali Bedæ. At ex Pœnitentiali Romano derivat Burchard. quidquid eſt, *αἱματῶδες, μαστιγζόμενον, ϰ̀ νωτόπληκτον. Item alio modo 12. triduanæ, ſingulæ cum pſalteriis tribus impletis, & cum palmatis trecentis per ſingula pſalteria excuſant unius anni Pœnitentiam. Et 24. biduanæ ſimiliter cum tribus Pſalteriis impletis, & trecentis palmatis per ſingula pſalteria excuſant duos annos, &c.* Hæc eadem refert Ivo Carnutenſis, atque ex iiſdem Pœnitentialibus duobus ultimis capitibus partis 15. Decreti. Ex quibus perſpicuè colligitur, Verberationem illam in Pœnitentiam Bedæ primùm non fuiſſe, ſed poſteà ex uſu temporis à librorum Exſcriptoribus additam. Idem quoque colligitur ex Collectione Reginonis, quæ Burchardo eſt antiquior. *Libro* enim 2. *c.440.* & ſequentibus eadem referuntur, ſed ea ratione, ut facilè appareat, Verberationem iſtam tunc primùm, hoc eſt circa annum 960. in Eccleſia promiſcuè uſurpari cœpiſſe in ſervos, ingenuaſque perſonas non in Pœnitentiæ impoſitionem, ſed in Pœnitentiæ redemptionem. Hæc enim de eo genere redemptionis tantùm habet, *Primo anno quidam permiſerunt triduanas quatuor, alii 12. triduanas, id eſt, ſemel in menſe uno. Quidam dixerunt triduanas agere in verberibus, & in vigiliis inſiſtendo triduum. Pretium autem unius diei, agapen duorum, vel trium pauperum, ſive unum denarium: Alii totum pſalterium in æſtate; in hyeme verò, & in verno, vel in Autumno 50. Pſalmos. Quidam judicaverunt 12. plagas, vel percuſſiones.* Dicit præterea pro eadem redemptione quoſdam ſtatuere 50. percuſſiones, alios centum. Hic loquendi modus rem teſtatur recentem, atque à paucis tum uſitatam; cui rationi accedit, quod eadem Reginonis collectio in aliis Pœnitentiarum redemptionibus prorſus præterit iſtas percuſſiones, licèt æquè poſſint aliis pœnitentiis redimendis, ac jam enumeratis adhiberi. Ejuſdem Rei argumentum eſt manifeſtiſſimum, altum de hac re Concilii Triburienſis an. 895. celebrati ſilentium licèt multis de pœnitentiarum redemptionibus in eo agatur. Lectori conducet, quæ libro ultimo de redemptionum iſtarum origine diſputabimus, his adjungere.

XIV. Denique ſimile additamentum factum fuiſſe antiquo Pœnitentiali Romano convincere videtur comparatio *cap.23. tit.3.* Pœnitentialis Romani vulgò editi cum *cap.56. l.17.* Burchardi. Utrobique idem caput citatur ex antiquo Pœnitentiali Romano. Sed apud Burchardum hæc inſeruntur, quæ in edito Romano prorſus omittuntur, *Pueri, qui fornicantur intra ſemetipſos, judicatum eſt, ut vapulent. Pueri ſoli de hoc inter ſe ſermocinantes, & tranſgredientes ſtatuta ſeniorum tres ſuperpoſitiones accipiant. Illecebroſum oſculum cum coinquinamento facientes ſine amplexu decem ſuperpoſitiones accipiant, &c.* Paulò poſt vult minimos propter ætatis immaturitatem flagellari. Citavit ea Burchardus ex uſu temporis ſui, aut forte Burchard. tranſcriptor aliquis iſta textui, ut omiſſa inſerēda

judi-

Digitized by Google

judicavit: Ita enim fit frequentiſſimè in ritualium, Pęnitentialium, & ceremonialium deſcriptionibus. Hinc eſt, quòd eò ſemper ſunt ſimpliciores, quò antiquiores.

CAPUT XV.

Duo alia pęnarum pęnitentialium genera, eaque ſevera ils ſeculis frequentiſſima fuiſſe, licet antiquioribus inuſitata, demonſtrantur. Peregrinatio in varias regiones, & Monachiſmi profeſſio. Prior propter abuſum eodem tempore aliquando improbata. Illius imponendæ occaſio inquiritur. Poſterioris præter canones, & Pænitentiales ſic ſtatuentes, varia exempla referuntur, & illius origa variè conjicitur, & demonſtratur. Monachiſmi profeſſio Pęnitentiæ publicæ virtute, & merito æquata, qua ratione ſit intelligendum.

POſtremum pęnarum pęnitentialium genus, quod nobis videtur antiquioribus ſeculis fuiſſe inuſitatum, atque ab anno tantùm ſeptingenteſimo uſurpatum, conditionis, & ſtatus vitæ integram mutationem continet. Eſt autem duplex: Prius quod mutationem illam ſtatus, & capitis imminutionem non ita complectitur abſolutè ut poſterius, Peregrinatio eſt Pęnitenti ob crimen impoſita. Jubebatur enim domo recedere, Patriamque, Parenteſque deſerere, & miserè corpus affligens, & macerans in terra aliena, & peregrina vagari, nullibique certas ſedes figere. Hoc ſanè Pęnitentiæ genus nuſquam apud auctores Eccleſiaſticos ante illud tempus legi commemoratum. Illius mentionem facit Beda Pęnitentialis *capite 7. Si Clericus homicidium fecerit, & proximum ſuum occiderit, decem annos pęniteat: Exul ſeptem pęniteat, ſi odii meditatio fuit.* Et *cap.* 8. de Clerico qui ſine voto Monachi fornicatus filium genuit, *Pęniteat quatuor, vel quinque annos: alii dicunt ſeptem exul fiat.* Pęnitentiale Roman. *titulo 1. cap.* 14. *Qui voluntariè Patrem ſuum aut matrem, vel filium aut filiam de ſancto Lavacro, ſeu fratrem, ſive ſororem in Chriſto, aut Dominum ſuum, vel Dominam, ſeu uxorem ſuam occiderit, quinque annis extra metas ipſius terræ exul fiat: Tunc demum quindecim annis pęniteat.* Et *tit. 3. cap.* 24 ex Pęnitentiali Theodori ſic refert, *Si quis fornicatus fuerit, ut Sodomitæ fecerunt, ſi Epiſcopus, viginti quinque annos pęniteat, quinque ex his in pane, & aqua; & omni officio deponatur, peregrinando finiat dies vitæ ſuæ.* Idemque conjungit Presbyterorum, Diaconorum, & Monachorum Pęnitentias de eodem crimine, ut & Burch. *lib. 17. c. 56. Tit. verò* 8. *c.* 4. hanc Pęnitentiam indicit Sacerdoti, qui cum filia ſua ſpiritali rem habuit, *Ab omni officio deponatur, & peregrinando quindecim annis pęniteat, poſtea verò ad Monaſterium vadat, ibique cunctis diebus vitæ ſuę Deo ſerviat.* Poſterior pęna, de qua infra, priori conjungitur. Eundem canonem repetit Gratian. 30. *qu.* 1. *cap.* 9. Alexander II. hanc pęnam disjunctivè in Pęnitentiam impoſuit, *Aut faciat carcerem jejunans quotidie in pane, & aqua, aut eat Exul, & jejunet tribus diebus in pane, & aqua, &c.* apud Ivon. *p.* 10. *c.* 16. Idem Pontifex ibid. *cap.* 30. eandem pęnam in Pęnitentiam impoſitam relaxat, non iſtius pęnæ improbatione, *Sed miſericardia*, inquit, *ſuper eos moti exilium eis Apoſtolica auctoritate remiſimus.*

II. Multi tamen iiſdem temporibus, & meo judicio non immeritò, improbarunt hoc Pęnitentiæ genus, quos inter Rabanus Maurus Pęnitentialis *c.* 11. *Parricidium quàm ſit deteſtabile crimen, in judicio facto inter Cain, & Abel fratrem ſuum, Dominus ipſe oſtendit, cùm ad Cain Parricidam ait, Maledictus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua: Vagus, & profugus eris ſuper terram; in quo etiam poſuit ſignum, hoc eſt, ut tremens, & gemens profugus ſemper viveret, nec auderet jam uſpiam ſedes habere quietas. Sed quia in modernis temporibus parricidæ profugi diſcurrunt per diverſa loca, & variis vitiis, & gulæ illecebris deſerviunt, melius mihi videtur, ut in uno loco manentes, pęnitentia diſtricta ſemetipſos caſtigent, ſi fortè à Domini bonitate indulgentiã facinoris ſui percipere mereantur.* Fusè retulimus Rabani verba, eo quod rationẽ reddere videantur, qua illorum ſeculorum Patres commoti peregrinationis pęnam Parricidis imponebant. Imitabantur ſcilicet Dei vindictã in Cain parricidam. Ex verbis enim canonum, & antiquorum Patrum paſſim colligere eſt pęnarum pęnitentialium, quas infligebant, rationes ab exemplis, & præceptis Scripturæ derivaſſe. Quidquid ſit, vides illorum temporum morem, cujus abuſus meritò notat Rabanus.

III. Caroli Magni capitularia *lib.* 1. *c.* 79. eundem abuſum notant, *Nec iſti nudi cum ferro ſinantur vagari, qui dicunt ſe data ſibi Pęnitentia ire vagantes: melius videtur, ut ſi aliquid inconſuetum, & capitale crimen commiſerint, in uno loco permaneant laborantes, & ſcientes, & pęnitentiam agentes, ſecundùm quod ſibi canonicè impoſitum ſit.* Canonem Concilii Moguntini hanc peregrinationem improbantem ſupra *c.* 10. ex Reginonis collectione retulimus. Labente tempore mutata eſt illa peregrinatio anteà indefinita in ſanctam, & religioſam, cujus exemplum celebre ſuprà relatum eſt *cap.* 11. Cardinale Damiano, & Anſelmo Lucenſi Legatis Leonis IX. in Pœnitentiam imponentibus Archiepiſcopo, & Clero Mediolanenſi ad loca ſancta peregrinationem. Tantique tandem facta eſt ejuſmodi peregrinatio, ut integræ, longæque pœnitentiæ vicem ſubiret, hoc ſic definiente Urbano II. in Concilio Claromontano, *cap.* 2. *Quicunque pro ſola devotione, non pro honoris, vel pecuniæ adeptione ad liberandam Eccleſiam Dei Hieruſalem profectus fuerit, iter illud pro omni pęnitentia ei reputabitur.* Verùm de hac Pœnitentiæ commutatione, & redemptione infra ſuo loco.

IV. Videtur multo antiquior iſtius Pœnitentialis exilii, & peregrinationis origo. Sanctus enim Hieronymus, vel alius potius auctor eo poſterior in Pſalmi 118. verba, declinate à me maligni, ſcribit, *Si volueris perfectè agere pęnitentiam, ſegregare ſe debes à conſortio peccatorum, vel omnium majorum hominum, & fugere in alium locum, ut perfectè eam agere valeas.* Inſidebat igitur eo tempore nonnullorum Epiſcoporum menti ad rectè agendam pœnitentiam è patria ſecedendum, à multitudine hominum abſtinendum, locumque remotum petendum, unde poſteà facilè potuit peregrinatio tandem imperari. Obiter dicam, videtur ille auctor ſancto Gregorio ætate non ſuperior, cum barbaro more, Vel, ſcribat, pro, Et, quod in Italia potiſſimum poſt S. Gregorium uſitatiſſimum fuit. Deinde conſilium illud planè repugnat antiquæ diſciplinæ ævo Hieronymiano ubique uſurpatæ.

V. Alterum pęnitentialis pœnæ genus eſt ſtatus conditioniſque ſecularis abdicatio, & vitæ Monachalis in pœnitentiam profeſſio. *Capitul. lib. 6. cap. 90. Qui occiderit Monachum, aut Clericum arma relinquat, & Deo in monaſterio ſerviat cunctis diebus vitæ ſuæ, nunquam ad ſeculum reverſurus, & ſeptem annos publicam pęnitentiam gerat.* Repetit hoc capitulum Ivo, Decreti *p.* 10. *c.* 10. Pœnitentiale quoque Romanum *tit.* 1. *c.* 11. Uxoris interfectori duplex proponit pœnitentiæ genus, optionemque alter utrius eligendi tribuit. Nota Lector alter utrius ſequendi quam imponat neceſſitatem, *Duo conſilia proponimus tibi, accepta ſecum deliberatione, duorum elige magis quod placeat, & miſerere animæ tuæ, & tu hic in iſto anguſto tempore poſitus, ne ſis tu ipſe tuimet homicida, & in æternum pereas.* Primum referemus quod ad rem noſtram facit, *Relinque hoc malignum ſeculum quod te traxit ad tam immaniſſimum peccati facinus. Ingredere monaſterium, humiliare ſub manu Abbatis, & multorum fratrum precibus adjutus, obſerva cuncta ſimplici animo, quæ tibi ab Abbate fuerint imperata, ſi fortè ignoſcat infinita Dei bonitas peccatis tuis.* Conſilium hoc poſteriore lenius eſt, & clementiùs: Sequitur enim, *Iſtud conſilium, ut certiſſimè ſciat, leviùs, ac ſalubriùs eſt, ut ſub alterius cuſtodia lugeas deflenda peccata.* Hæc eadem habet apud Burchardum *lib. 6. c.* 40. Ivonem *part.* 8. Decreti *c.* 126. Gratianum 33. *q.* 2. *c.* 8. Eadem pœna caſtigatur mulier maritum ſuum veneno interficiens, Pœnitent. Rom. *tit.* 1. *c.* 12. ita Burch. *lib.* 6. *c.* 39. Ivo *par.* 10. *c.* 168.

VI. Eam optionem, quam ex Pęnitentiali Romano retulimus, Inceſtuoſis, & Parricidis offert *Capitulare* 71. *lib.* 6. *De Inceſtuoſis, & Parricidis, ut canonicè coerceantur, ſicut de illo Judicatum eſt, qui matertere ſuæ filiam ſtupravit, ut conjugium ultrà non petat, & militiæ cingulum derelinquat; & aut Monaſterium petat, aut ſi foris remanere voluerit, tempora pęnitentiæ ſecundùm canones pleniter deſolvat.* Idem Iſacus Lingon. *tit.* 4. *cap.* 5. Alterutrum Reo offerunt eligendum; Monachiſmumque exiſtimant onus Pœnitentia publica levius.

VII. Ejuſdem quoque Pœnitentialis *tit.* 2. *c.* 7. eadem pęna ſtatuitur in Laicos, qui in regni, aut Principis perniciem conjuraverunt, *Anathema ſit, niſi per dignam Pęnitentiæ ſatisfactionem emendaverit, ſicut conſtitutum eſt à ſancta Synodo, id eſt, ſeculum relinquat, arma deponat, in monaſterium eat, & pęniteat omnibus diebus vitæ ſuæ.* Eadem habent Burchardus *lib.* 12. *cap.* 21. Ivo *pars.* 12. Decreti *cap.* 78. Gratian. 22. *q.* 5. C. *Si Laicus.* Videri poſſet ex verbis citatis conſtitutio illa deſumpta ex Concilio Toletano 16. in quo Siſbertus Toletanus Epiſcopus deponitur, & exilio mulctatur, eo quod in Egicanem Regem conſpiraſſet, omnibuſque Conjuratoribus anathema pronuntiatur. Hoc equidem verum eſt, ſed in eo Concilio interpretationis de anathemate allatæ nullum verbum,

cui tamen ſoli probatio noſtra innititur. Quanquam nihil propoſito noſtro officeret, ſi Concilii textui eſſet inſerta illa anathematis interpretatio, cum anno 693. celebratum fuerit. Verum Pœnitentialis ille liber, ut à poſterioribus factum ſæpiſſimè deprehenditur, antiquos canones ex praxi præſenti interpretatur. Burchardus, Ivo, & Gratianus ſancto Auguſtino hunc canonem tribuunt: ſed nemo, opinor, mediocriter doctus dubitat hoc, ut & alia innumera, ſancto Auguſtino imponi. Eadem Pœnitentia Perjuro indicitur capite ſequente ejuſdem Pœnitentialis.

VIII. Hanc Pœnitentiæ imponendæ rationem celebrem fuiſſe, & in Eccleſia frequentatam ab anno nongenteſimo ad centeſimum ſupra milleſimum non modò colligitur ex jam allegatis, ſed etiam ex vita ſancti Romualdi, quam ſcripſit Petrus Damianus. In ea enim iſtius canonis praxis in perſonis inſignibus, & famoſis ſæpe legitur. *Cap.* 5. refertur hiſtoria Petri Urſeoli Venetiarum Ducis, qui ex privato principatum tyrannicè occupaverat. *Quidam venerabilis Abbas Guarinus nomine*, inquit Damianus, *ex ulterioris Galliæ finibus orationis gratia per diverſos mundi regiones peregrinari ſolitus erat. Hic quoque ad Ducem veniens ab eo protinus ut ſibi ad evadendum taciti reatus periculum conſultum præberet, exuctus eſt. Accerſitis igitur Marino, & Romualdo hoc ſibi communi jabetur ſententia, ut ſeculum ſibi cum ipſo, quem per nefas invaſerat, ducatu, relinqueret, & quia ad alienæ dominationis arcem injuſtè proruperat, ipſe ſe alienæ poteſtatis dominio ſubjugaret. Ille autem homo nimirum in poteſtate poſitus, quia converſionem ſuam manifeſtè facere auſus non eſt, tatum putavit hoc utendum eſſe conſilio, &c.* Deinde expoſito aſtu, quo clam omnibus ab urbe ſeceſſit, ſubdit, *Cum quodam ſuo familiari, Joanne ſcilicet Grandenico, qui præfatæ conjurationis conſcius fuerat, &, cum tribus illis beatis viris quos præpoſuimus, navem aſcendit, deinde in Galliam ad Monaſterium Abbatis Guarini Magnus converſus aufugit, &c.* His tribus magnis viris, & pietate illo tempore famoſiſſimis, Guarino, Marino (fuerat ille ſancti Romualdi Magiſter) jungendus eſt Damianus qui hæc ſcripſit, & laudavit.

IX. Sed preſſius urget non minus illuſtre exemplum *c.* 11. relatum de Olibano in Gallia Comite, & criminum Reo. *Hic*, inquit, *aliquando Romualdum gratia viſitationis adiit, & cæteris extra cellulam manentibus ſolus cum ſolo geſtorum ſeriem narrare quaſi per Confeſſionem cœpit. Cui vir venerabilis, hic quæ ab eo referebantur, auditis, reſpondit, aliter eum ſalvari minimè poſſe, niſi mundum relinquens ad Monaſterium convolaret. Comes autem mox mente turbatus ait, quia videlicet, ſui ſpirituales viri, qui ejus actu cognoſcerent, nequaquam ita ſentirent, neque tam intolerabilem rem ſibi aliquando ſuaderent. Aſcitis itaque Epiſcopis, & Abbatibus qui ſecum venerant, cœpit in commune perquirere, ſi ita res ſicut Dei ſervus teſtabatur, ſe haberet. Illi autem B. Romualdi ſententiam omnes una voce confirmant, ſe autem id Comiti eatenus non dixiſſe, terrore conſtrictos excuſant. Tunc Comes ſemotis omnibus, hoc cum B. Romualdo ſecreto valde conſilio pepigit, ut ad Caſſinum montem ſub prætextu orationis pergeret, & in Monaſterio ſancti Benedicti divino ſe ſervitio irrevocabiliter manciparet.* Nullo argumento illius temporis diſciplina Eccleſiaſtica hac in cauſa illuſtrius, & evidentius demonſtrari poteſt.

X. Idem legitur ab eodem Romualdo factum *cap.* 23. Otto Imperator S. Angeli caſtrum obſidet, illud occupante Creſcentio Tyranno. *Creſcentio*, inquit Damianus, *Tammus Dux exercitus inſignis jubente rege ſecuritatem cum jurejurando promiſit. Imperator tamen adulante Papa Creſcentium morte affecit, cujus uxorem poſtea in Concubinam accepit.* Quam Romualdus utrique Pœnitentiam ob perfidiam imponit? *Quia igitur Tammus, & fraudis conſcius, & perjurio tenebatur obnoxius, idcirco à B. Romualdo juſſus eſt relinquere ſeculum. Qui mox à Rege licentiam expetens, non modo facilem reperit, ſed nimium etiam alacrem fecit. Erat enim prædictus Imperator monaſtico valde benevolus, &c.* Quomodo verò ab eodem Romualdo exceptus eſt ipſe Otto Imperator, audiamus? *Ipſe autem Rex de eodem crimine B. viro confeſſus, Pœnitentiæ cauſa nudis pedibus de Romana urbe progrediens uſque ad Garganum montem S. Michaelis perrexit Eccleſiam. Per totam etiam Quadrageſimam in claſſenſi Monaſterio B. Apollinaris paucis ſibi adhærentibus manſit, ubi jejunio, & pſalmodiæ, prout valebat, intentus, cilicio ad carnem indutus, aurata deſuper purpura tegebatur; lecto etiam fulgentibus palliis ſtrato, ipſe in florea de papyris confectu, tenera delicati corporis membra tenebat.* Quamvis in hoc poſtremo exemplo nihil de ſeculi renuntiatione, & Monachatus profeſſione habeatur, quia tamen auguſtiſſimum hoc exemplum priori conjunctum eſt, & auſteræ de crimine, quod alias leve videri potuiſſet ob Pontificis conſenſum, Pœnitentiæ argumentum continet, præcedentibus adtexuimus. Eodem ſeculo legitur ſimile præcedentibus exemplum in Concilio Lemovicenſi, quod refertur à Baronio an. 1034. *& in 3. tom.* Concil. Quæſtio eſt de quodam Epiſcopi Interfectore, qui ut ajunt Patres, *Cum non inveniret pro tanto crimine Pœnitentiam, Cluniacum cœnobium petiit, & monachus ibi effectus eſt, &c.*

XI. Altius derivari poteſt iſtius Pœnitentiæ origo. Nam in Eccleſiis Hiſpanicis, & Narbonenſibus publica Pœnitentia erat Monachatus profeſſioni ſimillima, ut ex hujus operis *lib.* 5. *cap.* 7. aliiſque locis colligitur; ideò de hac re pluribus differere ſuperſedemus. Itaque facillimus fuit tranſitus ab eo Pœnitentiæ genere ad profeſſionis Monachalis injunctionem. Viam quoque ſtraverunt ad ejuſmodi Pœnitentiam ea, quæ civilibet Pœnitentiæ publicæ anterioribus ſeculis adnectebantur, Matrimonii, militiæ, forenſium actionum, aliorumque ejuſmodi interdictio, de quibus multis diſſeruimus libri 5. capitibus 18. 21. & ſequentibus. Illuc quoque poſteriores Epiſcopos inducere potuit mos antiquior, criminum Reos in monaſteria relegandi, ut in iis ad Pœnitentiam reapſe agendam cogerentur. Qui mentem igitur oculoſque ſuos à præſenti Eccleſiæ diſciplina tantiſper averterit, & in primitiva ſecula conjecerit, non adeò demirabitur auſos poſteriorum ſeculorum Epiſcopos in peccatorum Pœnitentiam injungere ſecularis vitæ abdicationem, & Monachatus profeſſionem. Deinde tantæ erant Pœnitentiæ ærumnæ, tam diuturnæ corporis afflictiones, ut Monachiſmi profeſſio multò eſſet Pœnitentia illorum temporum tolerabilior, ut ſupra ex Pœnitentiali Romano adnotatum eſt.

XII. Hinc facilè gravium criminum Reis perſuadebant antiqui Patres in Pœnitentiæ actionem ſeculo valedicere; & qui eos ſecuti ſunt, ulterius progreſſi id in Pœnitentiam injunxerunt. Prati ſpiritualis *cap.* 76. Hiſtoria refertur de quodam adoleſcente qui ſanctam quandam Virginem recens defunctam in tumulo expoliare, & ornamentis exuere tentaverat; Virginem autem tantiſper redivivam manum ipſius apprehendiſſe, & multis verbis tam immanem impietatem increpaſſe, nec prius manum dimiſiſſe, quàm promiſiſſet ſe in criminis Pœnitentiam ſeculo renuntiaturum, & Monachum profeſſurum, quod dimiſſus ſtatim præſtitit. Multi antiquitus commemorantur virorum ſanctorum conſilio Eremum petiiſſe, aut vitam cœnobiticam elegiſſe, ut peccatorum Pœnitentiam agerent: Monachorum enim eſt, ut ait ſanctus Hieronymus ad Heliodorum, flere, & peccata plangere, ſed hoc ante tempus notatum non lego in pœnitentiam imperatum. Hinc etiam orta videtur conſuetudo poſterior iſta, & à multis uſurpata, monachalem habitum in extremis induendi, ut quam viventes Pœnitentiam amplecti detrectaverunt, morientes ſaltem honorent. Hoc fecerunt magna cum humilitate, & animi devotione Ludovicus craſſus Francorum Rex, Blancha ſancti Ludovici mater, & ante hos Burchardus Meleduni, & Corbolii Comes, ut referunt hiſtoriæ noſtræ, multique privati eorum pietatem imitati ſunt, atque etiam nunc imitantur.

XIII. Altius adhuc videtur hujus conſuetudinis origo duci poſſe, ex alia ſcilicet conſuetudine cujus mentionem facit auctor dogmatum Eccleſiaſticorum apud ſanctum Auguſtinum *cap.* 53. Capitalium criminum ſive publica, ſive ſecreta fuiſſent, hoc enim tunc non attendebatur, mos erat eo tempore Pœnitentiam agere publicam. Cùm hoc dixiſſet Gennadius, interrogationi tacitæ occurrit, quæ proponi poterat, an capitalia illa crimina ſolvi non poſſent ſecreta Pœnitentia. Reſpondet id fieri poſſe, at cùm his conditionibus, *Sed, & ſecreta ſatisfactione ſolvi mortalia crimina non negamus, ſed mutato prius ſeculari habitu, & confeſſo religionis ſtudio per vitæ correctionem, & jugi, immò perpetuo luctu, &c.* Itaque eo tempore, multis ſaltem in locis, peccatoribus Pœnitentiam publicam agere detrectantibus Monachatus profeſſio aliquando conſulebatur, ſed non imperabatur, cum, ut demonſtratum eſt, ad Pœnitentiam publicam cogi non poſſent. Prima igitur iſtius pœnæ pœnitentialis origo videtur, ea Veterum ſententia, Monachiſmi profeſſionem pœnitentiæ publicæ virtute, & merito eſſe æquandam; & Monachiſmum conſequenter ut altera Pœnitentia publica, ſive ut alter baptiſmus, omnia delere peccata. Eandem ſententiam, verbaque Gennadii referunt in Præfationibus ſuis Collectio Metenſis, & Halitgarius, ſed nono ſeculo auctores iſti ſcribebant. Ejuſdem ſententiæ de æquatione Monachiſmi cum pœnitentia publica, argumenta habes ſupra hoc capite ex Capitularibus, & Pœnitentiali Romano.

XIV. No-

Digitized by Google

XIV. Noll autem æquationem Monachiſmi cum Pœnitentia publica intelligere ſine conjuncta pœnitentia privata canonicè acta. Hoc enim expoſtulant quæcunque de hac æquatione protulimus teſtimonia. Nonnullos commemorat S. Damianus *cap.6.* opuſculi de perfectione Monachorum ita arroganter ſentientes. Sed in eos acerrimè invehitur. Occaſio talis. Quidam Monachus ab eo petit, ut audiat eum confitentem. Confeſſione audita inquirit, *Pro his peccatis quantum jam Pęnitentiæ peregiſſet*, *Reſpondit*, *Domino quidem Abbati ſe cuncta fuiſſe confeſſum*, *ſed eum præter communem Monaſterii obſervantiam nullam ſibi Pęnitentiam indidiſſe; quia perhibuit ſolam converſionem pro omnium peccatorum ſuorum abſolutione plenè ſufficere.* Quid ad hæc Damianus? *Fateor, res mihi valdè diſplicuit; deſpexi, horrui, & hominem deceptum eſſe clamavi.* Hæc Damianus in fine capitis de eo quòd expertus dedicerat. Sed quid initio dixerat, audiamus, *Nonnulli Rectores fratrum plus tribuentes Monaſticæ regulæ, quàm expediat, quibuslibet à ſeculo venientibus, etiamſi graviter lapſi ſint, aliam Pęnitentiam non imponunt, niſi tantùm communem Monaſterii ordinem ſervare præcipiunt.* Quid de hac ſententia judicat Damianus? *Quod profectò quàm ſit inconſideratum, quàm inhumanum, quàm penitus indiſcretum, quiſquis ſapit, intelligit.* Hæc multis perſequitur vir ſanctus, & objectionibus occurrit. Eadem erat S. Gregorii ſententia cum Epiſt. 13. *lib.* 10. adhortatur Paſſivum Epiſcopum, ut Opportunum quendam, ſi nulla obſtant crimina Subdiaconum ordinet; *Si quæ verò gravia obviant, multò magis admonendus eſt, ut ſeculum relinquat, ut hæc perfectiùs defleat.* Quamobrem ſeculum criminum Reus relinquit? ut crimina perfectius defleat. Si Apoſtolus, inquit Damianus, *inter tam magnifica virtutum opera non confidit adhuc in Apoſtolatu, quid nos infelices, & miseri tantùm præſumimus de noſtræ deſidiæ Monachatu? &c. Quid prodeſt à peccatorum perpetratione deſiſtere, niſi & hæc ipſa quæ perpetrata ſunt, ſtudeat quis diſtrictæ Pęnitentiæ ſatiſfactione delere?*

CAPUT XVI.

Ejuſdem ſeveritatis in ſeculis exercitæ duo alia argumenta enarrantur. Communionis ad finem uſque vitæ in quibuſdam criminibus retardatio; & Pęnitentium Romam ad dignam ſceleris pænitentiam excipiendam remiſſio. Caſtigatur à Conciliis abuſus pænitentium Pontifici obrepentium, doceturque, quando & qua ratione ad ipſum recurſus Pænitentiæ cauſa ſit legitimus. Demonſtratur, canonem, qui quorundam Reorum Abſolutionem reſervat Papæ, de ipſo Papa, & de itinere ad eum ſuſcipiendo eſſe intelligendum.

EJuſdem ſeveritatis nondum iis ſeculis remiſſæ argumenta duo hoc capite perſequemur. Priùs erit continuata omnibus illis ſeculis propter nonnulla ſcelera communiones ad finem uſque vitæ dilatio. Nullus enim animæ piæ, & ad Deum verè converſæ labor imponi poteſt durior, nec ulla primis ſeculis exiſtimata eſt ſeverior ſcelerum caſtigatio, & iis purgandis amarius pharmacum. Gregorius III. reſpondens interrogationi 7. S. Bonifacii, ita de Parricidis ſtatuit, *De his, qui Patrem, matrem, fratrem, aut ſororem occiderint, dicimus, ut toto vitæ tempore corpus Dominicum non ſuſcipiant, niſi in exitu pro viatico, &c. tom.*1. Concil. Galliæ an. 738. Capitularium Caroli Magni, & Ludovici *lib.6. cap.* 241. *Eos, qui falſa fratribus capitalia objeciſſe convicti fuerint, placuit uſque ad exitum non communicare, & infames ſemper exiſtere.* Concilium Tullenſe anno 859. ſub Nicolao Papa celebratum in Epiſtola ad factioſos quoſdam, & publicæ pacis turbines, *Sancti Dei, qui ante nos Eccleſiam rexerunt, eos, qui voluntarium homicidium fecerunt, pęnitentiam quamdiù viverent, facere ſtatuerunt, & ut nunquam acciperent ſanctam communionem, niſi in fine pro viatico decreverunt. De uno homicidio hoc ab illis eſt confirmatum, nobis quid faciendum eſt, quibus nuntiatur multos à ſingulis eſſe trucidatos?* Pœnitentiale Romanum *tit.* 1. *cap.* 11. inter cætera hoc uxoricidæ injungit, *Communione ſacri Corporis, & Sanguinis Domini cunctis diebus vitæ tuæ indignum te exiſtimes: in ultimo termino vitæ tuæ pro viatico, ſi obſervaveris conſilium, ut accipias tibi concedimus.* Et ejuſdem *tit. cap.*5. *Si quis hominem publicè pænitentem interfecerit, ut homicidium ſponte commiſſum dupliciter pæniteat, & niſi in finem non communicet.* Eadem, quæ Pœnitentiale Romanum *cap.*5. habent Burchardus *lib.6. c.*20. & 40. Ivo *part.* 10. Decreti *c.*149. & *part.*8. *c.*126. & Gratian. 33. *q.*2. *c.* 8. Idem Pęnitentialis liber eandem pœnam Inceſtuoſis imponit *titul.* 3. *cap.* 8. *Sacrificium niſi pro viatico minimè ſumat.* Similiter edicunt Burchardus *lib.* 17. *cap.*8. & Ivo *part.* 9. *c.* 70.

II. Rabanus Maurus libri Pœnitentium *c.* 2. *Si qua mulier duos fratres, aut ſi quis vir duas ſorores duxerit, à communione abſtineat uſque ad mortem. In morte eis communio pro miſericordia detur.* Eadem in aliis criminibus leguntur *cap.*11. & 12. Burchardus *lib.*17. *c.*2. *Si qua mulier duos fratres, aut ſi quis vir duas ſorores duxerit, à communione ſeparentur uſq; ad mortem; in morte pro miſericordia viaticum accipiant.* Eandem pęnam imponit Chriſtianis Apoſtatis ab idololatria revertentibus *lib.*19. *cap.*133. In Concilio Lemovicenſi anno 1034. celebrato dicitur ſanctus Odilo Cluniacenſis Abbas Pontificem conſuluiſſe, an quidam Epiſcopi Interfector, qui expiandi ſceleris cauſa in Cluniacenſi Monaſterio Monachus factus fuerat, ad ordines provehi poſſet, Pontifexque in hæc verba illi reſpondiſſe, *Impoſſibile eſt talem ad aliquem gradum provehi, neque etiam offerre oblationem ad manus Sacerdotis, ne fortè pro eo uno in plures furor Domini deſcendat. Sed nec communionem ſanctam accipere poteſt. In exitu autem vitæ pro miſericordia ei viaticum detur. Nihil hîc aliud quàm luctum agat, ſi illic fortè miſericordiam inveniat.* Sic adhuc vivere refert Concilium juxta Pęnitentiam illi à Pontifice aſſignatam: *Ita hactenus ille vivit permanens in Pęnitentia non offerens, non communicans.*

III. Omnes illi canones, ut ex eorum verbis unicuique manifeſtum eſſe poteſt, de Euchariſtiæ viatico intelligendi ſunt. Pœnitentiale Romanum *tit.*2. *cap.*7. præcedentibus adhuc expreſſius hoc docet, *Pæniteat omnibus diebus vitæ ſuæ: Verumtamen communionem in exitu vitæ cum Euchariſtia accipiat.* Eundem canonem repetunt Burchard. *lib.*12. *cap.*21. & Ivo *parte* Decreti 12. *cap.*78. Gratian. 22. *qu.*5. *cap.* 19. Parum autem referebat illis ſeculis, an in canone adderetur Euchariſtia Communioni, an omitteretur. Semper enim poſt abſolutionem, ſive reconciliationem licebat Pœnitenti Euchariſtiæ participare, licèt forſan tota pœnitentia non eſſet completa. Sed in caſu objecto potiſſimùm, hoc eſt, poſtremo vitæ articulo utrumque illis ſeculis, & anterioribus ſemper conjungebatur. Denique poſt annum ducenteſimum ſupra milleſimum non erat prorsùs obſoleta ejuſmodi praxis; eam enim imponendam docet Robertus de Flamesbur Canonicus S. Victoris ad muros Pariſienſes in Pœnitentiali ſuo iis, qui publicum Pœnitentem interfecerint.

IV. Poſteriùs ejuſdem ſeveritatis nondum remiſſæ argumentum eſt conſuetudo illis ſeculis uſitata, tam pœnitentium Romam confugiendi, ut pœnitentiæ aliquod laxamentum propter itineris moleſtias, & teſtatam hoc itinere ad ſancta Apoſtolorum limina devotionem à ſummo Pontifice obtinerent, quàm Epiſcoporum pœnitentes ſuos propter criminum ſive novitatem, ſive gravitatem ad eundem remittentium, ut condignam ſceleribus ſuis Pœnitentiam imponeret. Hujus conſuetudinis, & Pœnitentiæ hoc modo impoſitæ multa exempla *cap.*9. hujus libri alia in cauſa relata ſunt, quæ inde repetet Lector. Paucula verba tantùm exſcribemus, quibus iſtius praxis frequentia, & cauſa docebuntur: Nicolaus igitur Papa ad Rivoladrum Epiſcopum, *Undique venientes admodum plurimi ſuorum facinorum proditores quantum dolorem inferant pectori noſtro, plus ſingultu reminiſcimur, quàm calamo ſcribi queat.* His ſimilia in pari cauſa Hincmaro Remenſi reſcribit, & Radoldo Argentoratenſi Epiſcopo. Finis iſtius peregrinationis Romam ſatis explicatur à Nicolao ad Hincmarum ſcribente, *Uſque ad mortem pęnitentiæ ejus quantitas extendi debuerat; ſed devotionem ejus fidei conſiderantes, ſive quia ad ſuffragia Apoſtolorum feſtinaverit, humaniùs cum illo peregimus.* Ita quoque ad Rivoladrum, *Quædam temperavimus eo quòd ſuffragia Apoſtolorũ Principis nutritoris noſtri poſtulare devotè feſtinavit.* Frequens igitur erat toto illo Seculo pęnitentiæ minuendæ cauſa Romam eundi conſuetudo.

V. Seculo ſequente tam frequenter uſurpata fuit, ut in abuſum verteretur, cui obviam ierunt Epiſcopi in Conciliis congregati, ne hoc abuſu diſciplina Pœnitentialis remitteretur. Conciliorum verba referenda ſunt: Præclarè enim docent quanta diligentia Patres eorum temporum conſervandæ antiquæ diſciplinæ incubuerint. Concilium Salegunſtadienſe anno 1023. celebratum *can.*18. & conſuetudinem docet, & abuſui medetur, *Quia multi tanta mentis ſuæ falluntur ſtultitia, ut in aliquo capitali crimine inculpati Pęnitentiam à Sacerdotibus ſuis accipere nolint, in hoc maximè confiſi, ut Romam euntibus Apoſtolicus omnia ſibi dimittat peccata, ſancto viſum eſt Concilio, ut talis indulgentia illis non proſit; ſed priùs juxta modum delicti Pęnitentiam ſibi datam à ſuis Sacerdotibus adimpleant, & tunc Romam ire ſi velint, ab Epiſcopo proprio licentiam, & literas ad Apoſtolicum de iiſdem rebus deferendas accipiant.*

Supra

Supra *cap.* 11. illuſtre exemplum allatum eſt Rodulphi cujuſdam Comitis propter ſcelera à Fulberto Carnutenſi Epiſcopo excommunicari, qui ad Pontificem, & Pœnitentiæ ſuſcipiendæ, & Abſolutionis obtinendæ cauſa Romam profectus eſt. Vide, quid ea de re Pontifici ſcripſit Fulbertus.

VI. Sed nihil poteſt in cauſa luculentiùs dici, quàm quod multis legitur in Concilio Lemovicenſi anno 1034. celebrato. In eo enim multa hujus conſuetudinis referuntur exempla. Pontifex à nonnullis Epiſcopis, ut diſciplinæ Eccleſiaſticæ everſor accuſatur, accuſationi literis ſuis reſpondet Pontifex, literiſque lectis judicatur nihil contra diſciplinam egiſſe; doceturque inſuper, qua ratione & Pontifex, & Epiſcopi hac in cauſa ſeſe gerere debeant, ut diſciplina minimè diſſolvatur, *In Concilio conquiſitum eſt de excommunicatis Aquitanigenis, qui ignorantibus Epiſcopis ſuis à Romano Papa Pœnitentiam, & Abſolutionem accipiunt, & hac de cauſa pax, & Concilium in Aquitania deſtruitur, dum quos iſti ligant, ille injuſtè abſolvit*. Exemplum iſtius indulgentiæ profert Anicienſis Epiſcopus Pontium Comitem Arvernenſem, quem Papa ignorans à proprio Epiſcopo excommunicatum abſolverat, cujus rei cauſa Arvernenſis Epiſcopus apud Papam conqueſtus fuerat. Sed Papa Epiſcopo reſpondens culpam in Epiſcopum retorquet, *Debueras certè mihi, antequam illa ovis morbida Romam veniret, ejus cauſam tuis innoteſcere apicibus, ut eam omnimodè abjicerem, tuamque firmando auctoritatem, eam anathematis ictu repercuterem. Profiteor quippe omnibus conſacerdotibus meis ubiq; terrarum adjutorem me, & conſolatorē potius eſſe, quā contradictorem, &c.* Lecta in Concilio Epiſtola omnes Apoſtolicum à culpa immunem judicarunt, eo quòd Epiſcopi Arvernenſis negligentia ipſi eſſet obreptum. Ibidem mentio fit alterius, qui ab Apoſtolico literas ad Engoliſmenſem Epiſcopum impetraverat, quibus rogabat Epiſcopum Apoſtolicus, ut pœnitentiam à ſe impoſitam ratam haberet. Sed literas illas, ut ſubreptitias nihil fecit, *Quod ego*, inquit Engoliſmenſis Epiſcopus criminis Reo, *poſtulare debuerum ab Apoſtolico, Apoſtolicus poſtulat à me. Credere non poſſum: Hoc mandatum ab eo extortum, & hoc tibi nihil utile eſt. Et donec à me, vel ab hujus ſedis Archidiacono, me jubente accipias pœnitentiam, permane in Excommunicatione. Et ejecit eum forus de Eccleſia.*

VII. His in Concilio relatis docent Patres, qua ratione ſeſe Epiſcopi gerere debeant erga Pontificem in Pœnitentiæ impoſitione, & Pontifex erga ipſos, quòd præcedentibus mihi videtur neceſſarium adtexere: Repræſentant enim nobis velut in ſpeculo Epiſcoporum iſtius ſeculi in imponenda Pœnitentia diligentiam, & ſeveritatem, *Et dixerunt Epiſcopi: Hoc ab ipſis Apoſtolicis Romanis, & cæteris Patribus cautum tenemus, ut Parochiano ſuo Epiſcopus ſi Pęnitentiam imponit, eumque Papæ dirigit, ut judicet, utrùm ſit, an non Pęnitentia digna pro tali reatu, poteſt eum confirmare auctoritas Papæ, aut levigare, aut ſuperadiicere. Judicium enim totius Eccleſiæ maximè in Apoſtolica Romana ſede conſtat. Item ſi Epiſcopus Parochianum ſuum, cùm teſtibus, vel literis Apoſtolico ad pęnitentiam accipiendam direxerit, ut multoties pro graviſſimis fieri ſolet reatibus, in quibus Epiſcopi ad dignam hæſitant pœnitentiam imponendam, hic talis à Papa licenter remedium ſumere poteſt. Nam inconſulto Epiſcopo ſuo ab Apoſtolico pęnitentiam, & Abſolutionem nemini accipere licet.*

VIII. Iſtius præcepti praxis in eodem Concilio refertur: Miles quidam jubente Sancio Vaſconum Duce Seniorem ſuum capite truncavit, invitus tamen, & Ducis minis adactus, ſæpius ipſi ingeminantis; Niſi iſtum occideris, occidam te. Poſteà Miles ille facti Pœnitentia graviter tactus adit Epiſcopum ſuum, ſupplexque ab eo Pęnitentiam petit. Epiſcopus verò ad eum, *Graviſſimum reatum egiſti, & nobis inauditum. Neſcio tibi conſilium ferre pęnitentia, ſed vade quanto citiùs ad Papam Romanum, ſi tibi ille Pœnitentiam concedit, & ego gaudeo, & confirmo: ſi te ille abjecerit, nunquam nec à me, nec ab aliquo invenies pœnitentiam. Quod ille concitus implevit, & cum teſtibus detulit ſecum literas Epiſcopi ſui.* Illius conſilium exequitur Miles, Romam proficiſcitur, atque ſecunda feria Paſchali ad ſanctum Petrum inter Miſſarum ſolemnia poſt Evangelii lectionem, ad ſedentem Pontificem exclamat, *pœnitentiam volo, Domine; Pęnitentiam volo, Domine*. Mandat Pontifex aſſidentibus ſibi, ut quid criminis eſſet ab eo ſciſcitarentur. Quo facto, *Sic Apoſtolicus Epiſcopo qui à dextris ejus ſtabat, locutus eſt, dicens, Recogita auctoritatem divinam, quali Pœnitentia hic mortuus poſſit vivificari, &c.*

IX. Pleraque ſunt horum temporum, & ſequentium exempla, quibus eadem conſuetudo, & pœnitentiæ rigor demonſtratur. Gregorius Epiſcopus Vercellenſis propter adulterium, aliaque crimina excommunicatus, & depoſitus Romam proficiſcitur, inquit Hermannus Contractus, ad Leonem IX. à quo data ſatisfactione Epiſcopatui an. 1051. reſtituitur. Guarnerius Argentoratenſis Epiſcopus ab Alexandro II. propter crimina correptus Romam venit, *Et cum tanta fatigatione ſicut audivimus*, inquit Gregorius VII. *lib.1. epiſt.77.* ad Beatricem, & filiam ejus Mathildem, *jejunando pariter, & plerumque pedes eundo, compunctionem ſuam, & obedientiam demonſtravit, ut Confratres noſtri pro competentia horum temporum miſerendum ſibi fore dignum æſtimarent, & decernerent.* Ejuſdem profectionis Pœnitentiæ accipiendæ, & mitigandæ cauſa ad eundem Alexandrum II. Romam ſuſceptæ exempla quatuor ſupra *cap.* 11. fusè ex Ivone Carnutenſi ejuſdem temporis auctore exſcripta, rationemque Pœnitentiæ iis impoſitæ ſigillatim à Pontifice enarratam. Sed inſignis præ cæteris eſt actio Pœnitentiæ ab Henrico II. Imperatore præſtita, ut à Gregorio VII. Eccleſiæ reconciliaretur. Non modò enim in Italiam ad Pontificem venit, ſed etiam caſtellum, in quo morabatur, ingreſſus eſt, *Derelicto omni comitatu ſuo, depoſito cultu regio, nihil præferens regium, nihil oſtentans pompaticum, nudis pedibus, jejunus mane uſque ad veſperam Romani Pontificis ſententiam præſtolando. Hoc ſecundo die, hoc tertio die fecit. Quartò demùm die in conſpectum ejus admiſſus, poſt multas hinc inde dictas ſententias his poſtremò conditionibus Excommunicatione abſolutus eſt.* Conditiones Lambertus illius temporis Hiſtoriographus totamque actionem fusè deſcribit, atque ex eo Baronius ad annum 1077. Henrici Imperatoris humilitas verò pœnitente digna fuit; An verò à Pontifice ter expelli debuerit, alii diiudicent. Qui Pœnitentiam ex uſu hodierno æſtimaverit, hanc planè extraordinariam judicabit: Nihil tamen ille præſtitit, niſi quod omnes tunc pœnitentes in eadem cauſa præſtabant. Forſan aliquis verba exſcripta ad pœnitentiam ſacramentalem ut ajunt, nihil pertinere contendet, eo quòd dicatur tantùm Excommunicatione ſolutus. Sed nondum rigidè uſurpabatur in Eccleſia fori interni ab externo ſubtilis diſtinctio. Unum paſſim pro alio, & cum alio, ſive agendo, ſive loquendo indiſtinctè permutabatur. Ideò poſitione unius alterum non excluditur; immò ſæpiùs evidenter includitur, ut non ſemel jam admonuimus, & nunc à Gregorio VII. obſervatum eſt. Nam ſtatim poſt Abſolutionem illam ab Excommunicatione non modo Miſſæ ſacrificio intereſt Henricus, ſed etiam offertur illi communio Euchariſtica, & τοῦ ἀγαθοῦ καὶ τελείου participatio.

X. Robertus Francorum Rex Romam quoque profectus eſt Pœnitentiæ cauſa, ut ex *tom.*4. hiſtoricorum Francicorum à Quercetano editorum colligitur. Et id inſuper teſtatur Leo IX. non tantùm de Rege, ſed etiam de Epiſcopis, qui ipſius contra canones conjugio conſenſerant. *Pater tuus Robertus*, inquit ad Henricum Roberti filium ſcribens, *laude, & conſulta Epiſcoporum regni tui Bertam matrem Odonis Comitis ſibi duxit uxorem. Ob quam rem quoniam ſibi erat carnis affinitate conjuncta, ab Anteceſſore noſtro cum Epiſcopis, qui placito interfuerunt poſt ad ſedem Apoſtolicam venientes cum ſatisfactione ſumpta Pęnitentia, redierunt ad propria.* Hoc refert Ivo Carnutenſis, qui eodem cum Roberto Rege ſeculo ſcribebat, Decreti *p.9.c.*8. Idem Ivo *Epiſt.*98. hoc de ſcipſo teſtatur: Excommunicaverat quandam Simonem de Melfa, qui uxori ſuæ mulierem ſuper induxerat. Ea mortua criminis pœnitet, & ab Ivone Abſolutionem petit, ſed Ivo eum Romam ad Pontificem remittit, *Dedi literas*, inquit, *ſeriem ejus cauſæ continentes ad Dominum Papam, ut cognita veritate, quod inde vellet, ordinaret, & mihi remandaret. Hoc reſponſum expecto, &c.* Philippus quoque Francorum Rex propter adulterium excommunicatus ad Urbanum II. in Galliis tum agentem profectus eſt, ut Pœnitentia accepta Eccleſiæ, & altari reconciliaretur, ut refert Bertholdus illius temporis auctor.

XI. Perſeverabat adhuc, aut non multum erat imminuta Eccleſiaſtica illa ſeveritas anno 1139. quo Concilium Lateranenſe ſub Innocentio II. celebratum eſt, ut colligitur ex *can.*15. *Si quis ſuadente Diabolo hujus ſacrilegii reatum incurrit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo ſubjaceat, & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſolvere, niſi mortis urgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat.* Novem poſt annis, idem canon confirmatus eſt in Concilio Remenſi, cui præſidebat Eugenius III. Pontifex in Gallia, tum commorans, & retulit in Decretum ſuum Gratianus 17. *qu.* 4. *cap.*29. Aliquis forſan antiquiorem diſciplinam ex hodierna dimetiens, reſervationem Pontifici factam interpretabitur, non modò de Pontifice, ſed etiam de ordinariis Pontificis Commiſſa-

Digitized by Google

miſſariis, & Delegatis, quales uno poſt hoc Concilium ſeculo plures in unaquaque civitate ampliore conſtitui cœperunt. Hæc interpretatio & textui, & conſuetudini, illius temporis, & canonis menti evidenter videtur contradicere: Textui, quum ea verba contineat, quæ interpretationem iſtam tolerare non poſſint, *Anathemati ſubjaceat, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat*. Longum tempus manifeſtè definit ob criminis ſcelus, quo durante anathemate ſubjacere debet. At admiſſa interpretatione ſtatim ab anathemate ſolvi poteſt, non ſecus ac ab alio quovis crimine. Deinde fruſtra ob eandem cauſam additur, *Niſi mortis urgente periculo*. Supponunt enim iſta longum temporis interſtitium crimen inter, & abſolutionem, in quo interſtitio ſæpè contingere poteſt, ut Reus criminis morte urgeatur, quod iis plerumq; accidit, qui è longinquis Provinciis Romam ire tenentur. At ſi ubique gentium præſto ſint Pontificis Commiſſarii, nulla potior eſt occaſio hujus addendæ exceptionis, quàm in quovis alio crimine, ut nunc videre eſt in quovis crimine Pontifici reſervato. Denique ipſa verborum majeſtas ipſummet Pontificem adeundum eſſe ſatis mihi declarare videtur, *Apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat*, quæ certè de paſſim obvio, & facilè parabili Sacerdote non videntur intelligenda.

XII. Contradicit conſuetudini hęc Interpretatio, ut hoc capite tam multis anterioribus exemplis eſt demonſtratum, & poſterioribus demonſtrari poteſt. Refert Rogerius in Annalibus Anglicis ad an. 1172. Thomam Archiepiſcopum Epiſcopos Londonienſem, & Sarisberienſem excommunicaſſe: Thoma autem defuncto poſt aliquod tempus, Epiſcopos illos criminis pœnituiſſe. Quum autem partim morbo, partim ætate confecti Romam ire non poſſent, de hac re Alexandrum III. Pontifici Tuſculi tum agentem monuerunt, qui Epiſcopus Bituricenſem, & Nivernenſem, ad eos abſolvendos delegavit, ea tamen conditione, ut ſi fieri poſſet ad eos venirent Rei, *Quia prædicti Epiſcopi ſenio, & debilitate corporis confecti, & alter morbo laborans ad præſentiam noſtram venire non poſſunt, vobis, de quorum prudentia, & honeſtate confidimus, abſolutionem eorum, pro qua Nuntii Regis Angliæ, & eorundem Epiſcoporum apud nos vehementiùs inſtiterunt, duximus committendam*. Et paulò poſt, *Si autem vobis conſtiterit, quod Sarisberienſis Epiſcopus morbo laborans ad vos venire non poſſit, illuc in propria perſona, quod nobis placeret, accedatis, &c.* En qua ratione docet nos Pontifex eſſe intelligendum, Apoſtolico conſpectui ſeſe præſentare. Refert quoque idem Rogerius an. 1188. Hugonem S. Andreæ Epiſcopum anathemate percuſſum Romam iviſſe, & à Clemente III. abſolutum paucis poſt diebus ſupervixiſſe.

XIII. Denique canonis menti diſertiſſimè contradicit hæc interpretatio. Reſervatur enim Pontifici hæc abſolutio, & Epiſcopis eximitur, ut onus longè majus, vel ipſa Romam itione, & Pœnitentia criminum gravitati æquata Reo certiùs imponatur: Ipſo Pontifice eam putante, & taxante. Reſervationis iſtius criminis hic ſcopus eſt unicus, quem planè fruſtratur in eundem effectum ordinaria Pontificis in eodem loco delegatio. Quid enim aliud quàm hoc operaretur ejuſmodi delegatio? Non adibit criminis Reus Epiſcopum, ut abſolvatur, ſed quinquaginta paſſibus Epiſcopio ſuperiùs, aut inferiùs Canonicum, aut Sacerdotem alium à quo Excommunicationis vinculo liberetur. Ejuſmodi reſervatio non in pœnam, & odium graviſſimi criminis, ſed, quod prorsùs incredibile eſt, in pœnam, & odium, & deridiculum innocentis Epiſcopi à Concilii Patribus inducta fuiſſet.

CAPUT XVII.

Concilia quædam Anglicana, quibus probari videtur Peregrinationem ante annum 700. in pœnitentiam fuiſſe impoſitam, recentia eſſe. Quando Dolenſis Epiſcopus cœpit Archiepiſcopi nomen uſurpare. Ex Anglicana collectione probatur, Peregrinationem, Monachiſmum, verbera, & carcerem, pęnitentiales pęnas fuiſſe. Inſignia duræ pœnitentiæ exempla Magnatibus impoſitæ, Anglorum, & Saxonum reges legibus ſuis procurabant, ut pęnitentiæ executioni mandarentur.

NOn mihi videtur prætermittenda objectio, quæ ex collectione Conciliorum Britannicorum adverſus nonnulla eorum, quæ dicta ſunt, exciri poteſt. Inter pœnas quarum uſus in Pœnitentiarum impoſitione cœpit circa ſeculi ſeptimi initium, recenſuimus exilium à patria, & in exteras regiones peregrinationem. Verùm ſi credamus certis quibuſdam Concillis, quæ perhibentur Landaviæ in Anglia circiter annum 560. celebrata fuiſſe, uno ſeculo ante Epochen à nobis fixam pœna illa pœnitentialis vulgata fuit. Sed ſi tantiſper Conciliorum iſtorum verba attendantur, ſecumque, & cum genio temporum, quibus ea tribuunt aliqui, comparentur, nulla prorſus erit Epochen noſtram movendi neceſſitas. Britanniæ quidam Regulus Mouricus alium Regulum contra pacta, fidemque interficit. Hac data occaſione, *Epiſcopus Oudoceus convocavit omnes Clericos ab oſtio Tarotyrin Guy uſque ad Tivi cum tribus Abbatibus ſuis, Conſen Abbate Carbaſi Vallis, Cargen Abbate Ildate, Salgen Abbate Docgainni, & plena Synodo excommunicavit regem Mouricum propter homicidium ab eo perpetratum, & propter pactum factum præſentia ſua, & ſuper altare Petri Apoſtoli, & Sanctorum Dubricii, & Teliaci tranſgreſſum, & ita inclinando cruces ad terram, ſimul & patriam dimiſit ſine baptiſmo, & communio Chriſtiana maledixit regem cum progenie, confirmante Synodo, & dicente, fiant dies ejus pauci, & ſiunt filii ejus Orphani, & uxor ejus vidua. Et remanſit rex cum tota ejus regione ſua ſpatio duorum annorum, & eo ampliùs ſub eadem excommunicatione. Poſteà rex non potuit tamdiù durantem Excommunicationem tantam ampliùs ſuſtinere, videns perditionem animæ, & damnationem regni, veniam requiſivit apud S. Oudoceum Landaviæ, & effuſis lachrymis cum inclinato capite, & coram tribus Abbatibus Oudoceus Epiſcopus impoſuit ei jugum pœnitentiæ ad modum qualitatis, & quantitatis, commendans ei, ut tribus modis emendaret apud Deum, & Eccleſiam Landaviæ videlicet, jejunio, & oratione, & eleemoſynis. Rex Mouricus accepto jugo pœnitentiæ dedit quatuor villas pro redemptione animæ ſuæ, & pro anima Cinetu, Eccleſiæ Landaviæ, & in manu Oudocei Epiſcopi, & omnibus ſuis ſucceſſoribus, cum tota ſua libertate, & ab omni ſervitio liberas in perpetuo, & cum tota communione per Patriam ſuam manentibus in his terris, in campo, & in ſylva, in Paſcuis, & in aqua, &c. De illis quatuor viginti quatuor modii terrarum. De clericis teſtes ſunt Oudoceus Epiſcopus, &c. De Laicis Mouric Rex cum filio ſuo Frioc, & nepote Morrunt filio Atnis, &c.*

II. Hæc fusè retulimus, eo quòd ſui refutationem ſecum ferant. Primùm univerſali ſtyli textura vix, ac ne vix quidem annum refert ſeptingenteſimum, nullo modo ſexcenteſimum. Deinde verba poſtremæ pericopæ, *Dedit quatuor villas cum tota ſua libertate, & ab omni ſervitio liberas, &c.* Nonum ſeculum finiens ſapiunt, & anterioribus convenire non poſſunt. Tertiò hic Excommunicationis modus ſive interdicti, *Inclinando cruces ad terram ſine baptiſmo, & communione remanſit rex cum tota ejus regione ſpatio duorum annorum, &c.* Cœpit tantùm in Eccleſia uſurpari verſus ſeculi decimi finem. Denique ex antiquo manuſcripto, unde iſta excerpta ſunt evidentiſſimè demonſtratur ſuppoſitio. Alia enim ejuſdem Oudocei Excommunicatio refertur Regis Moreant, qui Patruum ſuum Frioc contra datam fidem occidit. Convenerant, *Ut ſi unus alterum occideret, aut ei dolum inferret, nullo ſe alio modo redimeret agro, nec argento, ſed regnum ſuum quietum clamaret, & vitam ſuam totam duceret in peregrinationem*. Eodem modo, ut ſupra Synodum congregat cum tribus Abbatibus ſuis, & Clericis ab oſtio Tartaryn Gui, &c. & ſuſcepta pœnitentia *clamant tres Congregationes liberas ab omni regali ſervitio, &c.* Clamare quietum, liberum. Phraſis Danica, & Normannica.

III. Tertia Synodus celebrata perhibetur Landaviæ ab eodem Oudoceo, in qua iiſdem convocatis, ut ſupra Excommunicatus eſt Guidnerch ob Merchion fratrem ſimiliter contra fidem occiſum, *Et ita remanſit depoſitis crucibus ad terram ſimul, & cymbalis. Verſit tribus annis ſub eadem Excommunicatione, & ex toto ſine aliqua Chriſtianorum communione. Finitis tribus annis requiſivit veniam apud B. Oudoceum, & data ei venia miſit eum in peregrinationem uſque ad Archiepiſcopum Dolenſem in Cornugalliam, &c.* Novum ſuppoſitionis argumentum. Dolenſis enim Epiſcopus Turonenſi Metropolitæ ſubditus ſemper fuit: ab eo tantùm defecit cùm cæteris Britanniæ minoris Epiſcopis, regnante in Francia Carolo Calvo, cùm adverſus eum rebellaret Neomenojus Comes Britonum. Tum enim Neomenojus Dolenſem Epiſcopum juſſit cæteris Britanniæ Epiſcopis præeſſe, & Archiepiſcopi inſignia geſtare. Concilii Sueſſionenſis Epiſtola ad Nicolaum I. anno 866. data, cui ſubſcribunt Herardus Turonenſis Archiepiſcopus, & Actardus Namnetenſis, à Neomenojo ſede pulſus, defectionis annum viceſimum adnotat, ut legere eſt Conciliorum Galliæ *tom.3*. Longo tempore

Digitized by Google

pore ſeſe huic rebellioni oppoſuerunt Metropolitæ Turonenſes, adjuvantibus eos, & protegentibus pleriſque Eccleſiæ Gallicanæ Conciliis; tandemque poſt varias 353. annorum ſpatio Romæ intentatas lites anno Chriſti 1199. controverſia ab Innocentio III. definita eſt, cauſaque cecidit Dolenſis, & Turonenſi Metropolitæ ſuppoſitus eſt, nullamque ab eo tempore in hunc uſque diem de prærogativa litem movit. Litis inſtructio, & ſententia cum Innocentii III. operibus editæ ſunt. Hoc retulit in hiſtoriam ſuam Matthæus Paris, & Argentreus Præſes hiſtoriæ Britannicæ *lib. 3. cap. 69.* Poſteà Alexander VI. permiſit illi crucem præferri, qua ſola Metropolitanæ prærogativa nunc gaudet. Itaque certum eſt auctorem iſtum poſt an. 850. iſta ſcripſiſſe. Tandem Excommunicatione ſolutus eſt Guidnerth poſtquam Eccleſiæ Landavienſi donavit villas *Laun, Cargnala, Tir cum omni ſua tellure, cum ſylva, & cum maritimis, & cum omni ſua libertate ſine ullo cenſu homini terreno.*

IV. In eodem Conciliorum Anglicanorum volumine referuntur poſt annum Chriſti 887. ſeptem aliæ Landavienſes Synodi, in quibus Reguli Britannici ob eadem crimina, atque etiam inceſta Excommunicantur, quarum cum præcedentibus idem ſenſus, eædem pœnæ, eadem verba, eadem convocandi ratio. Unde manifeſtum eſt eundem eſſe omnium auctorem. Alia refertur in eadem Conciliorum collectione Landavienſis Synodus poſt ann. 1034. poſtrema ad annum 1064. quarum idem genius, eædem pœnæ, eadem verba. Quare evidens eſt iſtarum Synodorum auctorem initio ſeculi duodecimi illas ſcripſiſſe, & antiquas inſtar recentiorum, & morum Eccleſiaſticorum, quos tempore ſuo videbat obſervari, deſcripſiſſe, & confinxiſſe. Si ſingula ſectari liberet, innumeræ eſſent recuſationis cauſæ, ſed ad commodandum ſoli lumen, nec meo, nec lectorum otio juvat abuti. Ex his omnibus hoc tantum certò colligitur, ejuſmodi Pœnitentias, Peregrinationes, & Excommunicationes quæ poſteà Interdicti nomine invaluerunt, ſeculo undecimo fuiſſe uſurpatas; quod cum iis, quæ toto hoc libro demonſtrata ſunt, optimè cohæret. Non abs re idem judicium ferri poteſt de quadam Agathonis Pontificis Epiſtola ex antiqua Dialecto Saxonica in Linguam Latinam translata.

V. Peregrinationis autem in Pœnitentiam impoſitæ nonnulla alia colligi poſſunt ex eadem collectione argumenta, ut ad annum 750. inter excerpta Ecberti Eboracenſis Archiepiſcopi, *can.61. Si quis Clericum vulneraverit, vel alicui ex Eccleſiaſtico ordine nocuerit, ſecundùm ordinis quantitatem ſeptempliciter emendet, & ſecundùm ordinis dignitatem pœniteat, aut extorris propria patria exulet.* Et *canone 77. Qui occiderit hominem intra ſepta Monaſterii, exul cum damnatione exeat, vel projectis armis raſo capite, & barba reliquum vitæ ſuæ tempus Deo ſerviet.* Inter canones collectos, & ſancitos poſt annum 950. ſub Edgaro Rege, & Dunſtano Cantuarienſi Archiepiſcopo, ita *can. 46. Si quis multimodis peccatis ſeipſum valdè labefactaverit, & hæc demum relinquere, & ſolicitè corrigere voluerit, declinet ocyus ad Monaſterium, ibidemque ſemper Deo, & hominibus, prout docebitur, inſerviat: Vel à patria diſcedat longè, & pœniteat ſemper donec vixerit.* Et *can.10.* ſub titulo de Satisfactione, *Profunda illa Pœnitentia eſt, cùm Laicus deponit arma, & peregrinatur longè, latèque nudus pedes, qui bis non pernoctatur loco uno: Qui jejunat multùm, & vigilat, qui dies, & noctes ardenter orat, &c. Et qui adeò eſt incultus, ut nec crines, nec ungues ferro tetigit.* Ita quoque *cap.10.* anno 1032. inter leges Eccleſiaſticas Regis Canuti.

VI. Inter excerpta Ecberti Eboracenſis Epiſcopi aliud pœnæ genus viguiſſe deprehenditur, *Si quis verò his inſtitutionibus contrà ire tentaverit, aut Excommunicationis ſenties pœnam, aut carceris ærumnam diù ſuſtineat.* Et *can.67.* in eadem excerptione ex Fructuoſo, *Monachus ſanctæ regulæ violator, ſive contemptor, vel Parvulorum inceſtuosè, aut Adoleſcentium conſectator, publicè verberetur, coronam capitis, quam geſtat, amittat, decalvatuſque turpiter opprobria patiatur, vel vinculis arctatus ferreis, carceruli anguſtia maceretur.* Similia leguntur in capitulis incertæ cujuſdam editionis ad finem ejuſdem Collectionis *cap.14. & 16.*

VII. Præclarè duo ſeveræ Pœnitentiæ exempla ibidem referuntur ad annum 969. quibus, quæ fuerit ſeculo decimo circa Pœnitentiam diſciplina evidenter comprobatur. Eadem refert illius temporis Hiſtoricus Orsbertus apud Surium die 19. Maii, & ex his Cardinalis Baronius, & alii. Comes quidam conſanguineam matrimonio ſibi jungit: à ſancto Dunſtano, ut eam deſerat, bis, terve monetur. Monita contemnentem Sanctus liminibus Eccleſiæ interdicit, & pervicacem communione fidelium. Comes Romam mittit, ut Excommunicationis ſolutionem inde ſibi accerſat. Literis jubetur Dunſtanus hominem abſolvere. Reſpondet Pontifici ſe pariturum, cùm Comitis vera Pœnitentia erit illi perſpecta. Conſtantiam Pontificis Comes videns, partimque hominum pudore, partim animæ periculo perterritus, *Abdicato illicito conjugio Pœnitentiæ ſibi cultum impoſuit. Dunſtano itaque generale totius regni Concilium de obſervantia Chriſtianitatis celebrante, ipſe ſumet oblitus, nudis pedibus, laneis indumentis corpus amictus, virgas manu ferens, Concilio ſeſe medium ingeſſit, & ante pedes Dunſtani gemebundus, & ejulans corruit. Quo viſo moti ſunt omnes, qui aderant, &c. Demum à toto Concilio poſtulatus lacrymans, & ipſe culpam indulſit.*

VIII. Alterum exemplum ſpectat ad Regem Edgarum, Principem alioqui Sanctum. Virginem nondum ſacratam in Monaſterio defloraverat. Criminis eum admonet Dunſtanus: Ille verùm pœnitens ſeſe Dunſtano corrigendum exponit. Quid verò Dunſtanus? *Septennem ei Pœnitentiam indixit,* inquit ex antiquis monumentis Capgravius, *ut in hoc ſpatio coronam regni non geſtaret: jejunium in hebdomada biduanum tranſigeret, theſauros ſuos pauperibus largè diſpergeret. Super hoc ſacrandis Deo virginibus Monaſterium Septoniæ fundaret, &c.*

IX. Anglorum etiam, & Saxonum Reges ſolebant legibus ſuis decretam ab Epiſcopis Pœnitentiam confirmare, & refractarios ad eam ſubeundam cogere. *Cap.1.* legum Eccleſiaſticarum ſub rege Aluredo, ad ann. 887. in Perjurum ſic ſtatuit juxta translationem ex idiomate Saxonico, *Arma, fortunaſque ſuas omnes Amicorum fidei concredito; ipſe in cuſtodiam regiam quadraginta dies mittitur, ſubiturus id ſupplicii quod ei Epiſcopus pro meritis impoſuerit, &c. Verùm ſi fuga elapſus, ab omni legis patrocinio deſtitutus habetur, atque in omnibus Chriſti Eccleſiis anathema eſto. Quòd ſi quiſquam alius pro eo fidem dederit, pœnas fidejuſſionis violatæ dato, & fidei læſæ ſupplicium, quod ei fuerit à Sacerdote imperatum, ſubito. Cap.* legum Ætheſtani Regis ad annum 928. in falsò jurantem, *Si convictus inde fuerit, nunquam juramento dignus ſit, nec in ſanctificato atrio aliquo jaceat, ſi moriatur, ſi non habeat Epiſcopi teſtimonium, in cujus Diœceſi ſit, quod Pœnitentiam exceperit: Et Presbyter hoc referat Epiſcopo infra triginta dies. Si non faciat hoc, componat ſicut Epiſcopus ei concedet. Cap.3.* legum Eccleſiaſticarum Regis Edmundi ad ann. 944. *Si quis hominis Chriſtiani ſanguinem effuderit, ad regium conſpectum, ceſſi ei ſervierit, non admittitur, ni priùs id ſceleris, juxta ac fuerit ei ab Epiſcopo imperatum, compenſarit.* Nonnulla continet alia hæc collectio, quibus plurima jam aliunde probata confirmantur, & illuſtrantur: ſed infra ſuis locis inſerentur.

CAPUT XVIII.

De Pœnitentiæ Quadrageſimalis ſeveritate. Explicantur nonnulla, quæ in illa ſeveritate fuerunt peculiaria, & publica. In locis ſecretis, velut carceribus, tunc recludebantur ad reconciliationem in Cœna Domini hinc egreſſuri. Iſtius moris ratio, occaſio, antiquitas, & immutatio. Pœnitentibus tum dati ſpeculatores, qui diligentiam examinarent. Illis diſtrictè prohibitum, ne munere, gratia, vel odio de Pœnitentis diligentia, aut deſidia falsò teſtarentur.

HActenus explicatum à nobis eſt, qua ratione quibuſve ritibus Pœnitentes publici toto anno Pœnitentiam publicè, & privatim ab anno ſeptingenteſimo ad centeſimum ſupra milleſimum egerunt. Quæ pœnæ novæ, & peculiares conſtitutæ ſunt, quæ obſoleverunt, & pleraque id generis. Supereſt, ut de Pœnitentiæ exercitio, quod tempore Quadrageſimali iiſdem ſeculis imponebatur, pauca verba faciamus; Durior enim ſemper fuit eo tempore pœnitentialis labor quàm cæteris anni tempeſtatibus; duriorque primis Quadrageſimis ſtadii Pœnitentialis decurſus quàm poſterioribus, ut etiam priores anni ejuſdem ſtadii durius ſemper exacti ſunt quàm poſteriores. Durities illa ſive differentia, vel ea, quæ publica ſunt, ſpectat, vel quæ privata, & domeſtica. De utriſque breviter, & primùm hoc capite, & ſequente de publicis.

II. Solemnis iſtius duritiei illuſtre monimentum eſt *canon. 76.* Concilii Meldenſis anno 845. celebrati, *Regia majeſtas obſervare præcipiat omnibus reipublicæ Miniſtris, quod à divina auctoritate, & ſanctorum Patrum conſtitutione cautum eſſe dignoſci-*

gnoſcitur; videlicet, ut nemo Comitum, aut quiſquam ex judiciaria poteſtate poſt quartam feriam, quæ caput jejunii nominatur, in qua omnes Pęnitentes manus impoſitionem ad vacandum ſolummodo Pęnitentiæ, & divinis officiis accipiunt, placitum, aut mallum tenere præſumant. Manifeſtum eſt ex antiqua conſuetudine, quæ annum adnotatum longè præcedit, Quadrageſimali tempore Pœnitentes longè diligentiùs, & religioſius Pœnitentiæ incubuiſſe, quam reliquo anni tempore, & Principes ſæculares huic religioſæ vacationi plurimum faviſſe. Deinde manifeſtum eſt, initium Quadrageſimæ initium quoque fuiſſe durioris Pœnitentiæ, publicèque, & ſolemniter tum impoſitam fuiſſe. Annis poſt hoc Concilium 50. Arnulphus Imperator hoc privilegium in favorem fidelium ampliavit: Prohibuit enim univerſaliter, ne Comites diebus Dominicis, Feſtivis, Quadrageſimalibus, & Jejuniorum placitum haberent, neve Pęnitentem, dum ageret Pœnitentiam, ad placitum compellerent, *Pręterea ſancimus, & præcipimus, ut nullus Comes aliquem Pęnitentem ad placitum ire compellat, nec ipſe veniat, ne fortè dum jejunare, & orare, atque pro ſalute ſuæ animæ debet invigilare, vaniloquiis, & contentionibus cogatur laborare.* Hæc Concilii Tribur. *cap.* 35. Eandem diligentiam, & ſeveritatem demonſtrat evidentiſſimè Concilium Salegunſtadienſe *can.* 17. *Sub Anathemate præceptum eſt, ut nullus Presbyterorum cuiquam Pœnitenti carnem dividere præſumat, ſi infirmitas non intervenerit.* Cautè admodum providebant, non modò, ut diligenter Quadrageſimam jejunarent, ſed etiam, ut integram, & minimè interruptam. Hunc canonem, & integram Synodum Decreto ſuo inſeruit Ivo *part.* 15. *cap.* 168. & ſeq. Burchardus autem, qui ei interfuit, Synodum fini collectionis ſuæ adtexuit.

III. Diligentem, & ſcrupuloſam durioris eo tempore Pœnitentiæ exactionem nihil mihi manifeſtiùs probare videtur, quam Pœnitentium tempore Quadrageſimali in loco quodam commodo incluſio, & veluti incarceratio feria quarta facta, & uſque in die Cœnæ Domini continuata, quo die è carceribus ſuis exibant, ſolemnique ritu ad Eccleſiæ portas comitantibus Archidiaconis, Archipresbyteris, & Decanis, qui eorum curam geſſerant, deducebantur, & in Eccleſiam ab Epiſcopo recepti in omnium conſpectu reconciliabantur, & fidelium cœtui incorporabantur. Hæc procul dubio incredibilia viderentur, niſi omnes prorſus rituales ſeculis ſeptimo, octavo, & nono ſcripti, & compoſiti id unanimi conſenſu teſtarentur, auctoreſque alii ejuſdem temporis fide digniſſimi comprobarent. Antiquiſſimum Sacramentarium Romanum, quod à Poſſeſſore Petavianum dicimus, *Ordo agentibus publicam Pœnitentiam. Suſcipis eum quarta feria manè in capite Quadrageſimæ, & cooperis eum cilicio, oras pro eo, & includis uſque ad Cœnam Domini, qui eodem die in gremio præſentatur Eccleſiæ, & proſtrato eo omni corpore in terra das orationem ſuper eum ad reconciliandum in quinta feria Cœnæ Domini.* Et feria quinta in Cœna Domini, *Ordo agentibus publicam Pęnitentiam geſſit, & in gremio præſentatur Eccleſiæ proſtrato omni corpore in terra, &c.* In alio antiquiſſimo, & Longobardico Abbatiæ ſancti Remigii Remenſis codice, ſimiliter, *Ordo agentibus publicam Pœnitentiam. Suſcipis eum quarta feria manè in capite Quadrageſimæ, & cooperis eum cilicio cum cinere ſparſo capite. Benedictio cinerum, &c. Et poſteà oras pro eo, & includis uſque in Cœna Domini, qui eodem die in gremio præſentatur.* Hæc ſpeciminis cauſa tantùm huc relata ſunto: Plurima enim hujuſmodi teſtimonia ſelecta, & deſcripta habes *libro* 4. *cap.* 18. & *libro* 5. *cap.* 15. unde iſta excerpta ſunt.

IV. Ante annum milleſimum laxata videtur illa ſeveritas; non enim includebantur, ſed tantùm certus eis locus, ſive Parœcia aſſignabatur, in qua per totam Quadrageſimam commorarentur, ne huc, & illuc vagantes Pœnitentiæ Quadrageſimalis actio turbaretur. Iſta ſtatuit Concilium Salegunſtadienſe, *can.* 19. *Omnis Pęnitens dum Carinam ſuam jejunat, de loco ad locum non migret, ſed ibi permaneat, ubi ſuam acceperit Pœnitentiam, & proprius Sacerdos ſibi præbeat teſtimonium. Si autem ibi propter hoſtiles inſidias jejunare non poterit, ſuus Sacerdos eum Confratrum ſuorum alicubi, ubi pacificè poſſit jejunare, diligentiſſimè commendet.* Hunc canonem præter Burchardum, qui adfuit Concilio, refert Ivo Decreti *part.* 15. *cap.* 185. Eò referri debet, quod ſcribit Idem Ivo *part.* 10. *cap.* 16. & Alexandro II. Pontifice, *Aut faciat carcerem jejunans quotidie in pane, & aqua, aut eat exul, &c.* Decretum integrum exſcriptum eſt ſupra *cap.* 11. Carcerem facere videtur accepiſſe pro uno in loco in carceratorum more pane, & aqua victitare. Idem etiam colligitur ex Pœnitentia Homicidæ impoſita in Collectione Regionis, *In his diebus cum nulla fęmina miſceatur, nec ad propriam uxorem accedat, nec cum aliquo homine dormiat, juxta Eccleſiam ſit, ante cujus januas peccata ſua defleat diebus, & noctibus, & non de loco in locum pergat, ſed in uno loco bis quadraginta diebus ſit, &c.* Eadem leges apud Burchard. *lib.* 6. *cap.* 1. & Ivonem *part.* 10. *cap.* 130. ex Concilio Triburienſi. Eadem prohibitio ſupra *cap.* 10. relata eſt, ex Concil. Mogunt.

V. Primam iſtius Pœnitentium incluſionis occaſionem, partim à conſuetudine longè anteà invaleſcente, Pœnitentiam videlicet in locis ſecretis agendam quibuſdam imponendi; partim à ſimili, quòd Competentibus paulò antequam baptizarentur fieri ſolebat, ut ſanctiùs ad baptiſmum præparentur, petitam demonſtravimus ſupra *libri ſexti, cap.* 14. quocirca ampliori ſermone ſuperſedemus. Utrique jungenda eſt multò antiquior iſta incluſione Quadrageſimali diſciplina, quæ diutiſſimè in Eccleſia conſervata eſt, criminum Reos, potiſſimùm Clericos, in Monaſteriis includendi, ut Pœnitentiæ ſuæ haberent arbitros, & Ephoros. His potiſſimùm accedit antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudo, qua Cathecumeni in vigilia Paſchatis baptizandi toto Quadrageſimali tempore non modò Exorciſmis, ſed etiam jejuniis, & aliis laborioſis operibus expiabantur. Iſta ſanè ſimul conjuncta incluſioni Pœnitentium publicorum in Quadrageſima faciendæ occaſionem facilè dederunt. Quùm enim fidelibus omnibus jejunium Quadrageſimæ ex Apoſtolica traditione imponatur, aliquid gravius ſolito Pœnitentibus eo tempore non ſecus ac Catechumenis fuit ſubeundum. Quia autem Pœnitentia non modò in medicinam, quam nemo pervicaciter nolens ebibere cogitur, ſed etiam in pœnam decernitur, alicubi includendi fuerunt Pœnitentes, ut pœnæ obnoxii, & arbitris committendi, qui eorum Pœnitentiæ teſtes eſſent legitimi, ne fidei ſuæ crediti Epiſcopos fallerent, jejuniiſque, & aliis corporis afflictionibus ſpecie tenus non reapſe incumberent, atque ita indignè ad corporis Chriſti communionem accederent.

VI. Percontabitur Lector, qua tum ratione Pœnitentia ab iſtis incluſis exigebatur, quinam erant Exactores? Quanquam nulla eſſent hujuſce rei teſtimonia, ex ipſa tamen incluſione facilè eſt conjicere, immò neceſſariò demonſtratur, Epiſcopos per ſe, aut per Vicarios ſuos huic exactioni toto tempore Quadrageſimali diligenter invigilaſſe, & qua animi devotione imperata ſingula exequerentur, attendiſſe, & examinaſſe, ut in die Cœnæ Domini diligentes altari reconciliarent, deſides verò, & pigros diuturniori tempore ſuſpenderent. Sed conjectura noſtra, aut ratiocinatione opus non eſt, cùm antiquiſſimi rituales, & ordines hæc κατὰ λέξιν contineant. Archidiaconis, Archipresbyteris, & Decanis Parœciarum hoc munus erat demandatum. Hinc ordo Romanus editus, ut nondum editus antiquiſſimus, Sacramentarium Romanum, Ecberti Pęnitentialis liber, & alii plerique, quos huic operi ad finem conjungimus, nobis ſemper repræſentant Archidiaconum, aut Diaconum aliquem Pœnitentes in die Cœnæ Domini, Epiſcopo, univerſoque Clero, ut reconcilientur, offerentes, & de eorum lachrymis, compunctione, & acta Pœnitentia teſtantes, *Sedente Pontifice pro foribus Eccleſiæ, Pęnitentibus in atrio Eccleſiæ eminus cum Archidiacono juſſum illius præſtolantibus, antequam eos offerat, poſtulat Archidiaconus his verbis, Adeſt, ò venerabilis Pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ, & ſalutis humanæ, &c. Augemur regenerandis, creſcimus reverſis; Lavant aquæ, lavant lacrymæ, &c. Inde eſt quod ſupplex grex tuus poſteàquam in varias formas criminum, neglectu mandatorum cęleſtium, & morum probabilium tranſgreſſione cecidit, humiliatus, atque proſtratus prophetica ad Dominum voce exclamat, dicens, peccavi, impiè egi, iniquitatem feci, miſerere mei Domine, &c. Manducavit ſicut ſcriptum eſt, panem doloris, lacrymis ſtratum rigavit, cor ſuum luctu, corpus afflixit jejuniis, ut animæ ſuæ reciperet, quam perdiderat, ſanitatem, &c.* Iſta de Pœnitentibus publicè non teſtaretur Archidiaconus, nec ejuſmodi teſtimonium Eccleſia ab eo exigeret, niſi ex officio eorum cura incumberet.

VII. Expreſſius adhuc canon ille, quem omnes Canonum Collectores ſub nomine Agathenſis Concilii citare ſolent: Ita Gratianus, Cardinalis Rhebaldus, Ivo, Burchardus, & ante annos 740. Regino: *In capite Quadrageſimæ omnes Pęnitentes, qui publicam ſuſcipiant, aut ſuſceperunt Pęnitentiam ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo civitatis ſacco induti, nudis pedibus, vultibus in terra proſtratis, Reos ſe eſſe ipſo habitu, & vultu proclamantes, ubi adeſſe debent Decani,* id eſt,

id eſt, Archipresbyteri Parœciarum, id eſt, Presbyteri Pœnitentium, qui eorum converſationem diligenter inſpicere debent, & ſecundùm modum culpæ Pœnitentiam per præfixos gradus injungat, &c. In ſacra autem Domini cœna rursùs ab eorum Decanis, & eorum Presbyteris Eccleſiæ liminibus repræſententur. Ejuſdem diligentiæ Decanis, & Archidiaconis commiſſæ multa, & evidentia teſtimonia lege hujus libri *c.* 3. Cùm enim loquantur indiſcretè de quovis anni tempore, multò magis de Quadrageſimali ſunt intelligenda. Illis omnibus hic præteritis, quæ Herardus Archiepiſcopus Turonenſis in Synodo anno 858. habita, de hac re *can.* 14. pronuntiavit, huc referam, *Tempore opportuno publica crimina ad notitiam Epiſcopi deducantur, maximèque in die magno reconciliandi, vel adhuc ſuſpendendi, per proprium Presbyterum, vel Legatum ipſius, eundemque Presbyterorum, cui cauſa ipſius criminis benè habeatur cognita, ad præſentiam Epiſcopi deferantur.*

VIII. Utrumque evidentiſſimè teſtatur Pontificale Toloſanum. Cùm enim deſcripſit privatam confitendi rationem, & imponendæ Pœnitentiæ modum, docet, quæ præſtanda ſint, ſi crimen fuerit publicum, & pœnitentia publica puniendum, tandemque ſic præſcribit, *Hac oratione expleta recludatur Pœnitens in loco ſecreto uſque in Cœnam Domini, deputato ſibi idoneo teſte, qui ſollicitè inſpiciat inſtantiam devotionis ejus, macerationem corporis, & ſuper omnia deſiderium emendandæ prioris vitæ.* Includebantur igitur, ut Præfectus aliquis illis impoſitus eorum actionibus invigilare poſſet, & de iis Epiſcopo rationem reddere.

IX. Ejuſdem moris duo ſunt argumenta manifeſtiſſima. Prius elicitur ex iis canonibus, & decretis illorum ſeculorum, quæ jubent Sacerdotes, antequam peccatores reconcilient, diligenter attendere ad diligentiam, qua in Pœnitentia exequenda verſantur, eaque examinata tardiùs, aut celeriùs eos Eccleſiæ, aut altari reconciliare. Capitular. *lib.* 5 *c.*74. *Negligentiores Pœnitentes tardiùs recipiantur.* Iſaac. Lingon. *tit.*1. *cap.* 19. eundem ex Capitularibus repetit. Capitular. *lib.* 7. *cap.* 49. *Nullus Sacerdos in alterius civitate, vel Diœceſi Pœnitentem, vel ſub manu poſitum Sacerdotis, vel qui reconciliatum ſe eſſe dixerit, ſine conſenſu, & literis Epiſcopi, vel Presbyteri, in Parochia Presbyter, aut Epiſcopus in civitate ſuſcipiat.* Iſaacus eodem titulo *c.*33. Burchard. *lib.*19. *cap.*62. Piaculare enim erat apud eos non ſatis dignè Pœnitenti communionem redhibere. Et ejuſdem libri *cap.* 3. *Penes Epiſcopos erit poteſtas modum converſationis Pœnitentium probantes, vel humaniùs erga eos agere, vel ampliùs tempus adjicere. Ante omnia verò præcedat eorum vita, & poſterior inquiratur, & ita eis impertiatur humanitas.* Et capite ſequenti, *Converſatio Pœnitentium, & fidem tempus abbreviat.* Utrumque caput refert Iſaacus *titulo* 1. *c.*26. & 27. Ita etiam canonum Collectores iſta referunt; ex quibus evidentiſſimè demonſtratur eorum temporum vigilantia, non modò in Pœnitentiæ impoſitione, ſed etiam in ejus executione tuenda, & ſolicitanda. Quòd ſi hoc de quocumque anni tempore verum eſt, multò magis de Quadrageſimali affirmandum erit. His potes conjungere, quæ *cap.*16. libri præcedentis enarrata ſunt.

X. Poſteriùs ejuſdem rei argumentum eſt ſevera, & frequentiſſimè repetita illis ſeculis prohibitio, ne propter munus aliquod, aut alicujus gratiam, vel odium reconciliatio alicui Pœnitenti tribuatur, neve aliquis de Pœnitentis diligentia in Pœnitentia ſua exequenda, munere, aut gratia inductus teſtimonium ferat. Concil. Cabillonenſe anno 813. *Quia Apoſtolo teſte non eſt perſonarum acceptio apud Deum, & in omnibus judiciis cavenda eſt, multò magis in hoc Pœnitentiæ judicio præcaveri debet, ut nullus Sacerdotum unquam, aut gratia, aut odio alicujus perſonæ ſecus judicet, quàm quod in canonibus ſacris invenerit, aut quod illi ſecundùm S. Scripturarum auctoritatem, & Eccleſiaſticam conſuetudinem rectiùs viſum fuerit.* Hæc Capitularia, additione 3. *c.*32. Burchardus *libro* 19. *cap.*59. & Ivo *part.*15. *cap.*73. Hincmarus in Capitulis datis an.852. Capit.13. *Nemo Presbyterorum xenium, vel quodcunque emolumentum temporale, immò detrimentum ſpiritale à quocunque publicè peccante, vel inceſtuoſo accipiat, ut nobis, vel Miniſtris noſtris peccatum illius reticeat; nec pro reſpectu cujuſque perſonæ, aut conſanguinitatis, vel familiaritatis alicuis peccatis communicans hoc nobis, vel Miniſtris noſtris innoteſcere detrectet. Nec à quocunque Pœnitente, aut gratiam, aut favorem, aut munus ſuſcipere præſumat, ut minus dignè Pœnitentem ad reconciliationem adducat, & ei teſtimonium reconciliationem adducat, & ei teſtimonium reconciliationis ferat, & quocunque livore alium quamlibet digniùs Pœnitentem à reconciliatione removeat, quia hoc Simoniacum, & Deo hominibus abominabile eſt.* Eadem repetit idem Hincmarus in Capitulis datis anno 874. Archidiaconis ſuis *cap.* 3. & 9. Eadem quoque Regino initio Collectionis ſuæ interrogatione 39. & 40. Iſta enim Hincmari verba in duas dividit interrogationes, de quibus Epiſcopus, aut quilibet Eccleſiarum Viſitator jubetur, Clericos, & Parochianos inquirere. Eundem canonem iiſdem verbis Decreto ſuo inſeruit Burchard. *lib.*19. *cap.*100. ſed velut ex Decretis Alexandri Papæ deſumptum, ut & Ivo Decreti *part.*15. *cap.*112. Similia præcipiuntur in antiquo ordine Romano *cap.*175. Cùm autem canones, ſive decreta illa ad reconciliationem ſolemnem, quæ in Cœna Domini præſtabatur, referantur, & propter eam inſtituta ſint, manifeſtum eſt, ea de Quadrageſimali Pœnitentia potiſſimùm intelligi debere.

CAPUT XIX.

De antiquitate ſolemnis Pœnitentiæ in Capite Quadrageſimæ imponendæ, & de ipſo capite Quadrageſimæ diſſeritur. Variæ Occidentalium de initio jejunii obſervationes enarrantur. Romæ, in Hiſpania, & Mediolani antiquitus initium Quadrageſimæ à Dominica, non ab antecedente feria quarta. Licèt pœnitentia publica in capite Jejunii potiſſimùm daretur, & differretur, alio tamen tempore dabatur. Quid erat in tempore jejunii obeundum iis, qui ante hoc tempus eam ſuſceperant.

UT Lectori hac in cauſa magis ſatisfiat, omniſque ſcrupulus illius animo eximatur, tribus quæſtionibus reſpondebimus, quæ diligenter ad hæc attendentes animum ſolicitare poſſunt. Prima eſt, quo ritu Pœnitentia ſolemnis publico peccatori feria quarta in capite Quadrageſimæ imponebatur. Secunda, Quo ſeculo cœpit ejuſmodi ritus in ipſo Quadrageſimalis jejunii principio celebrari. Denique an peccatoribus publicis, aut publicè de crimine convictis Pœnitentia publica aliis diebus non imponeretur. Primæ quæſtioni reſponſum eſt *lib.*4. *cap.*18. in quo fusè enarratæ ſunt omnes ceremoniæ in ea ſolemnitate celebrari ſolitæ, & antiquorum Sacramentariorum, & Ritualium auctoritate demonſtratæ; legique præterea poſſunt in hujus operis calce, necnon in Pontificalibus, tam Romanis, quàm aliarum Eccleſiarum in officio feriæ quartæ in capite Quadrageſimæ.

II. Secundæ quæſtioni, qua quæritur, quo tempore hic ſolemnis ritus fieri cœpit initio Quadrageſimæ, reſpondeo, illius mentionem me non invenire ante annum à Chriſto nato ſeptingenteſimum. Itaque hunc morem exiſtimo invaluiſſe tantùm cum illo axiomate, de peccatis publicis publicè pœnitendum, de occultis occultè. Prima igitur illius moris initia locanda ſunt inter ſeculum ſextum, & ſeptimum: Paulò poſt enim annum ſeptingenteſimum, aut circa illud tempus jam vulgatus erat apud Latinos iſte ritus. Apud Latinos dico, eo quòd apud Græcos illius uſum nuſquam lego, nec hactenus uſurpatus fuit. Antiquiſſima enim Sacramentaria quotquot legi, vel ſunt edita; iſtam feriam quartam commemorant, ut jejunii caput, ita quoque Amalarius *libro* 1. *de Officiis Eccleſiaſt. cap.*7. Concilium Meldenſe an.845. *cap.*76. Ante illos Alcuinus *de divinis Officiis ſectione* cui titulus, In capite Jejunii.

III. Præter ſilentium antiquorum auctorum, qui hoc tempus præceſſerunt, id demonſtrari videtur ex *homilia* 16. ſancti Gregorii in Evangelia. Conſtat enim ex ipſius verbis jejunium Quadrageſimale à Dominica prima Quadrageſimæ, non à feria quarta præcedente tum temporis inchoatum fuiſſe, *De Quadrageſimali tempore eſt adhuc aliud quod poſſit intelligi. A præſenti etenim die uſque ad Paſchalis ſolemnitatis gaudia ſex hebdomadæ veniunt; quarum videlicet dies quadraginta duo fiunt. Ex quibus dum ſex dies Dominici abſtinentiæ ſubtrahuntur, non plus in abſtinentia, quàm triginta ſex dies remanent. Dum verò per trecentos, & ſexaginta quinque dies annus ducitur, nos autem per triginta, & ſex dies affligimur, quaſi anni noſtri decimas Deo damus, ut qui nobiſmetipſis per acceptum annum viximus, auctori noſtro nos in ejus decimis per abſtinentiam mortificemus, &c.* Manifeſtum eſt ſancto Gregorio incognitam fuiſſe feriam quartam in capite Quadrageſimæ, ſed jejunii caput fuiſſe feriam ſecundam, jejunatumque Romæ 36. diebus non 40. Amalarius *lib.* 1. *de Officiis cap.*7. hæc Gregorii verba referens ſcribit videri, eo tempore nondum jejunio Quadrageſimali additos

hos

hos quatuor dies. Antiquam conſuetudinem Eccleſia Mediolanenſis ad memoriam uſque Patrum noſtrorum conſtanter obſervavit. Ideò in antiquo Rituali Ambroſiano in Liturgicis Pamelii, prima Dominica, dicitur *in capite Quadrageſimæ*, Orationeſque, & Præfatio illius Dominicæ nihil aliud ſonant quàm jejunii inchoationem, & primordia. Licèt autem præcisè loquendo feria ſecunda eſſèt jejunii caput, & initium, non legi tamen id aliqua eum ſolemnitate celebratum. Antiqua Sacramentaria Gregoriana, licèt habeant feriam quartam in capite jejunii, & Miſſam jejunio accommodatam, teſtari tamen videtur antiquitus jejunii initium in feria ſecunda reſediſſè. Nam in orationibus primæ Dominicæ quarum adhuc uſus eſt, iſtius initii verbis expreſſis fit mentio, *Deus, qui Eccleſiam tuam annua Quadrageſimæ obſervatione purificas, &c.* Et in ſecreta, *Sacrificium Quadrageſimalis initii ſolemniter immolamus, Te, Domine deprecantes, &c.* Et in Præfatione illius Dominicæ, *Qui continuatis quadraginta diebus, & noctibus hoc jejunium dedicavit, &c.* Ad idem etiam initium tendunt feriæ ſecundæ orationes, & præfatio. Hoc autem ſic contigit, quod cùm officium feriæ 4. & ſequentium compoſitum eſt, & antiquo ſuperadditum, nihil in antiquo eſt immutatum. Obuci forſan poſſèt Canon quidam Agathenſi Synodo tributus, ſępiuſque jam à nobis citatus: Sed Agathenſis Synodi non eſt, & Agathenſi Synodo longè poſterior.

IV. In Hiſpania tamen videtur hodiernus mos tempore S. Gregorii obſervatus fuiſſe, ut probabiliter colligitur ex *can. 9.* Concil. Tolet. 8. ubi dicitur, homo *propter transgreſſionem Decalogi quater decies convenienter affligi*. Sed probatum eſt hoc pingui Minerva dictum eſſè, ut in numeris ſæpè fieri ſolet, ubi numerus integer, completus, & quadrans pro incompleto uſurpatur, præſertim cum ad quadrantem, & rotundum proximè accedit. Dixerat enim paulò ante, *Etenim cum Quadrageſimæ dies anni totius Decimæ deputentur, &c.* Quadraginta igitur dixit pro triginta ſex, quod de ſancto Gregorio dici non poteſt, qui ſingula κατ' μέρος examinat, & diſtinguit. Ita nonnunquam Auctores Eccleſiaſtici dicunt jejunio quadrageſimali Decimas dierum offerri, ut Nicolaus I. *cap. 9.* Reſponſ. ad conſulta Bulgarorum, Concilium Troſlejanum in fine *can. 6.* & Theodulphus Aurelian. *cap. 37.* cum tamen conſtet eos, omnes non 36. dies, ſed 40. jejunaſſè. Poſteriorem hanc interpretationem Toletanorum Patrum menti convenire demonſtrari poteſt ex *can. 9.* Concil. Bracar. 2. ubi jubentur Parentes *mediante Quadrageſima ex diebus 20. baptizandos Infantes ad Exorciſmi purgationem offerre*. Et *can. 1.* dixerat id diebus ante baptiſmum 20. faciendum eſſè, hoc eſt, feria 2. poſt Dominicam 4. Quadrag. Medium igitur Quadrag. eſt vel feria illa, vel antecedens Dominica. Jejunium igitur apud eos cœperat in prima Dominica, ſive feria ſequente, quæ ipſam jejunii actionem includit; non autem feria 4. antecedente: alioquin vigeſimus dies ante Paſcha non eſſèt media quadrageſima, cùm eum dies 26. integri præcedant. His accedit quod Toletani Patres ad verba S. Gregorii in Decreto ſuo alludere videntur, qui ante verba à nobis relata dixerat, *Qui ergo per carnis deſideria Decalogi mandata contempſimus, dignum eſt, ut eandem carnem quater-decies affligamus.* Numerus completus pro incompleto. Statim tamen rem per partes examinans triginta tantùm, & ſex dies computat. Ita quoque intelligendus Concilii canon, qui ad ejus verba, mentemque alludit.

V. Verum omnem dubitandi anſam præſcindere mihi videtur ſanctus Iſidorus Hiſpalenſis *lib. 1. de Eccleſ. Officiis c. 36.* ubi data opera toto illo capite jejunii Quadrageſimalis, originem, & cauſis explicat. Non modo enim illam feriam quartam ſolemnem non commemorat, nec diem ullum eſurialem ante Dominicam primam Quadrageſimæ, ſed ea, non ſecus ac ſanctus Gregorius, ediſſerit, quæ cum illo jejunii principio conſiſtere non poſſunt. *In ſupputatione Quadrageſimæ Summa Legalium Decimarum expletur. Totum enim anni tempus triginta ſex numero dierum decimatur. Subtractis enim à Quadrageſima Dominicis diebus quibus jejunia reſolvuntur, his diebus quaſi pro totius anni decimis ad Eccleſiam concurrimus, actuumque noſtrorum operationem Deo in hoſtiam jubilationis offerimus.* Certum eſt igitur Italicas, & Hiſpanas Eccleſias initium jejunii à feria 2. ſequente Dominicam primam duxiſſe. Hoc inſuper cum antecedentibus Dominicis convenit, ut Dominica prima Quadrageſimæ dicatur, à qua Quadrageſima, & jejunium incipiunt, non ab ea, quæ quintus eſt ab initio dies, ut Septuageſima, Sexageſima, & Quinquageſima, initia ſunt, & termini, à quibus incipit numeratio, ſic & Quadrageſima. Poſteà tamen cùm additi ſunt quatuor illi dies primæ Dominicæ, remanſit Quadrageſimæ nomen.

VI. His conjungi poteſt duplici nomine id quod à Carolo Magno diſputatur in Epiſtola ad Alcuinum præceptorem. Primùm enim Septuageſimam, Sexageſimam, Quinquageſimam, & Quadrageſimam ab ipſo die Dominico ſemper incipit, nec illi in enarrando antiquo more, ulla eſt de quatuor illis feriis ulla mentio. Deinde diſertè narrat eos, qui Quadrageſimam celebrem habuerunt 36. dies tantùm jejunaſſè. Idem de iis, qui Septuageſimam. Qui enim Septuageſ. jejunabant à jejunio eximebant præter Dominicam, feriam quintam, & ſabbatum: Qui verò Quadrageſimam, ſolum diem Dominicum. De iis verò, qui Sexageſimam, quique quadraginta dies ſumma quadrante jejunabant ob feriam quintam, iis ſimul cum Dominica minimè eſurialem; De iis quoque, qui Quinquageſimam jejunabant, diſſerens, jejunii eorum rationem nulla mentione facta quatuor illorum dierum eſurialium explicat.

VII. Tertia, & poſtrema quæſtio eſt, An Pœnitentia publica aliis diebus imponeretur, quàm in feria quarta Quadrageſimæ. Verbi gratia, Aliquis octo diebus poſt Paſcha graviter peccat, & publicè. An expectandum erat caput jejunii, ut Pœnitentia publica plecterentur. Minimè gentium. Vel ipſe ſtatim ad Epiſcopum confugere poterat, aut ad ipſius Vicarium, confeſſoque crimine Pœnitentiam publicè ab alterutro ſuſcipere. Similiter Epiſcopus audito crimine ſtatim poterat de eo inquirere, & Reo, ſive confitenti, ſive non confitenti, ſed convicto, Pœnitentiam publicam imponere, & renitentem Excommunicatione percellere. Hoc teſtatur ſæpius jam citatus Agathenſis Synodi canon à nullis canonum Collectoribus præteritus, *In capite Quadrageſimæ omnes Pœnitentes, qui publicam ſuſcipiunt, aut ſuſceperant Pœnitentiam ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo civitatis ſacco induti, &c.* Non modò igitur, qui tum ſuſcipiunt Pœnitentiam, ſed etiam, qui alio tempore eam ſuſceperunt, eadem feria tenentur publicè comparere in Pœnitentium habitu, cæteraque præſtare, quæ ibi enumerantur: Eadem ſimiliter in iis myſticè operantur Eccleſiæ Proceres, quæ in primùm ſuſcipientibus Pœnitentiam operari ſolent. Nec apparet in canone ulla diverſitas. Ita quoque primis Eccleſiæ temporibus iidem erant myſtici ritus omnibus pœnitentibus in eadem ſtatione verſantibus, ſive multis annis, ſive paucis, in ea verſati eſſent, ſive tum primùm verſarentur, nec varietatis ulla unquam extant veſtigia. Hoc etiam colligitur ex eo quòd utrorumque vita, mores, & Pœnitentiæ impoſitæ exercitium Archidiaconorum, & aliorum Presbyterorum animadverſioni, & examini ſemper ex æquo ſubiiciantur, nec ulla unquam in canonibus, aut eorum temporum Auctoribus diſtinctio recens, & ab antiquo Pœnitentium in hac cauſa animadvertitur, ut manifeſtiſſimum eſt tam ex iis, quæ hoc capite relata ſunt, quàm quæ *cap. 16. lib. 6. & 3.* hujus libri demonſtravimus.

VIII. Illorum ſeculorum conſuetudinem, ita minutim, & diligenter deſcribit Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus, ut nihil propoſitæ quæſtioni elucidandæ deſiderari poſſe videatur. Hoc habetur *tom. 3.* Concil. Galliæ in Capitulis, quæ edidit Epiſcopatus ſui anno 12. Capitulum illud jam exſcriptum eſt hujus libri *c. 3.* ideò pauca tantùm verba hic referemus, *Unuſquiſque Sacerdos maximam providentiam habeat, quatenus ſi fortè in Parochia ſua publicum homicidium, aut adulterium, vel quodcunque criminale peccatum publicè perpetratum fuerit, ſtatim ſi auctorem facti, vel conſentientem adire potuerit, hortetur eum, quatenus ad Pœnitentiam veniat coram Decano, & Compresbyteris ſuis, &c.* at infra *quindecim dies ad noſtram præſentiam publicus peccator, ſi infra Parochiam noſtram fuerimus, veniat, & juxta traditionem canonicam publicam pœnitentiam cum manus impoſitione accipiat, &c.* Nonnulla alia, quæ in hac cauſa palmaria ſunt eodem *cap. 3.* hujus libri legito. Poſteà etiam hoc additur, *Si fortè quis ad Pœnitentiam venire noluerit, infra quindecim dies poſt perpetrationem peccati, & exhortationem Presbyteri in cujus Parochia actum fuerit, ad ſedulitatem Decani, ac Compresbyterorum ſuorum, atque inſtantiam Commiſſorum noſtrorum, decernatur qualiter, qui peccatum perpetravit, & ad Pœnitentiam redire contemnit, à cœtu Eccleſiæ donec ad Pœnitentiam redeat, ſegregetur.* Manifeſtum eſt Pœnitentiæ publicæ impoſitionem ad feriam 4. in capite Quadrageſimæ non fuiſſe retardatam, ſed peccatorum quàm primùm fieri potuit, ut eam ſuſciperet, admonitum, ſi pervicaciter differret, cenſuris coactum.

CAPUT XX.

Explicatur, qualis Pœnitentia fuerit publicè Pœnitentibus tempore Quadrageſimali privatim, & domeſticè impoſita. Poſteriores anni prioribus in privata diæta ferè ſemper remiſſiores. Qualiter & in quadrageſima, & per annum Pœnitentia ſeptem annorum per ſingulos annos digerebatur, & mitigabatur. Sæpè impoſitæ ſunt tres Quadrageſimæ ſingulis annis jejunandæ. Quod inter eas ſeveritatis diſcrimen. Quamobrem ſæpè tribus prioribus annis una tantùm imponebatur Quadrageſima jejunanda, & in ſequentibus plures. Severioris Pœnitentiæ exempla adnotantur.

SUperſunt hoc capite explicanda, quæ in iſta ſeveritate Quadrageſimali fuerunt privata, & domeſtica. Ut enim nonnulla fuerunt peculiaria tempore Quadrageſimali in expiatione publica Pœnitentium; Sic etiam in privata, & domeſtica, ſive in vitæ diæta. In utroque tempore obſervatum eſt, ut poſteriores anni Pœnitentiæ remiſſiùs ſemper exacti fuerint quàm priores. Unde factum eſt, ut Pœnitentia quadrageſimalis primi anni ſeverior ſemper fuerit obſervantia poſterioris anni, niſi aliquid contigiſſet extraordinarium. Aliquando tres quatuorve pari ſeveritate exigebantur, ſed ſequentium ſemper erat aliqua relaxatio, & quadrageſimalis ob ἀναλόγως imperabatur. Variatum eſt hac in re multis modis pro ratione ſcilicet criminum, infirmitatis Pœnitentium, ſeveritatis Epiſcoporum, & conſuetudine locorum: nec enim ſtultorum Medicorum more, uno collyrio omnibus morbis medebantur. *Diverſitas enim culparum*, ut rectè Pœnitentiale Romanum, *diverſitatem facit Pœnitentiarum: Nam & corporum Medici diverſa medicamenta componunt, ut aliter vulnera, aliter morbum, aliter tumores, aliter putredines, aliter caligines, aliter confractiones, aliter combuſtiones curent; ita & ſpiritales Medici diverſis curationum generibus animarum vulnera ſanare debent*. Sed unde petitis medicamentis? *Non ex ſuo ſenſu, ſed ſecundùm canonum ſtatuta, & traditiones Patrum univerſa diſponat, & conditionem utriuſque ſexus, ætatem, paupertatem, cauſam, ſtatum, perſonam cujuſque Pœnitentiam agere volentis, ipſum quoque cor Pœnitentis aſpiciat, & ſecundùm hæc, ut ſibi viſum fuerit, ut ſapiens Medicus, ſingula quæque dijudicet*. Quæ obſervantiam quadrageſimalem domeſticam ſpectant, huc referimus.

II. *Capite 7.* Pœnitentialis Bedæ ſeptem annorum Pœnitentia ſic digeritur, *In unaquaque hebdomada tres dies ſine vino, & medone, & carne; & jejunet uſque ad veſperam, & manducet de ſicco cibo: Et tres Quadrageſimas ſemper de ſicca cibo, & jejunet tres dies ad nonam, & tres ad veſperam*. In quadrageſima igitur quotidie jejunat; alio tempore, tribus tantùm diebus, & ſingulis diebus ſicca tantùm, & arida deguſtat. Poſteà enumerantur dies, quibus non jejunatur, *In diebus Dominicis, & in Natali Domini quatuor dies, & in Epiphania, & in Paſcha uſque in Albas, & in Aſcenſione Domini, & in Pentecoſte, & S. Michaelis, & S. Mariæ, & S. Joannis Baptiſtæ, & 12. Apoſtolorum, & S. Martini, & illius S. Feſtivitate, qui in illa Provincia eſt: In his prædictis diebus faciat charitatem, ſicut ſui compares Clericis, ſive Laicis, &c. Tunc ergo digna Pœnitentia eſt, ſi hoc impleatur*. Pœnitentiale Romanum *tit. 9. c. 23.* Burchard. *lib. 19. c. 9.* & Ivo *part. 15. c. 189.* remiſſionis dies paulò expreſſiùs enumerant, videlicet in Epiphania unum, in Aſcenſione, & Pentecoſte quatuor, deinde addunt feſta S. Remigii, & omnium ſanctorum, & determinant feſtum, quod in Epiſcopatu eſt celebre. Hæc autem omnes ex antiquo Pœnitentiali Romano decerpunt. Itaque habes ſigillatim enumeratos dies omnes, in quibus à nongentis annis jejuniorum indulgentia Pœnitentibus concedebatur, quòd certè ab antiquiſſima traditione deſcendit, ſecundùm quam diebus feſtivis jejunare non licuit, ut demonſtratum eſt hujus libri *capite 12.* Illa verba Bedæ, *In his ſupradictis diebus facias charitatem cum cęteris Chriſtianis, &c.* Sed à Pœnitentiali Romano, Burchardo, & Ivone clarè explicantur, *id eſt*, inquiunt, *utatur eodem cibo, & potu, quo ille*, ſive cæteri Chriſtiani: vel quod idem eſt, illis feſtis à jejunio prorsùs liber eſt.

III. Beda *cap. ultimo* verba faciens de redemptione ſecundi anni, *In ſecundo anno Pœnitentia remiſſior erit, &c. Qui non poteſt ſic agere Pœnitentiam, ſicut ſuperiùs diximus, in primo anno eroget in eleemoſynam ſolidos viginti tres. Pro uno anno in pane, & aqua, donet in eleemoſynam ſolidos viginti duos, in unaquaque hebdomada unum diem jejunet ad nonam, alium ad veſperam, & tres quadrageſimas. In ſecundo anno viginti ſolidos, pro tertio anno decem, & octo ſolidos*. Ex iis duo, quæ aſſumpta ſunt, evidenter comprobantur: Quadrageſimale jejunium privatim cæteris fuiſſe ſeveriùs exactum; Non permittit enim quadrageſimale jejunium redimere, quod juxtà hunc pœnitentialem toto reliquo anni tempore præter unum hebdomadæ diem permittit. Deinde evidenter monet, poſteriores annos prioribus fuiſſe remiſſiores. Eadem colliguntur ex Burchardo *l. 19. & 20.* & Ivone *p. 15. cap. 199. & 200.* atque ex multis canonibus, & decretis, capitibus hujus *libri* 10. & 11. exſcriptis, quæ ſtudioſus Lector conſulere poteſt.

IV. Burchardus, & Ivo locis citatis ſic definiunt ex antiquo Pœnitentiali Romano, Pœnitentiam unius anni jejunandam in pane, & aqua, *In unaquaque hebdomada tres dies, id eſt, ſecundam feriam, quartam feriam, ſextam feriam in pane, & aqua jejunet: Et tres dies, id eſt tertiam feriam, quintam, & ſabbatum, à vino, medone, mellita cerviſia, à carne, & ſanguine, & à caſeo, & ovis, & ab omni pingui piſce ſe abſtineat. Manducet autem minutos piſciculos ſi habere poteſt; ſi habere non poteſt, tantùm unius generis piſcem, & legumina, & olera, & poma ſi vult comedat, & cerviſiam bibat*. De Quadrageſima illius anni nihil ibi, quia ſupponitur integrè jejunanda in pane, & aqua, cùm reliquis anni diebus tres dies tantùm ſic jejunare neceſſe eſſet. Poſteà deſcribunt ex eodem Pœnitentiali ſequentis anni jejunium, *Pœnitentia illius anni talis eſſe debet, ut duos dies, ſecundam, & quartam feriam in unaquaque hebdomada jejunet ad veſperam, & tunc reficiatur de ſicco cibo, id eſt, pane, & leguminibus ſiccis, ſed coctis, aut pomis, aut oleribus crudis. Unum eligat ex his tribus, & utatur, & cerviſiam bibat, ſed ſobriè, & tertium diem, id eſt, ſextam feriam in pane, & aqua obſervet, & tres quadrageſimas jejunet, &c. Et in his tribus Quadrageſimis jejunet duos dies in hebdomada ad nonam, & de ſicco cibo comedat, ut ſupra notatum eſt, & ſextam feriam jejunet in pane, & aqua*.

V. Evidenter colligitur Quadrageſimali tempore omnes ſeptimanæ dies eſſe eſuriales, duos tamen eligi poſſe, (nam eos non definit canon) in quibus laxiori modo jejunari poſſet, ſcilicet, ad nonam uſque. Dixerat enim illius ſecundi anni unamquamque hebdomadam ratione deſcripta eſſe jejunandam. Poſteà de ratione jejunii Quadrageſimalis ſeparatim verba facit, illique tres dies aſſignat. Ergo ſub illis verbis, *unamquamque hebdomadam* non continentur Quadrageſimales hebdomadæ, ſed, ut ita dicam, communes per annum. Deinde, duos illos dies Quadrageſimales aliis in abſtinentia pares facit, ſed quod ad tempus attinet, indulgentiores, cùm duobus illis diebus Quadrageſimalibus jejunium præcipiatur tantùm uſque ad nonam; in aliis verò ad veſperam. Quis verò credat in Quadrageſima remiſſiùs jejunatum eſſe quàm reliquo anni tempore? Denique, niſi quod dictum eſt ſuppleatur, affirmandum erit Quadrageſimam à Pœnitentibus ex dimidia parte tantùm eſſe jejunatam, quo nihil poteſt iſtorum auctorum menti magis oppoſitum conjici. Quanquam omnes Quadrageſimæ dies jejunarentur, ſeveritas tamen jejunii aliquando redimi poterat, ut hoc permittunt Patres Remenſes in Concilio an. 923.

VI. Aliquando pro certis criminibus multæ Quadrageſimæ imponebantur jejunandæ, ſed nihil de reliquo anni tempore imperabatur. Quum verò crimina illa erant integrè perpetrata, addebatur reliquum anni tempus in Pœnitentiam jejunandum, ut in Concilio numeroſo apud Theodonis villam, & Triburienſi ſub Carolo Magno, ut referunt Burchard. *lib. 6. cap. 5. & 6.* Ivo quoque *part. 10. c. 134. 135.* *Si quis ſubdiaconum calumniatus fuerit, vulneraverit, vel debilitaverit, & convaluerit, quinque Quadrageſimas ſine ſubditis annis pœniteat, &c. Si autem mortuus fuerit, ſingulas ſupradictas quadrageſimas cum ſequentibus annis pœniteat*. Iidem canones ſequuntur de Diaconis Presbyteris, & Epiſcopis, creſcente pariter Quadrageſimarum, & annorum jejunandorum numero, quæ omnia in Concilio Triburienſi confirmantur. Hinc manifeſtum eſt præcipuum jejunium fuiſſe Quadrageſimale; manifeſtum eſt, quoque, qua fuerit ſeveritate domi tranſactum. Alia Conciliorum teſtimonia *cap. 10.* hujus libri retulimus, quæ eadem evidentiſſimè demonſtrant, ad quæ lector recurrat.

VII. Ex antecedentibus teſtimoniis colligitur ſæpiùs tres Quadrageſimas unoquoque anno jejunandas imponi ſolitas, nec ullam fuiſſe in earum jejunatione domeſtica differentiam. Si plura cupis jejunationis trium in anno Quadrageſimarum teſtimonia, leges ea capite decimo præcedente. Aliquando duæ tantùm Quadrageſimæ imperatæ; una ante Paſcha, altera ante Natalem, ita S. Damianus, & Anſelmus legati Apoſtolici Clericis Mediolanenſibus impoſuerunt, ut jejunaren-

Digitized by Google

narentur tribus diebus in pane, & aqua. Reliquum autem anni tempus, & hyeme, & æſtate duos dies jejunare juſſi ſunt. Quibus difficile erat jejunare, unius tantùm diei ex præſcriptis concedebatur redemptio, ſed duabus conditionibus, *Ut unum pſalterium, aut dimidium meditarentur cum 50. Metaneis, aut unum pauperem paſceret, & lotis pedibus nummum porrigeret*. Aliquando tres imperatæ, ſed media, quæ ſcilicet poſt Pentecoſten celebratur, remiſſius jejunabatur, ut expreſsè habetur in pęnitentia ab Alexandro II. impoſita. Aliquando una tantùm Quadrag. imperata in ſeveriſſimis Pęnitentiis, ſed reliquum anni tempus ſeverè admodum exigebatur, cujus diſciplinæ exempla legere potes ſupra cap. undecimo. Domeſticam autem jejunationem dixi, eo quod publici ritus capite præcedente explicati, ad primam, & Paſchalem pertinent, & potiſſimùm illa Pęnitentium incluſio, propter quæ ab Alexandro II. vocata eſt Quadrageſima major. Apparet igitur ex allatis auctoritatibus cum iis, quæ capite præcedente dicta ſunt, comparatis, duas poſteriores Quadrageſimas ferè ſemper privatim, & domeſticè eadem propè ſeveritate, & vitæ diæta cum prima jejunatos fuiſſe, ſed publicorum rituum magnam fuiſſe differentiam, quæ uno verbo ex antecedentibus explicari poteſt. Eodem enim modo ſeſe gerebat publicus Pęnitens in poſterioribus Quadrageſimis, quo in reliquis anni partibus, ſi domeſticam pęnitentiam excipias, quæ ſeverior erat. Itaque hac unica excepta, ſic ſe habebant Quadrageſimæ poſteriores ad primam, ut reliquum anni tempus jejunio affectum.

VIII. Alia Quadrageſimarum, & Feriarum diſpoſitio colligitur ex multis canonibus capitibus 10. & 11. relatis. Teſtimonia hic allata omnes Quadrageſimas dierum 40. conſtituunt, voluntque, ut ſi ante feſtum Joannis Baptiſtæ, & Pentecoſten 40. dies non interſint, poſt illud feſtum jejunando compleantur. Sed eorum, quæ *cap.* 10. referuntur, nonnulla quindecim dies tantùm jejunio tribuunt ante utriuſque nativitatem, & Salvatoris, & Joannis Baptiſtæ. Aliud Concilium 20. dies ſtatuit jejunandos ante Nativitatem Joannis Baptiſtæ, totidem ante Nativitatem Salvatoris, idque tribus primis pęnitentiæ annis; quatuor verò reliquis quatuordecim tantùm dierum jejunationem tribuit. Nonnullæ ſunt aliæ varietates, quas quiſque harum rerum ſtudioſus hos canones relegens nullo negotio adnotare poteſt. Satis nobis nunc eſto, Concilii Triburienſis canones à Collectorum nemine præteritos examinare, & cum præcedentibus comparare. Illos referunt Regino ad finem collectionis ſuæ, Burchardus *lib. 6. c. 5. & ſequentibus*, & Ivo *parte* 10. *cap.* 130. 131. 535. & 133 Unde facilè colligitur vulgatam fuiſſe hanc pęnitentiæ diſpoſitionem ab anno ſaltem 850. ad 1100. Illa reſpicit tantùm Homicidas, ſed ἀναλόγως ad cætera peccata graviora, & minora referri debet. *Qui hominem ſponte occidit*, inquiunt, *licentiam non habeat Eccleſiam intrandi illos proximos quadraginta dies, nudis pedibus incedat, & nullo vehiculo utatur, in lineis veſtibus ſit abſque femoralibus, arma non ferat, & nihil ſumat in his 40. diebus, niſi tantùm panem, & ſalem, & puram aquam bibat, &c. Conſiderata verò perſonæ qualitate, vel infirmitate de pomis, vel oleribus, ſeu leguminibus, prout viſum fuerit, aliquid pro miſericordia indulgeatur, &c. Juxta Eccleſiam ſit, ante cujus januas peccata ſua defleat diebus, ac noctibus, non de loco ad locum pergat, ſed in uno loco bis 40. diebus ſit*. Mihi videtur evidens toto illo ſermone quæſtionem eſſe de Quadrageſima primi anni: *Illos proximos 40. dies*, hoc eſt, qui proximè ſuſceptionem Pęnitentiæ conſequuntur. Sæpiſſimè autem, & quantum fieri poterat, Pęnitentiæ ſuſceptio in caput jejunii differebatur, ut ex Ritualibus, & ordinibus officiorum manifeſtum eſt. Quapropter cùm pęnitentiæ ſuſceptionem immediatè conſequantur, illi 40. dies, aut omnino, aut potiſſimùm ad Quadrageſimam Paſchalem iſta referenda ſunt. Idem de 40. illis diebus colliges ex Concilio quodam Moguntino *cap.* 10. hujus libri allegato.

IX. Quæ ſequuntur apud eoſdem auctores, hoc comprobant. Statim enim additur, qua ratione annus primus illis 40. diebus ſuccedens ſit pęnitentialiter ducendus. *In primo anno poſt 40. dies totum illum annum à vino, à Medone, à mellita cerviſia, à carne, & caſeo, & pinguibus piſcibus abſtineat*. Deinde permittit, vel propter itineris longi moleſtias, vel propter infirmitatem, vel belli labores, vel longam in aula moram, feriam tertiam, quintam, & ſabbatum redimere, ita tamen ut vel vino, vel carne, vel medone tantùm non his tribus utatur, *Poſtquam autem domum venerit, aut ſanitati fuerit reſtitutus, nullam licentiam habeat redimendi*. En quanta primi anni ſeveritas! multò tamen remiſſior Quadrageſimali obſervantia. Eodem modo tranſigebatur ſecundus, & tertius annus, ut ejuſdem Concilii verba ab iis citata definiunt. Hoc ſolùm erat diſcriminis, quod anno primo in Eccleſiam non ingrediebatur, nec pacis oſculum ei concedebatur, quod ſecundo, & tertio anno indulgebatur. Deinde ſecundo, & tertio anno licebat ei tertiam, & quintam feriam cum ſabbato quocunque in loco eſſet, redimere, non tantùm propter graves cauſas in pęnitentia primi anni expreſſas.

X. Sed Pęnitentia quatuor annis ſequentibus tributa multò erat remiſſior, & indulgentior: Sic enim eam circumſcribunt, *Quatuor anni deinde reſtant, per quos ſingulos jejunet tres Quadrageſimas; Unam ante Paſcha cum cæteris Chriſtianis abſtinendo de vino, medone, mellita cerviſia, carne & ſanguine, & ovis, & pinguibus piſcibus, &c. Et in quatuor ſupradictis annis tertia, & quinta feria, & ſabbato utatur quidquid vult: Et ſecundam, & quartam feriam redimere poteſt pretio jam ſupradicto. Sextam omnimodis obſervet in pane, & aqua, & nequaquam redimat*. Tres igitur Quadrageſimas jejunant ſingulis diebus cum abſtinentia in canone definita. Reliquo anni tempore ſola feria ſexta à remiſſione exemptilis eſt, & in pane, & aqua jejunanda. Duæ aliæ jejunandæ redimi poſſunt, cæteræ tres, 3. 5. & ſabbatum pęnitentium arbitrio permittuntur.

XI. Ex his omnibus inter ſe comparatis tria conſequuntur. Primum, trium Quadrageſimarum abſtinentiam cætero anni tempore fuiſſe ſemper longè ſeveriorem, ut ex abſtinentia utrique præſcripta clarum eſt, quod ſanè multò magis eſt de prima Quadrageſima affirmandum, quæ omnibus Chriſtianis nedum Pęnitentibus eſt eſutialis. Secundùm, licet ſecundo, & tertio anno non fiat Quadrageſimæ mentio, ut in primo anno, ex uſu tamen quotidiano ſubaudiendum, & ſupplendum eſſe, eodem modo Quadrageſimam ſecundo, & tertio anno jejunandam, quo jejunatur primo. Hoc evidenter demonſtrabitur ſola Capituli, ut apud illos auctores extat relatione, Titulus eſt, *Quid in 2. & 3. anno obſervare debeat*. Deinde ſequitur textus ex Concilio Triburienſi, *In ſecundo, & tertio anno ſimiliter jejunet, niſi quod tertiam feriam, quintam, & ſabbatum poteſtatem habeat redimendi prætaxato pretio ubicunque eſt. Cætera diligenter omnia obſervet, ut in primo anno*. Quadrageſima igitur, & reliquum anni tempus ſecundo, & tertio anno, ſi tres ferias redimendi poteſtatem eximas, obſervabatur ut primo. Trium iſtarum feriarum redemptio reliquo anni tempore permiſſa erat, non Quadrageſimali. Tertium conſequens, non videri primis tribus annis tres Quadrageſimas in Pęnitentiam ſimiliter impoſitas. Primùm, eo quòd unius tantùm fiat mentio, & iis verbis, quæ præcedentes annos ab hac obſervatione videntur excludere, *Tres anni reſtant, per quos ſingulos jejunet tres Quadrageſimas, &c.* Secundùm, multa dicuntur de illa prima Quadrageſima, quæ ea exacta aliis convenire amplius non poſſunt, aut certè difficillimè, ut, *completis 40. diebus aqua lotus, veſtimenta, & calceamenta accipiat, & capillum incidat*. Et illud de fine anni primi, *Completo anni circulo in Eccleſiam introducatur, & pacis oſculum ei concedatur*. Hoc ſemel ei conceſſo non erat redeunte alia Quadrageſima auferendum. Ita quoque iſta, *In lineis veſtimentis ſit abſque femoralibus; de loco in locum non pergat: Nullam communionem cum cæteris Chriſtianis, neque cum alio Pœnitente habeat in cibo, & potu, antequam quadraginta dies adimpleantur*. His laboribus ſemel exantlatis, & meliori ſorte reddita, videtur abſurdum poſt paucas ſeptimanas iiſdem iterum ſubiici, & poſteà ſecundò liberatum poſt duos, aut tres menſes tertiò idem jugum ſubire. Denique tanta erat reliquo anni tempore ſeveritas, ut ſi quæ dicta ſunt excipias, vix aliquid tolerabile ſupereſſet Quadrageſimis illis imponendum. *Cap.* 10. ex Concilio Moguntino ſeveriſſima pęnitentia relata eſt, in qua octavo tantùm anno tres Quadrageſimæ per annum incipiunt jejunari, cum ſcilicet jejunatio communis per annum plurimum relaxata eſt.

XII. Quæ auctores jam citati referunt ex Concilio Triburienſi in eo reperiuntur, ut videre eſt in tomis Conciliorum ad annum 895. *can* 55. & ſequentibus; & quanquam aliqua ſit in textibus diverſitas, nihil tamen diverſitatis paret in eo, de quo nunc quæſtio nobis vertitur. Lectori autem notandum eſt, quæ ex Concilio Triburienſi retulimus, mitiſſimas pęnas continere, ut manifeſtum ex aliis canonibus, in quibus homicidium caſtigatur, ut videre potes in Concilio Moguntino an. 888. *can.* 16. Vormacienſi an. 868. *can.* 26. & 30. Epiſtola Nicolai I. ad Rivoladrum, & alia Epiſtola ad Hincmarum, quorum textus jam allati ſunt. Sed pęnitentiæ modus, & ratio illis locis non digeritur ita ſigillatim, & κατὰ μέρος, ut in Triburienſi. Quapropter ſpeciminis cauſa Triburienſe elegimus ab inſignibus canonum Collectoribus toties propoſitum: Pęnitentia

Digitized by Google

tentia in reliquis canonibus indiſcretè propoſita, pari modo eſt in annos, & anni partes diſtribuenda, & mitiganda, quod tum temporis, tam ex manualibus Pœnitentialibus, quàm ex uſu quotidiano facilè diſtinguebatur, & expediebatur. Hoc etiam ex paucis verbis, quæ Epiſtolæ ſuæ ad Rivoladrum inſerit Nicolaus, evidenter colligitur. Licèt enim unius vel plurium Quadrageſimarum, nulla fiat in ea mentio, ſed modus tantum ſeveriſſimæ Pœnitentiæ jubeatur, nulla ad anni partes applicatione facta, tamen Quadrageſimalem ſeveritatem eſſe ſubaudiendam, hæc verba quæ obiter adduntur, demonſtrant, *Verumtamen omnibus prædictis temporibus, excepto feſtivitatum diebus, & reſurrectione Dominica, continuè Quadrugeſimali more uſque ad veſperam jejunus perſeveret.*

CAPUT XXI.

Inter publicum, & ſecretum pęnitentiæ impoſitionem à ſeculo ſeptimo ſolius ſolemnitatis diſcrimen fuiſſe; iiſdem pęnis, & remediis canonicis, crimina publica publicè, & occulta occultè ab eodem tempore caſtigata, & ſanata fuiſſe, ex antiquis Pęnitentialibus, & Sacramentariis editis, & manuſcriptis demonſtratur.

UNum ex iis, quæ demonſtranda, & explicanda, tam initio capitis primi, quàm ſeptimi propoſueramus, nobis ſupereſt explicandum: Quæ videlicet fuerit iis ſeculis praxis pęnitentiæ occultæ de peccatis occultis impoſitæ, & qua ratione à publica diſtinguebatur. Reſponderi poſſet, quæſtionem iſtam multis hujus libri capitibus eſſe abundè explicatam, capitibus ſcilicet nono, decimo, undecimo, duodecimo, decimoquarto, & vigeſimo, ſed potiſſimum undecimo, in quibus explicata ſunt, quæ in publica Pœnitentia erant privata, & domeſtica: Ea enim omnia in pari ſceleri occultis Pœnitentibus imponebantur. Prætereà multis argumentis eſſe demonſtratam *capitibus* 18. & 19. *libri* 4. in quibus impoſitionis Pœnitentiæ ritus exſcriptis Pœnitentialium verbis ſigillatim enarrati ſunt: ut etiam *libri* 5. *cap.* 18. ubi demonſtratum eſt, ea, quæ antiquitus Pęnitentibus publicis interdicebatur, à ſeculo ſeptimo criminibus ſeu occultis, ſeu publicis eſſe attributa, licèt de occultis nulla ampliùs ageretur Pœnitentia publica. Denique multa paſſim de peccatis publicis, publicaque Pœnitentia referuntur, quæ etiam ad peccata occulta, ſecretamque pęniſentiam pertinent: Ex quibus non inevidenter colligi poteſt, qua ratione Pęnitentia privata agi conſueſſet: actam ſcilicet eodem planè modo, ſi ſolemnitatem demas, quo publica. Idem utriuſque impoſitione dicendum, ut ſigillatim ex variis pęnitentialibus, velut ob oculos deſcriptum habes *lib.* 4. *cap.* 18. & 19. Fuſiuſque legere potes ad calcem hujus operis, cui pęnitentiales illi libri ſunt adnexi. Quapropter quæ hactenus dicta, citata, & explicata ſunt, quæſtioni propoſitæ demonſtrandæ ſufficere poſſent. Rei tamen gravitas, & diſciplinæ Pęnitentialis penitus cognoſcendæ neceſſitas vehementer mihi poſtulare videntur, ut diligenter, atque de induſtria huic propoſitioni demonſtrandæ incumbamus: Pęnitentiam privatam, quæ à ſeculo ſeptimo de criminibus occultis facta eſt, ab eodem tempore ſecundum canones impoſitam, & factam eſſe, atque à publicæ pęnitentiæ impoſitione, & actione per ſolius ſolemnitatis omiſſionem diſcrepaſſe. Hoc autem tribus argumentorum generibus demonſtrabimus. Primum à Pęnitentialibus antiquis ducitur, quos in fine hujus operis legere potes integros, vel *cap.* 18. jam citato, quæ ad rem faciunt compendio relata. Nonnulla tamen referemus, quæ paucis doceant, qua conſequentia quæſtio propoſita ex iis deducatur.

II. Pęnitentiam privatam ſecundùm canones occultis criminibus eſſe in Oriente impoſitam ex Pęnitentialibus Græcis adeò manifeſtum eſt, ut in iis nuſquam de publica pęnitentia, vel publica aliqua pęnitentis actione mentio fiat. Confeſſio in iſtis pęnitentialibus ſecreta eſt, omne pęnitentiæ exercitium ſecretum, Abſolutio ſecreta; omnia tamen ſecundum canones, & pęnitentiales ab Epiſcopis approbatos ſtatuta, & impoſita. Lege, & perlege pęnitentiales eorum libros, cæteraque Orientalium ſcripta ab Epocha data, nulla in iis deprehendes publicæ pęnitentiæ veſtigia, nulla illius certo, & definito die ſolemniter imponendæ, aut Abſolutionis eodem modò conferendæ memoriam. Si qui forſitan publicè peccantes publicè pęnitentiam egerunt, confiteri publicè, ut opinor, crimen ſuum potuerunt, atque ab altaris communione publicè eiici, aut ad eam accedentes publicè repelli, ſed quòd certò die pęnitentiam publicè ſuſciperent, quòd certa cum veſte ad pęnitentiam præparata incederent; quòd actioni eorum pęnitentiali aliqui eſſent Præpoſiti; quòd in Eccleſiis eorum eſſet pęnitentiam publicè, & non pęnitentium manifeſta diſtinctio, veſte, loco, aut prece aliqua ſuper eos publicè facta; quòd acta pęnitentia ſolemniter plebe ad definitum diem convocata reconciliarentur, hæc ſunt, quorum apud eos nullum extat monumentum, nullum veſtigium. Hæc omnia multis libro præcedente *cap.* 23. & ſequentibus demonſtrata ſunt. Quapropter hæc paucis monuiſſe ſatis eſto. Cùm igitur hæc apud Orientales hactenus ita ſe habeant, videamuſque in impoſitione Pęnitentiæ, Abſolutione, cæteriſque propè omnibus, Pęnitentiales Græcos eſſe Latinis ſimillimos, quis dubitare poteſt pęnas criminibus apud Latinos, ut & apud Græcos, in pęnitentia ſecreta juxta canones, & pęnitentiales approbatos à ſeculo ſeptimo ad undecimum, & ampliùs fuiſſe impoſitas?

III. Idem colligitur ex pęnitentia moribundis impoſita. Relati ſunt ex antiquis Pęnitentialibus ritus ejuſmodi impoſitionis, qui à publica nullo modo differunt, ſi ſolemnitatem excipias: immò minus quàm privata ſanis impoſita, eo quòd in pleriſque locis adhiberetur moribundis ceremonia cineris, & cilicii. Quod verò ad canonicam pęnam ſpectat, illis criminum Confeſſione facta judicabatur, ut ſi ſanitatem recuperaſſent, eam adimplerent; ſed propter infirmitatem iis tum non imponebatur, ut præter nonnullos rituales allatos id jubent Pęnitentiale Rom. *tit* 9. *cap.* 7. *Ab infirmis in periculo mortis poſitis para eſt inquirenda Confeſſio peccatorum, non tamen illis imponenda eſt quantitas Pænitentiæ, ſed innoteſcenda, &c. à quo periculo ſi divinitus erepti convaluerint Pænitentiæ modum à Sacerdote ſibi impoſitum diligenter, obſerveat.* Burchard. *lib.* 18. *c.* 14. Ex Pęnitentiali Theodori Cantuar. Ivo *part.* 15. *cap.* 36. Gratian. 26. *q.* 7. *c.* 1. & Concilium Moguntinum ſub Rabano *cap* 26. Itaque ne morbi quidem gravitas Infirmos poſt ſanitatem reſtitutam ab iis pęnis privatim ſuſtinendis liberabat, quæ publicis Pęnitentibus imponi ſolebant.

IV. Obiicietur, in multis canonibus præſcribi infirmum poſt pęnitentiam, & reconciliationem ſanitate recuperata ad agendam pęnitentiam canonicam juxta gradus in canonibus ſtatutos eſſe adigendum. Verùm hinc ſequeretur omni infirmo ſanitate recuperata eſſe publicè pęnitendum. Diſtinguenda igitur ſunt illorum canonum tempora. Vel lati ſunt, quum mos adhuc perſeveraret Pęnitentiæ publicæ pro certis criminibus occultis agendæ: Vel lati ſunt, poſtquam mos ille obſolevit, & publica crimina publicè fuerunt expianda, Privata privatim. In priori caſu, infirmus ſanitati reſtitutus publicè ſecundum canones tenebatur pęnitere, licèt occultè peccaſſet. Ideò canones illi antiqui nulla publici criminis à ſecreto diſtinctione facta definiunt abſolutè, Infirmum ſanitate recuperata ad eam Pęnitentiæ ſtationem eſſe relegandum, cui ante morbum fuerat mancipatus, aut ſine morbo mancipandus. In poſteriori publicè pęnitebat, ſi publicè peccaverat; privatim ſi occultè, ut ſupra probatum eſt. Sed Pęnitentiæ unius ab altera, ſi crimen idem erat, nulla prorſus differentia, nec in canonibus, nec in Patrum ſcriptis, nec in ullis ritualibus, quidquid in Pęnitentia ſpectes, ſive Confeſſionem, ſive pęnarum impoſitionem, ſive illarum ſubeundarum rationem, ſive reconciliationis formam, aut illius retardationem. Hoc unum intererat, quod in publica horum pleraque publicè, & ſolemniter fiebant, in privata privatim.

V. Tertiò hìc argumentis non eſt opus, quum rituales libri ſeparatim utrumque diſertiſſimè explicent, & ritum qui in pęnitentia publica obſervatur, & qui in privata. Iſta ſeparantur in antiquiſſimo omnium rituali, ſeu Sacramentario, quod ante S. Gregorium in Eccleſia Romana vigebat. In Pęnitentiali quoque Ekberti Eboracenſis Epiſcopi, ut & in iis, quæ exſcripſimus ex regula Canonicis Metenſibus à Chrodogango Epiſcopo data. Plerique alii Confeſſionis ſecretò faciendæ, & Pęnitentiæ privatim dandæ potius quàm publicæ formulas continent. Aliter intelligi non poteſt Alcuinus, ut cùm initio admonet inſtante Quadrageſima omnes Chriſtianos ad Confeſſionem, & Pęnitentiam exhortandos. An Chriſtiani omnes ad Confeſſionem publicam adigebantur? Quod ſi interſit, inquit, cauſa itineris, aut cujuſlibet occupationis, aut ita fortè hebes eſt pęnitens, ut ei perſuadere non poſſit Sacerdos, ut ad reconciliationem conſequendam, Cęnam Domini expectet, data ei annali, & quadrageſimali Pęnitentia, hoc eſt, ea pęnitentia, quam per totam quadrageſimam, & annum ratione criminis agere jubetur (quadrageſimalis enim pęnitentia erat annali multò durior) eum ſtatim reconciliet. Nihil horum

de Pę-

de pęnitentia publica poteſt intelligi. Eadem prorſus leguntur in ordine Romano edito, atque in antiquiſſimo Abbatis Conſtantini, & apud Burchardum *lib.* 19. ab Ipſis initiis, ſicut & in ſecundo codice manuſcripto Victorianæ Bibliothecæ, ut ſupra retulimus. Multa ſunt alia, quæ idem neceſſariò evincunt; veluti cùm moneretur quilibet ad pœnitentiam accedens ſive Laicus, ſive Clericus, ſive Monachus ſupplieiter ſe inclinet ante Sacerdotem; ſi Laicus, Baculum dimittat. Ordo Romanus, & alii idem monent; Quæ ſanè in pœnitentes publieos cadere non poſſunt, Qui concinerati, conciliciati, & lugubri, quem deſcripſimus, habitu ante Epiſcopum adſtante univerſo Clero comparebant. Deinde, ait Alcuinus, jubeat eum Sacerdos ſedere, & colloquatur cum eo de ſupradictis vitiis, ut ordo Romanus, Burchardus, & Andegavenſis, atque alii. Tandem jubet, ut poſt pœnitentiam acceptam, & benedictionem datam, *Si loco, vel tempori congruit, ingreſſi Eccleſiam, & ſuper genua, vel cubitos uterque innixus decantent Pſalmos, Domine, ne in furore tuo, &c.* Sic antiquiſſimum Turonenſe, & alia pœnitentialia, quæ ſanè publicæ Pœnitentiæ nullomodo congruere poſſunt. Denique ex iſtis Pœnitentialibus multa, ut Turonenſe, Siculum, Andegavenſe, Victorianum unum, & illud, quod ad calcem antiquæ Collectionis adtexitur, nihil aliud continent, quàm privatæ, & ſecretæ pœnitentiæ imponendæ rationem, ut cuique legenti ſole meridiano clarius eſt. Unde manifeſtiſſimum, & utrorumque lectione pœnitentiam publicam, omneſque ejus partes à privata, & ſecreta, ſi ſolemnitatem tollas, nihil prorſus differre.

VI. Quartò eandem ſententiam confirmat, quod nuſquam legas in pœnitentialibus, aut canonibus, & Patrum ſcriptis: Hæc pœnitentia peccato publico eſt imponenda, iſta occulto. Sic pœnitere debet occultè Pœnitens, ſic publicè. Sed ſemper uno, & eodem modo, nulla facta Pœnitentis publici ab occulto diſtinctione edicunt, qui Homicidium commiſerit, tot annis ſic, & ſic pœnitebit. Verùm quum ab annis nongentis crimina publica fuerint publica Pœnitentia caſtigata, occulta autem ſecreta, debuerant Pœnitentiales omnes libri, & canones ſemper diſtinguere inter Pœnitentiam crimini publico imponendam, & crimini occulto: Immo quem crimina occultò committantur ſæpiſſimè, publicè autem, & in propatulò raro; *Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus, Joannis* 3. Longè major eſt, ſemperque fuit ſecretò peccantium numerus quàm occultò. Ergo ſi canones, Pœnitentialeſque libri de publicis criminibus tantùm interpretandi ſunt, criminibus, quæ frequentiſſimè perpetrantur, nulla erit a SS. Patribus impoſita pœna, dicendumque erit, eos Judicum Forenſium inſtar externam Eccleſiæ politiam tantùm curaſſe, interioris verò Chriſtianorum diſpoſitionis, & animarum ſalutis nullam ſolicitudinem geſſiſſe, eritque illis meritò quod Phariſæis exprobrandum *Matth.* 23. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquiſtis, quæ graviora ſunt legis, judicium, & miſericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere, &c. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia mundatis, quod de foris eſt calicis, & paropſidis: intus autem pleni eſtis rapina, & immunditia, &c.* Quo certè nihil poteſt à ſanctorum Patrum mente fingi alienus.

VII. Denique idem neceſſariò colligitur ex eo, quòd antiqui Patres Pœnitentias quaſcunque vocare paſſim ſolent Medicinas, & Sacerdotes ea de cauſa Medicos animarum: ſupra hujuſce rei teſtimonia multa ſunt à nobis allegata. Lectorem nunc ad ſolam Gregorii Nyſſeni Epiſtolam canonicam remitto; vel huic tantùm inhærendo volumini, ad Simeonem Archiepiſcopum Theſſalonicenſem, cujus librum de Pœnitentia hujus operis fini adtexuimus. Variarum enim Pœnitentiarum criminibus impoſitarum rationes ex iſta Gregorii Epiſtola fusè eruit, docetque ſigillatim καὶ κατὰ μέρος, quemadmodum Medici variis morborum corporalium internis affectibus curandis varia medicamentorum genera applicant: Ita Patres variis animæ malis affectibus, & perturbationibus ſanandis varia Pœnitentiarum genera inſtituiſſe, quæ poſteà canonibus ſuis diſpenſant. Hinc eſt, quod Burchardus librum decretorum 19. qui totus conſumitur in docenda Confitendi, pœnitendi, & reconciliandi ratione Medicum vocaverit, *Liber hic Corrector vocatur, & Medicus, quia correctiones corporum, & animarum medicinas pleuè continet, & docet unumquemque Sacerdotem etiam ſimplicem, quomodo unicuique ſuccurrere valeat.* Quibus prætereà ultimis verbis manifeſtum eſt, medicinas ſuas toto libro contentas, tam de ſecreta Pœnitentia intelligi velle, quàm de publica. Hunc præcipuum ſcopum in variis pœnarum generibus imponendis ſibi propoſuiſſe ſanctiſſimos Patres, de ſe, aliiſque teſtatur ſanctus Baſilius finiens Epiſtolam ad Amphilochium, ubi cùm tot canones de pœnis quibuslibet criminibus imponendis ſanxiſſet, ſubiicit, *Hæc autem omnia ſcribimus, ut Pœnitentiæ eorum fructus probetur. Non enim hæc omnino tempore judicamus, ſed modum Pœnitentiæ attendimus. Quòd ſi quis à propriis moribus non facilè avellantur, & carnis voluptatibus potius quàm Deo ſervire voluerint, vitamque ex Evangelio inſtitutam non admittunt, nulla eſt nobis cum illis communis ratio.* Et alia, quæ in hunc finem addit, quæ Pœnitentiales Græci à nobis editi ex eo referunt. Hinc ſanè perſpicuum eſt, cùm idem ſit animo vulnus inflictum ſecreto crimine, & publico, cùm idem animi morbus utriuſque criminis ſit cauſa, uno eodemque medicamento eſſe curandum, & quod de uno dixerunt, de altero eſſe intelligendum. Quapropter Patres in canonibus, Decretis, & Homiliis ſuis uno præcepto velut uno faſce iſta complectuntur. At Pœnitentiales libri, & Sacramentaria, quæ ſingulas actiones, & ceremonias diſtingunt, pœnis indiſtinctè traditis, ſolemnitatem in publica Pœnitentia fieri ſolitam diſtinctè, & ſpecialiter explicant.

VIII. Mihi neceſſariò Lector videtur admonendus, pœnitentialium iſtorum auctores, cùm de Pœnitentia publica verba faciunt, ſecretam ſemper conjungere, ut ex nonnullis, quæ hoc capite relata ſunt, facilè colligitur: Semper enim multa conjungunt, quæ de pœnitentia publica nequeunt intelligi. Hujus rei ratio eſt in promptu: Ab annis ſanè nongentis, & aliquid ampliùs ſolemne fuit in Occidente non modò pœnas publicorum criminum Reis m capite Quadrageſimæ imponere, verumetiam occultè tum confiteri, & occultè Pœnitentiam accipere, & agere, ut ad corpus Chriſti in feſto Paſchali ſuſcipiendum ſanctius ſeſe præpararent. Ideò omnia Sacramentaria, & ritualia in hoc uſque tempus Chriſtianos omnes promiſcuè nulla prorſus facta diſtinctione ad Confeſſionem, & Pœnitentiam exhortantur. Non ſanè quòd velint omnes Chriſtianos ad Pœnitentiam publicam adigere; hoc enim vel cogitare eſt perabſurdum: Sed quòd mos eorum temporibus invaluiſſet, præſertim in Quadrageſima confiteri, & Pœnitentiam agere. Cùm igitur canones illi, & pœnitentiales libri omnes omnino homines in capite Quadrageſimæ ad pęnitentiam hortantut, hoc ex materia ſubjecta intelligendum eſt, Pœnitentes publicos ad publicam pęnitentiam, occultos ad occultam. Eos autem eſſe ita intelligendos, ut cætera, quæ ſermoni ſuo inſerunt, omittam, vel hoc ſolo firmiſſimè demonſtratur, quod ad pęnitentiam, quoſlibet homines exhortentur.

CAPUT XXII.

Idem ex illorum ſeculorum canonibus, & Patribus, qui hoc diſertè, καὶ αὐτολεξεὶ monuerunt, comprobatur.

SEcundùm argumentorum genus ab auctoribus eorundem ſeculorum petetur, qui propoſitionem noſtram diſertiſſimè καὶ αὐτολεξεὶ docuerunt, deque iſta canonum interpretatione Lectores ſuos admonuerunt: Quo argumenti genere nihil poteſt fingi, aut deſiderari efficacius. Capitularium *lib.* 5. *cap.* 52. Ex antiquo canone, ſive decreto ſic refertur, *Nemo Sacerdotum populi ſibi peccata confitentium ſine auctoritate canonum judicare præſumat; Et ut quandocunque quiſquam Sacerdos ſibi ſcelera ſua confitenti juxta prædictum canonicum modum pænitentiam tribuit, manus ei ſecundùm canonicam auctoritatem imponat cum orationibus, quæ in Sacramentario ad dandam pænitentiam continentur. Si verò occultè, & ſpontè confeſſus fuerit, occultè fiat. Et ſi publicè, ac manifeſtè convictus aut confeſſus fuerit, publicè ac manifeſtè fiat, & publicè coram Eccleſiam juxta canonicos penitent gradus.* Quod autem dixit de Confeſſione, & manus in pœnitentem impoſitione, atque illius executione, idem in Abſolutione faciendum eſſe ſtatim docet, *Poſt peractam verò ſecundùm canonicam inſtitutionem Pœnitentiam, occultè, vel manifeſtè reconcilietur, & manus ei cum orationibus, quæ in Sacramentario ad reconciliandum pœnitentem continentur, imponatur, ut divinis precibus, & miſerationibus abſolutus à ſuis facinoribus eſſe mereatur; quoniam ſine manus impoſitione nemo abſolvitur ligatus, &c.* Expreſſius dici non poterat prætermiſſa ſolemnitate publicationis, eodem prorſus modò Pœnitentiam, & reconciliationem dari Pœnitentibus publicis, & occultis: Unumque, & idem Sacramentarium, & Pœnitentialem librum utriſque ſufficere, modò id, quod fit publicè pęnitentibus publicis, occultè fiat occultis.

Morin. de Sacram. Pœnit.

II. Sic

II. Sic antiquum Pœnitentiale Romanum *tit.3. cap.26.* eodemque prorſus modo Burchardus *lib.19. cap.36.* Ivo *part. 15. cap 53.* omnes velut ex S. Auguſtino citant, *Si quis inceſtum occultè commiſerit, & Sacerdoti occultè confeſſionem egerit, indicetur ei remedium canonicum, quod ſubire debuiſſet, ſi ejus facinus publicatum fuiſſet. Verùm quia latet commiſſum detur ei à Sacerdote conſilium, ut ad ſalutem animæ ſuæ pro occulta Pœnitentia proficiat: Hoc eſt, ut veraciter ex corde ſe graviter deliquiſſe confiteatur, & per jejunia, & eleemoſynas, vigiliaſque, atque ſacras orationes cum lachrymis ſe purgare contendat*, hoc eſt, publicas ſolemnitates prætermittat. Nempe tot annis Eccleſiam non ingredi; veſtem, comamque pęnitentialem geſtare; In capite Quadrageſimæ ab Eccleſia publicè ejici; diu à Patria peregrinari, &c. quæ in pœnitentia publica fieri canones illorum temporum jubebant. Quanquam nec his omnibus eximeretur, ſi horum aliqua ſine ſui proditione præſtare poſſet.

III. Probatur eadem cauſa ex Pœnitentialis Romani ultimo capite, ultimi tituli, ex quo multa evidentiſſimè colliguntur, quæ mirum in modum diſciplinam illorum temporum illuſtrant, *De quodam Sacerdote quæſtio propoſita eſt, qui cùm populo deberet cantare Miſſam, & fuiſſet oblitus portare hoſtiam, pro verecundia populi ſcienter ſacrificavit corpus Chriſti, hoſtiam ſcilicet jam conſecratam, cùm non haberet aliam. Concilium Cardinalium, & plurium Epiſcoporum in hoc conſenſit, quòd ſi occultum fuit, moneretur, deterreturque, ut omni tempore vitæ ſuæ in pœnitentia eſſet, & ſi poſſet ſine ſcandalo abſtineret à conficiendo Corpore Domini. Si autem publicum, toto tempore ceſſaret à Miſſæ celebratione. Pars tamen eorum dicebat, niſi ſe fecerit Monachum, vel Canonicum: Et tunc meritis exigentibus permiſſu Abbatis, & conſilio Apoſtolici, vel Epiſcopi in neceſſitate poſſet accedere.* En quanta pœna occultè ſubeunda pro peccato quod ſcandali vitandi cauſa commiſſum fuerat. Obligatur præterea ad quoddam pœnitentiæ publicæ genus, ſi nullo cum ſcandalo id fieri poteſt. Sed obiter nota, quanta cum ſolicitudine, & diligentia curandis animæ vitiis incumbebant, cùm ut aſſignaretur huic crimini æqua pęnitentia, ſeu medicina, non è trivio Theologus aliquis conſulitur, ſed Cardinales, & Epiſcopi multi ſimul conveniunt. Verùm de hac ſolicitudine multis ſupra *lib.6. cap.14. & 15.*

IV. Inter Capitularia Caroli Magni poſt finem *lib.7.* antiquus hic canon reponitur, qui ſimiliter antiquam in hac re conſuetudinem præclarè, & evidenter explicat, *Mulier habens virum, ſi adulterium perpetraverit, & occultè ad Confeſſionem venerit, ſeptem annos pœniteat, tres in pane, & aqua: cæteros quatuor in providentia erit Sacerdotis, qualiter eam viderit poſſe, & ita ei ciborum abſtinentia imponatur. Similiter & vir habens uxorem, ſi adulterium perpetravit, faciat, id eſt, per triennium non communicet.* Quod verò ſi crimen ejuſmodi publicum fuerit, aut publicatum? *Si cujus uxor adulterium perpetraverit, & hoc à viro deprehenſum fuerit, & publicatum, dimittat uxorem ſi voluerit propter fornicationem. Illa verò, ſecundùm quod ſuperius inſertum eſt, publicè agat pęnitentiam. Vir verò ejus illa vivente nullatenus habebit licentiam aliam ducere uxorem, &c.* Eadem antiquum Concilium Namnetenſe *can.12.* Nulla verba occurrere poſſunt, quibus id, quod contendimus, clarius exprimi poſſit, vix decretoria magis poſſemus effingere.

V. Chrodogangas Epiſcopus Mediomatricum, dum regnabat Pipinus Caroli Magni pater, in regula Canonicorum *cap. 30.* in quo datur ordo ad pęnitentiam accipiendam, & Confeſſionem faciendam, explicatis breviter Confeſſionis minutiis, ſcribit, *Poſtquam confeſſus fuerit ſua peccata, ſi vult dimittere ea, da ei pęnitentiam, & ſi non vult, non da ei pęnitentiam quia non poteſt. Et ſi vult dimittere ipſa peccata, fac ei confiteri ea, & ad ultimum dicere, Multa ſunt peccata mea in factis, in verbis, in cogitationibus. Tunc da illi penitentiam canonicè menſuratam. Et poſteà effunde ſuper eum preces, & orationes. Cavendum eſt utique ne hi, qui in gravibus peccatis incedunt, & hi in levioribus quibuſdam delinquunt, æqualiter judicentur, ſed ſecundùm morbum adhibenda medicina.*

VI. Rabanus Maurus *lib.2.* de inſtitutione Clericorum *cap. 30. Quorum peccata in publico ſunt, in publica debet eſſe pœnitentia per tempora, quæ Epiſcopi arbitrio pęnitentibus ſecundùm differentiam peccatorum decernuntur: eorumque reconciliatio in publico eſſe debet ab Epiſcopo, ſive à Presbyteris, juſſu tamen Epiſcoporum, ſicut canones Concilii Africani teſtantur, in quibus ita ſcriptum eſt; Cujuſcunque autem pœnitentis publicum, & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſam Eccleſiam commoverit, ante abſidam manus ei imponatur.* Habetur ille canon in Concilio Carthag. 3. *can.32.* atque in collectione Africana *cap.70.* Græca *can.42.* Referunt paſſim canonum collectores Capitular. *lib.5. cap.53.* Burchard. *lib.19. cap 40.* Pœnitent. Rom. *tit.9. cap.9* Ivo *parte 15. cap.4.* Gratian. 26. *qu. 6. can. ultimo*, & aliæ pleræque manuſcriptæ collectiones. Ex eo canone poſteà probat, qua ratione occultorum criminum Pœnitentia ſit agenda; *Quorum ergo peccata occulta ſunt, & ſpontanea Confeſſione ſoli tantummodò Presbytero ſive Epiſcopo ab eis fuerint revelata, horum occulta debet eſſe Pęnitentia ſecundùm judicium Presbyteri, ſive Epiſcopi, cui confeſſi ſunt, ne infirmi in Eccleſia ſcandalizentur, videntes eorum pœnas, quorum penitus ignorant cauſas.* Eodem igitur modò utriuſque criminis, & occulti, & publici agitur Pœnitentia, ſi publicas ſolemnitates detrahas: Idque ex antiqua conſuetudine factum eſt, quum ex ipſius ſententia Carthaginenſis Synodi auctoritate comprobetur. Quod autem dicit arbitrio Epiſcopi, vel Presbyteri imponendam Pœnitentiam, hoc eſt, moderandam Pœnitentiam canonicam prout Epiſcopus, vel Presbyter æquum judicaverint habita ratione, ſexus, ætatis, infirmitatis, contritionis, & ſimilium circumſtantiarum, ut paſſim adnotant canones, quorum nonnulli initio capitis ſequentis referentur.

VII. Vix aliquis certiùs quid in hac re factum fuerit nobis indicare poteſt quàm Robertus de Flammesbur Canonicus ſancti Victoris Pariſienſis: Obiiſſe dicitur anno 1224. Scribebat igitur Pœnitentiale ſuum circa annum Chriſti 1200. aut paucis poſt hanc æram annis, Pœnitentiis Canonicis ab uſu Eccleſiæ quotidiano nondum omnino abrogatis. Cùm igitur utriuſque temporis terminos contigerit, finientis ſcilicet ſeveritatis, & invaleſcentis plurimum lenitatis, legitimus in ea, quam agimus, cauſa teſtis eſt. Sic ille de utraque pęnitentia Sacerdotem monet, *Attende tibi, Sacerdos, quia quamplures ſuſceptæ Pęnitentiæ publicæ ſunt, vel ſolemnes. Tu autem nunquam pro occulto peccato publicam, vel ſolemnem dabis pœnitentiam; alioquin per pœnitentiæ ſolemnitatem prodes, vel publicabis pœnitentis peccatum, quod eſt peſſimum. Quando igitur pro peccato, quod eſt occultum, publica, vel ſolemnis danda eſt Pęnitentia, ſi publicum eſſet peccatum, detrahe pęnitentiæ ſolemnitatem, & ipſam puram injunge pęnitentiam.* Addit ex illius temporis lenitate plurimum tum invaleſcente, *De alio etiam te moneo, quòd vix aliquem invenies, qui ſubſcriptas, quia graves ſunt, & auſteræ, ſuſcipiet Pęnitentias. Tu igitur paulutim, & paulatim eas mitigabis, ut aliquam habeat penitens pęnitentiam, &c.* Ideò Robertus longiſſimum ad finem uſque libri ſubjungit Pœnitentiale, ex canonibus, Pontificum decretis, & SS. Patrum ſcriptis collectum juxta, quæ pro peccatorum varietate Pœnitentiam legitimam imponendam docet.

VIII. Clariùs adhuc res iſta conſtabit, ſi ob oculos proponatur, qua ratione in ea exercenda ſeſe geſſerit. Sic ille *fol. 31. p.1. pęnitens venit ad nos, confeſſuſque eſt ſe filiam Patrui ſui corrupiſſe, cui 14. annorum pęnitentiam injunximus, ut jejunet tribus Quadrageſimis. In Quadrageſima poſt Pentecoſten duobus diebus in Septimana in pane, & aqua, & in Adventu tribus, & in majori Quadrageſima tribus, & abſtineat ſe ab ingreſſu Eccleſiæ, & à communione duobus annis.* Et *fol. 38. pag. 2.* poſtquam canonicas pœnitentias propoſuit, earum obſervantiam ſic mitigat, *Nemo ſic intelligat, ut ſemper ſecundùm rigorem, & diſtrictionem canonibus conſtitutam abſque omni miſericordia pęnitentia imponi debeat, ſed quòd canonum rigor, non pro Sacerdotum libito, ſed per canonum diſpenſationem ſit temperandus; ita ut in pęnitentiis dandis ſemper memor ſit Sacerdos, & diſtrictæ ſatisfactionis ad quam peccatores tenentur ex culpa, & indulgentiæ per quam canones verè pœnitentibus ſubveniunt ex miſericordia. Et ſi in altero neceſſe ſit excedere, minus malum credimus miſericordiæ lenitatem abſque diſſolutione ſervare, quàm rigorem juſtitiæ ſemper, & ubique tenere.* Manifeſtum eſt, igitur etiam illo tempore pęnitentiam ſecundùm canones criminibus occultis eſſe impoſitam, & juxta ipſos canones ſive juxta auctoritatem ab ipſis canonibus conceſſam Sacerdotes pro variis peccatorum, & perſonarum circumſtantiis eam ſeverius, aut clementiùs temperaſſe, & diſpenſaſſe: Verùm illo tempore in clementiſſimas diſpenſationes, & temperamenta fuiſſe propenſiſſimos. Idem demonſtrat caput poſtremum, in quo multis agit de communicatione, & redemptione canonicarum pœnitentiarum. Quid enim opus fuiſſet illa commutatione, ſi pœnitentiarum canonicarum uſus, ut paulò poſt contigit, fuiſſet abrogatus? Quid hoc ſit, velut ſpicam è ſtipula, uno exemplo docebimus. *Pro uno die*

quem

quem in pane, & aqua jejunare debet 50. Pſalmos genibus flexis in Eccleſia, ſi fieri poteſt, decantet; ſin autem, in convenienti loco eadem faciat, & unum pauperem paſcat, & eodem die, excepto vino, & carne, & ſagimine, ſumat quidquid velit.

IX. Attende inſuper quomodo Pœnitentialem finiat, *Poſtremò monere te volo, Sacerdos, quòd ſi per ignorantiam groſſam, vel negligentiam, vel propter gratiam, vel favorem, vel propter acceptionem ad arbitrium tuum, & libitum, & non canonum inſpecta diſpenſatione citrà, & infra panis pœnitentem, & minus quàm canonicè, & authenticè exigat pœnitentia, dummodo ipſe peccator paratus ſit ad quantamlibet canonicam Pœnitentiam, ipſe quidem, ut puto, ſalvabitur, & etiam à Purgatorio liberabitur, peracta dico pœnitentia à te ſibi injuncta. Tu autem in periculo eris. Quid enim ei imputabitur, ſi tibi obedit, & quantamlibet paratus eſt ſuſcipere pœnitentiam? Sanum igitur mihi videtur conſilium, ut quantumcunque potes, pœnitentem inducas, ut canonicam, & authenticam ſuſcipiat pœnitentiam, & ſic tibi, & ei bene erit.*

X. Ex dictis tria ſunt maniſeſtiſſima: Primum, Pœnitentiarum canonicarum uſum, cum Robertus ſcriberet adhuc viguiſſe, & Confeſſores, ſaltem pleroſque, occulta crimina Pœnitentiis canonicis vindicare conatos. Secundum quod ex præcedente ſequitur; Eodem prorſus modo in crimina occulta, & publica fuiſſe vindicatum, ſi ſolemnitatem tollas, quum iiſdem pœnitentiis canonicis utrumque peccati genus fuerit caſtigatum, quod diſertiſſimè, αὐτολεξὶ monuit Robertus. Tertium, Quæ poſtremò ex Roberto retulimus eſſe de pœnitentia criminum occultorum intelligenda, quum ex lenitate illius temporis ad pœnitentiam illam amplexandam dicat cogi eos non oportere. Nam ad publicorum criminum pœnitentiam publicè ſecundum canones agendam omnino cogebantur, antè reconciliationis, & ſacramentorum nunquam erant participes, ut jubent antiqui, recentioreſque canones, Carthagin. 3. *can.* 32. African. *can.* 10. Pelagius II. initio *Epiſt.* 3. idque ſancti Pauli admonitione edoctus, ut notavit Concilium Tribur. *can.* 11. *Sacra docet auctoritas, ut publicè pœnitentes publicæ Pœnitentiæ ſubiiciantur.* Ideo Galliæ Epiſcopi in Concilio Cabilonenſi *canon.* 25. monent, *Ab Imperatore adjutorium impetretur, qualiter ſi quis publicè peccat, publica mulctetur Pœnitentia, & ſecundùm ordinem canonum pro merito ſuo excommunicetur, & reconcilietur.* Lege, quæ de hac diſciplina ſuperius dicta ſunt hujus *libri cap.* 4. & 5. & *libri* 6. *cap* 20.

XI. Paulò poſt Robertum, atque eo vivente, ſcripſit quoque librum Pœnitentialem Petrus Pictavienſis Abbatiæ ſancti Victoris ſimiliter Canonicus. Scribebat librum illum poſt annum 1215. elapſum, antè verò annum 1225. Citat enim aliquando Innocentii III. Conſtitutiones in Concilio Lateranenſi, Præpoſitivi, Beleti, & Petri Cantoris ſummas, nunquam autem Gregorii IX. Decretales. Vigebant adhuc pœnitentiæ canonicæ licèt plurimum remiſſæ, eaſque quibuslibet crimina confitentibus proponebant potius quàm imponebant. Nam ſi repugnabat Confitens, eas facillimè minuebant, aut ab eo redimi permittebant, vel etiam aliis compenſari. Jam axioma illud, Pœnitentem canonicas pœnas ad Libellam non debere, non modo in Eccleſia increbuerat, ſed etiam invaluerat. Hæc autem omnia ad peccata occulta, vix ad publica pertinent. Quid pluribus argumentis opus eſt, cum ipſi de criminibus occultis iſta ſe pronuntiare aſſerant. Si conſuetudinis iſtius ſcintillæ eo tempore micabant adhuc; quid de ſeculis præcedentibus æſtimare par eſt? Sed Pictavienſis verba audire præſtat, *fol.* 8. *p.* 1. cui titulus: Quòd pœnitentia non eſt injungenda, quæ ſcandalum pariat. *Illis perſonis, quibus injungenda eſſet aſperitas ciborum, & veſtium, ſed non audent, ut conjugatæ præcipuæ, poteſt injungi, quòd etiam coram illis, quorum ſcandalum timeat, abſtineant quantum poterunt ſine nota. Sine illis autem vel ſæpe, vel ſemper; ut ſi bibant ſine illis, ut ſi poſt menſam, bibant aquam. Sic & de cibis, & de aliis propter ſcandalum nunquam relinqui debet triplex veritas, fidei, vitæ, & doctrinæ. Item non curavit Chriſtus de ſcandalo Phariſæorum: ſic non ſemper eſt curandum, niſi juſta cauſa ſcandali ſubſit, quia quandoque ſcandalum contriſtat tantùm, quandoque trahit in ruinam. Item quando datur licentia non abſtinendi, vel redimendi propter viam, ſi eat eques, non eſt intelligendum de tali niſi à Confeſſore exprimatur, ſecundùm aliquos. Similiter ſi propter ſocietatem, non videtur intelligendum de quotidiana ſocietate, nec de æqualibus, ſed ſi accedat ad menſam alienam, vel alius ad ſuam, cui ſe debeat conformare.*

XII. *Fol.* 6. *p.* 1. Explicat, quæ ſunt tres feriæ, quæ legitimæ dicuntur, in quibus præſertim ex Pœnitentia canonica jejunandum; Explicat quatuor Quadrageſimas in quibus ſimiliter jejunandum erat, deinde ait, *Inceſtuoſis, Adulteris, & peccantibus contra naturam ſolent hæ feriæ arctiùs injungi, & crebriùs. Incendiariis, & Homicidis, Murtrariis, Effractoribus publicis, Latronibus, & Raptoribus, & hujuſmodi, & omnes Quadrageſimæ, quæ ſunt quatuor præter jejunium Apoſtolorum ante Pentecoſten, quarum una incipit quarta feria poſt Octavas Aſſumptionis. Item non veſtiri Camiſia, vel veſtiri cilicio.* Et *fol.* 9. *p.* 1. *Hinc etiam approbatæ conſuetudinis eſt in Eccleſia, ut major criminum pœnitentia ſeptem annorum ſpatio concludatur, niſi vel perſona, vel Officii excellentia, vel criminum magnitudo vulgarem conſuetudinem excedens, ut cum contra naturale fœdus humanæ ſocietatis parentibus, vel liberis, vel hujuſmodi conjunctis perſonis impudicè adhæremus, vel cum relicto uſu naturali contra naturam in concupiſcentiam exardemus, præmiſſum ſpatium tranſcendere compellat.* Ita loquebantur, ita docebant, ita agebant initio ſeculi decimi tertii Eccleſiæ Catholicæ Doctores.

XIII. Tandem in fine Pœnitentialis ſui hoc addit, *Non videtur, quòd pro peccatis occultis debeat pœnitens aliquis arctari præcisè ad aliquod genus ſatisfactionis nolens, ſed redimere poteſt, vel aliter compenſare. Secus eſt in manifeſtis, ſicut eſt videre in ſolemni pœnitentia, quæ etiam carena dicitur, quæ injungi ſolet pro peccatis enormioribus, ut pro parricidio, quod vocabulum ſecundùm leges extenditur ad conjunctas perſonas, ut parricidium complectatur, non ſolùm interfectionem Patris, & matris, Filii, & filiæ, ſororis, & fratris, & hujuſmodi. Similiter & minores Homicidæ, & alii publicè pœnitentes quandam certam habent formam, ut in die cineris ejecti de Eccleſia cum certa forma, cum certa æquè forma in die Cœnæ recipiantur.* Ex Petri verbis eadem corollaria maniſeſtiſſimè conſequuntur, quæ ex Roberto deducta ſunt. Collige inſuper in ſolemni, & in publica pœnitentia pœnas canonicas ſtrictiſſimi fuiſſe juris. In ſecreta verò quę criminum erat occultorum eaſdem quidem pœnas, quæ publicè in publica pœnitentia imponi ſolebant, ſecretò impoſitas, & ſecretò ſubeundas. Verùm hoc ſtricti juris non fuiſſe, ſed compenſari, & redimi potuiſſe, nec Confeſſorem ad eas ſecretum pœnitentem adigere potuiſſe.

XIV. Quæ hactenus dicta ſunt, evidentiſſimè explicant, qua ratione intelligenda ſint hæc verba Concilii Moguntini ſub Rabano *canone* 31. *Diſcretio ſervanda eſt inter pœnitentes, qui publicè, & qui abſconſè pœnitere debeant. Nam qui publicè peccat, oportet, ut publica mulctetur pœnitentia, & ſecundùm ordinem canonum pro merito ſuo & excommunicetur, & reconcilietur.* Quæ repetunt pœnitentiale Roman. *tit.* 9. *cap.* 11. Burchard. *lib.* 19. *cap.* 28. Ivo *parte* 15. *cap* 46. Quod etiam decernit Remenſe *can.* 31. *Ut diſcretio ſervanda ſit inter pœnitentes, qui publicè, & abſconſè pœnitere debent.* Quibus ſimilia *can.* 26. Arelatenſe Concilium ſub Carolo, Cabilonenſe *can.* 25. & Triburienſe *can.* 11. Diſcretio illa eſt, ut iis, qui publicè peccaverunt, vel criminis ſecretò perpetrati publicè convicti ſunt, pœnitentia imponatur publicè, non ſecretò; eamque publicè agant, non ſecretò: Illis verò, quorum crimen abſconſum eſt, & Eccleſiam non commovit, eadem pœna ſecretò, & abſconsè imponatur, ſimiliterque ab iis ſecretò, & abſconsè agatur, omittanturque, quæ ad pœnitentiæ ſolemnitatem ſpectant.

CAPUT XXIII.

Idem variis hinc inde collectis eorundem ſeculorum teſtimoniis demonſtratur. Quæ regula minuendarum pœnitentiarum, & imponendarum iis criminibus, quæ canones præterierunt. Pœnitentiales libelli ordinandis Sacerdotibus dati, eodendæ Confeſſionis ſecretæ, & privatæ pœnitentiæ imponendæ, & exequendæ rationem potiſſimùm docebant. Qui alias pœnitentias quàm canonicas continebant, igni tradebantur.

TErtium, & poſtremum argumentorum genus ex variis teſtimoniis ducitur, in quibus iſtorum ſeculorum auctores admonent, Sacerdotem unumquemque, ut pœnitentiam ſecundum canones, aut pœnitentiales libros imponat, eaſque criminibus circumſtantias adhibent, quæ ad occulta crimina, ſecretamque pœnitentiam neceſſariò referuntur. Pœnitentiale Romanum *tit. ult. cap.* 2. *Solerter admonemus, doctum quemque Sacerdotem Chriſti, ut non ex ſuo ſenſu, ſed ſecundùm canonum ſtatuta, & traditiones Patrum univerſa diſponat, & conditionem uniuſcujuſque ſexus, ætatem, paupertatem, cauſam, ſtatum, perſonam cujuſque pœnitentiam agere volentis, ipſum quoque cor pœnitentis aſpiciat; & ſecundùm hæc, ut ſibi viſum fuerit, ut ſapitus Medi-*

Digitized by Google

dus, ſingula quæque dijudicet. Eadem referunt, ſed velut ex ſancto Auguſtino Burchardus *libro* 19. *cap*. 29. & Ivo *part*. 15. *cap*. 47. Eos de occultis criminibus, & privata Pœnitentia loqui evidens eſt, cùm dicant, unumquemque Sacerdotem ſpectare debere perſonam, &c. cujuſque pęnitentiam agere volentis. Nam privatæ pœnitentiæ, non autem publicæ arbitrariæ erant, & à zelo, & devotione Privatorum pendebant. Deinde privatæ Pœnitentiæ ad unumquemque Sacerdotem pertinebant; Publicæ ad Epiſcopos, & ſolos eorum Vicarios. Ideò idem Pœnitentiale *cap*. 14. ſequente ſic definit falſas Pœnitentias, *Falſas pœnitentias dicimus, quæ non ſecundùm auctoritatem ſanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur*. Iiſdem verbis eas definit Gregorius VII. in Concilio Romano 4. *c*. 6. & *lib*. 7. Regiſtri *Epiſt*. 10. Ex quo Gratianus eandem definitionem depromſit *diſtinct*. 5. *de Pœnit*. *c*. 6. Solæ igitur veræ pęnitentiæ ſecundùm eos eæ ſunt, quæ pro qualitate criminum ſecundùm auctoritatem ſanctorum Patrum imponuntur.

II. Concilium Cabillonenſe ſub Carolo Magno ſic ſtatuit *can*. 38. *Modus pœnitentiæ peccata ſua confitentibus, aut per antiquorum canonum inſtitutionem, aut per ſanctarum Scripturarum auctoritatem, aut per Eccleſiaſticam conſuetudinem, ſicut ſuperius dictum eſt, imponi debet, repudiatis, ac penitus eliminatis libellis, quos Pœnitentiales vocant, quorum ſunt certi errores, incerti auctores*. Idem canon renovatur in Concilio Moguntino ſub Rabano *can*. 31. Referunt ex eodem Concilio Burchard. *lib*. 19. *cap*. 28. Ivo *part*. 15. *c*. 46. Et Pœnitent. Romanum eodem *tit*. *c*. 11. De Pœnitentia, & Confeſſione agi generaliter, ſive privata, ſive publica manifeſtum videtur, ex eo quod generaliter hoc præcipiat quibuslibet confitentibus. Deinde pœnitentias privatas potiſſimum reſpicere id, quod de libris Pœnitentialibus ſtatuunt, demonſtrat. Pœnitentiales enim illi libri in omnium Presbyterorum manibus verſabantur, ad quorum jus pertinebat pœnitentias privatas imponere, non publicas. Denique non fit probabile, Epiſcopos cum toto Clero principe in Eccleſiis ſuis Cathedralibus, ambiguis uſos Pœnitentialibus; ſed hoc in oppidis, & pagis contigiſſe admodum probabile eſt, & cùm hoc teſtentur illa Concilia, eſt planè certum. Quapropter cùm oppidanas, & vicanas parœcias ſpectent, de ſecretis, & privatis pęnitentiis Conciliorum iſtorum verba potiſſimùm ſunt intelligenda.

III. Alcuinus in Eccleſiaſticis officiis *cap. de capite jejunii*: Burchard. *libro* 19. *capite* 31. Ivo *part*. 15. *cap*. 49. Gratianus *diſtinct*. 1. *de Pœnitent*. *cap*. 86. & multi canonum Collectores manuſcripti præclarè mihi videntur docere, qua ratione pęnæ ſint, & dicantur ex canonibus imponendæ, licèt canones ſingulis criminibus pœnas non appoſuerint, ſed permulta prætermiſerint, & Sacerdotum arbitrio reliquerint, *Menſuram temporis in agenda pœnitentia, idcircò non ſatis apertè præfigunt canones pro unoquoque crimine, ut de ſingulis dicant qualiter unumquodque emendandum ſit, ſed magis in arbitrio Sacerdotis intelligentis relinquendum ſtatuunt*. Hujus Conciliorum facti primò rationem reddunt, deinde docent, qua ratione ſeſe gerere debeant Sacerdotes in criminum caſtigatione, quæ à canonibus prætermiſſa ſunt, & eorum arbitrio commiſſa: *Quia apud Deum non tam valet menſura temporis, quàm doloris; nec abſtinentia tantùm ciborum, quàm mortificatio vitiorum. Propter quod ipſa tempora pœnitentiæ pro fide, & converſatione pœnitentium abbrevianda præcipiunt, & pro negligentia protelanda*. Qua verò ratione, qui ve Sacerdotes iſta, quæ canones non attigerunt, moderari debent? Quam regulam, & cynoſuram obſervare debent? An eorum libidini pœnæ iſtæ proſtitutæ ſunt? Minimè gentium. Quid igitur? *Extant pro quibuſdam culpis pœnitentiæ modi impoſiti, juxta quos cæteræ perpendendæ ſunt culpæ, cùm ſit facilè per eoſdem modos vindictam, & cenſuram canonum æſtimare*.

IV. Capitular. *lib*. 7. *cap* 294 & Iſaacus Lingonenſis, *capite ultimo titulo* 1. Ita hoc evidenter, & particulatim docent, & faciendum jubent, ut nulla rationis contrariæ nubecula obſcurari poſſit, *Quærendum eſt Sacerdoti, cùm accipit cujuslibet fidelis confeſſionem peccatorum, qualiter primò peccatum perpetratur, aut ſi poſteà iteratum, aut frequenter actum ſit, ſi ſponte, ſi coactè, ſi per ebrietatem, aut quodlibet ingenium factum ſit. Et cum invenerit, unde radix illius peccati proceſſit, tunc congruam adhibeat medicinam*. Hæc de confeſſione occulti criminis eſſe intelligenda, nemo, ut mihi perſuaſum, vel tantillùm dubitare poteſt. Vix enim nunc id clariùs deſignari poſſet. Quid igitur ſic facta confeſſione ſecreta criminis occulti Sacerdotem pœnitenti facere oportet? Quod congruum medicamentum illi propinare? Verbis ſtatim adjectis ſic explicat, *Qualis verò adhibenda ſit medicina, ſecundùm canonum authenticorum, & ſanctorum Patrum eſſe debet inſtitutionem, & non ſecundùm placitum hominis, ſed ſecundùm Dei voluntatem*. Secundùm hanc regulam occultis peccatis imponenda pœnitentia. Omnes igitur illæ pęnæ, quibus peccata in canonibus Conciliorum vindicantur ad peccata occulta, privatamque penitentiam pertinent, & non tantùm ad peccata publica, publicamque pęnitentiam.

V. Præterea in iiſdem Capitularibus *lib*. 6. *cap*. 96. & apud Iſaacum Lingon. *tit*. 6. *cap*. 2. ſic decernit Ludovicus Imperator, *Si quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam noſtro fideli, ejuſque homini vi aliquid abſtulerit, in triplo cui aliquid abſtulerit legibus componat, & inſuper bannum noſtrum, id eſt, 60. ſolidos nobis perſolvat, &c. Si publicè actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam juxta ſanctorum canonum ſanctionem. Si verò occultè, Sacerdotum conſilio ex hoc agat Pœnitentiam, quoniam Raptores, ut ait Apoſtolus, niſi veram egerint Pœnitentiam, regnum Dei non poſſidebunt*. Dixit autem de occultis peccatis pęnitentiam Sacerdotum conſilio eſſe agendam, eo quòd criminis occulti Reus ad pęnitentiam cogi non poſſit, ſed occultè tantum moneri, & perſuaderi, ut explicatum hoc habes libro ſecundo, atque etiam alibi. Publici verò criminis Reus ad Pęnitentiam publicam, ſi pervicaciter ei renitatur, & Excommunicationibus, & auctoritate Principum adigitur. Conſilium autem Sacerdotis Pęnitenti datum canonicum eſſe debet, aliterque dari ſeverè prohibetur. Sic enim Conſilium Pariſienſe ſub eodem Ludovico celebratum, *lib*. 1. *cap*. 32. *Quoniam multi Sacerdotum partim incuria, partim ignorantia modum Pęnitentiæ reatum ſuum confitentibus ſecus quàm jura canonica decernant, imponunt, utentes ſcilicet quibuſdam codicillis contra canonicam auctoritatem ſcriptis quos pęnitentiales vocant, & ob id non vulnera peccatorum curant, ſed potius foventes palpant, &c. Omnibus nobis ſalubriter in commune viſum eſt, ut unuſquiſque Epiſcoporum in ſua Parochia eoſdem erroneos codicillos diligenter perquirat, & igni tradat, ne per eos ulterius Sacerdotes imperiti homines decipiant*. Poſtquam multas invectivas fecerunt Patres in ejuſmodi Presbyteros, qui Pęnitentias ſibi confitentibus non imponunt ſecundum canones, ſubdunt, *Presbyteri imperiti ſolerti ſtudio ab Epiſcopis ſuis inſtruendi ſunt, qualiter & confitentium peccata diſcretè inquirere, eiſque congruum modum Pęnitentiæ ſecundùm canonicam auctoritatem noverint, imponere*. Dubitari non poteſt, agere eo canone Patres de peccatis potiſſimùm occultis, cùm id verba canonis tam evidenter arguant: Immò dicam ampliùs, de peccatis ſolum occultis. Invectiva enim eſt adverſus Presbyteros ſimplices, & imperitos, ad quos, ut manifeſtum eſt, non pertinet pęnitentiam publicam imponere, neque de peccatis publicis judicare: Hoc enim disertè omnium ſeculorum canonibus illis interdicitur, & Epiſcopis, eorumque Vicariis tantùm permittitur. Quapropter tanta querela Patrum de pęnitentia criminibus non ſecundùm canones data, reſpicit hoc loco ſola crimina occulta: Ideò jubent, ut igni tradantur omnes iſti pęnitentiales, qui pęnas aliter quàm canones definiunt, Pęnitentibus imponunt, & alii canonici Presbyteris tradantur ſecundùm quos de criminibus, eorumque pęnis judicia ſecerant. Cùm igitur in Capitulari dicitur, *Si occultè, Sacerdotum conſilio ex hoc agat pęnitentiam*, intelligitur neceſſariò conſilium ſecundùm canones de crimine occulto datum: alioquin conſilium eſſet, ut inquiunt eodem tempore Patres Pariſienſes, *erroneum, mortificaret animas, quæ non moriuntur, & vivificaret animas, quæ non vivunt*.

VI. Multi ſunt alii Conciliorum canones idem cum Pariſienſi de pęnitentialibus illis aſſerentes, quos alia in cauſa *libri* 6. *cap*. 15. exſcripſimus, eò Lectorem remittimus. His verbis *cap*. 34. ejuſdem Concilii contenti. Conqueruntur Patres illi de quibuſdam Sacerdotibus, qui peccata contra naturam ſibi in Confeſſione prodita non puniebant ſecundùm canones. Exaggerata Dei ira in ejuſmodi crimina, agunt, *Reſtat ut quiſquis tanti ſceleris patratorem ſe eſſe meminit, dum tempus acceptabile, dieſque ſalutis exiſtit, per confeſſionem, & pęnitentiæ ſatisfactionem ſibi conſulere non differat, &c. Verùm ſi hoc, antequam diem claudat extremum, facere detrectaverit, noverit quia, &c. Igne perpetuo in eo idem vitium per infinita ſecula ſeculorum punietur*. Non modò ex natura peccati, quod occultum ſemper eſt, cùm propter ſui fęditatem publicè nunquam perpetretur, evidens eſt de criminibus occultis Patres agere, verumetiam ex eorum verbis, *Quiſquis tanti ſceleris patratorem ſe eſſe meminit*. An publico, ſceleri hoc convenire poteſt? Deinde, *Si hoc, antequam diem claudat extremum, facere detrectaverit, &c.* Nec hæc verba publico ſcele-

ſceleri ex Patrum illorum mente conveniunt: Ejuſmodi enim peccatores publicos anathemate ad pęnitentiam publicam Epiſcopi, & armis Principes adegiſſent. Audiamus igitur qua ratione ſcelera iſta puniunt, *Proinde omnibus nobis valde neceſſarium viſum eſt, ut quidam Sacerdotes, qui hoc vitium aliter quam ſacri canones ſanciant, non ad ſalutem, ſed ad deceptionem animarum puniunt, corrigantur, & inſtruantur, ut codicibus pęnitentialibus prorſus abdicatis, per quos multi inani ſpe, & promiſſione decepti ſunt, & decipiuntur, abhinc patratores tam nefandiſſimi, & Deo deteſtabilis vitii ſecundùm judicium canonicum, quod in Ancyrano Concilio ſub titulo 16. continetur, judicentur.* En qua ratione peccata occulta ex antiquo more puniunt. In verbis proximis tertium criminis occulti argumentum continetur, cùm de pęnitentia juxta pęnitentiales canonicos danda verba faciat. Ideò ut de capitulo Superiore collectum eſt, ſic de hoc inde colligendum.

VII. Aliud ejuſdem veritatis evidentiſſimum ex libris Pœnitentialibus ducitur argumentum. Pœnitentiales enim libri omnibus Presbyteris non modò cùm ordinabantur tradi ſolebant, ſed etiam eos in viſitatione Epiſcopi, aut eorum Officiales interrogabant, an Canonicos pęnitentiales haberent, & quotannis in Synodis Diœceſanis admonebant, ut eorum quiſque pęnitentialem probatum, non ſecus ac Pſalterium, Miſſale, Lectionarium & ejuſmodi apud ſe haberet, atque ut ex illius præſcripto Pęnitentiam confitentibus imponeret, ſicut multis ſupra *lib. 6. c. 15.* demonſtratum eſt. Quum igitur pęnitentiales illi canonici ad omnes omnino Presbyteros pertinerent, & tam ſeverè unicuique Presbytero injungeretur non ſemel, cùm ordinaretur, ſed quotannis, ut Pęnitentialem haberet canonicum, & Pęnitentias ſibi confitentibus ex illius præſcripto diſpenſaret, manifeſtiſſimum, eſt Pęnitentiales libros ad occulta peccata potiſſimùm ſpectaſſe, quorum tantùm remittendorum penes vulgares Presbyteros erat poteſtas.

VIII. Argumentis ei non opus erit, qui Pęnitentiales libellos oculis vel luſtrare voluerit. Erit enim illi evidentiſſimum propter occulta peccata, & ſecretas fidelium Confeſſiones excipiendas potiſſimùm eſſe compoſitos. Primus iſtorum pęnitentialium in Occidente auctor Theodorus mentem, & inſtitutum ſuum declarat in pęnitentialis ſui editione, *Sanè quia de livore invidiæ, & de ira, necnon & de avaritia, ut ſuperius digeſtum eſt, oriuntur homicidia, rectè, ut arbitror, conſuimus de ipſo vitio, primum qualiter Sacerdotali judicio canonicè penitus ſit corrigendum oſtendere; ac deinde ſecundùm ordinem vitiorum ita remedium ſubſequatur, quò facilius undequaque pœnitens purgari voluerit, ſine dilatione in ſingulis capitalis inveniatur.* Hæc ex Theodoro *pag. 15. c. 154.* Potiſſimùm igitur ad ſecretam Confeſſionem, & occulta peccata ſpectabant illa capitula, quibus conveniens unicuique peccato indicebatur pęnitentia. Nec minus evidenter pęnitentiale Rom. *tit. 9. c. 16. Nunc tibi octo principalia vitia explicabo, ſi in illis te percuſſum, tactum, vulneratum ſentis, vide ne me celes, id eſt, ſuperbiam, &c. Ex quibus ſi te culpabilem recognoſcis, pęnitentiam ſuſcipe; nam ex his omnia vitia oriuntur.* Eadem jubet Burchard. *cap. 1. lib. 19.* qui eſt Pęnitentialis ab eo editus, notatque ex pęnitentiali Theodori [?] hæc, & ſequentia decerpſiſſe. Pęnitentiale Bedæ *cap. 5.* & ſequentibus ſimiliter, ubi enumeratis capitalibus, & minoribus peccatis, tam internis, quàm externis quantum temporis pro unoquoque pęnitentia ſit imponenda ſigillatim declarat. Eccberti Pęnitentialis totus quantus eſt, illuſtre eſt ejuſdem rei teſtimonium. Idem colligitur ex Albino Fæcco [?] de divinis Officiis in capite Quadrageſimæ, ubi minutim agit de ratione confitendi peccata. Ideo plurimum operæ, & temporis impendebant Epiſcopi in Conciliis, ut Presbyteros ſuos de modo confitendi, & Pęnitentias canonicas imponendi inſtituerent. Concilii Remenſis 2. anno 813. celebrati, c. 12. *Omnibus his actis ventilata eſt ratio Pœnitentiæ, ut Sacerdotes certius intelligerent, quomodo Confeſſiones recipere, & pęnitentiam ſecundùm canonicam inſtitutionem pœnitentibus deberent indicare.* Quum hæc ad omnes Sacerdotes ſpectent, de criminibus, & Confeſſionibus ſecretis ſunt potiſſimum intelligenda. Sed canon ſequens omni ambiguitati occurrit, *Ventilata eſt ratio octo principalium vitiorum, ut unuſquiſque diverſitatem illorum ſciret, &c.* Et eodem tempore Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis Presbyteris Diœceſis ſuæ ſic ſcribebat, *Confeſſiones dandæ ſunt de omnibus peccatis, quæ ſive in opere, ſive in cogitatione perpetrantur, &c. Quando ergo quis ad Confeſſionem venit, diligenter debet inquiri, quomodo, aut qua occaſione peccatum perpetraverit, quod peregiſſe ſe confitetur; & juxta modum facti debet ei pęnitentiam indicari. Debet ei perſuaderi, ut & de perverſis cogitationibus faciat confeſſionem, &c.*

COMMENTARII HISTORICI DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTI POENITENTIÆ,

Ab Apoſtolis ad uſque ſeculi duodecimi initium tam in Eccleſia Orientali, quàm Occidentali obſervata.

LIBER OCTAVUS.

De abſolutionis ſacerdotalis virtute, & formulis, deque variis hac in cauſa Doctorum ſententiis.

CAPUT I.

Abſolutionis Virtus, & efficacia ad ſalutem æternam conſequendam probatur ex variis Epithetis, quæ Patres illi tribuunt: Ex concurſu Pœnitentium ad eam à Sacerdotibus ſuſcipiendam, cùm inſtat mortis periculum: Ex querela Abſentiæ Paſtorum: Ex precibus, & lacbrymis, quibus depoſcitur. Denique ex precibus, & ſacrificiis denegatis Pœnitenti, cui caſu aliquo diem obire ea non ſuſcepta contingebat.

Quartam, & poſtremam hujus operis partem nunc aggredimur, Pœnitentium ſcilicet abſolutionem, & reconciliationem. Explicatis enim variis pœnarum, & laborum ſpeciebus, ſupereſt fructuum inde percipiendorum enarratio, & demonſtratio. Quis enim exiſtimet, Eccleſiam tam multiplicium pœnarum tolerantiam pęnitentibus imperaſſe, nullamque tolerantiæ tam obſequioſæ mercedem propoſuiſſe, eaque peracta non donaſſe? Quàm eleganter, & fortiter S. Cyprianus in fine *Epiſtolæ* 52 adverſus Novatianos hoc argumentum urget! *O fruſtrandæ fraternitatis irriſio! ò miſerorum lamentantium caduca deceptio! ò hæreticæ deceptionis inefficax traditio! Hortari ad ſatisfactionis pęnitentiam, & ſubtrahere de ſatisfactione medicinam; dicere fratribus noſtris, plange, & lacbrymas funde, & diebus, ac noctibus ingemiſce, & pro abluendo, & purgando delicto tuo largiter, & frequenter operare, ſed extra Eccleſiam poſt omnia iſta morieris: Quæcunque ad pacem pertinent, facies, ſed nullam pacem, quam quæris, accipies. Quis non ſtatim pereat? Quis non ipſa deſperatione deficiat? Quis non animum ſuum à propoſito lamentationis avertat? Operari tu putas Ruſticum poſſe, ſi dixeris; agrum peritia omnis ruſticitatis exerce, culturis diligenter inſiſte; ſed nullam meſſem metes, nullam vindemiam premes, nullos oliveti tui fructus capies, nulla de arboribus poma decerpes.* Eodem modo adverſus Montaniſtas colligebant antiquiſſimi Chriſtiani, ut infra docebimus. Quapropter poſt enarratas libris præcedentibus minutas pęnitentiarum ſpecies de pęnitentiæ fructu conſequendo verba facimus.

II. Pœnitentiæ fructus, merces, & meritum eſt reconciliatio, ſive abſolutio, ſeu peccatorum remiſſio. His enim nominibus fructus ille pœnitentiæ actæ ab antiquis Patribus indigitari, & inſigniri ſolet; nec his tantùm, verùm & aliis pluribus, quorum ſi quædam hic collegerimus, & exſcripſerimus, Abſolutionis virtus, & tam ſalubris fructus excellentia nonnihil illuſtrabitur. Sanctus Cyprianus hanc reconciliationem ſæpe pacem vocat; unde apud eum pacem dare, pacem accipere, ad pacem admitti: Communicationem ſæpiſſimè, unde communicationis jus per manus impoſitionem accipere, & dare: Veniam quoque, peccatorum remiſſionem, & indulgentiam, nec non ſpei ſalutaris ſubſidium. Tertullianus abſolutionis nomine non ſemel utitur: Veniam ſæpe, & abolitionem delictorum, & indulgentiam, & remiſſionem, & conceſſionem, & condonationem, & mundationem appellat: Eccleſiaſticæ pacis poſtliminium, alterum humani generis pharum, Sacramentum benedictionis, in gratiam Dei revocationem, pacis redditionem, Eccleſiæ concorporationem, communicationem, & communicationis receptionem. Concilium Eliberitanum ſæpiſſimè communionem vocat, communionem Dominicam, communionem pacis, pacem quoque, & reconciliationem. Unde ſæpius, communionem dare, accipere, præſtare, ad eam admitti, eam impertiri, Dominicæ communioni ſociari, reconciliari. Sæpiſſimè Concilia, tam Græca, quàm Latina reconciliationem vocant Communionem, & ea nondum donatum ἀκοινώνητον. Hinc eſt, quòd canones Apoſtolici communionis iſtius privationem perpetuò vocent ἀφορισμὸν, ſegregationem, ſeparationem: Per eam enim pęnitentes Eccleſiæ, ut ait Tertullianus, concorporantur, & Chriſto fiunt σύσσωμοι. Nicæni Patres præter communionis nomen vocant etiam ultimum, & maximè neceſſarium viaticum, Concilium Vaſenſe eandem vocat Sacramentorum Viaticum. S. Leo januam appellat Sacramentorum, Indulgentiam Dei, remiſſionem criminum, reatus peccatorum ſolutionem, reconciliationem, & reconciliationis beneficium. Ut Latini ab aliquot ſeculis pœnitentium illam reconciliationem vocant ſimpliciter, & antonomaſticè *Abſolutionem*. Sic Græci λύσιν, *Solutionem*, ut ex eorum Ritualibus apparet. Iiſdem, aliiſque ſimilibus Epithetis pęnitentium reconciliationem deſcribunt antiqui Patres, ex quibus, ut mihi videtur, facilè eſt colligere, quanta ſit reconciliationis Sacerdotalis efficacia.

III. Sanè ſi quis ea diligenter, & attentè conſideraverit, ſtatim judicabit, S. Leonem *Epiſt.* 91. *ad Theodorum* Epiſcopum Forojulienſem magna, & evidenti ratione commotum pronunciaſſe, *Multùm utile, ac neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali ſupplicatione ſolvatur.* Statim judicabit Chriſtianorum conſuetudinem ab incunabulis Eccleſiæ in hunc uſque diem piè obſervatam, in mortis periculo ad Sacerdotes catervatim reconciliationis cauſa confugiendi optimæ, & utiliſſimæ rationi inniti; cujus antiquiſſimæ conſuetudinis fideles habemus teſtes: Sanctum Auguſtinum imprimis qui *Epiſt.* 180. ad Honoratum, ex ea demonſtrat contra miniſterii ſui obligationem facere Sacerdotes, qui, cùm ingruit perſecutio, Eccleſias ſuas deſerunt, *An non cogitamus cum ad iſtorum periculorum extrema pervenitur, nec eſt poteſtas ulla fugiendi, quantus in Eccleſiam fieri ſoleat ab utroque ſexu, atque ab omni ætate concurſus, aliis baptiſmum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem. Ubi ſi Miniſtri deſint, quantum exitium ſequatur eos, qui de iſto ſæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus eſt etiam luctus fidelium ſuorum, qui eos ſecum in vitæ æternæ requie non habebunt? Quantus denique gemitus omnium, & quorundam quanta blaſphemia de abſentia miniſteriorum, & Miniſtrorum?* Erat ſanè fidei non modò ſancti Auguſtini, ſed totius plebis Chriſtianæ infixum, & immotum ob reconciliationem Sacerdotalem, licèt nulla ſua culpa, non adeptam, non modo pęnitentes, ſed pęnitentiæ candidatos, mortis æternæ Reos diem obire poſſe.

IV. Eandem Eccleſiæ univerſæ fidem, & traditionem demon-

Digitized by Google

monſtrat fidelium querela de Paſtoribus ſuis ad Martyrium properantibus apud Victorem Uticenſem *lib. 2. de perſecutione Vandalica, Quibus nos miſeros relinquitis, dum pergitis ad coronam? Qui hos baptizaturi ſunt parvulos fontibus aquæ perennis? Qui nobis Pœnitentiæ munus collaturi ſunt, & reconciliationis indulgentia obſtrictos peccatorum vinculis ſoluturi? Quia vobis dictum eſt, Quæcunque ſolveritis, &c.* Et quæſtio S. Leoni Papæ facta *cap. 4. Epiſt. 91. His autem qui in tempore neceſſitatis, & in periculi urgentis inſtantia præſidium Pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda, nec reconciliatio deneganda, &c.* Sic quoque ſanctus Cæſarius Arelatenſis, *homilia 43. Age Pœnitentiam dum ſanus es. Si enim egeris veram Pœnitentiam, & invenerit te noviſſimus dies, aut repentina mors, ſecurus es. Concurre omninò ad Sacerdotem, ut reconcilieris. Si ſic agis, ſecurus es, &c.* Eadem repetit Homilia ſequente. Ad hunc morem alludens S. Eligius ſcribit *homil. 6 Cùm omnes homines Pœnitentiam velint in fine vitæ ſuæ accipere, vix paucos videmus eam, ſecundùm quod deſiderant, adipiſci, &c.* Hujus rei cauſas refert fortuitos morborum, & periculorum eventus. Fuit igitur univerſæ Eccleſiæ conſuetudo inſtante periculo ad Sacerdotes reconciliationis cauſa confugere, quod procul dubio nunquam feciſſent, niſi magnum momentum ad peccatorum remiſſionem, & vitam æternam conſequendam in reconciliatione Sacerdotali ex eorum fide poſitum fuiſſet. Quare meritò admodum colligit adversùs Honoratum Auguſtinus, *Certè jam vides, quod te ſcripſeras non videre, quantum boni conſequantur populi Chriſtiani, ſi in præſentibus malis non eis deſit præſentia Miniſtrorum Chriſti, quorum vides etiam quantum obſit abſentia.*

V. Nec inſuper mirabitur fletus, & lachrymas Imperatoris Theodoſii à ſancto Ambroſio communione privati, & in Pœnitentiam relegati: Optimè, & intimè reconciliationis Sacerdotalis vim, & efficaciam perſpexerat S. Imperator, cùm ita reſpondet Ruffino familiari ſuo luctus cauſam percontanti, *Tu, Ruffine, ludis. Nam quantis ipſe in malis verſer, non ſentis. Ego verò gemo, & meam ipſius deploro calamitatem, dum mente complector, quàm facilis aditus ad ſacrum templum ſervis, & mendicis pateat, liberque illis ad Dominum ſuum deprecandum detur introitus: mihi autem non modò ad illum locum, verùm etiam ad cœlum ipſum acceſſus præcluſus ſit. Nam venit mihi in mentem ſententiæ à Domino prolatæ, quæ palàm dicit, Quemcunque ligaveritis ſuper terra, erit ligatus & in cœlis.* Credebat igitur cœlum ſolutione Sacerdotali reſerari, quod ligatione clauſum fuerat. Ideò poſt multos ab excommunicatione menſes tranſactos S. Ambroſium adit, & ſic alloquitur, *Non obſtinato animo leges ſancitas impugno, neque ſacra veſtibula per nefas introire cupio: ſed oro ut mihi ſolvas vincula, & proponas tibi ante oculos clementiam illius, qui eſt Dominus omnium; & ne mihi occludas januam, quam ille omnibus, quos peccatorum ſuorum pœniteat, patefecit.*

VI. Verùm enim verò an tantæ Chriſtianiſſimi Imperatoris humilitati, tantæ modeſtiæ, tantis fletibus jam per octo menſes continuatis credidit ſanctus Ambroſius ſe obligatum Abſolutionem criminum concedere? An exiſtimavit, Imperatorem Pœnitentiæ leges, quas imponeret, ſubire, & exequi, ut reconciliaretur, non obligatum? Minimè gentium. Uterque optimè noverat, quantum eſſet reconciliationis Sacerdotalis beneficium; Ideò uterque certò credebat, nullo nimio labore comparari poſſe; quidquid juberetur illius ergo præſtandum eſſe; ſatis lucri reportatum, ſi tandem illud Reus conſequeretur. Sic enim Ambroſius Theodoſio humiliter ſupplicanti, & lachrymanti, foreſque Eccleſiæ prætergredi non audenti, regeſſit, *Quam tu Pœnitentiam poſt tam grave ſcelus admiſſum oſtendis? Quæ medicamenta ad vulnera tam difficilia curatu ſanandaadhibuiſti?* Ad quæ Theodoſius nihil imponendum detrectans, aut in aliud tempus remittens, *Tuum eſt medicamenta oſtendere, eaque temperare, vulnera, quæ ægrius curantur, obligare: meum autem, quæ ſunt adhibita, accipere.* Tum Ambroſius jubet Imperatorem legem ferre, ut decreta de cæde, aut publicatione bonorum triginta tantùm diebus poſt pronuntiationem executioni mandentur, quod Imperator, *Libenter amplexatus, jubet extemplo legem conſcribi, ſuaque ſubſcriptione confirmat. Qua re confecta ſanctus Ambroſius ejus vincula ſolvit.* Hæc referunt Theodoret. *lib. 5. Hiſtoriæ cap. 17.* Sozomen. *lib. 7. cap. 24.* qui addit, Imperatorem, *Peccata publicè confeſſum eſſe, ac toto tempore quod illi ad Pœnitentiam præfinitum erat, ut qui lugeret, imperiali ornatu viſum non eſſe.* Poſt hos Hiſtoricos Theodoſio coævos Nicephorus *lib. 12. cap. 31.* & alii complures.

VII. Superiora ſi diligenter attendantur, & ſingula, & ſimul in faſcem conjuncta, ratio facilè reddetur ſententiæ S. Leonis *Epiſt. 91.* prohibentis, ne preces, oblationeſve fierent pro Pœnitentibus ante reconciliationem quocunque caſu defunctis. Ea de re interrogatus ſic reſpondet, *Si autem aliquis eorum, pro quibus Domino ſupplicamus, quocunque interceptus obſtaculo, à munere indulgentiæ præſentis exciderit, & priùs quàm ad conſtituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non receperit, conſequi exutus carne non poterit.* Oportuit ſanè S. Leonem exiſtimaſſe Abſolutionis vim eſſe maximam ad ſalutis æternæ in nobis operationem, cum ob eam non adeptam, moraliter loquendo, atque ut plurimum, credi voluerit, Pœnitentes ſalutem æternam non eſſe conſecutos. Quis igitur mirabitur antiquos Patres tam multis prærogativis reconciliationem decoraſſe; Pœnitentes, atque ipſos Imperatores ad eam ab Epiſcopis obtinendam adeò multas lachrymas effudiſſe; omnes denique Chriſtianos canonicorum criminum Reos imminente mortis periculo ad Sacerdotes tanto concurſu confugiſſe? An credidit Leo ejuſmodi homines vitam æternam omninò conſequi non poſſe? Nullomodo: Sed Dei judicio eos reſervavit, nihil interim de iis neque verbis, neque actionibus Eccleſiaſticis pronuntians, cum eos, qui reconciliationem conſecuti ſunt, ſalvos pronuntiet, & dignos, qui precibus, & oblationibus apud Dominum adjuventur. Quæ ſequuntur eodem loco Lectori diligenter ſunt attendenda, *Nec neceſſe eſt eorum, qui ſic obierunt merita, actuſque diſcutere; cùm Dominus Deus noſter, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale miniſterium implere non potuit, ſuæ juſtitiæ reſervaverit: ita poteſtatem ſuam timeri volens, ut hic terror omnibus proſit, & quod quibuſdam tepidis, aut negligentibus accidit, nemo non metuat.* Salutaris igitur admodum eſt reconciliationis fructus, cùm illius privationem Chriſtiani omnes ex S. Leonis ſententia maximopere debeant reformidare. Sed concluſionem illam ex S. Leonis verbis elicere opus non eſt, cùm ipſe ſtatim poſt allegata verba eam eliciat, *Multùm enim utile, ac neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali ſupplicatione ſolvatur.*

VIII. Verùm equidem eſt antiquitùs in ea obſervatione variatum. Concilium Carthaginenſe 4. *cap. 79.* contrarium ſtatuit, *Pœnitentes, qui attentè leges Pœnitentiæ exequuntur, ſi caſu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis ſubveniri non poſſit, memoria eorum, & orationibus, & oblationibus commendetur.* Ita quoque decernit Concilium Arelat. 2. *cap. 12.* & Valenſe *cap. 2.* Tandem ſententia clementior, & humanior ante multa ſecula obtinuit: Sic enim propoſita utraque ſententia definit Concilium Tolet. 11. *cap. 12. De his autem, qui accepta Pœnitentia nunquam reconciliantur, ab hac vita receſſerint, quanquam diverſitas præceptorum de hoc capitulo habeatur, illorum tamen ſententia nobis placuit, qui multiplices numero de hujuſmodi humanius decreverunt, ut, & memoria talium in Eccleſia commendetur, & oblatio pro eorum delicto à Presbyteris recipiatur.* Diverſitas tamen illa ſententiarum, quod de reconciliationis Sacerdotalis virtute ad hominis à peccato juſtificationem affirmamus, confirmat. Alii enim tantam contendebant eſſe Abſolutionis virtutem, ut ea privatus cenſeri non deberet juſtificatus. Alii contra, cum fieri poſſet, ut Pœnitens ante reconciliationem juſtificaretur, & in ejuſmodi ſtatu ſit, ut ait Concilium Vaſenſe, in quo *fortaſſe nec abſolutiſſimam reconciliationem Sacerdos denegandam putaret*: Ideò nefas exiſtimarunt in ejuſmodi dubio mortuum Pœnitentem iis pietatis officiis non proſequi, quibus reconciliatos, & alios fideles integros Eccleſia proſequi ſolet. Utut ſit de variæ obſervationis potiori jure, nunquam apud eos, de iis pœnitentibus, qui reconciliationem Sacerdotalem adepti non fuerant, Eccleſiaſtico Officio proſequendis dubitatum eſſet, niſi apud omnes de reconciliationis ad animæ ſalutem pariendam efficaci virtute, & energia conſtitiſſet.

IX. Præ cæteris extraordinaria videbitur vis illa, quam Concilium Toletan. 12. *cap. 2.* Pœnitentiæ tribuit; *Sicut baptiſmum, quod neſcientibus parvulis ſine ulla contentione in fide tantùm proximorum accipitur: Ita & Pœnitentiæ donum, quod neſcientibus illabitur, abſque ulla repugnantia inviolabiliter hi, qui illud exceperint, obſervabunt.* Per Pœnitentiæ donum Abſolutionem intelligit, quam initio hujus canonis bis vocat Pœnitentiæ fructum, & baptiſmi efficientiæ æquiparat: Quæſtio autem eſt, de ægroto, qui obſtupuerat, & adſtantium precibus, & teſtimonio Pœnitentiam ſimul cum reconciliatione acceperat. Tanta eſt vis illa, quæcunque illa ſit, ut in neſcientes, & ſtupidos, non ſecus ac baptiſmus illabatur, at-

que

Digitized by Google

que in eis ſalutem producat. Dicit enim ægrotos iſtos antequam in morbum inciderent, ultimum deſideraſſe Pœnitentiæ fructum, & devotionis ardore eum anhelaſſe, atque ideò Amicorum cura reconciliatos, eundemque in eis effectum hoc donum producere, quem in Infantibus baptiſmus: *lib. 10. cap. 6.* multa de hujus canonis ſenſu, & interpretatione dicentur. Nunc ſufficit inde Abſolutionis efficaciam collegiſſe.

CAPUT II.

Explicatur proprius Abſolutionis in animam effectus Patribus cognitus. Novem hac de re antiquarum Scholaſticorum uſque ad annum 1200. ſententiæ celebres referuntur, & comparantur. Quando in ſcholis de habitibus infuſis diſputari cœptum. Tandem circa annum 1250. deferbuit diſputatio, pleriſque originem, & meriti, & juſtificationis cauſam formalem ab habituali gratia potiùs quàm ab actuali petentibus. Hinc occaſio primùm nomen Attritionis in ſcholis uſurpandi. Quid primum ſignificaverit.

CUrioſus forſan Lector percontabitur, cùm tanta ſit abſolutionis Sacerdotalis efficacia ad ſalutem, & remiſſionem peccatorum obtinendam, ut capite præcedente demonſtratum eſt: Quis eſt proprius, & nativus Abſolutionis in animum effectus? Sufficeit ſic percontanti reſpondere proprium, & nativum Sacerdotalis Abſolutionis in animam effectum eſſe novum Spiritus ſancti auxilium, cujus ope tum juſtificatur, peccati reatus tollitur, ejus vincula franguntur, veraque, & realis peccatorum remiſſio conceditur, Chriſto per virtutem Spiritus ſancti concomitante actionem Miniſtri ſui, & in cœlis approbante, & confirmante quod ipſius Miniſter in terris canonicè indulſit. Sunt inſuper iſtius principalis, & radicalis effectus ramuſculi, & fructus alii quàm plurimi, ex eo naturaliter pullulantes, de quibus ſpeciatim *cap. hujus lib. 5. & 6.* verba fecimus.

II. Quòd ſi forſan ob pietatis vehementiam divina abſolutio Sacerdotalem prævenit: Tum Sacerdotalis divinam in animo noſtro confirmat, ampliorem que ſancti Spiritus gratiam inſpirat, & fructuum ex ea provenientium ſegetem multò lætiorem ſubminiſtrat. Nam, ut definit Magnus Leo *Epiſt. 91.* & poſt eum Capitularia *libro 5. cap. 53.* omneſque canonum Collectores, *Huic operi inceſſabiliter ipſe Salvator intervenit, qui nunquam ab his abeſt, quæ Miniſtris ſuis exequenda commiſit, dicens, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi; ut ſi quid per ſervitutem noſtram bono ordine, & gratulando impletur effectu, non ambigamus per Spiritum ſanctum fuiſſe donatum.* Nihil aliud habeo ex Patribus per annos mille, & centum, quod huic quæſtioni reſpondere poſſim; licèt enim hæc difficultas ab iis ſæpius retractetur, nuſquam tamen aliter explicatur. Quapropter ſubtiliora quærenti reſpondere ſufficeret cum ſancto Bernardo *Epiſt. 174. Nunquid patribus doctiores, aut devotiores ſumus? Periculosè præſumimus quidquid ipſorum in talibus prudentia præterivit. Nec verò id tale eſt, quod niſi prætereundum fuerit, Patrum quiverit omninò diligentiam prætoriſſe.* Vel cum inſigni admodum, & antiquiſſimo Doctore Scholaſtico Hugone à S. Victore Bernardi coætaneo in ejuſmodi curioſa quæſtione, *Summæ Sententiarum tract. 6. cap. 9. Quia de auctoritate nihil inde habemus, de noſtro ſenſu nihil aſſerere de his audemus.* Attamen ut Lectorum curioſitati aliquatenus ſatisfaciamus, quàm breviſſimè enarrabimus quod Scholaſticorum ab illo tempore ſubtilis, & accurata diligentia Anteceſſorum reſponſis multorum ſeculorum ſpatio ſuperaddidit. Cùm enim Eccleſiam Catholicam multis ſeculis doctrina, ſtudiis, & reſponſis ſuis inſtituerint, rexerint, defenderint, & ab Hæreticorum venenatis dogmatis illibatam conſervaverint, quæ ſecundùm probatam ipſis ſententiam dicentur, mihi videntur meritò dici nou poſſe, periculosè præſumi, & ſine auctoritate aſſeri.

III. Brevem hanc commentationem hiſtoricam de effectu, Abſolutionis Sacramentalis ſecundùm Scholaſticorum ſententias ab ortu Scholaſtices ad noſtra uſque tempora, hoc eſt, annorum quingentorum, & ultra, Lecturos duorum præmonitos velim. Pritis, Doctores iſtos omnes in unam ſententiam, ut qui eos præceſſerunt, non conſpirare, ſed in una, & eadem quæſtione varia admodum ſentire, atque etiamnum contraria. Sed ea ſunt ejuſmodi, quæ charitatem non lædunt, multò minùs fidem. Quapropter ut ſanctus Auguſtinus *Epiſt. 86.* diverſitatibus conſuetudinum, quæ variè in Eccleſia obſervantur, bellè, & eleganter applicuit hæc Pſalmi verba, *Omnis gloria filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus*, eo quòd, ut ait, diverſis illis obſervationibus, *nullo modo, quod in fide verum eſt, impeditur. Illæ enim obſervationes, quæ variè celebrantur, in ejus veſte intelliguntur.* Sic in iſta opinionum Scholaſticarum differentia dicere debemus: In veſte ſunt fidei, non in ſubſtantia: ut veſtes corpus ornant, & illuſtrant, ſic illæ fidem. Ut umbræ coloribus lumen conciliant; contraria contrariis oppoſita ſplendidiùs emicant; fornax ardens guttulis aquæ complutus magis igneſcit; ſilex ſilici alliſus ſcintillat: Ita opinionum illæ varietates, nonnunquam oppoſitæ ſeſeque mutuò perimentes, atque iterùm velut ex intermortuis reviviſcentes, & non ſecus ac fluctus maris reciprocantes, fidem protegunt, ei lucem conciliant, & in hominum animis magis, ac magis inflammant; obſcura è tenebris eruunt, eruta abſtergunt, poliunt, & illuminant. Hæc aliter ſi ſe haberent, non toleraret Eccleſia, nedum tot ſeculis ſic agitari probaret. Nam, ut docet ſanctus Auguſtinus *ad finem Epiſtolæ 119. Eccleſia Dei inter multam paleam, multaque zizania conſtituta, multa tolerat; Et tamen, quæ ſunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.*

IV. Quanquam autem aliquando variarum Iſtarum opinionum nonnullas rationibus præ cæteris exponamus, nolim tamen inde Lectorem colligere me contrarias improbare, niſi forſan jam aliquas Eccleſia improbarit. Juxta Cæleſtini primi Pontificis monitum ſufficere credimus quod ſecundùm traditionis regulas, Apoſtolicæ ſedis ſcripta nos docuerunt, *Profundiores verò difficilioreſque partes occurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis reſtiterunt* (quales ſunt quotquot ſequuntur) *ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere.* Purum putum Hiſtoricum agimus; Quid dictum ſit, à Doctoribus Scholaſticis æquali calculo penſamus, non quid verius, aut probabilius ſpectamus. Tantiſper igitur hiſtoriæ cauſa videantur nobis omnes *ἐτιμελκίας ἀλλωνίζεσθαι*.

V. Poſterius de quo Lectorem præmonitum velim cauſam ſpectat tum variæ, & multiplicis altercationis, rationemque uno verbo explicat, quà lis litem, quæſtio quæſtionem peperit, unaque vix compoſita, velut hydra ſecta, plures ſemper repullularunt. Hujus rei cauſæ mihi videntur duæ. Prior Ariſtotelis Dialectica, & Metaphyſica, quibus Doctores Theologi ab ineunte ſeculo duodecimo diligentiſſimè vacare cœperunt, antequam Doctoratus Lauream conſequerentur, quæ tum etiam, non ante illud tempus, regulariter, & ſolemniter in ſtudiorum præmium dari cœpit. Non abs re vocavit Tertullianus *cap. 7. de Præſcriptionibus* Dialecticam Ariſtotelicam, *Artificem ſtruendi, & deſtruendi verſipellem, in argumentis operariam contentionum, moleſtam etiam ſibi ipſi, omnia retractantem, ne quid omninò tractaverit.* Ars enim iſta natura ſua curioſa eſt, percontatrix, & veluti quædam Ætna difficultatum flammas perpetuò ebulliens, quibus ſedandis, & extinguendis mens hominum impar eſt. Quacunque enim propoſita quæſtione ſtatim juxta principia, locoſque ſuos inveſtigare geſtit ars iſta rei cauſas, & deſcriptione ex adjunctis, & effectibus non contenta; rei definitionem, & penetralia medullitus rimari tentat, in materiam, & formam, compoſitioniſque modum inquirit, iſta ab accidentibus ſeparare nititur. Agentis vim, & habitus, ſecundùm quos agit, actuſque denudat, fines varios explicat, quæ ſint eorum cum agente, & opere *χίσεις*, quæ efficientia. Quis poſſet quæſtionum omnium formas comprehendere, & nomina percurrere? Quidquid in ejuſmodi quæſtionibus reſpondeas, novarum quæſtionum ſeminarium ſemper erit, nec unquam illarum commovendarum finis. In verbis, in rebus, in reticentia, ubique ſalebræ, ubique perplexitas, ubique trabium offendicula, *δεινὸς δ᾽ ἐπὶ πάντα τεινεῖν*.

VI. Poſterior cauſa eſt, humani ingenii debilitas, & tenuitas quæ tanta eſt, ut dum rerum naturam penetrare tentat, ſtatim hebetetur, & cæcutiat. Ei tantùm divinitus datum eſt, res creatas ſuperficie tenus conſpicere, earum ſubſtantias ſubodorari, atque ideò infinitas de iis, quæſtiones commovere; ſed ſubſtantiarum cauſas intimas, principia, compoſitionem, affectiones introſpicere, ut commotarum quæſtionum tempeſtates ſedari, & tranquillari poſſint, ſæpiſſimè ingenii humani captum, vireſque longè ſuperat.

VII. Quanquam ingenii humani cæcutientia tanta ſit, & Philoſophia peripatetica diſputationum involucra amote tam impotente deperearjattamen Doctores Catholici à data temporis epocha grande opus, anteà intentatum, & inauſum aggreſſi ſunt, videlicet Philoſophos peripateticos bonis ſuis, quibus malè utebantur ſpoliare, eaque in gloriam Dei, & myſteriorum fidei

Digitized by Google

fidei noſtræ explicationem, & defenſionem referre ; hoc eſt, vaſa aurea, & argentea, veſtemque plurimam ab Ægyptiis commodatò petere, & eos tantis bonis pulchrè fraudare, ut eleganter piam Iſraelitarum aſtutiam de diſciplinis exoticis interpretatur *oratione* 42. ſanctus Gregorius Nazianzenus. Ipſam domum Fortis, ab eo tempore aggreſſi ſunt, de quo *Matth.* 12. eamque ingreſſi vaſa ejus deripuerunt, id eſt, Philoſophiæ peripateticæ arcana penetraverunt, eamque in obſequium fidei captivam duxerunt. Ideò nemo, ut mihi videtur, æquitatis amans mirari debet innumeras, & inſolitas quæſtiones in Theologorum libris ab eo tempore deprehendi. Immò hoc ſi non contigiſſet, meritò mirari, & obſtupere poſſet quiſque attento animo hæc conſiderans. Num ab arte litigioſiſſima ſperare par eſt litium, & difficultatum ambages, & anfractus? *Numquid colligunt*, ait Dominus noſter, *de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus?* Tribuli tamen iſti, ſpinæque non ſunt inutiles. Nam omiſſis fructibus jam enarratis, ut Agricolæ Segetes, & Hortulani teneras arbores ſpinis, & tribulis ſepiunt, & muniunt, ne quadrupedes in eis pauperiem faciant: Sic Doctores Scholaſtici aſtu ingenioſiſſimo de quæſtionum iſtarum tribulis, & ſpinis ſepem vineæ Domini, doctrinæque Catholicæ circumduxerunt, ne Apri ſylveſtres eam pro libidine depaſcerent, & diriperent. Quapropter Scholaſtices opitulante induſtria Religio Chriſtiana Philoſophis Ethnicis hoſtibus ſuis dicere poteſt, quod Joſeph fratribus ſuis, *Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit in bonum, ut exaltaret me, & ſalvos faceret multos populos.*

VIII. Quamprimum orbi Chriſtiano Theologia Scholaſtica innoteſcere cœpit, ea quæſtio, quæ nobis nunc eſt præ manibus, acerrimè diſputari cœpit. In varias, & oppoſitas tunc, ut & nunc, ivere ſententias Eccleſiæ Doctores, nec hactenus lis dirempta eſt. Quidam enim hoc principio freti, Deum ſolum peccata condonare poſſe, judicabant Sacerdotes in Abſolutione ſolùm declarare publicè, vel privatim, pro ratione datæ Abſolutionis, Pœnitentem eſſe à Deo juſtificatum, & Sacramentorum Eccleſiæ capacem ; Contritionem perfectam, propter quam Deus peccata remittit, iſtius ſententiæ pronuntiationem neceſſariò præcedere. Iſta ſententia nobis tantùm cognita eſt ex antiquiſſimorum Scholaſticorum relatione. Sanè ſi illius auctores eam jejunè, & tenuiter docuerunt, ut nobis traditur, meritò ab omnibus Scholaſticis, Richardo præſertim, & Hugone Victorinis rejecta eſt, & exibilata. Sed parum mihi probabile videtur Doctores Catholicos Abſolutionis virtutem tam exangui declaratione limitaſſe : Saltem declarationem judicialem intellexerunt, qualis eſſet Judicum cum Actore probationibus deficiente Reum ſe abſolvere pronuntiant. Alii docebant tria hæc remiſſionem peccatorum neceſſariò præcedere, Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem, quibus peractis accedente abſolutione Sacerdotali Deus peccata remittebat ; non aliter, niſi fortuitus caſus ſuperveniens Confeſſionis, & Satisfactionis tempus intercluderet. Tertia ſententia eorum erat, qui Abſolutionem affirmabant eſſe conditionalem, hoc eſt, Sacerdotem abſolvere Contritum, & Confeſſum hac conditione implicitè ſemper intellecta, modo Pœnitentiam impoſitam compleret, eaque tantùm peracta Pœnitentem peccatorum remiſſionem à Deo conſequi. Non improbabilis forſan futura eſt hæc ſententia iis, qui divinam peccatorum remiſſionem humano more metiuntur. Ita enim plerumque videmus reges, aliosque magnates criminum indulgentiam certis conditionibus addicere, nec prius cum Reis in gratiam redire, quàm iis defuncti fuerint. Sic paſſim Deus cum hominibus in ſcriptura de remiſſione peccatorum, & ſalute danda ſermocinatur.

IX. Quarta ſententia diſtinguebat inter Confeſſionem, & ſatisfactionem exteriorem, & interiorem, Deumque aſſerebat peccata remittere poſt Contritionem in corde conceptam, & confeſſionem non oris, ſed mentis, ſatisfactionemque internam cordis humilitate, & dolore conſiſtentem, hoc eſt, peccata remitti per Contritionem propoſito confitendi, & ſatisfaciendi conjunctam. Quo poſito ſequitur, peccata eſſe neceſſariò remiſſa ante omnem Sacerdotis actionem. Quid igitur inquies, operatur Sacerdotalis abſolutio? Tria reſpondebant : Primum, declarat, ſed judiciali ratione, Pœnitentem eſſe à Deo abſolutum ; deinde pœnas pro peccatis illis ſubeundas imponit, iiſque peractis, vel integrè vel ex parte, Pœnitentem communioni Corporis Chriſti reſtituit. Denique, ſi publica ſunt, & gravia peccata ; non modò à communione Sacramentorum, ſed etiam ab omni fidelium communione ſecludit, & poſteà Pœnitentem utrique Communioni reconciliat. Quinta ſententia, quæ placebat potiſſimum antiquiſſimis Canoniſtis, diſtinguebat inter peccata publica, & occulta, docebatque, peccata publica remitti tantùm à Deo poſt publicam de iis actam ſecundùm canones Pœnitentiam, acceptamque à Sacerdote Abſolutionem. Occulta verò, aut levia ante Confeſſionem, & ſatisfactionem exteriorem in ſola Contritione, & interiori Deo Confeſſione, & ſatisfactione. Quum autem in hac poſteriore poſitione Abſolutio Sacerdotalis peccatorum remiſſionem nec præcederet, nec comitaretur, idem de illius effectu aſſerebant, quòd quartæ ſententiæ defenſores. Sexta ſententia, quæ Theologorum fuit celeberrimorum, penitius Philoſophari videtur. Docet enim triplicem ex peccato naſci in homine obligationem, unam ad reatum culpæ, alteram ad reatum pœnæ æternæ, poſtremam ad pœnæ expiationem. Primam à Deo ſolo tolli per cordis Contritionem : Secundam à Deo, & homine ; à Deo conditionaliter ; ab homine ſimpliciter, & integraliter. Reatu enim culpæ, & mentis excæcatione per Contritionem à Deo ſolo liberatur, à Reatu verò pœnæ æternæ liberatur quidem eodem momento, ſed conditionaliter, modo peccatum confiteatur. Cùm igitur Sacerdoti confitetur, tum reatus pœnæ æternæ abſolutè extinguitur, ſed remanet in confitente debitum ſatisfactionis purgatoriæ, in hoc, vel futuro mundo expiandæ. Itaque juxta horum Doctorum ſententiam Deus culpam abſolutè aufert per Contritionem cordis, ſed pœnæ æternæ reatum conditionaliter. Sacerdos verò cum abſolvit confeſſum, pœnæ æternæ reatum abſolutè tollit ; quia tum conditio à Deo poſita à Pœnitente completur, ſed à pœnæ expiatoriæ debito Pœnitentem conditionaliter abſolvit : Reconciliatur enim ea conditione, ut Pœnitentiam ſibi indictam exequatur.

X Septima ſententia ſimilis eſt quartæ, illi tantùm ſuperaddit hoc φιλοσόφημα. Conceſſo, ut omnes ſententiæ, præcedente excepta, concedere videntur, Sacerdotes in culpam, pœnamve æternam nihil prorſus agere, diſtinguit inter pœnam temporalem peccatis debitam viribus Pœnitentis non proportionatam, & proportionatam, ſive intolerabilem, ajuntque vera Contritione ante omnem Sacerdotis actionem, culpam in animo à Deo deleri, pœnamque æternam commutari in pœnam intolerabilem, & viribus Pœnitentis improportionatam ; Confeſſione verò, & Abſolutione Sacerdotali pœnam illam ſic Contritione immutatam iterùm in tolerabilem mutari, quæ poſteà ſatisfactione à Sacerdote debitè injuncta, & à Pęnitente præſtita expiatur, & prorſus tollitur. Uno verbo hæc ſententia quartæ ſuperaddit grandem pęnæ temporalis virtute Sacramenti diminutionem. Octava alio Philoſophemate utitur. Eo tempore apud multos abſolutio duabus partibus conſtabat, deprecativa una, indicativa altera. Hoc fundamento jacto concedebant, Sacerdotem in culpam ipſam agere poſſe per orationem, quam ante partem indicativam ſuper Pęnitentem fundebat : Hac enim oratione, inquiebant, ſi Pęnitens nondum ſufficienter contritus eſt, gratiam illi, & remiſſionem peccatorum impetrare poteſt. Verùm per Abſolutionem, quæ orationi ſubjungitur, in culpam non agit, nec in pęnam æternam, ſed eam ablatam, & abſterſam ſupponens, ea operatur in Pęnitentem, quæ ex aliis ſententiis jam declarata ſunt. Nona ſententia admittit quidem Sacerdotes, in culpam agere poſſe, eamque delere, ſed eam virtutem neque ab oratione Sacerdotis, cùm abſolvit, mutuatur, neque ab illis verbis, quæ indicativè pronuntiat : Hæc enim, poſteriora potiſſimum, in ſolam pęnam temporalem agere cum aliis conſentiebat. Sed omnem illam virtutem à natura Contritionis derivabat. Conveniebant omnes, Contritionem, propoſitum Confeſſionis, & Satisfactionis, & conſequenter Abſolutionis ſuſcipiendæ complecti. Diſtinguebant igitur iſti propoſitum Confeſſionis, & Abſolutionis ſuſcipiendæ ab actu Confeſſionis, & Abſolutionis, & aſſerebant Confeſſionem, & Abſolutionem, ut ſunt in propoſito Contritionis, agere in culpam, non autem ut ſunt in actu, quia cùm in actu ſunt, jam peccatum remiſſum eſt.

XI. Si quæ ſunt aliæ ſententiæ, ad harum aliquam facilè referri poſſunt, ut ea quæ tribuit virtuti Confeſſionis, & Abſolutionis auxilia contra tentationes ingruentes, & fomitis peccati mitigationem atque lenimentum ; & alia quæ habitus gratiæ jam contritionis virtute infuſi augmentum Abſolutionis vindicat. Utraque enim, ut illarum Auctores diſertiſſimè explicant, non modò veram contritionem, & peccatorum remiſſionem abſolutioni ſupponit, verùm etiam Abſolutionis eoſdem tribuunt effectus, quos ex aliis ſententiis jam enarravimus. Sed ea, quæ tribuit gratiæ habitualis infuſionem omnium eſt noviſſima ; Vix enim ante annum milleſimum ducenteſi-

mum

mum de habitibus gratiæ cœptum eſt in Scholis diſputari. Ideò antiquiſſimorum Scholaſticorum, nullus nec eùm de effectu Contritionis, nec eùm de Sacramentorum virtute diſputant, habituum infuſorum diſertè mentionem facit. Harum ſententiarum prima, ut ab antiquis auctoribus intellecta eſt, paucos habuit auctores; ab omnibus enim Scholaſticis editis, & non editis, quos mihi legere contigit, refutatur. Sexta antiquiſſima eſt, & primæ coætanea, maximoſque, & celeberrimos habuit auctores, difficultaſque propoſita circiter annum 1130. & ſequentibus multis ab omnibus ferè ſic in Scholis enodari ſolebat. Sed circa annum 1160. quarta ſententia, quæ eſt Magiſtri obtinente, ſexta ab omnibus deſeri, negligi. & refutari cœpit, tandemque ab omnibus Scholis eliminata eſt, Doctoribus omnibus negantibus peccatorem poſt animæ ſuæ eurationem, & juſtificationem pœnæ æternæ reum eſſe poſſe. Tres autem poſtremæ cum duabus aliis, quas obiter tantùm attigimus, quartæ ſunt propagines, quæ eam illuſtrant, & extendunt, efficacioremque, & magnificentiorem demonſtrant Sacerdotalis abſolutionis virtutem.

XII. Hæc Magiſtri ſententia, à nonnullis tamen, ut explicatum eſt, paulò amplificata, principatum in Scholis centum ferè annis ſola obtinuit. Aliud inſuper obſervo, quod mirari ſatis non poſſum, omnes iſtas ſententias, ſecunda, & tertia, & quinta ex parte exceptis, definire peccata eſſe abſolutè remiſſa, & condonata, antequam Confeſſio utiliter edi poſſit, multò magis ante Abſolutionis conceſſionem. Hinc quæſtio ab eorum nemine prætermiſſa, An Confeſſio in charitate fieri deberet; & definita ſemper, ſic fieri debere, ut ad ſalutem, & vitæ æternæ meritum prodeſſe poſſet; aliàs tantùm ad hoc prodeſſe, ut non eſſet iteranda; cui definitioni nonnulli addebant prodeſſe inſuper, ut prodeſſe ſolent bona opera extra charitatem facta. Ita omnes propè Scholæ, Doctoreſque definierunt, à Magiſtro ad annum uſque 1240. Secunda enim, & tertia ſententia pauciſſimos nactæ ſunt Defenſores, & Adverſariorum tantùm commemoratione nobis cognitæ ſunt: Qua ratione eas explicarent, & temperarent nobis incognitum eſt. Temperatæ autem, tantùm ad Patrum ſententias de Confeſſionis, Satisfactionis, & reconciliationis Sacerdotalis virtute, & efficacia accedere mihi videntur, quantùm aliæ omnes ab iis recedere. Idem in quinta, ſi quid caſtigaretur, accuratius conſpiceretur.

XIII. Cùm igitur in omnibus Scholis Theologicis doceretur, & ſtabiliretur doctrina iſta, eodem tempore in iis docebatur, & principatum paulatim obtinebat habituum infuſorum doctrina à primis Scholaſtices Auctoribus, licèt eorum ponendorum ſæpius occaſio ſeſe daret, omnino prætereita. Poſterior igitur iſta doctrina cum priore conjuncta novas de eadem clavium poteſtate quæſtiones anteceſſoribus Scholaſticis inauditas excitavit, mitum quàm ſpinoſas, & impeditas! Eas hic breviter adumbrabimus. Scholaſtici diſputando tandem aſſecuti ſunt gratiam, qua peccator juſtificatur habitum eſſe à Deo animæ infuſum. Multi Doctores contra hos habitus reclamarunt, diuque æquo Marte pugnatum; ſed tandem circa annum 1240. deferbuit tota illa diſputatio, omneſque Doctores in habituum poſitionem conſenſerunt. Intereà multi, magnique viri quotum aliquos *capite 7.* referemus, in hunc uſque diem contenderunt, licèt reapſe juſtificatio impii per habitum infuſum fieret, ſine illo tamen fieri poſſe per actus à voluntate cum auxilio Spiritus Sancti ſine novo habitu elicitos. Cum autem ex antiqua Eccleſiæ traditione per S. Auguſtinum potiſſimùm elucidata conſtaret, neminem mereri primam gratiam, ſed Deum eam in nobis operari ſine nobis, ſtatim judicarunt plurimi habitum illum infuſum, quo peccator ex eorum ſententia ex impio fit juſtus, eſſe primam illam gratiam, quam Deus in nobis ſine nobis operatur; & conſequenter nulla opera meritoria gratiam illam præcedere poſſe, quàm primam gratiam, & gratiam gratum facientem vocarunt. Hinc concluſerunt Contritionem, qua ex omnium ſententia peccatum pellitur, & homo juſtificatur eſſe natura, ſive, ut loquebantur antiquiſſimi Scholaſtici, cauſa poſteriorem prima illa gratia gratum faciente. Hinc ſanè apud multos Scholaſticos antiquis illis ſuccedentes, qui licèt eodem modo de Contritione Philoſopharentur, eam tamen aſſerebant eſſe diſpoſitionem ad juſtificationem, difficultatum maximarum ſeges ampliſſima pullulavit, cùm illis explicandum fuit, qua ratione Contritio juſtificationem impii natura ſubſequens poſſet ad eandem eſſe diſpoſitio: nec hodie lis apud eos dirempta eſt.

XIV. Verùm his difficultatibus omiſſis, quæ à ſcopo longiùs abſunt, iis tantùm enarrandis immorabimur, quæ in eum recta collimant. Cùm igitur apud antiquos illos Scholaſticos, Magiſtro, & ipſius diſcipulis ab ipſo vita voce edoctis immediatè ſuccedentes, ratum eſſet Contritionem, Juſtificationis, & gratiæ gratum facientis eſſe pediſſequam, nomen illis excogitandum fuit, quo præparationes ad gratiam gratum facientem ſuſcipiendam notare, & indigitare poſſent. Hactenus enim Contritione cordis, & compunctione potiſſimùm ſignificatæ fuerant. Certum enim, & exploratum erat apud eos, juſtificationem formalem licèt in inſtanti fieret, multis tamen præparationibus, & longo tempore opus eſſe ad formam illam inducendam, aliterque ut fieret, raro contingere. Nomen illud fuit Attritio, quo hæc omnia complexi ſunt: Illo ut jam in Scholis vulgata utuntur Alexander Halenſis, Guillelmus Parienſis, & Albertus magnus, & Poſteriorum nemo illud præteriit. Nonnulli tamen eodem tempore illud, aut non agnoverunt, aut neglexerunt. Sed auctorum qui hos anteceſſerunt, nullus mihi cognitus Attritionem commemoravit, licèt eaſdem cum his quæſtiones agitarent. Itaque nomen illud in Scholis vulgari cœpit poſt annum 1220. centum, & pauciſſimis annis poſt natam Scholaſticam.

XV. Sic autem Attritionem inter, & Contritionem diſtinguebant, ut Attritionem dicerent ex fide informi naſci, Contritionem ex fide formata: Attritionis principium eſſe timorem ſervilem, Contritionis timorem initialem: Attritionis cauſas eſſe auxilia gratiæ, ſeu gratias gratis datas, Contritionis verò, gratiam gratum facientem. Hinc omnem dolorem de peccato, Deique amorem in non habente gratiam Attritioni tribuerunt; in habente gratiam, contritioni. Atque eo uſque devenerunt antiquorum Scholaſticorum permulti, qui poſt tempus adnotatum ſcripſerunt, ut diſertiſſimè tanquam ab omnibus conceſſum aſſumerent, omnia opera ab auxiliis Spiritus Sancti hominem moventis, & impellentis ante gratiæ gratum facientis influxum procedentia, naturalibus, mortuis, & ingratuitis, ut ipſi loquuntur, eſſe annumeranda; ſola verò opera habitum gratiæ conſequentia, ſupernaturalibus, vivis, & gratuitis, præmiique æterni meritoriis. Vide Albertum *in 4. diſt. 16. art. 8.* Alexandrum, *4. parte Summæ quæſt. 17. memb. 5. art. 4.* S. Bonavent. *in 4. diſt. 17. art. 2. quæſt. 3.* S. Thomam *in 4. diſt. 17. quæſt. 2. art. 1. quæſtiuncula 3. & diſt. 14. quæſt. 2 art. 3. quæſt 1. & Summæ 3. parte, quæſt. 89. art. 6.* cui adde Ludovicum Molinam de Concordia gratiæ cum *lib. arbitrio quæſt. 14. diſput. 14. memb. 1.* Nihil illi vivum, meritorium, & ſupernaturale judicabant, niſi quod eſſet habituali gratia illitum, & imbutum. Non ſanè quod opera ante habitum gratiæ Spiritu Sancto movente edita cum purè naturalibus planè confunderent; ſed quod ea cum gratia habituali affectis comparata in operum naturalium ordinem cogi deberent. Albertus enim iſto argumento preſſus naturalia non fieri gratuita, eò confugit, ut dicat Attritionem eſſe donum Spiritus Sancti, & ideò naturalibus non eſſe tribuendam. Sed paulò poſt ſubiicit iſta ſe probabiliter diſputare, poſſeque qui aliter ſenſerit, argumenta ſua facilè ſolvere.

XVI. Alii tamen non omninò improbabiliter contrarium colligere videbantur. Nam humanis meritis, & propriæ facultati tribuenda videntur, quæ quis agit ex habitu, non autem ſimpliciter gratuitis, & Deo, niſi quatenus omnium effectuum cauſa eſt, eo quòd in ipſo vivimus, & movemur, & ſumus; quo ſenſu omnia ad Deum, ut auctorem ſuum referuntur, maximè verò quæ ſecundùm habitum gratiæ fiunt, cùm gratis, & immerentibus hominibus concedatur. Sed hoc non videtur impedire, quin homo propriè auctor dicatur, & naturalis cauſa illius effectus, quem ex habitu producit. Immò videtur contrarium efficere, ut homo ſcilicet excellentius, & perfectiùs cauſa ſit, & meritò dicatur. Habitus enim non facit, ut operemur, ſed ut cùm operari volumus, facilè operemur. Scitum eſt apud omnes Philoſophos habitum eſſe in noſtra poteſtate, quo uti poſſumus, cùm volumus, ſed non facit ut velimus, immò quieſcit, donec voluntas eum pro libitu exerceat. Deinde omnis habitus potentiæ alicui inſidet, quam excolit, & perficit; ideò habitus nihil aliud eſt, quàm potentia hominis præparata, exculta, & perfecta. Aut nullius rei cauſa homò dici poteſt, aut illius vera cauſa eſt, quam per habitum, ut vult, agit. Habitus igitur quocunque modo homini inhærens, ſive à natura, ſive à diſciplina, ſive ab infuſione divina, videtur nihil aliud in homine operari, niſi ut homo verè, & perfectè agat, operiſque ſive interni, ſive externi propria, & naturalis cauſa ſit, & legitimè ex omnium hominum loquendi more dicatur.

XVII. Exemplis res clarior fiet. Comparavit ſibi quis ſcribendi habitum à ludimagiſtro, ut fieri ſolet, edoctus. Poſteà ſcribit ad Principem, & ab eo beneficium in gratiam Amici impetrat. Quis veram, & proximam cauſam iſtius ſcriptionis ludimagiſtrum, aut habitum ſcribendi acquiſitum jactabit? Cajus Titium docuit enſe, aut jaculo dexterrimè, & agitabiliter uti. Poſt aliquot annos Titius fortè fortuna cum Mævio rixatur, Mæviumque ad monomachiam provocat, & armorum dexteritate longè ſuperior Mævium occidit. Quis homicidii iſtius Ca-

jum accuſabit? Eadem de habitibus infuſis ratio, ut videre eſt in Angelis, & Adamo ante lapſum. Cum habitibus infuſis creati ſunt, in ſanctitate ſcilicet, & juſtitia. Utriſque tamen opera, quæ fecerunt, tributa ſunt: Angelis vita æterna non ex pura gratia, ſed ex meritò: Adamo mors æterna, quam ſolus, Deo non cooperante, ſibi accerſivit, cùm Angeli vitam æternam, Deo tamen juvante, & cooperante, verè, & propriè meruerint. Sic Adamus ſi in gratia, ſive habitu infuſo ſtetiſſet, gloriam æternam operibus ſuis, non ſimpliciter ex gratia Dei meruiſſet.

XVIII. Unde igitur, inquies, aliquis propriè, & proximè cauſa dicitur actionis ab alio homine præſtita? Id ab exemplis datis facilè eſt colligere. Scriptionis jam commemoratæ præter ſcribentem cauſa verè eſt, & dicitur, qui impulit, qui perſuaſit, qui conſuluit. Eadem ratio eſt iſtius homicidii. Hoc videotur & S. Auguſtinus, & Pelagiani viciſſim pro confeſſo aſſumpſiſſe. Univerſa enim eorum diſputatio circa actualia gratiæ auxilia verſatur, & nunquam de habituali gratia litem movent. Utriſque ratum videtur, tribuendam Dei ſpeciali gratiæ, non tantùm nobis, vitæ æternæ per bona opera conſecutionem, ſi Dei auxilio nos intus movente, & impellente ad unumquodque opus egeamus: Naturæ verò humanæ potiſſimum, ſi habitus inditi ſufficerent. Ideò auxilia gratiæ ſpecialis ad unumquodque opus bonum nos intus non modò docentis ſed etiam moventis, quantum poteſt, adſtruit S. Auguſtinus, deſtruunt verò Pelagiani. His rationibus confiſi nonnulli antiqui Scholaſtici non mihi videntur planè in ſolem, oblocuti, cum originem meriti in actionibus noſtris à Deo per Spiritum Sanctum nos movente, & impellente derivarunt.

XIX. Lectorem notare velim, cùm de motione, & impulſu Dei per auxilia gratiæ locuti ſumus, nos impulſum intelligere voluntati noſtræ ſic attemperatum, ut eam per ſe ad actionem neceſſariò non impellat. Hoc enim poſito homo ſic motus, ut mihi quidem videtur, actionis cauſa non eſſet, ſed nudum Dei inſtrumentum, cui ſoli actio poſſet imputari, omniſque libertas ad meritum neceſſariò requiſita funditus everteretur. Libertas enim ejuſmodi nulla ratione cum neceſſitate conſiſtere poteſt; nec ulla de bona actione facienda electio eſſe, aut conſultatio. Quis enim niſi demens conſultat apud ſe, aut ab Amicis conſilium petit de re, quæ ab alio, aut à ſe neceſſariò facienda eſt? Nec refert, quòd agere velit, cùm agit, ſi volitio iſta ſic illi impreſſa eſt, & inſpirata, ut aliter tum velle non potuerit. Ex æquo voluntati libertatem præmio dignam adimunt neceſſitas, & coactio; hæc duriter, illa dulciter: hac trahitur, illa ducitur. Utraque fatum eſt, hæc triſte, illa jucundum. Nec ideò quia cauſæ diſtinguuntur, neceſſe eſt diverſos eſſe effectus. Ab utraque voluntas libertate ſpoliatur, ſed neceſſitate tanto periculoſius quanto libertati ſimilius. Qui ætate gravis puellam ſeduxit, & in amplexus currentem abduxit, non minus rapuiſſe dicitur, quàm ſi multa renitentem, & funibus ligatam curru aſportaſſet. Judicarunt leges vim non modò amaram eſſe, ſed etiam ſuavem. Ideò auctores Græci, & Latini, Chriſtiani, & Ethnici, neceſſitatem, neceſſarium eſſe, *ἀνάγκην, ἀναγκαῖον ἀναγκάζεσθαι*, paſſim pro coactione uſurpant. Hæc ita ſunt affinia, ut eximii auctores, atque etiam vulgares, unum altero facilè permutent. Immo ſanctus Damaſcenus *lib. 2. cap. 25.* de orthodoxa fide, non ſecùs ac Stoici, fatum per neceſſitatem definit: Fati medulla eſt neceſſitas. Fatum enim ſemper, & ſubſtantialiter *ἀναγκάζει*, per accidens cogit.

CAPUT III.

Variæ Scholaſticorum Philoſophationes quadringentorum annorum ſpatio agitatæ de ratione, qua Attritio fit Contritio, breviter explicantur. Centum annorum ſpatio hæc quæſtio propoſita eſt, & tribus modis ſoluta ſine ullo ad Sacramentum reſpectu: Qua occaſione hæc quæſtio tandem cum additione Sacramenti propoſita. Moralis cauſa omnium hominum conſuetudine vera cauſa dicitur. Ornatus Sacramentalis fingendi, quæ cauſa fuit. Illius virtus triplex explicatur. Quæſtionum iliades hinc exortæ. Quando ſic Philoſophari deſitum. Enarrantur ſeptem ſententiæ de ratione, qua Attritio in Sacramento fit Contritio, & quando unaquæque cœpit, adnotatur.

CUm primùm Attritionis nomen in lucem erupit, erupit quoque hæc quæſtio, An Attritio fieri poſſet Contritio. In ſcholis agitata eſt annis propè centum nulla prorſus ad juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ facta relatione. Toto enim illo tempore ſemper abſolutè propoſita eſt illa quæſtio, hoc modo, An Attritio fieret Contritio, nulla Sacramenti additione facta. Nec ſanè ex illius temporis doctrina Scholaſtica, quæ abſolutioni Sacramentali veram Contritionem neceſſariò prærequirebat, ut Sacramentum eſſet ad ſalutem utile, ſic potuit limitari propoſitio. Idem ex reſponſis quæſtioni factis manifeſtè conſtabit. Tres fuerunt de iſtius quæſtionis ſolutione Doctorum ſententiæ, duæ oppoſitæ, una media. Multi & inſignes Doctores reſpondebant affirmativè, Attritionem fieri poſſe Contritionem. Fundamentum, quo nitebantur, erat, dolorem, & amorem Attritionis, ſpecie non differre à dolore, & amore Contritionis, ſed tantùm per magis, & minus: Nihil itaque ex parte rei impedimento eſſe, quo minus dolor vel amor Attritionis ita intendatur, & effervеſcat, ut gratia tandem imbuatur, fiatque Attritio Contritio. Hoc enim omnibus qualitatibus, & actionibus, quæ intenſionis, & remiſſionis capaces ſunt, contingere ſolet. Gratia enim motui intenſo, & continuato ſuperveniens eum non mutat, ſed perficit.

II. Secunda ſententia, quam tuebantur viri maximi, huic eſt oppoſita, Attritionem fieri non poſſe Contritionem. Fundamentum, cui innitebatur, duabus partibus conſtabat: Prior ab omnibus concedebatur, Contritionem eſſe gratia formatam; Poſterior, Attritionem dicere actum, ſeu motum. Unde colligebant, attritionem gratia formari non poſſe, & conſequenter, nec in contritionem elevari, quia motus eſt res perpetuò fluens, & tranſiens; cùmque ita incaluit, ut adveniat charitas, jam tranſiit ille, qui erat Attritio, nec inflammari poteſt. De Actu Attritionis ita Philoſophantur; nam habitum, quia res eſt conſtans, & ſtabilis, gratia informari poſſe concedebant. Addebant alias rationes ex communi principio profluentes: Gratiam habitualem eſſe omnis meriti fontem, cui innixi pauciſſima cum æſtimatione de Attritione, & omnibus operibus auxilio Spiritus Sanctus ante habitum gratiæ juſtificantis productis diſputabant. Contendebant enim, Attritionem fieri non poſſe Contritionem, eo quòd opus mortuum reviviſcere non poſſit, & naturalia fieri non poſſint gratuita. Attritionem autem opus eſſe mortuum, & naturale. Cùm igitur tam diverſa eſſent principia, ab iis unum, & eundem natura effectum produci non poſſe.

III. Tertia ſententia utramque videtur conciliare. Eo autem ratiocinio nititur: In omni motu, qui non fit in inſtanti, aſſignari poteſt prius, & poſterius. In attritionis igitur motu diſtinguendæ ſunt partes priores, & poſteriores. Prior pars motus fieri non poteſt contritio, quia nec informari; poſterior verò quia informatur, meritò dicetur contritio. Itaque Attritio ſecundum quid tantùm fieri poteſt Contritio, non abſolutè. Hanc diſtinctionem non admittebat prima ſententia propter ſuppoſitam motus continuationem, quæ unitatem numericam in eum inducit. Ut enim ſectio in continuis multitudinem facit, ita quies in ſucceſſivis. Ubi igitur nulla quies, ſed continuus fluxus, ibi eſt unicus motus, & conſequenter de motu abſolutè enuntiandum eſt, quidquid illi, dum durat, advenit.

IV. Quanquam illi auctores in iſtius quæſtionis explicatione de Sacramento Pœnitentiæ nullum verbum faciant, alibi tamen de his rebus Pœnitentialibus meditando illis aliud agentibus quæſtio occurrit, quæ longo poſt tempore occaſionem dedit inquirendi, an Attritio virtute Sacramenti fieret Contritio. Aliquando enim ſibi objecerunt: fieri poteſt, ut quis exiſtimans ſe eſſe Contritum, ſit tantùm attritus, atque ſic ad Confeſſionem accedat. Difficultatem eo tempore excitabat vulgata Doctorum definitio, Confeſſionem extra charitatem factam liberare quidem poſſe ab onere Confeſſionis iterandæ, & præcepto Eccleſiæ ſatisfacere; verum ad ſalutem nihil prodeſſe. Reſpondent nihilominus in ipſa Confeſſione propter ſubjectionem, & humilitatem attritum conteri poſſe, & gratiam conſequenter acquirere. Quid ſi Confeſſione nondum acquiſita ſit, acquiri poſſe reſpondent priori parte Abſolutionis, quæ eſt deprecativa, ut tandem verè contrito dicere poſſit Sacerdos, Abſolvo te, &c. Verùm ſtabilita doctrina, quæ Abſolutionem vult eſſe ſimpliciter indicativam, nullaſque preces ei neceſſarias eſſe, aliter promiſcuè, ſed potiſſimùm à Thomiſtis antiquiſſimis quæſtioni reſponſum eſt; Confeſſione ſcilicet, & Abſolutione ejuſmodi hominem fieri Contritum, gratiamque ex ſuſcepto Sacramento reportare.

V. Ex hoc poſtremo reſponſo quæſtionum novarum iliades ebullierunt. Quæ ex duobus præſertim fontibus ſcaturiebant. Cùm primùm conſtitit apud multos poſſe attritum abſolutione ſacerdotali fieri contritum, quæſitum eſt, quæ fuerit ſacerdotis abſolventis in animam efficientia ad gratiæ productionem. Brevi poſt hæc ceſſatum à confeſſionis additione, cùm de hac efficientia diſputatum eſt. Auctores enim qui poſt annum 1320. ſcripſerunt relicta Confeſſionis mentione de ſola Abſolutione quæſtionem moverunt, eamque diſertè cum his terminis propoſuerunt, An Attritio virtute Sacramenti fieri

poſſet

Digitized by Google

poſſet Contritio. Nec abs re Confeſſionis memoria in hac quæſtione obliterata eſt, cùm in hac cauſalitate alia planè ſit Abſolutionis, alia Confeſſionis ratio. Hic eſt quæſtionum ſons primus. Alter erupit ex Philoſophica inquiſitione in rationem, qua Attritio vi Sacramenti fieri poterat contritio. De utraque ſeparatim.

VI. Non eſt hic nobis propoſitum, ſingulas ennarrare Scholaſticorum de Sacramentorum in gratiam efficientia ſententias: Longus ſermo, longæ ambages. Neque hic nobis propoſitum eſt per ſingula ſacramenta vagari, ſed quæſtiones præcipuas de ſacramentis excitas, quatenus tantùm ad Pœnitentiæ ſacramentum, ut gratiæ productivum pertinent, breviter enarrare. Melchior Canus vir doctus, & acutus, Scholaſticuſque inſignis, de variis Scholaſticorum hac in cauſa opinionibus meritò pronuntiavit, 4. *parte relectionis de Sacramentis in genere, Quem in modum Sacramenta novæ legis ſint cauſa gratiæ, tantùm abeſt ut explicent, ut etiam opinionum varietate confundant. Res quippè nulla eſt, de qua tantopere non ſolùm indocti, ſed etiam docti diſſentiant*. Sanè hic locum non habet hoc ex Homero vulgatum axioma, πλεόνων δ᾽ ἔτι ἔργον ἀμείνων. Ad duo tamen capita revocari poſſunt. Alii docuerunt Sacramenta cauſas eſſe gratiæ ſine quibus non. Alii dixerunt cauſas eſſe Phyſicas. Priores eo quòd cauſæ ſine quibus non multis quoque modis ſeſe explicuerunt, atque ideò in varias ſcindi ſententias videntur, licèt revera in unam ſententiam conſpirent. Melchior Canus primus hanc Sacramentorum cauſalitatem vocavit moralem, phyſicæque oppoſuit, & mea quidem ſententia appoſitè admodum. Eſt enim vera quædam cauſalitas, quæ nullo modo phyſica dici poteſt, omnium tamen gentium conſuetudine, & conſenſu talis æſtimatur, & dicitur, quæ ideò moralis ab eo jure appellata. Sic qui applicat activa paſſivis effectus cauſa dicitur, licèt phyſicè ab eo in effectum nihil effluat. Qui applicat ignem domui, combuſtionis ab omnibus gentibus cauſa dicitur. Ignis tamen, non homo, phyſica cauſa eſt, à qua procedit combuſtio: præter applicationem nihil ab homine effluit. Sic Medici, Hortulani, & Agricolæ, ſanitatis, florum, & fructuum cauſæ ſunt. Sic qui perſuadent alteri opus aliquod eſſe faciendum, aut ex pacto rem promiſſam ſibi vindicant, operis, facti, & rei adeptæ cauſæ dicuntur, licèt ab eis in opus nihil effluxerit. Nihil, ut mihi quidem videtur, hæc ſententia habet impediti, nihil ſpinoſi; Nullam efficientiam Patres ſacramentis tribuunt, quæ cum iſta non poſſit facilè convenire.

VII. Hanc ſententiam antiqui omnes Scholaſtici amplexi ſunt, licèt variè, ut jam dictum eſt, eam explicaverint. Sanctus Thomas primus aliter Philoſophatus eſt, & ampliſſimam tricarum impeditiſſimarum meſſem diſcipulis ſuis reliquit. Duplici modo, & contrario, ut opinantur recentiores Thomiſtæ, variis temporibus de hac re Philoſophatus eſt, utrumque explicabimus. Utrique Scholaſticorum ſententiæ commune erat principium, Tantæ dignitatis, & majeſtatis eſſe habitum illum gratiæ, ut ad illius productionem phyſicè, ne inſtrumentaliter quidem, creatura concurrere poſſet. Hoc principium ne læderet ſanctus Thomas, Philoſophatus eſt, Sacerdotem per Abſolutionem non attingere ullo modo gratiam ipſam, ſed tantùm inſtrumentaliter diſpoſitionem ad gratiam. Quæ autem eſſet illa ad gratiam diſpoſitio ſic explicabat. Tria ſunt Sacramenta producentia qualitatem in anima, quæ character dici ſolet. Hic character diſpoſitio eſt ad gratiam proxima, quem, niſi ponatur obex à recipiente, gratia neceſſariò conſequitur, ut in Infantibus omnibus cum baptizantur. Ea autem eſt characteris iſtius virtus, ut gratia eum propter obicem non conſecuta, remoto obice ſtatim conſequatur. Hactenus ex omnium Scholaſticorum illius ſeculi ſententia. Poſteà à ſimili ratiocinatur de aliis Sacramentis, ſed in Pœnitentia ſubſiſtimus. Sic Abſolutionis Miniſter qualitatem in anima imprimit, quæ ad gratiam diſpoſitio eſt, quam peculiari nomine ornatum vocat, cujus ut characteris tria ſunt munia. Primum, animam ad gratiam ſuſcipiendam diſponere. Secundum Pœnitentiæ ſacramentum validum reddere, & ita rationi minimè obnoxium. Tertium, Contritione adveniente, ſi ſuſcipienti Sacramentum non adfuit, gratiam Sacramentalem revocare, & redintegrare, non ſecùs ac gratia baptiſmalis fictione ſive obice remoto per ſupervenientem Contritionem animæ reſtituitur.

VIII. Inſoluta adhuc remanet quæſtio, quid ſacramentum influit in ornatus iſtius productionem, ſive qua ratione attingit, & afficit diſpoſitionem illam, ut illius cauſa inſtrumentalis dici poſſit. Ad tantæ difficultatis ſolutionem diſtinguit ſanctus Thomas duplicem in inſtrumentis virtutem, propriam unam, alteram à cauſa principali communicatam. Ut in dolabra, propria virtus eſt ſerare, communicata verò ab Artifice eſt, ſic ſerare. Sic aquæ virtus propria eſt abluere; communicata, characterem producere. Si quæras quale ſit ens virtus illa inſtrumento communicata, cujus vi cauſa principalis diſpoſitionem in ſubjectum introducit; Reſpondet, eſſe ens incompletum, & intentionale, medium quid inter puram potentiam, & purum actum, non habens eſſe fixum, & permanens, ſed fluxum, & mobile, eo quòd inſtrumento tantùm conveniat prout à cauſa principali movetur. Græci Philoſophi fluxas ejuſmodi eſſentiolas propriè vocant εἴδωλα. Unde Democritus referente Diogene Laertio viſionem dixit fieri καθ᾽ εἰδώλων ἐμπτώσεις. Eo ſenſu, ut proprio, Etymologicum magnum εἴδωλον interpretatur, τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος σκιώδη ἀπόρροιαν. Similis quædam virtus ſpiritualis per modum entis incompleti, & fluidi Sacramentis inquit, à Deo communicatur, cujus vi ornatus, & character qualitates ad gratiæ habitum diſponentes in anima producuntur.

IX. Tam præclarum δόγμα credidit ſanctus Thomas ſatisfacere dictis ſanctorum Patrum de Sacramentorum efficientia, atque ad illud collimaſſe, cùm tantopere Eccleſiæ auctoritatem in remittendis peccatis deprædicarunt. Deinde etiam credidit ſe hoc invento dignitati, & majeſtati habitualis gratiæ optimè conſuluiſſe, ad cujus productionem nulla creatura, ne inſtrumentaliter quidem, concurrere poteſt. Ideò ſæpè hoc ſuum φιλοσόφημα fusè repetit, & inculcat, ut *in 4. diſt. 1. quæſt. 1 art. 4.* Et in ſecundo ſcripto in ſententias iiſdem diſtinctione, quæſtione, & articulo, & fuſiùs *quæſt. 27. de veritate art. 4.* Ad illud autem ſæpiſſimè alludit, cùm docet Sacramenta diſpoſitivè tantùm ad gratiæ productionem concurrere, non effectivè. Præter hanc fingendorum ornatuum cauſam à S. Thoma ſæpiùs explicatam, aliam aucupati ſunt ipſius diſcipuli ex quibuſdam ejus verbis, quæ docent confitentem non contritum recedente fictione fructum Abſolutionis conſequi, ideò ad confeſſionis iterationem non teneri, *in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 4. quæſtiuncula* 1. Eadem repetuntur in ſupplemento, *quæſt. 9. art. 1.* Minùs evidenter hoc elicitur ex *diſt. 21. quæſt. 2. art. 2. reſponſ. ad* 3. Scholis propter ſancti Thomæ auctoritatem tantopere placuit hæc doctrina, ut paucorum annorum ſpatio omnes propè occupaverit. Joannes enim de Neapoli ſancti Thomæ diſcipulus, qui circa annum 1300. ſcribebat, & clarus habebatur, hanc ornatus Sacramentalis doctrinam magno molimine non modò tuetur *quæſt.* 133. verùm etiam eam ex eo demonſtrat, quod ſit Scholarum commune dictum, Sacramenta imprimere characterem, vel ornatum.

X. Viris tamen magnis, & famoſis huic doctrinæ ſeſe fortiter opponentibus, Scoto, Durando, Aureolo, Godoſredo de Fontibus, Thoma Argentinenſi, pleriſque aliis inſignibus iſtorum diſcipulis, Scholarum pulpita annorum ducentorum ſpatio has quæſtiones præ cæteris reſonarunt: An ornatus ille, ut character, ſit indelebilis? Si delebilis, à quo corrumpi poteſt, cùm non habeat contrarium? An iterato Sacramento alius ornatus producatur, an præcedens tantùm intendatur? Si producatur alius, qua ratione duo numero diverſa accidentia in eodem poſſint exiſtere ſubjecto? An ornatu auctiore facto intendatur gratia. An poſt gratiæ adventum permaneat? An cum peccato in anima ſubſiſtat? An attritionem præcedentem, aut ſaltem concomitantem in Sacramento, ut producatur, requirat? An cùm ſacramentum præcedit contritio; generetur ornatus, ut generatur character? Cur character facit, ut ſacramenta illum producentia iterari non poſſint, idem verò non præſtet ornatus? Quæ fictio producat ornatum, & Confeſſionis ſacramentum, conſequenter reddat validum, licèt non fructuoſum? Hinc fictionum in ſacramento Pœnitentiæ diſtinctiones in negativam, privativam, duplicemque poſitivam; & ſacramenti in validum quod gratiam, qua in ſuſceptione caſſum eſt, poſteà retrotrahit, & fructuoſum, ſive gratiam ipſa ſuſceptione producens, apud eos frequentiſſimæ. Hinc multa conſectanea colligebant Scholaſticorum Doctorum eo tempore πρωταγωνισταὶ plerique: Sacramenti Pœnitentiæ materiam non eſſe peccatorem contritum, aut attritum, ſed ſponte confitentem, & abſolutionis deſiderantem; quia materia eſt quid ſenſibile, quod cognoſcere debet Artifex; ſed Contritionem, vel attritionem Pœnitentis cognoſcere non poteſt Sacerdos. *Hinc* ſecundò ſequebatur, præparationem Attritione minorem, ornatum videlicet, ad Confeſſionis validitatem ſufficere, non modò, ut non iteretur confeſſio, ſed etiam ut gratia abſolutione nondum acquiſita poſtmodum retrotrahatur. Unde iterum colligebant, abſolutionem confitenti dandam eſſe, licèt contritionis, vel veræ attritionis in eo ſigna non videret Sacerdos, modò nulla appareret confeſſioni repugnantia. Hanc eſſe ſacramentorum Evangelicorum ſupra legalia prærogativam, eo quòd iſta hominem diſponant ad gratiam, requirantque tantùm, ut ſeſe non opponat; agunt enim omnium Scholaſticorum conſenſu ex opere operato: Hæc verò, ut ſeſe diſponat, cùm ex opere operantis virtutem habeant. Denique ex hac eadem doctrina colligebant hæc

axio-

axiomati, Contritionem ante ſacramentum gratiam producere, attritionem cum ſacramento, ornatum poſt ſacramentum: contritionem eſſe partem ſacramenti, vel præteritam, vel concomitantem, vel futuram: Contritionem non eſſe partem ſacramenti Pœnitentiæ, ut validum eſt, & integrum, ſed ut ad ſalutem æternam fructuoſum. Ita Philoſophantur Thomiſtæ inſignes, Paludan. *in 4. diſt. 1. quæſt. 1.* Capreolus, & Soncinas in eandem *diſt. Paludanus in 4. diſt. 17. quæſt. 8.* Capreolus *ibid. quæſt. 2.* Soncinas *ibid. quæſt. 2.* Sylveſter *verbo Confeſſio* 2. Bernard. de Gannaco. *Quod lib. 51. quæſt. 14.* Viguerius *Inſtitut. Theologic. cap. 16. §. 1. verſ. 16.* & alii complures, qui his quæſtionibus enodandis magno ingenii conatu inſudarunt.

XI. Tandem iſtorum λεπτολογημάτων paulò poſt annum 1500. Scholaſticos omnes ſatietas cœpit, miliique grana, ut eſt in proverbio, ſeſe torno ſculpere animadverterunt. Tum præcipui Thomiſtæ publicè ſcripſerunt ornatum iſtum, cum omni quæſtionum, & argumentationum pompa ſua rem eſſe commentitiam, & fictitiam, ut Cajetanus *tom. 1. Opuſcul. tract. 5. quæſt. 5. de Confeſſione informi, & in 3. part. quæſt. 84. art. 1. & 2.* Melchior Canus *relect. de Sacramentis part. 4. & parte 6. relectionis de Pœnitentia*. Petrus Soto *Inſtitut. Sacerdotum Lect. 8. de Confeſſione informi*. Dominicus Soto *in 4. diſt. 18. quæſt. 3. in fine articuli 3. & diſt. 1. quæſt. 3. art. 2. § Sed hoc tamen*, atque iterum *diſt. 14. quæſt. 1. art. 1. §. Hic in primis*. Joannes Medina *Codice de Confeſſione tract. 2. quæſt. 20.* brevique poſt adeò in Scholis derelictus, & neglectus eſt, ut ab eo tempore in oblivionis campo ſepultus videatur. Quin ipſe ſanctus Thomas iſtius ſententiæ ſenex pertæſus videtur: Nam *quæſt. 62. art. 1. tertiæ partis* abſolutè docet Sacramenta novæ Legis eſſe cauſas inſtrumentales gratiæ nulla facta ornatus, vel characteris mentione. Sic primus S. Thomam intellexit Cajetanus Cardinalis, Thomiſtarum ſuo tempore Coryphæus, quem cæteri hac in cauſa gregatim ſecuti ſunt. Antiqui tamen ipſius diſcipuli, quique ipſis ſucceſſerunt annis ducentis; nec hi modo, ſed & omnes S. Thomæ Adverſarii hæc ſummæ verba non de gratia habituali, ſed de gratia Sacramentali interpretati ſunt. Sed utut ſit, antiquæ doctrinæ omnes immemores, aut deſertores, Sacramenta directè fatentur eſſe ipſiſſimæ gratiæ habitualis cauſas inſtrumentales, ſecundamque illam Sanct. Thomæ ſententiam, ſi modo ejus eſt, priore repudiata ambabus ulnis amplexi ſunt, atque etiam nunc amplectuntur.

XII. Infinitarum quæſtionum fons alter, lis enim litem parere ſolet, hujus rei fuit inquiſitio, *Qua ratione Attritio virtute Sacramenti fiat Contritio*. Ab annis trecentis, & quinquaginta in hanc uſque diem acerrimè de hac quæſtione in Scholis diſputatum eſt, nec unquam ab eo temporis deferbuit diſputatio, ſed ſemper incaluit, vireſque acquiſivit eundo. Varii Doctores variis modis hunc nodum enodare tentaverunt. Septem variæ de hac enodatione jactantur ſententiæ; ſed antequam illas enarrem, Lectorem notare velim antiquam ſententiam, de neceſſitate Contritionis ante Abſolutionem concipiendæ toto illo tempore ad uſque Concilium Tridentinum aliis omnibus ſigillatim ſumptis prævaluiſſe, maximoſque viros, & magno numero paulò ante Concilium Tridentinum hanc ſententiam mordicùs defendiſſe, & aliàs improbaſſe. Sed poſt Concilium Tridentinum ex ſententiæ, quæ Attritionem ſufficere docent, antiquæ prævaluerunt, majore Doctorum parte ſenſim in hanc ſententiam inclinante, & ab antiqua declinante, ut nimium ſevera, & efficaciæ Sacramentorum non ſatis tribuente. Non defuerunt tamen Doctores inſignes, poſt illud tempus in hunc uſque diem, nec contemnendo numero, quorum aliqui Concilio interfuerunt, qui antiquam ſententiam propugnaverunt, aliiſque longè prætpoſuerunt.

XII. Prima ſententia, in quam ivere omnes initio diſceſſionis ab antiquiore, ea eſt, quæ Attritionem ſui incremento Abſolutionis virtute facto fieri Contritionem docuit, Sententiam ſuam ſic explicant. Quatuor in Attritionis dolore gradus ponunt, cùm quis confitetur, leviſſimum, magnum, majorem, maximum. Primum ajunt Confeſſionem non reddere validam, nec in ea eſſe Sacramentum: Cum ſecundo eſſe validam, ornatum producere, cujus ope, fictione recedente, redit gratia Sacramentalis, & Sacramentum facere validum, & integrum, ſed informe: Cùm tertio Attritionem illam Abſolutionis virtute in contritionem aſſurgere, fierique Sacramentum non modò validum, ſed etiam formatum, & ad vitam æternam fructuoſum. Denique ſi quartus gradus adſit, juſtificationem præcedere Sacramentum, ſed Sacramenti ſuſceptione augeri, & incaleſcere. Qui ornatus Sacramentales non admittebant, eodem modo Philoſophabantur; niſi quòd eorum aliqui omnem confeſſionem in ſecundo doloris gradu factam iterandam eſſe cenſebant, nec ullam agnoſcebant confeſſionem informem, & validam. Notabit autem Lector Attritionem, in ea quæſtione apud eos, auctores complecti dolorem propter Deum aſſumptum. Deinde ſententiam hanc, Attritionem ſui incremento fieri Contritionem, dupliciter intelligi poſſe, vel habitualiter, vel actualiter, ita ut intendatur vel actus, vel habitus. De actu ſententiam intelligunt illi auctores, cujus intenſionem ſequitur ſemper habitus intenſio, ſed reciprocatio propter innatam noſtræ voluntati indifferentiam, quæ nullo habitu tollitur, ſed potius confirmatur, certa ſemper non eſt.

XIII. Secunda ſententia longè à præcedente diſtat. Vix enim ullam aliam diſpoſitionem poſitivam ex parte peccatoris ad juſtificationem in ſacramento pœnitentiæ neceſſariò requirit, præter voluntariam Sacramenti ſuſceptionem, ab effectu peccati mortalis alienam: ſed negativam expreſſiſſimè, hoc eſt, non indiſpoſitionem, & obicis remotionem. Duplicem facit juſtificationis modum extra Sacramentum, & in Sacramento. In priori vult opus aliquod intrinſecum, Attritionem ſcilicet intenſiſſimam, qua juſtificatur peccator, cùm primum gradus ille ita eſt intenſus, ſi in Contritionem Attritio mutetur. In poſteriori nullum requirit ex neceſſitate opus intrinſecum, ſed ſolùm extrinſecum, Sacramenti ſcilicet ſuſceptionem ſpontaneam, & faciendi quod Eccleſia jubet, intentionem. In peccatore ſic diſpoſito, & peccata confitente, per Abſolutionem ex Dei pacto, non ex ullo meritò, ut in præcedente, ingeneratur habitus gratiæ, quo juſtificatur. Multis locis mentem ſuam explicat Scotus, ut *in 4. diſt. 14. quæſt. 4. art. 3. In reſolutionibus in 4. diſt. 14. quæſt. 1. art. 3. In Reportatis ad 4. diſt. 14. quæſt. 4.* Et iterùm *in reſolut. diſt. 14. qu. 4.* Hunc juſtificationis modum per Sacramenta primus docuit Scotus, & ea ratione viſus eſt ſibi Sacramentorum Evangelicorum virtuti præclarè admodum conſuluiſſe. Primus apertè præparationes ad juſtificationem, cùm ſacramentorum virtute commiſit, atque illas, ut hanc extolleret, humillimè depreſſit. Diſcipulorum Scoti alii hanc ſententiam planè ut ſonat, amplexi ſunt; alii addiderunt, *Aliquali opus eſſe Attritione*, ut Nicolaus de Orbellis in compendio Doctrinæ Scoticæ ſuper ſententia *lib. 4. quæſt. 2. §. 4.* Gullielmus Vorillo *in 4. diſt. 14. art. 1. & diſt. 18. ad finem art. 2.* Petrus Tartaretus *in reportatis ad quæſtionem 4. ejuſdem diſt. §. 2. arguitur*. Nicolaus de Niſſe *tract. 6. parte 3. de Pœnitent. Summa Angelica Verbo, Confeſſio 5. num. 30.* Almainus Scoti ſententiam ut duriùs ſonat, defendit adverſus Gabrielem *in 4. diſt. 14. quæſt. 4.* Immò hæc dura ſententia Sylveſtro Thomiſtæ inſigni præ cæteris placuit, ut legere potes *in Summa Confeſſio. 1. num. 24.* Alii, & viri inſignes, eam fortiter oppugnarunt, eaque exploſa ad antiquam ſeſe receperunt. Ut Gullielmus Ockam, Franciſcus Mayro, Marſilius ab Inghem, Gabriel Biel, Joannes Major, & alii.

XIV. Tertia ſententia præcedentis eſt temperamentum, mediamque ſedem tenet primam inter, & ſecundam. Docet enim, confitentem oportere, ut Abſolutione juſtificetur, eſſe inſtructum Attritione, magnum dolorem propter Deum offenſum complectente: Quanquam enim gradus ille Attritionis à Contritione plurimum diſtet, nihilominus tamen ajunt, Sacramentum in peccatore ſic diſpoſitio gratiæ habitum producere. Differt igitur à ſecunda, quòd doloris gradum intenſum requirat; à prima verò quod ſine gradus illius actuali intenſione habitum gratiæ producat. Itaque ex hac ſententia Attritio virtute Sacramenti propriè non fit Contritio, niſi ut opinantur, æquivalenter, atque etiam habitualiter, non ſecùs ac fides ante gratiam informis, ea adveniente formatur. Idem enim remanet Attritionis gradus, qui ante fuerat. Primus Theologorum Scotus eſt, qui docuit, Sacramentum ſine ulla Attritionis inflammatione, & incremento gratiam producere, quòd tanta confidentia aſſeruit, ut Pœnitentis attriti, dum confitetur, evagationem, modò mortalis non ſit, hanc productionem crediderit non impedire. Nec defuerunt Scoto, etiam alterius Scholæ Doctores, qui eum ſequerentur. Homines enim ut plurimum ita natura comparati ſunt, ut facilè eum ducem ſequantur, qui vitæ, moribuſque laxamenta concedit. Nam ut apud Homerum Odyſſ. E, *Παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους*.

XV. Quar-

XV. Quarta ſententia alio planè modo Philoſophatur. Primum, nullam aliam agnoſcit Attritionem, præter eam, cujus objectum eſt pœnæ formido. Deinde quemlibet dolorem propter Deum offenſum exiſtimat veram eſſe Contritionem. Denique quemlibet iſtius doloris gradum ad ſalutem ſufficere. Hinc prioribus contraria colligit, Attritionem, etiamſi in infinitum intendatur, fieri nunquam poſſe Contritionem, eo quòd fine, & objecto differant, & conſequenter ſpecie: Species autem una fieri non poteſt altera. His poſitis ajunt, Attritionem illam, ſi bona fide judicetur à Pœnitente Contritio, cùm Abſolutione ad juſtificationem ſufficere. Quòd ſi Pœnitens animadverteret Attritionem ſe habere, non Contritionem, non modò gratiam in Sacramento, ut ajunt, non aſſequeretur, verùm grande ſacrilegium Abſolutioni, in eo ſtatu ſe ſubiiciens, perpetraret. Ex eo colligunt, præſertim Dominicus Soto, Attritionem fieri poſſe Contritionem extrinſecè, eo quòd vi Sacramenti Attritione ſuperſtite gratia producatur, & Attritioni in eodem ſubjecto conjungatur. Hinc illis duplex Contritio exoritur, intrinſeca, & extrinſeca. Intrinſeca, quæ hoc habet ex objecto, dolorem ſcilicet propter Deum offenſum; quam rationem nullo modo induere poteſt Attritio. Extrinſeca, quæ Attritio quidem vera eſt, extrinſecè autem dicitur Contritio, ut fides formata propter ſupervenientem animæ gratiam. Hanc Philoſophationem primus invexit Franciſcus Victoria vir initio præcedentis ſæculi celeberrimus, in quam Theologi maximi pedibus manibuſque lubentes admodum ivere. Defenſores habuit toto ſeculo præcedente complures, viroſque magnos, ſed nunc videtur intermortua. Si populum ſpectes, qui ſpeculiationes ejuſmodi non intelligit, aut craſsè admodum, iſta ſententia ab ea, quæ Contritionem abſolutè requirit, parum aut nihil differt. Eandem enim à Pœnitente diſpoſitionem exigit, ut ſcilicet, Abſolutionem Confeſſione peracta ſuſcepturus animi ſui motum in Deum fideliter, & ſincerè credat Contritionis eſſe dolorem. Hac doctrina imbutus populus neglectis, quas non capit, ſpeculationibus, in Contritionem ſemper feretur, & diſpoſitionem Contritione minorem non credet, ut abſolvatur ſufficere.

XVI. Quintam ſententiam occaſione præcedentis referemus: Omnium poſt eam, quæ Contritionem exigit, eſt antiquiſſima. Docet autem, quòd ſi faciens quod in ſe eſt, bona fide judicet ſe Contritionem habere, gratiam in Sacramento reportabit, licèt forſan Attritione ſola fuerit præditus. In duobus autem hæc à præcedente differt, Prius, quod Attritionem ſola formidine pœnæ non metiatur, ſed ex timore initiali. Nam difficile cogitatu videtur, aliquid ſola formidine pœnæ facere, & hoc non animadvertere. Sed difficile cogitatu eſt an Contritio ſatis ſit intenſa, & ardens. Poſteriùs, quòd Attritionem ſui per Sacramentum incremento fieri Contritionem doceat. Scholaſtici nonnulli Antiquiſſimi poſt annum 1200. ita obiter occaſione data definierunt, idemque ſentire videntur recentiores non pauci.

XVII. Sexta ſententia rem expedit ab aliis diverſiſſimè. Supponit Attritionem, & Contritionem, hoc eſt, amorem Dei ſuper omnia ab homine lapſo ſine gratia elici poſſe, nullumque actum ab homine gratia inſtructo emanare, qui ab eo naturaliter, & citrà gratiam emanare non poſſit. Quocirca iſtius ſententiæ auctores duplicem conſtituunt Attritionem, & Contritionem, naturalem, & ſupernaturalem. Supernaturalem Contritionem, ſi adſit, ante Sacramentum juſtificare, naturalem cum Sacramento. Naturalem Contritionem, ſive Dei præ creaturis quibuſcunque dilectionem, meritò vocari Attritionem, dum charitatis adventu formata non eſt. Cùm verò per ſacramenti ſuſceptionem habitualis charitas infunditur, ſi tum ceſſat actus ille Contritionis naturalis, extrinſecè, & denominativè tantùm ſit Contritio, ut in ſententia quarta, de Attritione ob pœnæ formidinem explicatum eſt: Si verò continuatur, tum ſit intrinſecè vera, & ſupernaturalis Contritio. Hujus rei ratio in iſta ſententia eſt evidens: perſeverat enim amor Dei ſuper omnia, qui ab eo momento, quo per Sacramentum gratia infuſa eſt, incipit eſſe ſupernaturalis, ut potè à ſupernaturali principio tum procedens. Si objicias, ergo diſpoſitio naturalis ad gratiam in Sacramento conſequendam ſufficiet, reſpondebunt hoc nihil impedire, eo quod Deus in data hypotheſi gratiam per Sacramentum in homine obicem non ponente producat, non autem per diſpoſitionem naturaliter inhærentem. Hæc ſententia paucos habuit defenſores, ſed celebres.

XVIII. Iſtius ſententiæ fundamentum eſt multorum Doctorum ſpeculatio de triplici hominis ſtatu, puræ naturæ, innocentiæ, & gratiæ ſupernaturalis; & diſtinctionis juſtitiæ originalis à gratia gratum faciente. Speculantur illi hominem in puris naturalibus conſtitutum, in quo ante quodlibet peccatum propter animæ rationalis cum corpore conjunctionem, pars inferior ſuperiori contradicit, qui rationi ſæpè obtemperat, aliquando tamen ſuccumbit. Speculantur præthereà hominem juſtitia originali imbutum, quæ naturale illud diſſidium componit, illique dat poteſtatem, vireſque mandatis Dei perfectè obediendi. Verùm iſtarum actionum finis eſt tantùm naturalis, ideoque nulla eſt illi ad Dei viſionem, & mercedem ſupernaturalem proportio. Neceſſe eſt igitur, hominem juſtitia originali ditatum in eminentiorem ſtatum evehi, cujus ope proportionem ad finem ſupernaturalem conſequi poſſit. Hoc obtinet per gratiam gratum facientem, qua præter juſtitiam originalem donatus eſt Adam. Itaque duplex hominis in primò ſtatu defectus his duobus donis reſarcitur, & ſanatur. Prior eſt, difficultas actionis ſecundùm rationem ex carnis concupiſcentia adverſus mentem pronaſcens. Poſterior, actionis illius licet rectæ debilitas, quæ finem ſupernaturalem attingere non poteſt. Prior defectus juſtitia originali ſanatur, Poſterior, gratia gratum faciente. Nonnulli viri celebres primùm ſtatum non admittunt, ajuntque ſecundùm hominis creationi deberi. Alii non tantùm admittunt illum, ut poſſibilem, ſed etiam aſſerunt primum hominem, in eum per lapſum reapſe deveniſſe, eò miſerabilius quod peccato ſuo iis gratiis privatus eſt, quæ illi primitus in eo ſtatu tantum denegatæ fuiſſent. Sunt, qui negent juſtitiam eſſe, quæ ad finem ſupernaturalem non referatur. Sic illis ſpeculari placet.

CAPUT IV.

Septima ſententia docens, qua ratione Attritio in Sacramento fiat Contritio, enarratur. Qui illius auctores, quæ in ea explicanda varietas. Exponitur dogma, quod iſti ſententiæ ſubſternitur, & quod eam conſequitur. Sententia iſta à viris magnis eam tuentibus nova cenſetur, & tantùm probabilis. Monita ab iiſdem data ſic conſitentibus enarrantur. Ad perfectionem majorem tendendum, ut minor acquiratur. Cùm agitur de ſalute peccatum eſt certa negligere, & eligere incerta, & ambigua. Exemplis hoc docetur. Non ſemper certa opinio probabili eſt præferenda. Quando id fieri debet. Urgente neceſſitate Sacramentum ex probabili ſententia conferri poteſt: Verùm ſi ex certa agi poteſt, ea eſt eligenda. Plurimi Doctores hodierni cenſent nullo tempore Dei dilectionem neceſſariam eſſe, modò diligendi habitus per Sacramentum comparetur.

SEptimam, & poſtremam ſententiam de ratione, qua Attritio fit Contritio, eadem, qua cæteras, brevitate enarraturis, viſum eſt tamen id ſpeciali capite præſtare, eo quòd utile judicaverimus nonnulla monita huic enarrationi addere, quæ viri maximi, & de Eccleſia Catholica bene meriti Pœnitentiæ Sacramentum ſecundùm hanc ſententiam adminiſtraturis tradiderunt. Cùm enim à tantis viris ea acceperimus, de iis Lectorem monuiſſe ſupervacaneum fore non exiſtimavimus. Septima igitur, & poſtrema ſententia quartæ eſt correctio: Quod enim illa exhorrebat, hæc admittit, Attritionem videlicet ex ſola formidine pœnæ conceptam, talemque à Pœnitente cognitam, & immutatè ſeſe habentem, legitimam, & ſufficientem eſſe præparationem ad gratiam in Sacramento ſuſcipiendam. Quod verò quarta planè neceſſarium judicabat, Attritionem illam à Pœnitente reputari bona fide Contritionem, ridet, & exibilat.

II. Iſtius ſententiæ auctores fuerunt Melchior Canus Franciſci Victoriæ diſcipulus, & Henricus quidam Salmanticenſis Doctor. Ante hos neminem legi, qui ſic doceret, aut docere perhiberetur. Doctores Salmanticenſes primi hanc ſententiam amplexi ſunt, & propagarunt, Navarrus Manualis *cap. 1. num.* 8. nonnihil miratur quod eam in ſelectis quibuſdam Comitiis viderit defendi, ſcribitque veram non eſſe. Cujuſmodi fuerint comitia non indicat. Ludovicus Lopez *in Inſtructorio Conſcientiæ*, quod edebat anno 1583. *prima parte cap. 9.* teſtatur, iſtius ſententiæ propugnandæ principes fuiſſe Melchiorem Canum, & eundem Henricum Salmanticenſem *in Summa Hiſpanica f. 194. p. 1. & fol. 5. p. 1. & 5.* Ait inſuper Lopez ſe Dominici Soti, & Navarri ſententiam olim amplexum fuiſſe, nunc autem Cani, & Henrici ſententiam præferre, *Sed jam nunc*, inquit, *præcedente lumine Concilii Tridentini, & quia induſtria Doctorum aliquæ veritates magis illuſtratæ ſunt, audeo & hanc ſtatuere Concluſionem; Probabile eſt, & non parum veritati, & Concilio Tridentino conſona opinio affirmativa, ſcilicet, quòd ad juſtitiam, & remiſſionem pec-*

catorum

catorum in Sacramento Pœnitentia ſatis eſt Attritio cognita, etiamſi Pœnitens non exiſtimet probabiliter tam eſſe Contritionem. Hanc ſententiam aſſerere probabilem, tum illi viſum eſt aliquid inſolitum audere. Ideò pro viribus eam ſtabilire tentat, & quæ opponuntur, diſſolvere. Alphonſus Vivaldus *Candelabri aurei titulo 6.* refert ex eodem Henrico Salmanticenſi Magiſtros Salmanticenſes hanc doctrinam de Attritione cognita ex formidine pœnæ cum Sacramento ad juſtificationem ſufficiente amplecti: Eam nihilominus Alphonſus improbat. Henriquez Societatis Jeſu Theologus inſignis, *in adnotationibus ad Summam Theologiæ lib. 4. cap. 26. n. 5. lit. p.* de hoc dogmate refert, *Quod in publicis actibus Salmanticen. Penna, & poſteà Gallo, Sancius, & alii doctiſſimi reputarunt ita certum, ut ſine temeritate, vel errore negari non poſſit.* Sed præ cæteris hanc opinionem celebrem, plurimiſque *ἀναπόδεικτον* reddiderunt duo Theologiæ Scholaſticæ clariſſima, & famoſiſſima lumina, Franciſcus Suarez, & Gabriel Vaſquez, quos innumeri nunc ſequuntur Theologi, quamvis qui diſſentiant nec numero, nec auctoritate nec doctrina contemnendi ſint.

III. Melchioris Cani hac in cauſa Diſcipuli, nec inter ſe, nec cum Magiſtro planè conſentiunt. Attritionem iſtam dupliciter diſtinguit Canus, vel reſpectu objecti, vel reſpectu gradus. Objectum eſt triplex, vel pœnæ ſpiritales, vel temporales, val amor Dei ſuper omnia naturaliter elicitus. Primum objectum aſſerit cum Sacramento ſufficere. De ſecundo id omnino negat: Tertium verò ſufficere ait eſſe probabile. At plerique diſcipuli tertium cum Sacramento ſufficere planè negant; Secundum autem diſtinguunt. Pœnæ illæ ſi motivo ſupernaturali conſiderentur, ut à Deo inflictæ, ut pœnæ æternæ initium, &c. Sufficiunt cum Sacramento ad juſtificationem, aliàs minimè. Sed omnes uno conſenſu in primum objectum conſpirant. Reſpectu gradus Attritionem diſtinguit in remiſſam, & intenſam. Remiſſam negat ſufficere. Sed cautionem addit, quam diſcipuli omnino improbant; Scilicet, Quòd ſi quis crederet remiſſum dolorem, remiſſum amorem naturalem, ſolam temporalium pœnarum formidinem ſufficere, contrariumque invincibiliter ignoraret, per has imperfectas Attritiones virtute Sacramenti nihilo ſecius juſtificaretur. Eſt octava ſententia, quæ ita de Attritione ratiocinatur, ut quarta de Contritione: Nempè non modo Attritionem cognitam cum Sacramento ad Juſtificationem ſufficere, verùm etiam Attritionem putatam, licèt talis non ſit, idem cum Sacramento præſtare quòd vera Attritio. Video hodiernos Doctores hanc ſententiam paſſim refutare. Ut nunc tamen ſunt homines, periculum eſt, ne tandem apud multos obtineat, ſi celebris aliquis Doctor illius defenſionem ſemel amplectatur. Homines enim ut plurimùm in cauſa relaxationis diſciplinæ, & ſeveritatis morum minuendæ ita comparati ſunt, ut qua data porta ſtatim ruant.

IV. Enarrata iſta ſententia, & demonſtratis illius originis, & propagationis auctoribus, monita è viris doctiſſimis, & pietate inſignibus excerpta, quæ initio capitis polliciti ſumus, nunc Lectoribus tradenda ſunt. Sed anteà explicandum nobis videtur id, cujus occaſione Lectores ſuos commoneſecerunt. Sententia iſta videtur neceſſariò ſibi ſupponere velut fundamentum hanc doctrinam. Poſſe hominem ſolo habitu gratiæ ſine ullo dilectionis Dei motu in hac vita non modo juſtificari, ſed etiam reapſe in cœlum recipi. Nam cùm Attritionis iſtius objectum ſit ſola pœnæ formido, & iſtud objectum à quocunque alio, & potiſſimùm à dilectione Dei, iſtius ſententiæ auctores, & Philoſophicè, & doctiſſimè diſtinguant, & velut ſpecie differentia à ſeinvicem dividant, hocque objectum ſic ſolitariè conſideratum, omnique dilectione Dei nudatum ſufficiat, ut Sacramentum ita Pœnitenti habitum gratiæ ſalutaris ingeneret, manifeſtum eſt, dilectionem Dei ſequi Pœnitentis juſtificationem, nec cum ea ullo neceſſitatis vinculo cohærere. Certum eſt enim, & apud omnes exploratum, actionem humanam neceſſariò habitum non ſequi; ſed eſſe in pura puta voluntatis poteſtate, ut habitu ad agendum utatur quando, & quomodo voluerit. Hoc quanquam per ſe manifeſtiſſimum ſit, manifeſtius tamen redditur altero eorundem auctorum effato, quo non modò aſſerunt, Pœnitentem ſic diſpoſitum non opus habere cùm abſolvitur, & gratiæ habitus in eo infunditur, animi in Deum motu, ſed in alia ad rem non pertinentia evagari poſſe, modò non mortaliter, verumetiam illam animi in Deum attentionem neceſſariam aſſerentes, ut abſurda, & ridicula proponentes explodunt.

V. Ex iſto juſtificationis modo conſequi probabiliter videtur, homines adultos, qui per actus proprios ſeſe à Deo averterunt, juſtificari tantùm habitualiter more infantium, ſine converſione ad Deum. Qui enim Deum actu audit, non videtur converſus, niſi actu amaverit. Infantibus equidem habitualis juſtificatio ſufficit. Qui enim per alienam tantùm voluntatem à Deo averſi ſunt, neceſſe nullomodo eſt ad ſui juſtificationem, ut per propriam voluntatem ad Deum convertantur. Sanè Dominicus Sotus, qui ſeriò, & ſæpè hanc animi præparationem ad juſtificationem per Sacramentum conſequendam ſpeculatus eſt, modò negat eſſe veram converſionem, modò negat abſolutè converſionem eſſe. *In 4. diſt. 17. q. 2. art. 5. Si enim eſt Attritia ex parte objecti nempè dolor propter pœnas inferni, neutiquam ſufficere poteſt ſine Sacramento, cùm non ſit vera converſio in Deum.* Diſtinctione autem 18. *q. 3. artic. 2. ad finem, Qui non ſe accuſat offendiſſe Deum, non ſe legitimè coram Deo accuſat. Ergo ut pectus ori fideliter conſonet, requiritur deteſtatio peccati quatenus eſt offenſa Dei, ſaltem ſecundùm judicium Pœnitentis. Secundò Sacramentum Pœnitentiæ eſt eorum, qui cum per proprium actum, & voluntatem averſi ſunt à Deo, eadem voluntate in ipſum convertuntur. At verò qui peccati quatenus offenſa Dei eſt, non pœnitet, certè non convertitur. Nam ad amicitiam reſarciendam requiritur Pœnitentia offenſæ Amico illatæ, &c. Reverà enim qui mihi diceret non ſe pœnitere propter Deum, abſolvere non auderem.* Idem docuerat *diſt. 17. q. 2. initio artic. 6.* Ex qua doctrina, de præcepto Confeſſionis colligit præceptum Contritionis.

VI. Idem erat ſenſus Andreæ Vegæ, alterum cum Soto eo tempore Theologiæ Scholaſticæ lumen *lib. 3. cap. 20.* Agit contra quoſdam Scholaſticos, qui docent nullum eſſe datum hominibus Pœnitentiæ præceptum. Ille verò non modo hoc improbat, verumetiam contendit, eos, qui extraordinario modo ante Pœnitentiam juſtificati ſunt, vel per dilectionem ferventem, vel per religioſam aliquam Chriſti Confeſſionem, vel alio modo, ad Pœnitentiam agendam poſteà teneri; Multò ſanè magis qui poſt ingentia crimina, nulla præeunte Dei dilectione, nulla publica Chriſti Confeſſione præcedente, ſed ſola inferorum terrore aſtricti per Sacramentum habitualiter tantùm juſtificati ſunt. Hujus obligationis ratio maximè attendenda eſt. *Oportet quippe reſcindere, & involuntaria facere, quæ dum fuimus in peccato, malè placuerunt. Et argumentum hujus rei eſt, quod juſtificati per Sacramentum baptiſmi, vel pœnitentiæ cum ſolo dolore ſuorum peccatorum ob metu inferni, tenerentur poſteà de illis dolere quia offenſæ fuerunt Dei, ſi hoc eis conſtaret quod nunquam ea ratione de illis doluerint.* Ad veram in Deum animi converſionem cenſet, neceſſariam eſſe operum malè perpetratorum formalem retractationem, reſciſſionem, abnegationem. Idem docet Victoria in Summula *n.* 119. Multis quoque id contendit Iſambertus *diſp. 14. de Pœnit. art. 11. num. 5.* & iſtius doctrinæ fundamentum ſexcentis immò innumeris locis jacere videtur Sanctus Auguſtinus.

VII Hæc, & ſimilia, ut mihi videtur, animo recogitantes Doctores nonnulli graviſſimi, & celeberrimi, operæ pretium aliquod ſe facturos judicarunt, ſi monitis ſuis incommodo explicato occurrerent: Operam quoque meam Lectori non fortè inutilem mihi facilè perſuaſi, ſi monita illa exſcriberem, & præcedentibus adtexerem. Nonnulli alii, viri quoque graves, & celebres, hoc incommodum judicarunt commodum, & doctrinam veram, & piam veritati Catholicæ conformem, ſcilicet, juſtificatum ſemel in Sacramento per Attritionem ex ſola pœnæ formidine conceptam, non teneri ampliùs ex animo dilectionem Dei elicere, habitum gratiæ per Sacramentum ſic diſpoſito infuſum illi ſufficere. Monita illa potiſſima duorum ſunt generum. Quædam enim formalem Contritionem, & Dei dilectionem ſpectant. Exiſtimant enim Contritionis, & dilectionis Dei præceptum eſſe divinum, cui ſaltem ſemel quandiù vivimus poſt peccatum commiſſum, eſt obtemperandum. Antiqui Scholaſtici omnes ad annum uſque 1500. ut Patres prætercam, longè copioſius, liberaliùs, & magnificentiùs de obligatione dilectionis divinæ ſtatuerunt, ut vel ex ipſis recentioribus colligitur, dum eos refutant. Sed in hæc inquirere non eſt hujus loci. Non exiſtimant Doctores illi huic præcepto ſatisfieri per Attritionem ex ſola pœnæ formidine conceptam, & Sacramento conjunctam; eo quòd motus ille animi Sacramento non afficiatur, ſed intrinſecùs, & formaliter perſeveret, qualis ante Sacramentum erat.

VIII. Hæc quæſtio planè nova eſt, & omnibus Scholaſticis ante hoc ſeculum incognita, ut rectè adnotavit Alexander Peſantius, videlicet, An Attritio ex ſola formidine pœnæ concepta, & Sacramento conjuncta dilectionem Dei ſuppleat, ita ut hoc modo habitualiter juſtificatus, dilectionem illam ſalutis obtinendæ cauſa elicere nullo unquam temporis momento teneatur. Melchior Canus primus hanc

Digitized by Google

quæſtionem excivit, & eum propria formula propoſuit. Dominicus Soto, & Andreas Vega eam paulò ante ſubobſcurè attigerant, & indicaverant. Ea enim eſt appendix quædam quartæ ſententiæ à nobis capite præcedente explicatæ; ſed ſeptimæ fœtus, & propago. Nunc autem & ab aliquot annis Scholas omnes pervaſit. Alterum Monitorum genus dubiam ſpectat, & ancipitem ſic juſtificati ſalutem. Nondum enim omnino certum eſt, & exploratum, Attritionem illam cum Sacramento ad impii juſtificationem ſufficere, cùm hactenus nullo Eccleſiæ decreto hoc declaratum fuerit: Huic monito affine alterum conjungunt, quod etiam illius cauſa dici poteſt: Novitatem videlicet iſtius axiomatis, Attritus per Sacramentum fit contritus. Monita illa Doctores enarrando permiſcent. Nunc primùm cum hoc tertio potiſſimùm referemus. Aliud poſteriore loco conſideramus. Ita hæc facilioris doctrinæ cauſa diſtinguimus. Quod ad rem ipſam attinet, nihil intereſt, conjunctim, aut ſeparatim iſta tradantur.

IX. Quanquam Dominici Soti, & aliorum ſententia quam capite præcedente loco quarto explicavimus, longè differat ab hac ſeptima, utpote quæ ad Contritionem, & dilectionem Dei seriò Pœnitentem exhortetur, profiteaturque Pœnitentem jure ad Sacramentum non accedere, niſi poſt diligens ſui examen bona fide credat ſe contritum; Sacerdotem pariter jure Pœnitentem non abſolvere, niſi probabiliter eum crediderit contritum: Attamen ſententiam illam diligenter monet non eſſe certitudinem fidei, ſed Doctorum opinionem, *in 4. diſt. 17. q. 2, art. 5. in fine § Secundò, & diſtinct. 18. q. 3. in fine art. 2. Doctrina hæc de Attritione, quæ in Sacramento fit Contritio, licèt ſit vera, non eſt tamen ita multùm vetus. Patres enim antiqui ſolam Contritionem agnoſcebant neceſſariam ad Confeſſionem. Reverà eum, qui mihi diceret, non ſe pœnitere propter Deum, abſolvere non auderem.* Si hoc verè dixit Sotus de ſententia ſua, multò magis id aſſerendum videtur de ſeptima, quam hoc capite explicavimus. Deinde quicunque hanc ſententiam amplectuntur, in eo conveniunt, ut aſſerant, eum, qui poſt Sacramenti ſuſceptionem quoquomodo reſciret, ſe contritione deſtitutum fuiſſe, cùm illud ſuſciperet, ſtatim ad Contritionem eliciendam teneri, ut juſtificationem conſequatur. Quapropter incommodum, quod ſeptimæ ſententiæ auctores in ſua deprehendunt, & de quo nunc agimus, vix in quarta ſedem habet. Poſterius Soti teſtimonium alia in cauſa retulimus *lib. 1. cap. 18.* & difficultatem, qua laborat adnotavimus.

X. Franciſcus Suarez idem monitum tradit, & cum primo conjungit, multiſque rationibus cognitu, ut mihi videtur planè neceſſariis. Sic ille *tom. 4. in 3. part. q. 90. art. 4. diſput. 15. ſect. 4. n. 17. Licet ſit probabilis opinio Attritionem cognitam cum Sacramento ſufficere ad juſtificationem, tamen non eſt certa, & poteſt eſſe falſa. Quòd ſi fortaſſe in re ita eſt, probabilis iſta exiſtimatio non ſufficit ut homo ſalvetur. Ergo qui ſciens, & videns, ita ſe mori permittit voluntariè, exponit ſe periculo morali æternæ damnationis. Nam ubi eſt morale dubium, eſt morale periculum, præſertim in re tam gravi. Hic autem eſt morale dubium, cùm illa opinio nec valde antiqua ſit, nec multùm communis. Neque hìc habet locum diſtinctio de dubio practico, vel ſpeculativo. Nam quando eſt dubium de reipſa, ſeu effectu, an fiat necne, tam dubium ſpeculativum quàm practicum ſufficit ad rem ipſam in periculo conſtituendam. Videtur autem profectò charitas obligare hominem, ne ſit adeò negligens ſuæ ſalutis æternæ, ut eam tanto periculo exponat. Ergo obligat illum ad faciendum quod in ſe, & conandum ad habendum Contritionem.* Poſteà nonnulla argumenta contra hanc ſententiam ſibi obiicit, tandemque poſita ſpecie Pœnitentis qui bene novit ſe cum Attritione peccata ſua confeſſum eſſe, & ab iis deinde abſolutum, ſeque juxta probabilem opinionem ſatisfeciſſe quantum debuit, neque ad plura teneri, ſubdit, *nu. 10. Nihilominus verò exiſtimo tam ex charitate Dei quàm propria teneri ejuſmodi hominem majorem diſpoſitionem procurare ad æternam ſalutem conſequendam, graviterque peccare, ſi voluntariè ita ſe mori ſinat. Nam imprimis tenetur homo diligere Deum ſuper omnia, priuſquam moriatur; quia, ut dixi, actus per ſe neceſſarius eſt, & non tantùm ratione peccati. Nec ſatis eſt, quòd talis homo prius aliquando in vita Deum ſuper omnia dilexerit; tum quia hoc præceptum non tantùm ſemel obligat, ſed etiam ſæpius; & tempus maximè neceſſarium eſt articulus mortis; tum etiam quia poſtquam homo priorem dilectionem per ſubſequens peccatum mortale virtualiter retractavit, tenetur denuò illum diligere, & ſe, & omnia in eum referre, non ſecus ac ſi denuò procreatus eſſet. Hæc ergo obligatio cum ſit per ſe, & intrinſeca charitati, etiam nunc manet.* Addit paulò poſt, quæ mihi non videntur hic omittenda. *At verò ſi quis voluntariè talem actum omitteret, ex hac parte contra charitatem Dei ageret, & omittendo etiam Contritionem, contra propriam charitatem ſeu miſericordiam quàm circa ſeipſum exercere tenetur, etiam ſpecialiter peccaret propter rationem factam, quæ apud nos efficaciſſima eſt.* Similia in eandem ſententiam leguntur ſectione 6.

XI. Sanchez *parte 1. Summæ caſuum conſcientiæ, lib. 1. cap. 9. n. 34.* rectè diſtinguit inter miniſtrantem Sacramentum, & recipientem: Miniſtrantem ex ſententia probabili Abſolutionem dare poſſe ei, quem cognoverit eſſe tantùm attritum, *Quia*, inquit, *dolor eſt requiſitus non ex parte miniſtri, ſed ex parte ipſius Pœnitentis. Quare ſi ipſi vult accedere cum ſola Attritione cognita, cùm contritus accedere valeat, non ſit contra charitatem ei debitam, ſi ei hoc pacto diſpoſito conferatur Abſolutio.* Sed velim ponderet Lector, & animo condat cautionem quam ſtatim huic ſententiæ adhibet: *Hoc tamen intelligerem, niſi Pœnitens in mortis eſſet articulo, atque habere poſſet Contritionem. Tunc enim eſſet mortale, & recipere, & ei Sacramentum Pœnitentiæ cum ſola Attritione cognita miniſtrare, propter grave damnationis æternæ periculum, cui ille exponeretur, ſi fortè hæc ſententia non eſſet vera. Cùm tamen gratia Dei adjutus poſſit ſecurum Contritionis remedium aſſequi.* Sanè multò magis imminet periculum Sacramentum ſuſcipienti quàm miniſtranti.

XII. Gregorius de Valentia *tom. 4. diſput. 7. de Pœnit. q. 8. puncto 4.* graviter adverſus Canum inſurgit, qui Contritionis præcepto cum eo obligamur ſatisfieri ſcripſerat, dum Attritus quis Sacramentum Pœnitentiæ ſuſcipit, *Quod certè dum hic auctor aſſerit, funditùs ipſe videtur evertere præceptum Contritionis, id eſt, actus veræ, ac legitimæ virtutis Pœnitentiæ, quod tamen ibi antea confirmaverat. Si enim hujus virtutis actus, tanquam actus nimirum cujuſdam virtutis peculiaris ſpeciali præcepto, & determinatè imperatus eſt, ut puncto 3. ſub finem probavi: certè neceſſe eſt, ut in aliquibus caſibus, cujuſmodi ſunt illi tres ſupradicti, per ſe ipſe ſit ex præcepto eo neceſſarius, ut ſunt actus aliarum virtutum, qui ſpecialibus præceptis imperati ſunt. Quare non ſatisfieret illi præcepto ſi alius quidam diverſus actus exerceatur, cujuſmodi eſt uſus Sacramenti cum ſola Attritione.* Hæc pluribus perſequitur, quæ Lector eo loco videre poteſt. Utramque ſententiam probabilem cenſet Tannerus, *diſput. 6. de Pœnit. q. 6. dub. 3. n. 66. & ſequentibus*: Probabiliorem tamen judicavit Suaris & Gregorii ſententiam.

XIII. Paulus Comitolus ejuſdem Societatis Theologus eodem fundamento fretus in reſponſis moralibus *lib. 1. q. 32* Pœnitentes cùm confitentur ad Contritionem ſeriò, & diligenter eſſe hortandos admonet; atque in hoc ſcribit Sacerdotis munus potiſſimum conſiſtere. *Plures, magnique Theologi in Pœnitente antequam abſolvatur, contritionem veram charitate formatam requirunt. Neque uſque adeo certum eſt, Attritionem Pœnitenti eſſe ſatis. Quocirca Sacerdotis partes præcipuæ eſſe debent veræ Contritionis motum in corde Pœnitentis auxiliante Deo elicere, ardentique cum cohortatione urgere, ut propter Deum peccata admiſſa execretur omnia, velitque in poſterùm cuncta vitare, præteritorumque flagitiorum quantum maximum poteſt doloris ſenſum capiat; eundemque hoc modo affectum, tunc demum fidenter abſolvat, cùm ab eo Confeſſionem expreſſerit propter Deum dolere ſe de peccatis, & propter Deum illa ſe in reliqua vita oſurum.* Non negat tamen abſolvi poſſe, licèt ſolam Attritionem ex formidine pœnæ conceptam demonſtrent.

XIV. Philippus Gamachæus *tom. 3. Summæ Theologiæ cap. 8. de Pœnitentia*, negat in eadem periculi hypotheſi Attritionem cum Sacramento ſufficere. Nam, inquit, *Jure divino naturali tenetur homo diligentiſſimè ſibi tunc conſulere, nihilque prætermittere ad ſalutis certitudinem, & ſecuritatem ſpectans, &c. quia etiamſi agnoſcamus Sacramentum Pœnitentiæ reverà facere ex Attritis Contritos, non tamen id omnino indubitatum, neque ex profeſſo ab Eccleſia definitum tanquam de fide, & ab aliis aliter explicatur.* Aliam, & optimam rationem reddit, quòd ſcilicet nemo de Attritione ſua ſecurus eſſe poſſit: *Ergo debet tunc conari ad veram Contritionem, ut hoc modo Attritio ſaltem evadat certior, & procurando perfectam Pœnitentiam, obtineatur ſaltem imperfecta.* Eadem ratione uſus eſt loco jam citato Gregorius de Valentia. Sanè ſi quis depoſito tantiſper partium ſtudio rem, ut eſt, tranquillo animo conſideret, id quod veriſſimum eſt, & maximè neceſſarium animadvertet Gamachæum conſulere, immò conſulere, id quod filiis Parentes conſulunt, Magiſtri diſcipulis, ſenes juvenibus, Amici Amicis unicuique natura, Scitum eſt iſtud Græcorum proverbium, ἄκρον λάβε, ϗ μέσον ἕξεις. Summum cape, & medium conſequeris. Qui vult aſſequi mediocria, ad ſumma tendere debet. Sanè quotidie experientia diſcimus, eos, qui ad medio-

cria

cria tantùm aſpirant, ferè ſemper infra mediocria ſubſiſtere. Sic qui virgam è curva rectam efficiunt, in aliud latus incurvant: Mercatores ut emptorem ad æquum pretium alliciant, æquo amplius petunt: litigantes ut à Judice, quæ indubiè ſua ſunt, adjudicentur, etiam dubia poſtulant, unde vulgò dicitur, iniquum pete, ut æquum feras. Sic viri omnes cordati, cùm nulla animi ægritudine perturbantur, iiſque tantum dominatur veritatis amor, non præpoſterum Adverſarios vincendi, & traducendi ſtudium, & facere, & loqui ſolent, alioſque, & facere, & loqui docent.

XV. Eo ſaltem reſpexiſſe videtur Rituale Romanum Pauli V. juſſu editum, cùm Confeſſorem jubet audita Confeſſione, & perpenſis peccatis, *Opportunas correptiones, ac monitiones, prout opus eſſe viderit, paterna charitate adhibere, & ad dolorem, & contritionem efficacibus verbis adducere conari, atque ad vitam emendandam, ac melius inſtituendam inducere, remediaque peccatorum tradere*. Ita planè ut Sotus, & antiquiores plerique Scholaſtici, vult Rituale Confitentem ſupra debilem Attritionis diſpoſitione à Sacerdote quantum efficaciter poteſt, evehi, & tolli, ut poſteà ſecurè peccatorum Abſolutionem impertiat. Aliter tamen viſum eſt eximio Theologo, & de Eccleſia adverſus Hæreticos benemerito Gregorio de Valentia *tom. 4. diſput. 7. q. 8. de Contritione, puncto 4. §. Secundò poteſt*, ubi ſententiam Soti, & Navarri de contritione putata refutat. *Contritio*, inquit, *in reipſa non eſt neceſſaria ad effectum primarium ejuſmodi Sacramentorum percipiendum: Immò obſtat potius, quominus ille ſequatur. Igitur abſurdum eſſet præceptum, quod Contritionem ad eam rem requireret, ut convenienter, & fructuosè iſta Sacramenta ſuſcipiantur. Quemadmodum abſurdè certè faceret Medicus, qui ægroto præciperet, ut non ſuſciperet medicamentum, niſi prius conatus eſſet abſque medicamento morbum depellere*. Ex hac doctrina duo conſequuntur. Prius, perperam, aut ſaltem præpoſterè Confeſſorem hortari Pœnitentem ſuum ad Contritionem: Contritio enim ex Gregorii ſententia eſt impedimento effectibus Sacramentorum Baptiſmi, & Pœnitentiæ, & abſurdè requiritur. Poſterius, ad idem præpoſterè conari Pœnitentem. Unde ille ſtatim poſt verba citata colligit adverſus alios Doctores, *Quod ſi ad rectè ſuſcipiendum hæc Sacramenta non requiritur conatus ad Contritionem, conſequens eſt, ut neque ad id requiratur opinio*. Ideo his poſitis benè colligit eadem quæſtione puncto 3. §. *Quartò accedit*, ſi requireretur contritio in ſuſceptione Sacramenti, non modò nullum ex eo fructum fideles reportaturos; verumetiam iis Sacramentum detrimento fore: *Niſi aliquando contingeret, ut ſine vera Contritione in re Sacramentum conferret gratiam, exiguum admodum, vel potius nullam beneficium fuiſſet, quod Chriſtus inſtituerit, contuleritque Eccleſiæ auctoritatem remittendi peccata per poteſtatem clavium regni cœlorum: immò fuiſſet id potius quoddam quaſi onus, & detrimentum fidelium*. Itaque ex Gregorii ſententia cùm Sacerdos ſibi confitentem ad Contritionem efficaciter hortatur, & Confitenti damnum infert, & Sacramento injuriam facit, & Sacerdotio auctoritatem detrahit.

XVI. Alterum moniti genus ſpectat certam ſalutis rationem, quam quiſque tenetur pro viribus ſibi procurare, & procuratam, dubiis valere juſſis, quoad fieri poteſt, amplecti. Antequam illa monita enarrem, doctrinæ, cui innituntur, fundamentum è S. Auguſtino, nonnulliſque aliis probatiſſimis Auctoribus aperiam. Sanctus Auguſtinus *lib. 1. de baptiſmo contra Donatiſtas, c. 3.* ſpeciem hanc ponit. Quidam Donatiſta ad Catholicos redire meditatur: Jam fatetur ſe certum eſſe baptiſmum in Eccleſia Catholica rectè ſuſcipi; ſed dubitat, an rectè apud Donatiſtas ſuſcipiatur. Quid Auguſtinus ad hanc ſpeciem ſibi propoſitam? *Si dubium haberet, non illic rectè accipi, quod in Catholica rectè accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolo quod certis incerta præponeret*. Et *cap. 5.* fuſiùs iſta perſequens, *Accipere itaque in parte Donati, ſi incertum eſt eſſe peccatum, Quis dubitet certum eſſe peccatum non ibi potius accipere, ubi certum eſt non eſſe peccatum?* Aliam caſus ſpeciem perſequitur Auguſtinus, quæ à ſcopo noſtro non videtur abhorrere. Non agitur amplius de homine dubitante, an baptiſmus apud Donatiſtas rectè ſuſcipiatur, ſed de eo, qui hoc ignorat, & nullo cum conſcientiæ ſcrupulo illum apud eos ſuſcipit. Quid de hoc homine definit, & quomodo illum cum priore comparat: *Illi verò qui per ignorantiam ibi baptizantur, arbitrantes ipſam eſſe Eccleſiam Chriſti, in iſtorum quidem comparatione minus peccant, ſacrilegio tamen Schiſmatis vulnerantur: non ideò non graviter, quod alii graviùs*. Itaque graviùs peccat, qui in rebus ad ſalutem pertinentibus incerta certis præponit, quàm qui idem facit, incertum eſſe ignorans. Uterque tamen graviter peccat. Idem argumentum perſequitur S. Auguſtinus in alia peccati ſpecie *lib. de fide, & bonis operibus cap. 19.* ubi tandem ſic colligit: *Quamobrem quæ manifeſta ſunt impudicitiæ crimina, omnimodo à baptiſmo prohibenda ſunt, niſi mutatione voluntatis, & Pœnitentia corrigantur. Quæ autem dubia, omnimodo conandum eſt, ne fiant tales conjunctiones. Quid enim opus eſt in tantum diſcrimen ambiguitatis caput mittere?* Hanc Sancti Auguſtini piam, & ſalutarem admonitionem ſtrictè amplectuntur quartæ ſententiæ auctores, ut non ſemel ex Soto docuimus. Quid verò cenſet Auguſtinus, ſi conjunctiones illę factę fuerint? *Neſcio utrùm ii, qui fecerint, ſimiliter ad baptiſmum non debere videantur admitti*. Quia dubium eſt, an matrimonia illa ſint legitima, contrahi nullomodo permittit. Facta verò ſi fuerint, dubitat an homines ejuſmodi ſint ad baptiſmum admittendi.

XVII. Idem S. Thomas multis docet *quodlibeto, 8. q. 13.* in cauſa multò minoris momenti. An ſcilicet contra Magiſtrorum ſententiam quis poſſet plures præbendas poſſidere. Quia hæc ſententia aut vera eſt, aut falſa. Si vera eſt, & falſam credit, contra legem agit, & peccat. Si falſa, & veram credit, iterum peccat, quia agit contra conſcientiam, licèt non contra legem. Si falſam non credit, *Sed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum: Et ſic ſi manente tali dubitatione plures Præbendas habet, periculo ſe committit, & ſic procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem*. Sic Doctores prope omnes. Sylveſter, *verbo Dubium. n. 4.* quærit quomodo ſit intelligenda iſta regula deſumpta *ex decretali de Sponſal. C. Juvenis, In dubiis tutior pars eſt eligenda*, ubi inquit, dicit Gloſſa, *Quod in his quæ dubia ſunt, quod certius æſtimamus tenere debemus*. Regulam expreſſius Sylveſter interpretatur de dubio probabili, quia *Secundùm Archidiaconum peccatum grave eſt tali in dubio ſe exponere, ubi eſt mortale. Et ſecundum* Panormit. *in dicto C. Juvenis. In dubiis ſcilicet probabilibus, ubi verſatur periculum animæ, ſemper tutior pars eſt eligenda, & quod tutius eſt tenendum, & quod ſine dubio explicari poteſt*. Rectè equidem hoc axioma reſtringit ad dubia probabilia, quæ videlicet ratione aliqua gravi, vel multiplici gravium Doctorum auctoritate nituntur. Nam ſcrupuloſa dubia, levia, aut quæ Doctor unus, aut alter ſecus quàm alii docens commovet, niſi forſan graviſſima, & evidenti aliqua ratione ſtabiliantur, flocci facienda ſunt. Sic Angelus *V. dubium*, Cajetanus *in Summa V. Periculum*. Armilla eodem verbo, Navarrus in Manuali *c. 14. n. 26. & in C. ſi quis autem, de Pœnit. diſt. 7. n. 57. & 81.*

XVIII. Sic ſemper occaſione data Pontificum leges decernunt, *cap. ad Audientiam, & cap. Significaſti, de Homicidio, & cap.* Juvenis de Sponſalibus. Ab uno exemplo omnia diſcet Lector. *Capite ad audientiam* hic caſus Clementi III. proponitur, Presbyter iratus ſervum cingulo, cui vagina cum cultello adhærebat, caſtigat: cultellus è vagina elapſus ſervum in dorſo ferit. Vulneratus aliquandiù poſt à vulnere convaleſcit. Poſtmodùm graviore infirmitate percuſſus decumbit, & moritur. Interrogatur Pontifex, an Presbyter ille cenſendus ſit irregularis. En Pontificis reſponſum, & reſponſi cauſam. *Quia verò utrùm occaſione vulneris deceſſiſſet, dubium habetur, tuæ diſcretioni duximus reſpondendum, quòd cùm in dubio ſemitam debeamus eligere tutiorem, te convenit injungere Presbytero memorato, ut in ſacris ordinibus non miniſtret, & eidem injuncta Pœnitentia congruenti, ſibi poteris concedere, ut minoribus ordinibus ſit contentus*. Quanto magis hoc axioma rigidè obſervandum eſt, quando dubium eſt an actione noſtra divina lex violetur, aut electione noſtra ſalus æterna in nobis periclitetur? Nunc ad ea quæ propius rem noſtram, hoc eſt, Sacramenta, & præſertim Sacramentum Pœnitentiæ, novamque illam Scholarum quæſtionem ſpectant, accedamus.

XIX. Franciſcus Suarez *tract. 3. ad primam ſecundæ, diſputat. 12. ſect. 6. n. 10.* prudenter mihi videtur circumſcribere caſus, in quibus neceſſe, & opinionem certam præferre probabili, & probabiliorem minus probabili. Mihi enim videtur certum, & evidens aliquando probabilia certis præferri poſſe. Quibus igitur judiciis, & argumentis hoc dignoſcemus? *Quando ſcilicet*, inquit Suarez, *ex juſtitia vel charitate tenemur vitare damnum, vel incommodum, quod in reipſa ſubeſt, vel periculum ejus. Sumitur aſſertio ex* D. Thoma *in 4. diſt. 28.* Paludan. *diſt. 36. q. 2. art. 3.* Adrian. *quod lib. 2. & q. 5. de Confeſſione dub. 7.* Victoria *relectione de jure belli*, Soto *3. de juſtitia, q. 62. art. 3.* Navarro, *cap. Si quis autem de Pœnit. diſt. 7. n. 47. & 75.* Corduba *q. 5. & Summiſtis verb. Opinio: Declaraturque exemplis. Nam Medicus ſine dubio tenetur præferre certam Medicinam dubiæ, & ſic de aliis. Hìc enim maximè*

verum habet illud Auguſtini lib. 50. homil. in 41. & de Pœnitentia diſt. 7. c. 4. Tene certum, & dimitte incertum. Ratio verò eſt, quia, ut ſupponitur, homo tenetur vitare illud damnum, vel procurare talem utilitatem, aut efficere validum Sacramentum, vel quid ejuſmodi. Ergo tenetur vitare periculum, quia hoc perinde eſt in moralibus. Sed ſi omittit viam certam ſecuriorem, non vitat periculum, nam illud ſemper in re manet, quidquid ſit de probabilitate opinionis.

XX. Gabriel Vaſquez in 1. 2. *quæſt. 19. art. 6. diſput. 63.* hanc quæſtionem multis agitat, An liceat uti opinione probabili in adminiſtratione Sacramentorum. Primùm ille in Sacramentis diſtinguit duplicem obligationem; unam ratione religionis erga Sacramentum, alteram ratione charitatis erga proximum. Deinde cenſet de priori parte, niſi obſtet Eccleſiæ uſus, & conſuetudo recepta, licitum eſſe Sacramentum adminiſtrare juxta opinionem probabilem, atque etiam minus tutam, & cum periculo irritum efficiendi Sacramentum conjunctam. Probabilius hoc negare videntur, niſi urgeat neceſſitas, Scotus, Petrus Soto, & alii, contra quos diſputant. Ita enim cenſuerunt Sancti Patres, & urgente neceſſitate ſæpe uſurpantur, ut ex ipſorum praxi in Sacramento Pœnitentiæ ſæpius hoc opere oſtenſum eſt. Probabilis enim ſalus Pœnitentis Sacerdoti præferenda eſt probabili Sacramentorum profanationi: Salus enim populi ſuprema lex eſt, & propter populi ſalutem inſtituta ſunt Sacramenta. Ideò concurrente utraque probabilitate, ſalutis procurandæ probabilitas, alia valere juſſa, eligenda eſt.

XXI. De obligatione autem ad Sacramentum ratione charitatis in proximum ita ſtatuit: *In hoc caſu exiſtimo, neminem ſatisfacere huic obligationi charitatis, ſi ſequatur opinionem probabilem, immò etiam probabiliorem minus tutam, cùm poteſt tutam eligere, & ſequi.* Poſtquam multis rationibus hanc aſſertionem probavit, ſibi obiicit, *Si hæc doctrina vera eſſet, ſequeretur non poſſe Pœnitentem aliquem abſolvi cum ſola Attritione cognita ab ipſo Pœnitente, & Confeſſario: Sic enim non adhiberetur ei remedium ſine periculo, ſed remedium quod adhuc in opinione poſitum eſt.* Attende nunc Lector, quid reſpondeat. Diſtinguit inter ea, quæ pendent à Sacerdote, ut Sacramentum ſit integrum, & ea quæ pendent à recipientibus Sacramentum. Statuit igitur in caſu objecto Pœnitentem abſolvi poſſe juxta probabilem opinionem, *Nam*, inquit, *doctrina in hoc capite tradita de ſequenda tutiori opinione propter obligationem charitatis, & miſericordiæ, intelligenda eſt ex parte eorum, quæ adhibet ex ſe Miniſter Sacramenti, ut ea ſint certa, & ſine ullo periculo irre. At verò dolor eſt aliquid requiſitum ad Sacramentum ex parte ipſius, qui recipit Sacramentum.* Verùm ratum, fixumque apud omnes eſſe facilè crederem, non minorem eſſe recipientis obligationem ratione charitatis erga ſeipſum ad providendum ſibi per Sacramenta ſalutis æternæ remedium, quàm adminiſtrantis. Quum igitur charitas, qua adminiſtrans Sacramentum obligatur erga proximum, non permittat eum in iis quæ à ſe dependent probabiliter operari, cum poteſt certò, & tutò: Eadem ſaltem erit ratio recipientis in iis, quæ ab ipſo poſtulantur, ut Sacramentum ſit illi fructuoſum, non autem damnationis argumentum.

XXII. Deinde eadem Vaſquis ratio probare videtur evidentiſſimè, quod ſupra vidimus, Suarem, Sanchem, & alios aſſerere, Pœnitentem à Sacerdote admonendum eſſe, ut viam tutiſſimam eligat, antequam probabiliter diſpoſito Abſolutionem concedat. Eſt enim Sacerdos Pœnitentis Pater, Paſtor, & Medicus. Quid in eadem actionis circumſtantia facerent Pater filio, Paſtor ovi, Medicus ægroto? vel quid illis faciendum eſſe natura docet, ut apud Deum, hominèſque, officio functi dicantur? Si tamen officio perfectè fungi nolunt Pœnitentes, ſuo, ut docet Vaſquez, fungetur Sacerdos. Totius hujus rei rationem, & fundamentum aperit ibid. Vaſquez *a. 6. Qui ad Sacramentum accedit cum ſola Attritione ſcita, licèt non ſe exponat periculo efficiendi irritum Sacramentum, exponit tamen ſe periculo fruſtrandi Sacramentum effectu ſuo, in quo non minor eſt irreverentia contra religionem, quàm in efficiendo ipſum Sacramentum irritum defectu partis eſſentialis.*

XXIII. Martinus Becanus ejuſdem Societatis Theologus celeberrimus *Summa Theologiæ part. 2. tract. 1. cap. 4. num. 11.* Sic in ſpecie noſtra decernit, *Fateor tutius eſſe cum contritione accedere ad Confeſſionem; ac proinde eum, qui ſcit ſe non eſſe contritum, ſed tantùm attritum, cautiùs facturum, ſi conetur in ſe excitare Contritionem.* Multò magis id conſuleret in evidenti mortis periculo. Sed notabit Lector principia, quibus nititur Becanus, longè plura evidenter inferre, quàm ipſe colligat. Illa referemus: *Quando duæ ſunt opiniones probabiles circa facti naturam, conditionem, aut modum, ſive ſint æquè probabiles, ſive una ſit probabilior quàm altera, & præter opiniones eſt alia certa via, tunc teneris illam ſequi in praxi, relicta quacunque opinione, præſertim in re majoris momenti, ubi timeri poteſt aliquod periculum, aut damnum, quod ex juſtitia, vel charitate teneris vitare.* Atqui ſententia, de qua nunc agimus probabilis tantùm eſt, & incerta, ut ajunt omnes illi Doctores, quanquam illius ſint propugnatores acerrimi, daturque alia ad ſalutem via certiſſima, de qua nullus dubitat, Contritio ſcilicet. Cætera nunc collige, cùm mortis ſubeſt periculum. Idem concludit aliud ipſius monitum, *Si ſpectemus obligationem charitatis, non ſufficit operari ex opinione quantumvis probabili, ſed tenemur ſequi viam tutiorem ſi haberi poteſt.* Multò preſſiùs vim principiorum ſuorum eodem loco ſecutus eſt Becanus in alterius difficultatis ſolutione priori prorſus ſimili, cùm dixit, *Peccatis, qui eligit incertum Miniſtrum Abſolutionis, cùm poſſit habere certum: quia exponit ſe periculo percipiendi invalidam Abſolutionem.* Eadem prorſus ratio illius, qui cum incerta præparatione, & ſibi cognita Abſolutionem excipit. Sanè vir ſapiens negotia maximi momenti aleæ non committit, cùm adeſt illi, licet multò difficilior, agendi ſecuritas. Nam, ut ait Plato in convivio, [illegible].

XXIV. Eadem, & evidentius tradit Sanchez *Summæ lib. 1. c. 9. n. 34.* videlicet, *Peccare Miniſtrum contra charitatem qua proximo indigenti remedium adhibere debet quoties ex parte eorum, quæ ex ſe ab ipſo exhibenda ſunt, miniſtrat Sacramentum ſequens opinionem etiam probabilem, minus tamen tutum, utpote in qua eſt irritandi Sacramenti periculum, ſi poſſit tutam quamvis minus probabilem: Quod charitatis, & miſericordiæ præceptum id poſtulare videntur, ut ſi proximo certum ac ſine periculo remedium adhibere poſſimus, non eligamus periculo expoſitum.* Si peccat Miniſtrans hoc caſu, multo magis ſuſcipiens, quum in ſe charitatem magis quàm quilibet exercere teneatur. Et ibid. *n. 38. Conſtat hac in re, quando eſt medicamentum certum nefas eſſe eo poſtpoſito opinionibus uti. Quia cum ſequendo quamvis opinionem adhuc maneat periculum in medicamento, non fideliter munus ſuum Medicus obit, electo eo periculo medicamentum certum omittens, & ideò imprudenter agit, & ſubinde mortaliter peccat in re gravi.* Nicolaus Iſambertus Regius Theologiæ Profeſſor, qui Pariſiis multis annis magna cum doctrinæ fama docuit, & ſententiam illam de Attritione tali cognita cum Sacramento ad juſtificationem ſufficiente magno molimine propugnavit, quanquam affirmet juſtificationem per Attritionem cum Sacramento perfectiorem eſſe ea, quæ fit per Contritionem extra Sacramentum, attamen hypotheſi ad anguſtias prædictas deducta, tutius ait eſſe Contritionem elicere. Quærit *diſput. 13. de Pœnit. art. 7. n. 5. & 6. An data occaſione peccatori confitendi Sacramentaliter in periculo mortis, debeat peccator habere neceſſariò actum Contritionis, ſi poſſit illam elicere: An verò ei ſufficiat ad ſalutem Attritio concepta ex ſupernaturali motivo, juncta Sacramento Pœnitentiæ.* Reſpondet ſufficere, & ejuſmodi peccatorem ad Contritionem eliciendam non obligari. *Addimus tamen in praxi tutius eſſe tunc actum Contritionis elicere, ob rationes in reſponſione dubii præcedentis allatas.* Scilicet, ne decipiatur peccator ſe attritum judicans, cùm reverà non ſit; aut etiam nimia præſumptione ſibi confidens.

XXV. Quæ Doctores iſti hac in cauſa tradunt, naturalis luminis notione videri poſſunt, quas non didicimus, ſed animis noſtris unà cum ratione inſevit natura, ut exemplis fieri poteſt evidentiſſimum. Nuſquam enim in rebus magni momenti homines aliter agunt: Neque ſic agunt aliqua doctrina, aut ratiocinatione ducti, ſed principio naturæ omnem ſyllogiſmum præveniente perſuaſi: Verbi gratia, Animo tibi finge aliquem hoſtium, ſatellitum, vel latronum, præſertim ſi ſit auri copia onuſtus, manus fugientem. Incidit in trivium: Via una breviſſima eſt, ſed in denſam ſylvam tendit, quam periculum eſt latronibus inſideri. Altera per valles, & monticulos arbuſtis conſitos penetrat, quam admodum probabile eſt ſecuriorem eſſe: Tertia cæteris multò longior, latam planiciem, æquorque ſpatioſum, & cœnoſum bifindit, quam quotidiana experientia docet nulli periculo eſſe obnoxiam. Pedem autem fugienti referre, aut in Trivio ſubſiſtere non licet, ne in perſequentium hoſtium poteſtatem veniat. Quis de tertia ineunda deliberavit unquam, nedum dubitavit? Finge iterùm tibi cum aliquo litem eſſe, vel te beneficium aliquod à Principe impetrare velle, tibique in utraque cauſa duas agendi rationes ſuggeri, unam certiſſimam, alteram dubiam; Juriſque prudentes tibi affirmare, hanc rationem ſi ineas, procul

omni

omni dubio cauſa vinces; illam verò ſi amplectaris, ſub judice lis eſt, quid eventurum ſit, incertum. An de priore eligenda, licèt poſteriore ſit multò difficilior, deliberabis? præſertim ſi de re agatur, quæ ſit tibi maximi momenti. Eadem ratio de beneficio à Principe impetrando, ſi Aulicus aliquis eodem modo tecum agat. Itaque omnibus ultro citròque verſatis tutius videtur Sacerdotem Rituale Romanum κατὰ πόδα ſequi, & Pœnitentem, *ad Contritionem efficacibus verbis conari adducere*: Quod ſi Sacerdos id tum fieri non poſſe, aut quàm difficilè exiſtimet, exhortatione facta officio functus eſt, tuncque tutò poteſt, & debet Abſolutionem Sacramentalem Pœnitenti, quem judicat Attritum, impertiri, niſi forſan magnæ aliquæ, & extraordinariæ cauſæ dilationem ſuaderent, quæ prudenter, & cautè admodum antequam ſecundùm eas aliquid ſtatuat, perpendendæ ſunt. Ita Patres in urgentibus ejuſmodi cauſis, & exemplis paſſim uſurpaſſe jam ſupra nonnullis locis adnotavimus, ſed hoc libro diffuſè probamus.

XXVI. Nihilominus viri graves, & in Eccleſia Dei celebres permulti hanc Melchioris Cani ſententiam amplectuntur, negantque ullo unquam tempore neceſſarium eſſe aliquem poſt varia crimina Pœnitentem, Contritionis, & dilectionis Dei actum elicere, ut Deo reconcilietur, modò Sacramenti ſuſcipiendi fiat illi copia. Ajunt itaque Doctores illi ſolam Dei amandi potentiam, & facultatem per Sacramentum animis impiorum gehennæ terrore perculſis inditam, impios juſtificare, & Deo reconciliare; ipſum verò Deum aliquando vel ſemel per totam vitam dilectione proſequi, aut propter ipſum graviſſimè offenſum vel tantillùm dolere, non eſſe neceſſarium, licèt ad extremam prope animæ actionem odio ſit eum inſecutus. Immò diligendi facultatem, ut dictum eſt, per Sacramentum inditam, actu diligendi, & ipſa Contritione longè præſtare. Sacramentorum Evangelicorum ſupra legalia præſtantiam, & prærogativam in hoc potiſſimum fulgere, quod Evangelica graviſſimo Contritionis, & dilectionis Dei jugo nos liberaverint. Chriſtum cum Confeſſionis neceſſitatem induxit, ne duro nimis onere impios, & Dei oſores gravaret, diligendi habitu, & facultate placatum dilectionis divinę neceſſitatem ſuſtuliſſe. Iſta ſententia Auctorum verbis expreſſa Lectori credibilior fiet.

XXVII. Ita Henricus Henriquez *lib. 4. Summæ cap. 6. n. 5. Qui cum Attritione per Abſolutionem juſtificatur, nō tenetur ad præceptum commune de Contritione formali, quia jam remedio per ſe inſtituto, & compenſativo ex applicatione meritorum Chriſti conſecutus eſt remiſſionem, & in æquivalenti implevit priori, & meliori ratione finem totum, in quem Contritio ordinatur. Contritio enim non remittit peccatum, nec compenſat, niſi ut includit votum, & vicem Sacramenti Pœnitentiæ. Quare compenſatione per Sacramentum applicata magis contentus eſt creditor Deus, quàm compenſatione Contritionis. Aliàs ſi Contritio dum haberi poteſt, eſſet neceſſaria, obligaret per ſe; etiam dum ſuſcipitur Abſolutio, quia tunc haberi poteſt: Ac ſubinde Chriſtus in lege Evangelica non leviguſſet onus, ſed adjeciſſet grave onus Confeſſionis præter neceſſariam Contritionem*. Placuerunt admodum iſtæ rationes Adam Tannero; ideò licèt in ſententiam contrariam auctoritate Franciſci Suaris abreptus magis propendeat, viſæ tamen ſunt illi rationes iſtæ, quas loco ſupra citato repeteret, digniſſimæ. Iſtam ſententiam conatu magno propugnavit Gabriel Vaſquez *in 4. part. q. 68. art. 2. dub. 6. & alibi*. Becanus *cap. 35.* de Pœnitentia *q. 7. n. 3.* Laymannus Theologiæ Moralis *lib. 5. tract. 6. c.* 2. Ludovicus Lopez *inſtructorii Conſcientiæ cap.* 12. *q.* 3. Alexander Peſantius *in additiones ad S. Thomam q. 5. diſput.* 4. Puteanus *in 3. part. q. 90. parte 1. dubio ultimo*, Nicolaus Iſambertus *diſp. decima quarta de Sacram. Pœnit. art. 11. n. 6. & diſput. præcedente artic. 6. & 7.* & alii, præſertim hodiernorum Doctorum complures.

CAPUT V.

Admirabiles, & nativi Abſolutionis Sacerdotalis in Pœnitentem effectus permulti, ex variis Patrum teſtimoniis, & antiqua Eccleſiæ praxi colliguntur, & enarrantur.

SErmo interruptus nunc eſt nobis retexendus. Spinarum Scholaſticarum ſatis. Spina dum parva eſt, ut eſt in proverbio, bona videtur; cùm crevit, duriter nimiùm pungit. Quapropter difficultatem initio *cap.* 2. propoſitam, & enarratam ex ipſiſſimis Patrum verbis demonſtrare aggredimur. Hoc jam factum eſt ampliſſimè *libri* 1. *c.* 7. in quo quæſitum eſt, & demonſtratum, *Quid agat Deus in peccatoris per Pœni-*

tentiam ſanatione, quid verò Miniſtri: Iſtius enim quæſtionis ſolutio, illius, quàm præ manibus habemus eſt reſolutio. Multa inſuper in eandem rem colligi poſſunt, ex iis teſtimoniis, quæ alia in cauſa capitibus ejuſdem *libri* 5. *&* 6. attulimus. Præterea quæcunque toto *capite* 1. hujus libri de efficaciſſima reconciliationis Sacerdotalis virtute, & ἐνεργείᾳ ad ſalutem animæ comparandam dicta ſunt, eodem nos evidentiſſimè velut manu ducunt. Nihil tamen eorum repetemus hoc capite, quæ illis locis exſcripta ſunt: Meſſis enim confertiſſima, plurimaque licèt colligatur, ſemper multa ſupererit. Antequam hoc aggredior diſcrimen inter Theologos antiquos, & recentiores Lector obiter notabit, quod licet antiqui tot locis, & ſeculis tantopere diſtantibus de hac quæſtione ſcripſerint, eamque adverſus varios Hæreticos elucidaverint, & illuſtraverint, ſemper tamen eodem modo, & una ratione eam diſſolverunt. Ars enim illa ἐριστικὴ quæ in quacunque tranquillitate infinitas tempeſtates ciere novit, nullam ſedare, nondum Eccleſiaſticos Doctores exercuerat. Vix ullas habebat apud eos regula fidei quæſtiones, niſi quas hæreſes inferebant, ut loquitur Tertullianus, & appoſitè Pacianus in eadem cauſa quam agimus, *Noſtri nihil ultra diſputavere Majores. Nuda eſt apud nos ipſa ſecuritas.* Nihil ultra regulam à Majoribus traditam ſcire, erat illis omnia ſcire.

II. Quis ſit Sacerdotis reconciliantis, ut eſt Dei Miniſter, in Pœnitentem effectus, quid in animam agat miniſterialis iſta Abſolutio, perſpicuè admodum docent ex antiquo auctore Capitularia *lib. 5. cap. 52. Poſt peractam ſecundùm canonicam inſtitutionem Pœnitentiam occultè, vel manifeſtè, canonicè reconcilietur, & manus ei cum orationibus, quæ in Sacramentario ad reconciliandum Pœnitentem continentur, imponatur, ut divinis precibus, & miſerationibus abſolutus à ſuis facinoribus eſſe mereatur; quoniam ſine manus impoſitione non abſolvitur ligatus. Et ideò Dominus, ac Magiſter noſter diſcipulis ſuis, ac ſucceſſoribus eorum ligandi ac ſolvendi dedit poteſtatem, ut peccatores ligandi habeant poteſtatem, & Pœnitentiam condignè agentes abſolvi, atque peccata cum divina invocatione dimitti queant.* Non ſufficit igitur Pœnitentiam canonicam egiſſe peccatori, ut reverà apud Deum ſit abſolutus, multò minus apud homines, ſed reconciliatione Sacerdotali opus eſt: Ad quem effectum? *Ut divinis precibus, & miſerationibus à ſuis facinoribus abſolutus eſſe mereatur, atque ut peccata cum divina invocatione dimitti queant.* Sacerdotalis igitur Abſolutionis effectus, eſt peccatorum venia abſolutionis merito à Deo impetrata; nec unquam fruſtratur effectu ſuo Sacerdotalis Abſolutio, modò Pœnitentia legitima, quæ ad veniam illam impetrandam diſpoſitio eſt neceſſaria, præceſſerit: Quia Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus Chriſtus dedit ligandi, & abſolvendi poteſtatem.

III. Virtus autem, & energia Sacramenti Pœnitentiæ non eſt tantùm metienda, & definienda ex parte veniæ conceſſæ ſive ſolutionis, ſed etiam ex parte ligationis. Ex æquo enim datur Sacerdoti poteſtas ligandi, ac ſolvendi. Sacerdoti igitur tradita à Deo poteſtas non eſt ſolùm admiranda ex eo quòd Deus Pœnitenti ordinariè non parcit antequam Eccleſiæ per Abſolutionem reconcilietur, ſed etiam ex eo quod illi non parcit niſi ligationem ſive Pœnitentiam ab Eccleſia impoſitam eo modo, quo jubet Eccleſia, executus fuerit. Pœnitentiæ enim ſive afflictionis animi, & corporis virtus, & meritum à voluntate Sacerdotis ſecundùm leges ab Eccleſia hic, & nunc latas non parum pendet; aut ſaltem à votiva Sacerdoti ſubmiſſione, ſi forſan ad eum pervenire non poteſt. *Nec mirum hoc*, inquiunt eadem Capitularia eodem capite, *Quia ſi homines ſervis ſuis dent poteſtatem de ſubditis ſuis ligandi, & ſolvendi, vel nocendi, & adjuvandi apud ſe, quanto magis Dominus omnium hominum hanc poteſtativè poteſtatem præpoſitis Sanctæ Eccleſiæ dedit, dicens, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Hæc ſanè ſunt intellectu facillima, & Sacerdotale miniſterium maximè commendant.

IV. Concilium Tuſſiacum anno 680. celebratum, cui aderant quatuordecim Provinciarum Epiſcopi, & Archiepiſcopi, in Epiſtola ad rerum Eccleſiaſticarum Raptores eandem veniæ à Deo, & ab Eccleſia conſequendæ conditionem, & effectum ponit. Quamquam, inquiunt, talia crimina corrigere non valeamus, aut diſſimulemus, &c. *Jam tamen à ſacris canonibus excommunicatus, & prædamnatus eſt, donec peccatum illud deſerat, & per ſatisfactionem Eccleſiaſticam, & Sacerdotalem reconciliationem, Domini gratiam, & fidelium ſocietatem recipiat. Et quicunque in peccatis ſuis, & talibus ſceleribus im-*

plicatus, ante ſatisfactionem neceſſariam, vitam iſtam finierit, communionem, & ſocietatem cum Electis in regno Dei habere nullatenus poterit, nec de infernis pœnis, & dæmonum ſocietate unquam liberari valebit. Satisfactionis igitur Eccleſiaſticæ, & Sacerdotalis reconciliationis effectus eſt gratiæ divinæ, & ſocietatis fidelium recuperatio.

V. S. Eligius Noviomenſis Epiſcopus *homil. 4. In reconciliatione veſtra, nolite nos Epiſcopos attendere ut auctores, ſed ut Miniſtros. Nam quis ſit auctor, manifeſtat nobis idem egregius Gentium Doctor, &c. Ecce per quem fit reconciliatio, ſcilicet per Chriſtum, qui eandem nobis procurans per ſuam paſſionem rediit ad præmium. Sed ne imperfectum remaneret quod procuraverat; & quoniam ipſe quidem corporalem pœnitentiam ab eis abſcondebat, quibus ſecundùm divinitatem dignatus erat polliceri, Ecce ego vobiſcum ſum, &c. Dedit Apoſtolis ſuis, nobiſque eorum ſucceſſoribus poteſtatem ligandi, atque ſolvendi in cœlo, & in terra: quam poteſtatem ſolvendi vocat Apoſtolus, miniſterium reconciliationis. Ideò quia vices Chriſti agimur, quos ille inviſibiliter abſolvendo, dignos ſua reconciliatione judicat, viſibiliter reconciliando, per officium noſtri miniſterii abſolvimus. Eos verò qui funibus peccatorum ſuorum, ante Dei conſpectum, adhuc tenentur adſtricti, nos quomodo abſolvere poſſumus?* Reconciliationis igitur primus auctor Deus, miniſter Sacerdos. Quid operatur Sacerdos? Quod Deus in Pœnitente per auxilia Spiritus Sancti ante reconciliationem inchoaverat, Sacerdos per abſolutionem miniſterialiter perficit, juxta poteſtatem miniſterialem illi conceſſam, Quæcunque ligaveritis, &c. dignoſque divina abſolutione Sacerdos reapſe, & viſibiliter abſolvit. Ideo Eligius in hujus rei probationem adfert ex S. Leone quæ ſæpius citata ſunt, *Huic operi inceſſabiliter ipſe ſalvator intervenit, nec unquam ab his abeſt, quæ Miniſtris ſuis exequenda commiſit.* Quis igitur mirabitur huic operi reconciliationis miniſterialis virtutem ad veniam conſequendam ineſſe maximam?

V I. Aliud argumentum efficax colligitur ex doctrina, quam paulò poſt explicat. Docet enim multis modis crimina expiari, nec tantum pœnitentia, & reconciliatione Sacerdotali, *Fit etiam* inquit, *abſolutio peccatorum per charitatis effectum, per eleemoſynarum fructum, per profuſionem lachrymarum, per Confeſſionem criminum, per cordis, & corporis afflictionem, præcipuèque per morum emendationem; interdum etiam per Sanctorum interceſſionem, per indulgentiam quoque, ac remiſſionem noſtram, qua peccantibus in nos dimittimus: Quibus omnibus modis aboleri poſſe peccata, divina teſtis eſt ſcriptura.* Confeſſione igitur, & reconciliatione crimina abolentur, atque in ipſum peccati reatum agunt, ut à Deo remittantur. Non minor enim eſt virtus, immò longè major reconciliationis quàm aliorum operum, quæ notat Eligius. At eorum ſingula peccatorum expunctionem adjuvant. Ergo multò magis reconciliatio, quæ hujus cauſa tantùm inſtituta eſt. Hinc Eligius velut æquipollentia uſurpat peccatorum Abſolutionem, & abolitionem. Sanctus Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus *homilia* 38. duodecim ſtatuit remiſſionis peccatorum ſpecies, & unamquamque ſcripturæ teſtimonio probat, *Baptiſmum, Charitatis affectum, Eleemoſynarum fructum, Profuſionem lachrymarum, Criminum confeſſionem, Afflictionem cordis, & corporis, Emendationem morum, Interceſſionem Sanctorum, miſericordiam fidei meritum, ſalutem aliorum, Remiſſionem noſtram, & Martyrium*, Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus *cap.* 36. Remiſſionis, & deletionis peccatorum ſpecies in ſeptem contrahit, Baptiſmum, Martyrium, Eleemoſynam, offenſarum dimiſſionem, Proximi converſionem, Charitatem, Pœnitentiam: ex quibus idem, licèt non ita evidenter, colligitur; non quòd idem cum Sancto Eligio non ſentiant, ſed quod occaſionem iſta fuſius enarrandi nacti non ſunt.

V I I. Eutychianus Pontifex Epiſt. 2. *Dominus in Evangelio poteſtatem Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum annuntians ait, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum alligaveritis peccata, alligata erunt, id eſt, quibus Eccleſiam interdixeritis, niſi reconciliati per ſatisfactionem fuerint, ipſis janua regni cœleſtis clauſa erit.* Satisfactionis igitur, & reconciliationis Sacerdotalis effectus eſt aperitio regni cœlorum; ut & ligationis, ſive Pœnitentiæ impoſitionis, occluſio regni cœleſtis. Sic Sanctus Auguſtinus, ut citatur ab Ivone *parte* 14. *cap.* 43. *Cùm excommunicat Eccleſia, in cœlo ligatur Excommunicatus; cùm reconciliat Eccleſia, in cœlo ſolvitur reconciliatus.* Non ante igitur in cœlo ſolutus habetur quàm in terra reconciliatus fuerit. Ideo ſolutio cœleſtis terrenam ſequitur, Deo ratum habente, quod hic ipſius Miniſtris placitum fuit.

VIII. Hanc ſolutionis, & condonationis Eccleſiaſticæ anteceſſionem diſertè admodum nos docent Patres non pauci, Sanctus Cyprianus *initio Epiſtolæ* 54. *Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas, & divina clementia Eccleſiam pulſantibus claudi, & dolentibus, ac deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium denegari, ut de ſeculo recedentes ſine communicatione, & pace ad Dominum dimitterentur, quando permiſerit ipſe, qui legem dedit, ut ligata in terris etiam in cœlis ligata eſſent; ſolvi autem poſſent illic, quæ hic prius in Eccleſia ſolverentur.* En quàm potens, quàm efficax ad gratiam, & ſalutem à Deo conſequendam Sacerdotalis abſolutio! Sanctus Hilarius ſimiliter *can.* 16. in Matthæum, *ò Beatus cœli Janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terreſtre judicium præjudicata auctoritas ſit in cœlo, ut quæ in terris aut ligata ſint, aut ſoluta, ſtatuti ejuſdem conditionem obtineant & in cœlo.* Clarius adhuc Sanctus Bernardus *Sermone* 1. *in Feſto Sanctorum Petri, & Pauli*: De Petro enim ſcribit, *Qui claves regni cœlorum tam ſingulariter accepit, ut præcedat ſententia Petri ſententiam cœli.* Sanctus Chryſoſtomus *lib.* 3. *de Sacerdotio Sacerdotum* auctoritatem enarrans eodem planè ſenſu ſcribit, *Sacerdotum vinculum ipſum etiam animam contingit, atque ad cœlos uſque pervadit: uſque adeò ut quæcunque infernè Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus ſupernè rata habeat, ac ſervorum ſententiam Dominus confirmet.*

I X. Homilia in S. Eſaiam his magnificentiſſimis verbis auguſtiora profert: Comparato enim Sacerdotali throno cum regio colligit, *At Sacerdotis thronus in cœlis collocatus eſt, & negotiorum cœleſtium adminiſtratio ipſi commiſſa. Quis hæc dicit? Ipſe cœlorum Rex, Quæcunque ligaveritis ſuper terram, &c. Quid huic honori poteſt æquari? A terra judicandi poteſtatem cœlum accipit: Nam judex ſedet in terra; Dominus ſequitur ſervum, & quidquid hic inferiùs judicaveris, hoc ille ſuperius ratum habet.* Sanctus Leo in Sermone de Transfiguratione ſcribit, Chriſtum Petri Confeſſionem adeò laudaſſe, ut, *Super eam fundata Eccleſia portis inferi, & mortis legibus prævaleret, nec in ſolvendis, aut ligandis quorumcunque cauſis aliud ratum eſſet in cœlis, quàm quod Petri ſediſſet arbitrio.* Similia, & evidenter ſcribit Sanctus Auguſtinus *Sermone* 16. *de verbis Domini cap.* 4. ediſſerens illud, Quæcunque ligaveritis, &c. *Cœpiſti habere fratrem tuum tanquam Publicanum; ligas eum in terra, ſed ut juſtè alliges, vide. Nam injuſta vincula diſrumpit juſtitia. Cùm autem correxeris, & concordaveris cum fratre tuo, ſolviſti illum in terra: Cùm ſolveris in terra, ſolutus erit & in cœlo.* Referuntur hæc Sancti Auguſtini verba ab Ivone *decreti part.* 14. *cap.* 5. & Gratiano 11. *quæſt.* 3. *C. cœpiſti.* Quapropter meritò Sanctus Chryſoſtomus *homil.* 4. in Epiſtolam ad Hebræos terrorem Auditoribus ſuis incutit, ne ipſum admonentem ſpernant iis obiiciendo Chriſti verba, Quæcunque ligaveritis, &c. atque ex, iis colligit, *Nemo contemnat vincula Eccleſiaſtica: Non enim homo eſt, qui ligat, ſed Chriſtus, qui hanc ligandi poteſtatem dedit, & homines fecit tanti honoris Dominos.* Si ad juſtificationem hominis perficiendam, & obtinendam non concurreret Sacerdotalis reconciliatio, ſed jam factam, & ſibi cognitam tantùm declararet, An dici poſſet eam prius in terra fieri, quàm in cœlo: Quæ præjudicata ſunt in terra, in cœlo poſtmodùm confirmari: Dominum ſervi ſententiam ſequi: Nihil ratum eſſe in cœlis, niſi quod Petri ſedit arbitrio: Homines à Chriſto tanti honoris Dominos eſſe conſtitutos, ſimileſque de auctoritate Eccleſiæ ſententiæ in Patrum ſcriptis non infrequentes?

X. Flaccus Alcuinus Epiſt. 26 in quoſdam agens, qui Laicos docebant, non opus eſſe Sacerdotibus confiteri, *Quid ſolvit*, inquit, *Sacerdotalis poteſtas, ſi vincula non conſiderat ligati? Ceſſabunt opera Medicorum, ſi vulnera non oſtendunt ægroti. Si vulnera corporis carnalis Medici manus expectant; quanto magis vulnera animæ ſpiritalis Medici ſolatia depoſcunt?* Morbi Medicis declarantur, ut in morbos, & vulnera agant, ut ea obducant, & ſanent; Ita, inquit Alcuinus, peccata, quæ ſunt vulnera ſpiritalia Sacerdotibus in Confeſſionem declarantur, ut ſanentur, ut obducantur, ut remittantur. Ante igitur ſolutionem Sacerdotis remiſſa non ſunt, ſanata non ſunt. Poſteà docet, Confeſſionem eſſe victimam Deo pro peccatis per Sacerdotem oblatam. Oblationis iſtius quis finis? *Quatenus orationibus illius noſtra Confeſſionis oblatio Deo acceptabilis ſiat, & remiſſionem ab eo accipiamus.* Non eſt igitur ante Confeſſionem obtenta, ſed per Confeſſionem, & reconciliationem à Deo impetratur, & accipitur. Ideò paulò poſt Alcuinus idem de baptiſmo ac de Confeſſione, & reconciliatione ſimul ſumptis hac in cauſa judicium facit: *Nonne in ſacro baptiſmate Sacerdotibus Chri-*

ſti

Digitized by Google

ſti noſtræ fidei Confeſſionem , & abrenuntiationem Satanæ dare debemus ; & ſic Sacerdotali miniſterio divina operante gratia , ab omnibus ablui peccatis ? Cur etiam & in ſecundo Pœnitentiæ baptiſmate , per Confeſſionem humilitatis noſtræ , ab omnibus poſt primum baptiſma peractis eadem divina miſerante gratia , Sacerdotali ſimiliter auxilio non debemus abſolvi peccatis ? Ut igitur per ſacrum baptiſma Sacerdotale miniſterium nos ab omnibus peccatis abluit ; Ita per humilitatem Confeſſioni , & Sacerdotale auxilium à peccatis abſolvimur , & abluimur . Hoc argumento Confeſſionis neceſſitatem demonſtrat ; quod in privata potiſſimum reconciliatione nullius aut admodum debilis roboris eſſet , ſi reconciliatio gratiam remiſſionis non conferret , ſed pura puta eſſet judicis innocentiam declarantis ſententia . Unuſquiſque enim apud ſe ſibi ſatis conſcius eſt innocentiæ ſuæ , nec opus eſt ut hoc ab alio doceatur, cùm Doctor quilibet nihil eum hac in re docere poſſit , niſi quod ab ipſo Pœnitente prius didicerit .

XI. Idem non minus evidenter colligitur ex Epiſtola Sancti Dionyſii Epiſcopi Alexandrini ad Fabianum Romanum Epiſcopum apud Euſebium hiſtoriæ *lib. 6. cap. 36.* in qua Serapionis Lapſi refertur hiſtoria . Propter idololatriam Eccleſia pulſus, poſteà moribundus inſtantiſſimè ſe circumſtantes rogat, ut Presbyterum,qui eum reconciliet, advocent . Infirmitate detentus Presbyter puerum ad ſe miſſum cum Euchariſtia ad Serapionem remittit , qua ſumpta illicò animam emiſit . Addit Dionyſius , *An non igitur ſatis conſtat , eum fuiſſe reſervatum , & uſque eò in vita manſiſſe* , ἕως λυθῇ , καὶ τῆς ἁμαρτίας ἐξαλειφθείσης , ἐπὶ πολλοῖς οἷς ἔπραξε καλοῖς ὁμολογηθῆναι δυνηθῇ , *donec ſolveretur , & peccato omnino deleto propter præclara opera,quæ geſſerat, Confeſſoribus annumerari poſſet?* Per ſolutionem igitur Sacerdotalem peccati labes , ἡ ἁμαρτία , deletur , & abſtergitur : Præcedenti quidem compunctione deleri , & abſtergi cœperat , ſed peccati remiſſionem , & perfectam abſterſionem non anteà compleri credebant quàm Sacerdotalis reconciliatio ſuſciperetur . Lege in eundem finem manifeſta duo teſtimonia , unum Sancti Auguſtini *cap.* 10. de vera , & falſa Pœnitentia ; alterum Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi quæ in alia cauſa referuntur infra *c. nono* .

XII. Confirmatur idem antiquiſſima quadam Eccleſiæ praxi : Antiquitus , ut infra demonſtrabitur, ſcelerum Reis, qui ab Eccleſia pulſi ejus miſericordiam, quandiu ſani erant , invocare non curaverant , ſed eam tantùm moribundi efflagitabant , peccatorum abſolutionem in maximam prophanæ incuriæ pœnam denegabat . Quanta autem , & cujuſmodi fuerit illa pœna , primùm apparet ex eo, quòd nullam habuit Eccleſia majorem , & conſequenter ſalutem æternam non tantùm pœnam temporalem attingebat : Deum enim habere non poteſt patrem , cui Eccleſia mater non eſt . Deinde Sanctus Innocentius Epiſt. 3. *cap.* 2. de hac communione verba faciens,quam antiqua praxis denegabat , recentior concedebat, hunc effectum tali communioni tribuit , *Tribuetur ergo cum Pœnitentia extrema communio , ut homines ejuſmodi vel in ſupremis ſuis , permittente Salvatore noſtro à perpetuo exitio vindicentur* .

XIII. Hinc eſt, quod aliquanto poſt remiſſam hac in parte diſciplinam Eccleſiaſticam , tantopere invehuntur antiqui Patres in eos,qui reconciliationem morientibus denegant . Lectorem autem velim potiſſimum conſiderare qua ratione ducti ita invehuntur . Cæleſtinus 1. Epiſt. 2. ad Epiſcopos Galliæ, *Agnovimus Pœnitentiam morientibus denegari , nec illorum deſideriis annui , qui obitus ſui tempore hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubveniri : Horremus fateor tantæ impietatis aliquem reperiri , ut de Dei pietate deſperet , quaſi non poſſit ad ſe quovis tempore concurrenti ſuccurrere , & periclitantem ſub onere peccatorum hominem pondere , quo ſe expediri deſiderat, liberare. Quid hoc ergo aliud eſt,quàm morienti mortem addere , ejuſque animam ſua crudelitate ,ne abſoluta eſſe poſſit occidere? &c. Salutem ergo homini adimit , quiſquis mortis tempore ſperatam Pœnitentiam denegarit* . Impoſitio ergo Pœnitentiæ , & reconciliatio hominem liberant à pondere peccatorum ; Anima abſoluta vivificatur per abſolutionem , & per illius denegationem ſalus illi adimitur , & morti æternæ traditur . Hæc ſæpe referunt canonum Collectores, Regino , Burchardus, Ivo, Gratianus, Concilium Vormatienſe *cap.* 80. Tribut. *cap.* 31. & ante hos omnes Raban *cap.* 38. & Capitularia, & alii complures. Ex decretis quoque Julii Papæ hoc refertur , *Si quis Presbyter Pœnitentiam abnegaverit Pœnitenti , reus erit animarum , quia Dominus dicit , Quacunque die fuerit converſus peccator , vita vivet , & non morietur , &c.*

XIV. Ponamus igitur hanc doctrinam tantiſper veram eſſe , Peccatorem oportet juſtificatum eſſe , & vitæ æternæ ſecurum , quantum ſcilicet homini ſecuritas illa tribui poteſt , antequam à Sacerdote abſolvatur ; Omnem pœnam æternam ante Abſolutionem eſſe remiſſam , & commutatam in temporalem; Per Abſolutionem minui tantùm pœnam temporalem , & peccatorem Eccleſiæ viſibiliter incorporari , qui anteà ei erat inviſibiliter incorporatus ; addamus etiam per Abſolutionem augmentum gratiæ jam juſtificato inſpirari : Quæcunque Sancti Patres reconciliationi tribuunt , & communioni ſive Abſolutioni , evidentiſſimè falſiſſima ſunt , hyperbolaſque ſermonis uſurpant planè comicas , & ridiculas , quæ nullo fundamento nituntur . Num inutiliter , aut parum ſaltem utiliter , in periculo mortis tantus olim ut nunc , fiebat ad Sacerdotes concurſus, ut reconciliatione Sacerdotali potirentur , quod variis exemplis capite primo hujus libri demonſtratum eſt , ſi reconciliatio nihil aliud eſt quàm innocentiæ præexiſtentis declaratio , aut alicujus pœnæ temporalis jam juſtificato luendæ diminutio , aut externa tantùm hominis jam inviſibiliter Eccleſiæ incorporati concorporatio ? Quàm inefficaci argumento probat Sanctus Auguſtinus Paſtores Eccleſiam tempore perſecutionis deſerere non debere , quia nullus eſſet miniſtrandæ reconciliationi idoneus , ſi res tam parvi momenti per reconciliationem datur ? Num huic querelæ locus, *Si miniſtri deſint,quantum exitium ſequitur eos,qui de iſto ſeculo vel non regenerati exeunt , vel ligati ? Quantus eſt etiam luctus fidelium ſuorum,qui eos ſecum in vitæ æternæ requie non habebunt ? Quantus denique gemitus omnium , & quorundam blaſphemia de abſentia miniſteriorum , & Miniſtrorum* . Non de rei temporalis , ſed de vitæ æternæ jactura dolebant antiqui fideles , & loquebatur ſanctus Auguſtinus . De eadem re , & eodem modo conquerebantur Catholici à Vandalis Arianis cruentam perſecutionem paſſi , ut ex Victore uticenſi expoſuimus capite hujus libri primo .

XV. Denique nihil certius hac in cauſa deſiderari poteſt Eccleſiæ totius auctoritate, quæ huic veritati teſtimonium apertiſſimè , & ſolemniter perhibet : Sic enim ipſa in ritu publico reconciliationis de ſeipſa , & orationum ſuarum quibus Pœnitentes reconciliantur , virtute teſtatur . His verbis jubetur Pontificem alloqui Archidiaconus , *Redintegra in eo Apoſtolice Pontifex quidquid diabolo ſuadente corruptum eſt , & orationum tuarum patrocinantibus meritis , per divinæ reconciliationis gratiam fac hominem proximum Deo , &c.* Pontifex verè Pœnitentes reconcilians ſingulis ferè orationibus quas ſuper eos pronuntiat idem de miniſterii ſui virtute teſtatur , *Quem non electione meriti , ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti hujus operis miniſtrum , da fiduciam tui muneris exequendi , & ipſe in noſtro miniſterio, quod tuæ pietatis eſt , operare* . Et in alia ejuſdem ritus oratione . *Exaudi preces noſtras pro his famulis , & famulabus tuis , morbo criminum hactenus tabeſcentibus , & manum pietatis tuæ manui noſtræ ſuperpone , ut per manus noſtræ impoſitionem te cooperante , infundatur eis Spiritus Sancti gratia ; deſcendat ſuper eos cœleſtis benedictio , tribuatur eis peccatorum remiſſio, cunctorumque ſcelerum piacula relaxentur, & tuorum chariſmatum munera affluentiùs conſequantur.* In alia iterum ejuſdem ritus oratione, *Nobis quoque ſervis tuis,quos Apoſtolicæ clavis,Sacerdotaliſque officii Miniſtros non electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti, da fiduciam tanti muneris exequendi , & ipſe in noſtro miniſterio , quod tuæ eſt poteſtatis, operare . Agnoſce piiſſime paſtor oves tuæ redemptionis, & conſtrictas vinculis peccatorum , Eccleſiæ tuæ precibus exoratus , abſolve , &c.* Vix aliqua eſt quæ disertè ejuſdem virtutis aſſertionem , & declarationem non contineat.

CAPUT VI.

Eadem Eccleſiæ traditio de virtute Sacerdotalis Abſolutionis evidentiſſimè probatur , ex antiqua Controverſia Catholicorum cum Montaniſtis , & Novatianis .

ANtiquam Eccleſiæ ſententiam de potentiſſimo reconciliationis Sacerdotalis effectu in ipſum peccatum , & reatus dimiſſionem luce meridiana clariùs , ut mihi quidem videtur , demonſtrat celeberrima controverſia , tamdiu olim , tantiſque animis agitata Catholicos inter , & Montaniſtas, Novatianoſque. Ut argumenti vim, & pondus animo Lector concipiat, pauciſſimis ſtatus iſtius controverſiæ illi eſt ob oculos reponendus, deinde eæ ſententiæ, quæ omnium minimè nobis placent , paucis erunt enarrandæ , ut horum comparatio dicendis facem præbeat . Peccata diſtinguebant utrique Hæretici in venialia , & mortalia : Venialia concedebant ab Eccleſia remitti

Digitized by Google

poſſe; mortalium verò remiſſionem Deo ſoli tribuebant, eam poteſtatem in Eccleſia non reſidere pertinaciter contendentes. Ideò ſuos ad Pœnitentiam graviter exhortabantur, ſed veniam à Deo ſolo expectare jubebant. Catholici diſtinctionem peccatorum non improbabant; exhortationem ad agendam pœnitentiam in ſeſe laudabant. Tota controverſia in peccatis mortalibus vertebatur, quorum remiſſionem ſibi attribuebant Catholici, Deum credentes ratum in cœlis habere, quod ipſi in terris exequebantur. Hæc multis probata ſunt *lib.2.cap.3.4.* & inſuper ex infra citandis conſtabunt.

II. Cum antiqua iſta, & Catholica veritate mihi videntur duæ quorumdam antiquorum Scholaſticorum ſententiæ omnium minimè conciliari poſſe. Prior eorum, qui Confeſſionem in charitate fieri debere opinantur, & conſequenter ex eorum ſententia, poſt peccatorum remiſſionem à Deo conſecutam. Poſterior eorum, qui id Abſolutioni tantum tribuunt. Hic autem non multum refert, ſive dicant Abſolutionem eſſe tantum judiciariam innocentiæ declarationem, ſive addant ejuſmodi declarationi pœnæ temporalis diminutionem, ſive etiam utrique ſuperaddant quoddam gratiæ habitualis augmentum. Si Eccleſiæ poteſtas penitius non penetrat quam docet utraque ſententia, nulla ſuberat inter Catholicos, & Hæreticos iſtos tantæ cauſa controverſiæ, cùm utrique Sacerdotibus denegarent quod præcipuum erat, criminum veniam, & remiſſionem. Immò Hæretici plura conceſſiſſent quàm Catholici: Nam veram, & ſubſtantialem peccatorum, & culparum levium remiſſionem Eccleſiæ vindicabant, quod ne quidem in culpas, & deformitates veniales utraque iſta Catholicorum ſententia admittebat. Itaque nulla debuit eſſe inter Catholicos, & iſtos Hæreticos de peccatorum remiſſione, & indulgentia contentio, ſed de quadam pœnæ temporalis poſt remiſſionem peccati relaxatione, aut de jure declarandæ innocentiæ ante omnem Eccleſiæ actionem recuperatæ, de quibus tamen in tam multis antiquorum Patrum, quæ ſuperſunt monumentis nullum extat veſtigium. Agrum tam ſterilem tanta cura non colebant. Quin immò, poſitis illis ſententiis ut Catholicis, dicendum videtur Catholicos abſolutè negaſſe poteſtatem peccatorum remittendorum in Eccleſia reſidere, Montaniſtas verò, & Novatianos id ex parte admiſiſſe: Poteſtatem enim illam in venialia, hoc eſt, mortalia minus gravia, Eccleſiæ vindicabant.

III. Sed ipſa antiquorum teſtimonia nobis ſunt exſcribenda. Ex eorum Lectione evidentiſſimè apparebit quid tunc poteſtatis ſibi Eccleſia tribuerit in quælibet peccata, eorumque reatum, & cujus rei remiſſionem, & indulgentiam ſibi vindicabat; Nullis noſtris verbis delineatiùs, & expreſſiùs hoc deſcribi poteſt. Sanctus Ambroſius *lib.1.de Pœnit. cap.2. Sed ajunt ſe Domino deferre reverentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſervent: Immò nulli majorem injuriam faciunt, quam qui ejus volunt mandata reſcindere, commiſſum munus refundere.* Deinde allato teſtimonio, quorum remiſeritis, &c. infert, *Quis eſt ergo qui magis honorat, utrùm qui mandatis obtemperat, an qui reſiſtit?* Deinde poſt aliqua notat Chriſtum ante illa verba dixiſſe, Accipite Spiritum ſanctum, Unde ſic colligit, *Ergo qui ſolvere non poteſt peccatum, non habet Spiritum S. Munus enim Spiritus S. eſt officium Sacerdotis; jus autem Spiritus S. in ſolvendis, ligandiſque criminibus eſt. Quomodo igitur munus vindicant, de cujus diffidunt jure, & poteſtate.* De remittendis igitur criminibus, & de munere, & jure proprio Spiritui ſancti erat inter eos quæſtio. Et eodem capite, *Pro quibus ergo Chriſtus interpellat, eos Novatianus accuſat: Quos Chriſtus ad ſalutem redemit, eos Novatianus damnat ad mortem.* Et *cap.16. Cùm igitur Apoſtolus peccatum remiſerit, qua vos auctoritate dimittendum negatis? Quis reverentior Chriſti, Novatianus an Paulus?* & paulò poſt, *Fruſtra dicitis vos prædicare Pœnitentiam, qui tollitis fructum Pœnitentiæ. Homines enim ad aliquod ſtudium aut præmiis, aut fructibus incitantur, &c.* Vehementer enim ad Pœnitentiam peccatores exhortabantur, licèt iis pacem ea completa negarent, ut videre eſt apud S. Cyprianum Epiſt. 52. quem ad Antonianum adversùs Novatum ſchiſma aggredientem ſcripſit, & apud Socratem Novatianum hiſtor. *lib.4. cap.13.* Scripſit, inquit, Novatus ad omnes Eccleſias, ut lapſos *minimè ad myſteria admitterent, ſed hortarentur ad Pœnitentiam, remiſſionemque permitterent Deo, qui poteſt, & habet auctoritatem peccata remittendi.* An præmium, fructuſque tam duræ, diuturnæque Pœnitentiæ, qualis tum agebatur tam tenuis, & jejunus erat, ut pœnæ tantillæ remiſſionem à Deo per abſolutionem tantum ſperarent? Hoccine tantum ſe negare putabant Novatiani, cùm ad Deum ſolum pertinere prædicabant peccatorum remiſſionem?

IV. Sequitur apud S. Ambroſium, *Si quis igitur occulta crimina habeas, propter Chriſtum tamen ſtudioſe Pœnitentiam egerit; quomodo iſthic recipit, ſi ei communio non refunditur?* Dici potuiſſet, declaratur innocens, pœna tranſitoria temperatur; ſed iſta ut levia, & peccatorum remiſſionem conſequentia non controverſabantur. Quid igitur? Vult Abſolutionem multis lachrymis, & laboribus peti; ſi diutiùs differatur, lachrymas, laboreſque geminari, donec tandem per Miniſtros ſuos Chriſtus dicat, *Remiſſa ſunt peccata ejus multa, quoniam dilexit multùm.* Quæ Chriſtus Magdalenæ dixit, peccata, culpamve ipſius remittens, eadem tribuit Sacerdotibus peccatores acta Pœnitentia Deo reconciliantibus. Et *cap. 17. Si ſatis ad condemnationem eſt objurgatio, quæ fit à pluribus, ſatis eſt quoque ad remiſſionem peccati obſecratio, quæ fit à pluribus.* Itaquoque *libri 2.c.3. Ergo evidentiſſimè Domini prædicatione mandatum eſt graviſſimi criminis Reis, ſi ex toto corde, & manifeſta confeſſione peccati Pœnitentiam gerant, Sacramenti cœleſtis refundendam gratiam.* Abſolutio eſt Sacramenti cœleſtis refuſa gratia. Et *cap.7.* Hypotypoſi quadam facta rituum, multorum qui obſervari ſolebant, tam in actione Pœnitentiæ, quàm in reconciliatione inducit Chriſtum luſtrantem varias Pœnitentium claſſes, & docentem quando ſit iis Abſolutio danda, & quid in iis operatur, *Cùm viderit in tuo obitu lachrymas plurimorum, dicet, Ubi poſuiſtis eum? Hoc eſt, in quo Reorum ſtatu eſt, in quo Pœnitentium ordine? Videam, quem fletis, ut lachrymis ſuis ipſe me moveat, &c. Dicet plebi, Veni, & vide, Quid eſt veni? Hoc eſt, Veniat peccatorum remiſſio, Veniat Defunctorum vita, mortuorum reſurrectio, veniat, & in hunc peccatorem regnum tuum.* En præclara Abſolutionis epitheta, ob quæ per Abſolutionem obtinenda totum Pœnitentiæ ſtadium decurritur. Non igitur ante Pœnitentiam inceptam ut ſit fructuoſa nobis, hæc adeſſe neceſſe eſt, ſed per eam, addita Abſolutionis coronide, animæ conceduntur.

V. Tandem in Novatianos invehitur. Quamobrem autem audi Lector, *Vos indignamini, & contra Eccleſiam congregatis concilium, quia videtis mortuos in Eccleſia reviviſcere, & peccatorum indulta venia reſuſcitari. Itaque quod in vobis eſt, per invidiam rurſus vultis interficere ſuſcitatos. Sed Jeſus non revocat beneficia, immò cumulo ſuæ liberalitatis amplificat.* Quid expreſſius de ipſa intima peccatorum remiſſione, & animæ per veniam ab Eccleſia impetratam vivificatione cogitari, & dici poteſt? Non igitur ante veniam reſuſcitari neceſſe eſt, cùm per veniam reſuſcitentur. Qua ratione Novatiani denegando Abſolutionem animas interficiunt, ſi eas ante abſolutionem vivere neceſſè eſt, nihilque vitale per ipſam traditur. Dixerat ejuſdem libri cap. 2. Tantam prærogativam, quæ concedi non poſſe videtur, à Deo tamen Sacerdotibus eſſe conceſſam; ſed hanc propoſitionem verbis admodum efficacibus enuntiat, *Potens eſt, Deus quando vult donare nobis peccata, etiam quæ putamus non poſſe concedi. Et ideò quod nobis impoſſibile impetratu videtur, Deo donare poſſibile eſt. Nam & impoſſibile videtur, ut peccatum ablueret aqua. Denique Naaman Syrus lepram ſuam mundari per aquam poſſe non credidit. Sed quod impoſſibile erat, fecit Deus poſſibile eſſe, qui tantam nobis donavit gratiam. Similiter impoſſibile videbatur per Pœnitentiam peccata dimitti. Conceſſit hoc Chriſtus Apoſtolis ſuis, quod ab Apoſtolis ad Sacerdotum officium tranſmiſſum eſt.* Quid hæc cum paucula pœnæ temporalis remiſſione peccatori facta jam juſtificato, & vitæ æternæ potiente, aut cum ipſius innocentiæ anteà acquiſitæ declaratione? Num tanta impoſſibilitas his convenire poteſt? Quid ad comparationem aquæ baptiſmalis impoſſibilitati adjectæ obiicietur, & aquæ Jordanis, qua Naaman à lepra curatus eſt?

VI. Quum hæc doctrina Patrum omnium animis ex antiqua, & Apoſtolica doctrina inſideret, paſſim Pœnitentiam ſecundum baptiſmum appellarunt, atque etiam baptiſmum lachrymarum, & laborioſum, ut videre potes *lib.3. cap.4.* Vocavit etiam eadem de cauſa Pœnitentiam Tertullianus ſecundam poſt naufragium tabulam, ut & ſæpius ſanctus Hieronymus, multique poſt eum, eo quod idem nobis præſtat Pœnitentia Sacramentalis poſt ingentes labores, quod cum magna facilitate Baptiſmus. Hoc autem diſertiſſimè Clemens Romanus enuntiat de reconciliatione Pœnitentis Conſtitut. *lib.2.cap. 61. Ut Ethnicum baptiſmo lotum poſt doctrinam admittis, ſic hunc per manus impoſitionem, utpote factum mundum pœnitendo cunctis pro eo deprecantibus in antiqua paſcua reſtitue, eritque ei loco lavacri manuum impoſitio; ſiquidem per impoſitionem manuum noſtrarum dabatur Spiritus ſanctus.* Quid illuſtrius ad Abſolutionis efficaciam?

VII. Non minus evidenter de hac re diſſerit ſanctus Pacianus in Epiſtolis, quas adverſus Novatianos edidit, in fine

Epi-

Digitized by Google

Epiſtolæ primæ, *Scio, Frater, hanc pœnitentiæ veniam non paſſim omnibus dari; nec antequam aut interpretatio divinæ voluntatis, aut forſitan viſitatio fuerit, relaxari, magno pondere, magnoque libramine poſt multos gemitus effuſionemque lacrymarum, poſt totius Eccleſiæ preces, &c.* En quanta cum prudentia, & cautione Abſolutio datur! Cui fiet probabile de levi tantum pœnæ temporalis relaxatione quæſtionem eſſe. Initio Epiſtolæ tertiæ ſtatum Controverſiæ ex dictis Adverſarii proponit, *Quod poſt baptiſmum pœnitere non liceat, Quod mortale peccatum Eccleſia donare non poſſit.* Hæc diſtinctio peccati venialis, & mortalis quæ ſemper, tam à Montaniſtis, quam à Novatianis diſputationi ſubſternitur, ἀναντιῤῥήτως demonſtrat de culpa, & malitia, ſive reatu peccati inter Catholicos, & illos Hæreticos diſputatum fuiſſe. Quid evidentius his verbis ante medium Epiſtolæ, *Quare ſive baptizamus, ſive ad pœnitentiam cogimus, ſeu veniam pœnitentibus relaxamus, Chriſto id auctore tractamus. Tibi videndum eſt, an Chriſtus hoc poſſit, an Chriſtus hoc fecerit.* Vides quantum erat rei, de qua diſputabant, momentum.

VIII. In medio Epiſt. reſpondet Pacianus Adverſarii argumento ex peccato in Spiritum S. ducto quod non remittitur, *Aut ego fallor, aut iſtud exemplum contra te valet. Nam ſi omne peccatum, & blaſphemia relaxabitur, vides veniam peccantibus non negari. Ergo omne peccatum; ergo ipſa quoque blaſphemia.* Et paulò poſt idem argumentum perſequens, *In cæteris quippe peccatis aut errore labimur, aut metu frangimur, aut carnis infirmitate ſuperamur. Hæc cæcitas eſt non videre quod videas, & S. Spiritus opera Diabolo deputare, eamque gloriam Domini, qua Diabolus ipſe ſuperatur, Diaboli appellare virtutem. Hoc eſt ergo quod non dimittetur: reliqua bonis pœnitentibus, frater Symproniane, donantur.* Non agebatur igitur inter eos de ſimplici aliqua, & forenſi innocentiæ declaratione, aut alicujus pœnæ temporariæ relaxatione, nec etiam de cujuſdam gratiæ argumento, ſed de ipſa reatus peccatorum remiſſione qua filii Dei ſimus, & Chriſti cohæredes. Negabant illi Hæretici quum de peccatis mortalibus agitur, eorum remittendorum poteſtatem eſſe in Eccleſia, affirmabant Catholici. Tandem in eundem manifeſtiſſimum ſenſum concludit Pacianus, *Jam intelligitis Novatiani Deum poſſe miſereri; jam miſeris fratribus de præterito confitentibus, vel ſeram patere medicinam; jam vulneratum illum à Levita, & Sacerdote præteritum, per Chriſtum poſſe curari, jam Eccleſiæ preces humilibus non negandas; jam manus Sacerdotum miſerandis fratribus non negandas.*

IX. Eundem controverſiæ ſtatum ponit ſanctus Cyprianus, qui exorienti Novato primus ſe oppoſuit, ut fusè videre eſt Epiſtola 52. Graviter, & vehementer in eum invehitur, eo quod ad Pœnitentiam ſuos exhortetur, pacemque Pœnitentiæ fructum deneget: De qua autem pace inter eos agebatur? *Dicere fratribus noſtris, plange, & lacrymas funde, & diebus ac noctibus ingemiſce, & pro abluendo, & purgando delicto tuo largiter, & frequenter operare, ſed extra Eccleſiam poſt omnia iſta morieris: Quæcunque ad pacem pertinent facies; ſed nullam pacem, quam quæris, accipies.* Quis denegatæ iſtius pacis effectus? *Quis non ſtatim pereat? Quis non ipſa deſperatione deficiat?* Et paulò poſt, eam pacem, quæ peccatores à morte æterna liberat; Deum pœnitentia ſcribit per Sacerdotes concedere. *Quòd ſi invenimus à Pœnitentia agenda neminem debere prohiberi, & deprecantibus, atque exorantibus Domini miſericordiam ſecundùm quod ille miſericors, & pius eſt per Sacerdotes ejus pacem eſſe concedi, admittendus eſt plangentium gemitus, &c.* Ejuſdem argumenti teſtis eſt totus libellus ſancti Cypriani, vel Cornelii contra Novatianos: Sic incipit, *Cogitanti mihi, & intolerabiliter animo æſtuanti quidnam agere deberem de miſerandis fratribus, qui vulnerati non propria voluntate, ſed Diaboli ſævientis irruptione adhucuſque, hoc eſt, per longam temporum ſeriem agentes, pœnas darent, ecce ex adverſo obortus eſt alius hoſtis, & ipſius paternæ pietatis adverſarius Hæreticus Novatianus, qui non tantùm, ut in Evangelio ſignificatum eſt, ſicut Sacerdos, vel Levites jacentem vulneratum præteriret, ſed ingenioſa ac nova crudelitate ſauciatum potius occideret adimendo ſpem ſalutis, &c.* Et poſt multa. *Vias ejus vidi, & curavi eum, & dedi ei exhortationem veram, pacem ſuper pacem; Pœnitentibus, deprecantibus, & operantibus reſtitui poſſe, quod malè perierint, quodque à Chriſto declinaverint.* Multis id probat allato mulieris peccatricis exemplo, cui Dominus peccata condonavit, tandemque in Novatianum invehitur, *Erubeſce jam nunc, ſi fieri poteſt, Novatiane, deſine argumentis tuis incautos decipere, &c.* Et poſt multa, *Tu hodie retractas, an debeant Lapſorum curari vulnera, qui nudati à Diabolo ceciderunt, &c.*

X. Eadem planè erat Controverſia Montaniſtas inter, & Catholicos; nec de re levi inter ſe pugnabant, ſed de omnium maximè gravi, & hominibus neceſſaria, ſcilicet de remiſſione peccati, & eam conſequente ſalute æterna, quam contendebant Catholici Chriſtum cum Sacerdotibus communicaſſe, negabant Montaniſtæ. Hæc apud Tertullianum in libro de pudicitia innumeris locis manifeſta ſunt. *Cap.* 3. occurrit objectioni Catholicorum opponentium Pœnitentiam agendam non eſſe, ſi venia non datur, *Meritò*, inquit, *ita opponunt, quoniam hujus quoque Pœnitentiæ fructum, id eſt, veniam in ſua poteſtate uſurparunt. Quantum enim ad illos à quibus pacem humanam conſequitur; quantum autem ad nos, qui ſolum Dominum meminimus delicta concedere, & utique mortalia, non fruſtra agetur. Ad dominum enim remiſſa, & illi exinde proſtrata, hoc ipſo magis operabitur veniam, quod eam à ſolo Deo exorat.* Ideò paulò ante, atque etiam poſteà multis verbis peccatorum diſtinctionem in venialia, & mortalia; & remiſſibilia, & irremiſſibilia enarravit. Sanè videntur aliquid minus facere, qui omnis reatus peccati indulgentiam ab Eccleſia auferunt, & in Deum referunt. Argumento Catholicorum ex remiſſione facta Samaritanæ, & mulieri peccatrici reſpondet, licèt concedatur Chriſtianas fuiſſe, nihil tamen exempla iis prodeſſe. *Nunc enim dicimus ſoli Domino hoc licet; hodie poteſtas indulgentiæ ejus operatur. At illa tamen tempora quibus in terris egit, hoc definimus nihil adverſùm nos præjudicare, ſi peccatoribus etiam Judæis venia conferebatur.* Manifeſtiſſimum eſt de ipſiſſima venia peccatorum, & reatus peccati remiſſione eos agere, cùm ſoli Chriſto tribuendum aſſerat, quod Eccleſiæ denegat: cum mulieris Samaritanæ, & peccatricis exemplo ſeſe tuerentur Catholici, quibus veram, & ſolidam peccatorum remiſſionem Chriſtus conceſſerit. Hinc eſt, quod omnia ferè teſtimonia, quæ Catholici ad Chriſtianos & Pœnitentiam referebant, Tertullianus ad baptiſmum refert & ad Ethnicos. Concedebant enim Novatiani, & Montaniſtæ baptiſmo peccata omnia deleri, ſed ſola venialia per Pœnitentiam. Verum Catholici, idem privilegium Pœnitentiæ arrogabant, quod & baptiſmo; quæ tot ſunt argumenta Eccleſiaſticæ auctoritatis in reatum, culpamque peccati.

XI. Simili argutia ſolvit Tertullianus in fine libri objectionem ab iis, quæ ſancto Petro dicta ſunt, dabo tibi claves, Quæcunque alligaveris, &c. *Idcircò præſumis, & ad te derivaſſe ſolvendi, & alligandi poteſtatem, id eſt, ad omnem Eccleſiam Petri propinquam. Qualis es evertens, atque commutans manifeſtam Domini intentionem perſonaliter hoc Petro conferentem.* Deinde iſta verba ad baptiſmum refert, quo primus baptizavit Petrus, & ad alia nonnulla, tandemque concludit, *Adeò nihil ad delicta fidelium capitalia poteſtas ſolvendi, & alligandi Petro emancipata.* Et *cap.* 19. enumeratione facta variorum peccatorum venialium, *Si nulla ſit venia iſtorum, nemini ſalus competat. Horum ergo erit venia per exoratorem Petri Chriſtum. Sunt autem & contraria iſtis, ut graviora, & exitioſa, quæ veniam non capiant, Homicidium, idololatria, fraus, &c. Horum ultrà exorator non erit Chriſtus, &c.* Pleraque ſunt alia paſſim occurrentia, quibus manifeſtè demonſtratur Montaniſtas inter, & Catholicos diſputatum fuiſſe de poteſtate remittendi ipſum peccati ſcelus, nec de pœna temporali mentionem ullam, Catholicos autem aſſeruiſſe poteſtatem à Deo Eccleſiæ conceſſam remittendi peccati ſcelus, aut retinendi, Deumque ratum habere, quod Eccleſia facit, ſive peccata remittat, ſive retineat; Montaniſtas verò id abſolutè de peccatis mortalibus negaſſe, ſed venialibus conceſſiſſe. Qua ratione autem veritas Catholica tam illuſtris, tam fulgens convenire poſſit cum quorundam Scholaſticorum ſententia, qui Pœnitentem neceſſariò juſtificatum volunt, antequam utiliter abſolvatur, equidem videre non poſſum; multominus hæc veritas cum eorum ſententia convenit, qui peccatorem per contritionem juſtificatum volunt, antequam utiliter confiteri poſſit, hoc eſt, ante omnem in eum poteſtatis Eccleſiaſticæ actionem.

CAPUT VII.

Scholaſtici plurimi, & celeberrimi referuntur, qui affirmant mille ſupra centum annis totam habituum infuſorum doctrinam in Eccleſiam ignoratam fuiſſe. Patres ante hoc tempus Sacramentorum effectum, hominis impii juſtificationem, fidei, operumque noſtrorum meritum ſine gratiæ habitualis mentione explicaſſe. Actualia auxilia gratiæ, & opera hinc profecta tantùm commemoraſſe. Gratiam habitualem ad hos effectus eſſe neceſſariam nondum definitum. Nonnullos Doctores, etiam nunc, iſtos effectus ſine ea explicare; nonnullaque alia

bis

Digitized by Google

his affinia ex iiſdem Scholaſticis enarrantur. Antiquorum ratio de effectu Abſolutionis diſſerendi ſimplex, & verbis è medio ſumptis. Diſertiſſimis S. Fulgentii verbis probatur Contritionem perperam exigi neceſſariò, præparationem à Scholaſticis Attritionem dici ſolitam ſufficere. Ideò Sacerdotem conferendo Sacramentum, baptiſmi, vel Abſolutionis reverà peccatorum remiſſionem dare, & ex injuſto juſtum facere.

ITa credere, ita loqui de Sacerdotis poteſtate undecim ſeculorum ſpatio nos docuerunt ſanctiſſimi Patres. Verba eorum intellectu facilia, de medio ſumpta, omnibus obvia, ut & verba Chriſti, *Quorum remiſeritis peccata, &c.* Si quis princeps alicui Miniſtro ſuo præſentibus iis, quorum intereſt, diceret, Cui remiſeris crimina in me, vel in alios commiſſa, iis remiſſa ſunto: Cui verò retinueris donec certas conditiones à te præſcriptas executi fuerint, retenta ſunto. Quis in ejuſmodi verbis cruces figeret? Quis Reorum crederet crimen ſuum abolitum ante veniam ab illo Miniſtro obtentam? Aut ſi quas illi leges indulgentiæ promerendæ poſuiſſet Miniſter, Num reus crederet crimen ſibi remiſſum, antequam leges illas adimpleſſet? Immò quis Reus legibus omnibus adimpletis crederet ſibi crimen remiſſum, antequam id Miniſtro probaſſet, & remiſſionis diploma ab eo impetraſſet? Eadem ratio Sacerdotum, quibus Chriſtus princeps remittendi peccata auctoritatem illis verbis contulit. Hac ſimilitudine, & ſimilibus Chriſti verba explicant Patres, & illuſtrant, ut Chryſoſtomus *lib.3. de Sacerdotio*, diffusè relatus hujus operis *lib.1. c.5.* Sanctus Eligius *homil.4.* Capitular. *lib. 5. cap.52.* multaque alia ejuſmodi, quæ *lib.1. cap.5.* & hujus *lib. cap.5.* referuntur.

II. Diu ſanè diſputatum eſt inter Catholicos, & Hæreticos Montaniſtas, & Novatianos de iſta Eccleſiæ poteſtate. Sed de intelligentia verborum Chriſti nulla quæſtio, nulla lis erat. Idem omnes per remiſſionem peccatorum intelligebant. Sed quod omnes pariter intelligebant, hi Eccleſiæ denegabant, illi concedebant. Finge animo virum ſapientem, cordatum, literarum peritum, ſed vel primis Philoſophiæ peripateticæ elementis non imbutum, omnia illa Chriſti verba erunt illi facilia, plana, expedita; nec eum magis perturbabunt, quàm ſi Rex aliquis eandem Miniſtro ſuo auctoritatem in ſubditos iiſdem verbis contuliſſet. Finge verò eundem Logices peripateticæ peritum, eaque verba ad quæſtionum, & principiorum ſuorum libellam examinantem, ſtatim innumeræ ebullient difficultatum ambages, de quibus *cap.* hujus *libri* 2.3.4. ſatis multa diximus. Plura de hiſce referre prohibet inſtituti noſtri ratio: Quapropter cæteris omnibus valere juſſis, Lectoris tantum ob oculos proponam celeberrimorum Scholaſticorum in hac cauſa ſententiam, cui tutò acquieſcere poterit.

III. Dominicus Soto poſt longas, & ſpinoſas de ejuſmodi quæſtionibus diſputationes, tandem in hunc portum ſe recipit, in *4. diſt.1. quæſt.3. art.1. Qui ſanè intelligere cupit, quomodo Sacramenta gratiam conferant, id primum conſtituat, oportet, fingendo nullam ejuſmodi qualitatem eſſe neceſſariam. Nam profectò Patres nunquam de illa diſputare cogitarunt. Immò res eſt non adeò antiqua, &c. Sed hoc tantùm à tempore Apoſtolorum docti, docere poſtmodum poſteros contendebant, quod Sacramenta novæ legis in hoc ſenſu gratiam conferrent, quod homines facerent Dei Amicos, ſive per qualitatem id fiat, ſive ſine illa, ut inter homines accidit.* Et in *diſt.6. quæſt.1. art.3. concluſ.2.* docet hanc propoſitionem, Baptizatis gratiam infundi, duplicem habere ſenſum, *Unum, quòd ſiunt Deo grati. Et hic ſemper fuit habitus tanquam fides Catholica, juxta verbum Chriſti, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, &c. Alter verò ſenſus eſt, quod illa gratia ſit qualitas ab homine diſtincta, divinitus concreata, qua fiat homo gratus, ſicuti eſt habitus ſcientiæ, & virtutis acquiſitæ. Atque hic ſenſus non eſt tanquam de fide uſque adeò antiquus; quoniam neque tam planè ex ſacra pagina colligitur. Nam ut diſt.1. q.3. explicavimus, nihil repugnat, hominem eſſe Deo gratum abſq; aliqua ſibi inhærente qualitate, ſicut ego gratus ſum Amico, eo ſolùm quod diligor ab illo.* Eadem poſteà docet de virtutum Theologicarum habitibus.

IV. Melchior Canus locorum Theologicorum *lib.7. c.2.* diſputationes Eccleſiaſticas in duo genera dividit, *Alterum earum rerum, quæ verè ad fidem ſpectant, doctrinamq; Catholicam: Alterum earum, quæ circa jacturam pietatis ignorari non ab imperitis modo, verùm etiam à doctis poſſunt, quod nec fidei dogmata ſunt, neq; ex illis derivantur.* Inter diſputationes ſecundi generis juſtificationem enumerat per gratiam habitualem, cæterorumq; habituum infuſiones, *An gratia, qua juſtificamur qualitas quædam ſit animo impreſſa, quæ ipſi præſtet eſſe, vivere; unde qualitates aliæ conſequantur, hoc eſt, virtutes quædam, tam Theologicæ, tam morales infuſæ, per quas animus divinas, & ſupernaturales habeat actiones, inter Scholaſticos quidem diſputatur. Item, an Sacramenta, quæ cauſæ gratiæ, & virtutum eſſe dicuntur, hujuſmodi effecta vi quadam, & qualitate inexiſtente divinitus indita efficiant, necne, magna multorum diſſenſione certari ſolet. Hujus verò generis quæſtiones in poſteriorum ego numerum redigo, neque ſacrarum literarum teſtimonia de his qualitatibus intelligenda eſſe exiſtimo; neq; controverſiam Catholicorum cum Pelagianis de gratia ad credendum, ad ſperandum, ad amandum, ad implendum legem, ad perſeverandum, de qualitatibus potiſſimùm eſſe, ſed de Dei auxilio gratuito, & ſpeciali.* Alias addit quæſtiones, de quibus ſimiliter ſcribit licere *ſalva fide, utrumlibet vel probare, vel improbare.* Eadem repetit Canus, ſed breviſſimè *relect. 4. de Sacramentis* poſt quintam concluſionem.

V. Bartholomæus Medina primariæ Cathedræ Salmantic. profeſſor in primam ſecundæ *q.110. art.2.* de tota doctrina iſta ſic cenſet, *Secunda concluſio, Non eſt certum ſecundùm doctrinam fidei, quod gratia ſit habitus infuſus in anima inhærens. Nam hoc non colligitur ex ſacris literis, neque ex traditione Eccleſiaſtica, neque ex definitionibus Conciliorum: Et Concilium Tridentinum locis ſupra commemoratis, ut rectè admonet doctiſſimus Pater* Soto *lib.2. de nat. & gratia c.18. conſultò abſtinuit à nomine habitus, ſed tantùm definivit hominem juſtificari per juſtitiam diffuſam in cordibus noſtris, quæ illi inhæreat.* Et paulò poſt in ſolutione objectionis. *Illud etiam advertendum, quòd illa juſtitia interior, & inhærens, & illa mutatio voluntatis, qua peccator ex pravo fit rectus, poteſt fieri duobus modis. Uno modo per infuſionem alicujus qualitatis ſupernaturalis in animum: alio modo poteſt fieri à Deo ſine infuſione alicujus qualitatis permanentis, ſed per ſolam actualem motionem divini auxilii, quod auxilium ſua efficacia convertit animum hominis à pravitate ad rectitudinem.* Alterutrum ſcribit ſufficere ad decretum Concilii Tridentini de juſtitia inhærente adverſus Hæreticos aſſerendum: *Utrùm verò Deus efficiat hanc interiorem renovationem per aliquam qualitatem permanentem, & infuſam, vel potius per ſolam motionem actualis auxilii divini Concilium Tridentinum non definit. Non enim illa quæſtio pertinebat ad id, quod erat propoſitum in Concilio.* In *quæſt.* autem 51. *art.4.* & in *q.62. art.1.* rationes reddit, ob quas non eſt neceſſarium ejuſmodi habitus animis infundi.

VI. Ruardus Tapperus *artic.7.* qui eſt de libero arbitrio, paulò poſt initium egregiè explicat gratiæ habitualis ab auxilio ſpeciali diſcrimen, utriuſque virtutem, & neceſſitatem: *Per hanc gratiam, quæ eſt ſanitas animæ, non agimus benè, niſi ratione virium, & virtutum, quæ ab eo ſicut potentiæ ab anima profluunt, & ſecundùm B. Petrum magis eſt habitus benè diſponens, & perficiens naturam, quàm ad operandum inclinans, ut habet magis probabilis Doctorum ſententia. Et ideò multùm ad opera pietatis conducit, ad quæ tamen non eſt neceſſaria, ſicut ſanitas corporis ad opera naturæ: motio autem divina ad bene operandum, ſicut oſtendimus, eſt neceſſaria.* Et paulò poſt, *Quantum ad gratiam habitualem, & virtutes infuſas communis eſt Doctorum ſententia, quòd ſine iis agere poſſumus omnia, quæ ſunt pietatis, & religionis Chriſtianæ.* Id probat Capreoli teſtimoniis, ex cujus ſententia, & ſua concludit, *Meriti rationem, & dignitatem Deo placentem opera habere ex motione Spiritus Sancti, non ex ſua ſubſtantia.*

VII. Joannes Vincentius è familia Dominicana Salmanticenſis Profeſſor, in *libro* de gratia Chriſti *q.1. concluſ.6.* ut eum refert Vaſquez, quærit, qua certitudine tenendum ſit, impium juſtificari per habitum, & reſpondet id ad fidem non pertinere; multiſque hoc probat, atq; in primis quòd per actum charitatis ſupernaturalis ex natura ſua poſſet juſtificari, & ſine habitu in anima mutatio fieri è ſtatu peccati in ſtatum juſtitiæ; quo explicato ſubjungit, *Eſt autem obiter advertendum, quòd ejuſmodi ſupernaturalis immutatio in adultis fit per proprium eorum actum, videlicet per actum charitatis, & dilectionis Dei ſuper omnia. Et exiſtimo, quanquam nonnulli ex novioribus Theologis contradicant, quod ipſe charitatis actus ex propria ſui natura, & ratione, vim habet efficiendi immutationem prædictam in voluntate creata, cujus ratione voluntas, etiamſi Deus non infunderet ei habitum charitatis, habitualiter maneret converſa ad Deum.*

VIII. Thomas Stapletonus vir doctiſſimus, & de Eccleſia Catholica præclaris ſuis ſcriptis in Hæreticos bene meritus eandem amplectitur ſententiam *lib.5. de juſtificatione c.8.* Nonnullas ibi quæſtiones de juſtificatione proponit, verbi gratia, quid ſit

illud,

illud, quo nobis inhærente formaliter ju… ſtamur, an habitus virtutum infuſi, atq; in nobis fixi, & im… atientes, an motiones animi rectæ, & continuæ: Utrum juſtitia, qua formaliter juſti ſumus, ſit obſervatio legis ex fide facta, an novitas intus operans, quas ſe præterire dicit, quia ſũt Scholaſticæ, & ab Hereticis non controverſæ, ac ideò nec olim, nec nunc à Concilio Tridentino definitæ. Albertus Pighius præcedente vix minus celebris *lib.5. de libero arbitrio, Gratiæ acceptionem variam non ex Scholis, ſed ex divinis ſcripturis petemus. Quandoquidem in illis ferè imaginantur gratiam Dei, vel eandem cum charitatis habitu, vel diſtiactam ab eadem. Quæ commentitia univerſa exiſtimo, nec ex ſcripturis ullam auctoritatem habere.* Dictum forſan intemperantiùs æquo. Tantus Scholarum conſenſus in habitibus ponendis; & Concilii Viennenſis ſententia, quæ eorum probabilitatem aſſerit, modeſtius excipi debuerat. Hanc ſententiam valdè probabilem fatetur, & à multis defendi ſcribit Becanus *p.2.* Summæ Theologiæ Scholaſticæ *tract.4.c.3.n.16.*

IX. Ludovicus Molina Theologus Societatis Jeſu hoc ſeculo celeberrimus, eadem, quæ præcedentes, ſed expreſſius hujus doctrinæ novitatem tradit, & velut illius natalium Epochen figit, *diſput.15. de Concordia gratiæ cum libero arbitrio, q.14. art.13.* Primum aſſerit, Patres probè cognitum habuiſſe, *Quouſque vires arbitrii noſtri ſeſe extenderent; quæ ſint ad ſalutem neceſſaria, ſive tanquam vitæ æternæ merita, ſive tanquam proximæ, vel remotæ diſpoſitiones ad juſtitiam, amicitiamque cum Deo comparandam, ſive etiam ad perſeverandam in gratia, legemque implendam.* Tutò ſanè quilibet Chriſtianus his acquieſcere poteſt, & quæ inſuper adinventa ſunt ſalva fide, & ſalute præterire: Nam, ut ait Tertulliaous, *Cum credimus, nihil deſideramus ultra credere. Hoc enim priùs credimus, non eſſe quod ultrà credere debeamus*; Niſi forſan quæ ad explicationem fidei recentiùs ab Eccleſiæ Doctoribus adinventa ſunt, & probata, Eccleſia disertè confirmaverit, & nobis tradiderit.

X. Poſteà deſcribit Molina, quæ Patres in ejuſmodi rebus ignoraverint, vel ſaltem non attigerint. Hæc Lectorem ſcire operæpretium mihi videtur: Ea enim ſunt quæ quotidie in Scholis magna animorum contentione diſputantur. *At verò utrùm ejuſmodi diſpoſitiones rationes formales haberent ſupernaturales, ut reipſa habent, an ſolùm ſupernaturali ope eſſent elicitæ, in ſe verò eſſent res naturales, neque erat ſatis cognitum, neque fortè in controverſiam vocatum. Multò minus illis in mentem veniebat, quoniam ſcripturæ id non doceat, an circa ejuſmodi actus, & diſpoſitiones præter rationes formales, & ſupernaturales, ſecundùm quas diſpoſitiones ſunt proximæ, vel remotæ ad gratiam, diſtinguendi eſſent actus merè naturales, qui vel ſimul elicerentur, vel certè ſeorſim, &c. Doctores autem Scholaſtici fuere, qui ſuis diſputationibus, longaque perſcrutatione lucem ejuſmodi rebus attulerunt.* Deinde enumeratione demonſtrat horum nihil mille, & centum annorum ſpatio cognoviſſe Patres, *Hæc ita ſe habere ſatis pro comperto habebit, qui Patres antiquos, Conciliaque antiqua evolverit, atque Eccleſiæ decurſum bis 1100. anni antea ctis conſiderarit, perlectiſque cujuſque ſeculi conciliis, ac Doctoribus attenta mentis ante proſpexerit modum, & tempora, in quibus variis ortis controverſiis continuis diſputationibus harum rerum notitia creverit.* Hanc cauſam allatis exemplis perſequitur.

XI. Eandem cum præcedentibus ſententiam ſæpiùs docet, & multis Doctorum coætaneorum auctoribus demonſtrat Gabriel Vaſquez Theologorum Scholaſticorum noſtro tempore, vt mihi quidem videtur, facilè princeps; atque inſuper in antiquorum Patrum, & Conciliorum lectione multò diligentiùs aliquando verſatus, quàm Theologorum Scholaſticorum, & Theoreticorum ferat conſuetudo. Nonnulla prætereà doctrinæ capita expreſſiùs ſuperaddit, quæ Lectorem apud eum legiſſe non pœnitebit: Veluti, nullam fuiſſe Sanctorum Patrum cum Pelagiano, & Pelagianorum reliquiis de gratia habituali controverſiam, ſed de ſolis gratiæ auxiliis; In hoc complures Scholaſticos ignoratione hiſtoriæ Pelagianæ erraſſe; quos inter S. Thomam recenſet: Peccatorem formaliter juſtificari poſſe per actum dilectionis Dei ſuper omnia nulla poſita gratia habituali: Gratiam habitualem ex parte principii non eſſe neceſſariò requiſitam ad totam legem ſervandam, ſed auxilia gratiæ ſufficere: Infuſionem gratiæ, ſanatiooem animæ, quæ ſæpiùs apud Patres occurrunt, de actibus intelligenda ſæpius quàm de habitibus: Hominem ex ſpeciali Dei auxilio mereri poſſe remiſſionem peccatorum, & primam gratiam habitualem, à nemine unquam erroris eſſe inſimulatum; nec inde ſequi ex operibus eum juſtificari, non gratia juxta ſenſum Pauli, eo quòd neget tantum contra Ethnicos, & Judæos hominem juſtificari operibus liberi arbitrii, aut legis: Gratiam habitualem ſine auxilio ſpeciali eſſe admodum debilem, & voluntatem, licèt ea inſtructam, opus habere ut ad actionem ſeſe accingat, aliunde excitari. Denique gratiam habitualem non eſſe neceſſariam ad vitandum peccatum mortale, ſufficere actualem excitantem, & adjuvantem, habitualem verò ad hoc parum conferre. Doctoris iſtius ſingula verba exſcribere, quibus propoſitiones iſtæ demonſtrantur, longioris eſſet operæ quàm ferre poſſit inſtituti noſtri ratio: Qui iſtarum rerum curioſus erit, legat ejus diſputationes *in primam ſecundæ d.187. cap.2.* totam, & longam *diſputat.203. Diſput.210.cap.8. diſputat.196.c.3.n.11.* & ſeq. *n.15. diſput.211. cap.3. n.17. diſp.218. cap.3. n.15. diſput.219. cap.1. n.34. In tertiam partem art.2.dub.3.n.17.* & alibi.

XII. Si viri ſuo tempore doctiſſimi, Petrus Pictavinus, Petrus Cantor Pariſienſis, Stephanus Anglicus, Præpoſitivus, atque alii Petri Lombardi diſcipuli, qui primi quæſtionum iſtarum ſemina jecerunt, Patrum antiquorum dicta potiùs quàm logices ſuæ ratiocinia conſuluiſſent, ſe ſuoſque ſucceſſores diſputationum laqueis pluſquam Chryſippeis liberaſſent, quos ſemel induti hactenus eorum diſcipuli exuere non potuerunt. Cum igitur viri tam graves, tantique in Eccleſia nominis, Sotus, Canus, Medina, Tapperus, Pighius, Stapletonus, Molina, Vaſquez hæc nos doceaot de antiquorum Patrum ſententia, & Scholaſticis de hac cauſa dogmatibus, experientiaque eos, qui in antiquorum lectione diligenter verſati ſunt, rem ita ſe habere convincat, æquum mihi viſum eſt nullo habito ad tam ingenioſas ſubtilitates reſpectu quæſtioni propoſitæ reſpondere. Ad id prætereà me adegit rei neceſſitas: Intra enim tempus, quod nobis circumſcripſimus apud auctores Eccleſiaſticos, ut Doctores illi anotaverunt, nihil ejuſmodi deprehendimus.

XIII. Antequam hanc de virtute Abſolutionis Sacerdotalis diſſertationem finiam præcedentibus vice coronidis adtexam difficultatis ſcitu digniſſimæ enodationem, quæ quanquam propriè non ſit, nec ratione Scholaſtica propoſita, nec ſoluta, omnium tamen, quæ hactenus propoſuimus, maximè mihi videtur ad rationem Scholaſticam accedere. Continet prætereà clariſſimum, & ſplendidiſſimum virtutis Sacerdotalis in Pœnitentem argumentum, adeò ut vel hoc ſolo teſtimonio cuivis non pervicaci de virtute iſta conſtare poſſit. Inter opera Ferrandi Diaconi extat difficultas ab eo propoſita S. Fulgentio de Æthiope Catechumeno, qui cùm baptiſmus differretur, in tam vehementem morbum incidit, ut ſine ullo ſenſibili rationis uſu baptizaretur. Preſsè admodum, atque ut ita dicam, Scholaſticè à Ferrando proponitur hæc quæſtio, & à Fulgentio diſſolvitur. Ut utriuſque vis, & pondus evidenter appareat, tria in gratiam Lectoris præſtabimus. Primum, quouſque in religione Chriſtiana iſte Catechumenus profeciſſet deſcribemus. Sic eum Fulgentius delineat Ferrandus, *Dominorum fidelium diligentia Sacramentis Eccleſiaſticis imbuendus ad Eccleſiam traditur, fit ex more Catechumenus: Poſt aliquantulum nihilominus temporis propinquante ſolemnitate Paſchali inter Competentes offertur, ſcribitur, eruditur. Univerſa quoque religionis Catholicæ myſteria veneranda cognoſcens, atque percipiens, celebrato ſolemniter ſcrutinio per exorciſmum contra Diabolum vindicatur, cui ſe renunciare conſtanter, ſicut hic conſuetudo poſcebat, auditurus Symbolum profitetur. Ipſa inſuper Sancti Symboli verba memoriter in conſpectu fidelis populi clara voce pronuntians piam regulam Dominicæ orationis accepit. Simulque jam, & quid crederet, & quid oraret intelligens.* Perfectus igitur erat non modo Catechumenus, ſed & Competens, intra ſex dies de more baptizandos.Intereà ægrotat: Dierum inquit brevitas perſuadet, ut ad fontem cum cæteris abluendus differatur. Cùm igitur advenit hora baptiſmi, *Tunc ille in extremo halitu conſtitutus ſine voce, ſine motu, ſine ſenſu, nihil valens Sacerdoti interroganti reſpondere, deferentium manibus apportatur, & pro eo nobis quaſi pro infante reſpondentibus, mente abſentiſſimus, accepit baptiſmum, quem ſe accepiſſe, poſt paululum mortuus, in hac præſenti, arbitror, vita, neſcivit.*

XIV. Occaſione quæſtionis propoſita ſecundum eſt nobis explicandum, hoc eſt, dubium quod in hiſtoria præcedenti Ferrandi animum agitavit, & de quo Fulgentium conſuluit. Dubitat an Catechumenus ille, adeò bene diſpoſitus baptiſmo Confeſſione aliena ſuſcepto, ſalutem æternam potuerit adipiſci. Dubitationis rationem reddit duplicem: Priorem, quod procul dubio multa vitia contraxerat præter illud quod de radice traxerat, & conſequenter eſſe improbabile eum ſalvari infantium inſtar ſine propria voluntate, quam, cum baptizatus eſt demonſtrare non potuit. Poſteriorem, dici poſſe præteritam Confeſſionem, & pietatem neſcienti tum meruiſſe ſalutem:

Sed

Digitized by Google

Sed hoc, inquit, *dicere dubito, ne quis mihi veraciter dicat, Ergo ſalvus eſſet, ſine ad ipſam tinctionem corporis perveniſſet, quoniam ſicut aſſeris, expiationis meritum per myſteria tranſacta meruerat.* Et paulò poſt, *Magna illicò ſequitur abſurditas, ut patetur illis tantùm myſteriis ſufficientibus, & ſalutem plenam conferentibus, aquam fontis æterni non renaſciturum ſuſcipere, ſed reatum.* Colligis evidentiſſimè hanc doctrinam in univerſa Eccleſia creditam, Actum baptiſmi, ſive tinctionem in baptizato gratiam ſalutiferam parere, Ferrando dubitandi cauſam graviſſimam dediſſe. Unde neceſſariò conſequitur, ſemper in Eccleſia creditum eſſe, diſpoſitionem illam, quæ in Scholis attritionis nomine vocatur ſuſcipiendo baptiſmo ſufficere, quatenus ſcilicet Attritio à rariſſima illa diſpoſitione diſtinguitur, quæ adeò vehemens eſt, ut Catechumenum Deo ante baptiſmum reconciliet.

XV. Verum ut hoc, quod eſt evidentiſſimum, clariùs adhuc eluceat, audiamus tertio loco quid S. Fulgentius reſpondeat. *Manifeſtum eſt, quòd ſicut officium credulitatis, & Confeſſionis pertinet ad Catechumenum, ſic effectus baptiſmatis pertinet ad Miniſtrum, & dum ab illo per veram fidem Confeſſio promitur, ſubſequenter eſt, ut illo tingente ſalutaris myſterii gratia peragatur.* Deinde hoc Eunuchi exemplo cùm probaſſet, ſubjungit, *Quia præceſſit Eunuchi confeſſio, ſubſequenter etiam in eo per Philippi miniſterium effectus Sanctæ regenerationis impletur.* Præparationem à baptizando poſtulat, ſed gratiam confert Miniſter per Sacramenti adminiſtrationem. Itaque cauſa gratiæ, & remiſſionis peccatorum non eſt ſuſcipientis præparationi tribuenda, ſed Sacramentum miniſtranti, hoc eſt ut ita loquar, formam in materiam legitimè præparatam inducenti. Licèt ſuſcepturi præparatio ſit Sacramento excipiendo idonea, nondum tamen ſuſcepturus eſt ad vitam æternam idoneus, niſi Sacramentum, ad quod ſufficienter, & legitimè præparatus eſt, reapſe ſuſcipiat.

XVI. Poſteà Fulgentius occurrit objectioni Ferrandi, quod ejuſmodi homo ſine baptiſmo ſalvaretur, *Non dicimus illum ſine baptiſmi Sacramento ſola confeſſione potuiſſe ſalvari. Qui enim crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Illum utique adoleſcentem, quia crediſſe, & confeſſum fuiſſe novimus, ideò per Sacramentum baptiſmatis ſalvum fuiſſe firmamus. Quiſi non baptizaretur, non ſolùm neſciens, ſed etiam ſciens nullatenus ſalvaretur. Via enim ſalutis in Confeſſione, ſalus in baptiſmate.* Et poſt aliqua. *Illa igitur myſteria, quæ ante baptiſma in Eccleſia geruntur, concipi ſpiritualem hominem faciunt, non renaſci. Hinc eſt quod perveniet ad ſalutem, ſi quem ſecunda nativitas educat in lucem. Ad quam lucem illis homo myſteriis præparatur, ſed baptiſmatis Sacramento perducitur. Hoc eſt, quod ſuperiùs dixi, in illis myſteriis eſſe ſalutis officium, in baptiſmate ſalutis effectum.* In Fulgentii verbis duo hæc non apparere, ſed fulgere mihi videntur. Prius, idoneam, & legitimam ad Baptiſmum diſpoſitionem ordinariam, & communem talem eſſe, ut eam aſſecutus, niſi baptiſmus acceſſerit, damnetur. Unde duo ſponte ſua conſequuntur, Diſpoſitionem illam, quæ vulgò dicitur Attritio ſufficere, eam verò quæ dicitur Contritio, nuſquam neceſſariò exigi; & eam ſic exigere, Sacramenti naturæ, & inſtitutioni adverſari. Poſteriùs ex priori conſequitur, Sacramentum propriè, & per ſe gratiam, & ſalutem operari, remiſſionem peccatorum dare, & Spiritum S. infundere, quod hactenus contendimus. Eadem autem eſt hac in cauſa Abſolutionis, quæ baptiſmi ratio, ut jam ſæpiùs dictum, & demonſtratum eſt, docentque omnes propè Scholaſtici.

XVII. Quapropter non ampliùs mirari debet Lector, cur ingruente mortis periculo, Pœnitentes, & Catechumeni, ut alios omittam, hi baptiſmum, illi reconciliationem tam ardentibus ſuſpiriis, tantis fletibus efflagitaverint, & ſibi procuraverint. Velim tamen Lectorem duorum eſſe monitum: Prius, per Attritionem nos non intelligere, ut nonnulli Scholaſtici, debilem aliquam diſpoſitionem animo, & corpore torpentem, ſed dolorem acrem, vehementem, ſeſeque ad Dei gratiam amplectendam fortiter moventem, quæ tamen Sacramento deſtituta juſtificare nondum poſſit. Ejuſmodi Attritio eſt Sacramento ſalutariter ſuſcipiendo idonea, & matura. Poſteriùs, quod de comparatione Abſolutionis cum baptiſmo diximus, non eſſe ita intelligendum, ut præparatio ad baptiſmum exæquet præparationem ad Abſolutionem excipiendam: Hæc enim debet eſſe illa longè ardentior, & operoſior, ut toto ferè *libro tertio* demonſtratum eſt. Sed in eo tantùm comparatio initur, quod neutra neceſſariò exigi debet, quæ hominem ante Sacramenti ſuſceptionem juſtificet.

CAPUT VIII.

Antiquitas ordinariam, & vulgatam Abſolutionis formulam fuiſſe deprecatoriam: poſt centum ſuprà mille annos aliquid indicativam formulæ deprecatoriæ addi cœptum. Tandem formula indicativa in Occidente ſola obtinuit. Hujus conſuetudine occaſio enarratur. Antiquiſſimos Patres formula deprecatoria uſos probatur. Manus impoſitionem orationi ſemper fuiſſe conjunctam ex ſcriptura, Patribuſque demonſtratur.

DEmonſtrata antiqua, & perpetua Eccleſiæ traditione de efficaciſſima Abſolutionis Sacerdotalis virtute ad Dei gratiam, & peccatorum remiſſionem impetrandam, hominemque peccatorem juſtificandum, inquirendum nobis videtur, qua verborum formula concipi, & enuntiari ſoleret Pœnitentium abſolutio, ſive reconciliatio; deinde cætera, quæ ad eam ſpectant, ordine quæque ſuo explicabimus. Formulam ordinariam Abſolutionis, ſive reconciliationis Pœnitentium fuiſſe deprecatoriam teſtantur quotquot hactenus legi, aut relata audivi antiquitatis Eccleſiaſticæ monumenta ad annum uſque ſalutis ducenteſimum ſupra milleſimum. In Ritualibus antiquis propè omnibus explicantur ritus Viſitationis, & Confeſſionis infirmorum; & ſeparatim eorum, qui proximi ſunt morti. Sed in utroque ritu omnia quæ ad reconciliationem pertinent, deprecatoria ſunt. Nonnulli Scholaſtici antiqui, & recentiores hanc formulam rationibus Scholaſticis improbarunt, ſed nullus mihi lectus eſt, qui improbationem auctoritate ſeculo adnotato antiquiore fulciret. Recentiores ipſi, qui antiquæ Patrum, & Conciliorum lectioni Prioribus diligentiùs incumbunt, licèt aliquando generaliter, & verbo tenus praxis hodiernæ rationem præcipuam ab antiqua conſuetudine repetant, id tamen dixiſſe contenti, nullo teſtimonio demonſtrant. Non te celabo, Lector, me in uno, aut altero antiquo Rituali, & in nonnullis recentioribus unam, aut alteram formulam indicativam decem, aut duodecim deprecatoriis permiſtam deprehendiſſe, unamquamque hunc titulum, *alia*, præfixum habentem. Illas loco ſuo diligenter, & lubenter admodum referemus: Varios enim auctores, & codices editos, & nondùm editos potiſſimum luſtravimus, ut experiremur, an aliqua nobis occurreret indicativa.

II. Verùm poſt ſeculum duodecimum legere cœpi quoſdam Doctores docentes indicativum modum deprecatorio ſubjungendum eſſe, ut gratia per orationem Sacerdotis impetrata, ſecuriùs poſteà per hæc verba, *Abſolvo te, &c.* Pœnitentem declarare poſſet juſtificatum. Scholaſticis enim ſuis ratiocinationibus, tria axiomata potiſſimùm collegerant, ex quibus id ſpontè ſequebatur. Primum, gratiam primam omnis meriti principium, quæ non cadit ſub meritum, quamque Deus producit in nobis ſine nobis, eſſe gratiam habitualem nos juſtificantem, & gratos Deo reddentem. Secundum, quod ex priore non malè concludebatur, Confeſſionem ut eſſet valida, & meritoria in charitate, ſive poſt juſtificationem, & veram Contritionem animo conceptam fieri debere, aut ſaltem finiri. Tertium axioma utriuſque præcedentis confectaneum eſt, Abſolutionem eſſe tantùm judiciariam declarationem Reo de remiſſione criminis ſui factam. An gratiam aliquam, & pœnæ temporalis diminutionem ſuperadderet ſententiæ iſtius abſolutoriæ pronuntiatio, nihil attinet hic conſiderare. Hoc tertium axioma primo eſt paulò antiquiùs: Illud enim ante primi admiſſionem à Theologis ſimiliter deducebatur ex animi Contritione peccatorum ante Confeſſionem, aut ſaltem ante Abſolutionem juſtificantem. Cùm igitur tempore adnotato hæc axiomata, præſertim duo poſteriora, in omnibus propè Scholis certa plurimis, rataque eſſent, nonnulli crediderunt veritati omninò convenire, ut abſolutio indicativo modo enuntiaretur. Non enim pro re facta Deus rogatur, ſed pro futura; Ante autem Abſolutionem Sacerdotis jam, ex eorum ſententia, Pœnitens apud Deum juſtificatus, & abſolutus eſt. Rogari igitur Deus, ut abſolvatur, non debet. Contra verò de homine innocente rectè in indicativo dicitur, ut Abſolvo te, ut omnium Judicum conſuetudo docet, atque etiam res ipſa: hoc eſt enim inquiſitione facta deprehendi te juſtum, & criminis purum, ideò auctoritate, qua fungor, abſolvo te, id eſt, declaro te juſtum eſſe, & innocentem, talemque haberi ab omnibus volo; atque in hujus rei argumentum, jus communicationis tibi concedo, non modò cum corpore Chriſti myſtico, ſed etiam cum verò. Cùm autem in illis initiis omnes deprecatoria uterentur formula, paucos quoſdam homines obniti, & repugnare, nec erat prudentiæ, nec tutum; ideò deprecatoriæ indicativam addere ſatis illis fuit. Paucis annis ita invaluit

hæc

hæc ſententia, ut vulgatum eſſet apud Doctores, utrumq; modum eſſe conjungendum; priorem, ut oratione Sacerdotis auxilium à Deo impetraretur Pœnitenti, ut ſufficienter ad Abſolutionem ſuſcipiendam contereretur; poſteriorem, ut jam contritus verè poſſet à Sacerdote abſolvi, & quod erat in cœlo ſolutum, in terra quoque ſolveretur. Tandem à nonnullis definitum eſt deprecatoriam illam formulam ad ſubſtantialem Abſolutionis formam nihil pertinere, ſed ſolam indicativam. Quo factum, ut omnes ordinariis precibus formulam adderent indicativam, ne ſaltem Sacramentum dubium conferrent, quod ante annum Chriſti 1300. non obtinuit. Inveteraſcente autem iſta conſuetudine Doctores celebres, & multi definierunt Abſolutionem deprecativo modo datam non valere. Mea quidem ſententia rectè: Non enim tantùm Concilia, aut Pontificum decreta leges abſolvendis peccatoribus præſcribere poſſunt, quorum prævaricatio irritam facit Abſolutionem, ſed etiam id poteſt conſuetudo Pontifice non improbante ſecundùm reſponſa Prudentum legitimè inducta. Verum Doctorum iſtorum multi ab eo principio irritandæ abſolutionis cauſam non derivarunt, ſed à ratione Grammatica, & deprecatoriæ ſignificationis naturam, quam ad abſolvendum ineptam judicarunt. Huic poſteriori rationi iiſdem temporibus plurimi ſeſe oppoſuerunt, licèt à priore non eſſent alieni. Hæc jam ſunt nobis ſigillatim hiſtoricè demonſtranda.

III. Quanquam rariſſimè, aut nunquam antiqui Patres, vel cùm ſcribebant, vel cùm canones condebant, formulas Abſolutionis referant, ſæpiſſimè tamen adnotant precibus Eccleſiæ, vel Sacerdotum Pœnitentes à peccatis abſolvi, peccata dimitti, nonnunquam Deum remiſſionis illius eſſe auctorem. Sacerdotes miniſterium tantùm precibus ſuis illi præbere, & alia ejuſmodi plurima, quæ nunc exſcribimus. Quod ad formulas Abſolutionis attinet, eas libris ritualibus, & Pœnitentialibus conſignarunt, è quibus, ut aliquando adnotant, repeti voluerunt. Cujus rei ratio Sacramentorum omnium formulis communis eſt, ne ſcilicet myſteria in vulgus emitterent, & margaritas porcis obtruderent. Eorum enim ſcripta in omnium manibus verſabantur, ſed rituales, Pœnitentialeſque libri Epiſcoporum, & Presbyterorum proprii erant, & in Eccleſiarum cimeliis conſervari. Hujus conſuetudinis plurima exempla dari poſſunt: Nunc ſatis eſto Innocentii I. verba breviſſima, quæ *cap. 3. Epiſt. 3.* habentur, huc referre. Interrogatus ab Eugubino Epiſcopo, an Presbyteris liceret infantes conſignare; Reſpondet hoc ſolis Epiſcopis licere, *Verba verò dicere non poſſum, ne magis prodere videar, quàm ad conſultationem reſpondere.*

IV. Verba illa in Sacramento Pœnitentiæ fuiſſe deprecatoria, ex multorum ſententia, teſtari videtur S. Jacobus *c. 5. verſ. 16. Epiſt. Coaſitemini ergo alterutram peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini: multùm enim valet deprecatio juſti aſſidua.* Origenes enim *homil. 2. in Levit.* S. Chryſoſt. *l. 3. de Sacerdotio*, Calliſtus Papa apud Burchard. *l. 18. c. 2.* Concilium Cabilon. *2. c. 33.* Hugo à S. Victore *l. 2. de Sacrament. p. 14. c. 1.* Bernard. *medit. c. 9.* Auctor libri de viſitatione infirmorum inter opera S. Auguſtini, *l. 2. c. 4.* hæc intelligunt de confeſſione, quæ fit Sacerdotibus, ut & multi alii antiqui, non ſecus ac recentiores innumeri. Peccata igitur precibus ſuis remittunt Sacerdotes. Deinde tantiſper ſepoſita antiquorum, & recentium auctoritate, verba Jacobi perpendamus: Juſſerat paulò ante ſi aliquis infirmaretur, Presbyteros advocari, ut infirmum ungerent, & pro eo orarent, *& ſi* (inquit) *in peccatis ſit, remittuntur ei.* Statim ex dictis colligit, *Coaſitemini ergo alteratram, &c. ἀλλήλοις, invicem, alii aliis*, hoc eſt Presbyteris de quibus verba facit. Si de aliis quàm de Presbyteris *alterutram* intelligatur, difficillimum erit conſequentiæ Apoſtolicæ rationem reddere. Præterea ratio, quæ additur, idem convincit, *Multùm enim valet deprecatio juſti aſſidua.* De quibuſdam igitur certis hominibus verba facit Jacobus, qui juſti ſunt, aut qui præ cæteris tales ſanè præſumi debent, quales præ omnibus Chriſtianis ſunt, aut eſſe debent Presbyteri. Non igitur poteſt intelligi illud, *alterutram*, de quibuslibet hominibus, cùm de remiſſione peccatorum agatur, cujus poteſtas ſpeciali Chriſti mandato, ut omnes norunt, Presbyteris commiſſa eſt. Verbi gratia Epheſ. 5. *v. 21.* ſcribitur, *Subjecti invicem ἀλλήλοις, alterutrum, in timore Chriſti*, Subjectio illa penes quoslibet non attenditur; ſed tantùm penes eos, quibus cōvenit ſubiici: nec enim pater ſubiicitur filio, aut vir mulieri. Sic Epiſt. Petri *c. 4. verſ. 9. Hoſpitales invicem ſine murmuratione.* Hoc non de omnibus intelligitur, ſed de iis tantùm, qui hoſpitalitatem exercere poſſunt. Sic, confitemini invicem, ſive alterutrum, hoc eſt, iis quibus peccata remittendi facultas conceſſa eſt. Sacerdotes igitur orationibus ſuis peccata remittunt ſibi confitentibus. Hoc inſuper demonſtratur eodem prorſus argumento, quo idem de extrema unctione demonſtrari poteſt: Eadem enim videtur conſequentia. Quapropter ſi ex hoc loco demonſtratur deprecatoriam formulam in Extrema unctione valere, eadem ratione idem de Confeſſione demonſtrabitur.

VI. Ejuſdem rei argumentum habemus S. Joannis Evangeliſtæ factum, à Clemente Alexandrino relatum in eo tractatu, quem inſcripſit, Quis ſit ille dives, qui ſalvatur, apud Euſebium *lib. 3. hiſt. c. 23.* De eo Adoleſcente res agitur, quem S. Joannes educandum, & inſtituendum commendaverat cuidam Epiſcopo, qui ab eo effugerat, & in prædonum ducem evaſerat, cujus hiſtoria ſupra à nobis enarrata eſt. Hunc Joannes adiit, & ad meliorem frugem convertit, *Mœrenti propter crimina & effusè flenti, Apoſtolus rata, & conſtanti aſſeveratione, ei ſe à ſervatore veniam, & remiſſionem peccatorum precibus ſuis impetraturum; atq; ad genua accidens ipſam manum dexteram, tanquam Pœnitentiæ ablutam, purgatamque oſculatus, illam ad Eccleſiam reducit. Crebris item precibus Deum pro illo invocat, continuis jejuniis unà cum eo ſe macerat, &c. nec priùs inde deceſſit, quàm illam Eccleſiæ reſtituiſſet.* Hæc Joannes Evangeliſta uniformiter his, quæ ſcribit in Epiſtola ſua prima *cap. 5.* Orandum eſſe pro iis, qui non peccant peccatum ad mortem, hoc eſt, peccata iis eſſe ab Eccleſia remittenda, quod orationibus totius Eccleſiæ, & potiſſimùm Sacerdotis, cùm erat Pœnitens abſolvendus, præſtabatur, ut interpretantur Patres illis temporibus proximi, atque etiam Hæretici Montaniſtæ, & Novatiani, ut ex iis, quæ ſequuntur, manifeſtum eſt.

VII. Eandem Eccleſiæ praxim teſtatur manus impoſitio, cum qua Pœnitentium reconciliatio ſemper celebrata eſt. Semper enim manuum impoſitioni Sacerdotali apud antiquos Patres conjuncta eſt oratio. Clemens Romanus *libro 2.* Conſtitut. *cap. 41. Ut Ethnicum baptiſmo lotum poſt doctrinam admittis, ſic hunc per manus impoſitionem, utpotè factum mundum pœnitendo, cunctis pro eo deprecantibus in antiqua paſcua reſtitue, eritque ei loco lavacri manuum impoſitio.* Et ejuſdem *lib. c. 18. Eum, qui luxit, recipe, cuncta Eccleſia pro eo deprecante, & manu impoſita ſine eum in Eccleſia eſſe.* Satis fuit illi manus impoſitionem expreſſiſſe: Hinc enim ex perpetuo uſu colligebat, unuſquiſque precem aliquam ei conjunctam eſſe. Nam ut ſcribit *c. 45. lib. 7. Invocatio in unaquaque re virtus eſt manus impoſitionis: Niſi enim in unumquodque horum ejuſmodi invocatio fiat à pio Sacerdote in ſolam undam, at Judæus deſcendit, qui baptizatur, & deponit tantùm ſordes corporis non animæ.* Evidentius adhuc S. Auguſtinus *lib. 3. de baptiſmo* contra Donatiſtas *c. 16. Quid eſt aliud manus impoſitio, niſi oratio ſuper hominem?* S. Leo *Epiſt. 92.* manus impoſitionem, & orationem velut unum, & idem permutat, eo quod orationi manus impoſitio ſit ſemper conjuncta. Dicit alienum eſſe à conſuetudine Eccleſiaſtica Presbyteros, & Diaconos *pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipere pœnitendi.* Qua verò ratione id probat? quia non licet pro iis orare. *Quod ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit, ſecundùm quod ſcriptum eſt, Sacerdos ſi peccaverit, quis orabit pro eo?* Illi igitur manum imponere, & orare idem ſunt. Hujus rei varia argumenta legere potes capite ſequente ex Capitularibus petita. Non igitur ſufficit manus impoſitio, niſi oratio conjungatur. Hujus rei praxim legere eſt in magna libri ſexti parte, ubi de manus impoſitione facta Catechumenis, Energumenis, Pœnitentibus, & ſingulis ordinandis verba fiunt. Semper enim ei conjungitur oratio myſtica, nihilque prætereà: Nec aliàs unquam legitur facta ſine oratione manus impoſitio. Ideò ſæpè antiqui auctores Eccleſiaſtici manus impoſitionem uſurpant nulla orationis facta mentione.

VIII. Conſuetudo iſta è ſcriptura ſacra in auctores Eccleſiaſticos derivata eſt, Matt. 19. *v. 14. Tunc oblati ſunt ei parvuli, ut manus ei imponeret, & oraret.* Poſteà additur, *& cùm impoſuiſſet eis manus, abiit inde.* Subaudiendum ſanè, & ſuper eos oraſſet, licet additum non ſit; S. Marcus *c. 10. v. 16.* ſupplevit. *Et imponens manus ſuper illos, benedicebat eos.* Actor. *6. v. 7. Hos ſtatuerant ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt ei manus.* Ex *cap. 13. v. 3. Tunc jejunantes, & orantes, imponenteſque eis manus, dimiſerunt illos.* Lucæ ultimo *v. 50. Et elevatis manibus ſuis benedixit eis.* In aliis locis ubi manus impoſitionis ſine oratione mentio fit, ea ſubaudienda eſt, ut Marci ultimo, *Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Hoc nos docet Paulus Act. 28. *verſ. 8. Ad quem Paulus intravit; & cùm oraſſet, & impoſuiſſet ei manus, ſalvavit eam.* Actorum prætereà 8. *v. 17. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum?* Nunquid ſola erat actio impoſitionis manuum? *verſ. 15.* dixerat. *Qui cùm veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum.* Oratione per

impo-

impoſitionem manuum Spiritum S. ſuper baptizatos invocabant. Ideò quod dicitur verſu ſequente per impoſitionem manus Apoſtolorum dari Spiritum Sanctum. Impoſitio manus Synecdochicè orationem complectitur. Ita enim ſemper uſurpavit Eccleſia, ut teſtatur S. Cyprianus *Epiſt.73.* ad Jubajanum, ubi hunc ipſum actorum locum enarrans ſcribit, eo quod baptiſmus à Philippo Diacono collatus eſſet legitimus, iteratum non fuiſſe, ſed tantummodo quod deerat à Petro, & Joanne additum fuiſſe. Quid verò deerat? *Ut oratione pro eis habita, & manu impoſita invocaretur, & infunderetur Spiritus Sanctus.* Statimque addit, quod lectori eſt maximè attendendum, *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem, ac manus impoſitionem Spiritum S. conſequantur, & ſignaculo Dominico conſummentur.* Sed de hac oratione Sacramentali, & de iis, quæ ipſi poſteà addita ſunt, multis infra loquemur. Eadem Synecdoche multis aliis locis ſubaudienda eſt, ut Act.9.17. Marci *6.5.* & 8.*verſ.*23. Luc.13. *verſ.*13.

IX. Alia ratio videtur ſimplicis contactus manus miraculi patrandi cauſa. Sæpè enim Dominus noſter, & ejus diſcipuli miracula perpetrarunt non impoſitis manibus, hoc eſt, non elevatis, & capiti impoſitis manibus, ſed ſolo manus, vel digiti contactu, vel etiam nullo contactu, ſed ſolo verbo. In his caſibus oratione, ut plurimùm, non utebantur, ſed imperio, vel verbis indicativis, vel præteritis, ut tunc factam enuntiantibus. Hunc ritum Chriſtus Dominus noſter, & Apoſtoli ab antiquis Judæis, & Patriarchis mutuati ſunt. Jacob enim filiis Joſeph benedicturus manus ſuper eorum capita imponit, orationemque ſuper eos fundit, Geneſ.48. Moſes quoque Joſuam populo præpoſiturus in omnium conſpectu Deo jubente manus illi imponit, Numer. *cap.27.* & qoanquam ibi finis interior non exprimatur, Spiritus S. ſcilicet communicatio, Deuteronomii tamen *cap.ultimo* disertè adnotatur, *Joſue verò filius Nun repletus eſt Spiritu S. quia Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas.*

X. S. Cyprianus in libello de Lapſis ad eundem orationis ritum ſæpè alludit. Invehitur ſatis acriter adverſus quoſdam Martyres, qui imprudenter Lapſis pacem redhiberi volebant ante Pœnitentiam actam, nonnunquam ante inceptam, docetque, ad veniam obtinendam multis opus eſſe lachrymis, & jejuniis; & ideò Deum Epiſcopis orantibus veniam negare, eo quòd ii, pro quibus orarent, nondum ſeſe ſanctis operibus legitimè diſpoſuiſſent. Hoc probat, & illuſtrat primum Moſis exemplo, qui pro populo deprecans exauditus non eſt. Exod.32. Deinde Hieremiæ, cui dicit Dominus *c.7. Noli orare pro populo hoc, & noli poſtulare pro eis in prece, & oratione, quia non exaudiam in tempore, quo invocabunt me.* Affert prætereà exempla Noè, Danielis, & Jobi: *Nec his*, inquit, *ſi rogarent conceſſurum ſe Deus dixit.* Et tandem concludit, *Adeò non omne quod petitur in præjudicio petentis, ſed in dantis arbitrio eſt. Nec quidquam ſibi vindicet humana ſententia, niſi annuat & cenſura divina.* Tandem verſus libelli finem Lapſos exhortatur, ut non obſtantibus Martyrum libellis diligenter agant Pœnitentiam, ſicque reddant ſe dignos, quibus ad veniam obtinendam Eccleſiæ preces valeant. *Quæſo vos fratres, acquieſcite ſalubribus remediis, conſiliis obedite melioribus, cum lachrymis noſtris veſtras lachrymas jungite, cum noſtro gemitu veſtros gemitus copulate. Rogamus vos, ut pro vobis Deum rogare poſſimus; preces ipſas ad vos prius vertimus, quibus Deum pro vobis, ut miſereatur, oramus. Agite Pœnitentiam plenam, &c.* Eodem referendum eſt, quod toties inculcat, communicationem, pacem, veniam dari per impoſitionem manus Epiſcopi, & cleri ſuper pœnitentes, *Epiſt.*11.12.13.14.15.&c. Semper enim, ut demonſtratum eſt, manus impoſitio orationi conjungebatur.

XI. Idem ritus pari modo ex Tertulliani *libro de pudicitia c.2.* colligitur. Contendit eo libro adverſus Catholicos gravioribus peccatis veniam ab Eccleſia dari non poſſe, eo quòd Deus Hieremiæ prohibuit, ne pro populo peccatore deprecaretur; Deinde ex eo, quod ſcribit Joannes *Epiſt.*1. *cap.*5. *Pro peccante ad mortem non eſſe orandum, ſi quis ſcit fratrem ſuum delinquere delictum non ad mortem, poſtulabit, & dabitur vita ei; qui non ad mortem delinquit, hoc erit remiſſibile. Ita ubi eſt poſtulationis, illic etiam remiſſionis. Ubi nec poſtulationis, ibi æquè nec remiſſionis.* Illi, ita & Catholicis; (nam erat utriſque commune hoc principium,) oratio pro peccato, illiuſque venia, & remiſſio, unum & idem erant. Non licet pro peccato rogare, hoc eſt, non licet peccatum remittere; licet rogare, licet ergo remittere. Ratio eſt; quod omnis remiſſio Eccleſiaſtica per orationem fieri ſolebat. Ejuſdem *libri cap.*19. enumeratis peccatis, quæ judicabat remiſſibilia, infert, *Horum ergo erit venia per exoratorem Patrem Chriſtum.* Deinde irremiſſibilibus enumeratis addit. *Horum ultra exorator non erit Chriſtus*: Quia ex utraque ſententia horum jam exorator fuerat in baptiſmo. Alludit ad Eccleſiæ conſuetudinem, qua remiſſio peccatorum per orationem Epiſcopi, & Cleri concedebatur. Hoc aotem opus Chriſto Eccleſiæ capiti tribuebatur. Ita in *libro de Pœnitentiæ cap.*10. de remiſſione peccatorum per Eccleſiam conceſſâ loquitur, *Cùm te ad fratrum genua protendis, Chriſtum contrectat. Chriſtum exoras. Æquè illi cùm ſuper te lachrymas agunt, Chriſtus patitur, Chriſtus Patrem deprecatur: facilè impetratur ſemper, quod filius poſtulat.* Per Eccleſiam, & cum Eccleſia Chriſtus veniam nobis precatur, & obtinet, quia, ut ait Tertullianus, facilè ſemper impetratur, quod filius poſtulat. Simili Synecdoche cauſæ pro effectu utitur Apoſtolus Rom.8. *Quid oremus, ſicus oportet neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, &c. quia ſecundùm Deum poſtulat pro ſanctis.* His ſanè nullum ſubeſſet fundamentum, niſi peccatorum remiſſio oratione conceſſâ fuiſſet.

XII. Meliorem Tertulliani interpretem dare non poſſumus quàm S. Pacianum. Parænesim ſuam ad Pœnitentiam verbis è libro Tertulliani de Pœnitentia magna ex parte contexuit, & inter cætera locum è Tertulliano allatum fusè repetiit, & clarius expreſſit: *Quod ſi fratrum oculos erubeſcitis, conſortes caſuum veſtrorum timere nolite: Nullum corpus membrorum ſuorum vexatione lætatur, pariter dolet, & ad remedium conlaborat. In uno, & altero Eccleſia eſt; in Eccleſia verò Chriſtus. Atque ideò, qui fratribus peccata ſua non tacet, Eccleſiæ lachrymis adjutus, Chriſti precibus abſolvitur.* Et aliquantò poſt, admonens Pœnitentes omnia tentanda eſſe ad veniam peccatorum impetrandam, hæc aliis addit, *Tenere præterea pauperum manus, viduas obſecrare, Presbyteris advolvi, exoratricem Eccleſiam deprecari, omnia prius tentare quàm pereas.* Eccleſiam exoratricem vocat, quia precibus ſuis veniam nobis exorat. Sic Chriſti precibus dixit nos abſolvi, eo quòd Chriſto tribuitur, quod Eccleſia facit: In Eccleſia enim, ut ait, Chriſtus eſt. Quæ verba, ut alia, ex Tertulliani loco citato exſcripſit. Et *Epiſtola* 3. ad Sympronianum, cùm qua de auctoritate Eccleſiæ in remittendis peccatis diſputat, tandem concludit, *Jam intelligitis Novatiani, Deum poſſe miſereri; jam miſeris fratribus de præterito confitentibus, vel ſeram patere medicinam, jam vulneratum illum à Levita, & Sacerdote præteritum, per Chriſtum poſſe curari, jam Eccleſiæ preces humilibus non negandas, jam manus Sacerdotum miſerandis fratribus exhibendas.* His variis propoſitionibus rem unam, & eandem adverſus Novatianos colligit, Peccatoribus Pœnitentia functis veniam eſſe redhibendam. Quod, quantum ad Eccleſiam attinet, non aliter quàm oratione, & manus impoſitione fieri teſtatur.

XIII. Confirmat quoque Pacianus eadem Epiſtola, quæ ex S. Cypriano collegimus. Obiiciebat Paciano Sympronianus, quæ ex Cypriano retulimus, Moſen, Hieremiam, &c. pro peccatoribus Deum oraſſe, ſed exauditos non fuiſſe, ut probaret, Cyprianum credidiſſe certis criminibus dandam non eſſe abſolutionem. Contraria planè univerſo tractatui Cypriani conſequentia, cùm totus ſit in demonſtrando ex iis argumentis, & aliis multis contra Lapſos pœnitentiam agere nolentes, veniam tantùm à Deo dari poſt actam Pœnitentiam, & ibidem acriter invehatur in Novatianum hoc inficiantem. Sed vel hinc manifeſtiſſimum eſt, & Sanctum Cyprianum, & Sanctum Pacianum, & Novatianum iſtum per orationes illas Eccleſiæ nihil aliud intellexiſſe, quàm Abſolutionem, & reconciliationem. Sed ipſum Pacianum audiamus: Cyprianus *cùm Lapſos ad Pœnitentiam cogeret, qui pœnitere nolebant, dicentes à Confeſſoribus, ſive Martyribus accepiſſe ſe pacem, docuit, & oſtendit, quòd nec Patriarchæ illi pro non pœnitentibus impetrarent, &c. Quod utique cùm diceret, ad Pœnitentiæ cogebat remedia.* Deinde probat, eos tandem precibus ſuis impetraſſe pro iis, qui animo convertebantur. *Cæterùm Noè domum ſuam à ruina publica liberavit; & Job recepit cuncta, quæ perdiderat; & Daniel inſtantem illum ſapientibus Babyloniæ gladium oratione decuſſit. Loth certè pro ſalute oppidi, Paulus pro vectoribus navis orat. Sic abſolvuntur juſti, qui pœnitere noverunt.* Denique alio argumento Novatianum urget ex ipſius confeſſione. His juſtis licuit pro aliis orare, ut ex textu, & veſtra Confeſſione manifeſtum eſt. Quare igitur vos Eccleſiam Catholicam pro Pœnitentibus Deum rogantem arguitis, *Ipſi utique, qui pro peccatoribus deprecantur, impunè pro talibus poſtulabunt. Et cur Eccleſiam damnas? Cur pro Pœnitentibus prohibes deprecari, ſi etiam pro his petere licèt, pro quibus non licet impetrare?* Evidens videtur illis Patribus orare pro aliquo Pœnitente, ut reconcilietur, eſſe peccata illi remittere, unumque

alio,

Digitized by Google

alio, ut *ἰσοδυναμοῦντα*, eos ſemper permutare. Nec hoc videbitur alicui durum, aut intellectu difficilè, qui quoslibet Pœnitentiales libellos ante annos quadringentos Latinè compoſitos vel leviſſimè luſtraverit, cùm omnes pro reconciliatione Pœnitentium nihil aliud, quàm varias orationes, & certum earum recitandarum ordinem nobis exhibeant. Græcos prætermitto, qui hunc diem nihil aliud continent.

CAPUT IX.

Idem demonſtratur ex Patribus, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, aliiſque Doctoribus ad annos aliquot ſupra milleſimam, & ducenteſimum. Media quædam formula indicativum modum deprecativo conjungens quando uſurpari cœpit, & deſiit.

IDem argumentum adverſus Novatianos perſequitur Sanctus Ambroſius, quod S. Pacianus. Obiiciebat Ambroſio, id quod dicitur Reg. *cap.2. Si peccaverit homo in hominem, orabunt pro eo ad Dominum: Si autem in Dominum peccaverit homo, quis orabit pro eo?* Hinc colligebant peccatis dandam non eſſe veniam, nec diffitebantur Catholici nominis acceptionem. Utrique enim oratione peccatores reconciliabant, Catholici quorumlibet criminum, Novatiani levium tantum Reos. Quid ad hoc Sanctus Ambroſius *lib.1. de Pœnit. c.8.* ſcriptum non eſt, inquit, *Nullus orabit pro eo, ſed, quis orabit, hoc eſt, quis ille ſit, qui in tali cauſa orare poſſit, quæritur, non excluditur.* Deinde hoc illuſtrat multis ſcripturæ teſtimoniis, in quibus ſic quæritur quis aſcendet, quis habitabit, quis requieſcet. Quis fidelis diſpenſator, &c. Pſalm.14. Pſal.23. Lucæ 12. & poſteà indicatur, quis hoc ſit facturus, *Ut ſciat, quia cum dicitur, quis, non intelligitur nullus, ſed aliquis ſignificatur.* Tandem colligit, *Similiter igitur accipiendum, quis orabit pro eo? Hoc eſt, ſingularis vitæ aliquis debet orare pro eo, qui peccavit in Dominum, quia quà major culpa, eò majora ſunt quærenda ſuffragia. Non enim quicunque de vulgo pro Judæorum populo, ſed Moyſes rogavit, &c. quod rogavit, & meruit, & impetravit. Quid enim talis affectus non impetraret, quando ſe objecit pro populo dicens. Et nunc ſi dimittis illis peccatum, dimitte, &c. Vides, quia non tanquam delitioſus interceſſor, & faſtidii plenus ſibi conſulit, ne offenſionem contrahat, quod Novatianus metuere ſe dicit, &c. Meritò ergo ſcriptum eſt, quis orabit pro eo? hoc eſt talis qualis Moyſes, &c. talis qualis Hieremias, &c.* Demum initio *cap.9.* ſeſe recolligit, *Tales igitur deprecatores in delictis maximis ſunt requirendi. Nam ſi quicunque de populo orent, non exaudiuntur.*

II. Reſpondet Ambroſius eodem modo verbis ex *cap.5.* Epiſt. S. Joannis, *Eſt peccatum ad mortem, non de illo dico ut oret*, quæ Novatiani obiiciebant: *Non enim*, inquit, *ad Moyſen, & Hieremiam loquebatur, ſed ad populum, qui ſuorum peccatorum alium precatorem deberet adhibere, cui ſatis eſt, ſi pro levioribus delictis Deum precetur, graviorum veniam juſtorum orationibus reſervandam putet.* Deinde multis exemplis docet pro gravioribus etiam ab ipſo Joanne oratum fuiſſe. Hinc forſan mos antiquus emanavit leviora peccata Laicis confitendi, graviora tantum Sacerdotibus. De hoc more dictum eſt *cap.32. libri quinti.*

III. Remiſſionem peccatorum oratione Sacerdotali datam fuiſſe, evidenter videtur quoque demonſtrari ex initio *cap.17.* ubi cùm citaſſet verba Pauli 2.Cor.2. Satis eſt ei, qui talis eſt, objurgatio hæc, quæ fit à pluribus, &c. *Si ſatis*, inquit Ambroſius, *ad condemnationem eſt objurgatio, quæ fit à pluribus, ſatis eſt quoque ad remiſſionem peccati obſecratio, quæ fit à pluribus.* En qua ratione tum peccatorum veniam concedebant. Similiter *lib.2. c.10. Fleat pro te mater Eccleſia, & culpam tuam lachrymis lavet, videat te Chriſtus mœrentem, ut dicat, beati triſtes, quia gaudebitis. Amat, ut pro uno multi rogent. Denique in Evangelio motus viduæ lachrymis, quia plurimi pro ea flebant, filium ejus reſuſcitavit.* Diſtinctiùs hoc explicat *lib.3. de Spiritu Sancto, cap.19.* ubi diſtinguit rationem, qua Apoſtoli peccata remittebant ab ea, qua ea remittit Spiritus Sanctus. Dubitari non poteſt, inquit, Spiritum Sanctum peccata remittere, *Cùm ipſe Dominus dixerit, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt. Ecce quia per Spiritum S. peccata donantur. Homines autem in remiſſione peccatorum miniſterium ſuum exhibent, non jus alicujus poteſtatis exercent. Neque enim in ſuo, ſed in Patris, & Filii, & Spiritus S. nomine peccata dimittuntur. Iſti rogant, divinitas donat; humanum enim obſequium, ſed munificentia ſupernæ eſt poteſtatis.* Duobus argumentis probat homines miniſterialiter peccata dimittere; quia non in nomine ſuo, ſed S. Trinitatis, deinde quia rogantes dimittunt.

IV. S. Hieronymus in Pſalm.28. hæc verba, Vox Domini intercidentis Flammam, cum varias horum verborum interpretationes attuliſſet, hanc ſubjungit, quæ ad Confeſſionis, & Abſolutionis virtutem pertinet, *Vel quotidie in unoquoque noſtrum flammam libidinis per Confeſſionem, & gratiam S. Spiritus intercidit, id eſt per orationem Sacerdotis facit ceſſare: ſicut legimus per Aaron Deum feciſſe in deſerto.* Alludit ad id, quod legitur Numeror.16. ſtans inter mortuos, & viventes pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſavit.

V. Sancti Auguſtini *homil.49. ex 50. cap.3. Si præter uxores veſtras cum aliqua concubuiſtis, agite Pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia, ut oret pro vobis Eccleſia. Nemo ſibi dicat, occultè ago, apud Deum ago, &c. Ergo ſine cauſa dictum eſt, quæ ſolveritis in terra, &c.* Agitur Pœnitentia in Eccleſia, ut ipſius oratione indulgentiam à Deo obtineamus, & peccatorum noſtrorum vincula diſſolvantur. Et *c.10. libri de vera, & falſa Pœnitentia*, ubi docet, confitendum eſſe Sacerdoti diſcreto, atque in neceſſitate Laico, quid valeant Confeſſio, & Abſolutio, ſcribit, *Laboret ergo Pœnitens in Eccleſia eſſe, & ad Eccleſiæ unitatem tendere. Niſi enim unitas Eccleſiæ ſuccurrat, niſi quod deeſt peccatori ſua oratione compleat, de manibus inimici non eripietur anima mortui.*

VI. *Libro 3. de baptiſmo* contra Donatiſtas *c.16.* Manus impoſitionem definit, *Manus autem impoſitio non ſicut baptiſmus repeti non poteſt. Quid eſt enim aliud niſi oratio ſuper hominem?* Statim poſt illa verba mentionem facit poteſtatis à Chriſto datæ peccata ſolvendi, quæ non modò ad columbas refertur, ſed etiam ad accipitres, id eſt, malos Sacramentorum miniſtros, quorum orationibus peccata ſolvuntur, *An fortè per orationes Sanctorum ſpiritualium, qui ſunt in Eccleſia, tanquam per columbæ gemitum creberrimum, magnum geritur Sacramentum, & occulta diſpenſatio miſericordia Dei, ut eorum etiam peccata ſolvuntur, qui non per columbã, ſed per Accipitrem baptizantur, ſi ad illud Sacramentum cum pace Catholicæ unitatis accedunt? Quod ſi ita eſt, cur non ergo per eorum orationes, cum quiſque ab hæreſi, aut Schiſmate ad pacem Catholicam venit, ejus peccata ſolvuntur?* Et paulò poſt, *Nec in hæreſi, aut ſchiſmate conſtitutum Sanctorum orationes, id eſt, illius unicæ columbæ gemitus poterunt adjuvare, ſicut nec intus poſitum, ſi adversùm ſe ipſe per vitam peſſimam teneat debita peccatorum.* Et *c.18.* enarrans illud vulgatum Joan.20. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, dicit pacem Eccleſiæ peccata dimittere, *Non ſecundùm arbitrium hominum, ſed ſecundùm arbitrium Dei, & orationes Sanctorum ſpiritualium.* Et poſteà docet eos, qui in Eccleſia cum gemitu tolerantur, licèt tum ad unitatem columbæ non pertineant, *Tamen ſi corrigantur, & ſe peſſimos ad baptiſmum acceſſiſſe fateantur, non rebaptizantur, ſed incipiunt ad columbam pertinere, per cujus gemitus peccata ſolvuntur.* Eccleſiæ orationes per columbæ gemitus intelligit, ut paulò poſt clarius adhuc interpretatur, *Remiſſam tamen peccatorum non dabant, quæ per orationes Sanctorum, id eſt, per columbæ gemitus datur, quicunque baptizet, ſi ad ejus pacem illi pertinent quibus datur.* Vim, virtutemque Sacramentorum Baptiſmi, & Pœnitentiæ tam Catholici, quàm Donatiſtæ in Eccleſiæ, & Sacerdotis orationibus reponebant: In eo contentio potiſſimum erat, quod hunc effectum ratione baptiſmi in ſola Eccleſia produci aſſerebant Donatiſtæ, extra Eccleſiam verò Catholici. Deinde effectus Sacramentorum à Miniſtrorum ſanctitate pendere perperam affirmabant Donatiſtæ, quos *lib.5. cap.20.* refutans, hæc habet propoſito noſtro accommodata, *Si ergo ad hoc valet, quod dictum eſt in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur; quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper aquam baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum, quibus manus imponitur? Quæ omnia tamen fiunt, & valent, etiam per Homicidas.*

VII. Mihi videtur deduci clariſſimè ex ſermone Sancti Auguſtini de muliere peccatrice, qui eſt 23. *in libro* 50. Homiliarum, Sacerdotes peccatorum Abſolutionem non donaſſe indicativè ſecundùm hanc formulam, abſolvo te, vel dimitto tibi peccata: Eo quòd ſi ejuſmodi formula ab Eccleſia, ſaltem Africana, uſurpata fuiſſet, totum Sancti Auguſtini argumentum corruiſſet, nec ulla eſſe potuiſſet ſic argumentandi vel leviſſima occaſio. Sic diſſerit Sanctus Auguſtinus *cap.7.* & ſequentibus adverſus nonnullos, qui audacter jactabant, Ego peccata dimitto, ego juſtifico, ego ſanctifico, &c. Primum argumenti ſui hoc fundamentum ponit, ſolum Deum peccata dimittere. Hinc, colligit mulierem illam peccatricem Chriſtum credidiſſe Deum, eo quòd ad eum acceſſit remiſſionem peccatorum ab eo petitura. Deinde enarrans Judæorum aſſidentium dubitationem, dicentium in corde ſuo,

Quis

Digitized by Google

Quis eſt iſte, qui etiam peccata dimittit, notat, Chriſtum non dixiſſe, Ego ſum filius Dei, verbum Dei, *Non hoc dixit, ſed in eo qaod patabant, eos manere permittens, ſolvit quæſtionem, & motus illoram*, Qua verò ratione ſolvit quæſtionem, & eos ſinit eſſe in cogitatione, quam de eo conceperant? cùm, inquit, remiſſionem peccatorum mulieri factam non ſibi, ſed fidei tribuit. *Iſti, qui dicaat, Quis eſt iſte, qui etiam peccata dimittit; Qui me putant hominem, hominem patent, fides taa te ſalvam fecit*. Hoc modo loquens Judæos in humili, quam habebant de ipſa cogitatione reliquit. Ideò noluit dicere, Ego te abſolvo, ego tibi dimitto peccata, Ego te juſtifico.

VIII. Hinc occaſionem capit eos arguendi, qui his loquendi modis utuntur, *Medicas bonus ægros non ſolùm præſentes ſanabat, ſed & futuros etiam prævidebat. Futuri erant homines, qui dicerent, Ego peccata dimitto, ego juſtifico, ego ſanctifico, ego ſano quemcunque baptizo, Ex ipſo munere & iſti ſuat, qui dicunt noli me tangere, &c.* Hac in parte dicit eos eſſe Phariſæis ſimiles; *Sed in eo*, inquit, *melior Phariſæus, quia cùm putaret hominem Chriſtum, non credebat ab homine poſſe dimitti peccata*. Poſteà comparat formulam, qua ejuſmodi homines utebantur in danda peccatorum remiſſione, cùm ea, qua Chriſtus uſus eſt, dum putaretur homo, atque ex iſta comparatione iſtorum hominum inſolentiam arguit, *Judæi dixeraat, Quis eſt hic, qai etiam peccata dimittit? Audet ſibi homo hoc uſurpare? Quid contra hæreticus? Ego dimitto, ego mundo, ego ſanctifico. Reſpondeat illi, non ego, ſed Chriſtus. O homo, quando ego à Judæis putatas ſum homo, dimiſſionem peccatorum fidei dedi. Non ego; reſpondet ſibi Chriſtus. O Hæreticè, tu cùm ſis homo dicis, Veni mulier, ego te ſalvam facio. Ego cùm putarer homo, dixi vade malier, fides tua te ſalvam fecit*. An potuiſſet eos arguere, quod dicerent dimitto tibi peccata, ſi Auguſtinus ipſe, & univerſi Sacerdotes Catholici eundem loquendi modum in eadem cauſa uſurpaſſent? Non videtur probabile. Ut quid Chriſti modeſtiam iis obiicit dicentis, Remittuntur tibi peccata, fides tua ſalvam te fecit, Non autem remitto tibi peccata, vel ſalvam te facio, ſi Auguſtinus ipſe quotidie eodem cum illis hæreticis loquendi modo peccata remittens uteretur? Obiicies forſan, illos credidiſſe, ſe eſſe remiſſionis peccatorum cauſas primarias, Deum verò ſecundariam: Quanquam hoc videatur parum credibile, datum tamen nihil ad rem facit. Non enim agit tantùm de ſenſu verborum ego dimitto, ego ſanctifico, ſed de ipſo loquendi modo, qui pravum hunc ſenſum poteſt inducere, quem dicit Chriſtum non uſurpaſſe. Quidquid enim ex Auguſtino allatum eſt, directè in hunc loquendi modum tendit. Eadem ratio ſi dicamus eos, ideò iſto loquendi modo uſos, quod crederent ſanctitatis ſuæ meritò peccatoribus ſuorum criminum remiſſionem dare. Verùm equidem eſt eos ita inſaniiſſe. Sed inſaniam refrænat improbatione formulæ, qua in remittendis peccatis utebantur. Improbationis autem argumentum præcipuum eſt, quòd ea Chriſtus, quanquam poſſit, uti noluerit, ſed humilius dixerit, remittuntur tibi peccata tua. Fides tua te ſalvam fecit.

IX. Nobis præterea examinandum eſt argumentum, quo probabant, ſe hoc loquendi modò legitimè uti, *Reſpondent* (inquit Auguſtinus) *& dicunt. Si non dimittunt homines peccata, falſum eſt, quod ait Chriſtas. Quæ ſolveritis in terra ſoluta erunt & in cœlo*. Quid reſpondet Auguſtinus huic argumento, ut oſtendat eos nihilominus dicere non debere, Ego dimitto, ego Abſolvo: Reſpondet, Chriſtum hoc dixiſſe, quia Spiritum Sanctum daturus erat hominibus, qui peccata remittit, & Deus eſt, ideò dixiſſe Joan. 20. Accipite Spiritum Sanctum, &c. *Hoc eſt*, inquit, *Spiritus dimittit, non vos. Spiritus autem Deus eſt. Deus ergo dimittit, non vos. Sed audi Spiritum. Quid eſtis vos? Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? &c. Deus ergo habitat in templo ſuo; hoc eſt, in ſanctis ſuis fidelibus: in Eccleſia ſua per eos dimittit peccata, quia viva templa ſunt. Sed qui dimittit per hominem, poteſt dimittere præter hominem, &c.* Hoc multis exemplis ſcripturæ demonſtrat; ex quibus poſteà colligit peccatorum remiſſionem Deo referendam eſſe, non hominibus; Homines licet dicantur ſolvere, miniſterium tantùm præbere. *Quare hoc commemorare volui, intendat charitas veſtra. Oportebat, ut Deus prius oſtenderet ſe per homines operari; ſed deinde per ſe, ne putarent homines, quod putavit Simon, hominis illud eſſe, non Dei.* Ideò igitur reprehendit indicativè in prima perſona iſta enuntiantes, quia hac occaſione ſe jactabant remiſſionis peccatorum auctores, non Spiritus Sancti Miniſtros. Quod certè nunquam feciſſet, ſi eodem loquendi genere in eadem cauſa uteretur: Nec iis objeciſſet Chriſti modeſtiam, cùm homo putaretur dicentis, remittuntur tibi peccata, non remitto tibi peccata. Sed intellectum tantùm phraſis, non phraſim reprehendiſſe. Junge ejuſdem argumenti varia teſtimonia infrà *cap. 19.* enarrata.

X. Vix minus evidenter hanc ſententiam de modo ſeſe in hac cauſa enuntiandi docet S. Auguſtinus *lib. 15. de Trinit. c. 26. Quomodo ergo Deus non eſt, qui dat Spiritum Sanctum? Immò quantus Deus eſt, qui dat Deum? Neque enim aliquis diſcipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum. Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manum imponebant; non ipſi eum dabant. Quem morem in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia. Denique & Simon Magus offerens Apoſtolis pecuniam non ait, date & mihi hanc poteſtatem, ut dem Spiritum Sanctum; ſed dixerat: Videns autem Simon, quod per impoſitionem manuum Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus. Propter hoc & Dominus ipſe Jeſus Spiritum Sanctum non ſolùm dedit ut Deus, ſed etiam accepit ut homo, propterea dictus eſt plenus gratia, &c.* Et paulò poſt, *Accepit quippe ut homo, effudit ut Deus. Nos autem accipere quidem hoc donum poſſumus pro modulo noſtro, effundere autem ſuper alios non utiq; poſſumus, ſed ut hoc fiat, Deum, à quo hoc efficitur, ſuper eos invocamus*. Nondum erant S. Auguſtino cognitæ formulæ illæ indicativæ ſive abſolvendi, ſive confirmandi, ſeu Spiritum S. tradendi. Sic nec Amalario Treverenſi Archiepiſcopo quadringentis poſt S. Auguſtini mortem ſcribenti, qui deprecativas tantùm explicat, & auctoritate jam citata fretus affirmat ex Eccleſiæ conſuetudine Spiritum Sanctum ab Epiſcopis orando tradi. Sed de Amalario, Confirmatione, & aliis Sacramentis infra.

XI. S. Leo *Epiſtola* 80. ad Epiſcopos Campaniæ, *Sufficit illa Confeſſio, quæ primum Deo offertur, tunc etiam Sacerdoti, qui pro delictis Pœnitentiam peccator accedit*. Nihil aliud poteſt intelligi quàm Abſolutio, quia hæc ſola ex variis precibus, quæ ſuper Pœnitentes toto Pœnitentiæ ſtadio concipiebantur, poteſt æquiparari Confeſſioni. Hæc omnia clariſſimè idem Leo *Epiſt. 91. ad Theodorum*; dicit, Deum præſidia ſuæ bonitatis ordinaſſe, *Ut indulgentia Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri*. Hujus rationem amplè reddit, ſed verba ſæpius jam retulimus. Hæc Capitularia repetunt *lib. 5. cap. 53.* & Iſaac Lingonen. *tit. 1. cap. 3.* Poſteà ſequitur apud Leonem, *Multùm utile ac neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali ſupplicatione ſolvatur*.

XII. Hæc verba S. Leonis repetit Sanctus Eligius *Homilia* 4. ut Pœnitentes ad reconciliationem promerendam exhortetur. Nec Eligius modo, ſed quotquot ſunt canonum, & Decretorum Collectores. Præterea ad finem *Homiliæ* 8. in die Cœnæ Domini, immortalitatem nos aſſecuturos pollicetur, *Si modò per Confeſſionem, & dignos Pœnitentiæ fructus expiati, & meritis, ac orationibus Sanctorum Chriſto reconciliati, atque per acceptionem Corporis, & Sanguinis ejus, &c. unum cum illo facti ſumus*. Dixit, meritis, ac orationibus Sanctorum, alludens ad nonnullas reconciliatorias orationes, in quibus Sanctorum præſertim Petri, & Pauli præſidium invocatur. Et *Homilia* 16. *Licèt miniſterium reconciliandi Epiſcopali auctoritate in vobis complere velimus, tamen niſi Spiritus Sanctus, per cujus invocationem iſtud officium agitur, corda veſtra intrinſecùs purificata invenerit, à reconciliationis gratia vacui remanebitis*. Ex aliis locis idem colligi debet, in quibus remiſſionis peccatorum per manus impoſitionem à ſe concedendæ meminit, ut *Homiliis* 8. 11. & 14. Orationi enim, ut dictum eſt, ſemper erat conjuncta manus impoſitio.

XIII. Vigilius Pontifex *Epiſt.* 2. Eutherio quærenti, qua ratione curandi, & recipiendi eſſent, qui ab Arianis rebaptizati fuerant, reſpondet hoc faciendum eſſe per orationem, cum qua manus impoſitio in reconciliationem Pœnitentiæ datur, non per eam, cum qua manus in confirmatione imponitur. *Quorum tamen reconciliatio, non per illam manus impoſitionem, quæ per invocationem S. Spiritus fit, operatur; ſed per illam, qua Pœnitentiæ fructus acquiritur, & ſanctæ communionis reſtitutio perficitur*.

XIV. Concilium Aquiſgran. 2. *parte*, ſeu *Capitulo* 3. *can.* 5. ante initium trium librorum in *tomo* 2. *Conciliorum Galliæ*, *Si fortè vitioſus, aut criminoſus apparuerit, qualiter corrigatur, provideat. Si autem infirmitate depreſſus fuerit, ne Confeſſione, atque oratione Sacerdotali, necnon unctione ſanctificati olei per ejus negligentiam careat*. Manifeſtum eſt, orationem Sacerdotalem nihil aliud eſſe quàm Abſolutionem. Idem in eadem hypotheſi ſtatuit Concilium Moguntinum ſub Rabano *can.* 26. quod Patres ex antiquo Pœnitentiali Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis decerpſerunt, ut colligitur ex Burchardi *lib.* 18. *cap.* 14.

XV. Caroli Magni, & Ludovici pii Capitularia ſpecialiùs iſta explicant, *lib. 5. c. 52.* Paulò fuſiùs capitulum exſcribemus,

quia

Digitized by Google

quia videtur rei, de qua agimus, planè decretorium, *Nemo Sacerdotum populi ſibi peccata confitentis ſine auctoritate canonum judicare præſumat, & ut quando unicuique quiſquam Sacerdos ſibi ſcelera ſua confitenti juxta prædictam canonicam modū pœnitentiam tribuit, a ſi comam dimiſerit, aut habitum mutaverit, manus ei ſecundum canonicam auctoritatem imponat cum orationibus, quæ in Sacramentario ad dandam Pœnitentiam continentur.* Hæc pro Pœnitentiæ impoſitione. Poſt verò peractam Pœnitentiam, quum erit reconciliandus, ita faciendum decernit: *Poſt peractam verò ſecundum canonicam inſtitutionem pœnitentiam occultè vel manifeſtè, canonicè reconcilietur, & manus ei cum orationibus, quæ in Sacramentario ad reconciliandum pœnitentem continentur, imponatur, ut divinis precibus, & miſerationibus abſolutus à ſuis facinoribus eſſe mereatur, quoniam ſine manus impoſitione non abſolvitur ligatus.* Sacramentariorum iſtorum codices reperiuntur antiquiſſimi, quique vetuſtate multò antecedunt ipſam Capitularium compoſitionem, reperiuntur & ætate æquales, reperiuntur & poſteriores: At omnes, ut teſtatur Capitulum, tam in impoſitione Pœnitentiæ quàm in reconciliatione ſolis orationibus rem expediunt. Hinc etiam confirmantur, quæ ſuperius allata ſunt, cum omnia in eandem ſententiam conſpirent, & præſertim quæ ex S. Leone: Illa enim referunt Capitularia eodem loco capit. 53. 55.

XVI. Ejuſdem libri *cap. 62.* præcedente, licet evidentiſſimum ſit, evidentius eſt, *Non eſt mirandum ſi abſolutio peccatorum per manus impoſitionem precibus fit Sacerdotum, cùm Dominus in veteri lege ſuper caput hoſtiæ manum Sacerdotis præceperit imponi. Etenim ſicut tunc per illam hoſtiam, ita nunc invocatione Sancti Spiritus, qui eſt remiſſio peccatorum per manus Epiſcoporum, vel eorum auctoritate, reliquorum Sacerdotum impoſitionem ſupplicationibus eorum remittuntur peccata. Nam quando Dominus Lazarum ſuſcitavit, ait ſuis diſcipulis; Tollite lapidem ſubauditur, ut mortuus ſurgat; dans exemplum, ut ſicut ipſi manibus tollunt lapidem, ut mortuus ſurgat, ita & ipſi ſucceſſores eorum manus pœnitentibus imponunt, ut per impoſitionem manuum ſuis precibus mortuum à ſepulchro, id eſt, peccatorem de vitiis ſurgere, & relevare faciant. Et ſicut illi prædictum Lazarum inſtitis, id eſt, funibus colligatum, jubente Domino ſolvunt, qui ait, ſolvite illum, & ſinite abire: Ita iſti eorum ſupplicationibus auxiliante Domino, & comitante Spiritu Sancto, qui in his ſemper operatur, per manus impoſitionem peccatorum ſolvunt vincula.* Vix aliquid videtur clariùs cogitari, & fingi poſſe; nec poterat paucis verbis ſæpiùs repeti, & magis illuſtrari. Hoc capitulum integrum in canones ſuos *tit. 1. c. 11.* tranſtulit Iſaac Lingonenſis Epiſcopus ante annos paulò minus octingentos.

XVII. Eadem Capitula ex antiquioribus canonibus ut plurimùm collecta ſæpius eandem conſuetudinem demonſtrant, ut eodem libro *cap. 64. Nec ſe quiſquam à peccatis abſolutum ſine reconciliatoria manus impoſitione credat. Sed per manus impoſitionem precibus Sacerdotum reconcilietur, ſicut auctoritas habet Eccleſiaſtica.* Eundem canonem excerpſit Iſaac Lingonenſis eodem titulo *cap. 13.* Eodem Capitularium libro *c. 69. Si quis ita graviter urgeatur, ut dum adhuc pœnitet de ſalute ipſius deſperetur, oportet ei per Sacerdotalem ſolicitudinem, id eſt, per manus impoſitionem abſolutione precum Sacerdotalium communionis gratia ſubveniri.* Capitulo 71. explicatur modus Pœnitentiæ ſeptennis, & ea explicata Abſolutionis ratio traditur, *Perfectionem ſeptimo in Cœna Domini conſequantur anno, id eſt, per Epiſcopi, vel ejus juſſu, ſi ipſe abeſt, aliorum Sacerdotum manus impoſitionem abſolutione Sacerdotalium precum communionis Catholicæ gratiam recepturi.* Hunc canonem eodem loco excerpſit Iſaac Lingonenſis *cap. 17.* Quæ autem habet Lingonenſis in duobus Francorum Conciliis quibus S. Bonifacius Moguntinus Archiepiſcopus præſidebat, ſtatuta fuerant, & poſtea à Zacharia Pontifice confirmata.

XVIII. Libro 6. *cap. 203. Unuſquiſque Presbyter juſſione Epiſcopi de occultis tantùm judicet, & ſtatim poſt acceptam Confeſſionis Pœnitentiam ſingulos data oratione reconcilientur, &c.* Ex libro 7. Capitul. *cap. 143. Statutum eſt in Sanctis canonibus prohibitum, ut nullus Presbyter Pœnitentem publicè inconſulto Epiſcopo reconciliare præſumat, &c. Sed omnes publicè Pœnitentes, quinta feria ante Paſcha, quæ eſt Cœna Domini ad civitatem intimare, & cilicio in præſentiam Epiſcopi proſtrata vultu conveniant, & ibi ab Epiſcopo canonicè, & ordinabiliter ſicut in Sacramentario, & in Romano ordine continetur, reconcilientur, atque dijudicentur; conſolenturque, & prædicentur, quid deinceps agere, quidve vitare debeant, inſtruantur; atque inſuper divinis precibus per manus impoſitionem ab Epiſcopo ſuſtentur.* Eundem canonem refert Iſaacus Lingon. *tit. 1. c. 35.* Itaque de hac diſciplina nullum planè poteſt eſſe dubium, cum & Sacramentaria anti-

qua, & ordines antiqui Romani plurimi ſint ſuperſtites, plurimoſque ejuſmodi nacti fuerimus, & alii aliquos ediderint, de quibus capitibus ſequentibus longus erit nobis ſermo.

XIX. Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis *cap. 30.* Capitularis, docet differentiam Confeſſionis, quæ Sacerdoti fit, & quæ Deo ſoli, eamque à duobus petit, à Conſilio, quod confitenti dat Sacerdos, & ab oratione quam ſuper eum fundit: *Confeſſio quam Sacerdotibus facimus, hoc nobis adminiculum affert, quia accepto ab iis ſalutari conſilio ſaluberrimis Pœnitentiæ obſervationibus, ſive mutuis orationibus peccatorum maculas diluimus. Confeſſio verò, quam ſoli Deo facimus, in hoc juvat, &c.* Alludit ad Jacobi verba, *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem.* Et ea ut par erat, de oratione Sacerdotum interpretatur. Manifeſtum eſt orationibus Abſolutionem intelligi, nec aliud intelligi poſſe, cum in illis duobus tantum prærogativam Confeſſionis Sacerdoti factæ ponat. Poſteà explicat Theodulphus, qua ratione confeſſio peccatorum ſit ſigillatim Sacerdoti facienda. Hujus Abſolutionis formulam, & praxim inſignem legere potes *t. 3.* Conciliorum Galliæ in Cōcilio Duziacenſi, quæ alia de cauſa refertur hujus libri capite ultimo.

XX. Sanctus Bernardus in libro de modo bene vivendi, quem ad ſanctam Virginem ſcripſit, ſæpe eam ſecum colloquentem per proſopopæam introducit. Cum capite 27. eam ad Pœnitentiam, & Confeſſionem exhortatus eſſet, ſtatim eam introducit corde compunctam, & ſigillatim peccata ſibi confitentem, & ſeipſum audita confeſſione eam abſolventem, Quibus vero verbis: *Soror mihi in Chriſto dilecta, Deus miſereatur tui, & dimittat tibi omnia peccata tua: Deus retribuat tibi indulgentiam omnium delictorum. Deus indulgeat tibi quidquid peccaſti: Deus te levet ab omni peccato.* Nihil præterea ſubjungit quod ad peccatorum Abſolutionem poſſit pertinere, ſed tantùm multis eam exhortatur, ut quod commiſit, non iteret. Si tum Abſolutio indicativa in uſu communi fuiſſet, *προσωποποιητικῶς* eam exhibuiſſet. Eodem alludit *cap. 9.* Meditationum, ubi de Confeſſione verba faciens monet, ut diligenter inquirantur interceſſores, & mediatores, quibus edatur, ut ſcilicet interceſſionibus, & orationibus ſuis pro nobis intercedant.

XXI. Petrus Abbas Cellenſis, & poſteà Epiſcopus Carnutenſis, ad quem S. Bernardus Epiſtolam ſcripſit 293. in libro, quem de panibus inſcripſit, in quo plurima allegoricè explicat, quæ in ſcriptura de pane, & frumento dicuntur, ita ſcribit *cap. 7. Manipulos ſpicarum ad Sacerdotem deferimus, cùm plenam, & evidentem Confeſſione granum ſimul cum ariſtis, & ſtipula Prælatis noſtris humiliter pandimus. In granis autem etiam bona cogitationum, vel operum deſignantur. Sacerdos autem hunc faſciculum coram Domino elevat, cùm peccatorum noſtrorum gravedinem in Confeſſione expoſitum efficaciter in memoria, & deprecatione ſua retinet, Dum ſuper hoc rogant Prælatus noſter, cui animam commiſimus, cui omnia gravamina reſeravimus, & propitiationem Dei obtinet.*

XXII. In Bibliothecæ Victorianæ manuſcripto codice notato *q. 15.* inter cæteros tractatus eſt quidam Anonymus de Sacramento Pœnitentiæ inſcriptus. Illius auctor vixit poſt Hugonem à S. Victore, cujus ſæpe ſententias, verbaque refert. Totius codicis f. 87. poſt agitatam hanc quæſtionem, an tam citò quis à peccato ſolvatur, ad quam citò verè contritus eſt, ſic habet, *Quod Abſolutio Pœnitentium per manuum impoſitionem Epiſcoporum, ſupplicationibus fiat, propterea quòd neceſſe eſt ut reatus peccatorum ante ultimum diem Sacerdotali ſupplicatione ſolvatur; & ſi periculo mortis urgente ſtatim poſt acceptionem Pœnitentiæ, & reconciliatio ſubſequatur,* demonſtratur, *ex Epiſtola Leonis:* Eamque integram refert.

XXIII. Petrus Cantor Pariſienſis, qui ante, & circa annum 1200. in Academia Pariſienſi Doctor erat celeberrimus, ea refert in Summa de Sacramentis, & animæ conſiliis, quæ manuſcripta extat in Bibliotheca Victoriana fol. 248. quæ manifeſtiſſimè docent eo tempore nullum, aut planè obſcurum fuiſſe abſolutionis indicativæ uſum. Scribit in quibuſdam Monaſteriis licitum eſſe cuilibet fratrum audire fratrum ſuorum Confeſſiones, & iis Pœnitentiam injungere, ſed Abbati abſolutionem eſſe reſervatam, cujus conſuetudinis cauſa hunc caſum proponit. *Converſus quidam in extremis laborans nullomodo poterat induci, ut confiteretur Abbati, adeo timebat eum; confeſſus eſt autem Priori cum maxima contritione ut videbatur, & petiit ab eo Abſolutionem. Prior reſpondit ei quod non poterat eum abſolvere, ſed ex quo non volebat confiteri Abbati, vel abſolvi ab eo, Deus abſolveret eum. Ita dixit ei, Occultè tamen iſta omnia ſunt facta. Mortuus eſt Converſus, & ſepultus in cœmeterio, quia non fuit manifeſta ejus inobedientia. Quæritur ergo, utrùm ex talibus verbis Prioris, Quando dixit, Abſolvat*

Digitized by Google

te Deus, fuit iſte abſolutus; Quia ſi Abbas eum abſolveret, non aliter diceret. Item, poſſetne ex poſt facto ratam habuiſſe illam Abſolutionem. Neutri quæſtioni reſpondet, ut ſæpè facit, quando illi videntur difficiles. Sed quæſtionis occaſio, & ratio maniſeſtè demonſtrant nullum alium reconciliationis modum, quàm deprecatorium cognoviſſe.

XXIV. Abſolutionem indicativam rarò uſitatam fuiſſe circa annos 1230. & 1240. ex Guilelmo Pariſienſi Epiſcopo videtur evidens. Sic ille ſcribit *c.* 19. de Sacramento Pœnitentiæ, ubi verba faciens de certis caſibus in quibus licet Confeſſionem bipartiri, *Dubitandum nullatenus eſt, quia per utrumque Sacerdotem plenam gratiam ſanctificationis, & abſolutionis recipit, niſi per ipſum ſteterit; neque more Judicum forinſecorum pronuntiat Confeſſor, abſolvimus te: Non condemnamus, ſed magis orationem facit ſuper eum, ut Deus abſolutionem, & remiſſionem, atque gratiam ſanctificationis tribuat. Et nemo dubitat, quin poſſit, & debeat Confeſſor orare Patrem miſericordiarum, & etiam remittat peccanti peccata, quæ nec ipſe Pœnitens in ſe cognoſcit, & eidem Confeſſori recognoſcit. Unde in Abſolutione Confitentium non conſueverunt dicere Sacerdotes, Dimittat tibi Deus peccata, quæ confeſſus es mihi, ſed potius omnia.* Et initio *cap.* 21. ejuſdem libri in quo Confeſſoris officia enumerat, *Horum omnium primum, atque præcipuum eſt officium ſanctificationis. Ex quo officio, quo ad Abſolutionem, & benedictionem ipſius, divinique nominis invocationem vincula peccatorum diſrumpuntur in cordibus Pœnitentium, maculæ abſterguntur, gratiæ infunduntur, &c.* Parum ſanè, aut nullo modo ſaltem in Diœceſi Pariſienſi erat uſitata indicativa illa Abſolutio. Alioquin ita loqui non potuiſſet Epiſcopus Pariſienſis, atque inter Magiſtros Pariſienſes ſuo tempore celeberrimus.

XXV. Dixi parum uſitatam fuiſſe ejuſmodi formulam Abſolutionis. Tum enim quibuſdam uſitata erat. Sed hoc vel Guilelmus ignoravit, vel quia apud paucos uſus vigebat, contempſit. Quibuſdam uſitatam fuiſſe colligitur ex Alexandro Halenſi in 4. *part.* Summæ membri 2. *art.* 2. ubi exempli cauſa utramque formulam proponit, *Sed ſi contra hoc obiciatur, quia Abſolutio Sacerdotis, quæ fit expreſſione talium verborum, Ego abſolvo te; vel Dominus abſolvat te, magis exprimit abſolutionem à peccato, quam Confeſſio Pœnitentis, &c.* Vivebat autem Alexander eodem, quo Guilelmus, tempore, & Guilelmo familiaris fuit. Dici tamen poſt Alexandrum disjunctivè hoc enuntiaſſe, eo quòd tum nonnulli Doctores quæſtionem moverent, & cenſerent utroque modo Abſolutionem dari poſſe, non quod illius praxis jam Confeſſorum vulgus occupaſſet.

XXVI. Ignorantiam Guilelmi Pariſienſis hac in re confirmat ille Doctor, adverſus quem ſcripſit S. Thomas Opuſculum 22. Aſſerebat enim in ſcripto ſuo vix annos 30. elapſos eſſe, cùm omnes ſola forma deprecatoria uterentur. Cui S. Thomas nihil aliud reſpondet *cap.* 5. opuſculi præter hoc, Eum de omnibus teſtimonium perhibere non poſſe, qui omnes non vidit; ſed certum eſſe *quod jam ſunt mille ducenti anni, & ampliùs quod dictum eſt Petro, Quodcunque ſolveris, &c.* Quod argumentum eſt evidens formæ illius uſum vulgarem tempore adnotato antiquiorem non fuiſſe. Similiter obiciebat Magiſtros Guilelmum de Antiſiodoro, Guilelmum Epiſcopum Pariſienſem, & Hugonem Cardinalem eandem Abſolutionis formam docuiſſe. Reſpondet tantum S. Thomas de eorum ſententia ſibi non conſtare; ſed quidquid ſit, eorum opinionem verbis Domini, Quodcunque ſolveris, & Magiſtris Pariſienſibus aliter docentibus præjudicare non poſſe. Si res aliter quam ille Doctor aſſerebat, ſe habuiſſet, facillimum erat S. Thomæ prolatis horum auctorum teſtimoniis eum falſi convincere.

XXVII. Intermedio tempore, hoc eſt, ineunte ſeculo duodecimo, mediæ cujuſdam formulæ, quæ deprecatoria ſimul erat, & indicativa, uſus invaluit. Illam commemorant, probant, & docent viri præſtantiſſimi, Alexander Halenſis, & S. Bonaventura, eamque amplectebantur plurimi Magiſtri Pariſienſes, ut teſtatur S. Thomas loco initio citando. Illam verbis Alexandri explicabimus. Dilucidè enim utriuſque partis naturam, virtutem, & officia diſtinguit. Sic ille in 4. *parte* Summæ *q.* 21. *memc.* 1. *Sacerdos per poteſtatem clavis mediator eſt Dei ad hominem, & hominis ad Deum. Unde per ipſum peccator aſcendit ad Deum, & ſic eſt Sacerdos ex peccatoris, ſive loquens de peccatore, & per ipſum deſcendit Deus ad hominem, & ſic eſt Sacerdos ex Dei, eo quod ſeparat pretioſum à vili. Secundùm quod aſcendit, habet ſe per modum inferioris, & ſupplicantis. Secundùm quod deſcendit, per modum ſuperioris, & judicantis. Secundum primum modum petit gratiam impetrare, & ad hoc eſt necessarius: Secundùm primum modum poteſt Eccleſia reconciliari. Et ideò in ſignum hujus in forma Abſolutionis præmittitur oratio per modum deprecativum, & ſubjungitur abſolutio per modum indicativum. Et deprecatio gratiam impetrat, & Abſolutio gratiam ſupponit. Nunquam enim Sacerdos abſolveret quenquam, de quo non præſumeret, quod eſſet abſolutus à Deo.* Eodem modo iſta explicat S. Bonaventura verbis ab Alexandro mutuatis in 4. *diſtinct.* 18. *p.* 1. *art.* 2. *q.* 1. Explicatio clara eſt, nec opus habet enarratione. Utrumque ritum hæc ſententia conjungit. Multis durum viſum eſt ab extremo in extremum de repente ferri, ideò mediam hanc ſententiam amplexi ſunt. Eam amplexi ſunt Magiſtri Pariſienſes tempore S. Thomæ, ut ipſe teſtatur Opuſculi 22. *cap.* 2. *Nunquid etiamſi nunc viverent præjudicare poſſent communi ſententiæ Magiſtrorum Pariſiis regentium, qui contrarium ſenſiunt decernentes, abſque his verbis, Ego te abſolvo, abſolutionem non eſſe per ſolam deprecativam orationem.* Eandem ſententiam ſi non amplectebatur, ſaltem non improbabat ille contra quem ſcribebat S. Thomas, ut evidens eſt ex initio tertii capitis.

XXVIII. Tantos denique progreſſus brevi temporis ſpatio fecit illa ſententia, ut alterius uſus in paucis Provinciis ſexaginta poſt annis vix ſupereſſet. Teſtatur enim Franciſcus Mayro in 4. *diſt.* 14. *qu.* 1. primum in argumento contra tertiam Concluſionem de formali cauſa iſtius Sacramenti, quoſdam adhuc uti hac formula, *Abſolvat te Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus.* Deinde ſic reſpondet huic argumento. *Ad tertium dicendum quod ſic fiebat in Provincia Provinciæ, ſed improbata fuit iſta forma.* Ipſo vivente tandem è Provincia eliminatus eſt antiquus ille abſolvendi modus, aut ſaltem à Doctoribus improbatus. Mirari quis poſſet, qua ratione in antiquo ritu tam conſtanter perſeverare potuerint illius Provinciæ Sacerdotes, & Epiſcopi, cum Provinciæ Principibus tam gratioſi fuerint Dominicani. Cenſet tamen Mayro Abſolutionem ſic datam valere; ita enim poſteà ſcribit, *Sed tamen videretur, quod ſicut Græci baptizant ſub hac forma, Baptizetur ſervus Chriſti Nicolaus: ita videtur quòd non eſſet inconveniens in Confeſſione taliter abſolvere. Quia tamen Sacramentalia ſunt ſtricti juris, ideò non debent immutari.* Verum ſanè, & prudens conſilium: Sed nos hiſtoriam tantùm conſideramus, non cauſæ meritum. Veſtigia quædam iſtiuſmodi Abſolutionis *cap. undecimo* ex antiquis monumentis eruentur, quæ tempore adnotato antiquiora ſunt; quæque his Doctoribus ſic philoſophandi, & in modum axiomatis, & diſciplinæ hæc tradendi occaſionem præbuerunt.

CAPUT X.

Antiqui Rituales libri editi formulas omnes Abſolutionis tam publicas, quàm privatas, tam de ſanis, quàm de morientibus nobis exhibent deprecatorias.

LOcus nunc nobis opportunus videtur explicandi ritum, formamve, quibus Pœnitentium reconciliatio antiquitus celebrabatur. Hoc & ſcopo noſtro planè neceſſarium eſt, & quod capitibus præcedentibus hactenus enarravimus, confirmabit. Nihil enim aliud animadvertes quàm deprecativum, ſive reconciliationem publicam ſpectes, ſive privatam, & occultam; ſive ſanis præſtitam, ſive infirmis, & moribundis, animamque exhalaturis. Cùm autem quotquot ſunt libri rituales, Sacramentaria, Pontificalia, Pœnitentialia, ante annum ducenteſimum ſupra milleſimum ſcripta nullas alias formulas, quam deprecativas nobis exhibeant, dici poſſe nullo modo mihi videtur alias in praxi adhibitas fuiſſe. Rituales enim libri ſunt libri practici ſingulas ceremonias, actiunculaſve ἀξιώσεις explicantes, quas Presbyteri in Sacramentorum adminiſtratione exercere jubentur, quoſque ideò unuſquiſque Presbyter ſemper præ manibus habere, & verſare tenebatur; hocque non modo in ſingulis Diœceſanis Synodis illis diſtrictè imperabatur, verumetiam in viſitationibus Epiſcoporum, & Archidiaconorum, an mandatum hoc exequerentur, diligenter inquirebatur, ut oſtenſum eſt *lib.* 7. *cap.* 22. Quis exiſtimet uno modo in libris illis ſcriptum fuiſſe; alio verò modo factum? aut quod præcipuum erat, & omnium caput, prætermiſſum fuiſſe, acceſſoria tantum, & quæ ad rei ſubſtantiam nihil faciebant, deſcripta fuiſſe? Quaſi verò alio modo Miſſam celebraverint Sacerdotes, quam in Miſſalibus, & Sacramentariis præſcribebatur? aut aliquid quaſi μυστήριον celatum fuiſſe, ubi totius canonis Miſſæ, ne una quidem ſyllaba prætermittitur? idem mos ritualium librorum condendorum in hunc uſque diem continuatur, jubenturque Presbyteri ad eorum præſcriptum adminiſtrare Sacramenta. Quis ad, quod in Sacramentis præcipuum eſt, omiſſum eſſe cau-

ſab-

Digitized by Google

ſabitur? Quidquid ſit, eorum quæ nuſquam apparent, & quæ non ſunt, Juriſprudentium more, eadem nobis ratio. Quum enim ea tantùm colligamus, & eadem quæ ex antiquis monimentis decerpimus, quæ in iis non deprehendimus, decerpere, & edere non poſſumus.

II. Tria ſunt in Pœnitentium purgatione potiſſimùm attendenda, Pœnitentiæ impoſitio, Actio, & Reconciliatio. Omnia autem precibus, & orationibus peragebantur, neque aliud nobis exhibent, quotquot ſuperſunt antiquitatis monumenta. Primò cæremoniæ, & formulæ explicatæ ſunt *libri quarti cap.* 17. 18. 19. *& libri ſeptimi cap.* 18. Secundò verò, *libri ſexti c.* 6. 8. *&* 9. & variis ejuſdem libri, & ut ſeptimi, locis: Idem nunc nobis de tertio faciendum eſt: Hoc breviſſimè præſtabimus, eo quod libri antiqui rituales editi illos nobis repræſentent, & ad calcem hujus operis plurimos alios adtexamus, quos unuſquiſque, ut amplius informetur, conſulere poteſt. Deinde hic præſertim examinamus id, quod rationem formæ in Sacramento Pœnitentiæ poteſt induere, cætera minus nobis ſunt curæ, quia in Sacramentariis, & Pœnitentialibus, officiiſque divinis uno intuitu conſpici poſſunt. Hoc facturi ab iis ordiemur, quæ edita ſunt, & omnium antiquitatis ſtudioſorum poteſtati permiſſa, ſequentur, quæ ex antiquis manuſcriptis codicibus eruimus.

III. Ab ordine Romano edito incipiemus, antiquo quidem, utpote qui ab Amalario, & Alcuino Flacco Caroli Magni præceptore citetur, ſed tamen qui ut editus eſt nonnullis abundat recentioribus ceremoniis, eo quòd ex codicibus ea ætate poſterioribus expreſſus ſit. Solemne eſt autem omnibus ritualibus libris, ſicut jam admonuimus, ut quo ſunt recentiores, eo ſint ampliores. Ab eo autem incipimus, eo quod omnium minutiſſimè ſingulos ritus publicos perſequatur. In officio feriæ 5. in Cœna Domini refert, Pœnitentes è loco privato, in quo Pœnitentiam egerunt, manè egredi, in atrium Eccleſiæ convenire, & ab Archidiacono, Pontifici pro foribus Eccleſiæ ſedenti, his verbis præſentari, *Adeſt, ò venerabilis Pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ, & ſalutis humanæ, &c.* Quæ loco citato legi debent, tandemque in hæc verba finit, *Redintegra in eo Apoſtolice Pontifex quidquid Diabolo ſuadente corruptum eſt, & orationum tuarum patrocinantibus meritis, per divinæ reconciliationis gratiam fac hominem proximum Deo, ut qui anteà in ſuis ſibi perverſitatibus diſplicebat, nunc jam placere ſe Domino in regione vivorum, devicto mortis auctore, gratuletur.* Orationibus ſuis Pœnitentem redintegrat, & Deo proximum facit. Hoc ut faciat Pontifex ab Archidiacono nomine Pœnitentium, & totius Eccleſiæ rogatur. Quid poſteà Pontifex? clamat. *Venite*, ad cujus vocem omnes jubente Diacono genua flectunt. Ingeminat vocem, *Venite, venite*, iterùmque jubente Diacono genua flectunt, & rectà versùs Pontificem per atrii pavimentum reptant. Poſteà ter clamat, *Venite, venite, venite*, tertiòque genua flectentes ad Epiſcopi pedes procidunt, ſtratique jacent, donec Epiſcopus è ſedili ſurgens Diacono innuat ut, eos quoque ſurgere jubeat. Tum Antiphonam, *venite filii, audite me, &c.* proſequitur Clerus, cantaturque integer Pſalmus, *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.* Intereà Pœnitentes à fidelibus manu ducti Archidiacono traduntur, & eos Epiſcopo reddit Archidiaconus; Epiſcopus verò in Eccleſiæ gremium introducit toto corpore in terram proſtratos. Pſalmo finito Antiphonam incipit Epiſcopus, *Cor mundum crea in me Deus, &c.* Deinde cantatur, Pſalmus, *Miſerere mei Deus*: Eo finito proſternit ſe Epiſcopus unà cum Pœnitentibus, Clero cantante Kyrie eleiſon. Finita hac Letania ſurgit Epiſcopus, & recitat, Pater noſter: Deinde preces, *Salvos fac ſervos tuos, Domine*, Reſpondetur, *Deus meus ſperantes in te.* Pergit, *Convertere Domine uſquequo.* Reſpondetur, *Et deprecabilis eſto, &c.* quæ nemo ignorat. Tandemque verſibus, & reſponſoriis illis finitis Orationes ſuper Pœnitentes recitat, *Domine exaudi orationem meam*, ℞. *Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiſcum.* ℞. *Et cum ſpiritu tuo. Oremus, Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & me qui etiam miſericordia tua primus indigeo, clementer exaudi, & quem non electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti hujus operis Miniſtrum, da fiduciam tui muneris exequendi, & ipſe in noſtro miniſterio, quod tuæ pietatis eſt, operare. Alia. Exaudi, Domine, preces noſtras, & confitentium tibi parce peccatis, ut quos conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſolvat.* Sequuntur aliæ quatuordecim nullum habentes titulum præter hunc, *Alia*, unicuique ſuperſcriptum, quarum duæ poſtremæ ſunt bene longæ. Has ſequuntur quinque aliæ quarum primæ titulus eſt, *Abſolutio pluralis*: Secundæ, *item Abſolutio pluralis*: Tribus aliis, *Abſolutio pluralis.* His dictis aſperguntur Pœnitentes aqua benedicta, & thurificantur poſteà ab Epiſcopo moniti, ut quod pœnitendo diluerunt, iterando non revocent, tandem ſurgunt, & dimittuntur.

IV. Omnes illæ orationes ad Abſolutionem Pœnitentium dicebantur ſive privatim, ſive publicè fieret: Sed privatim, ut adnotant multi Pœnitentiales, ſi tempus, & occaſio id permittebat; aliàs duæ tantùm vel tres, aut una pro Sacerdotis arbitrio. Quod ad formulas quibus ſuperſcribitur, *Abſolutio ſingularis*, eas uſurpabant privatim quando aliquem privatim Sacerdos reconciliabat, ut ex nominibus propriis, & ſingularibus probatur, quibus formulę componuntur. Multis enim de cauſis illis temporibus hoc contingere ſolebat, ut ex eodem libello conſtat initio ordinis in capite Quadrageſimę. Jubet Sacerdotes omnes Chriſtianos exhortari in capite jejunii ad veram Confeſſionem, veramque Pœnitentiam. *Denique admonendi ſunt, in Cœna Domini redeant ad reconciliationem. Si verò interest cauſa aut itineris, aut cujuslibet occupationis, aut ita forte hebes eſt, ut ei hoc Sacerdos perſuadere nequeat, injungat ei tam quadrageſimalem quàm annualem Pœnitentiam, & reconciliet eum ſtatim.* Si quæratur ratio tituli, *Abſolutio*, his potius quam illis appoſiti, dicam primum hanc diſtinctionem eſſe recentiorem, & in antiquis codicibus non reperiri. Deinde nullam prorſus eſſe inter utrumque orationis genus differentiam, niſi quod in iis, quibus Abſolutionis titulus adſcribitur, ad præſentes aut præſentem perſonam ſermo magis dirigitur per pronomina ſecundæ perſonæ pluralia, vel ſingularia, cum nomine fratris in vocativo, quæ nihil prorſus in genere deprecatorio mutant. Notandum inſuper ſecundam Abſolutionem pluralem ex utroque modo indicativo, & deprecatorio eſſe compoſitam, de qua re, ut recentiore, infra pluribus.

V. Breviter hunc ritum reconciliationis Pœnitentium, ut ſuo tempore agebatur, deſcribit Alcuinus in libro de Officiis divinis capite de Cœna Domini, *Poſt hæc egreditur Pœnitens manè de loco ubi Pœnitentiam geſſit, & in gremio Eccleſiæ præſentatur proſtrato omni corpore in terra. Tunc decantantur hi Pſalmi; Miſerere mei Deus, cum Antiphona, Cor mundum. Deinde Kyrie eleiſon, & Pater noſter, & Capitulum, & preces, ſalvum fac ſervum tuum Domine. Convertere Domine. Mittat tibi Dominus. Illuſtra faciem tuam. Domine vide humilitatem. Exaudi me Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua. Oratio. Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & me, qui etiam miſericordia tua primus indigeo, & reliqua. Alia oratio. Præſta, quæſumus Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum. Alia, Deus humani generis benigniſſime conditor, & miſericordiſſime reformator. Alia, Deus ſub cujus oculo omne cor trepidat, omneſque conſcientiæ contremiſcunt, & reliqua. Poſt hoc verò admonetur à Sacerdote ut quod pœnitendo diluit, iterando non repetat.* Hæc Alcuinus de reconciliatione, quæ reſpondent iis, quæ paulò ante ſigillatim admodum de confitendi ordine, & Pœnitentiæ impoſitione expoſuerat.

VI. Antiquiſſimum S. Gregorii Sacramentarium ab Hugone Menardo Ordinis S. Benedicti Congregationis S. Mauri Monacho, viro docto, & iſtarum antiquitatum curioſo nuper editum, quod ſcriptum eſt aut ante Alcuinum, aut eodem tempore pag. 226. ad reconciliationem Pœnitentis nihil aliud nobis exhibet quàm tres orationes ex quatuor quas Alcuinus retulit. Eaſdem, & nullas alias refert Grimaldus Abbas in Sacramentario Gregoriano à ſe recenſito, quod ex antiquis membranis in lucem edidit vir antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimus Pamelius, ut videre eſt *c.* 97. cui titulus, *Orationes ad reconciliandum pœnitentem feria* 5. *in Cœna Domini.* Hoc autem habet præ jam citatis conſideratione dignum, quòd cum orationes viſitationi infirmi neceſſarias, Miſſamque pro infirmis deſcripſiſſet, tandem *Reconciliationem pœnitentis ad mortem*, ſic docet eſſe faciendam. *Majeſtatem tuam Domine ſupplices deprecamur, ut huic famulo tuo N. longo ſqualore pœnitentiæ macerato miſerationis tuæ veniam largiri digneris, ut nuptiali veſte recepta, ad regalem menſam, unde ejectus fuerat, mereatur introire. Per.* Nec ille plura ut reconcilietur moriens poſt Confeſſionem. Sacramentarium S. Gregorii è Bibliotheca Vaticana inter opera S. Gregorii excuſum in officio feriæ 5. in Cœna Domini ad reconciliandum Pœnitentem orationes octo tradit, quarum tres primæ eædem quæ præcedentes, cæteræ una excepta in ordine Romano leguntur. In Sacramentariis illis aliæ ceremoniæ reconciliationis, ut & confeſſionis, & impoſitionis Pœnitentiæ omittuntur, Quia præcipuus Sacramentariorum ſcopus eſt poſt Miſſæ canonem Orationes, & Præfationes, & quæ infra Actionem variantur, per totum annum deſcribere, ut Sacerdotibus in quotidiana Miſſarum celebratione uſui eſſe poſſint. Ideò ſolas orationes eo

memorant, quæ reconciliationi neceſſariæ ſunt, cæteros ritus ut minimè neceſſarios, & præter ſcopum Sacramentariorum auctoribus propoſitum prætermittunt, iſta enim, ut & multa alia, quæ ad ſolemnes ceremonias ſpectant, ex aliis libris, ut ex Ordinibus officiorum divinorum, & libris Pœnitentialibus peti poſſunt.

VII. Halitgarius Cameracenſis Epiſcopus ſuaſu, & exhortatione Archiepiſcopi ſui Ebbonis librum Pœnitentialem conſcripſit, quo Sacerdotes in Pœnitentiarum impoſitione uterentur, Illum diviſit in ſex libellos, in quibus nihil aliud ſibi propoſuit quàm Presbyterorum in cauſa Pœnitentiæ inſtructionem. Horum quinque publicè edidit Henricus Caniſius, & ex eo in Bibliothecam Patrum relati ſunt. Sextum ex antiquis membranis erutum adnotationibus ſuis ad Sancti Gregorii Sacramentarium inſeruit jam laudatus Hugo Menardus. Sextum hunc librum ſcribit Halitgarius ex Romano Pœnitentiali ſe excepiſſe, & antecedentibus conjunxiſſe. *Addimus etiam huic operi exceptionis noſtræ Pœnitentialem Romanum alterum quem de Scrinio Romanæ Eccleſiæ adſumpſimus*. In eo ritus Confeſſionis, Pœnitentiæ impoſitionis, & reconciliationis exponitur, Pro hoc poſtremo hæc tantùm habet, *Inprimis dicit Pſalmum 50. cum Antiphona, Cor mundum*, Sequuntur tres orationes, nec plura in hunc finem. Notat autem hunc Pſalmum imprimis dici; quia cùm pro temporis brevitate, vel opportunitate multa omitti poſſint, hic præ cæteris eſt retinendus, & ſuper Pœnitentem recitandus.

VIII. Burchardus *lib.* 19. ſcripſit, ut Pœnitentialis loco eſſet Presbyteris ad audiendas Confeſſiones, & facienda, quæ auditionem illam conſequuntur, ut initio libri teſtatur. Omnia, quæ ad Confeſſionem, interrogationes Pœnitenti faciendas, cognitionem virtutum, & vitiorum, Pœnitentias unicuique crimini imponendas ſpectant, fusè admodum explicat, & multa alia minutiora ad eundem ritum pertinentia pertractat. Ideo à permultis liber ille 19. ab aliis ſeparatus tranſcribebatur, ut unicuique Presbytero ad Confeſſiones audiendas, Pœnitentias imponendas, & redimendas, Pœnitenteſque reconciliandos utilis eſſet: Hinc in antiquis Bibliothecis ſæpe ſolitarius occurrit, ut Sacerdotibus magis tractabilis, & uſualis eſſe poſſit. Burchardus autem ad Pœnitentis reconciliationem nihil aliud adhibet quam orationes: quatuor autem refert: quibus finitis ita habet, *Deinde adjunge, Deus omnipotens ſit adjutor, & protector tuus, & præſtet indulgentiam de peccatis tuis, præteritis, præſentibus, & futuris. Amen*. Nec plura, niſi quòd ante orationes jubet Pœnitentem proſternere ſe in terram, & Sacerdotem precari ut pro ſe intercedat: Deinde monet Sacerdotem tum quoque proſternere ſe debere in terram, & aliquot Pſalmos recitare antequam orationes reconciliatorias pronuntiet. Hæc autem Burchardus univerſaliter ſcribit, nulla ad ritus publicos relatione facta.

IX. In fine libri 18. in quo agit de viſitatione infirmorum, ita docet infirmum morti proximum, & deſperatum eſſe reconciliandum, *Si infirmus in ea deſperatione fuerit, reconcilia eum ea ratione his ſequentibus orationibus, ut quando convaluerit, ſecundùm canonum, & Sanctorum Patrum ſtatuta, & qualitatem delicti pœniteat, Reconciliatio infirmi. Præſta quæſumus Domine huic famulo tuo N. pœnitentiæ fructum, &c. Alia. Omnipotens ſempiterne Deus confitenti huic famulo tuo N. pro tua pietate peccata dimitte, Alia. Exaudi Domine preces noſtras, & confitentium tibi parce peccatis, ut quem conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſolvat. Per*. Et cum his tribus brevibus orationibus finit liber. Dubium eſſe non poteſt hæc legenti quin his orationibus tum crediderint, veram morienti Abſolutionem dari.

CAPUT XI.

Idem faciunt rituales libri manuſcripti, Sacramentaria, & pœnitentialia, antiquiſſima, & recentiora ad annum 1300. Abſolutio dicitur aliquando reconciliationis jam factæ confirmatio, & benedictio. Ita vocatur oratio, qua ritus extremæ unctionis terminatur. Totus ritus reconciliationis, aliquando unius partis per Abſolutionem ſignificatur. Ita quoque ritus impoſitionis pœnitentiæ.

IN Lectoris gratiam hoc capite exponemus, quæ ex variis manuſcriptis Sacramentariorum, Ordinum, & Pœnitentialium codicibus hac in cauſa collegimus. In his omnibus tam editis quam nondum editis mirus eſt conſenſus. Si quid contingat ſingulare hoc adnotabimus: Iſtorum codicum quos hactenus viderim, aut de quo legerim, antiquiſſimus eſt Petavianus, de quo jam non ſemel. In eo ſic legitur ad feriam 5. in Cœna Domini, *Egreditur pœnitens de loco, ubi pœnitentiam geſſit, & in gremio præſentatur Eccleſiæ proſtrato omni corpore in terra. In his verbis Diaconus, Adeſt, ô venerabilis Pontifex, &c.* ut in ordine Romano edito uſque ad hæc verba, *Devicto mortis auctore gratuletur*. Poſt quæ verba ſtatim additur, *Poſt hoc admonetur ab Epiſcopo, ſive alio Sacerdote ut quod pœnitendo diluit, iterando non revocet. Inde verò has dicit orationes, Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & me qui etiam, &c. Præſta quæſumus Domine huic famulo tuo dignum, &c. Deus humani generis benigniſſime conditor, &c.* His orationibus finitis, quæ & in antiquiſſimo Menardi Sacramentario, & in ordine Romano leguntur, quatuor aliæ adduntur cum hoc titulo, *Item ad reconciliandum pœnitentem, Omnipotens ſempiterne Deus confitenti tibi huic famulo, &c. Omnipotens, & miſericors Deus, qui peccatorum indulgentiam, &c. Deus, qui confitentium tibi corda purificas, &c.* quæ habentur in ordine Romano à Septima in eo non legitur. Septem autem orationes reconciliatorias ſuper Pœnitentem, ut reconciliaretur, dici ſolitas teſtatur auctor vitæ Ludovici pii Imperatoris, cùm refert ritum quo poſt Pœnitentiam publicè acceptam reconciliatus eſt.

II. Antiquum Toloſanum Pontificale regnantibus in Gallia Ludovici pii nepotibus ſcriptum, quod omnium ſpecialiſſimè ſingulas ritus reconciliationis Pœnitentium partes, & minutias perſequitur, nullibi Abſolutionis indicativæ veſtigia ponit, licèt varias orationes ante reconciliatorias referat, & cùm reconciliationem tradit, ſeptem orationes continuas pronuntiari jubeat, & iis pronuntiatis ſtatim Pœnitentes vocet reconciliatos, non anteà, ut in fine operis videre potes, ubi integer ritus exſcribitur. Hoc argumento nihil mihi videtur clarius deſiderari poſſe.

III. Refertur quoque in eodem antiquiſſimo ritu, quo Pœnitens moribundus reconciliatur, *Reconciliatio pœnitentis ad mortem*, nihilque aliud ſequitur præter quatuor orationes ſpeciales, quibus additur, *Oratio poſt reconciliationem, vel poſteaquam communicaverit. Deus, qui confitentium tibi corda purificas, & accuſantes ſe conſcientias ab omni vinculo iniquitatis abſolvis: Da indulgentiam eis, & medicinam tribue vulneratis, ut percepta remiſſione omnium peccatorum in Sacramentis tuis ſincera deinceps devotione permaneat, & nullum redemptionis æternæ ſuſtineat detrimentum. Per Dominum noſtrum, &c.*

IV. Antiquus ordo Romanus edito antiquior Feria 5. in Cœna Domini, *Hora tertia ſonent ſignum, ut omnes veniant in Eccleſiam, in qua Chriſma debet conſecrari. Tunc egrediuntur pœnitens de loco, in quo pœnitentiam geſſit, ut gremio præſentetur Eccleſiæ. Sedente autem Pontifice pro foribus Eccleſiæ, pœnitentibus in atrio Eccleſiæ eminus cum Archidiacono juſſum illius præſtolantibus antequam eos offerat, poſtulat Archidiaconus his verbis, Adeſt, ô venerabilis Pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis, &c.* Omnia ſequuntur ut in edito ordine cujus ritus compendium capite præcedente relatum eſt. Poſteà ſequuntur orationes novem quarum octo eædem ſunt, & eodem ordine ponuntur quo in Romano edito: Nona eſt eadem cum editi duodecima. In ordine edito ſeptem ſunt aliæ orationes ferè omnes longæ, quæ in illo manuſcripto omittuntur. Decima longa eſt cui titulus, *Abſolutio plurimis*, eadem prorſus, quæ in edito cui idem titulus ſuperſcribitur. Poſt eam immediatè ſequitur, *Præſta, quæſumus Domine his famulis tuis ſecundùm piiſſimam miſericordiam tuam juxta libitum eorum abſolutionis peccaminum ſuorum fructum, ut ſint tibi dignum habitationis tuæ templum, ut mereantur deinceps cum juſtis atque ſanctis in conſpectu tuo adſtantibus abſoluti manere ab omnium criminum labe. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c.*

V. Notandum eſt in ordine edito adjectum fuiſſe poſt orationis concluſionem, Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Nos etiam ſecundùm auctoritatem nobis indignis à Deo commiſſam abſolvimus vos ab omni vinculo delictorum veſtrorum, ut mereamini habere vitam æternam. Per eum qui vivit.* quod non habet antiquus ille manuſcriptus, ſicut nec cæteri antiqui: Eſt enim recentius additamentum ad majorem Abſolutionis Sacerdotalis expreſſionem. Idem additamentum legitur in codice rituali, quem Hugo Mainardus Tilianum vocat, quem Henrico I. Francorum Rege regnante ſcriptum fuiſſe conjicit. In eodem manuſcripto ſequitur, *Abſolutio ſingularis. Frater N. abſolutionem, & remiſſionem peccatorum tuorum per invocationem ſancti nominis, & per miniſterium noſtrum percipere merearis hic, & in æternum. Amen.* Poſteà aſperguntur aqua benedicta, & thure perfunduntur, monenturque ab Epiſcopo, ne iterent, quod Pœnitentia diluerunt:

Digitized by Google

Ut etiam adnotat editus ordo, qui hæc omnia deſcribit; ſed duas habet alias Abſolutionis ſingularis formulas deprecatorias, quæ in manuſcripto non leguntur.

VI. Antiquiſſimus Ecberti Cantuarienſis Archiepiſcopi Pœnitentialis liber poſt Confeſſionem ſigillatim factam, poſt varias interrogationes, Pœnitentiam impoſitam, varias orationes, preces, pſalmoſque; tandem hæc ſcribit, quæ nobis ſunt exſcribenda, *Tunc expleta pœnitentia, ſi homo intelligibilis eſt, veniat ad Sacerdotem, & reconciliet eum. Si verò ſimplicem vel brutum eum intellexeris, ſtatim reconcilia eum ita dicendo, Præſta quæſumus Domine huic famulo tuo illi dignum pœnitentiæ fructum, & Eccleſiæ tuæ ſanctæ, à cujus integritate deviarat peccato, admiſſorum veniam conſequendo reddatur innoxius. Per Dominum. Alia. Omnipotens ſempiterne Deus confitenti tibi huic famulo tuo illi pro tua pietate peccata relaxa, ut non plus ei noceat conſcientiæ reatus ad pœnam, quàm indulgentia tuæ pietatis proſit ad veniam. Per. Si tempus ut vacet, dic illas alias. Si non iſtæ duæ ſufficiunt. Et omni tempore quando ad ægrotum veneris, dato pœnitentia, ſtatim reconcilia eum ita dicendo, Majeſtatem tuam, Domine, ſuppliciter deprecamur, &c.* Sequuntur tres aliæ orationes, poſt quas ſic legitur, *Benedictio ſuper pœnitentem. Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conſervet te in omni bono, & perducat ad vitam æternam. Per.* Sequuntur quatuor aliæ benedictiones ſuper ægrotum. Hæc in privatis, & ordinariis Pœnitentium Confeſſionibus, & reconciliationibus. Poſteà ordinem publicæ reconciliationis breviter deſcribit, ſed orationibus reconciliatoriis potiſſimùm inſiſtit, pro cæteris lectionem ad ordinem officiorum divinorum remittit. In fine titulum habet, *Reconciliatio pœnitentis ad mortem.* Quod duabus orationibus exequitur, poſt quas ſic adnotat, *Si quis pœnitentiam petens, dum Sacerdos venit, fuerit officio linguæ privatus, conſtitutum eſt, ut ſi idonea teſtimonia hoc dixerint, & ipſe per motus aliquos ſatisfecit, Sacerdos impleat omnia circa pœnitentem, ut mos eſt.* Poſt hæc ritus Pœnitentiæ infirmo imponendæ habetur, in quo nihil eſt niſi deprecatorium.

VII. Manuſcriptus ſiculus fusè ſatis omnem ordinem privatæ Confeſſionis, & Pœnitentiæ impoſitionis deſcribit, Quo peracto ſic habet, *Tunc proſternat ſe in vice Dei ad pedes Sacerdotis, ita dicens, Recipe me ſceleratum in vice judicis mei; quia non eſt quò fugiam niſi ad te, confitendo tibi peccata mea. Recepto à Sacerdote fiat oratio cum Pſalmo iſto, Ad te levavi oculos; & ſequatur ammonitio ſcripturarum ſanctarum: Deinde dicatur hæc oratio. Exaudi Domine preces noſtras, & confitentium parce peccatis, &c.* Quam aliæ ſeptem ſequuntur; nihilque quod ad indicativum modum ſpectare poſſit, additur. Habetur in eo codice, *Ordo pœnitentis ad mortem*, Omnia quæ deſiderari poſſunt diligenter fusè, & minutim explicantur.: Nullum autem veſtigium extat Abſolutionis indicativæ. Sequitur alius titulus. *Item reconciliatio pœnitentis ad mortem*, qui nihil aliud continet quàm varias ſuper Pœnitentem orationes. Hoc monuiſſe ſufficiat, quia in calce hujus operis ordo integer editur.

VIII. Toloſæ in inſigni Bibliotheca Collegii Fuxenſis ceremoniale eſt non admodum antiquum 300. fortè annorum. In eo cùm agitur de communione infirmi, & extrema unctione, Confiteri jubetur infirmus, daturque ei Abſolutio, ſed deprecativa. Poſtquàm à fratribus ſi quid in eos deliquit, veniam petiit, dixeruntque, Miſereatur tui, &c. ſubjungitur. *Deinde qui facit officium faciat Abſolutionem infirmo ſub hac forma, Dominus Jeſus Chriſtus, qui dixit diſcipulis ſuis quæcunque ligaveritis ſuper terram, &c. de quorum numero quamvis indignos nos eſſe voluit, Ipſe te abſolvat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis tuis quæcunque cogitatione, vel locutione, atque operatione negligenter egiſti, atque à nexibus peccatorum tuorum abſolutum perducere dignetur ad regna cælorum, qui vivit, &c.*

IX. Eſt in Eccleſiæ Bellovacenſis Bibliotheca antiquum Pontificale ſub Epiſcopo Rotgerio, & Rege Roberto ſcriptum, ut ex Litaniis conſtat, in quibus orationes fiunt pro Joanne Papa, Rotgerio Epiſcopo, Rege Roberto, & Regina Conſtantia. Sic in eo traditur. *Incipit Abſolutio pœnitentis. Oratio. Adeſto Domine, &c. Præſta quæſumus Domine his famulis, &c. Omnipotens ſempiterne Deus confitentibus, &c. Omnipotens, &c. qui peccatorum indulgentiam, &c. Deus humani generis benigniſſime conditor, &c.* Hæc omnia ut in ordine Romano, nec plura. Multò poſt, ut ex alio, & recentiore charactere apparet, aliquis Pergameni particulam annexuit has orationes continentem, *Abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum noſtrorum percipere mereamur à Domino Deo in ſecula ſeculorum. Benedictio Dei omnipotentis Patris, &c. ſuper vos deſcendat, & maneat ſemper vobiſcum.* Qui hoc addidit, mancum judicavit in eo loco ritualem librum, eo quòd iſtas duas orationes videret ſuo tempore confeſſores præcedentibus addere. His codicibus jungendi ſunt antiquiſſimi duo, quos commemorat Hugo Menardus, quorum unum vocat Rhemenſem, alterum Rodradi, qui nullum quoque repræſentant formulæ indicativæ veſtigium, cujuſmodi ſunt alii recentiores plures, de quibus infra.

Morin. de Sacram. Pœnit.

X. In antiquo manuſcripto Abbatiæ Sancti Remigii literis Longobardicis ſcripto, qui potiſſimùm continet varias benedictiones Epiſcopales, eſt titulus, *Feria quinta in Cœna Domini, Reconciliatio pœnitentium. Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, &c. Alia. Deus humani generis benigniſſime conditor, &c.* ut in ordine Romano. Poſteà ſequitur immediatè titulus, *Item abſolutio in Cœna Domini.* Longiſſima oratio, quam in hujus operis calce edimus. Ea finita ſequitur. *Item Abſolutio: Auctoritate, & vice B. Petri Principis Apoſtolorum, cui traditæ ſunt claves regni cælorum, cui dedit Deus poteſtatem animas ligandi atque ſolvendi, dicens ei familiarius præ cæteris: Quodcunque ligaveris, &c. Vice inquam ejuſdem Beati Petri, cui licet merito longè ſumus diſſimiles, quoniam poteſtate à Deo conceſſa exiſtimus conſimiles, ego divinitus vos abſolvo à vinculis peccatorum veſtrorum. Per.* Ibidem addita eſt, & alligata ſchedula alia manu, ſed eodem Longobardico charactere, non tamen ita graphicè exarato, quæ hoc continet, *Ego illi immeritus, & peccator Epiſcopus hanc Abſolutionem manu, ore, corde confirmans omnipotentem Dei clementiam ſupplex imploro, ut ipſe ſua poteſtate, & noſtra deprecatione te illi dignetur abſolvere à vinculis peccaminum tuorum, & ab omnibus quæcunque aut cogitatione, aut locutione, aut operatione negligenter egiſti, atque miſericorditer abſolutum perducere dignetur ad regna cælorum. Amen.* In fine verò Abſolutionis præcedentis eadem, ut videtur, manu, qua ſchedula illa, & eodem charactere hæc adiiciuntur, quibus pagina completur, *Commemoratio. Commemoramus tibi Domine famulum tuum illum in vita præſenti, ut ab omni malo eum eripias, & intercedente Beato Petro principe Apoſtolorum ad vitam perducas æternam. Per. Abſolutio. Intercedente pro nobis beata, & glorioſa ſemper Virgine Dei Genitrice Maria, & Beato Petro Principe Apoſtolorum, qui habet poteſtatem in cælo, & in terra ligandi atque ſolvendi, omnipotens Deus te abſolvere, & liberare ab omni malo dignetur. Per.* Ex his ſimul junctis manifeſtum videtur, mentem non fuiſſe Sacerdotum qui hoc rituali utebantur plus indicativæ formulæ tribuere quàm aliis deprecativis.

XI. Satis etiam ſuperque id conſtat ex titulo, *Item alia Abſolutio.* Poſteriori igitur huic plus efficaciæ non tribuunt quàm priori, quæ tota eſt deprecativa; nec utramque neceſſe erat proferre, ſed pro arbitrio Sacerdotis alterutram. Sed iſtarum Abſolutionum ſive indicativæ ſint, ſive deprecativæ, alia planè ratio apud eos habebatur, quàm vulgata iſtius nominis interpretatio nunc poſtularet. Per eas enim non intendebant Pœnitentem in reconciliatione confirmare, atque à ſe velut laboribus Pœnitentiæ functum dimittere. Abſolvere enim dialecto octavi, & noni ſeculi eſt aliquem à ſe dimittere, diſcedendi copiam facere, ut paſſim legere eſt apud Anaſtaſium Bibliothecarium, Epiſtolas Pontificum ad Carolum magnum, aliaque ejuſdem ævi monumenta. Ideò Abſolutio poſt orationes reconciliatorias in quibuſdam Eccleſiis concedebatur, velut quædam poſt reconciliationem benedictio. Iſtius conſuetudinis exemplum nullum hoc antiquius deprehendi. Videtur enim codex ille ſexcentis annis antiquior. Poſt annum 1000. nonnulli codices ejuſmodi Abſolutiones indicativas promiſcuè, & deprecativas exhibent poſt orationes reconciliatorias. Abſolutiones autem illas non fuiſſe reconciliatorias, ſed reconciliationis factæ partim confirmatorias, partim dimiſſorias, ea, quæ ſequuntur, clariſſimè videntur demonſtrare.

XII. In Bibliotheca Eccleſiæ Metropolitanæ Turonenſis eſt egregium, & antiquum Sancti Gregorii Sacramentarium. Poſt finem iſtius Sacramentarii ſunt membranæ cum antecedentibus in eundem tomum compactæ, quibus titulus eſt, *Ordo qualiter confiteri debet homo reatum ſuum.* Confeſſione ſigillatim facta, & rogato Sacerdote à Pœnitente ut pro ſe oret, varias ſuper eum orationes reconciliationis cauſa profert, nihilque enuntiat indicativè. Iſtius additamenti character minor eſt, & preſſior antecedente, ſed antiquitate non videtur illi cedere. Intra ipſum librum verſùs finem eſt titulus. *Reconciliatio pœnitentis ad mortem*, cujus cau-

Digitized by Google

ſa referuntur quatuor orationes, quarum duæ longæ ſunt, quas immediatè ſequitur, *Abſolutio Pęnitentis*. Longus in ea ſermo, & auctoritatis remittendi peccata per verba, ſcripturæ demonſtratio, tandem deprecativè, & aliquid innuendo indicativè concludunt, *Cujus nos virtute freti, & clementia confiſi, humillimè imprecantes pietatem ſuam, abſolvimus te à vinculo tuorum omnium delictorum, & quidquid pro eis mereris, oramus ut avertat propitius, & meteuris cernentem omnia cernere, ſua frui viſione, & ut conſolatione, ad gloriam reſurgere, & interim ſine læſione manere aggregatus Sanctorum omnium conſortio, tribuente Deo Patre, Per eundem*. Sequitur alia Abſolutio, ſed tota deprecativa, quæ ſub eodem Abſolutionis titulo in ordine Romano legitur.

XIII. Initio ejuſdem voluminis additus eſt ab aliquo, ſed charactere recentiore, ordo reconciliationis Pœnitentium ſub hoc titulo. *Ordo feriæ 5. in Cœna Domini ad reconciliandum Pęnitentem*, ſed nihil adhibetur præter orationes, quæ omnes una excepta in ordine Romano leguntur. Pagina ſequente finitis orationibus alio atramento, & charactere recentiore, antiquo tamen, additur, *Vice Sancti Petri Apoſtolorum Principis, cui à Domino collata eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi, cujus etiam & nos, licèt indigni, vice fungimur, Abſolvimus vos fratres, in quantum veſtra expetit accuſatio, & ad nos pertinet remiſſio, ſecundùm quod nobis, ut diximus, à Domino in Sancto Petro eſt attributum, ab omnibus criminibus veſtris, ſitque vobis omnipotens Deus redemptor veſter, vita, & ſalus, & remiſſio omnium peccatorum veſtrorum, qui cum Patre, &c.* Prhaſis, ſtylus, verborumque, & rerum contextus iſtius additamenti novitatem facilè arguunt. Ille, cujus olim erat codex, inventa Abſolutione iſta indicativa, & deprecativa eam codici ſuo, ne mancus videretur, addidit. Similem repræſentat nobis codex antiquus quem Hugo Menardus Tilianum vocat, & conjicit poſt annum à Chriſto milleſimum 30. fuiſſe exaratum. Multi alii codices, quos infra referimus eandem Abſolutionem inter plures alias deprecativas nobis exhibent, & aliqui etiam eam adhibent ritui imponendæ Pœnitentiæ. In eadem Bibliotheca eſt Ritualis, cujus character vix annum quadringenteſimum ſuperat. In ordine ad ungendum infirmum, poſt unctiones peractas, orationeſque finitas, ceremonia clauditur cum præcedente Abſolutione, ſub hoc titulo, *Abſolutio ſuper infirmum. Vice S. Petri, &c.* nec ullum mutatur vocabulum; quo manifeſtum videtur dictum hoc non eſſe Sacramentalis reconciliationis cauſa. Idem videre eſt, in paulo, ut videtur, antiquiore codice Eccleſiæ Bellovacenſis, in titulo viſitationis infirmorum, in quo poſt unctiones factas, varias preces, & benedictiones, tandem ritus cum eadem Abſolutione clauditur. Non modo Pœnitentium reconciliatio, ſed etiam infirmorum unctio iſta Abſolutione terminatur, & infirmi velut peccatis liberi dimittuntur.

XIV. In eodem codice præcedit titulus, *Ordo ad viſitandum infirmum cum Euchariſtia, & non cum unctione*, qui ſic procedit. Dicuntur ſeptem Pſalmi, poſteà oratio; ſequitur. *Deinde accedat Presbyter ad infirmum, & ſuadeat ei diligenter, quòd conterat, & confiteatur omnia peccata ſua, & quæ non recolit. Deinde abſolvat eum dicens, Miſereatur tui, &c. Deus cui proprium eſt, &c. Omnipotens, & miſericors Deus, qui B. Petro Apoſtolo, cæteriſque Apoſtolis ſuis licentiam ſuam ligandi atque ſolvendi dedit, ipſe te abſolvat ab omni vinculo peccatorum, & quantum fragilitati meæ permittitur, ego abſolvo te ab omnibus peccatis tuis, ut ſis abſolutus ante tribunal ejuſdem Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui cum, &c. Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui dixit diſcipulis ſuis, &c. de quorum numero, licèt indignos, nos eſſe voluit, ipſe te abſolvat ab omnibus peccatis tuis, quæque cogitando, loquendo, operando negligenter egiſti, atque à peccatorum vinculis abſolutum perducere dignetur ad regna cœlorum, ipſe qui cum, &c. Oratio. Abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum, ſpatium veræ pęnitentiæ, emendationem morum, & vitæ, & conſolationem Sancti Spiritus, cor ſemper pęnitens, & contritum intercedente beata, & glorioſa ſemper Virgine, &c. Deinde da ei Corpus Domini, & dic, accipe viaticum. Quo communicato, Oratio. Deus qui famulo tuo Ezechiel ter quinos annos ad vitam donaſti, ita & hunc famulum à lecto ægritudinis ſuæ tua potentia erigas ad ſalutem.*

XV. Eſt in Bibliotheca Eccleſiæ Metropolitanæ Rotomagenſis antiquus codex continens potiſſimùm Epiſcopales benedictiones. In eo titulus eſt, *Incipit Abſolutio dicenda ab Epiſcopo ſuper converſum, & Pęnitentem, qui converſus proſternatur coram altari, & decantet Pſalmum 50. Si autem eſt idiota ex intimo corde crebrò dicat, Deus miſerere mihi peccatori ſecreto tuo, & faciat Epiſcopus Litanias ſuper eum, & hæ ſequantur orationes.*

Abſolvimus te vice B. Petri Apoſtolorum principis, cui Dominus poteſtatem ligandi, atque ſolvendi dedit, & quantùm ad te pertinet accuſatio, & ad nos remiſſio, ſit Deus omnipotens tibi vita, & ſalus, & omnibus peccatis tuis indultor. Per eum, qui vivit, & regnat per omnia ſecula ſeculorum, Amen: Item alia oratio, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui vulnera noſtra curare dignatus es, &c. Octo aliæ, & pleræque longæ orationes ſequuntur, quas cum reliquo ritu ad libri calcem repoſuimus. His finitis ſequitur, *Hic erigatur de ſolo apprehenſus manu Epiſcopi per dexteram, & inclinetur coram Epiſcopo*. Super quo inclinato longam Epiſcopus habet orationem, cum qua finitur ritus. Codex ille Abſolutionem vocat integrum ritum reconciliationis Pœnitentium, & meritò, Ritu enim illo Pœnitentes abſolvuntur, id eſt, peccata illis remittuntur: Deinde iterùm abſolvuntur; id eſt, liberi à laboribus, & vinculis Pœnitentiæ dimittuntur. Prætereà manifeſtum eſt ex eodem codice, antiquos auctores parum conſideraſſe in illis formulis quomodo de ſe miniſter loqueretur, ſed nominis Dei invocationem potiſſimùm attendiſſe. Hinc eſt, quòd orationem vocant ſermonem in quo præcipua pars erat deprecativa, licèt aliquid in ea eſſet indicativum, ut in prima oratione, quàm ideo integram exſcripſimus. Sic & baptiſmum dixerunt invocatione Trinitatis fieri licet prima pars eſſet indicativa, ut infra pluribus diſſeremus.

XVI. Eſt in eadem Bibliotheca antiquum Pontificale annorum 450. aut aliquid amplius, quod ſcriptum fuit olim in uſum Eccleſiæ Rhemenſis. In eo eſt titulus, *Reconciliatio pęnitentis in Cœna Domini*. Integrum ritum in calce operis referimus. Notabit Lector in eo omnia eſſe deprecatoria, ſed in actione ritus orationes interſeri: Nam in medio ceremoniæ tres orationes ſuper Pœnitentes dicuntur, *Adeſto Domine*. Alia, *Præſta quæſumus*. Alia, *Deus humani generis benigniſſime conditor, &c.* In fine ritus tres aliæ ſuper Pœnitentem proferuntur. Septimæ titulus eſt, *Abſolutio*, quæ eſt ejuſmodi, *Omnipotens Deus, qui Beato Petro Apoſtolo ſuo, cæteriſque diſcipulis ſuis ſuam licentiam dedit ligandi, atque ſolvendi, ipſe vos abſolvat ab omni vinculo delictorum, & quantum noſtræ fragilitati permittitur ſitis abſoluti ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, habeatiſque vitam æternam, & vivatis in ſecula ſeculorum, intercedente beata Dei Genetrice Maria cum omnibus Sanctis, Amen.* Verbum, *ſitis*, optativi modi, ut præcedens, *abſolvat*. Nulla enim conjectura, nedum argumento, doceri poteſt antiquos Patres Pœnitentem imperiosè reconciliaſſe, Eſto abſolutus, Eſto à peccato liber. Iſte loquendi modus ab eorum conſuetudine plurimum abhorret.

XVII. Notabit iterum Lector, quod jam monuimus, ſcilicet in illis libris ritualibus Abſolutionis nomen non id ſignificare, quod nunc ſignificare ſolet, reconciliationem cum Deo, & peccatorum remiſſionem. Ut in rituali præcedente, ubi imponitur Pœnitentia in capite Quadrageſimæ, in ipſo fere initio ritus. *Poſt hæc in Eccleſiam eos introducat, & cum omni Clero ſeptem Pœnitentiales Pſalmos in terram proſtratus cum lacrymis pro eorum Abſolutione decantet*. Et paulò ante finem ritus habetur titulus, *Abſolutio pęnitentis in capite Jejunii, In primis dicat 7. Pſal. pęnitentiale, deinde Kyrie eleiſon, & orationem Dominicam, Salvos fac ſervos tuos, &c.* Iſta ſequuntur ſex orationes ſine ullo titulo. In alio ejuſdem Eccleſiæ Sacramentario, quod Romani nomen præfert, & majori charactere ſcriptum eſt, quodque præcedente longè recentius eſt, utpote, vix trecentorum annorum, in capite Jejunii poſt benedictionem cinerum, ſic legitur, *Abſolutio ſuper pęnitentes, Salvos fac. Deus meus. Eſto eis Domine. Afuc io. Domine exaudi. Dominus vobiſcum. Oratio, Exaudi Domine preces noſtras, &c.* quas ſeptem aliæ orationes ſequuntur. Totum officium quod fit Pœnitentium cauſa in capite Quadrageſimæ, Abſolutio dicitur propter finem, in quem dirigitur, & quia orationes multæ in impoſitione Pœnitentiæ dicuntur, quibus Deus rogatur, ut Abſolutione dignos Pœnitentes efficiat. Idem inferius ex antiquiori codice, atque ex coætaneo adnotabitur.

XVIII. Et in eodem codice ad feriam 5. in Cœna Domini, *Statio ad S. Petrum. Dicendi hi Pſalmi ad Abſolutionem. Miſerere mei Deus, vel 7. Pſalmi canantur. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Salvos fac. Convertere. Mitte eis Domine. Adjuva nos. Domine exaudi. Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, &c. Deus humani generis, &c. Domine S. Pater omnip. &c. Deus qui vulnera noſtra, &c.* Sequitur titulus, *Abſolutio, Abſolvimus vos vice B. Petri Apoſtolorum Principis cui Dominus, &c.*

Jam

Jam ſæpius repetita eſt. Non ideò tamen ab iis exiſtimatur data peccatorum remiſſio, quum ibi ſit primum initium ritus reconciliationis. Statim enim ſequitur, *Quo finito pergat Epiſcopus ad januas Eccleſiæ ad reconciliandos Pœnitentes*. Poſteà ab Archidiacono dicente, Adeſt, ò venerabilis Pontifex, &c. offeruntur Epiſcopo, qui ter eos vocat, ut explicatum eſt initio capitis, *Tunc Epiſcopus verbum faciat eis Pœnitentibus idoneum, ac deinde proſtratos abſolvat dicens has orationes. Præſta, quæſumus Domine, his, &c. Deus miſericors, Deus clemens, &c. Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti diſcipulis tuis, &c. Confirmatio Abſolutionis. Abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum noſtrorum percipere mereamur, hic, & in ævum.* Necdum finita judicatur reconciliatio: Sequitur enim, *Poſt hæc erecti Pœnitentes offerantur à Presbyteris Archiepiſcopo, ut ipſe eos reconciliet Eccleſiæ, interrogetque per unumquemque, ſi digni ſint reconciliari, reſpondente Presbytero, dignos, Ponat Archiepiſcopus manum unicuique ſuper caput dans eis pacis oſculum, & dicens pax tecum, & ſic intromittens eos in Eccleſiam.* Poſtquam in Eccleſiam intromiſſi ſunt, & ad dexteram Eccleſiæ collocati (ex antiquo enim more Pœnitentes ſiniſtram occupant) additur, *Unicuique Epiſcopus aquam benedictam in facie ſpargat, Item Abſolutionem faciat.* Per Abſolutionem intelligit cæteras preces in Ordinibus, & Pontificalibus contentas, quæ ſuper Pœnitentes poſtquam Eccleſiam ingreſſi ſunt, dici ſolent, & quarum pronuntiatione reconciliatio perficitur. Manifeſtum eſt in eo codice Abſolutionem nullomodo ſumi pro reconciliatione, aut remiſſione peccatorum, ſed generaliſſimè pro quacunque parte notabili officii, quod in reconciliatione Pœnitentium celebratur.

XIX. In ejuſdem Eccleſiæ Bibliotheca eſt alius ritualis liber minore forma, & minore charactere, eodem circiter tempore quo præcedens ſcriptus. In officio feriæ 5. in Cœna Domini poſt ceremonias conſuetas, multaſque orationes ſuper Pœnitentem ad eum reconciliandum dictas ultimæ imponitur titulus, *Abſolutio, Omnipotens Deus, qui beato Petro Apoſtolo tuo, &c.* eadem prorſus cum ſuperiore, totaque deprecatoria.

XX. Duo ſunt alii Officiorum libelli, quorum unus majore eſt forma, alius minore: Uterque majore charactere ante trecentos annos, aut paulò minus ſcriptus, in quibus eſt officium ad viſitandos infirmos, ad dandam unctionem. In iis poſt Letanias, & quatuor orationes ſanitatem infirmo poſtulantes, ſequitur Oratio, *Dominus Jeſus Chriſtus, qui dixit diſcipulis ſuis. Quæcunque ligaveritis, &c. de quorum numero quamvis indignos nos eſſe voluit, ipſe te abſolvat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis tuis quæcunque cogitatione, locutione, operatione negligenter egiſti, & à nexibus peccatorum abſolutum perducere dignetur ad regna cælorum. Qui cum Patre. Abſolutio, Abſolvimus te vice B. Petri, &c.* ut ſupra. *Confirmatio Abſolutionis, Abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & miſericors Deus. Amen.* Poſteà ſequitur unctio more nunc ſolito. In codicis majoris margine è regione primæ orationis adnotatur, ſed alio charactere, & atramento, *Hic infirmus confiteatur, ſi non eſt confeſſus pro Abſolutione conſequenda, & advertatur, an habeat aliquas indulgentias ſpeciales auctoritate Apoſtolica, aut alia pro Abſolutione conſequenda juxta formam literarum, & inde pergatur ulterius.* Iſtas enim orationes, licèt non adnotetur, ex uſu tamen communi præcedere debet Confeſſio. Sic in alio ejuſdem Eccleſiæ codice manuali majori ſcripto anno 1390. adnotat Rubrica poſt Letanias, & orationes pro ſanitate recuperanda, *Deinde infirmus faciat confeſſionem, ſi neceſſe fuerit.* Sequitur oratio, Dominus Jeſus Chriſtus, qui dixiſti, &c. ut ſupra. Deinde, *Abſolutio communis, Abſolutionem, & remiſſionem, &c.* quam alii duo confirmationem Abſolutionis vocant. Illa autem oratio, *Abſolvimus te vice B. Petri, &c.* abeſt.

XXI. In Bibliotheca Abbatiæ S. Victoris propè urbem eſt antiquus codex, qui inſcribitur, *Officium Epiſcopi*, notatus GG. 14. annorum quingentorum aut paulò amplius: In Litaniis enim mentio non eſt SS. Bernardi, Franciſci, &c. Sed Dunſtani, *p.* 146. Eſt inſtructio Sacerdotis, qua docetur privatas Confeſſiones audire, & Pœnitentias Confitentibus imponere, quæ inſcribitur, *Ordo ad dandam Pœnitentiam.* Incipit autem, *Cùm venerit Pœnitens ad Sacerdotem primò inquirat de peccatis, & credulitate ſua, &c.* quæ ad calcem operis eduntur. Poſt ceremonias, Pſalmos ordinarios, & preces, ſequuntur quinque orationes, quibus finitis ſubjungitur titulus, *Abſolutio ſuper eundem. Abſolvimus te vice B. Petri, &c.* ut ſupra. *Alia. Omnipotens Deus, qui dixiſti, qui me confeſſus fuerit, &c.* Ibi tamen non agitur de reconciliatione Pœnitentis, ſed tantùm de Confeſſione, & Pœnitentiæ impoſitione. Deinde manifeſtum eſt illud, *Abſolvimus te*, propter verba ſequentia deprecationis loco haberi. f. 150. habetur titulus, *Reconciliatio Pœnitentium in Cœna Domini.* Poſteà exponitur integer ritus, quem ſequuntur ſeptem orationes ſuper Pœnitentes, quibus finitis ſtatim his verbis concluditur ceremonia, *Poſt hæc ſurgant Pœnitentes, & moneantur ab Epiſcopo, ut quod pœnitendo diluerunt, iterando non revocent.* Nec ullum in toto illo ritu reconciliationis apparet indicativæ formæ veſtigium. Ritus integer ad calcem operis editur. Ubi nullus locus reconciliationi Pœnitentium, ibi orationibus adjungitur formula, quæ initio ſui eſt indicativa. Ubi verò de reconciliatione agitur, ibi nihil eſt indicativum.

XXII. In Pontificali Eccleſiæ Metropolitanæ S. Mariæ Remenſis, quod vix trecentorum annorum ætatem attingit. In capite Quadrageſimæ poſt ritus deſcriptionem pulſis extra Eccleſiam Pœnitentibus, eſt titulus, *Abſolutio Pœnitentis in capite jejunii. In primis dicit 7. Pſalmos, deinde Kyrie eleiſon, Oratio Dominica.* Sequuntur variæ orationes, quibus finitis. *ABSOLUTIO, ORATIO. Omnipotens ſempiternus Deus, qui B. Petro Apoſtolo ſuo, cæteriſque diſcipulis ſuis licentiam dedit ligandi, atque ſolvendi, ipſe vos abſolvat ab omni vinculo delictorum, & quantum noſtræ fragilitati permittitur ſitis abſoluti ante tribunal D. N. Jeſu Chriſti, habeatiſque vitam æternam, & vivatis in ſecula ſeculorum, intercedente beata, &c.* Jam ſupra hæc oratio exſcripta eſt. In eodem codice poſteà agens de Pœnitentium reconciliatione enarratis ritibus pro Abſolutione, ſive reconciliatione orationes tantùm leguntur: & ultimæ orationis titulus eſt, *Abſolutio*, quam jam jam exſcripſimus. Idem obſervatur adhuc in Pontificalibus Romanis recentius editis: Septimæ enim, & poſtremæ orationi inſcribitur, *Abſolutio*, cum in aliis omnibus ſuperſcribatur tantum, *Oremus.* In Toloſano recentiore Abſolutionis inſcriptio ponitur ſuper oratiunculam, quæ præfationem officii Pœnitentium præcedit, & ſolitaria recitatur. *Omnipotens ſempiternus Deus vos abſolvat ab omni vinculo peccatorum, ut habeatis vitam æternam, & vivatis. Per.*

XXIII. Cùm autem iſtorum Ritualium magna pars non modò de publica ſed etiam de privata reconciliatione agat; eorum nonnulli de infirmis, atque etiam jam jam morituris reconciliandis; Nonnulli de privata tantum Abſolutione; alii inſtructionem tradant Sacerdotibus, qua ratione & Confeſſiones audire, & Pœnitentias imponere, & Pœnitentes reconciliare debeant; alii poſt pluralem, vel cum plurali numero ſingularem jungant: Cum prætere a omnes de peccatorum, criminum, & culparum remiſſione, deletione, venia, & indulgentia poſt omnium criminum diligentem interrogationem à Sacerdote, & Confeſſionem à Pœnitente factam, verba faciant, demonſtratum videtur continua antiquæ Eccleſiæ traditione peccatorum remiſſionem publicè, privatimque deprecativè conceſſam eſſe. Ex iiſdem quoque Ritualibus colligitur poſt annum milleſimum, paulò plus minuſve, quaſdam Eccleſias aliquid indicativum uni formulæ deprecatoriæ è plurimis ejuſdem generis inſerere cœpiſſe, quod tamen ad reconciliationis igitur ſubſtantiam ex eorum ſententia, & uſu non pertinebat. Abſolutionis inſuper nomen ſive pura puta eſſet deprecatoria, ſive aliquid indicativum haberet admiſtum, de iis precibus, & Pſalmis nonnunquam poſterioribus ſeculis uſurpari, quæ ad reconciliationem Pœnitentium ſubſtantialiter non ſpectabant. Denique deprecatorias formulas longè ultra trecenteſimum annum ſupra milleſimum in multis celebribus Eccleſiis continuatas eſſe. Plura ejuſdem cauſæ exempla, & argumenta deprehendet Lector ad calcem operis, ubi non modo hæc integrè referentur, ſed etiam pleraque alia ejuſdem generis ex antiquis monumentis exſcribentur, quæ hic inſerere non judicamus opportunum.

CAPUT XII.

Græci hactenus in Abſolutione à peccatis nulla alia formula uſi ſunt quàm deprecativa. Nullam aliam exhibent antiqua, & recentiora eorum Euchologia, & Pœnitentialia. Idem eorum Doctores de aliis Sacramentis aſſerunt. Quid ſentiendum de hoc dicto, habeo te abſolutum. Non eſt eadem ratio Abſolutionis ab Excommunicatione, & à peccatis.

QUæ de Occidentali Eccleſia capitibus præcedentibus dicta ſunt, de Orientali multò videntur evidentiora. Hactenus enim nulla alia formula uſi ſunt quàm deprecativa ad reconciliationem Pœnitentibus præſtandam, nec ulla alia illis eſt cognita. Eorum Euchologium editum quatuor repræſentat. Prima in editione, qua utor, quæ eſt Veneta anni 1638. occurrit

Morin. de Sacram. Pœnit.

cum hac inſcriptione, *Εὐχὴ ἐπὶ τῶν ἐν ἐπιτιμίοις ὄντων, κ(αὶ) ὅρκοις ἐμπεσόντων. Oratio ſuper eos, qui ſunt in Pœnitentia, & ſe ipſos juramento ligaverant.* Secunda paulò poſt, cui titulus; *Εὐχὴ ἐπὶ τῶν ἐξ ἐπιτιμίων λυομένων. Oratio ſuper eos, qui de pœnis Pœnitentialibus ſolvuntur.* Tertia paulò poſt cum hoc titulo. *Εὐχὴ ἐπὶ μετανοούντων, Oratio ſuper Pœnitentes.* Quarta ſtatim ſequitur, cui ſuperponitur tantùm, *Ἑτέρα εὐχή, Alia oratio.* Omnes autem ſunt puræ putæ orationes, quibus Sacerdos veniam Pœnitenti à Deo exorat. Græci autem aliquando pro ratione peccati unam præ alia aſſumunt, aut etiam varias ſimul jungunt, ut Latini antiquitus, atque etiam nunc indicativæ varias preces adjungunt. Unuſquiſque ut hoc, quod dicimus, experiatur, ad Eochologium recurrere poteſt, atque etiam ad hujus operis finem, quo hæc omnia transferimus.

II. Hæc autem apud Græcos recentia non ſunt, ſed ut apud Latinos antiquiſſima. Antiquiſſimi enim eorum rituales eaſdem, & multas alias repræſentant. Antiquum Euchologium Cryptæ Ferratæ, cujus ſcriptio annos excedit ſexcentos; Euchologium quoque Barberinum iſto multò antiquius; eaſdem exhibent, nihilque prorſus hac in cauſa nobis tradunt, quod non ſit deprecatorium. Aliud Euchologium multò recentius, ſed tamen bonæ notæ longè plures habet orationes, & Abſolutionis formulas, omnes tamen deprecativas. Sic & permultas recenſent Pœnitentiales antiquiſſimi, quos edimus; ſed omnes formulæ ſunt deprecativæ, nullum indicativæ veſtigium, ut Lector in hujus operis fine conſpicere poteſt: Quapropter inductione hic opus non eſſe arbitror. Hoc tantùm velim Lectorem conſiderare libros illos eſſe manuales, & Sacerdotum vulgo tradi, ut officia quæcunque Eccleſiaſtica juxta illa, quæ in iſtis libris præſcribuntur, exerceant; Potiſſimum autem libros Pœnitentiales hic eſſe conſiderandos, cum ſingula tam ratione Sacerdotis quàm Pœnitentis quæ ad Confeſſionem edendam Pœnitentis examen, & Pœnitentiæ impoſitionem pertinent, minutiſſimè explicent.

III. Eadem, & Neoterici Græci non modo de Sacramento Pœnitentiæ, verumetiam de omnibus prope Sacramentis docent; & ſi quid forſan in eis eſt enunciativum, non ab hoc ſed à precibus illi conjunctis, vel potius à promiſſione Dei Sacerdotis orationi facta, Sacramentalis operationis virtutem trahere ſcribunt. Nicolaus Cabaſilas in expoſitione Liturgiæ *cap. 29 Sanctiſſimum unguentum quod ejuſdem eſſe ordinis cum divina communione dicit B. Dionyſius, oratione peragitur, & ſanctificatur. Quod autem Sacramento operando deſervit, & ſanctificet (oratio) nullo eſt piis dubitatio; & Sacerdotis, & Pontificis ordinatio ſimili modo per orationem peragitur. Oremus enim, inquit, pro ipſo, ut veniat in ipſum gratia Sanctiſſimi Spiritus. Poſt impoſitionem manus, is, qui ordinat, ad Clerum clamat. Et in ea, quæ fit in Latinorum Eccleſiis Pontificis ordinatione, poſtquam infundit unguentum in caput ejus qui ordinatur, qui ordinat optat locupletem Sancti Spiritus gratiam in eum deſcendere. Peccatorum quoque remiſſio Pœnitentibus datur per orationem Sacerdotum; & ultimum olei Sacramentum ſimiliter perficit Sacerdotum oratio, quod etiam corporalis morbi medelam, & peccatorum remiſſionem dat iis, quibus peragitur, ut habet Apoſtolica traditio.* Et paulò poſt. *Quod orantibus Deus annuit, & dat Spiritum S. iis qui ipſum petunt, & nihil ſit impoſſibile eis, qui cum fide ipſum rogant, ipſe dixit, nec ulla ratione, aut machina fieri poteſt, quin hæc vera ſint: Nec alio modo dicitur tale quid contingere iis, qui quodlibet illud è ſacris eloquiis enarraverint. Hoc autem, Sacramenta oratione peragere, tradiderunt Patres, qui id ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus acceperunt.*

IV. Ita quoque docuit annis ante Cabaſilam quingentis S. Germanus Patriarcha Conſtantinop. in Theoria rerum Eccleſiaſticarum in explicatione verborum Liturgiæ, hoc eſt corpus meum: quotidianam enim iſtorum verborum energiam à verbis Chriſti, & Spiritus S. promiſſione petit, quem Apoſtolorum, & ſucceſſorum precibus perpetuò affuturum pollicitus eſt, *Propterea*, inquit, *nulla fidelibus de ſanctificatione donorum dubitatio ſupereſt, neque de aliis Sacramentis, ut ſecundùm propoſitum, & preces Sacerdotum compleantur.*

V. Simeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis in libro de Sacramentis, ubi de Sacramento Pœnitentiæ, *Quod autem Sacerdotibus, ut & Monachis, & Laicis neceſſariæ ſint Confeſſio, & Pœnitentia, teſtatur Apoſtolus dicens, Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſanemini. Ex eo quod dicit, Confitemini invicem, & orate pro invicem, docet omnibus neceſſariam eſſe perperam commiſſorum Confeſſionem, & Pœnitentiam.* Satis evidenter ſanitatem, hoc eſt, peccatorum remiſſionem poſt Confeſſionem oratione recuperari docet; cùm hunc locum de Confeſſione Sacramentali interpretetur, & ea facta ſanitatem animæ reſtitui Sacerdotis oratione fateatur.

VI. Hieremias Conſtantinopolit. Patriarcha in primo reſponſo ad Lutheranos, ſive Confeſſionis Auguſtanæ Cenſura *cap. 11. de Confeſſione*, precibus Sacerdotis remiſſionem peccatorum tribuit, *Quidquid verò peccatorum aut propter oblivionem omiſerit, aut propter verecundiam obticuerit, oramus miſericordem, & mitiſſimum Deum, ut ei hæc quoque remittantur, ac confidimus ea ipſi remiſſum iri.* Docet Hieremias peccata remitti à Sacerdote, ſi Pœnitens ea confiteatur, *μετὰ καταπεπονημένης καὶ συντετριμμένης καρδίας, corde contrito, & humiliato.* Et contraria faciat peccatis à ſe commiſſis, &c. *κατὰ τὸν κανόνα τὸν τεταγμένον, καὶ τοῖς πατράσι διωρισμένον, ſecundùm canonem præſcriptum, & à Patribus definitum.* Nunc autem quia obiici poſſet: At ſatisfacere non poteſt ſecundùm canones pro peccatis, quorum eſt oblitus, nec pro iis quæ ſummæ verecundiæ cauſa Sacerdoti non declarat. Ergone iſta peccata non remittuntur illi? Reſpondet etiam illa, non ſecus ac alia, oratione Sacerdotis remitti. Confitenda autem eſſe omnia peccata paulò ante dixerat, *Oportet, confitentem quoad poſſit, & recordetur, peccata particulatim exponere*, ut Tubingenſes Lutherani vertunt, & ſtatim poſt illa verba, quibus orationis virtutem commendavit, addit ex S. Baſilio, *Omne peccatum exponendum eſt apud Antiſtitem, Multum enim ſilentio tectus morbus eſt ſubexulceratus animæ.* Et *cap. 13.* Sacramentorum virtutem precibus tribuit, *Precationes enim ad Deum convertunt, peccatorumque veniam impetrant.* His etiam ſimul cùm oraculis divinis virtutem tribuit converſionis panis in Corpus Chriſti. In ſecundo reſponſo ſimiliter, ut Simeon Theſſalonicenſis ſupra, peccatorum Confeſſionem, & remiſſionem oratione fieri demonſtrat ex S. Jacobi *cap. quinto.*

VII. Eandem Sacerdotum Græcorum hodiernam praxim docet nos Clemens VIII. in inſtructione ſuper ritibus Græcorum, quam edidit 1595. *In caſu neceſſitatis*, inquit, *Presbyteri Græci Catholici poſſunt Latinos abſolvere. Utantur forma abſolutionis in generali Concilio Florentino præſcripta, & poſteà ſi voluerint dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujuſmodi abſolutionis dicere tantùm conſueverunt.* Conſtat igitur, formam Abſolutionis Græcis hodiernis uſitatæ eſſe tantum deprecativam. Quis enim Clemente octavo, & iis, quos illi inſtructioni formandæ, & edendæ præpoſuit certius hoc referre potuit? Præterea in mente præſertim habuerunt Græcas parochias in regno Neapolitano conſtitutas, quæ circiter centum eſſe dicuntur, à quibus nullo negotio diſcere potuerunt, quæ eſſet hac in cauſa quotidiana eorum praxis. Quid de Epiſcopo, & Græcis Sacerdotibus dicam quos in Collegio Romano ſumptibus ſedis Apoſtolicæ Clemens VIII. vivere, & habitare voluit? quique in hunc uſque diem in eodem collegio, & eodem modo conſervantur? *Inſuper idem ſanctiſſimus Dominus noſter*, ut habetur in eadem inſtructione, *Conſtituit Romæ habendum eſſe Epiſcopum Græcum Catholicum, qui Græcos Epiſcopis Latinis Italiæ, & Inſularum adjacentium ſubjectos ab Epiſcopo Græco ordinari volentes cum illorum dimiſſoriis ad id tantum concedendis ritu Græco ordinet. Ita ſanctitas ſua ex ſententia Congregationis ſuper reformatione Græcorum decrevit, & declaravit, ac fieri mandavit.* Validam autem eſſe illam Abſolutionem ex eodem decreto manifeſtè colligitur, cùm Græcos Sacerdotes Catholicos ad formam Latinam tantùm adſtringat, dum aliquo neceſſitatis caſu contingit eos Latinorum Confeſſiones audire. Cùm igitur Græcorum Confeſſiones audiunt, eos cum forma ſua deprecativa validè poſſunt abſolvere. Cùm ego Romæ de hac re interrogarem quendam Græcum Sacerdotem, Ligarinum nomine, Chium natione, virum doctum, quique in Collegio Romano adoleſcentibus Græcis Græcè erudiendis præerat, reſpondit mihi Abſolutionis formam Græcis uſitatam, & vulgarem hanc eſſe quàm manu ſua deſcripſit, *αὐτὸς δέσποτα κύριε, ἄφες, συγχώρησον τὰς ἁμαρτίας τοῦ Δ. ὅτι σοῦ τὸ κράτος, καὶ σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, τοῦ πατρὸς*, &c. *Ipſe Domine, remitte, dimitte, condona peccata hujus N. quia tua eſt potentia, & tuum regnum, Patris, &c.* Non quia tam breviter abſolvant; utuntur enim longis orationibus, ſed quia orationes illæ hanc brevem continent, & hac brevi cùm illis caſu aliquo non vacat, contenti ſint.

VIII. Locuples hujus praxis teſtis eſt Petrus Arcudius Græcus Coteyræus Theologiæ apud Latinos Doctor, qui à Summis Pontificibus in Ruſſiam Polonicam miſſus eſt, ut Ruthenos Græco Schiſmate infectos ad Catholicam revocaret, ibique annos viginti commoratus, magno cum fructu in vinea Domini laboravit. *Libro 4. cap. 3.* de Concordia Eccleſiæ Occidentalis cum Orientali de hac re ſuſiſſimè diſpu-

diſputat; Variaſque iſtius formæ cum Latina conciliationes à multis viris doctis traditas refutat. Sed his omnibus dimiſſis, hoc unicum conſideramus, cum ſcilicet poſt diligentiſſimam inquiſitionem factam fateri omnia Græcorum Euchologia, ſolam formam deprecativam tradere, nec aliquod ſe inveniſſe, quod aliter traderet, *Præter commemoratam verborum formam, quæ extat in Euchologio, & videtur in his verbis conſiſtere, Domine Jeſu Chriſte, qui dediſti nobis poteſtatem, abſolve hunc à peccatis ſuis. In nonnullis exemplaribus, quæ continent canones, ex quorum rigore injunguntur Pœnitentibus ſatisfactiones, reperitur alia forma, quæ eſt hujuſmodi, Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui dedit Apoſtolis ſuis poteſtatem, quæ per illos tranſiit ad nos συγχωρήσοι σοι, abſolvat te, ſive condonet tibi peccata tua. Addunt Græci multa alia verba in his formis, ſed hic eſt eſſentialis ſenſus.*

IX. Ipſe tamen cùm crederet Latinos forma indicativa ſemper uſos eſſe, formamque deprecativam ægerrimè concederet æquipollere indicativæ, & quocunque modo vellet omninò Græcos cum Latinis conciliare, reperit tandem, quò pedem figeret. *His relictis opinionibus poſtremo loco omnium probabiliſſimam, dixerim etiam certiſſimam, quippe quæ minimam, vel potiùs nullam meo judicio patiatur difficultatem hic inſerendam, & ſtabiliendam eſſe duxi ſententiam. Ea verò ejuſmodi eſt, quæ aſſerat hujus Sacramenti formam apud Græcos non eſſe imperativam, non deprecatoriam, neque mixtam, ſed omninò enuntiativam, & ut ita dicam αὐθεντικὴν καὶ δυναστικήν.* Quæ autem eſt illa formula enuntiativa? ἔχω σε συγκεχωρημένον, habeo te venia donatum; hoc enim, inquit, eſt συγχωρῶ σοι τὰ ἁμαρτήματα, condono, ſive, remitto tibi peccata. Fatetur tamen Euchologia illam non exhibere. *At non extat ejuſmodi forma in Euchologio. Equidem fateor. Neque enim ſi extaret in recenſendis aliorum opinionibus tantoperè laboraſſem.* Dicit hanc formulam hodie non eſſe apud Græcos infrequentem, licèt ea major pars non utatur. *Eſt tamen frequens, & in ore multorum Confeſſariorum quotidie verſatur, licèt major pars Græcorum ex ignorantia, quod neſciant totam vim latere in his paucis verbis, ea non utantur.* Addit Antiſtites humilitatis cauſa eam ſic efferre, ἡ μὲν μετριότης ἔχει σε συγκεχωρημένον, Mea mediocritas habet te venia donatum. Quibus autem teſtimoniis hoc probat? Teſtimonia duo è Turcogræcia affert, unum Pachomii Patriarchæ Conſtantinopolitani quendam Arſenium deponentis, & excommunicantis; alterum Michaelis Patriarchæ Antiocheni Theodoſium Zygomalam à ligamine peccatorum abſolventis. Tertium ex alio diplomate à Joachimo Patriarcha Antiocheno, cuidam Petro Archidiacono conceſſo, quod Leopoli in Ruſſia ſe vidiſſe affirmat. Putabas Lector teſtimonia hæc ex antiquo aliquo Euchologio, aut auctore eſſe petita. Sed poſt diuturnam, & diligentiſſimam inquiſitionem ad Cruſii Lutherani Tubingenſis fidem de re ſuo tempore facta, nihil alibi deprehendens, confugere coactus eſt.

X. Quanquam iſta parum, aut nihil hac in cauſa videantur conſideranda, quum ſint hodierna, & paucorum Græcorum, qui à Latinis, cum quibus commercium aliquod habuiſſe dici poteſt, iſta deſumpſerunt, nos verò antiqua, perpetua, & publica quæramus; dicimus tamen primum exemplum nihil prorſus ad rem facere, eo quòd in eo de re agatur ab ea, quæ controvertitur, diverſiſſima, Agitur enim de Excommunicatione, & depoſitione. Certum eſt autem ex uſu antiquiſſimo Excommunicationem, & multo magis depoſitionem enuntiativa propoſitione maximè factas fuiſſe, ut ex Concilio 3. & 4. ut alia pleraque prætercam, in Excommunicationibus, & depoſitionibus Neſtorii, & Dioſcori manifeſtum eſt. Nec commodè fieri potuerunt deprecativè, ut hæc tantiſper attendenti eſt perſpicuum. Oratur enim Deus, & exoratur in Sacramento, ut gratiam, & auxilium Spiritus S. per miniſtrum ſuum ſuſcipienti inſpiret, quo Abſolutione, ordine ſacro, &c. dignus fiat. Quid? Aliquem excommunicaturus, vel depoſiturus Deum rogabit, ut iſtius rogationis virtute ſit reapſe ab Eccleſia, aut gradu ſuo dejectus, & expulſus? Pœnitens vi Sacramenti fit Abſolutione dignus; ſed Excommunicandus vi Excommunicationis, non fit Excommunicatione dignus, & impium eſſet, excommunicantem hoc ſibi proponere. Oportet contrà juſtè excommunicantem ſubjectum, in quod poteſtatem exerceat, invenire dignum Excommunicatione. Nec hoc tantum, ſed antequam Excommunicationem ferat, ut legitimè ferat, conari debet variis exhortationibus Excommunicatione dignum ab iniquitate avertere. Itaque Excommunicans, & abſolvens contrario modo procedunt. Abſolven[s co]nfeſſione, interrogatione, exhortatione, dignum Abſolutione reddit, tandemque ipſa Abſolutione juſtum. Ideò ipſius actio rectè, & commodè cum oratione ſubſiſtit. Sed excommunicans primò hominem ſibi ſubjectum Excommunicatione dignum antequam aliquid agat, reperire debet. Secundùm, ut pœniteat, & ſe Excommunicatione indignum reddat, ſæpiùs monere, tandemque pertinacem excommunicat. Hoc ultimum de quo nunc agitur, oratione non videtur commodè fieri poſſe. Hinc canones Apoſtolici jubent, ter ante Excommunicationis pronuntiationem admonendum eſſe, qui excommunicandus eſt, ut reſipiſcat, quod hactenus religiosè obſervatur. His accedit aliud ingens diſcrimen. Abſolutione enim beneficium planè divinum, omnemque virtutem humanam, & Angelicam longè ſuperans Pœnitenti confertur: Ideò Sacerdos Deum orat, ut per ipſius miniſterium Pœnitens hoc beneficium conſequatur, ne ſibi id, quod Dei ſolius eſt, attribuere videatur. Verùm Excommunicatio eſt tantùm impietatis notoriè præexiſtentis, & pervicaciter adhærentis judicialis declaratio, & publica impii ex piorum cœtu expulſio. Quocirca nihil impedit, Sacerdotem per ſeipſum, & tanquam Dominus, & à ſeipſo, externam illam actionem facere, quæ internæ expulſionis à regno cœlorum jam à Deo propter peccatum factæ, ſolùm eſt argumentum. Nihil enim iſta actione ſibi aſſumit, niſi quod judicium vulgus ſemper facere ſolet. His adjunge, quæ de Excommunicatione, & ejus antiquis, & recentioribus formulis demonſtrantur infrà *c.*20.

XI. Secundi, & tertii exempli alia ratio eſt: Non eſt enim Excommunicatio, ſed ab Excommunicatione Abſolutio, quæ verbis enuntiativis profertur, *Mediocritas noſtra* ἔχει συγκεχωρημένον, *habet venia condonatum ſpiritualem filium ſuum Theodoſium, in quibuſcunque etiam ipſe, ut homo deliquit, atq; in Deum verbo, opere, & cogitatione, &c.* Eſt igitur apud Græcos aliquis Abſolutionis indicativæ uſus. Verum hic agimus de Abſolutione à peccatis, non ab Excommunicatione. Maximum autem eſſe inter utramque diſcrimen jam jam demonſtratum eſt, ita ut Scholaſtici omnes, & Canoniſtæ unanimi conſenſu aſſerant, nullam eſſe Abſolutionis ab Excommunicatione certam formulam, & quocunque verbo dari poſſe, ut legere potes infrà *cap.* 20. Sed hoc diſcrimine maximi in hac cauſa momenti prætcrito, ipſi Auctores Abſolutionis, quæ nobis opponitur, de ea longè aliter quàm Arcudius judicant: Ajunt enim, ſe Deum illis verbis deprecari: Ita enim Michael ille Antiochenus Patriarcha Abſolutionem ſuam inſcribit, συγχωρητικὴ εὐχή. *Abſolutoria deprecatio Patriarchæ Antiocheni Michaelis.* Deinde idem convincit pronuntiandi modus, *quam recitat ſuper caput illius, qui ipſi confeſſus eſt, geſtans pontificiam ſtolam, & deprecans ſalutaria,* Orationes enim ſuper caput cum manuum impoſitione leguntur. Denique Pontifex, ait ſe illis verbis deprecari ſalutaria confitenti. Quidquid igitur ſit de verborum, & phraſis nativa poteſtate, iſta phraſis, ἔχω σε συγκεχωρημένον, ab illius auctore judicatur deprecativa, aut ſaltem deprecativæ non præjudicare. Phraſes autem, & verba, ut omnes norunt, ſecundum auctorum mentem, qui ea protulerunt, intelligenda ſunt. Ratio autem, qua nixus auctor phraſim illam vocavit deprecativam, peti poteſt ab adjunctis verbis. Non enim ſimpliciter dicit, Mediocritas noſtra, Theodoſium habet abſolutum, Sed, *Mediocritas noſtra à gratia, dono, & poteſtate Spiritus Sancti, quæ data eſt, &c. habet abſolutum filium ſuum ſpiritualem Theodoſium,* quo loquendi modo, ita ſe loqui credidit, ac ſi dixiſſet gratia, donum, & poteſtas Spiritus S. te abſolvat fili mi ſpiritualis Theodoſi. Hinc etiam in fine addit Patriarcha cum manifeſta deprecatione, *Quæcunque verò oblivione, aut verecundiæ cauſa confiteri prætermiſit, illa quoque condonet ipſi miſericors Deus, &c.* In manuſcripto Euchologio de quo exſcripta plurima nobis miſſa ſunt, duæ ſunt planè ſimiles Orationes Abſolutoriæ, ita ut hæc ab illis videatur deſcripta. Itaque de illis idem quod de Antiochena dicendum eſt. Utramque in fine operis edemus.

XII. Animadvertendum inſuper in verbis primi diplomatis, *Mediocritas noſtra,* ἔχει αὐτὸν ἀφωρισμένον, *habet eum excommunicatum,* ſi contextus conſideretur, nihil eſſe cum his, *habet eum abſolutum* commune. Nam prius diploma, ut apparet ex narratione, quæ in eo fit, nihil eſt aliud quàm executio, & confirmatio ſententiæ jam viva voce à Synodo pronuntiatæ, qua Arſenius ille Monembaſiæ Epiſcopus ab Epiſcopatu dejectus fuerat, & excommunicatus. Patriarcha igitur ea phraſi Arſenium non excommunicat, ſed Excommunicationem à Synodo jam factam approbat, & hoc ſcripto omnibus denuntiat. Sic Joannes Antiochenus Patriarcha *Epiſt.* ad Xyſtum Romanum Pontificem, & alios *tom.*3. Concilii Epheſini *cap.*27. dicit ſe aſſentiri ſententiæ Synodi contra Neſtorium latæ, ἔχειν αὐτὸν καθῃρημένον, eumque habere depoſitum, hoc eſt cenſere, & æſtimare depoſitum. Sic Concilii S. Patres collatione octava

profi-

profitentur ſe quatuor generalium Conciliorum ſententiam amplecti, *Eos autem*, inquiunt, *qui pro tempore condemnati, vel anathematizati à Catholica Eccleſia, & prædictis quatuor Conciliis ſunt, confeſſi ſumus eandemnatos, & anathematizates habere*. Phraſim Græcam verbo tenus ſecutus eſt interpres Latinus, quæ nihil aliud ſignificat quàm aſſenſum, & rei factæ approbationem. Itaque phraſis illa nihil ad judicialem ſententiæ pronuntiandæ formulam. Dicit inſuper idem Arcudius phraſim illam elegantem Atticiſmum continere. Attici, inquit, verbum mutant in participium duobus modis, vel addito verbo ſubſtantivo, εἰμί, τυγχάνω, διατελῶ, ut λέγων εἰμί, pro λέγω. Εἰσελθὼν τύχω, pro εἰσῆλθον. Vel addito verbo ἔχω, ut ἀτιμάσας ἔχω, pro ἠτίμασα. Ἔχω μαθὼν, pro ἔμαθον. Vera equidem hæc ſunt, elegantes phraſes ejuſmodi. At qua ratione phraſes illæ cum iſta conveniant, Ἔχω σε ἀφωρισμένον, ἔχω σε συγκεχωρημένον, ego non video. Hæc enim δὶς διὰ πασῶν, ut vulgò fertur, differunt. Dicendum eſſet ἀφορίζων ἔχω; an paſſivè eleganter diceretur ἀφωρισμένος ἔχω? Exemplis docendum. Sed ἔχω σε ἀφωρισμένον nihil cum Atticiſmo illo; ſimplex eſt verbi activi accuſativum regentis conſtructio, in qua nihil extraordinariam præter vocis, ut ſignificat cum verbo ἔχω conjunctionem, quæ tolerabilis eſt, cùm rei jam factæ aſſenſum indicat.

XIII. Sed omnia concedamus Arcudio, quæ aſſumit; inde tamen nihil ejus conficitur, de quo diſputamus. Demonſtravimus enim *lib. ſexti c. 21. 23.* & ſequentibus, duplicis Abſolutionis apud Græcos, ut etiam apud Latinos, uſum fuiſſe, quarum una eſt à peccatis, altera quæ priorem ſequebatur, à pœnis canonicis. De priore quæſtio eſt, non de poſteriore. At in diplomate Michaelis Patriarchæ, quod obiicitur, ut & in duobus aliis, quæ ex Euchologio manuſcripto collegimus, de poſteriore agitur, quæ primam conſecuta eſt, ut diplomatis textus diſertiſſimè admonet, *Et hæc quidem ſpiritualibus Patribus confeſſus eſt, ab eiſque impoſitam ſibi Pœnitentiam diligenter perfecit*. Itaque omnibus Arcudio, quæ colligit, & aſſumit, conceſſis, inde tantùm conficitur; Græcos quoſdam neotericos, & anterioris ſeculi, Abſolutionem ab Excommunicatione minori, ſive pęnis canonicis cœpiſſe per formulam partim indicativam, partim deprecativam pronuntiare.

XIV. Præterea teſtimonium profert Arcudius Gabrielis viri Græci ſibi coætanei, & Philadelphiæ Metropolitani *in tractatu de Sacramentis, cap. de Pęnitentia*, qui formam Sacramenti Pœnitentiæ hanc aſſignat, *Gratia ſanctiſſimi Spiritus per meam humilitatem habet te venia donatum, & abſolutum*. Sed ita non ſe habent Gabrielis verba. Poſtquam enim de materia iſtius Sacramenti breviſſimè egit, Latinorum Scholaſticorum more, verbiſque, & ſenſu ab iis mutuatis, & Græcè tantùm tranſlatis; fuerat enim Patavii Venetorum in literis Latinis, & Græcis inſtitutus, de iſtius Sacramenti forma ſic ſcribit, *Forma Pęnitentiæ eſt poteſtas à ſervatore noſtro conceſſa ſolis ipſius ſanctis diſcipulis, & Apoſtolis, quam tradentes univerſæ terræ Epiſcopis mutuo, & ſibi ſuccedentibus tradi- tam operari juſſerunt. Dicit enim Dominus, ut in antecedentibus jam relatum eſt, Quæcunque ligaveritis, &c. Ideò legitimi Sanctæ exomologeſis Adminiſtri peccatori ad eos venienti dicunt, Gratia Sanctiſſimi Spiritus per meam humilitatem habet te venia donatum, & abſolutum*. Forma igitur Pœnitentiæ ex ipſius ſententia eſt poteſtas à Chriſto data remittendi peccata. Quibus autem verbis enuntietur, & applicetur non explicat. Verba enim illa poſtrema ad Abſolutionem peccati referri non poſſunt. Quis loquendi modus Pœnitenti poſt criminum Confeſſionem, Gratia Spiritus S. per meam humilitatem te habet abſolutum? Ubique ſemper Græci in cauſa Sacramentorum tertia perſona verbi ſignificantis actionem Sacramentalem utuntur, nunquam ipſius participio. Verbi gratia, baptizatur ſervus Chriſti, ungitur ſervus Chriſti, & in omnibus ordinationibus, *Divina gratia, quæ ſemper infirma curat, & imperfecta perficit*, προχειρίζεται, *promovet hunc N. reverendum Subdiaconum in Diaconum, vel, Diaconum in Presbyterum, &c.* Præterea participium præteritum ad formam Sacramenti planè ineptum eſt. Cum enim ſit effectiva rei peractæ, in præſenti enuntiari debet, aut ſaltem deprecativè, Deo ſimul cùm oratione Sacerdotis effectum producente. Res ipſa hoc neceſſariò poſtulat, nec unquam aliter quàm alterutro modo Sacramentorum formæ tam apud Græcos, quàm apud Latinos traditæ ſunt. Participium præteritum rem factam, cùm Sacramentum adminiſtratur, non quæ fit, enuntiat. Quapropter forma iſta Abſolutionis in præterito enuntiata apud eos tantùm tolerabilis eſſe poſſet, qui Sacerdotis ſententiam aſſerunt eſſe ſolam Abſolutionis, & juſtificationis à Deo jam factæ declarationem. Illi ambabus manibus hanc formam amplecterentur, habeo te abſolutum. Hoc eſt, quia Deus jam te abſolvit, te quoque abſolvo, & abſolutum declaro.

XV. Quid igitur inquies ſibi volunt iſta Philadelphienſis Metropolitæ verba? Quanquam id nobis parum curæ eſſe debeat, cùm auctor ſit heſternus, nihilque ſimile Euchologia, & rituales Græcorum libri antiqui, recentiores, & hodierni nobis exhibeant, facilè tamen eſt conjicere, quid ſibi velit, & cum quo ſenſu, & phraſis illa, *habet te abſolutum*, & tota periodus naturali quodam rationis ductu optimè conveniant. Confeſſorum conſuetudo eſt peracta Confeſſione, atque etiam abſolutione data Pęnitentes conſolari, & de peccatorum remiſſione per preces Sacerdotales obtenta certiores reddere, ne, ut ait S. Paulus de Corinthio, abundantiori triſtitia abſorbeantur. Hoc admonent Græcorum Pœnitentiales, qui ſingulas Confeſſionis ceremonias explicare ſolent. Sic in Anonymo Pœnitentiali poſt primam Abſolutionis orationem Pœnitenti dicit Confeſſor, *Vade in pace, Amen*. Et poſt ſecundam. *De peccatis confeſſis noli curam gerere, Vade in pace*. Et Joannes Jejunator Abſolutione data, *Poſteà erigit eum, & bono eſſe animo exhortatur, dicens ei. Et voluntate Dei hominum ſalutem amantis, & volentis ad Pœnitentiam confugiens, & confeſſus à prioribus tuis malis operibus liberatus es. Ne igitur per incuriam divinorum præceptorum ſecundis malis teipſum ſubiicias, ſintque tibi juxta Evangelium noviſſima pejora prioribus, quibus per Dei clementiam liberatus es*. Similiter, & Joannes Monachus, *Tunc erigit ipſum, & amplectitur, ut animam propriam, & ſi fieri poteſt manum ſuam ipſius collo imponit, dicens ipſi, frater, ab hac hora omnia iſta ſint ſuper me*. Sic in Euchologio Græco Latino poſt Abſolutionem Sacerdotis excommunicati, Miſſam celebratam, & ceremonias peractas habetur, καὶ ὑπέρχεται λελυμένος καὶ ἀπὸ θεοῦ. *Et abit ab ipſo quoque Deo abſolutus*. Hoc eſt, ſi ſincerè animi compunctionem protulit, ut à me jam abſolutus es, ſic & à Deo. Similiter Gabriel Philadelphenſis, ait propter vim verborum Chriſti, à qua Sacerdotalium precum effectus pendet, Confeſſores Pœnitentem de ſalute per Sacramentum obtenta certiorem facere, & peracto Sacramento illi meritò dicere, Gratia S. Spiritus per me habet te abſolutum, hoc eſt, vade in pace, abſolutus es, à peccatis liberatus es, ſecurus eſto, omnia anteacta ſint ſuper me. Hujus rei relatum eſt exemplum ex Nicephoro Gregora ſupra *libri 6. 11.* in Michaele Palæologo Imperatore, qui ſceleribus publicè confeſſis, publicèque accepta à Pontificibus Abſolutione, *Lætus diſceſſit, credens ſimul cum hac Abſolutione Deum illi eſſe placatum*. Quam verò Abſolutionem acceperit? Longam ſanè orationem ſuper eo proſtrato ex ſcripto legerat Patriarcha.

XVI. Poſtquam Arcudius omnem movit lapidem, atque contra proverbium, ex omni ligno Mercurium fecit, ut aliquid apud Græcos indicativum pro Abſolutionis forma deprehenderet, unicum adhuc iſtius rei argumentum deprehendit. Quodnam verò? Hypatius inquit, Metropolita Chiovienſis oſtendit mihi quendam librum manuſcriptum idiomatis Ruthenici, in quo forma quædam Abſolutionis reperitur indicativa. Eam tranſcribit integram, quam quiſque apud eum legere poteſt. Primùm eſt ſatis longa oratio, quæ ſub Methodii nomine circumferri ſolet: deinde alia oratio in cujus medio hæc indicativè leguntur, *Ego quoque pater tuus ſpiritualis poteſtate mihi à Deo tradita, & à ſuperioribus meis conceſſa abſolvo te ab omnibus peccatis tuis*. Deinde deprecativè continuatur, *Det ergo tibi Deus, ut in hoc, & in futuro ſeculo irreprehenſibilem te ſiſtat judicia ejus, qui eſt benedictus in ſecula*. Si deceptus non eſt Arcudius in lingua ſibi incognita miſcuit illius auctor formulam indicativam cum deprecativa, ut paſſim factum apud Latinos circa annum milleſimum ducenteſimum. Verùm prior oratio ad Sacramentum Pœnitentiæ videtur non pertinere, ſed ad Confirmationis Sacramentum, cujus collatione Hęreticos ab hæreſi redeuntes recipiunt, cui poſterior in περιοχῇ adnectitur: Quidquid ſit, vir doctiſſimus, & Græcus, & cum Græcis annos complures, ut ad Catholicam Eccleſiam eos allieeret, converſatus, quique totam vitam in eo ſtudio conſumpſit, tria tantum teſtimonia Græcorum hodiernorum, & ſibi coætaneorum, quorum duo à Lutheranis accepta ſunt, tertium à manuſcripto Ruthenico, reperire potuit, quibus colorem aliquem ſententiæ ſuæ induceret. Unde vel ex eo ſolo evidentiſſimum eſt, Eccleſiam Orientalem, Abſolutionem indicativam in Sacramento Pœnitentiæ ad hunc uſque diem nunquam uſurpaſſe.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Ex antiquiſſima conſuetudine univerſa plebs Chriſtiana, & Clerus, præſertim cùm Pœnitens erat reconciliationi proximus, Epiſcopum obnixè rogabat, ut Pœnitentem reconciliaret; ipſeque Pœnitens ſupplex, & humilis fideles, ut intercederent, deprecabatur.

SI nonnulla alia ſcitu digna perſequamur, quæ in reconciliatione Pœnitentibus præſtanda ab ipſis Eccleſiæ incunabulis peragi ſolita erant, quæcunque de modo reconciliationis enuntiandæ dicta ſunt, multò erunt illuſtriora. Tria ſequentibus capitibus enarrabimus, & antiquorum Patrum teſtimoniis confirmabimus. Primum eſt, antiquiſſima fidelium conſuetudo Epiſcopum rogandi, ut & hos Pœnitentes Eccleſiæ reconciliaret; & cum reapſe reconciliabantur, aut reconciliationi erant proximi ſimul, cum Epiſcopo, & Clero Deum lachrymis, jejuniis, vehementer deprecandi, ut illos reconciliatione dignos efficeret. Magnam enim vim in fidelium orationibus ad veniam à Deo impetrandam ineſſe putabant. Ideò Pœnitentes ſumma cum humilitate, & ſui dejectione fidelium orationes, & interceſſiones ambibant, ut ex teſtimoniis, quæ ſequuntur, Lectori fiet manifeſtiſſimum.

II. S. Clemens *Conſtit. lib. 2. cap. 16.* Sic Epiſcopum monet poſtquam peccantem ab Eccleſia ejecit, *De eo ejecto doleant Diaconi, & eum obſervent, atque extra Eccleſiam contineant: idemque in Eccleſiam poſteà ingreſſi pro eo te rogent.* Hoc faciendum demonſtrat exemplo Salvatoris, qui pro peccatoribus patrem ſuum, ut illis ignoſceret, deprecabatur, *cap. 18.* preſſiùs ad propoſitum noſtrum. *Curam omnium ſuſcipe, tanquam rationem de pluribus redditurus, ac ſanos quidem conſerva, lapſos verò mone, & qui in jejunio premis, leva in remiſſione, & eum qui luxit, recipe, cuncta Eccleſia pro eo deprecante, & manu impoſita ſine eum in Eccleſia eſſe.* Capite quoque ejuſdem libri 41. *Ut ethnicum baptiſmo lotum poſt doctrinam admittis, ſic hunc per manus impoſitionem, utpotè factum mundum pœnitendo cunctis pro eo deprecantibus in antiqua paſcua reſtitue, eritque ei loco lavacri manuum impoſitio.* Nec eo tantum tempore, verùm etiam in ſingulis propè Synaxibus pro Pœnitentium reconciliatione acceleranda Epiſcopus, totaque Eccleſia Deum deprecabatur, ut videre eſt *earundem Conſtitut. lib. 8. cap. 10.* & multis hoc demonſtravimus ſupra *lib. ſexto cap. 8. & 9.*

III. Idem mos præclarè lucet in hiſtoria cujuſdam Natalii ab hæreſi ad Eccleſiam redeuntis, quam ex antiquo auctore refert Euſebius *lib. 5. hiſtoriæ ſuæ cap. 27.* Natalius ille, ab Angelis noctu graviter cæſus manè ſurrexit, *Cilicioque, & ſacco indutus, cineribus aſperſus, cum magno mœrore, & lachrymis ad pedes Zephyrini Pontificis ſeſe abjecit; & non modo ad Cleri, ſed ad Laicorum etiam genua advolvit, ita ut Chriſti miſericordis Eccleſia illum magnoperè commiſerata, lamentis undſe dederet. Attamen ille licèt multis precibus uſus fuiſſet, & plagarum vibices, quas pertulerat, oſtendiſſet, vix tandem in communionem Eccleſiæ receptus fuit.* Ejuſdem diſciplinæ in Eccleſiis Alexandrini Patriarchatus obſervatæ teſtis eſt, de ſuo tempore Syneſius *Epiſt. 67.* Lamponianum quendam injuriarum convictum, & confeſſum ab Eccleſia ſeparat Syneſius; *Ipſe verò facti pœnitens lachrymis ſcelus purgat, & ſupplex eum populus condonari ſibi petit, ſed ego in iis, quæ ſemel decreveram, perſeveravi, ſolvendi autem jus, atque auctoritatem ad Pontificiam ſedem Alexandrinam rejeci.* Orat populus, nec tamen precibus ejus acquieſcit Syneſius. Parcere enim, aut integras pœnas ſumere erat in Epiſcopi arbitrio.

IV. Nec minus lucet idem mos in verbis Tertulliani *de Pœnitentia cap. 10.* qui eodem cum Zephyrino tempore, aut paulò ante ſcribebat, *Quid conſortes caſuum tuorum, ut plauſores fugis? Non poteſt corpus de unius membri vexatione lætum agere; condoleat univerſum, & ad remedium conlaboret, neceſſe eſt, &c. Ergo cùm te ad fratrum genua protendis, Chriſtum contrectas, Chriſtum exoras: æquè illi cum ſuper te lachrymas agunt, Chriſtus patitur, Chriſtus patrem deprecatur.* Paulò ante dixerat Pœnitentes Presbyteris advolvi, charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere, quibus graphicè admodum illius temporis conſuetudinem depingit.

V. S. Pacianum Tertulliano ſubjungemus, quia ita paſſim eum imitatur, ut ſæpè integras periodos ex eo mutuetur. In fine *Epiſtolæ* 1. ad Sympronianum refert, *Magno pondere, magnoque libramine poſt multos gemitus, effuſionemque lachrymarum, poſt totius Eccleſiæ preces, ita veniam veræ Pœnitentiæ non negari, ut judicaturo Chriſto nemo præjudicet.* Et in exhortatione ad Pœnitentiam poſtquam verba è Tertulliano jam relata, tanquam ſua protulit, quæ ideò non repetimus, ſubdit, *Ideò, qui fratribus peccata ſua non tacet, Eccleſiæ lachrymis adjutus Chriſti precibus abſolvitur.* Et in fine exhortationis, *fratres, per ſolicitudinem meam, per communes omnium animas obteſtor, & deprecor, ne pudeat in hoc opere, &c. ſacco corpus involvere, cinere perfundere, macerari jejunio, mœrore conficere, multorum precibus adjuvari.*

VI. Clerus Romanus ad S. Cyprianum ſcribens adversus quoſdam Lapſos, qui Abſolutionem ſuam præpoſterè accelerari volebant, eos ab incœpto dimovendos docet, illis proponendo longè certiorem fore Abſolutionem eorum, ſi literæ quas à Martyribus obtinuerant, precibus ſtantis plebis, id eſt, quæ nullo crimine polluta erat, propter quod Pœnitentia eſſet agenda, adjutæ, & corroboratæ eſſent; quia plebis ſtantis, & fidelis oratio plurimum adjumenti, & auxilii Pœnitentibus à Deo impetrat, ut reconciliatione digni habeantur. *Quanto meliores ipſorum literæ fuiſſent, ſi pro ipſis preces ſtantium ipſorum humilitate adjutæ fuiſſent; quoniam & faciliùs impetratur quod petitur, quando is, pro quo petitur, condignus eſt, ut quod petitur, impetretur.* Epiſtola unde hoc deſumptus eſt, inter Cypriani *Epiſtolas* 30. habetur, Cyprianus *Epiſtolam* 40. univerſæ plebi ſuæ ſcribit, eamque admonet Schiſmatis quinque presbyterorum, qui Lapſis contra diſciplinam Eccleſiaſticam præpoſterè communicabant, hortaturque, ut ſibi diligenter ab iis caveat, *Cæci ſunt, & duces cæcorum, &c. Intercedunt precibus veſtris, quas nobiſcum diebus, ac noctibus Deo funditis, ut eum juſta ſatisfactione placetis; intercedunt lachrymis veſtris, quibus commiſſi delicti crimen abluitis; intercedunt paci quam verè, & fideliter de Domini miſericordia poſtulatis.* Inter mala, & incommoda, quæ illi Presbyteri cauſabantur, hoc recenſet, quod Clerum, plebemque fidelem impediebant, ne precibus ſuis, & lachrymis pacem, & ſatisfactionem Lapſis promereretur. *Epiſt. 14.* ſcribit quando, & qua ratione reconciliandi ſint Lapſi, cum Epiſcopis, & Laicis ſtantibus eſſe definiendum, atque ideò perſecutionis ceſſationem eſſe expectandam, *Hoc enim & verecundiæ, & diſciplinæ, & vitæ omnium noſtrum convenit, ut Epiſcopi plures in unum convenientes præſente, & ſtantium plebe, quibus, & ipſis pro fide, & timore ſuo honor habendus eſt, diſponere omnia conſilii communis religione poſſimus.* Hanc Cypriani ſententiam approbat Clerus Romanus *Epiſt. 31.* Sed verbis auctoritatem plebis magis adſtruentibus, *Placet, &c. collatione conſiliorum cum Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Confeſſoribus, ac ſtantibus Laicis facta lapſorum tractare rationem.* Si plebe præſente tractant Epiſcopi, quæ extra ordinem accidunt in reconciliatione Lapſis præſtanda, multò magis eandem plebis precibus ordinariè præſtabunt. Et *Epiſt. 21.* Celerinus Luciano Confeſſori, & in carcere cum aliis detento pro Numeria, & Candida Lapſis ſcribens, *Petro per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut cæteris collegis tuis, fratribus tuis, meis Dominis referas, & ab eis petas, ut quicunque prior veſtrum coronatus fuerit, iſtis ſororibus noſtris Numeriæ, & Candidæ tale peccatum remittant.* Quid verò agebant Martyres illi cujus cauſa peccata remittere dicit Celerinus, paulò poſt explicat, *Quatenus per veſtras ſanctas orationes, & petitiones, in quas nos fidimus, quoniam eſtis Amici, ſed & teſtes Chriſti, quod omnia indulgeatis.* Tantoperè deferebant Epiſcopi Martyrum orationibus, ut eos, pro quibus orabant, abſolutione dignos judicarent. Ideò paſſim criminum Rei carceres adibant, ut à Martyribus libellos veniæ conſequendæ impetrarent, velut videre potes apud Tertullianum in fine libri de pudicitia, de qua conſuetudine, & ejus abuſu libro ſequente multa.

VII. Iſtius conſuetudinis teſtis eſt locupletiſſimus S. Ambroſius, atque ad eam ſæpius exhortatur. Ita autem perſpicuè eam commemorat, & dilucidè explicat, ut nihil in verbis ipſius ad rei certitudinem, & evidentiam deſiderari poſſit. Omnium præterea clariſſimè iſtius precis virtutem ad impetrandam Reo peccatorum remiſſionem aſſerit, & effert *Libro 1. de Pœnitentia c. 15.* iſta Pauli verba, expurgate vetus fermentum, 1. *Cor. 5.* explicans ita ſcribit, *Bene ait, expurgate; Velut enim operibus quibuſdam totius populi purgatur, & plebis lachrymis abluitur, qui orationibus, & fletibus plebis redimitur à peccato, & in homine mundatur interiore. Donavit enim Chriſtus Eccleſiæ ſuæ, ut unum per omnes redimeret, quæ Domini Jeſu meruit adventum, ut per unum omnes redimerentur.* Et paulò poſt, *Tota Eccleſia ſuſcipit onus peccatoris, cui compatiendum & fletu, & oratione, & dolore eſt: & quaſi fermento ejus ſe totam conſpergit, ut per univerſos ea, quæ ſuperflua ſunt, in aliquo Pœnitentiam agente, viritim miſericordiæ, aut compaſſionis velut collativa quadam admixtione purgentur. Capite* præterea 16.

Volo

Digitized by Google

Volo veniam Reus ſperet, petat tam lacbrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut ignoſcatur, obſecret. Atque iterum capite ſequente, *Si ſatis eſt ad condemnationem objurgatio, quæ fit à pluribus*, alludit ad verba Pauli 2.*Cor.*2. *Satis eſt quoque ad remiſſionem peccati obſecratio, quæ fit à pluribus.* Libro inſuper ſecundo *c.*7. paraphraſticè enarrans hiſtoriam reſurrectionis Lazari, Eccleſiæ ſui temporis conſuetudinem velut in tabella ob oculos nobis proponit, *Veniet ad monumentum Chriſtus, & ſi viderit flere pro te Martham boni fœminam miniſterii, & flere Mariam, quæ attentè audiebat verbum Dei, ſicut ſancta Eccleſia, quæ optimam partem ſibi elegit, movebitur miſericordia, cùm viderit in tuo obitu lacbrymas plurimorum, & dicet, ubi poſuiſtis eum? hoc eſt, in quo Reorum ſtatu eſt, in quo Pœnitentium ordine, &c.* Et poſt aliquot periodos, *Videns itaque onus peccatoris illacbrymat Dominus Jeſus, ſolam enim flere non patitur Eccleſiam. Compatitur dilectæ ſuæ, & dicit defuncto, Veni foras.* Denique ejuſdem *libri cap.*10. Agens adverſùs eos, qui Pœnitentiam agere erubeſcunt propter ſupplicationes ad veniam impetrandam Clero, plebique faciendas, iis opponit preces, obſecrationes atque in genua proſtrationes fieri ſolitas Magnatibus, quos graviter offendimus, *Hoc ergo in Eccleſia facere faſtidis, ut Deo ſupplices, ut patrocinium tibi ad Deo obſecrandum ſanctæ plebis requiras, &c. Fleat pro te mater Eccleſia, & culpam tuam lacbrymis lavet, videat te Chriſtus mœrentem, ut dicat, Beati triſtes, quia gaudebitis. Amat, ut pro uno multi rogent. Denique in Evangelio motus viduæ lacbrymis, quia plurimi pro ea flebant, filium ejus reſuſcitavit. Ideò citiùs exaudivit Petrum Jeſum, ut Dorcas reſurgeret, quia pauperes mortem mulieris ingemiſcebant.*

VIII. Idem ritus obſervabatur, cùm Hæretici Eccleſiæ reconciliabantur, licèt reconciliatio illa per manus impoſitionem in Spiritum Sanctum fieret, non per Pœnitentiam, ut colligitur ex S. Hieronymo Dialogi in Luciferianos initio, ubi Luciferianum ſic inducit loquentem, *Sacerdos quippe pro Laico offert oblationem ſuam, imponit manum ſubjecto, reditum Sancti Spiritum invocat, atque ita eum, qui traditus fuerat Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fieret, indicta in populum oratione, altario reconciliat: nec prius unum membrum reſtituit ſanitati, quàm omnia ſimul membra condoluerint. Facilè quippe ignoſcit filio pater, cùm mater pro viſceribus ſuis deprecatur.* Paucis verbis pulchris præcipuas ritus circumſtantias deſcribit.

IX. Nonnulla alia huc referri poſſent, ſed ea jam magna ex parte *capite octavo* hujus libri exſcripſimus. Quanquam autem mos ille ſtatim poſt annum quadringenteſimum in Oriente abrogatus fuerit, & in Occidente circiter ſeptingenteſimum, aut anteà; In Occidente tamen ſingulis annis ſemel, feria ſcilicet 5. in Cœna Domini, diligenter, & magno cum apparatu obſervatus eſt, illiuſque reliquiæ in hunc uſque diem ſuperſtites ſunt. Conſtat enim ex omnibus antiquis Ritualibus, & Pontificalibus ad annum uſque trecenteſimum ſupra milleſimum ſcriptis, & forſan ex pleriſque poſt hoc tempus uno, aut altero ſeculo, totum Clerum, & populum adſtantem pro Pœnitentibus jam jam reconciliandis publicè varias preces, & Pſalmos decantaſſe, & Epiſcopum totius Eccleſiæ nomine multas orationes ſuper eos ad reconciliationem pronuntiaſſe, ut hæc fuſè retulimus *c.*9. & 10. Idem adhuc ritus in hunc uſque diem perdurat, ſed verba tenus tantum. Quidquid ſit, antiqui ritus evidens eſt argumentum. Diutiùs apud Monachos perſeveravit iſta conſuetudo: Sic enim in regula S. Benedicti *cap.*44. *de Pœnitente deprehenſo in gravi culpa, Dum juſſus ab Abbate venerit, provolvat ſe ipſius Abbatis pedibus, deinde omnium veſtigiis fratrum, ut orent pro eo, & tum, ſi juſſerit Abbas, recipiatur in choro, &c.* Sic quoque *cap.*7. regulæ S. Auguſtini, *Si hoc ultro confitetur, parcatur illi, & oretur pro illo.* In ſtatutis Lanfranci pro regula S. Benedicti *c.*16. *Hoc modo tractetur quoadusque humilitate, & patientia, & emendationis promiſſione, adjunctis fratrum precibus miſericordiam conſequatur,* Et poſt aliqua, *Tres genuum flexiones ad dexteram, & ſiniſtram cum omni devotione faciunt, gratias referens fratribus, quia pro ſe rogaverint, & humiliter ſupplicans quatenus adhuc rogare dignentur.*

CAPUT XIV.

Pœnitentes publicos in publica Miſſa reconciliatos; ſæpè quoque occultos in Miſſa privata, variis antiquorum Patrum, & Ritualium teſtimoniis probatur. Quibuſdam locis hoc factam poſt Evangelium, aliis poſt conſecrationem. In privatis reconciliationibus poſt Miſſam. Hæc variis ſeculis varia fuiſſe. Multa apud Græcos hujus moris veſtigia ſuperſunt.

SEcundum nobis in reconciliatione Pœnitentium adnotandum hoc eſt, Eam inter Miſſarum ſolemnia factam fuiſſe, quibuſdam in locis poſt Evangelium, aliis poſt conſecrationem. Hujus antiquæ conſuetudinis multa ſuperſunt indicia, & argumenta. S. Leo *Epiſt.*88. inter multa, quæ Chorepiſcopis non licent, hoc recenſet, *Nec publicè quidem in Miſſa quemquam pœnitentem reconciliare.* Eadem verba, & eadem occaſione leguntur in Concilio Hiſpalenſi 2. *c.*7. & in Vormatienſi *c.*1. Et ante hos omnes Concilii Carthaginenſis II. Patres rogante Fortunato Epiſcopo Deceſſorum ſuorum hoc decretum renovant *c.* 3. *Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt, Chriſmatis confectio, & puellarum conſecratio à Presbyteris non fiant: vel reconciliare quenquam in publica Miſſa presbytero non licere, hoc omnibus placet.* Ex illis teſtimoniis, & actionibus, quæ Presbyteris in iis prohibentur, tria manifeſtiſſima ſunt: Primum, Reconciliationem Pœnitentium in publica Miſſa factam fuiſſe, quod Presbyteris injuſſu Epiſcopi non licebit. Secundum, Reconciliationem illam factam aliquando privatim, & in privata Miſſa, veluti pro criminibus minoribus, pro quibus Pœnitentia non agebatur publica, atque etiam aliquando pro majoribus, cùm ſcilicet inſtans aliqua neceſſitas publicum ritum excludebat. Tertium, Privatam illam reconciliationem ex antiquo uſu Presbyteris permiſſam fuiſſe.

II. Sanctus Ambroſius teſtatur quoque *lib.*2. *de Pœnitentia cap.*3. Pœnitentium reconciliationem factam inter Miſſarum ſolemnia, ſed qua parte non diſtinguit, quanquam non omninò obſcurè colligi poſſet, id factum poſt conſecrationem, *Quotieſcunque peccata donantur, corporis ejus Sacramentum ſumimus, ut per ſanguinem ejus fiat peccatorum remiſſio.* Hoc fieri non potuit niſi inter Miſſarum ſolemnia. Nec enim in Eccleſia conſervabatur Corpus Chriſti alium in finem propter infirmos, una ſcilicet ex pane conſecrato particula. Quocirca ſanis non erat extra ſacrificii actionem communicandi locus. Conſuetudo hodierna Corpus Chriſti propter fidelium communionem reſervandi recens eſt, à Monachis mendicantibus primùm introducta, deinde ab aliis pleriſque uſurpata, quæ nondum tamen Romani ritus rubricas expungere potuit. Quum igitur dixit, quoties peccata donantur, toties corporis ejus Sacramentum ſumimus, idem eſt, ac ſi dixiſſet, toties pro ea donatione ſacrificium celebratur.

III. Optatus Milevitanus Ambroſio planè coætaneus *lib.*2. evidenter dicit, reconciliationem in medio Miſſæ factam paulò antequam diceretur oratio Dominica, *Inter vicina momenta dum manum imponitis, & delicta donatis, mox ad altare converſi, dominicam orationem prætermittere non poteſtis; Et utiq; dicitis, Pater noſter, qui es in cœlis.* Idem colligitur ex S. Cypriano *in tract. de Lapſis*, ubi exaggerans Lapſorum præpoſterum deſiderium pacis obtinendæ hæc ſcribit, *Ante expiata delicta, ante Exomologeſim factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio, & manu Sacerdotis, &c. pacem putant eſſe, quam quidam verbis fallacibus venditant.* Pax igitur Lapſo, ſive incorporatio cœtui fidelium concedebatur poſt purgatam ſacrificio, & Abſolutione conſcientiam ſuam. Auctor vitæ Ludovici pii Imperatoris, qui eodem, quo Imperator, tempore vivebat, iſtius ritus praxim in hoc Imperatore nos docet. Pœnitentiam publicam ſuſceperat; de illius reconciliatione ſic ſcribit: *Sequente Dominica, quæ ſacræ Quadrageſimæ initium præcedebat, in metis civitatem Dominus Imperator, ſed & Epiſcopi, & populus univerſalis illius conventus venit, & inter Miſſarum celebrationem ſeptem Archiepiſcopi ſeptem reconciliationis Eccleſiaſticæ orationes ſuper eundem Imperatorem cecinerunt, atque omnes populi hoc viſo, pro plenaria reſtitutione Imperatoris multa Deo gratias reddiderunt.*

IV. Tertullianus *lib. de pudicitia cap.* 13. reconciliationis ritum deſcribens, idem vix minus evidenter demonſtrat. Primum ait maxima quæque non ſolere ſine prædicatione donari. Prædicatio autem publica ſacrificio conjungi ſolebat, & Evangelii lectionem ſequi, ut præcipitur *Conſtit.* Clementis *lib.*2. *c.*57. & videre eſt in Concilio Carthagin. 4. *c.*84. & Valentino Hiſpaniæ *c.*1. & ſæpè monent SS. Auguſtinus, Eligius, & alii in ſermonibus de tempore Auditores ſuos in Miſſa lectum audiviſſe, quod interpretabantur. Hanc conſuetudinem vigere adhuc in Eccleſia Catholica videmus. Pergit Tertullianus. *Tu quidem Pœnitentiam Mœchi ad exorandam fraternitatem in Eccleſiam inducens, &c. proſternens in medium ante viduas, ante Presbyteros, omnium lacbrymas ſuadentem, &c. inque eum hominis exitum quantis potes miſericordiæ illecebris bonus Paſtor, & benedictus Papa concionaris, &c. tua ovis ne rursùs de grege exiliat, &c. cæteras etiam metu complet, cum maximè indulges.* Manifeſtiſſimum videtur, Pœnitentium reconciliationes in media Synaxi factas fuiſſe,

Digitized by Google

ſe, atque hinc Eccleſiarum Paſtores admonendæ plebis fideli occaſionem ſumpſiſſe. Ejuſmodi conciones plures in Cęna Domini factæ pro reconciliatione Pęnitentium leguntur apud Sanctum Eligium, quas quiſque conſulere poteſt; ideò hoc unicum ex eo teſtimonium referemus. *Homilia* 8. ad Pœnitentes in Cœna Domini ſic eos alloquitur, *Licèt, fratres chariſſimi, per divinam gratiam vobis collatam, & per impoſitionem manuum Epiſcopalium, credatis vos poſſe abſolvi à peccatorum veſtrorum vinculis, quia ſtatim reſtituemini ſacris altaribus, nullus tamen debet vitam ſuam negligere, &c.* Manifeſtum eſt in Provincia Rhemenſi, & vicinis reconciliationem illam in Miſſa poſt Evangelii lectionem tum fieri ſolitam. Poſt Evangelii enim in Miſſa lectionem ſermones illi, ut dictum eſt, habebantur; hocque inſuper docet Eligius initio *Homiliæ* 15. Reconciliationem autem in actione Miſſæ fieri confirmat iterum, quæ paulò poſt adduntur. *Et quia in hac die ſacratiſſima fiant plurima in ſancta Eccleſia, quæ neceſſariò debet ſcire veſtra induſtria, ſicut Pęnitentium reconciliatio, ſacri olei benedictio, ſancti chriſmatis confectio, fraterna pedum ablutio, Eccleſiarum quoque, & ſacrorum vaſorum purificatio, dignum judicavimus, quantum Dominus dederit hæc veſtræ fraternitati diſſerere.* Hæc enim omnia uno actionis tenore cum ſacrificio peraguntur.

V. Idem quoque ritus demonſtratur tribus aliis argumentis. Primùm omnibus propè illis teſtimoniis, quæ capite præcedente relata ſunt, ad demonſtrandum plebem fidelem publicè pro Pœnitentium reconciliatione Epiſcopum inſtanter deprecari ſolitam. Omnes enim illæ rogationes alibi publicè quàm in publica Synaxi fieri non potuerunt, ut erit cuique illa teſtimonia relegenti manifeſtiſſimum. Deinde idem probant quæcunque *cap.* 8. & 9. *lib.* 8. de quotidianis orationibus, & manuum impoſitionibus ſuper Pœnitentes in ſtatione ſubſtrationis factis dicta ſunt. Nam ſi illa omnia, quæ ad reconciliationem tantum pręparatoria erant, initio Synaxis, atque in omnium fidelium conſpectu celebrata ſunt, quid de ipſa reconciliatione nos credere par eſt? Denique idem evincunt, quæ capite ſequente docebimus, Epiſcopum cum Clero in pleriſque Provinciis manus in reconciliationem Pœnitentibus impoſuiſſe.

VI. Antiqui libri rituales editi, & non editi, quos hactenus legi actionem illam nobis exhibent omnes inter Miſſarum ſolemnia, ita ut & hic ritus, & Miſſæ ſacrificium unica, & continuata actione peragantur. Sed alii videntur ante initium Miſſæ, ut nunc in luminum, cinerum, & Palmarum benedictionibus fieri videmus, hunc ritum reponere, alii poſt Evangelium. Non mihi videntur locum ſatis diſtinctè denotare: Cùm enim res eſſet omnibus nota, in deſcribendis Pſalmis, precibus, & orationibus ſuper reconciliandos pronuntiandis, aliiſque humilitatis actionibus à Pœnitentibus tum præſtandis toti incumbunt. Antiquiſſimus Petavianus ſtatim poſt enarratum ritum addit, *Poſtea offert plebs, & conficiuntur Sacramenta.* Offertorium autem Evangelium, & Pœnitentium expulſionem ſequitur. Antiquus codex Remenſis à Menardo relatus reconciliationi ſimiliter ſubjungit orationem ſuper oblata, ſive ſecretam. Antiquus alter codex, quem idem refert, diſertè poſt Evangelii lectionem ſubjungit Pęnitentium reconciliationem. Huic ritui ratio ſuffragari videtur: Eſt enim admodum probabile Pœnitentes in ea Synaxis parte reconciliatos fuiſſe, in qua ad reconciliationem præparabantur. Sed poſt Evangelii lectionem preces, & manus impoſitiones purgatoriæ, & præparatoriæ ſuper illos fiebant, ut *libro ſexto* demonſtratum eſt. Poſt Evangelii igitur lectionem in Eccleſiæ Synaxi reconciliati ſunt. Quidquid ſit, in ejuſmodi rebus exquiſita ceremoniarum unitas requiri non debet. Eccleſia rituum varietatibus velut floribus ocellata, acrius multò, & ſplendidius micat, & radiat.

VII. Antiquus ordo Romanus editus videtur ante initium Miſſæ Pœnitentium reconciliationem collocare. *Mediante*, inquit, *hora prima diei Epiſcopus concilium ſolemnibus veſtimentis indutus cum Presbyteris, cæteriſque ad hoc diſpoſitis celebret ſecundùm canonum inſtituta. Peracto autem Concilio hora tertia ſonetur ſignum, ut omnes veniant in Eccleſiam, in qua chriſma debet conſecrari. Tunc egreditur Pęnitens de loco, ubi Pęnitentiam geſſit, ut gremio præſentetur Eccleſiæ. Sedente autem Pontifice pro foribus Eccleſiæ, Pęnitentibus in Atrio Eccleſiæ cominus cum Archidiacono juſſum illius præſtolantibus, antequam eos offerat, poſtulat Archidiaconus his verbis, Adeſt, ô venerabilis Pontifex, &c.* Officio quod Pœnitentes ſpectat integrè peracto, finitiſque abſolutoriis orationibus, ordo Miſſæ quaſi ab integro retexitur, *Ipſo die ſonentur Campanæ ad Miſſam, & ad cæteras horas, ſicut mos eſt diebus ſolemnibus, ut omnes veniant ad Eccleſiam, in qua chriſma mos eſt conſecrari, & ſic ſtent uſque in Sabbatum ſanctum. Presbyteri verò, & Cæteri Clerici hora tertia induant ſe veſtimentis ſolemnibus, &c. & ſtent in ordine ſuo ſinguli in Eccleſia expectantes uſque dum veniat Pontifex cum proceſſione plenaria ad Miſſam, &c. Cantor autem, & Schola ſtatim, ut juſſum fuerit, imponant introitum ad Miſſam, Nos autem gloriari oportet, &c.* Cæteris dicendis adnotatis, quæ eadem ſunt cum hodiernis, eodemque Evangelio, ſequitur, *Perlecto Evangelio, factoque ad populum ſermone, dicat Pontifex, Dominus vobiſcum, Reſp. & cum Spiritu tuo, Et, oremus, deinde canitur offertorium, &c.* Nec fit reconciliationis Pœnitentium ulla mentio. Cæteris dictis, & conſecratione facta, dictaque oratione, *Nobis quoque peccatoribus*, ſtatim adjicitur, *Tunc offeratur Pontifici oleum de ampullis, &c.* Fusèque enarrantur omnes duplicis olei, & chriſmatis benedictiones, quas Miſſæ finis ſubſequitur. Idem eſt ordo in antiquiſſimo ordine Romano manuſcripto. Itaque omninò videtur reconciliatio Pęnitentium ante introitum Miſſæ facta. Huic interpretationi favet codex unus Rotomagenſis, ſed qui trecentorum annorum ætatem vix attingit. Peracta enim more ſolito Pęnitentium reconciliatione diſertè addit, *His itaque peractis præparet ſe Epiſcopus ad Miſſam.*

VIII. Nonnulla tamen ſunt, quæ ſuadere videtur reconciliationis ritum in ordine Romano per anticipationem collocatum eſſe. Ritus enim reconciliationis dicitur incipere poſt horam tertiam. Hora enim tertia pulſatur Campana, ut ad hunc ritum conveniat in Eccleſiam populus. Poſteà finito ritus iſtius ordine, cum incipit ritus Miſſæ, dicuntur Presbyteri, & Clerici hora tertia induere ſe veſtimentis ſolemnibus, ut Miſſam incipiant. Cùm igitur utrique ceremoniæ eadem deſignetur hora, manifeſtum videtur unam alteri permiſtam fuiſſe, atque in unam actionem coaluiſſe. Deinde dicitur Evangelio perlecto Pontifex ſermonem ad populum habere; quòd ſi in memoriam revocemus, quæ ex S. Ambroſio, Tertulliano, & S. Eligio, nonnulliſque aliis relata ſunt de ſermone fieri ſolito in omni Pœnitentium reconciliatione, ſermonem de quo agit ordo ille, non aliò referemus quàm ad ſermonem Pœnitentibus ex antiqua conſuetudine fieri ſolitum. Iſta mihi videntur evidentia fore ei, qui ordinem iſtum editum cum antiquo Toloſano comparaverit, quem integrum hac in parte luce donamus. Is enim omnes ritus, ut ſeſe habent, diſtinctiſſimè enarrat, & quæ alius perturbat, ipſe per loca, viceſque ſuas diſponit. Denique quidquid ſit de verborum iſtius ordinis interpretatione exploratum ſemper eſt id, quod potiſſimum contendimus, in ritu publico ſacrificii, ſaltem in actione, quæ ſacrificium præcedit, & in unam actionem cum eo coaleſcit, Pœnitentes fuiſſe reconciliatos.

IX. Nullibi clarius hoc adnotatum legi, quàm in Toloſano Pontificali antiquo. Sigillatim enim, & diſtinctè ſingulas reconciliationis partes, & circumſtantias perſequitur. Ordinem actionis paucis referemus. Lector enim harum rerum cupidus ſingulas minutias ad finem operis ubi ritum integrum de Pontificali manuſcripto deſcripſimus, legere poterit. Illo die tres Miſſæ celebrantur, ſed ante Miſſas tria nocturna, & Matutinæ ſive laudes pro Pœnitentibus canuntur, in quibus omnia, quæ pertinent ad Pœnitentiam, & cum Deo reconciliationem eliguntur. Cùm inchoandum eſt hoc officium Pœnitentes reconciliandi, qui ad Eccleſiæ valvas ſtabant, eam ingredi, & proſterni jubentur, & officium hoc proſtrati audiunt. Eo expleto pro ipſis canitur Miſſa, quæ iterum nihil aliud quàm Pœnitentiam, & peccatorum indulgentiam ſonat. Lecto hujus Miſſæ Evangelio, longus habetur à Presbytero ad eos ſermo, quo ad ſpem veniæ à Deo obtinendæ excitantur, neve perpetrata iterent, diligenter admonentur. Finita hâc pro ipſis Miſſâ, licèt nonnullæ orationes indulgentiam pro ipſis poſtulent, nondum tamen ea dicta cenſentur peccatorum remiſſionem conſecuti. Canitur poſteà alia Miſſa, quæ vocatur chriſmatis, cui Pęnitentes cum turba fideli aſſiſtunt. Quanquam enim remiſſione peccatorum nondum potiantur, ipſis tamen ab ea hora Eccleſias ingredi licet. Poſt hanc Miſſam maximè ſolemnis à Pontifice Miſſa celebratur, ſed anteà præparantur omnia oleorum conſecrationibus neceſſaria. Evangelio iſtius, & poſtremæ Miſſæ recitato Pontifex ambonem conſcendit, & coram ipſo in Eccleſiæ medio Pœnitentes proſtrati à Diacono ſiſtuntur, deque eorum converſione, & Pœnitentia teſtimonium reddit, eoque à Pontifice probato, ab Ambone deſcendit Pontifex, & cum Miniſtris ſuis ante altare proſternitur. Intereà Clerus longas Litanias pro Pœnitentibus canit; quibus peractis, & oratione à Pontifice pronuntiata, ambonem iterùm aſcendit, Pœnitenteſque iterùm coram ipſo proſtrati ſiſtuntur, & ſuper eos ſic proſtratos ſeptem orationes reconciliatorias fundit. Quibus

bus finitis eos ſurgere jubet Diaconus, atque ab eo tempore reconciliatos non reconciliandos vocat, monetque eos, ut finem Miſſæ expectent, in qua cum aliis corpore, & Sanguine Chriſti paſcantur. Intereà Pœnitentes cum cætero populo fideli oblationes offerunt, & offertorium canitur, Miſſaque peragitur. Cùmque ad ultimam canonis partem perventum eſt, olei fit conſecratio, eaque peracta, & agnus Dei cantato, Clerum communicat Pontifex, poſt Clerum Pœnitentes, & poſtremò loco populum. Fuſaque iterùm ſuper Pœnitentes ſpeciali oratione. Ordinaria poſt communionis oratio pronuntiatur, atque, *Ita Miſſa eſt*, à Diacono de more proclamatur, cœtuque ſoluto Pœnitentes à Pontifice ad prandium invitantur.

X. Verùm nolim aliquis exiſtimet, hoc tantùm in peccatis publicis, aut ſolemni illa reconciliatione uſurpatum: In peccatis occultis, & in promiſcua reconciliatione idem fieri ſolebat. Ut hoc intelligat, Lector duorum meminiſſe eum oportet. Prius, eorum quæ demonſtrata ſunt *libri* 5. *cap.*2. 3.4. & ſequentibus, Videlicet, non modò capitalium criminum publicorum, ſed etiam occultorum Pœnitentiam publicè actam fuiſſe, & conſequenter eorum reconciliationem fuiſſe publicam. Majora igitur crimina, ſive publica, ſive occulta inter Miſſarum ſolemnia, & cum prædicatione donata ſunt. Ejuſmodi crimina tantùm intellexerunt S. Ambroſius, Optatus, Tertullianus, Eligius, & alii. Ratio manifeſta eſt, quia de his ſolis illo tempore Pœnitentia publicè acta eſt. Cùm autem minorum criminum, ſive occulta eſſent, ſive publica, privatim, atque ex arbitrio Sacerdotis non ex canone ageretur Pœnitentia, ut demonſtratum eſt *lib.*5.*cap.*31. privatim quoque Abſolutio concedebatur, niſi Pœnitens ex devotione, quod ſæpè contingebat, inter Miſſarum privatarum, aut etiam publicarum ſolemnia eam ſibi præſtari deſideraret. Excipienda eſt Pœnitentia publica nullo crimine canonico præcedente, ſed ſponte, & ex ſola animi devotione ſuſcepta. Ut enim publicè agebatur, ſic publicè finiebatur, Sponte quis, & volens eam ſuſcipiebat, ſed ſemel ſuſceptam decurrere, & de ea legitimè eximi per canonicam reconciliationem neceſſarium erat.

XI. Poſterius quod meminiſſe oportet, hoc eſt; Prius illud jam animadverſum de ſex tantùm primis ſeculis eſſe intelligendum, eo quod poſt illud tempus crimina publica, ita diſtincta ſunt ab occultis, ut publicorum ageretur ſolùm Pœnitentia publica, de occultis autem occulta, ſicut multis demonſtratum eſt *cap.*1.*libri ſeptimi*. Quapropter ab eo tempore comparaverunt tantùm in ſolemni illa reconciliatione publicorum peccatorum Rei, & pauci alii, qui ſponte non ab aliquo convicti, nedum accuſati, crimina ſua confitebantur, & per Pœnitentiam publicam purgari deſiderabant.

XII. Diligenter tamen Lectori notandum eſt, utroque tempore in privatis peccatorum reconciliationibus, ſi non ſemper, ſæpè tamen reconciliationem in Miſſa factam fuiſſe, aut ſtatim, eademque actione continuata, Miſſam pro reconciliato celebratam. Hujus rei fidem facit Alcuinus de divinis Officiis in *cap. de Cęna Domini*. Ubi enim ritum reconciliationis publicæ enarravit, quem tamen in fine ad ſingularem perſonam contrahit, ſequitur apud eum. *Miſſa unde ſupra Antiph. Ego autem in Domino ſperavi. Omnipotens ſempiterne Deus confitenti tibi huic famulo. Epiſtola, Quærite Dominum dum inveniri poteſt. Grad. de neceſſitatibus. Evang. ſublevatis Jeſus oculis in cęlum. Offert. Factus eſt Dominus firmamentum. Secr. Virtutum cęleſtium Deus, de cujus gratiæ rore. Coll. illumina faciem tuam. Orat. ad complendam, Concede, quæſumus Domine, ut præceptum novi Sacramenti myſterium.* Hæc Miſſa, quæ tota comparata eſt, ad remiſſionem peccatorum Pœnitenti impetrandam, non eſt illius diei Miſſa, ut ex antiquis illorum temporum ordinibus, & Sacramentariis evidens eſt: Ea enim ab ea, quæ nunc eo die celebratur, non differt, ut etiam ex ipſo Alcuino paulo poſt eodem capite colligitur. Quapropter Miſſa privata dici ſolebat in privata Pœnitentis alicujus Abſolutione. Idem demonſtratur ex Sacramentario S. Gregorii, quod inter ipſius opera editum eſt. Nam poſt officium Feriæ quintæ in Cęna Domini, intra quod omiſſum eſt officium reconciliationis Pœnitentium, leguntur quatuor orationes ſub hoc titulo, *Item oratio ad reconciliandum Pęnitentem*, quæ enuntiantur in ſingulari numero, ut dicendæ ſuper ſingularem aliquem Pœnitentem. Harum tres priores eædem ſunt, quæ apud Alcuinum. Has orationes ſequitur Miſſa pro Pœnitente celebranda, cujus Sacramentarii more, orationes referuntur. *Ad Miſſam, Omnipotens ſempiterne Deus confitenti tibi famulo tuo pro tua pietate peccata relaxa, ut non plus ei noceat conſcientiæ reatus ad pœnam, quàm indulgentia tuæ pietatis proſit ad veniam. Per.* Aliæ duæ ſequuntur, una ſuper oblata, altera ad complendum, quæ ſimiliter pro peccatorum remiſſione impetranda dicuntur. Ita quoque in Siculo manuſcripto poſt orationes Abſolutorias, Mox ſubſequitur, *Miſſa quam Sacerdos pro ſibi confeſſo cantare debet*. Integra ibi habetur, & duplex, ut in calce hujus operis legere potes; Utraque ad peccatorum remiſſionem à Deo exorandam inſtituta. In antiquo Petaviano alia eſt pro eo, qui reconciliationem deſideraverat, ſed non erat conſecutus. In antiquo Toloſano codice ſupra commemorato duplex habetur eo die Miſſa præter ſolemnem pro Pœnitentibus. Prior pro uno Pœnitente, poſterior pro pluribus. Sanè videtur prior Miſſa pro privatim Pœnitente, qui tum Pœnitentia peracta reconciliari cupit. *His expletis canitur Miſſa ſpecialis, ſive unus, ſive plures fuerint reconciliandi, ſicut in Sacramentario continetur. Si unus fuerit, ita jubente Epiſcopo peragitur, &c.* Poſteà, *Item alia Miſſa eodem die ſi plures ad reconciliandam venerint*. Utrãque Miſſam teſtatur vulgatos Sacramentorum libros exhibere. Quæ de Pœnitentium reconciliatione dicta ſunt, eadem etiam de Pœnitentiæ impoſitione ſunt intelligenda. In actione enim Miſſæ ſolemniter imponebatur in capite Quadrageſimæ, cujus ritus teſtes ſunt omnes antiqui rituales: Dicebatur etiam ſpecialis Miſſa pro eo, qui privatim Pœnitentiam acceperat, cujus formola extat in antiquiſſimo Sacramentario Turonenſi.

XIII. Hæc ſimiliter in officio Miſſæ facta fuiſſe ſæpius extra ſolemnem illum diem longè ante Sacramentariorum iſtorum tempora, atque ab ipſi Eccleſiæ incunabulis, quæ ab initio capitis relata ſunt, evidenter demonſtrant, *Quotieſcunque*, inquit Sanctus Ambroſius, *peccata donantur, corporis ejus Sacramentum ſumimus*. Idem omninò ex Tertulliano demonſtratur. Generaliter enim de peccatis capitalibus loquitur, necdum ſolemnitatis iſtius ad Cœnam Domini relegatæ mos inoleverat. Deinde cùm ab antiquis dicitur peccata eo die tum relaxata fuiſſe, hoc eſt, ut plurimùm: ſed hoc varias occaſiones, præter mortis periculum, non excludit. Idem de iſto axiomate intelligendum quod de baptiſmo extra tempora Paſchatis, & Pentecoſtes non celebrando. Hoc nos docent omnes ferè Pœnitentiales, & Sacramentarii libri, qui jubent eum poſt Confeſſionem, & Pœnitentiæ acceptationem ſtatim reconciliari, qui aliqua gravi cauſa hunc diem non poterit præſtolari. Id evidentiſſimè docet Optati locus citatus, præſertim ſi conjungatur cùm iis, quæ in fine libri contra Donatiſtas ſcribit. Illis exprobrat, quod pro eodem ſecundùm ipſos crimine longè diverſas Pœnitentias imponant, *Egiſtis omnia pro perſonis, alter anno toto, alter menſe, alter vix tota die imperantibus vobis pœnitentiam geſſit. Si unitati conſentire, ut vultis, peccatum eſt, ſi eſt ſimilis culpa, quare non eſt æqualis pro eodem reatu Pęnitentia*. At ex loco præcedente conſtat Donatiſtas, non ſecus ac Catholicos, in media Miſſa per manuum impoſitionem delicta donaſſe. Id igitur quolibet die opportuno, non tantum ſemel quotannis, præſtabant.

XIV. Multa ejuſdem moris apud Græcos veſtigia etiam nunc in eorum Euchologiis deprehenduntur. Oratio eſt, cui titulus, & Rubrica hæc præponitur, Εὐχαὶ συγχωρητικαὶ εἰς πᾶσαν ἀρὰν καὶ ἀφορισμὸν εἰς τεθνεῶτα, ἀναγινωσκόμεναι παρὰ ἀρχιερέως, ἢ ἐπ' ἀνάγκης παρὰ πνευματικοῦ πατρὸς, εἰ ὑπάρχει ἀρχιερεύς. Ἰστέον δὲ ὅτι αἱ παροῦσαι εὐχαὶ ἀναγινώσκονται οὕτως. ἐν μὲν τῇ προσκομιδῇ ἀναγινώσκουσι ταύτας μετὰ κατανύξεως πάντες οἱ μέλλοντες ἱερουργεῖν ἱερεῖς. Ἐν δὲ τῇ μεγάλῃ εἰσόδῳ ἐξελθόντων τῶν ἱερέων ἔξω τῶν καγγέλλων μετὰ τῶν ἁγίων καὶ ἱσταμένων, ὁ ἀρχιερεὺς κλίνας τὸ γόνυ ἐκφωνεῖ ταύτας μεγαλοφώνως μετὰ κατανύξεως καὶ δακρύων. μετὰ δὲ τὸ τελειῶσαι αὐτὰς, ἀναστάμενος δέχεται τὰ ἅγια. *Orationes Abſolutoriæ omnis maledictionis, & Excommunicationis in mortuum recitandæ ab Epiſcopo, vel ſi abeſt, à Patre ſpirituali. Sciendum autem præſentes orationes ſic debere legi. Omnes Sacerdotes, qui celebraturi ſunt, eas in offertorio legunt cum animi compunctione. In magno verò introitu Sacerdotibus, cum ſanctis donis extra cancellos egredientibus, & conſiſtentibus, Epiſcopus genu flexo clara, & extenta voce cum compunctione, & lacrymis eas profert. Poſtquam autem eas complevit ſurgens ſancta dona ſuſcipit.* Itaque ab Excommunicatione ſolvitur in media propè Liturgia, cum Sancta dona à menſa propoſitionis allata ſuſcepturus eſt, & ſuper altare poſiturus, ut ea paulò poſt conſecret. Orationes abſolutorias nihil attinet huc referre, cum unicuique obviæ ſint, & de ſenſu, quem continent, nulla nunc nobis ſit agitanda quæſtio.

XV. Reverendus Pater Jacobus Goar in Euchologio, quod Latinè vertit, & utraque lingua edidit, ex manuſcripto codice ordinem nobis exhibet, ſecundùm quem Pontifex Sacerdotem excommunicatum ſolvit, *p.*666. *Veſperè præcedente preces Veſpertinas conſueto more peragit; inſuper & Matutinas*

nas

nas. Pontifex deinde Pſalterio dicto Miſſam celebrat. Qua completa, Pontificali ſtola adhuc ornatus, canonem in Chriſti honorem editum cantat: eoque terminato undecim Evangelia Matutina recitat; iiſque finitis ſuper caput Abſolutionem ſuſcepturi ſequentem orationem dicit, &c. Poſt orationem ſequitur, *Atque ita ſuper Sacerdotis abſoluti caput, fit ſacrorum myſteriorum Miſſæ dimiſſio: Pœnitentiamque idoneam, quam perficere poſſit, Pontifex ei injungit, & diſcedit ab ipſo quoque Deo abſolutus.* In fine Miſſæ ſolemniter celebratæ abſolvitur, ita ut dimiſſio populi poſt Abſolutionis conceſſæ ſolemnitatem tantum recitetur. Alia eodem loco legitur Abſolutio Laici à Sacerdote excommunicati, quæ iiſdem cum ceremoniis in fine Miſſæ peragitur, hoc tantùm excepto quod Evangelia Matutina non recitantur.

CAPUT XV.

Reconciliatio annis 1250. tam privatim, quàm publicè cum manus impoſitione facta eſt. Teſtimonia varia referuntur, quibus manus impoſitio pro Sacramento Pœnitentiæ ſumitur. Recentiora quidem Concilia eam adhiberi jubent. In Africa Clerus cum Epiſcopo manus imponebat, niſi aliqua neceſſitas obſtaret, ſed brevi poſt Sanctum Cyprianum hic mos deſiiſſe videtur.

TErtium, & poſtremum in ritu reconciliationis Pœnitentium nobis adnotandum, manuum eſt impoſitio, quæ multis in locis Epiſcopi unius, aut Sacerdotis non erit propria, ſed univerſo clero communis. Prius demonſtrare nihil opus eſt cum tot ferè illius ſunt argumenta, quot ſunt reconciliationis teſtimonia. Hæc fuit perpetua, nuſquam interrupta, & ubique annis milleducentis, & quinquaginta conſtantiſſimè obſervata traditio. Licèt autem aliqui Scholaſtici paulò poſt tempus adnotatum hunc ritum abundantem docuerint, hincque occaſionem Sacerdotes multi eum, ut ſupervacaneum, negligendi ſumpſerint, multa tamen Concilia in hunc uſque diem eum non omitti juſſerunt. Praxis iſtius exempla hic non congeremus, cùm totum opus ſit ejuſmodi exemplis intertextum, & vix Patres de Pœnitentia, & potiſſimùm de reconciliatione verba faciant, quin manuum impoſitionem meminerint. Nonnulla tantùm teſtimonia referemus, in quibus S. Patres manuum impoſitionem abſolutè nulla alia re addita pro reconciliatione poſuerunt.

II. Concilium Carthagin. 4. *c. 76. Dent teſtimonium, qui eum audierint, & accipiat Pœnitentiam, & ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia, &c.* Hæc repetunt Capitular. *l. 5. cap. 75. & 76.* Burchard. *l. 18. c. 10.* Ivo *p. 15. c. 8.* Gratian. *26. q. 6. c. 8.* Idem Concil. Carthagin. *c. 78. Pœnitentes, qui infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſupervixerint.* Iidem auctores hunc quoque canonem repetunt. Concilium Arauſican. *c. 3. Qui recedunt de corpore Pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eos communicare, &c.* Et paulò poſt. *Quòd ſi ſupervixerint, ſtent in ordine Pœnitentium, ut oſtenſis neceſſariis Pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione recipiant.* Hæc repetunt Rabanus *cap. 36.* Burchard. *lib. 18. c. 17.* Ivo *p. 15. c. 39.* Gratian. *26. q. 6. cap. 7.*

III. S. Clemens *Conſtitut. l. 2. c. 18. Eum, qui luxit, recipe, cuncta Eccleſia pro eo deprecante, & manu impoſita ſine eum in Eccleſia eſſe.* S. Cyprianus de Lapſis circa medium adverſus Lapſos, qui reconciliationem ſuam præcipitare volebant, *Ante purgatam conſcientiam ſacrificio, & manu Sacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini, & minantis, pacem putant eſſe, quam quidam verbis fallacibus vendicant, &c.* Multa ex Sancto Cypriano teſtimonia in fine capitis neceſſariò ſunt nobis enarranda; Quapropter iſto ſatisfactum eſto. S. Pacianus *Epiſt. 3.* ad Sympronianum, *Jam manus Sacerdotum miſerandis fratribus exhibendas.* Locus integer exſcriptus eſt hujus libri *cap. 7.* S. Auguſtinus *lib. 3. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 16. Manus autem impoſitio, non ſicut baptiſmus repeti non poteſt.* Pro toto Pœnitentiæ Sacramento ſumitur: Ita ejuſdem operis *lib. 5. cap. 20. Quomodo Deus exaudit Homicidam deprecantem, vel ſuper aquam baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum, quibus manus imponitur?* S. Leo *Epiſtola 92. c. 17. Qui convivio ſolo Gentilium, & eſcis immolatitiis uſi ſunt, poſſunt jejuniis, & manus impoſitione purgari.* Optatus Milevitanus *lib. 2.* Donatiſtis exprobrans, quòd innocentes Pœnitentiæ ſubjeciſſent, ſæpius manuum impoſitionem modò pro reconciliatione, modò pro Pœnitentiæ impoſitione accipit, *Dum manus imponitis, & delicta donatis, mox ad altare converſi, &c.* Et poſt aliquanta ad id quod Ezechielis 13. dicitur alludens, *Extendiſtis manum, & ſuper omne caput mortiferа velamina prætendiſtis.* Arguit enim eos, quòd nemini pepercerint, non Presbyteris, non Diaconis, non fidelibus quibuſque, ſed omnibus Pœnitentiam impoſuerint. *Væ facientes velamen, hoc eſt, imponentes manum ſuper omnem ætatem ad evertendas animas. Inveniſtis pueros, de Pœnitentia ſauciaſtis, ne aliqui ordinari potuiſſent, &c.* Poſt aliquot lineas eandem phraſim repetit, atque etiam in fine libri, ubi Donatiſtis exprobrat, quòd Sacerdotibus Pœnitentiam impoſuiſſent. *Multis,* inquit, *notum eſt, & probatum perſecutionis tempore Epiſcopos aliquos inertia à confeſſione nominis Dei delapſos thuriſicaſſe, & tamen nullus eorum, qui evaſerunt, aut manum lapſis impoſuit, aut ut genua figerent, imperavit. Et facitis vos hodie poſt unitatem, quod à nullo factum eſt poſt thuriſicationem.* Manum Lapſis impoſuit, id eſt Pœnitentiam. Multa alia antiquitatis exempla vel in hoc ſolo capite nobis erunt neceſſariò referenda.

IV. Quanquam poſt tempus adnotatum impoſitionis manus praxis ſemper decreverit, multi tamen poſterioribus his temporibus antiquitatis memores praxim iſtam commendaverunt, atque pro auctoritate ſua, ut obſervaretur, juſſerunt. Concilium Colonienſe *cap. 39.* tituli de Adminiſtratione Sacramentorum, docens Parochum, quid facta confeſſione agere debeat, *Injungat etiam illi fructum dignum Pœnitentiæ facere, ac tum denique imponat manum, ac abſolvat Confitentem.* Et inſtitutio compendiaria doctrinæ Chriſtianæ in ea Synodo lecta, & confirmata, initio tractatus de Pœnitentiæ Sacramento, *Quod præterea ex more Eccleſiæ noſtræ manus Sacerdotis ſuper caput Pœnitentis imponitur, indicat manum Dei, hoc eſt, divinam virtutem, ſeu Spiritus Sancti gratiam emundantem, ac ſanctificantem Sacramento adeſſe.* Videntur Doctores illi hanc rationem, atque etiam verba, quibus eam exprimunt, à Guilelmo Pariſienſi Epiſcopo mutuati in fine *cap. 3.* libri de Pœnitentia. Alexander quoque Guilelmo coætaneus, & familiaris *quarta parte* Summæ *q. 5. memb. 1. art. 1.* ex impoſitione manus demonſtrat ſimiliter eſſe in Confeſſione ſignum viſibile gratiæ inviſibilis argumentum. *In Confeſſione quando fit Abſolutio ponit Sacerdos manum ſuper caput Pœnitentis in ſignum, & benedicit, & ita aſſumit aliqua ſigna ſenſibilia.* Ex duobus his teſtibus, qui Scholarum erant capita, & lumina anno Chriſti 1230. & ſequentibus manifeſtum eſt eo tempore manuum impoſitionem in Sacramento Pœnitentiæ fuiſſe ſemper uſitatam. Nam ſi rum aliter, atque Eccleſiæ praxis ſeſe habuiſſet, & Guilelmi interpretatio, quæ eſt maximi momenti, & Alexandri argumentum nullius planè fuiſſent roboris.

V. Sanctus Carolus Borromæus cum Concilio ſuo plurimorum teſtium inſtar nobis eſſe poteſt. In Concilio quinto Provinciali *cap.* de iis, quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent, hæc habet de manus impoſitione in Sacramento Pœnitentiæ memorabilia, *Quod in Eccleſia antiqui inſtituti, veteriſque conſuetudinis eſt, rectè omninò ſervet, ut dum Abſolutionis formulam, preceſq; adjunctas profert, ſupra caput Pœnitentis manum dexteram elevet; id quod etiam cum myſteriis ſignificatione fit.* In Sacramentali quoq; Ambroſiano à ſe edito Confeſſoribus injungit, ut abſolventes manum dexteram ſuper Pœnitentem elevent, & extendant.

VI. Hoc idem teſtatur Marianus Victorius in libro de Sacramento Confeſſionis in fine *cap. 13. Peractis orationibus impoſita manu Pœnitentes abſolvebantur, &c. Neminem autem abſque manus impoſitione abſolvi ſolitum eſſe, Synodus quædam ſub Carolo Magno celebrata his verbis teſtatur, &c.* Legitur Capitul. *l. 5. c. 51.* Adeò autem neceſſariam eſſe arbitratur, ut initio capitis ſequentis velit manuum impoſitionem eſſe materiæ iſtius Sacramenti partem. In libello autem de Pœnitentiis publicis, verſus finem. *Omnis autem Abſolutio duobus profectò conſtabat, manus ſcilicet impoſitione, & oratione, &c. Eſt autem hæc manus impoſitio duplex, publica ſcilicet, & privata. Dicitur verò publica ea, quæ publicè in Eccleſia coram omni fidelium cœtu ſuper Pœnitentes imponitur, &c. Privata verò dicitur illa, quæ domi, aut aliquo privato in loco imponebatur, &c. Sive igitur publicè, ſive privatè Abſolutio exhiberetur, ſine tamen manus impoſitione nunquam exhibebatur. Comitabantur autem impoſitionem manus verba, & orationes, quibus Deus pro Abſolutione hominis ſuppliciter orabatur.*

VII. Manus illa impoſitio pleriſque in locis, cùm ſolemnis erat, non tantùm ab Epiſcopo, aut primario Sacerdote fiebat, ſed etiam à Clero. Hoc ita obſervatum fuiſſe in Africa teſtis eſt certiſſimus S. Cyprianus *Epiſt. 10. Cùm in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam juſto tempore, & ſecundùm diſciplinæ ordinem ad exomologeſim veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi, & Cleri jus communicationis accipiant,*

nunc

Digitized by Google

nunc trado tempore, &c. & nondum pœnitentia actu, nondum Exomologeſi facta, nondum manu eis ab Epiſcopo, & Clero impoſita, illis Euchariſtia datur. Nullis verbis ad hoc docendum clarioribus uti poterat. Idem repetitur Epiſtola ſequente, atque etiam duodecima, ſed in hac ſpeciali loquendi modo utitur, qui ritum illum plurimùm confirmat, *Cùm in minoribus delictis, &c. nec ad communicationem venire quis poſſit, niſi prius illi ab Epiſcopo, & Clero manus fuerit impoſita, quanto magis in his graviſſimis delictis cautè omnia, & moderatè ſecundùm diſciplinam Domini obſervare oportet.* Verba hæc adeò mihi videntur clara, ut de hoc ritu per univerſam Africam uſurpato dubitandi vix ſuperſit occaſio.

VIII. Quanquam hic ritus ex ſolis Tertulliani verbis non poſſit neceſſariò colligi: Eo tamen aliunde ſtabilito facilè eſt ex ejuſdem verbis confirmare. Ad illum enim alludit *cap. 9. de Pœnitentia*, cùm dicit Pœnitentem Presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari. Illis enim verbis Clerum intelligit, cui Pœnitens Abſolutionem ſuſcepturus proſternitur. Clariùs hoc evadit ex verbis ſequentibus, quæ plebem à Presbyteris, & charis Dei diſtinguit; ſequitur enim, *Omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere*. Ex iis, quæ capite præcedente demonſtrata ſunt, facilè colligitur, antiquas Tertulliani editiones non malè legere *aris*, pro *charis*. Nam in medio Miſſæ poſt conſecrationem ante altare, extra tamen Presbyterium, Pœnitens ab Epiſcopo, & Clero abſolvebatur, ibique ſtatim ad pacis, & Abſolutionis confirmationem communionem corporis Chriſti donabatur. Quod enim de Pœnitentium locis objici poſſet, verum eſt, quamdiù Pœnitentium ſtationibus addicti ſunt, non autem cùm cœtui fidelium incorporantur, & corpore Chriſti reficiuntur. Idem ritus Cleri manum imponentis deduci quoque poteſt ex fine *cap.* 21. & initio 22. libri de pudicitia, quæ quivis conſulere poteſt. Nec videbitur durus, aut extraordinarius ritus ille ei, qui conſideraverit illis ſeculis peccatorum Confeſſionem non Epiſcopo tantùm, ſed Senatui Eccleſiaſtico factam fuiſſe, pœnas quoque peccatis eo approbante impoſitas, de qua re actum eſt *lib.* 2. *cap.* 11. & eædem S. Cypriani Epiſtolæ, quod ad pœnarum impoſitionem evidenter hoc demonſtrant: Vult enim ſemper in illis, & in aliis pluribus perſecutionis ceſſationem expectari, ut cum Clero ſtatuere poſſit, quænam pœna Lapſis ſecundùm Lapſus gravitatem imponi debeat. Cùm igitur clero audiente Confeſſio fieret, Clero conſulto, & probante Pœnitentia imponeretur? Quidni clero manum imponente Pœnitentis reconciliatio fieret?

IX. Quærere quis poteſt, quid per clerum intelligat Sanctus Cyprianus, an omnes Clericos Subdiaconos, Acolytos, &c. Non fit probabile eum inferiores Clericos intellexiſſe, ſed tantum Presbyteros, & Diaconos; eos ſcilicet, qui ſuperioris abſentia communionem præſtare poterant. At Presbyteri id poterant abſente Epiſcopo, & Diaconi ex ſententia S. Cypriani, abſente Epiſcopo, & Presbytero, ut legere eſt *Epiſt.* 13. & 14. Ii igitur ſoli manus imponendæ Pœnitentibus in reconciliationem cum Epiſcopis, & Presbyteris jus habebant. Duo ſunt Lectori notanda: Prius, iis, quæ dicta ſunt, non contradicere canones illos, qui prohibent Presbyterum injuſſu Epiſcopi Pœnitentem reconciliare, niſi abſit Epiſcopus, & cogat neceſſitas, quales ſunt Carthagin. 2. *cap.* 3. & tertium *c.* 31. Eliberitan. *c.* 32. Hiſpal. 2. *c.* 7. & Leonis decretum *Epiſt.* 88. Iſta enim non pugnant; Epiſcopum, ut moris erat in Africa, manum cum clero imponere, & clerum ſine Epiſcopo id non facere. Prius affirmat S. Cyprianus; poſterius prohibent canones citati. Lectori inſuper notandum eſt, quæ diximus de Clero manum cum Epiſcopo imponente, nec de infirmis eſſe intelligendum, ut vel ex ſolis Cypriani verbis poſtremùm citatis manifeſtum eſt; nec de iis, qui privatim ob multas cauſas reconciliabantur. Ita enim Concilium Carthagin. 2. *c.* 3. hoc axioma determinat, & explicat; *Reconciliare quenquam in publica Miſſa Presbytero non licere, hoc omnibus placet.* Eodem modo axioma reſtringunt Leo I. & Concilium Hiſpalenſe locis citatis, & Agathenſe Concil. *cap.* 44. *Benedictionem ſuper plebem in Eccleſia fundere, aut Pœnitentem in Eccleſia benedicere Presbytero penitus non licebit.*

X. Non abs re duo percontabitur Lector, Prius, an eodem Cypriani ſeculo in aliis regionibus quàm in Africa Clerus cum Epiſcopo manus Pœnitentibus imponeret. In ejuſmodi rebus temere mihi videtur affirmari, quod ſine teſte affirmatur. Sed de aliis Provinciis nullum habeo teſtem: Quamobrem idem alibi factum fuiſſe affirmare non poſſum. Contrà verò mihi videor non omninò inevidenter ex multis locis contrarium colligere S. Clemens *lib.* 2. *cap.* 16. de ejectione, & reconciliatione peccatoris agens omnia refert ad Epiſcopum. Sed clariùs *cap.* 18. Epiſcopum alloquens. *Eum, qui lapſus, recipe, cunctis Eccleſia pro eo deprecante,* καὶ χειροθετήσας αὐτὸν, *& cum manus ei impoſueris, ſine eum in Eccleſia eſſe.* Similiter *cap.* 41. καὶ αὐτὸν χειροθετήσας, *& cum manus illi impoſueris, &c. in antiqua paſcua reſtitue.* Sanè evidenter ſoli Epiſcopo manus impoſitionem tribuit. Eidem praxi convenit, quod ſtatuitur in Ancyrano Concilio *cap.* 7. *An ſit cum oblatione recipiendus, unumquemque Epiſcopum examinare oportet.* Idem ſtatuitur *c.* 13. Concilii Nicæni. Hæc, & ejuſmodi ſolis ſemper Epiſcopis tribuunt Græci canones; ſic & Conſtit. *lib.* 8. in quotidianis manuum impoſitionibus, quæ ſuper Pœnitentes, & Energumenos in Synaxi fiunt: In ordinationibus quoque ſolus inducitur Epiſcopus. Immò in ordinatione Presbyteri, in qua hactenus ſecundùm morem Latinum Presbyteri ſimul cùm Epiſcopo manus imponunt, ſecundùm Clementem, & Græcos ſolus Epiſcopus id præſtat. Si Romanum morem illius temporis, quantum per antiquorum monumentorum rudera licèt, conſulamus, idem conjiciemus. Tertullianus *cap.* 13. *de pudicitia*, ſatis longa diatypoſi deſcribit Pontificem Romanum peccata Pœnitenti remittentem: ſed nihil de clero ſimul cùm eo peccata remittente, aut manus imponente.

XI. Poſteriùs quæſitum eſt, An longo tempore poſt Cyprianum hic mos in Africa perſeveraverit. Hiſtoriæ non ſunt ita elaboratæ, ut hæc omnia in numerato habuerint. Videtur tamen mos ille jam obſoleviſſe, cùm Concilia Carthaginenſia ſecundum, & tertium celebrata ſunt: Ita enim canonibus jam citatis loquuntur, ut ponere videantur ſolum Epiſcopum, aut Presbyterum manus in reconciliationem imponere, *Reconciliare quenquam in publica Miſſa Presbytero non licere,* & canone ſequente, *ſi Epiſcopus abſens fuerit, debet utique Presbyter conſulere Epiſcopum, &c.* Iſte loquendi modus inniti videtur conſuetudini ubique Provinciam occupanti, Epiſcopum ſcilicet, vel Presbyterum ſolitariè manum pœnitentibus imponere.

CAPUT XVI.

Digreſſio de formulis admodum variis in adminiſtratione Confirmationis, & Extremæ unctionis, & baptiſmi, quibus antiquæ Latinorum, & Græcorum Eccleſiæ uſæ ſunt, ex antiquis auctoribus, & ritualibus utriuſque gentis excerptæ.

TAntiſper digredi lubet hoc capite in antiquas aliorum quorundam Sacramentorum formulas, ut luculentiùs Lectori appareat, qualis fuerit Eccleſiæ Catholicæ variis temporibus praxis. Non enim ſemper uno, & eodem modo res ſe habuit: immò nec ſemper ubique in eodem tempore res uno, & eodem modò ſe habuit. Cum autem quiſque ſuæ regionis morem ſequeretur, nec alter alterius Sacramenta contemneret, ſed probaret, & ſuſciperet, ita nec nos eas formulas, ut mihi quidem videtur, aut in antiquis Patribus, aut in hodiernis Eccleſiis, ſi quæ ſunt, quæ eaſdem ex antiqua conſuetudine uſurpent, improbare, & ſugillare debemus. Qui antiquorum de his rebus teſtimonia, praximque diligenter animo perpenderit, & anteriora ſecula poſterioribus comparaverit, deprehendet eos Sacerdotis orationi maximam vim tribuiſſe, utpotè cui Eccleſiæ nomine factæ Spiritus Sanctus ſecundùm Chriſti promiſſionem dona ſua infunderet; nec multum verborum modos attendiſſe, Indicativum, Optativum, Imperativum, ſed ut plurimùm tanta myſteria miniſtrantes, modeſtiorem, & humiliorem elegiſſe, ut Deum auctorem, ſe verò miniſtros demonſtrarent. An ita ſit ex iis, quæ ſequuntur, ut ex iis, quæ anteceſſerunt, Lector judicabit.

II. Amalarius *lib.* 1. *de Eccleſiaſticis Officiis c.* 27. de Confirmatione fuſiſſimè diſſerit, & nonnullas quæſtiones de ea pertractat. Attamen in tam longo ſermone nulla apud eum mentio, aut judicium formulæ indicativæ. Sed nihil in actione Miniſtri agnoſcit niſi deprecativum, licèt effectum iſtius Sacramenti fusè deſcribat, *Sacerdos, qui ungit Neophytum verbis ſuæ orationis ſolutionem vinculorum, & alligationem vulnerum monſtrat, dicendo; Deus omnipotens pater D.N. Jeſu Chriſti, qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum. In iſtis verbis & curationem intelligimus plagarum, & ſolutionem vinculorum. Poſteà addit memoratus Sacerdos, ipſe liniat te Chriſmate ſalutis in vitam æternam. In iſtis verò intelligimus ſalvationem quandam, quæ pertinet ad ſalutem uſque in vitam æternam.* Ita interpretatur Sacerdotis orationem, cùm Chriſma Infantis vertici imponit. Poſteà vim oſtendit orationis Pontificalis, cùm chriſmat in fronte, *Epiſcopus verò tranſiliit verba, ipſe te liniat chriſmate ſalut[illegible]*,

Digitized by Google

quaſi ditior, non ſolùm ut ſalvare poſſet, ſed etiam ditare, *& dicit, Emitto in eum ſeptiformem Spiritum S. tuum, &c. & conſigna eum ſigno Crucis, in vitam propitiatus æternum. Hæc ſunt veſtimenta, quibus ornari oportet filium regis, ut ſtare poſſit in aula cœleſti, &c. Epiſcopus deprecatur Deum, ut ſicut lavare dignatus eſt hominem per baptiſmum, ita dignetur veſtire regalibus veſtibus.* Vim, & energiam chriſmatis ab oratione petit, nec ullam aliam formam cognoſcit. Poſteà divertitur ad aliam quæſtionem, An Neophytus ſine impoſitione manus poſſit regnum cœlorum adipiſci, & Spiritus Sanctus ſine illa impoſitione tradi. Deinde digreditur ad moralem donorum Sancti Spiritus interpretationem.

III. Tandem ad orationem regreditur, atque ita de formula iſta loquitur, ut nullam aliam agnoviſſe planè manifeſtum ſit. *Solent diverſo modo orationem proferre Magiſtri ſimul cum cruce, quam faciunt pollice in frontibus infantium. Omnia verba ſuperius memorata, orationis verba ſunt; quoniam non ab illis datur Spiritus, qui manus imponunt, ſed deprecantur ut veniat. Unde Auguſtinus libro 15. de Trinitate titulo 24. Nullus enim aliquis diſcipulorum ejus dedit Spiritum S. Orabant quippe ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipſi eum dabant: quem morem in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia. Cap.*8. hujus libri locus S. Auguſtini relatus eſt integer. Poſteà expoſita ſignaculi virtute, verbiſque orationis, *dignetur conſignare*, (ita enim *conſigna* interpretatur) ſcribit, *Ut per manus impoſitionem, & orationem detur Spiritus ſanctus, ſimiliter ab Apoſtolica auctoritate ſumptum eſt. Cùm audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Joannem, qui cùm veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum* Sic & *lib.4. cap.23. Niſi crederetur percipi poſſe ab eis, qui baptizantur, idem Spiritus, non deprecaretur ab Epiſcopis, qui manus impoſitionem exercent, mitti in Neophytos.* Notabit Lector in utraque oratione ſcriptum eſſe in textu Amalarii, Linit, nos autem repoſuiſſe, liniat, ex mente Amalarii, qui ſemper de illis verbis loquitur, ut deprecativis. Deinde antiqua Sacramentaria edita, Romana, Menardi, & Pamelii, aliaque ſcriptum habent omnia, *liniat*.

IV. In fine capitis ejuſdem 27. addit Amalarius, quòd non eſt hic nobis leviter prætereundum. *Dicit Romanus libellus, de quo ſæpe commemoravimus: Oratione expleta, facit crucem cum pollice ex chriſmate in ſingulorum frontibus, ita dicendo. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, pax tibi, & cum Spiritu tuo.* Primùm notandum eſt, Romæ juxta iſtius libelli fidem ſolitum fuiſſe eo tempore dici cum chriſmatio fiebat, in nomine Patris, &c. Sed alibi nihil ejuſmodi, ſed oratio ſola, quæ hæc verba præcedit. Nam in longa, & accurata explicatione iſtius Sacramenti ne verbulo quidem iſtius additionis mentionem facit: ſolùm in fine capitis hoc quod retulimus, addit, nec ultra ſermonem proſequitur.

V. S. Gregorii Sacramentarium Romæ inter Sancti iſtius opera editum nihil prorſus habet præter orationem: Ita nec aliud à Pamelio editum, nec illud antiquiſſimum Corbejenſis Bibliothecæ à Menardo nuper luce donatum, nec aliud cujus idem Menardus mentionem facit. Nec prætereà alterum Turonenſe antiquiſſimum Sacramentarium Romanum, quod ab initio mutilatum eſt, licet bis in eo Confirmationis ritus enarretur. Alcuinus tamen in capite de Sabbato Sancto iſtius additionis poſt Orationem meminit, *Hac finita facit crucem de chriſmate cum pollice in ſingulorum frontibus, ita dicendo. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Pax tibi: reſpondent omnes, & cum Spiritu tuo.* In omnium antiquiſſimo Petaviano codice in Officio Sabbati Sancti paulò aliter hoc habetur, & magis ad Græcorum formam, *Poſteà cum aſcenderit à fonte infans, ſignatur à Presbytero in cerebro de chriſmate his verbis, Deus omnipotens Pater D. N. Jeſu Chriſti, qui te regeneravit ex aqua, &c. Deinde ab Epiſcopo datur eis Spiritus ſeptiformis ad conſignandum. Imponit eis manum in his verbis. Deus omnipotens Pater D. Noſtri Jeſu Chriſti, qui regeneraſti famulos tuos ex aqua, & Spiritu S. &c.* ut in Sacramentario Sancti Gregorii. *Poſteà ſignat eos in fronte de chriſmate dicens, ſignum Chriſti in vitam æternam. Reſp. Amen. Inde verò cum Letania aſcendit ad ſedem ſuam, & dicit. Gloria in excelſis*, & Miſſa perficitur. Idem ordo repetitur in Sabbato Pentecoſtes, ſed poſt Amen, additur, *Pax tecum, R. Et cum Spiritu tuo.* Huic formulæ admodum ſimilis eſt ea, qua uſus dicitur Sylveſter Pontifex in edicto Conſtantini, cum baptiſmo regeneratum confirmavit, *Signet te Deus ſigilla fidei in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Hanc formulam probat Dominicus Soto *in 4. d.3. q. unica, art.5. §. Multa hic, & in diſt. 7. q. unica, art.4.* Eſt in Bibliotheca Collegii Foxenſis Toloſani ceremoniale pulchro charactere, & charta non plicata mediocri, cum quo alia ſunt compacta, ſed iſto ceremoniali antiquiora, poſt tamen SS. Franciſcum, & Dominicum ſcripta, inter quæ poſt ritum baptiſmi. *Oratio ad infantes conſignandos ab Epiſcopo. Omnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es, &c. Poſteà ſignet eos Epiſcopus in fronte de chriſmate his verbis, ſignum Chriſti in vitam æternam. Amen. Benedictio. Confirmet te Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Amen. Pax tecum. Et cum Spiritu tuo.* Exſcripta ſunt iſta ex aliquo longè antiquiore, aut forſan mos ille diutiſſimè in quibuſdam regionibus viguit.

VI. Ex dictis evidenter mihi colligi videtur antiquitùs in confirmationis adminiſtratione ſolam orationem primam adhibitam eſſe. Poſtea ab annis nongentis, aut aliquid ampliùs nonnullis Epiſcopis æquum viſum eſſe in chriſmatis unctione *expreſsè* aliquid cum crux illa ab Epiſcopo formaretur pronuntiare: ideo quibuſdam in locis Trinitatem tum invocatam eſſe, quæ in crucis ſignatione vulgò invocari ſolet, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Aliis viſum eſſe convenientius ipſam actionem quam Epiſcopus faciebat ſimul cum actionis fine exprimere. Nam oratio præcedens Trinitatis invocationem continebat, quàm repetere neceſſe non videbatur. Illi dixerunt, *Signum Chriſti in vitam æternum*. Plures tamen alii cum Amalarius ſcriberet antiquorum more, ſola oratione contenti antiquo ritui nihil addebant. Sanctus Clemens Conſtitut. *lib.7. capite 45.* nihil præter orationem adhibere docet: *Poſtquam verò baptizaverit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ungat unguento chriſmatis, inquiens, Domine Deus ingenite, &c.* Sic quoque S. Cyprianus *Epiſt.73.* ad Jublianum, occaſione data baptiſmi Samaritanorum quid in Confirmatione fieret perſpicuè explicans, ſolius orationis meminit, illique ſoli omnem Sacramenti effectum tribuit: *Tantummodò quod deerat, id à Petro, & Joanne factum eſt, ut oratione pro iis habita, & manu impoſita, invocaretur, & infunderetur ſuper eos Spiritus ſanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offeruntur, & per noſtram orationem, ac manus impoſitionem Spiritum S. conſequantur, & ſignaculo Dominico conſummentur.* Sanctus Ambroſius *lib.3. c 2* de Sacramentis poſtquam dixit de baptiſmo, & unctione, quæ in eo fit, *Sequitur*, inquit, *ſpiritale ſignaculum, quod audiſtis hodie legi, quia poſt fontem ſupereſt, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus S. infunditur, Spiritus Sapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii atque virtutis, Spiritus cognitionis atque pietatis, Spiritus Sancti timoris. Septem quaſi virtutes Spiritus.* Deinde laudata breviter unaquaque virtute. *Iſtæ ſunt ſeptem virtutes quando conſignaris.* Poſteà allegato Sancti Pauli *dicto 1. Cor.12.* multiformem eſſe Dei Sapientiam, tranſit ad communionem ex more illius temporis, quo continuata actione baptiſmus, Confirmatio, & Euchariſtia baptizandis tradebantur. Manifeſtum eſt, S. Ambroſium nihil præter Orationem qua ſeptiformis Spiritus S. gratia invocatur, agnoviſſe, eique Sacramentalem virtutem tribuiſſe.

VII. S. Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos, *Neſcis Eccleſiarum hunc eſſe morem, ut baptizatis poſteà manus imponantur, & ita invocetur Spiritus Sanctus? Exigis ubi ſcriptum ſit? in Actibus Apoſtolorum.* Et paulò poſt teſtatur, *hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos, qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros, & Diaconos Baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem Spiritus S. manum impoſiturus excurrat.* Syricius Pontifex Ambroſio, & Hieronymo æqualis, ut & Leo I. præcedentibus clarius hoc confirmant: Invocationi enim Sancti Spiritus excluſivam dictionem addunt, Syricius *Epiſt. 1. cap 1. de Arianis, Quos nos cum Novatianis, aliiſque Hæreticis, ſicut eſt in Synodo conſtitutum, per invocationem ſolam ſeptiformis Spiritus Epiſcopalis manus impoſitione Catholicorum conventui ſociamus: Quod etiam*, inquit, *totus Oriens, Occidenſque cuſtodit*. Sic etiam Leo Pontifex *Epiſt.79. c.7. Nam hi, qui baptiſmum ab Hæreticis acceperant, cùm baptizati anteà non fuiſſent, ſola invocatione Spiritus S. per impoſitionem manuum confirmandi ſunt, quia formam tantùm baptiſmi ſine ſanctificationis virtute ſumpſerunt.* Idem etiam docet *Epiſtola 92. c.16.* Similiter S. Iſidorus *lib.2. de Officiis c. ultimo*, quod totum explicationi iſtius Sacramenti dicavit, hoc axioma velut omnibus notum aſſumit. *Spiritum S. accipere poſſumus, dare autem non poſſumus; ſed ut detur, Deum invocamus.* Alludere videtur ad verba S. Auguſtini, quæ in hac cauſa planè decretoria ſunt; ea *cap.*8. ſupra retulimus.

VIII. Cum igitur paulatim omnibus propè Epiſcopis viſum eſſet poſt orationem, qua Spiritus S. ſolemniter ſuper confirmandum invocatur, & allicitur, aliquid addere, dum ſuper frontem Epiſcopus crucem de chriſmate pingit, aliique tum

dicerent, *Signum Chriſti in vitam æternam*, alii, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Nonnulli poſteà judicarunt iſtum loquendi modum eſſe imperfectum, & convenientius eſſe, quæ deſunt, aut ſubaudiuntur, ſupplere. Hoc autem variis admodum modis factum eſt, ſed omnibus eodem tendentibus. Ordo Romanus editus docet, Pontificem poſt orationem ſic dicere, *Confirmo te, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. R. Amen, Pax tecum. R. Et cum Spiritu tuo.* Ordo Romanus manuſcriptus iſto antiquior aliquid addit, *Confirmo te, & conſigno in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Pax tecum, & cum Spiritu tuo.* Antiquiſſimum Sacramentarium Toloſanum, & præcedenti coætaneum formulam à prædictis diverſam refert in Officio Sabbati Sancti. Oratione pronuntiata ſic ſcribitur, *Poſt hæc Pontifex facit crucem de chriſmate cum pollice in ſingulorum frontibus dicendo, Signat te Deus ſigillo fidei ſuæ in conſignatione fidei, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Dicit iterùm, pax tibi, & reſpondetur, & cum Spiritu tuo.* Menardus duos antiquos manuſcriptos refert, qui formam prioribus quàm ſimillimam tradunt, *Confirmo te, & ſigno in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen, Pax tecum, & cum Spiritu tuo.* Turonenſis Eccleſiæ Pontificale recentius vix ante quadringentos annos ſcriptum, quo uti ſolebat Archiepiſcopus Pontificalia agens, hanc longiorem docet formam, *Signo te ſigno Crucis, & confirmo chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut replearis eodem Spiritu ſancto, & habeas vitam æternam. R. Amen.* Eandem planè nullis apicibus differentem exhibet Pontificale aliud Toloſanum eadem ætate, vel inferiore ſcriptum. Eccleſiæ Rotomagenſis codex præcedente annis circiter centum vetuſtior, *Conſigno te ſigno crucis, & confirmo chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen, Pax tecum, & cum Spiritu tuo.* In Foxenſis Collegii Bibliotheca eſt ritualis liber inſcriptus, Ordo Romanæ Eccleſiæ obſervari ſolitus tempore Innocentii Papæ 3. & aliorum Pontificum. Scriptio ejus completa eſt anno 1365. *Oratione completa faciat crucem in fronte ſingulorum cum pollice de chriſmate, ita dicendo, Joannes, vel quovis alio nomine, ſigno te ſigno crucis, Pax tecum. R. Et cum Spiritu tuo.* Breviſſima eſt forma, Guilelmus Altiſiodorenſis, ubi de Confirmatione tractat, ſcribit hanc eſſe formam, *Confirmo te ſigno Crucis, & chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Alexander Halenſis 4. *parte Summæ q.9, memb.1. Hujus Sacramenti ſecundùm conſuetudines diverſarum Eccleſiarum diverſæ ſunt formæ verborum. Habet enim quædam Eccleſia formam, Confirmo te ſigno crucis, & chriſmate ſanctificationis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Alia eſt iſta, Confirmo, & conſigno te ſigno crucis, & chriſmate ſanctificationis in nomine, &c.* Quaſdam Eccleſias ſecunda hac forma uti teſtantur præterea Durandus *in 4. diſt.7.* Paludanus *ibid. qu.1. art.3. Summa Aſtenſis lib.4. tit.7. art.4.* Sotus *in eandem diſtinct. q. unica, art.4.* Albertus magnus ſcribit nonnullas uti hac forma. *Confirmo te ſigno Crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, &c.* Sed generaliorem eſſe, *Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, &c.* Guilelmus Pariſienſis Epiſcopus in fine tractatus de Confirmatione ſcribit Pontificem dicere, *Pingendo characterem, Conſigno te, & cruce confirmo te*, quæ verba à præcedentibus nonnihil ſunt diverſa.

IX. Græcis omnibus ab antiquiſſimo tempore unica ſemper formula fuit, *σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. Signaculum donationis Spiritus S.* Ita dicere jubet canon ſeptimus Concilii 2. Oecumenici. Eandem formulam repræſentant omnia Euchologia antiqua, & recentia. Verum equidem eſt, Eccleſiam Romanam quinque poſteriores iſtius Synodi Canones non recepiſſe. Unde eſt, quòd antiquæ omnes canonum, & Conciliorum Latinæ collectiones duos tantùm priores canones referant: Immò S. Gregorius videtur tantum agnoviſſe, quæ contra Hæreticos in ea definita ſunt, canones verò omnes repudiaſſe. Sed de re extante nunc agimus, non de illius merito. Antiquiſſimos tamen eſſe illos canones ex omnibus Græcis canonum collectoribus, qui illos referunt, demonſtratur, atque quod ad rem præſentem attinet, ex antiquiſſimis Euchologiis; ſed ante omnia ex Theodoreto, qui illum canonum refert *libr. 3.* de Fabulis Hæreticorum in Novato. Teſtatur enim Novatianos chriſmate non ungere Baptizatos, atque adeò Patres omni laude, & fama dignos juſiſſe, ut cum ad Catholicam redirent, ungerentur, quod de hoc canone intelligi neceſſe eſt. Aſterius Amaſiæ Epiſcopus in ſermone de Prodigo, quem Bibliothecæ ſuæ inſeruit Photius *cap.27.* ad hoc alludit expreſſiſſimè, *Poſt ſtolam datur annulus Prodigo, Symbolum intelligibilis ſignaculi Spiritus ſancti. Sicut enim in regeneratione per baptiſmum, καὶ στολὴ καὶ σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου, & ſtola, & ſignaculum donationis Spiritus ſancti: ita & in eo generatione per pœnitentiam,* Non inevidenter quoque Sanctus Cyrillus 18. Catecheſi pollicens ſe explicaturum cauſas Sacramentorum à Neophytis receptorum, poſtquam de baptiſmo, ſubdit καὶ ὅπως ἡ σφραγὶς ὑμῖν ἐκ τῆς κοινωνίας τοῦ ἁγίου πνεύματος, *& quomodo ſignaculum vobis datum eſt ex communione Spiritus ſancti.* Quod verò ad unctionem Hæreticorum cum ad Catholicam redeunt de qua Patres Conſtantinopolitani, id ex antiquiore Orientalium more ſtatuunt, cujus teſtes ſunt S. Baſilius *can.* 1. ad Amphilochium, Laodiceni Patres *can.7.* & *ipſe* ſanctus Gregorius *lib 9. Epiſt.61.* Quapropter antiquiſſimus eſt ille canon, & antiquiſſimis Orientalium moribus conformis.

X. Similis eſt prorſus formula iſta antiquæ Latinæ, *Signum Chriſti in vitam æternam*. Sed Orientales hac abſoluta formula in Confirmatione longè ante Occidentales uſi ſunt, ut ex dictis hoc capite manifeſtum eſt. Quanquam autem à tot ſeculis hac formula in iſtius Sacramenti collatione utantur, non ideò tamen exiſtimarim eos in his vocibus Sacramenti vim collocaſſe. Id tribuunt Sancti, Cyrillus, & Dionyſius, & recentiores potiſſimum, Simeon Theſſalonicenſis Archiepiſcopus Nicolaus Cabaſilas, Marcus Epheſinus Archiepiſcopus, Gabriel Philadelphienſis quoque Archiep. Hieremias Patriarcha Conſtantinop. *in 2. reſponſo ad Tubingenſes cap.4.* tam orationi, quæ unctionem baptizati præcedit, quàm orationibus quibus chriſma conſecratum eſt. Ex iis enim vim maximam ad ſanctificandum ipſi Chriſmatis ſubſtantiæ collatam eſſe prædicant. Sanctus Dionyſius ait vim habere perfectivam eorum, quæ ad poteſtatem, & dignitatem Pontificalem pertinent, *Itaque*, inquit, *ipſum divini Præceptores noſtri, ut ejuſdem, & ordinis, & efficacitatis, cujus eſt Synaxeos Sacramentum, iiſdem ſæpe figuris atque imaginibus, myſticiſque deſcriptionibus, ac ſanctis verbis deſcripſerunt.* Et S. Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech. 3. Myſtagogica. Sicut Panis Euchariſtiæ poſt invocationem Spiritus ſancti non eſt ampliùs Panis ſimplex, ſed Corpus Chriſti. Sic ſanctum hoc unguentum poſt invocationem non eſt ampliùs nudum unguentum, aut commune, ſed donum Chriſti, quod præſentia Spiritus ſancti, & ipſius divinitate redditur efficax, & operativum.*

XI. Hanc Chriſmatis vim ſignificari ajunt per verba illa, quibus Sacerdos unguendo utitur *Epiſcopus*, inquit Simeon Theſſalonicenſis, *ſic fatur, ſignaculum donationis Spiritus ſancti. Amen. Ex eo ſignificans chriſma ſignum eſſe Chriſti; cùm etiam in crucis figuram unctio fiat, & gratiam Spiritus ſancti largiatur.* Et alio loco dicit, eos, qui Sacramento iſto fruſtrantur, ſigno Chriſti non ſignari, σφραγὶς γάρ ἐστι τὸ μύρον τοῦ Χριστοῦ ἐν τῷ πνεύματι, καὶ ὁ ἱερεὺς τοῦτο ἐκβοᾷ ἐν τῷ σφραγίζειν τῷ μύρῳ λέγων, σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. Ἀμήν. *Unguentum enim ſignaculum eſt Chriſti in ſpiritu. Ideò cùm Sacerdos unguento ſignat hoc exclamat, ſignaculum donationis Spiritus ſancti Amen.* Ideò Græci ab antiquo vocant illud, Sacramentum chriſmatis, μυστήριον τῆς τελετῆς τοῦ μύρου, habita ratione ad ipſam materiam ſanctificatam, non ad illius uſum. Sic illud vocat S. Dionyſius, & ita vocandum ſe à ſanctis Hierarchiæ principibus accepiſſe teſtatur. Ita quoque S. Maximus in hæc ſancti Dionyſii verba. Sed multis hoc explicat Pachymeres. *Talis ſanctificatio in nos tranſit, cùm per divinum baptiſmum ipſi ſumus inſiti. Propter hanc ſacram operationem, & unguenti Sacramentum ſolerter ab eo denominarunt, Antè enim dicebamus Sacramentum illuminationis, & Sacramentum Synaxis, hîc autem Sacramentum unguenti, &c.* Huc reſpexit Gabriel Philadelphienſis Metropolita, cùm dixit, *Formam iſtius Sacramenti eſſe virtutem verborum Epiſcopi ſuper unguentum pronuntiatorum.* Cùm autem conſecratur, orationes tantùm adhibentur, ut videre eſt in Græcorum Euchologiis. Ita quoque dixit olim Sanctus Dionyſius chriſma ſolemni orationes conſecrari *cap.4.* Eccleſiaſt. Hierar. in myſterio ritus, καὶ τὴν ἐπ' αὐτῷ τελεσιουργὸν ἁγίαν ἐπίκλησιν ἀποπληρώσας, &c. Sic etiam nunc fit in Eccleſia Latina, ut videre eſt in Pontificali Romano. Eadem confirmat Hieremias Patriarcha loco citato, ubi & S. Dionyſium, & Simeonem Theſſalonicenſem in expoſitione Sacramentorum teſtes refert.

XII. Jam longè plura, quàm ſcopus noſter ferat, de hac materia ſcripſimus. Ideò breviter tantùm Lectorem monebimus, quanquam antiquiſſimus ſit iſtius formulæ apud Græcos uſus, ea tamen non ſemper uſos fuiſſe, ut ex S. Clemente manifeſtum eſt, qui ſolam orationem tradidit, nec iſtius formulæ, aut alterius meminit. Illius uſurpandæ tam Græcis quàm Latinis occaſionem dediſſe videtur mora temporis poſt orationem facienda in corporis unctione. Incommodum enim viſum eſt, Pontificem, dum ungeret, nihil dicere. Græcis incommodum viſum eſt multò majus quàm Latinis, eo quòd Græci

om-

omneſquè Orientales plurimas ungant corporis partes; Unicam verò Latini. Syrorum antiqua formula, ut colligitur ex rituali baptiſmatis Severi Patriarchæ hæc eſt, *Chriſmate ſancto, ſuavitate odoris Chriſti Dei, ſigillo veræ fidei, complemento pignoris Spiritus obſignatur N. in nomine Patris, Amen, & Filii, Amen, & Spiritus ſancti ad vitam ſeculorum, Amen*. Æthiopum formulæ ſunt variæ ad unamquamque corporis partem, ut ex Bibliotheca Patrum colligi poteſt.

XIII. Quanquam nunc Extremæ unctionis formula ſit ubique, quantum ſcire poſſum, deprecativa, plurimæ tamen, & celebres Eccleſiæ indicativam uſurparunt. Albertus Magnus *in 4. d.23. art.4.* hoc teſtatur de totius Germaniæ Eccleſiis ipſe Germanus Epiſcopus, atque inſuper hanc praxim ab iis vocari Gregorianam, ſeque vidiſſe antiquiſſimos illius regionis libros formam indicativam complectentes. Paludanus in eandem *diſt. art.* 2. aſſerit, Ambroſianam Extremæ unctionis formulam eſſe indicativam, eamque probat, multiſque refutat S. Thomam aſſerentem eſſe non poſſe indicativam. Sententiam ſuam confirmat exemplo baptiſmi, qui à Latinis indicativo modo traditur, à Græcis deprecativo, & utroque valido: Deinde quòd Sanctorum nullus Ambroſianam formam improbaverit, cui, ſi invalidam judicaſſent, non magis pepercïſſent, quàm S. Cypriano Auguſtinus, & S. Petro Paulus. Michael Aiguanus Carmelitarum olim Generalis teſtatur ſimiliter Ambroſianam formam eſſe indicativam, eamque eodem baptiſmi exemplo approbat. Richardus de media villa teſtatur quoque, nonnullas Eccleſias uti forma indicativa *in eandem diſt. qu.4.* & piè credendum eſſe idem indicativo præſtari quod deprecativo, quòd eodem Baptiſmi exemplo demonſtrat: Ut & Durandus in eandem diſtinctionem eadem de cauſa perſuaſus, Aureolus *in 4. diſt.23. art.1.* oppoſita ſibi quarundam Eccleſiarum conſuetudine forma indicativa utentium ſic reſpondet, *Dicendum eſt, quòd forma verborum indifferenter poteſt eſſe indicativa, & optativa, ſicut forma verborum baptiſmi, quæ eſt apud Latinos indicativa, ſed apud Græcos optativa. Et ideò conſuetudo in talibus eſt ſervanda, & peccaret graviter, qui conſuetudinem immutaret*. Eadem ratione ductus Tannerus celebris Societatis Jeſu Theologus eandem ſententiam probabilem cenſet, *tom.4. diſput.7. q.1. dubio* 1. cujus rei cauſa Sacramentale Venetum à Leone X. approbatum refert. Arcudius quoque *l.5.* de concordia Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali *c.5.* Ambroſianam formam refert ex S. Bonaventura, & Venetam ex Sacramentali Venetico à Leone X. confirmato. *Ungo te oleo ſancto, ut hac unctione protectus fortiter ſtare valeas adversùs varias catervas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Refert idem ex Serrario in antiquo codice manuſcripto Halitgarii, qui tempore Ludovici pii vivebat Unctionis formam hanc eſſe, *Ungo te de oleo ſanctificato, ut more militum, & præparatus ad luctamen aereas poſſis ſuperare catervas. Operare creatura olei in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut non lateat hic Spiritus immundus, nec in membris, nec in medullis, nec in ulla compagine membrorum hujus hominis, ſed operetur in eum virtus Chriſti filii altiſſimi, qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.* In Sacramentario Romano tam ex Bibliotheca Vaticana quàm Corbienſi eadem oratio legitur, initio paululùm variato, *Inungo te de oleo ſancto, ſicut unxit Samuel David in Regem, & Prophetam. Operare, &c.* Eſtius ſimiliter *in 4. d.23. §.10. Si quæras, utrùm rata ſit forma enuntiativo modo prolata: Putant quidem S. Thomas, & Bonaventura non eſſe ratam, ſed tamen non apparet certa ratio, qua id doceatur, cum nihil vetet ejuſdem Sacramenti formam nunc enuntiativè, nunc deprecativè, vel optativè recitari. Sic enim variari formam baptiſmi apud Græcos, & Latinos certum eſt.* Joannis Eckii auctoritate Ambroſiana perſuaſi ſententiam hoc confirmantem refert.

XIV. Ego rerum iſtarum curioſus nonnullas antiquas celebrium Eccleſiarum Bibliothecas luſtrans deprehendi, plurimas Eccleſias antiquitùs extremam unctionem formula indicativa adminiſtraſſe, eamque multis modis variaſſe. In antiquo Bellovacenſi Rituali annorum circiter quingentorum, ſed ex alio multò antiquiore exſcripto, ineſt ordo ad viſitandum infirmum, ſed in omnibus unctionibus, quæ plurimæ ſunt, ſemper profertur, *Ungo te*, quæ ſequuntur ſemper varia ſunt. *Ungo oculos tuos de oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quidquid illicito viſu deliquiſti, hujus olei unctione expietur, per omnia*. Ante autem unctionem, & poſt unctionem multæ preces leguntur. In parvo Manuali Eccleſiæ Remenſis eodem tempore ſcripto, quod incipit à viſitatione infirmorum, *Interim fiat ipſa unctio in hunc modum* (id eſt, dum recitantur Pſalmi pœnitentiales.). *Ad caput ungendum in dextro tempore ſive in ſiniſtro, non in fronte, nec in vertice, quia in baptiſmate fuit unctus de chriſmate, Ungo caput tuum oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut more militis præparatus ad luctamen poſſis aereas ſuperare catervas per eundem Chriſtum*. S. Bonaventura hanc formam Mediolanenſi Eccleſiæ tribuit, *in 4. d.23. art.1. q.4.* atque ex Halitgatio jam ſimilis relata, *Similiter ad oculos, Ungo oculos tuos de oleo ſanctificato, ut quidquid illicito viſu deliquiſti, per hujus olei unctionem expietur. Per Chriſtum*. Sic ad Aures, Nares, Labia, Scapulas, manus, pedes. Ante, & poſt unctionem multæ quoque leguntur preces. Vix dubito quin in codice Halitgarii memorato, & in eo, de quo S. Bonaventura in variis corporis partibus ſub modo tamen indicativo variata fuerit formula. In antiquiſſimo Siculo prorſus, ut in Rhemenſi. Ideò ſolùm hic addam, quod oculorum unctionem ſequitur, *Ad Aures interius, & exterius, ungo aures has ſacrati olei liquore in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quidquid peccati delectatione nocivo auditus admiſſum eſt, medicina ſpiritalis evacuet. Per Chriſtum Dominum*. Ordo integer in fine operis edetur. Eſt in Bibliotheca Victoriana codex annis quingentis antiquior, in quo continetur ordo ad viſitandum, & ungendum infirmum huic Siculo ſimillimus; formulæ ad caput, oculos, & aures prorſus eędem, quas exſcripſimus, cæteræ quę plurimæ ſunt, eædem ſimiliter. De utroque ordine in operis fine dicendum. In antiquiſſimo codice Turonenſi res aliter ſe habet: Septem Sacerdotes Sacramentum hoc adminiſtrant, ſeptemque diebus, ſi morbi neceſſitas hoc exigat, illud repetunt, variæ preces unctionem antecedunt, & ſequuntur: Semel tantùm dicitur, *Ungo te de oleo ſancto, &c.* quæ longam periodum continent, poſteà ad alias unctiones repetitur tantùm, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut pluribus in fine hujus operis docebitur. Simillimus eſt iſte Turonenſis ordo ei, quem nobis exhibet antiquiſſimum Sacramentarium Romanum à Menardo editum: In utroque hæc omnia, quæ diximus, & iiſdem verbis leguntur.

XV. In Sacramentario Romano ex Bibliotheca Vaticana edito formula quoque eſt indicativa, & ſemel tantùm dicitur. Interim verò cum perficiuntur unctiones cantatur *Pſal. Domine ne in furore tuo*, cum Antiphona, *Sana me Domine*, & Pſalmus, *Miſerere mei, Deus*, cum Antiphona. *Cor contritum*. Deinde tres orationes ſequuntur. His adjungendi ſunt tres alii codices admodum antiqui, quos idem Menardus refert, in notis ad Sacramentariũ Gregorianum, è quibus univerſum ritum exſcripſit, qui nullam aliam formam nobis exhibent quàm indicativam. Erat quoque in uſu ante circiter octoginta annos eadem forma in Eccleſia Sveſſionenſi, ut conſtat ex Manuali ejuſdem Eccleſiæ eo tempore typis excuſo, cujus verba eodem loco refert Menardus. Ideò in præfatione ſua valde probabiliter codicem novitatis accuſat Menardus, quòd contra antiquorum codicum morem Extremæ unctionis formam deprecativè exhibeat; nec minus probabiliter, ut idem refert, & approbat Menardus, publicè in Scholis Sorbonicis ad diſputandum ſæpius propoſitæ ſunt theſes quibus aſſerebatur: Sacramenti Extremæ unctionis formam eſſe indicativam, vel deprecativam.

XVI. Idem de baptiſmo dicendum eſſe omnium ferè Scholaſticorum antiquorum, & recentiorum concors eſt ſententia. Quis enim eorum de Græcorum baptiſmo agens, quem putant prope omnes optativo modo dari, eum validum eſſe inficietur? Sic definiunt Alexander Halenſis *4. p. Summæ, q.* 8. *membr. 3. art. 3.* fateturque à Sanctis eſſe inſtitutam præferendam tamen Eccleſiæ Romanæ formam. Albertus Magnus *in 4. d. 3. art.2.* in reſponſis ad objectiones quæſtiunculæ 2. Sed uterque tamen videtur ægrè concedere formam illam nunc valere, verum hoc intelligendum de baptiſmate more Græco apud Latinos celebrato. Nonnulli enim, ſed numero pauciſſimi, dubitarunt, an apud Latinos ſufficeret, ut Innocentius IV. ſuper *cap.1. de baptiſmo*: Sylveſter *in verbo, baptiſmus* 1. *num.7.* in hanc ſententiam nonnihil videtur inclinare. Quorundam ſuo tempore ita opinantium meminit S. Thomas *in 4. d.3. qu.2. art.2 reſp. ad primum*. Sed contrarium ſententiam ibidem amplectitur, ut & Aureolus in eandem *diſt. & in diſt.* 23. *art.1.* Durand. *ibid. q.1. art.2.* Petrus de Tarantaſia *ibid. q.2. art.1. Summa Aſtenſis lib.4. tit.3. art.5.* Richardus *in 4. d.3. art.2. quæſt.3.* Franciſcus Mayronis *in 4. d.14. qu.1.* Adrianus *de Sacramento bapt.2. propoſ. reſp. ad quartum, & in reſolutione, & in 4. q 2. 5. Ad videndum*, Gabriel Biel *in 4. diſt. 3. q. unica, art. 2. concluſ.* 2. Guilelmus de Vorillong in eandem diſtinſtionem. Dominicus Sotus *ibidem artic.5. §. multa hic*. Thomas de Argentina *ibid. ad finem art* 3. Michael Aiguanus loco jam citato, Puteanus ex familia Sancti Auguſtini *in 3. part.* S. Thomæ *q.66. art.5. 6. dubio* 2. Toletus

Digitized by Google

lib.2. c.19. Henriquez *lib.2. de bapt. c.8. n.3.* Koning. *q.66. de Sacram. baptiſm. art.6. dubio unico*, Laymanus *de Sacram. bapt. tract.2. capite* 4. Tannerus *diſput.4. de baptiſ. q.1. dub.3. nu.* 83. Eſtius *in 4. d.3. §.6.* Suarez *in 3. p. q.66. ſect.1. Certum de fide eſt formam, qua Græci utuntur, Baptizetur, &c. eſſe ſufficientem.* Hoc multis probat, & potiſſimum auctoritate Concilii Florentini, qui Græcorum baptiſmum probavit. Deinde Eccleſiæ Romanæ exemplo, quæ Græcos à Schiſmate converſos nunquam rebaptizavit. Exiſtimant autem cum Concilio Florentino omnes illi Catholici Doctores, quibus innumeri adiici poſſunt, Græcos, cùm baptizant, optativam formam uſurpare. Quidam ajunt optativam, vel imperativam: Sed imperativa, cùm ad Deum dirigitur, tota eſt deprecativa. Quapropter ex Decreto Concilii Florentini, hoc eſt, totius Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis, omniumque Scholaſticorum antiquorum, & recentiorum ſententia, baptiſmus utroque modo, indicativo, & deprecativo collatus validus eſt.

XVII. Sed in baptiſmi forma præcipuè conſideranda eſt Trinitatis invocatio. Hoc unum ſcriptis ſuis Patres nobis commendarunt. De hoc ſolo legimus eos quæſtionem cum hæreticis habuiſſe, & propter hoc ſolum vel omiſſum, vel male enuntiatum, vel aliquid ei additum, Hæreticorum baptiſma improbaſſe; omnium verò admiſiſſe, qui Trinitatem baptizando invocaſſent. Eos autem diſputaſſe, an baptizando dicendum eſſet, Ego baptizo, vel baptizetur, vel baptizatur, vel nomine iſto præterito ſufficeret actum ipſum immerſionis exercere dicendo, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, nuſquam apud eos legi commemoratum, nedum diſputatum. Diſputationes iſtas Scholaſtici more ſuo de omni re ſcibili in utramque partem ſponte ſua, & à nemine laceſſiti contendentes primi excitaverunt, eorumque nonnulli de hac re Græcis negotium faceſſiverunt. Græcorum formula, quæ nec deprecativa eſt, nec imperativa, ſed indicativa tertiæ perſonæ, *baptizatur N. in nomine, &c.* antiquiſſima eſt: Antiquiſſima enim Euchologia, Barberinum, & Cryptæ Ferratæ illam nobis repræſentant. Joannes Moſchus, qui vivebat S. Gregorio nondum mortuo, *prati ſpiritualis capite* 175. Judæum quendam eadem forma baptizatum refert, *Baptizatur Theodorus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Ante Moſchum annis centum, Anaſtaſio I. ſcilicet imperante, legitur aliud exemplum in facto Deuterii Conſtantinopoli Arianorum Epiſcopi, qui, ut refert Theodorus Lector *Collectaneorum libro* 2. Barbam quendam corrupta Sanctæ Trinitatis invocatione ſic baptizavit, *Baptizatur Barbus, in nomen Patris, per Filium, in Spiritu ſancto. Quo dicto*, inquit Theodorus, *aqua in Colymbethra evanuit*. Ex nonnullis S. Chryſoſtomi teſtimoniis, quæ infra *cap.19.* referuntur, colligitur, Græcos vel ita enuntiaſſe, vel deprecativè tantùm, & præ modeſtia non auſos in prima perſona dicere, Ego baptizo, ne viderentur primarium baptiſmi effectum ſibi arrogare. Eadem erat conſuetudo Eccleſiæ Africanæ, ut evidenter colligitur ex Sermone S. Auguſtini de muliere peccatrice, quem ſupra *cap* 8. enarravimus.

XVIII. Hinc eſt, quòd antiqui Patres, & Græci, & Latini baptiſmi effectum invocationi Sanctæ Trinitatis ſemper attribuunt, Sacerdotemque ajunt per precem, & invocationem S. Trinitatis baptizare, verbiſque cœleſtibus uti, nec aliter de ea formula loquantur quàm velut deprecativa. Iſta enim, *baptizo, baptizetur, vel baptizatur*, tanquam quid acceſſorium, & principalis naturam conſequens partim conſiderabant, toti ad invocationem Sanctæ Trinitatis attentiſſimi. Quapropter cùm eadem ſit nunc Scholaſticorum omnium de neceſſitate potiſſimùm invocationis S. Trinitatis in baptiſmo ſententia, nonnihil miror eos abſolutè ſemper dicere, formam baptiſmi in Eccleſia Latina eſſe indicativam, cùm ſit ex indicativa, & deprecativa conflata, & ea pars quæ deprecativa eſt, ſit omnium conſenſu longè potiſſima. Si formula iſta ab una parte abſolutè denominanda eſt, ab invocatione Trinitatis, non ab indicativo enuntiandi modo denominatio fieri debuit.

XIX. Sanè antiquiſſimi Scholaſtici tam parci fecerant priorem formulæ Latinæ partem, ut quàm plurimi pronuntiarint ad Subſtantiam baptiſmi non pertinere. Præpoſitivus cùm viveret, ſplendidiſſimum Theologiæ Scholaſticæ lumen, in 4. *parte Summæ* ſic refert, ubi agit de forma baptiſmi, *Quæri ſolet, utrùm verba hæc, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti ſufficiant, an hoc verbum, baptizo, ſit de ſubſtantia Sacramenti. Magiſtri noſtri omnes dixerunt, quod hoc ſufficit, in nomine Patris, &c.* Sic aliquot ante ipſum annis communiter in Scholis definiebatur, & in praxi uſurpabatur, ut manifeſtiſſimùm ex Summa de Sacramentis, & animæ conſiliis, quæ in Bibliotheca Victoriana extat manuſcripta, cujus auctor eſt Petrus Cantor Pariſienſis Præpoſitivo ſenior. *ſolio* 156. *pag.*2. quærit, *Utrùm prolatio hujus verbi baptizo, ſit de ſubſtantia Sacramenti, an ſufficiat dicere, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, non eſt apud Doctores definitum. Juxta inſtitutionem tamen Evangelicam edicitur, baptizantes eos, in nomine Patris, &c. oſtenditur quid facere debeant in invocatione iſtorum nominum. Unde videtur non aliud exigi ad formam.* Idem colligitur ex Hugone à S. Victore *lib.2. p.6. c.13. de Sacramentis fidei*. Proponit velut quæſtionem ſibi factam, mulierem quandam filium ſuum in balneo merſiſſe, non ut Sacramento imbueret, ſed ut ſordes ablueret, ipſam verò tum dixiſſe, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, ut manducando vel bibendo, aut aliud quodcunque agendo illud dixiſſet. Putabat mulier illa ſe filium ſuum baptizaſſe. Quid Hugo reſpondet? *Ego balneatum ſcio, baptizatum neſcio. Quod ſi ideircò baptizatum putas, quia cùm mergerem dixi, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Ergo & oſſa baptizata eſt, quia cum mergerem illam dixi. In nomine Patris, &c. Vide ergo, & conſidera, quod rationale eſſe oportet opus Miniſtrorum Dei, nec propter ſolam formam præjudicare, ubi intentio agendi nulla eſt.* Ante verba citata pluribus ea de re agit, ſed ubique ſemper ſupponit, hanc eſſe ſufficientem baptiſmi formam, & nunquam aliunde quàm ab intentionis defectu Sacramenti defectum petit.

XX. Petrus Claromontanus Epiſcopus eandem prorſus hypotheſim Stephano Tornacenſi Epiſcopo proponit, dubius an hujuſmodi baptiſmus ſit repetendus. Primùm uterque teſtatur, Laicos, cùm in neceſſitate baptizant, omittere, hæc verba, *Ego baptizo te*, & ſolum mergendo dicere, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Reſpondet Stephanus legitimum ſibi videri baptiſmum iſtum, nec repetendum. Quia Patres in baptiſmo Hæreticorum ut ratus eſſet, ſolam Trinitatis invocationem quæſierunt, quod nonnullis Patrum teſtimoniis demonſtrat. Deinde quia nuſquam in Evangelio jubetur dicendum, *Ego te baptizo*, ſed tantùm, *docete omnes gentes, baptizantes eos*, ſive tingentes eos, *in nomine Patris, &c.* Ille autem omninò complet Chriſti præceptum, qui tingendo, vel mergendo dicit, *in nomine Patris, &c.* Nihil enim ampliùs verba requirunt: Graviter tamen Sacerdotem, qui ſic baptizat, peccare, eo quod Eccleſiæ præcepto non obtemperat. Hæc Stephanus *Epiſt.* 5. ſententia Mauricii Pariſienſis Epiſcopi de eadem quæſtione interrogati fuerat contraria, ut videre eſt apud eundem Epiſtola quarta.

XXI. Sanè videntur Stephani rationes probabiles: Probè enim ſciebant Patres, in quo baptiſmi ſubſtantia conſiſteret, ſed de invocatione S. Trinitatis leguntur tantùm ſoliciti fuiſſe. Deinde videtur omnium gentium, atque etiam ſacræ Scripturæ, & rationis ipſius regula, eum præcepto ſatisfacere, qui quod Dominus præcipit, exequitur, nec opus eſſe anteà enuntiare ſe hoc facere. Exempli cauſa jubet Eliſeus ſervo ſuo puerum ſuſcitaturo, ut ponat baculum ſuum ſuper faciem pueri. Quis dicat neceſſe fuiſſe ſervo pronuntiare hæc verba: Pono baculum Eliſæi ſuper faciem tuam? Jubet Deus Moyſen virgam ſuam proiicere, ut fieret ſerpens. Numquid neceſſe fuit Moyſen dicere, Virgam proiicio? Præcepto Dei ſatisfecit virgam proiiciendo, etſi nihil diceret. Iſaacus filio ſuo multa mandat, ſume arcum, & Pharetram, Venatum abi, ex venatione condi mihi pulmentum, &c. Quid Jacob ſub nomine Eſau? *Feci ſicut præcepiſti mihi, ſurge, ſede, & comede de venatione mea.* Quid Eſau? *Surge Pater mi, & comede de venatione filii tui.* S. Jacobus de infirmo prorſus, ut Chriſtus jubet, *Orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini*. An ideò neceſſe eſt dicere, ungo te? Vel non proſit ipſa oratio niſi prius dicat, oro, vel, oremus. Græci, ut dictum eſt, in Confirmatione, licèt unctione fiat, hoc tantùm proferunt. *Signaculum donationis Spiritus S.* & antiquitùs Latini. *Signum Chriſti in vitam æternam*, alii tantùm, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Quocirca antiquiſſimi illi Scholaſtici rationibus videntur niti non planè abſurdis, cùm opinantur ad ſubſtantiam baptiſmi tantùm pertinere immerſionis actum, & Trinitatis invocationem, cætera ab Eccleſiæ diſciplina pendere. Aliter tamen edixit Alexander tertius, ut refertur extra de baptiſmo, C. *Si quis Puerum*. Sed Stephanus qui eodem tempore cum Alexandro, & multis poſt ipſum annis floruit, & Præpoſitivus, aliique ejuſdem temporis Doctores Scholaſtici Alexandro poſteriores hanc Alexandri definitionem prorſus ignoraverunt: nec prius videtur publici juris facta fuiſſe, quàm eam Raymundus in Decretales retulerit, & Raymundi compilatio à Gregorio IX. *auctoritate* in judiciis obtinuerit. Ab eo tempore Scholaſtici in contrariam explicatæ ſententiam frequentiſſimi fuerunt. Paulò

ante

ante Gregorium nonum eadem Alexandri definitio ſecundæ Decretalium compilationi ſub Innocentio III. factæ inſerta fuerat. Sed ab iiſdem Doctoribus Scholaſticis partim ignorata fuit, partim minus quàm Raymundi collectio æſtimata, eo quod eam Pontifex non confirmaſſet. Nec iſtorum Doctorum ſententiæ officit Alexander: Conceſſo enim Alexandrum hoc non docuiſſe, ut Doctor particularis, potuit decernere ut Sacramentum hoc ritu anteà validè celebratum, in poſterùm non valeret, apud eos ſcilicet ad quos Decretum perveniſſet, ut in Sacramento matrimonii Concilia Lateranenſe, & Tridentinum feciſſe videmus.

XXII. Denique idem dici poſſet de ſacris ordinationibus; omnes enim apud Græcos fiunt ſola oratione, & manus impoſitione; ſic & antiquitus apud Latinos Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi non aliter conſecrabantur. Nihil aliud nobis commemorant Patres quotquot de hac re verba faciunt: Nihil aliud nobis exhibent antiqua Pontificalia, & Sacramentaria, quorum duo ab omnibus legi poſſunt, unum ex Bibliotheca Vaticana editum, alterum nuper à Menardo doctis adnotationibus illuſtratum. Alia refert in eandem rem inedita, aliaque ab his, & antiquiſſima vidimus in quibus ſimiliter nihil aliud legitur. Sed de ſacris ordinationibus aliàs ſeparatim. Digreſſionum ſatis; ſermo interruptus nobis eſt retexendus.

CAPUT XVII.

Scholaſticos pleroſque antiquos, & recentiores docuiſſe nonnullorum Sacramentorum materias, & formas à Chriſto generaliter tantùm inſtitutas; Specialis verò materiæ, & formæ aſſignationem Eccleſiæ commiſiſſe.

QUæ capite præcedente relata ſunt, evidenter mihi demonſtrate videntur maximè probabilem eſſe eorum Doctorum ſententiam, qui aſſerunt Chriſtum Dominum noſtrum plerorumque Sacramentorum formas, & materias generatim tantùm inſtituiſſe; earum verò determinationem Apoſtolorum, & Eccleſiæ auctoritati, & prudentiæ commiſiſſe. Eas enim ſi Chriſtus inſtituiſſet, & Apoſtolis determinaſſet, eadem eſſent, & omni tempore, & apud omnes gentes. Utroque autem modo contrarium deprehenditur: Orientales enim ab Occidentalibus hac in cauſa plurimùm differunt: Deinde ſi Latinorum antiquiſſima Sacramentaria conſulamus, & cum Neotericis comparemus, antiquorumque, & recentiorum Patrum dicta cum Scholaſticorum effatis, quod capitibus præcedentibus factum eſt, quorundam Sacramentorum materias formaſque plurimùm ampliatas labente tempore deprehendemus. Immò ſi plurimorum Scholaſticorum ſententiam ſequamur de nonnullorum Sacramentorum materiis, & formis differentium, nihil prorſus occurret, neque in ſanctis Patribus, neque in antiquis Sacramentariis eorum, quæ pro materiis, & formis aſſignant. Quare videtur omnino dicendum iſtarum rerum determinationem eſſe definitioni Eccleſiarum permiſſam. Verbi gratia, in Sacramento baptiſmi materia eſt à Chriſto determinata, aqua ſcilicet; Ideò apud omnes Chriſtianos, Catholicos, & Hæreticos nuſquam variatur. Forma ſimiliter aſſignatur, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Ita quoque Catholici ubique gentium baptizant, immò & hujus temporis omnes Hæretici, atque etiam antiqui, paucis exceptis, qui in odium ſanctiſſimæ Trinitatis verba quædam corrumpentia addebant. Sed modum enuntiationis formæ Chriſtus Eccleſiæ permiſit: Generatim enim tantùm definivit, *Docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* Dicere poterat, Docete omnes gentes, dicentes unicuique. Ego te baptizo, &c. Tum nullus ſuperfuiſſet dubitandi locus, ita formam eſſe enuntiandam. Verum cum generatim expreſſio facta fuerit, ſpecifica expreſſio Eccleſiæ definitioni commiſſa fuit; Ut etiam adnotavit Cardinalis Bellarminus adverſus Hæreticos diſputans, *lib.1. de Sacram. in genere cap.19.* Hinc eſt, quòd Eccleſiæ variis rationibus, iiſque optimis, commotæ variè hanc priorem formæ partem enuntiaverint. Sic eſt de aliis dicendum, & nonnunquam de ipſa formæ, aut materiæ ſubſtantia, quum in Scriptura ſacra determinatæ non occurrunt.

II. Innocentius IV. in C. Presbyter de Sacramentis non iterandis, *De ritu Apoſtolico invenitur in Epiſtola ad Timotheum quod manum imponebant ordinandis, & quod orationem infundebant ſuper eos. Aliam autem formam non invenimus ab eis ſervatam. Unde credimus quòd niſi eſſent formæ poſteà inventæ, ſufficeret Ordinatori dicere. Sis Sacerdos; vel alia æquipollentia verba; ſed ſubſequentibus temporibus formas, quæ ſervantur, Eccleſia ordinavit.* Hæc laxa ſententia apud Canoniſtas vulgata eſt; Ita Rebuffus, & alii Canoniſtæ celebres quos refert titulo de *Morin. de Sacram. Pœnit.*

Clericis, *n.9. Papa etiam ſolo verbo poteſt Presbyterum facere, teſte Angelo in l.1. C. de ſententiam paſſis, quem refert, & ſequitur Felinus in dicto c.1. n.23. Columna ſexta de Conſtitut. Ipſe enim introduxit formam quam tollere poteſt.* Decius in eundem *titul. Lect.1. n.50.* huic ſententiæ aſſentitur, ut & Hieronymus Gygas *tractatu de Penſionibus q.8.*

III. Jacobus de Vitriaco Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus ſermone in Vigilia Pentecoſtes de Sacramento Confirmationis diſſerens, ita definit, *Hoc Sacramentum inſtitutum eſt partim ab Apoſtolis, quantum ad manus impoſitionem; partim ab Eccleſia quantum ad unctionem chriſmatis in fronte, quod non legimus Apoſtolos feciſſe. Licèt autem in eminentiori parte hominis ab eminentioribus perſonis prædictum conferatur Sacramentum, aliquando tamen propter defectum, vel paucitatem Epiſcoporum minoribus Sacerdotibus diſpenſativè eſt conceſſum.* Sic quoque Petrus Cantor Pariſienſis *in Summa de Sacramentis fol.159. in Bibliotheca Victoriana*, quærit, *Unde, & quando ille modus confirmandi quem habemus ſumpſerit initium. Non enim legimus quòd Apoſtoli aliquos in fronte ſub aliquo charactere ſignaverint; nec quòd aliquos chriſmate unxerint.* Tandem ſic concludit, *Dicamus ergo formam iſtam, & ſubſtantiam Confirmationis partim ab Apoſtolis quantum ad manus impoſitionem, ab Eccleſia quantum ad alia.*

IV. Eadem eſt ſententia Simeonis Archiepiſcopi Theſſalonicenſis in libro Manuſcripto Bibliothecæ Vaticanæ *p.129. & 130.* Οὓς βαπτισθῆναι ἀναγκαῖον, καὶ τῷ μύρῳ χρισθῆναι ἐστὶν ἀνάγκη. ἐξ οὗ καὶ τοὺς βαπτισμένους ὑπὸ Φιλίππου ὡς μόνον τὸ βάπτισμα δεξαμένους Πέτρος καὶ Ἰωάννης ἐπετίθουν τὰς χεῖρας καὶ ἐλάμβανον πνεῦμα ἅγιον. ὃ δὴ τὸ μύρον ἐστί. ἡ γὰρ ἐπίθεσις τῶν χειρῶν τὸ μύρον παρεῖχεν, ὡς καὶ ἐν τοῖς Ἀποστόλοις ἐγένετο, καὶ δι᾽ αὐτῶν πολλοῖς ἄλλοις. Καὶ τότε μὲν ἐπίθεσις τῶν χειρῶν. Νυνὶ δὲ ἀντὶ τῶν χειρῶν αὐτὸ ἐστὶ τὸ ἡγιασμένον μέγα μύρον, ἁγιαζόμενον οὐ παρὰ Πρεσβυτέρων, ἀλλὰ παρὰ πατριαρχῶν καὶ ἀρχιερέων ἱεραῖς εὐχαῖς καὶ εὐλογίαις τὴν τοῦ Πέτρου καὶ Ἰωάννου πληρούμενον δύναμιν. ὃ δὴ ἀποστελλόμενον εἰς τὰ πέρατα δύναμιν ἔχει τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν. Καὶ ἀνάγκη τούτῳ σφραγίζεσθαι πάντα πιστὸν τὸν βαπτιζόμενον, ἵνα καὶ τὸ θειότατον βάπτισμα τοῦ βαπτισθέντος τέλειον ἔχῃ ἐν ἑαυτῷ. *Quos baptizari neceſſe eſt, neceſſe quoque ex chriſmate inungi. Hujus rei cauſa Petrus, & Joannes baptizatis à Philippo, ut qui ſolum baptiſmum ſuſceperant, manus impoſuerunt, & acceperunt Spiritum ſanctum. Hoc verò chriſma eſt: Manus enim impoſitio chriſma præbet, ſicut in Apoſtolis factum eſt, & per eos multis aliis. Tunc erat manus impoſitio; nunc verò manuum impoſitionis vicem gerit ipſum ſanctificatum, & vocatum magnum chriſma; ſanctificatum quidem non à Presbyteris, ſed ab ipſis Patriarchis, & Epiſcopis ſacris precibus, & benedictionibus Petri, & Joannis virtutem ditantibus. Miſſum autem ad fines uſque terræ impoſitionis manuum virtute potitur. Et neceſſe eſt in baptiſmate eo ſigillari omnem fidelem, ut omnis baptizatus diviniſſimum baptiſma perfectè in ſeipſo poſſideat.* Diù eſt cùm in Eccleſia Græca ceſſavit in Sacramento Confirmationis manus impoſitio. Facta eſt autem illa permutatio, ut ſentit Simeon, ab Eccleſia poſt Apoſtolorum ætatem.

V. Alexander Halenſis *p.4. ſummæ q.9. membro 1.* ſcribit manifeſtum eſſe, *Apoſtolos confirmaſſe ſola impoſitione manuum ſine inunctione, & ſine forma verborum qua utitur Eccleſia. Propter hoc*, inquit, *ſine præjudicio dicendum, quòd Dominus neque hoc Sacramentum, ut eſt Sacramentorum inſtituit, atque diſpenſavit, neque Apoſtoli, &c. Apoſtoli confirmati ſunt à Spiritu S. immediatè ſine miniſterio, & Sacramento, & ipſi deinde confirmabant ſine Sacramento, &c. Sed poſtquam Apoſtoli, qui erant baſes Eccleſiæ, qui à Domino erant Prælati, & Spiritu S. confirmati, defecerunt, inſtitutum fuit hoc Sacramentum Spiritus S. inſtinctu in Concilio Meldenſi quantum ad formam verborum, & materiam elementarem, cui etiam Spiritus S. contulit virtutem ſanctificandi.* Et in reſponſione ad ultimum ſcribit Sacramentorum Evangelicorum, *Quædam fuerunt inſtituta à legiſlatore, & auctore, ſcilicet Chriſto, qui erat lator, & auctor; quædam à Miniſtris legis, ſcilicet Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, ſcilicet, Pontificibus, ſed inſtinctu & cooperatione auctoris legis, ſicut hoc Sacramentum.* Membro quoque, 2. ejuſdem quæſtionis *art.2. §. 1.* reſp. ad primum, ſcribit Apoſtolos confirmaſſe ſola manuum impoſitione, *Nulla coexiſtente forma verborum, vel materiali aliqua. Poſteà autem aliis ſuccedentibus illis rationibus ſupradictis aliter ordinatum fuit ab Eccleſia, & quantum ad materiam, & quantum ad formam.* Et *§.3. reſponſ. ad ultimum*, diſtinguit inter formas Sacramentorum à Deo inſtitutas, & ab Eccleſia, *Quæ enim*, inquit, *ab homine ordinata ſunt, ab homine poſſunt mutari, Quæ autem à Deo inſtituta ſunt, non niſi dictante Deo debent mutari atque variari.* Vide iterum, quæ ſcribit eadem parte *q.5. membr. 3. art.2. §.3.* ubi quærit quare duo tantùm

ctorum ſunt velitationes, quas concedet, qui voluerit, & de quibus inter ſe ſæpe diſſentiunt. Contingit autem aliquando eorum aliquos à vero tam immaniter aberrare, ut in ritu Romano ea pro ſolis materiis, & formis adnotent, quæ ad Sacramenti tantùm ſolemnitatem, & ſignificationis ampliationem ſpectant. Interrogabis, & meritò, qua ratione id judico. Certa, facili, & ab omnibus conceſſa. Ea enim ad ſubſtantiam Sacramenti non pertinent, quæ Græci nunquam uſurparunt, nec multis ſeculis Latini. Nonnulla autem in ritu Romano hodierno, aut ab annis quadringentis, pro veris, & ſolis materiis, & formis adnotarunt, quæ ſunt ejuſmodi. Quanquam igitur falſum ſit id, quod aliquis docet Scholaſticus; hæc verba in ritu ſunt forma, actiones iſtæ ſunt materia: Nihilominus Sacerdos, aut Epiſcopus omnes ritus in Sacramentario notatos obſervans verè Sacramentum adminiſtrat. Nihil enim variæ Scholaſticorum opinationes de Ritualis verbis an hic, vel illic ſit Sacramenti forma, Sacramentorum virtuti, cùm omnia in Rituali præſcripta ritè adminiſtrantur, officiunt.

III. Animadverto igitur in quolibet Sacramento Eccleſiam Latinam ab Orientali in iis tantùm differre, quæ antiquiſſima Sacramentaria Latina nobis non repræſentant, quorum Patres nunquam meminerunt. In iis verò quæ ſunt antiqua, quæ Patres commemoraverunt, & in Sacramentariis tam Latinis quàm Græcis adſcripta fuere perpetuò, planè conſentire. Hæc ex iis quæ ſupra, & potiſſimùm *cap.* 15. demonſtrata ſunt, manifeſta videntur. Itaque nulla mihi juſta cauſa videtur vulgatum iſtud axioma carpendi, circumſcribendi, vel tantillum ab eo recedendi. Huic contentioni occaſionem tantùm dederunt ſpecialia ſcholaſticorum de materiis, & formis Sacramentorum pronuntiata: Nunquam enim leguntur Græci ſpecialibus ejuſmodi inquiſitionibus incubuiſſe, ſi Gabrielem Philadelphienſem Metropolitam excipias, qui apud Latinos diu verſatus, & ab iis inſtitutus, eorum ſcribendi methodum nonnihil eſt imitatus. Sed auctor recens eſt, & hodiernus. Quapropter nullam de hiſce rebus litem cum Latinis miſcent, nec Latini cum ipſis miſcere poſſunt, cùm Eccleſia Romana Græcos, Græcique ritus homines admittens eorum Sacramenta nòn irritet, nec unquam irritaverit: Et reverà, ut demonſtratum eſt, ſi rem ad antiquam Latinorum conſuetudinem, & ad Patrum dicta revocaverimus, nulla erit inter utroſque differentia, cùm utrique in ea hypotheſi & ſecum, & cum Patribus conveniant. Quæ poſteà vel ab his vel ab illis antiquo ritui ſuperaddita deprehenduntur, ad ſolemnitatem, aut ſacræ alicujus ſignificationis ampliationem pertinere, non ad Sacramenti ſubſtantiam, manifeſtum eſt.

IV. Duo poſſunt obiici, & alicui forſan negotium faceſſere. Prius ab auctoritate Concilii Florentini deſumitur, quod in inſtructione ad Armenos eas formas, & materias Sacramentis aſſignat, quarum apud Græcos, alioſque Orientales nullus eſt uſus; de quibus ne fando quidem aliquid audiverunt. Poſterius ab hodierna Eccleſiæ Latinæ praxi, quæ nunc Abſolutionem indicativo modo pęnitenti concedit, cùm Græca praxis deprecativum tantùm uſurpet. Stringitur autem difficultas auctoritate Concilii Trident. quod *ſeſſ.* 14. *c.* 3. declarat Sacramenti pęnitentiæ formam his verbis, *Abſolvo te, &c.* ineſſe; preces autem iis laudabiliter adjungi, ſed ad formæ eſſentiam non pertinere. Prior objectio quantum ad vim ipſius attinet, ab omnibus auctoribus capite præcedente relatis facilè ſolvitur; Eorum enim ſententiæ nihil repugnans habet illa Concilii ad Armenos inſtructio. Quantum autem ad Concilii hypotheſim ab iiſdem auctoribus citatis qui Florentinum Concilium ſubſecuti ſunt, diſcuti, & diſſolvi ſolet: Quapropter de hac objectione, quæ in priori ſententia nulla difficultate laborat, immò quæ eam validiſſimè confirmat, ſecundum poſteriorem ſententiam, quæ formæ, & materiæ immutabilitatem ſtatuit, breviter diſſeremus.

V. Primum dico, quidquid ſit de hac objectione, certiſſimum eſſe, & indubitatum Concilii Patres ea inſtructione Orientalium Eccleſiarum materias, & formas carpere non voluiſſe, multò minus eorum Sacramenta irritare. Hoc καὶ ἀναμφιβόλως colligitur ex unione ſolemni Eccleſiæ Græcæ cum Latina, quæ pauculis ante adventum Armenorum ad Concilium diebus concluſa, & publicata fuerat, in cujus decreto ne verbum quidem de Sacramentorum formis, & materiis factum eſt, nedum aliquid additum, imminutum, aut caſtigatum. Cùm autem nonnulla alia agitata fuerint, & iis diſcuſſis tandem concordes ſacraque alter alterius amplexi fuerint, & deoſculati, manifeſtiſſimum eſt ab utriſque Patribus, tam Latinis quàm Græcis utrumque Sacramentorum adminiſtrandorum ritum eſſe approbatum, & conſequenter omnium Patrum fuiſſe ſententiam, utrumque ritum ea complecti quæ Sacramentis erant neceſſaria, & ſubſtantialia. Percontaberis ad quid igitur Inſtructio illa formulas, rituſque Latinos tantùm exprimens? Reſpondeo, Patres illis ſolùm proponere, quæ ſpecialia erant in Sacramentariis Latinis, ut eos ad ea amplexanda invitarent; ut autem ea amplecterentur, non juſſiſſe. Quatuor ſunt, quæ eos amplecti jubet, ſymbolum Conſtantinopolit. Leonis. I. ſanctitatem, & venerationem: Atquæ in calicis oblatione admiſtionem: & feſtorum Annuntiationis, & Nativitatis eodem die cum Græcis, & Latinis celebrationem. Cùm de quatuor his capitibus verba faciunt Patres, ajunt, decernimus, injungimus, jubemus. Cùm verò de Sacramentis, nihil agendum definiunt, ſed Latinam praxim tantùm explicant, illiuſque compendium tradunt, in quo tamen multa juxta Latinos omnes ſubſtantialia prętermittunt, ut cuivis iſta comparanti erit perſpicuum.

VI. Itaque & veritati, & menti Patrum, unioniſque Eccleſiæ Græcæ cum Latinæ decreto ab iis condito appoſitiſſimè Martinus Becanus videtur mihi huic objectioni reſpondere 3. *parte Theologiæ Scholaſticæ tract.* 2. *c.* 26. *q.* 4. *Concilium Florentinum in inſtructione Armenorum ſolùm meminiſſe materiæ accidentalis, quæ ab Eccleſia fuit inſtituta, non autem ſubſtantialis, quam Eccleſia præſcripſit; quia hæc ex ſcripturis, & antiquis Patribus erat ſatis cognita, non autem illa.* Et paulò poſt, *Nota, antiqua Concilia aſſignaſſe materiam à Chriſto inſtitutam; Florentinum verò materiam aſſignaſſe, quam Eccleſia introduxit.* Nec opus eſt huic veræ, & ſolidæ ſolutioni aliquid addere, cùm conſtet id, quod eſt ſubſtantiale, atque à Chriſto immediatè inſtitutum, idem eſſe apud omnes, & invariatum.

VII. Poſterior objectio difficultatem quam hìc diſcutimus, comminus ferit: facilè tamen avertitur ictus. Primò enim reſponderi poteſt ex ſententia capite precedente explicata, nihil Concilium Tridentinum feciſſe, quod in ipſius poteſtate non fuerit, cùm ad ipſum pertinuerit formas, & materias Sacramentorum in ſcriptura nō evidēter determinatas declarare, definire, & reſtringere, aut etiam ampliare. Itaque nemo commoveri debet, quòd forma Abſolutionis à Concilio in Latinorum gratiam definita præter Græcorum morem indicativè proferatur. Secundò dico, Concilium in forma illa nihil novi conſtituiſſe, neque eam reſtrinxiſſe, aut ampliaſſe, multò minus immutaſſe, ſed tantùm ex multis, quæ cum ea indiſtinctè conjungi ſolent, declaraſſe, quæ ſint factu neceſſaria, unumquam omittantur; quæ verò utilia quidem, ſed non neceſſaria, ut occaſione id poſtulante omitti poſſint. Idem adnotant eodem caſu pleraque pęnitentialia, & Sacramentaria, ex multis ſcilicet Abſolutionum formulis hanc vel hanc, ſi neceſſitas urgeat, ſufficere.

VIII. Si verò ponamus omnes Sacramentorum formas non modò in theſi, & generaliter loquendo, ſed etiam in hypotheſi eſſe invariatas; iterùm dico allegatam Concilii definitionem huic ſententiæ non contradicere, eo quòd Concilium ſtatuat Abſolutionis formam eſſe, *Abſolvo te, &c.* Ut & anteà Concilium Florentinum declaraverat. Sub abbreviatione autem illa, &c. intelligitur potiſſimùm Sanctiſſimæ Trinitatis invocatio, ſcilicet, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Quapropter licet orationes adjunctæ ad ſubſtantiam non pertineant, invocatio tamen Sanctiſſimæ Trinitatis ex Concilii Decreto planè neceſſaria eſt. Reverà res mira eſſet, ad tantum effectum producendum Miniſtri, aut actionis Miniſterialis expreſſionem omnino neceſſariam eſſe, Dei verò expreſſionem, quaſi ficulneum ipſius eſſet auxilium, non requiri. Ex ſententia igitur Concilii Abſolutio ſicut apud Græcos potiſſimùm eſt deprecativa: cùmque acceſſorium ſequatur naturam principalis, ſimpliciter dici poteſt deprecativa: ratione videlicet invocationis Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ ex Concilii Decreto his verbis, *Abſolvo te*, conjungenda eſt. Secundò ponamus verum eſſe, quod tamen rectæ rationis dictamini evidenter repugnat, Principale ſequi debere naturam acceſſorii, remque non eſſe à principali ſed ab acceſſorio denominandam. Dico iterùm, nec ſic formam Latinam à Græca ſubſtantialiter differre, eo quod eadem ſit modi indicativi, & deprecativi poteſtas, & ſignificatio; nec ullo modo ad Sacramenti ſubſtantiam pertinere, indicativè an deprecativè enuntietur, modò Eccleſiæ ſuæ ritum quiſque ſequatur. Quoniam autem propoſitio iſta in re Sacramentaria maximi eſt momenti, nonnulliſque probabilibus argumentis, quæ Abſolutionis ſententiam directè ſpectant, oppugnari poteſt, illius elucidationi immorari, & diligentius incumbere viſum eſt.

CAPUT XIX.

De modorum indicativi, imperativi, & optativi poteſtate, & ſignificandi ratione. Quid ſit verborum modus. Nec Hebræa lingua, nec ejus dialecti habent optativum, & conjunctivum; nec tempus præſens, nec prǫteritum imperfectum, nec pluſquam perfectum. Id variis Grammaticorum Hebræorum teſtimoniis

demonſtratur. De ſignificatione propriu participiorum Benoni, & Pahul. Male Pahul vulgò æſtimatur participium præteritum, cùm ſit præſens paſſivum. Qua ratione Orientales populi Tempus præſens indicativi modi exprimant: Indicativi modi auctoritas, & miſeria maxima, Participii præſentis multò humilior. Participia nec tempus, nec perſonam, nec modum per ſe ſignificant Baptiſmi, & Confirmationis formulæ per participium præſentis temporis enuntiantur. Optativi modi ab indicativo differentia. Apud Græcos optativus pro indicativo ſumitur, & è contra, Imperativus modus ex æquo eſt deprecativus, & imperativus, atque conſultivus. Prima cauſa deprecativè loqui non poteſt, ſed utroque modo miniſterialis. Apoſtoli tribus loquendi modis miracula perpetrarunt, ſic & Dominus noſter. Sacrum. Extremæ unctionis peccata remittit. Orationi remiſſionem peccatorum tribuit ſcriptura.

VErborum modos definiunt Grammatici diverſas inclinationes animi, varios ejus affectus demonſtrantes; Ita Priſcianus *l.8. c. de modis*, & Alcuinus in Grammatica ejus verba mutuatus. Cùm igitur naturales animi affectus exterius exhibeant, eoſdem eſſe ubique gentium demonſtrari videtur: Quæ enim hominibus natura inſevit, nulla regionum intercapedine, nulla cœli intemperie mutantur. Quinque Latini, Græcive ſtatuunt, ſed Hebræi, Syri, Chaldæi, Arabes tres tantum: Optativum enim, & ſubjunctivum non agnoſcunt. Tribus tantùm modis verba ſua inclinant, & variant, in Indicativo, in Imperativo, & futuro: Duos alios aut ex ſenſu, aut adjectione aliarum vocum, aut ex orationis contextu connotant. Idem faciunt in duplici hac cauſa, quod in aliis Græci, & Latini. Nam natura plures quàm quinque modos nobis indidit, veluti hortativum, & interrogativum, qui aut totius orationis complexione, aut aliarum vocularum additione ſignificantur.

II. A recta ratione multò magis alienum videtur id, quod eſt in linguis Orientalibus perpetuum. Verba eorum tempus præſens non habent, nec præteritum imperfectum, nec pluſquàm perfectum. Sed de præſenti, quo nihil eſt homini naturalius, quod cæterorum temporum menſura eſt, à quo veritas omnis pendet, longè major admirationis cauſa. Hebraicè exprimi non poteſt ſimpliciter, & abſolutè, ego facio, ego præcipio. In eo effato explicando tantiſper juvat immorari: facilè mihi perſuadeo rem me facturum Lectoribus non ingratam: poſteà de verborum modis ſecundum Græcos, & Latinos diſſeremus. Hebræi, Chaldæi, Syri, Arabes, dicere non poſſunt, facio, abſolvo, baptizo, & quæcunque ſunt ejuſmodi: Linguarum iſtarum genius non fert iſtas locutiones. Aben Eſra Grammaticorum Hebræorum, quos habemus antiquiſſimus, in libro, quem inſcripſit, מאזני הקדש *lances linguæ ſanctæ*, ubi de participio Benoni verba facit, ita ſcribit, הזמן יתחלק לשלשה עבר ובינוני ועתיד ואין בלשון הקודש סימן לבינוני כאשר ימצא בלשונות אחרות לכן מנהגם כאשר ירצו לספר הזמן הבינוני יערבו דבריהם פעם עבר ופעם עתיד כמו וינועו אמות הספים והבית ימלא עשן וכמוהו יעשו עגל בחורב וכן אז ישיר משה אז היה שר וכן אז היו עושים כך וכך׃ *Tempus in tres partes dividitur, Præteritum, intermedium, & futurum. Nec eſt in lingua ſancta ſignum ſignificationis præſentis, ſive intermediæ, ut invenitur in cæteris linguis. Ideo conſuetudo eorum eſt, cùm volunt enarrare aliquid in tempore præſenti verba ſua miſcere modò in præterito, modò in futuro, Velut, commovebuntur ſuperliminaria cardinum, & domus replebitur fumo. Iſaiæ 6.4. & huic ſimile Pſal. 106.19. Et fecerunt vitulum in Horeb. Sic Exod. 15.1. tunc canet Moſes, id eſt, tunc fuit canens Sic quoque, tunc fuerunt facientes hoc, & hoc modo.* Iterum prope finem libri צחות Elegantiæ, cùm eadem loca retuliſſet ad probandum hæc futura pro præteritis poni, ſtatim addit, גם יתכן לאמר בהם שהם לזמן העומד כדרך יכסה פניו וינועו בעבור כי אין בלשון הקדש סימן לזמן האמצעי ידברו בלשון עבר ועתיד׃ *De his etiam dicere convenit, quod poſita ſunt pro tempore præſenti, ſicut illud velabit faciem ſuam, & commovebuntur, Iſaiæ 6. Nam in lingua ſancta, quia non eſt ſignum, quo ſignificetur tempus medium, ſermo fit per præteritum, & futurum.*

III. R. David Kimhi idem docet in Miclol f. 13. paulò poſt quam finivit tractatum de conſtructione pronominum cum verbis. Adnotat linguæ ſanctæ conſuetudinem eſſe uti præterito pro futuro, & futuro pro præterito, & utroque pro præſente, tantaque eſſe iſtius uſus exempla, ut aliqua commemorare ſit ſupervacaneum. Deinde adnotat iiſdem verbis, quibus Abeneſra, Hebræis non eſſe verba propria præſens tempus ſignificantia, & ideò ut illud denotent modò præteritum uſurpare, modò futurum. אבל בינוני במקום עבר ועתיד לא מצאנוהו ומה שאמר רבי יונה כי ופרעה חולם הוא בינוני במקום עבר אינו אלא בינוני בעצמו ופירושו היה חולם שהיה עומד על היאור *Sed participium præſentis temporis pro præterito, vel futuro non reperimus. Quod enim ait R. Jona, hoc Geneſis 41. v. 1. Et Pharao ſomnians, participium eſſe præſentis temporis pro præterita, illud tantùm eſt per ſe, & propriè participium præſens quod explicatur, fuit ſomnians, quòd ſtabat ſuper fluvium.* Idem monet non minus disertè R. David Aben Jechaias in Grammatica ſua, quam inſcripſit לשון למודים *c. 4. partis 2.* quæ eſt de verbis; & hoc tempus quod, inquit, non eſt apud nos, ut apud Romanos, Hebræam linguam ſupplere modo per præteritum, modo per futurum, quod ex verſu 5. primi capitis Jobi optimè docet, in quo duo verba, unum præteriti temporis, alterum futuri per præteritum imperfectum neceſſariò ſunt exponenda.

IV. R. Jecbutiel *cap. 10.* tertiæ partis Grammaticæ ſic nobis exhibet antiquos Grammaticos de hac re philoſophantes, ואמרו הקדמונים כי לשון הקודש דורך במסלתו טבע מציאות הדברים וכשם שאין זמן הווה כי אם עבר ועתיד בכה יכיעו אמר שאין בלשון הקודש רק חלק עבר וחלק עתיד ואלה שני זמנים עם חלק הצווי שהוראתו גם כן לעתיד אלא שהוא מיד היו סדר למו בבנין הפעלים וחלק הבינוני והפעול והמקור הניחום בשער השמות וקראו לבינוני שם הפועל ולפעול שם הפעול *Dicunt autem antiqui, quòd lingua ſancta incedit ſecundùm viam naturæ, & exiſtentiæ rerum. Et ſicut non eſt tempus præſens, ſed tantùm præteritum, & futurum, ita ſcaturire, & efformari ſermonem, qui in lingua ſancta nihil aliud eſt quàm pars præteriti, & pars futuri. Hæc autem ſunt duo tempora cum ea parte verbi, quæ eſt imperativa, quæ etiam futurum ſignificat, ſed quod ſtatim fieri debet; quibus eſt locus in conjugatione verborum. Partem autem, quæ dicitur Benoni ſive participium præſens activum, & paſſivum, & infinitivum poſuerunt in ordine nominum, vocaveruntque participium præſens nomen verbale, & participium paſſivum nomen Pahul.* Sed poſteriores Grammatici utrique locum dederunt in claſſibus verborum. Poſteà *cap. 12.* ſic explicat vim, & poteſtatem participii præſentis, ſive intermedii, הבינוני מרכב מעבר ועתיד כי אם תאמר ראובן אוכל מורה שכבר התחיל לאכול ומתמיד האכילה לגמור אותה לעתיד׃ *Participium intermedium activum componitur ex præterito, & futuro. Nam ſi dixeris, Rubens, ſive Titius Manducans, ſignificat, quòd jam incœpit manducare, & continuat manducationem, ut eam in futuro perficiat.* Et paulò poſt, והבינוני והפעול לא יגבילו תמיד זמן הוה כי יורד לפעמים על שרש העבר בלתי נשלם ופרעה חולם והנה עמד ויהושע היה לבוש ויורד סתם על הנסתר אמנם במלות עורפות תוכל להשתמש בהם גם לנמצאים ולמדברים בעדם׃ *Participia Benoni, & Pahul non determinant ſemper tempus præſens: Nam aliquando ſignificant præteritum, quod nondum perfectum eſt, ut Gen. 41. v. 1. Pharao ſomnians, & ecce ſtans, & Jehoſuah erat indutus. Zach. 3.3. ſignificant autem ſimpliciter, & abſolutè tertiam perſonam. Attamen cum ſuperadditis particulis poteris iis uti ad ſignificandam ſecundam, & primam perſonam.* Collige obiter errorem omnium Grammaticorum Chriſtianorum cum Hebraica tractant, qui Pahul exiſtimant eſſe participium præteritum paſſivum: Eſt enim participium paſſivum præſentis temporis, ut vides iſtos Rabbinos communi conſenſu tradere. Quin & ipſe Kimhi, qui omnium noſtrorum Grammaticorum Doctor eſt, clariſſimè hoc tradidit, ubi de horum declinatione verba facit, והבינונים על שני דרכים הפועל והפעול׃ *Participia præſentis temporis ſunt duarum ſpecierum Pohel, & Pahul.* Et paulò poſt, ויקרא גם הפעול בינוני כי אם תאמר פעול הוא מורה שהוא פעול בזמן שהוא בין עבר ועתיד שהוא זמן ההווה עתה׃ *Vocatur etiam Pahul Benoni, ſive participium præſentis temporis; Quia ſi dicas, hoc fit, docet id fieri in tempore, quod eſt inter præteritum, & futurum, quod tempus eſt nunc exiſtens.* Latinè hoc participium transferri propriè non poteſt: verba enim paſſiva apud Latinos carent participio præſentis temporis, ſed à Græcis effertur commodiſſimè, ut infra exemplis ad rem pertinentibus docebitur.

V. Interrogabis, & non immeritò, qua ratione Orientales illæ nationes efferunt indicativum modum præſentis temporis? Reſpondeo id facere tribus modis. Primum in contextu orationis junctis antecedentibus cum conſequentibus; Deinde adjunctis quibuſdam particulis orationis. Hęc duo; vel ex iis unum, certa ratione conſtruunt, ut tempus præſens ex futuris, & præteritis, atque etiam ex infinitivis reſultet; ita tamen ut ſæpius in arbitrio legentis ſit ex ſermone colligere tempus præſens, vel præteritum imperfectum. Si hujus rei periculum vis facere, adi Biblia interlinearia Ariæ Montani, quæ tranſlata ſunt verbum è verbo ex Hebræo in Latinum nulla Latinitatis habita ratione. Duæ autem hæ præſens tempus exprimendi rationes ad formas Sacramentorum pertinere non poſſunt, cum ſint ſermonum ambagibus alligatæ, non autem abſolutæ, & de ſermone extraneo exemptæ. Oportet enim ex abrupto incipere, & ſtatim deſinere Abſolvo te, &c. Ba-

ptizo

Digitized by Google

ptizo te, &c. Quæ ſic enunciare Hebræi, Syri, Chaldæi nunquam poſſunt. Tertia ratio, & linguis illis non incognita, quæ propius ad Latinam, & Græcam loquendi phraſim accedit, hæc ſola eſt, per participia activa, vel paſſiva præſentis temporis hæc aſſerre, hoc modo, *Ego abſolvens te à peccatis tuis, &c. Ego baptizans te, &c.* Latini, & Græci ſubaudirent verbum ſubſtantivum præſentis temporis; at omnes illæ dialecti eo carent.

VI. Hujus locutionis exempla nonnulla proferam Iſaiæ 43. *v.* 25. tranſtulit S. Hieronymus, *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas, &c.* Hebraicè, *Ego, ego ipſe delens, &c. &* *v.* 19. *Ecce ego facio nova* Hebraicè, Ecce *Ego faciens nova*. *Eccleſiaſtæ* 4. 5. *Stultus complicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas.* Hebraicè, *Stultus complicans manus ſuas, & conſumens, &c.* Sic capite primo ſæpius. In Pſalmo 46. ter, & decies id videbis uſurpatum. Secundæ *ad Corinth. cap.* 1. *v.* 23. *Ego autem teſtem Deum invoco.* Syrus, *Ego verò Deum teſtans ego*. Ita paulò ante *verſ.* 21. *&* 1. *ad Corinth. cap.* 7. *v.* 25. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* Syrus, *De Virginitate autem præceptum à Deo non tenens ego, conſilium verò dans ego*. Sæpius hoc *cap.* ſimilia leguntur. Sæpè quoque præteritum imperfectum ſignificat, ut *Exodi* 13. 21. *Dominus autem præcedebat eos, ad oſtendendam viam*. Hebraicè, *Et Dominus incedens ante eos, &c.* Ita *cap.* 14. *&* 8. & ſæpiſſimè alibi. Quartus eſt loquendi modus per tempus præſens, qui nonnunquam ab iis uſurpatur. Dictio יש Hebræis, & אית Chaldæis, & Syris, apud Danielem legitur איתי propriè, & per ſe ſignificat *eſt*, vel *es, eſtis* vel *ſunt*, pro ratione conjunctionis. Particula eſt, indeclinabilis utriuſque numeri, & omnium perſonarum 2. *Reg. cap.* 10. *v* 15. *Numquid eſt cor tuum rectum, ſicut cor meum cum corde tuo? Et ait Jonadab, Eſt* Hebraicè · היש את לבבך ישר *Numquid eſt cor tuum rectum, &c.* Et reſpondet יש ויש *Eſt, & eſt*. Proverbiorum *cap.* 14. *v.* 12. *Eſt via, quæ videtur homini juſta*. Hebraicè, יש דרך ישר. *Eſt via recta, &c.* Geneſ. 24. 49. *Si facitis,* אם ישכם עשים *Si eſtis vos facientes*. Proverb. 11. 24. *Alii dividunt,* יש מפזר. *eſt diſpergens*. Chaldæi, & Syri hæc omnia efferunt per particulam ſimilem indeclinabilem · אית quæ ab Hebræa mutato de more ש in ת derivari videtur. Neſcio an Scriptura ſacra hanc particulam cum pronomine primæ perſonæ conjungat, id faciunt aliquando Paraphraſtæ Chaldæi, Quidquid ſit, hic loquendi modus cum præcedente unus eſt, & ſignificare poteſt tantùm id, quòd Latinè dicimus, Ego ſum abſolvens, ego ſum baptizans.

VII. Obiicies. Quid tum? eadem eſt iſtius phraſis poteſtas, quæ Indicativi præſentis primæ perſonæ. Fateor equidem eundem eſſe utriuſque effectum, eundemque intendere utriuſque partis nationes, ſed longè diſpar eſt ſignificandi ratio. Indicativus enim deſpoticus eſt, & αὐθεντίαν ſonat. Ideò Græci, & antiqui Grammatici Latini hunc modum vocant ὁριστικὸν, definitivum, deciſivum, quia, inquit, Theodorus Gaza, διὰ ταύτης ἀποφαινόμενοι ὁρίζομεθα, *per eam demonſtrantes, affirmantes, definimus*. Sed loquendi modus per participium multò eſt modeſtior, humilior, depreſſior. Participia enim per ſe non ſignificant perſonam, nec modum, ſed eorum ſignificatio vaſta eſt, & indefinita. Unde rectè Soſipater, Chariſius, *Participia ſemper generaliter non ſpecialiter, feruntur. Nunquam enim certam perſonam notant*: Et Priſcianus ait, *Accidentia verbi habere abſque diſcretione perſonarum, & modorum*. Perſonas autem, & modos à verbis conjunctis mutuantur: R. Jechajas jam ſupra citatus *cap.* 5. partis ſecundæ rectè mihi videtur præcedentibus Grammaticis addere in participiis nec eſſe temporis diſcretionem, כבר הודעתיך שאין כל שוננו שמוש יורה בעצם על החלק הבינוני מהזמן והסבה בזה היא לחכמה אחרת אבל הניחו שמות הפועלים והפעולים להורות על השמוש הזה עם היות שמו שם בלתי מגבל כי כשתאמר ראובן אוכל הנה לא יובן מזה הדבור כמו שכתב הרמב״ם ז״ל בפנ׳ מלות ההגיון אם ראובן הוא אוכל עתה או היה אוכל במה שעבר או יהיה במה שעתיד ולזאת הסבה תמצא מפרשי הכתוב יוסיפו דבור המציאות עמהם בבואם בכתוב כי ארב״ע כתב ושרה היתה שומעת ופרעה חולם היתה חולם וכן בזולתם *Jam monui te, & notum tibi feci non eſſe in lingua noſtra dictionis miniſterium ſignificans per ſe, & propriè partem temporis intermedii; cujus rei cauſam reddere ad aliam ſcientiam pertinet, ſed illius loco ponunt participia Pohel, & Pahul, ut illam ſignificationem uſurpent, eo quòd eſt indeterminata. Nam cùm dicis, Titius manducans, non intelligitur ex eo ſermone, ut ſcribit Rambam cap. 3. de terminis logicis, ſi Titius manducans eſt nunc, aut in tempore præterito, aut in futuro. Propter hanc cauſam deprehendes Scripturæ Interpretes, cùm ea in Scriptura occurrunt iis addere aliquid quo rei exiſtentia, & præſentia denotetur, ut Abenesdra in cap. 18. Geneſ. verſ. 10. & audiens Sara, erat audiens Sara, Geneſ. 41 v. 1. & Pharao ſomnians, erat Pharao ſomnians, &c.* Reverà ſi quis attentè conſiderat vim participiorum, quæ dicuntur præſentis temporis, deprehendet eſſe prorsus indefinitam. Significant equidem actionem formaliter, ut eſt in fieri, ſed reſpectu temporis quo eſt in fieri indeterminatè id eſt, vel quæ nunc ſit in fieri, vel quæ fuit in fieri, vel quæ erit. Determinatur autem vel à verbo ſubſtantivo, quod adeſt, vel ſubauditur, vel ab aliis ſermonis circumſtantiis. Prius conſideravit R. Kimhi; poſterius alii Rabbini. Cùm igitur participia illa nec tempus, nec perſonam, nec modum verbi ſpecialiter denotent, eorum ſignificatio imperioſa non eſt, ut Indicativi modi, præſertim primæ perſonæ. Ideò Græci in rebus ſacris, aut quæ ad ſacra pertinent, hanc locutionem fugiunt; nec hanc modo, ſed eam, quæ enuntiatur per tertiam perſonam verbi activi, ne Miniſter principalitatem in cauſis ſibi arrogare videatur, & utriuſque loco tertiam perſonam verbi paſſivi uſurpant, ut prius neceſſariò intelligatur prima cauſa, & poſterius Miniſter. Quapropter ut videre eſt in eorum Euchologiis dicunt ſemper, baptizatur, ungitur, coronatur. Tandem ut compendio dicam, ex dictis manifeſtum videtur modum illum loquendi αὐτοπροσωπικὸν, ϗ αὐθεντικὸν abſolvo te, &c. in iis gentibus, apud quas ſacramenta primùm inſtituta ſunt, non modò uſurpatum non fuiſſe, ſed ne uſurpari quidē potuiſſe.

VIII. Inſtabis: Ergone nationes illæ hoc emphatico ſeſe enuntiandi modo privatæ ſunt? Minimè, ſed aliis phraſibus efficaciſſimis id efficiunt. Aliquando id præſtant per pleonaſmum, ſive ἀναδίπλωσιν tam cum participio quàm cum verborum modis, ut Iſaiæ 43. 25. *Ego ſum, ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas*. In Hebræo de more verbum ſubſtantivum abeſt. *Ezech.* 34. 11. *Ecce ego, ego, & requiram pecudes meas*. Et *ibid. cap.* 33. 11. *Vivens ego, dicit Dominus Deus, ſi voluero mortem impii*, hoc eſt, Nolo mortem impii. Mors impii mihi non placet. Oſeæ 5. 14. *Ego, Ego capiam, & vadam, tollam, & non eſt qui eruat*. Aliquando exhortatione, & circumſtantiarum expreſſione 2. *Reg. cap.* 13. 28. Sic Abſalom ſervis ſuis, *Percutite eum, & interficite, nolite timere: Ego enim ſum, qui præcipio vobis, roboremini, & eſtote viri fortes*. Sæpiſſimè id præſtant per Imperativum. Multi alii modi paſſim apud eos occurrunt, quibus auctoritatem illam & αὐθεντίαν primæ perſonæ indicativi modi non modò adumbrant, ſed etiam luculenter exprimunt. Sed propria, & directa quam nonnulli tantopere urgent, ipſorum dialectis convenire non poteſt.

IX. Verùm gentes illæ nuſquam leguntur in Sacramentorum adminiſtratione ejuſmodi phraſes deſpoticas uſurpaſſe. Abſolvunt, ſed tantum precantes: Si vellent Latinorum more id præſtare, non aliter poſſent quàm id per participium enuntiando. Formulam baptiſmi, quæ Græcis, & Latinis eſt indicativi modi, non aliter efferunt, ut ex antiquo manuſcripto Syriaco ritus baptiſmi continente ſecundùm ordinem à Severo Patriarcha Antiocheno præſcriptum, excerpſi, Sic enim codex inſcribebatur, *In virtute ſanctæ Trinitatis incipimus ſcribere ordinem baptiſmi diligenter correctum ſecundùm correctionem domini Severi Patriarchæ Antiocheni*. Vulgò tribuitur hoc opus Severo Alexandrino. Neſcio, an aliquis unquam fuerit iſtius nominis Alexandrinus Patriarcha Deinde quid Alexandrinis, & Ægyptiis cum lingua Syra: Græcè, & Ægyptiacè, ſive Copticè erat cum iis agendum. Sed ad lineas noſtras dimicandum. His verbis baptiſmi formula continetur. ומהדא מאחד להון למעמודיתא ומאם אידה דימינא על רישה דהו דעמד ואשד מיא בכסלה על רישה תלת זבנין ואמר עמד פלן בשמא דאבא אמין ודברא אמין ודרוחא קדישא לחיא דעלמא עלמין והידין מאסק לה מן מיא ויהב לה לשושבינה: *Et continuò ducit eos, in baptiſterium, & imponit manum ſuam dexteram ſuper caput ejus, qui baptizatur, & effundit aquam cum ſiaſtra ſuper illius caput tribus vicibus, & dicit, baptizatur talis in nomine Patris, amen, & Filii, amen, & Spiritus Sanctus in vitam ſeculi ſeculorum. Et tunc educit eam ex aquis, & dat eum ſuſceptori ſuo*.

X. Tranſtulimus, *baptizatur talis*, quia Latinè expreſſius participium Benoni paſſivæ ſignificationis dici non poteſt: Carent enim Latini participiis paſſivis præſentibus. Græci poſſunt commodè eadem phraſi hæc verba efferre, βαπτιζόμενος ὁ δεῖνα. Simili verborum penuria laborarunt Syri qua Latini. Nam certum eſt, Syros Græcam baptizandi formulam amplecti, βαπτίζεται ὁ δεῖνα, *baptizatur talis*. Sed cùm hoc nullo modo efferre poſſint, id quod ad iſtam loquendi formulam apud eos proximè accedit, elegerunt, participium præſens paſſivæ ſignificationis. Apud Syros verbum עמד in conjungatione Kal neutrum eſt, & in conjugatione Aphel fit activum, אעמד baptizavit, Sequitur in eodem manuſcripto paulò poſt forma Confirmationis: Nam ut Græci ſtatim, & continua actione poſt baptiſmum confirmant,

Digitized by Google

mant, מורן קדישא דיהא בסימא ומשיחא טבעא דחושבנותא שרירתא ושימלי רשובנא דרוחא קדישא טמטבע בשמא דאבא אמן וברא אמן ורוחא קדישא לחיא דעלמא עלמין *Chriſmate ſancto, odore ſuavi Chriſti, ſigunculo fidei veræ, & perfectione donorum Spiritus Sanctus conſignatur in nomine Patris Amen, & Filii Amen, & Spiritus Sancti in vitam ſeculi ſeculorum.* Idem dicendum quod de participio in baptiſmi forma. Participium eſt paſſivum præſentis temporis σφραγιζόμενος; omittitur in codice *talis* פלון Eadem loquendi ratio in rebus ſimilibus obſervata eſt in eodem codice, ut videre potes in iſtius ritus Latina translatione, quæ proſtat *tit.* 5. Bibliothecæ Patrum. De his rebus ſecundùm linguam Hebræam, ejuſque dialectos iſta ſufficiant.

XI. Modus verborum indicativus in ſe ſpectatus ab optativo plurimùm differt. Indicativus enim paſſionem, & actionem ſimpliciter enunciat pro ratione indicationis, præſentem, præteritam, aut futuram. Hinc à Latinis nomen ſortitur. Indicat enim rem eſſe animo deliberatam, & conſtitutam, jamque agi, aut actam eſſe, aut agendam. Sed dimiſſis temporibus præterito, & futuro de præſenti tantùm nobis ſermo eſt. Græci vim modi iſtius expreſſius docent, quum eum vocant ὁριστικόν, definitivum. Rem enim animo ratam, & definitam jam fieri demonſtrat, qui ſic loquitur, lego, curro, Petrus docet. Diomedes antiquus Grammaticus Latinus, eum vocat Græcorum more finitivum. Teſtatur etiam à nonnullis appellari indicativum, quoniam eo indicamus, & pronuntiativum, quo pronuntiamus. Eodem modo in Grammatica ſua Alcuinus, Cledonius, & alii Grammatici. Optativus, ut nomen connotat, rei definitæ actionem non enuntiat, ſed ſolùm actionis deſiderium. Scribit Diomodes Grammaticus eum uſurpari, cùm precibus à diis aliquid poſcitur; & Priſcianus, Inferioris eſſe hunc modum, ideò poſt imperativum collocari. Quapropter modus indicativus planè eſt deprecationi ineptus: Rem enim jam fieri indicat. Deprecatio verò rem nondum eſſe ratam, & definitam ſignificat, nedum inceptam. Ideò rectè Diomedes negat modum optativum habere tempus præſens: *Neceſſe eſt enim omnium conſenſu in futurum optemus. Nonnulli verò admittunt, quòd nimis videtur abſurdum, quoniam nemo optat quod habet, ſed ut habeat, &c.*

XII. Dixi modum indicativum eſſe deprecationi ineptum: Hoc equidem verum eſt, ſi diligenter attendatur ipſius ſignificatio. Sed hoc non impedit, quin docti ipſi aliquando verborum modis, & temporibus abutantur. Duobus modis indicativo Græci utuntur pro optativo. Primò indicativum abſolutè pro optativo ponentes. Uſus ille rarus eſt, deprehenditur tamen. Secundò, Indicativum adverbiis optandi conjungentes, quorum ope indicativa ſignificatio in optativam commutatur. Et hoc fit frequentius. Priſcianus utrumque notavit *l.* 18. & poſteriùs duobus exemplis ab Homero petitis demonſtravit. Addit poſteà, *Græci quidem, maximè Attici etiam ſine deprecatione* (id eſt, ſine adverbiis optandi) *ſolent hoc modo, id eſt, optativo uti pro indicativo: Nos verò minimè, quamvis ſimiles ſint ejus voces ſubjunctivi vocibus, quibus frequentiſſimè pro indicativis utuntur Auctores noſtri.* Sed ſæpiùs optativus apud Græcos pro indicativo accipitur, ut notant Græcorum Grammatici. Latinis, ut rectè notat Priſcianus, hoc nunquam contingit. Verùm Hebræis, Syris, & aliis nationibus dialecto Hebræa utentibus hoc perpetuum eſt. Cùm enim animi affectus apud omnes nationes iidem ſint, neceſſe eſt, ut quoties optant, indicativo, aut ſaltem imperativo utantur.

XIII. Imperativi modi longè diverſa eſt ratio: licèt enim ab imperio denominetur, ex uſu tamen omnium gentium ex æquo imperativus eſt, & deprecativus. Imperativus autem dicitur non deprecativus, quòd in hoc tantùm modo loquimur imperantes, cùm verò deprecamur, nobis præſto ſunt, præter imperativum optativus modus, & nonnullæ aliæ loquendi formulæ. Priſcianus *lib.* 8. *Solemus tamen non ſolùm imperantes, ſed etiam orantes ſæpiſſimè eo uti, ut Virgilius in* 1. *Æneid. Muſa mihi cauſas memora, quo numine læſo. Idem in* 9. *Vos ô Calliope precor aſpirate canenti.* Et *libro* 18. reprehendit eos, qui univerſaliter dixerant verba imperativa ad ſubjectos ab Eminentioribus dici, *Quod inquit, minimè eſt verùm; cùm etiam ad deos frequentiſſimè imperativo modo in ſupplicationibus, & invocationibus utamur, & ad reges quoque, & Imperatores, Ut Muſa mihi cauſas memora, & Pandite nunc Helicona deæ, cantuſque movete. Ergo multò aptius eſt eo, uti ad pares, cùm ad excellentiores tam in frequenti ſit uſu.* Idem cenſet, & probat Alcuinus.

XIV. Res eſt per ſe clara, & evidens, & auctorum tum prophanorum, cùm ſacrorum innumeris teſtimoniis conſtans: Sic Virgil. *Georg.* 4. Mæcenatem alloquitur, *Hunc etiam Mæcenas aſpice partem.* Et *Æneid. lib.* 1. fingitur Juno Æolum deprecans, *Ad quem tum Juno ſupplex his vocibus uſa eſt.* Quibus autem verbis ſupplicat? omnibus ſecundùm Grammaticam imperativis,

Incute vim ventis, ſubmerſaſque obrue puppes;
Aut age diverſas, & disjice corpora Ponto.

Turnus certamine ab Ænea victus, ſoloque proſtratus, atque in miſerabiles preces effuſus, *Ille humilis, ſuplex, oculos, dextramque precantem, protendens,* ſic Æneam affatur, *Et me ſeu corpus ſpoliatum Lumine mavis, Redde meis, &c. Ulterius ne tende odiis.* Sic orationum Eccleſiaſticarum maxima pars imperativo modo ad Deum dirigitur: nec tantùm cùm additur, *Quæſumus*, ſed ſæpiſſimè hoc non addito, nec ullo alio deprecandi verbo, ut in die Paſchali oratio prima, *Deus qui hodierna die per unigenitum tuum æternitatis nobis aditum devicta morte reſeraſti, vota noſtra, quæ præveniendo aſpiras, etiam adjuvando proſequere. Per.* Sic & tertia, ſive poſtcommunio. In die Natalis Domini, ſecreta, *Oblata, Domine, munera, nova unigeniti tui nativitate ſanctifica, noſque à peccatorum noſtrorum maculis emunda. Per* Orationes ejuſmodi omnes longum eſſet enumerare. Quis ita & rationis, & ſui oblitus dicat Eccleſiam Deum non deprecari, ſed Deo imperare? Litaniæ omnes Eccleſiaſticæ hujus rei argumenta ſunt. Humillima illa Davidis ad Deum oratio, quæ Pſalmus eſt 50. omnibus notiſſimus decies, & quinquies ſermonem imperativè ad Deum dirigit. Notavit hoc R. Jekutiel Grammaticæ *part.* 3. *cap.* 11. & 13. atque aliquid amplius, ויש מהם שבאים דרך תפילה ובקשה תחטאני באזוב ואטהר וכל אותו המזמור ויש מהם לצווי את חג המצות תשמור ודרך עצה ועשה פרעה ויפקד פקדים *Nonnulla ex iis* (futuris) *ſumuntur pro oratione, & deprecatione. Pſal.* 51. 9. *Purificabis me hyſſopo, & mundabor, & univerſus ille ſermo. Nonnulla ex iis pro Imperativo. Exod.* 23. 14. *Solemnitatem Azymorum cuſtodies. Nonnulla pro conſilium dare, Geneſ.* 41. 34. *Faciat Pharao, & conſtituat Præfectos, &c.* Capite verò 13. ויש צווי במקום עתיד שים קנך ודרך תחנה ובקשה שמע יי׳ קולי ארקא וחנני ועננני *Sumitur quoque Imperativus loco futuri, Obadiæ v.* 4. *Pone nidum tuum, Et in modum ſupplicationis, & deprecationis. Pſalmo* 27. *verſ.* 7. *Audi, Domine, vocem meam, clamabo, & miſerere mei, & exaudi me.* Quis cætera ſcripturæ ſacræ exempla enumeret, quum nihil ſit ea Imperativi acceptione frequentius? Immò pueri hoc quotidie docentur. Sic enim Deſpauterii rudimenta, ubi de verbo: *Imperativus etiam deprecativus dicitur, quia per ipſum aliquid deprecamur, ut miſerere mei, Deus.*

XV. Ideò rectè adnotavit Salmeron *to.* 4. *p.* 3. *tract.* 11. In ſcriptura, *Non ſemper verba Imperativi modi vim habere præcipiendi, ſed etiam conſulendi, & adhortandi, & obſecrandi: Sic enim dictum eſt, Ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & Pallium: & quicunque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo. Immò interdum permiſſiva eſt, vox imperativa, ut quod dictum eſt Judæ, Quod facis, fac citius.* Sed deprecativa ſignificatio eſt frequentiſſima, conſultiva quoque frequens eſt, immò videtur huic modo quaſi naturalis. Cum enim quis conſulit alteri, ſive ſuperiori, ſive æquali, ſive inferiori, quo alio verbi modo id recta, ingenuè, & propriè facere poteſt, quàm imperativo? Daniel *cap.* 4. Prophetiæ ſuæ regi Nabuchodonoſor conſilium dat, *Quamobrem rex Conſilium meum placeat tibi.* Quibus verbis illud exprimit? *Peccata tua eleemoſynis redime, &c.* Joſeph *Geneſ.* 41. explicato ſomnio Pharaonis illi conſulit, qua ratione futuræ fami providere poſſit. Quibus verbis? *Provideat rex virum ſapientem, & induſtrium, & præficiat eum terræ Ægypti, &c. Placuit Pharaoni conſilium.* Jethro Moſis ſocer *Exodi* 18. *Audi verba mea, atque conſilia, & Deus erit tecum.* Quo verbi modo illa enuntiat? *Eſto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, &c. oſtendaſque populo ceremonias, &c. Provide autem de omni plebe viros potentes, &c. & conſtitue ex eis Tribunos, &c.* Innumera ſunt apud quoſcunque auctores ejuſmodi exempla, & vix alio modo loquitur, qui conſulit. Varii ſunt igitur animi affectus, quos homines demonſtrare ſolent per modum verbi, qui Imperativus vulgò dicitur. Sed cæteris relictis, duos tantùm hic ſpectamus, Imperativum, & deprecativum. Prior rem deliberatam ſignificat, illiuſque auctorem principalem accingentem, & accelerantem Miniſtrum ad rei deliberatæ executionem. Poſterior, rem nondum decretam, & Miniſtrum ut definiatur, & executioni mandetur, deprecantem.

XVI. Ex iis, quæ dicta ſunt, colligitur, cauſam principalem, à cujus arbitrio effectus pendet, loqui poſſe convenienter, & propriè ad effectus productionem per modum indicativum, vel imperativum, non autem per optativum, aut verba, particulaſve deprecativas. Quis enim deprecatur, ut fiat quòd à nudo ipſius arbitrio pendet? Poteſt quidem optare, aut deprecari, ut occaſio, aut opportunitas effectus producendi ſeſe offerat: quoniam forſan occaſio, & opportunitas in ipſius poteſtate non ſunt. Fruſtra

enim

Digitized by Google

enim ab alio quærit, quod habet apud ſe, & in poteſtate ſua: multò minùs ab alio humilis, & ſupplex id poſtulat. Sed cauſæ miniſterialis à principali dependentis longè alia ratio eſt: tribus enim modis de effectu producendo loqui poteſt, indicativè, imperativè, & optativè. Quia enim cauſa eſt; indicativo modo effectus productionem efferre poteſt. Quia verò non à ſe ſola, ſed à cauſa principali potiſſimùm pendet effectus, quem cooperatione ſua producit, deprecatoriè, id eſt, optativè, aut imperativè de actione ſua poteſt loqui. Hoc poſterius præcipuè locum habet, cùm cauſa ſecunda eſt purum inſtrumentum cauſæ primæ ab ea ſpontè aſſumptum ad effectum producendum, quem ſola nullo modo producere poteſt. Quum enim deprecatur cauſam principalem, ſe inſtrumentalem eſſe teſtatur, & primatiæ laudem, & gloriam tribuit.

XVII. Trium iſtorum loquendi modorum à cauſis ſecundis, & inſtrumentalibus uſurpatotum multa nobis exempla ſuppeditat ſcriptura ſacra. Apoſtoli, virique ſancti miraculorum cauſæ fuerunt ſecundæ, & inſtrumentales; Deus verò cauſa principalis. Apoſtoli verò virique ſancti miracula patrantes tribus illis modis locuti ſunt, modò unum, modò alterum uſurpantes, modò unum cum altero conjungentes, *Act.*28.8. S. Paulus Publii cujuſdam Magnatis patrem dyſſenteria laborantem oratione ſanavit. *Ad quem Paulus intravit, & cùm oraſſet, & impoſuiſſet ei manus, ſalvavit eum.* Petrus verò, & Joannes, idem faciunt imperando *act.*3. *In nomine Jeſu Chriſti Nazareni, Surge, & ambula. Act.*14.9. Cùm Paulus quendam ab utero matris claudum videret fide præditum, *dixit magna voce, ſurge ſuper pedes tuos rectus, & exilivit, & ambulabat*, Indicativo quoque modo in eundem effectum imperans *Act.*16.18.ſic Dæmonem ejicit, *Præcipio tibi in nomine Jeſu Chriſti exire ab ea, & exiit eadem hora.* Et *Actor.*20. Adoleſcentem mortuum ſic loquens ſuſcitat, *Incubuit ſuper eum, & complexus dixit, Nolite turbari, anima enim ipſius in ipſo eſt.* Nonnunquam modum unum cum altero conjunxerunt, ut *Act.*9. de Petro Tabitham ſuſcitaturo dicitur, *Petrus ponens genua oravit, & converſus ad corpus dixit, Tabitha ſurge, &c.* Paulò ante hoc miraculum aliud patraverat indicativo tertiæ perſonæ ad Deum relatæ utens, & ſimul imperativo, *Ænea, ſanat te Dominus Jeſus Chriſtus. Surge, & ſterne tibi. Et continuò ſurrexit.*

XVIII. Sic Apoſtoli, & poſt eos viri Sancti alii miracula ediderunt, & poteſtatem à Chriſto ſibi datam executi ſunt. His verbis data fuerat illis hæc poteſtas *Matth.*10. *Euntes prædicate dicentes, quia appropinquavit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos ſuſcitare, leproſos mundate, Dæmones ejicite*: Et *Marci* 3. *Dedit illis poteſtatem curandi infirmitates, & ejiciendi dæmonia.* Eadem poteſtatis traditio repetitur, *Luc.* 10. & Diſcipuli ad Chriſtum redeuntes cum gaudio illi dicebant, *Domine, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo.* Nunquam verbis expreſſioribus dedit Chriſtus poteſtatem diſcipulis peccata remittendi, ut manifeſtum eſt. Sicut igitur Apoſtoli quocunque iſtorum modorum miracula patrarent, effectus ſequebatur, & miraculorum veræ cauſæ inſtrumentales erant, verèque dixerunt dæmonia ſibi ſubjici: Atque etiam nunc viri Sancti miraculorum cauſæ ab omnibus habentur, ſive oratione ad Deum fuſa, ſive indicativo utantur, ſanat te Deus, ſive imperativo, ſive indicativo primæ perſonæ, ſano te; ſed propter modeſtiam rara mihi videtur poſtrema hæc formula. Sic etiam quocunque horum modorum Sacerdotes abſolvant, verè abſolvunt, & dici poſſunt Abſolutionis, & remiſſionis peccatorum veræ cauſæ poteſtate à Chriſto ſibi tradita in peccatoris juſtificationem efficaciter influentes. Hujus rei cauſa eſt, ut explicavimus, cauſæ inſtrumentalis natura, quæ omnes illos modos, & præcipuè deprecativum patitur, qui cauſæ primæ, & abſolutè independenti nullo modo convenire poteſt.

XIX. Hoc maximè confirmatur exemplo Domini Noſtri Jeſu Chriſti, cui licet omnis poteſtas à Patre data eſſet in cœlo, & in terra, omniaque pro imperio, quæ libuiſſet agere poſſet, quia tamen ſecundùm naturam humanam non erat cauſa primaria miraculorum, ſed inſtrumentum divinitati conjunctum, per quam Deus miracula edebat, ſæpè miracula facturus oratione ad Deum Patrem ſuum utebatur. Sic in Lazari Reſurrectione quam tot Patres remiſſionis peccatorum exemplar proponunt, Deum ut illum exaudiat, attentè precatur. *Jeſus autem elevatis ſurſum oculis, dixit, Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me: Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis, ſed propter populum, qui circumſtat, dixi, ut credant quia tu me miſiſti.* Poſteà clamat, Lazare veni foras. *Matth.*8.*verſ.*13. Centurio cum pro filii curatione rogat, Reſpondet Chriſtus, *Ego veniam, & curabo eum.* Qua ratione videns Centurionis fidem, *Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi.* Orationis verba ſunt: neceſſariò enim ſubauditur à Deo. Sive igitur imperativè, ſive optativè interpreteris, *fiat*, eodem recidit. Eadem eſt ratio ſanationis cæcorum *Matth.* 9. 29. *Tunc tetigit oculos eorum dicens, ſecundùm fidem veſtram fiat vobis*, & ſanationis filiæ mulieris Chananeæ *Matth.* 15.28. *Magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis.* In miraculis multiplicationis panum oratione uſus eſt, *Matth.* 14.19. *Acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus, aſpiciens in cælum benedixit, & fregit, &c.* Ita *Marci* 8. & *Joann.* 6. Nonnunquam quoque imperio ſanavit, ut Leproſum *Lucæ* 5.13. *Extendens manum tetigit eum, dicens, volo, mundare. Et confeſtim lepra diſceſſit ab illo.* Et Paralyticum *Joann.*5.8. *Dixit ei Jeſus; ſurge, tolle grabatum tuum, & ambula, & ſtatim ſanus factus eſt homo ille.* Et habentem manum aridam *Matth.*12.13. *Extende manum tuam, &c.* Nonnunquam ſanavit tangendo tantùm nihil dicendo. Sic Socrum Petri *Matth.* 8. 15. *Tetigit manum ejus, & dimiſit eam febris.* Et *Matth.*20.34. in cæcorum curatione nihil ſimiliter dixit, tactu contentus. Aliàs non modò nihil dixit, ſed ne tetigit quidem ipſe, ſed eum infirmi tetigerunt, ut *Lucæ* 8. mulier fluxu ſanguinis laborans, & multi alii *Matth.* 14. Denique peccata ſanatis remittens indicativo quidem utitur, ſed verbo tertiæ perſonæ paſſivo, non activo primæ perſonæ, ne ſibi præcipuam remiſſionis peccatorum auctoritatem tribueret, ſed in Deum refunderet. Sic *Matth.*9. dicit Paralytico, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

XX. Nota primum Lector circumſtantes Judæos ex hac loquendi formula ſtatim collegiſſe Chriſtum ſibi remittendi peccata poteſtatem attribuere; Dixerunt enim ſcribæ intra ſe, *hic blaſphemat.* Secundò Chriſtum hac loquendi formula eorum collectionem approbaſſe. Probat enim miraculo ſibi auctoritatem remittendi peccata eſſe conceſſam, *Quid eſt faciliùs dicere, remittuntur tibi peccata, An dicere: Surge, & ambula. Ut autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, Tunc ait Paralytico, ſurge, tolle lectum tuum, &c.* Tertiò, ex hac formula viros bonos, plebemque promiſcuam concluſiſſe Chriſtum habere quidem poteſtatem illam, ſed à Deo communicatam, *Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificaverunt Deum qui dedit talem poteſtatem hominibus.* Huc refer nonnulla S. Chryſoſtomi, & Jobii auctoris antiqui teſtimonia, quæ capite ſequente enarrantur. Illis enim iſta plurimùm illuſtrantur. Ex his tribus notis evidenter, & neceſſariò conſequitur, ex hac formula *remittuntur tibi peccata*, Eum, qui illam pronuntiat, poteſtatem remittendi peccata ſibi à Deo traditam profiteri, & conſequenter nullo modo neceſſarium eſſe ad hoc profitendum formulam in prima perſona indicativa efferre, *Remitto tibi peccata tua.* Idem omninò colligitur ex peccatorum remiſſione, quam S. Magdalenæ Chriſtus indulget, *Luc.*7.48. Sic enim eam alloquitur, *Remittuntur tibi peccata*: Similiter quoque ex his verbis Judæi circumſtantes colligebant, Chriſtum ſibi poteſtatem peccata dimittendi vindicare, *Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit?*

XXI. Rem eandem Sacramentaliter, ut ajunt, oratione præſtari, clariſſimè, & κατ' λέξιν nos docet S. Jacobus *cap.* 5. ubi jubet, Presbyteros Eccleſiæ infirmum oleo ungere, & ſuper eum deprecari, *Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* En orationis in Sacramento duplex effectus, infirmum ſanare, & peccata remittere. Oratione igitur Sacramentali peccata remittuntur, & principaliter. Quis enim dixerit ſanitatem corporis non animæ, præcipuum eſſe Extremæ unctionis effectum? Cùm igitur acceſſorium ſequatur naturam principalis, non è contra, nullo modo videtur propter ſanitatis corporalis recuperationem poſthabita ſpiritali, modus indicativus in deprecativum mutandus. Sed è contra potuit, & debuit modus ſanitati corporali recuperandæ aptus mutari in modum ſanitati ſpiritali recuperandæ convenientem: aut ne alterutri fieret injuria, uterque debuit uſurpari. Sed huic interpretationi nullus locus eſſe poteſt in verbis ſequentibus, quæ deprecatorium Confeſſione ſimpliciter loquuntur, *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem ut ſalvemini.* Deinde multis virtutem orationis exaggerat. De hoc teſtimonio jam alio loco ſatis.

XXII. Hunc loquendi modum ex antiquæ Scripturæ ſacræ conſuetudine mutuatus eſt Sanctus Jacobus, quæ remiſſionem peccatorum orationi tribuere ſolet, ut *Levit.*5. 18. de Sacerdote dicitur. *Qui orabit pro eo, quia neſciens fecit, & dimittetur ei, quia per errorem deliquit in Dominum.* Ita *Levit.*12 7. & 14. 53. & 19.22. *Orabitque pro eo Sacerdos, & pro peccato ejus coram Domino, & repropitiabitur ei, dimittetúrque peccatum.* Inde dictum Heli Sacerdotis filios increpantis velut ex trito Sermone deſumptum 1. *Reg.cap* 2.25. *Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Deus. Si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Hinc & ſæpiùs Deus Hieremiæ prohibet, ne pro filiis Iſrae depre-

deprecetur. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi quia non exaudiam.* Antiqui autem Patres, Tertullianus, Cyprianus, Pacianus, Ambroſius, & alii, hæc & ſimilia teſtimonia de peccatorum remiſſionem Sacramento Pœnitentiæ interpretati ſunt. Sic etiam Hæretici Montaniſtæ, & Novatiani. Erat commune axioma utriuſque partis, nec unquam Catholici Hæreticis hæc teſtimonia opponentibus, ut probarent quædam peccata eſſe irremiſſibilia, reſponderunt in Pœnitentiæ actione peccata oratione non remitti, & ea conſequenter ad rem non facere. Enarrata hæc teſtimonia lege ſupra *cap. quinto*.

XXIII. Hoc vidit, & docuit Gabriel Vaſquez *diſputat. in 3. partem* S. Thomæ *tom. 4. quæſt. 8. art. 3. dub. 3.* Ubi cenſet miracula, & indicativo modo, & deprecativo æquè fieri poſſe, & facientem hoc vel illo modo cauſam dici poſſe: Similiter abſolvi aliquem poſſe, & indicativo, & deprecativo modo, & alterutro modo abſolventem verè dici abſolvere, & poteſtatem abſolvendi exercere, quidquid in contrarium dixerit Sanctus Thomas. Cujus rationem tradit optimam, & veram. Quod enim aliquis faciat miracula, aut abſolvat, hoc non habet à forma indicativa, vel deprecativa: Illa enim verba, ſano te, vel ſanet te Deus; Abſolvo te, vel abſolvat te Deus ſanitatem, & remiſſionem peccatorum non efficiunt, ſed libera Dei voluntas, quæ huic vel illi formæ, vel utrique poteſtatem ſanitatis, & remiſſionis peccatorum hominibus traditam ſic efferri voluit; ideò exploſis omnibus aliorum rationibus, tandem colligit, *Eſt ergo mihi hoc unicum argumentum Eccleſiæ antiqua, & conſtans traditio, tam in hoc quàm in Extremæ unctionis Sacramento, ut hujus indicativa ſemper fuerit, illius verò deprecativa.* Optimum ſanè, & verè Catholicum argumentum. Sed antiquam eſſe traditionem ne leviſſima quidem auctoritate demonſtrat. Hnc oblivionem paſſus non omiſit vir diligens, ſed quia nulla illi præſto erat auctoritas. Cùm oullum haberet ab antiquitate, de præſumpta traditione argumentum, duo ex antiquitate deprompta argumenta traditioni præſumptæ contraria ſibi ſolvenda proponit; uoum à S. Leone, alterum à S. Hieronymo petitum, quibus diſertiſſimè abſolutio peccatorum orationi tribuitur. Sed reſpondet Abſolutionem ſic vocari, *Non quia per modum deprecationis proferatur, ſed quia locum habet orationis, cùm ſtatim præſto adſit divina Majeſtas verbis ſui Miniſtri operans remiſſionem peccatorum.* Ex iſto reſponſo ſequitur effectum Sacramenti magis orationi convenire quàm ſermoni indicativo, cùm indicativus ſermo dicatur oratio, eo quòd orationis inſtar operetur. Similiter Petrus Arcudius poſtquam omnem lapidem movit, ut demonſtraret Abſolutionem deprecativam non valere, tandem rationibus quas ſibi obiicit convictus, fatetur hujus rei ſolam cauſam eſſe Eccleſiæ traditionem, cui tamen repugnare ait antiquam, & recentem Græcorum praxim. De auctoris iſtius ſententia infra pluribus agetur.

CAPUT XX.

Rntiones oruntur propter quas Miniſter Dei non autem principum, ſententiam deprecativè pronuntiare poteſt. Certus eſt effectus orationis quam Sacerdos facit Eccleſiæ nomine. Sacerdos Medicus, & Judex. Medico, præſertim ſpirituali, non repugnat per orationem ſanare. Vulgata iſtius formulæ, Abſolvo te, interpretatio expenditur. Judicum maxima dignitas ſententias ſuas Principis ſolo nomine edito pronuntiare. Sic & Angeli à Deo delegati nomen Dei inſſumunt. Quare nec hoc modo, nec imperativo, nec indicativo uſa eſt Eccleſia peccata remittens. Oratio cauſam primam, & miniſterialem perfectè denotat. Alia ratio ex variis S. Chryſoſtomi locis explicatur. Unde judicialis hæc formula, Abſolvo te, originem cæpit. Romanos judices ſententias ſuas formulis admodum modeſtis ſæpiùs pronuntiaſſe demonſtratur.

MUltis præſtò erunt objectiones duæ, quæ facilè diſſolvuntur. Prior ab orationis eventu dubio petitur, quàm incerti ſum us ſi effectum conſequatur, cùm nihil actu ponat, ut modus indicativus. Rectè reſpondet huic objectioni Albertus Magnus *in 4. diſt. 23. art. 4.* ubi de Extrema unctione verba facit, *Eccleſiæ orationes certas eſſe, licèt particulares, vel ſingulares incertæ eſſent. Unde,* (inquit,) *iſtud Sacramentum contrahit certitudinem ſui effectus per hoc quod non innititur orationi unius perſonæ, ſed Eccleſiæ. Impoſſibile eſt enim orationes Eccleſiæ non exaudire: Et ideò propter certitudinem non oportebat formam ſuam eſſe in oratione enuntiativa.* Philippus Gamachæus *in 3. p. S. Thomæ de Extrema unctione cap. 3.* eandem objectionem ſibi proponit, aliamque conjungit à materia ooſtra non alienam, & utramque eodem quo Albertus modo diſſolvit, *Neque verò ex eo, quòd ſit deprecatoria ſequitur effectum ejus eſſe incertum, quia Deus non exaudit peccatores, & peccator Sacramentum miniſtrans poteſt eſſe improbus, & malè diſpoſitus: Neque enim oratio tunc ſit ſolo nomine Sacerdotis, ſed præſertim nomine Chriſti, & Eccleſiæ cui Sacerdos vicarius eſt, ſicque oratio non privatur idcircò ſuo effectu ſaltem primario, ſed eum obtinet ex opere operato propter Chriſti inſtitutionem, ac promiſſionem Eccleſiæ factam.* Nam ut rectè monet Laimanus *tract. 8. de Extr. unctione cap. 3. num. 2.* Oratio Sacramentalis, ſive quæ forma eſt Sacramenti, vim habet, & agit ex opere operato. *In eo conveniunt formæ omnes Sacramentorum quòd eorum efficacitas non pendeat ex vi orationis, ut eſt opus operantis, ſed ex virtute promiſſionis Chriſti ſecundùm quam ad Deum Patrem oratio funditur.* Hinc ait nos à Deo precibus efflagitare, quæ certò credimus accepturos. Idem planè, & eodem modo reſpondemus huic objectioni contra Abſolutionem deprecativo modo conceſſam propoſitæ; nec pluribus verbis ad eam illuſtrandam opus eſt. Eadem quoque ratio Baptiſmi quam tot Doctores Scholaſtici, aque etiam Concilium Florentinum judicarunt deprecativè à Græcis validè miniſtrari. Quidni propter eandem rationem abſolutio? Baptiſmo enim miniſterialiter à Sacerdote remittentur peccata, & faciliùs, & univerſaliùs quàm per Pœnitentiam.

II. Poſterior objectio à judicialis ſententiæ natura deſumitur, quæ modo indicativo proferri ſolet, nunquam autem deprecativo. Planè enim abſurdum videtur, ut judex ſententiam proferat orans, & deprecans. Sed Sacerdos in Sacramento Pœnitentiæ omnium conſenſu judex eſt, omniaque judicis munia exequitur. Non poteſt igitur ſententia ipſius eſſe deprecativa. Huic rationi potiſſimum innituntur nonnulli Scholaſtici, qui opinantur Abſolutionem modo deprecativo datam valere non poſſe: Ideò tantiſper nobis eſt in hujus objectionis ſolutione immorandum, qua Lectori ratio intima explicabitur propter quam ſententia Forenſium judicum eſſe debet indicativa, Sacerdotum verò poſſit eſſe deprecativa.

III. Sed antequam hoc aggrediar duo Lectorem obiter monere velim. Prius, Sacerdotem in Sacramento Pœnitentiæ duplici munere fungi; Medici, & Judicis. Doctores illi Scholaſtici Judicis tantùm munus ſpectant. Antiqui verò Patres ſe ut Medicos potiſſimùm conſiderabant, animarum vulnera per Pœnitentiam ſe ſanare, curare, medicari prædicabant; opera laborioſa in criminum pœnam inflicta paſſim medicamenta, & pharmaca animæ ſanandæ adhibita non tantùm pœnas nuncupabant, ut nonnullis hujus operis locis demonſtratum eſt. Rituale Romanum juſſu Pauli V. editum vult Confeſſorem ea ſic conſiderare, *In primis meminerit Confeſſarius ſe judicis pariter, & Medici perſonam ſuſtinere, &c.* Et paulò poſt, *Ut ergo rectè judicare queat diſcrimen inter lepram, & lepram, & tanquam peritus Medicus animarum morbos prudenter curare, & apta cuique remedia applicare ſciat, quantum poteſt maximam ad id ſcientiam atque prudentiam, &c. ſtudeat ſibi comparare.* Hinc apud Canoniſtas vulgatum axioma omnes cenſuras Eccleſiaſticas eſſe medicinales: Depoſitionem non eſſe Cenſuram, eo quòd cùm infligitur, rationem medicinæ non induit. Quid autem magis convenit ſpiritali Medico quàm pro morbis animæ curandis ad Deum deprecatio? Naaman lepra infectus ad Eliſæum ſanitatis recuperandæ cauſa venit. Jubet Eliſæus ut in Jordane ſepties lavaretur. *Iratus Naaman recedebat, dicens, putabam quòd egrederetur ad me, & ſtans invocaret nomen Dei ſui, & tangeret manu ſua locum lepræ, & curaret me. 4. Reg. 5. 12.* Naturali rationis lumine homines ducti ſic ſentiunt, ſic ſæpiſſimè Chriſtus, & Apoſtoli infirmos curarunt. Quæ igitur admirationis cauſa, ſi Patres qui crimina ot animæ vulnera conſiderabant, & tractabant, Abſolutionem maximum morborum medicamentum, oratione ad Deum fuſa infirmis applicarunt? Si dicas Sacerdotem eſſe judicem, dicam eſſe Medicum cujus officio nullo modo repugnat Dei invocatione morbos curare, & ſpiritales, & corporales. Poſterius monitum, Doctores pleroſque qui judicialem ſententiam velut unicam Abſolutioni dandæ formulam idoneam tantopere urgent, poſtquam quæſtionem in omnes partes verſarunt, eam tandem ſic interpretari, ut ſententiæ judicialis in ea vix umbra ſuperſit. Diſputantes enim quid ſignificent hæc verba, *Abſolvo te, &c.* tandem eò velut ad ſacram anchoram confugiunt, ut aſſerant nihil aliud ſignificare, quàm *impendo tibi Sacramentum Abſolutionis.* In cujus judicis mentem venit unquam iſtiuſmodi ſententiæ formula? Quis tam ſagax, ut ex ejuſmodi pronuntiato judicem coniiciat? Verſatilis ſententia, atque ut dicitur, *εὐμεταβολώτερος κοθόρνου.* Cui enim Sacramento non conveniet? Impendo tibi Sacramentum Confirmationis, Ordinis, Unctionis, &c. ac pari jure impendo tibi Sacramentum damnationis. Nam ſenten-

tia

tia judicialis æquo jure fertur in damnationem, & Abſolutionem. Hæc admoouiſſe ſatis eſto: Videamus, quid ſit ſentiendum de repugnantia ſententiæ judicialis cum modo loquendi deprecativo, ut objectionis ſolutioni lumen affulgeat.

IV. Primum igitur dico, huic objectioni diſſolvendæ ſufficere vulgare illud dictum, verba, phraſeſque uſu valere, ut nummi, nec altius in hominum ſermonem eſſe inquirendum. Cùm autem conſtet annis mille ducentis in Eccleſia Occidentali Abſolutionem deprecativo modo dari ſolitam, in Orientali verò in hunc uſque diem, non aliter dari, Quis feret rationes proprio ingenio effictas perpetuæ ſermonis conſuetudini opponentem? Significationis, & elegantiæ phraſium ſuprema ratio eſt uſus. Quis non Barbarum ſe, & vel pueris ridiculum probet, qui uſum ſermonis ratione ſoa caſtigare voluerit? Hac in cauſa, & ſimili ſæpè antiqui Scholaſtici graviter peccaſſe dici poſſunt. Cùm enim ſpeculationibus toti eſſent intenti, parum curaverunt inveſtigare an res aliter aliquando, vel in Eccleſia univerſali, vel in aliqua particulari, & inſigni ſeſe habuiſſent, quàm cùm ſcribebant. Hoc enim inveſtigare longi temporis eſt, magnique laboris: At alterùm iſto neglecto, vel præterito, ſpontè ſubit ingenium ſubtile, & pauculo tempore expeditur. Plura de hac re dicere ſuperſedeo: Unum tantum addam, Scilicet, rationem, in re Sacramentaria potiſſimùm falli ſæpiſſimè. Sacramenta enim ab inſtituente vim trahunt. Quapropter ratio homana per ſe docere non poteſt, immò nec conjicere, quæ eſſe debeat materia, vel forma, vel etiam ritus Sacramenti adminiſtrandi. Id univerſum à traditione pendet. Ideò pluris facienda videtur, vel unius celebris Eccleſiæ conſtans traditio, quàm multorum Scholaſticorum quantumlibet probabilis ratiocinatio. Uniuſcujuſque Eccleſiæ laudanda traditio, quam Romana Eccleſia non improbaverit: Nec unius Eccleſiæ traditio alterius traditioni eſt opponenda, ſed potiùs ab Eccleſiæ alicujus celebris facto, & conſuetudine de jure facti judicandum mihi videtur.

V. Latiſſimom, & effuſiſſimum dicendi campum nanciſceremur, in quo exultare poſſet oratio, ſi quæ fuerit antiquorum Scholaſticorum in re Grammatica ſagacitas, quis elegantiæ guſtus, quod de verborum poteſtate κριτήριον exemplis demonſtrare aggrederemur: Sed his omiſſis judicialis ſententiæ pronuntiandæ modum, naturamve penitius introſpiciamus. Tria ſunt in ea conſideranda: cauſa principalis per ſe, & auctoritate propria effectum potens producere. Secundò, cauſa miniſterialis effectum producere per ſe impotens. Denique effectus à ſententia promanans. De cauſa principali, à cujus nudo arbitrio effectus pendet, jam dictum eſt effectum producere, ſed ſententiam pronuntiare non poſſe modo deprecativo. Oratio enim ad cauſam ſuperiorem dirigitur; At nullam habere hypotheſis noſtra eſt. Itaque tota difficultas in cauſa miniſteriali ſedet. Cauſæ miniſterialis actio prout Scopo noſtro conducit, verſatur circa ſupernaturalem diverſorum effectuum naturalium, & ſupernaturalium productionem; Vel circa res civiles, quarum judicium examen poſtulat. Actio prior, ut jam demonſtratum eſt, multis ſacræ Scripturæ exemplis, & deprecativè, & indicativè, & imperativè ab Apoſtolis, & viris ſanctis producta eſt. Nobis igitur de ſola poſteriore eſt agendum, hancque ſolam etiam objectio propoſita ſpectat.

VI. Ut igitur rem ipſam cominus aggrediamur, ipſioſque controverſiæ viſcera recludamus, miniſterialis cauſa diſtinguenda eſt, aut eſt à Deo delegata, & inſtituta, aut à Principibus: hoc eſt, aut Dei judicia judicat, aut hominum. Ingens inter utramque diſcrimen: Principum Miniſtri ſententiam deprecativè pronuntiare non poſſunt, immò hoc ab iis requirere nemo poteſt niſi infans, aut planè demens. Cæſar Edeſſeno Præſidi, aut oræ Armoricæ, aut Bœticæ Provinciæ cauſam delegat: Num Præſes ille partibus auditis, & cauſa ventilata ſic pronuntiare poteſt, Cæſar te abſolvat, Cæſar te condemnet, oro Cæſarem, ut bona tua hæc ab N. tibi furtim abrepta reſtituat? Qua ratione Cæſar judicem tam longè abſentem exaudire poteſt? Ponamus præſentem Cæſarem, Qua ratione Cæſar tot negotiorum mole oppreſſus Judicem deprecantem exaudiet? Principes cauſas ſubditorum Conſiliariis ſuis, & Comitibus delegant, ut eas ipſi nuſquam audiant; niſi quod rarò evenit, quæſtio aliqua gravis legibus nondum definita emergat, aut ortum ſit inter imperii Primates periculoſum aliquod diſſidium, quod diſceptantium contentione noxam Reipublicæ minitetur. Hoc onus Principum vires excedit, ut rectè Jethro Moyſen admonuit *Exodi* 18. *Non bonam rem facis: ſtulto labore conſumeris & tu, & populus iſte, qui tecum eſt: ultra vires tuas eſt negotium, ſolus illud non poteris ſuſtinere.* Ideò conſulit ut varios judices, alios aliis Præſidentes conſtituat, qui populi controverſias abſolutè definiant, & majores tantùm cauſas ad ipſum deferant. Si Moyſes vir tantus, Dei Spiritu plenus, in pauco populo ſimul in eadem planicie circa ipſum aggregato, ſolus id præſtare non potuit, Quid Summi Principes tot populis longè latèque à ſe invicem diviſis imperantes? Romæ multa erant tribunalia ſeparata, variique Magiſtratus, quorum unicuique peculiaris juriſdictio erat tributa. Sed ut cæteros prætereamus: Tanta oegotiorum moles ſoli Prætori Urbano incumbebat, ut vix unquam cauſæ conteſtationem audire poſſet: Judices tantùm cauſam definituros litigantibus dabat, formulamque actionis præſcribebat. Eadem prorſus eſt hodiernorum judiciorum ratio, eademque erit & futurorum in æternum. Si quis aſſerere vellet judices civiles ſententiam deprecativè pronuntiare poſſe, tum deprecativus ille modus ſenſu eſſet indicativus, & καταχρηστικῶς tantùm, atque ex abuſu loquendi deprecativus. Nam propter rationes explicatas ſenſus deprecativus Judicum ſententiis propriè competere non poteſt. Ratio tamen regulas his rebus figere non poteſt, ſed ſolus uſus verborum, & phraſeon Magiſter. Aliquando enim Græci, ut *cap.* præcedente demonſtratum eſt, Optativo vice indicativi utuntur. Quidni aliæ nationes cujuſdam modeſtiæ cauſa loquendi conſuetudini ſuæ conformis optativo modo ſententiam ferent? Sed Deus ubique præſens eſt, & negotiorum multitudine non fatigatur, nedum opprimitur. Quapropter nihil obſtare poteſt, quominus Sacerdos, qui vice Dei judicat, Abſolutionis ſententiam deprecativè, & propriè admodum pronuntiet: Ab eo enim ubique gentium exauditur, & ſe exauditum iri promiſſionem habet.

VII. Quanquam propter rationem explicatam evidens ſit, judices ſententias ſuas deprecativè pronuntiare non poſſe, experientia tamen conſtat eorum plurimos, & auctoritate eminentes eo modo eas pronuntiaſſe, qui ſecundùm Scholaſticorum Grammaticam, & Juriſprudentiam à Sacramentali ſolemnitate longiùs abeſt quàm deprecativus. Qui penitiùs de Sacramentorum formis Philoſophari videntur, ajunt non eſſe neceſſarium Perſonam Miniſtri in forma exprimere, ſed actionis miniſterialis expreſſionem planè neceſſariam eſſe. At in ſententiarum judicialium formis neutra expreſſio requiritur. Immò alterutrius, aut utriuſque expreſſio, judicis vilitatem, & caducam auctoritatem arguebat. Atqui Scholaſtici illi formam potiùs deprecativam admitterent, quàm indicativam, quæ ſolam cauſam principalem exprimeret, cùm tamen in ſententiarum formulis ea ſit primaria, & Auguſta, quæ ſolam cauſam principalem refert. Ut hoc intelligat Lector, meminiſſe oportet duplex eſſe ſub Principe judicum genus, inferiorum ſive Pedaneorum, & ſupremorum. Ab inferioribus provocatio eſt ad ſupremos: Ab his verò non appellatur, ut à Senatu, & Præfectis Prætorio, & apud nos à Parlamentis. Inferiores judices vice ſacra, ſive, judicia ſacra non judicabant, hoc eſt, principali auctoritate non pronuntiabant; & apud nos, Principem pronuntiantem ſententia ſua non inducunt. Cùm enim eorum ſententiæ à Supremis judicibus reformarentur, atque etiam frangerentur, Principem ejuſmodi pronuntiatione dedecoraſſent. Sed ſupremi judices à quibus appellare non licet, qui nec peculatui, nec legum inſcitiæ præſumuntur obnoxii, vice ſacra judicant, ſententiaſque, ſive placita non ſuo ſed Principis nomine pronuntiant. Ita videmus in Gallia obſervatum. Suprema tribunalia Regem ſemper in Arreſtis ſuis, ſive placitis loquentem inducunt, & potiſſimùm ſacrum Conſiſtorium, quod privatum Conſilium nominare ſolent, cui præſidet Cancellarius. Semper enim ejus placita nudo, puroqoe regis nomine eduntur, nullius alterius mentione facta. Sed Parlamentorum Arreſta ſolemnia licèt regio nomine concipiantur, inducaturque Rex ipſe pronuntians, mentionem tamen faciunt quæſtionis à Curia, ſive Parlamento judicatæ, quod alto ſilentio obruunt ſacri Conſiſtorii formulæ judiciales. Itaque cauſarum miniſterialium, & Officialium dignitas, auctoritas, & Majeſtas in eo potiſſimùm elucet quod ſententiarum ſuarum ſolemnes formulas non ſuo, ſed Principum nomine pronuntient. Maximum eſt hoc privilegium, quo gaudere propter cauſam jam dictam inferiores judices non poſſunt. Ratione igitur ita ſuaptè dictante, atque ex ſermonis conſuetudine evidens eſt, quòd ſi per Eccleſiæ auctoritatem, & conſuetudinem hac formula uti liceret, *Abſolvit te Deus ab omnibus peccatis tuis*, Nulla prorſus facta Miniſtri aut ipſius actionis mentione, Miniſtri dignitas, auctoritas, & juriſdictio mirum in modum efferrentur, & amplificarentur. Hoc enim modo Miniſter cum cauſa principali quaſi concorporatur, & velut in unam perſonam coaleſcit, atque ideò ipſius verba, velut ipſiſſima cauſæ principalis verba, eandem virtutem, & auctoritatem nanciſcuntur.

VIII.

VIII. Eadem de cauſa ſummi Angeli à Deo delegati ipſum Dei nomen non modò appellativum, ſed etiam proprium, & ineffabile ſibi in ſcripturis ſacris vindicant, cumque hominibus colloquuntur, & ſermocinantur velut ipſemet Deus. Ut videre eſt *Gen.* 18. *verſ.* 13. & ſequentibus ſæpius; qui locus comparandus eſt cum eo, quod notatur initio *cap.* 13 *Epiſt. ad Hebræos* de iis, qui Angelos hoſpitio exceperunt. Hoc expendens S. Gregorius *lib.* 28. *Moralium in Job. cap.* 4. rationem iſtius communicationis nominis appoſitè reddit. *Nec mirum, quòd illi ipſi, qui ſuſcepti ſunt, modò Dominus* (Hebraicè eſt tetragammaton יהוה) *modò Angeli vocantur; quia Angelorum vocabulo exprimuntur, qui exteriùs miniſtrabant: & appellatione Domini oſtenditur, qui eis interiùs præerat, ut per hoc Præſidentis imperium, & per illud clareſceret officium miniſtrantium.* Idem videre eſt *Exodi cap.* 3. ubi Angelus Dei dicitur Moyſi apparuiſſe, qui ſæpiùs modò Dei, modò Domini ſive τοῦ יהוה nomen aſſumit. Sic & *Exodi* 19. & 20. Jehova vocatur, qui legem dedit, quæ ut dicitur *Galat.* 3. 19. *Ordinata eſt per Angelos in manu mediatoris* Notant etiam Judæi idem Dei ineffabile nomen, non modò enim Angelis, ſed etiam cum Arca, & altari communicatum eſſe, ut Rabbi David Kimhi *in cap.* 23. *Jerem. v.* 6. Et R. Levi Ben Gerſom in legem ad initium Paraſchæ, וירא אליו his paucis verbis, ut rem apud eos confeſſam, ſcribit, Prophetas nomine mittentis loqui ſolitos, idque præter locum, quem interpretatur, in quo Angelus nomen, actionemque Dei ſibi tribuit, demonſtrat. *ex v.* 17. *cap.* 22. *Geneſis*. Idem adnotant R. Bechai, & Abarbinel, aliique, ut apud eos vulgatum in eandem Paraſcham ad verſum 13. *cap.* 18.

IX. Verum Joſeph Albo *lib.* 2. עקרים de fundamentis *cap.* 28. fusè, & doctè de cauſis iſtius communicationis diſputat. Non puto lectori moleſtum fore, ſi ex longo ejus ſermone paucula delibaverimus. Quanquam inquit nomen Dei יהוה vocetur שם המפורש id eſt, ut ipſe interpretatur, & probat, הנבדל · ſeparatum, & Dei proprium, ſitque ipſi ſubſtantiale cum alia nomina attributa ipſius, & actiones tantùm denotent, transfertur tamen ad alia præter ipſum על צד ההשאלה metaphoricè, ut *Exod.* 13. Dominus יהוה præcedebat eos, per diem in columna nubis: Poſteà enim ſcribitur, Et Angelus Domini profectus eſt incedens ante caſtra, &c. Quatuor hujus metaphoricæ locutionis rationes in univerſum reddit, primùm, propter ſimilitudinem qua res inter ſe conjunguntur, vel quia altera alterius eſt documentum, licèt aliquando longè petitum. Ea de cauſa inſtrumento datur nomen auctoris, Sic de Meſſia ſcriptura dicit, & ſervient Domino Deo eorum, & Davidi Regi eorum quem ipſis ſtatuam, eo quod regnum, & principatus Meſſiæ regis ſimilia erunt regno Davidis. Sic arcæ tribuitur Dei nomen, eo quòd ſit inſtrumentum docens Deum legem dediſſe, quam ipſa continet. Præterea attribuitur effectus cauſæ principalis inſtrumento, cujus opera illum fecit, ut viſio oculi, cujus opera anima videt, Duabus his de cauſis *Exod.* 17. *v.* 15. vocat Moſes altare יהוה נסי. Dominus exaltatio mea, & *Jerem.* 23. 6. Meſſias dicitur, Jehova juſtitia noſtra, Eadem ratione vocavit ſcriptura Jehovam Angelum, qui Gedeoni apparuit. Præterea ſolent inquit Prophetæ dare nomen rei abditæ ei, quæ illis apparet, & eum apparente ita ſermocinari, ac facerent cum abdita, atque ideò ita cum Angelo illis apparente colloqui ac cum Deo, quòd fusè exemplo Eliæ, atque etiam Moyſis demonſtrat. Denique quod à Scopo noſtro propius abeſt, dicit Angelis univerſim licitum eſſe nomen aſſumere Dei illos mittentis, quod plurimis exemplis probat; atque ideò licitum eſſe illos adorare, non propter ſeipſos, aut eorum virtutem, ſed propter mittentis auctoritatem. Nam qui priùs faceret, Idololatriæ crimen incurreret; non ſecùs, ac quis in regem rebellat, qui legatum ipſius propter ſe, non propter regem, ut regem excipit. Illa enim quatuor, inquit השתחויה זבוח קטור ונסוך Adoratio, ſacrificium, incenſum, & libamen, nulli creaturæ licet deferre.

X. Tam auguſta auctoritas, quæ per iſtam loquendi formulam Miniſtro conciliatur, cauſa mihi videtur legitima illius ab Eccleſia nunquam hactenus uſurpatæ. Timuit videlicet, ne tam auguſtæ formulæ occaſione miniſterii ſui oblitus Sacerdos αὐτεξούσιον ſe crederet, poſſeque ſe pro animi libidine, quem liberet, condemnare, aut abſolvere, quòd in nonnullis ſui temporis Sacerdotibus acerbè admodum reprehendit S. Hieronymus. Confirmatur hoc non abſurdè ex ratione quam tradit Philoſophus ille Judæus, propter quam Angelis legatione divina fungentibus licuit ipſiſſimum Dei nomen ſibi aſſumere, atque cum hominibus colloqui, quaſi eorum unuſquiſque ipſe Deus eſſet, ודע כי המלאכים להיותם נבדלים מחומר ואי אפשר שישיגום המקרים הנמשכים לבעלי החומר כקנאה ושנאה ותחרות כי הם נקיים מכל רע ואין בהם לא גאוה ולא בחירה אל הרע ואל החטא כלל אבל בחירתם תמיד אל הטוב והישר בעיני האלהים על כן הותר להם בשום משתלחים לבני אדם לדבר בלשון שולחם *Sexto accidentia rei materiatus conſequentia, veluti invidia, error, & contentio, Anglos attingere non poſſe, eo quòd ſint à materia ſeparati, & ab omni malo puri. Neque enim in eos cadit ſuperbia, nec electio ullius mali, & peccati: Sed electio eorum in id, quòd bonum eſt, & rectum in oculis Dei ſemper convertitur. Ideò licet ipſis, cùm ad homines mittuntur, mittentis verbis, & ſermone cum iis colloqui.* Cùm igitur Angelico illo privilegio donati non ſint Sacerdotes, meritò videtur Eccleſia hac auguſtiſſima formula prætermiſſa deprecativam elegiſſe, *Abſolvat te Deus, &c.* qua & Deo aſſeritur auctoritas ἐξ αὐθεντίας, & Miniſtro decens cooperatio tribuitur, Deo juxta promiſſionem ſuam Sacerdotis orationem ſemper exaudiente.

XI. Quanquam enim nec perſona Miniſtri, nec ipſius actio ἱκετευτικῶς exprimantur, ipſa oratio ab ipſius ore ad Deum effuſa ex communi intelligentia, & omni gentium conſenſu ſatis ſuperque utrumque exprimit. Quis enim videns Sanctum aliquem oratione ſua ſanitatem infirmo reddentem, ſtatim non judicet illum eſſe cauſam miniſterialem, orationemque ejus, actionem eſſe tanti effectus miniſterialem. Oratio utramque cauſam principalem, & inſtrumentalem perfectè denotat; ſed modus indicativus, præſertim in prima perſona, vel imperativus, principalem cauſam per ſe, & directè ſignificant, nec aliter quàm alterutro loquendi modo, ut omni mentis compoti maniſeſtiſſimum eſt, cauſa principalis αὐθεντίαν ſuam docere poteſt. Ideò cum de effectibus naturam humanam ſuperantibus agitur, licèt miniſter loqui poſſit, indicativè, imperativè, aut deprecativè, duo tamen priores modi uſurpati, apud Idololatras potiſſimùm, qui hominibus divinitatem adſcribere ſolent, pravæ interpretationi ſunt obnoxii. Iſtius rei exemplum videre eſt *Actor.* 14. ubi Paulus claudum ab utero matris imperativè ſanavit, *Dixit magna voce, ſurge ſuper pedes tuos rectus, exilivit, & ambulabat.* Quid verò turbæ miraculum conſpicientes? *Turbæ autem cùm vidiſſent, quod fecerat Paulus, levaverunt vocem ſuam, lycaonicè dicentes, Dii ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos; & vocabant Barnabam Jovem, Paulum verò Mercurium, quoniam ipſe erat dux verbi:* Difficulterque impedierunt Paulus, & Barnabas, ne Sacerdos Jovis ipſis ſacrificaret. In ſacrificio quidem Miſſæ Sacerdos perſonam Chriſti ſibi induit, ejuſque verba, ut ſua uſurpat. Verùm cum actione iſta imperium in homines non exerceat, eoſque non regat, & gubernet, ſuperbiendi, & tyrannide in eos, abutendi multò minor eſt occaſio. Deinde in ejuſmodi rebus ſuprema ratio eſt Eccleſiæ conſuetudo, qua in rebus dubiis, & difficilibus, quid fieri debeat, certiſſimè edocemur.

XII. Quæ hactenus explicata ſunt, multò fient evidentiora, ſi tertium caput nobis in Sacramento Pœnitentiæ propoſitum conſideremus: Effectus in Pœnitente per Abſolutionem productus, Remiſſio eſt peccatorum, Sancti Spiritus donatio, & gratiæ habitualis infuſio. Dona ſanè tanta, tam magnifica, ut digna omninò ſint propter, quæ vadimonium, ut ita dicam deſeratur, conſuetaque Judicibus loquendi formula. Infinitis enim paraſangis ſuperant hi effectus omnium creaturarum poteſtatem. Quapropter cùm tantæ ſit efficaciæ ſententia Sacerdotis abſolutoria ſuper Pœnitentem pronuntiata, quid mirum ſi verecundatus Sacerdos modo deprecatorio eam efferr, ut ſic Deum auctorem, ſe verò tam excelſi ἐξ ὑπουργίας doni Miniſtrum ſolùm profiteatur. Sanctus Chryſoſtomus *Homil.* 37. *in Joann.* notat, Dominum noſtrum Paralytico à ſe ſanato dixiſſe, Sanus factus es, &c. non, ſanum te feci, ut humilitatem, & modeſtiam ſuam demonſtraret, eaque nos ad eam erudiret, *latuere Chriſti humilitatem, τὸ ἀκόμψευτον, actionem ab omni faſtu, & jactatione alienam. Non dixit ſanum te feci: ſed ſanus factus es, jam noli peccare. Et iterùm, non dixit, ne tibi quid deterius faciam, ſed ne deterius tibi aliquid contingat. In neutro perſonam adducit, oſtenditque, gratia, & benignitate potiùs quàm meritis in ſanitatem reſtitutum.* Idem Chryſoſtomus iterùm *Homil.* 1. in Acta Apoſtolorum in hæc verba, Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto notat ſimiliter, Chriſtum ἀτυφώτως locutum modeſtiæ docendæ cauſa, *Neque dixit, Ego vos baptizo Spiritu Sancto, ſed baptizabimini, nos docens ut modeſtè, & humiliter de nobis ſentiamus διδάσκων ἡμᾶς ταπεινοφρονεῖν.* Quanto magis Sacerdos miſellus peccator oratione ſua ſe nudum eſſe tanti effectus Miniſtrum declarabit? Aliquando oratione, inquit Chryſoſtomus, aliquando auctoritate miracula patrabat, & peccata remittebat; oratione, ut humilitate ſua ſe à Patre miſſum; Auctoritate, ut ſe Patri æqualem demonſtraret. *Cur ita reſpexit in cœlum,* inquit Chryſoſtomus *Homil.* 50. *in Matth. & benedixit?*

Ut

Ut crederetur non aliundè quàm à Patre miſſus fuiſſe, & illi æqualis eſſe, quarum rerum approbationes repugnare ſibi ipſis videntur. Nam æqualitas quidem, quoniam magna poteſtate omnia faciebat, demonſtrabatur. A Patre verò ipſum eſſe unde perſuaderetur, niſi multa cum humilitate quæcunque faciebat, in ipſum ita retuliſſet, ut etiam eum ad præclara facinora invocaret? Propterea non alterum ipſorum ſolum, ſemper ſolùm factitavit, ſed ut utraque illa confirmaret, modò ſumma cum poteſtate imperii, modò invocans Patrem, atque orans, miracula peregit. Eſt igitur idem utriuſque locutionis effectus; ſed indicativus primæ perſonæ principalem cauſam ſonat, & auctoritatem innuit ſibi per ſemetipſum competentem, αὐθεντίαν καὶ αὐτεξουσίαν. Fortius enim prima cauſa loqui non poſſet. Deprecativa verò miniſterialem neceſſariò dicit, & à prima uſurpari non poteſt. Ideo Chriſtus ut ἄνθρωπος utraque uſus eſt; poſteriore ut humili, & miniſteriali, cùm Divinitatis radios emicantes comprimere voluit.

XIII. Quanquam modus ille loquendi deprecativus, ut docet Sanctus Chryſoſtomus, & dictat omni homini naturale rationis lumen, ſit illo ἀπροσώπῳ, *Remittuntur tibi peccata, ſanus factus es*, multò humilior, atque hic imperativo, aut indicativo primæ perſonæ; addam tamen præcedentibus teſtimoniis aliud Jobii Monachi antiqui Auctoris, quod Photius in Bibliotheca ſua refert *cap.* 221. habetur in compendio *lib.* 7. Novem enim libros Jobius ille de œconomia Incarnationis Chriſti compoſuit: Proponit ſibi explicandum Jobius quàm ſapienter Chriſtus verbis ſuis humilitatem præferebat, & divinitatis ſplendorem comprimebat. Hinc, inquit, omnia opera ſua ad Deum referebat, à meipſo non loquor, ſed pater, qui in me manet, ipſe facit opera, &c. Duabus inquit, de cauſis τὸ ταπεινὸν ῥημάτων ὑπήρχων verborum humilitatem ſtudioſè ſectabatur, ut Judæorum invidiam exardeſcentem ſedaret: Deinde ut nobis ὑπογραμμὸν ταπεινοφροσύνης ἔργῳ δ' ἐντυπῶν humilitatis, & modeſtiæ exemplar ipſo facto delinearet, & exprimeret. Nunc autem attende, qua ratione id probet. *Quid eſt facilius dicere, remittuntur tibi peccata, vel ſurge, & ambula. Priùs, inquit, eſt facilius: Quia illud, remittuntur,* οὐκ ἔχει τὴν ῥημάτων προφορὰν ὡς ἐξ ἰδίας ἐξουσίας ἐπιτρεπομένην καὶ προστάγματος, *prolationem non habet velut ex propria auctoritate, & imperio monentem. Nihil enim eſt quod prohibeat eum, qui remiſſionis Dominus non eſt, nec auctor, eam annunciare, & prædicare. Illud verò, ſurge, & ambula, ab imperio deſpotico omninò pendet. Prætereà illud, ſurge, & ambula, certiſſimam infert ex opere auctoritatem, quæ remiſſionem in ſe continet. Nam qui ambulandi gratiam largitur, remiſſionem quoque peccatorum largitur, propter quæ morbo laborabat.* His junge S. Auguſtini teſtimonium in eodem argumento evidentiſſimum, quod ſupra *cap.* 8. enarratum eſt. Has orationes Eccleſia Latina multis ſeculis ſibi propoſuit, cum Abſolutione deprecatoria uteretur, ſibique nunc proponunt Orientales omnes, qui idem Abſolutionis genus in hunc uſque diem conſervarunt.

XIV. Aliud diſcrimen non leve è præcedente neceſſariò fluens non videtur prætereundum. Judicium inferiorum, & ſupremorum Principum, & Imperatorum ſententiæ puræ putæ ſunt innocentiæ præexiſtentis declaratoriæ, nec aliàs eſſe permittit naturæ humanæ infirmitas. Deus enim ſolus iniquitates delere poteſt, & juſtitiam infundere. Cum igitur Judex quivis humanus pronuntiat Reo, Abſolvo te à crimine, cujus es accuſatus. Nihil aliud ſignificant hæc verba, aut ſignificare poſſunt, quàm ego auditis accuſatoribus tuis, & facta inquiſitione, declaro te innocentem, & falsò atque injuria iſtius criminis eſſe accuſatum. Itaque ſi criminis appetitus, revera Reus eſt, nihil illi confert iſta ſententia abſolutoria, ſed eum ſimpliciter à foro dimittit, qualem repererat. Si verò Innocens eſt, nihil illi ſimiliter confert internum, animæque adhærens, ſed tantùm innocentiam, qua apud cives clarebat, declarat integram eſſe, & illibatam. Hinc ſæpè contingit à judicibus ſive iniquis, ſive deluſis impios abſolvi, Innocenteſque condemnari. Sic Rex Antiochus à Ptolemæo uno ex Purpuratis deluſus eſt 2. *Maccab.* 4. *Menelaum quidem univerſæ malitiæ reum criminibus abſolvit; Miſeros autem, qui etiam ſi apud Scythas cauſam dixiſſent, innocentes judicarentur, hos morte damnavit.* Ideò cùm in textu ſacro nonnunquam juſtificare pro abſolvere ſumatur, nonnunquam etiam juſtificare idem eſt quod juſtum declarare, quoties ſcilicet de civilibus Judicibus aſſeritur, ut *Proverb.* 17. 15. *Qui juſtificat impium, & condemnat juſtum, abominabilis eſt uterque apud Deum.* Iſaiæ 5. 23. Væ pronuntiatur iis, *qui juſtificant impium pro muneribus*, ſic Eccleſiaſtici *cap.* 42. 2. Cùm igitur abſolvere ex uſu fori, nihil aliud ſit, quàm innocentem declarare, nec ultra progredi fas ſit judicibus, ingens ſanè eſt diſcrimen inter ſententiam judicialem, & Sacerdotalem, cùm hæc Reum, quem abſolvit, ex injuſto juſtum efficiat; illa verò juſtum inveniat neceſſe ſit, quem abſolvat. Quocirca ridiculum planè eſſet ſententiam judicialem modo deprecatorio pronuntiare, cum nihil efficiat, aut declaret, niſi quod eſt in pura puta hominis poteſtate. Verum cum Sacerdotalis ſententia vim habeat prorſus divinam, effectumque producat in anima omnis creaturæ vires longè ſuperexcedentem, appoſitè admodum deprecativè proferri poteſt, ut Pœnitens hac Miniſtri humilitate cognoſcat iſta Abſolutione verè divinum donum, quod ſolus Deus largiri poteſt, ſibi concedi. Ea quidem Scholaſticorum ſententia, quæ Pœnitentem perfectè contritum, & ab omni peccati mortalis inquinamento purgatum poſtulat, antequam abſolvi poſſit, omnium optimè cum Abſolutionis Forenſis ſententia convenit, meritòque propter effectus paritatem ex una licet aliam colligere. Secundùm enim iſtam opinionem Sacerdos officio fungens, ſententiam Abſolutionis, more judicum profert, & Innocentem judiciariè declarat, non quem fecit, ſed quem invenit.

XV. Admonendus tamen videtur Lector ſententiarum Forenſium formulas non fuiſſe uniuſmodi, ſed pro ratione rerum, & perſonarum varias, nec omnes licèt à Cæſaribus ipſis pronuntiarentur, ita Magiſtrales fuiſſe κατ' αὐτοκρατορικάς ut nonnulli Scholaſtici iſtarum rerum parum periti arbitrantur. Verbis ſolemnibus ad unamquamque rem juridicè agendam Romani utebantur; ſed maximè lite cognita in ſententiæ pronuntiatione. Verbis ſæpè admodum modeſtis utebantur, licèt de re tantum pronuntiarent, cujus executio, & præſtatio tota eſſet in eorum poteſtate. Reum condemnantes ſæpè pronuntiabant, videri feciſſe, ut notat Cicero *Academic. quæſtionum lib.* 4. Hinc *lib.* 4. in Verrem, *Vix ille hoc dixerat, cùm iſte pronuntiat, Sthenium litteras publicas corrupiſſe videri.* Et *lib.* 6. in eundem, *Feciſſe videri pronuntiavit.* Idem in Piſonem, *Tum tu ipſe de te videri feciſſe pronuntiaſti.* Et *lib.* 1. *de finibus* refert Lucium Torquatum condemnaſſe filium ſuum repetundarum accuſatum his verbis, *Non talem videri fuiſſe in imperio filium, quales ejus Majores fuiſſent.* Titus Livius *lib.* 25. ſcribit plebem Romanam ita ſciviſſe, *Si M. Poſthumius ante Calend. Majas non prodiſſet, citatuſque eo die non reſpondiſſet, videri eum in exilio eſſe, bonaque ejus venire, ipſi aqua, & igni placere interdici.* Hac formula concipi ſolebant Pontificum decreta, ut ex Cicerone notat Briſſonius Præſes *lib.* 4. *de formulis Romanis*. Sic etiam Reum cædis contra leges patratæ accuſatum abſolvebant. *Jure cæſum videri.* Sidonius Apollinaris *lib.* 3. *Epiſt.* ad Secundum, Cùm nihil amplius ego, quàm veniam poſtularem, pronuntians more Majorum, *Reos tantæ temeritatis jure cæſos videri.* Tacitus *lib.* 14. *Pronuntiemus ultro jure cæſum videri.* Aliquando ſimpliciter abſolvebant hac formula, *Nullam injuriam Lucium Titium paſſum eſſe à Gajo Sejo. L. Lucius, ff. de his qui not. Infa.* Sic Paulus Præfectum Prætorio ſcribit pronuntiaſſe, Contrà injuriam feciſſe pronuntiabat, ſi id probatum eſſet. Antoninus Imperator ſic pronuntiare ſolebat, *in L. proximè ff. de his, quæ in teſt. del. Cùm Valerius Nepos mutata voluntate & inciderit teſtamentum ſuum, & hæredum nomina induxerit, hæreditas ejus ſecundùm Divi Patris mei conſtitutionem ad eos, qui ſcripti fuerunt, pertinere non videtur.* Et ſententiæ ſuæ rationes reddit Imperator, & modeſtiſſimè pronuntiat. Aliàs ejuſdem Imperatoris ſententias eodem loco lege apud eundem Briſſonium.

XVI. Lectori diligenter perpendendum quod animadvertit, & probat idem Briſſonius *lib.* 2. *Nil*, inquit, *abſolutè, aut pro imperio Conſulibus, Prætoribuſve mandare, præcipereve Senatus ſolebat, ſed precariis potiùs quàm imperativis verbis, & ſub hac demum exceptione, ſi videretur. Donat. in Adelph. Terent. Act. 3. Scena 5. ad ea verba, fac ſis Soſtrata. Sis, inquit, honorificè additur verbo, ne quod imperativo modo pronuntiatur, ſuperbum ſit. Deductum eſt autem à Senatuſconſulti forma: Ubi enim Senatus conſulibus injungit, addit, ſi eis videatur.* Præter Donati teſtimonium alia nonnulla refert. Lampridius quoque ſcribit, Commodo interfecto, Pertinaci Imperatori fauſtè acclamatum eſſe, atque inter acclamationes Senatum ſententiam de Commodi cadavere pronuntiaſſe in tertia perſona Imperativa, neve Imperatori viderentur aliquid jubere, precibus adjunctis ſermonem temperaſſe, *Parricida trahatur, rogamus Auguſte, Parricida trahatur. Hoc rogamus, Parricida trahatur. Exaudi Cæſar, delatores ad Leonem. Exaudi Cæſar, Speratum ad Leonem, &c. Perroga, Perroga, omnes cenſemus unico trahendum, qui omnes occidit, &c.* Poſteà cum auditum eſſet ſepulturæ cadaver mandatum, refert Lampridius Cingium Severum Pontificem dixiſſe, *Injuſtè ſepultus eſt. Quâ Pontifex*

dico.

Digitized by Google

dico. Hoc collegium Pontificum dicit, &c. Sæpiſſimè in legum digeſtis, Imperatorum ſententiæ ſub hoc titulo leguntur, *Dixit, ut l. ſi uſumfructum ff. de libert. cau. Auguſtus dixit, ante de matre conſtare oportere, ſic deinde filio cognoſci*, Et in *l. Severus ff. de Decur. Severus Auguſtus dixit, &c. In l. cum ſit, C. de uſucap. pro empto, Imperator Philippus cum Concilio collocutus dixit, l. Decurionum, C. de Pœnit. Impp. Dioclet. & Maximianus AA. in Conſiſterio dixerunt, &c.* Permulta alia vide apud Briſſon. *de formulis l. 5. Idem lib. 2. notat* Senatuſconſulta una ex his quinque formulis ut plurimum enuntiari. *Placere Senatui, Senatum velle, & æquum cenſere, Senatum exiſtimare, Senatum arbitrari, Senatui videri*, & uniuſcujuſque formulæ varia exempla colligit.

XVII. Hæc propoſito noſtro illuſtrando ſufficere videntur, nec opus in plura inquirere. Neminem puto exiſtimare Senatus Romani, aut Imperatorum ſententias eò minoris auctoritatis fuiſſe quò minore cum verborum imperio, aut faſtu pronuntiatæ fuerunt, & quò modeſtiores Principes ſunt, eò impotentiores. Sive pronuntient, ſic volo, ſic jubeo, aut modeſtiùs, abſolvatur, plectatur, aut abſolvi æquum eſt, vel dico abſolvendum, vel abſolvendus videtur, ſive aliis modis ſententiam ſuam enuntient Principes, ſummuſque Senatus, eadem ſententiæ auctoritas; quum in pronuntiantis verbis voluntas, & intentio ſpectentur, non verborum, quo voluntatem, & intentionem teſtatur *οἱ κοινωνοῦντες ἢ δεσποτικόν*. Quapropter præpoſterè admodùm de his pronuntiandi formulis mihi videtur diſputatio inſtitui, cùm omnes quantum ad verborum vim attinet, & ſignificationis ſubſtantiam, æquipolleant. Immò preces cum à viro potente adhibentur, imperandi vim induunt, ut apud omnes vulgatum eſt, idque ex Platone velut vulgatum refert Cicero *lib. 9. Epiſt.* ad Atticum, *αἱ τῶν τυράννων δ᾽ ἱκέσιαι μεμιγμέναι ἀνάγκαις εἰσί*. Quum igitur Principes modeſtiæ cauſa de rebus, quas pro arbitrio, & nudo verbo præſtare poſſunt, ita loquantur, Quidni Sacerdos effectum producturus vires ſuas infinitè ſuperantem, Deum deprecabitur, cujus nudus eſt Miniſter?

CAPUT XXI.

Ex varia rerum ſimilium in Eccleſia praxi docetur, Abſolutionem à peccatis deprecativam valere poſſe. Abſolutio ab Excommunicatione ex communi ſententia utroque modo valet, licèt maximè ſit judicialis, & forenſis. Quotquot ſuperſunt Abſolutionis ab Excommunicatione antiquæ formulæ ſunt deprecativæ. Pleræque omnes antiquæ ſententiæ Excommunicationis ſunt indicativæ. Hujus rei ratio redditur. Paucæ tamen ſunt deprecativæ.

IDem demonſtrant evidenter nonnullæ aliæ rationes, quas hoc capite breviter enarramus Primùm, Benedictiones fiunt & deprecativè, & indicativè. Idem enim eſt benedicat te Deus, & benedico te, in nomine Patris, &c. Idem quoque, ſi quis dicat injuriam inferenti, Parcat tibi Deus, & parco tibi. Benedictio ſingularis, qua Sacerdotes jubet Deus populo ſolemniter benedicere *Num. 6.* eſt deprecativa, atque ut plurimùm benedictiones ſunt deprecativæ. Quis tamen negabit valere benedictionem indicativè datam? Jacob *Gen. 48.* 20. filiis in futuro judicativi Joſeph benedicit. Angelus Jacobo in cuſtodiam datus ſæpè eum benedicit, ſed ſemper in futuro bona promittens. Hinc enim hactenus Abſolutio dicitur Benedictio. Benedictio quoque, ut Abſolutio, actus eſt juriſdictionis, atque à ſuperiore ſemper fit, aut fieri debet. Quamobrem benedictio indicativè, & deprecativè valebit, & non Abſolutio?

II. Secundò in confeſſo eſt, apud pleroſque Theologos orationes iſtas, & ſimiles, Miſereatur tui, &c. Indulgentiam, abſolutionem, &c. extra Confeſſionem ſive, ut volunt, extra Sacramentum valere ad remiſſionem venialium; Qua ratione demonſtrabitur in Confeſſione Sacramentali valere non poſſe ad remiſſionem mortalium; Deumque ad miſericordiam Pœnitenti præſtandam ex opere operato flectere non poſſe? Omnem lapidem quis moveat, Logicam ſuam agitet Dialecticus, *ἄνω ἢ κάτω, τρόπον χἀ τίνα*, nihil eruet, aut emicabit, quo vel leviſſimè doceat alterius ab altero diſcrimen. Nihil enim in re tanti momenti faciendæ mihi videntur rationes è proprio genio ebullientes cum inſignium Eccleſiarum conſuetudinibus, quæ nunquam ab Eccleſia univerſali damnatæ ſunt, opponuntur. Quivis enim ingenio non infelici, & ſtudiis Philoſophicis, & Theologicis mediocriter imbutus rationem hujuſmodi iliada in utram libuerit partem facilè ſuppeditaverit.

III. Tertiò certum eſt, apud omnes Theologos, & Canoniſtas Abſolutionem ab Excommunicatione quolibet verbo, ſi abſolvendi adſit intentio, dari poſſe; & notanter ajunt Summiſtæ, & Canoniſtæ dari his verbis, *Benedico te*; Similiter igitur, & his, Benedicat te Deus, & multò magis, Abſolvat te Deus. Sylveſter in verbo Abſolutio, III. *n. 2. Dic, quod non ſervato modo ſolemni, etiam ſine cauſa rationabili, Abſolutio ipſa nudo, & ſimplici verbo fieri poteſt, ut dicendo, Abſolvo te ab Excommunicatione, aut relaxo eam, vel te benedico, aut aliquid æquivalens cum intentione abſolvendi*. Atque in hanc ſententiam ait omnes ferè Doctores conſpirare. Richardus de media villa *in 4. diſt. 18. art. 10. q. 5.* quæcunque verba ſufficere ait, *Significantia tamen Excommunicationis revocationem*. Cardinalis Hoſtienſis *Summæ lib. 5. de ſentent. Excommun. n. 14.* dicit ex ſua, & communi ſententia, Papam nulli formæ eſſe adſtrictum, *Unde*, inquit, *ſi ex certa ſcientia Excommunicatum aliquem ſalutaret, poteſt dici quod pro Abſoluto habeatur, &c. Alii dicunt, quod hoc ita demum verum eſt, ſi apparet, quod per hoc ipſum abſolvere intendat*. Eadem, & multis Joannes de Friburgo *Summæ lib. 3. tit. 33. q. 68. & 69.* qui addit idem eſſe ſentiendum de ſententia Excommunicationis, & Abſolutionis. Raymundus tamen *Summæ lib. 3. tit. de ſentent. præcepti, & Excomm. §. 26.* improbat quorundam Presbyterorum, quos vocat ſimplices conſuetudinem, qui ab Excommunicatione abſolventes dicebant, *Abſolutionem, & remiſſionem Excommunicationis, & omnium peccatorum tribuat vobis omnipotens Dominus*. Sed antiquus ipſius Gloſſator Guillelmus, qui eodem cum ipſo tempore florebat, ſic eum interpretatur, *Si tamen intendat Prælatus excommunicare, vel abſolvere per verba ejuſmodi, credo, quòd verba deſerviunt intentioni, & ſic Excommunicat, vel abſolvit*. Eadem approbat Joannes de Friburgo, formamque nullam verborum requirit, ſed ſolam in verbis Excommunicantis, vel abſolventis intentionem. Obiter notabit Lector non eſſe mea quidem ſententia, de Abſolutionis Sacramentalis formula tam infinitè ſentiendum, ut de formula Abſolutionis ab Excomm. Sentiunt Scholaſtici. Effectus enim prioris Abſolutionis longè eſt effectu poſterioris auguſtior, & eo multò magis naturæ humanæ vires excedit. Quapropter ea tantùm formula efficax mihi videtur, quam definit, aut tolerat Eccleſia. Nos autem conjecturis, aut ſi mavis argumentis, oſtendimus, formulam deprecativam huic effectui producendo non eſſe ineptam, & ab Eccleſia uſurpari potuiſſe, ut moris antiqui, de cujus obſervatione dubitari non poteſt, ratio nobis aliquo modo conſtet.

IV. His ita ex omnium propè Scholaſticorum, & Canoniſtarum ſententia ſe habentibus, tria inſuper in memoriam Lectori revocanda ſunt, quæ nullus Theologus non confitetur. Primùm, Excommunicandi, & abſolvendi poteſtatem Epiſcopis eſſe à Chriſto datam per hæc verba, Quæcunque ligaveritis, &c. Quorum remiſeritis, &c. Secundùm, Excommunicationem, & Abſolutionem eſſe actus verè judiciales, & multò magis quàm fori interni abſolutionem, cùm in priore omnes juris ſolemnitates, & formulæ obſerventur, quòd in poſteriore nec fit, nec fieri poteſt. Tertium, in Excommunicatione, & Abſolutione nihil omninò decerni, aut fieri, quod non ſit in Excommunicantis, & abſolventis poteſtate, cùm iſta externam tantùm ab Eccleſia ejectionem, aut admiſſionem ſpectent: Unde ſimplicibus Clericis ex delegatione convenire poſſunt. Hinc manifeſtum eſt, *καὶ αὐτόθεν*, cùm illa Chriſti verba non impediant, quin Abſolutio ab Excommunicatione deprecativè fiat, non impedire quoque quin Abſolutio à peccatis deprecativè detur. Eadem ratio ſecundi axiomatis, ſi ſententia Abſolutionis ab excommunicatione, quæ maximè judicialis eſt, per orationem ad Deum fuſa proferri poteſt, multò magis ea Abſolutio, quæ formulæ judicialis minùs participat. Principalis, immò unica ratio, qua multi commoventur, ut dubitent an Abſolutio à peccatis poſſit eſſe deprecativa, ea eſt, quòd ſit ſententia judicialis. At Excommunicatio, totuſque ritus illius ferendæ, & relaxandæ multò magis eſt judicialis, & Forenſis. Denique in toto excommunicationis proceſſu nihil quod creaturæ vires excedat, agit Sacerdos. Quapropter nulla ſpecialis Dei invocationis cauſa ſubeſt ad effectum illum producendum. Sed effectus per Abſolutionem Sacerdotis à peccatis productus omnis creaturæ vires infinitè ſuperat. Formula igitur deprecativa Abſolutioni Sacramentali aptiùs conveniet quàm Abſolutioni ab excommunicatione.

V. Rogabit aliquis, quæ erat antiqua Abſolutionis ab Excommunicatione forma? Paucæ admodùm ejuſmodi formulæ legendo mihi occurrerunt. Patres enim, & canones excommunicandum tantùm, aut anathemate feriendum, qui hoc vel hoc fecerit, jubent aut monent, qua ſolemnitate hoc fieret non adnotant: Idem Abſolutioni contigit. Burchardum primùm legi, qui iſtius Abſolutionis mentionem faciat *lib. 11. Decreti*, Poſt enarratum ex Concilio quodam Rotomagenſi ſolemnis excommunicatio-

nis ri-

Digitized by Google

nis ritum, ad Abſolutionis ſolemnitatem progreditur. Excommunicatum Pœnitentem, & veniam poſtulantem, & ſatisfacere promittentem Epiſcopus, inquit, duodecim Presbyteris comitatus cum ad januas Eccleſiæ ducere debet, ubi nonnullis ad ſatisfactionis ſecuritatem peractis ſic abſolvitur, *Epiſcopus ſeptem Pſalmos decantat cum iſtis precibus, Kyrie eleiſon, Pater noſter. Salvum fac ſervum tuum. Deus meus, ſperantem in te. Mitte eis, Domine, auxilium de Sancto. Et de Sion tuere eum, Nihil proficiat inimicus in eo; Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. Eſto ei, Domine, turris fortitudinis. A facie inimici. Domine, exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Oremus. Oratio.*

Præſta, quæſumus Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, ut Eccleſiæ tuæ ſanctæ, à cujus integritate deviarat peccando, admiſſorum veniam conſequendo reddatur innoxius. Per Dominum.

Item Alia.

Majeſtatem tuam, quæſumus Domine, Sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui non mortem, ſed peccatorum vitam ſemper inquiris, reſpice flentem famulum tuum, attende proſtratam, ejus planctum in gaudium tuæ miſerationis converte, ſcinde delictorum ſaccum, & indue eum lætitiam ſalutarem, ut poſt longam peregrinationis famem de ſanctis altaribus ſatietur. ingreſſuſque cubiculum regis, in ipſius aula benedicat nomen gloriæ tuæ ſemper. Per Dominum.

Tunc Epiſcopus apprehenſa manu ejus dextera in Eccleſiam eum introducat, & ei communionem, & ſocietatem Chriſtianam tradat, & hanc orationem dicat.

Deus miſericors, Deus clemens, qui ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis evacuas, reſpice ſuper hunc famulum. N. & remiſſionem ſibi omnium peccatorum totius cordis confeſſione poſcentem deprecatus exaudi. Innova in eo, piiſſime Pater, quidquid diabolica fraude violatum eſt in unitate corporis Eccleſiæ: tu miſerere, Domine, gemituum ejus, miſerere lachrymarum ejus, & non habentem fiduciam niſi in tua miſericordia, ad Sacramentum reconciliationis admitte. Per Dominum noſtrum.

Poſt hæc ſecundùm modum culpæ pœnitentiam ei injungat, & literas per Parochiam dirigat, ut omnes noverint eum in ſocietate Chriſtiana receptum. Aliis etiam Epiſcopis hoc notum faciat.

VI. Gratianus cauſa, XI. *q.* 3. in fine, eandem Abſolutionis formulam ex eodem Concilio refert, quo Burchardus, ſed nonnullas orationes brevitatis cauſa reſecat, ut paulò ante in ſolemnitate ferendæ Excommunicationis ex Concilio Rotomagenſi pleraque reſecuerat; utrobique autem notat, ſe modum, formamque excommunicationis, & Abſolutionis explicare. Ivo Carnutenſis *p.* 14. *cap.* 75. & ſequentibus eadem omnino deſcripſit, quæ Burchardus, & eadem adnotavit Concilia; ſed formam reconciliationis prorſus omiſit. Idem fecit & Regino in Collectione manuſcripta, ſed omnia refert velut ex Concilio Rotomagenſi. Qui præfuerunt correctioni Decreti, teſtantur, iſta in antiqua Collectione incerti auctoris referri velut ex Zacharia Papa, ſed nihil monent de reconciliationis formula. Cùm tamen multas paginas referant, quibus Excommunicationis ferendæ formulæ variæ continentur, nihilque prorſus inter ſe differant, certum eſt, Ivonem, Reginonem, & Anonymum illum auctorem eandem cum Burchardo, & Gratiano reconciliationis formulam in exemplaribus ſuis habuiſſe, verum ut omnibus notam, & communem prætermiſiſſe, ſi modò eam prætermiſit Anonymus ille. Ex quibus manifeſtiſſimum eſt ſecundùm perpetuam Eccleſiæ praxim ad tempora uſque Gratiano poſteriora, Abſolutionem ab excommunicatione modo deprecativo, & vix alio datam. Innocentius III. qui multis annis poſt Gratianum vixit, nihil aliud docet uſurpari ſolitum præter orationes, *Abſolutionis autem forma ſervetur, ut fiat cum pœnitentiali Pſalmo, & tam oratione Dominica, quàm alia conſueta.* Extr. *de ſentent. Excom. c. à nobis.* Quæſtio erat de homine excommunicato poſt mortem abſolvendo. Per aliam conſuetam intelligit primam, quam ex Burchardo retulimus, ut ex Raymundo ſtatim conſtabit, quam ſolam expreſſit Gratianus eandem formulam edocens: Si abſolutoria illa ſententia ex Eccleſiæ conſuetudine erat indicativa, quare ſolius orationis meminit, dum formam Eccleſiaſticam docet, & obſervari jubet: Si non poteſt eſſe deprecativa, quare cùm docet qualis ſit Eccleſiaſtica forma, quæ ſunt ſubſtantialia prorſus omittit, & acceſſoriis tantùm minutè inhæret? Ratio cuivis eſt in promptu: Nihildum de illa forma judiciali indicativè tantùm pronuntianda decreverant Scholaſtici Doctores. Ideò Pontifex ex trita per Eccleſiam praxi reſpondet, doctrinamque hanc aut obſcurã, aut nondum fortè inventam prætermittit. Quid ipſe Raymundus ejus, quod paulò ante in eodem paragrapho dixerat oblitus, dum quærit, qua ratione ſolemniter ab Epiſcopo anathematizatus reconcilietur, nihil aliud docet quàm quod jam dictum eſt, & à Gratiano refertur, duodecim Presbyteros adeſſe debere, & Epiſcopum circumſtare, pœnitentem proſtratum veniam poſtulare, &c. Septem Pſalmos decantandos, *Cum iſtis precibus, Kyrie eleiſon. Pater noſter, Salvum fac ſervum tuum. Præſta, quæſumus Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, &c.* Oratione hac finita, infert Raymundus, *Hæc eſt forma canonica ſolemnis reconciliationis, quam habes. 11. q. 3. C. Cum aliquis.* Nec antiquam, & canonicam formam inquirens aliam poterat exhibere.

VII. Differentia autem eſt magna Abſolutionem inter, & excommunicationem. Excommunicatio enim hominem invitum ab Eccleſia viſibili expellit, pœnæque genus eſt ab Eccleſia contumacibus inflictum: Ideò convenit maximè excommunicationi, ut indicativo modo, primaque perſona pronuntietur. Oportet enim ut ſciat non modò excommunicandus, ſed etiam totus populi conventus hunc ab Eccleſia pelli, & ab omnibus eſſe fugiendum. Ideò oportet ita clarè excommunicationis ſententiam enuntiari, ut coram hominibus nulla tergiverſatione negari poſſit, ſed ſtatim reali, & corporali executioni mandari. Hoc autem deprecativo modo minus convenit, verbi gratia, Si quis diceret, Deus te ab Eccleſia pellat, Deus te excommunicet, &c. Deus quidem ſtatim poſt orationem Sacerdotis poteſt eum ab Eccleſia inviſibili expellere. At hoc internum ſententia Sacerdotis non præſertim attenditur, ut fit in Abſolutione à peccatis, ſed viſibilis, & corporea expulſio, quæ non à Deo, ſed ab hominibus præſtatur; quum è contra, Abſolutionis à peccatis effectus non ab hominibus principaliter, ſed à Deo peragatur. Idem etiam expoſtulat ratio pœnæ, quam præſentem, & omnium conſpectui expoſitam eſſe oportet, & ab hominibus infligi. Tertiò animadvertendum eſt, excommunicationem non eſſe propriè Orationis materiam, cùm ad eam procedere quis non debeat niſi invitus, & poſtquam omnem lapidem movit, ut ad eam non procederet. Itaque excommunicatorem oportet Deum orare impenſiſſimè, ut nunquam excommunicet, & convertatur, qui excommunicatione dignus eſt; Atque in ipſa pronuntiatione ſententiæ, interius apud ſe orare Deum, ut, qui excommunicatur, eo ipſo momento à peccato reſipiſcat. Hæc ſanè non ſatis convenire videntur cum ſententia excommunicationis deprecativa.

VIII. Hinc fit, ut ſententia excommunicationis, ſive damnationis indicativo modo, atque in prima perſona pronuntietur. Quidquid ſit, antiquiſſima praxis, quæ rationis noſtræ moderatrix eſſe debet, ſic obtinuit. Burchardus, & alii auctores citati hanc nobis formulam exhibent, *Idcircò nos eum cum univerſis complicibus, & communicatoribus, fautoribuſque ſuis judicio Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus S. & B. Petri principis Apoſtolorum, & omnium Sanctorum, & noſtræ mediocritatis auctoritate, & poteſtate nobis divinitus collata ligandi, & ſolvendi in terra, à pretioſi Corporis, & Sanguinis Domini perceptione, & à ſocietate omnium Chriſtianorum ſeparamus, & à liminibus Sanctæ matris Eccleſiæ in cœlo, & in terra excludimus, & Excommunicatum, & anathematizatum eſſe decernimus, & damnatum cum Diabolo, & Angelis ejus, & omnibus reprobis in igne æterno judicamus, niſi forte à Diaboli laqueis reſipiſcat, & ad emendationem, & pœnitentiam redeat, & Eccleſiæ Dei, quam læſit, ſatisfaciat.* Duodecim adſtantes Presbyteri lucernas, aut tædas ardentes manibus tenentes reſpondent, fiat, fiat, aut anathema ſit; projiciuntque in terram lucernas ſuas, & pedibus conculcant. Tres aliæ ſequuntur apud eoſdem auctores Excommunicationis formulæ, ſed omnes eodem modo pronuntiantur.

IX. Formula depoſitionis Neſtorii à Concilio Epheſino fuit ejuſmodi, ut refertur Concilii Epheſini *part.* 2. *Act.* 1. *Lachrymis ſubinde perfuſi, ad lugubrem hanc contra eum ſententiam neceſſariò venimus. Igitur Dominus noſter Jeſus Chriſtus, quem ſuis ille blaſphemis vocibus impetivit per ſanctiſſimam hanc Synodum eundem Neſtorium Epiſcopali dignitate privatum, & ab univerſo Sacerdotum conſortio, & cœtu alienum eſſe definit.* Non ſuo ſed Chriſti nomine in tertia perſona indicativi eum deponit. Græcus textus habet *ὥρισε definit*, in tertia perſona aoriſti primi. In actis Conciliabuli Epheſini Joannes Antiochenus Patriarcha cum ſuo Concilio Cyrillum Alexandrinum, & Memnonem Epheſinum hac formula deponunt, & alios excommunicant, *Ideò tu, Cyrille Alexandrine, & tu, Memnon, hujus civitatis Epiſcope, ſcitote vos depoſitos, & ab Epiſcopatu alienos, atque ab omni Eccleſiaſtico miniſterio, & functione eſſe amotos, &c. At vos reliqui omnes, qui ſeditiosè, & iniquè contra Eccleſiaſticas ſanctiones*

regiaque decreta agentibus conſenſiſtis, anathemati ſubjacetis, ἀκοινώνητοι ἴστε, donec agnita culpa veſtra reſipiſcatis.

X. Actione 7. Concilii Conſtantinopolitani ſub Flaviano, cujus acta referuntur actione 1. Concilii Chalcedonenſis, Eutyches à Concilio in hanc formulam deponitur, *Unde lacbrymantes, & gementes perfectam ejus perditionem, decrevimus per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ab eo blaſphematum extraneum eum eſſe ab omni officio Sacerdotali, & à noſtra communione, & primatu Monaſterii.* In eadem Concilii Chalcedonenſis Act. 1. inter Epheſini Conciliabuli acta ſic Dioſcorus Alexandrinus Flavianū Conſtantinopolit. deponit, *Flavianum, & Euſebium ab omni Sacerdotali, & Epiſcopali dignitate judicamus eſſe alienos.* Græcè in præterito, κεκρίκαμεν. Sequuntur aliorum Epiſcoporum judicia. Juvenalis Hieroſolymitanus, *Ego conſona decerno, &c. alienans vos ab Epiſcopatus dignitate.* Alii nonnulli, *Alienos ab omni Epiſcopali dignitate exiſtimo*, alii, *alienos decerno, &c.* Alii ſimpliciter dicunt ſe ſententiæ latæ conſentire.

XI. Concilii Chalcedonenſis Act. 3. in hanc formam Dioſcorum condemnant legati Apoſtolici, *Unde ſanctiſſimus, & beatiſſimus Archiepiſcopus magnæ, & Senioris Romæ Leo, per nos & per præſentem ſanctam Synodum una cum ter beatiſſimo, & omni laude digno Beato Petro Apoſtolo, qui eſt Petra, & crepido Catholicæ Eccleſiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudavit eum tam Epiſcopatus dignitate, quàm etiam, & ab omni Sacerdotali alienavit miniſterio.* Antiochenus Epiſcopus, *Alienum eum judico ab omni Epiſcopali, ſive Sacerdotali dignitate, & miniſterio*: Ita plerique: Alii ſimiliter, ſed pro, *judico*, dicunt, *Definio, exiſtimo, decerno, alienum facio, habeo, alieno, ceſſare decerno.* Ejuſdem Concilii Act. 10. Ibæ depoſito ſub hac formula dignitatem reſtituunt Legati Apoſtolici, *Ob hoc decernimus, & honorem Epiſcopatus, & Eccleſiam, à qua injuſtè, & abſens expulſus eſt, ei reſtituendam.* Conſtantinopolitanus ſic ſententiam dicit, *Dignum eum judico Epiſcopatu, & habere curam ejus Eccleſiæ, in qua pridem exiſtebat.* Antiochenus, *Unde & ego decerno, eum & Epiſcopatus recipere dignitatem, & civitatem propriam.* Alii, *volo permanere eum in Sacerdotio*, vel, *decerno.*

XII. Quanquam res ita ſe habeat, videaturque propter rationes dictas Excommunicatio difficilè pati formulam orationis ad Deum, reperiuntur nihilominus quædam ita conceptæ. *Epiſt. 1. ad Cor. cap. 16. verſ. 22. Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema, Maranatha.* Formula tum frequens in majoribus Excommunicationibus, ſed prorſus deprecativa. Ad ejuſmodi excommunicationis genus referri debent Maledictiones latæ, *Deute. 27. Maledictus, qui non honorat Patrem ſuum, & matrem ſuam, Et dicet omnis populus, Amen.* Et plurimæ, quæ cum eadem formula ſequuntur. Aliæ plurimæ leguntur *c. 28. Percutiat te Dominus egeſtate, & febri, &c. Sit cælum, quod ſupra te eſt, æneum, &c.* In tertiæ Excommunicationis formula apud Burchardum, & alios, poſt hæc verba, *A ſanctæ matris Eccleſiæ gremio ſegregamus, ac perpetuæ maledictionis anathemate condemnamus*, ſequitur, *ſintque maledicti in civitate, maledicti in agro, &c. veniantque ſuper eos omnes illæ maledictiones, quas Dominus per Moſen in populum divinæ legis prævaricatorem ſe eſſe miſſurum intentavit, ſintque anathema, Maranatha.* Verùm iſta omnia videntur potius imprecationes excommunicationi additæ, quibus jam lata approbatur, & confirmatur, quàm aliquæ excommunicationis formulæ. Sed priſcis illis temporibus, cùm nondum eſſent de unaquaque re Theologica præcepta artificialia, deque actionibus ſuis ἐν πλάτει magis quàm poſteà factum eſt, loquerentur, imprecationes illas ſimul, & indiſtinctè cum verbis propriis excommunicationis, pro ipſa excommunicationis forma ſumebant, & non abs re credebant in illis ſuam eſſe apud Deum virtutem. Ipſi Ethnici Parentum imprecationes in liberos à diis exaudiri crediderunt, θεοὶ δ' ἐτέλειον ἀράς, inquit Homerus, & Horatius, *Dira deprecatio, nulla expiatur victima.* Multò magis ab Eccleſia optima Parente in filios ſuos fulminatæ.

CAPUT XXII.

Doctores referuntur, qui docuerunt Abſolutionem à peccatis deprecativam valere poſſe. Si expreſſio ſolius cauſæ inſtrumentalis ſufficit, multò magis ſolius principalis. Prior formula puta, & omni prorſus invocatione careas, hactenus non fuit in uſu. Poſterioris argumentum quotidianum ſupereſt. Omnis formula Abſolutionis imperativè enuntiata, eſt deprecativa, nec alius illi ſenſus affingi poteſt.

Denique multi, & inſignes Theologi nobis lecti ſunt, qui Abſolutionem modo deprecativo dari poſſe docuerunt, licèt antiquæ conſuetudinis Latinorum, & perpetuæ Græcorum ignari eſſent. Dominicus à Soto *in 4. diſt. 3. q. unica, art. 5. §. Multa hic. Qua atiqueratione, & in Sacramento pœnitentiæ licèt quis diceret, abſolvit te Chriſtus, vel abſolvat te, verè abſolveret quamvis peccaret. Nam & forma Extremæ unctionis eſt, Indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per viſum, &c. In ſumma ſi expreſſio ſolius Miniſtri ſufficit, ut exercentis actum, Ego te baptizo, cur non ſufficiat expreſſio Chriſti, qui per ſuum Miniſtrum baptizat.* Et poſt aliqua, *Igitur ut ſummatim cuncta comprehendamus, ſi quis in forma actionem Miniſtri excluderet dicens, Baptizet, vel abſolvat te Deus, vel Chriſtus, quem ego nullatenus baptizo, aut quem ego non abſolvo, profectò non baptizaret, quia adverſaretur intentioni Chriſti, & Eccleſiæ. Sed ſi iſta non ſiat excluſio, ſufficiens eſt forma exprimendo ſolam Chriſtum, qui intelligitur per ſuum Miniſtrum baptizare.* Vivaldus *in Candelabri aurei 3. parte tit. 11. n. 46.* hæc Soti verba citat, & approbat, *Licèt hæc ſit communis forma*, inquit, *Abſolvo te, &c. Sotus tamen ait in 4. diſt. 3. q. unica, art. 5. quod ſi quis abſolveret in hæc verba, abſolvit te, vel abſolvat te Jeſus Chriſtus, verè abſolveret, licèt peccaret recedendo ab uſu Eccleſiæ, &c.* Quæſtionem inſuper movent, & ſolvunt Soto, & Vivaldus, Abſolutionem nunc datam deprecativè eſſe validam. Id ego nolim neque affirmare, neque negare. Doctorum in hac cauſa ſententiam audire velim. Non videtur enim Concilium Tridentinum huic ſententiæ conſentire. Quidquid ſit, hoc non ſpecto: Contendo tantùm nihil impedire quominus modus deprecativus natura ſua ſit abſolvendis peccatis idoneus; olim in Eccleſia Latina multis ſeculis uſurpatum fuiſſe, & hactenus in Orientali eſſe vulgatiſſimum.

II. Retulit Sotus maximi momenti argumentum, quod ſæpius conſiderans mirari ſatis non potui ſententiam Theologorum multorum, & inſignium, qui docent hæc verba, *Abſolvo te*, ſufficientem eſſe Sacramenti pœnitentiæ formam, iſta verò, *Abſolvat te Deus* nihil peragere. Quid enim reſponderi poteſt huic Soti argumento, Si expreſſio ſolius Miniſtri ſufficit, cur non ſufficit expreſſio ſolius cauſæ principalis? Mitto, quæ ſuperius dicta ſunt de utriuſque formulæ praxi. Si expreſſio miniſtri, aut actionis, quæ nullam prorſus cum divino illo, καὶ ὑπερφυεῖ effectu proportionem habet, ſatis eſt, ut Deus effectum illum producat, Dei nomine, & virtute prætermiſſa: Quidni prætermiſſis ſervi nomine, & actione, quæ per ſe, & ſuapte natura nihil prorſus in effectum influere poſſunt, ſola Dei expreſſio ſufficiat? Immò homo loqui non poteſt quovis modo, vel tangere, vel minimum quid agere, ex quo aliquis effectus ſupernaturalis viſibiliter producatur, quin ſtatim Dei inſtrumentum ad illius productionem ab omnibus judicetur. Suſcitet aliquis mortuum dicendo, ſuſcitat te Dominus, vel, in nomine Domini ſurge, vel ſuſcitet te Dominus, vel aliquid aliud orando, ſtatim Deus glorificabitur, qui talem poteſtatem dedit hominibus; ut turbæ viſis Chriſti miraculis, quem nudum hominem credebant, Deum glorificabant. Periculum tantum eſt, præſertim ſi in Ethnicorum conſpectu miraculum patretur, ne ab iis vir Sanctus exiſtimetur Deus, ut contigit Sanctis Paulo, & Barnabæ *Act. 14.* Multò magis huic periculo dabitur occaſio, ſi divinus ille effectus hominis imperio, aut nudo arbitrio expreſſo peragatur. Sufficit itaque ad cauſæ inſtrumentalis expreſſionem humillimus loquendi modus, qualis eſt deprecativus. An ſufficiat ſolius inſtrumentalis cauſæ expreſſio, quæri poteſt? Scio, multos inſignes, & maximæ auctoritatis Theologos ita edicere. Sed qua Eccleſiæ recentioris aut antiquæ praxi id demonſtretur, edoceri velim: formulæ enim omnes hodiernæ Trinitatis ſaltem invocationem addunt, non ſecus ac in baptiſmo: antiquæ verò oratione ad Deum conceptæ eduntur. Quidquid ſit, æquum certè non videntur, id, quod præcipuum eſt, omittere, & inſtrumenti tantùm rationem habere. Itaque dicere poſſumus, etiam in Eccleſia Latina formulam Abſolutionis hactenus fuiſſe principaliter deprecativam, cùm hactenus Trinitatis invocatio illi conjuncta fuerit, & non modò totius Eccleſiæ Latinæ praxis id confirmet, verumetiam Concilium Tridentinum id decreverit *ſeſſione 14. cap. 13.* cùm dixit Pœnitentiæ formam, *In illis Miniſtri verbis poſitam eſſe, Ego te abſolvo, &c.* Quid enim aliud per, &c. veroſimiliter intelligi poteſt quàm hæc verba. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, quæ ſupplent, & Catechiſmus ejuſdem Concilii, & Rituale Romanum, & univerſa Eccleſiæ Latinæ praxis.

III. Immò Cardinalis Bellarminus *c. 19. lib. 1. de Sacramentis in genere*, multis contendit adversùs Hæreticos verba, quibus Sacramenta conferuntur eſſe conſecratoria, & hoc probat potiſſimum, ex eo quòd omnia Dei invocationem continent. *Probatur hæc propoſitio, Primò, verba à Domino præſcripta in baptiſmo non habent formam inſtructionis, ſed invocationis, & benedictionis. Id quod probatur ex ipſa forma loquendi Chri-*

ſti

Digitized by Google

ſti. Non enim ait, Docete omnes gentes nomen Patris, & Filii,& Spiritus ſancti. Sed baptizantes eos in nomine Patris, &c. reſpiciunt actum baptizandi, non actum docendi; proinde ſonant invocationem Trinitatis ſuper aquæ aſperſionem, &c. Deinde ſi licet ſcripturam exponere per ſcripturam,perſpicuum erit, in nomine Patris ſonare invocationem Trinitatis , *&c.* Id probat ex *cap. Marci ultimo, & Actor.3.* Deinde ex verbis Apoſtoli 1. *ad Corinth.c.1.* Nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aot in nomine Pauli baptizati eſtis? *Ubi Apoſtolus* , inquit Cardinalis , *demonſtrare vult Sacramentorum auctores non eſſe eos homines* , *qui illa miniſtrant: idque inde probat, quia non dantur in nomine Miniſtrorum, ſed in nomine Dei,id eſt,Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Nomen igitur in verbis Sacramentorum invocationem ſignificat, ex qua colligitur auctoritas*. Hoc poſteà variis Patrum teſtimoniis demonſtrat.

IV. Ejuſdem rei argumentum eſt quotidiana confitentium praxis, & librorum ritualium præceptio in hunc diem obſervata, qui hanc ſemper orationem Confeſſioni præmittunt, *Confiteor Deo omnipotenti, &c.* & confeſſione completa pergunt, *Ideò precor B. Mariam ſemper Virginem, B. Michaelem Archangelum, B. Joannem Baptiſtam, SS. Apoſtolos Petrum, & Paulum omnes Sanctos, & te, Pater, orare pro me ad Dominum Deum noſtrum.* Non dicit, & te, Pater, abſolve me, ſed ſimpliciter, *orare pro me.* Evidens antiquæ formulæ argumentum, & monumentum, ad eam enim neceſſariò refertur. Quis enim dicat Confitentem à Sacerdote tam humiliter efflagitare id, quod minimum erat, & parum ſibi utile: id quod verò maximum, & planè neceſſarium præterire? Quis ita opinabitur, cùm viderit omnes antiquos rituales libros poſt hanc orationem, & peccatorum enomerationem, plurimas orationes in Abſolutionis formulam injungere, nihil verò indicativum? Hæc antiqua confitentis inſtitutio commodè, ad Alexandri Halenſis, & S. Bonaventuræ ſententiam referri poteſt, ſed ad eam qua ſolùm dicitur, *Abſolvo te*, difficilè. Unde evidenter colligitur, inſtitutionem illam prioris cauſa datam eſſe, plebemque illi aſſuetam non obſtante poſterioris vigore illam conſervaſſe.

V. Michael Aiguanus, aliàs incognitus dictus, Carmelitarum olim Præfectus generalis *in 4. d.23.* Cùm ſibi objeciſſet Eccleſiam Romanam in Extrema unctione uti forma deprecativa, Ambroſianam verò indicativa, & conſequenter formam iſtam non eſſe à Chriſto inſtitutam, reſpondet, *Dico, quòd iſti modi non variant ſubſtantiam formæ, ſicut habemus exemplum in forma baptiſmi. Nam Græci baptizant optativè dicentes, Baptizetur ſervus Chriſti, Latini autem indicativè, dicentes, Ego te baptizo, &c. nec tamen ex hac forma baptiſmus variatur, quia quilibet verè baptizat*. Similiter Thomas de Argentina *in 4. diſt.3.art. Eſt tertia Concluſio, quòd licèt expreſſio actus, & perſonæ baptizatæ neceſſariò requiratur ad formam baptiſmi, tamen modus exprimendi unus, & determinatus non eſt de neceſſitate talis formæ, quia ſive proferatur participaliter ſicut ego ſum baptizans te in nomine Patris, &c. ſive verbaliter optativè, ſicut dicunt Græci, baptizetur ſervus Chriſti, &c. ſive verbaliter indicativè, ſicut dicitur in Romana Eccleſia, Ego baptizo te, &c. Nihil refert quantum ad veritatem baptiſmi, & per conſequens quantum ad neceſſitatem formæ, &c.* Expreſſius multò Franciſcus Mayronis *in 4. ſentent. diſt.14. q.1.* disertè enim ex formula Baptiſmi Græcorum deprecatoria colligit validam eſſe Abſolutionem eodem modo datam, ſed non licitam. Verba integra relata ſunt in fine capitis noni. Expreſſiſſimè etiam Aureolus vult, formas eſſe poſſe aut deprecativas, aut indicativas pro Eccleſiarum conſuetudine, quam quiſque ſervare debet. Relatus eſt ſupra *c.16.* ut & innumeri alii, qui eandem aſſertionem confirmant, cùm baptiſmum utroque modo validum eſſe definiunt. Eadem videtur fuiſſe Philippi Gamachæi ſentcotia *cap.5.* de Confirmatione, ubi dicit Confirmationis ſubſtantialem formam non mutare has formulas, *Ego conſigno te, vel confirmo te, &c. Et ſignet te Deus, vel conſigna eum, Domine*. Quarum tamen una eſt indicativa, alia deprecativa, *Quia ſcilicet tota mutatio eſt accidentalis, ſicut & in baptiſmo ſive Miniſter dicat, Baptizo te, ſive baptizetur ſervus Chriſti.* Mutatio igitur modi indicativi in deprecativum eſt ex ipſios ſententia accidentali, & formæ virtuti nihil derogat. Eandem quoque prorſus eſſe utriuſque formæ ſignificationem ſentit, & multis contendit Gabriel Vaſquez ſupra *c.18.* relatus, ut etiam κατὰ λέξιν nonnulli eorum, qui *c.16* referuntur.

VI. Andreas Croquetius Benedictinus vir in Belgio doctrinæ fama celebris catecheſes compoſuit, quas recenſuit, & edidit Matthæus Galenius Duaci primarius Profeſſor; In illis Catecheſibus docent, Abſolutionem modo deprecativo datam valere, licèt non ſit licita. Guilelmus Eſtius *in 4. diſt.15. §.3.* Quatuor Abſolutionis formulas proponit. *Remittuntur tibi peccata, vel abſolveris, ſeu, abſolvaris à me, vel abſolvatur talis, aut talis expreſſo nomine, vel certa proprietate, vel Deus te abſolvat, & hujuſmodi*. Dicit Doctores conſentire, tres priores formas eſſe validas; de quarta verò id negare, eo quòd ſit tantum deprecatoria. Ipſe verò ſic cenſet, *Quæ ſanè reſponſio tametſi non nitatur irrefragabili ratione, vel auctoritate, ſecurior tamen eſt, & revera probabilior, maximè cum uſus Eccleſiæ inter orationem illam Miſereatur tui Deus, &c. & ipſam Abſolutionis formam manifeſtè diſtinguat, &c.* Itaque ipſi probabile eſt Abſolutionem deprecativo modo valere, licèt contrarium exiſtimet probabilius. Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii à ſe editum eandem ſententiam amplectitur, *pag.231. 232. 233.* variis codicibus antiquis perſuaſus, qui nollas alias Abſolutionis formulas exhibent quàm deprecatorias. Sic & *p.332.* & ſeqoentibus contendit, Extremæ unctionis formam valere indicativo modo datam, eadem variorum codicum antiquorum, necnon quorundam inſignium Scholaſticorum auctoritate compulſus.

VII. Poſtquam Petrus Arcudius in omnes partes animum ſuum verſavit, & diſtraxit, ut Abſolutionem deprecativam non valere demonſtraret, tandem ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ fateri cogitur nulla ratione, aut argumento hoc demonſtrari poſſe, ſed ſola Eccleſiæ traditione. Cùm verò Græcus ipſe Græcam ſibi opponeret traditionem, reſpondet, Græcam traditionem Romanæ cedere debere. Verum equidem eſt, ſi de traditionis dignitate, aut electiooe agitur. Sed cum de Sacramenti validitate, & traditione oſurpata quæſtio eſt, num propter Grammaticam quæſtionem contra perpetuam Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem ſentiendum eſt, quæ Græcis de hoc Sacramento negotium nunquam faceſſivit? Hæc verba tantùm ex eo referam, *Si in ſermone trito, & uſitato illa verba, parcat tibi Deus, idem ſonant, quod ego tibi parco, profectò poterant in Sacramento* (niſi *aliud obſit, hoc eſt, Eccleſiæ conſuetudo*) *eodem ſenſu dici, & valebit Sacramentum*. Eodem modo reſpondere cogitur objectioni de Excommunicationis abſolutione, quæ deprecativè, & indicativè fieri poteſt, quam meritò vocat moleſtiſſimam. Nihil enim fingi poteſt, cujus cauſa idem in Abſolutiooe à peccatis præſtari non poſſit.

VIII. Nonnulli Theologi, ut Henriquez *Summæ lib.2. cap. 8 n.3. & lib.4. cap.11. n.4.* & hodierni plures admittunt formulas illas Abſolutionis imperativas, *Remittantur tibi peccata tua*, vel, *Abſolvatur ſervus Chriſti*, eiſque ſimiles, quarum tamen nullum unqoam reperitur exemplum. Verùm ſi rem ipſam attendamos, ſenſus nulla ratione poteſt alius eſſe quàm deprecativus. Fingamus tantiſper verba eſſe imperativa. Sacerdos imperat. Cui imperat? aut Deo, aut alteri homini, aut ſibi. Impium dicere Deo: Deinde ſupra *c.19.* demonſtratum eſt omnia imperativa, non modo ad Deum, ſed ad ſuperiores quoſvis directa eſſe deprecativa. Non ſibi: Repugnat enim omnium hominum uſus; ſic loqui nemo ſolet, jubeo me facere hoc, Impero mihi, ut faciam hoc. Ideò hic modus primam non habet perſonam. *Etenim*, inquit Diomedes Grammaticus, *abſurdum eſt omnino quenquam ſibi imperare, cùm promptus ſit ſua ſponte facere. Imperii enim indigent externæ perſonæ*. Priſcianus, *Imperativa primas perſonas ſingulares non habent, quia nemo ſibi ipſi poteſt imperare, niſi figuratè, quaſi ad aliud loquens, in ſecunda perſona ſeipſum proferat, ut Juvenalis in prima: Tecum prius ergo voluta Hæc animo ante tubas, &c.* Sic omnes Grammatici antiqui, & recentiores, cui conſonant omnium nationum conjugationes. Non puto autem Theologos illos abſolutoria verba imperativi modi figuratè, & προσωποποιΐαν intellexiſſe. Omnis imperativus modus in alium tranſit, & in ſeipſum non reflectitur. Latini habent primam perſonam pluralem, non Græci, neque Hebræi. Sed eo caſu hic modus non eſt imperativus, verùm exhortativus. Tum enim qui ſic loquitur, alios exhortatur ad aliquid agendum, & ſe modeſtiæ cauſæ cum aliis permiſcet, faciamus, laboremus. Hoc omnes homines lumen naturæ docet, & ſpecialiter adnotant Diomedes, Priſcianus, & alii Grammatici.

IX. Cùm igitur impium ſit, hominem Deo imperare, & ideò omnem locutionem ad Deum, ſuperioreſque directam ſit deprecativa, & abſurdum planè ſit aliquem ſibi imperare, & contra omnium gentium morem, ſupereſt ut Sacerdos ſic imperans, *Remittantur tibi peccata*, ad alium hominem dirigat ſermonem, quod ridiculum eſt, & contra auctorum iſtorum mentem. Abſolutio igitur his verbis, & ſimilibus data, ut ſit valida, non impia, abſurda, aut ridicula, deprecativa eſt, & ad Deum dirigitur. Opponet forſan aliquis, judicum ſententias aliquando hoc modo pronuntiari, *gladio feriatur*. Ita eſt, ſed mandatum in pronuntiantem non tranſit, verùm in ſcelerum vindices, ad quos ſpectat ſententiæ executio. *I lictor, lege age, colliga manus*,

Digitized by Google

ſic Epiſcopus ſive judex ſuperior pronuntiare poteſt in cauſis Excommunicationis, cùm injuſtè Excommunicatum, vel alia de cauſa, ad inferiorem remittit, *Abſolvatur*, hoc eſt, abſolvatur à te, ſive jubeo, ut eum abſolvas. Nihil igitur aliud hæc verba, *Remittantur tibi peccata*, juxta forenſem conſuetudinem ſumpta, ſignificare poſſunt, quàm juſſionem inferiori judici factam abſolvendi à peccatis Titium pœnitentem: Sed mos iſte in Sacramentali foro non eſt in uſu.

X. Dicendum igitur videtur cum Hervæo Britone Dominicanorum olim Generali Magiſtro, & communi illius temporis Schola *in 4. diſt. 3. q. 2. De neceſſitate formæ non eſt, ut dicunt, niſi quod exprimatur actus, qui exercetur, perſona in quam exercetur, & agens principale, à quo eſt effectus Sacramenti. Quod autem Agens inſtrumentale, ſive Miniſter exprimatur, non eſt de neceſſitate Sacramenti*. Hoc niſus fundamento Græcam baptiſmi formam deprecativam valere poſſe demonſtrat. Ultra progreditur Albertus magnus: Propoſita enim ſibi hac queſtione, cur forma baptiſmi dicatur eſſe invocatio Trinitatis, cùm modo indicativo enuntietur, reſpondet, *Dicendum, quòd eſt quædam deprecatio habens vim indicationis; ut quidam Prophetæ quando prophetare deſiderabant quod prophetabant, ſicut Eſaiæ 64. Utinam diſrumperes cælos, & deſcenderes. Ita etiam è converſo, ſunt quædam enuntiationis, quæ habent vim invocationum: Quia quod enuntiativè profertur, hoc eſt ideò, quia intentionis expreſſio in eis exigitur. Et ſic eſt enuntiatio in Sacramentis; & eſt ſenſus baptizo te, &c. Id eſt, ego baptizo te exteriùs invocans Patrem, &c. ut interius te baptizet*. Ex iſta ſententia duo evidenter conſequuntur; Prius, Propoſitiones indicativas aliquando eſſe deprecativas; & vice verſa, deprecativas aliquando eſſe indicativas. Poſterius, propoſitiones in Sacramentis licèt exterius indicativè enuntientur, ſenſu tamen, & reapſe eſſe deprecativas. Supra vidimus Cardinalem Bellarminum ſimilem propoſitionem adversùs Hæreticos propugnaſſe. Rationem poſteà reddit, cur cùm propoſitiones illæ ſint ſenſu deprecativæ, indicativè tamen efferantur. *Si autem quæritur, quare ita non dicitur, Invoco te; Dicendum quod hoc fit, ut non ponatur ſub dubio aliquo quin Spiritus Sanctus interiùs baptizet*. Hæc Albertus *in 4. diſt. 3. in fine art. 2.*

CAPUT XXIII.

Diaconis Confeſſionem in extremo periculo audire, & Pœnitentes reconciliare, à multis Latinis, & multorum ſeculorum ſpatio permiſſum fuiſſe. Apud Græcos non legitur unquam hoc uſurpatum.

NUllus Catholicus dubitat, auctoritatem abſolvendi à peccatis ad ſolos Epiſcopos, & Presbyteros pertinere: Hoc enim videtur à Concilio Tridentino definitum *ſeſſione 14. cap. 6. Circa Miniſtrum autem hujus Sacramenti declarat ſancta Synodus falſas eſſe, & à veritate Evangelii alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quoſdam homines præter Epiſcopos, & Sacerdotes clavium miniſterium pernicioſè extendunt, putantes verba illa Domini, Quæcunque alligaveritis ſuper terram, &c. Et quorum remiſeritis peccata, &c. ad omnes Chriſti fideles indifferenter, & promiſcuè contra inſtitutionem hujus Sacramenti, ita fuiſſe dicta, ut quivis habeat poteſtatem remittendi peccata, &c.* Sic & antiqui Patres Latini, & Græci. Lego tamen Latinorum Patrum nonnullos ſententiam iſtam non ita preſsè, & ſtrictè intellexiſſe, quin opinarentur urgente neceſſitate, & abſente Epiſcopo, & Presbytero abſolvendi miniſterium in Diaconos quodammodo tum eſſe diffundendum. Monent enim eorum multi in data hypotheſi vicem Epiſcoporum, & Presbyterorum Diaconos quadantenus implere poſſe.

II. Non equidem exiſtimo mentem ipſis fuiſſe, praxi ſua docere, clavium poteſtatem ad Diaconos ullomodo pertinuiſſe. Ex pleriſque enim eorum dictis, illiſmet, quibus hæc praxis adſtruitur, oppoſitum colligitur. Quanquam ſic omnes cenſerent, nonnulli tamen crediderunt tantam eſſe Sacerdotalis Abſolutionis virtutem, & ad ſalutem à Deo conſequendam neceſſitatem, ut abſentibus Epiſcopo, & Presbyteris, & urgente mortis periculo, ea eſſet à Diaconis extra ordinem imploranda, eorumque tum miniſterio eandem gratiam miſericorditer à Deo, morienti divinitus infundi. Propter parem, & baptiſmi, & Abſolutionis in adultis neceſſitatem pari ferè modo de utroque philoſophati videntur; præſertim ſi poſteriores conſideres, qui praxim hanc etiam ad Laicos extenderunt, ad quos multò magis conſtat, poteſtatem clavium non pertinere Sed ut regula juris docet, *In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa*. Nunquam memini me aliquid tale legiſſe à Græcis Patribus, aut dictum, aut uſurpatum. *Canon enim* 2. Ancyran. de quo capite ſequente, nihil de pœnitentia ſtatuit. Sed nonnullorum Patrum Latinorum evidentia videntur teſtimonia, & frequentia, multis ſeculis continuata, ita ut eorum multi longo temporis tractu in ea ſententia fuiſſe videantur. Teſtimonia in unum faſcem colligemus.

III. S. Cyprianus ſic ſcribit ad Presbyteros, & Diaconos ſuæ Diœceſis *Epiſt.* 13 de Lapſis, qui pœnitentiam agebant, & reconciliationem ſibi accelerari importunè urgebant, *Occurrendum puto fratribus noſtris, ut qui libellos à Martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari poſſunt, ſi incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præſentia noſtra apud Presbyterum quemcunque præſentem, vel ſi Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint, ut manu eis in pœnitentiam impoſita veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis deſideraverunt.* Viri magni, & maximæ in Eccleſia Dei auctoritatis antiquam diſciplinam hodierna putantes, cenſent hic agi de Abſolutione ab Excommunicatione, quæ cum Diaconis communicari poteſt, atque etiam nunc communicari ſolet; non autem de Abſolutione à peccatis, quæ ipſis competere non poteſt. Sed multa me movent ut de iſtius ſolutionis huic loco applicatione diffidam, quæ ordine exponam, ut quid de iis decernendum ſit, Lector ipſe judicet.

IV. Primùm enim verba, phraſis, moduſque loquendi idem videntur Diaconis concedere in abſentia Epiſcopi, & Presbyterorum quod Epiſcopo, & Presbyteris, cùm præſentes ſunt. Jubet enim Cyprianus, ut Lapſorum morientium Exomologeſim ſuſcipiant Presbyteri abſente Epiſcopo, manum illis in pœnitentiam imponant, ut moriantur cum pace: Quòd ſi Presbyter non adſit, id Diaconus præſtet. Cùm igitur Exomologeſis illa, & pœnitentiæ impoſitio, paciſque donatio perfectam reconciliationem de Epiſcopo, & Presbyteris intellecta ſignificent, idem Diaconis attributa ſignificabit; cùm idem planè faciendum tribuatur Diaconis in abſentia Presbyterorum, quod Presbyteris in abſentia Epiſcopi. Exemplis conſequentia fiet clarior. Sanctus Gelaſius *c. 10. Epiſt. 1. ſive 9.* Officia Diaconorum limitans, *Sacri corporis prærogationem ſub conſpectu Pontificis, ſeu Presbyteri, niſi his abſentibus, jus non habeant exercendi*. Ergo his abſentibus jus hoc ipſis concedit. Similiter Concilium Carthag. 3. *c.* 32. *Presbyter ſine voluntate Epiſcopi non reconciliet pœnitentem, niſi neceſſitas cogat, & abſente Epiſcopo.* Ergo ex vi canonis cùm urget neceſſitas, & abeſt Epiſcopus, Presbytero licet inconſulto Epiſcopo pœnitentem reconciliare. Sexcentæ ejuſmodi locutiones afferri poſſent, quibus ſemper ſignificatur id in data hypotheſi poſteriori convenire, quod extra datam hypotheſim ſoli priori. Deinde hoc cogitet tantiſper apud ſe Lector, & examinet, an potuiſſet Cyprianus evidentius, & extra omnes ambages ſignificare, quod contẽdimus, quàm illis verbis, quibus uſus eſt: Sanè nullum loquendi modum convenientiorem, ſimpliciorem, & magis naturalem uſurpare poterat.

V. Præterea hypotheſis datæ neceſſitas idem exoptare videtur. Agitur enim de pœnitente moribundo, cui eſt ſuccurrendum, non abſolutione tantum ab Excommunicatione, ſed remiſſione peccatotum potiſſimum. Cùm ſint igitur apud Cyprianum eadem verba, idem loquendi modus, eadem ſalutis neceſſitas. Quamobrem in uno interpretabimur abſolutionem à peccatis, in alio à ſola Excommunicatione? Æquo jure ex vi illius loci dici poſſet Presbyteris ſolam abſolvendi ab Excommunicatione poteſtatem eſſe conceſſam. Deinde ſi diligenter Cypriani verba conſiderentur, objectioni occurrit, quæ illi à Clero facta fuerat, An ſcilicet abſente Epiſcopo, & Presbyteris, quod ſæpe tum ob perſecutionum acerbitatem contingebat, Diaconus lapſum pœnitentem reconciliare poſſet. Maxima ſanè erat dubitandi occaſio, ut unuſquiſque videt, Reſpondet S. Cyprianus, apud Diaconum quoque faciendam illi eſſe Exomologeſim, &c. ubi illa particula *quoque* jungit pariter attributum ſequens cum omnibus partibus ſubjecti præcedentis, & docet in data hypotheſi non modo primæ, ſed etiam poſterioribus convenire.

VI. Secundò S. Cypriani verba, totiuſque Epiſtolæ textus de ſolutione Excommunicationis maximæ intelligi non poſſunt, quia lapſi illi jam erant Excommunicatione illa ſoluti, atque in Eccleſiam, ut Pœnitentes recepti. Sola quæſtio erat inter lapſorum multos, & Epiſcopos de Pœnitentiæ diuturnitate. Contendebant enim Lapſi multi ad Euchariſtiam ſtatim ſe eſſe admittendos, neque ſeriùs differendos, eo quòd præſertim libellos reconciliatorios à Martyribus obtinuiſſent. Tota igitur quæſtio apud eos erat non de anathematis ſolutione, ſed de Abſolutione à peccatis, & corporis Chriſti communione, quæ ab Abſolutione illis ſeculis non ſejungebatur, ut probatum eſt *lib. 4 c. 21. 22.* ex S. Cypriano potiſſimum. Fieri igitur non poſſe videtur, ut hoc in Diaconis de majori Excommunicatione inte-

lig.

ligatur, quæ nulla fuerat, ut ſtatim demonſtrabitur; quæque ſi fuiſſet, ſtatim poſt eorum lapſum communiter fuerat ſoluta. Nulla ſupererat Excommunicatio ſolvenda quàm excommunicatio à corpore Chriſti, quæ non aliter quàm Abſolutione à peccatis ſolvebatur. Hanc autem fuiſſe controverſiam inter Lapſos, & Epiſcopos libro ſequente multis ex S. Cypriano, & Cleri Romani, aliorumque Epiſtolis fusè demonſtrabitur. Intereà hac ipſa Epiſtola ſatis ſuperque conſtabit: Vocat enim iſtos lapſos Cyprianus, fratres, *Occurrendum puto fratribus noſtris*, Et ſtatim poſt verba ſuperius citata, *Cæteram quoque partem plebis, quæ lapſa eſt, præſentia veſtra fovete; & ut à fide, & miſericordia Domini non deficiant, veſtro ſolatio focillate: neque enim deſerentur ab ope, & auxilio Domini, qui mites, & humiles, & pœnitentiam verè agentes, in bonis operibus perſeveraverint, quominus illi quoque divino remedio conſulatur.* His ſimiliter erant Lapſi, de quibus verba fecerat, atque in eo potiores quod libellos inſuper communicatorios à Martyribus obtinuerant. Non igitur de Excommunicatis, ſed de pœnitentibus Abſolutionem à peccatis efflagitantibus quæſtio erat, quos in tutelâ ſuam Eccleſia ſuſceperat, quos in ſinu ſuo ut filios chariſſimos fovebat, donec divino remedio, hoc eſt, Abſolutione a peccatis, & Euchariſtia, dignos ſalubribus pœnitentiæ medicamentis effeciſſet. Idem probant, quæ ſtatim ex *Epiſtola* 54 citamus. Itaque ejuſmodi Lapſi directâ tantùm peccatorum remiſſione egebant, quam iis concedere nolebant Epiſcopi, donec pœnitentiam juxta modum delicti præſcriptam legitimè compleſſent.

VII. Denique certum eſt, Lapſos illos nunquam excommunicatos fuiſſe, hoc eſt, aliqua Eccleſiæ ſententia ab Eccleſia pulſos, quod in pertinaces fieri tum ſolebat, ut declaratum eſt *lib.* 4. *c.* 2. Illi enim tormentorum ſævitia, aut horrore ceciderant, ſtatimque facti Pœnitentes ad Eccleſiæ miſericordiam, & Martyrum preces confugerant. Si excommunicati fuiſſent, aut ſeipſos ab Eccleſia ſecedendo excommunicaſſent, moribundi primum ad Eccleſiam ſe redire velle ſignificantes, & poſtulantes, Excommunicatione in Eccleſia Africana ſoluti non fuiſſent, nec Eccleſiæ auxiliis adjuti, ut conſtat ex Cypriani *Epiſt.* 52. & multis demonſtrabimus libro ſequente. Deinde modus hodiernus abſolvendi ab Excommunicatione, atque eam à remiſſione peccatorum per ſpecialem ſententiam ſeparandi, planè recens eſt, ab annis tantùm ſexcentis uſitatus; cui nullum antiquius exemplum dari poteſt, ſi modò tam antiquum dari poſſit. Pulſis igitur ab omni Eccleſiæ commercio, & cum fidelibus conſortio peccati Pœnitentibus imponebatur Pœnitentia eo modo, quem *cap.* 17. *lib.* 4. enarravimus; nec ulla ratione pœnitentiæ impoſitio illis facta differebat ab ea, quæ aliis peccatoribus imponi ſolebat. Per iſtam pœnitentiæ impoſitionem in gratiam cum Eccleſia redibant, & pœnitentium claſſibus adſcribebantur; ex qua impoſitione, & adſcriptione commercium illis cum fidelibus, & temporale, & ſpirituale, ſed non Euchariſticum permittebatur. Poſteà actâ pœnitentia, & quatenus poterant, ſatisfactione præſtita, illis ſimul eadem actione, & ſententia Abſolutio ab illa Excommunicatione, & à peccatis concedebatur, ſtatimque Euchariſtica communio tribuebatur.

VIII. Tertiò verba ipſa, quibus res conceſſa exprimitur, intentio quoque Cypriani, Martyrum, & Lapſorum, idem poſtulant: *Ut manu eis in pœnitentiam impoſita veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis deſideraverunt.* Pax, pacem dare apud S. Cyprianum, & Concilium Eliberitanum in cauſa pœnitentiæ ſemper ſignificat, non modo Abſolutionem à peccatis, ſed ipſam Euchariſtiæ donationem, cujus uſus vide multa exempla *lib.* 4. *c.* 21. 22. & libro ſequente cum explicabitur ſtatus controverſiæ Lapſorum; nunc contenti ſimus *Epiſt.* 54. ad Cornelium Papam, in qua contendit propter imminentem perſecutionem reconciliandos lapſos, & corpore Chriſti cibandos, nec diutius differendos. Hoc autem in eadem Epiſtola ſæpius pacis nomine ſignificat. Scribit in Concilio ſe ſtatuiſſe, ut Lapſi, *Agerent diù Pœnitentiam plenam, & ſi periculum infirmitatis urgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent*, Et paulò poſt, fas non eſſe, &c. *Ut de ſeculo recedentes ſine communicatione, & pace ad Dominum dimitterentur.* Continuò poſt preſſius ad ſententiam noſtram ſcribit ſe, cum Concilio ſecundo ſic ſtatuiſſe. *Neceſſitate cogente, cenſuimus, eis, qui de Eccleſia Domini non receſſerunt, ſed pœnitentiam agere, & lamentari, ac Dominum deprecari à primo lapſus ſui die non deſtiterunt, pacem dandam eſſe.* Quid pax illa urgente neceſſitate danda iis, qui ab Eccleſia Domini non receſſerunt, qui lamentari, & Dominum deprecari multis menſibus, aut etiam annis non deſtiterunt? An exanguis illa à majore Excommunicatione Abſolutio, quàm quivis Clericus Diacono inferior urgente neceſſitate conferre poteſt? Lapſi igitur illi nec erant excommunicati, nec ſe ab Eccleſia ſeparaverant: Ideo pax, id eſt, remiſſio peccatorum, & corporis Chriſti communio illis morientibus, licèt pœnitentiam nondum ab Eccleſia accepiſſent, concedebantur. Deinde multis, eadem Epiſtola, & ſæpius diſertiſſimè explicat ipſe pacem illam eſſe corpus, & ſanguinem, quibus ad prælium armantur. Poſteà diſtinguit inter Excommunicatos, & lapſos, quibus morientibus datur pax. *Intereſſe debet inter eos, qui vel apoſtataverant, & ad ſeculum, cui renuntiaverant, reverſi, gentiliter vivunt, vel ad Hæreticos transfugæ facti, contra Eccleſiam parricidialia quotidie arma ſuſcipiunt, & inter eos, qui ab Eccleſiæ limine non recedentes, & implorantes jugiter, ac dolenter divina, & paterna ſolatia, &c.* Poſteriores iſti ſunt, quibus pacem, hoc eſt Abſolutionem, & Euchariſtiam Abſentibus Epiſcopo, & Presbyteris tribuunt Diaconi. *Hoc in tempore pacem non non dormientibus, ſed vigilantibus damus: Pacem non deliciis, ſed armis damus; Pacem non ad quietem, ſed ad aciem damus, &c. Non pœnitet pacem dediſſe tam fortibus; Immò Epiſcopatus noſtri honor grandis, & gloria eſt, pacem dediſſe Martyribus.* Plura alia continet eadem Epiſtola, quibus manifeſtiſſimum eſt, pacem S. Cypriano eſſe Chriſtianæ religionis τὸ ἀγαθὸν, ἢ, τὸ τέλειον, ut loquuntur S. Baſilius, & Concilium Ancyranum, hoc eſt, peccatorum remiſſionem, & Euchariſtiæ communionem. Qui hac de re certior eſſe voluerit, Epiſtolam ipſam legat, quæ tota in eo verſatur, & in qua ſemper pax ſynonymôs pro corpore Chriſti, & corpus Chriſti pro pace ſumuntur.

IX. Denique illud dant Diaconi in Abſentia Presbyterorum, quod dari Martyres libellis ſuis deſideraverunt. Sed Abſolutionem, & reconciliationem perfectam, ut Lapſis daretur, rogabant Martyres. Hæc habetur *Epiſt.* 17. formula libelli, *Scias, nos univerſis, de quibus apud te ratio conſtiterit, quid poſt commiſſum egerint, dediſſe pacem.* In ejuſmodi libellum admodum invehitur S. Cyprianus, quod univerſis pacem dare ſtatuant. At ſi ſatisfactum fuiſſet libello nuda Excommunicationis ſolutione nulla fuiſſet Cypriano, & Epiſcopis ſtomachandi occaſio, nec Lapſis tantas ciendi turbas; Immò dicamus verius, nihil prorſus Lapſis conceſſiſſent Martyres, cùm id præſtet pœnitentiæ impoſitio, quæ nulli eam ſincerè petenti denegatur. Cùm igitur à Diaconis in ſuperiorum abſentia morientibus præſtetur pax, quam Martyres deſideraverunt, abſolutionem à peccatis, & Euchariſtiæ communionem Diaconi Lapſis morientibus concedunt. Eadem præterea ratio eſt illi baptiſmi, & pœnitentiæ: Sed eadem Epiſtola Catechumenis in eadem hypotheſi, ſub eadem verborum formula, vult baptiſmum à Diaconis conferri. Ergo & pœnitentibus remiſſionem peccatorum.

X. Mihi videtur inſuper quædam phraſis à Cypriano uſurpata diligenter conſideranda, vult pacem dari ab Epiſcopo, & ipſo Abſente à Presbyteris, cùm Lapſi incommodo, aut infirmitatis periculo laborant. Sed ſi nec adſit Epiſcopus, nec Presbyter aliquis, non ſtatim vult id à Diacono præſtari, niſi *urgere exitus cœperit*. Itaque ut poſſit Diaconus id præſtare, quod præſtare ſolet Epiſcopus, aut Presbyter, ſummam vult adeſſe neceſſitatem: Ut quid tanta neceſſitas expectatur, ſi id tantùm Diaconus præſtiturus eſt, quod ſimplex Clericus nullis initiatus ordinibus nunc aliquando præſtat? Tantæ neceſſitatis requiſitio evidenter demonſtrare videtur non agi de re levi, ſed de re graviſſima, & ad Pœnitentis ſalutem maximè neceſſaria, quæ cùm propriè ad Epiſcopum pertineat, deinde ad Presbyterum, urgente tamen mortis exitu propter maximam ſui utilitatem cùm Diacono quoque in hac tantùm hypotheſi communicatur. *Vel ſi Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit apud Diaconum quoque Exomologeſim facere ſui delicti poſſint, &c.* Pamelius in hanc Epiſtolam ſic adnotat, *Fortaſſis quum Epiſcopus abſent, & Presbyteri multi carceribus incluſi eſſent ex privilegio quodam Diaconis in neceſſitate permiſſa eſt Pœnitentium reconciliatio, ſicuti à D. Gregorio Presbyteris aliquando conceſſam legimus Sacramenti confirmationis adminiſtrationem, quæ ſolis alioqui Epiſcopis competit.* Quæ hactenus diximus ex Epiſtola ſequente, ad quam lectorem remittimus, iterum confirmantur.

XI. Hæc conſuetudo Eccleſiæ Africanæ non fuit propria: In multis Hiſpaniæ Eccleſiæ non videtur infrequenter uſurpata. Concilium Eliberit. *cap.* 32. permittit Epiſcopis, ut hanc auctoritatem Diaconis tribuant, *Si quis gravi lapſu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere ſine Epiſcopi conſultu, ſed potius apud Epiſcopum agat, cogente tamen infirmitate, non eſt Presbyterum, aut Diaconorum communionem talibus præſtare debere, niſi eis juſſerit Epiſcopus.* Alia lectio, *cogente tamen infirmitate neceſſe eſt Presbyterum communionem præſtare debere, & Diaconum, ſi ei juſſerit Sacerdos.* Non agitur ibi de levi aliqua Excommunicatione, ſed de ea, quam ne Presbyter quidem debet ſine Epiſcopi conſenſu remittere. Ex-

preſsè in eadem poteſtate conjungitur Diaconus cum Presbytero, & utrique illam permittit Epiſcopus. In poſteriore lectione Diacono ſufficit Presbyteri permiſſio. *Can.77.* idem neceſſaria conſequentia colligitur, *Si quis Diaconus regens plebem ſine Epiſcopo, vel Presbytero aliquos baptizaverit, Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit. Quod ſi ante de ſeculo receſſerint ſub fide, qua quis credidit, poterit eſſe juſtus.* Sacramentum Pœnitentium morientibus pœnitentibus, ut baptiſmus Catechumenis, eſt abſolutæ neceſſitatis. Hinc tantæ lachrymæ, & querelæ à fidelibus, & pœnitentibus ob Paſtorum fugam effuſæ, de quibus ſupra *cap.1.* hujus libri. Oportuit igitur Diacono regenti populum ſine Epiſcopo, & Presbytero conceſſam eſſe abſolvendi à peccatis poteſtatem. Sic ſimiliter intelligenda hæc verba *can. 2. Concilii Toletan. 1. Si qui autem ante ordinati ſunt Diaconi* (de Pœnitentibus) *inter Subdiaconos habeantur, ita ut manum non imponant, aut ſacra non contingant.* Manum imponere aliud ibi ſignificare non poteſt quàm à peccatis abſolutionem. Tripliciter enim, abſolutè dictum, apud antiquos ſumi ſolet, pro Confirmatione, & pro ordinatione. Atqui certum eſt, Confirmationem Diaconis nunquam fuiſſe permiſſam, multò minus ordinationem. Quum igitur Diaconis, qui ex Pœnitentibus ordinati ſunt prohibetur, ne manus imponant, idem eſt, ac ſi illis prohiberetur, ne pœnitentes à peccatis abſolvant, neve ejuſmodi Diaconis in poſterum hoc munus delegetur. Non abſcurè igitur ex hoc canone colligi videtur, poteſtatem peccata remittendi Diaconis in Hiſpania committi ſolitam, cùm hoc præſtare illis tantùm prohibeatur, qui contra canones ex pœnitentibus ordinati ſunt. Nec mirum quod hoc illis prohibeatur, cum cætera Diaconorum munia exercendi non fiat illis copia, ſed à Diaconatu degradati in Subdiaconorum ordinem ablegati ſint. Plura videntur Diaconis permiſiſſe Hiſpanæ illæ Eccleſiæ quàm Cyprianus, cum, ut ille, extremam non ſpectaverint neceſſitatem.

XII. Flaccus Alcuinus *de divinis officiis in capite Jejunii*, *Non enim omnes Clerici, aut ullus Laicus hanc ſcripturam uſurpare, aut legere debent, niſi ſoli illi, quibus neceſſe eſt: hoc ſunt Epiſcopi, vel Presbyteri, quibus claves regni cœleſtis traditæ ſunt; ſic nec judicia iſta alius uſurpare debet. Si autem neceſſitas evenerit, & Presbyter non fuerit præſens, Diaconus ſuſcipiat pœnitentem, ac det Sanctam communionem.* Antiquum Exberti Archiepiſcopi Cantuarienſis pœnitentiale manuſcriptum eadem prorſus initio monet, quæ ideo hic non judicamus adſcribenda. Antiquus ordo Romanus editus in officio ejuſdem diei ſimiliter quoque admonet, *Sicut autem ſacrificium offerre non debent niſi Epiſcopi vel Presbyteri, quibus claves regni cœleſtis traditæ ſunt, ſic nec iſta judicia alius uſurpare debet. Si autem neceſſitas evenerit, & Presbyter non fuerit præſens, Diaconus ſuſcipiat pœnitentes, ac det ſanctam communionem.* Eadem planè verba antiquiſſimus Manuſcriptus ordo Romanus Conſtantini Abbatis, in officio de capite Jejunii.

XIII. Hadrianus primus in Synopſi canonum *c.2.* Ancyrani Concilii ſic canonem illum enuntiat. *Idem de Diaconis fiat, ſi ſimiliter peccaverint, ſic ut digni pœnitentibus parcere poſſint.* Hoc eſt, ſi Diaconi immolaverint, eadem qua Presbyteri pœna puniantur; ita tamen, ait de ſenſu ſuo Collector, ut Pœnitentibus peccata remittere poſſint. Hoc non videtur additurus, aut canonem Ancyranum unquam ſic interpretaturus, niſi cæteris diaconicis muneribus pœnitentium reconciliatio aliquando eorum adnumerata fuiſſet. Burchardus *l.19. cap.153.* & *154.* ex pœnitentiali Romano refert, quæ jam ex ordine Romano exſcripta ſunt, *Sicut enim ſacrificium offerre non debent niſi Epiſcopi, & Presbyteri, &c. Sic nec pœnitentium judicia alii uſurpare debent. Si autem neceſſitas evenerit, & Presbyter non fuerit præſens, Diaconus ſuſcipiat pœnitentem ad ſanctam communionem.* Eadem prorſus Ivo *part.15. c.161* & *162.* Nec negotium faceſſere debet, quod & apud Burchardum, & apud Ivonem dicitur, *Suſcipiat Pœnitentem ad ſanctam communionem.* Non enim Pœnitenti communio datur, niſi abſolutio à peccatis præceſſerit, quam dare non potuit Presbyter, cùm abſentem eum faciat hypotheſis. Stephanus Æduenſis *c.8.* ubi de ordinatione Diaconorum, *In quibuſdam habent vicem Sacerdotis, ut in miniſterio baptizandi, communicandi, delicta pœnitentium miſericorditer ſuſcipiendi.*

XIV. Concilium Eboracenſe anno 1194. celebratum ita decernit, *Decrevimus etiam, ut nonniſi ſumma, & gravi urgente neceſſitate Diaconus baptizet, vel Corpus Chriſti cuiquam eroget, vel pœnitentiam confitenti imponat, ut juxta paternorum tenorem canonum huic ordini Sacerdotali propriè convenire decrevit antiquitas.* Concilium Londonienſe anno 1200. celebratum, *Non liceat Diaconis baptizare, vel pœnitentias dare, niſi duplici neceſſitate, v.g. quia Sacerdos non poteſt, vel abſens, vel ſtultè non vult, & mors imminet puero, vel ægro.* Odo Epiſcopus Pariſienſis ejuſdem temporis auctor *in ſtatutis Synodalibus, ſtatuto 56.* ita ſtatuebat, *Item prohibetur diſtrictè, ne Diaconi ullomodo audiant confeſſiones niſi in arctiſſima neceſſitate; Claves enim non habent, nec poſſunt abſolvere.* Niſi ſcilicet in extrema neceſſitate, quæ legi derogat, ut aliis in rebus ſæpe fieri ſolet. Petrus Cantor *in Summa f.205.* negat Diaconos propriè ſolvere, licet animarum cauſæ eis committantur: de ſequente verò dubius eſt. *Numquid idem dicendum de Diacono, vel Subdiacono delegato à Domino Papa? Fortè, cùm habeat mandatum Domini Papæ ſuper hoc, & ad tempus uſum clavium Domini Papæ, & ita poteſt ligare auctoritate Domini Papæ non ſua. Sed numquid poteſt ei præcipere Dominus Papa, ut audiat generales confeſſiones, & Miſſam celebrare. De Officialibus Epiſcopi, & Archidiaconis forte concedendum, quòd habent uſum clavium ad tempus, & ſi claves non habeant, quia talis poteſtas non confertur alicui ſine ordine Sacerdotali.*

XV. Denique maximi momenti videtur *caput, fures, extra de furtis, Fures & latrones ſi in furando, & deprædando occiduntur, viſum eſt pro eis non eſſe orandum. Sed ſi comprehenſi, aut vulnerati Presbytero, vel Diacono confeſſi fuerint, communionem eis non negamus.* Gloſſa in hoc caput, hanc ſententiam confirmat argumento ad minori ad majus, *In neceſſitate etiam laico, de Conſecrat. diſt.4. Sanctum eſt. De Pœnit. diſt.1. Quem pœnitet, & diſt.6. c.1.* Eundem canonem referunt Burchard. *lib.11. c.59.* Ivo *part.13. c.45. & 13. q.2. C. fures*, qui tot ſunt ejuſdem moris teſtes inſignes. Retulit etiam illum primæ Decretalium compilationis auctor.

CAPUT XXIV.

Diaconos alicubi ſacrificare auſos, ſed ſtatim repreſſos. ἀναφέρειν & ἀνάφορα, aliquando offerre, & oblationem ſignificant. Reconciliationem pœnitentium in extremo periculo à Laicis præſtitam multos Doctores aliquot ſeculis non improbaſſe, ſed laudaſſe, & credidiſſe ex deſiderio Sacerdotis remiſſionem peccatorum impetrare.

Diaconis hoc privilegium à nonnullis Eccleſiis conceſſum fuiſſe minus mirabitur, qui duo conſideraverit: Prius, ipſam ſacrificandi prærogativam Diaconis à pauculis quibuſdam Eccleſiis permiſſam, aut certè conniventibus illis Eccleſiis temerè à Diaconis uſurpatam. Poſterius, plurimos abſolvendi à peccatis facultatem in extremo periculo Laicis conceſſiſſe. Utrumque olim factum fuiſſe, & poſterius inſuper ab antiquis Scholaſticis aſſertum variis teſtimoniis, & exemplis hoc capite planum faciemus. Prius teſtatur *can.15. Concilii Arelat. 1. De Diaconis, quos cognovimus multis offerre, placuit minimè fieri debere.* Concilii Ancyrani *canon. 2.* præſertim juxta interpretes Latinos eundem morem confirmare videtur. *Diaconi ſimiliter, qui immolaverunt, honorem quidem habeant; ceſſare verò ab omni ſacro miniſterio, ſive à pane, ſive à calice offerendo, vel prædicando:* Ita vertit Dionyſius exiguus, nec aliter verterunt Græcum verbum ἀναφέρειν, Iſidorus Mercator, & Gentianus Hervetus, quod optimè convenire videtur cum verbis Græcis παύεσθαι τῆς ἱερᾶς λειτουργίας, quæ interpretantur ab omni ſacro miniſterio ceſſare: λειτουργεῖν enim eſt ſacrificare, & λειτουργία, ſacrificium, ſive, ritus quo ſacrificium peragitur. Scripturæ quoque ſacræ id confirmat auctoritas, in qua nonnunquam ἀναφέρειν, offerre ſignificat, & de Sacerdotibus dicitur ſacrificia offerentibus, *ut Epiſt. ad Hebr. c.7. verſ. 27.* ubi, & de hoſtiis, & de Chriſto ſeipſum offerente dicitur: Sic ἀναφορὰ dicitur, oblatio, *Pſal. 50. Oblationes, & holocauſta*, & verbis ſequentibus, *tunc imponent ſuper altare tuum vitulos*, Græcè ἀνοίσουσιν offerent. Sanctus Chryſoſtomus *in c.12. Epiſt. ad Romanos*, Εἰ γὰρ οἱ τὰς παλαιὰς ἀναφέροντες θυσίας ἐκελεύοντο πάντα περισκοπεῖν, καὶ οὔτε ἀπότμητον, οὔτε κολοβὸν ἐκόμιζον, οὔτε ψωραγριῶντα ἐπετρέποντο ἀναφέρειν, πολλῷ μᾶλλον ἡμᾶς, οἱ οὐ πρόβατα ἄλογα, ἀλλ' ἑαυτοὺς ἀναφέροντες, πλείονα ἀκρίβειαν ἐπιδείκνυσθαι χρή. *Nam ſi qui antiqua ſacrificia offerebant, omnia inſpicere, & conſiderare jubebantur, neque offerre permittebantur aliquod animal aure, vel cauda mutilum, aut petigine infectum: Quanto magis nos ovee ratione præditæ, noſque ipſos offerentes, diligentiam noſtram demonſtrare oportet, &c.*

II. Confirmare hoc videtur *can.25* Laodicenus, qui prohibet hypodiaconis *panem dare, vel Calicem benedicere.* Si hypodiaconi Corporis Chriſti diſtributionem aliquando uſurparunt, & Calicem conſecrarunt, quanto magis Diaconi & Corporis, & Sanguinis Chriſti conſecrationem ſibi vindicare potuerunt? τὸ ποτήριον enim εὐλογεῖν aliud mihi videtur ſignare non poſſe quàm Sanguinis conſecrationem, & alludere Concilium ad

verba

Digitized by Google

verba Pauli 1. *Cor.* 10. *verſ.* 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, &c.* Innovavit hunc canonem Concilium Aquiſgran. ſub Ludovico *c.* 78. *Quod non oporteat Subdiaconos panem dare, vel Calicem benedicere.* Prohibetur quoque Diaconis ne ſacrificent, *can. Agathenſi* 43. *Miniſtrare Diaconus, conſecrare altare Presbyter non præſumat.* Quid enim aliud miniſtrare eo loco ſignificare poteſt? Epiſcopo, & Presbytero ſacrificanti ne miniſtret, prohiberi non poteſt: Hoc eſt enim Diaconi proprium, ad quod inſtitutus eſt officium. Miniſtrare igitur idem quod λειτουργεῖν, ſacrificare. Significatio deſumpta ex *v.* 2. *c.* 13. Actorum, *Miniſtrantibus autem illis Domino, &c.* Græcè λειτουργούντων *ſacrificantibus.* Tantæ Diaconorum audaciæ demonſtrandæ favere videtur canon Nicænus, 18. qui tribus in capitibus eorum inſolentiam reprimit, Quòd Euchariſtiam Presbyteris ad altare communicaturis porrigerent. Quòd in medio Presbyterorum choro ſederent, Quòd Euchariſtiam ante ipſos Epiſcopos attingerent. Ejuſdem faſtus repreſſi argumenta habes Laodic. *c.* 20. Carthagin. 4. *c.* 37. 39. Andegav. *c.* 3. Agath. *c.* 65. & ſeveriùs Toletan. 4. *c.* 38. Trull. *c.* 7.

III. Poſterius nobis in hac cauſa conſiderandum, eſt conſuetudo antiqua longo multorum uſu confirmata, atque à multis, & inſignibus Theologis Scholaſticis probata, qua Laicis in extrema neceſſitate peccata confitendi, Pœnitentemque à peccatis abſolvendi facultas conceditur. Gratianus *de Conſecrat. diſt.* 4. *C. Sanctum eſt*, & Ivo *p.* 1. *Decreti c.* 191. ex Sancto Auguſtino ad Fortunatum hiſtoriam referunt, in qua hoc factum, & à Sancto Auguſtino approbatum non inevidenter colligi videtur. Res ſic ſe habet; *Cùm in navi quadam nullus eſſet præter unum pœnitentem, cœpit imminere naufragium. Erat ibi quidam non immemor ſalutis ſuæ, & Sacramenti vehementiſſimus flagitator; nec erat aliquis, qui dare poſſet niſi pœnitens ille. Acceperat enim ſed pro peccato, de quo agebat pœnitentiam; amiſerat ſanctitatem, ſed non amiſerat Sacramentum. Nam ſi hoc amittunt peccantes, cum reconciliantur poſt pœnitentiam, quare non iterùm baptizantur? Dedit ergo quod acceperat; & ne periculosè vitam finiret non reconciliatus, petiit ab eo ipſo quem baptizaverat, ut eum reconciliaret, & factum eſt, & naufragium evaſerunt. Cognitum habes quod fecerunt. Nemo extitit eorum, qui non pium animum ita crederet, ut conſiliis eorum in illo periculo Dominum crederet affuiſſe. Motus enim animus religioſus, & ſupplex ab homine exegit Sacramentum, à Deo ipſo impetravit ſanctitatem.* Ex æquo igitur pium utriuſque factum probat, & utrique Deum affuiſſe cenſet; Pœnitenti tradenti Sacramentum Catechumeno, & fideli ſanctitatem pro pœnitente deprecanti.

IV. Et *cap.* 10. *libri de vera, & falſa pœnitentia*, qui vulgò ſub Auguſtini nomine citari ſolet, & referunt Gratian. *de Pœnit. C. Quem pœnitet, & diſtinct.* 6. *C. Qui vult.* & Lombard. 4. *ſentent. d.* 17. *Tanta vis eſt Confeſſionis, ut ſi deeſt Sacerdos, confiteatur proximo. Sæpe enim contingit, quod pœnitens non poteſt confiteri coram Sacerdote, quem deſideranti nec locus, nec tempus offert. Et ſi ille, cui confitebitur, poteſtatem ſolvendi non habet; fit tamen dignus venia ex Sacerdotis deſiderio, qui ſocio confitetur turpitudinem criminis. Mundati enim ſunt leproſi, dum ibant oſtendere ora Sacerdotibus antequam ad eos pervenirent. Unde patet, Dominum ad cor reſpicere, dum ex neceſſitate prohibentur ad Sacerdotes pervenire.* Ex ſententia iſtius antiqui auctoris idem eſt effectus in Pœnitente Abſolutionis à Sacerdote, & à Laico datæ, ſi neceſſitas urgeat, & Sacerdos haberi non poteſt. Nam tum idem operatur per Laicum deſiderium Sacerdotis, quod ipſe Sacerdos. Diſcrimen tantùm hoc ponit, quòd à Sacerdote ſoluti citiùs à Deo ſolvuntur, *Sæpe quidem eos quærunt ſani, & læti. Sed dum quærunt, antequam ad eos perveniant, moriuntur. Sed Dei miſericordia eſt ubique, qui & juſtis novit parcere, etſi non tam citò, ſicut ſi ſolverentur à Sacerdote.* Hoc propter pœnam purgatoriam citiùs remiſſam per Sacerdotem, quàm per Laicum.

V. Hanc ſententiam amplectitur idem Gratianus, ut ex eodem loco non inevidenter colligitur, ſed apertiſſimè ex ſuis ipſiſſimis verbis 26. *q.* 6. poſt canonem, ſi aliquis, *Morituris ſuccurritur etiam à Laicis, ſi Presbyter deſit. Cur ergo beneficio reconciliationis per Presbyterum ei ſubveniri non poterit, ſi contigerit Epiſcopum deeſſe? Si ſecundùm Auguſtinum, qui agens in extremis confitetur ſocio turpitudinem criminis, fit dignus venia ex deſiderio Sacerdotis, cur ſimiliter non ſit dignus reconciliatione ex deſiderio Epiſcopi, qui Sacerdoti non negat maculam ſui reatus?* Sæpius idem docet Gloſſa, *ut de pœnit. d.* 6. *c. qui vult. Hic intitulatur* 6. *diſtinctio, ubi quæritur, cui ſit Confeſſio facienda, & quali. Et quidem facienda eſt Sacerdoti, ſi fieri poteſt, & ſuo: ſi tamen fuerit intra Eccleſiam, qui ſciat ſolvere, & ligare: Aliàs enim ex juſta cauſa cuicunque eſt facienda, & etiam Laico ſi urgent neceſſitas: Et diſt.* 1. *de pœnitentia C. Quem pœnitet. Et de Conſecratione, diſt.* 4. *Sanctum eſt.* Gloſſa quoque *in C. fures extra de furtis* ſupra relatum: legi etiam poteſt in *C. Paſtoralis, extra de officio Judicis ordinarii.*

VI. Magiſter ſententiarum *lib.* 4. *diſt.* 7. *lit. E.* Quæſtionem proponit, an ſufficiat confiteri Laico, *Saltem cùm deeſt Sacerdos*, quam ita reſolvit, *Sane ad hæc poteſt dici, quòd Sacerdotis examen requirendum eſt ſtudiosè, quia Sacerdotibus conceſſit Deus poteſtatem ligandi, atque ſolvendi: Et ideò quibus ipſi dimittunt, & Deus dimittit. Si tamen defuerit Sacerdos, proximo, vel ſocio eſt facienda confeſſio, &c.* Deinde in hujus rei teſtimonium citat verba S. Auguſtini de vera, & falſa Pœnitentia, quæ jam retulimus. Et in fine ejuſdem paragrahi relatis Bedæ verbis *in* 5. *Caput Epiſt.* S. Jacobi, coæqualibus quotidiana, & Levia, graviora verò Sacerdoti eſſe pandenda, ſubjungit, *Sed & graviora coæqualibus pandenda ſunt, cùm deeſt Sacerdos, & urget periculum, &c.* Tandemque initio ſequentis paragraphi colligit, *Cùm ergo ex his, aliiſque pluribus teſtimoniis perſpicuum ſit, & indubitabiliter conſtet, peccata primùm Deo, deinde Sacerdoti eſſe confitenda, & ſi ipſe defuerit, etiam ſocio, illud Joannis Chryſoſtomi ſupra poſitum non eſt intelligendum, &c.*

VII. De hac re paulò aliter diſſerit Lanfrancus Cantuarienſis Archiepiſcopus vir ſuo ſeculo celeberrimus, quique annis circiter 60. antequam Lombardus, & Gratianus ſcriberent, in Domino ſanctiſſimè quievit. Diſtinguit in libello *de celanda Confeſſione* peccata in occulta, & publica. Occulta vult quoſcunque Clericos audire, & ſolvere poſſe. Non dubito eum mente intellexiſſe, & limitaſſe propoſitionem iſtam hac conditione, ſi neceſſitas urgeat, quanquam illius non meminerit, ſed hoc, ut ex praxi notum prætermiſit. Publica verò ſolis Sacerdotibus reſervat. Si verò nullus ex ordine Clericali reperiatur, quemcunque virum bonum vult eligi. Poſtquam allegoriis demonſtravit unumquemque Clericorum ordinem hoc facere poſſe, ſermonem breviter colligit, *In hoc cognoſcimus quia de occultis omni Eccleſiaſtico ordini confiteri debemus: De apertis verò ſolis convenit Sacerdotibus, per quos Eccleſia, quæ publicè novit, & ſolvit, & ligat. Si nec in ordinibus Eccleſiaſticis, cui confitearis, invenis; vir mundus, ubicunque ſit, requiratur.* Poſtquam hoc, ut antecedentia, demonſtravit, ſubdit, *Quod ſi nemo, cui confitearis, invenitur, ne deſperet, quia in hoc Patrum conveniunt ſententiæ, ut Domino confitearis, &c.*

VIII. Petrus Cantor Pariſienſis *in Summa de Sacramentis fol.* 203. eandem tuetur ſententiam, ut communem, eadem S. Auguſtini *de vera, & falſa pœnit.* auctoritate fretus. *Ecce ex hac auctoritate habemus, quòd in neceſſitate confitendum ſit Laico ſi Sacerdos deſit, & non ſolùm venialia, ſed etiam mortalia.* Deinde ſibi auctoritatem Bedæ obiicit, qui hoc videtur de venialibus tantùm intelligere; cui ſic reſpondet: *Sed hoc fortè dictum eſt in caſu, ubi Sacerdos haberi poteſt; quod videtur ex eo quòd ſequitur, ſcilicet, quod ſine confeſſionis emendatione peccata nequeunt dimitti. Si enim tantæ neceſſitatis eſt confeſſio quod ſi deeſt Sacerdos confitendum ſit cuicunque in mortis periculo, ſed nunquid Judæo vel Gentili, vel Hæretico? Non videtur, quia contemptores ſunt, & irriſores Chriſtianæ religionis, &c.* Poſteà probat nec Morioni, nec puero confitendum eſſe, *ſed Laico diſcreto, qui non ſcandalizetur propter ejuſmodi confeſſionem.* Quærit amplius idem Petrus, atque reſpondet ea, quæ mihi videntur hic inferenda, ut quæ fuerit tum multorum vulgata praxis evidentius demonſtretur, *An & ſimiliter mulieri, quæ non ſcandalizetur per hujuſmodi confeſſionem? Item ſi fidelis ſerviens Judæo moriatur in via, Domino præſente ſolo ſuo, non habens peccata aliqua in quibus Judæus ille velit, vel poſſit detrahere confitenti, vel Eccleſiæ: & ille priuſquam moriatur, confiteatur Judæo illi, & eum adjuret per Deum, & fidem, quam ei debet, ut pœnitentiam, & Confeſſionem ſuam proteſtetur Eccleſiæ: an credetur ei poſtmodum hoc proteſtanti; nonne commendabit Eccleſiæ talem confeſſionem, cum nullum ex ea ſequatur periculum. R. Credo, quòd Dominus, qui dat in tali caſu pœnitenti contritionem, ipſum, quid agere debeat, docebit per internam inſpirationem. Poteſt enim, ut credo, propter tantam neceſſitatem etiam hoc Judæo, vel Hæretico confiteri; poteſt etiam commendabiliter abſtinere, ne talibus confiteatur, ſi dictet ei conſcientia.*

IX. Ita docebat Præpoſitivus, ut vulgatam doctrinam, quod ex ejus Summa manuſcripta colligitur. Quia nondum edita eſt, ejus verba integra referemus. *Summæ fol.* 53. *p.* 2. *Cap. de Confeſſione* ſic ſcribit: *Quæritur utrùm aliquis poſſit confiteri ſocio ſuo, Quod ſic probatur. Beda ſuper illum locum, Confitemini alterutrum peccata veſtra, dicit, quod peccata ex deliberatione facta debet quis confiteri Sacerdoti; facta verò ex infirmitate, vel ignorantia poteſt confiteri ſocio. Contra hoc ſic: Aliquod*

peccatum factum ex infirmitate gravius eſt omni peccato ex deliberatione facto. Nam peccatum fornicationis quod fit ex infirmitate gravius eſt verbo otioſo, quod quis dicit ex deliberatione. Ergo aliquod mortale peccatum debet quis confiteri ſocio, & veniale Sacerdoti, Solutio. Beda per peccatum infirmitatis intellexit peccata quotidiana, ſine quibus vix poteſt eſſe, quia hæc ſæpe ex infirmitate, vel ignorantia procedunt. Sed quæritur, quid conferat confiteri ſocio. Videtur quod nihil conferat. Nam ſocius non habet poteſtatem ligandi, atque ſolvendi. Ergo nihil confert ſocius, maximè cum poſſit invenire Sacerdotem, Solutio. Dicimus, quidquid dicat Beda, quòd ſemper melius eſt confiteri Sacerdoti quàm ſocio, & ſocio non eſt confitendum niſi in neceſſitate. Neceſſitas autem eſt in minimis peccatis. Pene enim eſſet impoſſibile ſemper quoties peccamus Sacerdotem invenire, ſed ſocium de facili reperimus: Et cum quis confitetur ſocio ſolvitur ex deſiderio Sacerdotis, ut dicit Auguſtinus.

X. Albertus magnus in 4. *diſt.* 17. *art.* 58. hanc quæſtionem proponit, *An aliquis poteſt confiteri ſuo ſocio, & ad quid valeat illa confeſſio.* Cui ſic reſpondet, *Valet confeſſio facta Laico, ubi articulum neceſſitatis, non contemptus religionis excludit proprium vel alienum Sacerdotem.* Deinde docet, Patres multiplicem aſſeruiſſe abſolvendi poteſtatem, *Eſt*, inquit, *poteſtas abſolvendi ex auctoritate, quæ eſt Dei; Eſt poteſtas ſuperexcellentiæ, & hæc eſt Chriſti hominis, &c. Tertia poteſtas eſt ex vitæ merito, & ſuffragiis orationum, & hæc eſt Sanctorum in Eccleſia, qua unus alii meretur primam gratiam, quæ abſolvit à peccatis. Alia autem poteſtas ex officio Miniſtrorum conceſſa Sacerdotibus; & ultima ex unitate fidei, & charitatis, & hæc pro neceſſitatis articulo deſcendit in omnem hominem ad proximo ſubveniendum: & hoc poteſtatem habet laicus in articulo neceſſitatis, & mulier ſimiliter.* Articulo ſequente docet Abſolutionem illam eſſe Sacramentalem, ut eſt baptiſmus à Laico datus, & Laicum eo caſu eſſe veri Miniſtri, id eſt, Sacerdotis Vicarium.

XI. Ita quoque S. Raymundus *lib.* 3. *de Pœnit. & remiſſ. §.* 20 *Sed & graviora coæqualibus pandenda ſunt, cùm deeſt Sacerdos, & urget periculum: Venialia etiam, Sacerdotis ablata copia, licet confiteri coæqualibus, & hoc ſufficit, ut dicunt plerique Doctores, ſi tamen ex contemptu non prætermittatur Sacerdos. Alii verò dicunt, & credo tutius, quod utriuſque generis peccata Sacerdotibus ſunt pandenda, quibus eſt conceſſa poteſtas ligandi, & ſolvendi, ſi habeatur eorum copia.* Et anteà §. 15. dixerat Sancti Auguſtini auctoritate fultus, & Decreti *de pœnitent. diſt.* 1. *quem pœnitet, & de conſecrat. diſt* 4. *Sanctum. Tanta eſt vis Confeſſionis, ut ſi immineat articulus neneceſſitatis, vel quia infirmatur ad mortem, qui confiteri vult, vel debet intrare bellum juſtum, & deeſt Sacerdos, confiteatur proximo: & ita non ſolùm Clerico, ſed etiam Laico vel ſocio poſſet.*

XII. Alexander Halenſis *quarta parte Summæ q.* 19. *memb.* 1. *art.* 1. dicit, Confeſſionem Laico factam utilem eſſe multis de cauſis, & Abſolutionem à Laico datam, eſſe Abſolutionis à Deo impetrationem: atque in hujus rei probationem affert S. Auguſtini dictum jam exſcriptum, ſed ſub nomine S. Gregorii S. Bonaventura *in diſt.* 17. *p.* 3. *dub.* 1. & *art.* 1. *q.* 1. teſtatur, nonnullos Doctores exiſtimare Confeſſionem illam eſſe Sacramentalem, contrarium tamen probabilius judicat. Sed parum intereſſe mihi videtur, an ſit Sacramentalis necne, modo primarium Abſolutionis Sacramentalis effectum, id eſt, ſalutem, quoquo modo in pœnitente producat.

XIII. Cardinalis Hoſtienſis *lib.* 5. *Summæ tit. de pœnit. & remiſſ. n.* 14. ubi caſus explicat, in quibus licet non confiteri Parocho ſuo, *Septimo tempore neceſſitatis* 26. *q.* 6. *Si Presbyter de Pœnit. diſt.* 3. *Quicunque Presbyter: quia ſicut ait Auguſtinus, tanta eſt vis Confeſſionis, quòd ſi immineat neceſſitatis articulus; ut quia infirmatur ad mortem is, qui vult confiteri, vel oportet eum intrare bellum, & deeſt Sacerdos, non ſolùm proprius, ſed & quilibet; in tali articulo poteſt etiam Laico, vel etiam mulieri, ſi non adſit alius, confiteri. de Pœnit. diſt.* 1. *Quem pœnitet, & diſt.* 3. *Qui vult, & de conſecratione diſt.* 4. *Sanctum eſt, &c. Non tamen Hæretico, vel Excommunicato debet quis confiteri.* Quantæ autem virtutis ſit ejuſmodi Confeſſio, paulò poſt explicat, *Quod autem dictum eſt de Laico, vel muliere intelligas quoad oſtendendam fidem Sacramenti, unde ſi ſic moriatur, ſalvatur, debitum tamen Sacramentum deficit, quia nullus poteſt verè abſolvere, ut ſcilicet verum ſit Sacramentum Pœnitentiæ, niſi Sacerdos ſit; Ideoque ſi talis evadat, debet iterùm Sacerdoti proprio confiteri.*

XIV. Sed antiquis Scholaſticis preſſius adhæſit. S. Thomas cùm in ſententias ſcribebat. *In diſt. enim* 17. *q.* 3. *art.* 3. *quæſtiuncula* 2. *Dicendum quod ſicut baptiſmus eſt Sacramentum neceſſitatis, ita & pœnitentia. Baptiſmus autem, qui eſt Sacramentum neceſſitatis habet duplicem Miniſtrum; unum cui ex officio baptizare incumbit,* ſcilicet *Sacerdotem: alium cui ratione neceſſitatis diſpenſatio baptiſmi committitur. Ita etiam Miniſter Pœnitentiæ cui confeſſio facienda ex officio, eſt Sacerdos: ſed in neceſſitate etiam laicus vicem Sacerdotis ſupplet, ut ei Confeſſio fieri poſſit.* Et poſteà in reſponſo ad primum docet, in ejuſmodi Confeſſione ineſſe rationem Sacramenti, & ea, quæ ad Sacramenti eſſentiam pertinent, licèt non omnia; quæ verò deſunt, defectum ſcilicet Sacerdotis, à ſummo Sacerdote ſuppleri, *Quando neceſſitas imminet, debet facere Pœnitens quod ex parte ſua eſt, ſcilicet conteri, & confiteri, cui poteſt.* Et paulò poſt, *Nihilominus Confeſſio Laico ex deſiderio Sacerdotis facta, Sacramentalis eſt quodammodo, quamvis non ſit Sacramentum perfectum.* Poſteà reſponſione ad ſecundum aſſerit, Laicum eſſe confitentis judicem, eo quòd ratione neceſſitatis, & Sacramenti adipiſcendi ſeſe ei confitens ſubjecit.

XV. Qui hos ſecuti ſunt Doctores paſſim contrariam ſententiam amplexi ſunt, unde factum eſt, ut paulatim mos ille laicis in neceſſitate confitendi obſoleſceret. Hujus moris antiquum exemplum ex S. Auguſtino ad Fortunatum jam relatum eſt. Aliud mihi nunc occurit ex hiſtoria Gallica Joannis Jonvilii Campaniæ Seneſchalli, qui S. Regem Ludovicum in expeditione Ægyptiaca contra Saracenos comitatus eſt, Profligato Francorum exercitu, capto Rege ſancto, plurimiſque Nobilibus, Captivi in varia loca ſubmoti ſunt. Refert igitur *cap.* 45. Saracenos circiter triginta, poſt trucidatum Soldanum ſive Principem ſuum, enſe ſtricto ingreſſos eſſe navim, in qua ipſe cum aliquot Nobilibus detinebatur. Tum omnes mortem præſentem crediderunt. Qui Sacerdotes nanciſci potuerunt, iis confeſſi ſunt. *Mihi*, inquit, *ad genua provolutus eſt Guido de Belino Magiſter equitum regni Cypri, & peccata ſua confeſſus eſt, eique juxta poteſtatem meam, Abſolutionem dedi.* Sanè viri illi nobiles, & Catholicæ fidei tenaciſſimi, hac in cauſa geſſerunt ſe, ut alios ſeſe gerentes paſſim viderant, & audiverant. Teſtatur Scotus *in* 4. *diſt.* 17. *art* 3. hoc obſervari potiſſimum à criminum Reis ad mortem damnatis, ſed morem ægrè reprehendit. Martinus tamen V. Pontifex Scoto centum annis poſterior in Bulla adverſus Huſſitas, quæ habetur *in fine ſeſſionis* 45. *Concilii Conſtantienſis* hanc opinionem, ut nondum damnatam ſupponit, cùm in interrogationibus faciendis ad ſuſpectos de hæreſi huſſitica hanc adjungit, *Utrùm credat, quòd Chriſtianus ultra contritionem cordis habita copia Sacerdotis idonei, ſoli Sacerdoti de neceſſitate ſalutis confiteri teneatur, & non Laico, ſeu laicis quantumcunque bonis, & devotis.* Non videtur improbare opinionem, quæ affirmat Laico, cùm Sacerdotis non eſt copia, confiteri quemque poſſe, ſed eam tantùm condemnare, quæ, cùm eſt copia Sacerdotis, id fieri poſſe docet, ſicque Laicos impiè Sacerdotibus æquat. Cùm igitur tot Theologi inſignes eandem auctoritatem in extremo vitæ periculo ad Laicos derivaverint, Quidni tam multis ſuffragantibus Antiquorum teſtimoniis dicetur nonnullas Eccleſias in eodem periculo eandem per accidens prærogativam Laicis conceſſiſſe.

XVI. Sed litem iſtam diremiſſe videtur Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. Itaque nulla eſt iſtius Confeſſionis neceſſitas, nullus ex opere operato effectus: ſed ſi fiat, pio quodam, & voluntario humilitatis affectu edenda eſt, vimque omnem, & efficientiam ex Pœnitentis devotione, & humilitate mutuabitur, è Sacramenti virtute nullam. Quanquam ſi diligenter examinentur Concilii verba rectà feriant hujus temporis Hæreticos, qui verba illa Chriſti, Quæcunque ligaveritis, &c. ex æquo ad omnes fideles pertinere volunt, non autem antiquos illos auctores. Hanc enim ſententiam eorum plerique ut vidimus, diſertiſſimè condemnant, & vix minùs diſertè quàm Concilium, hanc auctoritatem ſolis Epiſcopis, & Presbyteris vindicant. Sed huic ſententiæ non crediderunt ſe contradicere propter Abſolutionis neceſſitatem, ſi occurrente extremo vitæ periculo aliquid iſtius auctoritatis abſente Epiſcopo, vel Presbytero per accidens etiam in Laicos derivarent. Quæ autem improbationis nota nunc ſit antiquæ huic ſententiæ inurenda diſputare, hiſtoriæ metas ſupergreditur. Hoc Theologiæ Doctoribus definiendum remitto.

Digitized by Google

CAPUT XXV.

Abſolutionem peccatorum abſenti datam olim apud multos valuiſſe, plurimis Scholaſticorum teſtimoniis, & nonnullis Antiquorum exemplis docetur. Abſolutionem illam non eſſe nudam pœnitentiarum canonicarum indulgentiam. Sententiæ judiciales naturæ ſuæ ex æquo feruntur in præſentes, & abſentes. A principio reſtringi poſſunt, & ampliari. Hujus rei intima ratio. Multi Scholaſtici ſcripſerunt, Abſolutionem Sacramentalem ſcripto, vel nutu, aut ullo ſigno externo dari poſſe. Clementis VIII. decretum actibus præcedentibus non præjudicat, ſed legem ponit futuris. Decretum Pontificis invalidam reddere poteſt Abſolutionem, aliàs legitimam.

DIſputari ſolet inter Doctores Scholaſticos, Utrùm Abſolutio à peccatis quodam caſu dari poſſit abſenti. Affirmaverunt plurimi, quorum magnam partem refert Franciſcus Suarez *diſp. 19. de forma Sacram. Pœnitent. ſect. 3.* Paludan. *in 4. diſt. 17. q. 2. art. 1.* S. Antonin. *3. part. tit. 14. c. 19. §. 9. & tit. 17. c. 12. & c. 21. §. 3.* qui multos refert Theologos in Concilio Baſileenſi ſuper hac re interrogatos reſpondiſſe, Sacerdotem, qui ſine juriſdictione Pœnitentem audierat, poſtmodum impetrata facultate abſolvendi, poſſe Pœnitentem, ubicunque ſit, abſolvere. Sylveſter *verbo Confeſſor q. 13. Confeſſio 3. in principio, Confeſſor, quarto, §. 6.* Auctor *ſummæ Confeſſorum qu. 76.* Margarita Confeſſorum *fol. 53.* Armilla *verbo Confeſſio n. 23.* Tabiena *verbo Confeſſio 2. nu. 4.* Rainerius referens Petrum de Tarantaſia *in ſua Summa de Confeſſione.* Petrus Soto *in Inſtit. Sacerd. lect. 11. de Confeſſione* dicit, hanc ſententiam poſſe ſecurè teneri, quam tenent, inquit, plures noſtrum. Dominicus Soto *in relectione de tegendo ſecreto memb. 3. q. 4. Concluſ. 5. dub. 4.* ſcribit, hanc opinionem eſſe fortaſſe veram. Navar. *in Summa c. 21. n. 36. & in c. Quem pœnitet, nu. 4.* Adria. *in 4. de Confeſſione q. 1.* Palacios *in 4. d. 17 diſput. ult.* Ruard. *art. 5.* & alii, qui eandem ſententiam, vel aſſeruerunt, vel probabilem judicarunt: Eam quoque aliquando amplexus eſt ipſe Suarez. Alii addunt Alexand. Halenſem *in 4. part. qu. 18. memb. 4. art. 3. §. 9.* Turrecrematam *in Cod. quem pœnitet. diſt. 1. de Pœnit. art. 1. Concluſ. 2.* Medinam *C. de Confeſſione q. 15.* Addi poteſt & auctor Anonymus antiquiſſimi Theologiæ Scholaſticæ compendii *lib. 6. cap. 25* qui in caſu neceſſitatis eam valere arbitratur. Primùm ait, Confeſſionem per Nuntium, aut Epiſtolam opus eſſe bonum, & meritorium; Deinde ſubdit, *Tamen in quantum eſt pars Sacramenti non poteſt ſic fieri, quia determinatam habet materiam, ſcilicet actum ſermonis, quo conſcientia hominis manifeſtari conſuevit. Unde ſine neceſſitate non licet aliter confiteri. In neceſſitate poteſt defectus per æquipollentem actum ſuppleri.*

II. Scholaſticis iſtis auctoribus addi poſſunt aliquot Patrum antiquorum, aut auctorum Eccleſiaſticorum, qui eos, præceſſerunt teſtimonia, è quibus idem probabiliter colligi poſſe videtur. Antequam illa enarrem Lectorem monebo, quæſtionem iſtam in duas partes ſcindi ſolere: Unam reſpicere Confeſſionem. An ſcilicet, liceat Abſenti per ſcriptum confiteri. Alteram ſpectare Abſolutionem, quæ duplex eſt; An liceat Confeſſo per ſcriptum, & abſenti abſolutionem ſcripto dare; Deinde, an liceat confeſſo per os proprium Sacerdoti præſenti, poſteà abſenti dare Abſolutionem. Primum videtur incommodis minùs obnoxium, illudque abſolutè amplectitur Suarez, piumque cenſet, & uſui Eccleſiæ conforme *to. 4. in 3. part. diſp. 21. de Confeſſ. ſect. 4. n. 10.* Nonnulla exempla ſuadent meo judicio non improbabiliter utrumque aliquando ab antiquis Patribus factitatum eſſe, & tam multorum inſignium Scholaſticorum conſenſum traditionis antiquitate non eſſe prorſus deſtitutum.

III. S. Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus in Epiſtola ad Fabianum Pontificem, quam refert Euſebius *l. 6. c. 36.* hanc de quodam Serapione, qui idolis immolaverat, hiſtoriam narrat, ex cujus circumſtantiis quæſtio propoſita ſecundùm Scholaſticos citatos definiri videtur. *Hic ſæpenumerò in Eccleſia denuò recipi ſupplex poſtulabat, ſed nemo, quia idolis ſacrificaſſet, ejus poſtulationi aliquando auſcultavit*: Quum eſſet in eo ſtatu, in morbum incidit, cujus impetu triduum obmutuit, *Quarto autem die paululùm relevatus nepotem ad ſe accerſit, ſicque alloquitur: Quouſque, fili, me detinetis? properate obſecro, & me ocyus dimittite. Aliquem ex Presbyteris advoca ad me. Quæ cum dixiſſet, verè fuit mutus.* Puer, quod erat juſſus, exequitur: Presbyterum adit, ſed lecto decumbentem deprehendit. Quid verò Presbyter? *Puero exiguam quandam Euchariſtiæ partem dedit præcipiens, ut eam madefactam in os ſenis infunderet, quam puer ſecùm adferens rediit. Cui jam appropinquanti, priuſquam cum eo, quod geſtabat, intraret ædes, Serapion denuò voce recuperata dixit. Veniſti, fili? Tametſi Presbyter non poteſt venire, tu tamen præſta quod tibi in mandatis dedit, & dimitte me abire. Particulam igitur puer, quum apportaret, madefactum in os ſenis infudit; Atque ille ſimulatque eam pedetentim per fauces demiſerat, illicò extremum ſpiritum edidit.* Certum eſt ex Dionyſii narratione Serapionem illum horrendum crimen commiſiſſe, nullaque ante morbum abſolutione donatum, cùm illi nondum in Eccleſiam ingredi, Pœnitentiumque numero adlegi conceſſum fuiſſet. Oportuit igitur Abſolutionem intermediam eſſe, inter crimen publicè commiſſum, & Euchariſtiæ donationem. Sed Presbyter longè aberat: oportuit igitur Presbyterum abſenti veniam, & Abſolutionem conceſſiſſe. Quis enim Catholicus aſſereret, ſatius eſſe Euchariſtiam peccatori tradere, quàm Abſolutionem? Quis ignorat Euchariſtiam eſſe τελετῶν τελετὴν, Chriſtianorumque Viaticum τελειότατον, καὶ τελεώτατον, omnem Pœnitentiarum, & expiationum œconomiam eo fine adhibitam, & diligentiſſimè obſervatam, ut peccati Reus hoc modo purgatus tandem Euchariſtia dignus redderetur? Hoc demonſtrat totus liber ſeptimus, & præ cæteris S. Dionyſius paſſim, & potiſſimum toto de Euchariſtia tractatu. Tandem Dionyſius Alexandrinus in ea verba ſermonem colligit, quæ Abſolutionem peccati maculæ deletricem præceſſiſſe evidenter arguunt, *An non igitur ſatis conſtat, eum fuiſſe reſervatum, & uſque eo in vita manſiſſe, quoad eſſet penitus culpæ vinculis ſolutus, & ita labe, qua erat idolis immolando aſperſus, omninò deleta, poſſet pro multis bonis, quæ geſſiſſet in vita, in numerum Confeſſorum referri?* Antequam enim tormentis cederet, vitam ſanctè, & integrè egerat. Idem antiquitus ſæpè contigiſſe probabile eſt propter Abſolutionem in multos annos ſæpè dilatam, ut unicuique perpendenti fortuitos caſus, & præcedenti ſimiles, qui ſæpè contingere potuerunt, manifeſtum erit.

IV. In Concilio Duciazenſi ſub Joanne 8. ann. 872. celebrato, Robertus Cœnomanenſis Epiſcopus Cœnomanis graviter laborans, mortique, ut credebat proximus, Concilii Patribus à ſe per 20. milliaria Gallica diſſitis ſcripto peccata confitetur, & ab iis Abſolutionem petit, quod in hæc verba finit, *Pietatis veſtræ miſericordiam ſingultu interpoſito implorare non ceſſo, quatenus poteſtate cœlitus vobis collata vincula meorum piaculorum enodetis, & precum veſtrarum ſtudiis commiſſa mea pietis, ut cum reprobis non ducar ad tartara, quin potiùs veſtro interventu celeſtia merear ſublimari ad gaudia.* Sequitur Patrum Abſolutio cui titulus, *Epiſtola Abſolutionis, quam ei remiſerunt iidem venerabiles Conſacerdotes de loco obſidionis.* Poſt præfationem de Confeſſionis peccatorum virtute, ſic abſolvunt. *Quapropter frater & Conſacerdos noſter tibi peccata ſua confitenti per Eccleſiaſticam Apoſtolicæ auctoritatis poteſtatem, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus tradidit diſcipulis, & Apoſtolis ſuis, dicens, Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & per eoſdem Apoſtolos ſuos ipſorum ſucceſſoribus, quorum vices licèt indigni tenemus, etſi non meritò, tamen nomine, atque officii ſuſceptione, eandem poteſtatem donavit, & in ſe fideliter credenti dixit, fiat tibi ſecundùm fidem tuam, gratia, & potentia ſua, virtute S. ſpiritus, qui eſt remiſſio omnium peccatorum, dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conſervet in omni bono, & perducat te ad vitam æternam, & ad Sanctorum Sacerdotum conſortium. Amen.*

V. Ad veram, & Sacramentalem Abſolutionem nihil requiri poſſe videtur. Ajunt enim ſe abſolvere vice Chriſti, & poteſtate ab eo ſibi tradita per ea verba, quorum remiſeritis, &c. Quod ad deprecativum modum jam demonſtratum eſt, nullum alium illis ſeculis in univerſa Eccleſia uſitatum fuiſſe. His accedit, quòd hæc Abſolutionis formula, illa ipſa eſt, quæ in ordine Romano, aliiſque Pœnitentialibus ſingulari perſonæ peccata ſua ſigillatim confitenti dari jubetur. Obiici poſſet, Epiſcopum illum in Epiſtola Confeſſionis peccata ſua κατὰ μέρος non explicaſſe. Verum hoc ſi per interpretem, aut alio modo non fecit, legitimè excuſatus eſt locorum diſtantia, quæ peccatorum publicationi obnoxia eſt, fecit itaque quod legitimè potuit, ſimiliſque judicatus eſt ei, qui adveniente Sacerdote paucula locutus obmuteſcit. Reverendus pater Sirmundus in notis ad tertium tomum Conciliorum Galliæ adnotat in eodem codice ſimilem prorſus Abſolutionem contineri ab Hincmaro Archiepiſcopo datam Hildeboldo Sueſſionenſi Epiſcopo ægroto eam per litteras petenti, cui Abſolutioni titulus eſt, *Exhortatoria Hincmari Metropolitani ad Hildeboldum Diœceſanum Epiſcopum corporea infirmitate detentum, in qua juxta petitionem litterarum Confeſſionis illius, ſua auctoritate eum per abſentiam corporalem reconciliandi, abſolvit.* De qua proinde idem quod de priore exemplo dicendum, & colligendum.

VI. Potamius Bracarenſis Epiſcopus graviſſimi criminis, ſed occulti Reus, cùm adeſſet Concilio Toletano 10. Pœnitentia compunctus ſcripto confitetur, illudque ad Concilii Patres mittit, quo

tit, quo

Digitized by Google

tis, quo reſignato, & lecto eum Patres acceſſunt, interrogantque an ſe ſcripti auctorem profiteretur. *Delatum eſt*, inquiunt, *conventui noſtro Epiſtolium confuſæ Confeſſionis, & abolendæ ſubſcriptionis, quod Potamius Bracarenſis Eccleſiæ Epiſcopus de factis propriis ſuiſque verbis adnotaras, & articulis. Quo reſerato quid obliteranda pagina, & abolenda litterarum elementa, fletibus potiùs quàm ſermonibus lachrymoſa Concio recenſuit. Tunc ſolitariè tantùm ſecretimque adunatis Pontificibus Dei prædictum Epiſcopum adeſſe coram nobis fecimus, &c. Qui mox flebili voce, luminibuſque ploratu madentibus, & fragore ſingultuum cum magni Dei nominis juramento clamavit ſe, & verè eadem mala de ſe confiteri, & ad hæc confitenda nulla ſe violentia prægravari.* Neque præſenti, neque abſenti abſolutio data eſt. Statim enim depoſitus eſt, & perpetuæ Pœnitentiæ addictus, atque in ejus locum alius ſuffectus, ut in fine iſtius Concilii legitur. Sanè niſi conſuetum fuiſſet peccata ſua ſcripto confiteri, & Abſolutionem abſenti dari, id certè non feciſſet Archiepiſcopus ille. Eum autem acceſſiverunt Epiſcopi, eo quòd immanè nefas fatebatur litteris ſuis, quòd probatum depoſitionem ab ordine, & dignitate præſentem merebatur. Cùm igitur Toletum ad Concilium veniſſet, & facilè Concilio adeſſe poſſet, eum vocaverunt, ut ab ipſius ore diſcerent, an litteras tantum ſcelus de eo, prædicantes ipſe ſcripſiſſet.

VII. Sæpiùs idem feciſſe videtur Gregorius VII. Pontifex. Quid egerit referam, ut lector ipſe conſideret, qua ratione illud ſit intelligendum. *Lib.1. Epiſt.34.* ſic reſcribit Epiſcopo Lincolnienſi, *Abſolutionem peccatorum tuorum ſicut rogaſti, auctoritate Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli fulti, quorum vice quamvis indigni fungimur, tibi mittere dignum duximus, ſi tamen bonis operibus inhærendo, & commiſſos exceſſus plangendo quantum volueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris.* Lincolnienſis in Anglia Epiſcopus à Pontifice in Italia agente per litteras peccatorum Abſolutionem petit, & petenti annuit Pontifex. Verba Pontificis perſpicua ſunt, & clariora vix deſiderari poſſunt. Deinde nullo, vel leviſſimo Excommunicationis vinculo innodatus erat ille Epiſcopus, ut apparet ex Epiſtola quam ad eum reſcribit Pontifex.

VIII. Idem Pontifex *lib.2. Epiſt.61.* Abſolutionem à peccatis Epiſcopo Leodienſi per litteras concedit. Primùm de eo conqueritur ea Epiſtola quod audierit certa relatione cum Simoniaca labe infectum, ut deſiſtat monet, hortaturque, ut fornicationem è Clero ſuo eradicet, tandemque concludit Epiſtolam in hæc verba, *Et quia in extremo videris poſitus fraterna compaſſione ducti auctoritate B. Petri Apoſtolorum Principis, Abſolvimus te à peccatis tuis, & Dominum pro te exoramus, ut interventu Apoſtolorum inter Electos æternum merearis conſortium. Datu Romæ 10 Kal. April. Indict. 13.* Præſumi facilè poteſt Confeſſionem Leodienſis Epiſcopi præceſſiſſe, & Abſolutionis conſequenter petitionem, quanquam earum mentionem non faciat Pontifex. Verùm in exemplo ſequente non mihi videtur tam facilis utriuſque præſumptio. Deinde locutione deprecativa effertur, qua faciliùs oratio ſimplex præſumitur. Ne tamen iſta præſumptio firma ſit, obſtare videntur nonnulla Pontificis verba. Scribit Gregorius VII. ad Alphonſum Hiſpaniæ Regem *Epiſt.2. lib.8.* Poſtquam ipſum variis laudibus extulit, ipſum, illiuſque proceres à peccatis abſolvit in hæc verba, *Omnipotens Deus omnium rerum creator, & rector omnium dignitatum ineffabilis diſpoſitor, qui dat ſalutem regibus, meritis altiſſimæ Dominæ Genitricis Dei Mariæ, omniumque Sanctorum, auctoritate Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli nobis licèt indignis per eos, qualicunque commiſſa, te tuoſque fideles in Chriſto ab omnibus peccatis abſolvat, detque tibi victoriam de inimicis, &c.* Si ſimplex votum, oratio, benedictio, ut quid auctoritas B. Petri, & Pauli nobis licèt indignis conceſſa? His accedit illius temporis conſuetudo, quæ Abſolutionem verbis deprecativis efferre ſolebat. Eadem prorſus ratio eſt Abſolutionis ab eodem Pontifice eodem modo datæ Velphoni duci de ſede Apoſtolica bene merito, quæ habetur *Epiſt.14. lib.6.*

IX. Dicet forſan aliquis his Gregorii VII. teſtimoniis Abſolutionem peccatorum abſentibus non dari, ſed ſolam pœnitentiarum canonicarum remiſſionem, quam nunc antonomaſticè indulgentiam vocamus. Verùm ut de hac explicatione nonnihil ſubdubitem, movent gravia meo judicio argumenta. Nuſquam ait Gregorius Abſolutionem illam ſe conferre propter inſigne aliquod opus perpetratum, ſed ſimpliciter ſe eos, à peccatis abſolvere. At Pœnitentiarum indulgentiæ propter grande aliquod opus, ut eſt bellum contra Saracenos, contra Hæreticos; concedebantur, nec alia quàm ejuſmodi exempla reperire eſt annis poſt Gregorii VII. ſeptuaginta, ut hæc fusè, & omnium propè teſtimoniorum illius temporis inductione probantur poſtremis libri decimi capitibus. Deinde poſt illud tempus relaxatio multò facilior fuit, & opus cum quo facta eſt commutatio multò minùs arduum, difficilè tamen, & arduum fuit: Immò in hunc uſque diem, licèt in clementiam ſit Eccleſia propenſiſſima, opus tamen aliquod præſtandum Catholicos Confeſſis injungitur. Quis credat ſeveriſſimum Pontificem criminum indulgentias abſolutè, & ſine ulla compenſatione donaſſe. Hoc planè contrarium eſt praxi Pœnitentiali illius ſeculi, quam libro ſeptimò demonſtravimus; & ſi alicui Pontifici hoc convenire poteſt, omnium minimè Gregorio VII. Cæteri Pontifices cum indulgentiarum laxa erat diſpenſatio Pœnitentiarum ſeptimam, quintam, tertiam partem tantùm condonabant. Auſteriſſimus Gregorius VII. integras prodegerit? Qui tot Concilia celebravit, & celebrari juſſit, ut Pœnitentiæ priſtinum vigorem reſtitueret, falſam ab Eccleſia exterminaret, primus laxiſſimam docuerit, & canonicam abrogantibus præierit?

X. In Concilio Anglicano Cloveshoviæ habito anno 747. c. 27. narratio quædam habetur, quæ hoc ut non infrequens ſupponit: *Nuper quidam dives ſecundùm hoc ſeculum petens reconciliationem pro magno quodam facinore ſuo citiùs ſibi dari, adfirmans in ſuis litteris idem nefas juxta multorum promiſſa in tantùm eſſe expiatum, ut ſi deinceps vivere poſſit trecentorum annorum, &c. per ſolutum eſſet.* Litteris reconciliationem petebat, nec in hoc ullo modo inquirunt Patres, ſed in hoc quod dixerat Pœnitentias ſibi canonicè impoſitas ſe pecunia in pauperes, ut pro eo jejunarent, effuſa, longiſſimè ultra debitum redemiſſe. Ut igitur litteris reconciliationem petebant. Quidni incommodo aliquo accedente litteris quoque ipſis conferretur?

XI. Harmenopolus *ſect.5. tit.3. Epitomes canonum in Scholio ad 54. can. S. Baſilii* refert Epiſcopum quendam militi per ſcriptum dediſſe Abſolutionem. *Sub Luca Patriarcha militi cuidam qui cædem voluntariam commiſerat, Epiſcopus quidam intra perexiguum tempus Abſolutionem per ſcripturam conceſſerat, &c.* Vocatus eſt ad Concilium Epiſcopus, non eo quòd Abſolutionem per ſcriptum dediſſet, de hac re nulla ei lis eſt intentata, ſed quod Abſolutionem non impoſita canonica Pœnitentia, *Citrà explorationem, & nimia commiſeratione* conceſſiſſet. Ideò Concilium non obſtante hac Abſolutione militem pœnis canonicis ſubjecit, & Epiſcopum aliquo tempore ab officio ſuſpendit.

XII. Demonſtrare hoc videtur Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi petitio, & Alexandri III. conceſſio. Res ſic ſe habuit: Cùm S. Thomas in Conciliabulo Clarendunenſi nimium molliter Henrico II. Anglorum Regi aſſentatus fuiſſet, & pro Juris Eccleſiaſtici conſervatione fortiter, ut cœperat, non ſteti ſſet; magna animi contritione confectus, *Pœnitet me*, inquit, *& graviter, & meum exhorreſcens exceſſum, meipſum judico indignum de cætero ad eum accedere in Sacerdotio, de cujus contraxi tam vile commercium. Silebo itaque ſedens in mœrore, donec me viſitaverit Dominus ex alto, ut per ipſum Dominum, & Dominum Papam merear abſolvi, ſtatimque inde deſtinavit Nuntium ad ſedem Apoſtolicam.* Verùm Alexander III. Pontifex quod factum fuerat, & Thomæ propoſitum reſciverat antequam Thomæ Nuntii ad ipſum perveniſſent. Ideò ante acceptas Thomę litteras ipſi per litteras miſerat, & peccati commiſſi Abſolutionem, & ſacrificii faciendi diſpenſationem. Eas refert Matthæus Paris ad ann. 1164. & Baronius eo anno ex antiquo illius temporis manuſcripto. Primùm docet eum Pontifex crimen non eſſe, adeò grave, ut proptereà debeat à Miſſæ celebratione abſtinere, eo quòd terrore magno, & ignorantia quoque perpetratum fuerit. Deinde ſic ſubjungit Pontifex: *Si igitur aliquid te recolis commiſiſſe, de quo propria te debeat conſcientia remordere; quidquid ſit, Sacerdoti qui diſcretus, & providus habeatur, tibi conſulimus per Pœnitentiam confiteri. Quo facto, & miſericors Dominus, qui multò ampliùs ad cor reſpicit quàm ad actus, tibi conſuetæ pietatis ſuæ miſeratione dimittet. Et nos de Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus meritis confidentes, te ab eo quod eſt commiſſum abſolvimus; & idipſum fraternitati tuæ auctoritate Apoſtolica relaxamus, conſulentes atique, ac mandantes, ut poſteà à Miſſarum celebrationibus propter hoc non debeatis abſtinere.*

XIII. Manifeſtum videtur ex verbis Sancti Thomæ ipſum à Papa per litteras Abſolutionem petiiſſe, & ſperaſſe: Peſpicua ſunt ipſius verba. Nec minùs probabiliter colligitur ex diplomate Pontificio Pontificem Abſenti per diploma Abſolutionem à peccato conceſſiſſe. Nullus enim fingendæ Excommunicationi locus eſt. Relaxavit quidem ſuſpenſionem Pontifex quam ſibi Thomas propter peccatum intulerat, ſed deleto priùs per Abſolutionem peccato commiſſo, *Te ab eo quod eſt commiſſum abſolvimus*, poſteà Cenſuram quam lubens ſibi inflixerat, relaxat. Immò non relaxat Cenſuram Thomæ Pontifex, ſed nullam eſſe declarat, & ne illam obſervet mandat. Nec obſtare videtur quòd

ut Sa-

Digitized by Google

ut Sacerdoti confiteatur, illi conſulit. Hoc enim facere potuit propter Pœnitentiæ actionem, quæ conſider atis peccati circumſtantiis, quas abſens cognoſcere non poteſt, imponi debet.

XIV. Sententiarum judicialium hæc eſt natura, ut in præſentes, & abſentes, & nunc, & in futurum ex æquo agere poſſint; nec ullo modo poteſt ab iis avelli hęc aptitudo. Poteſt equidem Princeps nonnullis juſtis cauſis commotus illarum effectum multis modis reſtringere, certis cancellis circumſcribere, & definire, ita ut nihil in abſentes efficiant, ſed in eos, pronuntiatæ ſint irritæ: In præſentes quoque niſi his conditionibus obſervatis, & poſt hanc, & hanc inquiſitionem ferantur, ut ab antiquis, & recentioribus Conciliis, & Pontificibus ſæpè obſervatum eſt, & in Excommunicationum cauſa hoc generaliſſimè obſervari poſſe nemo diffitetur. Verum Princeps, ut mihi probabile videtur, facere non poteſt, ut nullo præcedente, & reſtringente decreto aptæ non ſint ſic agere, cùm natura ſua, & ad ſic agendum, & ad reſtrictionem tolerandam comparatæ ſint.

XV. Iſtius reſtrictionis, ampliationis, circumſcriptionis, cujus jam meminimus, veram, & intimam cauſam, quæ totius negotii radix eſt, & principium, reddit Franciſcus Hallerius jam non ſemel à nobis laudatus in opere de ſacris Ordinationibus, ubi de materia, & forma *Ordinat. §. 21.* diſtinguit inter materiam Phyſicam, & Moralem, atque nullam eſſe Eccleſiæ auctoritatem conceſſam in materiam Sacramentorum Phyſicam; ſed materias morales ab Eccleſię judicio, & definitione pendere. Hinc colligit, Sacramentorum Pœnitentiæ, Matrimonii, & Ordinum materias non autem cæterorum, Eccleſiæ decretis eſſe ſuppoſitas, *Quia ſunt*, inquit, *res morales, quæ in arbitrio Principum in quaque republica ſitæ ſunt*. Sicut enim Principes contractibus conditiones dicunt; cùm Magiſtratibus juriſdictionem ſuam communicant, & illius auctoramentum per ſigna, quæ libuerit, ſignificant, cognoſcendis criminibus formulas præſcribunt: *Ita*, inquit, *Eccleſiæ poteſtati Chriſtus reliquit, ut materiam Sacerdotum cognitioni, & judicio propriam determinaret, contractui Matrimonii legitimas conditiones apponeret, officia ordinum præſcriberet, poteſtatiſque in ipſis traditæ ſigna inſtitueret, &c.*

XVI. Simili fundamento freti Scholaſtici permulti docuerunt, non eſſe ſubſtantiale formæ Sacramenti Pœnitentiæ, ut verbo ore prolato concederetur; ſufficere, ut ſcripto, nutu, vel quolibet alio ſigno externo concedatur, modò Sacerdotis Pœnitentem abſolventis intentio dignoſcatur. Ita Petrus Soto *lect. 11. de Confeſſione*, qui Paludanum, & Sylveſtrum in hujus rei confirmationem citat. Ita Navarrus in Manuali *c. 21. nu. 36.* qui refert Adrian. *in 4. de Confeſſione*. Hos, & alios ita ſentire ſcribit, Yſambertus *diſp. 8. de Pœnit. art. 2.*

XVII. Opponitur quoddam Clementis VIII. Pontificis decretum, quod prohibet abſenti per litteras confiteri, & ab eo Abſolutionem petere, & à multis recentioribus Theologis, cùm hanc quęſtionem agitant, referri ſolet. Verum ad rem, de qua agimus, nihil pertinet, Jus enim tantum præſcribit actibus futuris, non autem ipſum præcedentibus, quales ſunt ii, de quibus agitur. Quàm multa enim in Eccleſia, & omni Republica jure olim facta ſunt, aut ſaltem non injuria, quæ nunc lege lata ſine crimine fieri non poſſunt? Franciſcus Suarez *in primam Secundæ tractatu 3. diſp. 12. ſect. 6. n. 1.* diſtinguit inter opinionem probabilem, & tutiorem, atque ut diſtinctionem illuſtret, hoc, quod ad rem facit, affert exemplum, *Opinio, quæ olim docebat poſſe abſolvi abſentem in caſu neceſſitatis, reverà minùs probabilis etiam tunc erat, tamen ad juvandum proximum tutior erat.* Et ejuſdem ſectionis numero ultimo aſſerit, *Interdum licere uti probabili opinione circa actum, omiſſa probabiliori propter aliquam utilitatem, vel quia in reipſa tutior eſt ad aliquem finem honeſtum. Hoc declarat optimè caſus ille de Abſolutione abſentis in neceſſitate; Nam licèt probabilius ſemper fuerit, & mihi quidem certum, eſſe nullam, & conſequenter non eſſe exercendam, tamen quia probabile videbatur non paucis eſſe validam, & hoc abſolutè erat utilius proximo, ideò licitum erat olim illa uti, quod exempli gratia dictum ſit. Nunc autem quare aliter ſit ſentiendum Clemens VIII. ſuo diplomate declaravit.* Non igitur colligere licet ex hoc decreto Doctores multos, & antiquos olim ita non ſenſiſſe, atque è ſententia ſua non egiſſe, quòd tantùm probabiliter aſſerimus; verùmetiam ut Suari placet, viro in Eccleſia Dei illuſtriſſimo, olim in caſu neceſſitatis ſic agere non obſtante illo Decreto poſteriore, & licitum erar, & tutius.

XVIII. Nicolàus Iſambertus *diſp. 18. de Pœnit. art. 6.* refert Doctores multos ante, & poſt illud Clementis VIII. decretum exiſtimaſſe Abſolutionem abſenti datam illicitam eſſe non invalidam, eo quòd, *Summus Pontifex ſit tantùm de licito, & illicito non autem de valido locutus*, Et ſeipſum in ea fuiſſe ſententia, quam poſteà mutavit. Hinc magno molimine in eam inſurgit, & demonſtrare conatur, Abſolutionem ſic datam non modò illicitam eſſe, ſed etiam invalidam. Sed relictis aliis rationibus, quæ mihi debiles videntur, unica eſt certa, & indubitata, invalidam eſſe ejuſmodi Abſolutionem, ſi verba Pontificis, ut certum eſt, aut admodùm probabile, hoc ferant. Quis enim neget, Pontificem poſſe Sacerdotibus, ut & quemlibet ſupremum Principem cum ferendarum ſententiarum ratio dubia eſt, certam definire, & inſuper Judicibus ſuis certas conditiones ſententiis ferendis apponere, quibus neglectis ſententiæ ipſo jure irritæ ſint, ac nullæ? Sed non ideò ſequitur iſtius conditionis omiſſionem ante Pontificis, aut Principis decretum ſententiam infirmaſſe. Quàm multas ſimiles reſtrictiones, & ampliationes in Abſolutione à peccatis uſurpavit Eccleſia, nuncque uſurpat? Ut cùm prohibuit ne Preſbyteri Pœnitentes publicos reconciliarent: cùm permiſit Epiſcopis reſervationem, atque ut his peccatorum Abſolutionem concederent, aliis denegarent: Cùm his Presbyteris Confeſſiones audire tantùm in pagis, & oppidis concedunt, aliis verò ubique per diœceſim; Cùm his ad tempus, illis ſine ulla limitatione hanc facultatem tribuunt. Ferè enim apud omnes Theologos conſtat, Abſolutionem contra mandatum datam non modò illicitam eſſe, ſed etiam invalidam. Ita enim natura ſua, & omnium gentium conſenſu Juriſdictio quævis comparata eſt, ut à ſuperiore Judice, potiſſimùm à Principe, cui propriè juris condendi, non modò dicendi, poteſtas convenit, reſtringi, diffundi, & prorogari poſſit. Quapropter cum ab aliquot ſeculis immutata paulatim diſciplina praxis Abſolutionis Abſenti dandæ, ſi olim, ut probabile eſt, aliqua fuit, aut penitus deſierit, aut rariſſima fuerit, & ejuſmodi praxi magnum ſæpiùs ſubſit periculum, abrogata videtur tacito Eccleſiæ conſenſu ante Pontificium decretum iſtius Abſolutionis validitas. Quidquid ſit poſt Pontificium decretum planè invalida eſt, & validam eſſe nonniſi falsò credi poteſt. Sic in re difficili conjicio; atque καθάπερ ἐν τριόδῳ γενόμενος, ſuperſedeo, certi itineris ignarus, qui ſtellis ſignet illud, expectans.

CAPUT XXVI.

Variæ Abſolutionum à peccatis formulæ à præcedentibus differentes referuntur, & enarrantur. Quis fuerit effectus Abſolutionis peccatorum multis abſentibus ſimul datæ, qui tum de Confeſſione, & Abſolutione nihil cogitabant. Quàm fallax judicium de moribus hominum ſine cognitione hiſtoricâ latum. Abſolutionis generalis feria 5. in Cœna Domini datæ qui effectus. Nunc, & ab aliquot ſeculis tantùm ceremonialis eſt. Ab omnibus poſteà abſolutus omnes abſolvit. Aliquis tertiò, & per triduum abſolutus. Hæc phraſis, abſolvere à peccatis, Antiquis latiùs patebat quàm Scholaſticis.

OCcurrunt nonnullæ aliæ formulæ Abſolutionis abſentibus datæ, de quibus quid Doctores ſentiant, terram inter, & cœlum ſuſpenſus,

Μεσσηγὺς γαίης, καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος,

audire magis velim, quàm ipſe proferre. Illæ non uni abſenti dantur, ut quæ capite ſuperiore enarratæ ſunt, ſed multis, atque, ut videtur, Confeſſione non præcedente. Idem qui ſupra Gregorius VII. in Concilio Romano ſeptimo, ubi Henricum Imperatorem excommunicat, ſimul quoque omnium peccatorum abſolutionem concedit omnibus, qui Rodulphi Henrico ſuffecti partes amplectentur: Sermonem ſuum ad SS. Apoſtolos Petrum, & Paulum dirigit Gregorius, veluti quid fecerit ipſis enarrans, *Ut autem Rodulphus regnum Teutonicorum regat, & defendat, quem Teutonici elegerunt ſibi in Regem, ad veſtram fidelitatem ex parte veſtra dono, largior, & concedo omnibus ſibi fideliter adhærentibus Abſolutionem omnium peccatorum, veſtramque benedictionem in hac vita, & in futura, veſtra fretus fiducia largior, &c.* Idem *lib. 6. Epiſt. 15.* Monaſterio Maſſilienſi ſcribit, & fratres hortatur, ut patienter Abbatis, quem detinebat, abſentiam ferant, interim ipſis omnium peccatorum veniam concedit, *Et ex hoc auctoritate B. Petri Apoſtolorum Principis nobis valdè indignis commiſſa, Indulgentiam omnium peccatorum veſtrorum promittimus, & Abſolutionem cum benedictione concedimus*. Denique idem Pontifex morti proximus, ut refert Hugo Flavinlacenſis illius temporis auctor in Chronico manuſcripto, cùm varia monita circumſtantibus dediſſet, *Demum abſolvit omnes, qui in fide iſta, quæ per illum innotuit, uſque ad finem perſeveraverint, ab omnibus peccatis ſuis, & ſic ſpiritum creatori ſendens anno ab Incarnatione Domini 1085. obiit Martyr, & Confeſſor.*

II. Petrus venerabilis Cluniacenſis Abbas ſuo tempore in Eccleſia celeberrimus, abſens Monachis ſuis Abſolutionem à peccatis concedit verbis valdè efficacibus formulæ additis, *lib. 4. Epiſt. 39.* Cùm ad iter Romanum accinctus Monachos ſuos, à qui-

Digitized by Google

quibus diù abſens fuerat, inviſere non poſſet, Epiſtolam iis ſcribit, quam his verbis claudit, *Interim quod præſens non poſſum, abſens facio, & pro officio ex parte omnipotentis Dei auctoris, & conditoris omnium, & B. Mariæ ſemper Virginis, Genitricis Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſummorum Apoſtolorum Beati Petri, & Pauli, & omnium Apoſtolorum, & S. Benedicti Patris, & Magiſtri noſtri, & omnium Sanctorum, quantum poſſumus, quantum novimus, corde, & ore abſolvimus univerſitatem veſtram, ſanctumque collegium veſtrum Cluniaci, vel extra manentium ab omnibus omninò peccatis, confiſi in abundantia gratiæ illius, qui in diſcipulis ſuis etiam nobis dixit, quæ ligaveritis in terris, &c. Valete.*

III. Olim in multis Eccleſiis, potiſſimùm matricibus, & Cathedralibus, quotannis feria 5. in Cœna Domini generalis edebatur univerſæ plebis nomine Confeſſio omnia peccatorum genera complectens: qua facta, Abſolutio quoque generalis ab omnibus peccatis univerſæ plebi ſolemniter concedebatur. In multis Eccleſiis hic mos huc uſque viget. In Diœceſi Pariſienſi non modò in Eccleſia Archiepiſcopali, ſed in ſingulis Parœciis ſtudioſè quotannis obſervatur: Vulgò dicitur Antonomaſticè Pariſiis, & in aliis diœceſibus, *l'Abſoute*, Abſolutio. Edita per Presbyterum plebis nomine ſpecialiſſima peccatorum omnis generis confeſſione ex ordinaria formula, tandem Confeſſio in hæc verba finit, *In ſignum pœnitentiæ, & doloris, quem ego concipio ob Deum meum ſic graviter offenſum, dico meam culpam, meam gravem culpam, meam graviſſimam culpam, devotèque, & humiliter ab eo veniam poſco per merita mortis, & paſſionis Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri, atque à te, Pater, pœnitentiam, & Abſolutionem.* His dictis monet Sacerdos, ut qui memoriter tenent, *Confiteor*, illud recitent: Et qui ignorant, illius loco recitent, *Pater noſter*, Et, *Ave Maria*. Deinde ſequitur.

GENERALIS ABSOLUTIO.

Per meritum Paſſionis, & Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, per interceſſionem B. Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum, & Sanctarum, miſereatur veſtri omnipotens Deus, & dimittat vobis omnia peccata veſtra, & perducat vos ad vitam æternam. Amen. Indulgentiam, Abſolutionem omnium peccatorum veſtrorum, cor contritum, & verè pœnitens, gratiam, & conſolationem S. Spiritus tribuat vobis omnipotens Deus. Amen.

Tunc extenſa dextra versùs populum dicat,

Oremus, Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui dixit diſcipulis ſuis, quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis; de quorum numero me quamvis indignum, & peccatorem, miniſtrum eſſe voluit, intercedente glorioſiſſima, ſemperque Virgine ipſius Genitrice Maria, beato Michaele Archangelo, & beato Petro Apoſtolo, cui data eſt poteſtas ligandi, & abſolvendi, & omnibus Sanctis, ipſe vos per miniſterium noſtrum abſolvat ab omnibus peccatis veſtris, quæcunque, aut cogitatione, aut locutione, aut operatione, ſeu omiſſione negligenter egeſtis; atque ab eorum vinculis abſolutos perducere dignetur ad regna cœlorum, Qui cum Patre, & Spiritu ſancto, vivit, & regnat Deus, Per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Benedictio Domini noſtri Jeſu Chriſti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Hæc ex Sacerdotali, ſeu Manuali Pariſienſi anno 1615. edito.

IV. Poſtremæ Abſolutionis alia videtur eſſe ratio quàm præcedentium: Ideò de iis priùs. Multa conjici poſſunt. Nunc ita nos. Primùm ex phraſi, & tenore, quo iſtæ Abſolutiones enuntiatæ ſunt, manifeſtum mihi videtur, morem fuiſſe conſuetum abſentes ſic abſolvere, nihilque Auctores, quos retulimus, inſolitum ſe facere, cùm ita abſolverunt, crediḋiſſe. Secundò, manifeſtum quoque eſſe Confeſſionem ſpecialem huic Abſolutioni non eſſe præpoſitam. Tertiò, Sermonem non eſſe de Abſolutione ab Excommunicatione; cùm Excommunicationis præcedentis nec umbra ſit, nec veſtigium. Quartò, de Indulgentiis hic non agi, propter rationes jam explicatas. Quintò. Abſolutionem illam non eſſe ſimplicem benedictionem: hoc enim non ferunt verba, quibus illam auctores enuntiant. Expreſſioribus enim, & efficacioribus ad veram, & Sacramentalem Abſolutionem indicandam uti non poſſunt. Quæ eſt ergo, inquies, iſtius Abſolutionis generalis virtus, quodnam beneficium? Quod mihi nunc in mentem venit, aperiam, alius ἀνεχοντίμως. Fortè Pontifex, & Petrus Cluniacenſis peccata ſibi reſervata, ſive de more ſibi deferri ſolita, Pontifici, à quibuſvis Chriſtianis; Abbati, à Monachis ſuis, hac Abſolutione remitti volunt, & fieri omnium communia. Unde conſequens erat ab unoquoque Confeſſore eorum Reos abſolvi poſſe, & Pœnitentiam Canonicam ſuſcipere: Cùm enim dicat uterque ſe abſolvere juxta ſpecialem poteſtatem Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus à Chriſto datam, non videntur eorum verba de deſiderio, & voto tantùm, ſed de Abſolutione aliqua efficaci, & operante intelligenda. Operatur iterùm Abſolutio illa generalis cum unaquaque ſingulari conceſſa Pœnitenti poſt peccatorum Confeſſionem, eo quòd ſingulares illæ virtute generalis agant. Itaque Generalis illa ſingulis particularibus concurrit, & cooperatur: Ideòque meritò, qui generalem concedit, omnes abſolvere dicitur.

V. Hoc videtur evidenter docere idem Pontifex *lib. 8. Epiſt. 6.* ad Epiſcopos Apuliæ, & Calabriæ, in qua eos hortatur, ut plebem ſuam commoneant, & urgeant ad opitulandum Michaeli Imperatori Conſtantinopolitano à ſuis expulſo: *Dilectioni veſtræ præcipiendo mandamus, ut eos, qui cum eodem duce, & prædicto Imperatore transfretaturi ſunt, diligentiſſimè, ut veſtrum officium exigit, moneatis condignam pœnitentiam agere, & rectam fidem, ſicut decet Chriſtianos, circa illos ſervare, in omnibus actibus ſuis timorem Dei, & amorem præ oculis habere, & in bonis operibus perſeverare, ſicque illos, fulti noſtra auctoritate, imò B. Petri poteſtate à peccatis abſolvite.* Non dixit, *abſolvimus*, quòd dicere potuiſſet, ſed, *noſtra auctoritate abſolvite*, eo quòd ad Epiſcopos de Laicis verba faceret. Cùm igitur aliàs dixit, *Abſolvimus*, nihil aliud intellexit, quàm Epiſcopis, eorumque Vicariis vos abſolvendi vice noſtra facultatem concedimus.

VI. Poſtremæ Abſolutionis generalis quotannis feria 5. Hebdomadæ ſanctæ ſolemniter datæ alia ratio eſt, nec præcedens huic Abſolutioni convenire poteſt. Qui præfuit editioni Manualis Pariſienſis triplicem illius antiquitus inſtituendæ cauſam reddidit; Videlicet, ut populus methodum ſecretò confitendi hinc diſceret: Ut audientibus recitationem tam multiplicium peccatorum refricaretur perpetratorum à ſe criminum memoria, quo ſi quid ſecretò confitentibus elapſum fuerat, protinus iterata confeſſione Sacerdoti panderetur. Denique, & potiſſimùm, ut hac actione peccata venialia purgarentur. An ſanctiſſimi, & ſolemniſſimi ritus ab antiquiſſimis Patribus naſcente Eccleſia inſtitui, hæ fuerint primariæ cauſæ, colligi poterit ex iis, quæ libro ſequente de ſolemni Pœnitentium publicorum reconciliatione, eo die celebrata tradentur. Interim dicam rationes illas, ſive generatim, ſive ſigillatim ſumptas difficilè conciliari poſſe, cum Abſolutione ſubjecta, quam exſcripſimus Qui enim Abſolutioni deprecativæ infenſiſſimi ſunt, iſtam amplectuntur, & indicativæ affirmant æquiparari. Quocirca ſi Sacerdotis intentio favens ſubſequitur, dubium non eſt eſſe Sacramentalem. Fallax admodum eſt judicium de antiquorum moribus, ſine hiſtoriæ antiquæ cognitione latum. Cùm enim multis modis variari poſſint, & poſt variationem multis de cauſis, aut etiam fortuito degener uſus conſervari, inſtitutionis originaria cauſa ſine morum illius temporis cognitione explicari non poteſt. Quapropter ſagaci admodum odoratu alicui opus non eſt, ut præſentiat, & divinet, quale poſſit eſſe in ejuſmodi rebus eorum judicium, qui nulla ſunt antiqui moris cognitione imbuti, qui ve, ut ea imbuerentur, ne ſemel quidem vel leviſſimè videntur cogitaſſe. Quid ſi præterea nulla linguarum peritia tincti, earum characteres, ne pictos quidem ſpeculati, de rebus tamen, & verbis ſententiam ſpecialiſſimè ferant, verbis, rebuſque antiquiſſimis intelligendis, & interpretandis ex uſu regionis ſuæ hodierno, quem vident, quem palpant, leges figant, cancellos circumdent, limites deſcribant, quos ultra citràque vel latum unguem excedere piaculare ſit? Sanè ſæpè contingere neceſſe eſt id, quod Græcorum, & noſtratis vulgi proverbio celebratur, ἡ ἅμαξα τὸν βοῦν ἐλαύνει.

VII. Cùm iſta relegerem prelo typico brevi ſuppoſiturus, redditur mihi prima pars Sacerdotalis Rotomagenſis ab illuſtriſſimo, & nobiliſſimo Præſule Franciſco Harlæo Rotomagenſi Archiepiſcopo, & Normanniæ Primate ad me miſſa. Theoria eſt, ſive ratio rituum in Sacerdotali Rotomagenſi obſervatorum, quam iterandæ editioni præmiſit eruditiſſimus ille præſul, totius antiquitatis Chriſtianæ penus fœcundiſſimum, & inſtructiſſimum. Librum acceptum ſtatim evolvo, antiquorum myſteriorum aperiendorum ſecurus, atque inter innumera, aliquod huic operæ profuturum. Ad hoc enim opus eum, poſt diligentiſſimam, & ſæpius repetitam omnium auctorum Eccleſiaſticorum lectionem, diuturnamque meditationem, & commentationem, ſe accinxiſſe, ab his, quos nunc deſcripſimus diſſimillimè, ex veteri cum eo familiaritate propè ſciebam. Nec ſpes mea fruſtra fuit, librum enim attentè legens in eum locum incido, in quo occaſione Confeſſionis generalis, quæ in Miſſæ primordiis recitatur, diſſerit doctiſſimus Præſul, de antiquo more Confeſſionem quotannis ſolemniter edendi feria quinta in Cœna Domini; in qua anti-

antiquitùs, inquit, Sacerdos cum plebe non modò confitebatur generaliter ſe eſſe peccatorum miſericordia Dei indignum, ſed etiam omnia peccatorum genera, quæ ab impiis, & perditiſſimis quibuſque perpetrari poſſunt. Cujus rei rationes reddit à viſceribus Religionis Chriſtianæ, & myſticæ antiquitatis penetralibus arceſſitas, & erutas, quas ſanè, qui audierit Antiquos Patres noſtros oracula divina, & artem propitiandi Deum iratum verè doctos fatebitur, & admirabitur. Hæc igitur, ut quæſtioni propoſitæ fiat ſatis, è vulgari idiomate in Latinum transferemus.

VIII. Confeſſio illa generalis, in qua omnia peccatorum genera publicè enuntiabantur, quaſi unuſquiſque ea commiſiſſet, optimo fine inſtituta erat, *Ut ſignificaretur unumquemque ea committere potuiſſe, ideòque teneri ſe eorum Deo velut omnium Reum ſiſtere, hoc die præſertim, quo injuria criminibus publicis, ſcandaloſis, & contagioſis illata reparanda eſt. Deinde cùm omnes in Eccleſia unum corpus ſimus, bona maluve omnium membrorum communia ſunt, &c. Non ſum neſcius culpam eſſe perſonalem, & conſequenter pœnam culpæ debitam. Sed quoniam nonnulla ſunt peccata, quæ licet à paucis perpetrata fuerint, multi tamen eorum poſſunt eſſe conſcii, vel quòd verbis intemperanter prolatis eorum cauſæ fuerint, vel quòd ea cùm poſſent impedierint, unde fit, ut aliquando univerſa civitas rea ſit unius peccati quod privatim quis publicè commiſit, ſi circumſtantiæ omnes ritè perpendantur: Ideò Eccleſia ejuſmodi peccata potiſſimùm hac Confeſſione generali expiat, ut & Privatorum in quantum illis Dei bonos, gloriaque obſcurantur. Ad Dei gloriam, cum Eccleſia præſertim, attendere debemus, & nos omnium peccatorum Reos credere, & injuriam illatam reparare obligatos. Nolite exiſtimare, de propriis peccatis tantùm vobis eſſe Deo ſatisfaciendum, non autem de iis, quæ non perpetraſtis. Scitote, cùm pes æger eſt, manum quantumvis pulchra, ſanave, ſeſe inclinare, ut pedem curet, ſaniemve abſtergat. Deinde alienorum peccatorum ratio multis modis reddi poteſt: Nullum enim peccati genus committit homo, quod alius committere non poſſit, niſi Dei gratia præveniatur, & impediatur. Prætereà peccatorum alienorum Reus es ſi preces, ut impediantur, & Dei ira placetur, non concepiſti. Itaque ſemper aliquid criminale ſubeſt, cujus te potes, & debes accuſare.*

IX. Nonnullis aliis in eundem finem explicatis, tandem refert morem antiquum Rothomagi adhuc magna ex parte obſervatum, ex quo alia, & forſan proxima Confeſſionis generalis cauſa colligi poteſt. *Sancta quoque feria 5 Pœnitentibus publicis datur Abſolutio poſtquam coram omnibus peccata ſua confeſſi ſunt, quæ ſcilicet omnibus cognita ſunt, aut quæ ſunt ejuſmodi, ut publica ſcandalum non pariant. Verbi gratia, cùm Parentes incuria quadam infantes ſuos ſuffocarunt, & his ſimilia. Poſtquam igitur ſeſe accuſarunt pœnitentia illis injungitur, & publica Abſolutio confertur.* Præcedentibus non diſſimilia leguntur, *pag.* 424. & 425. in quibus Miſſæ offertorium explicatur. Abſolutio igitur illa publica non erat antiquitùs nuda, & exanguis ceremonia, ſed vera, realiſque peccatorum remiſſio, cujus uſus ubique hactenus non omninò obſolevit. Quapropter ex dictis generalis iſtius Confeſſionis alia ratio non abſurdè forſan aſſignabitur. Cùm eo die permulti Pœnitentes publici abſolverentur, quorum peccata erant diverſiſſima, & nonnulli inter eos eſſent, qui Pœnitentiam publicam, aut de peccatis occultis, aut ex ardenti animi devotione agerent; Sacerdos cum ipſis generalem omnium criminum Confeſſionem publicè edebat, ut unuſquiſque eorum peccata ſua, quæ ſecretò cùm Pœnitentiam ſuſciperet, confeſſus fuerat, iterùm ſine ſui notatione publicè confiteretur, & omnibus ſic confeſſis, vera, efficax, & Sacramentalis omnium peccatorum Abſolutio Pœnitentibus omnibus concederetur, ut omnium formularum, quæ in Ritualibus libris extant, ſingula propè verba teſtantur, & nominatim ea, quam ex Rituali Pariſienſi hoc capite exſcripſimus. Facilè tamen adducor, ut credam, Abſolutionem illam quotannis ſolemniter datam, ab aliquot ſeculis in majori Eccleſiarum parte, in quibus abolita non eſt, eſſe tantum ceremonialem. Quanquam enim verba ſint eadem, quæ antiquitùs, intentio tamen Eccleſiarum, ſi paucas fortè excipias, non eſt amplius eadem; nec res Abſolutioni ſubjectæ, ut antiquitùs diſponuntur. Quapropter Sacramento Pœnitentiæ, ut illius pars non videtur amplius adnumeranda, ſed inter ea, quæ Scholaſtici Sacramentalia vocant, reponenda. Sic tandem de antiqua inſtitutione ſua paulatim eò uſque deflexit.

X. Inſuper cenſet Magiſter *in 4 diſt.* 21. Confeſſionem generaliter editam non modò peccata venialia delere, ſed etiam mortalia, *quorum intelligentia non habetur*. S. Thomas in hanc diſtinctionem *q.* 2. *art.* 2. diſtinguit. Aliquando, inquit, peccata mortalia per Contritionem deleta ſunt quoad culpam. Sed poſtmodum Pœnitens, cum peccata Sacerdoti confitetur, nonnulla obliviſcitur, quorum anteà Contritionem habuerat, *Et tunc Confeſſio generalis Sacramentalis operatur ad dimiſſionem pœnæ ex illorum vitiorum, quibus ſe confitens ſubiicit, nullum obſtaculum, quantum in ipſo eſt, ponens.* Eodem modo Paludanus in eandem *diſt. q.* 2. *art.* 2. *Concluſ.* 1. ſed nonnulla disertè addit, primum, hanc ineſſe vim Confeſſioni Generali, ſive illa ſit Sacramentalis, ſive non: Deinde eodem modo agere in peccata quocunque modo confeſſa, ut in oblita. Prætereà *Concluſ.* 2. hoc extendit ad culpam cum exceptione tamen, *Confeſſio generalis valet ad dimiſſionem culpæ mortalis oblitæ, quando homo diſcuſſit conſcientiam ſuam, ut debuit. Tunc enim virtute Confeſſionis ſpecialis dimittuntur dicta, & ſcita; virtute autem generalis oblita, ſed tunc oput quod ſit Sacramentalis: quia per non Sacramentalem non poteſt remitti unquam culpa mortalis, etiam oblita.* In tertia Concluſione ſpeciem ponit, in qua vi generalis Confeſſionis peccata non modò, quæ quis oblitus eſt, remittuntur quoad culpam, ſed etiam ea, quæ novit. Cùm enim quis fictè ſigillatim confeſſus eſt, fictionem tantùm fateri tenetur. Attritus igitur fictionem fateatur, cætera peccata generaliter; per Abſolutionem contritus omnium peccatorum veniam conſequetur. Cùm igitur generalis Confeſſionis, & Abſolutionis fructus ſint tam multiplices, aliique dari poſſint nobis ignoti, non eſt cenſenda inutilis antiqua Patrum de hac re traditio.

XI. Alterius generis ſunt, quæ ſequuntur Abſolutionum formulæ. Non ſunt enim abſentibus datæ, ſed præſentibus; non pluribus perſonis, ſed uni, modo tamen nunc non uſitato. Lanfrancus in regulam S. Benedicti *c.* 23. ordinem deſcribit, quo Monachi proximum morti proſequuntur. Solemniter cellam ejus adeunt, lectum circumſtant, ſpargitur aqua benedicta, *Dehinc*, inquit, *finitis Pſalmis, ſequatur Kyrie eleiſon, & capitula, & collectæ, quæ ordinatæ ſunt uſque ad Confeſſionem. Facta Confeſſione abſolvatur ab omnibus, & ipſe abſolvat omnes. Dehinc oſculetur ab omnibus. Interim dicantur aliæ collectæ uſque ad unctionem, &c.* Forſan hoc de mutua, & fraterna peccatorum condonatione intelligetur, quàm phraſi tum uſitata Abſolutionem vocat. Conſtat enim ex Sancto Damiano, qui Lanfrancum paulò præceſſit, cujus verba relata ſunt libro præcedente, atque ex Petro Venerabili, qui Lanfrancum paulò ſubſecutus eſt *lib.* 1. *Miraculorum c.* 3. & ſequentibus, Confeſſionem tum ſecretò factam fuiſſe uni Presbytero, & abſolutionem ab eo datam.

XII. Vvilelmus Malmesburienſis *Hiſtoriæ novellæ lib.* 1. Refert, Henricum I. Angliæ Regem morientem ad ſe accerſiviſſe Hugonem Rothomagenſem Epiſcopum, ut ſui morientis curam ſuſciperet: Quid autem Hugo fecerit ex ipſius ad Innocentium II. Epiſtola his verbis enarrat, *Venimus ad ipſum, & cum ipſo plenum mœroribus confecimus triduum. Prout ei dicebamus ipſe ore proprio ſua fatebatur peccata, & manu propria pectus ſuum percutiebat, & malam voluntatem dimittebat. Conſilio Dei, & noſtro, & Epiſcoporum, emendationem vitæ ſuæ obſervaturum ſeſe promittebat. Sub iſta promiſſione pro noſtro officio tertiò eum, & per triduum abſolvimus, crucem Domini adoravit, Corpus, & Sanguinem Domini devotè ſuſcepit, &c.* Hæc cum uſu hodierno non uſquequaque quadrant, niſi dicatur Regem illum toties Epiſcopo Confeſſionem edidiſſe, ut ſic ſingulæ formæ materiis ſuis reſpondeant.

XIII. Refert Hugo Menardus ex Joannis du Puy Franciſcani Recollecti libro de ſtatu Eccleſiæ Petrachoricenſis, è ruderibus ſepulchrorum Abbatiæ S. Frontonis effoſſam eſſe plumbeam crucem, quæ ibi vivente Gregorio VII. anno ſcilicet 1070. recondita fuerat, in cujus altera parte, hæc erant inciſa, *Dominus Deus omnipotens, qui poteſtatem dedit Sanctis Apoſtolis ſuis ligandi, atque abſolvendi, ipſe ſe dignetur abſolvere F. Elia, à cunctis peccatis tuis, & quantum meæ fragilitati permittitur, ſis abſolutus ante faciem illius, qui vivit, & regnat in ſecula ſeculorum.* Difficilè eſt de iſta Abſolutione judicium ferre, cùm neſciatur, an viventi, an mortuo; an abſenti, aut præſenti conceſſa fuerit; quare voluerit ille hanc Abſolutionis ſibi datæ typum cruci inſculptum in ſepulchro ſuo reponi. Colligitur tamen ordinariam Abſolutionis formulam fuiſſe deprecativam. Sanè non videntur Antiqui tam anguſtis finibus Abſolutionem peccatorum circumſcripſiſſe, quos ultra, citràque nequiret conſiſtere illius rectitudo, quàm poſteà fecerunt Doctores Scholaſtici. Nondum edocti erant artem illam de ſingulis rebus Theologicis præcisè, definitè, & quaſi punctim, & circumcurrente linea differendi liberiùs vagatur eorum ſermo, attamen; Ἡ γλῶσσ' ἁμαρτάνουσα τ' ἀληθῆ λέγει.

COM-

COMMENTARII HISTORICI DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTI POENITENTIÆ,

Ab Apoſtolis ad uſque ſeculi duodecimi initium tam in Eccleſia Orientali, quàm Occidentali obſervata.

LIBER NONUS.

De varietate temporis, quo Abſolutio poſt Confeſſionem, & demonſtratam reſipiſcentiam, quibuſlibet criminibus nullo excepto privatim, & publicè adminiſtrata eſt: Deque ſolemnitate in illius adminiſtratione obſervata.

CAPUT I.

Recentiorum auctorum plurimi, & celeberrimi referuntur, qui Abſolutionem à peccatis poſt peractam Pœnitentiam antiquitùs ferè ſemper datam eſſe docuerunt; non univerſaliter tamen, ſed multis adhibitis diſtinctionibus huic quæſtioni eſſe reſpondendum.

MUlta nobis ſuperſunt de Pœnitentium reconciliatione dicenda, quæ viſum eſt à præcedentibus ſeparatim enarrare. Nam licèt non ita multis propoſitionibus expediri poſſint: quia tamen unaquæque propoſitio aliquid huic tempori inuſitatum continet, probatione eget, quæ paucis expediri non poteſt. Ideò ne longa, & continua oratione fatigetur lectoris animus intermiſſione quadam recreandus eſt. Primùm quod nobis inquirendum, & explicandum occurrit, & quod ea, quæ libro præcedente demonſtrata ſunt, velut natura ſua ſequi videtur, interrogatio eſt de tempore, quo Pœnitentes poſt editam ſive privatim, ſive publicè confeſſionem Abſolutione donabantur. Huic interrogationi non poteſt uno reſponſo ſatis fieri, ſed multiplici diſtinctione opus eſt: Perplexa eſt enim, & multa involvit iſta interrogatio. Sanè nec etiam hoc tempore, ſi Eccleſiæ præceptum, probatamque conſuetudinem ſequi velimus, non autem vulgarium quorundam Sacerdotum abuſum, uno reſponſo huic quæſtioni ſatisfieri poteſt: Non eſt enim pretioſa Abſolutionis margarita omnibus confitentibus obtrudenda, ſed magna cum prudentia ratione diſpoſitionis confitentium adminiſtranda, ut nos his verbis docet Rituale Romanum. *Videat diligenter Sacerdos, quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda ſit Abſolutio, ne abſolvat eos, qui talis beneficii ſunt incapaces, quales ſunt, qui nulla dant ſigna doloris, qui odia, & inimicitias deponere, aut aliena ſi poſſunt, reſtituere, & proximam peccandi occaſionem deſerere, aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in meliùs emendare nolunt; aut qui publicum ſcandalum dederunt, niſi publicè ſatisfaciant, & ſcandalum tollant: Neque etiam eos, abſolvat, quorum peccata ſunt ſuperioribus reſervata.* Si nunc eſſe tam cauti jubentur Sacerdotes in peccatorum Abſolutione concedenda, credibile non eſt Antiquos quibuslibet ſe criminum pœnitere jactantibus confeſtim eam proſtituiſſe.

II. Permulti recentiores Doctores antiquum Eccleſiæ morem animo quantum aſſequi poterant perpendentes, nulla facta diſtinctione abſolutè pronuntiarunt. Abſolutionem Pœnitentibus ſuis præſtita ſatisfactione dari ſolitam. Ita Cardinalis Oſius initio *cap.* 48. de Confeſſione Catholicæ fidei. *Tertia Pœnitentiæ pars eſt ea, quam Tertullianus confeſſione diſponi ſcribit, ſatisfactio, quàm ſi quis malit ſequelam appellare, nulla eſt litigandi cauſa: Nam quæ præcedebat ſemper Abſolutionem, nunc ſequi plerumque conſuevit*, Bellarminus Cardinalis *lib* 4. *de Pœnit. cap.* 5. *Quamvis opera laborioſa pœnitentibus olim ante Abſolutionem imponebantur, & explebantur, tamen non fuit id abſolutè neceſſarium, ſed potuiſſe etiam expleri poſt abſolutionem, ut hoc tempore fieri ſolet, &c.* Quanquam id fieri ſoleret, probat tamen non eſſe abſolutè neceſſarium ex iis Conciliis, quæ jubent abſolutionem morientibus dari, nulla licèt, aut non integra præceſſiſſet ſatisfactio.

III. Joannes Maldonatus *tom.* 2. *disputat. de Sacramentis c.* 2. ſæpiùs hoc ut exploratum tradit, *Non dubito, quin omnes veteres auctores aliam etiam ſatisfactionem agnoverint pro culpa. Nam non putabant Deum culpam remittere peccatorum, priùſquam externis pœnitentiis Deum placaſſet, neque Sacerdotes putabant dare poſſe pœnitenti Abſolutionem, priùſquam, quaſi interpres divinæ voluntatis videret eam pœnitentiam egiſſe peccatorem, ut credibile eſſet, Deum jam illi eſſe placatum.* Deinde allegatis ex Tertulliano, & Cypriano teſtimoniis addit, *Ex quo Cypriano etiam diſcimus, Sacerdotes hac in re etiam plebis teſtimonium exegiſſe, ut judicaret, an pœnitens Deo ſatisfeciſſet, antequam eam abſolverent.* Poſteà allegatis ex eodem Cypriano, atque ex Paciano aliis teſtimoniis colligit, *Sacerdotem non habere poteſtatem ſolvendi, niſi quatenus ſeſe conformet ad Chriſti judicium: propterea neminem ſolvere debere, antequam eandem illius videat pœnitentiam, ut probabile ſit jam Chriſtum eſſe mitigatum.* Et paulò poſt verba faciens de Exhortatione S. Ambroſii ad Virginem Lapſam, *Hac ratione illam exhortatur ad agendam pœnitentiam, quod non poſſit impetrare à Deo peccati ſui remiſſionem niſi externa ſatisfactione, & pœnitentia.* Capite ſequente dicit, qui hæc ignorat, totam antiquitatem ignorare, eo quòd nulla alia ſit cauſa, *Cur antiqui putaverant non licere abſolvere pœnitentem ante peractam ſatisfactionem, niſi quia credebant poteſtatem ſolvendi, & ligandi Eccleſiæ datam, eſſe intelligendam, ſi pœnitens Deo ſatisfeciſſet.*

IV. Dionyſius Petavius in eruditiſſimis ad S. Epiphanium animadverſionibus, ubi de Novatianorum hæreſi verba facit, hanc ſententiam, ut exploratam, vel expreſsè docet, vel ſermoni ſupponit, *p.* 234. *Neque enim exiſtimare licet id, quod hodie fit, prius illos à peccatis abſolutos, quàm pœnitentia, hoc eſt, corporum pœnis, ac luctuoſis ſordibus Eccleſiæ ſatisfeciſſent.* Et expreſſius, diſtinctiuſque *p.* 239. *Quiſquis prioris generis crimen aliquod perpetraſſet, hic ad Antiſtitem, ac Sacerdotem accedens publicæ ab eo pœnitentiæ jus capiebat, præſtituto ex canonibus modo, ac tempore, quo demum expleto, à peccatis abſolutus, communioni reſtituebatur: neque alia ratione quàm publicè obita pœnitentia reconciliari poterat, quod infinitis locis cum Patres cæteri, tum Cyprianus evidentiſſimè declarat.* Hæc, ſicut & nos, de gravioribus peccatis intelligit, quibus Pœnitentiæ modum præſcripſerant canones, cætera privatim, & pro Sacerdotis prudentia curabantur. Hac doctrina poſita ſeparatim quærit, *In quo pœnitentiæ gradu Abſolutio Sacramentalis conceſſa fuerit*, & de hac quæſtione multis diſputat *p.* 251. 252. An cum à Subſtratione tranſitus fieret ad Conſiſtentiam, an verò cum finito Conſiſtentiæ tempore myſteriorum fiebat particeps. Conſiſtentiæ autem ſtatio pauciſſimorum erat annorum, v. gr. Si Pœnitentia duode-

Digitized by Google

duodecim annis definiebatur, vix erat biennii. Deinde in ea nulli labores Pœnitentibus imperabantur. Rationes in utramque partem allegatas ibidem lege, quod præfatur, tantum exſcribam, *Quod ſubinde poſt editam peccatorum Confeſſionem abſolvi non ſolerent, idque nonniſi expleto Pœnitentiæ tempore conſequerentur, pluribus anteà demonſtratum eſt*. Eandem ſententiam iterùm amplexus, & tutatus, & multis poſt annis in libro, quem de Pœnitentia publica vernaculè ſcripſit, ut videre eſt *lib. 1. cap.* 8. *lib.* 2 *cap.* 2. & 8. Qua ratione hanc doctrinam non admiſiſſet, qui docet in utroque libro peccatorum Abſolutionem, ne in fine quidem multis criminibus fuiſſe conceſſam?

V. Non eſt opus teſtimonia ex obſervationibus eruditiſſimi Aureliæ Epiſcopi hic exſcribere, cum in iis ubique ſulgeant, & potiſſima obſervationum pars hoc fundamento nitatur. Multus eſt admodùm, ut demonſtret primis Eccleſiæ ſeculis veniam gravioribus criminibus nunquam eſſe indultam, ne in fine quidem, ut legere potes *lib.* 2. *Obſervat* 8.9.11.13.15.17. & in aliis obſervationibus, quibus explicat, quando primùm poſt actam Pœnitentiam peccatorum remiſſio illis eſt indulta. Deinde *obſervat.* 32. & 33. diſputat, quando Abſolutio Sacramentalis in Pœnitentia publica concedebatur, An in tranſitu Subſtrationis ad Conſiſtentiam, An verò abſolutè poſt Pœnitentiam integerrimè peractam; tandemque definit in illo tranſitu conceſſam. Sic autem *obſervationem* 32. incipit, *Reconciliatio in veteri Eccleſia aliud nihil eſſe videtur, quàm quæ hoc tempore appellatur Abſolutio peccatorum: inter quas ſi aliquod diſcrimen eſſe potuit, inde petendum eſt, quod faciliùs hæc hodie conceditur, quàm illa antiquitùs ſperabatur. Nam propter omnia genera peccatorum, quæ mortifera nominabantur, privari neceſſe erat communione fidelium, & à corpore, atque adeò Eccleſiæ communitate ſeparari, ad quam nonniſi maximo labore, & moleſtia animi redire fas erat*. Sic breviter in can. 2. Laodic. *Neque Pœnitentia indigebant; Pœnitentia enim antiquitùs ante Abſolutionem peragebatur*. Innumeris in locis vel idem dicit, vel ſupponit, vel ad illud alludit.

VI. Marianus Victorius in libro de Sacramento Confeſſionis Romæ edito anno 1566. *cap* 16. idem ut exploratum tradit, *Satisfactio tertia Pœnitentiæ pars eſt, & poſt Abſolutionem plerumque hodie ſequitur, licèt olim ipſam præcederet, non tamen ante Confeſſionem: Confitebatur enim quis ſcelera ſua, præfigebatur deinde illi Pœnitentia, qua peracta Abſolutio poſtremò impendebatur*. Idem ſæpiùs in libello de antiquis Pœnitentiis profitetur: Versùs libelli finem, *Peractis autem pœnitentiæ legibus Abſolutio ſequebatur, &c. Abſolvi autem nemo poterat, niſi priùs de crimine pœnitentiam egiſſet*. Et paulò poſt his demonſtratis inſert, *Ita autem pœnitentia pro peccatis neceſſaria erat, ut Abſolutio niſi ea peracta non impenderetur, niſi in mortis neceſſitate: tunc enim quilibet pœnitens ſtatim reconciliabatur, &c.* Idem repetit poſt unam, aut alteram paginulam. Immò non longè ab initio iſtius libelli axioma iſtud ad Pœnitentiam privatam diſertiſſimè extenderat: *Impleto pœnitentiæ tempore, tum ii, qui publicè, quàm qui privatè pœnituerant, reconciliari non ſolebant, præterquam in quinta feria ante Paſcha, quæ Cœna Domini appellatur, niſi aliud ægritudinis cauſa ſtatueretur.*

VII. Doctores Colonienſes in Enchiridio edito in Colonienſi Synodo anno 1536. *capite de ſatisfactione, Rememorandum eſt, quod & ſupra dictum meminerimus, in veteri Eccleſia canonicis inſtitutis cautum fuiſſe, non aliter reconciliandos nec ad communionem admittendos pœnitentes, quàm poſt peractam pœnitentiam, niſi tamen neceſſitas coegiſſet, & periculum mortis inſtitiſſet*. Guilelmus Lindanus *lib.* 4. *Panopliæ cap.* 70. rationes reddens, ob quas priùs ſibi agendum videbatur de ſatisfactione quàm de Abſolutione, ſcribit, *Adde quod, & apud veteres, Abſolutio, niſi ſatisfactione purgatis ferè non impartiebatur*. Joannes Molanus *tr.* 1. *de Pœnit. c.* 13. poſtquam S. Leonis teſtimonio demonſtravit reconciliationem ſatisfactione peracta concedi, ſubjungit, *Poſteà tamen Eccleſia infirmitati fidelium ſeſe accommodans, ſatisfactionem poſt reconciliationem injunxit*.

VIII. Manuale Cabillonenſis Eccleſiæ anno 1605. editum, *Magis autem convenit ſatisfactionem ante Abſolutionem imponere, quàm poſt eam; tum ut pœnitens tanto magis voluntarium ſe præbeat ad ſuſcipiendam pœnitentiam imponendam; tum quod in veteri Eccleſia Abſolutio impendi conſueverat, pœnitentia pridè peracta*. Jacobus Bajus *lib.* 2. *Inſtit. Chriſtianæ relig. c.* 98. *In primitiva Eccleſia priuſquam beneficium Abſolutionis impenderetur, ſatisfactio imponi, ac peragi ſolebat, qua pœnitens ad impetrandam plenam peccatorum remiſſionem diſponeretur. Nunc verò ante quidem reconciliationem ſatisfactio injungitur, ſed ut poſt Abſolutionem peragatur*. Ita Matthæus Galenus Duacenſis Cancellarius *Catecheſi* 175. Joannes Hauchinus Mechlinienſis Archiepiſcopus *in Paſtorali*, quod edendum curavit anno 1588. Joannes Langhecrucius *lib.* 3. *ſpeculi Canonicorum cap.* 7.

IX. Joannes Fileſacus, Theologorum Pariſienſium cùm viveret Decanus, eandem de Abſolutione in Pœnitentiis publicis ſententiam tuetur in libello de Pœnitentia, quem paulò ante mortem in lucem emiſit. Primùm initio libri plurimùm laudat, quæ de Pœnitentia ſcripſerunt Albaſpinæus Epiſcopus Aurelian. & Dionyſius Petavius, ſeque dicit, dum res aliæ eum remorantur, ab iis præventum. Quo ſanè teſtatur Fileſacus ſe ab eorum ſententia non abhorrere. Deinde hoc, de quo agimus, evidentiſſimè docet *Cap.* 6. *p.* 109. & 110. Dicit, Pœnitentes publicos duplicem egiſſe admiſſi criminis Confeſſionem, *Unam apud Epiſcopum ſeu privatim, ſeu toto fidelium cœtu audiente, antequam iſta publica imponeretur pœnitentia; alteram poſt peractam pœnitentiam*. Poſteà dicit, Pœnitentem ex Confeſſione ſua ab Epiſcopo non modò conſolationem expectaſſe, *Verùm etiam pœnitentiæ agendæ ordinem excepiſſe, & poſteà reconciliationem divina auctoritate, congruenter promeruiſſe, ſine ulla dubitatione affirmare æquum eſſe*. Deinde *pag.* 118. & 119. de ſecunda Confeſſione, quæ Pœnitente, per Pœnitentiam purgato, edebatur, cùm eſſet abſolvendus, hæc dicit, *De altera, & poſteriore Confeſſione in ipſo reconciliandi actu facienda, ſatis multa ex Tertulliano, libro de pœnitentia, & Sancto Cypriano lib. de Lapſis, & Præſertim Epiſt.* 55. *ab aliis ſunt deſcripta*. Nec plura: ſtatim enim aliam materiam aggreditur. His verbis duo perſpicuè teſtatur: Priùs, reconciliationem Pœnitentia peracta dari ſolitam: Poſteriùs, quæ de hac re Doctores citati tradiderunt, ſe approbare.

X. Joannes Lenſæus Lovanii Regius Theologiæ Profeſſor in libro de Eccleſiaſtica ſatisfactione idem ut vulgatam ſententiam fatetur, & docet de tempore Abſolutionis antiquitùs à peccatis datæ: Immò libri præcipua pars, & ratiocinationum fundamenta huic doctrinæ innituntur, ut colligere potes ex iis teſtimoniis, quæ de hoc auctore exſcripta ſunt *lib.* 3. *cap.* 12. Si librum auctoris luſtrare cupis, caput illius, 14. rectà evolve: Sed præ omnibus *cap.* 24. in quo adversùs Hæreticos probat, *Non fieri præjudicium veteris de ſatisfactione doctrinæ, quòd poſt Abſolutionem nunc ſatisfactiones expleantur*. Ultrò enim concedit Abſolutionem à peccatis poſt completam Pœnitentiam præterquam in periculo mortis ab Antiquis ſemper conceſſam eſſe. Contendebat Hæreticus Abſolutionem illam ceremoniam tantùm eſſe Eccleſiaſticam, qua criminis Reus poſtquam Eccleſiæ ſatisfecerat per pœnarum ſibi impoſitarum tolerantiam in eam publicè admittebatur. It contrà totis viribus Lenſæus, variiſque Patrum teſtimoniis demonſtrat, Abſolutione illa Pœnitentem non Eccleſiæ præcipuè, ſed Deo reconciliari, eundemque ob finem Abſolutionem tunc poſt completam ſatisfactionem datam, quo nunc ante inceptam. Deinde poſtquam multis exemplis mutationis rationem illuſtravit, tandem Catholicè admodùm concludit, *Sic illa prior conſuetudo laudanda eſt, ut iſta non vituperetur. Eſt enim unius ejuſdemque Eccleſiæ, & ſponſæ Chriſti conſuetudo diverſa, ubi ſi hanc improbes, illam quoque, ut improbandam putare poſſis, in proclivi eſt: Quoniam cujus Eccleſiæ hæc poſterior eſt conſuetudo, ejuſdem omninò prior illa fuit, &c.*

XI. Hugo Menardus in antiquis Eccleſiæ ritibus diligenter verſatus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii *p.* 235. *Tandem notandum eſt, olim non dari ſolitam Abſolutionem non modò ab Excommunicatione, ſed etiam à peccatis ante peractam integram pœnitentiam, ſeu ſatisfactionem, niſi in mortis articulo, aut ad preces Martyrum, ſeu Confeſſorum aliquid de ea Epiſcopi remitterent, & indulgerent, ut manifeſtum eſt ex ordine Romano, Codice Tiliano, codicibus, Remenſi, Ratoldi, lib.* 6. *Halitgarii, S. Innocentii Epiſt. &c.* Poſtquam hoc aliis teſtimoniis demonſtravit, inquirens in qua Pœnitentiæ ſtatione tribueretur illa peccatorum Abſolutio, cenſet in fine Conſiſtentiæ, hoc eſt, totius Pœnitentiæ, tributam fuiſſe: *Quæritur in quo gradu, an in tertio, qui eſt Subſtratio, an in quarto, qui eſt Conſiſtentia, peccatorum remiſſionem, & omnimodam ab Excommunicatione Abſolutionem conſequerentur. Ego ſalvo meliori judicio exiſtimo pœnitentes ejuſmodi Abſolutionem conſecutos fuiſſe in fine quarti gradus, hoc eſt, Conſiſtentiæ, &c.*

XII. Franciſcus Sylvius Duacenſis Academiæ Profeſſor ordinarius, in Supplementum S. Thomæ *qu.* 18. *art.* 3. *qu.* 2. *Fuit quidem olim uſitatum, ut ſatisfactiones peragerentur ante Abſolutionem*. Adnotatis in hujus rei probationem tribus, aut quatuor antiquorum teſtimoniis ſubjungit, *Verùm ſicut illa conſuetudo conveniebat hominibus in diſciplina retinendis, & à peccatis, difficultate veniæ coercendis; ita juſtis poſteà de cauſis mutata eſt, &c.* Excipit mortis periculum, ut & alii. Iſta Sylvius

com-

Digitized by Google

compendio excerpſit ex Guillelmi Eſtii dictatis *in 4. diſt. 15. §. 15. Vetus Eccleſia multo tempore eum morem tenuit, ut Lapſis, & peccatum confeſſis, ac reconciliationem petentibus Pœnitentiam, ſeu ſatisfactionem injungeret priùs explendam, quàm per Abſolutionem Sacerdotis ad pacem, ſeu reconciliationem pertingerent.* Hoc demonſtrat nonnullis auctoritatibus, quibus addit, *Nec audiendi ſunt, qui ex ſua potiùs imaginatione, quàm ex alla antiquitate aſſerunt etiam olim Eccleſiam ſolere omnes Pœnitentes abſolvere, antequam ſatisfactionem ſubirent, ſed abſolutione ſecreta. Poſteà verò quam Pœnitentiam injunctam exſolviſſent, impendi eis ſolere Abſolutionem publicam, qua videlicet publicè ad communionem reciperentur: Hanc enim diſtinctionem nuſquam eſt reperire.*

XIII. Nos tamen poſt diligentem hujus rei conſiderationem, & innumerorum antiquitatis teſtimoniorum, & exemplorum variis ſeculis editorum inter ſe collationem, multiplici cum diſtinctione reſpondendum eſſe cenſemus; non ut illi, pluresque alii Doctores, ſimpliciter, & univerſaliter, una tantùm exceptione adhibita. Deprehendimus enim pleriſque peccatorum gravium, mortemque æternam inferentium generibus Abſolutionem eo more, qui nunc, & ab aliquot ſeculis obſervatur, ab ipſis Eccleſiæ incunabulis conceſſam eſſe: In iis verò quibus Abſolutio poſt actam Pœnitentiam lege ordinaria differebatur, multis, variiſque modis exceptum fuiſſe. Ideò cùm hæc quæſtio de tempore, quo Pœnitentes Abſolutione donabantur, quacunque conſideretur, multiplici admodum, ut nobis quidem videtur, ambiguitate laboret, & varia complectatur, quorum eſt diverſiſſima ratio, credimus uno reſponſo Lectori curioſo ſic quærenti nos ſatisfacere non poſſe. Antequam igitur reſpondere aggrediamur, repetenda nobis eſt peccatorum in tria genera diſtinctio, graviſſima, gravia, & levia quam initio libri quinti explicavimus. Deinde inter Pœnitentiam publicè, & privatim ſuſceptam. Tertiò inter ordinariam Eccleſiæ diſciplinam, & accidentia quædam magni momenti, & extraordinaria. Quartò perſonæ ipſæ pœnitentes conſiderandæ ſunt: Non enim omnes uno, & eodem faſce involvebant. Præterea Pœnitentiæ cauſæ ponderandæ. Licèt enim nonnullæ graviſſimæ eſſent, ſapienti tamen quadam Oeconomia Pœnitentes leviter caſtigatos, & Eccleſiæ, & altario ſtatim, aut perbrevi tempore reconciliabant. Denique tempora ipſa, & ſecula diſtinguenda ſunt; Nam variis ſeculis variatum eſt Abſolutionis concedendæ tempus.

XIV. His poſitis, quæ ampliori, & dilucidiori expoſitione non indigent, quatuordecim propoſitionibus interrogationi factæ juxta antiquæ diſciplinę, quæ nobis ſuperſunt monumenta, reſpondere conabimur. Priùs tamen viſum eſt nobis non præpoſterè factum ſi tantiſper capite ſequenti inquiramus in diſtinctionem à Guillelmo Eſtio commemoratam, & improbatam, Abſolutionis duplicis: unius, & præcipuæ, peccatis ante Pœnitentiæ impoſitæ inchoationem ſecretò conceſſæ; alterius publicè poſt actam Pœnitentiam datæ, qua Pœnitentes ad externam Eccleſiæ communionem admittebantur. Quanquam enim hæc diſtinctio, ut merum animi figmentum ab Eſtio explodatur, atque ut *ὡς ἀνύπαρκτον ὄν* refutatione indigna cenſeatur, nobis tamen ſupervacaneum fore non videtur, ſi hanc diſtinctionem cum antiqua Eccleſiæ diſciplina comparaverimus, & exploraverimus, an cum ea bene conſentiat.

CAPUT II.

Nova quædam diſtinctio in hac cauſa adhibita improbatur, eo quòd Abſolutioni peccatorum injuriam inferat, & Pœnitentiarum antiquaarum œconomiam, & ſcopum invertat. Quæ regula legis interpretandæ. In quem finem macerationes corporis, & à ſacrorum conſpectu expulſio durante ſtadio Pœnitentiæ. Cur Conciliorum ad imponendum Pœnitentiam coactio. Cur Pœnitentia dicta laborioſus baptiſmus. Quid Viaticum maximè neceſſarium morientibus nunquam negandum. Illius reconciliationis, quæ Pœnitentibus poſt actam Pœnitentiam concedidur, Epitheta magnifica. Magnum ſalutis periculum ea privari: ſtudium, & contentio Pœnitentium, & criminis conſciorum ne ea priventur. Frequens Abſolutionis poſt actam Pœnitentiam datæ cum baptiſmo comparatio.

MIhi hanc diſtinctionem cum antiqua diſciplina ſæpiùs comparanti, quantum ejus ideam mente aſſequi poſſum, viſus eſt Guillelmus Eſtius rectè pronuntiaſſe, eam nullum habere ab antiquitate teſtimonium; quod vel ſolùm mihi ſatis ſuperque eſt, ut eam imaginariam cenſeam. Ut enim ajunt Juriſconſulti, ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, Barthol. *in l. unica*, quorum legatorum, & Jaſon, *in l. triticum ff. de verborum obligat. num. 6.* Nam ex proprio ingenio ſine legis auctoritate, aut Reipublicæ praxi, & conſuetudine ſi diſtinctiones fabricare licèt, cui legi, cui conſuetudini non facilè illudetur? *Si quæratur de interpretatione legis*, inquit Imperator, *imprimis inſpiciendum eſt, quo jure civitas retrò in ejuſmodi caſibus uſa fuit. Optima enim legum Interpres conſuetudo eſt. l. 37. ff. de legibus* Legis interpretationem, ſi de ea dubitatur, ex præcedentibus factis, aut ex aliarum legum collatione venari oportet, non ex fictis cerebri noſtri diſtinctionibus, quæ pervicacibus ingeniis in fraudem legis nunquam deſunt. In rebus Phyſicis, & Metaphyſicis hæc tolerari poſſunt. At in rebus moralibus, quæ integrè pendent ex hominum legibus, & inſtitutis, legibus docendum eſt hoc eſſe inſtitutum, & exemplis hoc eſſe uſurpatum. Tantùm in his creditur, quantum hujuſmodi argumentis demonſtratur.

II. Verùm non ſolùm iſtius diſtinctionis apud Antiquos nulla eſt memoria, ſed plurima mihi videntur in antiqua diſciplinæ Pœnitentialis praxi undique circumfulgere, quæ cum ea nullo modo ſubſiſtere poſſunt, ſed quæ potiùs velut ſulmina eam frangant, & deiiciant. Rem ipſam omni præjudicio ſepoſito tantiſper examinemus. Quo jure, quave prudentia ſceleris Reo ſcelus confitenti ſtatim parcunt, Abſolutionem Sacramentalem omnis culpæ averruncatricem, æternæ pœnæ expunctricem, amicitiæ Dei conciliatricem confeſtim ſine ulla probatione, ſine ulla doloris, an fictus ſincerusve ſit, experientia largiuntur: ut autem per quandam externam ceremoniolam ad fidelium ſocietatem admittatur, jam per Abſolutionem à peccatis factus Dei amicus, vitæ æternæ hæres, per multos annos variis experimentis ipſius converſio tentabitur? Sanè probatio ante Sacramentalis Abſolutionis conceſſionem fieri debuit, ne Margaritæ porcis contra Chriſti mandatum proiicerentur, ut in cauſa Abſolutionis à peccatis dandæ diligenter monent Gregorius Nyſſenus in Epiſtola ad Letojum, & Auguſtinus *lib. 1. de adulteriis cap. ultimo*. At ſecundùm hanc ſententiam pretioſa Abſolutionis Margarita pœnitere ſe profitenti ſtatim proſtituitur; deinde an ceremoniola ſit dignus, diligentiſſimè, & ſcrupuloſiſſimè multis annis inquiritur.

III. Tantiſper ob oculos Lectoris paucis verbis proponam, quæ toto libro ſexto ſuſè probata ſunt, ut judicet, an æquum ſit Pœnitentem poſt reconciliationem cum Deo ab Eccleſia ſic excipi. Primum in Fletu degebat ſcripturarum Auditione, & Eccleſiæ ingreſſu indignus habitus, à quibus tamen non prohibebantur Ethnici, Judæi, Publicani, nedum Catechumeni. Deinde in Fletu aliquot annis commoratus Eccleſiæ portam ſubibat, ſcripturarum lectionem, & ſermones ad plebem auditurus, quibus peractis ne Pœnitentibus ſubſtratis commiſceretur, ſtatim à Diaconis pellebatur. Aliquot ſimiliter annis hoc opprobrium paſſus, multis jejuniis, & corporis macerationibus aliquot aliis annis, & pluribus affligebatur, quotidianis manuum impoſitionibus ſuberat, & ſuper eum ſic proſtratum Epiſcopus cum Clero Deum deprecabatur, ut illius miſereretur, peccatorum veniam indulgeret, & Eccleſiæ mereretur aggregari. An probabile eſt, Patres, ut impium, Ethnicum, Judæum, & Publicanum tractaturos, à ſacris ſuis eliminaturos eum, quem Deo reconciliaſſent; ſuper eum velut à Diabolo poſſeſſum precaturos, quem Dei Amicum, & cum ipſo intimè conjunctum crederent? Omnia quotquot nobis ſuperſunt de hiſce rebus teſtimonia evidentiſſimè vel demonſtrant, vel innuunt, Eccleſiam ſemper ſibi continenter reconciliaſſe, & aggregaſſe quotquot credidit Deo reconciliatos; reconciliationemque cum Deo rationem eſſe, & regulam reconciliationis externæ cum Eccleſia. Hoc ab ipſo ortu Eccleſiæ in hunc uſque diem ſanctiſſimè obſervatum eſt.

IV. Præterea multa antiquitùs coacta ſunt Concilia, ut novis criminibus exorientibus communi conſenſu decerneretur, quæ iis ſanandis ſufficeret Pœnitentia, ut plurimis exemplis demonſtratum eſt *lib. 6. & 7.* In quem verò finem? An ut atrocium criminum Reus poſt initam cum Deo reconciliationem diligenter purgaretur, & ſic multis annis purgatus tandem fidelibus aggregari mereretur? Mihi parum probabile eſt, antiquos Patres de reconciliatione cum Deo tam ſupinè egiſſe, de exteriori verò reconciliatione cum Eccleſia, tam diligenter. Sed Patres de propoſito ſuo in illis Conciliis habendis nemini dubitandi occaſionem relinquunt: Innumeris enim in locis nos admonent, ſeſe tam accuratos eſſe, & tamdiu Pœnitentes probare, ut explorent, an peccatorum remiſſione digni ſint, an converſio eorum ſincera ſit, an fide digna, & ex toto corde *ἀξιόπιςοι, καὶ, ὁλοκάρδιοι*, ut Abſolutionem peccatorum Sacramentalem illis credere poſſint, ne decepti indignos abſolvant; & pro-

pter

pter ſimiles rationes, quæ ad peccatorum, & culpæ remiſſionem potiſſimum, & primariò referuntur. Permultas ejuſmodi collegimus ex S. Patribus *lib. primi c.* 12. 13. 14. *& præſertim c.* 16. *&* 17. quarum unaquæque id evidenter demonſtrat. Profectò ſi Abſolutionem à peccatis ſtatim audita Confeſſione conceſſerunt, multo minus tunc accurati fuerunt quàm nunc jubeantur eſſe Sacerdotes. *Videat diligenter Sacerdos, quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda ſit Abſolutio*, inquit Rituale Romanum, *ne abſolvat eos, qui talis beneficii ſunt incapaces, &c.* Quis credat antiquos Patres præ nobis tam laxè, tam inconſideratè, tam ſupinè peccatorum Abſolutionem diſpenſaſſe? In unius autem ceremoniolæ diſpenſatione tam accuratos, & circumſpectos fuiſſe, ut ne ea indignos imprudenter imbuerent, tot Concilia coegerint, tot canones condiderint?

V. Inſuper cavebant admodum, ne communicatione cum impiis contagionem criminis in ſe accerſerent; ideò Ethnicos, Catechumenos, Energumenos, & Pœnitentes à myſteriis ſuis longè abigebant, ne eorum communione ante purificationem inficerentur, nec prius eos myſteriis adeſſe permittebant, quàm iis purgatis veniam peccatorem dediſſent, nec prius hanc illis veniam condonabant, quàm Deo fore acceptam ſibi perſuaſiſſent, ut multis teſtimoniis probatum eſt *lib. primi cap.* 17. *&* 18. An verò hoc de iis dici, & fieri poteſt, quos omnes ſciunt per Abſolutionem Sacramentalem, ante omnem actam Pœnitentiam, & exteriorem purgationem, purgatos tamen eſſe, Deo acceptos, & gratos, *Quod Deus purificavit, tu ne commune dixeris*, ut Chriſtus S. Petrum admonet. Nec minus repugnat huic ſententiæ omnium antiquorum, & recentiorum Scholaſticorum ſententia, quorum multi referuntur *lib. primi c.* 18. qui Abſolutioni Sacramentali concedendæ eam animi præparationem poſtulant, quæ abſolutioni conjuncta certò, quantum homini judicare fas eſt, Pœnitentem cum Deo conciliet, gratiam in eo producat, & culpam omnem abſtergat.

VI. Si verò examinemus quid antiquis fuerit ad ſocietatem fidelium admitti, myſteriis fidelium intereſſe, orationum participem eſſe, quibus phraſibus quarta ſtationum Pœnitentialium phraſis ſignificatur, evidens videbitur, phraſes iſtas, cum Abſolutione Sacramentali ſive à peccatis, ſynonymas eſſe; atque idem apud eos per neceſſariam conſequentiam valere, quod apud nos Sacramentaliter abſolvi, ut fuſè probatum eſt *lib.* 6. *cap.* 21. Nam per Abſolutionem illam Pœnitens juri reſtituebatur admiſſionis ad ſocietatem fidelium, participationis orationum, & aſſeſſionis myſteriorum. Deinde fuſè iterum demonſtratum eſt *c.* 20. 21. *libri quarti* tribus ferè ſeculis integris Abſolutionem à peccatis ſemper cum jure communionis Euchariſticæ conjunctam fuiſſe, nec unam ab altera toto illo tempore divulſam fuiſſe: Ideò iſta ſynonymos uſurpata fuiſſe, & invicem ſine ullo diſcrimine permutata, remiſſionem peccatorum, reconciliationem, veniam, indulgentiam, dare, obtinere; pacem, communionem, Corpus & Sanguinem Chriſti dare, & accipere; quod etiam multis poſteà ſeculis in variis regionibus obſervatum eſt. Pone igitur juxta illam ſententiam variorum ſcelerum Reum Confeſſione edita ſtatim reconciliatum, ergo & corpore Chriſti donatum. Sed poſteà annis quindecim, viginti, tota vita, variis jejuniis, chameuniis, aliiſque corporis afflictationibus explorabunt Patres, an qui Deo conjunctus eſt, qui Deo ipſis teſtibus firmiter adhæret, unumque cum Chriſto corpus per illius participationem effectus eſt, dignus ſit, qui myſteriis cum fidelibus interſit. Hoc, ne quid gravius dicam, mihi videtur ὕστερον πρότερον valde præpoſterum.

VII. Denique innumeris teſtimoniis demonſtratum eſt, Pœnitentes per opera laborioſa, quæ ipſis imponuntur ad veniam à Deo obtinendam præparari, ignes æternos extinguere, Dei gratiam paulatim promereri, peccatorum indulgentiam Dei miſericordia his operibus commota citiùs impetrare. Hoc ſæpius evidentiſſimè probatum eſt, ſed libri tertii capite ultimo potiſſimum. Argumentum, ut mihi videtur certiſſimum, veniam illis ante hæc opera ſuſcepta non eſſe præſtitam. Verùm quid ad ea teſtimonia reſpondendum, quibus dicuntur nonnulli reconciliationem Pœnitentibus ne in morte quidem præſtitiſſe, quibus ſe non aſſentiri ſcribit S. Cyprianus, quos excuſat Innocentius I. An inter eos agebatur de levi aliqua ceremoniola, qua diſciplinæ politicæ cauſa ſolemniter in Eccleſiam admittebantur? At ut videre eſt apud Cyprianum, & Innocentium de ſumma ſalutis agebatur. Cæleſtinus I. quo zelo non fertur in quoſdam, qui eandem diſciplinam ſuo tempore uſurpabant. Quidam ad eum deferuntur, quod reconciliationem præſtare nollent iis, qui morientes eam ſimul cum Pœnitentia poſtulabant. Credebant enim reconciliationem, ſive Abſolutionem iis perperam concedi, qui Pœnitentiam non egerant. An illis exiſtimabant exteriorem aliquam admiſſionis ceremoniam iis, qui Pœnitentia functi non erant, ſe negare? *Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri*, ait Cœleſtinus in eos invehens *Epiſt.* 1. *Ut de Dei pietate deſperet; quaſi non poſſit ad ſe quovis tempore concurrenti ſuccurrere, & periclitantem ſub onere peccatorum hominem, pondere, quo ſe expediri deſiderat, liberare. Quid hoc rogo aliud eſt, quàm morienti mortem addere, ejuſque animam ſua credulitate, ne abſoluta eſſe poſſit, occidere? &c.*

VIII. Idem etiam evidenter mihi videtur oſtendere id, quod tam ſolemniter prædicant Tridentini Concilii Patres, & ſplendidiſſima Patrum auctoritate probatum eſt toto ferè libro tertio; peccata nempè poſt baptiſmum commiſſa longè difficilius remitti, quàm quæ ante baptiſmum, atque ideò Pœnitentiam à Patribus dici laborioſum baptiſmum. An ullo modo de antiquis Patribus verum hoc eſſe poteſt, ſi ſtatim poſt editam Confeſſionem Pœnitenti peccatorum indulgentia ab iis conceditur? Facillimè ejuſmodi peccata remittebant, & æquè facilè ac ea, quæ ante baptiſmum. Immò iterum dicam, hac poſita ſententia multo faciliùs. Certum enim eſt, & exploratum, Antiquiſſimis ſeculis Communionem Euchariſticam à peccatorum indulgentia non fuiſſe tempore ſecretam. Deinde quando ſeparatio in multis Eccleſiis facta eſt, pauciſſimos, vel potius nullos labores veniam conſecutis impoſitos: Evehebantur enim ad Conſiſtentiæ ſtationem, cui canones præter myſteriorum abſtinentiam, nullos labores tribuunt, ad quam ideò relegabantur quotquot propter peccata non mortalia caſtigabantur. At non minus certum eſt magno cum examine Catechumenos baptizatos: Catechumenatum lege ordinaria biennio duraſſe, aliquando tribus, quatuor, quinque annis. Si in Catechumenatu graviter peccaſſent, ſæpe baptiſmum in vitæ finem dilatum: Multos Catechumenos, quia negligentes viderentur, & de baptiſmo parum ſoliciti, in extremis tantùm baptizatos. In cauſis extraordinariis, & magna in Chriſtianiſmum zeli demonſtratione vix minus viginti diebus ad baptiſmi ſuſceptionem examinatos. Deinde lege ordinaria quadraginta diebus antiquitus, poſteà tribus ſeptimanis ante Paſcha ex Catechumenis optimos ad baptiſmum ſuſcipiendum in Paſchate electos fuiſſe, & ſingulis illis diebus variis jejuniis, & aliis laborioſis operibus, peccatorum etiam confeſſione purgatos, ut baptiſmo in Paſchate ſuſcipiendo idonei redderentur. Utraque igitur venia inter ſe comparata, ante baptiſmum difficillima fuit, multiſque ambagibus obnoxia; poſt baptiſmum autem facillima, expedita, omnibus obvia. Itaque Catechumenorum baptiſmus dicendus lachrymarum baptiſmus, non autem Pœnitentia.

IX. Si diſciplinam in ægrotos, & morientes uſurpari ſolitam examinemus, eadem inverſæ diſciplinæ argumenta colligentur. Nonnunquam diſtinguitur in canonibus viaticum morientibus maximè neceſſarium ab Euchariſtia, non modò re, quod ſemper verum eſt, ſed etiam temporis interſtitio, ita ut prius ſemper, & neceſſariò morienti concederetur; poſterius verò nonnunquam denegaretur. Prius vocatur reconciliatio, venia, & indulgentia peccatorum, Sacramentorum janua, & Viaticum: vocatur etiam ut poſterius, communio, & morientium viaticum. Quæritur nunc, cùm in canonibus jubetur, ut illud prius Pœnitentibus moribundis nunquam denegetur, poſterius verò cum Epiſcopali examine, aut majori adhibita cautione præbeatur, quid ſit per illud prius viaticum tam neceſſarium in canonibus intelligendum, An Sacramentalis Abſolutio, an exterior Pœnitentis ad Eccleſiam. Poſterius ſanè intelligi non poteſt. Quis enim Catholicus dicat morientem ſine illa ceremoniola difficillimè ſalvari? Ergo prius. Nondum igitur Pœnitentes peccatorum Abſolutione gaudebant. Verbi gratia *can.* 13. Nicæno omnibus Pœnitentibus morientibus dari jubetur Viaticum *ἀναγκαιότατον*, maximè neceſſariam: ſed Euchariſtiam iis præſtari vult non promiſcuè, ſed prius ab Epiſcopo examine facto: Non eſt enim Euchariſtia *ἐφόδιον ἀναγκαιότατον* ut etiam nunc ab omnibus conceditur, *De his*, Pœnitentibus, *qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, regulariſque ſervabitur, ita ut ſi quis egreditur ex corpore, ultimo, & neceſſario ἀναγκαιοτάτου viatico minime privetur.* In fine canonis Euchariſtiæ participationem ad Epiſcopi examen remittit. Ergo Abſolutionem à peccatis ante mortem Pœnitentibus concedi jubent. Non igitur acceperant.

X. Concilium Vaſenſe *c.* 2. quærit, an de Pœnitentibus, qui in agris ſubita morte corripiuntur, memoria in ſacris fieri debeat? Reſpondet, fieri debere, *Quia nefas eſt eorum comme-*

morationes excludi à ſalutaribus ſacris, qui ad eadem ſacra fideli affectu contendentes, dum ſe diutius reos ſtatuunt, & indignos ſalutiferis myſteriis judicant, ac dum purgatiores reſtitui deſiderant, abſque Sacramentorum viatico recipiuntur, quibus fortaſſe nec abſolutiſſimam reconciliationem Sacerdos denegandam putaſſet. In dubium revocari poſſe non judico abſolutiſſimam reconciliationem eſſe Euchariſticam. Bonis illis Pœnitentibus ſi mori non contigiſſet in agris, aut itineribus, forſan conceſſa fuiſſet Euchariſtia. Sed prius quod vocat Sacramentorum viaticum, & ad quod ut perveniant pœnitentes, ſtudent quotidie animæ perfectioni, eſt illud, quod cùm fieri poteſt, nunquam in fine denegatur.

X I. Similiter in Concilio Arauſicano I, *cap.* 3. quæſtio de Pœnitentibus morientibus ſimpliciter proponitur, & reſpondetur, Morientis conſolationi ſufficere ſine reconciliatoria manus impoſitione communicare, *Secundùm definitiones Patrum, qui hujuſmodi communionem congruenter viaticum nominaverunt*. Nunc attende, quid de iis convaleſcentibus ſtatuat: *Quòd ſi ſupervixerint, ſtent in ordine Pœnitentium, ut oſtenſis neceſſariis Pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione recipiant*. Dubitari quoque non poteſt communionem, quæ acta legitimè Pœnitentia datur, ut ea, de qua hic canon loquitur, eſſe Euchariſticam, & perfectiſſimam. Hanc communionem non modò diſtinguit, ſed etiam ſeparat Concilium à præcedente, quam dicit morientium conſolationi ſufficere, & congruens eſſe Pœnitentibus ante peractam Pœnitentiam morientibus viaticū. quod nunquam illis negari debet.

X II. Simili quæſtioni reſpondet S. Leo *Epiſt.* 91. Eadem illi ab Epiſcopo Forojulienſi propoſita fuerat, quę Concilio Vaſenſi, de Pœnitente, qui forte fortuna ſine reconciliatione obierat, Sic reſpondet, *Si autem aliquis eorum pro quibus Domino ſupplicamus, quocunque interceptus obſtaculo à munere indulgentiæ præſentis exciderit, & priuſquam ad conſtituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non recepit, exutus carne non poterit*. Quæritur, quid Leo Pontifex intelligat per conſtituta remedia, Pœnitentibus poſt datam actionem Pœnitentiæ, & eam peracta conferendam? Dixerat paulò ante Præpoſitos Eccleſiæ cōfitentibus dare actionem Pœnitentiæ, *Et eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admittere*. Manifeſtum igitur per conſtituta remedia eum intelligere reconciliationem, quam januam vocat ad communionem Euchariſtiæ, & aliorum Sacramentorum: hoc eſt, quod Pœnitentes illi ante mortem non acceperant, & quod ut fructum actionis Pœnitentiæ ſperabant. Quia igitur Pœnitentes illi morte occupati fructum illum, ſive reconciliationis remedium non acceperant, negat pro iis orandum & ſacrificandum. Nonnulli, ut refert Leo, volebant Pœnitentium actiones, meritaque examinari, ut ex iis judicaretur, an eſſent precibus Eccleſiaſticis digni. Reſpondet Leo, hoc examen non eſſe neceſſarium, eo quod Deus juſtitiæ ſuæ reſervaverit, quod Sacerdotale miniſterium implere non potuit; & hoc permiſiſſe, *Ut quod quibuſdam tepidis, aut negligentibus accidit, nemo non metuat*. Quamobrem autem unuſquiſque plurimum metuere debet id, quod illis Pœnitentibus contigerat; *Multum enim utile, ac neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali ſupplicatione ſolvatur*.

X III. Quid eſt porrò illud multum utile, & neceſſarium quo Pœnitentes, de quibus loquitur S. Leo, potiti non fuerant, & cujus cauſa precibus Eccleſiaſticis eos cenſet eſſe privandos? Reatus peccatorum per Sacerdotem ante mortem ſolutio. Colligamus nunc quæ Sancti Patres teſtantur Pœnitentibus ſanis ante finem Pœnitentiæ Sacerdotum miniſterio conceſſa non fuiſſe, ſed tamen ſi mors immineat neceſſariò concedenda, & ſi fortè fortuna ante mortem conceſſa non fuerint, pro iis orandum non eſſe, aut ſacrificandum. Illud vocant Nicæni Patres *ἀναγκαιότατον*, maximè neceſſarium Viaticum; Vaſenſes, Sacramentorum Viaticum: Arauſicani, eorumque Anteceſſores, congruens Viaticum, quod morientium ſufficit conſolationi: S. Leo, januam reconciliationis ad communionem Sacramentorum, & reatus peccatorum ſolutionem multum utilem, & neceſſariam. Apud ſe nunc perpendat, Lector, An tam magnifica, tam ſalutaria Epitheta iſta, minori Excommunicationi ſive exteriori ad fidelium ſocietatem admiſſioni convenire poſſint, quam non modò Diaconus, ſed quilibet Clericus, immò & Laicus urgente morte ſolvere poſſunt, quæ ab Eccleſia tantùm politiæ cauſa conſtituta eſt, quæque ex ejus nutu laxari, reſtringi, & abrogari poteſt, & de facto planè abrogata eſt, uno excepto caſu, cui in Gallia vix unquam locus eſt; An verò Abſolutioni à peccatis, quæ ſecundùm omnes Patres, Theologoſque antiquos, & recentiores, eſt viaticum morientibus maximè neceſſarium, congruens viaticum quod morientium ſufficit conſolationi, janua ad cætera Sacramenta ſuſcipienda, & vera, potentiſſimaque reatus peccatorum ſolutio.

X IV. Quæſo te Lector, apud teipſum tantiſper conſidera, An S. Auguſtinus hanc tantum exteriorem admiſſionem in Eccleſiam in mente habuerit, cùm Epiſt. 180. Miniſtros Eccleſiæ à fuga in perſecutione diſſuadens hoc argumento utitur, *Si fortè quiſquam contenderit non eſſe Miniſtrum impium, qui tunc ſubtrahit miniſterium pietati neceſſarium, quando magis eſt neceſſarium*, Propter quid verò miniſterium illud tunc magis eſt neceſſarium? Audiamus S. Auguſtinum rationes reddentem, *An non cogitamus, cùm ad iſtorum periculorum pervenitur extrema, nec eſt poteſtas ulla fugiendi, quantus in Eccleſia fieri ſoleat ab utroque ſexu, atque ab omni ætate concurſus, aliis baptiſmum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam Pœnitentię ipſius actionem, omnibus conſolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem. Ubi ſi Miniſtri deſint, quantum exitium ſequitur eos, qui de ſeculo iſto vel non regenerati exeunt, vel ligati. Quantus eſt etiam luctus fidelium ſuorum, qui eos ſecum in vitæ æternæ requie non habebunt? &c.* Si per reconciliationem non intelligas Abſolutionem à peccatis, quia initio in ipſa Pœnitentiæ impoſitione data eſt, ſed ceremoniolam, quam hoc capite toties deſcripſimus, An ceremoniola illa, & exterior ad Eccleſiam admiſſio, æquiparari poteſt Baptiſmo? An illius effectus ad vitam æternam conſequendam neceſſarius eſt? An ea ligati, ut non regenerati, damnandi ſunt? An fuit Eccleſiæ mens, aut eſſe potuit hanc Excommunicationem cum tanto animarum detrimento inſtituere? Quid verò reſpondebitur tot Auctoribus Catholicis, qui ex hac Pœnitentium querela videntur ſibi invicto argumento demonſtrare, antiquos Patres crediſiſſe Pœnitentem ex attrito per Abſolutionem Sacramentalem fieri contritum; ſi levem tantùm ceremoniam, cujus à multis ſeculis nullus eſt amplius uſus, Pœnitentes ſuis fletibus, & ejulatibus efflagitabant? Sane videtur omnino hoc loco Abſolutio à peccatis intelligenda quam Pœnitentes in magnis criminibus lege ordinaria poſt Pœnitentiæ actionem ſuſcipiebant. Hæc enim omnia ex omnium Doctorum conſenſu de ea dici poſſunt, & debent, illique, & baptiſmo æquo jure conveniunt. Exemplum iſtius querelę de paſtoribus ſuis à populo propter eaſdem rationes factæ retulimus ex Victore uticenſi libri octavi initio, ex quo idem argumentum colligitur.

X V. Quid vero dicendum de ea hiſtoria, quam ex Auguſtino referunt Ivo *part.* 1. *c.* 191. & Gratianus *de Conſecrat. diſt.* 4. *cap. Sanctum eſt*, De Catechumeno, & Pœnitente in eadem navi periclitantibus, cæteri infideles erant. Catechumenus à Pœnitente baptizatur: Deinde Pœnitens à Catechumeno jam fideli reconciliatur. Pœnitens ille, inquit Auguſtinus, *Pro peccato, de quo agebat Pœnitentiam, amiſerat ſanctitatem, ſed non amiſerat Sacramentum*. Erat igitur in ſtatu impietatis, atque ex eo probat Auguſtinus, baptiſmi collationem à ſanctitate Miniſtri non pendere, ſed ab impiis validè conferri. Pergit Auguſtinus, *Nam ſi hoc* baptiſmi Sacramentum, *amittunt peccatores, cùm reconciliantur poſt Pœnitentiam, quare non iterùm baptizantur?* Videtur planè illis verbis lis dirempta. Pœnitentem enim illum ante reconciliationem, ſive Abſolutionem præſumit, & ſupponit diſputationi ſuę velut ex confeſſo impium, atque ut loqui ſolemus, in ſtatu peccati mortalis, quod virtuti, & energiæ quàm de Abſolutione Sacramentali, præſumere debemus planè contrarium eſt. Ante reconciliationem igitur, de qua illi ſermo eſt, Abſolutionem à peccatis non acceperat. Deinde reconciliationem illam, quæ dari ſolet poſt Pœnitentiam æquiparat Auguſt. Baptiſmo, qui ſimiliter poſt actam pœnitentiam confertur: ideò dicit, impios ſi per crimen baptiſmi Sacramentum amittunt, ut ſanctitatem, eos debere acta Pœnitentia non minus baptizari quàm reconciliari. Immediatè ſubjungit Auguſtinus, *Dedit ergo quod acceperat; & ne periculosè vitam finiret, non reconciliatus petiit ab eo ipſo quem baptizaverat, ut eum reconciliaret, & factum eſt*. An periculum eſt de eo, qui per Abſolutionem à peccatis Dei Amicus factus eſt, cœli hęres, Chriſti cohæres? An tanto periculo per ceremoniolam, quæ ab annis quingentis prorſus evanuit, Pœnitens ille liberatus eſt? factum utrumque approbat, & laudat Auguſtinus.

X VI. Non minus evidenter hoc docet frequens comparatio quam antiqui Patres ineunt Catechumenorum cum Pœnitentibus, & reconciliationis poſt Pœnitentiam præſtitæ cum baptiſmo poſt Catechumenatum dato, qua parem utrique virtutem, pares effectus tribuunt, cujus multa jam exempla dedimus, aliaque multa capite ſequente, & libro poſtremo exhibebimus. Nunc hoc ſolo, quod aliis locis omiſimus, lectori

ſatis-

Digitized by Google

ſatisfactum eſto. Quæſtio graviſſima fuit inter Stephanum Papam, & S. Cyprianum, quam multis explicamus infra *c. 7.* de ratione admiſſionis Hæreticorum ad Eccleſiam. Diſtinguebant ambo Hæreticos in Eccleſia baptizatos ab Hæreticis extra Eccleſiam baptizatis: Conveniebant utrique in priori Hæreticorum ſpecie, Eos ſcilicet per manus impoſitionem in Pœnitentiam eſſe recipiendos, hoc eſt per Sacramentum Pœnitentiæ. In poſteriori diſſentiebant. Volebat Stephanus per manus impoſitionem in Spiritum S. recipi, hoc eſt, per Sacramentum Confirmationis. Cyprianus baptizari prius volebat, deinde confirmari. Vides inter eos litem fuiſſe non de ceremoniis quibuſdam, quæ ſalva hominis ſalute facilè poſſunt adeſſe vel abeſſe, ſed de maximis religionis myſteriis. Nunc videamus quid Cyprianus comparet, & baptiſmo, & Confirmationi, & cui dat ſalutis æternæ virtutem. Sic ille in fine *Epiſt. 74.* Explorata, & perſpecta veritate à nobis, inquit, obſervatur, *Ut omnes, qui ex quacunque hæreſi ad Eccleſiam convertuntur, Eccleſiæ unico legitimo baptiſmo baptizentur, exceptis his, qui baptizati in Eccleſia prius fuerant, & ſic ad Hæreticos tranſierant. Hos enim oportet, cùm redeunt, acta Pœnitentia per manus impoſitionem ſolam recipi, & in ovile, unde erraverant, reſtitui.* Illa igitur manus impoſitio, quæ poſt actam Pœnitentiam conceditur, idem operatur quod baptiſmus; interiorem ſcilicet gratiam, & exteriorem cum populo Dei aggregationem, & incorporationem. Vix fingi poſſet his verbis, & hypotheſi aliquid evidentius. Non fruſtra dixit Cyprianus per ſolam manus impoſitionem, eo quòd alii Hæretici per utrumque Sacramentum ex ipſius, & Collegarum ſententia admitterentur, Baptiſmi, & Confirmationis, ut videre potes infra *capite 7.* Sed illi, de quibus loquitur, verbis citatis, in Eccleſia baptizati, & confirmati fuerant, ideò redeuntes neutrius egebant repetitione, ſed ſola poſt actam Pœnitentiam manus impoſitione. Quid poſt actam Pœnitentiam conſequerentur, obſcurum eſſe non poteſt.

XVII. Idem demonſtrant, quæ de privata Pœnitentia diſertiſſimè enuntiant, & ſtatuunt libri Pœnitentiales. Differunt enim ut plurimum Abſolutionem à peccatis in Pœnitentiæ finem, aut ſi commodè fieri non poteſt, ſtatim ea donant Pœnitentem, ut multis exemplis probatum legere potes infra *capite 17.* quod certè videtur argumentum certiſſimum Abſolutionem à peccatis in Pœnitentia publica ad finem Pœnitentiæ reſervatam fuiſſe. Ludovicus Mæratus inſignis noſtri temporis Theologus *tom. 3. diſput. Theologicarum tractatus de Pœnitentia, diſputat. 28. ſect. 2.* pauciſſimis allegatis teſtimoniis ſimilibus, non adeò evidentibus, colligit tamen, & rectè de Abſolutione Sacramentali in iis verba fieri; quid de innumeris teſtimoniis, in quibus hoc non atramento, ſed ipſo ſolis radio inſcribitur, cenſendum eſt? Sanè vir quiſque Doctus diuturno tempore excogitet, inquirat, ſcrutetur verba efficacia, & emphatica, quibus Abſolutionem à peccatis, & ipſius effectus exprimat, & deſcribat, pauciſſimo tempore efficaciora, & ἐμφατικώτερα ex Patribus, & Conciliis ſuppeditabo, quibus ornant eam reconciliationem, quæcunque illa ſit, quam acta Pœnitentia ſe largiri Pœnitenti profitentur. Verum eſſe hoc deprehendes, ſi libri præcedentis primum caput legeris, aut ea, quæ nunc ſequuntur, vel antiquum Pœnitentes abſolvendi in Cœna Domini ritum, quem nobis repræſentant Pontificalia, Sacramentaria; & officiorum ordines Romani. Hæc occaſione diſtinctionis à Guilelmo Eſtio improbatæ dicta ſunto. Cum tamen Theologi Scholaſtici nonnulli ſint hoc tempore, qui eam probent, & amplectentur, his, quæ hoc capite dicta ſunt, & quæ ſequentibus enarrabuntur, diligenter conſideratis, eligat Lector, quod antiquæ diſciplinæ conſentaneum judicaverit. In ejuſmodi rebus unuſquiſque abundet in proprio ſenſu. Velle ſuum cuique eſt. Illis igitur ſit, ut & nobis.

CAPUT III.

Reis graviorum criminum, propter quæ Pœnitentia imponebatur publica, ab incunabulis Eccleſiæ ad annum ſeptingenteſimum Abſolutionem poſt completam pœnitentiam ordinaria lege conceſſam eſſe. Abſolutio à peccatis merces eſt, fructus, & præmium actæ Pœnitentiæ. Æterna ſupplicia expungit. Contra Montaniſtas, & Novatianos defendebant Catholici pœnitentia functis dandam Abſolutionem. Querelæ adverſus eos, qui Abſolutionem ante actam pœnitentiam concedebant. Libelli Martyrum proficiebant ad Abſolutionem citius aliis lapſis obtinendã. Patres comparant Pœnitentes Catechumenis, Abſolutionẽ baptiſmo. Poſt decurſas ſtationes pœnitentiæ datur venia. Quibuſdam, quandiù vivunt, datur pœnitentia, in morte reconciliatio. In patribus ſæpius hic ordo exprimitur. Pœnitentia, reconciliatio, Euchariſtia, ſic reconciliandorum in Cœna Domini ritus. Dubitatur, an ſit orandum pro Pœnitentibus ſine Abſolutione mortuis. Dubitatur de ſalute eorum, qui moribundi ſine acta pœnitentia abſoluti ſunt.

Morin. de Sacram. Pœnit.

PRima propoſitio interrogationi reſponſura hæc eſto. *Ab incunabulis Eccleſiæ ad annum ſalutis circiter ſeptingenteſimum, Reis graviſſimorum criminum publicè pœnitentibus Abſolutio lege ordinaria conceſſa tantùm eſt poſt completam Pœnitentiam ſecundùm canones impoſitam.* Iſtius diſciplinæ innumera ſunt argumenta, cùm eorum, quæ antiqui Patres multis ſeculis decreverunt de Pœnitentia, ſive in canonibus, ſive in ſcriptis ſuis, maxima pars ad hanc propoſitionem referatur. Itaque nobis laborandum eſt, non ut multa teſtimonia quæramus, ſed ut in quæſitorum relatione modum teneamus. Antequam illa legas, velim, Lector, te continuò ob oculos proponere Abſolutionis Sacramentalis virtutem. Ea ſecundùm omnes Theologos peccatorem probè diſpoſitum è ſtatu peccati mortalis in ſtatum gratiæ transfert, è tyrannide Diaboli in ſocietatem filiorum Dei: Animam culpa, & macula liberat, ita ut ſic abſolutus reverà ſit coram Deo, & Angelis innocens, juſtus, omniſque ſceleris purus, ſi clavis non erravit: Et licèt erraverit (falli enim à Pœnitente poteſt Eccleſia) Abſolutus tamen juſtus, & innocens ab ea præſumitur, & habetur; eo quòd nullus ejus Miniſter quenquam abſolvere debet, niſi quem jam juſtificatum probabiliter credit, aut interius ita diſpoſitum, ut abſolutione, quam dabit, reapſe juſtificetur. Hoc nullus Theologorum it inficias. Ergo ſi antiqua Eccleſia ſolita fuit cuicunque peccatori Abſolutionem concedere ante omnem Pœnitentiæ actionem, eum quoque ante omnem Pœnitentiæ actionem, talem conſideravit, qualem deſcripſimus. Perpende igitur, Lector, ſingula, quæ referimus, teſtimonia, & judica, an pœnitenti ante pœnitentiam actam convenire poſſint. Deinde cum Abſolutionem Sacramentalem ſequi non poſſit alia Abſolutio quam à minori Excommunic. iterùm apud te perpende, an antiqui Patres tam duras graveſque conditiones ad minoris Excomm. ſolutionem poſtulaverint; ad Abſolut. verò Sacrament. vix ullas. Hæc ſemel monuiſſe ſufficiat, ut faciliùs judicare poſſit Lector, an ubicunque apud antiquos legerit poſt Pœnitentiæ actionem, verba communionis veniæ, reconciliationis, admiſſionis cum fidelibus, &c. Ea ſint de exteriori aliqua ad Eccleſiam admiſſione, minoriſve alicujus Excomm. ſolutione; An verò de Abſolutione Sacramentali intelligenda.

II. S. Clemens Romanus *lib. 2. Conſtit. Apoſtolicarum cap. 18.* de Pœnitentia graviter peccantibus imponenda, & de venia iis danda diſſerens, *Sanos quidem conſerva, lapſos verò mone, & qui in jejunio premis, leva in remiſſione, & eum, qui luxit, recipe, cuncta Eccleſia pro eo deprecante, & manu impoſita ſine eum in Eccleſia eſſe, &c.* Paulò ante *cap. 16.* dixerat de eodem peccati Reo recipiendo, *Caſtiga illum jejuniis duarum, aut trium, aut quinque, aut ſeptem hebdomadarum, ut delicti genus, & ratio popoſcerit, atque ita dimitte eum, ea locutus, quæ eum, qui de peccato commiſſo alium admonendi cauſa increpat, docere, & monere convenit.* Gravem admonitionem facere Pœnitenti ſtatim poſt reconciliationem antiquiſſima eſt Eccleſiæ conſuetudo quam hactenus nobis exhibent antiqui rituales. Hoc ab Apoſtolis accepit Eccleſia, ut ex Clemente diſcimus, atque ex S. Paulo 2. Cor. 2. Ita enim de inceſtuoſo Corinthio, quem reconciliari jubet, cum ejuſmodi increpatione poſt actam longo tempore Pœnitentiam, *Sufficit illi, qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc, quæ fit à pluribus, &c.* Iſtius objurgationis compendioſa narratio legitur apud Tertullianum libro de pudicitia, cujus non ſemel mentio facta eſt.

III. Hermes alius S. Pauli diſcipulus, qui Paſtor à Patribus vulgò dicitur *lib. 3* in fine ſimilitudinis ſeptimæ. *Numquid putas protinus aboleri delicta eorum, qui agunt Pœnitentiam? Non prorſus continuò, ſed oportet, eum, qui agit Pœnitentiam, affligere animam ſuam, & humilem animosè præſtare ſe in omni negotio, & vexationes multas, variaſque perferre, cùmque perpeſſus fuerit omnia, quæ illi inſtituta fuerint, tum forſitan qui eum creavit, & qui formavit univerſa, commovebitur erga eum clementia ſua, & aliquod remedium dabit, idque ita ſi viderit ejus qui pœnitentiam agit, cor purum eſſe ab omni opere nequiſſimo.* Alludit Hermes ad verba S. Petri Simoni Mago pronuntiata, *Act. 8. Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Idem Hermes ejuſdem libri ſimilitudine 9. fine. *Cùmque vidiſſet Dominus bonam, atque puram pœnitentiam eorum, & poſſe eos in ea permanere, juſſit priora peccata eorum deleri.* Abſolutionem igitur dare debet Sacerdos cum variis experimentis fultus, probabiliter credit, Pœnitentem

à nequitia ſua receſſiſſe ; & in propoſito remanſurum . Tum enim Deus ei parcit , aut jam jam perciturus eſt , accidente ſcilicet per preces Eccleſiæ , & Abſolutionem majore diſpoſitione . Nam , ut eſt ex S. Gregorio notiſſimum , Tunc vera eſt Abſolutio Præſidentis, cùm æterni arbitrium ſequitur Judicis . Lege quæ de interna illa præparatione dicta ſunt *lib.* 1. *cap.* 12. *&* 13. *& præſertim c.* 17. Iſta enim ſingulis fere his teſtimoniis ſunt conjungenda.

IV. Tertullianus in libro de Pęnitentia hoc ubique vel expreſsè dicit, vel dictis ſupponit . Capite ſexto in eos invehitur, qui Abſolutionem vel baptiſmum petunt non acta Pœnitentia ſibi impoſita, *Quàm porrò ineptum , quàm Pęnitentiam non adimplere , & veniam delictorum ſuſtinere? hoc eſt, pretium non exbibere, ad mercedem manum emittere . Hoc enim pretio Dominus veniam addicere inſtituit , hac Pœnitentiæ compenſatione redimendam proponit impunitatem. Si ergo qui venditant, prius nummum quo paciſcuntur examinant, ne ſculptus, neve raſus, ne adulter : etiam Dominum credimus pęnitentiæ probationem prius inire, tantam nobis mercedem perennis ſcilicet vitæ conceſſurum* . Poſteà obiicit ſibi, emendatos eſſe Pęnitentes, quum ab Eccleſia abſolvuntur, licèt Pęnitentiam non egerint, Acriter in hanc ſententiam inſurgit , *Tunc opinor emendatos liquebit, cùm abſolvimur. Nullo pacto ; ſed cùm pendente venia pęna proſpicitur; cùm adhuc liberari non meremur , ut poſſimus mereri : cùm Deus comminatur , non cùm ignoſcit , &c. Peccator ante veniam deflere ſe debet, quia tempus Pęnitentiæ idem quod periculi , & timoris* . Capite 9. deſcribit eam, quam intelligit, Pęnitentiam , & dura, quæ injungit, ſatisfactionis opera, ita tamen ut ſemper innuat reconciliationem hæc opera ſequi , *Satisfactio confeſſione diſponitur, Confeſſione Pęnitentia , Pęnitentia Deus mitigatur* . Deinde ſigillatim deſcriptis Pęnitentiæ laboribus addit , *Hæc omnia , ut in peccatorem ipſa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna ſupplicia, non dicam fruſtretur , ſed expungat* . Hujus dicti rationem reddit multis Patribus communem, *In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus crede parcet*. Eſt enim illis vulgaris ſententia, Pęnitentes delictorum veniam, & juſtificationem his laboribus a Deo impetrare , & quò delicta graviora ſunt , eò durioribus laboribus ut plurimum veniam eſſe promerendam .

V. Capite decimo iterum docet, in quem finem hi labores , hæ lachrymæ, *Cùm te ad fratrum genua protendis, Chriſtum contrectas , Chriſtum exoras . Æquè illi cùm ſuper te lacbrymas agunt, Chriſtus patitur, Chriſtus patrem deprecatur. Facilè impetratur ſemper, quod filius poſtulat*. Et in fine capitis, *Miſerum eſt ſecari, & cauterio exuri , & pulveris alicujus mordacitate cruciari. Tamen quæ per inſuavitatem medentur, & emolumenta curationis offenſam ſui excuſant, & præſentem injuriam ſuperventuræ utilitatis gratia commendant*. Hoc demonſtrat iis laboribus & ſuis dejectionibus, quas patiuntur & ſibi procurant ii, qui Magiſtratus ambiunt; quæ ſanè omnia eleganter deſcribit. In quẽ finem iſta? *Idque totum*, inquit, *propter unius anni volaticum gaudium*. Unde colligit, *Nos quod ſecurium, virgarumque petitio ſuſtinet, in periculo æternitatis tolerare dubitamus ? & caſtigationem victus, atque cultus offenſo Domino præſtare ceſſabimus, quæ Gentiles nemine læſo ſibi irrogant ?* Hæc omnia ſuſtinenda ſunt, ut à culpa & pęnis æternis abſolvamur . Nã ut initio capitis duodecimi iterum docet , *Si de exomologeſi retractas , gehennam in corde conſidera, quam tibi exomologeſis extinguet: & pęnæ prius magnitudinem imaginare , ut de remedii adeptione non dubites* . Omnes igitur illi duri Pęnitentiæ labores, ut à Deo , & Sacerdote Abſolutionem impetrare mereantur. Hanc ſi ante labores ſuſceptos accepimus , non amplius ſuſcipiuntur ad ignem gehennæ extinguendum, qui jam Abſolutione extinctus eſt ; non eſt amplius periculum æternitatis , ſed ſecuritas .

VI. Evidens, & celebre ejuſdem diſciplinæ argumentum eſt antiqua Catholicorum controverſia cum Montaniſtis, & Novatianis. Aſſerebant Catholici capitalium criminum acta Pęnitentia dandam eſſe Abſolutionem : Pœnitentiam quidem imponebant hæretici illi , ſed Abſolutionem Pęnitentia functis negabant . In hæreticos hac præſertim ratione utebantur Catholici, quòd fruſtra ageretur Pęnitentia, niſi abſolutione remunerarentur . Sic Tertullianus in Catholicos *c.* 2. de pudicitia , *Sed prius decidam intercedentem ex diverſo reſponſionem ad eam Pęnitentiæ ſpeciem, quam cum maximè definimus venia carere . Si enim , inquiunt , aliqua Pęnitentia caret venia, jam nec in totum agenda tibi eſt . Nihil enim agendum eſt fruſtra . Porrò fruſtra agetur Pęnitentia , ſi caret venia , &c. Meritò ita opponunt , quoniam hujus quoque Pęnitentiæ fructum , id eſt, veniam in ſua poteſtate uſurpaverunt* . Deinde docet, qua ratione fruſtra non agatur , licèt venia non compenſetur . Hoc argumentum fusè tractat adverſus Novatianos S. Cyprianus ad finem *Ep.* 52. *Neminem* , inquit, *putamus à fructu ſatisfactionis , & ſpe pacis arcendum , &c. ò fruſtrandæ fraternitatis irriſio , ò miſerorũ lamentantium caduca deceptio , &c. hortari ad ſatisfactionis Pœnitentiam, & ſubtrahere de ſatisfactione medicinam ; dicere fratribus noſtris , plange, & lacbrymas funde , &c. & pro abluendo , & purgando delicto non largiter , & frequenter operare , ſed extra Eccleſiam poſt omnia iſta morieris ; quæcunque ad pacem pertinent, facies , ſed nullam pacem, quam quæris , accipies* . Cauſam iſtam fusè perſequitur, docetque, Hæreticorum diſciplinam nihil aliud inducere , quàm animi deſperationem , atque in hujus rei argumentum affert , Agricolarum , Vinitorum , Hortulanorum , Architectorum , Mercatorum , Nautarum exempla , qui , ſi poſt navatam operam , & exantlatos labores, fructus, merceſque iis tollantur , animum deſpondent , & deiiciunt , illum ampliùs non reſumpturi . Similiter in Novatianos argumentatur S. Ambroſius *lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 3. ut infra referemus . Mente nunc finge ante omnem Pœnitentiæ actum illis Pœnitentibus datam Abſolutionem , ſolutam laborum mercedem , num ſingula Cypriani , & Tertulliani , ſeu potius Catholicorum Tertulliani tempore , verba , ſimilitudineſque , aliud quàm id quod propoſitum fuerat, demonſtrant?

VII. Denique decretoria planè videntur Zepherini Pontificis verba à Tertulliano initio libri de pudicitia relata. Continent enim controverſiæ ſtatum inter Catholicos , & Montaniſtas , & ſunt ejuſmodi, ut omnis difficultatis hac in cauſa videantur peremptoria . *Audio edictum eſſe propoſitum , & quidem peremptorium , Pontifex ſcilicet maximus , Epiſcopus Epiſcoporum dicit : Ego & Mœchiæ , & fornicationis delicta Pęnitentia functis dimitto*. Clariora, & expreſſiora verba fingi non poſſunt. Dimittuntur peccata ; Quibus ? Pœnitentia functis . Quæſtio inter Montaniſtas, & Catholicos . An poſt Pœnitentiam de capitalibus peccatis actam danda eſſet Reis venia . Affirmabant Catholici , negabant Hæretici . Sic enim ſtatim in Zepherini edictum inſurgit , *ò Edictum, cui adſcribi non poterit bonum factum. Et ubi proponetur liberalitas iſta ? Ibidem opinor in ipſis libidinum januis , ſub ipſis libidinum titulis* .

VIII. Nec minùs expreſsè S. Cyprianus : Acris enim controverſia illo tempore orta eſt Epiſcopos inter, & Lapſos; Lapſis reconciliationem , & pacem ſibi ſtatim redhiberi importunè efflagitantibus , Cypriano cum Clero Romano , & Epiſcopis immaturum hoc , & præceps deſiderium damnantibus . Si pax ante Pœnitentiam data fuiſſet , nulla tantorum tumultuum cauſa eſſe potuiſſet . Sed ipſum audiamus . *Epiſt.* 11. in quoſdam Confeſſores invehitur, qui libellos communicationis lapſis generaliter concedebant , docetque, qua ratione dari deberent , *Audio quibuſdam ſic libellos fieri, ut dicatur ; Communicet ille cum ſuis , quod nuſquam omnino à Martyribus factum eſt, ut incerta, & cæca petitio invidiam nobis poſtmodum cumulet . Latè enim patet, quando dicitur , ille cum ſuis , & poſſunt nobis viceni , & triceni , & ampliùs offerri , qui propinqui, & affines, & liberti , ac Domeſtici eſſe aſſeverentur ejus, qui accipit libellum* . Non igitur ſtatim poſt Confeſſionem reconciliabantur. Omnes enim illi peccatum fatebantur , & publicè deflebant : Sed communionem ad Pœnitentiæ finem ſuſpendi ægerrimè ferebant ; ideò ut accelerearetur, Martyrum libellos ambibant. Ut quid hoc ſi ſtatim poſt Confeſſionem reconciliati ſunt ? Quamobrem toties Lapſi illi communicationem , pacem , reconciliationem, ſibi concedi deprecantur , urgent , tumultuantur ? Sed omnem ſcrupulum avellunt verba ſequentia , quæ docent, quando libellorum iſtorum preces executioni mandandæ ſunt , id eſt, quando Abſolutio, pro qua impetranda Martyres intercedebant, ſit concedenda? *Ideò peto, ut eos, quos ipſi videtis , quos noſtis , quorum pęnitentiam ſatisfactioni proximam conſpicitis , deſignetis nominatim libello , &c.* Quid inſuper clarius fingi poteſt tota Epiſtola præcedente , *Cùm in minoribus peccatis agant peccatores pęnitentiam juſto tempore , & ſecundùm diſciplinæ ordinem ad Exomologeſim veniant , & per manus impoſitionem Epiſcopi , & Cleri jus communicationis accipiant , nunc crudo tempore , &c. ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum , & nondum pęnitentia acta , nondum exomologeſi facta , nondum manu eis ab Epiſcopo, & Clero impoſita Eucbariſtia illis datur , &c.* In fine Epiſtolæ Presbyteros, qui aliter abſolverint, gravi cenſura percellit. Eadem repetuntur *Epiſtolis* 11. *&* 12. quas Lector integras legere debet . Eadem cauſa tractatur *Epiſt.* 52. ubi ſcribit, ſe cum Concilio ſtatuiſſe Lapſis dandam eſſe pacem, & Abſolutionem , ſed diu trahendam anteà Pœnitentiam , & huic ſtatuto conſenſiſſe Cornelium Pontificem cum multorum Epiſcoporum Concilio .

IX. Epiſtola autem 54. ad Cornelium Pontificem , *Concilio*

Digitized by Google

lio frequentee acto, non conſenſione tantùm noſtra, ſed & comminatione decrevimus, ut Pęnitentiam fratres agerent, ut Pęnitentiam non agentibus nemo temerè pacem daret. Deinde animoſè in quoſdam Presbyteros invehitur contra decretum hoc facientes, *Datur opera, ne ſatisfactionibus, & lamentationibus juſtis delicta redimantur, ne vulnera lacrymis abluantur. Pax vera falſæ pacis mendacio tollitur, &c. Sublata Pęnitentia, nec ulla exomologeſi criminis facta, deſpectis Epiſcopis, atque calcatis, pax à Presbyteris verbis fallacibus prædicatur, &c. Quid ſupereſt, quàm ut Novatiano declamandi adverſùm nos atque increpandi largior, & plenior materia præſtetur, ſi ii, qui ſacrificaverunt, & Chriſtum publicè negaverunt, non tantùm rogari, & ſine actu Pęnitentia admitti, ſed adhuc inſuper cœperint terroris ſui poteſtate dominari?* Tota Epiſtola nihil aliud eſt quàm invectiva adverſus quoſdam Sacerdotes Abſolutionem non acta Pęnitentia concedentes.

X. Tractatus de Lapſis bona pars in ea cauſa verſatur. Pauca delibabimus. Sed antequam ea legas, velim animo reponas, quę de effectu Abſolutionis Sacramentalis initio capitis dicta ſunt, ut judices, an quæcunque ex Cypriano referuntur, iis conveniant, qui jure eam receperunt. *Temeritate quorundam laxatur incautis communicatio; irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt ſanitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione medicinam. Pœnitentia de pectoribus excuſſa eſt, graviſſimi, extremique delicti memoria ſublata eſt. Operiuntur morientium vulnera; & plaga lethalis altis, & profundis viſceribus infixa, diſſimulato dolore contegitur. A Diaboli aris revertentes ad ſanctum Domini ſordidis, & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc ſcelus ſuum faucibus, & contagia funeſta redolentibus, Domini corpus invadunt, &c. Ante expiata delicta, ante exomologeſim factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio, & manu Sacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini, & minantis, pacem putant eſſe, quam quidam verbis fallacibus venditant. Non eſt pax illa, ſed bellum, &c. Quid eis qui flere jugiter, & rogare Dominum ſuum debent, intercepta Pęnitentiæ lamentatione communicare ſe ſimulant? Hæc ſunt ejuſmodi Lapſis, quod grando frugibus; quod turbidum ſidus arboribus; quod armentis peſtilens vaſtitas; quod navigiis ſæva tempeſtas.* Multa ſequuntur in eandem rem allegatis non minus evidentia, ad quæ brevitatis cauſa lectorem remitto.

XI. Denique quid clarius deſiderari poteſt ea querela quàm Fidus Epiſcopus ad Cyprianum, & ad Epiſcopos in Concilio congregatos defert, & Cypriani, Conciliique reſponſione quæ habetur Epiſtola 59. *Legimus literas tuas, frater chariſſime, quibus ſignificaſti de Victore quodam Presbytero, quod ei, antequam Pœnitentiam plenam egiſſet, & Domino Deo, in quem deliquerat, ſatisfeciſſet, temerè Therapius Collega noſter immaturo tempore, & præpropera feſtinatione pacem dederit.* En Fidi Epiſcopi querela. Quid ad hæc Cyprianus, & alii Epiſcopi? *Quæ res nos ſatis movit, receſſum eſſe à decreti noſtri auctoritate, ut ante legitimum, & plenum tempus ſatisfactionis, & ſine petitu, & conſcientia plebis, nulla infirmitate urgente, ac neceſſitate cogente, pax ei concederetur, &c.* Evidentia alia teſtimonia ejuſdem auctoris lege ſupra *lib. 1. c. 16.*

XII. Nemo, opinor, dubitat, in ea fuiſſe ſententia Patres Eliberitanos, apud quos triplex hic pœnæ gradus paſſim uſurpatur: Acta legitima Pœnitentia poſt tot annos ad communionem admitti: Acta legitima Pœnitentia in fine vitæ ad communionem admitti: Ne in fine quidem vitæ ad communionem admitti. Quis dubitare poteſt in graviſſimis criminibus primo gradu uſos eſſe, qui tertium ſæpe nimiùm uſurparunt? Obiici poſſet communionem non ſignificare Abſolutionem à peccatis, ſed Corporis Chriſti communicationem. Sed *libri quarti capite* 22. oſtenſum eſt illis temporibus nondum in Occidente Corporis Chriſti communionem in Europa ſeparatam fuiſſe à remiſſione peccatorum, ſed cuivis abſoluto à peccatis jus fuiſſe Euchariſticæ communionis: Et conſequenter, ſi Euchariſtiam ſignificat communio, ſignificat quoque Abſolutionem à peccatis: Si verò Abſolutionem à peccatis, ſignificabit quoque Euchariſtiam. Prætereà certum eſt Patres illos ſeveriſſimos fuiſſe: At ſi communio Euchariſtiam tantùm ſignificat, hodierna Eccleſia eos ſæpe ſeveritate æquaret, quæ communionem corporis Chriſti criminum Reis ne in fine quidem concedit. Sed ſeveriſſimos fuiſſe concedit ipſe Innocentius I. Epiſt. 3. *cap.* 2. ſcribit enim obſervationem illorum temporum duriorem fuiſſe, poſteriorem verò inclinatiorem. Durities autem illa in eo conſiſtebat quòd anteà certis criminibus, *Concederetur pęnitentia, ſed communio negaretur*. Si Innocentii tempore diſciplina illa durior viſa eſt, communio ſolam Euchariſtiam ſignificare non poteſt. Tertiò quoties communionis dandæ in iis canonibus eſt mentio, toties præcedunt hæc verba, *Acta legitima pœnitentia*. Ideò ſi communio Corpus Chriſti ſignificat Abſolutione excluſa, nuſquam erit in Concilio Abſolutionis à peccato memoria, licèt atrociſſima quæque peccata in eo puniantur. Denique eadem ratio Abſolutionis à peccatis in baptizatis poſt actam Pœnitentiam, & Baptiſmi in Catechumenis poſt Catechumenatum. Ideo Patres ſæpiſſimè reconciliationem, veniam, communionem, Abſolutionem, & ejuſmodi ſynonyma baptiſmo æquiparant, ad utrumque ſuſcipiendum eandem animi diſpoſitionem exigunt, & utrique eundem effectum tribuunt. Illis quoque ſeculis ut ſtatim poſt Baptiſmum communione Euchariſtica donabatur Baptizatus; ſic poſt Abſolutionem Pœnitens: Dicebaturque paſſim ab antiquis Pœnitentia baptiſmus lachrymarum, & baptiſmus laborioſus, ut videre eſt ſupra *lib. 3. cap. 4.* Hinc eſt, quòd manus impoſitio Pœnitenti poſt actam Pœnitiam facta à Clemente baptiſmo æquiparetur. In canonibus autem Eliberitanis ſæpè idem crimen retardat in Catechumenis Baptiſmum, in Baptizatis verò communionem, ut *can. 37. Eos qui ab immundis ſpiritibus vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptizari placet. Si fideles fuerint, dandam eſſe communionem.* Canone 37. *Delator ſi quis extiterit fidelis, & per delationem ejus aliquis fuerit proſcriptus, vel interfectus, placuit eum nec in fine accipere communionem. Si levior cauſa fuerit, intra quinquennium accipere poterit communionem. Si Catechumenus fuerit, poſt quinquennii tempora admittatur ad baptiſmũ.* Eadem comparatio inſtituitur *cap. 10. cap. 45. & 46. ſic cap. 63. & 68. cap. 3. & 4. cap. 11. cap. 42.* Eſt igitur evidentiſſimum idem in Baptizatos operari communionem in iſto Concilio, quòd in Catechumenos baptiſmus. Sed baptiſmus remiſſionem peccatorum operatur, ergo & communio: Non igitur aliud in iſto Concilio ſignificat Communio, quàm Abſolutionem à peccatis. Sic etiam Tertullianus in libro de Pœnitentia baptiſmum in Catechumenis perpetuò comparat cum Abſolutione à peccatis in Baptizatis, docetque Catechumenos acta Pœnitentia baptizari, ut Baptizati acta Pœnitentia abſolvuntur: Et Cyprianus *Epiſt.* 13. Pœnitentes in fine vitæ abſolvi jubet, & Catechumenos baptizari. Ita S. Auguſt. *lib. 1. de Adulterinis ad Pollentium cap. ultimo*, dicit eandem eſſe rationem dandi baptiſmi Catechumenis, & reconciliationis Pœnitentibus; idem repetit in Commonitorio ad univerſam Eccleſiam pro recipiendis Manichæis infra citando. Hinc Sanctus Ambroſius, Tertullianus, Clemens Alex. & alii, ut vulgatum apud Chriſtianos referunt, unam eſſe Pœnitentiam, ſicut unus eſt baptiſmus. Ideò in antiquiſſima illa Pœnitentium præſentatione, quæ fit Pontifici ab Archidiacono poſt actam Pœnitentiam in Cœna Domini, quæ incipit, *Adeſt ò venerabilis Pontifex, &c.* Non ſemel comparantur in eodem remiſſionis peccatorum effectu Baptiſmus, & reconciliatio.

XIII. His accedit ſeveritas diſciplinæ, quæ reconciliationem omnem in fine iis denegabat, qui poſt gravia crimina morientes tantùm Pœnitentiam implorabant; quam ſeveritatem Eccleſiæ multæ in certis criminibus ad eos extenderunt, qui ſani eam petierant. De hac diſciplina nobis eſt infra multis diſſerendum. S. Cyprianus teſtatur *Epiſt.* 52. quoſdam Epiſcopos in Provincia, *Dandam pacem Mœchis non putaſſe, & in totum Pęnitentię locum contra adulteria clauſiſſe*. Tota Epiſtola agit de pace danda vel non danda Pœnitentibus. An per pacem, quam illi Epiſcopi negabant Pœnitentibus, Catholici verò magna animi contentione dandam affirmabant, levioris Excommunicationis ſolutio intelligitur, & exterior ſocietati fidelium aggregatio quæ multis annis poſt datam veniam fieri ſolebat? Si nonnullis criminibus nuſquam, ne in fine quidem, concedebatur Abſolutio à peccatis, quid inſolens eſt Abſolutionem acta legitimè Pœnitentia concedi?

XIV. Petrus Alexandrinus *can.* 11. verba faciens de nonnullis, qui præclara quidem initio certamina certaverant, ſed tandem tormentorum ſævitiæ ſuccubuerant, jubet eos poſt pęnitentiam actam abſolvi, *Memores itaque multorum laborum, & miſeriarum quas pro Chriſti nomine ſuſtinuerunt, cùm ipſi etiam Pęnitentiam egerint, & quod à ſe factum eſt per proditionem in corporis afflictione, & mortificatione defleverint, & ſe prætereà teſtatur, in vita ſua fuiſſe à civitate alienos, ſimul oremus, & poſtulemus pro eorum reconciliatione cum aliis, quæ decet per eum, qui eſt nobis Advocatus apud Patrem, ſe noſtris peccatis propitium exhibentem.* Cùm enim ait, oremus, & poſtulemus pro eorum reconciliatione, idem eſt ac ſi diceret, abſolvamus, & reconciliemus eos, ut ea iis, quæ libro præcedente demonſtrata ſunt, manifeſtum eſt.

XV. S. Pacianus in fine Epiſtolæ primæ ad Sympronianum Novatianum ita perſpicuè, & appoſitè quæſtionem definit, ut de ea etiam nunc ſi viveret interrogatus, vix expreſſius reſpondere poſſet. *Scio, frater, hanc ipſam Pœnitentiæ veniam non paſſim omnibus dari; nec antequam aut interpretatio divinæ voluntatis, aut forſitan viſitatio fuerit, relaxari; magno pondere, magnoque libramine poſt multos gemitus, effuſionemque lachrymarum, poſt totius Eccleſiæ preces, ita veniam veræ Pœnitentiæ non negari, ut judicaturo Chriſto nemo præjudicet.* Obiiciebant Novatiani Catholicis, eos non modò magnis illis criminibus Abſolutionem dare; ſed etiam temerè, & inconſideratè id facere. Reſpondet Pacianus, Catholicos id facere magno pondere, magnoque libramine poſt multos gemitus, &c. Quid ſi hoc præſtitiſſent Catholici ante omnem Pœnitentiæ actionem, unaque fuiſſet, & continua actio, peccati confeſſio, & illius relaxatio?

XVI. Idem Pacianus Epiſt. 3. ad eundem poſt medium, reſpondet multis Novatianorum ex ſcriptura argumentis, quæ prohibent ſocietatem fidelium cum peccatoribus; hæc teſtimonia de peccatoribus intelligenda, qui in peccato perſeverant, non de iis, quos peccatorum ſuorum pœnitet. *Proponis adhuc dixiſſe Apoſtolum Paulum, Auferte malum ex vobis ipſis, malum utique perſeverans.* Subjungit Pacianus quod nos urgemus. *Nec tamen mecum eſt ille quem Pœnitet; nec parte Sanctorum, nec pace conjungitur.* Si abſolutus eſt Pœnitens, & reconciliatus ante Pœnitentiam agi cœptam, qua fronte dicere audet Pacianus Doctori Novatiano, Pœnitentem nec parte Sanctorum, nec pace ſecum conjungi, cùm per Abſolutionem Sacramentalem ante Pœnitentiæ actionem ſanctificatus fuerit, & Deo arctiſſimè conjunctus. Conjungebatur equidem in rebus civilibus; quia Peccator quilibet ad Pœnitentiam admiſſus eo ipſo erat ea Excommunicatione, ſi eam incurrerat, quæ nunc dici ſolet major, ſolutus; ſed religioſa communicatione erat interdictus. Hoc ipſum damnabant aliqui Novatiani, aut ſaltem aliquando iis argumentis adverſus Catholicos utebantur, quæ utrumque videbantur confundere. Ita enim ſtatim poſt verba citata Novatianum inducit argumentantem, *Sed dicit Apoſtolus, Si quis frater nominatur, & ſit aut fornicator, aut ſimulacbris ſerviens, aut avarus, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cùm ejuſmodi nec cibum ſumere:* Argumentum Pacianus ſtatim retorquet, *Vides non ſine cauſa eſſe poſitum, & ſit, id eſt, qui necdum pœnitet, qui necdum improbus eſſe deſierit.* Abſolutiſſima illa rerum civilium, & religioſarum *ἀκοινωνία* de iis intelligenda eſt, quos criminum commiſſorum nondum pœnitet: alioquin & ipſi Novatiani in minoribus criminibus poſt Pœnitentiam concedebant pacem, ut in eos hoc retorquet Pacianus, *Et certè de avaris, & ebrioſis, & maledicis ſimul dictum eſt. Reſponde frater, an nullus ejuſmodi veſtra pace teneatur.*

XVII. S Ambroſius *lib. 2. de Pœnit. cap. 3.* in Novatianos diſputans, qui gravibus criminibus veniam negabant poſt Pœnitentiam, *Nonne advertiſtis id evidenter jam nobis expoſitum quod merendi gratia Sacramenti ad precandum impellimur; Et hoc auferre vultis propter quod agitur Pœnitentia? Tolle gubernatori perveniendi ſpem, & in mediis fluctibus incertus errabit. Tolle luctatori coronam, lentus jacebit in ſtadio. Tolle piſcatori capiendi efficaciam, deſinet jactare retia. Quomodo ergo poteſt qui famem patitur animæ ſuæ, ſtudioſus Deum precari, ſi ſacram deſperet alimoniam.* Et poſt aliqua, *Sicut ergo ſemel pro omnibus immolatus eſt; ita quotieſcunque peccata donantur, corporis ejus Sacramentum ſumimus, ut per ſanguinem ejus fiat peccatorum remiſſio. Ergo evidentiſſimè Domini prædicatione mandatum eſt, etiam graviſſimi criminis Reis, ſi ex toto corde, & manifeſta Confeſſione peccati Pœnitentiam gerant, Sacramenti cœleſtis refundendam gratiam.* Hæc optimè conveniunt peccatorum remiſſioni, quam ſemper ad fidelium ſocietatem admiſſio conſequébatur, atque ex antiquiſſima conſuetudine, perpetuaque Eccleſiæ Mediolanenſis, & aliarum praxi Corporis, & Sanguinis Chriſti communio. Qua ratione autem ſoli exteriori ad fidelium ſocietatem admiſſioni non video.

XVIII. Nihil præterea clarius iis, quæ ſcribit *lib. 1. cap. 16. Fruſtra dicitis vos prædicare Pœnitentiam, qui tollitis fructum Pœnitentiæ. Homines enim ad aliquod ſtudium aut præmiis, aut fructibus incitantur. Omne autem ſtudium torpeſcit dilatione.* (Hoc Ambroſius, eo quòd Novatiani veniam criminis acta Pœnitentia in alteram vitam different, nihil verò ſpei in hoc ſeculo relinquerent, ut ex ſequentibus lucet) *Et ideò Dominus ut præſentium fructu cumularetur devotio diſcipulorum, dixit, quoniam qui dimiſiſſet omnia ſua, & Deum ſecutus eſſet, ſepties tantùm reciperet & hîc, & in futurum. Prius hîc promiſit, ut faſtidia dilationis auferret; addidit & in futurum, ut hîc diſceret credere, in futurum quoque ſolvenda tibi præmia, &c. Si quis igitur occulta crimina habens, propter Chriſtum tamen ſtudioſè Pœnitentiam egerit, quomodo iſthic recipit, ſi ei communio non refunditur? Volo veniam Reus ſperet, petat eam lachrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut ignoſcatur obſecret, & cum ſecundò, & tertiò fuerit dilata ejus communio, credat remiſſius ſe ſupplicaſſe, augeat fletus, &c.*

XIX. Et iterum *lib. 2. cap. 9. Nonnulli ideò poſcunt Pœnitentiam, ut ſtatim ſibi reddi communionem velint. Hi non tam ſe ſolvere cupiunt, quàm Sacerdotem ligare. Suam enim conſcientiam non exuunt, Sacerdotis induunt.* Ad quid hæc omnia, ſi ſtatim ante omnem Pœnitentiæ actionem ſolvebantur. Nec hic locum habet Abſolutionis à communione Euchariſtica diſtinctio, cùm diſertè, & κατὰ λέξιν illis locis de venia, & ſolutione peccatorum agat Ambroſius: cùm diſputet adverſus Novatianos, quibus erat cum Catholicis de Abſolutione, & venia peccatorum controverſia: Cùm Abſolutionem vocet fructum, & mercedem, & præmium Pœnitentiæ geſtæ, & eam comparet iis rebus, quæ actionem, & laborem tantum conſequantur: Cùm denique illa diſtinctio juxta praxim Eccleſiæ Mediolanenſis ad rem nihil prorſus conducat. Diſertiſſimè enim teſtatur, communionem Euchariſticam locis citatis à venia peccatorum non eſſe ſeparatam. Ideò ſi Euchariſtia actæ Pœnitentiæ merces eſt, eodem jure, & venia peccatorum.

XX. Denique ut tandem deſinamus ſoli lumen commodare, Quid fulgentius proponi poteſt, quàm caput ſeptimum ejuſdem libri 2. ubi enarrat hiſtoriam Reſurrectionis Lazari, & claſſes Pœnitentium commemorat? *Ubi poſuiſtis eum? hoc eſt, in quo Reorum ſtatu eſt, in quo Pœnitentium ordine? Videam, quem fletis, ut lachrymis ſuis ipſe me moveat. Videam, ſi jam peccato ei cujus venia poſcitur, defunctus eſt. Dicet plebs, Veni & vide. Quid eſt veni? Hoc eſt, veniat peccatorum remiſſio, veniat defunctorum vita, mortuorum reſurrectio, &c.* Non igitur ante omnem Pœnitentiæ actionem datur peccatis venia, ſed poſt decurſas Pœnitentiæ ſtationes. In ſtationibus iſtis paulatim anima peccatrix vivificatur, & veniæ ſuſcipiendæ diſponitur, tandemque vivificata, & veniæ matura reatu ſolvitur. Adi Lector, quæ in eodem capite ſequuntur, ut veritatem iſtam penitius introſpicias.

XXI. S. Auguſtinus in commonitorio ad univerſam Eccleſiam cum qua cautela Manichæi converſi recipiendi ſint, quod habetur *tom. 10. Nec facilè admittantur ad baptiſmum, ſi Catechumeni ſint; nec ad reconciliationem, ſi Pœnitentiæ locum acceperint, niſi periculo mortis urgente: vel ſi quos aliquanto tempore probatos eſſe cognoverit Epiſcopus, per eorum teſtimonium quibus fuerint commendati.* Sequitur omninò Pœnitentiæ actionem reconciliatio; nec Pœnitentiam tantùm, ſed Pœnitentiæ bene an malè actæ examen, & probationem. Deinde comparat reconciliationem, de qua verba facit, cum baptiſmo; vultque, ut Catechumenatu peracto baptizatur Catechumenus, & fit Chriſtianus; ſic Pœnitentia peracta reconcilietur Pœnitens, & fiat fidelis, Denique in fine Commonitorii, ubi de electis eorum converſis agit, monet poſt anathematizatam hæreſim non eſſe ſtatim illis dandas literas, *Sed eum Dei ſervis*, inquit, *eſſe debebunt, ſive Clericis, ſive in Monaſterio, vel Xenodochio, donec appareat penitus ipſa ſuperſtitione caruiſſe, & tunc vel baptizentur, vel reconcilientur, ſi Pœnitentiæ locum acceperint.* Homilia quoque 41. in libro 50. Homiliarum multa refert, quæ alio modo non poſſunt intelligi: *Qui violavit Sacramentum baptiſmi malè, & perditè vivendo, & ideo remotus eſt ab altari, ne judicium ſibi manducet, & bibat, mutet vitam, corrigat ſe, & reconcilietur cum vivit, cùm ſanus eſt.* Et poſt aliqua, *Qui egerit veraciter Pœnitentiam, & ſolutus fuerit à ligamento quo erat obſtrictus, & à Chriſti corpore ſeparatus, & bene poſt Pœnitentiam vixerit, ſicut ante Pœnitentiam vivere debuit, poſt reconciliationem quandocunque defunctus, ad Deum vadit, &c.* Loquitur ſemper velut ex more pœnitentiam peractam ſequeretur reconciliatio. Ideò paulò poſt de moribundis diſſerens addit, accepta Pœnitentia mox reconciliantur. Erat enim ægrotorum non ſanorum accepta Pœnitentia mox reconciliari. Eadem legi poſſunt apud S. Cæſarium *Homilia 44.*

XXII. S. Syricius Pontifex *Epiſt. 1. cap. 3.* De Chriſtianis idololatria pollutis, & poſteà pœnitentibus ſic reſpondet, *Si reſipiſcentes fortè aliquando fuerint ad lamenta converſi, his, quamdiù vivunt, agenda Pœnitentia eſt, & in ultimo fine ſuo reconciliationis gratia tribuenda; quia docente Domino nolumus mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat.* Quis in dubium revocare poteſt Abſolutionem à peccatis à Pontifice intelligi, cùm reconciliationem abſolutè nominet, quæ ſemper in cauſa

Pœni-

Pœnitentiæ cum Abſolutione permutatur, ut Carthag. 4. *c. 76.* de infirmo obmuteſcente, *Dent teſtimonium, qui eum audierunt, accipiat Pœnitentiam, & ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & ori ejus infundatur Euchariſtia.* Sic & Sanctus Leo infra citandus. Victor quoque Uticenſis *lib.* 2. de perſecutione Vandalica, ubi inducit Catholicos Sacerdotum ſuorum exilia plangentes, *Qui nobis Pœnitentiæ munus collaturi ſunt, & reconciliationis indulgentia obſtrictos peccatorum vinculis ſoluturi?* Sic & paſſim auctores Eccleſiaſtici. Deinde verba ſequentia demonſtrant de ea reconciliatione Pontificem agere, quæ ſaluti æternæ prorſus neceſſaria eſt.

XXIII. Innocentius I. Pontifex Epiſt. 1. *c.* 7. hæc habet celebria verba ab omnibus Pœnitentialibus, & canonum Collectoribus citata. *De Pœnitentibus, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus Pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. Cæterùm de pondere æſtimando delictorum, Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad Confeſſionem Pœnitentis, & ad fletus, atque lachrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cùm viderit congruam ſatisfactionem.* Neſcio quid expreſſius dici, aut cogitari poſſet. Sequitur in eodem decreto quod antecedentia confirmat: *Sanè ſi quis in ægritudinem inciderit, atque uſque ad deſperationem devenerit; ei eſt ante tempus Paſcha relaxandum.* Non relaxabantur igitur ante actionem Pœnitentiæ peccata: Relaxabantur autem eo caſu, ait Innocentius, *Ne de ſæculo abſque communione diſcedat.* Nam relaxatio, ſive Abſolutio à peccatis communionem Euchariſticam præcedebat. Quibus tribus autem hoc fieri ſoleret, docent nos antiqui ordines, & rituales, quorum nonnullos edimus nongentorum annorum, in quibus videre eſt Abſolutionem à peccatis ſolemniter Pœnitentibus dari, eoque completo ritu Euchariſtiam: Docent & pleræque Sancti Eligii Homiliæ in ea die factæ, è quibus teſtimonia ſtatim referimus. Idem brevius ab eodem dicitur Epiſt. 2. *c.* 8. *His ſi reſipiſcentes, & ruinam ſuam cogitantes, redire voluerint, ſub longa Pœnitentiæ ſatisfactione admittendi ſunt.*

XXIV. S. Leo Epiſt. 91. ad Theodorum, *Mediator Dei, & hominum Jeſus Chriſtus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & Confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Videtur Leo paucis verbis quaſi de induſtria objectioni occurriſſe.

XXV. Eodem tempore Gennadius planè ut iſti Pontifices *cap.* 53. de dogmatibus Eccleſiaſticis, *Quem mortalia crimina poſt baptiſmum commiſſa premant, hortor prius publica Pœnitentia ſatisfacere, & ita Sacerdotis judicio reconciliatum communioni ſociari, ſi vult non ad judicium, & condemnationem ſui Euchariſtiam percipere.* Tria vides ubique diſtinctiſſima, & reconciliationem ſatisfactione peracta dari, & utraque ſuſcepta Euchariſtiam.

XXVI. Sanctus Eligius Homil. 4. in Cœna Domini, *Qui ergo ex vobis talibus, & his ſimilibus involuti ſceleribus fuerint, & per Confeſſionem, ac Pœnitentiam nequaquam condignam ſatisfactionem egerint, ſed adhuc in hac vetuſtate perdurant, non ſe à nobis reconciliari poſſe exiſtiment, niſi prius veterem hominem cum actibus ſuis nunc enumeratis expolient, &c. Si igitur condignam Deo Pœnitentiam obtuliſtis de præteritis, & ſic hæc eadem ulterius admittere non vultis; ſed cum Dei gratia, & adjutorio in omni bonitate, & juſtitia, & veritate perſeverare deſideratis: Tunc ſcire poteſtis, quia noxia vetuſtate exuti, nova creatura facti eſtis, & verè Deo reconciliamini per Chriſtum, & per nos, quibus dedit miniſterium reconciliationis.* Poſteà probat Epiſcopos hac auctoritate fungi ex verbis Sancti Leonis quæ jam citata ſunt. Similia habet Homil. 7. & evidentiſſima, quæ *lib.* 1. *c.* 17. relata ſunt. Ex Homilia 8. in eadem Cœna Domini, *Nunc ad vos ſermo noſter dirigitur, quos mater Eccleſia quaſi non ſuos recognoſcens ob fœditatem ſcelerum veſtrorum dudum à ſe repulit; modo verò quia Dominum per dignos Pœnitentiæ fructus placaſtis, mundantes vos (quantum humana fragilitas permittit) ab omni inquinamento carnis, & Spiritus, per crebra jejunia, & afflictiones corporum, quaſi jam ſuos ad ſe revocat. Immenſa namque Dei pietas ſinum miſericordiæ ſuæ omnibus aperit, &c.* Poſt multa in eandem ſententiam, *Et licèt fratres chariſſimi, per divinam gratiam nobis collatam, & per impoſitionem manuum Epiſcopalium credatis vos poſſe abſolvi à peccatorum veſtrorum vinculis, quia ſtatim reſtituemini ſacris altaribus, nullus tamen debet vitam ſuam negligere, &c.* Similia Homil. 11. 14. & 15. Ex quibus fit manifeſtiſſima Eccleſiæ praxis, cujus veſtigia etiam nunc in Eccleſiis Cathedralibus eodem Cœnæ Dominicæ die quotannis ſolemniter celebrantur.

XXVII. Nullibi hoc evidentius conſpicitur quàm in integro ritu reconciliationis Pœnitentium in Cœna Domini, quem nobis repræſentant antiquiſſimi manuſcripti. In eo ritu ſpecialiter, & minutè enarrantur ea, ad quæ breviter alludit S. Eligius, aliique Patres, & canones cum de Pœnitentium reconciliatione in Cœna Domini verba faciunt. Omnia omnino, & propè ſingula verba nihil aliud ſonant, prædicant, inculcant, quàm tunc Pœnitentibus ab Epiſcopo remiſſionem peccatorum dari, veniam, & indulgentiam criminum concedi; reſtitui, & redintegrari quod Diabolus corrupit; ideò hunc diem eſſe lætitiæ, tum largiorem, & copioſiorem eſſe Dei indulgentiam, & gratiam; Pœnitentem ſtratum ſuum lachrymis rigaſſe, cor ſuum luctu, & corporis jejuniis afflixiſſe, ut illo die animæ ſuæ reciperet, quam perdidit, ſanitatem. Singula ritus verba eodem tendunt, quæ ſi quis attentè conſideraverit, mirabitur, rem eandem tam variis, & elegantibus verbis exprimi potuiſſe. De Excommunicationis autem alicujus ſolutione, aut exteriori aliqua admiſſione ad ſocietatem fidelium ne umbra quidem, niſi quantum argumentando colligi poteſt ex venia, & remiſſione, quæ ibi ſolemniter conceditur. Hanc enim exteriorem admiſſionem ſecundariò tantùm intendebant, quatenus Abſolutionem Sacramentalem ex conſuetudine neceſſariò conſequebatur. Pœnitentiales illos libros oportebat Presbyteros ſemper habere ſecum, ut ſolemnitate dempta Pœnitentiam darent, & reconciliarent juxta formulam in iis præſcriptam, ut videre potes *lib. 7. cap.* 13. Nullum ex iis teſtimonium, quanquam evidentiſſima promi poſſint, afferemus, eo quod infra *cap.* 30. ritum iſtum ex manuſcripto pluſquam nongentorum annorum exſcribimus. Alii quoque antiqui rituales legi poſſunt ad calcem hujus operis, & in ordine Romano edito, qui omnes eaſdem remittendorum peccatorum, & Abſolutionis Sacramentalis dandæ formulas miro conſenſu nobis exhibent. Illum igitur perlegat Lector, & tot illi occurrent argumenta quot verba.

XXVIII. Verùm, ut jam adnotatum eſt *lib.* 5. illa publica publicorum Pœnitentium reconciliatio à tribus præſertim ſeculis tantùm ceremonialis eſt, vicemque tenet orationum pro Pœnitentibus generaliter ab Eccleſia factarum. Quotannis enim feria 5. in Cœna Domini ab Epiſcopo aut ipſius hac in cauſa delegatis ritus ille celebratur, ſed nulli ſunt Pœnitentes, qui abſolvendi compareant; unde neceſſe eſt ceremoniam quibuſdam partibus mutilari. Multa poſſent ejuſmodi antiquarum conſuetudinum non decreto aliquo ſed quadam deſuetudine abrogatarum exempla proferri, quas tamen Eccleſia in officiis publicis commemorat, non ſecus quam ſi illarum ſolemnitas perſeveraret. Veluti Miſſa in Sabbato Paſchatis, quæ tota compoſita eſt, ut poſt celebratam à populo Vigiliam, peractoque interim ultimo baptizandorum ſcrutinio, benedictiſque cereo, & fontibus, & baptizatis Catechumenis, accedente media nocte cantetur; immutata non eſt, licèt nunc ante meridiem ſemper celebretur. Eadem dicenda ſunt de pleriſque partibus officii ejuſdem diei. Olim oblationum à populo factarum inter Miſſarum ſolemnia magna erat ſolemnitas: Ex oblationibus illis deſumebatur quod erat in Miſſa conſecrandum; dedecoroſum judicabant ad altare ſine oblatione accedere; Dum oblationes populus afferebat, Pſalmi decantabantur, quibus inde offertorii nomen factum eſt: Earum mentionem faciebant ſecretæ ſacrificii orationes, & Miſſæ canon ſæpe ad eas alludit. Funditus per deſuetudinem non aliquo Eccleſiæ decreto abrogata eſt illa ſolemnitas; umbræ tantùm illius aliquando viſuntur in quibuſdam Miſſis ſolemnibus. Nihil tamen in Miſſarum officio immutatum eſt; Idem offertorium permanſit, eadem oblationum commemoratio, nec hodiernum Miſſarum officium ab antiquo differt, ut antiquiſſima Sacramentaria nos docent.

XXIX. Multa poſſent alia ejuſdem moris exempla proferri, ſed hoc uno lectori, ut opinor, ſatisfactum erit. Feria 6. majoris hebdomadæ publicè ſolebat Eccleſia pro Catechumenis orare; Deinde per totam octavam tam Paſchatis quàm Pentecoſtes Neophytos ſuos Deo commendare in illa oratione canonis quæ infra actionem dicitur. At ab aliquot ſeculis nulli ſunt illis ſolemnibus diebus Catechumeni: Non ideo tamen officium Miſſæ immutatum eſt, ſed eodem modo nunc, quo antiquitus, celebratur. Non ſunt tamen iſta ſupervacanea, ſed in optimum finem fiunt, licèt ab antiquo propter rem variatam neceſſariò varius ſit. Si quis negaret ullam in hac diſciplina mutationem factam, ſed antiquos Chriſtianos idem, & eodem modo iſta geſſiſſe quo nunc geruntur, contenderet, nullos fuiſſe Catechumenos in Paſchate potius quàm aliis diebus baptizatos, nullam oblationum à populo factarum

Digitized by Google

ſolemnitatem, Miſſam Sabbati ſancti primò inſtitutam ut mane cantaretur, non media nocte, atque ad hoc defendendum ad rationes tropologicas, & allegoricas confugeret, quales nunc reddi poſſunt ritus non mutati re mutata, num ridiculum ſeſe omnibus præberet?

XXX. Deridiculum exemplo ſimillimo illuſtrabo. Evidentiſſimum eſt, & omnibus certiſſimum, Catechumenos non modò adultos, ſed etiam infantes in ſolemnitates Paſchatis, & Pentecoſtes ad baptiſmum ſuſcipiendum ex æquo reſervatos fuiſſe. Præterea certum eſt, lege ordinaria, ſaltem ut plurimum, Catechumenatum adultorum biennio duraſſe, aliquando propter crimina in multos annos, atque etiam in vitæ finem, retardatum. Si quis nunc hæc negare vellet, atque Eccleſiam eodem modo, quo nunc, ſeſe antiquitus erga Infantes, & Adultos Catechumenos geſſiſſe aſſereret, ſcilicet, obſtetricem, ſtatim à partu Infantes ſæpe baptizaſſe, Adultos autem ab aliquo Presbytero ſtatim poſt nomen datum baptizatos; utroſque poſteà ſcrutiniis examinatos, & in feſta Paſchalia reſervatos, ut in ipſis ceremoniæ baptiſmi per ordinem complerentur, ille ſanè rationibus multo probabilioribus, quàm ii, qui putant antiquam Pœnitentium reconciliationem puram putam eſſe ceremoniam, ſententiam ſuam tueretur. Sic enim obiicere poteſt, cui fiet probabile baptiſmum adeò neceſſarium ad ſalutem in annum ſemper, ſæpe in plures annos, aliquando in finem vitæ eſſe dilatum? licèt in extremis omni hora dari poſſet, non ſemper tamen invenitur qui det, & qui dare ſciat; & ſi inventus fuerit, non ſemper adeſt, qua dari poſſit aqua. Si dicas conteri poteſt, & ſine actuali baptiſmo ſervari; eadem erit ratio Sacramenti Pœnitentiæ. Sicut ergo Abſolutio ſolemnis fuit tantum ceremonialis, ſic & baptiſmus. Verum quid de Infantibus reſpondebis, qui nullo voto actum baptiſmi ſupplere poſſunt? Multò magis eſt illi neceſſarius baptiſmus, quàm Pœnitentibus Abſolutio, ut cuicunque perſpicuum eſt; Si obiicias, antiquos rituales evidenter explicare ipſiſſimum baptiſmi Sacramentum, non autem nudam ceremoniam Catechumenis in Paſchate collatum, reſpondebo id quod veriſſimum eſt? Si in Ritualibus una periodus demonſtrat verum baptiſmi Sacramentum eo feſto collatum fuiſſe, eoſdem rituales id decies de vera peccatorum Abſolutione in Cœna Domini Pœnitentibus collata demonſtrare, & inculcare, immò reconciliationem Pęnitentibus tum collatam cum baptiſmo Catechumenis dato comparare, & ei æquiparare. Hoc diſtinguendi genere nullis antiquitatis expreſſis teſtimoniis fulto ſi abuti liceat ad pervertenda omnia hiſtorica monumenta, diſciplina Eccleſiaſtica quantum libuerit mutetur, nunquam tamen mutabitur. Nulla ſpecies antiquæ diſciplinæ dari poteſt, quæ cum ſimili interpretatione, eadem nunc & uniformis non perſeveret. Hæc obiter explicationis cauſa dicta ſunt.

XXX. Sozomenus hiſtoriæ *lib. 7. c. 16.* de more Eccleſiæ Romanæ circa Pœnitentes verba faciens, poſtquam deſcripſit humiles actiones ab iis in Eccleſia fieri ſolitas, fletus, gemituſque, & Epiſcopi ſuper eos preces effuſas, quæ ſupra retulimus, addit, *Privatim deinde ſponte ſua quiſque vel jejuniis, vel lotionum, ciborumve abſtinentia, vel aliis quibus juſſus eſt, ſemetipſum affligens, tempus expectat in quantum Epiſcopus præſtituit. Elapſo demum præfinito die, pœna jam quaſi debito quopiam exoluta, à peccatis abſolvitur, & populo in Eccleſia conjungitur. Hæc Romani Sacerdotes ab ipſo inde exordio etiam ad noſtrum uſque memoriam cuſtodiunt.* Iſtorum verborum perſpicuitati nihil videtur deſiderari poſſe.

XXXI. Felix III. Pontifex Epiſt. 7. in qua ſtatuit Pœnitentias rebaptizatis imponendas, initio Epiſtolæ, ubi diſtinguit perſonas, & pœnitentiarum modum juxta criminum gravitatem, *Cum peccatoris à nobis ſatisfactio protrahitur, non præter laudem noſtram, atque lætitiam, mens ejus ad veniam purgatior invenitur, &c.* Venia igitur in ſatisfactionis impoſitæ fine concedebatur. Finis autem, & ratio Pœnitentiarum omnium ab Eccleſia impoſitarum præcipua fuit ea, quam nos docet Felix, ut purgatiores ad peccatorum remiſſionem pervenirent Pœnitentes, cujuſmodi multa referuntur teſtimonia *lib. 1. c. 15. 16. & ſequentibus*, necnon *lib. 3. cap. 12.* quæ ſententiæ nobis propoſitæ tot ſunt argumenta. Verſus finem ejuſdem Epiſtolæ, *Cæteros, id eſt, ſeu Clericos, ſive Monachos, ſeu Laicos utriuſque ſexus perſonas, &c. Pęnitentiam per triennium durare decrevimus, & per manus impoſitionem ad ſocietatem recipi eos Sacramenti.* Et paulò ante aliorum pœnam ſic definierat, *Tribus annis inter Audientes ſint, & poſteà cum Catechumenis permittantur orare, per manus impoſitionem communionis Catholicæ gratiam percepturi, exceptis ſanè tantummodo Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconibus, quos ſolo mortis ſuæ tempore reconciliandos eſſe jam diximus.* Manifeſtum eſt, Pontificem agere de Abſolutione à peccatis obtinenda, quæ tandem poſt ſtadium Auditionis, & Subſtrationis decurſum rebaptizatis concedebatur, exceptis Epiſcopis, &c. quibus ad finem vitæ retardabatur. His Pontificis verbis innumeri canones explicantur, qui ſimilium pœnarum mentionem faciunt Pœnitentibus impoſitarum. Inde enim evidenter conſequitur, Poſt tempus Auditionis, & Subſtrationis completum orationum participem fieri, eſſe reconciliari; & participem fieri communionis Catholicæ per manus impoſitionem, hoc eſſe, à peccatis abſolvi. Si per reconciliationem intelligas nudam, & exuccam ad ſocietatem fidelium admiſſionem, quid hoc morientibus proderat, qui nunquam præſumebantur ad Eccleſiam redituri? Eratne tanti hoc ab Eccleſia munus, ut plurimos in annos differendum eſſet, nedum in totam vitam?

XXXII. Concilium Toletan. 3. c. 11. *Quoniam comperimus per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias, non ſecundùm canonem ſed fœdiſſimè pro ſuis peccatis homines agere pęnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties à Presbyteris ſe reconciliari expoſtulent: & ideo pro coercenda tam execrabili præſumptione, id à ſancto Concilio jubetur, ut ſecundùm formam canonum antiquorum detur Pęnitentia, hoc eſt, ut prius eum, quem ſui pœnitet facti, à communione ſuſpenſum faciat inter reliquos Pęnitentes ad manus impoſitionem crebro recurrere. Expleto autem ſatisfactionis tempore, ſicut Sacerdotalis contemplatio probaverit, eum communioni reſtituat.* Sanè illud *reconciliari*, in his verbis, *toties à Presbyteris ſe reconciliari expoſtulant*, Significat Abſolutionem à peccatis, quæ communionem Euchariſticam neceſſariò præcedit. Itaque id, quod Patres illi tam ſeverè reprehendunt, eſt Abſolutionem à peccatis non acta Pęnitentia peccatoribus concedere, hocque præſtare, ajunt eſſe antiquorum canonum prævaricationem. Unde manifeſtum eſt illos Patres ita canones antiquos eſſe interpretatos; immò canones, illos continua praxi ad illud uſque tempus in eo ſenſu eſſe executioni mandatos, & in Concilio iſto ſeverè actum eſſe in iſtius praxis prævaricatores. Concilium Tolet. 11. c. 12. idem interpretatur, *Qui Pęnitentiam in mortis agit periculo non diutinè à reconciliationis gratia differendus eſt, ſed, &c. ſtatim ei reconciliatio adhibenda eſt, ne prius ab humanis rebus æger abſcedat, quàm donum reconciliationis accipiat.* Aliud ſignificare non poteſt reconciliatio, quam à peccatis Abſolutionem: Sanis igitur differebatur. Sic & in fine canonis; *De his autem, qui accepta Pęnitentia antequam reconcilientur, ab hac vita deceſſerint, &c.*

XXXIII. Ejuſdem rei teſtis eſſe poteſt locuples, ejuſdem temporis auctor Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis in exhortatione ad Pœnitentiam, cùm ait, *Pœnitentia juxta qualitatem delictorum agenda eſt: Nam ſicut levia peccata occulta oratione delentur; ita gravia coram Eccleſia per pęnitentiam, & ſatisfactionem remittuntur.* Levia peccata oratione ſtatim delentur, ſed gravia poſt longam ſatisfactionem tandem remittuntur. Huc referri debent multa antiquorum teſtimonia, quæ aſſerunt gravium criminum veniam aliter quàm per Pœnitentiam publicam obtineri non poſſe, quæ *lib. 6.* præſertim *cap. 5.* legi poſſunt. Quot enim ſunt hujus rei teſtimonia, tot ſunt iſtius diſciplinæ argumenta.

XXXIV. Denique, ut veritatem in Antiquorum ſcriptis tam fulgentem probare, & illuſtrare tandem deſinamus. Num potuiſſet ulla eſſe apud antiquos iſtius quęſtionis agitandę occaſio, An pro Pœnitentibus ſine reconciliatione caſu aliquo morientibus eſſent orationes faciendæ, & ſacrificia offerenda? Variæ Eccleſiæ de hac quęſtione contraria ſenſerunt. S. Leo reſpondit Epiſtola 91. ejuſmodi homines non eſſe piis iſtis officiis proſequendos, & quod manentes in corpore non receperant, corpore exutos conſequi non poſſe. Alii, ut Concilii Vaſenſis Patres, contrarium obſervabant, nefas exiſtimantes religioſis iſtis officiis eos fruſtrare, qui pœnitentia accepta bene viventes improviſo caſu ſine communione decedebant. Concilii Toletani 11. Patres *cap. 12.* teſtantur hanc ſententiam ipſis magis placere. Hæc libro ſequente pluribus enarrabimus. Si Pœnitentibus, ut nunc moris eſt, ſtatim poſt Confeſſionem ante omnem Pœnitentiæ actionem Abſolutio data erat à peccatis, venire ne potuit in cujuſvis Chriſtiani mentem pro iis nec preces, nec ſacrificia eſſe offerenda, quos quantum homini judicare fas eſt, ſalvos eſſe, & vitæ æternæ participes, utpote remiſſionis peccatorum per Abſolutionem compotes, credebant, & credere tenebantur. Præterea Lectoris animo obverſentur quæſo innumeri canones, qui jubent talem Pœnitentem annis ſeptem, decem, quindecim, viginti, aut etiam totam vitam ab Eccleſia cum myſteria celebranda ſunt, expelli; Eundem, tribus, quatuor, ſeptem annis in fletu, vel Auditione ſubſiſtere, nec

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ limen auſum tranſilire. An probabile hominem ejuſmodi abſolutum eſſe ab Eccleſia, & Deo reconciliatum, maximéque neceſſariò viatico donatum? Quid? Deo per Eccleſiam, & Eccleſiæ multò magis, reconciliatus erit, nec tamen poterit cum fidelibus conſiſtere? Et fidelium cœtu expelletur fidelibus reconciliatus, & per reconciliationem fidelis ipſe factus? Gregorius Nyſſenus in Epiſtola ad Letojum homicidam voluntarium Pœnitentiæ 27. annorum condemnat, quam ſic diſtribuit. *Ter novem ſunt anni, novenario annorum numero in unoquoque gradu præfinito, ut in perfecta quidem ſegregatione novem annorum tempore verſetur ab Eccleſia prohibitus: alios autem tot annos in Auditione permaneat.* An Abſolutus à peccatis, & Deo reconciliatus cœlorum candidatus dici poteſt ille, cui Eccleſiam ingredi non licèt, qui *ἐν παντελεῖ ἀφορισμῷ* verſatur?

XXXV. Idem demonſtrant non minus evidenter ea Patrum teſtimonia, quæ ſalutis ſecuritatem, ideò iis non pollicentur, qui moribundi primum reſipiſcunt, & peccata confeſſi urgente morbo mox reconciliationem obtinent, quod eam propter morbum pœnitentiæ actionibus promereri non poſſint: iis verò confidenter pollicentur, qui ſani Pœnitentiam agunt, & per varia opera ſatisfactoria ad reconciliationem perveniunt. Multa ejuſmodi Sanctorum Patrum teſtimonia retulimus ſupra *lib.3.cap.9.* Duo ſanè ex his teſtimoniis evidentiſſimè conſequuntur, vel potiùs in his teſtimoniis evidentiſſimè lucent. Prius, reconciliationem illam, quæcunque ſit, lege ordinaria poſt peractam Pœnitentiam, aut magna ex parte actam, Pœnitentibus concedi ſolitam: Extra ordinem verò propter mortis periculum in data hypotheſi conceſſam. Poſteriùs non eſt minus evidens, Reconciliationem illam reſipiſcenti præſtari, ut Deo potiſſimum reconciliëtur, & ab eo peccatorum remiſſionem obtineat: Moribundo enim à Sacerdote velut viaticum *ἀναγκαιότατον* præſtatur, quod horrendum eſt, ut ait Cæleſtinus Pontifex *Epiſt.2.* Pœnitenti morienti denegare. Quapropter Reconciliationem criminum expunctricem, divinæ miſericordiæ reconciliatricem lege ordinaria poſt peractam Pœnitentiam, aut magna ex parte actam Pœnitentibus conceſſam fuiſſe hæc teſtimonia mihi videntur evidentiſſimè teſtari.

XXXVI. Eorum relatione hic ſuperſedi, quoniam relata habes ſupra *lib.3.c.9.* Obiter tantum Lectorem moneбo, inveniri Patres, qui non modò inveherentur in Hæreticos, qui crimina confeſſis remiſſionem nullo definito Pœnitentiæ tempore ſtatim concedebant, ſed etiam eos velut ridiculos, ideò traducebant. Sic in Audianos agit Theodoretus *lib.4.cap.10.* Hæreticarum fabularum: *Hi autem peccatorum remiſſionem dare ſe jactant. Duas enim in partes libros ſacros cum adulterinis dividentes, &c. & ordine hinc inde collocantes inter hos jubent tranſire unumquemque, & peccata ſua confiteri: Deinde confeſſis dant veniam, non tempus ad Pœnitentiam definientes, ſicut Eccleſiæ leges præcipiant, ſed poteſtate condonantes.* Poſteà iſtorum Hæreticorum diſciplinam ridet Theodoretus. Quo jure, & qua fronte hoc reprehendere, & ridere audet; ſi Eccleſia non ſecus, ac Audiani, nullo Pœnitentiæ tempore definito, unicuique Pœnitenti ſtatim, ut confeſſus eſt peccatorum remiſſionem tribuere ſolebat? Verùm cur ſic interrogamus, cùm verba Theodoreti contrariam conſuetudinem diſertiſſimè teſtentur?

XXXVII. Denique eundem Eccleſiæ morem evidentiſſimè demonſtrant ea teſtimonia, quæ jubent ægrotis petentibus pœnitentiam dari, & ſi urgeat morbus, reconciliationem: *can.76.* Carthagin. Concilii 4. *Qui Pœnitentiam in infirmitate petit, &c. accipiat Pœnitentiam, & ſi continuò creditur moriturus reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia.* Tria hæc ſunt diſtinctiſſima, & ſecundum à primo etiam in ægrotis, niſi admodum urgeret mortis periculum, tempore ſeparatum. S.Leo *Epiſt.91. His, qui in tempore neceſſitatis, & in periculi urgentis inſtantia præſidium Pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda.* Utrumque igitur conferre extraordinarium eſt, & propter imminens tantùm periculum conceditur. Eodem S.Auguſtinus *hom.41.ex* 50. & Toletan. Concilium 11. *c.12.* quæ ſupra hoc capite retulimus. Multa hæc argumenta, ſed ex innumeris pauca. Multa præterea ex poſteriorum ſeculorum auctoribus in quinta propoſitione nobis erunt præcedentibus addenda. Quapropter ſermonem hic abrumpo.

CAPUT IV.

Nonnullæ rationes explicantur, quibus commoti S.Patres Abſolutionem in graviſſimis criminibus ad finem ſeveræ ſatisfactionis retardarunt.

ANtequam alias propoſitiones explicare aggrediar, operæ pretium mihi videtur rationes aliquot hoc capite explicare, quæ ad unam, aut ad alteram facilè revocari poſſunt, quibus commoti Patres antiqui Abſolutionem, quum de graviſſimis peccatis agebatur, ad finem ſatisfactionis impoſitæ retardabant. Pluresalias hujus retardationis cauſas habuerunt, & profeſſi ſunt, quas eorum verbis fusè retulimus *lib.1.capitibus* 14.15.16.17. nec non *cap.*18. Quæ enim illis capitibus probantur, in eundem finem ſponte referuntur. Alias tamen ſcitu utiles, & propoſito noſtro apprimè convenientes nunc enarrabimus: Deinde objectionem diſſolvemus, cujus enodatio multa, quæ difficilia videri poſſunt, plana faciet.

II. Duas ſimul, & eodem ſermonis filo eloquenter proſequitur S.Ambroſius in Pſalmum 118. in hunc verſum, Miſerere mei ſecundum verbum tuum. *In ipſa Eccleſia ubi maximè miſereri decet, tenetri quàm maximè debet forma juſtitiæ, ne quis à communionis conſortio abſtentus brevi lacbrymula, atque ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus communionem, quam plurimis debet poſtulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueat. Nonne cum indulget indigno, plurimos facit ad prolapſionis contagium provocari? Facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquenti, &c. Medicus ipſe ſi ſerpentis interiùs inveniat vulneris cicatricem, cùm debeat reſecare ulceris vitium ne latiùs ſerpat, tamen deſecandi, erendique propoſito lacbrymis inflexus ægroti, medicamentis tegat, quod ferro aperiendum fuit, nonne iſta inutilis miſericordia eſt, ſi propter brevem inciſionis, vel exuſtionis dolorem corpus omne tabeſcat, vitæ uſus intereat? Rectè ergo & Sacerdos vulnus, ne latiùs ſerpat, à toto corpore Eccleſiæ, quaſi bonus Medicus debet abſcindere, & prodere virus criminis quod latet, non fovere; ne dum unum excludendum non putat, plures faciat dignos, quos excludat ab Eccleſia.*

III. Hormiſdas Pontifex univerſis Provinciis reſcribens, eaſdem rationes, & eandem ſimilitudinem exaggerat, *Verè dico, quia illi ipſi quibuſdam periculoſa, & falſa miſericordia indulgere videmur, cùm ante tribunal Chriſti pro tantis peccatis damnandi advenerint contra nos ipſos cauſas dicturi ſunt, dicentes, quod dum, aut aſperitatem linguæ eorum expavimus, aut falſa blandimenta, & periculoſas adulationes ipſorum libenter accepimus, nos eos dum illis inutiliter indulgemus, in peccatis permanere, aut ipſa peccata etiam augere permiſerimus; nec recordantes illud, quod in veteri Teſtamento ſcriptum eſt, quia per unum peccatum contra omnes ira Dei deſævit. O pietas, ò miſericordia. Uni parcere, & omnes per exemplum malum in diſcrimen adducere. Non ita ſuadet Sanctus, & beatiſſimus Cyprianus Martyr dicens, Qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat. Nec premit delicta illi, ſed fovet iterùm. Imperitus Medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat; & abſconditum in profundis receſſibus virus, dum ſervat, exaggerat.* Refertur hæc Epiſtola in fine Pœnitentialis Halitgarii *tom.5.* Bibliothecæ Patrum, & *tom.1.* Conciliorum Galliæ, in cauſa Contumelioſi Epiſcopi, ſub nomine S.Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi.

IV. Hoc agnoſcunt, & profitentur S.Martyres, & Confeſſores apud Cyprianum *Epiſt.26.* in qua de venia Lapſis non ſtatim ſed poſt longam probationem concedenda diſſerunt, *Infidelis cicatrix quam citò feſtinans Medicus induxit, & ad quamlibet caſum medela reſcinditur, ſi non fideliter de ipſa tarditate remedia præſtentur. Citò rurſus in incendium flamma revocatur, niſi totius ignis etiam uſque ad extremam ſcintillam materia reſtinguatur, ut meritò hujuſmodi homines ſciant ſibi etiam de ipſa mora magis conſuli, & fideliora neceſſariis dilationibus remedia præſtari.* Quare meritò ſcribit ad Petrum Damianum Leo IX. Pontifex confirmans duriſſimas Pœnitentias, quas certis ſceleribus impoſuerat, *Qui non pungit vitium, ſed palpat, cum eo, qui vitio moritur, ipſe quoque mortis Reus meritò judicatur.* Facilitate enim ſua vitium inolitum non ſanat, & novi cauſa eſt. Quapropter de tam effuſa clementia dici poſſet novum eſſe crudelitatis genus. Ideò S.Gregorius Nazianzenus *oratione 39.* contra Novatianos diſputans rectè monet par eſſe vitium nullũ peccatum punire, & nulli veniam dare. *In eodem vitio ſunt, indulgentia omnino animadverſionis expers, & condemnatio veniæ omni carens: Illa omnes habenas laxant, hæc ob vehementiam ſtrangulat.*

V. Quæcunque præterea magno labore parta ſunt, facilè partis longè vigilantiùs cuſtodiuntur, ut in eadem cauſa nos monet S.Gregorius in 1.Pſ.Pœnitentialem, *Omnis curatio quanto difficiliùs acquiritur, tantò acquiſita cautiùs cuſtoditur.* Firmior itaque multò, & ſolidior eſt ea vulneris curatio, quæ ulcus ab ipſis fibris abſcidit. Exprobrabant Catholici Novatiani venia peccatis ſæpiùs conceſſâ, peccandi quoque veniam, & licentiam concedi. Quid reſpondet S.Pacianus *Epiſt.3. Fortaſſe pateretur hoc*

credi

Digitized by Google

ŧredi, ſi Pœnitentia deliciæ putarentur; cujas labor tantus imponitur, cui carnis interitus imperatur, cui jages lacbrymæ, cui gemitus ſempiterni. Volet ergo ille ſanatus iterùm ſe ſecari, rurſus exuri? Volet peccare iterùm, & iterùm pœnitere, cùm ſcriptum ſit, Noli adiicere peccatum, ne quid deterius tibi contingat. Hoc eſt omninò improbabile. Verum facillimam, & citiſſimam veniam pone, Novatiani argumentum erit admodum probabile, & Pœnitentia non videbitur amplius peccandi libidini repagulum poſitum, ſed peccandi propter apparentem impunitatem irritamentum. *Parum eſt peccatorem pœnitere, niſi Pœnitentiam peregerit. Ad emendanda enim crimina vox Pœnitentis ſola non ſufficit: Nam in ſatisfactione ingentium peccatorum non verba tantùm, ſed opera quæruntur*, inquit Auguſtin. *ſerm.*57. de tempore. *Si enim citò rediret homo ad priſtinam beatitudinem ludus illi eſſet peccando cadere in mortem*, ut idem ſcribit *ſerm.* 34. de diverſis *cap.*4. Similiter argumentabantur Elibetitani Patres *cap.* 47. *Si reſuſcitatus rurſus fuerit mœchatus placuit ulterius non ludere eum de communione pacis.* De Abſolutione enim, & communione Eccleſiæ ludere videtur, tam is, qui ita facilè, & indiſcretè eam ſæpiùs concedit, quàm qui recipit.

VI. Alterius paulò generis rationem reddunt ab indignitate, & impuritate Pœnitentium petitam, quibus margaritas inſulſum eſſet proſtituere. Sic Martyres, & Confeſſores è carceribus ad S. Cyprianum ſcribunt *Epiſt.*26. *Animadvertimus te congruente cenſura, & eos digne objurgaſſe, qui immemores delictorum ſuorum pacem à Presbyteris per abſentiam tuam feſtinata, & præcipiti cupiditate extorſiſſent, & illos, qui ſine reſpectu Evangelii ſanctum Domini canibus, & margaritas porcis profana facilitate donaſſent, cum grande delictum, & per totam pene orbem incredibili vaſtatione graſſatum, non oporteat niſi, ut ipſe ſcribis, cautè, moderatèque tractari, &c. ne dum volumus importunè ruinis ſubvenire, alias majores ruinas videamur parare. Ubi enim divinus metus relinquitur, ſi tam facilè peccantibus venia præſtetur?* Eandem rationem, & in eundem finem uſurpat S. Ambroſius *lib.*2. *de Pœnitentia, c.*9. *Nonnulli ideò poſcunt Pœnitentiam, ut ſtatim ſibi reddi communionem velint. Hi non tam ſe ſolvere cupiunt, quàm Sacerdotem ligare. Suam enim conſcientiam non exuunt, Sacerdotis induunt. Præceptum eſt, nolite ſanctum dare canibus, neque miſeritis margaritas veſtras ante porcos, hoc eſt, immundis impuritatibus ſacræ communionis non impertienda conſortia,* Gregorius Nyſſenus in Epiſtula canonica ad Letojum Melitin. Epiſcopum hoc argumento demonſtrat temporis Pœnitentiæ prorogationem, & contractionem: Prorogationem in iis, quibus cor eſt adhuc contaminatum: Contractionem, quibus eſt à maculis, & ſordibus abſterſum, *Quemadmodum*, inquit, *porcis Margaritas proiicere eſt vetitum, ita & pretioſa margarita privare eum, qui jam per alienationem à vitio, & purgationem bonus factus eſt, abſurdum eſt.* Aliam, & potiſſimam longæ iſtius dilationis rationem, converſionis ſcilicet, quæ ſufficiens ſit ad ſalutem, perfectionem paulatim acquiri, & à Deo per bona opera gradatim impetrari, capite libri tertii ultimo, alia in cauſa non indiligenter explicavimus; atque etiam capite ſequente nonnihil de hac materia delibare nobis erat neceſſarium.

CAPUT V.

Patrum nonnulla verba, quæ teſtari videntur remiſſionem peccatorum ſtatim, & ſine mora concedi examinantur; doceturque ea non modò veniam à Deo non ab Eccleſia obtentam ſpectare, ſed etiam eorum pleraque Abſolutionem perhibere ab Eccleſia dari ſatisfactione peracta. Aliquando tam ardens eſt peccatoris converſio, ut ſtatim, & ſine mora omnia peccata doleat, quàm cum Eccleſia cognoſcit, Pœnitentiæ tempus pro ardoris vehementia contrahit.

VEre dixit Lyricus Poeta, Nihil eſt ab omni parte beatum. Fertur apud Græcos hic verſus proverbii loco, Ἀμώμητον δ' οὐδὲν ἐμεῦ βροτοῖς. Idem contigit & ſplendidiſſimæ veritati. Nihil eſt tam in aprico, quod aliquando nubecula aliqua non obnubatur. Teſtatiſſimæ, ut nobis quidem videtur, veritati jam explicatæ pauca quædam nobis animadverſa ſint, quæ prima fronte conſpecta judicari poſſint contraria, introrſum tamen inſpecta eam tuentur, & illuſtrant. S. Pacianus hoc innuere videtur in fine Parænesis ad Pœnitentiam, *Ecce promitto, polliceor, ſi ad Patrem veſtrum vera ſatisfactione redeatis, nihil ulterius errando, nihil priſtinis adiiciendo peccatis, dicendo etiam humile aliquid, & flebile; Peccavimus in conſpectu tuo, Pater, jam non ſumus digni nomine filiorum: Continuò de vobis, & pecus illud recedet immundum, & ſiliquarum eſca deformis. Continuò revertentes & ſtola veſtiet, & annulus honorabit, & paternus iterùm complexus accipiet.* Sanctus Ambroſius commentario in 2. Epiſt. ad Corinth. *cap.*2. *Pœnitentia ſi de vero animo eſt, hoc eſt, ſi correptus ſtatim in animo doleat, protinus habet fructum. Denique in regum libro habetur, quia Achab cum arguiſſet eum Propheta, commotus animo ſtatim meruit veniam. Et David in cauſa Uriæ correptus, quia cognovit ſe peccaſſe, delictum ejus deletum eſt.* Sanctus Auguſtinus *ſerm.*58. de tempore eodem videtur conſpirare, *Si ſemel aliquis, vel ſecundò peccaverit, & ſine aliqua diſſimulatione ad Pœnitentiæ medicamenta confugerit priſtinam incolumitatem ſine aliqua mora, & forſitan ſine aliqua fœditate recipiet.* Huc referri poſſunt, quæ S. Chryſoſtomus in Homilia de S. Philogono ad populum concionabatur diebus quinque ante Chriſti Nativitatem, aut Epiphaniam, *Neque mihi quiſquam dixeris, vereor, habeo conſcientiam peccatis oppletam, ſarcinam circumfero graviſſimam. Sufficit enim horum quinque dierum tempus, ſi ſobrius fueris, ſi attentus, ſi vigilaveris, ut multitudinem peccatorum reddas contractiorem. Nec illud perpende, quod breve tempus eſt, ſed illud conſidera, quod benignus eſt Dominus; quandoquidem & Ninivitæ tridui ſpatio tantam iram Dei à ſe depulerunt. Nec obſtitit illis temporis anguſtia, ſed animi promptitudo amplectens Domini benignitatem, totam peragere voluit. Et meretrix illa brevi temporis momento, quam ad Chriſtum acceſſiſſet, omnia probra diluit.* Hæc, & alia ejuſdem generis teſtimonia videntur nonnihil officere innumeris teſtimoniis antiquorum Patrum, quæ jam citata ſunt, & exploratiſſimæ totius Eccleſiæ praxi obviàm ire.

II. Si tamen aliud conſtantiſſimum Eccleſiæ dogma ob oculos lectoris proponamus, etiam nobis tacentibus, ne umbra quidem difficultatis, aut obſcuritatis ſupererit. Certum eſt, certumque ſemper fuit, atque etiam nunc eſt apud Doctores Scholaſticos decantatiſſimum, tantam eſſe poſſe uno momento Pœnitentis contritionem, ut à Deo non modò culpæ, ſed etiam pœnæ cujuslibet remiſſionem obtineat. Vulgatiſſima eſt iſta S. Cæleſtini Papæ ſententia *Epiſt.*2. ad Epiſcopos Galliæ. *Salutem homini adimit quiſquis mortis tempore ſperatam Pœnitentiam denegaverit; & deſperat de clementia Dei, qui eum ad ſubveniendum morituro ſufficere, vel in momento poſſe non credit. Perdidiſſet latro præmium in cruce ad Chriſti dexteram pendens, ſi illum unius horæ pœnitentia non juviſſet. Cùm eſſet in pœna pœnituit; & per unius ſermonis profeſſionem habitaculum paradiſi Deo permittente promeruit. Vera ergo ad Deum converſio in ultimis poſitorum mente potius eſt exiſtimanda quàm tempore, &c.* Hæc citant in eadem cauſa Concil. Vormat. *c.*80. Triburienſe *c.* 31. Raban. Pœnitent. *c.*38. Burchard. *lib.*18.*c.*22. Ivo *part.*15.*c.*44. & quis non? *Neque penſanda eſt Pœnitentia quantitate temporis, ſed ardore mentis, & mortificatione corporis*, ut monet Concilium Cabillonenſe ſub Carolo Magno *c.*34. Pariſienſe ſub Gregorio IV *lib.*1.*c.*46. Capitular. *l.*7.*c.*59. Burchardus, Ivo, & alii poſt S. Auguſtinum *cap.*65. Enchiridii. Eſt enim axioma frequentiſſimum. Sicut autem nemo negat, converſionem perfectam hominis etiam ſceleratiſſimi momento fieri poſſe: Sic omnes conſentiunt hoc admodum rarum eſſe, & extraordinarium, & miraculi inſtar haberi, ut plerique Scholaſtici loquuntur. Gradatim enim homo impius ad Deum convertitur, & aſcendit, paulatimque cordis malitiam exuit, tandemque poſt longum, & vehementem gratiæ cum concupiſcentia conflictum Deus animæ dominatur, & anima juſtificatur. Hujus rei illuſtriſſimum exemplum, quod omnium inſtar eſſe poteſt, nobis præbet in converſionis ſuæ deſcriptione S. Auguſtinus. Unde fit, ut licèt quis ſubtiliter, & Metaphyſicè iſta dimetiens dicere poſſit juſtificationem in inſtanti fieri, eo quòd cogitari poſſint inſtantia, ſeu momenta duo ſeſe *ἀμέσως* conſequentia, in quorum priore nondum ſit Pœnitens juſtificatus, in poſteriore verò juſtificatus, & filius Dei, & cœlorum hæres, tamen longo tempore, multiſque præcedentibus actionibus præparatoriis opus eſt, ad formam illam obtinendam, vel ſi mavis ad dilectionis Dei gradum aſſequendum, qui Deum creaturis omnibus præfert. Dilectionis autem divinæ gradus ille in aliis citiùs, in aliis tardius, in his, paucis diebus, in illis, multis annis animo exoritur.

III. Quanquam autem, quæ ſunt extraordinaria, & rariſſima, non continentur lege, ac proinde dici non abs re poſſit miraculoſam illam converſionem ordinariæ peccatorum Pœnitentiæ nihil derogare: Nihilo ſecius eadem eſt utriuſque ratio, eadem utrique continuatur Pœnitentia; eo quod Eccleſiæ Rectoribus vehementiſſima illa converſio ignota eſt, & ſoli Deo nota. Innoteſcit enim ardor ille converſionis per ſigna exteriora, quæ ut plurimùm æquivoca ſunt, ſimulanturque nonnunquam ab Hypocritis, atque in ſpeciem ardentius ea exequuntur quàm verè converſi. Ideò graviorum criminum Pœnitentes omnes promiſcuè longa pœnitentia probantur, ut experiantur

Digitized by Google

tur Eccleſiæ Paſtores, an ſincera ſit, & genuina eorum converſio, atque ut ait Petrus Alexand. *cap* 8. πιλαυτέτε, ἢ ἀδελφῶς, & Gregorius Nyſſenus in Epiſt. ad Letojum, an ἀξιόπιϛος, digna cui fides adhiberi poſſit. Has, aliaſque preclaras hujus obſervationis rationes leges præſertim *cap. 16. libri primi*. Itaque ſæpè contingit, ut nonnulli, quibus Deus revera peccata remiſit, diu tamen poſteà Pœnitentiam agant, & duros labores perferant; quia nondum de ſinceritate, & ardore converſionis eorum judicium fecit Eccleſia. Contrà ſæpè contingit nonnullis pacem ab Eccleſia dari, qui ea ſunt indigni, aut certè nondum omninò capaces; iis videlicet, qui lentè, & tepidè Pœnitentiæ labores ſibi imperatos exercuerunt, quibus tamen cum tempus definitum advenit, pacem ex canonum conſequentia præſtare neceſſe eſt. Sæpè quoque tanto zelo, & ardore, tantis gemitibus, & lachrymis Pœnitentiam ſibi injunctam exequuntur, ut longè ante tempus ſtatutum reconciliatio ipſis ſecundùm canones redhibeatur. Hæc ex ante dictis evidentiſſima ſunt, & ſic eſſe agendum diſertiſſimè definit, *canon.* 12. Nicænus, *In his autem omnibus examinare convenit conſilii, & ſpeciem Pœnitentiæ. Quicunque enim & metu, & lachrymis, & tolerantia, & bonis operibus converſionem & opere, & habitu oſtendant; hi impleto Audiotionis tempore, quod præfinitum eſt, meritò orationum communionem habebunt, cum eo quod etiam liceat Epiſcopo humaniùs aliquid de eis ſtatuere. Quicunque autem non adeò graviter tulerunt, nec multùm ſua referre exiſtimarunt, ſatiſque eſſe putarunt in Eccleſias ingredi ad converſionem, tempus omninò impleant*. Similiter Ancyran. *c.2. & 5.* Laodicen. *c.2.* Baſilius ad Amphiloch. 74. Gregorius Nyſſenus Epiſtola canonica ad Letojum. Innocentius *Epiſt.1.c.7.* S. Leo *Epiſt.79.* ad Nicetam, & poſteriores paſſim.

IV. Hoc firmiſſimo, & conſtantiſſimo fundamento nituntur exceptiones omnes datæ regulæ generali de ſatisfactione ante reconciliationem præſtanda, de quibus agemus capitibus ſequentibus. Hinc eſt, quòd morbo urgente non modò Pœnitentibus ante completam Pœnitentiam, ſed etiam ante inceptam pax datur. Hinc Hæreticis, hinc iis, quos poſt grave crimen perpetratum formido eſt, ne Gentiliter vivant, aut ad Hæreticos transfugiant, facilis, & brevis Pœnitentia dari ſolita fuit. Hinc in peccatis non adeò enormibus Abſolutio, ut nunc fieri ſolet, pro Sacerdotis arbitrio ſemper data fuit. Eidem denique veritati fundamentali hodierna praxis innititur, quæ Abſolutionem ſatisfactioni ferè ſemper præponit. Cum enim contritio ſufficiens eluendis gravibus, quibuſque peccatis uno momento per Spiritum Dei in cordibus excitari poſſit, multò magis uno, duobus, tribuſve diebus.

V. His igitur repetitis, & explicatis reſpondeo, teſtimonia Patrum oppoſita docere tantùm perfectam converſionem, & Abſolutione divina dignam ſine mora comparari poſſe; aut ſi Deum toto corde amemus, toto animo nos peccatorum pœniteat, iis æternum valedicamus, opera miſericordiæ proſequamur, orationibus, & jejuniis incumbamus, Deo ſtatim nos reconciliatum iri, & gratiam conſecuturos, quæ ſanè nemo unquam Catholicus negavit. Sed Eccleſiam eos ſtatim, & ante omnem ſatisfactionem reconciliaſſe, qui verbis, aut etiam ſignis externis lachrymis, & gemitibus animi compunctionem teſtarentur, illud eſt de quo ne γρῦ quidem teſtimonia prolata. Sanctus Eligius appoſitè admodum ad hypotheſim datam nos *Homil.4.* quàm ad publicè Pœnitentes in Cœna Domini habuit, utrumque docet; oportere ſcilicet Pœnitentes condignè ſatisfactionis opera demonſtrare, antequam à Deo, & ab Eccleſia abſolvantur, & nihilominus contritionem eorum tantam eſſe poſſe, ut ſtatim, & ſine mora Deo reconcilientur. Ideò tepidè à multis annis Pœnitentes admonet, ſi nondum à tanto tempore Pœnitentiam veram egerunt, eos jam jam, illa ipſa hora, qua concionabatur verò poſſe pœnitere, & ad Deum converti, & revera cum Deo per miniſterium Eccleſiæ reconciliari. Primùm monet eos reconciliari non poſſe. *Niſi condignam ſatisfactionem egerint, &c. Si igitur*, ait, *condignam Deo Pœnitentiam obtuliſtis de præteritis, & ſic hæc eadem ulteriùs admittere non vultis, &c. verè Deo reconciliamini per Chriſtum, & per nos, quibus dedit miniſterium reconciliationis, &c. Qui enim peccando factus eſt ei inimicus, niſi ſatisfaciendo, non poteſt reconciliari, ut fiat amicus*. Deinde ex Sancto Leone docet, Chriſtum auctoritatem Præſulibus dediſſe Pœnitentes ſalubri ſatisfactione purgandi, & purgatos ad Sacramenta per reconciliationem admittendi. Attende, Lector, quæ poſtmodum admoneat eoſdem publicè Pœnitentes, & jam annis multis Abſolutionem expectantes, *Quæ vobis dicta ſunt ad cautelæ veſtræ ſtudium; non ut vobis injiciamus laqueum. Si enim inter vos aliqui ſunt (quod abſit) qui ſe huc uſque Pœnitentiam agere ſimulaverint, potiùs quàm verè egerint; neque iſtis de Dei miſericordia deſperandum eſſe dicimus, ſi hodie etiam ad ipſum ſaltem ex toto corde convertantur, apud quem nullus patitur moras vera converſio, dicente Spiritu Dei per Prophetam, &c.* An inde colligere licet, Pœnitentes illos ante reconciliationem reconciliatos fuiſſe; & impuros ab Eccleſia publicè habitos, puros tamen ante non modo condignam ſatisfactionem, ſed ante omnem ſatisfactionem ab eo pronuntiatos eſſe? Attende iterùm Lector, quæ in fine *Homil.* 11. eos moneat, *Ad vos præterea nunc ſpiritualis noſter ſermo transfertur, quos ſub pœnitudinis habitu conſtitutos facie ſqualida, & crine demiſſo peccamina veſtra planxiſſe, & vitia carnis in vobis mortificaſſe, quantum homini videre poſſibile eſt, conſideramus. Ante omnia autem vobis ſcire neceſſe eſt; quia licèt impoſitionem manuum noſtrarum accipere cupiatis; tamen Abſolutionem peccatorum veſtrorum conſequi non poteſtis, antequam per compunctionis gratiam divina pietas vos abſolvere dignabitur: Tunc enim, ut beatus dicit Gregorius, vera eſt Abſolutio præſidentis, cùm interni arbitrium ſequitur judicis*. An Abſolutionem à peccatis ante omnem ſatisfactionem acceperant? Et tamen verum eſt, quod dixerat Eligius veram converſionem nullas moras pati. Ideò rectè monuit eos, quod ſi multis annis publicè Pœnitentes nondum tamen verè converſi erant, illa ipſa hora, qua Abſolutionem erant ſuſcepturi, converti poſſe, atque à Deo, & non ſolùm à Miniſtro ſuo Abſolutionem à peccatis recipere.

VI. Concilium Troſlejanum, ab Archiepiſcopo Rhemenſi, & Suffraganeis anno 909. celebratum, præclarè nos docet, qua ratione utrumque verum eſſe poſſit, & verè converſis Deum citò placari, & longa nihilominus ſatisfactione Deum eſſe placandum, ut ab Eccleſia reconciliationem conſequantur. *Si igitur ex toto corde converſi ad Deum, veram Pœnitentiam, fructuſque Pœnitentiæ dignos fecerimus, crebris, & ſanctis inſtantes jejuniis, vigiliis caſtis, illique benè complacitis, & orationibus fuſo lachrymarum imbre perfuſis, cum eleemoſynis juſtis, cæteriſque miſericordiæ, & charitatis operibus, atque profiteamur nos ad priſtina impietatum noſtrarum ſcelera nunquam redituros, juvante ejus gratia, ſine quo nihil poſſumus: ſi in iſtis perſeveraverimus, ſatisfacientes Deo, & Eccleſiæ de præteritis peccatis per Pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, & per contriti cordis ſacrificium, citò ejus, qui cor contritum, & humiliatum non ſpernit, & cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, miſericordiam conſequemur. Citò dicimus, quia apud Deum benignum non tam valet menſura temporis, quàm doloris*. Nulla unquam, nec in mente antiquorum, nec in praxi Eccleſiæ inter hæc duo vel leviſſima contradictio ſubodorata eſt, ſed ſemper fuerunt conjunctiſſima. Ideò iidem Patres ſæpiſſimè in eodem concilio crimina ſecundùm canones puniunt, & tolerata pœna ajunt, Deum citò parcere.

VII. Rabanus Maurus in libro Pœnitentium, quem juſſu Epiſcopi ſui, ex antiquis canonibus collegit in uſum Sacerdotum Pœnitentiis præfectorum, hæc *cap.1.* refert ex S. Auguſtino, ſeu potiùs Fulgentio de fide ad Petrum Diaconum, quæ evidentiſſimè præcedentia confirmant: *Omni homini in hac vita eſſe poteſt utilis Pœnitentia, quam quocunque tempore homo egerit, quamlibet iniquus, quamlibet annoſus, ſi toto corde renuntiaverit peccatis præteritis, & pro eis in conſpectu Dei non ſolùm corporis, ſed etiam cordis lachrymas fuderit, & malorum operum maculas bonis operibus diluere curaverit, omnium peccatorum indulgentiam mox habebit, &c.* Celeritas illa veniæ, & converſionis perfectionem ſupponit, & operum laborioſorum, quibus Deo ſatisfit exercitium: Exploratum enim eſt, ut docet S. Baſilius *c.74. Eos, qui cum majori labore confitentur, Dei miſericordiam celeriter apprehendere*. Eodem modo loquitur S. Cæſarius Arelatenſis *Homil.13. Si noſmetipſos propria ſeveritate diſtringimus, ſententiam futuri judicii prævenimus. Qui enim pro peccatis ſibi ipſe non parcit, Deus citò illi indulgentiam tribuit.* Quo quis diligentiùs Pœnitentiam impoſitam exequitur, eo citiùs à Deo veniam conſequitur. His junge teſtimonia duo, unum S. Auguſtini, alterum Ivonis Carnutenſis, in quibus auctores illi rationem reddunt, propter quam Eccleſia multo tempore Pœnitentium reconciliationem differt, licèt aliquando ſtatim à Deo abſolvantur. Licèt ſint iſta teſtimonia quæſtioni præſenti accommodatiſſima, eorum tamen repetitione ſuperſedemus, cùm *lib.1.c.16.* integrè fuerint exſcripta.

VIII. Si teſtimonia oppoſita ſigillatim excutiamus, non modò deprehendemus nihil aliud quàm quæ adnotata ſunt, ſignificare, verùm etiam contrarium aliquando ex iis manifeſtè colligi. Verbi gratia Pacianus tota Parænesi quanta poteſt eloquentia criminis Reos hortatur ad Pœnitentiam ſuſcipiendam, & Pœnitentiam agentes ad eam ſtrenuè agendam; multis verbis

bis

bis elevat Pœnitentiæ labores ſubeundos, propoſitis inferorum cruciatibus, & laborum iſtorum fructu. Denique paulò ante verba citata, *Ne pudeat in hoc opere; ne pigeat opportuna, quàm primùm remedia ſalutis invadere deiicere mœroribus animum, ſacco corpus involvere, macerari jejunio, &c. In quantum pœnæ veſtræ non pepercíſtis, in tantùm vobis Deus parcet, &c. Ecce promitto, polliceor, ſi ad Patrem veſtrum vera ſatisfactione redeatis, &c.* Conjungit humilia illa verba veræ ſatisfactioni præcedenti. Nihil igitur Pacianus aliud Pœnitentes monet, quàm ſi labores Pœnitentiæ diligenter exequantur, atq; inſuper ex intimo corde aliquid flebile dixerint, verbi gratia, id quod filius prodigus Patri ſuo, tum Deum his omnibus diligentiſſimè præſtitis continuò ipſis parciturum. Quibus manifeſtè duo complectitur Pacianus, & Pęnitentiæ labores, & poſt labores facillimam Dei veniam; quod è diametro contradicit cauſæ, cui probandæ allatum eſt. In eandem rem lege, quæ *cap.2. & 3.* hujus libri ex eodem Paciano exſcripta ſunt.

IX. S. Auguſtini verba ſi diligenter attendentur de Abſolutione peccatorum intelligenda non ſunt, ſed de ea concupiſcentiæ mortificatione, & animæ ad priſtinam ſanitatem redintegratione, incolumitatiſque, & vigoris ſpiritualis recuperatione, quam Pœnitens criminibus perpetrandis non aſſuetus acta Pœnitentia facilè conſequitur. Intelligatur tamen de hac vel illa, nihil intereſt ad cauſam, quam agimus. Toto illo ſermone Auditores ſuos ad Pœnitentiam ſtatim agendam exhortatur, quod ut potentiùs faciat dilata incommoda refert; & hoc potiſſimum, quod peccatorum repetitione, peccandi quædam neceſſitas inducitur, qua vix poſt maximos labores liberari poſſumus, & ad priſtinam ſanitatem decuſque revocari; cùm nondum contracta illa neceſſitate facilè ſit per Pœnitentiam priſtino ſtatui, decorique reſtitui. Hoc illuſtrat ſimilitudine membrorum, cùm ſæpiùs fracta ſunt, *Si enim alicui pes frangantur, aut manus, cum labore ſolet ad priſtinum officium revocari. Si verò ſecundò, & tertiò, & adhuc frequentiùs in eodem loco membra ipſa frangantur, poteſt intelligere charitas veſtra, cùm quantis doloribus vulnera ipſa curanda ſunt; & tamen poſt longas, & multas tribulationes vixerit antequam ad priſtinum ſtatum membra ipſa valeant revocari. Similis ratio in animarum fracturis, ſeu vulneribus eſſe credenda eſt. Si ſemel aliquis, vel ſecundò peccaverit, & ſine aliqua diſſimulatione ad Pœnitentiæ medicamenta confugerit, priſtinam incolumitatem ſine aliqua mora, & forſitan ſine aliqua fęditate recipiet. Si verò peccata peccatis cęperint addi, & animarum vulnera magis tegendo, vel defendendo putreſcere, quàm confitendo, & pęnitendo curari timendum eſt, &c.* Occurrit inſuper alteri incommodo, deſperatione ſcilicet miſericordiæ Dei, quæ in animis Auditorum ex difficultate ſanandi peccata toties multiplicata oriri poterat, altero propoſito incommodo, quòd ſi diutiùs retardetur Pœnitentia, tandem fierent inſanabilia. *Nemo ergo nec poſt centum peccata, nec poſt mille crimina de miſericordia divina deſperet. Sic tamen non deſperet, ne ſine ulla mora Deum ſibi repropitiari feſtinet: ne fortè ſi conſuetudinem peccandi fecerit, etiamſi velit de Diaboli laqueis liberari, non poſſit.* Eſt igitur manifeſtum, S. Auguſtinum per comparationem iſtam nihil aliud docere, quàm quod experientia quotidie teſtatur, eum, qui peccatis inſuevit, ab iis difficillimè ſeſe expedire: & qui non inſuevit, facilè ſanari. Sed quemadmodum cui ſemel tantùm pes frangitur, ſine labore, & dolore illi non reſtituitur, licèt bis terve ſi hoc contigerit, longè difficiliùs, & cum perpetuo aliquo diſpendio reparetur. Sic in criminibus: Qui ſemel grave crimen commiſit, non ideò ſine Pœnitentia ſanatur, eo quòd qui multorum eſt Reus, difficillimè, & vix unquam integrè ſanetur. Ne verò de hac re dubitare poſſit aliquis, hanc cautionem verbis oppoſitis adjungit Auguſtinus, ut in textu, quem ob oculos exhibuimus, legere potes.

X. Prætereà S. Auguſtino familiare eſt, ita de peccatorum Pœnitentia philoſophari, ut apparet *ex toto ſermone 44. de verbis Domini*, de tribus mortuis à Domino ſuſcitatis, ubi tertium mortuum in ſepulchro quatriduanum de conſuetudine peccati interpretatur: *Moles illa impoſita ſepulchro ipſa eſt vis diræ conſuetudinis, qua premitur anima, nec ſurgere, nec reſpirare permittitur.* Lectori ſermo integer evolvendus eſt. Hoc in perſona ſua præclarè deſcribit idem Auguſtinus Confeſſion. *l.8. cap.5. Velle meum tenebat inimicus, & eo catenam mihi fecerat, & conſtrinxerat: Nam ex voluntate perverſa fit libido, & dum ſervitur libidini fit conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, fit neceſſitas.* Eſt igitur manifeſtum illa verba, *ſine aliqua diſſimulatione ad Pęnitent. medicamenta confugerit priſtinam incolumitatem ſine aliqua mora recipiet.* Nihil aliud ſibi velle quàm eum, qui peccandi conſuetudinem nondum contraxit, per Pęnitentiam facilè ſanari, iſtiuſmodi peccatoris concupiſcentiam facilè frænari, & in ſervitutem Spiritus per Pœnitentiam redigi, illudque ſtatim, & ſine mora in actione Pęnitentiæ, & multò magis exacta ſentire, & apud ſe experiri. Ideò S. Auguſtinus poſt ea verba Auditores quantis poteſt argumentis ad Pœnitentiæ labores poſt crimen commiſſum ſtatim ſuſcipiendos exhortatur, tandemque in hæc verba finit, *Si in hoc malo fuerit aliquis diabolica calliditate proſtratus, priuſquam crimina ipſa per conſuetudinem convaleſcant, remedium ſibi in die neceſſitatis acquirat, & cum ingenti rugitu, & gemitu Deum ſibi reconciliari contendat. Nec erubeſcat Pęnitentiam agere, qui non erubuit pęnitenda committere, &c.*

XI. Idem argumentum tractat Cæſarius Arelatenſis *Homil.* 13. è qua tantum hæc verba referemus, *Optimè malagma, vel fibula calidis adhuc vulneribus opponitur, & citò vulnus ad ſanitatem reducetur, quod putreſcere diù terna ambuſtione non ſinitur.* Facilè igitur, & ſine mora ſecundùm Auguſtinum peccata, quibus homo non aſſuevit, perfectè remittuntur, etiam cum priſtinæ incolumitatis, & decoris reſtitutione; Verum difficillimè: ſi obſit conſuetudo peccandi, quod præclara ſimilitudine illuſtravit: Unde appoſitè admodum peccatores, ne in illud incommodum incidant, ad Pœnitentiæ actionem non retardandam exhortatur. En quid idem Auguſtinus, ut cætera omittam, ſermone præcedente dixerat, *Parum eſt peccatorum pęnitere, niſi pęnitentiam peregerit:* (non ait egerit, ſed peregerit) *Ad emendanda enim crimina vox Pęnitentis ſola non ſufficit: Nam in ſatisfactione ingentium peccatorum non verba tantùm, ſed opera quæruntur.* Et *ſerm.34.* de diverſis *cap.12.* de eadem materia diſſerens, *Omnia ergo præterita converſis* (Catechumenis baptizatis) *dimittuntur. Cętera autem hujus vitæ ſunt quædā gravia, & mortifera, quæ niſi per vehementiſſimam moleſtiam humiliationis cordis, & contritionis Spiritus, & tribulationis Pęnitentiæ non relaxantur. Hęc dimittuntur per claves Eccleſiæ, &c.* Tribulationes igitur illas, & humiliationis moleſtias ſequitur peccatorum relaxatio per claves Eccleſiæ facta. Per pœnitentiales illos labores paulatim anima peccato læſa ſanatur, & vivificatur, ut præclarè hoc deſcribit S. Auguſtinus eodem ſermone *cap.3. & 4.*

XII. S. Ambroſii verba, & exempla ab eo allata nihil aliud probant, quàm homines aliquando tantum concipere de peccatis ſuis dolorem, ut ſtatim iis Deus ignoſcat: quòd ne Novatiani quidem de Deo negarent. Sed quæ apud eum ſequuntur, evidenter demonſtrant, Eccleſiam poſt Pęnitentiæ actionem crimina relaxare. Statim enim ſubjungit: *Itaque & Apoſtolus illum, qui inceſtum commiſerat, habens uxorem Patris, objurgatum, & abjectum, dolentem revocari jubet, ne diù videns ſe contriſtatum ſperni, deſperans de ſe daret animum ad fruendum mundum, quaſi qui locum apud Deum jam non haberet.* Eccleſia igitur Apoſtolica inceſtu pollutum ad Pęnitentiam longam de more, & juſſu Apoſtoli damnaverat, ut apparet ex *Epiſt.1.* ad Corinthios, cui graviſſimè dolenti, & pœnitenti ferè biennium, parci tandem jubet Apoſtolus, ne doloris vehementia abſorberetur. Sed velim notare Lectorem cauſam ab Ambroſio notatam, qua fretus Sanctus Apoſtolus Corinthios voluit hunc inceſtuoſum Pęnitentiam jam annum ſecundum agentem abſolvere, *Nunc cum recipi illum vult, orat, ne adhuc exulcerato animo adversùs illum, durum illis eſſet habere cum illo communionem Eccleſiæ. Neq; enim tanta in eis erat, quanta in Apoſtolo providentia, ut ſtatim intelligerent faciendum eſſe, quod dicebat Apoſtolus in cauſa hujus dumtaxat: ideò obſecrat, ut dimittant illi, ſignificans Deum illi ignoviſſe, quia nihil ſine Dei Spiritu agebat Apoſtolus.* Vix manifeſtiùs quàm ex illis verbis colligi poteſt, criminum Reos abſolvi tantùm ſolitos poſt actam Pœnitentiam. Corinthius enim ille poſt tantùm tempus abſolutus non fuerat, & propter auctoritatem Apoſtoli divinitus cognoſcentis dolorem, quo affectus erat ſufficientem eſſe, ab Eccleſia ante tempus conſtitutum reconciliatus eſt. De more igitur Eccleſiæ ex Sancti Ambroſii ſententia ante tempus Pœnitentiæ conſtitutum criminibus venia non concedebatur.

XIII. Sancti Chryſoſtomi teſtimonium ſi attentè conſideretur, ad rem non facit: Non enim agit de Pęnitentibus propriè dictis de quibus nobis ſermo eſt, ſed de fidelibus, quibus communio corporis Chriſti non eſt interdicta, ut legentibus textum integrum eſt manifeſtum. Ante verba oppoſita ita ſcripſerat: *Hæc ideò nunc loquor, quod ſciam certò futurum, quòd in illa die complures accedant, irruantque ad victimam hanc ſpiritualem. Igitur ne faciamus ad detrimentum, & condemnationem animæ noſtræ, ſed ad ſalutem, jam nunc obteſtor, obſecroque, ut omnibus modis repurgatis animis veſtris, ita demum ſacra adeatis myſteria:* Deinde ſequuntur verba allegata. Hæc ſanè de Pœnitentibus

Digitized by Google

tibus publicis intelligi non poſſunt, ſed de iis, quorum peccata non ſunt graviſſima, de quibus vide, quæ ſcripta ſunt *lib.5. cap. 41.* & quæ infra ſcribentur capite ſequente: Ejuſmodi peccatoribus poſt peccati Confeſſionem Abſolutio non retardatur, nec ex rigore juris communio: Id ſolum in genere illis præcipitur, ut, quantum fieri poteſt, mundi ad eam accedant. Denique verba ſequentia ad finem uſque homiliæ evidenter demonſtrant Chryſoſtomum ſermonem ſuum ad fideles, non ad Pœnitentes dirigere, cùm Pœnitentibus convenire non poſſint: Quin ipſe κατ' λέξιν hoc docet, *Nunc autem multi Chriſtianorum in tantam vecordiam, tantumque venere contemptum, &c.* Græcè dixit, *πολλοὶ τῶν πιστῶν, multi fideles.* Quis neſcit ubique in Eccleſia, atque in ſcriptis ſanctorum fideles à Pœnitentibus, & Catechumenis eſſe diſtinctos? Vide, quæ ſcripta ſunt *lib.6. c.12.* & *lib.8. c.2.* His accedit, quòd quanquam res aliter ſe haberet, nihil tamen in ea, quæ dicta ex Sancti Chryſoſtomi verbis colligi poſſet: Nam ſi uno momento vera converſio contingere poteſt, quidni quatuor, vel quinque diebus? Eadem ratio cæterorum teſtimoniorum, ſi ad ea, quæ ſigillatim de unoquoque demonſtravimus, nullus reſpectus habeatur. Ardentiſſima contritio Deo juvante animo formari poteſt, quæ ſine mora peccatorum remiſſionem à Deo impetrat. Verum hoc ad Eccleſiam nihil attinet, quæ de occultis non judicat, nec judicare poteſt, niſi exterioribus actionibus ſeſe prodant. Ideò autem Pœnitentiæ ſtationes inſtituit, variiſque laboribus, & ærumnis Pœnitentes exercet, non modò ut illos caſtiget, ſed etiam, ut iis velut medicamentis vulnera animæ per peccatum inflicta curentur, & quantum in ea curatione profecerint, exterioribus illis actionibus deprehendat.

CAPUT VI.

Nonnulli caſus explicantur primis Eccleſiæ ſeculis contingentes, in quibus Abſolutio ante completam de gravioribus criminibus Pœnitentiam, aut etiam nulla acta Pœnitentia, ſed poſt ſolum ſinceræ converſionis demonſtrationem uno modo concedebatur; ſed erat concedenda.

SEcunda propoſitio interrogationi factæ *capite primo* hujus libri reſponſura, hæc eſt: *Cùm primùm cœpit in Eccleſia tempore ſeparari Abſolutio à communione Euchariſtica, Abſolutio longo tempore nonnunquam pluribus annis publicè data eſt ante finem, & ſtadium Pœnitentiæ decurſum:* Statim poſt Novati hæreſim ſeparatio illa facta eſt, & Pœnitentiæ labores, quia fuerunt longè diuturniores, & plures ſolito, in varias claſſes diſtributi ſunt. Ab eo tempore in Pœnitentiis publicis Abſolutio data eſt in ingreſſu claſſis Pœnitentialis, quæ dicebatur conſiſtentia; ſive cùm Pœnitentes ad audienda, & videnda myſteria, atque ad communem cum fidelibus orationem admittebantur. In Conſiſtentia autem illa antequam ad μέθεξιν τοῦ τελείου καὶ ἀγαθοῦ, hoc eſt, ad communionem Euchariſticam admitterentur, ut plurimùm anno uno, aut duobus, Pœnitentes detinebantur. Sanctus Baſilius aliquos jubet ibi commorari tribus annis *can.80.* Alios quatuor, ut *can. 56.* Concilium Ancyran. quinque, ut *can. 16.* Quando diuturnæ erant admodum Pœnitentiæ diutiùs in iſta claſſe coercebantur. Non erat autem abſolutè neceſſarium, ut in Pœnitentiis publicis Abſolutio ſepararetur à communione Euchariſtica, ſicut neceſſarium non erat, ut Pœnitens à Subſtratione ad participationem perfectam per mediam Conſiſtentiam tranſiret. Nonnunquam enim recta, atque una actione evehebatur à Subſtratione ad τοῦ τελείου boni, perfectique communicationem, ut videre eſt *lib.6. cap. 19.* Quo caſu utrumque tempus, vel in unum coaleſcebat; vel temporis à canone pro Conſiſtentia definiti Indulgentia propter vehementiam Contritionis animi à Pœnitente demonſtratam clementer concedebatur. Abſolutionem à peccatis in exitu Subſtrationis, & admiſſione ad preces, & myſteria fidelium datam fuiſſe, & ab indulgentia pœnarum canonicarum diſtinctam, & ſeparatam, fusè à nobis probatum eſt *cap. 21. ejuſdem lib.6.* Quapropter non eſt neceſſe huic ſecundæ propoſitioni probandæ diutiùs immorari.

II. Tertia propoſitio, *Cùm urgebat periculum mortis; aut reformidabatur ſalutis animæ pernicies, veluti cùm periculum erat, ne capitalium peccatorum Rei ad Hæreticos, aut etiam Gentiles tranſfugerent; aut grave aliquod incommodum Eccleſiæ crearetur; Abſolutio ſtatim poſt Confeſſionem peccati, & veræ reſipiſcentiæ demonſtrationem, aut brevi exacta Pœnitentia concedebatur.* Tres ſunt ſubjecti iſtius propoſitionis partes. Prima, à nemine, ut opinor, negabitur; obvia enim ſunt antiquorum teſtimonia quibus confirmatur. Deinde *lib.* ſequente multis erit nobis agitanda. Quapropter hoc nunc monuiſſe Lectorem ſufficiat. Secunda pars latè demonſtrata eſt *c.19. lib.1.* quem velim Lectorem nunc conſulere, eo quod illo capite hypotheſi duplicis iſtius periculi propoſita explicentur à S.Cypriano, & Conciliis illius temporis præcipua fundamenta Abſolutionis retardandæ ad finem Pœnitentiæ, vel accelerandæ, vel etiam ſtatim concedendæ.

III. Poſtrema pars propoſitionis latitudine ſua duas priores complectitur, multaſq; inſuper alias hypotheſes, quæ nonnullis aliis exemplis, & argumentis illuſtrabimus. Hanc propoſitionis partem tantam, quanta eſt, nos docent S.Cyprianus, & cum eo 65. Epiſcopi Africani Fido Epiſcopo reſcribentes *Epiſt.59.* Therapius Epiſcopus Victori cuidam Presbytero ante actam plenam Pœnitentiam temerè pacem dederat, ut explicant initio Epiſtolæ ſuæ. Quid illi? *Quæ res nos ſatis movit, receſſum eſſe à Decreti noſtri auctoritate, ut ante legitimum, & plenum tempus ſatisfactionis, & ſine petitu, & conſcientia plebis, nulla infirmitate urgente, ac neceſſitate cogente pax ei concederetur.* Pacem igitur accelerare non modo infirmitas urgens, ſed alia cogens neceſſitas nonnunquam poſtulat.

IV. Sed totum hoc argumentum præclarè, & ad rem maximè, perſequitur S. Auguſtinus *lib.3.* contra Epiſtolam Parmeniani *cap.2.* ubi multis docet ex praxi univerſæ Eccleſiæ, quando Pœnitentiæ, & ſeveritatis Eccleſiaſticæ uſus eſſe debet, & exercitium, & quando intermittenda, aut etiam omninò deſerenda eſt illa ſeveritas, cùm ſcilicet Schiſmatis, aut tumultus in Eccleſia imminet periculum. Tum enim Excommunicatione, & graviore Pœnitentia docet ex perpetua Eccleſiæ traditione abſtinendum eſſe, immò nonnunquam propter eaſdem cauſas criminum Reos ſibi, ſuæque conſcientiæ eſſe relinquendos, & quaſi proſtituendos. *In hac velut anguſtia quæſtionis, non aliquid novum, aut inſolitum dicam, ſed quod ſanitas obſervat Eccleſiæ, ut cum quiſque fratrum, id eſt, Chriſtianorum intus in Eccleſiæ ſocietate conſtitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehenſus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc ubi periculum Schiſmatis nullum eſt, &c.* Et citatis aliquot ſcripturæ locis, colligit, *Ubi ſatis oſtendit, cùm metus iſte non ſubeſt, ſed omninò de frumentorum ſtabilitate certa ſecuritas manet, id eſt, quando ita cujuſque crimen notum eſt omnibus, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorſus, vel non tales habeat defenſores, per quos poſſit ſchiſma contingere, non dormiat ſeveritas diſciplinæ, in qua tanto eſt efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior conſervatio charitatis.* Exaggerato hoc argumento ſententiam ſuam probat auctoritate Apoſtoli præcipientis, 1.Cor.5. *Si quis frater nominatur, &c. In eo quod ait nominatur, hoc nimirum intelligi voluit, parum eſſe, ut ſit quiſque talis, niſi etiam nominetur, id eſt, famoſus appareat, ut poſſit omnibus digniſſima videri, quæ in eum fuerit anathematis prolata ſententia. Ita enim & ſalva pace corrigitur, & non interfectoriè percutitur, & medicinaliter uritur. Propterea & de illo dixit, quem tali medicina ſanari voluerat, ſatis huic eſt correptio, quæ fit à multis. Neque enim poteſt eſſe ſalubris à multis correptio, niſi cùm ille corripitur, qui non habet ſociam multitudinem.* Poſtquam aliquot teſtimoniis demonſtravit crimina ſecundum ſeveritatem Eccleſiaſticam non eſſe punienda, cum manifeſtum ſubeſt ſchiſmatis, aut tumultus in Eccleſia argumentum, docet, Apoſtolum, necnon S.Cyprianum hanc prudentiam, & œconomiam obſervaſſe. *Ideòque idem Apoſtolus cùm jam multos compeviſſet & immunda luxuria, & fornicationibus inquinatos, ad eoſdem Corinthios in ſecunda Epiſtola ſcribens, non itidem præcipit, ut cum talibus nec cibum ſumerent: Multi enim erant, nec dici de his poterat, Si quis frater nominatur fornicator, &c. cum ejuſmodi nec cibum quidem ſimul ſumere; ſed ait, Ne iterùm cùm venero ad vos, humiliet me Deus, & lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt Pœnitentiam ſuper immunditia, & luxuria, & fornicatione, quam gesſerunt: Per luctum ſuum potius eo divino flagello coercendos minans, quàm per illam correptionem, ut cæteri ab eorum conjunctione ſe contineant.* Tandemque poſt longum ſermonem ſic colligit, *Hæc qui diligenter cogitat, nec in conſervatione unitatis negligit diſciplinæ ſeveritatem; nec immoderatione coercitionis dirumpit vinculum ſocietatis.*

V. Eandem quæſtionem tractat idem Auguſtinus ad finem *Epiſtolæ 50.* & eodem modo definit. Vertebatur quæſtio de Donatiſtis, qui ad Eccleſiam Catholicam redeuntes in eo gradu ordinationis recipiebantur, quem erant apud ſuos conſecuti: quod erat contra antiquiorem Eccleſiæ diſciplinam. Rationem iſtius diſciplinæ ſic ſtatutæ, deinde mutatæ ediſſerens S.Auguſtinus

nus

Digitized by Google

nus ea ſcribit, quæ Pœnitentiæ, & veniæ diſpenſationem, & œconomiam manifeſtè tribuunt Eccleſiæ prudentiæ, & auctoritati, quæ has, & illas conditiones ante, vel poſt Abſolutionem ſubeundas ponit, vel quibuſdam incommodis occurrentibus tollit, & abrogat; cui conſtitutioni Eccleſiaſticæ, ſi quis pertinaciter refragatur, Schiſmatis cauſandi periculo ſeſe exponit: *Ut enim conſtitueretur in Eccleſia, ne quiſquam poſt alicujus criminis pœnitentiam Clericatum accipiat, vel ad Clericatum redeat, vel in Clericatu maneat, non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum eſt diſciplinæ: alioquin contra claves datas Eccleſiæ diſputabitur, de quibus dictum eſt, quæ ſolveritis, &c.* Manifeſtum eſt, quando conditionem aliquam Pœnitentibus imponit Eccleſia, ut Abſolutionem impetrent, id ab ea non fieri, quod exiſtimet indulgentiam aliter abſolutè obtineri non poſſe, ſed quod oporteat, & deceat Eccleſiam obſervare diſciplinæ rigorem.

VI. Alium pium, & ſanctum Eccleſiæ finem in eadem cauſa ſtatim enarrat. *Sed ne forſitan etiam de cæteris criminibus, ſpe honoris Eccleſiaſtici animus intumeſcens ſuperbè ageret Pœnitentiam, ſeveriſſimè placuit, ut poſt actam de crimine damnabili Pœnitentiam, nemo ſit Clericus, ut deſperatione temporalis altitudinis medicina major, & verior eſſet humilitatis.* Hoc autem non eſſe neceſſarium ad veram Pœnitentiam agendam exemplo Petri, & Davidis demonſtrat, qui de peccatis ſuis Pœnitentiam egerunt, & in honore perſtiterunt. *Sed non*, inquit, *ideo ſupervacua putanda eſt poſteriorum diligentia, qui ubi ſaluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo ſalus tutiùs muniretur, experti credo aliquorum fictas Pœnitentias per affectatas honorum potentias.* Multa igitur imponunt vel ante, vel poſt reconciliationem, quo Pœnitentis ſalus tutius muniatur, quæ ſicut auctoritate Eccleſiæ impoſita ſunt, ſic ejuſdem auctoritate abrogari poſſunt, & alia factu, vel difficiliora, vel faciliora, vel etiam nulla ſubrogari, *Cogunt enim*, inquit, *multas invenire medicinas multorum experimenta morborum.* Quæ verò ſecundum S. Auguſtinum juſtæ mutationis cauſæ? *Verùm in hujuſmodi cauſis, ubi per graves diſſenſionum ſciſſuras, non hujus, aut illius hominis eſt periculum, ſed populorum ſtrages jacent, detrahendum eſt aliquid ſeveritati, ut majoribus malis ſanandis charitas ſincera ſubveniat, &c. Deinde etiam, ut ipſorum infirmitas leniùs excepta initas ſanaretur, jam nulla pertinacia claudente oculos cordis adverſùs evidentiam veritatis.* Innocentius I. *Epiſt. 22. cap. 6.* ſimilia decernit: locum adnotaſſe ſatis eſt: *Capite* quoque *undecimo libri* 4. hujus operis multa relata, quibus duæ poſteriores ejuſdem propoſitionis partes demonſtrari poſſunt.

CAPUT VII.

Hæretici in Eccleſia Catholica baptizati, cùm ad eam redibant, per Pœnitentiam publicam admittebantur. Varii admiſſiones Hæreticorum modi breviter enarrantur. Status controverſiæ inter S. Cyprianum, & Stephanum Papam eruitur. Nonnulla teſtimonia Pontificum hanc theſim demonſtrantia. Variæ difficultates hinc emergentes recenſentur.

QUarta propoſitio, *Baptizatos in Eccleſia, & poſtmodum adeò ab ea deficientes, cùm ab Apoſtaſia reſipiſcebant, in Eccleſiam admiſſos fuiſſe per manus impoſitionem in Pœnitentiam.* Ut iſta propoſitio medullitus intelligatur, nonnulla nobis ſunt primùm diſtinguenda; deinde attentè, & diligenter conſideranda. Quædam erunt difficilia, fateor, & ab uſu noſtro, prima quidem facie, nonnihil abhorrentia; ſed quia plurimam habent venerandæ antiquitatis commendationem, non mihi videntur obruenda ſilentio. Ea illuſtrare tentabimus, ſed conjecturis; De quarum vanitate, aut veritate judicabit Lector. Multa colligimus in unum faſcem Antiquorum teſtimonia diligenti ſanè meditatione digna. Nihil definimus, ne cæcus alius monſtret iter. Opinari aliquid, & in tenebris palpare, animumque noſtrum fluctuantem huc, & illuc verſare nobis tantum aſſumimus, ſiſtere non audemus. Qui nobis præierit, digitumque in ſcopum, quem ſibi Patres in praxis, quam enarraturi ſumus, obſervatione propoſuerunt, intenderit, neminem præter illuſtriſſimum Petrum de Marca ex conſiſtoriano Comite Epiſcopum Conſoranenſem, hactenus legimus. Vir ille eruditiſſimus plurima ante paucos annos edidit in doctiſſima diſſertatione de Primatu Lugdunenſi, aliiſque Primatibus ad notas in *can.* 28. Concilii Claromontani, quæ dicendis à nobis illuſtrem facem præferunt. Eorum pleraque multo tempore antequam ab eo edita eſſent, privatim apud noſmetipſos ſæpius conjeceramus. Veruntamen quæ ille aſſeruit, multaque alia ab eo prætermiſſa, ingenio noſtro diffiſi etiam nunc tantùm conjicimus. Quæſtionem, ejus rationes, fundamenta, difficultates, ambages exponimus, judicium decretorium ab aliis expectamus.

II. Hæreticorum baptiſmus, aut erat irritus, & ab Eccleſia improbatus, aut ratus, probatuſque. Poſterior hic in duas ſpecies ſcindebatur: Vel enim in Eccleſia datus fuerat, vel extra Eccleſiam. Rurſus poſterior iſte dupliciter diſtinguebatur: Vel enim Hæretici illi extra Eccleſiam baptizati confirmationis Sacramento imbuti fuerant, vel non imbuti. Nonnulli enim Hæretici hoc Sacramentum reſpuebant. Hinc quinque Hæreticorum genera conſurgebant, quorum unumquodque ad Eccleſiam rediens peculiari reconciliatione recipiebatur, & purgabatur. Primum non ſecus, ac Catechumeni exorciſmis, & aliquot dierum jejuniis, profeſſione quoque fidei, & hæreſis dejeratione purgatum per baptiſmum fidelibus aggregabatur. Secundum per manus impoſitionem in pœnitentiam edita fidei profeſſione reconciliabatur. Tertium per manus impoſitionem in Spiritum ſanctum, & chriſmatis unctionem. Quarti generis, eorum ſcilicet, qui confirmati fuerant, reconciliatio duplex fuit. Alii enim reconciliati ſunt per ſolam manus impoſitionem in Spiritum ſanctum, nulla chriſmatione adhibita; Alii utroque prætermiſſo per ſolam fidei profeſſionem. Nec iſta adeò ſtrictè, & ſcrupuloſè intelligenda ſunt, ut nullis de cauſis liceret iis derogare, aut alterum alteri conjungere, vel etiam permutare, & uno exoleto alterum ſubſtituere: Iſta enim omnia, ut infra docebitur, ab Eccleſiæ auctoritate, & prudentia pependerunt.

III. Primum genus omninò hic prætermittimus, & quia propoſito noſtro nihil conducit, & quia hoc per baptiſmum reconciliationis genus omni difficultate mihi carere videtur. Secundum ad materiam, ſcopumve noſtrum propriè, & directè ſpectat, nec illud prudentes ſine cauſæ prævaricatione prætermittere poſſumus. Cætera materiam noſtram ſpectare poſſunt, quatenus peccatorum publicorum reconciliationes ſunt, & ſecundi purgatio aliis incognitis perfectè cognoſci non poteſt. Vel hac ſola ratione ad materiam noſtram ſanè pertinet, quod explicata primi generis reconciliatione (primum nunc vocamus, quod Hæreticos, quorum baptiſmus eſt irritus, à tractatu noſtro ablegavimus) ſtatim animum ſubit hæc quæſtio, Ecquonam igitur modo cætera Hæreticorum genera purgantur, & Eccleſiæ reconciliantur? Hoc præmiſſo veluti diagrammate rem ipſam aggrediemur.

IV. Hæreticos in Eccleſia baptizatos, & ad eam revertentes per manus impoſitionem in Pœnitentiam, hoc eſt, per Sacramentum Pœnitentiæ, admiſſos fuiſſe, certiſſimum videtur argumentum vetus illa controverſia Stephanum Pontificem inter, & Cyprianum de rebaptizandis Hæreticis. Tota enim controverſia in iis vertebatur, qui extra Eccleſiam ab Hæreticis baptizati fuerant. Contendebat Sanctus Cyprianus, eos eſſe rebaptizandos, ſed potius, ut loquebantur, baptizandos, eo quòd baptiſmum, quem ab Hæreticis acceperant, nullum eſſe cenſebat: Stephanus verò eum admittebat, & conſequenter per ſolam manus impoſitionem in Spiritum ſanctum admittendos contendebat. Sed uterque, & cum iis omnis Eccleſia, conſentiebat, Baptiſmum in Eccleſia datum defectione ad hæreſim non vitiari, & conſequenter transfugis ad Eccleſiam redeuntibus manus eſſe tantum in Pœnitentiam imponendas. Sic Sanctus Auguſtinus allato in ejuſdem ſententiæ probationem Sancti Cypriani teſtimonio, quod habetur *lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 11. Hoc ipſe Cyprianus etiam cum cæteris ſtatuit, ut ſi ab hæreſibus redirent ad Eccleſiam, quicunque fuerant in ea baptizati, non jam per baptiſmum, ſed per Pœnitentiam reciperentur. Unde conſtat, eos non poſſe amittere recedentes, quod non recipiunt remeantes.* Et Creſcens à Cirta unus ex Epiſcopis, qui Concilio Carthaginenſi unà cum Cypriano aderat, ita opinatus eſt, referente eodem Auguſtino *lib. 6. cap. 15. Cenſeo ego omnes Hæreticos, ſive Schiſmaticos, qui ad Catholicam Eccleſiam venire voluerint; non ante ingredi, niſi exorcizati, & baptizati fuerint: Exceptis his ſanè, qui in Eccleſia Catholica fuerint ante baptizati; ita tamen, ut per manus impoſitionem in Pœnitentiam Eccleſiæ reconcilientur.* Similiter cenſet Caſſius à Macomadibus in Concilio Carthaginenſi ſub Cypriano; à quo, & nonnulla, quæ ſequuntur exſcripſit Sanctus Auguſtinus. Itaque nulla fuit inter Stephanum Pontificem, & Cyprianum de hac quæſtione controverſia. Omnes uno conſenſu fatebantur Hæreticos in Eccleſia baptizatos, ad Eccleſiam redeuntes per Pœnitentiam recipiendos: Hæc erat totius Eccleſiæ, non modò Occidentalis, ſed etiam Orientalis concors ſententia, & uniformis praxis, ut evidentiſſimè conſtat ex Epiſtola Firmiliani Cæſareæ in Cappadocia Archiepiſcopi ad Cypria-

Digitized by Google

prianum, qui ſæpius dicit, ſe cum tota ſua Synodo per omnia Cypriano conſentire, & ſæpius ipſius rationes, verbatimque citat, & illuſtrat. Nec hoc tantùm, ſed diſertè addit, Lapſos fratres, & à Diabolo poſt lavacrum ſalutare vulneratos per Pœnitentiam ſanari. Idem quoque evidenter colligitur ex Sancto Baſilio *cap.*1. ubi de iis, qui Paraſynagogis adhærent, verba facit, cujus verba referuntur infra *cap.*8.

V. Tota controverſia verſabatur in primo Hæreticorum genere; Qua ſcilicet ratione, qui apud Hæreticos baptizati fuerant, eſſent Eccleſiæ reconciliandi. Cyprianus nulla diſtinctione adhibita baptizandos eſſe aſſerebat, poſteà confirmandos, ſicque in Eccleſiam admittendos. Cenſebat enim cum pleriſque Epiſcopis Africanis baptiſmum apud Hæreticos, qualeſcunque illi fuiſſent, valere non poſſe. Stephanus verò approbato eorum baptiſmo per manus impoſitionem in Spiritum ſanctum recipiendos eſſe contendebat. Sanctus Cyprianus *Epiſtola* 72. ad Stephanum initio quæſtionis ortæ ſcribit, *Eos, qui ſunt foris extra Eccleſiam tincti, & apud Hæreticos, & Schiſmaticos prophanæ aquæ labe maculati, quando ad nos, atque ad Eccleſiam, quæ una eſt, venerint, baptizari oportere; eo quod parum ſit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum ſanctum, niſi accipiant & Eccleſiæ baptiſmum. Tunc enim demum plenè ſanctificari, & eſſe filii Dei poſſunt, ſi Sacramento utroque naſcantur.* *Epiſt.* 73. ad Jubajanum verſus finem. *Ideò baptizari eos oportet, qui de hæreſi ad Eccleſiam veniunt, ut qui legitimo, & vero, atq; unico Sanctæ Eccleſiæ baptiſmo ad regnum Dei regeneratione divina præparantur, Sacramento utroq; naſcantur.* Et Nemeſianus Tubunenſis Epiſcopus in Concilio Carthaginenſi apud Sanctum Auguſtinum *lib.*6.*de bapt.c.*12. multis citatis ſcripturis colligit, *Malè ergo ſibi quidam interpretantur, ut dicant, quod per manus impoſitionem Spiritum ſanctum accipiant, & ſic recipiantur, quum manifeſtum ſit, utroque Sacramento eos debere naſci in Eccleſia Catholica.* Eadem & Firmiliani Metropolitæ Cæſareæ in Cappadocia cum ſua Synodo ſententia: Manus illam impoſitionem, de qua tum agebatur, æquiparat baptiſmo, *Breviter occurri poteſt, & dici, quoniam ſi in nomine Chriſti valuit foris baptiſma ad hominem purgandum, in ejuſdem Chriſti nomine valere illic potuit, & manus impoſitio ad accipiendum Spiritum ſanctum.* Nonnunquam etiam ſic argumentatur Sanctus Cyprianus: Videnturque omnes ſemper ex utriuſque partis conſenſu dictis ſuis ſupponere Sacramentum Confirmationis apud Hæreticos valere non poſſe, atque hoc facto fundamento alter in alterum decertare, & argumentari. Utrumque igitur Sacramentum & Baptiſmi, & Confirmationis volebant Cyprianus, & Africani illi Patres iis conferri, qui ab Hæreticis baptizati fuerant, ut legitimè Eccleſiæ reconciliarentur: Stephanus autem judicabat poſterius tantum eſſe neceſſarium. Ambo itaque in his duobus capitibus conveniebant, *Hæreticos in Eccleſia baptizatos per manus impoſitionem in Pœnitentiam eſſe recipiendos:* Deinde, *Hæreticos extra Eccleſiam baptizatos per manus impoſitionem in Spiritum ſanctum eſſe recipiendos.* De poſteriori Hæreticorum genere inter eos tantum controvertebatur, An ſcilicet Confirmationem neceſſario præcedere deberet baptiſmus.

VI. Evidentiſſimè hanc diſtinctionem enarrat *Epiſt.*71. ubi reſpondet objectioni ex antiqua conſuetudine petitæ, quam ita explicat, ut ſententiæ ſuæ favere videatur, quatenus ex ea præſumendũ videtur antiquos illos Hæreticos in Eccleſia baptizatos, cùm ab Eccleſia primitiva neceſſariò deſecerint, *Dicunt ſe in hoc veterem conſuetudinem ſequi, quando apud veteres hæreſeos, & Schiſmatum prima fuerint initia, ut hi illic eſſent, qui de Eccleſia recedebant, & hìc baptizati priùs fuerant, quos tũc tamen ad Eccleſiam revertentes, & Pœnitentiam agentes, neceſſe non erat baptizare. Quod nos quoque hodie obſervamus, ut quos conſtet hìc baptizatos eſſe, & à nobis ad Hæreticos tranſiſſe, ſi poſtmodum peccato ſuo cognito, & errore digeſto ad veritatem, & matricem redeant, ſatis ſit in Pœnitentiam manum imponere, ut quia ovis jam fuerat, hanc ovem abalienatam, & errabundam in ovile ſuum paſtor recipiat. Si autem, qui ab Hæreticis venit, baptizatus in Eccleſia priùs non fuit, ſed alienus in totum, & prophanus venit, baptizandus eſt, ut ovis fiat.*

VII. Sanctus Auguſtinus *l.*2. contra Creſconium *cap.*16. his non diſſimilia dicit, ſimulque dictorum rationem reddit, *Faciliore autem venia, quod nondum habuerunt, accipiunt, quàm ſi habuiſſent, & tamen deſeruiſſent. Et hoc diſcernitur apud nos, ut aliter recipiantur, qui Catholicam reliquerunt, aliter qui ad illam primitùs veniunt. Illos enim ampliùs gravat crimen deſertionis; hos autem non à ſe diruptum, ſed cognitum, & retentum vinculum relevat unitatis. Unde fieri poteſt, ut quos ſeductos rebaptizaverunt, ipſi pro eis Pœnitentibus Dominum deprecentur, ſi priùs iſti reconcilientur, quàm illi reconciliati Eccleſiæ fuerint. Sicut fieri poteſt, ut etiam cultores idolorum, ſi quos fortè Chriſtianos ad idola ſeductos, Apoſtatas fecerint; ſi priores ſeductores facti fuerint Chriſtiani, & magnum aliquod meritum in Eccleſia conſecuti, per ipſos illi, quos deceperant, redeant, per ipſos commendentur, & reconcilientur Domino, per quos dimiſerant Dominum.* Vides ſemper concludere eos, qui in Eccleſia baptizati ſunt, ſive ad Hæreticos defecerint, ſive ad Ethnicos, per Pœnitentiam cum redeunt, eſſe admittendos. Hujuſce diſciplinæ rationem petit à gravitate criminis ab utriſque commiſſi. Crimen enim deficientium à Catholica ad Hæreſim, aut Paganiſmum longè gravius eſt crimine eorum, qui nati ſunt in hæreſi, nedum in Paganiſmo, aut eorum, qui Catechumeni ab iis primum baptizati ſunt.

VIII. Eandem doctrinam, & diſtinctionem, ut apud omnes Eccleſias vulgatam nos docet S. Innocentius *Epiſt.*22.*cap.*4. & 5. *Noſtræ verò lex eſt Eccleſiæ, venientibus ab Hæreticis, qui tamen illic baptizati ſunt, per manus impoſitionem laicam tantùm tribuere communionem, nec ex his aliquem in Clericatus honorem, vel exiguum ſubrogare. At verò hi, qui à Catholica ad hæreſim tranſierunt, quos non aliter oportet, niſi per Pœnitentiam ſuſcipi, apud vos non ſolùm Pœnitentiam non agunt, verùm etiam honore cumulantur.* Ex oppoſitione poſterioris partis, evidenter colligitur, manus impoſitionem in priori parte intelligendam in Spiritum ſanctum. Quidquid ſit autem de ratione admiſſionis Hæreticorum ad Eccleſiam, quæ variare potuit, docet eos, qui à Catholica ad hæreſim defecerunt, non aliter admittendos quàm per Pœnitentiam. Et poſt multa eodem capite, *Si quis de Catholica ad hæreſim tranſiens, aut fidelis ad Apoſtaſiam reverſus, reſipiſcens redire voluerit, nunquid eadem ratione poterit ad Clerum permitti, cujus commiſſum nonniſi longa pœnitentia poterit aboleri?* Vides eodem modo ad Eccleſiam recipi & Idololatras, & in Catholica baptizatos ad Eccleſiam redeuntes. Addit inſuper poſteriores ad Clericatum non admitti: Sed de hac pœna ſupra *lib.* 4. Propoſito noſtro nunc eſt inutilis iſta conſideratio. Eandem conſuetudinem non modo teſtatus fuerat, ſed etiam obſervari juſſerat *Epiſt.*2.*c.*8. Cum enim juſſiſſet Hæreticos ad Eccleſiam redeuntes per manus impoſitionem ſuſcipi, ſtatim excipit, *Præter eos ſi qui fortè à nobis ad illos tranſeuntes rebaptizati ſunt. Hi ſi reſipiſcentes, & ruinam ſuam cogitantes, redire voluerint, ſub longa Pœnitentiæ ſatiſfactione admittendi ſunt.*

IX. S. Leo *Epiſt.*79.*cap.*6. *His verò de quibus dilectio tua ſimiliter nos credidit conſulendos, qui ad iterandum baptiſmum vel metu coacti ſunt, vel errore traducti, & nunc ſe contra Catholicæ fidei Sacramentum egiſſe cognoſcunt, ea cuſtodienda eſt moderatio, qua in ſocietatem noſtram nonniſi per Pœnitentiæ remedium, & per impoſitionem Epiſcopalis manus, communionis recipiant unitatem, temporis pœnitudinis habita moderatione, tuo conſtituenda judicio, &c.* Alios Hæreticos capite ſequente docet eſſe in Eccleſiam recipiendos per manus impoſitionem in Spiritum ſanctum.

X. Vigilius quoque Papa *Epiſt.*2. ad Eutherium de eadem quæſtione interrogatus eodem modo reſpondet, inquiens ſe ante reſponſum Prædeceſſorum ſcrinia ſcrutatum, & quid per ſingulas ætates decreverint, examinaſſe, *Quorum tamen reconciliatio non per illam impoſitionem manus, quæ per invocationem ſancti Spiritus fit, operatur: ſed per illam qua Pœnitentiæ fructus acquiritur, & ſanctæ communionis reſtitutio perficitur.* Ideò Siricius Papa, qui hos omnes Pontifices præceſſit, poſtquam dixerat *Epiſt.*4.*cap.*8. Novatianos ſuſcipiendos per manus impoſitionem, eos excepit, quos rebaptizant. Idem etiam ex Sancto Gregorio neceſſariò colligitur, cum enarrans, qua ratione Hæretici extra Eccleſiam baptizati ſuſcipiuntur, omittet eos, qui in Eccleſia baptizantur. Hos enim videtur ſupponere non alia ratione, quàm cæteros Catholicos, cùm aliquid Excommunicatione dignum perpetrarunt, in Eccleſiam admitti. Gregorii teſtimonium infra refertur *c.*11.

XI. Jam ni fallor Lectoris animo ſuboriuntur multiplices, & graves difficultates. Prima, Num Hæretici extra Eccleſiam baptizati, & poſteà per manus impoſitionem in Spiritum ſanctum ad eam admiſſi, anteà per Pœnitentiam aliquam, & Abſolutionem ſecretam purgarentur. Nam Pœnitentia publica purgatos fuiſſe videtur dici non poſſe, ne utriuſque generis Hæreticorum reconciliatio confundatur. Secunda, Num Confirmatio gratiam primam, ſive juſtificationem dare poſſit: Videntur enim Hæretici per Confirmationis Sacramentum à peccato hæreſeos evidenter purgati, nec unquam alterius Sacramenti ad hunc effectum mentio nobis occurrit. Tertia, An Confirmatio ab Hæreticis

Digitized by Google

reticis extra Eccleſiam adminiſtrata fuerit apud Catholicos rata, & accepta. Univerſaliter enim, & indiſtinctè ab omnibus Patribus, ſive baptiſmum Hæreticorum probantibus, ſive improbantibus edicitur, omnibus Hæreticis ab Hæreſi, in qua baptizati ſunt ad Catholicam redeuntibus manus in Spiritum ſanctum imponendas eſſe. Vix enim, ac ne vix quidem fieri poteſt, ut ex tanto Hæreticorum numero nulli Confirmationis Sacramento imbuti fuerint. Quarta, Græci videntur utrumque Hæreticorum genus per confirmationis Sacramentum ad Eccleſiam admiſiſſe. Quinta, videntur multi Patres ſæpè manus impoſitionem ab unctione ſeparaſſe. Omnes iſtæ difficultates, & potiſſimum duæ poſteriores, multò fient obſcuriores, cùm ſpecialiter aliorum Hæreticorum cum Eccleſia reconciliationem ex antiquorum teſtimoniis explicaverimus. Novæ prætereà naſcentes ex noſtra explicatione difficultates, quas ſi diſſolvere non poſſumus, multis modis ſaltem emollire conabimur.

XII. Alterius generis difficultas, quæ gravis videri poteſt, hic paucis diſſolvenda eſt. Licèt tot teſtimoniis evidenter demonſtratum ſit, Hæreticos extra Eccleſiam baptizatos ad Eccleſiam non recipi per manus impoſitionem in Pœnitentiam, contrarium tamen evidenter affirmare videtur Stephanus Papa in verbis, quæ ex eo refert Cyprianus *Epiſt.74.* Sic docentem refert Stephanum, *Si quis ergo à quacunque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in Pœnitentiam:* Ipſe quoque Cyprianus paulò poſt eadem verba repetens bis idem nulla mutatione facta repetit.

XIII. Iſta diligenter animo perpendenti, & cum innumeris aliis teſtimoniis infrà citandis, quæ ſolius manus impoſitionis in Spiritum ſanctum mentionem eadem in cauſa faciunt comparanti, videtur in ea verba mendum irrepſiſſe, & pro, *in Pœnitentiam*, legendum, *in Spiritum ſanctum.* Nam præter tot clariſſima teſtimonia S. Cypriani, & Collegarum jam relata, eò tendit univerſa ipſius ratiocinatio. Semper enim contendit, Hæreticos dare non poſſe Spiritum ſanctum: idque probat ex communi ſuo, & Adverſariorum axiomate, qui Hæreticorum manus impoſitionem in Spiritum ſanctum non admittunt. At Spiritus ſanctus inquit, in baptiſmo donatur. Cur igitur potiùs baptiſmi Sacramentum probatis quàm manus impoſitionē? Aut utrumque admittite, aut utrumque negate. *Cur non in ejuſdem Chriſti nomine illic & manus baptizato imponitur ad accipiendum Spiritum ſanctum? Cur eadem ejuſdem majeſtas nominis non prævalet in manus impoſitione, quam valuiſſe contendunt in baptiſmi ſanctificatione? Nam ſi poteſt quis extra Eccleſiam natus templum Dei fieri, cur non poſſit ſuper templum & Spiritus ſanctus infundi? Qui enim peccatis in baptiſmo expoſitis ſanctificatus eſt, & in novum hominem ſpiritaliter reformatus, ad accipiendum Spiritum ſanctum idoneus factus non eſt? Quando Apoſtolus dicat, Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Qui poteſt apud Hæreticos baptizatus Chriſtum induere; multò magis poteſt Spiritum ſanctum, quem Chriſtus miſit, accipere.* Ne verbum quidem de iſtorum Hæreticorum receptione per Pœnitentiam publicam miſcet. Hoc ab iis non diſputabatur. In iis Hæreticis, qui per pęnitentiam admittebantur, conveniebant. Poſtremis autem Epiſtolæ verbis, quæ dixerat recolligens, ſententiam ſuam paucis verbis evidenter explicat, Hæreticos extra Eccleſiam baptizatos, rebaptizandos: In Eccleſia baptizatos acta Pœnitentia per manus impoſitionem, recipiendos. *Obſervatur itaque à nobis, & tenetur, frater chariſſime, explorata, & perſpecta veritate, ut omnes, qui ex quacunque hæreſi ad Eccleſiam convertuntur, Eccleſiæ unico legitimo baptiſmo baptizentur, exceptis his, qui baptizati in Eccleſia priùs fuerant, & ſic ad Hæreticos tranſierant: Hos enim oportet, cùm redeunt, acta Pœnitentia per manus impoſitionem ſolam recipi, & in ovile, unde erraverunt, à Paſtore reſtitui.*

CAPUT VIII.

Hæreticos in Eccleſia baptizatos ad eam revertentes, niſi aliquod aliud crimen obſtaret, per manus impoſitionem in Pęnitentiam ſtatim admiſſos, & abſolutos, paucula Pęnitentia purgatos variis antiquorum Patrum exemplis, & rationibus demonſtratur. Ex Agathenſi Synodo oppoſitus canon explicatur. Ab hac regula in Manichæiſmum Lapſi excipiuntur. Formula Abſolutionis datæ rebaptizato ab Hæreticis ad Eccleſiam revertenti ex antiquis ritualibus eruta.

ANtiquiſſima fuit, & perpetua Eccleſiæ praxis, Hæreticos in Eccleſis baptizatos ad eam revertentes paucula Pœnitentia, ſi cætera ſcelera conſideres, purgatos, & caſtigatos, admittere, & abſolvere, niſi forſan obſtarent gravia, & publica crimina: tunc enim ſevera cum Pœnitentia excipiebantur. Sit igitur quinta propoſitio. *Qui ab Eccleſia ad Hæreſim defecerant, redeuntes levi cum Pęnitentia, ut plurimùm, reconciliabantur, Eccleſia præſentibus lacbrymis, & gemitibus contenta, niſi nota aliorum criminum gravitas obſtaret.* Multis exemplis, & teſtimoniis demonſtratur hæc propoſitio. S. Irenæus *lib.3.cap.4.* de Cerdone Hæretico, *Sæpè in Eccleſiam veniens, & exomologeſim faciens, ſic conſummavit, modò quidem latenter docens, modò verò exomologeſim faciens, modò verò ab aliquibus traductus in his, quæ docebat malè, & abſtentus eſt religioſorum hominum conventu*, Græcè apud Euſebium habetur, *fratrum conventu.* Pauculam illi fuiſſe impoſitam Pœnitentiam manifeſtum eſt, cùm ſæpè Eccleſiam deſeruerit, aut ab ea expulſus fuerit. Mirum videri poteſt, quòd illis temporibus ſecunda, aut ſaltem tertia vice ad finem uſque vitæ omni Eccleſiaſtica communione non fuerit interdictus.

II. Ejuſdem clementiæ, & facilitatis Eccleſiæ teſtis eſt Tertullianus de Præſcriptionibus *c.30.* de Marcione, & Valentino. *Conſtat illos neque adeò olim fuiſſe, Antonini ferè principatu, & in Catholicam primò doctrinam credidiſſe apud Eccleſiam Romanenſem, donec ſub Epiſcopatu Eleutheri Benedicti ob inquietam ſemper eorum curioſitatem, qua fratres quoque vitiabant, ſemel, & iterùm ejecti, Marcion quidem cum ducentis ſeſtertiis ſuis, quæ Eccleſiæ intulerat, noviſſimè in perpetuum diſcidium relegati, venena doctrinarum ſuarum diſſeminaverunt. Poſtmodum Marcion Pęnitentiam confeſſus cum conditioni datæ ſibi occurrit, ita pacem recepturus, ſi cæteros quoque quos perditioni erudiſſet, Eccleſiæ reſtitueret, morte præventus eſt.* Licèt ſemel, atque iterùm ejectus fuiſſet Marcion, atque etiam tertia vice in perpetuum, ad Pœnitentiam tamen admittitur, & reconciliationem, ſi quos decepiſſet, reduceret. Erant tamen ambo, non modo Hæretici, ſed inſignes Hæreſiarchæ. Montaniſtæ rigidiſſimi, qui magnis criminibus omnem veniam negabant, in Hæreticos erant pro ſeveritate ſua facillimi, ut ex verbis Tertulliani in *lib. de pudicitia cap.19.* colligitur. *Cui enim dubium eſt Hæreticum inſtitutione deceptum cognito poſtmodum caſu, & Pęnitentia expiato, & veniam conſequi, & in Eccleſiam redigi?* Idem concluditur ex *cap.13.* ejuſdem libri. Rigidiſſimi quoque Eliberitani Patres, qui tot criminibus ne in fine quidem pacem concedunt, levem pro ordinaria ſeveritate Pœnitentiam Hæreticis imponunt *cap.22. Si quis de Catholica Eccleſia ad hæreſim tranſitum fecerit, ruſuſque recurrerit, placuit, huic Pœnitentiam non eſſe denegandam, eo quòd cognoverit peccatum ſuum: Qui etiam decem annis agat Pœnitentiam, cui poſt decem annos præſtari communio debet.*

III. Nonnulla iſtius praxis exempla, ſed evidentiſſima apud S. Cyprianum leguntur. S. Cornelius Pontifex apud Cyprianum *Epiſt.46.* refert nonnullos Confeſſores à Catholica ad Novatianos defeciſſe, de quorundam ſincera poſtulatione, quum redire vellent, fratres aliquos dubitaſſe; eos ideò in Presbyterium vocatos, & examinatos eſſe; petiiſſe inſuper, ut quæ perpetraverant, omnia remitterentur, & oblivioni, quaſi nihil eſſet geſtum, traderentur: quæ approbante omni plebe, ita facta, & conceſſa ſunt, & pax illis ſtatim reſtituta: *In Presbyterium venerunt Maximus, Urbanus, Sidonius, & Macarius, & plerique fratres, qui eis ſe adjunxerant, ſummis precibus deſiderantes, ut ea, quæ ante fuerant geſta, in oblivionem cederent, nullaque eorum mentio haberetur, proinde atque ſi nihil eſſet commiſſum, vel dictum, invicem omnibus remiſſis, cor mundum, & purum jam Deo exhiberent.* His à Presbyterio approbatis, populoque laudante, *Magnus fraternitatis concurſus factus eſt. Una vox erat omnium gratias Deo agentium, gaudium pectoris lachrymis exprimentes; complectentes eos quaſi hodie pęna carceris fuiſſent liberati.* Manifeſtum eſt, nulla pœna impoſita, ſtatim reconciliatos eſſe. An credibile eſt, iſtos nullam pęnam meruiſſe; aut Concilium cum Cleto ſuo, ita de iis cenſuiſſe? Minimè gentium: ſed pęnam juſtè ſolvendam propter fraternitatis pacem conſervandam ipſe, & alii Epiſcopi imponere noluerunt, Deo omnia cōmendantes, ut ipſe paulò poſt ſcribit, *Maximum Presbyterum locum ſuum agnoſcere juſſimus, cæteros cum ingenti populi ſuffragio recepimus. Omnia autem remiſimus Deo omnipotenti, in cujus poteſtate ſunt omnia reſervata.* Eadem clementia in alios uti erat paratus: Addit enim in fine Epiſtolæ, *Credimus autem fore, quinimmò pro certo jam confidimus, cęteros quoq; qui in errore hoc ſunt conſtituti, in Eccleſiam brevi reverſuros, cùm auctores ſuos viderint nobiſcum agere.*

IV. Cornelio reſcripſit Cyprianus, illique teſtatam fecit ſuam, totiuſque Eccleſiæ Carthaginenſis, de hac reconciliatione lætitiam, *Meritò illos revertentes ſummo, ut ſcribitis, gaudio & Clerus, & plebs, & fraternitas omnis excepit, quoniam in*

Con-

Digitized by Google

Confeſſoribus gloriam ſuam conſervantibus, & ad unitatem revertentibus, nemo non ſocium ſe, & participem eorum gloriæ computat. Hujus diei lætitiam de noſtris poſſumus ſenſibus æſtimare. Nam cùm iſthic ad literas veſtras, quas de eorum Confeſſione miſiſtis, lætatus ſit omnis fratrum numerus, & ſumma alacritate hunc nuntium communis gratulationis exceperit; quod illic ubi res ipſa, & præſens lætitia ſub oculis omnium gerebatur. Sed audiamus, quid ipſi Confeſſores de Schiſmate reverſi ad Cyprianum ſcribunt *Epiſt.* 50. *Nos habito conſilio, utilitatibus Eccleſiæ, & paci magis conſulentes, omnibus rebus prætermiſſis, & judicio Dei ſervatis, cum Cornelio Epiſcopo noſtro pariter, & cum univerſo Clero pacem fecimus, cum gaudio etiam univerſe Eccleſię, &c.* Ajunt ipſi, nullam pœnam ſumptam, ſed omnia Dei judicio reſervata. Eadem ex Epiſtola ſequente, quam ad eoſdem Confeſſores à Novatiano ſeductos ſcripſerat, demonſtrantur.

V. Epiſt. 51. eandem reconciliationem Hæretici inſignis, qui fideles multos perverterat, enarrat, licèt nullo merito præcedente, ut ii, de quibus ſermo factus eſſet, & commendatus. *Quoniam cum Trophima pars maxima plebis abſceſſerat, redeunte nunc ad Eccleſiam Trophimo, & ſatisfaciente, & pœnitentia deprecationis errorem priſtinum confitente, & fraternitatem quam nuper abſtraxerat, cum plena humilitate, & ſatisfactione revocante, auditæ ſunt ejus preces, & in Eccleſiam Domini non tam Trophimus quàm maximus fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admiſſus eſt; qui omnes ingreſſi ad Eccleſiam non eſſent, niſi cum Trophimo comitante veniſſent. Tractatu ergo illic cum collegis plurimis habito ſuſceptus eſt Trophimus, pro quo ſatisfaciebat fratrum reditus, & reſtituta multorum ſalus.* Satisfactionis Trophimi tres partes enumerat, Confeſſionem erroris, deprecationem veniæ, & eorum, quos ſeduxerat reductionem. Itaque nihil poſt Confeſſionem, & veniæ poſtulationem, ut reconcilietur injungit Cyprianus. Pari modo ſtatim recipiuntur, quos perverterat, nihilque præcedens præter humilem erroris confeſſionem de legitima, ſive plena pœnitentia ab iis poſtulatur, quam ab aliis omnibus exigit.

VI. Hoc autem intelligendum eſt, ut jam diximus, cum aliis criminibus non fœdantur illi Hæretici; tum enim non recipiuntur, aut difficillimè niſi per longam Pœnitentiam probatione facta: Eorum promiſſis, & lachrymis non creditur. Sed præcedentia, & hoc ipſum ita perſpicuè, & graphicè deſcribit Sanctus Cyprianus *Epiſtola* 55. ad Cornelium Pontificem, ut verba ipſius retuliſſe, ſit id, quod de hac quæſtione quæri poteſt, dilucidè, & ſigillatim explicaſſe, *Namque ii, quibus in præteritum præſtigia obtendebantur, & dabantur verba fallacia, quòd ſimul ad Eccleſiam regreſſuri dicerentur, poſteà quam viderunt illic Pſeudoepiſcopum factum, fruſtratos, & deceptos ſe eſſe didicerunt, & remeant quotidie, atque Eccleſiam pulſant. Nobis tamen à quibus ratio Domino reddenda eſt, anxiè ponderantibus, & ſollicitè examinantibus, qui recipi, & admitti ad Eccleſiam debeant. Quibuſdam enim ita aut crimina ſua obſiſtunt, aut fratres obſtinatè, & firmiter renituntur, ut recipi omnino non poſſint, cum ſcandalo, & periculo plurimorum. Neque enim ſic putamina quędam colligenda ſunt, ut quæ integra, & ſana ſunt vulnerentur; nec utilis aut conſultus eſt paſtor, qui ita morbidas, & contactas oves gregi admiſcet, ut gregem totum mali cohærentis afflictatione contaminet. O ſi poſſes, frater chariſſimè, iſthic intereſſe nobiſcum, cùm pravi iſti, & perverſi de Schiſmate revertuntur videres, quis mihi labor ſit perſuadere patientiam fratribus noſtris, ut animi dolore ſopito recipiendis malis, curandiſque conſentiant. Namque ut gaudent, & lætantur, cùm tolerabiles, & minus culpabiles redeunt: ita contra fremunt, & reluctantur, quoties inemendabiles, & protervi, & vel adulteriis, vel ſacrificiis contaminati; & poſt hæc adhuc inſuper & ſuperbi, ſic ad Eccleſiam remeant, ut bona intus ingenia corrumpant.* Hæc amplè relata ſunto, ut velut in faſce exemplorum poſſideat cumulum, & antiqui ritus hypotypoſim. Nonnulla ex eodem Cypriano, & Cornelio diffuſius enarrata legi poſſunt ſupra *lib.* 4. *cap.* 11.

VII. Apud Euſebium duo ejuſdem praxis occurrunt exempla. Prius eſt in fine *lib.* 5. Hiſtoriæ de quodam Natalio, quem nonnulli Hæretici Epiſcopum creaverant: Qui tandem errati ſeriò admodum pœnitens, & Zephyrini Pontificis, clerique, & plebis pedibus gemens, & lachrymans provolutus communione ſtatim donatus eſt. Aliud eſt hiſtoriæ *lib.* 5. *cap.* 35. de quodam Epiſcopo, qui à Novato illuſus ipſi cum aliis manus impoſuerat, cujus facti ſimiliter Pœnitens, & plebem contritionis ardore commovens, tandem abſolutus eſt, & longæ Pœnitentiæ lamentis liberatus. Hæc paucis, quia jam non ſemel hæc exempla alium in finem à nobis relata ſunt.

VIII. Sanctus Athanaſius in Epiſtola ad Rufinianum, quæ refertur in Concilio 7. actione 1. totam hanc rem præclarè explicat, & tantæ indulgentiæ ab Eccleſia Hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus conceſſæ veram, & intimam rationem reddit, quæ dilucidiùs quàm ipſius verbis enuntiari non poteſt. *Non, modò Comminiſtris, qui per Græciam paſſim habitant, verùm etiam in Galliis, & Hiſpania communi decreto placuit, ut & hic, & ubique gentium quicunque lapſi fuiſſent proprio arbitrio, & Anteſignani fuiſſent impietatis, ſi reſipiſcerent, ignoſcendum quidem illis, verùm non reſtituendos in Cleri numerum. Qui verò non auctores, ſed neceſſitate, & violentia compulſi fuiſſent, viſum eſt illis quidem ignoſcendum, & in Cleri locum reſtituendos, maxime cum probabilem defenſionem, & excuſationem dederint. Atque hoc quoque œconomicè, & rationabiliter factum videtur. Nam ipſi quidem animo ſtatuerant non velle ad impietatem delabi. Verùm quidem quia impiiſſimi quidam, eorum cauſa ſtatutum Eccleſiæ ad ſeditionem trahebant, duxerunt longè ſatius eſſe, vi compulſos ſe concurrere, & onus geſtare quàm populum perdere. Hæc cùm afferrent, viſi ſunt nobis non abſurda reſpondiſſe, quando & in occaſionem facti; exemplo Aaron fratris Moſeos ſe defenderent, qui in eremo populi tranſgreſſionibus acquievit, defenſionem habens ne populus in Ægyptum reverſus idolorum cultui iterùm ſe manciparet. Videbat enim ſi in Eremi vaſtitate ſubſtitiſſet, futurum ut paulatim ab impietate regrederetur, in Ægypto autem nullam eſſe ad pietatem regreſſus viam. Hac de cauſa Clero per ea tempora ignotum eſt. Qui verò in errorem ſeducti erant, & violentia huc compulſi data quoque eis communio eſt.* Eccleſiam Romanam hęc comprobaſſe poſteà monet. Hæ ſunt cauſæ, propter quas canonicè rigori canonum non eſt inſiſtendum: Immò in his, ſimilibuſque cauſis nihil magis adverſatur canonibus quàm canones preſsè, & κτ̓ πόδα ſequi, juxta proverbium, ſummum jus ſumma injuria.

IX. Eodem ſenſu reſcribebat ad Maximum Alexandrinę Eccleſiæ Diaconum S. Cyrillus, ut in eadem actione refertur. Pertimeſcebat Maximus communicare cum Joanne Antiocheno Patriarcha, eo quòd ferret nonnullos Neſtoriana ſapientes. Monet eum, ut diligenter videat an illi profiteantur, & doceant Neſtorianiſmum, an verò ſeparatim tantùm à Catholicis conveniant, ut ſimul reſipiſcant, delictum ſuum apud alios confiteri non ferentes. *Quòd ſi jam videat, eos congregari in recta fide, malorum oportet te præteritorum oblivionem inducere: Maluimus enim eos videre negantes, quàm inverecundè animo collaudantes Neſtorii improbitatem. Ne igitur contentiones dicamur amare, religioſiſſimi Epiſcopi Joannis familiaritatem amplectamur, hoc illi indulgentes, & Eccleſiaſticę œconomię cauſa, nec ſimus tam exacti exploratores in eos, qui ad mentem redierunt. Res enim commoda adminiſtratione, multaque, ut dixi, diligentia indiget.* Ita ſeſe ſemper geſſit Eccleſia non modò in Hæreticos, ſed in quoſcunque homines quoties magnum aliquod periculum imminere prævidit. Ideò ſeptima Synodus his conſideratis, & nonnullis aliis Epiſcopos, & Clericos multos fidei profeſſione publicè edita non modo ad Pęnitentiam recepit, ſed etiam in eadem ipſa Synodo gradus ſui dignitatem reſtituit, ut legitur actione 3. quod actione prima ſæpius olim factum eſſe, dictum, & repetitum fuerat.

X. Synodus Gangrenſis in præfatione canonum ſuorum eadem utitur indulgentia in Euſthatianos, *Propterea conſtum eſt hoc Concilium in Gangrenſi Eccleſia, ut canones iſtos exponeret, quibus probantur memorati extra Eccleſiam eſſe. Quod ſi per Pęnitentiam condemnaverunt omnia hæc, quæ malè ſenſerunt, tanquam à ſe non bene prolata, acceptabiles fiant.* Quod ſi eorum aliquis non fecerit, ab Eccleſia volunt eiici, & anathematizari. *Donec deprecetur Epiſcopum, & de univerſis, quæ penes eos detecta, atque deprehenſa ſunt, prodiderit, quid horum ſuſceperit obſervandum.*

XI. Eadem œconomia, & clementia adverſus Pelagianos utendum eſſe monet S. Innocentius Epiſtola 24. ad Concil. Carthag. Eos ab Eccleſia expelli jubet, redeuntes tamen, & errorem ejerantes facilè vult iterum ad Eccleſiam admitti: *Qui ſi tamen aliquando in ſe Dei adjutorium, quod huc uſque negaverunt, provocaverint, ut de hac labe, &c. liberentur, & quaſi in lucem de fęda tracti caligine, remotis, abdicatiſque omnibus, quibus totus ne verum adſpiceret, fędabatur, & caligabat adſpectus, damnent hęc, quę hucuſque ſenſerunt, & veris ſe ſanandos conſiliis tribuant, atque ſubmittant, &c. erit in Poteſtate Pontificum iſtis aliquatenus ſubvenire, & talibus aliquam curam pręſtare vulneribus, quam ſolet Lapſis cum reſipuerint, Eccleſia non negare, ut à ſuis remoti pręcipitiis intra ovile Domini redigantur, ne foris poſiti, & tanto pręſidio à fide munitionis excluſi periculis omnibus exponantur.* Epiſtola ſequente ad Concilium Milevitanum clementiùs adhuc de eorum admiſſione ſtatuit. Tantopere autem crevit paulatim in Pelagianos Eccleſiæ

clementia ut Leone Pontifice nonnulli eos non modo ſine Pœnitentia, ſed etiam ſine hæreſis anathematizatione ſuſciperent, quod poſterius plurimum improbat *Epiſt.86.* ut referemus infra *cap.11.* Ideò pauculo temporis lapſu videntur Pelagiani ſine ulla Pœnitentia, & manus impoſitione per ſolam hæreſis anathematizationem in Eccleſiam admiſſi.

XII. Joannes Climacus gradu Scalæ ſuæ 15. paucis verbis ſui temporis praxim evidentiſſimè nos docet, *Vir quidam,* inquit, *ſcientiſſimus problema terribile quæſivit ex nobis. Quod inquiens peccatum omnibus gravius eſt, homicidio, Chriſtique abnegatione excepto? Cùmque illi reſpondiſſem, in hæreſim labi. Et quonam, inquit, modo Catholica Eccleſia Hæreticos quidem, cùm hæreſim priorem toto animo repudiaverint, atque anathematizaverint, ſuſcipit ad ſanctorum myſteriorum communionem, & ut idoneos admittit; cùm verò qui in fornicationem lapſus fuerit, confitentem, atque peccatum ipſum omnino deſerentem introrſus ſuſcipiens, per annos aliquot eum à venerandis, immaculatiſque myſteriis ex traditione Apoſtolica ſeparare permittit.* Manifeſtum eſt ſtatim poſt fidei profeſſionem nulla pœna impoſita admiſſos Hæreticos. Joannes Abbas Raythu Climaci diſcipulus commentans verba iſta Magiſtri ſui illa confirmat, & eorum rationem reddit, *Hæreſis quidem malum in anima conſiſtit, fornicatio verò ex electione arbitrii animæ malo conſentiens, in corpore corruptionis peccatum complevit. Quoniam verò nihil eſt naturale quod impugnet eum qui ab errore convertitur, totaliter ex converſione mundatur. Qui verò ex fornicatione tempore indiget, labore, & lachrymis, ut qualificatam, & infuſam delectationem, & plagam concupiſcentiæ avertat.* Ita Joannes de hoc Pœnitentiæ imponendæ diſcrimine, & non abs re philoſophatur.

XIII. Quum præter hæreſim alia crimina publicè innotuerant, tum longa, & dura Pœnitentia hæretici ad Eccleſiam redeuntes puniebantur, ut nonnulla teſtimonia jam allegata demonſtrant, niſi forſan iterùm magnum aliquod periculum ex illius ſeveritatis obſervatione Eccleſiæ immineret; Nam in omni Republica bene conſtituta hæc lex ſemper viget, ſalus populi ſuprema lex eſto. Hoc notanter excipit Siricius Pontifex *Epiſt. 4. cap.8. Venientes à Novatianis, vel Montenſibus per manus impoſitionem ſuſcipiantur, præter eos quos rebaptizant.* Sanctus Innocentius *Epiſt.2. cap.8. Ut venientes à Novatianis, vel Montenſibus per manus tantùm impoſitionem ſuſcipiantur: quia quamvis ab Hæreticis, tamen in Chriſti nomine ſunt baptizati, præter eos, ſi qui forte à nobis ad illos tranſeuntes, rebaptizati ſunt. Hi ſi reſipiſcentes, & ruinam ſuam cogitantes, redire voluerint, ſub longa Pœnitentiæ ſatisfactione admittendi ſunt.* Idem docet *Epiſt.22. cap.5.* de iis qui ab Eccleſia ad Bonoſianos confugientes ab iis baptizati, & ordinati fuerant. Ejuſmodi enim vult ſub longa Pœnitentia eſſe recipiendos, & ad ſacros ordines nunquam promovendos.

XIV. Hanc materiam fuſè tractat Felix III. Epiſtola 7. ſingulaſque circumſtantias examinat. Referam tantùm quod decernit in Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, qui vel volentes, vel etiam coacti permiſerunt ſe rebaptizari, *Sed quia idem Dominus, atque ſalvator clementiſſimus eſt, & neminem vult perire, uſque ad exitus ſui diem, in Pœnitentia (ſi reſipiſcunt) jacere convenit; nec orationi non modò fidelium, ſed nec Catechumenorum omnimodis intereſſe, quibus communio Laica tantùm in morte reddenda eſt.* Poſteà definit, quæ Pœnitentia aliis Clericis, & Monachis ſit imponenda, quæ Laicis, quæ pueris, qui idem paſſi ſunt, Paucis idem docet S. Leo *Epiſt.3.* ubi ſcribit, Clericos, qui à Catholica ad Hæreſim lapſi ſunt, ſi reſipiſcant, profeſſione fidei facta recipi poſſe in eodem in quo erant gradu, cùm defecerunt, ſed omni ſpe promotionis adempta, *Si tamen,* inquit, *iterata tinctione non fuerint maculati.* Simile ſæpius *Act. 1. & 3.* ſeptimæ Synodi dictum legitur de Hæreticorum Anteſignanis. *Thaxaſius ſanctiſſimus Patriarcha dixit, Plurimi jam Canonici, ſanctarumque Synodorum, & Patrum libri lecti ſunt, qui docent nos, reverſos ab hæreſi recipere debere, modò non ſubſit improba aliqua cauſa.* Et paulò poſt in eadem prima actione Monachi omnes, *Juxta ſex ſanctas, & œcumenicas Synodos ex hæreſi redeuntes recipimus, niſi cauſa quæpiam non toleranda ſubſit.* Capite ſequente referentur ex S. Auguſtino iſtius praxis præclaræ rationes.

XV. Concilium primum Valentinum in Gallia *c.3.* ejuſmodi Apoſtatas qui à Catholica ad hæreſim defecerant, ſeſeque altero baptiſmo inquinaverant, redeuntes graviſſima Pœnitentia mulctat, eoſque æquiparat iis, qui ſe Dæmonum ſacrificiis ſponte polluerunt, *Circa eorum perſonas qui ſe poſt unum, & ſanctum lavacrum, vel prophanis ſacrificiis Dæmonum, vel inceſta lavatione polluerunt, eam cenſuræ formam duximus eſſe ſervandam, ut his juxta Synodum Nicænam, ſatisfactionis quidem aditus non negetur, ut infelicibus lachrymis, vel ſolatii janua deſperatione claudatur: Aſtuti verò Pœnitentiam uſque in diem mortis, non ſine ſpe tamen remiſſionis, quam ab eo plenè ſperare debebunt, qui ejus largitatem, & ſalus obtinet, & tam dives miſericordia eſt, ut nemo deſperet.* Nullos eorum Pœnitentiæ terminos figit. Concilium Ilerdenſe *c.9.* gravem admodum iiſdem ſponte rebaptizatis Pœnitentiam imponit, præcedente tamen clementiorem. Annis ſeptem jubet eos cum Catechumenis orare, hoc eſt, ſubſtrationis ſtationi ſubſiſtere, *Et poſteà moderatione, & Clementia Epiſcopi fidelibus in oblatione Euchariſtiæ communicare.*

XVI. Eadem *ἀναλογὸς* aliorum criminum ratio, cùm ea perpetraverant in hæreſi, quæ Pœnitentiam publicam ſecundùm canones exigebant. Ideo ſtatuitur in Concilio Milevitano 2. *cap.23. Placuit, ut quicunque converſus ab Hæreticis, dixerit ſe apud eos Pœnitentiam accipere, Unuſquiſque Catholicus Epiſcopus requirat, ubi, & ob quam cauſam apud eoſdem Hæreticos Pœnitentiam ſuſceperit, ut cùm documentis certis hoc ipſum approbaverit, ſibi pro qualitate peccati, ſicut eidem Epiſcopo Catholico viſum fuerit, tempus Pœnitentiæ, vel reconciliationis decernat.* Ex his manifeſtum eſt gratiam hæreſi factam non cæteris criminibus ad Pœnitentiam damnatis.

XVII. Ex iis, quæ dicta ſunt, manifeſtum eſt *can.60.* Concilii Agathenſis, quem integrum renovant Patres Concilii Toletani 17. *cap.13.* cùm ait, *Grandem redeundi difficultatem ſanxiſſe antiquos Patres,* iis, qui in Catholica fide baptizati in hæreſim prolabuntur, non eſſe ſimpliciter de Hæreticis intelligendum, ſed vel de Hæreticorum Anteſignanis, vel de iis, qui gravia aliqua crimina hæreſi conjunxerant, vel qui denuò ſeſe ab Hæreticis baptizari permiſerant. Nam ut ait S. Leo *Epiſt. 13. Sedis Apoſtolicæ moderatio hanc temperantiam obſervat, ut & ſeverius agat cum obduratis, & veniam cupiat præſtare correctis.* Hoc demonſtrat Concilium Aurelian. 4. *cap. 8.* poſt Agathenſe 39. annis celebratum. Nihil enim grave Hæreticis propter Hæreſim decernit, ſed omnia Epiſcopi relinquit arbitrio, *Qui poſt baptiſmi Sacramentum ad Hæreſis lapſum, carne ſuadente, deſcendunt, & reatum agnoſcentes, ad unitatem fidei Catholicæ venire deſiderant; in Epiſcoporum poteſtate conſiſtat, cùm eos viderint dignam Pœnitentiam agere, quando vel qualiter communioni priſtinæ reformentur.*

XVIII. Quoddam præterea genus Hæreticorum alio difficilius eſt. Manichæi præ cæteris examinabantur, & probabantur, ut legere eſt in Commonitorio S. Auguſtini de ſuſceptione Manichæorum, quod habetur in fine *tom.* 10. *Nec facilè admittantur ad baptiſmum, ſi Catechumeni ſint, nec ad reconciliationem, ſi Pœnitentiæ locum acceperint, niſi periculo mortis urgente: vel ſi quos aliquanto tempore probatos eſſe cognoverit Epiſcopus per eorum teſtimonium, quibus fuerint commendati.* Et in fine Commonitorii ſic de Manichæorum Electis tradit, *Electi verò eorum, &c. non facilè dandæ ſunt literæ, ſed cum Dei ſervis eſſe debebunt, ſive Clericis, ſive in Monaſterio, vel Xenodochio, donec appareat penitus ipſa ſuperſtitione caruiſſe, & tunc vel baptizentur, vel reconcilientur, ſi Pœnitentiæ locum acceperint: nec acceptis cito literis, loca, in quibus fuerant commendati, deſerant.*

XIX. Rigidior fuerat in Manichæos Syricius Pontifex, referente antiquo Pontificali: Conſtituerat enim, *Ut ſi quis converſus de Manichæis rediret ad Eccleſiam, nullatenus communicaret, niſi tantùm relegationi Monaſterii diebus vitæ ſuæ teneretur obnoxius, ut jejuniis, & orationibus maceratus, probatus ſub omni examinatione uſque ad ultimum diem tranſitus ſui humanitate Eccleſiæ viaticum eis largiretur.* Si ſincerum eſt hoc decretum, in quoſdam Manichæorum Anteſignanos, aut aliquos pertinacia, & ſcelere famoſos latum eſt. Vel potius id, quod factum eſt, à S. Leone ab Anaſtaſio Pontificalis auctore Syricio tribuitur, ut aliquis olim Epiſtolam adverſus Manichæos ex Epiſtolis S. Leonis conſarcinatam edidit ſub Anaſtaſii I. nomine, qui annis fere 40. obierat ante Leonis Pontificatum. De Manichæis autem nihil aliud ſtatuit Leo quàm ſecundum ea, quæ de Hæreticis diximus: Ita enim Epiſt. 2. ad Epiſcopos Italiæ, de quibuſdam Manichæis à ſe in urbe deprehenſis, *Quos potuimus emendare correximus, & ut damnarent Manichæum cum prædicationibus, & diſcipulis ſuis publica in Eccleſia profeſſione, & manus ſuæ ſubſcriptione compulimus, & ita de voragine impietatis ſuæ confeſſos Pœnitentiam concedendo, levavimus.* Manichæi illi, utpote recens corrupti, in Eccleſia baptizati fuerant, alias enim per baptiſmum, non per Pœnitentiam ei reconciliati fuiſſent. Nunc audi, quid de Anteſignanis, & pertinacibus ſtatuerit: *Aliquanti verò, qui ita ſe demerſerant, ut nullum his auxiliantis poſſet remedium ſubvenire, ſubditi legibus ſecundùm*

Chri-

Digitized by Google

Chriſtianorum Principum conſtituta , ne ſanctum gregem ſua contagione polluerent , per publicos Judices perpetuo ſunt exilio relegati.

XX. His ſubteximus Abſolutionis, ſive Reconciliationis formulas dari ſolitas iis, qui in Eccleſia Catholica baptizati ab Hæreticis ſeſe iterum baptizari permiſerant, cùm è Pœnitentiæ ſtadio emittebantur. Eaſdem prorſus in tribus antiquiſſimis Manuſcriptis Ritualibus ſive Sacramentariis, Petaviano, Toloſano, & Siculo reperimus.

RECONCILIATIO REBAPTIZATI AB HÆRETICIS.

OMnipotens Pater miſericordiarum , & Deus conſolationis , qui pee unigenitum tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ita regenerationis humanæ conſecraſti myſterium , ut nec in eis , qui fraude diabolicæ malignitatis à baptiſmi unitate diſcedunt, nulla poſſit iteratione reſcindi. Quia cùm geminatur, à ſacra lege non virtus indiſtæ conſecrationis excluditur, ſed injuria fidei Sacramentis manentibus irrogatur . Ideò cùm ad veram matrem Eccleſiam Catholicam tui muneris aſpiratione reſipiſcentes Apoſtatæ redeunt , non quod amiſerunt baptiſmum recipiunt, ſed quod in ſe permanenti fecerint contumeliam, veracis Pœnitentiæ ſatisfactione reparatur . Hinc tuam miſericordiam, pater Sancte, ſupplices exoramus, ut hunc famulum tuum ad ſancta tua, quæ reliquit, atria revertentem, immenſa benignitate ſuſcipias, & piiſſima propitiatione ſalvifices, ut qui ruinæ ſuæ lapſum anathematizando nunc Arium jugi lamentatione caſtigat, dignæ Pœnitentiæ fructus te miſerante perficiat . Tuo quippe reſpectu ſatisfactionis ſumpſit initium, tuo munere de perditionis ſe jam ſentiat longinquitate regreſſum. Longiùs enim à te tam conlatę fidei negatione, quàm operum pravitate diſceditur . Unde quæſumus , ut ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum immaniſſima ſupplicis tui remittatur impietas, & aberrantem longius ab itinere ſalutis ęternę tuo dignetur revocare Majeſtas . Nos autem ſicut in exequendis myſteriis tuis probamur indigni, ita de tua ſumus miſeratione certiſſimi , & ob hoc non audemus revertenti, atque pulſanti reconciliationis januam claudere, cui ad revertendum cordis oculos te confidimus revelaſſe . Et licèt actioni Pœnitentię metas temporum praefigamus , tamen quia non ſolum diem mortis , ſed & qualitatem pectoris ignoramus, ſic eum ad ſpem reconciliationis admittimus , ut affectum jugis pœnitudinis non omittat , ſed perenni timore continua lamentatione redivivus, & Sacramentorum cęleſtium communione mereatur eſſe perpetuus . Per.

ALIA MINORE ÆTATE.

Deus, qui hominem ad imaginem tuam conditum in id reparas quod creaſti, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum , & quidquid ignorantię ipſius heretica pravitate irrepſit, indulgentia tuę pietatis ignoſce, ut quod in eo Diaboli fraude commiſſum eſt, & nequitia Arianę perfidię nocuit , non ei reputetur ad culpam, ſed membrum Eccleſię Catholicę remiſſionis tuę clementia reformetur, ut altaribus ſacris recepta veritatis tuę communione reddatur. Per.

ITEM ALIA MINORE ÆTATE.

Deus humani generis conditor, & redemptor ; Deus qui factum eam ſimilitudinis , & imaginis tuę ſecundùm divitias bonitatis tuę in id reparas quod creaſti , reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum, ut quidquid ignorantię ipſius neceſſitas hoſtilitatis inflixit , indulgentia tuę pietatis ignoſce, ut in eo, cui adhuc intelligentia integra non ſuppetit, nihil reputetur ad culpam, ſed Eccleſię membrum remiſſionis tuę benignitate reputetur . Per.

In Petaviano codice nonnulla correximus ex ſiculo , & Toloſano, quæ erant apertæ ſcribarum mendæ, ut pro *recenſendi* quod erat in Petaviano, repoſuimus ex ſiculo, & Toloſano *reſcindi*. Sic, *metas temporum præficiamus* , repoſuimus, ex utroque, *præfigamus*. Sic , *heretica pravitas irrepſit* , repoſuimus, ex Siculo *pravitate*, Una aut altera erat varia lectio tolerabilis, ut, *diſceditur* Siculus, *diſceſſerat* ut *inflixit* , Siculus & Toloſ. melius, *inflixit*, & ultima dictio , *reputetur* . Siculus , & Toloſanus *reparetur* . Melius in Toloſano, *cum geminatur à ſacceilegis* , quam *à ſacra lege*. Ex horum comparatione facile, eſt Lectori colligere quid ſit diſcriminis inter receptionem Hæreticorum per manus impoſitionem ad excipiendum Spiritum ſanctum , & manus impoſitionem in Pœnitentiam, ſive quod idem eſt , inter receptionem Hæreticorum per Sacramentum Confirmationis, & per Sacramentum Pœnitentiæ. Si quis præterea conſideret orationum verba , præcipuè primæ, quæ longior eſt , evidenter illi conſtabit fuſas eſſe ſuper Hæreticum, qui ab Eccleſia ad Arianiſmum defecerat, & ſe denuò baptizari permiſerat.

CAPUT IX.

Orientalis Eccleſia Hæreticos extra Catholicam baptizatos ad eam redeuntes per chriſmatis unctionem reconciliavit. Sanctus Baſilius diviſorum ab Eccleſia tres claſſes conſtituit, & triplicem reconciliationem . Concilium Generale 2. baptizatorum extra Eccleſiam duas claſſes , ſed ſextum tres claſſes alio modo quàm Baſilius. Theodori ſtuditæ Monachi , Timothei Presbyteri , Methodii , Marci, & Balſamonis Patriarcharum , & trium antiquiſſimorum Euchologiorum teſtimonia . Græci antiquiores plerique manus impoſitionem Confirmationi adhibuerunt. Non omnes antiquiſſimi in recipiendis Hæreticis unctione uſi ſunt . Canonis 8. Nicæni ſincera interpretatio . In ratione reconciliandi Hæreticos Methodo attributa nonnulla adulterina . Græci Neoterici malè confundunt reconciliationem Hæreticorum cum reconciliatione Apoſtatarum ab Eccleſia . Confuſio illa Balſamone, & Harmenopulo antiquior . Iidem nunc Sacramentum Confirmationis repetere ſolent .

DIfficile eſt ſecundi Hæreticorum generis teconciliationem cum Eccleſia una propoſitione, vel regula definire . Non enim ſolum permulta ſunt antiquorum Patrum de hac reconciliatione teſtimonia, ſed etiam varia , & multiplicia . Ea Lectoris ob oculos certo quodam ordine proponemus , ne confuſa varietas intelligendi difficultatem pariat . Hæc igitur ſit ſexta propoſitio, *Hæreticos extra Eccleſiam validè baptizatos ab errore reſipiſcentes, Orientales Eccleſiæ per chriſmatis unctionem, ſive per Sacramentum confirmationis in communionem ſuam receperunt* . Iſta propoſitio videtur in Oriente univerſaliter vera , nullamque ad Neſtorium uſque exceptionem admiſiſſe : Neſtoriani enim, & poſt eos Eutychiani , atque etiam Iconoclaſtæ per ſolam fidei profeſſionem admiſſi ſunt, ut infra docebitur . Nunc etiam iſta recipiendi Hæreticos ratio admodum apud eos ſolemnis eſt, omnibuſque eorum Euchologiis celebratur , ſed eam, ut infra docebitur , longius æquo ſæpè diffundunt .

II. Antiquum Concilium Laodicenum *cap.* 7. jubet, Novatianos , Photinianos, & Teſſaradecatitas hæreſis ſuæ ejeratione , *Fidei ſymbola diſcentes, & ſancto chriſmate inunctos ſanctis myſteriis communicare* . Hæc eſt antiqua , & ab Apoſtolis accepta traditio . Hæreticorum baptiſmum non eſſe repetendum , ſed vim qua caruit eſſe Unctionis Sacramento ſuſcitandam . Ita enim Juſtinus Martyr , aut alius ſed antiquus auctor in reſponſionibus ad Orthodoxos *quæſt.* 14. interrogatus quamobrem ab Hæreticis baptizatus, cùm ad Eccleſiam revertitur , alio baptiſmo non imbuitur , reſpondet , *Hæretici ad Orthodoxiam tranſeuntis Lapſus corrigitur ; pravæ quidem opinionis, mutatione ſententiæ ; baptiſmi autem , unguenti ſancti unctione , τῇ ἐπιχρίσει τοῦ ἁγίου μύρου.*

III. Sanctus Baſilius *can.* 1. Epiſtolæ ad Amphilochium fusè hanc diſciplinam ediſſerit . Eos, qui ſeparati ſunt ab Eccleſia, in tres claſſes ſecundùm Antiquos , ut ait , diſtinguit . Hæreſes , Schiſmata , & Paraſynagogas , ſive illegetimos conventus . Unamquamque claſſem ſic definit , *αἱρέσεις μὲν , τοὺς παντελῶς ἀπερρηγμένους , Hæreſes quidem , eos qui omnino abrupti ſunt, & ſecundùm ipſam fidem abalienati . Schiſmata autem, qui propter aliquas Eccleſiaſticas cauſas , & medicabiles quæſtiones ζητήματα ἰάσιμα, inter ſe diſſident . Paraſynagogas verò , Congregationes, quę fiunt à rebellibus Presbyteris vel Epiſcopis , & indocta plebe.* Primæ claſſis exemplum proponit, Manichæos, Valentinianos, Marcionitas, & Pepuzenos, ſeu Montaniſtas: Secundæ verò, Catharos, Encratitas, Hydroparaſtatas, & Apotactitas. Tertiam autem ſic deſcribit, *Veluti cùm quis criminis convictus , & ideò ſacro miniſterio prohibitus, canonibus ſe non ſubmittit , ſed ſibi præſulatum , & ſacrum miniſterium vindicat , & cum eo aliqui relicta Eccleſia Catholica ſecedunt . Hoc eſt* , inquit, *Paraſynagoga. Παρασυναγωγὴ τὸ τοιοῦτον.* Primam Hæreticorum claſſem dicit eſſe rebaptizandam , eo quod cum ſanctæ, & ſolius Trinitatis invocatione baptizati non ſunt .

IV. De ſecunda claſſe ſcribit eſſe antiquitus dubitatum: *Antiquis viſum eſt, Cypriano dico , & noſtro Firmiliano eos omnes uni calculo ſubiicere, Cataros & Encratitas , & Hydroparaſtatas, & Apotactitas; quoniam ſeparationis quidem principiū per Schiſma , qui autem ab Eccleſia defecerunt , non habent ampliùs*

in ſemetipſis gratiam Spiritus ſancti. ἐκλέλοιπε γὰρ ἡ μετάδοσις τῷ διακοπῆναι τὴν ἀκολουθίαν. *Defecit enim, & reſtincta eſt ejus participatio, per abruptionem conſequentiæ. Qui enim primi receſſerunt, ordinationem à Patribus habebant, & per manus impoſitionem habebant ſpiritualem gratiam. Qui autem abrupti ſunt, Laici effecti, nec baptizandi, nec ordinandi habent poteſtatem, ut qui non poſſint ampliùs Spiritus S. gratiam aliis quoque præbere, à qua ipſi exciderunt, &c.* Videtur Sancto Cypriano, & Firmiliano Prædeceſſori ſuo admodum ſavere: Tandem tamen ſententiæ Stephani Pontificis acquieſcit, ſentientis ſecundæ claſſis Hæreticos non eſſe baptizandos. Sic enim decernit, *Sed quoniam nonnullis Aſiaticis omnino viſum eſt propter multorum œconomiam, & diſpenſationem etiam baptiſmu ſuſcipi, ſuſcipiatur.* Quidquid ſit, ſi probatus fuerit hic baptiſmus, cui conſuetudini non contradicit, jubet omnino, ut cùm hoc baptiſmo ſuſcipiendi ungantur, antequam myſteriorum participes fiant. *Omni autem ratione ſtatuatur, ut qui ex illorum baptiſmo accedunt, ungantur à fidelibus, & ſic ad myſteria accedant.* Itaque baptiſmo hoc probato unctionem planè neceſſariam arbitratur, ut per eam gratiam Spiritus ſancti conſequantur, quam per baptiſmum Hæreticorum adipiſci non potuerunt.

V. Tertiam claſſem eorum, qui ſe ab Eccleſia ſeparaverunt, cenſet per Pœnitentiam correctos Eccleſiæ reconciliari oportere, *Eos autem, qui ſunt in Paraſynagogis, & illegitimis conventibus, convenienti Pœnitentia, & converſione correctos, rurſus Eccleſiæ conjungere.* Scribit ab antiquis hoc eſſe decretum; hancque diſciplinam conſimili illuſtrat, *Ut ſæpe ii, qui in gradu collocati cum rebellibus abierunt, poſtquam eos pœnituerit, in eundem ordinem admittuntur.* Ut Schiſmaticorum tria genera conſtituit, ſic & reconciliationis. Quemadmodum autem primum, & ultimum reconciliationis genus Sacramento celebratur, Baptiſmo, & Pœnitentia, ſic videri poteſt, & medium. Deinde cur unctionem illam, ſecundo Hæreticorum generi reconciliando neceſſariam prædicat, & velut gratiæ Spiritus ſancti amiſſæ reparatricem tantopere urget? Hanc difficultatem, quæ ſequuntur teſtimonia diſertè, & κατὰ λέξιν dirimunt.

VI. Secundum Concilium generale *canon.* 7. omnes Hæreticos extra Eccleſiam baptizatos in duo genera dividit. Tertium enim genus à Sancto Baſilio adnotatum Hæreticis propriè adnumerari non poteſt, cum ex hypotheſi à Sanctæ Eccleſiæ dogmatibus non diſſentiat, & eos tantum complectatur, qui in ea baptizati ſunt, de quorum baptiſmo ne Cyprianus quidem hæſitaſſet. Nemo igitur dubitare potuit, ejuſmodi Schiſmaticos per Pœnitentiæ Sacramentum in Eccleſiam eſſe recipiendos. Primum genus Hæreticorum, quod Concilium commemorat, eorum eſt, qui Baptiſmum extra Eccleſiam validè ſuſceperunt. Inter eos recenſet Arianos, Macedonianos, Sabbatianos, Novatianos, Quatuordecimanos, & Apollinariſtas, quos ſic ex antiqua conſuetudine recipiendos docet, *Dantes quidem libellos, & omnes hæreſim anathematizantes, quæ non ſentit, ut ſancta Dei Catholica, & Apoſtolica Eccleſia; & ſigillo ſignatos, id eſt, unctos primùm ſancto chriſmate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures: & eos conſignantes dicimus, ſignaculum doni Spiritus ſancti.* Alterum genus eorum eſt, quorum baptiſmus ab Eccleſia judicatur invalidus, quos ideo ad Eccleſiam redeuntes dicit eſſe per baptiſmum non ſecus ac Græci, & Pagani recipiendos. Animadvertet autem Lector in priore reconciliatione purum putum adhiberi Confirmationis, ut in Oriente adminiſtrari ſolet Sacramentum, non modò materialiter, ut ajunt, ſed etiam formaliter. Nec enim alia materia Græci utuntur, aut unquam uſi ſunt, quam τῷ μύρῳ hoc eſt, unguento ex oleo, Balſamo, aliiſque pluribus odoribus compoſito, & variis orationibus conſecrato: aut alia verborum formula quàm iſta, Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. Ungere etiam ſemper ſoliti ſunt, cùm hoc Sacramentum adminiſtrant, eaſdem corporis partes, quæ hic enumerari legis. Deinde cum ceremonia illa iſtis Hæreticis reconciliandis ſola adhibeatur, nec ulla alia non modo à Patribus Concilii iſtius, ſed etiam à pluribus aliis, quos ſecundum ſeculorum ſeriem referemus, commemoretur, ſi Sacramenti nomen ei concedere reformidas, maximi momenti fuiſſe ceremoniam planè neceſſarium eſt. Denique huic ceremoniæ eandem vim tribuunt ad reconciliandos Deo, & Eccleſiæ Hæreticos, quorum ratus eſt baptiſmus, quàm baptiſmo ad Catechumenos Deo conciliandos, & Eccleſiæ incorporandos. Quòd ſi res aliter ſe habet, mira ſanè res eſt, & ſtupenda, quod in negotio tanti momenti, de quo in Eccleſia tamdiu altercatum eſt, unius ceremoniolæ tantùm mentionem faciant, efficacis verò, & ſalutaris medicinæ nuſquam. His adde, quod Græcorum ritualia, & manualia, antiquiſſima, antiqua, & recentia, quæ ſigillatim Sacerdotes, & Pontifices docent, qua ratione Sacramenta, & divina officia celebrare debeant, nihil aliud ad reconciliandos illos Hæreticos moneant, aut adiiciant, ut ex iis, quæ ſequuntur, erit manifeſtum.

VII. Canon ille ſeptimus ſecundæ Synodi in ſexta *can.* 95. repetitus eſt, & confirmatus; nihilque in eo quod ad illos Hæreticos attinet, adjectum, imminutum, aut explicatum. Theodorus Studita, qui celeberrimus erat Chriſti Confeſſor anno 800. & ſequentibus interrogatus à Naucratio, qua ratione Hæretici in Eccleſiam reciperentur, tres modos recipiendorum Hæreticorum ad Eccleſiam revertentium ex S. Epiphanio enarrat; duos priores eoſdem quos jam ex Concilio 2. retulimus: tertium eundem, quem in Trullo cum duobus prioribus legimus, de quo infra capite ſingulari. Theodori verba referuntur in Collectaneis, quæ addita ſunt commentariis Balſamonis in antiquos canones. Eadem autem Theodori, quæ & S. Baſilii, cujus integrum ferè canonem refert, & explicat. In Juris Orientalis *lib.* 4. *pag.* 290. inſerta eſt Epiſtola Anonymi cujuſdam Patriarchæ CP. ad Martyrium Epiſcopum Antiochenum, in qua explicatur, *Quo pacto ſint recipiendi Hæretici ad ſanctam univerſalem Eccleſiam accedentes.* Modus autem eos recipiendi non eſt diverſus ab eo, quem ex illis Conciliis explicavimus: Dant libellos, hæreſim ſuam, & omnem aliam anathematizantes, deinde unguento ſacro inunguntur, ſive chriſmantur, frons, nares, pectus, *Et omnes ſenſus, atque inter ungendum dicimus, ſignaculum donationis Spiritus ſancti.* Alii, ut ibi videre eſt, atque etiam *cap.* 7. *Concilii* 2. Catechumeni fiunt, Exorciſmis purgantur, & baptizantur.

VIII Libro 5. ejuſdem operis Marcus Patriarcha Alexandrinus multa ſciſcitatur Balſamonem Patriarcham Antiochenum. Interrogatio 29. eſt, qua ratione, Neſtoriani, Jacobitæ, & alii Hæretici recipi debeant. Quid illi reſpondet Balſamon? Nihil aliud illi quàm canonem 95. in Trullo proponit, quem ideò propè integrum repetit. Deinde reſponſum ſuum his verbis concludit, & finit, *Itaque juxta canonis hujus tenorem alii quidem Hæretici lavacro ſanctificantur; alii autem ſacro duntaxat unguento conſecrantur.* Denique in iiſdem Collectaneis poſt commentarios Balſamonis inſertum eſt, quoddam reſponſum Timothei Presbyteri, quod refertur quoque in Bibliotheca Patrum, & fuſius à Poſſevino in apparatu ſacro, quo triplex quoque admittendi Hæreticos differentia enarratur. Viginti quinque Hæreticorum genera recenſet, quæ ad Eccleſiam redeuntia baptizari oportet; ſex quæ chriſmate unguntur, & Neſtorianos, multoſque alios his poſteriores, quæ nec baptizantur, nec unguntur, ſed per ſolam Hæreſis anathematizationem admittuntur. Ita, inquit ille, juxta morem omnium Patriarchalium, & Metropoliticarum Eccleſiarum recipiuntur Hæretici ad Eccleſiam revertentes. Notat aliquid in tertio genere omnium conſenſu immutatum eſſe, de quo infra diſſeretur. Sic quoque Ariſtænus *canon.* 8. Concilii Nicæni ediſſerens triplicem Hæreticorum reconciliationem diſtinguit. Alii baptizantur, alii chriſmate unguntur, alii ſolum anathematizant hæreſim. Ad ſecundam claſſem Novatianos revocat. Hoc velut à Patribus Nicænis omiſſum ſupplet.

IX. Eandem doctrinam, & conſuetudinem non modò teſtantur antiquiſſima Græcorum Euchologia, & Sacramentaria; Verumetiam orationum, ceremoniarum, rituumve, quibus tota hæc actio adminiſtratur, minutias nobis explicant. Ejuſmodi tria habemus: Antiquiſſimum Euchologium Barberinum annorum octingentorum canicie venerandum. Secundum Euchologium Monaſterii Cryptæ Ferratæ propè Romam. Tertium eſt Bibliothecæ Regiæ, è quo, quæ ad hanc cauſam pertinent jam evulgavit, & Latina fecit Petrus de Marca, eruditiſſimus Conſoranenſis Epiſcopus, quod ab aliis nullomodo differt. Varias lectiones ad marginem adnotavimus, unde fit, ut unius exemplaris deſcriptione tria tibi præſto ſint. In Cryptæ ferratenſis codice titulus eſt, Ἐκ τοῦ εὐχολογίου τοῦ πατριαρχικοῦ πῶς δεῖ δέχεσθαι, &c. *Ex Euchologio Patriarchico quomodo recipere oportet, &c.* Quibus verbis manifeſtum fit, hunc recipiendi Hæreticos morem in Græcia ſolemnem fuiſſe, & ab omnibus, qui Eccleſiæ matrici, & primariæ adhærerent obſervatum.

X. Diligenter inſuper notabit in tribus illis Euchologiis, Sacerdotem cum orationem ſuper recipiendum fundit, manum ſuper caput illius imponere, quod à Græcis factum in Sacramento Confirmationis adminiſtrando vix unquam alibi reperies. Illi enim ſolo chriſmate in hoc Sacramento utuntur, ajuntque chriſma manus impoſitionis, qua utebantur Apoſtoli, vicem agere. Videtur tamen Clemens eam uſurpaſſe in Sacramento Confirmationis, & uſurpandam præcepiſſe *lib.* 7. *cap.* 45. Concilium quoque Nicænum *c.* 8. Ubi ſtatuit, qua ratione in Eccleſiam

cleſiam recipiendi ſint Cathari, *Sanctæ magnæ Synodo viſum eſt, ut impoſitis eis manibus ſic clero maneant*. Manifeſtum videtur, eos per manus impoſitionem in Eccleſiam admiſſos fuiſſe. Unctionis nulla eſt mentio. Ita quoque Firmilianus Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus ad S. Cyprianum ſcribens ſæpe impoſitionem manuum in Spiritum ſanctum commemorat, docetque, Hæreticis poſt repetitum baptiſmum manus eſſe imponendas, ſed Unctionis non meminit. Similiter Dionyſius Alexand. apud Euſebium *lib. 7. cap. 2.* referens controverſiam inter Cyprianum, & Stephanum Papam nullius Unctionis mentionem facit, ſed ſolius baptiſmi, & manus impoſitionis. Non abs re conjici poſſet, & Firmilianum, & Concilii Patres, ſaltem in Hæreticorum ad Eccleſiam ſuſceptione, Unctionem non adhibuiſſe, ſed ſolam manus impoſitionem.

XI. Canonem Concilii Nicæni variè interpretantur: Ex duabus enim antiquis verſionibus una χειροθεσίαν interpretatur ordinationem, quam ſequitur Gratianus 1. *quæſt. 7. c.* 8. & quidam Monachi actione prima ſeptimæ Synodi. Verùm eos redarguente Taraſio Patriarcha Conſtantinopolitano, & χειροθεσίαν benedictionem transferente lubentes acquieſcunt. Benedictio autem dicitur illi manus impoſitio, quia ſemper eſt cum benedictione conjuncta, ut multis ſupra probatum eſt. Denique ab ipſa Eccleſiæ praxi perſpicuè demonſtratur χειροθεσίαν hoc loco ordinationem ſignificare non poſſe; eo quod nuſquam auditum ſit, Novatianos ad Eccleſiam Catholicam redeuntes iterum ordinatos fuiſſe. Contrariumque non modò docet, ſed faciendum eſſe præcipit poſterior pars ejuſdem canonis, quæ jubet eos in Clero, atque in eodem quo reperiuntur ordine perſeverare; ea cautione adhibita, ut ſi in urbe duo ſunt Epiſcopi, Catholicus unus, Novatianus alter: Novatianus Presbyteri vices agat, aut in diœceſis parte ſit Choepiſcopus, ne duo ſint in una urbe Epiſcopi. Manifeſtum eſt igitur χειροθεσίαν eo loco manus impoſitionem in Spiritum ſanctum, cujus virtute Hæretici ad Eccleſiam admittuntur, non iteratam ordinationem ſignificare. His accedit quod illa manus impoſitio conjungitur in illo canone cum hæreſis abjuratione, & Catholicæ fidei profeſſione; qua conjunctione manifeſtiſſimè demonſtratur idem docere eo loco Nicænos Patres quod hoc capite de Hæreticorum admiſſione ex aliis Patribus docuimus, & cap. ſequente fuſius docebimus, Hæreticos per manuum impoſitionem in Spiritum ſanctum, præcedente hæreſis abjuratione, & fidei profeſſione, fuiſſe receptos.

XII. Ariſtænus canonem ſic intellexit, Οἱ λεγόμενοι καθαροὶ προσερχόμενοι, πρῶτον ὁμολογείτωσαν ὅτι συνθήσονται τοῖς τῆς ἐκκλησίας θεσμοῖς. καὶ κοινωνήσουσι διγάμοις. καὶ συγχωρήσουσι τοῖς παραπεπτωκόσι. Καὶ οὕτως οἱ εὑρισκόμενοι κεχειροτονημένοι, εἰ ἐν τῷ αὐτῷ μένωσι τάγματι, ὥστε μὲν κυρίως ἐπίσκοπος εἶη ἐπίσκοπος. ὁ δὲ παρὰ τοῖς καθαροῖς ἐπίσκοπος, ἔστω, ἢ πρεσβυτέρου τιμὴν, ἢ ἐπισκόπου κεκτήσθω. οὐ γὰρ ἔσονται δύο εἰς μίαν πόλιν ἐπίσκοποι. *Cum ii, qui dicuntur Cathari accedunt, primùm polliceantur ſe Eccleſiæ legibus conſenſuros, cum Bigamis communicaturos, & Lapſis parcituros. Et ſic qui apud eos inveniuntur ordinati, maneant in eodem ordine: Ita tamen ut qui principaliter eſt Epiſcopus, maneat Epiſcopus; Qui verò eſt Catharorum Epiſcopus, Eſto, vel Presbyteri honorem obtineat, vel Epiſcopi. Duo enim in una urbe non erunt Epiſcopi*. Eadem omnino de validitate ordinationis eorum teſtatur Zonaras, *Quod enim in fide nihil ejuſmodi homines offenderint, ſed tantùm fraterno odio, veniaque reſipiſcentibus deneganda peccaverint*, διὰ τοῦτο καὶ τὴν χειροτονίαν αὐτῶν ἡ σύνοδος ἐδέξατο, *Propterea Synodus eorum ordinationem ſuſcepit, & in propriis gradibus eos perſeverare decrevit, &c.* Eadem prorſus Balſamon in eundem canonem.

XIII. Sed ſermonem de Euchologiis noſtris interruptum retexamus, Oratione illa pronuntiata ungit Sacerdos Hæreticum converſum chriſmate ſicut Neophytum; eandemque ungendo verborum ſuper eum pronuntiationem, quam ſuper Neophytum edit, hoc eſt, ut Concilia ſecundum, & ſextum expreſſè notant, ordinariam Orientalibus Sacramenti Confirmationis formam. Denique notabit orationem, quæ Chriſmationem præcedit, Chriſmationis gratiam, & adventum, perfectionemque Spiritus S. expreſſius petere quàm oratio illa, qua Neophyti confirmantur, & conſecrantur. Hujus rei Lector judex ἀδέκαστος eſto.

ΟΠΩΣ ΧΡΗ ΔΕΧΕΣΘΑΙ ΤΟΥΣ ΑΠΟ αἱρέσεων μετερχομένους ἐν τῇ ἁγίᾳ a τοῦ Θεοῦ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ.

a Reg. omittit τοῦ Θεοῦ.

ΑΡειανοὺς μὲν καὶ μακεδονιανοὺς b ἤγουν πνευματομάχους καὶ σαββατιανοὺς, καὶ ναυατιανοὺς τοὺς λέγοντας ἑαυτοὺς καθαροὺς, καὶ τεσσαρεσκαιδεκατίτας, ἤγουν τετραδίτας, καὶ ἀπολιναριστὰς δεχόμεθα διδόντας λιβέλλους, καὶ ἀναθεματίζοντας σὺν τῇ ἰδίᾳ αἱρέσει καὶ πᾶσαν c ἄλλην αἵρεσιν, μὴ φρονοῦσαν ὡς φρονεῖ ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία, σφραγιζομένους ἤτοι χριομένους τῷ ἁγίῳ μύρῳ. d ἡγούμενος μὲν τοι χρὴ τούτους μετὰ λόγου προσάγεσθαι τῇ e ὀρθῇ πίστει f νηστεύειν αὐτοὺς ἡμέρας δέκα, ἢ δεκαπέντε, καὶ σχολάζειν ταῖς εὐχαῖς πρωῒ καὶ δείλης, μανθάνοντας ψαλμοὺς, g ὡς κατηχουμένους, καὶ τότε ἀξιοῦνται οὗτοι τῆς ὀρθοδόξου πίστεως. ἵστησι δὲ ἕκαστον αὐτῶν ὁ ἱερεὺς ἔμπροσθεν τῆς ἁγίας κολυμβήθρας, καὶ λέγει αὐτῷ ταῦτα, Εἰπὲ ἀνάθεμα τῷ δεῖνι καὶ τοῖς δόγμασιν αὐτοῦ, καὶ τοῖς h συνδοκοῦσιν αὐτῷ, καὶ τοῖς φρονοῦσι τὰ αὐτοῦ. ἀποτάσσομαι γὰρ αὐτῷ καὶ παντὶ αἱρετικῷ δόγματι. καὶ πιστεύω εἰς τὴν ἁγίαν καὶ ὁμοούσιον τριάδα κατὰ τὴν ἔκθεσιν τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ὀρθοτομησάντων τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. Καὶ ἀποκρίνεται αὐτῷ πρὸς ἕκαστα ὁ μετερχόμενος. Καὶ λοιπὸν i ἐπάγει ὁ ἱερεὺς, καὶ λέγει Πιστεύεις εἰς τὴν ἁγίαν καὶ ὁμοούσιον τριάδα. k Καὶ ὑπακούει ὁ μετερχόμενος, πιστεύω. Ἐὰν δὲ μὴ οἶδε λαλῆσαι. ὁ ἀναδοχὸς αὐτοῦ ὑπακούει. Καὶ ἐπικλίνοντος τοῦ μετερχομένου ὁ ἱερεὺς ἔχων τὴν χεῖρα ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ποιεῖ τὴν εὐχὴν ταύτην.

b Reg. καὶ

c Reg. omittit ἄλλην.

d προηγουμένως.

Reg. quoque

e Reg. ὀρθοδόξῳ.

f Reg. omittit hæc uſque ad ἔστω.

g ὡς.

h συνιοῦσι.

i ἑορτῇ οἵαν τρίτῃ ὁ ἱερεύς.

k καὶ ἀποκρίνεται πιστεύω, καὶ ἐγκλίνοντος τὸ ὑποστρεφομένου τὴν κεφαλὴν, ποιεῖ ἱερεὺς τὴν εὐχὴν ταύτην.

Ὁ Θεὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν ὁ βουλόμενος πάντας ἀνθρώπους σωθῆναι, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν, πρόσδεξαι τὸν δοῦλόν σου Δ΄. τὸν μέλλοντα ψεύσασθαι ἐκ τῆς πλάνης, καὶ ὑποσχόμενον l εἰσελθεῖν εἰς ἐπίγνωσιν τῆς σῆς ἀληθείας. Σὺ γὰρ εἶπας m κύριε, καὶ ἄλλα πρόβατα ἔχω ἃ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης, κἀκεῖνα με δεῖ ἀγαγεῖν καὶ τῆς φωνῆς ἀκούσουσιν. καὶ γενήσεται μία ποίμνη. εἷς ποιμὴν. ποίμανον αὐτὸν ἐν τῇ δόξῃ n τῆς σῆς ἀληθοῦς ἐπιγνώσεως κατὰ τὴν ἔκθεσιν τῶν ἁγίων o καὶ ἐνδόξων ἀποστόλων. Καὶ καταξίωσον αὐτὸν τῆς σφραγῖδος τοῦ θείου μύρου, καὶ τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπιφοιτήσεως, καὶ τῆς μεταλήψεως, καὶ τῆς μεταλήψεως τοῦ τιμίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ. Καὶ ἀνάδειξον αὐτὸν τέλειον δοῦλόν σου, ἵνα τῷ ποιμένι σου p συναριθμηθῇ καὶ αὐτὸς εἰς δόξαν καὶ ἔπαινον τῆς μεγαλοσύνης σου. Ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

l Reg. ἐλθεῖν.

m omittit Reg.

n Regium τῆς ἀληθοῦς ὡς ...

Καὶ χρίει αὐτὸν τῷ μύρῳ καθάπερ q τοὺς νεοφωτίστους, τὴν αὐτὴν r ἐπ' αὐτῷ ἐπίρρησιν ποιούμενος. Καὶ πάλιν ἐπεύχεται s ὁ ἱερεὺς λέγων, τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν.

o Reg. διὰ.

p συντακομένου.

q Reg. καὶ

r καί.

Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ καταξιώσας t τέλειον ἀναδεῖξαι τὸν δοῦλόν σου διὰ τῆς εἰς σὲ ὀρθοδόξου πίστεως, καὶ τῆς σφραγῖδος τοῦ u μυστικοῦ μύρου σου τοῦ ἁγίου. Σὺ δέσποτα τῶν ἁπάντων τὴν εἰς σὲ ἀληθινὴν πίστιν x ἐν αὐτῷ διατήρησον, αὔξων αὐτὸν ἐν δικαιοσύνῃ, καὶ πᾶσι τοῖς παρὰ σοῦ χαρίσμασι κατακοσμῶν. y Ὅτι εὐλογεῖται καὶ δεδόξασται τὸ πάντιμον, καὶ μεγαλοπρεπὲς ὄνομά σου, τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

s Reg. hæc omittit.

t Reg. τοῦ λαοῦ ...

u Reg. τοῦ ἁγίου μύρου.

x Reg. omittit. ἐν αὐτῷ.

Καὶ οὕτως κοινωνεῖ καὶ λαμβάνει παραγγελίας τὰς ἑπτὰ ἡμέρας ἐκείνας πρῶτος μὴ φαγεῖν, μὴ νίψασθαι τὴν ὄψιν, ἀλλὰ καθὼς οἱ βαπτιζόμενοι οὕτως διατελεῖν τὰς ἑπτὰ ἡμέρας, καὶ τῇ. Ηʹ ἡμέρᾳ z ἀπολύεσθαι.

y Reg. hæc

z ἀπολύεσθαι.

QUOMODO RECIPIENDI SUNT in ſancta Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, qui ab hæreſibus revertuntur.

ARianos quidem, & Macedonianos, ſive Spiritus S. hoſtes, & Sabbatianos, & Novatianos qui ſeipſos puros dicunt, & Quartodecimanos, ſive Tetraditas, & Apollinariſtas recipimus dantes libellos, & anathematizantes ſuam, omnemque aliam hæreſim non ſentientem ea, quæ ſentit ſancta Catholica, & Apoſtolica Dei Eccleſia; qui poſteà ſignantur, ſive unguntur ſancto unguento. Anteà tamen quàm ad rectam fidem adducantur, cùm profeſſionis tempus inſtat, jejunare eos oportet dies decem, aut quindecim, & manè, & veſpere orationibus incumbere Catechumenorum inſtar, & tunc hac orthodoxa fide digni cenſentur, & imbuuntur. Collocat autem unumquemque eorum Sacerdos coram divino Baptiſterio, ipſique hæc dicit, Dic anathema, huic N, & dogmatis ejus, & iis, qui conſentiunt ei, & ſapientibus, quæ ſunt ipſius. Abrenuntio enim illi, & omni hæretico dogmati, & credo in ſanctam, & homoouſiam Trinitatem, ſecundùm expoſitionem ſanctorum Patrum, qui verbum veritatis rectè explicaverunt. Et ad ſingula reſpondet ei, qui convertitur. Cætera perſequitur Sacerdos, eique ter dicit, Credis in ſanctam, & homoouſiam Trinitatem, & reſpondet qui convertitur, credo. Si loqui neſcit, ipſius ſuſceptor reſpondet. Poſteà Sacerdos manum habens ſuper caput converſi inclinati hanc fundit orationem.

Deus Servator noſter, qui vis omnes homines ſervari, & ad cognitionem veritatis venire, ſuſcipe hunc ſervum tuum N. qui ab erroris fraude vix reſipuit, & deſideravit ad cognitionem veritatis tuæ pervenire. Tu enim, Domine, dixiſti, alias oves habeo quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas quoque me oportet reducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus paſtor. Paſce eum ſententia veræ tuæ cognitionis ſecundùm expoſitionem ſanctorum, & glorioſorum Apoſtolorum tuorum, & dignare eum ſi-

gillo divini unguenti, & adventu Spiritus ſancti, participatione venerandi corporis, & ſanguinis Chriſti, & redde illum perfectum ſervum tuum, ut ovili tuo adnumeretur in laudem, & gloriam magnitudinis tuæ. Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum.

Poſthæc ungit eum unguento ſicut Neophytos, eandem ſuper ipſum formulam pronuntians, atque iterùm deprecatur Sacerdos, dicens, Dominum deprecemur.

Domine Deus noſter, qui dignatus eſt perfectum reddere ſervum tuum per orthodoxam in te fidem, & ſigillum ſancti myſterii tui: Tu Domine omnium, conſerva in eo veram in te fidem, adaugens in eo juſtitiam, & donis, gratiiſque, quæ à te manant, adornans: Quia benedicitur, & glorificatur magnificum, & omni honore colendum nomen tuum, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum.

Deinde communicat, & mandata recipit, ſeptem dies illas non manducaturum carnem, faciem non lavaturum, ſed ut baptizati ſolent, ita perſeveraturum ſeptem diebus, octava verò ablutus dimittitur.

XIV. Ex iis omnibus quæ hactenus explicata ſunt, manifeſtiſſimum mihi videtur planè τὸ ἄδηλον, & à recentioribus Græcis ex pravo aliquo contra antiquam ſuam conſuetudinem abuſu confectum eſſe id, quod habetur in omnibus eorum Euchologiis editis ſub nomine Methodii Patriarchæ Conſtantinopolitani de admiſſione eorum, qui fidem negaverunt. Ut hujus ὑποθέσεως argumentum lector intelligat, breviter animo illi revolvendum eſt, quod tam multis, & evidentibus teſtimoniis demonſtratum eſt Hæreticos, quorum baptiſmus extra Eccleſiam datus cenſetur validus, per Chriſmationem in Eccleſiam admiſſos eſſe: Quorum verò baptiſmus in Eccleſia datus fuerat, per Pœnitentiæ Sacramentum reconciliatos. Quotquot autem fideles Apoſtatæ facti ad Eccleſiam reverſi ſunt, nunquam alio modo ad Eccleſiam admiſſos eſſe quàm per Pœnitentiam. Eos verò per manus impoſitionem in Spiritum S. & Chriſmationem, aut per alterutrum tantum admiſſos, planè eſt in univerſa Dei Eccleſia inuſitatum, & inauditum, licet antiqua monumenta millies, & millies de ejuſmodi Lapſis mentionem faciant, innumeraque variis temporibus ſtatuta de iis ſancita ſint. Quid igitur ſibi vult Methodius ille, cum ejuſmodi Lapſos per Chriſmationem recipi jubet?

XV. Dices forſan illa verba, περὶ τῶν ἀπ' ἀρνήσεως πρὸς τὴν ὀρθόδοξον καὶ ἀληθῆ τῶν χριστιανῶν ἐπιστρεφόντων, de Hæreticis eſſe intelligenda. Verum multa repugnant. Primùm ipſa dictio ἄρνησις, quæ ſimpliciter poſita defectionem à fide ſignificat. Deinde ipſe auctor, qui de pœna imponenda tertiæ ſpeciei Apoſtatarum, qui videlicet ſua ſponte ad negationem defecerant, citat canonem S. Baſilii, qui jubet ejuſmodi Apoſtatas in fine tantum vitæ myſteriorum eſſe participes. At certiſſimum eſt Baſilium eo canone de iis Apoſtatis agere, qui cùm anteà fideles fuiſſent, à fide defecerant. Denique ſeptem habentur orationes propitiatoriæ ſuper Converſum dicendæ, in quibus nulla prorſus fit hæreſeos mentio, aut alicujus rei, quæ ipſam ſpecialiter denotet, ut fieri ſolet in orationibus, quæ ſuper Hæreticum converſum funduntur, ſed perpetuò Pœnitentiæ, & aliquando Ethnicæ impietatis, & Atheiſmi, ut in tertia quæ incipit, *Domine Deus omnium factor, & Dominus*. His accedit quòd in antiquiſſimis Euchologiis, veluti Cryptæ Ferratæ, duobus regiis, & uno Barberino recentiore orationes illæ ſeparatis titulis tribuuntur, hoc eſt, poſtquam tradiderunt ritum recipiendi Hæreticos, quem integrè cum orationibus ſuis exſcripſimus, titulo ſeparato tradunt Rubricas, & orationes dicendas ſuper eum, qui ab Apoſtaſia ad fidem iterùm cõvertitur; illæ autem ſunt, quæ in Euchologiis ad eundem titulum referuntur. Unde apparet à poſterioribus Græcis, utrumque admiſſionis modum, & Hæreticorum, & Apoſtatarum à fide Chriſtiana, licèt ſint diverſiſſimi, & ab eorum majoribus longiſſimo temporis ſpatio diverſa ratione uſurpari, nunc perperam confundi, & conjungi.

XVI. Obiicies iterum, & non immeritò. Ergo antiqua eſt illa confuſio. Sanè Harmenopuli ſeculo jam multis locis invaluerat. Ille enim in Scholio ad *can. 1. tit. 4. ſect. 5.* ubi de Chriſti negatore agitur, refert Methodii Patriarchæ conſtitutionem de mungendis ejuſmodi Apoſtatis cum triplici, quam Methodius adhibet, diſtinctione. Quando autem Harmenopulus vixerit incertum eſt. Vulgò multo habetur antiquior, quam revera ſit. Poſt Balſamonẽ ſcripſiſſe demonſtratur ex ſcholio in *can. 1. tit. 1. ſect. 5.* ubi ſcribit Agarenorum liberos, qui ab Orthodoxis invitis baptizantur, eo quod baptiſmo utantur velut medicina, & incantatione, eſſe rebaptizandos: *Hoc enim*, inquit, *ita pronuntiatum eſt in Synodo, quemadmodum Balſamon tradit.* Sed Balſamone, & Harmenopulo antiquiorẽ eſſe pravam illam conſuetudinem ex antiquo Euchologio Cryptæ Ferratæ certũ videtur, quingentorum enim ætatem excedit. Idẽ confirmatur ex Georgio Cedreno, qui refert ſub Methodio, de quo agimus, ortam, & extinctam eſſe Zilicum hæreſim. Zilix ille erat Imperatori à Secretis: Excitavit hæreſim: Aſſeclaſque ſeduxit; tandemque ipſe cum diſcipulis ad Eccleſiam rediit, τῷ θείῳ μύρῳ χρισθέντες τε καὶ τελειωθέντες, *Divino unguento uncti, & conſummati.* Eorum longè major pars in Eccleſia baptizata fuerat, admiſſi tamen ſunt poſt chriſmationem. Non abs re dici poteſt, Cedrenum de his obiter, & paucis mentionem facere, admiſſioniſque iſtius ritum, non ut factus eſt, ſed ut fieri videbat, retuliſſe. Sed antiquus eſt Cedrenus, ſcribebatque anno Chriſti 1065. Itaque conſuetudo illa Græcorum, ætatem iſtam præcedit. Verum antiquiſſimum exemplar Barberinum literis majoribus, & uncialibus ſcriptum hunc titulum de recipiendis negatoribus fidei cum ſuis Rubricis non habet. Eſt igitur manifeſtum tam ex illo antiquo codice, quàm ex iis quæ relata ſunt ex Theodoro Studita, Timotheo Presbytero, & antiqua Eccleſiæ conſuetudine conſtitutionem illam de recipiendis à fide Apoſtatis, vel eſſe S. Methodio ſuppoſitam, vel adulteratã.

XVII. Hinc Neoterici Græci occaſionem ſumpſerunt docendi Confirmationis Sacramentum etiam ab Orthodoxis adminiſtratum repeti poſſe, & reapſe illud repetunt quoties aliquem validè baptizatum, Hæreticum, aut Apoſtatam Eccleſiæ ſuæ reconciliant, ut videre potes apud Petrum Arcudium *lib. 2.* de Concordia Eccleſiæ Occidentalis cum Orientali *c. 18. & ſequentibus*. Conſtat enim illam Methodii Conſtitutionem ad eos ſpectare, qui in Eccleſia baptizati, ab ea poſteà deficiunt, iterumque impietatis Pœnitentes ad eam ſincerè revertuntur. Cùm igitur apud Orientales Confirmatio ſimul cum baptiſmo ſemper conferatur, omnis apud eos baptizatus confirmatus quoque eſt. Antiquis autem Patribus noſtris planè videtur inſueta iſtius Sacramenti in Eccleſia accepti iteratio. Si quis contendat Methodii conſtitutionem eſſe etiam de Hæreticis intelligendam, nec ego repugnabo: Sic enim eam Græci ab annis trecentis, & ultra vulgò interpretantur, & exequuntur. Eorum inſuper Euchologia edita nullam aliam nobis repræſentant, ſed antiquiſſima conſtitutione illa carent: antiqua verò utramque exhibent, & antiquiſſimam antiquis Conciliis, & Patribus conformem, & recentiorem illam Sancti Methodii nomine jactatam.

CAPUT X.

Explicatur, qua ratione Occidentalis Eccleſia Hæreticos extra Eccleſiam baptizatos, & ad eam redeuntes reconciliavit; varietaſque in hoc obſervata enarratur. Eccleſiæ Romanæ traditio variis Pontificum teſtimoniis probatur. Hanc ſequitur Concilium Arelat. 1. & alii. Sancti Gregorii verba cum Siricio conciliantur. Hæreticos in Gallia, & Hiſpania per chriſmationem reconciliatos fuiſſe, multa teſtimonia, & multa auguſta exempla teſtantur. Formulæ reconciliationis Hæreticorum ex antiquis codicibus erutæ.

SI diligenter colligantur, perpendantur, atque inter ſe conferantur antiqua Occidentalium Doctorum teſtimonia de recipiendis in Eccleſiam Hæreticis extra illam validè baptizatis, non modo magna apparebit varietas, verumetiam nonnulla ab Orientalium conſuetudine differentia. Illa apud me revolvens, & unumquodque excutiens, interdum mihi aqua hæſit, & quid coniicerem hæſitavi, atque etiamnum hæſito. Ideò non ſemel exiſtimavi conſultius fore univerſam hanc diſſertationem prætermittere, quàm indigeſtam teſtimoniorum molem lectori obtrudere, quæ animum ſcrupulo injecto commovere, & perturbare poſſet. Verum re maturius conſiderata mihi viſum eſt conjecturis meis aliquid lucis in hanc obſcuritatem reflexum iri, aut ſaltem per eas viro alicui magno, καὶ τυφλώττοντι, januam apertum iri, qua in veritatis nobis ignotæ cognitionem pervenire poſſit. Quocirca laborem noſtrum non omnino inutilem fore ſperamus. Deinde Hiſtorici, non Theologi Provinciam cepimus: ſcimus enim quantum hoc ingenii noſtri tenuitatem ſuperet. Ideo ſufficit nobis τὸ ὅτι fideliter ex antiquis auctoribus retuliſſe. Si quid difficile hinc oriatur, illius interpretationem à Theologis expecto, quorum cenſuræ omnia dicta mea, conjecturaſque lubentiſſimè ſubmitto. Neminem tamen adeo auſterum, & inhumanum fore credimus ut nobis iraſcatur, & ſuccenſeat, quod nonnulla dicta Patrum, quæ moribus noſtris comparata negotium faceſſunt, luce aliqua per conjecturas noſtras perfundere adnitamur. Si ita infelices ſumus ut in iis εἶπον πρὸς ὄνον alicui dixiſſe videamur, ſatis felices nobis videbimur, ſi commotus imperitia noſtra nodum diſſolverit, non diſſecuerit. Tunc quod proverbio fertur nobis id vehementer optantibus continget, bene navigavi quando naufragium feci. Rem igitur cum bona Lectoris venia aggrediamur.

II. Difficile nobis videtur ob varietatem, quam in iis teſtimoniis deprehendimus, generales aliquas regulas ſive propoſitiones efformare. Sit nihilominus ſeptima propoſitio, *Hæreticos extra Eccleſiam validè baptizatos ab errore reſipiſcentes Eccleſia Romana, Italicæ, & aliquot vicinæ per manus impoſitionem in Spiritum ſanctum admiſerunt; Gallicæ verò, & Hiſpanicæ per chriſmationem exceptis Donatiſtis, & Pelagianis.* Tres ſunt hujus propoſitionis partes, ad quas non incommodè mihi videntur referri poſſe quæcunque occurrunt de hac conſuetudine teſtimonia. Singulas partes ſeorſum examinabimus. Hanc quæſtionem ſeriò, & non obiter tractat Sanctus Gregorius à Quirino Epiſcopo interrogatus *lib. regiſtri 9. Indict. 4. Epiſt. 61.* Primùm notat differentiam in hac cauſa Orientis ab Occidente; nec ideò tamen Orientales Eccleſias carpit, aut aliquo verbo vim, & efficaciam rituum apud eas conſuetorum imminuit, aut deprimit, ſed utramque conſuetudinem antiquę traditioni tribuit. Deinde docet, Hæreticos ſic baptizatos tribus modis admitti ſolitos, per manus impoſitionem, per unctionem, & per ſolam fidei Confeſſionem. Denique notat eandem eſſe uniuſcujuſque modi virtutem. Quæſtio Sancto Gregorio à Quirino propoſita ſpectabat Neſtorianos ad Eccleſiam redeuntes, *Cùm ad matrem Electorum omnium Catholicam Eccleſiam revertuntur, Utrùm debeant baptizari, an certè ſolius veræ fidei confeſſione ejuſdem matris Eccleſiæ viſceribus adjungi.* Quæſtionem his verbis propoſuit Quirinus, unde occaſionem ſumpſit Gregorius enarrandi omnes recipiendorum in Eccleſiam Hæreticorum modos ſuo tempore uſurpatos; medium enim prætererat Quirinus. *Et quidem ab antiqua Patrum inſtitutione didicimus, ut qui apud Hæreſim in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad ſanctam Eccleſiam redeunt, aut unctione Chriſmatis, aut impoſitione manus, aut ſola profeſſione fide ad ſinum matris Eccleſiæ revocentur. Unde Arianos per impoſitionem manus Occidens; per unctionem verò ſancti chriſmatis ad ingreſſum ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ Oriens reformat. Monophyſitas, & alios ex ſola verò confeſſione recipit: Quia ſanctum baptiſma, quod ſunt apud Hæreticos conſecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cùm vel illi per impoſitionem manus Spiritum ſanctũ acceperint, vel iſti propter profeſſionem verę fidei, ſanctę, & univerſalis Eccleſię viſceribus fuerint uniti.* De reconciliatione Hæreticorum apud Orientales capite præcedente dictum eſt, quæ iterùm Sancti Gregorii auctoritate confirmatur. De tertio modo reconciliationis quem commemorat, infra differemus. Itaque ſecundus nobis tantùm eſt hic illuſtrandus, in quo, inquit, Occidentales ab Orientalibus diſſimiles ſunt, non tamen diſſentiunt, cùm diſſimilitudo illa nullam inter eos diſſenſionem pareret.

III. Sancti Gregorii dictis duæ difficultates ſeſe obiiciunt. Prior ex *cap. 1. Epiſtolæ* 1. Sancti Syricii Prædeceſſoris ſui, qui videtur perſpicuè teſtari, nullum eſſe hac in cauſa diſcrimen Orientales inter, & Occidentales. Himerius Tarraconenſis Epiſcopus Syricio Pontifici ſignificaverat, nonnullos baptizare velle Arianos ad Catholicam redeuntes, petieratque ab eo, quid in hoc caſu opus eſſet facto. Reſpondet Syricius rebaptizationem iſtam, Apoſtolum, canones, & Liberii Papæ decreta prohibere. Poſteà Eccleſiæ Romanæ, & aliarum morem docet, *Quos nos cum Novatianis, aliiſque Hæreticis, ſicut eſt in Synodo conſtitutum, per invocationem ſolam ſeptiformis Spiritus Epiſcopalis manus impoſitione Catholicorum conventui ſociamus. Quod etiam totus Oriens, Occidenſque cuſtodit; à quo tramite vos quoque poſthac minimè convenit deviare, ſi non vultis à noſtro Collegio Synodali ſeparari ſententia.* Notat Syricius inter Orientem Occidentemque nullum eſſe diſcrimen, atque ex eo conſenſu argumentũ ducit ad contrarium morem refellendũ.

IV. Quidquid ſit de teſtimoniis, quæ Pontifices illi videntur contrario ſenſu de Eccleſia Orientali perhibere, certum videtur, Eccleſiam Romanam Hæreticos, quos non rebaptizabat, ſola manus impoſitione in Spiritum ſanctum admiſiſſe. Disertè enim negat Gregorius unctionem adhibitam, atque in eo diſtinguit Eccleſiæ Occidentalis conſuetudinem ab Orientali, quòd Orientalis unctionem adhiberet, Occidentalis minimè. Si Occidentalis quoque adhibuit unctionem, fruſtra, & ridiculè Gregorius unam ab alia in eo diſcriminavit. Deinde Siricius, ut jam vidimus, aliique Pontifices, qui de admiſſione Hæreticorum ad Eccleſiam ante Gregorium diſſerunt, ſolius impoſitionis manuum in Spiritum ſanctum mentionem faciunt. Damaſus in vita Siricii, *Hic conſtituit Hęreticos ſub manus impoſitione recipi, & reconciliari præſente cuncta Eccleſia.* Sed iterùm ipſe Siricius *Epiſt. 4.* ad Africanas Eccleſias *cap. 8. Venientes à Novatianis, vel Montenſibus per manus impoſitionem ſuſcipiantur præter eos, quos rebaptizant.* Sanctus Innocentius *Epiſt.* 2. *c. 8. Venientes à Novatianis, vel Montenſibus per manus tantùm impoſitionem ſuſcipiantur: Quia quamvis ab Hęreticis, tamen in Chriſti nomine ſunt baptizati.* Idem docet *Epiſt. 22. cap. 4.* hanc ſuſceptionem eſſe legem Eccleſiæ Romanæ, quam retulimus ſupra *cap. 6.* Sæpius de hac quęſtione interrogatus eſt S. Leo, ſemperque eodem modo reſpondit, nulla facta unctionis commemoratione, licèt verbis admodum diſertis huic manuum impoſitioni auguſtiſſimum Sacramenti Confirmationis effectum attribuat. *Epiſt. 73. cap. 2. Quod ſi ab Hęreticis baptizatum quempiam fuiſſe conſtiterit, erga hunc nullatenus Sacramentum regenerationis iteretur; ſed hoc tantùm quod ibi defuit, conferatur, ut per Epiſcopalem manus impoſitionem virtutem S. Spiritus conſequatur. Epiſtolę 79. c. 7.* rem totam dilucidè explicat, *Nam hi, qui baptiſmum ab Hęreticis acceperunt, cùm baptizati anteà non fuiſſent, ſola invocatione Spiritus ſancti per impoſitionem manuum confirmandi ſunt, quia formam tantùm baptiſmi ſine ſanctificationis virtute ſumpſerunt. Et hanc regulam, ut ſcitis, ſervandam omnibus Eccleſiis prædicamus, ut lavacrum ſemel initum, nulla iteratione violetur, &c. ſed, ut diximus, ſola ſanctificatio Spiritus ſancti invocanda eſt, ut quod ab Hæreticis nemo accipit, à Catholicis Sacerdotibus conſequatur.*

V. Primùm ab hac regula excipit eos, qui ſe ab Hæreticis rebaptizari permiſerunt: Hi enim non reconciliantur per manus impoſitionem in Spiritum ſanctum ſed per Pœnitentiam, ut explicaverat capite præcedenti, & nos ſupra *c. 7.* probavimus. Deinde docet, eos, qui ſimpliciter ab Hæreticis baptizati ſunt, ſola invocatione Spiritus ſancti per manus impoſitionem eſſe confirmandos, & Eccleſiæ incorporandos. Denique iſtius rei rationem reddit, quod Spiritum ſanctum ab Hæreticis nemo accipit: ideò per manus impoſitionem eſt illi tradendus. Similiter *Epiſtolæ 92. c. 16. Hi autem de quibus ſcripſiſti, qui ſe baptizatos ſciunt, ſed cujus fidei fuerint, qui eos baptizavere, ſe neſcire profitentur, quolibet modo formam baptiſmatis acceperint, rebaptizandi non ſunt; ſed per manus impoſitionem, invocata virtute Spiritus S. quam ab Hæreticis accipere non potuerunt; Catholicis copulandi ſunt.*

VI. De Euſebio Pontifice ſcribit Damaſus in ejus vita, *Hic Hæreticos invenit in urbe Roma, quos ſola manuum impoſitione reconciliavit.* Ita Euſebius ipſe Pontifex initio Epiſtolæ primæ, & in fine tertiæ explicatius, *Similiter & Hæreticos omnes, quicunque Dei gratiâ convertuntur, & in Sanctæ Trinitatis nomine credentes baptizati ſunt, Romanæ Eccleſiæ regulam tenentes per manus impoſitionem reconciliari præcipimus.* Quid verò eſt illa manus impoſitio? *Manus quoque impoſitionis Sacramentum magna veneratione tenendum eſt, quod ab aliis perfici non poteſt quàm à ſummis Sacerdotibus: Nec tempore Apoſtolorum ab aliis, quàm ab ipſis Apoſtolis legitur, aut ſcitur peractum eſſe, &c.* Zacharias Pontifex *in fine Epiſtolę* 2. quæ eſt ad Bonifacium, *Tua bene compertum habet ſancta fraternitas, quod quicunque baptizatus fuerit ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, nullomodo rebaptizari debet, ſed per ſolam manus impoſitionem purgari debet.* Similem canonem referunt ex Concilio Vormatienſi Burchard. *l. 4. c. 40.* & Ivo *par. 1. c. 234.*

VII. Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem imitata eſt Synodus Arelatenſis prima *cap.* 8. Trecenti enim Epiſcopi Arelate Congregati de Afris quorum mos erat rebaptizare, ſic conſtituit, *Si perviderint eos in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto baptizatos, manus eis tantùm imponatur, ut accipiant Spiritum ſanctum. Quod ſi interrogati non reſponderint hanc Trinitatem, baptizentur.* Euchetius ultima quæſtione in Acta Apoſtolorum. *Ab Hæreticis venientes non rebaptizantur à nobis, ſi baptizatos conſtat in nomine Trinitatis, niſi impoſitio tantùm manus ad fidem rectam converſis adhibetur, ut per hanc Spiritus ſuſcipiatur infuſa.* Teſtatur idem Rupertus *lib. 10. cap. 25. de divinis officiis*, ubi de Hæreticis extra Eccleſiam baptizatis hæc ſcribit: *Quapropter cùm baptizati à talibus ad Catholicam revertuntur Eccleſiam, non quidem repetitur in illis lavacrum carnis; ſiquidem baptizati ſunt in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Multæ quippe hæreſes ſic baptizant, ſed per impoſitionem manuum accipiunt Spiritum ſanctum, quem foris accipere non poterant.* Multis enim eo loco contendit, Hæreticos dare non poſſe Spiritum ſanctum, & ideò cum Eccleſiæ incorporantur, manum illis imponi.

VIII. Denique idem teſtatur controverſia inter Stephanum Papam, & Cyprianum, in qua nuſquam Hæreticorum ad Eccleſiam redeuntium ungendorum mentio habetur; ſed controverſia ſemper his verbis refertur, An baptizandi ſunt, an verò tantum manus illis in Spiritum ſanctum imponendæ, ut videre potuiſti ſupra *c.* 7. Ita quoque apud Euſebium *lib. 7. cap.* 2. proponitur ex Dionyſio Alexandrino ſtatus controverſiæ, *Cypria-*

nus, & omnes penè per Africam Sacerdotes decreverunt, Hæreticos eſſe rebaptizandos: Cornelius, & cæteri omnes per Italiam floruerunt, quod antiquitus à Patribus acceperunt, ut poſt abjectionem pravi, & confeſſionem recti dogmatis, ſola manus impoſitione purgarentur, μόνῃ τῇ διὰ χειρῶν ἐπιθέσεως εὐχῇ, ſola prece quæ fit per manuum impoſitionem. Conſtat tamen aliunde eos Patres in Sacramento Confirmationis adminiſtrando Chriſmate uſos; immò ex ipſo Cypriano in prima Epiſtola, quam interrogatus de hac quæſtione ſcripſit, quæ eſt inter opera ipſius 70. *Ungi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, ut accepto chriſmate, id eſt, unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit.* Verùm ut tot teſtimoniis demonſtratum eſt, videtur Eccleſia Romana, & conſequenter Italicæ, vicinæque pleræque Eccleſiæ ſolam manus impoſitionem ad Hæreticorum in Eccleſiam admiſſionem adhibuiſſe.

IX. At, inquies, his conceſſis, Eccleſiam Orientalem Hæreticos, quorum baptiſma cenſetur ratum, per unctionem recepiſſe, ut tam multis probatum eſt capite præcedente; Occidentalem verò, Romanam præſertim, per ſolam manus impoſitionem; qua ratione in gratiam cum Gregorio redibit Siricius, qui dixit Orientem, & Occidentem Hæreticos per ſolam ſeptiformis Spiritus invocationem impoſitione manus Epiſcopalis Catholicorum conventui ſociare? Si Siricii verba, menſque diligenter attendantur, non mihi videtur res difficilis. Siricius interrogatur, an baptizati ab Arianis ad Catholicam redeuntes denuò ſint baptizandi. Quæſtio eſt maximi momenti, cujus definitioni contradicere hæreſis eſt: baptizabant enim Ariani in nomine ſanctæ Trinitatis. Ideò Siricius reſponſionem concludens graviter contradicentibus comminatur, *A quo tramite vos quoque poſthac minimè conveat deviare, ſi non vultis à noſtro collegio Synodali ſeparari ſententia.* At varia illa conſuetudo Orientis, & Occidentis in Hæreticorum admiſſione, erat res indifferens, de qua nunquam in Eccleſiis diſputatum eſt; & in qua quiſque non modò impunè ſed etiam, ἀμέμπτως & laudabiliter morem regionis ſuæ ſemper amplexus eſt. Ideò diſcrimen illud, ut & innumera alia, præteritum ſemper fuit; aut ſi animadverſum, ut à Gregorio, id ſine ulla querelæ, nedum cenſuræ nota factum eſt. Cum igitur in reſponſo ſuo Siricius ſcribit, Orientem, & Occidentem conſentire, id intelligendum eſt in potiſſima quæſtione, quæ ad Siricium relata fuerat, hoc eſt, in non rebaptizandis Arianis. Utramque videlicet Eccleſiam probare eorum baptiſma, iiſque redeuntibus Spiritum ſanctum tradere per manus impoſitionem, quam ſanè quiſque pro more regionis ſuæ adminiſtrabat. Planè præter Siricii, & eum interrogantis mentem inquiritur, quibus ceremoniis, & adminiculis manus impoſitio celebrabatur. Quæſtioni ſatisfactum eſt, cùm demonſtravit ex conſenſu Orientis, & Occidentis Arianos ad Eccleſiam redeuntes non eſſe iterum baptizandos. Cum igitur ait Siricius, *Per ſolam invocationem ſeptiformis gratiæ, &c.* Dictio ſola eſt tantùm ſecundi baptiſmi excluſiva.

X. Poſterior difficultas præcedente ſpinoſior videri poteſt. Ita enim de receptione Hæreticorum in Occidente ſcribit Sanctus Gregorius, ut omnino videantur per ſolam manus impoſitionem ſine unctione per univerſum Occidentem admiſſi fuiſſe. At hoc falſiſſimum eſſe nemo dubitare poteſt, qui Antiquorum teſtimonia tantiſper oculis luſtraverit. Secundam igitur propoſitionis noſtræ partem demonſtrare aggrediamur. Concilium Arelatenſe 2. *c.* 16. & 17. *Photinianos, ſive Paulianiſtas ſecundùm Patrum ſtatuta baptizare oportet. Bonoſiacos autem ex eodem errore venientes, quos ſicut Arianos baptizari in Trinitate manifeſtum eſt, dum interrogati fidem noſtram ex toto corde confeſſi fuerint, cum chriſmate, & manus impoſitione in Eccleſia recipi ſufficit.* Arauſicanum *in c.* 2. *Hæreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi Catholici eſſe deſiderant, ſi deſit Epiſcopus, à Presbyteris cum chriſmate, & benedictione conſignari placet.* Nemini negotium faceſſat, quod hoc Sacramentum abſente Epiſcopo adminiſtret Presbyter: Id enim præter morem Eccleſiæ Romanæ uſitatum fuit non modò in Eccleſia Orientali, in qua huc uſque perſeverat, ſed etiam in Hiſpania, & Gallia pleraque. Sic Concilium Epaunenſe *can.* 16. *Presbytero, propter ſalutem animarum, quam in cunctis optamus deſperatis, & decumbentibus hæreticis, ſi converſionem ſubitam petant, chriſmate ſubvenire permittimus. Quod omnes converſuri ſi ſani ſunt, ab Epiſcopo noverint expetendum.* Cui addi poteſt Concilium Hiſpal. 2. *cap.* 7.

XI. Fauſtus Epiſcopus Regienſis *lib.* 1. *de libero arbitr. c.* 15. hinc explicat virtutem baptiſmi ab Hæreticis accepti, *Hæretico in nomine Trinitatis regenerato ſtatùm per ſe virtus ipſa myſterii confert, ut ſi poſtmodum ad Chriſti fidem tranſeat, baptiſmatis iterationem non egeat; ſed ita operante gratia ablutus judicetur, ut tantùm benedictione chriſmatis induatur.* Tanta virtus eſt benedictionis chriſmalis, ut accedente animi converſione baptiſmus ab Hæreticis datus vim ſuam exerat. Gennadius *cap.* 52. *de Eccleſiaſticis dogmatibus* agens de Hæreticis in nomine ſanctæ Trinitatis baptizatis. *Recipiantur quidem, ut baptizati, ne ſanctæ Trinitatis invocatio, vel Confeſſio annulletur: Sed doceantur ante, & inſtruantur, quo ſenſu Sanctæ Trinitatis myſterium in Eccleſia teneatur: Et ſi conſentiunt credere, vel acquieſcunt confiteri, purgati jam fidei integritate, confirmentur manus impoſitione. Si verò parvuli ſunt, vel hebetes, qui doctrinam non capiant, reſpondeant pro illis, qui eos offerunt juxta morem baptizandi; & ſic manus impoſitione, & chriſmate communiti, Euchariſtiæ myſteriis admittantur.* Poſteà varia Hæreticorum genera recenſet, quæ ut admittantur, baptizare oportet. Valfridus Strabo *in libro de rebus Eccleſiaſticis c.* 26. *Quicunque vel ab Hæreticis in Trinitate baptizantibus, vel ab alio qualibet homine, ſub appellatione legitima ejuſdem ſanctæ Trinitatis fuerit baptizatus, rebaptizari non debet, ne invocatio ſummæ divinitatis annullari videatur; ſed chriſmate, & manus impoſitione, quod imperfectum erat, perfici debet. Hoc in canonibus, & decretis Patrum frequens habetur.*

XII. Sanctus Gregorius Turonenſis in hiſtoria ſua plura, & illuſtria Arianorum converſionis ad fidem Catholicam exempla refert, ſed omnia cum Chriſmatis unctione facta ſunt. Cùm Clodoveus Rex Francorum Chriſtianus factus eſt, ſoror illi erat Lanthildis, *Quæ,* inquit, *in hæreſim Arianorum dilapſa fuerat, quæ confeſſa æqualem filium Patri, & Spiritum ſanctum chriſmata eſt.* Hiſtoriæ *lib.* 2. *c.* 31. Et *c.* 34. de Gundobaldo Burgundionum Regem, *Cùm autem cognoviſſet aſſertiones Hæreticorum nihil eſſe, à S. Avito Epiſcopo Viennenſi, Chriſtum filium Dei, & Spiritum ſanctum æqualem Patri confeſſus, clam ut chriſmaretur expetiit: Cui ait Sacerdos, ſi verè credis, quod nos ipſe Dominus docuit, exequere.* Ex *libro* 4. *c.* 27. de Brunichilde Athanagildi Regis Hiſpaniæ filia, quam Sigebertus rex duxit, *Quia Arianæ legi ſubjecta erat, per prædicationem Sacerdotum atque ipſius regis commotionem converſa, beatam in unitate confeſſa Trinitatem credidit, atque chriſmata eſt, quæ in nomine Chriſti Catholica perſeveravit.* Capite ſequente ſcribit de Galſuintha Brunechildis ſorore, quæ Chilperico Sigeberti fratri nupſerat, *Jam in lege Catholica converſa fuerat, & chriſmata, &c. Libro* 5. *c.* 38. Ingundis Sigeberti Regis filia nubit Leuvichildi Regis Hiſpaniæ filio, *Cœpit Ingundis prædicare viro ſuo, ut relicta hæreſis fallacia Catholicæ legis veritatem agnoſceret. Quod ille diù refutans, tandem commotus ad ejus prædicationem converſus eſt ad legem Catholicam, ac dum chriſmaretur, Joannes eſt vocitatus. Lib.* 9. *cap.* 15. refert converſionem Recharedi Regis Ariani ad fidem Catholicam, *Tunc intelligens veritatem Recharedus poſtpoſita altercatione ſe Catholicæ legi ſubdidit, & accepto ſignaculo beatæ crucis cum chriſmatis unctione, credidit Jeſum Chriſtum filium Dei æqualem, &c.*

XIII. Auguſtiſſimum denique eſt teſtimonium Recharedi Regis non modò de ſe, ſed etiam de tota gente ſua, cùm ipſe, & Gothica gens relicta hæreſi ad fidem Catholicam converſi ſunt. Ita rex ipſe in longa oratione, quam habet ad Concilium Toletanum 3. in quo cum Gothorum gente Arianiſmum abjuravit, & fidem Catholicam amplexus eſt; rogat Patres, ut ſcriptam fidei ſuæ, & Primorum gentis profeſſionem Syngraphis omnium conſignatam ad futuram rei memoriam conſervent, *Ut gentes, inquit, quas in Dei nomine regia poteſtate præcellimus, & quæ deterſo antiquo errore per unctionem Sacroſancti chriſmatis vel manus impoſitionem Paracletum intra Dei Eccleſiam perceperunt Spiritum, quem unum, & æqualem cum Patre, & filio confitentes, ejuſque dono in ſinu Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ collocatæ ſunt, &c.* Conjunctio, *vel* non eſt eo loco desjunctiva, quod ſæpe contigit in illorum ſeculorum auctoribus: Sic Gregorius Turon. *miraculorum lib.* 1. *c.* 11. *Hujus beatæ Virginis reliquias cum Sanctorum Apoſtolorum, vel beati Martini quadam vice ſuper me in cruce aurea poſitas exhibebam.* Multò frequentius duobus ſeculis ſequentibus hic uſus invaluit.

XIV. Tam multis igitur, tamque illuſtribus teſtimoniis confiſi audemus dicere Sancti Gregorii propoſitionem de Occidente Hæreticos ſine Chriſmatione per ſolam manus impoſitionem in Eccleſiam admittente non eſſe univerſaliter veram, Galliamque, & Hiſpaniam ſaltem eſſe ab hac regula excipiendas. Cum autem omnino improbabile ſit, S. Gregorium ita infinitè aſſeveraturum fuiſſe, Occidentem ſine unctione Hæreticos validè baptizatos admiſiſſe, ſi mos iſte Eccleſiæ Romanæ peculiaris fuiſſet, neceſſariò videtur dicendum Italicas Eccleſias, vicinaſque, veluti Brutias, Lucanas, Apulas, Galli-

cas

Digitized by Google

eas Ciſalpinas, ſive Longobardicas, Iſtricas, Liburnicas, Dalmaticas, ut plurimum hunc morem eſſe amplexas. Ab iſta regula excipiendi ſunt Donatiſtæ, quos Gallia ſaltem per ſolam manus impoſitionem ſine chriſmatione ad Eccleſiam redeuntes ſuſcepit. De hac Donatiſtarum ſuſceptione multis capite ſequenti diſſeremus, quibus tertiæ parti propoſitionis ſatisfiet; ut de Pelagianis *c. duodecimo*. Ex iis, quę hactenus demôſtrata sũt de antiqua Eccleſiæ Romanæ conſuetudine in recipiendis Arianis, aliiſque Hæreticis, evidenter colligitur, canonem illum S. Sylveſtro tributum in ſecunda Synodo Romana, ſive illius Synodi Epilogo adulterinum eſſe. *Conſtituit, ut Presbyterum Arianum nemo ſuſciperet, niſi Epiſcopus ejuſdem loci eum reconciliaret, & Sacroſancto Chriſmate per Epiſcopalis manus impoſitionem ſancti Spiritus gratia, quæ ab Hęreticis dari non poteſt, confirmaret.* Hic ritus Galliæ, aut Hiſpaniæ, aut alicujus peculiaris Provinciæ Italicæ proprius eſt, non Eccleſiæ Romanæ.

XV. Opportuoum videtur hic adtexere formulas reconciliationis Hæreticorum ad Eccleſiam tedeuntium ex tribus manuſcriptis antiquiſſimis excerptas Petaviano, Siculo, & Toloſano, In Petaviano poſt Octavam Paſchæ.

Benedictio ſuper eos, qui de Ariana ad Catholicam redeunt unitatem.

Domine Deus Pater omnipotens, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui dignatus es famulos, & famulas tuas ab errore, & mendacio hæreſeos Arianæ eruere, & ad Eccleſiam ſuam Catholicam eos perducere; Tu Domine mitte in eos Spiritum Paraclitum ſanctum ſapientiæ, & intellectus, Spiritum conſilii, & fortitudinis, Spiritum ſcientiæ, & pietatis, & adimple eos, Domine, Spiritu timoris Dei in nomine Jeſu Chriſti ſalvatoris noſtri, per quem, & cum quo eſt tibi honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Io codice Toloſano legitur iiſdem verbis, quibus in Siculo, ſed applicatio non fit ad hæreſim Arianam: generaliter enuntiatur, *Ab errore, & mendacio hęreticæ pravitatis, &c.* Titulus autem in Toloſano falſus eſt, *Reconciliatio redeuntium à Paganis*, Nihil enim de Paganis in ea oratione.

Io Codice Siculo eſt hic titulus, *Reconciliatio cum impoſitione manuum redeunti ab Arianis*. Finis eſt paulò diverſus, *ut in nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & ſigno Crucis ſignatus, pervenire mereatur ad vitam ſine fine manſuram. Per eundem Dominum noſtrum.* Hæc reconciliatio ſpecialis videtur pro Arianis: Nam alia ſequitur cum hoc titulo.

Item pro iis, qui de diverſis hæreſibus veniunt.

Sancte Pater omnipotens Deus, qui famulum tuum ab errore hæreſeon dignatus es eruere, & ad ſanctam Eccleſiam Catholicam revocare; Quæſumus te, Domine, emitte in eum Paraclitum Spiritum tuum ſanctum ſeptiformem, Spiritum ſapientiæ, & intellectus, conſilii, & fortitudinis, ſcientiæ, & pietatis; adimple famulum tuum Spiritu timoris Dei. Per Dominum noſtrum. Eadem prorſus legitur in Sacramentario Toloſano: Sed titulus paulò diverſus. *Benedictio ſuper eos, qui de diverſis hæreſibus veniunt.*

Eadem quoq; in manuſcripto Siculo cum hoc titulo, *Benedictio cum impoſitione manuum ſuper eos, qui de diverſis Hæreſibus veniunt*. In iſto Sacramentario, ut & in Pęnitentiali, ſpeciales ceremoniæ deſunt.

CAPUT XI.

Quinque graves difficultates ex præcedentibus emergentes evolvuntur. Sacramentum Confirmationis Donatiſtis erat in uſu, non autem Novatianis. Antiqui Patres videntur exiſtimaſſe Sacramentum Confirmationis apud Hæreticos eſſe non poſſe. Item gratiam primam juſtificantem reſipiſcenti ab Hæreſi applicatum vi baptiſmi conferre, non tantùm illius augmentum. Idem præſtare poſſe in reſipiſcentia, quolibes peccato communis eſt Scholaſticorum ſententia. In reconciliatione Hęreticorum per Sacramentum Confirmationis non meminerunt Patres Sacramentum Pęnitentiæ. Confirmatio baptiſmi validè ab Hæreticis dati vim ſuſcitat. Scholaſticorum ſententia communis eſt, criminum Confeſſionem adultis confirmandis non eſſe neceſſariam. Donatiſtarum chriſmatio à Catholicis non iterabatur, ſed ſola manus in Spiritum S. impoſitio. Manus Hæreticis redeuntibus imponitur, ut ipſis charitas infundatur, nève credant ſe eſſe culpæ expertes. Quid ſit apud S. Innocentium, Hæreticos recipi ſub imagine Pęnitentiæ.

NUnc Lectori aperiendum eſt, quid de difficultatibus, quæ ex dictis ſuboriri poſſunt, probabiliter coniiciamus. Illas reſolvere Theologorum eſt: Non tamen ab Hiſtorici munere alienum cenſemus, quid de occurrentibus difficultatibus coniiciat, proponere, reſervata ſemper Theologis decretoria ſententia. Conjectanea mea, Lector, qualicunque tuo judicio fuerint, bona malave, cedro digna, an indigna, tibi propono, oculos ſub aſtra fidei Catholicæ ſemper tenens, illiuſque clavo aſſixus, & inhærens. Quid libuerit de me ſecurus judica. Velle ſoum cuique eſt, ait ille: In ejuſmodi rebus, nec mihi velle eſt, nec habere volo; Doctorum Theologorum expecto. Vulgò fertur. Olitor nonnunquam eſt opportuna locutus. Si per rudem, cæcamque ſpeculationem meam velut per tenebras erumpunt animo tuo veræ concordiæ radii, cæcutientiamque meam, & *μωρίαν* indignatus meliora ſubſtituas, mihi ſatisfactum eſt, laboris mei præmium retuli. Difficultates nonnullas jam in fine *cap.7.* citavimus, eas nunc, aliaſque occurrentes tantiſper ſedare, & tranquillare conabimur.

II. Prima nobis occurrit ex *canon.7.* Concilii ſecundi, ubi Macedoniani, & Apollinariſtæ inter Hæreticos recenſentur, quos neceſſe eſt per chriſmationem recipi. Hinc enim colligi videtur, Catholicorum chriſmationem ex decreto Concilii eſſe repetendam. Nam Apollinariſtæ, & Macedoniani ab Eccleſia Catholica pauciſſimis ante illud Concilium annis defeceraut, primumque ab eo Concilio inter Hæreticos recenſiti ſunt. Omnes igitur illi Hæretici, aut propè omnes, cum in Eccleſia nati eſſent, confirmati fuerint; præſertim cum ex illorum ſeculorum conſuetudine, quæ adhuc obſervatur in Oriente, omnibus Baptizatis, etiam infantibus, Sacramenta baptiſmi, Confirmationis, & Euchariſtiæ, ſimul actione non interrupta, traderentur. Cùm igitur indiſtinctè aliis Hæreticis antiquioribus per unctionem recipiendis eos adnumerant Patres, conſequenter videntur decernere, Confirmationem Catholicorum eo caſu eſſe repetendam.

III. Verum ſi res attentiùs conſideretur, nullius erit momenti conſequentia. Concilii enim decretum eos tantùm reſpicit, qui ab iſtis Hæreticis baptizati, & confirmati ſunt. Nec fuit opus expreſsè diſtinguere, cum de jure communi certum eſſet unctionem Catholicam nunquam eſſe repetendam. Sic intellexit decretum hoc Sanctus Siricius *cap.1. Epiſt.1.* quam tertio poſt Concilium anno ſcripſit ad Himeticum. *Prima paginæ tuæ fronte ſignaſti baptizatos ab impiis Arianis plurimos ad fidem Catholicam feſtinare, & quoſdam de fratribus noſtris eos denuò baptizare velle.* Dicit hoc eſſe canonibus, & decreto Liberii prædeceſſoris ſui prohibitum, & à Synodo conſtitutum, ut ſimiliter cùm Novatianis aliiſque Hæreticis per invocationem Spiritus ſancti admitterentur, ut *cap.* præcedente retulimus. Similis interpretatio in eadem cauſa ſæpius occurrit. Exempli cauſa Hæreſis Novatiana Cypriano Epiſcopo nata eſt. Tribus forſan, aut quatuor annis poſteà, vel multò minus, interrogatur à Magno Cyprianus, qua ratione eſſent recipiendi Novatiani ad Eccleſiam redeuntes. Multis contendit eſſe rebaptizandos, nec expreſsè, & Scholaſticè diſtinguit eo loco, an de Novatianis in Eccleſia, aut extra Eccleſiam baptizatis intelligenda ſit quæſtio, hoc ut per ſe notum, & conceſſum aſſumit, in Eccleſia ſcilicet baptizatos per manus impoſitionem in Pœnitentiam, non per baptiſmum eſſe recipiendos. Quidni pariter Macedoniani, & Apollinariſtæ pauciſſimis annis multos baptizaverint, & confirmaverint, quos poſteà ad Eccleſiam redeuntes neceſſe fuit confirmare? Immò S. Auguſtinus *lib.5. de baptiſmo contra Donat. cap.19.* Cypriano fruſtranti Stephani Papæ argumentum ſimili huic argumento ſolutione, obiicit non modò Hæreticos intra aliquot annos baptizaſſe multos, qui ad Eccleſiam redeuntes non rebaptizabantur, ſed hoc illo ipſo die, quo ab Eccleſia receſſerunt, id feciſſe: *Statim enim unaquæque hæreſis, ut exiſtebat, & à Congregatione Catholicæ communionis exibat, non dico alio die, ſed & ipſo die, poterat irruentes in ſe aliquos baptizare.* Quid neceſſe fuit canones, qui breves ſunt ſigillatim hæc vulgata, & tunc omnibus nota diſtinguere, cùm ſimilia in ſolutis ſermonibus probi Auctores prætermittant? Quapropter hoc canone niti non poſſunt recentiores Græci, ut Confirmationis Sacramentum demonſtrent iterari poſſe.

IV. Ex cineribus iſtius difficultatis alia ſed multò perplexior pullulat. Videmur enim ſermoni noſtro ſuppoſuiſſe antiquos Patres Sacramentum Confirmationis ab Hæreticis adminiſtratum non probaſſe; atque ideò quos Hæretici baptizaverant, & conſequenter confirmaverant, probato baptiſmo iterum confirmationis Sacramento imbuiſſe. Nec videntur aliter intelligi poſſe non modò canones citati, ſed etiam Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum teſtimonia. Quum enim de baptizatis ab Hære-

Digitized by Google

Hæreticis tantùm intelligi debeant, omnes ab iis neceſſariò confirmati erant. Verum equidem eſt, Novatianos chriſmate non unxiſſe, quos baptizabant, ut notant S Pacianus *Epiſt.3.* ad Sympronianum, *Veſtræ plebi unde Spiritus quam non conſignat unctus Sacerdos*, & Theodoretus *lib.3. fabularum hæreticorum c.5. Quapropter*, inquit, *eos qui ex hac hæreſi corpori Eccleſiæ conjunguntur laudatiſſimi Patres inungi præceperunt*, ſed quis ſine teſte hoc audeat de ſingulis Hæreticis, qui redeuntes jubentur inungi, affirmare?

V. Immò plerique antiquiſſimi Patres cùm de admiſſione Hæreticorum ad Eccleſiam verba faciunt, velut confeſſum aſſumebant, Confirmationem ab iis acceptam exſuccam eſſe, & irritam, atque ideò aliam à Catholico Miniſtro accipiendam. Sic ſecum, & velut cùm univerſa Eccleſia Catholica ſentientem inducit Stephanum Papam Cyprianus, & hoc jacto fundamento in eum ſic argumentatur *Epiſt.74.* Si Sacramentum baptiſmi ab Hæretico datum ratum eſt apud vos, cur non Sacramentum Confirmationis ab eodem datum: Cùm poſteriùs irritus, cur non & prius. Verba integra relata ſunt ſupra in fine *cap.7.* Sic quoque *Epiſt.76. Itaque qui Hæreticis, ſive Schiſmaticis patrocinantur, reſpondeant nobis, habeantne Spiritum ſanctum an non habeant? Si habeant, cur illic baptizatis quando ad nos veniunt, manus imponitur ad accipiendum Spiritum ſanctum, cùm jam utique illic acceptus ſit, ubi ſi fuit, dari potuit? Si autem foris cuncti Hæretici, & Schiſmatici non habent Spiritum ſanctum, & ideò apud nos manus imponitur, ut hic accipiatur, quod illic non eſt, nec dari poteſt; manifeſtum eſt, nec remiſſionem peccatorum dari per eos poſſe, quos conſtet, Spiritum ſanctum non habere.* Ex eo loco conſtare videtur, Novatianos Cypriani tempore, hoc eſt initio hæreſis ſuæ, confirmare ſolitos: Nam ea Epiſtola peculiarem habet diſputationem de Novatianorum baptiſmo. Vel dicendum Novatianos in Sacramento Confirmationis ſolam manus impoſitionem retinuiſſe, unctionem truncaſſe; Sic S. Cyprianus cum Optato, & Theodoreto convenire poterit.

VI. Idem probant præ cæteris teſtimoniis capite præcedente allatis ea, quæ ex S. Leone retulimus; Ut & omnia, quæ *cap.9.* excerpta ſunt de ritu, quem in recipiendis Hæreticis Græci obſervant. Hujus iterationis hanc rationem videntur habuiſſe, quod homines ſalvandi Spiritus ſancti perfectionem neceſſariò conſequi debeant, aut miniſteriis, quibus comparatur, non fruſtrari. Sed ea apud Hæreticos eſſe non poſſunt: Nemo enim apud eos Spiritum ſanctum poteſt accipere. Quocirca cum ad Eccleſiam redeunt, illis ſunt adhibenda. Alia ratio eſt eorum, qui baptizati ſunt in Eccleſia: Nam illis potiti magno cùm ſacrilegio ea polluerunt. Ideò ſecundò illis exhiberi non debent, ſed per ſeveram pœnitentiam puniri, & ad novam gratiam excipiendam purgari, & præparari. Sic de antiquis Patribus ſenſit Joannes Maldonatus *tom.1. de Sacramentis*, in fine primæ quæſtionis de Confirmatione: *Cæterùm eſt mihi credibile, Auguſtinum fuiſſe in ea ſententia, ut exiſtimaret baptiſmum datum ab Hæreticis non eſſe repetendum; Confirmationem autem datam ab illis repetendam eſſe: propterea quod primus effectus baptiſmi eſt, reddere hominem Chriſtianum, & fidelem, quod apud Hæreticos fieri poteſt. Proprius autem effectus confirmationis eſt dare Spiritum ſanctum, quod omnes Antiqui contenderunt fieri non poſſe apud Hæreticos. Et iterùm quæſtione ſequente, An verò debeat repeti Confirmatio, etiam fuit antiqua quæſtio, &c. Hic diſtinguendum eſſe cenſeo. Nam quòd ea Confirmatio, quæ à Catholicis Epiſcopis data fuit, non debeat repeti, ſemper fuit certum, & de ea intelliguntur omnes canones Conciliorum, qui agunt de hac re: tamen an Confirmatio data ab Epiſcopis hæreticis repeti deberet in Eccleſia Catholica, non ita fuit certum; immò exiſtimo in tota vetere Eccleſia fuiſſe repetitam, quia non exiſtimabatur eſſe vera Confirmatio. Quod colligo ex omnibus antiquis ſcriptoribus, qui abſolutè ſine ulla diſtinctione docent, eos omnes, qui apud Hæreticos fuerint baptizati, cùm redeunt ad Eccleſiam Catholicam, non eſſe baptizandos iterùm, ſed confirmandos.*

VII. Non dubitat inſignis ille Doctor id confidenter aſſerere. Quid in hac aſſertione ſit periculi perſpicuè non video. Opponi poteſt *canon.9. de Sacramentis in genere ſeſſ.7. Concilii Tridentini, Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, &c. unde ea iterari non poſſunt, anathema ſit.* Decreti verbis ſatisfacit, qui hoc de Confirmatione ab Epiſcopis Catholicis data intelligit. Eam validam eſſe, characterem imprimere, & iterari non poſſe, certum eſt. Ideò dicendum eſſe de ea quam conferunt Hæretici ex hoc canone, nullomodo colligi poteſt. Si regeras, Baptiſmus extra Eccleſiam datus validus eſt; Ergo & Confirmatio. Negabitur conſequentia. Quo enim jure nititur? Baptiſmus à Laico, ab Ethnico, à muliere datus in forma Eccleſiæ validus eſt; Ergo & Confirmatio? Baptiſmum extra Eccleſiam datum validum eſſe certiſſimum eſt, ſed non ex hoc canone. Si quis enim probare vellet, baptiſmum à Laico Hæretico collatum validum eſſe, qua ratione hoc ſolo canone fretus id præſtare poſſet? Id certiſſimè probatur, ſed aliis argumentis, & innumeris, ut notum eſt. Similiter non video, qua ratione neceſſaria demonſtrari poſſit ex hoc canone Confirmationem ab Hæretico datam valere. Diſtinctio autem à nobis facta imaginaria non eſt, & canoni ſine lege diſtinguente applicata, cùm tot Antiquorum teſtimonia, quæ baptiſmum Hæreticorum iterari prohibent, eadem opera Confirmationem ab iis dari non poſſe teſtentur. Non video præter hunc canonem, quid veroſimile huic diſtinctioni opponi poſſit. Iſta, ut & innumera alia, Scholarum diſputationibus permiſit Eccleſia. Sanè primi Scholaſtici de re in praxi longè majoris momenti, ordinatione ſcilicet Hæreticorum, in utramque partem diu diſputarunt, An ſcilicet Sacramenta præter Baptiſmum conferre poſſint. Hugo à S. Victore *in ſumma tract.6.c.9.* aſſentitur iis, qui docent, nec Hæreticos, nec publicè Excommunicatos, corpus Chriſti conficere poſſe. Magiſter *lib.4.diſt.25.lit.C.* Varias, & contrarias ſui temporis Doctorum ſententias refert, & nulla improbata inclinare videtur in eam, quæ auctoritatem ordinandi iis tantùm aſſerit, qui priùs in Eccleſia ordinati ſunt. Eadem eſt ſententia Petri Pictavienſis Lombardi diſcipuli in gloſſis ad hunc Lombardi locum. Præpoſitivus in ſumma refert plurimos ita ſenſiſſe; iis tamen mavult aſſentiri, qui hanc poteſtatem diffundunt in Hæreticos ab Hæreticis ordinatos, licèt qui eos ordinaverunt in infinitum diſtent ab eo, qui fuit in Catholica ordinatus. Robertus de Flamesburg in Pœnitentiali ſuo, *Utrùm Epiſcopus Hæreticus ordines conferat, quæſtio maxima eſt, de quo diverſæ ſunt opiniones.* Amplectitur tamen eam, quæ hanc poteſtatem Hæreticis tribuit. Ita quoque S.Raimundus *Summæ lib.1.* Nunc ea ſententia certa eſt, nec ullo ampliùs dubio laborat: Non eſt tamen colligendum, rem ita ſemper ſe habuiſſe. Si quis huic ſolutioni non acquieſcit, alia eſt in promptu, Impoſitionem illam, quam dicunt Patres in Spiritum ſanctum Hæreticis cùm convertebantur factam, nudam fuiſſe ceremoniam ab iis tum inſtitutam. Videat tamen, & diligenter conſideret, an præclara, & magnifica illa elogia, quæ paſſim illi tribuunt antiqui Patres de nuda ceremonia poſſunt affirmari. Nihil enim videtur vero Sacramento tribui poſſe, quod Patres iſti manuum impoſitioni, & unctioni non tribuerint. Antonius Auguſtinus ex Auditore ſacri Palatii Apoſtolici Archiepiſcopus Tarraconenſis *lib.33. Epitomes juris Pontificii veteris, tit.8.* hanc ponit inſcriptionem, *ab Hæreticis baptizati per Confirmationem recipiuntur ab Eccleſia.* Id autem demonſtrat ſolùm tribus teſtimoniis, quæ ſupra cum plurimis aliis expreſſioribus retulimus. Evidenter igitur hæc teſtimonia vir ille maximus de Sacramento Confirmationis interpretatus eſt. Qua ratione intelligi poſſunt hæc Concilii Hiſpal.2. *cap.7.* verba, ut & S.Leonis *Epiſt.88.* non licere Presbyteris, *Nec per impoſitionem manus fidelibus baptizatis, vel converſis ex hæreſi Paracletum Spiritum tradere?* Si tamen neutra ſolutio Lectori placet, tertiam ab eo expectamus. In re Theologica, & difficili ſufficit Hiſtorico aliquid conjeciſſe. Notabit, Lector, Eccleſiam, aut non ſemper improbaſſe Hæreticorum Confirmationem, aut ſaltem ea in medio relicta propter bonum pacis, alia ratione quàm per manus impoſitionem Hæreticos ad Eccleſiam redeuntes admiſiſſe, ut multis exemplis capite ſequente demonſtrabitur.

VIII. Tertia difficultas ex ſecundæ definitione ſtatim emergit. Nam ſi Hæretici per Sacramentum Confirmationis præcedente hæreſeos anathematizatione in Eccleſiam admittuntur, ſequitur, Sacramentum illud gratiam primam conferre, hominiq; in ſtatu peccati exiſtenti, aut ſaltem præſumpto conferri poſſe; quam prærogativam communis Theologorum hujus temporis ſententia ſolis Baptiſmi, & Pœnitentiæ Sacramentis vindicare ſolet. Stringit multò magis nodus iſte, ſi quod ex præſcripto canonum Hæreticis admittendis uſurpari jubetur, nuda ponatur ceremonia. Quo jure enim, quave religionis prærogativa exſanguis ceremonia Hæreticum hominem tanto beneficio cumulabit? Notabit inſuper Lector difficultatem illam inanem ab iis exiſtimatum iri, qui docent primam gratiam ſive contritionem, cujus eſt perpetua comes gratia gratum faciens, quælibet Sacramenta præcedere, etiam baptiſmum, & Pœnitentiam, ut utiliter, & ſine fictione ſuſcipi poſſint. In hac enim hypotheſi non primam gratiam, ſed illius augmentum præſtabit Confirmatio. Deinde Baptiſmum præſupponit Confirmatio; Hæreticorum enim de

quibus

quibus quæſtio vertitur, baptiſmus ponitur ratus, & validus. Plurimi autem Theologi hanc doctrinam de Contritione Confeſſionem præcedente ante Concilium Tridentinum amplexi ſunt; nec defuerunt poſt illud viri graves, & celebres, qui eandem doctrinam amplecterentur, & propugnarent. Deniq; hanc difficultatem nullam, aut levem admodum judicabunt, qui gratiam primam ad primum auxilium gratiæ, ſive gratiam, qua vocamur, atque ut Deo credamus, excitamur, referunt, non ad gratiam gratum facientem, qua juſtificamur. In ea enim poſitione non modò baptiſmum ſequetur Confirmatio, ſed etiam cumulum gratiæ non primam gratiam largietur. Sed quoniam pleraque iſta non ſatis nobis probantur, licèt plurimis aliis placere poſſint, ea miſſa faciamus, & vulgatæ, communiorique opinioni inhæreamus.

IX. Dico igitur, propoſitionem illam, quam ſub difficultatis velo, & nomine expoſuimus, reverà conſequi ex tot Patribus Græcis, Latiniſque in capitibus præcedentibus allegatis; & evidenter in hac hypotheſi Confirmationis Sacramentum ab iis Sacramento Pœnitentiæ æquiparari; hoc eſt, idem præſtare Sacramentum Confirmationis erga Hæreticos extra Eccleſiam validè baptizatos, & ad eam redeuntes, quod Sacramentum Pęnitentiæ erga Hæreticos in Eccleſia baptizatos, qui redeuntes per Pœnitentiam ex Eccleſiæ decreto recipiuntur: Ulterius propoſitionem iſtam non prorogamus, cum in hac ſpecie allata teſtimonia conſiſtant. Unde ſequitur, nullam eſſe in propoſita difficultate difficultatem, ſed eam, ut propoſita eſt, admittendam. Nec iſta propoſitio Scholaſtices perito inſolens videri debet, cũ paſſim eam doceant antiqui, recentioreſque Scholaſtici. Hoc antequam propter eos, qui in iis legendis ætatem non triverunt, demonſtremus, propoſitio illa nobis eſt evolvenda, & enucleanda. Primum ex omnibus Patribus conſtat Baptiſmum ſupponi ſemper Confirmationi, & eo non ſuppoſito ratam eſſe non poſſe. Secundum, Confirmationem eſſe baptiſmi perfectionem, gratiamque baptiſmo collatam augere, & complere; ideò baptizatum per ſuſceptionem hujus Sacramenti in fide confirmari, & corroborari. Tertium, cum baptiſmus apud Hæreticos datus, ſit inefficax, ſecumque gratiam, & Spiritum ſanctum non ferat, per Confirmationem in animo Hæretici converſi reviviſcit, & revireſcit, fructumque Hæretica perfidia veluti mole ingenti, & montibus altis impoſitis oppreſſum excutit, & exerit, feliceſque palmites, & baccas agit in auras, non ſecus quàm Scholaſtici doceant baptiſmum fictè ſuſceptum fictione recedente effectum ſuum operari. Sic de Confirmatione ſentire Patres ex præcedentibus ſatis conſtat, ſed hoc inſuper capite ſequente demonſtrabimus. Quartum, Hinc neceſſariò ſequitur, non modò baptiſmum tempore ſemper Confirmationem præcedere, ſed etiam gratiam baptiſmalem natura ſaltem priorem eſſe gratia Confirmationis, cùm hæc illam præ ſe ſemper agat.

X. Itaque nobis tantùm probandum ſupereſt, Confirmationem in certo caſu à Patribus nominato, & deſcripto hominem imperfectè contritum, vel ſi mavis attritum, hoc eſt, in ſtatu peccati adhuc hærentem, ab eo ſtatu eripere, & juſtificare, idemque efficere, quod in ſimili ſtatu Pœnitentia virtute nativa præſtare ſolet, Propoſitionem non eſſe Scholaſticæ, & communi Theologiæ inſolentem. S. Thomas *Summæ 3. parte q. 71. art. 7.* ubi quærit, An gratia gratum faciens per Sacramentum Confirmationis conferatur, hanc doctrinam *reſponſ. ad. 2.* tradit, *Si aliquis Adultus in peccato exiſtens, cujus conſcientiam non habet; vel ſi etiam non perfectè contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento conſequetur remiſſionem peccatorum*. Clariſſimè propoſitionem, de qua nunc ambigimus aſſerit, & cum ingenti uſura. Nam id, quod ex tam multis Patribus, & Conciliis de ſolis Hæreticis extra Eccleſiam validè baptizatis collegimus, id de quolibet peccatore concludit. Nec verentur Thomiſtæ omnes, & plerique alii, ſola Magiſtri ſui auctoritate ſubnixi hanc propoſitionem libris ſui aſſerere. Ut quid nos tot Conciliis, & Patribus freti diffitebimur pauculam illius propoſitionis partem, ut probabilem proferre?

XI. Immò quod dixit S. Thomas de uno Confirmationis Sacramento ad omnia diffundunt. Cardinalis Cajetanus hæc, quæ citavimus, verba commentans ita ſcribit, *Nota hîc dictum in litera pro omnibus Sacramentis; quòd accedens ad Sacramentum cũ peccato, vel quia ejus conſcientiam non habet, vel quia non perfectè contritus, gratiam ex Sacramento conſequitur in remiſſionẽ peccatorum. Et intelligo hoc de peccato mortali: quoniam de venialibus non oportet habere conſcientiam particularem. Hoc eſt enim, quod conſuevit dici, virtute Sacramenti fieri de attrito contritum*. Dominicus Soto in *4. diſt. 7. art. 7.* ubi diſputat de præparatione ad Sacramentum Confirmationis neceſſaria, *Ambiguum tamen eſt, utrùm requiratur Contritio. Ad quod primò reſpondetur, quòd Attritio exiſtimata contritio ſufficit. Nam ut diſt. præcedente q. 1. dicebamus, hæc ad omnia ſufficit Sacramenta: Videlicet quòd homo licèt non doleat propter Deum, bona tamen fide id arbitretur. Et de hac certò credo loqui* D. Thom. *ubi ait, ſi aliquis Adultus, &c. Ejuſmodi enim attritus eſt, qui ob id quod dignè ad Sacramentum accedit, fit per ipſam ex Attrito contritus*. Alibi autem ubi ex profeſſo agit de Pęnitentia nullam aliam præparationem poſtulat, quàm Attritionem putatam Contritionem.

XII. Sic quoque Henriquez *lib. 3. c. 4. n. 1. Confert aliquando primam gratiam ei, qui bona fide reputat ſe contritum, cùm ſit attritus tantùm*. Et ibidem iterùm *c. 5. a. 5.* citatq; locum S. Thomæ jam relatum, Dominicum Sotum, & Ledeſmam, colligitque, *Atque ita Confirmatio interdum confert primam gratiam*. Gregorius de Valentia *tom. 4. diſp. 5. q. 1. puncto 4. Per illud.* Sacram. Confirm. *datur etiam interdum gratia ipſa prima, id eſt, per quã aliquis redditur ex injuſto juſtus, ut aſſerit* D. Thomas *hic art. 7. ad 2. communiter receptus. Id autem fit, ut idem* D. Thomas *declarat, cùm alicui Sacramentum iſtud ſuſcipienti, vel non venit in mentem aliquod peccatum mortale, cujus macula adhuc ipſi inhæret, ut de eo doleat: Vel ſi in mentem venit, non dolet de ea per Contritionem perfectam, ſed ſolùm per Attritionem. Tunc ſanè Sacramentum ſupplet illum defectum doloris, & homo juſtificatur*. Suarez in *3. p. quæſt. 72. art. 7. ſect. 2.* quanquam nonnihil renitens tamen auctoritate S. Thomæ oppreſſus fatetur ſententiam illam eſſe probabilem: Sed Confirmationis, & aliorum Sacramentorum eandem dicit eſſe rationem. Eadem Ægidii Conink ſententia *q. 62. art. 1. dub. 2. n. 42. de Sacramentis in genere*. Eò quoque tandem concedit Tannerus *tom. 4. diſput. 4. quæſt. 4. dub. 2. n. 41. Diſputatione* autem 3. in qua diſputat de Sacramentis in genere *q. 3. dub. 5. n. 141.* hanc probat aſſertionem, *Omnia Sacramenta de facto nonnunquam poſſunt ex opere operato conferre primam gratiam. Hæc eſt ſententia magis pia, & probabilior, quam docet* S. Thomas *de ſingulis Sacramentis ſuis locis; ſpeciatim quæſt. 30. art. 1. Eandem communiter ſequuntur Thomiſtæ*. Quidni hoc in caſu ſpeciali de Sacramento Confirmationis docuerint Concilia, ſanctique Patres? Concilium Tridentinum *ſeſſ. 13. cap. 7.* ſtatuit, *Ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat*. Nihilominus communis ferè ſententia nunc eſt Theologorum, Sacramentum Euchariſtiæ conferre aliquando gratiam primam à peccatis juſtificantem: Verbi gratia, ſi quis putans ſe bona fide contritum, cum tamen ſit tantum attritus, accedit ad Euchariſtiam, communiter juſtificari docent, atque ex impio fieri ſanctum. Quidni in caſu à Patribus dato eadem erit Sacramenti Confirmationis efficientia; de quo nihil unquam tale pronuntiavit ullum Concilium?

XIII. Quarta difficultas ex præcedente oritur, & occidit. Mirum enim videri poteſt alicui, qua ratione factum ſit, ut licèt tot retulerimus Antiquorum teſtimonia, quibus Hæretici jubentur per Confirmationis Sacramentum recipi, nuſquam tamen ad eluendum ſcelus hæreſis commemorantur, Confeſſionem edidiſſe peccatorum in Pœnitentiam: Immo duo illi receptionis Hæreticorum modi velut oppoſiti reſeruntur, ita ut uno uſurpato alter uſurpari non ſoleat. Nam in Eccleſia baptizati Hæretici ad Eccleſiam admittebantur per Pęnitentiam, nunquam leguntur admiſſi per Confirmationem; quod tamen apud Latinos ſine Sacramenti repetitione fieri potuit, eo quod ſolo Epiſcopo conferente hoc Sacramentum, multi baptiſmo ſuſcepto diu non confirmati vivere potuerunt. Sic extra Eccleſiam baptizatos nuſquam legas per Sacramentum Pœnitentiæ admiſſos. Qui in Eccleſia baptizati ab Hæreticis ſe rebaptizari curaverant, per ſeveram Pœnitentiam revertentes admittebantur, ſed nunquam per Confirmationem.

XIV. Iſtius difficultatis ſolutio non mihi videtur longè arceſſenda. Quum Confirmatio in hoc caſu vi ſua ex Attrito faciat contritum, & gratiam juſtificationis conferat, nulla eſt Sacramenti Pœnitentiæ neceſſitas. Id quod enim præſtaret Pœnitentia, jam præſtitit Confirmatio, ut reſtantibus tam multis Scholaſticis, id fieri poſſe jam demonſtratum eſt. Sed aliud eſt in hac cauſa maximi momenti, quod Lector diligenter attendere debet. Scitum eſt apud omnes propè Scholaſticos, Sacramentum Confirmationis, ut producat effectum ſuum, non requirere neceſſariò peccatorum Confeſſionem, & abſolutionem, ſed gratiam in peccatore diſpoſito producere ſine ullo voto, & relatione ad Sacramentum Pœnitentiæ poſteà ſuſcipiendum. Sufficit, Confirmationem ſuſcepturo baptizatum fuiſſe, ut per Attritionem, & ſecurius per Contritionem peccatorum,

quæ

Digitized by Google

clementia ut Leone Pontifice nonnulli eos non modo ſine Pœnitentia, ſed etiam ſine hæreſis anathematizatione ſuſciperent, quod poſterius plurimum improbat *Epiſt.*86.ut referemus infra *cap.*11. Ideò pauculo temporis lapſu videntur Pelagiani ſine ulla Pœnitentia, & manus impoſitione per ſolam hæreſis anathematizationem in Eccleſiam admiſſi.

XII. Joannes Climacus gradu Scalæ ſuæ 15. paucis verbis ſui temporis praxim evidentiſſimè nos docet, *Vir quidam*, inquit, *ſcientiſſimus problema terribile quæſivit ex nobis. Quod inquiens peccatum omnibus gravius eſt, homicidio, Chriſtique abnegatione exceptis? Cùmque illi reſpondiſſem, in hæreſim labi. Et quonam*, inquit, *modo Catholica Eccleſia Hæreticos quidem, cùm hæreſim priorem toto animo repudiaverint, atque anathematizaverint, ſuſcipit ad ſanctorum myſteriorum communionem, & ut idoneos admittit; cùm verò qui in fornicationem lapſus fuerit, confitentem, atque peccatum ipſum omnino deſerentem introrſus ſuſcipiens, per annos aliquot eum à venerandis, immaculatiſque myſteriis ex traditione Apoſtolica ſeparare permittit*. Manifeſtum eſt ſtatim poſt fidei profeſſionem nulla pœna impoſita admiſſos Hæreticos. Joannes Abbas Raythu Climaci diſcipulus commentans verba iſta Magiſtri ſui illa confirmat, & eorum rationem reddit, *Hæreſis quidem malum in anima conſiſtit, fornicatio verò ex electione arbitrii animæ malo conſentiens, in corpore corruptionis peccatum complevit. Quoniam verò nihil eſt naturale quod impugnet eum qui ab errore convertitur, totaliter ex converſione mundatur. Qui verò ex fornicatione tempore indiget, labore, & lachrymis, ut qualificatam, & infuſam delectationem, & plagam concupiſcentiæ avertat*. Ita Joannes de hoc Pœnitentiæ imponendæ diſcrimine, & non abs re philoſophatur.

XIII. Quum præter hæreſim alia crimina publicè innotuerant, tum longa, & dura Pœnitentia hæretici ad Eccleſiam redeuntes puniebantur, ut nonnulla teſtimonia jam allegata demonſtrant, niſi forſan iterum magnum aliquod periculum ex illius ſeveritatis obſervatione Eccleſiæ immineret: Nam in omni Republica bene conſtituta hæc lex ſemper viget, ſalus populi ſuprema lex eſto. Hoc notanter excipit Siricius Pontifex *Epiſt.* 4.*cap.*8. *Venientes à Novatianis, vel Montenſibus per manus impoſitionem ſuſcipiantur, præter eos quos rebaptizant*. Sanctus Innocentius *Epiſt.*2.*cap.*8. *Ut venientes à Novatianis, vel Montenſibus per manus tantùm impoſitionem ſuſcipiantur: quia quamvis ab Hæreticis, tamen in Chriſti nomine ſunt baptizati, præter eos, ſi qui forte à nobis ad illos tranſeuntes, rebaptizati ſunt. Hi ſi reſipiſcentes, & ruinam ſuam cogitantes, redire voluerint, ſub longa Pœnitentiæ ſatisfactione admittendi ſunt*. Idem docet *Epiſt.*22.*cap.*5. de iis qui ab Eccleſia ad Bonoſianos confugientes ab iis baptizati, & ordinati fuerant. Ejuſmodi enim vult ſub longa Pœnitentia eſſe recipiendos, & ad ſacros ordines nunquam promovendos.

XIV. Hanc materiam fusè tractat Felix III. Epiſtola 7. ſingulaſque circumſtantias examinat. Referam tantùm quod decernit in Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, qui vel volentes, vel etiam coacti permiſerunt ſe rebaptizari, *Sed quia idem Dominus, atque ſalvator clementiſſimus eſt, & neminem vult perire, uſque ad exitus ſui diem, in Pœnitentia (ſi reſipiſcunt) jacere conveniet; nec orationi non modò fidelium, ſed nec Catechumenorum omnimodis intereſſe, quibus communio Laica tantùm in morte reddenda eſt*. Poſteà definit, quæ Pœnitentia aliis Clericis, & Monachis ſit imponenda, quæ Laicis, quæ pueris, qui idem paſſim ſunt, Paucis idem docet S.Leo *Epiſt.*3. ubi ſcribit, Clericos, qui à Catholica ad Hæreſim lapſi ſunt, ſi reſipiſcant, profeſſione fidei facta recipi poſſe in eodem in quo erant gradu, cùm defecerunt, ſed omni ſpe promotionis adempta, *Si tamen*, inquit, *iterata tinctione non fuerint maculati*. Simile ſæpius *Act.* 1. & 3. ſeptimæ Synodi dictum legitur de Hæreticorum Anteſignanis. *Tharaſius ſanctiſſimus Patriarcha dixit, Plurimi jam Canonici, ſanctarumque Synodorum, & Patrum libri lecti ſunt, qui docent nos, reverſos ab hæreſi recipere debere, modò non ſubſit improba aliqua cauſa*. Et paulò poſt in eadem prima actione Monachi omnes, *Juxta ſex ſanctas, & œcumenicas Synodos ex hæreſi redeuntes recipimus, niſi cauſa quæpiam non toleranda ſubſit*. Capite ſequente referentur ex S. Auguſtino iſtius praxis præclaræ rationes.

XV. Concilium primum Valentinum in Gallia *c.*3. ejuſmodi Apoſtatas qui à Catholica ad hæreſim defecerant, ſeſeque altero baptiſmo inquinaverant, redeuntes graviſſima Pœnitentia mulctat, eoſque æquiparat iis, qui ſe Dæmonum ſacrificiis ſponte polluerunt, *Circa eorum perſonas qui ſe poſt unum, & ſanctum lavacrum, vel prophanis ſacrificiis Dæmonum, vel inceſta lavatione polluerunt, eam cenſuræ formam duximus eſſe ſervandam, ut his juxta Synodum Nicænam, ſatisfactionis quidem aditus non negetur, ut infelicibus lachrymis, vel ſolatiis janua deſperatione claudatur: Acturi verò Pœnitentiam uſque in diem mortis, non ſint ſpe tamen remiſſionis, quam ab eo plenè ſperare debebunt, qui ejus largitatem, & ſalus obtinet, & tam dives miſericordia eſt, ut nemo deſperet*. Nullos eorum Pœnitentiæ terminos figit. Concilium Ilerdenſe *c.*9. gravem admodum iiſdem ſponte rebaptizatis Pœnitentiam imponit, præcedente tamen clementiorem. Annis ſeptem jubet eos cum Catechumenis orare, hoc eſt, ſubſtrationis ſtationi ſubſiſtere, *Et poſteà moderatione, & Clementia Epiſcopi fidelibus in oblatione Euchariſtiæ communicare*.

XVI. Eadem ἀναλογῶς aliorum criminum ratio, cùm ea perpetraverant in hæreſi, quæ Pœnitentiam publicam ſecundùm canones exigebant. Ideo ſtatuitur in Concilio Milevitano 2. *cap.*23. *Placuit, ut quicunque converſus ab Hæreticis, dixerit ſe apud eos Pœnitentiam accipere, Unuſquiſque Catholicus Epiſcopus requirat, ubi, & ob quam cauſam apud eoſdem Hæreticos Pœnitentiam ſuſceperit, ut cùm documentis certis hoc ipſum approbaverit, ſibi pro qualitate peccati, ſicut eidem Epiſcopo Catholico viſum fuerit, tempus Pœnitentiæ, vel reconciliationis decernat*. Ex his manifeſtum eſt gratiam hæreſi factam non cæteris criminibus ad Pœnitentiam damnatis.

XVII. Ex iis, quæ dicta ſunt, manifeſtum eſt *can.*60. Concilii Agathenſis, quem integrum renovant Patres Concilii Toletani 17. *cap.*13. cùm ait, *Grandem redeundi difficultatem ſanxiſſe antiquos Patres*, iis, qui in Catholica fide baptizati in hæreſim prolabuntur, non eſſe ſimpliciter de Hæreticis intelligendum, ſed vel de Hæreticorum Anteſignanis, vel de iis, qui gravia aliqua crimina hæreſi conjunxerant, vel qui denuò ſeſe ab Hæreticis baptizari permiſerant. Nam ut ait S. Leo *Epiſt.* 13. *Sedis Apoſtolicæ moderatio hanc temperantiam obſervat, ut & ſeverius agat cum obduratis, & veniam cupiat præſtare correctis*. Hoc demonſtrat Concilium Aurelian. 4. *cap.* 8. poſt Agathenſe 39. annis celebratum. Nihil enim grave Hæreticis propter Hæreſim decernit, ſed omnia Epiſcopi relinquit arbitrio, *Qui poſt baptiſmi Sacramentum ad Hæreſis lapſum, carne ſuadente, deſcendunt, & reatum agnoſcentes, ad unitatem fidei Catholicæ venire deſiderant; in Epiſcoporum poteſtate conſiſtat, cùm eos viderint dignam Pœnitentiam agere, quando vel qualiter communioni priſtinæ reformentur*.

XVIII. Quoddam præterea genus Hæreticorum alio difficilius eſt. Manichæi præ cæteris examinabantur, & probabantur, ut legere eſt in Commonitorio S. Auguſtini de ſuſceptione Manichæorum, quod habetur in fine *tom.* 10. *Nec facilè admittantur ad baptiſmum, ſi Catechumeni fiant, nec ad reconciliationem, ſi Pœnitentiæ locum acceperint, niſi periculo mortis urgente: vel ſi quos aliquanto tempore probatos eſſe cognoverit Epiſcopus per eorum teſtimonium, quibus fuerint commendati*. Et in fine Commonitorii ſic de Manichæorum Electis tradit, *Electis verò eorum, &c. non facilè dandæ ſunt literæ, ſed cum Dei ſervis eſſe debebunt, ſive Clericis, ſive in Monaſterio, vel Xenodochio, donec appareat penitus ipſa ſuperſtitione caruiſſe, & tunc vel baptizentur, vel reconcilientur, ſi Pœnitentiæ locum acceperint: nec acceptis cito literis, loca, in quibus fuerant commendati, deſerant*.

XIX. Rigidior fuerat in Manichæos Syricius Pontifex, referente antiquo Pontificali: Conſtituerat enim, *Ut ſi quis converſus de Manichæis rediret ad Eccleſiam, nullatenus communicaret, niſi tantùm relegationi Monaſterii diebus vitæ ſuæ teneretur obnoxius, ut jejuniis, & orationibus maceratus, probatus ſub omni examinatione uſque ad ultimum diem tranſitus ſui humanitate Eccleſiæ viaticum ei largiretur*. Si ſincerum eſt hoc decretum, in quoſdam Manichæorum Anteſignanos, aut aliquos pertinacia, & ſcelere famoſos latum eſt. Vel potius id, quod factum eſt, à S. Leone ab Anaſtaſio Pontificalis auctore Syricio tribuitur, ut aliquis olim Epiſtolam adverſus Manichæos ex Epiſtola S. Leonis conſarcinatam edidit ſub Anaſtaſii I. nomine, qui annis fere 40. obierat ante Leonis Pontificatum. De Manichæis autem nihil aliud ſtatuit Leo quàm ſecundum ea, quæ de Hæreticis diximus: Ita enim Epiſt.2. ad Epiſcopos Italiæ, de quibuſdam Manichæis à ſe in urbe deprehenſis, *Quos potuimus emendare correximus, & ut damnarent Manichæum cum prædicationibus, & diſcipulis ſuis publica in Eccleſia profeſſione, & manus ſuæ ſubſcriptione compulimus, & ita de voragine impietatis ſuæ confeſſos Pœnitentiam concedendo, levavimus*. Manichæi illi, utpote recens corrupti, in Eccleſia baptizati fuerant, alias enim per baptiſmum, non per Pœnitentiam ei reconciliati fuiſſent. Nunc audi, quid de Anteſignanis, & pertinacibus ſtatuerit: *Aliquanti verò, qui ita ſe demerſerant, ut nullum his auxiliantis poſſet remedium ſubvenire, ſubditi legibus ſecundùm*

Chri-

Chriſtianorum Principum conſtituta, ne ſanctum gregem ſua contagione polluerent, per publicos Judices perpetuo ſunt exilio relegati.

XX. His ſubteximus Abſolutionis, ſive Reconciliationis formulas dari ſolitas iis, qui in Eccleſia Catholica baptizati ab Hæreticis ſeſe iterum baptizari permiſerant, cùm è Pœnitentiæ ſtadio emittebantur. Eaſdem prorſus in tribus antiquiſſimis Manuſcriptis Ritualibus ſive Sacramentariis, Petaviano, Toloſano, & Siculo reperimus.

RECONCILIATIO REBAPTIZATI AB HÆRETICIS.

Omnipotens Pater miſericordiarum, & Deus conſolationis, qui per unigenitum tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ita regenerationis humanæ conſecraſti myſterium, ut nec in eis, qui fraude diabolica malignitatis à baptiſmi unitate diſcedunt, nulla poſſit iteratione reſcindi. Quia cùm geminatur, à ſacra lege non virtus indita conſecrationis excluditur, ſed injuria fidei Sacramentis manentibus irrogatur. Ideò cùm ad veram matrem Eccleſiam Catholicam tui muneris aſpiratione reſipiſcentes Apoſtatæ redeunt, non quod amiſerunt baptiſmum recipiunt, ſed quod in ſe permanenti fecerint contumeliam, veracis Pænitentiæ ſatisfactione reparatur. Hinc tuam miſericordiam, pater Sancte, ſupplices exoramus, ut hunc famulum tuum ad ſancta tua, quæ reliquit, atria revertentem, immenſa benignitate ſuſcipiat, & piiſſima propitiatione ſalviſicet, ut qui ruinæ ſuæ lapſum anathematizando nunc Arium jugi lamentatione caſtigat, dignæ Pænitentiæ fructus te miſerante perficiat. Tuo quippe reſpectu ſatisfactionis ſumpſit initium, tuo munere de perditionis ſe jam ſentiat longinquitate egreſſum. Longiùs enim à te tam collatę fidei negatione, quàm operum pravitate diſceditur. Unde quæſumus, ut ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum immaniſſima ſupplicis tui remittatur impietas, & aberrantem longius ab itinere ſalutis ęternę tua dignetur revocare Majeſtas. Nos autem ſicut in exequendis myſteriis tuis probamur indigni, ita de tua ſumus miſeratione certiſſimi, & ob hoc non audemus revertenti, atque pulſanti reconciliationis januam claudere, cui ad revertendum cordis oculos te confidimus revelaſſe. Et licèt actioni Pœnitentię metas temporum pręfigamus, tamen quia non ſolum diem mortis, ſed & qualitatem pectoris ignoramus, ſic eum ad ſpem reconciliationis admittimus, ut affectum jugis pœnitudinis non omittat, ſed perenni timore continua lamentatione redivivus, & Sacramentorum cęleſtium communione mereatur eſſe perpetuus. Per.

ALIA MINORE ÆTATE.

Deus, qui hominem ad imaginem tuam conditum in id reparas quod creaſti, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum, & quidquid ignorantię ipſius hęretica pravitate irrepſit, indulgentia tuę pietatis ignoſce, ut quod in eo Diaboli fraude commiſſum eſt, & nequitia Arianę perfidię nocuit, non ei reputetur ad culpam, ſed membrum Eccleſię Catholicę remiſſionis tuę clementia reformetur, ut altaribus ſacris recepta veritatis tuę communione reddatur. Per.

ITEM ALIA MINORE ÆTATE.

Deus humani generis conditor, & redemptor; Deus qui facturam ſimilitudinis, & imaginis tuę ſecundùm divitias bonitatis tuę in id reparas quod creaſti, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum, ut quidquid ignorantię ipſius neceſſitas hoſtilitatis inflixit, indulgentia tuę pietatis ignoſce, ut in eo, cui adhuc intelligentia integra non ſuppetit, nihil reputetur ad culpam, ſed Eccleſię membrum remiſſionis tuę benignitate reputetur. Per.

In Petaviano codice nonnulla correximus ex ſiculo, & Toloſano, quæ erant apertæ ſcribarum mendæ, ut pro *recenſendi* quod erat in Petaviano, repoſuimus ex ſiculo, & Toloſano *reſcindi*. Sic, *metas temporum præficiamus*, repoſuimus, ex utroque, *præſigamus*. Sic, *hæretica pravitas irrepſit*, repoſuimus, ex Siculo *pravitate*, Una aut altera erat varia lectio tolerabilis, ut, *diſceditur* Siculus, *diſceſſerat* ut *inflixit*, Siculus & Toloſ. melius, *inflixit*, & ultima dictio, *reputetur*. Siculus, & Toloſanus *reparetur*. Melius in Toloſano, *cum geminatur à ſacrilegis*, quam *à ſacra lege*. Ex horum comparatione facile, eſt Lectori colligere quid ſit diſcriminis inter receptionem Hæreticorum per manus impoſitionem ad excipiendum Spiritum ſanctum, & manus impoſitionem in Pœnitentiam, ſive quod idem eſt, inter receptionem Hæreticorum per Sacramentum Confirmationis, & per Sacramentum Pœnitentiæ. Si quis præterea conſideret orationum verba, præcipuè primæ, quæ longior eſt, evidenter illi conſtabit fuſas eſſe ſuper Hæreticum, qui ab Eccleſia ad Arianiſmum defecerat, & ſe denuò baptizari permiſerat.

CAPUT IX.

Orientalis Eccleſia Hæreticos extra Catholicam baptizatos ad eam redeuntes per chriſmatis unctionem reconciliavit. Sanctus Baſilius diviſorum ab Eccleſia tres claſſes conſtituit, & triplicem reconciliationem. Concilium Generale 2. baptizatorum extra Eccleſiam duas claſſes, ſed ſextum tres claſſes alio modo quàm Baſilius. Theodori Studitæ Monachi, Timothei Presbyteri, Methodii, Marci, & Balſamonis Patriarcharum, & trium antiquiſſimorum Euchologiorum teſtimonia. Græci antiquiores pleri que manus impoſitionem Confirmationi adhibuerunt. Non omnes antiquiſſimi in recipiendis Hæreticis unctione uſi ſunt. Canonis 8. Nicæni ſincera interpretatio. In ratione reconciliandi Hæreticos Methodo attributa nonnulla adulterina. Græci Neoterici malè confundunt reconciliationem Hæreticorum cum reconciliatione Apoſtatarum ab Eccleſia. Confuſio illa Balſamone, & Harmenopulo antiquior. Iidem nunc Sacramentum Confirmationis repetere ſolent.

Difficile eſt ſecundi Hæreticorum generis reconciliationem cum Eccleſia una propoſitione, vel regula definire. Non enim ſolum permulta ſunt antiquorum Patrum de hac reconciliatione teſtimonia, ſed etiam varia, & multiplicia. Ea Lectoris ob oculos certo quodam ordine proponemus, ne confuſa varietas intelligendi difficultatem pariat. Hæc igitur ſit ſexta propoſitio, *Hæreticos extra Eccleſiam validè baptizatos ab errore reſipiſcentes, Orientales Eccleſiæ per chriſmatis unctionem, ſive per Sacramentum confirmationis in communionem ſuam receperunt*. Iſta propoſitio videtur in Oriente univerſaliter vera, nullamque ad Neſtorium uſque exceptionem admiſiſſe: Neſtoriani enim, & poſt eos Eutychiani, atque etiam Iconoclaſtæ per ſolam fidei profeſſionem admiſſi ſunt, ut infra docebitur. Nunc etiam iſta recipiendi Hæreticos ratio admodum apud eos ſolemnis eſt, omnibuſque eorum Euchologiis celebratur, ſed eam, ut infra docebitur, longius æquo ſæpè diffundunt.

II. Antiquum Concilium Laodicenum *cap.* 7. jubet, Novatianos, Photinianos, & Teſſaradecatitas hæreſis ſuæ ejeratione, *Fidei ſymbola diſcentes, & ſancto chriſmate inunctos ſanctis myſteriis communicare*. Hæc eſt antiqua, & ab Apoſtolis accepta traditio. Hæreticorum baptiſmum non eſſe repetendum, ſed vim qua caruit eſſe Unctionis Sacramento ſuſcitandam. Ita enim Juſtinus Martyr, aut alius ſed antiquus auctor in reſponſionibus ad Orthodoxos *quæſt.* 14. interrogatus quamobrem ab Hæreticis baptizatus, cùm ad Eccleſiam revertitur, alio baptiſmo non imbuitur, reſpondet, *Hæretici ad Orthodoxiam tranſeuntis Lapſus corrigitur; pravæ quidem opinionis, mutatione ſententiæ; baptiſmi autem, unguenti ſancti unctione, τῇ ἐπιχρίσει τοῦ ἁγίου μύρου.*

III. Sanctus Baſilius *can.* 1. Epiſtolæ ad Amphilochium fusè hanc diſciplinam ediſſerit. Eos, qui ſeparati ſunt ab Eccleſia, in tres claſſes ſecundùm Antiquos, ut ait, diſtinguit. Hæreſes, Schiſmata, & Paraſynagogas, ſive illegetimos conventus. Unamquamque claſſem ſic definit, *αἱρέσεις μὲν, τοὺς παντελῶς ἀπερρηγμένους, Hæreſes quidem, eos qui omnino abrupti ſunt, & ſecundùm ipſam fidem abalienati. Schiſmata autem, qui propter aliquas Eccleſiaſticas cauſas, & medicabiles quæſtiones ζητήματα ἰάσιμα, inter ſe diſſident. Paraſynagogas verò, Congregationes, quę fiunt à rebellibus Presbyteris vel Epiſcopis, & indocta plebe.* Primæ claſſis exemplum proponit, Manichæos, Valentinianos, Marcionitas, & Pepuzenos, ſeu Montaniſtas: Secundæ verò, Catharos, Encratitas, Hydroparaſtatas, & Apotactitas. Tertiam autem ſic deſcribit, *Veluti cùm quis criminis convictus, & ideò ſacro miniſterio prohibitus, canonibus ſe non ſubmittit, ſed ſibi præſulatum, & ſacrum miniſterium vindicat, & cum eo aliqui relicta Eccleſia Catholica ſecedunt. Hoc eſt*, inquit, *Paraſynagoga. Παρασυναγωγὴ τὸ τοιοῦτον.* Primam Hæreticorum claſſem dicit eſſe rebaptizandam, eo quod cum ſanctæ, & ſolius Trinitatis invocatione baptizati non ſunt.

IV. De ſecunda claſſe ſcribit eſſe antiquitus dubitatum: *Antiquis viſum eſt, Cypriano dico, & noſtro Firmiliano eos omnes uni calculo ſubiicere, Catharos & Encratitas, & Hydraparaſtatas, & Apotactitas; quoniam ſeparationis quidem principiū per Schiſma, qui autem ab Eccleſia defecerunt, non habent ampliùs*

Digitized by Google

in ſemetipſis gratiam Spiritus ſancti. ἐπέλιπε γὰρ ἡ μετάδοσις τῷ διακοπῆναι τὴν ἀκολουθίαν. Defecit enim, & reſtincta eſt ejus participatio, per abruptionem conſequentiæ. Qui enim primi receſſerunt, ordinationem à Patribus habebant, & per manus impoſitionem habebant ſpiritualem gratiam. Qui autem abrupti ſunt, Laici effecti, nec baptizandi, nec ordinandi habent poteſtatem, ut qui non poſſint ampliùs Spiritus S. gratiam aliis quoque præbere, à qua ipſi exciderunt, &c. Videtur Sancto Cypriano, & Firmiliano Prædeceſſori ſuo admodum favere: Tandem tamen ſententiæ Stephani Pontificis acquieſcit, ſentientis ſecundæ claſſis Hæreticos non eſſe baptizandos. Sic enim decernit, *Sed quoniam nonnullis Aſiaticis omnino viſum eſt propter multorum œconomiam, & diſpenſationem etiam baptiſma ſuſcipi, ſuſcipiatur.* Quidquid ſit, ſi probatus fuerit hic baptiſmus, cui conſuetudini non contradicit, jubet omnino, ut cùm hoc baptiſmo ſuſcipiendi ungantur, antequam myſteriorum participes fiant. *Omni autem ratione ſtatuatur, ut qui ex illorum baptiſmo accedunt, ungantur à fidelibus, & ſic ad myſteria accedunt.* Itaque baptiſmo hoc probato unctionem planè neceſſariam arbitratur, ut per eam gratiam Spiritus ſancti conſequantur, quam per baptiſmum Hæreticorum adipiſci non potuerunt.

V. Tertiam claſſem eorum, qui ſe ab Eccleſia ſeparaverunt, cenſet per Pœnitentiam correctos Eccleſiæ reconciliari oportere, *Eos autem, qui ſunt in Paraſynagogis, & illegitimis conventibus, convenienti Pœnitentia, & converſione correctos, rurſus Eccleſiæ conjungere.* Scribit ab antiquis hoc eſſe decretum; hancque diſciplinam conſimili illuſtrat, *Ut ſæpe ii, qui in gradu collocati cum rebellibus abjerunt, poſtquam eos pœnituerit, in eundem ordinem admittuntur.* Ut Schiſmaticorum tria genera conſtituit, ſic & reconciliationis. Quemadmodum autem primum, & ultimum reconciliationis genus Sacramento celebratur, Baptiſmo, & Pœnitentia, ſic videri poteſt, & medium. Deinde cur unctionem illam, ſecundo Hæreticorum generi reconciliando neceſſariam prædicat, & velut gratiæ Spiritus ſancti amiſſæ reparatricem tantopere urget? Hanc difficultatem, quæ ſequuntur teſtimonia diſertè, & κατὰ λέξιν dirimunt.

VI. Secundum Concilium generale *canon.* 7. omnes Hæreticos extra Eccleſiam baptizatos in duo genera dividit. Tertium enim genus à Sancto Baſilio adnotatum Hæreticis propriè adnumerari non poteſt, cum ex hypotheſi à Sanctæ Eccleſiæ dogmatibus non diſſentiat, & eos tantum complectatur, qui in ea baptizati ſunt, de quorum baptiſmo ne Cyprianus quidem hæſitaſſet. Nemo igitur dubitare potuit, ejuſmodi Schiſmaticos per Pœnitentiæ Sacramentum in Eccleſiam eſſe recipiendos. Primum genus Hæreticorum, quod Concilium commemorat, eorum eſt, qui Baptiſmum extra Eccleſiam validè ſuſceperunt. Inter eos recenſet Arianos, Macedonianos, Sabbatianos, Novatianos, Quatuordecimanos, & Apollinariſtas, quos ſic ex antiqua conſuetudine recipiendos docet, *Dantes quidem libellos, & omnes hæreſim anathematizantes, quæ non ſentit, ut ſancta Dei Catholica, & Apoſtolica Eccleſia; & ſigillo ſignatos, id eſt, unctos primùm ſancto chriſmate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures: & eos conſignantes dicimus, ſignaculum doni Spiritus ſancti.* Alterum genus eorum eſt, quorum baptiſmus ab Eccleſia judicatur invalidus, quos ideo ad Eccleſiam redeuntes dicit eſſe per baptimum non ſecus ac Græci, & Pagani recipiendos. Animadvertet autem Lector in priore reconciliatione purum putum adhiberi Confirmationis, ut in Oriente adminiſtrari ſolet Sacramentum, non modò materialiter, ut ajunt, ſed etiam formaliter. Nec enim alia materia Græci utuntur, aut unquam uſi ſunt, quam τῷ μύρῳ hoc eſt, unguento ex oleo, Balſamo, aliiſque pluribus odoribus compoſito, & variis orationibus conſecrato: aut alia verborum formula quàm iſta, Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. Ungere etiam ſemper ſoliti ſunt, cùm hoc Sacramentum adminiſtrant, eaſdem corporis partes, quæ hic enumerari legis. Deinde cum ceremonia illa iſtis Hæreticis reconciliandis ſola adhibeatur, nec ulla alia non modo à Patribus Concilii iſtius, ſed etiam à pluribus aliis, quos ſecundùm ſeculorum ſeriem referemus, commemoretur, ſi Sacramenti nomen ei concedere reformidas, maximi momenti fuiſſe ceremoniam planè neceſſarium eſt. Denique huic ceremoniæ eandem vim tribuunt ad reconciliandos Deo, & Eccleſiæ Hæreticos, quorum ratus eſt baptiſmus, quàm baptiſmo ad Catechumenos Deo conciliandos, & Eccleſiæ incorporandos. Quòd ſi res aliter ſe habet, mira ſanè res eſt, & ſtupenda, quod in negotio tanti momenti, de quo in Eccleſia tamdiu altercatum eſt, unius ceremoniolæ tantùm mentionem faciant, efficacis verò, & ſalutaris medicinæ nuſquam. His adde, quod Græcorum ritualia, & manualia, antiquiſſima, antiqua, & recentia, quæ ſigillatim Sacerdotes, & Pontifices doceant, qua ratione Sacramenta, & divina officia celebrare debeant, nihil aliud ad reconciliandos illos Hæreticos moneant, aut adjiciant, ut ex iis, quæ ſequuntur, erit manifeſtum.

VII. Canon ille ſeptimus ſecundæ Synodi in ſexta *can.* 95. repetitus eſt, & confirmatus; nihilque in eo quod ad illos Hæreticos attinet, adjectum, imminutum, aut explicatum. Theodorus Studita, qui celeberrimus erat Chriſti Confeſſor anno 800. & ſequentibus interrogatus à Naucratio, qua ratione Hæretici in Eccleſiam reciperentur, tres modos recipiendorum Hæreticorum ad Eccleſiam revertentium ex S. Epiphanio enarrat; duos priores eoſdem quos jam ex Concilio 2. retulimus: tertium eundem, quem in Trullo cum duobus prioribus legimus, de quo infra capite ſingulari. Theodori verba referuntur in Collectaneis, quæ addita ſunt commentariis Balſamonis in antiquos canones. Eadem autem Theodori, quæ & S. Baſilii, cujus integrum ferè canonem refert, & explicat. In Juris Orientalis *lib.* 4. *pag.* 290. inſerta eſt Epiſtola Anonymi cujuſdam Patriarchæ CP. ad Martyrium Epiſcopum Antiochenum, in qua explicatur, *Quo pacto ſint recipiendi Hæretici ad ſanctam univerſalem Eccleſiam accedentes*, Modus autem eos recipiendi non eſt diverſus ab eo, quem ex illis Conciliis explicavimus: Dant libellos, hæreſim ſuam, & omnem aliam anathematizantes, deinde unguento ſacro inunguntur, ſive chriſmantur, frons, nares, pectus, *Et omnes ſenſus, atque inter ungendum dicimus, ſignaculum donationis Spiritus ſancti.* Alii, ut ibi videre eſt, atque etiam *cap.* 7. *Concilii* 2. Catechumeni fiunt, Exorciſmis purgantur, & baptizantur.

VIII. Libro 5. ejuſdem operis Marcus Patriarcha Alexandrinus multa ſciſcitatur Balſamonem Patriarcham Antiochenum. Interrogatio 29. eſt, qua ratione, Neſtoriani, Jacobitæ, & alii Hæretici recipi debeant. Quid illi reſpondet Balſamon? Nihil aliud illi quàm canonem 95. in Trullo proponit, quem ideò prope integrum repetit. Deinde reſponſum ſuum his verbis concludit, & finit, *Itaque juxta canonis hujus tenorem alii quidem Hæretici lavacro ſanctificantur; alii autem ſacro duntaxat unguento conſecrantur.* Denique in iiſdem Collectaneis poſt commentarios Balſamonis inſertum eſt, quoddam reſponſum Timothei Presbyteri, quod refertur quoque in Bibliotheca Patrum, & fuſius à Poſſevino in apparatu ſacro, quo triplex quoque admittendi Hæreticos differentia enarratur. Viginti quinque Hæreticorum genera recenſet, quæ ad Eccleſiam redeuntia baptizari oportet; ſex quæ chriſmate unguntur, & Neſtorianos, multoſque alios his poſteriores, quæ nec baptizantur, nec unguntur, ſed per ſolam Hæreſis anathematizationem admittuntur. Ita, inquit ille, juxta morem omnium Patriarchalium, & Metropoliticarum Eccleſiarum recipiuntur Hæretici ad Eccleſiam revertentes. Notat aliquid in tertio genere omnium conſenſu immutatum eſſe, de quo infra diſſeretur. Sic quoque Ariſtænus *canon.* 8. Concilii Nicæni ediſſerens triplicem Hæreticorum reconciliationem diſtinguit. Alii baptizantur, alii chriſmate unguntur, alii ſolum anathematizant hæreſim. Ad ſecundam claſſem Novatianos revocat. Hoc velut à Patribus Nicænis omiſſum ſupplet.

IX. Eandem doctrinam, & conſuetudinem non modò teſtantur antiquiſſima Græcorum Euchologia, & Sacramentaria; Verumetiam orationum, ceremoniarum, rituumve, quibus tota hæc actio adminiſtratur, minutias nobis explicant. Ejuſmodi tria habemus: Antiquiſſimum Euchologium Barberinum annorum octingentorum canicie venerandum. Secundum Euchologium Monaſterii Cryptæ Ferratæ propè Romam. Tertium eſt Bibliothecæ Regiæ, è quo, quæ ad hanc cauſam pertinent jam evulgavit, & Latina fecit Petrus de Marca, eruditiſſimus Conſoranenſis Epiſcopus, quod ab aliis nullomodo differt. Varias lectiones ad marginem adnotavimus, unde fit, ut unius exemplaris deſcriptione tria tibi præſto ſint. In Cryptæ ferratenſis codice titulus eſt, Ἐκ τοῦ εὐχολογίου τοῦ πατριαρχικοῦ πῶς χρὴ δέχεσθαι, &c. *Ex Euchologio Patriarchico quomodo recipere oportet, &c.* Quibus verbis manifeſtum fit, hunc recipiendi Hæreticos morem in Græcia ſolemnem fuiſſe, & ab omnibus, qui Eccleſiæ matrici, & primariæ adhærerent obſervatum.

X. Diligenter inſuper notabit in tribus illis Euchologiis, Sacerdotem cum orationem ſuper recipiendum fundit, manum ſuper caput illius imponere, quod à Græcis factum in Sacramento Confirmationis adminiſtrando vix unquam alibi reperies. Illi enim ſolo chriſmate in hoc Sacramento utuntur, ajuntque chriſma manus impoſitionis, qua utebantur Apoſtoli, vicem agere. Videtur tamen Clemens eam uſurpaſſe in Sacramento Confirmationis, & uſurpandam præcepiſſe *lib.* 7. *cap.* 45. Concilium quoque Nicænum *c.* 8. Ubi ſtatuit, qua ratione in Eccleſiam

Digitized by Google

clefiam recipiendi ſint Cathari, *Sanctæ magnæ Synodo viſum eſt, ut impoſitis eis manibus ſic clero maneant*. Manifeſtum videtur, eos per manus impoſitionem in Eccleſiam admiſſos fuiſſe. Unctionis nulla eſt mentio. Ita quoque Firmilianus Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus ad S. Cyprianum ſcribens ſæpe impoſitionem manuum in Spiritum ſanctum commemorat, docetque, Hæreticis poſt repetitum baptiſmum manus eſſe imponendas, ſed Unctionis non meminit. Similiter Dionyſius Alexand. apud Euſebium *lib. 7. cap. 2.* referens controverſiam inter Cyprianum, & Stephanum Papam nullius Unctionis mentionem facit, ſed ſolius baptiſmi, & manus impoſitionis. Non abs re conjici poſſet, & Firmilianum, & Concilii Patres, ſaltem in Hæreticorum ad Eccleſiam ſuſceptione, Unctionem non adhibuiſſe, ſed ſolam manus impoſitionem.

XI. Canonem Concilii Nicæni variè interpretantur: Ex duabus enim antiquis verſionibus una χειροθεσίαν interpretatur ordinationem, quam ſequitur Gratianus 1. *quæſt. 7. c.* 8. & quidam Monachi actione prima ſeptimæ Synodi. Verùm eos redarguente Taraſio Patriarcha Conſtantinopolitano, & χειροθεσίαν benedictionem transferente lubentes acquieſcunt. Benedictio autem dicitur illi manus impoſitio, quia ſemper eſt cum benedictione conjuncta, ut multis ſupra probatum eſt. Denique ab ipſa Eccleſiæ praxi perſpicuè demonſtratur χειροθεσίαν hoc loco ordinationem ſignificare non poſſe; eo quod nuſquam auditum ſit, Novatianos ad Eccleſiam Catholicam redeuntes iterum ordinatos fuiſſe. Contrariumque non modò docet, ſed faciendum eſſe præcipit poſterior pars ejuſdem canonis, quæ jubet eos in Clero, atque in eodem quo reperiuntur ordine perſeverare; ea cautione adhibita, ut ſi in urbe duo ſint Epiſcopi, Catholicus unus, Novatianus alter: Novatianus Presbyteri vices agat, aut in diœceſis parte ſit Choepiſcopus, ne duo ſint in una urbe Epiſcopi. Manifeſtum eſt igitur χειροθεσίαν eo loco manus impoſitionem in Spiritum ſanctum, cujus virtute Hæretici ad Eccleſiam admittuntur, non iteratam ordinationem ſignificare. His accedit quod illa manus impoſitio conjungitur in illo canone cum hæreſis abjuratione, & Catholicæ fidei profeſſione; qua conjunctione manifeſtiſſimè demonſtratur idem docere eo loco Nicænos Patres quod hoc capite de Hæreticorum admiſſione ex aliis Patribus docuimus, & cap. ſequente fuſius docebimus, Hæreticos per manuum impoſitionem in Spiritum ſanctum, præcedente hæreſis abjuratione, & fidei profeſſione, fuiſſe receptos.

XII. Ariſtænus canonem ſic intellexit, Οἱ λεγόμενοι καθαροὶ προσερχόμενοι, πρότερον ὁμολογείτωσαν ὅτι συνθήσονται τοῖς τῆς ἐκκλησίας θεσμοῖς, καὶ κοινωνήσουσι διγάμοις, καὶ συγχωρήσουσι τοῖς παραπεπτωκόσι. Καὶ οὕτως οἱ εὑρισκόμενοι κεχειροτονημένοι, μένειν ἐν τῷ αὐτῷ σχήματι, ὥστε ὁ μὲν κύριος ἐπίσκοπος εἴη ἐπίσκοπος, ὁ δὲ τῶν καθαρῶν ἐπίσκοπος, ἢ τὴν τοῦ πρεσβυτέρου τιμὴν, ἢ ἐπισκόπου κεκτήσθω. οὐ γὰρ ἔσονται δύο εἰς μίαν πόλιν ἐπίσκοποι. *Cum ii, qui dicuntur Cathari accedunt, primùm polliceantur ſe Eccleſiæ legibus conſenſuros, cum Bigamis communicaturos, & Lapſis parcituros. Et ſic qui apud eos invenientur ordinati, maneant in eodem ordine: Ita tamen ut qui principaliter eſt Epiſcopus, maneat Epiſcopus; Qui verò eſt Catharorum Epiſcopus, Eſto, vel Presbyteri honorem obtineat, vel Epiſcopi. Duo enim in una urbe non erunt Epiſcopi*. Eadem omnino de validitate ordinationis eorum teſtatur Zonaras, *Quod enim in fide nihil ejuſmodi homines offenderint, ſed tantùm fraterno odio, veniaque reſipiſcentibus deneganda peccaverint*, διὰ τοῦτο καὶ τὴν χειροτονίαν αὐτῶν ἡ σύνοδος ἐδέξατο, *Propterea Synodus eorum ordinationem ſuſcepit, & in propriis gradibus eos perſeverare decrevit, &c.* Eadem prorſus Balſamon in eundem canonem.

XIII. Sed ſermonem de Euchologiis noſtris interruptum retexamus, Oratione illa pronuntiata ungit Sacerdos Hæreticum converſum chriſmate ſicut Neophytum; eandemque ungendo verborum ſuper eum pronuntiationem, quam ſuper Neophytum edit, hoc eſt, ut Concilia ſecundùm, & ſextum expreſsè notant, ordinariam Orientalibus Sacramenti Confirmationis formam. Denique notabit orationem, quæ Chriſmationem præcedit, Chriſmationis gratiam, & adventum, perfectionemque Spiritus S. expreſſius petere quàm oratio illa, qua Neophyti confirmantur, & conſecrantur. Hujus rei Lector judex αὐτόπτης eſto.

ΟΠΩΣ ΧΡΗ ΔΕΧΕΣΘΑΙ ΤΟΥΣ ΑΠΟ αἱρέσεων προσερχομένους ἐν τῇ ἁγίᾳ a τοῦ Θεοῦ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ.

Ἀρειανοὺς μὲν καὶ μακεδονιανοὺς b ἤγουν πνευματομάχους καὶ σαββατιανοὺς, καὶ ναυατιανοὺς τοὺς λέγοντας ἑαυτοὺς καθαροὺς, καὶ τεσσαρεσκαιδεκατίτας, ἤγουν τετραδίτας, καὶ ἀπολλιναριστὰς δεχόμεθα διδόντας λιβέλλους, καὶ ἀναθεματίζοντας σὺν τῇ ἰδίᾳ αἱρέσει καὶ πᾶσαν c ἄλλην αἵρεσιν, μὴ φρονοῦσαν ὡς φρονεῖ ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία, σφραγιζομένους ἤτοι χριομένους τῷ ἁγίῳ μύρῳ. d ἡγούμενος μέν τοι χρὴ ἑκάστῳ ἀκολούθως προσάγεσθαι τῇ e ὀρθῇ πίστει f ποσὰς αὐτοὺς ἡμέρας δέκα, ἢ δεκαπέντε, καὶ σχολάζειν ταῖς εὐχαῖς πρωῒ καὶ δειλῆς μανθάνοντες ψαλμοὺς, g ὡς κατηχουμένους, καὶ οὕτω ἀξιοῦνται αὐτοὺς τῆς ὀρθοδόξου πίστεως. Ἵστησι δὲ ἕκαστον αὐτῶν ὁ ἱερεὺς ἔμπροσθεν τῆς ἁγίας κολυμβήθρας, καὶ λέγει αὐτῷ ταῦτα, Εἰπὲ ἀνάθεμα τῷ δεῖνι καὶ τοῖς δόγμασιν αὐτοῦ, καὶ τοῖς h συνοδεύουσιν αὐτῷ, καὶ τοῖς φρονοῦσι τὰ αὐτοῦ. ἀποτάσσομαι γὰρ αὐτῷ καὶ παντὶ αἱρετικῷ δόγματι, καὶ πιστεύω εἰς τὴν ἁγίαν καὶ ὁμοούσιον τριάδα κατὰ τὴν ἔκθεσιν τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ὀρθοτομησάντων τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. Καὶ ἀποκρίνεται αὐτῷ πρὸς ἕκαστα ὁ προσερχόμενος. Καὶ λοιπὸν i ἐπάγει ὁ ἱερεὺς, καὶ λέγει Γ´. πιστεύεις εἰς τὴν ἁγίαν καὶ ὁμοούσιον τριάδα. k Καὶ ὑπακούει ὁ προσερχόμενος, πιστεύω. Εἰ δὲ μὴ οἶδε λαλῆσαι, ὁ ἀνάδοχος αὐτοῦ ὑπακούει. Καὶ ἐπικλίνοντος τοῦ προσερχομένου ὁ ἱερεὺς ἔχων τὴν χεῖρα ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ποιεῖ τὴν εὐχὴν ταύτην.

Ὁ Θεὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν ὁ βουλόμενος πάντας ἀνθρώπους σωθῆναι, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν, πρόσδεξαι τὸν δοῦλόν σου Δ´. τὸν μόλις ἀνανήψαντα ἐκ τῆς πλάνης, καὶ ἐπιποθήσαντα l εἰσελθεῖν εἰς ἐπίγνωσιν τῆς σῆς ἀληθείας. Σὺ γὰρ εἶπας m κύριε, καὶ ἄλλα πρόβατα ἔχω ἃ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης, κἀκεῖνα με δεῖ ἀγαγεῖν καὶ τῆς φωνῆς ἀκούσουσιν. καὶ γενήσεται μία ποίμνη, εἷς ποιμήν. ποίμανον αὐτὸν ἐν τῇ δόξῃ n τῆς σῆς ἀληθοῦς ἐπιγνώσεως κατὰ τὴν ἔκθεσιν τῶν ἁγίων o καὶ ἐνδόξων ἀποστόλων. Καὶ καταξίωσον αὐτὸν τῆς σφραγῖδος τοῦ θείου μύρου, καὶ τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπιφοιτήσεως, καὶ τῆς μεταλήψεως τοῦ τιμίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ. Καὶ ἀνάδειξον αὐτὸν τέλειον δοῦλόν σου, ἵνα τῷ ποιμνίῳ σου p συναριθμούμενος καὶ αὐτὸς εἰς δόξαν καὶ ἔπαινον τῆς μεγαλωσύνης σου. Ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Καὶ χρίει αὐτὸν τῷ μύρῳ καθάπερ q τοὺς νεοφωτίστους, τὴν αὐτὴν r ἐπ᾽ αὐτῷ ἐπίρρησιν ποιούμενος. Καὶ πάλιν ἐπεύχεται s ὁ ἱερεὺς λέγων, τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν.

Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ καταξιώσας t τέλειον ἀναδεῖξαι τὸν δοῦλόν σου διὰ τῆς εἰς σὲ ὀρθοδόξου πίστεως, καὶ τῆς σφραγῖδος τοῦ u μυστηρίου σου τοῦ ἁγίου. Σὺ διατήρησον αὐτὸν τὴν εἰς σὲ ἀληθινὴν πίστιν x ἐν αὐτῷ διατηρήσας, αὔξησον αὐτὸν ἐν δικαιοσύνῃ, καὶ πᾶσι τοῖς παρὰ σοῦ χαρίσμασι καταπλούτισον. y Ὅτι εὐλογεῖταί καὶ δεδόξασται τὸ πάντιμον, καὶ μεγαλοπρεπὲς ὄνομά σου, τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Καὶ οὕτως κοινωνεῖ καὶ λαμβάνει παραγγελίας τὰς ἑπτὰ ἡμέρας ἐκείνας κρέας μὴ φαγεῖν, μὴ νίψασθαι τὴν ὄψιν, ἀλλὰ καθὼς οἱ βαπτιζόμενοι οὕτως διατελεῖν τὰς ἑπτὰ ἡμέρας, καὶ τῇ Η´ ἡμέρᾳ z ἀπολούεσθαι.

a Reg. omittit τοῦ Θεοῦ.
b Reg. καὶ.
c Reg. omittit ἄλλην.
d προηγουμένως.
Reg. quoque
e Reg. ὀρθοδόξῳ.
f Reg. omittit hæc usque ad ἔσωσε.
g ὡς.
h συνοδεύουσιν.
i ὁμοῦ αὐτὸν τρίτον ὁ λέγοντος.
k καὶ ἀποκρίνεται τρίτον, καὶ ἀνακλίνοντος τὸ ὑποστρεφόμενον τὴν τράχηλον, ποιεῖ ἱερεὺς τὴν εὐχὴν ταύτην.
l Reg. ἐλθεῖν.
m omittit Reg.
n Regium τῆς ἀληθῶς ὡς σοῦ.
o Reg. δόξῃ.
p συγκαταριθμούμενος.
q Reg. καὶ.
r καὶ.
s Reg. hæc omittit.
t Reg. τοῦ λουτροῦ δὲ.
u Reg. τοῦ ἁγίου μύρου.
x Reg. omittit. αὐτὸν.
y Reg. hæc
z ἀπολούεσθαι.

QUOMODO RECIPIENDI SUNT in ſancta Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, qui ab hæreſibus revertuntur.

Arianos quidem, & Macedonianos, ſive Spiritus S. hoſtes, & Sabbatianos, & Novatianos qui ſeipſos puros dicunt, & Quartodecimanos, ſive Tetraditas, & Apollinariſtas recipimus dantes libellos, & anathematizantes ſuam, omnemque aliam hæreſim non ſentientem ea, quæ ſentit ſancta Catholica, & Apoſtolica Dei Eccleſia; qui poſteà ſignantur, ſive unguntur ſancto unguento. Anteà tamen quàm ad rectam fidem adducantur, cùm profeſſionis tempus inſtat, jejunare eos oportet dies decem, aut quindecim, & manè, & veſpere orationibus incumbere Catechumenorum inſtar, & tunc hac orthodoxa fide digni cenſentur, & imbuuntur. Collocat autem unumquemque eorum Sacerdos coram divino Baptiſterio, ipſique hæc dicit, Dic anathema huic N. & dogmatis ejus, & iis, qui conſentiunt ei, & ſapientibus, quæ ſunt ipſius. Abrenuntio enim illi, & omni hæretico dogmati, & credo in ſanctam, & homoouſium Trinitatem, ſecundùm expoſitionem ſanctorum Patrum, qui verbum veritatis rectè explicaverunt. Et ad ſingula reſpondet ei, qui convertitur. Cætera perſequitur Sacerdos, eique ter dicit, Credis in ſanctam, & homoouſiam Trinitatem, & reſpondet qui convertitur, credo. Si loqui neſcit, ipſius ſuſceptor reſpondet. Poſteà Sacerdos manum habens ſuper caput converſi inclinati hanc fundit orationem.

Deus Servator noſter, qui vis omnes homines ſervari, & ad cognitionem veritatis venire, ſuſcipe hunc ſervum tuum N. qui ab erroris fraude vix reſipuit, & deſideravit ad cognitionem veritatis tuæ pervenire. Tu enim, Domine, dixiſti, alias oves habeo quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas quoque me oportet reducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus paſtor. Paſce eum ſententia veræ tuæ cognitionis ſecundùm expoſitionem ſanctorum, & glorioſorum Apoſtolorum tuorum, & dignare eum ſi-

gillo divini unguenti, & adventu Spiritus ſancti, participatione venerandi corporis, & ſanguinis Chriſti, & redde illam perfectum ſervam tuum, ut ovili tuo adnumeretur in laudem, & gloriam magnitudinis tuæ. Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum.

Poſthæc ungit eam unguento ſicut Neophytos, eandem ſuper ipſam formulam pronuntians, atque iterùm deprecatur Sacerdos, dicens, Dominum deprecemur.

Domine Deus noſter, qui dignatus eſt perfectam reddere ſervam tuam per orthodoxam in te fidem, & ſigillum ſancti myſterii tui: Tu Domine omnium, conſerva in eo veram in te fidem, adaugens in eo juſtitiam, & donis, gratiiſque, quæ à te manant, adornans: Quia benedicitur, & glorificatur magnificum, & omni honore colendum nomen tuum, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum.

Deinde communicat, & mandata recipit, ſeptem dies illas non manducaturum carnem, faciem non lavaturum, ſed ut baptizati ſoleat, ita perſeveraturum ſeptem diebus, octava verò ablatus dimittitur.

XIV. Ex iis omnibus quæ hactenus explicata ſunt, manifeſtiſſimum mihi videtur planè νοθείαν, & à recentioribus Grecis ex pravo aliquo contra antiquam ſuam conſuetudinem abuſu confectum eſſe id, quod habetur in omnibus eorum Euchologiis editis ſub nomine Methodii Patriarchę Conſtantinopolitani de admiſſione eorum, qui fidem negaverunt. Ut hujus νοθείας argumentum lector intelligat, breviter animo illi revolvendum eſt, quod tam multis, & evidentibus teſtimoniis demonſtratum eſt Hæreticos, quorum baptiſmus extra Eccleſiam datus cenſetur validus, per Chriſmationem in Eccleſiam admiſſos eſſe: Quorum verò baptiſmus in Eccleſia datus fuerat, per Pœnitentiæ Sacramentum reconciliatos. Quotquot autem fideles Apoſtatæ facti ad Eccleſiam reverſi ſunt, nunquam alio modo ad Eccleſiam admiſſos eſſe quàm per Pœnitentiam. Eos verò per manus impoſitionem in Spiritum S. & Chriſmationem, aut per alterutrum tantum admiſſos, planè eſt in univerſa Dei Eccleſia inuſitatum, & inauditum, licèt antiqua monumenta millies, & millies de ejuſmodi Lapſis mentionem faciant, innumeraque variis temporibus ſtatuta de iis ſancita ſint. Quid igitur ſibi vult Methodius ille, cum ejuſmodi Lapſos per Chriſmationem recipi jubet?

XV. Dices forſan illa verba, περὶ τῶν ἀπ' ἀρνήσεως πρὸς τὴν ὀρθόδοξον καὶ ἀληθῆ πίστιν ἐπιστρεφόντων, de Hæreticis eſſe intelligenda. Verum multa repugnant. Primùm ipſa dictio ἄρνησις, quæ ſimpliciter poſita defectionem à fide ſignificat. Deinde ipſe auctor, qui de pœna imponenda tertiæ ſpeciei Apoſtatarum, qui videlicet ſua ſponte ad negationem defecerant, citat canonem S. Baſilii, qui jubet ejuſmodi Apoſtatas in fine tantum vitæ myſteriorum eſſe participes. At certiſſimum eſt Baſilium eo canone de iis Apoſtatis agere, qui cum anteà fideles fuiſſent, à fide defecerant. Denique ſeptem habentur orationes propitiatoriæ ſuper Converſum dicendæ, in quibus nulla prorſus fit hæreſeos mentio, aut alicujus rei, quæ ipſam ſpecialiter denotet, ut fieri ſolet in orationibus, quæ ſuper Hæreticum converſum funduntur, ſed perpetuò Pœnitentiæ, & aliquando Ethnicæ impietatis, & Atheiſmi, ut in tertia quæ incipit, *Domine Deus omnium factor, & Dominus*. His accedit quòd in antiquiſſimis Euchologiis, veluti Cryptæ Ferratæ, duobus regiis, & uno Barberino recentiore orationes illæ ſeparatis titulis tribuuntur, hoc eſt, poſtquam tradiderunt ritum recipiendi Hæreticos, quem integrè cum orationibus ſuis exſcripſimus, titulo ſeparato tradunt Rubricas, & orationes dicendas ſuper eum, qui ab Apoſtaſia ad fidem iterùm cōvertitur; illæ autem ſunt, quæ in Euchologiis ad eundem titulum referuntur. Unde apparet à poſterioribus Græcis, utrumque admiſſionis modum, & Hæreticorum, & Apoſtatarum à fide Chriſtiana, licèt ſint diverſiſſimi, & ab eorum majoribus longiſſimo temporis ſpatio diverſa ratione uſurpari, nunc perperam confundi, & conjungi.

XVI. Objicies iterum, & non immeritò. Ergo antiqua eſt illa confuſio. Sanè Harmenopuli ſeculo jam multis locis invaluerat. Ille enim in Scholio ad *can. 1. tit. 4. ſect.* 5. ubi de Chriſti negatore agitur, refert Methodii Patriarchę conſtitutionem de inungendis ejuſmodi Apoſtatis cum triplici, quam Methodius adhibet, diſtinctione. Quando autem Harmenopulus vixerit incertum eſt. Vulgò multo habetur antiquior, quàm revera ſit. Poſt Balſamonē ſcripſiſſe demonſtratur ex ſcholio in *can. 1. tit. 1. ſect.* 5. ubi ſcribit Agarenorum liberos, qui ab Orthodoxis invitis baptizantur, eo quod baptiſmo utantur velut medicina, & incantatione, eſſe rebaptizandos: *Hoc enim*, inquit, *ita pronuntiatum eſt in Synodo, quemadmodum Balſamon tradit.* Sed Balſamone, & Harmenopulo antiquiorē eſſe pravam illam conſuetudinem ex antiquo Euchologio Cryptę Ferratę certū videtur, quingentorum enim ętatem excedit. Idē confirmatūr ex Georgio Cedreno, qui refert ſub Methodio, de quo agimus, ortam, & extinctam eſſe Zilicum hæreſim. Zilix ille erat Imperatori à Secretis: Excitavit hæreſim: Aſſeclaſque ſeduxit; tandemque ipſe cum diſcipulis ad Eccleſiam rediit, τῷ θείῳ μύρῳ χρισθέντες τε καὶ τελειωθέντες, *Divino unguento uncti, & conſummati*. Eorum longè major pars in Eccleſia baptizata fuerat, admiſſi tamen ſunt poſt chriſmationem. Non abs re dici poteſt, Cedrenum de his obiter, & paucis mentionem facere, admiſſioniſque iſtius ritum, non ut factus eſt, ſed ut fieri videbat, retuliſſe. Sed antiquus eſt Cedrenus, ſcribebatque anno Chriſti 1065. Itaque conſuetudo illa Græcorum, ætatem iſtam præcedit. Verùm antiquiſſimum exemplar Barberinum literis majoribus, & uncialibus ſcriptum hunc titulum de recipiendis negatoribus fidei cum ſuis Rubricis non habet. Eſt igitur manifeſtum tam ex illo antiquo codice, quàm ex iis quæ relata ſunt ex Theodoro Studita, Timotheo Presbytero, & antiqua Eccleſiæ conſuetudine conſtitutionem illam de recipiendis à fide Apoſtatis, vel eſſe S. Methodio ſuppoſitam, vel adulteratā.

XVII. Hinc Neoterici Græci occaſionem ſumpſerunt docendi Confirmationis Sacramentum etiam ab Orthodoxis adminiſtratum repeti poſſe, & reapſe illud repetunt quoties aliquem validè baptizatum, Hæreticum, aut Apoſtatam Eccleſiæ ſuæ reconciliant, ut videre potes apud Petrum Arcudium *lib.* 2. de Concordia Eccleſiæ Occidentalis cum Orientali *c.* 18. *& ſequentibus*. Conſtat enim illam Methodii Conſtitutionem ad eos ſpectare, qui in Eccleſia baptizati, ab ea poſteà deficiunt, iterùmque impietatis Pœnitentes ad eam ſincerè revertuntur. Cùm igitur apud Orientales Confirmatio ſimul cum baptiſmo ſemper conferatur, omnis apud eos baptizatus confirmatus quoque eſt. Antiquis autem Patribus noſtris planè videtur inſueta iſtius Sacramenti in Eccleſia accepti iteratio. Si quis contendat Methodii conſtitutionem eſſe etiam de Hæreticis intelligendam, nec ego repugnabo: Sic enim eam Græci ab annis trecentis, & ultra vulgò interpretantur, & exequuntur. Eorum inſuper Euchologia edita nullam aliam nobis repræſentant, ſed antiquiſſima conſtitutione illa carent: antiqua verò utramque exhibent, & antiquiſſimam antiquis Conciliis, & Patribus conformem, & recentiorem illam Sancti Methodii nomine jactatam.

CAPUT X.

Explicatur, qua ratione Occidentalis Eccleſia Hæreticos extra Eccleſiam baptizatos, & ad eam redeuntes reconciliaverit; varietaſque in hoc obſervata enarratur. Eccleſiæ Romanæ traditio variis Pontificum teſtimoniis probatur. Hanc ſequitur Concilium Arelat. 1. & alii. Sancti Gregorii verba cum Siricio conciliantur. Hæreticos in Gallia, & Hiſpania per chriſmationem reconciliatos fuiſſe, multa teſtimonia, & multa auguſta exempla teſtantur. Formulæ reconciliationis Hæreticorum ex antiquis codicibus erutæ.

SI diligenter colligantur, perpendantur, atque inter ſe conferantur antiqua Occidentalium Doctorum teſtimonia de recipiendis in Eccleſiam Hæreticis extra illam validè baptizatis, non modo magna apparebit varietas, verumetiam nonnulla ab Orientalium conſuetudine differentia. Illa apud me revolvens, & unumquodque excutiens, interdum mihi aqua hæſit, & quid conjicerem hæſitavi, atque etiamnum hæſito. Ideò non ſemel exiſtimavi conſultius fore univerſam hanc diſſertationem prætermittere, quàm indigeſtam teſtimoniorum molem lectori obtrudere, quæ animum ſcrupulo injecto commovere, & perturbare poſſet. Verum re maturiùs conſiderata mihi viſum eſt conjecturis meis aliquid lucis in hanc obſcuritatem reflexum iri, aut ſaltem per eas viro alicui magno, καὶ τυφλώττοντι, januam apertum iri, qua in veritatis nobis ignotæ cognitionem pervenire poſſit. Quocirca laborem noſtrum non omnino inutilem fore ſperamus. Deinde Hiſtorici, non Theologi Provinciam cepimus: ſcimus enim quantum hoc ingenii noſtri tenuitatem ſuperet. Ideo ſufficit nobis τὸ ὅτι fideliter ex antiquis auctoribus retuliſſe. Si quid difficile hinc oriatur, illius interpretationem à Theologis expecto, quorum cenſuræ omnia dicta mea, conjecturaſque lubentiſſimè ſubmitto. Neminem tamen adeo auſterum, & inhumanum fore credimus ut nobis iraſcatur, & ſuccenſeat, quod nonnulla dicta Patrum, quæ moribus noſtris comparata negotium faceſſunt, luce aliqua per conjecturas noſtras perfundere adnitamur. Si ita infelices ſumus ut in iis οὐδὲν πρὸς ἔπος alicui dixiſſe videamur, ſatis felices nobis videbimur, ſi commotus imperitia noſtra nodum diſſolverit, non diſſecuerit. Tunc quod proverbio fertur nobis id vehementer optantibus continget, bene navigavi quando naufragium feci. Rem igitur cum bona Lectoris venia aggrediamur.

II. Diſ-

Digitized by Google

II. Difficile nobis videtur ob varietatem, quam in iis teſtimoniis deprehendimus, generales aliquas regulas ſive propoſitiones efformare. Sit nihilominus ſeptima propoſitio, *Hæreticos extra Eccleſiam validè baptizatos ab errore reſipiſcentes Eccleſia Romana, Italicæ, & aliquot vicinæ per manus impoſitionem in Spiritum ſanctum admiſerant; Gallicæ verò, & Hiſpanicæ per chriſmationem exceptis Donatiſtis, & Pelagianis.* Tres ſunt hujus propoſitionis partes, ad quas non incommodè mihi videntur referri poſſe quæcunque occurrunt de hac conſuetudine teſtimonia. Singulas partes ſeorſum examinabimus. Hanc quæſtionem ſeriò, & non obiter tractat Sanctus Gregorius à Quirino Epiſcopo interrogatus *lib. regiſtri 9. Indict. 4. Epiſt. 61.* Primùm notat differentiam in hac cauſa Orientis ab Occidente; nec ideò tamen Orientales Eccleſias carpit, aut aliquo verbo vim, & efficaciam rituum apud eas conſuetorum imminuit, aut deprimit, ſed utramque conſuetudinem antiquę traditioni tribuit. Deinde docet, Hæreticos ſic baptizatos tribus modis admitti ſolitos, per manus impoſitionem, per unctionem, & per ſolam fidei Confeſſionem. Denique notat eandem eſſe uniuſcujuſque modi virtutem. Quæſtio Sancto Gregorio à Quirino propoſita ſpectabat Neſtorianos ad Eccleſiam redeuntes, *Cùm ad matrem Electorum omnium Catholicam Eccleſiam revertuntur, Utrùm debeant baptizari, an certè ſolius veræ fidei confeſſione ejuſdem matris Eccleſiæ viſceribus adjungi.* Quæſtionem his verbis propoſuit Quirinus, unde occaſionem ſumpſit Gregorius enarrandi omnes recipiendorum in Eccleſiam Hæreticorum modos ſuo tempore uſurpatos; medium enim prætererat Quirinus. *Et quidem ab antiqua Patrum inſtitutione didicimus, ut qui apud Hæreſim in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad ſanctam Eccleſiam redeunt, aut unctione Chriſmatis, aut impoſitione manus, aut ſola profeſſione fide ad ſinum matris Eccleſiæ revocentur. Unde Arianos per impoſitionem manus Occidens; per unctionem verò ſancti chriſmatis ad ingreſſum ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ Oriens reformat. Monophyſitas, & alios ex ſola verò confeſſione recipit: Quia ſanctum baptiſma, quod ſunt apud Hæreticos conſecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cùm vel illi per impoſitionem manus Spiritum ſanctũ acceperint, vel iſti propter profeſſionem veræ fidei, ſanctę, & univerſalis Eccleſię viſceribus fuerint uniti.* De reconciliatione Hæreticorum apud Orientales capite præcedente dictum eſt, quæ iterùm Sancti Gregorii auctoritate confirmatur. De tertio modo reconciliationis quem commemorat, infra diſſeremus. Itaque ſecundus nobis tantùm eſt hìc illuſtrandus, in quo, inquit, Occidentales ab Orientalibus diſſimiles ſunt, non tamen diſſentiunt, cùm diſſimilitudo illa nullam inter eos diſſenſionem pareret.

III. Sancti Gregorii dictis duæ difficultates ſeſe obiiciunt. Prior *ex cap. 1. Epiſtolæ* 1. Sancti Syricii Prædeceſſoris ſui, qui videtur perſpicuè teſtari, nullum eſſe hac in cauſa diſcrimen Orientales inter, & Occidentales. Himerius Tarraconenſis Epiſcopus Syricio Pontifici ſignificaverat, nonnullos baptizare velle Arianos ad Catholicam redeuntes, petieratque ab eo, quid in hoc caſu opus eſſet facto. Reſpondet Syricius rebaptizationem iſtam, Apoſtolum, canones, & Liberii Papæ decreta prohibere. Poſteà Eccleſiæ Romanæ, & aliarum morem docet, *Quos nos cum Novatianis, aliiſque Hæreticis, ſicut eſt in Synodo conſtitutum, per invocationem ſolam ſeptiformis Spiritus Epiſcopalis manus impoſitione Catholicorum conventui ſociamus. Quod etiam totus Oriens, Occidenſque cuſtodit; à quo tramite vos quoque poſthac minimè convenit deviare, ſi non vultis à noſtro Collegio Synodali ſeparari ſententia.* Notat Syricius inter Orientem Occidentemque nullum eſſe diſcrimen, atque ex eo conſenſu argumentũ ducit ad contrarium morem refellendũ.

IV. Quidquid ſit de teſtimoniis, quæ Pontifices illi videntur contrario ſenſu de Eccleſia Orientali perhibere, certum videtur, Eccleſiam Romanam Hæreticos, quos non rebaptizabat, ſola manus impoſitione in Spiritum ſanctum admiſiſſe. Diſertè enim negat Gregorius unctionem adhibitam, atque in eo diſtinguit Eccleſiæ Occidentalis conſuetudinem ab Orientali, quòd Orientalis unctionem adhiberet, Occidentalis minimè. Si Occidentalis quoque adhibuit unctionem, fruſtra, & ridiculè Gregorius unam ab alia in eo diſcriminavit. Deinde Siricius, ut jam vidimus, aliique Pontifices, qui de admiſſione Hæreticorum ad Eccleſiam ante Gregorium diſſerunt, ſolius impoſitionis manuum in Spiritum ſanctum mentionem faciunt. Damaſus in vita Siricii, *Hic conſtituit Hęreticos ſub manus impoſitione recipi, & reconciliari præſente cuncta Eccleſia.* Sed iterùm ipſe Siricius *Epiſt. 4.* ad Africanas Eccleſias *cap. 8. Venientes à Novatianis, vel Montenſibus per manus impoſitionem ſuſcipiantur pręter eos, quos rebaptizant.* Sanctus Innocentius *Epiſt. 2. c. 8. Venientes à Novatianis, vel Montenſibus per manus tantùm impoſitionem ſuſcipiantur: Quia quamvis ab Hęreticis, tamen in Chriſti nomine ſunt baptizati.* Idem docet *Epiſt. 22. cap. 4.* hanc ſuſceptionem eſſe legem Eccleſiæ Romanæ, quam retulimus ſupra *cap. 6.* Sæpius de hac quęſtione interrogatus eſt S. Leo, ſemperque eodem modo reſpondit, nulla facta unctionis commemoratione, licèt verbis admodum diſertis huic manuum impoſitioni auguſtiſſimum Sacramenti Confirmationis effectum attribuat. *Epiſt. 73. cap. 2. Quod ſi ab Hęreticis baptizatum quempiam fuiſſe conſtiterit, erga hunc nullatenus Sacramentum regenerationis iteretur; ſed hoc tantùm quod ibi defuit, conferatur, ut per Epiſcopalem manus impoſitionem virtutem S. Spiritus conſequatur. Epiſtolę 79. c. 7.* rem totam dilucidè explicat, *Nam hi, qui baptiſmum ab Hęreticis acceperunt, cùm baptizati anteà non fuiſſent, ſola invocatione Spiritus ſancti per impoſitionem manuum confirmandi ſunt, quia formam tantùm baptiſmi ſine ſanctificationis virtute ſumpſerunt. Et hanc regulam, ut ſcitis, ſervandam omnibus Eccleſiis prædicamus, ut lavacrum ſemel initum, nulla iteratione violetur, &c. ſed, ut diximus, ſola ſanctificatio Spiritus ſancti invocanda eſt, ut quod ab Hæreticis nemo accipit, à Catholicis Sacerdotibus conſequatur.*

V. Primùm ab hac regula excipit eos, qui ſe ab Hæreticis rebaptizari permiſerunt: Hi enim non reconciliantur per manus impoſitionem in Spiritum ſanctum ſed per Pœnitentiam, ut explicaverat capite præcedenti, & nos ſupra *c. 7.* probavimus. Deinde docet, eos, qui ſimpliciter ab Hæreticis baptizati ſunt, ſola invocatione Spiritus ſancti per manus impoſitionem eſſe confirmandos, & Eccleſiæ incorporandos. Denique iſtius rei rationem reddit, quod Spiritum ſanctum ab Hæreticis nemo accipit: ideò per manus impoſitionem eſt illi tradendus. Similiter *Epiſtolæ 92. c. 16. Hi autem de quibus ſcripſiſti, qui ſe baptizatos ſciunt, ſed cujus fidei fuerint, qui eos baptizavere, ſe neſcire profitentur, quolibet modo formam baptiſmatis acceperint, rebaptizandi non ſunt; ſed per manus impoſitionem, invocata virtute Spiritus S. quam ab Hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi ſunt.*

VI. De Euſebio Pontifice ſcribit Damaſus in ejus vita, *Hic Hæreticos invenit in urbe Roma, quos ſola manuum impoſitione reconciliavit.* Ita Euſebius ipſe Pontifex initio Epiſtolæ primæ, & in fine tertiæ explicatius, *Similiter & Hæreticos omnes, quicunque Dei gratiã convertuntur, & in Sanctæ Trinitatis nomine credentes baptizati ſunt, Romanæ Eccleſiæ regulam tenentes per manus impoſitionem reconciliari præcipimus.* Quid verò eſt illa manus impoſitio? *Manus quoque impoſitionis Sacramentum magna veneratione tenendum eſt, quod ab aliis perfici non poteſt quàm à ſummis Sacerdotibus: Nec tempore Apoſtolorum ab aliis, quàm ab ipſis Apoſtolis legitur, aut ſcitur peractum eſſe, &c.* Zacharias Pontifex *in fine Epiſtolę* 2. quæ eſt ad Bonifacium, *Tua bene compertum habet ſancta fraternitas, quod quicunque baptizatus fuerit ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, nullo modo rebaptizari debet, ſed per ſolam manus impoſitionem purgari debet.* Similem canonem referunt ex Concilio Vormatienſi Burchard. *l. 4. c. 40.* & Ivo *par. 2. c. 234.*

VII. Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem imitata eſt Synodus Arelatenſis prima *cap.* 8. Trecenti enim Epiſcopi Arelate Congregati de Afris quorum mos erat rebaptizare, ſic conſtituit, *Si perviderint eos in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto baptizatos, manus eis tantùm imponatur, ut accipiant Spiritum ſanctum. Quod ſi interrogati non reſponderint hanc Trinitatem, baptizentur.* Eucherius ultima quæſtione in Acta Apoſtolorum, *Ab Hæreticis venientes non rebaptizantur à nobis, ſi baptizatos conſtat in nomine Trinitatis, niſi impoſitio tantùm manus ad fidem rectam converſis adhibetur, ut per hanc Spiritus ſuſcipiatur infuſio.* Teſtatur idem Rupertus *lib. 10. cap. 25. de divinis officiis*, ubi de Hæreticis extra Eccleſiam baptizatis hæc ſcribit: *Quapropter cùm baptizati à talibus ad Catholicam revertuntur Eccleſiam, non quidem repetitur in illis lavacrum carnis; ſiquidem baptizati ſunt in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Multæ quippe hæreſes ſic baptizant, ſed per impoſitionem manuum accipiunt Spiritum ſanctum, quem foris accipere non poterant.* Multis enim eo loco contendit, Hæreticos dare non poſſe Spiritum ſanctum, & ideò cum Eccleſiæ incorporantur, manum illis imponi.

VIII. Denique idem teſtatur controverſia inter Stephanum Papam, & Cyprianum, in qua nuſquam Hæreticorum ad Eccleſiam redeuntium ungendorum mentio habetur; ſed controverſia ſemper his verbis refertur, An baptizandi ſunt, an verò tantùm manus illis in Spiritum ſanctum imponendæ, ut videre potuiſti ſupra *c. 7.* Ita quoque apud Euſebium *lib. 7. cap. 2.* proponitur ex Dionyſio Alexandrino ſtatus controverſiæ, *Cypria-*

aut, & omnes penè per Africam Sacerdotes decreverunt, Hæreticos eſſe rebaptizandos: Cornelius, & cæteri omnes per Italiam ſtatuerunt, quod antiquitus à Patribus acceperant, at poſt abjectionem pravi, & confeſſionem recti dogmatis, ſola manus impoſitione purgarentur, μόνῃ τῇ διὰ χειρῶν ἐπιθέσεως εὐχῇ, ſola prece quæ fit per manuum impoſitionem. Conſtat tamen aliunde eos Patres in Sacramento Confirmationis adminiſtrando Chriſmate uſos; immò ex ipſo Cypriano in prima Epiſtola, quam interrogatus de hac quæſtione ſcripſit, quæ eſt inter opera ipſius 70. *Ungi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, ut accepto chriſmate, id eſt, unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit.* Verùm ut tot teſtimoniis demonſtratum eſt, videtur Eccleſia Romana, & conſequenter Italicæ, vicinæque pleræque Eccleſiæ ſolam manus impoſitionem ad Hæreticorum in Eccleſiam admiſſionem adhibuiſſe.

IX. At, inquies, his conceſſis, Eccleſiam Orientalem Hæreticos, quorum baptiſma cenſetur ratum, per unctionem recepiſſe, ut tam multis probatum eſt capite præcedente; Occidentalem verò, Romanam præſertim, per ſolam manus impoſitionem; qua ratione in gratiam cum Gregorio redibit Siricius, qui dixit Orientem, & Occidentem Hæreticos per ſolam ſeptiformis Spiritus invocationem impoſitione manus Epiſcopalis Catholicorum conventui ſociare? Si Siricii verba, menſque diligenter attendantur, non mihi videtur res difficilis. Siricius interrogatur, an baptizati ab Arianis ad Catholicam redeuntes denuò ſint baptizandi. Quæſtio eſt maximi momenti, cujus definitioni contradicere hæreſis eſt: baptizabant enim Ariani in nomine ſanctæ Trinitatis. Ideò Siricius reſponſionem concludens graviter contradicentibus comminatur, *A quo tramite vos quoque poſthac minimè convenit deviare, ſi non vultis à noſtro collegio Synodali ſeparari ſententia.* At varia illa conſuetudo Orientis, & Occidentis in Hæreticorum admiſſione, erat res indifferens, de qua nunquam in Eccleſiis diſputatum eſt; & in qua quiſque non modò impunè ſed etiam, ἀμέμπτως & laudabiliter morem regionis ſuæ ſemper amplexus eſt. Ideò diſcrimen illud, ut & innumera alia, præteritum ſemper fuit; aut ſi animadverſum, ut à Gregorio, id ſine ulla querelæ, nedum cenſuræ nota factum eſt. Cum igitur in reſponſo ſuo Siricius ſcribit, Orientem, & Occidentem conſentire, id intelligendum eſt in potiſſima quæſtione, quæ ad Siricium relata fuerat, hoc eſt, in non rebaptizandis Arianis. Utramque videlicet Eccleſiam probare eorum baptiſma, iiſque redeuntibus Spiritum ſanctum tradere per manus impoſitionem, quam ſanè quiſque pro more regionis ſuæ adminiſtrabat. Planè præter Siricii, & cum interrogantis mentem inquiritur, quibus ceremoniis, & adminiculis manus impoſitio celebrabatur. Quæſtioni ſatisfactum eſt, cùm demonſtravit ex conſenſu Orientis, & Occidentis Arianos ad Eccleſiam redeuntes non eſſe iterùm baptizandos. Cum igitur ait Siricius, *Per ſolam invocationem ſeptiformis gratiæ, &c.* Dictio ſola eſt tantùm ſecundi baptiſmi excluſiva.

X. Poſterior difficultas præcedente ſpinoſior videri poteſt. Ita enim de receptione Hæreticorum in Occidente ſcribit Sanctus Gregorius, ut omnino videantur per ſolam manus impoſitionem ſine unctione per univerſum Occidentem admiſſi fuiſſe. At hoc falſiſſimum eſſe nemo dubitare poteſt, qui Antiquorum teſtimonia tantiſper oculis luſtraverit. Secundam igitur propoſitionis noſtræ partem demonſtrare aggrediamur. Concilium Arelatenſe 2. *c. 16. & 17. Photinianos, ſive Paulianiſtas ſecundùm Patrum ſtatuta baptizari oportet. Bonoſiacos autem ex eodem errore venientes, quos ſicut Arianos baptizari in Trinitate manifeſtum eſt, dum interrogati fidem noſtram ex toto corde confeſſi fuerint, cum chriſmate, & manus impoſitione in Eccleſia recipi ſufficit.* Arauſicanum *in c. 2. Hæreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi Catholici eſſe deſiderant, ſi deſit Epiſcopus, à Presbyteris cum chriſmate, & benedictione conſignari placet.* Nemini negotium faceſſat, quod hoc Sacramentum abſente Epiſcopo adminiſtret Presbyter: Id enim præter morem Eccleſiæ Romanæ uſitatum fuit non modò in Eccleſia Orientali, in qua huc uſque perſeverat, ſed etiam in Hiſpania, & Gallia pleraque. Sic Concilium Epaunenſe *can. 16. Presbytero, propter ſalutem animarum, quam in cunctis optamus deſperatis, & decumbentibus hæreticis, ſi converſionem ſubitam petant, chriſmate ſubvenire permittimus. Quod omnes converſuri ſi ſani ſunt, ab Epiſcopo noverint expetendum.* Cui addi poteſt Concilium Hiſpal. 2. *cap. 7.*

XI. Fauſtus Epiſcopus Regienſis *lib. 1. de libero arbitr. c. 15.* hinc explicat virtutem baptiſmi ab Hæreticis accepti, *Hæretico in nomine Trinitatis regenerato tantùm per ſe virtus ipſa myſterii confert, ut ſi poſtmodum ad Chriſti fidem tranſeat, baptiſmatis iteratione non egeat; ſed ita operante gratia ablutus judicetur, ut tantùm benedictione chriſmatis induatur.* Tanta virtus eſt benedictionis chriſmalis, ut accedente animi converſione baptiſmus ab Hæreticis datus vim ſuam exerat. Gennadius *cap. 52. de Eccleſiaſticis dogmatibus* agens de Hæreticis in nomine ſanctæ Trinitatis baptizatis. *Recipiantur quidem, ut baptizati, ne ſanctæ Trinitatis invocatio, vel Confeſſio annulletur: Sed doceantur ante, & inſtruantur, quo ſenſu Sanctæ Trinitatis myſterium in Eccleſia teneatur: Et ſi conſentiunt credere, vel acquieſcunt confiteri, purgati jam fidei integritate, confirmentur manus impoſitione. Si verò parvuli ſunt, vel hebetes, qui doctrinam non capiant, reſpondeant pro illis, qui eos offerunt juxta morem baptizandi; & ſic manus impoſitione, & chriſmate communiti, Euchariſtiæ myſteriis admittantur.* Poſteà varia Hæreticorum genera recenſet, quæ ut admittantur, baptizare oportet. Valfridus Strabo *in libro de rebus Eccleſiaſticis c. 26. Quicunque vel ab Hæreticis in Trinitate baptizantibus, vel ab alio quolibet homine, ſub appellatione legitima ejuſdem ſanctæ Trinitatis fuerit baptizatus, rebaptizari non debet, ne invocatio ſummæ divinitatis annullari videatur; ſed chriſmate, & manus impoſitione, quod imperfectum erat, perfici debet. Hoc in canonibus, & decretis Patrum frequens habetur.*

XII. Sanctus Gregorius Turonenſis in hiſtoria ſua plura, & illuſtria Arianorum converſionis ad fidem Catholicam exempla refert, ſed omnia cum Chriſmatis unctione facta ſunt. Cùm Clodoveus Rex Francorum Chriſtianus factus eſt, ſoror illi erat Lanthildis, *Quæ*, inquit, *in hæreſim Arianorum dilapſa fuerat, quæ confeſſa æqualem filium Patri, & Spiritum ſanctum chriſmata eſt.* Hiſtoriæ *lib. 2. c. 31.* Et *c. 34.* de Gundobaldo Burgundionum Regem, *Cùm autem cognoviſſet aſſertiones Hæreticorum nihil eſſe, à S. Avito Epiſcopo Viennenſi, Chriſtum filium Dei, & Spiritum ſanctum æqualem Patri confeſſus, clam ut chriſmaretur expetiit: Cui ait Sacerdos, ſi verè credis, quod nos ipſe Dominus docuit, exequere.* Et *libro 4. c. 27.* de Brunichilde Athanagildi Regis Hiſpaniæ filia, quam Sigebertus rex duxit, *Quia Arianæ legi ſubjecta erat, per prædicationem Sacerdotum atque ipſius regis commotionem converſa, beatam in unitate confeſſa Trinitatem credidit, atque chriſmata eſt, quæ in nomine Chriſti Catholica perſeveravit.* Capite ſequente ſcribit de Galſuintha Brunechildis ſorore, quæ Chilperico Sigeberti fratri nupſerat, *Jam in lege Catholica converſa fuerat, & chriſmata, &c. Libro 5. c. 38.* Ingundis Sigeberti Regis filia nubit Leuvichildi Regis Hiſpaniæ filio, *Cœpit Ingundis prædicare viro ſuo, ut relicta hæreſis fallacia Catholicæ legis veritatem agnoſceret. Quod ille diù refutans, tandem commotus ad ejus prædicationem converſus eſt ad legem Catholicam, ac dum chriſmaretur, Joannes eſt vocitatus. Lib. 9. cap. 15.* refert converſionem Recharedi Regis Ariani ad fidem Catholicam, *Tunc intelligens veritatem Recharedus poſtpoſita altercatione ſe Catholicæ legi ſubdidit, & accepto ſignaculo beatæ crucis cum chriſmatis unctione, credidit Jeſum Chriſtum filium Dei æqualem, &c.*

XIII. Auguſtiſſimum denique eſt teſtimonium Recharedi Regis non modò de ſe, ſed etiam de tota gente ſua, cùm ipſe, & Gothica gens relicta hæreſi ad fidem Catholicam converſi ſunt. Ita rex ipſe in longa oratione, quam habet ad Concilium Toletanum 3. in quo cum Gothorum gente Arianiſmum abjuravit, & fidem Catholicam amplexus eſt; rogat Patres, ut ſcriptam fidei ſuæ, & Primorum gentis profeſſionem Syngraphis omnium conſignatam ad futuram rei memoriam conſervent, *Ut gentes*, inquit, *quas in Dei nomine regia poteſtate præcellimus, & quæ deterſo antiquo errore per unctionem Sacroſancti chriſmatis vel manus impoſitionem Paracletum intra Dei Eccleſiam perceperunt Spiritum, quem unum, & æqualem cum Patre, & filio confitentes, ejuſque dono in ſinu Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ collocatæ ſunt, &c.* Conjunctio, *vel* non eſt eo loco desjunctiva, quod ſæpe contigit in illorum ſeculorum auctoribus: Sic Gregorius Turon. *miraculorum lib. 1. c. 13. Hujus beatæ Virginis reliquias cum Sanctorum Apoſtolorum, vel beati Martini quadam vice ſuper me in cruce aurea poſitas exhibebam.* Multò frequentius duobus ſeculis ſequentibus hic uſus invaluit.

XIV. Tam multis igitur, tamque illuſtribus teſtimoniis confiſi audemus dicere Sancti Gregorii propoſitionem de Occidente Hæreticos ſine Chriſmatione per ſolam manus impoſitionem in Eccleſiam admittente non eſſe univerſaliter veram, Galliamque, & Hiſpaniam ſaltem eſſe ab hac regula excipiendas. Cum autem omnino improbabile ſit, S. Gregorium ita infinitè aſſeveraturum fuiſſe, Occidentem ſine unctione Hæreticos validè baptizatos admiſiſſe, ſi mos iſte Eccleſiæ Romanæ peculiaris fuiſſet, neceſſariò videtur dicendum Italicas Eccleſias, vicinaſque, veluti Brutias, Lucanas, Apulas, Galli-

cas

Digitized by Google

eas Ciſalpinas, ſive Longobardicas, Iſtricas, Liburnicas, Dalmaticas, ut plurimum hunc morem eſſe amplexas. Ab iſta regula excipiendi ſunt Donatiſtæ, quos Gallia ſaltem per ſolam manus impoſitionem ſine chriſmatione ad Eccleſiam redeuntes ſuſcepit. De hac Donatiſtarum ſuſceptione multis capite ſequenti diſſeremus, quibus tertiæ parti propoſitionis ſatisfiet; ut de Pelagianis *c. duodecimo*. Ex iis, quę hactenus demōſtrata sūt de antiqua Eccleſiæ Romanæ conſuetudine in recipiendis Arianis, aliiſque Hæreticis, evidenter colligitur, canonem illum S. Sylveſtro tributum in ſecunda Synodo Romana, ſive illius Synodi Epilogo adulterinum eſſe. *Conſtituit, ut Presbyterum Arianum nemo ſuſciperet, niſi Epiſcopus ejuſdem loci eum reconciliaret, & Sacroſancto Chriſmate per Epiſcopalis manus impoſitionem ſancti Spiritus gratia, quæ ab Hęreticis dari non poteſt, confirmaret*. Hic ritus Galliæ, aut Hiſpaniæ, aut alicujus peculiaris Provinciæ Italicæ proprius eſt, non Eccleſiæ Romanæ.

XV. Opportunum videtur hic adtexere formulas reconciliationis Hæreticorum ad Eccleſiam redeuntium ex tribus manuſcriptis antiquiſſimis excerptas Petaviano, Siculo, & Toloſano, In Petaviano poſt Octavam Paſchæ.

Benedictio ſuper eos, qui de Ariana ad Catholicam redeunt unitatem.

Domine Deus Pater omnipotens, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui dignatus es famulos, & famulas tuas ab errore, & mendacio hæreſeos Arianæ eruere, & ad Eccleſiam tuam Catholicam eos perducere; Tu Domine mitte in eos Spiritum Paraclitum ſanctum ſapientiæ, & intellectus, Spiritum conſilii, & fortitudinis, Spiritum ſcientiæ, & pietatis, & adimple eos, Domine, Spiritu timoris Dei in nomine Jeſu Chriſti ſalvatoris noſtri, per quem, & cum quo eſt tibi honor, & gloria in ſecula ſeculorum. In codice Toloſano legitur iiſdem verbis, quibus in Siculo, ſed applicatio non fit ad hæreſim Arianam: generaliter enuntiatur, *Ab errore, & mendacio hęreticæ pravitatis, &c.* Titulus autem in Toloſano falſus eſt, *Reconciliatio redeuntium à Paganis*, Nihil enim de Paganis in ea oratione.

In Codice Siculo eſt hic titulus, *Reconciliatio cum impoſitione manuum redeunti ab Arianis*. Finis eſt paulò diverſus, *ut in nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & ſigno Crucis ſignatus, pervenire mereatur ad vitam ſine fine manſuram. Per eundem Dominum noſtrum*. Hæc reconciliatio ſpecialis videtur pro Arianis: Nam alia ſequitur cum hoc titulo.

Item pro iis, qui de diverſis hæreſibus veniunt.

Sancte Pater omnipotens Deus, qui famulum tuum ab errore hæreſeon dignatus es eruere, & ad ſanctam Eccleſiam Catholicam revocare; Quæſumus te, Domine, emitte in eum Paraclitum Spiritum ſuum ſanctum ſeptiformem, Spiritum ſapientiæ, & intellectus, conſilii, & fortitudinis, ſcientiæ, & pietatis; adimple famulum tuum Spiritu timoris Dei. Per Dominum noſtrum. Eadem prorſus legitur in Sacramentario Toloſano: Sed titulus paulò diverſus. *Benedictio ſuper eos, qui de diverſis hæreſibus veniunt.*

Eadem quoq; in manuſcripto Siculo cum hoc titulo, *Benedictio cum impoſitione manuum ſuper eos, qui de diverſis Hæreſibus veniunt*. In iſto Sacramentario, ut & in Pęnitentiali, ſpeciales ceremoniæ deſunt.

CAPUT XI.

Quinque graves difficultates ex præcedentibus emergentes evolvuntur. Sacramentum Confirmationis Donatiſtis erat in uſu, non autem Novatianis. Antiqui Patres videntur exiſtimaſſe Sacramentum Confirmationis apud Hæreticos eſſe non poſſe. Item gratiam primam juſtificantem reſipiſcenti ab Hæreſi applicatum vi baptiſmi conferre, non tantùm illius augmentum. Idem præſtare poſſe in reſipiſcentia, quolibet peccato communis eſt Scholaſticorum ſententia. In reconciliatione Hęreticorum per Sacramentum Confirmationis non meminerunt Patres Sacramentum Pęnitentiæ. Confirmatio baptiſmi validè ab Hæreticis dati vim ſuſcitat. Scholaſticorum ſententia communis eſt, criminum Confeſſionem adultis confirmandis non eſſe neceſſariam. Donatiſtarum chriſmatio à Catholicis non iterabatur, ſed ſola manus in Spiritum S. impoſitio. Manus Hæreticis redeuntibus imponitur, ut ipſis charitas infundatur, néve credant ſe eſſe culpæ expertes. Quid ſit apud S. Innocentium, Hæreticos recipi ſub imagine Pęnitentiæ.

NUnc Lectori aperiendum eſt, quid de difficultatibus, quæ ex dictis ſuboriri poſſunt, probabiliter conjiciamus. Illas reſolvere Theologorum eſt: Non tamen ab Hiſtorici munere alienum cenſemus, quid de occurrentibus difficultatibus conjiciat, proponere, reſervata ſemper Theologis decretoria ſententia. Conjectanea mea, Lector, qualicunque tuo judicio fuerint, bona malave, cedro digna, an indigna, tibi propono, oculos ſub aſtra fidei Catholicæ ſemper tenens, illiuſque clavo affixus, & inhærens. Quid libuerit de me ſecurus judica. Velle ſuum cuique eſt, ait ille: In ejuſmodi rebus, nec mihi velle eſt, nec habere volo; Doctorum Theologorum expecto. Vulgò fertur. Olitor nonnunquam eſt opportuna locutus. Si per rudem, cæcamque ſpeculationem meam velut per tenebras erumpunt animo tuo veræ concordiæ radii, cæcutientiamque meam, & *μωρίαν* indignatus meliora ſubſtituas, mihi ſatisfactum eſt, laboris mei præmium retuli. Difficultates nonnullas jam in fine *cap. 7.* citavimus, eas nunc, aliaſque occurrentes tantiſper ſedare, & tranquillare conabimur.

II. Prima nobis occurrit ex *canon. 7.* Concilii ſecundi, ubi Macedoniani, & Apollinariſtæ inter Hæreticos recenſentur, quos neceſſe eſt per chriſmationem recipi. Hinc enim colligi videtur, Catholicorum chriſmationem ex decreto Concilii eſſe repetendam. Nam Apollinariſtæ, & Macedoniani ab Eccleſia Catholica pauciſſimis ante illud Concilium annis defecerant, primumque ab eo Concilio inter Hæreticos recenſiti ſunt. Omnes igitur illi Hæretici, aut propè omnes, cum in Eccleſia nati eſſent, confirmati fuerint; præſertim cum ex illorum ſeculorum conſuetudine, quæ adhuc obſervatur in Oriente, omnibus Baptizatis, etiam infantibus, Sacramenta baptiſmi, Confirmationis, & Euchariſtiæ, ſimul actione non interrupta, traderentur. Cùm igitur indiſtinctè aliis Hæreticis antiquioribus per unctionem recipiendis eos adnumerant Patres, conſequenter videntur decernere, Confirmationem Catholicorum eo caſu eſſe repetendam.

III. Verùm ſi res attentiùs conſideretur, nullius erit momenti conſequentia. Concilii enim decretum eos tantùm reſpicit, qui ab iſtis Hæreticis baptizati, & confirmati ſunt. Nec fuit opus expreſsè diſtinguere, cùm de jure communi certum eſſet unctionem Catholicam nunquam eſſe repetendam. Sic intellexit decretum hoc Sanctus Siricius *cap. 1. Epiſt. 1.* quam tertio poſt Concilium anno ſcripſit ad Himeticum. *Prima paginæ tuæ fronte ſignaſti baptizatos ab impiis Arianis plurimos ad fidem Catholicam feſtinare, & quoſdam de fratribus noſtris eos denuò baptizare velle*. Dicit hoc eſſe canonibus, & decreto Liberii prædeceſſoris ſui prohibitum, & à Synodo conſtitutum, ut ſimiliter cùm Novatianis aliiſque Hæreticis per invocationem Spiritus ſancti admitterentur, ut *cap.* præcedente retulimus. Similis interpretatio in eadem cauſa ſæpius occurrit. Exempli cauſa Hæreſis Novatiana Cypriano Epiſcopo nata eſt. Tribus forſan, aut quatuor annis poſteà, vel multò minus, interrogatur à Magno Cyprianus, qua ratione eſſent recipiendi Novatiani ad Eccleſiam redeuntes. Multis contendit eſſe rebaptizandos, nec expreſsè, & Scholaſticè diſtinguit eo loco, an de Novatianis in Eccleſia, aut extra Eccleſiam baptizatis intelligenda ſit quæſtio, hoc ut per ſe notum, & conceſſum aſſumit, in Eccleſia ſcilicet baptizatos per manus impoſitionem in Pœnitentiam, non per baptiſmum eſſe recipiendos. Quidni pariter Macedoniani, & Apollinariſtæ pauciſſimis annis multos baptizaverint, & confirmaverint, quos poſteà ad Eccleſiam redeuntes neceſſe fuit confirmare? Immò S. Auguſtinus *lib. 5. de baptiſmo contra Donat. cap. 19.* Cypriano fruſtranti Stephani Papæ argumentum ſimili huic argumento ſolutione, objicit non modò Hæreticos intra aliquot annos baptizaſſe multos, qui ad Eccleſiam redeuntes non rebaptizabantur, ſed hoc illo ipſo die, quo ab Eccleſia receſſerunt, id feciſſe: *Statim enim unaquæque hæreſis, ut exiſtebat, & à Congregatione Catholicæ communionis exibat, non dico alio die, ſed & ipſo die, poterat irruentes in ſe aliquos baptizare*. Quid neceſſe fuit canones, qui breves ſunt ſigillatim hæc vulgata, & tunc omnibus nota diſtinguere, cùm ſimilia in ſolutis ſermonibus probi Auctores prætermittant? Quapropter hoc canone niti non poſſunt recentiores Græci, ut Confirmationis Sacramentum demonſtrent iterari poſſe.

IV. Ex cineribus iſtius difficultatis alia ſed multò perplexior pullulat. Videmur enim ſermoni noſtro ſuppoſuiſſe antiquos Patres Sacramentum Confirmationis ab Hæreticis adminiſtratum non probaſſe; atque ideò quos Hæretici baptizaverant, & conſequenter confirmaverant, probato baptiſmo iterum confirmationis Sacramento imbuiſſe. Nec videntur aliter intelligi poſſe non modò canones citati, ſed etiam Patrum tam Grçcorum, quàm Latinorum teſtimonia. Quum enim de baptizatis ab Hære-

Digitized by Google

quibus quæſtio vertitur, baptiſmus ponitur ratus, & validus. Plurimi autem Theologi hanc doctrinam de Contritione Confeſſionem præcedente ante Concilium Tridentinum amplexi ſunt; nec defuerunt poſt illud viri graves, & celebres, qui eandem doctrinam amplecterentur, & propugnarent. Deniq; hanc difficultatem nullam, aut levem admodum judicabunt, qui gratiam primam ad primum auxilium gratiæ, ſive gratiam, qua vocamur, atque ut Deo credamus, excitamur, referunt, non ad gratiam gratum facientem, qua juſtificamur. In ea enim poſitione non modò baptiſmum ſequetur Confirmatio, ſed etiam cumulum gratiæ non primam gratiam largietur. Sed quoniam pleraque iſta non ſatis nobis probantur, licèt plurimis aliis placere poſſint, ea miſſa faciamus, & vulgatæ, communiorique opinioni inhæreamus.

IX. Dico igitur, propoſitionem illam, quam ſub difficultatis velo, & nomine expoſuimus, reverà conſequi ex tot Patribus Græcis, Latiniſque in capitibus præcedentibus allegatis; & evidenter in hac hypotheſi Confirmationis Sacramentum ab iis Sacramento Pœnitentiæ æquiparari; hoc eſt, idem præſtare Sacramentum Confirmationis erga Hæreticos extra Eccleſiam validè baptizatos, & ad eam redeuntes, quod Sacramentum Pęnitentiæ erga Hæreticos in Eccleſia baptizatos, qui redeuntes per Pœnitentiam ex Eccleſiæ decreto recipiuntur: Ulterius propoſitionem iſtam non protogamus, cum in hac ſpecie allata teſtimonia conſiſtant. Unde ſequitur, nullam eſſe in propoſita difficultate difficultatem, ſed eam, ut propoſita eſt, admittendam. Nec iſta propoſitio Scholaſtices perito inſolens videri debet, cũ paſſim eam doceant antiqui, recentioreſque Scholaſtici. Hoc antequam propter eos, qui in iis legendis ætatem non triverunt, demonſtremus, propoſitio illa nobis eſt evolvenda, & enucleanda. Primum ex omnibus Patribus conſtat Baptiſmum ſupponi ſemper Confirmationi, & eo non ſuppoſito ratam eſſe non poſſe. Secundum, Confirmationem eſſe baptiſmi perfectionem, gratiamque baptiſmo collatam augere, & complere; ideò baptizatum per ſuſceptionem hujus Sacramenti in fide confirmari, & corroborari. Tertium, cùm baptiſmus apud Hæreticos datus, ſit inefficax, ſecumque gratiam, & Spiritum ſanctum non ferat, per Confirmationem in animo Hæretici converſi reviviſcit, & revireſcit, fructumque Hæretica perfidia veluti mole ingenti, & montibus altis impoſitis oppreſſum excutit, & exerit, feliceſque palmites, & baccas agit in auras, non ſecus quàm Scholaſtici doceant baptiſmum fictè ſuſceptum fictione recedente effectum ſuum operari. Sic de Confirmatione ſentire Patres ex præcedentibus ſatis conſtat, ſed hoc inſuper capite ſequente demonſtrabimus. Quartum, Hinc neceſſariò ſequitur, non modo baptiſmum tempore ſemper Confirmationem præcedere, ſed etiam gratiam baptiſmalem natura ſaltem priorem eſſe gratia Confirmationis, cùm hæc illam præ ſe ſemper agat.

X. Itaque nobis tantum probandum ſupereſt, Confirmationem in certo caſu à Patribus nominato, & deſcripto hominem imperfectè contritum, vel ſi mavis attritum, hoc eſt, in ſtatu peccati adhuc hærentem, ab eo ſtatu eripere, & juſtificare, idemque efficere, quod in ſimili ſtatu Pœnitentia virtute nativa præſtare ſolet, Propoſitionem non eſſe Scholaſticæ, & communi Theologiæ inſolentem. S. Thomas *Summæ 3. parte q. 72. art. 7.* ubi quærit, An gratia gratum faciens per Sacramentum Confirmationis conferatur, hanc doctrinam *reſponſ. ad. 2.* tradit, *Si aliquis Adultus in peccato exiſtens, cujus conſcientiam non habet; vel ſi etiam non perfectè contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento conſequetur remiſſionem peccatorum.* Clariſſimè propoſitionem, de qua nunc ambigimus aſſerit, & cum ingenti uſura. Nam id, quod ex tam multis Patribus, & Conciliis de ſolis Hæreticis extra Eccleſiam validè baptizatis collegimus, id de quolibet peccatore concludit. Nec verentur Thomiſtæ omnes, & plerique alii, ſola Magiſtri ſui auctoritate ſubnixi hanc propoſitionem libris ſui aſſerere. Ut quid nos tot Conciliis, & Patribus freti diffitebimur pauculam illius propoſitionis partem, ut probabilem proferre?

XI. Immò quod dixit S. Thomas de uno Confirmationis Sacramento ad omnia diffundunt. Cardinalis Cajetanus hæc, quæ citavimus, verba commentans ita ſcribit, *Nota hìc dictum in litera pro omnibus Sacramentis; quòd accedens ad Sacramentum cū peccato, vel quia ejus conſcientiam non habet, vel quia non perfectè contritus, gratiam ex Sacramento conſequitur in remiſſionē peccatorum. Et intelligo hoc de peccato mortali: quoniam de venialibus non oportet habere conſcientiam particularem. Hoc eſt enim, quod conſuevit dici, virtute Sacramenti fieri de attrito contritum.* Dominicus Soto in *4. diſt. 7. art. 7.* ubi diſputat de præparatione ad Sacramentum Confirmationis neceſſaria, *Ambiguum tamen eſt, utrùm requiratur Contritio. Ad quod primò reſpondetur, quòd Attritio exiſtimata contritio ſufficit. Nam ut diſt. præcedente q. 1. dicebamus, hæc ad omnia ſufficit Sacramenta: Videlicet quòd homo licèt non doleat propter Deum, bona tamen fide id arbitretur. Et de hac certò credo loqui* D. Thom. *ubi ait, ſi aliquis Adultus, &c. Ejuſmodi enim attritus eſt, qui ob id quod dignè ad Sacramentum accedit, fit per ipſum ex Attrito contritus.* Alibi autem ubi ex profeſſo agit de Pęnitentia nullam aliam præparationem poſtulat, quàm Attritionem putatam Contritionem.

XII. Sic quoque Henriquez *lib. 3. c. 4. n. 1. Confert aliquando primam gratiam ei, qui bona fide reputat ſe contritum, cùm ſit attritus tantùm.* Et ibidem iterùm *c. 5. a. 5.* citatq; locum S. Thomæ jam relatum, Dominicum Sotum, & Ledeſmam, colligitque, *Atque ita Confirmatio interdum confert primam gratiam.* Gregorius de Valentia *tom. 4. diſp. 5. q. 1. puncto 4. Per illud.* Sacram. Confirm. *datur etiam interdum gratia ipſa prima, ideſt, per quā aliquis redditur ex injuſto juſtus, ut aſſerit* D. Thomas *hic art. 7. ad 2. communiter receptus. Id autem fit, ut idem* D. Thomas *declarat, cùm alicui Sacramentum iſtud ſuſcipienti, vel non venit in mentem aliquod peccatum mortale, cujus macula adhuc ipſi inhæret, ut de eo doleat: Vel ſi in mentem venit, non dolet de ea per Contritionem perfectam, ſed ſolùm per Attritionem. Tunc ſanè Sacramentum ſupplet illum defectum doloris, & homo juſtificatur.* Suarez *in 3. p. quæſt. 72. art. 7. ſect. 2.* quanquam nonnihil renitens tamen auctoritate S. Thomæ oppreſſus fatetur ſententiam illam eſſe probabilem: Sed Confirmationis, & aliorum Sacramentorum eandem dicit eſſe rationem. Eadem Ægidii Conink ſententia *q. 62. art. 1. dub. 2. n. 42. de Sacramentis in genere.* Eò quoque tandem concedit Tannerus *tom. 4. diſput. 4. quæſt. 4. dub. 2. a. 41. Diſputatione* autem 3. in qua diſputat de Sacramentis in genere *q. 3. dub. 5. a. 141.* hanc probat aſſertionem, *Omnia Sacramenta de facto nonnunquam poſſunt ex opere operato conferre primam gratiam. Hæc eſt ſententia magis pia, & probabilior, quam docet* S. Thomas *de ſingulis Sacramentis ſuis locis; ſpeciatim quæſt. 30. art. 1. Eandem communiter ſequuntur Thomiſtæ.* Quidni hoc in caſu ſpeciali de Sacramento Confirmationis docuerint Concilia, ſanctique Patres? Concilium Tridentinum *ſeſſ. 13. cap. 7.* ſtatuit, *Ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat.* Nihilominus communis ferè ſententia nunc eſt Theologorum, Sacramentum Euchariſtiæ conferre aliquando gratiam primam à peccatis juſtificantem: Verbi gratia, ſi quis putans ſe bona fide contritum, cum tamen ſit tantum attritus, accedit ad Euchariſtiam, communiter juſtificari docent, atque ex impio fieri ſanctum. Quidni in caſu à Patribus dato eadem erit Sacramenti Confirmationis efficientia; de quo nihil unquam tale pronuntiavit ullum Concilium?

XIII. Quarta difficultas ex præcedente oritur, & occidit. Mirum enim videri poteſt alicui, qua ratione factum ſit, ut licèt tot retulerimus Antiquorum teſtimonia, quibus Hæretici jubentur per Confirmationis Sacramentum recipi, nuſquam tamen ad eluendum ſcelus hæreſis commemorantur, Confeſſionem edidiſſe peccatorum in Pœnitentiam: Immo duo illi receptionis Hæreticorum modi velut oppoſiti referuntur, ita ut uno uſurpato alter uſurpari non ſoleat. Nam in Eccleſia baptizati Hæretici ad Eccleſiam admittebantur per Pęnitentiam, nunquam leguntur admiſſi per Confirmationem; quod tamen apud Latinos ſine Sacramenti repetitione fieri potuit, eo quod ſolo Epiſcopo conferente hoc Sacramentum, multi baptiſmo ſuſcepto diu non confirmati vivere potuerunt. Sic extra Eccleſiam baptizatos nuſquam legas per Sacramentum Pœnitentiæ admiſſos. Qui in Eccleſia baptizati ab Hæreticis ſe rebaptizari curaverant, per ſeveram Pœnitentiam revertentes admittebantur, ſed nunquam per Confirmationem.

XIV. Iſtius difficultatis ſolutio non mihi videtur longè arceſſenda. Quum Confirmatio in hoc caſu vi ſua ex Attrito faciat contritum, & gratiam juſtificationis conferat, nulla eſt Sacramenti Pœnitentiæ neceſſitas. Id quod enim præſtaret Pœnitentia, jam præſtitit Confirmatio, ut teſtantibus tam multis Scholaſticis, id fieri poſſe jam demonſtratum eſt. Sed aliud eſt in hac cauſa maximi momenti, quod Lector diligenter attendere debet. Scitum eſt apud omnes propè Scholaſticos, Sacramentum Confirmationis, ut producat effectum ſuum, non requirere neceſſariò peccatorum Confeſſionem, & abſolutionem, ſed gratiam in peccatore diſpoſito producere ſine ullo voto, & relatione ad Sacramentum Pœnitentiæ poſteà ſuſcipiendum. Sufficit, Confirmationem ſuſcepturo baptizatum fuiſſe, ut per Attritionem, & ſecuturis per Contritionem peccatorum,

quæ

quæ poſt baptiſmum commiſit, diſpoſitus, legitimè, & fructuoſè confirmetur. Nam Confirmatio ordine, & natura ſua pœnitentiæ Sacramentum præcedit, non ſequitur. Hoc etiam Eccleſia hodierna obſervare ſolet, cum Adultum baptizat Epiſcopus. Tannerus loco jam citato *n.42. Eſt quidem conveniens, ut Adultus confirmandus præmittat Confeſſionem, itemque ut jejunus accedat, ſed non de neceſſitate præcepti. Ita habet communis Doctorum ſententia apud* Suarem *diſput.38.ſect.* 1. Henriquez *lib.3.cap.4. num.2. poſt* S.Thomam *q.72. art.7. & ſumitur ex Concilio Aurelianenſi, ut refertur de Conſecr.1. diſt.5. c. ut jejuni, ubi dicitur, ut jejuni ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis; ut moneantur Confeſſionem facere prius, ut mundi donum Spiritus Sancti valeant accipere. Ratio eſt, quia neutram propria aliqua lege præceptum, ſed utrumque ſolùm in conſilio eſt: Et poteſt ſtatus gratiæ, etiam per contritionem reparari*. Suarez *diſput.34. ſect.2. Sed quæret aliquis primò, an ſit etiam neceſſarium adulto Confeſſionem præmittere, antequam hoc Sacramentum ſuſcipiat, quando habet conſcientiam peccati mortalis poſt baptiſmum commiſſi. Reſpondetur, non eſſe neceſſariam, quia nullum eſt præceptum ſpeciale, quod ad hoc obliget, neque ex generali ratione Sacramentorum colligitur, ut ſupra viſum eſt. Ergo major patet, quia tale præceptum nec humanum, nec Eccleſiaſticum, neque divinum poſitivum, nec ſcriptum, aut traditum eſt, neque etiam ex ſola rei natura colligitur: nam quoad hoc, nulla eſt major ratio in hoc Sacramento quàm in cæteris, &c. Satis ergo erit per contritionem diſponi, &c. Quid, ſi aliquis exiſtimet ſe contritum, & revera non ſit? Reſpondetur, ſi probabilis ſit exiſtimatio, & invincibilis ignorantia, eum excuſari à culpa; ideòque probabile eſſe, quod hic* D.Thomas *docet art.7. ad 2. eum recipere gratiam per hoc Sacramentum, quia per Attritionem diſponitur ad remiſſionem peccati actualis, & ad gratiam ex opere operato recipiendam*. Eadem ſed breviùs Sotus in *4.diſt.7.q.unica, art.8.* Gregorius de Valentia loco citato, in quo auctoritate Scoti ſententiam ſuam confirmat. Henriquez *lib.3.c.5. n.6.* ubi auctores ſententiæ ſuæ refert, Tabienam, Sotum, Sylveſtrum, colligitque, Marſilium falsò putaſſe præcipi Confeſſionem ante Confirmationem. Coninq *quæſt.72. art.7. nu.75.* & alii complures, qui etiam addunt excepta Euchariſtia eandem eſſe rationem aliorum Sacramentorum. De ſola Euchariſtia perceptione præceptum eſſe, ut peccatorum Confeſſio præmitteretur; in cæteris hoc tantùm conſuli. Itaque non modò Theologorum primores, ſed etiam vulgus, id univerſaliter aſſerit, quod in caſu ſpeciali diximus ex plurimis antiquorum Patrum teſtimoniis inter ſe comparatis non improbabiliter deduci.

XV. Quanquam autem in iis teſtimoniis tam Græcis, quàm Latinis Confeſſionis Sacramentalis nulla fiat mentio, ac proinde conſequi videatur eam, non eſſe neceſſariò Sacramento Confirmationis præmittendam, non inde tamen colligi poteſt ex animi devotione, & pio conſilio non præceſſiſſe, idemque quod nunc fieri ſolet, in multis ſaltem Eccleſiis, non eſſe factitatum. Cùm enim, ut multis exemplis ſupra demonſtratum eſt, plurimi nullius peccati capitalis conſcii luctuoſam pœnitentiam ex ſumma animi religione ſuſciperent, integrumq; ejus ſtadium decurrerent, credibile ſanè eſt, plurimos quoque Confeſſionem peccatorum Sacramentalem, quamvis neceſſarium non eſſet, Confirmationis Sacramento antepoſuiſſe. Id ſanè evincit, quod ex Concilio Aurelianenſi refert S.Thomas, & accepit à Gratiano *de Conſecrat. diſt.5.c.6.* & ante Gratianum annis pluſquam 60. in Decretum ſuum retulerat Ivo *p.1. c.254.* ante Ivonem annis centum Burchard. *l.4.c.60.*

XVI. Obiici poteſt, id quod ſtatuit Concil. Trid. *ſeſſ.14.c.5.* Confeſſionem *omnibus poſt baptiſmum Lapſis neceſſariam exiſtere*. Reſpondeo primùm, modum illum recipiendi Hæreticos extra Eccleſiam baptizatos per Sacramentum Confirmationis opponi tantùm Pœnitentiæ publicæ, per quam admittuntur ii, qui in Eccleſia baptizati ſunt, ut ex ſingulis, quæ hactenus dicta ſunt, evidentiſſimum eſt. Itaque ex vi verborum quibus hæc Hæreticorum admiſſio per Sacramentum Confirmationis enuntiatur, nihil contra Pœnitentiam privatam colligi poteſt. Dicamus igitur eos admiſſos, poſteà privatim confeſſos peccata, quæ poſt baptiſmum perpetraverant, & objectioni ſatisfaciemus, & nihil contrarium teſtimoniis antiquorum Patrum proferemus; Non eſt enim legitima conſequentia, Admiſſio per Sacramentum Confirmationis opponitur admiſſioni per Pœnitentiam publicam: Ergo opponitur Pœnitentiæ privatæ, quæ fit poſt admiſſionem. Iſtius Confeſſionis, & Pœnitentiæ privatæ poſt admiſſionem illam factæ nullum mihi occurrit exemplum. Deinde inhærentes doctrinæ inſignium Scholaſticorum jam jam traditæ negamus, hoc Concilii decretum illi contradicere. Nam Confirmatio eſt baptiſmi perfectio, & complementum, & natura ſua ſicut baptiſmus Sacramentum Pœnitentiæ præcedit. Si ſubſequatur hoc, fit per accidens, & contra Sacramentorum ordinem, vitioque noſtro. Quapropter cùm ajunt Patres Confeſſionem omnibus poſt baptiſmum Lapſis eſſe neceſſariam, non excludunt à baptiſmo Confirmationem: Neque eorum mens fuit Pœnitentiæ Sacramentum Confirmationi neceſſariò præponere, & illius ordinem intervertere; neque etiam neceſſariò Confirmationem ſubſequi, niſi, ut in baptiſmo fit, & Concilium verbis allatis docet, peccatum interceſſerit. Ideò rectè mihi videntur Scholaſtici illi ſcripſiſſe Confeſſionem ante Confirmationis ſuſceptionem conſuli, non præcipi. Theologus Pariſienſis eruditiſſimus Yſambertus non modò aſſerit Extremam Unctionem dari poſſe infirmo Attrito non confeſſo ſi confiteri non poteſt, gratiamque primam producere, & remiſſionem dare peccatorum, quod recentiores Theologi paſſim cum ipſo affirmant, Navarrus in manuali *c.22. n.13.* Suarez *diſput.24. ſect.1. num.13. &c.* Verùm etiam id probat, eo quòd Extrema unctio ſit Sacramenti Pœnitentiæ conſummatio, de Sacram. Extremæ unctionis *diſput. 7. art.1. num.5. Extrema unctio in tali caſu ſupplet vices Sacramenti Pœnitentiæ, quia eſt aliquid ejus conſummativum. Atqui Sacram. Pœnitentiæ tali infirmo Attrito applicatum conferret ei proprium ſuum effectum remiſſionem peccatorum, quia de Attrito facit contritum, ut vulgò docent Scholaſtici. Igitur & in præſenti caſu Extrema unctio remittet mortalia prædicto infirmo Attrito, &c.*

XVII. Denique licèt, quæ præcedenti objectioni, & præſenti reſponſa ſunt, probabilia videri poſſint, tamen ſi diligentius teſtimonia Patrum conſideremus, nihil neceſſe erit ad ea recurrere. Non enim neceſſariò ex iis ſequitur, Confirmationis Sacramentum primam gratiam neceſſariò conferre, neque negligi, aut præteriri Confeſſionem. Illa teſtimonia tantùm probant per impoſitionem manuum, ſive per Confirmationis Sacramentum gratiam baptiſmi ſuſcitari, & revireſcere, quam hæreſis ſuſpenderat, & veluti hebetaverat, ne fructum ſuum exereret. Itaque primæ gratiæ productio, non Confirmationi, ſed baptiſmo tribuenda eſt, cujus vires per hæreſis crimen ligatas Confirmatio ſolvit. Neque ſimiliter negotium amplius faceſſit de Sacramento Pœnitentiæ objectio commota, cùm de remiſſione peccatorum per baptiſmum obtenta res agatur, quæ effectum Sacramenti Pœnitentiæ ſemper antecedit, nunquam ſupponit. Præterea nonne per Sacramentum Pœnitentiæ in certis caſibus peccata ante Baptiſmum commiſſa remittuntur, licèt ad ipſius forum non pertineant? Quidni baptiſmus certis in caſibus peccata poſt ipſum ſuſceptum commiſſa, licèt ad ipſum propriè non pertineant, ſimiliter non remittet? Hæc nunc Lectorem monuiſſe ſatis: *Capite* hujus *libri* 13. iſta fusè explicabuntur.

XVIII. Quinta, & poſtrema difficultas alterius eſt generis: Eſt enim ſecundæ difficultatis exceptio quædam. Diximus in illius enarratione probabile nobis videri, antiquos Patres Cōfirmationem ab Hæreticis datam non probaſſe. Certum tamen videtur, Donatiſtas non modò confirmationis Sacramentum ſuis adminiſtraſſe, ſed etiam Catholicos illud non irritaſſe, licèt Catholicorum Sacramenta, baptiſmum, & Confirmationem irritarent. Hoc diſertè teſtatur Optatus *lib.7. Numquid nos exterminamus oleum veſtrum, ut meritò nos muſcas morituras appelletis? Quod veſtrum eſt, apud vos eſt. Et ſi à vobis ad nos aliquis tranſitum fecerit, ſic à nobis ſervatur; quomodo à vobis dimittitur. Quomodo dicitis, quia nos ſumus muſcæ moritura olei ſuavitatem corrumpentes, cùm poſt vos nihil tale faciamus?* Sed contrà Donatiſtæ. Optatus ibidem poſt aliqua, *Seduxiſtis homines, rebaptizaſtis, iterùm unxiſtis. Proh dolor! non ſine morte veſtra exterminaſtis, quod ſacrat de nomine Chriſti confectum more muſcarum.* Idem teſtatur Petilianus Donatiſta apud S.Auguſtinum *cap.104.* ubi unguentum Aaron de quo *Pſalmo* 132. interpretatur unguentum, quo plebis ungitur unitas. Sed Auguſtinus ipſi reſpondens clariùs hęc verba ibidem interpretatur: *In hoc unguento Sacramentum Chriſmatis vultis interpretari, quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus, ſed poteſt eſſe & in hominibus peſſimis, &c.* Et paulò poſt, Petilianum ſic interrogat, *Nulli ne apud vos luxurioſi, nulli avari, nulli pertinaciter inimicitias exercentes, &c. Nulli ne apud vos tales unguntur, & in his intus noti, manifeſtiq; moriuntur.* Deinde demonſtrato ipſum cogi nōnullos confiteri à ſuis ungi Chriſmate, indignos hoc Sacramento, ſic eum monet, *Diſcerne ergo viſibile ſanctum Sacramentum, quod eſſe & in bonis, & in malis poteſt, illis ad præmium, illis ad judi-*

Digitized by Google

judicium, ab inviſibili unctione chaeitatis, quæ propria bonorum eſt. Evidens igitur eſt, Donatiſtas Sacramentum Confirmationes habuiſſe, aut ſaltem chriſmate in eundem finem uſos; chriſmationemque illam Catholicos ratam habuiſſe, licèt apud eos chriſmatio Catholicorum eadem prærogativa non gauderet. Sed ut ex iis, quæ ſequuntur, evidens erit, impoſitionem manuum, qua *κυρίως* datur Spiritus Sanctus, ab ipſis factam Catholici non probabant.

XIX. Mihi tamen attentè hæc animo volventi probabile dictu viſum eſt, Eccleſias Africanas, Gallicas, & Hiſpanicas in Donatiſtarum cauſa Romanum morem eſſe ſecutas, hoc eſt, ut Eccleſia Romana omnes Hæreticos, quorum baptiſma probabat, per ſolam manus impoſitionem in Spiritum ſanctum ſibi incorporabat; ſic in Donatiſtarum admiſſione ſeſe geſſiſſe Gallorum, Hiſpanorum, & Afrorum Eccleſias. Hujus admiſſionis praxim habemus apud Alcimum Avitum *Epiſt.24.* Interrogatus à Stephano Epiſcopo, qua ratione eſſet admittendus Donatiſta, reſpondet, *Manus impoſitionem perſonæ de qua ſcribitis adhibere: quam conſtat, ſi revera in ſupradicti Schiſmatis profeſſione verſata eſt, cùm miniſterio baptiſmatis etiam chriſmate conſignatam*. Quid igitur in Donatiſtæ ad Eccleſiam redeuntis admiſſione fieri ſolebat? Chriſmatio probabatur, manus impoſitio repetebatur: quia per eam dari Spiritus ſanctus intelligitur, qui ab Hæreticis dari non poteſt.

XX. Hoc evidenter videtur docere Sanctus Auguſtinus *lib. 3. de baptiſmo contra Donatiſtas cap.16.* verbis jam ſupra allegatis. Cùm enim multis probaſſet, baptiſmum ab Hæreticis datum valere, non ſecus ac ab impiis in Eccleſia datus; & conſimiliter, ut baptiſmus ab impiis in Eccleſia datus non iteratur, ſic nec baptiſmum ab Hæreticis datum iterandum eſſe; concedit Spiritum S. in ſola Eccleſia Catholica per manus impoſitionem dari, hoc eſt, charitatem per Spiritum ſanctum in cordibus noſtris diffuſam, licèt Sacramentum illius rei cum impiis communicari poſſit: ideò diſtinguendum eſſe inter Sacramentum, & operationem illam Spiritus ſancti; hanc ſolis bonis ineſſe, illud etiam Simonem Magum accepiſſe. His dictis, ne quis exiſtimaret inde colligendum eſſe, illam manus impoſitionem licèt effectu caſſam inſtar baptiſmi non eſſe iterandam, ſtatim alterius ab altero diſparitatem notat, *Manus autem impoſitio non ſicut baptiſmus repeti non poteſt. Quid eſt enim aliud niſi oratio ſuper hominem*. Nam in admiſſione Donatiſtarum à Schiſmate converſorum, probata eorum chriſmatione, manuum impoſitio, ut illis infunderetur charitas Spiritus S. iterabatur.

XXI. Sanctus Auguſtinus eodem ſenſu, & occaſione hanc doctrinam, & praxim repetit *lib.5. de baptiſmo contra Donatiſtas cap.23.* illiuſque duas reddit rationes facta præcedentis diſputationis concluſione, *Itaque ſicut poteſt baptiſma eſſe, & unde ſe aufert Spiritus ſanctus; ita poteſt eſſe baptiſma, ubi non eſt Eccleſia*, immediatè poſt, rationes reddit manus impoſitionis Hæreticis, cùm ad Eccleſiam redeunt, adhibitæ, *Manus autem impoſitio, ſi non adhiberetur ab hæreſi venienti, tanquam extra omnem culpam eſſe judicaretur. Propter charitatis autem copulationem, quod eſt maximum donum Spiritus ſancti, ſine quo non valent ad ſalutem, quæcunque alia ſancta in homine fuerint, manus Hæreticis correctis imponitur*. Videtur S. Auguſtinus objectioni occurrere, quæ Lectoris animum ſubire poterat. Cùm Donatiſtæ, & Hæretici plerique manus ſuis imponant, non videntur redeuntibus ad Eccleſiam imponendæ, ut ab iis baptizati, non iterum baptizantur. Duabus de cauſis manus dicit Eccleſiam iis imponere: primùm, ut eo ritu ſe graviter erraſſe admoneantur; deinde, ut per eum ritum charitatem habeant, quam per Sacramentum Hæreticorum obtinere non potuerunt.

XXII. Quæ hactenus diximus de ſeparatione Chriſmatis ab impoſitione manuum, & cauſis illius impoſitionis egregiè confirmat, & illuſtrat Hugo à S. Victore *tract.5.* Summæ ſententiarum *cap.* 8. de Hæreticorum receptione diſſerens, *Ideò cùm ad Eccleſiam veniunt, inſtruuntur de fide; & per manus impoſitionem accipiunt Spiritum ſanctum. Manus impoſitio aliquando unctione chriſmatis fit, aliquando ſine chriſmate, oratione dicta ſuper hominem. De illis, qui ab Hæreticis baptizantur neſcientes eos Hæreticos eſſe, & in nullo eorum errori conſentientes, poteſt, dici quòd Sacramentum, & rem Sacramenti ſuſcipiunt, & tamen cùm ad Eccleſiam veniunt, manus ſuperimponitur eis, ut oſtendatur error deteſtari*. In Eccleſiam recipi cum manus impoſitione juncta ejerationi hæreſeos, vel ſchiſmatis, ut omnibus Hæreticis, & Schiſmaticis erat ſolemne, infamiæ genus erat: ſceleſtiſſimæ enim doctrinæ profeſſionem aliquando factam hoc arguebat, quod certè non poterat non eſſe dedecorum. Quapropter illis genuflexis imponebatur manus, non ſimpliciter, ut Spiritus S. perfectionem, quam baptiſmus non communicat, obtinerent, ſed ut errore anathematizato gratia baptiſmi, cujus propter hæreſim capaces non fuerant, ſimul cum ipſius perfectione illius communicaretur. Ejuſmodi manus impoſitio, veluti pœnitentialis, infamiam ſecum inſerebat, ut ex Optat. *lib.* 2. jam demonſtravimus.

XXIII. Difficultas ex dictis oritur, quam Lectori exponam, licèt ei ſatisfacere non poſſim. Mentem ſtatim ſubit, Quamobrem Eccleſiæ Gallicæ, Hiſpanicæ, & Africanæ Donatiſtarum chriſmationem ratam habuerunt; non autem aliorum Hæreticorum? Dici non poteſt quamlibet Chriſmationem repeti non poſſe, quod velut ab omnibus conſeſſum aſſumit Concilium Tolet. 8. *cap.* 7. ſed hoc facilè de Chriſmatione Catholica intelligi poteſt. Si enim repeti non poteſt, cur in aliis Hæreticis repetita eſt? Forſan id factum eſt in favorem Donatiſtarum, qui primùm nec Hæretici, nec propriè Schiſmatici fuerant, ſed in eorum numero, quos S. Baſilius *cap.1.* primæ Epiſtolæ ad Amphiloc. vocat *παρασυναγωγὰς*, illegitimos conventus, qui propter morum diſciplinam ab Eccleſia ſeſe dividunt, ſibique caput præficiunt, qui poſteà redeuntes, ut ait idem Baſilius, & pœnitentia caſtigati, non modo admittuntur; ſed etiam propriis gradibus reſtituuntur. Cùm igitur à Catholicis nullomodo differant, ſola manus impoſitione, qua ipſis daretur Spiritus S. ad receptionem opus fuit ob rationes jam ſæpiùs explicatas. Deinde omnis iſta recipiendorum Hæreticorum diſciplina ab Eccleſiæ prudentia pendet, quæ topicis rationibus innixa variè iſta diſpenſat. Ita nobis nunc videtur, donec aliquid melius occurrerit, aut alius docuerit.

XXIV. Hinc lux affulget S. Innocentii effato *Epiſt.18. c.3.* Scilicet Hæreticos per manus impoſitionem receptos, ſub imagine Pœnitentiæ recipi; ut ex eo effato, quæ jam dicta ſunt, de manus impoſitione illuſtrantur. *Arianos cæteraſque ejuſmodi peſtes*, inquit Innocentius, *quia eorum Laicos converſos ad Dominum ſub imagine Pœnitentiæ, ac Sancti Spiritus ſanctificatione per manus impoſitionem ſuſcipimus, non videtur, Clericos eorum cùm Sacerdotii, aut miniſterii cujuſpiam dignitate ſuſcipi debere*. Et paulò poſt, *Quomodo fieri poteſt, ut eorum prophanos Sacerdotes dignos Chriſti honoribus arbitremur, quorum Laicos imperfectos, ut dixi, ad ſancti Spiritus percipiendam gratiam cum Pœnitentiæ imagine recipimus?* Sub imagine Pœnitentiæ recipiuntur, eo quod illa manus impoſitio, ut dicunt S. Auguſtinus, & Hugo, in erroris deteſtationem, & Pœnitentiam, veritatiſque profeſſionem celebratur. Sed perſpicuè admodum Lectori patebit, & quare Innocentius impoſitionem illam manuum vocaverit imaginem Pœnitentiæ, & quare Sanctus Auguſtinus dixerit Hæreticum, ſi illa non adhiberetur, ſe extra culpam eſſe judicaturum, modò differentia rituum, quibus manus impoſitio in Spiritum ſanctum Hæretico reſipiſcenti adminiſtrabatur ab iis, quibus eadem manus impoſitio fidelibus poſt ſuſceptum baptiſmum, in memoriam revocetur. Cùm fidelis confirmabatur, nihil adhibebatur, quod imaginem, aut umbram gereret Pœnitentiæ, Manus erat illi impoſita, dum Spiritus ſancti ſeptiformis gratia ſuper eum invocabatur; Deinde frons chriſmate ungebatur; & in illa actione, quædam verba pronuntiabat Epiſcopus, & ſigillationi, & dono Spiritus ſancti accommodata. Denique gratiarum actio Deo agebatur. Sed cùm Hæreticus ad Eccleſiam revertens confirmabatur, omnia propè erant ad luctuoſæ Pœnitentiæ imaginem comparata. Primùm publicè in Eccleſia errorem humillimè confitebatur, & anathematizabat: Plures interrogationes de hæreſi abjuranda, velut totidem exorciſmi, illi proponebantur, & ſingulis reſpondere tenebatur, abjuro; aut verba ſimilia: Conſtantiam in fide quam amplectebatur, juramento pollicebatur: poſtea aliquot dierum jejunia illi imponebantur, atque ut Eccleſiam certis horis manè, & veſperi frequentaret, monebatur. Intereà fidelium adſtantium precibus, non ſecus, ac Pœnitentia abſolvendi, adjuvabatur. Denique manuum impoſitioni dum Spiritus ſanctus invocabatur, genibus flexis, & capite incurvato ſubjacebat. Meritò igitur dixit S. Auguſtinus, manus impoſitionem Hæreticum, cùm in Eccleſiam admittitur, erroris arguere; & Innocentius, ſub imagine Pœnitentiæ recipi. In Innocentii prætereà verbis notatione dignum eſt Clericos ſic receptos, ob imaginem Pœnitentiæ priſtino miniſterio non eſſe reſtituendos. Scitum eſt, & pluribus *lib.* 4. demonſtratum, Clericos poſt Pœnitentiam illis temporibus, eo privilegio frui non ſolitos. Idem vult in illis propter imaginem Pœnitentiæ, cum qua admiſſi ſunt, obſervari.

C A-

Digitized by Google

CAPUT XII.

Neſtorianos, Eutychianos, alioſque poſteà exortos Hæreticos, ejerata hæreſi per ſolam fidei profeſſionem in Eccleſiam admiſſos, ſacræque communioni, & dignitatibus Eccleſiaſticis, ſi quas habebant, reſtitutos eſſe, multis demonſtratur. Eadem gratia Pelagianis indulta. Sic Iconoclaſtas Concilia receperunt. Si fraus, aut aliud præter hæreſim grave crimen notum erat, gravi Pœnitentia punitos, & purgatos fuiſſe.

HActenus quatuor, quæ ad Hæreticorum cum Eccleſia reconciliationem ſpectant, enarrata ſunt. Primum, Hæreticos in Eccleſia baptizatos ad eam revertentes per manus impoſitionem in Pœnitentiam admiſſos fuiſſe, brevem quidem, niſi aliorum gravium criminum ſeſe accuſaſſent, aut publicè convicti fuiſſent: Nonnulla tamen eorum genera ſpeciali, cum cautela examinata, & admiſſa fuiſſe. Secundum, qua ratione Hæreticos extra Eccleſiam validè baptizatos, & reſipiſcentes Orientalis Eccleſia ſuſceperit. Tertium, qua ratione Occidentalis Eccleſia idem præſtiterit, & quas varietates in eo ritu admiſerit. Denique graves difficultates ex dictis emergentes explicatæ ſunt, diſſolutæ, aut ſaltem mollitæ. Quintus ſupereſt Hæreticos admittendi modus à nobis apud antiquos animadverſus, præcedentibus tamen recentior, cujus antiquiſſimi auctores mentionem non faciunt. Hic videtur Confirmationem ab Hæreticis datam vel non improbare; vel ea, propter Eccleſiæ pacem, & faciliorem reconciliationem prætérita, nec improbata, ſed in medio relicta, rationem admiſſionis minus gravem, & dedecoram tradere. Prudentiſſima Eccleſia novis morbis novas procuravit medicinas, poſteriores ut plurimùm prioribus minus aſperas, ne ignem gladio foderet, & pia mater filios aliquando variis animi perturbationibus cæcos, & ideò forſan edicto juſtam pœnam inſerenti non audituros exocularet. Verum de hac œconomia Eccleſiaſtica pluribus, cum quintum illum modum, quantum per antiqua monumenta licet, explicaverimus.

II. Eadem omnia antiqua Euchologia, de quibus *cap. nono*, hunc recentiorum Hereticorum recipiendorum modum in fine addebant, quem à ſuperioribus diviſum hoc loco inſerendum duximus. *Νεϛοριανοὺς δὲ καὶ Εὐτυχιανιστὰς χρὴ ποιεῖν λιβέλλους, καὶ ἀναθεματίζειν τὴν αἵρεσιν, καὶ Νεϛόριον, καὶ Εὐτυχέα, καὶ Διόσκορον, καὶ Σεβῆρον, καὶ τοὺς φρονοῦντας τὰ αὐτῶν, καὶ πάσας τὰς προαναφερομένας αἱρέσεις, καὶ μεταλαμβάνειν τῆς ἁγίας κοινωνίας. Neſtorianos, & Eutychianos libellos conſcribere oportet, & hæreſim anathematizare, ſimul cum Neſtorio, Eutyche, Dioſcoro, & Severo, & eadem quæ ipſi ſentientibus, necnon omnibus ſupra relatis hæreſibus, & poſteà ſanctæ communionis fieri participes.* Hanc additionem eſſe plurimùm antiquam demonſtrat Concilium in Trullo *cap.* 95. quod etiam hanc ipſiſſimam addit iis, quæ ex Concilio ſecundo generali de Hæreticorum reconciliatione exſcripſerat. Huic etiam teſtimonium cum approbatione reddit Sanctus Gregorius, qui Concilium illud multis annis præceſſit *lib.* 9. *Epiſt.* ad Quirinum 61. jam citata, *Ab antiqua Patrum inſtitutione didicimus, ut qui apud hæreſim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad ſanctam Eccleſiam redeunt, aut unctione chriſmatis, aut impoſitione manus, aut ſola profeſſione fidei ad ſinum matris Eccleſiæ revocentur. Unde Arianos, &c.* De his jam diximus, *Monophyſitas verò, & alios ex ſola vera Confeſſione ſuſcipis.* Sic etiam Neſtorianos eſſe recipiendos docet, ſed nonnullis adnotatis, eo quòd de Neſtorianis tantùm quæſtionem propoſuerat Quirinus. Jubet igitur eos inſtitui, & interrogari de unitate perſonæ in Chriſto, & poſtquam hoc multis enarravit, tandem colligit, *Hanc ergo nativitatis ejus veritatem, quicumque à perverſo errore Neſtorii revertuntur, coram ſanctæ fraternitatis veſtræ congregatione fateantur; eundem Neſtorium cum omnibus ſequacibus ſuis, & reliquas hæreſes anathematizantes. Venerandas quoque Synodos quas univerſalis Eccleſia recipit, ſe recipere, & venerari promittant, & abſque ulla dubitatione eos ſua ſanctitas veſtra ſervatis eis propriis ordinibus in ſuo cœtu recipiat.*

III. Quintus igitur ille modus ab aliis differt, quod quæ alii ſuper inducunt, hic excludit, Omnes enim profeſſionem fidei, & hæreſis anathematizationem ante alios ritus poſtulant, ſed hic ſolam illam fidei profeſſionem, & hæreſis anathematizationem admittit, ut ex antedictis neceſſariò colligitur. Sit igitur octava propoſitio, *Neſtoriani, Eutychiani, Severiani, Acephali, & variæ eorum ſectæ, Monothelitæ, Iconoclaſtæ, aliique ſimiles Hæretici poſt Concilium tertium generale exorti, per ſolum fidei profeſſionem, & Hæreſis ejerationem in Eccleſiam admiſſi ſunt, ſacraque communione donati, & dignitatibus Eccleſiaſticis, ſi quas nacti fuerant, reſtituti.* Dixit Sanctus Gregorius hanc recipiendi Hæreticos rationem ab antiqua Patrum inſtitutione didiciſſe. Si tantiſper in hanc aſſertionem inquiramus, veriſſimam eſſe deprehendemus. Ut igitur in aliis reconciliationum modis præſtitimus, in hoc etiam præſtemus, id eſt, quid prima antiquitas, & S. Gregorii Prædeceſſores ſtatuerint, inveſtigemus.

IV. Sic eſt initio iſtarum hæreſeon ab univerſa Eccleſia ſtatutum. Nihil enim ultrà requirit S. Leo ad Eutychianorum, & Neſtorianorum reconciliationem, licèt de ea ſæpius verba faciat. Sic *Epiſtola* 10. *cap.* 6. *de Eutyche ad Flavianum, Si fideliter, atque utiliter dolet, & quam rectè mota ſit Epiſcopalis auctoritas, vel ſerò cognoſcit; vel ſi ad ſatisfactionis plenitudinem omnia, quæ ab eo malè ſunt ſenſa, viva voce, & præſenti ſubſcriptione damnaverit, non erit reprehenſibilis erga correctum quantacumque miſeratio.* Et in fine Epiſtolæ ad Theodoſium Auguſtum de eodem Eutyche reſcribens, *Si ipſe, qui in hanc tentationem incidit, reſipiſcat, ita ut per libellorum ſatisfactionem proprium damnet errorem, communio ei ſui ordinis reformetur.* Vult Leo ſi errori Eutyches renuntiet, eum non modo ſtatim communioni Laicæ reſtitui, ſed etiam Eccleſiaſticæ.

V. Mirum magis videri poteſt, quod ſcribit *Epiſtola* 51. ad Pulcheriam Auguſtam ante Concilium Chalcedonenſe, ſed poſt Concilium ſecundum Epheſinum, in quo Eutychiana factio prævaluit. Eſt enim conſideratione, & imitatione digna Oeconomia, & facilitas, qua ſe gerit erga ipſos Hæreticorum Anteſignanos, qui ut plurimùm ab Ordinariis regulis excipiuntur. Perpendendæ quoque rationes, quæ Leonem in hanc reconciliationis facilitatem inclinarunt. *Quamvis incomparabiliter inimiciſſimam Chriſtianæ religioni hæreſim deteſtemur, ipſos tamen ſi corrigantur, & digna ſatisfactione ſe purificent, ab ineffabili miſericordia Dei non judicamus alienos; ſed potiùs cum gementibus gemimus, cum flentibus flemus; & ſic utimur juſtitia commotionis, ut non amittamus remedia charitatis. Quod ſicut pietas veſtra cognoſcit, non verbis ſolis promittitur, ſed etiam factis docetur. Siquidem penes omnes, qui in conſenſum Præſidentium aut traducti fuerant, aut coacti, reſcindendo quod ſtatutum fuerat ab illis, & condemnando quod ſcripſerant, perpetuam culpæ abolitionem, & Apoſtolicæ pacis gratiam ſunt adepti.* Nullam aliam ſatisfactionem ab eis exigit quàm fidei profeſſionem, & Hæreticorum anathematizationem, qua præeunte non modò communioni corporis Chriſti ſtatim eos reſtituit, ſed etiam ordinum ſuorum functioni. Pergit S. Leo. *Si ergo clementia veſtra propoſitum noſtrum conſiderare dignetur, probabit me conſilio cuncta geſſiſſe, ut ſine cujuſquam animæ detrimento, hæreſeos tantùm obtineretur extinctio, & ob circa auctores ſæviſſimorum turbinum quiddam conſuetudinis minuiſſe, ut ad indulgentiam poſtulandam compunctione aliqua poſſit eorum tarditas excitari. Qui & ſi poſt illud judicium ſuum tam impium, quàm injuſtum non ſunt Catholicæ fraternitati ita honorabiles, ut fuerant, ſuas tamen adhuc obtinent ſedes, & Epiſcopatus ſui honore potiuntur.* Ipſius auctoribus parcitur, nullaque ab iis Pœnitentia exterior, & publica exigitur, id ſolùm poſcitur, ut publicè, & toto corde hæreſim, & Hæreticos diris devoveant. An verò id toto corde faciant, ipſis aſſerentibus creditur, ſtatimque non modò communio, ſed & dignitas Eccleſiaſtica illis reſtituuntur. Vides modum, rationemque reconciliationis in Eccleſiæ poteſtate reſidere, hancque moderari prout æquum, juſtumque cenſet.

VI. Multa hujus rei exempla leguntur in Concilio Chalcedonenſi: Non enim Epiſcopi, qui ſederant in latrocinio Epheſino inclementiùs in Chalcedonenſi Concilio ſuſcepti ſunt. Satis ſit aliquid referre de Theodoreti reconciliatione ex octava actione illius Concilii. *Non ſolùm*, inquit, *Neſtorium, & Eutychen, ſed & omnem hominem, qui rectè non ſapit, averſor, & alienum exiſtimo. Et dum diceret, reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt. Clarè dic anathema Neſtorio, & dogmatibus ejus, &c.* Quum tergiverſaretur Theodoretus, & ſuam fidem exponere vellet, *Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt, iſte Hæreticus eſt, iſte Neſtorianus eſt. Hæreticum foras mitte. Theodoretus Reverend. Epiſcopus dixit; Anathema Neſtorio, & ei, qui non dicit Dei Genitricem Virginem Mariam, &c.* Hæc cum audiſſent Judices Cæſarei dixerunt, *Omnis jam dubitatio de Theodoreto reverend. eſt ſoluta: quippe & Neſtorium coram nobis anathematizavit, & à ſanctiſſimo, & Deo amantiſſ. Archiepiſcopo ſenioris urbis Romæ Leone ſuſceptus eſt, & diffinitionem fidei à religioſitate veſtra prolatam libenter ſuſcepit, & inſuper Epiſtolæ memorati ſancti Archiepiſcopi ſuſcripſit. Deeſt igitur, ut ſententia proferatur à*

Deo

Deo amabili ſanctitate veſtra, ut Eccleſiam ſuam recipiat, ſicut & ſanctiſſimus Leo Archiepiſcopus judicavit. Omnes reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt, Theodoretus dignus eſt ſede Eccleſiæ. Orthodoxum Eccleſia paſtorem recipiat, Orthodoxum Doctorem Eccleſia recipiat, &c. Recipiuntur, verùm non ut ſeculo præterito ad communionem Laicam, ſed ad communionem Eccleſiaſticam, qua ante hæreſim potiti fuerant. Sequitur Concilium, vel potiùs executioni mandat, ſententiam à Pontifice Romano anteà pronuntiatam. Tantę enim clementiæ auctor fuerat Leo.

VII. Obiter adnotabo, Pelagianos, & Cæleſtianos eodem modo Eccleſiæ reconciliatos fuiſſe, ut auctor eſt idem Pontifex *Epiſt.86.* Nonnulli Epiſcopi, ut Nicetas Aquilejenſis Epiſcopus, eos nulla hæreſis ejeratione facta, & fidei profeſſione edita ad Eccleſiam admittebant; & volentes Eccleſiæ conjungi nulla alia inquiſitione præcedente amplectebantur. In hanc diſciplinæ depravationem animosè invehitur Pontifex: *Ne ergo hoc ulteriùs audiatur, neve per quorundam negligentiam introducta pernicies ad everſionem multarum tendat animarum, hac noſtri auctoritate præcepti, induſtriæ tuæ fraternitatis indicimus, ut congregata apud vos Synodo Provincialium Sacerdotum, omnes ſive Presbyteri, ſive Diaconi, ſive cujuſque ordinis Clerici, qui de Pelagianorum, Cæleſtianorumque conſortio in communionem Catholicam ea imprudentia ſunt recepti, ut nō priùs ad damnationem ſui coarctarentur erroris, nunc ſaltem poſteàquam hypocriſis eorum ex quadam parte detegitur, ad veram correctionē, quę & ipſis prodeſſe, & nullis poſſit nocere cogantur. Damnent apertis profeſſionibus ſui ſuperbi erroris auctores, & quidquid in doctrina eorum univerſalis Eccleſia exhorruit, deteſtentur, &c.* Et poſt multa in hanc rem ſic ſermonem ſuum concludit, *Qui correctos ſe videri volunt, ab omni ſuſpicione ſe purgent; & obediendo nobis probent ſe eſſe noſtros. Quorum ſi quiſquam ſaluberibus pręceptis ſatisfacere detrectarit, ſive ille Clericus, ſive ſit Laicus, ab Eccleſię ſocietate pellatur, ne perditor animę ſuę ſaluti inſidietur alienę.* Nihil ab iis præter iſta requirebant.

VIII. Timotheus Presbyter *cap.8.* jam relatus tertium recipiendi Hæreticos modum ſic enarrat, *Qui neque inunguntur, neque baptizantur, ſed ſuam, & omnem hereſim anathematizant, ſunt ii, Meletiani Schiſmatici, qui à Meletio Schiſmatico orti ſunt: Hi quidem non habent malam opinionem, ſed proprium Schiſma anathematizant. Neſtoriani, Eutychianiſtę, & eorum ſocius Dioſcorus, Severus, Jacobus, & reliqui Acephali. Marcianiſtæ, qui à Marciano Trapezita, Meſſaliani, qui etiam Euchitæ, & Enthuſiaſtæ, & Chorentæ, Lamptiani, Adelphiani, & Euſtathiani, Apoſchiſtæ qui & Doxarii, & Anthropoſcoptæ.* Cùm ſcribebat ille, plurimi, ut vides, Hæretici hac ratione admittebantur. Quando vixerit difficile dictu eſt. Certum videtur poſt Concilium in Trullo ſcripſiſſe, atque ante Iconoclaſtarum hæreſim. Priùs, eo quòd teſtetur ſuo tempore recipiendi Hæreticos rationem in majoribus Eccleſiis ceſſaſſe, & ſecundam tantùm uſurpari. Sic enim poſt verba citata. *Jam verò videmus in magnis, & univerſalibus Eccleſiis, ſeu Patriarchatibus, & Metropolibus, & reliquis, quod & Armenios, & Jacobitas, & Neſtorianos, reliquos Acephalos, & quicunque eis ſimiles ad fidem orthodoxam convertuntur, inungunt, & non baptizant, eorum ſolùm Duces, auctoreſque anathematizantes, & hoc propter juſtas cauſas nuper neceſſariò conſtitutum eſt.* Exempla antiquioris admiſſionis nonnulla leguntur apud Joannem Moſchum in prato ſpirituali *cap.26.c.36.c.48. & 49.* fuit autem auctor ille S. Gregorio coætaneus, ſed multò junior. Illis locis videbis, Neſtorianos, & Eutychianos poſt editam fidei profeſſionem, & hæreſis anathematizationem, ſtatim communione Euchariſtica donatos, nulla unctionis mentione facta. Unde manifeſtum eſt, auctorem iſtum multò eſſe juniorem, quàm aliqui exiſtiment. Ante autem Iconoclaſtarum hæreſim ſcripſiſſe hinc perſpicuum videtur, quod eorum non meminerit.

IX. Theodorus ſtudita in Epiſtola ad Naucratium jam citata de receptione Hæreticorum eodem modo reſpondet tribus modis recipi, & tertium, de quo nunc agitur, talem eſſe, *Qui verò nec baptizantur, nec unguntur, ſed ſolùm propriam, & omnem aliam hæreſim anathematizant, Meletiani, Eutychianiſtæ, & qui ſunt ejuſdem ordinis uſque ad hæreſim, quæ hic eſt, à me in præſentia non numerati, &c.* Poſtremis verbis Iconoclaſtas intelligit, qui tum Eccleſiam perturbabant maximè, & Theodoro negotia multa, & aſpera faceſſebant. Ordinem recipiendorum Hæreticorum iterùm perſpicuè, & breviter enarrat in Epiſtola ad Stephanum, quam ex manuſcripto Cardinalis Baronius ad annum 787. poſt medium, in qua Simoniam ait eſſe cauſam diſſenſionis ſuæ cum Taraſio Patriarcha, *Quidnam fuit, quod nos diſſentire fecit à Taraſio? fides? Atqui palàm quidem Orthodoxus erat, ſacras Synodos ſequebatur, & cum aliis Patriarchis conſentiebat, & maximum anteà pro fide certamen ſuſtinuerat. Eorumne cauſa, qui ab hæreſi redierant, ſuſceptio? At non ab illo hæc primùm inventa, cùm à ſanctis Patribus triplici modo ſuſcepti fuerint, vel repetito baptiſmo, ut Pepuziani; vel per unctionem, ut Ariani, vel per propriæ opinionis deteſtationem, ut Neſtoriani.* Vulgatiſſimus igitur erat ille recipiendi Hæreticos modus.

X. Hujus praxis nonnulla ſunt exempla inſignia actione tertia Concilii ſeptimi, in qua non modò Epiſcopis Hæreticis poſt fidei profeſſionem parcitum eſt, verùmetiam iis priſtina dignitas reſtituta. Actione prima ejuſdem Concilii theſis propoſita fuerat, & auctoritate Conciliorum univerſalium, quarti, quinti, & ſexti, Sanctorumque Athanaſii, Baſilii, & Sabæ auctoritate, & facto demonſtrata. Unde tandem infert Taraſius Patriarcha, *Quid eſt igitur, quod hæſitamus, & præbemus noſmetipſos difficiles, quominus ex ordinatione canonica, & Sanctorum Patrum diligentia, & Synodicis juſſionibus, quę redeuntes ab hęreſi qualibet, recipiunt, & nos admittamus? Sancta Synodus dixit, ſic eſt revera, niſi tamen canonica ſubſit cauſa, quæ impedimento ſit.* Solùm enim hæreſes, vel ſchiſmatis crimen ab Eccleſia benignè dimittebatur. Sed alia crimina, vel quæ Pęnitentiam publicam, vel quæ irregularitatem inferebant, non dimittebat. Poſteà hoc demonſtrant exemplo Anatolii Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui licèt ab ipſo Dioſcoro Hæreticorum Corypheo, Eutyche præſente, hæreſeos auctore ordinatus fuerit, non modò tamen in Patriarchali dignitate confirmatus eſt, ſed etiam, ut ait Taraſius, quarti Concilii princeps fuit. Deinde aliis ab eo prolatis argumentis, *Sancta Synodus dixit; Sanè, Domine, ſatis ſumus inſtructi, & ſunt recipiendi.* Addit nihilominus Taraſius plurimos ſextæ Synodi præſides à Sergio, Pyrrho, Paulo, & Petro Monothelitarum capitibus ordinatos, hęreſimque illam annis quinquaginta viguiſſe, & ſextam Synodum quatuor illis tantum anathema, aliorum verò ordinationes illibatas dimiſiſſe? Denique concludit Conſtantinus Conſtantiæ Cypri Epiſcopus, *Satis jam videtur mihi confirmatum, eos, qui ab Hęreticis ordinati ſunt, recipiendos: ſi qui verò deſtinato animo ad Hęreticos ſe contulerit, ab eiſque ordinatus fuerit, eum utquaquam recipiendum.* Nam, ut ajunt Juriſconſulti, fraus nemini patrocinari debet.

XI. Inter Hæreticos jam commemoratos nonnulli potuerunt eſſe & in Eccleſia baptizati, & in ea ordinati, qui per Pœnitentiam, non per nudam fidei profeſſionem admittebantur. Exempla hujus exceptionis leguntur in Epiſtola quadam, quam Theodorus ſcripſit ad Naucratium, à Cardinale Baronio ex codice manuſcripto relatam ad annum 816. In ea docet, quoſdam homines, ſive Laici, ſive Monachi, ſive Clerici ſint, non eſſe ſine Pœnitentia recipiendos, ſed diu à communione arcendos, donec ſcilicet dignos Pęnitentiæ fructus demonſtraverint. *Non ſicut, qui ab hęreſi convertuntur, recipiendi ſunt iſti, quanquam, & illic quoque non leve diſcrimen ſit hujus ad illam; ſed tanquam qui nomen Dei abnegaverint, vel ad ejus abnegationem Chriſtomachis communicaverint.* Clericos autem poſt Pęnitentiam non vult gradibus ſuis reſtitui. Horum Lectorem admonuiſſe ſufficiat.

CAPUT XIII.

Varię difficultates explicantur, & emolliuntur. Baptiſmus in hęreſi ſuſceptus vim emundandi exerit, cum manus in Spiritum ſanctum imponitur, aut verę fidei profeſſio editur. Per reviviſcentiam baptiſmi peccata, uſque ad eam in Hęreſi commiſſa remittuntur. Reviviſcentiam virtutis baptiſmi de eo tantùm intellexerunt Patres, qui extra Eccleſiam ſuſceptus eſt; & quamobrem. Diſtinctionem baptiſmi in Eccleſia, & extra Eccleſiam dati, hac in cauſa diligenter obſervavit S. Auguſtinus. Baptiſmus in Eccleſia cum fictione ſuſceptus, per Pœnitentiam, quæ alter eſt baptiſmus reparatur, & quare. S. Auguſtini locus explicatur. Nonnulli inſignes Theologi hanc ſententiam amplectuntur. Varia conſectanea, quæ Scholaſticorum quorundam placita confirmant, aliorum infirmant. Quæritur, quamobrem Eccleſia tam variis modis extra ſinum ſuum baptizatos reconciliaverit, atque etiam eoſdem variis temporibus variè. His in rebus maxima eſt Eccleſiæ auctoritas, & Deo accepta. Scholaſtici teſtantur quidquid de hac re diſputatur, probabiliter tantùm aſſeri.

NOvæ difficultates, & momentoſæ ex dictis oriuntur, quas pro ingenii noſtri mediocritate juxta Sanctorum doctrinam evolvere, & expedire conabimur. An rebus obſcuris aliquid lucis ſit à nobis additum; an verò majore voluntate quàm

Digitized by Google

quàm facultate hoc aggrediamur, penes Lectorem eſto judicium, *Ἀρκεῖ δ' ἐν μεγάλοις καὶ τὸ θέλημα μόνον*. Tres difficultates ſeſe nobis obvias ferunt. Prima, quo fundamento fulti Sancti Patres tantùm publicæ hæreſeos deteſtationi, & veritatis profeſſioni tribuerunt, ut ea ſola præeunte Hæreticos Euchariſticæ communioni, & ſi Clerici eſſent, etiam Eccleſiaſticæ reſtituerint? Hoc nos docet S. Gregorius *lib.9. Epiſt.61.* immediatè poſt verba capite præcedente citata, *Monophyſitas verò, & alios ex ſola vera Confeſſione recipit; quia ſanctum baptiſma, quod ſuat apud Hæreticos conſecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cùm vel illi per impoſitionem manus Spiritum ſanctum acceperint, vel iſti propter profeſſionem veræ fidei ſanctæ, & univerſalis Eccleſiæ viſceribus fuerint uniti.* Unde igitur tanta virtus in profeſſione fidei ab Hæretico extra Eccleſiam baptizato edita? A baptiſmi virtute proficiſcitur, qui vires ſuas ab hæreſi retuſas, ſuſpenſas, & cohibitas tum primùm exerit, & in hominem ſchiſmate purgatum, velut repagulis perfractis, & avulſis, dona ſua diffundit, & exonerat. Longè igitur alia ratio eſt, ſecundùm Sanctum Gregorium, & S. Auguſtinum, quem mox referemus, Hæretici in Eccleſia, & Hæretici extra Eccleſiam baptizati. Ille enim ad Eccleſiam revertens alio modo, quàm per ſolam fidei profeſſionem reconciliari debet, ut illius crimina deleantur. Virtus enim illa baptiſmi valentiſſima bis non operatur: Semel autem in eo, de quo loquimur, operata eſt, eo quòd cùm eſſet Catholicus, præſumitur nullum impedimentum illius efficaciæ oppoſuiſſe. Non poteſt igitur iterùm per profeſſionem fidei ſuſcitari, & reviviſcere baptiſmi virtus: Eſt enim per hæreſim ſubſequentem extincta, per antecedentem verò fuerat tantùm ſuſpenſa, & retardata. Ideò per Pœnitentiam, quæ eſt alterum baptiſma ſecundum Patrum doctrinam *c. 7. & 8.* traditam, reconciliandus eſt. Hic verò, in quem propter hæreſim, in qua baptizatus eſt, baptiſmus exerere, & effundere vires ſuas non potuit, obice per profeſſionem fidei, aut manus impoſitionem in Spiritum ſanctum, remoto, gratiarum baptiſmalium largitatem ſuſcipit, & iis cumulatur.

II. Hanc doctrinam longè anteà, & ſæpiùs docuerat Sanctus Auguſtinus contra Donatiſtas diſputans, ut *cap. 13. lib.3. de baptiſmo, Si autem, quamvis apud Hæreticos, vel Schiſmaticos idem ſit baptiſmus Chriſti, non tamen ibi operatur remiſſionem peccatorum propter eandem diſcordiæ fœditatem, & diſſenſionis iniquitatem, tunc incipit valere idem baptiſmus ad dimittenda peccata, cùm ad Eccleſiæ pacem venerint, non ut jam dimiſſa non retineantur, neque ut ille baptiſmus, quaſi alienus, aut alias improbetur, ut alter tradatur: ſed ut idem ipſe, qui propter diſcordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur ſalutem.* Similia *cap.18.* ejuſdem libri, & *lib.2. contra Creſconium c.12. & lib.1. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 12. Ita intelligant in communionibus ab Eccleſia ſeparatis poſſe homines baptizari, ubi Chriſti baptiſmus eadem Sacramenti celebratione datur, & ſumitur; qui tamen tunc proſit ad remiſſionem peccatorum, cum quis reconciliatus unitati, ſacrilegio diſſenſionis exuitur, quo ejus peccata tenebantur, & dimitti non ſinebantur.* Et paulò poſt pluribus idem repetit. Eadem iterùm paucis verbis, ſed non minus evidenter *c.5. lib.6. ideò ſi ab illa perverſitate correctus, & à ſeparatione converſus veneris ad Catholicam pacem, ſub eodem baptiſmate, quod acceperat, ejus peccata dimittuntur propter vinculum charitatis, ſub quo baptiſmate peccata ejus tenebantur propter ſacrilegium diviſionis.* Eundem effectum charitati poſtmodum advenienti tribuit auctor tractatus de Paſſione Chriſti apud Cyprianum, ubi ad finem ſcribit, *Et licèt indigni ſint, qui accipiunt, Sacramentorum tamen reverentia & propinquiorem ad Deum parat acceſſum, & ubi redierint ad cor, conſtat ablutionis donum, & redit effectus munerum; nec aliàs quæri, aut repeti neceſſe eſt ſalutiferum Sacramentum.* Auctoris ſcopus eſt, eo loco obiter perſtringere Donatiſtas aſſerentes baptiſmum ab Hæreticis ſuſceptum eſſe repetendum, quod negat fieri debere, licèt ipſe ſuſcipiens eo munere ſit indignus. Sed quidquid ſit, effectuum baptiſmi reditum, & reviveſcentiam ſinceræ reſipiſcentiæ evidentiſſimè vindicat.

III. Secunda difficultas ex præcedente multipliciter oritur. Multa docent Theologi Scholaſtici de baptiſmo, cum fictione ipſum non fruſtrante ſuſcepto, atque ideò vires ſuas, cum illa recedit exerente, quorum aut non meminit Auguſtinus, aut eo modò meminit, qui difficile poteſt cum ipſorum dictatis conciliari. Primùm illi ita philoſophantur de reviviſcentia effectuum baptiſmi per fictionis receſſionem, ut eam ad ea peccata tantùm extendant, quæ baptiſmum præcedunt, vel concomitantur, multaque ſubtiliter de ipſa fictione, & criminum cum baptiſmo concurſu diſputant, an neceſſe ſit ea confiteri, an verò per baptiſmi convaleſcentiam remittantur. Videtur maxima pars conſentire, virtutem baptiſmi reviviſcentis ad crimina ipſum ſecuta, quidquid ſit de concomitantibus, diffundi non poſſe. Verùm S. Auguſtinus, & antiqui Patres omnes videntur virtutem illam ex æquo in peccata præcedentia Baptiſmum, & conſequentia diffundere, donec Hæreticus Schiſmate ejurato per veram charitatem Eccleſiæ fuerit unitus, & inſertus. Licèt enim Patres permulti, non tantùm Auguſtinus, ut Scholaſtici communiter opinantur, de hac re verba faciant, nunquam tamen diſtinguunt crimina præcedentia Baptiſmum ab iis, quæ ſequuntur, ſed utraque indiſcriminatim ad fidei uſque Profeſſionem, & veram converſionem complectuntur.

IV. Deinde antiqui Patres hoc tantùm aſſerunt de Hæreticis, & Schiſmaticis extra Eccleſiam validè baptizatis. In his volunt baptiſmum vires ſuas reſumere, & effectum ſalutarem producere, cùm converſi hæreſim ſincerè abjurant, & ad fidei profeſſionem emittentes Eccleſiæ incorporantur, & reconciliantur: vel cùm manus illis in Spiritum ſanctum imponuntur, aut etiam unguntur. Eos verò, qui in Eccleſia baptizati ab ea defecerunt, & poſtmodum redeunt, per Sacramentum Pœnitentiæ recipiunt, non per ſolam fidei profeſſionem. At Scholaſtici Doctores de Hæreticis nunquam mentionem faciunt, ſed de iis in genere, qui ficti ad baptiſmum accedunt, de quibus ſi Hæreticos excipias, ne verbum quidem Patres. Nec erat illis neceſſe axioma ſuum de Baptiſmi *ἀναζωπυρήσεως*, & reviviſcentia in Catholicos, ſive in Eccleſia baptizatos diffundere, cùm eos per Pœnitentiæ Sacramentum admitterent. Pœnitentiæ autem ſecundùm canones peractæ effectus cenſebatur idem qui & baptiſmi, ut etiam docet Concilium Tridentinum *ſeſſ.14. c.2.* Itaque ſi ad alios quàm ad ejuſmodi Hæreticos hunc baptiſmi effectum extendiſſent, praxis eorum non ſibi conſtitiſſet.

V. Præterea Lectorem conſiderare velim hoc diſcrimen perpetuum, quod eſt inter baptiſmum in Eccleſia datum, & eundem ab Hæreticis collatum. Baptiſmus in Eccleſia datus præſumitur ſemper non modo validus, hoc enim illi commune eſt cum Hæreticorum baptiſmo, ſed etiam ſalutaris, & efficax: Præſumitur enim benè diſpoſito legitimè datus. Si aliter fiat, id præter mentem Eccleſiæ contingit, omnemque, quam poteſt, dat operam, ut id nunquam contingat. Ideò Adultos in Catechumenatu diu detinebat, eorum mores, actioneſque omnes obſervabat, variis orationibus, exorciſmis, & jejuniis purgabat, innumeraque alia præſtabat, quæ ſingula recenſere non eſt hujus loci, ut à nemine decepta, ſingulos ad baptiſmum idoneos redderet. Contrà verò Hæreticorum baptiſmus ſemper præſumitur inefficax, propter publicum hæreſis obicem, quam baptizandus in ipſa baptiſmi actione profitetur. Et reverà vix aliter contingit: Caſus enim, quibus hoc aliter fieri poſſe philoſophantur, imaginarii ſunt, & *φιλοσοφήματα* verè Metaphyſica, quæ rem poſſibilem demonſtrant, non contingentem. Quapropter cùm leges de iis ferantur, quæ ferè ſemper, vel ut plurimùm contingere ſolent, non autem de iis, quæ rariſſimè, vel nunquam, antiqui Patres Catholicos transfugas ad Eccleſiam redeuntes per laborioſum, & lachrymoſum Pœnitentiæ Sacramentum, quod virtute ſua baptiſmalem gratiam ſuſcitat, meritò ſuſceperunt, licèt fieri potuerit, ut baptiſmalem gratiam nunquam conſecuti fuerint. Sed cùm hoc culpa ſua contigerit, de ſe ipſis tantùm, non de pietate matris Eccleſiæ conqueri poſſunt. Hæreticos verò extra Eccleſiam validè baptizatos, quorum baptiſmus efficax eſſe nunquam potuit, non per laborioſam illam Pęnitentiam, ſed per ſolam fidei profeſſionem, aut etiam manuum in Spiritum ſanctum impoſitionem ad communionem ſuam admiſerunt, deque iis axioma ſuum *παντοπαράδοτον* de reviveſcente baptiſmi effectu intellexerunt, qui in ejuſmodi hominibus produci nō potuerat, nedum productus fuerat.

VI. Hanc diſtinctionem diligenter obſervat Sanctus Auguſtinus, qui utroſque in reviviſcentia baptiſmalis gratiæ aliquando comparat. Præcipuum Auguſtini fundamentum, quo fretus omnia Donatiſtarum tela retundit, quibus probare nitebantur baptiſmum extra Eccleſiam datum eſſe invalidum, comparatio eſt baptiſmi fictè accedentibus in Eccleſia collati, cum baptiſmo Hæreticis collato. Prior ſecundum ipſos Donatiſtas Spiritum S. non conferebat, nec tamen ab ipſis recedente fictione repetebatur. Cur igitur ab Hæretico collatus propter eundem effectum ſimiliter fruſtratum iterabitur? Inde occaſionem captat S. Auguſtinus, ſed rariùs, verba faciendi de reparatione gratiæ baptiſmalis in utroque caſu, ita tamen hæc diſpeſcit, ut Hæreticos per manus impoſitionem in Spiritum ſanctum, Catholicos verò Apoſtatas per Pęnitentiam recipien-

piendos doceat, ut probatum eſt *cap. ſeptimo*. Nunc probandum nobis eſt, S. Auguſtinum facta Donatiſtarum cum fictis Catholicis comparatione docuiſſe, illos per profeſſionem fidei virtutem baptiſmi recipere, & eſſe Eccleſiæ incorporandos; hos verò per pœnitentiam fidelium cœtui aggregandos. Paucis locis hanc comparationem ſic inſtituit: De ea enim inter Catholicos, & Donatiſtas non vertebatur præcipua quæſtio. Nam à ſe baptizatos poſt defectionem redeuntes per Pœnitentiam ſibi iterùm uniebant non ſecus, ac Catholici. Fatebantur quoque baptiſmi gratiam per charitatem, & Pœnitentiam in iis reviviſcere, qui cum fictione in Eccleſia ſua baptizati fuerant. Denique à Schiſmaticis ſuis, velut Maximianiſtis, baptizatos per fidei profeſſionem more Catholico recipiebant. Sola quæſtio ſupererat de Hæreticis, quos inter Catholicos recenſebant, & de nonnullis Schiſmaticis, quos per novam baptiſmi ſuſceptionem recipiendos contendebant. Rariùs ideo de virtute baptiſmi alio modo in hos, & illos revireſcentre expreſſam mentionem facit: Aliquando tamen facit.

VII. *Lib. 7. de baptiſmo contra Donatiſtas cap.* 53. inquirit in validitatem baptiſmi in Eccleſia fictè dati vel accepti, contenditque nihil intereſſe, an hoc fiat in Eccleſia, an extra Eccleſiam. In Eccleſia autem, ſi factum fuerit, cùm hoc proditur neminem baptiſmum repetere, ſed culpam aut Excommunicatione puniri, aut Pœnitentia ſanari, *An plus valent ad confirmandum Sacramentum illi veraces, inter quos agitur, quàm ad fruſtrandum illi fallaces, à quibus agitur, & in quibus agitur? Et tamen ſi poſteà prodatur, nemo repetit, ſed aut excommunicando punitur illa ſimulatio, aut pœnitendo ſanatur.* Et *lib. 1. de baptiſmo contra Donat. cap.* 12. loco jam citato utrumque comparat, ſcribitque de baptiſmo apud Schiſmaticos collato, *Qui tamen tunc proſit ad remiſſionem peccatorum, cum quis reconciliatus unitati, ſacrilegio diſſenſionis exuitur, quo ejus peccata tenebantur, & dimitti non ſinebantur.* Schiſmaticus unitati reconciliatur, & diſſenſionis ſacrilegio exuitur, cum Schiſma ejerat, & fidem profitetur. De ficto autem Catholico ſtatim ſequitur, *Sicut enim in illo, qui fictus acceſſerat, fit ut non denuò baptizetur, ſed ipſa pia correctione, & veraci Confeſſione purgetur, quod non poſſet ſine baptiſmo, ut quod ante datum eſt, tunc valere incipiat ad ſalutem, cùm illa fictio veraci confeſſione receſſerit.* Ad Catholicum autem, qui fictè acceſſit, redit effectus baptiſmi, cum corrigitur, & confitetur. Confeſſio illa eſt peccati, non fidei, aut unitatis Catholicæ profeſſio. Cùm enim Catholicus ponatur, fidem tenet, & unitatem. Idem de Hæretico, & Schiſmatico repetit verbis ſequentibus, *Cùm ſe correxerit, & ad Eccleſiæ ſocietatem unitatemque venerit, non iterùm baptizandus eſt, quia ipſa reconciliatione, ac pace præſtatur, ut ad remiſſionem peccatorum ejus, in unitate jam prodeſſe incipiat Sacramentum, quod acceptum in Schiſmate prodeſſe non poterat.* Cùm igitur Schiſmaticus ad Eccleſiæ unitatem redierit, tum Sacramentum in Schiſmate acceptum vim ſuam exerit. Idem docet, ſed obſcurius *lib. 3. c. 18. Sicut autem iſti, qui intus cum gemitu tolerantur, &c. ſi corrigantur, & ſe peſſimos ad baptiſmum acceſſiſſe fateantur, non rebaptizantur, ſed incipiunt ad columbam pertinere, per cujus gemitus peccata ſolvuntur, à cujus pace alienati tenebantur: Sic & qui apertius foris ſunt, ſi eadem Sacramenta ſumpſerant, cùm correcti ad Eccleſiæ unitatem veniunt, non iterato baptiſmo, ſed eadem charitatis lege, & unitatis vinculo liberantur.*

VIII. *Lib. 2.* contra Creſconium Grammaticum *cap. 16.* quæſtionem, in qua verſamur, præcisè non attingit, illius tamen fundamentum primùm non modò quà Schiſmaticos, verumetiam quà Hæreticos ſpectat, aperit, & illuſtrat, *Et hoc diſcernitur apud nos, ut aliter recipiantur, qui Catholicam reliquerant, aliter qui ad illam primitus veniunt. Illos enim ampliùs gravat crimen deſertionis: hos autem non à ſe diruptum, ſed cognitum, & vetentum vinculum relevat unitatis. Unde fieri poteſt, ut quos ſeductos rebaptizaverunt, ipſi pro eis pœnitentibus Dominum deprecentur, ſi prius iſti conciliati, quàm illi reconciliati Eccleſiæ fuerint. Sicut fieri poteſt, ut etiam cultores idolorum, ſi quos fortè Chriſtianos ad idola ſeductos Apoſtatas fecerint; ſi priores ſeductores facti fuerint Chriſtiani, & magnum aliquod meritum in Eccleſia conſecuti, per ipſos illi, quos deceperant, redeant, per ipſos commendentur, & reconcilientur Domino per quos dimiſerant Dominum. Quod enim valet ad mundanda ſacrilegia Gentilium, rectè perceptum Sacramentum baptiſmatis, hoc valet ad mundanda ſacrilegia Schiſmaticorum, & hæreticorum veraciter apprehenſa charitas unitatis.*

IX. Hinc tria perſpicuè colliguntur. Primùm, alio modo, & longè difficiliori in Eccleſiam recipi, qui ad eam poſt defectionem redeunt, quàm Schiſmaticos, & Hæreticos, qui Eccleſiam non deſeruerunt. Secundùm, Apoſtatas ad Eccleſiam redeuntes per Pœnitentiam, eamque difficilem reſtitui. Tertium, charitatem unitatis veraciter apprehenſam ab Hæreticis, & Schiſmaticis eandem vim habere quàm baptiſma à Gentibus perceptum: vel potius, charitatem unitatis, ſive ſinceram cum Eccleſia conjunctionem, baptiſmi infructuosè extra Eccleſiam accepti vim, & benificentiam ſuſcitare, & in baptizatum tunc exerere. Unde conſequitur, teſte Auguſtino, Schiſmaticos illos per ſolam fidei profeſſionem eſſe admiſſos, ut tam multis Patrum teſtimoniis in aliis Schiſmatis capite præcedente probatum eſt. Non tamen conſequitur, nihil aliud in Hæreticorum admiſſione requiſitum fuiſſe. Hoc tantùm inferri poteſt, charitatem, & fidei profeſſionem fuiſſe neceſſariam, quod nemo negavit: Hoc eſt enim fundamentum omni admiſſioni ad Eccleſiam cujuſcunque illa ſit, ſubſtratum, cui multa pro Eccleſiæ prudentia ſuperponuntur. Notat inſuper eodem loco S. Auguſtinus non modò Ethnicos ad Chriſtianiſmum converſos licèt Chriſtianos ſeduxerint, Catholicis Apoſtatis ad Eccleſiam redeuntibus longè anteferri, illoſque Epiſcopos facilè fieri poſſe, hos nequaquam: Verumetiam in hæreſi natos licèt aliquos ſeduxerint, ſeductis, & perverſis ad Eccleſiam redeuntibus longè præferri, & ad dignitates Eccleſiaſticas multò faciliùs admitti. Eandem diſciplinam etiam nunc obſervat Eccleſia, ut videre eſt in iis, qui vulgò Relapſi dicuntur.

X. Lectoris animum forſan pungit alia difficultas, quæ ex dictis videtur emergere. Certum eſt, nonnullos, qui Adulti in Eccleſia baptizantur, cum fictione, ſive abſque præparatione idonea, baptizari; & conſequenter baptiſmum in iis efficacem non eſſe. Quæritur nunc, qua ratione reparetur effecti baptiſmus? Juxta jam explicata non videtur in hoc caſu emortua per fictionem ſuſcitari poſſe baptiſmi virtus. Diximus enim tum reparari per Pœnitentiam humilem, & laborioſam, quæ ſecundus eſt baptiſmus; cujus cùm ſit eadem vis, quæ baptiſmi, ipſius reviviſcentia non opus eſt. Deinde ordini à Deo conſtituto adverſari videtur hæc poſitio, Bis enim eadem facilitate ampliſſimus baptiſmi effectus homini conferretur, contra ea, quæ toto libro tertio probata ſunt. Unicus tamen S. Auguſtini locus ſupra hoc capite citatus ex *lib. 1. de baptiſmo contra Donat. c.* 12. eandem baptiſmi *ἀναζωπύρησιν*, & Hæreticis, & Catholicis, qui in Eccleſia cum fictione baptizati ſunt, tribuere videtur. Quid enim aliud ſonare videntur hæc verba, quæ poſt explicatam in Hæreticis, & Schiſmaticis ad Eccleſiam redeuntibus reviviſcentiam immediatè ſubjungit? *Sicut enim in illo, qui fictus acceſſerat, fit ut non denuò baptizetur, ſed ipſa pia correctione, & veraci confeſſione purgetur, quod non poſſet ſine baptiſmo, ut quod ante datum eſt, tunc valere incipiat ad ſalutem, cùm illa fictio veraci confeſſione receſſerit.* Hinc Scholaſticorum maxima pars indiſcriminatim colligit fictione recedente univerſos baptiſmi effectus, ſive pœnam ſive culpam ſpectes, in fictionis Pœnitentem ſeſe effundere: nec diſtinguunt in hæreſi baptizatos ab iis, qui in Eccleſia baptizati ſunt; nec fictionem à capitalibus criminibus, & à levioribus exurgentem, ſed hæc omnia uno faſce complectuntur: cùm tamen Auguſtinus de effectu baptiſmi in Hæreticos, & Schiſmaticos extra Eccleſiam baptizatos redeunte longè alio modò, ut ex allegatis conſtat, diſſeruerit, quàm de eodem effectu in eos, qui cùm fictione ab Eccleſia baptizati ſunt.

XI. Ex loco S. Auguſtini nobis oppoſito nihil mihi videtur ejuſmodi colligi poſſe; immò potius contrarium. Dicit enim in Eccleſia cum fictione baptizatum pia correctione, & veraci Confeſſione purgari. Confeſſioni igitur, & Pœnitentiæ tribuitur fictionis purgatio. Pœnitentia autem illa eſſet inefficax, niſi baptiſmus validè datus præceſſiſſet. Omnium enim Sacramentorum janua eſt baptiſmus, & eo non præcedente cætera ſunt irrita. Præceſſio enim ipſius quamvis ad ſalutem inutilis eſſet, efficit tamen ut cætera validè conferantur. Valere igitur ad ſalutem incipit, cum fictio per Pœnitentiam receſſit: Tunc enim accepiſſe baptiſmum ſalutare illi eſt, quod anteà erat illi inutile, eo quod præcepto Deis ſatisfecit, & illud ſuſcepit, ſine quo Sacramentum Pœnitentiæ non poterat illi ad ſalutem prodeſſe. Ideò rectè dixit S. Auguſtinus, Sacramentum Pœnitentiæ fictionem ſine baptiſmo purgare non poſſe, & tunc incipere baptiſmum ad ſalutem valere, *Cùm illa fictio veraci confeſſione receſſerit.* Quid igitur fictionem pellit? verax confeſſio. Ipſa etiam eſt ſecundùm Auguſtinum, quæ baptiſmum ſalutarem reddit, quia ea non accedente in æternum eſſet inutilis. Hanc ſententiam tradit Vaſquez *diſp. 259. in tertiam partem, cap. 4. n. 42. & ſequentibus*, Adrian *in 4. q. 5. de Confeſſione, dub. 4.* & ante omnes Scotus, ut fusè docet Vaſquez eodem loco. Interpretatio iſta, ſi diligenter atten-

dantur verba Auguſtini, perſpicua mihi videtur, multò magis ſi cum omnibus, quæ hac in cauſa dicta ſunt, conferantur. Hanc interpretationem ad omnem omnino fictionem undecunque illa procedat, extendunt auctores illi: Hos autem ex principiis explicatis ad ſolos cum fictione in Eccleſia baptizatos, qui fictionem per baptiſmum pœnitentiæ deponere tenentur.

XII. Inde conſequitur, ſententiam quorundam Scholaſticorum, qui aſſerunt peccata ante baptiſmum commiſſa, cum ſcilicet inefficaciter ſuſcipitur, per Pœnitentiæ Sacramentum per accidens remitti, non eſſe improbabilem. Sufficit enim baptiſmum præceſſiſſe, ut hoc accidenter Pœnitentia perficiat. Per accidens dico, eo quòd Pœnitentiæ Sacramentum ad ejuſmodi peccata delenda per ſe non ſit inſtitutum, ſed baptiſmus. Si verò baptiſmus, qui repeti non poteſt, officio ſuo propter ſuſcipientis malitiam functus non fuerit, Pœnitentia ſubſequens, cum crimina poſt baptiſmum commiſſa delet, delet quoque, ſaltem per accidentariam concomitantiam, ea, quæ ante ipſum commiſſa ſunt. Eadem ratio ſecundùm eoſdem auctores baptiſmi cum reviviſcit erga peccata poſt ipſum infructuosè ſuſceptum commiſſa, quod ex antiqua traditione fieri oſtendimus in iis, qui apud Hæreticos validè baptizantur, cùm ad Eccleſiam revertuntur, ſi teſtimonia illa à nobis bene intellecta ſunt, & interpretata. Antequam tamen Lector aliquid decernat, ea recoquat velim, & incudi reddat: à me enim nihil humani alienum puto.

XIII. Denique ex dictis multa conſequuntur, quæ variis Theologorum Scholis vario modo favent, aut repugnant. Sunt qui exiſtiment, ſolum pœnitentiæ Sacramentum fictionem expellere, & gratiam revocare, non eam, quam baptiſmus obtinuiſſet, ſed quam contritio præſens impetrat. His ſanè planè favent, quæ dicta ſunt de iis, qui in Eccleſia baptizati poſtmodum deficiunt, tandemque ad eam revertuntur. Sunt qui exiſtiment, non modò contritionem eam vim habere, ſed etiam Attritionem Sacramento conjunctam. Idem omnino demonſtrant, quæ diximus de receptione per Sacramentum Pœnitentiæ eorum, qui ſimiliter in Eccleſia baptizati fuerunt. Sunt qui exiſtiment, ampliſſimos baptiſmi effectus in baptizatum fictione recedente ſeſe diffundere. Hoc demonſtrant, quæ de Hæreticorum extra Eccleſiam baptizatorum ex antiqua traditione enarrata ſunt. Sunt qui exiſtiment, contritionem veram, ut ab Attritione diſtinguitur, ad ampliſſimum illum baptiſmi effectum ſuſcitandum, omnino neceſſariam eſſe. Hoc demonſtrant, quæ ex S. Auguſtino, aliiſque teſtimonia retulimus. Nonnulla ſunt alia ab iis hac in cauſa ſubtiliter excogitata, quæ prudentes præterimus, ne cancellos, quibus nos circumſcripſimus, prætereamus.

XIV. Difficultatem tertiam non abs re movere poteſt varia Hæreticorum in Eccleſiam admiſſio. Primùm videmus generaliter obſervatum fuiſſe, ut Hæretici in Eccleſia baptizati per Pœnitentiam admitterentur, extra verò Eccleſiam baptizati alio modo, cujus rationes tradidimus. Si extra Eccleſiam baptizati uno modo admiſſi fuiſſent, per ea, quæ jam dicta ſunt, forſan difficultati ſatisfactum fuiſſet. Verum quatuor modis admiſſos fuiſſe comperimus, & unicuique modo eandem virtutem tributam, ſuſcitandi ſcilicet vim, & *ἐνέργειαν* baptiſmi, quæ per hæreſim repreſſa, & hebetata fuerat. Varietatis ratio non videtur deſumenda à diverſa Schiſmatis, & hæreſis natura. Schiſmaticos enim, & Hæreticos uno, & eodem modo aliquando videmus admiſſos; contrà, Hæreticos aliquando variis modis: idque dupliciter, vario tempore in eadem Eccleſia, eodem tempore in variis Eccleſiis diverſimodè admiſſos. Notabit tamen Lector, omnes illas varietates in eundem finem conſpiraſſe, nempe ut earum virtute baptiſmalis gratiæ impedimenta removerentur. Quæritur ergo, quibus rationibus freta Eccleſia ſalutarem baptiſmi virtutem hæreſis, vel ſchiſmatis fœditate, & veneno intermortuam tanta cum varietate commovit, & exſuſcitavit?

XV. Quod non mihi videtur improbabile, ediſſeram; ita tamen ut non ægrè ſim laturus Lectorem illud, aut emendare, aut improbare, *καὶ ἄλλον μᾶλλον ἀμείνονα τοῦ δ' ἐννοῶν*. Meminiſſe debet Lector eorum, quæ diximus *c.8. libri primi*, & alibi ſæpius, Deum rata in cœlis habere, quæcunque Eccleſia in terris, ſtatuit, definit, immutat, abrogat. S. Auguſtinus *libro 2. cap. 11.* contra Creſconium ſcribit, Hæreticos, & Schiſmaticos ita ſuſcipi, *Ut videtur paci, & Eccleſiæ utilitati convenire. Neque enim Epiſcopi,* inquit, *propter nos, ſed propter eos, quibus verbum, & Sacramentum Dominicum miniſtramus: ac per hoc ut eorum ſine ſcandalo gubernandorum ſeſe neceſſitas tulerit, ita vel eſſe vel non eſſe debemus, quod non propter nos, ſed propter alios ſumus, &c. Proinde veſtri Epiſcopi, ſeu quilibet Clerici quantum ad ipſa Eccleſiaſtica officia pertinet, ſic in Catholicam ſuſcepti ſunt unitatem, quemadmodum expedire videbatur iis, quorum ſoluti per totum conſulebatur officium, vel exercendum, vel omittendum.* Variis igitur modis, & conditionibus Hæreticorum, & Schiſmaticorum admiſſionem Eccleſia temperat, iſtiuſque temperamenti ſumma regula eſt plebis Chriſtianæ utilitas, cujus exemplum proponit in Donatiſtarum Clericis, qui cum variis temperamentis quotidie ad Eccleſiam admittebantur.

XVI. Iſtius œconomicæ diſpenſationis exemplum illuſtre eſt *cap. 35.* Concilii Africani, qui apud Balſamonem extat *cap. 71. Græcæ collectionis*. In Concilio tranſmarino decretum fuerat, ne Clerici Donatiſtæ ad Eccleſiam revertentes cum honoribus, quos in Schiſmate geſſerant, admitterentur. Africani Epiſcopi Carthagine ex tota Africa congregati animadvertentes ex hoc rigore multa Eccleſiis ſuis incommoda creari, decernunt legatos ad Epiſcopus Italos, maximè ad Anaſtaſium Pontificem, *Quo noverit habere Africam magnam neceſſitatem propter Eccleſiæ pacem, & utilitatem, ut ex ipſis Donatiſtis quicumque Clerici correcto Concilio ad Catholicam unitatem tranſire voluerint, ſecundùm uniuſcujuſque Catholici voluntatem, atque conſilium, qui in eodem loco gubernat Eccleſiam, ſi hoc paci Chriſtianæ viſum fuerit, in ſuis honoribus ſuſcipiantur, ſicut prioribus ejuſdem diviſionis temporibus factum eſſe manifeſtum eſt.* Non quod velint, inquiunt, Concilii Tranſmarini ſtatuta diſſolvere, ſed ne occaſione iſtius decreti multorum ſalus periculo exponatur, *Id eſt, ut ordinati in parte Donati, ſi ad Catholicam correcti tranſire voluerint, non ſuſcipiantur in honoribus ſuis ſecundùm Tranſmarinum Concilium, exceptis his per quos Catholicæ unitati conſuletur.* Diſpenſant igitur non temerè, nec ad unius hominis arbitrium, ſed communi conſilio de canonum ſeveritate, ſecundùm quod judicant Eccleſiæ utilitati expedire. Cum igitur aliqui Clerici nolunt ad Catholicam ita redire, ut Concilium illud obſervetur, tum ſic recipi poſſe volunt, *Ut nulla per eos unitatis compenſatio procuretur.*

XVII. S. Baſilius eandem quæſtionem in cauſis baptiſmi ediſſerit *cap. 1. Epiſtolæ ad Amphilochium*, ſcribitque Antiquis viſum fuiſſe tria hominum ab Eccleſia diviſorum genera triplici ratione admittere. Deinde ait quoſdam ex antiquis Patribus Novatianos, & alios ad Eccleſiam redeuntes baptizaſſe, *Sed quoniam nonnullis Aſiaticis omnino viſum eſt propter multorum œconomiam, & diſpenſationem eorum baptiſma ſuſcipi, ita δεκτὸν, ſuſcipiatur.* Idem de Encratitis, qui ab Eccleſia ad ſe deficientes rebaptizabant. *Exiſtimo ergo, quòd quoniam nihil eſt de his apertè dictum, oportet nos eorum baptiſmum abrogare, & ſi quis ab eis acceperit, eum ad Eccleſiam accedentem baptizare. Quod ſi hoc univerſali œconomiæ ſit impedimento futurum rurſus conſuetudine utendum eſt, & ſequi oportet Patres, qui quæ ad nos pertinent, providerunt.* Similiter in Timothei cujuſdam Preſbyteri fragmento jam citato, poſtquam tertiam recipiendi Hæreticos rationem explicavit, eos ſcilicet, qui nec baptizantur, nec unguntur, ſed tantum hæreſim anathematizant, & unamquamque ſpeciem enumeravit, dicit nihilominus eorum plurimos ſuo tempore poſt hæreſis anathematizationem inungi: *Hoc,* inquit, *propter juſtas cauſas nuper neceſſariò conſtitutum eſt.* Cujus rei cauſa immediatè poſt univerſaliter colligit, *Nos ergo his omnibus cum prudentiſſimis Patribus conſideratis, ita etiam ab eis docti ſumus, quod quemadmodum Catholica Eccleſia pridem accepit, & ſicut noſtra teſtimonium perhibens conſuetudo in Patriarchatibus, & in Metropolibus ſervata eſt, ita etiam nos quoque ſervare oportet.* Duo hæc poſteriora exempla præſertim videntur apprimè, & accuratè propoſito convenire, & demonſtrare hanc hæreticorum per Sacramenta in Eccleſiam admiſſionem, uniuſque Sacramenti cum altero permutationem, vel etiam ſine Sacramento per ſolam fidei profeſſionem, ab Eccleſiæ auctoritate, & prudentia pendere.

XVIII. His igitur auctoritatibus, multiſque aliis conſentaneis fretus, probabiliter mihi videtur reſponderi poſſe, Omnem varietatis illius cauſam ab Eccleſiæ prudentia petendam eſſe. Quæſtio non eſt de re, quæ ad ſubſtantiam Catholicæ fidei pertineat: Quod enim ad ipſam pertinere poteſt, in unaquaque admiſſionis ſpecie ſalvum eſt, & incolume. Agitur enim de fictionis repercuſſu, & expulſione, atque inde manante effectuum baptiſmi redintegratione. Id quod eſt huic redintegrationi ſubſtantiale, & indivulſum, erroris correctio eſt, & vera charitas huic conjuncta: cætera his accidunt, & ſecundùm Eccleſiæ prudentiam accommodantur. Unicuique autem admiſſionis ſpeciei ſupponuntur ſemper erroris correctio, & vera charitas: immò poſtrema admiſſionis ſpecies nihil aliud eſt quàm publicè edita, & profeſſa erroris correctio, quæ ſemper cum charitate conjungi præſumitur. Hoc fundamentum ſemper ſubſterni receptioni Hæreticorum, vel Schiſmaticorum contendit S. Auguſtinus *lib. 2.* contra Creſcon. *cap. 8. 9.*

& de

& de unico baptiſmo contra Petilian. *cap.*12. & multis locis jam allegatis, & innumeris aliis. Unde Donatiſtas vaniſſimi mendacii arguit, cùm Catholicis ipſorum baptiſmum atque etiam ordinationem admittentibus exprobrabant, ſe quales erant ab iis admitti: Converſos enim, & unitati Eccleſiæ per veram charitatem adhærentes admitti ubique prædicat. Nunc autem quod ſuppoſita vera charitate, & erroris correctione, per ſuperpoſitionem integri Sacramenti confirmationis admittantur, vel per ſolam manus impoſitionem, vel per ſolam unctionem, vel per ſolam Catholicæ fidei profeſſionem, non mihi videtur res tanta, quæ auctoritatem Eccleſiæ ſuperet, & de qua pro prudentia ſua variè pro variis rerum, perſonarum, & temporum circumſtantiis decernere non poſſit. Vel ſi preſſius interrogationi factæ adhærere velimus. Quid eſt quod impediat Eccleſiam, ne ſuppoſita charitatis præſentia decernere poſſit, qua ratione tota baptiſmi virtus ſalutaris per hæreſim intermortua reviviſcat, & in perfectum partum adoleſcat? Quidni hoc ab Eccleſia definitum, in cœlo ratum erit firmum, & fixum, ita ut qui hoc neglexerit baptiſmi fructu nuſquam fruatur? Quum autem Eccleſia prudenter ſemper agat, & poteſtate nunquam abutatur, quoties hoc mutat, aut ei aliquid derogat, id ſemper optimo conſilio facit, ſed rationes topicæ ſunt, atque ex viſceribus uniuſcujuſque hæreſeos, & ſchiſmatis, aut etiam ex variis temporis, & perſonarum circumſtantiis eruendæ. Id hac in cauſa dicendum eſt, quod in cauſa pari dicere nos docet Concilium Tridentinum *ſeſſione* 21. *cap.*4. Antiquitus Euchariſtiam infantibus datam certum eſt, moremque iſtum nondum planè obſolevîſſe ineunte ſeculo 13. facilè probare poſſem. Quid Concilium hunc morem commemorans? *Neque ideò tamen damnanda eſt. Antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit. Ut enim ſanctiſſimi Patres illi ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certè eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe ſine controverſio credendum eſt.* Id ſanè credendum eſt de ea hypotheſi, quam præ manibus habemus, cùm videamus antiquos Patres reconciliandorum Deo, & Eccleſiæ Hæreticorum rationem toties variis temporibus immutaſſe. Si tamen quis Sacramentorum virtuti, & dignitati derogare judicat id, quod nobis videmur probabiliter de Sacramentis conjeciſſe, & nudis ceremoniis adjudicet magnificos, qui illis tribuuntur effectus, eoſque cum levis ceremoniæ natura conciliet, non nobis adverſabitur, ſed quod vehementer optamus, præſtabit.

XIX. Denique admonitum Lectorem velim pleroſque Scholaſticos diſertè adnotare quæcunque ipſi diſputant de reditu gratiæ baptiſmalis per fictionis receſſionem, probabiliter tantùm ab ipſis aſſeri. Unde Vaſquez *diſput.*159. *cap.*3. *n.*35. ſcribere auſus eſt, *His omnibus, quæ diximus, accedit, quod ut Auguſtinus hoc privilegium baptiſmo tribueret, fundamentum aliquod, aut traditionis, aut definitionis Eccleſiæ, aut ſcripturæ, aut rationis denique habere debuiſſet. Eccleſiæ autem traditionem uſque ad ſua tempora fuiſſe minimè conſtat, neque ipſe eam allegat, &c. Unde igitur Auguſtinus hoc privilegium baptiſmi, quod ex ſola Dei voluntate pendet, colligere potuit?* Hugo à S. Victore de hac prærogativa nihil ſcribit, ubi baptiſmi Sacramentum data opera explicat. Verùm in quæſtiunculis ſuper Epiſtolam ad Romanos *q.*257. refert quoſdam dicere ſic S. Auguſtinum eſſe intelligendum. *Baptiſmum talem habere efficaciam etiam in eo, qui corde non contrito accedit, quòd niſi in ipſo fictio remaneret, omnium offenſarum conſequeretur veniam, & poſtea poterit conſequi, ſi de fictione ſua voluerit pœnitere.* Magiſter *lib.*4. *diſt.*4. *in fine paragraphi ſecundi*, uno verbo rem tangit, quod poſteà latiſſimum Scholaſticis omnibus diſputandi campum aperuit. Sed ex iis, quæ hoc capite, & antecedentibus dicta ſunt, mihi videtur manifeſtè conſtare, hanc eſſe antiquiſſimam Eccleſiæ traditionem, & antiquiſſimæ praxi conſentaneam, & quidquid hac in cauſa protulit Sanctus Auguſtinus, id ex antiqua traditione, & Eccleſiæ publica praxi hauſiſſe.

CAPUT XIV.

Clericis depoſitis, aut ſuſpenſis nullo impoſito pœnitentiæ communio concedebatur. Confeſſorum precibus criminum Rei nonnunquam abſolvebantur nulla pœnitentiæ actione impoſita. Mos ille propter abuſum ceſſantibus perſecutionibus ſublatus eſt. Propter ſanctam aliquod opus à lapſo fortiter perpetratam, aut toleratam Abſolutio omni actione pœnitentiæ remiſſa concedebatur. In minoribus criminibus id ferè ſemper obſervatum: Abſolutionis poſt pœnitentiam totaliter, aut portione actam differendæ conſuetudo in Oriente ab annis mille ducentis obſervari deſiit.

NOna propoſitio, *Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, cæterique Clerici, qui crimen perpetraverant, ſola depoſitione, aut ſuſpenſione à canonibus damnatum, à communione corporis Chriſti non arcebantur, ſed ea continuò fruentes niſi prius crimen poſteriore cumulaſſent, pœnas ſibi inflictas exequebantur.* Rationem hujus praxis reddunt antiqui Patres ex canone Apoſtolico decernente non eſſe bis in eandem rem vindicandum. Cùm igitur in crimen illud depoſitione, vel ſuſpenſione vindicatum ſit, æquum non judicarunt alia gravi pœna in illud animadvertere. Dictum eſt, ſi crimen ſola depoſitione, aut ſuſpenſione damnatum fuerit: Aliquando enim tanta erat ſceleris gravitas, ut ſimul, & ſemel communionis Euchariſticæ privatione damnaretur, atque ad pœnitentiam relegaretur, immò ut ab Eccleſia penitus pelleretur. Hujus obſervationis argumenta, & varietatis, quæ in ea contingebat, explicationem fusè tractavimus in Exercitationibus noſtris Eccleſiaſticis *Exercitatione* 10. necnon hujus operis *libr.*4. *c.*14. *libro quoque* 7. *c.*23. nonnulla quæ huc referri poſſunt, attigimus: Ideò ampliori explicatione, & probatione nobis videtur ſuperſedendum.

II. Decima propoſitio, *Ferventibus Ethnicorum perſecutionibus, Epiſcopi Latini precibus Confeſſorum exorati, criminum Reos omni pœnitentiæ actione aliquando eximebant, iiſque ſtatim pacem, perfectiſſimamque reconciliationem clementer concedebant.* Iſtius praxis apud auctores tertii ſeculi evidentiſſima leguntur argumenta. Diſtinctio tamen adhibenda eſt, ne res longè diſſimiles confundamus. Non enim abſolutè, & infinitè quoslibet, quibus pax daretur, licebat Martyribus nominare. Omnes equidem quos libellis donaverant, morientes, ſive ſani pœnitentiam jam agere cœpiſſent, ſive nullam incepiſſent, Eccleſiæ reconciliabantur. Libellatici quoque, quorum crimen erat lapſis multò levius, nulla præcedente acta pœnitentia propter libellos Martyrum abſolvebantur. Lapſorum autem nonnullis magna pœnitentiæ parte acta; nonnullis paucula, aliis nulla pax præſtabatur, ut iis, de quibus Celerinus eximius Chriſti Confeſſor ad Lucianum pro Chriſti nomine in carcere detentum, variiſque pœnis afflictum ſcribit *Epiſt.*21. apud Cyprianum. Eum enim, alioſque Collegas Confeſſores pro ſororibus Lapſis deprecatur, ut iis crimina remittere velint, pacemque dare: *Rogo itaque, Domine, & peto per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut cæteris collegis tuis, fratribus tuis, meis Dominis referas, & ab eis petas, ut quicunque prior veſtrum coronatus fuerit, iſtis ſororibus noſtris Numeriæ, & Candidæ tale peccatum remittant.* Tota Epiſtola in iſta cauſa verſatur; hoc ſpecimen ex ea exſcriptum ſufficiat. Deinde Lucianus Confeſſor Celerino reſpondens *Epiſt.*22. de ſe, & Paulo alio eximio Confeſſore ita ſcribit, *Cùm Benedictus Martyr Paulus adhuc in corpore eſſet, vocavit me, & dixit mihi, Luciane, coram Chriſto tibi dico, ut ſi quis poſt arceſſitionem meam abs te pacem petierit, des in nomine meo: ſed & omnes, quos Dominus in tanta tribulatione arceſſire dignatus eſt, univerſi literas ex compacto univerſis pacem dimiſimus. Vides ergo frater, quod tam placuit mihi quod Paulus præcepit, quàm univerſis quod cenſuimus.* Arceſſitio illi eſt mors, quod ſit ad Deum vocatio, quaſi mortuum ad ſe Deus accerſat. Et *in fine Epiſtolæ. Ideo frater peto, ut ſicut hic cum Dominus cœperit ipſi Eccleſiæ pacem dare ſecundùm præceptum Pauli, & noſtrum tractatum, expoſita cauſa apud Epiſcopum, & facta Exomologeſi, habeant pacem, non tantùm hæ, ſed & quas ſcis ad animum noſtrum pertinere.*

III. Planè manifeſtiſſimum eſt iſtam remittendi criminis praxim ſine ulla, aut cum paucula Pœnitentiæ actione propter Martyrum preces fuiſſe eo ſeculo in Africa, & Eccleſia Romana vulgatam. Hoc tamen non cæca, ut dictum eſt, ſpeculatione, & indiſcuſſa cauſa fiebat: Supplices enim iſti libelli Epiſcopis examinandi tradebantur, ne aliquando iſta gratia indigni per ignorantiam, aut obreptionem à Martyribus nominarentur; ideò jubet Confeſſor ſeu Martyr, ut cauſa apud Epiſcopum exponeretur: Idemque ferebat libelli formula, quæ habetur *Epiſt.*17. *ad Cyprianum, Scias nos univerſis, de quibus apud te ratio conſtiterit, quid poſt commiſſum egerint, dediſſe pacem.* Cùm Cypriani tempore hac auctoritate, & indulgentia Confeſſores abuterentur, & innumeris perſonis indiſcretè pacem indulgerent, iis ſeſe fortiter cum Clero Romano oppoſuit, ne Pœnitentiæ actio, diſciplinæque vigor penitus ſolveretur. Hinc turbæ in Eccleſia Latina excitatæ, Lapſis pacem à Confeſſoribus impetratam ſibi redhiberi importunè urgentibus; Epiſcopi contrà differentibus, & quinam ea indulgentia non eſſent indigni communi conſilio examinandum eſſe contendentibus. Sed infra de his turbis, de libellis Martyrum, eorum forma, & effectu, deque multis aliis, quæ ad hanc hiſtoricam quæſtionem, & difficultatem ſpectant, diffusè agemus,

capitibus ſcilicet 17. 18. 19. & ſequentibus. Intereà certum eſt, S. Cyprianum, Clerum Romanum, alioſque illius tempori Epiſcopos rem ipſam approbaſſe, & legitimum illius uſum laudaſſe. Ita ſcribit *Epiſt*, 23. in qua nimiam Luciani Confeſſoris facilitatem graviter increpat, & Mappalici benefactum illi opponit: Multi libelli gregatim à Luciano nomine Pauli dati ſunt, *Cùm Mappalicus Martyr cautus, & verecundus legis, ac diſciplinæ memor nullas contra Evangelium literas fecerit, ſed tantùm domeſtica pietate commotus matri ſuæ, & ſorori, quæ lapſæ fuerant, mandaverit pacem dari*. In eadem Epiſtola Celerini Confeſſoris Epiſtolam, è qua decerptum eſt primum noſtrum teſtimonium plurimum commendat, eumque in hac libellorum cauſa Luciano oppoſitum vocat, *Moderatum, cautum, & humilitate, ac timore ſectæ noſtræ verecundum*.

IV. Eandem Eccleſiæ praxim ſuo ſeculo vulgatam acriter reprehendit Tertullianus Montaniſta factus. Sed ex ejus reprehenſione facile eſt colligere, quid Eccleſia ſenſerit, & fecerit. Sic c. 22. *libri de pudicitia* quem in Catholicos ſcripſit, *At tu jam & in Martyras tuos effundis hanc poteſtatem, ut quiſque ex conſenſione vincula adhuc induit mollia in novo cuſtodiæ nomine, ſtatim ambiant Mœchi, ſtatim adeunt fornicatores, jam preces circumſonant, &c. violantur viri, ac fœminæ in tenebris planè ex uſu libidinum notis, & pacem ab his quærunt, qui de ſua periclitantur; Alii ad metalla confugiunt* (ad Martyres qui eo relegati ſunt), *& inde communicatores revertuntur*. Et poſt aliqua, *Si propterea Chriſtus in Martyre eſt, ut Mœchos, & fornicatores Martyr abſolvat, occulta cordis edicat, ut ita delicta concedat*. Cæteram Tertulliani invectivam in hanc Eccleſiæ doctrinam, & praxim videat apud eum Lector. Hæc nunc ſatis. Propoſitio de Epiſcopis Latinis non abs re enuntiata eſt. Non enim memini me legiſſe id aliquando in Eccleſia Orientali factitatum fuiſſe. In Eccleſia quoque Occidentali praxis iſta propter abuſum, qui Cypriani tempore maximus fuit, brevi abrogata eſt. In Concilio Arelatenſi erat adhuc aliquis iſtorum libellorum uſus, ſed propter abuſum à Patribus jubetur, ut ab iis Confeſſoris nomen expungatur, & communicatorii eorum loco ſubſtituantur, hoc eſt, ut tradantur libelli illi Confeſſorum Epiſcopis ad quos pertinet communicatorios dare, ut judicent, an illi libelli executioni mandandi ſint. Quod ſi ita judicaverint, retentis apud ſe Confeſſorum illis libellis, ne qui eos obtinuerunt eo nomine gloriantes ſimplicioribus Chriſtianis fucum faciant, communicatorios vulgares, ut cæteris dares mos eſt, eorum loco ſubſtituant. Sic decernit Concilium Arelat. primum *cap*. 9. *De his qui Confeſſorum literas offerunt, placuit, ut ſublatis eis literis, alias accipiant communicatorias*. Idem decreverant longè antea Patres Eliberitani *cap*. 25. abuſumque ſimul notaverant, *Omnis, qui attulerit literas Confeſſionis, ſublato nomine Confeſſoris, eo quod omnes ſub hac nominis gloria paſſim concutiant, ſimplices communicatoriæ ei dandæ ſunt literæ*. Poſt Concilium Arelatenſe nihil amplius de iſtis libellis. Cum autem tyrannorum perſecutiones, & Martyria iiſdem temporibus ceſſaverint, videtur & eorum uſus cum perſecutionibus ceſſaſſe, qui tamen perſecutionibus referveſcentibus non eſt redintegratus.

V. Undecima propoſitio, *Scelerum Reis, qui poſt ſcelus commiſſum grande aliquod, & ſanctum opus fortiter aut edebant, aut tolerabant, Abſolutio à peccatis omni actione Pœnitentiæ remiſſa concedebatur*. Iſtius praxis exemplum legitur in Epiſtolis S. Cypriani 19. & 20. Quæſtio erat de nonnullis lapſis, ſed quibus poſt lapſum redierat in præcordia virtus. Ita quæſtionem Caledonius Epiſcopus, & quid de ea ſentit, Cypriano, & collegis proponit, *Ii, qui poſteà quam ſacrificaverunt, iteratò tentati, & extorres facti ſunt. Videntur ergo mihi abluiſſe prius delictum, dum poſſeſſiones, & domos dimittunt, & Pœnitentiam agentes Chriſtum ſequuntur*. Quid ipſi Lapſi Epiſcopo ſuo objiciebant? *Cùm ergo univerſi pacem peterent, dicentes; Recuperavimus fidem, quam amiſeramus, Pœnitentiam agentes, & Chriſtum publicè ſumus confeſſi*. Ad hæc Caledonius Cypriano, *Quamvis mihi videantur debere pacem accipere; tamen ad conſultum veſtram eos dimiſi, ne videar aliquid temerè præſumere*. Nunc attendamus, quid ad iſta reſpondeat Cyprianus. *Rectè ſenſiſti circa impertiendam fratribus noſtris pacem, quàm ſibi ipſi vera Pœnitentia, & Dominicæ confeſſionis gloria reddiderant, ſermonibus ſuis juſtificati, quibus ſe ante damnaverant. Cùm ergo abluerint omne delictum, & maculam primam aſſiſtente ſibi Domino poſteriore virtute deleverint, jacere ultra ſub Diabolo quaſi proſtrati non debent, &c. Atque utinam ſic, & cæteri poſt lapſum pœnitentes in ſtatum priſtinum reformentur*.

VI. Eandem hypotheſim tractat S. Petrus Alexandrinus *in Epiſtolà canonica can*. 8. & eodem planè modo explicat: *Ii autem qui proditi ſunt, & exciderunt, qui & ipſi ad certamen acceſſerunt, ſe eſſe Chriſtianos confitentes, & in cuſtodiam cum tormentis conjecti ſunt; æquum eſt in exultatione cordis vires ſimul addere, & eis in omnibus communicare, & in orationibus, & in participatione corporis, & ſanguinis, & ſermonis adhortatione*. Sed maximè notanda Petri ratio, qua ſtatus ita definit, *Quod quidem ſi omnes lapſi feciſſent*, [illegible], *perfectiſſimam, & toto corde ſuſceptam pœnitentiam oſtendiſſent*. Id quod igitur juſtam cauſam veniæ ſtatim dandæ, & non differendæ præbet, eſt præſumptio perfectæ pœnitentiæ, quæ inſigni aliquo opere fortiter geſto juſtè præſumitur. *Canone* 1. & 2. Ancyrano edicitur de Presbyteris, & Diaconis, qui poſt idololatriæ ſcelus commiſſum fortiter reluctati ſunt, & tormenta paſſi ſunt, cathedræ honorem habere, ſed à ſacro officio ceſſare. Crimen prius egregiè facto poſteriore cenſet deletum eſſe, & conſequenter non modò communione corporis Chriſti Laicorum more dignos eſſe, ſed etiam honore, quem in Eccleſia gradus eorum poſcit; quanquam propter inſignem puritatem qua fulgere debent, qui altari ſerviunt, ea functione indigni cenſeantur. Diaconis tamen plura his concedendi facultatem tradunt Epiſcopis, ſi eos viderint extraordinaria aliqua humilitate, & animi contritione perculſos.

VII. Huc referri poſſunt nonnulla exempla veluti Natalii, Trophimi, & iſtius Epiſcopi, qui à Novato ſeductus ipſi manum impoſuit, quæ exſcripta ſunt *cap*. 8. in propoſitione quinta: Nihil enim impedit duo diverſa argumenta ex uno exemplo colligere. Multa etiam teſtimonia, quæ relata ſunt *cap*. 15. *libri primi* eandem propoſitionem evidenter demonſtrant, ad quæ Lectori poteſt eſſe recurſus. Denique proportione quadam de inſignibus illis operibus poſt ſcelus perpetratis in cauſa pœnitentiæ judicandum eſt, ut de iiſdem in cauſa baptiſmi. Cùm occurrunt ejuſmodi inſignia opera, aut occaſiones extraordinariæ, Catechumenatus, qui ſolebat eſſe duorum annorum aliquando in paucos dies contrahebatur, aliquando in horæ momentum: Ita quoque factum eſt in actione pœnitentiæ, quæ præparatio eſt ad Abſolutionem conſequendam.

VIII. Duodecima propoſitio, *Crimina omnia, & peccata, quæ illis ſeculis non expiabantur per pœnitentiam publicam, ſtatim, aut paulò poſt editam Sacerdoti Confeſſionem remittebantur, paucults exceptis, quæ cùm publica erant, communionis Euchariſticæ privatione nonnunquam à canonibus caſtigabantur*. Duæ ſunt iſtius propoſitionis partes: Prior excerpta eſt è *cap*. 31. *libri quinti*, in quo docetur, qua ratione antiquitus ſecundùm criminum genus, quod pœnitentiæ publicæ non erat obnoxium, ſanari ſolebat. Itaque huc referenda ſunt varia illa, & conferta teſtimonia, quæ in hujus rei probationem retulimus. Poſterior autem ex iis decerpta eſt, quæ dicuntur *c*. 2. *libri* 4. & demonſtrantur *capitibus* 3. & 5. ejuſdem libri. Cùm autem crimina illa, & peccata frequentiſſima fuerint; Ideò in Confeſſionibus multò frequentius conjungebatur Abſolutio Confeſſioni, quàm ab ea ſejungebatur.

IX. Decima tertia propoſitio, *In Orientalibus Eccleſiis ab annis mille ducentis Abſolutio à peccatis ſtatim poſt pœnitentiæ impoſitionem, aut etiam peccatorum Confeſſionem dari conſuevit; ſed communio Euchariſtica pro gravitate criminum in longum tempus juxta canones dilata*. Iſta propoſitio fuſè ſatis atque ex profeſſo demonſtrata eſt *cap*. 24. *libri ſexti*; nihilque novi dicendum nobis occurrit. In hac praxi hactenus perſeverant Eccleſiæ Orientales. Nonnulla objici poſſent, ſed loco citato jam ſunt ſoluta.

CAPUT XV.

Ab anno ſeptingenteſimo Abſolutio poſt actam pœnitentiam in Pœnitentiis publicis dari perſeveravit, niſi graves admodum cauſæ intercederent.

Decima quarta propoſitio: *Poſtquam invaluit in Occidente hoc axioma, de criminibus publicis tantùm agenda eſt Pœnitentia publica, de occultis occulta, mos ille Abſolutionis poſt pœnitentiæ actionem concedendæ in pœnitentiis publicis, ut anteà, atque ſeveriùs perſeveravit*. Capite primo libri ſeptimi demonſtratum eſt hoc axioma ante annum ſeptingenteſimum in Occidente vulgari cœpiſſe, & paulò poſt hoc tempus univerſum prope Occidentem pervaſiſſe. Ideò *cap* 2. hujus libri, licèt plurima admodum teſtimonia collegerimus, quibus probatur criminibus, quorum agebatur Pœnitentia publica, Abſolutionem poſt actionem Pœnitentiæ datam fuiſſe, nulla tamen protulimus, quæ illud ſeculum non anteceſſerint, poſterioribus in hunc locum reſervatis.

II. Ca-

II. Capitularium *lib.5.c.71.* diſertiſſimè Eccleſiæ illius temporis mos enarratur, ideò propè integrum referemus. *Qui pęnitentiam publicè gerunt, debent unum annum eſſe cum cilicio inter Audientes, vel uſque ad magnam diem, & populo, quando intrat in Eccleſiam, perfuſi lachrymis veniam poſtulare, precarique qualiter ſeptem annorum pęnitentia agatur cum humilitate, ut pro eis dignentur orare. Tribus verò annis ſubjaceant inter pęnitentes manibus Sacerdotum in loco retro oſtium Eccleſiæ pęnitentibus conſtituto, & ſeorſum, infra tamen ipſam Eccleſiam, ſecluſo populo, tamen jam non in terram proſtrati, ſed vultu, & capite humiliato humiliter, & ex corde, ut ſupradictum eſt, veniam poſtulent, & pro ſe exorare expoſcant. Duobus etiam annis oblationes modis omnibus non ſinantur offerre, ſed populo tantummodo in oratione ſocientur, ut perfectionem ſeptimo in Cęna Domini conſequantur anno, id eſt, per Epiſcopi, vel ejus juſſu, ſi ipſe abeſt, aliorum Sacerdotum manus impoſitionem, abſolutione Sacerdotalium precum communionis Catholicæ gratiam receptari, &c.* Iſaacus Lingonenſis ejuſdem ſeculi auctor in canones ſuos hunc tranſcripſit *tit.1.cap.17.* & conſequenter latus canon in duobus Francorum Conciliis præſidente Bonifacio Moguntino Archiepiſcopo, & poſtmodum à Zacharia Pontifice anno 741. approbatus.

III. Tam longa tantorum laborum interceſſione quid illi ab Eccleſia poſtulant? An levis alicujus ceremoniolæ præſtationem tetrica quadam Eccleſiæ ſeveritate tum inſtitutam, & meritò poſteà abrogatam? nec Paſtores tam imprudenter ſeveri fuerunt, ut hæc imperarent; Nec oves tam ruditer faciles, ut totum quod vitale eſt conſecutæ, acceſſoria quædam per ſpineta tam aſpera, & avia tanto zelo ſectarentur. Diſce Lector, & præſenti facto, quid olim hoc dato caſu factum fuiſſet. Cùm primum poſt editam Confeſſionem ſtatim conceſſa eſt peccatorum Abſolutio, concidit univerſus pęnitentiarum ordo. Rigidæ diſciplinæ exequenda vix animum addit merces ante laborem ſoluta. Sed ne dubitatio animum ſolicitaret, Quid poſtulent pęnitentes ſuis laboribus, quid illis reddatur explicat canon; *Humiliter, & ex corde veniam poſtulant.* Quid illis datur? *Abſolutione precum Sacerdotalium communionis Catholicæ gratia.* Tanta vis eſt Abſolutionis per preces Sacerdotis datæ. *Non eſt mirandum,* inquiunt *ejuſdem libri c.62. Si Abſolutio peccatorum per manus impoſitionem precibus fit Sacerdotum, cùm Dominus in veteri lege ſuper caput hoſtiæ manus Sacerdotis præceperit imponi. Etenim ſicut tunc per illam hoſtiam, ita nunc invocatione Sancti Spiritus, qui eſt remiſſio peccatorum per manus Epiſcoporum, vel reliquorum Sacerdotum impoſitionem ſupplicationibus eorum remittantur peccata, &c. Et ſicut illi prædictum Lazarum inſtitis id eſt funibus colligatum jubente Domino ſolvunt, &c. ita iſti eorum ſupplicationibus auxiliante Domino, & comitante Spiritu S. qui in his ſemper operatur, per manus impoſitionem peccatorum ſolvunt vincula.*

IV. Ejuſdem *libri c.57. Pęnitens oſtenſis neceſſariis Pęnitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiat.* Sed evidentiſſimè *cap.63. Secundum formam canonum pęnitentibus detur pęnitentia, & prius eos à communione ſuſpenſos ad officium Eccleſiæ excubare faciant, & inter reliquos pęnitentes ad manus impoſitionem crebrò recurrere. Expleto autem ſatisfactionis tempore Sacerdotali prece per manus impoſitionem juxta ordinem Sacramentorum, & canonum reconcilient Pęnitentes, & ſacra communione confirment.* Legendum *ſecundùm ordinem Sacramentariorum*, hoc eſt, ſecundùm ordinem libellorum manualium, qui faciendorum ſacrorum ordinem, & ſeriem ſigillatim tradunt. Hos autem manuales libros ſi conſulas, verba demonſtrabunt poſt actam pęnitentiam Sacramentalem peccatorum Abſolutionem præſtari, nec unquam alterius, vel obſcurè mentionem fieri. Eoſdem canones, & eodem titulo *c.6. &* 12. refert Iſaacus Lingon. ideò de iis idem quod de præcedente dicendum.

V. Nec minus evidenter idem docent Capitularia *cap.190. l.7. Ut per ſolemniſſimos dies Paſchales Sacramentum Catechumenis non detur, nec eis, qui à liminibus Eccleſiæ ſunt excluſi: Neque eis ante canonicam reconciliationem, qui publicam gerunt pęnitentiam, ſed tantùm benedictum ſal à Sacerdotibus pro communione tribuatur. Et quia fideles per illos dies Sacramenta non mutant, nec Catechumenos vel publicè pęnitentes oportet mutare.* Non eſt hujus loci inquirere, quid ſit benedictum illud ſal, & quare Catechumenis daretur: Sed quidquid illud ſit, ut & de aliis, quæ in hoc canone leguntur, Manifeſtum eſt publicè pęnitentibus, ne in die quidem Paſchatis, niſi conſummata eſſet eorum pęnitentia, aut conſummationi proxima, reconciliationem conceſſam fuiſſe. Initium iſtius canonis quod in Capitulari nullum fundit commodum ſenſum ex *canone* 5. Concilii 3. Carthagin. unde magna ex parte decerptus eſt, emendavimus. Eadem praxis evidenter quoque ex *cap.52.77. & 69. l.5.* colligitur, & evidentiſſimè ex *c.143. lib.7.* quem refert Iſaacus Lingon *tit.1.c.35.* qui omnia remittit ad Sacramentarium, & ordinem Romanum. Itaque nulla videtur eſſe poſſe hac in re dubitatio, cum ordinum illorum, & Sacramentorium multa exemplaria in hunc uſque diem ſuperſint, nonnullaque nacti fuerimus. Hos autem Capitularium canones retulimus libro præcedente.

VI. Rabanus Maurus *lib.2 de Inſtit. Clericorum c.30. Satisfactio eſt cauſas peccatorum, & ſuggeſtionem excludere, & ultra peccatum non iterare. Reconciliatio verò eſt, quæ poſt complementum pęnitentiæ adhibetur.* Brevius, & clarius hoc exprimere non poterat. Ordinis quoque quem obſervat ratio id evincit: Nam capite præcedente multis de pęnitentia, illius impoſitione, & actione diſſeruerat; poſteà ſatisfactionis, & reconciliationis explicationem aggreditur. Deinde ſcribit peccatorum publicorum pęnitentiam eſſe publicè faciendam *per tempora, quæ Epiſcopi arbitrio pęnitentibus ſecundùm differentiam peccatorum decernuntur, eorumque reconciliatio in publico eſſe debet ab Epiſcopo, ſive à Presbyteris, juſſu tamen Epiſcoporum.* Et paulò poſt, *Quali autem tempore reconciliatio pęnitentium fieri debeat, oſtendunt decreta Innocentii, &c.* affert vulgatum illud decretum de reconciliandis pęnitentibus in die Cœnæ Domini. Ex definitione reconciliationis, & aliis, quæ adjungit, de iis per quos, & de die in quo facienda eſt, evidens eſt eo tempore poſt peractam pęnitentiam publicam fuiſſe factam reconciliationem Concilium Pariſienſe, VI. *in to.2. Conciliorum Galliæ l.1.c.54. & c.179. libr.6.* Capitul. prohibent ne Pęnitentes publici aliquem de ſacro baptiſmatis fonte ſuſcipiant, aut confirmandorum Patroni ſint, *Donec per dignam pęnitentiæ ſatisfactionem reconciliationem mereantur. Nec immeritò, quoniam quos & lex divina à caſtris militaribus, ne ruina ſiat populi, & auctoritas canonica ab Eccleſiarum ſequeſtrant liminibus, multo magis à memoratis peragendis officiis uſque ad tempus pęnitentiæ peractum, dignamque perceptam reconciliationem, hujuſcemodi meritò ſunt excludendi.* Idem conſtat apertiſſimè ex pęnitentia publica Clerico canonico impoſita in regula Chrodogangi Mediomatricum Epiſcopi quam deſcripſimus *c.7. lib.7.* Nam ante reconciliationem acceptam ne benedicere quidem pœnitenti permittitur.

VII. Concilium apud Tuſiacum celebratum anno 860. ſcribit, Epiſcopos ſæpe videre non poſſe, qui digni ſint anathemate; atque ideò illos non excommunicare. Jam tamen, inquiunt, qui talis eſt *à ſacris canonibus excommunicatus, & prælatus nutus eſt, donec peccatum illud deſerat, & per ſatisfactionem Eccleſiaſticam, & Sacerdotalem reconciliationem, Domini gratiam, & fidelium ſocietatē recipiat: Et quicunque in peccatis ſuis, & talibus ſceleribus implicatus ante ſatisfactionem neceſſariam vitam iſtam finierit, communionem, & ſocietatem cum Electis in regno Dei habere nullatenus poterit, &c.*

VIII. Quid clarius his verbis Concilii Triburienſis canone ultimo, quod poſt præcedens annis 35. celebratum eſt. Poſtquam multis canonibus ſingulas, & minutulas partes pęnitentiæ Homicidæ imponendæ, tandem ſic concludit, *His ſeptem annis rite expletis reconcilietur, & more pęnitentium ſacris altaribus, & ſanctæ communioni reſtituatur, atque perfectionem conſequatur.* Burchardus *lib.19* variis locis Decreti ſui ex canonibus colligit, & contendit hoc eſſe faciendum, *cap.41.* ex Concilio Laodiceno, *De his, qui diverſis facinoribus peccaverant, & perſeverantes in oratione converſionem à malis habuere perfectam; per qualitate delicti, talibus poſt pęnitentiæ tempus impenſum, propter clementiam, & bonitatem Dei communio concedatur.* Et *c.63.* ejuſdem libri, *pęnitentes non debent communicare ante conſummationem pęnitentiæ.* Eundem habet canonem Ivo *par.15.cap.77.* Et *cap.143.* ex Concilio Moguntino *c.23 Non reconcilientur pęnitentes, ſi neceſſitas non coegerit, niſi poſt peractam pęnitentiam.* Eundem canonem ex eodem Concilio repetit Ivo *parte 15.c.153* Hanc cauſam in hypotheſi tractatam, & iſtius diſciplinæ varias rationes lege apud eundem Ivonem *Epiſt.230* cujus magnam partem quæ expreſsè ad quæſtionem præſentem ſpectat, retulimus ſupra *libri 1. c.16.* quare ejus repetitione ſuperſedemus.

IX. In Concilio Londinenſi anno 1102. in fine, *Sodomiticum flagitium facientes, & eos in hoc voluntariè juvantes, in eodem Concilio gravi anathemate damnati ſunt, donec Confeſſione, & pęnitentia Abſolutionem mereantur.* Hanc fuiſſe ordinariam Eccleſiæ diſciplinam demonſtrant libri pęnitentiales, Sacramentaria, & officiorum ordines, in quibus videre ſemper eſt, reconciliationem concedi poſt actam pęnitentiam: ſic in ordine Romano edito, & aliis in Cœna Domini, *Tunc egreditur Pęnitens de loco, ubi pęnitentiam geſſit, ut gremio præſentetur Eccleſiæ.* Et in ſolemni præſentatione, quæ incipit, *Adeſt, ò vera-*

mirabilis Pontifex, &c. Affirmat Archidiaconus Epiſcopo, Pœnitentes, quos illi offert, ſcelerum Pœnitentiam ſtrenuè egiſſe, *Manducavit, ſicut ſcriptum eſt, panem doloris, lacbrymis ſtratum rigavit, cor ſuum luctu, corpus afflixit jejuniis, ut animæ ſuæ reciperet, quam perdiderat, ſanitatem, &c.* Ideò Pontificem obnixè rogat, ut eos reconciliare dignetur. Nonnulli Ordines, & Pontificalia Epiſcopum inducunt interrogantem Archidiaconos, & Decanos, an bene ſciat Pœnitentes quos abſolvendos offerunt, Abſolutione dignos eſſe. Quæ ſanè omnia fruſtra ſunt, ſi pœnitentiæ actionem præcedit reconciliatio. Denique idem teſtantur nonnullæ ritus reconciliationis orationes, *Majeſtatem tuam ſupplices deprecamur, ut his famulis tuis longo ſqualore pœnitentiæ maceratis, miſerationis tuæ veniam largiri digneris, ut nuptiali veſte recepta, ad regalem menſam, unde ejecti fuerant, mereantur introire.* Et iterum oratione ſequente, *Reſpice flentes famulos tuos, attende proſtratos, eorumque planctum in gaudium tua miſeratione converte, ſcinde delictorum ſaccum, & indue eos lætitiam ſalutarem, ut poſt longam peregrinationis famem de ſanctis altaribus tuis ſatientur.* Diù igitur in arcta pœnitentia præſumebantur ante reconciliationem detenti.

X. Quæ in ſeculis ſeptimum antecedentibus excipiebantur, poſteà quoque excepta ſunt: Hoc eſt, cùm animæ perniciem aliquam quæcunque illa fuerit, imminere crediderunt, faciliùs & celerius, atque etiam ſtatim reconciliationem veræ Pœnitentiæ ſigna edenti redhibuerunt. Nonnulla tamen pericula, quæ antiquitus frequentia eſſe poterant, veluti ne ad Gentiliſmum, aut ad Hæreticos transfugerent, aut Eccleſiam prorſus deſererent, minus certè frequentia fuerunt, propter Principes Epiſcopis, ne Eccleſiaſtica diſciplina diſſolveretur, auxilia ferentes. Qua de re lege, quæ ſcripſimus *l.7.c.5. & 6.* Poſſunt etiam huc referri, quę nos docent variorum ſeculorum hiſtorię de Principum zelo in promovenda, & ſtabilienda religione Chriſtiana, Gentiliſmo quoque, & Hæreſibus eradicandis. Iſta ſanè Epiſcopis animos ſæpe addiderunt, ut fortius, & ſeverius in peccata ſecundum canones animadverterent. Quo enim à memoratis periculis longius abſuerunt, eò liberius, & diligentius ſuo munere functi ſunt, criminumque Reos intra diſciplinæ Eccleſiaſticæ repagula coercuerunt. Iſtius diligentiæ, & ſeveritatis ſpecimina multa enarrata ſunt *cap. 3. & 4. lib. 7.* quæ jam dictorum probationi ſufficere poſſunt.

CAPUT XVI.

Ab eodem tempore ſæpe in Pœnitentia publica, ſed diuturniore, Abſolutio multis annis ante finem Pœnitentiæ conceſſa eſt, nonnunquam etiam communio Euchariſtica. Sæpe etiam poſt Pœnitentiæ ſtadium decurſum, & perfectam cum fidelibus aggregationem Pœnitentia aliqua reliquo vitæ tempore agenda imponebatur.

DEcima quinta propoſitio, *Ab anno poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo in diuturnis Pœnitentiis ſæpe Abſolutio, & nonnunquam cum communione Euchariſtica, data eſt annis aliquot ante Pœnitentiæ impoſitæ finem.* Propoſitionis iſtius duæ ſunt partes, quas ſeorſim demonſtrabimus: Prior Abſolutionem ſpectat; Poſterior communionem Euchariſticam, quæ priorem ſemper adeſſe, aut adfuiſſe ſupponit. Priorem partem in uſu fuiſſe antiquitus potiſſimum apud Orientales, jam probatum eſt initio *cap.6.* in ſecundę propoſitionis explicatione, quę eadem eſt cum hac priore parte. Nunc poſterioribus ſeculis idem in Occidente uſurpatum fuiſſe demonſtrandum eſt. Can. 17. Concilii Nannetenſis imponitur Pœnitentia Homicidæ voluntario. *Si Laicus eſt, à communione orationum quinquennio removeatur: Poſt quinquennium tantùm in orationum communionem recipiatur, non autem offerat, non Corpus Domini contingat. In quo perdurans quatuordecim annis, tunc ad plenam communionem cum oblationibus recipiatur.* Et canone ſequente homicidæ involuntario cum eodem temperamento imponitur, *Biennio ab oratione fidelium ſegregetur, non communicet, nec offerat. Poſt biennium in communione orationis offerat, non tamen communicet. Poſt quinquennium ad plenam communionem recipiatur.* Manifeſtum eſt, ex canonum verbis Orationum communionem eſſe illis Patribus Abſolutionem à peccatis, quam ſequitur corporis Chriſti communio. Fusè hoc probavimus *libro 6. cap.21.* In Pœnitentia igitur annorum quatuordecim anno ſexto datur Abſolutio à peccatis, & novem poſt annis communio perfectiſſima. In quinquennii verò Pœnitentia tertio anno eadem Abſolutio datur, ſed perfectio tertio poſt vertente. Ita quoque faciendum jubet Ivo Decreti *parte 10. c. 141. & 145.* ubi eoſdem canones repetit. Similiter edicit ex Concilio Ancyrano Pęnitentiale Romanum *tit.3. Quindecim annis exactis in Pęnitentia, communionem mereantur orationum: Deinde quinquennio in hac communione durantes tunc denuo oblationis Sacramenta contingant.* Idem poſteà de aliis in eodem canone enuntiatur. Capite quoque 19. ejuſdem tituli, eadem pœna bis iiſdem fere verbis infligitur. Et repetitur ex eodem Pęnitentiali hic canon à Burchardo *lib 17.c.38.* ſed præcedentem innovant, & promulgant Rabanus in Pœnitentiali *cap.6.* Burchard. *lib.17.cap.30.* & Ivo *pag.9.c.88.* Refert idem Ivo Decret. *p.9.c.10.* ex Alexandr. II. Pontificis Epiſtola ad Epiſcopum Baſileenſem, decretam cuidam filiæ patrui ſui corruptori quatuordecim annorum Pœnitentiam, in qua ingreſſus Eccleſiæ, & communio duobus tantùm annis prohibentur. Parte verò 10. *cap. 16.* refert ejuſdem Alexandri Pontificis aliam Pœnitentiam decem annorum cuidam impoſitam, qui Presbyterum in ſe irruentem occiderat, in cujus fine ſimiliter ſcribit, *Ab ingreſſu autem Eccleſiæ, & communione ſeptem annos abſtineat.* Iniit autem Pontificatum Alexander II. anno 1061.

II. Poſterior quoque pars multis exemplis demonſtrari, & illuſtrari poteſt, ex quibus facilè colligitur, quæ fuerit illorum ſeculorum Eccleſiaſtica praxis. Nicolaus I. Papa in Pœnitentem 12. annorum, quam imponit cuidam VVimaro trium filiorum ſuorum interfectori vult, *Ut ſeptem annorum curricula abſque communione Dominici corporis, & ſanguinis ducat.* Reliquis annis Pęnitentiam complens communione non privabitur. Hæc in appendice *Epiſt.18. & tom.3. Concil. Galliæ* an. 860. Refert quoque Ivo *part. 10. c. 33.* Et in eodem tomo ad ann. 867. ex eodem Nicolao, ut & *12. q.2. c.17. ex Epiſtola ad Fratarium Burdeg. Epiſcopum, Quarto præterea anno ſi his prioribus tribus annis fructuoſus fuerit Pœnitentiæ labor, communioni fidelium reſtituantur, totaque mentis intentione ſpondentes talia ſe ulterius nunquam facturos, corpus & ſanguinem Domini ſuſcipere mereantur, & uſque ad ſeptimum annum, tribus in hebdomada diebus ſine uſu carnium, & vini potatione maneant Pęnitentes.* Idem denique Papa eodem loco *tom. 1. & 3.* Concil. Galliæ in Pœnitentia duodecim annorum è communione corporis, & ſanguinis Domini quinque tantùm annos eximit, *Quarta deinde, atque quinto inter Auditores omnipotentem exorare ſtudeat abſque corporis, & ſanguinis Domini ſuſceptione. Reſiduis præterea ſeptem annorum curriculis communionem Dominici Sacramenti ſuſcipere liceat celeberrimis feſtivitatum diebus, oblationes quidem nullatenus offerendo, &c.* Simile decretum Nicolai I. legere eſt apud Burchard. *lib.6.c.46.* & Ivonem *parte 10.c.173.* & Alexandri II. apud eundem Ivonem eadem parte *c.177.* ubi ſeptem annorum Pęnitentiam fratricidę indicit, & initio quinti anni communionem corporis, & ſanguinis Chriſti illi permittit, adjungitque ut *Sexta feria donec vixerit jejunet.* Sequens capitulum ex alia ejuſdem Alexandri Epiſtola deſumptum ſimile eſt præcedenti.

III. Sed præteriri non debet, quod ibid. refert Ivo *cap 186.* ex Stephano III. Pontifice de muliere, quæ filios ſuos necaverat, & jam ſeptennem Pœnitentiam egerat, *Volumus, & miſericorditer mandamus, ut ſacris feſtivitatibus, id eſt, reverendæ Nativitatis, & ſancti Paſchæ, atque Pentecoſtes, & Natalis ſanctorum Apoſtolorum ſacrum corpus, & ſanguinem Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſumere debeat: Et diebus vitæ ſuæ in monaſterio retruſa monachicam vitam regulariter ducat.* Eandem praxim ſui temporis docet Theodulphus in Capitulari *c.44. Sicut periculoſum eſt impurum quemque ad tantum Sacramentum accedere; ita etiam periculoſum eſt ab hoc, prolixo tempore abſtinere, ſolva ratione eorum, qui Excommunicati, non quando eis libet, ſed certis temporibus communicant.* Concilium Vormatienſe can 30. hujus praxis rationem reddit. *His ita peractis, ſi Pęnitentiæ fructus in eis conſpicitur, corporis, & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti participes fiant, ut deſperantiæ non inducentur caligine, carnem non manducent omnibus diebus vitæ illorum, &c.* Idem prorſus Pœnit. Romanum *tit.1.c.22.* & Nicolaus I. apud Ivonem *p.10.c.180.*

IV. Decima ſexta propoſitio: *Iiſdem ſeculis non modò poſt Abſolutionem à peccatis, atque etiam corporis, & ſanguinis Chriſti communionem, ſed etiam poſt decurſum Pęnitentiæ ſtadiũ, ſæpè imponebatur aliqua Pęnitentia reliquo vitæ tempore agenda, ita ut frequenter Pęnitentibus diceretur, & nunquam ſis ſine Pęnitentia.* Obſervatio propoſitionis præcedentis praxi antiquæ non ſine cauſa inſolens videri potuit: Erat enim omninò præter ipſorum uſum, pœnitentialiumq; pœnarum rationem, Pœnitentiæ ſtadium poſt reconciliationem perfectiſſimam, & abſolutiſſimam extendere. Sed praxis poſtrema iſta propoſitione explicata multò videtur inſolentior: Illis tamen ſeculis in caſti-

caſtigatione ingentium ſcelerum fuit uſitatiſſima, ut ſequentibus exemplis colligetur. In Pœnitentiali Romano *tit.1. cap.2.* Sacerdotis interfectori duodecim annorum Pœnitentia inducitur, *Cùm autem fuerit duodecim annorum curſus finitus, communicandi, & licentia concedatur, & equitandi tribuatur remiſſio: maneat autem in reliquis obſervationibus tres dies per hebdomadam, ut perfectiùs purgari mereatur*. Concilium Moguntinum anno 888. celebratum idem iiſdemque verbis ſtatuit, ita ut unum ab altero videatur deſumptum. Idem quoque ſtatuit in eoſdem Homicidas Concilium Vormatienſe an.868. *can.* 26. ſed pœnitentiam anno decimo terminat, ut & Triburienſe *canone* 5. *Quo verò expleto, cùm decimi anni curſus fuerit expletus gratia communicandi, & licentia concedatur ei. Maneat autem in reliquis obſervationibus tres dies per hebdomadam, ut purificationis mereatur culmen*. Ejuſdem Pœnitentialis *titulo* 1.*cap.*34. Interfectori Clerici cujuſcunque gradus, ſive ordinis pœnitentiam imponit quadraginta dierum in pane, & aqua cum ſeptem ſequentibus annis. Deinde ſubjungit, *Omnis Presbyter octo ordines habet: Quapropter omnis, qui interfecerit voluntariè Presbyterum, ita debet pœnitere, ut octo homicidia ſponte commiſſa, & nunquam debet eſſe ſine pœnitentia*. Eadem prorſus habet Burchard. *lib.19.c.5.* ultima interrogatione de homicidiis. Titulo verò tertio *cap.20.* quo Pœnitentia variis Mœchiæ, & fornicationis ſpeciebus imponitur, quinquies, aut ſexies edicitur, *Et nunquam ſis ſine pœnitentia. Tituli quoque 2. cap.5. & 6.* quæ leguntur etiam apud Butch. *lib.12. cap.8. & 9.* & apud Ivonem *parte 12. cap.65. 66.*

V. Sæpe apud Butchardum *lib.19.* in interrogationibus permultis, quæ *capite* 5. Pœnitenti fiunt, & quarum unicuique pœnitentia decernitur, appendix iſta ſæpius repetitur, initio, *His expletis ſacram communionem accipias, ea ratione, ut non ſit ſine Pœnitentia quandiù vivas, ſed in omni vita tua omnes ſextas ferias in pane, & aqua pœniteat*. In fine Pœnitentiæ Adulterio impoſitæ, *& nunquam debes eſſe ſine Pœnitentia*. Pœnitentiam inceſtus cum ſanctimoniali ſic concludit, *Et quandiù vivat omnes ſextas feriat in pane, & aqua obſerves*. Et paulò poſt in eo, qui uxoris Lenocinium exercuit. Similiter de diſcidio conjugii, & de inceſtu cum ſorore, & cum Amita, & de irrationali concubitu. In eos qui conceptum ex adulterio necant ex Concilio Ilerdenſi, *Poſt ſeptem annorum curricula communio tribuatur, ita tamen ut omni tempore vitæ ſuæ fletibus, & humilitati inſiſtant*. Ter continuò in variis criminibus eadem appendix adtexitur. Pœnitentiale quoque Bedæ, *Si adoleſceat ſororem, ſeptem annos pœniteat; ſi matrem, ſeptem annos, & quandiu vixerit, nunquam ſine pœnitentia*. Multa hujus moris exempla deprehenduntur in Conciliis Anglicis ſub Edgaro Rege anno 967. *can.6.9. 11.12. 29.45.46.* Et ibidem inter excerpta Ecberti Archiepiſcopi *cap.124.*

VI. Idem conſulebat faciendum auctor antiquus *libri de vera, & falſa Pœnitentia*, cùm ſic ſcribit *cap.13. Semper doleat, ſemper coram Domino ante quem peccavit, erubeſcat; dolorem cum vita finiat, &c. Ubi enim dolor finitur, deficit & pœnitentia. Si autem pœnitentia finitur, quid relinquitur de venia? Tamdiu enim gaudeat, & ſperet de gratia, quandiu ſuſtentatur à pœnitentia, &c. Hinc ſemper doleat, & de dolore gaudeat, & de doloris pœnitentia, ſi contigerit, ſemper doleat. Et non ſit ſatis, quòd doleat, ſed ex fide doleat, & non ſemper doluiſſe doleat.* Non videntur enim iſta verba de dolore tantum interno intelligenda, ſed etiam de exteriore aliqua pœnitentia, quæ interioris ſit argumentum, ut ex *capite* 15. evidenter conſtat. *In omnibus dolens aut ſeculum derelinquat, aut ſaltem illa, quæ ſine adminiſtratione mali non ſunt adminiſtrata, ut mercatura, & militia, & alia, quæ utentibus ſunt nociva*, & cætera, quæ multis ſequuntur. Clarius ad huc ſeſe explicat *cap.19. Continuè enim dolendum eſt de peccato, quod declarat ipſa diſtrictionis virtus. Pœnitere enim eſt pœnam tenere, ut ſemper puniat in ſe ulciſcendo, quod commiſit peccando. Pœna enim propriè dicitur læſio, qua punit, & vindicat, quod quiſque commiſit. Ille igitur pœnam tenet, qui ſemper punit, quod commiſiſſe dolet*. Scholaſtici poſt Magiſtrum in 4. *diſt.* 14. antiquioris moris immemores in candido ſermone varias nubeculas conſpexerunt, quæ à re noſtra prorſus alienæ ſunt.

CAPUT XVII.

In Pœnitentiis occultis de criminibus occultis, ab eodem tempore Abſolutio poſt actum pœnitentiam ordinariò conceſſa eſt. Frequentiſſimè tamen, & propter cauſas non admodum graves ſtatim poſt confeſſionem, atque etiam aliquanto poſt, ſed longè ante Pœnitentiæ finem, concedi juſſerunt illorum ſeculorum canones, & libri pœnitentiales.

Morin. de Sacram. Pœnit.

DEcima ſeptima, & poſtrema propoſitio: *In Pœnitentiis occultis, quæ de quibuslibet criminibus occultis à tempore adnotato agi ſolebant, Abſolutio à peccatis, ut in publicis actâ pœnitentia concedi ſolebat. Frequentiſſimè tamen, & propter cauſas non admodum graves per anticipationem ſtatim poſt Confeſſionem, aut aliquanto poſt. Sæpe data pœnitentia initio quadrageſimæ Abſolutio in Cœna Domini juxta canones, & pœnitentiales libros illorum temporum concedebatur*. Prior propoſitionis iſtius pars evidenter demonſtrari poteſt ex iis, quæ expoſita ſunt *cap.18. & 19. libri quarti, & c.20. & ſequentibus libri ſeptimi*, ubi probatum eſt, inter publicam, & occultam pœnitentiam ſolius ſolemnitatis diſcrimen fuiſſe; & eaſdem pœnas canonicas criminibus occultis in pœnitentia privata impoſitas fuiſſe, quæ publicis in pœnitentia publica. Nonnulla tamen huc referemus, quæ praxim iſtam demonſtrabunt. Capitularium *lib.5.c.52. Si verò occultè, & ſponte confeſſus fuerit, occultè fiat*. Manus illi ad dandam pœnitentiam imponatur. *Et ſi publicè ac manifeſtè convictus, aut confeſſus fuerit, publicè ac manifeſtè fiat; & publicè coram Eccleſia juxta canonicos pœnitens gradus. Poſt peractum verò ſecundùm canonicam inſtitutionem pœnitentiam occultè, vel manifeſtè, canonicè reconcilietur, & manus ei cum orationibus, quæ in Sacramentario ad reconciliandum pœnitentem continentur, imponatur, ut divinis precibus, & miſerationibus abſolutus à ſuis facinoribus eſſe mereatur; quoniam ſine manus impoſitione nemo abſolvitur ligatus*. In utroque pœnitentiæ genere, ut Abſolutio detur, pœnitentiæ actionem præcedere jubet.

II. Libro 6. Cap.c.203 *Quia varia neceſſitate præpedimur canonum ſtatuta de reconciliandis pœnitentibus pleniter obſervare.* (Epiſc. loquuntur.) *Propterea omnino ad dimittatur, ut unuſquiſque Presbyter juſſione Epiſcopi de occultis tantùm, quia de manifeſtis Epiſcopis ſemper convenit, judicet, Et ſtatim poſt acceptam Confeſſionis pœnitentiam ſinguli data oratione reconcilientur.* Coguntur illi Epiſcopi in Pœnitentium reconciliatione nonnulla contra canones agere. Quid illud verò? in privata reconciliatione ſtatim poſt confeſſionem, & datam Pœnitentiam Pœnitentem reconciliare. Hunc in gravioribus criminibus occultis invaleſcentem uſum, licèt contra canones uſurpatum, non audent tollere ſed illi connivent. Ordinaria igitur, & canonica conſuetudo in gravioribus criminibus licèt occultis erat acta pœnitentia Abſolutionem ſeu communionem præſtare.

III. In Concilio Pariſienſi 6. an.829. celebrato *lib.1. c.46.* de Confeſſionibus Monialium, & Monachorum, ſtatuitur, quibus fieri debeant: Prohibetur quoque, ne Clerici, & Laici Epiſcoporum, & Presbyterorum Canonicorum judicia declinantes Monachos Sacerdos adeant, *Præſertim*, ajunt Patres, *cum eiſdem Sacerdotibus Monachis id facere fas non ſit, exceptis his duntaxat, qui ſub Monaſtico ordine ſecum in Monaſteriis degunt*. Statuti autem ſui hanc Patres rationem reddunt, *Illis namque eſt confeſſio peccatorum facienda, à quibus ſubinde & modus pœnitentiæ, & conſilium ſalutis capiatur, & à quibus poſt tempora pœnitentiæ peracta ſecundùm canonicam inſtitutionem, ſi Epiſcopus juſſerit, reconciliatio mereatur*. Manifeſtum eſt Patres de Pœnitentia in genere, ſed potiſſimùm de privata, verba facere, cum de Monachis, & Monachabus ſit illis ſermo, apud quos rariſſimus eſt Pœnitentiæ publicæ uſus, ac conſequenter ex eorum mente rationem iſtam ad pœnitentiam privatam eſſe hic reſtringendam.

IV. Concilium Vormatienſe *can.36.* ſtatuit, eum, qui viduam duxit, & poſteà cum ejus filia rem habuit, Pœnitentiæ ſanctionibus ſubjacere, triennii tempore à ſacro corpore Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſuſpendi, &c. Poſteà ſubdit, *Simlliter autem de mulieribus, quæ clanculo Patri ſe in concubitu ſubſternunt, & filio, obſervandum eſt. Taliter quidem, & de his ſancimus, qui duabus ſe ubſconſe ſororibus pollutos cognoſcunt*. Eadem planè κατ' ἄλλων decernuntur de iiſdem criminibus, quorum unum eſt publicum, alia occulta. Sequente teſtimonio quid clarius? Iſaacus Lingonenſis *tit.3 cap.9.* hunc canonem refert ex libro Capitular.7. *cap.* 382. juxta antiquas diſtinctiones, nunc legitur 298. In aliis editionibus poſt *librum 7. cap.4. Mulier habens virum, ſi adulterium perpetraverit, & occultè ad Confeſſionem venerit, ſeptem annis pœniteat; tres in pane, & aqua: cæteros quatuor in providentia erit Sacerdotis, qualiter eam viderit poſſe, & ita ei ciborum abſtinentia imponatur. Similiter & vir habens uxorem, &c.* Poſteà canon docet, ſi crimen publicatum fuerit, quid agendum ſit, *Dimittat*, inquit, *uxorem ſi voluerit propter fornicationem: Illa verò ſecundùm quod ſuperius inſertum eſt, publice agat pœnitentiam*. Nulla igitur eſt inter Pœnitentiam occultam, & publicam de hoc crimine differentia præter hanc, quod in crimine publico uxorem poteſt dimittere, in occulto non poteſt. Quia revera occulta Pœnitentia à publica

non differt, niſi in iis, quæ occultæ Pœnitentiæ naturam evertunt, hoc eſt, quæ ex occulta publicam faciunt. Ut in data hypotheſi, in occulta pœnitentia uxorem dimittere non licet, eo quod uxoris dimiſſio, actio ſit planè publica.

V. Addit iterum canon, virum poſſe, ſi velit, uxori reconciliari cum hac conditione, *Ita tamen pariter cum illa pęnitentiam agat, & exacta pœnitentia ad communionis gratiam, ſicut ſuperius inſertum, utrique accedant*. Ergo quod initio canonis dictum eſt juxta id, quod præcipit ipſe canon, de communione poſt exactam, & completam pęnitentiam eſt intelligendum. His accedit, quod nuſquam leges in canonibus, aut auctoribus illorum temporum hanc diſtinctionem, aut quid ſimile, ſi occultum crimen, ſtatim Abſolutio concedetur; ſi publicum, poſt actam pęnitentiam; ſed uno, & eodem prorſus modo ubique criminibus occultis, & publicis pęnitentia indicitur, actiones, quæ neceſſariò publicæ ſunt, ſi excipias, quibus canones Pœnitentiam occultam, ut vidimus, eximere ſolent. Solam moribundorum hypotheſim à lege generali excipiunt: Tum enim ſæpius edicunt, ut libro ſequente demonſtrabimus, ſtatim poſt Confeſſionem, & pęnitentiæ impoſitionem eos eſſe reconciliandos, & Euchariſtiæ viatico paſcendos; quod certiſſimum argumentum eſt aliis in cauſis eandem eſſe pęnitentiæ occultæ, & publicæ rationem. Hinc aliud conſequitur, omnia nempe argumenta quibus probatum eſt, Abſolutionem in pęnitentia publica concedi poſt pœnitentiæ actionem, idem de pęnitentia privata demonſtrare.

VI. Poſterior propoſitionis pars, quæ prioris eſt exceptio, multis partibus conſtat, ſed omnes iiſdem fundamentis nituntur. Demonſtratur autem primùm iis auctoritatibus, & rationibus, quibus eadem exceptio in pęnitentia publica probata eſt. Nam ſi in pœnitentia publica propter varias, & graves cauſas Abſolutio ſæpe ante omnem pęnitentiæ actionem conceſſa eſt, ſæpe in media pęnitentiæ actione, multò ſanè magis id licitum fuit in pœnitentia privata. Similiter ſi primis Eccleſiæ ſeculis Abſolutio ſimul cum Confeſſione concedi ſolebat in criminibus, quæ cenſuris canonicis non erant inuſta, quidni & criminibus occultis, quorum pęnitentia occultè tantùm agebatur, aliquando propter graves cauſas id fieri potuit?

VII. Multa ſunt præterea antiquorum auctorum teſtimonia, quæ hanc exceptionem diſertiſſimè exprimunt, & priori propoſitionis parti adtexunt. Antiquus ordo Romanus in capite Jejunii ita monet, *In primis præmonere debet Sacerdos omnes Chriſtianos ex ſacris ſcripturarum teſtimoniis quatenus in capite jejunii ad veram confeſſionem, veramque pęnitentiam feſtinantiùs accedant. Denique admonendi ſunt, in Cœna Domini redeant ad (Concil.) reconciliationem. Si verò (ineſt) intereſt cauſa aut itineris, aut cujuslibet occupationis, aut ita forte hebes eſt, ut ei hoc Sacerdos perſuadere nequeat, injungat ei (tam) jam quadrageſimalem quamque annualem pęnitentiam, (& concil.) & reconciliet eum ſtatim*. Antiquiſſimus ejuſdem ordinis codex ante ſeptingentos, & aliquot annos manuſcriptus eadem habet: variæ tantùm viſuntur lectiones adnotatæ. Similiter antiquum Pontificale Toloſanum ſi incipit ritum ad imponendam pęnitentiam, *Præmonere debet Sacerdos eos, qui ſibi confiteri ſolent, ut in capite jejunii, id eſt, feria 4. Quadrageſimæ concurrere incipiant ad renovandam confeſſionem. Et tunc ſuſcepta ſecundum prolatam rationem Confeſſione indicat ſingulis congruam pęnitentiam, ſive obſervantiam uſque in Cœnam Domini. Magnopere intimans illis in præſenti, ut tunc ad reconciliandam feſtinare nullatenus parvi pendant. Si verò intereſt cauſa, aut itineris, aut cujuslibet occupationis, aut ita forte hebes eſt, ut ei hoc Sacerdos perſuadere nequeat, injungat ei tam quadrageſimalem, quàm & annualem pęnitentiam, & reconciliet eum ſtatim*.

VIII. Alcuinus in libro de divinis officiis ubi de capite jejunii. *In primis præmonere debet Sacerdos omnes Chriſtianos ex ſacris ſcripturarum teſtimoniis, quatenus in capite Jejunii, hoc eſt, hodie ad veram Confeſſionem, veramque pęnitentiam feſtinantiùs accedant*: Poſteà citatis teſtimoniis ex S. Hieronymo, & Gregorio proſequitur. *Denique admonendi ſunt, ut in Cœna Domini redeant ad reconciliationem, ſicut in conſequentibus dicetur. Si verò intereſt cauſa, aut itineris, aut cujuslibet occupationis, aut ita forte hebes eſt, ut ei hoc Sacerdos perſuadere nequeat, injungat ei tam quadrageſimalem quàm annualem pęnitentiam, & reconciliet eum ſtatim*. Agitur in illis teſtimoniis, ut clarum eſt, de Confeſſionibus ordinariis privatis, ad quas Parochi Chriſtianos omnes inſtante Quadrageſima exhortari ſolent: Vides propter cauſas non admodum graves ſtatim Abſolutionem concedi poſt Confeſſionem, & pęnitentiæ impoſitionem, totamque pęnitentiam poſt Abſolutionem, ut nunc fieri ſolet, compleri. Conſuetum tamen fuiſſe, ut plurimùm, pęnitentiam confitentibus in capite Quadrageſimæ imponi, reconciliationem tamen in finem ejuſdem Quadrageſimæ differri. Vides denique poſt Pœnitentiam Quadrageſimalem non modò Abſolutionem dari, ſed etiam Abſolutione accepta ſupereſſe annuam pęnitentiam, quæ videlicet reliquo anni tempore, ſi hoc crimen meruiſſet, ſubeunda erat. Iſta autem omnia de criminibus intelligenda ſunt perpetrari ſolitis, non autem de atrocibus, quæ canones multorum annorum pęnitentia mulctant: Non enim canonibus, & Conciliis legitimi pęnitentiales contradicebant, de qua re legere potes, quæ dicta ſunt *capite ultimo libri 7. & cap. 15. libri 6*. Deinde conſentiunt ipſi pęnitentiales, qui gravibus illis ſceleribus multorum annorum pęnitentias inducunt.

IX. In Pœnitentiali Ecberti Cantuarienſis Archiepiſcopi aliquanto adhuc evidentius iſta explicantur. Poſt longam Confeſſionis, & pęnitentiæ imponendæ deſcriptionem, & aliquot orationes, quibus Deus rogatur, ut pęnitentiam impoſitam legitimè exequatur, additur, *Expleta pęnitentia, ſi homo intelligibilis eſt, veniat ad Sacerdotem, & reconciliet eum. Si verò ſimplicem, vel brutum eum intellexeris, ſtatim reconcilia eum, ita dicendo, Præſta, quæſumus, huic famulo tuo ill. &c. Omnipotens ſempiterne Deus confitenti tibi huic famulo tuo ill. &c*. Poſt iſtas orationes additur, *Si tempus vacet, dic illas alias: ſi non iſtæ duæ ſufficiant, & omni tempore quando ad ægrotum veneris, data Pœnitentio ſtatim reconcilia eum dicendo, &c*. Ordinaria igitur praxi Abſolutio Pęnitentiæ actionem ſequitur, ſed contrarium tamen cauſa non gravi intercedente ſæpiſſimè fieri ſolebat, & ſemper cum de ægrotis agebatur. Notandum autem Ecbertum de quolibet anni tempore verba facere: Nam id, quod pęnitentiales nonnulli libri de Quadrageſimali tempore præſcribunt, id occaſione data quolibet anni tempore fieri ſolebat. Referunt autem hoc potiſſimùm ad Quadrageſimale tempus, eo quod ab omni ævo Chriſtiana plebs ad communionem Corporis, & Sanguinis Chriſti eo tempore ſeſe præparare ſolet.

X. In antiqua canonum collectione ante annos ſexcentos in Anglia ſcripta, & Anglis potiſſimùm collecta, inter canones Theodori Cantuarienſis hic habetur, *Pœnitentes ſecundùm canones non debent communicari ante conſummationem pęnitentiæ, Theodorus dicit, Nos autem pro miſericordia poſt annum, vel ſex menſes licentiam domus*. Idem canon habetur in Conciliis Anglicis inter excerpta Ecberti Archiepiſcopi *cap. 39*. Eſt igitur evidens ab annis nongentis canones ita intellectos, ut reconciliationem poſt perfectam, & conſummatam pęnitentiam præſtare juberent, atque à tot annis promiſcuè illis magna ex parte, ſi non omnino, derogari cœptum eſſe. Quod ſi factum eſt hoc multis in locis ordinaria praxi, quid, cùm gravis cauſa interceſſit, factum fuiſſe præſumendum eſt?

XI. De eadem re ſic loquitur poſt Theodorum annis pluſquam ſexcentis Petrus Cantor, & Doctor Pariſienſis Summæ de Sacramentis manuſcriptæ in Bibliotheca Victoriana *fol. 241*. *Ad delenda mortalia injungitur auſterior, & durior pœnitentia, quaſi propria medicina illorum, ut jejunium, Eleemoſyna, religio, peregrinatio, & hujuſmodi, quibus tanquam propriis, & debitis medicinis illa curantur. Et ut generaliter dicamus, nullus conſecrare, vel percipere debet Euchariſtiam, qui fuerit in mortali, niſi peracta pœnitentia tota, vel ſaltem ex magna parte. Sed cum ſerenata eſt conſcientia, & homo confidit ſub Deo de cætero non caſurum, tunc conficere, vel percipere poteſt Euchariſtiam*. De communione equidem Euchariſtica loquitur. Ergo Multò magis ſimplex reconciliatio, quæ minorem quàm Euchariſtica perfectionem poſtulat ad initium pęnitentiæ, vel paulò poſt concedi poterit. Hæc habuimus, Lector, quæ quæſtioni capite primo factæ quantum Antiquorum monumenta diligenter verſando aſſequi potuimus, probabiliter, ut nobis videtur, reſponderemus. Res agitur de diſciplina Eccleſiaſtica, quæ multis modis variari ſolet. Si quis exprobraverit nos in tenebris palpari, quid ipſe in meridie viderit, audiam avidiſſimè; & quàm primum ipſius ſtudio, & vigilantia his rebus albeſcet lux, ad ipſum lubentiſſimè accedam.

CAPUT XVIII.

Antiquos Patres Abſolutionem lapſis temerè, & contra canones datam irritare non ſolùm multis exemplis demonſtratur. Objectiones ex Sancto Cypriano allatæ diluuntur. Iſtius diſciplinæ rationes, & fundamenta ex Sancto Cypriano, & aliis explicantur. Unio cum corpore Chriſti tam efficax eſt, ut Sacramentorum efficientiam, abſit modò mala fides, ſupplere meritò credatur. Sic cenſent Cyprianus, Auguſtinus, & alii.

QUæſtio ſcitu nec inutilis, nec injucunda, nec à propoſito aliena mihi nunc occurrit, quam obiter ex Sanctorum Patrum

trum

trum mente diſſolvemus. Nonnunquam accidebat, ut Sacerdotes reconciliationem temerè Pœnitentibus præſtarent, non expectato tempore conſtituto, vel omiſſa aliqua alia conditione, canonicè definita. Quid tum, cùm hoc publicè innoteſcebat, ab antiquis agebatur? An Pœnitens ille ad Pœnitentiæ ſtationes relegabatur, improbata, & abrogata reconciliatione; An tolerabatur, & rata ab Eccleſia habebatur illa reconciliatio? Rata ſanè habebatur ab Eccleſia, ſaltem ut plurimum. Hujus hypotheſis exemplum legitur apud S. Cyprianum *Epiſt.* 59. Therapius Epiſcopus contra decretum Synodale Victori cuidam Presbytero ante actam pœnitentiam plenam, nullaque cogente neceſſitate pacem dederat. De hoc Fidus Epiſcopus ad Concilium, cui præerat Cyprianus, reſcribit: Concilium verò per Cyprianum ſic reſpondet, *Quæ res nos ſatis movit, receſſum eſſe à decreti noſtri auctoritate, ut ante legitimum, & plenum tempus ſatisfactionis, & ſine petitu, & conſcientia plebis, nulla infirmitate urgente, ac neceſſitate cogente pax ei concederetur. Sed librato apud nos diù conſilio, ſatis fuit objurgare Therapium Collegam noſtrum, quòd temerè hoc fecerit, & inſtruxiſſe, ne quid tale de cætero faciat. Pacem tamen quomodocunque à Sacerdote Dei ſemel datum non putavimus auferendam, ac per hoc Victori communicationem ſibi conceſſam uſurpare permiſimus.* Litem clariùs dirimere non poterat Cyprianus.

II. Sæpiùs alibi Cyprianus agit de reconciliatione lapſis temerè data: Quanquam autem hanc actionem plurimum reprehendat, atque etiam deteſtetur, nuſquam tamen lego juſſam, ab eo repeti, licèt acerrimè ſæpiùs in Sacerdotes ejuſmodi reconciliationem concedentes non invehatur modò, ſed etiam animadvertat, ut tota *Epiſt.* 10. ad Presbyteros, & Diaconos, *Temerarii, & incauti, & tumidi quidam inter vos, qui hominem non cogitant, vel Deum timeant, ſcientes quoniam ſi ultrà in iiſdem perſeveraverint, utar ea admonitione, qua me uti Dominus jubet, ut interim prohibeantur offerre, acturi & apud nos, & apud Confeſſores ipſos, & apud plebem univerſam cauſam ſuam, cùm Domino permittente in ſinum matris Eccleſiæ recolligi cœperimus.* Illi erant Presbyteri, de quibus initio Epiſtolæ dixerat, *qui dum ſine ratione reſtituendæ ſalutis plauſibiles eſſe cupiunt, magis Lapſis obſunt. Epiſtola autem* 28. laudat Clerum ſuum quod communicantem cum Lapſis Presbyterum abſtinuiſſet, jubetque ut aliis idem facientibus eandem pœnam imponant. Prætereà decreto proviſorio quod refertur *Epiſt.* 52. omnium ſententia ſtatutum fuerat, ut communicatione abſtineretur, qui cum Lapſis communicaret. Verùm Lapſos communione ſibi ab Epiſcopo reddita privatos poſteà fuiſſe non memini me legiſſe. Hujus diſcriminis rationem reddit Cyprianus *Epiſt.* 11. *Lapſis quidem poteſt in hoc venia concedi. Quis enim mortuus vivificari non properet? Quis non ad ſalutem ſuam venire feſtinet? Sed Præpoſitorum eſt præceptum tenere, & properantes, vel ignorantes inſtruere, & ne qui ovium Paſtores eſſe debent, ſiant lanii.* Hac ratione commoti, in recipientes Pœnitentiam nihil durius ſtatuerunt, licèt graviter eos redarguerint, mortemque potiùs quàm vitam inde ſe reportare monuerint.

III. Duo videntur dictis obiici poſſe. Priùs ex Epiſtola Cleri Romani petitur, *Cùm adhuc non tantùm jaceant, ſed, & cadant everſorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum, utique non profutura, præſtantur & nova per miſericordiam falſam vulnera veteribus tranſgreſſionis vulneribus imprimuntur, ut miſeris ad everſionem majorem eripiatur & pœnitentia, &c. Hoc non eſt curare, ſed ſi dicere verùm volumus, occidere.* Hinc videtur evidenter colligi Abſolutionem, quamcunque hoc modo datam, nullam eſſe, & repetendam. Sed Cleri Romani zelus ſolùm diſciplinæ Eccleſiaſticæ contemptum notat, & remedii intempeſtivè ſumpti periculum. Ideò non ſimpliciter dicit, ſumptum remedium occidere, ſed limitatè, & formula loquendi diminutiva, *Si verum volumus dicere*, qua uti ſolemus, non in iis, quæ ſemper fiunt, ſed quæ plerumque. Sæpiùs ita contingit, ut qui remedium intempeſtivè ſumit, illi magis noceat quàm proſit, & nonnunquam mortem inferat. Sed remedium illud eſſe abſolutè nullum, neminique proficere, atque ideò reiterandum, nuſquam affirmant. Fieri enim poſſe quis negabit, Lapſum ſtatim tanto animi dolore de Dei offenſa concuti, ut ante omnem exterioris Pœnitentiæ actionem reconciliationi reddatur idoneus. Idem de ejuſmodi Lapſo dici meritò poteſt, quod S. Cyprianus de Lapſis Caſto, & Æmilio, qui tormentorum ſævitia victi ceciderant, *Poteſt citò proficere ad veniam cauſa talis; poteſt ejuſmodi excuſatio eſſe miſerabilis. Sic ſic Caſto, & Æmilio aliquando Dominus ignovit.* Ideò ſæpiùs eadem *Epiſtola* 31. & præcedente teſtatur Clerus Romanus, ſe tantùm de ſeveritate Eccleſiaſtica verba facere. Atque ut cætera omittam, quæ immediatè objectionem præcedunt, ita ſe habent, *Abſit ab Eccleſia Romana vigorem ſuum tam profana facilitate dimittere, & nervos ſeveritatis everſa fidei majeſtate evertere.* Quæ autem ad diſciplinam ſpectant, quis ignorat laxari poſſe, & conſtringi, intendi poſſe, & remitti, & Sacramenti ſubſtantiam, & effectus veritatem, per ſe, & natura ſua non afficere, niſi id expreſſè in canone, aut decreto notetur.

IV. Hujus rei non longè petenda ſunt argumenta. Hac eadem Epiſtola Libellaticorum crimen admodùm exaggerant, lapſiſque Sacrificatis exæquare videntur. Decreto tamen illo peremptorio, de quo multis infrà, ſtatutum eſt Lapſis nulla anteacta Pœnitentia pacem repræſentandam eſſe. Itaque ipſis à Synodo conceſſum eſt, id quod paulò ante dicebantur immodeſtiſſimè efflagitare, & de quo tam acris fuerat inter eos altercatio. Deinde ex fine Epiſtolæ argumentum ducitur non minùs efficax: Licèt enim tantopere excandeſcant adversùs nimium properatas reconciliationes, concedunt tamen, ut ſi urgeat exitus, & dilationem ferre non poſſit, pax detur. Cenſent igitur defectum illum anteactæ ſecundùm canones Pœnitentiæ, ad abſolutionis, ut ita loquar, validitatem ſimpliciter, & abſolutè non pertinere, ſed ſeveritatis diſciplinæ conſervandæ cauſa id tantùm ſtatuiſſe.

V. Rem ita ſe habere demonſtrant, quæ facta ſunt eo tempore de hac quæſtione decreta. Nam Abſolutionem tantùm differunt, donec communi Concilio Epiſcoporum, quid faciendum ſit, ſtatuatur, & Presbyteros, qui aliter fecerint, graviter corripiunt; ſed ſemel contra eorum interdictum Abſolutionem non leguntur fruſtraſſe S. Cyprianus *Epiſt.* 28. *Intereà ſi quis immoderatus, & præceps de noſtris Presbyteris, vel Diaconibus, ſive de peregrinis auſus fuerit ante ſententiam noſtram communicare cum lapſis, à communione noſtra arceatur.* Plura hujus generis ſatis fusè enarrata lege ad initium *Epiſt.* 52.

VI. Alterum quod cum aliqua veritatis ſpecie poteſt obiici, ex libello Sancti Cypriani de Lapſis deſumitur: *Contra Evangelii vigorem, contra Domini, ac Dei legem temeritate quorundam laxatur incautis communicatio: Irrita, & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura.* Et poſt aliqua, *Spretis his omnibus, atque contemptis vis infertur corpori ejus, & ſanguini, & plus modò in Dominum manibus, atque ore delinquunt, quàm cùm Dominum negaverunt.* Hunc ſermonem multa verborum eloquentia perſequitur, quibus planè ſentire videtur, Abſolutionem ſic datam caſſam eſſe, & nullam. Alia non minùs evidentia versùs libelli finem repetit. Reſpondeo, S. Cyprianum diverſam omninò illis locis tractare quæſtionem. Inſectatur enim eos, qui contra Eccleſiæ univerſam diſciplinam docebant pacem ſine Pœnitentia Lapſis eſſe concedendam. Itaque pleraque eorum, quę contra Lapſos eo libello acriùs dicuntur, rectà quinque illos Presbyteros, de quibus infrà, & eos, quos fefellerant, reſpiciunt, qui non tantùm pacem ſine Pœnitentia concedebant, ſed concedendam aſſerebant; atque ideò cùm hæc ſcribebat Cyprianus, ab Eccleſia jam ſeceſſerant, ut iterum docent verba, quæ ſequuntur ad finem tractatus, *Pacem ſibi ultro nemine dante ſumpſerunt, falſa pollicitatione ſeducti, & Apoſtatis ac perfidis juncti, errorem pro veritate ſuſcipiunt, communicationem non communicantibus ratam ducunt, &c.* Non mirum igitur ſi pacem ejuſmodi Lapſis datam cenſet irritam. Sententia enim illa doctrinæ pietatis erat omninò contraria, quàm etiam disertè expreſſit, cùm primum hunc ſermonem aggreſſus eſt, *Emerſit, fratres dilectiſſimi, novum genus cladis, & quaſi parum perſecutionis procella ſævierit, acceſſit ad cumulum ſub miſericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies.* Hæc autem nihil habent commune, cum præcipite, & imprudente illorum facto, qui Lapſis gementibus, & animum conterentibus, miſericordia, aut importunitate, aut levitate, aut aliqua ſimili ratione ducti veniam nulla, aut pauca acta Pœnitentia conceſſerant. Deinde quinque illi Presbyteri erant Schiſmatici; quapropter venia ab illis conceſſa per ſe, & natura ſua irrita meritò dici potuit; Quidni de Schiſmaticis Presbyteris hoc diceretur, cum ne Presbyteris quidem publicos Pœnitentes, quales erant, de quibus agitur, injuſſu Epiſcopi reconciliare liceat. Verùm quidquid dicatur, ſive de ſtatu iſtius controverſiæ, quam agitat libello illo de Lapſis; ſive de reconciliatione ab illis Presbyteris, aut aliis data, nunquam definit, aut monet eſſe repetendam, immò ne hoc quidem unquam de exteriore pœnitentia pronuntiat.

VII. Denique notandum eſt, S. Cyprianum, cùm quinque illorum Presbyterorum factio ferveret, & Deciana perſecutio maximè ſæviret, hunc librum exhortatorium ad Lapſos ſcripſiſſe, atque ideò pietatis zelo, & rapido eloquentiæ torrente longiùs abductum, nonnulla duriora protuliſſe, quæ ex

ipſius

ipſius mente, & conſequentibus actionibus ſunt emollienda, veluti ea, quæ ſequuntur: *Nemo ſe fallat, nemo ſe decipiat, ſolus Dominus miſereri poteſt, Veniam peccatis, quæ in ipſum commiſſa ſunt, ſolus poteſt ille largiri, qui peccata noſtra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis noſtris. Homo Deo eſſe non poteſt major, nec remittere, aut donare indulgentia ſua ſervus poteſt quod in Dominum delicto graviore commiſſum eſt*. Hæc ſapere videntur purum putum Montaniſmum, aut Novatianiſmum: quam tamen doctrinam, certum eſt, à mente S. Cypriani alieniſſimam eſſe, contrariamque adverſus Novatianum eſſe ab eo fortiter propugnatam.

VIII. In Concilio Toletano 3. *cap.* 11. nonnulli memorantur idem facere, quod Victor ille, & Therapius. Sed in eos acerrimè invehitur Concilium: *Quoniam comperimus per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias, non ſecundùm canonem, ſed fœdiſſimè pro ſuis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties à Presbyteris ſe reconciliari expoſtulent: Et ideò pro coercenda tam execrabili præſumptione, id à ſancto Concilio jubetur, ut ſecundùm formam canonum antiquorum detur pœnitentia, &c.* Quanquam Patres hanc conſuetudinem tantoperè non modò adverſentur, ſed etiam execrentur, provideantque ne in futurum amplius uſurpetur; datas tamen Abſolutiones nullo verbo, nullo judicio irritas eſſe, aut ſe irritare innuunt.

IX. Centum propè poſt hoc Concilium annis, non abſimilis quæſtio in Hiſpania exoritur. Quidam ſani Pœnitentiam publicam profitebantur ſe morientes ſuſcipere velle. In morbum incidunt repentinum, promiſſique ſunt immemores: Morbo ingraveſcente omni ſenſu deſtituuntur. Circumſtantes Amici priſtini deſiderii gnari, eorumque ſalutis cupidi rogant, ut ipſis Pœnitentia, & reconciliatio, ultimumque viaticum tribuantur: Quo facto hoc contigiſſe, ait canon. *Agunt cautionibus vanis, & oppoſitionibus execrandis qualiter à ſe tonſuræ venerabile ſignum expellant, atque habitum religionis abiiciant, impudentiſſimè aſſerentes, ideò ſe nullis regulis Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſub hoc voto teneri, quia pœnitentiam nec ipſi petierint, nec ſcientes acceperint*. Quid ad hoc Patres? Primùm aſſerunt, eos interioris Pœnitentiæ donum per reconciliationem ſuſcepiſſe, atque exemplo baptiſmi, cujus virtus neſcientibus illabitur, docent eos, etiam neſcientes Pœnitentiæ donum accepiſſe, *Unde ſicut baptiſmum quod neſcientibus parvulis ſine ulla contentione, in fide tantùm proximorum accipitur; ita & pœnitentiæ donum, quod neſcientibus illabitur, abſque ulla repugnantia inviolabiliter hi, qui illud exceperint, obſervabunt*. Ratam habent reconciliationem illam, & Pœnitentiæ impoſitionem, & rata quoque volunt eſſe, quæ illam ex more illius temporis conſequebantur. Nec prætexta excuſatio, quamvis non improbabilis, ab iis admittitur. Deinde ſtatuunt, ut Pœnitentia, & reconciliatio quocunque modo valeant, *Si quis autem quolibet modo pœnitentiam accipiens hoc Synodale violaverit inſtitutum, ut verè tranſgreſſor paternis regulis ferietur*. Prohibent tamen ſeverè ne non Pœnitentibus, aut Pœnitentiam interiorem aliquo ſigno exteriore non teſtantibus Pœnitentiam imponant, & reconciliationem concedant, *Sacerdotes tamen, qui non ſentienti, neque pœnitenti, auſu temerario pœnitentiam dederint, neque ſe exhortata ejus, qui pœnitentiam accipit, vel manuum indiciis, vel quibuslibet aliis evidentibus ſignificationibus invitatum fuiſſe probaverit, unius anni excommunicationis ſententiæ ſubjacebit*. Semel datam Abſolutionem difficillimè retractant. Magnis pœnis dari prohibent; temerè tamen datam approbant, nec irritari patiuntur. Concilio ſequente *cap.* 9. eundem canonem probant.

X. Sanctus Innocentius *Epiſt.* 22. *cap.* 5. ſimile factum Aniſii Theſſalonicenſis Archiepiſcopi, qui cum ſua Synodo in Eccleſia baptizatos, & à Bonoſo ordinatos pacis conſervandæ cauſa abſolutè, & integrè ſine ulla Pœnitentia recipiebat, non improbat; ſed tamen ceſſante approbationis cauſa eandem actionem ulterius approbari prohibet: *At verò hi, qui à Catholica ad hæreſim tranſierunt, quos non aliter oportet, niſi per pœnitentiam ſuſcipi, apud vos non ſolùm pœnitentiam non agunt, verùm etiam honore cumulantur. Sed Aniſii quondam fratris noſtri, aliorumque conſacerdotum ſumma deliberatio hæc fuit, ut quos Bonoſus ordinaverat, ne cum eodem remanerent, ac fieret non mediocre ſcandalum, ordinati reciperentur*. Illis ſine ulla Pœnitentiæ impoſitione à Macedonum Epiſcopis contra regulas Eccleſiaſticas dabatur Abſolutio, & quòd priore inſolentius, ſi ordinati erant, cùm ſuorum ordinum prærogativa recipiebantur. Quid verò de hac illegitima Abſolutionis conceſſione Innocentius? *Quod pro remedio, ac neceſſitate temporis ſtatutum eſt, conſtat, primitus non fuiſſe, &c. Sed neceſſitas temporis id fieri magnopere poſtulabat. Ergo quod neceſſitas pro remedio invenit, ceſſante neceſſitate, debet utique ceſſare*. Nonnulla diximus *cap.* 8. SS. Athanaſio, & Cyrillo, quæ huc referri poſſunt. Quibus præclara hæc admonitio ex eodem Cyrillo in Epiſtola ad Gennadium, quæ refertur actione 1. Synodi ſeptimæ, addenda videtur. Nam eleganti ſimilitudine variantis aliquando diſciplinæ Eccleſiaſticæ, cauſas doctè, & prudenter aperit. *Diſpenſationes rerum nonnunquam cogunt parum quidem à debito quoſdam foras exire, ut majus aliquid lucrifaciant. Sicut enim ii, qui mare navigant, tempeſtate urgente, navique periclitante anxiati, quædam exonerant, ut cætera ſalva permaneant. Ita & nos in negotiis, ubi non licet exquiſitiſſimam illam rationem ſervare diſpicimus quædam, ne cunctorum patiamur diſpendia*.

XI. Iſtius diſpenſationis actionum illegitimarum, quam Græci, Patres, ut plurimùm œconomiam vocant, duo erant potiſſimùm fundamenta, de quibus jam obiter egimus. Priùs, certa apud eos, fides, uno momento verum, & ſalutarem Dei amorem concipi poſſe, atque ideò pœnitentiam, quæ ſalutem, & vitam operatur, non eſſe tempore menſurandam. Poſteriùs, Deum quæ ſtatuit, & diſponit Eccleſia, in cœlo comprobare: cui fundamento innixus Cyprianus *Epiſt.* 54. contendit ſe meritò Lapſis de priſtina ſeveritate aliquid relaxaſſe, *Quando*, inquit, *permiſerit ipſe, qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cœlis ligata eſſent; ſolvi autem poſſent illic, quæ hic priùs in Eccleſia ſolverentur*. Cùm igitur hac poteſtate ſeſe cognoſcerent armatos, neque dubitarent, uno momento hominem converti poſſe, in retractanda Abſolutione data difficiles fuerunt. Timebant videlicet, ne hominem interiùs Dei Amicum, atque exteriùs Eccleſiæ reconciliatum à cœtu fidelium, & corporis Chriſti communione repellerent: Poteſtati verò ſibi traditæ confidentes Deum ſperabant æqui, bonique conſulturum, quæ in ejuſmodi caſu perplexi definiebant. Quidquid tandem eſſet, de eorum judicio, cui hypocritæ poterant imponere, Deo, qui corda, reneſque ſcrutatur, illudi non poſſe, ut *Epiſt.* 52. de ejuſmodi hominibus ſcribit Cyprianus. *Si verò aliquis pœnitentiæ ſimulatione deluſerit, Deus, qui non deridetur, & qui cor hominis intuetur, de his, quæ nos minùs perſpeximus judicet, & ſervorum ſententiam Dominus emendet*. Sibi ſufficere ait, quod hac œconomia, & prudenti auctoritatis creditæ diſpenſatione, fratrum ſaluti invigilare conatus fuerit. *Dum tamen nos meminiſſe frater debeamus ſcriptum eſſe, frater fratrem adjuvans exaltabitur*, quod pluribus perſequitur.

XII. Quæ de Abſolutione illegitimè data diximus, mihi videntur illuſtrari poſſe ex ea quæſtione, quam ſibi obiicit, & ſolvit S. Cyprianus *Epiſt.* 73. ubi de Hæreticis rebaptizandis diſputat. Contendebat baptizatos ab Hæreticis ad Eccleſiam redeuntes neceſſariò rebaptizandos. Sibi obiicit, *Quid ergo fiet de his, qui in præteritum de hæreſi ad Eccleſiam venientes ſine baptiſmo admiſſi ſunt?* Reſpondet, *Potens eſt Dominus miſericordia ſua indulgentiam dare, & eos, qui ad Eccleſiam ſimpliciter admiſſi, in Eccleſia dormierunt, ab Eccleſiæ ſuæ muneribus non ſeparare. Non tamen quia aliquando erratum eſt, ideò ſemper errandum, &c.* S. Auguſtinus *lib.* 2. *contra Creſconium cap.* 33. hæc S. Cypriani verba refert, & approbat, eorumque rationem, & fundamentum aperit, ſcilicet, *Tantum bonum eſſe unitatem corporis Chriſti, ut in eam ſimpliciter admiſſos, etiam illos, quos eſſe ſine baptiſmo arbitrabatur, de divina miſericordia mereri indulgentiam, & ab Eccleſiæ muneribus non ſeparari, pia cogitatione præſumeret*. Si ita cenſuit Cyprianus de iis, quos ſine baptiſmo credidit Eccleſiæ reconciliatos: Si hanc Cypriani ſententiam S. Auguſtinus piam judicavit, Quanto magis id credere debemus de iis, qui baptizati ſine Pœnitentiali pœna, & illegitimè, unitati corporis Eccleſiæ propter momentaneam, quæ tum apparet, cordis compunctionem reconciliantur, & inſeruntur? Si ita judicavit Sanctus Cyprianus de praxi quarumdam Eccleſiarum, quas errare cenſebat, judiciumque ipſius confirmavit S. Auguſtinus: Quid in ſimili, aut prorsùs eadem praxi de univerſa Eccleſia Catholica nos par eſt ſentire, & prædicare?

XIII. Verùm aliud ſentiendum videtur de iis, qui per obreptionem, falſum aliquid Rectoribus Eccleſiarum imponendo, aut legitimum impedimentum quod erat alicubi, aut poterat eſſe publicum, reticendo, reconciliationem obtinuerunt. Ideò Benedictus IX. Pontifex ad Stephanum Epiſcopum Arvernenſem reſcribens Abſolutionem Comiti Arvernenſi à ſe datam profitetur caſſam eſſe, & nullam, *Itaque illam pœnitentiam, & Abſolutionem, quam tuo Excommunicato dederam, & ille fraudulenter accedit, irritam facio, & caſſam, & de illa nihil aliud ſpeſes quam maledictionem, quâ ſatisfacta, tu ipſe abſolvas*. Hæc cùm in Concilio Bituricenſi anni 1034. lecta eſſent, unanimi conſenſu Patres intulerunt, *Cùm ergo tales deceperint Apoſtolicum,*

ut

ut fraudulenter abſolvantur ab eo, irrita eſt illa Abſolutio. Fraus, ut ajunt Juriſconſulti, nemini patrocinari debet. Hinc qui ad ordines ſacros contra canones irrepſerunt, ordinum exercitio, & prærogativa mulctantur. *Quicunque ex Lapſis ordinati ſunt, vel per ignorantiam, vel ſcientibus iis, qui ordinaverunt, hoc non præjudicat Eccleſiaſtico canoni: Cogniti enim deponuntur.* Nicæn. *cap.* 10. Martinus Bracar. *cap.* 26. Eliberit. *cap.* 30. Addit Concil. Carthag. 4. *cap.* 68. *&* 69. Epiſcopum, qui ſcienter ejuſmodi homines ordinaverit, ordinandi poteſtate privandum, ita Aurelian. 4. *cap.* 10. Toletan. 4. *cap.* 18. Clementius cum iis agit Syricius Pontifex *Epiſt.* 1. *cap.* 15. Concedit enim illis ordinis obtenti exercitium, ſed ne ulterius promoveantur, prohibet, quam clementiam multæ imitatæ ſunt Eccleſiæ. S. Gelaſius Pontifex *cap.* 11. *Epiſtolæ* ad Epiſcopos Lucaniæ, poſterioris obſervationis rationem paucis verbis reddit, quæ priori facilè convenire poteſt: cum ea caput hoc concludimus: *Si quid indulgetur de temporum quantitate, moribus aggregata ſtrenuitate penſatur; ſi vitæ jam propoſito continetur, quod protelata fuerat ætate curandum: Dummodo illa nullatenus diſſimulata ſubrepant, quorum quodlibet ſi ineſſe claruerit, meritò clericalibus infulis reprobabilem convincat eſſe perſonam.*

CAPUT XIX.

Nonnullæ Eccleſiæ Idololatriæ, Homicidio, & Mœchiæ Abſolutionem non dabant. Hanc diſciplinam Bæticæ Provinciæ Epiſcopos obſervaſſe demonſtratur, ſed circa Mœchiam diſtinxiſſe: diſtinctionis cauſa enarratur. Concilium Eliberit. antiquius eſſe quàm vulgò credatur. Gallia, Hiſpania, & Britannia à perſecutione Diocletianæa exemptæ. Quare Eccleſiarum iſtarum ſententia ab Hæreſi procul abfuit.

HActenus ediſſeruimus, qua ratione variis criminibus, variis ſeculis, variis de cauſis Pœnitentium reconciliatio variata eſt. Nunc inquirere juvat, an quibuſdam criminibus reconciliatio nunquam conceſſa fuerit. Exiſtimarunt enim viri quidam docti tribus criminibus Idololatriæ, homicidio, & Mœchiæ, quæ demonſtravimus libro quinto fuiſſe per Pœnitentiam publicam purgata, antiquiſſimis temporibus veniam non eſſe conceſſam; Mœchiæ primum à Zepherino Pontifice id eſſe indultum; Idololatriæ à Cornelio, Cypriano, aliiſque ejuſdem temporis Epiſcopis; Homicidio verò iiſdem temporibus, ſed qua ratione, vel occaſione eſſe incognitum. Hanc ſententiam de nonnullis Eccleſiis veram eſſe, diffiteri, ut opinor, nemo poterit, qui antiquorum teſtimonia, de hac re tantiſper animo verſaverit. Sed Eccleſias præcipuas, aliaſque frequentes, hunc morem eſſe amplexas, manifeſtiſſimæ veritati mihi videtur planè adverſum. Primùm enim nihil ejuſmodi Orientalibus Eccleſiis à quoquam imponitur, nec ab iis, obſervatum me legiſſe memini. Deinde Eccleſiam Romanam, Carthaginenſem, aliaſque per Europam frequentiſſimas contrarium omninò uſurpaſſe demonſtratu facilè eſt. Quanquam autem hæc ita ſe habere mihi videantur, quoddam tamen ſingulare crimen animadvertere eſt, quòd antiquiſſimorum Patrum plerique velut natura ſua, atque ex Dei decreto irremiſſibile dixerunt. Certis præterea criminibus circumſtantia temporis aliquando adjecta fuit, quæ reconciliationis ſpem pœnitenti moribundo adimebat. Hæc ſigillatim explicabimus, & Lectori plana faciemus.

II. Quaſdam Eccleſias Africanas hanc ſeveritatem obſervaſſe, teſtis eſt locupletiſſimus S. Cyprianus *Epiſt.* 52. ſed durities illa ipſius tempore deſueverat. Neutra tamen obſervatio eos, à mutua charitate divellebat; ut hæc omnia Cypriani verba teſtantur: *Apud Anteceſſores noſtros quidam de Epiſcopis iſtic in Provincia noſtra dandam pacem Mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt; non tamen à Coepiſcoporum ſuorum collegio receſſerunt, aut Catholicæ Eccleſiæ unitatem, vel duritiæ, vel cenſuræ ſuæ obſtinatione ruperunt, ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de Eccleſia ſepararetur, manente concordiæ vinculo, & perſeverante Catholicæ Eccleſiæ individuo Sacramento.* Non indicat hoc loco nec alibi Sanctus Cyprianus, an Idololatris, & Homicidis pacem darent. Id tamen videtur neceſſariò conſequi, cùm hæc duo crimina ſint Mœchia graviora; & primum præſertim, quod S. Cyprianus ex uſu illius temporis vocat crimen in Deum, crimen maximum, & extremum; alia verò duo, crimina in fratrem, & minora.

III. Bæticæ Provinciæ in Hiſpania Epiſcopos in eadem fuiſſe ſententia, eaque, quoad tria illa crimina, evidenter probatur, cum differentia tamen notabili, ratione poſtremi criminis, ut mox explicabimus. Ipſo canone primo Concilii Eliberitani, quod eſt in Bætica, ita ſtatuitur, *Placuit, ut quicunque poſt fidem baptiſmi ſalutaris adulta ætate ad templum idoli idololatraturus acceſſerit, & fecerit, quod eſt crimen capitale, nec in fine eum ad communionem ſuſcipere.* Idem canone ſequente ſtatuunt de ipſis flaminibus, & ratione multò magis conſtringente freti, eo quòd, inquiunt, triplex eſt in eorum ſacrificiis ſcelus, Idololatria, homicidium, & Mœchia. Canone 73. ita decernunt. *Delator ſi quis extiterit fidelis, & per delationem ejus aliquis fuerit proſcriptus, vel interfectus, placuit, eum nec in fine accipere communionem. Si levior cauſa fuerit, intra quinquennium accipere poterit communionem.* Idem can. 75. ſtatuunt de falſis teſtibus, Epiſcopum, Presbyterum, aut Diaconum accuſantibus, atque in probatione deficientibus. De crimine autem mortis agi eo canone demonſtrat canon antecedens. Canonibus quoque 6. & 63. homicidis, qui maleficio interfecerunt, aut adulterio commiſſo partum necarunt, communio in fine negatur, eo quòd, inquiunt Patres, facinus geminarunt; hi ſcilicet idololatriam, illi verò adulterium homicidio addiderunt. Scelus autem duplex adnotant, ut validiore ratione ex ipſorum diſciplina demonſtrent, communionem illis eſſe denegandam, non quod homicidium ſolitarium apud eos ea pœna non plecteretur.

IV. In Mœchia, quòd tertium eſt crimen, notatione digna eſt differentia. Mœchiam enim perpetua communionis privatione non damnant, niſi crimen illud fuerit, aut geminatum, aut adulterio gravius. Hæc ſigillatim ex ipſis canonibus demonſtranda. Can. 14. *Virgines, quæ virginitatem ſuam non cuſtodierunt; ſi eoſdem, qui eas violaverant, duxerint, & tenuerint maritos, eo quòd ſolas nuptias violaverint, poſt annum ſine Pœnitentia reconciliari debebunt.* En quàm clementer, ſi ea, quæ ſupra retulimus ſpectes, excipiuntur. Sed quæ in eodem canone ſequuntur, attendamus; *Vel ſi alios cognoverint viros, eo quòd mœchatæ ſint, placuit per quinquennii tempora, acta legitima pœnitentia, admitti eas ad communionem.* Manifeſta fornicatio quinquennali tantùm Pœnitentia expiatur. Can. 31. idem ſtatuitur de Adoleſcentibus, *Adoleſcentes qui poſt fidem lavacri ſalutaris, cùm duxerint uxores acta legitima Pœnitentia, placuit ad communionem eos admitti debere.* Idem can. 69. & 72. ſtatuitur: & can. 13. ipſis Virginibus Deo ſacratis in fine communio redditur, modò toto vitæ ſuæ tempore Pœnitentiam egerint.

V. Sed cùm crimen illud poſt actam Pœnitentiam geminabatur, omnis communionis ſpes illis præcidebatur: *cap.* 3. *Si poſt Pœnitentiam fuerint mœchati, placuit ulteriùs, his non eſſe dandam communionem, ne luſiſſe de Dominica communione videantur.* Canone 7. *Si quis fortè fidelis poſt Lapſum Mœchiæ, poſt tempora conſtituta, accepta Pœnitentia denuò fuerit fornicatus, placuit nec in fine eum habere communionem.* Idem can. 47.

VI. Verùm criminibus ejuſdem generis mœchia gravioribus, licèt ſemel perpetrata fuerint, communio in fine negatur, ut *cap.* 12. Lenocinium agentibus, *Mater, vel Parentes, vel quælibet fidelis, ſi Lenocinium exercuerit, eo quòd alienum vendiderit corpus, vel potiùs ſuum, placuit eam nec in fine accipere communionem.* Idem *cap.* 65. *&* 70. de Marito decernitur, quo conſcio uxor mœchatur. Canone 71. ſtatuunt. *Stupratoribus puerorum nec in fine dandam eſſe communionem*, idemque de inceſtibus *cap.* 66. *Si quis privignam ſuam duxerit uxorem, eo quòd ſit inceſtus, placuit nec in fine dandam eſſe ei communionem.*

VII. Non abs re quæret Lector hujus varietatis cauſam, quamobrem ſcilicet Mœchiam, & adulterium perpetua communionis privatione non damnarunt, niſi poſt actam pœnitentiam repetitum eſſet, quum homicidium, & idololatriam hac pœna expiarent? Cauſa mihi videtur in promptu, ex cujus explicatione aliud conſequetur, quòd Lectorem ſcire juvabit. Zephirino Pontifice hæreſis Montaniſtarum exorta eſt, quæ inter cætera ſerialis doctrinæ capita docuit, Mœchis non ſecus, ac Idololatris, & Homicidis peccata non eſſe remittenda, eo quòd ejuſmodi peccatorum remittendorum penes Eccleſiam nulla eſſet poteſtas. Nonnulli Epiſcopi, ut jam didicimus, idem obſervabant diſciplinæ cauſa, non ut Hæretici hanc poteſtatem Eccleſiæ adimentes. Diſciplinam iſtam correxit Zephirinus, decretoque cavit, ne amplius obſervaretur. Hoc teſtatur Tertullianus initio libri de pudicitia: Decretum enim primò proponit, in illud totis viribus inſulturus, *Audio, inquit, edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium, Pontifex ſcilicet maximus, Epiſcopus Epiſcoporum dicit, Ego, & Mœchiæ, & fornicationis delicta Pœnitentia functis dimitto.*

VIII. Quærenti igitur varietatis jam dictæ cauſam reſpondeo, Patres Eliberitanos Zephirini edictum eſſe ſecutos, atque ideò Mœchiæ remiſſionem donaſſe. Idem etiam feciſſe Epiſcopos illos Africanos, ex S. Cypriani verbis ſupra citatis colligitur.

Ani-

Digitized by Google

Animadvertet autem Lector, ſeveriſſimos fuiſſe Patres iſtos Hiſpanos, atque ideò preſsè, & ſtrictè Zephirini edictum interpretatos. Ideò nec peccatum hoc iterantibus poſt actam de eo Pœnitentiam, nec peccatis, quæ Mœchia, & fornicatione graviora judicabant, ut Lenocinio, & puerorum ſtuprationi communionem unquam redhibeant. Iſta enim Zephirini edicto contineri non cenſebant, ut reverà ex verborum ſtricta ſignificatione non continentur, Subtilioris interpretationis, ſive reſtrictionis alia leguntur in eodem concilio exempla. Huic enim edicto non credebant contradicere remiſſionis denegationem Mœchis, qui moribundi Pœnitentiam flagitabant. Hinc edicto, ut putabant, inviolato ſtatuunt *cap. 64. Si qua uſque in finem mortis ſuæ cum alieno viro fuerit mœchata; placuit nec in fine dandam eſſe communionem. Si verò eum reliquerit, poſt decem annos accipiat communionem acta legitima Pœnitentia*. Poſteriore membro vides canonis executionem; Priore autem interpretationem. Similis eſt prorſus cum utroque membro canon 13. Nec tantùm edicti exceptionem ad eos extenderunt, qui totam vitam in ſpurcitiis libidinum ducebant; Verumetiam ad eos, qui idem peccati genus perpetrabant, cùm illud ad vitæ finem continuare civiliter tenebantur. Hinc eſt quod eodem Edicto inviolato ſtatuunt can. 8. *Feminæ, quæ nulla præcedente cauſa reliquerint maritos ſuos, & ſe copulaverint aliis, nec in fine accipiant communionem*. In variis caſibus, ſed ejuſdem generis verſantur can. 10. & 17. ut legentibus manifeſtum, atque ideò eadem pœna iis adtexitur.

IX Ex iis, quæ dicta ſunt, evidenter mihi colligi videtur, Concilium Eliberitanum multò eſſe antiquius quàm vulgò feratur. Neceſſe enim eſt, ut Cypriani tempus, & perſecutionem Decianam multis annis præcedat, licèt vulgò ad Diocletianam referatur. Nam Homicidis, & Idololatris, ut vidimus, communionem negant. Præceſſerunt igitur Patres illi hæreſim Novati, & Decii, Valerianique perſecutiones. Quis enim credat tam ſanctos Patres hæreſim notoriam, à ſede Apoſtolica, à tam variis Conciliis, atque ut ita dicam, ab univerſo orbe damnatam amplecti voluiſſe? Morem generali Eccleſiæ conſenſu receptum ſolos poſt tot annos repudiaſſe? Sanè ſicut Patres illi Eccleſiæ decreto de recipiendis Mœchis morem geſſerant; ita dubitari non poteſt, ſucceſſores eorum Eccleſiæ decreto de recipiendis Idololatris morem geſſiſſe. Quum igitur eos non recipiant, Eccleſiæ illud decretum præceſſerunt.

X. Idem demonſtratur alterius generis argumento. Certum eſt, Diocletianam perſecutionem in Hiſpaniam, Galliam, & Angliam non perveniſſe, eo quod Provinciæ illæ à Conſtantio Imperatore Conſtantini magni Patre regerentur, qui natura ſua clementiſſimus erat, Chriſtianiſque favebat. De eo teſtatur Euſebius *lib. 1. de vita Conſtantini cap. 11.* Cùm Imperatores Diocletianus, & Maximianus edictum cruentum in Chriſtianos tuliſſent, Conſtantium Aulicis ſuis propoſuiſſe, aut idolis ſacrificarent, quo facto dignitate, & officio fruerentur; aut id ſi facere negarent, omni ad aulam aditu prohiberentur; eos verò, qui prius elegerant, procul à comitatu ſuo ſubmoviſſe: *Quomodo enim*, inquiebat, *fidem erga Imperatorem ſervare poterunt inviolatam, qui adversùs Deum optimum maximum perfidi eſſe manifeſto convincuntur*. Illos autem, qui dignitatibus ſuis privari maluerunt, quàm Deo non obedire, & impuris ſacrificiis pollui, ſimiles erga Imperatorem futuros affirmaſſe, Stipatoreſque ſuos, & imperii cuſtodes conſtituiſſe; Inſuper eodem capite ſcribit, Conſtantium Collegis ſuis longè diſſimilem fuiſſe, tandemque Idololatrarum ſuperſtitionem penitus deſeruiſſe, Deumque verùm agnoviſſe, & coluiſſe. Idem cum Euſebio teſtantur Donatiſtæ apud Optatum Milevitanum *lib. 1.* ubi refertur eorum ad Conſtantinum Imperatorem poſtulatio, *Rogamus te, ò Conſtantine Imperator, quoniam de genere juſto es, cujus pater inter cæteros Imperatores perſecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis eſt Gallia, &c. petimus, ut de Gallia nobis Judices dari præcipias*. Cùm igitur canones Eliberitani paſſim de Chriſtianis in idololatriam vi tormentorum lapſis agant, videtur omninò conſequens ante Diocletiani perſecutionem Concilium illud celebratum eſſe.

XI. Obicies Oſii Cordubenſis, qui Concilio Nicæno præfuit, ſubſcriptionem cum cæteris Patribus Eliberitanis deprehendi: ad ea igitur tempora referendum eſſe. Verùm nemo eſt, qui neſciat, quàm caducum ſit à ſubſcriptionibus petitum argumentum, cùm nihil in antiquis manuſcriptis occurrat magis corruptum, & adulteratum, & nonnunquam ſubſcriptionis unius Concilii, aut univerſæ, aut pleræque ad alterum transferantur. Deinde ſæpius diverſis temporibus in eadem ſede plures ejuſdem nominis Epiſcopi leguntur. Quare ex hoc argumenti genere nihil certi colligi poteſt: cùm tamen nihil aliundè repugnat, probabile eſt. & aliis conjunctum poteſt demonſtrationem conficere: Sed inſuper ipſiſſima Oſii præſentia Concilio repugnat: Canone enim 13. Concilii Nicæni cui præfuit, ſtatuitur, vel potiùs confirmatur mos, qui dicitur antiquus, *Ut ſi quis egreditur è corpore, ultimo, & neceſſario viatico minimè privetur* At hoc ex Diametro repugnat Concilii Eliberitani tot canonibus jam citatis. An probabile eſt, Oſium Concilii Nicæni Præſidem hunc canonem ita abſolutè pronuntiaſſe, nulla exceptione, aut interpretatione addita, ſi tot canonibus contrariis condendis cum aliis Hiſpaniæ Epiſcopis adfuiſſet? Itaque æra Concilii Eliberitani hæreſis Montani, & Tertulliani, de Mœchis neganda pace condemnationi, quæ teſte Baronio facta eſt anno 215. poſt ponenda eſt; ſed Novatiani hæreſim, & perſecutionem Decianam, quæ cœpit anno 250. præcedit. Annum ſingularem eruere difficilè eſt iſtæ Eccleſiæ, ut & paucæ quædam Africanæ, contra cæterarum omnium morem, quem demonſtravimus libri quarti *cap 9. & 10.* ſeveriſſimæ fuerunt. Hanc ſeveritatem maxima ex parte poſt exortum Novatum cæteræ Eccleſiæ per univerſum orbem ſecutæ ſunt.

XII. Notabit Lector Eliberitani Concilii ſententiam ſeveram equidem fuiſſe, ſed Catholicam, plurimùmque à Montaniſtis, & Novatianis diſcrepaſſe. Negabant Novatiani, & Montaniſtæ Eccleſiam crimina remittendi poteſtatem habere, atque ideò criminum Reos ab Eccleſiæ ingreſſu, & ſacra communionem in perpetuum abigebant, quia admittendi poteſtatem Eccleſiam non habere profitebantur: At hoc ſentire, atque ideò Pœnitentes non admittere, utrumque hæreticum eſt. Verùm Eliberitani Patres ſemper declarant veniam nonnullis criminibus ſe denegare diſciplinæ, & caſtigationis ergo, non poteſtatis defectu. Quocircà ubique ſic canones enuntiant, *Placuit eos nec in fine accipere communionem*. Si expulſio placuit, placuiſſe potuit admiſſio. Deinde nonnunquam rationes addunt politicas, ut can. 3. & 47. *Placuit ulteriùs his non eſſe dandam communionem, ne luſiſſe de Dominica communione videantur*. Et can. 18 *Placuit, & propter ſcandalum, & propter nefandum crimen, nec in fine eos communionem accipere debere*. Can. quoque 65. *Nec in fine accipiat communionem, ne ab his, qui exemplum bonæ converſationis eſſe debent, videantur magiſteria ſcelerum procedere*. Hæc autem planè Catholica ſunt, atque Eccleſiæ auctoritati, & prudentiæ commiſſa.

XIII. Forſan aliquis opponet, Communionem in canonibus Eliberitanis Abſolutionem à peccatis non ſignificare, ſed Euchariſtiæ viaticum. Verùm *lib. 4. c. 21. 22.* multis, atque ex ipſo Concilio Eliberitano demonſtravimus antiquiſſimis illis temporibus unum ab altero non fuiſſe ſejunctum. Deinde ſæpiſſimè in canonibus illis ſtatuitur, *Acta legitima pœnitentia placet ad communionem eos admitti*. Et in nonnullis utrunque aliquando legitur, in eodem canone, *Placet ad communionem admitti, Quòd ſi hoc fecerit, ne in fine quidem accipere communionem*. Manifeſtum eſt communionis nomen utroque loco idem ſignificare. Cùm igitur in primo Abſolutionem neceſſariò ſignificat; non dabatur enim in majoribus criminibus, & Pœnitentia publica Abſolutio ante actam Pœnitentiam, niſi aut mortis periculum, aut maximi incommodi formido intercederet, ut jam demonſtratum eſt: Idem quoque in poſteriore ſignificabit. Cùm dico Abſolutionem ſignificare, nolim excludat Lector communionem Euchariſticam: Hæc enim illam ſemper comitabatur; atque ideò ſæpè apud auctores illorum ſeculorum permutabantur. Præterea hoc à ſimili abſolutiſſimè demonſtratur: disertè enim teſtatur Cyprianus, quoſdam Epiſcopos in Provincia ſua pacem Mœchis non dediſſe; *Et in totum Pœnitentiæ locum contra adulteria clauſiſſe*. Quidni fecerint idem Eliberitani? Denique hæc erat ipſiſſima controverſia Catholicos inter, & Hæreticos, An venia illis criminibus eſſet concedenda. Negabant hæretici, Eccleſiam id poſſe, atque ideò fruſtra dari: affirmabant Catholici omnes Eccleſiam à Deo hanc auctoritatem obtinuiſſe; & ferè omnes eam tum exercendam eſſe. Multa crimina eſſe irremiſſibilia, inconceſſibilia, indonabilia, ut loquitur Tertullianus, ajebant utrique Hæretici; Catholici verò nullum eſſe crimen quod vera pœnitentia deleri non poſſit. De iſta quæſtione inter ſe contendebant: de Euchariſtia altum apud eos ſilentium, ut legere eſt apud Tertullianum toto libro de pudicitia. S. Ambroſium duobus libris de Pœnitentia, & Sanctum Pacianum tribus Epiſtolis, de Pœnitentia adverſus Simpronianum. Utrique enim, & Catholici, & Hæretici conveniebant, data venia, ſive peccatorum remiſſione, dari poſſe Euchariſtiam. Ideò tota lis in peccatorum remiſſione vertebatur: Quapropter diſtinctio illa Homonymiæ communionis ſignificantis modò remiſſionem peccatorum, ſive abſolutionem modò Euchariſtiæ participationem, hac in cauſa prorſus eſt ſupervacanea.

C A-

CAPUT XX.

Celebres Eccleſias, Romanam, Carthaginenſem, & Orientales omnes cuilibet criminis veniam tandem conceſſiſſe. Tertullianus contrariam diſciplinam illis tribuens ex propriis ſcriptis, etiam quæ Hæreticus edidit, putidæ calumniæ evidenter convincitur, Calumniæ prætextus inquiritur.

NObis nunc demonſtrandum eſt, quod ſecundò aſſumpſimus, præcipuas Eccleſias, Romanam, Carthaginenſem, & Orientales, aliaſque propè omnes ſi paucas jam adnotatas, & forſan aliquas aliàs nobis incognitas excipias, tribus his criminibus ante Cyprianum, & Tertullianum veniam poſt actam Pœnitentiam indulſiſſe. Ea jam demonſtrata ſunt *cap.9.* 10. *&* 11. libri quarti, ex quibus Lector facilè inferre poteſt id, quod nunc contendimus. Verum hoc capite, & ſequentibus directè nobis proponimus iſtius propoſitionis demonſtrationem, & objectionum, quæ fieri poſſunt, enodationem. Fateor enim nonnulla obiici poſſe ex Tertulliano, & Cypriano, quæ ſpecioſa multis videri poſſint, quæque ideò diligenti examine mihi digna videntur. Licèt enim contraria ſententia ſplendidiſſimæ innumerorum teſtimoniorum luci opponatur: Quædam tamen iſtorum Doctorum dicta perſpicuè videntur ſupponere, & quaſi pro re comperta aſſumere ſuo tempore primùm Mœchis, deinde Idololatris pacem eſſe datam. Ab objectionibus, quæ ex Tertulliani ſcriptis elici poſſunt, incipiemus. Omnes è libro de pudicitia, quem ſcripſit Montaniſta factus, deſumuntur. Sæpè enim hoc argumento in Catholicos utitur, ut Mœchis demonſtret pacem eſſe negandam; Idololatris, & Homicidis pacem negatis, cur Mœchis conceditis? Si Mœchis Pœnitentibus pax danda: Ergo & Idololatris, & Homicidis. Si negatur his, ergo & illis. Conſequentiam autem probat, non modò ex vulgata conſuetudine, verùmetiam ex rei natura: Immò homicidis potiùs abſolutionem dandam, quàm Mœchis. Ex quibus manifeſtiſſimum videtur utriſque, & Catholicis, & Montaniſtis, in confeſſo fuiſſe, Idololatris, & Homicidis, ſaltem de facto, pacem negatam; de Mœchia tantùm litem fuiſſe motam, eo quòd Zephirini Papæ decreto contra conſuetudinem pax laxata fuerat.

II. Tertulliani verba videntur admodùm perſpicua, & ſæpè repetuntur. Cap. 5. *Pompam quandam, atque ſuggeſtum aſpicio Mœchiæ, hinc ducatum Idololatriæ antecedentis, hinc commeatum homicidii inſequentis. Inter duos apices facinorum eminentiſſimos ſine dubio digna conſedit, & per medium eorum quaſi vacantem locum pari criminis auctoritate complevit. Quis eam talibus lateribus incluſam, talibus coſtis circumfultam, à cohærentium corpore divellet? de vicinorum criminum nexu, de propinquorum ſcelerum complexu, ut ſolam eam ſecernat ad Pœnitentiæ fructum?* Multis verbis, & eleganter hunc ſermonem perſequitur Tertullianus, probatque aliis criminibus Mœchiam non impietate cedere; tandemque colligit ironicè, *Quid agis molliſſima, & humaniſſima diſciplina? Aut omnibus eis hoc eſſe debebis: Beati enim pacifici; aut ſi non omnibus, noſtra eſſe. Idololatram quidem, & homicidam ſemel damnas, Mœchum verò de medio excipis; Idololatræ ſucceſſorem, Homicidæ anteceſſorem, utriuſque collegam, &c.* Capite ſexto eadem ſuppoſita Catholicorum ſententia, eos ab exemplis veteris Teſtamenti argumentantes ad abſurdum deducere conatur. *Dabis ergo & Idololatræ, & omni Apoſtatæ veniam: Quia & populum ipſum toties reum iſtorum, totiens invenimus retro reſtitutum. Communicabis & Homicidæ, quia & Nabothæ ſanguinem Achab deprecatione delevit, &c. Jam & inceſta donabis propter Loth, & fornicationes cum inceſto propter Judam; & turpes de proſtitutione nuptias propter Oſeæ; & non tantùm frequentatas, verùm & ſemel plures propter patres noſtros.* Et cap. 9. *Cæterùm ſi in hoc geſtit diverſa pars ovem, & drachmam, & filii luxuriam, Chriſtiano peccatori configurare, ut Mœchiam, & fornicationem pœnitentia donent, aut & cætera delicta pariter capitalia concedi oportebit, aut paria quoque eorum Mœchiam, & fornicationem inconceſſibilia ſervari.* Denique capite ultimo diſputationem ſuam colligit: *Quæcumque auctoritas, quæcumque ratio Mœcho, & fornicatori pacem Eccleſiaſticam reddit, eadem debebit & Homicidæ, & Idololatræ Pœnitentibus ſubvenire, &c.* Quæ multis exagitat. Non ita impudens, & effrons eſſe potuit Tertullianus, ut non modò Catholicis imputaret contrarium ejus, quod obſervabant; verùmetiam ut calumniam illam velut fundamentum univerſæ ſuæ diſputationi ſubſterneret.

III. Reſpondeo Tertulliani quidem verbam clara eſſe, & Catholicis hanc ſententiam perſpicuè affricare; rem tamen ita ſe habuiſſe non eſſe conſequens. Certum eſt enim Hæreticos levicula data occaſione Catholicis doctrinæ portenta imputare ſolitos. Quotidiana, & omnium ſeculorum experientia id teſtatur. Exemplum unum, aut alterum Lectori ſatisfaciet. Docent Catholici, & reapſe obſervant, Sanctos variis honoribus eſſe colendos, eorum interceſſionibus apud Deum nos quotidie juvari. Quid Hæretici? ita contra Catholicos diſputant, ac ſi illos eſſe Deos, & divino cultu adorandos crederent, atque ideò paſſim eos, Idololatriæ accuſant. Docent Catholici bona opera à fidelibus facta, & charitate delibata, præmia æterna apud Deum propter infinitam paſſionis Chriſti dignitatem promereri. Quid Hæretici? Ita contra Catholicos diſputant, ac ſi funditus Chriſti merita, paſſioniſque virtutem delerent. Innumera ſunt ejuſmodi calumniarum argumenta. Licèt igitur Tertullianus, ut argumentis ſuis colorem inducat, Catholicos ubique ſupponat Idololatris, & Homicidis veniam negare, id Catholicos obſervaſſe non eſt conſequens.

IV. Tertullianum autem Catholicis imponere, ex ipſo Tertulliano evidentiſſimè, & luce meridiana clarius demonſtrabo. Primùm initio libri jam toties citati teſtatur ſe mutaſſe ſententiam: *Erit igitur & hic adversùs Pſychicos titulus, adversùs meæ quoque ſententiæ retrò penes illos ſocietatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis obiectent, &c.* Cùm igitur Tertullianus librum de Pœnitentia ſcriberet, aliam ab ea, quam in libro de pudicitia docet, ſententiam amplectebatur. Id autem quod in libro de pudicitia potiſſimùm contendit, & de quo inter ipſum, & Catholicos diſputabatur, eſt, duo eſſe peccatorum genera, remiſſibilia, & irremiſſibilia, Catholici enim negabant ulla peccata eſſe Eccleſiæ, modo Pœnitentiam ageret peccator, irremiſſibilia. Montaniſtæ autem pro viribus multa peccata contendebant eſſe irremiſſibilia, ut facit toto libro de pudicitia Tertull. Ipſo igitur teſte, Catholica ſententia erat nulla peccata eſſe irremiſſibilia.

V. Secundò idem demonſtratur ex argumentis, ſive ſcripturæ teſtimoniis, quibus in Tertullianum agebant Catholici, Pleraque enim Mœchiam non magis ſpectant, quàm Idololatriam, aut homicidium: generalia enim ſunt, univerſaliter demonſtrantia quibuslibet peccatoribus pœnitentibus veniam eſſe concedendam, ut ſunt parabolæ ovis, & drachmæ perditæ, atque etiam filii prodigi in gratiam à Patre recepti, quas Ethnicis fruſtra accommodare nititur Tertullianus, ut probet omnia crimina baptiſmo non autem Pœnitentia deleri. Ejuſmodi ſunt inſuper hæc teſtimonia ex *Epiſt. 1. Joannis, Sanguis filii ejus emundat nos ab omni delicto*: Et, *ſi confitemur delicta noſtra, fidelis, & juſtus eſt, ut dimittat ea nobis, & emundet nos ab omni injuſtitia.* Quæ omnia demonſtrant Catholicos adverſus Tertullianum non de Mœchia, ſed de quibuslibet peccatis diſputaſſe, licèt diſputatio è venia Mœchiæ laxata ortum habuiſſet.

VI. Tertiò videtur hoc per totum librum, quem Catholicus de Pœnitentia ſcripſit, veluti fulgere. Diſtinguit peccata, & ad omnium Pœnitentiam hortatur: Pœnitentis mercedem veniam eſſe; mercedem hanc non acta Pœnitentia injuſtè expectari, nec unquam ullius peccati irremiſſibilis meminit. Ipſius verba ex plurimis pauciſſima referemus. Cap. 4. poſt factam diſtinctionem omnia prorsùs peccata complectentem, *Omnibus ergo delictis ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & veniam per Pœnitentiam ſpopondit, dicens ad populum, pœnitere, & ſalvum faciam te; & iterùm, Vivo, inquit, Dominus, & Pœnitentiam malo, quàm mortem.* Et capite ſexto, *Quàm porrò ineptum, quàm Pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum ſuſtinere? Hoc eſt pretium non exhibere, ad mercem manum emittere. Hoc enim pretio Dominus veniam addicere inſtituit: hac Pœnitentiæ compenſatione redimendam proponit impunitatem, &c. Sed differamus tantiſper Pœnitentiæ veritatem: Tunc opinor emendatos liquebit, cùm abſolvimur. Nullo pacto, ſed cum pendente venia pœna proſpicitur, cùm adhuc liberari non meremur, ut poſſimus mereri.* Si vitium aliquod Tertullianicæ diſputationi ſubeſt, in contrarium planè vergit, quod omnium prorsùs peccatorum, etiam leviſſimorum, Pœnitentiam lugubrem, & publicam urgere videatur.

VII. Sed audiamus id Eccleſiæ aſſertum disertè, & ipſiſſimis verbis, cujus contrarium illi perpetuò imputat Hæreticus factus; Idololatriæ ſcilicet, & Mœchiæ veniam acta Pœnitentia concedi ſolitam: Immò Tertullianum Idololatras, & Mœchos ad Pœnitentiam, ut veniam ab Eccleſia conſequantur, exhortantem.

tantem. Sic ille *cap.* 8. *Oſtendiſti, ſed reconciliari adhuc potes; habes cui ſatisfacias, & quidem volentem. Id ſi dubitas; evolve quæ Spiritus Eccleſiis dicat: Deſertam dilectionem Epheſis imputat: Stuprum, & Idolothytorum eſum Thyatirenis exprobrat: Sardos non plenorum operum incuſat: Pergamenos docentes perverſa reprehendit, &c. & tamen omnes ad Pœnitentiam commonet, ſub comminationibus quidem. Non comminaretur autem non Pœnitenti, ſi non ignoſceret Pœnitenti, &c.* Quid igitur falſius quàm id, quod Tertullianus in libro de pudicitia toti ſuæ diſputationi ſubſternit, Idololatris, & Homicidis veniam negaſſe Catholicam Eccleſiam.

VIII. Denique Catholicis Tertullianum imponere evidentiſſimè ex ipſo libro de pudicitia colligitur. Capite enim tertio ſui oblitus, vel potius diſputationis calore nondum in tranſverſum actus, id κατ' λέξιν profitetur, *Sed priùs decidam intercedentem ex diverſo reſponſionem ad eam pœnitentiæ ſpeciem, quam cum maximè definimus venia carere. Si enim, inquiunt, aliqua pœnitentia caret venia, jam nec in totum agenda tibi eſt: Nihil enim agendum eſt fruſtra. Porrò fruſtra agetur pœnitentia, ſi caret venia. Omnis autem pœnitentia agenda eſt. Ergo omnis veniam conſequatur, ne fruſtra agatur, quia non erit agenda, ſi fruſtra agatur. Porrò fruſtra agitur, ſi venia carebit. Meritò ita opponunt, quoniam hujus quoque pœnitentiæ fructum, id eſt, veniam, in ſua poteſtate uſurpaverunt.* Catholicorum illa adverſus Montaniſtas ratiocinatio propoſitionibus nititur, quæ ſingulæ tribus illis criminibus irremiſſibilibus opponuntur. Prima eſt, omnis criminis agenda eſt Pœnitentia: Secunda, omni Pœnitentiæ venia neceſſariò danda eſt, alioquin pœnitentia eſt ſupervacanea: Tertia, veniæ illius conceſſio, Eccleſiæ auctoritati commiſſa eſt. Vix ullis verbis clariùs, & expreſſius docere poterat Catholicam conſuetudinem eſſe, de quibuslibet criminibus Pœnitentiam agere, & acta Pœnitentia veniam eſſe Pœnitenti ab Eccleſia dandam. Eodem argumento, iiſdemque propoſitionibus adverſus Novatianos utitur Sanctus Cyprianus. Unde manifeſtiſſimum eſt, conſtantiſſimam hanc eſſe, ſemperque fuiſſe Eccleſiæ doctrinam.

IX. Aliud efficaciſſimum, & ineluctabile hujus rei argumentum elicitur ex eodem *libro cap.* 10. ubi ſic reſpondet Catholicis auctoritatem Hermæ in libro Paſtoris opponentibus, *Cederem tibi, ſi ſcriptura Paſtoris, quæ ſola Mœchos amat, divino inſtrumento meruiſſet incidi, ſi non ab omni concilio Eccleſiarum etiam veſtrarum inter apocrypha, & falſa judicaretur, adultera, & ipſa, & inde patrona ſociorum.* At antiquus ille auctor, quem Damaſus Pii Papæ I. qui anno Chriſti 158. Pontificatum iniit, fratrem fuiſſe ſcribit, non modò Adulteris veniam concedit, ſed nullum crimen novit, quod Pœnitentia non expietur, ut videre eſt *libri* 2. *mandato* 4. quem locum Tertulliano Catholici opponebant. Immò *lib.* 3. *ſimilitudinibus* 6. 7. & 8. omnia peccatorum genera ſigillatim, & κατ' μέρος explicat, eaque omnia lavari pœnitentia docet. Ex quo manifeſtum eſt, Catholicorum ſententiam non Mœchiam tantùm, ſed omnia criminum genera complexam fuiſſe. Quod opponit falſam, & apocrypham eſſe omnium Eccleſiarum judicio ſcripturam illam, nihil ad id quod nobis probandum eſſe, ſpectat. Deinde quod aſſumit falſum eſt. Scriptura enim illa à Clemente Alexandrino, & Irenæo antiquioribus Tertulliano, immò & à Tertulliano Catholico maximi fit, & libris canonicis quaſi æquiparatur, ut poſteriores Tertulliano auctores omittam.

X. His accedit illud ipſum, quod in Catholicis reprehendit Tertullianus ad libri finem, Martyres Lapſis pacem ab Eccleſia impetrare. Non erat igitur hodie, nec nudiuſtertius nata conſuetudo crimina illa remittendi, ut credi vult Tertullianus, ſed antiqua, & ab ipſa origine Eccleſiæ continuata. Mœchiæ quidem, & fornicationis mentionem tantum facit. Sed ex Sancto Cypriano demonſtratur ſecundùm anteriorem, & longi temporis conſuetudinem, pacem Martyres ab Eccleſia pro Lapſis, & Idololatriæ Reis potiſſimum exorare ſolitos, ut ex *Epiſtolis* 10. 11. 12. 13. & multis ſequentibus colligitur, atque infra multis docebitur. Non cenſebantur igitur illa crimina irremiſſibilia, & inconceſſibilia, ut vult Tertullianus.

XI. Obiter notabit Lector aliam hac in cauſa Tertulliani hæretici calumniam. Cum enim enarrat Lapſorum conſuetudinem, qua libellos pacis, & communionis à Martyribus exorabant, illis imponit abſolutam peccata remittendi poteſtatem, *At tu jam & in Martyres tuos effundis hanc poteſtatem, &c. Sufficiat Martyri propria delicta purgaſſe: Ingrati vel ſuperbi eſt, in alios quoque ſpargere, quod pro magno fuerit conſecutus. Quis alienam mortem ſua ſolvit, niſi Dei filius, &c.* Quæ multis in libri fine perſequitur. At certum eſt, & Eccleſiæ, & Martyrum aliam planè fuiſſe mentem. Pacem enim Lapſis non dabant Martyres, ſed ut pax ipſis, & Eccleſiæ communio celerius redhiberetur, ſi eorum actiones, & mores indulgentiam aliquam mererentur, libellis ſupplicibus ad Epiſcopos datis exorabant. Martyrum autem commendationes illæ, preceſque ab Eccleſia plurimi fieri ſolebant. Quàm longè hæc abſunt ab ea calumnia, quam illis imponit Tertullianus!

XII. Opponet forſan aliquis Tertullianum prætexendæ iſtius calumniæ aliquam cepiſſe occaſionem. Non videtur enim veriſimile, calumniam iſtam nullo præcedente fundamento toties ab eo Catholicis eſſe objectam. Nec ego diffiteor, ſed quænam fuerit, eſt dictu difficile, eo quòd in hac cauſa ſolùm habeamus teſtem Tertullianum: Omnia enim Catholicorum de hac quæſtione ſcripta perierunt: Omninò tamen videtur probabile, Zepherinum Pontificem pœnas Mœchis infligi ſolitas relaxaſſe; de ſeveritate autem in Idololatras, & Homicidas exerceri ſolita nihil remiſiſſe. Hinc occaſionem ſumpſit totius calumniæ ſuæ texendæ, & ſæpiùs obiiciendi Mœchum crimine non eſſe Idololatra, & Homicida inferiorem, ac proinde ſi Mœcho venia indulgebatur, duobus aliis eadem ratione indulgendam.

CAPUT XXI.

Variis antiquorum Patrum, qui Tertullianum præceſſerunt, teſtimoniis demonſtratur, hanc fuiſſe Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, & conſuetudinem.

HAnc fuiſſe univerſæ Eccleſiæ ante Tertullianum conſuetudinem facilè demonſtrari poteſt: Sæpè enim nos eam docent antiquiſſimi Apoſtolorum canones *cap.* 24. *Laicus, qui ſeipſum mutilavit annis tribus communione pellatur, Inſidiator eſt enim vitæ ſuæ.* Canone 61. *Si adversùs fidelem accuſatio intendatur, vel fornicationis, vel adulterii, &c. & convictus fuerit, ad Clerum ne provehatur.* Si poſt crimen hoc in Eccleſiam non recipiebatur, quæ ratio eum à Clero arcendi? An ad Clerum Laicos admittebant, quibus cum fidelibus conſiſtere non licebat? Et can. 62. *Si quis Clericus humano timore Judæi, vel Gentilis, vel Hæretici negaverit, ſiquidem Chriſti nomen, eliciatur: Si verò Clerici nomen, deponatur. Pœnitentiam autem agens, ut Laicus recipiatur.* Si poſt graviſſimum negationis Dei crimen criminibus acta Pœnitentia recipitur, quid in criminibus actum fuiſſe par eſt? Sed canone 52. quid clariùs? *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter à peccato revertentem non recipit, ſed reiicit, deponatur: Quia Chriſtum contriſtat dicentem, Gaudium erit in cœlo, &c.* Idem colligi debet ex multis aliis canonibus, quæ propter idem crimen depoſitionis damnant Clericos, & ſeparationis à communione Laicos. Demonſtratum enim eſt, Clericos depoſitos ex iiſdem canonibus communione frui. Id perſpicuè canon 24. *Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, fornicationis, vel perjurii, vel furti convictus deponatur, & non ſegregetur.* Laici igitur eodem crimine fœdati communionem acta Pœnitentia recuperare poterant. Deinde homicidium, & adulterium non cenſebantur ab iis graviſſima crimina, cum alia nonnulla gravioribus pœnis afficerent, omnimoda ſcilicet ab Eccleſia expulſione, ut videre eſt can. 27. 28. 29. Non igitur dubitari poteſt, quin poſt ea crimina in gratiam iterum cum Eccleſia redierint.

II. Sancti Clementis conſtitutiones paſſim id docent, ſed libro ſecundo præſertim; ut *cap.* 12. 13. 14. quibus hoc non modò aſſerunt, ut verumetiam multis argumentis, & ſcripturæ teſtimoniis omnia peccata generatim complectentibus demonſtrant, & in eos, qui negant, graviter invehuntur. Cap. 12. *Judica igitur Epiſcope poteſtate fretus tanquam Deus: ſed pœnitentes recipe. Deus enim miſericordiæ eſt, & pœnitentes admitte, quoniam Dominus Deus jurejurando promiſit dare veniam erratis pœnitentium, &c* Deinde rationem reddit, *Ne aliquando tanquam deſperantes nequitiæ ſe dedant, ſed potiùs concepta ſpe ſalutis ad Deum converſi ei peccata defleant, &c.* His verò exaggeratis *cap.* 13. in fine colligit, *Itaque primùm poteſtate fretus reum condemna; Deinde cum miſericordia, & commiſeratione, & ſuſceptione eum allice, promiſſa ei ſalute, ſi mores mutet, & peccatorum pœniteat.* Capite verò 14. eos graviter, & longo ſermone inſequitur, qui id facere recuſant. Faſtidium Lectori crearem, ſi ſingula, quæ in hanc cauſam Clemens colligit, huc congererem. Attentè perpendat Lector ejuſdem libri capita integra 21. 22. 23. & ſequentia. Nihil poſteà quod ad hujus quæſtionis ſolutionem pertinere poſſit, requiret. Hoc unum præcedentibus addam quod capititis 23. initio legitur, *Nullum majus peccatum quàm idolorum cultus. Eſt enim impietas in Deum; tamen per veram pietatem remiſſum eſt, &c.*

III. Ejuſdem Eccleſiaſticæ conſuetudinis illuſtriſſimum, & Apoſto-

Apoſtolicum exemplum refert apud Euſebium *lib.3.cap.17.ſive 23.hiſtoriæ Eccleſ.* Clemens Alexandrinus in eo opere, quod inſcripſit, Quis ſit ille dives, qui ſervetur: Hiſtoriæ ſumma eſt. Quum S. Joannes ab exilio reverſus Aſiæ Eccleſias viſitationis cauſa circumiret, adoleſcentem ingenio, corporiſque forma præſtantem conſpicatus, Epiſcopo illius urbis commendavit. Epiſcopus Apoſtoli mandato morem gerens, Adoleſcentem piè inſtituit, tandemque baptizat, & ſigillo Domini confirmat. Sed labente tempore Adoleſcens à pietate deficit, atque in profundum vitiorum gurgitem ſeſe præcipitat, tandemque Prædonum turba coacta ipſis præficitur. Apoſtolus urbem illam circumiens ab Epiſcopo depoſitum expoſtulat, ſed quod contigerat, narrat Epiſcopus. Quid verò Apoſtolus? Num criminibus omnibus inquinatiſſimum hominem, & ſanguinolentum prædonum ducem in impuriſſimo cœno deſerit? Minimè, ſed ſtatim audito caſu equum aſcendit, & itineris duce aſſumpto ad locum, quem prædo inſederat, ſe duci jubet: Ab excubitoribus captus, eorum principi ſe ſiſti rogat. Adventantem Joannem, ut vidit prædonum dux ille, præ pudore fugam capeſſit: Ad quem Apoſtolus. *Quid, fili, me tuum patrem inermem, & ætate confectum fugis? Miſerere laboris mei, fili, ne formides: adhuc tibi ſalutis ſpes reliqua eſt. Ego Chriſto pro te reddam rationem, &c. Conſiſte, crede, Chriſtus me miſit ad te.* Hæc audiens prædonum ductor, *primùm oculis humi defixis conſtitit, deinde arma abjecit, tum horrore perfuſus, graviter, & acerbè lamentatus eſt. Senem ad ſe adventantem complectitur, fletu, & mœrore quoad poterat, pro culpa ſatisfacit, & dextra ſola occultata, lachrymarum unda ſecundò baptizatur.* Quid verò ad hæc Apoſtolus? Num hominem quem vocat Clemens, *βιαιότατον, μιαιφονώτατον*, quem dicit, *ἀνὴρ ἄγριος καὶ ἄμοτος ἵππου ὀρθὸς ὁδοῦ, ἐξ τῆ χαλινὸν ἐκδακὼν μείζονας κατὰ τῶν βαράθρων φερόμενον, καὶ ἀπογνόντα τελέως τὴν ἐν θεῷ σωτηρίαν*, ad perpetuam Pœnitentiam veniæ expertem ablegat? Audiamus: *Apoſtolus rata, & conſtanti aſſeveratione, ei ſe à ſervatore veniam, & remiſſionem peccatorum precibus ſuis impetraturum pollicetur; atque ad genua accidens ipſam manum dexteram, tanquam aqua pœnitentia ablutam purgatamque oſculatus, illum ad Eccleſiam reducit. Crebris item precibus Deum pro illo invocat, continuiſque jejuniis unà cum eo, ſe macerat, variis divinæ ſapientiæ ſententiis ejus animum quaſi quibuſdam lenociniis mitigat, tranquillatque: neque priùs, ut fertur, inde deceſſit, quàm illum Eccleſiæ reſtituiſſet.* Quàm longè aberant, & Joannes, & Clemens ab ea quarundam Eccleſiarum inclemente diſciplina, quæ Pœnitentibus nonnullis communicationis omnem aditum intercludit; dicamus, & ab ea, quæ poſtmodùm ſecuta eſt Eccleſiarum ſeveritate.

IV. Aliud hujus rei exemplum extat in ſcripto, quod adversùs Montaniſtas exaravit Apollonius, referente illud Euſebio *lib.5 hiſtoriæ Eccleſ. cap. 17.* ſcribebat autem Appollonius ante Zephirini Pontificatum in hunc modum, de præcipuis Montaniſtarum Doctoribus, *Ut una de pluribus verba faciamus, dicat nobis ipſa Prophetiſſa de Alexandri facinoribus, qui ſe Martyrem prædicat, & quem ipſa convivio excipit familiariter; quem etiam alii complures adorant; cujus latrocinia, & alia flagitiorum genera, pro quibus debitas pœnas perſolverit, nihil noſtra intereſt commemorare, præſertim, cùm in ipſas tabulas publicas ſatis accuratè relata ſint. Igitur quiſnam iſtorum alteriùs condonabit peccata? Prophetiſſa Martyri latrocinia, an Martyr Prophetiſſæ avaritiam?* Poſteà quæ avaritiæ cauſa impiè rapuerunt, ediſſerit. Unde verò hæc interrogatio proceſſit? *Quiſnam iſtorum alteriùs peccata condonabit?* niſi ex antiqua, & univerſæ Eccleſiæ conſuetudine crimina quæque per Pœnitentiam condonandi? Ironicè autem eos, in abſurdo impedit, quòd & Reus, & judex eodem crimine tenebantur. Idem evidenter quoque Natalii exemplum demonſtrat apud eundem Euſebium *hiſt.l.5. cap ult.* quod jam alia in cauſa retulimus.

V. Sanctus Irenæus, qui ante Zephirini Pontificatum ſcribebat, hanc peccatorum irremiſſibilium ex Eccleſiæ diſciplina doctrinam ignorabat; cùm ſæpius data occaſione illius nunquam mentionem faciat, immò contrarium ex Eccleſiæ conſuetudine ſæpiùs factum teſtetur. *Libro enim 1. cap.9.* refert nonnullas mulieres à Marco quodam hæreſiarcha non ſolùm mente, & animo, ſed etiam corpore corruptas Exomologeſi facta in Eccleſiam receptas fuiſſe, *Hæ ſæpiſſimè converſæ ad Eccleſiam Dei confeſſæ ſunt, & ſecundùm corpus exterminatas, ſe ab eo velut cupidine, & inflammatas valdè ſe illum dilexiſſe, ut & Diaconus quidam eorum, qui ſunt in Aſia, ſuſcipiens eum in domum ſuam, inciderit in hujuſmodi calamitatem. Nam cum eſſet ejus uxor ſpecioſa, & ſententia, & corpore corrupta eſſet à Mago iſto, & ſecuta eſſet eum multo tempore, poſt deinde cum magno labore fratres eam convertiſſent, omne tempus in Exomologeſi conſummavit, plangens, & lamentans ob hanc, quam paſſa eſt ab hoc Mago, corruptelam.* Idem poſteà ſcribit de nonnullis aliis circa Rhodanum mulieribus eadem hæreſis infectis, quæ ſanè ad Pœnitentiam nunquam admiſſæ fuiſſent, niſi ea acta veniæ ſecuræ. Semper enim Hæreticis exprobrarunt Catholici, quòd ad Pœnitentiam exhortarentur, cujus fructum non exhibebant multò magis exprobraturi Pœnitentiæ ſine ſpe veniæ impoſitionem. Capite verò quarto ejuſdem libri ſcribit Cerdonem Hæreticum, qui Marcionem præceſſerat, in peccatum ſæpiùs incidiſſe, & de eo ſæpius Pœnitentiam egiſſe, cujus verba ſupra exſcripſimus.

VI. His addendum eſt illuſtre teſtimonium Clementis Alexandrini *in ſecundò Stromatum ex lib.2. Paſtoris, mandato 4. excerptum*, quo Pœnitentia, & poſt Pœnitentiam venia ex Angeli mandato quibuslibet peccatis, & Mœchiæ ſigillatim conceditur. Idem evidenter, de quibuslibet peccatis in ſpecie, & κατ' λέξιν colligitur ex ejuſdem Hermæ *libro 3. ſimilitudinibus 6.7.8.* ut legenti cuique eſt obvium. Nonnulla præterea in eundem finem ex Herma retulimus *lib. 4. cap. 9.* His denique teſtibus adjungi poteſt S. Dionyſius, qui à plurimis Areopagita creditur. Multis enim in Epiſtola ad Carpum in eos, ipſumque Carpum invehitur, qui peccatorum quorumlibet Pœnitentibus veniam, & reconciliationem denegant. Sed omnibus anteire debet Corinthii inceſtus ab Apoſtolo Paulo veniam conſecuti, exemplum, quod Catholici ſemper Tertulliano oppoſuerunt, & cujus pondere ita oppreſſus eſt, ut illud nunquam excutere potuerit, licèt ſæpius id magno conatu in libro de pudicitia tentaverit.

CAPUT XXII.

Referuntur argumenta, quibus probari, videtur Eccleſiam Romanam, & Africanam tempore Novati Idololatris primùm reconciliationem conceſſiſſe; & ea quibus id ſemper feciſſe demonſtratur.

QUæ ex Tertulliani Hæretici verbis facta eſt in crimine Mœchiæ difficultas, eadem, & majori cum probabilitate ex nonnullis S. Cypriani verbis in crimine Idololatriæ commovetur. Sicut enim ex Tertulliani ſermone conſequi videtur, tum primùm Mœchiæ veniam eſſe datam, cui ſeſe oppoſuit: Ita ex nonnullis S.Cypriani, Clerique Romani verbis colligi poſſe videtur, anteà Lapſis Idololatris Eccleſiæ communionem negatam fuiſſe, atque tum primum à SS. Cornelio, & Cypriano conceſſam. Sed inter Tertulliani, & Cypriani teſtimonia hoc intereſt, quod Tertullianus erat Hæreticus, Cyprianus verò ſanctus Chriſti Martyr, atque ideò S.Cypriani teſtimonium Tertullianæo longè credibilius. Deinde nonnulla Cypriano, & aliorum ejuſdem temporis teſtimonia Tertullianicis videntur expreſſiora: Ipſa tamen diligenter conſiderata, atque, ut par eſt, explicata, ſententiæ jam traditæ, & demonſtratæ nihil officiunt. Ea primum, deinde iis contraria hoc capite referemus: Poſteà qua ratione intelligenda ſint, variis hiſtoriæ Martyrum illius temporis examinatis circumſtantiis docebimus; atque ex ipſiſmet, aliiſque eorundem auctorum teſtimoniis planum faciemus, veniam Idololatris dari tunc non primum cœptum, ſed quod anteà rigidius in eos obſervabatur, remiſſius tum certa quadam ob Lapſorum multitudinem Eccleſiæ diſpenſatione, obſervatum fuiſſe.

II. Veniam Lapſis negari ſolitam confirmare videtur Clerus Romanus *Epiſt. 31.* inter Sancti Cypriani opera, *Ante conſtitutionem Epiſcopi nihil innovandum putavimus, ſed Lapſorum curam mediocriter temperandam eſſe credimus, ut interim dum Epiſcopus dari à Deo nobis ſuſtinetur, in ſuſpenſo eorum, qui moras poſſunt dilationis ſuſtinere, cauſa teneatur. Eorum autem quorum vitæ ſuæ finem urgens exitus dilationem non poterit ferre, acta pœnitentia, & profeſſa frequenter ſuorum deteſtatione factorum, ſi lachrymis, ſi gemitibus, ſi fletibus dolentis, ac verè pœnitentis animi ſigna prodiderint, cùm ſpes vivendi ſecundùm hominem nulla ſubſtiterit, ita demum cautè, & ſollicitè ſubveniri.* Si tum conſuetudo erat Lapſis omnibus in fine pacem dare, ut quid Clerus Romanus aggregatis vicinis Epiſcopis pronunciat fiduciario decreto pacem his Lapſis, dum ſani ſunt, dandam non eſſe, ſed tantum moribundis reconciliatione ſubveniendum?

III. Secundò ſæpiùs ſcribit S. Cyprianus in eadem cauſa Lapſorum preces importunas non eſſe attendendas, ſed ad futurum concilium eſſe remittendas, in quo eorum cauſa ſit ventilanda, & inquirendum, quæ cuique ſit Pœnitentia imponenda: Interim Presbyteris ſuis mandat, *Ut qui libellum à Martyribus acceperant, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt, ſi premi infirmitate aliqua, & periculo cœperint, Exomologeſi facta, & manu eis à vobis in pœnitentiam impoſita,*

cum

Digitized by Google

cùm pace à Martyribus ſibi promiſſa, ad Dominum remittantur. Quid expreſſiùs deſiderari poteſt? Lapſis vult in fine vitæ ſubveniri, ſed iis, qui libellos à Martyribus acceperunt. Ergo iis, qui ejuſmodi libellos non acceperant, ne in morte quidem ſubveniebatur. Decretum autem illud proviſionale erat, donec ſcilicet pace Eccleſiis reſtituta Concilium cogere liceret, & quid hac in re obſervandum eſſet, definiretur: Sequitur enim, *Cæteri verò, qui nullo libello à Martyribus accepto invidiam faciunt, quoniam non paucorum, nec Eccleſiæ unius, nec unius Provinciæ, ſed totius orbis hæc cauſa eſt, expectent ante de Domini protectione Eccleſiæ ipſius publicam pacem, &c.* Hæc *Epiſtola* 14. Eadem præcedente Epiſtola, & ſæpiùs in ſequentibus. Quid opus erat hoc fiduciario decreto definire, Lapſis in exitu ſubveniendum, ſi Eccleſiæ conſuetudo id expoſcebat? Et quod ſtringit Adverſarium magis, ut quid reconciliatio Lapſis moribundis ex fiduciario decreto cum conditione permittitur, ſi tum eam abſolutè, & indefinitè dari imperabat Eccleſiæ conſuetudo?

IV. Conſideremus denique, quid Conſilio Africano poſt quietem Eccleſiæ redditam celebrato, tandem eſt definitum. Id nos docet Cyprianus *Epiſt.* 52. *Et ideò placuit, frater chariſſime, examinatis cauſis ſingulorum libellaticos interim admitti, ſacrificatis in exitu ſubveniri.* Anteà igitur ſacrificatis morientibus non ſubveniebatur, ſed tum primùm id publico decreto conſtitutum eſt. Verùm ab ea ſententia quàm longiſſimè abſunt S. Cyprianus, & cum Clero Romano Cornelius Pontifex. Immò quanta poſſunt argumentorum vi eam impugnat, & ubique ferè, quum de illa ſermo eſt, ea adiiciunt, cum quibus ſtare nullo modo poteſt. Fulget ubique in S. Cypriani ſcriptis erga Lapſos elementia, quæ ſi conſideremus canones Aneyranos, & Nicænos, alioſque poſteriores, maxima ſemper fuit. Pauca teſtimonia ſed evidentia hic exſcribemus.

V. Sanctus Cyprianus ad finem *Epiſtolæ* 52. ad Antonianum contra Novatianos tum exorientes diſputans ex eorum facto adverſus eos, argumentatur. In illis initiis pœnitentiam, & veniam fornicatoribus, & Mœchis Novatiani largiebantur: Hinc probat Cyprianus, & Idololatris ipſis poſt actam pœnitentiam eſſe communicandum, eo quòd ex reipſa, & Apoſtolo conſtet Mœchiam veram eſſe Idololatriam. Deinde non ſimpliciter arſſimat communicari poſſe, ſed in non communicantes acriter invehitur: quòd certè nulla fronte facere auſus eſſet vir ſanctus ſi ipſe anno præterito idem faciendum docuiſſet, & Presbyteris ſuis cum Lapſis communicantibus infenſus fuiſſet. *Si ſe renis, & cordis*, inquit adverſus Novatum, *ſcrutatorem conſtituit, & judicem, per omnia æqualiter judicet, & cùm ſciat ſcriptum eſſe: Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deteriùs fiat, fraudatores, & Mæchos à latere, atque à comitatu ſuo ſeparet: quando multò, & gravior, & pejor ſit Mæchi quàm libellatici cauſa, cùm hic neceſſitate, ille voluntate peccaverit, &c. Quibus tamen, & ipſis pænitentia conceditur, & lamentandi ac ſatisfaciendi ſpes relinquitur, ſecundùm ipſum Apoſtolum dicentem, Timeo ne fortè veniens ad vos lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt pænitentiam de immunditiis, quas fecerunt, & fornicationibus, & libidinibus.* Ex quo prætereà colligitur, communicationem illam cum Mœchis, qui pœnitentiam egerant, ſecundùm Apoſtoli præceptum inſtitutam eſſe. Poſt hæc verba ſtatim Adverſariorum objectioni occurrit dicentium ſe Mœchis ex Apoſtoli præcepto communicare, ſed non Idololatris, *Nec ſibi in hoc novi Hæretici blandiantur, quod ſe dicant Idololatris non communicare.* Quid verò opponit S. Cyprianus? *Quando ſint apud illos, & adulteri, & fraudatores, qui teneantur Idolalatriæ crimine, ſecundùm Apoſtolum, &c.* Aſſumptum probat duobus S. Pauli teſtimoniis. Idem paulò ante probaverat ex eo, quòd ſcriptura corpus noſtrum Dei templum vocat.

VI. Quo demonſtrato aliud abſurdum ex eorum doctrina, in eos retorquet, Idololatriæ ſcilicet crimine illos teneri, *Ita fit, ut ſi peccato alterius inquinari alterùm dicunt, & Idololatriam delinquentis ad non delinquentem tranſire ſua aſſeveratione contendunt, excuſari ſecundùm ſuam vocem non poſſunt ab Idololatriæ crimine, cùm conſtet de Apoſtolica probatione, Mæchos, & fraudatores quibus illi communicant, Idololatras eſſe.* Hoc verò principium negat S. Cyprianus, contenditque alterum pro altero Reum fieri non poſſe, nec morituros Patres pro filiis, aut vice verſa. Quibus poſitis principiis attende, Lector, quæ concludat, quoque eloquentiæ impetu inſectetur eos, qui peccatoribus denegant pænitentiam, & pænitentibus indulgentiam, *Quod legentes, & tenentes, neminem putamus à fructu ſatisfactionis, & ſpe pacis arcendum, cùm ſciamus juxta ſcripturarum divinarum fidem auctore, & hortatore ipſo Deo, & ad agendam pænitentiam peccatores redigi, & veniam atque indulgentiam pænitentibus non denegari. Atque ò fruſtrandæ fraternitatis irriſio! ò miſerorum lamentantium caduca deceptio! ò hæreticæ inſtitutionis ineſficax, & vana traditio, hortari ad ſatisfactionis pænitentiam, & ſubtrahere de ſatisfactione medicinam; dicere fratribus noſtris, plange, & lacbrymas funde, & diebus ac noctibus ingemiſce; & pro abluendo, & purgando delicto tuo largiter, & frequenter operare, ſed extra Eccleſiam poſt omnia iſta morieris: quæcunque ad pacem pertinent facies, ſed nullam pacem, quam quæris, accipies. Quis non ſtatim pereat? Quis non ipſa deſperatione deficiat? Quis non animum ſuum à propoſita lamentationis avertat? Operari tu putas ruſticum poſſe ſi dixeris agrum peritia omni ruſticitatis exerce, culturis diligenter inſiſte, ſed nullam meſſem metes, &c.* quæ fusè, & eloquenter perſequitur. Poſteà iterùm colligit. *Quòd ſi invenimus à pænitentia agenda neminem debere prohiberi, & deprecantibus, atque exorantibus Domini miſericordiam, ſecundùm quod ille miſericors, & pius eſt, per Sacerdotes ejus pacem poſſe concedi, admittendus eſt plangentium gemitus, & pænitentiæ fructus dolentibus non negandus. Et quia apud inferos confeſſio non eſt, nec Exomologeſis illic fieri poteſt, qui ex toto corde pænituerint, & rogaverint, in Eccleſiam debent interim ſuſcipi, & in ipſa Domino reſervari, &c.*

VII. Hæc pluribus, ut judices, an ſui adeò fuerit oblitus S. Cyprianus, ut tantis animis eos inſectaretur, qui id obſervabant, quod ipſe cum tota Eccleſia Catholica, ſi adverſæ ſententiæ creditur, biennio ante mordicus tuebatur, lapſiſque duos vel tres ante menſes maximo cum deſiderio, & importunitate expoſtulantibus conſtanter recuſabat? Ex eadem Epiſtola non omittam verba, quæ ſequuntur, *Miror autem, quoſdam ſic obſtinatos eſſe, ut dandam non putent Lapſis pænitentiam, aut pænitentibus exiſtiment veniam denegandam, cùm ſcriptum ſit, Memento unde cecideris, & age pænitentiam, &c.* Locum, Lector, adeat velim, ſeptem enim, aut octo ſcripturæ teſtimoniis utitur, quæ abſolutè probant ex divino præcepto nulli peccatori denegandam pænitentiam, & nulli pænitenti indulgentiam.

CAPUT XXIII.

Explicatur, & demonſtratur ſtatus controverſiæ inter Lapſos in Perſecutione Deciana, & Clerum Romanum, S. Cypriano, & ejus Collegis conſentientem.

VErùm, inquies, qua arte hæc conciliari poſſunt cum iis, quæ initio capitis oppoſita ſunt? Videntur enim utraque clara, & tamen contradicentia. Nullo ſanè negotio ſi ſtatus controverſiæ inter S. Cyprianum, Clerum Romanum, & Lapſos rectè conſtituatur. Hinc enim ſole clariùs elucеſcet, quæ objecta ſunt non modò iis, quæ demonſtravimus non contradicere, verumetiam ea ſolidè ſtabilire. Maximi autem intereſt controverſiæ iſtius ſtatum dignoſcere, quum ex eo dilucidè explicato nonnullæ quæſtiones utiliſſimæ ad antiquam, hodiernamque Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem ſpectantes plurimùm illuſtrentur. Statum autem illum ponere ei non erit difficilè, qui varias Sancti Cypriani Epiſtolas contulerit; perſpicuè enim admodùm, & evidenter eum explicat non modò, ipſe variis in locis, ſed, & Clerus Romanus. Status autem erat ejuſmodi. An cum Lapſis nulla prævia pœnitentia purgatis eſſe communicandum, hoc eſt, ut hodiernis terminis id eloquamur, An eſſet Lapſis ſine ſatisfactione danda abſolutio. Id impudenter Lapſi complures in perſecutione Deciana contendebant, & multitudine, importunitateque ſua impetrare ſatagebant. Quinque Presbyteri, qui & ipſi lapſi erant, Lapſos ad id ab Epiſcopis extorquendum malignè inflammabant. Alii quoque Presbyteri ſani, & integri ſimplicitate quadam ducti Lapſorum iſtorum nonnullos Eccleſiis ſuis nulla acta pœnitentia reconciliaverant. Poſteà quinque illi Presbyteri, quum ideò ſeverè redarguerentur, & gradus ſui reſtitutionem deſperarent, in contrariam planè ſententiam abierunt; Novatoque, & Novatianis ſeſe adjunxerunt, qui Lapſis quacunque Pœnitentia acta nunquam eſſe communicandum docebant

II Lapſorum iſtorum plerique omnes non erant adeò impudentes, ut reconciliationem nulla acta pœnitentia ſimpliciter efflagitarent, ſed poſtulationi ſuæ libellos Martyrum obtendebant. Illis igitur freti ſtatim in Eccleſiam recipi audacter urgebant, deſpectoſque non ſe, ſed Martyres, ſi non aſſentirentur Epiſcopi, querebantur. Quid verò S. Cyprianus, & Clerus Romanus? vacabat enim morte Fabiani Epiſcopatus. Jubent eos expectare Concilii celebrationem, in quo eorum cauſæ examinentur, & quæcunque ſit pro criminis gravitate pœna imponenda, definiatur. Quid interim Lapſos facere jubent?

Nihil

Digitized by Google

Nihil innovari volunt, hoc eſt, legitimam, & conſuetam agere jubent Pœnitentiam, ut reconciliationem per impoſitionem manus Epiſcopi, & Cleri ea acta impetrare mereantur. Quum autem Lapſi illi hanc conditionem omnino recuſantes tumultuarentur, ſeditioque, & ſchiſma timeretur, decreto addunt Lapſis illis, ſi Martyrum libellos habeant, in ictu mortis eſſe ſubveniendum: Interim Martyribus graviter ſuccenſent Clerus Romanus, & S. Cyprianus, qui pacem Lapſis indiſcretè promittebant, & pacis ſeu reconciliationis obtinendæ libellos Lapſis nullo examine facto concedebant, quo Evangelii, & diſciplinę Eccleſiaſticæ vigor, & cenſura ſolvebantur. Decio demum Imperatore occiſo, pax Eccleſiis redditur, atque è ſeceſſu ſuo Carthaginem redit Cyprianus, & Romæ Cornelius creatur Pontifex. Concilium quiſque convocat, in quo Lapſorum cauſa examinatur, & decernitur communi conſenſu, licèt variis locis, Lapſos, qui immundis ſacrificiis ſeſe polluerant pęnitentiam plenam agere, qua peracta reconciliarentur. Quod ſi inter pœnitentiam agendum vitæ periculum immineret, licèt pœnitentiæ actio eſſet imperfecta, nihiloſecius reconciliatione donarentur. Quod ad libellaticos atinet, hoc eſt, eos, qui libellos Magiſtratui dederant, quibus ſe eſſe Chriſtianos fatebantur, atque ideò Idolis ſacrificare non poſſe, ne autem hoc facerent, ſeſe præmium daturos pollicebantur, utroque Concilio ſtatutum eſt, ut nulla alia pœnitentia præter eam, quam vigente perſecutione notum erat, eos ſponte ſuſcepiſſe, Eccleſiæ paci ſtatim reſtituerentur.

III. Hic fuit Lapſos inter, & S. Cyprianum Clerumque Romanum controverſiæ ſtatus. Hæc de eorum pœnitentia, & reconciliatione tam fiduciaria ſententia quàm decretoria definita ſunt, quæ perpetuæ pœnitentiæ, & reconciliationi in extremis negatæ, & imaginariæ illi Pœnitentiæ denegationi, quæ tantum in fine vitæ ſimul cum reconciliatione concedebatur, è diametro opponuntur. Ea nunc nobis ſunt S. Cypriani verbis ſigillatim demonſtranda. Quum autem hæc ubique in integris epiſtolis fulgeant, pauca ex iis delibabimus, digitum in fontes intendiſſe contenti. Iſtius controverſiæ originem, & occaſionem aperit Cyprianus *Epiſt.* 55. ad Cornelium Pontificem, docetque quinque illos Presbyteros Felicem, Jovinum, Maximum, Repoſtum, & Fortunatum cum ipſi initio perſecutionis cecidiſſent, Pœnitentiæ, quæ Lapſis erat imponenda, reſtitiſſe, Lapſoſque, ut abſolutionem nulla acta pœnitentia ab Epiſcopis extorquerent, concitaſſe, *Taceo itaque de fraudibus Eccleſiæ factis, conjurationes, & adulteria, &c. de eorum facinore non puto eſſe reticendum; quod à primo ſtatim perſecutionis die, cum recentia delinquentium facinora fervèrent, & ſacrificiis nefandis non tantùm Diaboli altaria, ſed adhuc manus ipſæ Lapſorum, atque ora fumarent, communicare cum Lapſis, & pœnitentiæ agendæ intercedere non deſtiterunt.* Crimen iſtud Idololatrię poſtquam teſtimoniis ſcripturæ exaggeravit, ſubdit, *Et intercedunt, ne rogetur Deus, qui indignari ſeipſe teſtatur. Intercedunt, ne exoretur precibus, & ſatisfactionibus Chriſtus, qui negantem ſe negare profitetur, &c. Concilio frequenter acto, non conſenſione tantùm noſtra, ſed & comminatione decrevimus, ut pęnitentiam fratres agerent, ut pęnitentiam non agentibus nemo temerè pacem daret, & illi contra Deum ſacrilegi, contra Sacerdotes Dei impio furore temerarii, de Eccleſia recedentes, & contra Eccleſiam parricidialia arma tollentes elaborant, ne opus ſuum Diaboli malitia conſummet, ne vulneratos divina clementia in Eccleſia ſua curet; miſerorum Pęnitentiam mendaciorum ſuorum fraude corrumpunt, ne Deo indignanti ſatisfiat, &c. Datur opera, ne ſatisfactionibus, & lamentationibus juſtis delicta redimantur, ne vulnera lachrymis abluantur. Pax vera falſæ pacis mendacio tollitur: ſalutaris ſinus matris, noverca intercedente, præcluditur, ne de pectore, atque ore Lapſorum fletus, & gemitus audiatur.* Clarius, efficacius, nullaque verborum vi potentiore prædicare poterat inter ſe, Presbyteroſque illos ſacrificatos, reliquoſque Lapſos an pax, ſive communicatio ſine pœnitentia, & ſatisfactione danda eſſet, totam verti controverſiam. Attendenda ſequentia, tot enim ſunt argumenta quot verba.

IV. Poſtquam iſta multa verborum, & ſententiarum elegantia amplificavit, hæc eloquentiæ fulgura in eos vibrat, quæ hic neceſſarium eſt referre, cùm iis ad inſtitutum noſtrum demonſtrandum nihil ſit evidentius, *Honor ergo datur Deo, quando hic Dei majeſtas, & cenſura contemnitur, ut cùm ſe ille indignari, & iraſci ſacrificantibus dicat, & cùm pęnas æternas, & ſupplicia perpetua comminetur, proponatur à ſacrilegis, atque dicatur, ne ira cogitetur Dei, ne timeatur judicium Domini, ne pulſetur ad Eccleſiam Chriſti, ſed ſublata pęnitentia nec ulla exomologeſi criminis facta, deſpectis Epiſcopis, atque calcatis, pax à presbyteris verbis fallacibus prædicetur, & ne lapſi ſurgant, aut foris poſiti ad Eccleſiam redeant, communicatio non communicantibus offeratur? Quibus etiam ſatis non fuit ab Evangelio receſſiſſe, ſpem Lapſis ſatisfactionis, & pęnitentiæ ſuſtuliſſe, fraudibus involutos, vel adulteriis commaculatos, vel ſacrificiorum funeſta contagione pollutos, ne Deum rogarent, ne in Eccleſia exomologeſim criminum facerent, ab omni, & ſenſu & fructu pęnitentiæ removiſſe, niſi foris ſibi extra Eccleſiam conſtituiſſent conventiculum perditæ factionis, cùm malè ſibi conſciorum, & Deum rogare, ac ſatisfacere nolentium caterva conflueret.* Qua de re ageretur inter ipſum ſeu Eccleſiam, Lapſoſque, evidentius eloqui non poterat.

V. Extant inter S. Cypriani Epiſtolas duæ Cleri Romani vacante ſede ad S. Cyprianum de hac cauſa datæ 30. 31. quas velim adeat Lector, ut, quæ contendimus breviter, & enucleatè explicata legat, *Quos quidem* (Lapſos) *ſatis miratі ſumus ad hoc uſque proſiliiſſe voluiſſe, ut tam urgenter, & tam immaturo, atque acerbo tempore, in tam ingenti, & immenſo crimine, atque delicto, pacem ſibi non tam peterent, quàm vindicarent, immò jam & in cœlis habere ſe dicerent,* Deinde reſpondent rationibus Lapſorum quas à libellis Martyrum petebant, ut ſibi pacem ſine pœnitentia deberi demonſtrarent: poſteà Cyprianum alloquuntur, *Tu tamen, frater, nunquā pro tua charitate deſiſtas Lapſorum animos temperare; & errantibus veritatis preſtare medicinam, licèt animus ægrorum, medentium reſpuere ſoleat induſtriam. Recens eſt Lapſorum nuper hoc vulnus, & adhuc in tumorem plaga conſurgens: & idcirco certi ſumus, quod ſpatio productioris temporis impetu iſto conſeneſcente amabunt hoc ipſum, ad fidelem ſe dilatos eſſe medicinam, ſi tamen deſint, qui illos arment ad periculum propriū, & in perverſum inſtruentes pro ſalutaribus dilationū remediis, exitioſa depoſcant illis properatę communicationis venena.*

VI. Idem fuſius proſequuntur Epiſtola ſequente, qua S. Cypriani ſententiæ ſe omnino aſſentiri profitentur, paucas ſententias excerpemus, *Abſit ab Eccleſia Romana vigorem ſuum tam profana facilitate dimittere, & nervos ſeveritatis everſa fidei majeſtate diſſolvere, ut cum adhuc non tantùm jaceant, ſed & cadant everſorum fratrum ruinæ, propterea nimis remedia communicationum utique non profutura præſtentur, & nova per miſericordiam falſam vulnera veteribus tranſgreſſionis vulneribus imprimantur, ut miſeris ad everſionem major eripiatur, & Pęnitentia. Ubi enim poterit indulgentiæ medicina procedere, ſi etiam ipſe Medicus intercepta pęnitentia indulget periculis? ſi tantummodò operit vulnus, nec ſinit neceſſaria temporis remedia obducere cicatricem?* Ejuſdem ſententiæ de Lapſis ad veniam ante actam pœnitentiam non recipiendis ſcribunt fuiſſe pleroſque Martyres, & Confeſſores, & poſt alia multa, *Oremus, ut qui cecidiſſe referuntur delicti ſui magnitudinem agnoſcentes, intelligant non momentaneam, neque præproperam deſiderare medicinam: Oremus, ut effectus indulgentiæ Lapſorum ſubſequatur, & Pęnitentiam, ut intellecto ſuo crimine velint nobis interim præſtare patientiam, &c. Pulſent ſanè fores, ſed non utique confringant. Adeant ad limen Eccleſiæ, ſed non utique tranſiliant, &c.* quæ multis perſequitur. Quibus verborum formulis diſtinctius, & eloquentius docere poterant controverſiæ cardinem eſſe, An ſine ſatisfactione Lapſis danda eſſet abſolutio.

VII. S. Cyprianus *Epiſt.* 10. & ſequentibus multùm conqueritur apud Clerum ſuum de quibuſdam Presbyteris, qui ſe inconſulto Lapſos reconciliaverant ſine pœnitentia. In eorum audacia duo potiſſimum reprehendit, quod ſibi præfectum contempſerint: Exigebat enim Eccleſiæ diſciplina, ut publicę pœnitentiæ rei ab Epiſcopo, aut illius juſſu reconciliarentur. Sed præ cæteris crimen exaggerat, quod commiſerunt, graviſſimorum criminum reos nulla acta pœnitentia abſolvendo. Poſtquam criminis gravitatem ex verbis ſcripturæ demonſtravit, adiicit, *Hæc qui ſubtrahit fratribus noſtris decipit miſeros, ut qui poſſunt agentes pęnitentiam veram Deo Patri miſericordi precibus, & operibus ſuis ſatisfacere, ſeducantur, ut magis pereant, & qui erigere ſe poſſunt, plus cadant.* Idem verbis ſequentibus probat argumento à minori ad majus, *Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores pęnitentiam juſto tempore, & ſecundùm diſciplinæ ordinem ad exomologeſim veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi, & Cleri jus communicationis accipiant. Nunc crudo tempore, perſecutione adhuc perſeverante, nondum reſtituta Eccleſiæ ipſius pace, ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pęnitentia acta, nondum exomologeſi facta, nondum manu eis ab Epiſcopo, & Clero impoſita, Euchariſtia illis datur.* Eandem de iſtis Presbyteris querelam fere iiſdem verbis repetit duabus Epiſtolis ſequentibus, probatque eodem argumenti genere pacem non acta pœnitentia tantis criminibus dari non debuiſſe.

VIII. Sed tu Lector, ſi hæc vividè, & eloquenter explicata videre cupis, lege libellum S. Cypriani de Lapſis integrum, vel incipe potiſſimum paulo ante medium. Videbis enim ad finem uſque libri multis rationibus agentem adverſus eos, qui neglecta pœnitentia pacem petunt, bis ea, quæ ex tribus illis Epiſtolis attulimus, in medium afferre, & ſemel iiſdem prope verbis: Totus liber eſſet hic exſcribendus: nam potiora, & expreſſiora verba eligi non poſſunt, quum omnia ubique ex æquo id, quod contendimus, non dicant, ſed reſonent. Ideò primas, & ultimas periodos excerpſiſſe ſat eſto. *Contra Evangelii vigorem, contra Domini, ac Dei legem temeritate quorundam laxatur incautis communicatio: irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt ſanitatis patientiam, nec verum de ſatisfactione medicinam. Pœnitentia de pectoribus excuſſa eſt, graviſſimi, extremique delicti memoria ſublata eſt. Operiuntur morientibus vulnera, & plaga lethalis altis, & profundis viſceribus infixa diſſimulata dolore contegitur. A Diaboli aris revertentes, ad ſanctum Domini ſordidis, & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc ſcelus ſuum faucibus, & contagia funeſta redolentibus, Domini corpus invadunt, &c.* Poſtquam innumera ejuſmodi eloquentiſſimæ rationis fulgura in eos coruſcavit, tandem librum in hæc verba finit, *Qui ſic Deo ſatisfecerit, qui pœnitentia facti ſui, qui pudore delicti, plus & virtutis, & fidei de ipſo lapſus ſui dolore conceperit, exauditus, & adjutus à Domino, quam contriſtaverat nuper, lætam faciet Eccleſiam, nec iam ſolam Dei veniam merebitur, ſed & coronam.*

IX. Planiſſimum eſt igitur, Lapſos illos veniam, & communicationem ſine pœnitentia, & ſatisfactione exambiiſſe, ad idque contra diſciplinam Eccleſiaſticam violentia, & tumultu extorquendum à quinque presbyteris Lapſis fuiſſe incitatos; iiſque omnibus Clerum Romanum, & S. Cyprianum fortiter reſtitiſſe, Presbyteroſque quoſdam, qui ſimplicitate quadam, & ignorantia excæcati, Lapſis iſtis Eccleſiæ communionem redhibuerant, graviter reprehendiſſe. Quid hac in cauſa fecerint Lapſi, quid inſolentibus deſideriis ſuis prætexuerint, qua ratione iis obſtiterint Clerus Romanus, & S. Cyprianus; quid, ut tumultum ſedarent, de diſciplina Eccleſiaſtica remiſerint, nunc inquirendum,

CAPUT XXIV.

Lapſos Martyrum libellos ſeditioſè prætexuiſſe, ut veniam ſine Pœnitentia ab Eccleſia obtinerent. Enarratur quid in hoc ſeditionis, & Schiſmatis periculo Clerus Romanus, & S. Cyprianus de antiqua diſciplina decreto proviſorio relaxarunt.

QUi in Deciana perſecutione lapſi fuerant, ut reconciliationem, quam præpoſterè ſine pœnitentia, & ſatisfactione extorquere conabantur, facilius impetrarent, Martyres importunè ſolicitabant, ut ab iis libellos commendatorios obtinerent, quibus poſteà freti audentius in Epiſcopos, & Preſbyteros reconciliationem iis denegantes, tumultuarentur. Sciebant enim Martyrum, & Confeſſorum libellos, quibus Pœnitentiam Lapſis remitti deprecabantur ab Epiſcopis, & univerſa Eccleſia maximi ſolere fieri. De iſtis libellis, eorum origine, forma, uſu, prærogativa, & aliis, quæ ad ipſos ſpectant capite ſequente diſſeremus. Circumibant igitur carceres Lapſi, ut importunis ſuis precibus libellos ejuſmodi extorquerent, quorum compotes pacem ſine pœnitentia ſibi deberi non modò jactabant, ſed ut debitam ab Epiſcopis impudenter extorquere conabantur. *Cùm comperiſſem*, inquit S. Cyprianus *Epiſt.* 15. ad Clerum Romanum, *eos, qui ſacrilegis contactibus manus ſuas, atque ora maculaſſent, vel nefandis libellis nihilominus conſcientiam ſuam polluiſſent, exambire ad Martyres paſſim, Confeſſores quoque importuna, & gratioſa deprecatione corrumpere, ut ſine ullo diſcrimine, atque examine ſingulorum, darentur quotidie libellorum millia contra Evangelii legem, literas feci quibus Martyres, & Confeſſores conſilio meo quantum poſſem ad Dominica præcepta revocarem.* Literæ illæ ſunt, *Epiſtola ordine* 11. cui jungi debent *Epiſt.* 10. 12. & 14. de eadem re ad Clerum, & plebem.

II. His libellis inflati Lapſi veniam, & Eccleſiæ communicationem non amplius deprecabantur, ſed velut debitam ab Epiſcopis, & Presbyteris exigebant. Ita enim de illis ſcribit S. Cyprianus Clero Romano *Epiſt.* 23. *In Provincia noſtra per aliquot civitates in Præpoſitos impetus multitudinum factus eſt, & pacem quam ſemel cunctis à Martyribus, & Confeſſoribus datam clamitabant, confeſtim ſibi repræſentari coegerunt, territis, & ſubactis Præpoſitis ſuis, qui ad reſiſtendum minus virtute animi, & robore fidei prævalebant.* Epiſtola quoque 29. *Poſteaquam ad vos literas feci de quorundam proſpectu temeritate, qui Pœnitentiam agere, & Deo ſatisfacere detrectant, literas ad me fecerant, pacem non dandam ſibi poſtulantes, ſed quaſi jam datam ſibi vindicantes, quod dicunt Paulum omnibus pacem dediſſe, &c.* Teſtaturque Clerus Romanus *Epiſt.* 30. Lapſos illos ob immoderatam petulantiam uſque ad periculoſam verborum temeritatem proceſſiſſe. Iis autem Presbyteri nonnulli, ſive importunitate coacti, ſive ignorantia decepti obſecundabant, *Audio tamen quoſdam de Presbyteris*, inquit S. Cyprianus *Epiſt.* 12. *Nec Evangelii memores, nec quid ad nos ſcripſerint cogitantes, nec Epiſcopo honorem Sacerdotii ſui, & cathedræ reſervantes, jam cum Lapſis communicare cœpiſſe, & offerre pro illis, & Euchariſtiam dare, quando oporteat ad hæc per ordinem pervenire.* De iiſdem presbyteris ſimiliter conqueritur Epiſtolis immediatè præcedentibus, & ſequentibus.

III. Quid vero ad hæc Clerus Romanus S. Cyprianus, aliique ejuſdem temporis Epiſcopi? Primùm illis ſeſe oppoſuerunt, ordinemque communicationis ab Eccleſia conſtitutum obſervari voluerunt, Cyprian. *Epiſt.* 5. *Presbyteris, & Diaconis non defuit diſciplinæ vigor, ut quidam minus diſciplinæ memores, & temeraria feſtinatione præcipites, qui cum Lapſis communicare jam cœperant, comprimerentur intercedentibus nobis: Plebi quoque ipſi quantam potuimus animum compoſuimus, & ut Eccleſiaſtica diſciplina ſervaretur, inſtruximus.* Quum autem viderent Lapſorum multitudinem ingentem eſſe, eoſque propter libellos à Martyribus, & Confeſſoribus acceptos periculoſè tumultuari, cedendum illi aliquatenus judicarunt, donec ſedata perſecutione liceret concilium cogere, & Lapſorum rationes communi conſilio diſponere, ita tamen ut interim nec Cenſura divina, nec Eccleſiaſticæ diſciplinæ vigor ſolverentur. Hoc nos docet verbis in eadem Epiſtola ſequentibus, qua exponit Clero Romano totius iſtius rei ſeriem, & ordinem. *Poſtmodum verò cùm quidam de Lapſis, ſive ſua ſponte, ſive aliquo incitatore, audaci flagitatione prorumperent, ut pacem ſibi à Martyribus, & Confeſſoribus promiſſam extorquere violento impetu niterentur, de hoc etiam bis ad Clerum literas feci, & legi mandavi.* Quod autem eis mandavit, ut eorum tumultus retardaret, & violentiam ſedaret, duabus illis Epiſtolis continetur, hoc eſt 13. & 14. Continetur quoque idem duabus Epiſtolis antecedentibus: Sed hæc omnia habes ſimul collecta, atque ordine quo facta ſunt digeſta in *Epiſtola* 52. ad Antonianum, ad quam Lectorem remitto, ne idem ſæpius repetam: Sufficit hic exſcribere verba, quæ in eadem *Epiſt.* 15 ſequuntur. Quid igitur mandavit? œconomicè aliquid eſſe agendum, & de diſciplina remittendum. *Ut ad illorum violentiam interim quoque genere mitigandam, ſi qui libello à Martyribus accepto de ſeculo excederent, exomologeſi facta, & manu eis in pœnitentiam impoſita, cum pace ſibi à Martyribus promiſſa ad Dominum remitterentur.* Quibus autem rationibus, quove exemplo, ſeu jure fretus proviſorium hoc decretum fecit, ſtatim explicat. *Nec in hoc legem dedi, aut me auctorem temerè conſtitui; ſed cùm videretur & honor Martyribus habendus, & eorum, qui omnia turbare cupiebant, impetus comprimendus: Et præterea veſtra ſcripta legiſſem, quæ de hoc ad Clerum noſtrum per Clementium Hypodiaconum nuper feceratis, ut iis, qui poſt lapſum infirmitate apprehenſi eſſent, & Pœnitentes communicationem deſiderarent, ſubveniretur, ſtandum putavi, & cum veſtra ſapientia, ne actus noſter, qui adunatus eſſe debet, & conſentire circa omnia debet, in aliquo diſcreparet.* En quibus rationibus commoti de antiqua diſciplina aliquid remiſerunt.

IV. Alteram hujus relaxationis rationem deſcribit *Epiſt.* 12. *Quoniam tamen video facultatem veniendi ad vos nondum eſſe, & jam æſtatem cœpiſſe, quod tempus infirmitatibus aſſiduis, & gravibus infeſtat, occurrendum puto fratribus noſtris, ut qui libellos à Martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari poſſunt, ſi incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, &c.* Ut jam exſcripta ſunt. Præpoſtera ſanè miſericordia, & rationes planè imprudentes, ſi verum eſt S. Cyprianum cum Eccleſia Romana, & Catholica ad illud uſque tempus Lapſis etiam poſt actam longam pœnitentiam in fine vitæ pacem, & communionem negaſſe. Nonne præpoſterum eſt tam levibus rationibus ad agendum contra univerſæ Eccleſiæ diſciplinam miſericordia commoveri?

V. Decretum autem illud proviſorium fuiſſe ſtatim docet, *Planè cæterorum cauſas quamvis libello à Martyribus accepto differri mandavi, & in noſtram præſentiam reſervari, ut cum pace à Domino nobis data plures Præpoſiti convenire in unum cœperimus, communicato etiam vobiſcum conſilio, diſponere ſingula & reformare poſſimus.* Hæc fuſius Epiſtola præcedente, &

Epiſt.

Epiſt. 52. initio. Eadem decrevit Clerus Romanus *Epiſt.* 31. Proviſorii decreti, & non definitivi ratio, ut infra demonſtrabitur, fuit mos Eccleſiæ conſtans, ſingulas criminum circumſtantias examinandi, & ſingulis pœnitentiam imponendi; quod ut commodè fieret, expectanda fuit Eccleſiæ pax, & celebrandi Concilii occaſio. Intereà temporis inquies, Quomodo ſanis conſulebatur? Legitimam, veramque, & ſinceram pœnitentiam juxta Eccleſiæ conſuetudinem agere jubentur, donec pace Eccleſiis reddita Epiſcoporum Synodus cogeretur, in qua Lapſorum rationes, & Martyrum libelli examinari poſſent, & unicuique juxta delicti gravitatem, contritionis animi magnitudinem, & gratiæ à Martyribus factæ qualitate juſta pœnitentia diſpenſaretur. Ut ſæpius Epiſtolis præcedentibus, & aliis illiſque ipſis verbis, quæ referimus, evidenter docetur, jamque non ſemel capite præcedente adnotavimus. In ſanis enim, & bene valentibus nihil erat, quòd præter leges communicationem maturare cogeret.

VI. Verùm regeres, hoc à ſanis interim obſervari potuit, ſed de moribundis, qui libellos à Martyribus non acceperant, quid dicendum? Moribundos diſtinguo: Aut ſani pœnitentiam legitimam agere cœperant, vel ſaltem eam eo habitu ſtatuque petierant, quo peti ſolet, & jubetur: Aut ſani eam nec petere, nec agere curaverant, ſed moribundi tantum eam ab Eccleſia efflagitabant. Poſterioribus pax, & reconciliatio tum prorſus negabatur, nec ullis Lapſorum minis, & tumultibus, aut etiam libellorum à Martyribus obtentorum prætextu adduci unquam potuerunt præcedentis ætatis Epiſcopi, ut ejuſmodi Dei, & Eccleſiæ contemptoribus moribundis pax concederetur, ut libro ſequente evidenter ex S. Cypriano, & aliis demonſtrabimus. Prioribus autem ſemper pax conceſſa, ut infra quoque evidentiſſimè demonſtrabitur. Hinc colligitur in gratiam Martyrum, & Confeſſorum aliquid Eccleſiaſtici vigoris tunc remiſſum eſſe, Pacem ſcilicet iis Lapſis, qui nullam pœnitentiam egerant, nec eam ſani poſtulaverant, ſed tantum ſine pœnitentia pacem, quòd erat illegitimum, & ordinem diſciplinamque perturbabat; nihilo inquam ſecius in mortis periculo propter Martyrum commendationem, pacem, & reconciliationem illo decreto fuiſſe conceſſam: reliquis autem lapſis, qui moras poterant dilationis ſuſtinere, ut loquitur Clerus Romanus *Epiſt.* 31. in ſuſpenſo ad Synodum uſque relictis.

CAPUT XXV.

Quid perſecutione ſedata decreto definitorio Cornelius Pontifex, & S. Cyprianus cum eorum Conciliis de cauſa Lapſorum conſtituerint, enarratur, & objectiones c. 22. præpoſitæ diluuntur. Ex quibus fit evideus, reconciliationem Idololatris Pœnitentibus nunquam eſſe negatam, atque Eccleſiam maturè admodùm, & diligenter Pœnitentiæ tempus, & ſeveritatem pro criminum demeritis temperaſſe. Quid libellatici, & ſacrificati. Sacrificatorum multa genera.

CLeri Romani, & S. Cypriani œconomia, ut in ſimili cauſa ſequuntur Patres Græci, ſive circa Lapſos diſpenſatio, ex eo illuſtrior fit, quòd licèt in eorum pleroſque, velut privilegio ſuo ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ everſionem abutentes, graviſſimè invehantur, & potiſſimum Clerus Romanus tota fere *Epiſt.* 30. nihilominus in eorum gratiam Lapſis quibuslibet moribundis reconciliationem largiendam eſſe decernant; nec Martyrum, & Confeſſorum libellos decreto ſuo diſtinguant, quanquam pleroſque eorum inſolentia ſua reiiculos æſtimarent. Docendum ſupereſt de cauſa Lapſorum, in qua verſamur, quid ſedata perſecutione de iis Eccleſia decreverit. Diximus enim decretum præcedens proviſorium tantùm fuiſſe, donec pacem Eccleſiæ Deus reddidiſſet, & Epiſcopi ad Synodum convenire poſſent.

II. Quid in cauſa Lapſorum Synodus tam Africana, quàm Romana ſtatuerit decreto peremptorio, luculenter docet S. Cyprianus *Epiſt.* 52. *Secundùm quod ante fuerat deſtinatum perſecutione ſopita, cùm data eſſet facultas in unum conveniendi, copioſus Epiſcoporum numerus, quos integros, & incolumes fides ſua, & Domini tutela protexit, in unum convenimus, & ſcripturis diù ex utraque parte prolatis temperamentum ſalubri moderatione libravimus, ut nec in totum ſpes communicationis, & pacis Lapſis denegaretur, ne plus deſperatione deficerent, & eo quòd ſibi Eccleſia clauderetur, ſecuti ſeculum gentiliter viverent: nec tamen rurſus cenſura Evangelica ſolveretur, ut ad communicationem temerè proſilirent; ſed traheretur diù Pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur cauſæ, & voluntates ſingulorum, ſecundùm quod libello continetur, quem ad te perveniſſe confido, ubi ſingula placitorum capita conſcripta ſunt.* Decretum adversùs utraque extrema ſancitum eſt, adversùs ſcilicet Novati hæreſim, qui Lapſis in totum communicationem negabat; & adversùs nonnullos Presbyteros, qui Lapſis blandientes ſine legitima pœnitentia eos admittebant: Inter extrema incedere ſolet Eccleſia; ab omni mixtura vitii ſemper defæcata. Si quis argumentaretur ex his decreti verbis, *Ut nec in totum ſpes communicationis denegaretur.* Ante decretum illud ſpem communicationis fuiſſe Lapſis ab Eccleſia negatam, ineptus mihi videretur, & reſponſo indignus. Nam ſimiliter & æqua conſequentia poſſet argumentari ex alterius extremi verbis, *Nec tamen rurſus cenſura Evangelica ſolveretur, ut ad communicationem temerè proſilirent.* Ante decretum illud communicationem ſine pœnitentia Lapſis conceſſam fuiſſe: immò æquiori conſequentia, cùm ex priori extremo graviora abſurda deducat Synodus: addit enim. *Ne plus deſperatione deficerent, & eo quod ſibi Eccleſia clauderetur ſecuti ſeculum gentiliter viverent.* Deinde eodem argumentandi genere colligeretur, omnes hæreſes, & abuſus, quos Eccleſia condemnat, ante condemnationis decretum approbaſſe, & uſurpaſſe.

III. Sed nihil clarius fingi poteſt iis, quæ *Epiſt.* 55. ſcribit ad Cornelium Papam, quorum nonnulla huc referemus, licèt jam ea fusè præcedenti capite retulerimus. Poſtquam dixit, quinque illos Presbyteros cum Lapſis communicaſſe, cùm adhuc ſacrificiis nefandis non tantum Diaboli altaria, ſed adhuc manus ipſæ atque ora fumarent, & ne horum criminum pœnitentia ageretur obſtitiſſe, ſubdit, *Nos in ipſa perſecutionis tempore de hoc ipſo literas miſimus, nec auditi ſumus.* Ergo huc ſpectant tot S. Cypriani de ſacrificatis Epiſtolæ, ne Idololatræ ſine pœnitentia, ut contendebant iſti Presbyteri, reciperentur. Deinde Concilii decretum profert, *Concilio frequenter acto non conſenſione tantùm noſtra, ſed & comminatione decrevimus, ut pœnitentiam fratres agerent, ut pœnitentiam non agentibus nemo temerè pacem daret.* En quæſtionis cardinem, En quæſtionis deciſionem.

IV. Nec Africana Synodus id tantùm decrevit, idem fecit, & Romana poſt electum Cornelium, ut eodem loco teſtatur S. Cyprianus, *Ac ſi minus ſufficiens Epiſcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam ſuper hac reſcripſimus ad Cornelium Collegam noſtrum, qui & ipſe cum plurimis Coepiſcopis habito conſilio in eandem nobiſcum ſententiam pari gravitate, & ſalubri moderatione conſenſit.*

V. Licèt S. Cyprianus multis verbis loco citato Synodi decretum retulerit, unam tantùm partem exſcripſit, eam ſcilicet, quæ ſanos ſpectat. Verum quæri poteſt, ſi Pœnitens intra tempus Pœnitentiæ ſtatutum graviter ægrotet, inſtetque vitæ exitus, quid tum facere convenit? Licet perpetuæ Eccleſiæ praxis doceat, ut infra demonſtrabimus, iis reconciliationem præſtandam, id tamen disertè eo decreto enuntiatum eſt, ut in eadem Epiſtola poſt verba citata aliquot paginis refertur, *Si qui infirmitatibus occupantur, illis, ſicut placuit, in periculo ſubvenitur, &c. idcirco ſi accepta pace commeatus à Deo datur, nemo hoc debet in Sacerdotibus criminari, cùm ſemel placuerit fratribus in periculo ſubveniri.* Idem infra repetit; cujus verba ſtatim referemus. Utramque Decreti illius partem, & Pontificis conſenſum paucis complectitur Cyprianus initio *Epiſt.* 54. *ad Cornelium, Statueramus quidem jam pridem, frater chariſſime, participato invicem nobiſcum conſilio, ut qui in perſecutionis infeſtatione ſupplantati ab Adverſario, & Lapſi fuiſſent, & ſacrificiis ſe illicitis maculaſſent, agerent diù pœnitentiam plenam, & ſi periculum infirmitatis urgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent.* Utriuſque partis decreti ratio, quam ſubjungit, quæſtioni noſtræ apprimè convenit: *Nec enim*, inquit, *fas erat, aut permittebat paterna pietas, & divina Clementia Eccleſiam pulſantibus claudi, & dolentibus, ac deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium denegari, ut de ſeculo recedentes ſine communicatione, & pace ad Dominum dimitterentur.* Rationes iſtæ, & ſimiles evidenter demonſtrant S. Cyprianum ante hoc decretum Idololatris pacem ſolitum dare. An ita acriter in rem ipſam, hoc eſt, in pacis denegationem invectus fuiſſet, ſi paucos ante dies non modò ipſe, ſed etiam Eccleſia Catholica hunc morem uſurpaſſet?

VI. Decreti iſtius pars tertia libellaticos, alterum Lapſorum genus, reſpiciebat. Duo enim commemorantur apud S. Cyprianum Lapſorum genera. Lapſi propriè dicti ii ſunt, qui idolis ſacrificaverant, quos nonnunquam ſacrificatos vocat: Alii verò, ii, quos libellaticos appellat, quinam illi fuerunt, dictum eſt capite ſuperiori. De Libellaticis ſic decretum eſt, *Placuit, frater chariſſime, examinatis cauſis ſingulorum, libellaticos interim admitti, ſacrificatis in exitu ſubveniri, quia exomologeſis apud inferos non eſt, nec ad Pœnitentiam quis à nobis compelli poteſt, ſi fructus pœnitentiæ ſubtrahatur:* hæc eadē *Epiſt.* 52.

Digitized by Google

Rationem allatam exſcripſimus, quia è diametro pugnat cum ea ſententia, quæ docet ante illud decretum Eccleſiam omnibus Idololatris nc in fine quidem vitæ pacem dediſſe. Libellatici igitur ex illo decreto ad communionem admittuntur, nulla acta penitentia preter eam, quàm vigente perſecutione egerant uſque ad Concilii celebrationem. Sacrificatis autem in exitu vult ſubveniri, ſi exitus videlicet actam pœnitentiam præceſſerit, ut jam demonſtratum.

VII. Idololatrarum, ſive Lapſorum ſacrificatorum multæ erant claſſes, ſive gradus, quos magna ex parte enumerat S. Cyprianus eadem ad Antonianum Epiſtola. *Nec tu exiſtimes, frater chariſſime, ſicut quibuſdam videtur, libellaticos cum ſacrificato æquari oportere, quando inter ipſos etiam, qui ſacrificaverint, & conditio frequenter, & cauſa diverſa ſit. Neque enim æquandi ſunt illi, qui ad ſacrificium nefandum ſtatim voluntate proſilivit, & qui relaxutus, & congreſſus diù ad hoc funeſtum opus neceſſitate pervenit, Ille, qui & ſe, & omnes ſuos prodidit, & qui ipſe pro cunctis ad diſcrimen accedens uxorem, & liberos & domum totam periculi ſui perfunctione protexit: Ille, qui inquilinos, vel amicos ſuos ad facinus compulit, & qui inquilinis, & colonis pepercit, & fratres etiam plurimos, qui extorres, & profugi recedebunt, in ſua tecta, & hoſpitia recepit, oſtendens & offerens Domino multas viventes, & incolumes animas, quæ pro una ſaucia deprecentur, Cùm ergo inter ipſos, qui ſacrificarunt, multu ſit diverſitus, quæ inclementia eſt, & quàm acerba duritia libellaticos cum iis, qui ſacrificaverint, jungere?* Statim explicat, quos per libellaticos intelligat, eoſque à ſacrificatis diſtinguit.

VIII. Omittere nolui, ſtudioſe Lector, hoc exactiſſimæ antiquorum Patrum in puniendis peccatis diligentię monumentum, ut videas non fruſtra toties à S. Cypriano repetitum, Lapſos expectare debere Concilii celebrationem, in quo ſingulorum cauſæ, rationes, neceſſitates, voluntates examinentur, ut ſcilicet unicuique Pœnitentia pro variis criminum circumſtantiis infligatur. Unicuique crimini per varias circumſtantias, ut prædictum eſt, diſtincto, erat juſta Pœnitentia adſcripta, atque in capita, ſive canones diſtributa, ut teſtatur S. Cyprianus, eorumque libellum ad Antonianum miſerat, *Examinantur cauſæ, & voluntates, & neceſſitates ſingulorum, ſecundùm quod libello continetur, quem ad te perveniſſe confido, ubi ſingula placitorum capitu conſcriptu ſunt.* Sed libellus iſte non extat amplius. Utinam extaret, veritas, quam indagamus, evidenter pateret, diſtincteque cognoſceremus quod cuique Lapſorum crimini pœnitentiæ genus, quantumque temporis, Concilium illud impoſuerit.

IX. Ex iis, quæ hoc capite, & duobus præcedentibus enarrata ſunt, evidentiſſimum mihi videtur nec in Eccleſia Romana, nec in Africana conſuetudinem unquam fuiſſe poſt actam pœnitentiam idololatris negandi reconciliationem, & multò minus quibuſcunque peccatorum generibus, cum Idololatria omnium ſit maximum: Negaſſe quidem, ſi ſani, & valentes Eccleſiam contempſiſſent, pœnitentiam flocci habuiſſent, & moribundi pœnitentiam, & reconciliationem ab Eccleſia deprecari cœpiſſent, ut alio capite pluribus demonſtrabitur: Ejuſmodi tamen moribundis pœnitentiam ſimul, & reconciliationem ſi Martyrum libellos obtinuiſſent, ex Eccleſiæ indulgentia, & diſpenſatione tum eſſe conceſſam: Celebrem illam Lapſorum cum Eccleſia controverſiam non fuiſſe. An poſt actam legitimam pœnitentiam Lapſis reconciliatio præſtanda eſſet: Sed, an ſine ulla Pœnitentia Lapſis eſſet reconciliatio præſtanda: Nuſquam in Eccleſia dubitatum, actæ pœnitentiæ fructum eſſe reconciliationem ab Eccleſia neceſſariò adminiſtrandam, ſemperque Eccleſiam exhorruiſſe, nedum improbaſſe hanc propoſitionem, perpetua pœnitentia agenda eſt ſine ſpe communicationis ſive reconciliationis. Denique Lapſorum quæſtionem ita tandem decreto peremptorio definitam eſſe, ut libellatici ſtatim poſt decretum reciperentur; Lapſi verò pro uniuſcujuſque criminis gravitate longo tempore agerent pœnitentiam, intra quod tamen, ſi periculum mortis inſtaret, pax illis de more concederetur.

X. His probè intellectis, adverſæ ſententiæ argumenta non modò evaneſcunt, ſed ſententiæ, ob quam confirmandam allata ſunt, penitus adverſantur, Id in primò manifeſtum ut relegenti patet, Nullo verbo innuit ſanis Pœnitentiam eſſe negatam. Certum eſt quidem fiduciario illo decreto ſuſpenſam eſſe peculiarem pœnitentiam unicuique Lapſo pro ſui criminis gravitate imponendam: Quia hæc ſpecialis pęnitentia poſt uniuſcujuſque Lapſi perſonale examen, & criminis cujuſque circumſtantias diſcuſſas imponi tantum poterat, cujus rei gratia expectanda erat Eccleſiæ pax, quæ brevi ſperabatur, ut his minutiis diſpungendis Concilium vacare poſſet, Romæque potiſſimùm, & Carthagine: Romæ, quia ſedes vacabat; Carthagine, quia ob perſecutionis violentiam ſeceſſerat S. Cyprianus. Interim pœnitentiam ſecundùm ordinarias Eccleſiæ leges agere poterant, quæ illis ad ſatisfactionem imputabatur. Hinc Lapſos tantiſper expectare ſæpius hortatur Cyprianus, & ſedulò gemitibus, precibus, & pœnitentiæ vacare. Si verò periculo mortis interim urgerentur, ſollicitè iis ſubveniri jubent, ipſe, Cleruſque Romanus, quæ tot ſunt reconciliationis non negatæ argumenta.

XI. Secundùm argumentum id tantùm probat, quod admittimus, iis ægrotantibus negatam pacem, qui poſt admiſſum crimen reliquo vitæ tempore pęnitentia neglecta eam moribundi tantùm poſtulabant, niſi libellos pacis à Martyribus obtinuiſſent. Tum enim pax illis in Martyrum gratiam concedebatur, quod ante decretum illud fieri non ſolebat. Cum autem de moribundis, qui ſani Pœnitentiam agere neglexerunt, verba tantùm faciat, non eſt dubium, ex ipſius mente cæteris fuiſſe concedendam. Tertium argumentum à decreto Synodi peremptorio petitum, ſi decretum proponatur integrum, funditùs evertit ſententiam illam: Sanos enim Lapſos vult tantùm diù agere pœnitentiam, moribundis verò ſubveniri. Sed cum non agentibus Pœnitentiam neminem vult communicare, ut ſupra hoc ipſo capite ex duobus S. Cypriani locis illud verbotenus exſcripſimus. Non autem ſequitur, Sacrificatis jubet in exitu ſubveniri: Ergo anteà non ſubveniebatur. Multi enim canones antiquorum ſunt confirmatorii, aut declaratorii. Sed ex ſtatu controverſiæ ſpecialis genuina exoritur interpretatio; ſcilicet, ſacrificatis ſine ulla acta Pœnitentia morientibus, ſi libellos à Martyribus obtinuerant, eſſe ſubveniendum. Ut enucleatè hæc animo capiat Lector, ex dictis quadruplex eſt illi obſervanda diſtinctio. Lapſi illi aut ſani erant, aut infirmi. Si Sani, aut pœnitentiam agebant, aut id facere non curabant. Si prius ſani complebant; completa Pœnitentia, pax illis ut Pœnitentiæ merces concedebatur. Si ſani Pœnitentiam agentes in morbum incidebant, urgente exitu ex antiquo jure pax illis dabatur. Si Pœnitentiam poſt Lapſum agere non curabant, aut libellos à Martyribus obtinuerant, aut non obtinuerant. Si prius, tunc morbo correpti Pœnitentiam ſimul, & pacem poſtulantes utrumque illis ex decreto definitivo fiduciarium confirmante præſtabatur. Si verò poſterius, ipſis pax abſolutè denegabatur, ut in fine ejuſdem *Epiſtolæ* 52. contendit S. Cyprianus, & pluribus libro ſequente demonſtrabimus.

CAPUT XXVI.

Libellorum indulgentiæ, quos Martyres Pœnitentibus dabant, effectus, & formula explicantur. Prudenter, & cautè, & quando à Martyribus concedendi. Conceſſi diligenter ab Epiſcopis examinandi. Diaconi carceres circumibant, non modò ut Martyribus neceſſaria ſuppeditarent, ſed etiam ut eorum deſideria circa Pœnitentiarum relaxationes exciperent. Indulgentiæ per libellum promiſſæ, ut à Martyrio completo initium ducebant, ſic magna parte Pœnitentiæ completa legitimè applicabantur.

QUæ hactenus dicta ſunt, & teſtimoniis contrariæ ſententię reſponſa, multò fient dilucidiora, ſi diligentius in Martyrum libellos inquiſierimus. Antiquiſſima illa indulgentiæ Pœnitentibus faciendę conſuetudo id nunc videtur à nobis expoſcere. Inquiremus igitur quis libellorum iſtorum effectus, ſive quæ prærogativa illis in remiſſione peccatorum deferebatur, quæ eorum formula, quæ Martyrum in iis concedendis prudentia, qua ratione, abuſus in eos ne irriperet, ab Epiſcopis examinabantur, antequam eos executioni mandarent; quando, & quomodo virtus iſtius indulgentiæ ſanis, morientibuſque applicabatur, quando denique cœpit, & deſiit iſta indulgentiæ Pœnitentibus faciendæ conſuetudo. Hæc omnia ex variis ſancti Cypriani Epiſtolis potiſſimùm colligemus.

II. Hanc prærogativam tribuebant Epiſcopi Martyribus, & Confeſſoribus in carcere, ut eorum precibus remitterent quibuſdam Lapſis ſatisfactionis, & Pœnitentiæ partem aliquam. Hoc autem non permittebant inconſideratè Martyrum voluntati, & electioni, ſed ab iis electos ad remiſſionis iſtius fructum participandum examinabant Epiſcopi, ne quid in Lapſis eſſet gratia à Martyribus facta indignum. Ideò gratiam illam ſæpius vocat S. Cyprianus deſiderium Martyrum, quod Epiſcopis exponebatur approbandum, limitandum, circumſcribendum. Cùm autem ſæpe Martyres, & Confeſſores literas neſcirent, aut ſcribere illis non liceret, carceres

cir-

circumibant Diaconi, ut illis neceſſaria ſuppeditarent, necnon eorum deſideria exciperent, & ſi quid in iis contra legem, & Eccleſiæ diſciplinam peterent, ipſos admonerent, & docerent. Sic ad eos S. Cyprianus *Epiſt.* 11. *Credideram quidem Presbyteros, & Diaconos, qui illic præſentes ſunt, monere vos, & inſtruere pleniſſimè circa Evangelii legem, ſicut in præteritum ſemper ſub Anteceſſoribus noſtris factum eſt, ut Diaconi ad carcerem commeantes Martyrum deſideria conſiliis ſuis, & ſcripturarum præceptis gubernarent, &c.* Et paulò poſt, *Cùm vos ad me literas direxeritis, quibus examinari deſideria veſtra, & quibuſdam Lapſis pacem dari poſtulatis cum perſecutione finita convenire in unum cum Clero, & colligi cœperimus. Illi contra, &c.* Similia his poſtremis leges, *Epiſt.* 10. 12. 13.

III. Vult quoque eadem *Epiſt.* 11. Martyres ipſos Lapſorum perſonas, & criminum qualitates diligenter conſiderare, antequam indulgentiæ beneficium polliceantur. *Oro vos quibus poſſum precibus, ut Evangelii memores, & conſiderantes, quæ & qualia in præteritum Anteceſſores veſtri Martyres conceſſerint, quàm ſolliciti in omnibus fuerint, vos quoque ſollicitè, & cautè petentium deſideria ponderetis, &c. Ipſorum quoque delictorum genera, & qualitates cogitetis, ne ſi quid abruptè, & indignè vel à vobis promiſſum, vel à nobis factum fuerit, apud Gentiles quoque ipſos Eccleſia noſtra erubeſcere incipiat.* Ideò graviter reprehendit *Epiſtola* potiſſimùm 23. quendam Lucianum Martyrem, qui his non attentis promiſcuè Lapſis pacem dederat, *Univerſorum Confeſſorum nomine idem Lucianus Epiſtolam ſcripſit, qua pene omne vinculum fidei, & timor Dei, & mandatum Domini, & Evangelii ſanctitas, & firmitas ſolveretur. Scripſit enim omnium nomine univerſis eos pacem dediſſe.* Clerus quoque Romanus *Epiſt.* 30. iſtam Martyrum imprudentiam, & Lapſorum, qui ea abutebantur, temeritatem acriter increpat.

IV. Ideò *Epiſt.* 11. Martyres, & Confeſſores monet, ut nominatim eos exprimant in libellis ſuis, quibus gratiam faciunt, *Sed & illud ad diligentiam veſtram redigere, & emendare debetis, ut nominatim deſignetis eos, quibus pacem dari deſideratis. Audio enim quibuſdam ſic libelles fieri, ut dicatur, Communicet ille cum ſuis, quod nunquam omnino à Martyribus factum eſt, ut incerta, & cæca petitio invidiam nobis poſt modum cumulet.* Quæ in eadem Epiſtola paulò poſt ſequuntur, ſunt nobis hac in cauſa plurimùm perpendenda, *Ideò peto, ut eos, quos ipſi videtis, quos noſtis, quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximum conſpicitis, deſignetis nominatim libello, & ſic ad nos fidei, ac diſciplinæ congruentes literas dirigatis.* In hoc plurimùm peccabant Decianæ perſecutionis Martyres, & Confeſſores: libellos enim Lapſis, qui nondum pœnitentiam inchoaverant, concedebant. Deinde cum in libello deberent exprimere nominatim quibus pacem dari vellent, infinitè illum edebant; atque ad cumulum perturbationis diſciplinæ, libellorum millia inconſideratè ſpargebant. Libelli formulam integram habes *Epiſtola* 17. *Univerſi Confeſſores Cypriano Papæ ſalutem. Scias nos univerſis de quibus apud te ratio conſtiterit, quid poſt commiſſum egerint, pacem dediſſe: Et hanc formam per te, & aliis Epiſcopis innoteſcere voluimus. Optamus te cum ſanctis Martyribus pacem habere. Præſente Clero, & Exorciſta, & lectore, Lucianus ſcripſit.* Adversùs hunc libellum ſcripſit Sanctus Cyprianus Epiſtolam 23. quam ſi cupit Lector, adire poteſt.

V. Hinc certè maxima in Eccleſiæ diſciplina perturbatio oriebatur. Cum enim Mœchi, Homicidæ, & Idololatræ ante reconciliationem, legitimam pœnitentiam agerent, ſolerentque Martyrum iſtorum Anteceſſores certis, & definitis quibuſdam perſonis, quas pœnitentiam ſeriò agere, magnamque illius partem jam egiſſe cognoſcebant, pacis libellos, ſi Epiſcoporum examini ita viſum eſſet, concedere, En Lapſorum turba prodit, nulla pœnitentia expiata pacem ſibi ſine ullius ſatisfactionis obligatione redhiberi audacter contendens, idque ab Epiſcopis tanquam ſibi debitum exigens. Hoc eſt quod Clerus Romanus, Sanctus Cyprianus, & Alii Epiſcopi diſciplinæ Eccleſiaſticæ amantes exhorreſcebant; & cujus cauſa nonnullos Presbyteros, qui libellos Martyrum prætexentes ante Eccleſiæ de hac re inuſitata judicium Lapſis temerè communicaverant, abſtinuerunt. Cùm tamen Lapſi illi multitudine ſua, & impudentia, prærogativæque Martyrum prætextu Epiſcopis negotium maximum faceſſerent, aliquid modo jam dicto de rigore diſciplinæ viſum eſt remittere, ut ſcilicet Lapſis moribundis, licèt pœnitentiam amplexi non fuiſſent, pœnitentia imponeretur, ſimulque pax daretur, ſi libellos à Martyribus accepiſſent; Cæteri autem Concilii examen, & judicium expectarent. Anteà Lapſis moribundis, quanquam libellos ejuſmodi obtinuiſſent, pax donata non fuiſſet. Hinc elucet vis argumenti, quod toties Lapſis obiicit Cyprianus: Si in minoribus peccatis, quæ in Deum commiſſa non ſunt pœnitentia agitur legitimo tempore, & exomologeſi facta per manus impoſitionem Epiſcopi, & Cleri jus communicationis accipitur; Qua fronte vos Lapſi in idololatriam omnium peccatorum maximum, ſine ulla pœnitentia, & ſatisfactione communicationem vobis concedi tantopere contenditis?

VI. Ex iis perſpicuè colligitur, precibus Martyrum, & Confeſſorum remiſſas fuiſſe, & indultas pœnitentibus pœnas; indulgentiamque peccatorum, ut nunc loquimur, pœnarum quas Martyres ſuſtinebant conſideratione, Eccleſiam illis donaſſe, hancque indulgentiam ex antiquiſſimorum Patrum fide à Deo acceptam, & confirmatam fuiſſe. Ita enim Cyprianus *Epiſtola* 13. *Qui libellos à Martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari poſſunt, &c.* Et Epiſtola ſequente, *Qui libellum à Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt.* Et in tractatu de Lapſis, *Credimus quidem poſſe apud Judicem plurimùm Martyrum merita, & opera juſtorum, ſed cùm judicii dies venerit, &c. Cæterum ſi quis præpropera feſtinatione temerarius remiſſionem peccatorum dare ſe cunctis putat poſſe, aut audet Domini præcepta reſcindere, non tantùm nihil prodeſt, ſed & obeſt Lapſis.* Ejuſdem conſuetudinis, & privilegii Martyribus facti meminit Tertullianus capite ultimo libri de pudicitia, ſed eo quod tum hæreticus eſſet, omnia in perverſum ſenſum trahit. Apparet tamen tum temporis Pœnitentes ad Martyres in carcerem conjectos concurrere ſolitos, ut ab iis pacis, & communicationis libellos impetrarent. Tertulliani verba ex *cap.* 20. hujus libri repetenda ſunt.

VII. Conjectura illuſtriſſimi Epiſcopi Aurelianenſis *obſervationum liber.* 1. *cap.* 20. videtur mihi vera, Indulgentias ſcilicet Martyrum vim ſuam ab eorum morte deduxiſſe, atque eorum libellos ab eo tantùm tempore ab Epiſcopis executioni mandatos: Id enim ſonare videntur hæc *Epiſt.* 10. verba, *Hi ſubloto honore quem nobis beati Martyres cum Confeſſoribus ſervant, contempta Domini lege, & obſervatione, quam iidem Martyres, & Confeſſores tenendam mandant, ante extinctum perſecutionis metum, ante ipſum pene Martyrum exceſſum, communicent cum Lapſis, &c.* Eſt enim gradatio perpetua, qua exaggarat Sanctus Cyprianus quorundam presbyterorum crimen, qui Lapſis libellos Martyrum conſecutis communicaverant: ex qua duo conſequuntur, indulgentias illas poſt pacem Eccleſiæ redditam executioni mandari tantùm ſolitas, cum ſcilicet Epiſcopi de hiſce rebus deliberaturi convenire poterant. Hoc autem prius non ſolum ex hoc loco demonſtratur, ſed ex omnibus fere locis, in quibus de Martyrum libellis agit Sanctus Cyprianus: Nunc autem primùm propter cauſas explicatas huic conſuetudini erga Lapſos moribundos derogatum eſt. Alterum conſequens, Lapſos indulgentiarum iſtarum effectu prius non frui, quàm mortui fuerint Martyres. Nam ut iſtorum Presbyterorum crimen exaggerat, ſcribit, ante ipſum pene Martyrum exceſſum cum Lapſis communicaſſe. Quodnam amplificationis genus niſi communicatio illa poſt mortem fieri ſoleret? Hoc autem poſterius optimè cum priori convenit: Si enim indulgentiæ fructus poſt pacem Eccleſiæ factam illis tantum donabatur, ſequi videtur, ut poſt Martyrum mortem id tantùm fiat.

CAPUT XXVII.

Docetur, quibus Pœnitentibus, & quo ritu indulgentiæ à Martyribus unicuique Lapſorum conceſſæ applicabantur. Varietatis inter Decretum Cleri Romani, & S. Cypriani de privilegio Martyrum conciliatio. Privilegium illud quando cœpit, & deſiit.

QUæret forſan Lector antiqui moris curioſus, quo ritu Lapſis applicabantur illæ Martyrum indulgentiæ. Reſpondeo quæſtionem bicipitem eſſe. Aut enim ipſi illi ſani erant, & pœnitentiam agebant, aut moribundi, qui necdum pœnitentiam inchoaverant. Sanis enim Lapſis pœnitentiam non agentibus beneficium iſtud nunquam conferebatur: Moribundi verò, qui pœnitentiæ ſtadium decurrebant à ſanis Pœnitentiam agentibus hac in cauſa non differebant. Quod igitur ad prius attinet, poſteriorem exomologeſim peccati edebant, manuſque illis Epiſcopi, & Cleri in reconciliationem ſive abſolutionem cum ſolemnibus verbis imponebantur, qua impoſitione jus communicationis accipiebant, fideliumque numero accenſebantur. Atque ut uno verbo dicam, nihil hic abſolutionis ritus à communi differebat niſi ratione

temporis, eo quod ſcilicet propter indulgentias Martyrum contracto tempore citius concedebatur. Id res ipſa docet: nihil enim aliud erat illius indulgentiæ fructus quàm temporis ad pœnitentiam conſtituti abbreviatio. Quæcunque in curſu Pœnitentiæ fieri ſolent, jam facta erant; nihil præter abſolutionis ritum ſupererat, qui, non adepta indulgentia, longiori tempore dilatus fuerat. Sed hoc nos prætereà docet S. Cyprianus *Epiſt.* 11. ubi crimen quorundam presbyterorum exaggerat, qui libellis Martyrum fulti Lapſos non adhibitis ſolemniis requiſitis ad communicationem receperant. *Illi contra Evangelii legem, contra veſtram quoque honorificam petitionem, ante actam pœnitentiam, ante exomologeſim graviſſimi, atque extremi delicti factam, ante manum ab Epiſcopo, & Clero in pœnitentiam impoſitam, offerre lapſis pacem, & Eucharistiam dare, &c. audent.* Increpat eos, quòd hæc omiſerint in Lapſorum reconciliatione, ſed immediatè, hoc eſt, ut alibi loquitur, adhuc exhalantibus cruenta ſacrificia pacem, & Corpus Chriſti tradiderint. Ergo in ſanorum reconciliatione præcedentes illi ritus obſervabantur. Gradatio autem illa eſt retrograda; ideò poſtremò ponitur manus impoſitio in pœnitentiam, quæ prima pœnitentiam ſuſcipientibus adhibebatur.

II. Idem evidenter demonſtratur ex illo S. Cypriani argumento ſæpe hac in cauſa contra præproperam illam communicationem uſurpato, *Nam cùm in minoribus peccatis agant peccatores Pœnitentiam juſto tempore, & ſecundùm diſciplinæ ordinem ad exomologeſim veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi, & Cleri jus communicationis accipiant, nunc crudo tempore, &c. ad communicationem admittuntur, & nondum pœnitentia acta, nondum exomologeſi facta, nondum manu eis ab Epiſcopo, & Clero impoſita, Euchariſtia illis datur.* Martyrum igitur indulgentiæ ſolam temporis in agenda pœnitentia moram contrahebant: cætera paria erant. Simile quid ſibi volunt Luciani Martyris verba *Epiſt.* 22. *Cùm Dominus cœperit ipſi Eccleſiæ pacem dare ſecundùm præceptum Pauli* (Martyr hic erat) *& noſtrum tractatum, expoſita cauſa apud Epiſcopum, & facta exomologeſi habeant pacem.* Dixi ſimile quid: nam probabile eſt, Lapſos, de quibus verba facit Lucianus, pœnitentiam non agere, ſaltem ex Eccleſiæ præſcripto: intelligit tamen eos facta exomologeſi poſteriore ſine pœnitentia per ſolam manus impoſitionem reconciliatoriam eſſe recipiendos, quod in Luciano, ut & nonnulla alia, reprehendunt S. Cyprianus, & Clerus Romanus.

III. Poſterius, quod moribundos Martyrum libellis donatos ſpectat, ritu fiebat à præcedente paululùm diverſo quem tribus Epiſtolis 13. 14. & 15. ſemper uno, & eodem modo explicat, *Qui libellum à Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt, ſi premi infirmitate aliqua, & periculo cœperint exomologeſi facta, & manu eis à vobis in pœnitentiam impoſita cum pace à Martyribus ſibi promiſſa ad Dominum remittantur.* Moribundis igitur illis in Martyrum gratiam quatuor fiebant. Ad exomologeſim recipiebantur, ſive peccati confeſſionem, Deinde manus illis in pœnitentiam imponebatur, hoc eſt, quanta pœnitentia illis ſi viverent eſſet obeunda, explicabatur, ſuperque eos benedictiones, & preces, quæ in pœnitentiæ impoſitione fieri ſolent, fundebantur: Poſteà abſolutio, ſive reconciliatio ſequebatur. Denique Euchariſtia pacis complementum tradebatur. Eadem prorſus tum fiebant, quę poſtquam gentibus Eccleſia dominata eſt, in moribundorum quorumlibet reconciliatione facta ſunt. In eo autem poſterior hic ritus à priore differt, quòd in priore duo prima ex illis quatuor non uſurpabantur, quia cùm agerent pœnitentiam jam facta fuerant, duobuſque poſtremis tantùm opus erat.

IV. Sanctum Cyprianum diligenter legentibus occurret difficultas, quæ eos remorari poſſit. Moribundis enim Lapſis, qui pœnitentiam ſani non inchoarunt ſubveniri vult, ſed ea conditione ſemper adjecta, ſi Martyrum libellos habuerint. Clerus verò Romanus de eadem quæſtione ſcribens *Epiſt.* 31. illius non meminit. *Eorum autem, quorum vitæ ſuæ finem urgens exitus dilationem non poteſt ferre, acta pœnitentia, & profeſſa frequenter ſuorum deteſtatione factorum, ſi lachrymis, ſi gemitibus, ſi fletibus dolentis ac verè pœnitentis animi ſigna prodiderint, cùm ſpes vivendi ſecundum hominem nulla ſubſtiterit, ita demùm cautè, & ſollicitè ſubveniri.* Itaque videntur abſolutè, & indefinitè morientibus quibuſque ſive libellos à Martyribus acceperint, ſive non acceperint, modò pœnitentis animi ſigna morientes ediderint, reconciliationem concedere. Eadem tamen fuit & Cleri Romani, & Sancti Cypriani ſententia. Quibus verò magis de his rebus credimus quàm utriſque? Utrique teſtantur, ſe idem prorſus ſentire, neutrum ab altero diſſentire: Nullum igitur dubium quin utrorumque eadem fuerit ſententia, idem decretum. Clerus Romanus eadem *Epiſt.* 31. ad Cyprianum, *Quamquam nobis in tam ingenti negotio placeat, quod & tu ipſe tractaſti prius, Eccleſiæ pacem ſuſtinendam, &c.* Sanctus autem Cyprianus *Epiſt.* 52. ad Antonianum, probat ſe idem cum Clero Romano in hac cauſa ſenſiſſe, quod dicit teſtari non modo litteras ad Clerum Romanum, ad Confeſſores, alioſque ab eo ſcriptas, ſed & Cleri Romani ad eum: Deinde refert ea Cleri Romani verba, quæ ex eorum Epiſtola exſcripſimus, & quæ conſequuntur multa, ut initio *Epiſtolæ* 52. videre potes. Itaque nullum dubium, quin ea conditio, *ſi Martyrum libellos acceperint*, quam toties repetit, & inculcat Sanctus Cyprianus, in Cleri Romani verbis, quæ retulimus, ſit ſubaudienda.

V. Id expoſcit prætereà controverſiæ ſtatus, & Martyribus honos ſemper habitus. Agebatur enim an Lapſis, propter libellos Martyrum eſſet communicatio ſine ſatisfactione concedenda. Ut igitur ad propoſitum reſpondeatur, & aliquis honos Martyribus habeatur, conditio illa ſubaudienda eſt. Deinde Cleri Romani decretum eſt interlocutorium, ut & S. Cypriani, quo Lapſis, variis de cauſis ſed urgentibus, in gratiam Martyrum, donec Concilium celebretur, aliquid remittitur; ita enim ſe habet decreti initium, *Lapſorum curam mediocriter temperandam eſſe credimus, ut interim dum Epiſcopus dari à Deo nobis ſuſtinetur, in ſuſpenſo eorum qui moras poſſunt dilationis ſuſtinere, cauſa teneatur:* Poſteà decreti ſecunda pars jam citata ſubiicitur. Quodnam verò temperamentum propter Martyrum libellos affertur, ſi eorum cauſa nihil in decreto ponitur aut ſubauditur? Denique teſtatur S. Cyprianus *Epiſtola* 52. hoc temperamentum, *Quorum urgens exitus dilationem non poteſt ferre:* De quo nunc controvertitur ab uno Confeſſore poſtea Martyre additum fuiſſe, *Additum eſt etiam Novatiano tunc ſcribente, & quod ſcripſerat ſua voce recitante, & Presbytero Moyſe tunc adhuc Confeſſore, nunc jam Martyre ſubſcribente, ut Lapſis infirmis, & in exitu conſtitutis pax daretur.* Quo fit probabilius Confeſſorum, & Martyrum libellos fuiſſe ſubauditos.

VI. Tertia mentem ſubit ſolutio, quæ mihi plurimùm probabilis videtur, & diſceptationis iſtius peremptoria. Demonſtrabitur capite primo libri ſequentis negatam fuiſſe reconciliationem in Occidente, potiſſimùm in Africa, atque ab ipſo Cypriano, iis moribundis, qui crimine perpetrato ab Eccleſia pulſi fuerant, aut ipſi ſeceſſerant, ſi ſani Eccleſiam contempſerant, & morbo preſſi ad eam primùm confugiebant. Quid igitur ſibi vult Cyprianus, cùm toties monet, iis Lapſis infirmis pacem eſſe dandam, qui libellos à Martyribus obtinuerint? Id facit morem gerens conſuetudini Eccleſiæ Africanæ, quæ iſtiuſmodi Infirmos peccatorum tum primùm pœnitentes, & ad Eccleſię miſericordiam confugientes reconciliatione non dignabatur. Poſtremo autem decreto huic ſeveritati hoc lenimentum erat adhibitum, eos reconciliandos in his morbi circumſtantiis, ſi indulgentiæ libellos à Martyribus impetraſſent. Iſtius autem decreti, non meminit Clerus Romanus, cùm de Lapſis infirmis verba fecit, eo quod in Eccleſia Romana non vigeret iſta ſeveritas, ſed quibuſcunque moribundis Eccleſię miſericordiam implorantibus reconciliationem præſtabat. Sanè cum de hac re loquitur Innocentius I. *Epiſt.* 3. videtur ita temperare ſermonem ſuum, ut hanc conſuetudinem tribuere videatur aliis Eccleſiis non Romanæ. Mutuus autem eſt de his Lapſis, & Cleri Romani, & Cypriani conſenſus, eo quod diſciplinæ varietas in hoc articulo nullam prorſus inter eos litem pariebat, ſed uniuſquiſque Provinciæ ſuæ morem inviolata charitate ſervabat.

VII. Notabit, Lector hæc verba Decreti, *acta Pœnitentia*, non ſignificare actionem pœnitentiæ antequam morbus Lapſum invaderet. Nullum enim prorſus temperamentum, immò ne temperamenti quidem ſpeciem cauſæ Lapſorum attuliſſet Decretum, ſi moribundis tantùm, qui ſani Pœnitentiam egiſſent, pax conceſſa fuiſſet; numquam enim pax illis à duriſſimis, & auſteriſſimis quibuſque Epiſcopis non fuit conceſſa. Repugnant prætereà huic ſenſui quæcunque jam diximus de conditione libellorum ſubaudienda. Significant igitur illa verba Pœnitentiam ſive ingentem animi dolorem, & contritionem, quam moribundus demonſtrare, & profiteri tenetur, ut veniam optatam ab Eccleſia conſequatur, quæ verbis ſequentibus graphicè deſcribitur.

VIII. Quæri denique poteſt quando cœpit hoc ſingulare Martyrum privilegium, & quando deſiit. Hujus privilegii uſum ante Tertullianum hactenus non legi. Tum tamen non

cœpe-

cœperat, quum ex eo conſtet fuiſſe jam per Eccleſiam Romanam, & Africanam vulgatiſſimum, & uſitatiſſimum. Cum perſecutionibus autem, ſive ut ita dicam, cum Martyribus ipſis deſiit hoc Martyrum privilegium. Concilii Arelatenſis primi *cap.9.* fit mentio quarundam literarum, quas nonnulli à Confeſſoribus obtinebant. Sed non magnus honos illis habetur. *De his qui Confeſſorum literas offerunt, placuit, ut ſublatis iis literis alias accipiant communicatorias.* Diverſæ videntur à libellis, de quibus nunc agimus. Concilium Eliberit. *cap. 25.* de iiſdem literis mentionem facit, de quibus Arelatenſe, ſed clarè monet eas Epiſcopis ſuſpectas fuiſſe, *Omnis, qui attulerit literas Confeſſorias, ſublato nomine Confeſſoris, eo quòd omnes ſub hac nominis gloria paſſim concutiant ſimplices, communicatoriæ ei dandæ ſunt.* Confeſſores videntur auctoritatem ſibi arrogaſſe commendandi fideles apud exteros Epiſcopos. Cùm tamen facilè decipi potuerint, & eorum nominis gloria ſimplicibus imponere, utrique periculo mederi voluerunt Patres, & Confeſſores intra officii metas coercere. Sed cùm hæ literæ cum libellis indulgentiarum nihil habeant noſtra ſententia commune, pluribus de iis diſſerere non eſt animus. Quidquid ſit, ſive eædem ſive diſſimiles, cum Martyribus defecerunt. Ab eo enim tempore ut Ethnicorum perſecutiones deſierunt, ſic & indulgentiarum libelli. Immò Eccleſiæ monumenta poſt S. Cyprianum nihil ejuſmodi commemorant.

CAPUT XXVIII.

Antiqui Patres plerique crimen unicum adeò execrabile judicarunt, ut illius Reis veniam neque ab Eccleſia, neque à Deo unquam eſſe concedendam dixerint. Quale fuerit illud crimen inquiritur. Quæſtio hæc ad Theoriam pertinet, non ad praxim, cùm dato tale eſſe poſſe crimen, vix unquam homines illud dignoſcere poſſint.

TAndem id, quod *cap.19.* poſtremum nobis propoſueramus, nunc explicare aggrediamur. Dictum eſt, quaſdam circumſtantias temporis aliquando criminibus adiici, quæ moribundis ſpem omnem reconciliationis cum Eccleſia adimebant: Hoc ſanè vetum fuit tribus primis ſeculis, cùm expulſi ab Eccleſia propter ſcelera ſua Pœnitentiam agere non curabant, ſed toto poſteà vitæ tempore voluptatibus ſeſe dedebant. Cùm enim ejuſmodi homines in morbum incidebant, & Dei judicium reformidantes Sacerdotum preces implorabant, reconciliatio iis denegabatur. Hujus rei diſcuſſionem in librum ſequentem reiicimus, eo quòd ad Ægrotorum Pœnitentiam pertineat, & multa contineat ad eoſdem Ægrotos pertinentia, quæ paucis expediri non poſſunt. Nunc tantum inquirendum nobis proponimus, An crimen aliquod adeò execrabile antiquitus judicatum fuerit, ut ei reconciliationis omnem ſpem ademerint. Omnibus ultro citròque diligenter mecum perpenſis id de unico crimine ab Antiquorum pleriſque videtur eſſe admiſſum: Eum ſcilicet, qui fidem abnegavit, & religionem Chriſtianam ſciens, volenſque perſequitur, in Chriſtum blaſphemias evomit, reconciliatione, & Eccleſiæ miſericordia eſſe indignum, atque ideò Pœnitentiam illius, ſi tam impius pœnitere poſſit, quod eorum aliqui diſertè negarunt, Deo tam horrendum peccatorem deſerente, ab Eccleſia eſſe repudiandam. Ita plerique antiquiſſimi Patres de hac hypotheſi docuiſſe videntur. Alluſerunt, opinor, ad verba Chriſti Matthæi *cap.12.* de peccato in Spiritum S. licet diſertè hoc quidam non dicant. Prolatis eorum verbis judicabit, Lector, quid ſibi velint, & ſi qua in re conjiciendo cæſpito, me ſuſtentabit.

II. Hermas S. Pauli diſcipulus ab antiquiſſimis Patribus tam Græcis quàm Latinis tantopere citatus, & decantatus, qui in prædicanda Pœnitentiæ venia totus eſt, hanc tamen hypoteſim ſæpius excipit, ut *lib. 3.* ſimilitudine *6. Quæcunque pecora vidiſti valde læta, & exultantia, ii ſunt, qui in perpetuum à Deo diſceſſerunt, & tradiderunt ſe deſideriis hujus ſeculi. Iis ergo non eſt per Pœnitentiam regreſſus ad vitam, quoniam quidem adjecerunt ad reliqua delicta ſua, & nomen Domini nefandis inſectati ſunt verbis.* Et in fine ſimilitudinis 8. *His igitur non eſt locus Pœnitentiæ, à negotiatione enim ſua nefanda in Dominum locuti ſunt, & eum abnegaverunt. Propter hanc igitur nequitiam amiſerunt vitam.* Et ſimilitudine 9. poſt medium, *In primo monte nigro, qui crediderunt, transfugæ ſunt, ac nefanda in Dominum loquentes, & proditores ſervorum Dei. Illis propoſita mors eſt, Pœnitentia non eſt.* Et paulò poſt, altero impiorum genere priori affini explicato, interrogat, *Quare, Domine, iis quidem aditus eſt ad Pœnitentiam, prioribus verò non eſt? pene enim eorum eadem ſunt admiſſa? Ideò, inquit, eſt his per Pœnitentiam regreſſus ad vitam, qui nihil in Dominum ſuum locuti ſunt nefandum, neque proditores ſervorum Dei fuerunt, ſed per quandam habendi cupiditatem fefellerunt homines, ducentes eos ſecundùm cupiditates peccantium: ideò debuit quandam ejus rei pœnam, ſed tamen eis propoſita eſt Pœnitentia, qui nihil in Dominum ſuum dixerunt nefandum.* Ex his ſimul collectis perſpicuè deſcribitur quale peccatum exiſtimaverint reconciliatione indignum.

III. Clemens Romanus ubique Pœnitentiam prædicat, longiſque ſermonibus in reconciliationem negantes invehitur: hoc tamen à venia crimen excipit *lib. 2. c. 23. Nullum majus peccatum quàm idolorum cultus: Eſt enim impietas in Deum, tamen per veram pœnitentiam remiſſum eſt. Si quis verò ex acie delinquat, tentans Deum, quaſi non inſequatur pœnis improbos, is veniam non impetrabit, quamvis illud ſecum dicat, bene mihi vertat Deus, quoniam ambulabo in converſatione cordis mei, &c.* ἐκ προαιρέσεως ἁμαρτάνειν, eſt peccando in occurſum, & in conflictum adverſus Deum incedere: Qui ſic peccat, & Dei judicium ridet, omni venia indignus eſt.

IV. S. Cyprianus *lib. 3.* teſtimoniorum ad Quirinum *n. 28.* mihi videtur aliter intelligi non poſſe. Theſis ipſius eſt, *Non poſſe in Eccleſia ei remitti, qui in Deum deliquerit.* In cujus probationem affert teſtimonium ex *cap.* 12. ſecundùm Matthæum; Deinde ſecundum Marcum, quod ſic vertit, *Qui autem blaſphemaverit in Spiritum S. non remittetur illi, ſed Reus erit æterni peccati.* Affert denique hoc ex 1. Reg. *c.2. Si delinquendo peccet vir adverſùs virum, orabunt pro eo Dominum; Si autem in Deum peccet homo, quis orabit pro eo?* Poſthæc ad alia divertitur.

V. S. Pacianus, qui directè adverſus Novatianos ſcripſit, *Epiſt.3.* ubi reſpondet Novatiano obiicienti locum ex Matthæi 12. de peccato in Spiritum S. primum in eum ſic retorquet argumentum. *Aut ego fallor, aut iſtud exemplum contra te valet: Nam ſi omne peccatum, & blaſphemia relaxabitur, vides veniam pœnitentibus non negari. Ergo omne peccatum, ergo ipſa quoque blaſphemia.* Nec tamen tam generalis eſt regula, ut exceptionem non patiatur: Ita enim paulò poſt, *Habes ſupra ſcriptum, cùm Dominus dæmonia verbo fugaret, & virtutes multas ſpeciali vigore compleret, dixiſſe Phariſæos, hic non expellit dæmonia niſi in Beelzebub principe dæmoniorum. Hoc eſt in Spiritum S. deliquiſſe, in ea blaſphemaſſe, quæ per ſanctum Spiritum gerebantur. In cæteris quippe peccatis, aut errore labimur, aut metu frangimur, aut carnis infirmitate ſuperamur. Hæc cæcitas eſt, non videre quod videas, & S. Spiritus opera Diabolo deputare, eamque gloriam Domini, qua Diabolus ipſe ſuperatur, Diaboli appellare virtutem. Hoc eſt ergo quod non dimittetur; reliqua bonis Pœnitentibus, frater Sympronianæ, donantur.* Sanè ſi nolimus nodum in ſcirpo quærere, nulla eſt in verbis Paciani obſcuritas. Cum Novatiano de remiſſione peccatorum diſputat; omniaque peccata hoc excepto Pœnitentibus dimitti fatetur. Si concedamus Pacianum bona fide cum Novatiano agere, quid opponi, aut diſtingui poſſit, non video. Peccatū autem in Spiritum S. eſt, cùm quis ex adverſo ſciens, volenſque Deo ſeſe opponit, & quæ à Spiritu Dei novit provenire, Diabolo imputat: Ideo hoc peccatum, non errore, non metu, non infirmitate carnis perpetratur; unde natura ſua maximum eſt, nec ulla excuſatione minui poteſt, ideò veniam ab Eccleſia nunquam conſequitur.

VI. Eodem vergere videtur S. Ambroſius in fine *cap. 8. libri ad Virginem Lapſam, Inhære Pœnitentiæ uſque ad extremam vitæ, nec tibi præſumas ab humano die poſſe veniam dari, quia decipit te, qui hoc tibi polliceri voluerit. Quæ enim propriè in Dominum peccaſti, ab illo ſolo te convenit in die judicii expectare remedium.* Crimen ſanè grande commiſerat: Erat enim virgo illa dicata Chriſto; deinde ut inceſtum celaret, partum necaverat. Non ideò tamen in crimen jam explicatum inciderat, ſed infirmitate ceciderat, & crimen virgineo pudore, & metu celaverat. In Dominum tamen dicitur à S. Ambroſio peccaſſe; quod nuptiarum fidem Deo datam violaverat. Quapropter alludens ad illud peccatum, cui Eccleſia multis ſaltem locis parcere non ſolebat, & virginis peccatum Rhetorica quadam exaggeratione illi æquiparans, negat ab homine veniam debere conſequi.

VII. Crimen illud κυρίως ſpectare videtur, *lib.1. de Spiritu ſancto c.3. Si quis corporis ſpecie deceptus humani remiſſius aliquid ſenſit de Chriſti carne quàm dignum eſt, &c. habet culpam, non eſt tamen excluſus à venia, quam fide poſſit aſciſcere. Si qui verò Sancti Spiritus dignitatem, majeſtatem, & poteſtatem abneget ſempiternam, & putet non in Spiritu Dei eiici dæmonia, ſed in Beelzebub, non poteſt ibi exoratio eſſe veniæ, ubi ſacrilegii plenitudo eſt. Quia qui ſpiritū negavit, & Deum Patrem negavit, & Filium. Libro 2. de Pœnit. c.4.* multis verſat eundem locum, & grande hoc ſcelus in varias ſpecies diffundit, quibus venia conceditur, fatetur tamen iis, qui directè, ut illi

Digitized by Google

Phariſæi blaſphemant, veniam non eſſe ſperandam. Oppoſito igitur ſibi hoc Novatianorum argumento primum non ſecus ac Pacianus reſpondet retorquens in eos argumentum, eo quòd ſcriptum ſit ibidem, *Omne peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus*: Deinde explicata peccati ſpecie, addit, *Hos ergo, qui hæc loquuntur, negat ad veniam pertinere*: Et paulò poſt, *Reſponſum eſt igitur à Domino blaſphemiæ Phariſæorum, & ideò his poteſtatis ſuæ gratiam negat, quæ in remiſſionem peccatorum eſt, qui cœleſtem ejus poteſtatem diabolico fultam ſuffragio vindicarent*. Ut tamen argumenti robur elevet, peccatum illud extendit ad Hæreticos, & Schiſmaticos, quibus Pœnitentibus gratia non denegatur, ut inſinuet etiam aliis, ſi Pœnitentiam agere poſſent, Dei miſericordiam non defuturam.

VIII. Certum eſt tamen, S. Ambroſium ſæpius in iiſdem libris, cùm de Pœnitentia adverſus Novatianos agit, nullum crimen excipere. Sed ſicut in Paciano, & aliis univerſalis propoſitio ſingularem exceptionem non excludit, cùm eam ille proponit, qui univerſalem propoſitionem fecit; ita & de S. Ambroſii verbis ratiocinari forſan par erit, cùm eo ipſo loco ubi Eccleſiæ auctoritatem, quàm maximè poteſt amplificat, non admodum adverſetur, ſi præter teſtimonium jam allatum unum prævaricationis crimen à Novatianis excipiatur. Cur igitur opponemus univerſali ipſius propoſitioni exceptionem ab ipſo factam? *Cap. 2. lib. 1. de Pœnitentia; Si unum tantùm crimen exciperent ſacrilegii, cui veniam negarent, durè quidem, ſed tamen divinis tantùm redargui viderentur ſententiis, aſſertionibus tamen ſuis convenirent. Dominus enim nullum crimen excipit, qui peccata donavit omnia.* Et c. 8. alteri argumento reſpondens, *Tunc te iſta pateret objicere, ſi ſolis prævaricatoribus non relaxares pœnitentiam.* Per prævaricationem non intelligit grande illud ſcelus quod initio capitis explicavimus, ſed Lapſum in idololatriam, cujus cauſa Novatianus primum ab Eccleſia defecit.

IX. S. Hilarius *can.* 12. in Matthæum, *Cùm cætera dicta, geſtaque liberali venia relaxentur, caret miſericordia, ſi Deus negetur in Chriſto; & in quo ſive venia peccatur, benevolentiam iteratæ admonitionis impendit: Omnino peccata cujuſque generis remittenda, blaſphemiam in Spiritum Sanctum non remittendam.*

X. Auctor quæſtionum in utrumque teſtamentum, qui S. Hieronymo eſt antiquior *queſt.* 102. longam adverſus Novatianos inſtituit diſputationem, in qua ſemper aſſumit peccatum in Spiritum S. abſolutè remitti non poſſe, & inde adverſus Novatianos demonſtrat, Chriſtum in tormentis negare, non eſſe peccatum irremiſſibile, ſive in Spiritum S. *Si idem eſt negare Dominum, quod peccare in Spiritum S. nulla venia ſperanda eſt negantibus, neque fructus aliquis Pœnitentiæ, quia hoc peccatum neque hîc, neq; in futuro remitti Dominica oracula promiſerunt, Hinc ergo apparet Novatianum eum dolo dicere agendam Pœnitentiam. Ut quid enim pœniteret, ſi delictum aboleri negatur? Pœnitentiæ enim gemitus, & lamentatio hoc acquirit, ut & veniam mereatur, & reformationem.* Et rurſus verſus finem quæſtionis, *Omnem, qui idolis ſacrificaverit, in Spiritum S. dicis peccare, cui neque in futurum, peccatum hoc remitti per legis verba contendis. Quomodo ergo hujus delicti agendam Pœnitentiam dicit, niſi quia fallit, ut ſupra oſtendi.* Crimen autem in Spiritum S. explicat, cum divina veritas non errore, non infirmitate, ſed ex malevolentia impugnatur, cujus rei cauſa hoc peccatum ait non remitti. *Non enim errore peccaverunt in Spiritum S. ſed malevolentia. Scientes enim prudenteſque opera quæ viderunt in geſtis ſalvatoris, Dei eſſe, ut populum à fide ejus averterent hæc ſimulabant eſſe principis Dæmoniorum, &c. Hæc ergo ſententia contra malevolos prolata eſt, quibus remedium inveniri non poteſt, ut ſalventur.* Et paulò poſt, colligi iterùm, *Non ergo dignum eſt iſtis peccatum hoc unquam debere remitti, qui conſcientia ſua teſte, Deo, cui ſe devotos docebant, auſi ſunt repugnare.*

XI. Eundem Novatianorum errorem, qui Chriſti in tormentis abnegationem contendebant eſſe peccatum in Spiritum S. & conſequenter remiſſionis incapax ex profeſſo ſibi refutandum proponit S. Hieronymus *Epiſt.* 149. ad Marcellam, cujus verba huc referemus, eo quòd ex iis etiam conſtet evidentiſſimè aliquod fuiſſe peccatum, quod plerique Eccleſiæ Doctores irremiſſibile crediderunt. *Novatianus affirmat non poſſe peccare in Spiritum S. niſi eum, qui Chriſtianus ſit, & poſteà negaverit, &c. Unde de toto ipſius ſcripturæ ordine convincendus eſt non iis irremiſſibilem dictam eſſe blaſphemiam, qui tormentis compulſi, & variis eviſcerati cruciatibus, Dominum denegaſſent; ſed iis qui cum in virtutibus videant opera Dei, calumniantur, & clamitant, dæmonis eſſe virtutem, & omnia ſigna quæ facta ſunt, non ad divinam magnificentiam, ſed ad Diabolum pertinere.* Et paulò poſt iterùm argumentatur, peccatum illud non eſſe à Chriſto eo loco intellectum, & conſequenter non eſſe irremiſſibile, *Probet itaque Novatianus aliquem de iis, qui ſacrificare compulſi ſunt ante tribunal Judicis, reſpondiſſe omnia, quæ in Evangelio ſcripta ſunt, non à filio Dei, ſed à Beelzebub principe Dæmoniorum fuiſſe perfecta; & tunc poterit approbare, irremiſſibilem in Spiritum S. eſſe blaſphemiam.* Cùm igitur quæſtio Catholicos inter, & Novatianos agitaretur de peccato, cui reapſe nunquam venia concedebatur, negetque Hieronymus, Lapſum in Idololatriam eſſe ejuſmodi peccatum, idque tribuat alteri ſpeciei à ſe deſcriptæ, certum eſt ex ipſius ſententia poſteriorem illam peccati ſpeciem fuiſſe irremiſſibilem. Denique quid clarius ea collectione, quam in fine Epiſtolæ inſtituit? *Docent igitur aliquem negatorem Beelzebub vocaſſe Chriſtum, & ultrò referam gradum, negatorem non poſſe veniam conſequi poſt ruinam.* Eandem ſententiam non minus evidenter tradit commentario in hunc locum.

XII. Tractatum de hac quæſtione edidit S. Athanaſius; ſed ubique velut exploratum tradit peccatum ejuſmodi, qualecumque tandem illud ſit, eſſe irremiſſibile. Origenis quidem, & Theognoſti ſententias refutat: Sed refutatio illa ad ſpeciem peccati ſpectat, non ad peccati remiſſionem. Immò cum iis ſupponit peccatum illud eſſe irremiſſibile, atque hinc in eorum ſententias argumentatur, quod peccata, quæ in Eccleſia remitti ſoleant, complectantur. Poſtquam enim eorum interpretationem multis argumentis non ſufficere demonſtravit, hoc aliis addit, & urget, *Super multis criminibus accuſat Judæos ſalvator, tum quod præceptum Dei de Parentibus ob pecuniam prævaricarentur, tum quod in Prophetas offenderent, & Dei, domum negationis facerent, tamen etiam in tantis delictis eos Pœnitentiæ admonebat. Verùm ubi eum dixiſſent in Beelzebub ejicere dæmonia, non ulterius hoc peccatum in genere, ſed blaſphemiam dixit tantam eſſe, ut inde fuga nulla, & receptus eſſet, & venia carere, nec condonationem ullam illis ſupereſſe, qui talia commiſerent.* Argumentum perſequitur, & oſtendit exemplo Corinthii, cujus crimini data eſt venia, crimina poſt Spiritus S. in baptiſmo perceptionem perpetrata (ita enim, ut refert, peccatum in Spiritum ſanctum interpretabantur Origenes, & Theognoſtus) remiſſione donari, & conſequenter dici non poſſe peccata in Spiritum ſanctum. Deinde urget amplius, *Quid eſt quod Novato ſuccenſeamus tollenti Pœnitentiam, dicentique nullam eos veniam obtinere, qui poſt lavacrum peccant?* Itaque ſemper ſupponit velut ab omnibus conſeſſum, crimini, de quo ibi Dominus, nullam reapſe veniam dari: Et cùm hoc apud eos fuerit notiſſimum, hinc probat Origenis, & Theognoſti interpretationes diffuſas nimium eſſe, cùm ad ea peccata ſeſe extendant, quæ remiſſioni obnoxia ſunt.

XIII. Peccatum autem in Spiritum S. quod nunquam remittitur, ita explicat. Quidam infirmitates humanas in Chriſto conſpicientes ipſum ut merum hominem ſpernunt. *Graviter equidem*, inquit, *peccant; poſſunt tamen celeriter pœnitentiam agendo veniam conſequi, quam habeant pro excuſatione imbecillitatem carnis.* Alii divina ejus opera conſiderantes, infirmitatem quoque videntes, incarnationem ejus negant, corpuſque phantaſticum illi tribuunt. *Verùm & iſtiuſmodi*, inquit, *celeriter reſipiſcentibus veniam Chriſtus donaverit, eo quòd & ipſi cauſam erroris ſui habeant ex magnitudine operum, humanam naturam excedentium.* At qui legis ſcientia præditi ſunt, verbique negant incarnationem, & divinitatis ejus opera Diabolo tribuunt, *Meritò iſtius impietatis inde precabilem pœnam luunt, ἀσύγγνωτον, veniæ carentem, quum & Diabolum pro Deo accipiant, & verum certumque Deum nihil plus quàm Dæmonem operari credant, &c.* Deinde quum miracula Chriſti paulò fuſius explicaſſet, propter quæ turbæ Deum glorificabant, *Contra miſſi ſici iſti Phariſæi dixere, Beelzebub eſſe iſtiuſmodi opera, &c. Unde conſequenter illos ſalvator noſter, ἀσύγγνωτα & ἄφυκτα βλασφημίαν αὐτῶν ἀπεφήνατο declaravit blaſphemias proferre irremiſſibiles, quæ pœnam effugere non poterant.* Similia quinquies aut ſexies variis occaſionibus toto tractatu repetit, nuſquam verò vel leviter innuit hoc peccatum aliquando remitti.

XIV. His forſan ſequentia non immeritò addentur, ut quæ dicit Gregorius Thaumaturgus in Epiſt. canonica can. 6. in ſua regione, *Incredibile factum eſſe, vel utique ab infidelibus, vel impiis, & qui ne nomen quidem Domini novere*, Propter quod, inquit, timendum eſt, ne fulmina de cœlo in eos, qui talia faciunt, mittantur. Crimen erat quorundam Chriſtianorum, qui fratres ſuos è Barbarorum manibus fugientes vi detinebant, & in ſervitutum redigebant. In eos nullam ſtatuit pœnam ita imprecari contentus, quaſi nulla pœna tanto crimini expiando ſufficeret.

XV. S. Leo *Epiſt.* 91. de Pœnitentia ſimul, & reconciliatione moribundis concedenda diſputans, docet illis utramque eſſe præſtandam, licèt præſente Sacerdote morbo oppreſſi eam petere non valeant, modò adſtantes Sacerdotem de eorum petitio-

petitione certiorem faciant. Sed hanc adiicit cautionem, *Servata tamen regula canonum paternorum circa eorum perſonas, qui in Deum à fide diſcedendo peccarunt*. Quæritur non immeritò quænam ſit illa regula; quidve obſervatum fuerit erga morientes ejuſmodi homines? Intelligi hoc non poteſt de ſtationibus Pœnitentiæ, ad quas ſanitate recuperata relegabantur. Omnibus enim Pœnitentibus hoc erat commune. Durum tamen videtur, atque à clementia illius temporis, in quo ſcribebat Leo prorſus alienum, morientibus ejuſmodi hominibus reconciliationem negare. Quidquid ſit, ex verbis S. Leonis evidenter colligitur, hanc cautionem eſſe antiqui ritus ſuperſtes monumentum, atque etiam tunc peccatum illud ſeveriſſimè in ipſis morientibus punitum fuiſſe: Qua diſciplinæ obſervatione, quæ ſuperius dicta ſunt, credibiliora redduntur. Admodum probabile eſt, Philoſophum illum, quem Lucianus Peregrinum vocat, propter ſimile crimen à Chriſtianis ejectum fuiſſe. Simulabat enim ſe Chriſtianum, & Chriſtianorum ſumptibus peregrinando ſplendidè ſuſtentabatur. Chriſtianorum fidem verbo tenus amplecti paupertas coegerat; omne enim abliguriverat patrimonium. Itaque probabile eſt, propter ejuſmodi crimen ab Eccleſia prorſus ejectum, & licèt in gratiam redire tentaret, non admiſſum. Ait enim Lucianus, *Tandem admiſſo neſcio quo adverſùs illos flagitio, non recipientibus ampliùs illis, magna rerum difficultate perplexus per recantationem opinabatur opes ſuas iterùm à civibus repetendas eſſe*. Crimen igitur perpetraverat, propter quod licet plurimum hoc deſideraret, non ampliùs admittebatur.

XVI. Quæri poteſt, An ejuſmodi peccatoribus, ſi fortè ad Eccleſiam redire vellent, Pœnitentiam Patres imponerent. Supponit quæſtio hoc, peccantes iſtud peccatum ad Deum converti poſſe. Sed videntur Patres concedere tam immane eſſe hoc crimen, ut pœnitendi gratiam nunquam illius Reis Deus concedat. Hoc Hermas clarè docet, necnon auctor antiquus quæſtionum in utrumque Teſtamentum apud S. Auguſtinum, nec alios Patres repugnare crediderim, licèt id non exprimant. Quanquam enim veniam huic crimini videantur tantùm denegare, denegationis hanc cauſam ex parte divinæ providentiæ non videntur improbaturi: Hæc enim reciprocatione quadam videntur connecti, veniam peccato Deum denegare, & Deum gratiam pœnitendi non inſpirare, ſine qua non poteſt à tanto crimine ad pietatem converti. S. Anſelmus commentans Matthæi *cap.* 12. diſertiſſimè tradit eos pœnitere non poſſe ob negatam à Deo pœnitendi inſpirationem: Peccata, inquit, cætera ex ignorantia, aut infirmitate procedere, atque ideò remiſſibilia; Illud verò, quo veritas cognita contra conſcientiam impugnatur, & divinæ voluntati reſiſtitur, potiuſque eligitur non ſervari, quàm Chriſtum cognitum profiteri, eſſe irremiſſibile, Eo quòd, *Tales in Diabolicum peccatum cadunt, & Deus deſerit eos ſicut Judam, ita quòd non poſſunt pœnitere, nec humiliare ſe, ſed per obſtinationem detenti ſunt: & illud peccatum eſt irremiſſibile; & hoc vocatur peccare in Spiritum ſanctum*. Multi quoque Doctores Scholaſtici, antiqui, & recentiores, docuerunt, nonnunquam tam gravia ſcelera eſſe, ut Deus eorum auctoribus ſubtrahat auxilia ad pœnitentiam, & converſionem neceſſaria. Vide Cardinalem Bellarminum *lib. 2. de amiſſione gratiæ c. 14. & lib. 2. de gratia, & lib. arbit. c. 6. & initio 7.* Multi Scholaſtici de hac deſertione, & excæcatione à Deo in peccatorum pœnam inflictis Bellarmino ſeveriùs multò ſtatuunt. *Nullus eſt*, inquit Vaſquez, *inter Scholaſticos præter Armacanum, qui dicat peccatum ex genere ſuo lege ordinaria Dei non poſſe remitti. Sunt tamen non pauci, nec infimi nominis Theologi, qui cenſent interdum propter priora peccata, ita deſtitui homines per aliquem certum periodum vitæ, ut nec ſufficiens, & neceſſarium eis concedatur auxilium, quo obſervare valeant mandata credendi, Pœnitentiæ, & alia ejuſmodi, atque peccata devitare.* Inter hos Theologos recenſet Henricum Gandav. Abulenſem, Gregorium, Cajetanum, Roffenſem, Tapperum. *In primam partem, diſput. 97.* Quidni de unico, & maximè horrendo peccato nonnulli antiqui Patres idem dixerint? Sed nos hic potiſſimùm conſideramus Eccleſiaſticam diſciplinam; cætera nobis ſunt πάρεργα.

XVII. Quod igitur ad quæſtionem hanc attinet, An Eccleſia Pœnitentiam imponeret iſtius grandis ſceleris auctoribus, ſi eorum quis Pœnitentiam agere vellet, aut ſe velle fingeret. Certum eſt ex data hypotheſi reconciliationis negatæ, Pœnitentiam illis non eſſe impoſitam. Axioma enim apud eos erat exploratiſſimum, ut conſtat ex SS. Cypriano, & Ambroſio, atque ex objectionibus Catholicorum Tertulliano factis, necnon diſertiſſimè ex auctore quæſtionum in utrumque teſtamentum paulò ſuperius citato, nulli unquam Pœnitentiam imponendam, cui venia, ſaltem urgente exitu, non concederetur. Omnibus, quæ dicta ſunt diligenter apud me conſideratis, omnis hæc quæſtio ad Theoriam multò magis mihi videtur pertinere quàm ad praxim. Fingamus enim rem ſe habere, ut antiqui illi Patres definiunt, crimen illud jam deſcriptum veniam conſequi non poſſe, aut Reum pœnitere non poſſe. Si deſcendamus ad hypotheſim, quis hominum diſcernere poteſt, & apud ſe certò ſtatuere, Titium ita peccare, & veritati divinæ ſibi probè cognitæ lubentem, volentemque, malignè adverſari? Deus hoc cognoſcere poteſt: homines nunquam, aut rariſſimè. Itaque conceſſo veriſſima eſſe, quæ Patres illi de hoc peccato docuerunt, Dei eſt pœnas meritas infligere, vix unquam hoc præſtare poſſunt Eccleſiæ Paſtores. Sanè ſi quædam particulares Eccleſiæ, de quibus jam actum eſt, excipiantur, nunquam memini me legiſſe aliquem ab Eccleſia pulſum, & ſæpius admitti petentem, perpetuò repulſam paſſum. Quapropter cum hoc crimen ad Eccleſiaſticam Pœnitentiæ adminiſtrationem vix unquam pertineat, nec quoq; ad materiam, quam hic elucidare conamur, pertinebit. Si quis pluribus de peccato in Spiritum ſanctum, & qua ratione remitti non poſſit, cupit edoceri, legat, quæ de hac quæſtione doctè, & diligenter ſcripſerunt Joannes Maldonatus comment. in 12. *Cap.* Matthæi, & Cardinalis Bellarmin. *lib. 2. de Pœnitentia cap. 16.*

CAPUT XXIX.

Inquiritur, quo anni die antiquitus reconciliatio Pœnitentium tam privata, quàm publica, tam in Oriente, quàm in Occidente fieri ſoleret, quod ſex propoſitionibus propter multiplicem varietatem explicatur. Quare Patres in die variantes in tempore conſpirarunt. Celebritas annuæ reconciliationis de iis tantùm intelligenda eſt, qui Pœnitentiam impoſitam egerunt. Ab annis quingentis legitur, ſolitos Pœnitentes reconciliationi nondum maturos, officiis Eccleſiaſticis adfuiſſe quotannis à feria 5. majoris hebdomadæ ad Octavas Paſchæ.

DUo ſuperſunt, quorum illuſtratio præcedentibus lucem nobis videtur allatura. Prius, quo potiſſimùm anni tempore antiquitus reconciliari ſolebant Pœnitentes. Poſteriùs, quo ritu, quibuſve formulis. Prius aliquot propoſitionibus hoc capite explicabimus: Cùm enim reconciliationis circumſtantiæ variæ ſint, uno reſponſo quæſtioni ſatisfieri non poteſt. Sit igitur prima propoſitio, *In Eccleſia Romana, & pleriſque Occidentis Eccleſiis publica Pœnitentium reconciliatio fieri ſolebat feria 5. in Cœna Domini.* Ut enim principes in natalium ſuorum celebratione, aut parta de hoſtibus victoria, triumphum agentes. Captivis libertatem, criminum Reis veniam clementer indulgent: Sic Eccleſia triumphum crucis Chriſti, diemque natalem reſurrectionis ipſius celebrans filii pœnitentibus crimina remittit, eoſque amanter amplexa in ſinum recipit. In hunc finem ab antiquo Eccleſia Romana feriam quintam in Cœna Domini elegit, ut teſtatur S. Innocentius *Epiſt. 1. c. 7. De Pœnitentibus verò qui, ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus Pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat.* Hoc decretum referunt omnes canonum Collectores, Anſegiſus, Benedictus Levita in Capitularibus, Iſaacus Lingonenſis, Regino, Burchardus, Ivo, Gratianus; & ante hos omnes, Flaccus Alcuinus, & Amalarius, & Collectionum manuſcriptarum quæ non? Ejuſdem conſuetudinis teſtis eſt S. Hieronymus in Epiſtola ad Oceanum de morte Fabiolæ, de cujus publica pœnitentia ſic loquitur, *Quis hoc crederet, ut poſt mortem ſecundi viri in ſemet reverſa, &c. ſaccum indueret, errorem publicè fateretur, & tota urbe ſpectante Romana, ante diem Paſchæ, in Baſilica quondam Laterani, qui Cæſariano truncatus eſt gladio, ſtaret in ordine Pœnitentium, Epiſcopis, & Presbyteris, & omni populo collacrymantibus, ſparſum crinem, ora livida, ſqualidas manus, ſordida colla ſubmitteret.* Quanquam enim S. Hieronymus ipſum diem Jovis κατὰ λέξιν non notet, manifeſtum eſt, de illo ipſo die eſſe intelligendum.

II. Antiquus auctor inter S. Cypriani opera, qui ſcripſit de unctione Chriſmatis, ſic de hoc die initio loquitur, *Hodie reconciliantur Eccleſiæ peccatores, & ejecti foras ad matris ubera reducuntur, & excluſi à cœtu Sanctorum, ad communionem, qua caruerant, revertuntur; hodie patent carceres, & damnati libertate donantur. Severitate depoſita hodie Judices manſueſcunt, &c.* Similia iterùm ſcribit in fine tractatus. Hujus rei teſtes ſunt variæ S. Eligii homiliæ eo die ad Pœnitentes habitæ, ut *homilia* 4. & ſequentes; Homilia verò octava hujus ritus rationem reddit.

Digitized by Google

dit. *Quo die etiam Pœnitentes reconciliantur; quia ſcilicet ipſa die qua Sacramenta Corporis, & Sanguinis ſui Dominus primùm confecit, ac diſcipulis tradidit, oportebat, ut ad hæc præſumenda Pœnitentes reſtaurarentur, eo videlicet tempore, quo Sanguis Chriſti in remiſſionem omnium peccatorum fuſus eſt.* Ita *Capit. lib. 5. cap. 71. & l. 7. cap. 43.* Iſaac. Lingon. *tit. 1. c. 35.* velut ex communi conſuetudine, licèt illis locis decreti Innocentii mentionem non faciant. His addi poſſunt omnes divinorum officiorum ordines, & omnia Sacramentaria, antiqua, & recentiora, quæ omnia eo die reconciliationis Pœnitentium, vel ceremonias exhibent, vel memoriam celebrant.

III. Secunda propoſitio. *In Eccleſia Mediolanenſi, & in Hiſpanicis, publica Pœnitentium reconciliatio in Paraſceve Sabbati Sancti miniſtrabatur.* Ita videtur intelligendus S. Ambroſius *Epiſt. 33.* ubi narrat ſorori tumultum Mediolani excitatum, ne Baſilica Catholica Arianis traderetur, *Condemnationes illico graviſſimæ decernuntur, primò in corpus omne Mercatorum. Itaque ſanctis diebus hebdomadis ultimæ, quibus ſolebant debitorum laxari vincula, ſtridunt catenæ, imponuntur collo Innocentium, &c.* Ultima igitur Quadrageſimæ hebdomada peccata ſolebant Pœnitentibus dimitti: Quo die autem in fine ejuſdem Epiſtolæ indicat, *Nuntiatur Imperatorem juſſiſſe, ut recederent milites de Baſilica, &c. Quæ tunc plebis totius lætitia fuit? Quæ totius populi plauſus? Quæ gratia? Erat autem dies, quo ſeſe Dominus pro nobis tradidit, quo in Eccleſia Pœnitentia relaxatur.* Quod certè videtur non aliter intelligi poſſe quàm de ſancta veneris die, qua Chriſtus paſſus eſt.

IV. Evidentius *cap. ult. lib. 5. Exameri*: Cùm enim multas Galli proprietates enarraſſet, dicit ideò ſermonem protraxiſſe, ut illis quoque Gallus cantaret, & peccatorum remiſſionem impetraret, & ſermo finiretur inſtante die peccatorum indulgentiæ. Concionabatur autem primis Paraſceves veſperis; deinde Gallus, ad quem alludit, & cujus cantus peccatorum indulgentiæ nuntius eſt, nocte cecinit, quæ in feriam ſextam illuceſcit. Itaque illa peccatorum indulgentia, quam teſtatur Eccleſiam ſolemniter concedere ſolitam in alium, quàm veneris diem incidere non poteſt, *Conſultò*, inquit, *ſermonem protraximus, ut nobis quoque Gallus cantaret, & loquentibus ſubveniret, quo ſi quod delictum obrepſiſſet, in verbo culpam Chriſti donaret, &c. Sed jam tempus eſt, quo finire ſermonem, & claudere debeamus. Tempus eſt, quo melius aut tacetur, aut fletur; tempus eſt quo celebratur indulgentia peccatorum, &c. Approperet Jeſu Domini paſſio, quæ quotidie delicta noſtra condonat, & munus remiſſionis operatur*: Tandemque his verbis finit, *Gratulemur, quod factus eſt nobis Veſperè dies quintus, fiat nobis manè dies ſextus.* Huic conſuetudini favet Ambroſianus Miſſarum ordo, Nam orationes feriæ ſextæ in Paraſceve, quæ ad Miſſam pertinent, omnes propè nihil aliud, quàm remiſſionem, & indulgentiam peccatorum loquuntur: Quæ verò ad feriam quintam in Cœna Domini nihil ejuſmodi continent.

V. Diſertiſſimè hoc indicat Concilium Toletan. 4. *c. 6. vel 7. Comperimus, quòd per nonnullas Eccleſias in die ſexta feriæ paſſionis Domini, clauſis Baſilicarum foribus, nec celebratur officium, nec paſſio Domini populis prædicatur, &c. Oportet eodem die myſterium crucis, quod ipſe Dominus cunctis nuntiandum voluit, prædicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum poſtulare; ut Pœnitentiæ compunctione mundati venerabilem diem Dominicæ Reſurrectionis, remiſſis iniquitatibus ſuſcipere mereamur, corporiſq; ejus, & ſanguinis ſacramentum mundi à peccatis ſumamus.* Quanquam autem res ita ſe habuerit in illis Provinciis, annis forſan ſeptingentis, aut aliquot amplius, paulatim tamen univerſus Occidens Romanum morem amplexus eſt, ut facilè colligitur ex Pontificalibus, Sacramentariis, & canonum Collectoribus, qui omnes Decreti Innocentiani mentionem faciunt, nihilque diverſum adnotant.

VI. Tertia propoſitio, *In Eccleſia Orientali reconciliatio illa fieri ſolebat, vel ſancto illo, & magno die Veneris, vel ſequente Sabbato ſancto.* Docet nos hoc Epiſtola Monachorum ab Eutyche excommunicatorum ad Concilium Chalcedonenſe, quæ habetur actione prima. Conqueruntur enim ſe ab eo excommunicatione teneri eo reſurrectionis tempore, quo cæteri omnes, ſive Pœnitentes, ſive criminum Rei, vinculis liberantur. *Supervenit & ſalutaris paſſionis dies, & ſacra nox, & reſurrectionis feſtivitas, in qua quidem plurimis peccatoribus à ſanctis Patribus noſtris pœnæ irrogatæ ſolvuntur; Verùm & ab Imperatoribus criminum Reis vincula relaxantur, juſta verò lætitia omnis domus, & omne forum repletur: Nos verò injuſtis decuti ſententiæ vinculis nullam clementiam noſtri vidimus damnatoris.* Quod de Imperatorum clementia teſtantur illi Monachi, idem ſupra teſtatus eſt ſanctus Ambroſius, & confirmat Honorius Imperator Epiſtola ad Arcadium fratrem de Joanne Chryſoſtomo in exilium acto his verbis, *Eſt nuper proditum apud Conſtantinopolim ſacratiſſimo Paſchæ venerabilis die, &c. Clauſas ſubitò Catholicas Eccleſias, truſos in cuſtodiam Sacerdotes: Scilicet, ut eo potiſſimùm tempore, quo indulgentia principali, triſtia noxiorum clauſtra reſerantur, piæ legis, & pacis Miniſtros ſævus carcer includeret, omniaq; bellicum in modum turbata myſteria, nonnullos in ipſis Eccleſiæ ſacrariis interemptos, &c.* Ex quibus manifeſtiſſimum eſt, Romanos Imperatores poſtquam Chriſto nomen dederunt, Eccleſiæ miſericordiam imitatos, eundem clementiæ ſuæ demonſtrandæ diem elegiſſe.

VII. Gregorius Nyſſenus initio Epiſtolæ ad Letojum Melitines Epiſcopum hoc ipſum indicat, diemque Sabbati adnotare videtur, *Rectè habueris, ſi hodierno die, non ſolùm eos, qui ex regeneratione per lavacri gratiam tranſmutati ſunt ad Deum, adducamus, ſed eos etiam, qui per Pœnitentiam, & converſionem ab operibus mortuis ad viventem viam iterùm redeunt, ad ſpem, quæ ſalvos eos faciet, tanquam manu deducamus.* Itaque videntur in Sabbato ſancto Pœnitentibus pacem dediſſe, quo Catechumenis remiſſionem peccatorum. Petrus Alexandrinus, qui hos omnes præceſſit, eundem morem confirmat cùm *can. 1.* jam appetente quarto perſecutionis Paſchate providet, ut Lapſi reconciliatione refocillentur, illiſque quadraginta tantùm dies jejuniorum imponit.

VIII. Verùm, ut demonſtratum eſt, multa jam ſecula præterierunt, cùm mos ille Pœnitentium ſolemniter reconciliandorum, & omnis illa Pœnitentiæ agendæ ſolemnitas apud Orientales ceſſàrunt. Immò illo ipſo tempore, quo ſcribebant Monachi ab Eutyche abſtenti, jam magna ex parte interierat publicus ille ritus. Semper tamen in Oriente, ut de Occidente infrà probabimus, illius veſtigia multa ſuperfuerunt. Hinc videre eſt in Pœnitentialibus Joannis Monachi, & Joannis Jejunatoris tum pœnarum, tum communionis Euchariſtiæ clementem admodum relaxationem tempore Paſchali conceſſam. Sed relaxatio illa nunquam, aut rariſſimè Abſolutionem à peccatis ſpectabat, eo quod poſt ſancti Chryſoſtomi tempore paulatim ante Pœnitentiæ executionem dari conſuevit. Lege, quæ ſcripſimus *libri 6. cap. 24.* Pœnarum autem pœnitentialium relaxatio aliqua, non modo Paſchali tempore, ſed ſingulis feſtis, major, minorve pro ratione feſti, tam apud Orientales, quàm Occidentales indulgebatur, ut videre eſt in Pœnitentialibus Græcis, & Latinis, & explicavimus *cap. 13. lib. 7.*

IX. Quarta propoſitio: *Morientes ſive Pœnitentiam agerent publicam, ſive privatam; quolibet tempore, & qualibet hora reconciliabantur.* Iſta propoſitio ab omnibus admittitur, atque ex præcedentibus hoc libro ſatis ſuperque demonſtrata eſt, libroque ſequente plurima nobis erunt neceſſariò proferenda, ex quibus evidenter colligitur; Ideò doctrinæ amplioris tantùm gratia à nobis prolata eſt.

X. Quinta propoſitio. *Ut quolibet tempore Pœnitentia privata imponebatur; ſic quolibet tempore privatim pœnitentes reconciliabantur: Tempore tamen paſchali potiſſimùm reconciliatio illa privata frequentabatur.* Hæc propoſitio duabus conſtat partibus, ſed neutra, ſicut & præcedens, eget probatione: Utraque enim, prior potiſſimùm, ex ipſa hypotheſi per ſeſe conſurgit. Non poteſt enim eſſe privata, & occulta, niſi quolibet tempore reconciliati miniſtrari poſſit. Quanta enim eſſet perturbatio, ſi ad reconciliationem occultam certo anni die omnes ſecretò Pœnitentes concurrere oporteret? Quanto cum occultæ miniſtrationis, quæ in quæſtione ſupponitur, detrimento hic concurſus fieret. Deinde manifeſtiſſimè colligitur primùm ex *canone 6.* Concilii Toletani 4. jam jam exſcripti: Deinde ex *capite* 17. hujus libri, præſertim ex argumentis, quibus demonſtrata eſt *propoſitionis 17. pars ſecunda.* Probatur quoque in teſtimoniis, quæ *libro 4. cap. 17. & 18.* impoſitionem Pœnitentiæ privatæ demonſtrarunt. Denique idem demonſtratur evidentiſſimè ex antiquis ritualibus, Pœnitentialibus, & Sacramentariis libris, antiquis, & recentioribus, qui omnes, ubi de reconciliatione publica agunt, *feriam 5.* in Cœna Domini aſſignant; ubi verò de reconciliatione privata, ut & de impoſitione privata nullum diem, ut ex ejuſmodi libris, tam editis, quàm manuſcriptis, quos edimus, cuiq; legenti manifeſtum eſt.

XI. Poſterior pars propoſitionis iiſdem inſuper omnibus teſtimoniis demonſtratur, quæ verſus finem *cap.* 17. hujus libri retulimus. Ea teſtimonia jubent Presbyteros plebem admonere, ut peccata confiteantur ineunte Quadrageſima. Eadem enim admonent plebem, ut ſi commodè poteſt, ad reconciliationem in Cœna Domini redeat, hoc eſt, circa illos dies. Nam cùm dies ille in maximis, & neceſſariis divinis officiis peragendis, & præſertim in publicorum Pœnitentium reconciliatione,

ne, totus conſummetur, paucula ejus, vel nulla pars privatis reconciliationibus vacare poteſt. Importunum eſſet eadem teſtimonia hîc iterum urgere. Demonſtratur tertiò eadem propoſitionis pars ex antiqua Chriſtianorum omniũ conſuetudine, quæ corporis Chriſti communionem Paſchali tempore potiſſimum celebrare ſolet. Hinc enim neceſſariò conſequitur, reconciliationem eo tempore potiſſimùm à plebe Chriſtiana eſſe frequentatam. Eadem ratione, & complexione conſequitur reconciliationem frequentiorem ſecundum Paſcha fuiſſe in feſtis ſolemnioribus. Concilium Agath. *can.* 18. *Seculares, qui in Natali Domini, Paſcha, & Pentecoſte non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur:* Toletan. 4. *c.* 10. *Epiſcopi, Presbyteri, cæterique Clerici, qui per quadrageſimam Alleluja cantaverint, communione Paſchæ priventur.* Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus, vult omnes hebdomada una ante quadrageſimam peccata confiteri, *& ſic ingredientes in beatæ Quadrageſimæ tempus mundis, & purificatis mentibus ad ſanctum Paſcha accedant, & per Pœnitentiam ſe renovent, quæ eſt ſecundus baptiſmus. Cap.* 41. *In Cœna Domini, & in paraſceve, in vigilia Paſchæ, & in die reſurrectionis Domini penitus ab omnibus communicandum.* Conſuetudo iſta eſt apud antiquos, recentioreſque notiſſima, atque à nemine, ut opinor, unquam negata: Ideò illi probandæ diligentiùs incumbere, eſt magno conatu facem ſoli meridiano commodare. Itaque hoc unicum addam, eam probari omnibus illis teſtimoniis, quibus toto hoc capite demonſtratum eſt, publicam reconciliationem *feria* 5. aut *ſexta*, vel Sabbato adminiſtratam eſſe. Nam utriuſque eadem ratio; ſed in privata non ita poteſt ſeverè exigi, ut in publica.

XII. Sexta, & poſtrema propoſitio, *Quæcunque de die ſolemni reconciliationis Pœnitentium dicta ſunt, intelligi debent Pœnitentia acta, aut relaxata ſecundùm diſtinctiones, & temperamenta ſuperiùs explicata.* Cùm enim dicunt canones, & decreta, feria quinta in Cœna Domini Pœnitentibus eſſe remittenda peccata, hoc eſt ſolùm de iis Pœnitentibus intelligendum, qui tum Pœnitentiam ſuam, aut finierunt, aut finiendæ proximi ſunt, aut relaxationem ab Eccleſia obtinuerunt. Aliter, qua ratione hoc præceptum conſiſtere poſſet cum innumeris omnium ſeculorum canonibus, qui multorum annorum Pœnitentiam indicunt, ſi ſingulis annis Pœnitentes reconciliantur. Longiſſima Pœnitentia unius anni ſtadio terminaretur: Sic & breviſſima eodem ſpatio clauderetur, nullaque eſſet altera diuturnior. At aliquando breviſſimæ ſunt Pœnitentiæ, ut quas Donatiſtæ, teſte Optato Milevitano in fine *Libri ſecundi*, nonnullis Catholicis dederunt: *Egiſtis omnia pro perſonis alter anno toto, alter Menſe, alter vix tota die imperantibus vobis Pœnitentiam geſſit.* Nec eos reprehendit Optatus propter Pœnitentiæ brevitatem, ſed quòd idem peccatum tam diſparibus pœnis plecterent: *Si eſt ſimilis culpa, quare non eſt æqualis pro eodem reatu Pœnitentia?*

XIII. Antiquum decretum à Collectoribus canonum Soleri Papæ tributum hoc diſtinguit, & excipit, *In cœna Domini à quibuſdam perceptio Euchariſtiæ negligitur. Quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus, exceptis his, quibus pro gravibus criminibus inhibitum eſt, percipienda ſit, Eccleſiaſticus uſus demonſtrat.* Burchard. *lib.* 5. *c.* 20. Ivo, *part.* 2. *c.* 30. Gratian. *de conſecrat. diſt.* 2. *cap.* In cœna Domini: Ducentis ante hos Collectores annis, ita ſtatuit Concil. Cabillon. *c.* 46. & refertur *Capit. addit.* 3. *c.* 38. A Burchardo, & Ivone ſimile decretum ex Silverio Pontifice citatur. Ita quoque excipit Concilium Turonenſe 3. *c.* 50. *Ut ſi non frequentiùs, vel ter Laici homines in anno communicent; niſi fortè quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur.* Sic *Capitul. lib.* 2. *cap.* 45. tribuitur hic canon à Collectoribus Fabiano Papæ. Gennadius de Eccleſiaſticis dogmatibus, qui paſſim ſub Auguſtini nomine citatur, *c.* 52. conſulit Chriſtianis, communionem percipere ſingulis Dominicis, modò mens ſit ſine peccandi affectu: Verùm ſtatim excipit, *Sed hoc de illo dico, quem capitalia, & mortalia crimina non gravant.* Concilium Ancyran. *c.* 6. Ita excipiendum diſertè docet, ubi ſic ſtatuit de quibuſdam graviter lapſis, qui nondum converſionem animi oſtenderant, ſed jam oſtendere incipiebant, *Nunc autem circa tempus Synodi proceſſerunt, & converſionis cogitationem induerunt, viſum eſt ad magnum uſque diem eos ad Auditionē admitti, & poſt magnum diem tribus annis eſſe ſupplices, & ſubſterni, & poſt alios duos annos communicare ſine oblatione, & ſic ad id, quod eſt perfectum, venire, &c.* Uſque ad Paſcha Auditores ſunt, & poſt Paſcha tribus annis ſubſternuntur, hoc eſt, graviſſima Pœnitentiæ afflictione macerantur, &c. Idem mentione Paſchatis facta colligitur ex Petro Alexandrino *c.* 1. ubi appetente Paſchatis feſto interrogatus, an triennium gravis actæ Pœnitentiæ quibuſdam Lapſis ſufficeret, ſufficere reſpondit, & quadraginta tantùm dies gravis Pœnitentiæ illis inſuper eſſe addendos, ut eis in Paſchate communio reddatur. Eadem reſpondet S. Cyprianus *Epiſt.* 53. eodem Paſchali tempore vertente de ſimilibus Lapſis jam triennium Pœnitentiam agentibus. Eſt igitur manifeſtum, propoſitionem noſtram, iis conditionibus, quibus illam circumſcripſimus, eſſe intelligendam; quod vel ipſum Innocentii decretum declarat; vult enim Sacerdotem *tum jubere dimitti*, (in die ſcilicet Paſchatis) *cùm viderit congruam ſatisfactionem*, niſi in ægritudinem inciderit, tunc enim inquit, *eis eſt ante tempus Paſchæ relaxandum.* Ergo non dimittit Sacerdos in die Paſchatis, ſi nondum viderit congruam ſatisfactionem.

XIV. Ideò Majores noſtri omnibus ſeculis diligentiſſimè attenderunt, an Pœnitentes ſedulò Pœnitentiam illis impoſitam peragerent, ut videre potuiſti ſupra à nobis ſæpiùs demonſtratum *lib.* 6. *c.* 11. 16. & *lib.* 7. *c.* 3. ut diſcernere poſſent, quinam eſſent in cœna Domini reconciliatione digni; ſicut appropinquante, aut mediante Quadrageſima, è Catechumenorum turba perfectiores eligebant, quibus in Sabbato Paſchatis baptiſmum conferrent, quos ideò Latini, non modò Competentes ſed etiam Electos vocabant: Antiquum hunc morem continuans Hincmarus in *Capitulari* 3. hoc Parochis ſuis tradit obſervandum, *Semper de Kalendis in Kalendis menſium, quando Presbyteri de Decaniis ſimul conveniunt, collationem de Pœnitentibus ſuis habeant, qualiter unuſquiſque Pœnitentiam ſuam faciat, & nobis per Comminiſtrum noſtrum renuntietur, ut in actione Pœnitentiæ penſare valeamus, quando quiſque Pœnitens reconciliari debeat.* Hinc *cap.* 9. quinti *Capitularis, Solicitè providete, ne vos, vel Presbyteri negligenter Pœnitentes pro aliquo munere ad reconciliationem adducatis.* Prohibitiones ejuſmodi plures vide *lib.* 7. *cap.* 17. Non igitur promiſcuè, ſed magna cum cautela poſt Pœnitentiam congruè, actam venia Pœnitentibus in cœna Domini relaxabatur.

XV. Antiquum Pontificale Toloſanum hanc Pœnitentium diſtinctionem diſertiſſimè facit, ubi ritum reconciliationis Pœnitentium deſcribere incipit, *Mox Pontifex ſurgens cum præcedentium, & ſubſequentium ordine Clericorum pergit in veſtibulum Eccleſiæ, & compoſita ſede reſidet adſtante retrò, & ex utraque parte Clero, & audita ratione ſingulorum, qualiter, vel quomodo quiſque pro admiſſis pœnituit, diſcernit ſubtiliter culparum modum, & eos qui reconciliandi ſunt, facit ſtare in parte ſeorſum pro loci opportunitate. Et poſt hæc ingreditur Eccleſiam, &c.* In alio multò recentiore Toloſano ſic notatur, Sacerdotes quibus impoſitum eſt Pœnitentium confeſſiones audire, audiant illas vel in Eccleſia, vel in alio loco ad hoc deputato: Et etiam qualiter in Quadrageſima tranſacta ſe geſſerunt, qualiterve injunctas ſibi Pœnitentias obſervaverunt, diligenter inquiratur, & vocati fideliter referant nomina, & annos Pœnitentiæ, ac delicta, & circumſtantias ſingulorum, ut ſic cùm hora requiſitionis advenerit, quid de ſingulis Pontificalis cenſet auctoritas, clareſcat, & univerſorum cauſas liberius, & expeditius diſcernere poſſit. Auditis itaque confeſſionibus Epiſcopus ante horam ſextam *examinat cum Sacerdotibus ipſis diligenter, qui digni ſunt reconciliari; qui non.*

XVI. Eſt in Eccleſia Turonenſi Pontificale antiquum, cujus tamen ſcriptio ab hinc annos quadringentos facta eſt, ubi in cœna Domini ante Pœnitentium reconciliationem Sacerdotibus præſcribitur, *Ut qualiter tranſacta Quadrageſima ſe geſſerint, qualiterve injunctas ſibi Pœnitentias obſervaverint, diligenter inquirant, & notata fideliter referant nomina, & annos Pœnitentiæ, ac delicta, & circumſtantias ſingulorum, ut ſic cùm hora requiſitionis advenerit, quid de ſingulis Pontificalis cenſeat auctoritas, clareſcat, & univerſorum cauſas liberiùs, & expeditiùs decernere poſſit. Auditis itaque Confeſſionibus Epiſcopus ante horam ſextam examinat cum Sacerdotibus ipſis diligenter, qui digni ſunt reconciliari, qui non. Deinde paratus cum amictu, &c.*

XVII. In Eccleſiæ Rothomagenſis Bibliotheca extat Romanum Sacramentarium, ſed vix ante trecentos annos exſcriptum, in quo Pontifex Pœnitentes in cœna Domini reconciliaturus, ita loquens, agenſve inducitur, *Poſt hæc erecti Pœnitentes offeruntur à presbyteris Archiepiſcopo, ut ipſe eos reconciliet Eccleſiæ, interrogetq; per unumquemque, Eſt dignus reconciliari: reſpondente presbytero, Dignus: Ponat Epiſcopus manum uniuiq; ſuper caput, dans ei pacis oſculum, & dicens, pax tecum, & ſic intromittens eos in Eccleſiam. Quibus intromiſſis cæteros, qui ſunt mediæ, vel minoris Pœnitentiæ, intromittat dicens eis vos non per reconciliationem, ſed per divinam pietatem recipimus intra ſinum S. Eccleſiæ uſque ad octavum diem Pentecoſtes.*

Re-

Reconciliati igitur dexteram Eccleſiæ partem, non reconciliati verò, ſed ad tempus recepti, in Eccleſiam ad ſiniſtram pergant: unicuiq; verò Epiſcopus aquam benedictam in faciem ſpargit, &c.

XVIII. Conſuetudo illa Pęnitentes reconciliationi nondum maturos in Eccleſiam ad audienda divina officia introducendi, ſed non communicandi, ab annis circiter quingenis teſtatiſſima eſt. Illius enim, ut ſuo tempore uſitatæ, meminerunt, S. Thom. in 4. *diſt.* 14. *q.* 1. *art.* 5. *reſp. ad* 3. Albertus magnus in 4. *diſt.* 14. *art.* 28. Alexander Halenſis 4. *p. ſummæ q.* 14. *mem.* 6. *art.* 3. Ante eos Hugo antiquiſſimus Gratiani Commentator, ut refert Guilelmus S. Raymundi Gloſſator, ut relatum ſupra *lib.* 5. *cap.* 25. Sed omnes introductionem illam annuam in octavis Paſchatis finiunt. Itaque exiſtimo in illo rituali pro *Pentecoſtes* ſubſtituendum, *Paſchatis*. Non modò igitur prioribus ſeculis, verùm etiam poſterioribus ſedulò examine facto eligebantur quotannis è turba Pęnitentium, qui in Cœna Domini reconciliarentur.

CAPUT XXX.

Ceremonię, ritusve publicæ pęnitentium reconciliationis ex Gelaſiano Sacramentario, atq; ex nonnullis exemplaribus hinc exſcriptis, nec non ex pluribus Gregorianis ſigillatim exſcribuntur, & explicantur. Multi ante octingentos annos conditi Sacerdotes ad hæc ritualia remittunt pęnitentium reconciliatores. Sacramentum Gelaſianum ad uſq; Carolum magnum in Gallia prævaluit. Si rem ſpectes vix inter utrumque diſcrimen.

POſteriùs quod capite præcedente nobis explicandum, & probandum propoſuimus, ritum ſpectat, & formulam, quibus in Occidente, & Oriente reconciliatio Pęnitentibus concedebatur. Plurima jam explicata ſunt, & demonſtrata, quæ ad iſtius quæſtionis ſolutionem neceſſariò requiruntur, ut inter publicam, & privatam Pœnitentiam ſoliùs ſolemnitatis eſſe differentiam *lib.* 4. *cap.* 18. & 19. & *lib.* 7. *c.* 21. & 22. Non modò Pęnitentes ipſos, verùm etiam Clerum, univerſamque plebem Chriſtianam pro reconciliatione Pœnitentium Epiſcopum obnixè rogaſſe *lib.* 9. *cap.* 13. Pœnitentes publicos in Miſſa publica, ſæpè quoque occultos in Miſſa publica, ſæpè quoque occultos in Miſſa privata reconciliatos eſſe, & in qua Miſſæ parte id actum fuerit, eodem Libro *cap.* 14. Reconciliationem ſive publicam, ſive privatam per manus impoſitionem apud antiquos, atq; etiam recentioris ætatis auctores fieri ſemper ſolitam, ejuſdem *l.* 9. *c.* 15. Multis prætereà *lib.* 9. magna parte de modo enuntiationis formulæ reconciliatoriæ à nobis actum eſt. Itaq; nobis tantùm hoc capite ſupereſt demonſtrandum, quinam ritus externi uſurpabantur in perfecta admiſſione Pęnitentium ad Eccleſiam. Nam de imperfecta, ut ita dicam, admiſſione, qua paulatim per totum Pœnitentiæ ſtadium ad perfectam illam admiſſionem, quæ κατ' ἐξοχὴν reconciliatio. Abſolutio, μέθεξις ſive participatio, reconciliatoria manus impoſitio, abſolutiſſima, viaticum maximè neceſſarium, boni, & perfecti participatio, aliiſque nominibus inſignitur, totis *libris ſeptimo, & octavo* egimus; & variationem, quæ contigit quibuſdam in locis in ſeparatione reconciliationis à communione Euchariſtica explicavimus. Perfecta iſta, & externa reconciliatio, & Pœnitentium admiſſio, vel eſt publica, vel privata, ſeu occulta: Utriuſque ritum demonſtrabimus, priorem hoc capite, poſteriorem ſequenti.

II. Nullum extat, ut opinor, antiquarum iſtarum ceremoniarum diagramma, quod annos mille excedat, non quod nulla fuerint ante illud tempus ab Epiſcopis compoſita, ſed quod nullum huic tempori ſuperfuerit. Antiqua tamen annorum nongentorum, aut quæ multò propius ad milleſimum accedunt ex antiquiſſimis illis exſcripta ſunt. Nemo enim adeò vecors erit, & antiquitati infenſus, ut nongentorum, aut mille annorum Sacramentaria, quæ habemus, illo ipſo tempore cum primùm inventa, & compoſita cavillatur, cùm illi ipſi teſtentur, ſe non nova, ſed antiqua, & in omnibus diœceſibus ſuis publicè uſurpata deſcribere, ut præſertim videre potes in præfationibus Sacramentariorum Grimoldi, & Rodradi apud Mainardum, & Pamelium, qui paulò poſt annum Chriſti 850. ea collegerunt. Deinde orationum, aliorumque rituum præcipuorum, qui in iis enarrantur, verba, phraſis, ſtylus, tempus longè antiquiùs evidentiſſimè demonſtrant; nec poſſunt eſſe Sylveſtro, Julioq; Pontificibus poſteriora, ut jam à nobis adnotatum eſt. Sanè ſi verum diffiteri nolimus, id quod eſt in illis ritibus potiſſimùm, ut ex phraſi, ſtyloque manifeſtum eſt, ſapit omninò tempora, quæ Imperatorem Conſtantinum præceſſerunt. Verùm equidem nonnulla à poſterioribus Pontificibus, aut Epiſcopis addita fuiſſe, ut in ejuſmodi ceremonialibus fieri ſemper ſolet, atq; ideò quò recentiora, eò ceremoniis eſſe auctiora, & magis ditata, ſed ex phraſi non difficilè diſcernuntur. Denique nihil prorſus illa Sacramentaria, aut ritualia nobis exhibent, quàm quod antiquiſſima Patrum teſtimonia jam nos docuerunt; ſed illa ἐν πλάτει hæc ἐν ἐπιτομῇ. Hæc jubent reconciliationem precibus fieri; illa precum formulam nobis tradunt. Hæc volunt hominem proſterni, ut reconciliationem ſuſcipiat; illa qua ratione, & quando proſterni debeat, nos docent. Hæc ſtatuunt Epiſcopum cum Clero id præſtare; Illa verò quo ordine, quando, & quo loco. Quæ planè explicatu neceſſaria ſunt, ut res piè, prudenter, & ſine tumultu agatur.

III. Hinc aliquando canones ad Sacramentaria relegant, aut ad Pœnitentialia, *Capit. lib.* 5. *c.* 52. *Poſt peractam verò ſecundùm canonicam inſtitutionem pœnitentiam occultè, vel manifeſtè canonicè reconcilietur, & manus ei cum orationibus, quæ in Sacramentario ad reconciliandum pęnitentem continentur.* Iſaacus Lingonenſis *tit.* 1. *cap.* 12. *Expleto autem ſatisfactionis tempore, Sacerdotali prece per manus impoſitionem, juxtà ordinem Sacramentorum, & canonum reconcilient pęnitentes, & ſacra communione confirment.* Eodem titulo, *c.* 35. & *Capitular. lib.* 5. *c.* 143. habemus ferè quæcunque à Sacramentariis deſiderare poſſemus, *Omnes publicè pęnitentes quinta feria ante Paſcha, quæ eſt cęna Domini, ad civitatem in cinere, & cilicio in præſentiam Epiſcopi proſtrato vultu conveniant, & ibi ab Epiſcopo canonicè, & ordinabiliter ſicut in Sacramentario, & ordine Romano continetur, reconcilientur, atque dijudicentur, conſolenturque, & prædicentur, quid deinceps agere, quidve vitare debeant, inſtruantur, utque inſuper divinis precibus per manus impoſitionem ab Epiſcopo ſanentur.* De Pœnitentialibus libris Theodori, & Bedæ, & Pœnitentiali Romano, quàm diligenter juſſi ſint à Sacerdotibus comparari, Pœnitenteſque ex eorum præſcripto puniri, & reconciliari, lege, quæ ex Antiquorum libris enarrata ſunt *lib.* 7. *c. ultimo.*

IV. Referamus nunc, ex antiquiſſimo noſtro Sacramentario, ut res iſta ſeſe habebat ante ſanctum Gregorium: Ita legitur ad *feriam* 5. in cœna Domini poſt orationes Miſſæ illius diei, *Ordo agentibus Pęnitentiam publicam. Egreditur Pęnitens de loco, ubi Pęnitentiam geſſit, & in gremio præſentatur Eccleſiæ, proſtrato omni corpore in terra, & poſtulat in his verbis Diaconus. Adeſt, ò venerabilis Pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ, & ſalutis humanæ; quia mors interitum, & vita accipit principium, quando in vinea Domini Sabaoth, ſic novorum palmitum plantatio facienda eſt, ut purgetur execratio vetuſtatis. Quamvis enim divitiis bonitatis, & pietatis Dei nihil temporis vacet, nunc tamen & largior eſt per indulgentiam remiſſio peccatorum, & copioſior per gratiam aſſumptio renaſcentium. Augemur regenerandis, creſcimus reverſis, Lavant aquæ, lavant lachrymæ. Inde eſt gaudium de aſſumptione vocatorũ, hinc lætitia de abſolutione pęnitentium. Inde eſt quod ſupplex iſte tuus, poſteaquam in varias formas criminum, neglectu mandatorum cęleſtium, & morum probabilium tranſgreſſione cecidit, humiliatus, atque proſtratus prophetica ad Dominum voce clamet: Peccavi, impiè egi, iniquitatem feci, miſerere mei, Domine, Evangelicam vocem non fruſtratoria aure capiens, Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur: Manducavit, ſicut ſcriptum eſt, panem doloris, Lachrymis ſtratum ſuum rigavit, cor ſuum luctu, corpus afflixit jejuniis, ut animæ ſuæ reciperet, quam perdidit ſanitatem. Unicum itaque eſt pęnitentiæ ſuffragium, quod & ſingulis prodeſt, & omnibus in commune ſuccurrit.*

V. *Hinc ergo dum ad pœnitudinis actionem tantis excitatur exemplis, ſub conſpectu ingemiſcentis Eccleſiæ, venerabilis Pontifex, proteſtatur, & dicit: Iniquitates meas ego cognoſco, & delictum meum contra me eſt ſemper. Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.*

VI. *Quo ita ſupplicante, & miſericordiam Dei afflicto corde poſcente, iterùm Archidiaconus ſubjungit, ſic dicens, Redintegra in eo, Apoſtolice Pontifex, quidquid Diabolo ſuadente corruptum eſt, & orationum tuarum patrocinantibus meritis, per divinę reconciliationis gratiam fac hominem proximum Deo, ut qui anteà in ſuis ſibi perverſitatibus diſplicebat, nunc jam placere ſe Domino in regione vivorum, devicto mortis auctore, gratuletur. Poſt hoc admonetur ab Epiſcopo ſive alio Sacerdote, ut quod pœnitendo diluit, iterando non revocet. Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & me, qui etiam miſericordia tua primus indigeo, clementer exaudi: & quem non electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti operis hujus miniſtrum, da fiduciam tui muneris exequendi, & ipſe in noſtro miniſterio, quod tuæ pietatis eſt, operare, per Dominum. Præſta, quæſumus, Domine, huic famulo tuo dignum Pœnitentiæ fructum, ut Eccleſiæ tuæ Sanctæ à cujus integri-*

tegri-

Digitized by Google

egritate deviarat peccando, admiſſorum reddatur innoxius veniam conſequendo, per Dominum. Deus humani generis benigniſſime conditor, & miſericordiſſime reformator, qui hominem invidia Diaboli ab æternitate dejectum, unici filii tui ſanguine redemiſti, vivifica hunc famulum tuum, quem tibi nullatenus mori deſideras; & qui non derelinquis devium, aſſume correctum. Moveant pietatem tuam, quæſumus, Domine, hujus famuli tui lachrymoſa ſuſpiria. Tu ejus medere vulneribus, tu jacenti manum porrige ſalutarem, ne Eccleſia tua aliqui ſui corporis portione vaſtetur, ne grex tuus detrimentum ſuſtineat, ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet, ne renatum lavacro ſalutari mors ſecunda poſſideat. Tibi ergo, Domine, ſupplices preces, tibi fletum cordis effundimus, tu parce confitenti, ne ſi in hac mortalitate peccata ſua te adjuvante defleat, qualiter in tremendi judicii die ſententiam damnationis æternæ evadat; & neſciat, quod terret in tenebris, quod ſtridet in flammis, atque ab erroris via ad iter reverſus juſtitiæ, nequaquam ultra vulneribus ſaucietur, ſed integrum ſit ei, atque perpetuum, & quod gratia tua contulit, & quod miſericordia reformavit. Per Dominum noſtrum.

VII. *Item ad reconciliandum Pœnitentem.*

Omnipotens ſempiterne Deus confitenti tibi huic famulo tuo pro tua pietate peccata relaxa, ut non plus ei noceat conſcientiæ reatus ad pœnam, quàm indulgentiæ tuæ pietatis proſit ad veniam: per Dominum. Omnipotens, & miſericors Deus, qui peccatorum indulgentiam in confeſſione celeri poſuiſti, ſuccurre lapſis, miſerere confeſſis, ut quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis abſolvat. Per. Deus, qui confitentium tibi corda purificas, & accuſantes ſuas conſcientias ab omni vinculo iniquitatis abſolvis, da indulgentiam reis, & medicinam tribue vulneratis, ut percepta remiſſione omnium peccatorum in Sacramentis tuis ſincera deinceps devotione permaneant, & nullum redemptionis æternæ ſuſtineant detrimentum. Per. Omnipotens, & miſericors Deus, qui peccatorum indulgentiam, &c. Deus, qui Confitentium tibi corda purificas, &c. quæ in ordine Romano leguntur, ſed ſeptima in eo deeſt.

VIII. Poſt ſeptimam orationem ſequitur reconciliatio Pœnitentis ad mortem. Has orationes exſcribi voluimus ex antiquiſſimo iſto codice, licèt in ordine Romano edito, præter ſeptimam orationem, omnes reperiantur. Tres priores in Sacramentario Romano, quod ex antiquiſſimo codice excudi curavit Mainardus, eodem tenore leguntur, ut & in Sacramentario Grimoldi Abbatis apud Pamelium in Liturgicis. Sacramentarium Sancti Gregorii inter opera ipſius eaſdem ordine exhibet, ſed aliquas alias ſubiicit. Tertia in Romano edito longè eſt amplior, & auctior. Cæterum in aliis antiquis codicibus, atq; etiam in recentioribus, eædem orationes propè omnes leguntur, quibus aliquando nonnullæ aliæ eodem ſenſu adduntur. Romanus ordo editus, ut recentiori manu exſcriptus, plurimas, & propè omnes complexus eſt. Longè pauciores habet ordo ſimiliter Romanus antiquiore manu exaratus.

IX. Huic antiquiſſimo codici planè ſimilis eſt, & ab eo vix ullo verbo differt antiquus alius, ſed ſcriptione longè recentior, Pœnitentialis Ecberti Cantuarienſis Archiepiſcopi codex, ex alio antiquiſſimo procul dubio exſcriptus. Sic igitur Ecbertus vir ſuo tempore celeberrimus, quo præceptore gloriabatur Flaccus Alcuinus Caroli magni Imperatoris præceptor, *Feria 5. in cœna Domini egreditur pœnitens de loco, ubi pœnitentiam geſſit, & in gremio præſentatur Eccleſiæ, proſtrato omni corpore in terram. Orationes ad Miſſas:* ſequuntur tres orationes. Ita quoque in antiquo codice iſtæ priores Miſſæ orationes ſequuntur. Deinde ſubditur, *Et antequam offerant, poſtulat Diaconus his verbis, Adeſt, ô venerabilis Pontifex, &c.* ut ſupra ex antiquo codice deſcripta ſunt. Hinc colligitur inſuper actionem illam reconciliationis poſt Evangelium, & ante Offertorium factam fuiſſe, ut etiam ex antiquo illo codice. Nam poſt univerſum reconciliationis ritum, notatur, *Poſteà offert plebs, & conficiuntur Sacramenta.* Finita igitur Pœnitentium præſentatione, ſtatim poſt iſta verba, *Devicto mortis ſuæ auctore gratuletur*, Sequitur eadem planè rubrica, ſeu adnotatio, quæ in antiquiſſimo, *Poſt hæc admonetur ab Epiſcopo, ſive ab alio Sacerdote, ut quod pœnitendo diluit, iterando non revocet. Inde verò dicit has orationes ſuper eum, Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, &c.* Tres ſequuntur ipſiſſimæ orationes quæ ſupra: quibus finitis, ut in antiquo codice ſequitur, *Item ad reconciliandum, Omnipotens ſempiterne Deus confitenti tibi huic famulo tuo, &c.* Ut in antiquo; ſed apud Ecbertum tres tantum referuntur, una omittitur. Itaque Ecbertus cum Pœnitentialem librum ſuum compoſuit, & ritum reconciliationis publicæ deſcribere voluit, antiquiſſimo noſtro codici ſimilem prorſus manibus verſabat, ab eo ne latum quidem unguem hac in cauſa differentem.

X. His mihi videtur operæ pretium ſubiicere, quæ Flaccus Alcuinus Ecberti diſcipulus in breviculi formam refert de reconciliatione Pœnitentium in libro de divinis officiis *capite* de Cœna Domini: Nonnulla enim habet, quæ videntur neceſſariò in utroque codice præcedente ſupplenda; ſed omiſſa tamen velut de induſtria, eo quod nemini eſſent incognita, atq; omnium memoria tenerentur. Sic igitur Alcuinus, *Poſt hæc egreditur pœnitens manè de loco, ubi pœnitentiam geſſit, & in gremio Eccleſiæ præſentatur, proſtrato omni corpore in terra; tum decantantur hi Pſalmi, Miſerere mei Deus, cum Antiphona cor mundum. Deinde Kyrie eleiſon, & Pater noſter, & capitulum, & preces. Salvum fac ſervum tuum, Domine. Convertere, Domine. Mittat tibi Dominus. Illuſtra faciem tuam. Domine, vide humilitatem meam. Exaudi me, Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua. Oratio. Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & me, qui miſericordia tua primus indigeo, & reliqua. Alia Oratia, Præſta quæſumus, Domine huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum. Alia, Deus humani generis benigniſſime conditor, & miſericordiſſime reformator. Alia, Deus, cujus ſub oculo omne cor trepidat, omneſque conſcientiæ contremiſcunt, & reliqua. Poſt hoc verò admoneatur à Sacerdote, ut quod pœnitendo diluit, iterando non repetat.* Mihi igitur videntur in utroque codice ex Alcuino ſupplendi poſt præſentationem Pœnitentium à Diacono factam per longum, & eloquentem ſermonem, *Adeſt, ô venerabilis Pontifex, &c.* (Cujus auctor ſanè Conſtantino Imperatori ſaltem non poteſt non eſſe coætaneus, licèt una, aut altera dictio Gelaſianam forſan ſapiat recenſionem,) Pſalmi aliqui, verſiculi, preceſque, quas ex Alcuino retulimus. Semper enim videtur Eccleſia in ejuſmodi ſolemnitatibus aliquem Pſalmum, & precatiuncularum verſiculos præmiſiſſe. Deinde cum Alcuinus illis temporibus admodum vicinus, iſta ut per Eccleſias vulgata, & in praxi quotidiana uſurpata referat, vix aliqua cum ratione dubitari poteſt, quin res ita, ut adnotamus, ſeſe habuerit. Quidquid ſit, unus, vel alter Pſalmus, & verſiculi dicti, & Antiphonæ uſurpatæ fuerint, vel non, res eſt nullius prorſus ad cauſam noſtram momenti.

XI. Chrodogangus Mediomatricum Epiſcopus, qui florebat regnante Pipino Caroli Magni Patre, & conſequenter erat Alcuino æqualis, aut etiam major, regulam canonicis ſuis ſcripſit, in cujus *cap.* 28. breviter enarrat tam ordinem imponendæ publicæ Pœnitentiæ, quàm reconciliationis in Cœna Domini faciendæ. *Eodem die præſentatur in gremio Eccleſiæ. Qui dum vocatus fuerit ad reconciliandum ante Epiſcopum, vel Clerum cum omni humilitate proſtrato omni corpore ſuper terram ante Abſidam petat ab omnibus veniam: Et Epiſcopus, vel qui ſub eo eſt, dat orationes ſuper eum ad reconciliandum in quinta feria Cœnæ Domini.* Quæ cum antecedentibus planiſſimè conveniunt.

XII. Habes itaque Lector, ex utroque illo codice, atque etiam ex Chrodogango, ſi addas, quod Alcuinus adnotavit, formulam, ritumque integrum publicæ Pœnitentium reconciliationis in Cœna Domini, qualis vigebat in Eccleſia Occidentali ſaltem annis centum ante Gregorium primum Pontificem, ſedente ſcilicet Gelaſio primo Pontifice, qui anno Chriſti 492. iniit Pontificatum. Eſt enim antiquus ille codex ex codice Gelaſianæ reformationis. Habes inſuper ex utriuſque codicis cum Chrodogangi, & Alcuini breviculis conjunctione eandem formulam, prorſus inviolatam in regionibus Tranſalpinis, poſt ſanctum Gregorium Pontificem, qui in Domino obiit anno 604. annis pluſquam centum, & octoginta perſeveraſſe; donec ſcilicet Gregoriana rituum, cantuſque reformatio favente, & procurante Carolo Magno in Gallia, aliiſque Tranſalpinis, & Tranſmarinis Provinciis recepta eſt. Poſt tempus adnotatum ex Gregoriano Sacramentario prioribus ritibus nonnulli alii additi ſunt, & novis omnibus Sacramentariis inſerti. Hinc eſt, quòd omnes libri officiorum poſt Carolum Magnum ſcripti, cùm de his rebus agunt, alios ritus præcedentibus ſuperaddant. Illos hic exſcribemus ex antiquo ordine Romano manuſcripto de quo ſæpiùs mentionem fecimus, cujus character annis 750. non poteſt eſſe recentior. Sic ille codex in officio feriæ 5. in Cœna Domini, ante Chriſmatis confectionem.

XIII. *Tunc egreditur Pœnitens de loco, in quo Pœnitentiam geſſit, ut gremio præſentetur Eccleſiæ. Sedente autem Pontifice pro foribus Eccleſiæ, pœnitentibus in atrio Eccleſiæ eminus cum Archidiacono juſſum illius præſtolantibus, antequàm eos offerat, poſtulat Archidiaconus his verbis, Adeſt, ô venerabilis Pontifex, &c.* Reliqua ſequuntur, ut in antiquiſſimo codice; Omnes autem codices antiqui, & recentiores in his præſentationis verbis mirificè conveniunt. Poſt hæc verba, *Devicto mortis auctore gratuletur*, hæc ſequuntur, *Tunc dicit Pontifex hanc*

Anti-

Digitized by Google

Antiphonam, Venite, & Diaconus ex parte pœnitentium dicat, flectamus genua. Tunc omnes genua flantes flectunt Pœnitentes. Quo facto dicit Diaconus, levate. Similiter agat ſecundò repetente Epiſcopo, Venite, venite, ſubſequente Diacono, flectamus, ut antea, & ſic ad medium uſque atrii pavimentum ſolo tenus veniant. Quando autem tertiò Dominus Epiſcopus annuntiaverit Antiphonam, venite, venite, venite, proſequatur Diaconus, flectamus genua: Mox cum Diacono pœnitentes corruant ad pedes Epiſcopi, ſicque proſtrati jaceant, uſque dum Dominus Epiſcopus ſurgens annuat alteri Diacono, levate, proſequente Clero Antiphonam, Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos, cum Pſalmo, Benedicam Dominum, & ad finem uſque ducente. Quamdiù Pſalmus canitur à Clero cum Antiphona, Venite, ſemper manuatim pœnitentes à Plebiſanis Archidiacono, & ab Archidiacono redduntur Epiſcopo, & ab Epiſcopo reſtituuntur Eccleſiæ gremio, proſtrato omni corpore in terram. Deinde Epiſcopus dicit Antiphonam, cor mundum crea in me, Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis. Pſal. Miſerere mei Deus. Quo finito proſternat ſe Epiſcopus ante cum pœnitentibus in oratorio, Clero faciente litaniam: qua expleta poſtquam dixerit, Kyrie eleiſon, erectus à terra dicat, Pater noſter. Preces.

Salvos fac ſervos tuos. Deus meus.

Convertere Domine. Et deprec.

Mitte eis, Domine, auxilium. Et de Sion.

Illuſtra faciem tuam ſuper ſervos tuos. Salvos eos fac. Domine vide humilitatem meam, & laborem meum. Et dimit. Exaudi me, Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua. Secundùm mult. Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum. Citò. Adjuva nos Deus ſal. Et propter. Domine exaudi orat. Et clamor.

ORATIO.

Adeſto Domine, &c. Finitis orationibus ſequitur.

Hic aſpergat eos aqua benedicta, & thurificet, & poſteà dicat. Exurge, qui dormis, exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Poſthæc ſurgant pœnitentes, & moneantur ab Epiſcopo, ut quod pœnitendo diluerunt, iterando non revocent.

XIV. Eadem nobis exhibet ordo Romanus editus, ut unicuique legenti conſpicere licet. In plurimum antiquo Pontificali Bibliothecæ Victorianæ *p.* 150. ſub titulo, *Reconciliatio pœnitentium in Cœna Domini.* Idem prorsùs ritus legitur: in alio quoque ſimiliter, quod ad Eccleſiam Rothomagenſem pertinet, atque olim fuit Eccleſiæ Rhemenſis, ut & in antiquo codice Ratoldi Abbatis Corbejenſis juſſu collectus. Aliud eadem habet, quod eſt Eccleſiæ Rhemenſis, ſed recentiore paulò manu deſcriptum. Alios quoque in antiquis Bibliothecis eumdem ritum deſcribentes conſpeximus. Immò audemus dicere ab annis octingentis nulla alia reperiri, ſi ceremonias minutim expendant. Sæpè enim, præcipuè in Sacramentariis, ſolæ orationes deſcribuntur. In eo tantùm differunt rituales illi libri, quòd alius alio plures orationes refert. His igitur inter ſe comparatis colligitur nullum aliud diſcrimen interceſſiſſe inter ritum vigentem in Eccleſia Occidentali ante Gregorium magnū aliquot ſeculis, & eum, qui poſteà viguit & in Eccleſiis Tranſalpinis circa, aut paulò poſt annum octingenteſimum, quàm illius Antiphonæ, *Venite filii, &c.* Magno cum apparatu ter repetitæ antequam Pœnitentes Eccleſiam ingrediantur. Nam ſi ritum hunc excipias, qui ſanè ſanctus eſt, & plurimùm auguſtus, ſed qui reconciliationis ſubſtantiam ne, vel leviſſimè quidem attingit, nullum prorſus notari poteſt inter utramque reconciliationem, vel leviſſimum diſcrimen; niſi forſan quod recentior ceremonia una, aut altera oratione abundat, quæ tamen ſenſu ab aliis, ne illum quidem differt.

XV. Gelaſiano Sacramentario addi poteſt antiquum Toloſanum, quod omnium diſtinctiſſimè ſingulas ritus iſtius partes, & in quo Miſſæ loco unaquæque pars exerceatur, enarrat. Ordinem enim Gelaſianum potiſſimum ſequi videtur, & Gregoriano nonnunquam præfert, ut illius Collector aliquando teſtatur. Quales autem fuerint illæ ceremoniæ, & quatenus à præcedentibus differant, ſeu potiùs qua hora. Miſſæve loco unaquæque agatur, ab ipſo ritu, qui integer in fine hujus operis editur, Lector exquirere poterit. Multo faciliùs id ex ipſius ritus lectione colliget, quàm ex breviculo, quod hic exhiberemus.

CAPUT XXXI.

Privatæ, & ſecretæ reconciliationis pœnitentium ritus, & ceremoniæ ex antiquiſſimis Ritualibus manuſcriptis eruti deſcribuntur.

SUpereſt, ut de privatæ reconciliationis ritu aliquid adnotemus. Jam ſæpius probavimus inter Pœnitentiam privatam, & publicam nihil aliud interfuiſſe quàm ſolemnitatis ceremoniam. Itaque ſi velis animo concipere, atque etiam in praxim revocare privatæ reconciliationis ritum, è publica detrahe, quæ ſolemnia ſunt, verbi gratia; Pontificem cum Clero pro foribus Eccleſiæ ſedentem; Antiphonæ, *Venite*, cantum ter repetitum, & à Clero decantatum, Pœnitentium, & adſtantium genuflexiones; Pœnitentium ab Archidiacono præſentationem cum his verbis, *Adeſt, ò venerabilis Pontifex*, & cætera ejuſmodi; & propone tibi ante oculos hominem unicum coram unico Sacerdote in Eccleſia genuflexum, & proſtratum, dicentemque alternis ſubmiſſa voce cum Sacerdote Pſalmum, *Miſerere mei Deus*, aut etiam aliquot alios cum verſiculis, & reſponſoriis, ſeu precibus, quæ in reconciliatione publica dici ſolent, vel hæc omnia, vel pro opportunitate aliquam eorum partem: Deinde Sacerdotem ſuper Pœnitentem ſic proſtratum orantem, & orationes, quæ capite præcedente enarratæ ſunt, pronuntiantem, tum tibi animo privatæ reconciliationis ideam efformabis. Quocirca ex iis quæ *cap.* præcedente demonſtrata ſunt, nullo negotio colligitur, quæ fuerit privatæ Abſolutionis, ſeu reconciliationis formula, quove ritu adminiſtraretur. Utile tamen cenſemus id ex antiquorum, quæ ſuperſunt, monumentis ἀναλόγως demonſtrare.

II. Hunc privatum ritum nobis graphicè deſcribit antiquum Ecberti Pœnitentiale. Diſtinguit enim duplicem hunc ritum, & priùs explicat privatum; deinde ſpeciali capite publicum, ut breviter retulimus capite præcedente. Poſtquam igitur multis confitendi modum privatum deſcripſit, Pœnitentiæque impoſitionem, & Pſalmos, orationeſque in ea impoſitione dicendos, ita monet, *Tunc expleta pœnitentia, ſi homo intelligibilis eſt, veniat ad Sacerdotem, & reconciliet eam. Si verò ſimplicem, vel brutum eum intellexeris, ſtatim reconcilia eum, ita dicendo, Præſta, quæſumus Domine, huic famulo tuo ill. dignum pœnitentiæ fructum, ut Eccleſiæ tuæ ſanctæ à cujus integritate deviaverat peccato, admiſſorum veniam conſequendo reddatur innoxius. Per. Alia, Omnipotens ſempiterne Deus confitenti tibi huic famulo tuo ill. pro tua pietate peccata relaxa, ut non plus ei noceat conſcientiæ reatus ad pœnam, quàm indulgentia tuæ pietatis proſit ad veniam. Per. Si tempus vacet, dic illas alias. Si non, iſtæ duæ ſufficiant.* Relatis aliis ſequitur hæc benedictio ſuper Pœnitentem cum eodem titulo: *Benedictio ſuper pœnitentem. Miſereatur omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conſervet te in omni bono, & perducat ad vitam æternam. Per.* Quatuor aliæ benedictiones ſequuntur, poſt quas titulus ſequitur. *Ordo agentibus publicam pœnitentiam, &c.* de qua ſupra ſatis ſuperque.

III. Mihi neceſſarium videtur hic inſerere integrum ritum reconciliationis privatæ, quem deſcripſimus ex pulcherrimo manuſcripto Eccleſiæ Rothomagēſis annos ſeptingentos attingente, in quo multæ ſunt orationes abſolutoriæ ſpeciales, piæ admodū, & devotæ. Anglicanus eſt codex, & ad uſum alicujus Eccleſiæ Anglicanæ, cum in inſula regnarent Saxones, deſcriptus.

Incipit Abſolutio dicenda ab Epiſcopo ſuper converſum, & pœnitentem, qui converſus proſternatur coram altari, & decantet Pſalmum 50. Si autem eſt idiota ex intimo corde crebro dicat. Deus miſerere mihi peccatori ſervo ſuo, & faciat Epiſcopus Litanias ſuper eam, & hæ ſequantur orationes.

Abſolvimus te vice B. Petri Apoſtolorum principis, cui Dominus poteſtatem ligandi, atq; ſolvendi dedit, & quantum ad te pertinet accuſatio, & ad nos remiſſio, ſit Deus omnipotens tibi vita, & ſalus, & omnibus peccatis tuis indultor. Per eum, qui vivit, & regnat, per omnia ſeculorum. Amen.

Item alia Oratio, Domine S. P. omnipotens æterne Deus, qui vulnera noſtra curare dignatus es, te ſupplices rogamus, & petimus nos humiles tui Sacerdotes, ut precibus noſtris aurem tuæ pietatis inclinare digneris, atq; ad Pœnitentis confeſſionem movearis, remiſſaſq; omnia crimina, & peccata univerſa condones, deſque huic famulo tuo Domine N. pro ſuppliciis veniam, pro mœrore lætitiam, pro morte vitam, ut qui ad tantam ſpem cœleſtis apicis devolutus eſt, de tua miſericordia confidens ad bona paciferi præmittus, atque ad cœleſtia dona pervenire mereatur. Per Dominū. Item. Exaudi nos Domine, & ſicut publicani precibus, & confeſſione placatus es, ita & huic famulo tuo N. placare, & precibus ejus benignus aſpira, ut in Confeſſione flebili permaneat, & petitione perpetua clementiam tuam celeriter exoret, ſanctiſq; altaribus, & Sacramentis reſtitutus, rursùs cœleſti gloriæ mancipetur. Per. Alia. Deus miſericors, Deus clemens, qui ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteri-

rito-

vitorum criminum culpas venia remiſſionis evacuas, reſpice ſuper hunc famulum tuum, & remiſſionem ſibi omnium peccatorum ſuorum tota cordis confeſſione poſcentem, deprecatus exaudi. Renova in eo, piiſſime pater, quidquid terrena fragilitate corruptũ, vel quidquid diabolica fraude violatum eſt; & cum unitati corporis Eccleſiæ tuæ, & membrorum, perfecta remiſſione reſtitue. Miſerere, Domine, gemituum, miſerere lacbrymarum, & non habentem fiduciam niſi in tuam miſericordiam, ad Sacramentum reconciliationis admitte. Per Dominum noſtrum. Item, Majeſtatem tuã Domine ſupplices deprecamur, ut huic famulo tuo N. longo ſquallore pœnitentiæ macerato, miſerationis tuæ veniam largiri digneris, ut nuptiali veſte recepta ad regalem menſam unde ejectus fuerat, mereatur introire. Alia. Præveniat hunc famulum tuum, quæſumus, Domine, miſericordia tua, & omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per Dominum. Item alia. Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab hoc famulo tuo clementiæ longinqua miſeratio. Sana vulnera ejus, remitteque peccata, ut nullis à ſe iniquitatibus ſeparatus, tibi ſemper Domino valeat adhærere. Per. Item. Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris, &c. Alia. Precor, Domine, clementiam tuæ majeſtatis, ut huic famulo tuo peccata, & facinora confitenti relaxare digneris, qui humeris tuis ovem perditum redaxiſti ad caulas, qui Publicani precibus, vel confeſſione placatus es: Tu etiam, Domine, huic famulo tuo placare, tu ejus precibus adſiſte, ut in confeſſione flebili permanens clementiam tuam celeriter exoret, & ſanctis, ac ſacris altaribus reſtitutus, ſpei rursùs, & cœleſti gloriæ reformetur. Per Dominum. Item. Deus humani generis benigniſſime conditor, &c. Hæc longa oratio magna ex parte relata eſt capite præcedente, ſed hic habetur eodem tenore, quo in ordine Romano edito: Ideò eam prætermittimus, & corrigemus tantum ex textu noſtro aliquot errata ordinis Romani, ut, *ab æternitate objectum*, lege, *dejectum*. *Fletus iſte merorum*, lege, *fletus ipſe miſerorum*. *Tu eorum*. Lege, *tuorum*. *Renatus*, lege, *ne renatas*. *Parce confitentibus*. Lege, *parce confeſſis*. *Unitatem Eccleſiæ tuæ*, lege, *unitatem familiæ tuæ*. *Perdiderint*, lege, *perdant*. Statim poſt hanc orationem ſubſequitur.

Hic erigatur de ſolo apprehenſus manu Epiſcopi per dexteram, & inclinetur coram Epiſcopo.

Deus innocentiæ inſtitutor, & amator, qui quondam nobis dixiſti per Prophetam, Vivo ego, nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat. Et in alio loco: In quocunque die converſus fuerit homo peccator, vita vivet, & non morietur, & qui ſecundùm Pſalmiſtam, cor contritum pro peccatis, & humiliatum non ſpernis, ſed pro his contribulatos exaudis, te ſubnixis, & humillimis exorantes precibus, de noſtris diffidentes meritis, & de tuis confidentes promiſſionibus deprecamur, ut huic famulo tuo, quem à terreni ſorde pulveris erigimus, manum miſericordiæ tuæ porrigas, eumq; ab omnium ſordibus peccatorum mundum, & exterſum conſerves. Nam noſtra hoc in Eccleſia reſonant præconia, quod B. Petro Apoſtolo, & principi Apoſtolatus noſtri, Pontificium ligandi, atq; ſolvendi tradidiſti, noſq; tu digniſſimus licèt indigniſſimos, per ſuos ſequaces, tuæq; veriſſimæ veritatis præcones, in tui gregis cuſtodiam ejuſdem ligaminis cõtra tuos Adverſarios adſtrictiores, & erga converſos evectores poſuiſti. Proinde te rogamus, Domine Deus noſter, qui Lapſis, & proſtratis totius mundi compaginibus veniendo ſuccurrere, dignatus es, Adeſto officio oris noſtri: Et quia ſine tuæ auxilio pietatis fruſtrantur humanæ officia ſervitutis, vincula peccatorũ famuli tui abſolve, & præteritorũ cluſtella criminũ confringe, quatenus ex hoc ab omni gravedine peccatorum exoneretur in Eccleſiæ tuæ ſervitio mãcipatus, antiqui inſidiatoris laqueis evulſus, Angelorum cuſtodiis deputatus, perſeverantia converſionis decoratus, tandẽq; ad cœleſtia regna te protegente gratanter incedat. Per Dominum noſtrũ.

IV. Pleræque iſtæ orationes videntur poſt S. Gregorium compoſitæ: Sed ad rem noſtram parum intereſt, cui omnium orationum idem ſit ſcopus, & ſenſus. Deinde etiam nunc diverſarum Provinciarum diverſi ſunt ritus, multò magis ejuſdem ritus, enuntiandi verba, Litaniæ, quas dicitur Epiſcopus ſuper eum proferre, ſunt preces, & Kyrie eleiſon cum Pater noſter, aut etiam ſine iſta oratione.

V. Eadem ex antiquo codice Toloſano perſpicuè colliguntur, licèt modus reconciliandi publicus in eo codice, ut & in pluribus aliis non ſit à privato verbis, & loco ſeparatus. Primùm enim initio ritus impoſitionis Pœnitentiæ, titulus eſt, *Incipit ordo qualiter publicè, vel ſpecialiter agitur modus Pœnitentiæ ſecundùm cenſuram Eccleſiaſticam*. Itaque quæ habet, ad utramque Pœnitentiam pertinent, publicam, & privatam. Deinde poſtquam multis deſcripſit omnia, quæ fiunt in impoſitione privatæ Pœnitentiæ, ad publicam tranſit: *Si verò cauſa Pœnitentis fuerit, ut ab Epiſcopo à liminibus Eccleſiæ arceri debeat, adducatur in Eccleſiam ante Epiſcopum, vel Presbyterum indutus cilicio, atq; peractis primũ omnibus, quæ ſupra taxato pœnitentium ordine expreſſa ſunt, &c.* Quæcunque igitur dicta fuerant, ad utramque Pœnitentiam pertinent: Quæ verò illa verba ſequuntur ad ſolam publicam. Ideò quæ initio illius ritus, ut & in aliis propè omnibus Sacramentariis, & Pœnitentialibus, referuntur feria quarta Quadrageſimæ, *Tunc ſuſcepta ſecundùm prolatam rationem confeſſione, indicat ſingulis congruam pœnitentiam, ſive obſervantiam uſque in Cœnam Domini. Magnopere intimans illis in præſenti, ut tunc ad reconciliandum feſtinare nullatenus parvi pendant*, non modò ad privatam Pœnitentiam, ſed etiam ad reconciliationem privatam pertinent. Id etiam demonſtrant evidentiſſimè verba, quæ ſequuntur, quæ ſimiliter quoque in aliis propè omnibus ejuſmodi libris leguntur. *Si verò intereſt cauſa, aut itineris, aut cujuſlibet occupationis, aut ita fortè hebes eſt, ut ei hoc Sacerdos perſuadere nequeat, injungat ei tam quadrageſimalem, quàm annualem pœnitentiam, & reconciliet eum ſtatim.* Hæc ſanè nullomodo ad reconciliationem publicè datam referri poſſunt, ut nec ad Pœnitentiam publicè ſuſceptam, & geſtam. Ratio etiam idem certiſſimè evincit, cum exhortatio illa, quæ feria quarta Quadrageſimæ fieri ſolet, ad omnes omninò Chriſtianos referatur, ſed ad paucos Pœnitentia, & reconciliatio publica. Itaque cùm in illo Toloſano, ut & nonnullis aliis, nullæ ſpeciales orationes reconciliatoriæ pro reconciliatione privata habeantur, quæ pro publica referuntur, ex auctorum mente utriq; inſerviunt. Id etiam ſatis indicare videtur Toloſanus codex cum disertè ait, hæc ita fieri, ſive unus, ſive plures ſint reconciliandi. Nam *unus*, refertur ad occultam reconciliationem. Plures, ad publicam.

VI. In ordine Romano edito habentur plures formulæ reconciliationis privatæ, ſed ſolæ orationes uni perſonæ accommodantur. Reliquus ritus ex publico ſolemnitate detracta ſumendus: ita & in ordine manuſcripto. Quoniam hoc factu facile eſt, & unicuiq; obvium, ideò orationes aliquot privato ritui accommodaſſe contentus eſt auctor. Sed cùm de privata Confeſſione egit, eo quòd eam, ut oportet, edere difficile eſt, ideò multis, & diffusè hoc explicavit, ut ſupra adnotatum eſt.

VII. Reconciliationis privatæ, atq; olim uſitatæ praxim ordinariam nobis repræſentat, & ob oculos veluti pingit codex Siculus, quem ad calcem hujus operis edimus; ideò pauca nunc ſubiiciemus. Univerſus autem ille ordo ad Presbyteros pertinet, & de privata tantum agit Pœnitentia, nihil de publica, ut legenti manifeſtum erit. Poſtquam monuit, quid debeat agere Sacerdos, cùm ad eum peccator venit, ut confiteatur; quid dicere, & precari ſuper pœnitentem confeſſurum peccata, quomodò, & quid interrogare: Quid Pœnitentiam impoſituri, ab eo inquirere, & conſiderare cujus ſit conditionis, liber, ſervus, conjugatus, ſanus, infirmus, &c. tandem Confeſſorem ſic monet, *Attende etiam, ut tale jejunium imponas, nec peccatum facias manifeſtum: Et cùm non potes imponere jejunium, impone eleemoſynam, & orationem, ut flectat genua per diem, & noctem, &c.* Poſthæc addit, *Deinde fiat confeſſio peccatorum ruſticis verbis. Poſtea ſequatur hæc capitula, Domine, non ſecundùm peccata noſtra facias nobis. R. Neque ſecundum. Ne ſimul tradas nos Deus cum peccatoribus. R. Sicut. Eſto nobis, Domine, turris fortitudinis. R. A facie inimici. Domine, exaudi orationem meam. R. Et clamor meus. Vox confitentis peccata ſua. Tu Domine, creator meus, redemptor meus, judex meus, noſti peccata mea: quia tu noſti omnia, antequam fiant, timeo judicium tuũ, quia contempſi præcepta tua, ſed non deſpero de venia; quia tu dixiſti nolle mortem peccatoris, nec lætaris in perditione malorum. Ne ergo Diabolus poſſit in die mortis meæ pro malis meis me ad deſperationem trahere, confiteor tibi, & huic famulo tuo omnia mala mea hodie, certus per omnia de indulgentia, quia pius, & omnipotens es. Tunc dicat Sacerdos. Chriſtus filius Dei, qui ſcit fragilitatem noſtram, miſereatur tui, & dimittat tibi omnia peccata, quæ ab infantia ſua feciſti uſq; in hodiernum diem, præterita, præſentia, & futura, quæcunque feciſti ſciens, ſeu neſciens, cogitando, vel omittendo, loquendo, vel operando: liberet te ab omni malo, conſervet te in omni bono, & perducat te in vitam æternam. R. Amen. Tunc proſternat ſe in vice Dei ad pedes Sacerdotis ita dicens. Recipe me ſceleratum in vice judicis mei, quia non eſt quò fugiam niſi ad te, confitendo tibi peccata mea. Recepto à Sacerdote fiat oratio cum Pſalmo iſto. Ad te levavi oculos. Et ſequatur ammonitio ſcripturarum ſanctarum, deinde dicatur hæc oratio. Exaudi, Domine, preces noſtras, & confitentium tibi parce peccatis, ut quos conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſolvat. Per Dominum.* Septem aliæ breves, & ſimiles ora-

Digitized by Google

orationes ſequuntur, cum quibus finit reconciliatio.

VIII. Regino Abbas *lib.1 Collectionis can.c.297.* & ſequentibus privatim pœnitendi ordinem deſcribit, cujus hic breviculum ſubiiciemus. Monet autem initio ſe eum ex Theodori, & Bedæ Pœnitentialibus decerpſiſſe. Itaque nobis repræſentat ordinem in Eccleſia Latina vulgatum circa annum 700. & eum paulò poſt annum 900. proponit imitandum. *Epiſcopi, vel Presbyteri, quando fidelium recipiunt confeſſiones, humiliare ſe debent, & cum triſtitia, gemitu, lachrymiſque orare non ſolùm pro ſuis delictis, ſed etiam pro fratris caſu, &c. Cùm ergo venerit aliquis ad Sacerdotem confiteri; mandet ei Sacerdos, ut expectet modicum, donec intret Eccleſiam, aut cubiculum ſuum ad orationem. Si autem non eſt locus aptus ad hoc, dicat hanc orationem in corde ſuo. Oratio. Domine Deus, omnipotens propitius eſto mihi peccatori, &c.* Habetur integra, ut & præcedentia, apud Burchard. initio *lib.19.* Sequuntur variæ interrogationes Pœnitenti faciendæ, eædem ſed longè plures apud Burchardum loco citato reperiuntur. Finitis interrogationibus, & circa vitia admonitionibus ad Abſolutionem Pœnitenti dandam ſic progreditur. *Tunc proſternat ſe Pœnitens ad terram, & cum lachrymis dicat, & in his, & in aliis vitiis quibuſcunque humana fragilitas contra Dominum, & creatorem ſuum, aut cogitando, aut loquendo, aut operando, aut delectando, aut concupiſcendo, peccare poteſt, in omnibus me peccaſſe, & Reum in conſpectu Dei ſuper omnes homines eſſe cognoſco, & confiteor. Humiliter te etiam Sacerdos Dei expoſco, ut intercedas pro me, & pro peccatis meis ad Dominum, & Creatorem noſtrum, quatenus de his, & de omnibus ſceleribus meis veniam, & indulgentiam conſequi merear. Deinde Sacerdos ſurgat, & Pſalmum 38. decantet, & proſternat ſe in terra, & dicat hanc orationem: Oratio, Precor, Domine clementiam tuam, &c.* Paulò ante ex antiquiſſimo codice exſcripta eſt. *Deinde adjunget, Deus omnipotens ſit adjutor, & protector tuus, & præſtet indulgentiam de peccatis tuis, præteritis, præſentibus, & futuris.*

IX. Hæc omnia apud Burchardum eodem modo loco citato, ſed præter orationem, *Precor Domine*, & oratiunculam eandem, tres ſunt aliæ orationes, quibus omnibus peccatorum indulgentia pro pœnitente poſtulatur. Sed pro unius Pſalmi decantatione, quinque vult decantari. Unde manifeſtè colligitur Reginonem, & Burchardum, qui centum poſt Reginonem annis ſcripſit, ex eodem fonte hunc pœnitendi ordinem hauſiſſe, & Pœnitentiali ſcilicet Romano antiquo, & Pœnitentialibus libellis Theodori Cantuarienſis, & Venerabilis Bedæ, quos ſolos hac in cauſa auctores oſtentant. Itaq; nihil opus eſt aliquid in eundem finem ex Burchardo referre, cum unius verba ambobus ſerviant. Orationes autem illas eſſe reconciliatorias facilè demonſtratur, ex eo quod nullæ aliæ ſequantur, ſed velut ordine Pœnitendi, & reconciliandi completo, ſequuntur varii canones, quibus Pœnitentiæ peccatis imponuntur, & Pœnitentiæ pro more illius temporis redimuntur. Deinde ex eo quòd apud Burchardum aliquando in illo ordine reconciliatio dicitur contineri. Præterea ex ipſiſſimis orationibus, quæ totæ ſunt ad reconciliationem impetrandam compoſitæ, quibuſque alii Pœnitentiales ad eundem effectum utuntur. Denique ex ipſius ordinis Pœnitendi ſcopo, & verbis: Scopo, eo quod in hunc finem compoſitus eſt, ut quibuslibet Presbyteris tradatur, & ſciant qua ratione quibuslibet peccatoribus, & Pœnitentiæ ſint imponendæ, & reconciliatio concedenda. Nihil autem commune habent, nec Confitentium turba cum impoſitione Pœnitentiæ, & reconciliatione publica; nec ipſi Presbyteri, ut notiſſimum eſt, & multis ex perpetua Eccleſiæ traditione capite ſequente demonſtrabitur. Verbis, eo quod Reginonis, ſeu potius Theodori, & Bedæ verba proximè relata, hoc manifeſtè contineant, & manifeſtiùs argumentum *libri 19.* apud Burchardum: *Liber hic corrector vocatur, & Medicus, quia correctiones corporum, & animarum medicinas plenè continet, & docet unumquemque Sacerdotem, etiam ſimplicem, quomodo unicuique ſuccurrere valeat, &c.*

X. Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, vel ex antiquorum monumentis eruta, mihi videtur cuicunq; legenti fore perſpicuum, quæ fuerit antiqua formula, quive ritus reconciliationis tam publicæ, quàm privatæ, & qua ratione una diſtinguatur ab altera: Nec ulla, ut opinor, difficultatis ſubeſt umbra, niſi forſan aliquis exploratiſſimæ praxi ratiunculas ex recens tradita προλήψει emergentes opponat.

CAPUT XXXII.

Privatæ Pœnitentium reconciliationis ritus apud Græcos, & Latinos planè ſimiles, ex utriuſq; gentis ritualibus demonſtratur. Publicæ apud Græcos reconciliationis nulla ſupereſt deſcriptio; demonſtratur tamen à Latina non diſcrepuſſe. Quare nonnunquam contingit eaſdem orationes ad impoſitionem pœnitentiæ, & ad præparationem reconciliationis, & ad reconciliationem ipſam in antiquis ritualibus uſurpari. Virtus operis Miniſtrorum non tantùm à verbis inſtitutis, ſed etiam ab eorum intentione, & propoſito pendet. Verborum efficacia non eſt phyſica, aut fatalis neceſſitas.

QUid in Oriente factum fuerit, nunc percontabitur Lector. Jam id ſatis à nobis declaratum eſt *lib.4. cap.19.* cum de Pœnitentiæ apud eos impoſitione, & Confeſſione egimus. Nam eo quod reconciliatio à peccatorum Confeſſione apud eos tempore ſeparata non eſt, hæcque ſimul conjungunt eorum Pœnitentiales libri, quæ enarrata ſunt loco citato, utrúque complectuntur. Idem etiam facilè quivis colliget ex Pœnitentialium lectione, quæ hujus operis calci adjunximus, præſertim ſi iis addat, quæ *lib.6. cap.24.* demonſtravimus. Ideò ne ſæpiùs idem repetamus, quæſtione iſta ſuperſedemus, ſi Lectorem prius duorum admonuerimus. Prius reconciliationem privatam ſpectat, Poſterius publicam. Ex locis citatis, & Pœnitentialibus manifeſtiſſimum eſt, eodem omnino ritu, iiſdemque formulis reconciliationem privatam in utraque Eccleſia eſſe factam, nihilque prorſus eſſe diverſum, quod actionis ritum, vel ceremoniam immutare poſſit, nedum rei ſubſtantiam. Nam ad ceremoniæ neceſſitatem, ne dicam reconciliationis ſubſtantiam, non puto aliquem dicturum pertinere, ut hic Pſalmus potius quàm ille dicatur; ter Kyrie eleiſon, vel ſemel, vel pluries; hæ vel illæ preces, & verſiculi, cæteraque ejuſmodi. Unaquæque enim Eccleſia Occidentalis videlicet, & Orientalis ſuas ordinarias precandi formulas, eaſque enuntiandi, incipiendi, & finiendi peculiares rationes ſemper habuit. Ideò nemini mirum videri debet, ſi in his minimis, quæque facilè ab utraque Eccleſia in caſu neceſſitatis omittuntur, aliqua reperitur inter utramq; Eccleſiam non mutatio, ſed Pſalmorum, & precatiuncularum permutatio. Si quis cæterorum Sacramentorum comparationem inſtituat, in nullo tantam inveniet rerum, circunſtantiarum, & formularum ſimilitudinem.

II. Poſterius adnotandum eſt, publicæ reconciliationis ab Orientalibus uſurpatæ nullam nos habere formulam per ſingulas actiones expanſam, & dilatatam. Eandem tamen cum Latina fuiſſe tribus argumentis demonſtrari poteſt. Primum ex antiquis utriuſque gentis canonibus, qui eodem modò generaliter loquuntur, & definiunt de toto Pœnitentiæ curriculo, ut toto *libro ſexto* demonſtratum eſt. Planè videtur neceſſarium, ut ſi in generalibus, quæ omnem rei ſubſtantiam complectuntur ὁλοσχερῶς convenerint, in ſpeciali quoque ritus κατὰ μέρος diſtributione, & expanſione conveniſſe. Secundò, Certum eſt, & experientia teſte deprehenditur, utriuſque Eccleſiæ ritus, quò antiquiores ſunt, eo ſimiliores eſſe, ut nonnullis exemplis docuimus *lib.8. cap.16. & 18.* Cùm igitur antiquiſſimam Gelaſianæ collectionis, & recenſionis formulam tradiderimus, dubitari non poteſt huic ritui ſimillimam fuiſſe Orientalem formulam. Denique idem colligitur ex privata reconciliatione. Nam ut apud Latinos privata Pœnitentia publicæ ſimillima fuit, immò eadem publica ſolemnitate detracta: Qua ratione fretus aliquis idem apud Græcos obſervatum fuiſſe dubitabit?

III. Obiici poteſt, quod à nonnullis forſan maximi momenti judicabitur, mihi verò videtur nullius: Orationes, quibus Abſolutio datur, eaſdem eſſe ſenſu cum iis, quibus Pœnitentia imponitur, & nonnunquam eaſdem ſenſu, & verbis deprehendi, hoc eſt, aliquando eam orationem, cum qua Pœnitentialis, vel Sacramentarius liber unus Pœnitentiam imponit, alius reconciliationem largitur. Fateor hoc poſteriùs aliquando contingere, & præterea priùs ſæpiſſimè: Sed hinc nihil abſurdi conſequitur, niſi in eorum mente, qui rationem rerum Eccleſiaſticarum ex ingenio ſuo, aut anticipatis opinionibus metiuntur, non ex traditionum antiquitate, & varietate. Præſentem, vel recens inductam traditionem animo perpendentes ſtatim apud ſe ſyllogizantur, rem hanc & ſemper, & ubique ita factam eſſe, immò nec aliam phraſim, & enuntiandi modum pati poſſe, licèt primi artis ſuæ Magiſtri phraſeos, & enuntiationum Grammaticarum ſint data opra planè rudes. Cùm igitur de facto res ita ſe habeat, idque obſervaverit ea, quæ errare non poteſt Eccleſia, quin rectè, & legitimè obſervatum fuerit, dubitari non poteſt. Ratio iſtius obſervationis in promptu eſt, atque ex reconciliationis penetralibus petita. Non ſtatim, & uno momento, niſi rariſſimè, Deus nobis poſt gravia crimina reconciliatur, ſed paulatim. Duo autem hanc reconciliationem maximè promovent, ſanctique Spiritus gratiam, qua ad eam

præ-

præparamur, nobis impetrant, Eccleſiæ preces per Miniſtros ſuos, atque etiam ab univerſa plebe fuſæ; deinde opera laborioſa ab eadem Eccleſia pœnitenti impoſita, & ab eo præſtita. Sicut ergo pœnitens quotidianis eleemoſynis, jejuniis, chameuniis, orationibus, aliiſque bonis operibus magis, ac magis ad juſtificationem deſponitur, donec eam aſſecutus ſit, & perfectè Deo reconciliatus: Ita precibus in impoſitione pœnitentiæ ſuper eum à Sacerdote fuſis ejuſdem gratiæ Spiritus S. augmentum ipſi impetratur; nec modo precibus tum fuſis, ſed etiam precibus illis, & manuum impoſitionibus prope quotidianis quibus in ſubſtratione purgatur. Quis enim Chriſtianus affirmare audebit in vanum non in Deum effuſas preces illas, & ventis non Jeſu Domino creditas?

IV. Quod de precibus initio, & in medio Pœnitentiæ ſtadio factis dictum eſt, & ſupra *lib.6.* tot teſtimoniis demonſtratum, id ſanè de fine, & complemento Pœnitentiæ, ſive reconciliatione, quæ tanto cum actionum humilium, & precum Eccleſiaſticarum apparatu celebrabatur, multò magis dicendum. Pœnitenti utiliſſimæ fuerunt ad gratiæ augmentum, ſi tum juſtificatus erat, atque à Deo in filiorum numerum cooptatus: Quod ſi nondum hoc conſecutus erat, precum illarum merito, & virtute conſequebatur. Exaudit enim Eccleſiam ſuam Deus, eique precanti, juxta promiſſa toties iterata, ſemper adeſt. Quid igitur initio ſtadii Pœnitentialis, quid in medio, quid in fine à Deo poſtulat, aut poſtulare debet Eccleſia, niſi ut pœnitens ita vivat, operetur, & quæ illi injuncta ſunt, exequatur, ut à Deo veniam, & indulgentiam obtinere mereatur. Hæc tantùm differentia ſenſus, & verborum eſſe poteſt, quod preces initiales de acta Pœnitentia loqui non poſſunt, ut finales, ſed tantùm in præſenti, de Pœnitentia, quæ agitur, qua macerantur, & conteruntur. Reliqua ex intentione Eccleſiæ judicanda ſunt, quæ primis precibus auxilium Pœnitenti à Deo impetrare intendit, ut ſanctè Pœnitentiam ſuſcipiat, quo facilius, & celerius veniam conſequatur: mediis verò, ut magis ac magis purgetur, in eundem indulgentiæ finem. Poſtremis, quia tum judicatur pœnitens ſufficienter purgatus, & diſpoſitus, eum reconciliare Deo, & ſibi intendit: Quia verò in hypotheſi falli poteſt Eccleſia, eumque reconciliatione dignum judicare, qui eâ nondum dignus eſt, oratione ſua reconciliatoria, id quod ipſi deeſt, impetrat. Nam ut ait S. Leo, *Sic divinæ bonitatis præſidia ordinata ſunt, ut indulgentia Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Cui utique operi inceſſabiliter ſalvator intervenit, nec unquam ab his abeſt, quæ miniſtris ſuis exequenda commiſit.*

V. Hujus rei praxis nullibi clarius lucet quàm in reconciliationis ritu, quem nobis exhibet codex Toloſanus. Poſtquam enim deſcripſit Pœnitentium in porta Eccleſiæ moram, eorum in Eccleſiam introitum, varias à Clero cantatas Antiphonas ad indulgentiam peccatorum iis obtinendam, integrum Matutinum officium pro iis recitatum, Miſſam pro iis celebratam, cujus non modò orationes omnes, ſed etiam Præfatio, & quæ infra actionem oratio dicitur, conjunctim remiſſionem peccatorum à Deo vehementer expoſcunt, teſtatur tamen his omnibus nondum eſſe reconciliatos, *Hoc officio* (Miſſæ) *ſolemniter adimpleto revertuntur tam Pontifex cum Clero, quàm populi cum Pœnitentibus, jam quidem in Eccleſiam introductis, ſed adhuc in ſolemniori officio Miſſæ ipſius diei reconciliationem ſuam præſtolantibus, &c.* Quando igitur, inquies, reconciliati cenſentur? Poſtquam alterius Miſſæ maximè ſolemnis Evangelio lecto eos Archidiaconus Pontifici ſiſtit, & de eorum anteacta legitimè Pœnitentia ſpopondit, longiſque Litaniis ad gratiam Sancti Spiritus iis alliciendam præmiſſis ſeptem orationes ſuper ipſos pronuntiavit, *Tunc Pontifex dicet ſuper eos has orationes ad reconciliandum*, Iſtiſque orationibus titulus imponitur, *Orationes ad reconciliandos pœnitentes*. Poſt orationes pronuntiatas quid tum de iis cenſet Eccleſia? *Orationibus expletis dicit Diaconus ſurgite de terra reconciliati Deo, expectantes contrito, & humili corde horam, quando ad percipiendum corporis, & Sanguinis ejus myſterium admittamini.* Admittuntur autem in fine ejuſdem Miſſæ, Et ſtatim poſt hæc Diaconi verba, cum Clero, & cætera plebe oblationes altari offerunt. Reconciliatio enim perfecta fuerat poſt Evangelii lectionem, ſed ante offertorium.

VI. Quamobrem autem priore Miſſa, prioribus orationibus abſolutionem petentibus abſolutus non eſt? Nulla alia ratio videtur, quàm quod hunc integrum ritum ad Pœnitentes reconciliandos Eccleſia inſtituit, nec intendit prius eos abſolvere quàm completus fuerit. Sacerdotes enim Dei ſunt inſtrumenta, & cum ipſo Sacramentis operantur, non ut creaturæ inſenſibiles, aut brutæ, verùm ut rationales, voluntate, & arbitrio utentes. Ideò eorum cum Deo συνεργίαν, præviam, aut ſaltem comitantem voluntatem, & intentionem requirit. Deinde in formulis, & cauſis moralibus quis vinculum effectus cum cauſa ἀδιαμαρτύτων καὶ ἀδιάλυτον jure expoſtulet, quaſi in Lycæo cum Peripateticis de rerum Phyſicarum materia, & forma diſputet. Cum diligenter ne ἔπος προφθάνῃ transſiliant ἕρκος ὀδόντων; Nam ἅμ᾽ ἔπος ἅμ᾽ ἔργον. Non ita ſe res habet. Verba ſive indicativa ſint, ſive deprecativa, non agunt niſi cum inſtituto, & intentione Eccleſiæ per Miniſtrum ſuum hic, & nunc ſecundùm ipſius canones applicatæ. Non ſemel in Miſſæ officio legitur Epiſtolæ primæ ad Corinthios caput undecimum, aut Evangeliorum illæ pericopæ, quibus divinorum myſteriorum inſtitutio continetur. An ideo verborum iſtorum pronuntiatio effectum eorumdem in canone pronuntiandorum prævenit, & anticipat? Quis ita ſui immemor, ut hoc cogitet? Quamobrem verò? Quia Eccleſiæ inſtitutum, & intentio non eſt, ut in conſecrationis operationem tum pronuntientur: Conformare ſe autem ad Eccleſiæ inſtitutum, & intentionem tenetur ipſius Miniſter. Veram igitur cum Deo reconciliationem Eccleſiæ preces efficiunt, cum in hunc finem ab ipſius Miniſtris pronuntiantur, anteà verò Pœnitentem ad eam efficaciter præparant.

CAPUT XXXIII.

Nunquam licuit Presbyteris Pœnitentem publicam publicè reconciliare, ſed Epiſcopo jubente, aut eo abſente, & urgente neceſſitate, privatim. In Oriente hoc munus publicum ſpeciali cuidam Presbytero ab antiquo commiſſum: In Occidente quoque poſtmodum eidem ex primariis Presbyteris. Græcorum privatæ pœnitentiæ magis accedunt ad rationem publicam quàm Latinorum hodiernæ.

CUm tam multa de Pœnitentia, & Pœnitentibus quæſierimus, juvat aliquid etiam de ipſis Pœnitentiæ diſtributoribus, hoc eſt, de Epiſcopis, & Presbyteris quatenus pœnitentiam imponunt, inquirere, & cum hac inquiſitione finem libro imponere. A primis prope Eccleſiæ incunabulis in hunc uſque diem veluti ſolemni edicto publicatum eſt, Pœnitentiam publicam imponere, aut pœnitentem publicum reconciliare, ſolius eſſe Epiſcopi, abſente Epiſcopo, & jubente, aut non jubente, ſed urgente vitæ periculo, id poſſe Presbyterum. In hunc uſque diem dixi, eo quòd etiam nunc Scholaſticorum dogmata prædicent Pœnitentiæ ſolemnis impoſitionem, & ea peracta reconciliationem ſolemnem ad Epiſcopum, aut ejus vices agentem tantùm pertinere, ut multis enarratum *cap. 25. libri quinti*. Hoc ita ſe habuiſſe continis antiquorum documentis demonſtrandum eſt. S. Clemens *conſtitutionum lib.2.* paſſim hoc docet, cùm ſæpius longos de Pœnitentibus recipiendis, de Pœnitentiis imponendis ſermones habet, ſemperque Epiſcopum alloquitur, Presbyterum verò nunquam, ut videre potes *lib.2. cap.* 15. 16. 18. 20. 32. 33. & alibi ſæpius. Deinde *lib.3. cap.*11. Presbyteris tantùm baptizare permittit miniſtrante Diacono. Reliqua ergo munia conceſſione Epiſcopi exercent.

II. Idem colligere eſt ex ſingulis prope S. Ignatii Epiſtolis, quæ nihil commendatius, habent quàm ſæpius modò Presbyteros, modò populum admonere, ut Epiſcopos velut Jeſum Chriſtum honorent, nihilque eorum injuſſu aggrediantur. In Epiſtola ad Smyrneos, *Non licitum eſt ſine Epiſcopo neque baptizare, neque agapen facere: ſed quod utique ille probaverit, hoc eſt Deo beneplacitum, ut ſtabile ſit, & firmum, omne, quod agitur.* Sanè multò magis nec Pœnitentem benedicere. In Epiſtola ad Philadelphienſes expreſſius, *Omnibus pœnitentibus dimittit Deus, ſi pœniteant in unitatem Dei, & Concilium Epiſcopi.* Aſſidebat enim Epiſcopo imponenti pœnitentiam, aut reconcilianti Presbyterorum chorus. In Epiſtola ad Magneſios acriter in Presbyteros invehitur, qui ſine Epiſcopo operantur omnia, eoſque laudat, qui Epiſcopo licèt juniori concedunt. Nulla eſt Epiſtola, in qua ſimile aliquid non præcipiat.

III. Tertullianus *cap.13. de pudicitia* Pontificem inducit Pœnitentes ad veniam obtinendam ante viduas, ante Presbyteros proſternentem, *Et tu quidem Pœnitentiam Mœchi ad exorandam fraternitatem in Eccleſiam inducens, &c. proſternens in medium, ante viduas, ante Presbyteros, omnium lacrymas ſuadentem, &c. bonus Paſtor, & benedictus Papa concionaris, &c.* Hoc igitur præſtat Epiſcopus, aſſident Presbyteri; nec ita loqui poſſent, ſi promiſcuè id præſtarent Epiſcopi, & Presbyteri. Confirmatur hoc ex *cap.9.* de Pœnitentia, ubi inter humiles Pœnitentis actiones eandem coram Presbyteris proſtrationem commemorat; ſupplendum ex loco præcedente, Pœnitentes

ab Epiſcopo deduci: Mandat, inquit, Exomologeſis, *Preſbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere*. Eſt igitur Epiſcopus, quo præeunte, & mandante pœnitentes hoc obſequium Presbyteris, viduis, & aliis præſtant.

IV. S. Cyprianus *Epiſt.* 13. de Lapſis moribundis ita ſtatuit, *Non expectata præſentia noſtra apud Presbyterum quemcunque præſentem; vel ſi Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint, ut manus eis in pœnitentiam impoſita veniant ad Dominum cum pace.* Duo hinc manifeſta ſunt, ad pœnitentium reconciliationem expectari ſolitum Epiſcopum abſentem: Deinde urgente neceſſitate hoc fieri amplius noluiſſe. Idem colligitur ex *Epiſtola* 15. & aliis, ſi cum iſta comparentur. Clariſſimè Concilium Eliberitanum *can.* 32 *Apud Presbyterum ſi quis gravi Lapſu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere, ſed potius apud Epiſcopum: cogente tamen infirmitate, neceſſe eſt Presbyterum communionem præſtare debere, & Diaconum ſi ei juſſerit Sacerdos.* Iſtud, *Apud Presbyterum*, dicitur propter Presbyteros vicarias parœcias regentem. Aliquando enim non modò Presbyteri, ſed etiam Diaconi ſine Epiſcopo, vel Presbytero plebem regebant, ut perſpicuè referunt *cap.* 77. Volunt igitur, ut qui capitalia crimina in ejuſmodi Parœciis perpetrant, apud Epiſcopum pœnitentiam agant, & ab eo reconcilientur, niſi aliter fieri neceſſitas cogat.

V. Idem probant ii canones, qui dicunt ad Epiſcopum pertinere examen pœnitentium, an reconciliatione digni ſint, an ſit ipſis retardanda, aut acceleranda, ut Nicænus 12. & 13. & Ancyr. 2. & 5. & alii plerique. Quum enim ad eos hoc pertineat, & alterum quoque eſſe in eorum poteſtate neceſſe eſt. Hæc, & quæ ſequuntur, intelligenda ſunt, niſi neceſſitas id poſtulet, & Epiſcopus legitimè impeditus præſtare non poſſit. Verbi gratia nonnulli canones infra referendi nullomodo permittunt Presbyterum in publica Miſſa pœnitentem reconciliare. At feſtivitas quintæ feriæ in Cœna Domini advenit, & Epiſcopus lecto decumbit. Quis dubitare poteſt Presbyterum aliquem primarium in eo caſu Epiſcopali officio tum publicè defunctum fuiſſe, etiam ubi canones illi ſeveriſſimè obſervati ſunt?

VI. Concilium Carthag. 2. *cap.* 4. *Aurelius Epiſcopus dixit, Si quiſquam in periculo fuerit conſtitutus, & ſe reconciliari divinis altaribus petierit, ſi Epiſcopus abſens fuerit, debet utique Presbyter conſulere Epiſcopum, & ſic periclitantem ejus præcepto reconciliare.* Et Conc. 3. *c.* 32. *Presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem niſi abſente Epiſcopo, & neceſſitate cogente.* Sanè hac in cauſa rigidi admodum videntur fuiſſe Africani Patres. Nam *can.* 3. *Conc.* 2. dixerant, *Chiſmatis confectio, & puellarum conſecratio à Presbyteris non fiant: Vel reconciliare quenquam in publica Miſſa, Presbytero non licere, hoc omnibus placet.* Velle igitur videntur, nullo modo licere Presbytero publicè, ſive in Miſſa publica pœnitentem reconciliare, ſed tantùm privatim, cùm cogit neceſſitas. Id Chorepiſcopis non permittit Leo *Epiſtol.* 88. nedum Presbyteris, quod cum multis aliis repetitur in *Epiſt.* 5. quæ Damaſo tribuitur. Rigidiſſimè hoc intelligunt, & executioni mandant Hiſpalenſis 2. Concilii Patres. Querela ad Patres Concilii defertur de Agio Cordubenſi Epiſcopo, quòd Presbyteris altarium, & Eccleſiarum conſecrationem commiſiſſet. Hoc ſeverè prohibet, & illis eſſe prohibendum his exemplis probant. *Nec licere eis Eccleſiam, vel altarium conſecrare, nec per impoſitionem manus fidelibus baptizatis, vel converſis ab hæreſi paracletum Spiritum tradere, nec Chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontem ſignare; ſed nec publicè quidem in Miſſa quenquam pœnitentium reconciliare, nec formatas cuilibet Epiſtolas mittere. Hæc enim omnia illicita eſſe Presbyteris, quia pontificatus apicem non habent.* Hæc abſolutè volunt eſſe Presbyteris illicita, nec ſecundùm canones illis poteſtatem iſtorum exequendorum concedi poſſe, niſi ut explicatum eſt, maxima occurrente neceſſitate, publica, vel privata. Poſteà nonnulla alia enumerant, quæ ipſis tantùm licent, ſed abſente Epiſcopo, aut jubente, *Neque coram Epiſcopo licere Presbyteris baptiſterium introire, nec præſente Antiſtite infantem tingere, aut ſignare, nec pœnitentes ſine præcepto Epiſcopi ſui reconciliare, &c.* In publica Miſſa nuſquam licet ipſis pœnitentem reconciliare, privatim verò licèt iis, ſi permiſſum ſit ab Epiſcopo. Hoc expreſsè admodum prohibet Concilium Agathenſe *c.* 44. *Benedictionem ſuper plebem in Eccleſia fundere, aut pœnitentem in Eccleſia benedicere, Presbytero penitus non licebit.*

VII. Hoc tamen, quod ſtatuebant illi Patres de reconciliatione publica, non ita rigidè obſervatum eſt in Oriente. Eam enim non quibuslibet Presbyteris, ſed cuidam ſpeciali committebant Epiſcopi, ut manifeſtum ex celebri illa hiſtoria pœnitentiarii quam commemorant Socrates *l.* 5. hiſtoriæ *c.* 19. & Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 17. pluresque alii, noſque ſupra multis attigimus. Nec in Occidente rigor ille perſeveravit: Plerumque enim Epiſcoporum abſentium, aut ægrotantium vicem ſubierunt primarii aliqui Presbyteri, aut ex officio, aut ex delegatione ſpeciali hanc auctoritatem habentes. Capit. *l.* 7. *c.* 143. *Statutum eſt in ſanctis canonibus, ut nullus presbyter pœnitentem publicè inconſulto Epiſcopo reconciliare præſumat, niſi morte fortè periclitantem.* Poſteà demonſtrato hoc eſſe Epiſcopi officium addit, *Nullo unquam tempore presbytero in publica Miſſa pœnitentem reconciliare ſine licentia Epiſcopi conceſſum eſt. Si quis hoc facere præſumpſerit, canonica correctione mulctetur.* Idem Iſaacus Lingon. *titulo* 1. *c.* 35. Hoc ergo impetrata ab Epiſcopo facultate licebat. Chorepiſcopis hoc concedit Concilium Meldenſe anno 845. celebratum *c.* 44. *Impoſitioni pœnitentiæ, aut pœnitentium reconciliationi per parochiam ſecundùm mandatum Epiſcopi ſui inſerviat.*

VIII. Recentiora quædam Concilia antiquos canones renovarunt, ut Vormatienſe anno 868. *can* 8. *canonem Hiſpalenſem* 7. Burchardus *l.* 18. *c.* 13. & Ivo *part.* 15. *c.* 2. Carthaginenſis 2. *can.* 4. Atque iterum iidem Burchard. *lib.* 19. *c.* 40. & 70. & Ivo eadem parte decreti *c.* 4. & 84. Carthaginenenſis 3. *can.* 32. Sed obſervata hæc ſunt cum diſtinctione, & moderatione jam adhibita, ut conſtat ex *can.* 20. Concilii Salegunſtadienſis, cui Burchardus interfuit, *Decretum eſt, ut nullus presbyterorum quenquam niſi juſſu Epiſcopi Eccleſiam introducere præſumat, cui pro aliquo delicto illam ingredi non liceat.* Quem etiam Ivo retulit in decretum ſuum *part.* 15 *c.* 186. Eandem moderationem adhibendam eſſe monſtrant, quæ ex Capitularibus, Concilio Meldenſi, & Iſaaco Lingonenſi eorundem ſeculorum cum Concilio Vormatienſi auctoribus retulimus.

IX. Cùm igitur ſola publica, & ſolemnis reconciliatio ab omni ævo Presbyris prohibita fuerit, manifeſtum eſt, privatam illis permiſſam fuiſſe. Multa, quæ in eundem finem referri poſſunt, relata habes ſupra *libri* 7. *capite primo*. Verùm tempus, reſque ipſa longe aliter apud Orientales diſtinguenda ſunt, quàm apud Occidentales. Nam ab annis mille ducentis, quibus publicarum Pœnitentiarum uſus apud eos ceſſavit, Pœnitentiæ impoſitio privata, & reconciliatio ſimiliter privata à Preſbyteris ſine ſpeciali Epiſcoporum conceſſione uſurpari non potuit. Ideò canones Carthaginenſes, quorum apud eos uſus eſt, ſic intellexit Balſamon, ut in *can.* 7. *Ex præſenti quoque canone evidenter oſtenditur non licere Sacerdotibus hominum confeſſiones audire, & peccata remittere ſine Epiſcopali permiſſione, &c. Si ergo nec extremam reconciliationem dat Sacerdos abſque Epiſcopali permiſſione, ut qui non habeat facultatem ligandi, & ſolvendi, multò magis nec ſani confeſſionem recipiet.* Hæc ille fuſius eo loco, atque item in canonem præcedentem. Refert eodem loco, Patriarcham Michaelem depoſitione condemnaſſe eum, qui ſine licentia Confeſſiones audierat. Hinc in *canon.* 6. occaſionem arripit invehendi in Monachos Presbyteros, qui injuſſu Epiſcoporum hoc facere audent. Eadem Zonaras in *can.* 7. Sed ſæpe Græcorum Pœnitentiæ magis ad rationem publicam accedunt, quàm Latinorum hodiernæ: Nonnunquam enim in Pœnitentiam imponunt εἰς ναὸν non ingredi, ſed ἐν τῷ νάρθηκι aliquandiù ſubſiſtere, atque ita illo tempore velut à corpore fidelium ſeparari. Sed hæc ipſa ſtatio ſecretò imponitur, & pœnitentis pietati commendatur: Reconciliatio verò, ut & Confeſſio, & Pœnitentiæ impoſitio, occultè peraguntur. Ab annis ante hoc tempus circiter quingentis quædam nata eſt apud Latinos Pœnitentiæ publicæ ſpecies, cujus uſus annis ab orto ſuo ducentis ferè obſolevit. Hæc Pœnitentia tunc, atque etiam nunc, licèt obſoleta, nomen retinet: publica vulgò dicta fuit, cuilibet Presbytero permiſſum erat eam imponere, atque ea functum pœnitentem reconciliare. Ne verò antiqua publica cum nova iſta confunderetur, vocata eſt ſolemnis, ſicque triplex in Scholis decantata eſt, nuncque etiam decantari ſolet pœnitentia ſolemnis, publica, & privata. De hac Pœnitentiæ publicæ ſpecie, & de ratione qua à ſolemni, & publica diſtinguitur, fusè actum eſt libri quinti capite vigeſimo quinto.

CAPUT XXXIV.

Quotannis dies decimus menſis Tiſri apud Judæos remiſſione peccatorum celeberrimus eſt. Ferunt Judæi, Deum primo die anni ſingulos homines judicare, & pro variis meritis eos tribus libris inſcribere. Ideò Judæi illis decem diebus Confeſſioni peccatorum, pœnitentiis, jejuniis, corporis afflictionibus, & orationi diligenter incumbunt, ut libro vitæ tandem inſcribantur Rabbini

Digitized by Google

bini longè aliter de juſtis, & impiis judicant quàm Chriſtiani. Privatorum actio Pœnitentiæ his, 10. diebus præſertim Deo grata eſt. Sed Eccleſia ad eum clamantis Pœnitentia ſemper illi accepta. Primis veſperis feſti neceſſariò ante paſtum confiteri oportet, & ſæpius toto illo die feſto. Cujuſmodi officiorum divinorum apud Judæos diviſio.

JUdæi ab omni ævo diem habuerunt, nuncque habent quotannis remiſſione peccatorum celeberrimum. Dies ille eſt decimus ſeptimi menſis anno à nova Luna Paſchali computato: ſed decimus primi menſis juxta civilem eorum computandi rationem. In omnibus enim eorum contractibus, & actionibus civilibus annum à Tiſri inchoant, qui menſi Septembri ut plurimùm reſpondet. Quamquam igitur quolibet die aſſerant Pœnitentiam agi poſſe, & ſemper eſſe Deo acceptam, eo tamen die, & novem præcedentibus potiſſimùm agendam, & Deo gratam eſſe affirmant; Deum illis diebus iram in peccatores deponere, & clementiam ſuam in eos maximè effundere. Ideò his diebus omnes Pœnitentiæ laboribus maximè inſudant, ut decimo die quem feſtum הכפורים Haccipurim, expiationis vocare ſolent, remiſſionem ſuorum peccatorum conſequantur: Immò eorum plurimi à primo die Elul, qui Tiſri præcedit pęnitentiam, & jejunia, & flagellationes ſuas incipiunt, ut ad gratiam iſtam excipiendam bene præparati quadrageſimo tandem die eam obtineant. Innituntur in iſtius ritus celebratione aliquot Scripturæ Sacræ teſtimoniis. Sic jubentur facere Levitici *cap.16. verſ.29. Menſe ſeptimo, decima die menſis affligetis animas veſtras, nullumque opus facietis, ſive indigena, ſive advena, qui peregrinatur inter vos. In hac die expiatio erit veſtri, atque mundatio ab omnibus peccatis veſtris, coram Domino mundabimini. Sabbatum enim requietionis eſt, & affligetis animas veſtras religione perpetua. Expiabit autem Sacerdos, qui unctus fuerit, &c. Sanctuarium, & tabernaculum teſtimonii, atque altare, Sacerdotes quoque, & univerſum populum. Eritque vobis hoc legitimum ſempiternum: ut oretis pro filiis Iſrael, & pro cunctis peccatis eorum ſemel in anno.* Capite verò ejuſdem *libri* 23.24. Initium feſti ponitur primo die menſis, *Menſe ſeptimo, prima die menſis erit vobis Sabbatum memoriale clangentibus tubis, &c. Decimo die menſis hujus ſeptimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur Sanctus, affligetiſque animas veſtras in ea, &c.* Eadem repetuntur *c.*29. Numerorum.

II. Eodem die Sacrificium fiebat duorum hircorum ſuper quos ſors mittebatur, uter Dei eſſet, & uter Hazael; ut qui Dei eſſet, pro peccatis mactaretur; qui Hazael, impoſitis ſuper caput ejus omnibus populi peccatis in ſolitudinem mitteretur. Deſcribunt Judæi fuſiſſimè quaslibet iſtorum rituum minutias, quas habent è traditionibus ſuis innumeras. Nonnullas refert Joannes Buxtorfius *Synagogæ Judaicæ cap.* 18. 19. 20. Sed nos his omnibus omiſſis cum magna ex parte vanæ ſint, & ſuperſtitioſæ, nuncque apud eos non ſint in uſu, eo quod plurimæ ſacrificia ſpectent, quæ extra templum Jeroſolymitanum exercere non credunt ſibi fas eſſe; tum potiſſimùm, quòd ſcopo noſtro, & materiæ, quam tractandam ſuſcepimus, nihil prorſus conducant, ea tantum quæ ad Pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum pertinent, & antiqua, hodiernaque praxi apud eos uſurpantur, referemus, eaque in quatuor capita diſtinguemus. Primò rationes enarrabimus, quibus Judæi commoveri ſe dicunt ad agendam illis diebus, & potiſſimum ipſo die feſto, pęnitentiam, & peccata ſæpius publicè privatimque confitendum, quæve potiſſimùm Pęnitentiæ genere exercent. Deinde, quot diebus, & qua ratione religioſiores. Judæi illos jejuniorum, & macerationis dies anticipent, & quamobrem hæc omnia cum frequenti tubarum ſonitu peragant, & his peractis ſeſe Sanctos, & diaboli victores jactitent. Tertiò, formulam ampliſſimæ Confeſſionis peccatorum, quam publicè, & privatim edere ſolent, exhibebimus; quandove, & quoties eam facere teneantur, docebimus. Denique varias interpretationes, quas ipſi tradunt ſententiæ Akibæ, quæ videtur ſingulorum peccatorum enuntiationi contradicere, referemus, & frequentiſſimam eorum conſuetudinem alterutrum in Synagoga peccata confitendi, & ſeinvicem flagellandi exponemus.

III. Judæorum recentiorum, & antiquorum celebre eſt effatum, Tria eſſe hominum genera, perfectè juſtorum, perfectè impiorum, & intermediorum: Deum tres libros habere; in primo perfectè juſtos deſcribi, in ſecundò perfectè impios, in poſtremo intermedios, Deum initio anni omnium hominum actiones celebri judicio examinare, perfectè juſtos tum ſtatim primo libro inſcribi, malos ſecundo, intermediorum autem judicium in decimum diem menſis ſuſpendi: ſi perfectam pęnitentiam egerint, juſtis; ſi non, impiis adnumerandos. Sic R. Schem Tob initio Draſchot, ſive ſermonum de Pęnitentia, מלך יושב על כסא דין שלשה ספרים נפתחים בר״ה אחד של צדיקים גמורים ואחד של רשעים גמורים ואחד של בינוניים של צדיקים גמורים נכתבים ונחתמים לאלתר לחיים של רשעים גמורים נכתבים ונחתמים לאלתר למיתה של בינוניים תלויים ועומדים עד יום הכיפורים לא זכו נכתבים למיתה זכו נכתבים לחיים׃ *Sedet rex ſuper ſolium judicii, Tres libri aperti ſunt in capite anni; Unus juſtorum perfectorum: Unus impiorum perfectorum: Unus intermediorum. Perfectè juſti ad vitam ſtatim inſcribuntur, & obſignantur: perfectè verò mali ſtatim ad mortem, ſed intermedii ſuſpenduntur, & differuntur in diem expiationis. Si intermedio illo tempore merita non fecerint, ad mortem inſcribuntur, ſi ſecus, ad vitam.* Hæc ἐπὶ λέξιν è tractatu Talmudico Roſch Haſchana, de capite anni, *fol.* 16. *p.*2. fine exſcripſit, quibus dictis id ibi probatur ex *Pſal.* 68. 29. Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur: *Deleantur de libro, hic eſt*, inquiunt, *impiorum perfectorum liber: Viventium, hic eſt liber Juſtorum; Et cum Juſtis non ſcribantur; hic eſt liber intermediorum.* Alius Rabinus ibidem in ejuſdem rei argumentum citat id, quod legitur *Exod.*32. Dimitte eis hoc peccatum, aut dele me &c. Quamobrem autem eo potius tempore mundus judicatur, quàm alio dicit R. Schem, id fieri quod eo die creatus ſit. Hæc eſt Judæorum antiqua traditio, ut in hoc feſto docent eorum libri rituales.

IV. Moſes Cordubenſis *capit.* 3. *libr. de Pœnitentia* idem docet, ſed addita comparatione, quæ rem illuſtrat, כשם ששוקלין זכיות אדם ועונותיו בשעת מיתתו כך בכל שנה ושנ׳ שוקלין עונות כל אחד ואחד מבאי העולם עם זכיותיו ביום טוב של ראש השנה מי שנמצא צדיק נחתם לחיים ומי שנמצא רשע נחתם למיתה והבינוני תולין אותו עד יוה״כ אם עשה תשובה נחתם לחיים ואם לאו נחתם למיתה׃ *Sicut examinantur, & ponderantur merita hominis, & iniquitates ejus in hora mortis ſuæ; Sic ſingulis annis examinantur iniquitates uniuſcujuſque hominis in mundum ingredientis cum meritis ſuis die feſto capitis anni. Qui deprehenditur juſtus, obſignatur ad vitam; qui deprehenditur impius, obſignatur ad mortem. Intermedius ſuſpenditur in diem expiationis: Si pęnitentiam egerit, obſignatur ad vitam; ſi non, obſignatur ad mortem.*

V. Juſtos autem, aut impios vocant Judæi ratione à Chriſtianis longè differente. Volunt enim bonas actiones ſimul, & in globo conſiderari, malas ſimili modo: Eum verò juſtum eſſe cujus bona opera malis præponderant; Impium verò contra, cujus mala opera bonis præponderant. Eodem modo de civitatibus judicant, quo de privatis. Docent tamen quædam opera adeo eſſe bona, quædam autem adeo mala, ut unicum plurimis contrariis prævaleat, immo omnibus, ſimul oppoſitis. Sic Moſes initio ejuſdem capitis, כל אחד ואחד מבני האדם יש לו זכיות ועונות מי שזכיותיו יתירות על עונותיו צדיק ומי שעונותיו יתירות על זכיותיו רשע מחצה על מחצה בינוני וכן המדינה אם היו זכיות כל יושביה מרובות על עונותיהן הרי זו צדקה ואם היו עונותיהן מרובין הרי זו רשעה וכן כל העולם כלו אדם שעונותיו מרובין על זכיותיו מיד הוא מת ברשעו שנ׳ על רוב עונך וכן מדינה שעונותיה מרובין מיד היא אובדת שנ׳ זעקת סדם ועמורה כי רבה וגו׳ וכן כל העולם כלו אם היו עונותיהם מרובים מזכיותיהן מיד הן נשחתין שנ׳ וירא ה׳ כי רבה רעת האדם בארץ ושקול זה אינו לפי מנין הזכיות והעונות אלא לפי גודלם יש זכות שהוא כנגד כמה עונות שנ׳ יען נמצא בו דבר טוב ויש עון שהוא כנגד כמה זכיות שנ׳ וחוטא אחד יאבד טובה הרבה ואין שוקלין אלא בדעתו של אל דיעות והוא היודע היאך עורכין הזכיות כנגד העונות׃ *Unuſquiſque hominum opera bona, malaque perpetravit. Cujus bona opera ſuperant mala, hic juſtus eſt; & cujus bona opera ſuperantur à malis, hic impius eſt. Media pars contra medium intermedius. Eadem ratio de civitate ſive provincia. Si virtutes Incolarum plures ſunt quàm vitia, juſta eſt. Si verò abundant iniquitates, impia eſt. Eadem ratio totius orbis. Homo cujus iniquitas ſuperat virtutem, ſtatim moritur in impietate ſua, ut dicitur, propter multitudinem iniquitatis suæ, &c. Sic & civitas, cujus iniquitas ſuperabundat, ſtatim deletur, ut dicitur, clamor Sodomæ, & Gomorrhæ quoniam multus eſt, &c. Ita & univerſus orbis, ſi iniquitates ejus plures fuerint, quàm virtutis actiones, & bona opera, deletur ſtatim, ut dicitur, & vidit Dominus, quoniam multiplicata eſt malitia hominis ſuper terram. Examen autem iſtud, & comparatio non fit ratione numeri meritorum, vel demeritorum, ſed ratione magnitudinis, & gravitatis eorum. Eſt bonum opus quod contra aliquot ſcelera prævalere poteſt, ut dicitur, eo quòd in eo inventa eſt res aliqua bona. Eſt quoque ſcelus, quod contra aliquot bona opera prævalere poteſt, ut dicitur, Unus peccans perdet multa bona. Hæc autem non æſtimantur niſi juxta Dei ſcientiam, qui comparationem, æſtimationemque meritorum, & peccatorum optimè cognovit.* Aliquando tam grave ſcelus, eſt

ut merita præcedentia omnia deleat, & expungat, veluti cum aliquem bene egiſſe pœnitet, atque apud ſe conqueritur, quæ eſt in obſervatione mandatorum Dei utilitas?

VI. Quum igitur ſolius Dei ſit hominum merita juſta Lance appendere, ſoluſque poſſit noſtris operibus æquum pretium ſtatuere, non abs re reformidant Judæi, ne à Deo judicandi impiorum libro adſcribantur. Ideò adveniente anni principio novem diebus, qui ſuperſint ad diem expiationis, pęnitentiæ, Confeſſioni peccatorum, jejuniis, reconciliationi cum læſo proximo, rerum raptarum redhibitioni, nec non corporis ſui macerationi, & verberationi acriter incumbunt, ut bona eorum opera malis prævaleant. Sed potiſſimum pridie hujus feſti, & toto feſto rigidiſſimè jejunant, à Veſpera ſcilicet uſque ad Veſperam ſequentem, diù noctuque nihil prorſus edentes, cum in aliis prope omnibus jejuniis nocte appetente, & ſideribus conſpectis convivari ſoleant. Qui comederit cibi liciti, vel dactyli majoris quantitatem, aut biberit quantum uno hauſtu ſorbere poteſt, · בכלוא ליגמיו velut plenitudinem maxillarum ſuarum, ut loquuntur, ille graviſſimi criminis reus eſt, præceptum legis affirmativum tranſgreſſus eſt. Graviſſimè ægrotantes tantum excipiuntur, quibus jejunium frangere ſecundum Medicorum placita permittunt. Omnes omnino Puberes, mares, & fęminæ, eodem modo jejunare tenentur. Mares cum diem unum ſupra annum decimum tertium attigerunt, fęminæ ſimiliter cum unum diem ſupra undecimum annum aſſecutæ ſunt, dummodo, ut philoſophantur, ' הביאו שתי שערות Nec minoribus annis parcunt, ſed unumquemque Infantulum pro ætatulæ modulo abſtinentiola aliqua horæ ſaltem alimentis aſſignatæ retardatione fatigant, & legis mandatis aſſueſaciunt. Cæteras delitias fugiunt; ab uxoribus non ſecus, ac à menſtruatis abſtinent, diſcalceati incedunt, à balneis, odoribus, unctionibus, & lotionibus ſuperſtitioſè admodum cavent. Iſta fusè, minutimque, & ſuperſtitioſè perſequuntur Rambam *parte prima, lib.* 3. qui inſcribitur · הזמנים *titulo* 3. qui inſcribitur, ' שביתת עשור · Moſes Coſenſis in libro Semeg, *tit.* Hilcoth Hakkippurim ad præcepta *68. 69.* negativa. Liber Kiriath Sepher in explicatione præcepti trigeſimi primi. Orach Chaim in Deciſionibus, & moribus illius feſti *n.606.* & ſequentibus permultis, aliique complures eorum auctores.

VII. Hæc autem libentius tum temporis præſtant, quod Deum illis diebus ſibi perſuadent ad clementiam multò magis quàm aliis eſſe propenſum. Hoc Juda Chaſid ſive pius multis docet in libro Chaſidim, n.21. viroſque pios admonet indulgentiæ divinæ his diebus potiſſimùm effuſæ, ne hos dies ſine Pęnitentia, & Confeſſione præterire ſinant. Sed quoniam non modo rem, ſed etiam verba prope omnia à Moſe Cordubenſi mutuatus eſt, poſterioris verba referentes, utriuſque ſententiam exhibebimus. Sic igitur ſcribit magnus eorum Moſes filius Maimon *cap. 2. de Pęnitentia* circa medium, אף על פי שהתשובה והצעקה יפה לעולם בעשרת הימים שבין ראש השנה ויום הכפורים היא יפה ביותר ומתקבלת היא מיד שנ' דרשו ה' בהמצאו בד"א ביחיד אבל צבור כל זמן שעושין תשובה וצועקין בלב שלם הן נענין שנ' מי כיי' אלהינו בכל קראנו אליו יום הכפורים הוא זמן תשובה לכל ליחיד ולרבים והוא קץ מחילה וסליחה לישראל לפיכך חייבין הכל לעשות תשובה ולהתודות ביום הכפורים ומצות וידוי יום הכפורים שיתחיל מערב היום קודם שיאכל שמא יחנק בסעודה קודם שיתודה ואע"פ שיתודה קודם שיאכל חוזר ומתודה בלילי י"ה ערבית וחוזר ומתודה בשחרית ובמוסף ובמנחה ובנעילה והיכן מתודה יחיד אחר תפלתו ושליח ציבור באמצע תפלתו בברכה רביעית הוידוי שנהגו בו כל ישראל אבל אנחנו חטאנו והוא עקר הוידוי · *Licèt pœnitentia, clamorque ad Deum omni tempore decora ſint, & accepta; attamen decem diebus, qui ſunt inter anni principium, & diem expiationis, illa ſunt excellenter pulchra, & decora, Deoque ſtatim accepta, ut dicitur, Quærite Dominum dum invenitur. Quomodo hæc ſunt intelligenda? de privata perſona. Verùm omni tempore, quo Congregatio Pœnitentiam agit, & ad Deum clamat corde perfecto, exauditur, ut dicitur; Quis ſicut Dominus Deus noſter, quoties invocamus eum? Dies expiationis omnibus eſt tempus Pęnitentiæ, & unicuique privato, & univerſæ multitudini, & eſt Iſraeli remiſſionis, & propitiationis finis. Ideò omnes in die expiationis ad pęnitentiam, & Confeſſionem obligantur. Mandatum autem Confeſſionis in die Expiationis eſt, ut incipiat à veſpera illius diei antequam cibum capiat, ne forté in cœna ante confeſſionem ſuffocetur, licèt autem confeſſus fuerit ante paſtum, redit, iterùmque confitetur nocte diei Expiationis in tempore orationis veſpertinæ: Confitetur quoque tertiò, cùm dicenda eſt oratio matutina, & cùm dicendæ orationes matutinis ordinariis additæ, & in tempore oblationis veſpertinæ, & ſub ſolis occaſum. Ubi autem fit Confeſſio? Privatus confitetur poſt orationem ſuam; Verùm Diaconus, ſive Miniſter Synagogæ in medio orationis ſuæ in quarta benedictione. Confeſſio, qua omnis Iſrael uti conſuevit, ea eſt, quæ incipit, ſed nos peccavimus, &c. Eſtque Confeſſionis fundamentum.*

VIII. Eadem prorſus Moſes Tranenſis *cap. 2. Deciſionum de Pęnitentia*. Sed hoc ſpeciale, & notandum habet: Poſtquam dixit, ut Maimonides, Confeſſionem eſſe edendam ſub primam veſperam feſti expiationis ante paſtum, ne in cęna ſuffocetur ante Confeſſionem, addit aliam iſtius ritus rationem, וידוי דיום כפור הוא מדאורייתא כדאמר לעיל ואין עצומו של יום מכפר כי אם לשבים ולהכי חששו חכמי שמא יחנק ונמצא שמת בלא וידוי והיינו תשובה ועשרה וידוין הן כנגד עשרה פעמים שמזכיר כהן גדול את ה' ביום הכפורים · *Quia Confeſſio, quæ fit in die Expiationis à lege inſtituta, ut eſt ſupra dictum, quod ipſiſſimus Expiationis dies pęnitentiam agentes tantùm expiat. Idcircò Sapientes hoc ſolicitè curaverunt, ne forte ſuffocaretur, & mortuus ſine Confeſſione deprehenderetur, hoc eſt, ſine pęnitentia. Decem autem Confeſſiones ſunt in vicem decem pronuntiationum divini nominis, quas in die Expiationis Sacerdos magnus commemorat.* Hoc poſtremum iterùm refert *c.2.* explicationis præcepti 149. Itaque videntur illo die teneri Confeſſionem peccatorum ſuorum decies edere, hoc eſt à primis Veſperis illius feſti uſque ad finem ſecundarum. Prima autem Confeſſio prorſus eſt neceſſaria, utpote à lege inſtituta.

IX. R. Jacob in libro Orach Chaiim, quæ eſt prima pars vulgò dicti Arba Turrim, *ſectione 607.* eorum, quæ dicta ſunt, pleraque, & multa alia refert. Sed Confeſſionis primæ in oblatione ſeu oratione veſpertina ante cœnam faciendæ aliam rationem reddit, quæ præcedentibus multò frequentius contingere poteſt, אמרו חכמים מתודה קודם אכילה שמא תטרף דעתו עליו מחמת הסעודה שלא יוכל להתודות אחר כך · *Dixerunt Sapientes, confitetur ante paſtum, ne forte mens ejus propter convivium conturbetur, ita ut non poſſit poſteà confiteri.* Tanta eſt illis peccatorum confitendorum cura, & ſolicitudo. Nonnullas poſteà confitendi formulas indicat, atque inter alias dicit in Germania unam uſitatam per Alphabeti ordinem in qua ſigillatim peccata enuntiantur.

X. Eam rationem à Talmudiſtis in tractatu Joma *c.8. f.87.* in fine mutuatus eſt. Talmudis verba referam, eo quod non modò hoc confirmant, verumetiam pleraque jam ex aliis Rabbinis allata, תנו רבנן מצות וידוי ערב יום הכיפורים עם חשיכה אבל אמרו חכמים יתודה קודם שיאכל וישתה שמא תטרף דעתו בסעודה ואע"פ שהתודה קודם שאכל ושתה מתודה לאחר שיאכל וישתה שמא אירע דבר קלקלה בסעודה ואף על פי שהתודה ערבית יתודה שחרית שחרית יתודה במוסף במוסף יתודה במנחה במנחה יתודה בנעילה · *Tradiderunt Rabanim præceptum eſſe confeſſionis faciendæ in veſpera diei Expiationis, cùm dies obtenebreſcit. Sed dixerunt iidem Confeſſionem eſſe edendam ante cibi, potuſque ſumptionem, ne fortè mens ejus propter convivium conturbetur. Licèt autem confiteatur ante cibum, & potum, attamen confitebitur poſt cibum, potumque, ne in convivio contigerit res aliqua perverſa, & indecens. Similiter licèt veſpere confiteatur, manè iterùm confitebitur. Manè ſive in precibus matutinis confeſſus, in auctario ſive in precibus ante meridiem iterùm confitebitur. In auctario illo confeſſus, iterùm in oblatione veſpertina poſt nonam confitebitur. In ea oblatione confeſſus, confitebitur quoque in oratione, quæ fit ad occaſum Solis, & diei concluſionem.* Iſta, ſed brevius, ex eodem Talmudis loco refert Moſes in libro Semeg ad præceptum affirmativum 16. ſive ad Hilcoth Theſchuba.

XI. Eadem ante Talmud Babylonicum tradiderat Talmud Hieroſolymitanum tractatus Joma capite ultimo, מצות הוידוי ערב יום הכפורים עם חשיכה עד שלא נשתקע במאכל ובמשתה אף על פי שנתודה בערבית צריך להתודות בשחרית אע"פ שנתודה בשחרית צריך להתודות במוסף אע"פ שנתודה במוסף צריך להתודות במנחה אע"פ שנתודה במנחה צריך להתודות בנעילה שכל היום כשר לוידוי · *Præcipitur Confeſſio Veſperi diei feſti Expiationis, cùm obtenebreſcit, dum nondum eſt homo cibo, & potu oppreſſus. Licèt autem confeſſus fuerit Veſperi, neceſſe tamen eſt eum confiteri manè. Licet manè confeſſus fuerit, neceſſe eſt adhuc confiteri in auctario. Licèt confeſſus fuerit in auctario, neceſſe eſt præterea eum confiteri ad Veſperā. Licèt confeſſus fuerit ad Veſperā, neceſſe tamē eſt confiteri in diei clauſula. Quia totus dies Confeſſioni eſt idoneus.* Judæi officia divina diebus feſtis in quinque præcipuas partes dividunt; In Veſper. ſive primas Veſperas, quod vocant: ערבית Matutinum quod vocant שחרית Intermedium inter meridiem, & Orientem ſolem, quod vocant. מוסף Auctarium, additamentum, Matutino officio ſcilicet additum, quod Horæ apud Chriſtianos tertiæ reſpondet: In Veſperam ſeu potius Nonam quod · מנחה dicunt oblationem, quam

Deo

Deo offerunt circa horam nonam, ſive tertiam promeridianam. Demque in orationem Clauſulæ תפילת נעילה· quæ occumbente ſole recitatur. In omnibus illis horis jubent Talmudici unumquemque confiteri ore proprio præter Confeſſionem quam חזן הכנסת Diaconus, ſive Miniſter Synagogæ, qui & ipſis ſæpe dicitur, שליח ציבור· Miſſus, Apoſtolus Congregationis, omnium nomine recitat. Cujuſmodi autem illa ſit peccatorum Confeſſio, de qua auctores citati mentionem faciunt, quamque nonnulli primis verbis allatis indigitant, ea integra in fine ſequentis capitis exhibita docebimus. Formulam quoque integram Alphabeticæ Confeſſionis eodem loco Latinitate donatam referemus.

XII. Liber Muſar *capit.* 2. poſt medium ea ex Talmude refert, quæ non videntur hic omittenda, תשיבת הציבור רצויה לפני הקב״ה בכל זמן שעושין תשובה שנ׳ ומי גוי גדל אשר לו אלהים קרובים אליו כיי׳ אלהינו בכל קראינו אליו אבל תשובת היחיד אף על פי שהיא רצויה בכל עת ובכל זמן שיעשנה יש זמן שהיא מעולה ורצויה יותר סומן אחר ואיזה הוא אמר רב נחמן אמר רבא בר אבוה אלו עשרה ימים שבין ראש השנה ליום הכפורים שנ׳ ובקשתם משם את יי׳ אלהיך ומצאת כי תדרשנו בכל לבבך ובכל נפשך והתפלה והתשובה רצויה ומקבלת לפני הב״ה בחדש השביעי שהוא תשרי והוא החביב שבחדשים כדגרסינן במסכת ראש השנה כל השבועין חביבים לעולם למעלה השביעי חביב והם השמים ושמי השמים ורקיע ושחקים וזבול ומעון וערבות ערבות חביב שנ׳ סולו לרוכב בערבות ביה שמו בדורות חביב אדם שת אנוש קינן מהללאל ירד חנוך חנוך חביב דכתיב ויתהלך חנוך את האלהים בבני דוד השביעי חביב והוא אמנון כלאב אבשלום אדוניה שפטיה יתרעם שלמה שלמה חביב שנ׳ ויקרא את שמו ידידיה בעבור יהוה בשנים השביעי חביב שנ׳ קדשתם את שנת החמשים שנה בימים השביעי חביב שנ׳ בחדש השביעי באחד לחדש יהיה לכם שבתון ועוד כי בראש השנה נברא האדם הראשון וחטא וקב״ה מחל לו ואמר לו כשם שמחלתי לך ביום הזה כך אני עתיד למחול לבניך ביום הזה כדגרסינן בפסיקתא· *Omni tempore, quo Synagoga pœnitentiam agit coram Deo, ipſius pœnitentia es grata eſt, & accepta, ut dicitur, Quæ gens magna, quæ Deos habeat ſibi propinquos, ſicut Dominus Deus noſter omnibus eum invocantibus. Verùm Privati hominis pœnitentia, licèt omni tempore quo, eam facit, ſit Deo accepta, nihilominus uno tempore multò excellentior eſt, & acceptior quàm alio. Quodnam eſt illud? Dixit Rab Nachman, dixit Raba filius Abuha, dies ſunt decem inter anni principium, & diem Expiationis, ut dicitur Deut 4.29 Et quæres inde Dominum Deum tuum, & invenies, cùm quæſieris eum in toto corde tuo, & in tota anima tua. Oratio autem, & pœnitentia Deo placita, atque ab eo accepta, ea eſt, quæ fit menſe ſeptimo, qui eſt Tiſri. Hic menſis eſt omnium menſium dilectiſſimus, ut legimus in tractatu de anni initio. Omnes ſeptimi ſemper fuerunt chari. In locis ſupremis, ſeptimus charus eſt. Verbi gratia, Cœli, & cœli cœlorum, & firmamentum, & ſupremæ nubes, & habitaculum, & ſolium, & æquor, ſive ſupremum cœlum. Æquor, quod eſt ſeptimum, charum eſt, ut dicitur, Pſ.68.5. Exaltate equitantem ſuper æquora cœlorum, in Domino nomen ejus. In generationibus ſeptimus etiam charus eſt. Adam, Seth, Enos, Cainan, Mahalcel, Jared, Enoch. Enoch dilectus ut ſcribitur, & ambulavit Enoch cum Domino. Inter filios David, ſeptimus quoque dilectus. Hic eſt enim ordo, Amnon, Celab, Abſalom, Adonias, Sephatias, Jetrabam, Solomo. Salomo dilectus, ut dicitur, 2. Samuel 12.25. & vocavit nomen ejus dilectum Dei propter Dominum. Inter annos ſeptimus, ut dicitur, Levit.25.10. & ſanctificabitis annum quinquageſimum. Inter dies ſeptimus dilectus, ut dicitur, menſe ſepemo, prima menſis erit vobis Sabbatum, & requies. Inſuper quia initio anni creatus eſt primus homo, & peccavit, & Deus benedictus ei pepercit, dixitque illi: Sicut peperci tibi hoc die, ſic ego filiis tuis parcam illo die, ut legimus in libro Peſikta.* Acumen Rabbinorum in primo Septennario eſt, quod ſolicitè collegerunt nomina, quibus in ſcriptura cœli vocantur, ſeptemque deprehenderunt, & aliquid in gratiam dictionis, quam ſeptimo loco poſuerunt, in ſcripturis dictum adnotarunt. Dictiones autem illæ pleræque, ut manifeſtum eſt, per translationem tantum aliquando, nonnullæ rariſſimè, cœlos ſignificant. Vides Lector quanti faciant diem Expiationis, & novem præcedentes, quibuſve rationibus ad tantam iſtorum dierum æſtimationem commoveantur.

XIII. Quod ille Rabinus, & Moſes Corduben. ajunt de pœnitentia Deo accepta, potiſſimum illis decem diebus, qui feſtum Expiationis præcedunt, aſſumit velut vulgatum, ratumque apud eos Moſes Kotſenſis in hilcoth hattheſubah versùs finem, מסקינן מפרק קמא דראש השנה אעף שהתשובה והצעקה יפה לעולם בעשרה ימין שבין ראש השנה ליום הכפורים היא יפה ביותר ומיד היא מקובלת שנ׳ דרשו ה׳ בהמצאו בר״א ביחיד אבל בצבור כל זמן שעושין ועושין תשובה בלבב שלם מיד הם נענים שנ׳ כה׳ אלהינו בכל קראינו אליו· *Colligitur ex cap. 1. tractatus Talmudici de anni principio, quod licet pœnitentia, & clamor ad Deum perpetuò ſpecioſi ſunt, & accepti Deo, præ cætero tamen tempore pœnitentia quæ agitur decem diebus inter principium anni, & feſtum Expiationis medijs, Deo grata eſt, & ſtatim accepta, ut dicitur, quærite Deum, dum inveniri poteſt. Hoc autem intelligendum de homine privato. Sed de Congregatione Iſrael, quoties clamat ad Deum, & pœnitentiam agit corde perfecto ſtatim exauditur, ut dicitur, Quis ſicut Deus noſter in omnibus propter quæ ad eum clamamus.* Eadem ex libro Chaſidim. *n.21. in fine libri* 2. jam retulimus, unde lector ea repetere poteſt.

Morin. de Sacram. Pœnit.

CAPUT XXXV.

Quantum, & qua ratione religioſiores Judæi Pœnitentiæ dies ante feſtum Expiationis anticipant, nonnulli 40. diebus. R. Juda Chaſid ghematricè demonſtrat, legem, Dei timorem, & charitatem erga proximum eſſe connexa. Primus dies anni tubarum clangoribus adnuntiatur. Varias illius ritus rationes reddunt. Quorum peccatorum eo die fit remiſſio, quorum differtur. Judæi jactant eo die ſe Angelis ſimiles. Illo die lex Moſi data eſt, ſine illo die non ſtaret mundus. Credunt illo die ſe à Satana non tentari, quod probant Talmudici dictionis Satan Ghematria.

AUctor libri Chaſidim ſectione 156. docet, Deum ab hominibus vehementer exorandum eſſe, ut hæc tria conjungere, & maritare poſſint, timorem Dei cum lege, & charitate in proximum. Horum enim trium conjunctionem illum eſſe funiculum triplicem, qui juxta Sapientis dictum, difficilè rumpitur. Acutam, & Cabbaliſticam hujus conjunctionis rationem reddit, לפיכך יתחנן אדם על עצמו ועל זרעו ועל זרע זרעו בכל יום לזווג יראת שמים עם תורה וגמילות חסדים כי על שלשתן נאמר והחוט המשולש לא במהרה ינתק כי שלש תבות שוות בגימטריא יראת תורה גמילות חסדים כי שוקלים יראה בתורה וגמילות חסדים בתורה· *Ideò Deum deprecabitur homo pro ſeipſo, & ſemine ſeminis ſui toto die, ut conjungant, & maritent timorem cœlorum cum lege, & charitate officioſa in proximum. De his enim tribus dictum eſt, funiculus triplex non facile rumpetur. Tres iſtæ dictiones Hebraicæ, יראת תורה & גמילות חסדים· Ghematricè æquales ſunt. Ideò æqualis æſtimationis ſunt, timor cum lege, & charitas in proximum cum lege.* Unaquæque dictio numer. 611. componit: Duæ illæ, גמילות חסדים· id eſt, retributio ſive donum gratioſum, beneficium, ut eleemoſyna, vel Captivorum redemptio ſine ſpe mercedis, pro una, vel ſimul ſumendæ ſunt: Deinde · יראה constructè ſumenda, ut illi conſtet *ἰσοψηφία* ſua. Hoc appetente feſto Expiationis totis viribus præſtare conantur Judæi, nihilque non facere videntur, ut hunc Dei timorem in ſeipſis excitent, quo in die feſto peccatorum ſuorum remiſſionem à Deo conſequantur, triplicique jam commemorato funiculo cum eo colligantur.

II. Ideò eorum nonnulli aliis religioſiores maturiùs Pœnitentiam, preceſque pœnitentiales incipiunt: Menſem enim integrum anticipant, ita ut quadraginta pœnitentiæ dies complere videantur, ut auctor eſt R. Jacob in Orach Chaiim *ſect.* 581. In quibuſdam locis, inquit, incipiunt à Calendis menſis Elul, Auguſti, ואמרי דכי סליק משה להר בפעם ג׳ ונחית בלוחות שניות בי״ה וכל המוסיף לבקש רחמים זכות הוא לו ואנו מנהגינו כהגן דקיימי מר״ח אלול· *Eo quod inquiunt, aſcendit Moſes in montem tertia vice, & inde cum ſecundis tabulis io ipſo die Expiationis deſcendit. Verùm omnis, qui addit, & auget laborem, ut miſericordiam quærat, hoc ipſi in meritum imputatur. Nos autem conſuetudinem eorum amplectimur, qui à Calendis Elul initium pœnitentiæ ſtatuunt.* Ita ſcribebat iſte Rabbinus ante trecentos annos, idemque prorſus R. Aſer ante ipſum annis centum ſcripſerat in fine tractatus de anni principio, à quo videtur prior Rabinus non modò ſenſum, ſed etiam verba mutuatus.

III. Judæi Germani pœnitentiæ non adeò dediti anteveniunt quidem primum diem Tiſri, ſed pauciſſimis diebus, hoc, ut notat, ordine, ומנהג אשכנז כשחל ר״ה ביום ה׳ א׳ בשבת או מתחיל ביום א׳ שלפניו לעמוד באשמורה הבקר ואומרים סליחות ותחנונים ורוב צבור מתענין ומתפללין תפילת תענית וכשחל ר״ה בב״ג או מתחילין ביום ראשון בשבוע שלפני השבוע שחל ר״ה· *Germaniæ conſuetudo eſt, cùm incidit initium anni in feriam quintam, aut in Sabbatum incipere feria prima præcedente, & ſtare ad cuſtodiam matutinam, & recitare preces expiatorias, & Euchariſticas. Maxima autem pars Congregationis ſeſe affligit, & Deo ſupplicat recitatione precum eſurialium. Cùm verò incidit initium anni in feriam ſecundam, aut tertiam tum incipiunt feria prima ſeptimanæ præcedentis ſeptimanam, in quam illud*

initium incidit. Itaque Judæi illi, ut ſe diligentiùs ad recipiendam peccatorum in feſto Expiationis remiſſionem diſponant, diem primum Tiſri aliquando quatuor, aliquando ſex, aliquando ſeptem, aliquando 8. vel 9. diebus præveniunt. Hæc autem omnia ex conſuetudine regionum, aut ſapientum præcepto: Nam præceptum divinum ad unum tantùm diem à Veſpera una ad ſequentem eos obligat. Sapientes, & antiquiſſimi Rabbini initium jejunii ad primum anni diem retrotraxerunt, cætera regionum conſuetudines introduxerunt. Notat liber Orach Chaiim ſect. 604. unum diem jejunii, & afflictionis à Deo præcipi, cætera ſuperaddi, מאהבת הקב"ה· ex amore, & dilectione Dei.

IV. Celeberrimum eſſe Judæis hunc diem jubet ſcriptura locis capitis initio citatis, & potiſſimùm Levit. *cap.* 23. Ideò primo die menſis illius jubet Deus tubis clangere per univerſa Iſraelis caſtra, quem lætitiæ, celebritatiſque morem hactenus conſtanter Judæi obſervant, variaſque illius rationes reddunt, ut legi poſſunt iſta fusè enarrata in libro Orach Chaiim ſectione 581. & ſequentibus; Kiriath Sepher in deciſionibus de anni capite; Jad Kazachah prima parte eodem titulo; libro Semeg. in præcepto 42. affirmativo, ſive in Hilcoth Sophar, ubi multa diſputant, qua ratione ſonus edi debeat, & de qua materia tuba, quandiu, quoties clangendum, &c. ita ut nihil ſit apud eos celebrius. Volunt tubam fieri ex cornu arietino. Inducitur Deus hanc rationem reddens in Talmude Tractatu de capite anni fol. 16. כדי שאזכור לכם עקידת יצחק בן אברהם ומעלה אני עליכם כאלו עקדתם עצמכם לפני *Ut in memoriam vobis revocem ligationem Iſaaci filii Abraham, imputemque vobis quaſi ligaretis voſmetipſos coram me*. Varias rationes clangoris diverſimodè acti reddunt Orach Chaiim, ſect. 581, 596. Joſeph Caro ad eaſdem ſectiones, additiones Talmudicæ ad caput ultimum tractatus Roſch Haſchana, aliique jam citati: ut ſcilicet ad Pœnitentiam tanto ſtrepitu Judæi incitentur; cohibeantur à peccato, & tanto, varioque ſonitu tremefacti in Dei timorem, & honorem eo potiſſimùm tempore commoveantur. Denique ut ipſe Satanas tubarum ſonitu confundatur, perturbetur, perplexus, & attonitus reddatur, ut inſuper placuit R. Iſaaco Talmudico in tractatu Roſh Haſchana *f.* 16. *p.* 1. initio, & Jonathani Uzielis in Thargum ſuper *verſum* 1. *c.* 29. *Num. & c.* 10.

V. Iſtius Iſaaci verba hic lubet inſerere, ut ea refert, & illuſtrat Moſes Kotſenſis verſus medium *cap. de* 42. præcepto; Sunt enim hujuſmodi, quæ vel αἰγίλατον πέτραν commoveant, א"ר יצחק למה תוקעין ומריעין כשהן יושבין וחוזרין ותוקעין ומריעין כשהן עומדין כדי לערבב השטן ויש במדרש שמתחילה מתחיל להתפחד ולבסוף כששומע לשופר עדיין מתפחד יותר שמא הגיע זמנו להיות נבלע כמו שנ' ובלע המות לנצח ובלא המדרש אם לא יתפחד מכל מקום זוכר שלקץ ימים כשתוקע בשופר גדול יגיע זמנו להיות נבלע לנצח ולעולם כששומע קול שופר זוכר אותה שעה כאדם שרואה מת שזוכר יום המיתה ומעורבב בזה ואינו יכול לקטרג׃ *Dixit R. Iſaac quare clangunt, & Buccina ſonos frangunt, cùm ſedent, & iterùm idem faciunt, cùm in pedes ſtant? Ut perturbetur, & confundatur Satanas. Reperitur in quodam Midras quod initio incipit Satanas contremiſcere, & in fine cum audit tubam tunc magis contremiſcit; cogitans apud ſe, fortaſſe advenit tempus, quo abſorbeat, ut dicitur, & abſorpta eſt mors in perpetuum. Sed ſepoſito iſto Midras, ſi pavore non corripitur, recordatur tamen quòd in fine dierum cum magna tuba clangetur, advenit tempus ejus, quo in æternum abſorbendus eſt, perpetuò cum ſonum tubæ audis, illius horæ reminiſcitur; non ſecus ac homo, cùm mortuum videt, diei mortis recordatur, atque ex eo perturbatur, ſitque ad accuſandum impotens*.

VI. Moſes Cordubenſis hujus clangoris nonnullas refert cauſas morales non ineptas *capit.* 3. de pœnitentia, אף על פי שתקיעת שופר בראש השנה גזירת הכתוב רמז יש בו כלומר עורו ישנים משנותכם ונרדמים הקיצו מתרדמתכם וחפשו במעשיכם וחזרו בתשובה וזכרו בוראכם אלו השוכחים את האמת בהבלי הזמן ושוגין כל שנותם בהבל וריק אשר לא יועיל ולא יציל הביטו לנפשותיכם והטיבו דרכיכם ומעלליכם ויעזוב כל אחד מכם דרכו הרע' ומחשבתו אשר לא טובה׃ *Licet clangor tubæ in capite anni decretum ſit ſcripturæ, eſt in eo moralis, allegoricuſque ſenſus. Evigilate è ſomno veſtro, qui dormitis. Qui ſopore obruti eſtis, expergiſcimini è ſopore veſtro, & ſolliciti eſtote de operibus veſtris, & revertimini per pœnitentiam, & recordamini creatoris veſtri. Qui veritatis immemores eſtis propter vanitates mundanas, quique totam vitã oberratis in rebus inanibus, & ludicris, quæ nihil proficiunt, attendite ad animas veſtras, rectas facite vias veſtras, & opera veſtra, & derelinquat unuſquiſque veſtrum viam ſuam malam, & animi cogitationes impias*. Hæc ex antiquis Midraſchim deſumpſit Moſes, ut adnotat ipſius commentator. Ideò inquit, neceſſe eſt, unumquemque hominem opera bona ſua malave diligenter conſiderare, quæ præponderent, an verò ſit ſemijuſtus, & ſemimalus: idem de mundo judicium facere, quia juſtus fundamentum eſt mundi, eumque meritis ſuis ſervat, atque à periculis eripit, ipſique orbi juſtitia ſua prævalere poteſt, ומפני ענין זה נהגו כל בית ישראל להרבות בצדקה ובמעשים טובים ולעסוק במצות מראש השנה ועד יום הכפורים יותר מכל ימי השנה ונהגו כולם לקום בלילה בעשרת ימים אלו ולהתפלל בבתי כנסיות בדברי תחנונים ובכיבושין עד שיאור היום׃ *Propter hoc ſolet omnis domus Iſrael augere, & multiplicare juſtitiam ſuam, eleemoſynas, & opera bona, & incumbere ſtudio mandatorum Dei ab initio anni uſque ad feſtum Expiationis diligentius quam cæteris anni diebus, ſolentque noctu omnes ſurgere his decem diebus, ut Deum in Synagogis deprecentur verbis miſericordiam poſtulãtibus, & humilitatis actionibus donec dies illuceſcat*.

VII. Idem prope, & ob eaſdem cauſas facere admonentur ex traditione primo die menſis Elul, hoc eſt, quadraginta diebus ante ſolemnem remiſſionis peccatorum diem, ut docet antiquus eorum liber, Pirke Eliezeris *c.* 46. ubi etiam traditionis ejuſmodi occaſionem reddit, בראש חדש אלול אמר הקב"ה למשה עלה אלי ההרה והעבירו שופר בכל המחנה שהרי משה עולה להר שלא יטעו עוד אחר ע"ז והקב"ה נתעלה אותו היום באותו שופר שנ' עלה אלהים בתרועה יי' בקול שופר ועל כן התקינו חכמים שיהיו תוקעין בשופר בראש חדש אלול בכל שנה ושנה׃ *In capite menſis Elul dixit Moſi Deus benedictus, aſcende ad me in montem, & tranſire fecerunt tubam per univerſa caſtra, ne quum Moſes aſcenderet in montem, iterùm poſt idola aberrarent. Sicque Deus benedictus eo ipſo die per tubam exaltatus eſt. Ut dicitur, aſcendit Deus in clangore, & Dominus in voce tubæ. Ideò ſtatuerunt ſapientes, ut tuba caneretur quotannis primo die menſis Elul*.

VIII. R. Aſer inſignis gloſſator Talmudicus in libro, quem de capite anni ſcripſit, & addi ſolet Talmudi poſt finem tractatus de anni capite, hæc Eliezeris verba refert, ſed nonnulla velut ex textu Eliezeris ſubjungit, quæ præterit meum exemplar, כדי להזהיר את ישראל שישובו בתשובה שנ' אם יתקעו שופר בעיר וגו' וכדי לערבב את השטן שלא להשטין על ישראל ע"כ׃ *Ad admonendum Iſraelem, ut ad Deum per pœnitentiam convertantur, ut dicitur, ſi tuba clanxeritis per civitatem, &c. atque etiam ut turbetur, & confundatur Satan, ne Iſraelem tentet. Hactenus ille*. Eodem ferè modo Orach Chaiim ſectione 581. & R. Mardochæus initio tractatus de anni capite referente R. Joſepho Carone. Addunt & idem R. Aſer, & Orach Chaiim Germanos Judæos hinc ſolitos cornu clangere poſt orationem ſingulis diebus menſis Elul mane, & veſpere. Sic etiam in compendio deciſionum ex illo Aſeris tractatu, deciſione 43. יש מקומות שנהגו לתקוע שופר מראש חדש אלול אחר התפילה בכל בקר וערב׃ *In nonnullis locis ſolent tuba clangere ab initio menſis Elul ſingulis matutinis, & veſperis poſt orationem*. Quanquam enim, ut dictum eſt, multò tardius Pœnitentiam incipiunt, ad eam tamen agendam admonentur, & excitantur, ut clarius ſequente definitione demonſtratur, נוהגים להרבות בתחנונים בעשרה ימים שבין ראש השנה ליום הכפורים ויש שמקדימין לומר מר"ח אלול׃ *Solent multiplicare preces, & iis incumbere decem diebus inter initium anni, & diem Expiationis. Nonnulli præveniunt, eaſque dicere incipiunt, videlicet à principio menſis Elul*.

IX. Quanquam exiſtiment illis decem diebus tam effuſam eſſe in peccatores Dei miſericordiam, toties peccata ſua publicè, & ſecretò confiteantur, bonis operibus, & jejuniis incumbant, aſſerunt tamen, ſola in Deum peccata in die expiationis remitti, peccata verò in proximum ſuſpendi, donec ea proximo confeſſi fuerint, & ab eo veniam obtinuerint: aut ſi obtinere ſtatim non potuerint, donec ter ipſum tribus comitati teſtibus humiliter, & obnixè de ea re deprecati fuerint. Hæc multis demonſtrata ſunt ſupra, cùm de Confeſſione peccatorum ſecundùm Judæorum morem actum eſt. Sunt etiam nonnulla peccata tam gravia in Deum, ut eorum venia in die Expiationis confitentibus, & Penitentiam agentibus non concedatur, ſed ſuſpendatur, & differatur, donec afflictionibus à Deo caſtigata fuerint, aut etiam mortem peccatores illi obierent, ut ſimiliter eodem libro multis Judæorum teſtimoniis docuimus, ubi de variis peccatorum ſecundùm eos diſtinctionibus diſſeruimus, quæ non judicamus hic eſſe repetenda. Multa inſuper ſibi imponunt opera pœnalia, & laborioſa admodum, jejunia, orationes, corporis caſtigationes, ſed potiſſimùm illis decem diebus, ut peccatorum veniam à Deo impetrare mereantur, quæ ſupra pro ſcopo noſtro ſigillatim enarrata ſunt. Nunc tantùm caput hoc concludere volumus enarratione æſtimationis, quam omnibus illorum dierum officiis, & præſcriptis laboribus defuncti,

de in-

de innocentiæ, & juſtitiæ ſuæ recuperatione concipiunt, & prædicant.

X. R. Jacob auctor Hatturim, ita in prima parte, quæ Orach Chaiim dicitur ſectione 606. refert, ויתן כל אדם אל לבו בערב י"ה לפיים לכל מי שפשע כנגדו דעבירות שאין אדםלמקום י"ה מכפר ושבין אדם להבירו אין י"ה מכפר עד שיפייסנו ואפי' לא הקניטו אלא בדברים צריך לפייסו וצריך לילך לו ואם אינו מתפיים בראשונה יחזור וילך לו פעם ב' וג' ובכל פעם יקח עמו ג' שיפייסנו שימחול לו ואם אינו מתפיים בג' אינו צריך לפייסו עוד וה"מ לחבירו אבל לרבו צריך להרבו' עליו רעים עד שיתפיים ואם מת מביא עשרה בני אדם ומעמידם על קברו ואומר חטאתי לאלהי ישראל ולפלוני זה שפשעתי לו ועושין כן כדי שיהא לבכל ישראל שלם כל אחד עם חבירו ולא יהא מקום לשטן לקטרג עליהם והכי איתא בפ"ט מ"י מפירקי רבי אליעזר ראה סמאל שלא ומצא חטא בישראל ביה' ואומר רבון העלמים יש לך עם אחד בארץ כמלאכי השרת מה מלאכי השרת יחפי רגל אף ישראל יחפי רגל ביה מה מלאכי השרת אין להם קפיצה אף ישראל אין להם קפיצה עומדין על רגליהם ביה מה מלאכי השרת נקיים מכל חטא כך ישראל נקיים מכל חטא מה מלאכי השרת שלום ביניהם כך ישראל ביה והקב"ה שומע עדותן מן המקטרגין ומכפר עליהם׃ *Quilibet in primis veſperis diei Expiationis in cor ſuum inducet, proximum in quem peccavit, placare. Nam tranſgreſſiones, quæ hominum inter, & Deum intercedunt, dies Expiationis remittit, quæ verò inter hominem, & proximum non remittit dies Expiationis, donec eum ſibi reconciliaverit. Etiamſi eum verbis tantùm irritaverit, & tædio affecerit, neceſſe tamen eſt, ut illum placet, & ſibi reconciliet. Neceſſe quoque eſt ut illum adeat: ſed ſi primo illo congreſſu eum placare non potuerit, redibit ad eum duabus, aut tribus vicibus, & unaquaque tres alios ſecum aſſumet, qui proximo ſuo perſuadeant, ut ei parcat. Quòd ſi tertia vice non placaverit, opus non eſt, ut id iterùm tentet, eumque placet. Ita cum proximo agendum; Verùm ſi de magiſtro ſuo res ſit, ipſum cum pluribus Amicis toties adire debet donec, eum ſibi reconciliaverit. Si autem mortuus ſit proximus, decem homines ſecum adducet, eoſque ad ſepulchrum mortui ſiſtet, & coram eis dicet, peccavi in Deum Iſraelis, & in N. quia adversùs eum prævaricatus ſum. Hæc autem ſiunt, ut uniuſcujuſque Iſraelitæ animus in proximum rectus ſit, & perfectus, nullaque Satanæ eos accuſandi detur occaſio: atque ita refertur cap. 15. capitulorum Eliezeris. Vidit Samael, quod in die Expiationis nullum reperiretur in Iſraele peccatum, dixitque Deo, Domine ſeculorum, eſt tibi populus unicus in terra ſimilis Angelis miniſtrantibus. Quomodò ſunt Angeli miniſtrantes: diſcalceati pedes: Sic Iſraelitæ in die Expiationis diſcalceatis ſunt pedibus. Quid Angeli miniſtratorii? Non ſunt illis deſultorii pedes: Sic Iſraelitis non eſt ſaltitatio, ſed firmi conſiſtunt ſuper pedes ſuos in die expiationis. Quid Angeli miniſtratorii? Mundi ſunt ab omni peccato: Sic Iſrael mundus eſt ab omni peccato. Quid Angeli miniſtratorii: Pax inter eos: Sic Iſraeli in die expiationis: Deus autem Benedictus audit teſtimonia ab accuſantibus Iſraelem, eoſque abſolvit, & expiat.*

XI. Videtur Bahal Hatturim in capitum Eliezeris numero deceptus: Nam nihil tale habetur *capit.* 15. nec in vicinis capitibus. Verum *capit.* 46. ſimilia de die Expiationis leguntur, quæ ab his præceduntur, בן בתירא אומר ארבעים יום עשה משה בהר דורש בדברי תורה וחוקר באותיותיה ולאחר ארבעים יום לקח את התורה וירד בעשור לחדש השביעי ביום הכפורים והנחילה לישראל לחק עולם שנאמר והיתה זאת לכם לחקת עולם רבי זכריה אומ' קראו בתורה ומצאו כתוב בה ועניתם את נפשותיכם ובו ביום העבירו שופר בכל המחנה שיצומו כל העם מאיש ועד אשה מגדול ועד קטן ואלולי יום הכפורים לא הוה העולם עומד שיום הכפורים מכפר בעולם הזה ובעולם הבא שנאמר שבת שבתון הוא לכם שבת העולם הזה שבתון העולם הבא ואפילו כל המועדים עוברים יום הכפורים אינו עובר שיום הכפורים מכפר על הקלות ועל החמורות שנאמר כי ביום הזה יכפר עליכם מכל חטאתיכם מחטאתיכם אין כתיב אלא מכל חטאתיכם יום שניתנה תורה אמר סמאל לפני הק"בה רבונו של עולם על כל אומות העולם נתת לו רשות ועל ישראל אין אתה נותן לי רשות אמר לו הרי יש לך רשות עליהן ביום הכפורים אם יש להם חטא ואם לאו אין לך עליהן רשות לפי' נותנין לו שוחד ביום הכפורים שלא לבטל קרבן של ישראל שנ' גורל אחד ליי' וגורל אחד לעזאזל גורלו של הק"בה קרבן עולה וגורלו של עזאזל שעיר חטאת וכל עונותיהם של ישראל עליו שנא ונשא השעיר עליו את כל עונותם ראה סמאל שלא נמצא בהם חטא ביום הכפורים אמר לפניו רבונו של עולם יש לך עם אחד בארץ כמלאכי השרת בשמים׃ *Dixit filius Bethiræ, Dies quadraginta egit Moſes in monte, inquirens in verba legis, & ſcrutans ejus literas, & poſt quadraginta dies accepit legem, & deſcendit de monte decimo die menſis ſeptimi in ipſo die Expiationis, & tum dedit Iſrael in poſſeſſionem, & mandatum æternum, ut dicitur, & erit hoc vobis in mandatum æternum. Dixit R. Zacharias, legerunt in lege, & invenerunt in ea ſcriptum. Et affligetis animas veſtras, & eo ipſo die tranſire facietis tubam per univerſa caſtra, ut jejunet omnis populus à viro uſque ad mulierem, à magno uſque ad parvum: Et niſi dies fuiſſet expiationis non ſubſtitiſſet mundus; quia dies Expiationis pro hoc ſeculo, & pro futuro veniam obtinet, ut dicitur, Sabbatum quietis erit vobis, Sabbatum eſt hoc ſeculum; Quies, eſt futurum. Licèt autem cætera feſta prætereant, dies Expiationis non præterit, eo quòd dies ille expiet, & deleat & levia, & gravia peccata, ut dicitur Levit. 16. 30. Quoniam illo die expiabit vos ab omnibus peccatis veſtris: Non eſt ſcriptum à peccatis veſtris, ſed ab omnibus peccatis veſtris. Die quo data eſt lex dixit Samael coram Deo benedicto, Domine mundi, poteſtatem dediſti mihi ſuper omnes populos mundi, ſed nullam ſuper Iſraelem dediſti. Dixit ei, En eſt tibi poteſtas ſuper eum in die Expiationis, ſi tum eos deprehenderis peccato inquinatos; quòd ſi non, nulla eſt tibi in eos poteſtas. Propterea munus ei tradunt eo die, ut oblationes eorum non impediat, & irritet, ut dicitur, Sors una Domino, & ſors una Hazaeli. Sors Dei munus holocauſti; Sors Hazaelis hircus pro peccato, ſuper quem omnes Iſraelis iniquitates reponuntur: ut dicitur, Et tulit ſuper ſe omnes iniquitates eorum, &c. Vidit Samael, quòd nullum peccatum in die Expiationis in Iſraele reperitur, Deoque dixit, Domine mundi, Eſt tibi populus in terra ſicut Angeli miniſtratorii, qui ſunt in cælis, &c.* Poſteà ſequuntur interrogationes à jam relatis non diſſimiles. A peccatis igitur omnibus in die Expiationis mundatos eo, quem hactenus explicavimus, modo ſe credunt Judæi: Ideo quidam argutè dicit in Talmude tractatu Joma *c.* 1. *f.* 20. initio, *Satanam*, השטן Ghematricè, ſive arithmeticè numerum 364. conficere, eo quod 364. diebus per annum licet ei Judæos tentare, Diem verò Expiationis ab eo eximi. Samaelem autem, & Satanam unum, & eundem eſſe Angelum mortis, qui primos parentes ad peccatum impulit, exiſtimant, ut docet ipſe Eliezer *c.* 13. ubi multa inſuper fabuloſa de tentatione Evæ ab eo facta refert, Idem aſſerit, & probat auctor More Nebuchim *libro* 2. *c.* 30.

CAPUT XXXVI.

Exemplar Confeſſionis peccatorum, quam Judæi omnes ſingulis annis in feſto Expiationis edere ſolent, ut remiſſionem à Deo conſequantur. Judæi in orationibus ſuis verboſiſſimi. Confeſſio per Alphabetum refertur, & explicatur. Quando, & quoties iſta Confeſſio in Synagoga facienda.

TErtium, quod hac in cauſa promiſimus, nunc nobis exolvendum eſt, editionem ſcilicet ampliſſimæ Confeſſionis quam Judæi in feſto Expiationis ſæpius emittere ſolent, & ad quam potiſſimum ſpectant, quæ capitibus præcedentibus dicta ſunt de peccatorum Confeſſione ſolicitè, & frequenter edenda. Verboſi ſunt admodum Judæi in orationibus ſuis, & loquaces: Rem eandem μυριάκις repetunt, & cum ſynonymorum ſylvam congeſſerunt, ſibi videntur eloquenter mentem expreſſiſſe. Ideò frequentiſſimum eſt in eorum ritualibus, & officiis diurnis illud orationis genus, quod Litaniam vocare ſolemus. Nihil mediocre ipſis placet. Non putant Deum ſibi fauſtè propitiare niſi πολλὰ βαττολογοῦντες. Ideò nos relictis non ſolùm omnibus, quæ in ſuis Machzorim precari eo die jubentur (libellum enim integrum collecta componerent) ſed etiam multis aliis precatiunculis, quæ in Machzor Confeſſioni inſeruntur, Confeſſionis illius exemplar proponemus, quale deſcribit Moſes Cordubenſis parte prima Jad Chazakah, capite de ordine orationum, & precationum totius anni: Id enim, quod exſcribit ad unumquemque Judæum pertinere videtur, quod verò in Machzor habetur, Synagogam ſpectat, atque illius Chazan, ſive Diaconum, à quo omnia iſta diffuſius referuntur. Nonnulla Moſes aliis intentus ſub uno, וכו' &c. complectitur, quæ integra repræſentat manuale precum in minima forma caſum Venetiis in promiſcuæ plebis uſum, cui titulus, *Ordo precum totius anni ſecundùm conſuetudinem Judæorum Romanorum* Brevius multò id, de quo agimus, exhibet idem manuale plebejum, & totius anni ordo ſecundum conſuetudinem Judæorum Hiſpanorum Venetiis anno ſalutis 1613. eleganti charactare cuſus. Nos medium ordinem ſequemur, & illius exſcriptionem incipiemus, ubi eam Moſes incepit.

II. אלהינו ואלהי אבותינו תבא לפניך תפלתינו ואל תתעלם מתחנתינו שאין אנו עזי פנים וקשי עורף כדבר הזה שנ' לפניך יהוה אלהינו ואלהי אבותינו צדיקים אנחנו ולא חטאנו אבל אנחנו חטאנו אשמנו בגדנו גזלנו דברנו דופי העוינו והרשענו זדנו חמסנו טפלנו שקר יעצנו רע כזבנו לצנו מרדנו נאצנו סררנו עוינו פשענו צררנו

קשינו עורף רשענו שחתנו תעבנו תעינו תעתענו · סרנו ממצותיך וממשפטיך הטובים ולא שוה לנו · ואתה צדיק על כל הבא עלינו כי אמת עשית ואנחנו הרשענו · מה נאמר לפניך יושב מרום ומה נספר לפניך שוכן שחקים · הלא כל הנסתרות והנגלות אתה יודע · אתה יודע רזי עולם ותעלומות סתרי כל חי · אתה חופש כל חדרי בטן ובוחן כליות ולב אין כל דבר נעלם ממך ואין נסתר מנגד עיניך · יהי רצון מלפניך ה' אלהינו ואלהי אבותינו שתסלח ותמחול לנו על כל עונותינו ופשעינו ותכפר לנו על כל חטאתינו · *Deus noſter*, *& Deus Patrum noſtrorum veniat ante faciem tuam oratio noſtra, & ne abſcondas te à deprecatione noſtra, quia nos non ſumus perfrictæ frontis, neque duræ cervicis, ita ut dicamus in conſpectu tuo Deus noſter, Deus Patrum noſtrorum nos juſti ſumus, & non peccavimus. Sed nos peccavimus, Reatum contraximus, perfidè egimus, rapuimus, turpia locuti ſumus; perversè, & impiè fecimus, ſuperbè & violenter egimus, mendacia conſuimus, malum conſuluimus, mentiti ſumus, irriſimus, rebellavimus, contempſimus, contumaces fuimus, iniquè egimus, prævaricati ſumus, hoſtiliter egimus, cervicem induravimus, impiè fecimus, corrupimus viam noſtram, abominabiles nos reddidimus, aberravimus, ſeduximus. Receſſimus à mandatis tuis, & à judiciis tuis bonis, & non profuit nobis. Tu autem juſtus es in omnibus, quæ eveniunt nobis, quoniam veritatem feciſti, & nos impiè egimus. Quid dicemus in conſpectu tuo, qui inſides excelſa? Quid narrabimus in conſpectu tuo, qui inhabitas cælos? Numquid tu cognoſcis omnia occulta, & revelata? Tu cognoſcis ſecreta mundi, & abſcondita, latibula omnis viventis. Tu ſcrutaris omnia penetralia, & receſſus ventris: Tu exploras renes, & cor; nec ulla res eſt tibi occulta, nihilque eſt abſconditum à conſpectu oculorum tuorum. Placitum ſit ante te Dominus Deus noſter, & Deus Patrum noſtrorum ut ignoſcas, ut parcas nobis omnes iniquitates noſtras, & prævaricationes, & expies nos ab omnibus peccatis noſtris.*

III. Poſteà ſequitur ſpecialis peccatorum enuntiatio, quæ in Machzor, Pragæ imperante Matthia Cæſare, in uſum Germanorum, & Polonorum excuſo, multò amplior legitur; in Manuali verò Hiſpanorum multò contractior. Antequam illam exhibeamus, notabit Lector Confeſſionem Alphabeticam, de qua ex Orach Chaiim jam nonnulla dicta ſunt, verbis præcedentibus eſſe expreſſam. Incipit ab eo verbo, אשמנו *Reatum contraximus*, & finit in verbo, תעבנו *abominabiles nos reddidimus*, quod nihilominus duo alia à Thau litera conſequuntur. Myſterium illius Confeſſionis eſt, quòd orbo verborum, quibus confitentur, incipit ab Aleph litera, ſecundum verbum à Beth, tertium à Ghimel, & ſic conſequenter in Thau finit, ut ſupra Lector conſpexit. Non eſt autem Judæorum Germanorum propria, ut Bahal Hatturim monebat: Hanc enim non modò referunt, & præcipiunt Italorum, & Hiſpanorum Ritualia, ſed etiam Moſes ille, qui maximam vitæ partem in Ægypto peregit. Legi libellum Hiſpanicum, qui continebat translationem totius officii Judaici in capite anni, & in feſto Expiationis; ſed in eo ſæpiſſimè referebatur illa Confeſſio Alphabetica.

IV. Hæc igitur apud Moſen, & in manuali Romano verba jam citata immediatè ſequuntur,

על חטא שחטאנו לפניך באונס ·

עח	של	ב	בלי דעת
עח	של	ב	גלוי
עח	של	ב	דעת ובמרמה
עח	של	ב	הרהור הלב
עח	של	ב	וידוי פה
עח	של	ב	זדון
עח	של	ב	חוזק יד
עח	של	ב	טמאות שפתים
עח	של	ב	יצר הרע
עח	של	ב	יודעים
עח	של	ב	לא יודעים
עח	של	ב	כחש ובזב
עח	של	ב	לשון הרע
עח	של	ב	מראות העין
עח	של	ב	נשך ובמרבית
עח	של	ב	שיח שפתותינו
עח	של	ב	עינים רמות
עח	של	ב	פתחון פה
עח	של	ב	צעדי רגלים
עח	של	ב	קפיצת יד
עח	של	ב	רצון
עח	של	ב	שגגה
עח	של	ב	תמהון לבב

על חטאים שאנו חייבים עליהם אשם ·

עחט	שחע	חטאת
עחט	שחע	עולה
עחט	שחע	קרבן
עחט	שחע	מיתה
עחט	שחע	כרת
עחט	שחע	מיתה בידי שמים

על חטאים שאנו חייבין עליהם ארבע מיתות בית דין ·

סקילה שרפה הרג וחנק ומלקות ארבעים ועל מצות עשה ועל מצות לא תעשה בין שיש בה קום ועשה ובין שאין בה קום ועשה בין שגלוים לנו ובין שאינן גלוים לנו הגלוים לנו כבר אמרנו לפניך ושאינן גלוין לנו כבר לפניך גלוים וידועים כדבר שנאמר הנסתרות לה' אלהינו והנגלות לנו ולבנינו עד עולם לעשות את כל דברי תורה הזאת ·

V. Antequam iſta interpreter, Lectorem monebo in unoquoque ordine ſubaudienda eſſe poſtrema verba præcedentis pericopæ, videlicet, *Placitum ſit ante te Deus noſter, ut ignoſcas, ut parcas nobis omnes iniquitates, & prævaricationes noſtras, & expies nos ab omnibus peccatis noſtris.* Hoc enim poſito, ea, quæ mox interpretaturi ſumus, & ſecum, & cum antecedentibus optimè connectuntur. Deinde monitus eſſe debet, ea, quæ videt brevitatis cauſa per notarica deſcribi, in duabus illis lineis ſolitariis expanſè, & integrè referri.

Peccata, quæ peccavimus in conſpectu tuo per violentiam, & oppreſſionem.

Quæ peccavimus per ignorantiam.
Quæ peccavimus palàm, & impudenter.
Quæ peccavimus per cognitionem, & dolum.
Quæ peccavimus per cordis cogitationes.
Quæ peccavimus per confeſſionem oris.
Quæ peccavimus per ſuperbiam.
Quæ peccavimus per manum robuſtam, & inſolentem.
Quæ peccavimus per immunditiem labiorum.
Quæ peccavimus per concupiſcentiam malam.
Quæ peccavimus ſcientes.
Quæ peccavimus neſcientes.
Quæ peccavimus per mendacium.
Quæ peccavimus per calumniam, & maledicentiam.
Quæ peccavimus per viſum.
Quæ peccavimus per fœnus, & uſuram.
Quæ peccavimus per vana colloquia, & confabulationes.
Quæ peccavimus per ſuperbiam oculorum.
Quæ peccavimus per datam oblatrandi occaſionem.
Quæ peccavimus per inceſſum pedum.
Quæ peccavimus per motionem manus.
Quæ peccavimus per voluntatis libidinem.
Quæ peccavimus per errorem.
Quæ peccavimus per ſtuporem cordis.

Peccata, propter quæ Rei ſumus oblationis.

Propter quæ Rei ſumus peccati.
Propter quæ Rei ſumus iniquitatis.
Propter quæ Rei ſumus oblationis Corban.
Propter quæ Rei ſumus mortis.
Propter quæ Rei ſumus exciſionis è populo.
Propter quæ Rei ſumus mortis manu Dei.

Peccata, propter quæ Rei ſumus quadruplicis generis ſupplicii à domo Judicii, infligi ſoliti.

Lapidationis, combuſtionis, cædis, & ſuſpendii, atque flagellationis quadraginta plagarum, præceptorum affirmantium, & negantium, ſive illis ſint conjuncta, ſurge & fac, ſive non ſint; ſive nobis ſint revelata, ſive non. Quæ nobis revelata ſunt, & cognita, jam ea in conſpectu tuo enarravimus: Et quæ nobis non ſunt cognita, jam tibi ſunt revelata, & cognita, ſecundùm id quod dictum eſt Deut. 29. 29. Abſcondita Domino Deo noſtro, & revelata nobis, & filiis noſtris uſque in ſeculum, ut faciamus omnia verba legis hujus.

VI. His addunt R. Moſes Cordubenſis in exemplari Confeſſionis, quod exhibuit, & Manuale Hiſpanicum, quæ nobis non videntur hic prætermittenda, כי אתה סולחן לישראל ומוחלן לשבטי ישורון ומבלעדיך אין לנו מוחל וסולח אלא אתה ·

אתה אלהי עד שלא נוצרתי איני כדאי ועכשיו שנוצרתי כאלו לא נוצרתי עפר אני בחיי קל וחומר במיתתי הרי אני לפניך ה׳ אלהי ואלהי אבותי בכלי מלא בושה וכלימה יהי רצון מלפניך ה׳ אלהי ואלהי אבותי שלא אחטא ומה שחטאתי מרוק ברחמיך הרבים אבל לא על ידי יסורין וחלאים רעים יהיו לרצון אמרי פי והגיון לבי לפניך ה׳ צורי וגואלי׃ *Quoniam tu parcis Iſraeli, & condonas tribubus ejus, & præter te non eſt, qui nobis parcat, & condonet, niſi tu. Deus meus, quamdiù formatus non fui, ad nihil idoneus eram: ſed etiam nunc cùm creatus ſum, & formatus, ſum quaſi formatus non eſſem. Pulvis ego ſum in vita mea, multò magis in morte mea. En ego ſum in conſpectu tuo, Domine Deus meus, & Deus Patrum meorum velut vas plenum confuſione, & ignominia. Sit voluntas tua Domine Deus meus, & Deus Patrum meorum, ut non peccem; & quod peccavero dele per multam miſericordiam tuam, ſed non per afflictiones, & morbos malos. Fiat ſecundùm beneplacitum verba oris mei, & meditatio cordis mei in conſpectu tuo, Domine rupes mea, & redemptor meus,*

VII. Poſteà ſic adnotat Moſes, בסדר הזה מתודה בערבית שחרית ומוסף למנחה בין יחיד בין שליח ציבור אלא שיחיד אומר וידוי זה אחר תפלתו אחר שגומר שים שלום קודם שיפסיע שלש פסיעות ושליח ציבור אומרו בתוך ברכה אמצעית קודם שיאמר אלהינו ואלהי אבותינו מחול לעונותינו מתודה וידוי כסדר הזה ואחר כך אומר מחול לעונותינו ביום צום הכיפורים בנעילת מתודה בסדר הזה מה נאמר לפניך וכו׳ *Juxta hunc ordinem quiſque confitetur, in veſperis, matutinis, in auctario, & oblatione, ſive ſit privatus, ſive Synagogæ Miſſus, & Diaconus. In eo tantùm differunt, quòd Privatus Confeſſionem hanc facit poſt orationem ſuam, poſt quàm complevit orationem, quæ incipit, Pone pacem, antequam tres greſſus ſive paſſus progreſſus fuerit. Miſſus verò Synagogæ eum dicit in medio benedictionis mediæ, antequam dixerit, Deus noſter, & Deus Patrum noſtrorum parce iniquitatibus noſtris, confitetur hanc Confeſſionem ſecundùm hunc ordinem; & poſteà dicit, Parce iniquitatibus noſtris in die jejunii feſti Expiationis. In Clauſula orationis ſive Completorio confitetur juxta hunc ordinem, Quid dicemus ante faciem tuam, &c.* De frequenti iſtius Confeſſionis repetitione jam ex Moſe, nonnulliſque aliis multa dicta ſunt. Quocirca nihil attinet pluribus hoc perſequi. Id quod dixit Moſes, *antequam greſſur, &c.* Alluſio eſt vel ad quandam ceremoniam, qua ſolent in actione illa tres greſſus gradi; frequentes enim corporis motiones non ſunt illis in officiis ſuis Eccleſiaſticis infrequentes; vel ad quandam aliam motus in oratione ceremoniam nobis incognitam. Idem ſignificat, ſed aliis verbis, auctor Orach Chaiim *ſect.607.* היכן אומרו יחיד אומרו אחר תפילתו אחר שגמר קודם שעקר רגליו וש״צ אומרו בי״ה בתוך התפילה׃ *Quomodo hanc Confeſſionem dicit Privatus? Eam dicit poſt orationem ſuam, poſtquam complevit, antequam pedes ſuos dimoverit. Sed Synagogæ Miniſter eam dicit in die Expiationis in medio orationis.*

CAPUT XXXVII.

Confeſſionem in feſto Expiationis fieri ſemper ſolitum, eſſe ſingulorum peccatorum. Sententiæ R. Akibæ, qui videtur diſſentire, variæ interpretationes, & modificationes à Rabbinis datæ referuntur. Quibus caſibus deciſio Talmudica R. Akibæ ſententiam non ſequitur. Nullus dubitat, peccata ſigillatim in feſto Expiationis eſſe confitenda, ſed an confeſſa eo feſto, ſint iterùm ſigillatim feſto ſequente confitenda. R. Elizeris ſententia in Talmude raræ, ſed ſemper deciſiva. Peccata in Deum quando, & qua ratione confitenda. Explicatur mos frequentiſſimus Judæorum alterutrum peccata in Synagoga confitendi, & ſeſe invicem propterea flagellandi.

Generalis illa Confeſſio, quam capite præcedente ex Judæorum præcipuis Doctoribus, & ritualibus exhibuimus, nihil derogat privatæ Confeſſioni, qua quis peccata, quæ in proximum commiſit, illi confitetur, & ab eo veniam deprecatur; aut quam etiam pluribus aliis exponit, ut apud proximum, quem læſit, veniæ ab eo impetrandæ gratia intercedant. Generalis enim illa quotannis in feſto Expiationis à tota Synagoga, & ab unoquoque privato ſaltem ſemel ex divino præcepto ſolemniter editur: Particularis verò, ut occaſio ſeſe præbet, quotidie edi poteſt. Generalem autem vocamus ratione perſonarum, eo quòd omnes ad eam præſtandam teneantur, non ratione rei confeſſæ. Singula enim peccata, poſtquam multis verbis ſe eſſe peccatores, & graviſſimorum criminum reos profeſſi ſunt, non modò Synagogæ Miniſter publicè exponit, & à Deo veniam pro ſe, & toto cœtu deprecatur, ſed etiam unuſquiſque Judæus privatim, quæ ipſe perpetravit, muſſando κατὰ μέρος pronuntiat.

II. De iſta particulari per partes, & circumſtantias peccatorum Confeſſione, licèt multa dixerimus *cap.22. lib.2.* nonnulla tamen ad dilucidius explicandam ejuſmodi Confeſſionem, ut initio hujus tractatus quarto loco polliciti ſumus, jam dictis ſuperaddemus. Demonſtravimus ibidem, Rabbinos antiquos, & recentiores docere hanc confeſſionem particulatim factam fuiſſe, & quotannis in feſto Expiationis ex antiquiſſima, & perpetuò obſervata traditione ab omnibus Judæis ſæpius fieri ſolitam. Huic univerſali, & perpetuæ Judæorum ſententiæ, & praxi ſeſe opponere videtur R. Akiba, atque eum ſequi Bahal Hatturim in libro Orach Chaiim *ſect. 607.* Ubi verba facit de Confeſſionis paradigmate quod capite præcedente edidimus. באשכנז נוהגין לומר על חטא על סדר אלפא ביתא ומפרטין בו החטאים וכן כתב רב עמרם וכן כתב הרמב״ם ז״ל והר״י כתב שצריך לפרט החטא ובספרד אין נוהגין לאומרו וכן נראה שאין שצריך לפרט החטא שרבי עקיבא אומר שאין צריך לפרט החטא והלכתא כדבריו׃ *Solent in Germania Confeſſionem peccatorum, quæ dicitur* על חטא *edere ſecundùm ordinem Alphabeti, & in ea ſigillatim peccata enuntiare. Sic eſſe faciendum ſcribit R. Amram; ſic etiam ſcribit Rambam, quorum memoria in benedictione. Rabi etiam Juda ſcribit ſpecialem illam enuntiationum peccatorum eſſe neceſſariam. Sed in Hiſpania non ſolent ſic eam edere, & ita videtur non eſſe neceſſarium ſigillatim peccata enuntiare, quia R. Akiba ſic cenſuit, & deciſio verba ejus ſequitur.*

III. Jam multis egimus *cap. ult. lib.2.* de iſta ſingulari R. Akibæ ſententia, & demonſtravimus cæteros Rabbinos antiquos, & recentiores illi repugnare: Deinde videri Akibam magis rationem ſententiæ contrariæ evertere, quàm ſententiam ipſam. Nunc aliàs iſtius ſententiæ tum interpretationes, tum temperamenta ex commentationibus tam Joſephi Karo in verba citata, quàm Scholiaſtæ Moſis Cordubenſis excerpere, & ob oculos lectoris proponere fert animus. Primùm docet R. Joſeph ratione Talmudica fretus ſententiam Akibæ hac in cauſa deciſionem, ſeu ſenatuſconſultum non facere. Certum equidem eſt, inquit, & perſpicuum Akibæ ſententiam in Talmude, cum ſocio ſuo contradicit, præferri ſolere, ומשמע ודאי דקי״ל כר״ע דהא הלכה כרבי עקיבא מחבירו׃ Et ideò hactenus Akibæ ſententiam potiorem haberi ſententia R. Judæ filii Babæ. Sed in data hypotheſi non refertur ſimpliciter R. Judæ ſententia, ſed R. Juda verba, ſententiamque refert Rabi, & ideò hic, inquit, Judæ ſententia ſequenda eſt, non Akibæ, ודאי דרבי יהודה בן בבא אתיא וכיון דרב סבר כוותיה הכי נקטינן׃ *Clarum eſt, quòd cum R. Juda filius Babæ aliquid refert, & eum conſentit Rab, nos ſic tenere, & ratum habere.* Hinc colligit, Moſen Cordubenſem, & alios rectè ſecundùm R. Judam definiiſſe, & ideò ſe R. Akibæ ſententiam deſerere; Rabbinos verò Hareph, & Aſer ad Rabi verba non attendiſſe, ſed ſolummodò ad R. Nachman verba, quæ poſteà in Talmude referuntur, & ſententiæ Akibæ favent, & ideo ipſius ſententiam eſſe amplexos. Eadem adnotavit ante Joſeph Karo antiquus Moſis commentarius dictus Keſeph Miſnch *in cap. 2. tractatus de Pœnitentia.*

IV. Idem R. Joſeph eodem loco alium omninò ſtatuit controverſiæ ſtatum, quàm qui hactenus explicatus eſt, ex quo nihil prorſus contra ea, quæ de peculiari Confeſſione demonſtrata ſunt, colligi poteſt. Sic illum explicat, ונ״ל שיש סעד עוד להרמב״ם לפסוק כר״י בן בבא מדאי פליגו תנאי התם בעבירות שיתודה בהם בי״ה שעבר אם חוזר ומתודה עליהם בי״ה אחר ומשמע דאם לא התודה עדין עליהן לדברי שניהם מתודה עליהם בפרטות משמע דאם לא כן ליבא מ״ד שאינו חוזר ומתודה שהרי לדברי הכל צריך להתודות בי״ה ולא פליגי אלא באם יפרט חטאים שהתודה עליהם בי״ה שעבר והמרדכי כתב גם כן שצריך לפרוט החטא וב״ך הכלבו׃ *Videtur mihi præterea quod quã Rambam ſententia, qua motus eſt ad definiendum ſecundùm R. Judam filium Babæ adjuvari, & confirmari poteſt ex eo, quòd ibi diſputant Doctores Thanaim de peccatis, quæ quis confeſſus eſt in feſto Expiationis præterito, ſi iterùm ea confiteri tenetur in alio Expiationis feſto. Subaudiendum enim eſt, ſi ea nondum eſt confeſſus: Nam ex utriuſque conſenſu ea ſigillatim confiteri tenetur. Si talis quæſtionis ſenſus non eſſet, Doctorum nemo diceret, quòd iterùm non debeat confiteri. Nam ſecundùm omnium ſententiam neceſſe eſt ea confiteri in die Expiationis. Nec de alia re diſputant, quàm ſi confitebitur ſigillatim peccata, quæ jam confeſſus eſt, in die expiationis præterito. Idem præterea ſcripſit Mardochæus, ſcilicet neceſſarium eſſe particulatim edere peccata: Sic ſcripſit & auctor libri Colbo.*

V. Eodem modo cenſet auctor Keſeph Miſnch loco citato, ויש ראיה לדברי רבינו מדאפליגו התם על עבירות שהתודה עליהם ביום הכפורים שעבר אם יכול להתודות עליהם ביום הכיפורים אחר אם לאו ועד כאן בספרם חטאיו מידי אלמא לדברי הכל כל שלא התודה עדיין עליהם צריך לפרטם׃ *Argumentum etiam in confirmationem ſententiæ Magiſtri noſtri deſumitur ex eo, quòd ibi diſputant*

Digitized by Google

neratim peccata ſimul confiteri præeunte Synagogæ Miniſtro. Secundum, ſæpius quoque unumquemque Privatum illis decem diebus, & præcæteris in feſto Expiationis peccata confiteri, non animo tantum, & verbo mentis interiori, ſed etiam exteriori, & orali verborum pronuntiatione. Tertium, peccata publica, ſive in Deum; ſive in proximum publicè confiteri ſolitos, ut illorum à Deo, horum à proximo veniam impetrent. Quartum, peccata in proximum, ſive ſecreta, eſſe proximo confitenda, & ab eo veniam exorandam: Quòd ſi auſterus ſit, eumque averſetur, tribus teſtibus comitatus ter ab eo veniam deprecari tenetur, ut animi ejus duritie tandem ſic emollita, vel ab eo veniam exoret, vel repulſam paſſus, à Deo. Quintum, laudabile admodum, & pium apud eos, judicari peccata in proximum perpetrata, licet occulta, & nemini cognita, publicè, & coràm omnibus confiteri, hocque perfectæ Pœnitentiæ eſſe argumentum. His ſextum addi debet, quòd quarti explicationem, aut certè ampliationem continere videtur, Illam nondum in Judæorum libris expreſsè legi; Rarius forſan de ea loquuntur, quia in traditione quarti conſectanei adjuncta quotidiana praxi ſatis exprimi, & declarari videtur. Sed illius nobis eſt auctor *ἀξιόπιστος* Joannes Buxtorfius in his rebus diligenter verſatus, quique non modò Judæorum frequenti commercio hoc diſcere potuit, verùm etiam ex Judæorum ritualibus in Germanicam linguam translatis quorum nonnunquam utitur.

XI. Sic igitur ille *cap.* 20. libri quem inſcripſit, Synagoga Judaica, verba faciens de peccatorum Confeſſione, quam in feſto Expiationis edere ſolent. *Hæc autem Confeſſio ſic ſe habet; boni ſemper in peculiarem quendam Scholæ locum eunt, tum alter humi ſe proſternit vultu ad Septentrionem obverſo, tergo verò ad Meridiem; alter verò loro ſcorteo, vel cingulo triginta novem ictus dorſo ejus infligit. Is qui flagellatur, interim confitetur, ſibique ipſi ad ſingulas voces pectus plangit. Flagellator ex Pſalmo 78. ait,* והוא רחום יכפר עון ולא ישחית והרבה להשיב אפו ולא יעיר כל חמתו׃ *Ipſe miſericors condonavit iniquitatem, neque diſperdidit, & multiplicavit ut averteret iram ſuam, neque excitavit omnem iram ſuam. Conſtat hic verſiculus Hebraicè tredecim tantùm vocibus, terque à flagellante repetitur, & ad ſingulas voces ictum infligit, quod novem quoque, & triginta ictus conſtituit. Hic poſtea etiam humi procumbit, & eodem modo à ſocio excipitur, que illum excepit, & ita graves peccatorum ſuorum pœnas dant.* Unde hoc acceperit Buxtorfius ita expreſsè, & particulatim, non notat: Sed propter rationes jam dictas, cui fides his in rebus adhibeatur, dignus eſt.

XII. Admonet equidem auctor libri Orach Chaiim in Germania totam Synagogam hoc facere ſolitam poſt orationem oblationis, ſive pomeridianam peroratam, ונוהגין באשכנז שכל הקהל לוקין מלקות ארבעים בבית הכנסת אחר תפילת המנחה שמתוך כך יתן אל לבו לשוב מעבירות שבידו׳ *In Germania ſolet univerſus cœtus vapulare flagellatione quadraginta plagarum in domo Synagogæ poſt orationem oblationis, ut hoc mediantè det illi Deus animum convertendi ſe ab iniquitatibus ſuis.* Non tantùm privatus aliquis poſt hanc Confeſſionem (iſta enim hora potiſſimùm, peccatorum ſpecialem exomologeſim Privati facere ſolent) agit publicè de peccatis pœnitentiam, ut docet Buxtorfius, ſed univerſus Judæorum cœtus in hac actione in ipſa Synagoga occupatus eſt.

XIII. R. Joſeph Karo iſta commentans ea refert, quæ ſcire operæ pretium eſt, כ״כ שם הרא״ש ומה שכתב רבינו שמתוך כך יתן אל לבו לשוב מעבירות שבידו כן כתב הכל בו נהגו ללקות מלקות אחר הטבילה להכניע לבבם הערל ולהכינו לעבוד השם הנכבד והנורא באימה וביראה ותמהני למה לא כתב שהטעם מפני שמלקות מכפרת עון ואף על פי שאין אנו דיינים סמוכים כדי ללקות לפניהם וגם אין באין עדים שהתרו בו כדי לחייבו מלקות מכל מקום כפרה מקצת הוא׃ *Sic ſcribit ibi R. Aſer. Quod autem ſcripſit Rabbinus noſter; quòd mediantè flagellatione illa proponet ſibi, & in animum inducet converſionem ab iniquitatibus ſuis, de hoc ſic ſcribit auctor libri Colbo. Solent flagellari flagellatione quadraginta poſt lotionem, ut humilient cor ſuum incircumciſum, & illud diſponant ad ſerviendum Deo glorioſo, ac terribili cum tremore, & timore. Miror autem cur non ſcripſerit, quod iſtius rei ratio eſt, quòd flagellatio illa expiat iniquitatem, Licèt enim non ſint nobis Judices, quibus manus fuerint impoſitæ, ut coram ſe jubeant flagellari, neque etiam veniant teſtes, qui moneant, & conteſtentur adversùs aliquem, ut eum flagellationis reum agant, nihilominus aliquomodo expiat.* Cum igitur tam frequens, & ſolemnis ſit publica iſta poſt peccatorum publicam Confeſſionem flagellatio, nullo modo improbabile eſt privatum aliquem ob peccata occulta, aut quæ pauci norunt, publicam, & ſeveram ſubire Pœnitentiam.

COMMENTARII HISTORICI DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTI POENITENTIÆ,

Ab Apoſtolis ad uſque ſeculi duodecimi initium tam in Eccleſia Orientali, quàm Occidentali obſervata.

LIBER DECIMUS.

Exponit, qualis fuerit in ægrotos, & moribundos diſciplinæ Pœnitentialis praxis, & qua ratione variis ſeculis, & regionibus variata eſt. Singulatim quoque explicat, quibus gradibus, & occaſionibus diſciplina Pœnitentialis à ſeculo undecimo ad decimumtertium jam inclinans relaxata eſt.

CAPUT I.

Pulſis ab Eccleſia; etiam morituris, Abſolutio tribus primis ſeculis in Occidente denegata eſt, ſi morbo afflicti eam primùm poſtulabant. Id obſervatum eſt in Gallia ad annum uſque 1396. in criminum Reos ad mortem damnatos.

Libris præcedentibus quanta potuimus diligentia, & fidelitate executi ſumus quæcunque viſa ſunt nobis ad ſanorum pœnitentiam pertinere: Hoc libro nonnulla nobis proponimus explicanda, quæ ad infirmorum, & ægrotorum Pœnitentiam ſingulariter ſpectant. Pleraque enim eorum, quæ hactenus de Pœnitentia diſſeruimus, certum eſt, & omnibus notum, ad perſonas malè valentes, & morbo languidas pertinere non poſſe; Veluti, quæcunque diſputata ſunt libris, quinto, ſexto, ſeptimo, & decimi magna parte: Morbus enim, præſertim ſi gravis ſit, iſtorum executionem non patitur. Sunt quoque in aliis libris nonnulla ejuſmodi. Inquirendum igitur eſt, quæ purgatio, quod alexipharmacum horum loco ipſis applicari ſolebat: Deinde quænam erat Eccleſiæ in eos diſciplina, cùm è morbo convaleſcere contingebat. Pleraque præterea eorum, quæ aliis libris, & locis diſputata, explicatave ſunt, ex æquo ad ſanos, infirmoſque ſpectant, ut data quacunque hypotheſi cuilibet, vel leviſſimè attendenti eſt perſpectiſſimum. Quæ ad ægrotos ſingulariter ſpectant, ad quinque claſſes, ſive capita revocari poſſunt. Prima claſſis eorum eſt, qui cùm ſani erant graviſſimè peccaverant, eoſque ideò Eccleſia evomuerat; ipſi verò poſteà Eccleſiam prorſus deſeruerant, nec ante morbi irruptionem de pœnitentia agenda apud Eccleſiam interceſſerant. Secunda claſſis, eos complectitur, qui ſani graviter quidem peccaverant, attamen eo quòd eorum crimina vel eſſent occulta, vel notiora quidem, ſed propter multa, quæ ſæpè contingunt, legitimè probati non poſſent, ab Eccleſia nec ejecti fuerant, nec ad Pœnitentiam coacti. Tertia Pœnitentium eſt, hoc eſt, eorum, qui ſani crimina confeſſi erant, & de iis Pœnitentiam impoſitam agebant, & Pœnitentium ordinibus in Eccleſia aggregabantur. Quarta eorum, qui moribundi Pœnitentiam publicam ſibi concedi efflagitabant, licèt nullo crimine, propter quod agi ſolet, tenerentur. Poſtrema denique fideles continet, eos ſcilicet, qui baptiſmum ſuum integrum conſervaverunt, id eſt, qui nullius criminis, propter quod Pœnitentia infligi ſolebat, ſibi conſcii ſunt, vel qui baptiſmi integritatem acta Pœnitentia recuperaverunt, & poſt recuperationem nihil Pœnitentia dignum commiſerunt.

II. Quanquam enim omnibus iſtis ægrotantium generibus plurima ſunt, quòd ad Pœnitentiam attinet, communia; nonnulla tamen ſunt in unoquoque genere ſingularia, quæ ſigillatim in unaquaque claſſe examinabimus. Sunt inſuper in omnibus tres circumſtantiæ conſiderandæ, quæ nonnunquam à canonibus adnotantur, & maximi ſunt in hac cauſa momenti. Vel enim ægroti Pœnitentiam petunt, dum mentis, & linguæ ſunt compotes: Vel ſubita morbi irruptione obmuteſcunt, & ideò Sacerdoti advenienti nihil de peccatis poſſunt indicare, ſed tantùm nutu, & ſignis ſe dolere, & reconciliationem deſiderare. Vel denique tantus eſt morbi impetus, ut cùm advenit Sacerdos, omnis ſenſus ſint expertes, nihilque prorſus illi ſignificare poſſint, ſed adſtantes tantùm teſtificari, eos Sacerdotem, cùm morbus irruere cœpit, inclamaſſe. Quæ ex iſtarum circumſtantiarum comparatione, & concurſu oriuntur difficultates, ex antiquorum ſententia, & praxi enodabuntur; & quæ temporum lapſu immutata ſunt, adnotabuntur. Iſta autem duobus modis, ut de ſanis, quantum potuimus, factum eſt, ediſſeremus: Primùm generaliter, quæ de his quæſtionibus definiunt canones, & Patrum dicta referemus; deinde ſpecialiùs, quo ritu, quibus ceremoniis, & formulis, Pœnitentia ægrotis imponebatur, & reconciliatio præſtabatur, ex antiquis Sacramentariis Pœnitentialibus exſcribemus.

III. Prima claſſis eorum eſt, quibus jam diximus non ſemel libro præcedente, veniam ab Eccleſia trecentis primis annis non eſſe indultam: Quicunque ſanus criminis ſui veniam ab Eccleſia petiit, qualiſcunque fuiſſet criminis gravitas, eam tandem obtinebat, & celerrimè, ſi vitæ periculum imminebat. Verùm ſi neglecta Eccleſia, quam deſeruerat, vel à qua eliminatus fuerat, tum primum Pœnitentiam, veniamque petebat, cùm morbo ſtimularetur, mihi videntur Patres ejuſmodi homini evidenter veniam denegaſſe, licèt ſeriò, quantum ab externis ſignis judicare fas eſt, eam deſideraret. Tanta fuit eo tempore clementiſſimorum Patrum ſeveritas, *non deſperatione indulgentiæ*, ut docet S. Auguſt. *Epiſt.*50. in cauſa ſimili, *ſed rigore diſciplinæ*.

IV. Ne verò hanc tantillam ſeveritatem exhorreſcas, id obſervatum eſt in Gallia ad annum uſque 1396. in criminum Reos morti condemnatos. Sacramentum Pœnitentiæ illis denegabatur, & in hunc uſque diem Sacramentum Euchariſtiæ illis denegatur. Primus hunc morem multorum Procerum Eccleſiaſticorum, & virorum Principum precibus perſuaſus abrogavit Carolus VI. edicto Pariſiis dato 4. Non. Februarii anno 1396. Edictum integrum refert Fontano *Tom.* 1. Edictorum, & Conſtitutionum Regum Franciæ, *tit.*68. *num.* 1. Editionis anno 1611. *pag.* 660. Hoc videtur ab antiquo, & regnantibus ſecundæ ſtirpis regibus in Gallia, & Germania obſervatum. Concilium enim Moguntinum anno 848. celebratum nonnullis quærentibus, an ejuſmodi hominibus eſſet Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrandum, & preces conſequenter Deo pro iis offerendæ, reſpondet, & probat id ita faciendum *cap.* 27. Similiter Concilium Vormacienſe *cap.* 80. & Concil. Tribut. *cap.*31. Ex Moguntino hunc canonem repetit Ivo *Decreti p* 14. *cap.*124.

cap. 124. Burchardus *lib.* 11. *cap.* 59. ex eodem Concilio hoc refert, *Fures, & latrones, ſi in furando, & prædando occiduntur, viſum eſt pro eis non orandum. Si comprehenſi, aut vulnerati, Presbytero, vel Diacono confeſſi fuerint, communionem eis non negamus.* Iiſdem verbis hunc canonem repetit, Ivo *part.* 13. *cap.* 45. Gratianus 13. *quæſt.* 2. *cap.* fures, & in Appendice Concilii Lateran. 3. ſub Alexandro 3. *part.* 34. *cap.* 2. Sed velut ex Concilio Turonenſi. Attamen his omnibus non obſtantibus, Mos ille Pœnitentiæ Sacramentum quibuſcunque Reis ad mortem damnatis non administrandi in pleriſque Galliæ Provinciis ad Carolum Sextum Regem perſeveravit. Quapropter nihil eſt, quòd in propoſitione, quam nobis hoc capite probandam ſuſcepimus, admodum averſeris.

V. Nihil ad hoc probandum evidentius mihi videtur deſiderari poſſe S. Cypriani teſtimonio in Epiſtola ad Antonianum, Poſtquam demonſtravit Plangentibus, & Lamentantibus indulgentiam eſſe concedendam, ſuperbos verò, & pervicaces iram ſibi, & pœnam aſciſcere, colligit, *Idcircò frater chariſſime Pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſtè lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omninò cenſuimus à ſpe communicationis, & pacis, ſi in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari; quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit; nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum.* Parvi, aut nihili pœnitentiam illam, & compunctionem exiſtimat, quam morbus ab ægris extorquet; nec ſic plangentes Pœnitentium numero adſcribit, cujus rei præclaram rationem reddit.

VI. Concilium Arelatenſe primum, cui Occidentalium Eccleſiarum magna pars adetat, canone ultimo evidentiſſimè rurſus ſtatum quæſtionis proponit, & eam definit, *De his, qui apoſtatant, & nunquam ſe ad Eccleſiam repræſentant; nec quidem pœnitentiam agere quærunt, & poſteà infirmitate correpti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, niſi revaluerint, & egerint fructus dignos pœnitentiæ.* Aliquid ſingulare nos docet canon ille, communionem ſcilicet; quandiu ægrotant, illis denegandam, ut ſenſit quoque Cyprianus: ſed addunt Patres; illis dari poſſe cum convaluerint, & pœnitentiam egerint, quòd in Cypriani ſententia ſubaudiendum eſt. Tum enim ceſſant rationes omnes denegationis ab eo allatæ. Communionem autem in eo canone veniam, & reconciliationem, ſignificare, non modò ex S. Cypriano, qui idem ſtatuit, demonſtratur, ſed etiam ex verbis canonis, qui communionem illam ſanitate recuperata concedi non patitur, niſi poſt actam de crimine Pœnitentiam.

VII. Nemini dubium eſſe poteſt eandem fuiſſe Eliberitanorum Patrum ſententiam, cùm in tot caſibus, & articulis veniam ſanis denegent Pœnitentiam petentibus, & eam per ſeſe agentibus: Idem ſanè multò magis in data hypotheſi præſtabunt. Canonem tamen referemus, in quo hoc diſertè habetur: ſic definiunt *cap.* 46. *Si quis fidelis Apoſtata per infinita tempora ad Eccleſiam non acceſſerit, ſi tamen aliquando fuerit reverſus, nec fuerit idololatra, poſt decem annos placuit communionem accipere.* Conditiones duas requirit Concilium; Prior ſcopo noſtro convenit, *Si tamen aliquando fuerit reverſus*, Supponit ergo ut vulgò acceptum, niſi ſanus revertatur, ut agat Pœnitentiam, non fore recipiendum. Poſterior conditio eorum ſeveritati convenit: Recipi enim nolunt fidelem Apoſtatam ad Eccleſiam revertentem, ſi durante Apoſtaſia idololatria ſeſe polluit: Idem decreviſſent, ſi homicidium perpetraſſet. Catechumeni alia fuit apud eos ratio: In eo enim caſu, ſi conſtet, Catechumenum poſt infiniti temporis apoſtaſiam voluiſſe fidem profiteri, baptizari poteſt. Ita enim can. 45. *Qui aliquando fuerit Catechumenus, & per infinita tempora nunquam ad Eccleſiam acceſſerit, ſi eum de Clero quiſquam cognoverit voluiſſe eſſe Chriſtianum, aut teſtes aliqui extiterint fideles, placuit ei baptiſmum non negari, eo quòd in veterem hominem deliquiſſe videatur.* Manifeſtum eſt hypotheſim eſſe de ægrotante Catechumeno: Nam de ſano nullum prorſus, vel leviſſimum poteſt eſſe dubium.

VIII. Eandem Eccleſiæ antiquæ conſuetudinem docet nos Sanctus Innocentius *cap.* 2. *Epiſtolæ* 3. quæ eſt ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum. Hanc Innocentio referente proponit quæſtionem Exuperius. *Et hoc quæſitum eſt; Quid de his obſervari oporteat, qui poſt baptiſmum omni tempore incontinentiæ, & voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ ſuæ pœnitentiam ſimul, & reconciliationem communionis expoſcunt.* Hæc eſt ipſiſſima, de qua agimus controverſia, nec diſertius proponi poterat. Audiamus igitur quid, de hac quæſtione, in qua verſamur, definiat Innocentius. Dupliciter eam ſolvit, & ſecundùm antiquæ Eccleſiæ morem, & ſecundum recentiorem. Secundùm antiquum Eccleſiæ morem his verbis, *De his obſervatio prior, durior; poſterior interveniente miſericordia inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, ſed communio negaretur.* Durioris iſtius diſciplinæ rationem adjungit, *Nam cùm illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecures non revocaret à lapſu, negata meritò communio eſt, conceſſa Pœnitentia, ne totum penitus negaretur, & duriorem remiſſionem fecit temporis ratio.* Iſta fuit prior Eccleſiæ diſciplina circa deſertores, & Apoſtatas, qui Eccleſiam toto vitæ ſuæ tempore contemnunt, & libidini ſuæ ſerviunt, in ſupremo vitæ Spiritu ſalutis ſuæ tantum memores. Quæri non abs re poſſet, an Innocentii reſponſio eadem ſit, quæ Cypriani, & Arelatenſium Patrum: Nullam enim Pœnitentiæ impoſitæ mentionem faciunt. Quæſtionis ſolutio definientibus hic antiquis monumentis difficilis eſt: Nam licèt Cyprianus, & alii hanc prærogativam non commemorent, nihil tamen, quod ipſi repugnet, affirmant. Itaque dici poteſt eandem planè fuiſſe obſervationem, & Innocentium explicatioris doctrinæ cauſa addidiſſe, quod alii omiſerant.

IX. Poſteriorem, & inclinationem obſervationem ſic deſcribit Innocentius, *Sed poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit, jam depulſo terrore, communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini miſericordiam, quaſi viaticum profecturis, ne Novatiani Hæretici negantis veniam, aſperitatem, & duritiem ſubſequi videamur.* Tandem quæſtioni propoſitæ ab Exuperio hæc Innocentius applicat, *Tribuetur ergo cum Pœnitentia extrema communio, ut homines ejuſmodi, vel in ſupremis ſuis permittente ſalvatore noſtro à perpetuo exitio vindicentur.* Hæc conſuetudo ea eſt, quæ ab eo tempore uſque in hunc diem per univerſam Eccleſiam Catholicam obſervatur. Ex iis, quæ probata ſunt duo corollaria conſequuntur. Prius duriorem illam obſervationem per univerſum Occidentem invaluiſſe. Præter enim Innocentium, qui hoc teſtatur, Concilium Arelatenſe hoc confirmat, quod ex trecentis Epiſcopis Europæis, & Africanis congregatum eſt. Poſterius ad Conſtantini uſque tempora hanc obſervationem viguiſſe. Eo enim imperante, & favente concilium illud celebratum fuit, & Eccleſiæ univerſæ pax reſtituta. Immò longè diutiùs nonnullis in Provinciis perſeveravit, ut in Gallia Narbonenſi. Quamobrem enim id ab Innocentio percontatus fuiſſet Exuperius, niſi variaſſent Eccleſiæ obſervationes. Deinde, Nemo, ut opinor, in dubium revocabit canonem Arelatenſem aliquandiu ſubſtitiſſe, nec ſtatim abrogatum; ideo neceſſe mihi videtur affirmare in magna Occidentis parte toto ſaltem Conſtantini primi tempore obſervatum fuiſſe, & paulatim ceſſante cauſa in deſuetudinem abiiſſe.

X. Innocentium per Communionem, & viaticum intelligere Abſolutionem à peccatis, ſive peccatorum veniam, nulla vel leviſſima dubitandi ratio. Nam dicit tandem conceſſam eſſe, ne Novatianiſmum ſequi videretur Eccleſia: Controverſia autem erat inter Catholicos, & Novatianos de negatione veniæ. Deinde vocat eam communionem, reconciliationem, quo ſemper nomine audiebatur peccatorum venia. Præterea illa communio à perpetuò exitio vindicat: Eſt igitur Abſolutio à peccatis. Inſuper antiquiſſimis illis temporibus Abſolutio ab Euchariſtia non ſeparabatur, ut multis eſt ſupra demonſtratum. Ergo ſi Abſolutio eo tempore conceſſa eſt, conceſſa quoque eſt Euchariſtica communio. His accedit, quod fruſtra iterum dicta fuiſſet obſervatio illa prior, durior, & poſterior inclinatior; cum prior illa ſic explicata, Innocentii ſeculo, & multis poſt ſeculis obſervata fuerit, atque etiam in hunc uſque diem in Gallia perſeveret erga criminum Reos ad mortem damnatos, & ubique erga eos ægrotos, in quibus vomitus periculum imminet. Quot ſunt pericula, hoc præſente ſeculo, ita & præcedentibus, quorum cauſa Confeſſio peccatorum præcipitur, antequam adeantur, ſed Euchariſtiæ perceptio vel prætcritur, vel tantùm conſulitur. Certiſſimum enim eſt apud omnes Catholicos, certiſſimumque ſemper fuit, Pœnitentiæ Sacramentum eſſe viaticum ad ſalutem *ἀναγκαιότατον*, non autem Euchariſtiam. Quamobrem igitur illa obſervatio tam dura cenſetur, ſi remiſſione peccatorum conceſſa, tantum crimen ſolius Euchariſtiæ privatione mulctat? Denique prior illa obſervatio ideò uſurpatur, ait Innocentius, ne lapſi eſſent de reconciliatione ſecuri. Non igitur concedebatur illis per obſervationem priorem peccatorum venia, ſed tantùm per poſteriorem. Idem clariſſimè innoteſcet ei, qui Innocentii verba cum Cypriani, & Arelatenſium verbis comparabit. Cum enim eadem ſit ſententia, & de poſterioris ſenſu nulla ſit dubitandi umbra, nec erit de priori.

Digitized by Google

CAPUT II.

Pœnitentiam moribundis impoſitam negata Abſolutione, & quis ejus fructus. Non obſtare quod Patres dicunt, aut veniam Pœnitentiæ laxandam, aut fruſtra Pœnitentiam agi. Nihil eſſe huic diſciplinæ cum Novatianiſmo commune.

IN teſtimonio Sancti Innocentii capite præcedente relato nonnulla verba ſunt, quæ negotium erudito Lectori faceſſere poſſint, *Conſuetudo prior*, inquit, *tenuit ut concederetur eis Pœnitentia, ſed communio negaretur*. Ex illis verbis duæ emergunt difficultates quarum reſolutio à propoſito noſtro minimè eſt aliena. Prior, qui fieri poſſit ut concedatur Pœnitentia, & Pœnitentiæ fructus denegetur. Videtur enim hæc propoſitio non modò abſurda, ſed etiam Montaniſtarum, & Novatianorum dogma continere adverſus, quod pro viribus agit Sanctus Cyprianus *Epiſt.* 52. & ex quo multa deducit incommoda, ut paulò poſt referemus. Sic & adverſus Tertullianum jam Montaniſtam in eadem cauſa diſputabat Zepherinus Pontifex, ut videre eſt *lib. de pudicitia cap.* 3. cujus verba, ni fallor, ſupra relata ſunt. Antiquæ huic Eccleſiæ traditioni ſuffragatur Sanctus Ambroſius *lib.* 1. *de Pœnitentia cap.* 1. adverſus Novatianos diſputans, *Quid autem durius, quàm ut indicant Pœnitentiam quam non relaxent, cùm utique veniam negando incentivum auferant Pœnitentiæ? Nemo enim poteſt benè agere Pœnitentiam, niſi qui ſperaverit indulgentiam. Sed negant his oportere reddi communionem, qui prævaricatione lapſi ſunt.* Simili argumento adverſus eos agit *cap.* 16. ejuſdem libri, *Fruſtra dicitis vos prædicare Pœnitentiam, qui tollitis fructum Pœnitentiæ. Homines enim ad aliquod ſtudium aut præmiis, aut fructibus incitantur. Omne autem ſtudium torpeſcit dilatione. Et ideò Dominus, ut præſentium fructu cumularetur devotio diſcipulorum, dixit, quoniam qui dimiſiſſet omnia ſua, & Deum ſecutus eſſet, centies tantùm reciperet, & hîc, & in futurum. Priùs hîc promiſit, &c.* Hinc factum eſt, ut antiqui illi Patres Eliberitani, qui multis criminibus veniam non dederunt, nullam Pœnitentiam iis criminibus impoſuerint, quibus veniam negabant. Rem ita ſe habere deprehendet, qui canones eorum ſigillatim examinabit. Nihil autem Montaniſtis, & Novatianis Patres impoſuiſſe, teſtes ſunt ipſi Hæretici, ut videre eſt apud Tertullianum *lib.* 1. *cap.* 1. *de pudicitia, Bigamos foris ſiſtimus, eumdem limitem Mœchis quoque, & fornicatoribus figimus, jejunas pacis lachrymas profuſuris, nec ampliùs ab Eccleſia quàm publicationem dedecoris relaturis.* Similia *cap.* 2. & ſæpius alibi. Idem ſentiebant Novatiani, ut paucis explicat Socrates *lib.* 4. *hiſtoriæ cap.* 23. Novatiano ipſe favens: Poſtquam, inquit, à Romana ſe diviſit Eccleſia, *Omnibus ubique Eccleſiis ſcripſit litteras, ut eos qui ſimulacris immolaſſent minimè ad myſteria admitterent, ſed hortarentur ad Pœnitentiam, remiſſionemque permitterent Deo, qui poteſt, & habet auctoritatem peccata remittendi.*

II. Difficultas iſta facilè meo judicio diluitur. Catholicorum enim argumenta præcedentia adverſus Montaniſtas, & Novatianos demonſtrant quidem Pœnitentiam à ſanis agi fruſtra ſi reconciliatione non rependitur; ſed non demonſtrant infirmis fruſtra imponi. Diverſiſſima enim ſunt aliquem Pœnitentiam agere, & alicui Pœnitentiam imponi. Fruſtra ſanè quis Pœnitentiam agit criminis, ſi labores ipſius, doloreſve reconciliatione, ut volunt Patres, non compenſantur. Tum enim, & non aliàs vera ſunt hæc Sancti Cypriani *Epiſt.* 52. argumenta, quæ etiam ferè omnia repetit Sanctus Ambroſius, *Pro abluendo, & purgando delicto tuo largiter, & frequenter operare, ſed extra Eccleſiam poſt iſta omnia morieris; quæcunque ad pacem pertinent, facies, ſed nullam pacem, quam quæris, accipies. Quis enim non ſtatim pereat? Quis non ipſa deſperatione deficiat? Quis non animum ſuum à propoſito lamentationis avertat? Operari tu putas ruſticum poſſe, ſi dixeris, agrum peritia omnis ruſticitatis exerce, culturis diligenter inſiſte, ſed nullam meſſem metes, nullam vindemiam premes, nullos oliveti tui fructus capies, nulla de arboribus poma decerpes? &c.* Iſta nunc, & ſimilia argumenta quibus Patres in illos Hæreticos utuntur, in Pœnitentiam moribundis impoſitam contorque, quibus nulli labores nulla jejunia imperantur, tum ſenties iſtarum ratiocinationum aciem protinus hebeſcere. Argumenti enim totum robur in eo conſiſtit, quòd exantlati labores mercede fruſtrari non debeant. Sed nihil hoc in Pœnitentiæ impoſitionem ægrotis factum, cui cum laborioſis operibus nihil eſt commune. Quæres, quid cum deſertoribus illis agetur, ſi poſt acceptam ſine reconciliatione Pœnitentiam è morbo convaleſcant. Tùm ſanè Pœnitentiæ laboribus defungentur, iiſque defuncti, ut volunt Patres, abſolutione donabuntur, atque ut ait ſcriptura, labores manuum ſuarum manducabunt. Sed de hac quæſtione capite ſequenti.

III. Poſterioris difficultatis ſolutio priorem elevat, & explicat. Difficilè videtur intelligere in verbis Innocentii, quid ſit negata communione Pœnitentiam concedere: Quæ enim Pœnitentiæ utilitas communione negata? Quid homini animam jam jam exhalaturo cum Pœnitentia commune? Si tamen meminerimus eorum, quæ ſæpius libri ſuperioribus dicta ſunt, ſed præſertim, & ex profeſſo *capitibus* 17. & 18. *libri quarti*, & *capite* 18. *lib.* 2. de Confeſſione, & Pœnitentiæ impoſitione, ſoluta prorſus erit, & explicata omnis difficultas. Maxima enim in ſanum, vel ægrotum ex Pœnitentiæ impoſitione redundat utilitas. Quis hoc audebit ire inficias, qui animo revolvet preces ab Eccleſia in hac actione inſtitutas? Num quis credet Sacerdotem inutiliter tum precari Deum ſuper capita ſupplicum, & gementium? Deinde nihil novi aut extraordinarii refert Innocentius, eos Patres egiſſe, cum Pœnitentiam ægrotantibus impoſuerunt. Hæc enim actio ſemper in Eccleſia facta eſt in huncuſque diem, cujus exempla toto hoc libro referemus. Non novum hoc, & extraordinarium videri debet, ſed poſt pœnitentiam impoſitam reconciliationis denegatio. Eſt igitur utiliſſima Pœnitentiæ impoſitio, Pœnitentiæque agendæ jus per impoſitionem illam infirmis conceſſum, licèt propter infirmitatem nullius Pœnitentiæ agendæ ſint compotes. Ut quod enim tot canones, & rituales, infra citandi, adeò diligenter jubent ægrotantibus Pœnitentiam imponi, & ſi urget exitus reconciliationem concedi, ſi Pœnitentiæ impoſitio, juſque datum ab Eccleſia ægroto agendæ Pœnitentiæ eſſent inutilia? Ipſa igitur impoſitio à reconciliatione ſeparata per ſeſe eſt, & utiliſſima, & maximè deſiderabilis; & conceſſa, magni beneficii inſtar ducenda eſt. Quid? Pœnitentiæ impoſitio, excommunicationis maximæ eſt diſſolutio, & Eccleſiæ in membra ſua cooptatio. Num hæc inutilia reputabuntur, & quia maximum beneficium non confertur, ideò minùs flocci æſtimabitur? Sed de hac difficultate, quæ aliis in cauſis jam toties à nobis explicata, & magna hujus libri parte explicatur, ſatis ſuperque.

IV. Quæ hactenus de Sancti Innocentii dicto diſputata ſunt, mihi videntur evidenter demonſtrare, ſanctum illum Pontificem ad Concilium Eliberitanum nullo modo reſpexiſſe, nec canones illius auctoritate ſua confirmaſſe, ſed ad Eccleſiaſticam conſuetudinem ex Sancto Cypriano, & aliis capite præcedente demonſtratam, & enarratam. Sole enim ipſo clarius videtur unicam hypotheſim excipere S. Innocentium, & illam ipſam quam ex Cypriano, & aliis expreſſimus. Deinde Innocentii verba teſtantur conſuetudinem cujus meminit, non privatam unius loci, ſed maximè diffuſam eſſe, & quaſi univerſi ſaltem Occidentis propriam. Sed Eliberitana fuit illius Provinciæ peculiaris, & ad quaſdam tantum Africæ Eccleſias pervenerat, pleraque capita quæ vivos, ſanoſque feriebant, complectebatur, ut ſupra explicatum eſt. Quapropter nihil S. Innocentio in Epiſtola ad Exuperium commune cum Patribus Eliberitanis.

CAPUT III.

Quæſtiones quinque ex præcedente doctrina exurgentes diſſolvuntur. Morientibus, qui ſani Pœnitentiam ſuſceperunt, nunquam negata Abſolutio. Deſertoribus illis convaleſcentibus Pœnitentia iterùm non imponebatur, ſed in morbo impoſitam peragere tenebantur, & ea functis reconciliatio dabatur. Pro iis in morbo morientibus preces non fiebant.

DIligenter perpendenti, quæ capitibus præcedentibus explicata ſunt, quæſtiones nonnullæ ſuboriri poterunt, & ei negotium aliquod faceſſere. Eas hoc capite explicaturi imus. Primum nobis occurrit 13. Nicænus, cujus verba ſecundùm antiquam translationem ita ſe habent. *De his verò, qui recedunt de corpore, antiquæ legis regula obſervabitur etiamnunc; ita ut ſi fortè quis recedit ex corpore, neceſſario vitæ ſuæ viatico non defraudetur.* Univerſalis eſt canon, & antiquæ Eccleſiaſticæ conſuetudinis confirmatio, quæ conſuetudini jam explicatæ contradicere videtur. Tanti patres, & tam multi potueruntne ignorare legem Eccleſiaſticam, quæ Apoſtatis, & Deſertoribus, ſi Eccleſiam in fine vitæ cœperint deprecari, viaticum negat? Diximus autem cum Synodo Arelatenſi prima, & S. Innocentio, legem illam ad finem uſque perſecutionum viguiſſe, & conſequenter annum, quo celebrata eſt

Nicæ-

Nicæna Synodus ferè attingit. Qua ratione igitur conſuetudinem huic contradicentem Nicæni Patres vocare poſſunt antiquam? Si Sancti Cypriani ætate abrogata fuiſſet conſuetudo illa, contrariæ potuiſſent Patres illi antiquitatis nomen prætexere. A perſecutione enim Deciana, qua ſcribebat Cyprianus ad Concilium Nicænum interſunt anni ferè 74. Sed ad ipſum pene Concilium Nicænum, immò nonnullis in locis poſt ipſum Concilium vim habuiſſe obſervationem illam demonſtravimus. Nihil autem intereſt ad quæſtionis propoſitæ enodationem, utrùm per Viaticum Abſolutio intelligatur, an Euchariſtia. Alio loco hanc quæſtionem ventilabimus. Quidquid enim intelligas, res eodem redit: Si abſolutionem; illud eſt de quo diſputamus: Si Euchariſtiam, utraque ſimul moribundis conſerebatur.

II. Reſponderi poſſet, Nicænos Patres Orientalium conſuetudinem ſpectaſſe, apud quos non legitur unquam venia cuicunque petenti denegata. Quanquam autem hoc ita ſit, quantum legendo hactenus aſſequi potui, neceſſe tamen non eſt ad hanc ſolutionem confugere, cùm alia præſto ſit genuina, atque ex textus viſceribus petita. Canon Nicænus de Pœnitentibus agit tantùm, ut eſt omnino evidens cuicunque illum conſideranti. Duobus enim canonibus præcedentibus leges Pęnitentiæ iis ſanciverat, qui ſacrificaverant: canone verò ſequente antiquum Pœnitentium morientium privilegium confirmat; & ne quis hac de re ſcrupulum moveat, canonem, de quo diſputamus, ad præcedentem per particulam adverſativam refert, *περὶ δὲ τῶν ἐξοδευόντων* ſubaudiendum *μετανοούντων* de quibus agebatur. Prioribus canonibus de Pœnitentibus ſanis egerat, nunc de morientibus verba facit. Deinde omnem tergiverſandi anſam præſcindunt verba ſequentia, *Quòd ſi deſperatus aliquis recepta communione ſupervixerit, ſit inter eas qui in ſola oratione communicant*, hoc eſt in *συνεύχῃ* ſtationem habeat. Ob communionis reverentiam Pœnitentia omnis laborioſa quæ ſupererat, illi remittitur. De Pœnitentibus quoque canonem intelligunt Zonaras, & Balſamon. Rufinus denique qui vix octoginta annis poſt Concilium Nicœnum ſcribebat, cùm hunc canonem refert *lib. 2. hiſtoriæ*, vocem, *Pœnitentibus*, ſupplet. Conſuetudo autem de qua quæſtio vertitur, eos ſpectat, qui pœnitentiam contempſerunt, neve illam facere cogerentur, Eccleſiam deſeruerunt. Itaque canon ille Nicænus nihil prorſus ad Rhombum.

III. Secundò quæritur, An deſertoribus illis, & Apoſtatis moribundis, quibus Pœnitentia fuerat impoſita, & negata communio, Pœnitentia iterùm imponeretur; ſi è morbo contingebat eos convaleſcere? Reſpondeo, impoſitam non fuiſſe. Ratio eſt, quòd quæſtio ſit de peccatoribus publicis, & de publica pœnitentia, quæ ex antiquiſſima, & perpetua Eccleſiæ praxi nunquam repetita eſt, ut probatum *libri quinti cap. 27. & 28.* Deinde in cauſa iſta eodem modo actum eſt circa pęnitentiæ impoſitionem, quo poſteà cum communio conceſſa eſt. Sed quibuſcunque Pœnitentia ſimul cum reconciliatione in extremis præſtabatur, neutrum unquam repetitum eſt. Licèt enim ejuſmodi hominum ſæpius meminerint canones, ſtatuantque ſanitate recuperata Pœnitentiæ ſibi impoſitæ ſtationes decurrere, nuſquam tamen in eis ulla iteratæ Pœnitentiæ impoſitio commemoratur. Ergo nec Pœnitentiæ impoſitio repeti ſolebat, dum communio negabatur: Nihil enim prorſus legitur ſucceſſu temporis immutatum; ſed tantùm Eccleſia remittente ſeveritatem, priori benignitati conjuncta eſt reconciliatio. Non repetitæ iſtius impoſitionis ratio præter jam dictas, evidens eſt perpetua conformitas, atque ut ita dicam, identitas pęnitentiæ ſanis, & moribundis impoſitæ, ut ex ſequentibus manifeſtum erit. Cùm igitur in ſanis nunquam repeteretur, ſic nec in moribundis.

IV. Tertiò quæri poteſt, an recuperata poſt pœnitentiæ impoſitionem ſanitate ad Pœnitentiæ ſtadium decurrendum cogerentur? Coactos fuiſſe nemo cum ratione dubitare poteſt. Nam ſi reconciliationem aſſecutis Concilium Nicænum ob reconciliationis reverentiam Pœnitentiæ partem remittit, cæteram ſubeundam declarat; alii verò duriores nihil prorſus remittunt, ut paulò poſt multis declaramus: Quanto magis iis erat Pœnitentia ſubeunda, qui reconciliationis beneficio privati fuerant, ut illam ab Eccleſia impetrarent. Deinde in illa Pœnitentiæ impoſitione pœna ſemper ægroto indicabatur crimini, ex canone, vel conſuetudine debita. Quamobrem verò? niſi ut æger ſuperſtes ſanitate recuperata illam obiret. Denique cùm Clerus Romanus, Sanctus Cyprianus, & cæteri illius temporis Epiſcopi tantis animis ſeſe Lapſis oppoſuerint, qui ſani communionem nulla pœnitentia acta ſibi reddi efflagitabant, licèt Martyrium libellis freti eam exambirent: Quid putamus in data hypotheſi eos feciſſe, cùm Deſertores illi Lapſos ſceleris atrocitate longè ſuperarent, nulliſque Martyrum libellis juvarentur. His accedit canonis 20. Concilii Arelat. primi auctoritas, qui hanc hypotheſim diſertiſſimè definit. Relatus eſt integer hujus libri capite primo.

V. Quartò ambigere poſſet Lector, An cùm ejuſmodi homines Pœnitentia impoſita mortem obibant, pro iis publicè precaretur Eccleſia, & ſacrificium pro eorum dormitione offerretur. Probabile eſt, & quaſi certum nihil horum feciſſe. Nam ut infra demonſtrabitur, diu in Eccleſia dubitatum eſt poſt illa tempora, an veris pęnitentibus ante acceptam reconciliationem defunctis reddenda eſſent hæc religioſa officia, nonnullis Epiſcopis, atque inter eos Romanis id negantibus, aliis id clementer concedentibus, quod poſterius tandem obtinuit. Apud te, Lector, perpende, quid par erat agere Epiſcopos vigentibus perſecutionibus in Eccleſiæ deſertores, & pęnitentiæ contemptores, qui Eccleſiæ miſericordiam tum implorabant, cùm omnis vitæ ſpes eos deſereret? Hæc ſententia confirmatur ex non diſpari Eccleſiæ Africanæ decreto, quod ante Sanctum Cyprianum ſancitum eſt, eo reſerente *Epiſt. 66. Epiſcopi Anteceſſores noſtri religioſè conſiderantes, & ſalubriter providentes, cenſuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam, vel curam Clericum nominaret; ac ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes, & Miniſtros voluit revocare.* Si hæc cauſa juſta æſtimata eſt S. Cypriano, & tot Epiſcopis, ut fidelibus poſt mortem hoc religioſo pietatis officio privaretur; Quanto magis Eccleſiæ deſertor, & pęnitentiæ contemptor, qui animam exhalans Eccleſiæ clementiam cœpit deprecari.

VI. Interrogabit forſan aliquis, quid æſtimandum, eſt Eccleſiam feciſſe, cùm ejuſmodi deſertores morbi violentia correpti nihil eloqui poterant, ſed tantùm ſigna, nutuſque bonæ voluntatis edere. Huic interrogationi ex conjectura tantùm reſponderi poteſt: Nulla enim hujuſmodi hypotheſis legitur. Conſiderata igitur illius temporis ſeveritate, & attentis S. Cypriani verbis de his deſertoribus, & Apoſtatis, videtur illis pœnitentiam non fuiſſe impoſitam, ſed Dei miſericordiæ planè relictos. Nam ſi multis poſt ſeculis in Eccleſia dubitatum eſt, an voluntatem nutu tantum demonſtrantibus eſſet reconciliatio præſtanda, & multis ſeculis varia fuit Eccleſiarum hac in re praxis: Immò ſi ſemper in Eccleſia plurimùm dubitatum eſt de pęnitentiæ in extremis tantùm actæ ſinceritate, licèt ei reconciliatio redderetur; Quale Epiſcoporum illius temporis judicium de deſertoribus illis in data hypotheſi præſumendum eſt? Atque hæc de prima ægrotorum claſſe dicta ſunto.

CAPUT IV.

Non modò moribundis pęnitentiam petentibus, pęnitentia, & Abſolutio dandæ ſunt, ſed etiam iis, qui deſiderium ſuum Sacerdoti nutibus, & indiciis tantùm ſignificare poſſunt. Vel ſi cùm præſens eſt Sacerdos, nutus edere non poſſunt, petitæ in morbo pęnitentiæ teſtes ſufficiunt. Immò deſideratæ ante morbum pęnitentiæ teſtes ſufficere poſſunt, ſed quia mutationi obnoxia voluntas, poſtremis Abſolutionem dare prohibitum. Conditiones iſtas in peccatoribus publicis tantùm requirunt canones.

DE ægroto, dum ineſt anima, ſperandum eſſe vulgari ſententia fertur. Nam ut eleganter canit Theocritus. *Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δ' οἱ θανόντες: Spes eſt in vivis, mortui autem deſperati ſunt:* Fruſtra ſolicitantur, medelaque illis porrigitur, non reviviſcit ſenſus, neque poſtliminio in corpus redit anima. Quam quiſque ſortem nactus eſt, ea ſubeunda. Illa, quę Philoſophorum ſermonibus quotidianis per ora volitare ſolent, animos Chriſtianorum multò magis verſare, & pungere debent, donec illis ſpem ſalutis affulgere comprobetur. Concilium enim eſt Sapientis Eccleſiaſtici *c. 9. Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia apud inferos.* Ideò fert Eccleſiæ traditio pęnitentibus ægrotis, dum anima ineſt, ſpem ſalutis ineſſe, nullaque remedia, quæ ſalutem conferunt, illis eſſe ſubducenda. Hanc Eccleſiæ traditionem, cui aliquando in ſpeciali quadam hypotheſi demonſtravimus propter graviſſimas cauſas eſſe derogatum, nunc demonſtrare aggredimur. Ea quatuor capitibus ſive ægrotorum claſſibus, quæ initio hujus libri enumeratæ ſunt, potiſſimum continetur, & conſpicua redditur.

II. Secunda igitur ægrotorum claſſis, & prima eorum in quos Eccleſiæ miſericordia effuſiſſimè ſeſe exundat, eaſdem perſonas, quas præcedens, & longè plures complectitur.

Ea-

Digitized by Google

Eadem enim eſt hac in cauſa ratio non modò eorum, qui Eccleſiam deſeruerunt, ſed multò magis eorum, qui vitiis etiam publicè deditiſſimi, ab Eccleſia tamen neque ſe ſeparaverunt, neque ſeparati ſunt. Ægrotorum ejuſmodi, quos ſupponimus in hac claſſe, ſicut in præcedente, pœnitentiam poſt morbi correptionem tantum poſtulare, quatuor ſunt genera à canonibus commemorata. Primum eſt eorum, qui mente ſana, & loquela diſerta, ſaltem adſtantibus intelligibili Presbyterum petunt cui confiteri, & à quo Pœnitentiam accipere poſſint. De hoc genere nulla difficultas: Pœnitentia illi danda eſt, & ſi urget exitus reconciliatio, ut ex conſuetudine Eccleſiæ loco citato definivit Innocentius, Concilium quoque Carthagin. 4. *cap.*1. Andegav. *cap.*13. & in eos, qui aliter faciunt, acriter invehitur Cœleſtinus 1. *Epiſt.*2. ad Epiſcopos Galliæ. Hoc inſuper demonſtrant quæcunque inferius dicentur, & à Novatianis tantùm id negatur. Unicum Sancti Leonis teſtimonium ex *Epiſt.*91. referemus, eo quòd clariſſimum eſt, facti rationem reddit, & à Collectorum nemine prætermittitur. *Hic, qui in tempore neceſſitatis, & in periculi urgentis inſtantia præſidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda: quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur moras vera converſio, dicente Spiritu Dei per Prophetam; Cùm converſus ingemueris, tunc ſalvus eris, &c. In diſpenſandis itaque Dei donis non debemus eſſe difficiles, nec accuſantium ſe lacbrymas, gemituſque negligere, cùm ipſam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inſpiratione conceptam, dicente Apoſtolo, Ne fortè det illis Deus pœnitentiam, ut reſipiſcant à Diaboli laqueis.* Cuicunque igitur peccatori Pœnitentiam in extremis imploranti, nec Pœnitentia, nec reconciliatio deneganda.

III. Secundum iſtius claſſis ægrotorum genus, eorum eſt, qui oppreſſi morbi impetu eloqui non poſſunt, ſed tantum per indicia, nutuſque internam animi pœnitentiam Sacerdoti ſignificare. Tertium eorum, quos morbi violentia ita inſequitur, ut licèt initio irrumpentis morbi Sacerdotem poſtulaverint, advenienti tamen nihil ne nutu quidem ſignificare poſſunt. Quæritur an utrumque hoc hominum genus Pœnitentiæ, & reconciliationis ſit capax. Dubitandi ratio videtur evidens: Dixerat enim S. Innocentius quibuſcunque in exitu vitæ conſtitutis communionem ſimul, & Pœnitentiam petentibus, utrumque eſſe præſtandum: Dixerat idem S. Leo de iis, qui utrumque implorant. At neutri ægrotorum jam deſcriptorum Pœnitentiam petere poſſunt. Neutri igitur videtur concedenda reconciliatio. Utrumque genus conjunximus, eo quòd ea conjungat S. Leo. Licèt reconciliatio utriſque denegari poſſe videatur, eam tamen eſſe concedendam definit Pontifex ſtatim poſt verba jam allegata, *Verùm ut dixi, etiam talium neceſſitati ita auxiliandum eſt, ut nec actio illis Pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, ſi eam etiam amiſſo eis vocis officio, per indicium integri ſenſus quærere comprobentur. Quòd ſi aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulò ante poſcebant, ſub præſentia Sacerdotis ſignificare non valeant; teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, ut ſimul & Pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium conſequantur.* Utraque difficultas nec diſtinctiùs proponi, nec clariùs definiri poterat. Concilium Arauſicanum utramque ſpeciem breviſſimè proponit, & non minus perſpicuè quam breviter explicat, *cap.* 12. *Subitò obmuteſcens prout ſtatutum eſt, baptizari, aut Pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.* Qui hos auctores tempore ſecuti ſunt, omnes eandem ſententiam amplectuntur, Capitularia *lib.*5. *cap.*75. Burchardus *lib.*4. *cap.*38. Ivo *parte* 1. *cap.*232. Gratian. 26 *qu.*6. *cap.*7. & ante illos omnes Alcuinus *in fine libri de divinis officiis: Talium neceſſitati auxiliandum eſt, ut nec actio illis Pœnitentiæ, nec communionis gratiæ denegetur, ſi etiam jam amiſſo vocis officio per indicia integri ſenſus quærere comprobentur. Quòd ſi ita ægritudine fuerint aggravati, ut quod paulò ante poſcebant, ſub præſentia ſignificare non poſſint, teſtimonia eis fidelium prodeſſe debebunt, ſimul tamen, & Pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium conſequuntur.* In primis verbis, *nec oratio*, legendum videtur, *nec actio*. Ita enim Leo, ad cujus verba alludit, & illorum temporum auctores loquuntur. Antiquiſſima quædam Sacramentaria cum teſtimonio fidelium videntur requirere Pœnitentium nutum: eorum verba referuntur infra *cap.*11. Idem exigit antiquum decretum quod Burchard. *lib.*18. *cap.*11. & Ivo *part.*15. *cap.*35. ſub Euſebii Pontificis nomine referunt, *Si quis pœnitentiam petens, dum Sacerdos venerit, fuerit officio linguæ privatus, conſtitutum eſt, ut ſi idonea teſtimonia habuerit, quod ipſe pœnitentiam petiiſſet, & ipſe per motus aliquos ſuæ voluntatis aliquod ſignum facere poteſt, Sacerdos implent omnia, ſicut ſupra, circa ægrotantem pœnitentem ſcriptum eſt, &c.*

IV. Concilium Carthagin. 4. *cap.* 76. circumſtantiam ſpecialem tertio generi addit; non enim tantùm dicit, ſi obmuteſcat antequam ad eum pervenerit Sacerdos, ſed addit, ſi in phreneſim inciderit, hoc non impedire quin ipſi Pœnitentia imponatur, reconcilietur, & Euchariſtia donetur; ſufficere quod ante phreneſim Sacerdotem petierit: *Is, qui Pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmuteſcat, vel in phreneſim verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat Pœnitentiam. Et ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia. Si ſupervixerit admoneatur à ſupradictis teſtibus petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis Pœnitentiæ legibus, quamdiù Sacerdos qui Pœnitentiam dedit, probaverit.* Hunc canonem referunt quoque omnes propè collectiones. Itaque ad Abſolutionis legitimam conceſſionem hoc unum Patres requirunt, Abſolutionis deſideratæ argumentum aliquod, aut indicium.

V. Patres autem illos, de publicis peccatoribus verba facere, aut etiam de illis criminibus occultis, quæ Pœnitentia publica purgabantur, erit eorum verba vel leviſſimè attendi manifeſtiſſimum. Nihil clariùs fingi poteſt verbis Concilii Carthaginenſis, quod eos, ſi ſupervixerint, ad publicam Pœnitentiam amandat. Nec minus manifeſta S. Leonis ſententia, qui tota Epiſtola à capite ad calcem nihil aliud agit. Deinde illa quæſtio toti ſermoni intexta, qua definit non eſſe orandum pro Pœnitentibus, qui reconciliationem aliquo caſu non ſunt adepti. Quinam illi? *Si autem aliquis eorum, pro quibus Domino ſupplicamus, quocunque interceptus obſtaculo à munere indulgentiæ præſentis exciderit, & priuſquam ad conſtituta remedia perveniat, &c.* Manifeſtum eſt, Pœnitentes publicos intelligi, ſuper quos in Synaxibus propè quotidianis Epiſcopi preces cum manus impoſitione fundebant, ut videre potes *lib.* 6. *cap.*6. 8. 9. Poſteà quærit, ſi Pœnitentiam petant, cùm urget exitus non anteà. Quam pœnitentiam? publicam ſanè, de qua tota quæſtio antecedens. Ideò ſtatim poſt quæſtiones, quas ipſius verbis explicavimus, excipit, *Servata tamen regula canonum paternorum circà eorum perſonas, qui in Deum à fide diſcedendo peccarunt.* De peccatoribus igitur publicis, & iis criminibus agit, quæ licèt occulta, publicè tamen mundabantur. Denique de Pœnitentibus publicis, & iis, qui ad Pœnitentiam publicam condemnari merebantur, eum verba facere, ipſa Theodori Epiſcopi interrogatio demonſtrat, quæ non modò ex textu Leonis, ut fecimus, ſed etiam ex ſcopo, quem ſibi initio Epiſtolæ proponit Leo, colligitur. *Sed ut quomodo inſtruatur ambiguitas conſulentis, quid de Pœnitentium ſtatu Eccleſiaſtica habent regula, non tacebo.* Iſta phraſis, & loquendi modus non potuit, eo tempore aliter quam de Pœnitentibus publicis, aut Pœnitentiam publicam petentibus intelligi.

VI. Quartum, & poſtremum ægrotorum genus eſt eorum, qui ſani Pœnitentiam ſe poſtulare velle profitebantur, & fructum ejus ſe plurimùm deſiderare; ſed fortè fortuna poſteà in gravem morbum incidentes, petitionis, & deſiderii ſui obliviſcuntur, morboque ingraveſcente obſtupeſcunt. Eorum tamen Amici adſtantes, & deſiderii priſtini memores, ut iis Pœnitentiæ, & reconciliationis donum concederetur, interceſſerunt, quorum precibus Sacerdos vocatus ſatisfaciens, Pœnitentiam, & reconciliationem illis præſtat. Inter hos, & antecedentes hoc intereſt, quod hi dicebant ſani, & benè valentes ſe Pœnitentiam, illiuſque labores aſſumere velle; morbo autem nonnihil poſt ſuperveniente propoſiti ſunt immemores. Illi verò irruente morbo hæc remedia poſtulant, & poſteà obſtupeſcentibus adſtantes de eorum poſtulatione teſtimonium perhibent. Hanc hypotheſim ut non infrequentem ſuo tempore commemorat Concilium Toletan. 12. *cap.*2. diffuſiſſimus canon, quæ nobis conferunt, referemus, *Multos ſæpè conſpeximus in ſalute poſitos ultimum deſiderantes pœnitentiæ fructum, & rurſùs nimietate ægritudinis ita loquendi, & ſentiendi naturale perdidiſſe officium, ut nulla illis cura ſalutis ſuæ videretur ineſſe, nullo etiam priſtinæ devotionis noſcerentur deſiderio anhelare: quorum tamen caſibus fraternitas condolens, ita talium neceſſitates in fide ſuſcepit ſua, ut ultimum illis tribuatur viaticum, ſcilicet, ne ſine fructu Pœnitentiæ videantur tranſire è ſeculo.* Vides Eccleſiæ praxim à Concilio totius Hiſpaniæ confirmatam, atque iterum à ſubſequente Concilio 13. *cap.*9. approbatam.

VII. Verum quia abuſus quidam inoleverat, prohibuerunt illi Patres Sacerdotibus, ne Pœnitentiam ejuſmodi hominibus crederent, niſi aliquo nutu, aut judicio ægri ſignificarent Sacerdoti ſe illum invitaſſe. Utrumque canonis verbis enuntiabimus:

bimus : Hunc notant abuſum, *Quòd ſi forſitan reſpiciente Deo ſaluti priſtinæ reformentur, atque cautionibus vanis, & oppoſitionibus execrandis, qualiter à ſe tonſuræ venerabile ſignum expellant, atque habitum religionis abjiciant, impudentiſſimè aſſerentes, ideò ſe nullis regulis Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſub hoc voto teneri, quia pęnitentiam nec ipſi petierunt, nec conſentientes acceperunt.* En abuſus Pœnitentiæ, & reconciliationis ſic præſtitæ. Poſt nonnulla, tanto malo ſic medentur, *Si quis autem quolibet modo pęnitentiam accipiens, hoc violaverit ſynodale inſtitutum, ut verè tranſgreſſor paternis regulis ferietur. Nec enim iſta ſtatuentes, Sacerdotes quoſque, ut paſſim ac licenter donum pęnitentiæ non pęnitentibus, audeant prorogare, abſolvimus. Sed hos qui qualibet fortè pęnitentiam ſuſceperint, ne ulteriùs ad militare cingulum redeant, religamus. Sacerdos tamen, qui non ſentienti, neque pęnitenti, uſu temerario pęnitentiam dederit, neque ſe exhortatu ejus, qui pęnitentiam accipit, vel manuum indiciis, vel quibuslibet aliis evidentibus ſignificationibus invitatum fuiſſe probaverit, unius anni excommunicationis ſententiæ ſubjacebit.* Sacerdotem, qui ejuſmodi hominibus ſtupore perculſis, niſi aliquod ſignum voluntatis præſentis dederint, reconciliationem præſtiterit, annuæ excommunicationis pœna mulctant. At quod mirum videri poſſit, Pœnitentiæ, & reconciliationis acceptæ beneficium caſſum, & inutile non definiunt, ſed Pœnitentiæ agendæ reum eſſe volunt. Cenſent enim ægrum illum adſtantium rogatu reconciliatum, licèt nihil ſenſerit, peccatorum tamen veniam obtinuiſſe inſtar infantium, qui non ſentientes baptizati, gratiæ dono illuminantur. Rationem hanc infrà examinabimus. Itaque manifeſtum eſt, eos Patres credidiſſe peccatores publicos graviter ægrotantes (nam de pœnitentia publica ſermonem eſſe ſingulæ periodi teſtantur) non ſentientes nedum rogantes, à peccatis abſolvi potuiſſe, ſi teſtarentur aliqui eos, cum ſani eſſent, pœnitentiam poſtulaſſe.

CAPUT V.

Pœnitentiam publicam agentibus morbo ſtuporem mentis, vel phreneſim inducente ex improviſo correptis, reconciliationem, ſi mors timeatur, præſtandam eſſe, & ſemper præſtitam fuiſſe, licèt eam nullis nutibus, nedum verbis petierint, nec tum petere poſſint, demonſtratur. Status pœnitentis ſine præſente conſenſu ſufficit.

TErtia Ægrotantium claſſis, Pœnitentium eſt, id eſt, eorum qui propter crimina ſua, vel publica, vel occulta Pœnitentiam publicam aſſumpſerant, nec cum fidelibus in Eccleſia ad ſacrificium celebrandum congregabantur. In iſta Ægrotorum claſſe non ampliùs quæri poteſt, ut in præcedentibus, An ipſis Pœnitentia ſimul cum reconciliatione concedenda eſſet? Cùm enim Pœnitentes eſſe ponamus. Pœnitentiam ante morbi adventum ſuſceperant. Itaque in toto ſermone noſtro, de ſola reconciliatione lis tantum erit. Prætereà notabit Lector, ex probatis hactenus toto hoc libro nullam eſſe poſſe controverſiam, in iſta claſſe de iis ægrotis, qui nutu, ſignis, & aliis ejuſmodi judiciis reconciliationem poſtulant; nec de iis, qui obſtupeſcunt, aut etiam in phreneſim incidunt, antequam ad eos, pervenerit Sacerdos, ſed paulò ante hunc caſum poſtquam morbus jam irruperat, reconciliationem ſe deſiderare aſtantibus ſignificaverant; multò minus de iis, qui Sacerdote præſente ab eo abſolvi efflagitant. Nam ſi primæ, & ſecundæ claſſi ægrotantium hoc non eſt denegatum, Quis animo fingere poteſt Pœnitentes, in iiſdem hypotheſibus reconciliatione fuiſſe privatos?

II. Omiſſis igitur iſtis hypotheſibus, de quibus nemo ſanus dubitare poteſt, occurrit alia nobis diligenter examinanda. An Pœnitentibus ante Sacerdotem poſtulatum, aut petitam reconciliationem repentino morbo correptis, veluti, apoplexia, lethargia, phreneſi, & ſimilibus paſſionibus, quæ omnem prorſus ſenſum, & mentem extinguere videntur, ſi morti judicantur proximi, ſit præſtanda abſolutio. Certum eſt, antiquos Patres, qui extinctis Tyrannorum perſecutionibus clementiorem hac in cauſa diſciplinam amplexi ſunt, publicis peccatoribus, Excommunicatis, Deſertoribus, & Apoſtatis, in eo caſu Abſolutionem non dediſſe. Semper enim, ut vidimus, petitæ ab iis, reconciliationis ſignum aliquod requirunt, quod nullum hic ponitur. Toletana Concilia, quæ præparationem Abſolutioni neceſſariam maximè elevant, præſentium teſtimonium ad Abſolutionis dandæ efficaciam expoſcunt, quo ſaltem Sacerdoti conſtet, ægrotum antequam morbo corriperetur, Pœnitentiam, & reconciliationem deſideraſſe. Sed nunc quæritur, conceſſo nullum fuiſſe datum à Pœnitente ægroto ejuſmodi ſignum, nullum quoque, de deſiderata ante morbi irruptionem reconciliatione, à circumſtantibus Amicis teſtimonium perhiberi. An cum omnibus iſtis circumſtantiis data fuerit olim moribundis Pœnitentibus reconciliatio. Reſpondeo, datam illis fuiſſe, & quin danda fuerit, vix unquam eſſe dubitatum. Vix dico, eo quòd S. Auguſtinus quorundam mentionem faciat, qui de hac re ſcrupuloſè videntur dubitaſſe: Iterum dico videntur; quia ne hoc quidem clarum eſt, An illi de Pœnitentibus dubitaverint: Videtur enim dubium ad Catechumenos tantum ſpectaſſe. Sed de S. Auguſtini teſtimonio poſt hæc.

III. Abſolutionem Pœnitentibus moribundis, in data hypotheſi præſtandam eſſe, multa ſuadere videntur. Primum Ægrotorum primæ, & ſecundæ claſſis cum iſta comparatio. Regula fidei eſt Abſolutionem iis tantùm eſſe concedendam, quos veroſimile eſt criminum interius pœnitere. Ubi nullum eſt iſtius interioris Pœnitentiæ veroſimile argumentum, ibi Abſolutionem dare, eam eſt prodigere, & margaritas ante porcos ſpargere. Sed nullo probabili argumento Sacerdoti conſtat publicos peccatores, Hæreticos, &c. Quandiu tales ſunt, hoc eſt, quandiu pœnitentiam amplexi non ſunt, criminum, quæ perpetrarunt, interius pœnitere: Immò eorum vita, habitus, ſtatus, ab Eccleſia receſſus, cæteraque omnia exteriora contrarium, quantum ad homines attinet, qui corda renesque ſcrutari non poſſunt, Sacerdoti planè demonſtrant. Quapropter meritiſſimè ab iis moribundis, & rei ipſius natura, & canones exigunt, ut peccatorum, quæ perpetraſſe certum eſt, quorumque hactenus ſe pœnitere nullis indiciis teſtati ſunt; tunc ſaltem ſe pœnitere, vel nutu demonſtrent; vel eos ante morbi irruptionem pœnituiſſe, aliorum teſtimonio doceatur. At horum nullum pœnitentibus convenit: Ipſorum enim vita, habitus ſtatus, quid aliud teſtantur quàm continuæ pęnitentiæ actionem, & miſericordiæ ab Eccleſia implorationem: Heri vel nudiuſtertius gementes ſub Epiſcopi manus impoſitione in medio Eccleſiæ, & ante omnium oculos proſternebantur, ſuper eorum capita, univerſa collachrymante Eccleſia, fundebat preces: Hodie verò morbo repentino irrumpente obſtupeſcunt, obrigeſcunt; à ſtupidis fruſtra vox, fruſtra nutus requiruntur; à circumſtantibus amicis, aut ſervis fruſtra petitæ reconciliationis teſtimonium poſtulatur, cum petendæ reconciliationis cogitationem morbus prævenerit. Quid? Excommunicatos, Hæreticos, Deſertores, Apoſtatas, publicos peccatores, qui poſt ſcelera perpetrata Eccleſiam contempſerunt, pœnitentiæ actiones ſuſque deque habuerunt, Dei & ſui prorſus immemores, peccata peccatis cumularunt, nullone cum his pœnitentibus diſcrimine habebis, de eorum interiori pœnitentia, & animi compunctione pariter conjicies? Abſit à nobis tanta judicii iniquitas, & tam præpoſtera, & injuſta in perniciem proximi comparatio. Rogo te, quicunque ſis Sacerdos, Num ſi Excommunicatum, Hæreticum, vel Apoſtatam hoc morbi caſu jacentem offenderes, teſtarenturque circumſtantes, cùm morbus primùm in ipſum exundavit, judicioque adhuc polleret, Sacerdotem Catholicum inclamaſſe, Hæreticum iſtum, aut Excommunicatum, vel Eccleſiæ deſertorem Deo, & Eccleſiæ conſueta forma reconciliares? Quamobrem vero? Quia Sacerdotis illa inclamatio aliorum voce tibi teſtata interioris eſt pęnitentiæ argumentum. Sic faciendum novum, & hodiernum jus definiunt, *extra de ſent. Excom. Cap. A nobis*, atque in hoc caput Gloſſa, & Canoniſtæ. Quanto certius eſt interioris, & ſinceræ pœnitentiæ argumentum, ipſe pęnitentium lugubris habitus, profeſſa publicè criminum pęnitentia, impoſitio manuum, & precum recitationi continua capitis ſubmiſſio, jejuniorum denique, & laborioſorum operum ad redimenda peccata ſuſceptio, & exercitatio.

IV. Secundò, nuſquam Patres ab ægrotis Pœnitentibus iſtas conditiones, ſi nutu pœnitentiam demonſtraverint, ſi teſtimonia adſtantium acceſſerint, &c. deſiderant, ſed tantùm à deſertoribus, ejuſdemque farinæ hominibus. Quamobrem conditiones ab iis exigemus, quas non exigunt canones, & præſtare non poſſunt; immò quas canones non eſſe exigendas evidenter innuunt. Quum enim ſigna, ſive teſtimonia à peccatoribus publicis, & aliis exigunt, qui dum ſani erant, pœnitentiæ faciendæ Rei eam amplexari noluerunt, nec alios unquam ſignificent; evidenter docent ab aliis exigendam non eſſe. Non debet aliquis alterius odio gravari. Hæ conditiones latæ ſunt in odium, & pœnam eorum, qui crimina Pœnitentiæ ſubjicienda commiſerunt, eamque amplexari nolunt, aut ad id præſtandum ſegnes ſunt. Ut quid contra æquitatem, juriſque regulas pęnitentiam amplexi, & eam profitentes, velut uno faſce cum iis involventur?

V. Quum de Pœnitentibus moribundis ſermo eſt, canones iſtas conditiones non requirere, ſed abſolutè reconciliationem

Morin. de Sacram. Pœnit.

Digitized by Google

imperare multis exemplis demonſtratur. *Canon Nicænus* 13. quem ſupra multis demonſtravimus de Pœnitentibus agere nullius conditionis mentionem facit, ſed ſimpliciter enuntiatur: *De iis autem, qui excedunt, antiqua & canonica lex nunc quoque ſervabitur, ut ſi quis vita excedat, ultimo & maximè neceſſario viatico ne privetur.* Ruffinus *lib.* 1. *hiſt.* ſic hunc canonem refert, *De his verò qui vita excedunt Pœnitentibus, decernunt vacuum nullum debere dimitti.* Sæpios ab aliis refertur hic canon, Martinos Bracarenſis, *cap.* 82. Alcuinos *in fine libri de divinis officiis. Triburienſe Concil. cap.* 31. Burchard. *l.* 18. *c.* 6. Ivo *parte* 15 *c.* 31. Gratian. 26. *q.* 6. *c.* 7. & alii, ſed ſemper univerſaliter nulla addita limitatione. Hinc Syneſius *Epiſt.* 67. ſcribit de Lamponiano quodam à ſe abſtento, nemini licere velle illi communionem reddere niſi morti proximo cujus ratio nulla alia quàm canonis Nicæni brevis repetitio, *μηδεὶς γὰρ ἀποθάνοι δεδεμένος ἐμοί. Nemo mihi moriatur ligatus. Concil. Carthagin.* 4. *c.* 76. De iis peccatoribus, qui Pœnitentiam infirmi ſuſcipiunt, cautiones explicatas addunt; ſed canone ſequente quid de Pœnitentibus agendum eſſet definiens, abſolutè reſpondet, *Pœnitentes, qui in infirmitate ſunt, viaticum accipiant.* Nec ulla conditionis umbra. Sic Concilium Arauſicanum *can.* 3. Quem Rabanus Maurus *cap.* 36. *de pœnitentia*. Burchardus *l.* 18. *c.* 17. & alii plerique. *Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eos communicare, quod morientis ſufficit conſolationi, &c.* Sed *canone* 12. de iis qui Pœnitentiam non ſuſceperant ſtatuens; conditiones quas commemoravimus, affert. Sic S. Leo evidentiſſimè *Epiſtolæ* 91. jam citatæ initio fusè de iis agit, qui poſt Pęnitentiam acceptam in morbum incidunt, ſed in redhibenda illis reconciliatione nullus hæret, aut tergiverſatur. Poſteà eos aggreditur, qui poſt morbum pęnitentiam ſimul, & reconciliationem petunt, quorum cauſa tres difficultates capite præcedente explicatas, monet, & diſſolvit.

VI. Tertiò idem probatur ex illa doctrina veriſſima quam adverſus Montaniſtas, & Novatianos ex continua traditione propugnavit Eccleſia Catholica. Eſt enim Eccleſiæ Catholicæ inconcuſſum axioma: Nulli Pœnitentiam agenti denegandum eſſe Pœnitentiæ fructum, hoc eſt reconciliationem. Severi illi Patres, qui multis criminibus reconciliatione in fine negabant, ut enormes abſurditates, quæ ex contrario principio conſequuntur, vitarent, horum criminum conſciis Pœnitentiam non imponebant, ne ſemel impoſitæ reconciliationem redhibere cogerentur. Supra latè retulimus rationes, quibus hoc axioma probarunt adverſus Hæreticos, Eccleſiæ Romana, & Africana; ideò nunc earum relatione ſuperſedemus. Non eſt igitur Pœnitens laboris ſui, & Pœnitentiæ mercede fruſtrandus, & eo potiſſimùm tempore, quo meſſis ſuæ manipulos collectos Deo repræſentare tenetur. Percurrat Lector S. Cypriani *Epiſtolam* 52. ad Antonianum, ubi probato multis argumentis nemini Pœnitentiam agenti negandam eſſe Pacem Eccleſiæ, & reconciliationem, & poſt ingentia abſurda ex doctrina Novatianorum deducta, qui pęnitentiam non refuſa reconciliatione imperabant, ſolos excipit Apoſtatas, Hæreticos, & Eccleſiæ deſertores, quibus pacem dari non vult, ſi tantùm urgente morbo cęperint deprecari; quod poſteà tamen, ut vidimus, illis conceſſum eſt, ſi quocunque modo, nutu, ſigno, vel aliorum teſtimonio Eccleſiam rogaverint. Quid igitur iniquius, & traditioni Eccleſiaſticæ contradicentius, quàm Pœnitentiam agentes, & ſtadii pœnitentialis metas forſan attingentes, reconciliationis beneficio fruſtrare, & cum ſceleratiſſimis illis hominibus confundere?

VII. Vaſionenſe Concilium *cap.* 2. hac ratione fretus colligebat Pœnitentes, qui aliquo caſu peregrinantes, aut alia de cauſa ab Eccleſiis abſentes ſine reconciliatione moriuntur, poſt mortem eſſe orationibus fidelium, & ſacrificiis non ſecus, ac ipſi fideles adjuvandos, *Quia*, inquiunt, *nefas eſt eorum commemorationes excludi à ſalutaribus ſacris, qui ad eadem ſacra fideli affectu contendentes, dum ſe diutius reos ſtatuunt, & indignos ſalutiferis myſteriis judicant, ac dum purgatiores reſtitui deſiderant, abſque Sacramentorum viatico intercipiantur.* Multò minus Pœnitentes expectata, & ſanctis ſuis laboribus promerita reconciliatione, fraudari ea debebunt, eo quod dum diutius reos ſe ſtatuunt, & purgatiores reſtitui deſiderant, in morbum inciderunt, cujus violentia omnem illis petendam abſolutionis facultatem adimit.

VIII. Denique canones Toletani capite præcedenti relati, & enarrati idem obtinent. Docent enim Abſolutionem publico peccatori datam, qui cum diu ægrotaret, pęnitentiæ petendæ non meminit, tandemque morbo ingraveſcente, nullo edito converſionis ſigno obſtupeſcit, ratam eſſe, & efficacem, ſi circumſtantes fratres teſtentur, aliquando, cùm bene valeret, eam deſideraſſe. Quid in eodem morbi caſu de pęnitente pęnitentiam profeſſo credere par eſt, qui quotidie pęnitentis inſignia geſtat, qui ſingulis propè Synaxibus manuum impoſitioni in Eccleſia ſubeſt. Obiicies, Patres illos ſeverè Sacerdotibus prohibuiſſe, ne in poſterum his hominibus nec pęnitentibus nec ſentientibus, ut ipſi loquuntur, nec reconciliatio, nec pęnitentia, concedantur niſi aliquo indicio Sacerdotem advocaſſe ipſiſſimi ſignificarent. Ita eſt; ſed tria velim, Lector, conſideres: Primum verba; Non enim pœnitentibus dari prohibita eſt reconciliatio: Sed ii, de quibus agimus, pœnitentes ſunt, pęnitentiæque impoſitione opus non habent, ſed tantùm reconciliatione. Itaque nihil ad eos pertinet illa cautio. Secundum: Ratio, qua Patres commoti iſtos reconciliari prohibent, ea eſt, quod pęnitentiam agere nolunt, & illius à ſe omnia inſignia proiiciunt, prætexentes pęnitentiam ſe non poſtulaſſe. At ii, de quibus ſermo eſt, hoc prætexere non poſſunt, qui pęnitentiam publicè, & ſani poſtulaverunt, ſuſceperunt, eamque agentes in morbum inciderunt. Præterea certum eſt, ratione prohibitionis ceſſante pęnitentiam, & reconciliationem non Pœnitentibus, nec ſentientibus ex iſtorum Patrum ſententia dare permiſſum eſſe. Quanto magis pęnitentibus non ſentientibus reconciliatio jure meritoque concedetur. Denique, ut dictum eſt capite præcedente, licèt ejuſmodi hominibus pęnitentiam, & reconciliationem dare prohiberent, datas tamen non retractabant, ſed virtutem pęnitentiæ, & reconciliationis ipſis divinitus infundi credebant. Ergo juxta ratiocinium hodiernæ clementiæ in hoc extremæ neceſſitatis articulo, ſi potes, debes; cùm poſſis, validaque ſit Abſolutio, eam denegare non debes. Ergo multò magis hoc beneficium conferri poterit pęnitentiam amplexis, & profitentibus.

CAPUT VI.

Idem ex comparatione Pœnitentium cum Catechumenis ab Auguſtino facta adeò evidenter probatur, ut omnibus objectionibus, quæ mentem ſubire poſſunt, occurrerit. Confirmatur Innocentii III. & Gregorii IX. teſtimoniis. Donum pęnitentiæ neſcientibus illabitur, ut infantibus donum Baptiſmi, ex quo effato quatuor alia deducuntur. Eadem hypotheſis hominis ſine ullo ſenſu baptizati ex S. Fulgentio refertur, cujus explicatione omnis iſtius quæſtionis difficultas ſecundùm canones, & Eccleſiæ praxim diſſolvitur.

EAdem propoſitio ex comparatione Baptiſmi cum pęnitentia, ita videtur evidenter demonſtrari, ut nulla dubitandi relinquatur occaſio: Conſtat enim ea Eccleſiæ diſciplina ſolitos baptizari Catechumenos morbo repentino ſic oppreſſos, ut nec ad interrogata reſpondere, nec baptiſmum ne nutu quidem petere poſſint. Quæ autem baptiſmi ratio hac in cauſa, eadem & pęnitentiæ, ut ſæpe iidem Patres teſtantur, & prædicant. Quomodo autem in Catechumenorum morbis repentinis qui omnem ſubitò ſenſum eripiebant, verſaretur Eccleſia, docet nos apertiſſimè S. Auguſtinus ad finem libri primi de adulterinis conjugiis ad Pollentium. Quæſtionem iſtam ſic accuratè explicat, omneſque emergentes difficultates ſigillatim extricat, ut ejus textu propoſito, & lecto nemini amplius ſcrupulus iniici, aut dubium ſupereſſe poſſit. Quapropter teſtimonium ejus referemus huc integrum. Interrogat S. Auguſtinum Pollentius, An Catechumeni irruente morbo in ultimis conſtituti, qui nec ad interrogata reſpondere, nec baptiſmum petere poſſunt, eſſent nihilo minus baptizandi. Baptizandos cenſebat Pollentius; illi adſtipulatur S. Auguſtinus, non ut opinionem privatam tuenti, ſed ut vulgatam contra paucos aliter ſentientes amplectenti. Viri ſancti hic eſt textus, cujus nihil omittimus, cùm nulla ſit periodus, quæ difficultati, in qua verſamur, enodandæ non ſit opportuniſſima.

II. *Illud autem unde mottidem in alia ſcheda conſulendum exiſtimaſti, ſeorſum etiam ego enodare curarem, ſi mihi aliud, quàm tibi viſum eſt, videretur. Cùm verò eadem ſit etiam noſtra ſententia, non hinc opus eſt diutius diſputare. Catechumenis ergo in hujus vitæ ultimo conſtitutis, ſi morbo, ſeu caſu aliquo ſic oppreſſi ſunt, ut quamvis adhuc vivant, petere ſibi tamen baptiſmum, vel ad interrogata reſpondere non poſſint, proſit eis quod eorum in fide Chriſtiana jam nota voluntas eſt, ut eo modo baptizentur, quomodo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit. Non tamen propterea damnare debemus eos, qui timidiùs agunt, quàm nobis videtur agi oportere, ne de pecunia conſervo credita, improbiùs quam cautiùs judicare voluiſſe judicemur. Satis quippe in talibus reſpiciendū eſt illud Apoſtoli, ubi dicit, unuſquiſque noſtrum pro ſe rationē reddet Deo. Non ergo ampliùs invicē judicemus.*

mus. Sunt enim qui vel in his, vel etiam in aliis obſervandum putant, quod dixiſſe Dominum legimus; Nolitè ſanctum dari canibus, neque projeceritis margaritas veſtras ante porcos. Et ita ſalvatoris verba referentes, baptizare non audent eos, qui pro ſe reſpondere nequiverint, ne fortè contrarium gerant voluntatis arbitrium. Quod de parvulis dici non poteſt, in quibus adhuc rationis nullus eſt uſus. Sed non ſolùm incredibile eſt, nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenum velle; verumetiam ſi voluntas ejus incerta eſt, multò ſatius eſt nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit an nolit, ſic non apparet, & tamen credibilius ſit, eum ſi poſſet, velle ſe potius fuiſſe dicturum ea Sacramenta percipere, ſine quibus jam credidit non ſe oportere de corpore exire. Si autem Dominus ubi ait, nolite dare ſanctum canibus, hoc quod iſti cavendum putant, vellet intelligi, non ipſe ſuo traditori dediſſet quod in ſuam ille perniciem ſine culpa dantis cum dignis indignus accepit. Unde cùm hoc diceret Dominus, credendum eſt, ſignificare voluiſſe, quod lucem intelligentiæ ſpiritualis immunda corda non portant. Et ſi portanda Doctor ingeſſerit, quæ non rectè accipiunt, quia non capiunt, vel reprehenſionis morſibus lacerant, vel contemnendo conculcant. Si enim beatus Apoſtolus quamvis in Chriſto jam renatis, tamen adhuc parvulis, lac dicit ſe dediſſe non eſcum; necdum enim poteratis, inquit, ſed nec adhuc quidem poteſtis. Si denique ipſe Dominus electis Apoſtolis dixit; adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis illa portare modo, quanto minus poſſunt ferre quæcunque de incorporea luce dicuntur immundæ mentes impiorum? Sed ut ſermo noſter ad hoc potius claudatur, unde ſumpſit exordium, Ego non ſolùm alios Catechumenos, verumetiam ipſos, qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina conſortia, cùm ſalvos corpore in his permanentes non admittamus ad baptiſmum, tamen ſi deſperati, & intra ſe pœnitentes jacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit virum fortaſſis adulterinæ carnis illecebra uſque ad baptiſmum ſtatuerant detineri? Si autem ab illa deſperatione fuerint recreati, potuerint vivere, aut facient quod ſtatuerant, aut dicti obtemperabunt, aut de contemptoribus fiet, quod etiam de baptizatis talibus debet. Quæ autem baptiſmatis, eadem reconciliationis eſt cauſa, ſi fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipſos enim ex hac vita ſine arrha ſuæ pacis exire velle debet mater Eccleſia.

III. In Sancti Auguſtini verbis illuſtriſſimis quinque mihi videntur potiſſimùm notanda, & conſideranda, quorum poſtremum nonnulla difficultate mihi laborare videtur. Primum, quæſtionem à Pollentio de Catechumenis propoſitam eandem eſſe, in qua verſamur: Catechumenos ſcilicet illos, de quibus agit non modò non petere baptiſmum, cùm baptizantur, multò minus ad interrogata reſpondere, ſed ne quidem cùm irrupit morbus, baptiſmum petiiſſe. Quanquam enim hoc poſtremum expreſſis verbis non notet S. Auguſtinus, disertè tamen ex ipſius verbis conſequitur. Omnes enim rationes, quibus fretus decernit illis Baptiſmum non eſſe negandum ab eorum ſtatu, Catechumenatu ſcilicet, petuntur, quo ſit, inquit, ut *proſit eis quod eorum in fide Chriſtiana jam nota voluntas eſt*. Deinde ſubjungit, *incredibile eſſe nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenum nolle*. Tertium argumentum ab eodem catechumenatus ſtatu deducit. Ponamus voluntatem illius eſſe incertam, *Multo ſatius eſt nolenti dare, quàm volenti negare*. Sed regerit S. Auguſtinus, *Tamen credibilius eſt eum ſi poſſet, velle ſe potius fuiſſe dicturum ea Sacramenta percipere, ſine quibus jam credidit non ſe oportere de corpore exire*. Nullomodo credibile eſt, eum nolle baptizari: ſed dato credibile hoc eſſe; denegandi Catechumeno baptiſmi ſecundùm Sanctum Auguſtinum cauſa non eſt idonea hæc dubitatio. Manifeſtum eſt igitur, baptiſmum, cùm morbo correptus eſt, aut paulò ante, non poſtulaſſe: His enim S. Auguſtini rationibus nullus prorſus fuiſſet locus. Idem præterea demonſtrat notabile illud S. Auguſtini effatum, hunc adultum Catechumenum, ut infantes baptizari. Quo fit manifeſtiſſimum ad baptiſmum verum, & baptiſmi gratiam ab Adultis ſuſcipiendam Catechumenatus ſtatum ſufficere; atque ut *ita* dicam, habitualem baptiſmi voluntatem, quæ tamdiù durare ſecundùm Auguſtinum præſumenda eſt, quandiu non probatur retractata.

IV. Secundum notandum, Quæcunque dixit S. Auguſtinus de Catechumenis, & baptiſmo, eadem de Pœnitentibus, & Pœnitentia dicenda eſſe. Quapropter nihil, ne fingi quidem poteſt, quæſtioni propoſitæ explicandæ, & demonſtrandæ accommodatius, & efficacius. Quæ de baptiſmo diximus, Pœnitentiæ, ut jubet Auguſtinus, applica, tum nulla occurret tibi difficultas, quæ non facilè diluatur. *Quæ baptiſmatis, eadem reconciliationis eſt cauſa, ſi fortè Pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit*. Immò ulterius ex S. Auguſtini mente aſſumi poſſet. Hæc omnia de Pœnitentia potiori jure quàm de baptiſmo eſſe affirmanda; quia quæ de baptiſmo probat, ea pœnitentię exemplo velut aliquo notiori illuſtrat. Deinde nemo commemoratur dubitaſſe, an in caſu propoſito reconciliatio Pœnitentia præſtita efficax fuerit, quum in cauſa baptiſmi, ut ipſe ex Pollentii teſtimonio refert, nonnulli dubitaverunt.

V. Tertium notandum, rationes omnes quibus hæc praxis oppugnari poteſt, S. Auguſtinum paucis verbis diluiſſe. Omnes enim ex illis Domini verbis eliciuntur, *Nolite dare ſanctum canibus, neque projeceritis margaritas veſtras antè porcos*. Quæ cùm ſolidè demonſtret huic praxi non contradicere, ſed violentè in eam torqueri, nihil ſupereſt, quod obiici poſſe videatur, & eodem S. Auguſtini principio non facilè diſſolvatur. Illa ipſa ex Scholæ penu deprompta difficultas, nempe, Opus eſſe elemento, ſeu materia ſenſibili, cui moraliter præſenti Sacramenti forma, ſeu Abſolutionis verba applicentur. Sublatis autem, voce, nutu, & circumſtantium teſtimonio, nihil prorſus ſupereſſe, quod materiæ, & elementi rationem induere poſſit, ex eadem S. Auguſtini doctrina non magnò negotio explicatur. Si quid enim complectitur hoc argumentum, iſtud eſt, materiam non eſſe formæ recipiendæ convenienter diſpoſitam, & conſequenter ſancta contra præceptum Domini canibus dari. Negat S. Auguſtinus prohibuiſſe Dominum ſancta canibus dare, quando canes, & immundi cum ſanctis, & mundis illa capiunt; accipientis tum culpam eſſe, non dantis. Datur enim cani per accidens, cùm agni per ſe faciem, figuramve gerat. Itaque negandum eſt, materiam non eſſe formæ recipiendæ diſpoſitam. Hoc enim ſi contingat aliquando, id fit per accidens, & præter agentis intentionem. Semper enim ſolidiſſimæ illæ S. Auguſtini rationes recurrunt, incredibile eſt pœnitentem in fine vitæ nolle pœnitere: Illi prodeſſe debet non modò quod ejus *in* Pœnitentia deſideranda, ſed etiam agenda, nota voluntas eſt. Quòd ſi contra S. Auguſtinum, & æquas de proximi voluntate præſumptiones, diſpoſitionem illam eſſe incertam pertinaciter contenderis, recurret S. Auguſtini reſponſio, multò ſatius eſſe nolenti dare, quàm volenti negare, ubi velit an nolit non apparet. Voluntatis illa præſumptio, licèt errori ſit obnoxia, baptiſmi, vel reconciliationis præſtandæ juſta cauſa eſt, nec video quid rationibus S. Auguſtini opponi poſſit. In eodem caſu S. Cyprianus eodem prorſus modò, quo S. Auguſtinus argumentabatur, ut videre eſt *lib. 1. cap. 19. ſect.* 10. & iterùm infra *cap.* 12.

VI. S. Auguſtini ſententiam illiuſque rationes mihi videtur plurimùm illuſtrare Innocentii III. Pontificis in ſimili quæſtione de baptiſmo reſponſum Arelatenſi Archiepiſcopo datum, quod à Gregorio IX. in jus canonicum relatum eſt, *extra de baptiſmo, & ejus effectibus C. Majores §. Dormientes:* Ita definit, *Dormientes, & amentes, ſi priuſquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione perſiſterent; quia in eis intelligitur contradictionis propoſitum perdurare; & ſi fuerint ſic immerſi, characterem non ſuſcipiunt Sacramenti. Secus autem ſi prius Catechumeni extitiſſent, & habuiſſent propoſitum baptizandi. Unde tales in neceſſitatis articulo conſuevit Eccleſia baptizare. Tunc ergo characterem Sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem*. Gloſſa in hunc textum ſententiæ fontem evidentius aperit; *Nam* inquit, *ſemper durare præſumitur voluntas, niſi probetur mutata*. Unde ſic concludit, *Amens, & dormiens, qui ante Catechumeni fuerunt, recipiunt bene Sacramentum. Qui verò ſemper inviti fuerunt, & contradixerunt, non recipiunt; unde adhuc præſumuntur mali*. Ita tanta igitur extremitate ſufficit ad baptizandum Catechumenum antecedens voluntas, quam baptizans meritò præſumit continuatam, quando non illi conſtat eſſe revocatam. Idem planè de pœnitentibus, & Abſolutione dici vult S. Auguſtinus, & plures alii Patres jam citati, & capite ſequenti citandi.

VII. Inſtabis forſitan *iterum* Scholaſtico argumento, nullam eſſe materiam Sacramento aptam; quia nulla eſt ſenſibilis: atque id apparere ex eo quòd omnes, ut ita dicam, ſenſibilitatis modi, vox, nutus, teſtimonium alienum, videantur intercluſi: Ergo nullum eſſe Sacramentum. Conceſſa argumenti, qua formas illas reſpicit, conſequentia: Nec enim hic locus de materiis, & formis Sacramentorum diſputandi, dico pœnitentiæ materiam longè certiùs, clariùs & ſplendidiùs Sacerdotis oculis affulgere in Pœnitentis habitu, ſtatu, quotidiana manuum, cui ſe ſubiicit, impoſitione, quàm in nutu Sacerdoti facto, aut aliorum de nutu teſtimonio. Nam ut plurimùm nutus ille ob doloris vehementiam, & afflictæ mentis debilitatem ambiguus eſt, an ex animi compunctione, & poſtulatorum intelligentia procedat, an verò ex doloris perturbatione, & naturali gemitu, & planctu. Sed ponamus, nutus illos ex

animi compunctione, & poſtulatorum intelligentia procedere, Quid aliud ex iis colligitur, quàm morientem iſtum peccatorum tum pęnitere? At ſtatus pœnitentiæ, & catechumenatus, in quo perſtiterunt, quem nunquam retractaſſe probantur, pœnitentiam, & animi converſionem habitu illos habere, & cum primum morbo percuſſi ſunt, habuiſſe, quantum homini cognoſcere fas eſt, demonſtrat: quod ſanè materiam abſolventi ſuppeditat actu debili tranſeunte longè ſolidiorem.

VIII. Quartum in S. Auguſtini verbis notandum, hac pericope continetur, *Eo modo baptizantur Catechumeni illi, quomodo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit.* S. Auguſtini verba, mentemque perſpicuè explicant quæ Toletani Patres in pari hypotheſi *Concil.* 12. *can.* 2. jam ex parte citato referunt. Ex infantium ſimilitudine, qui nihil ſentientes baptizantur, & baptiſmi tamen gratiam ſuſcipiunt, demonſtrant gratiam quoque Pœnitentiæ in Adultos nihil prorſus corpore, & animo ſentientes illabi poſſe: *Unde ſicut baptiſmum quod neſcientibus parvulis ſine ulla contentione in fide tantùm proximorum accipitur: ita & Pœnitentiæ donum, quod neſcientibus illabitur, abſque ulla repugnantia inviolabiliter hi, qui illud exceperint, obſervabunt.* Hinc neceſſaria, & manifeſta conſequentia tria colligi poſſe videntur: Primum, antiquos Patres crediddiſſe non modò gratiam actualem ſive auxilium Spiritus ſancti voluntatem movens, & excitans per Sacramenta adultis conferri, ſed etiam gratiam ſive donum aliquod in anima ſubſiſtens, & permanens ab eo diſtinctum quod in ea jam productum eſt per actus voluntatis à Spiritu ſancto excitatæ. Secundum, donum illud per Sacramentum à Spiritu S. produci in anima diſpoſita ſine ullo voluntatis, & liberi arbitrii tum comitante motu, & concurſu. Tertium, Adulti juſtificationem, aliquando ſaltem, per donum illud compleri. Quartum etiam deduci poteſt, cùm ſcilicet donum illud Spiritus ſancti fuerit permanens in anima, & non animæ actio, qualitatem neceſſariò fuiſſe in anima per Spiritum ſanctum productam. Nihil enim aliud *ἐκ τῶν ὄντων*, quæ homines animo concipiunt, fingi poſſe videtur præter qualitatem, ad quod donum illud revocari poſſit. Verùm antiqui Patres non ita profundè, vel ſi mavis, non ita minutè, philoſophati ſunt. Hoc enim donum ſimpliciter vocarunt, donum Spiritus ſancti, gratiam Dei, gratiam Spiritus ſancti, charitatem, ſæpiſſimè Spiritum ſanctum, donum quoque Dei, pęnitentiæ, & ſimilium. Doctoribus Scholaſticis habitum vocare placuit donum illud, licet præter nomen ab ipſis tributum vix ſit huic dono aliquid cum habitibus innatis, aut acquiſitis commune.

IX. Hoc quod tam apertè docet, & probat S. Auguſtinus, Catechumenos nihil ſentientes, ſed morientes eſſe baptizandos, Eccleſiæ quoque Orientalis praxim fuiſſe ex celeberrimis illius Eccleſiæ Doctoribus facilè eſt demonſtrare, qui de ea, ut vulgata, & quotidiana, mentionem faciunt. S. Baſilius in exhortatione ad baptiſmum ſic eos alloquitur, qui cum diutius æquo retardant, *Quid expectas beneficio febris baptizari, quando nec ſalutaria verba loqui, nec item audire commodè poteris morbo caput occupante? non manus in cœlum tollere, non in pedes erigi, non genua adorando flectere, non commodè doceri, &c. fortè nec ſcitè inter initiandum ſubſequi, dubitantibus etiam præſentibus, num gratiam ſentias, an ſine ſenſu, quæ aguntur, accipias.* S. Chryſoſtomus in catecheſi ad illuminandos multò expreſſiùs hæc deſcribit, *Nam medici voce, qui jacentem deſperatam nuntiat, putatur illo tempore deſperatior Sacerdotis ingreſſus; & mortis æſtimatur indicium, quod æternæ vitæ materia eſt. Sed nondum molem calamitatis edixi, nondum malorum cacumina demonſtravi. Nam nonnunquam cùm neceſſaria præparantur, anima ſeparatur, anima divellitur à corpore, &c. Nam quando neſcit adſtantes, quando vocem prolatam non audit, quando illa verba, quæ ſponſionem communi omnium Domino facere conſuerunt, proferre non poteſt, ſed tanquam lignum, aut lapis immobilis jacet is, qui baptizandus eſt, nihilque differt à mortuo, quod utilitatis ſacrorum traditione præſtatur?* Gregorius Nazianzenus *oratione* 40. enarratis iiſdem incommodis Catechumenos diſſuadet à tam longa baptiſmi retardatione, *Quandiù mentes adhuc compos es, ad donum accurre, &c. quandiù bonum tuum non in alius ſuum eſt, verùm in tua ipſius poteſtate, quandiù lingua non titubat, nec frigore confecta eſt, nec, ut nihil ampliùs dicam, ſacræ imitationis pronuntiandæ vim, & facultatem amiſit, quandiù fidelis effici potes, non hominum opinione, & conjectura, ſed argumento certo, & explorato, &c.* Ut morem illum antiquitus frequentem admodum baptiſmi ad finem vitæ retardandi ex animis hominum delerent, baptiſmi eo tempore accepti vim, & efficaciam, qua poſſunt eloquentia, elevant. Elevare certè tanto conatu non erat opus, nec hanc ipſam *τ' ἀναισθησίας* hypotheſim deſcribere, ſi ſentientes tantùm, & animo valentes initiati fuiſſent. Sed eodem dubitationis argumento adverſus baptiſmum in hæc extrema differentes uſi ſunt, quo in pœnitentiam procraſtinantes, dum eam morbo correpti efflagitant.

X. Quintum, & poſtremum, ſed difficile, & obſcurum in S. Auguſtini verbis notandum S. Auguſtino peculiare, & Pollentii quæſtionibus ſuperadditum, Catechumenum ſpectat, qui concubinæ adhæret, atque intereà morbo ita corripitur, ut nihil prorſus ſentiat, & conſequenter, qui nullam poteſt criminis pœnitentiam demonſtrare. De hac hypotheſi reſpondet, *Si deſperati, & intra ſe Pœnitentes jacuerint, non pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur.* Sententiæ ſuæ rationem hanc reddit, *Quis enim novit virum fortaſſis adulterinæ carnis illecebra uſque ad baptiſmum ſtatuerant detineri?* Hujus propoſiti in Catechumenis præſumptio, quæ non eſt criminis nunc vitandi, ſed aliquando & ante mortem, Auguſtino ſufficere videtur, ut baptiſmo Catechumenus imbuatur: Licèt præſumptionis iſtius in animo baptizantis unicum argumentum ſit ſtatus catechumenatus, quem non exuit ægrotus.

XI. Difficile intellectu videtur, qua ratione in pœnitentem tanta, & tam diffuſa indulgentia cadere poſſit. Catechumenus enim, de quo verba facit S. Auguſtinus, peccati publici per totam vitam continuati Reus erat. Quomodo autem quis pœnitens dici poteſt, qui pœnitentia ſuſcepta ſeſe crimine publico quotidie maculat? Colligi tamen videtur ex Sancti Auguſtini poſitione Pœnitentes nonnullos fuiſſe, qui poſt Pœnitentiæ ſuſceptionem criminibus quotidianis publicè ſeſe contaminabant, quique nihilo ſecius veris Pœnitentibus in Eccleſia ſeſe aggregabant, & eorum habitum, & ſtatum præ ſe ferebant, ſicut Catechumeni ejuſmodi vitiis polluti Catechumenis tamen qualicunque modo aggregabantur. Si tamen Sancti Auguſtini verba diligentiùs attendantur, præſentem in iſtius Catechumeni animo pœnitentiam poſtulare videntur, Scribit enim, *Tamen ſi deſperati, & intra ſe pœnitentes jacuerint nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto.* Quidquid ſit, probabile admodum eſt Catechumenum quem deſcripſit, tum impœnitentem eſſe; reſipuiſſe verò, aut tum reſipiſcere, admodum levis eſt conjectura. Itaque longè plura concedit vir ille Sanctus, quàm exigere velimus.

XII. Non eſt hic prætereunda ea Catechumi hypotheſis, quam Ferrandus Diaconus S. Fulgentio propoſuit, cùm eadem prorſus ſit cum illa, de qua nunc agimus; & ita evidenter illius occaſione quæſtio noſtra a S. Fulgentio ex Eccleſiæ, & canonum praxi explicetur, ut quantum ad baptiſmum attinet, litem omnem dirimat, & per extentum funem rectus incedat. Hypotheſim iſtam jam Ferrandi verbis explicavimus libri octavi capite ſeptimo. Uno verbo Catechumenus erat vir bonus, & baptiſmo dignus judicatus, qui tamen *in extremo habitu conſtitutus, ſine voce, ſine motu, ſine ſenſu, nihil valens, Sacerdoti interroganti reſpondere, deferentium manibus apportatur, & pro eo nobis quaſi pro infante reſpondentibus, mente abſentiſſimus accepit baptiſmum, &c.* En ipſiſſima Pollentii hypotheſis. Non dubitat Ferrandus hunc Catechumenum in eo ſtatu baptizari debuiſſe: Immo fatetur hoc à Conciliis eſſe decretum. *Video*, inquit, *in hoc articulo poſſe uſitatam canonum proponi ſententiam, quæ infirmos jubet, ſi pro ſe reſpondere non valeant, ſed eorum voluntati teſtimonium ſui proprio periculo dixerint, baptizari.* Canon ille habetur in Concilio Carthagin. 3. *cap.* 34. & in Africano *cap.* 12. In ejuſdem Ferrandi breviatione *cap.* 202. Itaque nullum prorſus dubium eſt, talem fuiſſe Eccleſiæ praxim, ſicque canones eſſe intelligendos.

XIII. Quam igitur, inquies, difficultatem nectit in hac hypotheſi Ferrandus, de qua neceſſe judicavit, S. Fulgentium conſulere? Dubitat Ferrandus an Catechumenus eo modo baptizatus ſalutem æternam conſecutus fuerit, eo quod dubitet, an qui propria peccata contraxit, aliena Confeſſione ea poſſit diluere. Canonibus verò reſpondet, magis illos docere quid Eccleſia facere debeat, quàm quid ille percipiat? *Videlicet ut Miniſter verbi liber ſit à culpa negligentiæ, non ut ille oſtendatur conſors, particepſque juſtitiæ.* Ferrando reſpondet Fulgentius, nihil eſſe quod Catechumeni ſic baptizati ſalutem impediat multiſque rationibus ſententiam ſuam confirmat, quarum nonnullas loco jam citato retulimus, legique poſſunt apud Ferrandum Diaconum in Epiſtola Fulgentii de duabus quæſtionibus; inſerta quoque illa eſt aliquot operum S. Fulgentii editionibus.

XIV. Tandem ſic colligit Fulgentius, unaque opera explicationem, quam canonibus, Eccleſiæque praxi dederat Ferrandus, confutat; Innocentii III. & gloſſæ ratione potiſſimum fretus. *Proinde firmiſſimè tenenda eſt illa canonum ſententia paterno-*

Digitized by Google

ternorum, quæ infirmos jubet, ſi pro ſe reſpondere non valeant, ſed eorum voluntati teſtimonium ſui periculo proprio dixerint, baptizari. Rationem optimam, & viſcera rei penetrantem hanc reddit, *Viderant enim ſancti Patres eam non eſſe voluntatem, quæ impedita cognoſcitur, non mutata. Nec debere negari Sacramentum baptiſmatis, ubi firmitas cognoſcitur voluntatis. Hoc autem ſtatuentes SS. Patres, & quid Eccleſia facere debeat, & quid ille percipiat indicarunt. Neque enim hoc Eccleſia faceret, ſi ille nullum hoc facto beneficium percepiſſet*. Nunc aſſume, quod ex S. Auguſtino, & plurimis aliis Patribus demonſtratum eſt, *Quæ autem baptiſmatis, eadem reconciliationis eſt cauſa: ſi fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit*, nec ulla amplius ſupererit de pœnitentia difficultas.

CAPUT VII.

Eandem pœnitentium cum Catechumenis comparationem, cum Energumenis quoque multi Patres Græci, & Latini in eadem cauſa, ut vulgò notam, & acceptam inſtituerunt. Baptiſmus Græcis ἐφόδιον, viaticum, & non baptizatus ἀκοινώνητος dicitur. Conſenſus per verba, vel nutus, ut baptiſmus, vel reconciliatio legitimè conferatur, à quibus requirendus. Status Catechumeni ſiuè præſente conſenſu ſufficit. Quare Elibер. Patres Energumenos cum fidelibus in hac cauſa comparant.

COmparationem baptiſmi cum reconciliatione, ſeu Abſolutione, quam ex SS. Auguſtino, & Fulgentio capite præcedente inſtituimus, ex aliorum Patrum comparatione hoc capite illuſtrabimus. Cùm enim hæc Sacramenta duo haberentur humanæ ſalutis phati; ambo ſalutem æternam ea ſuſcipientibus cauſarentur; gratiamque ab uno partam, alterum amiſſam repararet; eodem modo de abſolutione, & baptiſmo philoſophati ſunt, neceſſitatemque unius conferendi in alterum pari conditione tranſtulerunt. Concilium Nicænum *cap.* 13. ſupra relato, & enarrato antiquam Eccleſiæ conſuetudinem confirmavit, quâ infinitè jubetur omnibus Pœnitentibus reconciliationis viaticum in fine vitæ conferri. Similiter, & de Catechumenis Lapſis S. Cyrillus infinitè ſtatuit Epiſtola canonica ad Epiſcopos Libyæ, & Pentapolis. *Si autem ſegregationem aliqui ſuſtinuerint puniti propter Lapſus, deinde ſint morituri exiſtentes Catechumeni baptizentur, & non excedent ab humanis gratiæ non participes, ſcilicet communione carentes. Videtur enim hoc quoque Eccleſiæ conſuetudini adhærere.* Ut pœnitentes ad Abſolutionem aſpirant; Sic Catechumeni ad baptiſmum. Sicut enim pœnitentes per Abſolutionem cum fidelium cœtu coaleſcunt; ſic & Catechumeni per baptiſmum. Ideò ſicut reconciliatio communio vocatur, & reconciliationis nondum compos, id eſt ἀκοινώνητος; Sic & Catechumenus non baptizatus Sancto Cyrillo dicitur quoque ἀκοινώνητος, & per baptiſmum communionis particeps, ut rectè verba Cyrilli commentans Balſamon adnotavit.

II. Eodem modo loquitur Clemens conſtitutionum *libr.* 8. *c.*32. De Energumeno baptizando, μὴ προσδεχέσθω εἰς κοινωνίαν πρὶν ἂν καθαρισθῇ, *non admittatur ad communionem, donec purgetur*. Propterea idem Balſamon in ſecundum reſponſum Timothei Patriarchæ Alexandrini baptiſmum meritò vocat ἐφόδιον, viaticum morientibus Catechumenis neceſſarium, SS Baſilium, Gregorium Nazianzenum alioſque Patres imitatus. Ita enim S. Baſilius Catechumenos exhortatione ad Baptiſmum alloquitur, flos præteriit ætatis μὴ ζημιωθῇς τὸ ἐφόδιον, *ne viatici jacturam facias*. Et Gregorius Nazianzenus *orat.*40. in eos qui baptiſmum ad finem vitæ differunt invehens, Baptizatori dicit cum Quæſtuario tum pugnam eſſe, τοῦ μὲν ὅπως ἐφοδιάσῃ φιλονεικοῦντος, *dum ille morientem viatico inſtruere, hic hæres ſcribi contendit*. Quemadmodum igitur ſe habet ad Catechumenum baptiſmus, ita ad pœnitentem reconciliatio: Sed Catechumenos morbo quocunque obmuteſcentes, conſopitos, aut etiam phreneticos baptizare ſemper licuit, illis pro voce, nutu aut aliorum teſtimonio ſatis erat ſtatus in Catechumenatu. Planè igitur idem eſt de pœnitentibus affirmandum.

III. Animadvertendum Lectori ſpeciem à S. Cyrillo enarratam proximè ad eos Catechumenos accedere quos ex S. Auguſtino capite præcedente commemoravimus. S. enim Cyrilli canon eſt de Catechumenis Lapſis, & ideo punitis, hoc eſt, qui ex genu flectentibus Audientes facti ſunt, ut dicitur *c.*5. Concilii Neocæſarienſis, & *c.*14. Nicæni. Non tamen notat, eos crimen propter quod caſtigati ſunt, continuaſſe, immò videntur potius illud deſeruiſſe, alioquin ab Eccleſia prorſus expulſi fuiſſent. Quod ſi fingantur crimen continuaſſe, & prorſus expulſi, ſimiliter erit dicendum ſigno ſaltem reſipiſcentiæ, vel per ſe, vel per alios dato baptizari debuiſſe. Ut ſupra vidimus Concil. Carthag. 4. *c.*76. obmuteſcenti moribundo, cùm ad eum invitatus Sacerdos accedit, reconciliationem dandam decernere, ſi circumſtantes invitati teſtimonium Sacerdoti dederint: Ita Concil. Carthagin. 3. *c.*74. *Ægrotantes ſi per ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntatis eorum teſtimonium hi, qui ſui ſunt periculo proprio dixeriat, baptizentur*. Repetitur canon ille in Concilio Africano *can.*12. De Abſolutione, & baptiſmo ſtatuunt eodem modo, ſufficere videlicet Ægroto moribundo penitus obmuteſcenti baptizando, vel reconciliando, ſi baptizatus aliquando fuerit, deſiderati anteà baptiſmi, vel deſideratæ reconciliationis teſtimonium.

IV. Notabit Lector, Græcos hunc canonem in ſuam collectionem tranſtuliſſe, ſed ipſorum interpretem Latini ſermonis ſenſum non cepiſſe: Nam in verbis Concilii Africani, *teſtimonium ſui dixerint*, credidit, *ſui*, genitivi eſſe caſus, & referri ad *teſtimonium*, cum ſit nominativi, & referatur ad, *Dixerint*: Ideo ſic interpretati ſunt, *Ut infirmi, qui pro ſe reſpondere non poſſunt, tunc baptizentur*. ὅτε τῇ αὐτῶν προαιρέσει τὴν περὶ αὐτῶν μαρτυρίαν κινδύνῳ ἰδίῳ εἴπωσιν, *Cùm voluntate ſua teſtimonium de ſe proprio periculo dixeriat*; Cùm vertendum eſſet, ὅτε τῇ αὐτῶν προαιρέσει τὴν μαρτυρίαν οἱ ἴδιοι αὐτῶν, vel οἱ καθ' αὐτοὺς κινδύνῳ ἰδίῳ εἴπωσιν. Græca iſta verſione deceptus Balſamon ſenſum à vero planè diverſum huic canoni affinxit. Ita enim commentatur, *Dicunt igitur Patres, quòd ſi infirmi demonſtraverint propoſitum de voluntate baptiſmi ſuſcipiendi, & dixerint proprio periculo ſe baptiſmum petere, ſine ullo impedimento baptizandi ſunt, confeſſione per alios facta*. Commentarius, ut vides Lector, textui planè repugnat. Attamē genio ſuo ductus Balſamon occaſione canonis à ſe explicati eandem, quam nos, cum vero canonis ſenſu quæſtionem movet, & eodem modo diſſolvit, *Si autem tunc quidem nihil poſſunt ejuſmodi dicere propter morbi neceſſitatem, teſtificantur autem aliqui, quòd ante furorem fortaſſe, vel aliquem alium periculoſum morbum ii ex toto vellent animo baptizari, rogo baptizabuntur, an non? Solutio. Mihi videtur quod ſine periculo baptizabuntur propter bonam eorum in ſanitate voluntatem*. Idem præſtitit Zonaras in eundem canonem, *Quòd ſi ab aliquo priuſquam morbo premeretur baptiſmum poſtulatum, aliquibus tamen ex cauſis dilatum fuiſſe teſtatum ſit, tunc quamvis erepto linguæ uſu baptizabitur*. Græcorum igitur eadem ſententia, licèt eam ex canone iſto propter præpoſteram translationem non colligerent.

V. Sanctus Leo qui *Ep.*91. juſſerat infirmis obmuteſcentibus reconciliationem dari, ſi fidelium circumſtantium teſtimonio probaretur eos pœnitentiam poſtulaſſe, idem de baptiſmo ſtatuetat *Ep.*4. *c.*6. & *Ep.*80. initio, *Summam hanc, potentiſſimamque Dei gratiam nonniſi in Paſchali, & Pentecoſtes die deſiderantibus, & credentibus conferatis; manente quolibet tempore gravium neceſſitatum, ac periculorum conſideratione, ſecundùm quam oporteat ſubvenire, ne conditione mortali coarctata infirmitas neceſſaria liberatione fraudetur. Cùm, &c. propter multa pericula ſit cavendum ne cuiquam, aut in deſperata ægritudine, aut in hoſtilitatis incurſu, aut in timore naufragii per Sacerdotem Domini regeneratio denegetur*. Non refert, cùm ingruit morbus, an tum baptiſmum deſiderant necne; deſideraſſe ſufficit cum ſæpe morbi violētia deſiderii ſui explicandi poteſtatem eripiat. S. Gregorius interrogationi decimæ Auguſtini ſic reſpondet. *Baptizari vel enixam mulierem, vel hoc quod genuerat ſi mortis periculo urgetur, vel ipſa in hora eadem qua gignit, vel hoc quod gignit eadem hora qua natum eſt, nullomodo prohibetur. Quia ſicut ſancti myſterii gratia viventibus atque diſcernentibus cum magna diſcretione providenda eſt: ita his quibus mors imminet, ſine ulla dilatione offerenda eſt; ne dum adhuc tempus ad præbendum redemptionis myſterium quæritur, interveniente paululùm mora, inveniri non valeat, qui redimatur*. Magna cum diſcretione ſanis diſcernentibus, & diiudicantibus baptiſmus tradendus; at à morientibus diſcretio, & judicium non ſunt exigenda, ſed gratia ſine ulla mora offerenda.

VI. Concilium Arauſicanum *c.*12. breviſſimè baptiſmum reconciliationi æquiparat, *Subitò obmuteſcens prout ſtatutum eſt, baptizari aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu*. Utriuſque æqua ratio eſt. De Excommunicatis publicis peccatoribus, & ſimilibus reſpectu pœnitentiæ ſermo eſt; De Gentilibus verò, vel Catechumenatus deſertoribus reſpectu baptiſmi: Neutris, ſi obmuteſcant, Sacramentum vult conferri, niſi præteritæ voluntatis teſtimonium alii reddunt, vel præſentis ipſiſſimi nutu ſaltem ſuo, ſi voce non poſſunt. Vir doctiſſimus Albaſpinæus Aurelian. Epiſcopus hunc canonem ſic explicat, *Nihil magnopere difficile eſt in hoc canone, qui de Gentilibus eſt accipiendus, non verò de Catechumenis, quibus etſi nullum voluntatis ſuæ teſtimonium haberent, baptiſmus eſſet conferendus*. Alteram verò partem de Excommunicatis non de pœnitētibus interpretatur. *Pœnitentiam accipere poteſt Excōmunicatus obmuteſcens ſubitò non ſolùm pœni-*

teniam, ſed etiam reconciliationem can. 76. Concil. Carthag. 4. Gentiles hic, & alibi, ut nos, Excommunicatis comparat, Catechumenos Pœnitentibus.

VII. Ulterius progrediuntur Toletani Patres in Concil. Toletano 12. c. 9. ea enim de baptiſmo, & reconciliatione docent, quæ in hac cauſa maximi ſunt momenti, quæque velut explorata, & extra omnem dubitationis aleam confirmant in concilio ſequente *cap. 9.* quod ab univerſis ferè Hiſpaniæ, & Galliæ Narbonenſis Epiſcopis celebratum eſt. *Unde ſicut baptiſma, quod naſcentibus parvulis ſine ulla contentione in fide tantùm proximorum accipitur; ita pœnitentiæ donum quod neſcentibus illabitur, abſque impugnantia violationis hi, qui illud acceperint, obſervabunt.* Ex ſententia igitur tantorum virorum, ſicut ad gratiam Sacramenti in baptiſmo ſuſpiciendam non eſt abſolutè neceſſaria miniſtrationis baptiſmi ſibi factæ cognitio, ut in baptiſmo parvulorum evidenter demonſtratur: Sic nec ad gratiam reconciliationis in Sacramento pœnitentiæ ſuſcipiendam. Hæc canonis pericope capite præcedente explicata eſt, & cum nonnullis Sancti Auguſtini verbis comparata.

VIII. Timotheus Patriarcha Alexandrinus unus è 150. Epiſcopis, qui Concilio ſecundo generali adfuerunt, docet baptizari poſſe Catechumenum emotæ mentis extra mortis præſentis periculum, ſi id ſui poſtulaverint. Interrogatio, & reſponſio ſunt ejuſmodi, *Si quis Catechumenus cum eſſet infirmus emotæ mentis factus ſit, nec poſſit ipſe fidem confiteri, ſuique ſuadeant, at donec vivit ſanctum baptiſmum accipiat, debetne ſanctum baptiſmum accipere, an non?* Breviter, & dilucidè reſpondet, *debet accipere, ſi ab immundo ſpiritu non tenetur.* Balſamon hoc commentans eandem, quam ex ſummis Pontificibus, & gloſſa capite præcedente explicavimus, rationem reddit, *Reſponſio eſt, quod oportet eum, licet ita ſe habeat, baptizari: & meritò, quia quòd eſt Catechumenus, videtur eo ſe eſſe animo oſtendiſſe, ut fidem amplectatur, & quamvis in baptiſmate non reſpondeat, prius tamen animi ſui inſtitutum oſtendit.* Iſtud animi propoſitum præſens, & evidens ſemper eſſe cenſetur, donec conſtet eſſe revocatum. Catechumenum autem illum infirmum non fuiſſe moribundum conſtat ex reſponſo ſequente, *Si Catechumenus à Dæmone corripiatur, & voluerit ipſe, vel ſui ut ſanctum baptiſma accipiat, debetne accipere, an non, & maximè ſi morti propinquus fuerit?* Huic interrogationi ita ſatisfacit Timotheus, *Si is qui à Dæmone corripitur non fuerit ab immundo Spiritu mundatus, non poteſt ſanctum baptiſmum accipere, ſed in exitu à vita baptizatur.* Notandum eſt interrogantem diſjunctim quæſtionem ſuam propoſuiſſe de petitione baptiſmi, vel ab ipſo baptizando, vel ab adſtantibus, & diſjuncta illa velut æquipollentia indicaſſe. Reſpondentem verò unico reſponſio ſimpliciter, & abſolutè ſine ulla diſjunctarum partium diſtinctione quæſtionem ſolviſſe.

IX. Baptiſmus igitur Catechumenis amentibus, phreneticis, Energumenis, & quovis caſu intelligentia privatis, extra mortis urgentis hypotheſim conferri ſolebat ad nudam circumſtantium poſtulationem, ut nos docet magnus ille Alexandriæ Patriarcha. Ne autem exiſtimes hanc eſſe unius Patriarchæ ſententiam, Orientales Epiſcopi ducenti, & aliquot in Trullana Synodo congregati approbarunt reſponſa iſta canonica. Itaque ſcribere poſſumus ita ſeſe cum Catechumenis gerere, antiquiſſimam eſſe totius Orientis conſuetudinem, cujus egregiam rationem reddit Balſamon, eandem ſcilicet, quam ex ſummis Pontificibus expoſuimus. Quidni hanc conſuetudinem calculo ſuo confirmaſſent, quum illius auctores fuerint Apoſtoli, ut ex S. Clemente conſtat *lib. 8. Conſtitut. cap. 32. Si quis dæmonem habeat, doceatur pietatem, neque admittatur ad communionem prinſquam mundetur; ſi tamen mors inſtet, admittatur.* Lex generalis eſt, nec ulla conditione limitatur. Quæ Orientales de Catechumenis extra urgens mortis periculum ſtatuerunt, eadem & generalius Arauſicani Patres *c. 15. Energumenis Catechumenis in quantum, vel neceſſitas exegerit, vel opportunitas permiſerit, de baptiſmate conſulendum.* Quæ autem de Catechumenis reſpectu baptiſmi dicta ſunt, eadem de pœnitentibus reſpectu abſolutionis affirmanda eſſe videntur.

X. Præter tot rationes, & Sanctorum Patrum auctoritates jam allegatas, quæ de diſpoſitione ad baptiſmum, & reconciliationem pari modo loquuntur, hoc non inevidenter jubere videntur Arauſicani Patres *c. 13. Amentibus quæcunque ſunt pietatis, conferenda ſunt.* Non diſtingunt amentes, ſi Catechumeni, aut pœnitentes, ſed generaliter edicunt, quaſi his verbis canonem ſuum enuntiarent, Amentibus ſi Catechumeni ſunt baptiſmus dandus, ſi pœnitentes reconciliatio. Quæ enim pietatis conferenda ſunt juxta quod unicuique eſt conveniens, hoc in dubium revocari non poteſt. Quum autem amentes poſſint eſſe ex æquo Pœnitentes, & Catechumeni, & neutri peculiariter deſignentur, ſed iis attribuatur, quod utrique ſpeciei convenit, utroſque intellexiſſe credendum eſt. Quod ad tempus attinet collationis myſteriorum, ex canone ſequente de baptiſmo Energumenorum ſupplendum eſt, *In quantum vel neceſſitas exegerit, vel opportunitas permiſerit.* Quidni de amentibus iſtis pœnitentibus dicemus id, quod de Catechumenis non ſentientibus, nec intelligentibus dixit Auguſtinus, *Proſit eis quod eorum in fide Chriſtiana jam nota voluntas eſt, ut eo modo baptizentur, quomodo baptizantur infantes;* Quum id eodem loco pœnitentibus nulla amentium, & prudentium diſtinctione facta, applicuerit?

XI. Eliberitani Patres de Energumenis alio modo decernunt: ex quo colligi poteſt, quæ fuerit de moribundis, Amentibus, & aliis ſive Catechumenis, ſive baptizatis, eorum ſententia. Sic ſtatuunt *c. 37. Eos qui ab immundis ſpiritibus vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptizari placet: ſi fideles fuerint, dandam eis eſſe communionem.* Non abs te percontaberis quamobrem pœnitentes Catechumenis ut alii Patres non conjungunt, ſed iis præteritis fideles ſufficiunt. Reſpondeo cauſam eſſe in promptu: In plurimis caſibus, ut jam explicatum eſt, reconciliationem peccatoribus, licèt eam ſeriò, & cum lachrymis reliquo vitæ tempore efflagitarent, vel in ipſo vitæ extremo ſpiritu denegabant; Baptiſmum verò in fine vitæ, nemini prorſus, ne Gentili quidem petenti, nedum Catechumenis Energumenis, ut capite ſequente demonſtrabimus. Baptiſmo autem, & communioni illis dandæ nullam ponunt conditionem: quia ut jam demonſtratum eſt, Catechumenatus ſufficiens eſt diſpoſitio, ſive petitio, ad recipiendum baptiſmum, ut fidelium ſtatus ſimiliter ad communionem. Quamobrem generali illa, & illimitata enuntiatione ſignificare volunt, quidquid ex morbi Symptomate Energumenis, Catechumenis, vel fidelibus contingat, propter ſtatum, in quo reperiuntur Sacramentum eorum unicuique conveniens eſſe concedendum. De fidelium ſtatu nihil quidem hactenus peculiariter diximus: Sed cùm id de pœnitentibus probatum eſt, de fidelibus multò magis videtur intelligendum. Ideò Patres iſti ſeverè admodum in peccata baptizatorum animadvertentes, pœnitentiamque, & communionem iis ſæpiſſimè negantes non potuerunt pœnitentes Catechumenis abſolutè comparare, ut poſteriores fecerunt, qui omnibus peccatorum quoquo modo pœnitentibus communionem in fine non negarunt, ſicut nullis Catechumenis baptiſmum. Meritò igitur Eliberitani Patres conſuetudini apud ipſos uſurpatæ adhæreſcentes, fideles in hac comparatione pœnitentibus ſubſtituerunt.

CAPUT VIII.

Nemini Catechumeno, imò nec Gentili, imminente periculo baptiſmum quoviſmodo petenti, denegatus eſt. Canones, quibus Gentilis Chriſtianus per manus impoſitionem fieri dicitur, explicantur. A Gentilibus baptizandis ſemper requiſita eſt baptiſmi petitio. In baptiſmi, & Abſolutionis collatione urgente mortis periculo unicum fuit trecentis annis diſcrimen; Poſteà alterum alteri in omnibus æquiparatum.

Diſciplinæ rigor, quem antiqui Patres in miniſtratione reconciliationis obſervarunt, nunquam legitur in baptiſmi miniſtratione obſervatus. Nemini unquam Catechumeno ſive baptiſmum peteret, ſive morbo præpeditus non peteret, neminì Gentili, ſed voce, vel nutu, vel aliorum teſtimonio petenti, baptiſmus in fine vitæ negatus eſt. Catholicorum tantùm non erat hæc obſervantia: idem obſervabant hæretici omnes, Montaniſtæ potiſſimum, & Novatiani, licet pœnitentiæ hoſtes. Hoc ſi probaverimus de Patribus Eliberitanis, quæſtioni, ut puto, ſatisfactum erit: Cùm enim fuerint omnium rigidiſſimi, quod iſti hac in cauſa fecerunt, alios idem, aut remiſſius feciſſe, dubium non eſt. *Can. 39.* ſic ſtatuunt, *Gentiles ſi in infirmitate deſideraverint ſibi manum imponi, ſi fuerit eorum ex aliqua parte vita honeſta, placuit eis manum imponi, & fieri Chriſtianos.* Non eſt dubium hìc agi de baptiſmo Gentili in infirmitate collato: Tantiſper enim ponamus Gentilem iſtum baptizatum non eſſe, quid erit manum illi imponi, & fieri Chriſtianum? An fieri poteſt Chriſtianus ſine baptiſmo, qui nondum eſt Catechumenus. Deinde quodnam viatici genus Gentili morienti datum, illa ſine baptiſmate manus impoſitio? S. Bonifacius *Epiſt. 11.* ad Zachariam Pontificem *to. 1. Concil. Gall.* conqueritur, quendam Presbyterum Scotum docere aliquem ſine baptiſmo per Epiſcopalem manus impoſitionem fieri poſſe Chriſtianum Catholicum. Quid verò Zacharias? *Hic, qui dicit hoc, vacuus eſt Spiritu S. & alienus à gratia Chriſti, atque à conſortio Sacerdotali abiiciendus. Quis enim niſi baptizetur juxta præceptum Domini, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. & ſic per manus impoſitionem conſecretur, poteſt eſſe*

Catho-

Digitized by Google

Catholicus? Hunc nequiſſimum virum talia prædicantem ab Eccleſia ſancta Dei condemnatum expello. Dogma eſt in Eccleſia Dei hactenus inauditum, aliquem non baptizatum eſſe poſſe Chriſtianum. Hoc ut primùm audivit Pontifex, ſtatim execratus eſt.

II. Verum regeres, cur igitur fit manus impoſitionis mentio, nulla verò baptiſmi? Manus illa impoſitio, confirmatio eſt poſt baptiſmum, ut perficiatur baptizatus, dari ſolita. Canonis igitur ſpecies eſt ejuſmodi. Dubitabatur an Gentilis, qui anteà Catechumenus non fuerat, ſed tamen in infirmitate aliquo erga religionem Chriſtianam deſiderio affectus baptiſmum petierat, cuique de more in ejuſmodi periculo collatus fuerat, eſſet confirmandus: dubitandi cauſa evidens. Gentiles cùm nulla periculi neceſſitate premerentur, longo tempore in Catechumenatu religionem Chriſtianam docebantur, & ad pravas animi voluntates purgandas variis jejuniis, & pęnitentiis exercebantur. Ne in hoc probando, quod apud antiquos erat vulgatiſſimum longiores ſimus, adnotaſſe ſufficiet Lectori ejuſdem Concilii canones 4. 11. 73. 42. Catechumenatu tandem confecto baptizabantur, ſtatimque poſteà per manus impoſitionem confirmabantur, & Euchariſtia donabantur. At ii de quibus ſermo, nec edocti erant myſteria fidei, nec pęnitentia Catechumenorum purgati. Non abs re igitur dubitatum eſt, an manus impoſitione qua baptizatus perficitur donandi eſſent. Leve dubium non fuiſſe arguit Concilii reſponſio, *Si fuerit eorum ex aliqua parte vita honeſta placuit eis manum imponi*. Nolunt enim abſolutè ejuſmodi baptizatos confirmari, ſed vitam eorum ante baptiſmum in Gentiliſmo examinari; & ſi ſceleratè non vixerint, ſed honeſtè, manus eis imponi, aliàs confirmationem ipſi negari. Quod additur in canone, *& fieri Chriſtianos*, ſupplendum, *perfectos*. Baptiſmo enim ſimus Chriſtiani, Confirmatione pleni, & perfecti Chriſtiani, ut antiqua decreta paſſim loquuntur, & Eliberitani canones ſtatim citandi: immò ab illo chriſmate κυρίως, Chriſtiani dicuntur. Ideò κυρίως, & propriè loquentes Patres illi Gentiles ejuſmodi baptizatos, abſolutè dixerunt confirmatione fieri Chriſtianos.

III. Canonis alius ſenſus fingi non poteſt, qui aliqua veriſimilitudine nitatur. Illuſtratur demum, & demonſtratur hæc interpretatio ex canone antecedente, fidelis, inquiunt, poteſt *baptizare in neceſſitate infirmitatis poſitum Catechumenum: ita ut ſi ſupervixerit ad Epiſcopum eum perducat, ut per manus impoſitionem perfici poſſit*. Canone igitur ſequente non eſt amplius quæſtio de Catechumeno, ſed de Gentili nondum Catechumeno, qui ante Catechumenatum initum morbo corripitur. Supponit autem canon ejuſmodi baptizandum eſſe, ſed dubitabatur an eſſet confirmandus, definitque ut narratum eſt. Canone verò præcedente non quærebatur an Catechumenus eſſet baptizandus, hoc ſupponitur; nec quęrebatur an eſſet confirmandus? Hoc enim enuntiat, & definit ut neceſſarium, ſed quærebatur, An fidelis Laicus ejuſmodi Catechumenum baptizandi jus haberet, ita enim canon, *Peregrè navigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, baptizare, &c.* Hoc enim tum temporis apud eos non erat definitum: cætera, videlicet Catechumenum moribundum eſſe baptizandum, & poſteà confirmatione perficiendum, ut certa, & explorata enuntiantur. In canone verò ſequente ſive 39. ſupponitur, ut exploratum Gentilem infirmum eſſe baptizandum, ſed an confirmandus definitur. Statim autem baptizatos ab Epiſcopo confirmatione perficiendos eſſe probat præterea *can. 73. Si quis Diaconus regens plebem ſine Epiſcopo, vel presbytero aliquo baptizaverit, Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit*. Baptizatos manus impoſitione perfici, & cùm eam receperint, tum verè, & plenè fieri Chriſtianos, vulgò ab antiquis uſurpabatur, ut in Epiſtola Urbani Papæ primi legitur à Burchardo Ivone, & Gratiano repetita; Melchiadis Papæ *Epiſt.* 1. Laodic. Concilii *c.* 7. & aliis. Sed cum idem nos doceat Concilium Eliberit. aliis locis, quàm in canone controverſo, ea indicaſſe ſatis eſto.

IV. Huic canoni prorſus ſimilem conjungimus Arelatenſis Concilii 1. ſextum, *De his qui in infirmitate credere volunt, placuit debere his manum imponi*. Supponunt conſimiliter Patres illi infirmos illos credere volentes, & conſequenter non Catechumenos, baptizatos fuiſſe. Tota quæſtio in Confirmationis collatione verſabatur, ſcilicet, An Baptizatis ſine Catechumenatu initio Confirmatio tribuenda eſſet. Reſpondent Arelatenſes abſolutè dandam eſſe, favorabilius quàm Eliberitani, qui diſtinguendum jubent. Ita canonem intellexit, qui ἐπιγραφὴν impoſuit, *Ut in infirmitate converſi, manus impoſitionem accipiant*. Evidentiſſimè igitur ex utroque canone colligitur axioma fuiſſe apud eos exploratiſſimæ veritatis, Baptiſmum nulli Ethnico mo-

rienti, & petenti denegandum eſſe. Petenti dico, eo quod disertè id exprimant canones, *Qui in infirmitate credere volunt*, & Eliberitani, *ſi in infirmitate deſideraverint*. Gentiles enim baptiſmum non deſiderantes, licèt animam agant, baptizare nefas ſemper fuit. Ideò non modò hæc concilia, ſed etiam Pontificum, & aliorum Conciliorum decreta ab iis conſenſum, ut conditionem prorſus neceſſariam ſemper exigunt. Victor Papa I. *Epiſt.* 1. *Si neceſſe fuerit, aut mortis periculum ingruerit, Gentiles ad fidem venientes quocunque loco vel momento, ubicunque evenerit ſive in flumine ſive in mari, ſive in fontibus, tantùm Chriſtianæ confeſſione credulitatis clarificata, baptizentur*. Sanctus quoque Siricius Papa *Epiſt.* 1. *c.* 2. *Quicunque etiam diſcrimen naufragii, hoſtilitatis incurſum, obſidionis ambiguum, vel cujuslibet corporalis ægritudinis deſperationem inciderint, & ſibi unico credulitatis auxilio popoſcerint ſubveniri, eodem quo poſcunt momento temporis expetitæ regenerationis præmia conſequantur*. Legantur & S. Leo *Epiſt.* 80. Concil. Agath. *c.* 34. Moguntinum ſub Rabono *c.* 3. Burch. *l.* 4. *c.* 3. & 81. Ivo *par.* 1. *c.* 198. & 275.

V. Canone 45. Concilii Eliberitani definitur alia hypotheſis: Non enim agitur de Gentili in fine vitæ baptizando, nec de Catechumeno, ſed de quodam inter iſtos medio, de eo qui aliquando fuit Catechumenus, ſed per infinita tempora Eccleſiam deſeruit, unde meritò dici poteſt Catechumenatus, & vocationis ſuæ deſertor, & Apoſtata. De ejuſmodi deſertore interrogantur Patres, An antequam ad Eccleſiam redierit, & Catechumenis incorporatus fuerit, ſi morbo corripiatur, ita ut per ſe reſpondere non poſſit, ſi fideles teſtentur eum redire ad Eccleſiam voluiſſe, ſi baptizandus. baptizandum eſſe decernunt, & decreti ſui rationem reddunt his verbis, *Qui aliquando fuerit Catechumenus, & per infinita tempora nunquam ad Eccleſiam acceſſerit, ſi eum de Clero quiſque cognoverit eſſe Chriſtianum, aut teſtes aliqui extiterint fideles, placuit ei baptiſmum non negari, eo quod in veterem hominem deliquiſſe videatur*. De moribundo homine quæſtionem eſſe propoſitam manifeſtum eſt, quum baptiſmum definiunt ei non denegandum. Sanum enim ob tale crimen in multos annos diſtuliſſent, ut de Catechumeno delatore edicitur *cap.* 73. *Poſt quinquennii tempora admittatur ad baptiſmum*; De adultera verò filium necante *c.* 68. *placuit in fine baptizari*. Moribundum autem illum obmutuiſſe patet, quia teſtes inquiruntur: Teſtes autem hoc in caſu, nec in reconciliatione interrogantur, cum ægrotus propria voce interrogatus reſpondere poteſt.

VI. Cùm igitur, & Gentiles, & Catechumeni vocationis ſuæ deſertores in fine vitæ ſecundùm rigidiſſimos illos Patres baptizentur, ſi baptiſmum petant, aut petiti teſtimonia producantur, multò magis veri Catechumeni, & in Catechumenatu perſeverantes, licèt forſan contingat morbo ita premi, ut obmuteſcant, ſecundùm eoſdem Patres baptizabuntur, Ideò licet ſæpius variis de cauſis edicant Catechumenos in fine baptizandos, ut *can.* 11. 37. 38. 42. 68. nunquam tamen petitionis, reſponſi, nutus, aut alieni teſtimonii mentionem faciunt, ſed ſimpliciter pronuntiant eſſe baptizandos, immò nec canone quidem 37. qui eſt de Energumenis Catechumenis, qui phrenetici, furioſi, aut amentes eſſe plerumque ſolent, ulla fit iſtarum conditionum memoria. Sed *c.* 42. videtur omnem aditum iſtis conditionibus intercludere, *Qui ad primam credulitatis fidem accedunt, ſi bonæ fuerint converſationis, intra biennium placuit ad baptiſmi gratiam admitti debere, niſi infirmitate compellente coegerit ratio, vel ſocio ſubvenire periclitanti, vel gratiam poſtulanti*. Disjunctio in ultima pericope demonſtrat periclitantem intelligendum eſſe, qui baptiſmi gratiam petere non poteſt: aliàs enim nugatoria, & ineptiſſima eſſet diſtributio, cum baptiſmi poſtulatio ſecundùm membrum conſtituat.

VII. Quid ſeveriſſimos illos Patres dico? Ipſi hæretici, & Pœnitentiæ hoſtes Montaniſtæ, & Novatiani nihil non baptiſmo tribuerunt, quo parcius de Pœnitentiæ virtute loquebantur, eo liberalius baptiſmi virtutem extollebant. Unde eſt quod Tertullianus Montaniſta factus argumenta ſcripturæ quibus pęnitentiæ, & reconciliationis virtutem Catholici adſtruebant magno conatu ad baptiſmum detorquet, multiſque verbis contendit *capitibus* 7. 8. 9. *libri de pudicitia* parabolas drachmæ perditæ, ovis errantis à Paſtore requiſitæ, & filii prodigi, ad Ethnicos pertinere quorum ſcelera omnia baptiſmo eluuntur. Et *cap.* 21. poteſtatem Petro datam explicans, *Ipſe denique primus in Chriſti baptiſmo reſeravit aditum cœleſtis regni, quo ſolvuntur alligata retro delicta*. S. Amb. idem de Novatianis teſtatur *lib.* 1. *de Pœnit. c.* 7. *Cur baptizatis ſi per hominem peccata dimitti non licet. In baptiſmo utique remiſſio peccatorum omnium eſt. Quid intereſt utrùm per pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus ſibi datum Sacerdotes vindicent? Unum in utroque miniſterium eſt. Sed*

dicet, quia in lavacro operatur myſteriorum gratia. Quid in pœnitentia? Nonne Dei nomen operatur. Capite ejuſdem libri ultimo Novatianos refutat, quòd, aſſererent inceſtum illum Corinthium nondum baptizatum fuiſſe: Solebant enim, ut Montaniſtæ ad baptiſmum pleraque torquere, quæ de pœnitentia in ſcripturis dicebantur. Denique ut uno verbo concludam. Tota controverſia inter Catholicos, & Hæreticos illos de pœnitentia erat, non de baptiſmo. Quæſtio iſta agitabatur, An peccata mortalia poſt baptiſmum commiſſa, iterum per pœnitentiam condonari poſſent, ut per baptiſmum prius condonata fuerant. Evolvantur quæcunque ipſis Patres hac in cauſa tribuunt, nihil aliud colliges. Itaque facilè admittebant, & uſurpabant quæcunque à nobis ex Patrum ſententia de baptiſmo dicta ſunt.

VIII. Ex omnibus, quæ hactenus variè diſputata ſunt, duo ſunt conſectanea. Prius, Tribus primis Eccleſiæ ſeculis inter collationem Baptiſmi, & abſolutionis pœnitentialis, quantum ad ſuſcipientes attinet, unicum fuiſſe diſcrimen: Scilicet, Baptiſmum omnibus quoquo modo petentibus, aut quos petiiſſe conſtabat, ſi mortis periculum inſtaret, collatum fuiſſe, ſive moribundi illi fuiſſent Catechumeni, ſive Catechumenatus deſertores, ſive Gentiles, qui tum primùm baptiſmi gratiam deprecarentur, aut anteà deprecatos eſſe probaretur; Id enim in cauſa baptiſmi non diſcutiebatur: Reconciliationem autem, ſive abſolutionem Pœnitentiæ Deſertoribus, Religionis Apoſtatis, Excommunicatis, & peccatoribus publicis negatam fuiſſe, ſi cùm mortis periculum urgebat, tum primùm Eccleſiæ miſericordiam incipiebant deprecari. Hanc hypotheſin ſi excipias, in cæteris omnibus, ubi mortis aderat periculum, pares erant. Mortis periculum data opera deſigno, quia certum eſt pœnas peccantibus poſt baptiſmum infligi ſolitas multò graviores, diuturnioreſque iis fuiſſe, quæ ante baptiſmum Catechumenis peccantibus infligebantur, de qua re multis actum eſt libro tertio.

IX. Poſterius conſectaneum: Paulò poſt annum Chriſti trecenteſimum diſcrimen illud prorſus ſublatum eſſe; atque ab eo tempore, quibuſcunque in cauſis, & caſibus baptiſmus in fine vitæ conceſſus eſt, iiſdem & reconciliationem conceſſam: Qua autem in cauſa conceſſus non eſt baptiſmus, in eadem nec reconciliatio, ſive abſolutio. Si petas qua in cauſa baptiſmus morienti conceſſus non eſt: Reſpondeo, unicam fuiſſe, ex dictis apertiſſimè colligi, hanc videlicet, iis, qui nunquam fuerunt Catechumeni, nec aliquando ſani, vel ægroti baptiſmum feriò poſtulaſſe probantur, ſi cum vitæ urget exitus, illum non petant, ſaltem nutu evidenti, licèt propter morbi vehementiam petere non poſſint, baptiſmus ſine crimine non confertur. Eadem eſt ratio reconciliationis in baptizatis Excommunicatis, Apoſtatis, & publicis peccatoribus. Ejuſmodi cum ſanos, vel moribundos non conſtat reconciliationem voce vel nutu, vel aliorum teſtimonio poſtulaſſe, reconciliatio ſine ſacrilegio redhiberi non poteſt. Sacramenta enim non ſunt invitis obtrudenda. Miniſtrum Sacramenti ſaltem conjectura non improbabili præſumere oportet eum, quem Sacramentorum participem facit, is ſerio participare velle. Hinc præter ea, quæ jam diximus, emanavit generale illud Cæleſtini Papæ decretum, graviter obſervantium increpationi conjunctum, *Agnovimus pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum deſideriis annui, qui obitus ſui tempore, hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubveniri. Horremus fateor tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate deſperet &c. Quid hoc rogo aliud eſt, quàm morienti mortem addere, ejuſque animum ſua crudelitate, ne abſolutus eſſe poſſit, occidere?* Deinde poſtquam adversùs eos multis egit ſcripturæ teſtimoniis, concludit, *Cùm ergo ſit Dominus cordis inſpector, quovis tempore non eſt deneganda pœnitentia poſtulanti, cùm ille ſe obliget judici, cui occulta omnia noverit revelari.* Non poſtulanti igitur pœnitentiam vel per ſe, vel per alios, vel in fine vitæ deneganda eſt: Quod ſanè de pœnitentibus intelligi non poteſt, qui pœnitentiam non modò ſuſceperunt, ſed agunt. Hoc decretum integrum repetunt Rabanus *c. 38. de pœnitentia*, Burchard. *lib. 18. c. 22.* Ivo *part. 15. c. 44.* Gratian. 26. *q. 6. cap. 13.* Concilium Vormatienſe ſub Hadriano II. *c. 80.* idem ſecundùm canones ſtatuit, & Cæleſtini nomine tacito decreti verba magna ex parte exprimit. Concilium quoque Triburienſe *in fine cap. 31.* hoc Cœleſtini decretum cum aliis nonnullis in eundem finem allegat. Huc uſque mos idem in Eccleſia ſanctè, & inviolatè obſervatur

X. Diſſertationem hanc viri illuſtriſſimi, & eruditiſſimi Gabrielis Albaſpinæi teſtimonio, & auctoritate coronabimus. Ita ille in *c. 44. Concilii 3. Carthagin.* commentatur. *Catechumenum quidem non crediderim in id diſcrimen vocatum, ut de ejus baptiſmo dubitaretur, quamvis morbus loquendi facultatem ei præripuiſſet, quod ejus animus, voluntas, & cupiditas toto Catechumenatu nemini non cognita, dubitationem omnem de dando baptiſmo tolleret. Secus in alio, qui Catechumenus non eſſet, explorandu erat ejus voluntas, atque ſententia. Uno verbo idem erat de Catechumenis, & pœnitentibus judicium. Nam quamvis obmutuiſſent, & tam præcipiti valetudine, ut ne quidem baptiſmi, aut abſolutionis petendæ ſpatium habuiſſent, abſolvebantur tamen, & baptizabantur. Gentilibus, aut Excommunicatis, & Apoſtatis non eadem gratia: Nam neque adjuvabantur ab Eccleſia, neque his Sacramentis, niſi ea petiiſſent, aut nutu, aut ſigno ſe ea petere oſtenderent, donabantur.* Quibus verbis ad utramque quæſtionem dijudicandam nihil clariùs pronuntiari poteſt.

CAPUT IX.

Cum Pœnitentibus ſine reconciliatione mortuis nonnullæ Eccleſiæ communicabant; nonnullæ, ut Romana, communicare detrectabant. Quando tandem, & qua occaſione Romana, aliæque tum Orientales quàm Occidentales hanc ſeveritatem remiſerunt. Quando cœpit Eccleſia mortuos damnare, & abſolvere. Cujuſmodi fuit illa damnatio, & Abſolutio. Hujus varia exempla.

LEctoris mentem ſubire poteſt hæc quæſtio, Cùm Pœnitentes contingebat eo loco, & tempore mori, quo reconciliatio eis præſtari non poterat, videlicet in itinere, in campis, in deſertis locis, in mari, vel caſu aliquo violento, qua ratione Eccleſia circa eos ſeſe gerebat? Eccleſiarum traditiones hac in cauſa variarunt. Nonnullæ enim circa eos ita ſeverè ſeſe geſſerunt, ut eorum memoriam nullis crederent fas eſſe orationibus, & ſacrificiis frequentare: Aliæ verò ut membra ſua eos defunctos omnibus charitatis officiis proſequebantur, pro iis orabant, offerebant, & ſacrificabant. Hanc ſeveritatem longo tempore amplexa eſt Eccleſia Romana; cujus rei teſtis eſt locuples S. Leo *Epiſt. 91.* ad Theodori Epiſcopi Forojulienſis interrogata reſpondens, *Si autem aliquis eorum pro quibus Domino ſupplicamus, quocunque interceptus obſtaculo à munere indulgentiæ præſentis exciderit, & priuſquam ad conſtituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit. Quod manens in corpore non receperit, conſequi exutus carne non poterit. Nec neceſſe eſt nos eorum, qui ſic obierint, merita, actuſque diſcutere, cùm Dominus Deus noſter, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale miniſterium implere non potuit, ſuæ juſtitiæ reſervaverit: ita poteſtatem ſuam timeri volens, ut hic terror omnibus proſit; & quod quibuſdam tepidis, aut negligentibus accidit, nemo non metuat.* Evidentia verba, quæ commentario non egent: Confirmantur tamen generali, & minimè obſcuro axiomate Eccleſiæ, quod refert idem Leo *cap. 6. Epiſt. ſequentis, Nos autem quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non poſſumus.*

II. Gelaſius I. in Concilio Romano pro Miſeni Cumani Epiſcopi abſolutione celebrato, idem ipſo Leone evidentius profitetur. Negatur enim Vitali ejus Collegato defuncto Abſolutio, & negationis ratio his verbis redditur, *Quantum præmanente Domino poſſibilitatis eſt humanæ, deſideranti remedia præbemus; totum, quod ſupra noſtræ facultatis eſt, modulum divino judicio relinquentes. Non autem nobis poterunt imputare, cur prævaricationis offenſum viventibus remittamus, quod Eccleſiæ Deo largiente poſſibile eſt. Nec nos jam mortuis veniam præſtare depoſcant, quod nobis poſſibile non eſſe manifeſtum eſt: Quia cum dictum ſit, Quæ ligaveritis ſuper terram, Quos ergo non eſſe jam conſtat ſuper terram; non humano ſed ſuo judicio reſervavit: Nec audet Eccleſia ſibimet vindicare, quod ipſis beatis Apoſtolis conſpicit non fuiſſe conceſſum; quia alia eſt cauſa ſuperſtitum, alia defunctorum.* Eadem ſtatuit idem Gelaſius, & propter eaſdem rationes in Epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ in cauſa Acacii Epiſcopi Conſtantinopolitani defuncti. Eandemque ſententiam multis perſequitur Vigilius I. Pontifex ad finem conſtituti de tribus Capitulis, in eum finem Leonis, & Gelaſii prædeceſſorum ſuorum, quæ exſcripſimus, decretis allegatis. Quapropter quin hæc fuerit antiqua Eccleſiæ Romanæ traditio, nemini dubium eſſe poteſt, ac proinde plurimas Occidentis Eccleſias eam eſſe ſecutas.

III. Aliæ tamen, & celebres Eccleſiæ contrariam ſententiam amplexæ ſunt, Concilium Carthaginenſe 4. *cap. 79. Pœnitentes, qui attentè leges Pœnitentiæ exequuntur, ſi caſu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis ſubveniri non poſſit, memoria eorum & orationibus, & oblationibus commendetur.* Refertur quoque Capitular. *lib. 5. cap. 77.* & apud Ivonem *p. 15. c. 11* & *26. q. 7. C. Sacerdos.* Limitatus eſt canon: Ideò colligere licet, Pœnitentes in obſervatione Pœnitentiæ tardos, & pigros eo privi-

Digitized by Google

privilegio poſt mortem ſine reconciliatione obitam non fuiſſe donatos: Concilium Arelatenſe 2. *cap.* 22. idem, ſed generaliter, ſtatuit, ratione ſtatuti addita. *De his, qui in pœnitentia poſiti vitam exceſſerunt, placuit nullum vacuum communione debere dimitti, ſed pro eo quòd honoravit pœnitentiam, oblatio illius recipiatur.* Refert hunc canonem Rabanus *cap.* 36. *Pœnitentialis.*

IV. Concilium Vaſenſe *cap.* 2. pulchram hujus rei rationem reddit, & perſpicuè explicat, ideò canonem licèt longiuſculum exſcribemus integrum, *Qui pœnitentia accepta, in bono vitæ curſu ſatisfactoria compunctione viventes, ſine communione inopinato nonnunquam tranſitu, in agris, aut in itineribus præveniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam Eccleſiaſtico affectu proſequendam. Quia nefas eſt eorum commemorationes excludi à ſalutaribus ſacris, qui ad eadem ſacra fideli affecta contendentes, dum ſe diutiùs reos ſtatuunt, & indignos ſalutiferis myſteriis judicant, ac dum purgatiores reſtitui deſiderant, abſque Sacramentorum viatico intercipiuntur; quibus fortaſſe nec abſolutiſſimam reconciliationem Sacerdos denegandam putaſſet.* Veram cauſam, atque ab ipſa rei natura petitam explicat canon, propter quam Pœnitentibus, in dato caſu eſt communicandum. Canonum collectores antiquum canonem referunt ex Concilio Epaunenſi, quo idem præcipitur, ſed phraſibus, quæ ætatem recentiorem ſapere videntur, *Si aliquis excommunicatus fuerit mortuus, qui jam ſit confeſſus, & teſtimonium habeat bonum, & non poterat venire ad Sacerdotem, ſed præoccupavit eum mors in domo, aut in via, faciant pro eo Parentes ejus oblationem ad altare, & dent redemptionem pro captivis.* Referunt, Burchard. *lib.* 11. *cap.* 51. Ivo *parte* 14. *cap.* 154. Gratian. 26. *qu.* 6. *cap.* 11.

V. Hæc traditio, ut præcedente clementior, ac humanior, ab omnibus tandem admiſſa eſt, univerſamque pervaſit Eccleſiam. Concilii Toletani 11. Patres can. 12. eam ampleсtuntur, ut ſuo tempore magis vulgatam. *De his autem, qui accepta pœnitentia antequam reconcilientur ab hac vita receſſerint, quanquam diverſitas præceptorum, de hoc capitulo habeatur; illorum tamen nobis ſententia placuit, qui multiplices numero, de hujuſmodi hominibus decreverunt, ut & memoria talium in Eccleſiis commendetur, & oblatio pro eorum delicto à Presbyteris recipiatur.* Renovatus eſt hic canon in Capitularibus *lib.* 5. *cap.* 65. Notabit autem Lector, Patres Toletanos, cùm de varia obſervatione mentionem faciunt, S. Leonis decretum in mente habuiſſe: Nam in eodem canone citant Leonis Epiſtolam, in quò ſeverum illud decretum continetur. Poſteà tamen ſententiam mutarunt Romani Pontifices, & mortuis communicandum eſſe docuerunt, quibus viventibus non communicaverant. Hoc tamen abſolutè ab eis non eſt traditum, ſed ea conditione, ſi aliquo teſtimonio probabili demonſtrabatur ab errore, aut peccato propter quod excommunicati fuerant, reſipuiſſe. Ita reſpondit Innocentius III. Abbati S. Andreæ de hac re dubitanti, extra de ſententia Excomm. *cap.* 28. *Poteſt tamen, & debet ei Eccleſiæ beneficio ſubveniri, ut ſi de ipſius viventis pœnitentia per evidentia ſigna conſtiterit, defuncto etiam abſolutionis beneficium impendatur. Nec obſtat, quod Eccleſiæ legitur attributa poteſtas ligandi, atque ſolvendi homines ſuper terram, tanquam non poſſit ſolvere, & ligare ſub terra ſepultos: Et quod legitur, non communicetur mortuo, cui non eſt communicatum & vivo; cùm etſi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuiſſet, quem non contemptus religionis, ſed neceſſitatis articulus impedivit, & in certis caſibus à canonibus denotatis ligaſſe legatur Eccleſia mortuos, & ſolviſſe.* Anteriores Pontifices, Leo, Gelaſius, Vigilius, actiones hominis, etiam ſtatu ſuo Pœnitentis, multò magis impii excommunicati, ſine reconciliatione defuncti, examinari nolebant; credentes Deum examini ſuo & defunctum, & actiones ipſius reſervaſſe.

VI. Non abs re interrogabit Lector, quando cœperunt Pontifices diſciplinam iſtam immutare. Paulò poſt Vigilium Pontificem, aut etiam forſan ipſo ſedente, figenda eſt iſtius immutationis Epoche. Nam in quinta Synodo univerſali ipſo ſedente celebrata, acerrimè diſputatum eſt, an condemnari poſſent poſt mortem perſonæ hæreticæ, aut meritò hæreſis ſuſpectæ. Diligenter, & fusè agitata eſt hæc quæſtio, potiſſimum collatione quinta. Ibi Sextilianus Epiſcopus Africanus Carthaginenſis Epiſcopi vices gerens refert, hoc frequenter in Eccleſia Africana factum fuiſſe, *Anterioribus temporibus*, inquit, *in noſtra Provincia multi Epiſcopi congregati, & quædam de diverſis cauſis ad Eccleſiaſticum ſtatum pertinentibus diſponentes, ſtatuerunt de Epiſcopis defunctis, qui hæreticis ſuas facultates relinquunt, ut poſt mortem anathemati ſubiiciantur.* Deſumptum eſt hoc teſtimonium ex Africano Concilio *cap.* 48. Latino, & Græco, *can.* 84. Plurima deinde affert in eandem ſententiam ex S. Auguſtino teſtimonia. Quamvis Epiſcopi propè omnes eſſent Græci, & quæſtio acerrimè ageretur, vix tamen unum, aut alterum ex S. Cyrillo, & Rambula Edeſſeno Epiſcopo proferre poſſunt. Longè plura, & manifeſtiora, in contrariam ſententiam protulerat Vigilius in Conſtituto ſuo. Concilium tamen & ratione, & Eccleſiæ Africanæ conſuetudine perſuaſum definit mortuis anathema dici poſſe, & reapſe hoc exequitur in Theodorum Mopſueſtenum Epiſcopum, & ejus libros, licèt cùm viveret, nec damnatus, nec Hæreticis fuiſſet adnumeratus. Liberatus Breviarii *cap.* 23. Epochen ſurſum annis 16. trahit ad Concilium Conſtantinopolitanum ſub Menna, in quo Origeni mortuo dictum eſt anathema, *Origenes*, inquit, *damnatus eſt mortuus, qui vivens etiam fuerat ante damnatus: & reſerato aditu Adverſariis Eccleſiæ, ut mortuus damnaretur, Theodorus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, &c. damnationem molitus eſt in Theodorum Mopſueſtenum, &c.* Hanc diſciplinam confirmavit Concilium ſextum, quod multis mortuis Epiſcopis, & damnatis, & anteà non damnatis anathema dicit, ut & Concilium ſeptimum, & quæ poſteà ſecuta ſunt. Occidentis tamen magna pars annis plus centum Concilii quinti decretis reſtitit, donec tandem ſatagentibus Pontificibus maximis ab omnibus approbatum eſt.

VII. Hinc abſolvendi poſt mortem nata eſt conſuetudo. Nam ſi licet poſt mortem damnare, licet & abſolvere. Sed abſolutio illa intelligenda eſt, analogicè ad damnationem. Damnare enim Epiſcopum, eſt ejus nomen è Diptychis delere, ſacrificium, preceſque pro eo non offerre, atque etiam ut Hæretico anathema illi privatim, & publicè dicere. Similiter abſolvere Pœnitentem, eſt pro eo offerre, orare, cæteriſque officiis Eccleſiaſticis non ſecus, ac fidelis eſſet, poſt mortem proſequi. Nihil aliud eis ſeculis actum eſt. Reliquæ ceremoniæ, ut hæ, de quibus obiter mentionem facit Innocentius III. loco citato, *Abſolutionis autem ſervetur forma, ut fiat cum pœnitentiali Pſalmo, & tam oratione dominica quàm alia conſueta*, & aliæ complures ejuſmodi, poſteà inventæ ſunt, & uſurpatæ. Itaque ut uno verbo concludam, ſex propè ſeculis Eccleſiæ traditio de communicatione cum Pœnitentibus ſine reconciliatione morientibus variis, in locis contrario modo obſervata eſt, tandemque poſt Concilium quintum, quod anno 553. habitum eſt, mos ille cum iis communicandi ab Eccleſia Romana uſurpatus eſt. Græcos autem ante illud Concilium traditionem Romanam obſervaſſe ex iis, quæ Vigilius Pontifex in Conſtituto ſuo refert, manifeſtiſſimum eſt. Quocirca omnis Eccleſia & Orientalis, & Occidentalis ab anno adnotato cum Pœnitentibus ſine abſolutione morientibus communicavit. Hoc autem non tantum intelligi debet de Pœnitentibus propriè dictis; ſed multò latiùs, de quibuſcunque peccatoribus publicis, modò conſtitiſſet ante obitum probabilia Pœnitentiæ ſigna; ſi eloqui non potuerant, edidiſſe.

VIII. Hoc etiam Græci hactenus obſervant, & peculiares orationes eorum Euchologia repræſentant, quibus venia in Excommunicatione mortuis conceditur. In quarum una commemoratur traditio ab iis credita, Excommunicatorum corpora in pulverem niſi mortui excommunicatione ſolvantur, reſolvi non poſſe. Ideò forſan Conſtantinus Leonis Sapientis filius imperium adeptus Nicolaum Patriarcham ſedi reſtituit, Epiſcopoſque diſcordes conciliavit, ea lege, ut Patri ſuo in Excommunicatione defuncto delicti veniam communi decreto concederent, ut videre eſt juris Græco Romani *lib.* 2. in prima Novella Conſtantini Porphyrogeniti. A tempore etiam notato antiqua Romanæ Eccleſiæ Sacramentaria Miſſas exhibuerunt pro defuncto, qui Pœnitentiam deſideraverat, ſed non erat conſecutus, ut in antiquiſſimo Petaviano, atque in aliis, de quibus infra *cap.* 11. Nonnulla iſtiuſmodi Abſolutionis exempla apud S. Gregorium leguntur *Dialogorum lib.* 4. *cap.* 55. Aliud refert Joannes Diaconus in ejus vita *lib.* 1. *cap.* 45. Monachum communione privaverat Gregorius; cùm, antequam ab Abbate reſtitueretur, eum mortuum reſciviſſet Gregorius, plurimùm doluit, Quid ad hæc Sanctus Pontifex? *Scribens orationem in Pyctacio dedit uni Diaconorum ſuorum, jubens ei ire, & ſuper fratrem legere. Erat autem oratio ſolvens ab Excommunicatione defunctum. Vadit ergo Diaconus ſicut ei præceptum fuerat, & ſuper tumulum fratris legit Pyctacium habens orationem. Et ipſa nocte vidit Abbas fratrem illum defunctum, & dixit ei, non es mortuus frater? ille reſpondit, etiam. Et iterùm interrogavit eum Abbas; Ubi eras uſque hodie? Reſpondit frater, Vere Domine in cuſtodia, & uſque heri non ſum abſolutus. Notum itaque factum eſt omnibus, quia in hora, qua Diaconus orationem dixit ſuper ſepulchro, in ea hora abſolutus eſt ab Excommunicatione, & liberatus eſt à damnatione animus ejus.*

Quis

Digitized by Google

Quis ſit nudæ abſolutionis ab Excommunicatione effect us, hoc exemplo manifeſtiſſimum ſit. Ejuſdem Abſolutionis mortuo datæ exemplum antiquius legitur Dialog. *lib.2. cap.23.* Sed in hoc poſtremo, ſicut in primo Abſolutio per oblationem Corporis Chriſti facta eſt; idem tamen utriuſque fuit effectus animæ ſcilicet à variis pœnis liberatio, & eam conſequens æternæ ſalutis adeptio. Fieri tamen potuit, ut aliquæ particulares Eccleſiæ diutius mori ſuo antiquo adhæſerint, ut factum eſſe ex Alcuino probatur, in fine libri de divinis officiis, ubi cum canonem 13. Nicænum retuliſſet, de viatico exeuntibus tradendo ſubiicit, *Horum verò cauſa, qui ſine communione ſunt defuncti, Dei judicio reſervanda eſt, in cujus manu fuit, ut talium obitus à communionis remedio differretur. Nos quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non poſſumus.*

CAPUT X.

Fidelibus repentino morbo obſtupeſcentibus, & moribundis, licèt in morbo, aut ante morbum Pœnitentiam, aut reconciliationem nec verbis, nec nutu petierint, Abſolutio præſtanda eſt. Scholaſticorum multis hoc fieri debere negant. Quid illis ſic opinandi occaſionem dedit. Eorum tamen nonnulli Abſolutionem ſic datam aſſerunt legitimam, & debitam. Alii ea principia docent ex quibus neceſſariò conſequitur. Materia Sacramenti Pœnitentiæ analogicè tantùm, & Metaphyſicè dicitur, cujuſmodi in baptiſmo præter aquam conſiderari, & animo formari poteſt.

QUarta ægrotorum claſſis eorum erat, qui moribundi Pœnitentiam publicam, illiuſque inſignia efflagitabant, licèt nullius criminis propter quod imponi ſolet, ſibi conſcii eſſent. Ejuſmodi Pœnitentiæ quam ſpontaneam vocare ſolemus, impoſitio non erat in Hiſpania infrequens, ut ex Conciliis, Gerundenſi, Barcinonenſi, Toletano 12. & 13. aliiſque compluribus jam data occaſione enarratis colligitur. Mentionem etiam iſtiuſmodi Pœnitentium facit S. Cyprianus in libello de Lapſis, quanquam eo loco, de ſanis verba tantùm faciat. Semper enim obſervatum eſt, ut eadem de cauſa ægris, qua ſanis Pœnitentia imponeretur. Non video qua ratione quis dubitare poſſit, an ejuſmodi Pœnitentibus reconciliatio redhibenda ſit. Nam cum nullo crimine tenerentur propter quod ſanis reconciliatio concedi non ſolet, cur illis morientibus denegetur, cauſa nulla eſſe poteſt. Deinde hypotheſis eſt ægrotos Pœnitentiam devotè poſtulare, Ergo licet fuiſſent impii, & criminum publicorum Rei, eſſent ex univerſali Eccleſiæ traditione abſolvendi; multò magis nullius criminis conſcii. Nihil de iis, qui ſani ejuſmodi Pœnitentiam ſpontaneam amplectuntur, propoſuimus. Nam quæcunque, in hac cauſa de ſtatu Pœnitentium, capitibus præcedentibus dicta ſunt, ea ſanè ad hos multò magis pertinent, qui ſola animi devotione commoti, ſani & benevalentes humillimam illam Pœnitentiam ſuſcipiunt.

II. Eadem de quinta Ægrotorum claſſe neceſſariò dicenda videntur, hoc eſt, de fidelibus, ſive iis Chriſtianis quos antiquitas multis ſæculis nomine fidelium ſive τῶν πιστῶν à Catechumenis, & Pœnitentibus diſtinxit, cujus diſtinctionis univerſum hoc opus eſt argumentum. Nam ſi ex antecedentibus eſſe in Catechumenorum, vel Pœnitentium ſtatu ratio ſufficiens eſt, & præſumptio idonea ad reconciliationem his conferendam, & baptiſmum illis, licèt morbo correpti nec baptiſmum nec reconciliationem, ne nutu quidem, petiiſſe doceantur: Multò magis in eadem morbi hypotheſi eſſe fidelem. Fieri ne poſſet, ut cui Eccleſia quod eſt perfectiſſimum non denegaret, illud deneget quod eſt minus perfectum, & via atque aditus ad perfectiſſimum, & abſolutiſſimum. Titium cùm ſanus eſt perfectorum Chriſtianorum catalogo adſcribit, ſacrificio admittit, oblationem ejus recipit, Euchariſtia paſcit, cum verò morti proximus eſt, his omnibus eum ſpoliabit, & exauctorabit? Pœnitentem verò quem ſanum his omnibus ſpoliat, moribundum ornabit? Quamobrem vero? Quia nonnulli canones Excommunicatos, peccatores publicos, Eccleſiæ deſertores, & ejuſmodi peſtes reconciliatione privant niſi eam petierint, aut petiiſſe probentur; ideò Eccleſia fideles ſuos quos ſanos, in ſinu ſuo fovet, alimento cœleſti ſatiat, theſauris ſuis omnibus ditat, moribundos his omnibus non ſecus, ac impios illos mulctabit, quia non ſua, ſed morbi malignitate oppreſſi ea petere non poſſunt? Num pro illis ardenter gratiam iſtam petit, vita piè, ſanctèque acta, in qua dolus non erat, qua juſti incedebant, in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini ſine querela? Num pro iis reconciliationem ardenter petunt fidelium ſtatus, & conditio, ad ſecretiſſima myſteria admiſſio? Totius Eccleſiæ teſtimonium, de vita Titii fidelis innocenter acta longè certiùs eſt, petitionis argumentum, quàm unius aut alterius hominis, de impio publico reconciliationem petente teſtificatio.

III. Apud multos, qui in magnatum aulis verſantur vulgato fertur proverbio, Sat petit, qui bene ſervit; atque ita eſt apud omnes gentes. Qui principibus diligenter inſerviunt, beneficia mereri cenſentur; nec opus petitione ut ea impetrent; petitionem prævenit princeps cordatus, ingratuſque, & officii ſui immemor cenſetur, niſi officia à Domeſticis nullam mercedem petentibus ſibi præſtita beneficiis compenſet. Immò quo minus petit ſervus, aut Domeſticus diligenter Domini negotia curans, eo magis Dominum ad beneficii largitionem, & gratitudinis demonſtrationem obligat, & adſtringit. Nam in eo caſu non petere, præſertim ſi res tibi ſit cum Domino cordato, & prudente, eſt vehementer petere, & efflagitare. Hinc Actorum 9. Viduæ pauperes Sanctum Petrum commovere ſatagentes, ut Dorcadem ſanctam viduam ſuſcitaret verbis non utuntur, ſed operum demonſtratione, *Circumſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas, & veſtes quas faciebat illis Dorcas*, quibus viſis ſtatim oravit Petrus, & Dorcadem ſuſcitavit. Reconciliationem igitur petit à Sacerdote non verbis, quæ ſæpiſſimè fraudi ſubſunt, ſed reapſe, qui bonis operibus, vitaque fideliter, & Catholicè tranſacta illi demonſtratis eam aliter morbo afflictus petere non poteſt. Quid? Nullane erit pietatis ſupra impietatem, unitatis Catholicæ religiosè conſervandæ ſupra, & hæreſim, & ſchiſma, & excommunicationis contemptum prærogativa? Nihil morienti viro pio proderit pietas, morum innocentia, continua religionis Catholicæ obſervantia? Hæreticus, Schiſmaticus, Excommunicatus, Eccleſiæ deſertor, Dei, omniſque rei ſacratæ contemptor moriatur, vel pius aliquis ſanctus, & fidei Catholicæ obſervator, & protector acerrimus, non refert, *Tros Rutuluſve fuat nullo diſcrimine habebo*. Neutri repentino morbo cadenti Abſolutionem concedam, niſi eam petat, & petitione ſua ſe pœnitere probet. Rectè equidem, & neceſſariò hoc à ſceleratis hominibus requiritur: Nam ſceleratiſſima voluntas, quam hactenus demonſtrarunt, meritò in iis permanere præſumitur, donec mutata aliquo argumento probetur, ut ex Innocentio III. capite ſexto relatum eſt. At quo jure, quo judicio charitatis, quis nunquam fuit malus, in his extremis præſumitur malus? Qui ſemper abſolvi voluit, & ſancto deſiderio non ſcelus, ut priorea, ſed cum Deo reconciliationem anhelavit, tunc abſolvi nolle judicabitur? Num naturali rationis dictamine ſic argumentari docemur, Perfidi illi, & impii Eccleſiæ deſertores, &c. ſceleratam voluntatem continuare præſumuntur, donec eam eſſe mutatam demonſtraverint. Ergo viri pii, & Catholici, Eccleſiæ cultores conſtantiſſimi, Abſolutionem, omniaque Eccleſiæ Sacramenta, ardenter concupiſcere ſemper præſumendi ſunt, donec eorum voluntas mutata, & impia facta aliquo argumento demonſtretur. Obiicies forſan voluntatem illam præſumptam non habere ordinem ad claves, niſi ſaltem ſigno demonſtret ſe Confeſſorem velle. Sed rationes omnes noſtræ demonſtrant eam neceſſariam, ad claves ordinem habere eo, quòd ſit voluntas non modò pia, ſed voluntas confitendi, & Abſolutionem recipiendi. Cùm enim ponatur viri pii, & Catholici, Abſolutionis ſi non explicitam, ſaltem implicitam continet voluntatem. Signa nutuſve omnes ambigui ſunt, atque à dolore naturali ſæpius præcedunt, quàm ſupernaturali. Quapropter præſumptio his fundata, eſt incertiſſima. Nihilominis Scholaſtici plerique ſigna illa in bonam partem explicari jubent, ſic Laymanus *Theolog moralis lib.5. tract.6. cap.8. nu.4.* Diana *tract. 3. de Abſol. moribundi, reſol. 1. & 3.* & apud ipſum multi alii.

IV. Inveniuntur tamen homines; Quid dico, inveniuntur, Paſſim à multis annis Scholaſticorum magna pars contrarium definit, unico ex materiæ defectu argumento ducti. Ita plerumque evenit, ut homines in pœnas ſuas ingenioſiores ſint, quàm in ſua commoda. Nobis ipſis crucem figimus, nec ſinimus, ut ait Lyricus, iracunda Jovem ponere fulmina. Inſtar prodigii hoc haberi poſſet, cùm à natura toti ad φιλαυτίαν inſtituti videamur, niſi homines mentis errore præcipites agi, ſuſque deque ferri ſæpè contingeret. Quoties ſalubria pharmaca magno labore, & artificio confecta corporis ſanitatem lædunt? Quoties divitiæ ſudore, & induſtria pervigili conquiſitæ cùm animum beare creduntur illum perturbant. Quoties bonorum poſſeſſio, cui inſanum inhiant miſeri morales, eorum corda exedit, curiſque ac mœroribus conficit. Sicut Aquila teſtudinem in aera tollit, ut lapſu graviore ruat; Sic animum honores in cœlum

uſque

Digitized by Google

uſque efferre ſolent, ut illum ruina rapidiore de ſede, & ſanitate deturbent. Simile quid in quæſtione, in qua verſamur contigiſſe mihi videtur. Leges Pontificum, & Conciliorum latas in favorem Hæreticorum, Excommunicatorum, & Apoſtatarum, qui ſunt Eccleſiæ miſericordia indigniſſimi, Theologorum permulti in fideles, hoc eſt, in ſeipſos nunc armant, & ſtringunt. Præpoſterè ingenioſi, & diligentes ſpontanea mala operosè admodum ſibi acceſſunt: Veterum opera luſtrant, tabularia ſerutantur, monumenta effodiunt, ut jure ſuo ſe mulctandos eſſe confirment; ſe capite minuendos contendunt, atque ex civibus Sanctorum, & ex domeſticis Dei in deſertorum, & fidei Perduellionum caſtra deportandos. Sed volenti perire leges credere nos prohibent, monentque intereſſe reipublicæ, ne quis re, aut jure ſuo malè utatur.

V. Huic præpoſteræ ſententiæ occaſionem præbuiſſe videtur exterioris circa Pœnitentiam diſciplinæ mutatio, quæ ab annis propè quingentis invaluit. Nam ab eo tempore Catholici omnes, quod ad externam formam, de qua quis judicare poteſt ſunt fideles, nulli Pœnitentes, vix aliqui peccatores publici. Sanè ab annis ducentis, & amplius, à decreto ſcilicet Martini V. Pontificis, qui Excommunicatos ipſo facto vitare vetuit, niſi denuntiatos, vix multis annis, præſertim in Gallia, excommunicatus aliquis conſpicitur, multò rarior Pœnitens, ita ut à tempore notato nec Pœnitentes, nec Excommunicati potuerint ordinis, ſive ſtatus alicujus, vel tenuiſſimam faciem quadantenus adumbrare. Cùm igitur iſtam perſonarum diſtinctionem non amplius conſpicerent plerique Eccleſiæ Doctores, neminemque amplius niſi fidelem, aut talem præſumendum in Eccleſia viderent, de fidelibus facilè intellexerunt, quæ antiqui canones, de Pœnitentibus, vel etiam de Apoſtatis, & ſimilibus ſtatuerant. Hinc factum eſt, ut hac in cauſa multò eſſent antiquis Patribus ſeveriores, atque à fidelibus ea exigerent, quæ canones à Pœnitentibus non exegiſſent, adeò ut ad fideles ipſos transferrent, quæ erant de publicis peccatoribus, Hæreticis, Excommunicatis, &c. juſtè, & meritò decreta. Verba enim illa, *Pœnitentia*, *Pœnitentium*, *Pœnitentiam imponere*, *reconciliari*, & ſimilia, ex praxi quam videbant judicantes, ad Pœnitentiam interiorem, & animi compunctionem, quæ omnibus hominibus ad ſalutem neceſſaria eſt, retulerunt; cum *reconciliari* ad pœnitentiam publicam, & publicos Pœnitentes; & *Pœnitentiam imponere* ad peccatores publicos, qui nondum Pœnitentes erant, ſed fiebant; perſonas, & à fidelibus, & à ſeinvicem diſtinctiſſimas, ea referre debuiſſent. Occaſionem iſtam nonnihil promovit formulæ Abſolutionis ex deprecativa in indicativam mutatio. Data enim hypotheſi multò magis favet oratio pro moribundo ſtupido facta, quàm abſoluta propoſitio. Quis enim recenſet pro viro bono moriente preces ad Deum fundere?

VI. Non deſunt tamen Doctores Scholaſtici, qui fidelem, & Catholicum in data hypotheſi abſolvi poſſe, & debere doceant. Nonnullos refert Antoninus Diana *parte 3. reſolutionum moralium, tract. 3. de abſolutione moribundi, reſolutione* 8. Quoniam auctores illi præſto nobis non ſunt, & ſententiæ ſuæ rationem reddunt, eorum verba fusè, ut ab eo referuntur, exſcribemus. Homobonus in examine Eccleſiæ *parte 1. tract. 7. cap. 18. quæſt. 84.* ita ſentit, *prudenter aget Parochus, ſi favorabiliori opinioni adhæreat, quæ ſentit abſolutionis beneficium moribundo impendi poſſe, etiam ſi nullum confeſſus ſit peccatum, nec Confeſſarium petierit, nec indicia exhibuerit, ex quibus actus contritionis, vel attritionis argui poſſit; modò talis in mortis articulo conſtitutus, Chriſtiano more vivere ſoleret, & bonus, ac fidelis homo æſtimaretur. Quod quidem placitum in praxi referunt amplexum fuiſſe Clementem VIII. P. M. ac prudentiſſimum virum. Cùm enim quidam ex ſabrica D. Petri præcepſ ruiſſet, & illum cadentem vidiſſet, abſolutionem ei dedit, dicens, ſi es capax, abſolvo te à peccatis tuis. Quæ ſententia illa ſanè ratione confirmatur, quòd in neceſſariis ad ſalutem tutior par eſt amplectenda, & certiori periculo occurrendum eſt, & irreverentium Sacramenti, vel ſacrilegii periculum, tum conditione appoſita, tum auctoritate Doctorum hanc opinionem tuentium ceſſare dicitur.*

VII. Ante illum Molfeſius *in ſumma tom. 1. tract. 7. cap. 5. num. 48. & 49.* notat, inquit Diana hanc ſententiam tenuiſſe ex noſtra religione Patrem D. Gabrielem Lotherium, virum doctiſſimum, Patrem Salmeronem Societatis Jeſu, & Patrem Lupum Capuccinum, & confirmat hanc opinionem his rationibus; *Quia in tali caſu poteſt eſſe, prout in dubio præſumitur, ut quis ſit memor ſalutis æternæ, & interim habeat aliquam efficacem attritionem, qua rectè diſpoſitus ſit recipere Sacramentalem Abſolutionem, & de attrito fieri contritus. Nec urget dicere, quod multoties, qui ex inſperato loquelam amittunt, non ſolent habere peccatorum attritionem, quia præoccupati timore mortis, ad alia non advertant. Nam reſpondetur, in his viris frequentiùs accidere, ut cogitent de peccatis ſuis, ut experientia docet, & leges adaptentur ad ea, quæ frequentiùs, non autem, quæ rarò accidunt.*

VIII. Hanc etiam ſententiam docet Antonius de litteratis in ſumma edita Romæ, cum approbatione Magiſtri ſacri Palatii anno 1611. *parte 1. cap. 35. num. 7.* Et quod majus eſt hanc opinionem non ſolùm approbavit Gregorius XV. Pontifex Maximus, *quando erat Archiepiſcopus Bononienſis in memoriali Confeſſ. cap. 1. de forma Sacram. Pœnitent. num. 16. fol. 215. edito Bononiæ apud Joann. Baptiſtam Bidellum ann. 1623. ſed etiam ſenuit debere Sacerdotes illam in praxim deducere: Sic enim ibi aſſerit: Licet abſolvere moribundum, etiamſi nullum pœnitentiæ ſignum det, in præſentia Confeſſarii, ſi tamen aliquis teſtetur eum oſtendiſſe confitendi deſiderium. Ita docet rituale Pauli V. Immò addit Sacerdotale Romanum p. 624. ex doctrina D. Antonini, poſſe etiam abſolvi moribundum aſſuetum frequentare Confeſſionem, quamvis repentino caſu oppreſſus Sacramentum non petierit. Neque ſolùm poteſt Confeſſarius in his duobus caſibus abſolvere, ſed etiam debet; quia contingere poteſt, moribundum eſſe tantùm attritum, unde damnetur niſi abſolvatur.*

IX. Quanquam Diana, cum vulgò contrariam ſententiam amplectatur, ita tamen his teſtimoniis allatis ſubjungit, *Unde ego ſaltem ex principio extrinſeco puto, hanc ſententiam probabilem eſſe, & ita illam tenent aliqui Patres Societatis Jeſu, & noſtræ religionis, & dici poteſt, quod in hoc caſu adeſt aliquo modo materia, quæ per teſtificationem, & fumum probitatis dicti moribundi efficitur præſens.* Eandem quæſtionem idem Diana *retractat parte 4. tract. 4. reſolutione 92.* & præter auctores jam relatos in eandem ſententiam refert Bartholom. Fauſtum *in Theologia morali tom. 1. lib. 4. quæſt. 204.* ubi Fauſtus ille refert quoque Clementis VIII. factum de Abſolutione ab eo, moribundo data nihil ſentienti, nec anteà petenti.

X. Sacerdotale juxta uſum Eccleſiæ Romanæ, &c. Venetiis apud Joannem Variſcum, & ſocios excuſum anno 1560. *fol. 62.* ubi de Confeſſione infirmorum agit, eandem ſententiam diſtinctiſſimè explicat, *Talis infirmus, aut jam amiſit loquelam, vel uſum rationis: puta, quia phreneticus, aut non. In primo caſu ſi bene vivebat, ut bonus fidelis, & frequentabat confeſſionem, & communionem, & hujuſmodi, quamvis non petierit Sacramenta, quia ex inſperato talia acciderunt. Vel etiamſi malus, & obſtinatus diù perſeverans in peccatis eſt, & diù non confeſſus; Si petiit Sacerdotem, ut confiteretur, oſtendit ſe facere velle omnia, quæ debet, & intereà factus eſt mutus, vel phreneticus, & periculum eſt in mora, debet præſupponi contritus; & faciente aliquo Confeſſionem generalem pro eo, ſicut fit in populo Sacerdos faciat abſolutionem ab omni ſententia, & peccato, & poteſt injungere circumſtantibus aliquid pro eo faciendum, vel hæredibus, aut conſanguineis pro ejus anima ſi volunt acceptare. Deinde debet dari ei Euchariſtia, quamvis non ſit confeſſus.*

XI. Statuta Synodalia Eccleſiæ Lemovicenſis, in Synodo decreta, cui aderant Abbates undecim, Decani tres, Præpoſiti ſeptem, Priores decem, Archiepresbyteri decem, &c. Lemovicibus anno 1620. excuſa *cap. 21.* poſtquam de infirmo nutu tantum contritionem Sacerdoti teſtificante, aut cum advenit Sacerdos obmuteſcente, ſed qui eum anteà petierat, verba fecit, de hypotheſi noſtra ſic definit, *Poterit quoque idem applicari remedium ei, qui judicio, omniumque ſenſuum uſu ſtatim captus eſt, non petita Pœnitentia, nulloque ſigno contritionis edito, cùm violentia morbi judicatur derepentè, & ex improviſo præventus, & oppreſſus, & Chriſtianè vixit, ferrique poſt judicium ex actionibus vitæ, & moribus eum libenter pœnitentiæ Sacramentum petiturum fore, ſi tempus, & morbi violentia permiſiſſent, licèt hoc in caſu nihil de Abſolutionis effectu promittere poſſimus. Sed animarum ſalvandarum cauſa nullum remedium omittere debemus, quod Deus poteſtati noſtræ commiſit, Deum orantes, ut immenſa bonitate, & miſericor-*

Digitized by Google

ſericordia, quod deeſt ægrotorum diſpoſitioni, ſuppleat, cætera inſerutabilibus Dei judiciis commendantet.

XII. Teſtatur quoque Ægidius Conink, nonnullos Doctores hodiernos, in ea eſſe ſententia, & eam probare. *Quia eſſentia Sacramenti conſiſtit in ſola Abſolutione. Secundò quia D. Auguſtinus libro de adulterin. Conjugiis videtur id aſſevero, diſputat. 5. de neceſſitate Confeſſ. num.* 2. Qui fuerint illi auctores non nominat, ſed eorum ſententiam quamvis non ſequatur, nulla tamen cum nota improbat. Jacobus Bayus Academiæ Lovanienſis Profeſſor Regius, & Decanus, *lib. 2. inſtit. cap.* 91. cenſet Abſolutionem, in caſu noſtro ſub conditione dari poſſe, ſic ille enarrato caſu, *Cùm abſolutionis ſententia per modum judicii ex cauſæ cognitione proferenda ſit, nullaque hic peccatorum confeſſio, vel judicii materia reperiatur, Abſolutionis ſententia impendi nequit; Attamen per modum ſuffragii Abſolutionem adhiberi nihil vetat, incluſa conditione tacita, vel expreſſa, in quantum poſſum, & capax et.*

XIII. Bonacina *tomo 1. diſputat. 1. quæſt. 6. puncto 2. num.* 8. principia docet, ut apud Theologos vulgata, ex quibus eadem ſententia manifeſtiſſimè colligitur: *Obſervandum eſt ad ſuſcipienda Sacramenta non ſemper requiri intentionem actualem, aut virtualem, ſed ſufficere habitualem, ita ut qui ſuſcepturus eſt Sacramentum aliquando intenderit recipere, ſeu petierit implicitè*, quo multis auctoritatibus probato ſubdit, *Hinc patet, validè adminiſtrari Sacramenta exiſtenti, in articulo mortis, ſi catholicè vixit. Hic enim Catholicè vivendo cenſetur implicitè petiiſſe Sacramenta, quæ conferri conſueverunt in periculo mortis.*

XIV. Fuſiùs, & non minùs perſpicuè eandem ſententiam, & rationes, quibus nititur, explicat Ægidius Konink *quæſt. 64. quæ eſt de cauſa Sacram. art. 8. dubio 5. num.* 102. *Ut quis validè ſuſcipiat aliquod ex dictis Sacramentis, non eſt neceſſe, ut id actu intendat, dum ſuſcipit; ſed ſufficit, ut id aliquando actu intenderit, & hoc nunquam revocarit.* Id probat auctoritate Innocentii III. C. Majores de baptiſmo, S. Leonis *Epiſt.* 91. & aliis à nobis ſupra enarratis. Poſteà ſic ait, *Quicunque vult fieri Chriſtianus, atque adeò omnis, qui habet veram contritionem, aut etiam Attritionem de peccatis, &c. cenſetur implicitè petere baptiſmum, etſi de eo nihil unquam audierit; quia talis dolor includit virtuale propoſitum ſervandi omnia præcepta ad talem finem neceſſaria, quorum unum eſt præceptum ſuſcipiendi baptiſmum. Item qui Catholicè vivit, cenſetur velle ſibi morienti conferri Sacramenta ab Eccleſia morientibus conferri ſolita. Ideòque ſi ſubitò deſtituatur uſu rationis debet inungi, niſi ſciatur certò eſſe in peccato mortali, de quo non ſit ſaltem attritus, quod non debet facilè præſumi, niſi quis in ipſo actu peccandi ita ſubitò deſtituatur ratione, ut humanitus impoſſibile ſit eum doluiſſe de peccatis. Quòd ſi aliquandiù poſt peccatum commiſſum uſus ſit ratione, poteſt præſumi ſaltem attritus eſſe.* Hoc probat auctoritate S. Auguſtini in *lib. 1. de adulterinis conjugiis*, quam ſupra integram exſcripſimus. Ea autem validior eſt in favorem Pœnitentiæ, quàm extremæ unctionis, cui eam applicat Conink, eo quod Auguſtinus ipſe applicationem baptiſmi, de quo illi ſermo eſt cum Pœnitentia inſtituat. Et paulò poſt idem in particulari, de Confirmatione aſſerit, *Similiter credo omni baptizato, needum confirmato, exiſtenti in gratia validè conferri Confirmationem etiam neſcienti; verbi gratia, in amentia conſtituto, modo nunquam habuerit voluntatem ipſam non ſuſcipiendi: Quia hoc ipſo quo talis piè, & catholicè vivit, cenſetur aliquomodo deſiderare ſibi conferri omnia ea Sacramenta, quæ omnibus Chriſtianis ſunt valdè utilia, ut eſt Confirmatio.* Eadem plerique alii. Sylveſter *verbo, Baptiſmus 4. quæſt.* 14. Reginald. *lib. 26. num.* 50. Suarez *diſp. 14. de Sacramentis in genere ſect.* 2. qui antiquos Scholaſticos permultos refert.

XV. Volunt equidem Bonacina, Conink, & alii, Pœnitentiæ Sacramentum excipi, eo quòd Pœnitentis actus ſint, de ſubſtantia iſtius Sacramenti, ac proinde nulla ratione ab eo poſſint ſeparari. Initio hujus capitis ſatis ſuperque reſponſum eſt, huic argumento. Mirum ſanè mihi videtur, qua ratione viri tam docti, & ingenioſi huic ſoli argumento, de actibus Pœnitentis tanquam ſacro manipulo confiſi, quòd aliis Sacramentis tribuunt, nolint huic tribuere, cui tamen ſecundùm baptiſmum ex Patrum ſententia maximè convenit. Juxta equidem eorum ſententiam, qui Ægrotis abſolutionem negant, ſi ſolo nutu, aut aliorum teſtimonio eam petere poſſunt, probabilitas aliqua, & rationis conſequentia huic argumento ineſſe poteſt. At ſecundùm ipſos, & communiorem Scholaſticorum ſententiam, Ægrotis in hac hypotheſi legitimè præſtatur Abſolutio: Ille nutus, illa adſtantis teſtificatio de publicè ſceleratiſſimo homine materia eſt Sacerdoti ſatis ſenſibilis; ut ei Abſolutionem conferat. At quanto vita præcedens piè, & Catholicè acta, Sacerdoti ſenſibilior eſt, aſpectabilior, tractabilior, ejuſmodi perditorum hominum nutibus, aut de eorum converſione teſtificationibus? Antiqui Patres, atque etiam Scholaſtici, de converſione ejuſmodi hominum, dum ægrotant, plurimùm diffidunt, licèt enim multis petant non nutibus, ſed verbis, lachrymis, & gemitibus; & quamvis Abſolutione eos dignentur, de eorum tamen ſalute ſecuritatem non audent præſtare, ut multis videre potes hoc probatum *lib. 3. cap. 9.* Quid eos judicaſſe par eſt, de iis, qui ita morbo improviſo præveniuntur, ut nutu tantùm, atque eo ſtatim prætereunte, Abſolutionem petierunt? Eos autem nunquam ſimilis de viro pio, & morum honeſtate probato dubitatio inceſſit.

XVI. Si comparemus rationes, quibus perſuaſi hoc aliis Sacramentis tribuunt, eas Sacramento Pœnitentiæ, & hypotheſi datæ maximè convenire deprehendemus. Dantur, inquiunt, quædam Sacramenta in periculo mortis, & ea velle, præſumi debent, qui Catholicè vixerunt. At canones omnes, Eccleſiæque traditio reconciliationem præ cæteris omnibus tum commendant: ideò Concilium Nicænum injungens reconciliationem vocat viaticum ſuperlativo nomine ἀναγκαιότατον, maximè neceſſarium. Qua ratione igitur, qui piè, & Catholicè vixit, eo fruſtrabitur? Dicunt ſufficere intentionem habitualem: Atqui certum eſt eum, qui piè, & Catholicè ſemper vixit, in caſu dato habitualem habere intentionem, & certum moraliter judicare debet Sacerdos virtuali ſaltem eſſe præditum. At contra certum moraliter videtur, & ſic præſumi debet, publicè impium habitualem intentionem non habere; virtuali verò eſſe præditum incertiſſimum eſt; actualem autem illi ineſſe ex nutu ambiguum. Cum igitur is, de quo agimus, intentione habituali, & virtuali ad ſuſcipiendum Pœnitentiæ Sacramentum ſit præditus, Quamobrem illi denegabitur Sacramentum hoc maximè neceſſarium, & illi conferentur Sacramenta Confirmationis, Euchariſtiæ, & Extremæ unctionis, quæ minimè ſunt neceſſaria? Multa ejuſmodi per ſeſe Lector perſequi poteſt, quæ prudenter omittimus.

XVII. Prætereà Doctores illi nimis mihi videntur materiæ Phyſicæ affectiones urgere. In Sacramento enim Pœnitentiæ nulla materia eſt Phyſica, & propriè dicta, ut in baptiſmo, aqua; in Euchariſtia panis, &c. In Pœnitentia verò, ut & in Matrimonio, materia eſt tantùm analogica, ſive Metaphyſica, & Logica, qualis in unaquaque re Morali, & immateriali animo efformari, & concipi poteſt. Ideò Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 3.* non vocat actus Pœnitentis materiam hujus Sacramenti, ſed quaſi materiam. Materia Phyſica, ut talis, & formæ ſubeſt, ſemper eſt uniuſmodi, nec intenditur, nec remittitur, nec aliquando tota, aliquando pars heterogenea, aliquando quid minimum ipſius, informatur; quandoque nihil ipſius, ſed quid ad eam inclinans. Ut res Phyſicas prætermittam, id videre eſt in aqua baptiſmi, & pane Euchariſtiæ, aliiſque Sacramentorum materiis. Verùm alia planè ratio eſt actuum Pœnitentis, qui ſunt contritio, Confeſſio, & ſatisfactio. Poteſt eſſe efficax Sacramentum ſine ſatisfactione; poteſt eſſe efficax Sacramentum ſine Contritione; poteſt eſſe efficax utraque privatum, modò ille actus adſit, quem vocant Attritionem. Immò fatentur omnes, quòd in caſu neceſſitatis ſine ulla Confeſſione poſſit eſſe efficax, innoteſcat modò Sacerdoti confitendi voluntas. Sunt autem longè diverſiſſima velle confiteri, & confiteri. Quemadmodùm autem actus Confeſſionis, Contritionis, & ſatisfactionis ex uſu Scholæ analogia quadam materia dicuntur Pœnitentiæ; ſic pari analogia voluntas confitendi nutu cognita iiſdem Theologis materia quoque ſufficiens dicitur. Æquiori ſanè jure confitendi voluntas per vitam piè, & Catholicè antecedenter, & concomitanter actam Sacerdoti cognita, ex eadem analogia, materia Sacramento ſuſcipiendo ſufficiens. Ubique analogia facilè deprehenditur: Verum quouſque, & qua ratione diffundi debeat ex Patrum dictatis, & Eccleſiæ traditione colligi debet. Id ex materia ipſa analogica colligere petitio eſt principii, cùm ubique iſtiuſmodi materia nullo negotio deprehendi poſſit. Verbi gratia, in caſu neceſſitatis poſito nihil de materia iſta Pœnitentiæ dicitur, aut dici poteſt, quod ſecluſa aqua, de baptiſmo dici non debeat, & Patres non dixerint: Nam iidem animi reſipiſcentis actus in utroque Sacramento requiruntur; unde niſi eſſet in baptiſmo Phyſica materia, pari jure atque analogia, qua in Pœnitentia, conſtitui poſſet in eo ejuſmodi generis materia, ut res eſt per ſe evidens ex Patrum ſententiis ſupra relatis, atque ex Scholaſticorum dictatis evidentior, qui actus animi reſipiſcentis

centis

centis ad Abſolutionem præparatorios iis, qoi ad baptiſmum requiruntur, non deſiderant vehementiores.

XVIII. Nonnulli inſuper arbitrantur nullam exerceri in caſu controverſo judicii formam, cum nulla ſit judicii materia, de qua ſententia proferri poſſit. Sed eadem ſerra reciprocatur. Quæ judicii forma evidentior in Abſolutione data impio ægrotanti, de quo alius Sacerdoti teſtimonium perhibet eum, cum primum morbus irrupit, Sacerdotem inclamaſſe, aut qui Sacerdote præſente ſigna tantum edidit? Poſſumus etiam dicere cum Gabriele Vaſquez *tom. 4. in 3 part. quæſt. 91 dub. 1. num. 37.* Pœnitentem ipſum in eo caſu materiam eſſe Abſolutionis Sacerdoti ſufficientem: *Materia ergo, circa quam Sacerdos dum abſolvit fert ſententiam prudentiæ in particulari eſt Pœnitens, quem in tali diſpoſitione judicat abſolvendum.* Hanc ſententiam generalius docuerunt Doctores nonnulli, Sacramenti ſcilicet Pœnitentiæ materiam eſſe ipſos Pœnitentes, ita cenſuerunt Andreas Croquetius, & Mattheus Galenius, in Catecheſibus ambo in Belgio celebres? Præterea, num Sacerdos tantum judicis officio fungitur? Medicus ſanè eſt. & potiſſimum Medicus, qui Sacramenta velut medicinas ægris præbet. Nam pœnæ ipſæ, quas Reo, ut judex infert, eſſe debent neceſſario medicinales. Quum igitur non tantum in caſu dato, ſed in periculo mortis, judicium ſecundum canones exercere non poſſit, ſed tantum miſericordiam; quia tum judicandi non datur locus, ſed tantum curandi, animam ægrotantem non ſanabit? Veroſimile eſt hoc argumentum in eos, qui perfectam Contritionem Abſolutioni prærequirunt, animamque ſanatam volunt antequam abſolvatur. Denique in hodierna multorum Theologorum doctrina, & praxi argumentum hoc vix unquam valere poteſt, cum in perſonas ſanas Confeſſor conſulentis officio fungi poſſit, ſed judicis nunquam. Judex enim omnis ex natura judicii ex æquo abſolvendi, & condemnandi poteſtate præditus eſt. At illi nolunt unquam Pœnitentem obligari ad pœnas, quas Sacerdos impoſuit ſubeundas; obligari verò ſemper Sacerdotem volunt ad abſolvendum Pœnitentem etiam de eo crimine, à quo deſiſtere non vult, ſi crimen non eſſe non improbabiliter judicaverit Pœnitens. Hoc eſt Sacerdotem oomine tenus vocare judicem, reapſe verò nunquam.

CAPUT XI.

Nonnullæ quæſtiones agitantur, & ſolvuntur. Fideles ægroti in tres claſſes diſtribuuntur, & demonſtratur, qua ratione in caſu dicto ſit unicuique reconciliatio præſtanda. Preces, & ſacrificia offerri ſolita pro iis, qui Pœnitentiam deſideraverunt, & non erant conſecuti. Sacramenta Pœnitentibus ante reconciliationem non ſunt conferenda, nec in Confirmatione, aut baptiſmo ſuſceptores eſſe poſſunt Pœnitentes. Pœnitentibus morientibus quo ordine cætera Sacramenta tradantur.

NOnnullæ difficultates ex doctrina capite præcedente tradita Lectoris animum ſubire poſſunt, quas obiter diſſolvimus. Homines, de quibus egimus, in tres claſſes dividi poſſunt. Prima continet viros pios, & vicinorum, aliorumque, cum quibus verſantur exiſtimatione bonos. Secunda, viros non quidem infames, & publicè impios, ſed tamen communi fama non admodum bonos, quales Chriſtianorum plerique ſunt. Tertia, homines vulgò impios habitos, non tamen omnino notoriè, atque publicè, ita ut omnes concives eos pro certo, & confeſſo tales habeant: Nam in nullo adhuc judicio Eccleſiaſtico, aut civili, criminis convicti ſunt, ſed publicè fidelium cœtui admittuntur, illiſque ut fidelibus Sacramenta adminiſtrantur. Quæritur nunc, cùm iſti homines morbo aliquo repentino ita ex improviſo corripiuntur, ut neque petant Sacerdotem, nec ullum ſignum edere poſſint, an illis reconciliatio ſit præſtanda? De prima claſſe nullum videtur moveri poſſe dubium, cum capitibus præcedentibus, id adeò perſpicuè probatum fuerit. Contrario tamen modo dubitari quis poſſet, an ſcilicet reconciliatione opus habeant. Cùm enim fideles ponantur, atque pii, ut quid reconciliabuntur, cùm jam reconciliati ſint? Ut ſcrupulus iſte Lectoris animo eximatur, recordari eum oportet eorum, quæ probata ſunt *lib. 5. cap 31. 32* Quanquam enim nullo crimine apud homines teneantur, apud Deum tamen multorum criminum hominibus occultorum rei eſſe poſſunt, propter quæ, licèt pœnitentia publica damnandi non ſint, privatim tamen pœnitere, & reconciliari omnibus ſeculis obligati fuerunt, ut ex locis jam citatis, & multis aliis manifeſtum eſt, & mihi hoc perſpicuè indicare videtur S. Auguſtinus *Epiſt.* 180. ubi ſcribit, *An non cogitamus, cùm ad iſtorum periculorum pervenitur extrema, nec eſt poteſtas ulla fugiendi, quantus in Eccleſia fieri ſolent, ab utroque ſexu, atque ab omni ætate concurſus; aliis baptiſmum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam Pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem.* Cùm hominum omnis ſexus, & ætatis fieret ad Sacerdotes tantus concurſus, omnes ſane qui reconciliationem petebaot, oon erant publici Pœnitentes: Nam omni ætati Pœnitentia humilis non conceditur, nec Pœnitentes publici tanto poterant numero in unaquaque Eccleſia verſari; ſed omnis ætatis homines, & mulieres pœnitentiæ, & reconciliationis privatæ ſunt capaces. Evidenter eandem, & vulgatiſſimam ſui temporis conſuetudinem indicat Albinus Flaccus *in fine libri de divinis officiis*, *Quando aliquis Chriſtianus articulum mortis perſenſerit imminere, primitus renovet Confeſſionem ſuam cum puritate, ac omni fiducia, deinde diſtribuat omnia, quæ poſſidet, poſt hæc dimittat omnibus, qui in ſe peccaverunt, & reconcilietur.*

II. Idem de tertia claſſe in eodem caſu mihi dicendum videtur, multo magis de ſecunda. Hoc eſt, quibuslibet vulgò habitis impiis, nondum tamen ullo judicio condemnatis, ſed ab Eccleſia toleratis, licèt moribundi nihil petierint, vel nutu ſignificaverint, reconciliatio præſtanda eſt propter rationes omnes, & auctoritates capite præcedente enarratas. Non debet enim Sacerdos in tanto ſalutis animarum periculo rumoribus publicis credere, qui nonnunquam falſi ſunt: deinde licèt veri ſint, potuit tamen eos criminis cujus inſimulantur pœnitere. Cùm igitur omnia iſta dubia ſint, id quod favorabilius eſt, & omiſſum reparari nequit, omnino eſt eligendum. Præterea eodem modo, in hoc caſu ſeſe gerere debet Sacerdos, quo ſeſe gerit Eccleſia in eoſdem ſanos; & multò clementius, cum mors imminens dilationem non ferat. Sed ejuſmodi homines ſani ad preces Euchariſticas, & ipſam Euchariſtiam cum cæteris fidelibus admittuntur; immo Epiſcopus eos non admittens, licet ipſi crimen ſecreto confeſſi fuerint, graviter punitur, ut *lib. 2. cap.* 15. hoc & ejuſmodi multa fusè demonſtravimus, quo Lectorem remittimus. Sunt igitur claſſis iſtius peccatores ad reconciliationem neceſſariò admittendi. Fundamentum reſolutionis iſtius multis enarrat Sanctus Auguſtinus *Homilia ultima libri* 50. homiliarum, è qua nonnulla in Lectoris gratiam referemus. *Nemo arbitretur, fratres, propterea ſe conſilium ſalutiferæ hujus debere pœnitentiæ contemnere, quia multos fortè advertit, & novit ad ſacra altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. Multi enim corriguntur, ut Petrus; multi tolerantur, ut Judas; multi neſciuntur, donec veniat Dominus, qui illuminet abſcondita tenebrarum, & manifeſtet conſilia cordium. Nam plerique nolunt alios accuſare, dum ſe per illos cupiunt excuſare. Plerique autem boni Chriſtiani propterea tacent, & ſufferunt aliorum peccata, quæ noverunt, quia documentis ſæpè deſeruntur, & ea, quæ ipſi ſciunt, judicibus Eccleſiaſticis probare non poſſunt. Quamvis enim vera ſint quædam, non tamen judici facilè credenda ſunt, niſi certis indiciis demonſtrentur. Nos verò à communione prohibere quenquam non poſſumus, quamvis hæc prohibitio non ſit mortalis, ſed medicinalis, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſive ſeculari, ſive Eccleſiaſtico judicio nominatum, atque convictum, &c.* Multò ſanè minus a communione prohibebuntur, cùm nullus teſtis criminis productus eſt, nullum judicium inchoatum, & prohibitio, ut in caſu controverſo, planè eſt mortalis. Solis igitur Eccleſiæ Deſertoribus, Apoſtatis, Excommunicatis, Hæreticis, Schiſmaticis, publicis peccatoribus, de quibus nulla eſt tergiverſatio, in dato caſu deneganda eſt reconciliatio.

III. Accidit caſus alter: Ægroti Chriſtiani quicunque Pœnitentiam deſiderant, & reconciliationem. Sed adeſt nemo, qui eam præſtare poſſit; interim moriuntur. An licuit antiquitus pro ejuſmodi hominibus orare, & ſacrificare? Capite nono vidimus dubitatum fuiſſe de ipſis Pœnitentibus in eadem hypotheſi. Eccleſiarumque traditiones variaſſe, tandemque pedibus, manibuſque in clementiorem partem ab omnibus itum eſſe. Multo magis de iis dubitatum eſt, qui Pœnitentiam deſideraverant, ſed eam infortunio quodam non erant conſecuti. Certum eſt tamen ex antiquis Sacramentariis, & Ritualibus, ab annis ſaltem mille pro iis omnibus publicas preces, publica ſacrificia fieri ſolita.

IV. In antiquo Grimoldi Abbatis Sacramentario Gregoriano, quod in lucem edidit ex antiquis membranis Pamelius, titulus 105. eſt ejuſmodi, *Miſſa pro defunctis deſiderantibus pœnitentiam, & minimè conſequentibus.* In antiquiſſimo Petaviano titulus idem, ſed numero ſingulari, eædem quoque Miſſæ orationes. Utrobique præmittitur hæc admonitio, ita in Petaviano, *Si quis pœnitentiam petens, dum Sacerdos venit, fuerit officio linguæ privatus, conſtitutum eſt, ut ſi idonea teſtimonia*

nia

niu dixerunt, & ipſe permotus aliquos ſatisfacit, Sacerdos impleat, omnia circa pœnitentem, ut moris eſt. Itaque utrumque reſipiſcentis animi argumentum in unum conjungunt, & aſtantium teſtimonia, & ægrotantis indicia. Si verò aliquis pœnitentia deſideratam eam conſequi non poterat, nihilominus preces, & ſacrificia pro ipſius requie, & dormitione offerebantur, & pro ejuſmodi hominibus Miſſa erat in Sacramentariis peculiaris, qua Deus orabatur, ut defuncti animam abſolveret, *Et pœnitentiæ fructum quem voluntus ejus optaverat, præventus mortalitate non perderet*. Eaſdem Miſſas pro defunctis deſiderantibus Pœnitentiam, & minimè conſequentibus, in plurimis aliis antiquiſſimis Sacramentariis legimus.

V. Poſtrema difficultas, quæ hoc capite nobis videtur enodanda, ſpectat cætera Sacramenta morituris ex Eccleſiaſtica conſuetudine conferri ſolita. Difficultatem faciunt Sancti Innocentii verba *Epiſt*. 1. *cap*. 8. ubi de Extrema unctione diſputans, ut conceſſum ponere videtur Pœnitentibus nulla Sacramenta eſſe tradenda, nec conſequenter Extremam unctionem. *Nam pœnitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt Sacramenti: Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi?* Repetunt hoc decretum Alcuinus in *libro de Officiis divinis in fine*, Concilium Vormatienſe *cap*.72. Ivo *parte* 2. *cap*. 75. Gratianus *diſt*. 95. *cap*.3. Primùm ex his verbis colligitur hoc Sacramentum dari debere tribus claſſibus hominum, quas initio capitis explicavimus. Habentur enim omnes fidelium numero, non Pœnitentium. De fidelibus autem verba Jacobi eſſe intelligenda docet ibidem Innocentius dubium non eſſe: Deinde hoc docet univerſæ Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis traditio.

VI. Secundò colligitur Pœnitentibus quandiu Pœnitentes ſunt, & manibus Epiſcoporum ſubſternuntur, atque ab Eccleſia cum Catechumenis eiiciuntur, hoc Sacramentum illis conferri non poſſe, non ſecus ac Euchariſtia, & ipſa reconciliatio. Multa enim Pœnitentibus interdici ſolebant, quæ enarravimus *lib*.5. *cap*.18 & *ſequentibus*. Verùm præter iſta, non modò Confirmationis Sacramentum ſuſcipere non poterant, ſed ne quidem ſuſceptores eſſe eorum, qui confirmabantur, immò nec baptizandorum, *Donec per dignam pœnitentiæ ſatisfactionem, reconciliationem mereantur*, ut docet Concilium Pariſiis habitum ſub Ludovico, & Lothario *lib*. 1. *cap*.54 & *Capitular*. *lib*.6. *cap*.179. Tertiò colligitur, Excommunicatis, Eccleſiæ deſertoribus, & ejuſmodi hominibus, multò minùs Sacramenta eſſe præſtanda, cùm à Pœnitentium ſanctitate in immenſum abſint, & ab Eccleſiæ communione ſint omninò ſeparati.

VII. Verùm difficultatem movent Sancti Innocentii verba: videntur enim ſecum contradictionem inferre. Nam ſi omnia Sacramenta Pœnitentibus denegantur, qua ratione conceditur illis reconciliatio? Quapropter neceſſariò ſic intelligenda ſunt, Sacramenta Pœnitentibus denegantur, donec reconciliati fuerint. Sic obſervavit Eccleſia, quæ ordinaria conſuetudine eos ſtatim poſt reconciliationem Sacramento Euchariſtiæ imbuit. Hoc non adhibito temperamento Innocentii verba eſſent *ἀσύστατα*. Idem, ſed clariùs, docet S. Leo *Epiſt*.91. cùm vocat reconciliationem januam Sacramentorum, *Chriſtus Jeſus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eodem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*.

VIII. Unde neceſſariò conſequitur morientibus primùm Abſolutionem dari oportere, poſteà reliqua Sacramenta illis eſſe præſtanda, niſi morientes ejuſmodi eſſent, ut abſolutione non egere cenſerentur. Ita cenſet Theodorus Cantuarienſis, referentibus Burchard. *lib*. 18. *cap*. 14. Ivone *parte* 15. *cap*. 36. Gratian. 26. *quæſt*. 7. *C*. *Ab infirmis*, *Ideò*, Inquit, *ſecundùm canonicam auctoritatem ne illis janua pietatis clauſa videantur, orationibus, & conſolationibus Eccleſiaſticis, ſacra cum unctione olei animati ſecundùm ſtatuta ſanctorum Patrum communione viatici reficiantur*. Hunc canonem Concilium Moguntinum ſub Rabano *cap*.26. ſibi vendicavit, & Ponitentiæ Romanæ *tit*.9. *cap*. 7. Idem quoque Euſebii Papæ decretum apud Burch. *lib*. 18. *cap*.11. velut ex vulgata conſuetudine, *Sacerdos impleat omnia ſicut ſupra circa ægrotantem pœnitentem ſcriptum eſt, id eſt, orationes dicat, & ungat eum ſancto oleo, & Euchariſtiam ei donet, & poſtquam obierit, ut cæteris fidelibus ei ſubminiſtret*. Concilium Nannetenſe *can*. 4. hæc ordine pandit, ad quem Lectorem remittimus. Hinc in antiquis omnibus Ritualibus, qui Sacramentorum ordinem amplè exhibent, infirmorum Confeſſio, & reconciliatio ſemper præcedunt Extremæ unctionis traditionem, quod obſervandum hactenus monet Rituale Romanum, ex generali, ut inquit, Eccleſiæ conſuetudine.

CAPUT XII.

Plurimis teſtimoniis demonſtratur, antiquos, & recentiores Patres; antiquiſſimos quoque Scholaſticos Sacramenta, de quorum collatione dubitatur, non modò ſine ulla conditione contuliſſe, ſed etiam collationis rationem reddidiſſe, quæ conditionis apponendæ neceſſitatem tollit. Quando primùm, de conditione apponenda diſputatum eſt, & ſententia appoſitionis prævaluit. De Sacramentis, quæ non iterantur, primùm dubitari cœptum eſt.

PLerique auctores hodierni, relati *cap*. 10. docebant, Abſolutionem morbibundo non ſentienti, qui Sacerdotem ante morbi irruptionem non petierat, ſub conditione concedendam eſſe, *Si capax Abſolutionis es, ego te abſolvo*, &c. Non abs re quæritur, num antiqui Patres Sacramenta conditionaliter adminiſtraverint. Duabus de cauſis conditio apponi poteſt, & utraque cauſa legitimæ dubitationi innititur: Vel enim dubitatur, an Sacramentum ſuſceperit, ut, an baptizatus fuerit infans, qui offertur: Vel conceſſo quòd baptizatus fuerit, dubitatur, an legitimè, & ſecundùm Eccleſiæ leges Sacramentum ſuſceperit. In neutra hypotheſi deprehendo Patres conditione uſos in Sacramentorum adminiſtratione, ſed abſolutè ſemper, quocunque occurrente dubio, ea contuliſſe, & abſolutæ collationis eam reddidiſſe cauſam, quæ conditionis apponendæ neceſſitatem tollit. Teſtimoniorum, quæ legentes animadvertimus inductione hoc demonſtrabimus.

II. Interrogatur Sanctus Cyprianus à Magno *Epiſt*. 76. An baptiſmus per aſperſionem Clinicis datus ſit legitimus, & ejuſdem cum eo, qui per immerſionem adminiſtratur, virtutis. Sententiam affirmantem tuetur Cyprianus. Iis tamen, qui de eo dubitant, ſi convaluerint, repetere ſuadet. *Quantum fide concipere, & ſentire nobis datur, mea ſententia hæc eſt, ut Chriſtianus legitimus judicetur quiſquis fuerit in Eccleſia lege, & jure fidei divinam gratiam conſecutus. Aut ſi aliquis exiſtimat, eos nihil conſecutos, eo quòd aqua ſalutari tantùm perfuſi ſint, ſed inanes, & vacui ſunt, non decipiantur, ut ſi incommodum languoris evaſeriat, & convaluerint, baptizentur*. Hac doctrina imbutus Cæcilianus Archiepiſcopus Carthaginenſis, cum Schiſmatis Donatiſtarum auctores ipſius ordinationem culparent, eo quòd à ſacrorum codicum traditore factam eſſe cauſarentur, alteri ordinationi, quaſi de priore nihil ſuſcepiſſet, ſeſe expoſuit, ut omnem cavillandæ ordinationis ſuæ occaſionem ab iis ſubmoveret. Sic Optatus de hac re diſſerens *lib*.1. *Ad Baſilicam ubi cùm Cæciliano tota civitas in frequentia fuerat, nullus de ſupradictis acceſſit. Tunc à Cæciliano mandatum eſt, ſi eſt, quod in me probetur, exeat accuſator, & probet. Illo tempore à tot inimicis nihil in illum potuit confingi. Sed de Ordinatore ſuo quod ab iis, falsò traditor diceretur, meruit infamari. Iterùm à Cæciliano mandatum eſt, ut ſi Felix in ſe, ſicut illi arbitrabantur, nihil contuliſſet, ipſi tanquam adhuc Diaconum ordinarent Cæcilianum*.

III. Concilium Carthagin. 5. *c*.6. *Placuit de Infantibus quoties non inveniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur, neque ipſi ſunt per ætatem idonei, de traditis ſibi Sacramentis reſpondere, abſque ullo ſcrupulo eos, eſſe baptizandos, ne iſta trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari. Hinc enim legati Maurorum fratres noſtri conſuluerunt, quia multos tales à Barbaris redimunt*. Ita 73. Epiſcopi, de hac quæſtione interrogati reſpondent. In Concilio Africano Latino *canon iſte* eſt 39. & apud Græcos 75. apud Zonaram 78. Concilium Trullan. *can*.84. idem ſtatuit, & omnia propè iſtius canonis verba Græcè transfert. Balſamon in hunc canonem narrat ſæpius ejuſmodi dubiis occurrentibus Synodicè ſtatutum eſſe in Eccleſia Orientali, baptizandos eſſe eos, de quorum baptiſmo dubium oriebatur. Hunc Carthaginenſem canonem ſic compendio enuntiavit Ferrandus in Breviario, *Ut quando, de Infantibus ignoratur, utrùm baptizati ſint, ſine ulla dubitatione baptizentur*. Eodem propè modò Creſconius *c*.62. ſed illum repetunt, & innovant Concilium Vormatienſe can.70. Burchard. *lib*.4. *c*.45. Ivo *part*. 1. *c*. 147. & 239. *Decreti* Gratian *de Conſecrat*. *diſt*. 4. *c*. 111. Sanè omnes illi erant conditionaliter adminiſtrationis ignari. Hipponenſe Concilium ante hoc Carthaginenſe celebratum, cujus ſummaria nobis ſuperſunt, iſta ſtatuerat in *breviculo c*.4. *De his, qui in nullo teſtimonio ſe baptizatos noverunt, ut baptizentur*. Idem Carthaginen. Concil. eodem canone abſolutè quoque vult conſecrari Eccleſiam, de cujus conſecratione hæſitatur.

IV. Eandem quæſtionem de Captivorum quorundam baptiſ-

mo S. Leo in Synodo agitavit, ut legere eſt *Epiſtola* 73. Nonnulli enim, eo quòd incertum eſſet, an eſſent baptizati, eos baptizare reformidabant, quos ait Leo animas in diſcrimen adducere, *Dum ſub ſpecie cautionis negatur bis gratia, quæ ideò non impenditur, quia putatur impenſa*. Ideò S. Leo conſultatione adhibita dicit ſe cum fratribus conveniſſe, ejuſmodi homines eſſe baptizandos, *Quoniam non poteſt in iterationis crimen devenire, quòd factum eſſe omninò neſcitur*. Non eſſe fidendum in re tanti momenti incertis ſuſpicionibus. *Quis enim ita ſit ſuſpicationibus ſuis deditus, ut verum eſſe definiat, quòd omni manifeſtatione ceſſante, ex opinione ambigua ſuſpicatur*. In dubio magni momenti quale eſt iſtud, volunt certiorem partem eligi. Agitata eſt hæc quæſtio diligenter non modò à Sancto Leone in Synodo, ſed etiam ab Archiepiſcopo Ravennate, de qua Leo initio Epiſtolæ ſcribit, *Nuper in Synodo novum, & inauditum anteà genus conſultationis exortum eſt*, Duplicis tamen ſententiæ tantùm mentionem facit, unius, quæ baptizari nolebat ejuſmodi Captivos, ne rebaptizationis crimen incurreret; alterius quæ baptizari ſtatuebat, quæque à Pontifice, & utraque Synodo approbata eſt. Hoc Leonis decretum in ſuum retulit Ivo *part.* 1. *cap.* 48. & Gratian. *de Conſecratione diſt.* 4. *cap.* 112.

V. Eandem quæſtionem tractat iterum S. Leo *Epiſt.* 92. quæſitis Ruſtici Narbonenſis Epiſcopi reſpondens, ubi *cap.* 15. propoſito dubio reſpondet eſſe baptizandos, *Ne manifeſtè pereant, in quibus quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit, ut videatur iteratum*. Et paulò poſt præclaram reſponſi ſui rationem reddit, *Conferendum eis videtur, quod collatum eſſe neſcitur: quia non temeritas intervenit præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis*. Hoc habet Burchard. *lib.* 4. *cap.* 44. Ivo *part.* 1. *cap.* 238. Gratian. *de Conſecrat. diſt.* 4. *cap.* 113. Creſconius in Breviario ita ex S. Leone hunc canonem retulit, *cap.* 62 *De his, quibus dubium eſt, utrùm baptiſmum perceperint, neceſſe eſt, ut renaſcantur*.

VI. Felix IV. *Epiſtola* 1. de dubia Eccleſiarum conſecratione interrogatus ſic reſpondet, *De Eccleſiarum verò conſecratione quoties dubitatur, & nec certa ſcriptura, nec certi teſtes exiſtunt, à quibus conſecratio ſciatur, abſque ulla dubitatione ſcitote eas eſſe conſecrandas, ne talis trepidatio faciat deteriorationem: Quoniam non monſtratur eſſe iteratum, quod neſcitur factũ*.

VII. Sanctus Gregorius *lib.* 12. *Indict.* 7 *Epiſt.* 31. ad Felicem Siliciæ Epiſcopum, idem tribus in caſibus eadem periodo docet eſſe faciendum, *Quotiens tam de baptiſmo aliquorum, vel confirmatione, quàm de Eccleſiarum conſecratione dubitatio habetur, & nec ſcriptis, nec teſtibus certa ratio habetur, utrùm baptizati, vel confirmati, ſive Eccleſiæ conſecratæ ſint, ut baptizentur tales, ac confirmentur, atque Eccleſiæ canonicè conſecrentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus ſint: quoniam non monſtratur iteratum, quod non certis indiciis oſtenditur ritè peractum*.

VIII. Gregorius III. *Epiſt.* 4. ad Bonifacium, ut refertur ab Ivone *part.* 1. *cap.* 146. & Gratian. *de Conſecrat. diſt.* 4. *cap.* 110. *Parvulos, qui parentibus ſubtracti ſunt, & an baptizati ſint, ignorant, hos ut baptizare debeas ſecundùm Patrum traditionem, ſi non fuerit, qui teſtificetur, ratio poſcit*. Idem Gregorius *Epiſt.* 2. ad Bonifacium idem ſtatuit, de quibuſdam Presbyteris, qui ab Epiſcopis incognitis ordinati fuerant; & ideò dubitabatur an eſſent Epiſcopi: *Presbyteri quos ibidem reperiſti, ſi incogniti fuerint illi à quibus ſunt ordinati, & dubium eſt, eos, Epiſcopos fuiſſe, an non, qui eos ordinaverunt; Si bonæ actionis, & Catholici viri ſunt ipſi Presbyteri, & in miniſterio Chriſti, omnique lege ſancta edocti, ab Epiſcopo ſuo benedictionem Presbyteratus ſuſcipiant, & conſecrentur, & ſic miniſterio fungantur*. Referunt hoc decretum Ivo *part.* 6. *cap.* 117. & Gratian. *diſt.* 68. *cap.* 2.

IX. Eidem Bonifacio ſimiliter reſpondit Zacharias Pontifex interroganti quid agendum eſſet iis, qui ab Hæreticis baptizati fuerant, & dubitabatur an eſſent, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizati. Inquiſita enim rei veritate, an eſſent ab hujuſmodi Sacerdotibus baptizati, jubet eos, ſine dubio baptizari. *Juxta*, inquit, *Prædeceſſoris noſtri bonæ memoriæ Gregorii Papæ, & ſacrorum Canonum traditum ſibi mandatum*. Hæc *Epiſt.* 11. *tom.* 1. *Conciliorum Galliæ*.

X. Capitularium *lib.* 7. *cap.* 302. *Placuit ut Infantes, quando non inveniuntur certiſſimi teſtes, qui eos ſine dubitatione baptizatos eſſe teſtentur, neque ipſi ſunt per ætatem idonei, de traditis ſibi Sacramentis reſpondere, abſque ullo ſcrupulo legitimo baptizari. Similiter, & de Eccleſiis vel altaribus, atque de conſignandis fidelibus, quotiens ſuper his dubitatur, agendum eſt: Id eſt, ut ſine ulla trepidatione conſecrentur, & fideles confirmentur; quoniam quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit ut videatur iteratum*. Idem ſed multò breviùs refertur eodem *lib.* *cap.* 315. In Collectione Conciliorum Anglicana ad ann. Chriſti 750. inter excerpta Egberti *cap.* 41. ab antiquis Patribus ſic ſtatutum fuiſſe refertur, *Placuit de Infantibus quoties non inveniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe teſtentur, neque ipſi ſunt per ætatem idonei de traditis ſibi Sacramentis reſpondere, abſque ullo ſcrupulo hoc eſſe baptizandos, ne iſta trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari*. Herardus Archiepiſcopus Turonenſis in Capitulis ſuis *Capitulo* 33. *tom.* 3. *Conciliorum Galliæ*, *De Eccleſiis, vel altaribus ambiguis, ſimiliter de infantibus, ut conſecrentur, & baptizentur: Quia quòd non conſtat factum, nulla ratione videtur iteratum*.

XI. Hugo à Sancto Victore *tractatu* 5. *Summæ ſententiarum cap.* 10. hanc quæſtionem movet, & non minùs perſpicuè quàm breviter reſpondet, *Si de aliquo dubitetur, utrùm baptizatus ſit; baptizari debet. Non enim, ut dicunt Sancti, judicatur iteratum, quòd neſcitur factum*. Eadem eſt Magiſtri ſententia, in quarto *diſt.* 6. ubi refert, & ſimpliciter acquieſcit reſponſo Sancti Leonis ſupra exſcripto. Petrus Pictavienſis ipſius diſcipulus, & primus commentator, in hunc locum eandem amplectitur ſententiam. Propoſita enim quæſtione, de gemellis quorum unus eſt baptizatus, ſed non alter, uter autem ſit ignoratur, reſpondet, *In tali caſu præcisè dicimus, quòd utrumque potiùs debet baptizare, quàm permittat alterum perire. Nec ſit injuria Sacramento, quia non iteratur. Non enim judicatur eſſe iteratum, quòd priùs neſcitur eſſe factum*. Sic & Petrus Cantor, quem paulo poſt referimus.

XII. Concilium Eboracenſe anno 1194. celebratum, *Ubi autem puer, cujus baptiſma ignoratur, reperitur expoſitus, ſive cum ſale, ſive ſine ſale reperiatur, baptizetur; cùm non intelligatur iteratum, quòd neſcitur fuiſſe collatum*. Concilium Londonienſe anni 1220. cujus ſtatuta refert Rogerus de Hoveden, & ex eo tomi Conciliorum ſic decernit, ſtatuto 3. *De Baptiſmate, vel Confirmatione ſi dubitetur, ſacrorum canonum ſtatuta ſequentes, ſtatuimus, ut conferatur; quia non dicitur iteratum, quòd non ſcitur fuiſſe collatum. Ideòque baptizentur expoſiti, de quorum baptiſmo dubitatur, ſive inveniantur cum ſale, ſive ſine ſale*.

XIII. Non modò nullam faciunt conditionis mentionem, ſed ratio, qua perſuaſi jubent, in data hypotheſi Sacramentum ſimpliciter, & abſolutè eſſe conferendum, conditionem eorum ſententia non eſſe neceſſariam demonſtrare videtur. Cenſent enim, actionem, de qua dubitatur non eſſe factam, & conſequenter ſic agendum quaſi abſolutè facta non fuiſſet. Deinde conditionis appoſitio, cum formis integrè deprecatoriis difficilè componitur, ut unicuique apparebit conditionem cum oratione componenti. Hinc eſt, quòd in quotidianis Eccleſiæ orationibus, & ſacrificiis, quæ pro mortuis frequentantur, nihil conditionaliter fiat, licèt ſtatus eorum vivis ſemper ſit dubius. Nec etiam formæ baptiſmi Græcæ benè convenit cum iſta conditione; minus adhuc cum formula Confirmationis tam Græca, quàm antiqua Latina. Sed omnium minimè cum Eccleſiarum conſecratione, niſi quis dicat conditionem ſemper mente retineri. Quidquid ſit de modo iſtius conditionis enuntiandæ, qui tandem periphraſi poteſt efformari, manifeſtum eſt, antiquos eum ignoraſſe.

XIV. Alexander tamen tertius, qui Pontifex creatus eſt anno 1159. de hac re interrogatus reſpondit, in dubio baptiſmo conditionem formæ apponi poſſe, ut refertur his verbis extra de baptiſmo *cap.* 2. *De quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmiſſis, ſi baptizatus es, non te baptizo, ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c*. Sic, & Odo Pariſienſis Epiſcopus Alexandro ætate ſuppar, in ſtatutis Synodalibus repetendi baptiſmi, dubiè collati hanc formulam tradit, *Petre, ſi es baptizatus, non te baptizo, ſi non es baptizatus, ego baptizo te, &c*. Tum temporis hæc quæſtio in Scholis Theologicis in utramque partem agitari cœpit, & in eam inclinavit Alexander Pontifex. Multi tamen ipſo vivente, & defuncto aliter definierunt, ut Lombardus, & ipſius ſingularis diſcipulus, Petrus Pictavienſis, & duo Anglicana Concilia jam relata. Doctorum Pariſienſium communiſſima tum ſententia erat Sacramentum dubium, ſine conditione repetendum, ut non modo jam citatis auctoribus, ſed etiam clariſſimè ex Summa Petri Cantoris manuſcripta in cujus *folio* 156. ſic ſcribit, *Illud autem notandum eſt, quotiens, vel omninò neſcitur hoc Sacramentum collatum eſſe, vel de ipſius præſtatione piè dubitatur, ſine omni ſcrupulo conferatur, quia non intelligitur iteratum, quòd neſcitur eſſe collatum. Sed ſub qua forma debeat conferri dubium eſt apud aliquos. Quidam dogmatizaverunt ſic dicendum, Baptizo te, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſi non es baptizatus. Sed obiicitur quod in hypotheticis enuntiationibus, nec per antecedens, nec per conſequens quicquam enuntiatur. Contra, conditio in talibus adjecta nihil operatur: ſicut*

in Ma-

in Matrimonii contractu conditio eiicitur, ſi fuerit appoſita, & tenet Matrimonium. Conſultius tamen dicimus ſi ſine conditione dicatur, Baptizo te, &c. Sæpius poſteà in caſu dubii ait rebaptizandum, ſed ſine conditione. *Folio 191. p. 2. In Confirmatione, vel in baptiſmo, de quo dubitatur, an ſit collatus, non approbamus conditionem appoſitam ſic, ſi non es baptizatus, baptizo te, &c. quia Sacramenta non ſunt conditionaliter conferenda.*

XV. Cùm ſcribebant omnes illi auctores nondum publicè innotuerat Decretalis illa Alexandri III. quæ poſt eorum omnium mortem in corpus juris à Gregorio IX. relata eſt. Ab eo tempore prævaluit in Scholis, atque etiam in praxi ea ſententia, quæ conditionem in dubii Sacramenti adminiſtratione approbat. Notabit tamen Lector, Pontificem ita hanc ſententiam approbaſſe, ut aliam non improbaverit, velut in verbis ipſius manifeſtè apparet. Ita quoque Alexandri verba interpretatus eſt, qui titulos capitulis Decretalium adſcripſit, cùm ſic titulum compoſuit, *Si probabiliter dubitatur, an quis fuerit baptizatus, poteſt baptizari forma hic expreſſa.* Conditionalis iſtius Sacramentalis adminiſtrationis unum, aut alterum exemplum præcedentibus longè antiquius mihi occurrit, de quo Lectorem commonefaciam, *Capitularium lib. 6. cap. 181.* Eſt ejuſmodi, *De quibus dubium eſt, utrùm ſint baptizati, an non, omnimodis abſque ullo ſcrupulo baptizentur; His tamen verbis præmiſſis, Non te rebaptizo; ſed ſi nondum baptizatus es, baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Eundem canonem collectioni ſuæ inſeruit Iſaacus Lingonenſis *titulo 11. cap. 17.* Succeſſu temporis hypothetica iſta Sacramentorum non iterabilium, & rerum conſecratarum adminiſtratio in ea quoque Sacramento derivata eſt, quæ ex natura ſua repeti poſſunt, toties quoties occaſio ſeſe præbet, eum ſcilicet ſcrupulus, adminiſtrantis animum ſubit, ne Sacramenti capax ſit is, cui adminiſtratur. Ut iterandi Sacramentum initerabile formido conditionem invenit, ſic & præſumpta incapacitas. Sed iſtius poſterioris dubii nullum antiquum mihi hactenus occurrit exemplum.

XVI. Gabriel Vaſquez conditionem Abſolutioni peccatorum additam exiſtimat ſupervacaneam, & ab eo tantum addendam, qui indiſcreto animo ſcrupulo eam ἁπλῶς tradere reformidat. *Supervacaneum etiam eſſe exiſtimo, ut quidam faciunt, ſub conditione de præſenti abſolvere hoc modo, ſi poſſum, ego te abſolvo; licèt enim conditio non ſit contra ritum Sacramenti, potiùs tamen videtur addi propter ſcrupulum indiſcretum conſcientiæ, ſiquidem ſine illa impendi poteſt abſolutio, tom. 4. in 3. partem quæſt. 91. artic. 2. dub. 1. num. 29.* Idem docet Sancius referente, & approbante Diana *tract. 3. de Abſolutione moribundi, reſol. 10.* Vult enim moribundum ſigna edentem ſine conditione abſolvi, & optima ratione meo quidem judicio nititur, *Nam ille*, inquit, *qui agens aliquam actionem, judicat ſe non delinquere, abſolutè poteſt illam exercere, nec opus erit conditionem addere.* Ideò interpretatur quorundam Theologorum dictum de Sacramento conditionaliter adminiſtrando, in dubio proprio, non in opinionibus, ſive in quæſtione facti, ut cùm dubitatur an quis ſit baptizatus. Nec hoc tamen pati videntur Sanctorum Cypriani, & Auguſtini rationes, & praxis, qui ſatius exiſtimant nolenti dare, quàm volenti negare, & multis malis reconciliationem cedere, quàm ea paucos bonos fraudare, *Ubi velit, an nolit*, ait Auguſtinus, *ſic non apparet, ut tamen credibilius ſit, eum ſi poſſet, velle ſe potiùs fuiſſe dicturum ea Sacramenta percipere, ſine quibus jam credidit non ſe oportere de corpore exire*: Vel ut piè, & prudenter admodùm Sanctus Cyprianus, *Non ideò martyrium facturis pax neganda eſt, quia ſunt quidam negaturi, cùm propter hoc pax danda ſit omnibus militaturis, ne per ignorantiam ille incipiat præteriri, qui habet in prælio coronari.* Vide, quæ docuimus *lib. 1. cap. 19. & hoc libro cap. 6.* Eadem ratio eſt cæterorum, de quorum baptiſmo, vel Confirmatione dubitatur.

CAPUT XIII.

Multis propoſitionibus explicatur, & probatur, diſciplina obſervari ſolita erga eos, qui poſt Abſolutionem è morbo convaluerunt, & criminum, propter quæ Pœnitentia publica agitur, non erant Rei. Qui ſpontè Pœnitentiam publicam ſuſceperant nullius criminis Rei, poſt reconciliationem ſanitati reſtituti eam complere tenebantur.

ORdo doctrinæ poſtulare nunc videtur, ut explicemus diſciplinam, quæ obſervabatur erga eos ægrotos, qui poſt acceptam reconciliationem è morbo convaluerant. Multa enim antiqui obſervare ſolebant, quæ ab aliquot ſeculis prorſus obſoleverunt. Hoc aggreſſuri, multiplici anteà nobis opus eſt diſtinctione. Eorum qui poſt reconciliationem è morbo convaleſcebant, triplex conſtitui poteſt genus, Primum, virorum proborum, qui nullius criminis, propter quod Pœnitentia publica injungi ſolebat, ſibi conſcii erant. Diſtingui poſſunt iſti in duas claſſes, prior continet eos, qui nulla prorſus animadverſione Eccleſiaſtica notati erant: Poſterior, quæ ea notatos, ſed non Pœnitentiali; hoc eſt, complectitur eos, qui propter leviora peccata ad Conſiſtentiam relegati erant, & ad tempus aliquod communione Euchariſtica privati, nulla afflictatione corporali addita. Secundum genus, viros iterum probos continet, ſed qui moribundi ſpontè ſua Pœnitentiam humilem elegerant, nullum crimen propter quod infligi ſolet confitentes. Tertium eos, quibus propter crimina ſua, vel ante morbum, cùm ſani erant, vel in ipſo morbo Pœnitentia fuerat impoſita, & urgente apparenti exitu reconciliatio præſtita. Hoc genus omnis generis impios continet ſive publicos, ſive occultos, qualiſcunque ſit illa ſeu publicatio, ſeu occultatio. Diſtinguenda ſunt quoque varia tempora propter tertium genus potiſſimum. Aliter enim res ſe habuit ante Novati hæreſim, & poſt eam exortam ad annum uſque ſeptingenteſimum, & ab eo tempore ad annum uſque centeſimum ſupra milleſimum: Nec etiam nobis omittenda eſt varietas, quæ Occidentem inter, & Orientem interceſſit. Hæc breviſſimè aliquot editis propoſitionibus enarrabimus.

II. Prima propoſitio, *Leviùs peccantes tam occultè, quàm publicè, quibus cùm ſani erant pœnæ aliquæ ſive privatim, ſive publicè erant impoſitæ, reconciliatione propter morbum impetrata, ad reliquas pœnas ſubeundas ſanitate reſtituta nunquam obligati ſunt.* Iſta propoſitio evidenter conſtat ex iis, quæ demonſtrata ſunt *lib. 6. cap* 17. 18. 19. Ejuſmodi enim perſonæ, vel puri puti cenſebantur fideles, ut potè nulla unquam animadverſione, ſeu cenſura notati, & conſequenter ſtultum eſſet ſibi fingere aliquas illis ſanitate recuperata pœnas inflictas: Vel ea animadverſione puniti erant, quæ eos ad Conſiſtentiam regradabat. Sed ab ejuſmodi pœna Pœnitentes non dicebantur, ut ex capitibus jam citatis manifeſtum eſt, atque etiam ex *cap. 7. libri quarti.* Quapropter non comprehenduntur illis canonibus, qui jubent Pœnitentem ſanitate poſt reconciliationem recuperata ad eandem ſtationem remitti. Deinde pœnæ impoſitæ leves erant, & arbitrariæ, & ſæpè Abſolutio ipſis ſtatim poſt Confeſſionem concedebatur. Itaque cùm ratione morbi Euchariſtica Communio illis concederetur, & ſimul Abſolutio, ſi fortè anteà conceſſa non fuiſſet, pœnas poſtmodum ab illis ſumptas fuiſſe non ſit probabile. Ante Novatum nulla erat iſtius quæſtionis occaſio: Nam ut infrà demonſtrabitur, Pœnitentibus ipſis reconciliatione quocunque modo obtenta, nulla reſtabat amplius luenda pœna. Poſt annum verò 700. eadem quoque fuit praxis in data hypotheſi propter peccatorum levitatem, licèt poſt Euchariſtiæ Communionem Pœnitentiam agere, tum mos invaleſceret; ſed hoc in gravibus peccatis tantùm obſervatum eſt, ut libro octavo demonſtratum eſt. Opponetur forſan, quod jubetur *canon.* 13. Nicæno Pœnitentes è morbo convaleſcentes precum tantùm eſſe participes, ſive in Conſiſtentia ſubſtere. Verùm hoc de Pœnitentibus propriè dictis, quales non ſunt ii, de quibus verba facimus. Pœnitentes igitur in ſtationibus inferioribus commorantes, reconciliatione accepta ad hanc ſtationem evehebantur. *Sed de hoc canone pluribus* inferius.

III. Secunda propoſitio: *Graviter ſive occultè, ſive publicè peccantes illud peccatum, quod pœnitentia publica non damnabatur, quibus, cùm ſani erant, pœnæ vel privatæ, vel publicæ erant impoſitæ, reconciliatione propter morbum impetrata, ad reliquas exolvendas ſanitate reſtituta vix unquam obligati ſunt.* Hæc propoſitio videtur evidenter demonſtrari ex eo, quòd iſtius hypotheſis nunquam mentionem faciunt antiqui, cùm de continuanda ab ægrotis pœnitentia poſt ſanitatem recuperatam aliquid decernunt. Semper enim de graviſſimis peccatis apud eos agitur, propter quæ publica erat à canone indicta pœnitentia. Nulla autem eſt hæc conſequentia, Grande peccatum hac ſeveritate plectebatur, ergo & hoc longè minus. Immò contraria eſt planè neceſſaria, ergo hoc longè minus tanta eum ſeveritate non plectitur. Secundò idem demonſtratur evidentiſſimè ex probatis *lib. 6.* nullas in conſiſtentia pœnas inflictas, vel admodum leves, præter communionis Euchariſticæ abſtinentiam. Ergo præter hanc abſtinentiam nulla illis peccatis potuit infligi. Verùm cùm omnibus ad Conſiſtentiam per ſe relegatis, & non inferius, data abſolutio, ſit cum altari reconciliatio, per Abſolutionem conſequenter perfectiſſimè reconciliati ſunt, ac pro-

Digitized by Google

ac proinde nulli pœnæ obnoxii. Aliter definire, Conſiſtentiam eſſet cum ſubſtratione confundere. Denique pœna iſtis peccatis licèt gravibus impoſita, non ſecus ac levibus in propoſitione præcedente erat arbitraria, iiſque, cum occulta erant, ſæpe pro temporis opportunitate ſtatim abſolutio concedebatur, ut fusè demonſtratum eſt *lib. 5. cap. 31. & lib. 9. cap.* 14. propoſitione 12. Cùm igitur ſani pœnas peccato ſuo ex ſolo Sacerdotis arbitrio debita ex parte exolverint, eſt planè improbabile accepta reconciliatione, & Euchariſtica communione iis exequendis iterùm fuiſſe obnoxios. Aliter ſi Pœnitentes fecerunt, ex abundantia pietatis in Deum, non ex obligatione obſequii in Eccleſiam factum eſt.

IV. Tertia propoſitio, *Hii, qui in ipſo morbo confitebantur, & reconciliabantur, ſi gravia peccata confiterentur, ſive eſſent occulta, ſive publica, propter quæ tamen ſex prioribus ſeculis Pœnitentia non eſſet agenda, pœnæ indicebantur, quas ſanitate reſtituta in ſe exequebantur.* Propoſitio iſta, necnon & præcedentes, triplicem in ſeſe continent diſtinctionem peccatorum, in levia, graviſſima, & minus gravia. Deinde pœnitentiam propriè graviſſima ſpectaſſe, non autem minus gravia, multò minus levia. Denique ſexto ſeculo diſtinctionem iſtam paulatim obſolevisse, & peccatorum publicorum tantum pœnitentiam actam fuiſſe publicam; privatorum occultam. Præterea ſupponit poſt ſextum ſeculum de gravibus quibuſcunque peccatis occultis privatam actam fuiſſe veram pœnitentiam ſola ſolemnitate à publica differentem. Hæc autem omnia demonſtrata ſunt 12. prioribus capitibus libris, & capite ejuſdem *libri 31. libri 4. cap. 18. 19. & libri 7. c. 1. & 2.* & paſſim pluribus aliis in locis. His igitur in memoriam à Lectore revocatis demonſtratur primum hæc propoſitio à ſimili. Nam ſi tanta erat ſeveritas, ut qui pœnitentiam humilem agerent, eandem ſanitate reſtituta nulla apud multas Eccleſias diminutione facta continuarent; Si vero in ipſa morbi vehementia pœnitentiam ſuſciperent, eadem, quæ ſanis indicaretur, poſt ſanitatem recuperatam publicè exequenda. Videtur planè neceſſarium eaſdem Eccleſias in noſtra hypotheſi in aliis peccatis quorum humilis pœnitentia non agebatur, idem feciſſe, hoc eſt, eaſdem pœnas, quas illis ſanis impoſuiſſent, ægrotantibus impoſuiſſe ſanato morbo exequendas. Ubi verò Eccleſiæ remiſſius in humili Pœnitentia agebant, remiſſius quoque in hac arbitraria egiſſe. Aliàs peccatum grave inultum fuiſſet, quod Sanctorum Patrum legibus, & conſuetudini omnino adverſatur. Non inde tamen ſequitur, in levibus peccatis idem fuiſſe obſervatum. Honos enim habitus gratiæ reconciliationis, & Euchariſtiæ pœnas breviſſimas, & leviſſimas facilè expunxit. Ab incunabulis tamen Eccleſiæ ad uſque Novati hæreſim Eccleſiæ venia erat abſoluta, & peremptoria, omnem expungens pœnam, ut ex iis quæ capite ſequente nobis probanda ſunt Lectori manifeſtum erit.

V. Demonſtratur hoc inſuper ex Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis decreto, qui ſcribebat circa annum 680. Decretum autem ipſius non eſt rei recens inſtitutæ, ſed ab antiquo ſic obſervatæ. Refertur autem à Burchardo *lib.* 18. *c.* 14. & ab aliis canonum collectoribus, ut Ivone *part.* 15. *cap.* 36. Gratiano 26. *q.* 7. Pœnitentiali Romano *tit.* 9. *c.* 7. Illud etiam ante octingentos annos tacito nomine in canones ſuos tranſtulit Concilium Moguntinum ſub Rabano *c.* 26. *Ab infirmis in periculo mortis poſitis per Presbyteros pura inquirenda eſt confeſſio peccatorum, non tamen illis imponenda quantitas Pœnitentiæ, ſed innoteſcenda, & cum Amicorum orationibus, & eleemoſynarum ſtudiis pondus pœnitentiæ ſublevandum: Et ſi fortè migraverint, ne obligati, ex communione alieni, vel ex conſortio veniæ fiant. A quo periculo ſi divinitus ereptus convaluerit Pœnitentiæ modum à ſuo Confeſſore impoſitum diligenter obſervet.* Itaque antiquiſſima eſt iſta conſuetudo, & paulatim invaluit poſt promulgatum Theodori pœnitentialem in omnia propè peccata non abſolutè levia, ut ex auctoribus citatis evidenter demonſtratur, atque etiam ex antiquis, & recentioribus ritualibus, & Pœnitentialibus.

VI. Idem etiam neceſſariò poſtulavit abrogata illa conſuetudo de criminibus occultis publicè pœnitendi, & ſtabilita alia conſuetudo de criminibus occultis eodem modo ſed occultè pœnitendi, quo ſi publica de iis ageretur Pœnitentia. Ab eo tempore Pœnitentiales libri quibuslibet peccatis ſuam Pœnitentiam tribuerunt; & Pœnitentiæ nomen, & pœnitere ex æquo tributa ſunt & pœnis humilium, & propriè anteà dictorum Pœnitentium, & quibuslibet pœnis à Sacerdotibus, peccato impoſitis, ut ex Pœnitentialibus omnibus, atque ex innumeris locis toto libro 8. relatis colligitur. Idem etiam demonſtratur evidentiſſimè ex iis omnibus, quæ capite 15. ſequente referentur. Denique paulò poſt annum ſeptingenteſimum vulgo obtinuit Pœnitentiam ita diſtribuere, ut bona pars non modo poſt abſolutionem, ſed etiam poſt communionem Euchariſticam eſſet ex mandato peragenda, ut multis demonſtratum eſt *libri 9. c. 16.* Cui igitur mirum videri poteſt ſi eodem tempore ægrotos ſanitati reſtitutos poſt reconciliationem, & corporis Chriſti communionem ad Pœnitentiam agendam obſtrinxerit?

VII. Quarta propoſito, *Qui nullius criminis conſcii Pœnitentiam ſponte ſuſcipiebant, ſive ſani illam ſuſciperent, ſive morbo preſſi, ſanitate reſtituta, non ſecus ac criminum Rei eam complere tenebantur.* Pœnitentia ſuſcepta reſilire non erat illis integrum, ſed quod Deo promiſerant reddere cogebantur. Cenſebatur enim illa Pœnitentiæ ſuſceptio votum aliquod eſſe Deo nuncupatum; ideò non ſecus ac voti alicujus, iſtius Pœnitentiæ executionem exigebant, nec ſupervenientis morbi excuſationem admittebant. Præclarum hujus rei exemplum habes in Concilio Tolet. 12. *cap.* 2. cujus canon, propter ejuratam ſanitate recuperata Pœnitentiam ejuſmodi conditus, confirmatur Concilio ſequente *cap.* 9. Idem etiam colligitur ex Concilio Barcinonenſi *cap.* 8. Hunc caſum etiam complectitur *can.* 76. Concilii Carthagin. 4. *Qui Pœnitentiam in infirmitate petit, &c. Si ſupervixerit, admoneatur, à ſupradictis teſtibus petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis Pœnitentiæ legibus, quandiu Sacerdos qui Pœnitentiam dedit, probaverit.* Generalis enim eſt propoſitio, atque etiam conditio, quæ pœnitentiam ſpontaneam, & judiciariam ex æquo complecti videtur. Denique idem ex loco S. Cypriani de Lapſis jam citato in quo verba facit de iis, qui animi devotione Pœnitentiam ſuſcipiunt. Eos enim refert illius ſtadium decurrere, non ſecus ac illi, quibus neceſſario imponitur. Ex quibus omnibus evidenter colligitur, & hujus ſpontaneæ, & judiciariæ, ſive neceſſariæ Pœnitentiæ eandem eſſe rationem.

CAPUT XIV.

Aliquot propoſitionibus explicatur diſciplina obſervari ſolita in publicè Pœnitentes, qui ante actum Pœnitentiam morbo correpti Abſolutione accepta convaluerant, aut publicam Pœnitentiam, & reconciliationem in morbo ſuſceperunt. Per Abſolutionem, quocunque tempore datam ſanis, vel infirmis finiebatur omnis actio Pœnitentiæ uſque ad Novati hæreſim. Poſt eam in morbo reconciliatis ſeverè impoſita eſt, & qua de cauſa. Poſt annum ſeptingenteſimum ſeveritas illa potius aucta eſt quàm imminuta, & cum privatis Pœnitentiis communicata. Quid, cùm morbus in Pœnitentiæ finem incidebat; Quid de Orientali Eccleſia hac in cauſa dicendum.

QUinta propoſitio, *In Eccleſia ſaltem Latina annis propè trecentis omnis pœnitentia Eccleſiaſtica per reconciliationem in morbo acceptam finiebatur.* Mihi antiquam diſciplinam per varia ſecula revolventi, temporaque temporibus comparanti, Eccleſia videtur, contrà quam in multis aliis rebus fecit, per gradus quoſdam ad ſummam ſeveritatem hac in cauſa perveniſſe. Primò enim Pœnitentes, qui poſt reconciliationem ex morbo convaluerant, benigniſſimè excepit, pacemque, quam dederat, non amplius retractabat. Itaque Pœnitentes, quibus moribundis abſolutio conceſſa fuerat, reſtituta ſanitate fidelium collegio cooptabantur. Hæc diſciplina in Eccleſia viguiſſe ex querelis Antoniani ad Cyprianum, & Cypriani reſponſione, quæ *Epiſt.* 52 leguntur, evidentiſſimè colligitur. Ut teſtimonii, quod enarramus, ſenſus facilè percipiatur in memoriam revocandum eſt, quod ſupra cum de Lapſis ageremus pluribus dictum eſt, decretum ſcilicet fuiſſe non modo in Concilio Africano, ſed etiam in Romano, Lapſis infirmis, & in exitu conſtitutis ſubveniendum eſſe. Quibus hoc decretum non arridebat, incommodum inde eventurum obiiciebant, Lapſis nempe nondum idololatria purgatis, ſi è morbo convaleſcebant, communicari. Iſtius querelæ occaſio nulla eſſe potuit præter diſciplinam, quæ Pœnitentes in vitæ periculo reconciliari jubebat, & periculo ſuperſtites fidelibus adſcribi, & conſequenter poſt reconciliationem nulli amplius Pœnitentiæ ſubiici. Huic incommodo ita occurrit S. Martyr, *Si qui infirmitatibus occupantur, illis, ſicut placuit, in periculo ſubvenitur. Poſteaquam tamen ſub-*

Digitized by Google

ventum eſt , & periclitantibus pax data eſt , ſuffocari à nobis non poſſunt , aut opprimi , aut vi , & manu noſtra in exitum mortis urgeri , ut quoniam morientibus pax datur , neceſſe ſit mori eos, qui acceperint pacem : cum magis in hoc judicium divinæ pietatis , & paternæ lenitatis appareat , quòd qui pignus vitæ in data pace percipiunt , hic quoque ad vitam perceptam pace tenentur. Si Eccleſiæ conſuetudo fuiſſet, Pœnitentes recuperata ſanitate longis Pœnitentiæ laboribus expiare , nulla fuiſſet iſtius objectionis occaſio : vel ſi forſan facta fuiſſet , immeritò factam facilè oſtendiſſet S. Cyprianus . Nam fideles nulla iſtorum hominum reviviſcentium contagione pollui facilè demonſtraſſet , cùm fidelium gregi non miſcerentur , ſed Pœnitentium , & immundorum cętibus adſcriberentur . Nec opus habuiſſet ad hanc excuſationem miſerabilem confugere , eos à ſe ſuffocari non poſſe ; vel Dei miſericordiam obtendere , quæ ut pignus vitæ illis dedit , ſic & vitam, quæ pignore ſignificabatur , illis conſervat .

II. Eadem diſciplina manifeſtè iterum colligitur ex toto Concilio Eliberitano . In quo licèt toties verba fiant de reconciliatione, ſeu communione in fine vitæ negata, vel conceſſa , nuſquam tamen vel verbulo innuit , quid ſit illis faciendum qui communione ſuſcepta convaleſcebant . Ut canones omittam, quibus communionem in fine denegant , canonibus 5. 9. 13. 32. 37. 42. 61. 69. 72. longa Pęnitentia impoſita jubent ſi exitus urgeat , communionem accelerandam . Si communione accepta convaleſcentes iterum Pænitentiæ agendæ Rei fuiſſent , fieri non poteſt, quin data toties occaſione admonitionem aliquam de hac re inſeruiſſent. Eodem planè modò , & phraſi de accepta in fine vitæ reconciliatione ſtatuunt , ut & de baptiſmo ſic accepto , ut videre eſt comparantibus *can.* 37. 38. & 68. cum præcedentibus . Sicut igitur Catechumenus licet catechumenatu vix incepto in fine baptizatus ad Catechumenatum convaleſcens non amplius redit , ſed fidelibus conjungitur , & cum iis communicat , ut per ſe notum . Ita quoque juxta Concilii iſtius ſententiam Pęnitens communione in extremis donatus , ad Pęnitentiam non redit reviviſcens , ſed fidelium numero adſcribitur .

III. Idem apud Græcos obſervatum fuiſſe vix dubito , eoque multiplici ratione adducor : Prima , quòd res videtur tanti momenti, ut non fuerit prætereunda . At duobus illis ſeculis nulla fit iſtius exceptionis mentio . Secunda , quod illis ſeculis communio Euchariſtica reconciliatione ſemper fuerit conjuncta , ut probatum *lib.* 4. *c.* 21. Pęnæque pęnitentiales eſſent admodum breves , leveſque, ut eodem *lib. c.* 9. & 10. demonſtratum . Cùm igitur & breves eſſent Pęnitentiæ , & leves , atque quod eſt perfectiſſimum , cùm reconciliatione ſemper acciperent , accepta in morbo reconciliatione , & Euchariſtia , nulla videtur ratio Pęnitentiæ ad breviculum tempus repetendæ . Doni optimi ſuſceptio hanc minimum merebatur indulgentiam . Tertiæ , Nullæ tum erant Pęnitentiæ ſtationes conſtitutæ , ut probatum *lib.* 4. *c.* 2. & *ſequentibus* : Ideo tum dici non poterat , ab hac ſtatione in illam regraderetur , ſed Pęnitentiæ erant ferè omnes arbitrariæ , presbyterii paręciæ ſententia impoſitæ, cum canones ipſos præcederent . Non fit igitur probabile aliquos Epiſcopos poſt præſtitam reconciliationem perfectiſſimam auctoritate propria ad Pęnitentiam tanto dono potitos iterum deturbaſſe . Immò omnibus his conſideratis certum videtur hanc erga ægrotos convaleſcentes diſciplinam ſtationum Pęnitentialium inſtitutioni ſucceſſiſſe . Denique illis ſeculis , & multis ſequentibus Orientalis Eccleſia Occidentali ſeverior non fuit , atque inter utramque diſcrimina pauca erant . Quapropter cum hanc ſeveritatem Occidentalis Eccleſia non eſſet amplexa , nec ſanè Orientalis.

IV. Sexta propoſitio , *Aucta poſt hæreſim Novati Eccleſiæ in criminum Reos ſeveritate , Ægroti in morbo reconciliati convaleſcentes , primùm ad Conſiſtentiæ ſtationem relegati ſunt , ſive orationum Eccleſiæ participes effecti . Deinde creſcente multis in locis ſeveritate , nulla gratia iis facta ad eam ſtationem, quæ crimini ſecundùm canones erat debita , vel in qua morbus eos deprehenderat , eo ſanato remiſſi ſunt* . Tres ſunt propoſitionis iſtius partes . Prima ſpectat æram temporis, quo primum cępit ſeveritas illa in ægrotos , & deſitum eſt in Eccleſia pęnitentiæ moleſtias cum reconciliatione finire . Ea, quæ propoſitione pręcedente demonſtrata ſunt cum iis conjuncta , quæ primis capitibus libri quarti demonſtravimus, evidenter probant ibi æram illius diſciplinæ eſſe alligandam , nec anteriùs nec poſteriùs ; cùm anteà fuerit obſervata contraria diſciplina , & poſtea ſolùm illius exempla deprehendantur . Antiqui igitur Patres experti ſimulatione Pęnitentiæ à nonnullis ægrotis ſe quandoque deludi , nonnullis gravem morbum ſimulantibus , ut reconciliati cæteras Pœnitentiarum moleſtias evitarent , neceſſarium judicaverunt, ægrotos in morbo reconciliatos poſt ſanitatem recuperatam non omnino impunitos dimittere . Hoc incommodum S. Cypriano jam objiciebat Antonianus *Epiſt.* 52. Cui ſic reſpondet , *Si verò nos aliquis ſimulatione Pœnitentiæ deluſerit , Deus qui non deridetur , & qui cor hominis intuetur , de his quæ nos minus perſpeximus judicet , & ſervorum ſententiam Dominus emendet* . Remedium mali ſoli Deo commendat , eo nondum ab Eccleſia , quod paulò poſt factum eſt , invento . Sed auctis admodum poſt hæreſim Novati laboribus pœnitentialibus longè frequentius hujus ſimulationis occaſionem captarunt Pęnitentes . Cum enim jejunationes , aliæque corporis afflictationes in decurſu Pœnitentiæ permoleſtæ eſſent , ſæpè contingebat, aliquos ſimulata Pœnitentia , ſimulataque morbi occurrentis gravitate, pacem & reconciliationem ab Eccleſia obtinere, ſicq; brevi compendio ab omnibus Pęnitentiæ moleſtiis liberati.

V. His incommodis obviàm ire cupientes Sancti Patres in Concilio Nicæno primo congregati , id ſtatuerunt, quod in ſecunda propoſitionis noſtræ parte poſuimus , nempe , Pœnitentes, qui urgente morbo reconciliati fuerant , ſi contingebat è morbo recreari , laboribus quidem Pœnitentiæ, quibus in ſubſtratione defungebantur , non amplius ſubiici , fidelium tamen collegio nondum cooptari , ſed cum iis, qui precum Euchariſticarum , non autem Euchariſtiæ ſunt participes , in Conſiſtentia ſubſiſtere . Sic illi *can.* 13. *Si autem deploratus , & communionem aſſecutus rurſus convaluerit , ſit cum iis qui orationum ſunt tantùm communionis participes* . Balſamon contra apertiſſimum canonis ſenſum , & cæteros Interpretes , ſubaudiri vult , *Si in Conſiſtentia eum morbus deprehenderit* ; quaſi decernere voluerint Patres, Pœnitentem eſſe ad eam Pœnitentiæ ſtationem poſt reconciliationem in morbo acceptam remittendum , in qua eum morbus primùm tenuiſſet : Si in Conſiſtentia ad Conſiſtentiam remitteretur ; Si in ſubſtratione ad ſubſtrationem , &c. Verum ſi mens Patrum ea fuiſſet , æquè facilè hanc conditionem canoni addidiſſent , ac iſtam orationum tantùm eſſe participem . Deinde canoni univerſaliter de Pœnitentibus enuntiato , ſi reviviſcant , conditionem inſerunt , ad Conſiſtentiam omnium ſtationum molliſſimam , & breviſſimam eſſe ablegandos . Num alicui fiet probabile ſubmolliſſima , & breviſſima ſtatione rigidiſſimas omnes , & longiſſimas, quæ præcedunt, eſſe ſubauditas , & comprehenſas? Contra naturæ dictamen eſt omneſque juris regulas , per clementiſſimam cenſuram rigidiſſimas quaſque intelligere .

VI. Eandem in Ægrotos convaleſcentes diſciplinam multæ provinciæ diù conſervarunt . Felix III. Pontifex eam vult obſervari in eos, qui ſeſe rebaptizari permiſerant , *Epiſt.* 7. *Quod ſi ante præfinitum Pęnitentiæ tempus deſperatus à Medicis , aut evidentibus mortis preſſus indiciis , recepta quiſquam communionis gratia convaleſcit , ſervemus in eo, quod Nicæni canones ordinaverunt , ut habeatur inter eos qui in oratione ſola communicant , donec impleatur ſpatium temporis eidem præſtitutum.* Et poſt felicem Martinus Bracarenſis in ſua canonum Græcorum collectione *c.* 82. *Si in deſperatione poſitus poſt perceptam communionem , iterùm ſanus fuerit factus , tantùm in oratione particeps ſit. Nam non accipiat Sacramentum donec conſtitutum Pœnitentiæ impleat tempus* . Explicat, quid ſit, 'orationum tantùm eſſe participem , ſcilicet corporis Chriſti participandi jure eſſe privatum. Burchardus *lib.* 18. *c.* 6. & Ivo *part.* 15. *c.* 31. iſtum canonem collectioni ſuæ inſeruerunt , quia in multis occaſionibus vigebat adhuc illo tempore illius uſus , licèt auſterior diſciplina paſſim uſurparetur .

VII. Tertia propoſitionis pars ſeveriorem praxim ſpectat , quæ clementiori ſucceſſit : Acrioribus remediis poſteriores Patres utendum cenſuerunt : Omnium efficaciſſimum viſum eſt, ut propter reconciliationis , & Euchariſtiæ conſecutionem nulla prærogativa fruerentur , ſed ad eam ſtationem ſanati reverterentur, in qua vel morbus eos deprehenderat , vel peccata merebantur , ſi Pœnitentiam ægroti tantùm ſuſciperent , Ita ſanctus Gregorius Nyſſenus in Epiſtola canonica ad Letojum : Deſertorem fidei ab omni Sacramentorum communione ſegregat ad ultimum uſque vitæ diem , *Sin autem* , inquit , *ut is præter ſpem vivat ; in eodem rurſus vivet judicio , myſticorum ſacramentorum ad vitæ uſque finem expers* . Edicit verò generaliter ad finem ejuſdem Epiſtolæ , *Si quis tempore non expleto à canonibus præſtituto vita excedat , jubet Patrum clementia , ut effectus Sacramentorum particeps , non*

viati-

Digitized by Google

viatico vacuas ad extremam illam, & longam peregrinationem mittatur. Si autem poſtquam Sacramenti particeps factus fuerit, rurſus ad vitam reverſus ſit, ſtatutum tempus expectet in illo gradu exiſtens, in quo erat ante communionem. Gregorio Nyſſeno conſentit Syneſius *Epiſt.* 67. ubi de Lamponiano quodam verba faciens jubet eum morbo preſſum Communione donari, ſed hanc nectit conditionem, ἀναῤῥωσθεὶς δὲ πάλιν ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς ὑπόδικος ἔστω, *Poſtquam autem convaluerit, iiſdem pœnis obnoxius eſto.*

VIII. Latina Eccleſia eorundem temporum pro magna parte eandem obſervavit diſciplinam, Concilium Carthag. 4. *c.* 76. *Si ſupervixerit, admoneatur à ſupradictis teſtibus petitioni ſuæ eſſe ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis Pœnitentiæ legibus, quandiu Sacerdos, qui pœnitentiam dedit, probaverit.* Canone verò 78. ſic ſtatuitur, *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione ſi ſupervixerint.* Subſequentis canonis cum præcedente comparatio ἀναντιῤῥήτως demonſtrat loqui Patres de ea Pœnitentiæ ſtatione, in qua manus imponebantur. Ea autem eſt ſubſtratio, in qua non modò manus Pœnitentibus imponebantur, ſed quidquid erat laborioſum, illis injungebatur, ut videre eſt *c.* 8. 9. & 11. *libri ſexti.* Hos canones renovant Capitular. *lib.* 5. *cap.* 54. 75. & 76. Iſaacus Lingon. *tit.* 1. *cap.* 4. & 20. Burch. *lib.* 18. *cap.* 10. & 25. Ivo *part.* 15. *cap.* 8. & 10.

IX. Concilium Arauſicanum. 1. *cap.* 3. hoc nos docet, ſimulque particularem obſervantiam, ideò canonem integrum licèt longiuſculum referemus, *Qui recedunt de corpore Pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione communicare, quod morienti ſufficit reconciliationi ſecundùm definitiones Patrum, qui hujuſmodi Communionem congruenter viaticum nominaverunt. Quòd ſi ſupervixerint, ſtent in ordine Pœnitentium, ut oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione recipiant.* Hunc canonem ſanciunt Capitularia *lib.* 7. *c.* 101. & Iſaacus Lingon. *tit.* 1. *c.* 34. Canonis poſterior pars, quod contendimus evidentiſſimè demonſtrat; comparata verò cum priore nos docet in iſta Provincia Pœnitentibus ante finitam Pœnitentiam morientibus viaticum reconciliationis dari ſolere, non autem Euchariſtiam; atque ideò ſanitate recuperata ad Pœnitentiam complendam obligatos fuiſſe, ut per eam perfectè purgati, id quod, optimum eſt, mereantur. Hoc etiam docet canon Nicæn. 13. de Pœnitentibus ante peractam Pœnitentiam ſimiliter morientibus; ſed Euchariſtiam abſolutè illis non denegat: monet ſolùm, ut examine ab Epiſcopis facto illis ſi viſum eſt concedatur. Alia tamen fuit Africanarum Eccleſiarum conſuetudo. Eadem ſtatuit Concilium Arelatenſe 2. *cap.* 28. quod Arauſicanus canon: brevius quidem, ſed mutuatis ab eo verbis: ideò eadem ſunt etiam conſectanea.

X. Concilium Epaunenſe *can.* 36. nihil prorſus minuit propter viaticum receptum de tempore relegationis ægrotorum poſt convaleſcentiam ad ſtationem, in qua morbus eos deprehenderat, *Sicut forſitan diſcrimen mortis immineat, damnationis conſtitutæ tempora relaxentur. Quod ſi ægrotum accepto viatico revaleſcere fortaſſe contigit, ſtatuti temporis ſpatia obſervare conveniet.* Canon 8. Barcinonenſis habet ſimiliter aliquid ſpeciale, quod notatione nobis dignum videtur. *De his qui in infirmitatibus poſcunt pœnitentiam, & à Sacerdote accipiunt, ſi poſteà convaluerint, vitam pœnitentium peragant, excepta manus impoſitione, ſegregati à Communione quandiu probabilem Sacerdos eorum approbaverit vitam.* Statuunt Patres aliquid medium inter Concilium Nicænum, & alia quæ ſubſecuta ſunt Concilia, Patreſque. Cùm enim à manus impoſitione eos liberat, eos ſupra ſubſtrationem evehit, atque ad Conſiſtentiam cum fidelibus admittit. Cum verò ad arbitrium Sacerdotis vult eos Pœnitentium vitam peragere, jejuniis & laboribus jubet eos affligi, & purgari non ſecus ac ſi nondum eſſent è ſubſtratione emiſſi. Canon iſte complectitur utramque Pœnitentiam, & ſpontaneam, & judiciariam, ut jam adnotatum in fine *cap. præcedentis.*

XI. Septima propoſitio, *A ſeculo ſeptimo ad ineuns duodecimum ſeveritas in ægrotos convaleſcentes capite præcedente explicata ſine ulla remiſſione continuata eſt, potiuſque aucta, quàm imminuta.* Iſta propoſitio primùm demonſtratur toto libro ſeptimo, quo innumeris teſtimoniis probatum eſt, Eccleſiam omnibus illis ſeculis nihil de antiqua ſeveritate in puniendis criminibus ſive publicis, ſive occultis diminuiſſe, & præſertim illius libri capitibus 10. 11. & 12. quibus ſeculi decimi, & undecimi auſteriſſimæ pœnæ peccatis impoſitæ enarrantur. Secundò, demonſtratur toto *cap.* decimo ſexto libri præcedentis, quo multis eorum ſeculorum exemplis, & canonibus fit evidens toto tempore adnotato in medio Pœnitentiæ ſanorum ſtadio non modò peccatorum Abſolutionem, ſed etiam Corporis Chriſti communionem fuiſſe clementer conceſſam. Immò & decurſo Pœnitentiæ ſtadio à canonibus præſcripto aliquid tamen Pœnitentiæ toto vitæ tempore agendum imperari ſolitum. Si utile judicatum eſt bene valentes, jamque maxima Pœnitentiæ parte defunctos accepta Euchariſtia quod ſupererat Pœnitentiæ complere; multò magis ſanè par eſt credere, eos in ægrotos convaleſcentes idem obſervaſſe, qui Communione Euchariſtica recreati fuerant, nulla, vel paucula acta Pœnitentia. Tertiò, demonſtratur recentioribus omnibus teſtimoniis, quæ in probatione præcedentis propoſitionis cum antiquis conjuncta ſunt. Denique demonſtratur auctoritate Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis, capite præcedente allegata in tertiæ propoſitionis probatione, & multis illis ſequentium ſeculorum auctoritatibus, quas illi adtexuimus.

XII. Inſuper hoc demonſtrat canon relatus, & innovatus Capitular. *l.* 5. *cap.* 61. *Placuit his, qui accepta Pœnitentia ante reconciliationem migrant ad Dominum communicari pro eo, quod honoraverunt Pœnitentiam. Qui ſi ſupervixerint, ſtent in ordine pœnitentium, ut legitimam communionem ſtatuto tempore reconciliatione, & manus impoſitione Epiſcopi, vel ejus juſſu, Presbyteri, recipiant.* Hunc canonem collectioni ſuę inſeruit Iſaacus Lingonenſis *titulo* 1. *c.* 10. Concilium Nannetenſe *c.* 5. eandem diſciplinam confirmat, *Infirmus, qui neceſſitate mortis urgente confitetur peccata ſua, ſub ea conditione à Sacerdote reconcilietur, ut ſi ei Dominus vitam donaverit, ſanitatemque reddiderit, ſecundùm qualitatem delicti omnimodis pœniteat.* Burchard. *l.* 18. *c.* 3. & Ivo *parte* 15. *cap.* 28. hunc canonem retulerunt, ſed cum hoc additamento, *ſecundùm qualitatem delicti, & ſecundùm canonum ſtatuta, & pœnitentialium probatorum pœniteat.*

XIII. Illuſtre, & ſingulare hujus rei exemplum legitur canon 55. & ſequentibus Concilii Triburienſis: Expanditur per ſingulas partes ſeptennis Pœnitentia homicidio voluntario impoſita. Patres autem ſic exceptionibus reſpondent, *Si verò ſint aliqui vitæ ſuæ inſidiatores, ut præ illis non poſſit dignè pœnitere, interim differatur ei eadem pœnitentia, donec ab Epiſcopo propria pax ei ab illis ſit facta. Si enim aliqua corporali infirmitate detentus ſit, ut non poſſit ritè jejunare, adhibeatur ei miſericordia, quouſque convaleſcat, & tunc demum pœniteat. Si verò longo tempore eadem ſit occupatus infirmitate ad Epiſcopum pertinebit, ut prudenter pertractet, quomodo infirmum peccatorem curare diſponat.* Poſteà *c.* 56. explicans κατὰ μέρος, qua ratione primus annus Pœnitentiæ eſſet tranſigendus, exceptionibus quoque occurrit, *Abſtineat ſe à carne, & caſeo, à vino, & medone, ac mellita cerviſia, niſi Dominicis diebus, & feſtis, qui per illum Epiſcopatum publicè celebrantur apud cunctum populum, & niſi vel in hoſte, aut in aliquo magno ſit itinere, vel longè, aut diù ad Dominicam curtem vel ſi infirmitate detentus ſit.* Quid ergo in illis caſibus ei præcipiunt? An Pœnitentiæ onere in media infirmitate illum liberant? Minimè gentium. Qua ratione hæc moderentur, Attende Lector, *Tunc licitum ſit ei tertiam feriam, & quintam, atque Sabbatum redimere uno denario, vel pretio denarii, ſive tres pauperes pro nomine Domini paſcendo: ita dumtaxat, ut vel carne, vel vino, vel medone, id eſt, de tribus una re utatur, non omnibus veſcatur. Poſtquam autem de itinere domum revertatur, aut de infirmitate liberetur, prædictas ferias non redimat, ſed ſtatuto modo pœniteat.* Cæteri anni analogicè ad hanc regulam erant illis tranſigendi. Hos canones Regino, qui pauco tempore ab eo Concilio ſcribebat in ſuam collectionem *lib.* 2. *cap.* 7. intulit, ſed poſtrema canonis pericope apud Reginonem, ut & Burchardum, ſic ſe habet, *Poſtquam domum venerit, aut ſanitati fuerit reſtitus, nullam licentiam habeat redimendi.* Eoſdem Burchardus ſed paulò brevius ex Pœnitentiali Romano *lib.* 19. *cap.* 5. Itaque nemini dubium eſſe poteſt, hanc fuiſſe ordinariam univerſi Occidentis praxim. Quanquam autem hæc evidentiſſima ſint, multò tamen illuſtriora fient inductione ritus ſigillatim explicati, quem ex variis Pœnitentialibus, & Sacramentariis exſcriptum capite ſequente referimus. Ne autem denarii redemptionem contemnas, denarium illorum temporum cum noſtro comparans: Denarius enim illius temporis tribus pauperibus uno die cibandis ſufficiebat.

Quocirca virtute quindecim aſſibus Turonenſibus ſaltem æquabatur, quartamque partem Talleri imperialis excedebat.

XIV. Quæri poteſt, quid fieri ſolebat, cùm morbus Pœnitentem invadebat jam Pœnitentiæ fini proximum. An pauculum, quod reſtabat peragendum illi ob ſuſceptam reconciliationem, condonabatur? Reſpondeo, pauculum illud latitudinem, ut ita loquar, habere, contrahique, & extendi. Sed omiſſâ tenui illa conſideratione, dico hoc totum Epiſcoporum auctoritati, aut Sacerdotis, qui Pœnitentiam impoſuerat, prudentiæ fuiſſe commiſſum; & eſſe de caſu propoſito, ut de Pœnitente qui ſine morbo occurrente Pœnitentiam agebat, judicandum. Quoties enim diligenter, ſtrenuè, & magna cum animi compunctione Pœnitentiam impoſitam agebat, illius imminuendæ pro arbitratu auctoritatem Epiſcopis concedunt canones, ut Nicænus 12. & alii paſſim. Similiter in data ſpecie Pœnitentem convaleſcentem, cùm paucum Pœnitentiæ agendæ tempus ſupererat, Epiſcopus ab ea agenda liberare poterat, ſi acta Pœnitentia gratiam iſtam mereri judicabat, ut docent canones 76. Carthagin. 4. Barcinon. 8. & alii ſupra hoc capite relati, & capite præcedente ubi tertia propoſitio probata eſt. Si parum diligens fuerat, aut dolor de peccatis in morbo parum vehemens judicatus tum de ejuſmodi Pœnitentibus, ſententia Concilii Nicæni pronuntiabatur, ἢ ἄπαντος πληρώσωται τὸν χρόνον.

XV. Quod ad Græcas Eccleſias attinet, nihil poſt jam citatos authores in iis mutatum eſt, nec ulla mutationis cauſa fuit. Nam mutatio, quæ in adminiſtratione Pœnitentiæ à Nectario facta eſt, quam fusè explicavimus capite 22. & 23. libri ſexti priorem circa ægrotos ſeveritatem potius confirmavit, quàm imminuit. Hinc enim cœptum eſt, reconciliationem ante inceptam Pœnitentiam ordinariè concedere, necnon & Euchariſtiam in longis Pœnitentiis, antequam finirentur, ſæpius tradere, ut demonſtratum eſt, & antiqua, recentiaque Pœnitentialia quæ ad calcem operis adjungimus, fidem faciunt. Ideò cùm Poeitentes ſani paſſim poſt acceptam Euchariſtiam diu, diligenterque Pœnitentiæ agendæ incumbere ſolerent, infirmis idem injunctum ſuiſſe, quis ibit inficias? Denique cùm nuſquam, nec in Græcis canonibus, nec in Pœnitentialibus infirmi excipiantur, nullo jure aliter quàm ſani hac in cauſa habitos fuiſſe, colligi poteſt.

CAPUT XV.

Ritus Pœnitentiæ, & reconciliationis ægrotis morientibus dandæ, ex antiquis auctoribus, & ritualibus manuſcriptis antiquiſſimis eruuntur, & particulatim exponuntur.

SUperſunt ceremoniæ deſcribendæ quibus Pœnitentia, & reconciliatio ægrotis concedebantur, quod nobis hoc capite præſtandum proponimus. Idem autem hic dicendum eſt, quod in eadem cauſa de ſanis dictum fuit, nempe minutias iſtas ex antiquis Sacramentariis Ordinibus, & Pœnitentialibus potiſſimùm eſſe depromendas. Patres enim, & Concilia nunquam iſta ordine, & ſigillatim explicant, licèt ad ea, ut ex præcedentibus manifeſtum eſt, ſæpiſſimè alludant. Generaliter autem de diſcrimine inter utramque Pœnitentiam, & reconciliationem idem dici debet, quod jam dictum eſt de diſcrimine inter Pœnitentiam, & reconciliationem privatam, & publicam; eoſdem ſcilicet eſſe utriuſque ritus, & ceremonias, ſi quæ pertinent ad publicam ſolemnitatem eximas, quæ infirmis nullomodo poſſunt convenire: præterea nonnunquam contingit, ut propter morbi impetum, qui ad inſtantem mortem vergere judicatur, vix minima pars ritus ſoliti exerceri poſſit, ſed ſtatim ad reconciliationem Sacerdoti ſit tranſeundum. Quædam etiam ad Pœnitentiæ publicæ ritus pertinentia Pœnitentiæ infirmorum ſæpè adhibentur, quæ ſanis in Pœnitentia privata adhiberi non poſſunt. Hujus rei exempla nonnulla occurrunt inſignia, ut in Concilio Toletano. 3. *cap.* 12. *Quicunque ab Epiſcopo, vel Presbytero ſanus, vel infirmus pœnitentiam poſtulat, id ante omnia Epiſcopus ſervet, & Presbyter, ut ſi vir eſt, ſive ſanus, ſive infirmus, prius eum tondeat, aut in cinere, & cilicio habitum mutare faciat, & ſic pœnitentiam ei tradat. Si verò mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, niſi prius velata fuerit, aut mutaverit habitum.* Itaque in eo ritu non diſtinguebant iſtius Provinciæ Patres ſanos inter, & infirmos, ſed utroſque tondebant, & cilicio cooperiebant, quod in Pœnitentia privata erga ſanos uſurpari non poterat. Iſtius ritus praximerga infirmos teſtantur, & confirmant alia Concilia Toletana longè poſteriora 12. *can.* 2. & 13. *can.* 9. Alcuinus in fine libri de officiis divinis hoc tantùm admittere videtur, ſi infirmus Euchariſtiam acceperit non jejunus, *Poſtulet Miſſas, & oblationes, ſeu Communionem ſanctam. Qua percepta, & ſi jam ipſo die comedit, mutet habitum in cilicio, & cinere, ſeu viliori indumento. Et tunc ingrediantur fratres cum omni gravitate, vel cæteri fideles cum aqua benedicta, & cruce, & cum cereis, &c.*

II. Pleraque tamen antiqua Pœnitentialia cilicium, & cinerem abſolutè docent in impoſitione Pœnitentiæ eſſe adhibenda: qua ratione, & ritu ex antiquis ordinibus, & Pœnitentialibus docebimus. Antiquum Sacramentarium manuſcriptum Rotaldi Abbatis in Bibliotheca Corbejenſi, ita habet referente Hugone Menardo Congregationis S. Mauri Monacho eruditiſſimo in notis ad Sacramentarium S. Gregorii *Incipit ordo unctionis infirmi. Hic dicat Sacerdos ad infirmum. Quid me advocaſti, frater? Ille ait, ut mihi unctionem tradas. Dicit Sacerdos ad eum; donet tibi D. N. Jeſus Chriſtus veram, facilemque unctionem: tamen ſi te reſpexerit, & ſanaverit Deus, cuſtodies illam. Reſpondet, cuſtodiam. Sacerdos facit crucem ex cinere cum aqua ſuper caput ejus, & imponit cilicium deſuper, dicens, ſi quis infirmatur, agat pœnitentiam etiam ex neceſſitate, quia miſericors eſt Deus; quia miſericordia Dei nec menſuras, nec tempora habet, dicente Dei ſpiritu per Prophetam, cùm converſus ingemueris, &c.* Cætera, quæ ad ordinem viſitationis infirmi, Confeſſionis, Reconciliationis, Unctionis, & Communionis pertinent, lege loco citato. Eadem extant etiam, & iiſdem verbis in ordine Romano. MS. vetuſtiſſimo ejuſdem Bibliothecæ Corbejenſis, *Tunc Sacerdos facit crucem ex cinere cum aqua ſuper pectus ejus; & imponit cilicium deſuper, dicens, ſi quis infirmatur, agat pœnitentiam, &c.* Hæc refert idem Menardus.

III. Codex alius antiquus manuſcriptus Monaſterii S. Remigii Remenſis, ritus impoſitionis Pœnitentiæ, & reconciliationis infirmorum eodem Menardo referente ſic deſcribit. Poſt ſalutationem domus, aſperſionem aquæ, varias preces & pſalmos, *Tunc Sacerdos ad infirmum dicat, vocaſti. Infirmus dicat, deſideravi tecum loqui, ut mihi pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum tradas. Sacerdos dicat, Det tibi Dominus Jeſus Chriſtus veniam; tamen ſi Deus te reſpexerit, cuſtodies illam: Infirmus reſpondet, Cuſtodio. Deinde Sacerdos audiat Confeſſionem ejus, ſicut melius inquirere poterit, aut ſcriptis, aut verbis. Tunc facit crucem ex cinere ſuper pectus infirmi, & imponit cilicium ſuper caput.* Poſt hæc ſequuntur Pœnitentiales Pſalmi, deinde Letaniæ, Preces, Confeſſio infirmi, Abſolutio, Orationes. Unctiones, ſubſequuntur orationes, quibus finitis, *Tunc auferatur cilicium, quod ſuper caput infirmi poſitum fuerat, & dicatur, &c.* Sequuntur iterum variæ Orationes; denique Miſſa pro infirmo.

IV. In antiquo MS. Pœnitentiali Ecberti Cantuarienſis Epiſcopi habetur ordo ad viſitandum infirmum in quo ſingula, quæ ad viſitationem ſpectant, & Pœnitentiæ impoſitionem ac reconciliationem paucis exceptis, quæ memoriæ commendari ſolent, deſcribuntur. Nihil tamen hic ex eo referemus, eo quòd integrum cum Egberti Pœnitentiali in calce operis noſtri excudi curaverimus. Poſt iſtorum omnium deſcriptionem adnotatur. Si infirmus, cùm advenit Sacerdos, obmuteſcat, ſed idonea teſtimonia ſint poſtulati Sacerdotis, ipſeque infirmus nutibus id innuat, omnia pro more eſſe in eo complenda. Sequuntur deinde Litaniæ in quibus recentiores ſancti ſunt, Benedictus, Maurus. Columbanus, Gallus, Sanctæ verò, Scholaſtica, & Columba. Litaniarum ordo, ratioque eadem, quæ etiam nunc in precibus pro moribundis obſervantur. Ubi dicitur, te rogamus audi nos, inter alios precum articulos, hic inſeritur, *Ut Congregationem S. Sylveſtri conſervare digneris.* Unde colligitur manuſcriptum codicem, ex quo hæc exſcripta ſunt, olim ad Monachos iſtius Congregationis pertinuiſſe.

V. Eſt antiquum manuale minoris formæ in Bibliotheca Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Remenſis, cujus character annis quingentis non videtur eſſe recentior, in cujus initio deſcribitur Viſitatio Infirmi à Sacerdote facienda. Eam breviter deſcripſimus in hunc modum.

Infirmus dicat orationem Dominicam, & ſymbolum cum ſignaculo Trinitatis, & faciat Confeſſionem: Deinde incipiat Sacerdos ſeptem pſalmos pœnitentiales, & orationes, & preces dicat ſuper Pœnitentem, faciens crucem ex cinere ſuper pectus ejus, & impo-

Digitized by Google

imponens cilicium, dum pſalmi cantantur, poſteà reconcilietur, & Orationes, Exaudi Domine, &c. Septem aliæ ſequuntur. Poſteà ſequitur, *Tunc Sacerdos accipiens oleum ungat infirmum, ita tamen ſi infirmus inquiſitus hoc voluerit. Accipiens verò ampullam dicat, per iſtam unctionem, & Dei benedictionem mundentur ab omni ſorde, & contagione peccati, ac ſanctificentur manus, & os, corque tuum, viſus, auditus, & guſtus, totumque corpus, & anima tua, ut idoneus efficiaris ad invocandum nomen ejuſdem Domini noſtri, &c.* Finita oratione ſic ſequitur. *Poſt cantentur quinque pſalmi, Domine ne in furore. Ad te Domine levavi. Miſerere mei Deus. Deus in adjutorium, De profundis. Et interim fiat ipſa unctio in hunc modum. Ad caput ungendum. In dextro tempore ſive in ſiniſtro, non in fronte, nec in vertice, quia in baptiſmate fuit unctus de chriſmate, ungo caput tuum oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ut more militis præparatus ad luctamen poſſis aerias ſuperare catervas per eundem Chriſtum. Verſ. Sana me, Domine, &c.* Similiter ad oculos. *Ungo oculos tuos de oleo ſanctificato, ut quidquid illicito viſu deliquiſti, per hujus olei unctionem expietur, per Chriſtum, &c. Sana me Domine, &c.* Sic ad aures, nares, labia, ſcapulas, manus, pedes.

CONCLUSIO UNCTIONIS.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Sit tibi hæc unctio olei ſanctificati ad purificationem mentis, & corporis, & ad munimen, & defenſionem contra jacula immundorum ſpirituum. Amen. Variæ preces ſequuntur. *Poſteà Sacerdos, à quo inunctus eſt, dicat, propitietur Deus iniquitatibus tuis, & ſanet omnes languores tuos, redimatque de interitu vitam tuam, & ſatiet in bonis omnibus deſiderium tuum, qui ſolus in Trinitate, &c. Poſt unctionem, & iſtas orationes communicet Presbyter infirmum, mittens ſacrificium in vinum, & dicat, fiat unitio, & conſecratio Corporis, & Sanguinis D. N. I. Chriſti omnibus ſumentibus in remiſſionem omnium peccatorum in vitam æternam. Amen.*

V. Cilicium autem illud ſolemniter benedicebatur. Benedictio habetur in antiquo codice *Vict*orino in ordine ad viſitandum infirmum, quem in calce referemus. Nonnulli autem codices ritum cilicii, & crucis ſuper pectus ex cinere factæ non repræſentant, quales ſunt ii. quos in calce operis referimus, necnon is, quem Tilianum vocat Menardus. Hoc argumentum eſt certiſſimum ceremoniam iſtam non fuiſſe ubique obſervatam. Solemne erat Monachis Benedictinis cilicio incubantes mori. Hoc ſic deſcribit S. Lanfrancus in decretis pro ordine S. Benedicti. *cap. 2. Ægro in agonia poſito, & jam jam ſi ita viſum fuerit morituro, famulus, qui ad hoc deputatus eſt, cilicium expendat, & ſupra illud ad menſuram longitudinis, & latitudinis, quam ipſum cilicium habet, ſignum crucis de cineribus faciat, morientemque fratrem deſuper ponat.* Hoc imitabantur plerique Chriſtiani, aut à Chriſtianorum vulgo acceperant Monachi: Nam ex variis Pœnitentialibus colligitur, promiſcuum Chriſtianorum vulgus hoc uſurpaſſe. Id præterea teſtatur Petrus Venerabilis Miraculorum *lib. 1. cap. 4.* ubi de quodam Monacho moribundo verba facit: *Cumque ſicut mos Chriſtianorum eſt, & maximè Monachorum, in ſubſtrato cilicio, & cinere à fratribus compoſitus jaceret, atque horam vocationis expectaret, fratres Monaſterii, ut ejus exitum orationibus commendarent, venerunt, &c.*

VI. Notabit autem Lector omnes prope Ordines Extremæ unctionis tria ſimul conjungere, Ordinem Confeſſionis, & reconciliationis; Secundò Ordinem Unctionis; Tertiò, Ordinem Communionis Euchariſticæ. Hujus rei ratio eſt id quod demonſtravimus in fine capitis undecimi hujus libri: Quoties infirmo Extrema unctio conferebatur, præcedebat infirmi Confeſſio, & reconciliatio, & ſubſequebatur Euchariſtiæ perceptio. Nonnunquam tamen infirmo Euchariſtia ſola conferebatur, non extrema unctio; tuncque Euchariſtiæ perceptionem præcedebat ſola Confeſſio.

VII. In Bibliotheca Eccleſiæ Turonenſis Rituale eſt manuſcriptum annorum circiter quadringentorum quod initio continet ordinem Baptiſmi, deinde viſitationem ægrotorum, poſteà ſeriem officii erga defunctos, & varias Miſſas. In eo triplex eſt ordo ſpectans ad infirmos, quorum primus titulus eſt, Ordo ad viſitandum infirmum cum Euchariſtia, & non cum unctione. 2. Ordo ad viſitandum infirmum cum unctione. 3. Ordo ad inungendum infirmum, ſive Clericum, ſive Laicum. Primus ad rem noſtram potiſſimum pertinet, trium tamen compendium huc referemus.

·· Morin. de Sacram. Pœnit.

Ordo ad viſitandum infirmum cum Euchariſtia, & non cum Unctione.

In primo ſic agitur; Dicuntur ſeptem Pſalmi, poſteà oratio, quam hoc monitum ſequitur. *Deinde accedat Presbyter ad infirmum, & ſuadeat ei diligenter quod conterat, & confiteatur omnia peccata ſua, & quæ non recolit: Deinde abſolvat eum dicens, Miſereatur tui, &c. Deus cui proprium eſt, &c. Omnipotens, & miſericors Deus, qui Beato Petro Apoſtolo, cæteriſque Apoſtolis ſuis licentiam ſuam dedit ligandi, atque ſolvendi, ipſe te abſolvat ab omni vinculo peccatorum, & quantum fragilitati meæ permittitur, ego abſolvo te ab omnibus peccatis tuis, ut ſis abſolutus ante tribunal ejuſdem Dei, & D. N. I. Chriſti qui cum, &c. Dominus noſter Jeſus Chriſtus qui dixit Diſcipulis ſuis quæcunque, &c. De quorum numero licèt indignos nos eſſe voluit, ipſe te abſolvat ab omnibus peccatis tuis, quæque cogitando, loquendo, operando negligenter egiſti, atque à peccatorum vinculis abſolutum perducere dignetur ad regna Cælorum, ipſe qui cum, &c.*

ORATIO.

Abſolutionem, & remiſſionem peccatorum tuorum, ſpatium veræ Pœnitentiæ, emendationem morum, & vitæ, & conſolationem S. Spiritus, cor ſemper pœnitens, & contritum; intercedente beata, & glorioſa ſemper Virgine, &c. Deinde da ei Corpus Domini, & dic, Accipe Viaticum. Quo communicato, *Oratio. Deus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donaſti; ita & hunc famulum à lecto ægritudinis ſuæ tua potentia erigat ad ſalutem.*

Ordo ad viſitandum infirmum.

Primùm recitantur ſeptem Pſalmi integrè, poſteà magnæ Litaniæ, deinde multi verſiculi cum reſponſoriis: plures orationes ſequuntur ſuper infirmum, quibus finitis, *Hic ponat Sacerdos manus ſuper infirmum, & dicat hanc orationem, propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, & ſanet omnes languores tuos, redimatque de interitu vitam tuam, & ſatiet in bonis deſiderium tuum, qui ſolus in Trinitate vivit, & regnat. Per.* Sequuntur aliæ orationes, poſteà multi verſiculi, quibus ſuccedit Oratio, Dominus Jeſus Chriſtus, qui dixit Diſcipulis ſuis, quæcunque, &c. quam ſupra retulimus. Poſteà, *Si verò Epiſcopus affuerit, ſtatim confirmari oportet chriſmate: Et ſi Epiſcopus defuerit, communicetur à Presbytero dicente, Corpus Domini Noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat te in vitam æternam. Amen. Sanguis Chriſti conſervet, & confirmet te in omni opere bono, & perducat ad vitam æternam, Amen.*

Ordo ad inungendum infirmum, ſive Clericum, ſive Laicum.

Finitis ſeptem Unctionibus more ſolito, ſequuntur orationes tres, quæ ſanitatem infirmo precantur: Quibus finitis ſequitur, *Dominus Jeſus Chriſtus, qui dixiſti Diſcipulis tuis quæcunque, &c.* Ut ſupra. Alia, *Deus juſtorum gloria, & miſericordia peccatorum, da huic famulo tuo, &c.* Sequitur, *Abſolutio ſuper infirmum. Vice S. Petri Apoſtolorum Principis, cui à Deo collata eſt poteſtas ligandi, & ſolvendi, cujus etiam & nos licèt indigni vice fungimur, Abſolvimus te frater in quantum tua expetit accuſatio, & ad nos pertinet remiſſio, ſecundùm quod nobis, ut diximus, à Domino in S. Petro eſt attributum, ab omnibus criminibus tuis; ſitque tibi omnipotens Deus, Redemptor tuus, vita, & ſalus, & remiſſio omnium peccatorum tuorum, qui cum, &c. Abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum percipere merearis à Domino Deo tuo hìc, & in æternum. Amen.*

VIII. Iſta mihi ſufficere videntur, ut Lector animo concipere poſſit, quæ fuerit ratio, modusque. Pœnitentiæ infirmis imponendæ, & reconciliationis iiſdem præſtandæ, quòd nobis hoc capite propoſitum erat. Unctionis quoque, & Communionis Euchariſticæ ritus conjunctos habes, eo quod, ut dictum eſt, mortis imminentis neceſſitas tria iſta, ut plurimum connecteret. In calce tamen hujus operis eadem ex aliis Pœnitentialibus, & Sacramentariis antiquiſſimis amplio-

ra referentur, quæ, ne orationis noſtræ, & hiſtoriæ filium faſtioſè interrumperemus, cò relegavimus.

CAPUT XVI.

Prima relaxandæ pœnitentiæ occaſio explicatur. Quando Pœnitentiæ ſeveritas minui cœpit. Rapidiſſimè à ſeveritate morum ad relaxationem deſcenditur. Relaxatio in cauſis privatis ab Eccleſia facta eſt, nunquam in Generali. Sæpius nimia relaxatio à Pontificibus repreſſa. Prima relaxatæ pœnitentiæ occaſio eſt Pœnit. Canonicæ redemptio. Redemptionis iſtius progreſſus, & extenſio. Varii redemptionum modi ex antiquo manuſcripto exſcripti. Comparantur cum aliis editis. Quàm parcè primitùs permiſſa fuerit redemptio.

ABſolvimus penſum quod nobis trahendum, & accurandum propoſueramus, hoc eſt, Commentarium noſtrum Hiſtoricum de Adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ ad ea tempora deduximus, quæ ſeveritatis, & rituum antiquitus obſervatorum poſtrema ſunt: Ea autem ſeculo undecimo terminantur. Statim enim poſt illud ſeculum Pœnitentiæ exterioris ſeveritas decreſcere, minui, & obſoleſcere cœpit, & conſequenter cum ea ſeveritatis adminicula, ſcilicet, antiqui illi ritus publici, tam qui Pœnitentiæ actionem, quàm qui Pœnitentium reconciliationem ſpectabant. Quapropter cum opere nobis propoſito defuncti ſimus, ampliori ſcriptione nobis erat ſuperſedendum, & coronis operi imponenda. Verum eo abſoluto conſilium aliquatenus mutavimus, exiſtimantes non fore ſupervacaneum, ſi iſtius decrementi occaſiones initia, & cauſas obiter tangeremus, eaſque exemplis aliquot illuſtraremus. In libro ſeparato non præſtabimus; fert enim animus materiam iſtam breviter perſtringere, ne ſtadio decurſo, & miſſionem emeriti ſtadium aliud amplum, & ſalebroſum aggrediamur jam deſeſſi; ſed paucis capitibus præſenti libro adnexis negotium conficiemus. Incipiente hoc ſeculo cœpit etiam invaleſcere in Eccleſia Philoſophia Peripatetica, quæſtionumque myriades undique ebullire, quæ non modo antiquioribus ſeculis, ſed etiam proximè præcedenti maxima ex parte protſus erant incognitæ. Quales illæ fuerint, facilè judicabit Lector ex earum ſpecimine, quod primis libri octavi capitibus edidimus. Has omnes licèt ad Pœnitentiam, illiuſque partes ſpectent, præteribimus, cum nihil habeant materiæ in qua nos hactenus exercuimus commune. De his quæſtionibus opere ſeparato egimus, eaſque ad annum uſque ſexcenteſimum ſupra milleſimum deduximus. Hæc elucubratio præſentis, quam edimus, altera pars dici poteſt: Eam aliàs σὺν Θεῷ luce donabimus. Sed iſtis nunc prætermiſſis occaſiones paulatim imminutæ, & tandem magna ex parte immutatæ exterioris diſciplinæ Pœnitentialis breviter enarramus. Jam nonnulla perſtrinximus, præſertim *libri ſeptimi c. 22.* quæ ad Pœnitentiæ decrementa illo tempore pertinent; ſed pauciſſima ſunt, & alia in cauſa prolata, nec ea nunc repetere eſt animus.

II. Mirum eſt quanta facilitate, quàm rapido curſu, cum ſemel quocunque modò porta patet, à morum ſeveritate deſcendatur ad relaxationem: Equi effrenes amotis repagulis in campos fervidius ſeſe non effundunt; fluvius cataractis ſublatis celeriori turbine non ruit; Saxum à vertice montis ad proclive pulſum in præceps non volvitur vehementius. Quod magno labore, & induſtria multis ſeculis conſervatum eſt, effractis ſemel diſciplinæ compagibus pauciſſimo tempore diſſolvitur, & diffluit. Præcipitem ruentis motum ſiſtere difficillimum: Quid reflectere, & in priſtinum ſtatum revocare? Obnitentem mole ſua aut ſecum trahet, aut opprimet. Celeriter equidem, ſed non tanto cum impetu antiqua ſeveritas deferbuit, & deſuevit. Nunquam enim juris rigor auctoritate Eccleſiaſtica remiſſus eſt; ſed in privatis cauſis, & juſtis rigoris ſpecies in aliam frequenter commutata, plurimis occaſionem dedit Pontificum beneficio ad præpoſteram relaxationem abutendi. Ea eſt enim naturæ humanæ inſita pravitas, ut nihil ſit tam prudenter actum, quod non calumnietur; tam ſanctum, quod non contaminet; legibus ipſis ad leges abrogandas, & criminum defenſionem abutitur: Oculus ſervi nequam eſt, quia Dominus bonus. Deinde concilia, & Pontifices lenitatem ſuper aggeres à canonibus ſtratos reſtagnantem nonnunquam in proprio fundo continuerunt, aut ſaltem, ut moderatè ferretur, coegerunt. His, aliiſque de cauſis non uno momento, brevi tamen tempore, rigidæ diſciplinæ in leniorem mutatio facta eſt. Facta verò diſcipline mutatione, Eccleſia, ut piiſſima mater filiis ſuis tenellulis adblandiens, *Sicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eos, atque portavit in humeris ſuis*, variiſque, & novis artificiis ad interiorem cordis contritionem excitavit, & ipſis Indulgentiis quarum prætextu præpoſtera relaxatio in multorum animos ſeſe inſinuaverat, ad veram & hæroicam Pœnitentiam ſuſcitandam, & inflammandam prudenter uſa eſt. Cum igitur variis gradibus ad hanc relaxationem deſcenſum fuerit, eorum inveſtigationem tentemus.

III. Mihi diligenter iſta perpendenti tres potiſſimùm occurrunt relaxatæ Pœnitentiarum exteriorum ſeveritatis occaſiones, quas ſigillatim explicamus. Prima & omnium antiquiſſima eſt Pœnitentiarum ſecundùm canones impoſitarum redemptio Pœnitentibus permiſſa. Antequam ulteriùs progrediamur, lectorem moneo, me hic non agere de ea Pœnitentiarum relaxatione, quam docent natura, recta ratio, & perpetua Eccleſiæ conſuetudo; immò quam obſervant in cauſa pari omnes omnino nationes, omnes omnino Principes, & quicunque aliis tyrannicè non dominantur. Ea autem eſt, ut quiſquis ingentem animi dolorem de crimine demonſtrat, ſeipſum in criminis vindictam acriter affligit, & pœnas ſibi impoſitas diligenter, & animo prompto exequitur, pœnarum ab homine vel à canone impoſitarum remiſſionem, vel in faciliores commutationem mereatur. Hanc pœnarum indulgentiam antiqui Patres paſſim non modò concedunt, ſed etiam laudant, & optant plurimùm, ut ſinguli Pœnitentes eam promereantur, ut ſæpius libris præcedentibus oſtenſum eſt, & legi poteſt Concilii Nicæni *can.* 12. Ancyrani *can.* 2. 5. 7. Trullan. *c.* 102. Baſilius ad Amphilochium *c.* 2. 7. 54. 84. & aliis. Concil. Laodic. *c.* 2. Gregorius Nyſſ. ſæpius in Epiſtola ad Letojum, Carthag. 4. *c.* 75. Innocentius Epiſt. 1. *c.* 7. Leo Epiſt. 79. *c.* 5. Tribur. *c.* 52. & plurimis aliis in locis: frequentiſſima eſt enim apud Antiquos iſtius Indulgentiæ memoria. Ejuſmodi indulgentia veræ Pœnitentiæ canonicè actæ fructus eſt, & optimi Pœnitentis vehementiſſimè contriti argumentum.

IV. Ea relaxationis ſpecies, quam Pœnitentiarum redemptionem antiqui vocarunt, quæque aliquot ſeculis in Eccleſia frequentiſſima fuit, ab ea Indulgentia longiſſimè diſtat: Erat enim pœnarum corporalium canonicè impoſitarum, veluti jejuniorum, Chameuniarum, peregrinationum, inceſſus nudis pedibus, equitationis prohibitæ, & ejuſmodi corporis afflictationem cum pecunia pauperibus alendis eroganda, cum certis precibus, cum ſacrificio Miſſæ, etiam cum corporis flagellationibus commutatio. Variis autem cum modificationibus fieri ſolebat: Primùm, vix, aut nunquam ulla concedebatur Pœnitentiæ redemptio anno primo; rarò ſecundo, & tertio anno. Deinde modica erat redemptio primis illis annis: Vix concedebatur in tribus Quadrageſimis. In magna Quadrageſima quæ Paſcha præcedit, nunquam. Poſt tertium, & quartum annum canones illorum temporum redemptionem Pœnitentiarum facilè permittebant. Cum autem dico redemptionem illis annis facilè permiſſam, non intelligo poſteriores annos ſimul, & ſemel fuiſſe redemptos, aut unum aliquem integrè fuiſſe redemptum, ſed dierum ſingularium facilè permiſſam fuiſſe redemptionem. Hoc eſt, quo die non jejunabis ſecundum præſcriptum, Pauperem unum, duos, vel tres eo die reficies, vel tot nummos ad eos reficiendum erogabis; tot orationes noctu, diuque recitatis, curabis, ut toties Miſſæ ſacrificium celebretur. Id diverſimodè fiebat pro ratione temporum. Nam aliquando redemptio illius diei erat integra, hoc eſt, licebat illi quidquid placebat comedere; aliquando reſtringebatur, & veluti dimidiabatur, hoc eſt, licebat illi propter eleemoſynam datam carnes, vel piſces comedere, ſed non bibere vinum, vel aliquid ſimile. Hæc potiſſimum in magna Quadrageſima, & diebus Veneris obſervabantur: Lapſu tamen temporis Eccleſia ad lenitatem inclinatiore, non modo dierum, ſed menſium, ſed annorum redemptio taxata eſt, ita ut vulgo Pœnitenti optio daretur, aut Pœnitentiæ agendæ, aut redemptionis ejuſmodi eligendæ.

V. Iſta commodiùs intelligentur propoſitis ob oculos Redemptionum iſtarum regulis, quas antiquitus Pœnitentiales, & canonum Collectores libris ſuis inſerebant, ut videre potes apud Burchardum *libro* 19. *c.* 11. *& ſequentibus* ex antiquo Pœnitentiali Romano deſumptum: Ivonem in Decreto pag. 15. *cap.* 191. *& ſequentibus* multis: Bedam de remediis peccatorum *cap. ultimo*; & Pœnitentialem, quem edidit

Anto-

Antonius Auguſtinus *titulo nono cap. 25. & ſequentibus*, cujus auctor redemptionum regulas partim ex antiquo Pœnitentiali Romano, partim ex Pœnitentiali Theodori Cantuarienſis dicit ſe excerpſiſſe. Verum quoniam hæc omnia edita ſunt, & unuſquiſque locis citatis ea legere poteſt, eaſdem propè regulas ex antiqua Collectione manuſcripta Reginonis Abbatis exſcribemus. Sic ille *libro 2. c. 44. & ſequentibus.*

VI. *Si quis forte non potuerit jejunare, & habuerit, unde poſſit redimere, ſi dives fuerit pro ſeptem hebdomadibus det ſolidos viginti. Si non habuerit tantùm unde dare poſſit, det ſolidos decem. Si autem multum pauper fuerit, det ſolidos tres. Neminem autem conturbet, quòd juſſimus dare ſolidos viginti, aut minus; quia ſi dives fuerit, facilius eſt illi dare ſolidos 20. quàm pauperi ſolidos tres. Sed attendat unuſquiſque cui dare debeat, ſive pro redemptione Captivorum, ſive ſupra ſanctum altare, ſive Dei ſervis, ſeu Pauperibus in Eleemoſyna. Pro uno menſe quod in pane, & aqua pœnitere debet aliquis, Pſalmos decantet mille ducentos genu flexo, & ſi non genu flexo 1680. & omni die ſi vult, & abſtinere non poteſt, reficiat ad ſextam, niſi feria quarta & 6. jejunet uſque ad Nonam: carnem, & vinum non ſumat, reliqua percipiat. Pro una Hebdomada Pſalmos trecentos genu flectendo decantet; aut in uno loco per ordinē pſallat. Qui verò Pſalmos non novit, & jejunare non poteſt, pro uno anno quem jejunare debet in pane & aqua, det in Eleemoſyna 26. ſolidos, & in unaquaque hebdomada diem unum jejunet uſque ad Nonam, id eſt, feriam 4. & aliam, id eſt, feriam 6. uſque ad veſperam: & in tres Quadrageſimas quantum ſumit, penſet, & medietatem tribuat in Eleemoſyna. Primo anno quidam permiſerunt triduanas quatuor, alii duodecim triduanas, id eſt, ſemel in menſe uno. Quidam dixerunt triduanas agere in verberibus, & in vigiliis inſiſtendo triduum. Pretium autem unius diei, idem agapen duorum vel trium pauperum, ſive unum denarium. Alii totum Pſalterium in æſtate, in hyeme verò, & in verno, vel Autumno, quinquaginta Pſalmos. Quidam indicaverunt duodecim plagas, vel percuſſiones. Qui itaque hoc, quod in Pœnitentiali ſcriptum eſt, implere potuerit, agat Deo gratias. Qui autem non potuerit adimplere, conſilium damus per miſericordiam Dei; In primis pro uno die in pane & aqua, 50. Pſalmos cantet genu flexo; aut ſtando in uno loco, 70 decantet, aut unum denarium det, aut tres pauperes paſcat. Quidam dicunt, quinquaginta percuſſiones, vel 50. Pſalmos. Pro uno die in Autumno, hyeme, vel verno, 100. percuſſiones, vel Pſalmos quinquaginta. In æſtate Pſalterium unum, vel percuſſiones centum. Qui non poteſt ſic agere Pœnitentiam, ut ſuperiùs diximus, In primo anno eroget in Eleemoſynam ſolidos 26. in ſecundo 20. in tertio 18. Hoc ſunt ſolidi, 64. Potentes homines faciant pro culpis ſuis, quod Zachæus fecit. Ait enim ad Dominum, Domine, omnium bonorum meorum dimidium do Pauperibus; & ſi aliquid injuſtè abſtuli, in quadruplum reſtituo, & de mancipiis ſuis aliquos dimittat liberos, & captivos redimat, & in ſe peccantibus ex corde duntaxat: Et qui illicita commiſit, & jam à licitis ſe abſtineat, & corpus affligat, jejuniis, & crebris orationibus. Caro enim læta nos ad culpam trahit, afflicta reducit ad veniam. Triduana una pro triginta diebus, & cantatio Pſalmorum 120. Pro uno die. Pſal. 61. Pater noſter. Pro tribus diebus, Pſalterium unum, & duodecim, Pater noſter. Item pro uno die tribus vicibus, Beati immaculati, & ſexies, miſerere mei Deus, & ſeptuaginta vices proſternat ſe in terram, & per ſingulas, Pater noſter dicat. Item ſi neſcit pſalmos, pro uno die proſternat ſe centum vicibus in terram, & per ſingulas dicat, miſerere mei Deus, & dimitte Domine peccata mea. Cantatio unius Miſſæ poteſt redimere duodecim dies; Decem Miſſæ quatuor menſes; 20. Miſſæ octo menſes; 30. Miſſæ duodecim menſes. Pro Hebdomada una trecenti Pſalmi genu flexo decantetur. Qui Pſalmos neſcit, & jejunare non poteſt, quantum cotidie ſumit penſet, & medietatem tribuat in eleemoſynam. Ecce diverſorum Patrum diverſas opiniones de remediis peccatorum, vel de leviganda Pœnitentia in ordine poſuimus. In arbitrio Prudentis Sacerdotis relinquentes quid ſalubrius, & utilius animæ Pœnitenti eſſe decernat.*

VII. Burchardus, & Ivo ſingulas Pœnitentialium laborum redemptiones iiſdem verbis, eodemque ordine enarrant. Sic & Pœnit. Antonii Auguſtini, ſed nonnulla omittit; plura preterit Beda, & alio modo enuntiat. Ab omnibus Regino differt, & verbis, & ordine, nonnunquam & redemptionum circumſtantiis. Si quis tamen rerum ſummam conſideret in unam prope conſpirant. Deinde ejuſmodi relaxationum circunſtantiæ in diverſis regionibus facilè variant. Concilium Triburienſe, quod eſt poſt Bedam omnibus citatis auctoribus antiquius de Pœnitentiæ redemptione canones edit, ſed non ita vaſtos. Canone 56. Uult homicidam primo Pœnitentiæ anno abſtinere à carne, caſeo, vino, medone, & mellita cervisia exceptis Feſtis, & Dominicis, *Et niſi vel in hoſte, aut in aliquo magno ſit itinere, vel longè aut diu ad Dominicam curtem, vel ſi infirmitate detentus ſit. Tunc licitum ſit ei, tertiam feriam, & quintam atque Sabbatum redimere uno denario, vel pretio denarii, ſive tres Pauperes pro nomine Domini paſcendo; ita duntaxat, ut vel carne, vel vino, vel medone, id eſt, de tribus uno re utatur, non omnibus veſcatur. Poſtquam autem de itinere domum revertatur, aut de infirmitate liberetur, prædictas ferias non redimat, ſed ſtatuto modo pœniteat.* Canone verò ſequente de ſecundo, & tertio anno Pœnitentiæ ita decernit, *Secundum verò, & tertium annum ſimili modo pœniteat, excepto quòd tres prædictas ferias redimere jus habeat, ubicunque eſt, ſive in domo, ſive in itinere cætera per omnia obſervet, ut in primo anno faciebat.* Reliquis autem Pœnitentiæ quatuor annis tres illæ feriæ non ſunt amplius eſuriales: Eſus, potuſve Pœnitenti, ut in feſtis permittuntur, nullo redemptionis pretio ſoluto; ſed ſecunda, & quarta feriæ redemptiles ſunt, ſexta vero nunquam. Sic can. 58. *In his quatuor annis tertia feria, & quinta, ac Sabbato, manducet, & bibat quodcunque libeat. Et ſecundam atque quartam feriam denario, aut prædicto denarii pretio redimere jus habeat. Sextam verò feriam cautè obſervet.*

VIII. Manifeſtum eſt, ex iſtis canonibus redemptionem illam non fuiſſe promiſcuè Pœnitentibus permiſſam, ſed parcè admodum, & circumſpectè, & Pœnitentiæ anno primo nunquam, niſi cogeret maxima neceſſitas. Sequentibus annis multò faciliùs, ita tamen ut nunquam vaſta, & indefinita redimendi licentia concederetur. Sic circumſcripta fuit Pœnitentiæ redemptio ab Anſelmo Lucenſi Epiſcopo, & Damiano permiſſa Clero Mediolanenſi, ut refert Damianus Opuſculo 5. *Qui autem jejunare facilè non poteſt, unum ex his diebus per omnem hebdomadam redimere licentiam habet, ita ut unum Pſalterium meditetur, aut medium cum quinquaginta Metanœis, aut unum pauperem paſcat, & lotis pedibus nummum porrigat.* Ita, ſed pauló largiùs, redimendi facultatem conceſſerunt Remenſis Concilii Patres militibus, qui bello Sueſſionico inter Robertum, & Carolum Reges interfuerant. Crimen enim erat præcedente multò levius. Illis injungitur, ut tribus annis unoquoque anno tres quadrageſimas jejunent, duas poſteriores quindecim dierum, & ſextis feriis toto anno: *Omnibus verò his tribus quadrageſimis, ſecunda, quarta, & ſexta feria, in pane, ſale & aqua, abſtineant, aut redimant, &c. Omni quoque ſexta feria per totum annum, niſi redemerit, aut feſtivitas celebris ipſa die acciderit, vel eum infirmitate, ſive militia detentum eſſe contigerit.* Tom. 3. Concil. Galliæ ad ann. 923. Non eſt unicuique liberum pro arbitrio redemptionem facere, ſed ſecundum canones, & Confeſſoris prudentiam.

IX. Ante hos omnes multis annis è Capitularibus ita excerpſerat Iſaacus Lingon. *tit. 1. c. 1. Nullus Presbyter, aut Laicus Pœnitentem cogat vinum bibere, aut carnem manducare, niſi ad præſens pro ipſo unum, vel duos denarios juxta qualitatem Pœnitentiæ dederit.* Permittitur redemptio Pœnitentiæ, ſed tantùm in caſibus à canone, vel conſuetudine deſignatis. In Oratione exhortatoria, quam habebat Epiſcopus ad Sacerdotes in fine Diœceſanæ Synodi, eadem admonitio iiſdem prope verbis continetur, *Nullus Pœnitentem invitet carnem manducare, & bibere vinum, niſi pro eo ad præſens eleemoſynam faciat.* Sic in ordine Romano edito, & in codice longè antiquiore, & Iſaaci tempore vix inferiore. In Collectione Anglicana ad ann. 967. Pœnitentiale refertur, in cujus titulo de ſatisfactione, *n.* 18. & 19. redemptio Pœnit. hæc deſcribitur, *Quiſque poterit unius diei jejunium unico denario redimere. Poteſt etiam unuſquiſque unius diei jejunium 220. Pſalmis redimere. Poteſt etiam quiſque duodecim menſium jejunium triginta ſolidis redimere; vel unum aliquem liberando tanti æſtimatum, & pro unius diei jejunio decantet vir ille ſenis vicibus, Beati: Et ſenis etiam vicibus, Pater noſter. Et pro unius diei jejunio genuflectat homo ille, & ad terram ſe inclinet ſexaginta vicibus dicens, Pater noſter. Poſſit etiam quis unius diei jejunium abſolvere, ſi in oratione ſemetipſum per omnia membra ſua Deo extendat, vera contritione, & fide recta, & quindecim vicibus cantet, Miſerere mei Deus, & 15. etiam vicibus Pater noſter. Jam tum conceditur illi totius diei peccatorum allevatio. Septemnu jejunium poteſt quis in anno uno abſolvere, ſi quotidie cantaverit Pſalterii Pſalmos, itidemque nocte, & quinquaginta veſpere.*

Vaica etiam Miſſa poteſt quis abſolvere 12. dierum jejunium : Et cum decem Miſſis eximitur quatuor menſium jejunium : & cum 30. Miſſis poteſt quis eximere totius anni jejunium, ſi voluerit vero Dei amore pro ſeipſo intercedere , & peccata ſua ſuo confiteri Confeſſario.

CAPUT XVII.

Explicatur, quando cœperunt Pœnitentiarum canonicarum redemptiones : Quando deſierunt , & qua ratione Pœnitentiæ remittendæ occaſio fuerit . Theodorus Cantuarienſis Archiep. non eſt illarum auctor . In Anglia primùm uſurpatæ ſunt , ſed poſt Theodorum . Illius abuſus à Concilio Anglicano ſeverè notatur . Eleemoſynæ nihil de ſeveritate Pœnit. Canonicæ jure remittunt . Illarum uſus vigebat adhuc ſeculo 13. ſed facillimus , & frequentiſſimus . Conceſſionis formula . Paulò poſt Pœnitentium arbitrio permiſſæ . Poſteà à Doctoribus prætermiſſæ . A pauciſſimis doctrinæ Theoreticæ cauſa memoratæ . Abuſus earum unde , & qua ratione ſerpſit , & Pœnitentiis nocuit .

TRia nobis ſuperſunt de his Pœnitentiarum redemptionibus demonſtranda , quæ ſeparatim explicare viſum eſt . Quando in Eccleſia cœpit iſtud redemptionis genus ; Quando deſiit : Et qua ratione imminuendis antiquis Pœnitentiis occaſionem dedit . Primum , ex dictis capite præcedente facilè colligitur : Nullum enim teſtimonium octingentis , & aliquot annis antiquius protulimus , ideò multo tempore non poteſt hanc epochen antecedere . Nullum certè occurrit unquam hujuſce rei teſtimonium niſi poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum; raraque ſunt ejuſmodi teſtimonia, donec attingas annum ſalutis nongenteſimum . Lege Caroli Magni , Ludovici, Caroli Calvi Capitularia, leges, Concilia iis regnantibus celebrata, nuſquam redemptionum Pœnitentiæ mentio . Antiquiſſima eſt Iſaaci Lingonenſis, quam ex Capitularibus dicit ſe excerpſiſſe , ſed nunc , ut opinor , canon ille in iis non extat . Quidquid ſit, circumſtantiam peculiarem continet , quæ rectà redemptionem , de qua agimus, non ſpectat . Concilium Triburienſe propriè ad rem facit , ſed anno 895. celebratum eſt . Quæ antecedunt Concilia ſub Carolinis Imperatoribus , & regibus iſtorum non meminerunt .

II. Obiici poteſt Burchardum , Ivonem , & Pœnitentiale ab Antonio Auguſtino dictum Romanum nonnulla Capitula ex iſtis redemptionum Pœnitentialium formulis velut ex Theodoro Cantuarienſi Archiepiſcopo referre . Hoc conceſſo ; prima iſtius moris fundamenta jacta ſunt in Anglia versùs annum 680; illeque Theodorus , homo Græcus , qui primus apertè morem ſuſtulit publicè de criminibus occultis pœnitendi , primus quoque redimendarum Pœnitentiarum conſuetudinem invexit . Hoc forſan fecit vir prudens ut barbaris nationibus ad fidem Chriſtianam recenter converſis pœnitendi rationem redderet faciliorem , & acceptiorem , ne nimia pœnarum Eccleſiaſticarum duritie , & acerbitate ab agenda Pœnitentia deterrerentur . Nec enim Græcorum, de quibus erat oriundus , nec Romanorum , cum quibus diutiſſimè vixerat mores, hoc ferebant . Itaque iſtius axiomatis de peccatis occultis occultè pœnitendum , de publicis publicè , de quo , & illius explicatione , atque obſervatione toto libro ſeptimo actum eſt ; & conſuetudinis redimendarum Pœnitentiarum , eadem ſunt initia , ſive tempus , ſive perſonam ſpectes . Utut ſit de prima iſtius moris origine, certum eſt , finiente tantum ſeculo nono familiarem , & vulgatum fuiſſe in Italia , Gallia , & Germania , cum tam multorum Conciliorum , & canonum qui centum , & octoginta annorum ſpatio conditi ſunt , vix unus aut alter iſtum morem breviſſimè commemorent ; cùm plura Pœnitentiarum ſingularium exempla ſuperſint , in quibus redemptionum iſtarum ne umbra quidem conſpicitur .

III. In Britannicis inſulis ante tempus adnotatum frequentatas fuiſſe , ex gravi Epiſcoporum iſtarum inſularum de abuſu ejuſmodi redemptionum querela , & earum ſevera improbatione evidenter colligitur . Anno 747. menſe Septembri , facta eſt Synodus Cloveshoviæ præſidente Cutberto Cantuarienſi Archiepiſcopo , cui aderant omnes prope Angliæ Epiſcopi . Illius Synodi can. 26. agitur de verò fine , & uſu Eleemoſynarum , quo declarato addunt Patres. *Et non ad hoc ſine dubio dandæ , ut quælibet , vel minima ſaltem peccata , eò licentius cuiquam agere liceat , quo vel ipſe , vel alius quilibet pro eo Eleemoſynas faciat , &c. Non ſit quoque eleemoſyna illius ad hoc eſurienti data, ut ſeipſum commeſſationibus, ebrietatibus illicitis ſupra modum ingurgitet ; ne per hoc quod venalem Dei juſtitiam putat , ab eodem non ſolùm acriùs , ſed citiùs juxta merita illius judicatur .* Poſt hæc verba preſſiùs ad propoſitum noſtrum . *Poſtremò igitur (ſicut nova adinventio juxta placitum propriæ voluntatis ſuæ , nunc plurimis periculoſa conſuetudo eſt) non ſit eleemoſyna porrecta ad minuendum , vel ad mutandam ſatisfactionem per jejunium , & reliqua expiationis opera à Sacerdote Dei pro ſuis criminibus jure canonico indictam : ſed magis ad augmentandum emendationem ſuam : ut eo citius placetur divinæ indignationis ira , &c. Bonum eſt eleemoſynas quotidie dare , ſed pro his non eſt abſtinentia remittenda , non eſt jejunium impoſitum ſemel juxta Eccleſiæ regulam , ſine qua non remittuntur ulla peccata , relaxandum . Sed hæc , & iis ſimilia ſunt argumenta ad majorem expiationem peccatorum , &c.* Et capite ſequente docent Patres Pſalmodiam quotidianam non eſſe in Eccleſia inſtitutam , *Ut eo licentius , ac quaſi liberius, vel ad momentum peccare , vel bona aliqua præterire , vel jejunium pro peccatis indictum relaxare , vel eleemoſynas minus largiri ullo modo liceat , quo pro ipſis alios Pſalmos cantare putant , vel jejunare .*

IV. Poſteà in divites invehitur , qui credebant nulla , vel pauca Pœnitentia ſe mereri reconciliationem , eo quòd erogatis multis pecuniis procuraverant ſibi multorum preces , & jejunia : *De hoc prolixiùs ideò diſputandum eſt , quia nuper quidam dives ſecundùm hoc ſeculum petens reconciliationem pro magno quodam facinore ſuo citiùs ſibi dari , affirmans in ſuis literis idem nefas juxta multorum promiſſa in tantum eſſe expiatum , ut ſi deinceps vivere poſſit trecentorum annorum , pro eo plenè jejunium ſatisfactionum modis , per aliorum ſcilicet pſalmodiam , & jejunium , & eleemoſynas perſolutum eſſet , excepto illius jejunio , & quamvis ipſe utrumque , vel parum jejunaret . Ergo ſi ita placari poteſt per alios divina juſtitia , cur divites , ò ſtulti promiſſores , qui pro ſuis flagitiis aliorum innumera ſuis poſſunt præmiis jejunia redimere , difficiliùs voce veritatis regnum intrare Cœlorum, quàm per foramen acus camelum tranſire , dicuntur .* Ex verbis iſtius Concilii quatuor vides conſequi . Primum , Eleemoſynas , quæ fiunt pauperibus, non ideò fieri , ut per eas minuantur , & relaxentur jejunia , piaque alia opera expiatoria canonicè in Pœnitentiam criminum à Sacerdote impoſita , neque ut cùm iis commutentur , ſed ut citiùs, & efficacius ira Dei placetur , & venia impetretur . Secundum , hanc conſuetudinem eſſe novellam , periculoſam , & propriæ voluntatis inventionem . Tertium , neque etiam in hunc finem pſalmodiis , orationibus utendum . Quartum , aliorum jejuniis, & laboribus pecunia erogata ſuſceptis à jejunio canonico nos non eximi , alioquin contra Evangelicum dictum , divites multò facilius quàm pauperes regnum Cœlorum ingreſſuros .

V. His conſideratis vix adduci poſſum , ut exiſtimem, Theodorum Cantuarienſem iſtius redemptionis Pœnitentialis eſſe auctorem . Nam huic Concilio præerat Cutbertus Theodori uno intermedio ſucceſſor , annumque quinquageſimum primum aut alterum poſt Theodori obitum celebrabatur illa Synodus . Quis credat Theodori ſucceſſorem , Theodoro , viro per totum orbem Chriſtianum celeberrimo , tam facilè derogaſſe , illius conſtitutiones vellicaſſe , novitatis accuſaſſe, cæteroſque Epiſcopos unanimi conſenſu iſta probaſſe ? Cùm igitur prava iſta conſuetudine invaleſcente , aliqui ſcriptores ejuſmodi redemptionum leges Theodori Pœnitentialibus inſeruiſſent , poſteà exemplaria ab iis deſcripta , & undique diſſeminata multis impoſuerunt , ut Theodori crederent eſſe , quæ ipſius ſcriptis inſerta tantùm erant . Idem dicendum videtur de Romano Pœnitentiali , quem Halitgarius ante octingentos annos edidit , & libris ſuis de remediis peccatorum ultimo loco addidit . Poſt prologum enim Halitgarii aſſutum videtur præter mentem ipſius illud de Pœnitentiarum redemptionibus additamentum , ut legenti videtur perſpicuum . Itaque antiquum Pœnitentiale Romanum iſtarum redemptionum nullam prorſus mentionem facit .

VI. Secunda quæſtio quærit , quando deſiit iſta Pœnitentiarum redemptio ? Non eſt reſponſum difficile : obſoletis Pœnitentiis canonicis , obſolevit quoque earum redemptio . Quid enim opus ea , quæ non ſunt redimere ? Ineunte ſeculo decimo tertio erat adhuc tantillus iſtarum redemptionum uſus , ut ex nonnullis iſtius temporis manuſcriptis Pœnitentialibus

Google

tialibus colligitur. Petrus Pictavienſis Sancti Victoris Canonicus, qui Pariſiis tempore Pontificatus Innocentii III. Pęnitentialem ſuum ſcribebat, *fol. 3. pag. 1. Pro hujuſmodi peccatis contra naturam, quæ dicta ſunt, & pro adulteriis, & inceſtibus, & conſimilibus ſolent injungi jejunia in pane, & aqua ſecundùm tempus, quo moratus eſt in peccato, & ſecundùm alias circunſtantias, & compenſet. Pro ſimplici fornicatione ſimplicia jejunia, niſi perſonæ, vel aliæ circunſtantiæ occurrant, & etiam carncaſeis, & ovis; maximè ſi ſint pauperes, vel in aliena menſa. Nam & tunc datur alia compenſatio propter ſcandalum evitandum.* Et *fol. ſeptimo pag. 2. Omnes, qui ex juſta cauſa videntur non poſſe ſine magno gravamine frequenter, vel in arcta diæta jejunare, poſſunt redemptiones, vel compenſationes adhiberi per orationes, per eleemoſynas, per peregrinationes, vel diſciplinas, vel abſtinentiam à carnibus, vel piſcibus, vel hujuſmodi ſecundùm ſtatum perſonarum à vino, vel in quadrageſimalibus cibis.*

VII. Quum eſſet adhuc eo tempore aliqua pœnarum canonicarum auctoritas, ſaltem apud plurimos, ſi non apud omnes, prævaleret tamen lenitas, & miſericordia, pœnas illas variis de cauſis redimebant, aut compenſabant. Hujus rei ſpeciem ex eodem auctore exhibebimus. Ibidem *fol. 8. pag. 1.* demonſtrat Pœnitentiam, quæ ſcandalum parit, non eſſe injungendam. Ideò has cautiones tradit, *Illis perſonis, quibus injungenda eſſet aſpertias ciborum, & veſtium, ſed non audent, ut conjugatæ præcipuè, poteſt injungi, quod etiam coram illis quorum ſcandalum timent, abſtineant quantum poterunt ſine nota: Sine illis autem, vel ſæpè, vel ſemper; at ſi bibant ſine illis, ut ſit poſt menſam, bibant aquam, ſic & de cibis, & de aliis. Propter ſcandalum nunquam debet relinqui triplex veritas, fidei, vitæ, & doctrinæ. Item non curavit Chriſtus de ſcandalo Phariſæorum: ſic non ſemper eſt curandum, niſi juſta cauſa ſcandali ſubſit; quia quandoque ſcandalum contriſtat tantùm, quandoque trahit in ruinam. Item quando datur licentia non abſtinendi, vel redimendi propter viam, ſicut eques, non eſt intelligendum de tali, niſi à Confeſſione exprimitur ſecundùm aliquos. Similiter, ſi propter ſocietatem, non videtur intelligendum de quotidiana ſocietate ſemper, nec de æqualibus; ſed ſi accedat ad menſam alienam, vel alius ad ſuam, cui ſe debeat conformare.*

VIII. In fine libri alias occaſiones redimendi tradit, quæ mores temporis clarius aperiunt. *Nonnullis viſum eſt, quod etiam minor Sacerdos non ordinarius poteſt licentiare aliquotiens aliquem in caſu, ut comedat communia, & aliàs compenſet injunctam ſibi ab Ordinario abſtinentiam, præcipuè cum præſens eſt in menſa. Fortiùs cum illis poteſt diſpenſare in hujuſmodi, qui diebus feſtivis celebribus in partibus illis interſunt divinis officiis in ſuis Eccleſiis, ubi voto ſunt adſtricti. Non videtur quod pro peccatis occultis debeat Pœnitens aliquis arctari præcisè ad aliquod genus ſatisfactionis nolens, ſed redimere poteſt, vel aliter compenſare, ſecus eſt in manifeſtis: ſicut eſt videre in ſolemni Pęnitentia, quæ etiam carena dicitur, quæ injungi ſolet pro peccatis enormioribus, &c.* Vides multas redimendi, vel compenſandi cauſas in Sacerdotis arbitrio poſitas, non ut anteà Conciliorum canonibus conſtitutas, & limitatas. Poſtrema autem, quam reddit, maximi eſt momenti, & longiſſimè ſeſe diffundit. Statuit enim velut canonem, Pœnitentem privatum non teneri Pęnitentias canonicas exequi, ſed redimendi jus habere, vel compenſandi.

IX. Robertus *de Flammesbur* Canonicus S. Victoris, & Pariſienſis Pœnitentiarius *fol. 39. pag. 1.* libri ſui Pœnitentialis hæc habet de redemptione, & commutatione Pœnitentiarum. *Pro uno die quem in pane, & aqua jejunare debet, 50. Pſalmos genibus flexis in Eccleſia ſi fieri poteſt, decantet. Sin autem, in convenienti loco eadem faciat, & unum pauperem paſcat; & eodem die, excepto vino, & carne, & ſagimine, ſumat quidquid velit. Qui in Eccleſia centies genua flexerit; ſi centies veniam petierit, ſi fieri poteſt, ut in Eccleſia fiat, hoc bonum eſt. Si autem fieri non poteſt, ſecretè in loco convenienti eadem faciat. Sed ſi fecerit, eodem die, excepto vino, & carne, & ſagimine, ſumat quod velit. Pro una hebdomada, quam in pane, & aqua jejunare debet, 300. Pſalmos genibus flexis in Eccleſia decantet. Si hoc autem facere non poteſt, tria pſalteria in Eccleſia, vel in loco convenienti latentè decantet; & poſt quam pſallerit, excepto vino, & carne, & ſagimine, ſumat quidquid voluerit. Pro uno menſe, quem in pane, & aqua jejunare debet, Pſalmos mille ducentos flexis genibus decantet. Si autem hoc facere non poteſt, ſine genuflexione ſedendo, aut ſtando faciat, ſi fieri poteſt. Sin autem, 1680. Pſalmos decantet, & omni die ſi velit, & ſe abſtinere non vult, reficiat ſe ad ſextam, niſi quod quartam feriam, & ſextam jejunet uſque ad nonam, & à vino, & carne, & ſagimine per totum menſem abſtineat: aliam autem cibum poſtquam Pſalmos ſupradictos decantaverit, ſumat. Iſto ordine totus ille annus redimendus eſt.*

X. Iſta ſanè ad antiquiorem redemptionum praxim proximè. Sed iſta praxi leniter admodum, & molliter utebatur, & utendum eſſe conſulebat. Si enim tam gravem redemptionem Pœnitens acceptare nollet, & aliter perſuadere non poſſet, emolliendam eſſe jubebat, donec acquieſceret. Sic & in redemptionibus, & in Pœnitentiis dandis uſurpare ſolebat, ut idem in fine Pœnitentialis Confeſſorem monet. *Poſtremò monere te volo, Sacerdos, quod ſi per ignorantiam groſſam, vel negligentiam, vel propter gratiam, vel ſavorem, vel propter acceptionem ad arbitrium tuum, & libitum, & non canonum inſpecta diſpenſatione citrà, & infrà punis Pęnitentem, & minus quàm canonicè, & authenticè exigat Pęnitentia, dummodo ipſe peccator paratus ſit ad quantamlibet canonicam Pœnitentiam, ipſe quidem, ut puto, ſalvabitur, & etiam à purgatorio liberabitur, peracta, dico, Pęnitentia à te ſibi injuncta: Tu autem in periculo eris. Quid enim ei imputabitur ſi tibi per omnia obedit, & quantamlibet paratus eſt ſuſcipere Pęnitentiam? Sanum igitur mihi videtur conſilium, ut quantumcunque potes Pœnitentem inducas, ut canonicam, & authenticam ſuſcipiat Pęnitentiam, & ſic tibi, & ei benè erit. Quòd ſi obtinere non poteris, dicas ei, frater, oportet te vel in hac vita puniri, vel in Purgatorio. Incomparabiliter autem gravior eſt pœna Purgatorii, quàm aliqua in hac vita. Ecce anima tua in manibus tuis. Elige igitur tibi, vel in hac vita ſufficienter ſecundùm Pęnitentias canonicas, vel authenticas puniri, vel Purgatorium acceptare. Quod ſi elegerit Pęnitens, ad petitionem ejus, & libitum, & arbitrium tuum, poteris canonicas mitigare Pęnitentias, & authenticas, ſed paulatim, & paulatim hoc facias, & poſteà potiùs allevationem petat pęnitens quàm aggravationem, & tu ſecurus eris.*

XI. Vides ex ipſo Pœnitentiarum redemptionis, & compenſationis modo Pœnitentias canonicas magni tum temporis factas, licèt jam paſſim vulgaretur eſſe arbitrarias. Verum arbitrium illud intelligebant, dato Pęnitentem ad pœnas canonicas difficilè adſtringi poſſe. Iſtius autem difficultatis judicium penes Confeſſores erat, qui eo tempore Doctorum Pariſienſium decreta non Conciliorum, ſequebantur. Poſtquam enim Doctorum Laureatorum turba orbi Chriſtiano illuxit, cœperunt iſtarum rerum, & ſimilium judicia uni, vel pluribus eorum committi, vulgarique ſecurè, & tuta conſcientia fieri, quod uno, aut altero probante factum eſſet. Quæ de iſta redemptionum Pęnitentialium remiſſione, & tandem extinctione dicta ſunt, evidenter confirmabuntur ex iis, quæ infrà capite ſpeciali ex iiſdem auctoribus, & aliis de Pœnitentiarum canonicarum deſuetudine, & magna ex parte obliteratione referemus.

XII. Poſt illud tempus vix reperientur auctores, qui de redemptionibus iſtis tanquam uſitatis verba faciant. S. Raymundus, Guilelmus Altiſſiodorenſis, Pariſienſis, Alexander Halenſis, Albertus Magnus, licèt multis de variis relaxationum Pœnitentialium ſpeciebus diſputent, hanc tamen prætermittunt, quod ſanè non feciſſent, ſi frequens fuiſſet illius praxis. Forſan id omiſerunt, quòd iſta redemptio planè eſſet Pœnitentis arbitratui permiſſa. Hoc enim innuit Raymundi Gloſſator his auctoribus ferè coætanæus ad §. 49. *de Pęnit. & remiſſ.* ubi ſermo eſt de confitente, qui vult quidem à peccatis abſtinere, ſed ſatisfactionis aſperitatem averſatur, *Propter vitandam*, inquit, *inobedientiam conſulo, quòd aut nulla, aut pauca injungantur ſub præcepto; concedendo quòd liceat ei jejunium ſibi injunctum, aut orationes, aut eleemoſynas, & quæcunque alia ſibi injuncta redimere cùm voluerit.* Idem ait verbis ab eo exſcriptis Aſteſanus *lib. 5. tit. 31.* Sic, & evidentius Joannes Andreæ, & Innocentius, eodem Aſteſano referente titulo præcedente. *Notandum etiam ſecundùm Joannem, Si Pœnitentia ſit impoſita à canone, liberatur quis à jejunio, dando denarium, vel legendo pſalterium propria auctoritate. Innocentius verò dicit, quod jejunia neceſſaria, ut quatuor temporum, & hujuſmodi non poſſunt redimi niſi ſubſit rationabilis cauſa: voluntaria verò redimi poſſunt ſine auctoritate Superioris.* Voluntaria, ut ex oppoſitione apparet, intelligit ea, quę à Confeſſore, vel propria voluntate, vel ſecundùm canones regulata, Pœnitenti imponuntur. Cùm igitur illarum optio eſſet Pœnitentium voluntati derelicta; vel à Confeſſore petita, ſemperque tanquam

Digitized by Google

quam de praxi ordinaria concederetur, opus non fuit illis Doctoribus de ejuſmodi diſputationem eo tempore inſtituere. His accedit, quòd propè inutilis fuiſſet iſta diſputatio, eo quòd tum vix aliquando reperiebatur, quod redimeretur; cùm, ut infrà demonſtrabitur, Pęnitentiæ eſſent arbitrariæ, & Pœnitentibus, an eas acceptare poſſent interrogatis, & conſentientibus imponerentur. Deinde multæ, & frequentes alterius generis relaxationis exortæ ſunt, ut ad has confugere vix unquam neceſſarium eſſet. Ideò Doctores illius ſeculi non abs re totam illam doctrinam, ut ſupervacaneam, prætermiſerunt: aut ſi qui illam attigerunt, id uno verbo, non ex propoſito, ſed alterius rei, cum qua hæc erat conjuncta, neceſſitate ducti fecerunt, ut Cardinalis Hoſtienſis, Joannes de Friburgo, Aſteſanus, cùm enumerant canones Pœnitentiales, in quorum uno, aut altero, & redemptionis Pœnitentialis, & legitimarum feriarum ſit expreſſa mentio.

XIII. Tertium, de quo nobis diſſerendum hoc capite propoſuimus, ex dictis hactenus tam hoc capite, quàm præcedente facilè colligi poſſe mihi videtur. Si enim licet Pœnitentias canonicas pecunia redimere, quotuſquiſque hominum redemptionem ejuſmodi, jejuniis longis, humicubationibus, flagellationibus, & cæteris gravibus corporis afflictionibus non præferet? Redemptio illa ſemper eſt in facilius, lenius, & voluntati noſtræ proclivius. Itaque nihil eſt aliud quàm Pœnitentiæ impoſitæ relaxatio. Id evidenter demonſtrat Concilium Triburienſe locis capite præcedente citatis. Nam primo Pęnitentiæ anno nullum jejunii diem redimi permittit, niſi maximis de cauſis, quæ videntur jejunii ceſſationem etiam nulla redemptione facta expoſtulare: tum enim certorum dierum ſeptimanæ, non omnium, redemptio conceditur. Anno ſecundo, & tertio illorum dierum redemptio ſine ulla cauſa permittitur; ſequentibus annis nulla iſtorum redemptio injungitur, ſed ab omni abſtinentia liberi dimittuntur. Nonnullæ ſunt aliæ redemptionis iſtius circunſtantiæ, ut ibidem, & aliis locis citatis videre eſt, quibus idem non minus evidenter demonſtratur. Sed quæ paulò poſt iſtud concilium contigerunt, evidentius probant. Iſtarum enim redemptionum regularis, & velut legitima æſtimatio invaluit, quæ Pœnitenti ex libro Pęnitentiali præponebatur, quaſi liberum eſſet illi, aut Pęnitentiam canonicam exequi, aut illius vice redemptionem eligere. Æſtimatio autem illa, & taxatio non erat unius diei, ſed ſeptimanæ, ſed menſis, immò totius anni, ita ut optio daretur, aut Pœnitentiam ſecundum canones acceptandi, aut æſtimatam ordinaria lege redemptionem præferendi: idque licebat non unius diei modo, aut ſeptimanæ, aut menſis, ſed etiam anni unius, & plurium ratione habita, ut videre eſt capite pręcedente in redemptionum legibus, quas ex antiquis Pœnitentialibus edidimus.

XIV. Iniquæ autem videbantur earum redemptionum plurimæ, eo quòd pecunia putarentur: Ita enim pauperes ab ea excludebantur, ſaltem, qui præ cæteris indigentia laborabant. Ideò non immeritò Concilii Anglicani Patres, cùm primùm in illa Provincia exortæ ſunt, in eas acriter invehebantur. Sed abuſus poſteà ſerpſit longè latius, & impudentius: paſſim enim crimina argento, & auro redimebantur; ita ut criminum Rei effuſa pecunia Pœnitentiam vix unquam agerent. Malumque iſtud multis locis adeò creverat, ut ipſi Epiſcopi, Regum poteſtate freti, & protecti, in Conciliis ſtatuerent crimina mulctis pecuniariis eſſe loco Pœnitentiæ punienda. Ita paſſim in Conciliis Anglicanis legas obſervatum fuiſſe: In Concilio Landavienſi, *p.* 386. In alio an. 958. celebrato, & in annis 982. & 1034. Ita leges Eccleſiaſticæ à Regibus latè, ut Alvredi Regis, lege 7. & ſequentibus, & Regis Eduardi *lib.* 3. cum aliis nonnullis. Normaniam, quæ Regibus Anglorum ſuberat, prava illa conſuetudo univerſam occupaverat, ut videre eſt in Concilio Lillebonæ habito, quod ab Orderico Vitali cùm omnibus canonibus refertur ad an. 1086. Plurima enim ſunt crimina, quæ ab Epiſcopis Normannis tam in Clericis, quàm in Laicis pecunia tantùm puniuntur. Non equidem disertè dicunt pecuniaria illa mulcta Pęnitentiam illis criminibus debitam redimi, ſed contra canones manifeſtius agunt, cùm abſolutè, & tanquam de legitima conſuetudine Pœnitentiam canonicam auro, & argento permutant. Illorum omnium uſus, & frequentia mihi videtur viam, & occaſionem ad Pœnitentiarum canonicarum deſuetudinem, & antiquationem præparaſſe, & expediviſſe.

CAPUT XVIII.

Quo modo ex redemptione Pœnitentiarum nova Pęnitentias computandi, & imponendi ratio exorta eſt; ita ut pœnitentia, quinquaginta, centum, & mille annorum exolvi poſſet, & imponi. Quando, & ubi primùm cœpit hæc computatio.

ANtequam ſecundam occaſionem Pœnitentiæ canonicæ imminutæ, & tandem propè antiquatæ explicare aggrediamur, novum morem Pœnitentiarum exolvendarum de redemptionibus iſtis natum à longa oblivione priùs vindicabimus. Poſtquam redemptionum æſtimatio facta eſt, Verbi gratia, unus jejunii dies, una Septimana, unus menſis, unus annus tot nummis redimitur, tot percuſſionibus, tot orationibus, & Pſalmorum decantationibus, tot Pſalterii recitationibus, proclive ſanè fuit Pœnitentibus devotione ardentibus multorum annorum Pœnitentias exolvere. Apud Burchardum, & Ivonem unius anni Pœnitentia æſtimatur duodecim triduanis quarum ſingulæ pſalterium ter decantari poſtulant, & in fine uniuſcujuſque Pſalterii, vel cum ipſo Pſalterio trecentas palmatas, ſive percuſſiones ſibi infligi: Sic centum ſolidi, ſecundùm eoſdem, in Eleemoſynam dati anno æſtimantur. Iſta variis modis ſecundùm varias Provincias uſurpabantur. Nunc cùm ejuſmodi redemptio uni anno Pœnitentiæ æquaretur, qui centies id præſtabat, centum annorum Pœnitentiam exegerat; qui millies, mille annorum.

II. Hoc ita vulgo æſtimatum, & factum fuiſſe in Italia poſt annum Chriſti milleſimum ex variis Petri Damiani teſtimoniis demonſtratur. Nihil ſimile apud antiquos Patres me legiſſe memini, nec etiam ante hoc tempus, præter unicum teſtimonium, quod in hanc interpretationem flecti poteſt. Nam Pęnitentialia Bedæ, Burchardi, Ivonis, Reginonis, licèt hujus moris fundamentum diſertiſſimè jaciant, conſequens tamen non edunt; Sed Petrus Damianus diſertiſſimè. In libello, ſive Epiſtola ad Alexandrum II. de vita SS. Rodulphi, & Dominici *cap.* 3. ſic refert de Rodulpho, *Sæpè pœnitentiam centum annorum ſuſcipiebat, quam ſcilicet per viginti dies alliſione ſcoparum, cæteriſque pœnitentiæ remediis perſolvebat. Pſalterium quotidie, cùm duo non poſſet, unum ſaltem non negligebat implere: quod utrumque cùm eſſet in cellula conſtitutus, armata ſcopis utraque manu, totum cum diſciplina continuare conſueverat.* Capite 7. de Dominico verba faciens explicat quibus ratiociniis computanda ſit tam diuturnæ Pęnitentiæ executio. *Quadrageſimalibus circulis, ſive cùm Pęnitentiam peragendam habet, (crebro enim centum annorum pęnitentiam ſuſcepit) tunc per dies ſingulos, dum ſe ſcoparum tunſionibus afficit, ut minus, tria pſalteria meditando perſolvit. Centum autem annorum Pęnitentia, ſicut ipſo auctore didicimus, ſic expletur. Porrò cum tria ſcoparum millia unum pęnitentiæ annum apud nos regulariter expleant, decem autem pſalmorum modulatio, ut ſæpè probatum eſt, mille ſcopas admittat, dum centum quinquaginta Pſalmis conſtare pſalterium non ambigitur, quinque annorum Pœnitentia, in unius pſalterii, diſciplina rectè ſupputantibus invenitur. Sed, ſive quinque vicies ducas, ſive viginti quinquies, centum facias. Conſequitur ergo, ut qui viginti pſalteria cum diſciplina decantat, centum annorum pœnitentiam ſe peregiſſe confidat. Quanquam & in hoc pleroſque noſter Dominicus ſuperet, quia cùm nonnulli unam manum in diſciplinis agendis exerceant, iſte, ut revera Benjamin filius, contra rebelles carnis illecebras utraque manu infatigabiliter pugnat.*

III. Nunc ſi quęras quot diebus Dominicus ille tam longam, & gravem pœnitentiam exequebatur: Sex diebus eam peragebat. Mirabile dictu, pœnam tam gravem centum annorum ſpatio tolerandam tam paucis diebus complebat. Sic enim perſequitur S. Damianus, *Hanc autem centum annorum pœnitentiam, ut mihi ipſe profeſſus eſt, facilè ſex diebus ex more conſummat.* Ne hoc mirere, aliquid eſt mirabilius. Mille annorum pœnitentiam paucis diebus, & continuis eadem ſupputatione facilè complebat, *Memini quoque*, inquit Damianus, *quia cujuſdam Quadrageſimæ imminentis initio, mille annos impone ſibi per nos pœnitentiam petiit, quos certè omnes fermè antequam jejunii tempus tranſigeretur, explevit.* Hæc omnia iiſdem verbis repetit S. Damianus *Opuſculo* 51. *de vita Eremitica cap.* 8. Non tantùm viri, ſed etiam mulieres hanc diuturnæ paucis diebus exequendæ Pœnitentiæ mercedem amplexæ ſunt. Sic Damianus *c.* 10. vitæ SS. Rodulphi, & Dominici. *Hujus itaque Sancti ſenis exemplo faciendæ diſciplinæ mos adeò in noſtris par-*

Digitized by Google

partibus inolevit, ut non modò viri, ſed & nobiles mulieres hoc Purgatorii genus inhianter arriperent. Nam & relicta Theobaldi, ſublimis atque generis, & non infimæ dignitatis, mihi aliquando retulit, per præfixam hujus diſciplinæ regulam centum annorum ſe Pęnitentiam peregiſſe.

IV. Idem Damianus *lib. 9. Epiſt. 8.* rationem reddit iſtiuſmodi redemptionis Pœnitentiarum per flagellationem, & illius cum multorum annorum Pœnitentia æquationis, quæ Monachorum propria eſt. Laicis, inquit, permittitur peccata ſua Eleemoſynis redimere, & eo modo multorum annorum Pœnitentias complere. Idem ſanè per flagellationem Monachis indulgendum, qui per profeſſionem ſuam pecuniarum adminiculo carent. Damiani verba relata ſunt alia in cauſa *lib. 7. c. 14.* Quod Monachi in ejuſmodi rebus præſtant, Laicis non modò licitum eſt, ſed etiam laudabile, Capite præcedente mentio facta eſt redemptionis multorum annorum Pœnitentiæ, quæ ab enarrata longè diſpar eſt, ideò meritò à Patribus Concilii Anglicani vituperatur. Putabat enim quidam dives trecentorum annorum Pœnitentiam æquaſſe, eo quòd Pauperes eleemoſynis multis conducti, jejuniis, orationibus, & Pſalmodiis æſtimationem Pœnitentiæ trecentorum annorum pro eo exæquaverant. Id autem dives ille nunquam feciſſet, niſi tum in illa ſaltem regione mos, quem male interpretabatur, invaluiſſet, multorum annorum Pœnitentias præter debitum ope redemptionum peragendi, & abſolvendi.

V. Hinc nata eſt nova pęnitentiæ computandæ ratio, cujus pauca mihi occurrunt exempla. Iſtius computationis fundamentum eſt, ut opinor, ſpecialis, & diſcreta annorum Pœnitentiæ unicuique peccato mortali ſecundum canones attributorum enumeratio, & poſteà in unum numerum additio, & aggregatio, qua ratione fieri poteſt annorum Pœnitentiæ imponendæ immenſa ſumma. Ita numeraſſe videtur S. Damianus cum *cap. 6.* de perfectione Monachorum ſcribit ſe cujuſdam Monachi confeſſionem audiviſſe, *Porro*, inquit, *debebatur illi ſexaginta, ſi rectè teneo, annorum Pęnitentia, ſicut nobis ex ſacrorum canonum ſententia videbatur*. In Chronico Becenſi ad annum 1089. refertur mors cujuſdam nobiliſſimæ Matronæ, & ſanctiſſimæ, quæ poſt mortem Monacho apparuit, & ab eo interrogata, quomodo ſe haberet, *Reſpondit ſe ſexaginta annos Pęnitentiæ accepiſſe*, eò quod, inquit, *parvos canes, & alia ejuſmodi varia, quæ homines pro nihilo ducunt, amavi, & ultra modum in iis delectata ſum*. Nunquam vel Monachus ille ſic ſomniaſſet; vel ea Chronici auctor ſcripſiſſet, niſi annos Pœnitentiæ ſic computare, & imponere jam invaluiſſet: Hanc numerationem inſtituebat Dives ille Anglus, licèt alio modo numerum ſubduceret. Annos enim aggregabat trecentos, non Pœnitentiæ à ſe præſtitæ, ſed à pauperibus, ut pro ipſo pœnas ſubirent, pretio conductis. Quidquid ſit, computatio illa eodem nitebatur fundamento.

VI. Nihil ejuſmodi unquam antiqui canones decreverunt, niſi eos ſic interpretari vellet; ter fornicatus eſt, bis adulterium commiſit, ter furatus eſt, &c. at fornicationi tot Pœnitentiæ annos canones addicunt: triplicandi igitur ſunt anni illi. Idem de adulterio, aliiſque criminibus agendum. Hac ſupputatione creſcit in immenſum annorum Pœnitentialium numerus. Verùm iſta computandæ Pœnitentiæ ratio antiquioribus temporibus prorſus inaudita eſt. In his enim caſibus, aut extendebatur ad finem uſque vitæ Pœnitentia, aut multò ſeverior, & durior infligebatur, non Arithmetica proportione, ſed Geometrica, cui minuendæ plurimum conducebat demonſtrata cordis compunctio. Verùmtamen phraſis, modúſque loquendi, quo utuntur Damianus, & Chronicon illud, evidenter innuunt, computationem illam ſuo tempore Romæ, & in Italia, atque Anglia vulgatam. Hinc etiam aliquo modo originem traxiſſe videntur duo, quæ poſteà viguerunt, & celebrata ſunt: Pœnitentias multas præter canonum obligationem agere; Deinde præter generalem peccatorum omnium indulgentiam, multorum annorum indulgentiam concedere. Refertur à Guilelmo Altiſiodorenſi teſtimonium S. Gregorii, in quo quinquaginta annorum Pęnitentiam iis relaxat, qui Romæ per Quadrageſimam commorabuntur, & ſacras proceſſiones frequentabunt. Sed nihil ejuſmodi apud S. Gregorium reperitur, & nemini ignotum eſt, quàm facilè ſit, cum de antiquorum auctorum charactere, dignoſcendo agitur, Scholaſticis Doctoribus imponere. Infrà pluribus de hoc teſtimonio nobis erit agendum.

CAPUT XIX.

Secunda imminuendæ Pęnitentiæ canonicæ occaſio enarratur. Expeditio Hieroſolymitana, atque etiam Hiſpana contra Paganos pro omni criminum Pęnitentia reputatur. Iis, qui juvant opibus ſuis expeditionem illam Indulgentia datur, ſed ab Epiſcopis definienda. Impii, criminumque atrocium Rei ad hanc expeditionem undique certatim concurrunt. Incredibilis hominum multitudo eò confluit, criminum remiſſione allecta. Quando primùm hoc Pęnitentiæ genus uſurpari cœpit.

SEcunda occaſio imminuendarum Pœnitentiarum fuit earum æquatio, & commutatio cum uno aliquo opere laborioſo propter evidenter apparentem Eccleſiæ utilitatem ſuſcepto. Labor ille, quia magnus, & periculoſus; Utilitas ex eo promanans, quia eximia eſt, & univerſam Eccleſiam ſpectat, Pœnitentiæ multorum annorum ſeveriſſimæ, non immeritò judicatur æquiparari. Ideo Eccleſiæ Paſtores hanc commutationem ſub hac formula proponebant. Qui hoc opus egerit, aut, ut peragatur, pro viribus adnixus fuerit, peccatorum omnium remiſſionem conſequetur. Magnum illud opus ferè ſemper fuit, arma contra Ethnicos, Hæreticos, Schiſmaticos ferre, aut qui ferat modo non poſſit, ſuis ſumptibus alere. Inſigne, & celeberrimum hujus relaxationis exemplum eſt, expeditio Hieroſolymitana à Gallis anno 1096. exhortante Urbano II. ſuſcepta. Urbanus enim in Concilio Claromontano maxima Epiſcoporum, & Principum multitudine omnibus Hieroſolymam terræ ſanctæ recuperandæ cauſa proficiſcentibus omnium peccatorum remiſſionem pollicitus eſt, ut omnes fideles ad tam arduum, & laborioſum opus aggrediendum ſtimularet. Sic referente Guilelmo Tyrio *lib. 1. de bello ſacro* concionabatur; *Furta, incendia, rapinas, homicidia, & cætera, qualia, qui agunt regnum Dei non poſſidebunt, hoc Deo beneplacito redimite obſequio, ut delictorum, quibus Dominum ad iracundiam provocaſtis, celerem indulgentiam, hæc vobis obtineant pietatis opera, & deprecatio collata Sanctorum. Monemus igitur, & exhortamur in Domino, & in remiſſionem peccatorum injungimus, ut fratribus noſtris, & cœleſtis regni cohæredibus, &c. qui Hieroſolymis, & in finibus ejus habitant, afflictioni, & laboribus compatientes, infidelium inſolentiam, &c. debita compeſcatis animadverſione.* Et paulò poſt exhortationem finiens hæc addit, *Nos autem miſericordia Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Apoſtolorum auctoritate confiſi, fidelibus Chriſtianis, qui contra eos arma ſuſceperint, & onus ſibi hujus peregrinationis aſſumpſerint, immenſas pro ſuis delictis Pęnitentias relaxamus. Qui autem in vera Pęnitentia deceſſerint, & peccatorum indulgentiam, & fructum æternæ mercedis ſe non dubitent habituros, &c.*

II. Alia habetur apud Guilelmum Malmeſburienſem ejuſdem Pontificis oratio, in qua ſimiliter eadem merces ſuſcipientibus hoc iter proponitur: *Ituri, & Chriſtianitatem propugnaturi ſpecimen crucis veſtibus inſigniant, ut inteſtinæ fidei foras amorem prætendant, habeant per Dei conceſſum, & B. Petri privilegium, omnium Abſolutionem criminum, & hac interim lætitia laborem itineris allevient, habituri poſt obitum felicis martyrii commercium.* Ordericus Vitalis, quo iuvene expeditio iſta ſuſcepta eſt, compendioſè relata Pontificis oratione, perſpicuè poſteà illius mentem in ea procuranda, & Chriſtianorum Conſilium, animum, zelum, & conſtantiam in ea ſuſcipienda, & proſequenda deſcribit in hiſtoria Eccleſiaſtica ad ann. 1095. *Prædia hactenus cara vili pretio tunc vendebantur, & arma emebantur, quibus ultio divina ſuper allophylos exerceretur, fures, & Piratæ, aliiq; ſceleroſi tactu Spiritus Dei de profundo iniquitatis exurgebant, reatus ſuos confitentes relinquebant, & pro culpis ſuis Deo ſatisfacientes peregrè pergebant. Providus verò Papa omnes, qui congruè arma ferre poterant ad bellum contra inimicos Dei excivit, & Pęnitentes cunctos ex illa hora, qua crucem Domini ſumerent, ex auctoritate Dei ab omnibus peccatis ſuis abſolvit, & ab omni gravedine, quæ fit in jejuniis, aliiſque macerationibus carnis piè relaxavit. Conſideravit enim perſpicaciter vir prudens, & benignus Archiater, quod hi, qui peregrè proficiſcerentur, in via multis, diuturniſq; diſcriminibus ſæpiſſimè vexarentur, & multimodis caſibus lætis, ſeu triſtibus quotidie angerentur, pro quibus benevoli Vernulæ Chriſti à cunctis culparum ſordibus expiarentur.* Tam difficilem igitur expeditionem aggrediebantur, & adornabant, ut eſſet illis Pęnitentiæ pro peccatis in Sacramento impoſitæ commutatio; hacque ratio-

ne

ne peccatorum remiſſionem conſequerentur. Itaque neceſſariam habebat ad Sacramentum Pęnitentiæ ſuſceptum, aut ex voto ſuſcipiendum relationem.

III. In eodem Claromontano Concilio de hac re editus eſt canon, qui ſecundo numero in hæc verba collocatur, *Quicunque pro ſola devotione, non pro honoris, vel pecuniæ adeptione, ad liberandum Eccleſiam Dei Hieruſalem profectus fuerit, iter illud pro omni Pęnitentia ei reputetur.* Clarè explicantur finis, & intentio, quam ſibi proponere tenentur, qui hoc laborioſum opus aggrediuntur; deinde quis ſit operis fructus, omnis Pœnitentiæ canonicæ impoſitæ, vel imponendæ expiatio. Poſteà quòd facilè fuit propter rei paritatem, extenſa eſt gratia iſta ad Saracenos, & Mauros magnæ Hiſpaniæ parte dominantes, ut videre eſt in Concilio Rhemenſi anno 1148. Eugenio III. præſide celebraro, in quo incendiariis in Pœnitentiam poſt damnum reſarcitum hoc imponitur, *Pęnitentia ei detur, ut in Hieroſolymis, aut in Hiſpania in ſervitio Dei per annum permaneat. Si quis verò Archiepiſcopus, vel Epiſcopus hoc relaxaverit, damnum reſtituat, & per annum ab officio Pontificali abſtineat.* Laborioſum iſtud opus ſolùm in horrendi ſceleris Pęnitentiam imponitur. Similis Pœnitentia, & optio Henrico II. Anglorum Regi à Legatis Apoſtolicis impoſita eſt, definitumque tempus quod in alterutra expeditione impenderet, ut refert Chronicon Beccenſe poſt annum 1171. Rogerius illius temporis auctor, & Cardinalis Baronius ad annum 1172. Ante hos omnes id conſtat ex ſequente Concilio.

IV. Id quod Urbanus II. cum Gallicis Epiſcopis conſtituerat, Calliſtus II. confirmat anno 1122. in Concilio generali Lateranenſi primo, ſimulque explicat iſtius expeditionis finem, & fructum, atque ad expeditionem Hiſpanicam prorogat. Sic ille can. 11. *Eis, qui Hieroſolymam proficiſcuntur, & ad Chriſtianam gentem defendendam, & tyrannidem infidelium debellandam efficaciter auxilium præbuerint, ſuorum peccatorum remiſſionem concedimus, & domos & familias, atq; omnia bona eorum, qui in B. Petri, & Romanæ Eccleſiæ protectione, ſicut à Domino noſtro Papa Urbano ſtatutum fuit, ſuſcipimus, &c. Eos verò, qui pro Hieroſolymitano, vel Hiſpano itinere cruces ſibi in veſtibus poſuiſſe noſcuntur, & viam dimiſiſſe, cruces iterato aſſumere, viam ab inſtanti Paſcha, uſque ad ſequens proximum Paſcha perficere Apoſtolica auctoritate præcipimus. Alioquin ex tunc eos ab Eccleſiæ introitu ſequeſtramus; in omnibus terris eorum divina officia, præter infantium baptiſma, & morientium Pęnitentias interdicimus.* Univerſalis Concilii auctoritate, non modò, quæ Urbanus conſtituerat, declarantur, extenduntur, & confirmantur; verùm etiam, qui hoc egregium opus promiſſum, & profeſſum deſerit, ut reſumat, & exequatur, graviſſima cenſura cogitur. Eundem ſuſcepti operis finem, fructumque teſtatur Bartholdus Romanus Pœnitentiarius, qui eodem tempore, quo hæc gerebantur, vivebat, in appendice ad Hermannum Contractum, Eam, inquit, expeditionem Urbanus II. *in remiſſionem omnium peccatorum faciendam firmiſſimè commendavit.*

V. Idem præſtitit, & nonnihil clariùs, Eugenius III. Pontifex anno 1145. ſtatim ab initio Pontificatu in Epiſtola ad Ludovicum Franciæ Regem, quam refert Otto Friſingenſis *lib. 1. cap. 35.* geſtorum Frederici I. ut eum ad aliam expeditionem in terram ſanctam pelliciat; *Nos autem veſtrorum quieti, & ejuſdem Eccleſiæ deſtitutioni paterna ſolicitudine providentes, illis, qui tam ſanctum, tamque pernéceſſarium opus, & laborem devotionis intuitu ſuſcipere, & perficere decreverint, illam peccatorum remiſſionem, quam præfatus Prædeceſſor noſter Papa Urbanus inſtituit, auctoritate nobis à Deo conceſſa concedimus, & confirmamus.* Deinde multis privilegiis civilibus conceſſis iis, qui hanc expeditionem aggrederentur, ſubdit, *Peccatorum remiſſionem, & Abſolutionem juxta præfati prædeceſſoris noſtri inſtitutionem omnipotentis Dei, & beati Petri Apoſtolorum Principis auctoritate nobis à Deo conceſſa talem concedimus, ut qui tam ſanctum iter devotè inceperit, & perfecerit, ſive ibidem mortuus fuerit, de omnibus peccatis ſuis, de quibus corde contrito, & humiliato confeſſionem ſuſceperit, Abſolutionem obtineat, & ſempiternæ retributionis fructum ab omnium remuneratore percipiat.* Talis igitur erat relaxatio, & indulgentia, ut hoc iter ſuſcipientibus omnium peccatorum remiſſio, & Abſolutio concederetur. Iiſdem verbis, & ſenſu ad reges, & reſpublicas ſcripſerat S. Bernardus, ut teſtatur alter Bernardus ipſi familiaris *l. 3. cap. 4.* vitæ quam de eo ſcripſit. *Cujus Epiſtolæ tenor fuit, ut in Pęnitentiam, & remiſſionem peccatorum iter arriperent, aut liberaturi fratres, aut ſuas pro illis animas poſituri.*

VI. Annis centum poſt Urbani II. decretum, & quinquaginta poſt expeditionem ſub Eugenio III. ſuſceptam, Clemens III. in favorem, & promotionem alterius expeditionis eaſdem indulgentias verbis paulò immutatis conceſſit, & confirmavit, ut videre eſt in Epiſtola ad Hubertum Cantuarienſem Archiepiſcopum, *Nos autem illis, qui pro divinitatis amore hujus peregrinationis laborem aſſumere, & quantum in ſe fuerit, implere ſtuduerint, de indulto nobis à Domino auctoritatis officio illam remiſſionem impoſitæ Pęnitentiæ per Sacerdotale miniſterium facimus, quam Prædeceſſores noſtri ſuis noſcuntur temporibus ſtatuiſſe, ut videlicet, qui corde contrito, & humiliato Spiritu laborem hujus peregrinationis ſumpſerint, & in Pœnitentiam peccatorum hoc iter expedierint, ſi in fide deceſſerint, plenam ſuorum criminum indulgentiam, & vitam conſequentur æternam.* Hanc Epiſtolam refert Matthæus Paris ad annum 1195. Ibidem Clemens veniam peccatorum iis, qui terram ſanctam ſuis opibus juverint pollicetur, juxta id quod ſtatuerint Epiſcopi. Initio Pontificatus ſui anno 1187. eaſdem indulgentias conceſſerat, & per orbem Chriſtianum prædicari curaverat. Sed perpetua Regum Franciæ, & Angliæ diſcordia, ut ait Rogerius illorum temporum hiſtoricus Anglus, maximi apparatus ſucceſſum corrupit.

VII. Sed nullus auctor mihi lectus eſt, qui expreſſiùs, & diſtinctiùs occaſionem iſtius decreti, illius effectum, & Pontificis Concilium in eo ſtatuendo explicaverit, quàm Leo Caſſinenſis illis temporibus proximus, quique ab iis, qui interfuerant didiciſſe poterat. Ita illius originem, & occaſionem deſcribit *lib. 4. c. 11.* Chronici Caſſinenſis: *Fertur iſta commotio apud Gallias occaſione quorundam Pęnitentium principium ſumpſiſſe. Qui cùm de innumeris ſceleribus dignè apud ſuos pęnitere non poſſent, & inter notos ſine armis vivere vehementer erubeſcerent; auctoritate, atque conſilio ſanctæ memoriæ Urbani Papæ, prudentis, & verè Apoſtolici viri, qui tunc pro Eccleſiæ negotiis illas adierat partes, trans mare ad eruendam ex Infidelium manibus ſanctum ſepulchri Chriſti locum in Pęnitentiam, & remiſſionem peccatorum ſuorum fide promptiſſimè ſe ire ſpoponderant, certi omninò redditi, quidquid periculorum incommodorumque ſubiiſſent, à Domino Pęnitentiæ loco ſuſcipiendum; dum tamen ſe à priſtinis nequitiis jam continerent. Senſim igitur hac opinione ſerpente non paucos paulò poſt diffuſa per populos, incredibile eſt quanta multitudo huic conſpirationi brevi tempore adiecta ſit, &c.* Hinc facilè colligere potes, quàm ſeverè tum temporis, hoc eſt, finiente ſeculo undecimo, & incipiente duodecimo à populo Chriſtiano exactæ fuerint Pœnitentiæ canonicæ, cùm, ut eas vitarent, & eundem tamen fructum perciperent, tam arduum opus, & plenum periculorum, & moleſtiarum, tanto affectu, & impetu ſuſciperent.

VIII. Confirmat hoc S. Bernardus, cùm deſcribit *c. 5.* ſermonis exhortatorii ad milites templi, eos, qui ad Orientalem militiam peccatorum redimendorum cauſa confluebant. *Paucos admodum in tanta multitudine hominum illo confluere videas, niſi utique ſceleratos, & impios, raptores, & ſacrilegos, homicidas, perjuros, adulteros: De quorum profectò profectione ſicut duplex quoddam conſtat provenire bonum, ita duplicatur & gaudium; quandoquidem tam ſuos de ſuo diſceſſu lætificant, quàm illos de adventu, quibus ſubvenire feſtinant. Proſunt quippe utrobique, non ſolùm utique iſtos tuendo, ſed etiam illos non opprimendo. Itaque lætatur Ægyptus in profectione eorum, cùm tamen de protectione nihilominus lætetur mons Sion, & exultent filiæ, &c.* Multis perſequitur commoda, quæ ex iſtu impiorum profectione in terram ſanctam in eos redundant, è quibus diſcedunt, & ad quos tranſeunt. Eadem ſcribit ad Spirenſem Clerum, & populum, ut eos ad eandem expeditionem inflammet *Epiſt. 322.* proponit Homicidis, Raptoribus, Adulteris, Perjuris, cæteriſque ejuſmodi quam laboris ſui mercedem accepturi ſint. *Iterùm dico, praſate divitias bonitatis Dei altiſſimi, conſilium miſerationis attendite, &c. Teneri vult debitor, ut militantibus ſibi ſtipendia reddat, indulgentiam delictorum, & gloriam ſempiternam. Beatam ergo dixerim generationem, quam apprehendit tam uber indulgentiæ tempus, &c.* Et paulò poſt, *Si prudens, & diligens Mercator es, ſi conquiſitor hujus ſeculi, magnas quaſdam tibi nundinas indico, vide ne pereant. Suſcipe crucis ſignum, & omnium pariter, de quibus corde contrito confeſſionem fecerit, indulgentiam obtinebit.* Ita & vitæ illius auctor *l. 3. cap. 4.* ubi excuſat infelicem iſtius expeditionis ſucceſſum. *Quis rectè ſapiens illorum magis non doleat, qui ad priora, vel pejora fortè prioribus ſcelera redierunt, quàm eorum mortem, qui in fructibus Pęnitentię purgatas variis tribulationibus Chriſto animas reddiderunt?* Otto Friſingenſis *lib. 1.* de geſtis Friderici

rici I. *cap.* 40. de eadem expeditione, cui ipſe interfuit, *Tanta etiam, mirum dictu, prædonum, & latronum ad eam abiit multitudo, ut nullus ſani capitis, hanc tam ſubitam, quàm inſolitam mutationem ex dextra excelſi provenire non cognoſceret.*

IX. Quanta autem hominum multitudo non modo publicè impiorum, ſed omnium generum tantæ mercedis pollicitatione allecta peregrinationem illam aggreſſa fuerit, incredibile dictu eſt, S. Bernardus in fine *Epiſt.* 246. de hac multitudine ſcribit, *Vacuantur urbes, & caſtella; & pene jam non inveniunt, quem apprehendant ſeptem mulieres virum unum, adeò ubique viduæ vivis remanent viris.* Guilelmus Malmesburienſis de priori expeditione magis ſtupenda refert *lib.* 4. Ab iis autem didicerat, qui interfuerant, *Deſtituebantur*, inquit, *agri cultoribus, ædes habitatoribus, totis porrò migrabatur urbibus, Nullus neceſſitudinum amor, affectus patriæ vilis, &c. Gaudium erat euntibus, mæror remanentibus. Videres maritum cum Matrona, cum omni poſtremò familia euntem. Videres carpentis impoſitos totos in iter transferre penates. Anguſtus erat limes transeuntibus, arctus trames iterantibus, ſic ruebant agmina ſerie longa trahentia. Opinionem hominum vincebat numerus, quamvis æſtimarentur ſexagies centum millia itinerantium, &c.* His Lector mente reconditis apud te recogita, quàm acres adhuc fuerint, non modo initio ſeculi duodecimi, ſed etiam in medio, Pœnitentiæ peccatoribus impoſitæ, cum ut eas redimerent lubentes tantis periculis ſeſe exponerent, & pericula, afflictiones, morbos, mortem, dum contingebant, patientiſſimè ferrent. Abbas Caſemarii S. Bernardo ſcribens Epiſtola inter Bernardinas 333. ſic de iis refert, *Denique confeſſi ſunt nobis, qui redibant, quod vidiſſent multos ibi morientes, qui libenter ſe mori dicebant, neque velle reverti, ne ampliùs in peccata reciderent.* Certis quoque revelationibus, ut ibidem teſtatur, confirmatum erat, *Multitudinem Angelorum, qui ceciderant, de illis, qui ibi mortui ſunt, eſſe reſtauratam.*

X. Interrogabis Lector, an primùm in Claromontano Concilio inſtitutum fuerit, & uſurpatum hoc Pœnitentiæ genus? Minimè, reperiuntur paulo antiquiora exempla. Idem fecerat Victor II. anno 1087. pugnantibus adverſus Saracenos, ut refert Leo Caſſinenſis *lib.* 3. *cap.* 70. *Æſtuabat idem Apoſtolicus Victor, Saracenorum in Africa morantium ſuperbiam frangere, perfidiamque conterere. Concilio itaque cum Epiſcopis, & Cardinalibus habito, ex omnibus ferè Italiæ populis exercitum congregans, illiſque vexillum B. Petri Apoſtoli tradens ſub remiſſione peccatorum omnium contra Infideles, impioſque in Africam dirigit. Chriſto itaque duce ingreſſi Africam, centum millia pugnatorum occiderunt, &c.* Ante hanc victoriam inſignem ſic obtentam quatuor annis eandem gratiam Schiſmaticis fecerat Anſelmus Lucenſis Epiſcopus Gregorii ſeptimi Legatus, ut refert ex ipſius actis Cardinalis Baronius ad anno 1084. *S. Anſelmus Epiſcopus ſuam eis benedictionem per noſtram direxit parvitatem, hoc in mandatis præcipuè commendans nobis, ut ſi qui cum Excommunicatis communicaſſent, primitùs illos abſolveremus, & tunc pariter omnes auctoritate Apoſtolica, & ſua benediceremus, inſtruentes eos, quo pacto, quave intentione deberent pugnare, ſicque in remiſſionem omnium peccatorum eorum inſtantis belli committeremus periculum.* Obiici forſan poſſet Joannis VIII. *Epiſt.* 144. ad Epiſcopos regni Ludovici Regis. Verùm ſi diligenter attendatur, de Indulgentiis in ea ne verbum quidem. Contendit tantum eos, qui in bello pro Eccleſiæ defenſione ceciderant, ſalvari potuiſſe, & Deo precibus eſſe commendandos. Multi enim in Gallia de ſalute militantium dubitabant, iiſque bello peracto, aut defecto Pœnitentiam imponebant, ut multis exemplis ſupra demonſtratum eſt. Pontifex contrà docet, eos perfectam ſalutem conſequi potuiſſe, atque ut omnem ſcrupulum eximat, dicit eos ſe *quantum fas eſt abſolvere, precibuſque Domino commendare.* Refert idem Baronius diploma privilegii ab Urbano II. Monachis Cavenſibus dati anno Chriſti 1092. ſed evidenter ſuppoſititium eſt, & à Monachis in commoda ſua confictum. Ut autem cætera, quæ multa ſunt, præteream, nihil eorum, quæ de illa remiſſione enuntiantur, temporis illius morem ſapiunt, neque res, neque verba. Annis pluſquam centum poſteriora ſunt eo tempore quod illis affigitur; Nec in his opus immorari. Itaque finiente Gregorii VII. Pontificatu primùm cœpit iſtius pœnitentialis relaxationis praxis uſurpari, ſed rariſſimus fuit admodum illius uſus, cùm Gregorius VII. illum nunquam uſurpaſſe legatur, donec in Concilio Claromontano publicè ſanciretur. Illo ſeculo, & ſequentibus non modò in his graviſſimis cauſis, ſed etiam in longè minoribus frequentiſſimus fuit. Illo tamen ſeculo, quo primùm uſurpari cœpit, tanta Pœnitentiarum remiſſio etiam in cauſis graviſſimis nonnihil coarctata eſt; & repreſſa, Pontificibus ſæpè non pœnas omnes à canonibus inflictas, ſed earum mediam partem, tertiam, quartam tantum condonantibus. Verum de hac diviſa Pœnitentiarum relaxatione infrà multis agetur.

CAPUT XX.

Tertia minuendæ Pœnitentiæ canonicæ occaſio eſt pœnæ illius totalis, vel partialis ob donum temporale ſpirituali bono applicatum relaxatio. Præcedens occaſio opus heroicum, & difficillimum Pœnitentia commutat; hæc rem vulgarem, & unicuique facilè parabilem. Pœnitentiæ publicæ ſæpiùs ob crimen occultum ſuſceptæ. Indulgentia antonomaſticè dicta eſt iſta relaxatio. Pœnitentia canonica vix poteſt cùm illius frequenti conceſſione conſiſtere. Variæ Doctorum, qui nondum editi ſunt, de valore, & effectu iſtius relaxationis ſententiæ in ipſius initiis exortæ. Multæ difficultates ab ipſis excitatæ, & ſolutæ. Commoda maxima temporalia inde promanant, & uſui ſpirituali applicantur. Examinantur nonnulla teſtimonia, quæ iſtarum relaxationum originem altiùs repetere videntur. Quando cœpit in Eccleſia ſolemnis Sanctorum canonizatio.

OCcaſio capite præcedente explicata dici potuiſſet ſimpliciter Pœnitentiæ permutatio, potiùs quàm relaxatio; potiſſimùm illa permutatio, quæ cum recuperatione terræ Sanctæ facta eſt. Nam recuperatio illa opus ingens fuit laborum, & moleſtiarum plenum, quòd longiſſimis Pœnitentiis canonicis non immeritò æquiparari poteſt: ac proinde, qui hanc expeditionem Pœnitentiis canonicis permutabant, non χρύσεα χαλκείων, ſed paria paribus rependebant. Iſtius indulgentiæ cauſa prorſus mihi ſimilis videtur illis Antiquorum heroicis operibus ob gloriam Dei ſuſceptis, propter quæ diximus libro præcedente antiquiſſimos Patres, nonnunquam omnes pœnas canonicas remiſiſſe. In duobus tamen mihi maximè ab iis differre videtur; prius, quod in eximii iſtius operis executione, quæ longum tempus poſtulat, difficile eſt admodum à novo crimine ſeſe continere; poſterius, quod antiquitus, & continuò uſque ad illud ſeculum, quo finiente primùm uſurpari cœpit hoc Pœnitentiæ genus, omnibus Pœnitentibus publicis ſeveriſſimè interdicta erat omnis militia, ſed tum primùm novo jure exempta eſt ea, quæ in Ethnicos, atque etiam Hæreticos gerebatur. Aliud præterea notatu dignum mihi videtur, hac ſcilicet pœnitendi ratione peccatorum occultorum Pœnitentiam publicè actam fuiſſe, & conſuetudinem quadringentis annis intermortuam, iterum redivivam cùm omnium applauſu tunc comparuiſſe. Nam cum innumeri homines huic militiæ propter crimina ſua nomen darent, ne centeſima quidem pars crimina publica perpetraverat. Cæteri igitur omnes, hac expeditionis ſuſceptione ſe ingentia crimina occultè perpetraſſe publicè profitebantur. Minuebatur equidem iſta criminis perpetrati profeſſio, eo quod nonnulli ſolius pietatis cauſa huic militiæ ſeſe addicerent, ut antiquitus eadem præſumptio infirmabatur, ex eo quòd nonnulli pariter devotionis cauſa, & nullius criminis Rei Pœnitentiam publicam amplecterentur, & agerent. Hinc agendæ pœnitentiæ publicæ, & illius à ſolemni diſtinguendæ, eo tempore exorta eſt occaſio, & conſuetudo. Tum enim frequentiſſimæ factæ ſunt peregrinationes expiandorum peccatorum cauſa, Hieroſolymam præſertim. Ut ſolemnior eſſet Peregrinatio veſtem pœnitentialem aſſumebant, atq; inde vulgò Pœnitentes publici dicebantur. Id autem ex æquo faciebant, & propter occultum crimen, & propter publicum, ut uniuſcujuſque ferebatur devotio. De hac ſpecie Pœnitentiæ publicæ vide, quæ dicta ſunt ſupra *l.* 5. *cap.* 25.

II. Tertia relaxationis Pœnitentiarum canonicarum occaſio, quam explicaturi imus, à præcedente longiſſimè differt, quanquam mea quidem ſententia illius ſit veluti genuina proles, ſed quæ ab origine in maximam relaxationem apertè degeneravit. Ideò cùm primùm ipſius praxis in Eccleſia emicuit, non aliter eam Doctores vocarunt, quàm Pœnitentiarum relaxationem, & remiſſionem. Poſteà illius uſu vulgato, & confirmato vocata eſt relaxatio, ſive remiſſio, & indulgentia, cum horum altero Indulgentiæ nomine conjuncto, ut videre eſt apud Guilelmum Altiſiodorenſem, Guilelmum Pariſienſem, Alexandrum Halenſem, Albertum magnum locis infra citandis, tandemque ſimpliciter, & κατ' ἐξοχὴν ab omnibus Catholicis Indulgentia dicta eſt, quod nomen hactenus illi magna cum celebritate adhæret. Relaxationis formula erat ejuſmodi, Qui denarium in ædificationem, aut reparationem hujus Eccleſiæ, vel

Ora-

Digitized by Google

Oratorii contulerit, tertiam partem, vel quartam, &c. Pœnitentiarum imponendarum illi in Domino relaxamus. Eodem propè tempore extenſa eſt iſta relaxatio ad tes ſeculares. Pontium, itinerum, rerumque ſimilium refectionem. Nonnunquam integra Pęnitentia telaxabatur. Sed rarò id ſibi initio arrogabant Epiſcopi; hoc erat ſummo Pontifici veluti communi conſenſu delatum: Vix tertiam Pœnitentiæ partem excedebat relaxatio ab Epiſcopis conceſſa.

III. Hæc relaxatio meritò dici poteſt cauſa remiſſarum, & tandem obſoletarum Pœnitentiarum. Quis enim longiſſimis, & duriſſimis Pœnitentiis, quas *libro ſexto, & ſeptimo* deſcripſimus, noctu, diuque incumbere velit, qui uno denario, aut etiam obolo juxta Epiſcopi mandatum erogato tertiæ Pęnitentiarum canonicarum parti ſumma quadrante ſatisfacit, & triplicato denario totam ſummam albo expungit? Quidquid ſubtiliter dicatur, & diſputetur, hoc axiomate poſito diſficillimè Pœnitentiæ canonicæ actio perſuadebitur, cum ad ſe ab ea redimendum tam facilè, & parabile unicuique pręſto ſemper ſit remedium. Stupidiſſimus quiſque ad hanc conſequentiam intelligendam idoneus eſt. Quis verò, quæ contra ſubtiliter opponi poſſunt, animo capit? Hoc paulò poſt demonſtravit experientia, & in hunc uſque diem demonſtrat. Sed pręcedentis alia longè ratio eſt. Permutatur enim Pęnitentia cum opere difficili, cui permulti non abs re Pœnitentiæ canonicæ actionem præferre potuerunt. Præcedens tamen commutatio poſtremæ occaſio manifeſta fuiſſe mihi videtur. Peccatorum omnium remiſſio primùm donata eſt omnibus Hieroſolymitanam expeditionem ſuſcipientibus; poſteà iis, qui legitimè impediti eò non proficiſcebantur, ſed militem ibi militaturum ſuis ſumptibus alerent. Ut pecunia ſic diſtributa peccatorum omnium remiſſionem pariebat, ſic etiam crediderunt idem parere poſſe in Eccleſiarum ædificationem, vel reparationem collata. Hoc tamen obſervare ſolebant, ut remiſſio integra ſuſcipientibus, iter Hieroſolymitanum ſemper concederetur, pars verò tantùm, ut tertia, vel quarta, ſeptima, vel alia quævis, in aliorum operum propoſitorum gratiam, ut docet Alexander Summæ *part.4.q.23. memb.8.* Cardinalis Baronius infrà *cap.22.* citandus, & unaquæque hypotheſis, quarum multas eodem capite referemus. Conſiderabant finem, in quem pecunia illa conferebatur, Eccleſiæ ſcilicet ædificationem, cujus cauſa juſtum eſſe judicarunt, aut Pœnitentias integras remittere, aut earum partem.

IV. Cùm primum relaxationum ejuſmodi praxis obotta eſt, Multi Doctores Pariſienſes eam difficilem admodum judicarunt. (Tum enim Doctores, ſive Magiſtri Pariſiis ſolemni ritu creabantur.) Robertus de Flammesburg in ſuo Pœnitentiali, ſic de iis refert. *De remiſſionibus, quæ in Eccleſiarum ædificatione, vel Pontium, vel alibi diverſi diverſa ſentiunt, ſcilicet quantum, vel quibus valeant. Nos autem quidquid dicatur, omnibus conſulimus tales remiſſiones, maximè illis, qui peccatis, & Pęnitentiis onerati ſunt, & gravantur.* Prudens in re controverſa mihi videtur conſilium.

V. Præpoſitivus, qui ante Robertum Summam ſuam ſcripſit, iſtas relaxationes approbat, ſed cum duris conditionibus *fol.55.p.1. Item quæritur de Abſolationibus, quæ fiant per Epiſcopos, cùm dicunt, Quicunque tali loco dederit denarium unum, remittetur ei, &c. Utrùm aliquis ibi dans ex devotione, intelligatur abſolutus, quod videtur, quia Dominus dicit, quæcunque ſolveritis ſuper terram, &c. Sed hanc Abſolationem facit Epiſcopus juſtè, & ſine errore. Iſte ergo dans abſolvitur. Item Generalis eſt conſuetudo Eccleſiæ, contra quam non eſt diſputandum. Ergo talis Abſolutio valet. Contrà, videtur eſſe inconveniens, quod propter tres denarios, quos dans in tribus locis ab omni pœna abſolutus ſit; & in hac parte melior eſt conditio divitis, quàm pauperis. Quia pauper dare non poteſt, idcircò non tam citò abſolvitur. Solutio, credimus valere talem Abſolationem: Nam in tali caſu Epiſcopus pro talibus ſatisfacere debet, quia ſi in nullo ſatisfecit, potiùs ei imputabitur quàm illi. Non eſt inconveniens, quod iſte citiùs abſolvitur, quàm ille, quia poteſtas Sacerdotis in hac parte multum poteſt: Nam cui non ſufficiunt merita propria ad tantam Abſolationem, ſufficiat poteſtas Eccleſiæ. Sunt tamen, qui dicunt, quòd cùm tales Abſolutiones fiunt ab Eccleſia, Pœnitentes nihilominus jejunare debent. Sed ſi contingit eum decedere, tantùm minus in purgatorio punietur, quantum ei dimiſſum eſt.*

VI. Petrus Cantor Pariſienſis in Summa manuſcripta de Sacramentis, & animæ conſiliis, ſolio illius codicis 189. *p.2.* & ſequentibus multas in iſtarum relaxationum praxi ciet difficultates, quas definire non audet. Nonnullas referemus, *Cùm Eccleſia ſic aliquem abſolvit, nunquid ſtatim abſolutus eſt dato denario, ita ut ad nihil ulterius teneatur: An ita demum ſi Eccleſia ſuffragiis eos juvando compenſaverat, & tunc demum. Item ſit hìc aliquis, qui in Confeſſione oblitus fuerit peccata majora omnibus aliis, veluti quod conſilium dederit de aliquo occidendo, huic ex datione denarii remiſſa eſt pars pœnæ debitæ illi peccato. Quid ſi poſt memor fuerit illius, & ad Confeſſionem currat, nunquid integram Pœnitentiam Sacerdos injunget? Item duo confitentur æqualia peccata, aliter omnium memor, alter quorundam magnorum immemor, & par eis Pęnitentia injungitur, nunquid relaxatio æquè recidet illis. Item quandoque major debito Pęnitentiæ injungitur, quandoque minor, quandoque condigna. Si major, ita poſſet eſſe, quod prodeſſe poſſet talis relaxatio; quamvis bonum eſſet tantam complere, niſi metus eſſet, quod ſuccumberet. Similiter ſi condigna, quia poteſt eſſe metus defectus, & melius eſt vello, ut in purgatorio aliquatenus puniatur, quàm hìc minus oneretur. Sed ubi minor injungitur, quam hìc eſt ratio retrahendi, cùm potius eſſet augenda pœnitentia: Quomodo in incerto fiunt remiſſiones, cùm ignoretur modus Pęnitentiarum. In hoc tertio caſu ſaniùs videretur, & conſultiùs, ut nihil diminueret Eccleſia, ſed potiùs, quod plus eſſet injungendum; & in hoc ei confert. Item prout devotio Pęnitentis eſt major, vel minor, debet ei plus minuſve relaxari. Sunt ergo hi duo, unus habet grandem devotionem, alius tenuem, & exilem, nunquid æqualiter fiet eis remiſſio: fortè jam tantùm uni ex grandi devotione ejus remiſſum eſt. Ergo ultrà illud aliquid erat remittendum. Item eſto, quòd in pluribus, & varii generis huic injungitur Pęnitentia, & remittitur ei quarta de tota Pęnitentia, nunquid licebit iſti eligere, ut de quibus velit, recidat quartam? At in quibuſdam eſt major afflictio quàm in aliis, & prodeſſet, & magis in illis ſine retione Pęnitentiam implere, &c. Item cùm ad Eccleſiam conſtruendam, pontemve, extendatur hujuſmodi relaxatio, utrùm poſſit extendi ad Miſſæ decantationem à nuper ordinato, ad lectiſternia, & hoſpitalia, in quibus pauperes accubant, vel quouſque, & ad quæ opera ſpiritalia, & circa quæ debeant extendi, &c.* Multas conſimiles difficultates congerit Cantor, quæ ſanè demonſtrant evidenter ſuo tempore Pœnitentias canonicas adhuc viguiſſe, & Confeſſores eas Pœnitentibus propoſuiſſe, ut, quid peccata eorum mererentur, cognoſcerent, atque etiam licèt non integras, ſed plurimùm remiſſas, analogas tamen impoſuiſſe. Omnes enim iſtæ difficultates huic fundamento innituntur. Quo ſemel quaſſato, nulla ſupererit ſic obiiciendo occaſio.

VII. Attendendū qua ratione his omnibus objectionibus, uno generali reſponſo ſatisfaciat; ad ſingulas enim hypotheſes non deſcendit. *Quia verò faciliùs eſt ſolvere, quàm ſanare, opponere quàm ſolvere: unde omnes ferè ſolutiones argumenti, oppoſitiones ſunt, tremuli, & trepidi ad ſolutionem prædictorum qualemcunque accedentes dicimus, non rationibus niſi in paucis, ſed auctoritate Eccleſiæ probantes. Conſuetudo enim Eccleſiæ, & uſus non levis eſt auctoritas, verùm non adeò momento ſui valitura, ut aut rationem, aut ſacram ſcripturam vincat. De hac auctoritate, & contra multa induci poſſunt. Romana Eccleſia in Cęna Domini Peregrinis tranſmarinis remittit tres annos, ciſmarinis duos. Eadem eſt ad ſtationes in memoriis Martyrum. Remittit accedentibus ea die ad memoriam Martyris tertiam, vel quartam partem Pęnitentiæ, & hujuſmodi; nunquam autem in dedicatione, &c. Perſonales relaxationes ex cauſa debita commendabiles ſunt; generales non ita, eo quod indiſtinctè pronuntientur. Gregorius IV. (legendum 8.) in dedicatione Eccleſiæ à ſe Beneventi conſtructæ, ait populo ea dedicata: Tutiùs eſt, ut agatis Pęnitentiam, quàm vel tertiam partem, vel aliquotam vobis remittam. Alius Epiſcopus rogatus de his ait, Remitto duos dies Pęnitentiæ. Demus ergo hanc remiſſionem & corpori, & animæ conferre, cùm hæc tria concurrunt, ſcilicet auctoritas Eccleſiæ, communio ſuffragiorum ejus, labor, & devotio Pęnitentis. Pęnitentia enim Sacramentum eſt, ſicut confirmatio, ordo, matrimonium, in quibus auctoritas Eccleſiæ valet, ut ſint, vel non ſint vera, & rata. Verùm cùm hujuſmodi ſit remiſſio, quidam dicunt eum cui ſit ſtatim liberari, alii non, niſi poſt mortem, cùm ſcilicet Pęnitentiam peragere non potuit. Utra opinio vera ſit, conſule Dominum Papam, vel Epiſcopum, qui talem dat relaxationem. Non eſt meum ponere os in cęlum, ſed ſi quid natum fuerit quæſtionis, referatur ad Aaron, & Moyſen. His etiam rationibus licet tenuibus confirmare poſſumus, quæ diximus: Minor Sacerdos Pęnitentiam alleviat, ergo & major eam relaxare poteſt. Verùm minor non alleviat, niſi cùm eam*

im-

Digitized by Google

importabilem videt, unde mavult illam in Purgatorio ſuppleri, quàm hic ex toto reiici. Particularem etiam facit remiſſionem, non generalem. Item aliquis ſupplet Pœnitentiam alterius: Ergo & Epiſcopus hoc idem facere poteſt. Non eſt verum, dicet aliquis, quia ſupplens æqualem ſuſtinet Pœnitentiam, & hoc facit per Sacramenta, & auctoritate Eccleſiæ; ibi verò nulla pœna æquipollens ſuſcipitur.

VIII. Hæc multis, qui ex codice manuſcripto non edito, & ea continent, quæ propoſito noſtro illuſtrando non parum conducunt. Ex iis quatuor iſta manifeſtè colligi poſſe videntur. Primum, hanc ſolutionem non ſecus ac objectiones demonſtrare Pœnitentiarum canonicarum praxim quotidianam nondum obſolevisſe. Secundum, iſtarum relaxationum initia Cantoris tempore, aut paulò ante, primùm cœpiſſe; brevi tamen tempore, licèt multi contradicerent, alii variè de iis, earumque effectu dubitarent, magnos progreſſus feciſſe. Nec hoc creditu difficile eſt, cùm lucrum temporale, & maxima commoda in Eccleſiarum fabricas, & Epiſcopos hinc redundent. Tertium, privatos Epiſcopos certatim hanc conſuetudinem ſtabiliſſe, ſed cum ſcribebat Cantor, Romanos Pontifices eam, quantum ille reſcire potuit, nondum vulgò uſurpaſſe, & Pœnitentiæ actionem huic relaxationi longè prætuliſſe. Quartum, Cantorem iſtis Pœnitentiæ canonicæ remiſſionibus parum faviſſe. Vivebat Cantor eodem tempore, quo Pariſiis Mauricius erat Epiſcopus: Obiit autem Mauricius anno 1196. cùm Epiſcopatui præfuiſſet ann 32. aut 33. Ille eſt, qui ingentem illam Cathedralem Eccleſiam Sanctiſſimæ Virginis Deiparæ ſacram à fundamentis conſtrui curavit, quique quatuor Abbatias in agro Pariſienſi fundavit, extruxit, & dotavit. Natus erat Mauricius in agro Soliacenſi ad Ligerim ex intima plebis ſorde, & paupertima. Pariſiis ſtudia confecit mendicando ſeſe ſuſtentans. Nihilominus adeò alacri, & indefeſſo animo literis operam navavit, ut inter eruditiſſimos Theologiæ Magiſtros inſignis evaderet, tandemque Epiſcopus Pariſienſis eligeretur. Non igitur ex patrimonio ſuo, aut propriis ſumptibus immanem illam, & admirabilem fabricam, totque Abbatias conſtruxit. Qua igitur ratione ædificia tam ſplendida à fundamentis erexit, & confecit propoſita conferentibus nummulos in iſtas fabricas, Pœnitentiarum partiali, aut integra remiſſione. Hac ſpiritali induſtria tantam auri, argentique ſummam collegit, ut homo pauperrimus, omnibuſque bonis nudatus iis ſumptibus ferendis par fuerit, quibus regiæ divitiæ non ſufficerent. Fertur aliquando de hac ædificiorum ſuorum magnificentia cùm Cantore noſtro collocutus, & ab eo quid de illa cenſeret, percontatus, & reſpondiſſe Cantorem, multò melius facturum, ſi populum ſuum ad agendam Pœnitentiam ſedulò exhortaretur. Cùm autem hæc Mauricio tam proſperè ſuccederent, multi Epiſcopi idem imitati ſunt, brevique ad Pontium, viarum, rerumque ſimilium commoditas tranſlata.

IX. Ex univerſi noſtri ſermonis conſequentia, non abs re colliget aliquis initium tertii Indulgentiarum generis altius multò non eſſe repetendum, quàm à tempore medii ſeculi duodecimi. Vix enim ante illam ætatem occurrunt ejuſmodi Indulgentiarum argumenta. Tria poſſe opponi video. Primum Sancti Gregorii I. auctoritas, qui teſte Guilelmo Altiſiodorenſi *lib.4.* Summæ *tract.6.c.9. Inſtituit Romæ ejuſmodi relaxationes, & ſi aliquis eſt Romæ per Quadrageſimam, & ſequitur proceſſiones, habet de relaxationibus pluſquam quinquaginta annos.* Secundum ſumitur ex Epiſtola Sancti Lugderi Epiſcopi Monaſterienſis de Sancto Suiberto, quæ adtexitur vitæ illius Sancti apud Surium *tom.* 2. Martii I. Teſtatur Ludgerus *c.9.* Leonem III. Pontificem anno 803. in Germaniam ad Carolum magnum veniſſe, multas Eccleſias, Capellas, & altaria conſecraſſe, *Ubique multas Indulgentias conferendo.* Deinde Leonem cùm Carolo Imperatore, Archiepiſcopo Colonienſi, & numeroſiſſimo Procerum Comitatu Verdam ſeſe contuliſſe, & Suibertum in Sanctorum Catalogum retuliſſe, *Obtulit autem idem Sanctus Papa eidem Eccleſiæ ſpeciales indulgentias, cunctis fidelibus celebrantibus feſtum Sancti Suiberti, & ad divina confluentibus.* Tertium è quodam marmore, quod proſtat Romæ in Eccleſia Sancti Martini, & à Cardinale Baronio refertur ad ann. 847. In eo marmore inſcribitur, temporibus Sergii Papæ multa Sanctorum, qui recenſentur, corpora in hanc Eccleſiam eſſe tranſlata, & recondita, *Hæc Sanctorum corpora tranſlata ſunt de cœmeterio Priſcillæ via ſalaria: ſtatuens omni anno in feſtivitatibus eorum Indulgentiam trium annorum, & trium quadragenarum omnibus ad ea devotè venientibus.*

X. Teſtes boni, magnique, digniſſimi, quibus, vel injuratis, niſi vacillaret teſtimonium, fides adhibeatur. Refert Guilelmus velut ex Sancto Gregorio quòd exſcripſimus, nonnullique poſt ipſum Scholaſtici celebres. Sed apud Sanctum Gregorium, iſta nunquam occurrunt, nec quid aliud, quod aliquatenus hoc confirmet. Mirum eſſet, morem, qui ſi eſt aliquis, debuit eſſe frequentiſſimus, propter ſui commoditatem, & utilitatem, apud Sanctum iſtum deprehendi, de quo, nec eo tempore, nec multis ante, & poſt ſeculis, nulla memoria, nullum veſtigium nulla umbra. At Guilelmus Altiſiodorenſis teſtatur Sanctum Gregorium ita ſtatuiſſe, & celebres Scholaſtici, vel illius auctoritate fulti, vel eodem codice, quo uſus eſt, perſuaſi, idem affirmant. Quis neſcit, qua criticè valerent in antiquis operibus diſcernendis, & diſpungendis plerique iſtorum ſeculorum auctores? Num aliquando non impoſuit ipſis titulus libro ab impoſtore poſitus? Rem notiſſimam quid opus eſt pluribus perſequi?

XI. Quod ad ſecundum attinet, in eo nihil eſt ſani: Conficta eſt Epiſtola ante forſan trecentos annos, aut ut maximè, ante quadringentos nomine Sancti Ludgeri ab aliquo Verdenſi Monacho in ſui Monaſterii commodum, & gloriam. Quæ ſcribit de tempore itineris Leonis III. ad Carolum, de mora ipſius in Caroli Comitatu, de variis cùm eo itineribus ſuſceptis, omnia *ἀντοφέρτως* ficta ſunt, & cùm iis, quæ referunt illius temporis auctores conſtare non poſſunt. ut unicuique iſta comparanti evidens erit. Deinde Sancti Suiberti in Sanctorum Catalogum relationem, eo modo, & ordine enarrat, quo nunc, & ab annis quadringentis celebrari ſolet. Certum eſt autem hanc celebritatem cœpiſſe trecentis poſt Leonem III. annis, & amplius. Primus, quem perhibent antiqua monumenta ſolemniter à Pontificibus canonizatum fuiſſe, eſt Hugo Carthuſianus, & Gratianopolitanus Epiſcopus: Secundus eſt Sanctus Bernardus. Sed conſidera, quæ Epiſtolæ, ſive Bullæ Pontificum de iſtorum Sanctorum canonizatione referunt, & ea compara cùm iis, quæ auctor ille de Sancti Suiberti canonizatione ſcribit, deprehendeſque ceremonias hodiernas à Leone III. multò diligentius, & copioſius quàm ab Innocentio II. aut Alexandro III. fuiſſe obſervatas: quòd argumentum certum eſt iſtius Epiſtolæ auctorem poſt annum 1200. ſcripſiſſe. Ante Innocentium II. & Alexandrum III. ſimplex admodum erat Canonizationis ritus, ut ex Petro Damiano conſtat in fine vitæ Sancti Romualdi, teſtaturque Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 1027. Obtinebatur ab iis, quibus erat curæ illa canonizatio à ſede Apoſtolica facultas altare ſuper defuncti corpus erigendi. Eo erecto peracta erat canonizationis ſolemnitas. Poſt illud tempus ceremoniæ ſanctæ illius actionis, paulatim factæ ſunt auguſtiores. Tertio ſæpius recitat Epiſcopos, Archiepiſcopos, Cardinales, & Proceres Pontifici aſſidentes, ſed ſemper primo loco Cardinales collocat contra morem illius temporis, & ſeculorum ſequentium. Innocentius II. trecentis, & aliquot poſt verum Ludgerum annis ad Carthuſiæ Priorem de Sancti Hugonis canonizatione ſcribens Cardinales tertio loco ponit.

XII. Quartò commemorat *c.* 12. Severinum quendam Patrem familias, Adoleſcentem filium propter morbum à ſtudio Bononienſi revocaſſe. Quaſi verò regnante Carolo magno Bononiæ literarum ſtudia florerent, & eò ex variis Provinciis confluerent Adoleſcentes. Ita equidem vivente Gregorio IX. qui Decretalium compilationem ad Doctores, Scholareſq; Bononienſes direxit. Quintò *c.2.* bis vocat Hunaldum Comitem de Angiers: Nominis Provinciæ formatio vernacula recens; quæ vix ante annos quadringentos uſurpari cœpit. Deinde Francos vocat Francigenas; nomen Hiſtoricis Francorum ſub tertio ſtemmate ſcribentium frequens, ſed anteà inuſitatum. Multa ſunt alia ejuſdem criminis argumenta, quæ longum eſſet perſequi: Undique enim rimoſa eſt hiſtoria iſta, & fabellis veritati aſſutis fatiſcit.

XIII. Tertium antiquitatis argumentum nihil mihi prorſus videtur concludere. Sergius enim marmor illud ſculpi non juſſit, nec collocaſſe dicitur, nec collocationis, aut inſcriptionis ulla æra adnotatur. Itaque ex æquo affirmari poteſt annis ducentis, trecentis, & quadringentis, &c. poſt Sergium II. Pontificem, & illo vivente marmoream illam tabulam eſſe erectam. Hinc tantùm colligitur, cùm hoc factum eſt, ab eo qui fieri curavit creditum fuiſſe Sergium II. Pontificem ejuſmodi Indulgentias conceſſiſſe. Sæpius autem Eccleſia illa ab eo tempore, ut & aliæ Romanæ, reparata, & refecta eſt. Sanè, qui animo revolverit, quanta cùm ſeveritate ſeculis octavo, nono, decimo, & undecimo Pontifices Pœnitentias canonicas co-

luc-

luerint, & impoſuerint, quarum exempla, & decreta plurima toto *libro ſeptimo* telata ſunt; Qui apud ſe perpenderit, quòd Pontifices nuſquam legantur in probatis auctoribus, aut ſcriptis propriis tantillum his indulgentiis ſimile relaxaſſe, licèt Romam ipſam ad Pœnitentiæ impoſitionem à criminum Reis convenirentur, non puto in animum inducturum, Pontifices illis ſeculis Indulgentiarum tantam gratiam feciſſe. Vix enim tantam pœnitentiarum canonicarum gratiam ſeculo duodecimo finiente in pari cauſa feciſſent.

CAPUT XXI.

Doctorum poſteriorum ſententiæ de virtute ejuſdem relaxationis, & illius concedendæ ratione, & fundamento explicantur. Quæ conditiones neceſſariæ ſunt, ut ea donatis valeat. Multi aſſerunt valere quantum ſonat, concedi quoque poſſe pro beneficio ſpirituali, ut oratione, &c. Quis primus Indulgentiarum compenſationem à Theſauro Eccleſiæ derivavit, & ex eo pœnas canonicas laxatas reſarciri docuit, & qua occaſione unus Doctor Scholaſticus repugnavit. Guilelmus Pariſienſis Pœnitentiis canonicis minimum detulit; eas non ſemel Carnificinam vocavit. An obligentur ad aliquas Pœnitentias faciendas, quibus indulgentiæ conceſſæ ſunt, & qua obligatione. Quæ requiruntur, ut Indulgentiæ illæ ſint efficaces. Conſilium Alberti magni hac in cauſa. De indulgentiæ virtute omnium magnificentiſſimè loquitur S. Thomas.

AUctores in lucem editos præcedentibus tempore proximos nonnullos habemus, qui iſtius Indulgentiæ naturam, circunſtantias, & praxim diligenter ſcrutati, de ea evidentius, & aſſeverantiùs locuti ſunt. Quid de ejus valore, & effectu; Quid de proponendæ, concedendæ, adipiſcendæ, & compenſandæ modis, & conditionibus nos doceant, hoc capite enarrabimus. Guilelmus Altiſiodorenſis, qui eodem propè cùm Roberto de Flammesburg tempore ſcribebat, *Lib. 4. Summæ, tract. 6. cap. 9.* quod inſcribit *de relaxationibus, quæ fiunt per claves*, eas valere ait quantum Eccleſia pollicetur, ſed ſex requirit conditiones: primò, auctoritatem, ut abſolvatur à Prælato ſuo. 2. Neceſſitatem loci, cujus cauſa fit relaxatio, & neceſſitas perſonæ, cui fit relaxatio, veluti quod ita debilis eſt, & infirmus, ut jejunia, & Pœnitentias injunctas præſtare non poſſit. 3. ut credat, Eccleſiam jus habere talem relaxationem largiendi. 4. ut ſit in ſtatu gratiæ, quia ſine charitate non prodeſt relaxatio. 5. ut apud ſe diſcernat, quantum dare vellet, ut ab ea Pœnitentia liberaretur. 6. juſtam æſtimationem, ut ſecundùm quod ei dimittitur, compenſet. Æſtimationem autem illam putandam eſſe cenſet, non modò ratione dati, & accepti, ſed præſertim ratione precum, & ſuffragiorum Eccleſiæ, quæ ſeſe hac largitione *Obligat ad orandum pro illo, qui dat aliquid de ſuo ad fabricam Eccleſiæ, & Eccleſia per preces ſuas meretur ei remiſſionem pœnæ.* Univerſum hoc probat in argumenti ſolutione. Sic ille diſſerit de Pœnitentiæ relaxatione, ut apud Deum valeat.

II. De æſtimatione autem illa litem movet, eo quòd nonnulli Epiſcopi eam, ut illi videbatur, diffusè nimis putabant: *Fit enim*, inquit, *relaxatio aliquando ſub hac forma, Quicunque dederit de ſuo ad fabricam talis Eccleſiæ, dimittitur tertia pars Pœnitentiæ ſuæ, & peccata oblita, & vota fracta, ſi ad eadem redierint, & conſimilia.* Sic ille propoſitionem iſtam vult intelligi. *Dicimus quod in veritate multa promittunt Prælati, quæ non ſolvuntur. Unde cum magna diſcretione, & non paſſim faciendæ ſunt hujuſmodi relaxationes. Dicimus ergo, quòd cùm juſta æſtimatio non poſſit fieri de peccatis oblitis, & votis fractis, non eſt neceſſe, quòd tantùm valeat relaxatio, quantùm promittit Eccleſia. Unde ſic eſt intelligendum: Quicunque dederit de ſuo aliquid ad fabricam talis Eccleſiæ, dimittitur ei tertia pars Pœnitentiæ injunctæ, & peccata oblita, & vota fracta, dimittuntur, inquam, vel in parte, vel in toto. Et hoc magnum eſt, ſed Eccleſia non determinat, ut magis exerceatur devotio fidelium.* Similiter non vult cruce ſignatos omnes, ut Hieroſolymitanam expeditionem ſuſcipiant, ſtatim in cœlos recipi ſi moriantur, ſed pleroſque tantum, eos ſcilicet, qui crucem ſuſcipientes parati ſunt pro Chriſto mori, eo quod iſto propoſito augeatur in illis Contritio, qua peccata dimittuntur. Verùm Prædicatores vulgò infinitè hoc populis proponebant, ut ipſe teſtatur, *Quicunque acceperit crucem ad ſubſidium terræ Sanctæ, dimittuntur ei omnia peccata ſua, ita quod ſi ſtatim decedat ſumpta cruce, ſtatim evolabit.*

III. Largiùs diffundit, & expeditiùs explicat hoc beneficium S. Raymundus in Summa, quam aliquot annis poſt Altiſiodorenſis ſcriptum edidit, Sic ille *lib. 3. cap. de Pœnitentiis, & remiſſionibus §. 63.* Quærit, quid proſint generales remiſſiones Pontium, & ſimiles. *Diverſi*, inquit, *diverſa ſentiunt. Quidam enim dicunt, quod valent, quoad delicta ignorantiæ; alii quoad venialia; alii quoad Pœnitentiam negligenter peractam; alii quoad diminutionem pœnæ in purgatorio. Verùm alia ſententia eſt favorabilis, & magis communis, & illam approbo: Videlicet quod valeant, ſicut ſonant. Cùm enim Papa ſit vocatus in plenitudinem poteſtatis, inferiores autem Prælati in partem ſolicitudinis, durum eſſet contra tantum poteſtatem clavium diſputare.*

IV. Deinde explicat, cujus rei propriè fiat remiſſio, ſive quodnam ſit illius objectum, circa quod exercetur: Poſteà quæ concurrant, ut remiſſio illa ſit efficax. *Nota ergo quod pro quolibet peccato mortali duplex pœna debetur, temporalis videlicet, & æterna. Æterna remittitur per contritionem cordis, remanet poſteà temporalis ab Eccleſia infligenda. Si ergo aliquis rectè contritus eſt, & confeſſus, & Papa facit generalem remiſſionem pro ſubſidio Terræ Sanctæ, vel ſimili, ſi aliqui undecunque ſit, fecerit eleemoſynas habens pium, & Catholicam devotionem, credens ſimpliciter, ac purè illud, Quodcumque ſolveris, &c. valet ſibi talis eleemoſyna ad onus Pœnitentiæ ſublevandum. Et hoc propter dico; ſcilicet propter devotam erogationem, & quia obligat eum, qui facit remiſſionem, immò totam Eccleſiam, ut ſuffragetur ei.*

V. Poſteà ſibi obiicit, *Nunquid igitur ſi erat Pœnitentia ſeptennis, & dedit in prima die ſeptem nummos ſucceſſivè habentibus remiſſiones annuales, erit continuò totaliter liberatus, an in parte, & in quota parte? Hoc omninò nec ſcio, nec credo aliquem mortalem ſcire, niſi eſſet alicui divinitus inſpiratum.* Attamen remiſſionis majoris, vel minoris tres cauſas generales reddit, minorem, vel majorem Pœnitentis devotionem, Suffragantis quoque, ſive orantis pro Pœnitente; tertiam, majorem, vel minorem ſuffragantium numerum. *Cùm igitur nullus poſſit ſcire menſuram, vel numerum talium, nec per conſequens poteſt ſcire remiſſionis menſuram.*

VI. Alexander Halenſis, qui circa idem tempus cum Raymundo ſcribebat eodem ſenſu de relaxationibus illis ſcribit, ſed multò diffuſiùs, *4. p. Summæ q. 23.* Per relaxationes illas nihil aliud intelligit, quàm Pœnitentiarum canonicarum propter peccata injunctarum, vel injungendarum virtute clavium remiſſionem factam, quam propriè diſpenſari dicit propter exteriora, & corporalia beneficia, ut conſtructionem Baſilicarum, auxilium Terræ Sanctæ præſtandum, & ſimilia; poſſe etiam pro beneficiis ſpiritualibus concedi, præſertim à ſummo Pontifice, veluti orantibus pro terra Sancta, pro Rege, &c. *Et illis præcipuè, qui aliam quàm orationis ſubventionem facere non poſſunt; ut poitè ſunt pauperes, & debiles. Non eſt enim conſonum rationi, quod perſonis miſeris neganda ſunt remedia, quæ pia mater Eccleſia filiis ſolet præſtare.*

VII. Quærit inſuper, An ſummus Pontifex poſſit totam pœnam debitam Pœnitentiæ relaxare? Reſpondet affirmando, ſed cum his conditionibus, *Præexiſtente pœna debitæ, & ſufficientis contritionis, poteſt ſummus Pontifex totam pœnam debitam peccato pœnitenti dimittere; non tamen debet niſi ex magna cauſa.* Tritam tum temporis, difficilem tamen objectionem ſolvit, duobus modis, unò anteà mihi non lecto poſteà tamen vulgatiſſimo, & à nemine non uſurpato, *Aut Deus punit, aut homo.* Unde conficitur, ſi homines pœnam omnem relaxent, Deum illam punire, & conſequenter indulgentias, præſertim univerſales, ſive plenarias apud Deum non valere. Reſpondet, *Poteſt dici, quod quando Dominus Papa dat plenam indulgentiam, ipſe punit obligando Eccleſiam, aut aliquod membrum Eccleſiæ ad ſatisfaciendum. Vel poteſt dici, quòd theſaurus Eccleſiæ, qui exponitur pro ſatisfactione Eccleſiæ habetur principaliter ex meritis Chriſti, &c. Unde poteſt dici, quòd Deus punit mala, quæ indulgentur, ut homo, & Deus, patiendo, & ſatisfaciendo pro nobis, & ſic Chriſtus Deus, & homo punit, ſive punivit.* Hæc quæſtionis *membro 6.* Hunc theſaurum è quo remiſſionis pœnarum canonicarum compenſatio Deo facienda hauritur, & hujus theſauri fundamenta latiùs explicaverat ejuſdem quæſtionis *membro 3.* oſtenderatque hunc theſaurum, *E meritis ſupererogationis membrorum Chriſti, & maximè de ſupererogationibus meritorum Chriſti componi.* Hanc rationem, quam ſubdubitans, nondum definiens proponit, apud alios ante ipſum non memini me legiſſe.

VIII. Eodem tempore vir alter inſignis, & maximi nominis

nis Albertus magnus, qui Theologorum familiæ Dominicanæ caput erat, ut Alexander Franciſcanæ, idem docebat. Qui prior ſic docuerit, & ſcripſerit, neſcio. Albertus *in quartum diſt. 20. art. 16.* tres relaxationis, de qua agimus, definitiones tradit; duas priores Magiſtrorum, tertiam cujus videtur ſe auctorem nuncupare. *Magiſtri definiunt relaxationem ſic, eſt ſatisfactionis majoris in minorem competens, & diſcreta commutatio. Alii ſic, relaxatio eſt pœnæ temporalis debitæ permiſſa diminutio.* Neutram improbat Albertus, immò dicit utramque ſatis poſſe ſuſtineri: de tertia vero ſic loquitur, *Si quis tamen hanc dare vellet, ſcilicet, quòd indulgentia, ſive relaxatio, eſt remiſſio pœnæ injunctæ ex vi clavium, & theſauro ſupererogationis perfectorum procedens, puto quod melius definiret.* Poſteà ſingulas partes definitionis ſigillatim explicat: Hanc tantùm exſcribemus, *Quia verò non poteſt remitti debitè, & diſcretè pro peccatis injunctum uni niſi fiat recompenſa per alterum qui plus debito facit; Ideò ſubjungitur ex theſauro ſupererogationis perfectorum procedens. In hoc enim theſauro habet Eccleſia divitias meritorum & paſſionis Chriſti, & glorioſæ Virginis Mariæ, omnium Apoſtolorum, & Martyrum, & Sanctorum Dei, vivorum, & mortuorum.* Scrupulus injectus Doctoribus illius temporis de remiſſionibus factis ob unius aut alterius denarii in Eccleſiarum, Pontium, &c. refectionem donati, ex eorum animo eximi difficillimè poterat: potiſſimum cùm omnium peccatorum erant datæ remiſſiones. Recurrebat enim ſemper hoc Sancti Auguſtini, & aliorum Patrum axioma, quod homo non punit, Deus punit. Deinde leviſſima pœnæ levitas, ſi quis, præſertim dives, contribuendo unum denarium ab omnibus pœnis canonicis, quæ multorum annorum jejunia duriſſima continent, ſtatim liberatur, crucem ſemper animo figebat, niſi aliqua pœna daretur relaxatæ vicaria. Tandem excogitatis huic argumento, & ſimilibus multis medelis omnium optima, & acceptiſſima viſa eſt ea, quæ ſanctiſſimum hunc Eccleſiæ theſaurum relaxationum iſtarum compenſationi applicavit.

IX. Mirari quis poterit, quamobrem Guilelmus Pariſienſis Epiſcopus, qui capite ultimo de Sacramento ordinis omnium diffuſiſſimè de iſtis relaxationibus diſputat, objectiones ſolvit, & earum utilitatem, quibus poteſt rationibus, explicat, & confirmat, iſtius tamen à Theſauro Eccleſiæ petitæ inter innumeras, quas refert, nullam mentionem faciat, cùm eodem tempore vixerit, utrique familiaris? Hoc videtur demonſtrare rationem illam tum reddi cœptam, nondum apud omnes vulgatam. In prædicandis, laudandis, & ampliandis relaxationibus illis laxiſſimus fuit Pariſienſis ille Epiſcopus. Multis contendit compenſationem relaxationis Pœnitentiæ canonicæ, quæ fit dando unum denarium, aut tria ova in ædificationem Eccleſiæ, & quid ejuſmodi eſſe utiliorem, & Deo gratiorem, quàm Pœnitentiæ, & macerationum diuturnarum exercitium, quas videtur per contemptum vocare carnificinam, eo quod hac largitione Dei cultus propagatur, & Sanctorum, qui in illa Eccleſia coluntur, interceſſiones conciliantur. *Honor cultus ipſius, atque ſervitium non ſolùm ſupplet quod de Pœnitentiis per indulgentias detrahitur, ſed etiam ſuperabundat in multo: maximè cum ſacrificium laudis, orationum incenſa, & laudum thymiamata plus Deus diligat, quàm tormentorum pœnitentialium carnificinam, ſicut ipſemet teſtatur Iſaiæ 58. Nunquid tale eſt jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam? Nunquid ſaccum, & cinerem ſternere?* Et multis poſt hæc periodis ſic colligit: *Manifeſtum ergo eſt, quod & major honor ſit Deo, majorque utilitas animabus propter cauſas, quas divino ſervitio, ſeu cultui ſuperiùs aſſignavimus, ædificari Baſilicam unam, in qua Deus jugiter ſerviatur, animabus ſacrificiis, & orationibus aſſiduis ſuccurratur, Sanctorum ſuffragia, qui quæcunque voluerint, apud Dominum poſſunt, die ac nocte ab eis impetrentur, &c. Major, inquam, eſt honor Deo, majorque animabus utilitas quàm quantacunque afflictionum Pœnitentialium carnificina. Epiſcopalis ergo poteſtatis, & officii eſt carnificialem illam afflictionem quantamcunque, ſive pro parte, ſive pro toto, ſicut expedire viderit, in hujuſmodi bonum, vel ſimile, vel alteriuſmodi, quod publica requirit utilitas, commutare.* Plurimæ ſunt ejuſmodi rationes utilitatis, & neceſſitatis iſtarum relaxationum, earumque ſupra antiquas Pœnitentias præſtantiæ, ad quas Lectorem, quia fusè enarrantur, remittimus.

X. Qui non fuerunt adeò liberales, plurimùm in reddenda ratione agendæ exterioris Pœnitentiæ laborarunt. Alexander *memb. 6. q. 23.* quærit, ſi facta plena indulgentia omnium peccatorum, teneatur is, cui facta eſt ad Pœnitentiam ſibi injunctam faciendam. Reſpondet, *quod non oportet oportunitate neceſſitatis, ſed tantùm oportunitate expeditionis: licèt enim tantùm ſit alicui collatum de indulgentia, quantum ſufficit ſibi ad deletionem totius pœnæ quam debet pro peccatis; tamen non expedit illi prætermittere ſibi injunctam, ſed expedit, quod illam adimpleat, quandiù vixerit.* Quare autem expediat, hanc unicam reddit rationem, quod de miſericordia Dei, non de juſtitia indulgentiam conſecutus eſt. (Oportunitatem derivat ab oportet.) Tres alias rationes reddit Altiſiodorenſis, ſed duas priores alii non concederent, quia Indulgentiarum virtuti non ſatis favent, poſtremam ſimpliciter negarent.

XI. Albertus *art. 17.* de valore relaxationum diſputat, & improbat eorum ſententiam, qui dicunt, *Quòd ſimpliciter ſicut pronuntiantur indulgentiæ, ita valent ſine omni alia conditione intellecta, vel dicta.* Iſti, inquit, *nimis bonum forum dant de miſericordia Dei.* Quid igitur Albertus? ſex conditiones ait Eccleſiam exigere, aut ſupponere; eas autem alio modo enuntiat quàm Altiſiodorenſis. 1. Concedentis auctoritas, & juriſdictio. 2. Juſta neceſſitas, aut utilitas. Neceſſitas, ut periculum Patriæ, liberatio terræ Sanctæ, periclitatans fides, & hujuſmodi. Utilitas, ut Paupertas loci, auditus verbi Dei, frequentatio reliquiarum, &c. Uult autem utilitatem hanc eſſe publicam, non privatam. 3. ſit contritus, & confeſſus in voto. 4. credat hoc beneficium ſibi conferri poſſe auctoritate clavium: *Et ideo*, inquit, *ſemper in literis Indulgentiarum continetur omnibus contritis, & confeſſis, &c. quia non eſſet ab eo ſolubilis pœna, niſi jam præceſſiſſet in eo remiſſio culpæ.* 5. Abundantia theſauri, ſive meritorum repoſitorum in theſauris ſpiritualibus Eccleſiæ 6. Juſta æſtimatio ſolutionis ejus, pro qua Indulgentia eſt inſtituta. *Juſtam vero æſtimationem virorum bonorum ſecundùm Eccleſiæ neceſſitatem, conſiderato tempore, & facultate perſonæ: quia uno tempore plus valet parum adjutorii, quàm alio magnum, & plus eſt uni dare parum, quàm alii multùm.*

XII. Sibi obiicit Pœnitentias non dari tantùm in pœnam peccatorum, ſed in antidotum, ut ſanitas animæ recuperetur, & pravi affectus extinguantur. Suo exemplo quid ſit faciendum docet, *Conſilium meum in talibus ſolet eſſe, quod etiam poſt relaxationem Pœnitens maneat in Pœnitentia, quam diſcretus confeſſor poſt diligentem examinationem Confeſſionis injungit. Quia ille non injungit tantùm pro reatu delendo, ſed etiam ut ſit medicina contra pronitates contractas ex antiquis peccatis, quæ non indulgentur per indulgentiam, ſed potius per opera ſatisfactionis prædicto modo injuncta. Et ideò licèt non teneatur ſervare, ut ſatisfaciat pro reatu, utile tamen eſt, ut ſervet pro medicina.* Itaque ex ipſius ſententia, ut & Alexandri, & Guilelmi, Indulgentias habentibus, Pœnitentiæ in pœnam peccati neceſſariæ non ſunt. Idem Raymundus loco citato, ſed non ita decretoriè.

XIII. Verùm Gloſſator Raymundi eadem docet de Indulgentiis generalibus à Pontifice in recuperationem Terræ Sanctæ datis: *Recurrendum eſt ad formam Indulgentiæ, & intentionem Papæ, ut ſecundùm hoc judicetur, utrùm pro ſola ſuſceptione crucis, & propoſito proficiſcendi, & pro quanto labore aſſumptæ peregrinationis, aut pro quanta mora in executione negotii facienda conſequatur quis indulgentiam illam. Papa enim cùm habeat plenitudinem poteſtatis, & Eccleſia generalis ab antiquo hujuſmodi indulgentiam approbaverit, multùm poteſt in talibus, & latiſſimè interpretanda eſt indulgentia generalis, præſertim cùm ex magnitudine fidei, & charitatis, videatur procedere quòd quis aſſumat, vel recipiat peregrinationem, tot, & tantis periculis, & mortibus plenam.* Particulares verò Indulgentias ſive ab Epiſcopis, ſive à Papa dentur, opinatur omnes Pœnitentias ab Eccleſia inflictas, vel infligendas expungere, *Ita quod non tenentur ii, quibus fiunt hujuſmodi indulgentiæ facere Pœnitentiam exteriorem pro ea parte, quæ per hujuſmodi indulgentias eis eſt remiſſa; vel etiam pro toto, ſi tota Pœnitentia per ejuſmodi indulgentias in totum eſt remiſſa.* Exceptionem addit Gloſſator, quæ magna ex parte neceſſaria non eſt in uſu Pœnitentiarum canonicarum, niſi generali quadam providentiæ divinæ neceſſitate quæ juſtiſſimos quoſque certis de cauſis nobis ſæpius ignotis punire ſolet, *Hujuſmodi tamen remiſſiones non præjudicant divinæ juſtitiæ, quin cujuslibet peccatum ſufficienter puniatur, vel hìc, vel in Purgatorio; aut pœna ejus ſufficienter redimatur per eleemoſynas, aut orationes, & cætera ſuffragia.* Verùm iſta divinia judicia, & Sanctorum ſuffragia ad Pœnitentias canonicas tollendas, aut ponendas non ſpectant, & quò homines ſanctiores ſunt, eò magis ſe credunt iis opus habere.

XIV. S. Thomas de iſtius theſauri virtute, & efficacia omnium magnificentiſſimè locutus eſt, adeo ut huic uni theſauro confiſus rationes omnes valoris Indulgentiarum ab Antiquioribus Scholaſticis redditas facilè ſpreverit, & repudiaverit. In 4. *diſt.* 20. *q.* 1. *art.* 3. Refutatis tribus variis ſententiis, ſubdit, *Cauſa remiſſionis pœnæ in indulgentiis non eſt niſi abundantia meritorum Eccleſiæ, quæ ſe habet ſufficienter ad totam pœnam expiandam: non autem cauſa remiſſionis effectiva eſt, vel devotio, aut labor, aut datum recipientis, aut cauſa pro qua fit indulgentia. Unde non oportet ad aliquod horum proportionare quantitatem remiſſionis, ſed ad merita Eccleſiæ, quæ ſemper ſuperabundant, & ideò ſecundùm quod applicantur ad iſtum, ſecundum hoc remiſſionem conſequitur. Ad hoc autem quod applicentur iſti, requiritur auctoritas diſpenſandi ejuſmodi theſaurum, & unio ejus, cui diſpenſatur, ad eum, qui merebatur, quod eſt per charitatem, & ratio diſpenſationis ſecundùm quam ſalvetur intentio illorum, qui opera meritoria fecerunt. Fecerunt enim ad honorem Dei, & utilitatem Eccleſiæ in generali: Unde & quæcunque cauſa adſit, quæ in utilitatem Eccleſiæ vergat, & honorem Dei, ſufficiens eſt ratio indulgentias elargiendi. Et ideò ſecundùm alios dicendum quòd indulgentię ſimpliciter tantùm valent, quantum prædicantur, &c. Nec in hoc nimis fit magnum forum de miſericordia Dei, ut quidam dicunt, nec juſtitiæ divinæ derogatur, quia nihil de pœna dimittitur, ſed unius pęna alteri computatur.* Hæc poſtrema verba Alberto præceptori ſuo videtur oppoſuiſſe. Huic doctrinæ convenit antiquiſſima Eccleſiæ praxis, quam multis libro præcedente explicavimus, qua Lapſis ad Martyrum commendationem Pœnitentiæ canonicæ relaxabantur. Sed paulò poſt S. Cyprianum propter abuſum abrogata eſt. Alia eſt enim vivorum, alia defunctorum ratio: Homines enim etiam ſanctiſſimi, & Martyrio proximi, quandiu vivunt, circumveniri, decipi, malè agere poſſunt: Et vivis exempti omni erroris, & ſeductionis periculo liberati ſunt.

XV. Poſt iſtos Scholaſticæ doctrinæ principes, poſteriores omnes hunc Eccleſiæ theſaurum non modo conceſſerunt, ſed etiam Indulgentiæ faciendæ fundamentum eſſe docuerunt, unum ſi fortè excipias Franciſcum Mayronis in 4. *diſt.* 19. *q.* 2. Sed rationes, quibus agit in theſaurū illum non mihi videntur ſatis Catholicæ, quanquam indulgentiæ faciendæ rationem veram, & idoneam afferat; verum quam improbat, illi non repugnat. Præterea inepta ſimilitudine eodem loco aptam, & convenientem rationem illuſtrat. Durando eadem contra Eccleſiæ theſaurum, quà Sanctorum merita reſpicit, ſententia immeritò tribuitur, ut ipſius textum in 4. *diſt.* 20. *q.* 3. legenti manifeſtè conſtabit. Tandem hunc Eccleſiæ theſaurum, ut Indulgentiarum fundamentum docuit, & prædicavit Clemens VI. in extravagante, *Unigenitus*, quæ refertur Extravag. Communium *lib.* 5. *tit.* 9. *cap.* 2.

CAPUT XXII.

Pontificum decreta, & antiquiorum auctorum teſtimonia de Indulgentiis, videri earum virtutem extendere non modò in pœnam peccati, ſed etiam in culpam multis demonſtratur. Opus injunctum per Indulgentiam vice fungitur pœnæ canonicæ, & illius obligationem ſolvit; ideò virtus ipſius ut pœnæ canonicæ diffunditur. Pontifices Indulgentiam concedentes, qua ratione, licèt abſentes, & non audita Confeſſione, dicant ſe abſolvere, & peccata remittere. Expeditiones Hieroſolymitanæ occaſionem dederunt Abſolutionem individuo nexu conjungendi cum Confeſſione criminum, & quamobrem Scholaſticum dogma tam emergens hanc praxim confirmavit. Studia Philoſophica, & Theologica quando, quibuſve auctoribus Pariſiis primùm florere cęperant. Etiam poſito hoc dogmate indulgentia in culpam aliquando agere intelligi poteſt.

Antequam enucleatiùs explicemus, & veluti in tabella deſcribamus, qualis fuerit initio ſeculi decimi tertii, & aliquot poſt annis Pœnitentiæ in Eccleſia praxis, difficultatem ex jam demonſtratis emergentem conjecturis noſtris elevare conabimur: Tantiſper igitur Lector me conjicientem ferat. Prope omnia teſtimonia antiqua, quæ de his Pœnitentiarum remiſſionibus occurrunt, videntur evidentiſſimè non modò pœnarum peccatis debitarum, ſed etiam culpæ, ſceleriſque remiſſionem polliceri; & quo antiquiora ſunt illa teſtimonia, eò evidentiùs. Sic Urbanus II. *Monemus igitur, & exhortamur in Domino, & in remiſſionem peccatorum injungimus.* Et paulò poſt de iis, qui peregrinationem ſuſceperint, *Si in vera Pœnitentia deceſſerunt, & peccatorum indulgentiam, & fructum æternæ mercedis ſe non dubitent habituros.* Hæc de ſolis pœnis canonicis videntur intelligi non poſſe, ſed de ipſo peccato, quod Pontifex auctoritate Apoſtolica pollicetur apud Deum, non modò apud Eccleſiam, ſine ulla Pœnitentia canonica præter opus injunctum, remiſſum, & abſolutum iri. Ideò ait peregrinationem injungi non tantùm ut peccatorum remiſſio, & indulgentia obtineatur, ſed etiam mox ſi decedat, vita æterna.

II. Clariùs adhuc canon 2. Concilii Claromontani ſub eodem Urbano: *Iter illud pro omni Pœnitentia ei reputetur.* Conſequentiæ ratio ad hypotheſim deducta faciliùs innoteſcet. Ponamus igitur, Titium ſponte homicidium aliquod, vel aliud ejuſmodi ſcelus commiſiſſe; ex praxi illius temporis, quo canon ille conditus eſt, duo ſemper fieri ſolebant, niſi imminens aliquod periculum, aut grave incommodum intercederet. Pœnitentia canonica multorum annorum qualem deſcripſimus libro ſeptimo, illi imponebatur: Deinde multis poſt annis Abſolutio concedebatur, vel in fine Pœnitentię, vel in medio, vel in alio ſtadii Pœnitentialis loco, ut libro præcedente multis oſtenſum eſt. Quem igitur alium ſenſum his verbis affingere poſſumus, *Iter illud pro omni Pœnitentia ei reputetur*, præter iſtum. Hunc homicidam, ſi Hieroſolymitanum iter ad liberandam Dei Eccleſiam aggrediatur, cùm peccata confitetur, Epiſcopus, aut quilibet alius ab eo, aut quocunque modo poteſtatem habens, nulla illi data Pœnitentia abſolvat, & ei peccata remittat. Quum verò Pontifex ipſe loquitur, ſæpe hoc modo pronunciat, peccatorum remiſſionem concedimus, abſolvimus, in remiſſionem peccatorum injungimus, ut ex ipſorum Bullis, & Epiſtolis citatis, & citandis demonſtratur. Ponamus nunc ejuſmodi decretum Pontificium publicatum. Duo, quæ jam attigimus, nobis ſunt conſideranda, & comparanda. Prius, ipſa Pœnitentiæ impoſitio; Poſterius, Abſolutionis conferendæ tempus. Titius homicida publicus Epiſcopum adit, crimen publicè fatetur, iter Hieroſolymitanum, Eccleſiæ liberandæ cauſa, quam primum ſe ſuſcepturum profitetur: juxta decretum Pontificium ab Epiſcopo abſolvi debet, ſine ulla ad Pœnitentiæ canonicæ actionem obligatione aut relatione. Reſpicit igitur illa relaxatio, ſive potius Pęnitentiæ commutatio non modò peccati pœnam, ſed etiam culpam, cùm Abſolutionem afficiat, promereatur, & à Deo ſicut ab Eccleſia præſentem impetret.

III. Hoc confirmat, & evidentius multò reddit Abſolutionis tempus, eo ſeculo lege ordinaria retardatum. Pœnitentia canonica tota, aut illius magna pars peragebatur ante Abſolutionem, ut Pœnitens illa actione purgaretur, & Abſolutioni excipiendæ magis idoneus redderetur; ut Deum conſequenter placaret, & ab eo remiſſionis gratiam impetraret. Atqui vice Pœnitentiæ iſtius canonicæ fungitur novum illud, & grande opus injunctum, ut teſtantur Pontifices, & Concilia. Eandem igitur habet efficaciam Indulgentia, ſive opus injunctum ex Eccleſiæ diſpenſatione, quam antiquæ Pœnitentiæ impoſitio: ac proinde illius operis executio, aut ſaltem executionis votum Pœnitentem purgat, à Deo miſericordiam illi impetrat, & Abſolutioni excipiendæ præparat, Eo igitur planè modo ex mente Pontificum, & Conciliorum Indulgentia tum conceſſa culpam, & ab ea Abſolutionem afficiebat, quo Pœnitentia canonica.

IV. Idem docet antiqua Pœnitentiarum canonicarum redemptio. Cùm enim dies eſurialis unius pauperis paſtu redimitur, nunquid vicem unius diei gerit iſta redemptio, idemque operari creditur, modo ſincerè, & ex canonis mente fiat, quod ipſum jejunium? Ita quoque iter Hieroſolymitanum liberandæ Eccleſiæ cauſa ſuſceptum, & auctoritate Eccleſiæ cum univerſa Pœnitentia canonica commutatum. Quid enim hoc eſt aliud quàm univerſam pœnam canonicam itinere Hieroſolymitano redimere? Ea autem redemptio permultis aliis, quæ poſteà inoleverunt, longè præſtabat, eo quòd res difficilis alia admodum difficili redimebatur. Cùm igitur illis redemptionibus, quia erant Pœnitentiæ canonicæ partes, idem efficeretur, quod per ipſam Pœnitentiam canonicam non redemptam, idem quoque omninò de itinere Hieroſolymitano, & ſimilibus dicendum videtur. Hoc canon jam allegatus evidenter admodum demonſtrat, & evidentiſſimè Leonis Caſſinenſis. S. Bernardi, & aliorum teſtimonia antè relata, quæ variorum criminum Reos teſtantur, hoc iter aggreſſos eſſe, ut Pœnitentiam canonicam criminibus ſuis debitam

hoc

hoc compendio exolverent. Mens igitur Pontificis Indulgentiam pollicentis, & fidelis eam accipientis, erat operis propoſiti executione Pœnitentiam canonicam redimere, eundemque in anima effectum producere, quem Pœnitentia canonica produxiſſet. Sed hæc culpam abſtergebat, & animam gratiæ per Abſolutionem eacipiendæ præparabat. Ergo & Indulgentia, quæ auctoritate Eccleſiæ illius vices ſubit.

V. Hoc confirmare videntur nonnullæ Pontificum Indulgentiæ alio modo conceſſæ. Gelaſius II. ſcribens exercitui Chriſtianorum, civitatem Cæſaraugu ſtanam obſidenti, remiſſionis gratiam rependit, quæ Pœnitentiam canonicam acceptam ſibi ſupponit, *Si quis veſtrum acceptu de peccatis ſuis Pœnitentiu, in expeditione hac mortuus fuerit, nos eum Sanctorum meritis, & totius Catholicæ Eccleſiæ precibus à ſuorum vinculis peccatorum abſolvimus*. Honorius III. habita Concione Capuæ, quò plerique Apuliæ, & Calabriæ Proceres cum militibus ſuis convenerant, ut ipſum adverſus Rogerium Siciliæ Comitem protegerent *Continuò*, ait Romualdus Epiſcopus Salernitanus in Chronico, *ex auctoritate divina, & B. M. Virginis, & Sanctorum Apoſtolorum meritis, talem eis impendit retributionem, quòd qui delictorum ſuorum Pœnitentiam ſumpſerint, ſi in expeditione illa morerentur, peccata univer ſa remiſit*. Primo vult Pontifex eos peccata confiteri: Deinde Pœnitentiam de iis accepiſſe canonicam. His factis, ſi mors in bello Pœnitentiam peractam præveniat: Verbi graria, ſeptem annorum Pœnitentia illis data eſt, ſed anno ſecundo moriuntur, remittit illis Pontifex omnia peccata propter bellum Eccleſiæ cauſa ſuſceptum, non ſecus ac ſi integrum Pœnitentiæ ſtadium decurriſſent. Bellum igitur Eccleſiæ cauſa ſuſceptum reſiduæ Pœnitentiæ illis inſtar eſt, & indulgentia illa non minus eſt culpæ deletiva, quàm ipſa Pœnitentia canonica. Quemadmodum igitur Sacerdos in Sacramento Pœnitentię duobus modis in culpam agit, pœnam canonicam imponendo, deinde abſolvendo: Sic etiam in illis indulgentiis, & relaxationibus, ſive pœnarum commutationibus.

VI. Hoc ſanè modo, ut ego quidem coniicio, Pontifices in antiquiſſimis Indulgentiarum diplomatis diacrunt ſe peccata omnia aut eorum partem remittere, abſolvere, indulgere: quia reverà eorum ſola auctoritate, ea relaxatio vel commutatio, quæ pœnam remittit, & in culpam agit, camque abſtergit, conceditur: Meritò igitur ea de cauſa, licèt abſentes ſint, licèt peccatorum Confeſſionem non audierint, peccata dicuntur abſolvere, & remittere, cùm Indulgentiam conceſſerint, cujus virtute Pœnitentia canonica expungitur, & ea prætermiſſa Abſolutio conceditur, vimque ſuam omnem exerit.

VII. Hinc alia quæſtio exoritur, quæ difficultatem jam explicatam illuſtrare poteſt. Percontaberis enim, an in caſibus, circa quos verſamur, Abſolutionem peccatorum darent Sacerdotes ſtatim poſt Confeſſionem editam, & Pœnitentiam impoſitam. Reſpondeo in illis initiis certum videri ex iis quę enarrata ſunt libro præcedente, Abſolutionem, præſertim in cauſa criminum publicorum, vel in fine Pœnitentiæ, vel circa medium conceſſam fuiſſe. Denique, ut eadem ſæpius non repetam, eo modo circa Abſolutionem ſive publicam ſive privatam in illis initiis actum eſt, quem libro præcedente explicavimus. Pleraque argumenta ibi allata hoc evidenter demonſtrant. Exceptio tamen eſt adhibenda, quæ ſæpius repetita progreſſu temporis, & non longo, obtinuit, ut Abſolutio velut lege ordinaria in quibuſvis criminibus ante inceptam Pœnitentiam, ſtatim poſt eam acceptam, & illius actionem pollicitam, & profeſſam concederetur. Hujus exceptionis ratio evidens eſt, & neceſſaria: In periculo enim imminenti, ut eſt proficiſcentium ad bellum, ſemper licuit Abſolutionem accelerare, & periculo exponere, ne dum tempus Abſolutioni noſtro judicio maturum expectatur, effluat nobis, vel eripiatur tempus, quo dari poſſit. Cùm autem innumeræ hominum myriades huic militiæ nomen inſcriberent, & plurimis annis ingens ille, & ſeculis anterioribus inauditus Peregrinorum numerus continuaret, tandem omnibus promiſcuè, & indiſcretè Abſolutio poſt Confeſſionis editionem ſtatim conceſſa eſt, modoque quaſi indivulſo una alteri conjuncta. In Pœnitentibus publicis mos antiquus diutius aliquomodo perſeveravit, non tamen fuit diuturnus, cùm ipſa Pœnitentia publica vix uno poſt ſeculo in puram ceremoniam degeneraverit.

VIII. Hanc Abſolutionis Confeſſioni ſemper adjungendæ praxim ubique, & omni ferè in cauſa iovaleſcentem nonnihil confirmavit Scholaſticum dogma eodem tempore in lucem emergens, ex quo Indulgentiarum nova praxis exorta eſt, earum efficientiam conſtringens, quæ cum præcedente collata enarratæ difficultatis fundamentum fuit. Eam enim niſi in mente habeas, difficultatis umbra vix parebit. Rem ab ovo, compendioſiſſimè tamen, arceſſemus. Studium philoſophicum Pariſiis eo ſeculo primùm florere cœpit, auctore primo, & promotore Guilelmo de Campellis Archidiacono Pariſienſi, & poſtmodum regulari Canonico, & Abbatiæ S. Victoris fundatore. Eodem anno, quo Urbanus II. peccatorum omnium remiſſionem omnibus iter Hieroſolymitanum aggredientibus publico edicto concedebat, aut ante pauculis admodum annis Ariſtotelis philoſophiam docuit in Scholis Epiſcopalibus, quæ tunc ſitæ erant intra Epiſcopium, & Noſocomium, Guilelmi fama ubique percrebeſcente eum auditurus è Britannia Pariſios venit anno 1100. aut 1101. Petrus Abaillardus tum adoleſcens dialectices ſtudioſiſſimus. Tandem Guilelmus mundo valedicens Canonicorum regularium diſciplinam amplexus, & S. Victoris prope urbem Abbatia fundata factus eſt Epiſcopus Catalaunenſis anno 1112. quem cum annis ſeptem rexiſſet, obiit anno 1119. Jan. 25. Guilelmus ille S. Bernardum ſacris ordinibus initiavit, & poſtea cum eo arctiſſimam amicitiam coluit, ut ſcribit Guilelmus Abbas in vita S. Bernardi *lib.* 1. *c.* 7. ubi etiam Guilelmum de Campellis opinatiſſimum Magiſtrum appellat. Cum igitur Guilelmus ille è Scholis ſeceſſiſſet, ſucceſſorem ſibi reliquit, qui ipſius loco doceret, & ſtudium philoſophicum promoveret. Nemo adhuc ad annum illum 1112. Theologiam Pariſiis publicè docuerat, quanquam Anſelmus Canonicus Laudunenſis id Lauduni magna cum nominis fama pręſtaret, & Remis Albericus. È Guilelmi seceſſu duplex fons Theologiæ Scholaſticæ erupit, unus intra muros Pariſienſes, alter in Abbatia Victorina. Prior continua Magiſtrorum ſucceſſione in hunc uſque diem maxima cum omnium admiratione fluit: Alter poſt annum adnotatum 1112. circiter decem vel duodecim limpidè admodum decurrebat; Hugone, & Richardo Victorinis irrigua Theologiæ fluenta per univerſum orbem inſigniter deducentibus. Guilelmus enim ſenex ſtudium Theologicum excoluit, & antequam diſciplinæ canonicæ ſeſe addiceret, vir tota Gallia celeberrimus, & Philoſophiæ Magiſterio multis annis defunctus Laudunum elavatum, ut Anſelmi Theologiam docentis dictata exciperet, ſeſe contulit. Ideò in ſeceſſu ſuos Theologiam docuit, & Philoſophiam non neglexit; Succeſſorem quoque Magiſterii ſui Philoſophici, quem Pariſiis conſtituerat, aliosque diſcipulos ſuos ad Theologica ſtudia exhortatus eſt. Hinc velut ex equo Trojano pauciſſimis annis innumeri Pariſiis Theologiæ Magiſtri, qui antea nulli erant, exilierunt.

IX. Cùm igitur vulgata praxis Abſolutionis poſt Confeſſionem, & Pœnitentiæ impoſitionem ſtatim impertiendæ illis temporibus invaluiſſet, quæri cœptum eſt circiter annum 113. paulò plus minuſve quis eſſet Abſolutionis effectus in peccata confeſſum. Varii varia dixerunt, quæ breviter enarravimus *libri* 8. *cap.* 2. Sed ea ſententia longè cæteris prævaluit, quæ aſſirmavit, nihil efficientiæ habere in peccati culpam, ſed tantùm pœnam peccato debitam minuere, aut tollere. Hanc ſententiam amplexus eſt Robertus Pullus, qui Cardinalis creatus eſt anno 1144. Hugo, & Richardus Victorini licèt ab aliis diverſimodè, ſed conveniebant in hoc, Sacerdotem in culpam nihil agere. Planè eam docuit Magiſter ſententiarum Epiſcopus Pariſienſis, Petrus Pictavienſis, Petrus Cantor, Præpoſitivus, Guilelmus Altiſiodorenſis, Sanctus Raimundus, Hugo Cardinalis Dominicanus, Albertus magnus, Alexander Halenſis, & eum iſtis Scholarum capitibus alii innumeri. Annorum centum ſpatio, hoc eſt, ad annum Chriſti 1250. ſententia fuit apud Doctores vulgatiſſima; poſteà nonnihil temperata eſt, atque è temperamento apud multos alia nata eſt, quæ Abſolutioni vim magnam ad culpam delendam contulit. Sed hæc poſterior nihil nunc ad nos.

X. Ex priore ſententia duo erant conſectanea, ex quibus tertium, quod difficultatem facit, ſponte naſcitur. Prius, non modo Abſolutionem ſed etiam Confeſſionem, ut eſſet fructuoſa edi debere ab homine contrito, & jam juſtificato. Hac in cauſa primum vix diſtinguebant inter Confeſſionem, & Abſolutionem, eò quod continua actione tum fierent; poſteà ſubtiliùs diſtinctum eſt, ſed diſtinctio propoſito noſtro non officit. Poſterius conſectaneum è priori fonte emanat; Quum abſolvitur Pœnitens, ſolam pœnam temporalem eſſe luendam. Ex hoc dogmate neceſſariò conficitur, Indulgentias ad ſolam pœnam temporalem ſpectare. Quum enim Confeſſis, & Pœnitentiam canonicam amplexis, aut niſi indulgentia tum danda intercedat, jam jam amplexuris, Abſolutio ſtatim, &

Digitized by Google

continua actione concedatur, omnia præter pœnam temporalem illis remiſſa ſunt, aut remiſſa præſumuntur. Nihil igitur aliud Indulgentiarum effectui ſupereſt quàm pœna temporalis. Ideò Theologi omnes, qui Magiſtrum ſecuti ſunt, non alio quàm in pœnam temporalem Indulgentiarum virtutem diffuderunt, & Pontificum diplomata, licèt alium ſenſum facilè, & naturali dictu patiantur, aliter non intellexerunt. Tandem Pontifices Indulgentiarum diplomata huic unico ſenſui accommodaſſe videntur. Ab anno enim 1200. omnibus diplomatis ſuis ex formula, quam huc uſque non variarunt, ſemper addiderunt, *omnibus fidelibus contritionis, & confeſſis*, ut teſtatur ante quadringentos annos Albertus Magnus. Utrique autem ſententiæ hæc formula convenit, & ei, quæ Contritionem perfectam ante Abſolutionem requirit, & ei, quæ imperfectam, ſed diverſa ratione. Nam priori per ſe convenit. Contritio enim ex natura ſua peccatorem juſtificat, & pœnam æternam extinguit, quolibet tempore poſteà detur Abſolutio. At priori per accidens tantùm ratione ſcilicet conſuetudinis, quæ Abſolutionem à Confeſſione non ſeparat. Poſſet enim Abſolutio retardari, & poſt indulgentiam obtentam, ut antiquitus reconciliari. Quo dato ageret in culpam Indulgentia modò ſupra explicato.

XI. Quanquam ſi ſubtilius rerum momenta penſare velimus, non omnino abſurdum videatur etiam, nunc dicere in Indulgentiis generalibus Indulgentiam natura, & tempore, Abſolutionem præcedere. Nam Indulgentiæ extingunt Pœnitentiam dandam ante, vel poſt Abſolutionem, facitque ut Pœnitens ſine ulla Pœnitentiæ canonicæ impoſitione abſolvatur. Teſtatur Paludanus in 4. *diſt.* 20. *ultimis quæſtionis* 4. verbis Papam Pœnitentiariis ſuis prohibuiſſe, ne Indulgentiis promulgatis Pœnitentias Confitentibus imponerent. Hoc intelligendum videtur de Pœnitentiis, quæ in criminis pœnam, & vindictam infliguntur: non de iis, quæ in medicinam, & futuri cautionem imponuntur. Quum hoc igitur ante Abſolutionem fiat, omneſque Confeſſi ante Abſolutionem præſumantur in ſtatu peccati, & in eo reapſe maxima Confitentium pars ſordeat ante Abſolutionem exceptam, in nondum juſtificatum, & culpa peccati infectum certè agit Indulgentia.

XII. Rem ponamus in alia ſpecie quæ ſæpiſſimè contingit. Titius Indulgentiam mereri ſatagit. Confitetur, Abſolvitur: Deinde abſolutus opus diplomate injunctum exequitur. Verum dum confitebatur, & abſolvebatur, dolorem Abſolutioni ſupponendum non conceperat, hoc eſt, abſolvitur non attritus. Ex omnium ſententia certum eſt gratiam non accepiſſe, & adhuc hærere in ſtatu peccati. Opus igitur ad Indulgentiam promerendam injunctum in ſtatu peccati executus eſt. Quid illi homini prodeſt Indulgentia? Quem ex labore ſuo per indulgentiam fructum conſequitur? Hanc difficultatem ſibi proponit S. Raymundus, *lib.* 3. *de Pœnit. & remiſſ.* §. 64. *Item valent*, Indulgentiæ *peccatori offerenti ex pia devotione, licèt informi, ad gratiæ impetrationem. Ad hoc enim valent quælibet aliæ eleemoſynæ, & quodlibet bonum opus. Quod autem per orationes, & ſuffragia Eccleſiæ fiant hæc, & acquiratur etiam prima gratia peccatori, qui eam mereri non poterat, patet per multa exempla, &c.* §. *præcedente* 50. varias rationes reddiderat utilitatis ejuſmodi operum. Eandem difficultatem ſibi proponit, & eodem modo ſolvit Albertus Magnus in 4. *diſt.* 20. *art.* 18. *Quod Indulgentiæ valent omnibus tam exiſtentibus in mortali, quàm in ſtatu gratiæ; ſed differenter. Quia exiſtentibus in ſtatu gratiæ valent ad diminutionem pœnæ expiativæ, ſive injunctæ, ſive injungendæ, ſi Sacerdos injungens erravit. Sed exiſtentibus in mortali peccato dupliciter: uno modo per modum illum, quo diximus unum alii mereri poſſe primam gratiam converſionis, ſi orat, & jejunat, & alia bona opera pro eo facit. Si enim hoc poteſt unus, multò magis hoc poteſt Eccleſia per theſauros communium meritorum quos ſuper ipſum ponit Indulgentia. Alio modo ſicut diximus, quod opera de genere bonorum vicinant hominem gratiæ, eo quòd procedit ut quoddam in peccatoribus quibuſdam, ut dicit Ambroſius, qui digni ſunt juſtificatione dignitate congruentiæ non dignitatis.* Excipies forſan hoc non convenire Indulgentiis ratione Sacramentali. Quid tum, modo religioſo titulo idem obtineant? Deinde quo jure hoc illis denegabitur? Num pœnæ ſatisfactoriæ ante Abſolutionem in ſtatu peccati præſumpto pendendæ, vim ſuam è Sacramento derivabant? Quidni ex eadem virtute procedet & pœnarum illarum remiſſio, quam nemo prim tus dare poteſt inſigni Sacramenti illius miniſtrandi auctoritate præditus? Hæc de propoſitis difficultatibus conjiciebamus: nunc quid ſtatuendum ſit, definiat apud ſe Lector. Conjectanea noſtra, ut voluerit, æſtimet. Si libuerit,

Sint apinæ, tricæque, & ſi quid vilius iſtis.

Nobis ſatis ſuperque ſecimus, cùm id, quod conjicimus materiæ æquum, edidimus. Alterius judicium noſtri diſpendio probare alacres parati ſumus.

CAPUT XXIII.

Multis exemplis demonſtratur, quàm moderati, & parci fuerint Pontifices in concedendis Indulgentiis. Indulgentiæ indiſcretæ Pœnitentiam enervant, & claves Eccleſiæ exponunt contemptui. Non ſolebant Pontifices Indulgentias univerſales concedere, niſi propter expeditionem in terram ſanctam, aut quid ſimile, cæteræ omnes partiales ſunt. Impoſturæ ſignum cùm facili de cauſa conceſſæ perhibentur. Epiſcopi ultra tertiam partem vix unquam concedebant. Cùm aderant celebritati plures Epiſcopi, unuſquiſque 40. dies Indulgentiæ largiri ſolebat.

EXplicatis minuendarum, Pœnitentiarum canonicarum occaſionibus, quouſque ſe diffuderit hæc deminutio, & relaxatio centum, & aliquot annorum ſpatio, nunc breviter deſignare, & demonſtrare nobis eſt animus: Sive ut clarius forte dicam, nobis propoſitum eſt hoc capite, & ſequentibus deſcribere, quæ erat annis propè centum poſt finitum ſeculum duodecim Pœnitentiæ canonicæ praxis, & quibus gradibus ad eum ſtatum toto illo tempore devenerat. Ut hoc præſtem, primum mihi viſum eſt commodum exemplis hoc capite docere, quàm in concedendis Indulgentiis moderati fuerint Pontifices, atque etiam parci; & quàm diligenter, ne Epiſcopi eas prodigerent, providerint. Abuſus in tertium relaxationis genus, ut jam adnotatum eſt, facillimè potuit irrepere. Factum animadvertentes Pontifices terminos Indulgentiis Epiſcopalibus præſcripſerunt, quos excedere nefas eſſet, ne nimia earum concedendarum facilitate, efflagitantium quoque lucellis allecta, & irritata, univerſa Eccleſiaſtica diſciplina diſſolveretur, & tandem peſſum daretur. Hinc enim velut ex indicio, & argumento certo colligi poſſe mihi videtur, quæ fuerit toto illo tempore legitima Pœnitentiæ relaxatio, & quæ abuſui adſcribenda.

II. Hoc anno 1215. præſtitit Innocentius III. cum toto Concilio Lateranenſi quarto, ut legere eſt *can.* 62. *Ad hæc quia per indiſcretas, & ſuperfluas indulgentias, quas quidam Eccleſiarum Prælati facere non verentur, & claves Eccleſiæ contemnuntur, & Pœnitentialis ſatisfactio enervatur, decernimus, ut cùm dedicatur Baſilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, ſive ab uno ſolo, ſive à pluribus Epiſcopis dedicetur: Deinde in anniverſario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis Pœnitentiis indulta remiſſio non excedat. Hinc quoque dierum numerum Indulgentiarum literas præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet cauſis aliquoties conceduntur; cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem habet poteſtatis, hoc in talibus moderamen conſueverit obſervare.* Relatus eſt canon integrè in corpus Juris *cap. Cum ex eo, de Pœnit. & remiſſionibus*, quo conſtat Patrum illius ſeculi conſilium fuiſſe, diligenter providere, ne Pœnitentiæ à canonibus impoſitæ paulatim obſoleſcerent, & abrogarentur. Ideo prohibent ne occaſione dedicationis Eccleſiæ, in qua propter diei feſtivitatem Indulgentiæ liberalius quàm aliis temporibus concedi ſolent, amplior, & gratioſior fiat quàm unius anni: Verbi gratia, Titius, & Mævius annorum Pœnitentiæ, hic ſeptem, ille decem, Rei ſunt? Illis tantùm unius anni remiſſio propter dedicationis feſtivitatem concedi poteſt; in anniverſario autem quadraginta dierum, licèt dedicationi cohoneſtandæ, ut fieri ſolet, plurimi adſint Epiſcopi. Solebat enim unuſquiſque Epiſcopus neſcio quo abuſu Indulgentiam ſuam celebrantibus feſtivitatem illam elargiri, ut infra exemplò docebitur.

III. Monent Concilii Patres incommoda duo ex præpoſtera Indulgentiarum largitione oriri; Claves Eccleſiæ contemni, & Pœnitentialem ſatisfactionem enervari. Cauſam reddit Cardinalis Hoſtienſis, *Quia ſcilicet non poteſt cogi per Eccleſiam ad jejunandum, id, quod ſic per tales Indulgentias remiſſum eſt, de Pœnit. & remiſſ.* §. 6. *Verſ. Tu dicas*, & poſt eum Joannes de Friburgo *lib.* 3. *tit.* 34. *q.* 182. Enervationis iſtius rationes plures ſunt, & evidentes. Sed nobis nunc ſufficiat tantorum Patrum judicium. Ideò in indulgendis ejuſmodi remiſſionibus parci fuerunt admodum Pontifices Romani, ut notat Cardinalis Baronius ad an. 1117. Nec hoc tantum, ſed ex profuſa largitione tanquam ex lapide lydio colligi vult Indulgentiarum Pontificiarum impoſturam. Refert Alexandrum III.

an. 1177.

an. 1177. conſecraſſe altare majus Eccleſiæ Ferrarienſis, & eo die, qui erat octavus idus Maii omnibus Pœnitentibus, & Confeſſis illud viſitantibus. *Annum unum de criminalibus, & ſeptimam partem venialium relaxaſſe. Hæc ex antiquis Eccleſię monumentis. Quibus videas uſum ejus temporis concedendi per Romanos Pontifices Indulgentias, quæ unius anni terminum non excederent, præterquam in expeditione Terræ Sanctæ, ut conſtat ex aliis aliorum etiam Pontificum diplomatibus. Quibus redarguuntur ſcripta, quibus proditur conceſſum ab eodem Pontifice primis diebus Dominicis ſingulorum menſium Anconitanis tantùm Indulgentiarum, quantum arenæ poſſent capere ambæ manus ſimul junctæ. Quæ digna riſu, &c.*

IV. Alludit eruditiſſimus Cardinalis ad id, quod exſcripſerat initio ejuſdem anni ex monumentis Eccleſiæ Anconitanæ, in hæc verba, *Similiter conceſſit* Alexander III. *Dominis Anconitanis pro ſua fidelitate habita ſibi, & Eccleſiæ multa beneficia ſpiritualia, & temporalia, & dedit eis plenariam libertatem, & gratias, & exemptiones in recompenſationem ſuæ fidelitatis. Hoc fuit factum prima die Quadrageſimę. De donis ſpiritualibus conceſſit ad perpetuam rei memoriam omnibus verè Pęnitentibus, & confeſſis viſitantibus duodecim Eccleſias primò; deinde venientibus ad Eccleſiam prędictam Cathedralem quotidie per totam Quadrageſimam cum continua perſeveratione jejuno ſtomacho uſque ad diem Reſurrectionis Domini, ut habeant illam Indulgentiam, & tantam ac ſi viſitarent civitatem ſanctam Jeruſalem, & alia loca ſancta, &c. Similiter facit mentionem qualiter conceſſit primis Dominicalibus menſium tantam Indulgentiam quantam arenam capere potuit cum ambabus manibus. Hoc donum Indulgentiæ fuit conceſſum tempore Domini Thomæ Epiſcopi Anconitani de anno* 1177. *anno ſui Pontificatus* 12. *Indictione* 5. Invehi meritò videtur in ejuſmodi Indulgentias illimitatè, infinitè, & in æternum conceſſas, & aſſerere tanto Pontifici eſſe ſuppoſitas. Non ſolebant enim Pontifices, ut rectè animadvertit, ejuſmodi univerſales Indulgentias concedere niſi de expeditione in Terram Sanctam res ageretur. Hac enim cauſa excepta omnes eorum Indulgentiæ ſunt partiales. Vehementer enim pertimeſcebant, ne imprudenti largitione Pœnitentialis ſatisfactio enervaretur; beneficium namque ipſum, utpote male locatum, diſpendium eſſet, & maleficium, Cenſuraque divina, ut in pari cauſa loquitur Cyprianus, ſolveretur. Hoc nonnullis exemplis memoriæ occurrentibus præter illud, quod eo loco à Baronio adnotatur, demonſtrabimus, ut quo in ſtatu eſſet res Pœnitentialis eo ſeculo ob Lectoris oculos exhibeamus.

V. Idem Alexander III. in Concilio Lateranenſi III. cap. ultimo duorum annorum Indulgentiam iis, qui contra Hęreticos arma tulerint, largitur: *Nos etiam de miſericordia Dei, & B. Apoſtolorum Petri, & Pauli auctoritate confiſi, fidelibus Chriſtianis, qui contra eos arma ſuſceperint, & ad Epiſcoporum, ſeu aliorum Prælatorum conſilium, ad eos decertando expugnandos, biennium de Pœnitentia injuncta relaxamus: aut ſi longiorem ibi moram habuerint, Epiſcoporum diſcretioni, quibus hujus rei cura fuerit injuncta, committimus, ut ad eorum arbitrium, ſecundùm modum laboris major eis indulgentia tribuatur.* Honorius II. ut refert Chronicon Beneventanum ad annum 1127. pollicetur Northmannis, Apulis, & Calabris, ut eos ad bellum Schiſmaticis inferendum excitet, Indulgentiarum mediam partem ſi bellum ſuſcipiant, relaxationem integram, ſi in eo moriantur: *Auctoritate divina, & B. Mariæ Virginis, & SS. Apoſtolorum meritis, talem eis impendit retributionem, ejuſmodi videlicet, quòd qui delictorum ſuorum Pęnitentiam ſumpſerint, ſi in expeditione illa morerentur, peccata univerſa remiſit. Illorum autem, qui ibi mortui non fuerint, & confeſſi ſunt, medietatem donavit.* Idem quod ad priorem partem ſtatuitur in capite Concilii 3. Lateranenſis allegato. Cæleſtinus III. reſcribens Cantuarienſi Archiepiſcopo donat quidem antiquo more omnium remiſſionem peccatorum, iis qui expeditionem Hieroſolymitanam aggreſſi fuerint. *Illi autem qui in ſubſidium terræ illius de bonis ſuis illuc tranſmiſerint, de peccatis ſuis veniam conſequentur, juxta ſua moderamina Prælatorum.* Prudenter hoc ad Epiſcopos refert: Pro variis enim circumſtantiis tam perſonarum Eleemoſynam conferentium quàm eleemoſynæ collatæ, major aut minor eſſe debet relaxatio.

VI. In Epitome fundationis Abbatiæ S. Nicolai Andegavenſis *p.* 78. ex Archivis illius Abbatiæ ſic refertur, *Dominus Papa Urbanus III. ſeptimam partem de injunctis ſibi Pęnitentiis, peccata oblita, vota fracta ſi ad ea redierint, offenſas Patrum, & Matrum ſine injectione manuum, tranſgreſſiones juramentorum, in quibus capitale dignoſçitur, miſericorditer relaxat Dominus Papa, qui modo eſt: quadraginta dies Archiepiſcopus Turonenſis; 40. dies Epiſcopus Andegavenſis; 40. dies & ſinguli Epiſcopi Britanniæ, unuſquiſque 40. dies; in centum Abbatiis Ordinis S. Benedicti, participationem omnium bonorum, quæ in eiſdem fiunt, tanquam ſibimetipſis, in vita & poſt mortem concedunt, & confirmant.* Hæc iis donantur, qui de Abbatia S. Nicolai bene merentur. Urbanus III. electus eſt Pontifex anno 1185. & obiit anno 1187. Vides unumquemque Epiſcoporum adſtantium indulgentias velut ſymbolum ſuum Pontificiis addere, moderatè tamen. Sed extraordinarium eſt quod dicunt de communicatione bonorum omnium cum centum Abbatiis facta.

VII. Baronius ad annum 1118. refert ex Hieronymo Blanca in Commentariis rerum Aragonenſium Epiſtolam Gelaſii II. ad exercitum Chriſtianorum Cæſarauguſtæ commorantem, omneſque fideles, qua omnes contra Saracenos pugnantes, & in ea expeditione Pœnitentia ſuſcepta morientes ab omnibus peccatis abſolvit. Deinde hæc addit, *Qui pro eodem Domini ſervitio vel laborant, vel laboraverint, & qui præfatæ urbis Eccleſiæ à Saracenis, & Moabitis diruta unde reficiatur, & Clericis ibi Deo famulantibus, unde paſcantur, aliquid donant, vel donaverint, ſecundùm laborum, & beneficiorum ſuorum Eccleſiæ impenſorum quantitatem, ad Epiſcoporum arbitrium in quorum Parochiis degunt, pœnitentiarum ſuarum remiſſionem, & Indulgentiam conſequantur.* Partialis Indulgentia à Pontifice datur, ſed quantitas ab Epiſcopo aſſignanda: Non abs re ſanè, cùm paria non ſint omnium ſcelera, & merita, ſanitas, & infirmitas. Hanc Epiſtolam in Synodo recognoverunt Epiſcopi, & eorum unuſquiſque eandem Abſolutionem poſt Pontificem fecerunt, & confirmarunt his verbis, *Ego Bernardus Toletanæ Eccleſiæ Archipręſul hanc Abſolutionem facio, & confirmo.* Sic & cæteri. Poſteà ad eleemoſynas colligendas eam ſic ſubſignatam cum Epiſtola in diverſas Provincias per Archidiaconum miſerunt. Omnium hujus generis Indulgentiarum hæc forſan eſt antiquiſſima.

VIII. Jam vidimus ſupra ex Petro Cantore Pariſienſi Eccleſiam Romanam Peregrinis Romam in Cęna Domini venientibus, Tranſmarinis tres annos, ciſmarinis duos annos remiſiſſe: Gregorium autem Octavum, cùm dedicaret Eccleſiam Beneventi à ſe conſtructam petentibus Indulgentias reſpondiſſe, *Tantus eſt ut agatis Pœnitentiam, quam vel tertiam partem, vel aliquotam vobis remittam.* Magiſter Martinus antiquus Theologus, qui eodem tempore cum Petro Cantore vel paulò poſt vivebat, & varias quæſtiones Theologicas ſcripſit in quatuor libros diſtinctas, in fine quarti libri ſcribit, Epiſcopos tertiam partem Pœnitentiarum remittere poſſe. Ipſe & alii ejuſdem temporis ſcribentes ſæpe hoc ſermoni ſuo ut exploratum ſupponunt. Refertur in *Epiſt.* 21. *Abbatis Sugerii* 2. *Tomo Hiſtoricorum Francicorum à Quercetano editorum p.* 770. Epiſcopum Andegavenſem, quintam partem Pœnitentiæ peccatorum Confeſſorum relaxaſſe iis, qui beneficia ſua Templariis obtulerint. Honorius III. ut refert Bzovius ad an. 1216. annum unum de injunctis Pęnitentiis indulſit iis, qui proceſſioni quæ quotannis fit ſolemniter in honorem S. Sudarii, intereſſent. Idem ad annum Chriſti 1232. teſtatur Gregorium IX. Dominicanis in Ruſſia Ethnicos convertentibus hoc privilegium dediſſe, ut quicunque ſolemnes eorum prædicationes audiret, quadraginta dierum de injunctis Pœnitentiis relaxationem conſequerentur. Idem Gregorius anno 1238. Altare majus Eccleſiæ S. Sabinæ in monte Aventino conſecravit, *conceſſa Indulgentia unius anni & 40 dierum omnibus verè Pęnitentibus, & confeſſis de injuncta ſibi Pœnitentia, qui annuatim in dedicatione ejuſdem Eccleſiæ, & uſque ad octavam ipſius, dictam Eccleſiam viſitaverint*, ut ex marmore, cui hoc incidi curaverat Gregorius, idem Bzovius in Annalibus ad annum 1238. exſcripſit. Eandem indulgentiam contulit Innocentius IV. ad ann. 1250. iis qui eleemoſynam erogarent in Eccleſiæ ſtructuram, quam Anglorum Rex magnificentiſſimè exſtruebat, ut ex ipſius *Epiſt.* 104. colligitur. Omnium liberaliſſimè Alexander IV. Dominicanis prædicantibus in Terra Sancta, Cruce ſignatorum Indulgentias, & privilegia an. 1256. conceſſit.

IX. Denique ut his teſtimoniis finem tandem imponamus, Urbanus IV. feſtum in memoriam inſtitutionis Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ per univerſum orbem Chriſtianum anno 1264. indixit, voluitque eſſe celeberrimum. Hinc inter cætera privilegia, quæ ad celebrandum, & cohoneſtandum illud feſtum benignè largitus eſt, indulgentias plurimas conceſſit, parcè tamen admodum, ſi deſiderium ſpectes, quo ferebatur

ad hujus feſti ſolemnitatem, & magnificentiam, liberaliſſimè tamen, ſi temporis mores conſideres. His verbis Indulgentiarum privilegia enuntiantur in Bulla ipſius, quæ refertur in Clementina de reliquiis, & veneratione Sanctorum. *Nos Chriſti fideles ad colendum tantum feſtum, & celebrandum donis volentes ſpiritualibus animare, omnibus vere Pœnitentibus, & confeſſis, qui matutinali officio feſti ejuſdem in Eccleſia, in qua idem celebrabitur, interfuerint centum; qui verò Miſſæ totidem: Qui autem in primis ipſius feſti Veſperis interfuerint, ſimiliter centum; qui verò in ſecundis totidem. Illis verò qui Primæ, Tertiæ, & Sextæ, Nonæ, ac Completorii officio interfuerint, pro qualibet horarum ipſarum quadraginta. Illis autem qui per Octavas illius feſti, Matutinalibus, Veſpertinis, Miſſæ ac prædictarum horarum officiis interfuerint, centum dies ſingulis octavarum ipſarum diebus, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Apoſtolorum ejus Petri, & Pauli auctoritate confiſi de injunctis ſibi Pœnitentiis relaxamus.* Difficillimè Indulgentias unius anni, nedum plenarias largiebantur. Timebant enim Pontifices ne facili conceſſione, ut ajunt Patres Lateranenſes, Pœnitentia ipſa enervaretur. Quis enim acre pharmacum febri curandæ quæræt, ſi præſto ſemper eſt lene, & nulla aſperitate moleſtum? Vide, quæ ea de re ſcripſimus libri præcedentis capite quarto.

X. Ea ratione motus Sixtus IV. ut ipſe teſtatur, Indulgentias multas anteà conceſſas abrogavit, quæ legi poſſunt Extravag. Communium *lib. 5. tit. 9. c. 5.* rationem abrogationis tantum exſcribemus. *Id propenſiori ſtudio præcavendum eſſe cenſemus, ne cujuſvis Indulgentiæ, remiſſionis, vel facultatis obtentu, Chriſti fideles procliviores ad illicita in poſterùm committenda reddantur, aut facilitas veniæ eis peccandi tribuat incentivum. Cum itaque (ſicut multorum fide dignorum teſtimonio accepimus) ob multitudinem facultatum per nos, vel auctoritate noſtra conceſſarum, tam verbo quàm in ſcriptis, &c. fideles præfati ad peccandum, & ad alia illicita committendum nonnunquam procliviores exiſtant, in non parvum periculum ſalutis animarum ſuarum: Nos qui Deo propitio ejuſdem gregis Dominici cauſam gerimus, & illum ſpiritualis theſauri elargitione cupimus ipſi Deo reddere acceptabilem, ne exinde clavium auctoritas in contemptum, ipſique ad peccandum procliviores liberiùs prolabantur, &c. auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, &c.* Simile quid fecit Clemens VIII. ut teſtatur Cardinalis Baronius ad an. 847. his verbis, *Ad quam laudabilem antiquam formam S. D. N. Clemens Papa VIII. non ſine divino inſtinctu effuſas nimis Indulgentiarum conceſſiones reſtringere aggreſſus eſt; ſiunt enim potius remiſſiores vaſta Indulgentiarum laxitate fideles.*

XI. Huic incommodo, quoad tum fieri potuit, diligenter antè caverat Sacrum Concilium Tridentinum ſeſſione 25. in decreto de Indulgentiis. Poſtquam enim earum legitimum uſum probavit, & ſancivit, addit decreto ſuo. *In his tamen concedendis moderationem juxta veterem, & probatam in Eccleſia conſuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate, Eccleſiaſtica diſcipilna enervetur. Abuſus verò, qui in his irrepſerunt, &c. emendatos, & correctos cupiens, præſenti decreto generaliter ſtatuit, pravos quæſtus omnes pro his conſequendis, unde plurima in Chriſtiano populo abuſuum cauſa fluxit, omnino abolendos eſſe.* Similem abuſum jam prohibuerant Patres *ſeſſ. 21. capite 9.* de reformatione. Nec hoc Sanctis Patribus ſatisfecit: Cæteros enim abuſus, *qui ex ſuperſtitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocunque provenerunt*, ab Epiſcopis prohiberi & aboleri jubent. Quod ſi commodè id ab iis fieri non poteſt, abuſus illos ad ſummum Pontificem deferri volunt, ut illis ſua auctoritate provideat.

CAPUT XXIV.

Quæ ratio imponendæ Pœnitentiæ, & quæ illius ſeveritas toto ſeculo duodecimo obſervata fuit plurimis illius ſeculi exemplis, & Doctorum dictis demonſtratur. Tum cœpiſſe Confeſſioni, & Pœnitentiæ actioni promiſſæ Abſolutionem lege ordinaria conjungi multis teſtimoniis obiter docetur. Epiſcopi, & celebres de Pœnitentia criminibus imponenda conſuluntur. Celebris etiam tum fuit eorum ſententia, qui Abſolutionem poſt ſatisfactionem peractam ſæpe differebant. Dogma Scholaſticum, ex quo conſequitur, facta legitima Confeſſione ſtatim dandam eſſe Abſolutionem, explicatur. Pontifices exemplo ſuo ad canonicas Pœnitentias eſſe attendendum docebant. Licèt Confeſſione edita ſtatim abſolverint, docebant tamen ad Eucharistiam non eſſe accedendum, niſi pœnitentia integra, aut illius magna parte completa.

ALterum judicium, quo in cognitionem devenire poſſumus remiſſionis Pœnitentiæ, ſimulque gradum notare in quem uſque demiſſa fuit, eſt expoſitio exemplorum in quibus à Sacerdotibus illo ſeculo primariis Pœnitentia criminibus aut impoſita eſt, aut imponendam eſſe prædicata eſt. Certius, quod quæritur, mihi videtur demonſtrari non poſſe: Hoc eſt, quod nunc enarrandum ſuſcipimus. Demonſtrationem autem noſtram bipartiemur. Exempla ſeculi duodecimi hoc capite complectimur; ſequente, ea, quæ ad decimum tertium pertinent. Robertus Pullus Cardinalis creatus eſt anno 1144. Ita paulò ante hoc tempus in libro ſententiarum *part. 7. cap. 3. Si tanta eſt fragilitas peccatoris, ut nec qualitatem, nec quantitatem ferre queat ſatisfactionis, aliquid tale inquirendum eſt, quod nec vires requirat, & Reum excruciet. Eſt ergo ſatisfactio quædam, quam cujuslibet ferè natura tolerare valeat, & aſpera tamen, & tanto Deo gratior, quanto humilior: cum quilibet, Sacerdotis proſtratus ad pedes ſe cædendum virgis exhibet nudum. Super omnia tamen pœnarum genera quibus mater Eccleſia filios ſuos caſtigat, jejunium quaſi omnibus præferendum generali veneratione celebratur.* Ad Pœnitentias canonicas non adſtringebant Pœnitentes, ſed tamen vides primum propoſitas, deinde in quid commutatas. Sextæ partis *cap. 60.* Scribit inter cæteros Confeſſionis effectus hunc eſſe, Peccatorem ad ſatisfaciendum adjuvari. Quanta autem ſatisfactio eſſe debet, & quouſque continuari, his verbis explicat, *Quiſquis verò poſt Confeſſionem pœnitentiæ fructibus intendit, quod jam poteſt ea, quæ in Confeſſione fit Abſolutione roboratus, iſque uſque ad peractos obligatur pœnæ. Pœna autem peccati quoad protelari oporteat, quandòve terminari, ille novit, cui ſatisfit per pœnam. Quiſquis ergo ſcelerum obligationes ſatisfaciendo evaſiſſe æſtimat, & gaudet, is præ oculis ſemper habeat, quàm difficulter, & quàm vix liberationem emeruerit, & relabi, & ad vomitum reverti exhorreat.* Ad mortem uſque prorogari vult Pœnitentiam, quam ſcilicet peccatum coram Deo meretur, non eam, quæ ab Eccleſia imponitur. Tanta tamen eſſe debet, ut Pœnitentiæ præteritæ ſeveritate conſiderata horreat animus crimen iterare. Ita S. Pacianus, & Ambroſius, ut ſæpius notavimus, Novatianis reſpondebant obiicientibus veniam criminibus datam criminis iterandi incentivum eſſe: Tam gravem ſceleri Pœnitentiam imponi, ut Reo non ſubrepat illius iterandi deſiderium. Hoc ſedulò monet Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 8.* & ipſius Catechiſmus *part. 2. c. 5. n. 55. Procul dubio magnopere à peccato revocant, & quaſi fræno quodam coercent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque, & vigilantiores in futurum Pœnitentes efficiunt.*

II. Primis verbis innuit evidenter Robertus Abſolutionem ſuo tempore dari ſolitam ſtatim poſt Confeſſionem, *Jam poteſt, ea, quæ in Confeſſione fit Abſolutione roboratus.* Clarius capite ſequente, *Abſolutio, quæ peracta Confeſſione ſuper Pœnitentem à Sacerdote fit, Sacramentum eſt: quoniam rei ſacræ ſignum eſt. Et cujus ſacræ rei ſignum eſt, niſi remiſſionis, & Abſolutionis? Nimirum confitentibus à Sacerdote facta à peccatis Abſolutio, remiſſionem peccatorem, quam antea cordis peperit Contritio, deſignat*, Et iterum paulò poſt. *Statuta Eccleſiæ id minimè decreverunt, quod ſicut completam Confeſſionem, ita quoque peractam ſatisfactionem Abſolutio Presbyteri conſequatur. Novit enim ex ore Confitentis, & ex modo ſe habendi utrùm à culpa abſolvat; ſed nulla experimenti ratio comperta eſt, unde certum ſit, quando à pœna culpæ ſolvi oporteat, niſi fortè ab illa quam impoſuit ipſe.* Manifeſtè ſemper aſſumit Abſolutionem individuo nexu Confeſſioni eſſe conjunctam. Aliquid eſt in his verbis difficile, quod poſita ſingulari ipſius doctrina perſpicuum evadit. Triplicem Abſolutionem conſtituit, duplicem internam, unam externam. Prima à Deo fit poſt contritionem animo conceptam. Secunda à Sacerdote ſtatim poſt Confeſſionem quæ præcedentis ſignum eſt. Ut hanc concedat Sacerdos externis Contritionis indiciis commovetur. Tertia eſt à pœna peccato poſt remiſſionem ſecundum Dei judicium debita. Hanc ait Sacerdotem dare non poſſe, niſi forſan à pœna quam impoſuit: Quia cum Dei judicio reſervetur, nullo argumento dignoſcere poteſt, quando exoluta ſit. Prima & tertia, internæ ſunt, ſecunda externa. Prima argumentis moraliter certis dignoſcitur: Ideo Sacerdos iis edoctus Confitentem abſolvit.

III. Ricuinus Tullenſis Epiſcopus quendam gravis criminis Reum ad ſanctum Bernardum miſerat, ut pœna crimine dignam ipſi exponeret, & imponeret. Quid ad hoc S. Bernardus? Primum Ricuino reſcribit *Epiſt. 61. Dare pœnitentiam*

tentiam maximè in criminalibus nulli hominum præſumere omnino ſolemus, niſi ſolis, quos in noſtram curam ſuſcepimus. Deinde ait ſe, Monachoſque ſuos in re ejuſmodi difficili ad Epiſcopos confugere. *Ipſi quoque ſicut, & cæteri hominum quotiens gravior aliqua cauſa inter nos oboritur, quàm per nos definire aut neſcimus, aut nequimus, aut non audemus, Epiſcopali, ut dignum eſt, ſententiæ reſervamus, & niſi ſummi prius Sacerdotis, vel judicio, vel conſilio confirmati, ſecuri non ſumus*. Denique ſic Epiſcopum monet de Pœnitentia huic homini imponenda, *Provideatur igitur huic morbidæ ovi à proprio Paſtore, & tali Paſtore, qui canones non ignoret, congrua Pœnitentiæ medicina; ne ſi in peccato, quod abſit, anima, pro qua Chriſtus mortuus eſt, moriatur, ſanguis ejus, &c.* Ex hac hiſtoria quæ Pœnitentiæ praxis eo tempore paſſim vulgata fuerit, colligi poſſe videtur. Vir, de quo loquitur ſanctus Bernardus, pauper erat, & ſenex. Tanta fuit Epiſcopo Tullenſi Pœnitentiæ canonicè imponendæ cura, ut pauperem ſenem longè ad S. Bernardum miſerit, qui illi Pœnitentiam juſtam dictaret. Bernardus verò eum remittens conſulit, ut detur illi Confeſſor canonum peritus, qui crimen perpetratum noverit canonicè punire. Ipſe verò criminis Reus, licèt ſenex, & pauper, longum iter aggreditur, & conficit, ut condignam peccato ſuo Pœnitentiam ſuſcipiat. Quid? Et ipſe Bernardus, aliique Monachorum primores in occurrentibus gravibus peccatis Epiſcopos de Pœnitentia imponenda conſulebant.

IV. Guido Abbas de tribus fontibus Miſſam celebrans, vinum aqua non miſtum ignoranter conſecraverat. Grande crimen ſe perpetraſſe arbitratus, qua Pœnitentia purgandum eſſet, à S. Bernardo per literas inquirit. Bernardus autem qui auctoritate in eum potiebatur, ſic *Epiſt. 69.* reſpondet, *Porrò ego, & Prior noſter rem ipſam, & intra nos penſantes, intra nos conferentes tuam quidem ibi deprehendimus ignorantiam, miniſtrantium quoque negligentiam, ſed planè nullius malitiam, &c. Ut tamen faciamus ſatis inquietiori tuæ conſcientiæ, & ut fortè malum hoc mali cujuſpiam gravioris latentis adhuc in Monaſterio fuerit commonitio, pro Pœnitentia tibi injungimus ſeptem pœnitentiales Pſalmos quotidie uſque ad Paſcha ſepties proſternendo te decantare, ſeptem diſciplinas accipere*.

V. Idem S. Bernardus ſerm. 3. *de S. Andræa* fusè de Pœnitentia, & Confeſſione diſſerit. Vult unumquemque proprio Paſtori confiteri licèt illiterato, & indiſcreto, *quia hoc ipſum ſignum humilitatis eſt, quæ generat Confeſſionem*. Quod ſi fortè licentiam obtinuerit alteri confitendi, *Tu tamen ei priùs reveles cordis tui arcanum; quia non eſt plena ſalus, ſi ille fugitur aut contemnitur, cui adhærere, aut honorare debueras*. Poſteà ſeptem veræ Pœnitentiæ gradus conſtituit. 1. Cognitionem peccati. 2. Præteritorum Pœnitentiam formidine gehennæ conceptam. 3. Dolorem cordis propter Deum offenſum, *Dole igitur quia Creatorem offendiſti, cujus legem cœleſtia, & terreſtria præter te indefeſſa ſtatione conſervant, &c. Surgat & acrior dolor, quod cum creatore etiam Patrem offenderis, &c. Accedat & acerrimus, qui pertranſeat animam tuam, quod tantum benefactorem contempſeris, qui dolorem crucis ſuſtinuit, ne dolores inferni ampliùs ſuſtineres*. Poſteà ſubjungit, *Quartus itaque gradus eſt Confeſſio oris*, Cujus ordinem poſtquam deſcripſit, *Sequitur quintus gradus, maceratio carnis, quæ jejuniis, & vigiliis attenuanda eſt, ne nova prurigine voluptuoſam revolvat pravitatem*. 6. correctionem operis. 7. Perſeverantiam bonitatis.

VI. His peractis docet, quibus perfectionibus inſtructus eſſe debeat Confeſſor. Inter cæteras literatum eſſe vult, *Ut ſciat quid injungat, cui parcat, quando parcere debeat, quam conſolationem proferat de ſcripturis, &c. Habeat in voluntate compati, & liberare eum, & nitatur aliquid detrahere ſeveritati, imitans dulcedinem Domini ſui, &c. Timor pleraque opprimit, ne gravi pœnitentia percellantur, & perferre non poſſint. Verè qui timet pruinam, irruet ſuper eum nix. Hic conſiderandum quàm gravius ſit pœna gehennæ quàm longa, quàm infructuoſa, &c.* Unde ſermone primò in Dedicatione Eccleſiæ, Pœnitentiæ imponi ſolitæ ſeveritatem, ea breviter ſed egregiè delineata emollire conatur, *Neceſſe eſt, ut Unctio ſpiritualis gratiæ adjuvet infirmitatem noſtram, obſervantiarum, & multimodæ Pœnitentiæ cruces devotionis ſuæ gratia leniens: Quia nec ſine cruce ſequi Chriſtum, & ſine Unctione crucis, aſperitatem ferre quis poſſet? Hinc eſt, quòd multi abominantur, & fugiunt Pœnitentiam, crucem quidem videntes, ſed non etiam Unctionem*. Pleraque iſta in ipſius ſententiis repetuntur non longè ab initio: Ex quibus vel ſolis non obſcurè adumbrata mihi videtur Pœnitentiæ illo tempore praxis.

VII. Richardus de S. Victore idem videtur non inevidenter innuere *c.* 22. lib. *de poteſtate ligandi, & ſolvendi*, cùm dicit Paganum faciliùs reconciliari poſt crimina centum, quàm Chriſtianum quemlibet poſt unum ſolum. Locus alia in cauſa fusè relatus eſt ſupra *lib. 3. cap. 5.* Iterùm *cap.* 24. cùm dixiſſet munere divino pœnam æternam in purgatoriam, & tranſitoriam commutari, & Sacerdotali officio illud purgatorium incendium in pœnam pœnitentialem, infert, *Ecce jam habes quod ipſe quæſiſti, quæ videlicet, vel qualis ſit divina, ſeu Sacerdotalis remiſſio, ubi exigitur diuturna ſæpe, & ſatis moleſta expiatio. Quod enim poſſint Sacerdotes peccata remittere, & futura incendia pœnitentiali ſatisfactione extinguere, omnes in commune credimus, & tenemus. Quod autem poſſint quælibet peccata, quantumlibet criminalia ex toto dimittere, & ſine aliqua omnino ſatisfactione, plenè & ſine periculo indulgere, nec credimus, nec tenemus*.

VIII. Richardus autem eo libello ita de Abſolutione diſſerit, ut facilè appareat, tum in quibuſcunque peccatis occultis ſtatim Confeſſione edita datam fuiſſe. Sic *c. 22. Chriſtiano criminaliter peccanti, ſed jam pœnitenti, & Confitenti non ſufficit Sacerdotis Abſolutio ſola ſine ſatisfactione injuncta*. Ex *cap. 9. Debent Sacerdotes verè Pœnitentium, & debitam ſatisfactionem ſuſcipientium, peccata remittere, & à debito damnationis abſolvere, cæteros verò ſine Abſolutione remittere, &c. Nam eo ipſo ſolvunt pœnitentes à debito futuræ purgationis, quo eos ligant debito præſentis ſatisfactionis*. Eccleſiæ igitur tum mos erat Confeſſos abſolvere, cùm promptos eos, & alacres ad Pœnitentiam impoſitam exequendam conſpiciebant. Si renuentes, ſi reſtitantes experiebantur, à ſe non abſolutos dimittebant. Quam verò ſatisfactionem intelligebant? Ipſe explicat *cap.* 13. explicans decem leproſorum parobolam, *Offert munus, & quale Moyſes inſtituit, qui ad omnem canonicæ inſtitutionis ſatisfactionem juxta Sacerdotis arbitrium ſeipſum exponit. In primo conſideratur odium peccati, in ſecundo votum continendi, in tertio propoſitum confitendi, in quarto ſtudium ſatisfaciendi. Pro certò in vera pœnitentia quatuor iſta omnia ſunt requirenda. Ubi aliquod horum deeſt, vera Pœnitentia non eſt*. Huic conſuetudini Abſolutionis Confeſſionis conjungendæ, & ſatisfactionis poſtmodum exequendæ innititur ipſius doctrina, quam magno molimine toto libro explicat de triplici Abſolutione, prima à culpa, quam Deus abſolutè dat ſolus, peccatorem vivificando, & culpam delendo; ſecunda à pœna æterna, quam Deus ea conditione peccatori largitur, ut Abſolutionem à Sacerdote petat, *& ad ejus arbitrium debito more ſatisfaciat*. Tertia, quam Sacerdos concedit, cujus virtus duplex eſt; Prior, peccatorem à damnatione æterna integrè ſolvere, quem Deus jam conditionaliter ſolverat: Poſterior, eundem ad ſatisfactionem adſtringere, ut expietur, quam ſi exequi paratus non eſt, ligare debet, ſaltem non abſolvere. Sanè totum hoc φιλοσόφημα Abſolutioni connexæ Confeſſioni ſuperſtructum eſt, & longiſſimè ab Antiquorum ſententia, & exploratiſſima praxi diſcedit, quæ varias pœnas Pœnitentibus injungebat, ut earum tolerantia ignem æternum extinguerent, veniamque, & miſericordiam à Deo impetrarent.

IX. Hugo à S. Victore eodem prorſus modo philoſophatur, ut legere potes *Summæ ſententiarum tract. 6. c.* 10. *&* 11. Ideò idem quod de præcedente, judicium faciendum eſt. His addam pauca verba ex *capite*, 1. *part.* 14. *lib.* 2. *de Sacram. fidei*, quæ conjunctionem Abſolutionis cum Confeſſione evidenter demonſtrant. *Gravioris autem culpæ reatum ſingulari Confeſſione Sacerdoti aperimus, & ſecundùm ejus conſilium munere ſatisfactionis oblato, indulgentiam peccati obtinemus*. Ut Abſolutionem concederet Sacerdos nihil aliud quàm munus, & votum ſatisfactionis poſtulabat. Quam autem ſatisfactionem intelligat à Sacerdote, cùm abſolvit, impoſitam ipſe non inevidenter explicat eodem libro, *parte* 14. *c.* 2. *&* 3. *Si in correctione minor eſt afflictio, quàm in culpa fuit delectatio, non eſt dignus Pœnitentiæ tuæ fructus. Sed dicis mihi, quomodo ſcire poſſum, quando condigna ſit Pœnitentia mea? Quia hoc ſcire non potes, ideò neceſſe habes ſemper pœnitere; ſatisfacere potes, nimis non potes. Melius eſt ut plus facias quàm minus. Idcirco ſolicitus eſto, ſatage, da operam, ſtudium impende, ut culpa ſit cum fine, devotio ſine fine*. Deinde *c.* 3. ſibi obiicit: Quomodo ſecurus eſſe poſſum me veniam à Deo impetraſſe, etiamſi Pœnitentiam mihi injunctam perfecero, *Cùm ipſe homo, cui peccata mea confiteor, ſæpe aut ignorantia neſciat, aut negligentia non conſiderat, qualem mihi ſecundùm modum, & menſuram delicti debat ſatisfactionem injungere*. Ad hoc Hugo: *Tibi breviter reſpondeo, Quia ſi homo neſcit, Deus ſcit. Tu tamen fac, quod tibi*

præcipitur, &c. Videat Deus devotionem tuam, etiamſi homo non condigaè moderetur afflictionem tuam. Perire non poteris, ſi devotus inventus fueris. Aliæ ſunt ibidem Pœnitentium querelæ, quæ demonſtrant, eos ita tunc adhuc edoctos fuiſſe, ut ſibi perſuaderent Pœnitentiam pro criminibus analogicè ad pœnas canonicas eſſe agendam. Hoc etiam evidentiſſime demonſtrant frequentiſſimæ expeditiones, & peregrinationes in terram ſanctam eodem tempore ſuſceptæ, ut pœnæ canonicæ peccatis ſuis inflictæ compenſarentur.

X. Gratianus qui paulò poſt auctores citatos Concordiam canonum ſcripſit circiter annum 1150. duplicem de hac re ſententiam ſuo tempore celebrem refert. *de Pœnit. diſt. 1.* quarum fundamenta explicat præjudicio neutri facto. Nonnulli dicebant. Pœnitentem abſolvi in Contritione cordis ante Confeſſionem, & ſatisfactionem, poſteà tamen ad Confeſſionem peccatorum, & ſatisfactionem obligari: Ideò Confeſſionem, & ſatisfactionem nihil ad peccatorum remiſſionem conferre, cùm eam conſequerentur. Hæc eſt præcedentium auctorum ſententia. Riehardus, & Hugo, ut explicatum eſt, eam tantillùm limitant, ſed tamen primum, & præcipuum fundamentum conſervant. Alii verò, quorum ſententiam explicat poſt *can. 60. ejuſdem diſtinctionis*, docebant, peccatum non remitti niſi poſt Confeſſionem oris, & ſatisfactionem operis. *Si nemo poteſt conſequi veniam: niſi quantulamcunque, etſi minorem quam debeat, peccati ſolverit pœnam: Si ſolis Sacerdotibus ligandi, ſolvendique poteſtas à Deo tradita eſt; ſi nullus veniam accipit, niſi Eccleſiæ ſupplicationibus veniam impetrare contendat: Concluditur ergo quod nullus ante Confeſſionem oris, & ſatisfactionem operis peccati abolet culpam.* Deinde poſtquam permulta retulit ad iſtius propoſitionis probationem, colligit, *Quorum exemplis evidenter oſtenditur, quòd nullus à Deo conſequitur veniam, niſi primùm ſatisfecerit ſibi per Pœnitentiam.* Iterùm multis aliis argumentis adductis, colligit, *Quibus exemplis evidentiſſimè datur intelligi, quòd ille, quem gravioris culpæ macula inficit, niſi Confeſſione proprii oris, vel Eccleſiæ interceſſione ſuffragante ſanari non poterit.*

XI. Quibus ultro citròque diſputatis, magnaque teſtimoniorum turba accumulata, tandem ſic concludit poſt canonem 89. *Quibus auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraque ſententia ſatisfactionis, & Confeſſionis innitatur, in medium breviter expoſuimus. Cui autem harum potius adhærendum ſit, Lectoris judicio reſervatur. Utraque enim fautores habet Sapientes, & religioſos viros.* Plurimi igitur viri ſapientes & religioſi, quorum auctoritati Gratianus tantùm detulit, ut nihil contra definire voluerit, docebant eo tempore crimina non anteà remitti quàm Reus confeſſus fuiſſet, & Eccleſiæ precibus adjutus ſecundùm illius præceptum ſatisfeciſſet. Itaque illi pœnas pœnitentiales, aut earum ſaltem partem, criminum remiſſioni præponebant; remiſſionemque apud Deum ſolicitare, & eam impetrare credebant, non tantùm pœnæ temporali eluendæ neceſſarias.

XII. Eodem tempore, ut notum eſt, ſcribebat Lombardus ſententiarum Magiſter dictus. Utramque ſententiam profert *lib. 4. diſt. 17.* Sed priorem poſteriori longè præfert, ita tamen ut multos eam ſuo tempore amplecti teſtetur. *Dicunt quidam ſine Confeſſione oris, & ſatisfactione operis neminem à peccato mundari, ſi tempus illa faciendi habuerit. Alii verò dicunt ante oris Confeſſionem, & ſatisfactionem in cordis contritione peccatum dimitti à Deo, ſi tamen votum confitendi habeat.* Deinde moltis auctoribus in utramque partem allatis poſteriorem ſententiam amplectitur, & auctoritates Patrum illi contrarias in aliam partem flectere conatur. Hæc autem ſententia, ut per ſe manifeſtum eſt, Pœnitentiæ canonicæ neceſſitatem plurimùm infirmat, quanquam non tollat. Quis enim credens Pœnitentiam canonicam Dei miſericordiam provocare, allicere, flectere ad peccatorum veniam impetrandam, gehennæ flammam extinguendam, & ſalutem æternam conſequendam, non ſtatim ad eam amplexandam mirum in modum inflammetur? Hoc potiſſimùm argumento freti Patres ad Pœnitentiam canonicam peccatores exhortabantur, & urgebant, ut permultis teſtimoniis demonſtratum eſt poſtremis libri tertii capitibus. Natura enim omnes homines ad fugiendum ſummum capitis periculum ignеſcunt; eo elapſo ad minora frigeſcunt, nonnunquam torpeſcunt. Hoc ſanè in data hypotheſi ſubſequens experientia probavit. Ex ea quoque ſententia alterum conſequebatur, Abſolutionem ſtatim poſt Confeſſionem eſſe concedendam. Nam cum in ea ſententia, quæ primas tum in Scholis occupabat Confeſſio à Contrito tantùm utiliter ederetur, & Abſolutio conſequenter declarandæ juſtificationis, & temporalis pœnæ minuendæ cauſa potiſſimùm daretur, Sacerdos Confeſſione Pœnitentis audita, & per eam Contritione cognita, videbatur ad eum confeſtim abſolvendum obligatus, aut ſaltem Abſolutionem diu differre non poſſe. Cur enim, quem juſtum credebat, talem declarare reformidaſſet? Illi ſanè longa retardatione videbatur injuriam inferre, cùm bonis, quæ ſecum fert Abſolutio, immerentem privaret. Ideo Magiſter, Pœnitentiæ impoſitionem, & Abſolutionem docuit, ut quid valde notandum *diſt. 18.* in litera G, ejuſdem eſſe, & reciprocæ poteſtatis, ita ut una poſita aliam inferat, veluti Sacerdos ſatisfactionem impoſiturus, vel prius neceſſariò abſolviſſet, vel ſatisfactionis impoſitione conſequenter ſe ad confeſtim abſolvendum obligaret. *Notandum eſt, quia quos ſatisfactione Pœnitentiæ ligant, eo ipſo à peccatis ſolutos oſtendant, quia non imponitur alicui ſatisfactio pœnitentialis, niſi quem Sacerdos verè Pœnitentem arbitratur: Alii verò non imponit, & eo ipſo peccatum retineri à Deo judicat.* Ita quoque Robertus Pullus, Richardus, Hugo.

XIII. Hæc ſententia quæ Pœnitentiæ canonicæ neceſſitatem plurimi facit, annis 70. poſt Gratianum, & Lombardum non erat omnino incelebris, ut teſtatur S. Raymundus *Summæ lib. 3. de Pœnitentiis & remiſſ. §. 11.* Triplicem de modo remiſſionis peccati ſententiam celebrari dicit, *Dicunt quidam quod ſicut tribus modis Deum offendimus, corde, ore, & opere; ita tribus modis neceſſariò ſatisfaciendum, aliàs non dimittur peccatum. Auctoritates autem, quæ dicunt, peccatum dimitti ſola cordis contritione, aſſerunt intelligendas eſſe, cùm articulus neceſſitatis excludit oris Confeſſionem, & ſatisfactionem. Alii dicunt conditionalem fieri remiſſionem per cordis contritionem. Tertii verò dicunt ſola Contritione dimitti peccatum cuilibet adulto, ſi verè conteritur, & proponit ab aliis abſtinere, & illud confiteri, & de eo ſatisfacere ſecundùm judicium Eccleſiæ.* Prima, & tertia eæ ſunt, quas ex Gratiano, & Lombardo explicavimus. Tertia huc uſque ſola viget, & Raymundo ſcribente, ut ibidem teſtatur, celebrior erat; ideò eam amplectitur, cæteris tamen uniuſcujuſque optioni dimiſſis.

XIV. Nota omnibus eſt S. Thomæ Cantuarienſis cædes, non equidem jubente, ſed tamen non improbante Henrico II. Anglorum Rege. Quæ Pœnitentia ipſi per latam ſententiam publicè impoſita eſt, licèt cædem non mandaſſet, ſed ſæpius tantùm de Thoma conqueſtus cædi occaſionem dediſſet? Ducentos milites in auxilium Terræ Sanctæ miſſurum ſuis ſumptibus anno integro militaturos. Pravas leges, & conſuetudines Eccleſiæ injurias, quarum cauſa contentiones variæ exarſerant, abrogaturum: Omnia bona, mobilia, fundoſve Eccleſiæ Cantuarienſi ablata reſtiturum: Omnibus, quos propter Thomam Cantuarienſem odio inſecutus fuerat, benevolentiam ſincerè demonſtraturum, & hæreditates eorum fiſco addictas reſtituturum: Ipſum Hieroſolymam aot in Hiſpaniam in auxilium Chriſtianorum profecturum. Hæc publicè impoſita ſunt; privatim autem, varia jejunia, & Eleemoſynæ. Quid verò Rex? *Ad hæc omnia Rex benigniſſimè aſſenſum præbuit; ita quod coram omnibus dixit, Ecce, inquit, Domini legati corpus meum in manu veſtra eſt: Scitote pro certò quòd quidquid juſſeritis, ſeu proficiſcendi Hieroſolymam, ſive Romam, ſive ad S. Jacobum, vel quidquid ſit, paratus ſum obtemperare.* Hæc Rogerius Anglus, illius temporis Hiſtoricus, & Baronius ad ann. 1178. ex codicibus Vaticanis.

XV. Hæc Regi ob hanc cædem à Legatis Pontificiis impoſita Pœnitentia. Quid cædis Miniſtris factum? Exonienſis Epiſcopus hac de re Alexandrum III. Pontificem conſulit. Ille verò reſpondet multis modis eſſe diſtinguendum, qualitatem, facinoris quantitatem, locum & tempus, aliaque ejuſmodi; & juxta varias circumſtantias variandam eſſe Pœnitentiam. In ea autem cæde ſex, aut ſeptem gradus enumerat, ſecundùm quos augenda, vel minuenda Pœnitentia, ſed quænam ſingularis Pœnitentia fuerit unicuique gradui imponenda non explicat. Id tantùm facit in ſine, cum de Clericis iſtius criminis Conſciis reſpondet. Sic autem decernit Pontifex. *Clericos verò quos conſtat armatos eſſe, & interfuiſſe tanto facinori, & Clericos etiam illos, qui conſilium iſtud dederunt, vel ut Sanctus vir caperetur; perpetuò non ſolùm ab altaris officio deponendos eſſe cenſemus, ſed etiam ita, ut in Eccleſiis nullo unquam tempore lectiones legant, nec reſponſoria ſeu antiphonas cantare in choro, ſed in Pſalmis apud Dominum de commiſſo veniam ſatagant implorare. Inſuper Clerici etiam ipſi in obſtructo clauſtro Monachorum, vel Canonicorum, ſi fieri poteſt,*

poteſt, ſunt includendi, ita quidem quod ipſi in ſeptennium, ſeu quinquennium debeant ab introitu Eccleſiarum cohiberi. Hæc in appendice ad Concilium Lateran. 3. *part.* 35. *tit. de Pœnitent. cap.* 1. Rogerius de Hoveden in Annalibus Anglicis ſcribit quatuor milites, qui cædis iſtius duces fuerant, Romam ad Alexandrum III. profectos, ut ab eo Pœnitentiam crimini æquatam ſuſciperent, acceptaque Pœnitentia juſſos à Pontifice Hieroſolymam proficiſci, *& ex præcepto Papæ in monte nigro Pœnitentiam agentes obiiſſe, & Hieroſolymis ſepultos ante oſtium templi*.

XVI. In eadem Concilii Lateran. appendice, ejuſdem *tit. cap.* 2. Idem Pontifex ab eodem Epiſcopo interrogatur, quæ Pœnitentia eſſet ei Presbytero imponenda, qui cum ejus Archidiaconus noluiſſet, unquam eum ad ordinationem præſentare, niſi ſolidos quinque ſolveret, eos illi dederat, & poſtmodum præſentatus, Presbyter ordinatus fuerat. Nunc multis modis elevari poſſet hoc crimen, immò à crimine Presbyter excuſari, qui pecuniam illegitimè exactam planè invitus, & diu renitens ſolverat. Velim tamen diligenter attendas, & recogites, quid Pontifex reſpondeat. *Unde ſuper eo, de quo conſilium noſtrum poſtulaſti, ſic duximus reſpondendum; ut ſi hoc non eſt publicum, ſed ſecretum, eundem Sacerdotem ſecretò convenias, monens eum ſine ulla tamen coactione, propenſiùs, & inducens, ut ordinem alicujus religionis aſſumat, & perpetuò ab officio, quod ita illicitè acquiſivit, abſtineat. Si verò ad religionis Ordinem aſſumendum fortè inducere non poteris, ſtudeas ei ad ſuſtentationem aliquod Eccleſiaſticum beneficium conſtituere, ad hoc, ut debeat officio Sacerdotali ſpontè in perpetuam abſtinere, alioquin non erit tutum, cùm ſit ſecretus exceſſus, ipſum invitum ab eodem officio coercere, ſed tamen Pœnitentiam ſecretam ſecundùm quod tibi uſum fuerit, injungere non poſtponas*. Velim adhuc notes eo tempore pleroſque diligenter attendiſſe ad Pœnitentiam aliqua ratione criminibus canonicè æquandam. Ideò morem Pontifices ea in cauſa interrogandi, ut inuſitatis, & gravioribus criminibus docerent quænam Pœnitentia eſſet infligenda, nondum planè fuiſſe intermiſſum.

XVII. Severè tum in Hæreticos licèt Pœnitentes, & hæreſim publicè ejurantes animadvertebant, noviſque, & graviſſimis pœnis antiquitus inuſitatis eos puniebant. Sufficiat hoc uno exemplo docere. Anno 1178. repullulante Hæreſi in Gallia Narbonenſi prehenſus eſt Toloſæ quidam Petrus dictus, præ cæteris pertinacia, divitiis, & cognatione inſignis. Hic partim variis diſputationibus convictus, partim mortis formidine correptus, hæreſim publicè abjuravit, & fidem Catholicam amplexus eſt, ut refert Rogerius de Hoveden illius temporis auctor, hac tamen Pœnitentia poſteà damnatus, *Ecce coram illa multitudine multa nimis Petrus ille jam noſter, per ipſas Eccleſiæ valvas nudus, & diſcalceatus adducitur, cædentibus hinc inde eum Epiſcopo Toloſano, & Abbate S. Saturnini, donec ad pedes Legati in ipſis altaris gradibus poneretur. Ibi in facie Eccleſiæ Eccleſiaſticis reconciliatus eſt Sacramentis, abjurata omni hæreſi, & Hæreticis anathematizatis ab eo. Mox autem poſſeſſionibus ejus publicatis univerſaliter, & proſcriptis, Pœnitentia illi talis injungitur: ut infrà quadraginta dies à Patria ſua exulaturus abſcederet in ſervitio Pauperum Hieroſolymis triennio moraturus. Interim verò ſingulis diebus Dominicis Eccleſias Toloſanæ urbis nudus, & diſcalceatus cum diſciplinalibus virgis juſſus eſt circuire. Eccleſiarum bona, quæ abſtulerat, reddere, uſuras omnes, quas acceperat, reſtituere, damna pauperum, quos afflixerat, reſarcire, & caſtrum quoddam ſuum, quod Hæreticorum conventiculis profanarat, ab ipſis fundamentis evertere*. Omnis plebs Catholica converſione tam celebris Hæretici audita plurimùm lætans Deo benedixit.

XVIII. Petrus Bleſenſis, qui ante, & poſt hoc tempus magna cùm omnium laude ſcribebat, tractatulum edidit de Pœnitentia, & ſatisfactione à Sacerdote injungenda, In quo quendam Abbatem graviter reprehendit, quòd Monachos auſtera nimis Pœnitentia corrigeret, ſibique confiteri cogeret. Hinc occaſione accepta de injungenda poſt Confeſſionem Pœnitentia diſſerit. *Medium teneat, ne nimia remiſſio, vel nimia auſteritas ſit in eo, certumque Pœnitentiis modum, juxta Sanctorum Patrum inſtituta præſcribat. Beatus enim Gregorius falſas Pœnitentias vocat, quæ non ſecundùm auctoritatem Sanctorum, & pro qualitate criminum imponuntur. Sunt equidem, qui peccatis gravibus leves, & inuſitatos injungunt Pœnitentiæ modos, conſuentes juxta verbum Prophetæ pulvillos ſub omni cubito manus, & cervicalia ſub capite univerſæ ætatis. Hieronymus ſuper Danielem, &c. Cùm Beatus Daniel præſcius futurorum de ſententia Dei dubitet, rem temerariam faciunt, qui audacter veniam peccantibus pollicentur. Iſidorus de ſummo bono. Sunt qui Pœnitentibus ſecuritatem citò pollicentur, quibus benè per Prophetam dicitur: Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes, pax, pax, & non eſt pax. Cum ignominia, inquit, curant contritionem, qui citò Pœnitenti promittunt ſecuritatem*. Deinde in eos acriter invehitur, qui ſeveritatis modum non tenentes duras nimium Pœnitentias imponunt. Poſtea quoſdam increpat, qui offenſas in ſe commiſſas difficillimè remittunt, in Deum verò facillimè, *Verùmtamen ſicut B. Auguſtinus ſcribit, peccare in nos longè leviùs eſt, quàm peccare in Deum. Si enim vir in virum peccaverit, dicit Samuel, remitti ei poteſt. Si autem quis peccaverit in Deum, quis orabit pro eo? Nos autem è contrario dicit Auguſtinus injuriæ Dei miſericordes, & faciles ſumus, & ejus offenſam, quaſi velle, & nolle Dei in noſtra poteſtate ſit, ſine Pœnitentiæ ſatisfactione remittimus. Si quid autem in opere, vel in verbo contumelioſè attentatum eſt contra nos, illud graviori animadverſione perſequimur*. Redit poſteà ad ſeveram eorum increpationem, qui auſteris Pœnitentiis nimium indulgent: oſtenditque juxta conſilium Joannis Damaſceni tutius eſſe rationem de miſericordia reddere, quàm de Juſtitiæ ſeveritate. *Paſtor*, inquit, *tanquam prudens Medicus ulcus alienæ conſcientiæ ſuaviter tangat. Calamum quaſſatum non conterat, & linum fumigans non extinguat*.

XIX. Poſtquam multa ejuſmodi retulit, tandem ex doctrina Scholarum illius temporis in Pœnitentiæ mitigationem perſuadendam hoc proponit, *Quid ſcis, ſi jam lachrymis, & Contritione mundatus eſt? Liberatus eſt fortè ipſo propoſito confitendi. Dixi confitebor, & tu remiſiſti. Lazarus à Domino ſuſcitatus eſt, antequam ab Apoſtolis ejus inſitæ ſolverentur. Leproſi à Domino mundati ſunt, antequam ſe oſtenderent Sacerdotibus, &c. Iſte prodigus filius, qui adeò immaniter peccavit in Cœlum, & in Terram, nec in aliquo ſatisfecit, ſtatim reconciliatus eſt Patri, longèque promptior, & ardentior erat pater ad miſerandum, quàm filius ad miſericordiam obtinendam*. Pœnitentias igitur ſic moderandos docet, ut ſecundùm canones, & auctoritatem Sanctorum infligantur; ea tamen regula à Sacerdotibus obſervata, ut in lenitatem, & clementiam plurimùm propendeant; aliquandoque præſtare nullam, aut pauculam præſtare, quàm nimium auſteram. Ita eo tempore cenſebant, & in praxi uſurpabant viri doctiſſimi, & graviſſimi.

XX. Petrus Cantor, qui paulò poſt Petrum Bleſenſem ſcribebat ad finem ſeculi duodecimi *f.* 240. *&* 241. docet qualis ſit Sacramenti Euchariſtiæ effectus, & quando ſumendum: *Propter reverentiam ejuſdem Sacramenti inſtitutum eſt, ut poſtquam contritus fuerit, & pœnituerit de mortalibus, & omnibus, maximè ſi publicè, ne accedat ad Euchariſtiam Pœnitens, quouſque magna parte ſatisfactionis ſe exoneraverit, niſi neceſſitate, vel mortis periculo urgente. Similiter, nec Sacerdos aliquando mortali obnoxiùs, licèt poſteà plenè contritus, & confeſſus, conficere debet, niſi peracta Pœnitentia ex magna parte, vel niſi inſtante neceſſitate. Puta, ſi habeat Parochiam, nec habeat alium, qui celebret: quoniam tantæ auctoritatis, & reverentiæ eſt hoc Sacramentum, quòd in primitiva Eccleſia nullus niſi perfectus, vel penè perfectus ad Euchariſtiam accedebat*. In venialium peccatorum cauſa aliter edicit, Euchariſtiæ Communionem ea delere, ideò contra eorum ſubreptionem eſſe inſtitutam; per eam gratiæ cumulum dari, *per quem ſolidiùs ſubſiſtit quis, & reſiſtit futuris peccatis*. Verùm ante Communionem Euchariſtiæ graviter eſſe pœnitendum, & ſaltem Pœnitentiæ canonicæ magnam partem peragendam: *Sed ad delenda mortalia injungitur auſterior, & durior Pœnitentia, quaſi propria medicina illorum, ut jejunium, Eleemoſyna, religio, peregrinatio, & hujuſmodi, quibus tanquam propriis, & debitis medicinis illa curantur. Et ut generaliter dicamus, nullus conſecrare, vel percipere debet Euchariſtiam, qui fuerit in mortali, niſi peracta Pœnitentia tota, vel ſaltem ex magna parte. Sed cùm ſerenata eſt conſcientia, & homo confidit ſub Deo ſe de cætero non caſurum, tunc conficere, vel perficere poteſt Euchariſtiam*. Vides evidenter eo tempore praxim fuiſſe in gravioribus peccatis aliquantum diuturnam Pœnitentiam imponere, & Euchariſtiæ Communionem retardare, donec Pœnitentia impoſita aut integrè, aut magna ex parte peracta fuiſſet. Itaque licèt Abſolutionem peccatorum Confeſſioni conjungere tum ferè ſemper ſolerent, Pœnitentiæ tamen actionem Euchariſticæ Communioni præponebant, ut ab annis mille ducentis in hunc uſque diem Græcos facere demonſtratum eſt.

XXI. Denique ſi attendantur cauſæ, propter quas ſuo tempore Pœnitentiæ imponi adhuc ſolebant canonicas, licèt debilitatæ

Digitized by Google

litatæ plurimùm eſſent, nondum tamen deſuiſſe facilè colliget. *f.*191. Docet, Pœnitentias non injungi tantùm propter id, quod verè peccatum eſt, verùm etiam quandoque, ut ſint peccati perpetrati remedium, quandoque ut futurum caveatur. *Quandoque injungitur propter eventum majorem, ut cùm emiſſa ſagitta occiditur, quæ non eſt ad hoc emiſſa. Quandoque propter majus, vel minus ſcandalum ei additur, vel ſubtrahitur. Quandoque injungitur pro negligentiæ ad terrorem aliorum: verbi gratia opprimenti partum ſuum, non pro opere quidem ejus malo, niſi quia de genere malorum eſt, ſed propter negligentiam, quam inflictam eſſe peccatis ſuis exigentibus humiliter debet opinari. Similiter cognoſcenti cognatam pro uxore loco uxoris ſuppoſitam. Quandoq; injungitur Pœnitentia pro eo quod eſt veniale, vel non eſt peccatum, ceu pro mortali, quod putatur à Pœnitente eſſe mortale; & meritò, quia quantum intendis, tantùm facis, &c.* Poſteà verba facit de eo, qui peccatum putat ſe commiſiſſe, quod reverà non commiſit, aſſeritque, eum *peccatum debere confiteri, ut feciſſe credit. Si dubius eſt dubiè, & tum minorem Pęnitentiam imponendam; ſi pluribus conjecturis movetur, quod fecerit, major Pœnitentia imponenda.* Tres, aut quatuor cauſæ enumerantur, quibus ne leviſſimæ quidem noſtræ Pęnitentiæ imponerentur, cùm aut nulla eſſe peccata, aut venialia tantùm judicarentur. Sed antiquitus etiam à Burchardo, & Ivone graviſſimæ imponebatur, quos ille pro modulo Pœnitentiarum ſui temporis imitatur.

XXII. Antiquus codex Manuſcriptus conſervatur in Abbatia S. Victoris, in quo accuratè de Pœnitentia agitur. Scribebat illius auctor, aut eodem tempore cum Hugone Victorino, aut paulò poſt: Exſcripſit in uſum illius temporis ex Burchardo, non modò confitendi, & Pœnitentiam imponendi modum, ſed etiam canonum collectiunculam, quam Sacerdos quilibet in Pœnitentia peccatis imponenda, ut regulam obſervare tenebatur. Huic collectioni inſeruit etiam canones, qui actiones caſtigant, jam jam enarratas. Deinde rationem ex Burchardo Pœnitentiæ canonicæ per annos diſtribuendæ, & redimendæ. Pœnitentiale, quod edidit Antonius Auguſtinus Terraconenſis Archiepiſcopus, quod Romanum vocavit, eo quòd Roma illi miſſum fuerit, eodem tempore collectum, & ſcriptum eſt. Citat enim *Titulo* 8. non modo Calliſtum II. Pontificem, ſed etiam Innocentium II. Quamobrem cùm canonicas ſemper, & auſteras Pœnitentias commemoret, nullas alias imponat, ſitque canonibus, & antiquis canonibus planè ſimilis, argumentum certiſſimum eſt, cùm ſcribebat, id eſt, medio ſeculo duodecimo, alias Pœnitentias nondum fuiſſe in uſu, licet clementius ſolito, ut ſuprà multis probatum eſt, eas interpretarentur; variis præterea de cauſis, & facilè eas modò redimerent, modò relaxarent, modò hujus, & illius gratia ſuſpenderent. Qui autem à Superiore legis diſpenſationem petit, aut derogationem, aut remiſſionem, aut in eam privilegium, ſanè profitetur legem urgere, ſeque ei ſubditum.

CAPUT XXV.

Explicatur, qua ratione adminiſtrata fuit ſatisfactio Pœnitentialis ſeculo decimo tertio. Canonica laudata fuit, & confitentibus non modò propoſita, ſed etiam ad eam ſubeundam ſedulò invitati ſunt, & vehementer exhortati. Sed vix inventus, qui eam ſuſciperet. Ideò ad voluntatem Confitentium ferè temperari ſolita, vel facilè redimi. Quare difficilè erat Pœnitentiæ canonicæ actionem perſuadere. Dicebant nonnulli, hominum corpora non eſſe ampliùs tanto oneri ferendo idonea. Tandem Confeſſores propè omnes, & Doctorum permulti prædicaverunt Pęnitentias canonicas eſſe arbitrarias. Mutari poſſe in quidquid juſſeris Epiſcopus ad gloriam Dei. Verùm hoc de criminibus occultis, & non graviſſimis intelligebatur. Pęnitentias canonicas eſſe tantùm Confeſſoribus inſtar directionis, quam, prout dictat Conſcientia, & uſus temporis, ſequi debent.

INeunte ſeculo decimo tertio, & nonnihil progreſſo, multa ſupererant iſtius ſeveritatis argumenta. Confitentibus crimina ſua in expiationem primùm proponebatur Pœnitentia canonica, ſuadebatur, urgebatur: Detrectantibus tamen mitigabatur; de ſeveriore mitigatione conquerentibus, iterùm minuebatur, donec Pœnitens pœnæ levitatem verecundatus tandem Sacerdoti acquieſceret. Deinde tam multis undique objectis relaxationum Pœnitentialium occaſionibus circumdabatur, ut pauco negotio, & citra laborem, totam Pęnitentiam poſſet exolvere. Hic enim erogando duos, aut tres denarios in hujus Eccleſiæ, Pontis, itineris refectionem, tertia pars Pœnitentiæ remittebatur; illic quarta; quandoque alio in loco integra. Itaque cùm paſſim oculis obverſarentur ejuſmodi occaſiones, in iiſque proponendis liberales eſſent Epiſcopi, difficile erat Pœnitentiam canonicam peccatoribus perſuadere, cùm unicuique præſto ſemper adeſſet illius in rem facilem commutatio. Doctores enim ſeveri moneant, prædicent, diſputent, urgeant, ut auſteram vitæ diſciplinam populus apprehendat: laudabunt, & mirabuntur multi ſermonis eloquentiam, ingenii ſubtilitatem, perſonæ diſſerentis ſanctitatem, quis dato brevi, & gratioſo pœnarum compendio auſteram illam diætam amplexabitur? Ne centeſimus quiſque: Qui hoc cum fructu videre cupit, univerſam hominis naturam priùs immutet. His accedit redemptionum antiquarum facilitas, quam tum unuſquiſque Sacerdos arbitrio ſuo putare continuavit: unde factum eſt more hominum ſolito, ut ex facilibus facillimæ redderentur. Deinde Confeſſorum ordinariorum univerſalis ſententia eodem ſeculo prævaleſcens, Pœnitentias quaſcunque in foro conſcientiæ Sacerdotum arbitrio eſſe infligendas, ultimam operi coronidem impoſuit. Iſta nos docent auctores celebres, qui tempore deſignato de his rebus ſcripſerunt.

II. Robertus de Flammesburg Pariſiis erat Pęnitentiarius, finiente ſeculo duodecimo, & ineunte decimotertio: pervenit enim ad annum 1224. Pęnitentialem librum ſcripſit, in cujus quinta parte graphicè deſcribit, qua ratione ſeſe gerere ſoleret in Confeſſionibus audiendis, & Pęnitentiis imponendis. Verba ipſius fusè referemus, eo quod diſertiſſimè, & ſine fuco explicent, id quod nobis eſt propoſitum. Sic librum quintum incipit, & proſequitur. *Ita optimè Decane Saliſburiens* (ad illius petitionem opus erat aggreſſus Robertus) *In Confeſſionibus inquirere conſuevi, & non ſolùm mala, quæ geſſit, ſed etiam bona, ut ſecundùm hoc plus, vel minus eum puniam. Poſteà conſidero circunſtantias confitentis, ætatem, converſationem, divitias, paupertates, vires corporis, & ſimilia, & ſecundùm quod ego video, punio. Si canonicam non vult recipere pænitentiam, id eſt, à canonibus inſtitutam, diligenter eum admoneo, ut animam ſuam nullo modo lædat, & promptiſſimum me offero ad quamlibet Pænitentiæ alleviationem. In tribus conſiſtit pænitentia, jejuniis, orationibus, & eleemoſynis. Quandoq; omitto unum pro alio, ſecundùm quod video expedire propter varios eorum eventus, ut quoniam unum non poteſt facere, aliud faciat. Aliquando patitur recidivum peccandi, ſed rarò, tunc aggravo antiquam ejus Pænitentiam, vel extendendo eam, vel exaſperando, vel utroque modo ſi expedit. Quandoque patitur aliquis recidivum peccandi, ſed frequenter. Tunc ſi timeo quod deſperet, vel ſuccumbat, ſi ei ſemper aggravetur Pęnitentia, non ſolùm enim antiquam remitto eum Pęnitentia, ſed quandoque eam relaxo, quandoque, & ex toto relaxo, ſemper monens, ut à peccato ceſſet. Quandoque quærit aliquis, Domine, ſi cavero mihi à peccato, & iſtam quam dediſti mihi perſecutus fuero Pænitentiam, nunquam plus confitebor. Et dico, frater, in fine vitæ tuæ omnia debes evomere: vel ſi frontem habes teneram, & de facili rubes; vel ſi virum inveneris de quo bene ſperas, ut ejus utaris conſilio, ſecundùm conſcientiam tuam, quando volueris, confitearis. Multum enim valet quòd quis pluribus confiteatur. Sed quandiù tibi portabilis eſt, nunquam quam dedit pęnitentiam minuas.*

III. Vides quomodo Pęnitentia canonica proponi ſolita erat, ſuaderi, urgeri; iterantibus peccata aggravari, ita tamen, ut facilè remitteretur, compenſaretur, atque etiam dimitteretur, & unicuique illius relaxandæ, commutandæ, & intermittendæ judicium proprium, regulam fuiſſe, & cynoſuram; laudatos tamen fuiſſe eos, qui canonicè pęniterent, & nonnullos cum laude adiiſſe viros doctos, ut ab iis Pęnitentiæ canonicè agendæ rationem ſciſcitarentur. Progreditur Robertus, *Quatuor ſunt Quadrageſimæ in anno, quas oportet, quandoque ex toto, quandoque ex parte alicui injungere præter Dominicas, 40. continentes dies. Prima incipit anno natalis in feſto 4. Coronatorum. Secunda, 4. feria poſt Octavam Pentecoſtes. Tertia, 3. Feria poſt Octavam Aſſumptionis B. Mariæ. Quarta, quæ Paſcha præcedit omnibus nota eſt. Quandoque ad cautelam ſine recidivo confitetur aliquis, cui ſic dico, Tu peccaſti in cibo, & potu, in verbis vanis, otioſis, jaculatoriis, adulatoriis, detractoriis, audiendo, loquendo, mentiendo, & jurando, contendendo cum aliis. Multa exciderunt tibi à memoria, multa ſunt occulta tua, multæ omiſſiones tuæ. Bona, quæ feciſti, minus benè feciſti. Multoties es ingratus Deo, multoties repellis gratiam Dei. Non ita deteſtaris malum ſicut deberes. In bono non ita es progreſſivus, ut deberes, ſed tu de omnibus petis veniam, & paratus es, & ſatisfacere, ſi Deus reduxerit tibi ad memoriam,*

quid

quidquid id fuerit. Ego autem tantulam ei injungam pęnitentiam, unam, vel aliam.

IV. Mentionem facit quatuor Quadrageſimarum, quæ quotannis à Pœnitentibus jejunantur. Apud antiquiores Latinos Quadrageſimæ tres tantum commemorari ſolent, quas *libro 7.* explicavimus. Mentio illa notat, Pœnitentiarum etiam ſeveriſſimarum memoriam nondum fuiſſe illo tempore obliteratam, ſed confitentibus indicatam fuiſſe, & propoſitam, non juſſam. Explicata methodo, qua in minorum peccatorum confeſſione utitur, pergit ad Confeſſionis, ſive Pœnitentiarii inſtructionem. *Poſtquam per pęnitentis propalationem, & pœnitentiarii indagationem, vitia, & vitiorum membra, & virtotum omiſſiones, modò ſuperiùs enumerato inventa ſunt, & deprebenſa, conſequens eſt, ea digna animadverſione proſequi, & percutere, boc eſt, dignos facere fructus pęnitentiæ. Ad boc autem neceſſarium eſt ſcire, quæ cui reſpondeat peccato pęna. Pęnitentiæ autem arbitrariæ ſunt, & ad arbitrium Sacerdotis ex cauſis inſpectis mitigandæ ſunt, & exaſperandæ. Non tamen potiùs quàm à notis, aut per nos aliquid fingamus, canonicas à SS. Patribos prætaxatas proponemus pęnitentias, quæ licèt graves ſint admodùm, & aſperæ, ut vix ſit aliquis, qui vel eas ſuſcipere velit, vel imponere præſumat. Prætereà licèt in libris pęnitentialibus, non ſingulas ſingulorum invenias expreſſas, licèt peccatorum invenias pęnitentias, totiùs tamen, & boneſtiùs præ oculis babita antiquorum auctoritate, modo, & conſideratione, nam & ipſi mitigantes, mitigabimus eas, & fortè exaſperabimus. Et cùm peccato conformem, non invenimus pęnitentiam canonicam per majus, & minus eam inveniemus, & per ſimile. Ego autem in Confeſſionibus jus illæſum ſemper ſervare volo vebementer. Pęnitentias autem non ita. Quando enim pęnitens canonicam ſuſcipere non vult pęnitentiam, moneo eum, & rogo: Amicè, incipe, & proba, ſi ſuſtinere potes pęnitentiam iſtam, dabit tibi Deus gratiam, & fortitudinem, alioquin mitigabo tibi. Et ſubjungo, ſi aliud fieri non poteſt, ceſſa à peccato, & ad libitum tuum, quod volueris tibi mitigabo. Elegi enim ſemper magis miſericors eſſe quàm rigidus. Quando enim gravem aliquam ſuſcipit quis pęnitentiam, dico ei, frater, rationabile ſit obſequium tuum: Ego me expedio, rogo, præcipio, præmoneo, & præmunio, ut animam tuam ſemper ſerves illæſam. Nolo ut ſub pondere pęnitentiæ in tantùm gemat, quis ut à ſtudio cogatur ceſſare, Scholaris à Scholis, vel ab officio ſuo faber, vel Agricola, vel aliis laborioſas, ut domui ſuæ providere non poſſit: Velut Dominum tuum ſequi non poſſe curſor, vel conventum clauſtralis.*

V. Conſuetudinem ſuo tempore confitendi, & Pœnitentiæ præſertim imponendæ ita ſincerè, & germanè velut in ſpeculo exhibuit Robertus, ut illuſtratione non egeat. Nonnulla alia, quæ huc referri poſſunt ex eodem auctore, citata ſunt *lib. 5. c. 23. & 25.* ſed præſertim *lib. 7. cap. 22.* Unum, aut alterum ejuſdem auctoris monitum pręcedentibus addam, *De alio etiam te moneo, quòd vix aliquem invenies, qui ſupraſcriptas, quia graves ſunt, & auſteræ, ſuſcipiet Pęnitentias. Tu igitur paulatim, & paulatim eas mitigabis, ut aliquam babeat pęnitens pęnitentiam, nunquam enim dummodò à peccatis ceſſare velit, omninò ſine Pęnitentia à te recedat aliquis, alioquin quod abſit, in deſperationem eum detrudes.* Et in fine libri: *Sanus igitur mibi videtur conſilium, ut quantumcunque potes Pęnitentem inducas, ut canonicam, & autbenticam ſuſcipiat pęnitentiam, & ſic tibi, & ei benè erit. Quòd ſi obtinere non poteris, dicas ei frater, oportet te, vel in bac vita puniri, vel in purgatorio. Incomparabiliter autem gravior eſt pęna purgatorii, quam aliqua in bac vita. Ecce anima tua in manibus tuis. Elige igitur tibi, vel in bac vita ſufficienter ſecundùm Pęnitentias canonicas, vel autbenticas puniri, vel Purgatorium acceptare. Quòd ſi elegerit Pęnitens, ad petitionem ejus, & libitum, & arbitrium tuum poteris canonicas mitigare pęnitentias, & autbenticas. Sed paulatim, & paulatim boc facias, ut poſteà potius allevationem petat pęnitens, quàm aggrevationem, & ſic, ut puto, ſecurus erit.* Quæ præcedunt verba iſta in textu, ſunt etiam ſcopo noſtro utilia, ſed relata ſunt *p. 494. ſect. 9.* quod Lectorem remittimus.

VI. Petrus, Pictavienſis dictus, Canonicus Abbatiæ S. Victoris, ſcribebat Pęnitentialem ſuum librum poſt Summas Cantoris, Præpoſitivi, & Beleti; eos enim aliquando refert, ut jam adnotavimus. Nonnulla etiam refert de Innocentio III. quæ ab iis acceperat, qui Innocentium ea dicentem audiverant; obiit autem Innocentius an. 1216. Nunquam autem Gregorii IX. Decretales commemorat. Itaque ſcripſit ab anno 1200. uſque ad 1230. Vir erat eo tempore celebris, & Confeſſionibus audiendis præpoſitus. Jam multa ex eo retulimus *lib. 7. c. 22. & lib. 5. c. 23.* quæ ſcopo noſtro illuſtrando opportuniſſima ſunt, quò Lector recurrere poterit. Nonnulla quæſtionis illuſtrandæ cauſa adtexemus, quibus manifeſtè conſtabit, quæ fuerit illo tempore Pœnitentiarum praxis. *fol. 3. p. 1. Pro bujuſmodi peccatis contra naturam quæ dicta ſunt, & pro adulteriis, & inceſtibus, & conſimilibus ſoleat injungi jejunia in pane, & aqua ſecundùm tempus, quo moratus eſt in peccato, & ſecundùm alias circunſtantias, vel compenſet. Pro ſimplici fornicatione ſimplicia jejunia, niſi perſonæ, vel aliæ circunſtantiæ occurrant, & etiam tum ovis, & caſeis. Maximè ſi ſint pauperes, vel in aliena menſa. Nam, & tunc datur alia compenſatio propter ſcandalum evitandum.* Et eodem *fol. p. 2. Ii verò maximè, qui de labore manuum vivunt, maximè ſi tota familia de illorum pendeat labore, ſi non poſſunt jejunare in pane, & aqua, indulgetur eis aliquotiens in tempore Meſſis, & vindemiarum, ferè ſemper comedere bis cùm potagio ſine vino; vel panem, & vinum tantùm ſine alio. Et quoniam quilibet talis quolibet tempore laborat manualiter, poteſt talis providere unam diem in qualibet ſeptimana in qua poſſit artiſſimè jejunare quando non laborat, vel compenſet. Cætera remedia, immò omnia pendeat ex diſcretione Confeſſorum.* Relaxat plurimùm dies, modumque jejunii; & ubi adſtringit, tum dat optionem, aut jejunandi, aut compenſandi, ſive redimendi. Vide hoc clarius ab eodem auctore explicatum ſupra *part. 315. ſect. 7. & p. 495.*

VII. *Fol. 6. p. 1.* mentionem facit trium feriarum legitimarum, docetque quartam, & ſextam auſteriùs tertia jejunari ſolere, cujus conſuetudinis rationes inquirit. Quatuor prætereà Quadrageſimas commemorat, ut & Robertus de Flammesbur, quas ut & ferias ſeveriùs injungi dicit Adulteris, Inceſtuoſis, Homicidis, Incendiariis, Latronibus, Raptoribus, & hujuſmodi. Argumentum evidens Pœnitentiæ canonicæ auſteræ nondum extinctæ. Quàm eſſet debilis illius praxis, ex ipſius verbis jam demonſtratum eſt, ſed ex ſequentibus maximè, *f. 9. p. 2. Sicut moderni Phyſici temperant antiquarum violentiam potionum; ſic & nos plerumque antiquorum rigorem canonum pęnitentialium, quia non poſſumus ſuſtinere cenſuram illius temporis, quando & corpora, & merita defecerunt. Tunc enim in amore Chriſti ferventiores erant fideles, quando recens erat corpus Chriſti. Ideòque & valebant, & volebant, non patienter ſolùm, ſed & libenter pro Chriſto cuſtodire vias duras. Tunc quidem robuſtiores erant homines, & præcipuè in primis legum Conſtitutionibus ſeveriori Cenſura tranſgreſſores percelluntur, ſicut Patres Ananiam. Unde nonnulli falluntur, & fallunt, qui nibil vel parum de jure, vel Tbeologia à Magiſtris didicerunt, ſed Magiſtram ſibi fecerunt opinionem, &c. & quaſi Judaizantes literis adbærent antiquorum decretorum, quæ antiquata ſunt, quæ multa ſunt in decretis Ivonis. Ut ſi quis Homicidium ſponte fecerit, intret clauſtrum, de continendo in diebus jejuniorum etiam in conjugio, de communicando ter in anno, & in Cęna Domini; & de baptizando in Paſcha, & Pentecoſte tantùm; de neganda communione in fine propter quædam peccata.* Hinc judica velut ex ungue Leonem, tam ex rationibus iſtis quàm ab exemplis, quantum ab antiqua ſeveritate diſtabant, etiam cùm eam imitabantur, & urgebant.

VIII. Guilelmus Pariſienſis Epiſcopus eodem tempore ſcribebat, ſed juvenis, cùm alii ſenes eſſent. Unus erat è celeberrimis Magiſtris Pariſienſibus: vivere autem deſiit anno 1248. Itaque ab anno 1220. ad annum iſtum viguiſſe dici poteſt. Plurimùm ille in Pęnitentiarum impoſitione tribuit voluntati, & arbitrio Confeſſorum, ut & Epiſcoporum in commutandis, compenſandis, relaxandis, & remittendis Pęnitentiis canonicis, ita ut hæc omnia propè ab eorum nutu, & prudentia pendere voluerit. Sic ille in fine libri, quem ſecundò ſcripſit de Pęnitentia. Poſtquam capite penultimo deſcripſit, quomodo ſit confitens à Confeſſore adjuvandus, ita concludit, *Si ergo bis adjuvetur Pęnitens, non dubito, cum Dei gratia, & auxilio, Confeſſionem etiam veram, puram, & integram poſſe extorqueri facilè. Facta autem Confeſſione ad integrum pęnitentiæ arbitrariæ erunt.* Et libri de Pęnitentiæ Sacramento *c. 21. Cùm in arbitrio Confeſſoris, & voluntate, pœnitentialem ſatisfactionem poſitam eſſe dicamus, dicimus conſequenter, quòd in bona fide ipſius boc poſitum eſt. Hoc autem exigit bona fides, ut conſulantur periti juris cæleſtis, atque divini, vel ſcripta Sanctorum, atque Prudentium de pœnitentia, atque injunctione, ubi Confeſſori propria peritia non ſufficit: & quod debita deliberatione, atque conſilio, pœnitenti injunxit, boc miſericors Deus tanquam gratam ſatisfactionem, & ſacrificium reconciliationis, ſeu propitiationis à pœnitente ſuſcipit.* Itaq; docet, omnem Pęnitentiarum impoſitionem à bona fide, & prudentia Confeſſorum pendere, ita tamen, ut velit eos non negli-

Digitized by Google

gligenter officio ſuo incumbere. Nam, ut ipſe ibidem ſcribit, ſi cùm agitur de rebus civilibus agris, vineis, domibus, ſolicitè examinatur factum, conſuluntur leges, Regum edicta, reſponſa Prudentum: *Quanto magis ſimilia omnia facienda ſunt in hoc judicio ſpirituali*.

IX. Iſta tamen diligentia ipſorum fidei ab eo committitur, & licèt non adhibeatur, valet tamen apud Deum reſpectu Pęnitentis impoſitio. *Interdum tamen miſericordiſſimus, ac ſapientiſſimus Deus, humilitatem, ac devotionem confitentium reſpiciens, imperitis Confeſſoribus, etiam ignorantibus, inſpirat ſaluberrima conſilia ſatisfactionum. Quia ergo contingere poteſt, ut in eodem genere peccati diverſis Confeſſoribus, ac ſtudioſè agentibus, diverſæ, & inæquales videantur injungendæ ſatisfactiones, & hoc de conſilio prudentium, vel de propria circumſpectione, atque prudentia, piè credimus, ac ſentimus, quia utraque ſatisfactio grata eſt Deo, & accepta, & utraque ſufficit, licèt inæquales ſint ipſæ, & æqualia peccata pro quibus injunguntur*.

X. Dixerat anteà, quod equidem verum eſt, canones eſſe temperandos, pro variis circumſtantiis tam peccatorum, quàm peccantium; & hoc ipſum canones edicere, & conſequenter hoc temperamentum eſſe Sacerdotum arbitrio ſuppoſitum. Verùm hoc latiſſimè intelligit, ita ut non improbet quorundam ſententiam, qui dicunt pœnas antiquorum canonicas non eſſe Sacramentales, ſed tantùm correctorias, & eorum approbet, quibus *videntur eſſe exemplaria ſatisfactionum Pœnitentialium, ut juxta illas, vel cùm viſum fuerit, aliqua de his, aut etiam ipſæmet pœnitentiæ canonicæ pœnitentibus injungantur*. Vult igitur, Pœnitentias canonicas non eſſe nunc prorſus exoletas, & inutiles, ſed eſſe velut exemplar, quarum inſtar hodiernæ poſſint aliquomodo imponi. *Nec dubitandum eſt*, inquit, *Confeſſores ſequi debere canones Pœnitentiales, quatenus fragilitati noſtrorum temporum, & qualitati Pœnitentium congruit: quatenus etiam tam multiplex ruptura, vel laceratio retis Petri patitur, quæ præ magnitudine, & multitudine concluſorum piſcium valdè modicum habet hodie integrum, vel illæſum*.

XI. Non mirum igitur ſi idem Guilelmus Epiſcoporum arbitrio ſuppoſuit univerſam Pœnitentiarum canonicarum, redimendarum, relaxandarum, & minuendarum œconomiam, ut videre eſt *cap. 13. de Sacramento ordinis*. *Dicemus ergo imprimis, quod cujus poteſtas eſt pœnitentiales ſatisfactiones injungere, ejuſdem eſt eas augere, minuere, & mutare, prout ad Dei honorificentiam, & animarum ſalutem, & ad publicam, & ſpecialem utilitatem viderit expedire. Quare & pœnitentialem afflictionem in eleemoſynas, oblationes, & orationes, & in omne, quod Deo magis acceptam viderit eſſe; licitum eſt Prælato, ſuæque poteſtatis eſt, & officii mutare, prout ipſi pęnitenti, aut Eccleſiæ, de qua eſt, aut civitati, aut patriæ, aut toti Eccleſiæ viderit expedire*. Id autem tanti facit cum iſtius relaxationis, & mutationis æſtimatione, ut relaxationes illas, & in quælibet alia mutationes, acceptas, & executioni mandatas ſatisfactioni canonicæ longè præferat, ut jam ſupra notavimus, & ipſius verbis probavimus.

XII. Laxiſſimam Guilelmi hac in re ſententiam laxiùs adhuc amplectebantur, & exequebantur, qui erant Confeſſionibus audiendis Præpoſiti. Vulgatum enim erat illo tempore apud eos omnes axioma, Pœnitentias eſſe arbitrio Confeſſorum imponendas, ut teſtatur Alexander Halenſis 4. *par. Summæ q. 21. memb. 3. art. 1.* qui fuerat Guilelmo familiaris, quique tribus ante ipſum annis defunctus eſt. *Quidam dicunt, & ferè omnes Confeſſores, quod omnes pœnitentiæ ſunt arbitrariæ, id eſt, in voluntate Sacerdotis: & poteſt dare plus, vel minus pro voluntate ſua, nec peccat: & hoc ex vi clavium*. Alii antiquæ praxi ſaltem docendo adhærebant: docendo dico; eo quòd, teſte Alexandro, ii, in quorum manibus praxis erat, & executio rei, eam arbitrio ſuo planè ſubiiciebant. *Alii ſunt*, inquit Alexander, *Qui dicunt, quod ita ſunt arbitrariæ, quòd eorum eſt judicare de circumſtantiis omnibus contingentibus, & à canonibus non recedere, id eſt, à pœnitentiis injunctis à canone. Et quia eorum eſt judicare factum, & circumſtantias omnes contingentes, eorum eſt arbitrii ſecundùm graviores facti, vel facientis circumſtantias pœnam canonicam aggravare: vel pro levioribus, id eſt, factum diminuentibus circumſtantiis, de pœna in canone ſtatuta diminuere*. Hæc eſt ipſiſſima Antiquorum praxis: eò uſque arbitrarias eſſe volebant. Hoc ſi non obſervaſſent, iniquè ſæpiùs inflictæ fuiſſent. Alexander inter hæc duo extrema medium tenere videri vult, *Ut neque teneatur, quòd omninò ſunt arbitrariæ, neque quòd omninò ſententiæ Sanctorum ſunt tenendæ: Immò quandoque ſecundùm arbitrium Sacerdotis, conſiderato affectu pœnitentis, & infirmitate, moderanda eſt cùm diſcretione taxatio Patrum in injunctione pęnitentiæ*. Tertia ſententia videri poſſet eadem cum ſecunda. Sed Alexander moderationem intelligit, non ſub eodem genere, ſed mutationem in aliud genus multò lenius, & levius, quæ fit juxta arbitrium Sacerdotis, non cum analogia neceſſaria ad Pœnitentiam canonicam. Itaque primæ ſententiæ amplectendæ dat occaſionem præſentiſſimam.

XIII. Idem ſentiebat Albertus magnus in 4. *diſt. 20. art. 14.* cùm ſcribit, nunquam apertè regulas Pęnitentiæ præſcribi, & in Pœnitentia imponenda tria ſaltem eſſe attendenda, peccati qualitatem, Contritionis quantitatem, & Pœnitentis ſtatum: *Canon autem non attendit niſi uſum, & ideò quod dicit, non eſt niſi quaſi exemplar ad dirigendum, in aliis ad minorandum ab illo, vel illi addendum ſecundùm arbitrium diſcreti Sacerdotis hæc tria ſolemniter obſervantis*. Eadem erat S. Bonaventuræ ſententia in 4. *diſt. 20. p. 2.* in expoſitione: *Sacerdos inſpiciet, quales pęnitentias imponat, tum ſecundùm gravitatem criminis, tum ſecundùm diverſas conditiones perſonarum*. Verùm Confeſſores latè admodum hanc Doctorum interpretationem extenderunt. Crediderunt enim Pęnitentias canonicas eſſe ſuo arbitratui ſuppoſitas, & vi clavium ſe poſſe, ut æquum judicant, de iis ſtatuere. Hoc non ſolùm docet Guilelmus Pariſienſis, & teſtatur Alexander Halenſis, ſed etiam S. Raymundus utriſque æqualis, & ſuperſtes.

XIV. Operæpretium eſt hic addere, quod tradit *lib. 3. Summæ c. de Pœnit. & remiſſ.* duas refert ſententias, ſeveriorem unam, clementiorem alteram. *Videtur*, inquit, *dicendum quòd arbitrio Sacerdotis pęnæ omnes taxantur conſideratis circumſtantiis criminis, quantitate, & dignitate, & qualitate. Item, perſonæ dignitate, officio, paupertate, infirmitate, ſeu debilitate complexionis, conſuetudine, ſocietate, lacrymis, & devotione; item, regionis, & temporis qualitate*. Hoc tradito, & demonſtrato docet, qua ratione penſari, & menſurari debeant Pęnitentiæ, & hac de re regulam tradit univerſalem, variaſque exceptiones: *Ut ergo ſcias, qualiter debeat procedere arbitrium Sacerdotis, nota: quòd regulariter pro adulterio, & perjurio, fornicatione, homicidio voluntario, & cæteris criminalibus vitiis ſeptennis pęnitentia eſt imponenda*. Hujus regulæ ratione reddita varias affert exceptiones, quæ nihil aliud ſunt, quàm varii antiquorum Conciliorum, & Pœnitentialium canones, qui pęnas certis criminibus ultra ſeptennium, aut infra indicunt. In quem finem illa regula, & illæ canonicæ exceptiones à S. Raymundo proponuntur? En quibus verbis conſilium ſuum exponit, *Ex diligenti inſpectione prædictæ regulæ cum exceptionibus ſuis, poterit ſtudioſus, & diligens indagator invenire proceſſum ad ſatisfactionem pro diverſis criminibus ſecundùm pœnitentiales canones imponendam: nec debet Sacerdos à forma prædicta recedere, niſi propter cauſam. Et in hoc conſiſtit ejus arbitrium, ſcilicet pro qua, vel pro quibus circumſtantiis, & quantum, & quando poſſit augeri, vel minui pęna canonica. Et hæc eſt opinio quorundam*.

XV. Hæc ſententia ſic explicata, eſt Antiquorum ſententia, & praxis, aut ab ea parum diſcedit. Ut enim ſemper debuit pœna canonica criminibus imponi, niſi graviſſima aliqua cauſa intercederet: Ita ſemper licuit variis circumſtantiis inſpectis pœnas illas intendere, vel remittere, ſed non licebat eas abrogare. Cùm ſcribebat Raymundus paucorum hæc erat opinio. Quæ tum igitur erat vulgata ſententia? *Alii verò dicunt indiſtinctè omnes Pęnitentias arbitrarias, & hanc ultimam opinionem videtur amplecti conſuetudo. Prima tamen eſt tutior, licet difficilior. Verùm quamcunque opinionem teneas, Nota quod tria crimina ſunt, quæ impediunt matrimonium, &c.* Priorem ſententiam licèt ſecuriorem, & meritò, exiſtimet Raymundus, utriuſque tamen optionem Lectori relinquit. Antiquus ipſius Commentator in hæc verba, *videtur amplecti conſuetudo*, ſic adnotat, *quæ tenenda eſt; quia reverà hodie pœnitentiæ ſunt arbitrariæ*.

CAPUT XXVI.

Ejuſdem rei demonſtratio continuatur. Licèt illius ſeculi Doctores paſſim docerent, pœnitentias eſſe arbitrarias; Pontifices tamen de privatis caſibus interrogati, canonicas imponebant. Laxum illud arbitrium, etiam in fine illius ſeculi, de criminibus occultis intelligebatur. Eorum verbis docetur, qua ratione ſe gerere debeat Confeſſor erga eum, qui à peccatis abſtinere vult, ſed Pęnitentiam detrectat. Iidem Doctores docebant

Digitized by Google

aebant Canonum ſcientiam Confeſſoribus eſſe neceſſariam, & ad eos velut ad exemplar in Pœnitentia danda eſſe reſpiciendum. Id exemplis docetur.

QUanquam Confeſſores ubique hoc jus in Pœnitentias canonicas ſibi vendicarent, Doctoreſque paſſim eandem ſententiam vel docerent, vel eam, quę huic juri admodum faveret, & Confeſſores ad illud conſervandum induceret: Tria tamen eodem tempore docebantur, conſulebantur, atque etiam exercebantur, quæ plurimum retardabant ad relaxationem præcipites. Primum ſpectat ad ſummos Pontifices, qui eodem tempore interrogati de Pœnitentia variis criminibus imponenda, ſecundùm antiquos canones reſpondere adhuc ſolebant. Secundum, inſignes & celebres Doctores, qui illas Pęnitentiarum relaxationes de criminibus occultis eſſe interpretandas, non de publicis prædicabant, & ſcribebant. Tertium, axioma apud illius ſeculi Doctores vulgatum: Confeſſorem, licèt in occultis peccatis puniendis, non teneretur canones ſequi, teneri tamen eos in Pœnitentiis dandis, ut exemplar, & formulam ante oculos ſibi proponere. Singula hæc, ut tandem opus noſtrum finiamus, pauculis exemplis breviter illuſtrabimus.

II. Gregorius IX. Decretalium collectionem à S. Raymundo factam anno Chriſti 1230. aut paulò poſt Eccleſiæ tradidit, ut judicia Eccleſiaſtica non modò publica, ſed etiam privata ſecundum eam pro materia ſubjecta definirentur. Quando hujus rei occaſio ſeſe obtulit, ſecundum antiquos canones reſponſa dedit, & legibus publicis inſeruit. Decretalium *lib.5. tit.12. c.2.* hæc Pœnitentia homicidæ imponenda ex antiquo Pęnitentiali Romano ab eo innovatur, & authentica redditur, *Interfeciſti furem, aut latronem, ubi comprehendi poteras abſque occiſione; quia ad imaginem Dei creatus eſt, 40. dies non intres Eccleſiam, & lanea veſte indutus ab eſcis, & potibus, qui interdicti ſunt, & à toto gladio, & equitatu, illos ſupradictos dies abſtineas. In tertia autem, & quinta feria, & Sabbato aliquo genere leguminum, vel oleribus, pomis, & parvis piſciculis, cum mediocri cerviſia utere temperatè, &c.* Et de Accuſat. c.8. *Accuſaſti aliquem, & per tuam accuſationem occiſus eſt, niſi pro pace hoc feceris, 40. dies, in pane, & aqua, quod Carena vocatur, cum ſeptem ſequentibus annis pęnitens. Si autem per tuam delaturam debilitatus eſt, per tres debes quadrageſimas pęnitere.* Sic de maledicis *c. Statuimus.* Et *de Pęnit. & remiſſionibus cap. 2. Qui Presbyterum occiderit, 12. annorum Pęnitentia ei ſecundùm canones imponatur. Et infra Convictus uſque ad ultimum vitæ ſuæ tempus militię cingulo careat, & abſque ſpe conjugii maneat.* Aliud habetur capite ſequenti: His exemplis manifeſtum videtur, communem illam Confeſſorum praxim, licèt plurimi Doctores ei aſſentirentur, nondum tamen illo tempore in rem judicatam tranſiiſſe. His addi poteſt exemplum cujuſdam Friſonis, qui Romam ivit ad Papam Honorium III. ut ab eo Pęnitentiam acciperet, eo quod corpus Dominicum in pyxide à Sacerdote geſtatum ebrius decuſſiſſet. Pontifex referente Bzovio ad *an.* 1230. *Calpam confitenti pro Pęnitentia injunxit, ut mare tranſiret, ibique tribus annis in armis Chriſto deſerviret.* Æqua ſanè canonibus Pęnitentia. In Concilio Tarraconenſi anno 1242. celebrato, Pœnitentia publica Hæreticis decernitur, quæ licèt ab antiquo ritu in plurimis differat, quocunque tamen tempore antiquiore judicata fuiſſet graviſſima, ut unicuique eam legenti, & cum antiquis Pœnitentiæ formulis comparanti erit manifeſtum.

III. Non obſtantibus tamen his, aliiſque Pontificum, & Conciliorum legibus, Conſiliis, & exemplis, praxis ubique, & abſolutè per univerſam Eccleſiam invaluit, Pœnitentias eſſe arbitrarias, Sacerdotes pro prudentia, & arbitrio ſuo in canonibus Pœnitentialibus diſpenſare poſſe, nec ad eos obligari, jus habere virtute clavium Pęnitentias arbitrandi, & cenſendi. Verùm primarii Doctores, quod ſecundo loco nobis explicandum propoſuimus, hoc tantum intelligebant de criminibus occultis, quæ Sacerdotum, & Doctorum privatorum bonæ fidei commiſſa erant. In publicis enim, quæ ab Epiſcopis, eorum Vicariis, & Archidiaconis, perſoniſque publicis caſtigabantur, canonica pęna, aut canonicæ analoga infligebatur, canonum, & decretorum antiquorum ratio habebatur, & ab eorum præſcriptis non niſi difficilè, & gravi cauſa ſemper urgente diſcedebatur. Cardinalis Hoſtienſis *lib.5. Summæ de Pęnit. & remiſſ. n.60.* initio, Pœnitentias docet eſſe arbitrarias: hanc ſententiam amplexum eſſe Joannem antiquum decreti gloſſatorem. Refert quidem diverſas eſſe hac de re opiniones. Variabant enim auctores, qui paulò ante ipſum, & eo juvene ſcripſerant, ſed tamen de opinione, quæ affirmat, Pœnitentias eſſe arbitrarias, ſic teſtatur, *Hanc opinionem approbat conſuetudo; quia generaliter hoc ſervatur.* Idem teſtatus eſt ſupra Raymundi Gloſſator, qui eodem cum Hoſtienſi tempore vixit. Scribebat autem Hoſtienſis regnante Alexandro IV. Pontifice, qui obiit anno 1261. & creatus eſt Cardinalis ab ejus ſucceſſore Urbano IV. Paulò poſt verba citata, Hoſtienſis hanc pœnitendi facilitatem ad crimina occulta reſtringit, *In quo quidem caſu, ſi crimen publicum ſit, publica nec major, vel minor Pęnitentia quàm ſcripta reperiatur, imponenda eſt, niſi ex magno cauſa diſpenſetur. Si occultum, tunc indiſtinctè, & arbitrariè imponitur.* Joannes de Friburgo hoc Hoſtienſis teſtimonio relato eandem ſententiam confirmat *lib.3. c.35.* additque teſtimonium Vilelmi Durandi in repertorio, & Gloſſæ dicentis, *quod hæc opinio tenenda eſt, quia reverà Pęnitentiæ* (peccatorum ſcilicet occultorum) *hodie arbitrariæ ſunt.*

IV. Denique Summæ Aſtenſis auctor, Summiſtarum quos habemus poſt Raymundum, & Joannem de Friburgo antiquiſſimus, cujus collectio canonum Pœnitent. cum adnotationibus è ſumma ipſius excerpta meruit ab antiquo corpori juris poſt decretum inſeri, idem de Pœnitentiis canonicis teſtatur *libro ſummæ 5. tit.31.* Hanc quæſtionem ſibi proponit, *Utrùm Pœnitentia ſit imponenda à Presbytero ſecundùm taxationem canonum, vel ſecundùm proprium arbitrium.* Reſpondet duas eſſe de hac quæſtione ſententias, *Una, quòd omnes pænitentiæ ſunt arbitrariæ, id eſt, arbitrio Presbyteri taxandæ, conſideratis criminis quantitate, & qualitate, &c.* Iiſdem quæ reperiuntur apud Raymundum. *Alia opinio eſt, quòd pænitentiæ ſunt ſecundùm pænitentiales canones imponendæ, nec debet presbyter à forma eorum recedere niſi propter cauſam, & in hoc conſiſtit arbitrium ejus, &c.* Nunc quodnam eſt de his opinionibus Aſteſani judicium? *Hæc ſecunda opinio eſſet tutior, licèt difficilior, ſed prima eſt communior, & eam approbat conſuetudo, quia hoc generaliter ſervatur. Unde eſt tenenda, quia verè pænitentiæ hodie ſunt arbitrariæ.* Arbitratum tamen illum reſtringit, ut Hoſtienſis, ad peccata occulta, & illius auctoritate, ut hoc aſſerat, nititur.

V. Deinde hypotheſim ſubiicit Pœnitentis, qui ob valetudinem à Pœnitentiæ, quàm peccatum meretur, impoſitione ſe excuſat. Si, inquit, Pœnitentiam ſufficientem, ei perſuadere non poteſt, *Et talem ſatisfactionem imponat, quam veriſimiliter ferre valeat, vel potiùs illam, quam ſpontè, & ſine murmure voluerit ſuſcipere. Expedit tamen, quòd aut nulla, aut pauca ei ſub præcepto injungat propter periculum tranſgreſſionis, & inobedientiæ, & quòd concedat ei, quòd liceat ſibi jejunium injunctum aut oratione, aut eleemoſyna, & quæcunque alia ſibi injuncta, cum voluerit, redimere. Ad hoc enim invitat exemplum Chriſti, qui nunquam legitur gravem Pęnitentiam injunxiſſe: niſi vade, & ampliùs noli peccare.* Joan.8. Matth.9. *Nolite mittere vinum novum in utres veteres. Vinum novum vocat laborioſam, & duram pœnitentiam; utres veteres peccatores peccato inveteratos, &c. Si erramus parvam pœnitentiam injungendo, nonne meliùs eſt de miſericordia rationem reddere, quam de crudelitate. Ubi pater familias eſt largus, diſpenſator non debet eſſe avarus. Si Dominus eſt benignus, cur vult apparere Sacerdos noſterus?* Hoc iſti valetudinario Pœnitenti conſilium dari ſuadet, & exemplo Chriſti dandum eſſe demonſtrat. Hæc à S. Raymundo exſcripſit, qui *tit. de Pœnit. & remiſſ. in fine §. 49.* eandem fingit hypotheſin, & eodem modo reſpondet, & reſponſum confirmat.

VI. Licèt ab antiqua ſeveritate ad tantam lenitatem eo tempore deventum eſſet, Doctores tamen canonum, & caſuum, quos vocant conſcientiæ, in definiendis Pœnitentiis, & earum imponendarum ratione docenda reſpectum aliquem ad canones habebant, & haberi volebant. Ideò eos canones inſerunt integros tractatibus, quos de Pœnitentiis, & remiſſionibus edunt, ut videre eſt apud S. Raymundum *lib.3. Summæ tit. de Pęnit. & remiſſ. §.42. & ſeq.* Cardinalem Hoſtienſem *lib.5. eodem tit. n.60. §.* Ut autem: Joannem de Friburgo, *lib.3. eodem tit. q.125.* Aſteſanum *ſummæ lib.5. cap.32.* poſtquam de ſatisfactionis menſura diſſeruit. Quam ob cauſam hoc? jam ex Raymundo exſcripſimus. Sic eos relaturus, præfatur Cardinalis Hoſtienſis, *Ut autem Sacerdos circa Pœnitentias diſpenſando cautiùs arbitretur, notandi ſunt & caſus, in quibus per canones certæ pęnæ, ſeu Pęnitentiæ imponuntur. Nam canones pęnitentiales tenetur ſcire Sacerdos; aliàs vix in eo nomen Sacerdotis conſtabit.* Eodem modò præfatur Joannes de Friburgo loco citato, verba, remque à Cardinale Hoſtienſi mutuatus.

Sic

Sic quoque titulus in corpore juris canonibus Pœnitentialibus appoſitus, *Canones Pœnitentiales, quorum notitia viris Eccleſiaſticis eſt valdè neceſſaria: Sunt enim quædam regulæ directivæ ad pœnitentias delinquentibus imponendas.* Iſtorum canonum collectionem ſic concludit Aſteſanus, *Ad regulas igitur prædictas inſpiciendo poteſt ſtudioſus indagator procedere ad Pœnitentias pro diverſis criminibus ſecundùm canones imponendas, & ex cauſa conſideratis circumſtantiis, ut dictum eſt ſupra, moderari poterit eas.*

VII. Hoc mihi videtur Lector ex una, aut altera hypotheſi conjicere poſſe. Jam vidimus quanta fuerit Guilelmi Epiſ. Pariſ. in hoc negotio clementia, ſic tamen Confitenti conſulit ſi in Confeſ. incidat ignarum, ut criminibus conveniens Pœnit. illi imponatur, *c.19. de Sacram. Pœnit. Dicimus etiam, quia poteſt dividi Confeſſio, ita ut alias audiat ad Conſilium, & injungendam Pœnitent. ſalutarem; alius autem benedictionem Sacerdotalem, & Abſolutionem faciat ſuper Pœnitentem. Hoc autem ibi licitum eſt, ubi Sacerdos ſimplex, & Sacrarum literarum ignarus: poteſt enim advocare ſocium, tanquam Conſiliarium, & aſſeſſorem ſibi in judicio pœnitentiali. Si enim in judicio Forenſi, & ſeculari hoc licet, ne erretur in illo, quanto fortiùs in iſto judicio, ubi error incomparabiliter periculoſior.* Idem etiam conlicitur ex eo, quòd Robertus de Sorbona initio libelli de itinere paradiſi refert de paupere Ruſtico, cui ob homicidium occultum graviſſima Pœnitentia fuerat impoſita, in qua agenda ab uxore, ea ſic deſiderante, adjuvabatur. Conſtat enim ex Roberti ſermone circunſtantiam illam perſonæ, aliam in actione Pœnitentiæ adjuvantis, non fuiſſe ſingularem.

VIII. Perſeveravit aliquo modo in hunc uſque diem apud viros doctos, & ſanctos idem canonum antiquorum uſus, eademque commendatio, ut demonſtrare nobis eſſet facillimum, niſi hoc agendo videremur propoſiti noſtri immemores, & jam ſtadio decurſo alterum aggredi. Lectori tamen importunum fore non cenſemus, ſi uno, aut altero inſigni exemplo breviter expoſito ipſum tantiſper remoremur. Sic catechiſmus Romanus *tractat. de Pœnitent.* in finiens Sacerdotes hortatur, *In irroganda ſatisfactionis pœna Sacerdotes nihil ſibi ſuo arbitratu ſtatuendum eſſe, ſed omnia juſtitia, prudentia, & pietate dirigenda exiſtimabunt. Atque ut hac regula peccata metiri videantur, & Pœnitentes ſuorum ſcelerum gravitatem magis agnoſcant, operæpretium erit eis interdum ſignificare, quæ pœnæ quibuſdam delictis ex veterum canonum præſcripto, qui pœnitentiales vocantur, conſtitutæ ſint.* Quidni hoc monitum voluiſſet Pius V. Pontifex, cum paulò ante docuiſſet, non modò crimina publica, ſed etiam nonnunquam occulta antiquitus Pœnitentia publica ſeverè fuiſſe caſtigata? *Quare ſæpiſſimè illud ab Eccleſia obſervatum eſt, ut cùm ab aliquo publicè flagitium commiſſum eſſet, publica etiam Pœnitentia ei indiceretur; ut cæteri timore perterriti deinceps peccata diligentiùs vitarent: quòd etiam in occultis criminibus, quæ graviora eſſent, interdum fieri ſolitum erat. Sed in publicis, ut diximus, hoc perpetuum fuit, ut qui ea commiſerant, antequam Pœnitentiam publicam ſuſcepiſſent, non abſolverentur.* Mirum eſt quàm fuerit hac in cauſa diligens, ſollicitus, & vehemens S. Carolus Card. & Mediolanenſis Archiepiſ. Non modò canones Pœnitentiales vulgò dictos, ſed innumeros alios ex antiquis Conciliis, Collectionibus, & Pœnitentialibus in unum collegit, per decem divina præcepta diſtribuit, ut unicuique peccato Sacerdotibus præſtò ſemper eſſet remedium; ubique eorum lectionem, & cognitionem commendavit: in Conciliis Provincialibus, diœceſanis, Congregationibus, publicè, & privatim: in Eccleſiarum Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium ſacrariis recondi voluit, ut hinc, cùm opus eſſet, ab unoquoque poſſent, depromi, inſpici, conſuli, Quamobrem verò tam acris ſollicitudo? Idem ei ſcopus, qui Pio V. Pontifici, *Etenim*, inquit, *ſi omnia, quæ ad pœnitendi modum pertineant, non prudentia ſolùm, ac pietate, ſed juſtitia etiam metienda ſunt; certè norma hæc à canonibus pœnitentialibus ſumatur oportet.* Ita Sanctus ille cenſet, & multis perſequitur præfatione in canones illos à ſe collectos, & editos, ut videre eſt in quarta parte Actorum Mediolanenſium, in Inſtructione Pœnitentiæ, & innumeris aliis eorundem Actorum locis. Ejuſdem etiam fructus ex canonibus promanantis nos admonet celeberrimus ille Canoniſta, & antiqui juris inſtaurator Antonius Auguſtinus Tarraconenſis Archiepiſcopus Præfatione in Pœnitentiales, quos edidit.

IX. Hactenus, Catholice Lector, ediſſeruimus, quæ de Adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ in Eccleſia Catholica, tam Orientali, quàm Occidentali probabiliter, poſt longam de hac re meditationem conjeciſſe nobis videmur. Tria poſteriora ſecula prætermittimus, eo quòd diſciplina in Adminiſtratione iſtius Sacramenti tum uſurpati, à præſente non multùm recedat, & ei, quam poſtremo explicavimus, ſit ſimillima. Itaque ex hodierna, quam oculis conſpicis, & quotidie experiris, de trium ſubſequentium ſeculorum diſciplina judicium facilè feres. Quapropter hoc labore, ut parum utili ſuperſedentes, id unum cotonidis vice te poſcimus, ut ſi quid malè nos conjeciſſe deprehenderis, aberranti condones, cæſpitanti manum admoveas, vacillantemque ſuſtentes. Si qua verò de conjecturis noſtris videtur tibi quædam immota fidei capita, aut probatas Eccleſiæ conſuetudines, ritusve, vel tantillum quatere, aut etiam appareat tibi æquo inſolentior, tum de verbis meis non ex ſono, & cortice, ſed ex mente mea judicans, ea benignè interpretare, & ſemper cogita hoc, quodcunque illud ſit, mihi imprudenti, atque, ut par erat, non attendenti, ſed præ properè feſtinanti, cæcutienti, ignoranti, vel aliquid aliud humanum patienti, & virtualiter, ut ſcholaſticè loquar, invito excidiſſe, meque illud expunctum, & abraſum velle. Antiquos enim Eccleſiæ mores, ritus, conſuetudines circa Sacramentum Pœnitentiæ, quales unoquoque ſeculo viguerunt, ante oculos tuos depingere volui, non offendiculum, aut ſcrupulum vel minimum tibi concitare. Quidquid ſit, ſive opus noſtrum legendo errata ejuſmodi deprehenderis, quæ plurima ineſſe, licèt mihi ignota, non dubito, ſive nulla, vel leviuſcula notaveris; univerſum opus ſanctæ ſedi Apoſtolicæ, è cujus ore, & arbitrio totus pendeo, corrigendum, expungendum, vel una litura delendum humillimè ſubjicio.

INDEX RERUM, *ET* VERBORUM

NOTABILIUM, QUÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR.

Primus numerus paginam notat, ſecundus minor columnam.

A

ABSOLUTIO.

Recipi, admitti ad preces fidelium, cum fidelibus conſiſtere, & à peccatis abſolvi, idem. 283.col.1. 213. 2
Antiqui Patres paſſim orationem, orare, rogare, ſumunt, & permutant pro abſolvere, remittere, cum de peccatorum venia diſputant: ita & Hæretici. 365.366.367
Enumerantur varia Epitheta Abſolutioni à Patribus data. 344.1
Quid pax, & pacem dare apud Cyprianum ſignificet. 530. 2
Communicatio pro peccatorum remiſſione. 115.1
Verba Chriſti, quorum remiſeritis, &c. clara ſunt, humano more à Patribus intellecta, ea ſimiliter hæretici, & Catholici intelligebant. Sed Philoſophiæ perito ſtatim fiunt obſcura. 362.1. 326.1
Tria teſtimonia, duo ex Matthæo, unum ex Joanne de auctoritate remittendi peccata ſemper fuiſſe intellecta, & qui contradixerunt Hæretici judicati. 8.1
Quid ſignificabant ſolvere, & ligare apud Judæos tempore Chriſti, multis exemplis antiquorum Judæorum docetur. 12.2
Abſolutio ſignificat aliquando dimiſſionem, diſcedendi veniam. 373.2. aliquando integrum ritum Pœnitentiæ. 374.2. aliquando pro quacunque notabili officii Pœnitentialis parte. 375.1

Abſolutio deprecativa.

Multi Doctores Scholaſtici docent, Abſolutionem à peccatis deprecativam eſſe poſſe. 537.538
Abſolutionem per orationem datam eſſe probatur. 365.1.362
Diſertè ait Auguſtinus, peccata non remitti per modum indicativum. 368.1. remitti per invocationem Dei. 368.1.2
Auctores referuntur, qui referentes formam Abſolutionis, referunt brevem orationem, 369.2. qui dant orationem, & negant more forenſi concedi. ibid. Alii, qui de hoc diſſerentes dant duplicem, & deprecatoriam, & indicativam. 370.1
Multis argumentis demonſtratur, Abſolutionem Sacramentalem dari poſſe modo deprecativo. 534.535.536
Referuntur multa Patrum teſtimonia, quæ diſertè aſſerunt; facta Confeſſione peccatorum, Abſolutionem dari per orationem Sacerdotalem. 368.369
In Antiquis Ritualibus editis omnes Abſolutionis formulæ ſunt deprecatoriæ. 371.372
Concilia Florent. & Trid. formæ Abſolutionis conjunxerunt, In nomine Patris, &c. 512.1
Formula Abſolutionis Sacramentalis hactenus fuit, & nunc eſt principaliter deprecativa. 337.1
In Provincia tempore Mayronis perſeveraverat deprecatoria. 570.2
Nonnulli poſteriores unicam Abſolutionis formam ex deprecatoria, & indicativa componunt, priore parte deprecatoria, poſteriore indicativa. 530.2
Nonnunquam eædem orationes ſenſu, atque etiam verbis uſurpantur ad imponendam Pœnitentiam, & dandam Abſolutionem, ſed effectus ex Eccleſiæ intentione metiendus eſt. 481.1. hoc probatur. 481.1
An Abſolutio deprecativè apud Latinos data nunc eſſet valida, ambiguum relinquit auctor. 402.2
Unde nata eſt occaſio Abſolutionis indicativæ. 365.1

Ritus Abſolutionis.

Inquiritur quando publica Pœnitentium reconciliatio fiebat. Pro variis locis vario tempore, ſemper tamen inſtante Paſchate. 473.col.1. 474
Ritus publicæ reconciliationis Pœnitentium referuntur ex antiquiſſimis Sacramentariis ante ſancti Gregorii tempora compoſitis. 476.2.477.1
Poſt Abſolutionem datam recitatur alia oratio, quæ abſolutionis dicitur Confirmatio. 509. 2. iterum in ſeq.
Publici Pœnitentes in Miſſa publica reconciliati ſunt. 380. Inquiritur, quo loco Miſſæ reconciliatio iſta facta eſt, varia fuit obſervatio. 380. 1
Ex antiquo codice accuratiſſimo ſinguli reconciliationis Pœnitentium enarrantur. 381.1
Ritus reconciliationis publicæ Pœnitentium ſecundùm Gregorium. 477.2. 498.1. Differentia hac in cauſa ritus Gelaſiani à Gregoriano. ibid.
Reconciliationes privatæ in privatis Miſſis, ut plurimùm factæ ſunt. 382.2. idque indiſcrenter extra diem ſolemnem. 382. 2
Reconciliatio Pœnitentium privata, & publica eodem modo apud Græcos fit, quo apud Latinos. 480.2.481
Ritus privatæ reconciliationis ex pluribus, & antiquiſſimis Ritualibus minutim referuntur. 478.2.479.480

Abſolutio omnibus peccatis data.

Multis exemplis probatur, Eccleſiam ante Tertullianum graviſſimis quibuſve ſceleribus veniam dediſſe. 462.1.2
Evidenter ex ipſo Tertulliano demonſtratur ipſum Eccleſiæ Catholicæ imponere, cùm ait, Idololatriæ, & homicidio veniam non dediſſe. 461.462. Interceſſionibus Martyrum pro Pœnitentibus multa imponit. 462.2
Demonſtratur, S. Cyprianum ſemper credidiſſe veniam quibuslibet ab Eccleſia dari. 464.1
Quis ſtatus controverſiæ inter Clerum Romanum, S. Cyprianum, & Lapſos in perſecutione Deciana. 464.2.465
Objectiones, quibus videtur demonſtrari, ante Cyprianum, & initio ipſius Epiſcopatus Idololatris veniam, non fuiſſe datam, diſſolvuntur. 468.1
Antiqui Patres permulti mentionem faciunt cujuſdam graviſſimi criminis, cui Deus nunquam parcit, deſcribitur crimen illud. 471.2. & ſeq. ex teſtimoniis Patrum.
Conſuetudo certis hominibus Abſolutionem in fine non concedendi, paulatim regnante Conſtantino magno obſolevit. 493.2
In Gallia Sacramentum Pœnitentiæ Reis ad mortem condemnatis aduſque an. 1396. negatum eſt. Licèt ſæpiùs de hoc in antiquis Conciliis actum fuerit. 492.2

Præparatio ad Abſolutionem.

Quæ diſpoſitio in Pœnitente præcedere debeat, verbis Patrum deſcribitur. 9.2
Magna cum prudentia Abſolutionem adminiſtrari jubet Rituale Rom. 414.1. 20.1
Quæ præparatio remittendis peccatis. 5.1
Variæ ſpecies conditionum, cum quibus peccata remittuntur, explicantur. 19. 2
Fruſtra invitamus ad laborem, niſi mercedem polliceamur, 184. 2
Multis Patrum teſtimoniis deſcribitur præparatio interna, ſive qualis dolor, & quantus neceſſarius eſt ad Abſolutionem excipiendam. 20. 21.22.23.24
Quomodo intelligenda Patrum dicta, quæ videntur requirere integram juſtitiam ad Abſolutionem ſuſcipiendam. 11.1.12.1

Ille

Ille tantùm abſolvendus, vel quem Deus abſolvit, vel quem probabiliter à Deo abſolvendum miniſterio noſtro judicamus, ex Patribus oſtenditur. 30.col.1. Eandem diſpoſitionem poſtulant Scholaſtici. 31.32

Multis invehitur in eos, qui Abſolutionem ſine ſatisfactione efflagitabant. 126.1

Pręparatio multo ſanctior ad Abſolutionem exeipiendam, quàm ad Confeſſionem edendam. 22.1

Propter periculum imminens, veluti ſchiſmatis, ſeditionis, &c. malum diſſimulari debet, & Abſolutio ſine Pœnitentiæ actione concedi. 429.2

Richardi à S. Victore explicata ſententia de Contritione ante Abſolutionem. 32.1

Fortia Pęnitentium facta relaxationem ab Eccleſia merebantur, 28.1.28.2

Venia criminibus immaturè data periculoſa eſt. 117.2.118

Antiquiſſimis Eccleſiæ temporibus communionem aliquando magnis peccaroribus ſtatim redditam ex Cypriano, Cornelio, & Clero Rom. demonſtratur. 34.35. Iſtius diſciplinæ rationes redduntur. 35.2. & ſeq. Argumenta contraria ſolvit S. Cyprianus. 35.2.36

Cyprianus, Cornelius, & alii, ſceleratis hominibus reſipiſcentiam exteriùs demonſtrantibus reconeiliationem ſine ulla Pęnitentia ſæpiùs dederunt. 131.1.132.133

Quare Cypriani tempore aliquando reconciliatio ſine Pœnitentia viris ſceleratiſſimis conceſſa eſt. 133.1

Fundamentum, & vera cauſa accelerandæ Abſolutionis, cùm judicatur utile, explicatur. 426.2.427.1

Prudentia maxima provident Cyprianus, & Clerus Romanus, ut tumultus Lapſorum Abſolutionem ſine Pœnitentia urgentium ſedaretur, ſeveritas tamen Eccleſiæ retineretur. 466

De pace ſcelerstis conceſſa ſine Pœnitentia plurimùm dubitabant, ut de ea, quæ moribundis ante Pęnitentiam ſuſceptam concedebatur. 134.1

Severè prohibetur, ne munere, vel odio, quis feratur ad teſtimonium de Pęnitente ferendum, ut citiùs, aut tardiùs reconcilietur. 334.1

Effectus Abſolutionis.

Novem variæ ſententiæ antiquiſſimorum Scholsſticorum enarrantur de effectu Abſolutionis, 347.1. Varii Patres aſſerunt, peccata prius in terra ſolvi, quàm in cœlo. 338.2

Varii, & nativi effectus Abſolutionis Sacerdotalis ex SS. Patribus colliguntur. 357.358.359

Quis proprius, & nativus Sacerdotalis Abſolutionis effectus. 346.1

Variis Patrum teſtimoniis, & præſertim S. Auguſtini explicatur, quid in juſtificatione impii per Sacramentum agat Deus, quid Sacerdos. 11.12

Abſolutionis Sacerdotalis virtus in culpam egregiè demonſtratur ex controverſia Catholicorum cum Montaniſtis, & Novatianis, ex mutuis argumentis, & objectionibus. 360.361

Vis, & efficacia Abſolutionis probatur ex gemitibus plebis deflentis Paſtorum abſentiam. 345.2

Abſolutionis effectus in neſcientem, ut baptiſmus illabitur. 345.2.346.1

Efficacia Abſolutionis probatur ex Pœnitentia Theodoſii Imperatoris, & diſcurſu cum S. Ambroſio. 345.1. Atque ex antiqua controverſia de precibus pro Pęnitentibus mortuis faciendis. 345.1

Non eſt tantùm Abſolutioni dandum, ut Confeſſionis virtus obſcuretur. 85.1

Abſolutio poſt Pœnitentiam actam conceſſa.

Abſolutio Reis graviſſimorum criminum annis 700. concedebatur ordinariè poſt actam Pœnitentiam ſecundùm canones impoſitam. Id plurimis teſtimoniis probatur. 419.420.421

In Pęnitentiis occultis abſolutio dari ſolebat poſt actam Pœnitentiam. Frequenter tamen, & propter cauſas non admodum graves ſtatim poſt Confeſſionem concedebatur, aut aliquantò poſt. 455.2. 456. Ut plurimùm Confitentibus in Capite Quadrageſimæ Abſolutio in Paſchate dabatur. 456.2. Poſterioribus temporibus data ſtatim Abſolutione Euchariſtia dabatur, Pœnitentia ſaltem pro magna parte completa. 456.2

Ab anno 700. in diuturnis Pœnitentiis ſæpè Abſolutio, atque etiam Euchariſtia data eſt annis aliquot ante Pœnitentiæ finem. 454.1. 454.2

In Pœnitentiis publicis Abſolutio poſt annos 700. ſeverius poſt Pœnitentiam actam conceſſa eſt. 452.2.453.454

Indicatur tempus, cum cœpit Abſolutio in magnis criminibus dari ante finem Pœnitentiæ. 429.col.1

Abſolutionem Pœnitentibus dari feria 5. in cœna Domini intelligendum eſt Pœnitentibus, qui circa illud tempus Pœnitentiam compleverant. 475.1. Hoc antiqua, & recentiora ſacramenta docent expreſſa diſtinctione Pœnitentium reconciliandorum, & non reconciliandorum. 475.2

Rationes à Patribus redduntur Abſolutionis ad finem ſatisfactionis retardatæ. 425.426

Plurimi Doctores referuntur abſolutè pronuntiantes Abſolutionem antiquitus datam poſt actam Pœnitentiam. 414.415. Sed multis adhibitis diſtinctionibus eſt ei reſpondendum. 416.1

Magna Seculi duodecimi parte Abſolutionem ordinariè conjunctam fuiſſe confeſſioni, & ſatisfactionem præceſſiſſe, multis exemplis probatur. 534.1.2.536.2

A tempore Nectarii Abſolutio à peccatis etiam graviſſimis data eſt, ſtatim poſt Confeſſionem, aut Pœnitentiæ impoſitionem. 292.1. hoc multis probatur. 292.2.293.1

Unde fluit occaſio in Occidente conjungendi ſemper Abſolutionem cum Confeſſione. 530.2

Abſolutio per fraudem obtenta cenſetur invalida. 458.2

Abſolutio à pœnis canonicis dari poteſt variis temporibus pro Epiſcopi prudentia. 293.2

Exempla multa Abſolutionum plurimis ſimul datarum, non præcedente Confeſſione. Quæ virtus ejuſmodi Abſolutionum. 411.1.412.2

Abſolutio ut ægrotis conceſſa.

Quæ ad ægrotos ſingulariter ſpectant, in quinque claſſes dividuntur. 492.1

Ægrotanti animo ſermones ſunt Medici. 157.1

Severitas in Ægrotos convaleſcentes ad annum uſque 700. exercita, multis poſteà ſeculis continuata eſt, & nullo modo mollita. 515.1.2

Diſtinguitur, quibus impiis repentè morbo oppreſſis danda Abſolutio, quibus non. 509.1

Fidelibus repentè, & ſine ſenſu morientibus Abſolutionem dandam plurimis rationibus exaggeratis demonſtratur. 506.2.507

Trecentis primis annis in mortis periculo Abſolutionis collatio, uno caſu excepto, Baptiſmi collationi prorsùs æquiparabatur. Poſteà ſublatus ille caſus. 503.2.504.1

Nonnullæ ceremoniæ ægrotis in reconciliatione adhibebantur, quæ ſanis adhiberi non poterant in Pœnitentia privata, ne publica fieret. 516.2

Canon Nicænus 13. intelligendus de Pœnitentiam agentibus, iis ſcilicet, cùm in morbum incidunt, Abſolutionem non negatam. 495.1

Ordo reconciliationis infirmi ad mortem traditur ex antiquis ritualibus. 516.517.518.1

Ritus Pęnitentiæ infirmo imponendæ. 149.1.151.2

Probatur, certis hominibus morientibus Abſolutionem licèt obnixè efflagitantibus negatam tamen fuiſſe. 492

Multa exempla poſteriorum ſeculorum communionis ad vitæ finem interdictæ. 254.2

Variis Doctorum hodiernorum teſtimoniis probatur, fidelibus ægrotis licèt Pœnitentiam non peterent, & ſenſu amiſſo non petant, validè Abſolutionem concedi. 507.1. Alii multi Doctores ea aſſerunt, ex quibus idem neceſſariò conſequitur. 507.1. 508

Nulli moribundo Pœnitentiam petenti poſt perſecutiones Reconciliatio negata. 496.1. Similiter nec iis, qui tum per ſigna tantùm petunt, aut ante morbi impetum petiiſſe probantur. 496.1.2. Hæc Patres de peccatoribus publicis, aut Publicæ Pęnitentiæ Reis intelligunt. 497.1.2. His, ſi tempus urget, Pœnitentia ſimul, & reconciliatio danda. 497.1.2

Ab Hæreticis Excommunicationis, Eccleſiæ deſertoribus, publicis peccatoribus morientibus requirendi nutus, aut adſtantium teſtimonium, non à Pęnitentibus publicè, &c. 498. Canones enim de Pœnitentibus nulla cum limitatione jubent Pęnitentibus dari Abſolutionem. 498.1. Injuſtum eos fruſtrare fructu laborum ſuorum. 498.2

Pœnitentis, & Catechumeni voluntas reconciliationis, & baptiſmi ſemper præſumitur, donec eam retractaverint. 499.2. Ea voluntas ſenſibilior eſt ægrotantis nutu. ibid.

Voluntas Pœnitentis præſumpta, ut & Catechumeni, ſufficit, ut reconcilietur, vel baptizetur. 499.1. Nec prohibetur dare ſanctum canibus, cùm canes ſimul cum mundis illud capiunt. 499.2

Quare in extremis difficile eſt agere Pœnitentiam. 26.1

Plurimùm dubitant Patres de ſalote Pœnitentiam in extremis ſuſcipientis : præclaras de hac re rationes reddunt. 109. 1. Iſtius dubitationis cauſæ, quas acutè excogitavit, & explicavit Scotus, enarrantur. 123.1.2
In extremis difficile eſt pœnitere, ajunt Scholaſtici antiqui, eo quòd tum difficile Deum amare, & tum vix alio modo in Deum ferimur quàm timore, quod non ſufficit. 110.1.2
An iterantibus crimina poſt Pœnitentiam, negata ſecunda Pœnitentia, negaretur quoque in fine abſolutio. 169.1.2
Annis trecentis omnis Pœnitentia Eccleſiaſtica per reconciliationem in morbo acceptam finiebatur, nec iterum remittebatur Pœnitens ad Pœnitentiæ claſſem aliquam. 513.2
Orationes, & ſacrificia offerenda pro iis, qui Pœnitentiam deſideraverunt, ſed aliquo infortunio eam non ſunt conſecuti. 307. 1
In antiquis ſacramentariis ſpeciales Miſſæ pro Pœnitentibus ſine reconciliatione mortuis. 505.2

Varia de Abſolutione.

Abſolutionem Lapſis temerè, & contra canones datam non irritaſſe antiquos Patres, multis docetur. 456. 2. 457. Objectiones duæ ſolvuntur. 457. 1. 458. Non cenſebant defectum Pœnitentiæ canonicæ ad Abſolutionis validitatem pertinere. 457. 2. Aliis exemplis evidentiſſimis idem probatur. 458. 1. 2. Licèt graviſſimis pœnis afficiantur, qui dant Abſolutionem. ibid.
Quando cœptum eſt Pœnitentes reconciliandos in Eccleſiam introducere per Octavam Paſchatis ſed non communicare. 409.1.2
Poſt Novatum ſæpe in Pœnitentia publica tempore ſeparata eſt Abſolutio peccatorum à Communione corporis Chriſti. 284 2.485
Antiquo more pro Pœnitentibus præſertim reconciliandis, Clerus, & univerſa plebs Epiſcopum rogabant, ipſeque reconciliandus, ut hoc facerent, obnixè rogabat. 379.380. Idem fiebat pro Hæreticis, licèt per Pœnitentiam non reconciliarentur. 380. 1. Hujus moris expreſſa veſtigia vigent apud Monachos. 161
Nonnulla exempla Abſolutionum inuſitato modo præſentibus datarum. 413.2
Demonſtratur, Abſolutionem illam quam Patres dicunt ſe Pœnitentibus dare acta Pœnitentia, non eſſe ceremoniam aliquam Politicam, ſed veram peccatorum remiſſionem, & cum Deo reconciliationem, ab innumeris abſurdis, quæ hoc non conceſſo, conſequuntur. 416.417.418
Venia, Pœnitentia functis data, non erat ceremonialis, ſed vera peccatorum remiſſio. 118
Sæpiſſime communio, & Abſolutio à Patribus baptiſmo comparantur. 421.2
Levius peccantes, quibus erant pœnæ aliquæ impoſitæ, ſive ſani eſſent, ſive ægroti, ſanitate poſt reconciliationem recuperata, omnibus pœnis liberabantur. 512. 2. Eadem erat ratio gravium peccatorum, quorum tamen publica non agebatur Pœnitentia, licèt eſſent publica. 513. Modo eorum in ipſo morbo accepta non fuiſſet Pœnitentia, tum enim ſanitate reſtituta erat exequenda Pœnitentia. 513. 1. 2
Antiquorum multa exempla referuntur, qui Abſentibus, & confeſſi ſunt, & Abſolutionem dederunt. 409.410
Nonnulli exiſtimant decretum Clementis VIII. de non danda Abſolutione Abſenti, loqui tantum de licito, non de valido. 411. 1
Quid ſentiendum de hac explicatione, Abſolvo te, impendo tibi Sacramentum Abſolutionis. 396.2
Abſolutionum generalium præcedente Confeſſione generali datarum quæ forma, quæ virtus. 412. 1. 2. Multiplex effectus tam Confeſſionis generalis quàm abſolutionis generalis explicatur. 413.1.2

De Feſto Expiationis, ſive reconciliationis ſecundùm Judæos.

Primus dies Tiſri Judæis eſt celeberrimus. Tuba clangunt acerrimè, &c. 486. 1. 2. Ut Satanam tremefaciant, ut dicunt Talmudiſtæ, & cæteri Judæi. 486. 1. 2. ut ad Pœnitentiam tunc agendam excitentur. ibid. 486. 1. 2
Judæi ante feſtum Expiationis jejunant nonnulli 40. diebus, alii minus, ſed variis modis, qui explicantur. 486.2
In die Expiationis ſola peccata in Deum Judæi ajunt ſibi condonari, in proximum verò cum ei confeſſi fuerint. 486. 2. Hæc fusè ex Rabbinis. 487.2
Multa opera laborioſa his decem diebus ſibi imponunt Judæi. 486. 2
Quàm rigidè jejunent Judæi in vigilia Expiationis, & decem præcedentibus diebus. 483.2.484.1
Decies volunt in vigilia Expiationis Confeſſionem fieri, ſed una tantùm eſt à lege inſtituta. 484.2
Quibus verbis Confeſſio fit à Sacerdote, cum Hircum emittit. 94. 2. 95
Niſi eſſet dies Expiationis, mundus non ſubſiſteret. 487.1
In die Expiationis nihil invenit Satan, quod in Judæis accuſet. 487. 1. Hoc iterùm probatur ex Talmude per Ghematriam vocis Satan. 487.2
Lex data eſt Moſi in die Expiationis. 487.1

Accuſatio proximi.

Antiquitus accuſationes fratrum, ut illis pro crimine Pœnitentia imponeretur, in Presbyterio, & ſenatu Eccleſiaſtico fiebant ut plurimùm. 67. 68. præſente quoque populo, non ut Judice, ſed ut teſte, & interceſſore. 70
In accuſationibus & convictionibus, & lite inſtruenda Eccleſia ſequitur leges civiles. 75.2
Ratio differentiæ inter denuntiationem civilem, & Pœnitentialem. 76. 1. Differentia inter effectus utriuſque denuntiationis. 77
Mos ille proximum accuſandi diutiſſimè in Eccleſia perſeveravit. 59. 2. Multa ſunt etiam hoc tempore ejuſdem moris veſtigia. 59. 1. Quid facere ſolebant, antequam ad accuſationem illam procederent. 59.1.2
Qui peccata proximi non detulerat ad Eccleſiam, aut tardius æquo detulerat, à canonibus caſtigari multis demonſtratur. 57.2.& 59. Balſamon, malè hac in cauſa Sanctum Baſilium interpretatur, ibidem. Multis & evidenter hoc explicat ſanctus Auguſtinus, ibidem. Sacerdoti hoc crimen revelandum, quia orare, & prodeſſe novit, non obeſſe. 58. 2. Qua prudentia hoc faciendum. 84.2
Multis modis probatur, leges civiles quæ prohibent Reo non eſſe credendum alium accuſanti, non contradicere denuntiationi, quam Pœnitens facit complicis. 75.2.76
Denuntiationi Pœnitentiali non repugnat axioma, Perire volenti non creditur. 77.1
Quid agendum cum alter dicit, cum altero adulterium commiſiſſe, & ideò Pœnitentiam accipit, alter verò negat. 217.2
Quid agendum, ubi duo criminis conſcii accuſantur, alter fatetur, alter negat. 74.1
Quid ſit Ambo, unde dictus, illius uſus, ubi ſitus, dictus quoque, pulpitum, analogium, lectorium, &c. 257. 1. 2
Opera ab auxiliis Spiritus S. provenientia ab antiquis Scholaſticis accenſentur operibus mortuis, & naturalibus. 348. 2

Attritio.

In Attritione quatuor doloris gradus conſiderandi, quis uniuſcujuſque effectus. 351.2
De exemplo Æthiopis apud ſanctum Fulgentium ſine ſenſu baptizati, & illius rationibus, manifeſtiſſimum veram Attritionem Baptiſmo, & Pœnit. ſufficere. 363.1.364
Qua ratione cum primum Attritionis nomen emerſit à Contritione diſtincta eſt. 348.2
Hæc quæſtio, An Attritio fieri poſſit Contritio centum prope annis ſine relatione ad Sacramentum propoſita eſt. 349. 2 Hac propoſitione tres variæ Doctorum ſententiæ explicantur. 349.1.2
Septem enarrantur Scholaſticorum ſententiæ de ratione, qua Attritio in Sacramento fit Contritio. 351.352
Hæc quæſtio nova, & nuper excogitata. An Attritio ex ſola pœnæ formidine concepta, & Sacramento conjuncta dilectionem Dei ſuppleat, ita ut eam exercere non ſit neceſſarium. 353.2
Sotus ait, ſententiam, quæ ait ex Attrito fieri Contritum, non eſſe antiquam. 34.1
Licèt Antiqui hæc verba ex Attrito fit Contritus non

Digitized by Google

agnoverint, rem tamen tenuerunt, 34.col.1
Antiqui Scholaſtici Attritum fieri contritum dixerunt Confeſſione, & Abſolutione. Poſteriores Confeſſionem omiſerunt. 85.2
Juſtificatio, per Sacramentum ex Attritione de formidine pœnæ concepta procedens non eſt vera Converſio ad Deum, ideò poſt eam neceſſaria eſt Dei dilectio. 353. 1. 2
Qui ad Sacramentum accedit cum ſola Attritione, exponit ſe periculo fruſtrandi Sacramentum fructu ſuo. 356. 1. Conſultius facit ſi in animo Contritionem excitet. ibid.
Sententiæ Scotiſtarum de Attritione explicatio, 351.2
Sententia Soti de Attritione examinatur, 34.1
Sententię, Attritionem ex formidine pœnæ cognitam ſufficere Sacramento ſalubriter ſuſcipiendo, primi auctores indicantur, 352.2
Viri docti monent in periculo mortis Contritionem actualem homini per Attritionem juſtificato eſſe neceſſariam, eo quod iſta ſententia nova eſt, & incerta, &c. 354.355
Attritionis ex formidine varia objecta, an ſint omnia ſufficientia Sacramento ſuſcipiendo, 353.1

B

BAlſamonis interpretatio can. Nicæni emendatur, 514.2
Error Balſamonis in deſignando loco Audientium, 248.1
Ritus baptizandi Syriacus malè tribuitur Severo Alexandrino, Antiochenus erat. 393.2
Forma baptiſmi ex antiquo rituali Syriaco eruta, 393.2. Forma Confirmationis ex eodem, 394
Antiqui Patres nunquam diſputarunt, an baptizando dicendum eſſet, baptizo, baptizetur, baptizatur, ſed attenderunt tantùm Trinitatis invocationem, 388.1
Formam illam, baptizatur talis, apud Græcos eſſe antiquiſſimam, multis exemplis probatur. 388.1
Quot baptizandorum ſcrutinia, & quando celebrata ſunt, 301.1
Concilium Trident. docet diligenter differentiam inter effectum baptiſmi, & Pœnit. 98.2
Peccata omnia ante fidem ignorantiæ ab antiquis tributa. 2.4.
Qui ante baptiſmum peccat, in vetere homine peccat. 103. 1. 2
Non ſolent Patres attendere gravitatem venialium ratione baptiſmi. 234.2. Nec etiam peccata ſecundi generis, licèt mortalia, & majori pœnitentia digna ſint. 235.1
Baptiſmum perfectè delere omnem peccati pœnam, & culpam, multis Patrum teſtimoniis demonſtratur. 98.99 Baptiſmus id facit ſine ulla pœnitentia, ſine ullo labore impoſito. 100.1.2
De ſalute cujuſcumque in extremis baptizati nunquam eſt dubitatum. 108.2.109.1
Qua ratione moti multi Chriſtiani antiquitus baptiſmum in fine vitæ differebant. 105.2.106.1.106.1.109.1
Vide, qua ratione qui baptizantur à Patribus dicuntur cum Chriſto crucifigi. 106. 1. 107. 1. hinc ducitur ratio baptiſmi non iterandi.
Quare Patres, cùm de reviviſcentia Baptiſmi loquuntur, eam intelligunt de Baptiſmo in Hæreſi ſuſcepto, non de alio, neque de aliis peccatis. 448.2
De reviviſcentia Baptiſmi longè differenter à Patribus philoſophantur Scholaſtici. 448.1
Quare effectus Baptiſmi extra Eccleſiam ſuſcepti, cum reconciliatur Hæreticus reviviſcit, non autem Baptiſmi in Eccleſia ſuſcepti. 448.1
Baptiſmus in Eccleſia fictè receptus, efficit, ut Pœnitentia effectum ſuum produeat, nam ſi non præceſſiſſet Baptiſmus, fruſtra Pœnitentiæ Sacramentum illi conferretur. 451.1
Quo modo in Pœnitentia materia eſt & forma, eo modo in baptiſmo, ſecluſa aqua, reperiri poteſt materia, & forma. 508.2
Tres Catechumenorum claſſes breviter explicantur. 248.1
Catechumeni Latinis Audientes dicti. 251.2
Quomodo intelligendum Amalarii dictum Catechumenos ante Evangelium Eccleſia pulſos. 300
Competentes ante baptiſmum aliquot locis in Africa detinebantur ad eos purgandos. 205.2
Non modo nemini Catechumeno, ſed nequidem Gentili in extremis Baptiſmum petenti baptiſmus negatus eſt. 502.2. 503.1
Novatiani, & Montaniſtæ nulli baptiſmum in extremis petenti negabant. 503.col.2
S. Auguſtini teſtimonium integrè refertur, quo docet, Catechumeno nihil ſentienti baptiſmum eſſe conferendum, idemque de reconciliatione erga Pœnitentem eſſe faciendum. 499. Quinque ex eo deducuntur, & explicantur. 499.500
Catechumenum propter morbum nihil ſentientem ex praxi Eccleſiæ baptizandum docet S. Fulgentius præclaris rationibus redditis. 500.1
Patres Græci agnoverunt Catechumenum nihil ſentientem baptizari oportere. 500.2
Catechumeni ante finem Catechumenatus in morbo baptizati, convaleſcentes ad Catechumenatum non relegabantur, ut Pœnitentes in pari caſu ad Pœnitentiam. 107.108
Græci à media Quadrageſima ad Paſcha in Liturgia duplicem Catechumenorum dimiſſionem faciunt. 299. 2. ſecunda dimiſſio eſt Competentium, ſive φωτιζομένων, quamobrem hoc. ibid.& 299.2
S. Stephanus, & Cyprianus conſentiebant, Hæreticos in Eccleſia baptizatos per pœnitentiam ſine baptiſmo recipiendos. 436.2.431. & ſeq.
Quid Baſtonicum ſignificet. 310.2

C

Canones.

Licèt Doctores in fine ſeculi 13. paſſim vulgarent Pœnitentias eſſe arbitrarias, docebant tamen cognitionem canonum Pœnitentialium eſſe Confeſſoribus omnibus neceſſariam, & eos ſibi in confitendo proponendos veluti Pœnitentiarum imponendarum normam, & directionem, 540. 2. 541. Hoc etiam viri ſancti, & celeberrimi plures noſtro ſeculo fecerunt, & juſſerunt. 541.1
Annis 1160. nullus de Pœnitentiis, & remediis peccatorum ſcripſit, quàm ſecundum canones. 207.1
Antiqui multis ſeculis intenti tantùm fuerunt pœnis peccatorum deſcribendis. 8.1.2
In can. Apoſtol. 24. dictiones duæ irreptitiæ. 130.1
Interpres Græcus canonis Africani mentem non cepit. 501.1
Quando cœpit canonizationis ſolemnitas. 527. 2. Tum ſimplex admodum erat. ibid.
Efficientia cauſæ moralis explicatur, & laudatur. 350.1

Cenſuras.

Αφορίζειν modò ſuſpendere, modò deponere ſignificat. 121.1
Olim Pœnitentia publica erat vera Cenſura, & depoſitioni Clericorum correſpondebat. 226.2.227.1
Quando ars hodierna Cenſurarum cœpit: illam ignorarunt Gratianus, & Lombard. 296.1.2
Criminum poſt baptiſmum Reos non licebat ad ſacros ordines provehere. 137. 1. 138. Ordinati deponebantur. 137. 2 Hæc ſeveritas qua ratione poſtmodum temperata. 137.1
Contumelioſus Epiſcopus propter crimen depoſitus. 198.2
Maxima ſeveritas de deponendis Sacerdotibus in gravia crimina lapſis, & iis nunquam reſtituendis à Leone IX. & Gregorio VII. conſervatur. 141.2. longè antea plures de criminibus publicis hoc tantum intelligebant; poſt occultorum verò pœnitentiam Sacerdotem miniſtrare poſſe. 141. 1. 2
Diſciplina hodierna de non promovendis peccatoribus, & de iis deponendis antiquæ non cedit, ſi diſpenſationes tollas. 142. 2
Peccatis occultiſſimis pœnæ, & Cenſuræ publicæ in foro conſcientiæ impoſitæ, & à Pontifice probatæ. 317.318. S. Damiani, & Leonis IX. ſeveritas. ibid.
Aſſerunt omnes Scholaſtici, pœnis, & Cenſuris delicta occultiſſima puniri poſſe, eſſeque per accidens, ut puniantur, quod ſunt publica. 223. 224. 225. Sententia, quæ contrarium aſſerit in foro conſcientiæ falſa, practicè non tuta. 224. 2. ratio ex Concilio Trident. elicitur. ibid.
Multis canonibus, & exemplis demonſtratur Clericos propter occulta crimina vel depoſitos, vel ſuſpenſos. 196. 197
Nonnulla peccata à S. Damiano enumerantur, quibus licèt occultiſſimis ſecundum uſum, & ſententiam omnium depoſitio erat adnexa. 317.1.2
Crimen occultorum faciliùs ex Cenſura cognoſcitur quàm ex Pœnitentia publica. 226.1

Cleri-

Digitized by Google

Clerici, & Laici.

In canonibus Apoſtolicis quatuor generum pœnarum fit mentio tam pro Clericis quàm pro Laicis. 122. 1. pœnæ illæ explicantur, & probantur. ibidem & 123
Differentia inter pœnas Laicis inflictas, & Clericis. 76.1
Differentia inter Laicos, & Clericos Pœnitentes explicatur: ſed hæc differentia cœpit poſt annos à Chriſto trecentos. 134.135. multis exemplis hoc demonſtratur.
Exempla ſunt Clericos multis annis poſt tertium ſeculum more Laicorum Pœnitentiam egiſſe publicam. 135.1.2. objectiones contrariæ diſſolvuntur. 136.1
Evidentiſſimè demonſtratur Clericos propter crimen depoſitos nunquam poſteà reſtitutos. 138. 139. 140. quamlibet Pœnitentiam agant, Laicorum loco haberi, 138. Varia iſtius ſeveritatis temperamenta referuntur. 140.1.2
Clerici minores Pœnitentiæ ſubjiciebantur peccantes. 270. 1. 271. nonnullæ objectiones diſſolvuntur, ibid. Quando aliquando hoc factum non eſt. 271.1.2
Minores Clerici omnibus Pœnitentiæ ritibus, ut Laici, fuerunt obnoxii. 137.1
Clerici depoſiti peccantes, ut Laici, puniebantur. 121.2

Confirmatio.

Antiqui Patres, & antiquiſſima Ritualia nullam aliam videntur agnoviſſe Confirmationis formam quàm deprecatoriam. 384. 2. 385. 386
Confirmationis Græcorum forma antiquiſſima. 386. Primitus tamen non erat ejuſmodi. 386.2
Antiqui Græci Confirmationem dabant cum manus impoſitione. 437.1
Probabiliter colligitur, Græcos antiquos ſine unctione confirmaſſe. 437.1
Confirmatio eſt perfectio Baptiſmi, & natura Pœnit. Sacramentum præcedit, per accidens tantùm ſequitur, ideò Baptiſmus, & Confirmatio ut unum quid ſumuntur. 444.2
Sacramentum Confirmationis ex vulgata Scholaſticorum ſententia primam gratiam confert. 443.1.2
Sacramentum Confirmationis primam gratiam confert Hæretico, cum ad Eccleſiam per Confirmationem recipitur. 443.1
Videntur S. Stephanus, & Cyprianus ſemper ſupponere Confirmationem ab Hæreticis datam non valere. 431.1
Nihil periculi aſſerere Confirmationem ab Hæreticis datam in Catholica non admitti. 442.1
Catholici Confirmationem Hæreticorum ratam non habebant, ſed iterabant. 441.2 442
Confirmatio Hæretico data in reconciliationem, Baptiſmi vim, & gratiam ſuſcitat. 444.2
Quæ differentia inter Confirmationem Hæretico redeunti datam, & Catholico. 445.2
Confeſſionem non eſſe neceſſariò Confirmationi præmittendam concors eſt Scholaſticorum ſententia: hujus rei ratio. 443.2
Unde occaſio Græcis Neotericis docendi Confirmationis Sacramentum repeti poſſe. 438.1
Dubitatum eſt, an in extremis ſine Catechumenatu Baptizatum liceret confirmare, ſive ei manum imponere. 502. 2. Ita quidam intelligendi canones. ibid.

Confeſſio peccatorum.

Confeſſionis nomen apud auctores Eccleſiaſticos duo ſignificat. 49. 2. 50. Interpretès duobus nominibus eam explicant ἐξομολογεῖσθαι & ἐξαγορεύειν. ibid.
Variæ Exomologeſeos apud Patres ſignificationes enarrantur. 50. 1. 51
Quid propriè ſignificat ἐξαγορεύειν. 49.1.50.51
Quæ nomina Hebraica, Chaldaica, Syriaca, peccatorum Confeſſionem ſignificent, & eorum etyma. 51.1.2
Peccatorum Confeſſionem variis modis temperare, & moderari poteſt Eccleſia. 51.1.52.1
Peccata ſigillatim Sacerdotibus confitenda. 154.2
Verba Jacobi, confitemini alterutrum, Patres de Confeſſione interpretantur. 365.1
Pœnitens confitebatur ſedens. 149.1. 153.2. 153.1. 154.1. 155.1 quare ſedendo.
Peccatorum interiorum Confeſſionem edebant Antiqui, & Pœnitentiam agebant. 51.col.2
Maximam eſſe Confeſſionis virtutem demonſtratur. 84. 1. 2. 85
Viros pios licèt nullius criminis conſcios morientes tamen confiteri oportere antiqui docent. 509.1.2
Peccata ultro confitens clementius excipitur. 56.2
Ex Catholicorum cum Montaniſtis controverſia evidenter colligitur peccatorum omnium Confeſſio. 52. 1. Idem de controverſia cum Novatianis non minus evidenter colligitur. 53.1.2
Mortalia peccata licèt non graviora confeſſa fuiſſe Sacerdoti, & ab eo punita, probatur evidenter ex controverſia Catholicorum cum Montan. & Novatianis. 242.2
Non pertinet ad Confeſſionis eſſentiam, ut fiat ſecretò. 67. 1. 68. 1
Si quis criminis convincebatur, multò ſeverius à canonibus caſtigatur, quàm ultrò confitens, ut ad ſpontaneam Confeſſionem peccatores invitentur. 56.57

Morin. de Sacram. Pœnit.

Confeſſio peccatorum occultorum publica.

Multis exemplis & auctoritatibus Antiquorum probatur occulti peccati Confeſſionem ſæpe publicam fuiſſe. 65. 66. Concilium Tridentinum, & Doctores Scholaſtici hoc dicunt fieri poſſe ſæpe laudabiliter, & nunquam hoc fuiſſe aliqua lege prohibitum. 67.2.68
Qua prudentia permittebatur antiquitus peccatorum occultorum publica Confeſſio. 62.2.63
Peccatorum occultorum Confeſſio Sacerdoti facta variis S. Ambroſii locis probatur. 53.54
Peccator publicus crimen publicè confiteri tenebatur, non occultus. 206.2
Occultorum criminum varii gradus, quæve crimina occulta publicè confiteri conſulebant. 63. 2. S. Auguſtini locus de publica criminis occulti Confeſſione examinatus. 63. S. Proſperi locus de eadem re diſcutitur. 64
Publicè crimen confitens ſocios etiam accuſare ſolebat. 73. 1. 74. 2
Quæ cautiones adhibendæ in publica criminis occulti, & conſciorum Confeſſione, & accuſatione. 74.2.75.1

Sigillum Confeſſionis, & Conſcii revelatio.

Sigillum Confeſſionis multis Antiquorum teſtimoniis probatur. 86.87
Providit ſemper Eccleſia, ne peccata, quæ confitenti periculum creare poterant, publicarentur. 62.1.2
Licet Conſcium ſceleris ex legitima cauſa Confeſſori revelare. 80. 1. cauſæ multæ ibidem enarrantur.
Ex revelatione Conſcii in Confeſſione magna olim utilitas in Eccleſiam redundabat, eo quòd Epiſcopi, & Parœci ut plebis Patres, Principes, & Medici conſiderandi ſunt. 78. 2. 79. 1
Conſcium etiam licet Confeſſori revelare propter ſolam Confeſſionis integritatem. 80.1
Licet uti ſcientia Confeſſionis, prodito Complice in bonum Pœnitentis de ejus licentia, Complicem quoque monere, &c. 80.2
Secretò Confitentem accuſaſſe criminis ſocios, & complices multis canonibus demonſtratur; & rationibus. 62.1. Hæc complicis accuſatio non modò fiebat, ut ſpecies criminis explicaretur, ſed etiam extra talem neceſſitatem. 72. 1. 73.1
Confeſſor poteſt cum Pœnitentis licentia de rebus confeſſis cum alio colloqui ob utilitatem inde provenientem. 79.1
Id poteſt ſine Confitentis licentia in multis caſibus, modo abſit revelationis periculum. 79. 2. poteſt hac in cauſa ſuffragium in electione denegare. ibid.
Multæ utilitates ex colloquio de rebus confeſſis provenientes à Scholaſticis enumeratæ. 80.1
Multis rationibus, & exemplis demonſtratur, Conſcii revelationem in Confeſſione non eſſe famæ proximi detractionem, ſed jure divino, naturali, & civili licitam. 81.82.83
Qui Pœnitentiam publicam agit nullo crimine confeſſo, non fit irregularis. 207.208.1

Varia de Confeſſione.

Qua ratione Pontifices dicantur abſolvere, peccata remittere, licet abſentes ſint, & Confeſſiones non audiant. 530.1

Confeſſionis peccatorum multis ſimul Sacerdotibus factę exempla. 79.col.1.71
Confeſſio generalis peccata mortalia oblita delet. vide. 413.1
Varii caſus explicantur, quibus docetur, qua ratione ſit agendum Epiſcopo cum eo, quem crimen committere vidit, aut illi ſecretò confeſſus, ſed Pœnitentiam agere detrectat. 76. 77
Multi Doctores Eccleſiæ multorum ſeculorum ſpatio docuerunt Laicis in extremo periculo confitendum eſſe, & Abſolutionem ab iis datam non eſſe planè invalidam. 407.408. Nonnullis exemplis in praxi id demonſtratur. 408. 1. 409. eam indemnatam Martinus V. ſupponit. ibid.
In neceſſitate, Sacerdotis occaſione non data multi dixerunt, Confeſſionem Laico factam peccata mortalia delere. 244.2
Materia circa quam judicium exercet Confeſſor, dici poteſt ipſe Pœnitens. 509.1
Antiqua Collectio refertur, cujus eadem præfatio, quæ in Pœnitentiali Halitgarii Camerac. Epiſcopi. 175.2
Differentia inter Pœnitentiales libellos, & canonum collectiones in cauſa Pœnitentiæ triplex eſt. 304.2

Contritio.

Quid Contritio intrinſeca, quid extrinſeca. 352.1
Multi viri graves poſt Concil. Tridentinum aſſeruerunt, Contritionem perfectam eſſe Abſolutioni dandæ neceſſariam. 443. 1
Antiqui Scholaſtici docuerunt, Contritionem complecti propoſitum ſatisfaciendi, ut confitendi. 8.1
Primus Henricus Gandavenſis hanc prærogativam Confeſſioni denegavit. 85.2
Grandia crimina, & inveterata vehementiſſima tantùm Contritione purgantur. 24.2.25.1
Propterea in extremis veram Pœnitentiam difficillimum agere. 26.1
Pro ratione gravitatis criminis, doloris & Contritionis gravitatem, & ardorem Patres poſtulare demonſtratur. 23. & ſeq. Hoc axioma hominum animis indidit natura. 24.1
Explicantur argumenta, judicia, conjecturæ, quibus antiqui Patres in veræ converſionis, & Contritionis cognitionem veniebant. 28.29

De Confeſſione juxta Judæos.

Omnes homines, dicunt Judæi, ante mortem Pœnitere, & confiteri debent. 44.2
Veræ, & utilis Confeſſionis conditiones ſecundùm Judæos. 92. 1. 95. 1
Judæi docent, neceſſe eſſe Reum peccata ſingulariter, & eorum circumſtantias confiteri. 89.2.90.1.94.1.95.
Judæi conſulunt peccata ſua ſcribere, ut memoriæ facilius mandentur, eaque expeditius confiteantur, & de iis Pœnitentiam agant. 93.2
Pœnitentia, & Confeſſio Judæis unum dicuntur præceptum. 90. 2
Judæi dicunt, ſupplicium non expiare impios, niſi confiteantur. In omni ſacrificio pro peccato neceſſariam eſſe Confeſſionem. 91.2.92.93.1
Judæi ajunt, crimen non remitti, donec peccator illud confeſſus fuerit. Qui furatus eſt, licèt reſtituerit, crimen ei non remittitur, donec confeſſus fuerit. Sic Sacrificia pro errore oblata, aut pro ſuperbia non expiant donec Confeſſio facta fuerit. 88.1.89.90 95.1
Exemplar Confeſſionis Judaicæ in die Expiationis, in quo inſeritur Confeſſio Alphabetica, Confeſſio quoque omnium peccatorum ſpecialis. 488. 489. Quando ita Confeſſio editur à Privato, quando à Synagogæ Miniſtro. 489.1
R. Joſeph Albo, peccatum committitur, cogitatione, ore, & opere, ideò reſipiſcentia cordis, Confeſſio oris, & ſatisfactio operis requiruntur. 373
Judæi ſolent Rabbinos conſulere, & illis aperire peccata, ut doceantur, qua Pœnitentia illa debeant expiare. 93.2.94.1
Confeſſio Judæis dicitur Pœnitentiam perficere. 90.1
Judæi docent, Pœnitentiam longè eſſe perfectiorem ejus, qui peccata ſua publicè confitetur, quàm qui privatim tantùm. 89. 1. 2. Sed Confeſſionem illam publicam intelligunt tantùm de peccatis in proximum, non autem de peccatis in Deum. 89. 2. 90. 1. 91. 92. 1. 93.1
De R. Akibæ ſententia de Confeſſione ſpeciali peccatorum multis diſputatur. 489.490
R. Akibæ ſententia de peccatorum Confeſſione explicatur. 95.col.1
Conſtat apud Judæos, omnia peccata in die Expiationis ſigillatim eſſe confitenda. Deinde ſi anno ſequente eadem fuerint iterata, ſequenti quoque Expiationis feſto eſſe confitenda. Sed plerique negant, iterùm eſſe confitenda ſequente feſto, niſi iterata fuerint. 490. 1. ita R. Akiba, & alii.
Peccata in proximum ſive publica, ſive occulta publicè confitentur, ſed peccata in Deum publica, publicè enuntiantur, non autem occulta. 96.1
Peccata in Deum occulta publicare non oportet. Sed publica licet publicare non teneatur, tenetur tamen cum ipſi exprobantur, ea confiteri, & dicere ſe eorum pœnitere. 490.2
Peccata ſuperbiæ fiunt Judæis per Confeſſionem velut peccata erroris. 94.1
Reos apud Judæos, cùm ſupplicio afficiebantur, diligenter ad Confeſſionem exhortabantur, eo quòd qui confitetur, partem habet in futuro ſeculo. 95.1
Veſperi feſti Expiationis Confeſſio facienda eſt ante cibum, ne poſt cibum caput gravedine laboret, ajunt Talmudiſtæ. 484.2
Linguam tertiam Judæi pro calumniatore ſumunt. 179. quàm grande ſcelus apud Judæos calumnia. 179.1
Breviculum doctrinæ Judæorum de Confeſſione peccatorum traditur. 490.2

D

DEnarius ante 800. annos quindecim aſſibus noſtratibus probè æquatus. 515.2
Prophanatio nominis Dei non remittitur homini ullo modo juxta Judæos niſi in morte. 168.2
Qui audit nomen divinum in vanum proferri, proferentem debet inquiunt Judæi excommunicare, aliàs eſt excommunicatus. Id intelligitur, cùm hoc facit per ſuperbiam. 159.2. 160. 163. 2. 165. 1
Poterat Diaconus Miſſam Catechumenorum agere. 263.2
Diaconorum ſupra Presbyteros faſtus inde quod Pœnitentium vita, moreſque Diaconorum curæ committebantur, atque, an pœnas impoſitas ſedulò privatim ſubirent. 278.2
Diaconi olim multis locis auſi ſunt ſacrificare, ſed repreſſi. 406. 2. Vide, Confeſſio.
Diaconis in extrema neceſſitate confiteri, & à peccatis abſolvere permiſſum nonnulli Latini multis ſeculis docuerunt. 404. 405. 406
Peripateticæ Dialecticæ effectus deſcribuntur. 346.2
Diocletiani perſecutio Hiſpaniam, Galliam, & Angliam non pervaſit. 460.1
Laus Scholaſticæ. 346.1
Scholaſtici Doctores multis ſeculis Eccleſiam reſponſis ſuis ab Hæreticorum fallaciis defenderunt. 346.1
Scholaſtici Philoſophos bonis ſuis ſpoliarunt, & Philoſophiam captivam in obſequium Chriſti duxerunt. 347.2
Variæ Scholaſticorum opiniones in veſte ſunt fidei non in ſubſtantia. 346.2
Theologi Scholaſtici è ſpinis Philoſophiæ ſepem vineæ Domini circumduxerunt. 347.1
In verborum poteſtate, & ſignificatione inquirenda parum ſagaces Scholaſtici. 397.1
Quando vulgari cœpit axioma, tuta conſcientia fieri, quod probante uno aut altero Doctore fiebat. 521.1
Doctorum Caſuiſtarum potiſſima cura. 225.2. 228. 1. Diſpenſationum facilitas. 225.2
Plurimi referuntur Scholaſtici, qui aſſeruerunt, Abſolutionem dari poſſe Abſenti. 409.1
Nonnulli Scholaſtici docuerunt, Baptiſmum more Græco apud Latinos datum non valere. 387.2.490.1
Quando Epiſcopus Dolenſis ſe Archiepiſcopum inſignire cœpit: quandiù cum Archiep. Turonenſi hoc controverſum fuit, & quando lis tandem compoſita eſt. 331.2
In dubiis pertinentibus ad ſalutem peccatum eſt non ſequi quod eſt certum. 335.2

E

Eccleſia.

Deſcriptio maximæ auctoritatis Eccleſiæ in remittendis peccatis. 4. 2.

Varia.

Varia Patrum teſtimonia, quibus auctoritas Eccleſię in remittendis peccatis commendatur. 8.col.1.2
Ex controverſia Montaniſtarum, & Novat. eorumque confutatione colligitur Eccleſię auctoritas in remittendis peccatis. 5.6.7
Quanta ſit virtus Pœnitentię, ſive laborum ab Eccleſia impoſitorum. 30.2
Propter bonam fidem ii, qui adhęrent unitati Eccleſię, licèt Sacramento, etiam baptiſmatis, deſtituti, ſervantur. 458.1
Eccleſię primùm in duas tantùm partes diviſę, poſteà in tres partes, quibus illę nominibus à Gręcis enuntiabantur. 247. 1
Narthex unde dictus, quę pars Eccleſię, cui uſui inſerviebat. 252. Ibi audientes. ibid.
Narthex In Eccleſiis Gręcorum locus fœminarum. 304.1
In Eccleſiis Gręcorum quę portę dicuntur ſanctę, quę ſpecioſę. 247. 1. Quę portę Baſilicę. 248.1

Eliberitanum Concilium.

Demonſtratur Concilium Eliberit. celebratum ſuiſſe ante S. Cypriani tempora. 460.1
Quare Eliberitani Patres Mœchiam perpetua Excommunic. non damnant, niſi geminata ſit, aut adulterio gravior. 459. 2
Communionem in Concilio Eliberitano non ſignificare tantùm Euchariſtiam, ſed primò, & pręſertim peccatorum remiſſionem. 421.2
Eliberitanorum Patrum ſeveritas ab hęreſi Montani, & Novatiani longè diſſert. 460.2
Eliberitani Patres non modò negabant gravibus peccatis ſecundam Pœnitentiam, ſed etiam quibuſdam negabant unam. 231. 1

Euchariſtia.

Euchariſtiam poſt datam Abſolutionem Gręci ſolent ſępe plurimis annis differre. 293.1
Euchariſtię Communionem primis ſeculis à reconciliatione, ſive peccatorum Abſolutione non fuiſſe tempore ſejunctam ex S. Cypriano probatur. 155.1.156. Idem probatur ex Concilio Eliberitano, auctoribus Gręcis, & aliis. 156.157

Energumeni.

Dupliciter Energumeni curabantur in Eccleſia, & qua ratione. 257.2.258.1. & privatim extra Synaxim. 258. 2. Quibus una differt ab altera. 258.2
Quando Energumenorum curatio in publica Synaxi ceſſavit in Oriente, quando in Occidente. 259.2
Energumeni Catechumeni extra Eccleſiam curabantur, nec baptizabantur pręterquam in fine niſi curati. 260.1
Energumenis manus ſunt impoſitę, non erant cum fidelibus, à myſteriorum conſpectu arcentur, eorum nomen ad altare non recitatur. 257.2.258.1
Nonnulli viri Sancti donum curandi dęmoniacos habitualiter habuerunt. 260.1
Energumeni ordinum ſunt incapaces, & ordinati In iis miniſtrare non debent. 259.1.2
Energumenis morientibus pręſtatur Communio. 259.1
Nonnulli Monachi Energumenos corpore Chriſti paſcebant. 260.1
Energumenis olim adnumerabantur Epileptici, & ſimiles; atque in vitia, & voluptates protervè irruentes. 259.2

Epiſcopi.

Antiqua Epiſcoporum auctoritas deſcribitur. 15.16
Epiſcopo in Pœnitentia imponenda tres Aſſeſſores dantur. 203. 1
Quandiu viguerunt Pœnitentię publicæ, tamdiu criminum, propter quę Pœnitentia imponebatur, judex erat Epiſcopus, cum aliquo Senatu Eccleſiaſtico. 69. 1
Sępe privatus ſecretò peccata ſua confitebatur Epiſcopo, & Presbyteris, ſive Presbyterio. In hoc tamen, ut & in aliis, Epiſcopo primę datę. 70.1
Qua diligentia Epiſcopi vigilabant, ut non modò peccata publica punirentur, ſed etiam ut occulta revelarentur, & impunita non manerent, multis canonibus, & exemplis docetur. 306.307

Cùm Pœnitentia publica ad varia crimina extenſa eſt, prudentię Epiſcoporum commiſſùm fuit definire, quando de peccato occulto erat agenda Pœnitentia. 182.183.col.1
Auctor Epiſtolarum Pontif. antiquarum novitatis convincitur. 75. 1

Excommunicatio.

Excommunicatio ſecundùm omnes Canoniſtas, & Theologos, ab eaque Abſolutio indicativè, vel deprecativè ferri poteſt. 400.1.401.
Varię excommunicandi, & deponendi formulę ex Patribus antiquis, & Conciliis promuntur. 402
Quę fuerit antiqua Abſolutionis ab excommunicatione formula ediſſeritur. 400.2.401
Antiquitus Abſolutio ab Excommunicatione erat deprecatoria; quando eſſe cœpit indicativa, & remiſſionis peccatorum in ea non eſt facta mentio. 16.1
Excommunicationi ferendę non bene convenit modus deprecativus, & quamobrem. 377.1
Impoſitio Pęnitentię eſt maximę Excommunicationis Abſolutio. 255.1
Abſolutio ab Excommunicatione etiam nunc apud Gręcos in Miſſę ſolemniis datur. 382.2
Gręci in Euchologiis ſpeciales habent Abſolutiones pro mortuis in Excommunicatione. 505.2
Quatuor erant Excommunicationis minoris ſpecies apud antiquos. 296.1. Plures eſſe poſſe diſertè ſcribunt multi Scholaſtici. ibid.
Excommunicatio minor nunc in uno caſu incurritur, qui vix contingit. Olim plures caſus ſed abrogati. Ab homine amplius non fertur, ſed à jure. 295.2
Excommunicatio Latinorum minor ſimilis Græcorum Excommunicationi, cui dant poſteriorem Abſolutionem. 295.2.296.1
Quę erat antiquiſſimis temporibus Eccleſiæ diſciplina in omnimodè ab Eccleſia expulſos. 121.1
Perperam fidelibus tribuuntur, quę canones impiis publicis, excommunicatis, &c. infligunt. 506. 2. hujuſce erroris cauſa aperitur. 507.1
Inquiritur, quando cęptum eſt in Eccleſia mortuis anathema dicere, mortuos quoque abſolvere. 505. 1. 2. Orientales hac in cauſa Romanę Eccleſię morem ſequebantur. 505. 1
Antiqua exempla Excommunicationis poſt mortem ſolutę. 505. 2
Commercium civile antiquitùs non prohibebatur cum ejectis ab Eccleſia. 121.1

De Excommunicatione ſecundùm Judæos.

Tria pœnarum genera habent Judæi, ſive tres Excommunicationis ſpecies. 157.2
24. Cauſæ Excommunicationis enumerantur. 169
Tres Monitiones Excommunicationem Judaicam pręcedere debent, quando una tantùm, quando nulla. 161.2.162.1.164.2
Formula Excommunicationis apud Judæos refertur. 158.1
Virtutem non habet Excomm. apud Judæos, donec publicata fuerit. 159
Enumerantur ſpeciales pœnæ, ad quas damnatur Excommunicatus minima Excommunicatione. 158.1.164.1
Quæ pœnæ civiles maneant mortuum in Excommunicatione. 157.2.158.1.165.2
Ab Excommunicato quatuor cubitis ſeſe ſeparare tenentur Judæi, exceptis, uxore, filiis & vernaculis. 157.2.164.2
Enumerantur nonnulla, de quibus Judæi diſputant, an ſint Excomm. licita. 157.1
Excommunicatio in omnia membra ingreditur, 163.2. quod ſignificatur Ghematricè per חרם Cherem, ibid. Vide explicatum. 164.1
Excommunicat. ordinariè triginta dies durat, qua ratione continuatur, aut citiùs ſolvitur. 162. 1. 163. 1. 172. 1. Synedrium Excommunic. prorogat, ut æquum judicat. 162. 2. 170. 1
Excommunicatio conditionalis quando valet, & eſt ſolvenda. 160.2
Rabbinos non licet publicè excommunicare, niſi graviſſimè peccent, ſed privatim flagellantur. 161. 1. 163. 2. 166. 1

Enarrantur differentiæ, quas ponunt Judæi inter excommunicatum à domo Judicii, & à privato aliquo Rabbino. 160.col.1
Secunda Excommunicationis ſpecies quomodo à Judæis vocetur, & quare. 170.1
Explicatur, in quo conſiſtit gravitas ſecundæ ſpeciei Excommunicationis ſupra primam. 170.1
Quæ formula ſecundæ Excommunicationis ferendæ. 170. 2. Enarrantur quibuſdam exemplis ſolemnitates huic Excommunicationis pronuntiandæ adhibitæ. 170. 1
Probatur contra Moſen diſtinctio Excomm. dictæ Schamata, ab ea quæ dicitur, Nidui, ſive minima. 158.2
Deſcribitur quouſque rebellio procedere debeat, ut debitor dicatur contumax. 162.2
Quinam teneantur ad obſervationem Excommun. juxta Judæos. 90.1.91.1.2
Quæ requiruntur à Judæis, ut Excommunicatio ſolvatur. Quinam ſolvere poſſint. 162.1.2
Formula Abſolutionis ab Excomm. tam præſenti quàm abſenti datæ à Judæis. 158.2.159.1.165.1
Apud Judæos aliquis poteſt ſeipſum excommunicare, & abſolvere. 161.1. 163.2. 164. 2. ratio redditur. 165.1
Tertia Excommunicationis ſpecies, Schamata dicta, explicatur, unde dicta, huic convenit S. Pauli Maranatha. 171.1
Iſtius Excommunicationis virtus demonſtratur. 171.1
Nonnulli Judæi tertiam Excommunicationis ſpeciem cum prima confundunt, quia Talmudiſtæ primam nomine tertiæ vocant. 172.1
Judæi Excommunicationem per ſomnium divinitus factam cenſent, & ideò magno molimine ſolvendam. 165. 2. Vide ibid. rationes.
Quarta quædam ſpecies, quæ Nezipha dicitur, ſive increpatio. Omnium minima, ſeptem eſt dierum: narrantur differentiæ ipſius à ſimplici excommunicatione, quæ eſt 30. dierum. 165. 2
Excomm. Judæi templum ingrediebantur per portam lugentium. 166.1
Quid Judæi videntes excommunicatos templum ingredi iis adprecabantur. 166.2
Qui contemnit ſapientem vel verbis, Reus eſt Excommunic. 159. 1
Domus judicii tempus Excommunicationis definit, ut æquum judicat, non tantùm triginta diebus, 159. 1. Aggravat etiam Excommunic. ſi juſtum exiſtimet 1 & licet ordinarie converſcentes cum Excommunicato non ſint excommunicati, id tamen decernere poteſt domus judicii. ibidem.
Eadem ferè privilegia tribuunt Rabbino promoto. 159.2
Apud Judæos habent auctoritatem excommunicandi non modo domus judicii, ſed quilibet Rabbinus ad Rabbinatum promotus; & in cauſa violatæ legis vir quilibet, etiam fœmina. 159. 1. Præ cæteris omnibus Princeps captivitatis. 159.1.163.2.166.1
Quid Judæi doceant de ratione, qua quiſque ſeſe gerere debet in proximi correptione. 59.2.60. Quouſque, & quoties eum monere debet. 60. 2.61. publicè non debet eum rubore afficere. 60. 2. Verùm hoc in peccatis contra proximum. 60. 2. Sed in peccatis contra Deum, ſi correptus occultè non pœnitet, publicare eum debet. 60. 2
Hypocritæ, & nominis Dei prophanatores publicè corripiendi. 61
Quid Judæi cenſeant faciendum, cùm dubium, eſt an correptus ſit obediturus, & cùm certum eſt non obediturum. 61.1
Quæ differentia Judæis inter Malcuth, & percuſſiones rebellium. 161.2

F

Perperam credidit Fauſtus Regienſis, Pœnitentiam in extremis valere non poſſe. 111.1
2. 4. & 6. feriæ in cauſſa Pœnitentiæ legitimæ dictæ, erant eſuriales, Vide Quadrag. 323.1.2

Fides, & fideles.

Fides eſt S. Auguſtino prima gratia, quæ ſub meritum non cadit, à qua omne meritum originem trahit. 114. 1
Multis ex S. Auguſtino demonſtratur fidem impetrare juſtificationem. 114.1
Opera fidelis ante juſtificationem facta eam de congruo mereri poſſe magna pars Scholaſticorum aſſerit. 114.col.1
Fideles qui lavacrum integrum conſervaverant cæteris antiquitus longè Prælatos. 128.2.234.2
Homines impuri, & ſceleſti à fidelibus diligenter ſeparabantur, & quare. 56.1.2
Frequens eſt diſtinctio in fideles, Pœnitentes, & Catechumenos. 268.1

Flagellationes Pœnitentiales.

Longè ante ſeculum undecimum flagellatio uſurpata eſt in Pœnitentiam, ſed à Judice decreta, non ſponte. Deinde in ſervos, Colonos, Monachos, Nonnates, & Presbyteros, non in Laicos liberos, & ingenuos. 326.1.2
An ejuſmodi flagellationis in Pœnitentiam mentionem fecerit Beda, & antiquum Pœnitentiale Romanum, an ſint his Pœnitentialibus intruſa. 326.1
Quando, & quis primus flagellationem Pœnitentialem incepit. 325.1
Monachi Pœnitentias flagellatione redimebant, ut Laici pecunia. 393.1
Dominici Eremitæ mirabilis in Pœnitentiam corporis flagellatio. 325.1
Mulier quædam centum annorum Pœnitentiam flagellatione redemit. 325.1.2

Forum Eccleſiaſticum.

Fori Eccleſiaſtici amplitudo quanta fuit naſcente Eccleſia. 14.15.16
Multis demonſtratur forum internum Eccleſiaſticum ab externo non fuiſſe diſtinctum. 17.18.19
Quando, & qua ratione à Principibus auctum, imminutum, & probè abrogatum. 15.16
Non erat antiquitus duplex Judex criminum, unus, qui ab Excommunicatione abſolveret, alius, qui à peccato. Quando hæc diſtinctio cœpit. 18.1
Quando forum Eccleſiaſt. internum ab externo diviſum. 18.1
Antiquitus duplex dici poterat Eccleſiæ tribunal, ſed alia planè ratione, quæ explicatur. 19.2
Qua ratione antiquitus diſtinguebatur, & tempore ſeparabatur Abſolutio ab Excommunicatione, & Abſolutione Sacramentali. 18.1
Confeſſor poteſt in Pœnitentiam opus injungere, quòd exiſtimat neceſſarium peccato evitando, aut ſcandalo tollendo, licèt inde conſequatur criminis confeſſi revelatio, & Pœnitenti opus recuſanti Abſolutionem negare. 79. 1.2
Confeſſor in foro conſcientiæ poteſt obligare Pœnitentem ad Pœnitentiam publicam de peccato publico, nec tamen ideò dici poteſt ſigillum reſignare. 192.2

G

De Pœnitentia, Abſolutione, aliiſque apud Græcos uſitatis.

Quid μετάνοια poſterioribus Græcis, in mulctam imponi ſolet. 3.2
Cauſa deſuetudinis unius Pœnitentiæ apud Orientales. 231.1
Pœnæ pœnitentiales apud Græcos trium ſunt generum. 293.2
Explicantur ſex capita, quæ potiſſimum ab Orientalibus obſervata ſunt in adminiſtratione Pœnitentiæ poſt Nectarium. 289.290. & ſeq.
Trium priorum ſtationum apud Græcos veſtigia quædam permanſerunt. 292.2
Poſt Nectarium tres priores Pœnitentiæ ſtationes apud Græcos abrogatæ ſunt, ſola permanſit Conſiſtentia ſeverè obſervata. 291. 2
Apud Græcos à quanto tempore nulla mentio precum in Synaxi ſuper Pœnitentes. 287.2.288.1
A ſeculo quinto Græcorum canones ſtationum Pœnitentialium mentionem non faciunt. 288.1
Pœnæ Pœnitentiales omnes Græcis antiquis, & recentioribus dicuntur ἐπιτίμια. 3.2
Ritus Pœnitentiæ imponendæ apud Græcos ex antiquis eorum Pœnitentialibus deſcribuntur. 152.2.153.154
Græci adhuc Pœnitentias peccatis imponunt, & imponendas docent ſecundum canones. 290. 2. 291. 1. Ideò κανόνα ποιεῖν, apud eos eſt, pœnam peccatis impoſitam exequi. 291.1
Græci quibuslibet criminibus aliam Pœnitentiam non imponunt

nunc quàm canonicam. 338. col. 1
Nunquam legitur, caſtitatem, & militiam ſecularem apud Orientales Pęnitentiæ publicæ conjunctam fuiſſe. 210. 2. 211. 1. immò permiſſa iſta fuiſſe evidenter colligitur. 211. 1
Duplex, & tempore ſeparata Pęnitenti confeſſo datur à Græcis Abſolutio. 293. 1. 294. Prior iſta Abſolutio eſt à peccatis. Poſterior à pęnis canonicis. 294. 295. Quare datur ſecunda iſta Abſolutio. 294. 1. Poſterior Abſolutio priorem perficit. 294. 1
Græci hactenus nulla alia Abſolutionis formula utuntur, quàm deprecatoria, ut ipſiſſimi teſtantur, omniaque ipſorum Euchologia, antiqua & recentia. 376. 1. 377
Græcorum uſitatiſſima formula. 376. 2
Longa privatione Euchariſtiæ damnatos Græci ſolantur τῷ ἀντιδώρῳ, & etiam potu aquæ benedictæ in die Epiphaniæ. 291. 1. 2
Quid Gręcis ἀντίδωρον, & qua ratione à Græcis ſanctificatur. 291. 1
Græcis adhuc in uſu, ut Pęnitentia licèt occultè affecti, cùm myſteria celebrantur, è choro in Narthecē ſecedant. 296. 2. 297. 1
Græcis adhuc eſt in uſu, Clericos occulta crimina ſecretò confitentes miniſterio in perpetuum abdicare. 199. 1
Pęnitentialem jejunatoris Græci nimiæ facilitatis, & indulgentiæ accuſant. 297. 1
Quid Græcis συγχωροχάρτια. 295. 1. 2. rationem habere poſſunt, indulgentiæ noſtræ, non Jubilæi, & à quovis Epiſcopo Græco dantur. 295. 2
Levius peccatis confeſſis Pęnitentiam Græci non imponunt, ſed tradunt tantùm pia monita. 291. 1
Modus imponendæ Pęnitentiæ Græcus à Latino differt. 289. 1
Græci in Liturgia utuntur adhuc edito diſcedite Catechumeni, licèt nulli ſint. 264. 2
Nullus Doctor Scholaſticus docuit minutiùs, & magis κατ᾽ μέρος confitendum quàm Græci omnes. 290. 1
Apud recentiores Græcos quid λογισμοὺς δέχεσθαι. 51. 1
Quid ſignificant hæc verba Græcorum abſolventium. Habeo te venia donatum. 295. 1
Illa phraſis abſolutoria, ἔχω σε συγκεχωρημένον, nihil habet cum Atticiſmo commune. 378. 1. Quid ſibi velint recentiores Gręci cum Pęnitente abſoluto, hoc proferunt. 378. 2
Liturgia apud Græcos non legitur diſtincta, ut apud Latinos in eam, quæ ad Catechumenos ſpectat, & quę ad fideles. 263. 2
Presbyteri apud Græcos exorcizant, & exorcizando ungunt. 259. 1
Rarus fuit apud Græcos Exorciſtarum uſus, non tamen nullus. 259. 1
Quartæ nuptiæ apud Græcos abſolutè prohibitæ, tertiæ qua ratione permiſſæ. 297. 299. 1
Ultimus canon Epiſtolæ canonicæ S. Gregorii Taumaturgi eſt addititius. 247. 2
In S. Gregorii Epiſt. ad Secundinum multa corrupta. 142. 2
Guilelmus Pariſienſis pœnis canonicis videtur inſenſus fuiſſe. 537. 1. 2
Guilelmus de Campellis Abbatiæ S. Victoris Fundator, poſteà Epiſcopus Catalaunenſis. 531. 2

H

Habitus.

Habitus quinque facit, ut perſona, cui inhæret, cauſa ſit effectus potior, & perfectior. 348. 2
Auctor habitus in homine eſt cauſa effectus remota. 348. 1. 2
Unde aliquis auctor dicitur actionis ab alio homine præſtitæ. 348. 2
Vix ante annum 1200. de habitibus gratiæ infuſis diſputari cœptum eſt. 348. 1. Quando tandem in Scholis prævaluit juſtificationem fieri per habitus infuſos. 348. 1. & primam gratiam eſſe habitualem. ibid.
Multi recentiores Scholaſtici referuntur, qui cenſent habituum infuſorum doctrinam Patribus, 1100. annis incognitam fuiſſe, nec neceſſe hominem ſic juſtificari, eos negare ad fidem non pertinere, &c. 362. 363
Antiqui Patres juſtificationem ſine habituum infuſorum mentione explicabant. 48. 1
Triplex hominis ſtatus explicatur, puræ naturæ, innocentię, & gratiæ. 352. 2
Quid Harmiſcara. 310. 2

Varia Hæreticorum in Eccleſiam admiſſio.

Magna lenitas, & facilitas S. Leonis in recipiendis Hæreticis. 446. col. 1. 2
Quare hæreſis crimen facilius condonatur, quàm fornicatio. 433. 1
Quare hæreſis non audet auctoritatem remittendi peccati ſibi arrogare. 5. 1
Hæretici ad Eccleſiam redeuntes levi cum Pœnitentia antiquitus admiſſi, niſi gravia obſtarent crimina. 432. 1. 2
Hæreticos gratia Spiritus ſancti per abruptionem conſequentiæ deſerit. 436. 1
Quomodo Hæretici ad Eccleſiam redeuntes ſint recipiendi, ex antiquiſſimis codicibus colligitur. 437. 1. 2
Hæreticorum in Eccleſiam receptio in quinque ſpecies diſtinguitur. 430. 1. 2
Rationes, quibus Eccleſia commota potuit Hæreticos redeuntes tot variis modis admittere, & ſibi reconciliare. 450. 1. Multis exemplis hoc docetur. 450. 1. 2. Iſta Eccleſiæ auctoritatem non ſuperant. 450. 2
Profeſſio fidei ſincera quam facit Hæreticus, Baptiſmi effectum reviviſcere facit, ajunt SS. Gregorius, & Auguſtinus. 447. 2. 448. 1
Tres apud Gręcos recipiendorum Hæreticorum modi referuntur. 436. 2
Methodii Conſtitutio de recipiendis Hæreticis ſuppoſititiam eſſe demonſtratur. 437. 2. 438. 1. ante ſexcentos annos ſuppoſita eſt. 438. 1
Triplex modus Hæreticos ad Eccleſiam recipiendi ex S. Gregorio explicatur. 439. 1. Siricii decretum illi contrarium conciliatur. 439. 1. 2
In Eccleſia baptizati hæretici per Pœnitentiam recipiuntur. 448. 1
Quare Hæretici in Eccleſia baptizati per Pœnitentiam recipiuntur, non per Confirmationem. 441. 1
Donatiſtæ Baptizatos in Eccleſia ſua redeuntes non rebaptizabant, ſed per Pœnitentiam recipiebant. 448. 2
Græci Hæreticos extra Eccleſiam validè baptizatos uniformiter ad Neſtorium uſque per Confirmationem, ſive unctionem receperunt. 435. 436
Quare Hæretici per Confirmationem admiſſi dicuntur cum imagine Pœnitentiæ recipi. 445. 2
In Gallia, & Hiſpania Hæretici per unctionem recipiebantur. 440. Inſignibus, & auguſtis exemplis hoc demonſtratur. 440
Quare Hæretici ad Eccleſiam redeuntes cum manus impoſitione recipiuntur. 445. 1
Donatiſtarum unctionem Eccleſia probabat, ideo recipiebantur cum ſola manuum impoſitione. 445. 2. Hujus rei ratio. 445. 1
Mos Eccleſiæ Rom. recipiendi redeuntes Hæreticos per ſolam manus impoſitionem. 439. 1. 2. Nonnullæ aliæ Eccleſię eundem morem ſequebantur. 439. 1
Cum hæreſi conjunctum erat grave crimen, veluti rebaptizationis, tum gravi admodum Pœnitentia puniebantur. 434
Certi Hæretici, ut Manichæi, alii difficilius recipiuntur. 434. 2. 435
Multa Hæreticorum genera per ſolam fidei profeſſionem in Eccleſiam admittebantur. 445. 2. 446. 2. 447. 1. Hujus praxis exempla. ibid.
Exemplar reconciliationis Hæretici in Eccleſia baptizati, & ab Hæreticis rebaptizati ex antiquiſſimis codicibus exſcriptum. 435
Exemplar receptionis, & reconciliationis Arianorum ad Eccleſiam ex antiquis codicibus. 441. 1
Unde, & qua ratione orta Saducæorum hæreſis. 42. 1
Quando vixit Harmenopulus. 438. 1
Hermas, ſive Paſtor, à Novati hæreſi defenditur, immò à Catholicis contra iſtam hæreſim ut palmaris teſtis citatur. 227. 2
Homines aliquando in pœnas ſuas ingenioſi. 506. 2
Homeri duo verſus citantur. 34. 1

I

Jejunium.

Antiquitus die feſto non jejunabatur, nec diebus, quibus agebatur ſacrificium. 323. 1. A Judæis obſervatio petita, in Sabbatum incidentia omnia jejunia transferunt. 323. 2
Enumerantur dies, quibus jejunare non licebat. 336. 1

Impoſitio manus.

Quid χειροθεσία can. 8. Nicæno. 461. col. 1

Multis demonſtratur, quotidianas prope manuum impoſitiones ſuper Pœnitentes in Subſtratione factas eſſe. 261.262

Cùm Pœnitentia dabatur, Pœnitenti manus imponebatur. 146.1

Manuum impoſitioni ſemper fuit oratio conjuncta. 261.262.263

Multis demonſtratur, manus impoſitionem ſemper fuiſſe orationi conjunctam. 365.2

In publica reconciliatione Epiſcopus cum Clero manus imponebat in Africa. 404.1.2. nomine Cleri non intelligendi Diacono inferiores. 384.2. Poſt Cyprianum Clerus non videtur adhibitus. 384.1

Multis exemplis docetur, antiquos Patres ſæpe manuum impoſitionem abſolutè poſuiſſe pro reconciliatione. 383.1

Multi recentiores docuerunt, manus impoſitionem in reconciliatione Pœnitentibus eſſe imponendam. 383.2.384.1

Indulgentiæ.

Deſcriptio impetus quo homines in relaxationem feruntur. 517.2

Imperatores in ſeptimana ſancta criminum Reis vincula laxare ſolebant. 474.1

Conditiones referuntur, quas Antiqui Scholaſtici requirebant, ut Indulgentiæ validæ eſſent. 528. 2. Poſteriores prioribus de iis magnificentiùs locuti ſunt. ibid.

Ex in diſcreta Indulgentiarum conceſſione claves Eccleſiæ contemnuntur, & Pœnitentialis ſatisfactio enervatur, ut ait Concil. Lateran. 4. 532. 1. Hoc multis exemplis Pontificum, qui in Indulgentiis concedendis moderatiſſimi fuerunt, demonſtratur. 532. 2

Ne diſciplina Eccleſiaſtica enervaretur, ſæpe multas indulgentias revocarunt Pontifices, monuitque Concilium Trident. ut magna cum moderatione concederentur. 534. 1

Indulgentias à Pontificibus datas non fuiſſe tantùm pœnæ peccatis debitæ expunctrices, ſed etiam culpæ multis rationibus conücitur. 530. 531. Verba Bullarum hoc probare videntur. 531. 1

Sententia, quæ docet, Abſolutionem in pœnam tantùm agere non in culpam, primis Scholaſticis annorum centum ſpatio mirificè placuit. 531. 1. Explicatur, quomodo iſtius ſententiæ occaſione multi docuerunt Indulgentias in pœnas canonicas tantùm agere. 531. 1

Qua ratione Indulgentiæ agant in culpam, licèt Abſolutio Confeſſioni jungatur. 532. 1. 532. 2

Referuntur conditiones ab Alberto magno requiſitæ, ut Indulgentiæ valeant. 529. 1. 2

Pro beneficiis ſpiritualibus concedi poſſunt Indulgentiæ. 528. 2

Qua formula propoſita fuit hæc relaxatio, & indulgentia. 525. 2

Epiſcopi ordinariè ultra tertiam partem Indulgentiarum non concedebant. 533. 2

S. Iſidori Epiſtola ad Maſſanum, ſuppoſititia. 142. 1

Varia, quæ credunt, aut faciunt Judæi.

Quæ ſit ſecundùm Judæos radix omnis ſanctitatis. 93. 1

Dicunt Judæi, initio anni Deum judicare mundum, tres habere libros, in uno perfectè juſtos deſcribi. In 2. perfectè malos, in tertio medios. Poſtremos tum ſuſpenſos, decimo die his vel illis adnumerari. 483. 1. 2

Judæi dicunt, omnes Iſraelitas ſervandos, impios poſt toleratas Purgatorii pœnas, exceptis paucis peccantium ſpeciebus, quas enumerant. 167. 1. quas in 24. claſſes diſtingunt, ibidem. Omnes iſti niſi Pœnitentiam agant, damnantur in æternum. Nam nullum eſt peccatum, quod per Pęnitentiam non deleatur. 167.2.168.2

Juſtos exiſtimant Judæi, quorum opera bona prævalent malis, ſic de civitate judicant & de Provinciis. 483. 2. Aliquando opus bonum tanti fit, ut plurimis malis prævaleat, ita & malum. 483. 2

Quibus ceremoniis gentilis fit à Judæis perfectus Proſelytus. 49

Quare dicitur Beatus vir, non beata fœmina. Vide ex Rabbinis. 44. 1

Quid à Judæis dicitur funiculus triplex, qui difficilè rumpitur. 485. 2. Idem Ghematria probatur. 482. 2

R. Abarbinel à cæteris Judæis diſſentit in prohibitione, ne Deo propter timorem ſerviatur. 42. col. 2

Differentiam ponunt Rabbini inter שבר' & מרס' 41.1.42.2

Quando Judæi pueri, puellæve jejuniis obligantur. 483. 2 484. 1

Rabbinus quando publicè contemnitur, tenetur excommunicare contemnentem, aliàs poteſt, ſed melius non excommunicare. 159.2.160.1.2

Judæi, cùm piorum nomina proferunt, id faciunt ſemper cum benedictionis pręfatione. 165.1

Denarius numerus apud Judæos magni fit. Cenſent eſſe in eo divinitatem, &c. 165.2

In rebus, quæ hiſtoriam ſpectant, nulla Judæis eſt fides adhibenda. 172. 2

Judæi feſtis diebus officia divina in quinque partes dividunt, quæ explicantur. 484.2

L

LAici propter ea crimina Pœnitentiæ publicæ ſubduntur, propter quæ Clerici deponuntur. 184. 1

Evangelium multò majorem perfectionem interiorem requirere quàm legem, Patrum teſtimoniis probatur. 47.1.48

Quæ cauſæ faciunt, ut ſalus facilius ſub Evangelio, quàm ſub lege obtineatur, licet Contritioni utrobique neceſſaria ſit; & ſub Evangelio addantur, Confeſſio, ſatisfactio, &c. 46

In quo potiſſimùm conſiſtit prærogativa Evangelii ſupra legem. 47. 2

Paucis verbis differentia docetur inter legem, & Evangelium ex S. Auguſtino. 48. 1

Variæ leges prohibent, ne Reo liceat accuſare alium, antequam ſe purgaverit. 75. 1. 2

Ex S. Auguſtino docetur, qua prudentia conſtitutiones, & mores Eccleſiæ relaxari debeant. 141. 1. neceſſitate ceſſante relaxatio ceſſare debet. ibid.

Ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. 416. 1

Quid in canone Ancyr. leproſi, & inter hyemantes orare. 249. 2. 250. 1

Formula antiqua lites in Presbyterio inſtruendæ ex S. Cypriani ſcriptis colligitur. 127. 2. 133. 1

S. Leoni Epiſtola ſuppoſita reücitur. 220. 2

Multis demonſtratur S. Ludgeri de S. Suiberto Epiſtolam ſuppoſitam eſſe. 527.2

M

Martyrum libelli, & Indulgentiæ.

MArtyrum libellis, ſive rogatione indulgentias Pœnitentibus concedebant Epiſcopi. 469. 1. 2

Docetur, qua ratione Indulgentia Martyrum Pœnitentibus tam ſanis quàm moribundis applicabatur. 470. 1

Martyrum indulgentiæ dandæ privilegium quando cœpit, & deſiit. 470.1.2

Effectus libellorum à Martyribus obtentorum non erat ratus niſi poſt Martyris ſupplicium. 469.1

Forma libellorum à Martyribus in gratiam Pœnitentium datorum deſcribitur, eorum effectus, quando Pœnitentibus applicabatur, ab Epiſcopis anteà examinandi. 468.469

Lapſis, qui ſani Pœnitentiam ex Eccleſiæ præſcripto agere noluerant, moribundis tamen pax dabatur, ſi libellos à Martyribus accepiſſent. 467. 1

Quare Lapſi moribundi, ſi libellos à Martyribus obtinuerant, reconciliantur, non autem alii. 130. 2

Diaconi ad carceres commeare ſolebant, ut Martyrum voluntatem de indulgentia Pęnitentibus facienda ab ipſis diſcerent. 129.2. neve quid contra Eccleſiæ diſciplinam ab Epiſcopis peterent. ibid.

Antiquitus ſæpe ad preces Confeſſorum criminum Rei ab omni Pœnitentiæ actione eximebantur. 451. 1. 2. quandiu hic mos in Eccleſia ceſſavit. 452. 1

Mauricius Pariſienſis Epiſcopus quis fuerit, Eccleſiam S. Virginis ędificari curavit. Quatuor Abbatias fundavit, & dotavit. 527. 1

Matrimonium.

Quinquaginta Metanœæ in Pœnitentiam à S. Damiano impoſitæ. 319. 1

Incunte ſeculo quinto Pęnitentibus conſulebatur matrimonio non uti, & militiam ſecularem deſerere. 209. 1. 2

Dici-

Diſciplina, qua multis ſceleribus Matrimonium, & militia ſecularis interdicta ſunt ad annum 1150. viguit. 216. col. 1. ſed poſt annum 1200. imminuta eſt, & propè obſoleta. 216. 2. Albertus Magnus in hac cauſa ſeverus, ibid. Quid de hac ſentiant Doctores Neoterici. 216. 1
Pœnitentibus interdicebatur matrimonium, & militia ſecularis, aliquando matrimonium poſt actam Pęnitentiam. 208. 2. 209
Explicatur, qua moderatione antiqui prohibebant Pęnitentibus matrimonium contrahere, & uti contracto. 219. 2. 220. 1. 2
Quibus temperamentis initio ſeveræ Pęnitentiæ diſciplina, qua militia ſecularis, & matrimonii uſus, aut contractus interdicta ſunt, progreſſa eſt, & quando obſolevit. 214. 2
Varii canones, qui Raptoribus fęminarum, & Homicidiis, & aliis matrimonium, & arma prohibent. maximè, 214. 215
Repudiatam per leges Cæſareas vivente priore marito licebat. De hoc dubius Auguſtinus. Hoc licet apud Græcos. 251. 1
Conjuges apud Græcos tota quadrag. jubentur ſub gravibus pęnis à mutuo complexu abſtinere. 298. 2

Militia. Vide Matrimonium.

Canon Nicænus, qui militiam Pœnitentibus videtur prohibere explicatur. 211. 2
S. Baſilius, & multi Latini Pęnitentiam publicam militantibus impoſuerunt. 219. 12
Quid Patres per militiam ſecularem intellexerint, explicatur. 215. 2
Patres paludatam militiam magis averſati ſunt quàm togatam. 218. 2. 219. 1. Ideò priorem Pęnitentibus abſolutè prohibuerunt. ibid.

Miſſa Fidelium, & Catechumenorum.

Miſſa Catechumenorum ubi incipit, ubi deſinit, & quare ſic dicta. 263. 2
Ubi initium Miſſæ fidelium. 264. 1. Antiqua hæc quæſtio, & ſemper uno modo ab antiquis ſoluta. 264. 1. 2
Ubi Miſſæ fidelium initium apud Græcos. 264. 2
Licèt officium pro Catechumenis Miſſa diceretur, officium pro fidelibus Miſſa quoque dictum eſt. 264. 2. Immò univerſa Eccleſiæ officia, & eorum unumquodque Miſſa dictum. 265. 1. Miſſa unde dicitur. 265. 1

Modi verborum, & eorum poteſtas.

Quid ſit verborum modus: apud Latinos, & Græcos quinque ſunt; apud Hebræos, Chaldæos, &c. tantum tres. 392. 1. 2
Antiqui in enuntiatione myſteriorum parum attendebant modos verborum, humiliorem tamen eligebant. 384. 2
Lingua Hebræa nec habet præteritum imperfectum, nec pluſquam perfectum. 392. 1
Præſenti tempore caret lingua Hebræa, quomodo illud ſupplet. 392. 1
Indicativi præſentis ſignificatio eſt deſpotica, ideò dicitur Græcis definitivus. 393. 1. ſed participiorum indefinita, ideò non imperioſa. ibid.
Indicativus modus deprecationi ineptus, & quare. 394. 1. eo tamen in hunc ſenſum abutuntur Græci, nunquam Latini. 394. 1
Tribus modis enuntiari poſſe Hebraicè tempus præſens exemplis docetur. 392
Modus indicativus, ut & imperativus effectum prima facie tribuit perſonæ loquenti principaliter. 398. 2
Indicativus præſentis temporis à Judæis, & Syris, in Sacramentis nec uſurpatus, nec uſurpari potuit. 393. 2
Modus imperativus propriè etiam eſt deprecativus ſecundum omnes gentes. 394. 1. 2. eſt etiam conſultivus, &c. 394. 2
Imperativus modus ex omnium gentium more in ſeipſum non tranſit. 403. 2
Participia per ſe generaliter ſignificant, unde nec perſonam, nec modum. 393. 1
Participium Benoni ſimul ſignificat præſens, & futurum, & propriè tertiam perſonam. 392. 2
Participium Pahul apud Hebræos eſt paſſivum præſentis temporis non præteriti. 392. 2
Ratio docetur, propterquam Abſolutio imperativè data neceſſariò eſt deprecativa. 403. 2. 404
Omnes propè Scholaſtici docent baptiſmum & modo indicativo, & deprecativo dari poſſe. 387. 2
Quod aliquis faciat miracula, aut abſolvat, non habet à modo indicativo, aut deprecativo, ſed à libera Dei voluntate. 396. col. 1
Cauſa principalis loqui poteſt indicativè, & imperativè, non optativè: Miniſterialis tribus illis modis. 394. 2. 56. Apoſtoli, atque etiam Chriſtus tribus illis modis miracula patrarunt. 394. 2. 395. 1
Angeli loquentes cum hominibus nomen Dei proprium, & ineffabile ſibi tribuunt, quaſi Deus loqueretur, ut S. Gregorius notat. Hoc docent omnes Judæi, cujus rei pulchras rationes reddit Joſeph Albo Rabbinus. 397
Ex remiſſione facta per tertiam perſonam pluralem imperſonaliter, colligunt pii, & impii loquentem ſibi poteſtatem remittendi tribuere. 395. 2
Chriſtus aliquando miracula patrans imperſonaliter locutus eſt, ut humilem ſe præſtaret, & à Deo pendere; aliquando indicativè in prima perſona, ut ſe Deum demonſtraret. 398. 2

Monachi. Vide Clerici.

Profeſſio Monachiſmi non eximebat criminis Reum ab agenda Pęnitentia. 319. 2
Monachi, Virgines, & Viduæ ſacræ peccantes Pęnitentia publica, ut Laici, caſtigabantur. 269. 270. 1
Monachiſmus non eſt Pęnitentiæ publicæ æquandus, niſi privatæ Pœnitentiæ canonicæ actæ conjungatur. 34. 1
Invehitur S. Damianus in eos, qui Monachiſmi profeſſionem Pęnitentiæ publicæ æquabant. 329. 1
Diſtinguendum inter Monachas, & Monachos, qui Monaſteriis erant addicti, & eos, qui apud Parentes, & in domibus propriis habitabant. 276. 2. Qua ratione poſteriores Pœnitentiam agebant. 270. 2. 271. 1
Quomodo Monachorum jejunia diſpenſabantur ante mille, & centum annos. 324. 1
Eccleſia ſi ſanctis hominibus conſtet, impii timebunt ei ſe conjungere, & Pœnitentiam ſponte agent, ut ei poſſint conjungi. 27. 2. 28
Plurimùm cavebant Antiqui ne ulla eſſet cum impiis communicatio, nève myſteria ſua prophanis paterent. 29. 2. 30

N

Neceſſitas tollit libertatem, coactio voluntatem. Neceſſitas ſuave factum, coactio dutum. 349. 1. 2
Quod neceſſitas pro remedio invenit, ceſſante neceſſitate, ceſſare debet. 458. 2
Narthex quæ pars Eccleſiæ, nomen antiquiſſimis incognitum. 247. 2. Vide Eccleſia.
Hiſtoria Nectarii de Pœnitentiario abrogata examinatur. 62. 2. 63

O

Oblatio.

Quibus non licet offerre, unde Chriſti corpus conficiatur, iis non licet de eo edere. 279. 2. 281. 2
Mos oblationis offerendæ in Eccleſia Occidentali 1200. annis conſtantiſſimè viguit. 279. 2. 281. 2
An liceret Conſiſtentium nomina ad altare offerre. 282. 1
Ἀναφέρειν aliquando offerre ſignificat, & *ἀναφορὰ* oblationem. 406

Opinio probabilis.

Cùm opinio probabilis eſt tutior probabiliore, tum licèt uti probabili, relicta probabiliore. 411. 1
Quando eſt medicamentum certum, nefas eſt, eo poſtpoſito, opinionibus uti. 356. 2
Quando opinio certa præferenda eſt probabili, & probabilior minus probabili. 355. 2
Licitum non eſſe miniſtrare Sacramenta cum opinione probabili, niſi in caſu neceſſitatis. 356. 1

Oratio, ordinatio, &c.

Duplex apud Antiquos orationis genus, expiatorium, & Euchariſticum. 252. 2
Oratio Dominica S. Auguſtino dicitur quotidianus Baptiſmus, lavacrum, medela, quotidianum penicułum, & peccatorum antidotum. 245. 1
Nuſquam legitur apud Græcos, Publicè Pœnitentes ad ſacros ordines non admittantur. 211. 1. 2

Pro

Digitized by Google

Pro mortuo, cui ægro impoſita Pœnitentia oegata Abſolutio, non orabatur. 496.col.2
Non videtur unquam ulla ratione Eccleſia Romana lapſis morientibus veniam negaſſe. 470.2
Cauſa inhabilitatis ad ordines ſuſcipiendos, vel exercendos eſt crimen commiſſum, non acta de eo publicè Pœnitentia. 207. 208
Diu variè diſputatum de ordinationibus factis ab Hæreticis, & Excommunicatis, an ratæ eſſent, aliis negantibus, aliis aſſerentibus, aliis diſtinguentibus. 442.1.2
Differentia inter divinorum Officiorum Ordines, & libros Pęnitentiales in cauſa Pęnitentiæ ediſſeritur. 304.1
In ordine Romano reconciliationis ritus per anticipationem collocatus eſt. 381.1
Antiquiſſimus mos Paſſionem Domini prædicare in Paraſceve Paſchatis. 474.1.2
Studii Philoſophici, & Theologici Pariſiis prima initia quando cœperunt, qui primus Philoſophiam docuit. 531.1
Periculosè præſumimus explicare, quod Patres prætererunt. 346.1

P

Quid Pęnitentiæ nomen ſignificet Latinis, Græcis, Hebræis.

POEnitentia non penitenda, *μετάνοια ἀμεταμέλητος*. 2.ſect.8
Pœnitentia, magna Prudentia, magna intelligentia. 2. ſect.6.8
Variæ Pœnitentiæ etymologiæ. 1.ſect.3
Pœnitere non dicitur niſi de iis rebus, quæ à Conſilio noſtro pendent. 1. ſect.1
Gallus Aſinius Ciceronem reprehendit, quod Pœnitentiæ dictione non rectè uteretur. 1. ſect.1
Pœnitentia neceſſariò non dicit errorem, aut peccatum preceſſiſſe, ideò de Deo quoque dicitur. 2. ſect.4
Quare Deus Pęnitentiam ſibi tribuat. 44. 1. Deus propter Pœnitentiam ſententiam mutat. 44. 1
Pœnitentia tria apud auctores Eccleſiaſticos, & prophanos ſignificat. 2. ſect.2.3.&c.
Pœnitentia multis ſcripturæ locis neceſſariò infert pęnam propter peccatum aſſumptam. 3.ſect.11
Antiquus Interpres novi Teſtamenti *μετάνοιαν* ſemper reddit Pœnitentiam. 3.11
Μετάνοια tria ſignificat, & Pęnitentia. 2. ſect.6.7.8.&c.
Apud probos auctores Græcos quid ſignificet *μετάνοια*, inquiritur. pag.2
In novo Teſtamento rarus uſus dictionum *μεταμέλεσθαι*, & *μεταμέλεια*, ſed ſæpè iis utuntur 70. Interpretes. Antiquus Interpres ſemper vertit Pœnitentiam, aut pœnitere, 3. ſect. 11
In novo Teſtamento *ἐπιτιμᾷν*, & *ἐπιτίμιον* objurgandi ſignificatione ſumuntur. 4.ſect.14
Quibus nominibus Hebræi, Syri, Chaldæi Pęnitentiam vocant: nominis ratio, & etymologia. 4 1.2
Chaldei alio nomine vocant reſipiſcentiam, alio Pęnitentiam. 4. 2
Interpres Syrus variis nominibus reddidit, *μετάνοιαν*, & *μεταμέλειαν*. 4. 1
Varia Pœnitentiæ ſignificata metaphorica. 2.ſect.5
Mira plebis Chriſtianæ pœnis Pœnitentialibus obedientia deſcribitur. 119.1

Quare Pœnitentia peccantibus poſt baptiſmum graviſſima imponitur.

Rationes, propter quas peccata poſt baptiſmum multò graviora ſunt iis, quæ baptiſmum præcedunt tradit Concilium Tridentinum. 102. Patrum teſtimoniis illuſtrantur. 102.103
Peccata poſt baptiſmum commiſſa graviſſima ſunt, & multis, longiſque laboribus expianda. 101.1.2
Peccata ante baptiſmum facta ignorantiæ tribuuntur. 103.1
Pęnitentia à S.Patribus ſæpiſſimè dicitur Baptiſmus lachrymarum, & laborioſus. 102
Qui poſt baptiſmum peccat, cum cognitione Dei peccat, & ideò graviſſimè. 103
Qui poſt baptiſmum peccat, diabolum Deo præponit, & per Pœnitentiæ Pœnitentiam diabolo ſatisfacit. 103.2
Qui peccat poſt baptiſmum, ſigillum Chriſti violat, & ſuſcipit ſigillum diaboli. 102.2
Peccans poſt baptiſmum Dei Sacramentum, & fidem illi præſtitam, pactumque violat. 104. 1. 105
Qui poſt baptiſmum peccat, licèt Pœnitentia purgetur, cicatrices peccati tamen retinet, ſic Athanaſius. 105.1
Locum Epiſtolæ ad Hebræos *cap.6.* Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, &c. Intelligunt antiqui omnes Græci, & Latini de baptiſmo, &c. 105.106

Pęnitentiæ ut plurimùm uſque ad Novatum leviores.

Pœnas peccatis impoſitas ab Apoſtolis ad Montanum uſque fuiſſe admodum breves demonſtratur. 128.129
Pœnas pœnitentiales à Montano ad Novatum paulò auctas, breves tamen fuiſſe. 128.130
Ante Novatum difficiliùs concedebatur jus agendæ Pęnitentiæ. 143. 1
Expiatio Pœnitentium analoga expiationi Catechumenorum. 256.1.257
Peccata non ſemper ſimul, & integrè ab Eccleſia remittuntur, 294. 1. 2
Pœnitentiæ actionem nonnunquam differri non improbarunt aliquando Patres. 220. 1.2

Quanta cura, & vigilantia Pęnitentiæ imponebantur.

Multis demonſtratur ex Cypriano, Clero Romano, antiquiſſimis Conciliis, cùm nova exorta eſt criminis ſpecies, inſignes Epiſcopos conſultos, Concilia celebrata, ut conveniens crimini Pœnitentia imponeretur. 272. 273. Idem ex innumeris aliis auctoribus, qui hos ſecuti ſunt, probatur. 273.274
Araneis filis liganda non ſunt, quæ tribus rudentibus debent alligari. 298.1
Pœnitentiam criminis gravitati æquatam facere quàm neceſſarium æſtimatum ſit. 274. 1. 2. & ſequentibus, & præcedentibus ſæpiùs.
Magna prudentia peccatorum ſcelus penſandum, ut unicuique juſta pęna tribuatur. 7.1
Venia non obtinetur una lachrymula, ſed magnis fletibus, rugitibus, jejuniis, tota incumbendum ſpiritus compunctione, &c. aliàs ludus eſſet peccare. 22.18.2. 29.2
Fruſtra quis per ſterilem Pœnitentiam putat, quis ſe mereri poſſe veniam. 28.1
Pœnitentia nullo privato affectu imponenda. 203.2
Levitas pęnæ ad vitii contagium provocat vide multis. 425.2
Purgari debet abſolvēdus, ne margaritæ porcis obtrudātur. 426.1
Frequentiſſimæ Sanctorum ſanctiones, ut Pœnientiæ ſecundùm canones, & non aliter imponerentur. 275.1. 2
Quomodo conficitur medicamentum Pęnitentiæ ex S.Chryſoſt. 105. 2
Patres Pęnitentias paſſim vocant Medicinas. 339.1
Explicatur quàm difficile peccata ſæpiùs iterata ſanare. 428.1.2

Pęnitentiæ ſinceritas multo tempore probatur.

Variæ cauſæ ex Patribus explicantur, propter quas longo tempore Pęnitentes in Pęnitentia detinebant. 28. 29
Quare Pęnitentiam publicam agere antiquitùs, laudi erat, non probro. 86.2. Laudes Pęnitentibus à Patribus datæ. 87.1
Pęnitentiam non admittebant Patres, niſi quam diu probaverant. 128.1
Tradi Satanæ in interitum carnis omnes propè patres de laboribus, pęnis, jejuniis, &c. in Pęnitentiam impoſitis interpretantur. 266.2. 267
Nonnihil dubitarunt antiquiſſimi Patres de eo, qui ſanus Pœnitentiam ſuſceperat, ſed ante completam obierat. 111.1.2. Poſteà tamen de ejus ſalute ſecuri pronuntiarunt. ibid.
Quandiu duraverint Pęnitentiæ lapſis tempore Cypriani impoſitæ, Chronologica diſquiſitione inveſtigatur. 131.1. 132
Vera converſio in momento fieri poteſt, hoc tamen docent Patres, non impedit, quin diu Pœnitentes probentur. Vide 426. 1. 427. immo hoc poſteriùs ſupponit priùs.
Duo S.Chryſoſtomi loca corrupta, & malè intellecta nimiæ veniæ facilitati occaſionem dederunt. 229.2. 230. 1. 2. alio loco vera interpretatio illuſtratur. 230.1. 231
Variis Patrum teſtimoniis demonſtratur, pęnas etiam gravibus peccatis debitas pro Contritionis vehementia eſſe minuendas. 26.27. Ideò Pęnitentium mores, converſatio, actiones diligenter attendendæ. 28
Antiqua Eccleſiæ Romanæ traditio erat non communicare cum Pęnitentibus, & quibuslibet aliis peccatoribus ſine reconciliatione mortuis. 504. 1. 2. Aliæ Eccleſiæ frequentes con-

tra-

Digitized by Google

trarium morem amplexæ ſunt. 504. col. 2
Pœnitentibus Sacramenta non dantur, niſi reconciliati fuerint. Poſt reconciliationem omnia ordine ſuo. 509.2.510.1
Unde Pœnitentiæ à Sacerdote impoſitæ meritum. 47.2. Unde facilis illius executio. ibid.
Antiquiſſima Pœnitentia hodiernæ ſimilior, quàm medii temporis. 119.2
Qua ratione, quibus fletibus, quo habitu, qua humilitate Pęnitentia antiquiſſimis temporibus efflagitabatur. 143.144

Pœnitentiæ rogatio, & impoſitio.

Cum ægrotis Pœnitentia imponebatur, ſæpè id fiebat in cinere, & cilicio. 516.2. Cilicium illud benedicebatur. 517.1
Non modo Monachi, ſed etiam plebs promiſcua cilicio incubans mori ſolebat. 517.1
Explicatur quibus ritibus, & ſolemnitatibus Pœnitentia publica criminum Reis imponebatur. 145. 146. & ſeq.
Pœnitentes Pœnitentiam ſuſcepturi tondebantur. 146.1.147. In certis regionibus barbam, capilloſque promittebant, ſed eodem fine. 146.2
Pœnitentiæ imponendæ tam publicæ, quàm privatæ ritus ex variis Sacramentariis, & Pęnitentialibus deſcribuntur minutim. 147. 148
Impoſitio Pęnitentiæ dicitur aliquando Pęnitentiæ benedictio. 286.1
Quare cilicium aſſumebant Pęnitentes, & unde hic mos. 251.1
Multis Pęnitentibus ſimul Pęnitentia imponebatur, hujus actionis graphica deſcriptio. 147.2
Quum pœnitentibus manus in Pęnitentiam imponebantur, pęnitentiæ quantitas, qualitas, moduſque indicebatur. 146. 2. 147.1

Varia Pęnitentiæ publicæ antiquitus adnexa.

Tribus primis ſeculis pęnitentiæ publicæ non adnectebatur ſeparatio ab uxore, à militia ſeculari, & ab ordinibus expulſio apud Latinos, non ſecus ac Græcos. 212.213
Pęnitentibus publicè propter crimina publica, ſive occulta, ſive etiam nullo crimine confeſſo, matrimonium, & militia ſecularis, & ad ordines admiſſio, à ſeculo 4. ad octavum interdicebantur. 213.1.2
Explicatur, qua ratione Antiqui dixerint negotia ſecularia Pęnitentibus eſſe prohibita, & quæ negotia. 218.1.2
Quæ abſtinentiæ, corporis afflictiones, jejunia, &c. Seculis octavo, & nono Pęnitentibus particulatim, & domeſticè imponebantur, & qua ratione per multos annos diſpenſabantur, explicatur, & probatur. 381.382
Multis explicatur, qua ratione Pœnitentibus publicis privatim, & domeſticè labores pęnitentiales diſpenſabantur, & variabantur, non ſolum quadrageſimali tempore, ſed per totum annum. 335.336.338

Pęnitentia ut exercita eſt poſt annum 700.

Plurimi auctores, & Concilia poſt ſeculum 7. docent, & jubent peccatis occultis pęnitentiam dare ſecundum canones. 341. 342
In pęnitentiam ab anno 700. impoſitum eſt ſeculum relinquere, & Monachiſmo nomen dare. 327.2. frequens fuit iſta pęnitentia ab anno 900. ad 1100. Id multis, & auguſtis exemplis probatur. 328.1.2. Iſtius pęnitendi moris origines variæ exponuntur. 328.1
Mos pęnitentium includendorum in Diaconiis, Cathecumeniis, aliiſque locis ad pęnitentiam agendam, probatur, & explicatur. 203. 204. Initia iſtius moris à tempore S. Auguſtini repetenda. 204.2. 205.1
Tria ſunt potiſſima, quæ in adminiſtratione pęnitentiæ apud Latinos ab anno 700. paulatim abrogata ſunt. 299. 300
Pęnarum pęnitentialium ante ſeculum ſeptimum inuſitatarum quatuor genera. 323.1
Actio publicæ pęnitentiæ tribus potiſſimum capitibus ſpectabilis erat in Eccleſia ab anno 700. 311. 312. Tria illa comparantur cum uſu antiquiore. 311.2
Pęnitentes multis annis diſcalceati incedebant, non licebat illis equitare, non arma ferre, vide ſæpius. 314.315. & ſeq. Ejuſmodi enim Pęnit. frequenter imponebantur ſeculis. 6.7.8
Poſt annum 700. pęnitentes ſæpiſſimè diſcalceati incedere jubebantur, humili, lugubrique habitu utentes. 313.2
Severitas, quæ pęnitentiam publicam primùm conſequebatur, circa annum 700. ipſis criminibus ſive publicis, ſive occultis tributa eſt. 214.215
In Pœnitentiam imponitur, diſcalceatum incedere, laneis veſtibus, & ſine femoralibus, & nullo vehiculo uti, nec equo. 323. col. 1
Publicos pœnitentes non eſſe ordinandos, Latinorum axioma probatur: Unde fluxit. Apud Græcos non legitur. 138.1
Actio pęnitentiæ publicæ apud Orientales irregularitatem non inducebat, ſed crimen. 211.1.2
Nonnullis ſeculis poſt ſeptimum frequens fuit, multis ſceleribus in pœnitentiam imponere, Communione uſque ad mortem privari. 329.1.2
Severè prohibebatur, pœnitentem publicum interficere, & ad edendum, vel bibendum contra leges pœnitentiæ cogere. 305. 1.2
Quatuor præcipuæ differentiæ inter ritum pœnitentiæ publicæ poſt annum 700. & eum, qui anteà vigebat, explicantur. 312. 313
Multi auctores ab anno 700. ad 1200. disertè docent pęnitentiam privatá eandem eſſe, cum publica ſolemnitate dempta. 340.341
Pauló ante annum 700. cępit mos pęnitentiam publicam imponi in capite Quadrag. 334.2
Minor pęnitentia pauperibus imponitur quàm divitibus. 149.1.2
Pœnitentia functis aliquando imponebatur aliquid pęnitentiæ per aliquod tempus, ut perfectius purgarentur. 117.1.2
Iiſdem ſeculis poſt pœnitentiam completam, & Abſolutionem datam imponi ſolebat in majoribus criminibus aliqua pęnitentia per totam vitam agenda. 454.2.455.1
Poſt an. 700. data Abſolutione, & corporis Chriſti communione, imponebatur quædam pęnitentia per totam vitam ſubeunda. 324.2
Multis exemplis docetur, pęnitentes in omnibus Parœciis conſpicuos fuiſſe, & à fidelibus loco, veſte, extra Eccleſiam, ſed in Eccleſia potiſſimum, fuiſſe diſtinctos. 268.269
Pęnitentia privata ſecundùm canones criminibus occultis imponebatur ab an. 700. non ſecus ac publicis, privataque pęnitentia à publica ſola ſolemnitate differebat. 337.338.339
Iidem ritus pro pęnitentia privata, & publica, ſed non vice verſa. 152.2.155.2
Inſignia pęnitentiæ exempla apud antiquos Anglos. 332.1.2
Profunda, & humilis pęnitentia quænam ſit, ex legibus Anglicanis deſcribitur. 332.2

Publici peccatores ad Pęnitentiam coguntur.

Antiquæ Anglorum leges cogunt pęnitentes pęnitentiam canonicè impoſitam ſubire. 332.1.2
Peccator publicus ad pęnitentiam publicam cogi poterat, non autem occultus. 206.2
Publici peccatores, aut criminis convicti, pęnitentiam agere cogebantur maxima Excommunicatione, quæ non prius ſolvebatur, quàm pęnitentiam ſuſcepiſſent. 307.2.308
Publici peccatores Excommunicationibus pęnitentiam agere cogebantur. 283.1.284. aliquando etiam antiquitus Principes advocabantur, ut cogi poſſent ad pęnitentiam publicam. 283.2
Si comites ſe negligentes præberent in juvandis Epiſcopis ad imponendam Reis pęnitentiam publicam, volunt Reges, ut apud ſe Epiſcopi conquerantur, & ipſi Comites caſtigare. 309.1
Pœna civili propter crimen tolerata, imponebatur pęnitentia publica. 310.311

Pęnitentiæ novæ quinquaginta, centum annorum.

Occaſione redemptionum pęnitentialium pęnitentiæ quinquaginta, centum annorum ſæpè impoſitæ ſunt, & peractæ. 522. 1.2. quando cępit hic pęnitendi modus. 522.1.2. 525.1. Quare Monachis præſertim neceſſarius. 522. 2. Qua ratione iſta pęnitentias computandi ratio ſubducebatur. 523.1
Duplicem, & quadruplicem pęnitentiam agere. 320.1
Pænitentia annorum 70. alicui debita. 319.2
Pænitentia centum annorum impoſita. 319.1
Pænitentiam centum annorum brevi tempore Dominicus Eremita perfecit. 325.1.2

Pęnitentia ut exercita eſt ſeculis 10. 11. 12. 13.

Qua ratione pęnitentiæ labores particulatim, & domeſticè adminiſtrati ſunt, ab an. 900. ad milleſimum explicatur. 316.317
Variis exemplis, & teſtimoniis virorum clariſſimorum demonſtratur, quæ Pænitentia uſurpata fuerit ſeculo undecimo. 321. 322

Epiſ-

Digitized by Google

Epiſcopo, quòd Scachis luſiſſet, à Damiano graviſſima pœnitentia impoſita. 320.1

Graviſſimæ pœnitentiæ ab Alexandro Pontifice impoſitæ, & in nonnullis depoſitio inſuper. 320.1.2

Exemplum inſigne, ex quo colligitur evidenter, qualis imponi ſolita fuerit Pœnitentia medio ſeculo undecimo. 319.1.319.2

Severitatis canonicæ apud Græcos exercitæ multa exempla. 297. 298

Altera pœnitentiarum minuendarum occaſio eſt omnium peccatorum indulgentia iter Hieroſolymitanum, &c. ſuſcipientibus. 523. 524. Moleſtiæ itineris, periculis expoſitio vitæ, &c. Moleſtiis pœnitentiæ canonicæ æquiparabantur. 523.2.524.1

Impii, & ſcelerati innumeri maluerunt potiùs hoc iter ſuſcipere, quàm pœnitentiam canonicam. 524.2.525.1

Tertia, & vera pœnitentiarum minuendarum cauſa explicatur. 525.2

Quæ fuit potiſſima cauſa ſeculo decimo tertio elevandæ pęnitentiæ canonicæ, propter quam hoc contingere neceſſarium fuit. 538. 1.2

Multis inſignibus exemplis demonſtratur, qualis fuerit pęnitentiæ canonicæ obſervatio toto ſeculo duodecimo. 534.535.536

Circa annum 1200. docebant, neminem arctari debere ad pœnitentiam canonicam propter peccata occulta. 341. 2

Medio ſeculo vulgata erat Doctorum, & Confeſſorum ſententia, pœnitentias eſſe arbitrarias, nec eſſe neceſſarium ad canonicas attendere. 540. 541. 1. Pontifices tamen de Pœnitentiis tunc interrogati reſpondebant pœnitentiis canonicis conformiter. 541.1. 2

Id, quod Doctores vulgabant circa annum 1250. pœnitentias eſſe arbitrarias, id tantùm intelligebant in criminibus occultis. 540. 2

Minutim explicatur, qua ratione pœnitentia canonica initio ſeculi decimi tertii exercebatur, proponebatur, urgebatur, ſed tamen ferè ad pœnitentis arbitrium temperabatur. 538.539

Vide cauſas, quas allegabant ſeculo 13.ne pœnitentias canonicas ſubirent. 539.2

Vix inveniebatur initio ſeculi 13. qui pœnitentias canonicas ſuſcipere vellet. 539.1. Tunc incipiebant prorsùs eſſe arbitrariæ ad Sacerdotis arbitrium mitigandæ. 539.1. 2

Pœnitentia publica extra feriam 4. Quadrag. dabatur, ſed in feria illa 4. pœnitens tenebatur Epiſcopo ſeſe repræſentare. 148.1

Pęnitentiæ publicæ ut à ſolemni diſtinguitur duę ſpecies à Scholaſt. poſitæ. 222

Quales fuerint pœnitentiæ tam publicæ, quàm privatæ ſeculo undecimo; earum auctoritas ſeveris ſeculis præcedentibus ſeverior, à Pontificibus tamen probatæ. 317.318.319.320

Pœnitentiæ publicæ impoſitio fit in Eccleſia, poſteà pœnitens eiicitur. 153.1

Aperitur occaſio Scholaſticis data ſolemnem pœnitentiam à publica diſtinguendi. 230. 1

Antiquiſſimi Scholaſtici pœnitentiam ſolemnem à publica non diſtinxerunt. 221.1.2. Qui primus hac diſtinctione uſus. ibid. 2. Diſtinctio ſolemnis à publica explicatur. ibid. & 222

Pœnitentiæ publicæ, & ſolemnes paulatim decreſcentes, tandem ineunte ſeculo 14. ferè penitus obſoleverunt. 222. 2

Nunc pœnitentia publica, de peccato publico vix, aut nunquam videtur, licèt id præceperit Concilium Trident. 311.1

Acta ſemel Pęnitentia jus ſecundæ non dabatur antiquitùs.

Unicam antiquitus trium ſcelerum pęnitentiam poſt baptiſmum agi in Oriente, & Occidente demonſtratur. 227.228

Quare pœnitentia tantùm ſemel concedebatur. 229.2

Quibus rationibus moti Patres ſecundam poſt baptiſmum pœnitentiam non concedebant. 236. 1

Tempore Origenis diſciplina unius pœnitentiæ obſervabatur, ſed remiſſior. 229. 2

Crimina poſt actam pœnitentiam iterata demonſtratur curata non fuiſſe, nec ſecunda pœnitentia publica, nec privata. 234

Poſt actam ſemel pœnitentiam crimen iteranti pœnitentia non concedebatur, ſed ad Deum, ut veniam impetraret, remittebatur. 236. 2

Qua ratione intelligenda quæcunque diximus de difficultate dandæ pœnitentiæ, aut de ejus negatione. 236.2

Variæ ſententiæ de remedio, quo curabantur crimina poſt actam de iis pœnitentiam iterata. 233.1. 2

Scholaſtici plerique docent crimina aliquando eſſe tam gravia, ut Deus aliquando auxilia illorum Reis ad converſionem neceſſaria ſubtrahat. 473.1.2

Plerique dicunt, peccatum ejuſmodi eſſe in Spiritum Sanctum. 471.2.472

Deus huic graviſſimo peccato auxilia negat ad pœnitendum neceſſaria. 471.2

Pœnitentiæ publicæ ſanis, vel ægrotis impoſitio non repetebatur. 495. 1

Apparentia eſt pœnitentiæ non pœnitentia ſæpè veniam petere eorum, quæ ſæpè peccavimus. 228.2

Poſt actam pœnitentiam tranſgredientibus interdicta tantùm Eccleſiaſtica, permiſit Siricius, ut in fine vitæ reconciliatio cum Euchariſtia tribueretur, & interim myſteriorum celebrationi intereſſe poſſent. 235.1. 2

Poſt annum 700. ſecunda pęnitentia publica conceſſa. 238.1

An iterum peccantes poſt actam pęnitentiam ſemipublicam, jus haberent alterius agendæ pęnitentiæ. 237. 2

Peccatorum variæ diſtinctiones explicantur.

Quæ peccata in Deum, & proximum ex S. Auguſtino. 54.55. peccata in proximum fiunt in Deum. 55. 1

Quæ Cypriano, & Tertulliano peccata in Deum, peccata in fratrem, peccata minora. 124. 2

Quæ S. Cypriano peccata in Deum, & in fratrem. Peccata graviſſima, & minora. 54

Peccatum ad mortem quomodo intelligendum. 184.2

Antiqui peccata in tres claſſes diſtinxerunt. 173.1.& ſeq.

Quæ peccata per antonomaſiam mortalia dicebāt antiqui. 175.2

Pęnitentiam non eſſe omnibus peccatis mortalibus impoſitam probatur. 177.2

Peccata, quę exteriùs non prodierant, pęnitentia non caſtigabantur. 181.1.2

Videtur Tertullianus pęnitentiam publicam internis, & ſpiritalibus peccatis imponere. 199.2

Varii modi expiationis peccatorū ex Patribus enarrantur. 358.1

De peccatis occultis acta Pœnitentia publica.

Quum in Latinorum Patrum ſcriptis urgentur peccatores ad pęnitentiam, publica intelligitur in qua pęnitens affligebatur, & macerabatur, nec ſola Euchariſtia privabatur. 125. 2. 126. 1.2. Eadem ratio Patrum Græcorum. 127.128

Quid ſit ſancto Cypriano, Concilio Eliberitano, aliiſque eo tempore Pęnitentiam agere. 124.2

Catechiſmus Tridentinus docet Pœnitentias publicas pro peccatis occultis antiquitus juſſas fuiſſe, non modò publicas pro peccatis publicis. 542.1

Plurimi Doctores Neoterici, & celebres enumerantur, qui docuerunt Pęnitentiam publicam de peccatis occultis antiquitus impoſitam fuiſſe. 189.190.191

Viri graves ajunt certorum criminum occultorum Confeſſionem olim juſſam. 189.1.2

Triplex genus Pęnitentiæ antiquitus obſervatum ex Cardinale Perronio refertur. 259.260

Tria tantùm antiquitùs peccata capitalia fuiſſe, quæ Pœnitentia luctuoſa curabantur: quæ illa, & quamobrem. 166.1.177

Peccata occulta publicè ſananda. 176.1. Peccatum fieri non poteſt tam occultè, ut in multorum cognitionem non veniat, licèt juridicè probare non poſſint. 182.2

Multa teſtimonia Patrum aſſerere videntur Pęnitentiæ publicæ actionem eluendis ſceleribus eſſe prorsùs neceſſarium. 185

Probatur tribus maximis ſceleribus alia eſſe addita, quæ etiā pęnitentia publica punita ſunt, qua ratione id factum. 180. 181

Capitalia peccata antiquitus non tantùm publica, ſed etiam ſecreta ſatisfactione curabantur. 175.1

Cap. 10. *Libri* 5. & multis ſequentibus ex antiquis Patribus, & canonibus demonſtratur de peccatis occultis ſolitam fieri pęnitentiam publicam. 194. & ſeq. multis.

Ex S. Cypriano probatur peccatis occultiſſimis Pęnitentiam publicam impoſitam. 201.202

Peccatorum occultorum Confeſſio multis ex S. Cypriano probatur. 55.2.56.1

Multis rationibus ex canonibus probatur, de occultis peccatis actam fuiſſe pœnitentiam. 193.1.2

Pœnitentiam publicam de peccatis occultis S. Auguſtini multis locis probatur. 193.2

Criminis occulti ſpecies ſingularis, de quo pęnitentia publica decernitur. 203.1

Pęnitentia de peccatis occultis publica novo argumento probatur. 215.216

Mul-

Multis rationibus ex praxi deductis probatur criminum occultorum Pęnitentiam publicè actam. 203. col.1
Leonis IX. reſponſum ſeveriſſimam approbans Pœnitentiam, licèt crimini occulto impoſitam. 319.1
Antiquiores Patres in imponenda Pęnitentia publica reſpexiſſe videntur ad legem Moſis punientem morte ea peccata, non ad leges civiles. 184.1.2
Quando cęptum eſt, definiri ea crimina eſſe punienda Pœnitentia publica, quæ morte juxta leges damnabantur. 183.1.2.184
Quibus remediis utebantur in eos, qui occultorum Pœnitentiam non agebant. 217.2
Potamii Bracarenſis Epiſcopi ſeipſum de crimine accuſantis, & à Concilio depoſiti hiſtoria refertur. 198.1.2
Hiſtoria Genebaldi Laudunenſis Epiſcopi propter crimen occultiſſimum multos annos ſuſpenſi, & ad Pœnitentiam omnibus cognitam redacti. 199
Cùm certis de cauſis crimini occulto imponi non poterat Pœnitentia publica, imponebatur privata. 221.1
Cum pœnæ publicæ etiam hodie criminibus occultiſſimis imponantur frequentiſſimè, unde eſt, quod pęna illa hoc tempore nunquam appareat. 225.2
Quare ex Pœnitentia publica crimen occultum non publicatur. 86.1
Inſignes Scholaſtici cenſent, pœnitentiam publicam de peccato occulto illud non revelare. 199
Quinque differentiæ enarrantur inter pœnitentiam publicam de peccato publico actam, & eam quæ de occulto. 205.206
Media quædam Pœnitentia inter publicam, & privatam quando uſurpari cępit. 203.1.2.204
Quæ Nectarius Patriarcha CP. in Pœnitentia abrogavit ad ſex capita reducuntur, & explicantur. 287.1.2
Multis teſtimoniis demonſtratur ab anno 700. diſtingui tantùm cœptum peccata publica ab occultis in cauſa Pœnitentiæ. 302. 303. frequentiſſima diſtinctio poſt illud tempus. ibid.
Theodorus Cantuarienſis primus in Occidentem intulit morem de peccatis occultis occultè tantùm pęnitendi. 304.2
Qua ratione de criminibus occultiſſimis agebatur à plurimis Pęnitentia publica, cùm iter Hieroſolymit. Pœnitentiæ canonicæ redimendæ cauſa ſuſcipiebatur. 525.2
Licèt de occultis peccatis Pœnitentiam agere ceſſatum eſſet, magnum tamen publicorum Pęnitentium numerum in Eccleſiis loco, & veſte conſpicuum in Eccleſiis fuiſſe. 305.306
Pœnitentia publica pro occulto crimine imponitur, ſed volenti ajunt propè omnes Scholaſtici, & Canoniſtæ. 189.1
Secundum peccatorum genus eodem modo antiquitus curatum eſt, quo ab annis 400. omnia peccata mortalia. 307.1.2.308. Mortalia illa peccata, ſed non graviora, confeſſa fuiſſe, & ad arbitrium Sacerdotis punita. 307. & ſeq.

Pœnitentia publica ſpontè ſuſcepta.

Qui Pęnitentiam publicam ſemel profeſſus erat, ſive ex peccato occulto, ſive ſpontè, eam perſequi Excomm. cogebatur. 283.2.284
Nonnulli ſpontaneæ Pœnitentiæ cauſa ſeſe in locis privatis incarcerabant. 205.1
Pœnitentia publica ſpontè ſuſcepta nullo edito crimine. 188.1
Pœnitentiæ publicæ utilitas demonſtratur ex conſuetudine illam ſpontè aſſumendi nullo crimine prævio, id præſertim colligitur ex moribundis, qui eam ſic aſſumebant. 186.2.187
Gaudentius Epiſcopus Pœnitentiam publicè ſuſcipit. 213.2
Gaudentius Epiſcopus ægrotus pœnitentiam publicam ſuſcipit nullo crimine confeſſo. 187.2

Libelli Pœnitentiales.

Quando Libelli pœnitentiales edi cœperunt, quantitatem, modumque Pœnitentiæ unicuique crimini indicentes. 145.2
Pœnitentialis à Theodoro conſcripti commoditas dedit illius, aut ſimilis uſurpandi occaſionem. 305.1
Libri Pœnitentiles accuratius explicant, quæ ad Pœnitentiam ſpectant, quàm Sacramentaria. 148.1
Pęnitentiales canonibus diſſimiles jubent Concilia Sacerdotibus eripi, & comburi. 342.2
Libellum conſcripſerat Cyprianus cum Concilio, in quo ſingulæ ſpecies debitis pęnis afficiebantur. 468.1
Diligentiſſima Cura providebant Epiſcopi, Synodi diœceſanæ, Concilia Provincialia, Viſitatores, ut unuſquiſque Sacerdos probatum Pęnitentialem haberet, ſecundùm cujus præſcripta Pœnitentiam imponeret. 275.276
In nonnullos vulgares pœnitentiales propter nimiam indulgentiam acerrimè invehitur S. Damianus. 318. col. 1.
Antiquiſſimi pœnitentiales libelli nullam aliam Abſolutionem nobis repræſentant quàm deprecatoriam. 372.373. & ſeq. pęnitentiales libelli recentiores inter plurimas formulas deprecatorias aliquando unam interiiciunt, modò indicativam, modò partim indicativam partim deprecatoriam. 372.2.373.2. 375.1
Sæpè contingit mutato ritu, verba tamen, & ordinem ceremoniæ permanere, licèt verbis res amplius non ſubſit. Id multis exemplis docetur. 423.2

Sacerdotum auctoritas. Vide Epiſcopi.

Qua ratione intelligendum ſit, nonnullas pęnitentias Sacerdotum arbitrio committi. 342.1.2
Poteſtatem ſuam exercere debent Sacerdotes ſecundum canones, & leges ab Eccleſia ſibi impoſitas. Multis Patrum teſtimoniis id demonſtratur. 8.9
Sacerdotes non tantùm Judices, ſed etiam Medicos eſſe multis Patrum teſtimoniis aſſeritur. 8.2
Sacerdotes non tantùm abſolvere, ſed etiam punire poſſunt, & debent, ideò ex iſta poteſtate colligitur confitendi obligatio. 8.1
In Græcia nullis Presbyteris, aut Monachis licèt Confeſſiones audire ſine expreſſa Epiſcopi deputatione. 482.1.2
Quando, & qua occaſione ſimplicibus Clericis, & Laicis delata eſt Eccleſiaſtica auctoritas, etiam in Sacerdotes. 8.1.2
Presbyteris nunquam licuit pœnitentes publicè reconciliare, niſi maxima, & ultima urgeret neceſſitas. Nec pęnitentes publicos injuſſu Epiſcopi, aut eadem urgente neceſſitate 210.1.2. Immò hoc erat Chorepiſcopis prohibitum. ibid. Idem in Oriente obſervatum, ſed non cum tanto rigore. ibid. In Occidente circa annum 800. pęnitentium reconciliatio facilè, & ordinariè Primario alicui Presbytero commiſſa eſt. 482.2

Peregrinatio in Pœnitentiam impoſita.

Peregrinatio ſæpè in pęnitentiam injungitur. 214.215. Nonnunquam propter abuſum culpatur. 214.2
Poſt an. 700. frequens fuit, peregrinationem in pęnitentiam imponere. 327.1. Abuſus iſtius pęnitentiæ reprehenditur, & ideò eam multi prohibuerunt. 327.1.2. mutata eſt in peregrinationem ſanctam. 327.1.2
Frequentiſſimum fuiſſe poſt ſeculum ſeptimum Romam proficiſci pęnitentiæ à Papa obtinendæ cauſa multis, & inſignibus exemplis docetur, Pontificumque teſtimoniis. 329.330.331
Sæpius Romam itum eſt ad ſuſcipiendam, & minuendam pęnitentiam. 320.1.321
Peregrinatio, Romam, Turonum, S. Jacobum in pęnitentiam impoſita. 319.1
Cùm in Concilio Later. III. caſus reſervatur Pontifici, hoc eſt, ipſi Pontifici, ad quem neceſſe erat proficiſci. 330.2.331.1
Qualiter ſe gerere debent Epiſcopi erga Pontificem, & Pontifex erga Epiſcopos, cùm Romam euntibus pęnitentiam imponit. 330.1
Reges Francorum Robertus, & Philippus I. ad Pontificem ipſiſſimi iverunt pęnitentiæ obtinendæ cauſa. 330.1
Concilia quædam Anglicana, quæ peregrinationem in pęnitentiam ſtatuunt, & Provinciæ interdictum, multo eſſe recentiora quàm præ ſe ferant. 331
Ex Conciliis Anglicanis conſtat, peregrinationem poſt ſeculum 7. in pęnit. impoſitam. 332.1

Varia de Pœnitentiis.

Nonnullæ Eccleſiæ graviſſimis criminibus veniam non dabant, ſed pręcipuæ Latinæ, & Gręcæ omnes hoc non obſervarũt. 459
Pęnitentiæ impoſitio ſecundum Patres non exigit neceſſariò Abſolutionem, ſed pęnitentiæ actio. 494.1
Peccatis mortalibus non gravioribus pęnitentiam imponebant Montani, & Novatiani. 242
Qui ſit fructus pęnitentiæ impoſitione, ſecluſa Abſolutione. 494.1.2.495.1
Pęnitentes in Eccleſiæ ſiniſtra parte ſtabant. 146.2
In Liturgia S. Jacobi, & Liturgia Abyſſinorum fit etiam nunc mentio dimiſſionis pęnitentium. 288.2.289
Pęnitentia per accidens delet peccata ante baptiſmum commiſſa. 450.1.2. Ita baptiſmus peccata poſt ipſum commiſſa. ibid.
Patres Latinos, Græcos multos Baptiſmi cum pęnitentia comparatio-

Digitized by Google

rationem inſtituiſſe in æqua utriuſque moribundis præſtatione.500.col.2.501.503. Quare Eliberitani Patres in eadem cauſa Catechumenis non conjungunt pęnitentes, ſed fideles. 502
Aliquando Innocens conjunx propter nocentem ſimul cum eo punitus eſt. 217.1.2
Præpoſitivi de præparatione ad Abſolutionem ſententia. 33.1.2

De peccatis, & Pænitentia ſecundùm Judæos.

Variæ peccatorum diſtinctiones apud Judæos celebres enarrantur. 166.1.2.167.168.169
Quæ peccata Judæis abſolutè dicuntur gravia, quæ levia. 166.2
Quæ apud Judęos dicuntur peccata in Deum, quæ in proximum. 89.2.90.1.93.1
Gravitas ejuſdem peccati multò fit major ratione perſonæ offendentis, vel offenſæ. Id Rabb. multis docent. 98.1
Tria ſcelera, Idololatria, ſcortatio, & ſanguinis effuſio præ cęteris maxima apud Judæos: his tribus calumnia comparatur. 179.1.2.180. Calumnia tres occidit. 179.1.180
Odium gratis conceptum dicunt Judæi æquiparari Idololatriæ, Mœchiæ, & homicidio. 179
Reſipiſcere Judæi proprio verbo exprimunt. 4
Hebræis pænitentia quare reverſio dicta. 4
Variæ laudes à Talmudicis pęnitentiæ tributæ enarrantur. 42.43. Aliæ laudes Pęnitentiæ ab Eliezere datæ. 442. aliæ Pœnitentiæ laudes, ſive effectus. 44.45
Pęnitentiæ virtus egregiè à Rabb. illuſtratur allegorica explicatione verſus ſcript. Eccleſiaſtæ, 9. civitas parva, & pauci in ea viri, &c. 44.1.2
Pęnitentiàm Rabbini vocant mundi fundamentum, ante mundum dicunt eam creatam. 45.1.2
Rabbini Pęnitentiam vocant Iſraelis lavacrum. 45
Judæorum celebre dictum templo diruto, in Pęnitentia ſolam ſupereſſe hoſtiam. 36.1.2.37
Pęnitentia, & opera bona Clypeus vindictæ oppoſitus. 38.1
Quum homines, ajunt Talmudici, à Deo judicantur, ſoli ſunt illis Advocati, pęnitentia, & opera bona. 44.2. hic unus teſtis. 999. teſtibus prævalet. 44.2
Judæorum axioma, actiones noſtras amoris divini cauſa eſſe faciendas, & præ cęteris pęnitentiam. 40.1
Qui pœnitentiam fecerunt, dicuntur dilecti: David dictus princeps excellens poſt actam pęnitentiam. 45.1
Quibus verbis, & exemplis Rabbini deſcribunt Pęnitentiam perfectam. 34б.36
Qualiter agenda, Pęnitentiam, & quibus conditionibus docent Rabb. debet conteri, mutare veſtimenta, è loco ſuo migrare, Eleemoſ. dare, &c. 38
Septem veræ Pœnitentiæ conditiones à Judæis poſitæ. 92.1.93
Septem motiva è Rabbinis enumerantur, quibus homo ad agendam perfectè pęnitentiam inducitur. 36.2.37.1
Vide adminicula quædam à Rabbinis enarrata, ut Pęnitentia rectè agatur. 38.2
Agentem pęnitentiam ab occaſionibus mali debet plurimùm ſecedere, mutare nomen, aliumque in locum ſecedere, dicunt omnes Judæi. 92.1. & in locum ignotum peregrinari. 93.1
Enumerant Judæi 24. ſpecies peccatorum, quæ homines impediunt, ne pęnitentiam agant. 167.2.168.1. Vide infrà, *timor*.
Ajunt Judæi Pænitentiam in fine vitæ valere: ideò morientem, ut peccata confiteatur, urgere ſolent. 37.1
Cùm Achab pęnitentiam ageret, illi quadraginta plagas quotidie infligebat Joſaphat. 44.1
Sibi mutuo confeſſis Judæi 39. ictuum flagellationem infligunt. 491.1. Id facit tota Synagoga, ut ſeſe ad Deum convertat, & peccata ſua expiet. 491
Cùm dicunt Judæi Pænitentiam primis decem Tiſri diebus eſſe Deo gratiſſimam, hoc de Privatis intelligunt. Nam Synagogæ Pænitentiam ſemper volunt eſſe Deo gratam. 484.1.2.485.2
Pænitentiam docent Judæi Deo gratiſſimam eſſe potiſſimùm in die Tiſri, & decem præcedentibus. 483.1
Qua ratione ſecundùm Judæos placandus proximus offenſus. 90.1.2.91.1
Quid faciendum ſecundùm Judæos, ſi proximus, quem offendiſti, mortuus eſt, antequam ipſum placaveris. 90.1.2.91.92.2.93.2.96.1.97.1.2
Duplices apud Judæos Proſelyti, Proſelyti inquilini, & Proſelyti Juſtitiæ. 49.1
Proſelytus circumciſus, & baptizatus ad Idololatriam rediens, eſt Apoſtata, & punitur ut Judæus. 49.2

Q

Quadrageſima tempore S. Gregorii incipiebat à feria 2. poſt Dominicam 1. 334.2. Idem in Hiſpania, & Gallia eo tempore obſervatum. 335.1
Quadrageſimæ quatuor. 341.1
Quadrageſimalis abſtinentia ſemper fuit alia ſeverior. 336.1.2. & ſeq.
Tempore Quadrag. exigendis pęnitentiis canonicis præficiebantur Archipresbyteri, &c. 333.2
Quadrageſimæ minores erant 40. dierum. 324.1. aliquando dierum viginti, quindecim. 324.2
Origo trium Quadrageſimarum, & trium feriarum legitimarum à Græcis repetenda. Ab iis in Europam quomodo fluxit. 324.1.2
Pęnitentiam multò duriùs in Quadrageſima exercitam fuiſſe, quàm reliquo anni tempore, & primis ſtadii pœnitentialis annis quàm reliquis. 332.2.333.334
Trium Quadrageſimarum, quæ jejunare oporteat ante an. 700. nulla mentio. 323.2.324.1
Sæpè tres Quadrageſimæ jejunandæ imponebantur. 336.2
Seculo decimo tertio quatuor Quadrageſimæ adhuc jejunandæ proponebantur. 538.2. & feriæ legitimæ. 539.2
Includebantur pęnitentes in Quadrageſima ad ſeveriùs agendam Pęnitentiam. 333.1. Prohibebantur ea de cauſa de loco in locum vagari. ibid.
Incluſionis pœnitentium tempore Quadrageſimæ, quæ fuit origo, & occaſio. 333.2
Non licebat placita tenere feria 4. Quadrag. eo quòd pęnitentes omnes tum ad manuum impoſitionem concurrunt. 146.2
Extra initium Quadrageſimæ Pęnitentia publica imponebatur, ſed initio Quadrageſimæ cum aliis comparere publicè tenebantur. 335.1.2
Qualitatem aliquam ſtabilem in anima per Sacramentum ingenerari Patres credidiſſe. 506.2

R

Antiquiſſima pęnitentiarum relaxandarum occaſio eſt eorum redemptio. 518.1
Prima mentio Pęnitentialis Redemptionis poſt an.700. cœpit. Primus eam in Angliam invexit Theodorus paulò ante ann. 700. Hinc in aliis Occidentis partes pullulavit. 520
Redemptionum pęnitentialium ratio videtur è Pęnitentiali Theodori, & Romano aſſum. 520.2
In Italia, Gallia, Germania frequens non fuit, niſi finiente ſeculo nono. 520.1.2
Redemptionum pęnitentialium, & earum progreſſus deſcriptio. 518.1.2
Pœnitentias non licebit pro arbitrio redimere, ſed ſecundùm illius temporis canones, deinde vix licebat primis Pęnitentiæ annis illas redimere, &c. 519.1.2.520
Non ſemper licebat jejunia impoſita redimere, hujus rei dabatur regula. 537.2
Redemptionibus pecuniariis gravabantur pauperes, crimina in divitibus non puniebantur, multæ aliæ occaſiones referuntur deſuetudinis Pęnitentiæ canonicæ inde promanantis. 523.2
Anno 747. in Concilio Univerſali Angliæ varii abuſus iſtarum Redemptionum reprimuntur. 520.1.2.521
Euntium Pęnitentiæ cauſa Romam abuſus ab Epiſcopis ſæpè moderatus, & correctus. 329.2
Ex antiquo manuſcripto deſcribitur integra Pœnitentiarum redemptio. 518.2.519
Redemptionibus illis exoleſcendis plurimùm faverunt alterius generis relaxationes faciles, & frequentes. 521.1.2.522.1
Redemptiones pęnitentiales deſierunt cum pęnitentiis canonicis, finiente ſeculo 12. & ineunte 13. erat aliquis earum uſus, ſed Confeſſorum arbitrio planè ſuppoſitus, ut ex auctoribus illius ſeculi colligitur. 520.2.521
Seculo 13. jam progreſſo cùm pęnitentias canonicas reſpuebant, redimebant eas, & compenſabant. 539.1.2
Quando cępit tertia relaxationis Pęnitentiarum occaſio. 527.1.2
Nonnulli Doctores, cùm primùm uſurpata eſt iſta relaxationis ſpecies, eam cum duris conditionibus receperunt. Alii varias in illius executione difficultates excitaverant. 526.1. 527.1. Lucrum temporale Eccleſiarum huic relaxationi promovendæ multum favit. 527.1
Publici peccatores, qui ad pœnitentiam Excommunicatione cogi non poterant, ad eam implorata regum auctoritate cogebantur. Reges ab Epiſcopis de hoc rogantur, libenterque auxi-

auxilium pollicentur. 308. 309

Non impediebat Rex, ne fugitiv[u]m ex alterius regno in ſuum ab Epiſcopo proprio ad pœniter[t]iam cogeretur. 309.1.2

Epiſcopi Reges rogant, ut pœ[n]is ſpiritualibus addant temporales, mulctas pecuniarias ſcilicet ſupra pęnitentiam. 309.2

Data eſt Epiſcopis à Regibus poteſtas aliquando præter publicam pęnitentiam Laicos corporaliter caſtigare. 310.1.2.311

Roberti Pulli Cardinal. explicatur ſententia de præparatione ad Abſolutionem. 31.32.emollitur. 32.2.33

Pœnitentiæ ſtationes.

Quatuor hominũ genera ad hanc ſtationem relegata. 280.2. 281

Qua ratione unaquæque peccatorum claſſis curabatur. 173. 2. peccatis graviſſimis paulatim additio facta eſt. ibid.

Quatuor purgationum gradus à Platonicis memorati explicantur. 248 1.2

Varii auctores antiqui referuntur, qui dicunt Ethnicos pleraque Theologiæ ſuæ myſteria à Judæis, & Chriſtianis hauſiſſe. 288.2

Brevis hypotypoſis actionum, quæ fieri ſolebant in ſynaxi Chriſtiana. 267.1.2

Deſcripsio Synaxis antiquæ, & ordinis uniuſcujuſque in ea. 83

Tribus tantum pęnarum generibus uſa eſt Eccleſia ad Novatum uſque, quales illæ fuerunt, & quæ earum nomina. 120. 121. 132. 123. & ſeq.

Stationes omnes Pęnitentiæ generaliter explicãtur. 246.247. 248

Stationum pęnitentialium ante Novatum nulla mentio. 119.2

Non erat, neceſſe Reum ad ſuperiorem ſtationem evehi per mediam, nec etiam licèt crimen mereretur ad infimam deprimi: utrumque pro Rei Contritione remittere poterat Epiſcopus. 282. 1. 2

Poſt Novati hæreſim ars quædam curandorum graviorum peccatorum inventa eſt, & obſervata, in quo potiſſimùm conſiſtebat, explicatur. 246. 2

Fletus non erat primùm ſtatio Pœnitentiæ, ſed locus extra portam Eccleſiæ, in quo ſtabant Pęnitentes actionem pęnitentiæ efflagitantes. 143.2

Quandiu in fletu pęnitentes. 251.1.2

Quæ religionis myſteria in fletu exercebantur, quæ non. 250.1.2

Fletus ſtatio uſitata Græcis, Latinis rarior. 251.1

Nec in fletu, nec in Auditione opera laborioſa imponebantur. 255.1.2. Licèt ſponte facta laudarentur. 255.2

Habitus lugubris in fletu geſtati deſcriptio. 250.2

Ubi collocabatur fletus prima pęnitentiæ ſtatio. 249. 1. Varia teſtimonia, quæ illius mentionem faciunt, referuntur. 249.1.2

Auditio poſt Novatum in pęnitentiæ ſtationem erecta eſt. 253.2. 254. 1

Alii erant antiquitus Audientes Gręcis, aliis Latinis. 123.1

Auditio Latinis, atque etiam res ſignificata raró fuit in uſu. 253. 1.2. 254.2

Quibus myſteriis imbuebantur in Auditione, quibus non. 252.2. 253

Sex hominum genera Auditio continebat, quorum unum tantum erat pęnitentium. 253.1.2. quòd ibi ex pręcepto ſtabat. 253. 2. Quare ſex illis generibus Auditio permittebatur. 253.2

Flentibus, & Audientibus manus ſemel imponitur, in actu ſcilicet impoſitionis pęnitentiæ, ſed in fletu, & Auditione manus non imponitur. 254.2. 255.2

Auditio poſt annum 700. vice fungebatur antiquæ Conſiſtentię, 313. 1

Unde ὑπόπτωσις, ſubſtratio dicta. Varia nomina à Gręcis, & Latinis ei data referuntur, & explicantur. 255.1.2.256.1

Pęnitentia abſolutè pro ſubſtratione poſita. 264. 1

Qui locus ſubſtrationis in Eccleſia. 257.1

Subſtratio quatuor hominum genera complectebatur. 257.2

In ſubſtratione potiſſimùm expiabantur pęnitentes, orationibus Eccleſiæ, manuum impoſitione, & laborioſorum operum injunctione. 256.1.2

Quo tempore, & loco Synaxis manibus imponebantur, & orationes fiebant pro pęnitentibus. 261.262.263

Labores maximi in Subſtratione privatim tolerandi deſcribuntur, & Patrum auctoritate demonſtrantur. 265.266.267

Omnia laborioſa opera in ſubſtratione imperabantur. Statio iſta propriè erat pęnitentialis. 265.1

Quę pœnitentibus ſubſtratis pœnę conveniunt, qua ratione, quibus, & quando Conſiſtentibus conveniant. 281.1.2

Pœnitentium dimiſſionis in Synaxi Gręca mentio fiebat ſeculo ſexto. 287.2

Quarta pœnitentię ſtatio Gręcis σύστασις Conſiſtentia dicitur. 279.1.2. Variis periphraſibus à Patribus enunciantur. 279. 2. Illius definitio ex periphraſibus facilè colligitur. 279.2.280.1

Quare quarti gradus apud Cyprianum nulla mentio. 125.1.

Conſiſtentes jure oblationis carebant. 279. 2. 281. 2. eo carent Hæretici, Pęnitentes, &c.

Rei, qui pro Sacerdotis arbitrio puniebantur, ad hanc claſſem relegabantur. 181.1. Rei quoque criminum, quæ Subſtrationem merebantur, ſed periculum erat revelationis ſi ad eam mitterentur. 281. 1

Multis diſtinctiooibus explicatur, qua ratione, & quando unicuique hominum generi in Conſiſtentia verſantium Abſolutio à peccatis concedebatur. 286.1.287.1

Explicatur, in quo conſiſtit ea Cenſura, qua quis tantùm abſtinetur. 124.1

Stationis Conſiſtentiæ ubi locus in Eccleſia. 181.2

Poſt Novati hæreſim Penitentes ægroti in morbo reconciliati ad eandem Pęnitentiæ claſſem remiſſi ſunt, alii mitiùs agentes ad Conſiſtentiam eos relegabant. 514.1.515.1

Poſt acceptam in morbo Communionem convaleſcens tempore S.Cypriani non remittebatur ad pænitentiam. 36.1

Poſt ann. 700. pęnitentes diù ante fores Eccleſiæ orabant, ſed in angulo reſidebant, poſteà cum fidelibus conſiſtebant, tandemque communicabant vide hæc fusè. 311.312. & quæ in iis variant.

S

De Sacramentis eorum materia, forma, effectu, & ornatu.

Phraſis, ſtylus Sacramentariorum in eis, quæ ſunt potiſſima, ſapiunt omninò tempora, quæ Conſtantinum præceſſerunt, aut immediatè ſecuta ſunt. 476.1.2

Sæpè canones remittunt ad Pęnitentiæ impoſitionem, & reconciliationem dandam ad Sacramentaria. 476.1.2

De ratione Sacramentorum judicandum ex traditione, non ex ratione noſtra. 397.1

De Sacramentorum efficientia innumeræ propè Scholaſticorum ſententiæ. 350.1

Multi Doctores antiqui, & recentiores aſſeruerunt nonnullorum Sacramentorum materias, & formas in individuo ab Eccleſiæ definitione pendere. 389.390. de hoc largiſſimè cenſent Canoniſtæ, & Alexãder Halenſis, S. quoq; Bonaventura. 389.2

Multi Scholaſtici aſſerunt non eſſe neceſſarium formæ Sacrament. pęnitentiæ, ut verbo ore pro lato concedatur, ſufficere ſcripto, nutu, vel alio ſigno externo. 410.1.2

Si antiquiſſimos Latinorum, & Græcorum mores attendamus, & antiquiſſimos rituum codices, materiæ, & formæ Sacram. apud Græcos, & Latinos non differunt. 390. Objectionibus contra hanc ſententiam ſatisfit. 391. 1

Verba materiæ, & formæ in cauſa Sacramentorum Græcis incognita. 292.1.2

Antiquiſſimi Scholaſtici definiebant, quæ ſunt indicativa in forma baptiſmi non eſſe ſubſtantialia, ſed ſolam Trinitatis invocationem. 388.1.2. Aliter edixit Alexander III. 388. 2

Materiæ Sacramentorum duplices, Phyſicæ, & Morales. Phyſica non eſt Eccleſiæ ſubdita, ſed moralis. 410. 2

Omnes enuntiationes, quibus Sacramenta conficiuntur ſunt deprecatoriæ. 404.1. 405.1

Doctrina de ornatu Sacramentario ducentis annis magni facta, tandem eſt à Scholaſticis ſpreta, & deſerta. 351.1

Ratio ornatus Scholaſtici ponendi. 350. 1. Variæ de ornatu Sacramentario quæſtiones enarrantur. 350.2

In cauſa Sacramentorum ratio materiæ, & formæ non eſt nimium urgenda, quia in eorum nonnullis materiæ, & formæ ſunt tantum analogicæ, & Metaphyſicæ. quæ in rebus moralibus, atq; etiam immaterialibus animo formari poſſunt. 508.2

Formæ morales non operantur ſtatim, & indivulsè, ut Phyſicæ, ſed ex intentione agentis. 481.2

Quare dubius eventus eorum, quæ oratione poſtulantur non impediat certitudinem effectus Sacramentalis. 396.1.2

Antiquos Patres in Sacramentorum adminiſtratione non eſſe uſos conditione, & illius rei rationem reddidiſſe, quæ conditionis neceſſitatem tollit. 510.1.2.511

Quando primùm cœpit in Scholis diſputari, an eſſet conditio adminiſtrationi Sacramenti in dubio apponenda. 511.1.2. Exemplum iſtius conditionis antiquiſſimum refertur. 511. 2

Qui dicuntur propriè Lapſi, iidem & ſacrificati. Qui libellatici. 468.1. Lapſorum ſive ſacrificatorum variæ ſpecies. 468.1

Sententiæ Judicum.

Sententiæ judiciales ex æquo ſunt aptæ, ut agant in abſentes, & præ-

præſentes. 411.1. Sed Princeps earum effectum reſtringere poteſt, ita ut niſi hoc modo ferantur, ſint nullæ: ita & Pontifex. 411.1.2

Imperatores, Senatus, Conſules modeſtè admodum ſententias ſuas pronuntiabant, raròimperativè, aut indicativi prima perſona, niſi adjecta aliqua particula eas emollirent. 399. 2. 400. 1

Maxima differentia explicatur inter delegatos Judices à Deo, & à Cæſare. Hinc illi ſententiam proferre poſſunt deprecativè, hi nequaquam. 397.1

Sententia Judicum eſt tantùm Innocentiæ declarativa, ſed Sacerdotum juſtitiæ effectiva. Ideò Judices ridiculè ſententiam deprecativè pronuntiarent. 399.2

Judices inferiores nomen Principis Judicantes aſſumere non poſſunt, & ſententiam ſuam quaſi princeps loqueretur, pronuntiare. 397.2. Sed id poſſunt, & faciunt ſupremi. ibid.

Judex ad ſemper abſolvendum obligatus, deridiculus eſt, & ſimia purpurata. 9.1

Satisfactiones.

Sancti Patres cenſent, ſatisfactiones pęnitentiales Deo ſatisfacere, veniam impetrare, culpam, & ignes æternos extinguere. 115. 116

Satisfactiones ab Eccleſia impoſitas, ac graviter actas non modò pœnam temporariam, ſed etiam æternam expungere, culpam purgare, veniam peccatorum impetrare, multi Doctores neoterici ſcripſere. 112.1.113

Pœnitentias, ſive ſatisfactiones publicas plurimi Scholaſtici docent eſſe Sacramentales, & 19. 2

Quidam Scholaſtici dixerunt pœnitentiam publicam non eſſe Sacramentalem. 19.1.2

Quomodo Judæi doceant eſſe pro peccatis ſatisfaciendum. 39.1

T

Theſaurus Eccleſiæ, &c.

Qui primi auctorum Catholicorum docuerunt, theſaurum Eccleſiæ ex meritis Chriſti, & Sanctorum compenſationem eſſe pęnarum per Indulgentiam remiſſarum. 188.2.189.1

S. Thomas de theſauro Eccleſiæ omnium pręcedentium Scholaſticorum magnificentiſſimè locutus eſt, & alias rationes valoris Indulgentiarum ab aliis datas neglexit. 530.1. Franciſcus Mayro Scholaſticorum ſolus huic Eccleſiæ Theſauro ſeſe opponit. 530. 1

Quid ſit Tregua, ſive Trevia Dei. 320.321.1

Quid apud Gręcos Triſagion, & hymnus Cherubicus, ſive *ἐπινίκιος*. Poſterior Latinis, & Gręcis quotidianus, prior Gręcis quotidianus, Latinis quotãnis ſemel tantùm cantatur. 264.2

Quinque traditionum genera apud Judęos. 13.1

Timor, & amor. Vide ſupra de Pœnitentia ſecundùm Judæos.

Duplici timore pęnitentiam concipi poſſe, ait R. Albo. Ex uno concepta inutilis, ex alio utilis, & tandem Deo juvante perfici poteſt, & vitam ęternam mereri. 41.1.2

In operibus agendis ajunt Rabbini timorem Dei cum ipſius amore conjungendum. 41.2.42. Tres timoris ſpecies ponunt, quarum una, inutilis; ſecunda, animalis: Tertia hominum, & utiliſſima. 42.1. 2

Qui colit Deum ex amore promptus eſt ad faciendum præcepta affirmantia. Qui ex timore à pręceptis negantibus abſtinet. 42. 1. 2

V

Venialia peccata.

Quatuor modi explicantur, quibus peccata venialia explicantur. 243. 244. & ſeq.

Quartus modus peccata venialia delendi S. Auguſtino probatus explicatur. 244.1. 245

Montaniſtæ peccata venialia, & gravia confitebantur, de iis pænitentiam agebant, & ea remittebant, ſed graviſſima non remittebant, licèt iis confeſſis Pęnitentiam agerent. 52.1. 53. Idem de Novatianis judicium. 53

Levia peccata, quo aſperius curantur, eo ſanctior evadit anima. 242. 1. 2. 243

Beda primus diſertè dixit peccata venialia mutua æqualibus Confeſſione remitti. 244. 2

Quid Veregildus ſignificet. 309.1

Viaticum.

Quid reconciliatoria manus impoſitio. Quid manus impoſitio non reconciliatoria. Quid congruens viaticum. 285. 2. Quid Sacramentorum viaticum, & abſolutiſſima Communio. 485. 2. Vide alia utriuſque Abſolutionis epitheta. 486.1

Viſitatio Epiſcoporum.

In viſitationibus Epiſcoporum ſeptem cives eligebantur, qui jure jurando adſtringebantur revelare Epiſcopo omnia crimina in parœcia committi ſolita. 307.1. 2. Id autem ut peccata non eſſent inulta, ſed iis pænitentia imponeretur. 307.2

Diligenti cura invigilabant Epiſcopi, ut pænitentes privatim exequerentur, quæ privatim erant illis impoſitæ Pænitentiæ. 276.277. In Oriente ideò Pænitentibus prępoſiti ſunt certi Presbyteri, in Occidente Diaconi, necnon Archipresbyteri. 278.1. 2. 279

Unctio Sacramentalis. Vide Confirmatio.

Antiquitus in ungendo dicebatur tantùm in nomine Patris, &c. Vel ſignum Chriſti in vitam æternam. Poſteà variis modis hoc enuntiatum. 385.1.2. Iſtius additionis occaſio. ibid.

Multi Doctores Scholaſtici formam unctionis aſſerunt eſſe poſſe deprecativam. 387.1. monſtratur ex variis antiquis Ritualibus editis, & non editis. 387.1.2.388

Regi Vambæ morienti, & non ſentienti pœnitentia publica Amicorum rogatu imponitur. 18.19

Vamba Rex pœnitentiam publicè ſuſcipit. 213.1.2

CODICUM MANUSCRIPTORUM,

POENITENTIALIUM,

SACRAMENTARIORUM,

Pontificalium, Divinorum Officiorum, Collectionum Canonicarum, & ejuſmodi librorum, qui diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectant, interiorem, & exteriorem, nondum editorum;

E QUIBUS

TESTIMONIA OPERE

PRÆCEDENTE PROMUNTUR,

Deſcriptio, & enarratio.

Quorum nonnulli hic integrè, de cæteris verò excerpta Pœnitentiæ tam privatæ quàm publicæ illuſtrandæ conducentia, nunc primùm evulgantur.

Digitized by Google

Digitized by Google

P R Æ F A T I O,

In qua

L I B E L L O R U M
P OE N I T E N T I A L I U M

Antiquitas, & varietas demonſtrantur: eorum, qui nunc extant, enumeratio inſtituitur: qua occaſione ſeculo ſeptimo eorum formula mutata eſt, & novi conditi ſunt.

EXplicito σὺν Θεῷ, & conſummato opere noſtro, id quod poſtremum, velut ſummum totius operis faſtigium, polliciti ſumus, nunc nobi præſtandum eſt, & fides noſtra liberanda. Polliciti eramus variorum libellorum pęnitentialium, Latinorum, Græcorum, & Hebræorum editionem. Hoc nunc exequimur. In pęnitentiales libellos multa præfari non eſt neceſſe, cùm ea, quæ in Præfatione dici poſſent, ſatis ſuperque explicata fuerint libro ſexto operis noſtri, toto capite decimo quinto. His igitur ſubſtratis, velut fundamento dicendorum à lectore cognito, ab ipſa libellorum Pęnitentialium appendice exordiemur. Sub pęnitentialium Latinorum nomine ſæpe tria complexi ſumus. Pęnitentiales ipſos ſic propriè dictos, qui ſcilicet pęnas explicant unicuique crimini canonicè infligendas: deinde nonnulla ex antiquis Sacramentariis, ſive Pontificalibus excerptæ, quæ pęnitentiæ publicæ, & privatæ, ſed potiſſimum publicæ, impoſitionem, & Pęnitentium reconciliationem ſpectant. Denique eadem ex Ordinibus divinorum officiorum ſimiliter excerpta. Quodnam ſit inter iſta diſcrimen, & unde naſcatur, facilè ex utriuſque lectione colligetur. Id præterea ſusè explicavimus, *libr. 7. cap. ultimo*, *& libr. 4. cap. 18. ſect.* 8. Sed præſertim, *lib. 7. cap. 1. ſect. 15. & ſequentibus*. Quapropter iſtius rei explicatione ſuperſedemus.

Libellorum Pęnitentialium uſus eſt antiquiſſimus: Ab ipſis prope Eccleſiæ incunabulis exordium ſumpſit. Naſcente quidem Eccleſia plebs chriſtiana, ut Cajus Juriſconſult. *ff. de origine juris* ſcribit de populo Romano, ſine lege certa, ſine jure certo primùm agebat, omniaque manu ab Apoſtolis gubernabantur. Aucta demum Eccleſia, multiplicatiſque eodem tempore criminibus, neceſſe quoque fuit iis pęnas imponere, earumque infligendarum modum præſcribere, ne Magiſtratus Eccleſiaſtici humano more iniquis affectibus rapti; aut errore, nimiaque clementia ſeducti, in criminum Reos iniquè ferrentur. Sæpius hac de re verba facit S. Clemens Romanus, ſed præſertim, *libr.* 2. Conſtitutionum Apoſtolicarum: Canones Apoſtolici magna ex parte pęnitentialis libelli rationem habent. Sic & ferè integrum Concilium Eliberitanum, quod mea quidem ſententia ante S. Cyprianum celebratum eſt. Antiquum hunc morem pęnitentialis edendi nos egregiè docet S. Cyprianus *Epiſt.* 52.
“ Perſecutione ſopita, cum data eſſet facultas in unum
“ conveniendi &c. convenimus, & ſcripturis diù ex utraque
“ parte prolatis, temperamentum ſalubri moderatione li-
“ bravimus, ut nec in totum ſpes communicationis, & pa-
“ cis Lapſis denegaretur, &c. nec tamen rurſus cenſura
“ Evangelica ſolveretur, ut ad communicationem temerè
“ proſilirent, ſed traheretur diù Pœnitentia, &c. & exami-
“ narentur cauſæ, & voluntates, & neceſſitates ſingulorum,
“ & ſecundùm quod libello continetur, quem ad re per-
“ veniſſe confido, ubi ſingula peccatorum capita conſcripta
“ ſunt. Libellus in quo pœnæ ſingulis peccatis juxta uniuſcujuſque circumſtantias præſcriptæ, & aſſignatæ erant, eſt propriè pœnitentialis. Hic liber S. Cypriani, & Concilii ſui non extat ampliùs.

Sed planè ſimiles feruntur apud Græcos Concilii Ancyrani canones; Petri quoque Alexandrini Patriarchæ, Gregorii Thaumaturgi, & Gregorii Nyſſeni, & omnium ampliſſimus, S Baſilii Epiſtolæ quædam ad Amphilochium. In eos omnes commentarios fecit Balſamon, qui cum ipſius operibus editi ſunt. Ante autem canones iſtos, qui ita ſcripti ſunt, ut pœnitentialis vice aliquo modo fungi poſſent, alii celebres erant, ut ex Concilio Ancyrano ſæpius diſertiſſimè colligitur, V. g. ex *can.* 19. Quicunque virginitatem profitentes profeſſionem “
ſuam irritam reddunt, ii Bigamorum definitionem impleant. “
Manifeſtum eſt. Patres pro cognitione pœnæ huic peccato de- “
bitæ ad canones aliquos pęnitentiales vulgatos lectorem remittere, in quibus Bigamorum pęnitentia deſcribebatur. *Can.* 21. Pęnitentialium ejuſmodi canonum pręcedentium mentionem faciunt, & in data hypotheſi aliquid relaxant. De mulieribus “
quæ ſunt fornicatæ, & fœtus in utero perimunt, & ſętuum ne- “
catoriis medicamentis faciendis dant operam; Prior quidem “
definitio uſque ad vitæ exitum prohibebat, &c. quidam aſſen- “
tiuntur; ſed humanitate tamen utentes decrevimus, ut decen- “
nium per gradus definitos impleant. Eadem legere eſt *can.* “
22. & 24.

Hæc equidem ita ſe habuerunt in Oriente annorum circiter quadringentorum, & quinquaginta ſpatio; in Occidente verò ſeptingentorum; Cùm enim in utroque orbe graviſſimorum criminum pęnitentiæ tantùm præſcriberentur, & publicè ferè ſemper toto illo tempore agerentur; cæterorum verò criminum pęnæ privatæ eſſent, & arbitrariæ, ſufficiebant pęnæ in canonibus præſcriptæ; earum verò impoſitio, & moderatio ad Epiſcopos ſpectabant, primarioſque Sacerdotes Epiſcoporum vice ſungentes. Qua ratione autem, quibuſve ritibus, & ceremoniis illas imponerent, quo ordine peragerentur, & iis peractis pęnitentes Eccleſiæ reconciliarentur, Sacramentorum libri ſive Liturgici, ſeu Pontificales complectebantur. Fiebat enim intra Miſſarum ſolemnia pęnitentiæ publicæ impoſitio; & pęnitentium publica reconciliatio. Ideò omnes prope Sacramentorum libri, ſive Miſſales, hos ritus minutim explicant.

Verùm in Oriente, & Occidente temporibus adnotatis, mutata diſciplina, res aliter ſe habuit. Tum enim criminum quorumcunque occultorum pęnitentia ſecretò impoſita eſt, & ea ſecretò peracta, ſecretò quoque reconciliatio facta eſt. Ideò etiam Pęnitentiæ iſtius canonicæ impoſitio, & canonica poſt peractam illam pęnitentiam Abſolutio quibuſque Presbyteris permiſſa fuit. Ab eo tempore judicatum eſt, canones non ſufficere, ſed libellos eſſe componendos, in quibus unicuique peccato conveniens eſſet aſſignata pęnitentia: In canonibus ad hunc finem multa ſupereſſe, multa deeſſe. Superſunt canones; plurimi ſcilicet, qui de pęnitentiis criminibus imponendis verba non faciunt, quorum numerus alium longe ſuperat. Sed in iis longè plura deſunt. 1. Canones ſæpè de uno, & eodem crimine diverſimodè definiunt: diverſitas autem iſta ſimplices Preſbyteros, ad quos privata illa pęnitentiæ impoſitio pertinet, facilè perturbabat. Deinde incommodum eſt, & bono regimini adverſum crimina in eadem Provincia diverſis modis puniri, his hunc canonem ſequentibus, iſtis alium. 2. Nonnunquam canones ſimplicibus Presbyteris obſcuri ſunt, ideò clariori expreſſione indigent. 3. Canones modum, rituſve Confeſſionis edendæ, pęnitentiæque imponendæ, & reconciliationis præſtandæ non ediſſerunt. 4. Admonitiones, & exhortationes confitentibus faciendas, eorumque de virtutibus, & vitiis inſtructionem non continent. 5. Sunt multa crimina ſpecialia, quibus canones pęnitentiam non imponunt, quorum tamen pęnitentiam viſum eſt multis Epiſcopis non eſſe ſimplicium Presbyterorum arbitrio committendam. Itaque poſtquam criminum omnium occultorum pœna quibuſlibet Presbyteris conceſſa eſt, libelli pœnitentiales præter canones conditi ſunt, in quibus hæc omnia diſtinctè in ſimplicium Presbyterorum gratiam, & neceſſariam inſtructionem enarrabantur, ut pœnitentiarum imponendarum officio deſungi poſſent. Anteà autem id non erat in neceſſarium, eo quod plurimùm iſtorum criminum pęnitentiæ eſſent publicæ, & ab Epiſcopis, primariiſque Sacerdotibus impoſitæ, qui facilè poterant, quæ canonibus deerant, ſupplere.

Iſtorum libellorum Pœnitentialium in Occidente tres fuerunt celeberrimi. Omnium primus eſt Theodori Cantuarienſis Archiepiſcopi. Hunc proximè ſequitur Bedæ Pœnitentialis, qui inſcribitur de remediis peccatorum; citari tamen ſolet ab antiquis ſub titulo Pœnitentialis. Revera enim eſt liber pęnitentialis: Nam libri Pœnitentiales remedia peccatorum potiſſimùm complectuntur. Tertius eſt pęnitentialis Romanus, de quo pluribus infra.

Hi ſunt Pœnitentiales antiquiſſimi ab omnibus Canonum collectoribus, & pleriſque Conciliis celebrati, & laudati. Ab iiſque ſæpius juſſum eſt, ut pęnitentiæ peccatis ſecundum iſtorum Pęnitentialium definitiones imponerentur. Pęnitentialis ille Theodori tantoperè celebratus nondum eſt editus. Plurima ex eo referuntur à Burchardo, Ivone, Gratiano, & Reginonis collectione manuſcripta. Neminem mihi legere contigit hactenus, qui Theodori Pęnitentialem ſe vidiſſe profiteretur, præter Henricum Spelman Conciliorum Anglicanorum collectorem, qui teſtatur manuſcriptum conſervari in celebri Bibliotheca S. Benedicti Cantabrigienſis, è quo tantum exſcripſit titulos Capitulorum. Plurimi ſanè ſunt tituli, qui præſeferunt materiam propoſito noſtro convenientiſſimam, & utiliſſimam, & digniſſimam, tam propter materiam, quàm propter antiquitatem, qui ab aliquo publici juris fiant. Operæ pretium tamen eſſet ſcripturæ characterem conſiderare, an antiquus, an recentior: deinde quæ ex eo ab antiquis referuntur, comparare. Nam ut ſæpe monuimus, addi plerunque ſolent ejuſmodi libris nonnulla uſui temporis, quo deſcribuntur, accommodata.

Pęnitentialis Bedæ nomen præferens ſæpius eſt editus: Primùm inter Bedæ opera. Deinde Antonius Auguſtinus Tarraconenſis Archiepiſcopus illum à ſe notis illuſtratum ex antiquis codicibus edi curavit; & iterum editus eſt Pariſiis, anno 1641. conjunctim cum iterata juris Pontificii veteris epitomes editione ab eodem Antonio collectæ. Duobus annis ante poſtremam hanc editionem Henricus Spelman ex antiquis membranis Anglicis eum Londini vulgaverat. Ecberto Eboracenſi Archiepiſcopo quibuſdam conjecturis ductus eum tribuit. Antonius Auguſtinus quoque non putat eum eſſe ſincerum, qui ab antiquis ſub Bedæ nomine ſæpe citatur; eo quod deprehenderit eum multis in locis differre. Valde tamen probabile eſt eundem eſſe, quem Beda ſcripſit, paucis forſan demptis, aut additis, cùm editiones è variis manuſcriptis codicibus depromptæ conſentiant. Partim autem aut nihil noſtra refert, ſive tribuatur Bedæ, ſive Ecberto, cùm uterque eodem tempore vixerit, & uterque Doctrina, & pietate inſignis admodum fuerit.

Quartus Pęnitentialis libellus eſt Rabani Mauri Moguntinenſis Archiepiſcopi, quem inſcripſit, Pęnitentium librum, totus ex antiquis canonibus decerptus eſt: Hunc quoque edidit Antonius Auguſtinus, & notis illuſtravit Canonum collectio Iſaaci Lingonenſis Epiſcopi, qui eodem cum Rabano Mauro tempore ſcribebat, pęnitentialis libellus non abs re dici poteſt. Edita eſt à R. Patre Sirmundo ad calcem *tom.* 3. Conciliorum Galliæ. Sextus, & amplua Pęnitentialis meritò, & propriè dici poteſt decimusnonus liber Decreti Burchardi Vormatienſia Epiſcopi, qui quæcumque ad hoc opus peragendum Presbyteris neceſſaria ſunt, abundè ſuppeditat. Septimus, eſt liber, ſive pars decima quinta Decreti Ivonis, quæ non immeritò pęnitentialis nomine, & in Confeſſorum uſum venire poteſt. Octavua ab Antonio Auguſtino pęnitentialis Romanus vocatur, non quod ſit antiquus ille Majoribus noſtris tantopere celebratus, ſed quod Roma ad eum miſſus fuerit. Cùm eſſet Anonymus, auguſtum illi nomen hac occaſione conciliavit, ut ipſe in præfatione teſtatur. Scriptio annis quingentis poſterior, cum Pontifices citet Calixtum II. & Innocentium II. Sed his exceptis cætera ſunt antiqua, & antiquiſſimis pęnitentialibus ſimillima, ex iis, aut antiquis Patribus decerpta.

Ordo Romanus editus, ut & Alcuinus in capite Quadrageſimæ, multa habet, quæ ad ejuſmodi Pęnitentiales non immerito referri poſſunt: quæque etiam magna ex parte locis propriis operi noſtro inſeruimus. Gratianus in cauſa 33. quæſt. tertia, quæ eſt de Pęnitentia, & propter longitudinem in ſeptem diſtinctiones ab antiquo ſeparatur, & citari ſolet abſolutè, *de Pęnit. diſt. 2. vel* 3. &c nihil habet quod ad pęnitentialem libellum referatur, licet de titulo id judicari poſſit. Nihil enim aliud tractat omnibus illis diſtinctionibus quàm ſolemnes quaſdam quæſtiones Theologicas ſuo tempore in ſcholis magna animorum contentione agitari ſolitas, quas diverſis, & multis in utramque partem allatis canonibus, & Patrum teſtimoniis, more ſuo definit.

Cum autem omnes hi libelli pęnitentiales, aut qui rationem Pęnitentialium induere poſſunt, præter unum editi ſint, & locis propriis legi poſſint, eos operi noſtro nihil attinet conjungere. His accedit, quod omnes iſti, ſi Burchardi librum decimum nonum excipias, qui perfectus eſt pęnitentialis omnibus ſuis partibus conſtans, & Theodori pęnitentialem, tribus ſui partibua mutilati ſunt, hoc eſt, ritibus Confeſſionis, pęnitentiæ impoſitionis, & reconciliationis, cæteris, quas ſupra enarravi, contenti. Nec hoc admodum mirari debes Lector: Tres enim illæ partes mutationi, & errori, ut cæteræ, non erant obnoxiæ, unoque, & eodem modo, ut & nunc, fieri ſolebant. Unde contingebat, Sacerdotes omnes, ritum hunc, Pęnitentiæ ſcilicet imponendæ; & pęnitentium reconciliandorum, memoriter tenere, ut pote perpetuum, & nulla vel perſonæ, vel temporis ratione mutandum. Ideò plerique Pęnitentialium autorea eum tutò, ut à nemine ignoratum, prætererunt. Verùm in æſtimatione, & taxatione pęnarum peccatis debitarum multus erat labor, multa ſolertia. Sæpe, ut demonſtratum eſt, Concilia ea de cauſa celebrata ſunt, viri docti conſulti, ut pęna illa juſtè definiri poſſet. Quapropter diligenter admodum cavebant, ne Sacerdotes aliter quàm ex præſcripto canonum pęnas illas arbitrarentur: & pęnitentiales alio modo quàm juxta hanc regulam pęnas iſtas edicentes, è Sacerdotum manibus eripiebantur, & igni publicè conſumebantur, ut legere potes, *lib. 7. c. ultimo*

Nos autem in pęnitentialibus illis Latinis non conſideramus tantum Pęnitentium judicia, criminumque pęnas, de quibus fusè toto libro ſexto, & ſeptimo egimus, ſed etiam maximè confeſſionis edendæ, Pęnitentiæ imponendæ, & Abſolutionis conferendæ ordinem, & ritum ſpectamus. Ideò pęnitentialibus omnibus editis, & quia editi ſunt, & aliunde haberi poſſunt, & quia partibus adnotatis deficiunt, omiſſis, ineditos tantum proponemus, ne rem actam, ut eſt in proverbio, iterùm agere videamur. Solum antiquum, verum, & ſincerum pęnitentialem Romanum multis rationibus ducti excipimus. Primum, ſemel tantùm excuſus eſt; quapropter hactenus paucorum manibus verſari potuit. Deinde illius celebritas, & antiquitas hoc mereri videntur. Denique videtur omnia continere, quæ Presbyteris neceſſaria ſunt, ut Pęnitentium judicia exerceant, eoſque tandem Deo, & Eccleſiæ reconcilient. Ab illius igitur editione exordium faciemus.

In antiqui Pœnitentialis Romani editionem Adnotatio.

Libellum Pœnitentialem primùm edidit an. 1642. Hugo Menardus Monachus Benedictinus Congregationis S. Mauri ex antiquis membranis Monaſterii Corbejenſis. Codicem vidi, & conſideravi: Character non videtur ætatem quingentorum annorum excedere, ſed ex antiquiore exceptus eſt. Continet codex ſex Halitgarii libros, quorum quinque Henricus Caniſius eddit *tom.* 5. antiquæ lectionis, & inde in Bibliothecam Patrum tranſlati ſunt. Codex, ſive codices, quibus uſus eſt Caniſius, ſextum librum non continebant, quem nunc ex illo codice repræſentamus. Halitgarium autem libros ſex ſcripſiſſe, non modò conſtat ex codice Corbejenſi, verumetiam ex Flodoardo *lib. 2. hiſtor.* Eccleſiæ Remenſis *c. 19. Hujus Præſulis* (Ebbonis) *hortatu Halitgarius Cameracenſis Epiſcopus ſex libellos de remediis peccatorum, & ordine, & judiciis Pœnitentiæ conſcripſit.* Eadem ſcribit Baldricus *lib. 1. Chron. Camerac. c.* 38. Interrogabis, unde habes ſextum illum librum eſſe Pęnitentialem Romanum? duobus certiſſimis argumentis hoc colligitur. Prius, teſtimonio ipſius Halitgarii, quæ præfatione in iſtius Pęnitentialis editionem quàm cum Pęnitentiali ſubiicimus, hoc diſertiſſimè teſtatur, ita ut nihil contra obiici poſſit. Poſterius, ex variis Antiquorum teſtimoniis, quæ citata in eo deprehenduntur. Nonnulla equidem citantur, quæ in eo non deprehenduntur. Hoc duabus de cauſis fieri potuit. Prior, quod Halitgarius ſit omnibus, qui Romanum pęnitentialem citant, multò antiquior. Collegit enim libros illos Ebbonia Archiepiſcopi ſui hortatu, & conſequenter ante, vel circiter annum 835. quo Ebbo propter nefariam adverſùa Ludovicum Imperatorem conjurationem depoſitus eſt. Itaque multa poſteà huic pęnitentiali addi potuerunt, quæ antiquis exemplaribus, quibus Halitgarius utebatur, non inerant. Exemplar enim ſuum ut teſtatur, ex ſcrinio Eccleſiæ Romanæ deprompſerat. Poſterior, quod nonnulla reſecuiſſe dici poteſt, quæ præcedenti-

bus libris fusè tradiderat, ut exempli cauſa, quæ ad inſtructionem virtutum, & ad remedia vitiorum pertinent, quibus Sacerdotes inſtituuntur ad exhortationes Pœnitentibus pro variis occaſionibus faciendas. Iſta enim latiſſimè toto libro primo, & ſecundo perſecutus eſt. Idem etiam non immeritò dicetur de judiciis Pœnitentiam: eo quod ea plenè jam tractaverat libris 4. & 5. fieri etiam potuit. ut nonnulla in Pœnitentiali primum omiſſa fuerint, & poſtmodum neceſſitate monente ſuppleta. Reverà enim in judiciis pœnitentium nonnulla videntur omninò deficere, & forſan exemplar à fine nonnihil mutilatum eſt.

Antiquus Pœnitentialis Romanus è ſcrinio Eccleſiæ Romanæ ab Halitgario Epiſcopo Cameracenſi ante annos octingentos exſcriptus.

Præfatio Halitgarii.

ADdimus etiam huic operi exceptionis noſtræ Pœnitentialem Romanum alterum, quem de ſcrinio Romanæ Eccleſiæ adſumpſimus: attamen à quo ſit editus ignoramus. Idcirco adnectendum præſcriptis Canonum ſententiis decrevimus: ut ſi fortè hæ prolatæ ſententiæ alicui ſuperfluæ ſunt viſæ: aut penitus, quæ deſiderat ibi, de ſingulorum criminibus nequiverit invenire, in hac ſaltem brevitate noviſſima omnium ſcelera forſitan inveniet explicata.

Incipit qualiter ſuſcipere debeant Pœnitentem Epiſcopi, vel Presbyteri.

QUotieſcunque Chriſtiani ad pœnitentiam accedunt, jejunia damus, & nos communicare cum eis debemus jejunio unam, aut duas ſeptimanas, aut quantum poſſumus; ut non dicatur nobis, quod Judæorum ſacerdotibus dictum eſt à Domino Salvatore. Væ vobis legiſperiti, qui adgravatis homines, & imponitis ſuper humeros eorum onera gravia, ipſi autem uno digito veſtro non tangitis ſarcinas ipſas. Nemo autem poteſt ſublevare cadentem ſub pondere niſi inclinaverit ſe; ut porrigat manum: neque ullus medicorum vulnera infirmantium poteſt curare, niſi fœtoribus particeps fuerit: ita quoque nullus ſacerdotum, vel pontifex, peccatorum vulnera curare poteſt, aut animabus peccata auferre, niſi præſtante ſollicitudine, & oratione lacrymarum. Neceſſe eſt ergo nobis, fratres chariſſimi, ſollicitos eſſe pro peccantibus, quia ſumus alteruttum membra: & ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur alia membra. Ideoque & nos, ſi viderimus aliquem in peccatis jacentem, feſtinemus eum ad pœnitentiam per noſtram doctrinam vocare: & quotieſcunque dederis conſilium peccanti, ſimulque da illi pœnitentiam ſtatim, quantum debeat jejunare, & redimere peccata ſua: ne fortè obliviſcaris, quantum eum oporteat pro ſuis peccatis jejunare: tibique neceſſe ſit, ut iterum exquiras ab eo peccata. Ille autem forſitan erubeſcens iterum peccata ſua confiteri, & invenietur jam amplius judicari. Non enim omnes Clerici hanc ſcripturam uſurpare, aut legere debent, qui inveniunt eam, niſi ſoli illi, quibus neceſſe eſt, hoc eſt, Presbyteri. Sicut enim ſacrificium offerre non debent niſi Epiſcopi, & Presbyteri, quibus claves regni cœlorum traditæ ſunt, ſic nec judicia iſta aliis uſurpare debent. Si autem neceſſitas evenerit, & Presbyter non fuerit præſens, ſuſcipiat Diaconus pœnitentem ad ſanctam Communionem. Sicut ergo ſuperius diximus, humiliare ſe debent Epiſcopi, ſive Presbyteri, & cum triſtitia, gemitu, lacrymiſque orare, non ſolùm pro ſuis delictis, ſed etiam pro Chriſtianorum omnium, ot poſſint cum B. dicere Paulo; *quis infirmatur, & ego non infirmor, quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Cùm ergo venerit aliquis ad Sacerdotem confiteri peccata ſua, mandet ei Sacerdos, ut expectet modicum, donec intret in cubiculum ſuum ad orationem. Si autem cubiculum non habuerit, tamen tunc Sacerdos in corde ſuo dicat hanc orationem.

O R E M U S.

DOmine Deus omnipotens, propitius eſto mihi peccatori, ut condignè poſſim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam miſericordiam miniſtrum feciſti officii Sacerdotalis, & me exiguum, humilemque mediatorem conſtituiſti ad adorandum, & intercedendum ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pro peccantibus, & ad pœnitentiam revertentibus. Ideòque Dominator Domine, qui omnes homines vis ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: qui non vis mortem peccatorum, ſed ut convertantur, & vivant, ſuſcipe orationem meam, quam fundo ante conſpectum clementiæ tuæ pro famulis, & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Videns autem ille, qui ad pœnitentiam venit, Sacerdotem triſtem, & lacrymantem pro ſuis facinoribus, magis ipſe timore Dei perculſus, amplius triſtatur, & exhorreſcet peccata ſua. Et unomquemque hominem accedentem ad pœnitentiam ſi videris acriter, & aſſiduè ſtare in pœnitentia, ſtatim ſuſcipe eum. Qui verò poteſt jejunare quod impoſitum eſt ei, noli prohibere, ſed permitte. Magis enim laudandi ſunt hi, qui celeriter debitum pondus perſolvere feſtinant, quia jejunium debitum eſt. Et ſic date mandatum his, qui pœnitentiam agunt: Quia ſi jejunaverit, & compleverit quod illi mandatum eſt à Sacerdote, purificabitur à peccatis. Quod ſi iterum ad priſtinam conſuetudinem [vel] peccati reverſus fuerit, ſic eſt quomodo canis, qui revertitur ad proprium vomitum. Omnis itaque pœnitens non ſolùm debet jejunare quod illi mandatum eſt à Sacerdote, verumetiam poſtquam compleverit ea, quæ illi juſſa ſunt, debet, quantùm ipſi viſum fuerit, jejunare ſive tetradas, ſive paraſcevas. Si enim egerit ea, quæ illi Sacerdos præceperit, peccata ejus remittentur: ſi verò poſteà ex ſua voluntate jejunaverit, mercedem ſibi acquiret, & regnum cœlorum. Qui ergo tota ſeptimana jejunaverit pro peccatis, Sabbato, & Dominica die manducet, & bibat quicquid aptum fuerit. Cuſtodiat tamen ſe à crapula, vel ebrietate: quia omnis luxuria de ebrietate naſcitur. Ideò P. Paulus prohibuit dicens: *noli inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Non quia in vino eſt luxuria, ſed in ebrietate. Explicet prologus. Si quis fortè non potuerit jejunare, & habet unde dare ad redimendum; ſi dives fuerit, pro ſeptem Hebdomadibus det ſolidos XX. Si autem non habuerit tantùm unde dare, det ſolidos X. Si autem multùm pauper fuerit det ſolidos III. Neminem verò conturbet, quia juſſimus viginti ſolidos dare, aut minus: quia ſi dives fuerit, facilius eſt illi dare ſolidos XX. quàm pauperi ſolidos III. Sed unuſquiſque attendat, cui dare debet, ſive pro redemptione captivorum, ſive ſuper ſancto altari, ſive paoperibus Chriſtianis erogandum. Et hoc ſcitote, fratres, ut dum venerint ad vos ſervi, vel ancillæ, quærentes pœnitentiam, non eos gravetis, neque cogatis tantùm jejunare, quantùm divites; quia non ſunt in ſua poteſtate; ideòque medietatem pęnitentiæ eis imponite.

Incipit ratio ad dandam Pœnitentiam.

IN primis dicit Pſalmum triceſimum ſeptimum totum, *Domine, ne in furore tuo arguas me.* Et poſteà dicit. *Oremus.* Et dicit Pſalmum centeſimum ſecundum; *benedic, anima mea, Domino*, uſque, *renovabitur ſicut aquila juventus tua:* Et dicit Pſalmum quinquageſimum, *miſerere mei, Deus*, uſque, *iniquitates meas dele.* Poſt hæc dicit Pſalmum LIII. *Deus in nomine tuo*, & dicit: *Oremus.* Et dicit Pſalmum LI. *Quid gloriaris*, uſque, *videbant juſti, & timebunt*, & dicit. *Oremus.*

Deus cujus indulgentia nemo non indiget, memento, Domine famulo tuo illo, & qui lubrica terræque corporis fragilitate nudatus, quæſumus, ut des veniam confitenti; parce ſupplici, ut qui noſtris meritis accuſamur, tua miſeratione ſalvemur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Alia. Deus ſub cujus oculis omne cor trepidat, omneſque conſcientiæ contremiſcunt, propitiare omnium gemitibus, & cunctorum medere vulneribus; & ſicut nemo noſtrum liber eſt à culpa, ita nemo ſit alienus à venia. Per Dominum.

Alia. Deus infinitæ miſericordiæ, veritatiſque immenſæ, propitiare iniquitatibus noſtris, & omnibus animarum noſtrarum medere languoribus, ut miſerationum tuarum remiſſione percepta, in tua ſemper benedictione lætemur. Per Dominum.

Alia. Precor, Domine, clementiæ, & miſericordiæ tuæ Majeſtatem, ut famulo tuo illo peccata, & facinora ſua confitenti veniam relaxare digneris, & prætentorum criminum culpas indulgeas, qui humeris tuis ovem perditam reduxiſti, qui Publicani precibus confeſſione placatus exaudiſti. Tu etiam huic famulo tuo placare, Domine, tu ejus precibus benignus aſpira, ut in confeſſione placabilis permaneat. Fletus ejus, & petitio perpetuam clemen-

niam tuam celeriter exoret, ſanctiſque altaribus, & ſacrificiis reſtitutus ſpei rurſum æternæ cęleſtis gloriæ mancipetur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Item oratio manus impoſitionis.

DOmine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui per Jeſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum vulnera noſtra curare dignatus es, te ſupplices rogamus, & petimus nos humiles tui Sacerdotes, ut precibus noſtris aurem tuæ pietatis inclinare digneris, remittaſque omnia crimina, & peccata univerſa condones, deſque huic famulo tuo pro ſuppliciis veniam, pro męrore lætitiam, pro morte vitam. Ipſe cęleſtis apicis devolutus eſt, & de tua miſericordia confidens ad bonam pacem præmiis * tui atque cęleſtia pervenire mereatur ad vitam æternam. Per Dominum.

Incipit reconciliatio Pœnitentis feria V. in cœna Domini.

IN primis dicit Pſalmum L. cum, Ant. Cor mundum. Deus humani generis benigniſſime conditor, & miſericordiſſime reformator, qui in reconciliatione lapſorum etiam me, qui miſericordia tua primus indigeo, ſervire effectibus gratiæ tuæ per miniſterium Sacerdotale voluiſti, ut ceſſante merito ſupplicis, mirabilior fieret elementia Redemptoris. Per Dominum noſtrum.

Omnipotens ſempiterne Deus, confitenti tibi huic famulo tuo pro tua pietate peccata relaxa, ut non plus ei noceat conſcientiæ reatus ad pęnam, quàm indulgentia tuæ pietatis ad veniam. Per Dominum.

Alia. Omnipotens, & miſericors Deus, qui peccatorum indulgentiam in confeſſione celeri poſuiſti, ſuccurre lapſis, miſerere confeſſis: ut quod delictorum catena conſtringit, magnitudo tuæ pietatis abſolvat. Per Dominum.

Oratio ſuper infirmum.

DEus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donaſti: & famulum tuum à lecto ægritudinis tua magnitudo erigat ad ſalutem. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Incipit judicium Pœnitentis. I.

SI quis Epiſcopus, aut aliquis ordinatus homicidium fecerit. Si quis Clericus homicidium fecerit, decem annos pęniteat, tres ex his in pane & aqua. Si laicus, tres annos pęniteat, unum ex his in pane, & aqua. Subdiaconus 6. Diaconus 7. Presbyter 10. Epiſcopus 12. Si quis ad homicidium faciendum conſenſerit, ſeptem annos pęniteat, tres ex his in pane, & aqua: Si quis laicus homicidium fecerit voluntariè, ſeptem annos pęniteat, tres ex his in pane, & aqua. Si quis infantem oppreſſerit, tres annos pęniteat, unum ex his in pane, & aqua: ſimiliter & Clericus obſervet.

De Fornicatione. II.

SI quis fornicaverit, ſicut Sodomitæ 10. annos pęniteat, tres ex his in pane, & aqua. Si quis Clericus adulterium commiſerit, idem cum uxore, vel ſponſa alterius ſi filium genuerit, ſeptem annos pœniteat: ſi verò filium non genuerit, & in notitia hominum non venerit, ſi Clericus eſt, tres annos pœniteat, unum ex his in pane, & aqua. Si Diaconus, aut monachus ſeptem annos pœniteat, tres ex his in pane, & aqua. Epiſcopus duodecim, quinque in pane, & aqua. Si quis Clericus. 1. cujus ſuperior gradus eſt, qui uxorem habet, & poſt converſionem, vel honorem iterum eam cognoverit, ſciat ſe adulterium commiſiſſe: idcirco, ut ſuperius conſtitutum eſt, pęniteat. Si quis fornicaverit cum ſanctimoniale, vel Deo dicata, cognoſcat ſe adulterium commiſiſſe, ſecundùm ſuperiorem ſententiam unuſquiſque juxta ordinem ſuum pęniteat. Si quis per ſemetipſum fornicaverit, aut cum jumento, aut cum qualibet quadrupede, tres annos pęniteat. Si gradum, aut votum; tres annos pęniteat. Si quis concupiſcit mulierem, & non potuerit peccare, id eſt, quia non ſuſcepit eum mulier, dimidium annum pęniteat in pane, & aqua, & toto abſtineat ſe anno à vino, & carne. Si quis Clericus poſtquam ſe Deo voverit, ad habitum ſecularem redierit, ſicut canis ad proprium vomitum, vel uxorem duxerit, ſex annos pœniteat, tres ex his in pane, & aqua, & poſteà in conjugio non copuletur. Quòd ſi noluerit, ſancta Synodus, vel ſedes Apoſtolica ſeparabit eos à communione Catholicorum. Similiter & mulier poſtquàm ſe Deo voverit, ſi tale ſcelus commiſerit, pari ſententiæ ſubjacebit. Si quis Laicus fornicaverit, ſicut Sodomitæ, VII. annos pęniteat. Si quis de alterius uxore filium genuerit, id eſt, adulterium commiſerit, ac torum proximi ſui violaverit, III. annos pęniteat, & abſtineat à cibis luculentioribus, & à propria uxore, dans inſuper pretium pudicitiæ marito uxoris violatæ. Si quis adulterare voluerit, & non potuerit, id eſt non fuerit ſuſceptus, quadraginta dies pęniteat. Si quis fornicaverit cum mulieribus, id eſt, viduis, vel puellis: ſi cum viduis, annum unum pęniteat: ſi cum puellis, 2. annos pęniteat. Si quis virgo virgini conjunctus fuerit, ſi voluerint parentes, ſit uxor ejus; tamen unum annum pœniteat, & ſint conjugales. Si quis cum jumento fornicaverit, annum unum pęniteat. Si uxorem non habuerit, dimidium annum pęniteat. Si quis virginem, vel vidam rapuerit, 3. annis pęniteat. Si quis ſponſam habens ſorori ejus forſitan vitium intulerit, & cohæſerit tanquam ſuæ, hanc autem uxorem duxerit, id eſt, deſponſatam, illa verò quæ vitium paſſa eſt, ſi forte necem ſibi intulerit, omnes hi, qui in hujus facti conſenſu ſunt, 10. annos in pane, & aqua redigantur, ſecundùm ſtatuta canonum. Si qua de mulieribus, quæ fornicatæ ſunt, interſecerit, quæ naſcuntur, aut feſtinat abortivos facere, primum conſtitutum uſque ad exitum vetat, * id quod verum definitum humanius aliquid conſequantur, conſtituimus eos decennii tempore ſecundùm gradus, quæ ſunt conſtituta, pęniteat.

De Perjurio. III.

SI quis Clericus perjuraverit, ſeptem annos pęniteat, tres ex his in pane, & aqua. Laicus tres, Subdiaconus ſex, Diaconus ſeptem. Presbyter decem. Epiſcopus duodecim. Si quis verò coactus pro qualibet neceſſitate, aut neſciens perjuraverit, tres annos pęniteat, unum in pane, & aqua: & animam pro ſe reddat, id eſt, ſervum, vel ancillam de ſervitute abſolvat, & eleemoſynas multas faciat. Si quis perjuraverit per cupiditatem, totas res ſuas vendat; & donet pauperibus, & tondeatur, & intret in monaſterium, & ibi deſerviat uſque ad mortem.

De Furto. IV.

SI quis Clericus furtum fecerit capitale, id eſt, quadrupedum: vel caſam ruperit, vel fregerit, vel * qualibet meliorem præſidium furaverit, ſeptem annos pęniteat. Laicus quinque. Subdiaconus ſex. Diaconus ſeptem. Presbyter 10. Epiſcopus 12. annos pęniteat. Si quis verò de minoribus ſemel, aut bis furtum fecerit, reddat proximo ſuo, & anno uno pœniteat in pane, & aqua; & ſi reddere non potuerit, tres annos pęniteat. Si quis ſepulchrum violaverit, ſeptem annos pęniteat, tres in pane, & aqua. Si quis Laicus furtum fecerit, reddat proximo ſuo quod furaverat, III. quadragenas in pane, & aqua: ſi reddere non potuerit, anno uno, & tres quadragenas in pane, & aqua pęniteat: & eleemoſynam de ſuo labore in pauperibus: & Sacerdotis judicio jungatur altari.

De Maleficio. V.

SI quis maleficio aliquem perdiderit, 7. annos pœniteat, 3. in pane, & aqua. Si quis pro amore maleficus ſit, & neminem perdiderit, ſi laicus eſt, dimidium annum pœniteat; ſi Clericus, annum unum pęniteat in pane, & aqua: ſi Diaconus, tres annos, unum in pane, & aqua: Si Sacerdos, quinque annos, 2. in pane, & aqua. Si autem per hoc mulieris partus quis deceperit, ſex quadragęnas unuſquiſque inſuper augeat, ne homicidii reus ſit. Si quis immiſſor tempeſtatum fuerit, 7. annos pœniteat, 3. in pane, & aqua.

De Sacrilegio. VI.

SI quis ſacrilegium fecerit, id eſt, † quos aruſpices vocant, qui auguria colunt, ſuperauguriaverit, aut quocunque malo ingenio, 3. annos in pane, & aqua. Si quis ariolus fuerit, quod divinos vocant, aliquas divinationes fecerit, quia hoc dœmoniacum eſt, quinque annos pœniteat, 3. in pane, & aqua. Si quis in Kalendis Januarii quod multi faciunt,

† l. quod

ciuns,

† l. ducunt. ciunt, & in cervulo † ducunt, aut in vetula vadit, tres annos pęniteat. Si quis ſortes habuerit, quas Sanctorum * contra rationem vocant, vel aliquas ſortes habuerit, vel qualecunque malo ingenio ſortitus ſuerit, vel divinaverit, tres annos pęniteat, 1. in pane, & aqua. Si quis ad arbores, vel ad ſontes, vel ad cancellum, vel ubicunque, excepto in Eccleſia, votum voverit, aut exſolverit, tres annos cum pane, & aqua pęniteat: & hoc ſacrilegium eſt, vel dæmonaticum. Qui verò ibidem ederit, aut biberit, unum annum pęniteat in pane, & aqua. Si quis Mathematicus, id eſt, per invocationem dæmonum hominis mentem tulerit, quinque annos pęniteat, unum in pane, & aqua. Si quis ligaturas ſecerit, quod deteſtabile eſt, tres annos pęniteat, unum in pane, & aqua. Si qui ſimul edunt ſeſtivitatem in locis abominandis gentilium, & ſuam eſcam deferentes, comederint, placuit eos biennio ſubjacete, & ſic ſuſcipi, * quæ obedire oportet: & poſt oblationem unumquemque ſpiritum probare, & vitam ſingulorum cognoſcere. Si quis manducaverit, aut biberit juxta fanum; ſi per ignorantiam, promittat deinceps, quod nunquam reiteret, & quadraginta diebus in pane, & aqua pęniteat: ſi verò per contemptum hoc ſecerit, id eſt, poſtquam Sacerdos ei prædicavit, quod ſacrilegium hoc erat, menſæ dæmoniorum communicaverit, * ſinguli tantum vitium hoc ſecerit, tres quadragenas in pane, & aqua pęniteat. Si verò pro cultu dæmonum, & honore ſimulacri hoc ſecerit, tres annos pęniteat. ‡ l. immolaverit. Si quis ſecundo, & tertiò † immolatus per vim, tres annos ſubjaceat, & duobus ſine oblatione communicet, tertio ad perfectum ſuſcipiatur. Si quis manducaverit ſanguinem, aut morticinum, aut idolis immolatum, & non ſuit ei neceſſitas, jejunet Hebdomadas duodecim.

De quibuſdam Capitulis. VII.

† l. quodlibet. SI quis † quoquolibet membrum ſibi voluntariè truncaverit, tres annos pęniteat, unum in pane, & aqua. Si quis avorſum ſecerit voluntariè, tres annos pęniteat, unum in pane, & aqua. Si quis uſuras undecunque ex egerit, tres annos pęniteat, unum in pane, & aqua. Si quis per poteſtatem, aut quolibet ingenio res alienas malo ordine invaſerit, vel tulerit, ſuper * jure ſententia, ſimiliter pęniteat, & eleemoſynas multas faciat. Si quis ſervum, aut quemcunque hominem quolibet ingenio in captivitatem duxerit, vel transmiſerit, ſicut ſupra, pęniteat. Si quis aream, vel domum voluntariè igne cremaverit, ſicut ſupra pęniteat. Si quis per iram alium percuſſerit, & ſanguinem ſuderit, aut debilitaverit, ſolvat ei primò mercedem, & medicum quærat: ſi laicus eſt, 40. diebus: Clericus, 2. quadragenas: Diaconus, 7. menſibus: Presbyter annum 1. Si quis venationes exercuerit, Clericus annum unum pęniteat, Diaconus 2. Presbyter tres annos pęniteat. Si quis de miniſterio ſanctæ Eccleſiæ * qualecunque opus quidlibet fraudaverit, vel neglexerit, 7. annos pęniteat, tres in pane, & aqua. Si quis cum animalibus peccaverit, qui amplius, quàm triginta annorum ſuerit, 15. annos ſubjaceat, * communionem mereatur. * Requiratur autem qualis ſit eorum vita, ſi mereatur humanius aliquid, * inceſſanter ad peccandum. Si perſeveraverit, longam habeat pęnitentiam. Qui autem ſuperiore ætate, & uxores habentes introierunt in hoc peccatum, viginti quinque annis ſubjaceant: ita ut poſt quinque, communionem cum oblatione mereantur. Si autem aliqui, & uxores habentes, & amplius quinquaginta annorum, hoc peccatum ſecerint, in exitu vitæ mereantur viaticum accipere.

De ebrietate VIII.

INebriatur igitur quis à vino, ſive cerviſia contra indictum Salvatoris, ac Apoſtolorum ejus, quod ſi votum ſanctitatis habuerit, 40. diebus in pane, & aqua culpam diluat: laicus verò ſeptem diebus pęniteat. Epiſcopus faciens fornicationem degradetur: & ſexdecim annos pęniteat. Presbyter autem, & Diaconus fornicationem naturalem faciens * prælato ante monachi votum tres annos pęniteat. Veniam omni hora roget, ſuperpoſitionem unaquaque hebdomada, exceptis quinquageſimis diebus faciat.

De minutis cauſis. IX.

SI cauſa negligens quis ſacrificium perdat relinquens foris, & an aliquo devoratur, 40. diebus pęniteat; ſin verò annum unum pęniteat. Si communicaverit ignorans, excommunicatis ab Eccleſia, diebus 40. pęniteat. Si ſacrificium terra tenus negligendo ceciderit, ſuperpoſitio ſit. Pro bonis rebus offerre debemus, pro malis nequaquam. Presbyteri verò pro ſuis Epiſcopis non prohibentur offerre. Qui præbet ducatum barbatis, tres annos pœniteat. Qui monaſteria expoliat, falsò ſe † dicere captivos redimere, tres annos pęniteat: & omnia, quæ abſtraxit, pauperibus donet. Qui manducat carnem animalium, quorum mortem neſcit, tertiam partem anni pęniteat. Priorum inſtituta patrum noſtrorum * pro manus: pueri ſoli ſermocinante, & tranſgredientes inſtituta ſeniorum tribus ſuperpoſitionibus emendentur. Oſculum ſimpliciter facientes ſeptem ſuperpoſitiones. Inlecebroſum oſculum ſine inquinamento 8. ſuperpoſitiones: cum inquinamento autem; ſive amplexu 15. ſuperpoſitionibus corrigantur. † l. dicens.

** De diſſenſibus ſacrificium. X.*

QUi non bene cuſtodit ſacrificium, & mus commederit, 40. diebus pęniteat. Qui autem perdiderit ſuum criſmal, aut ſolum ſacrificium in regione qualibet, ut non inveniatur, 3. quadragenas, vel annum Pęniteat. Perfundens aliquis calicem ſuper altare, quando auferuntur linteamina, 7. diebus pęniteat. Si ceciderit ſacrificium intra menſam, 7. diebus pęniteat. Ut ſumens gravatus ſacrificium ſaturitate ventris, 20. diebus pęniteat. Diaconus obliviſcens oblationem offerre ſine linteamine, donec offeruntur, ſimiliter pęniteat. Si autem in farina, aut in aliquo ſiccato cibo, ſive in melle, ſive in lacte inveniantur iſtæ beſtiolæ, quod circa illorum corpora eſt, foras proiiciatur. Qui negligentiam circa ſacrificium fecerit, ut ſi à vermibus conſumptum, quod ad nihilum deveniat, 3. quadragenas pęniteat. Si integrum ſit inventum, & in eo fuerit vermis, comburatur; & ſic cinis ejus ſub altare abſcondatur; & qui negligens 40. diebus pęniteat. Si ceciderit ſacrificium de manu offerentis terra tenus, & inveniatur aliquid; omne quodcunque inventum fuerit in loco in quo ceciderit, comburatur: & cinis ſub altare abſcondatur: & ſacerdos medium annum pœniteat: & ſi inventum fuerit, ut ſupra mundetur; & 40. diebus pęniteat. Si uſque ad altare tantum fuerit lapſum, ſuperponat. Si de calice per negligentiam ſtillaverit aliquid in terram, lingua lambatur, & tabula radatur, & in igne comburatur, & quadraginta diebus pęniteat. Si ſupra altare ſtillaverit calix, ſorbeat miniſter: & linteamen quod tetigit ſtillam; abluatur * vicibus, & 3. diebus pęniteat. Si titubaverit ſacerdos ſuper orationem Dominicam, quæ dicitur periculoſa, una vice 50. Pſalmos, ſecunda vice, centum plagis. Si autem duxerit viduam patris, vel fratris ſui, iſti tales non poſſunt judicari, niſi prius ſeparentur ab invicem. Si quis aliquis expeditione publica occidit hominem ſine cauſa, jejunet hebdomadas viginti unam: ſi autem forſitan ſe defendendo, aut parentes ſuos, aut familias ſuas, occidiſſet aliquem, ille non erit reus: ſi voluerit jejunare, in illius poteſtate eſt, qui coactus hoc fecit. Si homicidium in pace fecerit, & non fuerit turbata † pro poteſtatem, aut inimicitiæ cauſam, ut res ejus capiat, jejunet hebdomadas 28. & res ejus, quem occidit, reddat uxori, vel filiis. Si quis autem ad pęnitentiam venit, & ægritudo evenerit, & non potuerit adimplere, quod illi mandatum eſt à ſacerdote, ſuſcipiatur ad ſanctam communionem: & ſi voluerit eum Deus ſalvare, jejunet poſteà. Si quis non pęnitet, & forſitan ceciderit in ægritudinem, & quæſierit communicare; non prohibeatur, ſed date ei ſanctam communionem, & mandate ei, ut ſi placuerit Dei miſericordiæ, & evaſerit de ipſa ægritudine, poſteà omnia ſit confeſſus, & evaſerit de ipſa ægritudine, poſteà omnia ſit confeſſus, & ſic pęniteat. Si autem aliquis excommunicatus fuerit mortuus, qui jam ſit confeſſus; & non occurrit, ſed occupavit eum mors, ſive in via, ſive in domo, ſi eſt aliquis ex parentibus ejus, pro eo aliquid offerat ad ſanctum altare, aut ad redemptionem captivorum, aut ad commemorationem animæ ejus. Si quis accepit filiam uxoris, † hic non poteſtis judicare, niſi prius ſeparentur. Poſtquam ſeparati fuerint, unicuique eorum imponas hebdomadas quatuordecim, & iterùm nunquam ſe jungant. Si autem voluerint nubere, ſive vir, ſive mulier, poteſtatem habeat, ſed non * illa qui dimiſit. Si quis acceperit cognatam, aut novercam, aut avunculi viduam, & hic qui uxorem patris ſui, aut ſororem ſuæ uxoris, grande judicium canonicè damnetur. Si quis [aliquis] dum infans eſt, per ignorantiam guſtaverit, de iis, quæ fuerint immolata idolis, aut morticinum, aut aliquid abomi-

† l. per

† l. hunc

nabile, idem jejunet hebdomadas tres. Propter fornicationem autem multi neſciunt numerum mulierum, cum quibus fornicati ſunt, illi jejunent hebdomadas quinquaginta. Si autem neſciens manducavit idolis immolatum, aut morticinum, dabitur illi venia, quoniam neſciens hoc fecit: tamen jejunet hebdomadas tres. Si quis * nolendo parentibus occidit hominem, jejunet hebdomadas 8. Si quis per neceſſitatem furaverit cibaria, vel veſtem, ſive quadrupedem per famem, aut per nuditatem illi venia datur. Jejunet hebdomadas 4. Si reddiderit, non cogatus jejunare. Si quis caballum, aut bovem, aut jumentum, vel vaccam furaverit, ſive cibaria, aut pecora, quæ totam familiam nutriunt, jejunet, ut ſupra. Si qua mulier deceperit matris ſuæ maritum, illa non poteſt judicari, donec relinquat eum. Cùm ſeparati fuerint, jejunent hebdomadas quatuordecim. Si quis legitimam uxorem habens dimiſerit illam, & aliam duxit, illa, quam duxit, non eſt illius. Non manducet, neque bibat, neque omnino in ſermone ſit cum illa, quam malè accepit; neque cum parentibus illius. Ipſi autem ſi conſenſerint, ſint excommunicati. Si mulier ſuaſerit alteri mulieri maritum, ſit excommunicata à Chriſtianis. Si quis Chriſtianorum Chriſtianum viderit ambulantem, vel oberrantem parentem ſuum vendiderit, ille non eſt dignus inter Chriſtianos requiem habere, donec redimat eum. Si autem non potuerit invenire locum ubi ſit, pretium, quod accepit, det pro eo, & alium redimat de ſervitute, & jejunet hebdomadas 28. Si cujuſlibet hominis mortua fuerit uxor, habet poteſtatem accipere alteram, ſimiliter & mulier. Si tertium acceperit, jejunet hebdomadas tres, ſi quartum, aut quintum acceperit, jejunet hebdomadas 21. Si quis comas incidit, aut faciem ſuam laniaverit cum gladio, aut † ungulas poſt mortem parentum, jejunet hebdomadas quatuor: & poſtquam jejunaverit, ſic communicet. Si qua mulier prægnans voluerit jejunare, poteſtatem habet. Herbarius vir, aut mulier interſectores infantum in extremum vitæ cum venerint, ſi quæſierint pœnitentiam cum luctu ac fletu lacrymarum. [† l. ungulis.]

* Si ceſſaverit ſuſcipere eum, jejunet hebdomadas 30. Si quis canis, aut vulpis, ſive acceptor mortificaverint: ſive de fuſte, ſive de lapide, ſive ſagitta, quæ non habet ferrum, mortuum fuerit, hæc omnia ſuffocata ſunt, non manducentur: & qui manducaverit, jejunet hebdomadas ſex. Si quis ſagitta percuſſerit cervum, ſive aliud animal, & poſt tertium diem inventum fuerit, & forſitan ex eo lupus, urſus, canis, aut vulpes guſtaverit, nemo manducet, & qui manducaverit, jejunet hebdomadas 4. Si gallina in puteo mortua fuerit, puteus evacuetur: ſi ſciens ex eo biberit, jejunet hebdomada una. Si quis mus, aut gallina, aut aliquid ceciderit in vino, aut in † aliqua, de hoc nullus bibat. Si in oleum, aut mel ceciderit, oleum expendatur in lucernam, mel verò in medicinam, vel in aliam neceſſitatem. Si piſcis mortuus fuerit in piſcina, non manducetur: qui manducaverit, jejunet hebdomadas 4. Si porcus, vel gallina manducaverit de corpore hominum, non manducetur; neque ſervetur ad ſemen, ſed occidatur, & canibus tradatur. Si quis lupus plagaverit animal, & mortuum fuerit, nemo manducet: & ſi vixerit, & poſteà eum homo occiderit, manducetur. Sive cum capra, ſive cum pecore, aut cum alio animali ſi peccaverit homo cum † ea, nemo manducet carnem ejus, ſed occidatur, & canibus tradatur. Si voluerit pro anima ſua dare eleemoſynam de his pecuniis, * quod fuit de præda ſuam egit pœnitentiam, poteſtatem habet, *explicit*. [† l. aqua] [† l. eam]

" Antiqui authores ſæpius hunc Pœnitentialem Romanum
" citant. Reginonis manuſcripta canonum collectio ante ſe-
" ptingentos: & aliquot annos elaborata, citat ex Pœnitentia-
" li Romano titulum, ut hic habetur, Qualiter ſuſcipere de-
" bent, &c. cum magna parte eorum, quæ ſequuntur uſque ad
" primam orationem, licèt Burchardus *lib.* 19. *c.* 53. & Ivo *par-*
" *te* 55 *cap.* 51. hæc Theodoro tribuant. Burchardus tamen eo-
" dem *libro*, *cap.* 134. 153. & 154. & Ivo eadem parte, *cap.* 161.
& 162. iſta verba, Sicut enim ſacrificium offerre non de-
" bent, & quæ ſequuntur, ibidem in eodem Pœnitentiali con-
" tenta referunt, ut ex Pœnitentiali Romano decerpta, fieri
" facilè poteſt, ut in utroque deprehendantur. Cum enim Pœ-
" nitentiales omnes eandem omnino materiam, & eodem mo-
" do tractent, non modo idem ſenſus, ſed etiam eadem verba
" facilè concurrere poſſunt. Orationem illam integram, quæ
" ſequitur, refert quoque eadem Reginonis collectio ex eodem
Pœnitentiali. Verum hæc addit, ut det illis ſpiritum compunctionis, ut reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo adſtricti tenentur, & ad te per condignam ſatisfactionem revertantur:
quæ etiam habet Burchardus initio *lib.* 19. Hæc verba, quæ ora- "
tionem ſtatim ſequuntur, & unumquemque hominem accedentem, &c. uſque ad finem prologi, omnia referunt Bur- "
chard. *l.* 19. *c.* 32. & Ivo *part.* 15. *c.* 50 ex Pœnitentiali Roma- "
no. Hæc verba *cap.* 4. Si quis clericus furtum fecerit, &c. uſque
ad tres annos pœniteat, refert velut ex Pœnitentiali Romano
Pœnitentialis primus ab Antonio Auguſtino editus *titulo* 4. "
c. 10. Item iſta *c.* 10. Si ceciderit ſacrificium, &c. uſque ad 40. "
dies pœniteat refert idem Pœnitentialis velut ex Romano *tit.* "
5. *cap.* 11. Qui ad hæc mentem advertere voluerit, multa alia "
deprehendet, ſed hæc nobis ſufficiant. Nonnullæ mendæ ſunt, "
quas antiquus exſcriptor commiſit, aut ex codice jam men- "
doſo exſcripſit; aut quod probabilius, utrumque conjun- "
gendum. Eas lector pro genio ſuo corriget: Eæ enim "
nihil officiunt fini, quem nobis in iſtius Pœnitentialis edi- "
tione propoſuimus. Eum tantum admonebo in titulo "
cap. 10. Legendum videri, de defectibus in ſacrificio, vel "
quid ſimile. "

In Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi Libellum Pœnitentialem Adnotatio.

ALium codicem propè integrum edimus, cujus eſt titulus, Excerptum de canonibus Catholicorum Patrum, vel Pœnitentiæ ad remedium animarum, Domini Egberti Archiepiſcopi Eburacæ civitatis. Antiquus erat codex, & character videbatur mihi anno ſexcentos ſuperare. Videtur olim ſcriptus à quodam Monacho S. Sylveſtri; nam in Litaniis pro Congregationis S. Sylveſtri conſervatione oratur: Codicem iſtum nitidè exaratum mutuò mihi conceſſit Reverendiſſimus Abbas ſanctæ crucis in Hieruſalem Hilarion, vir pietate, doctrina, & ingenio excultiſſimus; quem, ſi virtutem, & doctrinam præmia conſequuntur, major agit Deus, atque opera ad majora remittit. Continet Pœnitentialis ille omnia, quæ pertinent ad Confeſſionem peccatorum, formam Pœnitentiæ imponendæ, & abſolutionis concedendæ, diligentiſſimè, & minutiſſimè: ſed pauca habet de peccatorum judiciis, & pœnis: itaque videri poſſet in gratiam, & uſum tam Pœnitentium quàm ſacerdotum compoſitus, cum permultis doceat, quæ Pœnitens facere, & confiteri tenetur; paucioribus, quæ ſacerdos. Præterea poſtquam diſtinctè explicavit ritum Pœnitentiæ privatæ, incipit ſeparatim, & titulo ſeparato ritum pœnitentiæ publicæ, & reconciliationis publicæ. Denique enarrat, qua ratione reconciliandus ſit Pœnitens moribundus. Omiſimus ritum peculiarem ad ægrotum aſpergendum aqua benedicta, & incenſi ſimiliter propter ægrotum benedicendi; litaniaſque in fine viſitationis adjunctas; quia ad propoſitum noſtrum iſtorum enarratio nihil ſpectat: Manifeſtè autem, & diſertis verbis in eo pœnitentiali docetur reconciliationem privatam præſtari poſt peractam pœnitentiam, facilè tamen pœnitentiæ impoſitioni conjungi. Præfatio & huic Pœnitentiali, & Bædæ pœnitentiali communis eſt, ut & illud capitulum, in quo de capitalibus criminibus diſſeritur. Cætera ſunt diſſimillima. Titulus tamen pœnitentialis Bedæ apud Antonium Auguſtinum, ut & in collectione Anglicana, præfert Egberbum, ut in noſtro exemplari.

Egbertus, iſtius Pœnitentialis author, fuit Archiepiſcopus Eboracenſis, frater Egberti ejuſdem Provinciæ regis. Franciſcus Goduinus Epiſcopus Landavenſis in commentario de
Epiſcopis Anglorum ſcribit anno 731. Epiſcopum factum. "
Henricus vero Spelman hoc refert ad annum 735. Prius vi- "
detur credibilius. Nam Gregorius III. Pontifex, qui obiit an. "
741. in proœmio Pœnitentialis ſui, Egberti mentionem facit, "
Guilelmus Malmesburienſis *lib.* 3. de geſtis Pontificum An- "
glorum de eo ſic ſcribit: Hic omnium liberalium artium ar- "
marium fuit, & nobiliſſimam Bibliothecam Eboraci conſti- "
tuit; cujus rei teſtem idoneum Alcuinum, qui dixit in Epi- "
ſtola ad Carolum Auguſtum, date mihi exquiſitioris erudi- "
tionis ſcholaſticæ libellos, quales in Patria habui, per bo- "
nam, & devotiſſimam Magiſtri mei Egberti Archiepiſcopi "
induſtriam. Et ſi placet excellentiæ veſtræ, remittam aliquos "
ex pueria noſtris, qui excipiant inde quæque neceſſaria, & revehant in Franciam flores Britanniæ. Sepultus eſt cum fratre ſuo in ima porticu apud Eboracum poſt triginta ſex annos Epiſcopatus.

Egbertus ille fuit diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimus, ut teſtantur variæ canonum excerptiones, quas ſacerdotibus diœceſis, & Provinciæ ſuæ tradidit. Henricus Spelman unam ex antiquis manuſcriptis Anglicis edidit *cap.* 245. com-

ple-

Digitized by Google

pleſtentem. Refert prætereà ad ann. 750. Egberti opus Pœnitentiale in Oxonienſi Bibliotheca ſervari, in quatuor libros diſtinctum, in quibus innumera de ſingulis peccatis judicia continentur. Minimis enim peccatis pœnæ imponuntur, ut ex ſpeciminibus colligere eſt, quæ Henricus adfert loco notato. Itaque qui primus codicem, quem evulgamus, deſcripſit, omnia illa judicia, & pœnas pœnitentiales propè prætermiſit, vel quòd in Italia eſſent exoletæ, vel quod nunquam fuiſſent uſitatæ, ſed aliæ earum loco invaluiſſent; vel quod earum catalogus longitudine ſua nimium moleſtius eſſet, vel aliam quamlibet ob cauſam. Exiſtimarim tamen probabilius eſſe, hoc, quod edimus, non eſſe integrum Egberti opus, ſed partem, ſorſan totius operis primam; aut illius compendium; quod Henricus Spelman poſt Balæum ſcribit, Hucarium levitam compoſuiſſe. Quidquid ſit, confeſſionis edendæ formulas multas, & ampla memorialia Pœnitentibus, & Confeſſoribus tradidit. De fine, quem in ejuſmodi generalibus quorumcunque criminum confeſſionibus ſibi propoſuerunt Antiqui, multis diſſertatum eſt *lib.8. capite ultimo*, atque iterùm diſſeremus infrà, ubi de codice Toloſano verba faciemus. His præmiſſis, en ob oculos tuos Egberti excerptum Pœnitentiale, quale nobis videre contigit.

Excerptum de canonibus Catholicorum patrum, vel pænitentiæ ad remedium animarum Domini Egberti Archiepiſcopi Eburacæ civitatis.

INſtitutio illa, quæ fiebat in diebus patrum noſtrorum, rectas vias nunquam deſeruit, qui inſtituerunt pœnitentibus, atque lugentibus ſuas paſſiones, ac vitia, medicamenta ſalutis æternæ: quia diverſitas culparum diverſitatem facit pœnitentibus medicamentorum; vel ſicut medici corporum diverſa medicamina, vel potiones ſolent facere contra diverſitatem infirmitatum, vel judicea ſæcularium cauſarum. Diverſa igitur judicia, qui boni ſunt, & recti, penſant atque tractant, quomodo recti judicent, inter miſeros & divites, inter cauſam & cauſam. Quanto magis igitur, ò ſacerdotes Dei, diverſa medicamenta animarum inviſibilium hominibus penſare, & tractare oporteat, ne per ſtultum medicum vulnera animarum fiant pejora, Propheta dicente: Computruerunt, & deterioraverunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ. O ſtulte medice, noli decipere animam tuam, & illius, ne duplicem pœnam accipias, vel ſeptupla, vel millena. Audi Chriſtum dicentem; ſi cæcus cæcum duxerit, ambo cadunt in foveam. Si tu non cogites judicium meum, alter homo non audit, neque videt, qui me judicet: omnes intelligis, quòd Deus judex juſtus, & fortis videt, & audit; & in palàm abſcondita deducit, & reddit ſecundùm opera ſua: & item verè ſunt nonnulli cæcorum canum ſimilitudine currentium, ad cadavera mortuorum, vel corvorum volantium; qui ad ſacerdotium evehuntur, qui non propter Deum; ſed plus propter honorem terrenum inhiantes cæci * divina ſapientia; de talibus dixit Gregorius Nazianzenus: timeo hoc, quod canes adſectantur officium paſtorale: maximè cum in ſemetipſis nihil paſtoralis præparaverunt diſciplinæ: Ezechiel namque ait væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos, & non gregem. Lac bibebant, & lanis earum operiebantur, & quod craſſum fuit, manducabant: quod fractum fuit, non alligabant, & reliqua; Item Ezechiel ait. Væ Sacerdotibus, qui comedunt populi mei peccata, hoc eſt, ſibi eorum fumentes victimas, & non orantes pro eis. Comedentes hoſtias, & non corripientes; qui ubi morituros homines, inde gaudentes, & præparant ſe ad prædam quaſi corvi ad cadavera mortuorum. Nunc ergo, fratres, qui voluerit ſacerdotalem auctoritatem accipere, in primis propter Deum cogitet, & præparet arma ejus antequam manus Epiſcopi tangat caput: ideſt pſalterium, miſſalem, baptiſterium, Martyrologium: homilias in anni circulo, ad prædicationem cum bonis operibus, & computum cum cyclo, hoc eſt jus ſacerdotum, poſteà autem pœnitentialem: qui hoc ordine ſecundùm auctoritatem Canonum ordinatur, ut diſcretiones omnium cauſarum inveſtiget: primitus ſine quibus rectum judicium non poteſt ſtare, quia ſcriptum eſt. In nulla re appareas indiſcretus, ſed diſtingue quid, ubi, quamdiù, quando, qualiter debeas facere; non omnibus ergo in una eadem libra penſandum. Licèt in uno conſtringantur vitio; ſed diſcretio ſit in unoquoque eorum; hoc eſt, inter divitem & pauperem; liberum, ſervum, infantem, puerum, juvenem, adoleſcentem, ætate ſenem, hebetem, gnarum, laicum, clericum, monachum, Epiſcopum, Presbyterum, diaconum, ſubdiaconum, lectorem, in gradu, vel ſine; in conjugio, vel ſine, peregrinum, virginem, fœminam canonicam, vel ſactimonialem: debilem, infirmum, ſanum. De qualitate pecorum, vel hominum, continens, vel incontinens voluntate vel caſu, in publico vel in abſcondito; quali compunctione emendat; neceſſitate, vel voluntate, loca & tempora diſcernat. Hanc inſtitutionem conlationum conſtituerunt ſancti Apoſtoli: Deinde ſancti Patres, & ſanctus Pynuphinus; deinde canones ſanctorum patrum; deinde alii atque alii, ut Hieronymus, & Auguſtinus, & Gregorius, & Theodorus; ex quorum omnium iſta deſcripſimus dictis, & ſententiis veraciter, ut ſalvi ſint omnes, & non puſillanimes, quia potentes potentiora tormenta patiuntur: Item in Jeſu filii Syrach. In judicando eſto miſericors, pupillis ut pater, & pro viro matri illotum. Item ſanctus Jacobus dicit; judicium ſine miſericordia erit illi, qui non facit miſericordiam: ſuperexaltat autem miſericordia judicium, ut idem ipſe conſequatur, ut ſanctus Benedictus, hoc eſt, qui veram pœnitentiam faciunt, in jejunio, in fletu, in eleemoſynis, in orationibus, & perpetrata iterùm non faciunt, & ſi faciunt, tamen non perſeverant in eis, quia Deus dixit. Malum cogitaſti; ignovi: Malum dixiſti ignovi.. Malum feciſti ignovi, perſeverare in malum non ignoſco: Ergo qui perſeverant in malo, non ignoſce. Sed judica diſtrictum judicium ſecundùm Canones: ut alii timorem habeant.

De capitalibus criminibus.

NUnc igitur capitalia crimina ſecundùm canones explicabo, prima ſuperbia, invidia, fornicatio, inanis gloria; ira longo tempore: triſtitia ſæculi, avaritia, ventris ingluvies; & Auguſtinus adjecit ſacrilegium, id eſt ſacrarum rerum furtum, & hoc maximum eſt furtum, vel idololatriis ſervientem; id eſt auſpiciis, & reliqua: deinde adulterium, falſum teſtimonium, furtum, rapina, ebrietas abſidua, idololatria, molles, ſodomita, maledici, perjuri. Iſta ergo capitalia crimina ſanctus Paulus, & Auguſtinus, & alii ſancti computaverunt: pro iſtis fieri oportet eleemoſynas largas, & longo tempore jejunium teneatur. Ideſt, ut alii judicant pro capitalibus, ideſt adulteris, homicidis, perjuris, fornicariis & ſimilibus: Laicus IIII. annos pœniteat. Clericus v. ſubdiac. VI. diac. VII. Presbyt. X. Epiſc. XII. ſi in conſuetudine erat.

Incipit, qualiter ſuſcipi debeant Pænitentes.

QUotieſcumque Chriſtianis, qui ad pœnitentiam accedunt jejunia damus, & nos communicare debemus jejunio una, aut duabus hebdomadibus, vel quantum poſſumus, ut non dicatur nobis quod ſacerdotibus Judæorum dictum à Domino ſalvatore. Væ vobis legis-peritis, qui aggravatis homines, & imponitis ſuper humeros eorum onera gravia, & importabilia; ipſi autem uno digito veſtro non tangitis ſarcinas ipſorum; non enim poteſt ſublevare cadentem ſub pondus, niſi inclinaverit ſe, ut porrigant ei manum, neque ullus medicorum vulnera infirmantium poteſt curare, niſi fœtoribus particeps fuerit: Ita quoque nullus ſacerdotum peccatorum vulnera curare poteſt, aut ab animabus peccata auferre, niſi pro inſtante neceſſitate ſollicitudinem orationis, & lachrymas adhibuerit. Neceſſe ergo nobis eſt, ſollicitos nos eſſe pro peccantibus, quia ſumus alterutrum membra: Et ſi compatitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Ideò & nos ſi viderimus aliquem in peccatis jacentem, feſtinemus eum ad pœnitentiam per noſtram doctrinam revocare, & quotieſcumque dederis conſilium peccanti, ſimul da illi pœnitentiam, & dic ei ſtatim quantum debeat jejunare, & redimere peccata ſua, ne fortè obliviſcaris quantum eum oporteat pro ſuis peccatis jejunare; & neceſſe ſit tibi, ut iterum exquiras ab eo peccata ejus: Ille autem forſitan erubeſcit peccata ſua iterùm confiteri, ut inveniatur jam ampliùs judicari à te. Non enim omnes clerici, qui inveniunt hanc ſcripturam, uſurpare debent, aut legere, niſi ſoli illi, quibus neceſſe eſt. Hoc eſt Presbyteri; ſicut ſoli illi quibus neceſſe eſt. Hoc eſt Presbyteri; ſicut enim ſacrificium offerre non debent niſi Epiſcopi, & Presbyteri, quibus claves regni cœleſtis creditæ ſunt: ſic nec judicia iſta alius uſurpare debet. Si aut neceſſitas evenerit, & Presbyter non fuerit præſens, Diaconus ſuſcipiat pœnitentem: ſicut ergo ſuperiùs diximus humiliare ſe debet Epiſcopus, ſive Presbyter, & cum triſtitia, & gemitu, lacrimiſque orare non ſolùm pro ſuo delicto, ſed etiam pro omnium Chriſtianorum, ut poſſit cum beato Paulo dicere, quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, &

ego

Digitized by Google

ego non uror. Cùm ergo venerit aliquis ad ſacerdotem confiteri peccata ſua, priùs in ſecreto cordis ſui hæc apud ſe debet orare.

Dicit iſtam Orationem.

DOmine Deus omnipotens, propitius eſto mihi peccatori, ut me peccantibus, & peccata ſua confitentibus dignum inter te, & ipſos mediatorem conſtituas; quique mortem peccatorum non vis, ſed ut convertantur, & vivant: Suſcipe orationem ſervi tui, quam pro famulis famulabuſque tuis ante conſpectum gloriæ tuæ pœnitere cupientibus effundo, ut pariter eos & à peccatis exuas, & in futuro ab omni crimine illæſos cuſtodias. Per.

Cùm autem acceſſerit ad te, dic ſuper eum hanc Orationem.

DEus, qui omnium confitentium tibi corda purificas, & accuſantes ſuam conſcientiam ab omni vinculo iniquitatis abſolvis, da indulgentiam capitivis, & medicinam tribue vulneratis, ut excluſa dominatione peccati, liberis tibi mentibus famulentur. Per.

Item alia.

DA nobis, Domine, ut ſicut publicani precibus, & confeſſione placatus es, ita & huic famulo tuo placare, ut in confeſſione flebili permanenti, & petitione perpetua, clementia tua celeriter exoretur, ſanctiſque altaribus, & ſacramentis reſtitutus rurſus cœleſti gloriæ mancipetur. Per.

Confeſſio peccatorum.

QUando volueris confeſſionem facere peccatorum tuorum, viriliter age, & confortare in Domino, & noli erubeſcere: & quis inde ... indulgentia, cùm in ſpe miſericordiæ Dei humiliter confeſſus fueris peccata tua, & reliqueris ea, quia ſine confeſſione non eſt indulgentia. In primis proſterne te humiliter in conſpectu Dei in terra ad orationem, & roga beatam Dei Genitricem Mariam, ut ipſa intercedat pro te ad Dominum, cum omnibus ſanctis Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, & Virginibus, ut Deus omnipotens dignetur tibi dare ſapientiam perfectam, & intelligentiam veram, & virtutem animi conſtantem ad confitendum veraciter ex infirmo corde peccata tua: & poſteà ſurge, & cum fiducia, & vera credulitate dic ei, cui confiteri vis peccata tua, mea culpa quia nimis in cogitationibus, locutione, & opere peccavi.

Alia.

Confiteor coram Deo omnipotente creatore cœli, & terræ, & coram hoc altario ſancto, & ſanctis reliquiis, quæ in hoc loco ſancto ſunt, & coram te ſacerdote, quia nimis peccavi in cogitationibus nefandiſſimis, delectando eis, & conſentiendo illis, & meditando, atque diſponendo, in ſenſu, & in memoria, atque voluptate mea qualiter explere potuiſſem opera, quæ male cogitabam.

Alia.

Confiteor, quia peccavi nimis in ſermonibus vanis, & immundis, & turpibus, & otioſis, ac nocivis, confiteor odia cordis mei, & doloſitates, & invidias detractiones, impatientias, convitia, contentiones, dijudicationes, blaſphemationes, turpiloquia, ſcurrilitates, mendacia, maledicta, perjuria, conſilia iniqua, excuſationes peccatorum meorum, irriſiones, diſſimulationes, adulationes, improperationes, inflationes, tumultuationes, malevolentias, malitias, ſeductiones, furores, indignationes, ambitiones, concupiſcentias carnis, concupiſcentias oculorum, & ſuperbias, triſtitias, timiditates, mollitias animi, tædia multa, negligentias, ſecuritates, vigilias inutiles, & Deo diſplicentes, edacitates, ebibitiones, elocutiones, edormitiones ſuperfluas, & inordinatas, carnales concupiſcentias, & tyrannides cordis mei iniquas, & amaras, atque impiiſſimas.

Alia.

Confiteor, quia propter corporis mei ſuavitatem, & delectationem, Dei præcepta poſtpoſui, & ſæpè vigilias ſanctas dimiſi, & ſomnolentiam meam explevi, deſidiam, mollitiam, pigritiam, torporem, & ignaviam, plenus faſtidio ſpirituali ſecutus ſum: per ſuperbiam, & elationem Dei præcepta tranſgreſſus ſum, & me meliorem cæteris putavi. De multis rebus voluptates carnales, & immundas, id eſt fornicationes, luxurias, immunditias, pollutiones, ebrietates, comeſſationes, convivia, crapulas manifeſtè, & occultè perpetravi, & in his totis ſenſibus meis tanquam in deliciis delectans malè ſuaviter requievi. Dominicorum dies, & ſanctas Dei ſolemnitates, & Sanctorum feſtivitates indignè, & ſine Dei timore deduxi, & nihil ſpirituale in his meditatus ſum, ſed totum carnaliter egi, intentus ad ſaturitatem ventris, & ad diſſolutionem riſus, & joci vani diſcurſus: religioſitatem, quam reverenter cum timore Dei cuſtodire debui, non cuſtodivi.

In ſancta Eccleſia dum ad opus Dei affui, multa mala cogitavi, & perpetravi, & locutus ſum: & ſæpè nimio ſomno gravatus multas perdidi orationes, ac lectiones; pſalmodias quoque, & officia: nam & vigilans frequenter alienata memoria diſcurrit viſus meus interior per multas rerum terrenarum diſpoſitiones, & per illicitas oblectationes vanas, atque turpes meditationes, varioſque errores, unde occupatus ſenſus meus ſine fructu ſpiritali efficitur.

Item alia Confeſſio.

Conſecrata Dei miniſteria, & ſanctas reliquias, & ſanctos codices, & ſancta vaſa, indignus, & pollutus tetigi, & ſordidè atque negligenter contrectavi: corpus, & ſanguinem Domini polluto corde, & corpore ſine confeſſione, & pœnitentia ſcienter indignè accepi, & non cuſtodivi, nec judicium Dei ſuper me venturum exterritus timui, ut timere debui: officia canonica, & orationes, atque pſalmodias, vel lectiones negligenter, atque irreverenter in conſpectu Dei effudi, & multa diviſi, quæ non ſolvi. Patrem meum, & matrem meam, fratres meos, & ſorores meas, & omnes propinquos meos, & omnes Chriſtianos, non ſicut præcepit Deus, dilexi propter Deum, nec eis honoris obſequium exhibui, ſed ſemper omnibus carnaliter placere volui, quia quæ mea ſunt quæſivi potiùs, quàm quæ Dei ſunt. Adverſantes, calumniantes me non ſolùm ſecundùm Dei præceptum non dilexi, nec patienter ſuſtinui; ſed inſuper malum pro malo ampliatum eis reddidi, & ſæpè malum pro bono reddere decertavi. Epiſcopos, Presbyteros, Abbates, Monachos, Canonicos, & omnem Clerum Eccleſiæ Dei, nec non, & priores meos, ſeu in ſublimitate poſitos non amavi, nec dilexi, neque honoris obſequium præbui eis, ſicut Deus præcepit; ſed inſuper vituperavi eos, & detraxi, atque dijudicavi. Decimas, vel primitias bonorum meorum, non reddidi: hoſpitalitatem non dilexi, veram fraternitatem puro corde non cuſtodivi, latrocinium, & furtum abſcondi, & comedi, & latrocinantibus, & abſcondentibus conſenſi, infirmos, & in carcere poſitos non viſitavi, ut debui: nudos non operui, hoſpites, & peregrinos propter Deum non ſuſcepi; eſurientes, & ſitientes non refeci, dolentes, & flentes non ſum conſolatus; diſcordantes inter ſe plus ad iram quàm ad pacem provocavi; malum omne plus credidi; & audire volui quàm bonum: & mendacium plus quàm veritatem, & quod maximè credere debui, non credidi. & quod non debui credere, credidi: ſæpè admodum conſenſi: detrahentes libenter audivi; meipſum per carnalia deſideria, & malas cogitationes, ac voluntates, & mala opera contaminavi, & perdidi, & cui nocere potui, nocui, & diabolo conſenſi, & voluptati illius peccando me ſubdidi.

Confiteor, quia multum peccavi, in viſu, in auditu, in guſtu, in odoratu, & tactu, in pedibus, & in manibus, & in lingua mea, atque in genitalibus membris meis, & in omnibus ſenſibus meis, multa mala perpetravi: repletus omni iniquitate, malitia, & nequitia, feci ſacrilegium, homicidium, adulterium, falſum teſtimonium, furtum, rapinam, perjurium, uſuras tenui longo tempore, iracundiam, reddidi malum pro bonis: & non ſolùm iſta, ſed & alia mala feci multa, & facientibus conſenſi. Ego miſer peccavi nimis, quia eleemoſynas, & primitias atque decimas, quas ſub obtentu ſacerdotis ſuſcepi, malè expendi, & in propriis uſibus meis ea conſumpſi, & illud quod inde debui facere, non feci. Peccavi quod negligens fui de meo curſu, quem per horas canonicas, perſolvere debui, & de mea pſalmodia, & de meis orationibus, & de meo miniſterio, quòd non cuſtodivi ſecundum ordinem. Peccavi de illis pœnitentibus, qui ad me propter confeſſionem venerunt, quos ego nec ſecundum legem admonui, nec ſollicitus fui, de illis ſicut debui. Peccavi erga ſubditos mihi; quia circa negligentes zelum rectitudinis juſto moderamine non tenui, ut debui, & ſæpè per inutilem remiſſionem eis condeſcendi, quando non debui: Peccavi, poſtquam confeſſus fui crimina mea, perpetravi illa. Peccavi in deſiderio alienarum rerum, & pro curioſitate multa vidi oculis meis, & multa audivi auribus meis, quæ nec vide-

Digitized by Google

videre, nec audire mihi oportuerat. Sæpè volui publica increpatione eum, qui mihi non placuit, confundere, & proximi famam mordaci laceratione carpere, & quando eum vidi, & vituperari gratum habui; ſæpè occulta cordis alieni malè dijudicavi. Peccavi, quia injurias mihi factas in mente retinui, & peccantibus in me puro corde non indulſi, & modò dimitto ex toto corde omnibus, qui in me peccaverunt: Peccavi, quia ipſas iniquitates, quas feci, in alios jure dijudicavi, & condemnavi, & aliter me, aliter alios penſavi. Multa dixi, quæ dicere non debui, & multa non dixi, quæ dicere debui. Multa cogitavi, & meditatus, atque delectatus ſum, quæ cogitare, & meditari, vel delectari non debui, & multa, quæ cogitare debui bona, & meditari, atque delectari dereliqui. Oſcula illicita, & amplexus neſandos feci; ſæpè palpavi, quòd palpare non debui: ſæpè conſenſi, quæ mihi conſentire non oportuerat; & non conſenſi quod conſentire debui, dimiſi opera bona, quæ facere debui, & feci opera mala, quæ facere non debui, horrui quod diligere debui, & dilexi quod non debui. Unde pro omnibus, atque aliis innumeris ſceleribus meis, quæ contra legem Dei commiſi, ut potuiſſem à Deo invenire indulgentiam Cœnobium petii, vitam monaſticam ſuſcepi, ſed miſer ego ſæpè involvor variis modis, in levitatibus, in vanitate, in negligentia, in inquietudine animi, in amaritudine, in ſtimulis malarum cogitationum, in contumacia, in negligentia boni operis, in prævaricatione religionis, in loquacitate, in ſcurrilitate, in duritia mentis, in acedia, in indignatione, in inobedientia, in judicatione, & in murmuratione, atque detractione, in ſuperbia quoque, & in rancore animi. Quæ omnia mala coram Deo omnipotente, & ſancto hoc altari, & ſanctis reliquiis, quæ in hoc loco ſunt, confiteor pura, & vera confeſſione, & bona voluntate emendare, in quantum Dei miſericordia dignatur me adjuvare. Ipſe enim Deus omnipotens, qui dixit per Prophetam, nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat; & iterùm; in quacumque die ingemueris, ſalvus eris; & qui me dignatus eſt ad confeſſionem peccatorum meorum miſericorditer trahere; det mihi virtutem continendi me à malis operibus, & miſereatur animæ meæ, & parcat, & remittat, ac deleat omnia peccata mea, præterita, præſentia, & futura, & perducat me, atque introducat in vitam æternam, Amen.

Item alia Confeſſio.

SUſcipe confeſſionem meam, Domine Deus, unica ſpes ſalutis meæ: gula, ebrietate, fornicatione, libidine, triſtitia, acedia, ſomnolentia, negligentia, ira, cupiditate, invidia, odio, detractione, perjurio, falſitate, mendacio, vana gloria, levitate, ac ſuperbia, perditus ſum omninò: cogitatione, locutione, actione, atque omnibus ſenſibus meis extinctus ſum; ſed tu, qui juſtificas impios, & vivificas mortuos, vivifica me, juſtifica me, Domine Deus meus.

Alia Confeſſio.

DOmine Deus te credo omnipotentem, inviſibilem, incircumſcriptum, omnia regentem, omnia continentem, omnium creatorem, trinitatem unitatem. Credo te miſiſſe filium tuum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum in terram pro ſalute generis humani: hæc eſt fides, qua in te credo. Si rectè credo, bene, ſi autem minus quam oportet; obſecro ut non aſpicias ad verba, quæ dixi; ſed ad id quod volui. Domine Jeſu Chriſte, credo te per Angelum Mariæ Virgini annunciatum, credo te cum carne natum, paſtoribus demonſtratum; credo te octavo die circumciſum; credo te à Magis adoratum, à Joanne baptizatum in Jordane, preſentatum in Templo. Credo te à Juda traditore traditum, conſputum, flagellatum, ſpinis coronatum, crucifixum, ſepultum, tertia die reſurrexiſſe, & quadraginta diebus cum diſcipulis manducaſſe, & bibiſſe; deinde quadrageſimo die in cœlos aſtantibus diſcipulis aſcendiſſe, inde credo te venturum judicare vivos, & mortuos. Fixus ſum, Domine, te dixiſſe, nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat: & iterum; Gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentia.

Ad ſuſcipitadum pœnitentem Oratio, quam Sacerdos pro ſe dicere debet.

DOmine Deus omnipotens propitius eſto mihi peccatori.

Alia.

Deus, qui omnium confitentium. *Alia.*

Da nobis, Domine, ſicut publicani. *Require ut ſuprà primo quaternio.*

Iſtud ſuppliciter antequam Confeſſio fiat.

CReator omnium Deus, factor meus, redemptor meus, & judex, qui mihi voluntatem confitendi peccata mea dedisti; diſrumpe in me nodos humanæ verecundiæ, ut mea in conſpectu tuo pura confeſſio fiat, & pro amore tuo nihil taceam, nihil aliter quàm factum eſt dicam; ſi hoc dederis, poſſe tunc me intelligam ad numerum prædeſtinatorum pertinere. Sancta, & individua Trinitas miſerere mei, & dona, quæ poſco; ſancta Dei Genetrix, cum Angelis, & omnibus Sanctis, intercede pro me miſero, ut Deo donante puram facere valeam confeſſionem, quia aliter ſalvus eſſe non poſſum.

Et canta pro hoc Pſalmos 5.

MIſerere mei, Deus, ſecundùm magnam. Deus, in nomine tuo ſalvum me fac.

Miſerere mei, Deus, miſerere mei. Deus miſereatur nobis, & benedicat.

Domine Deus, in adjutorium meum intende.

Sequitur capitulum.

Ego dixi, Domine, miſerere mei. Sana animam meam, qui peccavi tibi.

Ab occultis mei munda me, Domine. Et ab alienis parce ſervo tuo.

Delicta juventutis, & ignorantias meas, ne memineris. Domine, ſecundùm miſericordiam tuam vivifica me. Ut cuſtodiam teſtimonia oris tui.

Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis. Peccatum meum copioſum eſt enim.

Domine, averte faciem tuam à peccatis meis. Et omnes iniquitates meas dele.

Domine, exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

MEmento, Domine, famulo tuo *Ill.* & qui lubrica terreni corporis fragilitate notamur, quæſumus, ut des veniam confitentibus, parce ſupplicibus, ut qui noſtris meritis accuſamur, tua miſeratione ſalvemur. *Per.*

Alia Oratio.

PRopitiare, Domine, iniquitatibus noſtris, & exorabilis tuis eſto ſupplicibus, non extendatur in noſtra juſtitia* nec differatur medicina clementiæ, ut conceſſa venia, quam precamur, perpetuò miſericordiæ munere gloriemur. Per Dominum noſtrum.

Alia Oratio.

DEus ſapientiæ, & miſericordiæ venerabilis, qui ſolus ulciſceris, ſolus ignoſcis, arbiter mortis, & vitæ, Domine utriſque ſerene boni imperator præmii: da quæſumus famulo tuo *Ill.* Indulgentiam, & patientiam exoratus accepta, ut qui præterita deplorant, propter ſpem futura non timeant, pacíſque conſortes, & in ſpe gratiæ ſalutaris ad partem menſæ cæleſtis accedat. Per Dominum noſtrum, &c.

Incipit ordo ad pœnitentiam dandam, & judicandam. Priùs dicit Epiſcopus, aut Presbyter capitulum, Deus in adjutorium meum intende. *Deinde dicit Pſalmum totum.* Benedic anima mea Dominum, *Deinde alium Pſalmum totum,* Miſerere mei Deus ſecundùm magnam.

Poſt hæc interroget eum Epiſcopus, aut Sacerdos.

CRedis in Deum, Patrem omnipotentem, & Filium, & Spiritum ſanctum. ℟. Credo. *Int.* Credis, quòd iſtæ tres perſonæ, quas diximus, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, tres perſonæ, & unus ſit Deus. ℟. Credo.

Int. Credis, quòd in iſta ipſa carne, in qua hic es, reſurgere debes. ℟. Credo.

Int. Et quod abſit, ſi in malis operibus perſeveraveris, cùm ipſa carne ardebis: & ſi in bonis operibus perſeveraveris, & veram

veram pœnitentiam egeris, cum ipſa carne in vita eſſe. ℟. Credo. *Int.* Divinam, & ſanctam reſurrectionem credis. ℟. Credo. Credis Baptiſmum. ℟. Credo. *Int.*

Primum interrogas eum orationem dominicam, & ſymbolum, ſi tenet; Et ſi hæc tenet, dic ei. Vis tuam confeſſionem dare? Volo Interroga eum, ſi jam ipſe confeſſus fuiſſet. Poſt hoc interroga, ſi ipſe aliquid de malo ingenio habet, aut de futuro, aut de aliqua cauſa contra dicta: ſi confeſſus fuerit, quod habuit, inſtrue eum: quod non eſt licentia judicium de aliis peccatis recipere, antequam ipſum reddat, aut eiiciat. Poſteà ſi fecerit, interroga eum, ſi iracundiam contra qualemcumque hominem habeat: ſi confeſſus eſt habere, ammone quod eſt ſcriptum: ſicut non proficit in vulnere medicamentum, ſi adhuc ferrum in eo ſit: ita nihil proficit abſtinentia illis, qui tales ſunt; quia non licet eis pœnitentiam agere. Poſt hæc interroga eum crimina ſua, quæ habet. Hoc eſt, de ſuperbia, vel ſacrilegio, homicidio, & adulterio, falsò teſtimonio, perjurio, mendacio, furto, rapina, ira, avaritia, detractione, & ſi cum quadrupedibus luxuriatus ſit, vel inceſta commiſit.

Poſt hoc dictum interroga eum.

DIc mihi opera, quæ feciſti, & cogitaſti: Peccaſti in verbò, aut in cogitatione, vel opere? juraſti ſuper Evangelium, aut ſupra altare? 10. ann. pœniteas. Juraſti in manu fratris, aut alterius hominus manu, aut in cruce conſecrata, 3. ann. pœniteas. Maledixiſti per iram, habuiſti invidiam? 7. ann. pœniteas. Fuiſti idetractioſus, 7. ann. pœnit. Dixiſti otioſa verba, habuiſti odium, quamdiu habuiſti, tandiu in pane, & aqua vivas. Habuiſti concupiſcentiam gulæ, cogitaſti ſordidè, concupiſti aliquid cum oculo quod non habuiſti, peccaſti voluptuoſoriam delectationem, fuiſti aſper pauperibus, viſitaſti Chriſtum in carcere, excepiſti peregrinos in domum tuam, lavaſti pedes hoſpitibus, viſitaſti infirmos, revocaſti diſcordantes ad concordiam, manducaſti jejunii diebus ante horam, fuiſti occupatus otioſis fabulis, ſtetiſti in Eccleſia, quando lectionem ſanctam debueris audire cogitaſti aliquid pſallendo, aut orando aliquoties, quòd non oporteret, fuiſti locutus luxurioſa verba; fuiſti ſacrilegus? 7. ann. pœniteas, 3. ex his in pane, & aqua Fornicaſti, feciſti adulterium cum muliere aliena, aut cum virgine, aut cum ſanctimoniale, ſeptem annos pœniteas: ſi cum jumento, aut cum aliis animalibus? 15. annos pœniteas: ſi quis cum ſorore, aut cum commatre fornicaverit, 15. annos pœniteat. Feciſti homicidium? 7. annos pœniteas, & ſis certo tempore extra Eccleſiam. Si ſponte, aut in bello, aut per juſſum domini tui homicidium feceris, ſimiliter pœniteas. Poſteà pœniteas * judicium ſacerdoti. Fuiſti raptor, dixiſti falſum teſtimonium, coinquinaſti te in membris tuis, in malis concupiſcentus, neglexiſti audire hoc quod Dei præceptum eſt, ambulaſti pedibus, ubi non debuiſti, manducaſti aliquid furatum, aut immundum? 7. dies pœniteas: quomodo honoraſti patrem tuum, aut matrem, aut compatrem, aut filios tuos in Chriſto? quomodo conſervaſti diem ſanctum Dominicum, vel alia feſta Sanctorum, 7. dies pœniteas, accepiſti munera quomodo conſervaſti ea? Si canis eam adſumptit, 1. ann. pœniteas, ſin autem 40. dies: ſi infirmitatis cauſa, 7. dies pœniteas. Feciſti vomitum per ebrietatem, 12. dies pœniteas: concupiſti fornicari, & non potuiſti? 1. annum pœniteas: oſculaſti inlecebroſum oſculum, 7. dies pœniteas. Fuiſti in ſomno voluptate pollutus? 1. die pœniteas: nupſiſti mulieri tuæ retro 40. dies pœniteas: coluiſti idola, vel incantationes, aut divinationes? 3. aut 5. aut 7. annos pœniteas: ſicut ſupra diximus: & ſi non fuit, 3. annos pœniteas, furaſti cibum, 40. dies pœniteas: incendiſti domum, vel aream, 7. annos pœniteas: percuſſiſti alium per iram, & effudiſti ſanguinem 40. dies pœniteas: tuliſti uſuras, tres annos pœniteas, unum in pane, & aqua: fornicaſti ſicut ſodomitæ fecerunt; 15. annos pœniteas, 5. ex his in pane, & aqua.

Recordatio.

QUando cogitatio vanæ gloriæ, vel ſuperbia te impugnant, perſcrutare te ipſum, ſi omnia mandata Dei ſervaſti, ſi inimicos diligas, ſi gaudes in gloria inimiei tui, ſi contriſtaris in dejectione ejus. Si apud te habes, quoniam ſervus inutilis es, & omnibus hominibus plus peccator; & iterum ex cubili tuo proprio manè conſurgens antequam in opus aliquod occuperis: dic quod homines ingrediuntur in regnum Dei propter juſtitias ſuas: Ego autem ſolus propter peccata mea, ſpero me pœnas hereditare perpetuas, niſi miſeratio tua ſubvenerit mihi. Peccavi, miſerere mei, & ne permittas me perire facturam tuam; ſed reſpice in me, atque à peccatis meis faciem tuam averte, & omnes iniquitates meas dele, & propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

Confeſſio.

EGo confiteor, Deus cœli, & terræ, coram hoc altare tuo ſancto, & iſtius loci reliquiis, & coram hoc ſacerdote tuo, de omnibus peccatis meis, & omnia, quicquid Dei pietas mihi ad memoriam reducit. De cogitationibus, ſive ſermonibus turpibus, otioſis, ſive immundis, quòd hoc contra Dei præceptum feci. Ego confiteor omnia odia cordis, & corporis mei, vitia, invidias, detractiones, perjuria, furta, maledicta, convitia, turpiloquia, ſcurrilitates, malitias, irriſiones, diſſimulationes, murmurationes, adulterationes, triſtitias, vigilias inutiles, & Deo diſplicitas, carnales concupiſcentias peſſimas. Et propter corporis mei ſuavitatem, & delectationem, Dei præcepta poſtpoſui, & tranſgreſſus fui, per ſuperbiam, & elationem, & deſidiam, & pigritiam: & voluptates immundas perpetravi, fornicationes, pollutiones, luxurias, ebrietates, commeſſationes, homicidia manifeſta, & occulta in corpore, & animo. Patrem meum, & matrem, fratres, & ſorores, patruos, amitas, & conſobrinas, ſeu omnes propinquos, & parentes meos ſecundùm Dei præceptum, & Dei voluntatem, honoris obſequium non exhibui; neceſſitatibus eorum, prout potui, non fui. Seniorem carnalem plus in malo, quàm in bono auſcultavi, & inobediens fui: omnes Chriſtianos, ſicut præcepit, non dilexi. Aliis malum, non bonum exemplum, & documentum præbui, & oſtendi: Mulierem, filios, & filias, ſorores, nepotes, & neptes, ſive aliam parentelam meam, vel etiam omnes familias domus meæ, luxurioſos, adulteros, & fornicarios, ſuperbos, & ebrioſos, & latrones eſſe conſenſi, & non eos correxi: ſecundùm Dei voluntatem ſicut potui, nec eos amavi, & direxi, & docui, ſicut debui: filios, & filias meas ſicut Deo promiſi, non docui, nec honoravi, nec profui. Dominicam diem, & ſolemnitates Sanctorum, non dignè, nec Deo acceptabile duxi, nec cuſtodivi, & neſcientibus non annuntiavi. ſed ebrioſè, & luxurioſè in ipſis me pollui, & alios ad hoc invitavi, & incitavi. Decimas bonorum meorum pleniter non reddidi niſi invitus, latrocinium, & furtum abſcondi, & comedi, & abſcondentem conſenſi. Infirmos, & in carcere poſitos non viſitavi, nudos non cooperui. Hoſpites propter Deum non ſuſcepi, nec eorum pedes lavi, eſurientes, & ſitientes non refeci, dolentes, & flentes non conſolavi, inter ſe diſcordantes, ſive parentes meos, & Chriſtianos rixantes plus ad iram quàm ad pacem provocavi. Malum omne plus credere, quàm veritatem audire deſideravi, quod credere debui, non credidi, & quod non debui, credidi. Ego enim confiteor; quia multum peccavi, viſu, auditu, guſtu, odoratu, & tactu, & multa mala cogitavi, & perpetravi, & cum mala voluntate conſilia mala dedi, contra Dei præceptum, & Dei voluntatem. Ego confiteor, quia in ſancta Dei Eccleſia, multa mala cogitavi, & locutus fui, & perpetravi, & ab aliis libenter audivi, & audire me diſſimulabam. Inordinatè, & ſuperbè intra ſanctam Eccleſiam ſteti, ſedi, oſculavi, aſpexi, perrexi, jacui, conſenſi, intravi, exivi, tetigi vaſa ſancta, & libros, & omne miniſterium ſanctum: ſimiliter in omnibus locis ubicumque voluptas corporis mei me perduxit, & mecum perſeverant. Feci cantica turpia, & inepta protuli oſculo nefando pollutus. Sacramenta ſuper altare ſanctum, & in conſecrata Eccleſia, & in benedicta Cruce, & per ſanctas reliquias juravi, & verba perjura, & mendacia protuli, & perdidi nomen, & ſanctorum nomina, & corpora ſanctorum juravi, & perjuravi. Ego confiteor, quia omnipotenti Deo, & omnibus ſanctis, & omnibus bonis hominibus inobediens fui, interius, & exterius infidelis fui, moleſtus fui, contentioſus, odioſus, invidioſus, iracundus, avarus, cupidus, rapax, incredulus; immitis: conſecratum Dei miniſterium, & ſanctorum reliquias, & ſanctos libros, & ſancta vaſa, indignus, & pollutus tetigi, & portavi, & memorationem negligenter in conſpectu Dei effudi: propter cogitationes inanes, & duro corde ego Corpus Domini, & Sanguinem ejus pollutus corde, & corpore, ſine confeſſione, & pœnitentia ſcienter indignus accepi, & non cuſtodivi, & jejunia, & pſalmodias, & orationes * excutiones. Poſt cruces nuda veſtigia incedere debens, ſicut Deus præcepit hoc agere cum humilitate cordis, & corporis, ſicut idipſum, & dictum fuit à Regibus, & Imperatoribus non cuſtodivi, nec adimplevi: Epiſcopis, Presbyteris, Abbatibus, Monachis, Canonicis, & communi clero Eccleſiæ Dei non amavi, nec dilexi, nec honoris obſequium præbui, ſicut Deus præcepit. Meipſum per carnalia deſideria, & per malas cogitationes, & per malam voluntatem, & per mala opera contaminavi, dehoneſtavi, perdidi, & volun-

tatè

tariè diabolo conſenſi, & in peccatis me ſubdidi, ſive domi manens, ſive iter pergens, ſive navigia exercens, occaſiones non jejunandi, & multa mala perpetrandi quæſivi, & feci. De his omnibus, atque aliis innumerabilibus quod propter multitudinem peccatorum, criminum, ſcelerum, & facinorum meorum recordare non ſufficio, & quod ego contra Dei voluntatem, & omnium Sanctorum, & legem Chriſtianam feci, & duro corde perpetravi, ſive ignoranter, ſive ſcienter, ſive in cogitatione mala, ſive in verbo, ſive in opere, vel etiam aſſiduitate, vel delectatione peccati, ſive in die, ſive in nocte, horis, atque momentis, ſive vigilans, ſive dormiens, ſive qualicumque cauſa cogitaſſem, & facere voluiſſem, & opere perpetraſſem contra Dei voluntatem: ſic ego hodie omnia tibi Deus cœli, & terræ confiteor, coram ſancto altari tuo, & ſanctis iſtius loci reliquiis, & coram ſacerdote tuo, ut pura, & vera confeſſione, & bona voluntate ad emendandum, & hæc peccata deinceps dimittendum, & tu Deus omnipotens, qui dixiſti, nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat: miſerere animæ meæ, & parcas, & remittas, & deleas omnia peccata, crimina, ſcelera, facinora, & delicta mea, præterita, præſentia, & futura, & perducas me in vitam æternam, Amen. Supplico te Dei Sacerdos, ut de his omnibus ſis mihi teſtis, in diem judicii, ne gaudeat de me inimicus meus, & dignare pro me Domini miſericordiam deprecari, ut donet mihi veniam, indulgentiam, & omnium peccatorum meorum remiſſionem. Amen.

Alia Confeſſio.

Ego peccator Confiteor mea peccata coram Chriſto, & coram Sanctis ejus, & tibi, Pater, quia pèccavi nimis in omni vita mea.

De Cogitationibus.
De locutionibus.
De verbis.
De fabulationibus.
De riſu cum cachinno.
De levitate.
De factis malis.
De avaritia.
De odioſis ſermonibus.
De vana gloria.
De ſuperbia.
De iracundia.
De ſacrilegio.
De adulterio.
De fornicatione.
De ſortilegio.
De ſodomitico.
De interfemore.
De interga.
De pollutione manus.
De pollutione int. ſem.
De libidine.
De inceſtis facinoribus.
De invidia.
De odio.
De duritia cordis.
De indignatione mentis.
De homicidio.
De furto.
De fraude.
De juramento.
De perjurio.
De perverſitate.
De prædatione.
De viſu malo.
De ebrietate.
De gula.
De voracitate.
De inſatietate.
De ſaturitate.
De hæreſi.
De hypocriſi.
De concupiſcentia.
De cupiditate.
De joco.
De ſcurrilitate.
De vanitate.
De ſuſpicione.
De animoſitate.

De curioſitate.
De contentione.
De injuſtè judicando.
De munera accipiendo.
De res ſanctæ Eccleſiæ malè diſperdendo.
De elatione.
De extollentia.
De arrogantia.
De inani gloria.
De adulatione.
De jactantia.
De laude appetenda.
De ſimulatione.
De detractione.
De accuſatione.
De ſuſurratione.
De vomitu.
De ſomnolentia.
De pigritia.
De tarditate.
De oblivione.
De inobedientia.
De murmurationibus.
De ſilentio.
De taciturnitate.
De blaſphemiis.
De incautè maledicendo hominem.
De percuſſionibus.
De indiſcretè, & immoderatè exercendo.
De vanis locutionibus.
De metiendis ſermonibus.
De conſilio malè dando.
De pſalmis mortuorum.
De eleemoſynantibus.
De balnearum mortuis.
De vigiliis mortuorum.
De ſepultura mortuorum.
De viſitatione infirmorum.
De omni officio divino.
De ſancta regula, quàm non cuſtodivi ſic, ut promiſi.
De opere Dei, quod negligenter feci.
De ſordidis cogitationibus.
De immunditia cordis, & corporis.

De corpore Domini, & ſacro ſacrificio, quòd negligenter tractavi, & indignus accepi.
De multis malis, quæ feci.
De omni vitio malo.
Domine parce, indulge, & miſerere mei. Amen.

De Confeſſione peccatorum.

DOmino Deo omnipotenti confeſſus ſum peccata mea, & ſanctis ſuis, & tibi Dei ſervo, & amico, quæ feci, ex quo ſapere incepi in verbo, in cogitatione, & in opere, aut in juramentis, & perjuriis, aut per maledictas detractiones, aut per otioſos ſermones, & per odium, vel iram; aut per invidiam, & concupiſcentiam gulæ: aut per ſomnolentiam, & ſordidis cogitationibus, vel concupiſcentia oculorum, aut pro voluptuoſa aurium delectatione, aut per aſperitatem pauperum, & tardè Chriſtum in carcere viſitavi, & peregrinos negligenter excepi, & ſecundùm promiſſionem noſtram in Baptiſmo hoſpitibus pedes lavare neglexi, & infirmos tardius quàm oportuit viſitavi, & diſcordes ad concordiam non integro animo revocavi, & Eccleſia jejunante prandere volui, & in Eccleſiam ſtans, ubi ſanctas lectiones legunt, otioſis fabulis occupatus fui: quod autem pſallendo, vel orando aliquoties, aliud quàm oportet, cogitavi, & in conviviis non ea ſemper, quæ ſancta ſunt, ſed aliquoties, quæ ſunt luxurioſa, vel detractiooes locutus fui: & confeſſus ſum tibi incredulitatem meam, quod fui ſacrilegus, quòd furavi: quòd fornicavi, quod adulteravi, & in ſacrum altare juravi, quod homicidium feci, & raptor fui: & falſum teſtimonium dixi, & me in animalibus coinquinavi, & membris meis, in concupiſcentia malorum phantaſmatum me tangendo pro mala delectatione me coinquinavi, & quòd oculis meis vidi, quod mihi licitum non fuit, vel negligens fui, quod videre debui; & quod auribus meis audivi, quod licitum non fuit, aut dicere neglexi, quæ præceptum eſt, aut ore locutus fui, quod licitum non fuit, aut ſilui quod loqui debui, aut manibus meis operatus fui, quod licitum oon eſt, aut tardavi quod præceptum eſt, aut pedibus meis àmbulavi, ubi non debui, aut reſcidi quod fuit præceptum: aut quod volens, & nolens, aut ſciens contra Dei voluntatem cogitavi, & locutus fui, vel operatus: omnis fient in pura confeſſione Domino Deo omnipotenti, & tibi Dei amico, & ſacerdoti, & rogo te cum humilitate, ut digneris orare pro me infelice, & indigno, ut mihi dignetur per ſuam miſericordiam dare indulgentiam peccatorum meorum.

Et dicit Sacerdos.

Omnipotens Deus, qui dixit, qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo; ille te benedicat, & det tibi remiſſionem peccatorum.

Alia.

Reſpiciat Dominus Jeſus ad tuam ſalutem, & infundat ſuper te ſpiritualia dona virtutum, ut nihil in te inimicus fraudare decipiat. Cuſtodiat te Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui diabolum interfecit, & nòs omnes liberavit, de tormentis pœnarum, ut ad regna cœlorum dignus pervenias, in benedictione Chriſti. Convertat Dominus Deus noſter vultum ſuum ad te, & det tibi pacem omnibus diebus vitæ tuæ: ipſe autem Deus ſanctificet, ut ſis humilis, & perfectus, integer corpore, & anima, ſine querela in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti * ſervet peccatio tua. Det tibi Dominus Angelum pacis cuſtodem, qui regat corda tua in hoc mundo, & in futuro, animam tuam purificet ab omni delicto. Defendat te Dominus ab omnibus malis, & ab omni reatu adverſarii, ut cum venerit Dominus, non diſcutiat, ſed in gloria ſua remunerando te aſſumat. Amen.

** Dum eſt facta Confeſſio, mox dicit.*

O Clementiſſime cœli, terræque creator confiteor me deliquiſſe, in cogitationibus pravis, in verbis otioſis, factuque malitioſis. Peccavi etiam, Domine, peccavi, in viſu, auditu, guſtu, odoratu, & tactu. Octo etiam principalibus vitiis me obnoxium eſſe confiteor, id eſt, gulæ, fornicationi, avaritiæ, iræ, triſtitiæ, acediæ, vanæ gloriæ, atque ſuperbiæ: pro his, Domine, atque innumerabilibus malis meis, ut à te veniam accipere promerear hos in conſpectu tuo.

Pſal.

Pſalmos decante.

Domine, ne in ira tua. j.
Beati quorum. Domine, ne in ira tua. ij.
Miſerere mei, Deus, ſecundùm.
Domine, exaudi orationem, & clamor.
De profundis clamavi.
Domine, exaudi orationem, auribus percipe.

Poſtmodum dicatur hæc Oratio.

OMnipotens Deus, miſerere ſupplici tuo, quia non ſum ſicut innumeri ſervi tui, contemptu ſæculi ſublimes, juſtitiæ meritò glorioſi, caſtitatis laude Angelici; velut etiam multi illorum, qui poſt flagitia publica pœnitendo tibi meruerunt eſſe devoti: qui ſi quid boni tua gratia largiente fecero, neſcio quo fine hæc agam, vel qua à te diſtrictione penſetur, ignoro. Per. *Alia.*

Domine Deus omnipotens, qui cœlum, & terram feciſti, mare, & omnia, quæ in eis ſunt: qui me peccatorem * ſanctis, qui me ad tuam imaginem juſſiſti fieri, exaudi me indignum, & miſerere mei.

Alia. Domine Jeſu Chriſte, qui manum tuam, in crucem miſiſti, & nos de tuo ſanguine redemiſti, ignoſce mihi peccatori, quia omnes culpæ meæ à te non ſunt abſconditæ, veniam peto, veniam credo, veniam ſpero, tu qui pius es, parce nobis Domine. Per Dominum.

Item de aliis peccatis.

DE ſodomitico, de concupiſcentia, de infantibus oppreſſis, de divinationibus, & ſortiariis, de votis, quæ alibi reddunt niſi ad Eccleſiam, de incendiis, de * quæ paganias faciunt. De miniſterio Eccleſiæ aliquid tuliſti, de ſacrificio ſi ulla negligentia exceſſerit, de chriſma ſi pro maleficiis biberit, ſi fœmina abortum fecerit, & ſi menſtruo tempore in Eccleſia intrat, aut vir cum ea nupſerit, & ſi parvulus ſine baptiſmo, per negligentiam mortuus fuerit; die dominico non cuſtodito, & ſi de immunda comederit, & in furto ſepulchra violaverit. Et ſunt alia minuta peccata; qui proximum ſuum maledicit, & qui in verbis perjurat, invidet, concupiſcit, detrahit, accuſat, blaſphemat: Habes aliquid de iſtis peccatis, vel de ipſis, quæ de eorum radicibus procedunt, vel alia minutiſſima peccata, quæ longum eſt dinumerare; confiteris quantum memorare potes. ℞. Sic facio. Poſtquam de iſtis confeſſus fuerit, tunc proiicite ambo pariter in terra; dic ei, ut ipſe dicat mea culpa. Peccavi, Domine. Iterùm interroga eum. Recognoſcis te eſſe culpabilem, de omni peccato quod poſt baptiſmum ſciendo, vel neſciendo commiſeras, aut recordaris, quòd in verbo, aut in opere, aut in cogitatione contra mandatum Dei egiſti, & culpabilem exinde te cognoſcis. ℞. Sic facio. Iterùm dic ei. ℞. Promittis de præteritis culpis emendare? ℞. Promitto. Dic ei. Dominus ſit tibi adjutor, & præſtet tibi indulgentiam de tuis peccatis.

Item Oratio.

DOminum omnipotentem, ac miſericordem, qui non vult mortem peccatorum, ſed ut convertantur, & vivant, fratres chariſſimi, ſuppliciter deprecemur, ut converſum ad viam rectam famulum ſuum *Il.* miſericordiæ ſuæ veniam propitiatus indulgeat, & ſi qua ſunt culparum ſuarum omnium vulnera, quæ poſt ſacri lavacri undam contraxit, ita in hac publica confeſſione delicta ſanentur, ut nulla in eo ultra cicatricum ſigna remaneant. Per.

Si tempus eſt, ut vacet, dic iſtas Orationes: ſi non, iſtæ duæ ſufficiant.

ADeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, ne ſit ab hoc famulo tuo *Il.* clementiæ tuæ longinqua miſeratio, ſana vulnera, ejuſque remitte peccata, ut nullis à te iniquitatibus ſeparatus, tibi ſemper, Domine, valeat adhærere. Per.

Alia.

Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra, non vinceris, ſed ſatisfactione placaris, reſpice, quæſumus, ad hunc famulum tuum. *Il.* qui ſe tibi peccaſſe graviter confitetur: tuum eſt ablutionem criminum dare, & veniam præſtare peccantibus, qui dixiſti pœnitentiam te malle peccatorum, quàm mortem. Concede ergo hoc, ut & tibi pœnitentiam ex culpis celebret, ut correctis actibus ſuis * conferre tibi ad te ſempiterna gaudia, celebretur. Per.

Alia.

Precor, Domine, clementiam tuæ majeſtatis, ac nominis, ut huic famulo tuo. *Il.* peccata, & facinora ſua confitenti, & præteritorum criminum veniam relaxare digneris, qui humeris tuis ovem perditam reduxiſti ad caulas, qui publicani precibus, vel confeſſione placatus es: tu etiam, Domine, & huic famulo tuo placare, tu ejus precibus benignus adſiſte, ut in confeſſione flebili permanens, clementiam tuam celeriter exoret, ut ſanctis, ac ſacris altaribus reſtitutus, ſpei rurſus æternæ, & cæleſti gloriæ reformetur. Per.

Tunc expleta pœnitentia, ſi homo intelligibilis eſt, veniat ad ſacerdotem, & reconciliet eum. Si verò ſimplicem, vel brutum eum intellexerit, ſtatim reconcilia eum, ita dicendo.

Oratio.

PRæſta, quæſumus, Domine, huic famulo tuo, *Il.* dignum pœnitentiæ fructum, & Eccleſiæ tuæ ſanctæ, à cujus integritate deviarat peccato, admiſſorum veniam conſequendo reddatur innoxius. Per dominum.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, confitenti tibi huic famulo tuo. *Il.* pro tua pietate peccata relaxa, ut non plus ei noceat conſcientiæ reatus ad pœnam; quàm indulgentia tuæ pietatis proſit ad veniam. Per.

Si tempus vacet, dic illas alias: ſi non, iſtæ duæ ſufficiant, & omni tempore, quando ad ægrotum veneris data pœnitentia, ſtatim reconcilia eum, ita dicendo.

MAjeſtatem tuam, Domine, ſuppliciter deprecamur, ut ut hunc famulum tuum. *Il.* longo ſqualore pœnitentiæ macerato, miſerationis tuæ veniam largiri digneris, ut nuptiali veſte recepta ad regalem menſam, unde ejectus fuerat, mereatur introire. Per. *Alia.*

Majeſtatem tuam, Domine, quæſumus ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui non mortem ſed peccatorum vitam ſemper inquiris: reſpice flentem famulum tuum. *Il.* attende proſtratum, ejus planctum in gaudium tua miſeratione concede: ſcinde delictorum ſaccum, & indue eum lætitiam ſalutarem, ut poſt longam peregrinationis famem, de ſanctis altaribus ſatietur, ingreſſus cubiculum regis, in ipſius aula benedicat nomen gloriæ tuæ ſemper. Per.

Alia.

Exaudi, Domine, preces noſtras, confitentium tibi parce peccatis, ut qui conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſolvat. Per. *Alia.*

Præveniat hunc famulum tuum. *Il.* quæſumus, Domine, miſericordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per.

Benedictio ſuper Pœnitentem.

MIſereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conſervet te in omni bono, & perducat ad vitam æternam. Per. *Alia.*

Benedicat te Deus Pater, cuſtodiat te Jeſus Chriſtus, illuminet te Spiritus ſanctus, omnibus diebus vitæ tuæ, continuet te virtus Chriſti, indulgeat tibi Dominus omnia peccata, & delicta tua. *Alia.*

Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te, oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui: convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. Qui vivit. *Alia.*

Benedicat te Dominus omnipotens, & per abundantiam Spiritus ſancti cor tuum corroboret, atque ſenſus tuos in bonis operibus informet, proſpera tribuat, pacem concedat, ſalutem conferat, quietem nutriat, charitatem muniat, & ab omnibus diabolicis, & humanis inſidiis, ſua te ſemper protectione, & virtute defendat, ut quæcumque ab te poſtulaverit, clementer concedat, auferat omnia mala, quæ geſſiſti, & tribuat gratiam, quam ſemper rogaſti. Per. *Alia.*

Sis, namque abſolutus à Deo Patre, & Filio, & ſancto Spiritu, ab omnibus tuis peccatis, ſimiliter etiam ſis abſolutus à ſanctis Apoſtolis, & Martyribus, & Confeſſoribus, ſive ab omnibus timentibus Dominum, & à me quamvis indignus, & hic, & in futuro ſæculo. Amen.

Ordo

Ordo agentibus publicam pœnitent. ſuſcipit eum quarta feria mane in capite quadrageſimæ, & cooperit eum cilicio, orat pro eo, & includit uſque ad Cœnam Domini, qui eodem die in gremio præſentatur Eccleſiæ, & proſtrato eo omni corpore in terra, dat orationem Pontifex ſuper eum ad reconciliandum, in quinta feria Cœnæ Domini, ſicut ibi continetur, Item,

Oratio.

CONfitenti tibi, Domine, famulo tuo. *Il.* remitte delicta, ut qui intrinſecus conſcientia flagellatur, reconciliationis tuæ gratia conſoletur. Per.

Alia Oratio.

Deus juſtorum gloria, miſericordia peccatorum, da huic famulo, *Il.* plenam indulgentiæ veniam, & pœnitentiæ locum exoratus indulge, ut qui præterita deplorat, futura mala non ſentiat, neque jam ulterius lugenda committat. Dimitte ei, Domine, omnia crimina, & in ſemitis eum juſtitiæ placatus reſtaura, ut ſecurus mereatur deinceps inter tuos bene meritos currere, & ad pacis æternæ præmia pervenire. Per. *Alia.*

Exaudi, Domine. *Alia.* Præveniat hunc. *Alia.* Adeſto, Domine. *Alia.* Domine Dominus noſter, qui off. *Alia.* Præſta, Domine, hunc. *Alia.* Majeſtatem tuam quæſumus, *Iſtas orationes require retro in ordine.*

Feria V. Cœnæ Domini egreditur pœnitens de loco, ubi pœnitentiam geſſit, & in gremio præſentatur Eccleſiæ, proſtrato omni corpore in terram. Orationes ad Miſſas.

OMnipotens ſempiterne Deus, da, quæſumus, univerſis famulis tuis plenius, ac perfectius omnia feſti Paſchalis introire myſteria, ut incunctanter pia corda cognoſcant quantum debeant, de confirmata in Chriſto renaſcentium glorificatione gaudere? Per. *Alia.*

Concede credentibus miſericors Deus, ſalvum nobis de Chriſti paſſione remedium, ut humanæ fragilitatis præteritæ culpæ laqueos, æternæ * ſuffragio plebis abſolvat. Per. *Alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui vitam humano generi pro nobis filio tuo moriente ſalvaſti, præſta, quæſumus, ut in hac populi tui devotione fructus proveniat gaudiorum. Per.

Et antequam offerant, poſtulat Diaconus his verbis.

ADeſt, ô venerabilis Pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ, & ſalutis humanæ, qua mors interitum, & vita accepit æterna principium; quando in vinea Domini ſabaoth, ſic novorum planta facienda eſt, ut purgetur execratio vetuſtatis. Quamvis enim à divitiis bonitatis Dei nihil temporis vacet, nunc tamen & largior eſt per indulgentiam remiſſio peccatorum, & copioſior per gratiam adſumptio renaſcentium. Augemur regenerandis, creſcimus reverſis; lavant aquæ, lavant lacrymæ. Inde gaudium de aſſumptione vocatorum, hinc lætitia de abſolutione pœnitentium. Inde eſt quod ſupplex grex tuos poſteà quàm in varias formas criminum neglectu mandatorum cœleſtium, & morum probabilium tranſgreſſione cecidit, humiliatus, atque proſtratus, prophetica ad Dominum voce clamat dicens, Peccavi, impiè egi, iniquitatem feci, miſerere mei, Domine, evangelicam vocem non fruſtratoria aure capiens: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur; manducavit, ſicut ſcriptum eſt, panem doloris, lacrymis ſtratum rigavit. Cor ſuum luctu, corpus adflixit jejuniis, ut animæ ſuæ reciperet, quam perdiderat, ſanitatem. Unicum itaque eſt pœnitentiæ ſuffragium, quod & ſingulis prodeſt, & omnibus in commune ſuccurrit: hic ergo dum ad plenitudinis actionem tantis excitatur exemplis, ſub conſpectu ingemiſcentis Eccleſiæ, venerabilis Pontifex, proteſtatur, & dicit, Iniquitates meas ego cognoſco, & delictum meum contra me eſt ſemper. Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma: quo ita ſupplicanti, & miſericordiam Dei afflicto corde poſcenti, redintegra in eo Apoſtolice Pontifex, quicquid diabolo ſuadente corruptum eſt. Et orationum tuarum patrocinantibus meritis per divinæ reconciliationis gratiam fac hominem proximum Deo, ut qui anteà in ſuis perverſitatibus diſplicebat, nunc jam placere ſe Domino in regione vivorum, devicto mortis ſuæ auctore, gratuletur. Per.

Poſt hoc admonetur ab Epiſcopo, ſive ab alio, ſacerdote, ut quod pœnitendo diluit, iterando non revocet; inde verò dicit has orationes ſacerdos ſuper eum.

ADeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & me, qui etiam miſericordia tua primus indigeo, clementer exaudi: & quem non electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti operis hujus miniſtrum; da fiduciam tui muneris exequendi, & ipſe in noſtro miniſterio, quod tuæ pietatis eſt, operare. Per.

Alia.

Præſta quæſumus, Domine, huic famulo tuo. *Il.* dignum pœnitentiæ fructum, ut Eccleſiæ tuæ ſanctæ, à cujus integritate deviaverat peccando, admiſſorum veniam conſequendo reddatur innoxius. Per.

Alia.

Deus humani generis benigniſſime conditor, qui hominem invidia diaboli ab æternitate dejectum unici filii tui ſanguine redemiſti, vivifica itaque quem tibi nullatenus mori deſideras; & qui non derelinquis devium, adſume correctum. Moveant pietatem tuam, quæſumus, Domine, hujus famuli tui lacrymoſa ſuſpiria: tu ejus medere vulneribus, & jacenti manum porrige ſalutarem; ne Eccleſia tua aliqua ſui corporis portione vaſtetur, nec grex tuus detrimentum ſuſtineat, ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet, ne renatum lavacro ſalutari mors ſecunda poſſideat. Tibi ergo, Domine, ſupplices preces, tibi fletum cordis effundimus: Tu parce confitenti, ut imminentibus pœnis, ſententiæque futuri Judicii, te miſerante non incidat: neſciat quod terret in tenebris, quod ſtrider in flammis, atque ab errore ſuo ad iter reverſus juſtitiæ, nequaquam ultra vulneribus ſaucietur: ſed integrum ſit ei atque perpetuum, & quòd gratia tua contulit, & quod miſericordia reformavit. Per.

Item ad reconciliandum.

OMnipotens ſempiterne Deus, confitenti tibi huic famulo tuo pro tua pietate peccata relaxa: ut non plus ei noceat conſcientiæ reatus ad pœnam, quàm indulgentia pietatis ad veniam, Per. *Alia.*

Omnipotens, & miſericors Deus, qui peccatorum indulgentiam in confeſſione celeri poſuiſti, ſuccurre lapſis, miſerere confeſſis, ut quos delictorum catena conſtringit, magnitudo tuæ pietatis abſolvat. Per.

Alia.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, reſpice ſuper hunc famulum tuum, qui ab infeſta ſæculi tempeſtate demerſus, flebili lamentatione ſuos accuſat exceſſus, ut fletus, ac gemitus ejus piè ſuſcipias, eumque de tenebris ad lumen revoces. Et medelam confitenti, ſalutem pœnitenti, & vulnerato auxilium ſanitatis indulgeas: nec ultra inimicus in ejus animam habeat poteſtatem: Ejuſque confeſſionem libenter admittens, Eccleſiæ tuæ purificatum reſtitue, ac tuo altario repræſenta, ut ad ſacramentum reconciliationis admiſſus, unà nobiſcum ſancto nomini tuo gratias agere mereatur. Per Dominum.

Reconciliatio pœnitentis ad mortem.

DEus miſericors, Deus clemens, Deus, qui ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles; & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis evacuas, reſpice ſuper hunc famulum tuum, & remiſſionem ſibi omnium peccatorum tota cordis confeſſione poſcentem deprecatus exaudi: renova in eum, piiſſime, quicquid terrena fragilitate corruptum eſt, vel quidquid diabolica fraude violatum eſt, in unitate corporis Eccleſiæ tuæ membrum perfecta remiſſione peccatorum reſtitue: miſerere, Domine, gemituum, miſerere lacrymarum, & non habentem fiduciam niſi in tua miſericordia, ad ſacramentum conciliationis admitte. Per.

Alia.

Deus miſericors, Deus clemens, qui multitudinem indulgentiarum tuarum nulla temporum lege concludis, ſed pulſanti miſericordiæ tuæ januam aperis: pœnitentes etiam ſub ipſum vitæ hujus terminum non repellis, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum. *Il.* remiſſionem ſibi omnium peccatorum totius cordis confeſſione poſcentem. Renova in eo, piiſſime pater, quòd actione, quod verbo, quod ipſa denique cogitatione diabolica fraude vitiatum eſt, & unitati corporis Eccleſiæ membrum tuæ redemptionis adnecte; miſerere gemituum, miſerere lacry-

Digitized by Google

lacrymarum , & non habentem fiduciam niſi in miſericordia tua ad ſacramentum reconciliationis , admitte; quòd nullius animæ, in hoc corpore conſtituti difficilis apud te, aut tarda curatio eſt: fidelis enim es in verbis tuis , qui converſum peccatorem , non longo temporis ſpatio differendum , ſed mox ut ingemuiſſet, dixiſti eſſe ſalvatum. Per Dominum .

Oratio pro defuncto deſiderante Pœnitentiam , & minimè conſequente .

SI quis Pœnitentiam petens , dum ſacerdos venit , fuerit officio linguæ privatus , conſtitutum eſt , ut ſi idonea teſtimonia hoc dixerint , & ipſe per motus aliquos ſatisfecit , ſacerdos impleat omnia circa Pœnitentem , ut mos eſt .

Oratio in domo Infirmorum .

OMnipotens , & miſericors Dominus , qui immenſam pietatem tuam ut ad introitum in tuo nomine humilitatis noſtræ * hos famulos tuos in hoc habitaculo feſſos , ſalutiferè viſitare digneris, ſicut viſitaſti, Domine, Tobiam, & Saram, ſocrum Petri , puerumque Centurionis ; ita & iſti priſtina ſanitate animæ, corporiſque recepta , gratiarum tibi in Eccleſia ſua referant actiones. Per. *Alia .*

Deus , qui facturæ tuæ pio ſemper dominaris affectu , Inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris , famuloſque tuos incommoditate corporis laborantes placidus reſpice , & viſita in ſalutari tuo, & cœleſtis gratiæ præſta medicinam. Per.

Alia .

Deus, qui per filium tuum feſſis vario languore populis ſubveniſti, da famulis tuis, quos paterna pietate caſtigas , virtutem patientiæ , ut dum tuis juſtis judiciis humiliter ſubſternuntur , animarum meritò ſalutem conſequantur , & corporum . Per eundem , &c.

Oratio ad viſitandum infirmum .

DEus , qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donaſti , ita & famulum tuum , *Il.* à lecto ægritudinis tua potentia erigat ad ſalutem. Per. *Alia .*

Deus , qui per beatum Petrum Apoſtolum tuum miſiſti ad Thabitam famulam tuam , ut ejus precibus ſuſcitaretur ad vitam, exaudi nos, quæſumus, ut famulum tuum , *Il.* quem in tuo nomine viſitamus , noſtra fragilitas exorata medicinæ tuæ medela ſubveniat. Per. *Alia .*

Reſpice, Domine, propitius ſuper hunc famulum tuum , *Il.* & opem ei ferre dignare, ſuper lectum laboris ejus, impone manum tuam , nec non meam ,. & tempera ægritudines ejus , ne meam peccatoris manum ſpernat infirmitas , ſed ad invocationem tui nominis vereatur , & fugiat ; ut hic famulus tuus, languore depulſo , ad ſanitatem refectus exurgat , & ſit repræſentatus Eccleſiæ tuæ, ut gratias referat nomini ſancto tuo. Per. *Alia .*

Reſpice, Domine, famulum tuum , *Il.* infirmitate ſui corporis laborantem, & animam teſove, quam creaſti , ut caſtigationibus emendatus, continuò ſe ſentiat tua medecina ſalvatum. Per.

Alia .

Deus , qui facturæ tuæ pio ſemper dominaris affectu . Inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris, & famulum tuum , *Il.* adverſa valetudine corporis laborantem, placatus reſpice , & viſita in ſalutari tuo , ac cœleſtis gratiæ præſta medicinam . Per.

Alia .

Deus , qui humano generi ſalutis remedium in vitæ æternæ munera contuliſti, conſerva famulo tuo . *Il.* tuarum dona virtutum , & concede, ut medelam tuam non ſolùm in corpore , ſed etiam in anima ſentiat. Per.

Oratio ad infirmo pœnitentiam tradendam .

CUm ingreditur Sacerdos ad infirmum, dicit primum. *Orationes, quæ ſuperiùs pro infirmo ſcriptæ ſunt, poſteà dicit ad infirmum.* Quid me vocas, interrogat. Ille. ℞. Ut mihi pœnitentiam tradas. Reſpondet Sacerdos .

Det tibi Dominus Jeſus Chriſtus veniam , tamen ſi Deus reſpexerit, cuſtodies illam? ℞. Cuſtodiam. Tunc Sacerdos facit Crucem ex cinere ſuper pectus ejus , & imponit cilicium deſuper , & dicit . *Oratio .*

DEus, qui neminem vis perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti, & vivere, qui ita percutis peccatorem , ut remedium flagella præcurrant, qui pius , & humilis paſtor perditam ovem relictis nonaginta novem juſtis , in ovili conſueto propriis humeris revocas ad ovile , te quæſumus , ut in errore jacentem famulum tuum. *Il.* ſimili miſeratione digneris abſolvere. Per.

Benedictio panis ad ægrotum .

DEſcendat benedictio Domini Patris , & Filii , & Spiritus Sancti ſuper hanc creaturam panis , ut quicumque ex ea ſumpſerit, accipiat ſanitatem mentis , tutelam ſalutis, integritatem corporis, ſecuritatem ſpei, corroborationem fidei æternitatis Spiritus Sancti. Per. *Alia .*

Deus, qui humano generi, *requiratur retro , &c.*

Alia .

Virtutum cœleſtium Deus , qui ab humanis corporibus omnem languorem , & omnem infirmitatem præcepti tui poteſtate depellis, adeſto propitius huic famulo tuo . *Il.* ut fugatis infirmitatibus , & viribus revocatis nomen ſanctum tuum inſtaurata protinus ſanitate glorificet Per. *Alia .*

Domine ſancte Pater omnipotens Deus , qui fragilitatem conditionis noſtræ infuſa virtutis tuæ dignatione confirmas , ut ſalutaribus remediis pietatis tuæ corpora noſtra , & membra vegetentur; ſuper hunc famulum tuum , *Il.* propitiatus intende , & omni neceſſitate corporeæ infirmitatis excluſa , gratia in eo priſtina ſanitate perfecta reparetur . Per.

Miſſa pro Infirmis .

OMnipotens miſericors Deus, qui ſubvenis in periculis , *Sec.* Omnipotens ſempiterne Deus, ſub cujus nutu, *Præf.* Verè dignum, &c. Qui famulos tuos , ideò corporaliter, *Ad C.* Suſcipe, Domine, preces famuli tui .

Item alia Miſſa pro Infirmis . Omnipotens ſempiterne Deus , ſalus æterna credentium . *Alia .*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ægritudinis . *Sec.* Deus ſub cujus nutibus vitæ noſtræ momenta decurrunt. *Ad Compl.* Deus infirmitatis humanæ ſingulare præſidium .

Alia Miſſa pro Infirmo. Exaudi nos omnipotens Deus, & viſitationem tuam. *Sec.* Sacrificus, Domine, placatus oblatis , opem tuam noſtris . *Præf.* Verè dignum . In cujus conſpectu ſanctus Raphael glorioſus aſſiſtat . *Ad Compl.* accepto pignore ſalutari divini corporis cibo .

Benedictio ſuper Infirmum.

LOcutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens loquere ad Aaron, & filios ejus, ſic benedicetis filiis Iſrael , & dicetis eis : benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te , Amen . Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi; & miſereatur tui, Amen .

Convertat Dominus vultum ſuum ad te , & det tibi pacem , qui regnas in ſæcula ſæculorum . Amen .

Alia .

Sanet te Deus Pater omnipotens , qui te creavit: Sanet te Jeſus Chriſtus, qui pro te paſſus eſt . Sanet te Spiritus Sanctus , qui in te effuſus eſt : Sancta Trinitas ſemper tecum ſit omnibus diebus vitæ tuæ. Amen . *Alia .*

Benedicat te Deus Pater: Sanet te Dei Filius: Illuminet te Spiritus Sanctus, corpus tuum cuſtodiat, animam tuam ſalvet, & ad ſupernam vitam te perducat. Amen . *Alia .*

Ipſe autem Dominus pacis ſanctificet te per omnia , ad profectum tuum , ut integer ſpiritus tuus , & anima , & corpus ſine querela in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur. Amen.

Alia .

Omnipotens Deus , qui dixit , qui me confeſſus fuerit coram hominibus , & * ille te benedicat , & det tibi remiſſionem peccatorum. Per. *Alia .*

Reſpiciat Dominus Jeſus Chriſtus ad tuam ſalutem , & infundat ſuper te ſpiritualia dona virtutum , ut nihil in te inimicus fraudare decipiat. Amen . *Alia .*

Cuſtodiat te Dominus Jeſus Chriſtus , qui diabolum interfecit, & nos omnes liberavit , de tormentis pœnarum , ut ad regna cœlorum dignus pervenias in benedictione. Amen .

Cuſtodiat te Deus Altiſſimus omnipotens vitæ tuæ , & defendat ab omni periculo , in hoc mundo , & in futuro . Convertat Dominus vultum ſuum ad te , & det tibi pacem omnibus diebus vitæ tuæ: ipſe autem ſanctificet, & ſis humilis, & perfectus , integer corpore, & anima. ſine querela, in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur prædicatio tua .

Det tibi Dominus Angelum pacis cuſtodem , ut regat corda tua in hoc mundo, & in futuro .

Animam tuam purificet ab omni delicto , & defendat te ab omnibus malis , & ab omni reatu adverſarii tui: cum venerit

Digitized by Google

nerit Dominus, non in tempore diſcutiat, ſed in gloria ſua remunerando te adſumat. Amen.

Oratio ad viſitandum infirmum.

ADeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & famulos tuos, quos charitatis viſitamus officiis, gratiæ tuæ largitate locupleta, ut in eorum proſperitate continua gaudeamus. Per. *Alia.*

Exaudi nos, ſancte pater omnipotens æterne Deus, & humilitatis noſtræ officiis gratiam tuæ viſitationis admiſce, ut quorum adimus habitacula, tu in eorum tibi cordibus facias manſionem. Per. *Alia.*

Exaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & ſi qua ſunt adverſa, ſi qua contraria in hac domo famuli tui. *Ill.* auctoritate majeſtatis tuæ pellantur. Per.

In antiquum codicem Siculum Adnotatio.

COdicem Siculum, quem ſæpe citamus, hinc habuimus. Lucas Holſtenius, vir eximia eruditione clariſſimus; Romæ, & Pariſiis viris doctis notiſſimus, eminentiſſimi Cardinalis Barberini Bibliothecæ Præfectus, literis anno 1641. IV. Kal. Martii datis monuit me, allatos ex Bibliotheca Catinenſi duos codices antiquiſſimos ad eruditiſſimum Cardinalem. *Horum alter*, inquit, *diverſos autores, qui de divinis officiis ſcripſere, continet, alter ordinem Romanum, ſed multis partibus auctiorem. Eum nunc præ manibus habeo. Capita, quæ in editis deſunt, ſeorſim adnotata habet: unde facile poteris conjicere, & ſeligere ſi quid in rem tuam fore exiſtimes. Codex ante ſexcentos, & ampliùs annos ſcriptus eſt charactere Longobardico.* Excerpta igitur multa Lucæ Holſtenii Amici noſtri antiquitatis Eccleſiaſticæ amantiſſimi diligentia nobis Roma miſſa ſunt, Hinc habemus quæcumque ſub eo nomine allegamus. Nunc integros Confeſſionis privatim edendæ, Pœnitentiæ imponendæ, & Abſolutionis conferendæ ritus exſcribimus, tam qui ſpectant ad Pœnitentes ſanos, quàm morti proximos. Omnia hæc ſanè diligenter, & ſigillatim deſcripta. Ceremonias paucas, quæ ad privatam Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem pertineant, videtur prætermiſiſſe. Si quid omiſit, judicia Pœnitentium ſpectat, quorum enarrationem, ſi cum cæteris Pœnitentiæ partibus compares, multò brevior æquo non abs re judicabitur: Exſcriptum prætereà habemus ordinem viſitationis infirmorum; ſed quia longior eſt, & minus propoſito conducit, eum prætermittimus, ſed ordinem unctionis, qui ſubnectitur, integrum hic repræſentabimus.

Qualiter ſacerdos ſuſcipere debeat pœnitentes. More ſolito, cùm aliquis venerit ad ſacerdotem confiteri peccata ſua, mandet ei Sacerdos, ut expectet modicum, donec intret in cubiculum ſuum ad orare; Si autem non habuerit cubiculum, prius in ſecreto cordis ſui dicat hanc orationem.

DOmine Deus omnipotens, propitius eſto mihi peccatori, ut me pro peccantibus, & peccata ſua confitentibus dignum inter te, & ipſos mediatorem conſtituas, quique mortem peccatorum non vis, ſed ut convertantur, & vivant, ſuſcipe orationem ſervi tui, quam pro famulis, famulabuſque tuis ante conſpectum gloriæ tuæ pœnitere cupientibus effundo, ut pariter eos. & peccatis exuas, & in futuro ab omni crimine illæſos cuſtodias. Per. *Alia.*

Domine Deus omnipotens, propitius eſto mihi peccatori, ut condignè poſſim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam miſericordiam miniſtrum feciſti officii ſacerdotalis, & me exiguum, humilemque mediatorem conſtituiſti ad adorandum, & intercedendum ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pro peccantibus, & ad pęnitentiam revertentibus: ideòque, dominator domine, qui omnes homines vis ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, ſed ut convertantur, & vivant, ſuſcipe orationem meam, quam fundo ante conſpectum clementiæ tuæ, pro famulo tuo N. qui ad pœnitentiam venit. Per.

Cùm autem acceſſerit ad te, dic ſuper eum hanc orationem.

DEus, qui confitentium tibi corda purificas, & accuſantes ſuas conſcientias ab omni vinculo iniquitatis abſolvis, da indulgentiam reis, ut excluſa dominatione peccati, liberis tibi mentibus famulentur. Per.

Tunc interroga. Si teneat orationem dominicam, Symbolum: & ſi tenet, dic ei interrogando.

Interrog. Credis in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum? ℞. Credo. *Interrog.* Credis, quòd iſtæ tres perſonæ, quas modò diximus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus tres perſonæ ſunt unus Deus? ℞. Credo. *Interrog.* Credis, quòd in hac ipſa carne, in qua nunc es, habes reſurgere in die judicii, & recipere ſive bonum, ſive malum, quod geſſiſti. ℞. Credo. Vis dimittere illis peccata quicumque in te peccaverunt, ut & Deus tibi dimittat peccata tua ipſo domino dicente, ſi non dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec pater veſter cœleſtis dimittet vobis peccata veſtra? *Interroga* Eum ſi jam ipſe confeſſus fuiſſet alicui peccatum ſuum: Deinde ſi aliquid de malo ingenio habet, aut de furto, aut de aliqua cauſa contra directum. Si confeſſus eſt habere, inſtrue eum quod non eſt licentiam judicium de illis peccatis recipere, antequam ipſum malum reddat, aut ejiciat. Poſteà ſi fecerit. *Interrog.* Eum ſi iracundiam contra qualemcunque habeat hominem: Si confeſſus eſt habere, ammone eum quod ſcriptum eſt: & ſicut non proficit vulneri medicamentum, ſi adhuc ferrum in eo ſit; ita nihil proficit abſtinentia illius, ſi iracundiam tenet. *Interrog.* Si fugitivus ſit: & ſi eſt, ammone illum, quia non licet ei pœnitentiam agere. Tunc require eum diligenter, ſi eſt inceſtuoſus: & ſi non vult inceſta dimittere, non potes ei pęnitentiam dare; & ſi vult inceſta dimittere, dic Pſalmum trigeſimum ſeptimum. Domine ne in furore tuo.

Oratio.

DEus, cujus indulgentia cuncti indigent, memento famulì tui, qui lubrica terreni corporis eſt fragilitate nudatus. Quæſumus, da veniam confitenti, parce ſupplici, ut qui ſuis meritis accuſatur, tua miſeratione ſalvetur. Per.

Deinde Pſal. 102. Benedic, anima mea, Domino. Uſque: Renovabitur ſicut Aquilæ; &c. *Et dic Orationem.*

DEus, ſub cujus oculis omne cor trepidat, omneſque contremiſcunt conſcientiæ, propitiare omnium gemitibus, & cunctorum medere vulneribus, ut ſicut nemo noſtrum liber eſt à culpa, ità nemo ſit alienus à venia. Per, *Et dic, Pſal* 50. Miſerere mei Deus. *Uſque.* Inquitates meas dele. *Et dic Orationem.*

PRecor, Domine, clementiæ, & miſericordiæ tuæ majeſtatem, ut huic famulo tuo N. peccata confitenti debita relaxare, & veniam præſtare digneris, & præteritorum criminum culpas indulgeas, qui humeris tuis ovem perditam reduxiſti, quique publicani preces confeſſione placatus exaudiſti, tu etiam huic famulo N. placare, tu hujus precibus benignus aſpira; & ut in confeſſione placabili permaneat fletus ejus, & petitio, perpetuam clementiam tuam celeriter exoret, ut ſanctis altaribus, & ſacrariis reſtitutus ſpei rurſum æternæ, ac cœleſti gloriæ mancipetur. Per.

Tunc fac eum confiteri omnia peccata ſua, ita dicendo.

FEciſti homicidium, aut caſu, aut volens, ſive pro vindicta parentum, vel per juſſionem domini tui, aut in publico, vel facere voluiſti, & non feciſti, vel ſervum occidiſti? Septem, vel quinque, aut tres annos, aut dies 40. pœniteas. *Interrog.* Feciſti perjurium propter cupiditatem ſæculi, aut coactus, aut pro vita parentum, vel per juſſionem Domini tui ſciens, aut neſciens, aliquos in perjurium duxiſti? Septem, vel tres annos, aut dies 40. pœniteas. Feciſti furtum capitale, vel effracturam Eccleſiarum, vel domorum? tuliſti quadrupedia, vel fortiorem cauſam valentem ſolidos 100. vel 40. 7. ſive 5. annos pœniteas; de minoribus cauſis, vel furtis annum 1. ſive 3. quadragenas, aut etiam dies 4. pęniteas.

Commiſiſti Adulterium cum uxore aliena, aut cum deſponſata, vel virginem corrupiſti, aut ſanctimonialem, vel Deo dicatam 5. annos, aut 3. vel dies 70. pœniteas. Habuiſti legitimam uxorem, & cum ea ſimul concubinam, vel cum uxore tua retro nupſiſti; 7. vel 5. aut 3. annos pęniteas. Feciſti fornicationem ſicut Sodomitæ, vel cum fratre, aut cum patre, & cæteris proximis conſanguineis, vel cum pecoribus? 15. vel 12. aut 3. vel. 1. annum pęniteas.

Dixiſti falſum teſtimonium pro cupiditate pecuniæ, ſciens, aut neſciens, aut actus à domino, vel ſuaſione amici? 3. Annos, aut 2. aut. 1. pęniteas

Percuſſiſti hominem, ut ab eo exiret ſanguis, vel os fractum fuerit? annum 1. vel dies 40. pęniteas. Odiſti fratrem tuum in corde tuo? quandiù in ipſo odio fuiſti, tandiù pęniteas in pane, & aqua. Detraxiſti ullum hominem ad ſeniorem, vel

Morin. de Sacram. Pœnit.

Digitized by Google

parentes propter invidiam? annum 1. vel dies 40. pœniteas. Violaſti ſepulchra propter furtum 3. vel 2. annos pœniteas. Contigit tibi aliqua negligentia de ſacrificio? 100. dies, vel 40. pœniteas. Tuliſti res alienas malo ordine, per malum ingenium? annos 3. pœniteas. Dediſti pecuniam ad uſuram; 5. vel 3. annos pœniteas.

Feciſti ſacrilegium, id eſt ſacrarum rerum furtum, & quod Aruſpices, & Augures faciunt, & ſortilegi; vel vota, quæ fiunt ad Arbores, vel ad fontes, & cancellos, aut per ullum ingenium voviſti, aut ſortitus fuiſti, aut * Arborum, feciſti? 5. annos vel 3. pœniteas. Feciſti raptum de virgine, vel viduæ? 3. annos pœniteas. Tuliſti aliquid pecuniæ in Eccleſia contra directum? 3. annos, aut 2. aut dies 40. pœniteas, aut in quadruplum reſtituas.

Duxiſti, aut tranſmiſiſti per ullum ingenium, ſervum, aut alienum hominem Chriſtianum in captivitatem? 5. vel 3. annos pœniteas. Combuſſiſti domum alterius, aut agrum? 3. annis pœniteas. Feciſti vomitum per ebrietatem? 15. dies pœniteas. Si per contentionem 40. dies, ſi neſciens, 12. dies pœniteas. Cogiſti ullum hominem bibere, ut inebrietur? aut per odium hoc feciſti? 3. annos pœniteas. Bibiſti ſanguinem, vel manducaſti ullius pecudis, vel hominis? 3. annos pœniteas. Manducaſti morticinum? aut à beſtiis dilaceratum? 40. dies pœniteas. Bibiſti liquorem, in quo muſtela, vel mus inventus fuerit? 40. dies pœniteas. Contempſiſti indictum jejunium in Eccleſia contra decreta ſeniorum: 40. dies, & ſi in quadrageſima, ann. 1. pœnit. Oppreſſiſti infantem tuum, vel alium ut moreretur? 7. aut 5. vel 3. ann. pœnit. Bibiſti ullum maleficium, herbas, vel alias cauſas, ut non poſſes infantem habere, aut alii dediſti, aut hominem cum potione occidere voluiſti, aut de ſemine, vel ſanguine mariti tui bibiſti, ut majorem de te haberet amorem. 7. vel 5. aut 3. annos pęnit. Necaſti partus? 10. ann. pœnit. Occidiſti filium, aut filiam? 13. ann. pœnit. Si in utero ante conceptum? an. 1. & ſi poſt conceptum ann. 3. Si infans per negligentiam moritur ante baptiſmum, pœnit. ann. 1. & nunquam ſis ſine aliqua pœnitentia......

Miſiſti filium, aut filiam ſupra tecta, aut in fornacem pro aliqua ſanitate? 5. ann. pœnit. Arſiſti grana, ubi mortuus homo erat pro ſanitate viventium? 5. ann. pœnit. Deinde interrog. eum, quale miniſterium faciat. Si eſt Comes, aut Caſtaldius: Si eſt miniſterialis, ſi eſt negotiator, ſi eſt Maſſarius, ſi eſt Monetarius, ſi eſt Eſcarius: ſi habet patrem, aut matrem, ſi habet orphanos, ſi fuit, aut eſt pecorarius, ſi eſt judex, aut notarius &c. quicumque reſponderit quale miniſterium faciat. *Interrog.* Qualiter illud faciat. Si comes, aut judex eſt, dic illi ut non accipiat præmia, non judicet tortum. Si eſt Peſcarius, non teneat Annonam familiæ: ſi Monetarius, aut negotians, non gravet aliquem in negotio, & in Concambio. Si habet patrem, aut matrem, eos honoret, & det illis neceſſaria. Si Animalia paſcit, aut porcos &c. damnum non faciat aliis: ſi eſt Maſſarius, non ſit fraudulentus ſeniori de labore ſuo. Si habet viduam, aut Orphanos, faciat cunctis miſericordiam. Si ſervus eſt, ſit fidelis Domino ſuo, & laboret in quantum poteſt, & qui malefaciunt, eos emendet, Si habet uxorem, non concumbat cum ea feſtis diebus, nec in quadrageſima majore uſque ad octavas Paſchæ. Omnis itaque Chriſtianus fideliter decimas Deo det; quod ſi non dedit, Deus tollit ab eo novem partes. Si Monachus, aut Monacha eſt, Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus, ſervent quod promiſerunt. Tunc interr. eum de minoribus.

Si Turpia verba dixit, ideſt, quæ riſum movent, Si malum conſilium dedit, ſi cogitavit tollere cauſas aliorum, ſi blaſphemavit aliquem, ſi eſt piger, ſi ſomnolentus, ſi negligens, ſi non operatur quotidie quantum poteſt, ſi maledixerit pauperem, ſi deriſit alterum, ſi mentitus eſt, aut habet conſuetudinem mentiendi, ſi jocum nimis amat, ſi pollutus inter coxas, ſi cum manibus, aut quovis ingenio, ſed hoc grande peccatum eſt, niſi citò emendaverit. Si ante horam manducat, ſi quærit delitioſum manducare; ſi iram retinet, ſi ſtatim reſpondet, ſi non vult obedire majoribus, ſi non amat ſubjectos, ſi non amat, jam odium eſt; ſi nimis mollis, ſi non faciat ſervos laborare; ſi nimis aſper eſt in familia ſua, ſi non eos veſtiat, & nutriat. Qui cum reſponderit, ſe ex iis, quæ diximus, aliquid feciſſe, aut alia, quæ non diximus, & tu interrogare poteris. *Interr.* Si hæc per conſuetudinem fecerit, aut non, nam majus peccatum ſit per conſuetudinem. Iterum interr. eum ſi vult emendare: ſi vult, & promittit, da ei pœnitentiam; ſi non, dic illi, quod non ei das pœnitentiam. Sed primò conſidera, ſi dives eſt, aut pauper, ſi dominus, aut ſervus, ſi ſanus, aut infirmus, ſi ſit conjugatus an non, ſi eſt juvenis aut puer. Omnia conſidera, & ſecundùm quod potuerit agere, impone illi pœnitentiam, non eos nimis aggraves, ſed in hoc labora, ut victu emendentur.

Attende etiam, ut tale jejunium imponas, nec peccatum facias manifeſtum, & cui non potes imponere jejunium, impone eleemoſynam, & orationem, & flectat genua per diem, & noctem. Sed antequam imponas pœnitentiam, debes oſtendere quàm grande eſt illud malum, & quot annis debet pœnitere; debes tamen ammonere, ut non deſperet, quia Deus miſericors eſt, & ei omnia peccata dimittit, tantùm ſi emendaverit: & dic, quia ſicut aqua omnia lavat, ita pœnitentia omnia peccata purgat ejus, qui eam ſuſcipit ex corde, & qui peccando factus eſt filius diaboli, pęnitendo poteſt fieri filius Dei, & qui debuit ire in infernum, poteſt in Paradiſum introire.

Tunc Interroga eum.

CRedis per confeſſionem, & veram emendationem à Deo remitti peccata tua? Credo, qui cum reſponderit: Credo: dic, audi ergo, quid eſt pęnitentia? Pęnitentia eſt, mala, quæ feciſti, plangere, & iterum ea non facere ſicut medicamentum corpori, ſic pęnitentia prodeſt animæ, & ideo non debes aliquod celare peccatum, quia melius eſt hic erubeſcere coram uno ſacerdote, quàm poſt mortem coram omnibus ſanctis ire in pęnas, *Iterùm inter. eum* habes fidem confeſſam, & peccata confeſſa Deo, & ſacerdoti, ut remittantur tibi peccata tua? habeo. Interr. eum. Unde confeſſus fuiſti, vis judicium recipere, & bene cuſtodire, & omnes adinventiones diaboli abrenunciare, & Trinitatem credere? ℞. *Volo interr.* Habes voluntatem, quod geſſiſti contra mandata Dei, emendare? Sic habeo, dices ei.

Dominus ſit adjutor, & protector tuus, & præſtet tibi indulgentiam de peccatis tuis præteritis, præſentibus, atque futuris.

Deinde fiat confeſſio peccatorum ruſticis verbis:
Poſteà ſequantur hæc capitula.

DOmine, non ſecundùm peccata noſtra facias nobis ℞. Neque ſecundùm. Ne ſimul tradas nos, Deus, cum peccatoribus. ℞. Et cum operantibus iniquitatem. Domine, ne memineris iniquitates noſtras antiquas. ℞. Citò nos anticipent. Adjuva nos, Deus ſalutaris noſter. ℞. Et propter honorem. Fiat, Deus, miſericordia tua ſuper nos. ℞. Sicut Eſto nobis, Domine, turris fortitudinis. ℞. A facie inimici. Domine, exaudi orationem meam. ℞. Et clamor meus. *Vox confitentis peccata ſua.*

TU, Domine, creator meus, redemptor meus, judex meus, noſti peccata mea, quia tu noſti omnia antequam fiant: timeo judicium tuum, quia contempſi præcepta tua, ſed non deſpero de venia, quia tu dixiſti nolle mortem peccatoris, nec lætaris in perditione malorum: ne ergo diabolus poſſit in die mortis meæ pro malis meis, me ad deſperationem trahere; confiteor tibi, & huic famulo tuo omnia mala mea hodie, certus per omnia de indulgentia, quia pius, & omnipotens es.

Tunc dicat Sacerdos. Chriſtus filius Dei, qui ſcit fragilitatem noſtram, miſereatur tui, & dimittat tibi omnia peccata, quæ ab infantia tua feciſti uſque in hodiernum diem, præterita, præſentia, & futura, quæcumque feciſti ſciens ſeu neſciens, cogitando, vel committendo, loquendo, vel operando, liberet te ab omni malo, conſervet te in omni bono, & perducat te in vitam æternam. ℞. Amen.

Tunc proſternat ſe in vice Dei ad pedes ſacerdotis, ita dicens. Recipe me ſceleratum in vice judicis mei, quia non eſt, quò fugiam, niſi ad te, confitendo tibi peccata mea. Recepto à ſacerdote, fiat oratio cum Pſalmò iſto: Ad te levavi oculos, & ſequatur ammonitio ſcripturarum ſanctarum: deinde dicatur hæc Oratio.

EXaudi, Domine, preces noſtras, & confitentium tibi parce peccatis, ut quos conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſolvat. Per. *Alia.* Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab hoc famulo tuo, N. clementiæ tuæ longinqua miſeratio, ſana vulnera, ejus remitte peccata, ut nullis à te ſeparatus iniquitatibus, tibi Domino ſemper valeat adhærere. Per. *Alia.* Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris, ſed ſatisfactione placaris, reſpice, quæſumus ad hunc famulum tuum, N. qui ſe tibi graviter peccaſſe confitetur: tuum eſt enim abſolutionem criminum dare, & veniam præſtare peccantibus, qui dixiſti pœnitentiam te peccatorum malle, quam mortem. Concede ergo hoc, ut tibi pœnitentiæ excubias celebret, & correctis actibus ſuis concedi ſibi à te ſempiterna gaudia gratuletur. Per. *Alia.* Precor, Domine, clementiam tuam, tuæ majeſtatis, ac nominis, ut huic famulo tuo, N. peccata, &

Digitized by Google

ta, & facinora ſua confitenti veniam dare, & præteritorum criminum errata relaxare digneris, qui humeris tuis ovem perditam reduxiſti ad caulas. Per. *Alia.* Deus, qui publicani precibus, vel confeſſione placatus es, tu etiam, Domine, huic famulo tuo, N. placare, tu ejus precibus benignus aſſiſte, ut in confeſſione placabili permanens clementiam tuam celeriter exoret, & ſanctis, ac ſacris altaribus reſtitutus, ſpei rurſus æternæ, & cœleſti gloriæ reformetur. Per. *Alia.* Adſit quæſumus, Domine, huic famulo tuo, N. Inſpiratio gratiæ ſalutaris, quæ cor ejus fletuum ubertate reſolvat, ſicque ſe macerando conficiat, ut iracundiæ tuæ motus idonea ſatisfactione compeſcat. Per.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui es verus ſanctus, & ſanctorum omnium protector, te pium Dominum devotis mentibus deprecamur pro famulo tuo, N. ut ei indulgentiam tribuas omnium delictorum ſuorum, & ne iterùm ad voluntatem peccandi redeat, propitius eum cuſtodire digneris. Per. *Alia.* Precamur, Domine, ut intercedentibus omnibus ſanctis tuis famulo tuo, N. indulgentiam concedas, fide, ſpe, & charitate eum repleas, mentem ejus ad cœleſtia deſideria erigas, & ab omni adverſitate eum defendas, & ad bonam perſeverantiam perducas. Per.

Miſſa pro infirmo, de cujus ſalute deſperatur.

Deus, qui famulo tuæ dediſtiſti fidei conjunctionem, concede, ut per temporalem corporis incommoditatem ad ſupernorum civium pertingere mereatur conſortium. Per dominum noſtrum.

Famulum tuum, quæſumus, Domine, ab omnibus abſolve peccatis, ut qui membrorum jam caret officio nunquam tuæ miſerationis deſtituatur auxilio. Per. Cuncta famuli tui, N. quæſumus, Domine, per hanc oblationem purgentur delicta, ut qui tuæ diſpoſitionis flagello in hac atteritur vita, in futuro ei requies tribuatur. Per.

Sacris, Domine, muneribus vegetati, quæſumus, ut famulum tuum infirmitate laborantem, in æternæ beatitudinis ſpe conſolari digneris. Per.

Ordo ad ungendum infirmum.

Antequam ungatur infirmus, confiteatur omnimodis Deo, & ſacerdoti ſuo pariter omnia peccata ſua, & reconciliationem ab eo percipiat plenam, ut ulceribus vitiorum per confeſſionem purius adapertis, dignius proficiat ei unctio ſpiritalis, medendo nequitiarum putredinem inter us latitantem: & tunc in primis faciant ſacerdotes aſpergi ſalem, & aquam benedictam, & ſpargant eam cum Antiphona. Aſperges me, Domine. Cum Pſalmo. Miſerere mei Deus. Et Oratio dicatur, unde ſupra, ſuper infirmum, & ſuper domum ejus. Deinde dicatur hæc Oratio.

Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum locutus es, infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo ſancto in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei, cura, quæſumus redemptor noſter, gratia Spiritus ſancti languores iſtius infirmi, & omnia ejus ſana vulnera, ejuſque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis, & corporis ab eo expelle, plenamque ei interius, exteriuſque ſanitatem miſericorditer redde, ut ope miſericordiæ tuæ reſtitutus, & ſanatus ad priſtina pietatis tuæ reparetur officia. Per.

Et ſic flectat genua, qui eſt languidus.

Et ſtet ad dexteram ſacerdotis, & ſic cantetur hæc Antiph. Sana, Domine, infirmum iſtum, cujus oſſa conturbata ſunt, & cujus anima turbata eſt valdè, ſed tu, Domine, convertere, & ſana eum, & eripe animam ejus à morte. Domine ne in furore.

Iterùm cantetur Antiphona. *Oratio.*

Oremus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & cum omni ſupplicatione rogemus, ut hunc famulum ſuum, N. per Angelum ſuum ſanctum viſitare, lætificare, conſortareque dignetur. Qui vivis.

Antiph. Dominus locutus eſt diſcipulis ſuis, in nomine meo dæmonia eiicite, & ſuper infirmos manus veſtras imponite, & bene habebunt. *Pſal.* Deus deorum Dominus.

Hic imponant manus ſuper infirmum omnes ſacerdotes, & miniſtri eorum, jubente tamen, vel permittente Epiſcopo, quoniam canonicus ſic docet ordo.

Morin. de Sacram. Pœnit.

Sequitur Oratio.

Deus, qui non vis mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat, huic ad te ex toto corde converſo peccata dimitte, & perennis vitæ gratiam concede. Per. *Sequitur Antiph.* Succurre, Domine, huic infirmo, & medicare ei ſpiritali medicamine, ut in priſtinam ſanitatem reſtauratus gratiarum tibi referat actiones. *Pſal.* Ad Dominum, cùm tribularer, clamavi cum Gloria. *Oratio.* Oremus Dominum noſtrum pro fratre noſtro, quem durè ad præſens malum languoris affligit, ut eum Domini pietas cœleſtibus dignetur curare medicinis, ut qui dedit vitam, det & ſalutem. Qui vivis.

Deus, qui humano generi & ſalutis remedium, & vitæ æternæ munera contuliſti, conſerva famulo tuo tuarum dona virtutum, & concede, ut medelam tuam non ſolùm in corpore, ſed etiam in anima ſentiat. Per. *Et ſic perungant ſinguli ſacerdotes infirmum de oleo ſanctificato cruces faciendo in collo, & gutture, & pectore, & inter ſcapulas, ſeu in loco ubi dolor plus imminet, & in quinque ſenſibus corporis, & in ſuperciliis oculorum, & in naribus intus, & foris, & in aurium ſummitate exterius ſive interius, & in labiis exterius, & manibus exterius, id eſt foris, ut ſi quinque ſenſibus mentis, & corporis aliqua macula inhæſit, medicina ſpiritali ſanetur, & Domini miſericordia impertiatur. Cùm ergo ſacerdos ungit infirmum, dicat hanc orationem moraſiùs iungendo.* Adeſto, Domine quæſumus, humilitatis noſtræ obſequiis, eiſque benignus cooperator aſſiſte, ut qui ad executionem mandatorum huic ægroto manus imponentes olei ſacri unctionem exhibemus, hujuſmodi ſervituti noſtræ te intereſſe ſentiamus; quatenus ſancti Spiritus gratia noſtræ actionis officia comitante, ab hoc famulo tuo, N. omnis languor, & debilitas abſcedat, totiuſque vigoris, & ſoſpitatis plenitudo ſuccedat, relictoque imbecillitatis grabato, ad te medicum ſupernum vultum, & mentem erigat, & pro ſoſpitatis reſtitutione laudes nomini tuo competentes in æternum perſolvat. Per. *Sequitur unctio olei ad caput.*

Ungo caput tuum oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut more militis uncti præparatus ad luctam, poſſis aerias ſuperare catervas. Per Chriſtum. *Ad oculos.* Ungo oculos tuos oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quicquid illicito viſu deliquiſti, hujus olei unctione expietur. Per Chriſtum dominum. *Ad aures interius, & exterius.* Ungo aures has ſacrati olei liquore, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quicquid peccati delectatione nocivo auditu admiſſum eſt, medicina ſpiritalis evacuet. Per Chriſtum. *Ad nares intus, & foris.* Ungo has nares oleo ſacro, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quicquid noxæ contractum eſt odoratu ſuperfluo, iſta evacuet medicatio. Per. *Ad labia exterius.* Ungo labia iſta conſecrati olei medicamento, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quidquid otioſa, vel etiam criminoſa peccaſti locutione, divina clementia miſerante expurgetur hac unctione. Per. *In colla.* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc unctio olei ſanctificati ad purificationem mentis, & corporis, & ad munimen, & defenſionem contra jacula inimicorum ſpirituum. Per *In gutture.* Inungo te in gutture de oleo ſancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut non lateat ſpiritus immundus neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, ſed habitet in te virtus Chriſti altiſſimi, & Spiritus ſancti, quatenus per hujus operationem myſterii, & per hanc ſacrati olei unctionem, atque noſtram deprecationem virtute ſanctæ Trinitatis medicatus, ſive ſotus, priſtinam, & melioratam percipere merearis ſanitatem Per. *Ad pectus.* Ungo pectus tuum de oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut hac unctione protectus, fortiter certare valeas contra ignea inimicorum jacula. Per. *Ad cor.* Ungo locum cordis oleo divinitus ſanctificato, cœleſti munere nobis attributo, in nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis; ut ipſa te exterius, interiuſque ſanando vivificet, quæ univerſam conditionem tuam, ne pereat, continet. Per. *Ad ſcapulas.* Ungo has ſcapulas, ſive medium locum ſcapularum oleo ſacrato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut ex omni parte ſpiritali protectione munitus jacula diabolici impetus viriliter contemnere, ac procul poſſis cum robore ſuperni juvaminis repellere. Per. *Ad manus exterius.* Ungo has manus oleo ſacrato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quicquid illicito, vel noxio onere peregeris, per hanc unctionem evacuetur. Per. *Ad pedes deſuper.* Ungo hos pedes oleo benedicto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quicquid ſuperfluo, vel nocivo inceſſu commiſeris, abluat hæc ſancta perunctio. *Ad locum ubi magis dolet.* Ungo te oleo ſancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, obſecrans miſericordiam

ipſius, ut fugatis omnibus doloribus, vel incommoditatibus corporis tui recuperetur in te virtus, & ſalus, quatenus per hujus operationem myſterii, & per hanc ſacrati olei unctionem, atque noſtram deprecationem virtute ſanctæ Trinitatis medicatus, priſtinam, & magis robuſtam recipere merearis ſanitatem. Amen. *Ad omnes compagines*. Ungo te de oleo ſancto invocata magni creatoris majeſtate, qui juſſit per Samuelem Ptophetam ungi David in regem. Operare creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis, ut non lateat hic ſpiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, ſed habitet in te virtus Chriſti filii Dei altiſſimi, & ſanctificatio Spiritus ſancti. *Item alia*. Ungo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti oleo ſancto, atque ſacrato, ut virtute Spiritus ſancti tribuat tibi hæc ſacra unctio ſanitatem animæ, & corporis, in remiſſionem omnium peccatorum, & vitam æternam. ℟. Amen.

Alia. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Accipe ſanitatem: hæc unctio per ſignum ſanctæ crucis, & per oleum ſanctificatum, & per donum ſancti Spiritus fiat tibi ad ſanitatem.

Alia.

Domine Deus ſalvator noſter, qui es vera ſalus, & medicina; à quo omnis ſanitas, & medicamentum venit, qui Apoſtoli tui voce nos inſtruis, ut languidos olei liquore tangentes, tuæ poſtulemus miſericordiam pietatis, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum N. ab illa mirabili ſummitate cœlorum, ut quem languor cruciat ad exitum, & virium contractio jam pertrahit ad occaſum, medela tuæ gratiæ ſaluti reſtituat caſtigatum, extingue in eodem libidinum, & febrium actus, dolorum ſtimulos, ac vitiorum obtere cruciatus, ægritudinum, & cupiditatum tormenta diſſolve, ſuperbiæ inflationem, timoremque compeſce, ulcera, & putredines vitiorum evacua, viſcerum interna, cordiumque, ac medullarum, atque plagarum obducito cicatrices, phyſicis, tiphiſiſque adeſto periculis, veteres, immenſaſque remove paſſiones, opera carnis, ſanguiniſque materiam compone, delictorum illi veniam propitiatus attribue, ſicque illum jugiter cuſtodiat pietas tua, ut nec ad corruptionem aliquando ſanitas, nec ad perditionem te auxiliante nunc perducat infirmitas, fiatque ei hæc olei ſacra perunctio concita morbi præſentis expulſio, & peccatorum omnium optata remiſſio, te concedente ſalvator mundi. Qui vivis. Sequitur. *Hymnus*,

Chriſte cœleſtis medicina patris,
Verus humanæ medicus ſalutis,
Pro fide plebis precibus potenter
Pande favorem.
En nos infirmos tibi ſupplicamus,
Quos nocens peſtis valetudo quaſſat,
Ut pius morbo releves jacentes,
Quo quatiuntur.
Qui poteſtate manifeſtus extas,
Mox ſocrum Petri febribus jacentem,
Reguli prolem, puerumque ſalvas
Centurionis.
Corporum morbos, animamque ſana,
Vulnera quaſſans adhibe medelam,
Ne ſine fructu cruciatus urat
Corpora noſtra.
Ferto languenti populo vigorem,
Efflue largam populo ſalutem,
Priſtinis more ſolito reformans
Viribus ægros.
Jam Deus noſter miſerante fletu,
Pro quibus te nunc petimus medere,
Ut tuam cunctus recubans medelam
Sentiat æger.
Omnis impulſus perimens recedat,
Omnis incurſus crucians liqueſcat,
Vigor optatæ foveat ſalutis
Membra dolentis.
Quo per illata mala dum teruntur,
Eruditorum numero decori,
Cumpotes intrent ſociante fructu
Regna polorum.
Gloria Patri, genitæque proli,
Et tibi compar utriuſque ſemper,
Nomine trino, deitate ſoli,
Sydera clament. Amen. *Oratio*.

Propitictur Dominus cunctis iniquitatibus hujus infirmi, & ſanet omnes languores illius, redimatque de interitu perpetuæ mortis vitam ejus, & corroboret, & ſanet in bonis deſiderium ipſius, qui ſolus in trinitate Deus vivit, & regnat per immortalia ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia.

Deus, qui facturæ tuæ pio ſemper dominaris affectu inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris, & famulum tuum, N. ex adverſa valetudine corporis laborantem placatus reſpice, & viſita in ſalutari tuo, & ei cœleſtis gratiæ præſta medicinam. Per. *Alia*. Deus qui humano generi & ſalutis remedium, & vitæ æternæ munera contuliſti, conſerva famulo tuo, N. tuarum dona virtutum, ut fugatis infirmitatibus * medelam tuam non ſolum in corpore, ſed etiam in anima ſentiat. Per.

Virtutum cœleſtium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, & omnem infirmitatem præcepti tui poteſtate depellis, adeſto propitius huic famulo tuo, ut fugatis infirmitatibus, & viribus receptis nomen ſanctum tuum inſtaurata protinus ſanitate benedicat. Per. *Alia Oratio*.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis noſtræ infuſa virtutis tuæ benedictione confirmas, ut ſalutaribus remediis pietatis tuæ corpora noſtra, & membra vegetentur, ſuper hunc famulum tuum, N. propitiatus intende, ut omni neceſſitate corporeæ infirmitatis excluſa, gratia in eo priſtinæ ſanitatis perfecta reparetur. Per. Deinde communicet cum ſacerdos corpore, & ſanguine Domini, & ſic ſeptem continuos dies, ſi neceſſitas contigerit, tam de communione, quam de alio officio, & ſuſcitabit eum Dominus ad ſalutem, & ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei, ut Apoſtulus ait.

Oratio ante perceptionem Eucharistiæ.

Corpus, & ſanguis, Domini, noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam. ℟. Amen. Pax, & communicatio corporis, & ſanguinis, Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam. ℟. Amen. Domine, Jeſu Chriſte, redemptor, & ſalvator noſter, exaudi nos pro fratre noſtro, N. infirmo, te rogantes, ut tua ſancta Euchariſtia ei ſit ad tutelam animæ, & corporis, & ad capeſſendam vitam æternam. Qui vivis, &c.

Debent etiam ex miniſtris ſanctæ Dei Eccleſiæ cum ſumma reverentia infirmis decantare per ſingulos dies Veſpertinales, & Matutinales Laudes cum Antiphonis, & Reſponſoriis, ſive Lectionibus, & Orationibus ad hoc pertinentibus.

Poſt hæc ſequitur. Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſubvenis in periculis, & neceſſitate laborantibus, majeſtatem tuam ſupplices exoramus, ut mittere digneris ſanctum angelum tuum, qui famulum tuum in anguſtiis, & neceſſitatibus laborantem conſolationibus attollat, quibus, & de præſenti conſequatur auxilium, & æterna remedia comprehendat. Per. *Alia*. Domine ſancte, Pater omnipotens, univerſitatis author æterne Deus, cui cuncta vivunt, qui vivificas mortuos, & vocas ea, quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt, tuum ſolitum auxilium, qui es magnus artifex, piè exerce in hoc tuo plaſmate rogamus. Per. *Alia*. Domine ſancte, Pater omnipotens, ęterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundēdo corporibus facturam tuam multiplici pietate cuſtodis, ad invocationem nominis tui benignus aſſiſte, & hunc famulum tuum N. liberatum ab ægritudine, & ſanitati donatum dextera tua erigas, virtute confirmes, poteſtate tuearis, & Eccleſiæ tuæ, ſanctiſque altaribus cum omni deſiderata proſperitate reſtituas. Per.

Sequitur Abſolutio.

Deus, qui peccatores, & ſcelerum onere vulneratos ſacerdotibus tuis ſe oſtendere juſſiſti: Deus, qui diſcipulis tuis, ut bene haberent, manus ſuper infirmos ponere præcepiſti, qui per Apoſtolos, infirmos ſacro oleo ungere, & pro eis orare docuiſti: Deus, qui per impoſitionem ſacerdotum manus, cum ſancti nominis tui invocatione peccata relaxari voluiſti, exaudi orationes noſtras, & da huic famulo tuo. N. infirmitatis noxa depreſſo per hoc ſacrum myſterium, quod nos indignos famulos tuos agere docuiſti, remiſſionem omnium peccatorum, quatenus per hanc ſacrati olei unctionem, & per manus impoſitionem cuncta facinora Spiritus ſancti gratia relaxentur, venia impetretur, ſanitas corporis, & animæ reſtituatur: fomenta etiam medicinæ tuæ eum interius, exteriuſque imbuant, & ſanent, ut non tantum ei noceat conſcientiæ reatus ad pęnam, quantum proſit indulgentia, & reconciliatio tuæ pietatis, atque confeſſionis ad veniam. Per. *Alia*.

Omnipotens ſempiterne Deus, criminum abſolutor, & indultor peccaminum, qui Apoſtolis tuis, Apoſtolorumque ſucceſſoribus dixiſti ſine me nihil poteſtis facere, & ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni rei quamcumque petierint, fiet eis à patre meo, qui etiam ſpecialiter Petro Apoſtolorum principi ligandi, & ſolvendi pontificium tradidiſti, & poſteà generaliter omnibus diſcipulis inſufflaſti, & dixiſti, Accipite Spiritum

Digitized by Google

ritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: Tu Domine, in noſtro miniſterio tuam inſere elementiam, & in nobis peccatoribus quod tuum eſt operare, & quod noſtra non exigunt merita, tuæ virtutis impleatur effectu. Supplices ergo poſcimus tuam elementiam, ut famulo tuo N. omnibus cordis, & corporis gemitibus ſuorum relaxationem peccatorum poſtulanti pius auditor, & clemens indultor, exiſtas, nihilque ei in præſenti anguſtia, ſive exitu obſtet, quod fragilitas cumulavit humana: adſit ei, Domine, Rex cœli tua miſericordia in tribulatione conſtituto, ſicut adſuit latroni confitenti, & meretrici gementi, ac lachrimanti, cui dimiſſa ſint peccata multa, quia dilexit multum: ne reminiſcaris, Domine Deus, malorum factorum ſuorum, ſed recordare, quod pollicitus es, nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat: tu enim ſolus potens es, non ſolum peccata dimittere, verum etiam ipſos peccatores juſtificare. Per. *Abſolutio.*

Dominus Jeſus Chriſtus, qui dignatus eſt diſcipulis ſuis dicere: quæcumque ligaveritis ſuper terram erunt ligata & in cælo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo; de quorum numero quamvis indignum, & peccatorum vinculis aſtrictum me eſſe ſua dignatione voluit, ipſe te largiſluo pietatis ſuæ dono, ac meæ ſimul parvitatis miniſterio abſolvere dignetur ab omnibus fragilitatis tuæ exceſſibus interius, exteriuſque humanitûs contractis. ℟. Amen.

Et ſicut peccata totius mundi ſua traditione, atque immaculati ſanguinis effuſione dignatus eſt expurgare; ita quoque tuorum peccaminum maculas miſericorditer non dedignetur emundare, ejuſdem ſancti ſanguinis interventione, qui effuſus eſt in remiſſionem peccatorum. ℟. Amen.

Devotionem quoque tuam deinceps adjutorio gratiæ ſuæ non dedignetur corroborare, quatenus & in hoc ſæculo ſubrepentium laqueos delictorum valeas evadere, & in futuro vitam æternam Chriſti ſanguine comparatam ſine fine poſſidere. ℟. Amen.

Adjuvante eodem Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui nos fecit, cùm non eſſemus, & redemit, cum perditi eſſemus, ad laudem, & gloriam ſui nominis, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Deus, qui mundum in peccati fovea jacentem miſericorditer erexiſti, Deus, qui leproſos mundari præcepiſti, Deus, qui per manus impoſitionem animarum, & corporum valetudines effugaſti, idemque opus diſcipulos tuos, eorumque ſucceſſores agere præcipiſti, exaudi quæſumus preces noſtras pro hoc famulo tuo, N. à morbo criminum hactenus rabeſcente, & manum pietatis tuæ manui noſtræ impone, ut per manus noſtræ impoſitionem te cooperante infundatur in eum Spiritus ſancti gratia, deſcendat ſuper eum cœleſtis benedictio, tribuatur ei peccatorum remiſſio, cunctorumque ſcelerum piacula relaxentur, & tuorum chariſmatum munera affluentius conferantur. Per. *Orat. ſuper infirmum.*

Omnipotens ſempiterne Deus conditor humani generis, qui ex nihilo cuncta creaſti, & hominem ad ſimilitudinem tuam formare dignatur es, cui cuncta elementa obediunt, & ad cujus nutum omnes infirmitates, omneſque morbi fugantur, adeſto invocationibus noſtris, & huic famulo tuo nimiis doloribus oppreſſo, miſericordiæ tuæ manum porrige, & omnem infirmitatem, atque languorem animæ, & corporis ab eo expellas, & immitte in eum Spiritum ſanctum tuum de cœlis, qui eum die, noctuque protegat, ſemper illuminet, & viſitet, atque ab omni adverſitate mentis, & corporis defendat. Per. *Alia.* Deus qui confitentium tibi corda purificas, & accuſantes conſcientias ſuas ab omni vinculo iniquitatis abſolvis, da indulgentiam reis, & medicinam tribue vulneratis, ut percepta remiſſione omnium peccatorum in ſacramentis tuis, ſincera deinceps devotione permaneant, & nullum redemptionis æternæ obtineant detrimentum. Per.

Alia. Domine Deus Pater omnipotens, creator cœli, & terræ, protege, quæſumus, hunc famulum tuum, N. & dimitte illi omnia peccata ſua, averte illum ab omnibus malis, & fac eum creſcere in omnibus bonis, da illi tibi placitam ſervitutem, cor rectum, ſpem firmam, fidem perfectam: Abba Pater, omnia poſſibilia ſunt tibi, adjuva ſervum tuum, N. & ſalvum fac filium Ancillæ. Per. *Alia.*

Dominus ſit tibi adjutor, & protector, & peccatorum tuorum indultor, & Deus miſericordiæ, & pietatis det correctionem tuorum peccaminum, & concedens locum pœnitentiæ tribuat tibi dignè male acta deflere, gaudiaque vitę ęternę feliciter obtinere. Per

His ita expletis ſacerdotes dicant orationes, vel benedictiones ſuper infirmum, unuſquiſque ſuam, ſi autem aderit Epiſcopus, ipſius officium hoc erit.

Morin. de Sacram. Pœnit.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus apud te ſit, ut te defendat, intra te ſit, ut te reficiat, circà te ſit, ut te deducat, poſt te ſit, ut te conſervet, ſuper te ſit, ut te benedicat. Benedicat te Deus Pater, ſanet te Deus Filius, illuminet te Spiritus ſanctus, corpus tuum cuſtodiat, animamam tuam ſalvet, cor tuum irradiet, ſenſum tuum dirigat, & ad ſupernam vitam te perducat, qui in Trinitate perfecta vivit, & regnat.

Item cum veneris ad infirmum, interroga illum per ſingulas; & cùm fuerit confeſſus peccata ſua, quòd non deſperet de venia, vel miſericordia Dei, ſed firmiter teneat quia ſalvus erit, ſi ipſa hora mortuus fuerit, tantùm ſit talis voluntas ejus, ut ſi vixerit, emendet per pœnitentiam, quæ fecit, & per jejunium, & eleemoſinam, & orationem, & ampliùs non eamdem faciat, & dic, quia per iſtam voluntatem ſalvus eſſe poterit, etiam ſi mortuus fuerit; & oſtende ei modum pęnitentiæ, dicendo quantum debuit jejunare, ſi poſſit, & non impouas ei pęnitentiam, quia infirmus eſt, ſed dic, poſtquam ſanus fuerit factus, ſtatim curreat ad Eccleſiam, & accipiat conſilium pęnitentiæ. Dic etiam, quòd non timeat mori, ſed conjungat voluntatem ſuam cum voluntate Dei, ut ſicut placet de ſe, ſic placeat & illi: quòd ſi Deus vult, ut vivat, ipſe gaudeat etiam vivere, non timeat mori pro uxore, pro filiis, pro ſervis, & ancillis, neque pro ulla re, ſed omnia ponat in Dei ordinatione; quia Deus ſine illo poteſt regere familiam, & uxorem ejus, & filios, quia ipſe ſi viveret, ſine Dei auxilio eos adjuvare non poſſet: Poſteà communica eum, dic orationem, & confirmo.

Item ordo pœnitentis ad mortem.

In primis cùm pęnitens venerit ad confitendum, dicat Sacerdus intra ſe. Domine Deus omnipotens, qui non vis mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat; propitius eſto mihi peccatori, & ſuſcipe orationem meam, quam pro famulis, & famulabus tuis peccata ſua confiteri cupientibus ante conſpectum clementiæ tuæ humiliter fundo, ut pariter eos à peccatis exuas, & in futuro ab omni crimine illæſos cuſtodias. Per.

Cum proſtraverit ſe pęnitens, dices ſacram Litaniam, Chriſte audi nos, ut ſupra. Poſt Litaniam. ℣. Ego dixi, Domine, miſerere mei. ℟. Sana animam meam. ℣. Salvum fac ſervum tuum, Domine. ℟. Deus meus, ſperantem in te. ℣. Propitius eſto, Domine, peccatis noſtris. ℟. Et propter gloriam nominis tui. ℣. Convertere, Domine, aliquantulum. ℟. Et deprecare ſuper ſervos tuos. ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te perveniat. ℣. Exurge, Domine, adjuva nos. ℟. Et redime nos propter. *Oratio.*

Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, ut famulum tuum, N. ad confeſſionem, & pęnitentiam, veramque emendationem, & veniam, tuæ pietatis inſpiratione compunctum, quem delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis abſolvat. Per.

Deinde Pſalmos, Domine, ne in furore tuo, uſque, Cor meum conturbatum eſt in me, & lumen oculorum meorum non eſt mecum. Miſerere mei Deus ſecundum magnam, uſque, Averte faciem tuam à peccatis. Benedic, anima mea, Dominum, & omnia interiora mea, uſque, Sicut Aquilæ Juventus. Gloria Patri. Kyrie eleiſon. ℣. Non intres in judicium cum ſervo tuo. ℟. Quia non juſtificabitur citò. Converte nos, Deus ſalutaris noſter. ℟. Et averte iram tuam. ℣. Illumina faciem tuam ſuper ſervum tuum. ℟. Et ſalvum fac. ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus. *Oratio.*

Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris, ſed ſatisfactione placaris, reſpice ſuper hunc famulum tuum. N. peccata, & facinora ſua confitentem, veniamque illi donare digneris, & præteritorum criminum culpas indulgeas, qui humeris tuis ovem perditam reduxiſti ad caulas, & publicani precibus, & confeſſione placatus es. Tu hujus, Domine, precibus benignus aſpira, remitte ei omnia crimina, & peccata, da pro ſuppliciis veniam, pro morte vitam, cunctiſque ejus medere vulneribus, ut ſicut nemo eſt noſtrum liber à culpa, ita & iſte non ſit alienus à venia. Per Dominum. *Alia.*

Deus, qui confitentium tibi corda purificas, & accuſantes ſuam conſcientiam ab omni vinculo iniquitatis abſolvis, dans indulgentiam captivis, & medicinam tribuens vulneratis: quæſumus, ut huic famulo tuo, excluſa ab eo omni dominatione peccati, libera tibi mente concedas famulari. Per. *Alia.*

Exaudi, Domine, ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, ut quos conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſolvat. Per. *Alia.* Prę veniat hunc famulum tuum. N. quæſumus, Domine, miſericordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per Dominum.

POſthæc dicat Sacerdos: accede fili ante Deum in conſpectu Angelorum, & ſanctorum ejus, & confitere peccata tua, quia ipſe dixit: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui eſt in cælis, & iterum Pſalmographus vates cecinit dicens: Revela Domino viam tuam, & ſpera in eo. Item quidem ſub perſona Dei, Spiritus ſanctus per os Prophetæ conciliatoria verba intonans, dicit: Ego ſum qui deleo iniquitates tuas, & peccatorum tuorum non ero memor ampliùs. Pronuntia ergo, chariſſime fili, adverſus te iniquitates tuas coram Deo, qui omnes vias tuas dinumerat, & univerſas mentium cogitationes antevenit, & intelligit, & ipſe remittet impietatem cordis tui, & educet te de lacu miſeriæ, & de luto fecis ad ſe clamantem, & ſtatuet ſupra petram pedem tuum, & immittet in os tuum canticum novum ad confitendum nomini ſancto ſuo: maculas namque veternoſas Ninivitarum trina pęnitentiæ confeſſione ſanavit, & muliere peccatrice amariſſime flente, pius & ſanctus Dominus non eam priùs amovit, quàm peccata remiſit: ſed & illius Latronis verbi unius in crucependentis meminiſſe debes, qui toto corde converſus ad Dominum in voce confeſſionis dixit, Memento mei, Domine, cùm veneris in regnum tuum, & ſtatim audire meruit, hodie mecum eris in Paradiſo. His & multis roboratus, mi fili, claris teſtimoniis accede ante præſentiam terribilis judicis Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ſua, & confitere delicta, quæ Diabolo inſtigante operatus es.

Poſt hæc inquiratur à Sacerdote de peccatis, de adulterio, de fornicatione, de furto, de homicidio, de falſo teſtimonio, de perjurio, de incendio, de ſacrilegio, quod eſt ſacræ legis violatio, qui contra præcepta Apoſtolica agit, id eſt, furtum ſacrarum rerum, de odio, de invidia, de diſcordia, de blaſphemia, ſed & de aliis quæ numerare longum eſt. Poſt dinumerata, & diſcuſſa atque confeſſa crimina interroget Sacerdos, ſi iſta peccata, quæ confeſſus eſt pęnitens plangere vult, ut & etiam ampliùs ad ea non revertatur, ſicut canis ad vomitum ſuum. Et poſtquam coram Deo voverit, Chriſto ſe adjuvante, ita facturum indicat ei pęnitentiam conſortans eum de miſericordia Dei dicentis, nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur. Tunc Sacerdos cum pęnitente proſtratus cum luctu, & gemitu dicat, Præoccupemus, fili, faciem Domini in confeſſione, & in Pſalmis jubilemus ei. Et incipit Pſalmum. Cor mundum crea in me, Deus, uſque in finem Pſal. *Alius Pſal.* Amici mei, & proximi mei adverſum me appropinquaverunt, &c uſque in finem. Faciens miſericordias Dominus, & judicium omnibus. uſque in finem. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. ℣. & capit. Averte faciem tuam à peccatis meis. ℟. Et omnes iniquitates. Ne intres in judicio tuo cum ſervo tuo Domine. ℟. Quia non juſtificabitur. Ne memineris iniquitatum noſtrarum. ℟. Citò nos anticipent. Delicta juventutis ejus. ℟. Et ignorantias ejus. Viam iniquitatis Domine amove ab eo. ℟. Et lege tua Domine. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus. Exurge, Domine, adjuva eum. ℟. Et libera eum.

Oratio.

DOmine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui per Jeſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum vulnera noſtra curare dignatus es, te ſupplices rogamus, & petimus, ut precibus noſtris aurem tuæ pietatis inclinare digneris, & remittas omnia crimina, & peccata univerſa huic famulo tuo, doneſque ei, Domine, pro ſuppliciis veniam, pro mœrore lætitiam, pro morte vitam, ut qui ſuadente diabolo cecidit in ruinam, te revocante trahatur ad miſericordiam, & ad æterna præmia pervenire mereatur. Per eumdem.

His dictis, ſignas eum de oleo ſancto in fronte, & dicis. Benedicat te Deus omnipotens, & cuſtodiat te, oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui, convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem, qui vivit. Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper te.

Item reconciliatio pœnitentis ad mortem.

DEus, qui non vis mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat, huic ad te ex toto corde converſo peccata dimitte, & perennis vitæ gratiam concede. Per. *Alia.*

Deus, ſub cujus oculis omne cor trepidat, omneſque contremiſcunt, propitiare omnium gemitibus, & cunctorum medere vulneribus, ut ſicut nemo noſtrum eſt liber à culpa, ita nemo ſit alienus à venia. & dic Pſal. Miſerere mei Deus ſecundum magnam. Poſt Pſal. hanc Orat. Præſta quæſumus Domine huic famulo tuo, N. dignum pęnitentiæ fructum, ut Eccleſiæ ſanctæ à cujus integritate deviarat peccando, admiſſorum veniam conſequendo reddatur innoxius. Per dominum. *Alia.*

Deus miſericors, Deus clemens, qui ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis evacuas, reſpice ſuper hunc famulum tuum, N. & remiſſionem ſibi omnium peccatorum ſuorum tota cordis confeſſione poſcentem exaudi. Renova in eo, piiſſime Pater, quicquid terrena fragilitate corruptum, & quicquid diabolica fraude violatum eſt; & unitati corporis Eccleſiæ tuæ membrum redemptionis perfecta remiſſione reſtitue: Miſerere, Domine, gemituum, miſerere lacrymarum, & non habentem fiduciam niſi in tua miſericordia, ad ſacramentum reconciliationis admitte. Per.

Alia.

Majeſtatem tuam quæſumus, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui non mortem peccatoris, ſed ut vivat ſemper inquiris, reſpice flentem famulum tuum, attende proſtratum, ejuſque planctum in gaudium tua miſeratione converte. Per dominum. *Alia.*

Deus miſericors, Deus clemens, qui multitudine indulgentiarum nulla temporis lege concluderis, ſed pulſantibus miſericordiæ tuæ januam aperis, pœnitentes etiam ſub ipſo hujus vitæ termino non repellis, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum, N. remiſſionem ſibi omnium peccatorum tota cordis confeſſione poſcentem: renova in eo, piiſſime pater, quod actione, quod verbo, quod ipſa cogitatione diabolica fraude vitiatum eſt, & unitati corporis Eccleſiæ membrum tuæ redemptionis annecte. Miſerere, Domine, gemituum, miſerere lachrymarum, & non habentem fiduciam niſi in tua miſericordia, ad ſacramentum reconciliationis admitte, quia nullius animæ in hoc corpore conſtitutæ difficilis apud te, aut tarda curatio eſt: fidelis enim es in verbis tuis, qui converſos peccatores non longo temporum ſpatio differendos, ſed mox ut ingemuiſſent, dixiſti eſſe ſalvatos. Per. *Alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus ſalus æterna credentium, exaudi me indignum pro famulo tuo, & da ei veram pęnitentiam, veram veritatem. Libera eum, Domine, ſicut liberare dignatus fuiſti Adam de inferno, Petrum de carcere, Paulum de vinculis, Teclam de beſtiis, Suſannam de falſo crimine, Paralyticum de grabato, Lazarum de monumento, populum Iſraeliticum de medio maris, Jonam de ventre ceti, Loth de Sodomis, tres pueros de camino ignis ardentis Sidrac, Miſae, & Abdenago, Danielem de lacu leonum, David de gladio maligno, Mariam Magdalenam de ſeptem dæmoniis: ita eum liberare digneris, Domine, ab omnibus peccatis ſuis, & ab univerſis delictis ſuis. Per dominum.

Alia.

Miſeratur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, præterita, præſentia, & futura, donetque tibi contra omnes cogitationes malas, & iniquas, rectas cogitationes, & Deo amabiles; contra facta verò periculoſa, & multiplicia det tibi Spiritus ſanctus remiſſionem in perpetuum, & compunctionem ſaluberrimam: infundat te lacrymis competentibus, quatenus poſſis per Dei gratiam deinceps omni tempore agere, & dicere quæ Dei ſunt, & expediunt proximis, & quæ ad tui emendationem, & ad Dei laudem pertineant ſempiternam: ſuccurrat tibi Dominus cum exercitu cœleſti, & det tibi pacem, ac perducat in vitam æternam. ℟. Amen.

Mox ſubſequitur Miſſa, quam ſacerdos pro ſibi confeſſo cantare debet.

JUſtus es, Domine, & rectum judicium tuum, fac cum ſervo tuo ſecundùm miſericordiam tuam. *Pſal.* Beati immaculati in via.

Oratio.

Da nobis, Domine, ut ſicut publicani precibus, & confeſſione placatus es, ita & huic famulo tuo N. placari digneris. Tu precibus ejus benignus aſpira, ut in confeſſione flebili permanens petitione perpetua te celeriter exoret, ſanctiſque altaribus, & ſacramentis reſtitutus, rurſus cœleſti gloriæ mancipetur. Per dominum.

Alia.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, ne ſit ab hoc famulo tuo, N. clementiæ tuæ longinqua miſeratio, ſana vulnera illius, ejuſque remitte peccata, ut nullis à te iniquitatibus dono gratiæ tuæ perfuſus, tibi Domino ſemper valeat adhærere. Per Dominum.

Lectio Epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli ad Galatas. Fratres. Si Spiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes: & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & ſic

adim-

adimplebitis legem Chriſti. *Grad.* Salvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperantem in te. ℣. Auribus percipe orationem meam, Alleluja. ℣. Domine, exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat.

Secundùm Lucam.

IN illo tempore, dixit Jeſus ad quoſdam, qui in ſe confidebant tanquam juſti, & aſpernabantur cæteros parabolam hanc: Duo homines aſcenderunt in templum, ut orarent: unus Phariſæus, & alter Publicanus; Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat. Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri homines, raptores, injuſti, adulteri, velut etiam hic Publicanus; jejuno bis in ſabbato, decimas do omnium, quæ poſſideo. Et Publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum levare, ſed percutiebat pectus ſuum dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori. Amen dico vobis, deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo, quoniam omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.

Offertorium. Bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo, altiſſime.

Secreta. Suſcipe, clementiſſime Pater, hoſtias placationis, & laudis, quas ego peccator, & indignus famulus tuus, tibi præſumo offerre ad honorem, & gloriam nominis tui, & pro incolumitate tui N. ut omnium delictorum veniam conſequi mereatur. Per.

Communio.

Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus, beatus vir, qui ſperat in eo.

Ad Compl. Purificent nos, quæſumus Domine, ſacramenta, quæ ſumpſimus, & famulum tuum N. ab omni culpa liberum eſſe concede, ut qui conſcientiæ reatu conſtringitur, cœleſtis remedii plenitudine glorietur. Per dominum.

Item alia Miſſa.

OMnipotens, & miſericors Deus, qui peccantium non vis animas perire, reſpice propitius ſuper famulum tuum N. & contine, quam meremur, iram; & quam precamur ſuper eum effunde clementiam, ut de mœrore ad gaudium per tuam miſericordiam transferatur. Per.

Secreta. Munera Domine oblata ſanctifica, & famulum tuum, N. à peccatorum ſuorum maculis emunda.

Ad Compl. Sanctificationibus tuis, omnipotens Deus, & vitia noſtra curentur, & famulum tuum N. ab omnibus delictorum ſuorum catenis abſolutum, miſericordia tua præveniat ſemper, & ſubſequatur. Per.

Miſſa pro infirmo, qui proximus eſt morti.

OMnipotens ſempiterne Deus, ſervator animarum, qui quos diligis corripis, & quos recipis ad emendationem piè coerces: te invocamus, Domine, ut medelam conferre digneris in animam famuli tui, N. qui in corpore patitur membrorum debilitationem, vim laboris, ſtimulos infirmitatum. Da ei Domine gratiam tuam, ut in hora exitius illius de corpore abſque peccati macula tibi datori proprio per manus ſanctorum Angelorum præſentari mereatur. Per.

Secreta. Adeſto, Domine, pro tua pietate ſupplicationibus noſtris, quas tibi offerimus pro famulo tuo, N. jacente in grabato, & ſalutem non corporis, ſed animæ ſuæ petenti: præſta, omnipotens Deus, indulgentiam omnium iniquitatum ſuarum propter immenſam miſericordiam tuam, & per interceſſionem omnium Sanctorum tuorum, ut per hoc, quod ſuſtinet, flagellum à ſanctis Angelis tuis ſuſceptus, pervenire mereatur ad tuæ gloriæ regnum. Per.

Infra Actionem. Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro famulo tuo, N. ut des ei, Domine, cœleſte deſiderium, & in exitu corporis ſui ſpem refrigerii, quæſumus Domine, ut placatus accipias, dieſque noſtros.

Ad Compl. Gratias agentes, Domine, multiplicibus largitatibus tuis, ex quibus animas in te ſperantium ſatiare conſueſti, confiſi de tua pietate precamur, ut miſereri digneris famulo tuo, ne prævaleat adverſus eum adverſarius in hora exitus illius de corpore, ſed tranſitum habere mereatur ad vitam. Per.

In tres Pœnitentiales Andegavenſes Adnotatio.

LIb. 4. *cap.* 18. *ſect.* 26. 27. 28. & aliis locis tres codices Andegavenſes citamus, qui pœnitentiales libelli non abs re dici poſſunt, licet ab iis poſtrema pars abſit, quæ reconciliationem, ejuſve ritus deſcribit. Pœnitentiales autem illi propriè ad privatos Sacerdotes pertinent, qui quotidianis confeſſionibus audiendis præpoſiti ſunt; quia nihil continent, niſi quod privatum eſt, & privatim exercetur. Confeſſionis minutias non ita exactè, & ſigillatim ut præcedentes perſequuntur, ſed primus præſertim, Pœnitentias, & pœnas peccatorum multò exactiùs ediſſerit, & inſuper penitentiarum redemptionem explicat. Primus pęnitentialis ex illis tribus, quos exhibemus, reperitur in fine antiquæ Collectionis canonum, cujus apographum tantum vidimus, & habemus: Diviſa eſt in 92. titulos. Conciliorum canones, Pontificum decreta, & Patrum ſententiæ, ex quibus compilata eſt, omnia ſunt antiqua. Pontificum poſtremus eſt Gregorius III.

Morin. de Sacram. Pœnit.

Secundum Pœnitentialem exſcripſimus ex antiquo manuſcripto paulò poſt Fulberti Carnutenſis Epiſcopi tempora ſcripto. Aliquis eum in privatum uſum ſcripſerat, & multa hinc inde excerpta collegerat. Ex eo decerpſimus ordinem confeſſionis edendæ, & Pœnitentiæ imponendæ, qualem tibi exhibemus. Annum quingenteſimum abhinc excedebat character. Videtur iſtarum varietatum compilator paulò poſt Berengarium ſcripſiſſe, & Magiſtrum quendam Anſellum, forſan Anſelmum circa finem ſeculi undecimi. In commodum ſuum hunc pœnitentialem, ut & multa alia ex antiquis membranis deſcripſerat, & ſimul compegerat.

Tertius, & breviſſimus Pœnitentialis ex antiquiſſimo divinorum officiorum ordine excerptus fuit, qui totus ferè pluviis, & vermibus contabuerat. Hæc, quæ damus, integra perſtiterant. Tres iſtos codices, aut eorum apographa, opera, & officio viri clariſſimi, & eruditiſſimi D. *de Loyaute*, civis Andegavenſis, & in ſuprema Pariſienſi curia Advocati nacti ſumus, atque ideo Andegavenſes codices nuncupavimus.

PRIMUS POENITENTIALIS
Andegavenſis.

Incipiunt interrogationes ad confeſſionem dandam.

CRedis in Deum Patrem omnipotentem, & Filium, & Spiritum Sanctum? ℞. Credo. Credis, quòd iſtæ tres perſonæ, quas ſupra diximus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres perſonæ ſunt, & unus Deus? ℞. credo. Credis, quòd in ipſa carne, in qua nunc es; in ipſa habes reſurgere in die judicii, & recipere ſive bonum, ſive malum, quod geſſiſti? ℞. credo. Vis dimittere illis quicunque in te peccaverunt. Domino dicente ſi non remiſeritis hominibus peccata eorum, nec pater veſter cœleſtis dimittet vobis peccata veſtra? ℞. volo.

Primum interroges ei, ſi tenet orationem Dominicam, & Symbolum. Et ſi hoc tenet, dic ei. Vis tuam confeſſionem dare? ℞. volo. Interroges ei, ſi jam ipſe confeſſus fuiſſet. Propter hoc interroges ei ſi ipſe habeat aliquid adquiſitum de malo ingenio, aut de furto, aut de aliqua injuſta cauſa, vel contradicto. Si confeſſus fuerit, quod habeat, inſtrue eum, quod non eſt licentia judicium de aliis peccatis recipere, antequam ipſum malum reddat, aut eiiciat. Poſteà ſi fecerit. Interroges ei, ſi iracundiam contra qualemcunque hominem habeat. Si confeſſus fuerit habere, ammone eum quod ſcriptum eſt, ſicut non proficit in vulnere medicamentum, ſi adhuc in eo ferrum ſit: Ita nihil proficit abſtinentia illius, qui contra aliquem iracundiam in ſuo corde tenet. Et ſi talis eſt, quem non cognoſcas, interroges ei, ſi fugitivus eſt, quòd non licet ei pœnitentiam dare. Poſt hæc interroges ei crimina ſua, quæ habet. Hoc eſt, ſuperbiam, ſacrilegium, homicidium, adulterium, falſum teſtimonium, perjurium, mendacium, odium, furtum, rapinam, iram, avaritiam, detractionem, ebrietatem, fornicationem, immunditiam, & cum hominibus, & cum quadrupedibus, libidinem, luxuriam, vel inceſta. Item alia peccata, Sodomiticam luxuriam, concupiſcentiam malam, & avaritiam: de Infantibus oppreſſis, vel à matre occiſis, de divinatinibus, vel ſortiariis. De hoc, quòd vota alicubi redduntur, niſi ad Eccleſiam. De incendiis, de Calendis Januarii, & qui paganias facit, de miniſterio Eccleſiæ * aliquid cultum. De ſacrificio, ſi ulla negligentia exceſſerit; de Chriſma, ſi per maleficium biberit. Si quis in fęmina avorſum fecerit, ſi qua fęmina avorſum fecerit, & ſi menſtruo tempore Eccleſiam intraverit, aut vir cum ea nupſerit, & ſi parvuli ſine baptiſmo per negligentiam mortui fuerint. De die Dominico non cuſtodito, & ſi de immunditia comederit, & in furto ſepulchra violaverit. Et ſunt alia minuta, & plurima peccata. Qui proximum ſuum maledicit, & qui in verbis perjurat, qui invidet, concupiſcit, triſtatur, detrahit, accuſat, blaſphemat. Habes aliquid de iſtis peccatis, vel de ipſis, quæ de eorum radicibus procedunt, vel aliis minutiſſimis pec-

catis, quæ longa ſunt dinumerare. Confidis te quantum memorare potes? ℞. ſic facio.

Poſtquam de ipſis confeſſus fuerit, projicite vos ambo pariter in terra, dic ei ut ipſe dicat: Mea culpa, peccavi, Domine. Iterum interroges ei: Recognoſcis te culpabilem de omni peccato quod poſt baptiſmum ſciendo, vel neſciendo commemoras, aut recordaris; quod in verbo, aut in cogitatione, contra mandata Dei egiſti, culpabilem exinde te recognoſcis? ℞. ſic facio.

Iterum dices ei, promittis te de præteritis culpis emendare, & in ſanctam Trinitatem, quæ eſt Deus, credere, & omnibus adinventionibus diaboli abrenunciare. ℞. promitto.

Tunc dices ei: Dominus ſit tibi adjutor, & protector, & præſtet tibi indulgentiam de tuis peccatis, & Deus miſericordiæ det tibi veram emendationem, & in vera pęnitentia perſeverare. Et admoneas eum, ut orationem dominicam, & ſymbolum dicat. Et tunc dices capitulum, Deus in adjutorium meum intende. Item aliud, Convertere Domine aliquantulum, & deprecabilis eſto ſuper ſervum tuum. Dicat iterum, Domine, ne in furore tuo, totum cum Gloria. Item, Miſerere mei Deus. Uſque, & omnes iniquitates meas dele. Cum Gloria. Item, Benedic anima mea Domino. Uſque renovabitur ſicut aquilæ juventus tua. Cum Gloria. Poſt hæc dic orationem. Exaudi Domine ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, ut quem conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſolvat.

Alia. Præveniat Domine quæſo miſericordia tua hunc famulum tuum, & omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. *Alia*. Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, ne ſit ab hoc famulo tuo, *ill.* clementiæ tuæ longa miſeratio. Sana vulnera, ejuſque remitte peccata, ut nullis à te iniquitatibus ſeparatus, tuis ſemper Domine valeat adhærere mandatis. *Alia*. Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris, ſed ſatisfactione placaris, reſpice propitius ad hos ſamulo tuos, qui ſe tibi peccaſſe graviter confitentur. Tuum eſt abſolutionem criminum dare, & veniam præſtare peccantibus, qui dixiſti, pęnitentiam malle te peccatorum quàm mortem. Concede ergo Domine, ut tibi pœnitentiæ excubias celebrent, & correctis actibus ſuis conferri ſibi à te ſempiterna gaudia, gratulentur. *Alia*. Præſta quæſo Domine huic ſamulo tuo dignum pęnitentiæ fructum, ut Eccleſiæ tuæ ſanctæ à cujus integritate deviarat peccando, admiſſorum reddatur innoxius, veniam conſequendo. Per.

De fornicationibus, & earum pœnitentia.

ADoleſcens, ſi cum virgine peccaverit, anno uno pęniteat. Si ſemel, & fortuitu, levietur, & tamen uſque ad annum plenum. Si infra viginti annos puella, & adoleſcens, tres quadrageſ. & legitimas ferias. Si propter hoc peccatum ſervitio humano addicti ſunt, quadraginta dies. Si nitens tantum, & non coinquinatus, viginti diebus. Si vidua fuerit conſtuprata, annum totum pœniteat, & dies jejuniorum in altero. Si uſque ad generationem filii; duos annos integros, & duos alios levius. Si monachus laicam, tres annos, & illa duos, & legitimas ferias. Si monacham laicus, duos annos, & legitimas ferias. Illa duos; ſi uſque ad generatum filium, annos quatuor. Si occiderint, ſeptem annos. Si monachus cum monacha, annos ſeptem. Si quis vacans alterius uxorem polluit, duobus annis pęniteat. Si uxoratus virginem, ſimiliter: ita ut primo horum à ſua ſe contineat, ſi ei illa conſenſerit. Alioquin, addatur modus pęnitentiæ. Si uxoratus uxorem alterius, tres annos: primo horum à propria, illa conſentiente abſtineat. Si uxoratus ancillam ſuam; anno uno, & tribus quadrageſimis, & legitimas ferias, tribus menſibus à ſua ſe continèns. Illa ſi invita paſſa eſt, quadraginta dies; ſi conſentiens tres quadrageſimas, & legitimas ferias. Si adoleſcens ſororem, quinque annos: & ſi matrem ſeptem annos; & quamdiu vixerit, numquam ſine pœnitentia, vel continentia. Sodomitæ annos quatuor, ſi in conſuetudine ſit, annos ſeptem, ſi inter ſemora tribus quadrageſimis. Si parvulus oppreſſus talia patitur, quadraginta dies, vel pſalmos centum, vel continentia caſtigetur. Mulier qualicunque molimine, aut ſeipſam polluens, aut cum altera fornicans, tres annos: ſanctimonialis fœmina cum ſanctimoniali per machinamentum polluta annos ſeptem. Qui cum pecude peccat, annum unum, ſimoniacus annos duos. Qui ſæpe fornicatus, vel laicus cum laica, tres annos; & quanto ſæpius, & negligentius, tanto magis, & tempus addat, & modum. Qui diutius fornicationi, perjurio, latrocinio, cæteriſque flagitiis ſervit, annos ſeptem. Si mater cum filio parvulo fornicationem imitatur, annos duos, & tres quadrageſimas cum legitimis feriis.

Pueri ſeſe invicem manibus inquinantes, dies quadraginta. Si verò pueri ſeſe inter ſemora ſordidantes, dies centum. Majores tribus quadrageſimis, ac legitimis feriis. Parvulus à majore puero oppreſſus, ſeptimanam. Si conſenſerit, dies viginti. Qui complexu fęminæ illecebroſo, vel oſculo polluitur, dies triginta. Qui contactu ejus inverecundo ad carnem, tres menſes. Puer ſeipſum voluntatiè polluens, triginta dies, juvenis quadraginta. Qui in turpiloquio polluitur negligens, ſeptem dies. Qui impugnatione cogitationis, & naturæ impugnatur nolens, ſeptem dies, genua flectendo pſalmos canat, & quartam, & ſextam ferias jejunet, ad nonam vel ad veſperam. Qui in Eccleſia conſecrata nubunt, ſeptem dies, qui in Eccleſia per ſomnum polluitur, tres dies.

Quibus diebus abſtinere oportet à propria conjuge.

QUi uxores habent, contineant ſe ab eis quadraginta dies ante Paſcha. Et natale Domini, & omni Dominica, & quatuor, & ferias. Et à conceptione manifeſtata uſque poſt natam ſobolem, vir contineat ſe ab uxore, id eſt tres menſes. Uxor poſt natam ſobolem abſtineat ſe ab Eccleſia, ſi filius eſt, dies triginta, ſi filia, quadraginta. Nam in tempore menſtrui ſanguinis, qui tunc nupſerit, triginta dies pęniteat: qui Dominica, ſeptem dies pęniteat. Si quis cum uxore ſua retro nupſerit, quadraginta dies pęniteat: ſi in tergo tres annos, quia ſodomiticum ſcelus eſt.

De Infantulis non baptizatis.

PArens, cujus filius non baptizatus obiit, uno anno pœniteat, & nunquam ſine pœnitentia ſit. Si Sacerdos ad quem pertinebat, vocatus, venire neglexerit, ipſe propter damnationem animæ judicio ſui Epiſcopi caſtigetur. Sed & omnibus licet fidelibus, ubi forte morituros invenerint non baptizatos, immò præceptum eſt, animas eripere à Diabolo per baptiſma. Id eſt, benedicta ſimpliciter aqua in nomine Patris, & filii, & Spiritus ſancti intinctos, aut ſuperfuſos aqua. Unde oportet eos, qui poſſunt fideles, maximè monachos, & ſcientiam habere baptizandi; & ſi longiùs alicubi exierint, Euchariſtiam ſemper habere ſecum.

De Homicidio.

QUi occiderit monachum, aut clericum, arma relinquat, & Deo ſerviat, vel ſeptem annos pęniteat. Qui laicum odii meditatione, vel cupiditate poſſidendæ hereditatis ejus, annos tres. Qui pro vindicta fratris, anno uno, & inſequentibus duabus, vel tribus quadrageſimis, & legitimis feriis. Qui per iram ſubitam, & rixam, tribus annis. Qui caſu, annum unum: qui in bello publico, dies quadraginta. Qui jubente Domino ſuo ſervus, dies quadraginta. Si liber jubente ſeniore ſuo innocentem occiderit, annum unum, & ſequentes duas quadrageſimas, & legitimas ferias. Qui per rixam ictu debilem, vel deformem hominem reddidit, impenſas in medicos, & maculæ pretium, & opus ejus donec ſanetur, & reſtituatur, & dimidio anni pœniteat. Si verò non habet, unde reſtituat hæc, anno integro pęniteat. Si clericus fuerit, ſeptem menſes pęniteat. Quod ſi vulneraverit; dies quadraginta: ſi clericus, annum totum. Sed & pecuniam pro modo vulneris, licèt lex non commendet, cui inflixit, tribuat, ne læſus ſcandalizetur.

De filiis non occidendis.

MUlier partum ſuum ante dies quadraginta ſponte perdens, annum unum pęniteat. Si verò poſt quadraginta dies, tres annos. Si verò poſtquam animatus fuerit, quaſi homicida. Sed diſtat multùm, utrum pauperculo, pro difficultate nutriendi, an fornicaria, cauſa ſui ſceleris neſandi hoc faciat.

De perjuriis.

QUi perjurat ſciens compulſus à Domino ſuo, tribus quadrageſimis pęniteat, & legitimis feriis. Qui ſciens veritatem juramenti, vel perjurii, perjurat in manu Epiſcopi vel presbyteri, vel in altari, vel in cruce conſecrata, tribus annis pœniteat. Si verò in cruce non conſecrata, anno uno. Si autem in manu hominis, apud Græcos nihil eſt. Qui ſe dicit neſcium juraſſe pro noxio, qui & poſteà perjurium cognovit, uno anno pęniteat. Qui manducat carnem immundam, aut morticinam, aut laceratam à beſtiis, dies quadraginta. Si neceſſitate, fame cogente, multò levius. Mus ſi ceciderit in li-

quorem, tollatur inde, & aſpergatur aqua benedicta liquor ille, & ſumatur: Si verò ibidem mortus fuerit, abiiciatur totus liquor, nec ab hominibus ſumatur, ſive mel, ſive lac ſit, ſive cerviſia, aut aliquod hujuſmodi. Quod ſi multus ſit liquor ille, in quo mus, vel muſtela incidens moritur, purgetur, & aſpergatur aqua ſancta, & ſumatur, ſi neceſſitas ſit. Si aves ſtercorant in liquorem quemcunque, tollatur ſtercus, & mundetur cibus, vel potus aqua benedicta, & ſumatur. Qui ſanguinem neſcius cum ſaliva ſorbet, non ei nocet. Qui manducat ſanguinem proprium, polluitur ſi inſcius, non nocet: ſi autem ſcit, pœnitentiam agat, juxta modum pollutionis.

De capitalibus criminibus.

NUnc igitur, capitalia crimina ſecundùm Canones explicabo. Prima ſuperbia, invidia, fornicatio, inanis gloria, ira longo tempore, triſtitia ſeculi, avaritia, ventris ingluvies. Et Auguſtinus adjecit ſacrilegium, id eſt ſacrarum rerum furtum, & hoc maximum eſt furtum, vel idolothytis ſervientem, id eſt auſpiciis. Deinde adulterium, falſum teſtimonium, furtum, rapina, ebrietas aſſidua. Idololatræ, molles, ſodomitæ, maledici, perjuri, iſta ſunt. Sanctus Paulus, & Auguſtinus, & alii Sancti computaverunt pro iſtis fieri oportere eleemoſynas largas, & longo tempore jejunium teneatur, id eſt, ut alii judicant pro capitalibus, id eſt adulteriis, homicidiis, perjuriis, fornicationibus, & ſimilibus; Laicus, annis tribus; Clericus annis quinque, Subdiaconus annis ſex, Diaconus ſeptem, Presbyter decem, Epiſcopus duodecim: ſi in conſuetudine fuerit Epiſcopus, quatuordecim, Presbyter duodecim, Diaconus decem, Subdiaconus ſeptem. Clericus ſex, laicus quinque. Monachus ſi fornicationem facit cum ancilla Dei ſeptem annis pęniteat, ſi cum puella, tribus annis, de parricidiis, vel fratricidiis, quidam ſeptem, quidam duodecim, & quidam octo.

De Cupiditate.

CUpidus, vel avarus, vel ebrioſus, vel ſuperbus, vel invidus, vel rapax, vel iracundia longa confectus, vel maledicus, vel horum ſimilium, quæ enumerare perlongum eſt, perpetrator tribus annis pęniteat. Si clerici cum quadrupedibus peccaverint, duobus annis pęniteant, ſubdiaconus tribus, diaconus quinque, presbyteri ſeptem, epiſcopus decem. Qui cum matre fornicaverit, quindecim annis: ſi cum filia vel ſorore duodecim. Qui cum fratre naturali fornicaverit per commixtionem carnis, ab omni carne ſe abſtineat quindecim annis. Si clericus venationem exercuerit, uno anno pœniteat; Diaconus duobus, Presbyter tribus. Si mater cum filio ſuo parvulo fornicaverit, tribus annis abſtineat ſe à carne, & die uno in hebdomada ad veſperum jejunet. Si presbyter, vel diaconus, vel monachus uxorem duxerit in conſcientia populi, deponatur. Si adulterium perpetravit cum ea, & in conſcientia populi devenerit, projiciatur extra Eccleſiam, & inter Laicos pęniteat, quamdiu vivit. Qui dimiſerit alteri uxorem ſuam conjugii, ſeptem annis pęniteat. Si clericus homicidium fecerit, & proximum ſuum occiderit, decem annis exulat, ſeptem annis ſi odii meditatione fecit. Si laicus homicidium fecerit per furorem, & meditationem, tribus annis, vel quinque, vel ſeptem pęniteat. Si per rixam tribus annis. Qui caſu occiderit, nolens, anno uno. Qui immolant dæmonum imaginibus, ſi conſuetudo eſt, decem annis pęniteant. In minimis uno anno auguria, vel divinationes ſectantes, quinque annis. Emiſſores tempeſtatum, quinque annis. Pœnitentia ſemper iſto ordine ſervata ſit: Ab uno anno, & deinceps, de qualicunque peccato, id eſt, in unaque hebdomada tres dies, ſine vino, & medone, & ſine carne, & jejunet ad veſperam, & manducet de ſicco cibo, & jejunet tres dies ad nonam, & tres dies ad veſperam. Et in diebus Dominicis, & in natale Domini, quatuor dies. Et Epiphania, & à Paſcha uſque in albas, & in aſcenſu Domini, & Pentecoſte, & feſtivitate ſancti Michaelis, & ſancti Joannis Baptiſtæ, & duodecim Apoſtolorum, & ſancti Martini, & illius ſancti feſtivitate qui in illa provincia eſt. In his prædictis diebus faciat Charitatem ſicut ſui compares. Clerici ſive laici ebrietatem, & ventris diſtentionem in omnibus caveant, ut fiat, quod Apoſtolus dixit, ſive manducatis, ſive bibitis, omnia ad laudem Dei facite. Tunc ergo digna pęnitentia eſt, ſi hoc impleatur.

De Clericorum pœnitentia.

ITem in canone Apoſtolorum judicatur, ut Epiſcopus, preſbyter, diaconus qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus eſt, deponatur, non tamen communione privetur, quia non judicat Deus bis in idipſum. Si quis Pontifex fornicationem faciens naturalem, judicabitur duodecim annis pœnitere, per multas lachrymas, & eleemoſynas veniam à Domino petat, & annis tribus, vel quatuor levius pœniteat. Presbyter cum puella non prælato monachi voto peccans, annis tribus vel quatuor, & quadrageſimis duabus, & quarta, & ſexta feria ſemper de ſicco cibo. Si cum ancilla Dei, aut cum maſculo, plus addetur, id eſt, ſeptem annis, ſi conſuetudo eſt. Similiter diaconi, ſi monachi non ſunt, duobus vel tribus annis; ſic & monachus ſine gradu, ſi cum puella peccabit, id eſt, duobus vel tribus annis. Si diaconi monachi ſunt quinque vel ſex. Monachi cum gradu ſeptem, Si voto monachi presbyter cum puella novem, vel decem annis: Clericus ſine voto monachi, ſi cum monacha nondum ſacra fornicatus fuerit, anno uno: Si frequenter, duobus annis. Si cum canonica, duobus annis: ſi frequenter, tribus: ſi genuerit filium, plus pęniteat, id eſt quatuor vel quinque annis, & alii dicunt ſeptem annis exul fiet. Sic & virgo ſanctimonialis cum laicis ſine gradu, ſicut clerici, qui canonici non ſunt, uno anno pœniteat. Si frequenter, duobus annis. In gradu autem, ſi cum monacha tribus annis: Theodorus dixit, monachus fornicationem faciens, ſeptem annis pœniteat. Si monachus quærens fornicationem, & non inveniens, uno anno pœniteat, & dimidium. Item monachus fornicationem faciens cum puella, tribus annis pœniteat. Si cum ſanctimoniali, ſeptem annis pœniteat. Laicus maculans ſe cum ancilla Dei, duobus. Si genuerit ex ea filium, tribus annis. Si ſine concubitu, tribus quadrageſimis. Quidam quadraginta dies judicant.

Sodomitæ.

QUidam decem annis, id eſt, qui ſemper fecerit, vel in gradu: quidam ſeptem, quidam anno uno, ut molles, quidam centum diebus, ut pueri. Viri inter femora fornicantes anno uno; iterantes duobus: ſi in terga fornicaverint tribus; ſi pueri duobus Qui cum pecude peccaverit, vel cum jumento decem annis pœniteat, quidam ſeptem, quidam tribus, quidam uno, quidam centum diebus, ut pueri. Oportet diſcretionem eſſe inter qualitatem pecudum vel hominum, ſicut ſupra diximus. Si Epiſcopus cum quadrupede peccaverit, ſeptem annis: Si in conſuetudine annis decem, Presbyter quinque, Diaconus tribus, Clericus uno.

De Machinamentis Mulierum.

MUlier abſtineat ſe à viro ſuo, quando concepit, antequam pariat, tres menſes. Et poſt partum quadraginta dies. Qui autem nupſerit his diebus, quadraginta dies pœniteat, vel triginta vel viginti. Qui in matrimonio ſunt, abſtineant ſe in quadrageſima, & in Dominica nocte, & in Sabbatho, & quarta, & ſexta feria, & in feriis, quæ legitimæ ſunt, & tres noctes abſtineant ſe, antequam communicent. Qui in quadrageſima ante Paſcha cognovit uxorem ſuam, & noluit abſtinere, anno uno pœniteat, vel ſuum pretium reddat ad Eccleſiam, vel pauperibus dividat viginti ſex ſolidos. Si per ebrietatem, vel aliqua cauſa acciderit ſine conſuetudine, quadraginta dies pœniteat. Mulier ſi incantationes, vel divinationes fecerit diabolicas, unum annum pœniteat, vel tres quadrageſimas, vel quadraginta dies juxta qualitatem culpæ. Mulier ſi aliquem interimit, arte maleficii ſui, id eſt per poculum, aut per artem aliquam, ſeptem annos pœniteat. Si vir cum muliere ſua retro nupſerit, pœniteat quomodo, de animalibus, id eſt, ſi in conſuetudine non erit, tres annos.

De Auguriis.

AUguria, vel ſortes, quæ dicuntur falſæ ſanctorum, vel divinationes obſervare, vel quarumque ſcripturarum inſpectione futura proſpicere, vel votum vovere in arbore, vel in qualibet re, excepta Eccleſia, ſi clerici, vel laici, excommunicentur ab Eccleſia. Clericus tribus annis pœniteat. Laicus unum annum, & dimidium. Mulier ſi filium ſuum ſuper tectum ponit, vèl in fornace pro ſanitate febris, quinque annos pœniteat.

De

De Divinationibus, & Maleficiis.

CAraríos, corioccs, & divinos, & percantatores, Philacteria etiam diabolica, vel herbas, vel ſuccinnos ſuis, vel ſibi impendere, vel quintam feriam in honorem Jovis, vel calendas Januarii, ſecundùm paganiam honorare. Si monachus quinque annos pœniteat, clerici vel laici tres, vel quinque. De minutiſſimis peccatis, id eſt, de ebrietate, vel maledictione, ſeu detractione, cauſa invidiæ, vel his ſimilibus, laicus ſeptem dies poſt vel quatuor, clericus quatuordecim, vel ſeptem, ſubdiaconus duas, vel tres hebdomadas. Diaconus ſex vel ſeptem hebdomadas, presbyter novem, Epiſcopus undecim. Sacerdos per turpiloquium, ſeu aſpectum coinquinatus, non tamen voluit fornicari, viginti dies pœniteat. Si ſemen fuderit, clericus ſeptem dies, diaconus duas hebdomadas, monachus quinque. Item presbyter ſi ſemen fuderit per cogitationem, ſeptem dies pœniteat, ſi tangit manum cum manu tres hebdomadas, Epiſcopus quatuor, ſi per cogitationem viginti dies. Si monachus ſeptem, diaconus quatuor, clericus duos, laicus unum diem. Si tangit manu, diaconus quatuordecim dies. Monachus tres hebdomadas vel duas, clericus ſeptem dies. Aliter, ſi clericus manum cum manu triginta vel viginti dies. Quantò magis alii gradus? Qui impugnatione mentis violenter coinquinatus eſt, ſeptem dies pœniteat; vel quouſque cogitatio vincatur. Qui in ſomnis non voluntate pollutus fuit, ſurgat, cantetque ſeptem pſalmos pœnitentiales, id eſt, Domine ne in furore: Miſerere mei Deus ſecundùm, &c. Miſerere mei Deus mihi, &c. Deus miſereatur noſtri, &c. Deus in adjutorium, &c. Inclina Deus, &c. De profundis, &c. vel unuſquiſque ſecundùm ſuam virtutem, & in manè triginta pſalmos cantet. Volens autem in ſomnis peccare, ſi neque pollutus ſuit; pro mala voluntate quindecim pſalmos cantet. Peccans non pollutus, viginti quatuor pſalmos. Si in ſomno peccans ſine cogitatione, quindecim pſalmos. Item ſi ſomno peccans ſit ex cogitatione pollutus, viginti quinque pſalmos. Si ſemen fuderit in Eccleſia per dormitionem, cantet pſalterium, vel tres dies pœniteat. Si voluntariè in Eccleſia ſemen fuderit mala cogitatione, ſi clericus quatuordecim dies pœniteat, diaconus viginti quinque, presbyter quadraginta, Epiſcopus quinquaginta, monachus triginta. Item ſi clericus amans mente carnali aliquam fœminam, ſeptem dies pœniteat.

De Furto.

SI quis de miniſterio Eccleſiaſtico, qualecunque opus quolibet modo fraudaverit, vel neglexerit, ſeptem annos pœniteat. Si laicus conſecratam juraverit, tres annos pœniteat, ſine pinguedine, & tunc communicet. Item ſi quis furtum capitale commiſerit, id eſt, quadrupedia abegerit, vel domos infregerit. Si laicus, annum unum pœniteat, ſi majus aliquid fecerit furtum, tres annos, vel quomodo ſacerdos, vel Epiſcopus judicaverit. Si clericus tale furtum fecerit, quinque annos pœniteat, vel quomodo ſacerdos judicaverit.

De Ebrietate.

SI quis Epiſcopus, vel aliquis ordinatus, in ordinibus Eccleſiaſticis, in conſuetudine vitium ebrietatis habuerit, aut deſinat, aut deponatur. Si monachus per ebrietatem vomitum fecerit, triginta dies pœniteat. Si presbyter, vel Diaconus per ebrietatem vomitum fecerit, quadraginta dies pœniteat. Clericus viginti, alii dicunt ſeptem dies ſine pinguedine. Laicus ſi inebriatur, ita triginta dies ſine cerveſa, & vino, & hac carne. Alii dicunt, quindecim dies. Si fidelis laicus ſit, qui per nequitiam inebriat alterùm, quadraginta dies pœniteat. Si vomitum fecerit infirmitatis cauſa, ſine culpa eſt: ſi per ebrietatem, vel voracitatem evomuerit eucharistiam, quadraginta dies pœniteat. Clericus, monachus, vel diaconus ſexaginta, presbyter ſeptuaginta, Epiſcopus nonaginta. Si infirmitatis cauſa, ſeptem diebus unuſquiſque. Si non infirmitatis cauſa, neque in ſacrificii die, ſeptem dies. Quidam pſalterium, quidam bis, quidam quinquaginta pſalmos. Si vomitum ſacrificii die, in ignem proiiciatur, vel in flumen, centum pſalmos cantet. Si canes comederint talem vomitum, ſi ſcit, centum diebus pœniteat. Si non ſcit, quadraginta. Qui verò inebriantur contra præceptum Domini, ſi vomitum ſanctitatis habent, hoc eſt, ebrioſitas quando ſtatum mentis immutat, & lingua balbutit, & oculi turbantur, & vertigo erit, & ventris diſtenſio, ac dolor ſequitur: ſi clericus ſeptem dies, monachus quatuordecim, diaconus tres hebdomadas, presbyter quatuor, Epiſcopus quinque, laicus ſeptem dies, ſine vino, & carne.

De Eucharistia.

SI quis Euchariſtiam negligentiæ cauſa perdiderit, annum unum, vel tres quadrageſimas, ſeu quadraginta dies pœniteat. Si ſacrificium in terra ceciderit, * vel pſalmos cantet, qui neglexerit ſacrificium, ut vermes, in eo ſint, vel colorem mutet, vel ſaporem, viginti, vel triginta, vel quadraginta dies pœniteat, & in igne incendatur. Cinis ejus ſub altare abſcondatur. Si uſque ad terram ceciderit, uno die pœniteat. Si mus comederit cauſa incuriæ, triginta dies, vel quadraginta pœniteat. Si ſtilla ſuper altare ceciderit, tres dies. Qui in Eccleſia modicam partem perdiderit, & ſi non invenerit, quadraginta dies pœniteat, vel in unoquoque die quadraginta pſalmos cantet Qui autem in plebe ſua chriſma perdiderit, & non invenerit, quadraginta dies pœniteat, vel tres quadrageſimas. Qui non perfuderit calicem in fine ſolemnitatis, triginta dies pœniteat.

De diverſis cauſis.

QUi aliquam creaturam perdidit, hoc eſt, thus, thuribula, tabulas, aut ſcedulam, ſive ſal benedictum, panem novum conſecratum, vel aliquid huic ſimile, ſeptem dies pœniteat. Qui morticinum comederit inſcius, quadraginta dies pœniteat. Sciens autem centum dies. Qui fraudem commiſit, & ſcit, & eſt inops, vel hebes, ſeptem dies. Sani autem, & non infirmi, ſi ſciunt, quadraginta dies. Qui ſæpè faciunt, tres quadrageſimas, vel unum annum. Qui comederit, vel biberit intinctum à familiari beſtia, id eſt, à cane, vel catto, & ſcit, centum pſalmos cantet, vel duos dies jejunet. Si quis dederit alicui liquorem, in quo mus, vel muſtela mortua invenitur. Si ſecularis, ſeptem dies pœniteat. Si in cœnobiis, tercentos pſalmos cantet. Qui poſteà noverit, quod talem potum dederit, centum quinquaginta pſalmos cantet. Si quis ſemicoctum comederit inſcius, tres dies pœniteat, vel pſalterium cantet. Sciens autem, ſeptem dies pœniteat. Puer viginti annorum pro modico furto viginti dies pœniteat. Puer decem annorum aliquod furtum faciens, ſeptem dies. Si quis tinxerit manum, in aliquo liquido cibo, & non idonea manu, centum palmatis emendetur. Si in ſarina, vel in aliquo cibo ſicco, aut in pulte, aut in lacte coagulato, mus, vel muſtela mortua invenitur, quod in circuitu ejus eſt totum proiiciatur foras, quod reliquum eſt, manducetur.

De remedio pœnitentis.

QUi autem implere potuerit, quod in pœnitentiali ſcriptum eſt, impleat, quòd bonum eſt. Qui autem non poteſt, conſilium donamus per miſericordiam Dei: In primis primo die in pane, & aqua quinquaginta pſalmos cantet genua flectendo; vel ſine flectendo ſeptuaginta pſalmos cantet infrà Eccleſiam, vel in uno loco per ordinem pſallat. Hæc pro uno die valent: vel unus denarius pro uno die valet. Etſi quatuor eleemoſynas tribuit pauperibus, pro uno die valent. Quidam dicunt centum percuſſiones in hyeme, vel centum pſalmos in æſtate valent, id eſt, in hyeme, in autumno, & in verno, centum percuſſiones, vel centum pſalmi in æſtate, vel centum quinquaginta percuſſiones. Item pro uno menſe, quem in pane, & aqua pœnitere debet, pſalmos mille ducentos genu flectendo, vel ſine genu flexo mille ſexcentos ſeptuaginta, & poſteà omnes dies reficiat ad ſextam, niſi quarta, & ſexta feria jejunet ad nonam, & à carne, & vino abſtineat ſed alium cibum poſtquam pſallerit, ſumat. In ſecundo anno, remiſſior pœnitentia erit, de natale Domini uſque Epiphaniam, & illos prædictos dies, qui ſupra ſcribuntur qui in pœnitentia non computantur, reficiat. Qui non poteſt ſic agere pœnitentiam, ſicut diximus, in primo annó eroget, in eleemoſynam ſolidos viginti quinque, & in una hebdomada jejunet ad nonam, & altero ad veſperam, & tribus quadrageſimis. In ſecundo anno viginti ſolidos: pro tertio anno, ſolidos novemdecim. Id ſunt ſexaginta quatuor ſolidi. Potentes homines pro culpis, & criminibus faciant, ut Zacheus ait. Domine, omnium bonorum meorum dimidium do pauperibus, & ſi alicui aliquid injuſtè abſtuli, in quadruplum reddam. Et de mancipiis dimittant liberos, & captivos redimant. Et à quo die deſiit peccare, non deſinat communicare. Sicut Apoſtolus dixit, qui per corpus peccat, per corpus emendet. Hoc eſt, in jejuniis, vigiliis, & orationibus ad Dominum. Qui converſus fuerit, & omne malum quod fecit, in effundendo ſanguinem, in furto, in fornicatione,

Digitized by Google

ne, in mendacio, in juramento, & perjurio, & de omnibus malis, quæ egit, confeſſus fuerit, & ſcilla relinquere promiſerit, & poſteà Deo ſervire voluerit, uſque in finem tres annos, vel duos pœniteat, vel quomodo ſacerdos judicaverit. Ipſe tamen ſacerdos cogitet de medicamento animarum, quomodo ſuam, & aliorum animas ſalvare valeat, in erudiendo, in docendo ſanum ſermonem; quia qui benè miniſtrat, bonum gradum ſibi acquirit, apud eum, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus, in ſæcula ſæculorum. Amen.

Edidit ſanctus Bonifacius quomodo poſſumus pœnitentiam, ſeptem annorum in uno penitere. Triduana cantatio pſalmorum pro triginta diebus, & noctibus; viginti pſalteria, pro duodecim menſibus. Pro uno die quinquaginta pſalmos, & quinquaginta Pater noſter, & quinquaginta vicibus proſternat ſe in terra cum oratione Dominica, quam in proſtratione dicat. Si pro uno die. Si vult minùs pſallere, proſternat ſe in oratione centum vicibus, & dicat. Miſerere mei Deus, & dimitte mihi delicta mea, fiat hoc pro uno die. Qui vult confiteri peccata ſua cum lachrymis, quia lachrymæ veniam non poſtulant, ſed merentur, roget Presbyterum, ut miſſam cantet pro eo, niſi ſint criminalia peccata, quæ debent ante lavari cum lachrymis. Cantatio unius miſſæ poteſt duodecim dies redimere, decem miſſæ quatuor menſes, viginti miſſæ octo menſes: triginta miſſæ duodecim menſes. Si volunt confeſſores eſſe, cum lachrymis hæc pro hebdomada, trecentes quinquaginta pſalmos flectendo genua in Eccleſia, aut in uno loco per ordinem. Qui unum pſalmum non novit, & jejunare non poteſt, hic quantum ſumit, penſet, & tribuat medietatem in eleemoſynis.

POENITENTIALIS SECUNDUS Andegavenſis.

DOmine Jeſu Chriſti fili Dei vivi, qui es verus Sacerdos, & verus Pontifex, qui Apoſtolis tuis, & poſt Apoſtolos nobis miniſterium ligandi, atque ſolvendi Pontificium tradidiſti, exaudi me pro famulo tuo, & da ei cor contritum, & humiliatum, & fontem lachrymatum, ut veram confeſſionem tibi valeat offerre, & veram pęnitentiam, de his omnibus, quæ confeſſus fuerit agere, per teipſum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum recuperatorem animatum noſtratum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus per infinita ſæculorum ſæcula.

Tunc jubeat eum ſurgere, & ſedeant pariter in ſecreto loco, & interroget eum, de peccatis ſuis, de invidia, de ira, de triſtitia, de avaritia, de ventris guloſitate, de luxuria, de adulterio, de ſornicatione, de falſo teſtimonio, de odio, de otioſo tempore, de perjurio, de vana gloria, de rapina, de ſacrilegio, de incendio, de raptu fęminæ, de vomitu ſacrificii, de maledictione patris, & matris, juxta illud, Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur, & poſteà de cæteris: & ſecundùm conſtitutionem canonum judica eum, & poſt judicationem, & alleluja, * & pęnitentiam ſuam ſecundùm quod videris, & in eo ætatem, poſſibilitatem corporis, & virtutem. Et ſic per ordinem interroga eum.

Fuiſti bis baptizatus. Si ipſe pro cupiditate ſua fecit, ſeptem annos pęniteat, & dimidium in pane, & aqua. Si pater, & mater pro ſua cupiditate fecerunt, ipſi faciant pęnitentiam, & ipſe in quadragintanas. Qui infregerit jejunium indictum in Eccleſia, pro uno die tres, vel quadraginta dies reficiat. Si quadrageſimam infregit, quadraginta dies pœniteat. Qui perdit Sacrificium, ſibi commendatum, quadraginta dies pœniteat. Si pro infirmitatis cauſa, ſeptem dies pœniteat. Sacerdos ſexaginta dies pœniteat. Si canis lambuerit, centum dies pœniteat ſine carne, & vino niſi Feſtis diebus, & Dominicis. Qui cogit hominem inebriari, ſeptem dies pœniteat. Si per odium, unum annum. Qui manducat morticinum, ac devoratum à fera, quadraginta dies pœniteat. Si neceſſitate nihil nocet. Qui bibit potum ubi mus, aut aliqua immunda beſtia mortua fuerit, niſi aqua benedicta deſuper aſperſa fuerit, ſeptem dies pœniteat. Si mulier de ſanguine viri ſui, ut plus ab eo ametur, biberit, aut de ſuo ei dederit, tres annos, & dimidium in pane, & aqua. Si homo de ſemine ſuo, in pomo, aut in potu dederit pro amore, aut de ſuo ſanguine alicui fœminæ, quinque pœniteat, & dimidium graviter. Qui de chriſmate conſecrato alicui dederit, pro aliqua ſorte quinque annos. Qui de corpore Domini ſortem fecerit, ſeptem annos, & dimidium graviter. Qui res Eccleſiæ furatus fuerit, reddat damnum integrum, & duos annos pœniteat, & dimidium graviter; ſi non poteſt reddere, quatuor annos. Si quis aliquid aut de domo, aut de quolibet loco furatus fuerit, & reſtituat damnum, & duos annos pœniteat. Qui duxerit hominem in captivitatem, & vendiderit, ſeptem annos. Qui incendit Eccleſiam, ſeptem annos. Si reliquiæ, aut Monachus, aut Clericus* perierit XIV. annos. Qui perjurat ſciens pro cupiditate ſeptem annos. Qui domum, aut aream alicujus cremaverit, ſeptem annos. Si aliquis perierit, decem annos. Si pro liberatione mortis, aut gravis periculi ſe perjurat, tres quadragintanas. Si perjurat, ut alicui noceat, quinque annis pœniteat. Si ad mortem, vel deliberationem alicujus perveniatur, arma relinquat, & tertio anno in gravi pœnitentia, & quartum lenius, ſervum autem ſuum per emptionem, vel ancillam libertate donet; ſi non vult, aut non poteſt, XIV. anno pœniteat. Qui perjurat neſciens, non nocet: qui in ſuſpicione eſt, quòd perjurus ſit, duos annos. Qui falſum teſtimonium ſciens dicit, tres annos. Si ut placeat Domino ſuo, fecerit, aut amicum ſuum adjuvare voluerit, quinque annos. Si quis hominem occiderit ſponte, ſeptem annos ſi * decem annos. Si Presbyterum, aut Diaconum, aut aliquem ordinatum occiderit, arma relinquat, & Deo in monaſterio ſerviat uſque ad mortem, aut in exilium pergat omni tempore. Qui per odium, aut contentionem aliquem occiderit, ſeptem annos. Si per juſſionem Domini ſui quadraginta dies, ſi in bello publico unum annum ſi non ſponte, id eſt, caſu, tres annos. Si patrem ſpiritualem XIV. annos; ſi patrem, ſimiliter. Si conſanguineum, XII. annos. Qui hominem occidere voluit, & non potuit, tres annos. Si per maleficia occiderit, aut per aliquam potationem, ſeptem annos. Qui filium ſuum per iram occiderit, toto tempore vitæ ſuæ exul pœniteat, vel permaneat. Qui tentavit mortem alterius, ut occiſus ſit, ſeptem annos. Qui conſenſerit ſimiliter. Qui patrem, aut matrem ſuam per iram occiderit, aut pro cupiditate, toto vitæ ſuæ tempore exul pœniteat, & non communicetur niſi in fine. Qui fratrem ſuum per iram occiderit, XIV. annos, & medium exul: ſi caſu non volens, ſeptem annos. Mulier faciens abortivum de vivo infante per maleficia, ſeptem annos, & dimidium in pane, & aqua: ſi antequam vivat, excuſſerit, unum annum: ſi pro infirmitate, aut caſu nolens perdiderit, tres quadrageſimas. Mulier quæ bibit, aut facit, ut non concipiat, quinque annos. Si mater dormiens filium oppreſſerit, tres annos, unum in pane, & aqua. Si infans ceciderit, & obierit, qui tamen baptizatus ſit, pater, & mater, unum annum. Si infans mortuus fuerit per negligentiam ſine Baptiſmo, parentes, tres annos, unum foris Eccleſiam, & ſemper ſexta feria jejunent. Si culpa Sacerdotis mortuus ſine baptiſmo fuerit, deponatur. Qui percuſſerit hominem, ut debilem faciat, tres annos. Qui pro vindicta patris, aut matris, aut proximi ſui occiderit, aut deformaverit hominem, tres annos. Qui ſervum, aut ancillam per flagella occiderit, tres annos. Qui divinationes fecerit, aut ſortes, aut divinis aliquid interrogaverit, tres annos. Si ad mortem ierit interrogare, quinque annos. Qui uſuras acceperit, tres annos. Si noluerit dimittere, à Chriſtianorum conſortio ſeparetur, & excommunicetur. Qui odit aliquos, aut reconcilietur, aut tanto tempore in pane, & aqua ſit, quandiu iram tenuit. Qui accuſavit aliquem ut noceat, & condemnet, quinque annos. Qui maledixerit patri, vel matri, infans qui vapulat, ſi per iram patrem, vel matrem percuſſerit, quinque annos. Qui decimas, quæ ad Eccleſiam pertinent, dare noluerit, & in aliquid fraudis fuerit, quinque annos. Qui cum ſorore ſua fornicatus fuerit ſemel, quinque annos. Si uſque ad generationem infamis, decem annis, dimidium in pane, & aqua. Qui cum matre, & filia ſe polluerit, id eſt, fornicatus fuerit, uſquoad mortem exul pœniteat. & non tondeatur, neque mutet veſtimenta ſua, niſi in natali Domini, aut in Paſcha, & non accipiat communionem in fine. Qui cum matre, aut filiola fornicatus fuerit, decem annos, medium in pane, & aqua. Qui cum nepota, aut ſobrina ſua fornicatus fuerit, quinque annos. Qui cum proxima ſua peccaverit, quatuor annos. Si quis uxoratus cum non uxorata adulteratur, quinque annos. Si uxoratus cum uxorata, decem annos. Si cum ea, quam frater ejus habuit, ſponte peccaverit, quatuor annos. Qui cum juramento aliquo uxoratus peccaverit, ſeptem annos; unum ſine uxore. Qui uxorem dimiſerit, & aliam acceperit, niſi cauſa fornicationis, ſeptem annos, & omni tempore ſexta feria jejunet. Si cum pecude conſuevit peccare, XIV. annos. Si quis fornicatur inter femora ſemel, quatuor quadrageſimas, ſi conſuevit, tres annos. Si parvulus volens hoc patitur, unam quadrageſimam. Si per ſemetipſum ſemel, duas quadrageſimas: ſi conſuevit unum annum. Qui manu ſua ſemen fuderit, tres annos. Qui cum noverca ſua peccaverit, uſque ad mortem abjiciatur,

Digitized by Google

ciatur , in fine tantummodò reconcilietur. Si qua fœmina duobus cum fratribus peccavit , quinque annos. Qui cum ancilla Dei ſacrata peccaverit , ſeptem annos . Qui per rapinam aliquid tulerit , reddat ei cujus ſunt , ſi poteſt ; ſi non poteſt ei reddere , det pauperibus pretium rapinæ , & unum annum pœniteat . Si nihil horum vult facere , quinque annos . Qui nocte ſancti Paſchæ , aut natali Domini cum aliqua muliere peccavit , unum annum . Qui Dominica nocte , aut natali ſanctæ Mariæ , aut ſancti Joannis Baptiſtæ , vel ſanctorum Apoſtolorum cum muliere peccaverit , quadraginta dies. Qui Dominum ſuum dereliquerit , & idola adoraverit , omni tempore pœniteat exul . Si pertinaciter odit , excommunicetur . Si quis ſanguinem , aut ſemen biberit , ſeptem annos pęniteat . Si quis jurat contra pacem , unum annum , cum eleemoſynis , & redeat in pacem .

Dominus dicit per Salomonem , qui abſcondit ſecreta ſua , non dirigetur . Item in Evangelio dicit , non enim veni vocare juſtos , ſed peccatores ad pęnitentiam . Et alio loco dicit ; Non eſt ſanis medicus opus , ſed malè habentibus . Corpus enim cùm infirmatur , quærit medicinam . Et ſi medico non aperit morbum infirmitatis ſuæ , medicus eum medicari non poteſt . Sic & anima vitiorum infirmitate infirmata , quæ eſt major quàm infirmitas corporis , ſi non aperit vero medico noſtro Sacerdoti Domino omnem vitiorum , & peccatorum ſuorum putredinem , non poteſt à Medico ſanari . Cùm enim dixeris vero Sacerdoti peccata tua , non Sacerdoti , ſed Chriſto , qui eſt verus Sacerdos . Ideò debes , chariſſime frater, vel chariſſima ſoror , compunctione , & gemitu cordis peccata tua Deo confiteri , & Sacerdoti tuo , qui vice Chriſti officium gerit , & non debes quicquam celare , de infirmitate animæ tuæ , ut poſſis ſanari . Credis , igitur quia ita eſt ? credo . Credis in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cęli, & terræ ? credo . Credis in Jeſum Chriſtum filium ejus unicum Dominum noſtrum , natum , & paſſum ? credo . Credis in Spiritum ſanctum , ſanctam Eccleſiam Catholicam , Sanctorum communionem , remiſſionem peccatorum , carnis reſurrectionem , & vitam poſt mortem ? credo Credis, quòd iſtæ tres perſonæ , quas modò diximus , Pater , & Filius , & Spiritus ſanctus , tres perſonæ ſunt , & unus Deus ? credo . Credis quod in iſta carne , in qua nunc es , percipere habes quod egiſti , & quòd egeris , ſive bonum , ſive malum ? credo . Vis dimittere omnibus , qui in te peccaverunt , ut Deus dimittat tibi omnia peccata tua ? volo . Et tu de iſta ſupradicta fide dubitaſti umquam ? Poſteà dicat Sacerdos hanc orationem , homine proſtrato . Domine Jeſu Chriſte , &c. *Illam non perficit Pœnitentialis , & ibi deſinit Confeſſionis agendæ , & Pœnitentiæ imponendæ formula .*

POENITENTIALIS TERTIUS
Andegavenſis .

ORdo ad revocandos peccatores in quadrageſima . Primùm dicendi ſunt ſeptem Pſalmi cum Litania . Deinde interroges unumquemque .

Credis in Patrem , & Filium , & Spiritum ſanctum ? ℟. credo .

Credis, quòd iſtæ tres perſonæ , Pater , & Filius , & Spiritus ſanctus: tres ſint , & unus Deus ? ℟. Credo .

Credis, quòd in ipſa carne , in qua nunc es , reſurgere habes , & recipere , ſive bonum , ſive malum, quod feciſti ? ℟. credo.

Vis dimittere illis , qui in te peccaverunt , ut Deus dimittat tibi peccata tua , Domino dicente : Si non remiſeritis hominibus peccata eorum , nec Pater veſter cęleſtis dimittet vobis peccata veſtra . Si non vult remittere, noli dare ei pęnitentiam . Et dices ei , ſicut nil proficit in vulnere medicamentum, ſi adhuc in eo ferrum ſit , ita non proficit abſtinentia , eleemoſyna , jejunium , illi homini , qui inimicitiam , vel iracundiam in corde ſuo tenuerit . Poſteà dices ei . Sunt rerum mala opera , ut ait Apoſtolus , quæ ſeparant hominem à regno Dei, ſcilicet ſuperbia , ſacrilegium , homicidium , adulterium , falſum teſtimonium , perjurium , mendacium , odium , furtum , rapina , ira , avaritia , detractio , ebrietas , fornicatio , luxuria , triſtitia , vana gloria , gula , negligentia mandatorum Dei . Qui proximum maledicit . Qui in verbis ſemper jurat , invidet , concupiſcit , detrahit , accuſat , blaſphemat .

Item Interrog. Feciſti homicidium volens , aut caſu , aut vindicta parentum , aut miſſione Domini tui , aut in publico bello , aut facere voluiſti , & non potuiſti? ? 7. annos pœnitebit , vel 5. annos, vel 3. vel 40. dies. Feciſti perjurium pro cupiditate ſæculi, aut coactus , aut neſciens , aut alius te miſit in perjurium ſcientem? 7. annos, vel 3. annos, vel quadraginta dies pœnitebit. Feciſti adulterium cum alterius uxore , 7. annos, vel 5. annos. Feciſti raptum, de Virgine , vel Vidua 3. annos pœnitebit . Feciſti uſuras, tres annos pœnitebit . Feciſti ſacrilegium , 7. annos. Tuliſti res alienas per malum ingenium , 3. annos. Tuliſti aliquid de pecunia Eccleſiæ? In quadruplum reſtitue , & 3. annos pœniteat . Dixiſti falſum teſtimonium pro cupiditate, aut coactus, aut neſciens ? 3. annos. 2. vel 1. Percuſſiſti hominem , aut effudiſti ejus ſanguinem , vel oſſa fregiſti ? 1. annos, vel 40. dies . Truncaſti membrum alicujus propter iram ? tres annos vel 1. Odiſti fratrem tuum ? quandiu in odio fuiſti , tandiu ſis in pane , & aqua. Deduxiſti ullum hominem ad ſeniorem , vel ad pares propter invidiam ? 1. annos vel 40. dies . Nupſiſti cum uxore tua retro 40. dies. Nupſiſti die Dominico? 6. dies . Feciſti fornicationem ſicut Sodomitæ, vel cum matre, vel cum pecoribus, vel ullo ingenio? 15. annos vel 11. vel 7. vel 5. vel 3. Si Sacerdos ſe inebriaverit per ignorantiam , 7. dies pœniteat , ſi per negligentiam , 15. dies , ſi per conceptum , 40. dies , ſi infirmitatis cauſa, 7. dies , ſi in ignem projecit , * 1. diem , ſi canis lambuerit , 100. dies , ſi quis per ebrietatem facit vomitum, 15. dies, ſi ceciderit immunda beſtia , in aliquo potu , vel ſorex , ſi tolli poteſt vivens aſpergatur aqua benedicta , & ſumatur , ſi fuerit intus necata , proiiciatur foras omnis potus, & mundetur vas , ſi per ignorantiam quis biberit , 40. dies pœniteat, ſi quis Eccleſiam arſerit, 7. annos: ſi domum , vel horrea alicujus incenderit, 3. annos * ex his in pane, & aqua, ſi quis occiderit Innocentem, 10. annos pœniteat , ſi Diaconum, 14. annos: ſi Presbyterum, 20. ſi quis adulterat ſimpliciter , 5. annos, ſi dupliciter , 10. annos ſi mulier duobus fratribus nupſerit , 5. annos , ſi quis Nonnam corruperit , 7. annos , ſi quis conſanguineam, vel quam conſanguineus habuit, 5. annos , ſi quis divinos conſulit, 3. annos . Si quis inter * ∴∵. aliquam ſortem fecerit, vel in aliquo tempore crediderit, 3. annos . Qui permanet in avaritia, à Chriſtianis abiiciatur, ſi quis fornicaverit inter femora ſemel, 3. quadraginta, ſi conſuete, 3. annos, ſi mater filium ſuum occiderit , 15. annos , ſi cujus infans ſine Baptiſmo per negligentiam mortuus fuerit, 3. annos , 1. ca his foris Eccleſiam : & omni vita ſua feria 6. jejunet , ſi infantem oppreſſerit , ſimiliter . Si infans ceciderit, & obierit, parentes 1. annos pœnitebunt .

Interroga .

Bibiſti ullum maleficium , vel herbas , ut infantes non haberes , aut alicui donaſti potionem , ut occidere velles , & non potuiſti; aut de ſemine hominis pro amore recipiendi guſtaſti; 5. annos. Coegiſti hominem per odium, ut inebriaretur, 100. dies pœniteat . Bibiſti ſanguinem de ulla pecude, aut de homine ? 3. annos. Manducaſti morticinam, vel à beſtia dilaceratam ? 40. dies . Contempſiſti jejunium, mendicum, vel feſtum , 40. dies. Mulieres, quæ partus ſuos necant, 10. annos .

Interroga .

Habes in voluntate , ut quicquid egiſti contra mandata Dei , emendes? ℟. habeo. Et ſic indica ſecundum modulum criminum ejus. Proiiciat ſe in terram, & dicat: Multa ſunt, Domine, peccata mea, quæ ego peccavi . In cogitatione , in locutione , in pollutione, in detractione, in perjurio, in adulterio , in luxuria , in gula, in ſuperbia, in vana gloria , in ebrietate , & in omnibus operibus malis . Tunc dicat Sacerdos : Miſereatur tui omnipotens Deus, &c.

Oratio . Exaudi , Domine , preces noſtras , &c.

Alia . Præveniat hos famulos , &c.

Alia . Adeſto , Domine , &c.

Alia . Domine Deus noſter , &c.

Alia . Dominus Jeſus Chriſtus , &c.

IN EXCERPTA è REGINONIS
Collectione ante 750 annos ex antiquis Decretis , & Pœnitentialibus compilata , Adnotatio .

SÆpiſſimè Reginonis Collectionem allegamus , quàm penes nos habemus . Canonum collectio eſt , in duos libros diſtincta. Facilè colligi poteſt ea charactere , ante annum milleſimum ſcriptam eſſe, vix poſteà. Reginoni Abbati eam damus: quia hoc fert Collectionis titulum majuſculis litteris exaratum : quod eſt ejuſmodi: *Incipit Libellus de diſciplinis recollectus ex juſſu Ratbbodi Treverice à Reginone Abbate Monaſterii ex diviais Conciliis , & Decretis .* Iſtius Collectionis mentionem facit Trithemius de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Reginone. *Scripſit,* inquit, *hiſtorium , ſeu Chronicam libris* 10. *de Diſciplina Eccleſiaſtica lib.* 2. *&c. Scripſit autem præfatum opus , quod prænotatur , de*

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiaſtica diſciplina, & Religione Chriſtiana jubente Rathbodo Archiepiſcope Trevirerum, quod ex Decretis Sanctorum Patrum, & Generalium Conciliorum, in duobus Libris comportavit, & in nongenta fermè capitula per Rubricas ex more luculenter diſtinxit. Ita noſter codex eſt diſtinctus. Primus liber continet, capitula 454. Secundus paulò plura; eo quod nonnulla poſt Reginonis mortem addita ſunt; velut Decretum in Conofurt. Anno 952. indictione 9. à Rege Ottone, regni illius 15. conſentientibus Epiſcopis, Comitibus, aliiſque fidelibus latum, ut Raptores Virginum, & Viduarum anathematizarentur, & omni conjugii ſpe in futurum fruſtrarentur. Sunt & quædam alia, quorum cauſa Capitulorum numerus à Trithemio notatus aliquantulum exceditur. Hinc apparet Ottone primo regnante ſcriptum eſſe iſtud collectionis exemplar. Compoſita fuit, & in lucem edita anno 906. Id colligitur ex fine libri primi, *capite ſcilicet 447. & ſequentibus*, in quibus refertur ex Concilio Nicæno formula integra condendarum Epiſtolarum formatarum: Deinde formulæ duo exemplaria traduntur; Unum Rathbodi Treverenſis Archiepiſcopi ſcribentis Roberto Metenſi Epiſcopo, & illi commendantis Giſſemarum Presbyterum à ſe ordinatum. Data enim eſt Idibus Octobris anno Incarnationis 906. Alterum eſt Dadonis Virdunenſis Epiſcopi ad Rathbodum Trevirenſem eodem anno datum. Eodem tempore florebat Regino. Anno enim, ut ipſe teſtatur in Chronico ſuo, 892. electus eſt Abbas Prumienſis, licèt incaſſum, multis contradicentibus. Chronicon autem finivit anno 906. quo formatarum iſtarum exemplaria ponit. Vidit hanc collectionem Ivo Carnutenſis Epiſcopus, eaque uſus eſt, in Decreto ſuo. Duo enim illa exemplaria litterarum formatarum verbum è verbo ex hac collectione in ſuam tranſtulit, non modò earum deſcribendarum, ex Concilio Nicæno methodum, ut videre potes, in Decreti ſexta parte tribus ultimis capitibus.

Iſtius antiquæ Collectionis *lib.* 1. *cap.* 301. habetur Ordo ad dandam Pœnitentiam ex Theodoro Archiepiſcopo, & Bedæ Pœnitentiali decerptus. Cùm autem Collector ante annos 750. vixerit, & codex unde hoc exſcribimus, annis tantùm quinquaginta, aut ſexaginta Collectore poſterior ſit, vix dubitari poteſt, quin quæ damus Theodori, & Bedæ excerpta ex genuinis eorum Pœnitentialibus deſumpta ſint. Præponemus autem tria capitula ex Pœnitentiali Romano à Reginone deſumpta, quæ in eundem ſcopum conſpirant.

E X C E R P T A A R E G I N O N E
ante annos 750. ex Pœnitentiali Romano, & Pœnitentialibus Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis, & Bedæ.

Qualiter ſuſcipere debent Pœnitentem Epiſcopi, vel Presbyteri ex Pœnitentiali Romano.

QUotieſcumque Chriſtiani ad Pœnitentiam accedunt, jejunia injungimus, & nos communicare, cum eis debemus in jejunio unam, aut duas hebdomadas, vel quantum poſſumus, ut non dicatur quod Sacerdotibus Judæorum à Domino dicitur: Væ vobis legis-peritis, qui aggravatis homines, imponentes ſuper humeros eorum onera gravia, & importabilia, ipſi autem uno digito veſtro non tangitis ſarcinas ipſas.

Item poſt pauco.

QUotieſcumque dederis conſilium peccanti, ſimulque da illi Pœnitentiam ſtatim quantum debet jejunare, aut eleemoſynis redimere peccata ſua, ne fortè obliviſcaris, quæ tibi jam dixit, & iterùm tibi neceſſe ſit interrogare, & forſitan erubeſcet iterùm confiteri, & invenietur amplius judicari.

Ut nullus alius præſumat Pœnitentias dare, vel Confeſſiones audire niſi Epiſcopus, aut Presbyter. Ex eodem.

SIcut enim Sacrificium offerre non debent niſi Epiſcopi, & Presbyteri, quibus claves regni cœleſtis traditæ ſunt; ſic nec Pœnitentium judicia alii uſurpare debent. *Iterùm.*

Si autem neceſſitas evenerit; & Presbyter non fuerit præſens, Diaconus ſuſcipiat Pœnitentem ad ſanctam communionem.

Item ex Theodori Archiepiſcopi, vel Bedæ Presbyteri Pœnitentiali.

EPiſcopi, vel Presbyteri quando fidelium recipiunt confeſſiones, humiliare ſe debent, & cum triſtitiæ gemitu, lachrymiſque orare, non ſolum pro ſuis delictis, ſed etiam pro fratris caſu: ait enim Apoſtolus, quis infirmatur, & ego non infirmor?

Item unde ſupra.

Cùm ergo venerit aliquis ad ſacerdotem confiteri ſua peccata, mandet ei ſacerdos, ut expectet modicum, donec intret Eccleſiam, aut cubiculum ſuum ad Orationem: ſi autem non eſt locus aptus ad hoc, dicat hanc orationem in corde ſuo.

Oratio.

DOmine Deus omnipotens propitius eſto mihi peccatori, ut condignè tibi poſſim gratias agere, qui me indignum propter miſericordiam tuam miniſtrum feciſti officii ſacerdotalis, & me exiguum humilemque mediatorem conſtituiſti, ad orandum, & intercedendum ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, pro peccantibus, & ad pœnitentiam revertentibus. Ideòque, dominator Domine, qui omnes homines vis ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, ſed ut convertantur, & vivant, ſuſcipe orationem meam, quam effundo ante conſpectum clementiæ tuæ pro famulis, & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt, ut des illis Spiritum compunctionis, ut reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo adſtricti tenentur, & ad te per condignam ſatisfactionem revertantur. Per eundem Dominum, &c. Videns autem ille, qui ad pœnitentiam venit, ſacerdotem triſtem, & lachrymantem pro ſuis facinoribus, magis ipſe timore perculſus Dei, ampliùs triſtatur, & exhorreſcit peccata ſua.

Ordo ad dandam Pœnitentiam, unde ſupra.

POſt hæc interroga eum blandè, leniterque. Credis in Deum Patre, & Filium, & Spiritum ſanctum? ℟. Credo. Credis quòd iſtæ tres perſonæ unus Deus ſit? ℟. Credo. Credis, quòd in ipſa iſta carne, in qua nunc es, in ipſa reſurgere habes in die judicii, & recipere, ſive bonum, ſive malum, quod geſſiſti? ℟. Credo. Vis dimittere peccata illis, qui in te peccaverunt? Domino dicente, ſi non remiſeritis hominibus peccata eorum, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. ℟. Volo. Et require ab eo diligenter, ſi eſt inceſtuoſus, aut ſuo ſeniori infidelis; Et ſi non vult inceſtum dimittere, non potes ei dare pœnitentiam; ſi autem vult, potes. His præmiſſis pœnitentem alloqui, affectuosè debet ſacerdos his verbis. Frater, noli erubeſcere peccata tua confiteri: nam & ego peccator ſum, & fortaſſis pejora, quàm tu feceris, habeo facta. Hæc idcircò admoneo, quia uſitatum humani generis vitium eſt, ut Beatus Gregorius dicit, & labendo peccatum committere, & commiſſum confitendo non prodere, ſed negando defendere, atque convictum defendendo multiplicare: & qui, diabolo inſtigante, nefanda crimina non metuimus perpetrare, hæc eadem, quæ opere abſque ulla verecundia perfecimus, eodem ſuadente, ſaltem verbis confiteri erubeſcimus, & coram homine, qui ſimilis noſtri eſt, eiſdemque fortaſſe paſſionibus ſubjacet, confundimur dicere, quod coram Domino, qui omnia inſpicit, abſque ullo mentis rubore committere non formidavimus, deteſtatione teſtanda. Spontè ergo fateamur, quod nullo cogente commiſimus. Si verò nos noſtra ſcelera celaverimus; ab illo manifeſtabuntur, qui & accuſator eſt peccati, & incentor. Ipſe enim nos hic, ut peccemus, inſtigat, ipſe, cùm peccaverimus, accuſat. Si ergo in hac vita præveniamus eum, & ipſi ſceleris noſtri accuſatores ſimus, nequitias diaboli inimici noſtri, & accuſatoris effugiemus, Paulo teſte, qui ait, ſi noſmetipſos judicaremus, non utique dijudicaremur. Videns autem eum ſacerdos verecundantem, rurſum proſequatur. Fortaſſis, chariſſime, non omnia, quæ geſſiſti, veniunt modò ad memoriam, ego te interrogabo, tu cave ne diabolo ſuadente, aliquid celare præſumas, & tunc cum ita per ordinem interroget.

Interrogatio. Feciſti homicidium, aut caſu, aut nolens, aut pro vindicta parentum, aut jubente domino tuo, aut in publico bello. Si voluntariè feciſti ſeptem annis pœnitere debes; ſi nolens, aut caſu, 5. annis. Si pro vindicta parentum, uno anno, & ſequentibus duobus annis tres quadrageſimas, & ferias legitimas. Si in bello 40. dies. Si liber es, & jubente domino ſervum innocentem occidiſti, annum unum, in duobus aliis annis tres quadrageſimas, & legitimas ferias. Si ſervus dignus eſt morte, 40. dies pœniteat. *Interrogatio.*

Feciſti truncationes pedum, aut manuum, aut oculos hominis eruiſti, aut vulneraſti hominem; pro truncatione annum unum pœnitere debes, pro vulnere 40. dies pœniteas.

Interrogatio.

Feciſti perjurium, aut pro cupiditate ſæculi, aut coactus, &

pro

Digitized by Google

pro neceſſitate, aut pro vita tua, aut tuorum parentum, aut neſciens, aut alios in perjurium induxiſti ſcienter? Si ſciens perjuraſti, & alios in perjurium induxiſti, ſeptem annis pœnitere debes: ſi neſciens, unum annum, & tres quadrageſimas: ſi pro vita, vel membris, tres quadrageſimas.

Interrogotio.

Feciſti furtum, aut ſacrilegium, aut infracturas, aut rapinam, tollens quod tuum non erat; ſi domos per noctem infregiſti, & quadrupedia tuliſti, vel fortiorem cauſam valentem ſolidos 40. annum pœnitere debes, & pretium reddere; ſi non reddis, duos annos pœniteas: ſi majus feciſti furtum, tres annis pœnitere debes, & ſi ſæpè feciſti, ſeptem annis, pro modico furto viginti dies; pueri 10. dies. Si de Eccleſia aliquid tuliſti, quod eſt ſacrilegium, ſeptem annis pœniteas.

Interrogatio.

Feciſti adulterium cum uxore aliena, vel deſponſata, vel virginem corrupiſti, ſive cum ſanctimoniali, vel cum Deo dicata, vel cum abſoluta fœmina, id eſt, ſine marito, vel cum ancilla propria: ſi mœchatus es cum alterius uxore, aut cum ſanctimoniali, ſeptem annis pœniteas. Si cum virgine duobus annis; ſi cum vidua annum unum. Si tuam uxorem dimiſiſti, & alterius junxiſti, ſeptem annis pœniteas. Si cum vacante fœmina, tres quadrageſimas, & legitimas ferias; ſi cum propria ancilla 40. dies debes pœnitere.

Interrogotio.

Nupſiſti cum uxore tua, vel ancilla retro; ſi feciſti 40. dies debes pœnitere.

Interrogatio. Nupſiſti cum uxore tua, 40. dies pœniteas. Nupſiſti in die dominico, tres dies pœnitere debes. Feciſti raptum de virgine, vel vidua, tribus annis pœniteas. Feciſti fornicationem ſicut Sodomitæ fecerunt, aut cum pecoribus, aut cum matre, vel ſorore, 15. vel 12. annis pœniteas.

Interrogatio.

Coinquinatus es cum uxore tua in quadrageſima, ſi hoc feciſti, annum unum pœniteas, aut 27. ſolidos in eleemoſynam dare debes. Si per ebrietatem evenit 40. dies pœniteas. Hoc enim cavere debes, ut 20. dies ante natalem domini, & Pentecoſten, & omni die dominica; & poſt conceptionem manifeſtatam, vir contineat ſe ab uxore.

Interrog. Dixiſti falſum teſtimonium per cupiditatem, aut neſciens, 5. annos pœniteas.

Interrog. Truncaſti ullum membrum, tres annos pœniteas. Odiſti fratrem tuum, quamdiu in ipſo odio fuiſti, tamdiu pœniteas in pane, & aqua.

Interrog. Detraxiſti ullum hominem ad ſeniorem, vel ad patres propter invidiam, 40. dies pœniteas. Violaſti in furto ſepulchrum, annos 2. pœniteas.

Interrog. Contigit tibi ulla negligentia, de ſacrificio Domini, C. vel 40. dies pœniteas.

Interrog. Conſuluiſti magos, aut aruſpices, aut incantatores, aut ſacrilegos, vel vota, quæ ad arbores, vel ad fontes faciunt, voluiſti, annis 3. pœniteas.

Interrog. Tuliſti aliquid de Eccleſiæ pecunia, in quadruplum reſtitues, aut 3. annis pœniteas.

Interrog. Perdidiſti aliquem per injuſtam delaturam, 3. annis pœniteas.

Interrogatio. Duxiſti, aut tranſmiſiſti aliquem in captivitatem, tribus annis pœniteas.

Interrogotio. Cremaſti domum, aut aream alterius, 3. annis pœniteas.

Interrog. Feciſti vomitum per ebrietatem, 15. dies pœniteas. Si per contentionem, 40. Si neſciens, 6. dies pœniteas. Manducaſti morticina, aut dilacerata à beſtiis, 40. dies pœniteas ſimiliter ſi ſanguinem comederis. *Interrog.* Bibiſti de liquore, in quo mus, vel muſtela mortua inventa fuerit, 40. dies pœniteas. *Interrog.* Contempſiſti indictum jejunium in Eccleſia, decreta ſeniorum, 40. dies pœniteas. Si in quadrageſima, 1. annum. *Interrog.* Oppreſſiſti infantem tuum 5. annis, aut 3. pœniteas. *Interrog.* Bibiſti ullum maleficium, id eſt, herbas, vel alias cauſas, ut non potuiſſes infantes habere, aut alio donaſti, aut hominem per mortiferam potionem occidere voluiſti, aut alium hoc facere docuiſti, aut de ſemine viri guſtaſti, ut in amorem tuum exardeſceret, aut chriſmali bibiſti, aut ad ſubvertendum Dei judicium alteri dediſti, vel ſi quid hujuſmodi operatus es, 7. annos pœniteas. *Interrog.* Necaſti voluntariè partus tuos, 10. annos pœniteas, & ſi filium, vel filiam occidiſti, 12 annos, & ſi in utero ante conceptum 1 annum. Si poſt conceptum, 3. annos Si tuus infans per tuam negligentiam ſine baptiſmo mortuus eſt, 2. annos pœniteat, & numquam ſis ſine aliqua pœnitentia. *Interrog.* Feciſti aliquid, quod pagani faciunt in Kal. Januarii inceritulla, vel vinegula, 3. annos, pœniteat. *Interrog.* Feciſti aliquid, vel dicis in quocumque opere, quod inchoas per ſortilegam, vel magicam artem, anno 1. pœniteas. *Interrog.* Miſiſti filium tuum ſuper tectum, vel ſuper fornacem pro aliqua ſanitate, vel incendiſti grana, ubi mortuus homo fuerit, 5. annos pœniteas. *Interrog.* Cantaſti carmina diabolica ſuper mortuos, 20. dies pœniteas. Junxiſti mulieri tempore menſtruo, 40. dies pœniteas. *Interrog.* Nupſiſti cum uxore tua, poſtquam peperit ante 40. dies adimplerentur, 30. dies pœniteas. *Interrog.* Communicaſti, de ſacrificio Domini, & non prius te abſtinuiſti ab uxoris amplexu, v. aut vii. vel dies 20. pœniteas. Operatus es aliquid dominica die, vii. dies pœniteat. Detraxiſti, vel maledixiſti aliquem cauſa invidiæ, vii. dies pœniteas.

Nunc tibi 8. principalia vitia explicabo. id eſt, ſuperbia, vanagloria, invidia, triſtitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria, ex quibus ſi te culpabilem recognoſcis, pœnitentiam ſuſcipe, nam ex his vitia omnia oriuntur. De inani gloria oriuntur, inobedientia, jactantia, hypocriſis, contemptiones, pertinaciæ, diſcordiæ, novitatum præſumptiones. De invidia naſcitur, odium, ſuſurratio, detractio, exultatio in adverſis proximi, afflictio in proſperis. De ira oriuntur rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blaſphemiæ. De triſtitia naſcitur malitia, rancor, puſillanimitas, deſperatio, torpor, vagatio mentis. De avaritia oriuntur, proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, & contra miſericordiam obduratio. De ventris ingluvie propagatur, inepta lætitia, ſcurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo ſenſus. De luxuria naſcitur, cæcitas mentis, inconſideratio, inconſtantia, præcipitatio, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſæculi, horror, & deſperatio futuri.

Alloquutio: ergo ſi ſuperbus uſque modò fuiſti, humilia te ipſum in conſpectu Dei; ſi vanam gloriam dilexiſti, cogita, nè propter tranſitoriam laudem æternam perdas mercedem. Si invidiæ rubigo te huc uſque conſumpſit, quòd eſt maximum peccatum, & ſuper omnia deteſtabile, quia diabolo comparatur invidus, qui primo homini invidit datum, quod per ſuam culpam perdiderat, age pœnitentiam, & profectum aliorum tuum deputa. Si triſtitia te ſuperat, patientiam, & longanimitatem meditare. Si avaritiæ morbus gravat, cogita, quia radix eſt omnium malorum, & idololatriæ comparatur: Et ideò largum te eſſe oportet. Si ira te vexat, quæ in ſinu ſtultorum requieſcit, dominari debes animo tuo, & hanc à te mentis tranquillitate fuga. Si ventris ingluvies ad voraodum protrahit, ſobrietatem ſectare. Si luxuriæ, caſtitatem vove. Tunc proſternat ſe pœnitens ad terram, & cum lachrymis dicat, & in his, & in aliis vitiis quibuſcumque humana fragilitas contra Dominum, & creatorem ſuum, aut cogitando, aut loquendo, aut operando, aut concupiſcendo, aut delectando peccare poteſt, in omnibus me peccaſſe, & reum in conſpectu Dei ſuper omnes homines eſſe cognoſco, & confiteor. Humiliter te etiam Sacerdos Dei expoſco, ut intercedas pro me, & pro peccatis meis ad Dominum, & creatorem noſtrum, quatenus de his, & de omnibus ſceleribus meis veniam, & indulgentiam conſequi merear. Deinde Sacerdos ſurgat, & pſalmum 37. decantet, & proſternat ſe in terra, & dicat hanc orationem.

Oratio.

PRecor, Domine clementiam tuam, & miſericordiam tuam, & majeſtatem, ut famulo tuo, *Il.* peccata, & facinora ſua confitenti veniam relaxare digneris, & præteritorum indulgeas culpas, qui humeris tuis ovem perditam reduxiſti, qui publicani pęnitentia, & precibus placatus es, tu etiam, Domine, huic famulo tuo, *Il.* placatus eſſe digneris. Tu hujus precibus benignus adſpira, ut in confeſſione placabiliter permaneat: fletus ejus, & petitio, perpetuam clementiam celeriter exoret, ſanctiſque altaribus rurſum æternæ, ac cæleſti gloriæ mancipetur, qui vivis.

Item.

Deus omnipotens ſit adjutor, & protector tuus, & præſtet indulgentiam, de peccatis tuis, præteritis, præſentibus, & futuris. Hæc remedia peccatorum ex priorum monimentis excerpſimus, in quibus tamen omnibus non authoritate cenſoris, ſed conſilio potiùs compatientis uſi ſumus; ſolerter admonentes doctum quemque Sacerdotem Chriſti, ut in univerſis, quæ hìc adnotata repererit, ſexum, ætatem, conditionem, ſtatum, perſonam, intellectum, ipſum quoque cor pœnitentis curioſè diſcernat, & ſecundùm hæc, ut ſibi viſum fuerit, ſingula quæque dijudicet. Quibuſdam namque à cibis abſtinendo, aliis eleemoſynas dando, nonnullis genua flectendo ſæpius, ſive in cruce ſtando, aut aliquid aliud hujuſmodi, quod ad purgationem peccatorum pertineat. Univerſa neceſſe eſt errata corrigere, quæ univerſa in examine diſcreti debent pendere judicis.

Sunt

* Sunt alia in eadem collectione, duo præſertim, quæ operi noſtro non parvum operæ-pretium facerent, hic exſcripta; ſed eadem omninò apud Burchardum reperiuntur. De iis tamen lectorem monere non inutile judicamus, ut de iſtius moris antiquitate doceatur. Erat enim Regino annis centum Burchardo anterior: Ipſe verò iſta ut tum vulgata profert. Prius eſt ferendæ excommunicationis ordo. Sed ab illius editione abſtinemus, eo quod nullo modo ab iis differat, quæ ſcripſit Burchardus *lib.* 11. *cap.* 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & uterque ex eodem loco iſta deprompſerit, ex quodam ſcilicet Concilio Rothomagenſi. Sed Regino preces ad reconciliationem prorſus omittit, ſtatimque poſt hæc verba, *de futuris cautelam ſpondet*, hæc ſequuntur, *Tunc Epiſcopus apprehenſa ejus manu dextra eum in Eccleſiam introducat, & et communionem, & ſocietatem Chriſtianam reddat. Poſt hæc ſecundùm modum culpæ Pœnitentiam ei injungat, & litteras per Parochiam dirigat, ut omnes noverint eum in ſocietate Chriſtiana receptum.* Paucula, quæ in hanc materiam ſequuntur, ut apud Burchardum. Poſterius varias interrogationes continet, Epiſcopis, aut eorum Vicarus faciendas, quum diœceſim viſitant. Et ſic incipit collectionis liber ſecundus hoc exordio præmiſſo, quod collectionis ſcopum, & materiam explicat, *In ſuperiori libello quid Epiſcopo, vel miniſtris ejus cum Eccleſiaſticis viris ſit agendum, & in ſua ſynodo requirendum ex parte notavimus; nunc quid cum ſecularibus, & laicis ſit agendum, vel agere oporteat, prout Dominus dederit, percurramus.* Hæc omnia refert Burchard. *lib.* 1. *cap.* 90. *& ſequentibus, uſque ad cap.* 95. & uterque ea deſumpſerat ex Rothomagenſi Concilio.

In excerptum ſequens Adnotatio.

CHrodogangus Mediomatricum Epiſcopus Pipino Francorum Regi conſanguinitate propinquus, canonicis ſuis regulam dedit, capitula 84. in codice, quo utor, continentem. Codicem ipſum nacti non ſumus, ſed tantùm ipſius apographum à jam laudato nobis D. de Loyauté nobiſcum communicato. Id tamen, quod hinc edimus, anteà ſeparatim deprehenderamus Rothomagi in antiquiſſimo codice annorum propè ſeptingentorum, qui varia continebat, & extat in inſtructiſſima Bibliotheca viri ampliſſimi D. Bigotii in ſuprema ſubſidiorum Rothomagenſi curia Senatoris integerrimi. Nonnulla jam ſparſim inſeruimus *lib.* 5. *cap.* 15. *ſect.* 11. *& lib.* 7. *cap.* 23. *ſect.* 5. *& lib.* 9. *cap* 30. *ſect.* 11. Nunc ea integra, ut ſe habent in codicibus illis, repræſentamus.

EXCERPTUM DE REGULA Chrodogangi Canonicis ſuis data.

CAP. XXVIII.

De reconciliatione Pœnitentis capitalis criminis.

ORdo Pœnitentiam agentis publicam hic eſt: Suſcipias eum quarta feria manè in capite quadrageſimæ, id eſt, in capite jejuniorum, & cooperies eum cilicio, & oras pro eo, & includes eum uſque in cœnam Domini, qui eodem die præſentatur in gremio Eccleſiæ: qui dum vocatus venerit ad reconciliandum ante Epiſcopum, vel Clerum cum omni humilitate proſtrato omni corpore ſuper terram ante abſidem petat ab omnibus veniam. Et Epiſcopus, vel qui ſub eo eſt, dat orationes ſuper eum ad reconciliandum in quinta feria cœnæ Domini.

CAP. XXIX.

De Confeſſione.

HOrtatur nos ſcriptura dicens. Revela Domino viam tuam, & ſpera in eum. Item dicit, Confitemini Domino, quoniam in ſeculum miſericordia ejus. *Item*. Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitias meas non abſcondi. *Item*. Confitebor adverſus me injuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Et iterum, Confitemini alterutrum peccata veſtra, & deleantur; & alibi, qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur. Qui ea confeſſus fuerit, ſalvabit animam ejus à morte. Et Dominus in Evangelio ait, Agite Pœnitentiam; appropinquavit enim regnum cœlorum. Neceſſe eſt, ut dummodò ſuadente diabolo multa contra voluntatem, & præceptum Dei commiſimus, per veram humilitatem, & confeſſionem emendemus Pœnitentes, ſicut S. Patres conſtituerunt; & deinceps cùm aliqua cogitatio mala in cor ſuadente diabolo venerit, citò Epiſcopo, vel Priori confiteatur, ut per veram confeſſionem, & Pœnitentiam regnum Dei habere mereamur. Nimis enim improbus eſt, qui ante Dei oculos peccat, & homini confiteri erubeſcit.

CAP. XXX.

Ordo ad Pœnitentiam accipiendam, & Confeſſionem faciendam.

HÆc eſt ratio Pœnitentiæ, & Confeſſionis noſtræ, quæ coram Deo, & Sacerdotibus ejus à nobis pariter agendæ ſunt, id eſt, in unoquoque anno tribus vicibus, id eſt, in tribus quadrageſimis populus fidelis ſuam confeſſionem ſuo Sacerdoti faciat, & qui plus fecerit melius facit. Monachi in unoquoque Sabbato confeſſionem faciant cum bona voluntate Epiſcopo, aut Priori ſuo. Quando volueris confeſſionem facere peccatorum tuorum, viriliter age, & noli erubeſcere quia inde venit indulgentia, & ſine confeſſione non eſt indulgentia. In primis proſterne te humiliter in conſpectu Dei in terra ad orationem, & roga beatam Mariam cum SS. Apoſtolis, & Martyribus, & Confeſſoribus, ut ipſi intercedant pro te ad Dominum, ut Deus omnipotens dignetur tibi dare ſapientiam perfectam, & ſcientiam, & intelligentiam veram ad confitendum peccata tua. Et poſteà ſurge cum fiducia, & vera credulitate. Et dic illi, ſerve Dei. Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli, & terræ. ℟. credo. *Interr.* Credis in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum? ℣. credo. *Interr.* Credis, quòd iſtæ tres perſonæ, quomodo diximus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus tres perſonæ ſint, & unus Deus. ℟. credo. *Interr.* Credis, quòd in ipſa carne, in qua nunc es, recipere habes quod egiſti, & quod egeris, ſive bonum, ſive malum? ℟. credo. *Interr.* Credis reſurrectionem, & vitam eſſe tibi poſt mortem. ℟. credo? *Interr.* Vis dimittere omnia mala illis omnibus, qui in te peccaverunt, ut Deus dimittat tibi omnia peccata tua, dicente eodem Domino in Evangelio, ſi remiſeritis hominibus peccata eorum, remittentur vobis peccata veſtra. ℟. volo.

Et poſteà require eum diligenter, ſi ſunt ſecùm opera mala, quæ ſeparant hominem, ut ait Apoſtolus, à regno Dei. Hæc ſunt, mala cogitatio, malus ſermo, & otioſus, odium, invidia, detrectatio, maledictio, convicium, turpiloquium, ſcurrilitas, diſſimulatio, adulatio, murmuratio, cupiditas carnalis, elatio, deſidia, pigritia, inhonoratio bonorum, inhonoratio cognatorum, inhonoratio dierum Dominicorum, & Sanctorum ſolemnitatum, ignorantia, iracundia, avaritia, falſa teſtificatio, ſomnolentia, intemperantia in cibis, rapina, gula, ebrietas, comeſſatio, fornicatio, adulterium, ſacrilegium, ſuperbia, perjurium, furtum, homicidium, & his ſimilia.

Et poſtquam confeſſus fuerit ſua peccata, ſi vult dimittere ea, da ei pœnitentiam. Et ſi non vult, non da ei pœnitentiam; quia non potes. Et ſi vult dimittere ipſa peccata, fac ei confiteri ea, & ad ultimum dicere. Multa ſunt peccata mea in factis, in verbis, in cogitationibus. Tunc da illi pœnitentiam canonicè menſuratam. Et poſteà effunde ſuper eum orationes, & preces. Cavendum eſt utique, ne hi, qui in gravia peccata incidunt, & hi, qui in levioribus quibuſdam delinquunt, æqualiter judicentur, ſed ſecundùm morbum adhibenda eſt medicina.

In primum codicem Turonenſem Adnotatio.

TRibus codicibus manuſcriptis inſignis Eccleſiæ Metropolitanæ Turonenſis uſi ſumus. Primus eſt inſignis, opertus nigro, forma velut quadrata, & minore, quæ vulgò à Bibliopolis in quarto dicitur. Titulus eſt, *Incipit Liber Sacramentorum editus à Beato Gregorio Papa Romano, qualiter Miſſa Romana celebratur per anni circulum*. His in prima pagina litteris uncialibus, & majoribus ſcriptis, ſequitur pagina verſa, *Per omnia ſecula ſeculorum, &c.* tribus paginis magnificè, & regiè ſcriptis; cætera ordinario modo decurrunt. Non videtur codex ille annis octingentis minor. Nonnulla ex hoc codice edidimus *lib.* 4. *cap.* 18 *ſect.* 17. Quæ quoniam multa ſunt, hic non repetimus. Paucula iterum citamus *lib.* 8. *cap.* 11. *ſect.* 12. & 13. quæ cum ſint aliis pluribus alligata, utraque ſimul, ut ea exſcripſimus, repræſentamus. In eo libro verſus finem eſt titulus.

Recon-

Reconciliatio pænitentis ad mortem.

DEus miſericors, Deus clemens, qui ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum peccata Pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis evacuas: Reſpice ſuper hunc famulum tuum, & remiſſionem ſibi omnium peccatorum tota cordis confeſſione poſcentem deprecatus exaudi. Renova in eo, piiſſime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum eſt, vel quidquid diabolica fraude violatum, & in unitate corporis Eccleſiæ tuæ membrum perfecta remiſſione reſtitue. Miſerere, Domine, gemituum, miſerere lachrymarum, & non habentem fiduciam niſi in tua miſericordia, ad Sacramentum reconciliationis admitte. Per. *Alia.*

Majeſtatem tuam, Domine, ſupplices deprecamur, ut huic famulo tuo longo ſqualore pœnitentiæ macerato, miſerationis tuæ veniam largiri digneris, & nuptiali veſte recepta ad regalem menſam, unde ejectus fuerat, mereatur intrare. Per.

Alia.

Majeſtatem tuam, quæſumus, Domine, ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui non mortem, ſed peccatorum vitam ſemper inquiris, reſpice flentem famulum tuum ante te proſtratum, ejuſque planctum in gaudium tua miſeratione converte. Scinde delictorum ſaccum, & indue eum lætitia ſalutari, ut poſt longam peregrinationis famem, de ſanctis altaribus tuis ſatietur, ingreſſus cubiculum regis in ipſius aula benedicat nomen gloriæ tuæ ſemper. Per. *Alia.*

Deus miſericors, Deus clemens, qui multitudine indulgentiarum tuarum nulla temporum lege concluderis, ſed pulſantibus miſericordiæ tuæ januam aperis. Pœnitentes etiam ſub ipſo vitæ hujus termino non repellis: Reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum remiſſionem ſibi omnium peccatorum tota cordis confeſſione poſcentem. Renova in eo piiſſime Pater, quod actione, quod verbo, quod ipſa denique cogitatione diabolica fraude vitiatum eſt, & in unitate corporis Eccleſiæ membrum tuæ redemptionis adnecte. Miſerere gemituum, miſerere lachrymarum, & non habentem fiduciam, niſi in miſericordia tua ad ſacramentum reconciliationis admitte; quia nullius animæ in hoc corpore conſtitutæ difficilis apud te, aut tarda curatio eſt: fidelis enim es in verbis tuis, qui converſum peccatorem non per longa temporum ſpatia differendum, ſed mox ut ingemuiſſet, dixiſti eſſe ſalvandum. Per.

Abſolutio Pænitentis.

Auctoritas ſacrarum ſcripturarum nos monet, & docet noſtrorum cognoſcere, & confiteri multitudinem delictorum, ut mereamur conſequi propitiationem ipſorum, dicens, Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper, & propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccatum meum, multum eſt enim: & Apoſtolus, confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini: Et iterum Propheta: Cum converſus ingemueris, ſalvus eris; & iterum Pſalmiſta, Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam, Domine, & tu remiſiſti impietatem peccati mei, pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno: Cum ergo hæc te, frater, recognoſcere, & confiteri cognoſcimus, magnam tibi ſpem de clementia Dei habere perpendimus, & fructum Pœnitentiæ percipiendum tibi promittimus. Ipſe enim ſuis ſanctis Apoſtolis, & nobis illorum ſucceſſoribus, quorum licèt indigni fruimur officio, tamen & nomine hanc poteſtatem dedit, ut quæcumque ſolverimus in terra, eſſent ſoluta in cœlis, per Spiritum Sanctum inquiens. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: cujus nos virtute freti, & clementia confiſi humillimè imprecantes pietatem ſuam abſolvimus te à vinculo tuorum omnium delictorum, & quidquid pro eis mereris oramus, ut avertat propitius, & merearis cernentem omnia cernere, ſua frui viſione, & uti conſolatione, ad gloriam reſurgere, & interim ſine læſione manere, aggregatus ſanctorum omnium conſortio, tribuente Deo Patre, per eundem filium ſuum Dominum noſtrum, &c. *Alia.*

Sicut principali ſententia conſtat, &c. *Habetur in ordine Romano in reconciliatione Pænitentum.*

Initio hujus voluminis additus eſt ab eo, ut opinor, cujus erat volumen facilitatis cauſa, ordo reconciliationis Pænit. ſub hoc titulo. Ordo feriæ 5. in Cœna Domini ad reconciliandum Pœnitentem. *Charactere ferè eodem, aut non multò recentiore. Orationes tantùm habentur, & eæ omnes una excepta habentur in ordine Romano poſteà pag. verſa completis orationibus, alio atramento, & charactere recentiore, antiquo tamen, ut potè ſexcentorum annorum additur.*

Vice S. Petri Apoſtolorum principis, cui à Domino collata eſt poteſtas ligandi, atque ſolvendi, cujus etiam & nos licèt indigni vice fungimur, abſolvimus vos fratres, inquantum veſtra expetit accuſatio, & ad nos pertinet remiſſio, ſecundùm quod nobis, ut diximus à Domino in S. Petro eſt attributum, ab omnibus criminibus veſtris, ſitque vobis omnipotens Deus redemptor veſter, vita, & ſalus, & remiſſio omnium peccatorum veſtrorum, qui cum Patre, &c.

In prima pagina verſa hujus voluminis ſcripta legitur hæc ab Excommunicatione abſolutio, atramento quo præcedens, & charactere non ita accurato.

Abſolutio Excommunicatorum.

DEus immenſæ clementiæ, & inæſtimabilis indulgentiæ, qui humanæ fragilitatis lapſum diabolicæ fraudis invidia ſuggeſtum unigeniti filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti pretioſiſſimo ſanguine dignatus es reparare: Inclina quæſumus aurem tuæ pietatis ſupplicationibus noſtris, & hunc famulum tuum, qui, ſuadente mortis auctore, à te, qui vera vita es, peccando deviare, ſeque vinculo anathematis non eſt vetitus ſtatuere, pœnitendo redeuntem ſereno vultu reſpicere, ac pulſanti januam miſericordiæ tuæ aperire dignare, quatenus Spiritus Sanctus præveniente virtute, cujus munere omnium peccatorum tribuitur remiſſio, ſanctorumque omnium Apoſtolorum ſuffragio, quorum vice, in ligandis, ſolvendiſque criminibus, licet indigni Sacerdotali fungimur officio, corpori S. Eccleſiæ tuæ purificatum atque abſolutum redintegres, cunctoſque ejuſdem ſceleris pravitate, ſive cooperando, ſive conſentiendo, atque cohabitando coinquinatos, medela gratiæ tuæ ſaluti reſtitue caſtigatos, ac abſolutos, & quos juxta veraciſſimam promiſſionem tuam nullatenus mori deſideras, conceſſa peccatorum venia ad ſemper virentia æternæ vitæ paſcua gregi tuo ſociatos perducas. Per eundem, &c.

In eodem antiquiſſimo verſus finem. Incipit ordo ad viſitandum, & inungendum infirmum, *Poſt varias orationes, & Litanias,* Hic ponant Sacerdotes, & Miniſtri Eccleſiæ manus ſuas ſuper infirmum, & dicatur hæc oratio. *Oremus,* D.N.J.C. & cum omni ſupplicatione rogamus, ut hunc famulum ſuum viſitare, & confortare, ac conſolare dignetur. Per. *Sequitur.* A. ſuccurre, Domine, infirmo iſti, & medica, &c. *Pſal.* ad Dominum, cùm tribularer. Omnipotens S. Deus, qui ægritudines, &c. A. Sana me, Domine, &c. *Pſalm* Domine, ne in furore tuo. Et ſic perungat infirmum, de oleo ſanctificato cruces faciendo in collo, in gutture, & inter ſcapulas, & in pectore, ſeu in loco, ubi dolor imminet amplius, perungatur, & ſupplicando dum ungitur infirmus, dicat unus ex Sacerdotibus hanc orationem. *Unctio.*

Ungo te de oleo ſancto, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, obſecrans miſericordiam ipſius unius Domini, ac Dei noſtri, ut fugatis omnibus doloribus, vel incommoditatibus corporis tui, recuperetur in te virtus, & ſalus, quatenus per hujus operationem myſterii, & per hanc ſacrati olei unctionem, atque noſtram deprecationem virtute ſanctæ Trinitatis medicatus, ſive lotus priſtinam, & immelioratam recipere merearis ſanitatem. Per. *Sequitur Oratio.* Domine Deus ſalvator noſter, qui es vera ſalus, & medicina, &c. *Alia Oratio.* Propitietur Dominus omnibus iniquitatibus tuis, &c. Deinde communicet eum corpore, & ſanguine Domini. Et ſic faciant illi per 7. dies ſi neceſſitas fuerit, tam de communione, quàm & de alio officio, & ſuſcitabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittuntur ei. Debent etiam Sacerdotes, & Miniſtri S. Eccleſiæ cum ſumma reverentia infirmis decantare per ſingulos dies veſperas, & matutinas cum hymno, Chriſte cœleſtis, & cum Antiphonis, & reſponſ. ſive lectionibus, & orationibus ad hoc pertinentibus. Multi enim Sacerdotes infirmos perungunt inſuper in quinque ſenſus corporis, id eſt, in ſuperciliis oculorum, & in auribus de intus, & in narium ſummitate, ſive interius, & exterius, & in manibus exterius, id eſt, deforis. In omnibus ergo his membris crucem facient, de oleo ſacrato dicentes, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Hoc enim ideò faciant, ut quum in quinque ſenſus mentis, & corporis aliqua macula inhæſit, hac medicina Dei ſanetur.

Sequuntur ſeptem orationes, deinde quinque benedictiones ſuper infirmum, quibus ſuperponitur tantùm, alia, alia, &c. Nihil prætereà.

IN SECUNDUM CODICEM Turonenſem.

CОdicis illius character non mihi videbatur annos trecentos excedere, aut ſaltem quadringentis minor. Pontificale eſt Bituricenſis Eccleſiæ, ut colligitur ex ſol.32. ubi in conſecratione Epiſcopi juramentum obedientiæ præſtat Epiſcopus Eccleſiæ, & Archiepiſcopo Bituricenſi. Juramentum illud planè ſimile eſt ei, quod poſt Concilium Lateranenſe 1. ſummo Pontifici præſtant Epiſcopi. In eo codice, initio Quadrageſimæ hæc de pœnitentibus leguntur.

Pœnitentibus, quibus ſecundùm jus, vel conſuetudinem pro gravioribus criminibus ſolemnis eſt pœnitentia imponenda, hac die hora tertia conveniant ad Eccleſiam Cathedralem in vilibus veſtibus, vultibus ad terram demiſſis, quorum nomina deſcribi debent, accipientes pœnitentiam juxta modum culpæ à Pœnitentiario Epiſcopi, vel ab iis, quibus hoc officium deputatum eſt, & poſteà omnes emittuntur, & manent ante fores Eccleſiæ, &c.

Cineres benedicuntur, & ipſis imponuntur: Epiſcopus etiam ipſe poſteà, & cæteri omnes, eo ordine, quo nunc cineres accipiunt, ſed hoc fit jam ab Eccleſia pulſis Pœnitentibus.

Feria 5. in Cœna Domini. Sacerdotes, quibus impoſitum eſt Pœnitentium confeſſiones audire, audiant illas, vel in Eccleſia, vel in alio loco ad hoc deputato, &c. Qualiter autem tranſacta quadrageſima ſe geſſerint; Qualiterve injunctas ſibi pœnitentias obſervaverint diligenter inquirant, & notata fideliter referant, nomina & annos pœnitentiæ, ac delicta, & circumſtantias ſingulorum, ut ſic cùm hora requiſitionis advenerit, quid de ſingulis Pontificalis cenſeat autoritas, clareſcat, & univerſorum cauſas liberius, & expeditius decernere poſſit. Auditis itaque Confeſſionibus Epiſcopus ante horam ſextam examinat cum Sacerdotibus ipſis diligenter, qui digni ſunt reconciliari, qui non. Deinde paratus cum amictu, &c.

IN TERTIUM CODICEM Turonenſem Adnotatio.

EST in Eccleſia Turonenſi alius liber manuſcriptus in quarto, nigro coopertus. Ritualis eſt continens ordinem Baptiſmi initio, deinde viſitationis ægrotorum, poſteà ſeriem officii erga defunctos, inſuper varias Miſſas. Videtur annorum eſſe circiter quadringentorum, aut non multò antiquior.

In eo triplex eſt ordo ſpectans ad infirmos. Primus titulus. Ordo ad viſitandum infirmum cum Euchariſtia, & non, cum unctione 2. *titulus*, Ordo ad viſitandum infirmum cum unctione. 3. Ordo ad inungendum infirmum ſive Clericum, ſive Laicum. Trium iſtorum excepta integrè retulimus *lib.*10. *cap.*15. Illic eos quæret ſtudioſus Lector.

IN PRIMUM CODICEM Remenſem Adnotacio.

ANtiquiſſimus eſt codex in Abbatia S. Remigii ad Durocorturum Rhemorum pertinens, literis Gothicis ſive Longobardicis ſcriptus, ut videtur, in Gallia Belgica: fit enim in commentio feſtorum S. Vedaſti, Remigii, Germani, Martini. Continet potiſſimum varias Benedictiones Epiſcopales. Multa ex eo codice variis locis exſcripta ſunt, *lib* 4. *c.*18. *ſect.*18. & *lib.*8. *c.*11. *ſect* 10. Quod ibi omiſimus, ſed polliciti ſumus, huc referimus: Eſt titulus.

Ferio V. in Cœna Domini, Reconciliatio Pœnitentium.

ADeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, &c. Deus humani generis benigniſſime conditor, &c. Iſtæ orationes habentur in ordine Romano.

Item Abſolucio in Cœna Domini.

DOmine Deus omnipotens, Rex Regum, & Dominus Dominantium, æterne Pontifex, & ſanctorum Miniſter, ac veri tabernaculi Sacerdos, qui ſanctum, atque immaculatum agnum proprii corporis hoſtiam dediſti pro peccatis noſtris, & nunc ſedes ad dexteram Patris ſemper vivens, & interpellans pro delictis noſtris, Jeſu Chriſte clemens, & miſericors, qui ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum peccata Pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis evacuas, reſpice quæſumus ſuper famulos tuos, & remiſſionem eis omnium peccatorum tota cordis confeſſione poſcentes deprecatus exaudi. Renova in eis, piiſſime, quidquid terrena fragilitate corruperunt, & quidquid diabolica fraude violaverunt, redintegra, & quod in eis aut negligentia polluit, aut ira commiſit, aut ebrietas famulavit, aut libido ſubvertit. Tu totum venia miſericordiſſimæ lenitatis abſterge, ut qui per ſe proclivi fuerunt ad labendum, per te ſemper muniantur ad ſtandum: Et qui per ſe proni fuerunt ad offenſam, per te ſemper reparentur ad veniam, ne de damno Eccleſiæ tuæ gaudeat inimicus, ne agnos pretioſo ſanguine tuo redemptos à caulis Eccleſiæ rapiat crudelis lupus, ſed magis diſcedat confuſus, dum viderit hos famulos tuos, corporis Eccleſiæ membrum perfectum, gratia tua plenam remiſſionem conſecutos. Miſerere igitur, Domine, illorum gemituum, miſerere lachrymantium. Tu enim, mitiſſime, dignatus es dicere: Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat. Et iterùm quacunque hora converſus ingemuerit peccator, omnia peccata ejus in oblivione erunt. Nam ſi iniquitates, Domine, obſervaveris, nullus mortalium poterit ſalvus eſſe. Nemo enim coram te juſto judice juſtificabitur, niſi per te remiſſio omnium peccatorum tribuatur. Et quidem tu ipſe Salvator, per quem facta ſunt omnia, in Patre manens cum Spiritu S. ab utroque procedente, noſti quæ ſit conditio humana, quæ ſit fragilitas terrena. Parce igitur, redemptor mundi, his famulis tuis, & toto corde peccata confitentibus, & tibi, cujus miſeratio nullum habet finem convertentibus, ſana animas, illorum vulnera relaxa, facinora, & delictorum catenas abſolvens quidquid in eis alienum eſt, mortifica; quidquid tuum vivificans conſerva. Et quia tu ſolus potes facere mundum de immundo conceptum ſemioe, cor mundum in eis recreans, ſpiritum rectum innova in illorum viſceribus, ut illi deinceps viventes in te, ſine quo nihil valet mortalis infirmitas, omnes actus illorum in beneplacito tuo dirigant, quatenus ad tremendum judicium tuum, liberi & ſecuri ab omnibus accuſationibus inimici, pervenire mereantur, per te Deus, & Dominus noſter Jeſu Chriſte, qui cum Patre, &c.

*Sequuntur aliæ Abſolutiones, & Abſolutionis confirmatio, quas retulimus l.*8. *c.*11. *ſect.*10. *ubi, & hujus rei rationem explicavimus.*

In ſecundum Codicem Remenſem Adnototio.

IN Bibliotheca Eccleſiæ Metropolitanæ S. Mariæ Rhemenſis eſt Pontificale annorum forte trecentorum expanſo folio, minore tamen, nigro colore tectum. Quæcumque ex eo exſcripſimus in ſcopum noſtrum, relata ſunt, *l.*4. *c.*18. *ſect.*20. & *lib.* 8. *cap.*11. *ſect.*22.

In tertium Codicem Remenſem Adnototio.

*ALius eſt codex in eadem Bibliotheca minore forma ſcriptus forſan ante quingentos annos, vel quid amplius, incipit à viſitatione infirmi. Nonnulla ex eo inſeruimus lib.*4. *c.*18. *ſect.* 19. & *lib.*8. *c.*16. *ſect.*14. *Cætera leges lib.*10. *c.*15. *ſect.*5. *Quopropter nihil nobis ſupereſt hîc inſerendum.*

In duos Codices Bellovacenſes manuſcriptos, quibus uſus eſt autor, adnotatio.

IN antiqua Bellovacenſis Eccleſiæ Bibliotheca duos protulimus codices. De priore nihil habemus aliud quàm quod *lib.* 8. *c.*11. *ſect.*9. diximus: De Poſteriore paulò plura. Antiquum Pontificale eſt annorum quingentorum, aut paulò amplius. Quæ pertinent ad pœnitentiæ impoſitionem relata ſunt, *lib.*4. *cap* 18. *ſect.*23. & paucula ex iis, quæ nunc relaturi ſumus *lib.*8. *c.*16. *ſect.* 14. Titulus eſt.

In viſitatione Infirmorum.

P*Oſt ſeptem Pſalmos, Litanias, varias preces, cùm infirmus eſt ungendus, præmittitur hæc oratio.* In nomine Patris, &c. Sit tibi hæc unctio ſanctificati olei ad purificationem mentis, & corporis, & omnium Abſolutionem culparum, ad munimen, & defenſionem contra jacula immundorum ſpirituum * creatura olei in nomine Patris omnipotentis, ut non lateat hìc ſpiritus immundus, neque in ulla compage membrorum, ſed habitet virtus altiſſimi, & ſpiritus. Per eundem. *Super oculos.* Ungo oculos tuos de oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut quidquid illicito viſu deliquiſti, hujus olei unctione expietur. Per omnia. *Alio.*

Ungo te de oleo ſancto, in nomine Patris, & Filii, & Spi-

ritus ſancti, obſecrans miſericordiam ipſius unius Domini, & Dei noſtri, ut fugatis omnibus doloribus, & incommoditatibus corporis tui recuperetur in te virtus, & ſalus, quatenus per hujus operationem myſterii, & per hanc ſacrati olei unctionem, atque noſtram deprecationem virtute S. Spiritus medicatus, ſive lotus, priſtinam, & magis robuſtam recipere merearis ſanitatem.

Ad aures infra, & ſupra.

UNgo has aures ſacrati olei liquore, ut quidquid peccati delectatione nocui auditus admiſſum eſt, medicina ſpiritalis evacuet. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Similiter ad aures, ad labia, ad collum, ad guttur, ad ſcapulas, ad pectus, ad manus, ad pedes infra, & ſupra. Deinde Oratio ſequitur, & benedictiones ſuper infirmum variæ. Tandem ſic ait ſacerdos.

Vice S. Petri Apoſtolorum principis, cui à domino collata eſt poteſtas ligandi, atque ſolvendi, cujus etiam nos licet indigni vice fungimur, abſolvimus te, frater, N. in quantum tua expetit accuſatio, & ad nos pertinet remiſſio; ſecundum quod nobis ut diximus à Domino in S. Petro eſt attributum, ab omnibus criminibus tuis, ſitque tibi omnipotens Deus redemptor tuus, vita, & ſalus, & remiſſio omnium peccatorum tuorum, qui cum Patre, & Spiritu ſancto, &c.

Quando communicat, Domine S. Pater omnipotens æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti Fratri noſtro ſacroſanctum corpus, & ſanguinem Jeſu Chriſti filii tui Domini noſtri, tam corporis quàm animæ ſit ſalus. Per eundem, &c.

In codices antiquos Collegii Foxenſis Toloſani Adnotatio.

LIbri 8. c. 16. ſect. 5. & 8. duos codices manuſcriptos collegii, Foxenſis Toloſani citamus, de quibus nihil habemus in hac pœnitentiæ materia evulgandum, quàm quod protulimus.

In quatuor Eccleſiæ Rothomagenſis manuſcriptos codices, qui aliquando citantur, Adnotatio.

QUatuor varios codices ex Bibliotheca Eccleſiæ Metropolitanæ Rothomagenſis aliquando citamus: unum antiquiſſimum pulcherrimè, & magnificentiſſimè deſcriptum. Rubricæ omnes literis uncialibus perfectè quadratis ſcriptæ ſunt: Prima litera textus longè maxima eſt, & aurea, & prima linea unciali litera quadrata, & aurea, cæteræ nitidiſſimæ. Benedictiones Epiſcopales præſertim continet, quas ſecundum praxim illius Eccleſiæ ſingulis Dominicis, & feſtis ſolemniter propè finem Miſſæ pronunciare ſolebat Epiſcopus. Quæcumque ex eo ad pœnitentiæ praxim antiquam illuſtrandam collegimus, inſeruimus operis noſtri *lib. 9. cap. 31. ſect. 3.* & paucula, *lib. 8. cap. 11. ſect. 15.* Ideò hic nihil addendum habemus.

Secundus eſt Sacramentarium Romanum, ſed recentius, annorum fortè trecentorum, aut multò minùs: character amplus. Quæ ex eo excerpſimus variis locis inſerta ſunt, *lib. 4. c. 18. ſect. 21. l. 8. c. 11. ſect 17. & 18. & lib 9. c. 29. ſect 16.*

Tertium eſt Rituale parvum, annorum fortè trecentorum, aut quid amplius. Similiter omnia à nobis ex eo collecta habentur *lib. 8. cap. 11. ſect. 19. & 20.* Ibidem quoque Manualis Rothomagenſis fit mentio anno 1390. ſcripti.

Quartus codex ſatis accuratè ſcriptus eſt, anniſque 450. antiquior. In uſum Eccleſiæ Remenſis ſcriptus eſt, ut colligitur ex ſanctis, qui in eo invocantur, ſed præſertim ex conſecratione Epiſcopi, in qua hæc habentur.

Vis B. Petro, & ſanctæ Eccleſiæ Romanæ, ejuſque Vicario ſubditus eſſe ſecundum ſtatuta Patrum. ℟. Volo. Vis Sanctæ Remenſi Eccleſiæ, mihique, & ſucceſſoribus meis obediens eſſe, & ſubditus? ℟. Volo. Vis mihi, & Eccleſiæ meæ profeſſionem facere ſicut tui Anteceſſores fecerunt. ℟. Volo; & paratus ſum in omnibus obedire. *Idem profitetur Abbas, ut in ejus benedictione apparet.* Vis Remenſi Eccleſiæ, & mihi, meiſque ſucceſſoribus ſubjectionem, & obedientiam exhibere ſecundum canonicam autoritatem, & decreta Pontificum? ℟. Volo. *Deinde ex Abbatis ordinatione, ſive Benedictione facta, ſic profitetur.* Ego N. humilis cœnobii Beati N. Abbas promitto tibi pater N. & ſucceſſoribus tuis, atque matri Eccleſiæ Remenſi debitam ſubjectionem, atque obedientiam ſecundum inſtituta SS. Patrum. *Paucula ſiacat ex hoc codice retulimus, l. 8. c. 11. ſect. 17. Ideò quæ in eo deprehendimus ſcopo noſtro conducentia, hic deſcribemus. Illa ſunt hujuſmodi.*

Ordo, quomodo Pœnitentes in capite quadrageſimæ Epiſcopo ſe debent repræſentare.

IN capite quadrageſimæ, ſcilicet in Feria 4. omnes pœnitentes, qui publicam ſuſcipiunt, aut ſuſceperunt pœnitentiam, ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo civitatis ſacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram proſtratis, reos ſe eſſe ipſo habitu, & vultu proclamantes. Ibi adeſſe debent decani, id eſt Archipresbyteri Parochiarum, id eſt, Presbyteri pœnitentium, qui eorum converſationem diligenter inſpicere debent, & ſecundum modum culpæ pœnitentiam per præfixos gradus injungant. Poſt hæc eos in Eccleſiam introducat, & cum omni Clero ſeptem pœnitentiales pſalmos in terram proſtratus cum lachrymis pro eorum abſolutione decantet. Tunc reſurgens ab oratione, juxta, quòd canones dicunt, manus eis imponat, aquam benedictam ſuper eos ſpargat, cinerem prius mittat; deinde cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu, & crebris ſuſpiriis eis denuntiet quod ſicut Adam projectus eſt de paradiſo, ita & ipſi ab Eccleſia pro peccatis abiiciuntur. Poſt hæc jubeant Miniſtris, ut eos extra januas Eccleſiæ expellant. Clerus verò proſequatur eos, cum R. in ſudore vultus tui &c. Ut videntes S. Eccleſiam pro facinoribus ſuis tremefactam, atque commotam, non parvipendant pœnitentiam. In ſacra autem Domini cœna, rurſus ab eorum decanis, & eorum Presbyteris Eccleſiæ liminibus repræſententur.

Abſolutio Pœnitentis in capite jejunii.

IN primis dicat ſeptem Pſalmos Pœnit. deinde Kyrie eleiſon, & orationem dominicam. Salvos fac ſervos tuos, &c. Oremus, Exaudi, Domine, preces noſtras, & confitentium tibi, &c. *Alia.* Omnipotens, qui peccatorum indulgentiam in confeſſione, &c. *Alia.* Præveniat hos famulos, &c. *Alia.* Adeſto, Domine, &c. *Alia.* Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris, &c. *Orationes illæ in ordine Romano edita & paſſim occurrunt, & nullus eis titulus ſuperpoſitus, niſi Alia ſequitur.*

Reconciliatio Pœnitentis in cœna Domini.

SEdente Pontifice pro foribus Eccleſiæ, pœnitentibus in atrio Eccleſiæ eminus cum Archidiacono introitum illius præſtolantibus, dicat Pontifex Antiphonam, venite filii, & Diaconi ex parte pœnitentium, Flectamus genua.

Tunc omnes ſtantes flectant Pœnitentes. Quo facto dicat Diaconus ex parte Pontificis, levate. Similiter agatur ſecundò repetente Epiſcopo Antiphonam. Venite filii, ſequente Diacono, flectamus genua, ut ſupra, & ſic ad medium pavimentum ſolo tenus veniant. Quando autem Dominus Epiſcopus tertiò annuntiaverit Antiphonam, Venite, Venite, Venite, proſequatur Diaconus flectamus genua. Mox cum Diacono Pœnitentes corruant ad pedes Epiſcopi, ſicque proſtrati jaceant uſque dum Dominus Epiſcopus innuat alteri Diacono, levate. Proſequitur chorus Antiphonam, venite, Pſalm. Beati immaculati. Item ſequitur Antiph. Venite filii. Poſteà ab Archidiacono dicatur, Adeſt ò venerabilis Pontifex &c. Mox ſurgat Epiſcopus, faciatque pœnitentes ante ſe proſternere, ſimulque cum aditantibus cantet 7. Pſalmos Pœnitent. *Quibus finit. ſequatur Dominica oratio, iſtique verſus* Salvos fac &c. Oremus, Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris &c. *Alia.* Præſta quæſumus, Domine famulis tuis dignum, &c. *Alia.* Deus humani generis benigniſſime conditor, &c. Poſt hæc, ſurgant pœnitentes, & dicat Diaconus, reintegra in eis Pontifex &c. Et monentur ab Epiſcopo Pœnitentes, ut quod pœnitendo diluerunt, iterando non revocent, & imponat Epiſcopus Antiphonam, Venite filii; & clerus cum Epiſcopo pſalmum, Benedicam Dominum in omni tempore, & verſibus ejuſdem pſalmi finitis ſemper ſequatur Antiphona. Venite. Interim Pœnitentes manuatim ab Archidiacono reddantur Epiſcopo, & Epiſcopus reddat Diacono, qui ex parte ejus eſt, & ordinatim congregentur, ſicque reſtituantur gremio Eccleſiæ. Deinde imponat Epiſcopus Antiphonam. Cor mundum. Miſerere mei Deus. Quo finito proſternat ſe Pontifex cum pœnitentibus, in oratorio Clero faciente letaniam, qua expleta dicat preces, Kyrie eleiſon. Pater noſter. Salvos fac. &c. Oremus. Omnipotens. Confitentibus his. &c. *Alia.* Omnipotens, qui peccatorum indulgentiam in confeſſione celeri poſuiſti &c. *Alia.* Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, reſpice propitius ſuper hos famulos tuos, &c.

Ab-

Abſolutio.

Omnipotens Deus, qui beato Petro Apoſtolo ſuo, cæteriſque diſcipulis ſuis ſuam licentiam dedit ligandi, atque ſolvendi, ipſe vos abſolvat ab omni vinculo delictorum; Et quantum noſtræ fragilitati permittitur, ſitis abſoluti ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, habeatiſque vitam æternam, & vivatis in ſecula ſeculorum, intercedente beata Dei Genitrice Maria cum omnibus Sanctis. Amen.

In decem varios Codices manuſcriptos Abbatiæ S. Victoris ad urbem, qui in hoc opere citantur, Adnotatio.

MUltos codices manuſcriptos ex inſigni Bibliotheca Abbatiæ S. Victoris mutuò acceptus ſæpe citamus. Qui fuerint illorum authores brevi referemus. Trium ſunt generum. Alii ſunt Theologi, alii ſunt Theologiæ moralis ſcriptores, quos Summiſtas, & Caſuiſtas nunc vocare ſolemus. Antiquitùs cùm primùm Theologia ſubtiliter doceri cœpit, vocabantur omnes Summiſtæ, & Sententiarii; Posteà Summiſtæ ſpecialiùs dicti ſunt, qui caſus conſcientiæ explicaverunt, eo quòd libros ſuos ea de re compoſitos ut plurimùm Summas inſcripſerint. Tertii generis ſunt ii, quos hic potiſſimùm ſpectamus, divinorum officiorum, vel partis eorum ordines.

Primus codex eſt Summa Petri Cantoris, qui titulus eſt, Summa Cantoris Pariſienſis de ſacramentis, & animæ conciliis. Codex notatus eſt GG. 13. & initio continet ſummam de Eccleſiaſticis officiis Guilelmi Altiſiodor. Pariſiis florere, & celebris eſſe incipiebat Cantor, cùm Petrus Lombardus Pariſienſis eſſet Epiſcopus, & poſt ipſius mortem inter Magiſtros Pariſienſes famam conſecutus eſt. Sic de eo refert Trithemius de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. *Petrus Cantor Pariſienſis, & poſteà (ut ferunt) Epiſcopus, vir in divinis ſcripturis eruditiſſimus, & in ſeculari Philoſophia nobiliter doctus, theologicæ ſcholæ Pariſiis multis annis glorioſè præfuit, & diſcipulos egregios multos erudivit*: commemorat etiam librum, è quo noſtra decerpſimus: Claudius Hemeræus Doctor Sorbonicus in libello de Academia Pariſienſi ex antiquo Chronico manuſcripto, ad ann. 1179. *Cantor Pariſienſis, Magiſter Petrus Doctor Theologus, religione, & honeſtis moribus famoſus, & clarus, apud Abbatiam longi pontis obiit, cujus habentur libri multi. Magna ſumma de Conciliis, & rebus Eccleſiaſticis. Unus ex quatuor innovatum, Verbum abbreviatum, Summa de virtutibus Theologicis, quædam gloſſatura in pſalterium, & multa alia, Summa, quæ dicitur Abel, ipſius nomine intitulata.*

Secundus codex eſt Summa Præpoſitivi natione Lombardi, viri ſuo tempore inter ſcholaſticos ſummi, qui multis videtur primus illam ſcribendi methodum Scholaſticam invexiſſe, quam Altiſiodorenſis, Halenſis, Albertus magnus, SS. Thomas, & Bonaventura, & poſt iſtos aliis prope omnes ſecuti ſunt. Hunc aliquando citant Altiſiodorenſis, Halenſis, & S. Thomas. Academiæ Pariſienſis Cancellarius erat an. 1207. ut notat ex eodem Chronico Hemeræus. Ita Chronicum; *poſt Cancellarium pariſienſem Magiſtrum Præpoſitivum, virum mirabilem natione Lombardum, qui fecit optimos ſermones, & quaſdam poſtillas ſententiarum, fuit Cancellarius quidam magiſter Joannes de Candelis, &c.* Summa ipſius continetur quatuor libris.

Tertius codex cum ſummæ Præpoſitivi codice compactus eſt, cujus author inſcribitur, Magiſter Martinus, ſcripſit quæſtiones Theologicas quas in quatuor libros diſtinxit. Præpoſitivo puto æqualem eſſe, aut non multo poſteriorem. Quis fuerit Martinus ille aliunde mihi non eſt compertum: Nonnumquam illius autoritate utimur.

Quartus codex ejuſdem Bibliothecæ inſcribitur liber pœnitentialis fratris Petri Pictavienſis Canonici S. Victoris. Adnotatur in manuſcripto viri ampliſſimi D. Petavii, vocari Petrus de ſancto victure. Scripſit poſt Præpoſitivum; illius enim ſummam citat f. 3. & Beletum, quem etiam citat. f. 11. multò magis poſt Petrum Cantorem, cujus ſummam ſæpius refert. Scripſit verò ante Gregorium IX. cujus decretales non commemorat, cùm aliquando capitulis Concilii tertii Lateranenſis utatur. Notatur II. 13. Alius eſt Petrus Pictavinus fidus Petri Lombardi diſcipulus, qui anno 1105. obiit, fuitque Pariſienſis Academiæ Cancellarius, & quadraginta octo annis Theologiam Pariſiis docuit. Itaque ſimul cum Magiſtro ſuo Theologiam profeſſus eſt. in Bibliotheca Victorina eſt ipſius manuſcriptus codex, qui inſcribitur, Gloſſæ ſuper ſententias, qui notatur, D. I. Liber ille brevis eſt, & textualis explicatio quatuor librorum ſententiarum Lombardi. Rarò eum allegamus. Fortaſſe nobis contingit aliquando unum Pictavinum cum alio confundere. Eſt in eodem volumine commentarius ejuſdem Pictavini in Pſalmos, qui inſcribitur, Diſtinctiones Pſalterii ſecundum Magiſtrum Pictavienſem.

Morin. de Sacram. Pœnit.

Sextus codex eſt Magiſtri Petri de Flamesbur Canonici S. Victoris liber Pœnitentialis, notatur P. 19. accepi autorem ubiiſſe anno 1224. Sæpius in opere noſtro hunc Pœnitentialem allegamus. Adnotabo tantum hic autorem illum pœnitentiali ſuo adtexuiſſe longam canonum, & decretorum Pontificiorum collectionem, quibus criminibus pœnitentiæ legitimæ imponuntur, ut Confeſſores iſtorum canonum inſpectione, conſideratione, comparatione, ſcirent ſibi confitentibus pœnitentias legitimas imponere. *Ex iſtis*, inquit *fol. 27. p. 1. collige quanto aliquis alio plus debeat punire, quando aliqui eodem genere peccati peccant, unus in Epiſcopum, alius in presbyterum, alius in Diaconum, alius in Subdiaconum. Item ex iſtis collige, quanto plus punire debeat Epiſcopus quàm Presbyter, & Presbyter quàm Diaconus, & Diaconus quàm Subdiaconus, quando eodem genere peccati peccant. Qui ſacerdotem voluntariè occidit, carnem non comedat, nec vinum bibat, cunctis diebus vitæ ſuæ; jejunet uſque ad Veſperam exceptis diebus feſtis, atque Dominicis. Arma non ſumat, equum non aſcendat, Eccleſiam per quinque annos non ingrediatur: nondum verò communicet, ſed inter Audientes ſtet. Cùm autem fuerit duodecimi anni curſus finitus, communicandi ei licentia concedatur, & equitandi tribuatur permiſſio: maneat tamen in reliquis obſervationibus, id eſt, duos dies per hebdomadam, ut perfectiùs purificari mereatur.*

Septimus codex in catalogo ejuſdem Bibliothecæ inſcribitur, *Ordo ad Catechumenum faciendum*, quia ab iſto ritu incipit, & notatur, GG. 15. Scriptus mihi viſus eſt ante annos quingentos, nullo modo recentior. Ex eo hic deſcribemus ordinem ad viſitandum, & ungendum infirmum.

Ordo ad viſitandum, & ungendum Infirmum.

POſt ſalutatam, & benedictam domum, decantatos Pſalmos pœnitentiales, & Litanias, Confeſſionem factam, orationes, & reſponſoria, pſalmumque 49. ſic ſcribitur.

Et perungant ſinguli Sacerdotes infirmum de oleo ſanctificato, facientes crucem in collum, & in guttur, & pectus, & inter ſcapulas, & ſuper quinque ſenſus corporis, & in ſupercilia oculorum, & in aures intus, & foris, ut maculæ quæ per quinque ſenſus mentis, & corporis fragilitate carnali, quomodo hac medicina ſpirituali, & Domini miſericordia pellantur. Dum igitur ungit Sacerdos infirmum, dicat hanc orationem moroſius inungendo. Ante unctionem. *Oratio.*

Adeſto quæſumus, Domine, humilitatis noſtræ obſequiis, eiſque benignus cooperator aſſiſte, ut qui executionem mandatorum tuorum huic ægroto manus imponentes olei ſacri unctionem exhibemus, hujuſmodi ſervituti noſtræ te intereſſe ſentiamus, quatenus Spiritus S. gratia noſtræ actionis officio comitante, ab hoc famulo N. omnis languor, & debilitas abſcedat, totiuſque vigoris, & ſoſpitatis plenitudo ſuccedat, relictoque imbecillitatis grabato, ad te medicum ſupernum vultum, & mentem erigat, & pro ſoſpitatis reſtitutione laudes nomini tuo competenter in æternum perſolvat. *Alia.* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. accipe ſanitatem, Amen.

Item ante unctionem, Inungo te oleo ſanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ut non lateat in te ſpiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compage membrorum, ſed habitet in te virtus Chriſti altiſſimi, & Spiritus S. quatenus per hujus operationem myſterii, & per hanc ſacrati olei unctionem, atque noſtram deprecationem virtute ſanctæ Trinitatis medicatus, ſive fotus, priſtinam, & melioratam recipere merearis ſanitatem, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, in ſecula ſeculorum. *Ad Caput.*

Ungo caput tuum oleo ſanctificato in nomine Patris, &c. ut more militis uncti præparatus ad luctam poſſis aerias ſuperare catervas. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Ad Oculos.

Ungo oculos tuos oleo ſanctificato, ut quidquid de illicito viſu deliquiſti, hujus olei unctione expietur. Per Chriſtum Dominum, &c. *Ad Aures.*

Ungo aures tuas ſacrati olei liquore, ut quidquid delectatione nocivi auditus admiſſum eſt, hæc medicina ſpiritualis evacuet. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Ad Nares.*

Ungo tuas nares oleo ſacro, ut quidquid noxio vapore contractum eſt, vel odore ſuperfluo iſta emaculet medicatio, per Chriſtum. *Ad Labia.*

Digitized by Google

Ungo labia iſta conſecrati olei medicamento, ut quidquid otioſa, vel etiam ærumnoſa peccaſti locutione, divina clementia miſerante expurgetur hac unctione, Per Chriſtum.

Ad Pectus.

Ungo pectus tuum de oleo ſanctificato, ut hac unctione protectus fortiter ſtare valeas adverſus aerias catervas. Per Chriſtum.

Ad Gattur.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſit tibi unctio olei ſanctificati ad purificationem mentis, & corporis, & ad munimen, & defenſionem contra jacula immundorum ſpirituum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Ad Collum.*

Ungo te de oleo ſancto, invocata magni creatoris majeſtate, qui juſſit Samuelem Prophetam ungere David in Regem. Operare creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis, ut non lateat hic Spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla contagione membrorum; ſed inhabitet virtus Chriſti altiſſimi, & ſanctificatio Spiritus Sanctu. Per Chriſtum.

Ad Scapulas.

Ungo has ſcapulas, ſive in medium locum ſcapularum, ſacrato oleo, ut ex omni parte ſpirituali protectione munitus jaculi diabolici impetus viriliter contemnere, ac procul poſſis cum robore ſuperni juvaminis repellere. Per.

Ubi maximus dolor urget.

Ungo te de oleo ſancto in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. obſecrans miſericordiam ipſius Dei, & Domini noſtri, ut fugatis doloribus omnibus, vel incommoditatibus corporis tui, recuperetur in te virtus, & ſalus, quatenus per hujus operationem myſterii, & per hanc ſacrati olei unctionem, atque noſtram deprecationem, virtute ſanctæ Trinitatis medicatus, priſtinam, & magis robuſtam recipere merearis ſanitatem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Ad manus,*

Ungo has manus oleo ſanctificato, ut quidquid illicito, vel noxio opere peregeris, per hanc unctionem evacuetur. Per.

Ad Pedes.

Ungo hos pedes oleo benedicto, ut quidquid ſuperfluo, vel nocuo inceſſu commiſeris, iſta aboleat perunctio. Per.

Poſt unctionem.

Hæc tibi unctio per ſignum ſanctæ crucis, & per oleum ſanctificatum, & per donum Spiritus Sancti, fiat ad ſanitatem. Per.

Sequuntur ſeptem aliæ orationes, deinde benedicitur infirmus his verbis: Benedicat te Deus Pater, ſanet te Deus Filius, illuminet te Deus Spiritus ſanctus, corpus tuum cuſtodiat, animam tuam illuminet, cor tuum irradiet, ſenſum tuum dirigat, & ad ſupernam vitam te perducat. Qui in Trinitate. Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper te. Amen.

In eodem codice alius eſt liber conjunctus, qui ſic inſcribitur, Incipit Liber, qui Corrector vocatur, & Medicus, qui correctionis corporum, & animorum medicinas plenè continet, &c. Liber ille magna ex parte hic eſſet exſcribendus, niſi totus eſſet ex 19. libro Decreti Burchardi excerptus. Sed cùm & titulus, cæteraque omnia, ſenſu, verbiſque eadem omnino cum illo Burchardi libro, editione decreti Burchardi, in quo continetur, quæ iterata eſt, deſiderio noſtro ſatisfactum eſt. Lectorem tantùm monebo ante circiter quingentos annos librum illum Burchardi Sacerdotibus velut Manuale datum fuiſſe, ſecundùm quem & Confeſſiones exciperent, & Pœnitentias æſtimarent, & pęnitentes reconciliarent. Ideò ſæpe liber ille ſolitarius in antiquis codicibus occurrit. Illius in opere noſtro nonnunquam meminimus.

Nonus codex notatus in illa Bibliotheca, q. 15. Mihi videtur ante annos quadringentos ſcriptus: multa continet, & inter cætera, Autorem Anonymum de Sacramento pęnitentiæ, ex quo nonnulla excerpſimus Plurima habet Hugoni de S. Victore ſimilia, quæ ab Hugone decerpſit, aut ab eo Hugo. Poſt illum tractatum de Pœnitentia, ſequuntur excerpta de canonibus antiquis, quæ autor ille ex collectione Burchardi hinc, & hinc collegit. Poſteà ordinem confitendi, pęnitentiam imponendi, & reconciliandi ex eodem Burchardo exſcribit, traditque velut exemplar, & formulam, quam Confeſſores, & pęnitentes, quique reſpectu ſui, in adminiſtratione pęnitentiæ ſequi tenentur. Unde iterum confirmatur quod jam dictum eſt, decimum nonum Burchardi librum fuiſſe illis ſeculis uſitatiſſimam adminiſtrandi Sacramenti pęnitentiæ praxim. Eadem ratione qua ſuprà perſuaſi nihil de eo hic inſerimus, ne id, quod eſt præ manibus omnium, iterùm edamus.

Decimus codex inſcribitur officium Epiſcopi cum benedictionibus Epiſcopalibus. Notatus eſt GG. 14. Annorum videtur prope quingentorum. In Litaniis enim nulla fit mentio Sanctorum Bernardi, Franciſci, & Dominici. Noviſſimus eſt Sanctus Dunſtanus. Iſtius codicis pag. 146. & ſequentibus deſcribitur ordo Pœnitentiæ imponendæ, & in codicis fine, Ordo viſitationis infirmorum, quos adtexendos judicavimus.

Ordo ad dandam Pœnitentiam.

Cum venerit pœnitens ad Sacerdotem, primò inquiratur de peccatis, & credulitate ſua, & ſi vult dimittere illis, qui in ſe peccaverunt. Poſteà faciat puram confeſſionem, deinde proſternat ſe in terram. Sed hoc ſciendum, ut cùm venerint ſervi, & ancillæ ad pœnitentiam, non cogantur jejunare tantum quantùm divites, quia non ſunt in ſua poteſtate. Tunc imponat Sacerdos ſeptem Pſalmos Pœnitentiales cum glor. Kyrie eleiſon. Pater noſter., Et ne nos. Salvum fac ſervum tuum. Deus meus ſperantem, &c. Converte, Domine, uſque quo. Et deprecab. Mitte ei, Domine, auxilium de ſancto, Et de Sion. Domine, exaudi, Dominus vobiſcum.

Oratio.

Exaudi, Domine, preces noſtras, & confitentis tibi parce peccatis, ut quem conſcientiæ reatus accuſat, indulgentiæ tuæ miſerationis abſolvat. Per Chriſtum. *Oremus.*

Præveniat hunc famulum tuum, N. quæſumus, Domine, miſericordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per Chriſtum. *Oremus.*

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab hoc famulo tuo N. clementiæ tuæ longinqua miſeratio, ſana vulnera, eique remitte peccata, ut nullis à te iniquitatibus ſeparatus, tibi Domino ſemper valeat adhærere. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Oremus.*

Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris, ſed ſatisfactione placaris, reſpice, quæſumus, ad hunc famulum tuum N. qui ſe tibi graviter peccaſſe confitetur, tuum eſt abſolutionem criminum dare, & veniam præſtare peccantibus, qui dixiſti pœnitentiam te malle peccatorum quàm mortem. Concede igitur, Domine, huic, ut tibi pęnitentiæ excubias celebret, & correctis actibus ſuis conferri ſibi à te ſempiterna gaudia gratuletur. Per Chriſtum. *Oremus.*

Deus cujus indulgentia nemo non indiget, memento famuli tui N. & qui lubrica, terrenaque corporis fragilitate nudatus in multis deliquit, quæſumus, ut des veniam confitenti, parcas ſupplici, ut qui ſuis meritis accuſatur, tua miſeratione ſalvetur. Per Dominum.

Abſolutio ſuper eundem.

Abſolvimus te vice beati Petri Apoſtolorum principis, cui Dominus poteſtatem ligandi, atque ſolvendi dedit, & quantum ad te pertinet accuſatio, & ad nos remiſſio, ſit Dominus omnipotens tibi vita, & ſalus, & omnibus peccatis tuis indultor. Qui vivit. *Alia.*

Omnipotens Deus, qui dixiſti, qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego illum coram patre meo, ipſe te benedicat, & cuſtodiat ſemper, detque tibi remiſſionem omnium peccatorum, & vitam æternam. Amen.

Sequitur poſteà benedictio cinerum, & præceſſerat ordinem iſtum benedictio Candelarum in die Purificationis.

Reconciliatio Pœnitentium in Cœna Domini.

Sedente Pontifice pro foribus Eccleſiæ, Pœnitentibus verò in atrio eminus cum Archidiacono juſſum illius præſtolantibus, antequam eos offerat, poſtulet Archidiaconus his verbis.

Adeſt, ò Venerabilis Pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ, & ſalutis humanæ, qua mors, &c. *Ut in antiquo ordine Romano, atque; eſt ſupra relatum. Poſt ea verba,* & omnibus in commune ſuccurrit, *ſequitur immediatè*, Redintegra igitur in eis, Apoſtolice Pontifex, &c. *quæ in Romano, & ſupra: poſt aliqua alia, ſequuntur.*

Tunc dicat Pontifex, Venite, Venite, Diaconus ex parte Pœnitentium, flectamus genua, & flectent genua Pęnitentes. Quo facto Diaconus ex parte Pontificis, ſimiliter repetente Epiſcopo venite, venite, & ſubſequente Diacono, flectamus genua, ut anteà. Quando autem tertiò annuntiaverit, venite, venite, proſequatur Diaconus, flectamus genua. Mox cum Diacono pœnitentes corruant ad pedes Epiſcopi, ſicque proſtrati jaceant, uſque dum Epiſcopus innuat alteri Diacono, levate, proſequente Clero Antiphonam, venite, venite, venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. *Pſal.* Benedicam Dominum in omni tempore. Quamdiu verò Pſalmus canitur à Clero cum Antiph. Venite, venite, ſem-

per

per manuatim pęnitentes à Plebejanis Presbyteris Atchidiacono, ab Arahidiacono redduntur Epiſcopo, & ab Epiſcopo reſtituantur Eccleſiæ gremio. Deinde ſequatur Epiſcopus, & canantur 7. Pſalmi pęnitentiales proſtratis in Oratorio pœnitentibus, quibus expletis dicatur, Kyrie eleiſon. Pater noſter.

Preces.

Exaudi me, Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua. Secundùm multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me. Ne memineris iniquitatum noſtrarum. Cito. Salvos fac ſervos tuos. Convertere, Domine, uſque quo. Mitte eia, Domine, auxilium de ſancto. Dominus vobiſcum. *Oremus.*

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, &c. *Ut in ordine R. & ſupra.* *Alia.*

Deus humani generis benigniſſime conditor, &c. *Oratio longa, integra legitur, ut in antiquo ordine Romano. Quatuordecim variæ orationes breves, quæ habentur in ordine Romano, inter præcedentem, & hanc, quarum pleræque ſupra ex illo antiquo codice volatæ ſunt, hic abſunt.* Poſt duas illas ſequuntur iſtæ,

Omnipotens ſempiterne Deus confitentibus tibi famulis tuis pro tua pietate peccata relaxa, ut non plus eis noceat conſcientiæ reatus ad pœnam, quàm indulgentia tuæ pietatis ad veniam. Per Chriſtum, &c.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deua, reſpice propitius ſuper hos famulos tuos, qui ab infeſta hujus ſeculi tempeſtate demerſi flebili lamentatione ſuos accuſans exceſtus, ut fletus, ac gemitus eorum piè ſuſcipias, eoſque de tenebris ad lumen revoces, & medelam confitentibus, ſalutem pœnitentibus, vulneratis auxilium ſanitatis indulgeas, ne ultra inimicus in eorum habeat animabus poteſtatem, eorumque Confeſſionem libenter admittens, Eccleſiæ tuæ purificatos reſtitue, ac tuo altari repræſenta, ut ad Sacramentum reconciliationis admiſſi, unà nobiſcum ſancto nomini tuo gratias agere mereantur. Per Chriſtum.

Deus miſericordiæ, Deus clemens, qui ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, &c. *Habetur in ordine Romano.*

Exaudi, quæſumus omnipotens Deus preces noſtras, quas in conſpectu pietatis tuæ effundere præſumimus, ſuppliciter deprecantes, ut famulos tuos de tua miſericordia confitentes benedicas, & omnia peccata eorum dimittas, tuaque eos protectione conſerves, ut poſſint te digni fieri, & ad æternam beatitudinem te auxiliante pervenire, per Dominum.

Abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum tribuat vobis omnipotens, & miſericors Dominus. Amen. Poſt hæc ſurgant pęnitentes, & moneantur ab Epiſcopo, ut quod pęnitendo diluerint, iterando non revocent.

Ordo ad Viſitandum Infirmum.

IN primis cantentur ſeptem Pſalmi, & Litania, & inter agendum dicatur, ut eum à lecto ægritudinis piè, ac miſericorditer relevare digneris. Dein Kyrie eleiſon. Pater noſter, Et ne nos. Salvum, fac ſ. t. Mitte ei. Eſto ei d. t. f. Domine, exaudi, Dominus vobiſcum. *Oremus.*

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donaſti, ita & hunc famulum tuum à lecto ægritudinis tua potentia erigat ad ſalutem. Per. *Alia.*

Reſpice, Domine, famulum tuum infirmitate ſui corporis laborantem, & animam refove, quam creaſti, ut caſtigationibus emendatus continuò ſe ſentiat tua medicina ſalvatum. Per. *Alia.*

Præveniat hunc famulum tuum, quæſumus, Domine, miſericordia tua, ut omnes iniquitates ejus cœleſti indulgentia deleantur. Per.

Preſta, quæſumus, Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, ut Eccleſiæ tuæ ſanctæ, à cujus integritate deviando peccarat, admiſſorum reddatur innoxius veniam conſequendo. Per.

Hic abluantur ea membra, quæ ungenda ſunt, & interim dicatur.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui per beatum Apoſtolum tuum dixiſti, infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei, te ſupplices exoramus, ut hic famulus tuus per miniſterium noſtræ unctionis, & donum ſanctæ pietatis peccatorum ſuorum veniam conſequi, & ad vitam æternam pervenire mereatur. Per Dominum noſtrum, &c.

Deinde inungat eum, ita dicendo.

Per iſtam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccaſti per viſum. Amen.

Ad Aures. Per iſtam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccaſti per auditum. Amen. Sic ad guttur, per guſtum: ad labia, per illicita verba: ad nares per odoratum: ad manus per tactum: ad pedes, per inceſſum, per illicita tibi, per illicitas cogitationes: ad umbilicum, per ardorem libidinis, Amen.

Eo autem puncto ablues manus tuas, & ipſam aquam, ubi laveris, facies vel in ignem projici, vel in ſacratium deferri.

Deua miſericors, Deus clemens, qui ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum peccata per pęnitentiam deles, & præteritotum criminum culpaa venia repromiſſionis evacuas, Reſpice ſuper hunc famulum tuum, & remiſſionem omnium peccatorum ſuorum tota cordis confeſſione poſcentem deprecatus exaudi. Renova in eo, piiſſime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum, & in unitate corporis Eccleſiæ tuæ membrorum perfecta remiſſione reſtitue. Miſerere, Domine gemituum ejus, miſerere lachrymarum, & non habentem fiduciam niſi in tua miſericordia ad Sacramentum reconciliationis admitte. Per.

Oremus.

Majeſtatem tuam, Domine, ſupplices exoramus ut huic famulo tuo longo ſqualore pœnitentiæ macerato miſerationis tuæ veniam largiri digneris, ut nuptiali veſte recepta ad regalem menſam, unde ejectus fuerat, mereatur introire. Per.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, ſalus æterna credentium, exaudi nos pro famulo tuo N. pro quo miſericordiæ tuæ imploramus auxilium, ut reddita ſibi ſanitate gratiarum tibi in Eccleſia tua referat actiones. Per Dominum, &c.

Oremus.

Deus infirmitatis humanæ ſingulare præſidium, &c. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Benedicamus Domino. Deo gratias. Et benedictio Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper te, quæ copioſa caput tuum interius, exteriuſque repleat, atque circumdet, ac ſit ſemper tecum in ſecula ſeculorum.

Tunc ſequitur benedictio Cilicii.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui per indumenti aſperitatem vitam tui præcurſoris laudaſti, preces, quas tibi lachrymabiliter ex intimi cordis affectu fundimus, clementer exaudi, & hoc cilicium, quod ex fœtidarum capellarum ſetis ad pœnitentiæ indicium confici permiſiſti, benedicere tua ineffabili clementia dignare, & omnium eis utentium maculas criminum dele, vitamque concede perpetuam. Per.

In antiquum codicem Ordinis Romani de divinis Officiis, qui ſæpius in opere noſtro citatur, Adnotatio.

CItamus præterea ſæpius ordinem Romanum divinorum Officiorum manuſcriptum: qualis ille, qui Bibliotheca Patrum editus eſt, ſed pluribus locis breviorem, ut pote antiquiorem codice, ex quo alter deſumptus eſt. In Italia ante annos ſaltem 750. ſcriptus fuit, ut ex charactere facilè dignoſcitur. Pertinebat ad Abbatem Conſtantinum Caetanum Siculum, virum de literis bene meritum, & variis Antiquorum libris ſua cura editis clarum. Hunc mihi ab eo perhumanè commodatum cum Romæ eſſem, exſcribi curavi. Nihil ex eo hic inſeremus, eo quòd quæcunque ad Pœnitentiam pertinent, jam operi noſtro inſeruimus, præſertim *lib. 4. cap. 18. & lib. 9. cap. 30* Eſt in eo oratio, ſive ſermo ad Sacerdotes ab Epiſcopo in fine Concilii diœceſani habendus, monita ſanè utiliſſima continens, quorum nonnulla ad Pœnitentes pertinent. Sed cùm jam editus ſit in ordine Romano velut illius pars, habeaturque in tribus variis Bibliothecæ Patrum editionibus, iterumque inſertus ſit duabus poſterioribus Conciliorum editionibus, in tertii voluminis poſteriori parte ad annum 1009. nulla mihi viſa eſt illius hic addendi neceſſitas. Qui ſermonem iſtum Conciliorum collectioni adjecit, cum merito magni fecit. Sed dum conjicit, illius autorem eſſe S. Valdricum Auguſtanum Epiſcopum, plurimos annos de illius antiquitate detrahit. Sermo eſt longè antiquior, Epiſcopis olim pro formula exhortationis in fine diœceſanæ ſynodi datus, ab Epiſcopo, vel Diacono, antequam Sacerdotes diſcedant, legendus, ut notat

ordo Romanus editus. Noſter codex ſolius Diaconi meminit, *Quibus finitis, Epiſcopo, & cæteris in ordine ſedentibus à Diacono legatur hæc Ammonitio.*

In antiquiſſimum Sacramentarium Gelaſianum Adnotatio.

ANtiquiſſimus omnium codicum, quos nanciſci nobis contigit, ille eſt, quem in opere noſtro Petavianum ſæpius vocavimus à Poſſeſſore, viro ampliſſimo, D. Petavio Parlamenti Senatore integerrimo, qui perhumanè illum nobis dedit utendum. Illius character nongentis annis non videtur inferior. Eſt enim ſcriptus literis majoribus, & quadratis, quas unciales aliqui vocant. Scriptor Latinitatis parum peritus erat: Sæpe enim ignorantia potius quàm negligentia, aut præcipitatione αὐτογράφων. Scriptus eſt in Francia. Nam in canone commemorantur SS. Dionyſius, Ruſticus, & Eleutherius, Hilarius, Martinus: Deinde in officio feriæ ſextæ ante Paſcha, cùm oratur pro imperio Romano dicitur, *Reſpice propitius ad Romanum, ſive Francorum benignus imperium.* Gelaſianum dici poteſt Sacramentarium, licet poſt S. Gregorium I. ſcriptus ſit: facit enim in canone S. Gregorii mentionem. Solus autem Gelaſius Papa officia divina ante S. Gregorium inſtauraſſe perhibetur. Deinde infra colligemus, aliunde Gelaſianum Sacramentarium in Gallia uſurpatum fuiſſe, antequam Gregorianus cantus, & officia promovente Carolo magno in eam introducerentur. Diviſus eſt in tres libros, & uniuſcujuſque libri initium graphicè admodum, & magnis literis monocondyliis exaratum eſt. Sic incipit, *In nomine Domini Jeſu Chriſti Salvatoris incipit liber Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ, ordinis anni circuli orationes, & preces.* Libri ſecundi initium cum eadem καλλιγραφίᾳ ſic habet, *Incipit liber ſecundus, Orationes, & preces de natalitiis Sanctorum.* Liber tertius, *Incipit Liber tertius, Orationes, & preces cum canone pro Dominicis diebus.* Cùm codex ille Sacramentorum ſit Eccleſiæ Romanæ, & ſit Gregoriano diſſimilis, neceſſariò mihi videtur Gelaſianus. Nihil hic ex illo codice exſcribimus, eo quod ſingula, quæ ad pęnitentiam ſpectant, jam intra opus noſtrum exſcripſerimus; quæ videre potes præſertim *lib. 4. c. 18. lib. 9. cap. 30.* & aliis locis. Itaque ſufficit nobis qualis ſit, & unde illum habuimus monuiſſe.

Pertinet nunc ille codex ad celeberrimam illam, & potentiſſimam Suecorum, & Gothorum reginam, Chriſtinam, quæ formidabilibus hoſtibus victis, & debellatis, regni ſui limitibus longè lateque ſubmotis, & fixis, totaque Europa, quacunque patet, ſui nominis gloria, & terrore concuſſa, paceque tandem glorioſiſſimè, & cum triumphantis majeſtate compoſita, ſeſe non dedit mollibus deliciis, nec animum fœmineo corrupit luxu, ſed pectus heroico perfuſa ſpiritu, Philoſophiam, arteſque liberales omnigenas ſtudioſiſſimè colit, earum Antiſtites magnis propoſitis præmiis ad ſe evocat, diſſerentes attentè, & humaniſſimè audit, familiariter interrogat, & cum iis colloquitur, regia munificentia fovet, & honeſtat, ut populos, quibus jugum fortiter impoſuit, ſapienter regere diſcat, animoſque eorum ad ſe non modò ſui amore, ſed etiam admiratione convertat, & rapiat. Mira ſunt, & propè incredibilia, quæ de hac Heroide certa fama his in regionibus vulgò feruntur. Ea ſanè ſunt ejuſmodi, ut iis, quæ antiquæ hiſtoriæ de fabuloſis Heroinis, & Deabus narrant, fidem conciliare, & miraculum detrahere poſſint: Quippe cum eadem, aut etiam majora in arctoa iſta regina ſplendeant. Regina hæc eruditione non minus quàm fortitudine admiranda, Bibliothecam copioſiſſimam, & codicibus antiquis inſtructiſſimam, regali luxu, & magnificentia diligentiſſimè adornat. Qua ſolicitudine, & anxietate, quibus ſumptibus cæteræ Reginæ curant omnis generis gemmas, & margaritas in remotiſſimis orbis regionibus inveſtigari, & ſibi comparari, ut corpus his aſtris variatum, & conſpicuum belliſſimè emicet: Iiſdem eruditiſſima hæc regina per domeſticos ſuos, viros doctiſſimos, in remotiſſimis à ſe regionibus omnis generis libros maximis ſumptibus conquiri, & ſibi comparari curat, ut animus ſtudiis Philoſophicis decoratus, ſcientiarumque omnium luminibus, & gratiis ſplendidus in ſolis morem fulgeat, & coruſcet. Antiquiſſimus igitur noſter codex unà cum innumeris aliis hac occaſione Pariſiis Stockolmium deportatus eſt. Quædam etiam antiquiſſima canonum collectio, cujus aliquando mentionem fecimus, eandem ſubiit fortunam. Hos codices ſi ſemel replicaverit, Catholicorum rituum ipſius animo ſtatim effulgebit Apoſtolica antiquitas, & veneranda majeſtas.

In Roberti Pulli Cardinalis librum ſententiarum manuſcriptum Adnotatio.

MAnuſcriptus ille pertinet ad Abbatiam S. Germani in ſuburbio Pariſienſi. Integer eſt, & egregiè ſcriptus eodem ſeculo, quo cum autor ſcripſit, ante ſcilicet 450. Auctor erat Hugoni, Richardo, Victorinis, & S. Bernardo æqualis, aut ſenior. Ciaconius ſcribit à Cæleſtino ſecundo Pontifice creatum fuiſſe Cardinalem anno 1144. & à Lucio II. Eccleſiæ Romanæ Cancellarium: Natione dicit Anglum fuiſſe, & libros multos compoſuiſſe. Titulus iſtius, quem citamus, hic eſt, *Incipiunt ſententiæ Magiſtri Roberti Pulli S. R. Eccleſiæ Cardinalis, & Cancellarii.* Diviſus eſt in octo partes, ſive libros, & unaquæque pars in varia capitula. Probabile mihi eſt eundem eſſe, quem Ciaconius Pœnitentiarium vocat, in octo libros diſtinctum: Pœnitentiarum ſcripſit, pro ſententiarum. Nihil habemus ex eò referendum, quàm quæ retulimus præſertim *lib. 1. cap. 8.*

Citamus prætereà Epiſtolam Lanfranci Cantuarienſis Archiepiſcopi manuſcriptam *lib. 7. cap. 12. ſect. 9.* Sed poſteà Lanfranci Epiſtolæ cum aliis ejus operibus Pariſiis editæ ſunt, inter quas iſta eſt duodecima. Itaque unde noſtram accepimus, nihil amplius attinet dicere.

In duos antiquos codices Toloſanos Adnotatio.

COmmemoravimus aliquando duo diverſa Pontificalia, ſeu Sacramentaria Toloſana. Sic ea nuncupavimus, eo quòd eruditiſſimus, & antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimus D. de Montchal Toloſanus Archiepiſcopus Toloſa Pariſios ea miſerit, atque ut nobiſcum communicarentur, mandaverit. Alterum recens erat, trecentos annos, aut paulò plures vix excedens, egregiè exaratum, atque ut hodiernum Pontificale Romanum in tres partes diſtinctum. In Litaniis invocantur Sancti, Bernardus, Franciſcus, & Dominicus. Ex iiſdem prætereà Litaniis colligi videtur in Aquitania, & Gallia Narbonenſi, & in iſtarum regionum uſum, ſcriptum fuiſſe. Initio tertiæ partis habetur Ordo feriæ 4. in capite jejuniorum. Omnia ſimilia Pontificali Romano, & eadem prope verba. Id feria quoque quinta in Cœna Domini, omnia eadem initio, ut in Pontificali Romano. Reconciliantur Pœnitentes, quibus ab Eccleſia ſolemnem agere pœnitentiam injunctum eſt, qui in capite jejuniorum de ipſa ejecti fuerunt. Poſteà ſequuntur in Toloſano quod abeſt in Pontificali Romano. Ait enim Papa Innocentius, de pœnitentibus qui ſive ex gravioribus, ſive ex levioribus commiſſis pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat, &c. uſque ad, abſque communione diſcedat. Vigilius quoque Papa ait, pęnitentium reconciliatio fit, non per illam manuum impoſitionem, quæ invocationem Sancti Spiritus operatur; ſed per illam quæ dignos pęnitentiæ fructus acquirit, & ſanctæ communionis reſtitutione perficitur.

Sanè in quibuſdam Eccleſiis pęnitentibus manè juſſu Epiſcopi ante fores Eccleſię exterius humiliter conſtitutis, unus Sacerdos in aliquo altari, eiſdem foribus proximiori celebrat Miſſam, cujus introitus eſt, Miſereris omnium, &c. Expleta, mox Sacerdos, quibus impoſitum eſt Pœnitentium Confeſſiones audire, audiant illas, vel in Eccleſia, vel in alio loco ad hoc deputato: Et etiam qualiter in tranſacta quadrageſima ſe geſſerunt; qualiterve injunctas ſibi Pœnitentias obſervaverunt, diligenter inquiratur. Et vocata fideliter referant nomina, & annos Pœnitentiæ, ac delicta, & circumſtantias ſingulorum; ut ſic cùm hora requiſitionis advenerit, quid de ſingulis Pontificalis cenſeat authoritas, clareſcat, ut univerſorum cauſas liberius, & expeditius diſcernere poſſit. Auditis itaque confeſſionibus Epiſcopus ante horam ſextam examinat cum ſacerdotibus ipſis diligenter, qui digni ſunt reconciliari, qui non: deinde paratus cum amictu, Alba, &c. omnia ſequuntur ut in Pontificali Romano typis impreſſo: Omnia quoque verba eadem, uno fortaſſe, aut altero permutato. Super orationem, quæ præcedit præfationem in Toloſano eſt titulus, *Abſolutio*: in Romano hic titulus cæteris illibatis abeſt. Septem orationes utrobique eædem, & eodem ordine, ut & cætera omnia. Sed in Romano ſuper poſtremam titulus eſt, Abſolutio; in Toloſano ut & ſuper alias, Oratio.

Alterum Sacramentarium eſt valde antiquum, ſaltem ante 750. in Gallia exaratum videtur, Sacramentarium iſtud, vel potius ordo divinorum officiorum (aliquando enim de nonnullis refert ſed ad librum Sacramentorum, deinde officia plura

continet quàm Sacramentorum libri) non videtur integer, ſed pars altera, quæ officia Eccleſiaſtica tantùm continet à quadrageſima uſque octavas Paſchæ, & poſteà pauculas tantùm benedictiones, & quaſdam alias Miſſas, cum longa fidei Catholicæ profeſſione. Scriptus videtur poſt Nicolai. I. Pontificis obitum, Refert enim paulò poſt initium officii Feriæ 5. in cœna Domini reſponſum Nicolai ad Rodolphum Bituricenſem Archiepiſcopum. Non aberrabit fortè, qui dixerit, regnante Ludovico Balbo ſcriptum fuiſſe. Nam in officio feriæ ſextæ ante Paſcha invitantur omnes fideles, ut orent pro Chriſtianiſſimo Rege noſtro; Deinde oratio eſt, pro imperio Romano. Erat enim vel imperator, vel ad imperium publicè à Pontifice deſtinatus. Et in officio Sabbati ſancti, poſt baptizatos infantes dicuntur Litaniæ in quibus pro regalis prolis converſatione oratur. Tres autem filios genuit Ludovicus, quorum duo adoleſcentes erant, cùm regni ſceptra capeſſivit.

Obiter notabit Lector, cùm ſcribebatur hic codex, Gelaſianum Sacramentarium, ſive ordinem divinorum officiorum, nondum planè obſoletum fuiſſe in Gallia. Ita enim legitur in officio Sabbati cum duodecim lectiones legendæ ſunt. *Sequuntur lectionem ſecundùm Gelaſium. Oratio antequam legatur prima lectio, illicò poſt benedictionem.* Deſcriptis duodecim lectionibus ſecundùm Gelaſium, ſequitur Rubrica, *Item lectiones ſecundùm Gregorium; Lectio prima in Geneſi: In principio creavit Deus. Oratio. Deus qui mirabiliter creaſti hominem, & reliqua, ut ſupra ſecundùm Gelaſium.*

Gelaſium autem Pontificem edidiſſe Sacramentorum librum teſtatur Pontificale Damaſi in illius vita: *Fecit etiam & Sacramentorum præfationes, & orationes cauto ſermone;* Joannes Diaconus in vita S. Gregorii *lib. 2. cap. 17.* ſcribit S. Gregorium Gelaſii codicem reformaſſe, & correxiſſe, *Sed & Gelaſianum codicem de Miſſarum ſolemniis multa ſubtrahens pauca convertens, nonnulla adjiciens pro exponendis Evangelicis lectionibus in unius libri volumine coarctavit.* Refert Pamelius præfatione in primum tomum Liturgicon Indicem Bibliothecæ Eccleſiæ Metropolitanæ S. Petri Colonienſis recenſere Gelaſianum Miſſarum codicem, ſed nunc in ea non ampliùs reperiri. Gelaſianus codex procul dubio mihi videtur illem, quem ſupra Petavianum à poſſeſſore vocavimus.

In eo antiquo codice hoc eſt ſpeciale, & in hac cauſa eximium, quod præ ſingulis aliis codicibus, quos vidimus ſigillatim ritus, vel minutulos deſcribit quibus pœnitentia privatim, & publicè imponitur; quibus etiam reconciliatio ſolemnitet, & privatim conceditur. Ideò licèt iſta diffusè referantur, ea tamen integrè exſcribemus, ut uno conſpectu, velut in tabella depictum lector ſpectet tam publicum quàm privatum illorum ſeculorum Pœnitentiæ adminiſtrandæ morem. Pœnas autem peccatis debitas nollas ſigillatim enuntiat, contentus generaliter dixiſſe, Confeſſum oportere judicium Sacerdotis humiliter, & reverenter expectare, Deumque inſtantiſſimè deprecari, ut Sacerdotis ſententiam humiliter, diligenter, & ſincerè exequatur. Specialis enim iſtarum pœnarum æſtimatio, & aſſignatio ad Pœnitentiales libros pertinet, ut ex ſe manifeſtum eſt, non ad Sacramentorum, & divinorum officiorum Ordines.

Neque verò tibi ſcrupulum iniiciat Confeſſio illa generalis omnium prope peccatorum ſigillatim enuntiatorum in Confeſſione privata, cùm certum ſit, nullum hominem inveniri, qui hæc omnia perpetraverit. Hæc enim peccatorum enuntiatio, quanquam abſoluta ſit, æquivalet hypotheticæ, hoc eſt, ſi feciſti hoc, tot annos pœniteas, ut videre eſt apud Burchardum, & pleroſque alios Itaque cùm dicit, peccavi in adulteriis, quæ, & ipſe feci, & aliis facientibus conſenſi; idem eſt ac ſi interrogaret, ſi commiſiſti adulterium, & ſic pœnitentiam agas. Sed brevitatis cauſa ſublata hypotheſi, & pœnæ æſtimatione, omnia peccatorum genera in faſce, & abſolutè congeſta ſunt. Confeſſionis iſtius generalis finis, & ſcopus ex innumeris aliis conſimilibus eſt interpretandus. Deinde quæ finita hac Confeſſione ſtatim adduntur, hanc interpretationem neceſſariò poſtulant. *Deinde jubeat eum Sacerdos ſurgere, & cum ſteterit ſuper pedes ſuos cum timore, & humilitate præſtoletur judicium Sacerdotis, & indicat ei Sacerdos abſtinentiam, ſive obſervantiam; perpendens ſubtiliter perſonæ qualitatem, modum culpæ, intentionem animi, & corporis valetudinem, vel imbecillitatem.* Et paulò ante interrogato Pœnitente an vellet peccata dimittere omnibus, qui ipſum offenderant, & eo pollicente ſubjunxerat: *Confiteatur omnia peccata ſua, quæ recordari poteſt.* Vel cæcis manifeſtum eſt ſententiam ejuſmodi non conſideratis, & examinatis ſingulorum criminum circumſtantiis nullomodo proferri poſſe. Neceſſariò igitur

Pronuntiatio illa generalis, & abſoluta hypotheſim, quam explicavimus, quæque omnibus Pœnitentialibus illorum ſeculorum communis erat, ſupponit, & ſenſu complectitur. Similis prorſus Confeſſio legitur in ordine Romano edito in ordine feriæ quartæ, in capite jejunii. Similiter quoque ante, & poſt Confeſſionem illam ea pluribus verbis addit, quæ Confeſſionem ſigillatim omnium peccatorum faciendam eſſe neceſſariò demonſtrant. Nonnulla alia Confeſſionis generalis exempla ex aliis antiquis codicibus refert Hugo Menardus in notis ad Gregorii Sacramentarium, & multas jam vidimus ſupra ab Egberto in Pœnitentiali ſuo allatas, quarum omnium eadem ratio. Illarum edendarum duæ prætereà rationes reddi poſſunt. Prior, ut Confeſſuro eſſent Confeſſionis edendæ velut exemplar, norma, & Archetypum, ſive etiam ὑπομνηματικὸν σύγγραμμα memoriale. Unde tunc idem erat earum uſus, qui nunc libellorum in mulierum, & idiotarum gratiam editorum, quos ſpecula Confeſſionis vulgo vocare ſolemus. Poſterior, videri poteſt neceſſarius illius uſus, quo Pœnitens edita ſingulorum peccatorum, quorum reminiſcitur, ſpeciali Confeſſione, generaliter poſteà profiteatur ſe coram Deo peccatorem, plurimaque alia ſe impiè perpetraſſe, aut ut perpetrarentur ſe occaſionem dediſſe, quorum nec recordatur, nec recordari poteſt. Itaque Confeſſio illa generalis ſpeciali præpoſita, ſive poſtpoſita, nihil aliud eſt quàm Confeſſionis ſpecialis perfectio, & complementum, quam etiam omnes propè qui nunc confitentur, Confeſſioni ſpeciali editæ quàm breviſſimè poſtponere ſolent.

Autor antiquus libellorum de Viſitatione Infirmorum inter opera S. Auguſtini, *lib. 2. cap. 4.* ſeverè reprehendit eos, qui hoc modo tantùm confitebantur, ſimulque duo docet, & qua ratione in aſtutia ſua intercipi poſſunt; & qua ratione legitimè quis iſta Confeſſione uti poteſt. *Neque quidem ſicut quidam faciunt cum quadam calliditate alloquaris Presbyterum, quoniam talis allocutio tui ipſius foret deceptio. Accedunt ſiquidem deceptioſi ad Sacerdotes, ita eis præſentibus confitentes: Ego peccator, Domine Sacerdos, peccavi, perjurando, adulterando, fornicando, hominem occidendo, mentiendo, ſacrilegium committendo, furando, rapiendo. Hæc omnia commiſi mea culpa, vel voluntate, &c. Ut ſit idem in eodem peccatum denudaſſe, & denudatum obumbraſſe, de quo Sacerdos tunc incertior redit, cum certa incertè audierit.* Poſteà docet, qua ratione Pœnitentem hunc decipere volentem intercipere poſſit, *O quàm benè, & juſtè hujuſmodi verſutiis Sacerdos ille conſuleret, ſi his omnibus, quæ audivit, judicium ſuum opponeret, & quaſi Reum de omnibus competenti correctione mulctaret.* Quando verò legitimè hanc generalem Confeſſionem edere poteſt? *Bona inordinatè diſpenſavit, & tunc non erat his locus: Et temperantior locus eſſet, quo generalem morbum Medico detegere debuiſſet, ſi prius vulnera, livores, plagas tumentes ſibi ſingillatim, prout gravius viſceribus inſtabant, eviſceraſſet.* Utilis igitur, ſed poſtquam ſingula peccata confeſſa ſunt. Nonnullas alias Confeſſionis generalis edendæ rationes in fine libri octavi proſecuti ſumus, quas adire potes. Nunc ſequitur Ordo pœnitentiæ imponendæ, ut in antiquo illo codice paucis ab initio foliis continetur.

Incipit Ordo, qualiter publicè, vel ſpecialiter agitur modus pœnitentiæ ſecundùm Cenſuram Eccleſiaſticam, qui quarta feria quinquageſimæ inchoatur.

PRæmonere debet omnis Sacerdos eos, qui ſibi confiteri ſolent, ut in capite jejunii, id eſt, feria quarta quinquageſimæ concurrere incipiant ad renovandam confeſſionem. Et tunc ſuſcepta ſecundum prolatam rationem confeſſione, indicat ſingulis congruam pœnitentiam, ſive obſervantiam uſque in cœnam Domini: Magnopere intimans illis in præſenti, ut tunc ad reconciliandum feſtinare nullatenus parvi pendant. Si verò intereſt cauſa, aut itineris, aut cujuslibet occupationis, aut ita fortè hebes eſt, ut ei hoc Sacerdos perſuadere nequeat, injungat ei tam quadrageſimalem, quàm & annualem pœnitentiam, & reconciliet eum ſtatim.

Cum autem acceſſerit Pœnitens ad Sacerdotem, ſi laicus eſt, dimiſſo baculo: quiſquis verò ille eſt, ſive laicus, ſive clericus, ſive monachus, ſuppliciter ſe inclinet ante Sacerdotem. Deinde jubeat eum Sacerdos ſedere, & interroget eum ita dicens, Credis in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum? Reſpondeat Pœnitens, credo. Credis, quia iſtæ tres perſonæ, quas modò dixi, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, unus Deus ſit? Reſpondeat, credo. Credis quia in hac ipſa carne, in qua nunc es, reſurgere habes, & recipere, ſive bonum ſive malum

Digitized by Google

prout geſſiſti? Reſpondeat, credo. Vis dimittere illis, qui in te peccaverunt, omnia peccata, ut & Deus dimittat tibi tua, ipſo dicente: Si non dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter cœleſtis dimittet vobis peccata veſtra. Si vult dimittere, ſuſcipiat ejus confeſſionem, & indicet ei Pœnitentiam. Si non vult, non ſuſcipiat ejus Confeſſionem. Volens verò dimittere omnia his, qui in ſe peccaverunt, confiteatur omnia peccata ſua, quæ recordari poteſt. Quòd ſi literas ſcit, jubeat eum Sacerdos hanc Confeſſionem, quæ inferius ſcripta eſt, intenta mente legere. Si verò non ſcit literas, legat illam Sacerdos ipſe, & faciat pœnitentem proſequendo repetere, quæ à ſe per ſingulas diſtinctiones pronuntiata fuerint.

Confeſſio pura coram Deo, & Angelis, & coram omnibus Sanctis.

Confiteor tibi, Domine, Pater cœli, & terræ, tibique benigniſſime Jeſu, una cum Spiritu S. coram ſanctis Angelis, & coram omnibus Sanctis tuis, & coram præſenti altari, ac adſtante Sacerdote tuo, quia in peccatis conceptus, in peccatis natus, in peccatis nutritus, & in peccatis poſt baptiſma omni tempore vitæ meæ uſque ad hanc horam ſuam converſatus. Confiteor etiam quia peccavi nimis in ſuperbia tam viſibili quàm inviſibili; in inani gloria, in invidia, in ira, in triſtitia, in avaritia tam honoris quàm pecuniæ, in ventris ingluvie, in luxuria, & in cæteris quæcumque ex his ſeptem principalibus vitiis oriuntur: Scilicet in inobedientia, in odio, in acedia, in jactantia, in hypocriſi, in contentionibus, in pertinaciis, in diſcordiis, & in novitatus præſumptionibus, in ſuſurrationibus, in detractionibus, in exultatione, in adverſis proximi, in afflictione, in proſperis ejus, in rixis, in tumore mentis, in contumeliis, in clamoribus, in indignationibus, in blaſphemiis, in malitia, in rancore, in puſillanimitate, in deſperatione, in torpore circa præcepta, in vagatione mentis, in proditione, in fraude, in fallacia, in perjurio, in inquietudine, in violentia, in obduratione cordis, in inepta lætitia, in ſcurrilitate, in omni immunditia, in hebetudine ſenſus, in cæcitate mentis, in inconſideratione, in inconſtantia, in præcipitatione, in amore mei, in odio autem Dei, in præſentis affectu ſeculi, horrore autem, vel deſperatione futuri, in extollentia tam oculorum quàm veſtium, & omnium actuum meorum: In commeſſationibus, in ebrietatibus, in fabulis otioſis, in oſculis, & amplexibus, in femoribus, in genitalibus meis, & in omni genere fornicationis: in adulteriis, quæ & ipſe feci, & aliis facientibus conſenſi, & in quibus alios ad conſentiendum, & perpetrandum inlexi, & perſuadendum coegi; in multiplicitate, & in omni genere, ſeu enormitate omnimoda, abominandiſſimæ, & ſceleratiſſimæ immunditiæ, criminis Sodomitici, in omni immunditia, pollutione, & contagione, ſeu effuſione ſeminis, vel libidinis Deo diſplicentis: In ſacrilegiis diverſis, & multimodis perjuriis, in furtis, in rapinis, in homicidiis, etſi non corporaliter actis, tamen animo præoptatis. In fide, ſpe, & charitate; in accipiendo corpus, & ſanguinem Domini ſemper indignè; in exhortationibus, & adulationibus malignis, in ignorantia, in negligentia, in ſubreptionibus, in dandis, & accipiendis muneribus, & uſuris, in appetendis prælationibus, in diſpenſandis, & diſtrahendis malè rebus Eccleſiaſticis, in ſubtrahendis eleemoſynis, in pauperibus exaſperandis, in hoſpitalitatibus, & receptionibus pauperum, in deſpectione propinquorum, in oppreſſione pauperum, in afflictione populi mihi commiſſi, non viſitando etiam infirmos ſecundùm Evangelicum præceptum, & in carcere poſitos, non ſepeliendo mortuos, non veſtiendo pauperes, non recreando eſurientes, non potando ſitientes, non dimittendo in me peccantibus, non orando pro perſequentibus, & calumniantibus; ſolemnitatibus Sanctorum, & Dominicis ac Feſtis diebus debitum honorem non impendendo, nec ſobriè ac caſtè in eis vivendo, conſentiendo ſuadentibus mihi in malo, nocendo potius quam adjuvando petentes, clamores pauperum non libenter, nec miſericorditer audiendo: Propinquis, nec non & Principibus, ac ſubditis detrahendo, & blaſphemando, amicis, & benefactoribus meis fidem non ſervando, animalium, & pecudum, ſive avium concubitus conſcientia immunda intuendo, in Eccleſiam Dei ſuperbè intrando, ſtando, ſedendo, & egrediendo, & otioſis fabulis, ac turpibus colloquiis in ea cum aliis inſiſtendo, vaſa ſancta, & miniſterium ſanctum polluto corde, & manibus immundis tangendo: Orationem, & pſalmodiam, atque officium divinum negligenter in Eccleſia faciendo, & audiendo. Sæpe etiam, immò omni die, & nocte de toto penitus permittendo, in cogitationibus etiam peſſimis, in meditationibus perverſis, in ſuſpicionibus falſis, in judiciis temerariis, in conſenſu malo, & conſilio iniquo, in concupiſcentia carnali, & delectatione, ac pollutione immunda, in verbis otioſis, ſuperfluis, luxurioſis, atque contumelioſis, in mendaciis, in falſitatibus, in juramentis multimodis, & diverſis, in detractionibus aſſiduis, in rixis, ac diſcordiis diſſeminandis, in irriſionibus, in otioſitate, in contentione, in æmulatione, in doloſitate, in malignitate, in ſuſurratione, in inani lætitia, in omni malo linguæ, in murmurationibus, in blaſphemiis, in ſcurrilitatibus, in cachinnis, in ſomnolentiis, in maledictis, in convitiis, in turpiloquiis, in ſtultiloquiis, in inſultationibus, in diſſimulatione, in vigiliis Deo contrariis, in tranſgreſſione omnium præceptorum Dei, in omni negligentia totius propoſiti mei, in dilectione Dei, & proximi, in viſu, auditu, guſtu, odoratu, & tactu ſuperfluo, & immundo, & omnimodis, cogitatione, locutione, voluntate, & actione perditus ſum. Quoniam in his, & in aliis omnibus vitiis, in quibuſcumque humana fragilitas contra Deum, & Creatorem ſuum, aut cogitando, aut loquendo, aut operando, aut delectando, aut concupiſcendo, aut alio quolibet modo peccare poteſt, in omnibus me peccaſſe, & Reum in conſpectu Dei ſuper omnes homines eſſe & cognoſco, & confiteor. Ideòque precor vos omnes Angelos, cunctoſque Sanctos Dei, & te, venerande Sacerdos Dei, in quorum conſpectu hæc omnia confeſſus ſum, ut teſtes mihi ſitis in die judicii contra diabolum hoſtem, inimicum humani generis, hæc omnia me confeſſum fuiſſe: Obnixè etiam te, Sacerdos Dei, expoſco, ut intercedas pro me, & pro peccatis meis ad Dominum Deum noſtrum, quatenus de his, & de aliis omnibus ſceleribus meis veniam, & indulgentiam per merita, & interceſſionem omnium Sanctorum à pio Domino conſequi merear.

His perlectis, reſpondeatur illi à Sacerdote.

Miſereatur noſtri, frater, omnipotens Deus, quia graviter peccavimus in conſpectu ejus, & per interceſſionem omnium Sanctorum ſuorum indulgentiam nobis omnium peccatorum tribuat: Cor mundum in nobis creet, & Spiritum Rectum in viſceribus noſtris innovet, ſpirituque principali nos confirmet, atque ab omnibus inſidiis Diaboli, ac vitiis emundet, & omnibus diebus vitæ noſtræ opus in nobis bonum perficiat. Miſericordiam, & gratiam ſuam ipſe nos ſemper & præveniens, & ſubſequens nobis concedat: fide, ſpe, & charitate nos repleat, ac mentem noſtram ad deſideria cœleſtia erigat, ab omni adverſitate nos defendat, atque ad bonam perſeverantiam perducat, ut gaudiorum cœleſtium cum ſanctis omnibus mereamur eſſe participes in vita æterna. Amen.

Poſt hæc ipſe Pœnitens fixis genibus in terram, reſpicienſque Sacerdotem, iterùm dicat: Multa quidem, & innumerabilia ſunt alia peccata mea, quorum reminiſci nequeo in factis, in dictis, & cogitationibus. Super quibus conſilium, immò judicium tuum ſupplex optando, & deprecando præſtolor; & ut pro eiſdem peccatis meis non modò tantùm, ſed indeſinenter interceſſor exiſtas, humiliter imploro, quatenus judicio tuo cum ſuperno adjutorio liberatus, atque munitus, oratione præterea & defenſus, accuſantem me diabolum in tremendo Dei judicio ſpernere, & evadere poſſim.

Quo dicto totum ſe in terram proſternat, & gemitus, & ſuſpiria, vel lachrymas, prout Dominus dederit, ab intimo corde producat. Sacerdos verò patiatur tantiſper eum jacere proſtratum, juxta quod viderit eum divina inſpiratio compunctum. Deinde jubeat eum Sacerdos ſurgere, & cùm ſteterit ſuper pedes ſuos cum timore, & humilitate præſtoletur judicium Sacerdotis. Et indicat ei Sacerdos abſtinentiam, ſive obſervantiam, perpendens ſubtiliter perſonæ qualitatem, modum culpæ, intentionem animi, & corporis valetudinem, vel imbecillitatem.

Percepta ſententia Sacerdotis, iterùm proſternat ſe pœnitens pedibus illius petens pro ſe orationem fieri, ut ſuggerat ei divina viſitatio virtutem conſtanter obſervandi quæ ei injuncta ſunt: Et ita reverenter Sacerdotis judicio obtemperare, ac ſi ab ipſius divinæ majeſtatis ore opportuna ſalutis ſuæ medicamenta ſuſciperet. Poſthæc Sacerdos inſtruat eum, & doceat, qualiter vitia humanum genus decipiant, & quæ medela remediorum unicuique vitio obſiſtat, ex hac ſubjecta lectione tenorem, & ſeriem vitiorum eorundem, atque ipſorum remediorum percurrens.

De ſuperbia.

Primum vitium hominis ſuperbia eſt, dicente ſcriptura, initium omnis peccati ſuperbia. De hac autem virulenta radice ſeptem

tem nimirum principalia vitia proferuntur, ſcilicet inanis gloria, invidia; ira, triſtitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Nam quia his ſeptem ſuperbiæ vitiis nos captos doluit, idcircò redemptor noſter ad ſpiritale liberationis prælium ſpiritus ſeptiformis gratiæ plenus venit. Sed habent contrarios hæc ſingula exercitum ſuum. Nam de inani gloria, inobedientiæ, jactantia, hypocriſis, contentiones, pertinaciæ, diſcordiæ, & novitatum præſumptiones oriuntur. Vincitur autem ſuperbia per humilitatem virtutem omnium matrem, penituſque conteritur, quemadmodum ſcriptura teſtatur, Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur, Et, gloriam præcedit humilitas. Et iterum, ad quem reſpiciam, niſi ad humilem, & quietum, & trementem ſermones meos; Et Deus humilia reſpicit. Dicatur ergo humilibus, quia dum ſe dejiciunt, ad Dei ſimilitudinem aſcendunt. Et quid humilitate ſublimius? quæ dum ſe in ima deprimit, auctori ſuo manenti ſuper ſumma ſe conjungit. Eſt tamen aliud quod ab humilibus cautè debeat penſari. Quia ſæpè quidam humilitatis decipiuntur ſpecie, quidam elationis ſuæ ignorantia falluntur. Idcirco oportet omnes ſollicitos eſſe, ut maculæ ſuperbiæ imbribus lachrymarum deleantur: Et contritio cordis, & humilis ſpiritus omnem ſomitem vitiorum excludat, & qui proximis læſionem intulit, veniæ ſatisfactione reconcilietur. Rapinam pauperum miſericordiæ largitatis diluat; eiſque quibus injuſtè abſtulit, ſi quid poteſt, miſericorditer reddat, & inſuper eleemoſynarum fructus minimè negligat, aliiſque bonis operibus vitam ſuam corrigendo Dei miſericordiam ſtudioſè perquirat, ſicut ſcriptum eſt, miſerere animæ tuæ placens Deo. Idcircò menſuram in agenda Pœnitentia pro unoquoque crimine non præfigunt canones, ſed magis in arbitrio Sacerdotis relinquendum ſtatuunt. Quia apud Deum non tam valet menſura temporis, quàm doloris, nec abſtinentia tantum ciborum, quàm mortificatio vitiorum.

Poſteà ſubjungit admonitiones faciendas unicuique ex ſeptem illis vitiis principalibus, quæ ex ſuperbia velut ex radice pullulare docet, ut Sacerdos inſtruatur, qua ratione Pœnitentes admonere poſſit, & vitiorum odium, virtutiſque amorem in eorum animis ingenerare. Finitis his ſalubribus, & profuſis aliquando admonitionibus, ſequitur.

Poſtquam Sacerdos taliter ſibi confeſſum tam de his, quàm de cæteris vitiis humano generi pro tranſgreſſione primi hominis miſerabiliter dominantibus diligenter inſtruxerit, ſubjungat breviter illi, quæ in ſubter collecta lectione continentur. Quia ſeptem principalia vitia regnante ſuper ſe ſuperbia, tantam de ſe vitiorum multitudinem proferunt, quæ ſuperius comprehenſa eſt, cùm ad cor veniunt, quaſi ſubſequentis exercitus catervas trahunt. Ex quibus videlicet ſeptem, quinque ſpiritalia, duoque carnalia ſunt. Sed unumquodque eorum tanta ſibi cognatione jungitur, ut nonniſi unum de altero proferatur. Primamque ſuperbiæ ſoboles inanis gloria eſt, quæ dum oppreſſam mentem corruperit, mox invidiam gignit, quia nimirum dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipiſci valeat, tabeſcit. Invidia quoque iram generat: Quia quanto interno livoris vulnere animus ſauciatur, tanto etiam manſuetudo tranquillitatis amittitur. Et quia quaſi dolens membrum tangitur, idcircò oppoſitæ actionis manus velut gravius preſſa ſentitur. Ex ira quoque triſtitia oritur, quia turbata mens, quò inordinatè ſe concutit, eo addicendo confundit, & dum dulcedinem tranquillitatis amiſerit, nihil hanc niſi ex perturbatione ſubſequens mœror paſcit. Triſtitia quoque ad avaritiam derivatur, quia dum confuſum cor, bonum lætitiæ in ſemetipſo intus amiſerit, unde conſolari debeat, foris quærit; & tanto magis exteriora bona adipiſci deſiderat, quanto gaudium non habet, ad quod intrinſecus recurrat. Poſt hæc verò duo carnalia vitia, id eſt, ventris ingluvies, & luxuria ſuperſunt. Sed cunctis liquet, quòd de ventris ingluvie luxuria naſcitur, dum in ipſa diſtributione membrorum ventri genitalia ſubnixa videantur. Unde dum unum inordinatè reficitur, aliud procul dubio ad contumelias excitatur. Bene autem duces exhortari dicti ſunt, exercitus ululare, quia prima vitia deceptæ mentis quaſi ſub quadam ratione ſe inſerunt. Sed innumeræ, quæ ſequuntur, dum hanc omnem inſaniam pertrahunt, quaſi beſtiali clamore confundunt. Inaniſque namque gloria devictum cor quaſi ex ratione ſolet exhortari, cùm dicit, debes majora appetere, ut quo poteſtate valueris multos excedere, eò etiam valeas & pluribus prodeſſe. Invidia quoque devictum cor quaſi ex ratione ſolet exhortari, quum dicit. In quo illo, vel illo minor es? Cur ergo eis vel æqualis, vel ſuperior non es? Quanta vales, quæ ipſi non valeant? Non ergo tibi, aut ſuperiores eſſe, aut etiam æquales debent. Ita etiam devictum cor quaſi ex ratione ſolet exhortari, cùm dicit; Quæ erga te aguntur, æquanimiter ferri non poſſunt. Hæc immò patienter tolerare peccatum eſt. Quia, & ſi non eis cum magna exaſperatione reſiſtitur, contra te deinceps ſine menſura cumulantur. Triſtitia quoque devictum cor quaſi ex ratione ſolet exhortari, quum dicit, Quid habes, unde gaudeas, cùm tanta mala, de proximis portas? Perpende cum quo mœrore omnes intuendi ſunt, qui in tanto contra te amaritudinis felle vertuntur. Avaritia quoque devictum animum quaſi ex ratione ſolet exhortari, cum dicit: Valdè ſine culpa eſt, quod quædam habenda concupiſcis, quia non multiplicari appetis, ſed egere pertimeſcis, & quòd malè alius retinet, ipſe melius expendis. Ventris quoque ingluvies devictum cor quaſi ex ratione ſolet exhortari, cùm dicit: Ad eſum Deus munda omnia condidit, & qui ſatiari cibo reſpuit, quid aliud quàm muneri conceſſo contradicit? luxuria quoque devictum cor quaſi ex ratione ſolet exhortari, cùm dicit, cur te in voluptate tua non dilatas, cum quid te ſequatur ignoras. Acceptum tempus in deſideriis perdere non debes, quia quàm citius pertranſeat, neſcis. Si enim miſceri Deus hominem in voluptate coitus noluiſſet, in ipſo humani generis exordio maſculum, & fœminam non feciſſet. Hæc eſt ducum exhortatio, quæ dum incautè ad ſecretum cordis admittitur, familiarius iniqua perſuadet: quum videlicet exercitus ululans ſequitur, quia infelix anima ſemel principalibus vitiis capta, dum multiplicatis iniquitatibus in inſaniam vertitur, feral jam immanitate vaſtatur.

His ita peractis Sacerdos dicat ſuper eum has orationes: Domine Deus omnipotens, propitius eſto mihi peccatori, ut condignè poſſim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam miſericordiam miniſtrum feciſti Sacerdotalis officii, & me exiguum humilemque mediatorem conſtituiſti ad orandum, & intercedendum ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pro peccantibus, & ad Pœnitentiam revertentibus. Ideoque Dominator, Domine, qui omnes homines vis ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Qui non vis mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat, ſuſcipe orationem meam, quam fundo ante conſpectum clementiæ tuæ, pro famulis, & famulabus tuis, qui ad Pœnitentiam venerunt. Per eundem.

Alia Oratio.

Exaudi, Domine, preces noſtras, & tibi confitentium parce peccatis, ut quos conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſolvat. Per Dominum. *Alia.*

Adſit, quæſumus, Domine, huic famulo tuo inſpiratio gratiæ ſalutaris, quæ cor ejus fletuum ubertate reſolvat, ſicque ſe macerando conficiat, ut iracundiæ tuæ motus idonea ſatisfactione compeſcat. Per Dominum. *Alia.*

Quæſumus, Domine, huic famulo tuo continuam purgationis ſuæ obſervantiam pœnitendo gerere, & ut hoc efficaciter implere valeat, gratia cum tuæ viſitationis & præveniat, & ſubſequatur. Per Dominum. *Alia.*

Præveniat nunc famulum tuum, &c. *Alia.*

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, &c. *Alia.*

Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris, ſed ſatisfactione placaris, &c.

Habentur iſtæ tres orationes in ordine Romano edito, ſequitur in manuſcripto.

Quibus dictis jubeat Sacerdos Pœnitentem ſurgere de terra, ſed & ipſe ſurgat de ſedili ſuo, & ſi loco, & tempore congruit, ingreſſi in Eccleſiam, & ſuper genua, vel cubitos uterque innixus, decantent ſeptem ſubjectos Pœnitentiæ pſalmos cum capitulis, & precibus ſibi connexis.

Domine, ne in furore tuo. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et preces. Domine, convertere, & eripe animam meam. Reſpice, & exaudi me, Domine. Illumina oculos meos. Ab occultis meis munda me, Domine. *Oratio.*

Exauditor omnium Deus exaudi noſtrorum fletuum ſupplicem vocem, & tribue infirmitatibus noſtris perpetem ſoſpitatem, ut dum dignanter gemitum noſtri laboris ſuſcipis, tua nos ſemper miſericordia conſoleris Per Dominum. *Pſalmus.*

Beati quorum. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et preces. Delicta juventutis meæ. Secundum miſericordiam tuam memento mei. Propter nomen tuum, Domine. Delictum meum cognitum tibi feci. *Oratio.*

Sancte Domine, qui remiſſis delictis beatitudinem tibi confeſſis tribuis, exaudi vota præſentis familiæ, & confractis peccati aculeis ſpiritali nos exultatione perfunde. Per Dominum.

Pſalmus.

Domine, ne in furore tuo. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et preces, Domine, ante te eſt omne deſiderium. Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem. Complaceat tibi, Domine, ut eruas me.

Oratio.

Emitte, Domine, ſalutare tuum in infirmitatibus noſtris, vulnerum, cicatricumque mortalium potentiſſime mediator, ut omnem gemitum, doloremque noſtrum coram te deplorantes, valeamus evincere inſultationes adverſantium vitiorum. Per Dominum. *Pſalmus.*

Miſerere mei Deus ſecundùm. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et preces. Domine, miſerere mei, ſana animam meam. Miſerere mei Deus, miſerere. Domine, averte faciem tuam à peccatis meis. Domine, ne memineris iniquitatum. Adjuva nos, Deus ſalutaris noſter. *Oratio.*

Perſolve miſerationes tuas nobis per ineffabile nomen tuum, ſancta Trinitas Deus, qui humani pectoris antrum emundatis vitiis ſuper candorem efficis nivis. Innova, quæſumus, in viſceribus noſtris ſanctum tuum ſpiritum, quo laudem tuam adnuntiare poſſimus, ut recto, principalique ſpiritu confirmati mereamur æternis ſedibus in Hieruſalem cœleſti componi, te præſtante, qui vivis, & regnas. *Pſalm.* Domine, exaudi orationem meam. Et clamor. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et preces. Deus, tu ſcis inſipientiam meam. In multitudine miſericordiæ tuæ exaudi. Exaudi me, Domine, quoniam benigna eſt. Et ne avertas faciem tuam à puero tuo. Intende animæ meæ, & libera eam.

Oratio.

Exorabilis, Domine, intende orationes ſupplicum tuorum, ut qui in peccatis detenti ſicut fœnum aruimus, reſpectu cœleſtis miſericordiæ ſublevemur. Per Dominum. *Pſalm.* De profundis. Pater noſter. Et preces. Domine, vide humilitatem meam, & laborem. Ne perdas cum impiis Deus. Redime me Deus Iſrael, ex omnibus. *Oratio.*

Intendant, quæſumus, Domine, pietatis tuæ aures in orationem ſupplicum, quia apud te eſt propitiatio peccatorum, ut non obſerves iniquitates noſtras, ſed impertias nobis miſericordias tuas. Per. *Pſalm.* Domine, exaudi orationem meam. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et preces. Adjutor meus eſto, Domine, ne derelinquas me. Deus, ne elongeris à me. Deus meus in auxilium. Domine, doce me facere voluntatem tuam. *Oratio.*

Deus, qui matutinam ſacræ reſurrectionis tuæ auditam feciſti jucunditatem, cùm ex inferno rediens repleſti terram gaudiis, quam reliqueras in obſcuris: Rogamus potentiæ tuæ ineffabilem majeſtatem, ut ſicut tunc catervam Apoſtolicam gaudere feciſti ſacra in anaſtaſi; ita etiam hanc Eccleſiam tuam miſericordiam expanſis manibus flagitantem, ſplendore cœleſtis jubaris illuſtrare digneris. Qui vivis, & regnas.

His expletis, inſtruat eum diligenter, ne dudum à ſe commiſſa ſcelera iterum repetens inſtar porcorum polluatur. Sed ſine ceſſatione pro ſui cuſtodia ponat ſibi ante oculos mentis, hinc culpas operis, illinc diſtrictionem extremæ animadverſionis, & ita eum dimittat à ſe.

Si verò cauſa Pœnitentis fuerit, ut ab Epiſcopo, vel ipſo jubente à Presbytero à liminibus Eccleſiæ arceri debeat, adducatur in Eccleſiam ante Epiſcopum, vel Presbyterum indutus cilicio: Atque peractis primùm omnibus, quæ ſupra taxato Pœnitentium ordine expreſſa ſunt, his verbis inſtruatur.

A Apoſtoli præceptum eſt, criminalibus obnoxios peccatis, & publicè his fœdari non timentes tradere Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini. Ideòque ſcire te convenit, quia qui publicè peccat, publica etiam ſatisfactione indulgentiam ſibi à Domino, jejuniis, lachrymis, ſuſpiriis, ciborum, ac potus abſtinentia, vigiliis quoque, omnique corporis maceratione poſtulare debet. Sed & Eleemoſynarum largitatibus, & miſericordiis pauperum juxta Prophetæ vocem, peccata, & iniquitates ſuas redimere. Sicut enim aqua extinguit ignem; ſic eleemoſyna peccatum, & non permittit animam ire in tenebras: Dominus quoque in Evangelio dicit: Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Scire etiam debes, quia qui multa illicita committit, ut veniam à Domino mereatur accipere, debet à licitis abſtinere: Hoc enim ad fructum dignum Pœnitentiæ pertinet. Nec ignorare debes, quia invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum, quæ primùm hominem à paradiſo expulit, per quem in hunc mundum peccatum introivit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt, & egent gloria Dei. Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Quia enim miſerabiliter pro peccato damnatus eſt homo, ideò mirabiliter pro redemptione noſtra incarnari dignatus eſt Deus homo. Primus homo de terra terrenus, vitiis nos, & peccatis ſubdidit: Secundus homo de cœlo cœleſtis ad noſtram liberationem veniens florere nos virtutibus fecit. Quem novum hominem, Chriſtum utique, juxta Apoſtolum induere debemus, depoſito priùs veteri cum actibus ſuis, hoc eſt, deponere veterem converſationem primi hominis vitiorum germine pullulantem, & induere ſecundi hominis innocentiam, virtutum ſplendore vernantem. Quæ ſit autem primi, ſeu veteris hominis converſatio ex ſuperiùs recitata tibi lectione audiſti. Cujus hominis primùm vitium ſuperbia eſt: De cujus virulenta radice, quæ, qualis, & quanta proferatur vitiorum enormitas; vel qualiter humanum genus pravis ſuggeſtionibus, & mortiferis delectationibus eadem vitia decipiant, pleniter tibi Eccleſiaſtica auctoritate demonſtratum eſt. Supereſt nunc tibi ut ſecundùm decreta ſanctorum Conciliorum, & ſtatuta venerabilium Patrum cenſuram Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſuſcipiens, libenter pro remedio animæ tuæ à cœtu, & cohabitatione fidelium, atque ab introitu Eccleſiæ antiquitus delegato ſequeſtreris tempore. Et quia his te obnoxium, quæ ſupra comprehenſa ſunt, & cognoſcis, & confiteris, ſolicitè tibi conſiderandum eſt, ne indultos tibi Pœnitentiæ dies inaniter, & ſine ſalutis perdas fructu. Sumus enim omnes natura filii iræ: & quicunque à Maſſa perditionis liberamur, per gratiam utique Dei ſalvamur. Non enim volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: Nam licèt ſine Pœnitentia ſint dona, & vocatio Dei, ipſo dicente, miſerebor cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit; nulli tamen medicamentum Pœnitentiæ negligendum eſt, ſed omnibus ſummopere nitendum eſt, cum Dei adjutorio, ſine quo nihil boni facere poſſumus, excubiis ejus ſalubriter inſiſtere, juxta quod ipſe ait in Evangelio, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Pœnitentiam verò dignè agere eſt, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam, qui ſic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc Pœnitentiam agere, aut ignorat, aut diſſimulat. Quid enim prodeſt ſi peccata quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc avaritiæ æſtibus anhelat? Aut quid prodeſt ſi iræ culpas jam lugeat, & tamen adhuc invidiæ facibus tabeſcat? Qui ergo plangit vitium, perpetrare vitia pertimeſcat. Sed & hoc ſummopere attendendum eſt, ut qui ſe illicita meminit commiſiſſe, à quibuſdam etiam licitis ſtudeat abſtinere, quatenus per hoc conditori ſuo ſatisfaciat, ut qui commiſit prohibita, ſibimetipſi abſcidere debeat etiam conceſſa: & ſe reprehendat in minimis, qui ſe meminit in maximis deliquiſſe.

His dictis operiat caput, & faciem ejus panno cilicii, & apprehenſa manu ejus expellat eum ab Eccleſia, cantantibus choris reſponſorium, in ſudore vultus tui. Quo finito dicatur ante oſtium Eccleſiæ, hæc oratio ab Epiſcopo, vel à Presbytero.

Oratio.

DOmine Deus omnipotens, creator humanæ reformatorque naturæ, qui homini à paradiſo dejecto ſpinas terram germinare, & tribulos producere denuntiaſti, clementiam majeſtatis tuæ ſuppliciter deprecamur, ut huic famulo tuo peccata, ac facinora ſua confitenti, ac deflenti veniam dare, & præteritorum criminum errata relaxare digneris, qui humeris tuis ovem perditam reduxiſti ad caulas; qui Publicani precibus, & Latronis confeſſione placatus es: Tu etiam, Domine, & huic famulo tuo placare: Tu ejus precibus benignus aſſiſte, ut in confeſſione flebili permanens clementiam tuam celeriter exoret, & ſanctis, ac ſacris altaribus reſtitutus, ſpei rurſus æternæ, & cœleſti gloriæ reformetur. Per.

Hac oratione expleta recludatur Pœnitens, in loco ſecretò, uſque in cœnam Domini, deputato ſibi idoneo teſte, qui ſollicitè inſpiciat inſtantiam devotionis ejus, macerationem corporis, & ſuper omnia deſiderium emendandæ prioris vitæ ſuæ.

Miſſa pro Pœnitentibus, & Confitentibus, ſive unus, ſive plures fuerint. Antiph. ad Introitum. Juſtus es, Domine. *Pſalmus.* Beati immaculati. *Item alia Antiph.* Si iniquitates. *Pſal.* De profundis. ℞. Ab occultis. ℣. Si mei non fuerint. *Item.* ℞. Domine, refugium. ℣. Priuſquam. *Tract.* De profundis. *Item Tract.* Ad te levavi oculos. *Offer.* Domine, vivifica me. ℣. Fac cum ſervo tuo. ℣. Da mihi int. *Item Offer.* Sicut in holocauſtum. ℣. Et nunc ſequimur. *Comm.* Ab occultis meis. *Pſalm.* Cœli enarrant. *It. Com.* Inclina. *Oratio.*

Exaudi, Domine, preces noſtras, & famulo tuo, de tua miſericordia confidenti cunctorum veniam tribue delictorum, & quia potens es, Domine, peccata dimittere, ſupplicia, quæ ſuis meretur operibus, potentia tuæ pietatis averte. Per. *Alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus confitenti tibi famulo tuo. *Ill.* pro tua pietate peccata relaxa, ut non plus ei noceat conſcientiæ reatus ad pœnam, quàm indulgentia tuæ pietatis ei proſit ad veniam. Per Dominum. *Alia.*

Omnipotens, & miſericors Deus, qui peccatorum indulgentiam in confeſſione celeri poſuiſti, ſuccurre lapſis, miſerere confeſſis, & famulos tuos, *Ill.* quos delictorum cate-

Digitized by Google

catena conſtringit, magnitudo tuæ pietatis abſolvat. Per.

Lectio Epiſt. B. Pauli Apoſtoli ad Romanos.

Fratres, Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ. &c. *incipit Lectia à medio* ℣. *19. cap. 6. & finit. cum capite.* In Chriſto Jeſu Domino noſtro.

Evangelium ſecundùm Lucam.

In illo tempore, Erant appropinquantes ad Jeſum publicani, & peccatores, &c. *cap. 15. v. 1. & finit. v. 7.* Ita gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore Pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtos, qui non indigent Pœnitentia.

Super oblata.

Deus, qui culpa offenderis, Pœnitentia placaris, preces, & hoſtias famuli tui propitius reſpice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis ſuis meretur averte. Per. *Alia.*

Præſta, quæſumus, omnipotens, & miſericors Deus, ut hæc ſalutaris oblatio famulum tuum, *Ill.* & à propriis reatibus indeſinenter expediat, & ab omnibus tueatur adverſis. Per.

Item alia.

Oblatio, Domine, tuo nomini dicanda, famulos tuos, & ab omnibus peccatis purificet, & de die in diem ad cœleſtis vitæ transferat actionem. Per.

Præfatia. Verè dignum, &c. æterne Deus, Qui peccatoribus juſtè iraſceris, & converſis clementer ignoſcis, cujus omnipotentia deprecanda eſt, miſericordia exoranda, pietas amplectenda: cujus majeſtatem humili prece depoſcimus, ut intercedentibus omnibus Sanctis tuis famulo tuo veniam cunctorum largiri digneris peccatorum, cumque ab irruentibus vitiorum laqueis omnibuſque inimicorum inſidiis, clementiæ tuæ dextera tuearis. Tuum eſt enim, Domine, veniam tribuere lapſis. Tuum eſt ſalutem præſtare perditis. Qui Pœnitentiam te magis deſiderare dixiſti peccatorum, quàm mortem. Placeat ergo tuæ, Domine, pietati veniam dare poſcenti, miſericordiam largiri quærenti, liberare oppreſſum, conſolari mœrentem, revocare captivum, parcere confeſſo, quatenus per hanc oblationem, atque petitionem, & præterita, quæ commiſit, crimina indulgeas, & futura non ſinas admittere: ſed à cunctis illuſionibus immundorum ſpirituum liberatum, ſanctoque tuo ſpiritu protectum, & in hoc ſeculo inculpabilem tibi eum conſervare digneris, & in futuro de æterna facias conſolatione gaudere. Per Chriſtum.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quàm tibi offerimus pro famulo tuo, ut remiſſionem omnium peccatorum ſuorum conſequi mereatur, quæſumus, Domine, ut placatus accipias, & miſerationis tuæ largitate concedas, ut fiat ei ad veniam delictorum, & actuum emendationem, ut & hic benè valeat vivere, & ad æternam beatitudinem pervenire, dieſque noſtros.

Ad Complendam.

Omnipotens, & miſericors Deus, qui omnem hominem confitentem, & Pœnitentem magis vis emendare quàm perdere, reſpice propitius ſuper hos famulos tuos, & per hæc ſacramenta, quæ ſumpſimus, averte ab eis iram indignationis tuæ, & dimitte eis omnia peccata ſua. Per. *Alia.*

Concede, Domine, famulo tuo per hæc ſancta myſteria ſuorum veniam peccatorum, & quòd meritis non præſumit, indulgentiæ tuæ celeri largitate percipiat. Per. *Alia.*

Hæc communio, Domine, famulos tuos purget à crimine, & cœleſtis remedii faciat eſſe conſortes. Per Dominum noſtrum.

Nihil poſteà de impoſitione Pœnitentiæ in manuſcripto ſequitur.

Ex eodem Teloſano codice de reconciliatione Pœnitentium.

Initio ordinis Dominicæ Palmorum vocat Dominicam illam, Dominicam Indulgentiæ. Poſtquàm autem ordinem conſtituit iſtius diei, & ſequentium, atque etiam multa, quæ ad officium feriæ quintæ ſpectant, ita incipit, quæ ad reconciliationem pœnitentium pertinent.

SAnè hoc eodem die reconciliatio Pœnitentium tali ordine ſecunda hora diei incipitur, cujus perfectio in ſolemni officio percompletur. Hora ſecunda ingreditur Archidiaconus, ubi Pontifex ſedet indutus ſacris cum Electis cleri, & inclinans ſe deoſculatur genua Pontificis, & adnuntiat, dicens: Apoſtolice Pontifex turba Pœnitentium pro foribus Baſilicæ conſiſtens reconciliari ſe Deo per veſtrum miniſterium, contrito, & humili corde, ac lamentabili implorat voce. Et mox Pontifex ſurgens cum præcedentium, & ſubſequentium ordine Clericorum, pergit in veſtibulum Eccleſiæ, & compoſita ſede reſidet, adſtante retrò, & ex utraque parte clero. Et audita ratione ſingulorum, qualiter, vel quomodo quiſque pro admiſſis pœnituit, diſcernit ſubtiliter culparum modum, & eos qui reconciliandi ſunt, facit ſtare in parte ſeorſum pro loci opportunitate. Et poſt hæc ingreditur Eccleſiam, remanentibus Pœnitentibus foris oſtium. Mox verò, ut Pontifex ad altare aſcenderit, vertit vultum ad oſtium Baſilicæ, ubi Pœnitentes remanſerunt, & illicò annuente eo, quatuor cantores ad hoc ipſum deputati foris juxta Pœnitentes ſtantes cantant vice eorundem Pœnitentium hanc Antiphonam. *Antiph.* Domine, ſi iratus fueris adverſùs nos, quem Adjutorem petemus? aut quis miſerebitur infirmitatibus noſtris, qui Chananæam, & Publicanum vocaſti ad Pœnitentiam, & Petrum lachrymantem, Domine, ſuſcepiſti; & noſtram Pœnitentiam ſuſcipe miſericors, & ſalva nos Salvator mundi.

Hac finita totidem cantores retrò altare cantant, quaſi voce Redemptoris illis reſpondentes hanc Antiphonam. *Antiph.* Sicut Paſtor portat ovem perditam ad gregem ſuum, ſic porto, & complector vos, dicit Dominus, Ego feci, & ego feram: ego creavi, ego ſuſtinui, ego redemi vos, ego dimittam peccata veſtra, Sanctus, Sanctus, Sanctus Iſrael.

Et poſt hæc clamat Diaconus: Redite reconciliandi ad ſinum matris veſtræ; æternæ ſapientiæ, ſugite larga ubera pietatis Dei; intrate portas ejus in confeſſione, atria ejus in hymnis confeſſionum. Tranſacta plangite, imminentia vitate. Et poſt hæc ingrediuntur Eccleſiam, & proſtrati in terram, orant diutius, cantantibus choris excelsè offerendam: Laudate Dominum, quia benignus eſt, cum verſibus ſuis. Quibus expletis incipit Chorus pro ipſis hoc officium, Deus in adjutorium meum intende, cum gloria, & laus tibi, Domine. *Antiph. in Invitatoria.* Adoremus Dominum. *In primo Nocturno Antiph.* Reſpice, & exaudi me, Domine Deus meus, illumina oculos meos. *Pſalm.* Uſque quo, Domine. *Antiph.* Inclina Domine, aurem tuam mihi, & exaudi verba mea. *Pſalm.* Exaudi, Domine, juſtitiam meam. *Antiph.* Deus meus es tu, in te confido non erubeſcam. *Pſalm.* Ad te, Domine, levavi animam meam. ℣. Delicta juventutis meæ.

Lectio Iſaiæ Prophetæ.

Hæc dicit Dominus Lavamini mundi eſtote. Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, &c. *uſque ad illa verba*, bona terræ comedetis, dicit Dominus omnipotens. ℟. Adjutor meus eſto Deus. ℣. Neque deſpicias me. Lectio Iſaiæ Prophetæ.

Hæc dicit Dominus Deus juſtus, & Salvator non eſt, præter me. Convertimini ad me, & ſalvi eritis, &c. *uſque ad illa verba*, de terra longinqua virum voluntatis meæ. ℟. Auribus percipe, Domine, lachrymas. ℣. Vide, Domine, humilitatem meam, & laborem, uſque peccata mea. Lect. Iſaiæ Prophetæ.

Hæc dicit Dominus, veniat pax, requieſcat in cubili ſuo. Qui ambulavit in directione ſua, *uſque ad illa verba*, dixit Dominus, & ſanavit eum. ℟. Ego dixi, Domine. ℣. Tu autem, Domine, miſerere mei, & reſuſcita me. *In 2. Nocturno Antiph.* In tua juſtitia. *Pſalm.* In te, Domine, ſperavi. *Antiph.* Expugna. *Pſalm.* Judica Domine. *Antiph.* Sana, Domine, animam. *Pſalm.* Beatus, qui intelligit. ℣. Propter nomen tuum, Domine.

Lectio Ezechielis Prophetæ. Hæc dicit Dominus, anima, quæ peccaverit, ipſa morietur, &c. *uſque ad illa verba*, & dixiſtis non eſt, æqua via Domini. ℟. Peccata mea, Domine. ℣. Iniquitates meæ, Domine, ſupergreſſæ ſunt caput meum, &c.

Lectio Ezechielis Prophetæ. Audite domus Iſrael, numquid via mea non eſt æqua, *uſque ad illa verba*, vita vivet, & non morietur, dicit Dominus omnipotens. ℟. Ne perdideris me. ℣. Miſerere mei Deus, miſerere mei. Lectio Ezechielis Prophetæ.

In diebus illis, factus eſt ſermo Domini ad me dicens: Filii hominis dic ad domum Iſrael, &c. *uſque ad illa verba*, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua. ℟. Tribularer. ℣. Secundùm multitudinem dolorum meorum.

In 3. Nocturno Antiph. Quærite Dominum, & vivetis. *Pſalm.* Salvum me fac, Deus. *Antiph.* Domine Deus in adjutorium. *Pſal.* Domine, ad adjuvandum. *Antiph.* Eſto mihi in Deum. *Pſalm.* In te, Domine, ſperavi. ℣. Deus ne elongeris à me, Deus meus in auxilium.

Lectio Epiſtolæ beati Joannis Apoſtoli.

Chariſſimi hæc eſt annuntiatio, quam audivimus ab eo, & annuntiamus vobis, *uſque ad illa verba*, & verbum ejus non eſt in nobis. ℟. Emendemus in melius. Peccavimus cum Patribus noſtris.

Lectio Epiſtolæ B. Joannis Apoſtoli.

Filioli, hæc ſcribo vobis, ut non peccetis, *uſque ad illa verba*, debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare. ℟. Afflicti pro peccatis. ℣. Domine Deus Iſrael exaudi

pre-

Digitized by Google

preces noſtras; Auribus percipe dolorem cordis noſtri.

Lect. Epiſt. B. Pauli Apoſt. ad Coloſſenſes.

Fratres, mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiem, &c *uſque ad illa verba*, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis. ℟. Scindite corda veſtra. ℣. Revertimini unuſquiſque. *Antiph.* Cor mundum crea in me, Deus.

Ad Matutin. Pſalm. Miſerere mei Deus. *Antiph.* O Domine, ſalvum me fac. *Pſalm.* Confitemini Domino. *Antiph.* Sic benedicam te *Pſalm.* Deus, Deus meus. *Antiph.* In ſpiritu humilitatis. *Pſalm.* Benedicite. *Antiph.* Domine Deus Rex omnipotens libera nos. ℣. Exurge, Domine, adjuva nos. *In Evangelio, Antiph.* Derelinquat impius.

His expletis canitur Miſſa ſpecialis, ſive unus, ſive plures fuerint reconciliandi, ſicut in Sacramento continetur. Si unus fuerit, ita jubente Epiſcopo, peragitur hæc Miſſa à Presbytero. *Antiph. ad introitum Antiph.* Redime me, Domine, & miſerere mei. *Pſalm.* Judica me, Domine. ℟. Benedicam Dominum. ℣. Domino laudabitur. *Tract.* Commoviſti, Domine. *Off.* Benedicam Dominum. *Comm.* Dominus firmamentum.

Oratio.

Omnipotens, & miſericors Deus, da nobis regnum tuum, juſtitiamque ſemper inquirere, & hunc famulum tuum, qui ad ſacramentum reconciliationis admittitur, remiſſionem ſibi omnium peccatorum ſuorum tota cordis confeſſione poſcentem propitiatus exaudi, & quem humiliavit tranſgreſſio admiſſorum tuorum, attollat largitas invicta donorum. Per.

Lect. Epiſt. B. Pauli Apoſt. ad Romanos.

Fratres, Juſtificati nunc in ſanguine Chriſti ſalvi erimus ab ira per ipſum. Si enim cum inimici eſſemus, &c. *uſque ad illa verba*. Gratia autem ex multis delictis in juſtificationem. Secundum Lucam.

In illo tempore, dixit Jeſus diſcipulis ſuis. Homo quidam habuit duos filios, & dixit adoleſcentior, &c. *uſque ad illa verba*, Perierat, & inventus eſt

Super Oblata. Omnipotens ſempiterne Deus, qui non ſacrificiorum ambitione placaris, ſed ſtudia piæ devotionis intendis, da famulo tuo ſpiritum rectum, & habere cor mundum, quatenus ſacris myſteriis reſtitutus fidelium gregibus filiorum ſociatus, & fidei ejus confeſſio hæc tibi dona accepta reddat, & humilitas oblata commendet. Per Dominum.

Præfatio. Verè dignum. Per Chriſtum Dominum. Qui factus homo pro mundo expiavit, effuſione ſanguinis ſui peccata omnium. Per eum igitur te deprecor, omnipotens Deus, ut hæc oblatio famuli tui, quàm tibi offerimus, ſit in oculis tuis ſemper accepta; & ſicut Sanctorum tuorum fides recta pervenit ad coronam, ita eum ſua devotio, te jubente, perducat ad veniam, ut mereatur per hoc ſacrificium à cunctis emundari reatibus delictorum: Et reconciliatum tibi eum ſereno vultu reſpicias, & omnia peccata ſua ei dimittas. Severitatem quoque judicii tui ab eo ſuſpendas, & miſerationis tuæ largitatem ſuper eum clementer infundas. Per eundem Chriſtum.

Communicantes, & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo traditus eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ſed & memoriam venerantes.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, Domine, cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerunt ob diem jejunii Cœnæ Dominicæ, in qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus tradidit diſcipulis ſuis corporis, & ſanguinis ſui myſteria celebranda, quæſumus, Domine, placatus intende, ut per multa curricula annorum ſalva, & incolumis munera ſua tibi Domino mereatur offerre, & ut huic famulo tuo concedas propitius amarè deflere, quod iniquè geſſit, quatenus fructuoſus in conſpectum pietatis tuæ, ipſius petitionis perveniat affectus, atque per eum illi veniam ſperare liceat, qui in hac die traditus eſt, pro delictis noſtris, ut redimeret nos in ſanguine ſuo Chriſtus ſalvator noſter, dieſque noſtros.

Item, Qui hac die antequam traderetur, accepit panem in ſuis ſanctis manibus elevatis, & reliqua.

Poſt Communionem. Deus, qui miſericordia tua prævenis etiam non petentes, famulum tuum ad te toto corde clamantem miſeratus exaudi, & eum à terrenis deſideriis, & cupiditate carnali defende, ut nullo in eo deinceps regnante peccato, tibi ſoli Domino liberis mentibus ſervire mereatur. Per Dominum noſtrum.

Alia.

Super hunc famulum tuum, quæſumus, Domine, benedictio copioſa deſcendat, indulgentia veniat, conſolatio tribuatur, fides ſancta ſuccreſcat, redemptio ſempiterna firmetur. Per Dominum.

Item alia Miſſa. Eodem die ſi plures ad reconciliandum veniat. Ad introitum. Antiph.

Omnia, quæ feciſti. *Pſalm.* Domine, ne memineris iniquitatum. *Adr.* Adjuva nos, Deus ſalutaris. ℟. Protector noſter. ℣. Domine Deus virtutum. *Tractus.* Ad te levavi oculos. *Off.* Sperent in te. ℣. Super thronum. ℣. Cognoſcet Dominus. *Com.* Lætabimur in ſalutari.

Oratio.

Deus omnium miſericordiarum, ac totius bonitatis auctor, qui per verbum tuum humani generis reconciliationem mirabiliter operaris, dum peccatorum indulgentiam confeſſione celeri, & Pœnitentiæ remedio promereri declaraſti, concede propitius, ut mentes famulorum tuorum, ità pietatis tuæ valeant exercere mandata, quatenus ab omnibus poſſint ſemper abſtinere peccatis. Per.

Alia.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, reſpice ſuper hos famulos tuos, qui ab infeſta ſeculi tempeſtate demerſi flebili lamentatione ſuos accuſant exceſſus, ut fletum, ac gemitus eorum pie ſuſcipias, eoſque de tenebris ad lumen revoces, & medelam confitentibus largiaris ſalutis, quatenus eorum confeſſionem libenter admittens, Eccleſiæ tuæ purificatos eos reſtituas, ac tuo altari repræſentes, ut ad Sacramentum reconciliationis admiſſi, unà nobiſcum ſancto nomini tuo gratias agere mereantur. Per.

Lect. Epiſt. B. Pauli Apoſtoli ad Corinthios.

Fratres, ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, &c. *uſque ad illa verba*, Ecce nunc dies ſalutis in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

Secundum Lucam. In illo tempore Rogabat Jeſum quidam de Phariſæis, ut manducaret cum illo, &c. *uſque ad illa verba*, dixit autem ad mulierem, fides tua te ſalvum fecit, Vade in pace. *Super oblata.*

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut hujus ſacrificii munus oblatum hos famulos tuos ab omni malo purget ſemper, & muniat. Per.

Alia.

Hæc ſacrificia omnipotens Deus famulos tuos potenti virtute mundatos, ad ſuum faciant puriores venire principium. Per.

Alia ſuper oblata.

Reſpice, Domine, quæſumus in hanc humilitatis noſtræ confeſſionem, ut famulos tuos hæc ipſa majeſtati tuæ commendet oblatio, quæ per filium tuum reconciliavit inimicos, ut qui inclinantur conſcientia ſua, tua ſemper miſericordia erigantur. Per eundem.

Præfatio, *ut ſuprà.* Communicantes *ut ſuprà.* Hanc igitur, *ut ſuprà.* Qui hac die, *ut ſuprà. Ad complendam.*

Majeſtatem tuam, Domine, ſupplices exoramus, ut hos famulos tuos, quos per reconciliationem, viam feciſti ſalutis perpetuæ rurſum intrare, nullis jam permittas errorum laqueis implicari. Per.

Alia.

Implorantes, Domine, miſericordiam tuam hos famulos tuos propitius intuere, ut qui præter te alium non noverint, & tuis ſemper beneficiis glorientur, & te largiente ad cœleſte regnum pervenire mereantur. Per Dominum noſtrum.

Hos famulos tuos, quæſumus, Domine, benedictio deſiderata confirmet, quæ eos & à tua voluntate numquam faciat diſcrepare, & tuis ſemper indulgeat beneficiis gratulari. Per Dominum.

Sanè obſervandum eſt, ut cùm lecta fuerit Evangelica lectio, ſive in hac Miſſa, ſive in præcedenti, Presbyter conſcenſo pulpito tractet exponendo tam hiſtoriæ ſeriem, quàm inæſtimabilem clementiſſimi Dei miſericordiam, quæ prærogata eſt generi humano, tam in filio prodigo, quàm in muliere peccatrice. Quod ubi expleverit, legat Diaconus non tamen ille, qui Evangelicam lectionem recitavit; ſed unus quilibet ex Proceſſoribus hunc ſermonem, qui inferius ſcriptus eſt, exponente Presbytero per ſingulas periodos, quæ leguntur, ſtantibus propter Ambonem Pœnitentibus. *Incipit ſermo legendus.*

Perpendite fratres, & ſollicito corde vobiſcum agite, ne ea, quæ fletibus, & lamentis punitis, deinceps repetentes majorem, & ſeveriorem erga vos iram Dei provocetis. Nam authoritate ſacri eloquii etiam de propitiato peccato ſecuri eſſe prohibemur. Unde non ſufficit unicuique ad veram ſalutem à malo tantùm declinare, niſi faciat bonum: utrumque enim præceptum eſt. Quapropter mecum vos admoneo, ut ſalubribus remediis Pœnitentiæ, omni tempore vigilanter inſiſtentes, ſalutem animarum noſtrarum Deo auxiliante reportare poſſimus. Quod tunc obtinere promerebimur, ſi fructus dignos Pœnitentiæ juxta Beati Joannis Baptiſtæ vocem non ſegniter operemur, qui ait, facite ergo fructus dignos Pœnitentiæ. In quibus verbis notandum eſt, quòd Amicus ſponſi non

ſolùm

Digitized by Google

ſolùm fructus Pœnitentiæ, ſed dignos Pœnitentiæ admonet eſſe faciendos. Aliud namque eſt fructus facere, aliud fructus dignos Pœnitentiæ facere. Ut enim ſecundùm dignos Pœnitentiæ fructus loquamur, ſciendum eſt, quia quiſquis illicita nulla commiſit, huic jure conceditur, ut licitis jure utatur: ſicque pietatis opera faciat, ut tamen ſi noluerit, ea, quæ mundi ſunt, non relinquat. At ſi quis in fornicationis culpam, vel fortaſſe quod eſt gravius, in adulterium lapſus eſt, tanto à ſe licita debet abſcindere, quanto ſe meminit illicita perpetraſſe. Neque enim par fructus boni operis eſſe debet ejus, qui minùs, & ejus, qui ampliùs deliquit; aut ejus, qui in quibuſdam facinoribus cecidit, & ejus, qui in multis lapſus eſt. Per hoc ergo quod dicitur, facite fructus dignos Pœnitentiæ, uniuſcujuſque conſcientia convenitur, ut tantò majora quærat bonorum operum lucra per Pœnitentiam, quanto graviora ſibi intulit damna per culpam. Dicebat ergo Joannes turbis, Qui habet duas tunicas det non habenti, & qui habet eſcas ſimiliter faciat. Per hoc quod tunica plus eſt neceſſaria uſui noſtro quàm pallium; ad fructum dignum Pœnitentiæ pertinet, ut non ſolum exteriora quæque, & minùs neceſſaria, ſed ipſa valdè nobis neceſſaria dividere cum proximis debeamus: Scilicet vel eſcam, qua carnaliter vivimus, vel tunicam, qua veſtimur. Unde ſciendum quantum miſericordiæ opera valeant, cùm ad fructus dignos Pœnitentiæ ipſa præ cæteris præcipiuntur. Hinc etiam per ſemetipſam veritas dicit, date, & dabitur vobis. Hinc ſcriptum eſt, ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis. Hinc iterum dicitur: conclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit. Hinc bonus pater innocentem filium admonet dicens, Simul cum tibi fuerit, abundanter tribues. Si exiguum fuerit, etiam exiguum libenter ſtude impertiri. Quia verò ad magna nos opera Joannes admonet, dicens, Facite ergo fructus dignos Pœnitentiæ: Et rursùs. Qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet eſcas ſimiliter faciat: jam patenter datur intelligi quid eſt, quòd Dominus dicit, A diebus Joannis Baptiſtæ uſque nunc regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Cùm enim lex dicat, ſi quis hæc, vel illa fecerit, morte moriatur, cunctis legentibus liquet, quia peccatores quoſque pœna ſuæ ſeveritatis perculit, non autem per Pœnitentiam ad vitam reduxit. Quia verò Joannes Baptiſta Redemptoris gratiam præcurrens Pœnitentiam prędicat, ut peccator, qui ex culpa eſt mortuus per converſionem vivat, profectò à diebus Joannis Baptiſtæ uſque nunc regnum cęlorum vim patitur. Cęlorum autem regnum, locus proprius eſt juſtorum. Solis enim juſtis cæleſtis patriæ præmia debentur, ut humiles, caſti, mites, atque miſericordes ad gaudia ſuperna perveniant.

Cùm verò quis, vel ſuperbia tumidus, vel carnis facinore pollutus, vel iracundia accenſus, vel crudelitate impius poſt culpas ad Pœnitentiam redit, & vitam æternam percipit, quaſi in locum peccator intrat alienum. Recogitemus ergo, fratres chariſſimi, mala, quæ fecimus, & noſmetipſos aſſiduis lamentis atteramus, hæreditatem juſtorum, quam non tenuimus per vitam, rapiamus per Pœnitentiam. Vult à nobis omnipotens Deus talem violentiam perpeti: Nam regnum cœlorum rapi vult noſtris fletibus, quod noſtris meritis non debetur. Ab ſpei ergo certitudine nulla nos malorum noſtrorum qualitas, nulla quantitas frangat.

Præſtat magnam veniæ fiduciam latro venerabilis, qui non inde venerabilis unde latro. Nam latro ex crudelitate, venerabilis ex confeſſione. Cogitate, rogo, cogitate, quàm ſint incomprehenſibilia in omnipotenti Deo miſericordiæ viſcera. Latro iſte cruentis manibus abſtractus à fauce itineris, ſuſpenſus eſt in patibulo crucis. Ibi confeſſus, ibi ſanatus, ibi audire meruit, hodie mecum eris in paradiſo. Avidè ipſa pœna criminis pervenit ad præmia virtutis. Idcircò autem omnipotens Deus electos ſuos in quibuſdam lapſibus cadere permiſit, ut aliis in culpa jacentibus, ſi toto ad eum corde conſurgant, ſpem veniæ redderet, & eis per lamenta Pœnitentiæ viam pietatis aperiret. Exerceamus ergo noſmetipſos in lamentis, extinguamus fletibus, & dignis Pœnitentiæ fructibus culpas. Tempora indulta non pereant. Quia qui multos à ſuis iniquitatibus jam ſanatos aſpicimus, quid aliud quàm ſupernæ miſericordiæ pignus tenemus? Voce autem noſtri Redemptoris ad beatum Job dicitur, numquid capies Leviathan hamo? cujus vocabulo cœtus ille devorator humani generis deſignatur. In hamo autem eſca oſtenditur, aculeus occultatur. Hunc ergo devoratorem Deus Pater hamo cœpit; quia ad mortem illius unigenitum filium incarnatum miſit. In quo & caro paſſibilis videri poſſet, & divinitas impaſſibilis videri non poſſet. Cumque in eo ſerpens iſte per manus perſequentium eſcam corporis momordit, divinitatis illum aculeus perforavit. Quaſi hamus ergo fauces glutientis tenuit, dum in illo eſca carnis patuit, quam devorator appeteret, & divinitas paſſionis tempore latuit, quæ necaret. In hamo ejus incarnationis captus eſt, quia dum in illo appetiit eſcam corporis, transfixus eſt aculeo divinitatis. Ibi quippe inerat humanitas, quæ ad ſe devoratorem duceret; ibi divinitas, quæ perforaret. Ibi occulta virtus, quæ raptoris faucem transfigeret. In hamo igitur captus eſt, quia inde interiit, unde momordit, & quos jure tenebat, mortales perdidit, quia eum, in quo jus non habuit, morte appetere immortalem præſumpſit.

Hinc eſt, quòd quotidie nos ad vitam poſt culpas revertimur, quia ad pœnam noſtram ſine culpa deſcendit. Quotidie peccatores ad vitam redeunt, quotidie, de ejus faucibus redemptoris manu rapiuntur. Unde rurſum illi voce Dominica dicitur; aut armilla perforabis maxillam ejus. Armilla ubi ponitur? ambiendo conſtringit: Per armillam verò circumplectens nos divina miſericordia deſignatur, quæ Leviathan iſtius maxillam perforat, dum nobis poſt perpetrata, quæ prohibuit, adhuc Pœnitentiæ remedium oſtendit. Armilla Dominus maxillam Leviathan perforat, quia ineſtabili miſericordiæ ſuæ potentia, ſic malitiæ antiqui hoſtis obviat, ut aliquando eos, etiam quos jam cœpit, amittat, & quaſi ab ore illius cadunt, qui poſt perpetratas culpas ad innocentiam redeunt. Quis enim ore illius ſemel raptus maxillam ejus evaderet, ſi perforata non eſſet? An non in ore Petrum tenuit, cum negavit? An non in ore David tenuit, cùm in tantam ſe luxuriæ voraginem merſit? Sed dum ad vitam uterque per Pœnitentiam redut, Leviathan iſte eos, aliquo modo quaſi per maxillæ ſuæ foramem amiſit. Per foramen igitur maxillæ ab ejus ore ſubtracti ſunt, qui poſt perpetrationem tantæ nequitiæ pœnitendo redierunt. Quis autem hominum Leviathan iſtius os evadet, ut illicita nulla committat? Sed hinc cognoſcimus quantum Redemptori humani generis debitores ſumus, qui non ſolùm nos in os Leviathan ire prohibuit, ſed ab ore etiam redire conceſſit: Qui ſpem peccatori non abſtulit, quia maxillam ejus, ut evadendi viam tribueret, perforavit, ut ſaltem poſt morſum fugiat, qui incautus prius cavere noluit, ne morderetur.

Ubique ergo occurrit nobis ſuperna medicina, quia dedit homini præcepta, ne peccet, & tamen peccanti dedit remedia, ne deſperet. Unde cavendum ſummopere eſt, ne quis delectatione peccati Leviathan iſtius ore rapiatur, & tamen ſi raptus fuerit, ne deſperet. Quia ſi peccatum perfectè lugeat, adhuc foramen in maxilla ejus invenit, per quod evadat. Quid itaque, fratres, quid in hac re debemus aſpicere niſi immenſam miſericordiam conditoris noſtri, qui nobis velut in ſigno ad exemplum Pœnitentiæ poſuit eos, quos per Pœnitentiam vivere poſt lapſum fecit. Perpendo etenim Petrum, conſidero Latronem, aſpicio Zachæum, intueor Mariam, & nihil in iis, aliud video niſi ante oculos noſtros poſita ſpei, & Pœnitentiæ exempla. Fortaſſe etenim in fide lapſus eſt aliquis: Aſpiciat Petrum, quia amare flevit, quod timidè negaverat. Alius contra proximum ſuum in malitia crudelitatis exarſit: Aſpiciat Latronem, qui & in ipſo mortis articulo ad vitæ præmia pœnitendo pervenit. Alius avaritiæ æſtibus anhelans, aliena diripuit: aſpiciat Zachæum, qui ſi quid alicui abſtulit, in quadruplum reddidit. Alius libidinis igne ſuccenſus carnis munditiem perdidit: aſpiciat Mariam, quæ in ſe amorem carnis igne divini amoris excoxit.

Ecce omnipotens Deus, ubique oculis noſtris, quos imitari debeamus, obiicit: Ubique exempla ſuæ miſericordiæ opponit. Mala ergo jam diſpliceant, vel experta. Libenter obliviſcitur omnipotens Deus, quòd nocentes fuimus. Paratus eſt Pœnitentiam noſtram nobis ad innocentiam deputare. Inquinati poſt aquas ſalutis renaſcamur ex lachrymis. Siquidem largiente Domino duodecim modis remiſſionem, & indulgentiam peccatorum promereri ab eo veraciter credimus. Primus eorum eſt, quo ut originalis peccati caremus noxa, aqua baptizamur, ut Dominus ait, Niſi quis renatus fuerit, ex aqua, & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Secundus charitatis affectus, ut eſt illud, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Tertius eleemoſynarum largitio, ſecundùm hoc quod legitur, ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. Quartus profuſio lachrymarum, Domino dicente. Quia flevit in conſpectu meo, & ambulavit triſtis coram me non inducam mala in diebus ejus. Quintus, criminum confeſſio, ut Pſalmiſta ait, Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Sextus afflictio cordis, & corporis, qua præcipit Apoſtolus enormiter peccantem tradere Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini. Septimus abrenuntiatio vitiorum, dicente Domino ad Languidum, Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Octavus, interceſſio Sanctorum, ut ait

Apoſto-

Digitized by Google

Apoſtolus, infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros, & orent pro eo: Et multùm valet deprecatio juſti aſſidua. Nonus miſericordiæ, & fidei meritum: Beati enim, ait, miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Decimus, converſio, & ſalus aliorum. Ait enim Apoſtolus. Qui converti fecerit peccatorem ab errore vitæ ſuæ, ſalvabit animam ſuam à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Undecimus, Indulgentia, & remiſſio, qua peccantibus in nos dimittimus, dicente Domino, dimitte, & dimittetur vobis. Duodecimus, Paſſio Martyrii, ſecundùm quod Dominus dicit, Qui perdiderit animam ſuam propter me, in vitam æternam cuſtodit eam.

Proinde, fratres mei, in conditione mortalitatis veſtræ mentis oculos figite, venienti ad vos Judici per fletus, & lamenta præparate. Terrenarum rerum vos cura non aggravet. Quantislibet enim auri, & argenti monilibus circumdetur. Quibuslibet pretioſis veſtibus induatur caro, quid eſt aliud quàm caro. Nolite ergo attendere quod habetis, ſed quid eſtis. Vultis audire quid eſtis, Propheta indicat dicens, Verè fœnum eſt populus. Si enim fœnum populus non eſt, ubi eſt multitudo generis humani, quæ ab exordio hunc mundum incoluit? quæ de præſentis vitæ cogitans proviſione ſurripiente mortis articulo repentè in his, quæ prævidere nolebat, inventa eſt, & cuncta ſimul temporalis amiſit, quæ tractata quaſi ſtabiliter teneri videbantur. Si ergo tranſacta multitudo generis humani per nativitatem viruit in carne, per mortem aruit in pulvere, videlicet fœnum fuit.

Quia igitur momentis ſuis horæ fugiunt, agite, fratres chariſſimi, ut in boni operis mercede teneantur. Audite, quid ſapiens Salomon dicat, Quodcumque poteſt manus tua facere, inſtanter operare: Quia nec opus, nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia erit apud inferos, quò tu properas. Quia ergo eventuræ mortis tempus ignoramus, & poſt mortem operari jam non poſſumus, ſupereſt, ut ante mortem tempora indulta rapiamus. Sic enim, ſic mors ipſa, cùm venerit, vincetur, ſi priuſquam veniat ſemper timeatur. Diſtrictionem quippe venturi judicis Paulus conſiderans ait, horrendum eſt incidere in manus Dei viventis.

Illum ergo diem, fratres chariſſimi, quando judex ad judicium properat, illum ante oculos ponite, & quidquid modo grave creditur, in ejus comparatione levigatur. Hinc enim Pſalmiſta dicit, Deus manifeſtus veniet, Deus noſter, & non ſilebit: Ignis ante eum ardebit, & in circuitu ejus tempeſtas valida. Tantæ quippe juſtitiæ diſtrictionem tempeſtas, igniſque comitantur: quia tempeſtas examinat, quos ignis exurat. De illo enim die per Prophetam dicitur, juxta eſt dies Domini magnus, juxta, & velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis, & anguſtiæ, dies calamitatis, & miſeriæ, dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis, dies turbæ, & clangoris. Penſate ergo, fratres chariſſimi, extremi diem judicii ſuper corda reproborum, qua aſperitate Propheta vidit amareſcere, quem tot appellationibus non valet explere. De hac die Dominus iterùm per Prophetam dicit, Adhuc ſemel, & ego movebo non ſolùm terram, ſed & cœlum, qui ut frequenter & perſpeximus, & experti ſumus, aerem movit, & terra non ſubſtitit. Quis ergo ferat, cùm cœlum moverit, ad cujus examen omne humanum genus deducitur. Venit etenim ille, qui adventu ſuo elementa concutit: In cujus conſpectu cœlum cum terra contremiſcit, cui ad vindictam malorum, remunerationemque bonorum, Angeli, Archangeli, Throni, Principatus, & Dominationes obſequuntur.

Conſiderate, fratres chariſſimi, ante conſpectum tanti judicis, quantus in illo die terror erit, quando jam in pœna remedium non erit. Quæ illi confuſio, cui reatu ſuo exigente contingent in conventum omnium hominum, Angelorumque erubeſcere? Illum ergo diem, fratres chariſſimi, tota intentione cogitate: vitam corrigite, mores mutate, mala tentantia reſiſtendo vincite, perpetrata autem fletibus punite. Adventum namque æterni Judicis tantò ſecuriores quandoque videbitis, quantò nunc diſtrictionem illius timendo prævenitis. Ipſe etenim, qui eſt Advocatus noſter, fieri dignatus eſt judex noſter, qui hac nocte traditus eſt, pro peccatis noſtris, ut redimeret nos in ſanguine ſuo, Chriſtus ſalvator noſter, qui vivit, & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum.

Hoc ſermone poſt lectionem Evangelicam finito, peragitur Miſſà pro ipſo, ſicut ſuperiùs pleniter eſt deſcripta. Qua expleta Pontifex cum Eccleſiaſtico ordine pergit ad Eccleſiam; ad quam ſecundùm morem conveniunt populi ad ſtationem celebrandæ Miſſæ pro baptizandis, quæ tali ordine ante horam tertiam à Pontifice ſolemniter peragenda eſt.

Sequitur in manuſcripto codice Miſſa. Poſteà.

Hac Miſſa expleta pergunt ad ſtationem ſecundam, ubi Miſſa chriſmalis à Pontifice ordine ſuo celebranda eſt, ſicut hic inferiùs ſcripta habetur.

Poſt hanc Miſſam ſequitur.

Igitur hoc officio ab Epiſcopo ſolemniter adimpleto, revertuntur tam Pontifex cum clero, quàm populi cum Pœnitentibus, jam quidem in Eccleſiam introductis, ſed adhuc in ſolemniori officio Miſſæ ipſius diei reconciliationem ſuam præſtolantibus, ad Eccleſiam majorem ſtationis ejuſdem celebritatis, quæ in ſede quidem Apoſtolica ad Sanctum Joannem in Lateranis agitur; in cæteris verò urbibus, ſeu monaſteriis, pro opportunitate, & congruentia uniuſcujuſque loci.

Sequitur in codice, Miſſa diei ſive ſolemniſſima. *Ubi primùm enarrantur, quæ præparanda ſunt ad conſecrationem unctionum. Nam eo die tres Miſſæ ſolemniter dicuntur. Enarratis illis, quæ ad præparationem conſecrationis olei ſunt neceſſaria, additur.*

Sanè obſervandum eſt, ut in his tribus ſtationibus, quæ hac die peragendæ ſunt, taliter proceſſiones ordinentur, ut in prima tres quidem Diaconi cum ſubjecto ſibi ordine, & numero induti Dalmaticis cum Epiſcopo procedant. In ſecunda autem quinque, in tertia autem ſeptem. Cæterùm in Miſſa Pœnitentium, quæ præſente Epiſcopo, & eo jubente à Presbytero celebratur, tres Diaconi Planetis induti procedant.

Statio ad Sanctum Joannem Lateran. *Ad Introit. Antiph.* Nos autem gloriari. *Pſalm* Cantate Domino. *Adr.* Confeſſio. Reſp. Chriſtus factus eſt. Verſ. Propter quod Deus. *Tractus*. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, in civitate Dei noſtri in monte ſancto ejus. Fundatur exultatione univerſa terra, montes Sion, latera Aquilonis, civitas regis magni. Deus in gradibus ejus dignoſcetur, cùm ſuſcipiet eam. Quoniam ecce reges congregati ſunt, convenerunt in unum. Sicut audivimus, ita & vidimus in civitate Domini virtutum. Deus fundavit eam in æternum. Suſcepimus, Domine, miſericordiam tuam, in medio templi tui. Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Judæ propter judicia tua, Domine. Circumdate Sion, & complectimini eam. Narrate in turribus ejus. Ponite corda veſtra in virtute ejus, ut enarretis in progenie altera. Quoniam hic eſt Deus, Deus noſter in æternum, & in ſeculum ſeculi; ipſe reget nos in ſecula. *Offert.* Dextera Domini. Verſ. In tribulatione. Verſ. Impulſus. *Comm.* Dominus Jeſus. *Pſalm.* Beati immaculati. *Alia.* Hoc corpus. *Pſalm* Credidi. *Adr.* Calicem ſalutaris. *Item Adr.* Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis.

Oratio ad Miſſam.

Deus, à quo Judas reatus ſui pœnam, & confeſſionis ſuæ latro præmium ſumpſit, concede nobis tuæ propitiationis effectum, ut ſicut in paſſione ſua Jeſus Chriſtus Dominus noſter, diverſa utriſque intulit ſtipendia meritorum: Ita nobis ablato vetuſtatis errore, reſurrectionis ſuæ gratiam largiatur. Qui tecum.

Lectio Epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli, ad Corinthios.

Fratres convenientibus vobis in unum, *uſque ad illa verba*, ut non cum hoc mundo damnemur.

Evangelium ſecundùm Joannem. Ante diem feſtum Paſchæ ſciens Jeſus, uſque & vos faciatis.

Evangelio finito, illicò Pontifex conſcèndit Ambonem, & Pœnitentes adducuntur deorſum propter illum, & proſtrati in terram, præſtolantur divinæ miſericordiæ reconciliationem per miniſterium Pontificale. Tunc Diaconus propè Epiſcopum ſtans, pronuntiat his verbis.

Adeſt, ò Venerabilis Pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ, & ſalutis humanæ, &c. *ut in editis, uſque ad illa verba*, devicto mortis ſuæ auctore gratulemur.

Poſthæc Pontifex proſequitur dicens. Quia dilectiſſimi hos de quorum periculo formidabamus, & pro inſpectione negligentioris vitæ, de ſalute dubitabamus, per Pœnitentiæ lamenta, & deſideria corrigendorum præteritorum actuum tranſgreſſionis, ad Deum ex toto corde, teſte cœtu, & frequentia hujus Eccleſiæ converſos audivimus: Supereſt nunc, ut & pro illi, & pro nobis Domini miſericordiam deprecemur, quatenus & nobis, & illis facultatem bonam operandi ſecundùm beneplacitum voluntatis ſuæ largiri dignetur, atque de vetuſtate prioris converſationis, & ignorantiæ, nos transferre, & ad perpetuitatis ſuæ regnum clementer admittere.

Inde facto parumper intervallo, jubente Pontifice inclamat Diaconus: Contrito corde, & mente devota Litaniarum ſolem-

nia

nia pro Pœnitentibus, & reconciliandis noſtris, ac pro omni Eccleſia ſancta Dei ſenſualiter alternando modulemus: Et mox incipiunt Litaniam, ſicut hic inferius habetur adnotata. Pontifex verò deſcendens de Ambone cum Electis cleri, qui eo die in omni ſacro ordine ipſi miniſtraturi proceſſionis illius officia implere debent, proſternit ſe ante ſanctum altare ſuper ſtratoria, dudum illic ad hoc ipſum aptata, & jacent orantes uſque dum in Litania dicatur, Agne Dei, Et tunc ſurgentes finem Litaniæ omnes cum choro conſummant.

Litania pro ipſis.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Chriſte audi nos. *Ter.*
Sancta Maria, Virgo Virginum, ora pro nobis.
Sancte Michael Archangele, ora pro nobis.
Sancte Gabriel Archangele, ora pro nobis.
Sancte Raphael Archangele, ora pro nobis.
Sancte Chorus Angelorum, ora pro nobis.
Sancte Chorus Archangelorum, ora pro nobis.
Sancte Chorus Thronorum, ora pro nobis.
Sancte Chorus Principatuum, ora pro nobis.
Sancte Chorus Poteſtatum, ora pro nobis.
Sancte Chorus Virtutum, ora pro nobis.
Sancte Chorus Dominationum, ora pro nobis.
Sancta Cherubim, ora pro nobis.
Sancta Seraphim, ora pro nobis.
Sancte Chorus Patriarcharum, ora pro nobis.
Sancte Chorus Prophetarum, ora pro nobis.
Sancte Joannes Baptiſta, ora pro nobis.
Sancte Petre Apoſtole, ora pro nobis.
Sancte Paule Apoſtole, ora pro nobis.
Sancte Andrea Apoſtole, ora pro nobis.
Sancte Jacobe Apoſtole, ora pro nobis.
Sancte Joannes Apoſtole, ora pro nobis.
Sancte Thoma Apoſtole, ora pro nobis.
Sancte Jacobe Apoſtole, ora pro nobis.
Sancte Philippe Apoſtole, ora pro nobis.
Sancte Bartholomæe Apoſtole, ora pro nobis.
Sancte Matthæe Apoſtole, ora pro nobis.
Sancte Simon Apoſtole, ora pro nobis.
Sancte Thadæe Apoſtole, ora pro nobis.
Sancte Matthia Apoſtole, ora pro nobis.
Sancte Barnaba Apoſtole, ora pro nobis.
Sancte Luca Evangeliſta, ora pro nobis.
Sancte Marce Evangeliſta, ora pro nobis.
Sancte Chorus Apoſtolorum, ora pro nobis.
Sancte Stephane Levita, & Martyr Chriſti, ora pro nobis.
Sancte Clemens Apoſtolice, & Martyr Chriſti, ora pro nobis.
Sancte Dionyſi Apoſtolice, & Martyr Chriſti, cum ſociis tuis, ora pro nobis.
Sancte Fabiane Apoſtole, & Martyr Chriſti, ora pro nobis.
Sancte Cypriane Pontifex, & Martyr Chriſti, ora pro nobis.
Sancte Sixte Apoſtole, & Martyr Chriſti, ora pro nobis.
Sancte Laurenti Levita, & Martyr Chriſti, ora pro nobis.
Sancte Sebaſtiane miles, & Martyr Chriſti, ora pro nobis.
Sancte Maurici miles, & Martyr Chriſti, ora pro nobis.
Sancte Hyppolite miles, & Martyr Chriſti, cum ſociis tuis, ora pro nobis.
Sancte Quintine miles, & Martyr Chriſti, ora pro nobis.
Sancte Juliane miles, & Martyr Chriſti, ora pro nobis.
Sancte Gereon miles, & Martyr Chriſti, cum ſociis tuis, ora pro nobis.
Sancte Chorus Martyrum, ora pro nobis.
Sancte Sylveſter Apoſtolice, & Confeſſor Chriſti, ora pro nob.
Sancte Marce Apoſtolice, & Confeſſor Chriſti, ora pro nobis.
Sancte Juli Apoſtolice, & Confeſſor Chriſti, ora pro nobis.
Sancte Liberi Apoſtolice, & Confeſſor Chriſti, ora pro nobis.
Sancte Felix Apoſtolice, & Confeſſor Chriſti, ora pro nobis.
Sancte Damaſe Apoſtolice, & Confeſſor Chriſti, ora pro nobis.
Sancte Syrici Apoſtolice, & Confeſſor Chriſti, ora pro nobis.
Sancte Innocenti Apoſtolice, & Confeſſor Chriſti, ora pro nob
Sancte Zoſime Apoſtolice, & Confeſſor Chriſti, ora pro nobis.
Sancte Cæleſtine Apoſtolice, & Confeſſor Chriſti, ora pro nob.
Sancte Leo Apoſtolice, & Confeſſor Chriſti, ora pro nobis.
Sancte Simplici Apoſtolice, & Confeſſor Chriſti, ora pro nobis.
Sancte Symmache Apoſtolice, & Confeſſor Chriſti, ora pro n.
Sancte Hormiſda, ora pro nobis.
Sancte Gregori, ora pro nobis.
Sancte Hilari, ora pro nobis.
Sancte Martine, ora pro nobis.
Sancte Ambroſi, ora pro nobis.
Sancte Euſebi, ora pro nobis.
Sancte Auguſtine, ora pro nobis.
Sancte Germane, ora pro nobis.
Sancte Medarde, ora pro nobis.
Sancte Aniane, ora pro nobis.
Sancte Caſſiane, ora pro nobis.
Sancte Germane, ora pro nobis.
Sancte Hieronyme Presbyter, & Confeſſor Chriſti, ora pro nob.
Sancte Benedicte Abba, & Confeſſor Chriſti, ora pro nobis.
Sancte Chlodoalde Confeſſor Chriſti, ora pro nobis.
Sancte Chorus Confeſſorum, ora pro nobis.
Sancte Cæcilia Virgo, & Martyr Chriſti, ora pro nobis.
Sancta Eugenia, ora pro nobis.
Sancta Domitilla, ora pro nobis.
Sancta Agnes, ora pro nobis.
Sancta Agathes, ora pro nobis.
Sancta Lucia, ora pro nobis.
Sancta Praxedis, ora pro nobis.
Sancta Balbina, ora pro nobis.
Sancta Suſanna, ora pro nobis.
Sancta Sabina, ora pro nobis.
Sancta Juliana, ora pro nobis.
Sancta Euſemia, ora pro nobis.
Sancta Columba, ora pro nobis.
Sancta Dorothea, ora pro nobis.
Sancta Genoveſa, ora pro nobis.
Sancte Chorus Virginum, ora pro nobis.
Sancte Chorus Sanctorum omnium, ora pro nobis.
Propitius eſto, parce nobis Domine.
Propitius eſto, libera nos Domine.
Ab omni malo, libera nos Domine.
Ab omni peccato, emunda nos Domine.
Ab inſidiis Diaboli, libera nos Domine.
Ab omni pravitate, libera nos Domine.
Per Annuntiationem tuam, libera nos Domine.
Per Conceptionem tuam, libera nos Domine.
Per Incarnationem tuam, libera nos Domine.
Per nativitatem tuam, libera nos Domine.
Per Apparitionem tuam, libera nos Domine.
Per Baptiſma tuum, libera nos Domine.
Per Prædicationem tua, libera nos Domine.
Per Transfigurationem tuam, libera nos Domine.
Per Cœnæ tuæ ſacroſanctæ convivium, libera nos Domine.
Per myſterium ſacroſanctum corporis, & ſanguinis tui hodie Apoſtolis tuis traditum. libera nos Domine.
Per lavationem pedum Apoſtolorum à te hac die myſticè adimpletam, libera nos Domine.
Per egreſſionem tuam hac nocte in montem Oliveti, libera nos Domine.
Per Orationem tuam hac nocte à te ad Patrem habitam, libera nos Domine.
Per traditionem tuam in hac nocte à Juda peractam, libera nos Domine.
Per comprehenſionem in hac nocte à Judæis pro noſtra omnium ſalute completam, libera nos Domine.
Per nexionem vinculorum tuorum, libera nos Domine.
Per illuſionem tuam, libera nos Domine.
Per alapas, ſputa, & vulnera hac nocte tibi illata, libera nos Domine.
Per vulnera verborum, & flagellorum à te pro nobis miſericorditer perlata, libera nos Domine.
Per Bajulationem crucis tuæ, libera nos Domine.
Per expoliationem tuam, libera nos Domine.
Per crucem, & crucifixionem tuam, liberas nos Domine.
Per partitionem veſtimentorum tuorum, & ſortem ſacroſanctam ac myſticæ tunicæ tuæ, libera nos Domine.
Per ſitim tuam aceto potatam, libera nos Domine.
Per commendationem ſpiritus tui in manus Patris, libera nos Domine.
Per inclinationem ſacroſancti capitis tui, libera nos Domine.
Per emiſſionem ſpiritus tui à corpore, libera nos Domine.
Per deſcenſionem tuam ad inferos, libera nos Domine.
Per ereptionem exinde tibi placentium, libera nos Domine.
Per Aſcenſionem tuam ab inferis, libera nos Domine.
Per reſurrectionem tuam, libera nos Domine.
Per Aſcenſionem tuam ad Cœlos, libera nos Domine.
Per Adventum S. Spiritus Paracleti, libera nos Domine.
Per Adventum tuum noviſſimum, libera nos Domine.

Peccatores, te rogamus audi nos.
Ut Pacem nobis dones, te rogamus audi nos.
Ut ſpatium Pœnitentiæ nobis dones, te rogamus audi nos.
Ut remiſſionem omnium peccatorum noſtrorum nobis dones, te rogamus audi nos.
Ut ad creandos tibi novos populos per aquam baptiſmatis ſpiritum adoptionis emittere digneris, te rogamus audi nos.
Ut Pœnitentibus, & reconciliandis noſtris indulgentiæ veniam prætendere digneris, te rogamus audi nos.
Ut viam illorum in rectitudine voluntatis tuæ ſtabilire digneris, te rogamus audi nos.
Ut benedictionis tuæ largitatem eis infundere digneris, te rogamus audi nos.
Ut peccandi voluntatem deinceps ab eis abſcidere digneris, te rogamus audi nos.
Ut gratiam tuam eis concedere digneris, te rogamus audi nos.
Ut vitam æternam& illis,& nobis poſt vitæ hujus decurſum largiri digneris, te rogamus audi nos.
Ut illos unà nobiſcum, & omnem populum Chriſtianum pretioſo ſanguine tuo redemptum conſervare digneris, te rogamus audi nos.
Ut nos exaudire digneris, te rogamus audi nos.
Filii Dei, te rogamus audi nos.
Agne Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis.
Agne Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis.
Agne Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.
Chriſte audi nos. *Tertio*.
Kyrie eleiſon. *Tertio*. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon. *Tertio*.

Litania finita dicit Pontifex, *Oremus*. Et Diaconus clamat, *flectamus genua*. Poſtquam oraverint, proſequitur Pontifex hanc orationem, excelſa voce. *Oratio*.

DEus, qui Eccleſiam tuam & nova ſemper prole renaſcentium fœcundas, & reſipiſcentium à peccatis, atque ad te revertentium reparatione reſtauras, Auge ſuper nos famulos tuos Spiritus Sanctus tui dona propitius, & ipſe in noſtro miniſterio, quod tuæ virtutis eſt, operare. Per Dominum. In unitate ejuſdem.

Poſt hæc iterùm Pontifex conſcendit Ambonem: & Pœnitentes veniunt ante illum. Et mox ut Diaconus clamaverit. Orate Pœnitentes, Proſtrati in terram, expectantes divinæ miſericordiæ reconciliationem per miniſterium Pontificale jactant ſe in terram. Tunc Pontifex dicit ſuper eos has orationes ad reconciliandum, ſtantibus duobus, aut quatuor, vel ſi neceſſe fuerit, pluribus Presbyteris altrinſecus juxta eos; & ubicumque in precibus orationum mentionem illorum facit Pontifex; dicendo hos famulos tuos, vel his famulis tuis, ſeu horum famulorum tuorum, vel aliquolibet caſu, ipſi Presbyteri tangunt dextris manibus indeſinenter ipſos Pœnitentes vice Pontificis.

Orationes ad reconciliandos Pœnitentes.

ADeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & me, qui etiam miſericordia tua primus indigeo, clementer exaudi, & mihi, quem non electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti hujus operis miniſtrum, da fiduciam tui muneris exequendi, & ipſe in noſtro miniſterio, quod tuæ pietatis eſt, operare. Per.

Alia.

Precor, Domine, elementiam tuæ majeſtatis, ac nominis, ut his famulis tuis peccata, & facinora ſua confitentibus veniam dare, & præteritorum criminum errata relaxare digneris. Qui humeris tuis ovem perditam reduxiſti ad caulas. Qui Publicani precibus, vel confeſſione placatus es: Tu etiam, Domine, & his famulis tuis placare. Tu eorum precibus benignus aſſiſte, ut in confeſſione flebili permanentes clementiam tuam celeriter exorent, & ſanctis, ac ſacris altaribus reſtituti, ſpei rurſus æternæ, & cœleſti gloriæ reformentur. Per Dominum noſtrum.

Alia.

Præſta, Domine, quæſumus, his famulis tuis dignum pœnitentiæ fructum, ut Eccleſiæ tuæ ſanctæ, à cujus integritate deviarant peccando, admiſſorum reddantur innoxii veniam conſequendo. Per Dominum noſtrum.

Alia.

Deus humani generis benigniſſime conditor, & miſericordiſſime reformator, qui hominem invidia diaboli ab æternitate dejectum unici filii tui ſanguine redemiſti, vivifica hos famulos tuos, quos tibi nullatenus mori deſideras; & qui non derelinquis devios, aſſume correctos. Moveant pietatem tuam, quæſumus, Domine, lachrymoſa ſuſpiria. Tu eorum medere vulneribus, tu jacentibus manum porrige ſalutarem, ne Eccleſia tua aliqua ſui corporis portione vaſtetur, ne grex tuus detrimentum ſuſtineat, ne de familiæ tuæ damno exultet inimicus, ne renatos lavacro ſalutari mors ſecunda poſſideat. Tibi ergo, Domine, ſupplices preces, tibi fletum cordis effundimus. Tu parce confitentibus, ut ſic in hac mortalitate peccata ſua, te adjuvante, defleant, ut neſciant, quod terret in tenebris, quod ſtridet in flammis, atque ab erroris via ad iter reverſi juſtitiæ, numquam vulneribus ſaucientur, ſed integrum ſit eis, atque perpetuum, & quod gratia tua contulit, & quod miſericordia reformavit. Per eundem Dominum. *Alia*.

Deus infinitæ miſericordiæ, veritatiſque immenſæ, propitiare iniquitatibus noſtris, & omnibus animarum noſtrarum medere languoribus, ut miſerationum tuarum remiſſione percepta, in tua ſemper benedictione lætemur. Per. *Alia*.

Deus, ſub cujus oculis omne cor trepidat, omneſque conſcientiæ contremiſcunt, propitiare omnium gemitibus, & cunctorum medere languoribus, ut ſicut nemo noſtrum eſt liber à culpa, ita nemo ſit alienus à venia. Per. *Alia*.

Deus, cujus indulgentia nemo non indiget, memento noſtri, quæſumus, & da veniam confitentibus, parce ſupplicibus, ut qui lubrica, terrenaque corporis fragilitate circumdamur, & noſtris meritis accuſamur, tua miſeratione à debita peccatis noſtris ultione liberemur. Per Dominum.

Orationibus expletis dicit Diaconus, Surgite de terra reconciliati Deo, expectantes contrito, & humili corde horam, quando ad percipiendum corporis, & ſanguinis ejus myſterium admittamini. Quibus ſurgentibus, paululùm interjecta mora, clamat Diaconus; pſallite chori unanimiter, voce conſona Domino jubilantes, eja. Et mox incipiunt omnes offerendam. Dextera Domini fecit virtutem cum verſibus ſuis. Offerunt populi, & pœnitentes. Dicitur oratio ſuper oblata.

Super oblata.

Ipſe tibi, quæſumus, Domine, ſancte pater omnipotens Deus, ſacrificium noſtrum reddat acceptum, qui diſcipulis ſuis in ſui commemorationem hoc fieri hodierna traditione monſtravit Jeſus Chriſtus Dominus noſter, Qui tecum.

Canitur Præfatio. Verè dignum. Per Dominum noſtrum. Quem in hac nocte inter ſacras epulas, increpantem mens ſibi conſcia Traditoris ferre non potuit, ſed Apoſtolorum relicto conſortio, ſanguinis pretium à Judæis accepit, ut vitam perderet, quam diſtraxit. Cœnavit igitur hodie proditor mortem ſuam, & cruentis manibus panem de manu ſalvatoris exiturus accepit, ut ſaginatum cibo major pœna conſtringeret, quem nec ſacrati cibi collatio ab ſcelere revocaret. Patitur itaque Dominus noſter Jeſus Chriſtus filius tuus cum hoſte noviſſimum participare convivium, à quo ſe noverat continuò eſſe tradendum, ut & exemplum innocentiæ mundo relinqueret, & paſſionem ſuam pro ſeculi redemptione ſuppleret. Paſcit igitur mitis Dominus immitem Judam, & ſuſtinet pius crudelem convivam, qui meritò laqueo ſuo periturus erat, quia de magiſtri ſanguine cogitarat. O Dominum per omnia patientem! ò agnum inter ſuas epulas mitem! Cibum ejus Judas in ore ferebat, & quibus eum traderet, perſecutores advocabat. Sed filius tuus Dominus noſter tãquam pia hoſtia, & immolari ſe tibi pro nobis patienter permiſit, & peccatum, quod mundus commiſerat, relaxavit Et ideò, &c. Cum itaque Sanctus, Sanctus, Sanctus. Poſt præfationem antequam inchoationem canonis canere cœperint, tres Acolythi cum tribus ampullis tam lineis, quàm ſericis ſindonibus ordine ſupra ſcripto amicti veniunt pariter, & ſtant poſt dorſum Diaconorum, qui poſt Pontificem in loco ſuo inclinati ſecundum morem conſiſtunt: Archipresbyter verò librum ſacramentorum ſuper altare, ante Pontificem ſuſtentans, ad eum locum, ubi Pontifex dicere debet in canone, communicantes, tangit reverenter cum manu paginam apertam, &c.

In ultima parte canonis antequam dicatur, per quem hæc omnia, Domine, ſemper bona creas, diſcooperit Pontifex os ipſius ampullæ, & aſpirat in eam ter, & tenente eam diacono benedicit eam Pontifex, &c.

Peractis ſanctorum oleorum conſecrationibus, quæ ad pœnitentiam noſtram non pertinent, & ampulla chriſmatis ab omnibus ſalutata. Poſt hæc incipiunt agnus Dei, non tamen ſe oſculantur. Et ſic Pontifex lotis manibus venit ante altare, & communicat, primùm quidem clerum ſecundum ordinem: deinde pœnitentes, poſtremò omnem populum loco, & gradu ſuo. Cantantibus choris. *Communiones*. Dominus Jeſus poſtquam cœnavit, *cum pſalmo*, Deus ſtetit in ſynagoga. Et hoc corpus cum verſibus pſalmi. Calicem ſalutaris. Vota mea Domino reddam.

Poſt hæc Pontifex mittit unum de Presbyteris, qui vice

ſua

Digitized by Google

ſua dicat hanc orationem ſuper pœnitentes, poſtquam communicaverint antequam dicatur oratio ad complendum.

Oratio poſtquam communicaverint.

Deus qui confitentium tibi corda purificas, & accuſantes ſuas conſcientias ab omni vinculo iniquitatis abſolvis, da indulgentiam Reis, & medicinam tribue vulneratis, ut percepta remiſſione omuium peccatorum in ſacramentis tuis ſincera deinceps devotione permaneant, & nullum damnationis æternę ſuſtineant detrimentum. Per.

Poſt hæc dicitur oratio ad complendum.

Refecti vitalibus alimentis quęſumus Domine Deus noſter, ut quod tempore noſtræ mortalitatis exequimur, immortalitatis tuæ munere conſequamur. Per dominum.

Hac perorata clamat Diaconus, Ite Miſſa eſt. Tunc Pontifex revertitur in ſacrarium cum ordine miniſtrorum ſibi obſequentium, præcedente eum Acolytho cum chriſmate. Et tunc ſi hora permiſerit datur ipſum chriſma per manum Archidiaconi, tam legatis Monaſteriorum ad hoc ipſum recipiendum miſſis, quam Presbyteris oppidanis atque vicanis. Si autem, reſervatur in craſtinum. Similiter agitur de oleo ad baptizandos, & ad infirmos. Porro autem Miſſa finita invitantur per Vice Dominum ad prandium Pontificis; honoratiores quique qui ad ſtationem convenerunt, quam omnes, ſi fieri poteſt, pœnitentes. Sin autem pars illorum. Et peracta ſunt omnia.

IN CODICEM DIONYSIANUM ADNOTATIO.

Hunc codicem, & duos ſequentes tardè nacti ſumus. Dionyſianum vocamus, eo quod ad Abbatiam Dionyſianam in agro Pariſienſi pertinet. Illius character recentior eſt, infra quadringentos annos exaratus. Nonnullos ritus habet peculiares & recentiores, quorum tamen cognitio non mihi videtur fore inutilis. Duplicem ritum & ceremonialem & ſacramentalem ſimul conjungit: Epiſcopus enim omnem populum, & clerum exhortatus ad pœnitentiam ſolemniter abſolvit, ſibique ipſi & populo cineres benedictos imponit. Poſtea pœnitentes comparent, eoſque impoſito cilicio Epiſcopus ſolemniter ab Eccleſia expellit. Similiter feria 5. in cœna Domini mane poſt matutinas generalis fit Abſolutio omnium qui tum in Eccleſia verſantur, antequam ad pœnitentium reconciliationem accedatur. Ubique autem ſunt, vel eædem orationes, vel planè æquipollentes; ſola pronunciantis intentio inter eas diſcriminat. Eſt inſuper in eo codice hoc ſingulare, quod ea poſtulatio quam Archidiaconus Epiſcopo facit paulò antequam pœnitentes reconciliandos illi offerat, dicens, *Ades, ò venerabilis Pontifex, &c.* quæ in omnibus codicibus, & antiquiſſimis, & recentioribus eadem omnino eſt: hic planè eſt diverſa, ſi tria prima verba quæ jam retulimus, excipias. Cæterum codex ille magnificè tectus eſt, operculi limbus, & anguli latus argenti puri laminis involuti ſunt, medium pulcherrimis, & exquiſitis picturis decoratum.

Ordo in capite jejunii.

Feria quarta, quę caput Jejunii vocatur, conveniat omnis populus hora tertia ad Eccleſiam, & pœnitentes qui antè, pœnitentiam ſuam non habuerint receptam, tunc à Magiſtris ſuis eam recipiant. Hora autem nona pulſata, & cantata, Epiſcopus indutus alba & ſtola cũ ſacerdotibus ſuis & Miniſtris, & proceſſione, è ſacrario procedat, pulpitumque aſcendens ſermonem faciat ad populum, monendo eos ut à peccatis ſuis pœnitentiam agant, & à mulieribus omnibus diebus quadrageſimæ abſtineant, & ante veſpertinalem horam non comedant, inſuper Eccleſiam frequentare & eleemoſynis inſiſtere ſummopere ſtudeant. Quo pacto tam clerum quam populum proſternatum abſolvat, dicendo in primis ſeptem Pſalmos pęnitentiales cum ſubſcriptis orationibus. Finitis vero pſalmis, & in fine Gloria Patri dicto, dicatur ab omnibus. Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon Pater noſter. Et ne nos inducas. Salvos fac ſervos tuos. Deus meus ſperantes in te. Mitte eis auxilium de ſancto. Et de Sion tuere eos. Convertere Domine uſquequo. Et deprec. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter. Et propter. Domine exaudi orationem meam. Et clamor. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Exaudi Domine preces noſtras, &c.

Oremus.

Adſit quæſumus Domine famulis tuis inſpiratio gratiæ ſalutaris, &c.

Oremus.

Da quæſumus Domine Deus noſter his famulis tuis continuam purgationis ſuæ obſervantiam, &c.

Oremus.

Præveniat hos famulos tuos quæſumus Domine miſericordia tua, &c.

Oremus.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, &c.

Oremus.

Domine Deus noſter qui peccatis noſtris offenderis, ſatisfactione placaris, &c. *Orationes iſtæ leguntur in ordine Romano.*

Oremus.

Deus cujus indulgentia omnis homo indiget, memento famulorum tuorum; & quia lubrica terrenaque corporis fragilitate in multis deliquerunt, quæſumus ut des veniam confitentibus, parcas ſupplicibus, ut qui noſtris meritis accuſamur, tua miſeratione ſalvemur. Per Dominum noſtrum.

Abſolutio.

Abſolvimus vos vice beati Petri Apoſtolorum Principis, cui collata eſt à Domino poteſtas ligandi atque ſolvendi, & quantum ad vos pertinet accuſatio, & ad nos remiſſio, ſit vobis omnipotens Deus vita & ſalus, & omnium peccatorum veſtrorum pius indultor. Qui vivit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus ſancti, ſuper vos deſcendat.

Poſtea Epiſcopus ad Altare accedat, & cineres cum ſubſcriptis orationibus benedicat.

Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus qui miſeris omnium, & nihil odiſti eorum quæ feciſti, diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam, qui etiam ſubvenis in neceſſitate laborantibus, benedicere & ſanctificare hos cineres dignare, quos cauſa humilitatis, & ſanctæ religionis ad emundanda delicta noſtra ſuper capita noſtra, more Ninivitarum ferre conſtituiſti, & da per invocationem tui nominis, ut omnes qui eos ad deprecandum miſericordiam tuam ſuper capita ſua tulerint, à te mereantur omnium delictorum ſuorum veniam accipere, & hodie ſic eorum ſancta inchoare jejunia ut in die reſurrectionis, purificatis mentibus ad Sanctum mereantur accedere Paſcha, & in futuro perpetua coronari gloria. Per Dominum.

Hic ſpargatur aqua benedicta ſuper Cineres.

Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, fragilitatem conditionis humanæ benigniſſimè reſpice, & hos cineres quos cauſa præferendæ humilitatis, atque promerendæ veniæ capitibus noſtris imponi decrevimus benedicere pro tua pietate digneris, ut qui nos cineres eſſe monuiſti, & ob pravitatis noſtræ meritum in pulverem reverſuros, peccatorum noſtrorum veniam, & præmia pœnitentibus repromiſſa, miſericorditer nobis concedere digneris. Per.

His peroratis Epiſcopus primus genibus flexis ante Altare cum aqua benedicta cinerem Capiti ſuo imponendo, ipſe vel Cantor Antiphonam Immutemur habitu, *incipiat, Clero totam Antiph. proſequente cum Pſalm.* Miſerere mei Deus, quoniam conculcavit me homo.

Poſtea Antiph. repetatur. Epiſcopus autem vel Sacerdotes interim tam Clero, quam populo cinerem capitibus diſtribuant. Sequitur Oratio.

Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus qui juſtè iraſceris, & clementer ignoſcis, afflicti populi tui lachrymas ſuſcipe, & iram tuæ indignationis quam juſtè meretur, propitiatus averte. Per Chriſtum.

Iterum incipiat Cantor. Antiph. Juxta veſtibulum & Altare, *cum Pſalm.* Miſerere mei Deus, miſerere mei. *Antiph. iterum repetatur. Oratio ſequatur.*

Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Concede nobis Domine præſidia militiæ Chriſtianæ ſanctis inchoare jejuniis, ut contra ſpirituales nequitias pugnaturi, continentiæ muniamur auxiliis. Per Dominum.

Pœnitentes interim uniuſcujuſque Decani per plures angulos Eccleſiæ congregentur, & ita quaſi abſconſi maneant quouſque Epiſcopus eos ante ſe venire præcipiat: his ita paratis, moneantur Archidiaconi ut per decanos ſuos pœnitentes adducant, Epiſcopus autem pulpitum aſcendat, & aperta voce clamet.

Ubi ſunt interſectores fratrum; ubi ſunt necatores filiorum? ubi ſunt peremptores criminibus animarum? Accedant coram Eccleſia, & confiteantur flagitia ſua.

Tunc omnes Archidiaconi ad hanc vocem per Decanos ſuos pœnitentes coram Epiſcopo venire faciant. Epiſcopus verò alta voce & lamentabili eis dicat.

Fratres vox ſanguinis fratrum veſtrorum: Vox ſanguinis filiorum quos interfeciſtis, clamat ad Dominum: Sancta Eccleſia de amiſſione filiorum contriſtatur, ſed acriùs dolet de animarum veſtrarum interitu. Unde oportet vos ab ejus communione projicere, & corpora veſtra juxta Apoſtolum tradi Satanæ, ut ſalvi ſint ſpiritus in die Domini. Inde vos moneo, ut abſque omni tepore ac torpore quæ pravè commiſiſtis, ſumma vigilantia pœnitere ſtudeatis, quatenus à poteſtate Satanæ erepti, ſub tutela matris veſtræ ſcilicet ſanctæ Eccleſiæ redire valeatis. Sententia enim de vobis valde eſt tremenda & terribilis. Ait enim beatus Leo Papa in Epiſtola Ruſtico Epiſcopo Narbonenſi ita. Væ communione privatis, & ita defunctis; horum cauſa Dei judicio ſervanda eſt in cujus manu fuit ut talium obitus uſque ad Communionis remedium differretur. Nos autem quibus viventibus non communicavimus mortuis communicare non poſſumus. Ait iterum in Epiſtola Theodoro Epiſcopo Forojulienſi miſſa. Si aliquis eorum pro quibus Domino ſupplicamus, quocunque interceptus obſtaculo à munere indulgentię pręſentis exceſſerit, & priuſquam ad conſtituta remedia perveniat temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non recepit, conſequi exutus corpore non poterit. Nec neceſſe ergo eſt nos eorum qui obierunt, merita actuſque diſcutere, cum Dominus Deus noſter, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotum implere miniſterium non potuit ſuæ Juſtitiæ reſervarit, ita poteſtatem ſuam timeri volens, ut hic terror omnibus proſit: Et quod quibuſdam tepidis ac negligentibus accidit nemo non metuat. Multum enim utile ac neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali ſupplicatione ſolvatur. Pœnitentiam itaque veſtram ut à Sanctis Patribus diffinita eſt, ſcire debetis: Tempore pœnitentiæ veſtræ cilicio uti debetis, à carne abſtinere, in pane & aqua jejunare, ſecundùm judicium & inſtitutionem Sacerdotum veſtrorum, ab equitatu & militia, & balneis, & tonſura, & ab uxorum veſtrarum cohabitatione, quantum quidem ipſæ permiſerint, coercere vos oportet: Reſtat enim teſtante ſancta ſcriptura, ut qui illicita perpetrat à licitis ſe abſtineat. Nec in his pro certo ſciatis vobis indulgere poſſumus, niſi pauperum ſuſtentatione, aut aliquo beneficio redimantur.

Tunc Cilicium deferatur, & in conſpectu omnium præſentetur & quare præſentatum fuerit doceantur: Hoc finito, parata ſit tota proceſſio. & Epiſcopum cum ipſa proceſſione cantando Antiphonam, Propitius eſto Domine, *eoſdem pœnitentes uſque ad Januas Eccleſiæ ante ſe præcedere faciat, ubi cum baculo ab Eccleſia omnes projiciat. Interim dum foris ejiciuntur cantetur.* ℟. In ſudore vultus tui *cum verſu.* Pro eo quod obediſti voci uxoris tuæ pluſquam meæ, maledictus. *Deinde dicatur Antiph.* Ne iraſcaris Domine ſuper populum tuum, nec avertas faciem tuam à nobis. Peccavimus Domine peccavimus, peccavimus, iniquitatem fecimus. Parce, parce, parce iræ tuæ ineffabilis Rex miſericordiæ, non ſecundum peccata noſtra facias nobis neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis, ſed propter gloriæ tuæ nomen quod eſt ſanctum fac nobiſcum ſecundum magnitudinem miſericordiæ tuæ, & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitates noſtras. *cum Pſalm.* Deus miſereatur noſtri.

Poſtea claudantur portæ Eccleſiæ, & dicat Epiſcopus vel Archidiaconus: Portæ Eccleſiæ vobis clauduntur, vos contrito & ſimplici corde, & importunis precibus Deum orate ut vobis aperiantur. Portis verò clauſis dicatur. ℟. Ecce Adam quaſi *cum verſu.* Cherubim & flammeum. *Tunc proceſſio inde revertatur, & pergat ad Oratorium beati Stephani, Cantore incipiente.* ℟. Tribularer ſi neſcirem. *cum* ℣. & Petrum lacrymantem. *Venientes autem ante Altare ejuſdem Oratorii cum* ℟. *finitum fuerit, proſternantur, ibique preces deputatas cum Pſ.* Miſerere mei Deus, *& cæteris orationibus ibi pertinentibus humiliter dicant. Denique ſurgentes, Lætaniamque cantantes ad Chorum redeant, & Lætania finita miſſam incipiant Explicit Ordo in Capite Jejunii. Oratio hæc ſubſcripta dicenda eſt ſi volueris in præcedenti pagina poſt Antiphonam.* Ne iraſcatis, *ad pœnitentes cum projiciuntur ab Eccleſia.*

Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Precamur Domine clementiæ & miſericordiæ tuæ majeſtatem, ut famulis tuis peccata, & facinora ſua confitentibus veniam concedere digneris, & præteritorum criminũ culpis indulgeas, qui humeris tuis ovem perditam reduxiſti, qui Publicani preces confeſſione placatus exaudiſti, Tu etiam his famulis tuis placare Domine. Tu horum precibus benignus aſpira, ut in confeſſione placabili permaneant fletus eorum, & petitio perpetuam clementiam tuam celeriter exoret, ut ſanctis Altaribus tuis, & ſacrariis reſtituti ſpei turſum æterni Regni, cœleſtiſque gloriæ mancipentur. Per Dominum noſtrum.

Feria quinta, In Cœna Domini, ſic Ordo erit.

Abſolutio prima ab Epiſcopo fiat poſt Matutinas generaliter ſuper omnes qui fuerint intra Eccleſiam quæ ita incipiatur. In primis ſeptem Pſalmi pœnitentiales dicantur: Domine ne in furore, *& cæteri. Quibus finitis dicatur ab omnibus,* Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra vel Parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris, *abſque cantu. Deinde* Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter, *Quo finito, dicat Epiſcopus.* Et ne nos. Sed libera nos à malo. Salvos fac ſervos tuos. Deus meus ſperantes in te. Convertere Domine uſque. Et deprecabilis. Mitte eis Domine auxilium. Et de Sion tuere. Adjuva nos. Deus per gloriam. Domine exaudi. Et clamor meus. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & me qui etiam miſericordia tua primus indigeo, clementer exaudi, & quem non electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti hujus operis miniſtrum, ad fiduciam tui muneris exequendi, & ipſe in noſtro miniſterio quod tuæ pietatis eſt, operare Per Chriſtum. Oremus.

Deus humani generis benigniſſime conditor, & miſericordiſſime reformator, qui hominem invidia diaboli ab æternitate de tui unici filii ſanguine redemiſti, vivifica hos famulos tuos quos tibi nullatenus mori deſideras; & qui non derelinquis devios, aſſume correctos. Moveant pietatem tuam quæſumus Domine horum famulorum tuorum lachrymoſa ſuſpiria, et eorum medere vulneribus, tu jacentibus manum porrige ſalutarem, ne Eccleſia tua aliqua ſui corporis portione vaſtetur, ne grex tuus detrimentum ſuſtineat, ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet, ne renatus lavacro ſalutari mors ſecunda poſſideat. Tibi ergo Domine ſupplices preces, tibi fletum cordis effundimus, tu parce confitentibus, ut ſic in hac mortalitate peccata ſua te adjuvante defleant, qualiter in tremendi judicii die ſententiam damnationis æternæ evadant, & neſciant quod terret in tenebris, quod ſtridet in flammis, atque ab erroris via ad iter reverſi juſtitiæ, nequaquam ultra vulneribus, ſed integrum ſit eis atque perpetuum, & quod gratia tua contulit, & quod miſericordia reformavit. Per eundem Chriſtum. Oremus.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui vulnera noſtra curare dignatus es, te ſupplices rogamus & petimus nos humiles tui Sacerdotes ut precibus noſtris aurem tuæ pietatis inclinare digneris, atque ad pœnitentium confeſſionem movearis, remittaſque omnia crimina, & peccata univerſa condones, deſque his famulis tuis Domine, pro ſuppliciis veniam, pro mœrore lætitiam, pro morte vitam, ut qui ad tantã ſpem cœleſtis apicis devoluti ſunt, de tua miſericordia confidenter ad bona paciferi premii tui, atq; ad cœleſtia dona pervenire mereantur. Per Dominum. *Abſolutio.*

Abſolvimus vos vice beati Petri Apoſtolorum Principis cui Dominus poteſtatem ligandi atque ſolvendi dedit. Et quantum ad vos pertinet accuſatio & ad nos remiſſio, ſit Deus omnipotens vobis vita & ſalus, & omnibus

pec-

Peccatis veſtris pius indultor. Qui vivit & regnat Deus, Per omnia ſecula ſeculorum. Benedictio Dei Patris omnipotentis.

Reconciliatio pœnitentium hoc modo fiet.

Penitentes qui reconciliandi ſunt & immittendi in Eccleſiam hora ſexta ſint parati ante Januas Eccleſiæ, ubi tamdiu expectent donec Epiſcopus veniat ad reconciliandum eos & abſolvendum. Nona itaque pulſata & cantata pergat Epiſcopus ad Januas Eccleſiæ cum proceſſione ad reconciliandos ipſos pœnitentes. Eoque ſedente ſint præſentes in atrio Eccleſiæ qui reconciliandi ſunt. Stetque cum illis unus Archidiaconus indutus alba & ſtola, dicatque excelſa voce. State cum ſilentio audientes intentè; & facto ſilentio dicat ad Epiſcopum hunc ſermonem.

Adeſt tempus, ô venerabilis Pontifex, votivum afflictis, congruum pœnitentibus, optabile tribulatis. Adſunt filii tui, Pater, quos Deo per Spiritum ſanctum vera mater Eccleſia in lætitia peperit, ſed iterum ſuadente Diabolo à ſua integritate corruptos, miſeros factos & exules, novis quotidie doloribus ingemiſcit. Pro his ſuppliciter orant quicunque felices in ſinu ſuo remanſerunt, quique divina ſe protegente clementia in fide ſtabiles perſtiterunt. Patet hodie, pater, & toto bonitatis tuæ impetu fluit nobis fons ille David patens in ablutionem menſtruatæ, nulli improperans, nullum rejiciens, nullum excludens. Quamvis enim à divitiis ſupernæ pietatis nihil temporis vacet, nunc tamen & largior eſt per indulgentiam remiſſio peccatorum, & copioſior per gratiam aſſumptio renaſcentium. Accepiſti à Domino annulum diſcretionis & honoris, ut quæ ſignanda ſunt ſignes, & quæ aperienda ſunt prodas, quæ liganda ſunt liges, quæ ſolvenda ſunt ſolvas; atque credentibus per fidem baptiſmatis; lapſis autem & pœnitentibus per miniſterium reconciliationis januas Regni Cœleſtis aperias. Lavant, atque lavant lachrymæ. Maria flevit & ſuſcepta eſt. Negavit Apoſtolus, & quia flevit amariſſimè, reſtitutus eſt. Publicanus de thelonio Apoſtolatum meruit. Latro de cruce Paradiſum intravit. Suſceptus eſt à Patre clementiſſimo filius ille minor, qui tandiu porcos pavit, qui paternæ hæreditatis pretioſa ſtipendia infeliciter diſſipavit. Inde eſt etiam quòd hodie ſupplices tui, poſteaquam in varias formas criminũ, neglectu mandatorum Cœleſtium, & morum probabilium tranſgreſſione ceciderunt, humiliati atque proſtrati prophetica voce clamant dicentes: Peccavimus cum patribus noſtris, impiè egimus, iniquitatem fecimus. Manducaverunt ſicut ſcriptum eſt panem doloris, lachrymis ſtratum rigaverunt. Cor ſuum luctu, corpus afflixerunt jejuniis ut animarum reciperent quam perdiderant ſanitatem. Plorat cum iſtis; immo pro iſtis orare & plorare non deſiſtit ſancta mater Eccleſia, & lachrymæ ejus in maxillis ejus, quia tempus miſerandi ejus. Moveat pietatem tuam, Pater, vox fidelis & flebilis, moveat gemitus & habitus ipſe miſerorum.

Hoc finito ſtet Epiſcopus in oſtio Eccleſiæ, & dicat: *Venite*, & Diaconus ex parte pœnitentium, *Flectamus genua*. Tunc pœnitentes flectant genua. Quo facto dicat Diaconus ex parte Pontificis *levate*. Similiter agatur ſecundo repetente Epiſcopo *Venite*, ſubſequatur Diaconus ex parte Pœnitentium. *Flectamus genua*, ut antea & ſic ad medium pavimentum ſolo tenus, veniat, & Diaconus ex parte Epiſcopi, *levate*. Quando autem tertio annuntiaverit Dominus Epiſcopus *venite*. Proſequatur Diaconus ex parte pœnitentium *Flectamus genua*. Mox cum Diacono corruant pœnitentes ad pedes Epiſcopi, ſicque jaceant proſtrati, uſque dum Dominus Epiſcopus Diacono ſuo innuat, & Diaconus ſtatim dicat *levate*. Perſequatur Chorus Antiphonam. *Venite, venite, venite filii audite me, timorem Domini docebo vos. Pſal.* Benedicam Dominum.

Tunc Epiſcopus verbum faciat ipſis pœnitentibus, idoneum videlicet ut reconciliati Sanctæ Eccleſiæ, ulterius non agant unde deinceps de ipſa Eccleſia Dei iterum ejici eos oporteat, ſicque proſtratos pœnitentes abſolvat dicens has orationes:

Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Præſta quæſumus Domine his famulis tuis dignum pœnitentiæ fructum, ut Eccleſiæ tuæ ſanctæ reconciliati à cujus integritate deviarunt peccando, admiſſorum reddantur innoxii veniam conſequendo. Per Chriſtum. Oremus.

Deus miſericors, Deus clemens, qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis evacuas, reſpice ſuper hos famulos tuos, & remiſſionem ſibi omnium peccatorum ſuorum tota cordis confeſſione poſcentes deprecatus exaudi. Renova in eis piiſſime Pater quicquid terrena fragilitate corruptum, vel quicquid diabolica fraude violatum eſt. Miſerere Domine gemituum, miſerere lachrymarum, & non habentes fiduciam niſi in tua miſericordia ad Sacramentũ reconciliationis admitte, & in unitate corporis Eccleſiæ tuæ membrum perfecta remiſſione reſtitue. Per Chriſtum.

Abſolutio.

Dominus Jeſus Chriſtus qui dixit Diſcipulis ſuis: Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis, de quorum numero quamvis me indignum & peccatorem, miniſtrum tamen eſſe voluit, intercedente Dei genitrice Maria, & beato Michaele Archangelo, & ſancto Petro Apoſtolo; cui data eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi, egregioque Joanne Euangeliſta, venerandoque Stephano protomartyre, & omnibus Sanctis, ipſe vos abſolvat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis veſtris, quæcunque aut cogitatione, aut locutione, aut operatione negligenter egiſtis, atque à vinculis peccatorum veſtrorum abſolutos perducere dignetur ad regnum cœlorum, qui vivit.

Confirmatio Abſolutionis.

Abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum percipere mereamini hic & in ævum. Benedictio Dei Patris omnipotentis.

Poſt hæc erecti pœnitentes offerantur à Presbyteris Epiſcopo, ut ipſe eos reconciliet Eccleſiæ, interrogetque per unumquemque. *Eſt dignus reconciliari?* Reſpondente Presbytero, *Dignus*. Ponat Epiſcopus manum unicuique ſuper caput, dans ei pacis oſculum & dicens Pax tecum, & ſic intromittat eos in Eccleſiam. Quibus intromiſſis, cæteros qui ſunt mediæ vel minoris pœnitentiæ intromittat dicens eis. Vos non per reconciliationem, ſed per divinam pietatem recipimus intra ſinum ſanctæ Eccleſiæ, uſque ad Octavum diem Pentecoſtes. Reconciliati ergo ad dexteram Eccleſiæ partem; non reconciliati, ſed ad tempus recepti in Eccleſia, ad ſiniſtram pergant: unicuique verò Epiſcopus aquam benedictam in faciem ſpargat; Itemque abſolutionem faciat ante Altare Crucifixi cantando Antiphonam. *Cor mundum crea in me*, & Pſal. *Miſerere mei*, totum. Poſtea *Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. Salvos fac ſervos.* Cætera ſicut in præſcriptis abſolutionibus ſcripta ſunt cum orationibus ibi pertinentibus. Facta abſolutione portent etiam reconciliati ſinguli lumen quod ſecum attulerunt, & Altari Eccleſiæ repræſentent. Denique Epiſcopus cum proceſſione pergat ad benedicendum novum ignem in quodam angulo Eccleſiæ, Diacono haſtam cum cereo ferente in quo accendatur ignis.

In priorem Sacramentorum Librum è Bibliotheca Thuana, Adnotatio.

PRior codex pulcherrimus eſt & integer. Initium magnificum literis majuſculis aureis cum variis auratis figuris quæ ſeptem paginis continuantur. Sic incipit, *In nomine Domini incipit Liber Sacramentorum de circulo anni à ſancto Gregorio Papa Romano editus, qualiter Miſſa Romana celebratur.* Septingentis annis antiquior videtur, & ad finem regni Caroli Calvi, aut filii ejus Ludovici Balbi revocandus. Videtur ſcriptus ab aliquo monacho Dionyſiano in Litaniis initio poſitis, *ut illum Abbatem & cunctam Congregationem ſancti Dionyſii in tuo apto ſervitio conſervare digneris*. Deinde prima pagina & ſequentibus Calendarium habetur in quo ad 7. idus Octob. notatur literis majoribus & rubris feſtum S. Dionyſii & ſociorum, & 6. Kal. Martii dedicatio Eccleſiæ ipſis conſecratæ; & 10. Kal. Maji Inventio corporis. S. Dionyſii & ſociorum; & 5. Kal. Auguſti Pariſiis *conſecratio altaris Petri & Pauli Apoſtolorum in Eccleſia Sanctorum Martyrum Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii, quod Stephanus Papa de ipſorum reliquiis conſecravit.* In illo Calendario nulli aurei numeri affixi ſunt: nondum eorum inſcribendorum uſus innotuerat. Literæ Dominicales nullæ ſimiliter inſcriptæ, ſed earum loco concurrentes, eodem planè modo quo nunc Literæ Dominicales, & eorum adnotatur ſedes majoribus & rubris literis 9. Kal. Aprilis, *Concurrentium locus*. In fine codicis collectæ ſunt eodem,

charaƈtere Benediƈtiones Epiſcopales pro ſingulis Dominicis & Feſtis majoribus.

Verſus finem voluminis inter Miſſas commnnes hæc deprehendimus, quæ huc transſerre opportunum judicavimus.

Incipit ordo agendi publicam Pœnitentiam. Suſcipis cum 4. feria mane, Capus quadrageſimæ. Et cooperis cum cilicio, & recludis, iſtas orationes dicens.

Exaudi Domine preces noſtras, &c. *Alia.*
Præveniat hunc ſamnlum tuum, &c. *Alia.*
Adeſto Domine ſupplicationibus, &c. *Alia.*

Domine Deus noſter qui offenſione non vinceris, ſed ſatisfaƈtione placaris, &c. *Orationes iſtæ habentur integræ in ordine Romano edito.* *Alia.*

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & ſicut Publicani precibus & confeſſione placatus es: ita & huic ſamnlo tuo *ill.* placare, votis quoque ejns benignns aſpira, ut in Confeſſione flebili permanens, & petitione perpetua clementiam tuam celeriter promereatur, ſanƈtiſque altaribus, & Sacramentis reſtitutus, rurſus cœleſti gloriæ mancipetur. Per Dominnm.

Feria 5. in cœna Domini Præſentatur Pœnitens in gremio Eccleſiæ, & proſtrato omni corpore dat orationem Sacerdos ad reconciliandum ita.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & me, &c. *Alia.*

Præſta Domine quæſumus hnic famuio tno, &c. *ut in ordine Romano.* *Alia.*

Deus humani generis henigniſſime conditor, & miſericordiſſime reparator, qui hominem invidia diaboli ab æternitate dejeƈtum unici filii tui ſanguine redemiſti; vivifica hunc ſamulum tuum quem tibi nullatenus mori deſideras. Er qui non derelinquis devium, aſſume correƈtum. Moveant pietatem tuam, quæſumus Domine, hujus iachrymoſa ſuſpiria. Tu ejus medere vulneribus: Tu jacenti manum porrige ſalutarem, ne Eccleſia aliqua ſui corporis portione vaſtetur, ne grex tuus detrimentum ſuſtineat, ne de ſamiliæ tuæ damno exultet inimicus, ne renatum iavacro ſalutari mors ſecunda poſſideat. Te ergo, Domine, ſupplices precamur, tibi fletum cordis effundimus. Tu parce confitenti, ut ſic in hac mortalitate peccata ſua te adjuvante defleat, qualiter in tremendi judicii die ſententiam damnationis æternæ evadar: Et neſciat quod terret in tenebris, quod ſtridet in flammis, atque ab erroris ſui ad iter reverſus juſtitiæ, nequaquam vulneribus ſaucietur, ſed integrum ſit ei atque perpetnum, & quod gratia contulit, & quod miſericordia reformavit. Per eumdem Dominum noſtrum.

Poſtea titulus ſequitur, *Orationes ad viſitandum infirmum quem ſex orationes comitantur, quibus finitis additur.*

Dum ungitur infirmus dicitur à Sacerdote hic verſiculus.

Ungo te de oleo ſanƈtificato in nomine Domini, ut more militis unƈti præparatus ad luƈtam, poſſis aereas ſuperare catervas. Per.

Reconciliatio Pœnitentis ad mortem.

DEus miſericors, Deus clemens, qui ſecundnm multitudinem miſerationum tuarum peccata Pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis evacuas, reſpice ſuper hnnc ſamulnm tuum, & remiſſionem ſibi omnium peccatorum ſuorum tota cordis confeſſione poſcentem deprecatns exaudi. Renova, piiſſime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatnm eſt, & in unitate corporis Eccleſiæ tuæ membrorum perfeƈta remiſſione reſtitue. Miſerere Domine gemituum, miſerere lachrymarum, & non habentem fiduciam niſi in tua miſericordia, ad Sacramentum reconciliationis admitte. Per Dominum noſtrum.

Item alia Oratio.

Majeſtatem tnam Domine ſupplices deprecamur, ur huic famulo tuo N. longo ſquallore Pœnitentiæ macerato miſerationis tuæ veniam largiri digneris, ut nuptiali veſte recepta, ad regalem menſam unde ejeƈtus fuerat, mereatur introire. Per Dominum. *Alia Oratio.*

Majeſtatem tuam quæſumus Domine ſanƈte Pater omnipotens æterne Deus, qui non mortem, ſed peccatorum vitam ſemper inquiris, reſpice flentem ſamulum tuum; attende proſtratum, ejuſque planƈtum in gaudium tua miſeratione converte. Scinde deliƈtorum ſaccum, & indue eum lætitia ſalutari, nt poſt longam peregrinationis famem de ſanƈtis altaribus tuis ſarietur, ingreſſus cubiculum regis in ipſius aula benedicar nomen gloriæ tuæ ſemper. Per eundem Dominum.

Sequitur in eodem codice Miſſa pro Infirmo, deinde pro pluribus Infirmis, Poſtea, incipiunt Orationes in agenda mortuorũ, &c.

In poſteriorem Sacramentorum Librum è Bibliotheca Thuana, Adnotatio.

ALter codex eſt quoque Sacramentorum liber, ſed integer non eſt, multa initio deficinnt. Charaƈter ſexcentis annis non eſt inferior, fortè hanc ætatem multum excedit. Videtur à Monacho Dionyſiano aut ſaltem pro diœceſi Pariſienſi ſcriprus: habetur enim Miſſa in oƈtava S. Dionyſii. In fine codicis inter Miſſas communes hæc quæ propoſito conferunt, deprehendimus.

Cum ergo venerit aliquis ad Sacerdotem confiteri peccata ſua, Sacerdos primùm in ſecreto curdis ſui hæc apud ſe debet orare.

Domine Deus omnipotens propitius eſto mihi, &c. In Pœnitentiali Romano, & Siculo ſupra, & alibi habetur.

Oratio agentibus publicam Pœnitentiam.

Snſcipis eum quarta feria, qnæ eſt capur jejunii ante qnadrageſimam, & cooperis eum cilicio, orans pro eo, & includis uſque ad cœnam Domini. Qui eadem die in gremio præſentetur Eccleſiæ, & proſtrato eo omni corpore in terram, dat orationem Pontifex ſuper eum his verbis.

Dominum umnipotentem, ac miſericordem, qni non vnlt mortem peccaroris, ſed ut convertatur & vivat, fratres chariſſimi, precemur, ur converſo ad viam reƈtam ſamulo *ill.* miſericordiæ ſuæ veniam propitiatus indulgeat. Et ſi qna ſunt culparum ſuarum omnia quæ poſt ſacri lavacri nndam contraxit: Ita in hac confeſſione publica deliƈta ſanentur, ut nulla in eum ultra cicatricium ſigna remaneant. Per Dominum. *Aliquid deeſt ad ſenſum complendum.*

Alia.

Adſit quæſumns Domine huic ſamulo tuo inſpiratio gratiæ, &c. *ſupra in codice Siculo.*

Alia utrique in terram proſtrati. Septem Pœnitentiales Pſalmos decantant.

Da quæſumus Domine huic famulo tno continuam purgationis ſuæ obſervantiam pænitendo gerere, & ur hoc efficaciter implere valear, gratia tuæ viſitationis, & præveniat, & ſubſequatur. Per Dominum.

Item orationes & preces ſuper pænitentem.

Exaudi quæſumus Domine preces noſtras, &c.

Alia. Præveniat hnnc famulum tuum, &c.

Alia. Ad eſto Domine ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab hoc famulo tuo, &c. *Hæ ſunt in ordine Romano edito, & ſæpius ſupra.*

Alia. Domine Deus noſter qui offenſione noſtra non vinceris, &c *ſupra in codice Siculo, & in ordine Romano.* *Alia.*

Precor Domine clementiam, & miſericordiæ tuæ majeſtatem, ut famulo tuo *ill.* peccata & facinora confitenti veniam relaxare digneris, & præteritorum criminum culpas indulgeas, qui humeris ovem perditam reduxiſti, & Publicani preces confeſſione placatus exaudiſti, etiam huic famulo tuo *ill.* placare Domine, tu hujus precibus benignus aſpira, ut in confeſſione placabilis permaneat. Fletus ejus, & petitio perpetuam clementiam tuam celeriter exoret, ſanƈtiſque altaribus & ſacrariis reſtitutus, ſpei rurſum æternæ, & cœleſti gloriæ mancipetur. Per Dominum.

Feria 5. quæ eſt in cœna Domini egreditur Pœnitens de loco ubi Pœnitentiam geſſit, & in gremio præſentatur Eccleſiæ, proſtrato omni corpore in terra. Orationes ad Miſſam.

OMnipotens æterne Deus, da quæſumus univerſis ſamulis tuis pleniùs atque perfeƈtiùs ad omnia feſti Paſchalis introire myſteria; nt incunƈtanter pia corda cognoſcant quantum debeant de confirmata in Chriſto renaſcentium glorificatione gaudere. Per Dominum. *Alia.*

Concede credentibus miſericors Deus ſalvum nobis de Chriſti paſſione remedium, ur humanæ fragilitatis præteritæ culpæ laqueos æternæ ſuffragio ſalutis abſolvat. Per Dominum. *Alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui vitam humani generis pro nobis filio tuo moriente ſalvaſti, præſta quæſnmus, ut in hac populi tui devotione frnƈtus proveniat gaudiorum. Per. *Et antequam offerat poſtulat his verbis.*

Ad eſt, venerabilis Pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ, & ſalutis humanæ, qua mors interitum, & vita accepit æterna principium. Require in ſacramentorũ

& ple-

Digitized by Google

& pleniter invenies. Poſt hoc admonentur ab Epiſcopo, ſive ab alio Sacerdote, ut quod pœnitendo diluit, iterando non revocet. Inde vero has orationes dicit Sacerdos ſuper eum.

Adeſto Domine ſupplicationibns noſtris, & me, &c. *Alia.*

Præſta quæſumus Domine huic ſamulo tuo, &c. *Alia.*

Deus humani generis benigniſſime conditor, &c.

Iam ſæpius relatæ ſunt.

Ad reconciliandum.

Omnipotens ſempiterne Deus confitenti tibi huic famulo tuo *ill.* pro tua pietate peccata relaxa, ut non plns ei noceat conſcientiæ reatus ad pœnam quàm indulgentia tuæ pietatis ad veniam. Per Dominum noſtrum, &c.

Sequuntur tres aliæ orationes deinde communicantes, & infra actionem.

Poſtea, orationes ſuper Pœnitentes antequam communicent.

Deus juſtorum gloria, miſericordia peccatorum, da huic famulo tuo *ill.* plenam indulgentiam, & veniam ac Pœnitentiæ locum exoratus indulge, ut qui præterita peccata ſua deplorat, futura mala non ſentiat, neque jam ulterius lugenda committat. Dimitte ei Domine omnia crimina, & in ſemitis eum juſtitiæ placatus inſtaura, ut ſecurus mereatur deinceps inter tuos bene meritos currere, & ad pacis æterna præmia pervenire. Per.

Alia. Deus qui confitentium tibi corda purificas, &c. *habetur in ordine Romano, & ſupra in codice Toloſano in eundem finem.* *Alia.*

Da nobis quæſumus Domine, ut ſicut Publicani, &c. *ſupra edita eſt.* *Alia.*

Confitenti tibi Domine famnlo tuo *ill.* remitte delicta, ut qui conſcientia intrinſecus flagellatur, reconciliationis tuæ gratia conſoletur. Per. *Alia.*

Deus qui mundum in peccati fovea jacentem, &c.

longa eſt & legitur in ordine Romano.

Item poſtquam communicarunt.

Salvator noſter, redemptorque omnium, qui non ſolùm Pœnitentibus, ſed etiam ad te venire tardantibus, & ut ad te convertantur veniam promittis, te ſupplices quæſumus, ut hunc ſamulum tuum *ill.* corporis & ſanguinis tui communione percepta, indulta venia peccatorum ad cœleſtem benedictionem perducas. Per. *Alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui omnibus lapſis ad te converſis veniam tribuis, & ſatisfactionem peccatorum ad ad te confugientis libenter amplecteris, præſta ut per noſtræ manus impoſitionem ſuper hunc famulum tuum *ill.* magnum abſolutionis tuæ deſcendat auxilium, quatenus recepta communionis gratia referat te miſerante de hoſte ſæviente victoriam, diviniſque redditus menſis cœleſti pane ſatietur. Per Dominum.

Sequitur Benedictio.

Benedic Domine hoc Pœnitentes jam pietate reconciliatos, eoſque devotos ſemper reſpice Pater. Amen.

Humilitatem vide, gemitus ſuſcipe, dolentes paterna pietate jube conſolari. Amen.

Proſtratos alleva, diſperſos congrega, adunatoſque conſerva. Amen.

Eſurientes ciba, ſitientes pota, omneſque ſimul cœleſtibus bonis irriga. Amen.

Dele in eis omnem peccati maculam, ut te gubernante ad gloriam perveniant ſempiternam. Amen.

Humiliata tibi omnium capita, dexteræ tuæ benedictione ſanctifica, ac benedicendo peccata relaxa, Sanctique ſpiritus infunde chariſmata. Amen.

Ut ſine ulla offenſione majeſtatis tuæ præcepta adimpleant, & ad vitam æternam te auxiliante perveniant. Amen.

Quod ipſe præſtare digneris, qui cum Patre.

Poſtcom. Concede quæſumus Domine, ut percepti nobis Sacramenti myſterium & corpore ſentiamus & mente. Per.

Oratio ad reconciliandum Pœnitentem ad mortem.

Quatuor habentur orationes, quarum tres primæ eædem ſunt quæ in priore codice, Quarta hæc eſt.

Deus miſericors, Deus clemens, qui indulgentiam tuam nulla temporum lege concludis, ſed pulſantibus miſericordiæ tuæ januam aperis; Pœnitentes etiam ſub ipſo vitæ hujus termino non relinquis, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum *ill.* remiſſionem tibi omnium peccatorum tota cordis confeſſione poſcentem. Renova in eo, piiſſime pater, quod actione, quod verbo, quod ipſa denique cogitatione diabolica fraude vitiatum eſt, & imitati corporis Eccleſiæ membra tuæ redemptionis adnecte. Miſerere gemituum, miſere lachrymarum, & non habentem fiduciam niſi in miſericordia tua ad Sacramentum reconciliationis admitte: quia nullius animæ in hoc corpore conſtitutæ difficilis apud te, aut tarda curatio eſt. Fidelis enim es in verbis tuis qui converſum peccatorem non per longa temporum ſpatia differendum, ſed mox ut ingemuiſſet, dixiſti eſſe ſalvandum. Per.

Oratio poſt Confeſſionem.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, creator, & conſervator humani generis, qui peccantium Pœnitentiam vis potius quàm mortem, hunc ſervum tuum *ill.* qui mundi erroribus lapſus, atque diaboli infeſtatione deceptus, proſtratus jacet ante conſpectum majeſtatis tuæ. Tu quia pius es, & miſericors Deus, reſpice & erige * elyſoſum, ſolve compeditos ad ſalutem. Tu enim per Prophetam dixiſti, nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat. Concede ei etiam Domine, ut fructum dignum Pœnitentię peragat, & perpetuam veniam percipere mereatur; & Eccleſiæ tuæ ſanctæ conjunctus gratuletur. Per Dominum noſtrum.

* *Scribitur elyſoſum, reſtituendum, eliſum. Scribebatur, compeditus, repoſuimus, compeditos.*

Alia. Deus qui neminem vis perire, ſed omnes ad Pœnitentiam reverti, & vivere, qui ita percutis peccatorem, ut remedium flagella procurent, qui ut pius & humili paſtor ovem perditam relictis 99. juſtis in ovilis conſueto, propriis humeris revocas ad ovile, te quæſumus, ut errore jacentis famuli tui, *ill.* ſimili miſeratione digneris abſolvere. Per Dominum.

Priuſquam communicaverit.

Humili mente, charitate devota, fratres chariſſimi, immenſum atque clementem inviſibilem Deum petamus auxilium, ut Lapſorum gemitus atque obſecrationes exaudiat, oblivionis tradat priorem actuum maculas, & eoſdem ſub indulgentiam pietatis ſuæ ad ſacræ communionis participationem perducat. Per. *Alia.*

Salvator & redemptor noſter, qui non ſolùm Pœnitentibus, ſed etiam eis, qui nec ad te venire cupiunt, veniam ultroneus, ac propitius miſerator indulges. Te ſupplicamus & quæſumus, ut hunc famulum tuum *ill.* ad corporis & ſanguinis tui communionem, indulta venia, ad cœleſtem benedictionem perducas. Per. *Alia.*

Exaudi nos Domine Deus, & præſta, ut per manus impoſitionis noſtræ deſcendat ſuper hunc ſamulum tuum *ill.* idoneitatis auxilium, qui omnibus lapſis veniam libenter ignoſcis, & ſatisfactione contentus à te recipiente gratiam, referat de ſæviente hoſte victoriam, divinis redditus menſis cœleſti pane ſaturetur. Per Dominum noſtrum Jeſum.

IN LIBELLOS GRÆCORUM POENITENTIALES. Qui hic primùm eduntur.

PRÆFATIO.

QUanquam opere noſtro de Adminiſtratione Pœnitentiæ diffusè docuerimus qualis fuerit unoquoque ſeculo apud Græcos, non ſecus quàm apud Latinos Pœnitentiæ praxis: Multis præterea ſigiliatim & ſeorſim explicaverimus quæ apud Græcos, vel ſpecialia ſunt, vel ſpeciali adnotatione digna, ut videre potes *lib.4. cap. 8. & 19. lib. 5. cap. 19 lib.6. capitibus* 22. 23. 24. 25. 26. *lib. 8. cap.* 12. *lib. 9. cap 9.* Quaoquam inſuper alia plurima ſparſim, ejuſdem generis cum aliis conjuncta nota vetimus, ut *lib. 5. cap.* 11. & 27. *lib. 7. cap.* 13. *lib. 8. cap.* 14. 16. 18. *lib. 9. cap.* 12. nonnulliſque aliis in locis in quibus vel ſimilia disertè facta ſunt, vel nonnulla demonſtrata ſingulari modo apud Latinos ſeſe habere: Attamen id quod nobis toto opere noſtro de Eccleſia Orientali exponendum propoſuimus multò clarius, diſtinctius, & enucleatius fore nobis perſuaſimus, ſi quod in Latinorum cauſa præſtitimus, in Græcorum quoque præſtare poſſemus, hoc eſt, ſi libellos Pœnitentiales, Confeſſioniſque edendæ, & Pœnitentiæ imponendæ ordines aliquos oanciſcetemur, quos ut de Latinis ſecimus, luce donaremus. Libelii enim ejuſmodi graphicè & velut in ſpeculo nobis repræſentant ſingulas actionis iſtius circumſtantias, quas brevitatis cauſa, velut omnibus notas, prætermittunt canones, & Doctores. In nonnullos ejuſmodi libellos non infeliciter incidimus, quos Latinitate donatos nunc publicè exponimus. His alia ſubjungimus quæ licet Pœnitentialium librorum rationem non habeant, eorum tameo fundamenta vel confirmant, vel explicant. & utraque, quod nobis enarrare propoſitum eſt, Græcorum videlicet hodiernam & ab annis mille & prope ducentis continuatam praxim, plurimùm illuſtrant, Unde ea deprompſerimus in uniuſcujuſque libelli prooemio indicabimus. Hos libellos oculis ſi luſtraverit lector, conſpiciet luce meridiana clariùs admirandum & uuiſormem univerſi orbis in peccatorum confeſſione ſigillatim & minutim Sacerdoti edenda conſenſum, nihilque hac in cauſa tam difficile & ſingulare Eccleſiam occidentalem uſurpaſſe, quod ſimiliter & eodem modo, æqualique, aut majori cum ſeveritate Eccleſia Orientalis perpetuò non uſurpaverit: ac proinde falſiſſimè, ſummaque cum ignorantia Novatores jactare Confeſſionem auricularem receos eſſe Pontificum Romanorum inventum, & cooſcientiarum ab iis inſtitutam carnificinam, cum inſenſiſſimi Eccleſiæ Romanæ hoſtes qui quamlibet illius carpendæ & criminandæ occaſionem invidioſiſſimè captant, eandem diſciplinam ſeveriſſimè ſemper obſervaverint, atque etiamnum diligenter obſervent Nonnullæ novæ dictiones, aut antiquarum dictionum novæ ſignificationes in iſtos Pœnitentiales lapſu temporis irrepſetunt. Eas vel ex aliis recentiorum Græcorum libris edocti, vel conjectura noſtra *ducti* interpretati ſumus. Si cui non placet interpretatio noſtra, legem nemini præſcribimus. Textum Græcum qualem nacti ſumus, integrum & illibatum præ oculis habet, meliorem, per nos licet, architectetur.

Digitized by Google

In Joannem Jejunatorem Patriarcham Conſtantinopolitanum, ejuſque celeberrimum apud Græcos Pœnitentialem Libellum, Adnotatio.

PRimi libelli Pœnitentialis, quem ex veteribus membranis edimus, autor eſt Joannes Jejunator dictus, vir ea de cauſa, multiſque aliis apud Græcos celeberrimus. Profeſſione Monachus fuit populi rumoribus ob longa, continuaque jejunia famoſus, ita ut κατ' ἐξοχὴν, νηςευτὴς Jejunator diceretur. Anno 586. Mauritio imperante in Patriarcham Conſtantinopolitanum defuncto Eutychio eligitur. De eo ſic ſcribit S. Iſidorus in libello de viris illuſtribus: *Joannes ſanctæ memoriæ Conſtantinopolitanus Epiſcopus, natione Cappadox, vir fuit inæſtimabilis abſtinentiæ, & eleemoſynis in tantum largiſſimus, ut zelo avaritiæ adverſus eum Imperator Mauritius permotus, urbe pauperes pellendos ediceret. Hic Græco eloquio edidit de Sacramento baptiſmatis reſcriptum, ad beatæ recordationis Dominum meum, & prædeceſſorem Leandrum Antiſtitem: in quo nihil proprium ponit, ſed tantummodò antiquorum Patrum replicat de trina merſione ſententias. Claruit temporibus Mauritii Principis, defunctuſque, Auguſto eodem regnante.* Sophronius autem Patriarca Hieroſolymitanus apud Photium cap 231. eum vocat *verè virtutis domicilium.* Primus eſt Epiſcoporum CP. qui ſe œcumenicum, & univerſalem nuncupavit, cui glorioſo titulo primùm è tenebris emergenti ſeſe fortiter oppoſuit Pelagius II. ipſumque ſecutus Gregorius primus, & alii deinceps. Res hæc doctis omnibus notiſſima eſt, nihilque operi noſtro illuſtrando conducit. Ideo eam obiter adnotaſſe ſufficiat, ut qualis fuerit iſte Joannes innoteſcat. Superiorem tamen agnoſcebat Romanum Pontificem, ut legere eſt apud S. Gregorium lib. 2. epiſt. 52. & 64. Obiit anno 596. & à Græcis Sanctorum numero inſcriptus eſt. De ejus pietate, & de honore quem illi defuncto habuit Mauritius Imperator, multa Nicephorus lib. 18. cap. 34.

Joanni iſti Jejunatori præter reſcriptum de baptiſmo de quo mentionem facit S. Iſidorus tribuitur elegans dicta & pia Homilia de Pœnitentia, quæ in antiquis editionibus latinis inter opera S. Chryſoſtomi legitur 21. inter homilias ad populum Antiochenum; in Græcis autem & latinis, ad finem tomi quinti. Sed apud Græcos maximè celebris fuit Pœnitentialis canon quem edidit, licet multi nimiæ indulgentiæ eum damnaverint. Sic de eo cenſet Nicolaus Patriarcha referente Harmenopulo Epitomes canonum capite ultimo, *Scriptum illud canonicum Jejunatoris, quod nimiam lenitatem adhibeat complures perdidit. & qui quod bonum eſt, norunt, corrigentur.* De iſta Indulgentia lege quæ diximus lib 6. cap. 23. ſect. 4. Exemplari quod nacti ſumus titulus erat ἀκολουθία καὶ τάξις, &c. *Sequentia & ordo.* Ita vocare ſolent Græci officii alicujus ſacri conſcriptionem, eo quod ordine continuo, & conſequentibus, ſcilicet priora poſterioribus tradi ſoleat, ut paſſim videre eſt in omnibus Euchologiis.

Character membranę judicabatur annorum circiter quingentorum. Pertinebat ad inſignem Bibliothecam Altempſianam, mihique dum Romæ eſſem, exſcribendum tradidit Amicus. Mendæ nonnullæ ſunt, forſan etiam quædam noſtræ, aut illius qui operam ſuam nobis commodavit, irrepſerunt, cum aut feſtinanter nimis properavimus, aut non attente ſatis animum ad Dictionum compendia advertimus. Ea non ſunt tanti momenti, ut ſenſum inſigniter laxent, nedum remorentur. Cum nullo alio codice nitamur, textum illibatum reliquimus: ſenſui tamen interpretationem noſtram accommodantes. An autem ſincerus ſit Jejunatoris Pœnitentialis nullo additamento illitus, difficile dictu eſt, cum ejuſmodi libris, ut ſæpe monuimus, pro ſeculorum & regionum varietate aſſui multa ſoleant. Deinde etiam ex iis varia Breviaria in privatorum uſum confici ſolent, principali autoris ſemper nomine retento. Nonnulla citantur ab Harmenopulo velut ex Jejunatore quæ in codice noſtro non eodem planè modo deprehenduntur, quanquam inſit res ipſa. Eadem de Matthæo Blaſtare, qui paucula ex eo refert, dicenda ſunt. Verùm varietas iſta ſcopo noſtro nihil prorſus officit, imò multum proficit, cum ſemper ſub eodem diſciplinæ genere verſari deprehendatur. Vel enim varietas illa tantùm eſt verborum, vel accuratioris pœnarum enarrationis, vel pœnarum permutationis: cum hoc crimen in eo codice atrociore pœna plectitur quàm in alio: iſtud verò mitiore, è contra, iſtud crimen atrociore pœna in alio codice plectitur, quam hoc in eo codice. Ut de hac varietate Lector ipſe judicium feras, quidquid legendo nobis occurrit, edito Joannis Pœnitentiali ſubtexemus.

Digitized by Google

ἈΚΟΛΟΥΘΙ'Α ΚΑΙ' ΤΑ'ΞΙΣ ἐπὶ ἐξομολογουμένων συνταγεῖσα ὑπὸ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν ἸΩΑ'ΝΝΟΥ τοῦ νηστευτοῦ.

Λαμβάνει ὁ ἱερεὺς τὸν μέλλοντα ἐξομολογήσασθαι, καὶ ἱστᾷ αὐτὸν ἔμπροσθεν τοῦ θυσιαστηρίου, καὶ ψάλλει μετ' αὐτοῦ τὸ τρισάγιον, καὶ ψαλμὸν ἕκτον, Κύριε μὴ τῷ θυμῷ σου ἐλέγξῃς με, καὶ ψαλμὸν κδ'. Πρὸς σὲ Κύριε ἦρα τὴν ψυχήν μου, καὶ ψαλμὸν ν'. Ἐλέησόν με ὁ Θεὸς κατὰ τὸ μέγα ἔλεος. καὶ δοξάζει. Εἶτα λέγει ψαλμὸν λα'. Μακάριοι, ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι, καὶ ψαλμὸν ξθ'. ὁ Θεὸς εἰς τὴν βοήθειάν μου πρόσχες, καὶ ψαλμὸν ρα'. Κύριε εἰσάκουσον τῆς προσευχῆς μου, καὶ ἡ κραυγή μου. δόξα, καὶ λέγει τροπάριον ἤχου δ'. τὴν ταπεινήν μου ψυχὴν ἐπίσκεψαι. Ἄλλο: διαπλέων τὸ πέλαγος. Τῇ Θεοτόκῳ ἐκτενῶς νῦν προσδράμωμεν. μετὰ δὲ ταῦτα ἐπιλέγει καὶ τὴν ὑποτεταγμένην εὐχήν.

Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ πάντων πατὴρ, καὶ δεσπότης, καὶ πάντα ἐπιβλέπων. καὶ τοὺς πρὸς σὲ διὰ μετανοίας ἐκ τῶν ἰδίων ἁμαρτιῶν ἐπιστρέφουσι, τὴν τούτων ἄφεσιν φιλανθρώπως δωρούμενος, ὁ τῷ Δαβὶδ πλημμελήσαντι δι' ἐξομολογήσεως ἐλεήσας, ὁ τῷ Ἐζεκίᾳ δακρύσαντι, καὶ τὴν σὴν εὐσπλαγχνίαν ἐκδυσωπήσαντι ζωὴν ἐπιμετρήσας. ὁ τοῦ Μανασσῆ τὴν μετάνοιαν προσδεξάμενος, καὶ τῶν τοσούτων κακῶν ἀπαλλάξας. ὁ τῷ Πέτρῳ, καὶ πόρνῃ διὰ δακρύων τὴν συγχώρησιν παρασχόμενος. ὁ τελώνην στενάξαντα δικαιώσας. ὁ τῷ ἀσώτῳ τὰς πατρικὰς ὑπανοίξας ἀγκάλας. ὁ πάντας θέλων σωθῆναι, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν, καὶ χαίρων ἐπὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι, καὶ μὴ βουλόμενος τὸν θάνατον τοῦ ἁμαρτωλοῦ, ὡς τὸ ἐπιστρέψαι καὶ ζῆν αὐτόν, αὐτὸς ὑπεράγαθε σῶτερ, καὶ τῆς ἐμῆς ἐπακούσας δεήσεως τοῦ ἀναξίου καὶ ἀχρείου δούλου σου, ὃς οὐκ εἰμὶ ἄξιος τὸ σὸν ἐπικαλεῖσθαι πανάγιον ὄνομα διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἐμῶν ἀνομιῶν, ἀλλὰ τὸ τῆς ἱερωσύνης περικείμενος ἀξίωμα, καὶ κατὰ τὴν σὴν φιλάνθρωπον ἐντολὴν τοὺς ἐξομολογουμένους σοι τὰ οἰκεῖα πλημμελήματα προσδεχόμενος, μετὰ φόβου καὶ τρόμου καθικετεύω σε. ἐπάκουσον οὖν μου τοῦ ἁμαρτωλοῦ κατὰ τὸ πλῆθος τοῦ ἐλέους σου, καὶ πρόσδεξαι τὸν δοῦλόν σου τὸν δ' ἐξομολογούμενον. Καὶ εἴτε πεπλημμέληται αὐτῷ ἑκούσιον ἢ ἀκούσιον ἁμάρτημα, ἐν λόγῳ ἢ ἔργῳ ἢ κατὰ διάνοιαν, ὡς ἀγαθὸς πάριδε, σὺ γὰρ μόνος ἔχεις ἐξουσίαν ἁμαρτίας ἀφιέναι, καὶ σοὶ προσπίπτομεν. καὶ σὲ παρακαλοῦμεν, καὶ αἰνοῦμεν δοξάζοντες σὺν Πατρὶ, καὶ ἁγίῳ Πνεύματι νῦν, &c.

Μετὰ ταῦτα παρασκευάζει αὐτὸν ἀσκεπεῖ τῇ κεφαλῇ τρεῖς γονυκλισίας ποιεῖν, ποιῶν καὶ αὐτὸς ὡσαύτως, καὶ ἀναστάντα κατηχεῖ λόγοις οὕτως.

Οὐκ ἐγώ σου τέκνον πνευματικὸν τὴν ἐξομολόγησιν προηγουμένως δέχομαι, καὶ τὴν συγχώρησίν σοι παρέχομαι, δι' ἐμοῦ δὲ ὁ Θεός. ἐκείνου γὰρ τὸ τοιοῦτον ἔργον, ὅς σου τῶν ἡμαρτημένων ἐξομολόγησιν προσδεξάμενός σε, καὶ τὴν τούτων ἄφεσιν ἐπιβραβεύσει διὰ τῆς ἡμετέρας φωνῆς, οἰκειοδεσποτείας φωνῆς αὐτὸς ἀπεφήνατο, κατὰ πολλὴν καὶ ἄφατον φιλανθρωπίαν εἰρηκὼς οὕτως, ὅσα ἐὰν δήσητε, ἢ λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται καὶ ἐν οὐρανοῖς, τὰ μὲν δεδεμένα, τὰ δὲ λελυμένα. ὡς οὖν αὐτῷ τὰ κρυπτὰ τῶν καρδιῶν εἰδότι, τὰ κρυφῇ σοι πεπραγμένα διεξαγγέλλων ἐνώπιον τῶν ἁγίων ἀγγέλων μηδὲν ἀποκρύπτης ἀπ' ἐμοῦ. καὶ αὐτὸς ὁ τῶν κρυπτῶν γνώστης, ἀφαιρεῖ σου πάντα τὰ ὑπὸ σοῦ φανερούμενα. οὐ μόνον τὰ προγεγονότα, καὶ τὰ νῦν ἐνεργηθέντα, καὶ ἀλλὰ τὰ ἐπιγενησόμενα, καὶ φωτίσει τὴν διάνοιάν σου διὰ τοῦ παναγίου πνεύματος, καὶ διδάξει σε μεριμνᾶν πάντοτε καὶ λαλεῖν τὰ αὐτῷ εὐάρεστα. καὶ δώσει σοι ταπείνωσιν ἀληθῆ, ἀγάπην ἀνυπόκριτον, μακροθυμίαν ἀνεξίκακον, ὑπομονὴν, καὶ πραότητα, φόβον ἁγνότατον ἐμβαλεῖ τῇ καρδίᾳ σου, καὶ ἁπαξαπλῶς εἰπεῖν εἰς πάσας τὰς τῶν ἀγαθῶν ἐργασίας ῥυθμίσει σε. Κλῖνον τοίνυν ὦ τέκνον τὸ οὖς σου, καὶ ἡδέως ἄκουσον Θεοῦ παραγγελμάτων, οὕτω διὰ τῶν ἁγίων γραφῶν πρὸς ἡμᾶς λέγοντος, ἐπιστράφητε πρός με, καὶ ἰάσομαι τὰ συντρίμματα ὑμῶν. Καὶ πάλιν, μὴ βραδύνῃς ἐπιστρέψαι πρὸς Κύριον, καὶ μὴ ἐκλύου ἡμέραν ἐξ ἡμέρας, ὅτι ὁ θάνατος οὐ βραδύνει. Καὶ ἄνθρωπος ἐπιστρέψας ἐξ ὁδοῦ ἀσεβείας αὐτοῦ ζωῇ ζήσεται, καὶ οὐ μὴ ἀποθάνῃ, καὶ τῶν ἀνομιῶν αὐτοῦ οὐ μὴ μνησθῶ. Καὶ πάλιν ἐξομολογεῖσθε τῷ κυρίῳ ὅτι χρηστός, καὶ ἐξομολογεῖ-

CONSEQUENTIA *& ordo erga eos qui peccata confitentur, obſervandus; à ſancto Patre noſtro Joanne Jejunatore compoſitus, & inſtitutus.*

ASſumit Sacerdos peccata conſeſſurum, & ſiſtit eum coram altari, cantatque cum eo triſagion, & Pſalmum ſextum, Domine ne in furore tuo arguas me: Et Pſalm. 24. Ad te Domine levavi animam meam: Et Pſalmum 50. Miſerere mei Deus ſecundum magnam. Kyrie eleiſon. Deinde glorificat. Poſtea recitat Pſalmum 31. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates; Et Pſalmum *69*. Deus in adjutorium meum intende: & Pſalmum 101. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus. Gloria, & dicitur Troparium toni quarti, Humilem animam meam viſita. Aliud, Navigans pelagus. Ad Dei genitricem ſedulò nunc confugiamus. Poſtea ſequentem recitat orationem.

Domine Deus noſter qui omnium pater es, & Dominus, qui omnia inſpicis, & iis qui ad te per Pœnitentiam à peccatis propriis convertuntur, ea benignè & amanter remittis, qui Davidis prævaricantis miſertus es per Confeſſionem, qui Ezechiæ lachrymanti, & facilitatem tuam in clementiam flectenti & exoranti vitam ſuperaddidiſti, qui Manaſſen pœnitentiam amplexum tantis malis liberaſti: qui Petro & Meretrici per lachrymas veniam præbuiſti: qui Publicanum gementem juſtificaſti: qui Prodigo ulnas paternas aperuiſti: qui omnes vis ſalvari, & ad veritatis cognitionem venire: qui lætaris ſuper peccatore pœnitente, & non vis mortem peccatoris, ut convertatur & vivat. Ipſe, Optime Servator, exaudi deprecationem meam, deprecationem indigni & inutilis ſervi tui, qui propter multitudinem iniquitatum mearum dignus non ſum qui invocem Sanctiſſimum nomen tuum. Verùm quia Sacerdotii dignitate præditus ſum, & ſecundum benignitatis tuæ mandatum confitentes tibi propria peccata ſuſcipio, cum timore & tremore tibi ſupplico. Exaudi igitur me peccatorem ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ, & ſuſcipe ſervum tuum N. confitentem: Et ſi aliquod ab eo peccatum perpetratum eſt, ſive voluntarium, ſive involuntarium, vel verbo, vel opere, vel cogitatione, ut benignus illud ne reſpice. Tu enim ſolus poteſtatem habes peccata remittendi, & tibi accedimus, teque rogamus, & laudamus glorificantes, cum Patre, & Sancto Spiritu nunc, &c.

Poſtea ipſum diſponit & monet ut aperto capite, tres genuflexiones faciat, toties ipſe ſimul genuflectens, & poſtquam ſurrexit; ſic eum inſtituit, & catechizat.

Spiritualis fili, Ego confeſſionem tuam primariò & præcipuè non recipio, nec tibi Abſolutionem concedo, ſed per me Deus (illius enim eſt opus ejuſmodi) peccatorum tuorum confeſſionem ſuſcipit, & per noſtram vocem horum remiſſionem diſpenſat & largitur, ſicut per propriam vocem ipſe declaravit, cùm ſecundùm multam quæ exprimi non poteſt ejus miſericordiam ita dixit, Quæcumque ligaveritis, aut ſolveritis ſuper terram, erunt in cœlis, illa quidem ligata, hæc verò ſoluta. Revela igitur & declara coram ſanctis Angelis, nihilque me cela eorum quæ à te clam facta ſunt, velut ſi Deo occulta cordium cognoſcenti confitereris, & ipſe occultorum cognitor delebit omnia quæ revelaveris, non ſolùm quæ antea facta ſunt, & quæ nunc fiunt, ſed etiam fient, & illuminabit mentem tuam per ſanctiſſimum Spiritum, teque docebit curare ſemper & loqui quæ ipſi placita ſunt, dabit etiam tibi veram humilitatem, charitatem non fictam, longanimitatem malorum tolerantem, patientiam, & manſuetudinem, timorem puriſſimum immittet in cor tuum: Atque ut ſimpliciter & generaliter dicam, ad cujuſcumque boni operationem te aptabit, & componet. Inclina igitur fili aurem tuam, & ſuaviter audi mandata Dei ſic per ſanctas ſcripturas dicentis, Convertimini ad me & ſanabo contritiones & confuſiones veſtras. Et iterum, ne tardes converti ad Dominum, & ne diſſolvas diem ex die, quia mors non tardat. Et homo converſus à via iniquitatis ſuæ vita vivet, & non morietur & iniquitatum ejus non reminiſcar. Et iterum, Confitemini Domino quoniam bonus. Et confitemini alterutrum deli-

Digitized by Google

delicta veſtra, & orate pro iuvicē ut ſanemini. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Sic igitur per omnes ſcripturas admonitus, & ad participationem cœleſtium & æternorum bonorum advocatus, attende ne poſt repudiationem iniquorum operum in eadem iterum te convertas, & aſſimileris cani ad proprium vomitum revertenti, & ſui lotæ ad volutabrum cœni. Vide, fili, per gratiam Chriſti, quę tibi proſunt expoſui tibi, & nihil prętermiſi eorum quæ conferunt ad utilitatem & ſalutem tuam. Cæterùm nihil procraſtinans, aut erubeſcens enarra coram Deo, & ſanctis Angelis. Licèt enim hoc pudendum & probroſum tibi videatur, opera probris & pudori obnoxia revelare, attamen eximiè & accuratè tibi perſuaſum eſto per præſentem pudorem te à futuro liberari, & mandatis obediendo non modo indulgentia, ſed etiam coronis te dignū fieri. Per Chriſtum Dominum noſtrum cui ſit gloria in ſecula. Amen.

Poſtea ſi vir eſt qui confitetur, monet eum ut caput aperiat, ſicut dictum eſt, licet diadema geſtet: Non autem ſi mulier: Si verò Abbas, cucullum qui ſuper caput ejus eſt, deponere jubeat, deinde procidere ante altare, & dicere, Confiteor tibi Pater, ſic Domine factor cœli & terræ, omnia occulta cordis mei. Poſtquam autem hęc verba protulit eum ſurgere jubet, & ſtare in una parte ingreſſus ad altare, ipſe verò ei ad alterum latus adſtat; & eum interrogat cum omni hilaritate & benignitate, ipſumque ſi poſſibile eſt, deoſculatur, & manus confitentis proprio collo imponit, præſertim ſi videat ipſum intolerabili triſtitia & pudore confectum quæ ei ſerviliter dominentur, ipſique manſueta & ſerena voce dicit.

Quomodo Domine frater vel ſoror, primùm virginitas tua corrupta eſt? Per fornicationem, vel legitimum matrimonium, vel per mollitiem, aut aliquid eorum quæ ſunt contra naturam. Confitentem verò & dicentem ſic & ſic, iterum ipſum interrogat, in quot mulieres inciderit, antequam uxorem duceret: Num aliquæ ipſarum eſſent ancillæ, quantæ viduæ, & quantæ nuptæ: Num aliquæ Monachæ, & quot: Num aliquæ magnum habitum geſtarent. Quæ enim parvum ut meretrices judicantur: quæ verò magnum ut nuptæ. Quod ſi meretrices erant, quantæ, & quantæ Virgines.

Hæc in primis Confeſſorem oportet interrogare Confitentem: in univerſum ſimul in quotas incidit. Ante enim omnia numerus quæritur, & perſonarum differentia. Sex enim ſunt differentiæ. Aliud eſt enim judicium ſervi, aliud liberæ: Aliud meretricis, aliud virginis: aliud viduæ, & aliud nuptæ: aliud Monachæ, & aliud virum ſacratum habentis.

Similiter & de maſculorum concubitu ipſum interrogare oportet, cujus criminis tres ſunt differentiæ. Aliud eſt enim ab alio pati, quod actione levius eſt: & aliud in alterum agere, quod τῷ pati gravius eſt, aliud pati ab altero, & in alterum agere, quod duabus prædictis differentiis gravius eſt. Nam pati ſolùm, vel agere ſolùm, tantum non eſt quantum pati & agere. Inquirere etiam oportet in quam harum differentiarum incidit, & quoties, & per quantum tempus: Et ſi antequam uxorem duxit, vel poſt eam ductam: Si ante ætatis triginta annos, aut poſtea hæc fecerit. Interrogandus præterea an bruta iniverit, cujus una eſt differentia. Similiter, & de mollitie cujus duæ ſunt differentiæ, una quæ propria manu ſuſcitatur, altera quæ aliena quam Principes cum ſeipſis miſerabiliter operantur, alios perdentes qui tantum ſcelus ab iis edocti ſunt. Similiter & de perplexa, & admodum præſtigioſa, & valde tenebroſa ſanguinis permiſtione, cujus non eſt una, aut dua, ſed multæ & variæ differentiæ. Incidere enim in duas ſorores, vel ex patre, vel ex matre, vel ex utroque, aliud eſt. Aliud quoque in Patruelem: Aliud in Patruelis filiam: Aliud in ſponſam filii, aut fratris uxorem. Aliud in ſocrum & in conſocrum; & aliud in novercam, aut aliquam Patris concubinarum. Quidam ad proprias uſque matres procedunt. Aliud iterum cum propria filia ſpirituali, & aliud cum qua filiam in baptiſmo ſuſcepit. Scelus quidem maſculorum concubitus multi etiam cum mulieribus ipſis perficiunt.

Sic etiam inquirere eum oportet de cæde voluntaria & involuntaria. Si injuria, aut contumelia Parentes affecit, aut verberavit, vel conviciis & probris inſectatus eſt. Si poſtquam bibit, aut comedit, communicavit, aut in quadrageſima ſe polluit, aut mulieri commixtus indifferens & parvi momenti hoc exiſtimans ſancta myſteria ſumpſit; aut clandeſtino matrimonio junctus eſt; aut impudica oſcula, con-

σθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα, καὶ εὔχεσθε ὑπὲρ ἀλλήλων, ὅπως ἰαθῆτε. δεῦτε πρός με πάντες οἱ κοπιῶντες καὶ οἱ πεφορτισμένοι, κἀγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς. οὕτως οὖν διὰ πάσης γραφῆς νουθετούμενος, καὶ πρὸς μετουσίαν τῶν οὐρανίων καὶ ἀϊδίων ἀγαθῶν προσκαλούμενος, πρόσεχε μήπως μετὰ τὴν ἀθέτησιν τῶν ἀθέσμων ἔργων εἰς τὰ αὐτὰ πάλιν ἐπιστρέψῃς, καὶ ὁμοιωθήσῃ κυνὶ, πρὸς τὸν ἴδιον ἔμετον ἐπιστρεφομένῳ, καὶ ὑῒ λουσαμένῃ εἰς κύλισμα βορβόρου. ἰδοὺ τέκνον χάριτι Χριστοῦ τὰ συμφέροντα ὑπεθέμην σοι, καὶ οὐδὲν ἐνέλιπον τῶν εἰς ὠφέλειαν καὶ σωτηρίαν σου συντεινόντων. λοιπὸν μὴ ἀναβαλλόμενος ἢ αἰσχυνόμενος ἐνώπιον Θεοῦ καὶ τῶν ἁγίων ἀγγέλων ἐξάγγειλον. εἰ γὰρ καὶ αἰσχύνη σοι δοκεῖ τό τε τῆς αἰσχύνης ἀνακαλύπτειν ἔργα, πλὴν ἀκριβῶς πίστευσον ὡς διὰ τῆς παρούσης αἰσχύνης ἀπαλλάττῃ τῆς μελλούσης. Καὶ διὰ τῆς τῶν ἐντολῶν ἐργασίας οὐ συγχωρήσεως μόνον, ἀλλὰ καὶ στεφάνων καταξιοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, Ἀμήν.

Καὶ μετὰ ταῦτα ποιεῖ αὐτὸν ἀποσκεπάζεσθαι καθὼς προείρηται τὴν τούτου κεφαλὴν εἰ ἔχει εἶναι τὸ διάδημα φορῶν, ἐὰν ἐστὶν ἀνήρ, εἰ δὲ γυνὴ, οὔ. εἰ δὲ Ἀββᾶς, ἐπάνω τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ τὸ ἑαυτοῦ κουκούλλιον βαλεῖν, καὶ πεσεῖν ἔμπροσθεν τοῦ θυσιαστηρίου, καὶ λέγειν ἐξομολογοῦμαί σοι πάτερ, οὕτως κύριε ποιητὰ οὐρανοῦ καὶ γῆς πάντα τὰ κρύφια τῆς καρδίας μου. Καὶ μετὰ τὸ εἰπεῖν τὸν λόγον τοῦτον ἀνιστᾶν αὐτὸν καὶ ἱστᾶν ἐν τῷ ἑνὶ μέρει τῆς εἰσόδου τοῦ θυσιαστηρίου, καὶ αὐτὸν ἵστασθαι εἰς τὸ ἕτερον· καὶ ἐπερωτᾶν αὐτὸν μετὰ πάσης ἱλαρότητος καὶ προσηνείας. εἰ δυνατὸν καὶ καταφιλεῖν αὐτὸν, καὶ τὰς χεῖρας αὐτοῦ τοῦ ἐξομολογουμένου ἐπὶ τὸν ἴδιον ἐπιτιθέναι αὐχένα μάλιστα ἐὰν ὁρᾷ αὐτὸν κατηποιούμενον καὶ κατακυριευόμενον ὑπὸ τῆς ἀφορήτου λύπης καὶ αἰσχύνης, καὶ πραείᾳ γαληνοτάτῃ φωνῇ λέγειν πρὸς αὐτόν.

Πῶς σου Κύριε ἀδελφὲ ἢ ἀδελφὴ ἐν πρώτοις ἡ παρθενία διεφθάρη, διὰ πορνείας, ἢ διὰ νομίμου γάμου, ἢ διὰ μαλακίας ἢ τινὸς τῶν παρὰ φύσιν. Συντιθέμενον δὲ καὶ οὕτως εἰπόντα, πάλιν ἐπερωτᾶν αὐτὸν, εἰς πόσας ἔπεσε γυναῖκας πρὸ τοῦ λαβεῖν γυναῖκα, καὶ εἰ ἄρα ἦσαν ἐξ αὐτῶν δοῦλαι, καὶ πόσαι χῆραι, καὶ πόσαι ὕπανδροι, καὶ εἰ ἄρα μονάστριαι, καὶ πόσαι. Καὶ εἰ ἄρα μεγαλόσχημοι. αἱ γὰρ μικρόσχημοι, ὡς πόρναι κρίνονται, αἱ δὲ μεγαλόσχημοι, ὡς ὕπανδροι. Καὶ εἰ ἄρα πόρναι, καὶ πόσαι παρθένοι.

Ταῦτα ἐν πρώτοις χρὴ τὸν τὰς ἐξομολογήσεις ἀναδεχόμενον ἐρωτᾶν τὸν ἐξομολογούμενον· καὶ τὸ ὅλον εἰς πόσας ὁμοῦ περιέπεσε. πρὸ πάντων γὰρ ὁ ἀριθμὸς ζητεῖται, καὶ ἡ τῶν προσώπων διαφορά. Ἓξ γάρ εἰσιν αἱ διαφοραί. ἄλλο γὰρ τὸ τῆς δούλης κρίμα, καὶ ἄλλο τῆς ἐλευθέρας, ἄλλο τῆς πόρνης, καὶ ἄλλο τῆς παρθένου, ἄλλο τῆς χήρας, ἄλλο τῆς ὑπάνδρου, καὶ ἄλλο τῆς μοναζούσης, καὶ ἄλλο τῆς ἱερωμένον ἐχούσης ἄνδρα.

Καὶ περὶ ἀρσενοκοιτίας ἐρωτᾶν· ἧς καὶ αὐτῆς διαφοραὶ τρεῖς. ἄλλο γὰρ τὸ παρ᾽ ἄλλου παθεῖν, ὃ καὶ κουφότερον τοῦ ποιῆσαι. καὶ ἄλλο τὸ ποιῆσαι εἰς ἕτερον, βαρύτερον τοῦ παθεῖν ὄν. ἄλλο τὸ παθεῖν παρ᾽ ἑτέρου, καὶ ποιῆσαι εἰς ἕτερον, ὃ καὶ τῶν προειρημένων διαφορῶν βαρύτερον. τὸ γὰρ παθεῖν μόνον, ἢ ποιῆσαι μόνον οὐκ ἔστι τοσοῦτον ὅσον τὸ παθεῖν καὶ ποιῆσαι. καὶ ἐρωτᾶν εἰς ὁποῖον τύπον τῶν διαφορῶν πίπτωσι. καὶ ποσάκις, καὶ διὰ πόσου χρόνου. καὶ εἰ πρὸ τοῦ γυναῖκα λαβεῖν, καὶ μετὰ τὸ λαβεῖν. καὶ εἰ πρὸ τριάκοντα χρόνων τῆς αὐτοῦ ἡλικίας ἢ μετὰ ταῦτα. ἔτι καὶ κτηνοβασίαν ἧς μία διαφορά. Ὡσαύτως καὶ περὶ μαλακίας, ἧς δύο εἰσὶν αἱ διαφοραί. μία μὲν ἡ διὰ οἰκείας χειρὸς ἐνεργουμένη. ἑτέρα δὲ ἡ δι᾽ ἀλλοτρίας ἣν δηλονότι οἱ ἄρχοντες ἐπιτελοῦσι μεθ᾽ ἑαυτῶν, καὶ ἑτέρους προσαπολλύντες, τοὺς παρ᾽ ἑαυτῶν τὸ τοιοῦτον μύσος δεδιδαγμένους. ὁμοίως καὶ περὶ τῆς περιπλόκου, καὶ πολυμαγγάνου, καὶ πολυσκότου αἱμομιξίας. ἧς οὐ μία τις, οὐδὲ δύο, ἀλλὰ πολλαὶ καὶ ποικίλαι αἱ διαφοραί. τὸ γὰρ εἰς δύο περιπεσεῖν ἀδελφὰς ἐκ πατρὸς ἢ ἐκ μητρὸς, ἢ καὶ ἐξ ἀμφοτέρων ἄλλο. καὶ ἄλλο τὸ εἰς ἐξαδέλφην. ἕτερον τὸ εἰς δισεξαδέλφην. ἄλλο τὸ εἰς νύμφην υἱοῦ, ἢ ἀδελφοῦ γυναῖκα. ἄλλο τὸ εἰς πενθερὰν ἢ εἰς συμπενθεράν. καὶ ἕτερον τὸ εἰς μητρυιὰν ἢ τινὰ τῶν τοῦ πατρὸς παλλακῶν. φθάνουσι δέ τινες καὶ μέχρι τῶν ἰδίων μητέρων. ἄλλο πάλιν τὸ εἰς τὴν ἰδίαν συντέκνον, καὶ ἄλλο τὸ εἰς ἣν ἐδέξατο θυγατέρα. τὸ μέντοι τῆς ἀρσενοκοιτίας μύσος πολλοὶ καὶ μετὰ τῶν γυναικῶν αὐτῶν ἐκτελοῦσιν.

Ὡς δὲ καὶ περὶ φόνου ἑκουσίου καὶ ἀκουσίου διερωτᾶν. καὶ εἰ ἄρα ὕβρισε γονεῖς, ἢ ἔτυψεν, ἢ ἐλοιδόρησε, καὶ εἰ φαγὼν ἢ πιὼν ἐκοινώνησεν, ἢ ἐμιάνθη τῇ τεσσαρακοστῇ, ἢ γυναικὶ μιχθεὶς ἀδιαφόρως μετέλαβεν; ἢ λαθρογαμίαν ἐποίησε, ἢ ἀσπασμοὺς καὶ ἐπαφὰς ἐποίη-

ἐποίησε, τὸ δὲ ἔργον οὐκ ἐτέλεσε· ἢ παιδοφθόρησεν, ἢ μισθόν τινος ἀπεστέρησεν, ἢ κατελάλησε ποτέ τινα, ἢ ἀδίκως ὕβρισεν, ἢ ἔφαγεν αἷμα, ἢ πνικτὸν, ἢ θηριάλωτον, ἢ θνησιμαῖον, ἢ ὀρνεοπάτακτον ἔφαγεν. ἢ εἰς μαντείας, ἢ εἰς μαγείας, ἢ εἰς φαρμακείας εὑρέθη· καὶ εἰ ἄρα λογισμὸς ἦλθεν αὐτῷ περὶ αἱρέσεως εἴτε φθόνου καὶ μνησικακίας ἔχει κατά τινος· εἴτε ἐπιώρκησεν, ἢ ἔκλεψεν, ἢ ἀλλότριον πρᾶγμα ἥρπασεν, ἢ παρακαταθήκην τοῖς λαβὼν ἠρνήσατο, ἢ ψευδομαρτυρίαν ἐποίησεν, ἢ ὕβρισεν ἱερέα, ἢ ἀνάδοχον· καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν περὶ πάντων δεῖ ἐρωτᾶν μετὰ πάσης ἀκριβείας. ἐνδέχεται γάρ τινα πᾶσαν κακίαν ἐργασίαν μετελθεῖν. πάντα οὖν ἐξετάσας, καὶ ἀκριβωσάμενος, ἅπερ ἀκούσει τοῦτον ὁμολογοῦντα, καὶ συγκατατιθέμενον ὀφείλει καθ' ἕκαστον λέγειν, ὁ Θεὸς συγχωρήσαι σοι. καὶ μετὰ τὸ ἀπαριθμήσασθαι πάντα, καὶ τὴν ἐξομολόγησιν δέξασθαι, πάλιν ἐπάγειν κάτω κειμένου τοῦ ἐξαγγείλαντος.

Ὁ Δεσπότης καὶ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ Θεὸς συγχωρήσαι σοι πάντα ὅσα κατ' ἐνώπιον αὐτοῦ, τῇ οὐθενότητί μου ἐξήγγειλας·

Ἑτέρα λύσις.

Ὁ Θεὸς ὁ συγχωρήσας διὰ Νάθαν, τῷ Δαβὶδ τὰ ἴδια ὁμολογήσαντι κακὰ, καὶ Πέτρῳ τὴν ἄρνησιν κλαύσαντι ἰσχυρῶς, καὶ πόρνῃ δακρυσάσῃ ἐπὶ τοὺς ἀχράντους αὐτοῦ πόδας, καὶ Μανασσῇ, καὶ τελώνῃ καὶ ἀσώτῳ. ὁ εἰπὼν ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα, αὐτὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν, καὶ Κύριος ἡμῶν, καὶ Ἰησοῦς Χριστὸς, συγχωρήσαι σοι πάντα ὅσα ἐνώπιον αὐτοῦ τῇ ἐμῇ ἐξήγγειλας ἐλαχιστότητι, ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, καὶ ἐν τῷ μέλλοντι· καὶ ἀκατακρίτως σε ἔμπροσθεν τοῦ βήματος αὐτοῦ παραστῆναι καταξιώσῃ, ὁ ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας· Ἀμήν.

Ἑτέρα λύσις.

Ὁ Θεὸς ὁ δι' ἡμᾶς ἐνανθρωπήσας, καὶ πάσας τοῦ κόσμου τὰς ἁμαρτίας βαστάζων. αὐτὸς τῇ αὐτοῦ παναγάθῳ χρηστότητι, καὶ ταῦτα πάντα ἀδελφὲ ἀποδέξηται, ὅσα νῦν ἐνώπιον αὐτοῦ τῇ ἐμῇ ἐξεῖπες ἀναξιότητι, συγχωρῶν σοι πάντα καὶ ἐν τῷ νῦν αἰῶνι καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, ὁ θέλων, καὶ μένων, καὶ νέμων ἅπασιν τὴν σωτηρίαν, ὁ ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

Εἶτα οὕτως ἐπεύχεται.

Ὁ Θεὸς, ὁ σωτὴρ ἡμῶν ὁ διὰ τοῦ προφήτου σου Νάθαν, μετανοήσαντι τῷ Δαβὶδ ἐπὶ τοῖς ἰδίοις πλημμελήμασιν ἄφεσιν δωρησάμενος. καὶ τοῦ Μανασσῆ τὴν ἐπὶ μετανοίᾳ προσευχὴν προσδεξάμενος. αὐτὸς καὶ τὸν δοῦλόν σου Δ'. μετανοήσαντα καὶ ἐξομολογησάμενον τὰ ἴδια παραπτώματα πρόσδεξαι τῇ συνήθει σου εὐσπλαγχνίᾳ. σὺ γὰρ εἶ Κύριε, ὁ καὶ ἑβδομηκοντάκις ἑπτὰ κελεύσας ἀφιέναι τοῖς ἐν ἁμαρτίαις περιπίπτουσιν· ὅτι ὡς ἡ μεγαλωσύνη σου, οὕτω καὶ τὸ ἔλεός σου· καὶ σὺ εἶ ὁ Θεὸς τῶν μετανοούντων, μετανοῶν ἐπὶ πάσαις ταῖς κακίαις ἡμῶν· καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν, τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν.

Δέσποτα Κύριε ὁ Θεὸς ὁ καλῶν δικαίους εἰς ἁγιασμὸν, καὶ ἁμαρτωλοὺς εἰς τὸ δικαιῶσαι αὐτούς· πρόσδεξαι τὴν μετάνοιαν τοῦ δούλου σου τοῦ Δ'. καὶ προσπίπτοντα τῇ μεγαλωσύνῃ σου ἐν ἐξομολογήσει τῶν ἡμαρτημένων αὐτῷ, ἐλευθέρωσον ὡς ἀγαθός. καὶ λύτρωσαι αὐτὸν ἐκ πάσης σαρκικῆς ἁμαρτίας. λάμπρυνον ἐκ πάσης ἐρρυπωμένης συνειδήσεως, καθάρισον καὶ ἐνδυνάμωσον ἐν τῇ ἐργασίᾳ τῶν σῶν ἐντολῶν· καταξίωσον τῆς ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν αὐτοῦ, ἵνα διὰ καθαρότητος ψυχῆς καὶ σώματος κατασκηνώσας ἐπ' αὐτὸν τὸ ἅγιον πνεῦμα, κληρονόμον ἀποδείξῃ τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, χάριτι, καὶ οἰκτιρμοῖς, καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, μεθ' οὗ εὐλογητὸς εἶ σὺν τῷ παναγίῳ, καὶ ἀγαθῷ, καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι, νῦν·

Κύριε ὁ Θεὸς τῆς σωτηρίας τῶν δούλων σου, ὁ ἐλεήμων, καὶ οἰκτίρμων, μακρόθυμος καὶ πολυέλεος, ὁ μετανοῶν ἐπὶ ταῖς ἡμετέραις κακίαις, ὁ μὴ βουλόμενος τὸν θάνατον τοῦ ἁμαρτωλοῦ, ὡς τὸ ἐπιστρέψαι καὶ ζῆν αὐτόν· αὐτὸς καὶ νῦν παρακλήθητι ἐπὶ τὸν δοῦλόν σου τὸν Δ'. καὶ παράσχου αὐτῷ συγγνώμην ἁμαρτιῶν, ἱλασμὸν ἀνομιῶν, συγχωρῶν αὐτῷ πᾶν πλημμέλημα ἑκούσιόν τε καὶ ἀκούσιον· διαλλάγηθι καὶ ἕνωσον αὐτὸν τῇ ἁγίᾳ σου ἐκκλησίᾳ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, μεθ' οὗ σοι κράτος, μεγαλωσύνη καὶ μεγαλοπρέπεια σὺν τῷ παναγίῳ καὶ ζωοποιῷ πνεύματι, Νῦν.

Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, υἱὲ τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, ἀμνὲ καὶ ποιμὴν ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ὁ τὸ δάνειον χαρισάμενος τοῖς δυσὶ χρεωφειλέταις. καὶ τῇ ἁμαρτωλῷ γυναικὶ δοὺς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, ὁ τὴν ἴασιν τῷ παραλυτικῷ δωρησάμενος σὺν τῇ ἀφέσει τῶν ἁμαρτιῶν αὐτοῦ, αὐτὸς δέσποτα ἄνες. ἄφες. συγχώρησον τὰς ἀνομίας, τὰς ἁμαρτίας, τὰ πλημμελήματα, τὰ ἑκούσια, τὰ ἐν γνώσει, τὰ ἐν ἀγνοίᾳ, τὰ ἐν παρακοῇ, καὶ ἐν παραβάσει γενόμενα πα-

tractationeſque fecit, ipſum verò opus non perfecit, aut cum pueris ſeſe corrupit, aut aliquem mercede fruſtravit: aut maledicentia læſit: aut injuſtè contumelia affecit: aut ſanguinem, aut ſuffocatum, aut à belluis captum, & diſcerptum aut morticinum, aut ab avibus percuſſum comedit, aut in divinationibus, aut magiis, aut veneficiis deprehenſus eſt. Atque etiam ſi de hæreſi ipſum cogitatio cœpit, ſive invidia & mali accepti recordatione adverſus aliquem laborat, ſive pejeravit, ſive furatus eſt, aut aliena bona rapuit, aut depoſitum denegavit, aut falſum teſtimonium tulit, aut Sacerdotem contumelioſè habuit, aut ſuſceptorem. Atque ut abſolutè dicam, de omnibus eum omni cum diligentia inquirere debet. Contingit enim quandoque, aliquem omne peccati genus aggredi & operari. Omnia igitur cum exquiſierit, & diligenter conſideraverit, debet ad ſingula quibus Confitentem aſſentiri audierit, dicere, Deus tibi indulgeat. Poſtquam autem omnia recenſuerit, & Confeſſionem exceperit, Confitente infernè jacente, addet.

Herus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus Deus, indulgeat tibi omnia quæ in conſpectu ejus nullitati meæ confeſſus es.

Alia ſolutio.

Deus qui per Nathan Davidi propria peccata confitenti pepercit, & Petro abnegationem ſuam fortiter deflenti, & meretrici lachrymanti ſuper immaculatos ipſius pedes, & Manaſſe, & Publicano, & Prodigo: qui dixit alterutrum confitemini peccata, ipſe Salvator, & Dominus noſter Jeſus-Chriſtus remittat tibi & in hoc ſeculo, & in futuro omnia quæ in Ipſius conſpectu parvitati meæ confeſſus es, & dignetur te ante tribunal ſuum ſiſtere indemnatum, qui eſt benedictus in ſecula. Amen.

Alia ſolutio.

Deus qui propter nos homo factus eſt, & totius mundi peccata portavit. Ipſe per optimam benignitatem ſuam hæc omnia, frater, ſuſcipiet, quæ nunc coram ipſo meæ indignitati declaraſti, remittens tibi omnia, & in hoc ſeculo, & in futuro, qui conſtanter vult & tribuit omnibus ſalutem, eſtque benedictus in ſecula. Amen.

Poſtea ſic precatur.

Deus Salvator noſter qui per Prophetam tuum Nathan Davidi de propriis delictis Pœnitentiam agenti veniam largitus es, & Manaſſes Pœnitentis orationem ſuſcepiſti, ipſe hunc ſervum tuum N. Pœnitentem, & Confitentem propria peccata ſuſcipe conſueta tibi miſeratione. Tu enim Domine Iſes qui juſſiſti ſeptuagies ſepties dimittere iis qui in peccata inciderunt. Quia ſicut magnitudo tua, ſic & miſericordia tua. Tu quoque Deus es Pœnitentium, pœnitentes ſuper omnibus iniquitatibus noſtris, tibique gloriam reddimus, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Nunc.

Here Domine Deus, qui vocas juſtos ad ſanctificationem, & peccatores ad eos juſtificandum, ſuſcipe Pœnitentiam ſervi tui hujus N. & procidentem magnitudini tuæ in confeſſione eorum quæ peccavit benignè libera: & redime eum ex quocunque peccato carnali. Abſterge eum ab omni conſcientia ſordidata, illuſtremque & ſplendidum redde: Purifica, & corrobora eum in operatione mandatorum tuorum: Dignum eum redde remiſſionis peccatorum ſuorum, ut per animæ & corporis purgationem Spiritus ſanctus in ipſo inhabitans efficiat eum regni cœlorum hæredem, gratia, & miſericordia, & benignitate unigeniti filii tui cum quo benedictus es, & cum omniſariam ſancto & bono, & vivifico tuo Spiritu, Nunc.

Domine Deus ſalutis ſervorum tuorum, qui miſericors & miſerator es, longanimis, & multæ miſericordiæ, quem malitiarum noſtrarum pœnitet: qui non vis mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat; placare ſuper ſervum tuum hunc N. & præbe illi peccatorum veniam, iniquitatum propitiationem, condonans illi omne delictum, ſive voluntarium ſive involuntarium. Reconciliare illi, & eum adunare ſanctæ tuæ Eccleſiæ per Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum, cum quo tibi, potentia, magnitudo, & magnificentia, cum ſanctiſſimo, & vivifico Spiritu. Nunc.

Domine Jeſu Chriſte Fili Dei vivi, Agne & Paſtor qui tollis peccatum mundi, qui debitum gratioſè donaſti duobus debitoribus, & peccatrici mulieri remiſſionem peccatorum dediſti, qui ſanationem Paralytico cum remiſſione peccatorum largitus es: Ipſe Domine parce, dimitte, condona, iniquitates, peccata, delicta voluntaria, & involuntaria, ſive ſcienter, ſive ignoranter ab hoc ſervo tuo N. & inobedien-

dlenter & cum prævaricatione perpetrata. Et ſi quid ut homo carnem geſtans, & mundi incola à Diabolo deceptus, vel tranſgreſſus eſt, vel immoderatè & contra rationem egit, ſive verbo, ſive opere, ſive cum cognitione, ſive cum ignorantia, ſive ex animi propoſito, ſive maledictioni ſuppoſitus fuerit, ſive in proprium anathema inciderit, vel jusjurandum, ipſe ut benignus, & clemens, & malorum immemor Dominus iſta præteriens, placeat tibi hunc verbo tuo abſolvi, ſtatimque illi condona & proprium anathema, & jusjurandum ſecundum inenarrabilem tuam clementiam. Here, Domine Deus noſter exaodi me deprecantem bonitatem tuam, atque ut multùm miſericors noli reſpicere omnia ejus peccara, eumque libera ab æterna punitione. Tu enim Domine dixiſti, Si quem ligaveritis ſuper terram; ligatus erit & in cœlis: Et ſi quem ſolveritis ſuper terram, ſolutus erit & in cœlis: Quia tu es Deus omnis peccati expers, & peccata remittere potens, tibique gloriam reddimus Patrique, ſine principio, Spirituique tuo omnimodè ſancto & vivifico, nunc & ſemper, & in ſecula.

Pater Domine ne tradas ſervum tuum hunc N. in manus Diaboli, ne hoſtes noſtri prævaleant nobis. Trade in os ejus obſervationem mandatorum, & labiis ejus occultum ſigillum ut doloſè non loquatur; oculo ſuperbo ab eo expulſo, luxuriam & malitiam expurgara ex animo ejus: Spiritus durus, & inſolens, linguaq; doloſa ne ſint in eo. Immitte Domine in mentem ejus ſpiritum bonum, eumque expia ab omni impuro ſpiritu: Averte, & ejice ab eo omnem miſeriam: Remitte illi peccatorum omne debitum. Reſpice de cœlo, & eum exhilara; in te enim ſperavit, & corrobora eum virtute ſancti tui ſpiritus, neve permittas eum à Diabolo abſorberi, & ſubmergi, quia nos à morte æterna per gratiam Chriſti tui liberaſti, cum quo & Spiritu ſancto ſuo bono, & vivifico benedictus es, nunc.

Poſt hæc eum ſurgere jubens amanter amplectitur, & bono eſſe animo hortatur, dicens ei.

Ecce Dei voluntate homines amantis, & omoium ſalutem volentis, ad Pœnitentiam confugiſti, & confeſſus, ab omnibus prioribus operibus tuis malis liberatus es. Ne igitur per incuriam divioorum præceptorum ſecundis malis te proſtitnas, ne ſint tibi, ſecundum Euangelicum dictum, poſtrema pejora primis, quibus per Dei miſericordiam redemptus es: ſed ſtudioſè, & pro viribus contende dominica cuſtodire præcepta, & ſaltem conſequenter adipiſci.

Poſtea ſic dicit Sacerdos. Sapientia.
Lectio Prophetæ Ezechielis.

Hæc dicit Dominus omnipotens. Iniquus ſi averterit ſe ab omnibus iniquitatibus ſuis quas fecit, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit juſtitiam, & miſericordiam: vita vivet, & non morietur. Omnia delicta ejus, quæcunque fecit, non memorabuntur: in ſua juſtitia quam fecit, vivet. Numquid voluntate volam mortem iniqui, dicit Dominus, ſicut averti ipſum à via ſua peſſima, & ipſum vivere? Cum autem averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit injuſtitiam ſecundum omnes ioiquitates, quas fecit iniquus, omnes juſtitiæ ejus, quas fecit, non erunt in memoria: in delicto ſuo qoo deliquit: & io peccatis ſuis quæ peccavit, in ipſis morietur. Et dixiſtis non rectè pergit via Domini. Audite nnnc omnis domus Iſrael? Nunquid via mea non rectè pergit? Nunquid via veſtra rectè pergit? In avertendo ſe joſtum à juſtitia ſua, & faciet delictum, & morietur in delicto quod fecit, in ipſo morietur. Et in avertendo ſe iniqnum ab iniquitate ſua, quam fecit, & faciet judicium, & juſtitiam: hic animam ſuam cuſtodivit, & avertit ſe ab omnibus impietatibos ſuis, quas fecerat: vita vivet, & non morietur, dicit Dominus omnipotens.

Euangelium ſecundùm Lucam.

In illo tempore erant appropinqnantes ei omnes Publicani & peccatores ut audirent illum. Et murmurabant Phariſæi, & Scribæ dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam iſtam, dicens: Quis ex vobis homo, qni habet centum oves, & perdiderit unam ex illis, non dimittit nonaginta novem in deſerto, & vadit ad illam quę perierat, donec inveniat eam? Et cum invenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudeos? Et veniens domum convocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat? Di-

ρὰ τοῦ δούλου σου τοῦ Δ. καὶ εἴτι ὡς ἄνθρωπος σάρκα φορῶν, καὶ τὸν κόσμον τοῦτον οἰκῶν ἐκ τοῦ διαβόλου ἐπλανήθη, ἢ παρέβη, ἢ ἐπλημμέλησεν, εἴτε ἐν λόγῳ, εἴτε ἐν ἔργῳ, εἴτε ἐν γνώσει, εἴτε ἐν ἀγνοίᾳ, εἴτε λόγῳ αἱρέσεως, εἴτε ὑπὸ κατάραν ἐγένετο, εἴτε ἰδίῳ ἀναθέματι ὑπέπεσεν ἢ ὅρκῳ, αὐτὸς ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος, καὶ ἀμνησίκακος δεσπότης παριδὼν, τῷ σῷ λόγῳ τοῦτον μὲν λυθῆναι εὐδόκησον, συγχωρῶν αὐτῷ καὶ τὸ ἴδιον αὐτοῦ ἀνάθεμα καὶ τὸν ὅρκον κατὰ τὴν σὴν ἄφατον φιλανθρωπίαν. Δέσποτα Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐπάκουσόν μου δεομένου τῆς σῆς ἀγαθότητος, καὶ πάριδε ὡς πολυέλεος τὰ πταίσματα αὐτοῦ ἅπαντα, καὶ ἀνάλλαξον αὐτὸν τῆς αἰωνίου κολάσεως. Σὺ γὰρ εἶπας, Δέσποτα, ὅτι ὃν ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένος καὶ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ ὃν ἐὰν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένος καὶ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ὅτι σὺ εἶ Θεὸς ἀναμάρτητος, καὶ δυνάμενος ἀφιέναι ἁμαρτίας, καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν σὺν τῷ ἀνάρχῳ σου πατρὶ, καὶ τῷ παναγίῳ, καὶ ἀγαθῷ καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας.

Πάτερ Κύριε μὴ παραδῷς τὸν δοῦλόν σου τὸν Δ. ὑπὸ χεῖρας τοῦ διαβόλου, ἵνα μὴ οἱ ἐχθροὶ ἡμῶν ἐπιχειρῶσιν ἐφ' ἡμᾶς. Δὸς ἐπὶ τῷ στόματι αὐτοῦ τήρησιν ἐντολῶν, καὶ ἐπὶ τοῖς χείλεσιν αὐτοῦ σφραγῖδα κρυφίαν, ἵνα μὴ λαλῇ δόλον, ὀφθαλμὸν ὑπερήφανον ἀπώσας ἀπ' αὐτοῦ, στρῆνος καὶ κακίαν, καθάρισον ἐκ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ, πνεῦμα σκληρὸν καὶ ὑπερήφανον, καὶ γλῶσσα δολία μὴ ἔστω ἐν αὐτῷ· ἐπίστησον Κύριε ἐπὶ τὴν διάνοιαν πνεῦμα ἀγαθὸν καὶ καθάρισον αὐτὸν ἀπὸ παντὸς ἀκαθάρτου πνεύματος, ἀπόστησον ἀπ' αὐτοῦ πᾶσαν ταλαιπωρίαν, συγχώρησον αὐτῷ πᾶν ἁμαρτημάτων ὀφείλημα, ἐπίβλεψον ἐξ οὐρανοῦ, καὶ εὔφρανον αὐτὸν, ὅτι ἐπὶ σοὶ ἤλπισε· καὶ ἐνδυνάμωσον αὐτὸν τῇ δυνάμει τοῦ πνεύματός σου τοῦ ἁγίου, καὶ μὴ ἐάσῃς αὐτὸν καταποθῆναι ὑπὸ τοῦ διαβόλου, ὅτι σὺ ἐρρύσω ἡμᾶς ἐκ θανάτου αἰωνίου διὰ τῆς χάριτος τοῦ Χριστοῦ σου, μεθ' οὗ εὐλογητὸς εἶ σὺν τῷ παναγίῳ καὶ ἀγαθῷ καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι, νῦν.

Εἶτα διαναστήσας αὐτὸν, ἀσπάζεται, καὶ εὐθυμεῖν προτρέπεται λέγων αὐτῷ.

Ἰδοὺ θελήματι τοῦ φιλανθρώπου Θεοῦ τοῦ θέλοντος πάντων τὴν σωτηρίαν, προσέδραμες τῇ μετανοίᾳ καὶ ἐξομολογησάμενος πάντων σου τῶν προτέρων πονηρῶν ἔργων ἀπηλλάγης· μὴ τοίνυν δι' ἀμελείας τῶν θείων ἐντολῶν δευτέροις κακοῖς σεαυτὸν ὑποβάλῃς, καὶ ἔσονταί σοι κατὰ τὸ εὐαγγέλιον τὰ ἔσχατα χείρονα τῶν πρώτων, ἃ διὰ φιλανθρωπίαν Θεοῦ λελύτρωσαι, ἀλλὰ σπούδασον κατὰ δύναμιν τὰς δεσποτικὰς ἐντολὰς φυλάξαι, καὶ ἀκολούθως τῆς σωτηρίας τυχεῖν.

Εἶθ' οὕτως λέγει ὁ ἱερεύς· Σοφία.
Ἀνάγνωσις Προφήτου Ἰεζεκιήλ.

Τάδε λέγει Κύριος παντοκράτωρ· ὁ ἄνομος ἐὰν ἀποστρέψῃ ἐκ πασῶν τῶν ἀνομιῶν ὧν ἐποίησε, καὶ φυλάξηται πάσας τὰς ἐντολάς μου, καὶ ποιήσῃ δικαιοσύνην καὶ ἔλεος, ζωῇ ζήσεται, καὶ οὐ μὴ ἀποθάνῃ, πάντα τὰ παραπτώματα αὐτοῦ ὅσα ἐποίησεν, οὐ μνησθήσεται, ἐν τῇ δικαιοσύνῃ αὐτοῦ ᾗ ἐποίησε, ζήσεται· Μὴ θελήσει θελήσω τὸν θάνατον τοῦ ἀνόμου, λέγει Κύριος, ὡς τὸ ἀποστρέψαι αὐτὸν ἐκ τῆς ὁδοῦ τῆς πονηρᾶς, καὶ ζῆν αὐτόν; ἐν δὲ τῷ ἀποστρέψαι δίκαιον ἐκ τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ καὶ ποιῆσαι ἀδικίαν κατὰ πάσας τὰς ἀνομίας ἃς ἐποίησεν ὁ ἄνομος, πᾶσαι αἱ δικαιοσύναι αὐτοῦ ἃς ἐποίησεν, οὐ μὴ μνησθῶσιν· ἐν τῷ παραπτώματι αὐτοῦ ᾧ παρέπεσε, καὶ ἐν ταῖς ἁμαρτίαις αὐτοῦ, αἷς ἥμαρτεν ἐν αὐταῖς ἀποθανεῖται· Καὶ εἴπατε, οὐ κατευθύνει ἡ ὁδὸς Κυρίου· ἀκούσατε δὲ πᾶς ὁ οἶκος Ἰσραήλ. μὴ ἡ ὁδός μου οὐ κατευθύνει; οὐχὶ ἡ ὁδὸς ὑμῶν κατευθύνει; ἐν τῷ ἀποστρέψαι τὸν δίκαιον ἐκ τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, καὶ ποιήσει παράπτωμα, καὶ ἀποθάνῃ ἐν τῷ παραπτώματι ᾧ ἐποίησεν, ἐν αὐτῷ ἀποθανεῖται· Καὶ ἐν τῷ ἀποστρέψαι ἄνομον ἀπὸ τῆς ἀνομίας αὐτοῦ ἧς ἐποίησε, καὶ ποιήσει κρίμα καὶ δικαιοσύνην, οὗτος ψυχὴν αὐτοῦ ἐφύλαξε· καὶ ἀπέστρεψεν ἐκ πασῶν ἀσεβειῶν αὐτοῦ ὧν ἐποίησε, ζωῇ ζήσεται, καὶ οὐ μὴ ἀποθάνῃ, λέγει ὁ Κύριος παντοκράτωρ.

Εὐαγγέλιον κατὰ Λουκᾶν.

Τῷ καιρῷ ἐκείνῳ ἦσαν ἐγγίζοντες τῷ Ἰησοῦ πάντες οἱ τελῶναι, καὶ οἱ ἁμαρτωλοὶ ἀκούειν αὐτοῦ. Καὶ διεγόγγυζον οἱ Φαρισαῖοι, καὶ οἱ Γραμματεῖς, λέγοντες. ὅτι οὗτος ἁμαρτωλοὺς προσδέχεται, καὶ συνεσθίει αὐτοῖς· Εἶπε δὲ πρὸς αὐτοὺς τὴν παραβολὴν ταύτην λέγων, τίς ἄνθρωπος ἐξ ὑμῶν ἔχων ἑκατὸν πρόβατα, καὶ ἀπολέσας ἓν ἐξ αὐτῶν, οὐ καταλείπει τὰ ἐννενηκονταεννέα ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ πορεύεται ἐπὶ τὸ ἀπολωλὸς, ἕως εὕρῃ αὐτό; Καὶ εὑρὼν ἐπιτίθησιν ἐπὶ τοὺς ὤμους ἑαυτοῦ χαίρων. Καὶ ἐλθὼν εἰς τὸν οἶκον, συγκαλεῖ τοὺς φίλους, καὶ τοὺς γείτονας, λέγων αὐτοῖς, συγχάρητέ μοι, ὅτι εὗρον

τὸ

τὸ πρόβατόν μου τὸ ἀπολωλός. λέγω ὑμῖν ὅτι οὕτω χαρὰ ἔσται ἐν τῷ οὐρανῷ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι, ἢ ἐπὶ ἐννενηκονταεννέα δικαίοις, οἵτινες οὐ χρείαν ἔχουσι μετανοίας. Ἢ τίς γυνὴ δραχμὰς ἔχουσα δέκα, ἐὰν ἀπολέσῃ δραχμὴν μίαν, οὐχὶ ἅπτει λύχνον, καὶ σαροῖ τὴν οἰκίαν, καὶ ζητεῖ ἐπιμελῶς, ἕως ὅτου εὕρῃ, καὶ εὑροῦσα συγκαλεῖται τὰς φίλας, καὶ τὰς γείτονας, λέγουσα· συγχάρητέ μοι, ὅτι εὗρον τὴν δραχμὴν ἣν ἀπώλεσα. Οὕτω λέγω ὑμῖν, χαρὰ γίνεται ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων τοῦ Θεοῦ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι.

Ποιήσας οὖν τρισάγιον, καὶ αὖθις τὰ τροπάρια ἤχου Δ΄ τὴν ταπεινήν μου ψυχήν. ἄλλα, διαπλέων τὸ πέλαγος, τῇ Θεοτόκῳ ἐκτενῶς νῦν προσδράμωμεν· εἶτα τὸ Κύριε ἱλάσθητι γ΄. εἰπών, καὶ ὡσαύτως καὶ τὸ Κύριε συγχώρησον, καὶ τὸ Κύριε ἐλέησον ἡμᾶς, καὶ μετανοίας μ΄ ποιήσαντες οἱ ἀμφότεροι ἀπολύονται. μετὰ δὲ τὸ τελειῶσαι τὴν προγραφεῖσαν ἀκολουθίαν συγκαθίσας αὐτῷ λέγει, τί τέκνον ἰσχύεις φυλάξαι; κατὰ γὰρ ἰσχὺν καὶ προαίρεσιν τοῦ δεχομένου τὰ ἐπιτίμια δίδονται, καὶ οὐ κατὰ ἀναλογίαν τῶν ἡμαρτημένων αὐτῷ. ἐνδέχεται γὰρ τὸν μὲν ὀλίγα ἁμαρτήσαντα πρόθυμον ὄντα μέγα λαβεῖν ἐπιτίμιον, ἵνα μὴ μόνον ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, ἀλλὰ καὶ στέφανον κομίσηται. τὸν δὲ πολλὰ πταίσαντα ῥάθυμον ὄντα μικρὰν ἔχειν ἐπιτίμησιν, ὡς ἂν μὴ καταποθῇ τῷ βάρει, καὶ ῥαθυμήσας ἀφήσει πάντα· οὐ γὰρ προστεταγμένα βαρέα κουφίζειν καὶ βαρέα ἐπιτιθέναι. Χρηστὸς γάρ ἐστιν ὁ τοῦ Χριστοῦ ζυγὸς, καὶ τὸ φορτίον ἐλαφρόν. Διακρίνειν δὲ ὀφείλει φιλοσπλάγχνως καὶ προσώπων διαφορὰν, καὶ καιρῶν, καὶ τόπων, καὶ γνώσεως, καὶ ἀγνωσίας, καὶ ἐν πᾶσι τῷ σκοπῷ τῶν ἁγίων πατέρων ἐξακολουθεῖν. καὶ γὰρ ὁ μὲν θεῖος Χρυσόστομος οὕτω φησίν· οὐ χρόνῳ κρίνεται μετάνοια, ἀλλὰ διαθέσει ψυχῆς. ὁμοφώνως δὲ καὶ ὁ μέγας Βασίλειος, ὅτι οὐ χρόνῳ κρίνομεν τὰ τοιαῦτα ἀλλὰ τῷ τρόπῳ τῆς μετανοίας προσέχομεν· ἔτι δὲ ὁ φιλανθρωπότατος Χρυσόστομος ὅτι οἱ Νινευῖται οὐ πολλῶν ἐδεήθησαν τῶν ἡμερῶν εἰς τὸ μετανοῆσαι, ἀλλὰ τριῶν μόνων. ὁ δὲ λῃστὴς οὐδὲ ὡρῶν τοσούτων ἐδεήθη. ἀλλὰ τὸ διάστημα οὗ εἴρηκε ῥήματος ἤρκεσεν αὐτῷ εἰς μετάνοιαν, ὡς ἐν ἀκαρεῖ τοῦ παραδείσου ἐντὸς γενέσθαι· ταῦτα οὖν εἰδὼς μὴ κατὰ τὴν ἀκρίβειαν τῶν θείων κανόνων διόριζε τὰ ἐπιτίμια. ἀλλὰ κατὰ τὴν ποιότητα τοῦ προσώπου. καὶ ταῦτα μὲν ἐπὶ ἀνδρῶν. ἐπὶ γὰρ γυναικῶν πολλὴν ὀφείλει τὴν ἔρευναν καὶ τὴν ἀκρίβειαν ποιεῖσθαι. φθάνουσι γὰρ καὶ ἕως μαγειῶν καὶ φαρμακειῶν καὶ ἑτέρων αἰσχρουργιῶν, ὧν καὶ τὸ μνησθῆναι φρικτὸν, οὐχ ὅτι γε καὶ τὸ διαπράξασθαι. μολύνουσι δὲ καὶ ἐν τοῖς συνηθείαις τῶν καταμηνίων αὐτῶν μὴ εἰδότας τοὺς ἄνδρας· Τούτων μέντοι ἐξομολογουμένων οὐ δεῖ τὴν κεφαλὴν ἀκατακάλυπτον εἶναι. τοῦτο γὰρ τοῖς ἀνδράσι προτέτραπται. φθάνουσι τοίνυν αἱ γυναῖκες καὶ μέχρι φόνων διαφόρων ἐν ταῖς συλλήψεσιν, ἀλλὰ καὶ ἐν αὐταῖς ταῖς τελείαις ἀποκυήσεσι. τινὲς γὰρ αὐτῶν καὶ κατὰ μῆνα φόνον ποιοῦσι διά τινος βοτάνης, ὡς ὁ ταπεινὸς ἐγὼ μετὰ τῶν προγραφέντων πάντων καὶ τοῦτο ἀνεδεξάμην τὸ ἐλεεινόν. καὶ διὰ τοῦτο μετὰ τὸ πάντα διεξελθεῖν ἐρωτᾷν δεῖ πόσα ἐφόνευσαν παιδία, καὶ μάλιστα αἱ χῆραι καὶ αἱ μονάζουσαι. καὶ διὰ ποίων καὶ πόσων. ἄλλο γὰρ τὸ πίειν φάρμακον καὶ μηκέτι παιδοποιῆσαι. ὃ καὶ βαρύτερον πάντων. καὶ ἕτερον τὸ διὰ τριμμάτων, ὃ τοῦ προῤῥηθέντος κουφότερον. τὸ δὲ διὰ βοτάνης κατὰ μῆνα ἔμβρυον ἀποτίθεσθαι, πάντων φόνων ὀλεθριώτερον, ὃ καὶ ἕως θανάτου τὸ ἐπιτίμιον ἔχει. ἂν τοῦτο οὐκ ἀποκόψῃ, μὴ κοινωνεῖν. αἱ γυναῖκες· ὅταν κεκωλυμέναι εἰσὶ τῆς ἐκκλησίας, μόνον προσκυνήσεις ποιείτωσαν χωρὶς μετανοιῶν. οὐ μόνον δὲ ἀλλὰ καὶ μαλακίζονται αἱ γυναῖκες ὡς οἱ ἄνδρες. καὶ αὗται δὲ αἱ παρθενεύουσαι, καὶ ὅλως μὴ εἰδυῖαι πεῖραν ἀνδρὸς τὴν οἱανοῦν. καὶ ταῦτα μὲν περὶ τῆς ἀκριβοῦς ἐρεύνης καὶ διαφορᾶς τῶν ἐξομολογουμένων.

Αἱ δὲ ἐπιτιμήσεις καὶ αἱ Διαφοραὶ εἰσὶν αὗται. ὅσα ἐγένοντο πρὸ τριάκοντα χρόνων εἴτε ἀνδράσιν εἴτε γυναιξὶν, εὐσύγγνωστα καὶ ταχυσυγχώρητα ἔσονται οἷα καὶ εἰσι, ὥστε καὶ ἕως τριῶν ἢ δύο ἐτῶν ἔχειν τὴν ἐπιτίμησιν· ἐὰν οὐκ ἔστι φόνος τις δήποτε, οὔτε μεγάλη αἱμομιξία. ἐὰν δὲ μετὰ τριάκοντα χρόνων γεγόνασι, καὶ ἕως τρία καὶ τέσσαρα. ὅπου δὲ ἐστὶ φόνος ἢ καὶ φόνοι καὶ ἀπό τινος ὑψηλῶν αἱμομιξιῶν, ὥσπερ περὶ γνησίας ἀδελφῆς, ἤγουν ἐκ πατρὸς καὶ μητρὸς ἢ υἱοῦ γυναικὸς, ἢ συντέκνου, ἢ τῶν δύο ἀδελφὰς λαμβανόντων εἰς συνοικέσιον ἢ εἰς τὰς μητρυιὰς αὐτῶν ἐπιμαινομένων. ἔτη ιβ΄. ἐὰν

co vobis, quòd ita gaudium erit in cælo ſuper uno peccatore Pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent Pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec inveniat? Et quum invenerit, convocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi quia inveni drachmam quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.

Cum igitur triſagion perſecerit, & iterum Troparia toni quarti, Humilem animam meam. Alia, Enavigans pelagus. Ad Dei genitricem ſedulò nunc confugiamus. Poſtea cum ter dixit, Domine placatus eſto: Similiter & hoc Domine parce, & Kyrie eleiſon imas, & Pœnitentis quadraginta factis utrique ceſſant. Supraſcripta Officii conſequentia peracta ipſi aſſidens dicit, fili quod vales obſervare? Pœnæ enim imponuntur ſecundum vires & voluntatem eas ſuſcipientis, & non ſecundum peccatorum proportionem. Contingit enim qui pauca peccavit, cum animo eſt bono & prompto pœnas, ſive epitimia magna libenter accipere, ut non modò peccatorum remiſſionem reſerat, ſed etiam coronam: Iſtum verò qui multa peccavit, cum animo eſt remiſſo & ſegni, caſtigatione affici parum ſevera, ne pœnæ gravitate abſorbeatur, & animo languens omnia deſerat. Non enim jubemur gravia reddere levia, & gravia imponere. Suave eſt enim Chriſti jugum, & onus leve. Dijudicare enim debet amanter, & clementer differentiam, & perſonarum, & locorum, & ſcientiæ, & ignorantiæ, & in omnibus ſanctorum Patrum ſcopum & mentem preſsè ſectari: Sic enim ait S. Chryſoſtomus, Pœnitentia tempore non judicatur, ſed animi diſpoſitione. Magnus Baſilius conformiter, iſta tempore non judicamus, ſed in modum fórmamque Pœnitentiæ mentem intendimus. Præterea humaniſſimus Chryſoſtomus Ninivitas multis non opus habuiſſe diebus ut Pœnitentiam agerent, ſed tribus ſolis: Latronem verò ne quidem tot horarum, ſed ſatis illi fuit ad Pœnitentiam illud temporis ſpatium quo verbum pronuntiavit, ita ut in momento paradiſum intraverit. Hæc igitur cognoſcens ne accuratè ſecundum canones epitimia definias, ſed ſecundum perſonæ qualitatem: ſic autem cum viris te geres. Erga mulieres autem diligenti & accurata inquiſitione uti debes. Procedunt enim ad uſque magias & veneficia, & alia opera propudioſa, quorum vel meminiſſe horrendum eſt, nedum peragere. Polluunt quoque per menſtrua ſua conſueta viros ſuos iſtorum ignaros. Cum autem confitentur permittere non oportet eas detecto eſſe capite. Hoc enim monitum viris datum eſt. Procedunt igitur mulieres uſque ad varias cædes, non modo in conceptionibus ſuis, verum etiam in puerperiis. Eorum enim nonnullæ ope cujuſdam herbæ ſingulis menſibus cædem patrant, ut ego humilis Dei ſervus miſerandum hoc cum omnibus ſupra ſcriptis confeſſione excepi. Quapropter poſtquam hæc omnia percurrerit, eas interrogare oportet, & præſertim viduas & Monachas quot puerulos occiderunt quot modis & qualibus hoc perpetrarunt. Aliud enim eſt pharmacū ebibere, quo fiat ut non amplius filios procreare poſſit, quod omnium graviſſimum eſt: Aliud verò id per intrita quædam præſtare, quod prædicto levius eſt. Iſtud verò, per herbas quaſdam ſingulis menſibus fœtum excutere omni cæde pernicioſius eſt, illiq; niſi deſiſtat, ad mortem uſque non communicare epitimum tribuitur. Mulieres cum ab eccleſiis ſeparatæ ſunt, capitis inclinationes ſine proſtrationibus faciant. Nec hęc tantùm mulieres faciunt, ſed etiā non ſecus ac viri polluuntur; illæ etiam quę in virginitate degunt, & nullā qualemcumq; viri experientiā habent. Hactenus de diligenti & accurata confitentium inquiſitione, eorumq; differentia.

Caſtigationes autem, earumque differentiæ eædem ſunt. Quæcumque perpetrata ſunt ante annum trigeſimum ſive à viris, ſive à mulieribus, facilè & celeriter condonentur, qualiacumque ſint, ita ut duorum aut trium annorum pœnam non excedant, niſi cædes ſit quælibet, magnaque aliqua ſanguinis permiſtio, ſive inceſtus. Eorum verò quæ poſt annum trigeſimum perpetrantur, pœnæ in annum tertium & quartum extenduntur. Ubi vero cædes eſt una, aut plures, aut magnorum inceſtorum aliquod, veluti cum ſorore germana, ſive ex patre, ſive ex matre, vel filii uxore, vel ſuſceptrice, vel eorum qui duas ſorores matrimonio aut contubernio ſibi copulant, vel in novercas furunt, in annum duodecimum pœna prorogatur. Si verò filia potiatur quam

de

de fonte ſuſcepit, vel in propriam matrem, vel in propriam filiam, in annum uſque decimum quintum. Si verò ſecundum naturam tantùm peccavit, nec in ea quæ præter naturam ſunt incidit, nec in inceſta qualiacunque ſint, & quota, in annum aut ſeſquiannum puniri oportet. Si autem à mulieribus cædes variæ, & magiæ factæ ſunt, vel uſque ad ea quæ ſunt præter naturam proceſſum fuerit, ad octennium, & decennium eas puniri oportet.

Has differentias, & punitiones de communione decernimus: peccatum enim omnium graviſſimum eſt, indignè communicare. Iſtius rei à confitentibus interrogatio poſt omnium peccatorum confeſſionem nos fugerat, ſcilicet, an præconfeſſa operatus communicaverit. Cum dixerit ita: Maximè autem extra Paſcha, hoc omnium pejus, licet offenſa ſit de minimis, veluti ſimplex peccatum; longior abſtinentia immaculatæ communionis illi eſt imponenda.

Quod verò ad cibum, potum & orationem attinet, quantum uniuſcujuſque, natura, ingenium, electio, virtus, & diſpoſitio ferre poterit. Nos autem hactenus duabus differentiis uſi ſumus ſecundum quas agimus, & nobis confitentibus Pœnitentias imponimus. Qualenam illud ſit? vel qualia peccata; ſi inter eos reponendus qui magna vel parva peccarunt: Antea enim diximus quod confitentibus, ut & confeſſoribus, levis eſt, & gravis pœnarum impoſitio. Nam certa & indubitata confitentis fides, & eorum quæ poſſidet diſtributio, quam beatus Apoſtolus alicubi fidei fructum vocat; & confeſſoris ſelectum judicium, & cognitio, faciliſque & compatiens accommodatio levia omnia decernit, ſive cibum ſpectent, ſive potum, ſive communionem, præſertim ſi contingat confitentem ante confeſſionem à peccato deſtitiſſe, aut pollicetur ſe confeſſione facta deſtiturum. Multi enim confitentur, & de peccatis dolorem concipiunt & triſtitiam; attamen vel natura, vel ſurreptione, vel mala & deliberata animi ſententia, vel prava conſuetudine iterum dejiciuntur, & in peccata incidunt. Igitur qui ſunt ejuſmodi ſemper confiteantur quoties ceciderunt. Si vero epitimia ipſorum compleverint, tot ſcilicet annos quot ab eo qui eos ligavit acceperunt, & velut his completis jam communicaturi ſunt, ſi omnino ſui ipſius miſerentur, neque tunc communicent, ſed differant, & reſervent immaculatam communionem, donec peccare deſtiterint: Hujus enim rei cauſa ſolùm in die judicii miſericordia digni cenſebuntur.

Cum verò nonnulli ſunt qui præ habitudinis violentia ſeipſos à peccatis ne in ipſa quidem magna Quadrageſima continere poſſunt, cujuſmodi ſunt ſæpe, etiam hi qui uxores habent, oportet & ipſos Pœnitentiis completis ſi tranſeant anni multi, nec habeant qua ratione communicent, eo quòd ſemper in peccara incidant, continere ſe à peccato ſaltem totam ſanctam Quadrageſimam & cum timore & tremore tribus Paſchatis diebus communicare. Hoc autem hæſitanter dicimus, eo quod à ſpurcitiis carnalibus abſtinere non poſſunt, non quod hoc fiat ſecundum aliam canonicam communionis differentiam. Si verò in magna Quadrageſima qui tales ſunt, in mollitiem inciderint, neque ſic communicent. Si enim à S. Patribus decretum ſit eos qui in miſerandum illum animi morbum & perturbationem omnibus dominantem quem omnino derelinquere difficillimum, 40. tantùm diebus à communione arcendos eſſe, num multò magis erit in Quadrageſima obſervandum, cum id de cæteris & communibus anni diebus definierint?

Differentiæ ſervandæ in cibo, potu, oratione.

Cum mea quidem ſententia duæ ſint, ut ſupra dixi, duæ quoque ſunto Pœnitentiarum differentiæ, ſicut humilis ego erga omnes iſta uſurpare ſoleo. Sæpius peccantes & infirmi, juvenes & ſenes, mulieres & viri, Monachi & Monachæ, præter eos qui ſacris ordinibus imbuti ſunt. Sacerdotes enim & Epiſcopi, & Diaconi qui in gradu ſunt, vel earum uxores, ad peccatorum confeſſionem ſuſcipiendi non ſunt, niſi ſecundum Deum ſecuritatem eorum confeſſoribus fecerint, quod ſi alicujus criminis rei ſunt quod eos à ſacris ordinibus exercendis prohibeat, non amplius ſacris miniſtrare audebunt. Ejuſmodi enim non datur Pœnitentia, qualiſcunque illa ſit, ſive cibi, ſive potus, nequidem omnino à communione abſtinentia; ſed ſola à ſacro miniſterio ceſſatio. Nihil autem abdicat Sacerdotem Sacerdotii functione niſi alteri mulieri præterquam ſuæ miſceatur. Si enim vel in unam

ἐκ τύχη θυγατρὸς ἣν ἐδέξατο, ἢ εἰς ἰδίαν μητέρα, ἢ εἰς ἰδίαν θυγατέρα, ἔτη ιε΄. ἐὰν δὲ τὶς κατὰ φύσιν ἥμαρτε μόνον καὶ οὐ περιέπεσεν εἰς τὰ παρὰ φύσιν, ἤτε εἰς αἱμομιξίας, οἷα καὶ εἰσὶ καὶ ὅσα, καὶ ἕως χρόνου, ἢ καὶ ἥμισυ ἐπιτιμᾶσθαι· ἐὰν δὲ ἐπὶ γυναῖκα φόνοι τινὲς διαφέρει, καὶ μαγεῖαι ἐπράχθησαν, ἢ καὶ ἕως τῆς παρὰ φύσιν, καὶ ἕως ὀκτὼ, καὶ δέκα ἐπιτιμᾶσθαι αὐτὰς, δεῖ.

Καὶ ταύτας δὲ τὰς διαφορὰς καὶ τὰς ἐπιτιμήσεις περὶ τῆς κοινωνίας ὁρίζομεν. πάντων γὰρ βαρύτερον ἁμάρτημα τὸ ἀναξίως κοινωνεῖν· ὃ καὶ διέλαθεν ἡμᾶς ἐρωτᾶσθαι τοὺς ἐξομολογουμένους μετὰ τὴν ἅπασαν τῶν ἁμαρτημάτων ἐξομολόγησιν, τὸ εἰ ἄρα τὰ προεξομολογηθέντα ποιῶν ἐκοινώνει· ὅπερ ἐὰν εἴπῃ, ναί· καὶ μάλιστα ἔξω τοῦ πάσχα, τοῦτο πάντων χεῖρον εἶναι· εἰ καὶ ἐστὶ τῶν ἐλαχίστων παράπτωμα, ἤτοι τὸ ἁμάρτημα· καὶ πλείω τὴν ἀποχὴν ποιεῖν τῆς ἀχράντου κοινωνίας·

Περὶ δὲ βρώσεως καὶ πόσεως καὶ εὐχῆς, ὡς ἡ ἑκάστου δύναται φύσις καὶ γνώμη καὶ προαίρεσις καὶ ἰσχὺς καὶ διάθεσις· ἡμεῖς δὲ ἕως δύο διαφορὰς ἔχομεν, ἐξ ὧν καὶ ποιοῦμεν, καὶ δίδομεν τοῖς ἡμῖν ἐξομολογουμένοις. οἷον κἂν ἐστὶν, ἢ οἷα τὰ ἁμαρτήματα, καὶ ἐν τοῖς μεγάλως καὶ μικρῶς ἡμαρτηκόσι· προείπομεν γὰρ ὅτι ἐν τοῖς ἐξομολογουμένοις ἐστὶ καὶ ἐν τοῖς ἀναδεχομένοις ἡ ἐλαφρὰ καὶ ἡ βαρεῖα τῶν ἐπιτιμίων δόσις. ἡ γὰρ τοῦ ἐξομολογουμένου ἀδίστακτος πίστις τε, καὶ ἐξ ὧν ἔχει μετάδοσις, ἣν πού ὁ μακάριος ἀπόστολος καρπὸν πίστεως ἐπιλέγει. καὶ ἡ τοῦ ἀναδεχομένου τὸν ἐξομολογούμενον ἀσύγκριτος κρίσις καὶ γνῶσις καὶ συμπαθὴς συγκατάβασις πάντα ἐλαφρὰ οἶδε καὶ τὰ περὶ βρώσεως καὶ πόσεως καὶ κοινωνίας, καὶ μάλιστα εἰ τύχῃ ὁ ἐξομολογούμενος πρὸ τοῦ ἐξομολογήσασθαι ἀποκοπῆναι τοῦ ἁμαρτήματος. ἢ ὁμολογεῖ καὶ ἀπὸ τῆς ἐξομολογήσεως ἀποκόπτειν ἑαυτόν. πολλοὶ γάρ εἰσι καὶ ἐξομολογοῦνται καὶ λυποῦνται· ἀλλ' ὅμως ἢ φύσει, ἢ κλοπῇ καὶ κακογνωμίᾳ, ἢ καὶ πονηρᾷ συνηθείᾳ πάλιν σφάλλονται, καὶ περιπίπτουσιν ἁμαρτήμασιν. οἱ τοιοῦτοι τοίνυν πάντοτε ἐξομολογείσθωσαν ὁσάκις ἐὰν πέσωσιν. ἐὰν δὲ καὶ τὰ ἐπιτίμια αὐτῶν πληρώσωσιν, ὅσα ἂν ἔτη ἔλαβον παρὰ τοῦ δεσμεύσαντος αὐτοὺς, καὶ μέλλουσι κοινωνεῖν ἀποπληρώσαντες, μὴ δὲ τότε κοινωνησάτωσαν εἰ ὅλως αὐτοὺς ἐλεῶσιν, ἀλλὰ παραφυλαττέσθωσαν τὴν ἄχραντον κοινωνίαν, ἕως ἂν ἀποκόψωσιν. ἐλέους γὰρ καὶ τούτου ἕνεκα μόνου ἐν τῇ κρίσει ἀξιωθήσονται.

Ἐπειδὴ δέ εἰσί τινες βίᾳ ἕξεως μηδὲ ἐν τῇ μεγάλῃ τεσσαρακοστῇ κρατῆσαι ἑαυτοὺς ἀπὸ ἁμαρτιῶν ἰσχύοντες, καὶ αὐτοὶ δὲ πολλάκις οἱ γυναῖκας ἔχοντες, χρὴ μετὰ τὸ πληρῶσαι καὶ αὐτοὺς τὰ αὐτῶν ἐπιτίμια, ἐὰν ἔλθωσι χρόνοι πλεῖστοι καὶ οὐκ ἔχωσι πῶς κοινωνῆσαι διὰ τὸ ἀεὶ αὐτοὺς περιπίπτειν ἁμαρτήμασι, κρατησάτωσαν κἂν τὴν ἁγίαν τεσσαρακοστὴν πᾶσαν τὸ μὴ ἁμαρτῆσαι, καὶ μετὰ φόβου καὶ τρόμου τὰς τρεῖς τοῦ πάσχα κοινωνησάτωσαν ἡμέρας. τοῦτο δὲ κατὰ ἀπορίαν τὸ μηδέποτε ἑαυτοὺς ἀπὸ σαρκικῶν μολυσμῶν κρατῆσαι δύνασθαι, καὶ οὐ κατὰ ἄλλην γίνεσθαι λεγομένην διαφοράν. ἐὰν δὲ καὶ εἰς μαλακίαν οἱ τοιοῦτοι πέσωσιν ἐν τῇ μεγάλῃ τεσσαρακοστῇ, μηδὲ οὕτω κοινωνησάτωσαν. τὸ γὰρ ἐλεεινὸν τοῦτο καὶ παντοκράτητον, καὶ δυσαπόσπαστον πάθος, εἰ καὶ μόνας τεσσαράκοντα ἡμέρας παρὰ τῶν ἁγίων ἡμῶν κανονίσαι πατέρων, τὸ μὴ κοινωνεῖν τοὺς ἐν τούτῳ παραπίπτοντας, ἀλλ' ὅμως τὰς ἄλλας τοῦ ἐνιαυτοῦ ἡμέρας, οὐχὶ δὲ τῆς ἁγίας τεσσαρακοστῆς ἡμέρας ὥρισαν.

Περὶ βρώσεως καὶ πόσεως καὶ εὐχῆς διαφοραί.

Δύο δὲ αὗται ὡς προεῖπον ἀνωτέρω κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην αἱ δύο τῶν ἐπιτιμίων διαφοραὶ ἔστωσαν, ὡς ὁ ταπεινὸς ἐγὼ εἰς πάντας εἴωθα δεδίναι, πολυαμαρτήτους, ἀσθενεῖς, νέους καὶ γέροντας, γυναῖκας καὶ ἄνδρας, μοναχοὺς καὶ μοναζούσας, παρεκτὸς τῶν ἱερωμένων. ἱερεῖς γὰρ καὶ ἀρχιερεῖς, καὶ ἐμβαθμοὺς διακόνους, ἢ τὰς ἑαυτῶν γυναῖκας οὐ χρὴ δέχεσθαι εἰς ἐξομολόγησιν, ἕως ἐπὶ Θεῷ πληροφορήσωσιν οἱ τοιοῦτοι τοὺς ἀναδεχομένους αὐτοὺς, ὅτι ἐὰν τι ἔχωσιν ἔγκλημα τὸ ἀπεῖργον, ἤτοι τὸ ἀποπαῦον αὐτοὺς ἱερατεύειν, μηκέτι τολμήσωσιν ἱερατεῦσαι. τοῖς γὰρ τοιούτοις οὐ δίδοται οἱαδήποτε ἐπιτίμησις, ἢ βρώσεως, ἢ πόσεως ἢ κοινωνίας τὸ σύνολον κρατήσεως, ἀλλὰ μόνον ἡ παῦσις τῆς ἱερωσύνης. οὐδὲ οὖν παύει τὸν ἱερέα τοῦ μὴ ἱερατεύειν, ἀλλ' ἢ μόνον ἔξω νομίμου γυναικὸς εἰς ἑτέραν ἐὰν πέσῃ. εἰς μίαν γὰρ καὶ μόνον ἐὰν πέσῃ, οὐκ ἔτι

ἔχει

ἔχει ἐξουσίαν ποτὲ ἱερατεύειν, κἂν ἔχοι ἀγωνίσασθαι, ἢ τοὺς καὶ νεκροὺς ἐγεῖραι. ἄλλοι δέ εἰσι μολυσμοί τινες, εἰς οὓς ἐὰν περιπέσῃ ἱερεὺς, καὶ μάλιστα μοναχὸς, ἢ τῶν χωρὶς γυναικὸς χειροτονουμένων, λαμβάνει τινὰ πρὸς καιρὸν στάσιν τῆς ἱερωσύνης ἤτοι ἱερουργίας, καὶ πάλιν ἱερουργείτω. καθὼς ὁ μακάριος Βασίλειος περὶ διακόνων καὶ πρεσβυτέρων οὕτω φάσκων. ὅτι διάκονος ἐν χείλεσι μιανθεὶς, καὶ μέχρι τούτου ἡμαρτηκέναι ὁμολογήσας, τῆς μὲν λειτουργίας ἐπισχεθήσεται, τοῦ δὲ μετέχειν τῆς κοινωνίας μετὰ τῶν διακόνων ἀξιωθήσεται. τὸ δὲ αὐτὸ καὶ πρεσβυτέρῳ. εἰ δέ τις πλεῖον φωραθείη τούτου ἡμαρτηκὼς, ἐν οἵῳ ἂν ᾖ βαθμῷ, καθαιρείσθω. τί δέ ἐστι τὸ ἐν χείλεσι μιανθεὶς. ἐγὼ μὲν οὐ γράφω καίπερ σαφῶς εἰδώς. ὁ δὲ πράξας φανερώσει τοῦτο. ὅμως περὶ ὧν εἰρήκαμεν ἱερέων, ἡμεῖς δὲ καὶ περὶ τῶν ἀξίων εἰς ἱερουργίαν ἐλθεῖν, καὶ περὶ λαϊκῶν, καὶ ἕως πόσου ταῦτα καὶ ποίως κρίνονται, φέρε διὰ βραχέων ὅση δύναμις, καὶ ὡς ἴσμεν ἐροῦμεν.

Οἱ μὲν ἀνάγκης χωρὶς τοῦτ' ἔστι φόβου ἀνθρωπίνου, ἢ πτωχείας ἐν ἐθνικοῖς ἐμολύνθησαν σώμασιν, ἄνδρες, ἢ γυναῖκες. οἱ μὲν χωρὶς γυναικῶν νομίμων ὄντες ἄνδρες, ἢ γυναῖκες ἅμα ἀνδρῶν νομίμων τριετίαν μὲν ἔστωσαν ἀκοινώνητοι μετὰ καὶ τῶν μετὰ ταῦτα γεγραμμένων περὶ βρώσεως, καὶ πόσεως, καὶ εὐχῆς ἐν τόπῳ ἐπιτιμίων· εἴτε ἀνὰ ἓν οἷον προαιροῦνται ἀπὸ τῶν τριῶν. οἱ δὲ νομίμους ἔχοντες γυναῖκας ἢ γυναῖκες νομίμους ἄνδρας καὶ ἐν τέσσαρσιν, ἢ πέντε ἔτεσιν ἐπιτιμηθῶσιν, καὶ μάλιστα εἰ τύχοι ἐν ἑτέροις περιπεσεῖν ἁμαρτήμασιν. εἰ δὲ καὶ μετὰ φόβου καὶ ἐξουσίας, ἢ διὰ πτωχείαν, ἐνιαυτὸν, ἢ δύο ἐπιτιμηθήσονται. ἱερωμένων δὲ γυναῖκες τοῦτ' ἔστι διακόνων, ἢ πρεσβυτέρων, ὅταν ἐν τούτοις παραπέσωσι, τριετίαν ἐπιτιμηθήσονται, ὡς τοὺς ἄνδρας αὐτῶν φονεύσασαι. οὐκ ἔτι γὰρ ἐκεῖνοι ἱερουργήσουσιν, εἰ μετὰ τῶν γυναικῶν αὐτῶν συμβιῶσι, κἂν ἅπαξ θελήσωσιν. ἱερεῖς δὲ καὶ διάκονοι ὅταν ἐὰν παραπέσωσιν, εἰ καὶ ἅπαξ καὶ μόνον ἡ πτῶσις γένηται, μηκέτι τὸ σύνολον ἱερουργήσωσι. κοινωνείτωσαν δὲ ὅτε καὶ θέλωσι, καὶ ἀναγνώστου τάξιν ἐχέτωσαν, ὅσα εἰδὼς ἀναγνώστης ἀνεπαισχύντως ἐνεργοῦντες. ἀναγνώστης δὲ ἐὰν πέσῃ, ἢ ἡ τούτου γυνὴ, οὐκ ἔτι τοῦ ἀναγνωστικοῦ περαιτέρω προκόπτει, ἀλλὰ μένει ἀπρόκοπος. ἐὰν δέ τις παιδίον ὢν, ἢ κοσμικῆς ἢ μοναχικῆς τάξεως, ἢ καὶ παπαδίτζης, φθαρῇ δὲ ὑπό τινος ἀνδρὸς, εἰ μὲν εἰς τοὺς μηροὺς ἢ μόνον, ἐπιτιμηθήσεται μὲν, καὶ τὰ μάλιστα εἰ ἅπαξ καὶ δὶς ἐγένετο. εἰ δὲ πλεῖον τούτου, τοῦτ' ἔστιν ἀφεδρῶνα, μὴ δὲ τὸ σύνολον ἔρχεσθαι εἰς διακόνου βαθμὸν, ἢ ἱερέως ἀξίαν. εἰ γὰρ κἀκεῖνος οὐχ ἥμαρτεν, ἀλλ' ὅμως τὸ σκεῦος ἐρράγη, καὶ οὐκ ἐνδέχεται αὐτὸν ἱερουργῆσαι· ἐμολύνθη γάρ. εἰ δὲ καὶ εἰς μαλακίαν πέσῃ πρὸ τοῦ ἱερωθῆναι, μὴ εἰδὼς τί ἐστι, καὶ ὅτι ἀπείργει αὐτὸν τοῦ μὴ δέξασθαι ἱερωσύνην, ἢ κατὰ ἀγνωσίαν, ἢ παρὰ ἄλλου ψυχοφθόρου, καὶ ἀγνώστου τοῦτο ἐδιδάχθη. ἔστι δὲ ὁ ἄνθρωπος ἢ σοφὸς, ἢ εὐλαβὴς, ἢ καὶ κατὰ ἀμφότερα, ἐπιτιμάσθω πρότερον, καὶ εἶθ' οὕτως ἀξιούσθω. εἰ δὲ μετὰ τὴν ἱερωσύνην εἰς τοῦτο ἑάλω, κατὰ τὸν σκοπὸν ὃν προειρήκαμεν, ἢ κατὰ ἄγνοιαν, ἢ ὑπὸ ψυχοφθόρου διδαχθεὶς μὴ εἶναι κακὸν, λαμβανέτω χρόνου ἐπιτίμιον, ἀπεχόμενος καὶ τοῦ ἱερουργεῖν, καὶ οὕτως ἱερουργείτω. εἰ δὲ καὶ δευτερώσει, ἢ τριτώσει, μηκέτι ἱερουργείτω, ἀλλ' εἰς τὴν τοῦ ἀναγνώστου τάξιν ἐρχέσθω. ἐὰν δέ τις ἔκλεψε κεφαλαιώδη κλέμματα, μὴ ἐρχέσθω εἰς ἱερωσύνην. ὁμοίως δὲ εἰ μετὰ τὴν ἱερωσύνην μηκέτι ἱερουργείτω. ὡσαύτως καὶ οἱ χωρὶς ἱερωσύνης κλέπτοντες μὴ ἐρχέσθωσαν εἰς ἱερωσύνην ποτὲ, ἀλλὰ τὸ τῶν πόρνων λαμβανέτωσαν ἐπιτίμιον.

Τῶν δὲ ἐξαγγελλόντων εἰσὶ τρόποι παρ' ἐμοὶ διαφέροντες ἀλλήλων δέκα. ἕτερος ὁ ὀλίγον ἁμαρτήσας καὶ αὐτοπροαιρέτῳ γνώμῃ μετανοήσας, ὃς καὶ εἰς ἓν πρόσωπον. καὶ ἕτερος ὁ πολλάκις καὶ εἰς πολλὰ ἄλλα πρόσωπα. καὶ ἕτερος ὁ κατὰ φύσιν μὲν ἁμαρτήσας, ἴσως καὶ εἰς ἓν πρόσωπον, χρονίσας δὲ καὶ ἕως γήρως. ἕτερος δὲ ὁ παρὰ φύσιν ἁμαρτήσας, τάχιον δὲ ἀποκόψας, διὰ τὸν τοῦ Θεοῦ φόβον. καὶ ἕτερος ὁ δι' ἀσθένειαν, καὶ περιστάσει συμφορᾶς εἰς ἐξομολόγησιν ἐλθὼν, ἢ καὶ ἐν αὐτῷ τῷ θανάτῳ ἐξομολογησάμενος, καὶ θανών. καὶ ἕτερος ὁ παυσάμενος τῆς ἁμαρτίας οἷα κἂν ᾖ, καὶ εἶθ' οὕτως ἐξαγγείλας τὰ αὐτοῦ ἁμαρτήματα. καὶ ἄλλος ὁ ἕως τῆς ἐξομολογήσεως ἁμαρτάνων, μετὰ τὴν ἐξομολόγησιν δὲ παυσάμενος. καὶ ἕτερος ὁ ἐξομολογούμενος μὲν τὰς ἁμαρτίας αὐτοῦ, ἀπέχεσθαι δὲ πεισθῆναι μὴ ἰσχύων, ἤγουν οὐ θέλων. καὶ ἄλλος ὁ ὁμολογῶν μὲν πάντων παύσασθαι

ſolùm inciderit, ſacrificandi poteſtate abdicatus eſt, licet martyrium decertaret, & mortuos ſuſciraret. Sunt autem aliæ nonnullæ contaminationes in quas ſi Sacerdos inciderit, & præſertim Monachus, vel eorum aliquis qui ſine uxore conſecrantur, à ſacro miniſterio ad tempus ceſſare debent, & iterum ſacris operari. Sicut ſtatuit Beatus Baſilius de Diaconis, & Presbyteris ſic dicens: Diaconus labiis pollutus, & eo uſque ſe peccaſſe confitens, à ſacro miniſterio cohibebitur, communionis tamen cum Diaconis participatione dignus habebitur. Idem de Presbytero judicium. Si quis ultra peccaſſe deprehenſus fuerit, in qualicunque ſit gradu, deponatur. Quid verò hoc eſt, labiis eſſe pollutum? Hoc ego non ſcribo, licet illud probè ſciam. Qui hoc perpetraverit, declarabit. Age tamen breviter pro viribus, & pro cognitione noſtra dicemus de Sacerdotibus, de quibus jam verba fecimus, ſimul etiam & de iis qui ad Sacerdotium evehi merentur, necnon de laicis, quouſque nempe, & qualiter judicentur.

Viri vel mulieres qui ſine neceſſitate, hoc eſt, nullo adigente timore humano, vel paupertate cum Ethnicorum corporibus ſeſe contaminarunt: Illi quidem ſine legitimis uxoribus mariti exiſtentes; vel mulieres legitimis viris conjunctæ, tribus annis communione privandi ſunt vice epitimiorum in cibo, potu, & oratione ſecundum quod aliquid ex his tribus elegerint, ut poſthæc deſcribetur. Qui verò legitimas habuerint uxores, vel uxores legitimos viros, quatuor vel quinque annis plectuntur, præſertim ſi contingat eos aliis ſuccumbere peccatis. Si verò cum timore, & alterius poteſtate adacti, aut propter paupertatem annum aut duos puniuntur. Sacratorum verò mulieres, hoc eſt, Diaconorum & Presbyterorum, cum in hæc inciderint, triennium puniuntor, veluti quæ maritos ſuos occiderint: non enim amplius ſacris miniſteriis operabuntur, ſi poſtea cum mulieribus ſuis vel ſemel congredi voluerint. Sacerdotes & Diaconi ſi vel ſemel ceciderint, ſolumque caſus ſiat, nullomodo poſtea ſacra adminiſtrabunt: communicent verò cum voluerint, & lectoris gradu potiantur, quæ lectoris ſunt munia confidenter exercentes. Lector verò ſi ceciderit, vel ipſius uxor, ultra lectoris gradum promoveri non poterit, ſed permanebit non amplius promovendus. Si verò quis puer vel ſecularis, vel Monachus, vel etiam Clericus, ſive Lector, ab aliquo corruptus eſt, ſi ſolùm intra coxas, epitimio caſtigandus eſt, maximè ſi ſemel & bis hoc contigit. Quod ſi ultra hoc aliquid in ipſum perpetratum eſt, hoc eſt, in poſteriora, nullomodo ad Diaconi, vel Sacerdotis dignitatem perveniet. Licet enim ipſe non peccaverit, vas tamen ipſius diſruptum eſt, & non licet ipſi ſacra miniſtrare, eſt enim pollutus. Si in mollitiem inciderit ante conſecrationem, neſciens quid hoc eſſet, & quod hoc prohibet ipſum à Sacerdotii ſuſceptione, vel propter ignorantiam, vel quod ſic ab animarum corruptore & ignorante edoctus fuerit; Vir tamen eſt vel ſapiens, vel pius, vel utrumque, puniatur prius, pœnaque exoluta ſacerdotio dignus habeatur. Quòd ſi poſt ſacrum miniſterium ſuſceptum in hoc crimine ea ratione quam prædiximus, deprehenſus eſt, vel propter ignorantiam, vel quòd hoc non eſſe malum ab aliquo animarum corruptore edoctus ſit, unius anni pœnitentiam accipiat à ſacro miniſterio abſtinens, & ſic poſtmodum ſacris operetur. Quòd ſi bis terve hoc iteraverit, non amplius ſacris miniſtret, ſed in Lectoris ordinem deſcendat. Si quis furta capitalia furatus fuerit, ſacrum miniſterium non adipiſcatur. Similiter ſi poſt adeptum ſacerdotium hoc perpetraverit, non amplius ſacrificet. Eadem eſto ratio eorum qui ſacro miniſterio non initiati furantur, ſacerdotium nunquam aſſequantur, ſed fornicantium pœnitentia plectantur.

Decem ſunt apud me confitentium ſpecies à ſe invicem differentes. Alius pauculum, & uno modo, peccavit, & ſponte pœnitet: Alius ſæpius, & multis modis: Alius ſecundum naturam, & uno forſan modo, ſed in eo perſeveravit, etiam uſque ad ſenectutem: Alius præter naturam peccavit, ſtatim verò reſipuit, & abſtinuit propter Dei timorem: Alius qui infirmitate actus, vel calamitatis circumſtantia ad confeſſionem ſe accingit, vel in ipſa morte confitetur, & moritur: Alius qui à peccato ceſſavit, qualecunque illud fuerit, & poſtea ſic peccata confitetur: Alius qui ad confeſſionem uſque peccat, ſed confeſſione facta abſtinet: Alius qui peccata quidem confitetur, ſed ab iis abſtinere non valet, aut non vult: Alius qui pollicetur quidem ab omnibus

Digitized by Google

bus peccatis ſe abſtenturum; ſed in una ſpecie hoc non poteſt. Alii verò qui in militia, & neceſſitate, aut timore, vel dono, vel inſolentia, vel aliis variis modis peccantes confitentur. Ejuſmodi inquirere oportet, ſi perſonarum & differentiarum quantitatem definire poſſint, vel non. Qui enim hoc definire nequit, ut luxui & intemperiei deditus judicatur. Illi autem omnes, & eorum unuſquiſque dijudicatur, prout in unoquoque ex illis decem modis ſe peccaſſe confitetur. Declarare debet in quot perſonas incidit, hoc eſt, in quot mulieres: ſimiliter & mulieres. Tunc qui confeſſionem eorum Deo adjuvante excipit, interroget eos quales ex jam enumeratis ſex fornicationis differentiis ſunt perſonæ, hoc eſt, quot meretrices, quot viduæ, quot ancillæ, quot parvum habitum monachi cum indutæ, quot magnum, quot ſacratæ, hoc eſt Presbyteræ, & Diaconorum uxores. Parvi enim habitus Monachæ & lectorum uxores, ut meretrices judicantur; magni verò habitus Monachæ ut nuptæ. Cùm verò confitentes iſtorum differentias & quantitates declaraverint, & quantum temporis in iſta prava animi affectione contriverint: Atque ſi aliquæ ex ipſis pepererunt, vel non: Si eſſent illis uxores, vel non: ſi ſecundum naturam, aut utroque modo: ſi ante triginta annos, aut poſtea, vel utroque modo: ſi ſemel, vel bis, vel ter, aut ſæpius: ſi deſtiterunt, vel ad ſenectutem uſq, & diem illum in quo confitentur peccaverunt, vel jam deſierant.

Poſtquam differentiarum iſtarum interrogationem finierit, eos iterum de inceſtis omnibus interrogabit. Nunquid aliquando in cognatas & affines, inciderint. Si deprehenderit eos in aliquid ejuſmodi incidiſſe, interrogabit an iterum converterint ſe à ſecundo gradu propinquitatis ad primum, vel non. Hoc enim pejus eſt. Poſtea ſic eos interrogare de iis quæ contra naturam perpetrantur: an ceciderint vel in virum, vel in puerum, vel in jumentum, vel in volatile, vel in puellulam ante ſextum decimum annum. Poſtea progredietur ad interrogationem de cæde voluntaria, & involuntaria, ſimul & de gravi & duplici illa mollitie. Cum autem Pœnitentem de his omnibus rectè ſcrutatus fuerit, tum ad vires ejus animum convertet, præſertim ad compunctionem, & humilitatem, ad lachrymas, ad eleemoſynam quam ſe poſſe Deo dare fatetur. Tandem fidei fervorem & propoſitum conſiderabit, dabitque ei ſcriptum ipſius mandatum, hoc eſt, pœnitentiam. Quod ad communionem attinet, ut ſupra dictum eſt, abſtinebitur ab ea per ſpatium unius anni, duorum, trium, 4. 5. uſque ad ſextum, & ſeptimum, poſtea concedetur. Quod ad cibum & potum attinet ut ferunt uniuſcujuſque natura & vires. Quod verò ad Liturgiam, cum Catechumenis exire è templo, & in Narthece ſtare jubentor: In veſperis verò, & matutinis officiis & aliis liberum omnino erit illis ſtare in templo ubi voluerint. Cum verò Pœnitens voluerit, in Nativitate Chriſti, & in Epiphania, & tribus Paſchatis diebus, videlicet magna feria quinta, & magno Sabbato, & magna Dominica, & cum Sanctorum Apoſtolorum memoria celebratur, aliquid communionis participare poteſt, * Epiphaniæ ſcilicet ſanctiſicationem, & ſic Pœnitentiam illis diebus relaxari. Monachis quidem caſeum & ova, aliis verò etiam carnem. Tres autem ſunt apud me hujus rei differentiæ. Quæ cibum & potum ſpectant omnibus impono. Eadem autem indifferentia, & comparatio, & diſcretio, & judicium in mulieribus & viris eſſe debet, ſive ſeculares, ſive Monachi, ſed excipiendi ſunt ſervi & ancillæ. Servi enim & ancillæ ſecundū divinorum canonum decreta mediam tantùm Pœnitentiarum partem quę Dominis imponi ſolet, ſuſcipere tenentur, eo quod in ſua non ſint poteſtate.

Hæc eſt igitur prima caſtigationis & Pœnitentiarum omnibus, ſi ſervos & ancillas excipias, à me data definitio. Feria 2. & 4. & paraſceve oleum comedere, & legumina cum oleribus tantùm; Abſtinere verò à caſeo, ovo, & carne, & piſcibus: Tertia verò & quinta omnia liberè comedere præter carnem: Sabbato verò & Dominica in cibo & potu nullo quocunque modo puniri, ſed in omnibus liberum eſſe, non ſecus ac illi qui nullo epitimio tenentur, hoc eſt, in vino, in carne, & reliquis omnibus. Eadem ratio erit in omnibus feſtis Dominicis, & ſanctiſſimæ Dei genitricis, & duodecim Apoſtolorum cujuſcumque nomen ſortiatur, & qualiſcumque ſit dies; Pœnitentiam multatus liber eſſe debet in eſu & potu: neque in ejuſmodi feſtis feriam quartam, aut paraſcevem obſervabit. Similiter & in feſto

κακῶν ἀποχήν. ἑνὸς δὲ προσώπου μὴ δυνάμενος. καὶ ἄλλοι δὲ ἐπὶ τάξει καὶ κατὰ τὴν ἀνάγκην ἢ φόβον ἢ δῶρον ἢ ἀσέλγειαν, ἢ κατὰ διαφόρους τρόπους ἁμαρτάνοντες ἐξομολογούμενοι. ἐρωτᾶν δὲ αὐτοὺς δεῖ εἰ ἰσχύουσι τὴν ποσότητα τῶν προσώπων εἰπεῖν, ἢ οὔ. ὁ γὰρ μὴ ἰσχύων εἰπεῖν ὡς ἀσώτως κρίνεται. ὅτι πάντες καὶ ἕκαστος αὐτῶν ἀνακρινόμενος, ὡς καὶ ἑκάστοις ἐξήμαρτεν ἀπὸ τῶν δέκα τούτων τρόπων ὁμολογῶν. ὀφείλει εἰπεῖν εἰς ὅσα πρόσωπα ἔπεσε, τοῦτ' ἔστι γυναῖκας, ὁμοίως καὶ αἱ γυναῖκες. καὶ τότε ὁ δεχόμενος σὺν Θεῷ τὴν ἐξομολόγησιν αὐτῶν ἀνακρινέτω αὐτοὺς ὁποῖα ἦσαν τὰ πρόσωπα ἀπὸ τῶν ἓξ διαφορῶν τῆς πορνείας. τοῦτ' ἔστι πόσαι πόρναι, καὶ πόσαι χῆραι, καὶ πόσαι μικρόσχημοι καὶ πόσαι μεγαλόσχημοι μονάστριαι, καὶ πόσαι ἱερωμέναι, ἤγουν πρεσβυτέρισσαι ἢ ἐμβαθμῶν διακόνων γυναῖκες. αἱ γὰρ μικρόσχημοι μονάστριαι καὶ τῶν ἀναγνωστῶν ὡς πόρναι κρίνονται. αἱ δὲ μεγαλόσχημοι ὡς ὕπανδροι. καὶ ὅταν τούτων τὰς διαφορὰς καὶ τὰς ποσότητας ἐξείπωσιν οἱ ἐξομολογούμενοι, καὶ ὁπόσον ἐχρόνισαν εἰς ἐκεῖνο αὐτῶν πάθος, καὶ εἰ ἔτεκον ἐξ αὐτῶν τινες, ἢ οὔ. καὶ εἰ εἶχον γυναῖκας ἢ οὐκ εἶχον, καὶ εἰ κατὰ φύσιν ἥμαρτον, ἢ καὶ κατ' ἀμφότερα· καὶ εἰ πρὸ τριάκοντα χρόνων, ἢ καὶ μετὰ ταῦτα, ἢ καὶ κατ' ἀμφότερα, καὶ εἰ ἅπαξ καὶ δὶς καὶ τρὶς καὶ πολλάκις. καὶ εἰ ἐξέκοψαν. ἢ καὶ ἕως γήρως, καὶ ἕως τῆς ἡμέρας ἐκείνης ἐν ᾗ ἐξομολογήσαντο ἡμάρτησαν, ἢ προαπέκοψαν.

Καὶ ὅταν πάντων τούτων ἐξείπῃ τὰς διαφορὰς, πάλιν ἐρωτᾷ αὐτοὺς περὶ τῶν αἱμομιξιῶν. μήποτε εἰς συγγενείας τινὰς ἢ ἰδιωσυνίας ἔπεσον. καὶ εἰ ἄρα εὕροι αὐτοὺς ἔντινι τούτων, ἐρωτᾶν αὐτοὺς εἰ ἐπεστράφησαν ἀπὸ τοῦ δευτέρου προσώπου τῆς συγγενείας ἐπὶ τὸ πρῶτον πάλιν, ἢ οὔ. χεῖρον γάρ ἐστι τοῦτο. καὶ οὕτως ἐρωτᾶν αὐτοὺς περὶ τῶν παρὰ φύσιν. ἢ εἰς ἄνδρα, ἢ εἰς παιδίον, ἢ εἰς κτῆνος, ἢ εἰς ὄρνιν, ἢ εἰς κοράσιον πρὸ τοῦ ὡρισμένου χρόνου τῶν ις' ἐτῶν περιέπεσαν. καὶ οὕτως περὶ ἑκουσίου καὶ ἀκουσίου φόνου, ὁμοῦ καὶ περὶ τῆς δεινῆς μαλακίας. καὶ ὅτε ταῦτα πάντα τὸν μετανοοῦντα καλῶς ἐρευνήσῃ, τότε πρὸς τὴν δύναμιν αὐτοῦ, μᾶλλον δὲ πρὸς τὴν κατάνυξιν, καὶ πρὸς τὴν ταπείνωσιν, καὶ πρὸς τὰ δάκρυα, καὶ πρὸς τὴν ἐλεημοσύνην αὐτοῦ, ἣν ὁμολογεῖ, ἣν ἔχει ἰσχὺν δοῦναι τῷ Θεῷ. καὶ τέλος πρὸς τὴν ζέσιν αὐτοῦ πίστεως καὶ πρόθεσιν, δίδωσιν αὐτῷ ἐγγράφως τὴν ἐντολὴν αὐτοῦ, ἤγουν τὴν ἐπιτίμησιν. καὶ περὶ μὲν τῆς κοινωνίας ὡς ἀνωτέρω εἴρηται, καὶ εἰς χρόνον καὶ εἰς δύο, καὶ εἰς τρία, καὶ εἰς τέσσαρα, καὶ εἰς πέντε, καὶ εἰς ἕξ, καὶ εἰς ἑπτὰ συγχωρεῖν, περὶ δὲ βρώσεως καὶ πόσεως, ὡς ἔχει ἑκάστου φύσις καὶ ἰσχύς. καὶ περὶ μὲν τῆς λειτουργίας ἀπὸ τῶν κατηχουμένων ἐξέρχεσθαι τοῦ ναοῦ καὶ στήκειν εἰς τὸν νάρθηκα. εἰς δὲ τὸν ἑσπερινὸν καὶ ὄρθρον καὶ τὰ ἄλλα ἀκώλυτον εἶναι κατὰ πάντα ὅπου θέλει ἵστασθαι ἐν τῷ ναῷ. ὅτε καὶ αὖ θέλει τὰ δὲ Χριστοῦ γέννα, καὶ τὰ φῶτα καὶ τὰς τρεῖς τοῦ πάσχα ἡμέρας, ἤτοι τῇ μεγάλῃ ε'. καὶ τῷ μεγάλῳ σαββάτῳ, καὶ τῇ μεγάλῃ Κυριακῇ, καὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων τὴν μνήμην, δύναται τι κοινωνίας μεταλαμβάνειν, * δηλαδὴ ἁγίασμα τῶν φώτων, καὶ οὕτω διαλύειν· οἱ μὲν μοναχοὶ τυρὸν καὶ ὠὸν, οἱ δὲ καὶ κρέα. τρεῖς δὲ διαφορὰς τὸ καθ' ἐμὲ τέως ἔχει, εἰς τὰ περὶ βρώσεως καὶ πόσεως οἷς πάντας ἐπιτιμῶ. ἡ αὐτὴ γὰρ αὖ ἄκρισις καὶ διάκρισις ὀφείλει γίνεσθαι καὶ ἐπὶ γυναικῶν καὶ ἀνδρῶν, κοσμικῶν τε καὶ μοναχῶν, ἄνευ δούλων καὶ δουλίδων. οὗτοι γὰρ δοῦλοι καὶ αἱ δουλίδες καὶ παρὰ τῶν θείων ἐκανονίσθησαν κανόνων, τὸ ἥμισυ δὲ μόνον τῆς ἐπιτιμήσεως λαμβάνειν, διὰ τὸ μὴ εἶναι αὐτοὺς ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ.

Οὗτος οὖν ὁ πρῶτος τῆς ἐπιτιμήσεως τῶν πάντων, χωρὶς δούλων καὶ δουλίδων, παρ' ἐμοῦ διωρισμένος πάντας τῶν ἐπιτιμιῶν ὅρος, δευτέραν μετὰ καὶ τετράδα παρασκευὴν, ἐσθίειν ἔλαιον καὶ ὄσπρια μετὰ λαχάνων μόνον. τυροῦ δὲ καὶ ὠοῦ καὶ κρέατος καὶ ὀψαρίου ἀπέχεσθαι. τρίτην δὲ καὶ πέμπτην πάντα ἐσθίειν ἀπολύτως ἄνευ κρέατος. σαββάτῳ δὲ καὶ κυριακῇ μὴ ἔντινι βρώματι ἢ πόματι τὸ σύνολον ἐπιτιμᾶσθαι· ἀλλ' εἶναι ἀκώλυτον εἰς πάντα, ὡς πάντες οἱ μὴ ἔχοντες ἐπιτίμιον. τοῦτ' ἔστι καὶ εἰς κρέας καὶ εἰς οἶνον, καὶ εἰς πάντα. ὁμοίως καὶ εἰς πᾶσαν ἑορτὴν δεσποτικὴν καὶ τῆς παναγίας θεοτόκου, καὶ τῶν ιβ'. ἀποστόλων οἷον ἂν λάχῃ ὄνομα, καὶ οἵα ἂν ᾖ ἡ ἡμέρα, εἶναι ἀκώλυτον ἐν βρώσει, καὶ πόσει τὸν ἐπιτιμώμενον καὶ μὴ τετράδα ἢ παρασκευὴν φυλάττειν ἐν τοιαύτῃ ἑορτῇ. ὁ-

μοίως

μείως καὶ τοῦ προδρόμου, τὸ δωδεκαήμερον, καὶ τὴν ἑβδομάδα τοῦ πάσχα, καὶ τὴν ἀπὸ τῆς πεντηκοστῆς, ἣν τοῦ ἁγίου πνεύματος καλοῦμεν ἑβδομάδα. τὰς δὲ ἀπὸ τοῦ ἀντιπάσχα ἕως τῆς πεντηκοστῆς, ἤτοι μὲν εἶναι αὐτὰς ὁλοκλήρως εἰς πάντα πλὴν τετραδοπαρασκευῆς, κρατεῖν μετὰ προσθήκης, τοὺς μὲν κοσμικοὺς τὸ κρέας, τοὺς δὲ μοναχοὺς τὸν τυρὸν καὶ ὠά. εἶναι δὲ καὶ τὰς δύο ἑβδομάδας, τῆς τε ἀποκρέω καὶ τῆς προφωνησίμου ἀκωλύτους ἁπάσας εἰς πάντα. τοὺς τε μοναχοὺς εἰς τυρὸν καὶ ὠά, τούς τε κοσμικοὺς εἰς κρέας παρεκτὸς τῶν τετραδοπαρασκευῶν αὐτῶν. ταύτας γὰρ τότε ὁλοκλήρως κρατεῖν, εἰ δυνατόν, καὶ ὀψαρίων χωρίς, καὶ ἕως ὀψὲ νηστεύειν. ὥρισται γὰρ καὶ τοῦτο παρὰ τοῦ θείου κανόνος αἰεὶ ὡς εἴρηται ἄνευ ἑορτῆς καὶ δωδεκαημέρου, καὶ πεντηκοστῆς, μήτε διὰ φίλον κατὰ οἱονδὲ καταλύειν αὐτάς, οὐκ οἶδα ἂν κατὰ ἀσθένειαν, ἢ ἄλλην μεγάλην περίστασιν, ἀπέχεσθαι δὲ οἶνον τοὺς ἐπιτιμωμένους εἰ δυνατὸν πάντοτε, ἐκτὸς σαββατοκυριακῆς καὶ ἑορτῆς. ἀσυγχωρήτως δὲ τὰς δευτέραν καὶ τετραδοπαρασκευήν, τοῦτ᾽ ἔστι μίαν λίτραν πίνειν τὴν ἡμέραν, εἰ δέ τις δύναται μηδὲ ὅλως τὰς τρεῖς ταύτας ἡμέρας πίνειν οἶνον, μέγαν μισθὸν ἕξει. ὅμως ἡ ἑκάστου φύσις, ἢ ἡ γνώμη, ἢ τὸ ἦθος παρὰ τοῦ αὐτὸν ἀναδεχομένου διαγνωσθήσεται, καὶ ὁρισθήσεται, καὶ πλέον τοῦ ὅρου πίνειν. Ταῖς δὲ δυσὶ τεσσαρακοσταῖς, τοῦ τε ἁγίου φιλίππου καὶ τῶν ιβ΄. ἀποστόλων κρέατος μὲν μὴ μετέχειν τοὺς κοσμικοὺς ὁριζόμεθα, τοὺς δὲ μοναχοὺς τυροῦ καὶ ὠοῦ, πλὴν τοῦ προδρόμου τὸ ἐπιστρέψειν, εἰ θέλωσι καὶ τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, καὶ ταῦτα ἐάν τινες αἰτήσωνται. τὴν δὲ μεγάλην τεσσαρακοστήν, εἰ δυνατόν, τοὺς κοσμικοὺς μὴ μετέχειν ὀψαρίων, πλὴν σαββατοκυριακῆς. τοὺς δὲ μοναχοὺς ἐλαίου. εἰ δὲ οὐ προαιροῦνται. τὴν τρίτην καὶ πέμπτην μόνον καταλύειν, ἐκείνους μὲν ὀψαρίων, τούτους δὲ ἐλαίου. οὐκ οἶδα εἰ κατάκεινται. εἰ δυνατόν, μήτε οἶνον πίνειν πλὴν σαββατοκυριακῆς. εἰ δὲ ἀνάγκη ἐπίκειται ὀλιγοψυχίας ἢ φιληδονίας, ἢ πολλῶν ἀλόγων αἰτιῶν, καὶ οὐ προαιροῦνται, τὰς δευτέραν καὶ τετραδοπαρασκευήν, μηδὲ ὀσμασθῆναι οἶνον τοὺς μετάνοιαν προαιρουμένους ἅπαντας, καὶ μάλιστα τὴν πρώτην ἑβδομάδα. ὅλην, μηδὲ τὸ σύνολον πίνειν. τὴν ἐσχάτην, ἤγουν μεγάλην, τῇ ἁγίᾳ πέμπτῃ καὶ μόνον, ἕως ὀλίγου τινός. καὶ οὗτος μὲν ὁ πρῶτος ὅρος παρ᾽ ἐμοὶ συμπεριείληπται, καὶ τῶν ἄλλων τὰς διαφορὰς τοῦ χρόνου παντός.

Ὁ δὲ δεύτερος οὗτος. ἐὰν δὲ οὐ δύνανται οἱ ἐπιτιμώμενοι ἐν τούτῳ τῷ ὅρῳ, μᾶλλον δὲ οὐ προαιροῦνται, τὰς μὲν τετραδοπαρασκευὰς κρατείτωσαν ἁγνὰς παντάπασι. τοῦτ᾽ ἔστιν, οἱ μὲν κοσμικοὶ ἀπὸ κρέως καὶ τυροῦ καὶ ὠοῦ καὶ ὀψαρίων μὴ γευόμενοι, πλὴν ἐλαίου καὶ ὀσπρίου καὶ λαχάνων. οἱ δὲ μοναχοὶ ἐὰν οὐκ ἀσθενῶσι, μηδὲ ἔλαιον. τὰς δὲ ἑτέρας πέντε ἡμέρας τῆς ἑβδομάδος εἶναι ἀκωλύτους κατὰ πάντα ἐν πᾶσιν, ὥστε καὶ ἕκαστον τὸ ἐπάγγελμα ἐσθίειν, ντὲς οἱ μὲν κοσμικοὶ εἰς πάντα, καὶ ἕως τυροῦ καὶ ὠοῦ καὶ γάλακτος.

Ὁ δὲ τρίτος ὅρος ἐξ ἀπορίας οὗτός ἐστιν. ἐὰν δὲ οὐδὲ οὕτως ἕπωνται, ἢ διὰ φιληδονίαν, ἢ διὰ κενοδοξίαν ἢ κατὰ ἀσθένειαν. ταύτας μὲν ὡς εἴρηται τὰς δύο ἡμέρας φυλαττέτωσαν τῆς ἑβδομάδος ἐν τῷ τῆς ἐπιτιμήσεως αὐτῶν χρόνῳ ὁλοάγνας, ἔλαιον δὲ ἵνα ἐσθίωσιν οἱ μοναχοί, οἱ δὲ κοσμικοὶ ὀψάρια. ταύτης δὲ τῆς λίαν συγκαταβατικῆς οἰκονομίας οἶδα ὅτι μέλλω κατακρίνεσθαι ἐπὶ τοῦ κοινοῦ πάντων κριτοῦ καὶ Θεοῦ. ἀλλ᾽ ὅμως κρεῖττόν μοι ἐστὶ ἐν τοῖς τοιούτοις κριθῆναι, ἢ ὡς ἀσυμπαθὴς ἐπαινεθῆναι. εὐχὰς δὲ ἵνα ποιῶσι διὰ τοῦ νυχθημέρου τρεῖς, πρωΐ, καὶ ὅταν ἐσθίειν μέλλωσι, καὶ ἐν τῇ ὥρᾳ τοῦ δείπνου, καὶ ὅταν κοιμηθῆναι ὑπάγωσι· κατὰ δὲ ἑκάστην εὐχήν, ἵνα λέγωσιν οἱ εἰδότες τὸν ή, τὸ τρισάγιον, τὸ πάτερ ἡμῶν, τὸ Κύριε ἐλέησον. ρ΄. τὸ, ὁ Θεὸς ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ ή. καὶ μετανοίας ή. οἱ δὲ οὕτω μὴ προαιρούμενοι ἢ μὴ δυνάμενοι, κἂν τὸ ἥμισυ τούτων. εἰ δὲ μὴ οὕτω, καὶ τὸ τρίτον τούτων. τὰς δὲ πάσας σαββατοκυριακὰς καὶ ἑορτὰς καὶ τὸ δωδεκαήμερον· ὁμοίως δὲ καὶ τὰς ἀπὸ τοῦ πάσχα ἡμέρας ἕως τῶν ἁγίων πάντων μὴ γονυκλιτεῖν ἐν ταῖς εὐχαῖς, ἀλλὰ μόνον προσκυνήσεις ποιεῖν κατὰ πάντα.

Καὶ οὗτοι μὲν ὅροι τῶν παρ᾽ ἐμοὶ δοθέντων καὶ διδομένων σμικροτάτων καὶ λίαν ἀσυγγνώστως ἐπιτιμίων· τούτους δὲ ἡ συγκεί-

Joannis Baptiſtæ,& dodecaemero, & Paſchatis ſeptimana, & qnæ Pentecoſten ſequitur, quam ſancti Spiritus ſeptimanam vocamus, dies quoque ab anti Paſchate, ſive Dominica in Albis, uſque ad Pentecoſtem, oportet eſſe omnibus modis liberas, præter 4. & 6. ferias quorum abſtinentia eſt nniuſmodi, ſecuiarium à carnibus, Monachorum à caſeo & ovis. Duabus inſuper bebdomadibus, abſtinentię carnalis & dennnciationis, hoc eſt, ſexageſimæ & quæ eam precedit, ab omnibus Pœnitentiis liberari debent, Monachi ab abſtinentia caſei, & ovorum, ſecuiares carnis, præter earum 4 & 6. ferias. Illas enim, ſi poſſi bile eſt, omnino puras tenere oportet, etiam ſine piſcibus,& in iis uſq; ad veſperam jejunare. Definitum eſt enim à divino canone nunquam licere ut dictum eſt, præterquam in feſtis & dodecaemero, & Pentecoſte jejunium ſoivere, nequidem propter amicum quaiemcunque: neſcio an propter infirmitatem, aut inſignem aliam circumſtantiam. Semper autē convenit Pęnitenria affectos, ſi poſſibiie eſt, vini determinatam quantitatem habere, exceptis ſabbatis, Dominicis & feſtis. Tunc autem non concedatur feriis 2.4. & 6. vini iibram unam bibere. Si verò quis poteſt omnino tribus iilis diebus abſtinere à vino mercedem magnā reportabit. Attamen uniuſcuiuſq; natura, ingenium, mores, & habitudo ab eo qui ipſius confeſſionem tuſcipir, dijudicari, & definiri poterit etiam ultra menſuram. Decernimns autem ſecularibus ut à carne abſtineant duabus Quadrageſimis, ſancti ſcilicet Phiiippi, & ſanctorum 12. Apoſtolorum; Monachis verò ut à caſeo & ovis, præter Præcurſoris feſtum in quo ſoi ad nos convertitur: Si tamen voiuerint, & petierint Sancta Sanctorum participenr. In magna autem quadrageſima, ſi fieri poteſt, à piſcibus ſecuiares abſtinebunt pręter ſabbata & Dominicas oieo verò Monachi. Si verò huc non elegerint, tum tertia feria & quinta tantùm iilis piſces relaxabuntur, his verò oleum. Si decumbanr, neſcio an fieri poſſit ut vinum non bibant exceptis ſabbatis & Dominicis. Si autem nrget eos puſillanimitatis neceſſitas, vei iætitiæ amor, ant aliarnm multarum cauſarum rationabilium, & abſtinentiam illam admirtere nolint, tum omnes qui Pœnitentiam agere ſibi proponunt, 2. 4 & 6. feriis ne vinum quidem guſtabunt, & præſertim tota prima hebdomada nulinm omnino vinum bibent. Ultimæ autem & magnæ hebdomadæ ſancta die quinta ſolum pauculum aliquid vini iicebit iilis bibere. Prima antem iſta definitio & aliorum, & totius temporis differentias apud me complectitur.

Secunda definitio eſt ejuſmodi. Si Pœnitentia muitati non poſſunt, potius verò ſi noiunt primæ definitioni acquieſcere, 4. & 6. ferias omnifariàm tranſigant puras & iilibacas: hoc eſt, ſeculares carnem & caſeum, & ovum, & piſces ne guſtent, præter oleum, legumina, & olera; Monachi verò, niſi infirmi ſint, neque oleum. Cæteri verò 5. ſeptimanæ dies ſint iilis in omnibus & ſecuodum omnia iiberi, ita nnuſquiſque juxra profeſſionem, & conditionem ſuam comedat, hoc eſt, ſeculares, in omnibus relaxentur, ad caſeum uſque, lac, & ovum.

Tertia definitio quæ ex neceſſitate & indigentia proficiſcitur, eſt ejuſmodi. Si neque ſic iſta ampiectantur, vel propter deliciarum amnrem, vei vanam gloriam, vei infirmiratem, duos illos dies ſeptimanæ, ut dictum eſt, puros & iilibatos toto Pœnitentiæ tempore ita obſervent, ut oieum comedant Mnnachi, ſeculares verò piſces. Non ſum neſcius me propter iſtam œconomiam & diſpenſationem nimium hnmanæ infirmitati compatientem à Deo communi omnium judice condemnandum fore. Sed tamen melius mihi eſt in ejuſmodi ſic judicari, quàm ut inhumanus & auſterus iaudari. Tres inſuper tota die orationes facient, manè & cum comeſturi ſunt, & in hora cœnæ, & cum dormitum ſecedent. In unaquaque autem oratione qui ſciunt dicent Pſalm. 8 triſagion, Pater noſter; Kyrie eieiſon centies, Deus propitius eſto mihi peccatori octies, & Pœnitentias facient octo. Quibus hoc non placuerit, aut qui non potuerint, dimidiam iliorum partem facient. Qui verò ne hoc quidem, tertiam partem. Omnibus autem Sabbatis & Dominicis, & Feſtis, & dodecaemero * ſimiliter & diebus qui Paſcha ſequuntur uſque ad feſtum omnium Sanctorum ſive Dominicam Trinitatis, in orationibus genua non flectent, ſed ſeſe tantùm ieviter inclinabunt.

Hæc ſunt definitiones epitimiorum ieviſſimorum quidem & nimia reiaxatione facillimorum à me traditorum.

Illius

Iſtius diſcretionis & moderationis auxilium dedit nobis magnus Baſilius dicens, Hæc omnia ſcribimus, ut Pœnitentiæ fructus probemus: Non enim omnino iſta tempore judicamus, ſed attendimus ad modum & formam Pœnitentiæ. Cui autem Dei clementia poteſtatem credidit ſolvendi & ligandi, auctoritatem quoque habet, ſi humanitate uti velit, videos in peccatore Confeſſionis & Pœnitentiæ exceſſum, minuendi pœnarum tempus, nec ideo erit condemnationi obnoxius; hiſtoria ſacra nobis notum faciente, eos qui majore cum labore peccata confitentur, celeriùs Dei miſericordiam conſequi. Si verò aliqui à propriis moribus difficillimè avelli poſſint, & voluptatibus malunt quàm Deo ſervire, vitamque, ſecundum Euangelium non ſuſcipiunt, nullus eſt nobis cum ipſis ſermo communis. Nos enim edocti ſumus audire, in populo inobediente & contradicente, ſervando ſerva tuam ipſius animam. Non igitur conſentiemus unà cum alienis peccatis perire, ſed grave Dei judicium reformidantes, & tremendam illam diem præ oculis habentes cum illis perire ne velimus. Optimo Deo noſtro gloria ſit in ſecula ſeculorum. Amen.

σιως τῆς βοήθειαν δέδωκεν ἡμῖν ὁ μέγας Βασίλειος εἰπών, ὅτι ταῦτα πάντα γράφομεν ὥστε τοὺς καρποὺς δοκιμάζεσθαι τῆς μετανοίας· οὐ γὰρ πάντως τῷ χρόνῳ τὰ τοιαῦτα κρίνομεν, ἀλλὰ τρόπῳ τῆς μετανοίας προσέχομεν. ἐξουσίαν δὲ ἔχων ὁ ἐμπιστευθεὶς παρὰ τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας λύειν τε καὶ δεσμεῖν, εἰ φιλανθρωπότερος γένοιτ' ἄν, τὸ ὑπερβάλλον τῆς ἐξομολογήσεως ὁρῶν τοῦ ἡμαρτηκότος, εἰς τὸ ἐλαττῶσαι τῶν ἐπιτιμίων, οὐκ ἔσται κατακρίσεως ἄξιος, τῆς ταῖς γραφικαῖς ἱστορίαις γνωριζούσης ἡμῖν τοὺς μετὰ μείζονος πόνου ἐξομολογουμένους, ταχέως τὴν τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίαν καταλαμβάνειν. ἐὰν δὲ δυσαποσπάστως ἔχωσι τῶν ἰδίων ἐθῶν, καὶ ταῖς ἡδοναῖς δουλεύειν ἐθέλωσιν, ἢ τῷ Κυρίῳ, καὶ τὴν κατὰ τὸ εὐαγγέλιον ζωὴν μὴ καταδέχωνται· οὐδεὶς ἡμῖν κοινὸς πρὸς αὐτοὺς λόγος. ἡμεῖς γὰρ ἐν λαῷ ἀπειθεῖ καὶ ἀντιλέγοντι δεδιδάγμεθα ἀκούειν, ὅτι σώζων σῶζε τὴν σεαυτοῦ ψυχήν· μὴ καταδεξώμεθα τοίνυν ἁμαρτίαις ἀλλοτρίαις συναπόλλυσθαι. ἀλλὰ φοβηθέντες τὸ βαρὺ κρίμα, καὶ τὴν φοβερὰν ἡμέραν πρὸ ὀφθαλμῶν λαβόντες, τοῖς τοιούτοις συναπόλλυσθαι μὴ βουληθῶμεν· ὅτι τῷ ἀγαθῷ Θεῷ ἡμῶν ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν.

Oratio ſuper eum qui à Sacerdote ligatus eſt, cum abſolvitur.

Miſericors, benigne, & clemens Domine, qui ſecundum miſericordiam tuam miſiſti unigenitum tuum in mundum, ut confringeret quod erat adverſum nos chirographum, & ſolveret vincula eorum qui ſub peccato vincti erant, & prædicaret captivis dimiſſionem, ſtimulum mortis perimens: Tu Domine libera benignitate tua hunc præſentem ſervum tuum N. à jugo cui ſubjacet, & relaxa hoc ipſi impoſitum jugum; & largire ipſi ut omni tempore & loco confidenter poſſit ſine peccato, & cum pura conſcientia majeſtatem tuam adire, & miſericordiæ tuæ divitias exorare; quia miſericors, & clemens es Deus, tibique gloriam remittimus. Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, nunc & ſemper & in.

Εὐχὴ ἐπὶ τοῦ ἐν δεσμῷ ὄντος ὑπὸ ἱερέως καὶ λυομένου.

Εὔσπλαγχνε, ἀγαθὲ, καὶ φιλάνθρωπε Κύριε, ὁ διὰ τοὺς σοὺς οἰκτιρμοὺς ἐξαποστείλας τὸν μονογενῆ σου υἱὸν εἰς τὸν κόσμον, ἵνα διαῤῥήξῃ τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον, καὶ λύσῃ τὰ δεσμὰ τῶν ὑπὸ τῆς ἁμαρτίας πεπεδημένων, καὶ κηρύξῃ αἰχμαλώτοις ἄφεσιν, ὀλοθρεύσας τοῦ θανάτου τὸ κέντρον, σὺ δέσποτα τὸν παρόντα δοῦλόν σου τόνδε τῇ σῇ ἀγαθότητι, ἐλευθέρωσον, τοῦ ἐπικειμένου ζυγοῦ, καὶ ἄνες αὐτῷ τὸν ἐπιτεθέντα αὐτῷ δεσμὸν, καὶ δώρησαι αὐτῷ ἀναμαρτήτως ἐν παντὶ καιρῷ καὶ τόπῳ μετὰ παῤῥησίας καὶ καθαρᾶς συνειδήσεως προσιέναι τῇ σῇ μεγαλειότητι, καὶ αἰτήσασθαι τὸ παρὰ σοῦ πλούσιον ἔλεος, ὅτι ἐλεήμων καὶ φιλάνθρωπος Θεὸς ὑπάρχεις, καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν, τῷ πατρὶ, τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς.

IN JOANNIS JEJUNATORIS PATRIARCHÆ

Conſtantinopolitani ſermonem de Confeſſione & Pœnitentia.

ADNOTATIO.

Tractatus iſte qui Joannis Jejunatoris Patriarchæ Conſtantinopolitani nomen pre ſe fert, ſermonis ſive homiliæ, & exhortationis rationem & methodum initio ſui præfert, ita ut videri poſſit è cathedra ad populum habitus. Attamen ſi legatur integer, facilè deprehendetur familiarem eſſe inſtructionem qua non modò confitens de Confeſſione piè & integrè edenda inſtituitur, ſed etiam Sacerdos qua ratione Confeſſiones excipiat, Pœnitentiam imponat, & reconciliationem præſtet, informatur. Ne ſermonis amplitudine lectori tædio ſit, multa prætermittit author, præſertim quæ ſpectant peccatorum enarrationem, deſcribere contentus catalogum, crimina quæ confitenda ſunt, nominetenus complectentem. Generales Pœnitentiæ imponendæ regulas optima methodo tradit, videturque compendio, quæ Pœnitentialis præcedens fusè explicavit, contrahere. In fine aliquid deeſſe videtur. An Joannes Patriarcha iſtius ſermonis ſit revera author, an verò aliquis eum ex ipſius Pœnitentiali expreſſerit, difficile dictu eſt. Cum verò codicis titulus P. Joannem Jejunatorem præferat, nullumque contrarii judicium nobis præſto ſit, illius author ſit nobis Joannes Patriarcha. Longè aberrare non poſſumus, cum certum planè ſit, aut ipſum eſſe illius authorem, aut è ſuo expreſſum. Originarius textus è quo exſcriptus eſt, conſervatur in Bibliotheca illuſtriſſimi & eruditiſſimi Præſulis, D. de Montchal. Toloſani Archiepiſcopi, quæ librorum exquiſitiſſimorum, raroque vel curioſiſſimis occurrentium, theſaurus eſt locupletiſſimus.

ΙΩΑΝΝΟΥ ΜΟΝΑΧΟΥ

Πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως τοῦ νηστευτοῦ λόγος πρὸς τὸν μέλλοντα ἐξαγορεῦσαι τὸν ἑαυτοῦ πνευματικὸν υἱόν.

Ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ μονογενὴς τοῦ Θεοῦ παῖς, ὁ διὰ τὴν ἡμῶν τῶν ἁμαρτωλῶν σωτηρίαν γενόμενος ἄνθρωπος, εἰδὼς ἡμῶν τὸ ὀλισθηρὸν καὶ τῆς φύσεως τὸ εὐόλισθον, καὶ ὅτι διὰ παντὸς ἔγκειται ἡ διάνοια τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ τὰ πονηρὰ ἐπιμελῶς ἐκ νεότητος, οὐδαμῶς εἴασεν ἀνεπιμελήτους, ἀλλ' ἔδωκε νόμον εἰς βοήθειαν, ἀγγέλους ἐπέστησε φύλακας, ἐξαπέστειλε προφήτας, ἀποστόλους, πατριάρχας, ἱερεῖς, διδασκάλους εἰς διδασκαλίας πνευματικάς· μοναχοὺς δὲ πάλιν τὸ παραινεῖν, ἐπὶ τὸ ἐξομολογεῖσθαι εἰς αὐτοὺς μετὰ μετανοίας, ἵνα μηδεμίαν βλάβην καθ' ἡμῶν εὕρῃ ὁ βάσκανος ἡμῶν ἐχθρὸς καὶ πολέμιος, καὶ ἀπελπίσας ἡμᾶς τοῦ σώζεσθαι μετὰ τὸ πεσεῖν βρόχοις καὶ πάγαις περιάψῃ, ἀλλ' ἔσω τὴν τῆς σωτηρίας λιμένων ἰθύνεσθαι· Καὶ γὰρ τοὺς πρὸς αὐτὸν ἐξ ὅλης καρδίας καὶ εἰλικρινοῦς προθέσεως ἐπιστρέφοντας προϋπαντᾷ καὶ ἐγκαλιζόμενος καταφιλῶν ὑποδέχεται, ὡς τὸν ἄσωτον, ὡς τὸν λῃστὴν, ὡς τὴν πόρνην· ὁ μὴ βουλόμενος τὸν θάνατον ἡμῶν τῶν ἁμαρτωλῶν ὡς τὸ ἐπιστρέψαι καὶ ζῆν αὐτούς. ἔχοντες οὖν ἀδελφοὶ μαρτυρίας πλείστας παραινούσας ἡμᾶς εἰς τὸ σώζεσθαι ἔκ τε τῆς παλαιᾶς καὶ τῆς νέας διαθήκης, προσδράμωμεν τῷ Θεῷ ἡμῶν ἐν ἐξομολογήσει· ὅτι πάντας προσκαλεῖται τοὺς ἁμαρτωλοὺς εἰς τὸ σώζεσθαι, ὡς διὰ τοῦ προφήτου Ἰωὴλ πάντας πρὸς μετάνοιαν προσκαλούμενος ἀναφωνῶν λέγει, ἐπιστρέψατε πρός με ἐξ ὅλης τῆς καρδίας ὑμῶν, καὶ διαρρήξατε τὰς καρδίας ὑμῶν καὶ μὴ τὰ ἱμάτια ὑμῶν, καὶ διὰ Ἡσαΐου λέγει, λούσασθε, καὶ καθαροὶ γένεσθε, ἀφέλετε τὰς ἁμαρτίας ἀπὸ τῶν ψυχῶν ὑμῶν. Καὶ δι' ἑτέρου πάλιν λέγει, λέγε σὺ πρῶτον τὰς ἁμαρτίας σου ἵνα δικαιωθῇς· καὶ πάλιν, δίκαιος ἑαυτοῦ κατήγορος ἐν ἀντιλογίᾳ, καὶ διὰ τοῦ Ἰεζεκιὴλ, ζῶ ἐγὼ, λέγει κύριος, οὐ βούλομαι τὸν θάνατον τοῦ ἁμαρτωλοῦ ὡς τὸ ἐπιστρέψαι καὶ ζῆν αὐτόν. καὶ διὰ τοῦ Δαβὶδ, εἶπα ἐξαγορεύσω κατ' ἐμοῦ τὴν ἀνομίαν μου τῷ Κυρίῳ, καὶ σὺ ἀφῆκας τὴν ἀσέβειαν τῆς καρδίας μου

καὶ

JOANNIS MONACHI

Patriarchæ Conſtantinopolitani, Jejunatoris dicti, ad eos qui peccatorum confeſſionem Patri ſuo ſpirituali edituri ſunt, ſermo.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus, Unigenitus Dei filius, qui propter peccatorum ſalutem homo factus eſt, cognoſcens naturæ noſtræ lubricum, lapſibus variis obnoxium, & quod mens hominis à juventute ſua perpetuò & ſolicitè inclinat in res malas, nullomodo eorum curam deſeruit, ſed legem eis ad auxilium dedit, Angelos cuſtodes præpoſuit, Prophetas, Apoſtolos, Epiſcopos, Presbyteros, Doctores miſit ad eos ſpirituales doctrinas edocendos. Monachos inſuper ad exhortandum, ad confeſſiones apud ipſos cum Pœnitentia edendum, ut nullam obtrectator, & hoſtis noſter adverſum nos noxæ inſerendæ occaſionem inveniat, neve nos poſt caſum in deſperationem ſalutis, laqueis & tendiculis ſuis inducat, & irretiat, ſed intra ſalutis portum Deus dirigat. Iis enim qui ad ipſum ex toto corde, & ſincero propoſito convertuntur, occurrit, & eos in ulnis amplectens deoſculatur, & ſuſcipit, ut Prodigum, ut Latronem, ut Meretricem, qui peccatoris mortem non vult, ut eorum converſionem, & vitam. Quum igitur fratres tam multis teſtimoniis abundemus, tam ex veteri quam ex novo Teſtamento quæ nos ut ſalutis noſtræ curam agamus admonent, confugiamus ad Deum noſtrum in confeſſione, quia omnes peccatores, ut ſaluti ſuæ conſulant, exhortatur, eoſque per Prophetam Joel ad Pœnitentiam provocans alta voce exclamat dicens, Convertimini ad me ex toto corde veſtro, & rumpite, corda veſtra, non autem veſtimenta veſtra. Et per Iſajam. Lavamini, & puri eſtote, tollite peccata de animabus veſtris: Et per alium iterum dicit, dic tu primùm peccata tua, ut juſtificeris. Iterumque, juſtus ſui ipſius eſt accuſator in contradictione: Et per Ezechielem, Vivo ego dicit Dominus; Nolo mortem peccatoris, ut convertatur, & ipſe vivat: Et per Davidem, Dixi confitebor adverſum me iniquitatem meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei. Et

iternm, Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Et iterum, Cogitatio hominis confitebitur tibi: Et per Jacobum fratrem Domini, Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem ut ſanemini. Sic & alibi. Numquid qui cadit non reſurget? Et iterum, Exurge qui dormis ab incuria tua, & reſurge à mortuis, & deſperatione, & illuminabit te Chriſtus qui ſol eſt non occumbens, qui tenebris obruta luce perſundit.

Talem igitur, dilecti, habentes Dominum injuriatum tolerantem, minimè iracundum, compatientem, bonorum amantem, malorum immemorem, ad miſericordiam adeo proclivem, ne erubeſcamus ante tremendum & terribile illud judicium peccata noſtra viris ſpiritualibus publicare: ſcriptum eſt enim, eſt pudor adducens peccatum, & eſt pudor, gratia & gloria. Sciens enim Servator & Deus noſter, quod juvenes baptizati dum ætate provehimur per peccata contaminamus tunicam ex aqua & ſpiritu nobis contextam, tunicam immortalitatis; dedit nobis facultatem iterum eam ſecundùm familiarem ſibi bonitatem per confeſſionem & pœnitentiam repurgandi, & illuſtrandi, ut antiquam dignitatem recuperemus, & per brevem & momentaneam hanc erubeſcentiam effugiamus eam quæ coram Angelis & hominibus futura eſt, cum Deus unicuique reddet ſecundum opera ejus. Non enim tibi promiſit Chriſtus impeccabilem aliquem cui confiteris, vel Angelum, vel juſtum, purumque atque ab omni parte intactum, ut ipſius examen & ſeveram inquiſitionem timeas & refugias: ſed hominem peccatorem iiſdem quibus tu animi affectibus obnoxium, ut per hanc præſentem erubeſcentiam à futura & æterna redimaris. Hæc igitur animo revolvens conſidera, & ad calculum revoca, dilecte, quæ feciſti, quæ noctu, quæ interdiu, quæ ſciens, quæ ignorans: Omnia coram Chriſto & electis ejus Angelis nihil pudore reticens aut contrahens, confidenter mihi peccatori confitere.

Debet autem qui confitetur tres Pœnitentias facere in introitu ſancti altaris, terque dicere, Confitebor tibi, pater, Domine Deus cœli & terræ omnia quæ in abſcondito cordis mei ſunt. His dictis, eum erigit confeſſor, & utroque ſtante Confeſſor eum interrogare debet cum omni hilaritate, ipſumque ſi fieri poteſt deoſculari, manuſque ejus, præſertim ſi viderit eum animo dejectum & intolerabilem aliquam triſtitiam & pudorem ipſi dominantem, voce manſueta & ſerena ſic alloquetur.

De fide, de ſacrilegio, de hæreſi, de blaſphemia, de virginis corruptione, de communione, de quantitate mulierum, de fornicatione, de adulterio, de uxore Sacerdotis, de Moniali magni habitus, de Moniali parvi habitus, de Diaconiſſa, de inceſtu, de inſano maſculorum cum fœminis concubitu, de coitu cum brutis, cum volatilibus, de mollitie, de confrictione, de tactu alieno, de congreſſu Eunuchi, de irrationali concubitu maſculorum animalium, de iis qui cum non baptizatis copulantur, de raptu puellæ, de iis qui extra vas genitale, de copula cum ancilla ſua, de oſculo corporis muliebris, de deſiderio privationis filiorum, de abortu, de Pharmacis componendis ad impediendam conceptionem, de mollitie alterius ope excita, de magia, de aruſpicina, de divinatione, de Gonorrhea, de Pharmacis mortalibus, de oris ornamentis, & vultu muliebri fucato, de avellentibus ſibi pilos, de impedientibus matres ne infantes lactent, & educent, de vinculo & ſolutione magica, de invidia, de detractatione, de accuſatione, de mendacio, de furto, de ſepulchrorum effoſſoribus, de veſtimentorum ſpoliatione iis facta, de dolo, de injuria Sacerdoti illata, de injuria ſpirituali Patri illata, de Patricidio, de ſordibus, & inquinamentis, de rerum pollutarum eſu, de rapina animalium, de ebrietate, de ſanguine ſuffocati cujuſcumque, de contemptu Pauperis, de cibo morticino, de ſuffocatis, de rapina cujuſcunque rei, de malorum & injuriarum memoria, de ſuperbia, de vana gloria, de caſu & morte hoſtium, de condemnatione, de animi inflatione & elatione, de miſanthropia, de intemperantia & petulantia, de argenti cupiditate, de ventris ingluvie, de animi duritie, & immiſericordia, de iis qui jejunant ſabbatis & diebus dominicis, de ſaltantibus cum cantilenis & choros agitantibus, de facientibus Satanicos luſus, de tibiis, & omni ſpecie inſtrumenti muſici, de lenonibus, de mutuo dante ad uſuram, de mercede Mercenarii,

καὶ πάλιν, ἐξομολογήσομαί σοι Κύριε ἐν ὅλῃ καρδίᾳ μου· καὶ αὖθις, ὅτι ἐνθύμιον ἀνθρώπου ἐξομολογήσεταί σοι· καὶ διὰ Ἰακώβου τοῦ ἀδελφοθέου, ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα, καὶ εὔχεσθε ὑπὲρ ἀλλήλων, ὅπως ἰαθῆτε· ὡς καὶ ἀλλαχοῦ· μὴ ὁ πίπτων οὐκ ἀνίσταται· καὶ πάλιν, ἔγειραι ὁ καθεύδων τῆς ἀμελείας, καὶ ἀνάστα ἐκ τῶν νεκρῶν τῆς ἀνελπιστίας, καὶ ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστὸς ὁ ἄδυτος ἥλιος, ὁ φωτίζων τὰ ἐσκοτισμένα.

Τοῦτον οὖν ἔχοντες, ἀγαπητοὶ, δεσπότην ἀνεξίκακον, ἀόργητον, συμπαθῆ, φιλάγαθον, ἀμνησίκακον, εὐσυμπάθητον, μὴ αἰσχυνθῶμεν, τὰ ἡμῶν πταίσματα δημοσιεῦσαι πνευματικοῖς ἀνδράσι πρὸ τοῦ φοβεροῦ ἐκείνου καὶ φρικτοῦ κριτηρίου. γέγραπται γὰρ, ἔστιν αἰσχύνη ἐπάγουσα ἁμαρτίαν, καὶ ἔστιν αἰσχύνη χάρις καὶ δόξα. εἰδὼς γὰρ ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ Θεὸς ὅτι νέοι βαπτιζόμενοι, καὶ προβαίνοντες ἐν ἡλικίᾳ μολυνόμεθα διὰ τῆς ἁμαρτίας τὸν ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος ἐξυφανθέντα ἡμῖν χιτῶνα τῆς ἀφθαρσίας, δέδωκεν ἡμῖν πάλιν δι' οἰκείας χρηστότητος δι' ἐξομολογήσεως καὶ μετανοίας καθαίρειν τοῦτον καὶ λαμπρὸν ἀπεργάσασθαι, ἵνα πάλιν εἰς τὸ ἀρχαῖον ἐπαναχθῶμεν ἀξίωμα, καὶ φύγωμεν διὰ τῆς μικρᾶς ταύτης αἰσχύνης, τὴν μέλλουσαν τότε γενέσθαι ἐνώπιον πάντων ἀγγέλων, καὶ ἀνθρώπων, ὅταν ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ. μὴ γὰρ ἀναμάρτητόν τινα ὁ Χριστός σοι ἐπηγγείλατο τοῦ ἐξαγορεύειν, ἢ ἄγγελον, ἢ δίκαιον καὶ ἀνέπαφον, ἵνα τὴν ἑαυτοῦ ἀποτομίαν δειλιάσῃς· ἀλλὰ ἄνθρωπον ἁμαρτωλὸν καὶ ὁμοιοπαθῆ σου, ἵνα διὰ τῆς παρούσης ταύτης αἰσχύνης, τῆς μελλούσης, καὶ αἰωνίου λυτρωθῇς σύ. Ταῦτα οὖν κατὰ νοῦν θέμενος ἀναλογίσαι σου τὰ πεπραγμένα, ἀγαπητὲ, τὰ ἐν νυκτὶ, τὰ ἐν ἡμέρᾳ, τὰ ἐν γνώσει, τὰ ἐν ἀγνοίᾳ, ἅπαντα ἐνώπιον τοῦ Χριστοῦ καὶ τῶν ἐκλεκτῶν ἀγγέλων αὐτοῦ, καὶ ἀνερυθριάστως πρός με τὸν ἁμαρτωλὸν μηδὲν διαστειλάμενος.

Ὀφείλει δὲ ὁ ἐξαγορευόμενος ποιῆσαι τρεῖς μετανοίας ἐν τῇ εἰσόδῳ τοῦ ἁγίου θυσιαστηρίου, καὶ λέγειν ἐκ τρίτου, ἐξομολογοῦμαί σοι πάτερ Κύριε ὁ Θεὸς τοῦ οὐρανοῦ, καὶ τῆς γῆς πάντα τὰ ἐν τῷ κρυπτῷ τῆς καρδίας μου. καὶ τὸ εἰπεῖν τὸν λόγον τοῦτον ἀνιστᾷν αὐτὸν, καὶ ἵστασθαι τοῦτον ἐξομολογούμενον καὶ τὸν ἀποδεχόμενον, καὶ ἐπερωτᾷν αὐτὸν ἐν πάσῃ ἱλαρότητι, εἰ δυνατὸν καὶ καταφιλεῖν αὐτὸν, καὶ τὰς χεῖρας αὐτοῦ τοῦ ἐξομολογουμένου, καὶ μάλιστα, ἐὰν ὁρᾷ αὐτὸν κάτω που ὑπὸ πολλῆς καὶ ἀφορήτου λύπης καὶ αἰσχύνης κυριευόμενον, πρᾳείᾳ καὶ ἱλαρᾷ τῇ φωνῇ λέγειν οὕτως.

Περὶ πίστεως. περὶ ἱεροσυλίας. περὶ αἱρέσεως. περὶ βλασφημίας. περὶ φθορᾶς παρθένου. περὶ μεταλήψεως. περὶ ποσότητος γυναικῶν, περὶ πορνείας. περὶ μοιχείας. περὶ παπαδίας. περὶ μοναχῆς μεγαλοσχήμου. περὶ μικροσχήμου. περὶ ἱερωμένης. περὶ αἱμομιξίας. περὶ γυναικοαρρενομανίας. περὶ κτηνοβατίας. περὶ ὀρνεοβατίας. περὶ μαλακίας. περὶ συντρίμματος. περὶ ἁφῆς ἀλλοτρίας. περὶ συνουσίας εὐνούχου. περὶ κτηνοβατίας ἀρρένων ζώων. περὶ πίπτοντος εἰς ἀβάπτιστον. περὶ ἁρπαγῆς κόρης. περὶ ἔξω τῆς ἥβης. περὶ πίπτοντος εἰς τὰς ἑαυτοῦ δούλας. περὶ ἀσπασμοῦ σώματος γυναικός. περὶ ποτοῦ ἀτεκνίας. περὶ ἐκτρώματος. περὶ τοῦ μὴ συλλαμβάνειν ποιῆσαι βοτάνην. περὶ μαβλησίας. περὶ μαγείας. περὶ ὀρνεοσκόπων, περὶ μαντείας. περὶ γονορρύας. περὶ φαρμακείας θανασίμου. περὶ καλλωπισμοῦ ὄψεως γυναικός. περὶ τῶν τιλλόντων τὰς ἑαυτῶν τρίχας. περὶ ἀποστρεφουσῶν τοῦ μὴ βυζάνειν τὰ ἑαυτῶν παιδία. περὶ δέματος ἢ λύματος. περὶ φθόνου. περὶ καταλαλιᾶς. περὶ κατηγορίας. περὶ ψεύδους. περὶ κλεψίας. περὶ τυμβωρύχων. περὶ λωποδυσίας. περὶ δόλου. περὶ ὕβρεως ἱερέως. περὶ ὕβρεως πνευματικοῦ πατρός. περὶ πατραλοίας. περὶ μαγαρισμοῦ. περὶ μιαροφαγίας. περὶ κλοπῆς ζώων. περὶ μέθης, περὶ αἵματος πνικτοῦ καὶ οἱουδήποτε. περὶ παραβλέψεως ἐνδεοῦς. περὶ βρώσεως θνησιμαίου. περὶ πνικτῶν. περὶ ἁρπαγῆς οἱουδήποτε πράγματος. περὶ μνησικακίας. περὶ ὑπερηφανίας. περὶ κενοδοξίας. περὶ πτώσεως ἐχθρῶν. περὶ κατακρίσεως. περὶ φυσιώσεως. περὶ μισανθρωπίας. περὶ ἀκολασίας. περὶ φιλαργυρίας. περὶ γαστριμαργίας. περὶ ἀσπλαγχνίας. περὶ νηστευόντων σάββατα καὶ κυριακάς. περὶ χορευόντων καὶ τραγῳδούντων. περὶ τῶν ποιούντων παίγνια σατανικά. περὶ αὐλῶν καὶ παντὸς εἴδους μουσικοῦ. περὶ πορνοβοσκῶν. περὶ τέ-

γιων δανείζοντος. περὶ μισθῶν μισθωτοῦ. περὶ καμπακσοῦ. περὶ τῶν λεγόντων βιοθανῶν. περὶ ὑδρομίκτων. περὶ ποιούντων μνημόσυνον βιοθανούντων. περὶ μνησικακούντων καὶ αἰφνιδίως ἀποθανόντων. περὶ τῶν φορούντων φυλακτήρια. περὶ ἐμπυρισμοῦ. περὶ παραυλακισμοῦ. περὶ παρακροατοῦ. περὶ τῶν εὐνουχιζόντων. περὶ ψευδομαρτυρούντων. περὶ τῶν ἀπερχομένων εἰς γάμους. περὶ τῶν ἀπερχομένων εἰς μάντεις. περὶ τῶν κακοποιούντων τοὺς ἑαυτῶν δούλους. περὶ τῶν μαθόντων ἑτέρους κακίας, καὶ περὶ ψευδοϋπογραφόντων.

Καὶ μετὰ τὸ ἐρωτῆσαι αὐτὸν ἢ αὐτὴν ταῦτα, ἀποσκεπάζει αὐτὸν, ἐὰν ἐστὶ καὶ ὁ τὸ διάδημα φορῶν, εἰ δὲ γυνὴ, οὔ.

Εὐχή.

Ὁ Θεὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν ὁ διὰ τοῦ προφήτου σου Νάθαν μετανοήσαντι τῷ Δαβὶδ ἐπὶ τοῖς ἰδίοις αὐτοῦ πλημμελήμασιν ἄφεσιν δωρησάμενος, καὶ τοῦ Μανασσῆ τὴν ἐπὶ μετανοίᾳ προσευχὴν δεξάμενος, αὐτὸς καὶ τὸν δοῦλόν σου τόνδε τὸν μετανοήσαντα ἐπὶ τοῖς ἰδίοις παραπτώμασι πρόσδεξαι τῇ συνήθει σου φιλανθρωπίᾳ παρορῶν αὐτοῦ τὰ πλημμελήματα, σὺ γὰρ εἶ ὦ Κύριε ὁ ἑβδομηκοντάκις ἑπτὰ ἀφιέναι κελεύσας τοῖς περιπίπτουσιν ἐν ἁμαρτίαις, ὅτι ὡς ἡ μεγαλοσύνη σου ἄπειρος καὶ τὸ ἔλεός σου, ὅτι σὺ εἶ Θεὸς, Θεὸς τῶν μετανοούντων, καὶ μετανοῶν ἐν πάσαις ταῖς ἀδικίαις ἡμῶν, καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, πάντοτε νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Εὐχή.

Αὐτὸς οὖν ὁ σωτὴρ ἡμῶν, καὶ Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς συγχωρήσῃ σοι πάντα ὅσα ἐνώπιον αὐτοῦ τῇ ἐμῇ ἐξομολογήσω ἐλαχιστότητι καὶ ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, καὶ ἀκατάκριτόν σε ἔμπροσθεν τοῦ βήματος αὐτοῦ παραστῆναι καταξιώσῃ ὁ ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν.

Εὐχή.

Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ τῷ Πέτρῳ καὶ τῇ πόρνῃ διὰ δακρύων ἄφεσιν ἁμαρτιῶν δωρησάμενος, καὶ τὸν τελώνην τὰ οἰκεῖα ἐπιγνόντα πταίσματα δικαιώσας, πρόσδεξαι καὶ τὴν ἐξομολόγησιν τοῦ δούλου σου τοῦδε, καὶ εἴτι πεπλημμέληται αὐτῷ ἑκούσιον ἢ ἀκούσιον ἁμάρτημα ἐν λόγῳ ἢ ἔργῳ ἢ κατὰ διάνοιαν ὡς ἀγαθὸς πάριδε, σὺ γὰρ μόνος ἐξουσίαν ἔχεις ἀφιέναι ἁμαρτίας ὡς εὔσπλαγχνος ὅτι ἀγαθὸς, καὶ φιλάνθρωπος σὺ ὑπάρχεις, καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι πάντοτε νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Εὐχὴ ἑτέρα εἰς τὸ λῦσαι ἐξομολογούμενον μετὰ τὸ πληρῶσαι τὸν χρόνον τοῦ ἐπιτιμίου.

Δέσποτα Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ παραγενόμενος ἐπὶ τοὺς ἁγίους σου μαθητὰς, καὶ ἀποστόλους τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, καὶ δοὺς τὴν εἰρήνην καὶ εἰπὼν, ὧν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας ἀφίενται αὐτοῖς, ἄν τινων κρατῆτε κεκράτηνται, αὐτὸς, δέσποτα, Κύριε, τῇ ἀοράτῳ καὶ παντοδυνάμῳ ἐπιστασίᾳ ἐπίβλεψον ἐπὶ τὸν δοῦλόν σου τόνδε, καὶ λῦσον αὐτοῦ τὰς κηλῖδας τοῦ σώματος καὶ τὸν σπίλον τῆς ψυχῆς περὶ ὧν εἰς πλημμελήματα περιέπεσε, διὰ τοῦ στόματος ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ, καὶ ἐὰν δεδεμένος ὢν διὰ κανόνος, λέλυται ὁ ὑπ' αὐτῷ κανὼν καὶ τὸ ἁμάρτημα αὐτοῦ διὰ τῆς σῆς χάριτος καὶ φιλανθρωπίας, ὅτι εὐλογεῖται τὸ πανάγιον ὄνομά σου τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος πάντοτε νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Καὶ μετὰ τὸ ἐγεῖραι αὐτὸν ἀπὸ τῆς γῆς καὶ ποιῆσαι αὐτὸν σκεπάσαι τὴν κεφαλὴν, καὶ συγκαθέζεσθαι ὀφείλει τοῦ αὐτοῦ, καὶ ἐρωτᾷν τίνα ἰσχύει φυλάξαι ἐντολὴν, οὐ γὰρ ὃ θέλει ὀφείλει διδόναι ὁ ἐπιτιμῶν τὸ ἐπιτίμιον, οὐδὲ ὃ πρέπει ἀπαιτεῖν, ἀλλ' ὃ φυλάξαι προαιρεῖται ὁ ἐπιτιμώμενος, ὅτι οὐ πρὸς τὴν ἀναλογίαν τῶν ἁμαρτημάτων παρὰ τοῖς χρηστοῖς, εὐσπλάγχνοις καὶ χριστομιμήτοις, καὶ τοῖς καλῶς διακρῖναι δυναμένοις καὶ πρόσωπον, καὶ φύσιν, καὶ ὥραν, καὶ τόπον, καὶ ἀγνωσίαν, καὶ νεότητα, καὶ γῆρας δίδονται τὰ ἐπιτίμια, ἀλλὰ πρὸς ἣν εἶπον σύγκρισιν καὶ διάκρισιν, καὶ ὃν διακρῖναι ὀφείλοντος καὶ πρόσωπον καὶ ὥραν καὶ φύσιν ἀναλόγως τοῦ ἐξομολογουμένου. ἐνδέχεται γὰρ τὸν ὀλιγοαμάρτητον καὶ πρόθυμον μέγα λαβεῖν ἐπιτίμιον ὅπως μὴ μόνον ἄφεσιν κακῶν ἀλλὰ καὶ στέφανον λάβῃ, τὸν δὲ πολυαμάρτητον καὶ ῥᾴθυμον μικρὸν, ἵνα μὴ καταπεσθεὶς ὑπὸ βάρους καὶ ἀθυ-

de iis qui ſtatera frandulentè utuntur, de iis qui ſibi violentas manus inferunt, de iis qui aquas augendæ rei ſuæ gratia miſcent, de iis qui monumenta ſtruunt mortem ſibi inferentibus, de iis qui in alios malevolo ſunt animo, & repentina morte iis obeuntibus imprecantur, de iis qui geſtant amuleta, de incendiario, de moventibus terminos agrorum, de eo qui clam auſcultatur, & ex improviſo, & audita ſuſpicioſè refert, de iis qui Eunuchos faciunt, de iis qui falſum teſtimonium perhibent, de iis qui proſtibula adeunt, de iis qui abeunt ad divinos, de iis qui atrociter tractant ſervos ſuos, de iis qui alios iniquitatem docent, de iis qui falſis ſubſcriptionibus abutuntur.

Poſtquam eum vel eam interrogavit, tum detegit eum etiamſi diadema gerat, non autem ſi mulier.

Oratio.

Deus Salvator noſter, qui per Prophetam tuum Natham David de propriis peccatis Pœnitentiam agenti veniam tribuiſti, & Manaſſes Pœnitentis orationem ſuſcepiſti, ipſe hunc ſervum tuum N. de propriis peccatis Pœnitentiam agentem ſuſcipe conſueta tibi miſeratione, diſſimulans & non animadvertens ipſius peccata. Tu enim is es Domine qui ſepties ſeptuagies parcere juſſiſti incidentibus in peccata: Quia ſicut magnitudo tua, ita & miſericordia tua, tuque es Deus, Deus Pœnitentium, & Pœnitens in omnibus iniquitatibus noſtris, tibique gloriam reddimus, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Oratio.

Ipſe igitur Servator noſter, & Dominus Jeſus Chriſtus dimittat tibi omnia quæ coram ipſo meæ exiguitati confeſſus es, & in hoc ſeculo, & in futuro, & dignetur te indemnatum ſiſtere coram tribunali ſuo qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Oratio.

Domine Deus noſter qui Petro & meretrici per lachrymas remiſſionem peccatorum donaſti, & Publicanum propria delicta agnoſcentem juſtificaſti, ſuſcipe confeſſionem ſervi tui hujus N. Et ſi aliquod ab ipſo perpetratum eſt peccatum voluntarium aut involuntarium, verbo, aut opere, aut cogitatione, ut bonus & clemens ne animadvertas. Tu enim ſolus poteſtatem habes ut miſericors peccata dimittendi, quia benignus, & hominum amator es, & tibi gloriam reddimus Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Oratio alia ad ſolvendum confitentem poſtquam Pœnitentiæ tempus complevit.

Here Domine Deus noſter qui portis clauſis diſcipulis tuis adſuiſti, donanſque illis pacem dixiſti, Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis, quorum retinueritis, retenta erunt. Ipſe Here, Domine, ſecundum inviſibilem & omnipotentem curam qua omnia adminiſtras inſpice ſuper ſervum tuum hunc, & corporis ipſius maculas, ſordeſque animæ propter quas in peccata incidit, per os meum quamvis peccatoris ſim, diſſolve; & qui per canonem ligatus eſt, ſolutus ſit à canone & à peccato quo conſtringitur per gratiam, & miſericordiam tuam, quia ſanctum nomen tuum benedicitur, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Poſtquam eum erexit à terra, & caput tegere juſſit, cum ipſo conſidere debet, & interrogare quodnam mandatum ſervare poteſt. Non enim Pœnitentiam imponens, quam libuerit Pœnitentiam illi dare debet; neque quod decet, & peccata poſtulant, ſed quod ſervare eligit Pœnitentiam ſuſcipiens. Quia non ſecundum peccatorum proportionem imponuntur epitimia à benignis, miſericordibus, & Chriſti imitatoribus qui rectè poſſunt dijudicare perſonam, naturam, horam, locum, ignorantiam, juventutem, ſenectutem; ſed juxta qualem dixi comparationem & diſcretionem quam inſtituere debet qui hæc dijudicaturus eſt, analogicè ad perſonam, horam, & naturam confitentis. Contingit enim eum qui pauca peccavit, bono eſſe & prompto animo & magnam accipere Pœnitentiam, ut non modo malorum remiſſionem conſequatur, ſed etiam coronam; eum verò qui multa peccavit remiſſo & ſegni eſſe animo, lenique affici Pœnitentia, ne gravitate Peniten-

nitentiæ cum animi ſegnitia & debilitate conjuncta deſerat omnia. Non enim jubemur gravia efficere levia, & gravia imponere: Suave eſt enim Domini jugum, & onus leve. Venite enim, inquit, ad me, & ego dabo vobis requiem, Contingit iterum aliquem in parva peccata, vel in multa, ſed minora incidere, pluribuſque annis epitimia jam exercentem, majorem tamen accipere Pœnitentiam eo, qui magna & gravia crimina peccavit, huncque etiam prupter Dei timorem quo afficitur, celerius pruficere & peccata deſerere. Non enim æſtimatur Pœnitentia, ſed animi diſpoſitio, ut ait magnus Baſilius, quod tempore non judicamus ejuſmodi confiteutem ſed modum Pœnitentiæ attendimus. Nam cui per Dei miſericordiam hæc concredita ſunt, poteſtatem habet animam illam humaniùs tractandi. Nos juſſu Spiritus ſancti ſcripſimus in diminutionem temporis Pœnitentiarum. Non erit hoc condemnatio dignitatis & meriti confeſſionis peccatorum tuorum ſicut & Chryſoſtomus dicit, quod Ninivitæ non multis indiguerunt diebus, ſed tribus ſolùm. Sed latro ne quidem tribus, ſed nec uno die, at quantum quis ut unum verbum proferat, pronuntians, viam ad paradiſum confecit. Hæc à nobis dicta ſuntu propter eos qui inſulsè Pęnitentias aggravant, & in omnes ſecundum divinorum canonum definitionem eas accipiunt & interpretantur, nun rectè neque juſtè, ſed inhumanitus, imprudenter, & ignoranter iſta ſe facere profirentes. Atque hæc de viris.

Mulieres autem de pluribus inquirendæ ſunt quàm de iis quæ pro viris ſcripta ſunt. Procedunt enim uſque ad veneficia & Magiaa quę dicere horrendum, nedum exequi, atque etiam uſque ad varias cædes, in conceptionibus, & in ipſo perfecto partu. Eorum enim aliquæ circa menſem completum cædem perpetrant, ut ego humilis poſt hæc omnia ſcripta, accepi eas miſerandum hoc facinus unoquoque menſe per herbas perpetrare. Diligenter inquirendæ mulieres, ut dixi: Poſtquam enim omnia peccata ſua, ut viri, confeſſæ fuerint, interrogentur & de huc, quot infantulos occiderunt, & quomodo, præſertim ſi viduæ fuerint, & Monachæ. Aliud enim eſt pharmacum facere, ut filios non amplius procreet, quod omnium graviſſimum eſt, non novit enim quot erat paritura. Aliud verò hoc pręſtare per contuſionem vel intrita quædam quod alio levius eſt. Singulis autem menſibus ope cujuſdam herbæ Embryon occidere omnino eſt pernicioſum, & omni cęde ſanguinolentius, cui etiam ad mortem uſque Epitimium decernitur, niſi abſtineat. Atque hæc de diligenti inquiſitione, & differentia confeſſionum, & de ratione qua quæcumque facta ſunt, confiteri oportet.

Caſtigatiunes & Pœnitentiarum differentiæ iſtæ ſunt. Quę facta ſunt tam à viris quàm à mulieribus ante annum ætatis trigeſimum, facilè remittuntur, & donantur, qualiacumque ſint, ita ut eorum caſtigatio, ſit velut trium aut duorum annorum, niſi cædes ſit qualiſcunque, aut magnus quidam inceſtus. Si verò poſt triginta annos, uſque ad tertium aut quartum annum pœnæ prorogatur. Ubi verò intereſt cædes una aut plures, vel magnorum inceſtorum aliquod, veluti cum germana ſorore, vel uxure filii, vel uſque ad quartum & quintum. Si vero potiatur cômatre, aut filia quam in baptiſmo ſuſceperat, aut matris ejus, uſque ad quintum aut ſextum annum. Si verò quis ſecundum naturam peccavit, non incidit autem in ea quæ contra naturam ſunt, neque in inceſta qualia & quantacunque fuerint, anno uno aut duobus tantùm puniatur. Hæc equidem erga eos qui his quibuſcunque abuſi fuerint, & in iis ſæpius ad ſenectutem uſque perſeveraverint. At ſi ſemel, vel bis, vel ter id fecerint, & deſtiterint, qualiacunque iſta fuerint, annum unum, vel ſeſquiannum puniautur. Si verò à mulieribus diverſæ cædes & magiæ factæ fuerint, & ad ea uſque quæ contra naturam ſunt, progreſſæ fuerint, protrahantur eorum Pœnitentiæ ad annum uſque octavum aut etiam decimum.

Has caſtigationum differentias de communione definimus Omnium enim peccatorum graviſſimum eſt indignè communicare, quod nos effugerat. Interrogare igitur oportet confitentes poſt exactam peccarorum confeſſionem, numquid cum omnia confeſſa perpetraſſet, communicavit? Quod ſi dixerit, ita communicavi, & extra Paſchatis tempus; Hoc omnium pejus eſt, licèt in minimis peccatis contigerit, mereturque diuturniorem immaculatæ communionis abſtinentiam.

Quod ad cibi potuſque abſtinentiam attinet, imperanda eſt; prout uniuscujuſque natura ferre poteſt. Nos verò inte-

μίας ἀφίσῃ πάντα. ὁ γὰρ προστιθέμενος βάρος κουφίζειν, καὶ βάρος ἐπιτιθεῖν. Χρηστὸς γὰρ ὁ τοῦ Κυρίου ζυγὸς καὶ τὸ φορτίον ἐλαφρόν. Δεῦτε, γάρ φησι, πρός με, κἀγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς. ἐνδέχεται πάλιν εἰς μικρὰ ἁμαρτήματα ἐμπεσόντα, ἢ καὶ εἰς πολλὰ, ἐλάττονα δὲ, ἀποκαύσαντα δὲ ἔτεσι πλείστοις τῶν ἐπιτιμίων αὐτοῦ πλείονα λαβεῖν ἐπιτίμησιν τοῦ εἰς μεγάλα καὶ βαρέα παραπεσόντος ἁμαρτήματα, τάχιον δὲ διὰ τὸν τοῦ Θεοῦ φόβον ἀποκόψαντος. οὐ γὰρ κρίνεται μετάνοια, ἀλλὰ διάθεσις ψυχῆς, ὥς φησιν ὁ μέγας Βασίλειος. ὅτι οὐ χρόνῳ κρινόμενον τὸν τοιαῦτα ἐξαγορεύοντα, ἀλλὰ τρόπῳ τῆς μετανοίας προσέχομεν. ὅτι ἐξουσίαν ἔχει ὁ ἐμπιστευθεὶς παρὰ τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας τὴν ψυχὴν ἐκείνην φιλανθρωπεύσασθαι, ἡμεῖς κελεύσει τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐγράψαμεν εἰς τὴν ἐλάττωσιν τῶν χρόνων τῶν ἐπιτιμίων. οὐκ ἔσται κατάγνωσις ἀξιώσεως τοῦ ἐξαγορεῦσαί σε τὴν ἁμαρτίαν, καθὼς καὶ ὁ Χρυσόστομός φησιν, ὅτι οἱ Νινευῖται οὐ πολλῶν ἐδεήθησαν ἡμερῶν, ἀλλὰ τριῶν μόνον. καὶ ὁ λῃστὴς δὲ οὔτε τριῶν ἢ μιᾶς ἡμέρας, ἀλλ' ὅσον ἄν τις εἴπῃ ἓν ῥῆμα, φθεγγόμενος τὴν εἰς τὸν παράδεισον ἤνυσεν ὁδόν. Ταῦτα δὲ παρ' ἡμῶν λέλεκται διὰ τοὺς ἀνοήτως βαρύνοντας τὰ ἐπιτίμια, καὶ εἰς ἅπαντας κατὰ τὸν ὁρισμὸν τῶν θείων κανόνων ἐκλαμβάνοντας οὐ καλῶς οὐδὲ ὀρθῶς οὐδὲ δικαίως, ἀλλ' ἀπανθρώπως καὶ ἀσυνέτως καὶ ἀγνώστως λαμβάνειν ἐπαγγελλομένους. καὶ ταῦτα μὲν περὶ ἀνδρῶν.

Αἱ δὲ γυναῖκες πλείονα ὀφείλουσι τῶν προγραφέντων ἀνδρῶν ἐρωτᾶσθαι· φθάνουσι γὰρ καὶ ἕως φαρμακειῶν καὶ μαγειῶν ἃ καὶ τὸ εἰπεῖν φρικτόν, οὐχὶ δὲ τὸ διαπράξασθαι, καὶ φόνων δὲ διαφόρων ἐν ταῖς συλλήψεσι καὶ ἐν αὐταῖς ταῖς τελείαις ἀποκυήσεσι. Τινὲς γὰρ αὐτῶν καὶ κατὰ μῆνα ἡμερῶν φόνον ποιοῦσιν. ὡς ὁ ταπεινὸς ἐγὼ καὶ μετὰ τὰ γραφέντα πάντα καὶ τοῦτο ἀπεδεξάμην ἐλεεινὸν τὸ κατὰ μῆνα φόνον διά τινος βοτάνης ποιεῖν. ἐρευνᾶσθαι ἀκριβῶς καὶ τὰς γυναῖκας, ὡς εἶπον. μετὰ γὰρ τὸ εἰπεῖν αὐτὰς πάντα τὰ παραπτώματα ὡς οἱ ἄνδρες, ἐρωτάσθωσαν καὶ τοῦτο, πόσα ἐφόνευσαν παιδία, καὶ μάλιστα αἱ χῆραι καὶ αἱ μονάστριαι, καὶ διὰ ποίου τρόπου· ἄλλο γὰρ τὸ ποιεῖν φάρμακον ἵνα μηκέτι ποιήσας παιδίον· τὸ καὶ βαρύτερον πάντων· οὐκ οἶδε γὰρ πόσα ἤμελλε ποιεῖν. καὶ ἕτερον τὸ διὰ τεμμάτων, τὸ καὶ τοῦ ἄλλου κουφότερον· τὸ δὲ κατὰ μῆνα διά τινος βοτάνης ἔμβρυον ἀποκτείνειν πάντη τι ὀλέθριον καὶ παντὸς φόνου φονικώτερον, ὃ καὶ ἕως θανάτου τὸ ἐπιτίμιον ἔχει, ἂν τοῦτο μὴ ἀποκόψῃ. Καὶ ταῦτα μὲν περὶ τῆς ἀκριβοῦς ἐρεύνης καὶ διαφορᾶς τῶν ἐξομολογήσεων, καὶ πῶς δεῖ ἐξομολογεῖσθαι, καὶ ὅσα ἐγένοντο.

Αἱ δὲ ἐπιτιμήσεις καὶ αἱ διαφοραὶ τῶν ἐπιτιμίων αὗται, καὶ ὅσα ἐγένοντο πρὸ τῶν λ' ἐτῶν εἴτε ἀνδράσιν εἴτε γυναιξὶ ἀσύγγνωστα καὶ ἀσυγχώρητα ἔσωσαν, ἃ καὶ εἰσίν. ὥστε ὡς τριῶν ἢ δύο ἐτῶν ἔχειν τὴν ἐπιτίμησιν, ἐὰν οὐκ ἔστι φόνος οἷος δήποτε, οὔτε μεγάλη αἱμομιξία. ἐὰν δὲ μετὰ λ' ἔτη γεγόνασι καὶ ἕως τριῶν καὶ τεσσάρων. ὅπου δὲ ἐστι φόνος ἢ φόνοι, καὶ ἀπὸ τῶν ὑψηλῶν αἱμομιξιῶν, οἷον περὶ γνησίας ἀδελφῆς, ἢ υἱοῦ γυναικός, ἢ καὶ τετάρτου καὶ πέμπτου. ἐὰν δὲ τύχῃ συντέκνῳ ἢ θυγατρὸς ἣν ἐδέξατο, ἢ μητρὸς καὶ ἕως ε' καὶ ς'. Ἐὰν δὲ κατὰ φύσιν τις ἥμαρτεν, οὐ περιέπεσε δὲ εἰς τὰ παρὰ φύσιν, οὔτε εἰς αἱμομιξίας οἷαι καὶ εἰσὶ καὶ ὅσαι, καὶ εἰς χρόνον ἢ καὶ δύο ἐπιτιμᾶσθαι μόνον. Ταῦτα μὲν ὅσα κατὰ χρονίως ἐπράχθη καὶ ἐχρόνισαν πολλάκις καὶ ἕως γήρως, εἰ δὲ ἅπαξ ἢ δὶς ἢ τρὶς γεγόνασι, καὶ ἐξεκόπησαν εἶτα καὶ εἰσὶ ἕως χρόνου ἢ ἥμισυ ἐπιτιμάσθωσαν. Ἐὰν δὲ ὑπὸ γυναικῶν φόνοι διάφοροί τινες καὶ μαγεῖαι ἐπράχθησαν, ἃ καὶ ἕως αὐτῶν τῶν παρὰ φύσιν, καὶ ἕως ὀκτὼ, καὶ δέκα ἐτῶν.

Ταύτας δὲ τὰς διαφορὰς καὶ ἐπιτιμήσεις περὶ τῆς κοινωνίας ὁρίζομεν· πάντων γὰρ ἐστι βαρύτερον ἁμάρτημα τὸ ἀναξίως κοινωνεῖν, ὃ καὶ διέλαθεν ἡμᾶς. ἐρωτᾶσθαι δεῖ τοὺς ἐξομολογουμένους μετὰ τὴν ἅπασαν τῶν ἁμαρτημάτων ἐξομολόγησιν, τὸ εἰ ἄρα τὰ προεξομολογηθέντα ποιῶν ἐκοινώνει, ὅπερ ἐὰν εἴπῃ, ναὶ ἐκοινώνησα, καὶ ἔξω Πάσχα, τοῦτο χεῖρον πάντων ἐστὶ, εἰ καὶ ἐστι τῶν ἐλαχίστων τὸ ἁμάρτημα, καὶ πλείονα τὴν ἀποχὴν ποιεῖν τῆς ἀχράντου κοινωνίας.

Περὶ δὲ βρώσεως καὶ πόσεως ὡς ἑκάστου φύσις δύναται ὑποφέρειν, ἡμᾶς δὲ δύο τινὰς διαφορὰς ἔχομεν ἐξ ὧν καὶ ποιοῦμεν, καὶ δί-

δεχόμενοι τοὺς ἡμῖν ἐξομολογουμένους, οἷα κἂν ὦσι τὰ ἁμαρτήματα ἢ ἐν τοῖς μεγάλοις καὶ μικροῖς ἡμαρτήκασι. προείπομεν γὰρ ὅτι ἐν τοῖς ἐξομολογουμένοις ἐστὶ καὶ τοῖς τούτους ἀναδεχομένοις ἢ ἐλαφρὰ ἢ βαρεῖα τῶν ἐπιτιμίων δόσις. ἡ γὰρ τοῦ ἐξομολογουμένου καθαρὰ καὶ ἀδίστακτος πίστις, καὶ ἐξ ὧν ἔχει μετάδοσις πρὸς τοὺς δεομένους, ὥσπερ ὁ μακάριος ἀπόστολος Παῦλος καρπὸν πίστεως ἐπιλέγει, καὶ ἡ τοῦ ἀναδεχομένου τὸν ἐξομολογούμενον σύνεσις καὶ γνῶσις καὶ συμπαθὴς συγκατάβασις πάντα ἐλαφρὰ οἶδε καὶ περὶ βρώσεως καὶ πόσεως καὶ εὐχῆς, καὶ περὶ τῆς ἁγίας κοινωνίας. καὶ μάλιστα εἰ τύχοι ὁ ἐξομολογούμενος πρὸ τοῦ ἐξομολογήσασθαι ἀποκόπτειν τοῦ ἁμαρτάνειν, ἢ ὁμολογεῖ κἂν ἀπὸ τῆς ἐξομολογήσεως ἀποκόπτειν ἑαυτόν. πολλοὶ γάρ εἰσιν οἱ ἐξομολογοῦνται καὶ λυποῦνται καὶ μετανοοῦσιν, ἀλλ᾽ ὅμως ἢ φύσει ἢ κλοπῇ τοῦ ἐχθροῦ, ἢ κακογνωμίᾳ, ἢ καὶ πονηρᾷ συνηθείᾳ ἑλκόμενοι σφάλλονται πάλιν καὶ περιπίπτουσιν ἁμαρτήμασιν. οἱ τοιοῦτοι τοίνυν ἔστωσαν πάντοτε μὲν ἐξομολογούμενοι ὁσάκις ἂν πέσωσιν. ἐὰν δὲ καὶ τὰ ἐπιτίμια αὐτῶν πληρώσαντες, ὅσα ἂν ἔτυχον ἔλαβον παρὰ τοῦ δεσμώσαντος αὐτούς, καὶ μέλλωσιν ἀποπληρώσαντες κοινωνεῖν, μὴ τότε κοινωνείτωσαν. εἰ δὲ καὶ ὅλως αὐτοὺς ἐλεῶσιν οἱ τὴν ἐξαγόρευσιν δεχόμενοι κοινωνείτωσαν, ἀλλὰ μετὰ ταῦτα παραφυλαττέσθωσαν τὴν ἄχραντον κοινωνίαν ἕως ἂν ἀποκόψωσιν. ἐλέους γὰρ καὶ τούτου ἕνεκα μόνου ἐν τῇ κρίσει ἀξιωθήσονται. Ἐπειδὴ δέ εἰσί τινες παρὰ βίαν ἕξεως πονηρᾶς, μηδὲ ἐν τῇ μεγάλῃ τεσσαρακοστῇ κρατῆσαι ἑαυτοὺς ἰσχύοντες ἀπὸ ἁμαρτιῶν, καὶ αὐτοὶ δὲ πολλάκις οἱ γυναῖκας ἔχοντες, χρὴ μετὰ τὸ πληρῶσαι αὐτοὺς τὰ αὐτῶν ἐπιτίμια, καὶ ἂν ἔλθωσι χρόνοι πλεῖστοι, καὶ οὐκ ἔχωσι πῶς κοινωνῆσαι διὰ τὸ ἀεὶ περιπίπτειν αὐτοὺς πορνείαις καὶ ἑτέροις ἁμαρτήμασι, κρατείτωσαν τὴν ἁγίαν τεσσαρακοστὴν πᾶσαν τὸ μηδόλως ἁμαρτῆσαι εἰς γυναῖκα καὶ μετὰ φόβου καὶ τρόμου τὰς τρεῖς τοῦ πάσχα κοινωνείτωσαν ἡμέρας. τοῦτ᾽ ἔστι, τῇ ἁγίᾳ, καὶ μεγάλῃ πέμπτῃ, τῷ μεγάλῳ σαββάτῳ καὶ τῇ μεγάλῃ κυριακῇ· Τοῦτο δὲ κατὰ ῥᾳθυμίαν καὶ ὀλιγωρίαν διὰ τὸ μηδέποτε αὐτοὺς ἀπὸ σαρκικῶν μολυσμῶν κρατῆσαι δύνασθαι, καὶ οὐ κατὰ ἄλλην γίνεσθαι λέγομεν διαφοράν.

Ἐὰν δὲ καὶ εἰς μαλακίαν ἔτι (In marg. τοιοῦτοι) πέσωσιν ἐν τῇ τεσσαρακοστῇ μηδὲ οὕτως κοινωνείτωσαν, ἐὰν τύχωσί τινες καὶ μοναχοί, εἰ καὶ ἅγιοι εἶναι. τὸ γὰρ ἐλεεινὸν τοῦτο καὶ χαλεπὸν καὶ παντοκράτητον, καὶ δυσαπόσπαστον πάθος, εἰ καὶ μόνας μ᾽ ἡμέρας παρὰ τῶν ἁγίων καὶ κανονικῶν ὥρισται, τοὺς ἐν τούτῳ τῷ χαλεπῷ πάθει παραπίπτοντας. ἀλλ᾽ ὅμως τὰς ἄλλας τοῦ ἐνιαυτοῦ ἡμέρας καὶ οὐχὶ τῆς ἁγίας τεσσαρακοστῆς ὥρισται. αὗται δὲ ἅσπερ εἶπον δευτέρου κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην αἱ δύο τῶν ἐπιτιμήσεων διαφοραί εἰσιν ὡς ὁ ταπεινὸς ἐγὼ εἴωθα εἰς πάντας πολυαμαρτήτους καὶ ὀλιγοαμαρτήτους, ἀσθενεῖς καὶ ὑγιεῖς, νέους καὶ γέροντας, γυναῖκας καὶ ἄνδρας, μοναχοὺς καὶ μοναζούσας παρεκτὸς τῶν ἱερωμένων.

Ἱερεῖς γὰρ καὶ ἀρχιερεῖς καὶ διακόνους οὐ χρὴ δέχεσθαι εἰς ἐξομολόγησιν ἕως ἂν ἐπὶ Θεοῦ πληροφορήσωσιν οἱ τοιοῦτοι, τοὺς ἀναδέχεσθαι αὐτοὺς μέλλοντας, ὅτι ἐάν τι ἔχωσιν ἔγκλημα τὸ εἶργον, ὅπερ τὸ παῦον αὐτοὺς ἱερατεύειν μηκέτι τολμήσωσιν ἱερατεῦσαι. τοῖς γὰρ τοιούτοις οὐ δίδοται οἵα δήποτε ἐπιτίμησις ἢ βρώσεως ἢ κοινωνίας τὸ σύνολον κράτησις ἀλλὰ μόνη ἡ παῦσις τῆς ἱερωσύνης· οὐδὲν δὲ ἄλλο παύει ἱερέα τοῦ μὴ ἱερατεύειν, ἀλλ᾽ ἢ μόνον τὸ ἐξαγομένην γυναικὸς εἰς τὸ ἑτέραν ἐναργῶς πεσεῖν. εἰς μίαν γὰρ μόνην ἐὰν πέσῃ οὐκ ἔχει ἀνάπαυσιν, ἤγουν οὐκ ἔχει πώποτε ἐξουσίαν τοῦ ἱερατεῦσαι, κἂν εἰς μαρτύριον ἀγωνίζεται καὶ ποιήσῃ θαύματα μεγάλα ὡς καὶ νεκροὺς ἐγεῖραι.

rim dnas differentlas conſtituimus, ſecundum quas agimus, & Pęnitentiam damus iis qui peccata ſua qualiacunque ſint, ſive magna, ſive parva peccaverint, nobis confiteutur. Supra diximus quod confitentibus & eos ſuſcipientibus Pœnitentiarum diſtributio duplex eſt, levis & gravis. Pura enim continua & indubitata confitentis fides, & eorum quæ poſſidet cum egentibus commnnicatio, quam bearus Apoſtolus Panlus fructum fidei dicit, & prudentia ſcientiaque confeſſoris hæc bene diſcernens & diſtinguens, ipſiuſque compatiens diſpenſatio & accommodatio omnia levia novir & decernir, ſive cibum, ſive potum, ſive orationem, ſive communionem ſpectent; præſertim ſi coutingat confitentem ante confeſſionem à peccando abſtinuiſſe, ant poſt confeſſionem pollicetur ſe abſtenturum. Mnlti enim ſunt, qui confitentur, & triſtantur, & reſipiſcunt, attamen vel natura, vel arte furtiva inimici, vel prava opinione, vel mala conſuetudine illecti, iterum labuntur, & in peccata incidunt. Qni hujuſmodi ſunt, ſemper confiteantur quoties ceciderint. Si autem poſt completas Pœnitentias ſibi impoſitas jam communicaturi erant, neque tum communicent. Si verò eorum omuino miſerentur, qui confeſſionem excipiunt, communicent, ſed poſtea hoc obſervent, ut intermittant immaculatam communionem, donec à peccato perpetrando ſeſe cohibuerint. Propter hoc enim tantùm in judicio miſericordia digni ceuſebuntur. Porro cum nonnulli violentiæ mali habitus ſuccumbentes neque in ipſa magna Quadrageſima poſſint ſeipſos continere à peccatis, & illi ipſi qui mulieres habent hoc vitio ſæpe teneantur, oportet eos, poſtquam compleverint ipſorum epitimia, & præterierint auni multi, necdum jus communicandi habeant, eo quòd in ſoruicationem, & alia peccata ſemper incidant, coutinere ſe totam ſanctam Quadrageſimam, nec ullo modo cum muliere peccare, & ſic cum timore & tremore tribus Paſchatis diebus communicent. Hoc eſt, ſancta & magna feria quinta, magno Sabbato, & magna Dominica. Hoc autem dictum ſit ſecnndum deſidiam, puſillanimitatem, & incurlam iſtorum, eo qnòd à ſordibus carnalibus abſtinere nou poſſunt, non autem quod aliam ſtatam ponamus Pœnitentium differentiam.

Quod ſi ejuſmodi homines in mollitiem in Quadrageſima inciderint, neque ſic communicent, licet eorum aliqui ſint Monachi, etiam ſancti. A ſauctis equidem Patribus qui canones condiderunt qnadraginta tantùm dies abſtinentiæ à commuuione iis qui in hunc morbum inciderunt, definiti ſint. Si communibus anni temporibus ita definitum eſt, quantò magis deplorandus ille animi morbus, moleſtè omnibus dominans, à quo avelli difficillimum eſt, tota ſancta quadrageſima cavendus eſt? Hæ ſunt, de quibus ſupra dixi, duæ Pœnitentiarum mea quidem ſententia differentiæ, ſicut ego humilis ſolitus ſum obſervare in omnes plurima & pauca peccantes, infirmos & ſanos, juvenes & ſenes, mulieres & viros, Monachos & Monachas, præter homines ſacratos.

Presbyteros enim & Epiſcopos & Diaconos admittere non oportet ad Confeſſionem, donec ſecuritatem ſecundùm Deum confeſſoribus dederint, ſi alicujus criminis conſcii fuerint quod eos à ſacro miniſterio abdicet, non amplius auſuros ſacrificare. Hujuſmodi autem non datur ulla quæcuuque ſit Pœniteutia, vel à cibo, vel à communione abſtinentia, ſed ſola à ſacro miniſterio ceſſatio. Nihil autem aliud prohibet Sacerdotem à ſacro miniſterio quàm in alienam mulierem præter legitimam revera incidere: In unicam, ſi ſolùm incidat, non datur illi reſtitutionis locus, hoc eſt, nunquam illi fiet ſacrificaudi poteſtas, etiamſi martyrium decertet, faciatque miracula magna, adeo ut mortuos ſuſcitet,

EX

Digitized by Google

EX IOANNIS IEIVNATORIS POENITENTIALI varia antiquorum excerpta.

FInito utroque Jejunatoris Pœnitentiali quod initio promiſimus, exolvendum eſt; nonnullorum ſcilicet iſtius Pœnitentialis fragmentorum quæ nobis inter legendum occurrerunt, editio. Multa leguntur apud Harmenopulum in Epitome canonum, veluti Sectionis quintæ titulo 2. in ſcholio poſt quartum Dionyſii Alexandrini canonem.

Ὁ δὲ νηςευτὴς ἸΩΑ'ΝΝΗΣ οὕτω φησὶ· ὁ μολυνθεὶς καθ' ὕπνους τῷ τῆς ῥύσεως πάθει, ἡμέραν μίαν τῆς κοινωνίας ἐκβάλλεται τὸν ν' ᾄσας ψαλμὸν, καὶ μετανοίας ποιήσας μθ'. ὁ δὲ μαλακίαν διαπραξάμενος μ' ἡμέρας ἐπιτιμᾶται, ξηροφαγίᾳ διαιτώμενος, καὶ μετανοίας ἑκάστης ποιῶν ρ'. ἀλλὰ καὶ γυνὴ ἥτις εἰς ἀσπασμὸν ἀνδρὸς μόνον ἐλθοῦσα τὸ τῆς μαλακίας ἐπιτίμιον δέχεται. ὁ δὲ ἐγρηγορότως τῷ σώματι μολυνθεὶς, εἰς ἑπτὰ ἡμέρας εἴργεται τῆς κοινωνίας, τὸν ν' καθ' ἑκάστην ᾄδων, καὶ μετανοίας ποιῶν μθ'.

JOANNES autem Jejunator ſic ait. Pollutus in ſomno per fluxus paſſionem, uno dicà communione expellitur, quum quinquageſimum Pſalmum cecinerit, & Pœnitentias 49. peregerit. Qui verò mollitiem commiſerit, 40. diebus plectitur, cibis ſiccis veſcens, & quolibet die Pœnitentias, 100. peragens. Itidem mulier quæ in amplexum viri duntaxat venit, mollitiei pœnam accipit. At qui corpore vigilante pollutus eſt, à communione ſeptem diebus arcetur, pſalmum quinquageſimum quotidie canens, & quadraginta novem Pœnitentias peragens.

Et eadem ſectione titulo 3. in Scholio poſt can. 59. Sancti Baſilii.

Τὸν πόρνον ὁ νηςευτὴς ἐπὶ διετίαν καταδικάζει, εἰ μόνον μέχρις ἑσπέρας καθ' ἑκάστην νηστεύει, καὶ ξηροφαγεῖ. καὶ μετανοίας ποιεῖ σν'. τὸν δὲ μοιχὸν, ἐπὶ τριετίαν. εἰ μόνον νηστεύει, καὶ ξηροφαγεῖ, καὶ μετανοίας ποιεῖ σν'.

Scortatorem Jejunator ad biennium condemnat, ſi tantùm uſque ad veſperam quotidie jejunat, & ſiccis veſcitur, & Pœnitentias 250. peragit. Adulterium verò ad triennium; ſi duntaxat jejunat, & ſiccis veſcitur, & Pœnitentias 250. peragit.

Et paulò poſt eodem titulo ad canonem 75. S. Baſilii, quo inceſtus cum ſorore novem Pœnitentiæ annis plectitur, tribus in fletu, tribus in ſubſtratione; & tribus in conſiſtentia, hoc addit ſcholium.

Τὸν δὲ τοιοῦτον ὁ νηςευτὴς ἐπὶ τριετίαν καταδικάζει μετὰ νηστείας, καὶ ξηροφαγίας, καὶ μετανοιῶν ἑκάστης ἡμέρας φ'. τὸν δὲ εἰς νύμφην, ἐπὶ διετίαν μετὰ μετανοιῶν τ'. ὁμοίως δὲ καὶ τὸν εἰς πενθεράν. τὸ δέ γε νῦν ἔχον, ἡ σύνοδος ἐπὶ ἑξαετίαν τοὺς τοιούτους καταδικάζει ἅμα τοῖς γόησι, καὶ τοῖς ἀνδροφόνοις.

Talem jejunator ad triennium condemnat, cum jejunio, & ſiccorum eſu, & 500. Pœnitentiis quotidianis. Qui verò cum nuru ſua ſe polluit, ad biennium cum Pœnitentiis trecentis. Similiter & qui cum ſocru. Verùm ut nunc res eſt, condemnat tales Synodus ad ſexennium unà cum Magis, & Adulteris, & Homicidis.

Poſtea eodem titulo poſt canonem Baſilii 62. de Pæderaſte.

Τὸν τοιοῦτον ὁ νηςευτὴς ἐπὶ τριετίαν καταδικάζει μετὰ σ' μετανοιῶν καθ' ἑκάστην ἡμέραν.

Talem Jejunator ad triennium condemnat cum ducentis Pœnitentiis, ſingulis diebus.

Ibidem poſt canonem 57.

Τοὺς φονεῖς ὁ νηςευτὴς, τοὺς μὲν ἑκουσίους, ἐπὶ πενταετίαν καταδικάζει. τοὺς δὲ ἀκουσίους ἐπὶ τριετίαν.

Homicidas Jejunator, voluntarios quidem, in quinquennium condemnat, non voluntarios autem ad triennium.

Iterum eodem titulo poſt ſancti Baſilii canonem 65.

Ὁ δὲ νηςευτὴς τοὺς γόητας, καὶ τοὺς φαρμακοὺς ἐπὶ τριετίαν καταδικάζει μετὰ μετανοιῶν ἑκάστης ἡμέρας σν' καὶ νηστείας, καὶ σκληραγωγίας· ὁμοίως καὶ τὰς γυναῖκας τὰς ποιούσας πιττάκια, καὶ μαντευομένας.

Jejunator autem Magos & Veneficos ad triennium damnat cum Pœnitentiis quotidianis 250. cumque jejunio; & rigida vivendi ratione. Similiter & mulieres quæ ligaturas faciunt, & quæ hariolantur.

Ibidem poſt canonem ſequentem de τυμβωρύχῳ ſive ſepulchri violatore.

Τοῦτον ὁ νηςευτὴς ἐπὶ ἔτος ἓν καταδικάζει μετὰ μετανοιῶν ἑκάστης ἡμέρας, σ'.

Hunc Jejunator ad annum unum damnat cum Pœnitentiis quotidianis ducentis.

Et poſtremis tituli verbis, de murorum effractore.

Τὸν τοιοῦτον ὁ νηςευτὴς ἐπὶ τριετίαν καταδικάζει. τοῦ αὐτοῦ νηςευτοῦ καὶ ταῦτα δέ. Ἐμπεσόντος τινὸς ἀκαθάρτου εἰς φρέαρ, ἢ εἰς οἶνον, ἢ εἰς ἔλαιον, ὁ τοῦτο γευσάμενος, ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας κρέατος καὶ τυροῦ μὴ ἀπτέσθω· ἑπτὰ δὲ μὴ κοινωνείτω. ὁ τῶν θείων ἐμέσας μεταλήψεων, μ' ἡμέρας τῆς θείας ἀφίσταται κοινωνίας, τὸν λ' ᾄδων καθ' ἑκάστην ψαλμὸν, καὶ μετανοίας ποιῶν ν' ὅπως δήποτε τοῦτο συμβαίη.

Talem Jejunator ad triennium damnat. Ejuſdem Jejunatoris & hæc ſunt. Si quid immundi ceciderit in puteum, vel in vinum, vel in oleum: Qui hoc deguſtat, ad triduum à carne, caſeoque abſtineat, ſeptemque diebus non communicet. Qui poſt ſacram participationem vomuerit, 40. dies à communione abſtinet ſacra, Pſalmum 30. quotidie canens, & 50. Pœnitentias peragens, quocumque tandem modo id acciderit.

Sectione ſexta non longè à principio.

Ἡ ἀκουσίως ἀποβαλοῦσα τὸ βρέφος, ἐπὶ ἔτος ἓν παρὰ τῷ νηςευτῇ καταδικάζεται. ἡ δὲ τῷ βρέφει κοιμωμένῳ ἐμπεσοῦσα, καὶ ἀποπνίξασα, ἐπὶ τριετίαν. ἡ δὲ καταφρονήσασα τοῦ κυήματος, τῇ ἀμελείᾳ ταύτης ἀποφθαρέντος, ἑκουσίου φόνου δίδωσι δίκας· καὶ παιδίου ἀβαπτίστου ἀποθανόντος, τῇ τῶν οἰκείων ἀμελείᾳ γονέων, ἐπὶ τριετίαν οἱ γονεῖς καταδικάζονται· περὶ δὲ τῶν ἐκτιθεμένων τὰ οἰκεῖα βρέφη πρὸς ταῖς εἰσόδοις τῶν ἱερῶν, λόγος ἐπὶ τῆς ἱερᾶς συνόδου γέγονε, καὶ ἤρεσεν, ὡς φονεύτριας ταύτας κολάζεσθαι, κἂν ἕτερος ἀνέλοιτο, καὶ ἐπιμελησάμενος ζωογονήσῃ.

Quæ præter animi ſententiam ejecit, ſive excuſſit infantem, ad annum unum apud Jejunatorem damnatur. Quæ verò ſuper infantem ſopitum corruit, eumque ſuffocavit, ad triennium. Quæ partum neglexit extinctum culpa ſua, voluntariæ cædis pœnas luit. Itidem cum puer non baptizatus mortuus eſt parentum ſuorum culpa, Parentes ad triennium condemnantur. De iis verò qui proprios infantes ad templorum introitus exponunt, propoſita eſt in ſynodo quæſtio, placuitque has puniri tanquam homicidas, licet alius eos ſuſtulerit, & adhibita cura educaverit.

Matthæus Blaſtares in collectione canonum manuſcripta in littera A, c. 24. Ex Ioanne Jejunatore hæc refert.

Ὁ δὲ νηςευτὴς Ἰωάννης εἰ παιδίον φησὶ, ὑπό τινος μολυνθείη, εἰ μὲν εἰς τοὺς μηροὺς τὴν ῥοὴν δέξαιτο, προσφόρως ἐπιτιμώμενον εἰς ἱερωσύνην ἐρχέσθω. Εἰ δὲ εἰς ἀφεδρῶνα, μηδ' ὅλως ἱερατικοῦ ἀξιούσθω βαθμοῦ. εἰ γὰρ κἀκεῖνο οὐχ ἥμαρτε διὰ τὸ ἀνήλικον· ἀλλ' ὅμως τὸ σκεῦος ἐῤῥάγη, καὶ ἱερουργῆσαι αὐτὸ οὐκ ἐνδέχεται· μεμόλυνται γάρ.

Joannes autem Jejunator, Si puer, inquit, ab aliquo pollutus fuerit, ſi in femora tantùm fluxum exceperit, convenienti Pœnitentia caſtigatus ad Sacerdotium promoveatur. Si autem in poſteriora, ſacro ordine nullomodo dignus cenſeatur. Licet enim propter ætatis defectum non peccaverit, vas tamen ejus diſfractum eſt, & ſacerdotio fungi non poteſt: Eſt enim pollutus.

Idem Blaſtares in littera K. cap. 28. ex eodem Jejunatore refert,

Φησὶ γὰρ ὁ νηστευτὴς Ἰωάννης, ὁ μαλακίας πάθει ἁλοὺς πρὸ τῆς ἱερωσύνης κληρικὸς, μὴ θαῤῥείτω ὡς παρὰ τοῦτο μόνον τῆς ἱερωσύνης εἰρχθήσεται, ἱκανῶς πρότερον ἐπιτιμώμενος, ὕστερον τῆς ἱερωσύνης ἀξιούσθω. Εἰ δὲ μετὰ τὴν ἱερωσύνην τούτῳ περιπέπτωκεν, εἰς ἐνιαυτὸν ἕνα τῆς ἱερωσύνης ἀργήσας, καὶ τοῖς εἰωθόσιν ἐπιτιμίοις σωφρονισθεὶς, ἀρίστην ἱερωσύνην ἐπιτελείτω. Εἰ δὲ μετὰ τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἁμαρτίας δὶς ἢ τρὶς τοῦτο ἐργάσαιτο, τῆς ἱερωσύνης παυσάμενος, εἰς ἀναγνώστου τάξιν ἐρχέσθω. Λαϊκὸς δὲ τὸ τῆς μαλακίας αἰσχρὸν καθ' ἑαυτὸν ἐργασάμενος πάθος, εἰς μ' ἡμέρας τῆς κοινωνίας εἴργεται, ξηροφαγῶν ἐν αὐταῖς, καὶ γονυκλισίας ἑκάστης ποιῶν μθ'. Ἡ δὲ διὰ τῆς ἀλλήλων μίξεως γινομένη μαλακία, διπλοῦν ἐργάζεται τὸ κακὸν, ἅτε δύο μολυνομένων ψυχῶν. Διὸ καὶ διπλάσιον ὁ ταύτης ἐργάτης τὸ ἐπιτίμιον δέχεται, εἰς π' ἡμέρας τῆς κοινωνίας εἰργόμενος, καὶ εἰς ρ' τὸ τῶν μετανοιῶν μέτρον ἐκτείνων μετὰ τῆς προσηκούσης νηστείας.

Inquit, enim Joannes Jejunator, Clericus, qui antequam ſacris initiaretur, mollitiei vitio deprehenſus eſt, non perſuadeat ſibi quod ea ſolùm de cauſa à Sacerdotio prohibeatur. Prius ſufficienti Pœnitentia caſtigatus, ſacerdotio dignus habeatur. Si vero Sacerdotio initiatus hoc vitio ſuccubuit, anno uno à ſacro miniſterio ſuſpenſus, conſuetis epitimiis ad meliorem mentem edoctus, ad miniſterium redeat. Si autem poſt peccati cognitionem idem bis aut ter perpetraverit, à Sacerdotio ceſſet, & in Lectoris ordinem deſcendat. Laicus autem qui turpe mollitiei vitium in ſeipſum commiſit, 40. diebus à communione arcetur, aridis eo tempore veſcens, & unoquoque die 49. genuflexiones faciens. Ea verò mollities quæ mutua cum aliis mixtione, perpetratur, malum duplicat, ut pote duas animas contaminans: Ideo illius reus duplicatum epitimium excipiet, 80. dies communione prohibitus, & Pœnitentiarum numerum ad centum uſque cum jejunio conveniente extendet.

Edita ſunt varia fragmenta in fine commentariorum Balſamonis in Epiſtolas Patrum canonicas. Inter hæc unum eſt Joannis Jejunatoris, quod latinè tantùm habetur. Cum ad Pœnitentiam pertineat, & ex Pœnitentiali ipſius decerptum ſit; illud hic adtexere viſum eſt. Illi titulus factus eſt ab interprete, an jure, an injuria, hic non quæritur.

Ex Nomocanone Neſteutæ.

OPortet eum qui Confeſſiones ſuſcipit, videre & adoleſcentiam & vires ſenectutis, & imbecillitatem, & loci differentiam, & modum per quem malum factum eſt, & an capto conſilio ac præmeditato, an caſu factum eſt, & an ex vino, vel ex ſatietate, vel non ſic, ſed vel metu, vel immoderata poteſtate, vel paupertate, & quæ ſunt his ſimilia. Is qui confeſſiones audit debet examinare, & horam, & locum, & vitam, & prudentiam. Similiter & contritionem, & pudorem, & triſtitiam, & metum, & fidei conſtantiam, vel inconſtantiam, & miſericordiam. Similiter & doctum & indoctum, divitem & pauperem, ſervum & liberum, nobilem & ignobilem, & militem, & eum qui ſanctum amictum ſuſcepit, & qui in eis immoritur. Similiter & contemptorem, ac impudentem, & qui poteſt humiliari. Hæc omnia debet examinare, qui audit confeſſiones, & ſic pœnas injungere. Si autem hæc quidem ſemel, vel bis, vel ter fecit, & ſint intra triginta annos ætatis, ſunt omnino miſericordia digni, etjamſi ea valde magna ſint. Sin autem triginta annos ſuperaverint, hi multis condemnationibus digni fuerint, etjamſi ea ſint multò minora. Debet etiam hoc quoque perſcrutari, an ſæpe peccaverit, an etiam ad ſenectutem uſque in eo ſit enutritus. Et quæcunque ſunt quidem præter naturam, ut cædes voluntariæ, adulteria, puerorum, virorumque concubitus, jumentorum, volucrum vel initus, & inceſtus quoque & magni, & parvi. Similiter & ſi ut in conſiliolas, & filios ipſos peccaretur, ſuſtinuit, & quæcunque ſunt ejuſmodi, vel his etiam majora, æqualem habent punitionem. Cautum enim eſt ac proviſum ut excommunicationis ſegregatio ad ſex annos, & ſeptem, & octo, & novem, & decem extendatur. Quæcumque autem ſunt ſecundum naturam, ut fornicationes, cædes involuntariæ, ſtupra, perjura, & quæcunque ſunt ejuſmodi, ad annum unum, & duos, & tres puniuntur: Et qui minoris quidem ſunt habitus Monachi, & Monachæ fornicantes, ut fornicatores judicantur. Qui autem majoris ſunt habitus, ut adulteri. In hoc autem toto Pœnitentiæ tempore, in Chriſti nativitate & Epiphania, & in tribus Paſchæ diebus, vel in magna quinta feria, & magno ſabbato, & magno Dominico, & in memoria Sanctorum Apoſtolorum, pro communione participes exiſtant ſanctificationis illuminationum, & ſic jejunium ſolvant; alii quidem caſeo & ovis, mundani verò carne. Antea enim diximus, quod eſt in eorum qui confeſſiones audiunt poteſtate, vel leves, vel graves pœnas imponere. Ejus enim qui confitetur certa & indubitata fides, & eorum quæ habet elargitio, quam B. Paulus fidei fructum appellat, ejuſque qui audit Confeſſionem circumſpecta cognitio, prudenſque judicium, & de ſummo jure remittens levitas, ſcit omnia leviora facere, quæ ad cibum & potum, preceſque & communionem pertinet, maximè ſi contingat, ut qui confitetur ante confeſſionem peccatum abſciderit, vel ſi etiam confitens à confeſſione abſcindat. Sunt enim multi qui confitentur, & dolore afficiuntur, ſed tamen vel natura vel malignitate, vel mala conſuetudine rurſus labuntur, & in peccata incidunt. Hi ergo debent ſemper confiteri quoties ceciderint, etiamſi injunctas pœnas compleverint, quas ab eo qui ipſos ligavit acceperunt, nunquam autem communicare. Sin autem eorum omnino miſereris, communicabunt. Cavendum eſt tamen ne communicent, donec peccatum abſciderint. Miſericordiæ enim gratia ſic quoque digni habebuntur. Quoniam autem ſunt nonnulli, qui vi habitus ne in magna quidem quadrageſima ſe poſſunt à peccatis continere, ipſi quoque ſæpe mulieres habentes, oportet poſtquam ipſi pœnas injunctas peregerint, ſi multum tempus præterierit, nec potuerint communicare, eo quod in peccata ſemper incidant, in ſancta quidem Quadrageſima ſe à peccato continere & ſic cum timore & tremore tribus Paſchæ diebus communicent. Hoc autem dicimus eo quod dubitetur ne à carnis pollutionibus nunquam abſtinere potuerunt, & non quod alia fiat differentia. Si autem hi in quadrageſima in mollitiem inciderint, ne ſic quidem communicent. Similiter & Monachi, vel etiam alii concertatores, ſi in idipſum in quadrageſima inciderint, caveant à communione. Eſt enim affectio miſerabilis, & potentiſſima, & quæ difficiliter avelli poteſt, etiamſi ſolis quadraginta diebus non communicare eos debere qui in id incidunt, à Patribus canonicè cautum eſt; Id tamen verum eſt, in aliis quidem anni, non in ſanctæ quadrageſimæ diebus. In rei autem ſacræ celebratione omnes qui Pœnitentiam agunt, & non communicant, diximus Catechumenorum edicto debere ex templo egredi, & ſtare in ferula. In matutino autem, Veſperis, & reliquis, templi aditum eis non eſſe prohibitum, quominus poſſint ingredi, & in eo ſtare ſi velint.

IN

IN JOANNIS MONACHI CANONARIUM *Sive* LIBELLUM POENITENTIALEM ADNOTATIO.

QUis fuerit Joannes iſte Monachus non aliunde nobis cognitum eſt quàm ex iſtius libelli titulo. Non eſt tamen probabile fuiſſe S. Baſilii diſcipulum; imò aliquot poſt S. Baſilium ſeculis vixiſſe certum videtur. Non longè enim poſt procemium libelli ſui Joannis Scalam citat: Deinde Pœnitentiæ agendæ ordo quem deſcribit, alius planè eſt ab eo quem nobis in canonibus ſuis exponit S. Baſilius, arguitque evidenter pœnitendi diſciplinam ſtatam, & jam inveteratam. Vix autem hoc contingere potuit niſi multis poſt S. Baſilium annis. Ideo ſi Baſilii diſcipulus dicendus eſt, id de affectu & imitatione non de documentis ab eo acceptis intelligendum. Quis ſenior fuerit, aut Joannes Jejunator Patriarcha, aut Joannes iſte Monachus, nobis eſt incompertum, cum poſterioris ſeculum nobis planè ſit incognitum. Quidquid ſit opus eſt induſtrium, & methodicè elaboratum. Sæpius pœnas indicit multò ſeveriores quàm Jejunator. Ex utroq; tamen facilè colligitur unam & eandem illis fuiſſe Pœnitentiæ adminiſtrandæ methodum: Sed Joannes iſte Monachus potiſſimum ſibi propoſuit explicationem methodi qua ſingulorum peccatorum confeſſio integra fieri poteſt, & quibus pœnis ſingula peccata punire oportet, quibuſve modis pœnæ illæ ſunt exercendæ. Ideo quæcunque ad hæc ſpectant, latè & induſtriè exequitur. Verùm paucis ritum confeſſionis edendæ, preceſque tum dicendas perſtringit, pancioribus multò quæ ad reconciliationem pertinent, attingit. At Joannes Jejunator quamlibet Pœnitentiæ partem evidenter & diſtinctè deſcribit, ita ut non facilè dici poſſit quam potiſſimum deſcribendam ſibi propoſuerit. Iſtius libelli archetypus eſt in Bibliotheca Vaticana: Eum non vidimus, ſed poſtquam Roma diſceſſimus opera amicorum nobis tranſcribi curavimus. Stylus ipſius ſcribendi imperitia ſcaber eſt & difficilis cacoſyntheſis & aſperis hyperbatis abundat. Cum eloquens videri vult battologus eſt, & κακόζηλος. Præclarè videtur ſibi dixiſſe, cum inutilium epithetorum congeriem ſtruxit. Importunè ſæpius de ſe ταπεινοφρονεῖ. Hæc contingere ſolent iis qui humilitate orationis, cui pares ſunt, contempta, elegantiam affectant. Iſta in longiſſimo ipſius procemio potiſſimum conſpiciuntur, quod, ut cætera omittam, operi ſuo Pœnitentiali adtexuit, velut caput giganteum Pumilioni. Nam cæteræ libelli partes adnotata vitia non ita facilè patiuntur.

JOANNIS MONACHI ET Diaconi, diſcipuli magni Baſilii, cui cognomentum eſt, filius obedientiæ Canonarium, ſigillatim explicans pravos animi affectus, morboſque, & Pœnitentias his convenientes, nec non quæ de communione, cibo, potu, & oratione obſervanda ſunt, clementer admodum definiens.

CUm divina, & optima, beataque Chriſti veri Dei omnia bona ſuperantis, & ſervatoris noſtri benignitas, ſemper & ubique, & ſecundum omnia per nativam bonitatem beneficiis nos cumulet, & omnes voluntates noſtras compleat; oportet nos quoque, licet quæ vera ſunt, & rebus intima parum cognoſcamus, ſponte tamen velle proprio ſtudio & attentione, quanquam nihil aliud proficere valeat, prædicare glorioſa majeſtatis ejus encomia, & demonſtrare maxima, & eximia ejus in nos benefacta: ante omnia autem & ſuper omnia, & cui omnibus varietates & differentias, multiformiaque commenta peccatorum noſtrorum, multorum, confuſorum, nulloque judicio diſcretorum, & inenarrabilis ipſius tolerantiæ, & longanimitatis ſupremam in hominum amatore humanitatem, dilectionem & miſericordiam. Quanto enim nos generatione mali pejores eſſe ex malè operoſa induſtria, & voluptate eſſe contendimus, tanto Deus noſter ſuper omnia bonus, & clementior, & compatientior, & malorum tolerantior & eſſe, & talem ſeſe oſtendere nobis videtur, ut verè ex natura, atque à principio bonus. Demonſtravit enim ab initio, atque hoc uſque demonſtrat omnibus ſtudioſiſſimam, quæque exprimi non poteſt, curam, & ſolicitudinem bonitatis ſuæ in nos peccatores, & miſericordiarum abundantiſſimum, & inſuperabile pelagus.

A principio igitur tranſgreſſos primum mandatum non

ΙΩΑ'ΝΝΟΥ ΜΟΝΑΧΟΥ

καὶ Διακόνου, μαθητοῦ τοῦ μεγάλου Βασιλείου, ὅτινος ἡ ἐπωνυμία, τέκνον ὑπακοῆς, Κανονάριον, διαγορεῦον περὶ πάντων λεπτομερῶς τῶν παθῶν, καὶ τῶν τούτοις προσφόρων ἐπιτιμίων, περί τε τῆς ἁγίας κοινωνίας, βρωμάτων τε καὶ πομάτων καὶ εὐχῶν λίαν συμπαθέστατον.

ΤΗ͂Σ θείας καὶ παναγάθου τοῦ ὑπὲρ ἀγαθοῦ καὶ ἀληθινοῦ Χριστοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν μακαρίας χρηστότητος, πάντοτε, καὶ πανταχοῦ, καὶ κατὰ πάντα εὐεργετούσης ἡμᾶς δι' οἰκείαν ἀγαθότητα, καὶ τὰ ἡμῶν ἅπαντα ἐκπληρούσης θελήματα, χρὴ καὶ ἡμᾶς τὰ ὄντα, κἂν μικρὸν ἑαυτοὺς ἐπιγινώσκειν, βουλομένους διὰ τῆς οἰκείας προσοχῆς, εἰ καὶ μηδὲν ἄλλο ἴσχυσε συμφέρειν, μᾶλλον δὲ ἐὰν προαιρώμεθα, ἀεὶ γοῦν τῆς αὐτοῦ μεγαλωσύνης ἀνακηρύττειν τὰ ἔνδοξα, καὶ τῶν αὐτοῦ εἰς ἡμᾶς μεγίστων εὐεργετημάτων ἀνακαλύπτειν τὰ ἐξαίρετα· πρὸ πάντων δὲ καὶ μετὰ πάντα καὶ σὺν πᾶσι τὸ ποικίλον ἡμῶν καὶ διάφορον τῶν πολλῶν καὶ ἀσυγκρίτων ἁμαρτημάτων, τὰ πολυειδῆ ἐπινοήματα· καὶ τῆς ἀῤῥήτου αὐτοῦ ἀνοχῆς καὶ μακροθυμίας, τὴν ὑπερβάλλουσαν ἐν φιλανθρώπῳ φιλανθρωπίαν, στοργήν τε καὶ ἐλεημοσύνην· ὅσον γὰρ ἡμεῖς κατὰ γενεὰν πονηρότεροι, ἐν κακούργῳ μηχανῇ καὶ ἡδονῇ εἶναι ἀγωνιζόμεθα, τοσοῦτον αὐτὸς ὁ περὶ πάντα ἀγαθὸς ἡμῶν Θεὸς εὐσπλαγχνότερος καὶ συμπαθέστερος, ἀνεξικακώτερός τε καὶ εἶναι, καὶ δείκνυσθαι ἡμῖν φαίνεται, ὡς ἐκ τῇ φύσει ἀληθῶς ἐξ ἀρχῆς ὢν ἀγαθός· ἔδειξε γὰρ ἐκ πρώτης, καὶ δείκνυσιν ἕως νῦν, τὸ περὶ πάντας ἄφατον καὶ κηδεμονικὸν τῆς αὐτοῦ ἀγαθωσύνης εἰς ἡμᾶς τοὺς ἁμαρτωλοὺς, καὶ ἀνυπέρβλητον οἰκτιρμῶν πέλαγος.

Ἐξ ἀρχῆς οὖν παραβάντας τὴν πρώτην ἐντολὴν, οὐ μόνον οὐκ

ἀπω-

ἀπώλεσε, καὶ εὐθὺς ἀφανισμῷ ἀξίως παρέδωκεν, ἀλλ' οἰκτείρας ἐξορίᾳ παρέπεμψε, βελτιωθῆναι δι' αὐτῆς, οὐ χείρους ἀχρειωθῆναι βουλόμενος. ἐπειδὴ δὲ χείρους ἀφρόνως ἐγενόμεθα, τῷ τε κατακλυσμῷ δικαίως ἀπώλεσεν, ὅμως οὐδὲ τότε ὠργίσθη, νικηθεὶς τῇ ἀπείρῳ κακίᾳ ἡμῶν· ἀλλ' ἐφύλαξεν ἐξ ἡμῶν σπέρμα δίκαιον εἰς ἀνακαινισμὸν τοῦ κόσμου παντός. πάλιν δὲ ὡς καὶ πρώην τῆς ἀπείρου πληθυνομένης κακίας, οὐκέτι μὲν ἐπάγει κατακλυσμὸν, φαίνεται γὰρ καὶ τὸ πρῶτον μεταμεληθείς· ἀλλ' ἐμπρησμοῖς μὲν καὶ λοιμοῖς τοὺς πολλοὺς παιδεύσας πρὸς διόρθωσιν, καὶ τοὺς μὴ παθόντας προσκαλέσατο. ἐπειδὴ δὲ οὐδὲ μὲν διορθουμένους, δίδωσι νόμον τοὺς σφαλλομένους διὰ τοῦ σώματος παιδεύεσθαι, θεσπίσας καὶ ἔτι ἴσως διὰ τοῦτο ἡ πολλὴ τῶν ἀνθρώπων ἀποπαυθῇ κακία. ὅτι δὲ ἅπαντα τὰ παιδευτικὰ ἐνεδείξατο βέλη εἰς μηδὲν ἔλαττον κατ' οὐδένα τρόπον ὑποχωρῆσαι ἰδὼν τὴν ἁμαρτίαν, ἔκλινεν οὐρανοὺς, καὶ κατῆλθεν ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ γενόμενος ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν ἄνθρωπος κατὰ πάντα, ἁμαρτίας χωρίς· καθὼς καὶ προεδήλωσε καὶ πρὸ τοῦ ἐνανθρωπῆσαι δι' ἁγίων ἀνδρῶν, ἀνέλαβεν ἁπάντων τῶν ἁμαρτημάτων ἡμῶν τὸ ἐπιτίμιον, μηκέτι συγχωρῶν τινὰ σωματικῷ ὑποπίπτειν κινδύνῳ ἢ πειρασμῷ, καὶ παιδείᾳ, ἢ θανάτῳ, ἀλλ' ἀντὶ πάντων ἐν ταπεινῷ συνειδότι ἐκ καρδίας μετανοεῖν. καὶ πρὸς αὐτὸν ὁλοψύχῳ διαθέσει, πόνῳ τε καρδίας καὶ δάκρυσι, δι' ἐξομολογητικῆς αἰσχύνης ἐπιστρέφειν, καὶ οὐ μόνον ἔνδοθεν ἐν μηδενὶ κολάζεσθαι τρόπῳ, ἀλλὰ καὶ ἵλεων αὐτὸν ὡς κριτὴν ὄντα πάντων καὶ Θεὸν ἐν τῇ κρίσει εὑρίσκειν. καὶ ἀντὶ μὲν ἐξοριῶν, καὶ κατακλυσμῶν, καὶ ἐμπρησμῶν, καὶ λοιμῶν, καὶ λιμῶν, τιμωριῶν τε πολλῶν τῶν ἐν τῷ νόμῳ, καὶ θανάτων, καὶ πάντων τῶν παιδευτικῶν ὀργάνων τὸ ἄχραντον αὐτοῦ καὶ τίμιον σῶμα, καὶ αἷμα, ὃ διὰ τοῦ ἑκουσίου αὐτοῦ καὶ ζωοποιοῦ θανάτου δέδωκεν ἡμῖν, προσέθηκεν εἰς βάσανον καὶ παραφυλακήν. ὥστε πάντα κεκλημένον ἐπωνύμως αὐτῷ Χριστιανὸν, ἐπὶ χρόνους ὀλίγους τινας, ἢ καὶ πολλοὺς, ἢ καὶ ἕως αὐτοῦ τοῦ χωρισμοῦ τῆς ψυχῆς μὴ μετέχειν αὐτοῦ τὸ σύνολον, τὸν μετὰ τὸ ἅγιον βάπτισμα μολυνόμενον ἁμαρτήμασι, διὰ τῶν αὐτοῦ μαθητῶν, καὶ μιμητῶν. λέγω δὴ τῶν ἁγίων κοσμοσωτῶν ἀποστόλων διορισάμενος. ὕστερον μετὰ πλείστους χρόνους, καὶ μετὰ τὴν τοιαύτην καὶ τοσαύτην ἐλεημοσύνην, βλέπων πάλιν τοὺς ἀνθρώπους, τοσαύτης μὲν ἀπολαύσαντας φιλανθρωπίας, καταφρονητικῶς δὲ ζῶντας, καὶ πάλιν ἐπὶ τὰ χείρω χωροῦντας, ἐξήγειρεν ἐν τοῖς ἑπτὰ φωστῆρσι τῆς αὐτοῦ ἐκκλησίας. λέγω δὴ τὸν πρῶτον, τὸν μέγαν, καὶ ἱερὸν Βασίλειον, κανονιστὴν συμπαθέστατον, ὅς τις τοὺς κανόνας τῶν ἁγίων ἀποστόλων μεσιτεύσας, πολλὴν παρέσχε τοῦ μὴ ἀπογινώσκειν τοὺς ἁμαρτάνοντας· τὰ γὰρ παρ' ἐκείνων κατονομασθέντα, ἕνδεκα, καὶ εἴκοσι, καὶ τριάκοντα χρόνοις, ἢ ἕως αὐτοῦ τοῦ τέλους, ὑφελόμενος τὸ ἥμισυ ὁριστικῶς ἐξέθηκεν, ἵνα μὴ πρὸς τὸ πολυχρόνιον τῶν ἐτῶν οἱ ἁμαρτάνοντες, καὶ μεταμελούμενοι, ἐξομολογούμενοί τε καὶ ἐπιτιμώμενοι ἀποκάμνοντες καταρραθυμῶσι, καὶ ὀλιγοψυχῶσι. μετὰ τοῦτον δὲ καὶ οἱ μετέπειτα ἐλθόντες πατέρες θαρρήσαντες, οὐκ οἶδ' ὅπως εἴπω, ἐν πολλῇ ὀλιγώσει τοὺς χρόνους ὠλίγωσαν· ὥστε καὶ εἰσὶ τὰ βεβιωμένα τῶν ἀνθρώπων κακά, καὶ τοῦ λέγεσθαι, οὐχ ὅτι τοῦ πράττεσθαι τολμηρά, ἐν μόνοις τρισὶν ἔτεσι ταῦτα ὁρίζειν, καὶ κανονίζειν θεσπίσαι.

Ἐν τούτοις οὖν ἅπασι τὸν γλυκὺν καὶ φιλάνθρωπον ἀγαθὸν Θεὸν ἡμῶν λαλήσαντα, καὶ ἐντειλάμενον καὶ θεσπίσαντα πάντα πιστεύομεν, ὅς δι' οἰκείαν χρηστότητα κατὰ γενεὰν ἐπὶ τὰ χείρω τὴν τῶν ταπεινῶν ἀνθρώπων μετερχομένην ὑπὸ τοῦ πάντων ἡμῶν ἐχθροῦ διαβόλου, καὶ τῶν αὐτοῦ δαιμόνων, σαθρὰν καὶ εὐμετάβλητον βλέπων φύσιν, κινούμενος καὶ οἰκονομῶν, συγγινώσκων ἡμῖν ποικίλως καὶ ποιῶν τὰ ἁμαρτήματα, διὰ τῶν αὐτοῦ μιμουμένων ψυχικῶν, καὶ γλυκυτάτων ἰατρῶν, φιλαδελφίαν ἔχειν καὶ συμπάθειαν ἅπασιν, ὑπὸ τῆς γνώμης ἢ φύσεως, ἢ κλοπῆς ἐχθρῶν ἐν ἁμαρτήμασιν, ἢ καὶ πᾶσι σφαλλομένους καὶ παραπίπτοντας.

Ἐπειδὴ δὲ τῇ τοιαύτῃ ἀνοχῇ, καὶ ἐπιτιμήσει τῶν ἁμαρτανόντων, οἷον ὑπάρχει τὸ κρίμα τῶν τὰς ἐξομολογήσεις ἀναδεχομένων, τοὺς τῶν κατ' ἐμὲ ἀμαθῶν, ἢ ἀλαζονικῶν, ἢ καὶ τῶν ἑαυτοὺς μὴ ἐπισταμένων, ἀνοίσαντες ἑαυτοὺς, εἰς πέλαγος ἀχανὲς πλεῦσαι ποιοῦντων, ὥστε καὶ ἑτέρους ἐμβαλεῖν ἀπέρριψαν, οὐ δι' ἁγιωσύνην, καὶ ἄκραν τῶν ἐντολῶν τήρησιν λέγω μόνον, ἀλλὰ καὶ δι' εὐσπλαγχνίαν καὶ διὰ συμπάθειαν, καὶ τὸ ἐλεεινότερον, καὶ δι' ἀπειρίαν, καὶ ἀ[illegible]ίαν, καὶ ἀντὶ τοῦ θεραπεύειν, ἢ ἰᾶσθαι τινας αἰσχρῶς

modo non perdidit, nec internecioni ut dignum erat, ſtatim tradidit, ſed eorum miſertus in exilium expulit, volens per illud meliores reddere, non pejores. Poſtquam autem pejores inſipienter facti ſumus, diluvio juſtè perdidit. Attamen ne vel ſic iratus eſt, victus infinita malitia noſtra, ſed conſervavit ex nobis ſemen juſtum in totius mundi revocationem. Creſcente tamen & abundante iterum infinita malitia ut antea, non amplius diluvium induxit: Videtur enim ejus quod prius ſecerat reſipuiſſe, ſed incendiis & peſtibus multos ad meliorem vitam erudivit, & hoc non paſſos exhortatus eſt. Cum autem vidit eos nec ſic corrigi, legem dedit conſtituens lapſos & errantes pœnis corporalibus caſtigari; eo quod ſic forſan multa hominum malitia ceſſaret. Verùm omnibus his correctionis telis exhauſtis, videns tamen peccatum nulla ratione ſecedere, minuive, cœlos inclinavit, & in terram deſcendit, factuſque eſt homo nobis per omnia excepto peccato ſimilis, ſicut & per ſanctos viros prædixerat antequam humanam naturam aſſumeret. Aſſumpſit quoque omnium peccatorum noſtrorum pœnas, non amplius concedens aliquem corporali ſuccumbere periculo, vel tentationi, vel correctioni, vel morti, ſed horum omnium loco humilis cordis pœnitentiam tantùm exegit, & ex tota animi diſpoſitione, cordiſque labore & lachrymis per confeſſionis erubeſcentiam, ad ipſum converſionem. Nec tantùm conceſſit ea de cauſa homines nullomodo puniri: Verùm inſuper eum deprehendunt, & ſentiunt in judicio propitium & benignum, ut omnium judicem & Deum. Hinc pro exiliis, & diluviis, & incendiis, & peſtibus, & fame, multiſque pœnis & mortis generibus quæ in lege decernuntur, omnibuſque caſtigationis inſtrumentis, immaculatum & honorandum corpus ſuum & ſanguinem quæ per voluntariam, & vivificam ipſius mortem nobis tradidit, propoſuit in probationem & cautionem, per ſuos diſcipulos & imitatores, ſanctos dico Apoſtolos, & mundi ſervatores, ſtatuens, ut omnis ab ipſo vocatus Chriſtianus paucis quibuſdam annis, vel multis, vel etiam uſque ad animæ ſeparationem, nullomodo eſſet illius particeps, qui poſt ſanctum baptiſma ſeſe peccatis contaminaverat. Multis poſt annis, poſtque talem & tantam miſericordiam, cum iterum videret homines tanta gaudentes humanitate, contemptim tamen vivere, & iterum ad pejora delabi, ſuſcitavit inter ſeptem Eccleſiæ lumina, primum dico magnum & ſacrum Baſilium, Canoniſtam clementiſſimum, qui velut inter ſanctorum Apoſtolorum canones medius incedens multam præbuit peccantibus non deſperandi occaſionem. Criminibus enim quæ ab eorum canonibus, undecim & viginti, & triginta annis multata fuerant, aut uſque ad vitæ finem, dimidium ſubtraxit, & decretoriè expoſuit, ne peccatores & pœnitentes, confitenteſque, pœnitentia accepta bene & alacriter exequentes ad diuturnum tam multorum annorum tempus animo deficerent & labaſcerent. Qui hos ſecuti ſunt Patres confidentes, neſcio qua ratione dicam, magna diminutione tempora illa minuerunt: ita ut omnibus qui vitam peſſimè tranſegerunt, criminaque dictu nedum factu temeraria commiſerunt, trium tantùm annorum Pœnitentiam definiverint & canonicè impoſuerint.

Utique hæc omnia credimus Deum noſtrum ſuavem, generis humani amantem, benignum, pronuntiaſſe præcepiſſe, & decreviſſe. Cum videret enim humilium hominum naturam debilem, marcidam, & mutationi facillimè obnoxiam à diabolo hoſte noſtro, & illius dæmonibus ambiri & circumveniri, propria bonitate commotus ſecundum varia tempora & ſecula variè eam rexit, & gubernavit, atque gubernat, peccata nobis faciliore cum venia remittens per homines ſpirituales, ipſius imitatores, & ſuaviſſimos Medicos, ut amorem fraternitatis habeamus, & omni humanitatis affectu in eos tangamur qui opinione, natura, aut ſubdola hoſtium fraude, aut his omnibus decepti peccatis ſuccubuerunt.

Quandoquidem ita ſe habet tolerantia & animadverſio in peccatores, quale debet eſſe eorum judicium qui confeſſiones excipiunt? Nonnulli in quos incidi, imperiti, adulatores, vel ſeipſos non cognoſcentes, ignoranteſque ſe per immane pelagus navigare, tam temere in illud ſeſe projecerunt, ut alios ſecum præcipitarent. Non dico tantùm hoc illis contigiſſe propter affectatam ſanctitatem, & accuratam, ſummamque mandatorum obſervationem, ſed etiam propter clementiam, compaſſionem, præpoſteram miſeri-

Digitized by Google

cordiam, imperitiam, ruſticitatem, unde cum imperitè curarent, magis occiderunt quàm curarunt. Vel etiam hoc contingit propter perfectæ animadverſionis ſtudium, utriſque ſe bene facere judicantibus, cum ille ſeveritatem & inclementiam præpoſteram; iſte verò miſericordiam imprudentem demonſtrat, ut ille velut accuratus & diligens valde Euangelii obſervator, & ad ſummum virtutis jus pertingens, præ cæteris magni fiat: iſte verò ut perfectam miſericordiam exercens, & Chriſti imitator ab omnibus laudetur & beatus prædicetur; magis verò ut inde ſibi lucrum aliquod velut è mercimonio captet. Sed utrique à recto pietatis ſcopo ſimpliciter, vel imperitè aberrant.

Age igitur & nos qui verè miſeri ſumus & ſoli, quique in quibuſdam quæ ſpectant ad nos neſcimus ut oportet ſeſe gerere, ſed tamen ex multa ſtoliditate nos miſeri, ſimpliciter, imperitè, & indignè nos ipſos in ea intrudimus quorum indigni ſumus, imprudenter exiſtimantes nos Medici provinciam ſuſtinere poſſe, qui toti vulnerati ſumus; & in aliorum morbos inquirere, qui reverà mortaliter ægrotamus. Atque utinam ſic, vel ſerò diſcamus, & examinemus, & judicium feramus, & deſcribamus, & iis qui confeſſiones nobiſcum excipiunt, diſponamus, & aſſequamur, quali, quanta, & cujuſmodi animi diſpoſitione Pœnitens canonicas Pœnitentias ſuſcipere debet. Maximè autem reformidandum eſt, & ſtupore plenum atque ut ego quidem ſentio, multis incognitum, quem, qualemve decet eſſe eum qui confeſſiones excipit, & quomodo per hæc contingit aliquem, & peccatorem eſſe, & nihilo ſecius propter hoc ſolum miſericordiam conſequi; & quomodo quamvis ſit perfecta ſanctitate prædi[t]us, per hæc tamen ſine allo peccato aliquando pereat. Puto enim illud eſſe chariſma, in quod Apoſtolus alia enumerans veluti fertur, cum ait, huic datum eſſe hoc vel illud chariſma, iſti verò, diſcretiones ſpirituum.

Ego verò non ut idoneus futurus inquiſitiones, & interrogationes confitentibus faciendas, judicia hinc promenda, eorum in affectus bonos maloſve, propenſiones, & converſiones, ſenectutem, juventutem, ruſticitatem, cognitionem, libertatem, dignitatem, honores, paupertatem, ſanitatem, morbum, & morte imminente ſtatum, horumque omnium differentias & varietates indagare, & ſcribere volo: ſed ut revera abortuum abortus, & canis inutilis, micas è menſa decidentes colligens, quique aliquantulum diſcretionis experientiam ab experientia luminis à quo nutritus & educatus ſum promanantem accepi; coactus inſuper à quibuſdam fidelibus iſta literis mandavi. Ea propter ad talem & tantam imprudenter deveni audaciam & oſtentationem. Dicam tamen ſcopum quem mihi propoſui, licet multi, ut certum habeo, mihi fidem non ſint adhibituri; ſed hoc nihil me retardabit: perſonam enim hominis Deus non accipit. Cum à magnis & ſanctis viris audiiſſem Deum rogantes exaudire, & petita conſequi, perſuaſuſque hoc eſſe verum, Deum munerum & gratiarum munificum datorem fide experta, ſpe firma, & totius animi propoſito rogavi omnibus catecheſis meæ horis, quatenus mihi verbum concederet in oris mei apertione, ut licèt literarum ſcientiſſimus non ſim, quod Chriſtus qui veritas eſt, novit, quiſquis tamen in me inciderit, à deſidia & ſegnitie peccatorum ad animi alacritatem & ſalutis ſpem transferatur, & propter quodcunque peccatum non deſperet. Neque hæc tantùm, aut propter his ſimilia audaciſſimus ego benigniſſimum Dominum rogavi: Verum etiam Domine, ut mihi largireris tantam prudentiam & dijudicandi facultatem, ut omnem hominem peccata ſua coram te mihi exponere eligentem ita interrogem, dijudicem, & per caſtigationem lætitiam afferentem ſanem ut coram te Domine hoc ſit gratum & placitum, hoc eſt, ut confitens cum ingenti gaudio à me dimittatur, quia dixiſti quod, quæcunque petieritis, credite quod fiet, & ſecundum fidem veſtram fiat vobis. Multa alia ſimilia Domine, donator benigne, bonorum cauſa, qui omnes ſervare vis, & ſalutem ipſe quibus noſti judiciis diſtribuis, mihi indigno abundè gratificatus es, atque ipſum vivere maximorum bonorum excellentiſſimum.

Hic finis eſt pulchri prœmii.

Deo bono cooperante, vireſque immittente, jam incipiam particulatim deſcribere quantitates, qualitates, & differentias peccatorum, tam quæ ſunt ſecundum naturam, quàm

μᾶλλον ἐφείσθησαν, ἢ ἐθεράπευσαν. ἢ διὰ τελείαν πάλιν ἀνεπιτίμησιν, οἰόμενοι ἀμφότεροι εὖ πράττειν. καὶ ὁ μὲν ἀσπλαγχνίαν παράλογον, ὁ δὲ ἐλεημοσύνην ἄκαιρον ἐπιδείκνυται, ἵνα ὁ μὲν ὡς ἀκριβὴς λίαν τοῦ εὐαγγελίου τηρητὴς, ὑπερμεγαλυνθῇ τὸ ἄκρον τῆς ἀρετῆς δικαίωμα μετερχόμενος. ὁ δὲ ὡς τέλειος ἐλεήμων καὶ Χριστομίμητος, παρὰ πάντων ἐπαινεθῇ καὶ μακαρισθῇ. μᾶλλον δὲ ἵνα καὶ τινὰ ἐμπορείαν ἑαυτῷ περιποιήσηται. ἀμφότεροι δὲ τοῦ ὀρθοῦ σφάλλονται ἀφελῶς ἢ ἀμαθῶς τοῦ τῆς θεοσεβείας σκοποῦ.

Φέρε οὖν καὶ ἡμεῖς οἱ ὡς ἀληθῶς ἄθλιοι καὶ μόνοι, καὶ ἔνια τὰ καθ᾽ ἡμᾶς ὡς δεῖ μὴ ἐπιγνωκότες, ἀλλ᾽ ἐκ πολλῆς ἀναισθησίας, καὶ ἡμεῖς οἱ τάλανες, εἰς ἅπερ οὐκ ἴσμεν ἄξιοι ἀφελῶς καὶ ἀμαθῶς καὶ ἀναξίως ἑαυτοὺς ἐμβαλόντες, καὶ ἰατροῦ ἐπέχειν τάξιν ἀφρόνως ἐνθεότες, οἱ ὅλοι τραυματίαι ὑπάρχοντες, καὶ ὡς ἀληθῶς τὰ πρὸς θάνατον νοσοῦντες ἐξορίσωμεν, καὶ οὐθ᾽ οὕτως καὶ μεταμάθωμεν, καὶ ἀνακρινώμεθα, κρινώμεθά τε καὶ διαγραψώμεθα. καὶ τοῖς μεθ᾽ ἡμῶν εἰσδεχομένοις διαθώμεθα καὶ καταλάβωμεν, ποίᾳ καὶ πόσῃ καὶ ποταπῇ διαθέσει ὀφείλει ὁ μετανοῶν τὰς ἐπιτιμήσεις λαμβάνειν. μᾶλλον δὲ τὸ φοβερώτερον καὶ ἐκπλήξεως γέμον, καὶ ὡς οἶμαι, τοῖς πολλοῖς ἄγνωστον, πῶς, καὶ τίς, καὶ οἷος ὁ τὰς ἐξομολογήσεις δεχόμενος εἶναι πρέπει, καὶ ὅπως διὰ τούτων ἐνδέχεταί τινα καὶ ἁμαρτωλὸν ὄντα, ἐλεηθῆναι, καὶ μόνου τούτου ἕνεκα, καὶ πῶς χωρὶς ἑτέρας ἁμαρτίας, καὶ ἅγιον ὄντα τελείως διὰ τούτων ἀπολεσθῆναι. τοῦτο γὰρ νομίζω εἶναι τὸ χάρισμα, ὅπερ ἐν ἐπιφέρεται ὁ ἀπόστολος τὰ ἄλλα καταλέγων, ὅτι ᾧ μὲν δίδοται τὸ, ἢ τόδε χάρισμα, ᾧ δὲ φησὶ διακρίσεις πνευμάτων.

Ἐγὼ γοῦν οὐχ ὡς ἱκανὸς τὰς περὶ τούτου μέλλων ἐρεύνας καὶ ἀνακρίσεις ῥοπάς τε, καὶ τροπάς, καὶ γῆρας, καὶ νεότητα, καὶ ἀγροικίαν, καὶ γνῶσιν, καὶ ἐλευθερίαν, καὶ τὰ ἐν ἀξιώμασι, καὶ ἐν πτωχείᾳ καὶ τὰ ἐν νόσῳ καὶ ὑγείᾳ, καὶ αὐτὴν τὴν παρ᾽ αὐτὰ ἀποθνήσκειν, γράφειν, καὶ ἐξετάζειν τὰς διαφορὰς βούλομαι. ἀλλ᾽ ὡς ἀληθῶς ἐκτρωμάτων ἔκτρωμα καὶ κύων ὡς ἄχρηστος ψιχίων παρὰ τὴν τραπέζης συλλεξάμενος. καὶ ἀπὸ πείρας δὲ τοῦ ἐμὲ ἀναθρέψαντος λύχνου τῆς διακρίσεως καὶ μικρὰν δὲ λαβὼν πεῖραν, καὶ ἀναγκασθεὶς δὲ παρὰ πιστῶν τινῶν ταῦτα ἐγγράφως καταλιπεῖν. τούτου ἕνεκα πρὸς τὴν τοιαύτην ἐξῆλθον ἀφρόνως καὶ ἀλαζονικῶς τόλμαν. ὅμως εἴπω τὸ τέλος, εἰ καὶ παρά τισιν ὡς βεβαίως ἔχω ἀπιστηθήσεται. ἀλλ᾽ οὐδέν με περὶ τούτου μελλήσει, πρόσωπον γὰρ ἀνθρώπου ὁ Θεὸς οὐ λαμβάνει. παρὰ μεγάλων ἀκούσας καὶ ἁγίων παρὰ Θεοῦ λαμβάνειν τοὺς αἰτουμένους, καὶ πεισθεὶς τοῦτο ἀληθὲς εἶναι πίστει διαπείρᾳ, καὶ ἐλπίδι βεβαίᾳ καὶ ὁλοψύχῳ προθέσει, τὸν ἀφθόνως τὰς δωρεὰς διδόντα Θεὸν, ᾐτησάμην ἐν πάσῃ μου τῇ τῆς κατηχήσεως ὥρᾳ, δοῦναί μοι λόγον ἐν ἀνοίξει τοῦ στόματός μου, καίπερ ὡς ἡ ἀλήθεια Χριστὸς ἐπίσταται, μὴ γραμματικώτατος ὢν, ἵνα πᾶς ὅστις συντύχῃ μοι μεταβάλληται ἀπὸ ῥαθυμίας ἁμαρτιῶν πρὸς εὐθυμίαν, καὶ ἐλπίδα σωτηρίας ἔχειν, καὶ μὴ ἕνεκεν ἀπογινώσκειν οἱουδήποτε ἁμαρτήματι. καὶ οὐ ταῦτα μόνον, καὶ τὰ τούτοις ὅμοια, ὁ πάντολμος ἐγὼ ᾐτησάμην τὸν πολυάγαθον Κύριον. ἀλλ᾽ ὅτι καὶ τοιαύτην μοι δὸς σύνεσιν Κύριε, ἵνα πάντα ἄνθρωπον τὰ ἡμαρτημένα αὐτοῦ ἐνώπιόν σου, ἐμοὶ ἀναθεῖναι προαιρούμενον, οὕτως ἀνακρίνω, καὶ συγκρίνω, καὶ διὰ τῆς ἐπιπλήξεως χαροποιῶς θεραπεύσω, ὡς εὐπρόσδεκτον ἐνώπιόν σου δέσποτα, καὶ εὐάρεστόν ἐστι, τουτέστι μετὰ χαρᾶς ἀπολύειν τὸν ἐξομολογούμενον, ὑπ᾽ ἐμοῦ ἀπολύειν, ὅτι εἶπας, ὅτι ὅσα ἂν αἰτήσητε, πιστεύετε ὅτι γίνεται. καὶ κατὰ τὴν πίστιν ὑμῶν γενηθήτω ὑμῖν, καὶ ἄλλα πολλὰ τοιαῦτα ἀφθόνως δέσποτα, καὶ δοτὴρ ἀγαθὲ, καὶ τῶν καλῶν αἴτιε ὁ πάντας θέλων, καὶ νέμων τὴν σωτηρίαν, αὐτοῖς οἷς οἶδας κρίμασιν, ἐποίησας μετ᾽ ἐμοῦ τούτῳ τῷ ἀναξίῳ ὄντι, καὶ τοῦ ζῆν τῶν μεγίστων ἀγαθῶν τὸ ἐξαίρετον.

Ἐνταῦθα τέρμα τοῦ καλοῦ προοιμίου.

Ἄρξομαι τῇ τοῦ ἀγαθοῦ Θεοῦ συνεργίᾳ, καὶ ἐνεργείᾳ τὰς ποσότητας, καὶ ποιότητας, καὶ διαφορὰς ἤδη τῶν ἁμαρτημάτων τούτων κατὰ φύσιν, καὶ παρὰ φύσιν, λεπτομερῶς ὡς οἶμαι κα-

τὰ

τὴν ἀπὸ τῆς ἑτέρων ἐξαγγελιῶν ἅπαντα διαγράφειν ἐπίγνωσιν. καὶ οὐ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ καὶ πῶς ὀφείλει ἕκαστος τῶν ταῦτα δεχομένων ἐξετάζειν καὶ ἐρευνᾶν, καὶ ὅπως πάλιν οἱ ἐπιτιμώμενοι ὀφείλουσι τὰς ἐξομολογήσεις πρὸς τῶν αὐτὰς ἀναδεχομένων ἀποδέχεσθαι. ἐν πρώτοις δὲ τέως τὰ εἴδη καὶ τὰς ποσότητας τῶν ἁμαρτημάτων ὑπογράψωμεν, ποῖά τέ εἰσι καὶ πόσα, καὶ εἴθ' οὕτως, τὰς διαφορὰς τῶν ἐλαττόνων, καὶ μέσων, καὶ μεγάλων, τοῖς πόθῳ δεχομένοις, διεξέλθωμεν. ἔστιν οὖν σαρκικὰ ἁμαρτήματα ἑπτὰ, οἱ δὲ καὶ ὀκτὼ ἐξελάβοντο, ἅτινά ἐστι, μαλακία, πορνεία, μοιχεία, ἀρσενοκοιτία, παιδοφθορεία, κτηνοβατία, καὶ ἡ πολυποίκιλος καὶ πολύτροπος καὶ πολυώνυμος καὶ δυσδιάκριτος, καὶ συγχυτικὴ αἱμομιξία. ἧς τινος ὀλίγοις λίαν, ὡς δεῖ, ὑπάρχει ἡ τελεία διάγνωσις. ἔτι δὲ καὶ ὁ τῶν χειρῶν ἑκούσιος καὶ ἀκούσιος φόνος.

quæ contra naturam, omnia ut opinor, juxta cognitionem quam ex aliis confeſſionum formulis deprompſimus. Nec hoc ſolùm præſtabimus, ſed etiam qua ratione confeſſorum unuſquiſque iſta inquirere, & ſcrutari debet; & iterum quomodo qui plectuntur debent pœnas in confeſſionibus à confeſſoribus impoſitas ſuſcipere. Antea autem & in primis peccatorum ſpecies & quantitates deſcribemus, quales ſunt & quotæ, & ſic poſtea differentias minorum, mediorum, & magnorum hæc deſiderantibus ediſſeremus. Sunt igitur peccata carnis ſeptem; nonnulli octo perhibent, hæc ſcilicet, Mollities, fornicatio, adulterium, maſculorum concubitus, puerorum corruptio, & varia, multiplex, multorumque nominum, & judicatu difficilis, & confuſionem inducens ſanguinis miſtio, cujus perfecta cognitio valde paucis, ut oportet contigit. His adjungitur voluntaria & involuntaria manu facta cædes.

Περὶ Μαλακίας.

Ἐν πρώτοις δὲ τίθεται παρ' ἡμῶν ἡ μαλακία ἡ δεινὴ καὶ πολυκρατητὴς, ἵν' εἴπω, καὶ παντοκράτωρ, δύο τρόπων ἕνεκα, ἐπειδὴ καὶ δύο τὰς διαφορὰς κέκτηται. διὰ τὸ ἐκ πρώτης ἡλικίας τοῖς ἀνθρώποις ἐπισυμβαίνειν, καὶ τὴν τῶν πολλῶν διὰ ταύτης φθείρεσθαι παρθενίαν, ὁ καὶ αὐτῶν τῶν δικαιωτάτων κατακρατεῖ. τὸ δὲ ἐλεεινότερον, παρὰ μικρὸν τοῖς πολλοῖς ἄγνωστον, διὰ τὸ καὶ ἕως γήρως, ἢ καὶ αὐτοῦ τοῦ θανάτου, οὐ τοῖς ἐν κόσμῳ μόνον. ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔξω τούτου πολλάκις ἐπισυμβαίνειν, ἔτι δὲ εἶπον διαφορὰς δύο, ἰδοὺ καὶ διακρίνω. τὴν γὰρ μίαν ἥγουν τὴν διὰ τῆς μιᾶς χειρὸς ἐπισυμβαίνουσαν, ἅπαντες οἴδαμεν, ὅτι καὶ μάλιστα ὑπὸ τῆς θείας καὶ ἀνθρωπίνης γνώσεως. ἢ καὶ ἀπὸ τῆς πείρας ταύτης. ἢ καὶ ἐκ τῶν ἐξαγγελιῶν μεμαθήκαμεν· τὴν δὲ δευτέραν ὀλίγοι λίαν ἐπίστανται. ἔστι γὰρ αὕτη, ὡς παρὰ τῶν ταύτης ἐργατῶν μαθεῖν ὁ ἁμαρτωλὸς ἠδυνήθην. βδελυσσόμεθα γὰρ τὴν ταύτης μυσαρὰν ἐργασίαν· τοὺς αὐτῆς ὑπουργοῦντας δούλους, ἢ ἐλευθέρους προσκαλούμενοι ἐν ταῖς τούτων χερσὶ, διὰ τοῦ παρ' ἐκείνων ἐλεεινοῦ μαλαγμοῦ τὰς ἐκρύσεις ποιοῦνται· περὶ ὧν ὡς οἶμαι ἡ θεία κλίμαξ ὀδυνηρῶς ἀποδύρεται λέγουσα, ὅτι ἐλεεινὸς ὁ πίπτων, ἐλεεινότερος δὲ ὁ καὶ ἑτέροις τοῦτο προξενῶν. τὸ γὰρ δύο πτωμάτων καὶ τῆς ἑτέρου ἡδονῆς τὸ βάρος αὐτὸς ἐπισύρεται. καὶ ὁ μὲν διδάξας εἰς συναίσθησιν ἐλθὼν τοῦ κακοῦ ἴσως ἐπαύσατο, διὰ δὲ τῆς τοῦ μαθητοῦ ἐργασίας, ἀνίσχυρος ἡ τούτου μετάνοια γίνεται. ταῦτα δὲ οὐ περὶ ἑτέρου, ἀλλὰ περὶ τῆς μαλακίας, ὡς ἔφην, τῆς καὶ μαλθακίας λέγεσθαι πεφυκυίας, καὶ ταῦτα μὲν περὶ τούτων συμπεριέλαβε γὰρ ἡ ἀκάθαρτος μαλακία τὴν πονηρὰν αὐτῆς μαλθακίαν, εἰ καὶ ἀνώνυμος τέθειται παρ' ἡμῶν ἐν ταῖς ἑπτὰ τῆς κακίας μεταβολαῖς.

De mollitie.

Primùm à nobis poſita eſt mollities horrenda, multis dominans, atque ut ita dicam, omnibus dominans, duorum modorum cauſa, cum duas differentias contineat, eo quod à prima ætate multis hominibus accidat, & multorum per eam virginitas corrumpatur, atque etiam iis dominetur qui cæteris excellere judicantur. Et quod miſerabilius eſt, parum abeſt quin multis ſit peccatum incognitum, eo quod non ſolùm iis qui in ſeculo ſunt, ſed etiam qui extra, ſæpius uſque ad ſenectutem, aut ipſam mortem accidat Quod autem dixi duas habere differentias, nunc diſtinguo, & explico: Unam enim ſcilicet, quæ per ſulam manum contingit, omnes ſcimus, maximè quia eam à cognitione divina & humana edocti ſumus, vel ab ipſa illius experientia, vel ab ipſis confeſſionibus; ſed ſecundam valde pauci cognoverunt. Eſt enim ea, cum aliqui alios provocantes ſervos vel liberos, eorum manibus iſtius miſerandæ mollitiei fluxus eient, ut ego peccator ab illius operariis diſcere potui. Execramus enim ſceleſtam iſtam actionem. Hos, ut opinor, divina ſcala dolenter deplorat, dicens, miſerabilis qui cadit, miſerabilior qui hoc aliis procurat. Duorum enim caſuum, & voluptatis qua alter afficitur, pondus ipſe attrahit. Nam qui docuit una cum diſcipulo ſenſus mali particeps fuit, forſan verò poſtea deſtitit, ſed propter diſcipuli actionem debilis eſt ipſius Pœnitentia. Iſta ſunt, ut dixi, non quæ de alterius vitio, ſed quæ de mollitie, & de ea quæ alterius opera fit, dici conſueverunt. Et hæc quidem de his dicta ſunto. Complectitur enim impura mollities eam quæ fit per alterius contrectationem, quanquam ſine nomine inter ſeptem malitiæ carnalis varietates à nobis recenſita fuerit.

Περὶ πορνείας.

Ἡ δὲ πορνεία, τρεῖς ἔχει τὰς διαφορὰς, τουτέστι τὸ εἰς χήραν. τὸ εἰς δούλην, τὸ εἰς πόρνην περιπεσεῖν· πόρνην δὲ ἐκείνην καλοῦμεν, οὐ τὴν ἅπαξ περιπεσοῦσαν, ἢ δὶς, ἢ τρὶς, ἢ τὴν εἰς ἕνα καὶ δύο περιπεσοῦσαν, ἢ ἐκ συμβάσεως, ἢ ὑπὸ πλάνης πλανηθεῖσαν, ἀλλὰ τὴν ἐξ ἐπιτηδεύσεως, καὶ ἐξ ἔθους εἰς πολλοὺς περιπεσοῦσαν.

De Fornicatione.

Fornicationis tres ſunt differentiæ, in viduam, in ſervam, & in meretricem incidere. Meretricem illam vocamus, non quæ ſemel, bis, vel ter cecidit, nec quæ cum uno, vel duobus cecidit, nec quę ex compacto, aut errore aliquo ſeducta eſt, ſed quæ ex propoſito & conſuetudine multis ſeſe proſtituit.

Περὶ μοιχείας.

Μοιχείαν δὲ ἐκείνην λέγομεν τὴν πίπτουσαν εἰς ὑπογύναιον ἄνδρα. ἢ τὸν εἰς ὕπανδρον πίπτοντα γυναῖκα, ὁμοίως καὶ τὴν μεγαλόσχημον μονάστριαν, καὶ τὸν μοναχὸν. ἀμφότεροι ὅταν ἐὰν ἐμπέσωσι μοιχείαν εἶναι. καὶ μοιχείας λαμβάνειν ἐπιτίμιον· ὁ τρισκαιδέκατος ἀπόστολος, καὶ μέγας Βασίλειος διακελεύεται, μᾶλλον δὲ ὁ ἐν πᾶσι καὶ ἐν αὐτοῖς λαλήσας, καὶ ἕως νῦν λαλῶν· Θεός.

De Adulterio.

Adulterium illud vocamus, cum mulier ſubcidit viro uxorem habenti, vel vir incidit in mulierem virum habentem. Eadem ratio de magni habitus Monacha, & Monacho. Utrique cum ceciderint, adulterium committunt, & adulterii pœnis obnoxii ſunt. Tertius decimus Apoſtolus, & magnus Baſilius hoc jubet, magis verò qui in omnibus, & in ipſo locutus eſt, & qui huc uſque loquitur Deus.

Περὶ ἀρσενοκοιτίας.

Ἡ ἀρσενοκοιτία τρεῖς ἔχει τὰς διαφοράς. ἄλλο γὰρ τὸ παθεῖν παρ' ἑτέρου, τὸ καὶ κουφότερον, ἢ διὰ τὴν ἀτελεστέραν ἡλικίαν, ἢ διὰ πτωχείαν, ἢ διὰ βίαν, ἢ πολλὰς τὰς διαφοράς. ἕτερον δὲ τὸ ποιῆσαι, ὃ καὶ βαρύτερον τοῦ παθεῖν. τὸ δὲ παρ' ἄλλου παθεῖν, καὶ ποιῆσαι εἰς ἕτερον, πάσης ἂν εἴη ἀπολογίας ἀλλότριον.

De maſculorum concubitu.

Maſculorum concubitus tres ſunt differentiæ, Aliud enim ab alio pati, quod levius eſt, vel propter ætatis defectum, vel paupertatem, vel violentiam, vel multas alias cauſas. Aliud verò agere, quod gravius eſt quàm pati. Ab alio autem pati, & in alium agere nullam excuſationem patitur.

Περὶ παιδοφθορείας.

Τῆς δὲ παιδοφθορείας τὸ ἔγκλημα ἐκεῖνό ἐστι καὶ λέγεται, τὸ κόρην παρθένον νεᾶνιν πρὸ τῆς ἥβης, ἤγουν πρὸ τῶν δώδεκα χρόνων διαφθαρῆναι.

De Puellarum ſtupratione.

Puellarum ſtuprationis peccatum hoc eſt, & dicitur, puellam virginem juvenculam ante pubertatem, hoc eſt, duodecim annos corrumpere.

De Ir-

De Irrationali congreſſu.

Jumentorum concubitus, vel volatilium, videlicet avium corruptionis ſpecies nnicam differentiam habere videtur, ſed in duas à me diviſa eſt. Indignns enim ego confeſſiones excepi nnnnullorum, etiam Monachorum & Abbatum qui in irrationales maſculos irruperant.

De ſanguinis commixtione, ſive inceſtu.

Jnceſtus, ut dictum eſt, multifarius eſt, ſexcentaſque perſonas amplectitur, neque quantus qualiſque eſt, à multis, licet ſcripto, cogitari, vel diſcerni, aut etiam dinumerari poteſt. Aliud enim eſt in duas ſnrnres, aliud in propriam ſororem ex Patre, vel ex matre, & aliud in utraqne incidere. Novercæ commiſceri ſimile eſt commixtioni cum ſnrnre ex Patre, ſed non eum ſorore prima quæ ex utroque nata eſt Parente; Aliud eſt præterea in ſecundam ſororem, alind in ſponſam fratris; Aliud in eam quæ utrique privigna eſt, aliud in propriam filiam; & quod miſerabilius eſt, in propriam matrem, in quod ſcelus neminem Dens incidere patiatur. Nos enim miſeri cognovimus, & audivimus, magis verò confeſſione accepimus, horrendum inceſtum, tres nempe fratres ex utroque parente ſe invicem fornicatos. Medius autem enarravit qua ratione à primo paſſus fuerat, & in tertium egerat. Inceſti ſcelus ut dixi, verbis exprimi nequit. Eſt præterea muliebris maſculorum concubitus in quem viri tenebris miſerabiliter offuſi, purum derelinquentes panem, obcœcati ſeculentum comedunt, muliebrem ſcilicet naturam deferentes in miſerarum mulierum, & invitarum poſteriora fornicantur, qui multò majores pœnas iis ſubibunt qui in viros furunt, & ideo hinc pœnis obnnxii, & illinc immiſericorditer, niſi ſincerè & genuinè reſipiſcant, præ nmnibus punientur.

De cæde voluntaria, & involuntaria.

Scelus voluntariæ cædis videtur omnium minimè veniam mereri: atque ita eſt: non eſt tamen irremiſſibile. Verùm cædes involuntaria, nt facilè excuſabilis, omni venia digna eſt.

De inceſtis, & eorum Pęnitentiis.

Spiritualis inceſtus in duas ſpecies dividitnr, In eam qua quis in baptiſmo filiam ſuſcepit, & in illam ipſam quæ commater eſt ſive ſuſceptrix, quod inceſto carnali longè miſerabilius eſt, & maximè ſi non ſemel, ſed cum habitu factum fuerit. Peccatum cum ſuſceptrice commiſſum quidam dicunt octo anuorum habere Pœnitentiam, cum ſpirituali verò filia triginta annornm, non ſecus ac cum matre propria. Si verò hæc horrenda ſcelera abuſivè perpetrantur, non ſemel, bis, aut ter, ſed tamen deſtiterunt, uſque ad mortem conſtitutum eſt eos nou communicare. Cædi voluntariæ viginti anni Pœnitentiæ tribuuntur, involuntariæ decem: ſed inceſtns multiplici opus habet experientia. Scelus cum ſorore ex patre, vel ex matre, annis duodecim, ut cum Noverca. Cum ſorore verò ex utroque parente octodecim, ut cum Presbyteriſſa, ſive nxore Presbyteri, vel Diaconi qui in gradu eſt. Quod enim cum uxore Lectnris patratur, & quod cum ſponſa filii, ſimile eſt ei qnod cum Nnverca. Quod cum uxore fratris decem. Cætera verò fornicationis crimen continent. Hæ antem pœnæ imponnntur, ſi ſnpra deſcriptarum mulierum mariti nnn vivunt. Nam ſi vivunt, & has pœnas, & inſuper quæ adulteris imponuntur ſuſcipiunt, ita ut uſque ad annos viginti & amplius deprehenſis extendantur. Jumentorum autem, & volatilinm initus quindecem annorum Pœnitentiam habet; qualecunqne ſit jumentum interdictum. Nihil à canonibus definitum eſt de ſcelere cum maſculis irrationalibus quaſi virorum & mulierum nemo in hanc ſpeciem incideret. Maſculorum concubitui, ut & irrationalium initui quindecim anni definiti ſunt, non ſecns ac in adulterio deprehenſis. Furori verò eorum qui mulieribus, ut maſculis utuntur, anni triginta, ut cum commatre: In alium verò his amplius; alia enim duo his ſunt æqualia. Impuberum corrnptioni, & inceſto cum ſornre nnius perſonæ, hoc eſt, ex patre, vel ex matre, æqualis pœna definita eſt, hoc eſt, anni duodecim, ut & cum Noverca. Adulterio autem ſive maritatæ anni quindecim ſimiliter & Monachis, & Monachabns magni habitns: Viri enim & mnlieres qui parvum habitum geſtant, nt ſcorta habentur, hoc eſt, crimen ab iis, aut cnm iis commiſſum annis ſeptem punitur. Iſta non ego, abſit, neque eorum qui meo tempore vixerunt aliqnis, ſed ſancti Apoſtoli, & magnus Baſilius omnia definierunt, & canonibus ſtabilierunt. De impiæ & impnræ mollitiei vitio nihil definierunt ſancti Apoſtoli, neque aliquid aliud de eo dixerunt, ſed ut quid perſonale habuerunt, eo quod multis, aut etiam omni-

Περὶ κτηνοβατίας.

Τὸ δὲ τῆς κτηνοβατίας, ἢ τῆς πτηνοβατίας, ἤγουν ὀρνεοφθορίας εἶδος, μίαν καὶ μόνην ἔχειν τὴν διαφορὰν φαίνεται, ἐμοὶ δὲ καὶ εἰς δύο διαμεμέρισται, ἐδεξάμην δὲ ὁ ἀνάξιος ἐγὼ ἐξαγορεύσεις, καὶ ἐπὶ ἀρρενικῶν κτηνῶν τινας παραπεσόντας, καὶ ἕως αὐτῶν τῶν μοναχῶν, ἢ καὶ ἡγουμένων.

Περὶ αἱμομιξίας.

Τὸ δὲ τῆς αἱμομιξίας, ὡς εἴρηται, πολύτροπον, καὶ μυριοπρόσωπον εἶδος, ὅτε ἐννοηθῆναι ἢ συγκριθῆναι παρὰ τοῖς πολλοῖς, ἢ κἂν ἐγγράφως ὅσον καὶ οἷον ὑπάρχει, ἀδύνατον συγκαταριθμηθῆναι. ἕτερον γὰρ τὸ εἰς δύο ἀδελφὰς, καὶ ἕτερον τὸ εἰς ἀδελφὴν ἰδίαν ἐκ πατρὸς, ἢ ἐκ μητρὸς, καὶ ἕτερον τὸ εἰς κατ' ἀμφότερα πεσεῖν. τὸ γὰρ εἰς μητρυιὰν ὅμοιον τὸ εἰς ἀδελφὴν ἐκ πατρὸς συμμιχθῆναι ἐστι καὶ οὐκ εἰς τὴν ἀμφοτέρωθεν ἀδελφὴν πρώτην, καὶ ἄλλο τὸ εἰς νύμφην ἀδελφοῦ. καὶ εἰς ἀλληλοπρογόνην, καὶ ἄλλο τὸ εἰς ἰδίαν θυγατέρα, τὸ δὲ ἐλεεινότερον καὶ εἰς ἰδίαν μητέρα, ὅπερ ὁ Κύριος μὴ συγχωρήσειε τινα παθεῖν. ἔγνωμεν γὰρ ἡμεῖς οἱ ἄθλιοι καὶ ἠκούσαμεν μᾶλλον δὲ ἀνεδεξάμεθα αἱμομιξίαν δεινὴν, τρεῖς ἀδελφοὺς ὁμοπατρίους, καὶ ὁμομητρίους ἀλλήλους πεπορνευκότας, ὁ δὲ μέσος μοι ταῦτα ἐξηγήσατο ὡς παρὰ τοῦ πρώτου παθὼν, καὶ τῷ τρίτῳ ποιήσας, καὶ ὡς εἶπον ἄλεκτον ἐστὶ τὸ πάθος τῆς αἱμομιξίας. ἔτι δὲ καὶ γυναικεία ἀρσενοκοιτία, ὡς ὅταν οἱ ἄνδρες ἐλεεινῶς σκοτισμένοι, τὸν καθαρὸν καταλιπόντες ἄρτον, τὸν σκυβαλώδη τυφλώττοντες ἐσθίουσι, ἤγουν τὴν γυναικείαν ἀφέντες φύσιν, ἐπὶ τὰ ἀφεδρῶνα τὰς ἀθλίας καὶ μὴ βουλομένας γυναῖκας πορνεύουσιν, οἳ πολλῷ μείζω τῶν ἀνδρομανῶν ἀρσενοκοιτῶν ὑποστήσονται. καὶ ἔνθεν ἐπὶ τῇ ἐπιτιμήσει, καὶ ἐκεῖθεν ἀνηλεῶς, ἐὰν μὴ γνησίως μετανοήσωσι, τὴν κόλασιν ἕξουσιν ὑπὲρ πάντων.

Περὶ ἑκουσίου φόνου, καὶ ἀκουσίου.

Τὸ τοῦ ἑκουσίου φόνου δοκεῖ μὲν πάντων ἀσυγγνωστότερον εἶναι ὡς καὶ ἔστιν, ὅμως οὐδὲ τοῦτο ἀσυγχώρητον. τὸ δὲ τοῦ ἀκουσίου συγγνώμης πάσης ἄξιον, ὡς καὶ εὐαπολόγητον.

Περὶ αἱμομιξίας, καὶ τῶν αὐτῆς ἐπιτιμίων.

Ἔστι δὲ καὶ ἡ πνευματικὴ αἱμομιξία εἰς δύο διῃρημένη· εἰς ἣν τις ἐδέξατο θυγατέρα, καὶ εἰς αὐτὴν ἐκείνην ἰδίαν συντέκνισσαν. ὃ πολὺ τοῦ σαρκικοῦ ἐλεεινότερον, καὶ τὰ μάλιστα, εἰ οὐχ ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ ἐν ἕξει γένηται. καὶ τὴν μὲν τῆς συντέκνου ἁμαρτίαν, ὀκτὼ, τὴν δὲ τῆς πνευματικῆς θυγατρὸς, ἕως τῶν τριάκοντα χρόνων φασί τινες ἔχειν τὴν ἐπιτίμησιν, ὡς καὶ τὸ εἰς ἰδίαν μητέρα ὁμοίως. εἰ δὲ καταχρηστικῶς τὰ τοιαῦτα γεγόνασι μύση, καὶ οὐχ ἅπαξ, ἢ δὶς, ἢ τρὶς, καὶ ἐξεκόπησαν, καὶ ἕως τέλους, ἤγουν τοῦ θανάτου τέθειται μὴ κοινωνεῖν. τὸ δὲ τοῦ φόνου τοῦ ἑκουσίου εἴκοσι ἔτη, τὸ δὲ τοῦ ἀκουσίου δέκα, τὸ δὲ τῆς αἱμομιξίας, ὡς πολύτροπον, καὶ πολύπειρον τὸ μὲν τῆς ἀδελφῆς ἐκ πατρὸς ἢ ἐκ μητρὸς δωδέκατον, ὡς τῆς μητρυιᾶς. τὸ δὲ ἐκ πατρὸς καὶ μητρὸς ὀκτωκαιδέκατον, ὡς καὶ ἐπὶ τῆς πρεσβυτερίσσης, ἤτις τοῦ ἐμβαθμοῦ διακόνου. τὸ γὰρ τῆς τοῦ ἀναγνώστου, τὸ δὲ εἰς υἱοῦ νύμφην, ὁμοίως τῆς μητρυιᾶς. τὸ δὲ εἰς ἀδελφοῦ δέκατον. τὸ δὲ εἰς τὰ λοιπὰ, πορνείας ἔγκλημα περιέχει. ταῦτα δὲ ἐὰν οὐκ ἔχωσιν αἱ προγεγραμμέναι ζῶντας τοὺς συνεύνους αὐτῶν, εἰ δὲ ζῶσι, καὶ ταῦτα, καὶ τὰ τῆς μοιχείας ἀναλαμβάνειν, ὥστε καὶ ἕως εἴκοσι καὶ πλεῖον φθάνειν ἔτη ἁλόντας. τὸ δὲ τῆς κτηνοβατίας ἢ τῆς πτηνοβατίας δεκαπέντε ἔχει τὴν ἐπιτίμησιν, οἷον λάχῃ τὸ ἀπηγορευμένον κτῆνος. τὸ δὲ εἰς ἀρρενικὰ, οὐ κεκανόνισταί τι περὶ αὐτῶν, ὡς οὐδένα τῶν εἰς ἰδιότητα πεπτωκότων ἀνδρῶν ἢ θηλειῶν. τὸ δὲ τῆς ἀρσενοκοιτίας, ὁμοίως τῆς κτηνοβατίας ὥρισται δεκαπέντε ἔτη, ὡς καὶ τοῖς ἐπὶ μοιχείᾳ ἁλοῦσι. τὸ δὲ τῆς γυναικείας ἀρρενομανίας, ἕως τῶν τριάκοντα χρόνων, ὡς καὶ τῆς συντέκνου, εἰς ἕτερον δὲ πλείω τούτων. τὰ γὰρ ἕτερα δύο, καὶ ἴσα τούτοις. τὸ δὲ τῆς παιδοφθορίας ἴσα τὸ εἰς μονοπρόσωπον πεσεῖν ἀδελφὴν ἐκ πατρὸς ἢ ἐκ μητρὸς ὥρισται, τουτέστιν εἰς ἔτη ιβ΄, ὡς καὶ τῆς μητρυιᾶς. τὸ δὲ τῆς μοιχείας, ἤγουν τῆς ὑπάνδρου, ἔτη ιε΄. ὁμοίως καὶ τῶν μεγαλοσχήμων μοναχῶν καὶ τῶν μοναστριῶν, τῶν γὰρ μικροσχήμων ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν, ὡς πορνεία λέγεται, τουτέστιν ἐν ἑπτὰ ἔτεσι. ταῦτα δὲ οὐκ ἐγὼ, μὴ γένοιτο, οὐδὲ τῶν κατ' ἐμέ τις. ἀλλ' οἱ ἅγιοι Ἀπόστολοι καὶ ὁ μέγας ὁ Βασίλειος, καὶ διωρίσαντο, καὶ ἐκανόνισαν ἅπαντας. τὸ δὴ τῆς ἀθέσμου καὶ βδελυρᾶς μαλακίας οἱ μὲν ἅγιοι ἀπόστολοι οὐδὲν ὡρίσαντο, οὐδ' ἄλλο τι, ἀλλ' ὡς πρόσωπον διὰ τὸ πολλοὺς, ἢ καὶ πάντας κρατεῖν

καὶ αὐτῶν τῶν μεγάλων. οἱ δὲ ἅγιοι πατέρες, ὥσπερ κολλύριον ὀφθαλμιῶντι τεσσαράκοντα καὶ μόνον ἡμέρας ὡρίσαντο. αὐτοὶ γὰρ καὶ οἱ μετ' αὐτοὺς, καὶ περὶ πάντων τῶν κατὰ φύσιν ἁμαρτημάτων, καὶ ἐν ἑνὶ καὶ δυσὶν, ἢ καὶ τρισὶν ἔτεσιν, ἢ καὶ ἐλάττω τὰς ἐπιτιμήσεις τῶν ταῦτα ἐξομολογουμένων ἐξέθεντο καλῶς, καὶ ὁσίως, τοῦ ἁγίου πνεύματος, δι' αὐτῶν περὶ τὴν καινὴν γενεὰν οἰκονομήσαντος πρὸς τὸ συμφέρον. εἰ γὰρ μὴ τοῦτο γέγονεν, ὀλίγοι καὶ ἀριθμητοὶ λίαν τῇ μετανοίᾳ προσέτρεχον. ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα ἁμαρτία, ἥτις μείζων ἐστὶ μαλακίας, ἐλάττω δὲ ἀρρενοκοιτίας, ἥτις ὑπὸ δύο ἀνδρῶν ἀντὶ θηλείας ἐν τοῖς μηροῖς, ἢ καὶ παρ' αὐτῶν τῶν θηλειῶν ἄνευ ἀνδρὸς ἐλεεινῶς ἀποπληροῦσθαι πέφυκεν, ἥτις καὶ δώδεκα ἔτη ἔχει τὴν ἐπιτίμησιν. καὶ ταῦτα μὲν πρὸς ὀλίγους τὰ ἔγγραφα καὶ ἄγραφα τῶν ἁμαρτημάτων εἴδη, καὶ τὰς ποινὰς, καὶ κεκανονισμένας, ἡ ἡμῶν ἀνεγράψατο λεπτομερῶς ἀθλιότης. ἃ δὲ μετὰ τοῦ παντόλμου εἰς ἄπειρα πλήθη κοσμικῶν τε καὶ μοναχῶν, γυναικῶν τε, καὶ μοναζουσῶν, καὶ λαϊκῶν, πτωχῶν τε καὶ πλουσίων, ἀρχόντων τε καὶ ἀσθενῶν. καὶ τῶν εἰς αὐτὸν τὸν θάνατον μετανοούντων, ᾠκονόμηται καὶ ὥρισται καὶ ἐπιτετίμηται, εἰσὶ ταῦτα.

Εἴ τις ἥμαρτε μὲν κατὰ φύσιν, ἐχρόνισε δὲ χρόνους πλείστους ἐν τῇ κατὰ φύσιν ἁμαρτίᾳ, εἴτε καὶ ἕως αὐτοῦ τοῦ γήρως, καὶ μάλιστα εἰ ἔτυχε καὶ γυναῖκα ἔχειν, τρισὶν ἐπιτετίμηται, ἤγουν τῆς κοινωνίας κεχώρισται· ὁμοίως καὶ ὁ μὴ ἔχων, εἰ οὕτως ἕως γήρως συνεφέρετο μὴ ἀνανεύσας· ὁμοίως καὶ οἱ παρὰ φύσιν πεσόντες, τουτέστιν εἰς κτῆνος, ἢ καὶ εἰς ἄνδρα, ἢ καὶ ποιήσαντες, καὶ παθόντες, τάχιον δὲ ἀποκόψαντες, καὶ οἱ εἰς αἱμομιξίαν πεσόντες, τουτέστιν εἰς ἰδίας ἀδελφὰς μονοπροσώπως, ἢ μητρυιὰς, ἢ ἀδελφῶν γυναῖκας, ἢ ἐξαδέλφων πρώτων, ἢ τῶν τοιούτων. τὸ δὲ εἰς θυγατέρα, ἢ εἰς δύο ἀδελφὰς, ἢ εἰς δύο ἀδελφοὺς, ἢ εἰς ἀδελφὴν ἀμφοτέρωθεν περιπεσεῖν, ἢ εἰς θυγατέρας, ἄνδρα, καὶ εἰς τέσσαρα ἔτη, καὶ τὰ μάλιστα, εἰ ἐπέκοψαν τάχιστα, εἰ μὴ ἔχουσι δὲ καὶ ἄλλας τινὰς ἁμαρτίας, ἤγουν πορνείαν ἐκτὸς μοιχείας. τὸ δὲ εἰς ἰδίαν θυγατέρα πεσεῖν, ἢ μητέρα, καὶ πέντε, καὶ ἕξ, καὶ ἑπτὰ, καὶ ἕως δώδεκα. ὁμοίως καὶ εἰς αὐτὴν τὴν συντεκνον, ἢ καὶ εἰς τὸ παιδίον, ὃ ἐδέξατο, καὶ ἕως τῶν ὀκτὼ ἢ καὶ δέκα. ὁμοίως καὶ εἰς ἴδιον ἀδελφὸν, ὁπότε ἀρρενοκοιτήσας πέσοι, καὶ τὰ μάλιστα καὶ μαθὼν παρὰ τοῦ πρώτου τῷ τρίτῳ ποιήσας. ὡς ἀνωτέρω γέγραπται, ὅτι τοιαῦτα ἀπεδεξάμεθα, ὁμοίως καὶ ὁ πρῶτος ποιήσας τῷ δευτέρῳ, ὡς διδάσκαλος καὶ αἴτιος τοῦ κακοῦ. ὁ δὲ παθὼν τρίτος, εἰ μόνος πάθοι, μὴ ποιήσας δὲ ἐλάττω. ὁμοίως, καὶ ὁ εἰς κτῆνος ἀρρενικὸν πεσὼν, καὶ μάλιστα εἰ ἔτυχεν ἔχειν γυναῖκα, ἢ μοναχὸς εἶναι, ἢ μεγαλόσχημος, ἢ καὶ διαφόρως ταῦτα φωραθῇ ὅ, τι ποιήσας. ὁμοίως καὶ ὁ εἰς γυναῖκα, καὶ τὸ δεινὸν, εἰ οὐχ ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ πολλάκις ποιήσας φανείη. οἱ δὲ εἰς κτῆνος ἢ εἰς ἄνδρα πεσόντες ἅπαξ, ἢ δὶς καὶ τρὶς, καὶ οὐ περαιτέρω, καὶ εἰς διετίαν ᾠκονομήθησαν παρ' ἐμοὶ, καὶ μάλιστα εἰ ἀγνοοῦντες ἦσαν, ἤγουν ἀγράμματοι ἢ γυναῖκας μὴ ἔχοντες, ἢ ἔσωθεν τῶν τριακοντα χρόνων τῆς αὐτῶν ἡλικίας, ἢ καὶ ἄλλην τινὰ ἁμαρτίαν τῆς οἰκονομίας πεποιήκασιν· οἱ δὲ ταῦτα ἅπαξ ἔρξαι ποιήσαντες, ἢ δὶς καὶ τρὶς, καὶ ἔξω ὄντες τῶν τριακοντα χρόνων, καὶ εἰς ἄλλα δὲ πάθη φυσικὰ ἑάλωσαν, καὶ εἰς τρεῖς χρόνους ἐπιτετίμηνται· ὁμοίως πᾶσα ἁμαρτία ἡ ἔσωθεν τῶν τριακοντα χρόνων γενομένη, πάσης συμπαθείας ἀξία ἐστὶ, καὶ τῶν λίαν μεγάλων ὑπάρχῃ.

Ὅμως ὁ δεχόμενος τὰς ἐξομολογήσεις, ὀφείλει ὁρᾶν, καὶ νεότητα, καὶ γῆρας, καὶ δύναμιν, καὶ ἀδυναμίαν, καὶ τόπου διαφορὰν, καὶ τρόπον, δι' οὗ τὸ κακὸν γίνεται, καὶ εἰ ἑκουσίως ὡμίλησεν, ἢ τὸ ἕτερον πρόσωπον, καὶ εἰ ἐκ μελέτης, ἢ ἐκ συμβάσεως γέγονε, καὶ εἰ ἀπὸ οἴνου, ἢ κόρου, ἢ οὐχ οὕτως, ἢ καὶ κατὰ πρόσταξιν καὶ φόβον, καὶ ἢ κατ' ἐξουσίαν, ἢ διὰ πτωχείαν, ἢ ὅσα τούτοις ὅμοια. ἀνακρίνειν ὀφείλει ὁ ἀναδεχόμενος, καὶ τὸν ἄνθρωπον δὲ καὶ τὴν ὥραν, καὶ τὸν τόπον καὶ τὴν ἄνεσιν, καὶ οὕτως ἐπιτιμᾷν. ὁμοίως, καὶ τὸν συντετριμμένον, καὶ τὴν αἰσχύνην, καὶ τὴν κατήφειαν, καὶ τὸν ἔμφοβον, καὶ τὸ πιστόν· ὁμοίως καὶ τὸ καταφρονητικὸν, καὶ ἀναιδὲς, καὶ τὸ ἀταπείνωτον. ταῦτα δὲ ἐρευνᾷν ὀφείλει ὁ ἀναδεχόμενος τὸν μετανοοῦντα, καὶ οὕτως ἐπιτιμᾷν. εἰσὶ γὰρ ψυχαὶ δυνάμεναι διὰ ἠθῶν χρηστῶν, τὰ μεγάλα αὐτῶν καὶ πάμπολλα κακὰ, ἥττονα ποιῆσαι, καὶ ἕτεραι τὰ μικρὰ μείζονα ἐργάσασθαι, διὰ τὸ ἀναιδὲς καὶ καταφρονητικὸν, καὶ ἀταπείνωτον, ἐπὶ τίνα γὰρ ἐπιβλέψω, φησὶν ὁ Κύριος, ἀλλ'

bus, & ipſius viris magnis dominetur. Sancti verò Patres ſolùm quadraginta dies, ut collyrium oculis laboranti defiuierunt: ipſi enim, & qui eos ſecuti ſunt omnibus peccata ſecundum naturam confitentibus Pœnitentias unius anni, duorum, aut trium, vel etiam unius impoſuerunt rectè & ſanctè ſpiritu ſancto per eos ſeculum præſens ad uniuſcujuſque utilitatem regente & moderante: Hoc enim ſi factum non fuiſſet, pauci admodum, & facilè numerandi ad Pœnitentiam confugiſſent. Eſt præterea peccatum aliud quod mollitie quidem gravius eſt, ſed maſculorum concubitu levius, cum ſcilicet viri duo intra femora, quod etiam ab ipſis fœminis ſine viro perpetrari conſuevit. Duodecim annorum Pœnitentia illi tributa eſt. Hæc ſunt quæ de peccatorum ſpeciebus ſcriptis & non ſcriptis, deque pœnis quas eis canones inflixerunt paucis & ſigillatim particulatimque deſcripſit infelicitas mea: Quæ verò à me audaciſſimo in imperitam multitudinem ſecularium & Monachorum; mulierum & Monacharum, laicorum, pauperum & divitum, Principum & infirmorum, & eorum qui in ipſa morte Pœnitentiam agunt, œconomicè facta, definita, & animadverſa fuerunt, ſunt ejuſmodi.

Si quis ſecundùm naturam peccavit, & in hoc peccato multis annis perſeveravit, atque etiam ad ſenectam uſque, præſertim ſi matrimonio junctus eſt, trium annorum Pœnitentia damnatur, id eſt, à communione ſeparatur: Eodem modo, & qui uxorem habet, ſi continuò ad ſenectutem uſque nihil renuens huic vitio ſeſe tradidit. Pariter qui in vitium contra naturam inciderunt, hoc eſt, vel in jumentum, vel in virum, licet hoc operati, & paſſi ſtatim deſtiterint: Ii etiam qui inceſto ceciderunt, hoc eſt, in proprias ſorores ex uno Parente, vel Novercas, vel fratrum uxores, vel patruelium primorum, & omnium ejuſmodi. Qui verò in filiam, vel in duas ſorores, vel in duos fratres, vel in ſororem ex utroque Parente inciderint, vel in filias, virum, * etiam in quatuor annos diffundetur Pænitentia, præſertim ſi poſt patratum ſcelus abſtinuerunt, aliiſque peccatis, veluti fornicatione ſine adulterio inſorduerunt. In quinque verò, ſex, ſeptem, uſque ad duodecim, ſi in propriam filiam aut matrem incidit. Similiter ſi in commatrem, vel in filiam ſpiritalem quam è ſacro fonte ſuſcepit, ejus pœnitentia ad annum octavum aut etiam decimum prorogabitur. Eadem ratio de germano fratre, ſi quis maſculis incubuit, maximè ſi cum didiciſſet à primo in tertium egit, ut ſupra nos accepiſſe ſcriptum eſt. Pariter primus qui in ſecundum egit, ut Doctor & cauſa mali; Tertius vero qui paſſus eſt, ſi ſolùm paſſus nihil egit, minus plectitur. Similiter quoque qui in jumentum marem incidit, præſertim ſi uxorem habuerit, vel Monachus fuerit, vel magnum habitum geſtaverit, vel deprehenſus quod varie iſta perpetraverit. Similiter qui in mulierem, quod horrendum eſt, non ſemel ſed ſæpius egiſſe probatus fuerit. Qui verò in jumentum vel virum inciderint ſemel, bis, terve, non ultra, iis duo anni Pœnitentiæ à me definiti ſunt, maximè ſi ignorantes ſunt, & analphabeti, vel & uxoribus careant, vel intra trigeſimum ætatis annum, vel aliud quodcunque peccatum commiſerint. Qui verò anno trigeſimo præterito ſemel, vel bis, vel ter illa fecerint, & in alia naturalia vitia deprehenſi fuerint, tribus Pœnitentiæ annis puniti ſunt. Par quoque ratio omnis peccati, quod intra trigeſimum annum factum fuerit; licet è maximis ſit, clementia tamen & humanitate dignum eſt.

Debet tamen Confeſſor inſpicere & conſiderare juventutem, & ſenectutem, vires & impotentiam, loci differentiam, & modum per quem malum perpetratum eſt: ſi ſponte impulſus illud fecit, aut alio inſtigante; ſi meditatè, aut ex condicto, ſi ex vino, aut ſatietate, vel alio modo; aut alterius juſſu & timore, aut ex autoritate, vel paupertate hæc, & quæcumque his ſimilia ſunt, interrogare & diſcernere debet Confeſſor, & hominem, & horam, & locum, & violentiam, & intermiſſionem, & ſic pænas imponere. Similiter & contritionem & pudorem, & animi demiſſionem & mœrorem, & formidinem, & fiduciã, nec non etiam contemptum, & impudentiam & ſuperbiã. Hęc à Pęnitente inquirere debet Confeſſor, poſtea pœnis afficere eum. Sunt enim nonnullæ animæ quæ per bonos mores poſſunt magna & plura ipſorum mala reddere minora: aliæ quæ parva efficere majora propter impudentiam, deſpectum, & ſuperbiam; ad quem enim reſpiciam dicit Dominus, niſi ad manſuetum & quietum, &c.

Illis

Illis enim qui ſecundum naturam peccant, & non ſæpe, utpotè citò abſtinentes poſt annum à me parcitur. Si autem contingit eos naturę eſſe ardentis, iis quę ſecundum naturam fiunt ſummè & perfectè judicantur, ita ut pęnæ eorum ęquiparentur peccatis quæ contra naturam aguntur. Si verò in ea peccata quæ ſunt contra naturam inciderint, & perſeveraverint, qualecumque ſit illud peccatum, majore & perfecta condemnatione punientur, eo quod quę non potuerunt à natura perficere, electione perfecerint, Eadem ratio eorum qui in peccatis inveteraverunt, & ante ſenectutem ea non perpetrarunt. Qui verò ſine prudentia, hoc eſt, intra annum ętatis trigeſimum, in quodcumque peccatum inciderint, ſive ſcientes, ſive ignorantes, vel iterum non meditatè, ſed tantùm ex pacto, veniam celeriter conſequantur, & pauca Pœnitentia multentur, qualecumque contigerit illud peccatum, etiam uſque ad ea quæ contra naturam fiunt, modo peccata media non excedant, & ad ea non perveniant quæ perfectè & abſolutè prohibentur, quæ videlicet in divinis canonibus non commemorantur, veluti fornicationes contra naturam cum mulieribus factæ, & virorum in viros affineſque furores exerciti, ſcelera cum commatribus, & filiabus baptiſmatis, vel eorum qui in propriam matrem inciderunt, hoc eſt, qui exterius ſemel, bis, terve deprehenſi intra trigeſimum annum à peccato deſtiterunt, ejuſmodi annum unum, vel ad ſummum duos plectantur, & ſolùm communicent.

Atque hæc breviter collecta ſunto de omnibus quæ ego indignus & inſipientiſſimus de communione conſtitui, & diſpoſui: diſpenſationes verò cibi & potus & orationis ſe habent ut contingit aliquos confitentes inclinare in unam ſemper, vel varias formas. De communione verò & aliis rebus unuſquiſque plectitor, ſed ita ut intra Pœnitentiæ metas & definitiones contineatur, & cum ſpe bona quæcumque commiſſa ſint, ſerò tandem per œconomiam illi impoſitam ſe relicturum, & ad perfectam correctionem ſe perventurum. Nunc breviter pro viribus, atque ut ſcimus, explicabimus qua ratione confitentes interrogare, & inquirere oportet ſecundum annorum quantitatem & perſonas, & quomodo Confeſſor debet illos ſcrutari; ſimul etiam de viris ſacratis, & iis qui digni ſunt vel indigni qui ad ſacrum miniſterium provehantur, & quouſque, & in qualibus judicantur.

Si viri vel mulieres ſine neceſſitate, id eſt, ſine timore humano, aut paupertate, in gentili corpore contaminati ſunt ſi nulla eſt illis uxor legitima, tribus annis ſine communione permaneant, epitimia quæ de cibo, potu, & oratione loco ſuo præſcripta ſunt, prout aliquod ex tribus elegerint, ſubeuntes. Si verò legitimas uxores habuerint, vel mulieres legitimos viros, quatuor vel quinque annis plectantur, maximè ſi contigerit eos aliis ſuccubuiſſe peccatis. Si hoc egerunt timore aut poteſtate, aut paupertate adacti, anno uno, aut ad ſummum duobus. Sacratorum, hoc eſt Presbyterorum & Diaconorum mulieres ſi ceciderint, tribus annis Pęnitentiam agant ut virorum interfectrices; non enim amplius poſthac miniſteria ſacra peragunt.

De Sacerdotibus.

Sacerdotes, Diaconi, vel Presbyteri, ſi ceciderint, licet ſemel deprehenſi ſint, lapſus factus eſt, amplius nullomodo ſacris miniſteriis inſerviant, communicent verò cum voluerint, nemine ipſos ea de cauſa condemnante, fruanturque lectoris dignitate ejuſque miniſteriis confidenter ſungantur. Lector autem ſi ceciderit, vel ipſius uxor, non ulterius promovebitur, ſed ſine ſpe promotionis permanebit. Si vero ab uxore lapſa ſeparatio facta fuerit, in officio ſuo unuſquiſque relinquetur, & lector promotionis privilegio non fruſtrabitur. Si quis cum puer eſſet ſecularis, vel Monachus, vel Clericus, ab aliquo corruptus eſt intra femora tantùm, caſtigari quidem debet, ſed ad Sacerdotium pervenire poteſt, præcipuè ſi ſemel, aut bis tantùm hoc factum fuerit. Si ulterius deventum eſt, id eſt, in poſteriora, nullomodo ad Sacerdotis, aut Diaconi dignitatem perveniet. Licet enim ipſe non peccaverit, vas tamen ipſius confractum eſt, nec fieri poteſt ut ſacris operetur; eſt enim pollutum. Si in mollitiem ceciderit ante conſecrationem, neſcius quid hoc eſſet, nec quod hoc prohibet eum à ſacris ordinibus recipiendis, vel id per ignorantiam edoctus fuerit ab alio ani-

ἢ ἐπὶ τὸν πρῶτον καὶ ἰσύχιον, καὶ τὰ ἑξῆς. οἱ δὲ κατὰ φύσιν ἁμαρτάνοντες, καὶ ὀλιγάκις, ἤγουν τάχιον ἀποκόψαντες, καὶ εἰς ἐνιαυτὸν συγκεχώρηται παρ᾽ ἐμοί. καὶ εἰ ἔτυχον μᾶλλον τῆς ἀψῆς εἶναι φύσεως ὄντες, καὶ ἐν τοῖς κατὰ φύσιν μεγάλως κρίνονται, ἢ τελείας, ὥστε τὴν παρὰ φύσιν ἴσα τοῖς θερμῆς ὄντες φύσεως ἐπιτιμᾶσθαι. οἱ δὲ ἤτοι παρὰ φύσιν πίπτωσιν ἢ χρονίσωσιν ἐν οἱῳδήποτε ἁμαρτίᾳ μείζονι καὶ τελείᾳ ἁμαρτημάτων κατακρίσει τιμωρηθήσονται ἤγουν ἐπιτιμηθῶσιν, διὰ τὸ ἅπερ ἐκ φύσεως οὐκ ἔχουσιν, ἐκτελοῦν προαιρέσει. ὁμοίως καὶ οἱ γεγηρακότες ἐν ἁμαρτίᾳ, καὶ μὴ ἀνύσαντες πρὸ τοῦ γήρως. οἱ δὲ ἄνευ φροντίσεως, ἤγουν ἔσωθεν τῶν τριάκοντα ὄντες ἐτῶν, ἐν οἱῳδήποτε περιπέσωσιν ἁμαρτήματι, εἴτε καὶ ἐν γνώσει τινὲς ὦσιν, ἢ καὶ ἐν ἀγνωσίᾳ, ἢ πάλιν οὐκ ἐκ μελέτης, ἀλλ᾽ ἐκ συμβάσεως ταχεῖαν καὶ τὴν συγχώρησιν, καὶ τὴν ἐπιτίμησιν ὀλίγην λαμβανέτωσαν, οἵα κἂν ἐστὶν ἁμαρτία ἡ τυχοῦσα, καὶ ἕως τῶν παρὰ φύσιν αὐτῶν, τουτέστι τῶν μέσων οὐ τῶν τελείως ἀπηγορευμένων, ἤγουν τῶν ἀγράφων παρὰ τοῖς κανόσιν, ἅπερ ἐπὶ γυναικεῖα τῶν παρὰ φύσιν, ἢ τῶν ἐν ἰδιωσύνῃ ἀνδρομανησάντων, τῶν τε συντέκνοις ἢ θυγατράσιν ἀπὸ βαπτίσματος. ἢ καὶ εἰς ἰδίαν περιπεσόντων μητέρα. τουτέστιν οἱ ἔξω ἁλόντες ἅπαξ ἢ δὶς καὶ τρὶς, καὶ ὡς ἔφην, ἔσω τῶν τριάκοντα ἐτῶν ἀποκόψαντες, καὶ ἕως χρόνου, ἢ καὶ τὸ πολὺ δύο, ἐπιτιμάσθωσαν, καὶ μόνον κοινωνείτωσαν.

Καὶ ταῦτα μὲν πρὸς μικρὸν, ἐξ ὧν ἀνάξιος ἐγὼ καὶ ἀνόητος κατὰ πάντα ᾠκονόμησα περὶ τῆς κοινωνίας. τὰς δὲ περὶ βρώσεως καὶ πόσεως, καὶ εὐχῆς οἰκονομίας ὅπως ἐνδέχεται τινὰς ἐξομολογουμένους ἢ ἐγκειμένους εἰς ἓν ἀεὶ καὶ εἰς διάφορα πρόσωπα. περὶ δὲ τῆς κοινωνίας καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστος ἐπιτιμάσθω. ἀλλ᾽ ἵνα καὶ αὐτὸς ἔσω τῶν τῆς μετανοίας ὅρων, καὶ ἐν ἐλπίσι χρησταῖς τῶν ὁπωσδῆ ποτοῦν ἐψέποτε δι᾽ αὐτῶν τῶν οἰκονομιῶν ἀποκόψαι, καὶ εἰς διόρθωσιν τελείαν ἐλθεῖν. καὶ ὅπως χρὴ ἐρωτᾶσθαι τοὺς ἐξομολογουμένους κατὰ τὴν ποσότητα τῶν ἐτῶν καὶ προσώπων, καὶ ὅπως ὀφείλει ὁ ἀναδεχόμενος τούτους ἐρευνᾶν, ἅμα δὲ καὶ περὶ ἱερωμένων. ἐρῶ δὲ καὶ περὶ τῶν ἀξίων εἰς ἱερουργίαν ἐλθεῖν, καὶ ἕως πόσου αὐτῶν, καὶ ἐν ποίοις κρίνονται, φέρω διὰ βραχέων καὶ ὅση δύναμις, καὶ ὡς ἴσμεν ἐροῦμεν.

Εἰ μὲν ἀνάγκης χωρὶς τουτέστι φόβου ἀνθρωπίνου, ἢ πτωχείας, ἐν ἐθνικῷ μολυνθέντες σώματι ἄνδρες ἢ γυναῖκες, εἰ μὲν χωρὶς γυναικῶν νομίμων, τριετίαν μενέτωσαν ἀκοινώνητοι μετὰ τῶν προγεγραμμένων ἐν τῷ περὶ βρώσεως καὶ πόσεως καὶ εὐχῆς τόπῳ ἐπιτιμίων. ὅτι ἂν οἷον προαιρῶνται ἀπὸ τῶν τριῶν. εἰ δὲ νομίμους γυναῖκας, ἢ γυναῖκες ἄνδρας ὧσι ἔχοντες, καὶ ἐν τέσσαρσι καὶ πέντε ἔτεσιν ἐπιτιμάσθωσαν, καὶ μάλιστα εἰ τύχοιεν ἑτέροις περιπεσεῖν ἁμαρτήμασιν. εἰ δὲ καὶ μετὰ φόβου καὶ ἐξουσίας, ἢ καὶ διὰ πτωχείαν χρόνον ἕνα, ἢ τὸ πολὺ, δύο. ἱερωμένων δὲ γυναῖκες, τουτέστι πρεσβυτέρων, ἢ διακόνων, ὅταν ἐὰν παραπέσωσι, τριετίαν ἐπιτιμάσθωσαν, ὡς τοὺς ἱερεῖς αὐτῶν φονεύσασαι. οὐκέτι γὰρ ἱερουργοῦσι.

Περὶ ἱερέων.

Οἱ δ᾽ ἐγὼ ἱερεῖς, ἢ διάκονοι, ἢ πρεσβύτεροι, ὅτι ἐὰν παραπέσωσιν, εἰ καὶ μίαν φωραθῶσιν ἡ πτῶσις γίνεται. μηκέτι τὸ σύνολον ἱερουργείτωσαν, κοινωνείτωσαν δὲ ὅτε θέλωσιν ἀκατακρίτως, καὶ ἀναγνώστου τάξιν ἐχέτωσαν, ὅσα οἶδεν ἱεργοῦν ἀναγνώστης ἀπαρρησιάστως ἱερουργοῦντες. ἀναγνώστης δὲ ἐὰν πέσῃ ἢ ἡ τούτου γυνὴ, μηκέτι τὸν ἀναγνώστην περαιτέρω προκόπτειν. ἀλλὰ μένειν ἀπροκόπτως. ἐὰν δὲ τῆς πεσούσης χωρίζηται, εἶναι αὐτὸν ἕκαστον ἐν τῇ ἰδίᾳ χώρᾳ ἢ γοῦν τάξει, καὶ τὸν ἀναγνώστην ἐν προκοπῇ. ἐὰν δέ τις παιδίον ὢν, ἢ κοσμικῇ ἢ μοναχικῇ τάξει, ἢ καὶ παπαδίτζης, φθαρεὶς δὲ ὑπό τινος ἀνδρὸς. εἰ μὲν εἰς τοὺς μηροὺς καὶ μόνον, ἐπιτιμάζεσθαι μὲν, ἔρχεσθαι δὲ εἰς ἱερωσύνην. καὶ τὰ μάλιστα εἰ ἅπαξ, ἢ δὶς ἐγένετο. εἰ δὲ πλέον τούτου, τουτέστιν εἰς ἀφεδρῶνα, μηδὲ τὸ σύνολον ἔρχεσθαι εἰς ἱερωσύνης ἀξίαν, ἢ εἰς διακόνου ἐμβαθμόν. εἰ γὰρ ἐκεῖνος οὐχ ἥμαρτεν. ἀλλ᾽ ὅμως τὸ σκεῦος ἐρράγη, καὶ οὐκ ἐνδέχεται αὐτὸν ἱερουργῆσαι, μεμόλυνται γάρ. εἰ δὲ εἰς μαλακίαν πέσῃ πρὸ τοῦ ἱερωθῆναι, μὴ εἰδὼς τί ἐστι, καὶ ὅτι ἀπείργει αὐτὸν τοῦ μὴ δέξασθαι ἱερωσύνην, ἢ κατὰ ἄγνοιαν, ἢ παρ᾽ ἄλλου ψυχοφθόρου ὁ ἀνα-

γνώστ

Digitized by Google

γνώσει τοῦτο ἐδιδάχθη, ἔστι δὲ ὁ ἄνθρωπος ἢ σοφὸς ἢ εὐλαβὴς, ἢ κατ' ἀμφότερα, ἐπιτιμάσθω πρότερον, καὶ εἶθ' οὕτως ἀξιούσθω. εἰ δὲ μετὰ τὴν ἱερωσύνην ἐν τούτῳ ἑάλω, καὶ τὸ ῥηθὲν, ὃ προειρήκαμεν, κατὰ ἄγνοιαν, ἢ παρ' ἄλλου διδαχθεὶς μὴ εἶναι κακὸν, λαμβανέτω χρόνου ἐπιτίμιον, κρατούμενος καὶ τοῦ ἱερουργεῖν, καὶ οὕτως ἱερουργείτω. εἰ δὲ καὶ δευτερώσει, ἢ τριτώσει, μηκέτι ἱερουργείτω, ἀλλ' εἰς τὴν τοῦ ἀναγνώστου τάξιν ἀρκείσθω μόνον. ὁ δὲ κλέψας κεφαλαιώδει κλέμματι, μὴ ἐρχέσθω εἰς ἱερωσύνην ποτὲ, ἀλλὰ τὸ τῶν πόρνων λαμβανέτωσαν ἐπιτίμιον κατὰ πάντα.

Ἰδοὺ τὸ δεύτερον τῶν διαφορῶν τὸ ἐπιτίμιον.

Καὶ αὗται αἱ διαφοραὶ τῶν ἐξομολογουμένων, καὶ τῶν τούτους ἀναδεχομένων, καὶ περὶ βρώσεως, καὶ πόσεως, καὶ εὐχῶν. τῶν δὲ ἐξομολογουμένων εἰσὶ τρόποι παρ' ἐμοὶ διαφέροντες ἀλλήλων, δέκα.

Ἕτερος ὀλίγον ἁμαρτήσας, καὶ αὐτοπροαιρέτῳ γνώμῃ μετανοήσας, ὡς καὶ εἰς ἓν πρόσωπον.

Καὶ ἕτερος ὁ πολλάκις, καὶ εἰς πολλὰ ἁλοὺς πρόσωπα.

Καὶ ἕτερος ὁ κατὰ φύσιν ἁμαρτήσας, ἴσως καὶ εἰς ἓν πρόσωπον, χρονίσας δὲ καὶ γήρως.

Ἕτερος δὲ ὁ παρὰ φύσιν ἁμαρτήσας, τάχιον δὲ ἀποπαύσας διὰ τὸν τοῦ Κυρίου φόβον.

Καὶ ἕτερος ὁ διὰ ἀσθένειαν, ἢ περίστασιν συμφορᾶς, εἰς ἐξομολόγησιν ἐλθὼν, ἢ καὶ ἐν αὐτῷ τῷ θανάτῳ ἐξομολογησάμενος καὶ θανών.

Καὶ ἕτερος ὁ παυσάμενος τῆς ἁμαρτίας οἵα ποτ' ἦν, καὶ εἶθ' οὕτως ἐξαγγείλας τὰ αὐτῷ ἡμαρτημένα.

Καὶ ἕτερος δὲ ὁ ἐξομολογούμενος μὲν τὰς ἁμαρτίας, ἀποχὴν δὲ ποιῆσαι μὴ ἰσχύων, ἤγουν οὐ θέλων.

Καὶ ἄλλος ὁ ἕως τῆς ἐξομολογήσεως ἁμαρτάνων, μετὰ τὴν ἐξομολόγησιν δὲ παυσάμενος.

Καὶ ἄλλος ὁ ὁμολογῶν μετὰ πάντων ἀποχὴν ποιῆσθαι κακῶν, ἑνὸς δὲ προσώπου μὴ δυνάμενος.

Καὶ ἄλλοι δὲ οἱ ἐπὶ παρεξοδίαν, καὶ κατὰ ἀνάγκην, ἢ φόβον, ἢ δῶρον, ἢ εὐήθειαν, ἢ καὶ κατὰ διαφόρους τρόπους ἁμαρτάνοντες καὶ ἐξομολογούμενοι.

Οὗτοι δὲ πάντες, ἕκαστος αὐτῶν ἀνακρινόμενος, ὡς καὶ ἕκαστος ἐξήμαρτεν, ἀπὸ τῶν δέκα τούτων τρόπων ὁμολογῶν ὀφείλει εἰπεῖν, καὶ εἰς πόσα πρόσωπα ἔπεσε, τουτέστι γυναῖκας. ὁμοίως καὶ αἱ γυναῖκες εἰς πόσους ἔπεσον ἄνδρας. καὶ τότε ὁ δεχόμενος σὺν Θεῷ αὐτῶν τὴν ἐξομολόγησιν, ἀνακρινάτω αὐτοὺς ὁποῖα ἦσαν τὰ πρόσωπα, ἀπὸ τῶν διαφόρων τῆς πορνείας, τουτέστι πόσαι πόρναι, πόσαι χῆραι καὶ πόσαι δοῦλαι, καὶ πόσαι μεγαλόσχημοι μονάστριαι, καὶ πόσαι ἱερωμέναι, ἤγουν, πρεσβυτέρισσαι, ἢ ἐμβαθμῶν διακόνων γυναῖκες. αἱ γὰρ μικρόσχημοι μονάζουσαι, καὶ αἱ τῶν ἀναγνωστῶν ὡς πόρναι κρίνονται. καὶ ὅταν τούτων τὰς διαφορὰς ἐξείπωσι, καὶ τὰς ποσότητας καὶ τὰς ποιότητας ἐξομολογούμενοι, καὶ ὅπως ἐχρόνισαν εἰς ἕκαστον αὐτῶν πάθος, καὶ ἔτεκον ἐξ αὐτῶν τινες, ἢ οὔ. καὶ εἰ εἶχον γυναῖκας, ἢ οὐκ εἶχον, καὶ εἰ ἥμαρτον ἢ καὶ κατὰ ἀμφότερα, καὶ εἰσάπαξ καὶ δὶς καὶ τρὶς, καὶ πολλάκις ἐξέκοψαν, ἢ καὶ ἕως γήρως καὶ εἰ ἕως τῆς ἡμέρας ἐκείνης ἐν ᾗ ἐξωμολογήσαντο, ἡμάρτανον, ἢ καὶ πρὶν ἀπέκοψαν.

Καὶ ὅταν ἅπαντα τούτων ἐξείπωσι τὰς διαφορὰς, πάλιν ἐρωτάτω αὐτοὺς περὶ τῶν αἱμομιξιῶν μή πως εἰς συγγενείας τινὰς ἢ ἰδιωσινίας ἔπεσαν. καὶ εἰ ἄρα εὕροιεν αὐτοὺς ἔν τινι τούτων, εἰ ἐστράφησαν διὰ τοῦ δευτέρου προσώπου τῆς συγγενείας ἐπὶ τὸ πρῶτον πάλιν, ἢ οὔ. χεῖρον γὰρ ἐστι τοῦτο, καὶ εἶθ' οὕτως ἐρωτάτω αὐτοὺς περὶ τοῦ παρὰ φύσιν, μὴ εἰς ἄνδρα, ἢ εἰς παιδίον, ἢ εἰς κτῆνος, ἢ εἰς ὄρνεον, ἢ εἰς κοράσιον πρὸ τοῦ ὡρισμένου χρόνου τῶν δέκα ἓξ ἐτῶν περιέπεσαν. καὶ εἶθ' οὕτω περὶ ἀκουσίου καὶ ἑκουσίου φόνου, ὁμοῦ καὶ περὶ τῆς δεινῆς καὶ διττῆς μαλακίας. καὶ ὅταν εἴπωσιν ἐν τούτων μικρὸν ἢ μέγα πράξαντες, ἢ ὀλιγάκις, ἢ πολλάκις. εἰ καὶ χρονίους εὕροι αὐτοὺς, καὶ εἰς τὸ ἥμισυ ἢ καὶ εἰς τὰ ὅλα. καὶ εἴτε εἰς κατὰ φύσιν μὲν, πολλὰ δὲ, ἥμαρτον εἰς τὰ παρὰ φύσιν, εἴτε καὶ εἰς ταῦτα, εἰς ἐκεῖνα δὲ οὔ, ἢ καὶ εἰς τὰ ἀμφότερα. καὶ ὅτε ταῦτα πάντα τὸν μετανοοῦντα ἐρωτήσωσι, τότε πρὸς τὴν δύναμιν αὐτοῦ, μᾶλλον δὲ πρὸς τὴν κατάνυξιν, καὶ τὴν ταπείνωσιν, πρὸς τὰ δάκρυα, καὶ τὴν ἐλεημοσύνην αὐτοῦ, ἣν ὁμολογεῖ, ἢ τὴν ἰσχὺν τῷ Θεῷ δοῦναι, καὶ τέλος πρὸς τὴν

matum corruptore, aut lectore, ſi vir ſapiens eſt & pius, vel utrumque, Pœnitentiam agat primùm, & poſtea ſic promotione dignus habebitur. Si autem in hoc poſt conſecrationem deprehenſus eſt, & in mente quod diximus habuerit, per ignorantiam nempe, aut ab alio edoctus hoc non eſſe malum, unius anni Pœnitentiam accipiat, & eo tempore à ſacro miniſterio abſtineat, ſicque punitus miniſtret. Si peccatum iteret, bis, terve, non amplius ſacris operetur, ſed ſola lectoris functione contentus eſto. Si furatus eſt magni momenti furta, ad Sacerdotium ne unquam promoveatur, ſed in omnibus fornicatorum pœna plectatur.

Ecce ſecundum differentiarum epitimium.

Hæ ſunt differentiæ confitentium, & eorum qui eos excipiunt, cibi quoque, & potus, & orationum. Confitentium autem ſunt apud me modi decem à ſe invicem differentes.

Alius qui pauca peccavit, ita ut in unam perſonam, & ſponte volens lubenſque reſipiſcit.

Alius ſæpius, & in multas perſonas deprehenſus.

Alius qui ſecundum naturam peccavit, forſan & in unam perſonam, ſed ad ſenectutem uſque in eo perſeveravit.

Alius qui contra naturam peccavit, ſtatim verò propter Dei timorem deſtitit.

Alius qui propter infirmitatem, vel calamitatem circumſtantem ad confeſſionem ſe accingit, vel in ipſa morte confitetur, & moritur.

Alius qui à peccato quodcumque illud ſit, deſtitit, & ſic poſtea quæ peccavit confitetur.

Alius qui peccata confeſſus eſt, ſed ab iis abſtinere non valet, vel non vult.

Alius qui ad Confeſſionem uſque peccat, poſt Confeſſionem à peccato ceſſat.

Alius qui confitetur, & pollicetur ſe ab omnibus peccatis ceſſaturum, ab una tamen ſpecie ſeu perſona non poſſe.

Alii verò qui in exercitibus & præſidiis viventes confitentur, ſe peccaſſe neceſſitate, vel timore, vel dono, vel ſimplicitate, vel aliis diverſis modis.

Horum omnium unuſquiſque interrogatus qua ratione ex his decem modis peccavit, id cum confitetur dicere debet, atque etiam in quot perſonas incidit, hoc eſt, mulieres; ſimiliter mulieres in quot viros. Tum qui Deo juvante ſuſcipit eorum confeſſionem, interroget eos quales erant perſonæ, ordinem ſecutus differentiarum fornicationis, hoc eſt, quot conjugatæ, quot meretrices, quot viduæ, quot ancillæ, quot monachæ magni habitus, quot ſacratæ, nempe Presbyteriſſæ, & Diaconorum qui in gradu ſunt, uxores. Monachæ enim parvi habitus, & Lectorum uxores, ut meretrices judicantur. Cum autem horum differentias, & quantitatem & qualitatem confitentes enuntiaverint, & quantum temporis in unoquoque vitio perſeveraverint, an ipſarum aliquæ pepererint, vel non, An conjugati fuerint, necne, an in utramque partem peccaverint, an ſemel, bis, terve, & ſæpius: An deſtiterint, vel uſque in ſenectutem inſorduerint, vel uſque in diem in qua confitentur peccaverint, vel antea ceſſaverint.

Cum inquam horum omnium differentias declaraverint iterum interrogabit eos de inceſtis: Nunquid in conſanguineas, aut affines inciderunt? Si deprehenderit in eis aliquid ejuſmodi peccatum, ſi converſi ſunt à ſecundo conſanguinitatis gradu iterum ad primum, vel non: Hoc enim pejus eſt. Poſtea inquiret ab iis peccata contra naturam. Num in virum, in puerum, in jumentum, in volatile, in puellam ante tempus ſedecim annorum definitum inciderint? Poſtea interrogabit eos de cæde voluntaria, & involuntaria, ſimul & de graviſſima & duplici mollitie. Et cum aliquid ex his parvum vel magnum fecerint, an raro vel ſæpe. Si longo tempore perſeveraſſe eos deprehenderit, interrogabit an in mediam partem, an in totum? Et ſi in ea quæ ſecundum naturam ſunt, multa peccaverit, non tamen in ea quæ contra naturam. Si & in hæc, in illa verò non, vel an in utraque. Iſta omnia cum à Pœnitente ſciſcitatus fuerit, tum ſecundum vires ejus, magis verò habita ratione compunctionis & humilitatis, & lachrymarum, & eleemoſynarum ejus quas ſe daturum profitetur, vel dandi facul-

cultatem habet, tandem ipſius ſerventis fidel, & propoſiti, ſcriptis tradet illi Pœnitentiam.

De communionis conceſſione ita agetur, ut ſuperius dictum eſt: in annum, 2.3.4.5.6. differri poterit: Cibo verò potuſque diſciplina, ut uniuſcujuſque natura, & vires ferunt, dıfinita eſt. Quod ad Liturgiam attinet ** & ſic ingredi. In veſpertinis autem & matutinis, aliiſque officiis ſtare licebit illi in quocumque templi loco voluerit. In Chriſti autem Nativitate, & Epiphania, & Paſchate, & tribus diebus, videlicet magna feria quinta, magno ſabbato, & magna Dominica, & in memoria Sanctorum, & celebratiſſimorum Apoſtolorum vice communionis danda eſt illi in potum Epiphaniæ ſanctificatio, & ſic ſi Monachus eſt, licentia dabitur illi caſei & ovorum; carnis vero, ſi ſecularis. Inquirendi etiam, ſi poſſunt dicere perſonarum numerum, nec ne: Qui enim numerum declarare non poteſt, ut luxuriei perditæ ganeo judicatur.

Tres hactenus fuerunt apud me de cibo potuque in quamlibet Pœnitentiam imponendis differentiæ. Interrogatio enim eadem & idem judicium fieri debent de mulieribus, & de viris, ſecularibus & Monachis. Mulieres tamen videntur quodammodo de pluribus quàm viri interrogandæ & inquirendæ. Incidunt enim ſæpius quam viri in Magias & veneficia. Contaminant quoque conſuetis ſuis menſtruis viros ignorantes. Cædes quoque mille modis perpetrare audent in conceptionibus. Alia quidem ante conceptionem herbis quibuſdam matricem polluit, ne concipiat feſtina præveniens, hoc eſt, intra menſem fœtum occidens: alia verò poſt conceptionem: aliæ verò fœtum perfectè formatum aliorum juſſu ſuffocant. Mollitie etiam ſeſe contaminant mulieres non ſecus, ac viri; illæ etiam quæ in virginitate degunt, quæque nullum omnino virum qualemcunque expertæ ſunt.

Omnes iſti ſecundum triplicem horum differentiam Pœnitentiam accipiant, præter ſervos & ancillas. Servis enim & ancillis divini canones dimidium tantùm Pœnitentiæ jubent imponi, eo quod, ut ajunt, ſui non ſint.

Prima definitio.

Prima pœnæ imponendæ definitio ſpectat ad omnes ſervos etiam atque ancillas, taleque mea ſententia omnibus dandum eſt epitimium, feriam ſecundam, & quartam, & paraſceven oleum ſolum commedere præter tertiam & quintam: Sabbato verò & Dominica omnia comedere non prohibetur, nec ulla cibi, potuſve qualiſcumque ſit abſtinentia, multandus eſt. Idem dicendum eſt de omnibus feſtis Dominicis, & ſanctiſſimæ Virginis, & Præcurſoris, & duodecim Apoſtolorum, qualecunque ſortitus ſit nomen, qualis quantave Pœnitentia ipſum maneat, neque quartam feriam, neque Paraſceven in tali feſto obſervare debet. Similiter in dodecaemero, & in ſeptimana Paſchatis omne cibi genus eſt illi remittendum. A Dominica autem Antipaſchatis uſque ad feſtum omnium Sanctorum uno modo quartas & Paraſceves obſervare tenentur, in cæteris verò omnibus carnem comedere. Seculari quidem ut dictum eſt, quartis ſextiſve feriis à carne abſtineat, Monachus verò à caſeo & ovis. Duabus autem carniſprivii ſeptimanis nihil illis prohiberi debet; Monachis non caſeus nec ova; nec ſecularibus caro, præter earum quartas & ſextas: Eas enim ſi poſſibile eſt integras & illibatas obſervare oportet, etiam ſine piſcibus, & ad veſperum uſq; jejunare: Definitum enim hoc eſt à divino canone, exceptis ſemper, ut dictum eſt, feſto Paſchatis, & dodecaemero, & Pentecoſte. Ita autem ſtricta debet eſſe obſervantia, ut neque propter Amicum nihil qualecunque ſit, relaxare debeant: Neſcio an hoc facere poſſint propter infirmitatem, aut aliquam aliam magni momenti circumſtantiam. Omnibus Pœnitentiam agentibus, ſi fieri poteſt, vini menſura eſt concedenda, præter Sabbata, Dominicas & feſta: Secundis, quartis, & ſextis feriis nihil vini præter libram unam quaque die illis concedi debet. Si quis verò poteſt illis tribus diebus nihil prorſus bibere vini, magna mercede cumulabitur. Veruntamen confeſſor uniuſcujuſque naturam, ſententiam & animi habitum dignoſcet, & ſi conducit, vini amplius aliquid præter menſurã definiet. Conſtituimus autem ſeculares carnis non eſſe participes in Quadrageſimis Sancti Apoſtoli Philippi, & duodecim Apoſtolorum,

ζίωσιν αὐτοῦ πίστιν, καὶ πρόθεσιν, διδόναι αὐτῷ ἔγγραφον τ' ἐπιτίμιον.

Καὶ περὶ μὲν τ' κοινωνίας ὡς ἀνωτέρω εἴρηται, καὶ εἰς χρόνον, καὶ εἰς δύο καὶ εἰς τρεῖς, καὶ εἰς τέσσαρας, καὶ εἰς πέντε, καὶ εἰς ἕξ, καὶ εἰς δύο* συγχωρεῖν· περὶ δὲ βρώσεως καὶ πόσεως ὡς ἔχει ἡ ἑκάστου φύσις καὶ ἰσχύς, ὥρισται, καὶ περὶ μὲν λειτουργίας καὶ ὅπως εἰσέρχεσθαι. εἰς δὲ τὸν ἑσπερινὸν, καὶ εἰς τὸν ὄρθρον, καὶ εἰς τὰ ἄλλα, ἀκωλύτως εἶναι κατὰ πάντα ὅπου θέλοι ἵστασθαι ἐν τῷ ναῷ· τὰ δὲ χριστούγεννα καὶ τὰ φῶτα καὶ τὸ πάσχα καὶ τὰς τρεῖς ἡμέρας, ὅπου τῇ μεγάλῃ πέμπτῃ, τῷ μεγάλῳ σαββάτῳ καὶ τῇ μεγάλῃ κυριακῇ, καὶ τῇ μνήμῃ τῶν ἁγίων, καὶ πανευφήμων ἀποστόλων, ἀντὶ κοινωνίας ὀφείλει ἁγίασμα πίνειν τῶν ἁγίων θεοφανείων, καὶ οὕτω διαλύει ὁ μὲν μοναχὸς τυρὸν, καὶ ὠά, ὁ δὲ κοσμικὸς κρέας. ἐρωτᾶν δὲ καὶ εἰ ἰσχύουσιν εἰπεῖν ποσότητα προσώπων, ἢ οὔ. ὁ γὰρ μὴ ἰσχύων εἰπεῖν, ὡς ἄσωτος κρίνεται.

Τρεῖς δὲ τὸ κατ' ἐμὲ διαφορὰς τέως ἔχει εἰς τὰ περὶ βρώσεως καὶ πόσεως εἰς πᾶν ἐπιτίμιον· ἡ αὐτὴ γὰρ ἀνάκρισις καὶ κρίσις ὀφείλει γίνεσθαι, καὶ ἐπὶ γυναικῶν, καὶ ἀνδρῶν κοσμικῶν τε καὶ μοναχῶν. αἱ δὲ γυναῖκες φαίνονταί πως πλείονα ἐρωτᾶσθαι, καὶ ἐξετάζεσθαι. φθάνουσι γὰρ καὶ ἐπὶ μαγειῶν καὶ φαρμακειῶν ὑπὲρ ἄνδρας περιπίπτουσαι, μολύνουσι γὰρ καὶ ἐν ταῖς συνηθείαις τῶν καταμηνίων αὐτῶν, τοὺς ἄνδρας μὴ εἰδότας, καὶ φόνους δὲ μυρίοις τρόποις διὰ τῶν συλλήψεων κατατολμῶσι. καὶ ἄλλη μὲν πρὸ τῆς συλλήψεως βοτάναις τισὶ καταμολύνει τὴν μήτραν μὴ συλλαβέσθαι σπεύδουσα, τουτέστι κατὰ μῆνα φονεύουσα, ἄλλη δὲ μετὰ τὴν σύλληψιν, τινὲς δὲ καὶ τέλειον βρέφος γεννηθὲν οἰκείαις χερσὶν, ἑτέρων προστάξει ἀποπνίγουσι. καὶ μαλακίζονται δὲ ὡς οἱ ἄνδρες, καὶ αὗται αἱ παρθενεύουσαι καὶ ὅλως πεῖραν ἀνδρὸς μὴ εἰδυῖαι τινὸς οἱουοῦν.

Οὗτοι ἐν ἅπαντες ἀπὸ τῶν τριῶν τούτων διαφορῶν τὴν ἐπιτίμησιν λαμβανέτωσαν, ἄνευ δουλίδων καὶ δούλων. οἱ γὰρ δοῦλοι καὶ αἱ δουλίδες παρὰ τῶν θείων ἐκανονίσθησαν κανόνων, τὸ ἥμισυ καὶ μόνον τ' ἐπιτιμήσεως λαμβάνειν, διὰ τὸ μὴ εἶναι, φασὶν, ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ.

Ὅρος πρῶτος.

Οὗτος οὖν ὁ πρῶτος ὅρος τ' ἐπιτιμήσεως τ' ἁπάντων δούλων καὶ δουλίδων, παρ' ἐμοὶ διδόμενος εἰς πάντας τὸν ἐπιτίμιον. δευτέραν δὲ καὶ τετράδα καὶ παρασκευὴν ἐσθίειν ἔλαιον μόνον, πάρεξ τρίτης καὶ πέμπτης: σάββατον δὲ καὶ κυριακὴν, πάντα ἐσθίειν ἀκωλύτως, μὴ ἔν τινι βρώματι ἢ πόματι τὸ οἱονοῦν ἐπιτιμᾶσθαι. ὁμοίως καὶ εἰς πάσας ἑορτὰς δεσποτικὰς, καὶ τῆς παναγίας θεοτόκου, καὶ τοῦ προδρόμου, καὶ τῶν δώδεκα ἀποστόλων, οἷον ἂν λάχῃ ὄνομα, οἷα καὶ πόσα τὸν ἐπιτιμώμενον, καὶ μήτε τετράδα μήτε παρασκευὴν φυλάττειν ἐν τῇ τοιαύτῃ ἑορτῇ. ὁμοίως καὶ τὸ δωδεκαήμερον, καὶ τὴν ἑβδομάδα τοῦ πάσχα ἀπολελυμένον εἶναι εἰς πᾶν βρῶμα. ἀπὸ δὲ τῆς κυριακῆς τοῦ ἀντίπασχα ἕως τῶν ἁγίων πάντων, μονοπροσώπως κρατοῦν ὀφείλουσι τετράδα καὶ παρασκευὴν, τὸ κρέας, τὰ δὲ ἄλλα πάντα ἐσθίειν. τὰς δὲ τετραδοπαρασκευὰς ὁ μὲν κοσμικὸς, ὡς εἴρηται, κρατείτω τὸ κρέας, ὁ δὲ μοναχὸς τὸν τυρὸν καὶ τὰ ὠά. εἶναι δὲ αὐτοὺς καὶ τὰς τῆς ἀποκρέω δύο ἑβδομάδας, ἀκωλύτους εἰς πάντα, τούς τε μοναχοὺς εἰς τὸν τυρὸν καὶ ὠά, καὶ τοὺς κοσμικοὺς εἰς τὸ κρέας, ἄνευ τῶν τετραδοπαρασκευῶν αὐτῶν, ταύτας γὰρ τότε ὁλοκλήρους κρατεῖν εἰ δυνατὸν, ὀψαρίων χωρὶς, καὶ ἕως ἑσπέρας νηστεύειν. ὥρισται γὰρ καὶ τοῦτο παρὰ τοῦ θείου κανόνος, ἄνευ, ὡς εἴρηται, τῆς ἑορτῆς καὶ δωδεκαημέρου, καὶ τῆς πεντηκοστῆς, καὶ μήτε εἰς φίλον τὸ οἱονοῦν καταλύειν αὐτοὺς, οὐκ οἶδα εἰ κατὰ ἀσθένειαν ἢ μεγάλην ἄλλην περίστασιν ἔχουσι. δεῖ δὲ εἶναι ὅρον τοὺς ἐπιτιμωμένους, εἰ δυνατὸν πάντων, ἐκτὸς σαββατοκυριακῶν καὶ ἑορτῶν, ἀσυγχωρήτως δὲ δευτέραν καὶ τετράδα καὶ παρασκευὴν, τουτέστι μίαν λίτραν πίνειν τὴν ἡμέραν. εἰ δέ τις δύναται μηδὲ τὸ σύνολον τὰς τρεῖς ταύτας ἡμέρας πίνειν οἶνον, μέγαν μισθὸν ἔχει. ὅμως ἡ ἑκάστου φύσις, καὶ ἡ γνώμη, ἢ τὸ ἦθος, παρὰ τοῦ ἀναδεξαμένου διαγνωσθήσεται, ὁρισθήσεται, καὶ πλέον τοῦ ὅρου πίνειν. τὰς δὲ τεσσαρακοστὰς, τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Φιλίππου, καὶ τῶν δώδεκα ἀποστόλων, κρέατος μὲν μὴ μετέχειν τοὺς κοσμικοὺς καὶ ὁριζόμεθα, τοὺς δὲ μοναχοὺς καὶ τυροῦ καὶ ὠῶν, πλὴν τοῦ προδρόμου τὸ ἀλλοτριώτατον, εἰ θέλουσι καὶ τὰ

ἅγια τῶν ἁγίων, καὶ ταῦτα δὲ ἐὰν νηστείᾳ ἀσθενήσωσι. τὴν δὲ μεγάλην τεσσαρακοστὴν, εἰ δυνατὸν, τοὺς κοσμικοὺς ὀψαρίων μὴ μετέχειν, πλὴν σαββάτου καὶ κυριακῆς. τοὺς δὲ μοναχοὺς ἐλαίου. ἐὰν δὲ προαιρῶνται τρίτην καὶ πέμπτην μόνας καταλύειν, ἐκεῖνοι μὲν ὀψαρίων, οὗτοι δὲ ἐλαίου. οὐκ οἶδα ὡς κατάκεινται, εἰ δυνατὸν, μήτε οἶνον πίνειν, πλὴν σαββάτου καὶ κυριακῆς. εἰ δὲ ἀνάγκη ἐπίκειται ὀλιγοψυχίας, ἢ φιληδονίας, ἢ πολλῶν εὐλόγων αἰτιῶν, καὶ οὐ προαιροῦνται, τὰς δευτέρας καὶ τετράδας καὶ παρασκευὰς μηδὲ ὀσμᾶσθαι οἶνον τοὺς μετανοεῖν προαιρουμένους ἅπαντας, καὶ μάλιστα τὴν πρώτην ἑβδομάδα, μήτε τὸ σύνολον πίνειν. τὴν δὲ ἐσχάτην ἤγουν τὴν μεγάλην τῇ μεγάλῃ πέμπτῃ, καὶ ἕως ὀλίγου οἴνου πίνειν.

Ὅρος δεύτερος.

Καὶ οὗτος μὲν ὁ πρῶτος ὅρος παρ' ἐμοὶ συμπεριείληφε, καὶ τῶν ἄλλων τὰς διαφορὰς τοῦ χρόνου παντός. ὁ δὲ δεύτερος οὕτως. ἐὰν οἱ δυνάμενοι οἱ ἐπιτιμώμενοι ἐν τῷ τοιούτῳ ὅρῳ, μᾶλλον δὲ, οὐ προαιροῦνται, τὰς μὲν δευτέρας τετράδας παρασκευὰς μηδὲ ὀσμᾶσθαι οἶνον, κρατείτωσαν ἁγνὰς παντάπασι, τουτέστιν οἱ μὲν κοσμικοὶ ἀπὸ κρέατος, καὶ τυροῦ καὶ ὀψαρίων μὴ γευόμενοι πλὴν ἐλαίου μόνου· τοὺς δὲ μοναχοὺς ἂν οὐκ ἐσθιέτωσαν, οὐδὲ ἐλαίου. τὰς δὲ ἑτέρας δύο ἡμέρας τῆς ἑβδομάδος εἶναι ἀκωλύτους κατὰ πάντα ἐν πᾶσιν, ὥστε ἑκάστου ἐπάγγελμα ἐσθίειν, τουτέστιν, οἱ μὲν κοσμικοὶ εἰς πάντα καὶ εἰς κρέας, οἱ δὲ μοναχοὶ εἰς πάντα, καὶ ἕως τυροῦ, ὠοῦ καὶ γάλακτος.

Ὅρος τρίτος.

Ὁ δὲ τρίτος ὅρος ἐξ ἀπορίας ὑπάρχει. ἐὰν δὲ οὕτως ἐπιτιμηθέντες ἢ διὰ φιληδονίαν, ἢ διὰ κενοδοξίαν, ἢ διὰ ἀσθένειαν, ὥστε ταύτας μὲν τὰς τρεῖς ἡμέρας φυλάττωσι τῆς ἑβδομάδος ἐν τῷ τῆς ἐπιτιμήσεως αὐτῶν χρόνῳ ὁλοκλήρους, ἔλαιον δὲ οἷα ἐσθίουσιν οἱ μοναχοὶ, οἱ δὲ κοσμικοὶ καὶ ὀψάριον. ταύταις δὲ ταῖς λίαν συμπαθητικαῖς οἰκονομίαις, οἶδα ὅτι μέλλω κατακρίνεσθαι ἐπὶ τοῦ κοινοῦ πάντων κριτοῦ καὶ Θεοῦ. ἀλλ' ὅμως κρεῖττον οὕτως ἐν τοῖς τοιούτοις κριθῆναι, ἢ ὡς ἀσυμπαθῶς ἐπαινεθῆναι. εὐχὰς δὲ ἵνα ποιῶσι διὰ τοῦ νυχθημέρου, τρεῖς πρωΐ, καὶ ὅταν ἐσθίειν μέλλωσι, καὶ ἐν τῇ ὥρᾳ τοῦ δείπνου, ὅταν κοιμηθῆναι ὑπάγωσι. κατὰ δὲ ἑκάστην εὐχὴν ἵνα λέγωσιν οἱ ἰδιῶται τὸν πεντηκοστὸν ψαλμὸν, τὸ τρισάγιον, τὸ πάτερ ἡμῶν, τὸ κύριε ἐλέησον ἑκατὸν, τὸ ὁ Θεὸς ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ πεντήκοντα, τὸ Κύριε ἥμαρτον, συγχώρησόν μοι πεντήκοντα, καὶ μετανοίας πεντήκοντα. οἱ δὲ μὴ οὕτω προαιρούμενοι, τὸ ἥμισυ τούτων. οἱ δὲ μηδὲ οὕτω τὸ τρίτον τούτων. εἰσὶ γάρ τινες ἢ ἀπρόθυμοι, ἢ ἀσθενεῖς, ἢ γέροντες, ἢ εἰς παξείδιον, ἢ ὑπὸ δουλείας, ἢ ὑπὸ ἄκρας πτωχείας συνωθούμενοι, καὶ διὰ τοῦτο ὀφείλει ὁ ἀναδεχόμενος αὐτοὺς ταῦτα πάντα ἐρευνᾶν, καὶ τὸ ἦθος, καὶ τὴν ἀνατροφὴν, καὶ τὸ πρόθυμον, καὶ τὸ οὐχ οὕτω, καὶ τὸ γνωστικὸν, καὶ τὸ ἄσοφον, καὶ τὸ ἄνετον, καὶ τὸ ἐπίμονον, καὶ τὸ πλούσιον, καὶ τὸ πτωχὸν, * καὶ τοῦ καθεζομένου, καὶ πρὸς αὐτὸν διδόναι καὶ τὰς εὐχὰς καὶ τὰ ἄλλα. ἐνδέχεται γὰρ ὥς τινας καὶ δύο μόνας εὐχὰς τὸ νυχθήμερον διδόναι, ἐνίοις καὶ μίαν. ἐνδέχεται γὰρ ἵνα, ὁ ὀλιγοαμάρτητος καὶ πρόθυμος σφοδρότερον, καὶ μακρότερον ἐπιτιμηθῇ. ὅπως οὐκ ἄφεσιν μόνον ἁμαρτιῶν, ἀλλὰ καὶ μισθὸν λάβοι παρὰ τοῦ τὰς προθέσεις ἀποδεχομένου, καὶ μὴ κατὰ μίαν, ἀλλὰ κατὰ φύσιν καὶ πρόθεσιν κρίνοντος. καὶ κριθῇ παρὰ τῷ σὺν Θεῷ κριτοῦ αὐτοῦ, ὡς ἡ φύσις καὶ ἡ πρόθεσις αὐτοῦ ἔχει· καὶ πάλιν ἐνδέχεται ἵνα ὁ πολυαμάρτητος καὶ ῥᾴθυμος, ὁ καὶ ἀσθενὴς καὶ ἀπρόθυμος, ὀλιγώτερον πολὺ κατὰ πάντα συμπαθέστερον, ἵνα κἂν οὕτως ὥς ποτε σωθῇ, καὶ μὴ ἀπολεσθῇ. οἱ δὲ βλέποντες εἰς πλῆθος ἁμαρτημάτων, τουτέστιν εἰς μεγάλα καὶ δεινὰ πεσόντας κακὰ, καὶ οὕτω πρὸς τοῦτο διδόασι τὰς ἐπιτιμήσεις, οὗτοι πρῶτον μὲν τὸν Θεὸν, ὡς δεῖ, οὐ γινώσκουσιν, ὃς θέλει πάντας σωθῆναι, δεύτερον δὲ καὶ τὰς ἰδίας τελείως δι' αὐτῶν ἀπολλύουσι ψυχάς. ὁ γὰρ ψυχὴν ἐπὶ Θεοῦ ἐγγυῆσαι θέλων, αὐτὴν ἐκείνην τὴν συμπάθειαν, καὶ φιλανθρωπίαν ὀφείλει ἔχειν ἐν καρδίᾳ, τοῦ δι' ἡμᾶς ἐνανθρωπήσαντος ἀγαθοῦ Θεοῦ ἡμῶν.

Monachos verò caſei & ovorum, præterquam in Heliotròpio Præcurſoris ſi volunt; & in Sanctis Sanctorum. Hoc autem illis conceditur, ſi inedia aliqua laborant. In magna Quadrageſima, ſi fieri poteſt ſeculares piſce abſtineant præter ſabbata & Dominicas, Monachi autem oleo. Si verò ſolas tertias & quintas ferias ſolvere voluerint, illi piſcibus, hi oleo abſtinebunt, Neſcio cum decumbunt, ſi poſſibile eſt eos vinum non bibere præter ſabbata & Dominicas. Si neceſſitas urget aut puſillanimitatis, aut deſiderii voluptatis, aut cauſarum rationabilium, & prorſus abſtinere nolunt, tum omnes Pœnitentiam agere volentes ſecundis, quartis, & ſextis feriis ne vinum quidem odorabuntur, & maximè prima hebdomada non omnino bibent, ultima verò ſive magna, illius magno die quinto uſque ad pauxillum vini concedetur.

Secunda definitio.

Sic definitio prima, mea quidem ſententia, complectitur aliorum differentias, atque etiam cujuslibet temporis. Secunda verò ſic ſe habet. Si Pœnitentia affecti non poſſunt ſecundum hanc definitionem, vel potius nolunt, ſecundas, quartas, & ſextas ferias ne quidem odorari vinum, omnibus ſaltem modis obſervent eas puras, hoc eſt, ſeculares carnem, caſeum, & piſces ne guſtent præter oleum ſolum; Monachi autem niſi ſint infirmi, neque oleum. Alios verò duos dies hebdomadæ in omnibus, & ſecundum omnia liberi eſſe debent, ita ut juxta uniuſcujuſque profeſſionem comedant, hoc eſt, ſeculares omnia, etiam carnem; Monachi autem omnia, ad caſeum uſque ovum & lac.

Definitio tertia.

Tertia definitio quæ ex indigentia manat, eſt ejuſmodi. Si tam remiſſè ſibi impoſitam Pœnitentiam non ſequuntur, vel propter voluptatis amorem, vel propter vanam gloriam, vel propter infirmitatem, ita ut tres illos dies ſeptimanæ quandiu durat ipſorum Pœnitentia integros & illibatos non obſervent, oleum Monachi, & inſuper piſcem ſeculares comedant. Hac œconomica canonum diſpenſatione clementiore, & hominum infirmitati nimium compatiente ſcio me à communi omnium Judice Deo condemnandum fore, ſed tamen præſtat ſic in ejuſmodi judicari, quàm ab omni affectu alienus laudari. Orationes igitur noctu diuque tres faciant, mane, & cum comeſturi ſunt, & in hora cœnæ, & cum ad ſomnum nocturnum ſeceſſuri ſunt. In unaquaq; oratione dicant Idiotæ quinquageſimum pſalmum Triſagion, Pater noſter, Kyrie eleiſon centies, Deus propitius eſto mihi peccatori quinquagies, Domine peccavi parce mihi, quinquagies, & metanœas quinquaginta faciant. Qui hoc facere noluerint præſtent mediam partem. Qui ne hoc quidem, tertiam partem. Sunt enim quidam animo ſegnes, aut infirmi, aut ſenes, aut in exercitu, aut à ſervitute, aut ab extrema paupertate compulſi. Propterea tenetur Confeſſor ipſe hæc omnia inquirere, & mores, & educationem, & animi alacritatem atque ejus contrarium, ſcientiam, inſipientiam, vitæ relaxationem, canonum & promiſſionum obſervationem, divitias, paupertatem, * & juxta hæc ei orationes, & alia imponere. Fieri enim poteſt ut quibuſdam toto die duæ tantùm imponantur orationes & quibuſdam una. Fieri enim poteſt ut qui pauca peccavit, & animo eſt prompto, vehementiùs & diuturniùs puniatur, ut non tantùm remiſſionem peccatorum, ſed etiam mercedem reportet, ab eo qui mentis propoſitum recipit, & non tantùm ex ratione una, ſed ſecundum rei naturam, & animi propoſitum judicat, & auxiliante Deo judicetur ab eorum judice, ut fert ipſius natura & intentio. Contingit iterum, ut qui multa peccavit ſegnis ſit & infirmus, tardus & vecors, atque ideo multò levius & humanius ſecundum omnia excipiatur, ut vel ſic aliquando ſalvetur, & non pereat. Qui autem conſiderantes peccatorum multitudinem, id eſt, in quæ magna horrenda mala ceciderunt, & ſecundum ea Pœnitentias imponunt, ſic agentes, primùm Deum ut oportet non cognoſcunt, qui vult omnes ſervari; deinde etiam proprias animas per hoc omnino perdunt. Qui enim animam Deo ſpondere vult & tradere, ipſam Dei noſtri miſericordiam & humanitatem qui pro nobis factus eſt, in corde habere, & conſervare debet.

Ante

Digitized by Google

Ante hæc omnia debet qui Confeſſionem alicujus excipit, eam in Eccleſia, aut alio quodam loco ſecreto excipere, verbis placidis benignè eum compellare, menteque hilari, veluti ad ſplendidum prandium eum vocaret, ipſum monere & exhortari, ut confiteatur & dicat coram eo ſe peccatorum magnorum & minorum reum eſſe: deinde dicat Pſal. 69. cum Triſagio, & precentur unà paululum, curetque eum caput aperire ſi vir eſt, neque prius omnino utroſque ſedere oportet quàm confitens omnia compleverit, interrogatus, videlicet particulatim de omnibus quanta, qualiave. Cum autem perfecerit, ille quidem dicens; hic verò audiens, & inquirens, & dijudicans quæ audierit, cum, inquam, compleverit Pœnitens, dixeritque ſe nihil amplius habere, ipſe verò non dimittens quæ non judicavit, vel non interrogavit, vel quæ Pœnitens aut oblivione aut pudore tacuit, tunc in terram ſeſe dejiciet, jacebit & ſe non erigit, ipſique ſacerdos adprecabitur ejuſmodi, & eo jacente ſic dicere incipiet.

Oratio.

Deus qui propter nos homo factus eſt, & totius mundi peccata portavit, omnia hæc frater quæ indignitati meæ confeſſus es, benignitate ſua maxima boni conſulat, omnia tibi condonans in hoc ſeculo & in futuro, qui vult, ſuſtinet, & donat omnibus ſalutem, quoque eſt benedictus in ſecula. Amen. Tum ipſum erigit, & ut propriam animam amplectitur, & ſi fieri poteſt manum ſuam ipſius collo imponit, ipſi dicens: Hæc omnia frater ab hac hora ſint ſuper me, præſertim ſi eum conſpexerit intolerabili aliqua triſtitia ſubmerſum. Poſtea cum ipſo ſedet, eumque hilari facie interrogat, qualem Pœnitentiam ex tribus prædictis velit accipere. Imprimis autem jubet eum de omnibus bonæ eſſe ſpei, & hoc ante omnia ipſum ſeverè monet: Mandatum habes frater à Domino Deo noſtro, ſiquid mali agere ab hoc tempore tibi contingat, ut mihi omnia libenter, & cum animæ gaudio confitearis ubicumque fuerim. Atque hæc de iſtis. Monendi ſunt inſuper genua in orationibus non eſſe flectenda, ſed ſolas proſtrationes eſſe faciendas omnibus Sabbatis & diebus Dominicis; in feſtis Dominicis, in Dodecaemero: Similiter in diebus à Paſchate uſque ad feſtum omnium Sanctorum.

Hæ ſunt definitiones Pœnitentiarum quæ à me impoſitæ ſunt & imponuntur, parvarum equidem, quæque veniam facilè concedunt. Sed iſtius diſcretionis auxilium nobis ſuppeditavit Magnus Baſilius cum dixit, hæc omnia ſcribimus, ut Pœnitentiæ fructus probemus. Non enim omnino talia tempore judicamus, ſed ad modum Pœnitentiæ attendimus. Cui autem Dei clementia poteſtatem crediderit ſolvendi & ligandi, ſi humaniore gratia uti velit, authoritatem habet cum viderit confeſſionis & pœnitentiæ peccatoris exceſſum minuendi pœnarum tempus, nec ideo erit condemnationi obnoxius; hiſtoria ſacra nobis notum faciente eum qui majore cum labore confitetur, celerius à Deo miſericordiam conſequi: Si verò aliqui à propriis moribus, & inordinatis animi affectibus difficillimè avelli poſſunt, & vitam ſecundum Euangelium non inſtituunt, nullus eſt nobis cum ipſis ſermo. Nos enim edocti ſumus de populo incredulo & contradicente audire, ſervando ſerva tuam ipſius animam. Ne igitur conſentiamus ſimul cum peccatis alienis perire, ſed reformidantes grave judicium, & diem tremendam præ oculis habentes, cum ejuſmodi hominibus perire ne velimus. Si enim hæc tantæ plagæ ſenſum aliquem nobis inducant, quod propter iniquitatem noſtram nos reliquerit Deus, tradituſque fuerit populus in manus Barbarorum quod ejuſmodi agere auſi fuerint qui Chriſti nomen circumferunt. Niſi cognoſcant & intelligant quod propter hæc venit ira Dei ſuper nos, quæ nobis & cum illis communis ratio? Attamen adverſus eos conteſtari & contendere debemus die ac nocte, publicè & privatim, neque ſuſtinere ut eorum iniquitatibus conjungamur: contrà maxime Deum precari, ut ipſos lucremur, & de laqueis diaboli liberemus. Hoc autem ſi non poſſimus, ſaltem noſtras ipſorū animas ab æterna damnatione liberare ſtudebimus.

Cùm autem nonnulli ſint qui habitus violentia abrepti ſeipſos à peccatis ne in magna quidem quadrageſima continere poſſunt, quos inter ſæpe deprehenduntur qui matrimonio juncti ſunt, oportet ſi poſt completa epitimia

Πρὸ πάντων δὲ τούτων, ὀφείλει ὁ ἐξομολογῶν δεχόμενός τινος ἐν ἐκκλησίᾳ, ἢ ἄλλῳ τινὶ κρυπτῷ τόπῳ, προσηνεῖ ὀνόματι, χαροποιῷ καρδίᾳ, ὡς καὶ ἐπὶ ἄριστον λαμπρὸν καλῶν αὐτὸν νουθετεῖν, παρακαλεῖν πάντων τῶν ἁμαρτιῶν τότε μεγάλων καὶ μικρῶν ἑαυτὸν ὑπεύθυνον ἐνώπιον ἐκείνου εἶναι λέγειν, εἶθ᾽ οὕτω τὸν ξθ᾽ ψαλμὸν λέγειν μετὰ τοῦ τρισαγίου, καὶ συνεύχεσθαι αὐτῷ μικρόν, ἀποσκεπάζειν δὲ αὐτοῦ τὴν κεφαλήν, ἐὰν ἀνὴρ ἐστι, καὶ μὴ τὸ σύνολον ἀμφοτέρους καθίσαι, ἕως ἂν πληρώσῃ πάντα ὁ ἐξομολογούμενος, ἀνακρινόμενος δηλαδὴ λεπτομερῶς περὶ πάντων καὶ πόσων καὶ ποῖα. καὶ ὅταν συντελέσῃ ἐκεῖνος μὲν λέγων, οὗτος δὲ ἀκούων καὶ ἐρευνῶν, καὶ ἀνακρίνων τὰ ἀκουόμενα, ὅτε πάντα ἀποπληρώσας ἐκεῖνος εἴπῃ, μὴ ἔχειν ἄλλο τι, καὶ οὗτος μὴ ἀφίει ὃ οὐκ ἀνέκρινεν, ἢ οὐκ ἠρώτησεν, καὶ εἰς ἃ αὐτὸς ἢ διὰ λήθην, ἢ δι᾽ αἰσχύνην οὐκ εἶπε, τότε ῥίπτει αὐτὸν ἐπὶ τὴν γῆν, κεῖσθαι καὶ μὴ ἀνίστασθαι. καὶ ἐπεύχεται αὐτῷ τοιάδε, καὶ ἐκείνου αὐτοῦ κατακειμένου ἄρχεται λέγειν οὕτως.

Εὐχή.

Ὁ Θεὸς ὁ δι᾽ ἡμᾶς ἐνανθρωπήσας, καὶ παντὸς τοῦ κόσμου τὰς ἁμαρτίας βαστάζων, αὐτὸς τῇ αὐτοῦ παναγάθῳ χρηστότητι καὶ ταῦτα πάντα ἀδελφὲ ἀναδέξηται, ὅσα ἐνώπιον αὐτοῦ τῇ ἐμῇ ἐξεῖπας ἀναξιότητι, συγχωρῶν σοι πάντα ἐν τῷ νῦν αἰῶνι καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, ὁ θέλων, καὶ μένων, καὶ δίδων ἅπασι τὴν σωτηρίαν, ὁ ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας ἀμήν. καὶ τότε ἀνιστᾷ αὐτόν, καὶ καταφιλεῖ ὡς οἰκείαν ψυχήν, εἰ δυνατὸν δὲ καὶ τὴν χεῖρα αὐτοῦ τιθέναι ἐπὶ τὸν ἑαυτοῦ τράχηλον, λέγων αὐτῷ· ὅτι ἔσωσαν ταῦτα πάντα ἀπὸ τοῦ νῦν ἀδελφὲ ἐπ᾽ ἐμέ. καὶ μάλιστα εἰ ὁρᾷ αὐτὸν ὑπὸ ἀφορήτου λύπης βαπτιζόμενον, καὶ μετὰ ταῦτα καθίζεται μετ᾽ αὐτοῦ, καὶ ἐπερωτᾷ αὐτὸν φαιδρῷ τῷ προσώπῳ, ποῖον ἄρα ἀπὸ τῶν τριῶν βούλεται λαβεῖν ἐπιτίμιον. ἐν πρώτοις δὲ εὔελπιν αὐτὸν ποιῶν κατὰ πάντα. καὶ τοῦτο ἐπισημαίνει αὐτὸν πρὸ πάντων, ὅτι ἐντολὴν ἔχεις ἀδελφὲ ἀπὸ Κυρίου τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, ἵνα ὅτι ἂν ἀπὸ τοῦ νῦν συμβῇ σοι πονηρὸν ποιῆσαι, ἵνα ἅπαντά μοι ἐν χαρᾷ ψυχῆς σου εὐπροθύμως ἐξομολογῇ ὅπου ἂν εἰμί. καὶ ταῦτα μὲν περὶ τούτου, τὰς δὲ πάσας σαββατοκυριακάς, καὶ ἑορτὰς δεσποτικάς. καὶ τὸ δωδεκαήμερον, ὁμοίως καὶ τὰς ἀπὸ τοῦ πάσχα ἡμέρας ἕως τῶν ἁγίων πάντων μὴ γονυκλιτεῖν ἐν ταῖς εὐχαῖς, ἀλλὰ μόνον προσκυνήσεις ποιεῖν κατὰ πάντα.

Καὶ οὗτοι μὲν οἱ ὅροι τῶν παρ᾽ ἐμοῦ δοθέντων καὶ διδομένων σμικροτέρων καὶ λίαν εὐσυγγνώστων ἐπιτιμίων· ταύτης δὲ τῆς συγκρίσεως τὴν βοήθειαν δέδωκεν ἡμῖν ὁ μέγας Βασίλειος εἰπών, ὅτι ταῦτα πάντα γράφομεν, ὥστε τοὺς καρποὺς δοκιμάζεσθαι τῆς μετανοίας, οὐ γὰρ πάντως τῷ χρόνῳ κρίνομεν τὰ τοιαῦτα, ἀλλὰ τῷ τρόπῳ τῆς μετανοίας προσέχομεν. ἐξουσίαν δὲ ἔχει ὁ ἐμπιστευθεὶς παρὰ τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας λύειν τε καὶ δεσμεῖν, εἰ φιλανθρωποτέρως μὲν ὅταν τὸ ὑπερβάλλον τῆς ἐξομολογήσεως ὁρῶν τοῦ ἡμαρτηκότος, εἰς τὸ ἐλαττῶσαι τὸν χρόνον τῶν ἐπιτιμίων, οὐκ ἔσται καταγνώσεως ἄξιος, τῆς ἐν ταῖς γραφαῖς ἱστορίας γνωριζούσης ἡμῖν, τοὺς μετὰ μείζονος πόνου ἐξομολογουμένους ταχέως τὴν τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίαν καταλαμβάνειν. ἐὰν δὲ δυσαποσπάστως ἔχωσι τῶν ἰδίων παθῶν, καὶ τὴν κατὰ τὸ εὐαγγέλιον ζωὴν μὴ καταδέχονται, οὐδεὶς ἡμῖν πρὸς αὐτοὺς λόγος. ἡμεῖς γὰρ λαοῦ ἀπειθοῦς καὶ ἀντιλέγοντος δεδιδάγμεθα ἀκούειν, ὅτι σώζων σῶζε τὴν σεαυτοῦ ψυχήν. μὴ καταδεξώμεθα τοίνυν ἁμαρτίαις ἀλλοτρίαις συναπόλλυσθαι, ἀλλὰ φοβηθέντες τὸ βαρὺ κρίμα, καὶ τὴν φοβερὰν ἡμέραν πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχοντες, τοῖς τοιούτοις συναπόλλυσθαι μὴ βουληθῶμεν. εἰ γὰρ μὴ ἐπαίδευσεν ἡμᾶς τὰ φοβερὰ τοῦ Κυρίου, καὶ αἱ τηλικαῦται πληγαὶ εἰς αἴσθησιν ἡμᾶς ἤγαγον, ὅτι διὰ τὴν ἀνομίαν ἡμῶν κατέλιπεν ἡμᾶς ὁ Θεός, καὶ παρεδόθη ὁ λαὸς εἰς βαρβάρους, ὅτι τὰ τοιαῦτα ἐτόλμησαν οἱ τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ περιφέροντες, εἰ μὴ ἔγνωσαν μηδὲ συνῆκαν, ὅτι διὰ ταῦτα ἦλθεν ἐφ᾽ ἡμᾶς ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ, τίς ἡμῖν κοινὸς πρὸς τούτους λόγος; ἀλλὰ διαμαρτύρασθαι αὐτοῖς, καὶ νυκτὸς καὶ ἡμέρας δημοσίᾳ, καὶ ἰδίᾳ ὀφείλομεν, καὶ συνάπτεσθαι αὐτῶν ταῖς πονηρίαις μὴ καταδεχόμενοι, προσευχόμενοι μάλιστα κερδῆσαι αὐτούς, καὶ ἐξελέσθαι τῆς παγίδος τοῦ πονηροῦ, ἐὰν δὲ καὶ τοῦτο μὴ δυνηθῶμεν σπουδάσωμεν κἂν γοῦν τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς τῆς αἰωνίου κατακρίσεως περισώσασθαι.

Ἐπεὶ δέ εἰσί τινες βίᾳ ἔξεως μηδὲ ἐν τῇ μεγάλῃ τεσσαρακοστῇ κρατῆσαι ἑαυτοὺς ἀπὸ ἁμαρτίας ἰσχύοντες, καὶ αὐτοὶ πολλάκις οἱ γυναῖκας ἔχοντες, χρὴ μετὰ τὸ πληρῶσαι αὐτοὺς τὰ ἐπιτίμια αὐτῶν, καὶ

ἐκλθωσι χρόνοι πλεῖστοι, οὐκ ἔχουσι δὲ πῶς κοινωνῆσαι, διὰ τὸ ἀεὶ αὐτοὺς ἁμαρτήμασι περιπίπτειν. κρατείτωσαν καὶ τὴν ἁγίαν τεσσαρακοστὴν πᾶσαν τοῦ μὴ ἁμαρτῆσαι καὶ μετὰ φόβου καὶ τρόμου, τὰς τρεῖς τοῦ πάσχα κοινωνείτωσαν ἡμέρας. τοῦτο δὲ κατ' ἀπορίαν διὰ τὸ μηδέποτε αὐτοὺς ὑπὸ σαρκικῶν μολυσμῶν κρατῆσαι δυνηθῆναι, οὐ κατ' ἄλλην γενέσθαι λέγομεν διαφοράν. ἐὰν δὲ καὶ εἰς μαλακίαν πέσωσιν οἱ τοιοῦτοι ἐν τῇ τεσσαρακοστῇ, μηδὲ οὕτω κοινωνείτωσαν. ἐὰν τύχωσί τινες καὶ μοναχοὶ ἅγιοι εἶναι. τὸ γὰρ ἐλεεινὸν τοῦτο καὶ πανπραίτατον καὶ δυσαποσπαστότατον πάθος, εἰ καὶ μόναις ἐν ταῖς τεσσαράκοντα ἡμέραις παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων τοῦ μὴ κοινωνεῖν τοὺς ἐν τούτοις περιπίπτοντας, ἀλλ' ὅμως τὰς ἄλλας τοῦ ἐνιαυτοῦ, οὐχὶ δὲ τὰς ἁγίας τῆς τεσσαρακοστῆς ἡμέρας.

Περὶ εὐνούχων.

Διέλαθε δὲ ἡμᾶς καὶ τὸ περὶ εὐνούχων, καὶ ἰδοὺ καὶ τὰ περὶ αὐτῶν συντόμως ἐροῦμεν. Οὗτοι γὰρ ὡς οἱ ἅγιοι πατέρες, ἔτι τε, καὶ ὁ μέγας Βασίλειος διαγορεύουσι, καὶ ἐν γυναιξὶ τὰ τῶν ἀνδρῶν, καὶ ἐν ἀνδράσι τὰ τῶν γυναικῶν ἐκπληροῦσι. γυνὴ τοίνυν μετὰ εὐνούχου ἑνωθῆναι φαίνεται μὲν κατὰ τὸ πρόχειρον, ὅτι τὰς συλλήψεις τῆς τεκνογονίας ἐκφεύγει, καὶ μάλιστα αἱ χῆραι, καὶ αἱ μονάστριαι, ἴσως δὲ καὶ ἐπὶ προφάσει μικρῶν ἄνδρας ἔχουσαι, τοῦτο ποιοῦσιν, ὡς δὲ ἡ ἀλήθεια καὶ ἡ φύσις ἔχει τοῦ πράγματος, διὰ τὸ πάντας ἀκορέστως ἔχειν πρὸς τὰς συνουσίας, καὶ τοὺς εὐνούχους βραδυρροεῖν, τούτου ἕνεκα τούτοις ἀδεῶς συμφθείρονται. ἀλλὰ καὶ τῶν ἀσέμνων, καὶ τῶν προϊσταμένων χείρους κρίνονται, καὶ πλεῖον ἐπιτιμᾶσθαι ὀφείλουσιν, εἰ μάλιστα τύχοιεν οὐχ ἅπαξ ἀλλὰ καὶ πολλάκις. καὶ καταχρηστικῶς, καὶ τὸ πλεῖον εὐνούχοις ἢ βαρβάτοις συνεξαμαρτάνειν, ἴσον δὲ μοιχείᾳ τοῦτό ἐστιν. εὐνοῦχος δὲ ἀπὸ τῶν ἑξκαίδεκα ἐτῶν γυναικὶ περιπίπτων εἰς ἱερωσύνην μὴ ἔρχεσθαι τὸ σύνολον. καὶ ἐὰν ἀνδρὶ συμμιγῇ, καὶ διὰ τῆς ἕδρας αὐτοῦ πάθῃ, μηδὲ οὕτω τολμάτω, κἂν τύχῃ ἅπαξ συνέβη, ἢ διὰ νηπιότητα, ἢ διὰ πτωχείαν ἢ ἀπὸ ἐξουσίας τοῦτο πέπονθεν. εἰ δέ γε εἰς τοὺς μηροὺς τὸν μολυσμὸν ὑπέστη, καὶ τοῦτο οὐ καταχρηστικῶς, ἀλλὰ σπανίως καὶ ἐν νηπιότητι, καὶ κατ' ἐξουσίαν, ἢ ἰδιότητα, μετέχει δὲ γνώσεως, ἢ ἀρετῆς ἐπιμελεῖται, ἀξιούσθω μὲν χειροτονίας, ὅμως δὲ μετὰ φόβου ἀεὶ πενθεῖν περὶ τούτου, καὶ τὸν Θεὸν ἐξιλεούμενος, ὅπως ἀφεθῇ αὐτῷ τὸ τοιοῦτον ἀνόμημα.

Περὶ βαρβάτων.

Βαρβάτος δὲ μετὰ ἑτέρου εἰς τοὺς μηροὺς εἰ παραπέσοι, ὁ μὲν ποιήσας μὴ τολμάτω εἰς ἱερωσύνην ἐλθεῖν· εἰ δὲ ἐγκείνται βαθμῷ ἱερατικῷ, καὶ ἅπαξ τοῦτο παρεχωρήθη, ἢ ἀπὸ οἴνου, ἢ ἀπὸ ἑτέρας τινὸς τῶν δαιμόνων κακότητος πράξῃ τοῦτο, ἓξ μῆνας, ἢ κατὰ συμπάθειαν τεσσαράκοντα ἡμέρας ἀργείτω τοῦ βαθμοῦ αὐτοῦ. καὶ πάλιν τῆς αὐτοῦ τάξεως ἐχέτω. ὁ δὲ παθὼν καὶ μὴ ποιήσας ἱερωσύνης ἀξιούσθω, καὶ οὗτος εἰ οὐ καταχρηστικῶς, ἀλλ' ἅπαξ ἑάλω ἐν τούτῳ, εἰ δὲ μήγε, μηδὲ οὕτως ἱεροθετείσθω διὰ τὸ πολυμόλυντον.

Γίνωσκε δὲ καὶ τὰ ἐπιτίμια, ἅπερ οὐχ ἡμεῖς, ἀλλ' ὁ μέγας ταῖς παραπεσούσαις ἐξέθετο Βασίλειος.

Ἡ προσβολὴ τοῦ λογισμοῦ ἀναμάρτητος συλλογισμός. μετανοίας δώδεκα ἡ συγκατάθεσις, ἐπιτιμίων ἀξία, ἡ πάλη, ἢ στεφάνων, ἢ τιμωριῶν, ἀξία. τὸ πάθος, εἰ μὲν μετὰ μολυσμὸν νυκτός, ἡμέρας ἔχει, μὴ κοινωνεῖν, καὶ μετανοίας τεσσαράκοντα ἐννέα. καὶ τὸν πεντηκοστόν. ἐγρηγορότος τοῦ σώματος μολυνθεῖσα, ἡμέρας ἔχει ἑπτὰ καθ' ἑκάστην τὰς τεσσαράκοντα ἐννέα μετανοίας ποιοῦσα, καὶ μὴ κοινωνοῦσα. Ἡ μετὰ χειρὸς μαλακία ἡμέρας ἔχει τεσσαράκοντα μὴ κοινωνοῦσα, καὶ τὰς τεσσαράκοντα ἐννέα μετανοίας καθ' ἑκάστην ποιοῦσα, οὐχί. * ἴσωθεν γὰρ εἰς τὸ κανονικὸν, δώδεκα χρόνους ὥρισαν τὸ ἐπιτίμιον, ἡ δὲ εἰς ἀλλήλους μῖξις διπλῆν ἔχει τὴν μαλακίαν, ἐν δυσὶ γὰρ ψυχαῖς ἐστι, διὸ καὶ ὀγδοήκοντα ἡμέρας ξηροφαγείτω.

ſua, & præteritos aliquot annos, non habent qua tatione communicent, eo quòd ſemper peccatis ſuccumbant, abſtineant à peccatis totam ſanctam Quadrageſimam, & tribus Paſchatis diebus cum timore, & tremore communicent. Hoc autem ex conſilii inopia dictum eſto, eo quod non poſſunt aliquando a carnalibus ſpurcitiis abſtinere, non autem ſecundum aliquam ſtatam & convenientem Pœnitentiæ imponendæ differentiam. Si verò tales homines durante Quadrageſima in mollitiem inciderint, neque ſic communicent, etiamſi eorum aliqui Munachi ſint, & ſancti. Miſerabilis enim illa animi perturbatio, omnia poſſidens, & avulſu difficillima, licet quadraginta tantùm diebus ſecundum Sanctorum Patrum canones à communione arceat in eam incidentes, id tamen aliis anni diebus prohibetur, num multo magis ſanctis Quadrageſimæ diebus?

De Eunuchis.

Latuit & effugit nos de Eunuchis ſermo: En nunc quæ eos ſpectant, dicemus. Illi enim ut ſancti Patres, adhuc & magnus Baſilius referunt, in mulieribus quæ vitorum, & in viris quæ ſunt mulierum perpetrant. Mulier igitur facilè cum Eunucho uniri deprehenditur, eo quod partum effugiunt: maximè autem hoc faciunt Viduę & Munachę; forte etiam quæ virus habent in minoribus præſidiis. Revera autem, atque ut actionis fert natura, eo quod conſuetudine venerea ſatiari non poſſunt, & Eunuchi tarde effluunt, ideo illis impune commiſcentur; atque etiam impudicis & proſtibulis pejores judicantur, graviuſque plecti debent, præſertim ſi non ſemel, ſed ſæpius & abuſivè, atque ut plurimùm cum Eunuchis & Barbatis peccaverint: ęquale Adulterio hoc judicari debet. Eunuchus ab annis ſedecim in mulierem incidens ad ſacerdotium nunquam perveniat. Si verò commixtus viro in poſterioribus paſſus fuerit, neque ii hoc audeat, licet ſemel tantùm id contigerit, vel propter ſimplicitatem, vel paupertatem, vel alterius poteſtatem hoc paſſus. Si autem in ſemoribus contaminationem ſubiit, hoc autem non ordinariè, ſed raró, & in pueritia, & propter alterius poteſtatem vel ſimplicitatem, ſcientia autem idonea præditus eſt, virtutiſque curam habet, ordinatione dignus habeatur: Attamen cum timore ſemper hoc peccatum defleat, Deumque propitietur, ut talis iniquitas ipſi remittatur.

De Barbatis.

Barbatus ſi cum alio in ſemoris contaminationem inciderit, qui egerit ne audeat ad ſacerdotium accedere. Si verò ſacro gradu jam donatus ſemel ad hoc ſeſe rapi conceſſerit vel vino, vel alia dæmonum malitia percitus id fecerit, menſes ſex vel ſecundum clementius judicium quadraginta dies à gradu ſuo ceſſet, & poſtea iterum eo potiatur. Qui verò paſſus non egit, Sacerdotio dignus habeatur; ſi tamen iſte non ordinariè ſed ſemel in hoc peccato deprehenſus eſt. Quod ſi non ita ſit, propter frequentem contaminationem ſacro miniſterio ne donetur.

Cognoſce autem Epitimia quæ non nos ſed magnus Baſilius pro lapſis mulieribus edidit.

Primus adventus & impetus ratiocinationis, collectio & ſyllogiſmus eſt peccati expers: conſenſus pœna dignus, duodecim Metanoias habet, lucta vel coronis vel pœnis digna eſt. Paſſio, ſi poſt pollutionem noctis, dies aliquot habet communionis prohibitæ, & Metanoias quadraginta novem cum pſalmo quinquageſimo. Si evigilavit corpore polluta, ſeptem dies habet, & unoquoque die quadraginta novem Metanoias faciet communione abſtenta. Mollities manu excitata abſtinentia communionis per 40. dies, & unoquoque die quadraginta novem Metanoiis damnatur. * Nullomodo: intra enim canonicum, ſive libellum Pęnitentialem, duodecim annorum epitimion definitur. Mutua verò commixtio duplicis eſt mollitiei, eo quod duobus ineſt corporibus, ideo octoginta diebus arida comedat.

IN
SEQUENTEM BREVEM
POENITENTIALEM,

Sive confitentium ordinem,

ADNOTATIO.

POenitentialem hunc libellulum deſcripſimus ex manuſcripto Bibliothecæ Eminentiſſimi Cardinalis Barberini, qui multa continet ad Pœnitentiam, canoneſque pœnitentiales ſpectantia. Deſcriptus fuerat codex ille ante annos circiter ſeptuaginta à Thoma Baſiliſco Græco Diacono ex vetuſto codice. Eſt autem Pœnitentialis libelli Breviarium, ſive Enchiridiũ tria breviter complectens, Confeſſionis edendæ & excipiendæ ritum, confitentis examinandi & interrogandi formulam, denique abſolutionis dandæ rationem. Pœnitentiales pœnas peccatis imponendas prorſus prætermittit. Ut hoc jure fiat, Confeſſionem & Confitentem ſtatim facta Confeſſione ad Indiculum remittit. Itaque ſupponit iſtius libelli author vulgatum fuiſſe in Eccleſiis libellum, ſive indiculum in quo ſigillatim pœnæ peccatis cannnicè imponendæ deſcribebantur, ad quem Sacerdos audita Confeſſione ut Pœnitentem canonicè multaret recurrebat. Ubi ſtellulas fiximus hæc erant ſine ſenſu verba, [illegible] Ἀμήν. Quæ expunximus: forſan alia omiſſa ſunt, quæ his conjuncta ſenſum commodum reddebant.

Ordo confitentium.

DICIT Sacerdos. Benedictus Deus noſter, nunc & ſemper, & in.

In pace Dominum deprecemur.

Pro ſuperna pace & ſalute animarum noſtrarum, Dominum deprecemur.

Pro remiſſione peccatorum Indulgentia prævaricationum ſervi Dei, N.

Ut ipſi omne delictum voluntarium & involuntarium indulgeatur, Dominum deprecemur.

Ut Dominus Deus donet illi remiſſionem peccatorum, & tempus Pœnitentiæ, Dominum deprecemur.

Ut ipſe noſque liberemur ab omni tribulatione, ira, periculo & neceſſitate, Dominum deprecemur.

Sanctiſſimæ, immaculatæ, & ſuper omnia benedictæ, glorioſæ Dominæ noſtræ Deiparæ, & ſemper Virginis Mariæ cum omnibus Sanctis memoriam facientes, nos ipſos & invicem, omnemque vitam noſtram Domino Deo commendemus.

Quia omnis honor & adoratio Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum decet, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum.

Poſtea dicit Sacerdos hanc præſentem orationem, Dominum deprecemur.

Domine Jeſu Chriſte, agnus Dei, & Paſtor, Fili Dei viventis, qui tollis peccatum mundi, qui mutuum donaſti duobus debitoribus, & peccatrici mulieri veniam peccatorum conceſſiſti, qui ſanitatem cum remiſſione peccatorum Paralytico largitus es, ipſe Domine remitte, dimitte, & concede peccata voluntaria, & involuntaria: quæ cum cognitione, vel ignoranter; quę per tranſgreſſionem & inobedientiam ſervo tuo N. facta ſunt ſive ut homo carnem deferens, & hujus mundi incola, ſive quę à diabolo deceptus, tranſgreſſus eſt, vel deliquit, ſive verbo, ſive ſcienter, ſive ignoranter, vel execrationi ſuppoſitus, vel perfidiæ reus: Ipſe ut benignus, & hominum amans, & malorum immemor Dominus horum ſecundum multam miſericordiam tuam lubens obliviſcere, remitte ſecundum magnam & inenarrabilem miſericordiam tuam proprium quod incurrit anathema & jusjurandum quod violavit. Ita Domine hominum amator, Domine Deus noſter exaudi me tuam bonitatem pro ſervo tuo deprecantem, atque ut multæ miſericordiæ ne reſpicias delicta ejus, & libera eum ab æterno ſupplicio. Tu enim dixiſti hominum amator, Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cęlis; quia tu es Deus qui peccare non potes, ſed peccata remittere potes, tibique gloriam reddimus, Patri, & Filio, & Sancto Spiritui, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum.

Ἀκολουθία τῶν ἐξομολογουμένων.

ΛΕΓΕΙ ὁ ἱερεὺς. Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν πάντοτε νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς.

Ἐν εἰρήνῃ τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν.

Ὑπὲρ τῆς ἄνωθεν εἰρήνης, καὶ τῆς σωτηρίας τῶν ψυχῶν ἡμῶν τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν.

Ὑπὲρ ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν, συγχωρήσεως τῶν πλημμελημάτων τοῦ δούλου τοῦ Θεοῦ, τοῦ δ.

Καὶ ὑπὲρ τοῦ συγχωρηθῆναι αὐτῷ πᾶν πλημμέλημα ἑκούσιόν τε καὶ ἀκούσιον τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν.

Ὅπως ὁ Κύριος ὁ Θεὸς δωρήσηται αὐτῷ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καιρὸν μετανοίας τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν.

Ὑπὲρ τοῦ ῥυσθῆναι αὐτόν τε καὶ ἡμᾶς ἀπὸ πάσης θλίψεως, ὀργῆς, κινδύνου, καὶ ἀνάγκης τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν.

Τῆς παναγίας ἀχράντου ὑπερευλογημένης ἐνδόξου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου, καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας μετὰ πάντων τῶν ἁγίων μνημονεύσαντες, ἑαυτοὺς καὶ ἀλλήλους καὶ πᾶσαν τὴν ζωὴν ἡμῶν Κυρίῳ τῷ Θεῷ παραθώμεθα.

Ὅτι πρέπει πᾶσα τιμὴ, καὶ προσκύνησις τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Εἶτα λέγει ὁ ἱερεὺς τὴν παροῦσαν εὐχήν.

Τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν.

Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ ἀμνὲ καὶ ποιμὴν, υἱὲ τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ὁ τὸ δάνειον χαρισάμενος τοῖς δυσὶ χρεωφειλέταις, καὶ τῇ ἁμαρτωλῷ γυναικὶ δεδωκὼς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, ὁ τὴν ἴασιν τῷ παραλυτικῷ χαρισάμενος σὺν τῇ ἀφέσει τῶν ἁμαρτιῶν, αὐτὸς δέσποτα ἄνες, ἄφες, συγχώρησον τὰς ἁμαρτίας, τὰ ἑκούσιά τε καὶ τὰ ἀκούσια, τὰ ἐν γνώσει τε καὶ ἀγνοίᾳ καὶ τὰ ἐν παραβάσει, καὶ παρακοῇ γενόμενα παρὰ τοῦ δούλου σου Δ. ἤτοι ὡς ἄνθρωπος, καὶ σάρκα φορῶν, καὶ τὸν κόσμον τοῦτον οἰκῶν, ἢ ἐκ τοῦ διαβόλου ἐπλανήθη, ἢ παρέβη, ἢ ἐπλημμέλησεν, εἴτε λόγῳ εἴτε ἐν γνώσει, εἴτε ἐν ἀγνοίᾳ ἐν παραβάσει καὶ παρακοῇ γενόμενα παρὰ τοῦ δούλου σου Δ. ἢ ὑπὸ κατάραν ἐγένετο, ἢ ὅρκον παρέβη, αὐτὸς ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος καὶ ἀμνησίκακος δεσπότης τῇ πολλῇ σου εὐσπλαγχνίᾳ τούτων λησθῆναι εὐδόκησον. Συγχώρησον αὐτῷ καὶ τὸ ἴδιον ἀνάθεμα καὶ τὸν ὅρκον κατὰ τὸ μέγα σου, καὶ ἄφατον ἔλεος. Ναὶ δέσποτα φιλάνθρωπε, Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐπάκουσόν μου δεομένου σου τῆς σῆς ἀγαθότητος ὑπὲρ τοῦ δούλου σου. Καὶ παρίδε ὡς πολυέλεος τὰ πταίσματα αὐτοῦ, καὶ ἀπάλλαξον αὐτὸν τῆς αἰωνίου κολάσεως. Σὺ γὰρ εἶπας φιλάνθρωπε ὅτι ὅσα ἂν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ. Ὅτι σὺ εἶ Θεὸς ἀναμάρτητος, καὶ δυνάμενος ἀφιέναι ἁμαρτίας, καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Καὶ ψάλλει τὸ τρισάγιον, τὸ δεῦτε προσκυνήσωμεν. ϗ τ̃ ν̄. ϗ τὰ παρόντα τροπάρια ἤχου πλαγίου δευτέρου, ἐλέησον ἡμᾶς. Κύριε ἐλέησον. Δόξα. Κύριε ἐλέησον ἡμᾶς. ϗ νῦν. τ̃ εὐσπλαγχνίας. τὸ Κύριε ἐλέησον μ΄. κείμενος λέγει, ἥμαρτον Κύριε, συγχώρησον ἐκ γ΄. ϗ ἀναστάμενος λέγει ὁ Θεὸς ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ.

Τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν.

Ὁ Θεὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν ὁ διὰ τοῦ προφήτου σου Νάθαν μετανοήσαντι τῷ Δαβὶδ ἐπὶ τοῖς ἰδίοις αὐτοῦ πλημμελήμασι * πρόσδεξαι τῇ συνήθει σου φιλανθρωπίᾳ, παρορῶν τὰ αὐτοῦ πλημμελήματα. σὺ γὰρ Κύριε ἀφιέναι ἐκέλευσας τοῖς περιπίπτουσιν ἁμαρτήματα, ὅτι ὡς ἡ μεγαλωσύνη σου, οὕτως ϗ τὸ ἔλεός σου. ϗ σὺ εἶ ὁ Θεὸς τ̃ μετανοούντων ἐν πάσαις ταῖς ἀνομίαις * ἡμῶν. ϗ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν τῷ πατρὶ ϗ τῷ υἱῷ ϗ τῷ ἁγίῳ πνεύματι νῦν ϗ ἀεὶ, ϗ εἰς τοὺς αἰῶνας τ̃ αἰώνων.

Εἶτα λέγει ὁ ἐξομολογούμενος ἄνω τὰς χεῖρας ἔχων. Πάτερ Κύριε τοῦ οὐρανοῦ ϗ τ̃ γῆς ὅτι σὺ γινώσκεις πάντα τὰ κρυπτὰ τ̃ καρδίας μου.

Εἶτα ἐρωτᾷ αὐτὸν πρᾳείᾳ τῇ φωνῇ, ἀδελφὲ διὰ τί ἦλθες πρὸς τ̃ Θεὸν ϗ πρὸς ἐμὲ, μὴ αἰσχυνθῇς. οὐ γὰρ ἐμοὶ ἀναγγέλλεις, ἀλλὰ τῷ Θεῷ ἐν ᾧ ἵστασαι, πῶς ἐφθάρη ἡ παρθενία σου, διὰ μαλακίας, ἢ διὰ πορνείας, ἢ διὰ νομίμης γυναικὸς, μὴ ἐσταυροπάτησάς ποτε διὰ πορνείαν, εἴτε δι' ἄλλου τρόπου, συνεγένου γυναικὶ εἰς ἐκκλησίαν, ἢ ἐφθάρης εἰς κτηνοβατείαν, ἢ παιδομιξίαν.

Ἐρώτησις.

ἔφαγες κρέας νεκρόν;
ἐπολέμησες εἰς ἀρσενοκοιτίαν;
ἐπαρακρούσθης;
ἐμαύλισάς τινα;
ἐπηρώτησάς τινας μάγους;
ἀπέθανέ σου παιδίον ἀβάπτιστον;
ὕβρισας γυναῖκα ϗ ἔτρωσας;
ἐδούλευσας μαλακίαν;
ἐτόκισας πολλάκις.
συνεγένου γυναικὶ ἀβαπτίστῳ;
ἔπεσες εἰς συντέκνισσάν σου;
ἔλαβες κοινωνίαν εἰς μαλακίαν;
συνεγένου μοναστρίᾳ;
ἐνεπύρισας οἶκόν τινος ἢ ἀγρόν;
ὑπεκρίθης τιμήν;
ἐφόνευσας;
ἐξέρασας ἀπὸ οἴνου;
ἐκράτησας μισθὸν μισθωτοῦ;
ἔφαγες αἷμα, εἰ οὐδέποτε ζῶον;
ἔβαλες ὕδωρ εἰς οἶνον, ϗ ἐπώλησας;
ἐκτήσας μέτρα δύο;
ὤμοσας εἰς ναὸν Κυρίου;
ἔπιες βοτάνην τοῦ μὴ ποιῆσαι παιδίον;
ἐσυκοφάντησάς τινας;
ἐθυμήθης ὅτι οὐκ ἔστιν ἀνάστασις νεκρῶν
παρέδωκας ἄνθρωπον εἰς φόνον;
ἐφθάρης εἰς ἀπολελυμένην γυναῖκα;
ἐφθάρης εἰς τὴν ἀδελφήν σου, ἢ εἰς μητρυιάν σου;
ἔφθασας εἰς μητέρα ϗ θυγατέρα;
ἔφθασας εἰς νύμφην σου, ἢ εἰς ἐξαδέλφην σου;
ἔτυψας ἱερέα ἢ μοναχόν;
ἐφαρμάκευσάς τινα;
ἐμίανας κοίτην πατρός σου;
παρωρίσας;
ἐλοιδόρησας;
ἐποίησας ἀρσενοκοιτίαν;
ἀνέσκαψας ἀνθρώπου τὸ μνῆμα, ϗ ἔλαβες τὰ ῥοῦχα τε, ὃ λέγεται τυμβορύχος;
ἔλαβες παρθενίαν γυναικός;
ἔπεσες εἰς δύο ἀδελφάς; ἢ εἰς δύο πρώτας ἐξαδέλφας;
μετέλαβες, ϗ μετέπειτα ἐξέρασας;
ἔλαβες ὅρκον ψευδῶς;
ὤμοσας ϗ ἔφθειρας * γυναῖκα τοῦ λαβεῖν αὐτὴν γυναῖκα, ϗ ὕστερον ἐγέλασας αὐτήν;
ἔστερξας τὸ ἐπιτίμιον τοῦ πνευματικοῦ σου καὶ τὸ ἴσως ἢ κανόνα σου, ϗ οὐ δὲν ἢ ἔκαμες;

Deinde pſallit Triſagion, Venite adoremus, Pſalm. 50. & occurrentia troparia toni obliqui ſecundi. Miſerere nobis. Kyrie eleiſon. Gloria. Domine miſerere nobis. Et nunc, miſericordiæ. Kyrie eleiſon quadragies. Jacens dicit ter, peccavi Domine, parce mihi, & ſurgens dicit Deus propitius eſto mihi peccatori.

Deum deprecemur.

Deus ſervator noſter, qui Davidi de propriis peccatis Pœnitentiam agenti per Prophetam Nathan veniam dediſti, ſuſcipe per conſuetam tuam clementiam hunc ſervum tuum, N. non reſpiciens ad ipſius peccata. Tu enim Domine juſſiſti lapſis peccata remittere. Quia ut magnitudo tua, ſic & miſericordia tua. Et tu es Deus Pœnitentium de omnibus iniquitatibus ſuis, tibique gloriam reddimus Patri, & Filio, & Spiritui ſancto & ſemper, & in ſecula ſeculorum.

Poſtea confitens manibus ſurſum elatis dicit, Pater Domine cœli & terræ tu cognoſcis omnia occulta cordis mei.

His actis manſueta voce ipſum interrogat, frater propter quid ad Deum acceſſiſti, & ad me? Ne erubeſcas: Non enim mihi confiteris, ſed Deo in quo ſubſiſtis. Quomodo corrupta eſt virginitas tua? Per mollitiem, vel per fornicationem, vel per legitimam uxorem? Nunquid crucem aliquando calcaſti propter fornicationem, aut alio modo fidem tuam ea interpoſita ſumptam violaſti? Rem cum muliere habuiſti in Eccleſia, aut corruptus per irrationalium initum, aut puerorum commixtionem:

Interrogatio.

Comediſti carnem mortuam?
Violenter irruiſti in maſculi ſtuprationem?
Clam audita in alterius perniciem retuliſti?
Aliquem ad mollitiem provocaſti?
Magos interrogaſti?
Filius tuus ſine baptiſmo mortuus eſt?
Uxorem verberaſti, & vulneraſti?
Mollitiem paſſus es?
Fœneratus es ſæpius?
Rem habuiſti cum muliere non baptizata?
Incidiſti in Commatrem tuam?
Communionem ſumpſiſti in mollitie?
Cum Monacha conſuetudinem habuiſti?
Alicujus domum, vel agros incendio vaſtaſti?
Alicujus honorem vel perſonam ſimulaſti?
Occidiſti?
Vino captus vomuiſti?
Mercenarii mercedem detinuiſti?
Sanguinem comediſti, ſi nunquam & animal?
Aquam in vinum immiſiſti, & divendiſti?
Habuiſti duas menſuras?
Juraſti in templum Domini?
Herbas miſcuiſti ut non pareres?
Circumveniſti & feſelliſti aliquos?
Cogitaſti quod non eſt reſurrectio mortuorum?
Hominem cædi tradidiſti?
Teipſum corrupiſti cum muliere dimiſſa?
Teipſum corrupiſti cum ſorore tua, & Noverca tua?
Acceſſiſti ad matrem vel filiam?
Acceſſiſti ad nurum tuam, vel patruelem tuam?
Sacerdotem vel Monachum verberaſti?
Veneno aliquem infeciſti?
Polluiſti lectum Patris tui?
Terminos agrorum dimoviſti?
Convitiatus es?
Pueros ſtupraſti?
Effodiſti hominis ſepulchrum, veſteſque ejus & cimelia cepiſti, quod dicitur ſepulchrorum effoſſio?
Rapuiſti virginitatem mulieris?
Incidiſti in duas ſorores, vel in duas primas patrueles?
Communicaſti, & poſtea evomuiſti?
Juramentum ab alio mendaciter exegiſti?
Juraſti te mulierem in uxorem ducturam, eam corrupiſti, & poſtea eam deriſiſti?
Pœnitentiam à Confeſſore impoſitam amplexus es, & eam non perfeciſti?
Juraſti Deo, & promiſiſti te futurum Monachum, & reſipuiſti?

Potum

Digitized by Google

Potum miſculſti ut perderes partum in ventre tuo.

Apprehenderunt te menſtrua tua in Eccleſia & non diſceſſiſti.

Furatus es alicujus veſtimenta, ſuppellectilem, pecunias, aut aliquid aliud.

Homicidium feciſti voluntarium, vel involuntarium.

Comediſti carnem, vel ovum, vel caſeum in ſancta & magna Quadrageſima, vel in a iis Quadrageſimis.

Quanto tempore cum virginitate tua fuiſti.

Interroget etiam ipſum Pœnitentiæ impoſitor,

Quomodo, & quantum temporis ſervivit.

Poſtquam ipſum minutim interrogaveris accipe tabulas, ſive indiculum tuum, & inquire quale illud eſt peccatum, atque ſiſte confitentem coram hoc libro, ut videat qualis peccato Pœnitentia imponitur.

Poſtea hæc dicito.

Fili mi ſpiritualis, N. ego humilis & peccator ſum, illius qui meæ humilitati confitetur peccata ſuper terram, dimittere non valeo. Nullus eſt qui peccata dimittere poſſit, niſi ſolus Deus. Sed propter hanc à Deo pronuntiatam vocem Apoſtolis poſt ipſius reſurrectionem, dicentem; Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis, quorum retinueris retenta erunt. Huic voci & nos confidentes dicimus, quæcunque declaraſti minimæ meæ humilitati; quæcunque non es confeſſus, vel propter ignorantiam, vel propter oblivionem qualemcunque Deus tibi dimittat in hoc ſeculo, & in futuro. Vade in pace. * *

Adjunge quoque hanc Orationem.

Deus, qui David propria mala confitenti per Prophetam Nathan pepercisti, & Petro abnegationem amarè deflenti, & meritrici ſuper immaculatos ipſius pedes lachrymanti Publicano quoque & Prodigo, parcat tibi per me peccatorem, & in hoc ſeculo & in futuro, & indemnatum te ad tremendum ipſius tribunal ſiſtat. De peccatis autem confeſſis ne ſis ſollicitus. Vade in pace.

Oratio in Confitentem.

Domine Deus noſter, qui Petro & meretrici per lachrymas remiſſionem peccatorum largitus es; & Publicanum multa peccata ſua cognoſcentem juſtificaſti, accepta hanc ſervi tui N. Confeſſionem. Et ſi quod eſt in ipſo delictum peccatum voluntarium, vel involuntarium, verbo, opere & cogitatione, ut benignus & hominum amans Deus dimitte. Tu enim ſolus poteſtatem habes peccata dimittendi: Quoniam Deus es miſericordiæ, & miſerationum, & clementiæ, & tibi gloriam reddimus, & Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum.

Oratio in eos qui res pollutas comederunt.

Here, Domine Deus, qui in altis habitas, & humilia reſpicis, qui in Sanctis requieſcis, & laus Iſrael, inclina aurem tuam, & exaudi nos te deprecantes, & veniam præbe ſervo tuo, N. qui polluta comedit, & carnes impuras cibum in lege ſancta tua prohibitum guſtavit. Horum involuntario participi veniam dona, & redde illum dignum ſine culpa participatione tremendorum tuorum & immortalium myſteriorum, pretioſi corporis & ſanguinis Chriſti tui, ut de cætero liberetur ab omni impura participatione & actione, & ſeſe oblectans in divinis tuis myſteriis participet ſanctæ & myſticæ menſæ tuæ, conſervatus nobiſcum in ſancta Eccleſia tua, in qua glorificet altum nomen tuum, & laudet te ſemper omnibus diebus vitæ ſuæ: Quia tuum eſt regnum, & virtus & gloria, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, nunc & ſemper in ſecula ſeculorum.

Poſtea pſallimus præſentia Troparia Dei genetricis in tono 4.

Nunc ad Dei genitricem intento animo confugiamus peccatores, humiles illi accedamus, cum peccatorum Pœnitentia clamantes ex profundo cordis, Domina auxiliare nobis, miſericordia commota feſtina: Propter peccatorum mul-

Morin. de Sacram. Pœnit.

ὤμοσας τὸν Θεόν σου, καὶ ἐσωκαταχώθης τὰ γένη· μοναχὸς, καὶ ὕστερον ἐμετανόησας.

ἔπιες ποτὸν, ἵνα θανατώσῃς τὸ βρέφος ἐν τῇ κοιλίᾳ σου.

ἦλθέν σου τὰ συνήθη ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ οὐκ ἀπῆλθες.

ἔκλεψας τινὸς ῥοῦχα, ἢ χρήματα, ἢ ἕτερον εἶδος.

ἐποίησας φόνον ἀκουσίως ἢ ἑκουσίως.

ἔφαγες κρέας ἢ ὠὸν ἢ τυρὸν τῇ ἁγίᾳ, καὶ μεγάλῃ τεσσαρακοστῇ, ἢ ταῖς ἄλλαις τεσσαρακοσταῖς.

καὶ πόσους χρόνους ἦς μετὰ τῆς παρθενίας σου.

καὶ ἐρωτᾷ αὐτὸν ὁ ἐπιτιμῶν.

πῶς δεῖ ἐδούλευσε, καὶ εἰς πόσους χρόνους.

Καὶ μετὰ τὸ ἐρωτῆσαι αὐτὸν κατὰ λεπτὸν, πίασον τὸν πίνακα, καὶ ἐρεύνησον ὁποῖον ἁμάρτημά ἐστι, καὶ κατάλαβε αὐτὸν ἔμπροσθεν τῆς βίβλου ταύτης, ἢ ὁποῖον ἁμάρτημά ἐστιν.

Εἶτα λέγε ταῦτα.

Τέκνον μου πνευματικὸν Δ'. ἐγὼ ὁ ταπεινὸς, καὶ ἁμαρτωλὸς, ὁ τῇ ἐμῇ ταπεινότητι ἐξομολογούμενος οὐκ ἰσχύω ἀφεῖναι ἁμαρτίας ἐπὶ τῆς γῆς, εἰ μὴ εἷς ὁ Θεός. διὰ δὲ τὴν θεολεκτον φωνὴν ἐκείνην τὴν μετὰ τὴν ἀνάστασιν αὐτοῦ γενομένην πρὸς τοὺς ἀποστόλους λέγουσαν· ἄν τινων ἁμαρτίας ἀφῆτε ἀφίενται αὐτοῖς, ἄν τινων κρατῆτε, κεκράτηνται. εἰς ἐκείνην καὶ ἡμεῖς θαρροῦντες λέγομεν. ὅσα ἐξεῖπες τῇ ἐμῇ ἐλαχίστῃ ταπεινότητι, ὅσα οὐκ ἔφθασες εἰπεῖν ἢ κατ᾽ ἄγνοιαν, ἢ κατὰ λήθην οἷον δήποτε ὁ Θεὸς συγχωρήσῃ σοι ἐν τῷ νῦν αἰῶνι καὶ ἐν τῷ μέλλοντι. πορεύου ἐν εἰρήνῃ.

Σύναψον καὶ ταύτην τὴν εὐχήν.

Ὁ Θεὸς ὁ συγχωρήσας Δαβὶδ διὰ Νάθαν τοῦ προφήτου τὰ ἴδια ἐξομολογήσαντα κακὰ, καὶ Πέτρου τὴν ἄρνησιν κλαύσαντα πικρῶς, καὶ πόρνην δακρυσάσαν ἐπὶ τοὺς ἀχράντους αὐτοῦ πόδας, καὶ τελώνην καὶ ἄσωτον. ὁ Θεὸς συγχωρήσει σοι δι᾽ ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ Δ'. καὶ ἐν τῷ νῦν αἰῶνι καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, καὶ ἀκατάκριτόν σε παραστήσῃ ἐν τῷ φοβερῷ αὐτοῦ βήματι, περὶ δὲ τῶν ἐξαγορευθέντων ἐγκλημάτων μηδεμίαν φροντίδα ἔχοις. πορεύου εἰς εἰρήνην.

Εὐχὴ εἰς ἐξομολογούμενον.

Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ τῷ Πέτρῳ, καὶ τῇ πόρνῃ διὰ δακρύων ἄφεσιν ἁμαρτιῶν δωρησάμενος, καὶ τὸν τελώνην τὰ πολλὰ πταίσματα ἐπιγνόντα δικαιώσας, πρόσδεξαι καὶ τὴν ἐξομολόγησιν τοῦ δούλου σου Δ'. καὶ εἴτι πᾶν πλημμέλημα ἐν αὐτῷ ἑκούσιον ἢ ἀκούσιον ἁμάρτημα ἐν λόγῳ ἢ ἔργῳ, ἢ κατὰ διάνοιαν ὡς ἀγαθὸς, καὶ φιλάνθρωπος Θεὸς συγχώρησον. σὺ γὰρ μόνος ἐξουσίαν ἔχεις ἀφιέναι ἁμαρτίας. ὅτι Θεὸς ἐλέους καὶ οἰκτιρμῶν καὶ φιλανθρωπίας ὑπάρχεις, καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν τῷ πατρὶ, καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Εὐχὴ εἰς μιαροφαγήσαντας.

Δέσποτα Κύριε ὁ Θεὸς, ὁ ἐν ὑψηλοῖς κατοικῶν, καὶ τὰ ταπεινὰ ἐφορῶν, ὁ ἐν ἁγίοις ἀναπαυόμενος, καὶ ἔπαινος τοῦ Ἰσραὴλ, κλῖνον τὸ οὖς σου, καὶ ἐπάκουσον ἡμῶν τῶν δεομένων σου καὶ παράσχου συγγνώμην τῷ σῷ οἰκέτῃ δούλῳ σου Δ'. τῷ μιαροφαγήσαντι καὶ γευσαμένῳ κρεῶν τῶν μὴ καθαρῶν τὴν βρῶσιν ἀπηγορευμένας ἐν νόμῳ ἁγίῳ σου τούτων ἀβουλήτως μετασχόντι συγχώρησον καὶ καταξίωσον αὐτὸν ἀκατακρίτως μεταλαβεῖν τῶν φρικτῶν σου καὶ ἀθανάτων μυστηρίων τοῦ τιμίου σώματος, καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ σου. ὅπως ῥυσθείη τοῦ λοιποῦ πάσης ἀκαθάρτου μεταλήψεως καὶ πράξεως, ἐν τρυφῶν τοῖς θείοις σου μυστηρίοις. καὶ λαβὼν τῆς ἁγίας σου μυστικῆς τραπέζης διαφυλαττόμενος σὺν ἡμῖν ἐν τῇ ἁγίᾳ σου ἐκκλησίᾳ. ἐν ᾗ δοξάζει τὸ ὄνομά σου τὸ ὕψιστον, καὶ αἰνέσῃ σε διὰ παντὸς πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς αὐτοῦ. ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Εἶτα ψάλλομεν τὰ παρόντα τροπάρια τῆς θεοτόκου εἰς ἦχον δ'.

Τῇ θεοτόκῳ ἐκτενῶς νῦν προσδράμωμεν ἁμαρτωλοὶ καὶ ταπεινοὶ, καὶ προσπέσωμεν ἐν μετανοίᾳ κράζοντες ἐκ βάθους ψυχῆς. δέσποινα βοήθησον ἐφ᾽ ἡμᾶς σπλαγχνισθεῖσα. σπεῦσον, ἀπολλύμεθα ὑπὸ πλήθους πταισμάτων. μὴ

ἀπο-

ἀποςρέψῃς τοὺς δούλους σου κενούς· σὲ γὰρ μόνην ἐλπίδα κεκτήμεθα· οὐ σιωπήσωμέν ποτε, Θεοτόκε, τὰς δυναστείας σου λαλεῖν οἱ ἀνάξιοι· εἰ μὴ σὺ γὰρ προΐςασο πρεσβεύουσα· ἐκ τῶν σοῦ τῶν κινδύνων, τίς δὲ διεφύλαξεν ἕως νῦν ἐλευθέρους; οὐκ ἀποςῶμεν δέσποινα ἐκ σοῦ. σοὺς γὰρ δούλους σώζεις ἀεὶ ἐκ παντοίων δεινῶν.

titudinem perimus. Ne repellas ſervos tuos vacuos. Te enim ſolam ſpem poſſidemus. Indigni, nunquam tamen ſilebimus, nunquam ceſſabimus, Dei genitrix, tuam potentiam & virtutem reſonare & prædicare. Niſi enim tu præfuiſſes precibus tuis pro nobis intercedens, noſque è periculis eruens, quis nos hucuſque liberos conſervaſſet? A te non recedimus, neque deficimus Domina; ſemper enim ſervos tuos ab omnimodis doloribus, & moleſtiis conſervas.

A D N O T A T I O.

In nonnulla intellectu difficilia quæ in præcedentibus Pœnitentialibus occurrunt. Quid, & quando Græcis Dominica προφωνήσιμος*, Dominica* ἀπόκρεως*, Dominica* τυροφάγος*, Septimana* διακαινήσιμος*. Quid & quando* ἀντιπάσχα*, Feſtum omnium Sanctorum, Feſtum Apoſtolorum. Ratio ſupputandi dies* κρεοφάγους*, Dominicam* ἀπόκρεω*, aliaſque mobiles ſolemnitates. Alia ſunt principia Solis & Lunæ apud Græcos, alia apud Latinos. Anni mundi diviſi per cyclos ſolis, lunæ, & indictionum demonſtrant præciſè numerum cycli currentem. Quod apud Græcos jejunia, & ea ſupputandi methodus. Quod in Græca Pœnitentia μετάνοια, & προσκύνησις.*

NOnnulla videri poterunt in Pœnitentialibus illis Græcis intellectu difficilia, præſertim Latinis qui Græcorum ritibus aſſueti non ſunt, & omnino diverſis innutriti. Authores Latini varii de his varia pronuntiarunt: Nos eorum ſententias nec probantes nec improbantes, tribus verbis difficultates illas ſic proponimus & explicamus Quatuor hebdomadarum mentionem faciunt, quarum nomina Latinis ſunt prorſus inuſitata, atque ideo viris doctis obſcura. Dominica προφωνήσιμος, Dominica ἀπόκρεως, Dominica τυροφάγος, Hebdomas διακαινήσιμος: cujus Dominica dicitur ἀντιπάσχα. Prima dicitur, προφωνήσιμος præmonens, denuntiativa. Quare ſic dicatur non legi ab iis explicatum: forſan quia apud eos antiquitùs eo die denuntiari ſoleret Quadrageſimæ initium, & Paſchalis ſolemnitas. Dominica illa ea eſt quam vocamus Septuageſimam Septimana hanc Dominicam præcedens dicitur ἑβδομὰς προφωνήσιμος. Septimana in qua fit præmonitio, denuntiatio. Dominica ſequens quam Sexageſimam vocare ſolemus, Græcis vocatur ἀπόκρεως, non quod illo die ſit carniſprivium, ſed quod ultimus ſit dies in quo carnes comedere liceat. Secunda enim feria eſt ἀπόκρεως, & ab ea incluſivè ad feſtivitatem Paſchalem carnes comedere Græcis eſt illicitum. Septimana autem quæ illam Dominicam præcedit dicitur Septimana τῆς ἀπόκρεω quod ſeptimana illa pertineat ad Dominicam carniſprivii non quod ea Septimana ullum ſit carniſprivium. Imò ea Septimana unuſquiſque pro facultate ſua lautè & opiparè convivatur.

Dominica τυροφάγος caſei comeſtrix, in qua caſeum licet comedere, τὴν ἀπόκρεω ſequitur, & nobis ſemper eſt Dominica Quinquageſimæ. Septimana quæ Dominicam iſtam præcedit, dicitur Græcis τυροφάγος, quod in ea liceat caſeum, ova, butyrum comedere: Dominica τυροφάγος eſt ultima dies in qua licet iſta comedere. Feria enim ſecunda Dominicam τυροφάγον ſequens incipit magna, & ſevera Quadrageſima, in qua hæc omnia ſeveriſſimè prohibentur. Itaque Græcis octo ſunt Septimanæ quibus carnes non comedunt; ſcilicet à Dominica carniſprivii τῆς ἀπόκρεω uſque ad Dominicam Paſchatis. Ea ratione quadraginta dierum jejunium perfectè celebrant. Dominicis enim & Sabbatis præter unicum quod eſt Paſchatis vigilia, jejunare non ſolent. Magnum igitur illud Sabbatum ſolum quadragenario numero accedit. Sed die feſti Adnuntiationis qui ferè ſemper in Quadrageſimam incidit, compenſatur: nunquam enim apud Græcos eſurialis eſt. Nonnunquam legere eſt nomen τῆς ἀπόκρεω Septimanæ προφωνησίμου tributum, eoque ſenſu duę τῆς ἀπόκρεω Septimanæ leguntur. Ita ſcripſit Balſamon in reſponſis, & Joannes Monachus in Pœnitentiali. Sed Joannes Jejunator utramque, ut par erat, proprio nomine diſtinxit. Animadvertet lector Græcos ordine Latinis retrogrado Septimanis iſtis nomina dare, quod cautiores fallere potuit. Latini enim Septimanis iſtis nomina tribuunt à Dominica præcedente, Græci à ſubſequente.

Ἑβδομὰς διακαινήσιμος, Septimana renovationis, eſt Septimana diem Paſchatis ſubſequens cujus Dominica ab iis, & in Pœnitentialibus noſtris dicitur ἀντίπασχα, *Antipaſcha*, nobis eſt Dominica in Albis. Sæpe etiam vocatur καινὴ κυριακή, Nuva Dominica. Septimana intermedia inter Paſcha & Dominicam in Albis eſt διακαινήσιμος. Feſtum omnium Sanctorum Græcis ea Dominica dicitur quæ Latinis Dominica Trinitatis; ſemperque eſt illis octava Pentecoſtes, ut & nobis Dominica Trinitatis. Feſtum omnium Apoſtolorum, eſt Feſtum Sanctorum Petri & Pauli, quod III. Kalendas Julii, ut à Latinis, celebratur. δωδεκαήμερον, dodecaemeron, duodecim dies. Sic vocant dies à natali Chriſti in Epiphaniam qui ab omni jejunio ſolent eſſe liberrimi.

Iſta multis Græcorum allatis teſtimoniis ita ſe habere probatu nobis eſt facillimum, ſed ad finem feſtinantibus his non licet immorari. Unico & brevi teſtimonio quod pleraq; iſta complectitur, utemur. In fine Horologii Gręcorum Venetiis editi anno 1639. eſt Paſchalium annis quinquaginta ſupputatum. Incipit ab anno Chriſti 1638. mundi ſecundum Græcam ſupputationem 7146. Indictione 6. Cyclo Solis ſexto, Lunæ 2.

Ἡ παραμονὴ τῶν Χριςοῦ γέννων, ἡμέρα κυριακῇ. κρεοφαγία ἡμέραι, λέ. ἡ ἀπόκρεω, ἰαννουαρίου κη. τοῦ εὐαγγελισμοῦ τῇ κυριακῇ τοῦ πάσχα. Νομικὸν πάσχα μαρτίου κβ'. τὸ ἅγιον πάσχα μαρτίου κέ. τῆς ἀναλήψεως μαΐου γ'. ἡ πεντηκοςὴ μαΐου, ιγ'. τῶν ἁγίων πάντων μαΐου, κ'. ἡ νηςεία τῶν ἁγίων ἀποςόλων, ἡμέραι λθ', ἡ μνήμη αὐτῶν ἡμέρα, ς' *Vigilia Nativitatis Chriſti die Dominica. Dies quibus caro manducatur, 35. carniſprivium Januar. 28. Adnuntiatio, Dominica Paſchatis. Paſchale legale Martii 22 Sanctum Paſcha Martii 25. Aſcenſio Maii 3. Pentecoſte Maii 13. Sanctorum omnium Maii 20 Jejunium Sanctorum Apoſtolorum, dierum 39. Eorum memoria, feria 6.* Hoc probare unicuique computi Eccleſiaſtici mediocriter perito eſt facillimum. Sed eligenda eſt antiqui computi methodus: Gregorianam enim Græci nondum agnoverunt. Anno 1637. litera Dominicalis erat, A, Vigilia Natalis Domini in Dominicam incidebat. Anno 1638. litera Dominicalis fuit, G, Aureus numerus 5 Novilunium Paſchale VII. id. Martii. Decima quarta Luna incidit in feriam quintam quæ eſt Martii 22. & Paſcha, ut adnotavit Græcus ille, ipſiſſimo die Adnuntiationi ſacro. Nunc ſi per Calendarium retrocedas à 25. Martii ad 28. Januarii cui eo anno affixa eſt Dominica ἀπόκρεως, deprehendes Dominicam illam cum antiqua noſtrà ſexageſima concurrere, & conſequenter τυροφάγον cum Dominica quinquageſimæ, & προφωνησίμην cum Septuageſima. Alia ratione ex eodem computo colligitur Septimana quæ præcedit τὴν ἀπόκρεω, & in ipſa ἀπόκρεω carnibus veſci licitum eſſe. Ait enim eo anno κρεοφαγίας eſſe 35. dierum. Supputationem incipiunt à natali, & ſupputando duos terminos includunt, ut experiri licet in ſingulis Paſchalii annis. Supputa igitur à die natali Chriſti ad Sexageſimam ſequentem, & natalem & Sexageſimam ſummæ adiiciendo, deprehendes κρεοφαγίας dies 35.

Matthæus Blaſtares Græcorum Canoniſta nondum editus in litera π. c. 7. multis agit de Paſchate. Ibi hanc facillimam Dominicæ carniſprivii inveniendæ regulam tradit, μετὰ δὲ τὴν ἡμέραν εὑρεῖν τοῦ μηνὸς καθ' ἣν τὸ χριςιανικὸν πάσχα γίνεται προσθεῖναι ταύτῃ τρεῖς ἡμέρας ἑτέρας· τεσσαρας δὲ εἰ ὁ χρόνος βίσεκτος ἐστί. καὶ ἐνιάσας ἅπαντας, εἰ μὲν ὁ ἀριθμὸς τινων εἰς τὸν μάρτιον πίπτει, ζήτει τὴν ἀπόκρεω ἐν τῷ ἰσαρίθμῳ τῷ ἰαννουαρίου ἡμέρᾳ. εἰ δὲ ἐκεῖνος ἐν τῷ Ἀπριλλίῳ εὑρισκεται ἀκόπως ταύτην ἐν τῷ φεβρουαρίῳ. *Poſtquam comperta fuerit dies menſis*

in

in qua Chriſtianum Paſcha contingit, adde illi tres, quatuor autem ſi annus eſt Biſſextilis; atque omnes conjunge. Si numerus ille in menſem Martium inciderit, quære carniſprivium in æquali numero menſis Ianuarii: Si verò in Aprili deprehenditur, illud in Februario inveſtiga. Anno 1638. non Biſſextili Paſcha celebratur 25. Martii, adde tria, ſummâ erit 28. Ergo 28 Januarii eſt Dominica τῆς ἀπόκρεω, ſive Sexageſimæ Sic de cæteris. Eadem arte perpetuo Latinorum Sexageſimam reperies, & antè, & poſt Calendarii correctionem. Idem colligitur de ἀπόκρεω & τυροφάγου ex alia regula quam paulò poſt tradit, Ἀριθμει μετὰ τὴν ἀπόκρεω. ἤτοι ἀπὸ τῆς δευτέρας τῆς τυροφάγου ἡμέρας πεντήκοντα ἕξ, κἀκεῖ τὸ χριστιανῶν πάσχα εὑρήσεις. *Numera poſt carniſprivium videlicet à ſecunda feria Septimanæ caſeariæ dies quinquaginta ſex, & illic Chriſtianum Paſcha invenies.* Hinc neceſſariò ſequitur diem primam τῆς τυροφάγου eam eſſe quæ primò Dominicæ carniſprivii ſuccedit, ut numeranti patebit: dies enim 56 eſt ipſum Paſcha.

Ex dictis in Paſchalio ulterius patet feſtum omnium Sanctorum à Paſchate pendere, & cum Dominica Trinitatis, ut diximus ſemper concurrere. Idem Matthæus Blaſtares methodum tradit breviſſimam qua quantitas jejunii Apoſtolorum inveſtigatur. Jejunii enim iſtius Græci principium Paſchati alligatum eſt, atque illius mobilitatem ſequitur, ſed finis eſt immobilis, vigilia ſcilicet Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Ex verbis iſtius methodi colligitur quando incipiat Septimana Διακαινησίμου. Ὅσας ἡμέρας εὑρίσκεις ἀπὸ τῆς δευτέρας τῆς διακαινησίμου μέχρι τῆς τρίτης τοῦ μαΐου, τοσαύτας ἐνδέχου, καὶ τὰς ἐν τῷ θέρει νηστείας εἶναι τῶν ἁγίων ἀποστόλων. *Quot dies deprehenduntur à ſecunda feria ſeptimanæ renovationis uſque ad tertiam Maii, tot accipe, & habebis dies eſuriales jejunii Apoſtolorum æſtivi.* Verbi gratia in exemplo propoſito, numera dies à ſecunda feria ſequente Paſcha hoc eſt à 26. Martii uſque ad diem 3 Maii, & 34. deprehendes: Tot diebus conſtat illius anni jejunium Apoſtolicum. Initium igitur τῆς διακαινησίμου eſt ſecunda feria poſt Paſcha. Incipit autem ſemper iſtud jejunium Feria 2. poſt Dominicam Trinitatis. Ex illo Paſchalio manifeſtum eſt aliud eſſe principium cycli ſolaris Gręcis, aliud Latinis: Nam Solis cyclus Græcis ſextus, Latinis eſt 23. Cyclus quoque lunæ variat ab aureo Latinorum numero, & principiũ enneadecaeteridis Latinę tribus annis præcedit Grę-cam enneadecaeterida. Enneadecaeteris illa Græca eadem eſt quæ in cyclis Dionyſianis apud Bedam lunaris cyclus.

Obiter notabit Lector hodiernæ chronographiæ ſtudioſus admirandam prorſus eſſe annorum mundi juxta Græcos cum tribus cyclis ſolis, lunæ, & Indictionum convenientiam. Nam diviſi per unumquemque cyclum nulla additione aut detractione facta dant illis præcisè cyclum ſolis vel lunæ vel Indictionum currentem. Latinis qui ſecundum annos Chriſti ratiocinia ſua ſubducunt, non licuit eſſe tam felicibus. Annis enim Chriſti ad currentem Solis cyclum inveniendum annos addunt 9. ad Cyclum Lunæ unum, tres ad Indictionum cyclum Ideo recentiores Chronographi ut eodem commodo uterentur ſibi periodum finxerunt ex trium iſtorum cyclorum multiplicatione conſurgentem, quam Julianam dixerunt. Hæc ſatis myſteriorum Chronologicorum peritis.

Jam cœpimus de Græcorum jejuniis verba facere: Perſequemur, eo quod Pœnitentiales noſtri libelli eorum mentionem faciant. Græci quatuor colunt jejunia. Quadrageſimale quod omnibus Chriſtianis eſt commune; Jejunium Sanctorum Apoſtolorum; Jejunium Auguſti, ſive dormitionis S. Deiparæ, & Jejunium Natalis Chriſti. De duobus prioribus pro brevitate cui nunc ſtudere neceſſum eſt, ſatis multa dicta ſunt. Jejunium dormitionis Sanctæ Deiparæ dicitur antiquitus quadraginta dierum fuiſſe, & cœpiſſe à ſexta Julii; poſtea, quod credibilius, à prima Auguſti. Idem dicunt de jejunio Nativitatis, quadragenarium fuiſſe, & decima quinta Novembris iniiſſe. Teſtatur tamen Balſamon tria illa jejunia ſuo tempore ſeptem dierum præcipi, ſed plures dies jejunare nullomodo eſſe prohibitum: Teſtantur enim qui in Græcia vixerunt jejunia illa ultra ſeptem dies non diffundi. Magna Quadrageſima poſt τυροφάγου ſtrictiſſimè jejunatur, nec piſces, nec ova, nec lacticinia, nec etiam oleum niſi morbi cauſa comeduur. Sed in aliis jejuniis exceptis quartis & ſextis feriis iſta permittuntur. Antiquitus, ſi oleum excipias, iſta prohibebantur. Dicunt autem hæc jejunia inſtituta eſſe ante magna hæc feſta, ut fideles ad myſteriorum communionem puriores & ſanctiores accedant.

Sæpe etiam leges in iiſdem Pœnitentialibus nomen μετανοίας pro pœna aliqua laborioſa in peccati punitionem impoſita. De hac μετανοίας ſignificatione nonnulla diximus Libri primi cap. 1 Triplices fieri ſolent à Græcis ejuſmodi Pœnitentiæ, maximæ, minores, & minimæ. Maximæ, cum ſe totos in terram uſque proſternunt. Minores, cum corpus ita flectunt, & incurvant; ut extremis digitis terram attingant. Minimæ, cum caput & ſcapulas paululùm tantùm inclinant. Μετανοίας autem iſtas finiunt ſigno crucis in pectore frequenter ſignato. Minimas autem μετανοίας vocant etiam προσκυνήσεις.

I N

CLERICUS. Qnam verè omnes hujus veniæ indigemus, cum omnes continuo peccemus!

EPISCOPUS. Verè frater, Quis enim gloriabitur ſe cor habere purum? vel quis ab omni ſorde purus, ut ſcribitur, licet diem unum vitæ impenderit? ſive conſideretur ob peccatum originale peccator, ſive baptiſmo illuminatus, ſtatim licet invitus in aliquod peccatum inciderit. Fieri enim non poteſt ut vel infantiæ ignorantia non aliquando contingat vel Patrem, vel Amicum, vel Cognatnm aliquem illius cauſa peccaſſe. Sed iſtius rei cauſa contingit nt ſtatim illi macula & peccatum tribuatur, cum homo licet gratiam acceperit, ob hoc ſolum & quæ carnis ſunt, ſtatim ac generatus eſt imprudenter & ſine mente quærat & appetat. Hoc antem ex tranſgreſſione venit, qua ſimul ac furmatus eſt, & nondum intelligens peccat, quia in peccatis ſecundum Davidem concipitur. Si igitur fieri non poteſt, ut infanti recenter nato, & baptizato non inuratur peccatnm aliquod; multò ſanè magis nobis omnibus qui licet ratione utamur, in omnibus tamen & ſecundum, & præter ſententiam nnſtram, magis vero ſecundum animi noſtri ſententiam perpetuò peccamus, idque ultro negligimus: Quod enim ex oblivione & ignorantia peccamus, ex incuria noſtra procedit. Non eſt autem in hoc malo excuſando laborandum, ſed ſolum pœnitendum eſt, nt Baptiſta, & Dominus, atque ipſius diſcipuli prædicarunt: Pænitere oportet & Laicos, & Monachos, & Clericos, & Sacerdotes, & Epiſcopos, & nullum Pœnitentiæ ſeſe eximere, qnia omnes peccavimus & peccamus, & omnes Pœnitentiæ agendæ rei ſumus. Ideo Servator nnſter, & ipſins Baptiſta dixerunt, Pœnitentiam agite, ppropinquavit enim regnum cœlorum. Ipſe enim cœlorum ex prope adeſt omnibus Pœnitentibus. Quia prope eſt Dominus omnibus eum invocantibns in veritate. Egn autem diſertè & manifeſtè omnibus qni mecū ſunt, exclamn per gratiam Jeſu Chriſti, Pœnitentiam agamus, nt ſervemur: Prope enim Dei regnum, & cum diviniſſimo Paulo: Nnnc proprior eſt ſalus noſtra; venit enim Salvator noſter & Judex. Deponamns igitur npera tenebrarum, & induamus arma lucis.

Quod autem Confeſſio & Pœnitentia neceſſariæ ſint Sacerdotibns, & Monachis & laicis Apoſtolns teſtatur, dicens, Confitemini alteruttum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſanemini. Ex eo quod ait, confitemini alterutrum & orate pro invicem, docet omnibus utilem eſſe peccatnrum cnnfeſſinnem & Pœnitentiam, quam antea, ut diximus, prædicaverat Baptiſta, & Salvator operatus fuerat, recipiens peccatorum confeſſiones, & maximè Publicani, Prodigi, Meretricis, Zacchæi, & Latronis è cruce, aliorumque complurium. Hæc præterea mnltis Parabolis demonſtrat, ſed præſertim per Prodigi parabolam, qui omnia quidem fecit quæ ad Pœnitentiam ſpectant. Cum enim diceret, peccavi in cœlum, & coram te, confeſſinnem fecit: cum verò, non ſum dignus vocari filius tuus contritionem ſubindicavit, & ſui ipſius condemnationem per ſponte factam ſui increpationem. Cum autem dixit, fac me ut unnm ex Mercenariis tuis, humilem cum ſpe ſupplicationem: de nemine enim deſperandum. En igitur ex Euangelio Pœnitentiæ fructns, quos poſtulat ipſe Baptiſta. Convertere ſe à peccato: Sic enim fecit luxurioſus ille qui ſervatus eſt, relinquens luxuriem & vitam impuram, rediit ad Patrem ut ipſi confiteretur. Peccavi enim, confidenter dicit. Nec hæc ſimpliciter, ſed in cœlum & coram te, impia videlicet & ſceleſta operatus, & cœleſtibus contraria, & coram te tni contemptor viſus ſum, neqne te ſanctum creatorem meum, nilomodo reformidavi, neque reveritus ſum, ant pudore ſuffuſus excolni. Verè ſeipſum condemnare; inqnit enim, non ſum dignns vocari filius tnus: Præterea deſiderare, & quærere humilinm, reorum, & debitorum opera & officia; dicit enim fac me nt unnm ex mercenariis tuis

Hæc quoque præſtitit & docuit Apoſtolorum chorus. Maximè autem propter hoc laborantes ad eos veniebant, morientes currebant: Ipſi verò ad peccantium converſionem magno cum deſiderio feſtinabant, quos & corripiebant & exhortabantur, & à malis conſiliis ſuis avertebant, & cum opus erat recipiebant: Denique toti erant in eorum ſalute procuranda occupati. De qno nobis, viris ſacratis dico, diligenter curandum eſt, hocque clamo, & mihi, & Collegis meis Epiſcopis, alios ad Pœnitentiam vocare & agere opus eſſe omnium excellentiſſimum, nobiſque præ cæte-

ΚΛΗΡΙΚΟΣ. ὡς ἀληθῶς δέομεθα τῆς τοιαύτης χρήζομεν πάντες, ὅτι καὶ πάντες διηνεκῶς ἁμαρτάνομεν.

ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. ἀληθῶς ἀδελφέ. τίς γὰρ καυχήσεται ἁγνὴν ἔχειν τὴν καρδίαν, ἢ τίς καθαρὸς ἀπὸ ῥύπου, ὡς γέγραπται κἂν μίαν ἡμέραν ἐν διατρίψῃ τῷ βίῳ, τὸ μὲν ὢν ἀπὸ τῆς προγονικῆς ἁμαρτίας ἁμαρτωλός, τὸ δὲ, ἐκ φωτισθεὶς τῷ βαπτίσματι, εὐθὺς καὶ ἄκων κατά τι περιπίπτων τῇ ἁμαρτίᾳ. τὸ γάρ τινα χάριν τῆς ἡμαρτηκέναι γονέα τυχόν, ἢ φίλον, ἢ συγγενῆ ὅπερ ἀδύνατον μὴ συμβῆναι, εἰ καὶ ἐν ἀγνοίᾳ τοῦ βρέφους. ἀλλ' αἰτία τοῦτο συμβαίνει, καὶ προστίθεται τούτῳ ῥύπος εὐθὺς καὶ ἁμάρτημα. ὅπου καὶ ἄνθρωπος τοῦτο μόνον εἰ ἐκ τὴν χάριν ἔλαβε, καὶ τὰ τῆς σαρκὸς εὐθὺς ζητεῖ γεννηθείς, καὶ ἀλόγως, καὶ τὸ ἐνθυμηθεὶς. τοῦτο δὲ ἐκ τῆς παραβάσεως ὅθεν καὶ ἅμα τεχθεὶς καὶ μήπω νοῶν ἁμαρτάνει, ὡς καὶ ἐν ἁμαρτίαις κατὰ τὸν Δαβὶδ συλλαμβάνεται. εἰ οὖν καὶ ἐν τῷ ἀρτιγενεῖ καὶ νεοφωτίστῳ βρέφει ἀδύνατον μὴ προσεῖναι τινα ἁμαρτίαν, πολλῷ γε δὲ ἐν πᾶσιν ἡμῖν καὶ κατὰ γνώμην, καὶ παρὰ γνώμην μᾶλλον δὲ κατὰ γνώμην ἐν πᾶσιν, ὡς λογικοῖς οὖσι, καὶ ἀμελοῦσιν ἑκοντὶ διηνεκῶς ἁμαρτάνουσι, καὶ τὰ τῆς λήθης καὶ ἀγνοίας παρὰ τῆς ἡμῶν ἀμελείας. καὶ οὐκ ἔστιν ἀπολογίαν εὑρεῖν, διὸ μετανοεῖν μόνον χρή, ὡς ὁ βαπτιστὴς καὶ ὁ δεσπότης ἐκήρυξε, καὶ οἱ αὐτοῦ μαθηταί. καὶ πάντας μετανοεῖν χρὴ λαϊκούς τε καὶ μοναχούς, κληρικούς τε, καὶ ἱερεῖς, καὶ ἀρχιερεῖς, καὶ μηδένα χωρίζειν τῆς μετανοίας ἑαυτόν, ὅτι πάντες ἡμάρτομέν τε καὶ ἁμαρτάνομεν, καὶ μετανοεῖν πάντες ὀφείλομεν. ὅθεν καὶ ὁ μὲν σωτὴρ ἡμῶν ἔφη καὶ ὁ αὐτοῦ βαπτιστής, μετανοεῖτε, ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. αὐτὸς δὴ ὁ τῶν οὐρανῶν βασιλεύς, ἐγγὺς γενόμενος τοῖς μετανοοῦσιν, ὅτι καὶ ἐγγὺς Κύριος πᾶσι τοῖς ἐπικαλουμένοις αὐτὸν ἐν ἀληθείᾳ. ἐγὼ δὲ τρανῶς ἐκβοῶ πᾶσι μετ' ἐμοῦ διὰ τῆς τοῦ σωτῆρος ἡμῶν χάριτος, μετανοῶμεν, ἵνα σωθῶμεν, ἐγγὺς γὰρ τοῦ Θεοῦ βασιλεία, καὶ κατὰ τοῦ θεσπεσίου Παύλου, νῦν ἐγγύτερον ἡμῶν ἡ σωτηρία, ὁ γὰρ σωτὴρ καὶ κριτὴς ἡμῶν ἔρχεται. ἀποθώμεθα οὖν τὰ ἔργα τοῦ σκότους, καὶ ἐνδυσώμεθα τὰ ὅπλα τοῦ φωτός.

Ὅτι δὲ καὶ ἱερεῦσιν ἀναγκαῖα ὡς καὶ μοναχοῖς καὶ λαϊκοῖς ἡ ἐξαγόρευσις, καὶ μετάνοια, ὁ ἀπόστολος μαρτυρεῖ, ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις, λέγων, τὰ παραπτώματα, καὶ εὔχεσθε ὑπὲρ ἀλλήλων, ὅπως ἰαθῆτε. ἐκ τοῦ ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις, καὶ εὔχεσθε ὑπὲρ ἀλλήλων, διδάσκων ὡς πᾶσι χρεία ἐστὶν ἡ τῶν ἐπταισμένων ἐξαγόρευσις καὶ μετάνοια. ἣν δὴ προεκήρυξε μὲν καὶ ὁ βαπτιστής, ὡς εἰρήκαμεν. καὶ ὁ σωτὴρ ἐνήργησε, δεξάμενος τὰς τῶν ἁμαρτωλῶν ἐξομολογήσεις, καὶ ἐξαιρέτως τοῦ τελώνου, τοῦ ἀσώτου, τῆς πόρνης, τοῦ Ζακχαίου, τοῦ λῃστοῦ ἐπὶ τοῦ σταυροῦ, καὶ πλείστων ἄλλων ἁμαρτησάντων τὴν ἐξαγόρευσιν. καὶ παραβολαῖς δὲ τοῦτο δηλοῖ, ἐκ μάλλον τῇ τοῦ ἀσώτου, ὃς δὴ τὰ τῆς μετανοίας πάντα ποιεῖ, καὶ λέγων μὲν τό, ἥμαρτον εἰς τὸν οὐρανόν, καὶ ἐνώπιόν σου, τὴν ἐξομολόγησιν ἐνεργεῖ, τὸ δὲ οὐκ εἰμὶ ἄξιος κληθῆναι υἱός σου τὴν συντριβὴν ὑπεμφαίνει, καὶ τὴν ἑαυτοῦ κατάκρισιν σὺν τῇ αὐτομεμψίᾳ. τὸ δὲ ποίησόν με ὡς ἕνα τῶν μισθίων σου, τὴν μετ' ἐλπίδος ταπεινὴν ἱκεσίαν. οὐ δεῖ γὰρ ἀπογινώσκειν τινα. ἰδοὺ οὖν ἀπὸ τοῦ εὐαγγελίου ἐκ οἱ καρποὶ τῆς μετανοίας οὓς ἀπαιτεῖ καὶ ὁ βαπτιστής, τὸ ἐπιστρέψαι ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας. οὕτω γὰρ καὶ ὁ σωθεὶς ἄσωτος διεπράξατο καταλιπὼν τὴν ἀσωτίαν ἐπανῆλθε πρὸς τὸν πατέρα τοῦ ἐξομολογήσασθαι· ἥμαρτον γὰρ παρρησίᾳ λέγει, καὶ οὐχ ἁπλῶς, ἀλλ' εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ ἐνώπιόν σου, τὰ ἐναγῆ δηλονότι ποιήσας, ἐκ ἐναντία τῶν οὐρανίων, καὶ ἐνώπιόν σου καταφρονητὴς φανείς, καὶ μὴ πτοηθεὶς μηδ' εὐλαβηθείς, ἢ ἐντραπεὶς ὅλως σε τὸν ἅγιον ποιητήν μου· τὸ κατακρῖναι ἑαυτὸν ἀληθῶς, οὐκ εἰμὶ ἄξιος γάρ φησι κληθῆναι υἱός σου, καὶ τὸ δέξασθαι καὶ ζητῆσαι τὰ τῶν πενήτων ἔργα καὶ ὑποδίκων ἐκ ὀφειλόντων, ποίησόν με γὰρ λέγει ὡς ἕνα τῶν μισθίων σου.

Ταῦτα καὶ ὁ χορὸς τῶν ἀποστόλων ἔπραξε, καὶ ἐδίδαξε, μᾶλλον δὲ διὰ τοῦτο κοπιῶντες διήρχοντο, καὶ ἀποθνήσκοντες ἔτρεχον, ἐπιστρέφειν τοὺς ἁμαρτάνοντας ἐρῶντες, καὶ σπεύδοντες, οὓς καὶ ἐπετίμων, καὶ παρεκάλουν, καὶ ἀπεστρέφοντο, ὅτε ἔδει, καὶ παρεδέχοντο, καὶ ὅλοι τοῦ σῶσαι πάντας ἐγίνοντο. περὶ οὗ δὴ καὶ ἡμῖν σπουδαστέον τοῖς ἱερωμένοις φημί, καὶ τοῦτο βοῶ, καὶ ἐμοὶ καὶ τοῖς σὺν ἐμοὶ ἱεράρχαις, ὅτι τοῦτο μᾶλλον πάντων τῶν ἄλλων ἡμῖν ὀφειλόμενον ἐξαίρετον ἔργον τὸ πρὸς μετάνοιαν ἄγειν. καὶ τοῦτο

κηρύγ-

κηρύγματος ἐργασία, καὶ ὡς τὸ ἐπιστρέφειν ἀθέους πρὸς τὴν πίστιν. ἐπεὶ καὶ καλὸν μὲν τὸ ἀπίστους πρὸς πίστιν ἕλκειν. καὶ τοῦτο γὰρ τοῦ σωτῆρος, καὶ τῶν ἀποστόλων αὐτοῦ. σπάνιον δὲ νῦν τὸ καὶ τὸν ζῆλον τῶν ἀποστολικῶν ἀνδρῶν ἐκλιπεῖν, καὶ τοὺς διωγμοὺς μείζους ἄρτι γενέσθαι. κάλλιστον μετὰ τοῦτο, καὶ ἴσον τούτῳ τὸ τοὺς πιστοὺς συντηρεῖν, καὶ ἐπιστρέφειν ὅλῃ δυνάμει καὶ σπουδῇ πάσῃ πρὸς τὴν μετάνοιαν, διὸ καὶ οὐ χρὴ τούτους ἀναμένειν ἔρχεσθαι, μηδὲ ζητεῖν παρ' αὐτῶν τὴν ἐπιστροφὴν, ἀλλὰ περιτρέχειν τοὺς οἰκονόμους τῆς μετανοίας, καὶ ἐρευνᾶν, καὶ ζητεῖν τὸν πταίοντα. καὶ πᾶσι τρόποις ἕλκειν ἐπείγεσθαι πρὸς Θεὸν, καὶ ἀπάγειν μὲν τῆς ἁμαρτίας, προσάγειν δὲ τῷ Θεῷ· καὶ τοῦτο ἀντὶ κηρύγματος τοῦ εὐαγγελίου ἔσται τῷ ἱεράρχῃ μᾶλλον δὲ αὐτὸ τὸ κήρυγμα. τί γὰρ ἕτερον τὸ κήρυγμα; ἢ τῶν ἀπολωλότων ἡ σωτηρία καὶ τῶν πεπτωκότων ἡ ἔγερσις, καὶ τῶν πεφευγότων ἀπὸ τοῦ κρείττονος, ἡ πρὸς τοῦτο ἐπιστροφή. ὅπερ οὖν ἐστὶ πρὸς τοὺς σφαλέντας περὶ τὴν πίστιν, ὅτι ὁ ἐπιστρέψας αὐτοὺς πρὸς Θεὸν, ὡς στόμα Θεοῦ ἐστιν, ἀξίους ποιήσας ἐξ ἀναξίων, τοῦτο καὶ τὸ ἐπιστρέψαι ἐστὶ τὸν ἡμαρτηκότα. ὁ γὰρ ἐπιστρέψας ἁμαρτωλὸν ἐκ πλάνης ὁδοῦ αὐτοῦ ὁμοίως στόμα Θεοῦ, καὶ Χριστοῦ ἄξιος, ὡς σώσας ψυχὴν ἐκ θανάτου, καὶ καλύψας πλῆθος ἁμαρτιῶν κατὰ γέγραπται.

Δι' ἣν αἰτίαν καὶ ὁ λόγος ἐπ' ἐκκλησίας τῆς διδασκαλίας ἐνεργεῖσθαι τοῦ πνεύματος, καὶ παραδίδοται. καὶ ἀναγκαῖος τῷ ἱεράρχῃ ὀφειλόμενος, καὶ οὗτος οὐ σεσοφισμένος τις καὶ ποικίλος, οὐδ' ἐκ λόγων τῆς ἔξω τέχνης συντεθειμένος, ἀλλ' ἁπλοῦς τις καὶ κατὰ δύναμιν πρὸς καταρτισμὸν τῶν ψυχῶν πρὸς τὴν τῶν ἠθῶν διόρθωσιν, καὶ κατάστασιν ἀγαθὴν, πρὸς στηριγμὸν τῶν ἑστηκότων, πρὸς ἀνέγερσιν τῶν πεπτωκότων, πρὸς ἐπαναγωγὴν τῶν μακρυνθέντων, πρὸς στάσιν τῶν κλονηθέντων, πρὸς τὴν δυνατὴν τῶν πάντων ὠφέλειαν, ὅτι οὐδὲ μετὰ τῆς φύσεως αἱ τέχναι τε καὶ διάφοροι μέθοδοι, ἀλλὰ τῆς φύσεως ὕστερον ἐφευρέσεις, Θεὸς δὲ τὴν φύσιν ἐπανορθῶν, ἐκ τῶν διδομένων τῇ φύσει ἁπλῶν, καὶ ἀποικίλων ἐπανορθοῖ. διὸ καὶ σεσάρκωται διὰ τῆς αὐτῆς, ἡμῶν φύσεως ἀναμορφῶν καὶ ἀναπλάττων τὴν φύσιν. ἐξ οὖν ἁπλοῖς τοίνυν λόγοις καὶ τοῖς τοῦ πνεύματος μᾶλλον ὁ διδάσκαλος διδασκέτω, ἵνα καὶ κατορθῇ, καὶ ἑαυτὸν ὠφελῇ ταπεινούμενος ὢν ἐκ μὴ κομπάζοντι ἐκ τῶν ποικίλων, μηδ' ὠφελῶν τοὺς ἀκούοντας, καὶ τὸ χρέος ἀποπληρῶν. τοῦτο παντὸς κηρύγματος καὶ διδασκαλίας νομιζέτω τέλος, ἢ τοὺς ἀκροατὰς καὶ ὑφ' αὐτὸν ὠφελῆσαι, ἢ τὸ χρέος ἀποπληρῶσαι. οὐαὶ μοι γάρ φησι Παῦλος, ἐὰν μὴ εὐαγγελίζωμαι, ὃς καὶ τὰς ἄλλας πολλάκις δείκνυται ἱερὰς πράξεις καὶ τελετὰς. καὶ αὐτὸ τὸ βάπτισμα μὴ σπεύδειν τοσοῦτον ἐνεργεῖν, ἀλλὰ προτιθέναι τὸ κηρύσσειν, ἵνα πλείστους ἐπιστρέψῃ. καὶ φησὶν, οὐ γὰρ ἀπέστειλέ με Χριστὸς βαπτίζειν, ἀλλ' εὐαγγελίζεσθαι. καίτοιγε ἐβάπτιζε, καὶ τὸν Τιμόθεον, καὶ τὸν Στεφανᾶ οἶκον, καὶ πλείστους ἄλλους ἐβάπτισεν, ἀλλὰ τούτου τὸ κήρυγμα προτίθησι μᾶλλον, διατί; ὅτι δεῖ πρότερον ἐπιστρέψαι τὸν ἄπιστον πρὸς τὴν πίστιν, καὶ τότε τοῦτον βαπτίσαι. τὸ βαπτίσαι νῦν, καὶ ἱερέως τινός, τὸ δὲ ἐπιστρέψαι διδασκάλου. ἀλλὰ νῦν ὁρῶ φεῦ ἅμα ἐκ τῶν ἱερῶν καταμελοῦντας πολλοὺς τελετῶν, καὶ τοῦ λόγου τῆς διδασκαλίας τοῦ κηρύγματος τοῦ θείου καὶ σωτηρίου· καὶ ἅπαξ μὲν ἱερουργοῦντας ὑπεροχικῶς τε καὶ μετὰ φαντασίας τινὸς, ὀλιγάκις δὲ προσευχομένους, καὶ οὐδαμῶς κηρύσσοντας, μεγαλοπρεπῶς τε προκαθημένους, καὶ κοσμικῶν φροντίζοντας κοσμικῶν, ἐξ ὧν μάχαι καὶ ταραχαὶ πᾶσαι τίκτονται, ἔριδές τε καὶ φιλονεικίαι ἀνωφελεῖς, μᾶλλον δὲ ψυχοβλαβεῖς, καὶ περὶ μὲν κτημάτων φροντίδα τῶν φθειρομένων ἀσχολουμένους, περὶ δέγε βίου πνευματικοῦ ἑαυτῶν ὡς πνευματικῶν μᾶλλον ὄντων ἢ τῶν ὑπ' αὐτοὺς, ἢ ἐξετάσεως ἱερῶν γραφῶν καὶ συντηρήσεως τῶν κανόνων, ἢ ἑτέρας ἀσκήσεως· ἱερᾶς τῆς ἐν τῶν πατέρων ποιουμένους οὐδένα λόγον, οὐδὲ τῶν ἐκκλησιῶν φροντίζοντας, οὐδὲ τοῦ ποιμνίου τοῦ σωτῆρος ἡμῶν, καὶ ταῦτα τοῦ Παύλου λέγοντος, προσέχετε ἑαυτοῖς, καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ, ἐν ᾧ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους ὑμᾶς ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ, ἣν περιεποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος, καὶ ταῦτα οὐ μελλόντων ἐλθεῖν τῶν λύκων, ἀλλ' ἤδη παρόντων. καὶ περὶ μὲν προσόδων καὶ τῶν ἰδίων πολὺς τοῖς πολλοῖς ὁ λόγος, περὶ δὲ τοῦ ἐν οὐρανοῖς θησαυρίσματος τῶν σωζομένων ψυχῶν ὀλίγος ὁ λόγος. καὶ οὐκ ἔξω ποιοῦμαι τῶν τοιούτων ἐμαυτὸν, κἀγὼ γὰρ σὺν τοῖς ἀμελοῦσιν ἀμελῶν τὸν λόγον ὑφέξω. διὸ καὶ ἐμαυτοῦ τὴν ὀφειλὴν λογιζόμενος, καὶ ἐμαυτὸν καὶ τοὺς ἀδελφούς μου πενθῶ, καὶ ὡς ἀναγκαῖον ὂν τὴν ὀφειλὴν ἡμῶν λέγειν, λέγω.

ris debitum & conveniens, prædicationiſque effectum & finem, ut & impios & Arheos ad fidem convertere; cum pulchrum ſit infideles ad fidem trahere, hoc enim Salvatoris & Apoſtolorum ejus proprium eſt, quanquam nunc hoc ratum ſit deficiente virorum Apoſtolicorum zelo, & perſecutionibus recens ingruentibus vehementius. Optimum verò & pulcherrimum ſecundum hoc, atque etiam illi æquale eſt, fideles conſervare, & totis viribus, omnique ſtudio ad Pœnitentiam convertere. Ideo non oportet donec veniant, eos ſuſtinere, neque converſionem ab ipſis quęrere, ſed Pœnitentiæ Oeconomos currere, ſcrutari, inquirere labentem, & omnibus modis trahere, & urgere ad Deum, atque à peccato abducere, & ad Deum adducere: Hoc erit Epiſcopo vice prædicationis Euangelii, magis vero ipſa prædicatio. Quid eſt enim aliud prædicatio quàm perditorum ſalus, & eorum qui ceciderunt, reſurrectio, qui à meliori deciderunt, ad illud converſio? Quod igitur eſt lapſis circa fidem prædicare, eo quod qui illos ad Deum convertit inſtar oris Dei eſt ex indignis dignos faciens: Hoc idem eſt, enm qui peccavit convertere. Qui enim convertit peccatorem ex errore viæ ſuæ ſimiliter os Dei eſt, & Chriſto dignus veluti animam de morte ſervans, & peccatorum multitudinem operiens, ut ſcriptum eſt.

Propter quam cauſam ſermo doctrinæ ab Eccleſiæ ſpiritu ſuſcitatur, & traditur, & Epiſcopo neceſſarius eſt, & debitè conveniens; ſed ſucatus eſſe non debet, nec variè ornatus, nec ex ſermonibus artis externæ compoſitus, verùm ſimplex, pro viribus inſtitutus ad animarum inſtructionem, morum correctionem & bonam conſtitutionem, ſtantium confirmationem, lapſorum erectionem, eorum qui longè ſubmoti ſunt reductionem, concuſſorum & tumultuantium conſiſtentiam, omnium denique quoad fieri poteſt, utilitatem. Nam artes, & differentes methodi cum natura ortæ non ſunt, ſed natura poſteriùs inventæ: Deus verò naturam corrigens, ex rebus ſimplicibus à natura datis, & non variegatis eam corrigit. Ideo Incarnatus eſt per noſtram ipſam naturam reformans, & refingens naturam. Verbis igitur ſimplicibus, & à ſpiritu præſertim emanantibus doceat Doctor, ut & corrigatur, & ſibi proſit, & humiliatus de variis ſermonis ſui floribus non ſe inaniter oſtentet, nihil ſuos Auditores juvans, & debitum non exolvens. Hoc omni prædicationis & doctrinæ finem eſſe putet, vel Auditoribus & ſibi obnoxiis prodeſſe, vel debito ſatisfacere: Væ mihi, inquit Apoſtolus, niſi euangelizavero. Sæpe etiam demonſtrat non eſſe tantopere feſtinandum ad alias ſacras actiones, & Sacramenta, ipſumque baptiſmum peragendum, ſed aliquando præponendam eſſe prædicationem, ut plures convertantur, dicens. Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare. Quanquam enim baptizaverit & Timotheum & Stephanæ domum, & plures alios; attamen prædicationem his propoſuit. Propter quid? Quia primùm infidelem oportet convertere ad fidem, & eum poſtea baptizare. Baptizare igitur eſt Sacerdotis alicujus, convertere verò Doctoris. Sed nunc video. Hæ! Sacerdotum multos Sacramenta contemnere, ſimul & verbum doctrinæ, & divinam, ſalutaremque prædicationem: ſemel quidem cum faſtu, & phantaſia quadam ducti ſacra facientes, rarò verò precantes, & nunquam prædicantes, magnificè ſedentes, & judiciorum ſecularium curam gerentes, unde pugnæ, tumultuſque omnes naſcuntur, lites, & altercationes inutiles, imo animabus noxiæ, & infeſtæ. Illos video animum anxiè occupantes in bonorum corruptibilium ſolicitudine, vitæ autem ſuæ ſpiritualis, velut iis magis ſpiritales qui ipſis ſubſunt, inquiſitionis ſacrarum ſcripturarum, obſervationis canonum, vel alterius in Patrum ſcripta ſacræ diligentiæ nullam rationem habentes, nec de Eccleſiis nec de Chriſti ovili ſolicitos, licet hæc Paulus edicat; Attendite vobis ipſis, & univerſo gregi In quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Domini & Dei quam acquiſivit ſanguine ſuo: Hæc autem non venturis lupis, ſed jam præſentibus. De reditibus ſuis & propriis negotiis frequens eſt multis ſermo, de theſauro vero cœleſti animarum ſervandarum, rarus, Nec extra iſtorum numerum me ipſum colloco: Ego enim negligens cum negligentibus incuriæ culpam ſuſtinebo. Ideo officii mei debitum apud me perpendens, & meipſum & fratres meos lugeo, atque illud ut dictu neceſſarium, jam dico & expono: Munus ſcilicet eſ-

ſe &

ſe & debitum noſtrum quod detrectare non poſſumus, urgere fratres ut Pœnitentiam agere in animum inducant.

Pœnitentia enim unum eſt è Sacramentis, & propriè dictum: Epiſcoporum eſt eam in fidelibus excitare & operari, & iis ad hoc enitendum. Qui ſacrum hoc miniſterium ex commiſſione acceperunt, illud cum Epiſcopis diligenter procurent, non ad carnale aliquod lucrum emungendum, quod damnum eſt, & reverà damnum. Aliqui, non enim omnes dico, ſicut nec omnes Epiſcopos, ad hoc diligenter animum advertant, neque præter canones dijudicent ne quis præter canones agens, in ſeipſum alterius peccata derivet. Nullus igitur ſeipſum ſeducens exiſtimet ſe Patribus diligentiùs & accuratiùs agere. Quis enim illis ad ejuſmodi purior & ſincerior, aut attentior? Neque iterum deceptus videri affectet illis humanior, & infirmitatibus hominum complacentior, remiſsè ſe gerens, & cadentibus concidens. Verùm quis audaculus adeo ut ſe Patribus humaniorem confidenter credat & jactet? Unde hanc authoritatem deprompſit, ſi illos aſpernatur, & contra illorum definitiones, agit? omnino à ſeipſo aget, nullaque facto tum ſecuritas erit; non enim à ſucceſſione Patrum emanat. Unuſquiſque igitur apud ſe firmum, ratumque ſtatuat nihil agere præter Patrum definitiones & canones, cum illi ſint à variis authoribus Deo afflatis inſtituti, & ſufficientes velut à ſpiritu compoſiti, ut animi morbis & affectibus medeantur remediis admodum ſalutaribus, & ſanitatem efficaciter procurantibus. De quibus dicere nos non oportet cum clariſſimi ſint, multiſque in locis ſcripti reperiantur, & à multis ad dilucidiorem cognitionem explicati.

Debent igitur omnes ſecundum canones judicare, nec attendere neſcio quibus aliis extra canonicas definitiones compoſitis, quoniam gratia ad nos per ſucceſſionem deſcendit: A fonte enim gratiarum Domino & Salvatore noſtro in Apoſtolos ejus venit: ab Apoſtolis autem in Patres; à Patribus noſtris ad nos. Si igitur quæ Patrum ſunt conſervamus, gratiæ ſucceſſio in nobis erit, firmaque & ſtabilis conſtitutio & profeſſio noſtra: Si verò aliter quàm à Patribus conſtitutum eſt, egeris, dubia erit & incerta. Sed quid cogit præter canones agere? Vehemens cujuſdam Pœnitentiæ demonſtratio, & delictorum perfecta confeſſio, & ex animo contritio, & humilitas, & malorum operum vera abſtinentia, & peccati ex corde ſincerum odium: illius fuga, & promptus animus ad opera Pœnitentiæ cum temperantia & miſericordia exequenda. Hęc pulcherrimè Patres docent. Amplectere talem & quæ ſunt charitatis ipſi confirma: corrobora fratrem tuum & quæ ad Pęnitentiam ſpectant, diligentiùs inquire, & ipſum experire. Si ex eo dediceris germano Pęnitentiæ fructu ipſum doci, & quæſierit aliquid de tempore Pœnitentiæ ſtatuto convenienter & utiliter ſibi ſubduci & detrahi, ut cum illo quod bonum eſt, communices, non prohibeberis: Omnis enim Sacramentorum ſcopus eſt omnes bono unire.

Hoc ſi non contempſeris à Patribus conſequeris & accipies authoritatem. Ego quoque in hoc opere collega tuus, & ſtudioſè collaborans bono tecum ſum animo: confidentiam adde animoſè feſtinanti; potius in ulnas eum complectere, & pro viribus, convenienterque ipſius bono animo eum curare ſatagito. Si quis autem frigidus & animo duplex, & verbo ſolo Converſionem demonſtrans, opere autem nullomodo; non ſolùm ad aliquid boni faciendum tardus & piger, ſed etiam ad proprium vomitum redire paratus, ſanctos veluti deridens, & geſtibus ſubſannans, vel humilitatem & zelum ſimulans, in paucis vero probatus, ſtatim poſt doni participationem tepidus, vel etiam frigidus, prioribuſque iterum implicatus fuerit, à te talis longè abſit, ne alienis communices peccatis. In vaſe cęnoſo non eſt immittendum pretioſum unguentum, & præcipimur margaritas ante porcos non projicere, nec dare ſancta canibus. Iſta iis qui in Dominum benevoli videntur, præſtanda ſunt, non autem impuris, ſanguinem vorantibus, & raptoribus. De iſtis tamen non eſt deſperandum, neque aliquis rejiciendus, ſed ut diximus, unuſquiſque quærendus, & recipiendus eſt, & ad Pœnitentiam excitandus, quæ ſemper expectanda eſt, cum ſpes ad finem uſque perſeveret: Sanctorum tamen communione non oportet eos dignari, ne in damnationem imprudenter tradentibus hoc imputetur, ut & accipientibus.

Confeſſionem autem non oportet ſimpliciter edere, ſed ut Salvator noſter demonſtravit, cum Zachæum & mere-

καὶ ὅτι ἀπαραίτητον ἡμῖν χρέος τὸ σπεύδειν ἐνάγειν τοὺς ἀδελφοὺς εἰς μετάνοιαν.

Ἡ μετάνοια γὰρ ἓν τῶν μυστηρίων ἐστί, καὶ ἴδιον, καὶ ἐπισκόπων αὐτὴν ἐνεργεῖν ἐν τοῖς πιστοῖς, καὶ ἀγωνιστέον πρὸς τοῦτο. σὺν τοῖς ἐπισκόποις δὲ καὶ οἱ λειτούργημα λαβόντες ἐκ προτροπῆς, συνδεξιζέτωσαν, καὶ μὴ πρὸς κέρδος σαρκὸς, ὃ δὴ ζημία ἐστὶ, καὶ ὄντως ζημία. τινὲς, οὐ γὰρ πάντας φημὶ, ὡς οὐδ᾽ ἐπισκόπους ἅπαντας, ἀφοράτωσαν, μηδὲ παρὰ τοὺς κανόνας διακρινέτωσαν, ἵνα μὴ εἰς ἑαυτὸν ὁ ἐνεργῶν παρὰ τοὺς κανόνας τὰς ἁμαρτίας ἑτέρου ἐπισπώμενος εἴη. πᾶς οὖν μήτε ἀκριβέστερον τῶν πατέρων ἑαυτὸν πλανώμενος, νομιζέτω. τίς γὰρ ἐκείνων πρὸς τὰ τοιαῦτα ἁγνότερος, καὶ προσοχὴν μᾶλλον ἔχων, ἢ καθαρώτερος. μήτε συμπαθέστερος τούτων πάλιν δοκείτω εἶναι ἐξαπατώμενος. ἀνειμένος ὢν, καὶ συγκαταπίπτων ἀλόγως τοῖς πίπτουσιν. ἀλλὰ τίς τολμητίας, ὥστε θαρρῆσαι τῶν πατέρων εἶναι φιλανθρωπότερος; πόθεν δὲ καὶ τὴν ἐξουσίαν ἕξει, εἴπερ αὐτοὺς ἀθετεῖ, καὶ παρὰ τοὺς ὅρους ἐκείνων πράττει, πάντως ἀφ᾽ ἑαυτοῦ ποιήσει, καὶ οὐχ ἕξει τὸ ἀσφαλὲς τὸ πραχθέν, οὐ γὰρ ἐκ τῆς διαδοχῆς τῶν πατέρων. πᾶς ἀσφαλιζέσθω ἕκαστος μηδὲν ἐνεργεῖν παρὰ τοὺς ὅρους, καὶ τοὺς κανόνας τοὺς πατρικοὺς, παρὰ διαφόρων δὲ ὄντων τῶν θεοφόρων, καὶ ἱκανοὶ ὡς πνεύματι συντεθέντες, καὶ περὶ παντὸς πάθους ἰατρικώτατοι, καὶ θεραπευτικοὶ λίαν. περὶ ὧν καὶ οὐ χρὴ λέγειν ἡμᾶς, σαφεστάτων ὄντων, καὶ ἐν πολλοῖς γεγραμμένων, καὶ διερμηνευθέντων εἰς μείζονα γνῶσιν σαφηνείας ὑπὸ πολλῶν.

Κατὰ τοὺς κανόνας τοίνυν δικαιοῦν ἅπαντες ὀφείλουσι, καὶ μὴ προσέχειν ἑτέροις τισὶν ἔξω τῶν κανονικῶν ὅρων συντεθειμένοις, ὅτι κατὰ διαδοχὴν ἡ χάρις. ἀπὸ γὰρ τῆς πηγῆς τῶν χαρίτων τοῦ Κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν εἰς τοὺς ἀποστόλους ἦλθεν αὐτοῦ. ἀπὸ δὲ τῶν ἀποστόλων εἰς τοὺς πατέρας, ἀπὸ τῶν πατέρων ἡμῶν εἰς ἡμᾶς. εἰ οὖν τὰ τῶν πατέρων τηρῶμεν, καὶ ἡ διαδοχὴ τῆς χάριτος ἐν ἡμῖν ἔσται. καὶ βεβαία ἡ παρ᾽ ἡμῶν ἀπόφασις. εἰ δ᾽ ἄλλως παρὰ τὰ ὡρισμένα ἐκείνοις ἐνεργήσεις, ἀμφίβολος ἔσται καὶ ἡ ἀπόφασις. ἀλλὰ τί τὸ ἀναγκάζον παρὰ τοὺς ὅρους ποιεῖν. θερμοτάτης μετανοίας ἐπίδειξις, καὶ ἐξαγόρευσις τῶν ἐπταισμένων τελεία, καὶ συντριβὴ ἐκ ψυχῆς, καὶ ταπείνωσις, ἀποχή τε ἀληθὴς τῶν πονηρῶν ἔργων, καὶ τῆς ἁμαρτίας ἐκ τῆς καρδίας, καὶ ταύτης ἀποφυγὴ, καὶ προθυμία πρὸς ἔργα τῆς μετανοίας ἐν ἐγκρατείᾳ τε καὶ ἐλέει, κάλλιστα ταῦτα, καὶ οἱ πατέρες διδάσκουσι, καὶ προσδέξαι τὸν τοιοῦτον, καὶ τὰ τῆς ἀγάπης αὐτῷ κύρωσον, ἀσφάλισαι δὲ τὸν ἀδελφὸν, καὶ τὰ τῆς μετανοίας ἀκριβέστερον ζήτησον. καὶ πεῖραν λάβε αὐτοῦ. καὶ εἴγε ἐκ τούτου τὸ τῆς μετανοίας γνήσιον καταμάθοις, καὶ χρόνου ζητήσῃ οὗτος ἁρμόζουσαν ἐκκοπὴν καὶ συντομίαν τινὰ ἐπωφελῆ, πρὸς τὸ μεταδοῦναι αὐτῷ τοῦ ἀγαθοῦ οὐ κωλυθήσῃ, καὶ γὰρ ὁ σκοπὸς ἅπας πρὸς τὸ ἑνωθῆναι πάντας τῷ ἀγαθῷ.

Καὶ εἰ τοῦτο μὴ καταφρονήσῃς, καὶ παρὰ τῶν πατέρων γὰρ ἀφορμὰς καὶ λήψῃ τὴν ἐξουσίαν, καὶ αὐτὸς ἐγὼ συνθαρρύνω σοι συνεργάτης τελῶν σοι, καὶ συσπουδάζων, καὶ θάρρυνον τὸν προθυμούμενον, μᾶλλον καὶ ἐναγκάλισαι, καὶ θεράπευσον, ὅσον σοι δύναμις, ἀναλόγως τῇ προθυμίᾳ. εἰ δὲ ψυχρός τις ὢν καὶ δίψυχος, καὶ λόγῳ μὲν μόνῳ δεικνὺς τὴν ἐπιστροφὴν, ἔργοις δὲ ὅλως οὐδαμῶς, καὶ οὐ μόνον οὐ πρᾶξαί τι χρηστὸν προθυμούμενος, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὸν ἴδιον ἔμετον ἑτοίμως ἔχων ἐπανελθεῖν, καὶ οἷον καταγελῶν τῶν ἁγίων καὶ κατορχούμενος, ἢ δόξαν μὲν ὑποκρινόμενος τὸ ταπεινὸν, καὶ θερμουργὸν, ἐν ὀλίγῳ δὲ δοκιμασθεὶς, εὐθὺς χλιαρὸς ἢ καὶ ψυχρὸς ὅλος μετὰ τὸ δῶρον γινόμενος, καὶ τοῖς πρότερον αὖθις ἐγκυλινδούμενος, ἀπέστω σου ὁ τοιοῦτος, ἵνα μὴ ἀλλοτρίαις ἔσῃ κοινωνῶν ἁμαρτίαις· καὶ ἐν ἀγγείῳ δὲ βορβόρου οὐ χρὴ εἰσάγειν μύρον καὶ τοὺς μαργαρίτας οὐ χρὴ ῥίπτειν τοῖς χοίροις, παραγγελίας εἰλήφαμεν, μηδὲ διδόναι τὰ ἅγια τοῖς κυσίν. * εὐνοϊκοῖς μὲν δοκοῦσι καὶ ὑπὲρ τοῦ δεσπότου, ἀκαθάρτοις δὲ καὶ αἱμοβόροις καὶ ἅρπαξιν. ὅμως οὐδὲ τούτων ἀπογινώσκειν χρὴ, οὐδὲ ἀποστρέφεσθαί τινα, ἀλλὰ προσδέχεσθαι μὲν καὶ ζητεῖν. ὡς εἰρήκαμεν, ὑπομιμνήσκοντες καὶ διεγείροντες πρὸς τὴν μετάνοιαν, καὶ ἀναμένειν ἀεὶ τούτους πρὸς ταύτην ἐλθεῖν, ἐπεὶ καὶ ἄχρι τέλους ἐλπίς. οὐ μὴν δὲ τῶν ἁγίων καταξιοῦν, ἵνα μὴ εἰς κρίμα ὡς καὶ αὐτοῖς καὶ τοῖς ἀλόγως δεδωκόσι γένηται.

Τὴν ἐξαγόρευσιν δὲ οὐχ ἁπλῶς χρεὼν γίνεσθαι, ἀλλ᾽ ὡς ὑπέδειξεν ὁ σωτὴρ ὅτε τὸν Ζακχαῖον καὶ τὴν πόρνην ἐδέξατο. ὁ μὲν

Digitized by Google

γὰρ μετὰ σεμνότητος ἐξήγγελλε ταῦτα καὶ συντετριμμένως, καὶ ἐπηγγέλλετο τὰ ἁμαρτήματα διορθώσασθαι, καὶ ἐπιθεῖναι τὰ θεῖα ἔργα. ἰδοὺ γάρ φησι, τὰ ἡμίσυ τῶν ὑπαρχόντων μου Κύριε δίδωμι τοῖς πτωχοῖς. καὶ εἴ τινός τι ἐσυκοφάντησα ἀποδίδωμι τετραπλοῦν. ἡ δὲ λαβοῦσα ἀλάβαστρον μύρου, καὶ στᾶσα παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ ὀπίσω κλαίουσα, οὐ γὰρ ἐτόλμα ἐνώπιον, ἤρξατο βρέχειν τοὺς πόδας αὐτοῦ τοῖς δάκρυσι, καὶ ταῖς θριξὶ τῆς κεφαλῆς αὐτῆς ἐξέμασσε, καὶ κατεφίλει τοὺς πόδας αὐτοῦ καὶ ἤλειφε τῷ μύρῳ. διὸ καὶ εἶπεν αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς· ἀφίενταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου, καὶ ὅτι ἠγάπησε πολύ, ᾧ δὲ ὀλίγον ἀφίεται, ὀλίγον ἀγαπᾷ φησι. τῷ δὲ Ζακχαίῳ, σήμερον σωτηρία τῷ οἴκῳ τούτῳ ἐγένετο. ὁρᾷς διὰ τὸ πρόθυμον, καὶ τὸ ἀληθὲς τῆς ἐπιστροφῆς, καὶ τὴν ἄφεσιν παραυτίκα μετὰ τῆς σωτηρίας χαριζομένην, ἀλλὰ τοῖς μὴ μετανοοῦσιν, ἀπόστητε ἀπ' ἐμοῦ, φησιν, οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν, καὶ τοῖς βλασφημοῦσιν εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὐδαμῶς ποτε ἀφεθήσεται εἴρηκε, καὶ τοῖς μὴ ἀφιέναι θέλουσιν οὐκ ἀφίεσθαι, καὶ ἐὰν μὴ μετανοῆτε φησιν, πάντες ὁμοίως ἀπολεῖσθε, καὶ τοῖς μὴ πειθομένοις αὐτῷ, ἰδοὺ ἀφίεται ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος. διὸ χρὴ γνησίως μετανοεῖν καὶ ἐν ταπεινώσει, καὶ μὴ ὥς φασί τινες, ὃ καὶ γελοῖον, ὅτι φαγόντων καὶ πιόντων, ἀνοίγεται ἡ καρδία πρὸς τὴν ἐξομολόγησιν. διὸ δὴ καὶ κραιπαλῶντες, ἵνα μὴ καὶ πλεῖον εἴπω, θαρροῦσι τὰ τῆς μετανοίας ποιεῖν, τὰ ἐναντία ἑαυτοῖς πράττοντες, ἀπεναντίας τε βαίνοντες τῷ λέγοντι· προσέχετε ἑαυτοῖς μήποτε βαρυνθῶσιν ὑμῶν αἱ καρδίαι, ἐν κραιπάλῃ καὶ μέθῃ, καὶ αἰφνίδιος ἐφ' ὑμᾶς ἐπέλθῃ ὁ ὄλεθρος, καὶ πῶς συντετρίψεται τὴν καρδίαν ὁ οὕτως ἔχων, πῶς δὲ κατανυγήσεται, μετὰ ποίας δὲ ἄρα τῆς προσοχῆς τε καὶ ταπεινώσεως τὰ τῆς ἐξομολογήσεως ἐνεργήσει.

Ἀλλ' οὐχ οὕτω γίνεσθαι. ἐν τόπῳ δὲ σεμνῷ τε καὶ ἱερῷ, καὶ ἰδιαζόντως καὶ ἀθορύβως χρὴ τὸν δεχόμενον τὴν ἐξομολόγησιν καθῆσθαι μετ' εὐλαβείας, ἱλαρὸν ὄντα καὶ πρᾶον τῇ ψυχῇ καὶ τῷ βλέμματι, τὴν θείαν ἀγάπην διὰ τοῦ ἤθους ὑποδεικνύμενον, καὶ τὸν ἐξομολογούμενον καὶ μετὰ θάρσους καὶ θείου φόβου, καὶ μετ' εὐλαβείας καθίσαι τοῦ δεχομένου ἐνώπιον, μᾶλλον δὲ αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ. ἐπεὶ, καὶ διὰ τοῦ δεχομένου τῷ Χριστῷ ἀναγγέλλεται, καὶ τὴν ἄφεσιν νέμοντι, καὶ προτραπέντα πάντα λέγειν ἀνενδοιάστως, καὶ ἐν ταπεινώσει, καὶ ἀληθείᾳ. καὶ μηδὲν ὑποκρύπτειν.

Καὶ τριῶν ὄντων ἐν ἡμῖν λογιστικοῦ τε λέγω, καὶ θυμικοῦ, καὶ ἐπιθυμητικοῦ περὶ πάντων τῶν ἐν τούτοις πλημμελημάτων κατὰ μέρος ἀναγγελεῖν. εἰ δ' ἀγνοεῖ ποῖα ταῦτα ὁ ἐξομολογούμενος ὑπομιμνήσκεσθαί τε καὶ ἐρωτᾶσθαι παρὰ τοῦ ἀναδεχομένου, ὅτι ἐν τοῖς τρισὶ τούτοις, ὥς καὶ ὁ Νύσσης φησὶ μέγας Γρηγόριος, ἢ κατορθοῦμεν, ἢ σφαλλόμεθα, καὶ ἐν μὲν τῷ λογιστικῷ ἡ πίστις ἐστί, καὶ τὰ διὰ τοῦ νοὸς ἐνεργούμενα πάντα, διὸ καὶ ἐρωτᾶσθαι περὶ τῆς πίστεως χρὴ μήποτε ἐσφάλη, ἢ ἐβλασφήμησεν. ὃ δὴ καὶ κατὰ νοῦν καὶ λόγον προβαίνει. καὶ γὰρ τρία κεκτήμεθα ἕτερα, ἐν οἷσπερ ἢ κατορθοῦμεν ἢ περιπίπτομεν, νοῦν, καὶ τὰ περὶ τὸν νοῦν. λόγον καὶ τὰ τοῦ λόγου, πράξεις, καὶ τὰ τῶν πράξεων, ἐν οἷς καὶ τὸ λογιστικὸν, καὶ θυμικὸν καὶ ἐπιθυμητικὸν ἐνεργεῖ, καὶ πρῶτον μὲν ὁ νοῦς ἐν τῇ καρδίᾳ γεννᾷ ἢ τοὺς ἀγαθοὺς ἐν προσοχῇ. ἢ τοὺς πονηροὺς μὴ προσέχων ἀπογεννᾷ λογισμούς. ἐντεῦθεν οὖν τοῖς μὲν προσέχουσι διὰ τοῦ λογιστικοῦ, μνήμη Θεοῦ. καὶ πίστις ὀρθὴ προσευχή τε καὶ προσοχὴ κατορθοῦνται, καὶ δοξολογία, καὶ εὐχαριστία Θεοῦ, ἃ δὴ τοῦ λογιστικοῦ εἰσιν, ὡς εἰρήκαμεν. τοῦ θυμικοῦ δὲ διὰ τοῦ νοὸς ζῆλος καὶ διέγερσις ὑπέρ τε τῆς εὐσεβείας καὶ τῶν ἱερῶν ὕμνων καὶ τῆς Θεοῦ εὐχαριστίας θερμός τε καὶ ἔντονος. τοῦ ἐπιθυμητικοῦ δὲ διὰ τοῦ νοὸς, ἀγάπη πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ πρὸς τὸν πλησίον ἀληθὴς, καὶ γνησία, καὶ ἔρως πρὸς τὰ θεῖα, καὶ ἀγαθοὶ καὶ πνευματικοὶ λογισμοί.

Τἀναντία δὲ τούτων τοῖς μὴ προσέχουσι συμβαίνει. καὶ τῷ μὲν νοῒ μὴ νήφοντι τῷ ἀνθρώπῳ διὰ τοῦ λογιστικοῦ τὸ οὐκ ὀρθὰ λογίζεσθαι περὶ τὴν εὐσεβῆ πίστιν, καὶ τὸν ἐν τριάδι μόνον Θεὸν, καὶ τὴν τοῦ λόγου σάρκωσιν, καὶ λοιπὰ εἰς Θεὸν ἀναγόμενα, καὶ ἀχαριστία καὶ βλασφημία, καὶ τὰ ἀποστατικὰ καὶ δαιμονιώδη φαντάζεσθαι. διὰ δὲ τοῦ θυμικοῦ τὸ ζηλοῦν ἐπὶ πονηροῖς, καὶ κατὰ τοῦ ἀδελφοῦ μελετᾶν, καὶ διαφθονεῖσθαι, καὶ βασκαίνειν, καὶ μαίνεσθαι, καὶ ἀνταποδιδόναι ζητεῖν, καὶ ἄλλα πλεῖστα θυμοειδῆ ἐνεργεῖν. διὰ τοῦ ἐπιθυμητικοῦ δὲ φιλοδοξεῖν, φιλαργυρεῖν ἐν καρδίᾳ, καὶ ἐπιθυμεῖν τῶν τοῦ πλησίον, ἐρᾶν παραλόγως ἀγαθῶν ἀλλοτρίων, ἢ κάλλους μαραινομένου σαρκὸς, ἐμπαθῆ τε διασώζεσθαι, καὶ τρέφειν ἐν τῇ ψυχῇ ῥυπαρὰ, καὶ ὅλον ἀκαθαρσίαν, καὶ ὡς τὰ κτήνη εἶναι, καὶ κτηνῶν τῇ δια-

tricem ſuſcepit. Ille enim cum majeſtate quadam & contritione confeſſus eſt, & promiſit quæ inique geſſerat ſe correcturum, & opera divina additurum. Ecce enim, inquit, dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & ſi aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Illa verò accipiens alabaſtrum unguenti, & ſtans ad pedes ejus, & retro plorans, non enim audebat coram, cœpit lachrymis rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui terſit, & deoſculata eſt pedes ejus, & unguento unxit. Ideo dixit ei Jeſus, remittuntur tibi peccata tua, quoniam dilexit multum, Cui autem paucum dimittitur, parum amat: Zachæo autem, hodie ſalus huic domui facta eſt. Vides propter alacrem animi ad bonum propenſionem, & converſionis veritatem, ſtatim datam eſſe cum ſalute remiſſionem: Sed non Pœnitentibus, diſcedite à me, inquit, qui operamini iniquitatem & blaſphemantibus in Spiritum ſanctum dixit, nunquam remittetur; & remittere nolentibus, non remittetur vobis, & niſi Pęnitentiam egeritis ait, ſimiliter peribitis; & non obedientibus ei, ecce relinquetur domus veſtra deſerta. Ideo ſincerè & in humilitate agenda eſt Pęnitentia, & non ſicut quidam dicunt, quod eſt ridiculum; comedentibus & bibentibus cor ad Confeſſionem aperitur. Quapropter crapula oppreſſi, ut nihil amplius dicam, audent confidenter quæ Pęnitentiæ ſunt agere, ipſi contraria facientes, & in oppoſitum gradientes ei qui dixit, Attendite vobis ipſis ne crapula & ebrietate graventur corda veſtra, & repente veniat ſuper vos ruina. Quomodo cor conteret, qui ſic ſe habet? quomodo compungetur? Qua verò attentione & humilitate quæ ad Confeſſionem ſpectant, operabitur?

Sed hæc non ſic agenda ſunt: ſed oportet Confeſſorem in loco nitido, præclaro, & ſacro, privatim & extra tumultum ſedere cum reverentia hilarem, animo, vultuque manſueto, divinam charitatem oris habitu & moribus demonſtrantem: Confitentem autem cum fiducia, divino timore & reverentia in conſpectu ipſius Confeſſoris, potius verò in conſpectu ipſius Chriſti ſedere, cum per Confeſſorem Chriſto confiteatur, qui remiſſionem largitur; eumque exhortari debet confeſſor omnia indubitanter dicere, in humilitate, & veritate, nihilque occultare.

Tres ſunt in homine facultates, rationalis, iraſcibilis, & concupiſcibilis: de delictis omnibus quę per illas committuntur, tractabimus. Si confitens ignorat qualia illa ſunt, à confeſſore de illis commonendus & interrogandus eſt; quoniam in his tribus, ut ait magnus Gregorius Nyſſenus, vel rectè agimus vel labimur. In rationali facultate fides eſt, & quæcunque per mentem aguntur. Ideo de fide eum oportet interrogare, ne forte aliquando lapſus fuerit, vel blaſphemaverit, quod procedit & ſecundum mentem, & ſecundum ſermonem. Tria enim alia poſſidemus, in quibus vel rectè agimus, vel cadimus; mentem & quæ circum eam ſunt; ſermonem, & quæ ſermonis ſunt; actiones, & quæ ad eas ſpectant, in quibus & rationalis & iraſcibilis, & concupiſcibilis operantur. Primùm quidem mens in corde producit vel bonas cogitationes ad eas attendens, vel malas non attendens. Hinc attendentibus per rationalem facultatem, memoria Dei, & fides recta, oratio & attentio, rectè diriguntur, laudatio quoque & gratiarum actio Deo redditæ, quæ ut diximus, ad rationalem pertinent. Ad iraſcibilem facultatem per mentem pertinent, zelus excitus pro pietate, & ſacris hymnis, & agendis Deo gratiis, ardens & vehemens. Ad concupiſcibilem verò per mentem, Charitas in Deum, & in proximum vera & germana, amorque in divina, bonæque & ſpirituales cogitationes.

His contraria non attendentibus accidunt; mente quidem homini minimè temperanti, per rationalem facultatem recta non cogitare de recta fide, & uno in Trinitate Deo, & verbi incarnatione, & cæteris quæ ad Deum referuntur; his adjungenda, ingratitudo, blaſphemia, & rerum ad apoſtaſiam vergentium, & diabolicarum phantaſiæ. Per iraſcibilem: zelum in malis demonſtrare, in fratrem aliquid moliri, invidere, faſcinare, furere, vindictam quærere, & alia pleraque irarum plena peragere. Per concupiſcibilem verò, Ambitioſum eſſe, pecuniarum animo cupidum, quę proximi ſunt concupiſcere, contra rationem & decorum bona aliena amare aut marceſcentem carnis pulchritudinem, pravos concupiſcentiæ motus cogitatione conſervare, res ſordidas animo nutrire & fovere omniſque generis impuritatem, velut jumenta vivere, & jumentis pejora animo agi-

moagitare. Hæc hiſque ſimilia ſecundum trifidam illam diſtinctionem ad mentem ſpectant.

Iterum rectè agit homo ſecundum ſermonem per rationalem facultatem, piè & ſanctè commotus & impulſus ad fidei ſermones, cum publicè & confidenter Deum juxta catholicam fidem confitetur, eum laudat & celebrat, gratias agit, donec divina interpretatur, veritatem in omnibus profitetur, judicium juſtum judicat, bona & divina omnia loquitur. Per iraſcibilem verò, ſermone cum zelo ad virtutem excitare, in Dei gloriam, & fratrum defenſionem loqui, Adverſariis contradicere, impiè agentes, & legum prævaricatores redarguere, coram regibus & Principibus confidenter loqui, & eos terreſacere, juſtitiæ patrocinari. Per concupiſcibilem autem, Deum laudans & celebrans, enarrans ejus opera, & laudibus eum ſuper omnia efferens, & pro aliis deprecans, pacem cum fratribus procurans, eoſque invicem reconcilians, pro illis apud reges & Duces quibus verbis modiſque poterit, intercedens. Sermone verò labitur homo, per rationalem, cum malè inſtigatus Deum lingua blaſphemat, eum abnegat, gratias illi non agit, nihil ſecundum conſcientiam facit, pejerat, mentitur, nihilque utile omnino profatur. Per iraſcibilem, cùm verbo conviciatur, injuriam infert, fraude circumvenit, prodit, falſum teſtimonium perhibet, calumniatur, detrectat, vituperat, & cum quicquid contra proximum loquitur, malum eſt. Per concupiſcibilem verò cantilenas meretricias profert, ſermones turpes & ridiculos deblaterat, fabuloſa & anilia eructat, impura quælibet verba effutit. Quæ ad ſermonem ſpectant, ſunt ejuſmodi.

Hominis autem ad actiones ſuas attendentis præclarè facta ſunt, per rationalem quidem facultatem, intenta hymnorum recitatio, vehemens Dei laudatio, ſibi ipſi attendere; mentem in ſeipſo colligere, continuò orare, pro recta in Deum fide, & honore, & laudatione ſeipſum laboribus & tribulationibus exponere, atque in iis quæ recta ſunt & divina immotum permanere. Per iraſcibilem operibus, generosè ſe gerere erga virtutem, juſtè agere, pro juſto laborare, zelo ardere in mandatorum Dei operationem, largiter de bonis ſuis pauperibus impertiri, propter Chriſtum bonis privari, eorum quæ ſunt ſecundum carnem nullam curam habere, fugere de mundo, quæ ad mundum ſpectant contemnere, fratribus miniſtrare, vigilare, & nudum eſſe, & humi cubare, vigilare & ſtare, & genua flectere, jejunare, illotum permanere, corporaliter propter Chriſtum affligi, ſæpius & Martyrium oppetere, quod actionum Chriſtianorum poſtrema eſt & ſumma. Per concupiſcibilem autem caſtitatem propter Chriſtum ſervare, virginitatem cuſtodire, cum charitate pauperum miſereri, carceres, & infirmos propter Chriſtum viſitare, orphanis & viduis præeſſe, & prodeſſe, propria negotia fratris adjuvandi cauſa deſerere, tandemque ſæpius cum charitate ſeipſum pro fratribus dare, ſicut pro nobis fecit Chriſtus. Contrariæ verò ſunt hominis labentis ſecundum rationalem facultatem actiones; ad divinas Eccleſias non accurrere, quæ ad honorem Dei faciunt non curare, pro Deo rebuſque divinis non laborare ſed potius divina rapere, & communia habere, prophanare, contra Dei ſervos efferri, eos probris, & moleſtiis afficientem. Per iraſcibilem in operibus; fratres verberare, occidere, commoda illis obvenientia intercludere, omnibus modis affligere. Per concupiſcibilem, fornicari, adulterari, laſcivè & petulanter vivere, & omni immunditiei genere ſe polluere, inceſtiſque & luxurie: quibus adhuc jungenda ſunt, iniquè per turpe lucrum agere, rapere, furari, & inebriari, helluari, cæteraque concupiſcentiæ gravia & horrenda opera perpetrare.

In his igitur omnibus tenetur unuſquiſque confitentium ſeipſum examinare & ſcrutari, & confeſſor de unoquoque eum interrogare; & ſi quid boni præclarè fecit, laudare, & ad hoc illum exhortari & confirmare. Si verò deprehenderit eum in aliquibus lapſum per confeſſionem & Pœnitentiam, ut poterit eum corriget, & ad Deum reducet, Patrum definitiones ſecutus, & ſpirituali eorum judicio & diſcretioni adhærens.

Verumtamen & illi ipſi qui ſibi videntur non lapſi, quod ut ego exiſtimo fieri non poteſt, omnes Pœnitentiam agere tenentur. Exiſtimare enim ſe non labi, labi eſt, & peccatorum maximum, quod infeliciter animi veſana quadam elatione patiuntur, dicentes aliquando te novimus, pro non

νοία χείρονα, καὶ ταῦτα μὲν καὶ τὰ ὅμοια τοῦ νοὸς διὰ τῶν τριμεροῦς τούτου.

Τῷ λόγῳ δὲ ἄνθρωπος πάλιν κατορθοῖ, διὰ μὲν τοῦ λογιστικοῦ κινούμενος εὐσεβῶς καὶ ἀγαθῶς ἐν τοῖς τῆς πίστεως λόγοις, ἐκ παρρησίας ὁμολογῶν τὸν Θεὸν ὀρθοδόξως, δοξολογῶν τε αὐτὸν καὶ εὐχαριστῶν καὶ αἰνῶν, ἐκδιδάσκων τε τὰ θεῖα καὶ ἑρμηνεύων, ἀληθεύων ἐν πᾶσι, κρίνων κρίμα δίκαιον, πᾶν ἀγαθὸν καὶ θεῖον λαλῶν, διὰ τοῦ θυμικοῦ δὲ μετὰ ζήλου τῷ λόγῳ διεγείρων πρὸς ἀρετὰς ὑπὲρ τοῦ Θεοῦ τε λαλῶν καὶ τῶν ἀδελφῶν, ἀντιλέγων τοῖς ἐναντίοις, ἐλέγχων ἀσεβοῦντας καὶ παρανόμους, ἐνώπιον βασιλέων τε καὶ ἀρχόντων παρρησίᾳ λαλῶν καὶ πτοούμενος, καὶ τῆς δικαιοσύνης ὑπερμαχῶν, διὰ τοῦ ἐπιθυμητικοῦ δὲ ἐπαινῶν καὶ αἰνῶν τὸν Θεὸν, ἐκδιηγούμενος, καὶ ἐγκωμιάζων καὶ ὑπεραίρων, καὶ ὑπὲρ ἄλλων προσευχόμενος, λαλῶν τὰ συντείνοντα εἰρήνην τοὺς ἀδελφοὺς καταλλάττων ἀλλήλοις, ὑπὲρ αὐτῶν πρὸς βασιλεῖς, πρὸς ἡγεμόνας δεόμενος, καὶ πάντα λέγων ὑπὲρ αὐτῶν. σφαλλόμενος δὲ ὁ ἄνθρωπος τῷ λόγῳ διὰ μὲν τοῦ λογιστικοῦ πονηρῶς κινούμενος βλασφημεῖ τῇ γλώσσῃ Θεὸν, τοῦτον ἀρνεῖται, ἀχαριστεῖ, οὐδὲν κατὰ συνείδησιν λέγει, ἐπιορκεῖ, ψεύδεται, καὶ οὐδὲν ὅλως λαλεῖ χρηστόν. διὰ τοῦ θυμικοῦ δὲ λοιδορεῖ τῷ λόγῳ, ὑβρίζει, συκοφαντεῖ, προδίδωσι, ψευδομαρτυρεῖ, διαβάλλει, κατηγορεῖ, ψέγει, καὶ πᾶν ὅ,τι κατὰ τοῦ πλησίον λαλεῖ κακόν. διὰ τοῦ ἐπιθυμητικοῦ δὲ ᾄσματα λαλεῖ πορνικὰ, αἰσχρολογίας, λόγους φλυαρεῖ γελοιώδεις, μυθώδη, καὶ γραώδη ἐρεύγεται, πάντα λέγει ἀκαθαρσίας λαλεῖ, καὶ τοιαῦτα μὲν τὰ τοῦ λόγου.

Τὰς πράξεις δὲ κατορθώματα προσέχοντος τοῦ ἀνθρώπου. διὰ μὲν τοῦ λογιστικοῦ ἡ ἐπίτασις τῶν ὕμνων, ἡ ἐπιτεταμένη δοξολογία, τὸ προσέχειν καθ᾽ ἑαυτὸν, τὸ συνάγειν τὸν νοῦν εἰς ἑαυτὸν, τὸ προσεύχεσθαι διηνεκῶς, τὸ ὑπὲρ τῆς εἰς Θεὸν ὀρθοδόξου πίστεως καὶ τιμῆς καὶ δοξολογίας διδόναι εἰς κόπους ἑαυτὸν, ἢ καὶ θλίψεις, καὶ τὸ μένειν ἐν τοῖς ὀρθοῖς καὶ θείοις ἀκίνητον. διὰ τοῦ θυμικοῦ δὲ τοῖς ἔργοις, τὸ ἀνδρίζεσθαι πρὸς τὰς ἀρετὰς, τὸ δικαιοπραγεῖν, τὸ κοπιᾶν ὑπὲρ τοῦ δικαίου, τὸ ζηλοῦν πρὸς τὴν ἐργασίαν τῶν ἐντολῶν, τὸ ἐλεεῖν ἀφειδῶς ἐξ ὧν ἔχει, τὸ ζημιοῦσθαι διὰ Χριστὸν, τὸ ἀμελεῖν τῶν κατὰ σάρκα, καὶ φεύγειν ἐκ τοῦ κόσμου, καὶ καταφρονεῖν τῶν τοῦ κόσμου, τὸ διακονεῖν ἀδελφοῖς, τὸ ἀγρυπνεῖν, καὶ γυμνιτεύειν, καὶ χαμευνεῖν, τὸ γρηγορεῖν καὶ ἵστασθαι, καὶ γονυκλιτεῖν, τὸ νηστεύειν, τὸ ἀλουτεῖν, καὶ σωματικῶς διὰ Χριστὸν θλίβεσθαι, πολλάκις δὲ καὶ μαρτυρεῖν, ὃ δὴ τῶν πράξεων Χριστοῦ τὸ τελευταῖόν ἐστι. διὰ τοῦ ἐπιθυμητικοῦ δὲ, τὸ ἁγνεύειν διὰ Χριστὸν, τὸ παρθενεύειν, τὸ ἐλεεῖν πένητας ἐν ἀγάπῃ, τὸ ἐν φυλακαῖς καὶ ἀσθενέσι παραβάλλειν διὰ Χριστὸν, τὸ ὀρφανῶν καὶ χηρῶν προΐστασθαι, τὸ τὰ οἰκεῖα προΐεσθαι ὑπὲρ βοηθείας ἀδελφοῦ, καὶ τέλος ἐν ἀγάπῃ τὸ πολλάκις δοῦναι καὶ ἑαυτὸν ὑπὲρ ἀδελφῶν, ὡς καὶ ὁ Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἔπραξε, τὰ ἐναντία δὲ σφαλλομένου ἀνθρώπου τῷ λογιστικῷ μὲν ταῖς πράξεσι, μὴ προστρέχειν θείοις ναοῖς, τὸ ἀμελεῖν τῶν εἰς τιμὴν τοῦ Θεοῦ, τὸ μὴ κοπιᾶν ὑπὲρ τοῦ Θεοῦ καὶ τῶν θείων, τὸ ἁρπάζειν δὲ μᾶλλον τὰ θεῖα καὶ κοινὰ ποιεῖν, καὶ κατὰ τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ φέρεσθαι, διαλοιδορούμενον αὐτοὺς καὶ κακοποιοῦντα, διὰ τοῦ θυμικοῦ δὲ τοῖς ἔργοις τὸ τύπτειν ἀδελφοὺς, τὸ φονεύειν, τὸ ἀποκλείειν, τὸ πάσι τρόποις κακοποιεῖν. διὰ τοῦ ἐπιθυμητικοῦ δὲ, τὸ πορνεύειν, μοιχεύειν, ἀσελγαίνειν, καὶ πάντα τὰ τῆς ἀκαθαρσίας ἐνεργεῖν, αἱμομιξίας τε καὶ ἀσωτίας, ἔπειτε τὸ ἀδικεῖν δι᾽ αἰσχροκέρδειαν, καὶ ἁρπάζειν, κλέπτειν καὶ μεθύειν, καὶ γαστρίζεσθαι, καὶ τὰ λοιπὰ ποιεῖν δὲ ἔργα τῆς ἐπιθυμίας δεινά.

Ἐν τούτοις οὖν ἅπασιν ὀφείλει ἕκαστος τῶν ἐξομολογουμένων ἑαυτὸν ἐρευνᾶν, καὶ ὁ δεχόμενος περὶ ἑκάστου διερωτᾶν, καὶ εἰ μὲν κατώρθωκεν ἀγαθόν τι ἐπαινεῖν καὶ πρὸς τοῦτο ἐπισπεύδειν, εἰ δ᾽ ἐσφαλμένον ὄντα εὕρῃ διὰ τῆς ἐξομολογήσεως καὶ μετανοίας διορθοῦσθαι τοῦτον ὡς δυνάμεις, καὶ πρὸς Θεὸν ἐπανάγειν τὸν πεπτωκότα, τοῖς ὅροις τῶν πατέρων ἑπόμενον, καὶ τῇ πνευματικῇ τούτων διακρίσει.

Πλὴν καὶ οἱ δοκοῦντες μὴ πεσεῖν, ὅπερ, ὡς ἐγὼ νομίζω, ἀδύνατον, μετανοεῖν ὀφείλουσι πάντες, τὸ γὰρ λογίζεσθαι μὴ πεσεῖν, τοῦτο τὸ πεσεῖν ἐστι, καὶ τῶν ἁμαρτημάτων τὸ μεῖζον, ὃ δὴ καὶ ἐξ ἀδεξιοῦ ἀπονοίας πεπόνθασι, πότε σε εἴδομεν λέγοντες, ἀντὶ τοῦ οὐχ ἡμαρτήκαμεν, ὅτι δὲ τοῦτο τὸ

μεῖ-

maledictionem & interdictionem ipſi inflictam, eumque in vitam æternam libera. Tu enim Domine dixiſti Petro Apoſtolorum primo Coriphæo, do tibi claves regni cælorum, & quæcunque ſolveris ſuper terram, erunt ſuluta & *in* cœlis. Ipſe igitur Domine clementiſſime rex tibi complaceat hunc ſervum tuum N. Sacerdotem per meam indignitatem ab omni vinculo ſolvi & anathematiſmo; omnem maledictionem, & excommunicationem adverſus eum latam fac irritam interceſſionibus ſemper Virginis, & Dei genitricis Mariæ, quæ te ſine ſemine, & ſupra naturam & rationem genuit, Sanctorumque & omni laude celebritate dignorum Apoſtolorum tuorum, & omnium Sanctorum tuorum. Eorum interceſſione dignare illum iterum ſiſtere coram tremendo altari tuo, ut ante thronum gloriæ tuæ acceptabiles & gratas tibi ſanctè & purè offerat incruentas hoſtias Quia tu es Deus noſter miſericors, & hominum amans, tibique gloriam reddimus Domino noſtro Jeſu Chriſto, cum Patre tuo principii experte, & ſanctiſſimo, bonoque & vivifico ſpiritu tuo, nunc & ſemper. Et ſic fit ſacræ Miſſę dimiſſio ſuper Caput Sacerdotis abſoluti, ipſique convenientem, ſufficientem, & viribus idoneam Pœnitentiam imponit, abitque poſtmodum ab ipſo quoque Deo abſolutus.

Ordo ad ſolutionem Excommunicationis qua ſecularis à Sacerdote contumeliæ alicujus cauſa ligatus eſt.

Officium ſupradictum integrè perficit, exceptis tamen matutinis Euangeliis. Completis Matutinis Miſſam incipit Sacerdos: Eaque finita antequam dimiſſionem faciat, ſacria veſtibus adhuc indutus ſuper caput excommunicati hanc orationem pronuntiat.

Pax omnibus. Dominum precemur.

Miſericors, bone, & hominum amans Deus, qui propter miſerationes tuas miſiſti Unigenitum tuum in mundum ut diſrumperet peccatorum Chirographum adverſus nos latum, & ſolveret vincula eorum qui ſub peccatis vincti tenentur, prædicaretque captivis remiſſionem, & mortis ſtimulum hebetaret, prorſuſque perderet: Tu Domine præſentem hunc ſervum tuum N. ab hoc ſibi impoſito excommunicationis vinculo bonitate tua libera, & relaxa vinculum, jugumque illi impactum; atque ut bonus & humanus dona illi perfectam indulgentiam, nec eum ſepares à ſancta tua Catholica & Apoſtolica Eccleſia Conjunge illum puro tuo rationalium ovium gregi, illumque iterum conſtituere regni tui hæredem dignare: Quia tu dixiſti, nolo mortem peccatoris, ut ejus converſionem & vitam; donaque illi ſine peccato vitam agere, & miſericorditer concede eum immaculati corporis tui, & pretioſi ſanguinis diſpenſationi participare, interceſſionibus ſuper omnes immaculatæ Dominæ noſtrę Dei genitricis, & ſemper Virginis Mariæ, honorandi Præcurſoris Joannis Baptiſtæ, Sanctorum, & cum omni laude celebrandorum Apoſtolorum, & omnium Sanctorum tuorum. Exorare Domine, & concede illi perfectam Indulgentiam, & omnem omnis vinculi maledictionem ſolve. Excommunicationemque irritam ab eo averte, donaque illi cum fiducia & pura conſcientia Majeſtatem tuam adire, & à te divitias miſericordiæ tuæ exorare Quia clemens, & miſericors es, Chriſte Deus noſter, teque decet gloria in ſecula. Amen.

Sic perficit dimiſſionem Miſſæ ſuper caput ejus, & eum à ſe dimittit.

Oratio altera ad ſolvendum canonem ſive pœnam Excommunicato impoſitam.

Pax omnibus. Dominum precemur.

Domine Deus noſter qui ſanctis diſcipulis & Apoſtolis tuis clauſis portis adſuiſti, pacemque illis dediſti dicens, Quorum dimiſeritis peccata, dimittuntur eis, quorum retinueritis, retenta erunt: Ipſe nunc Domine exorare ſuper ſervum tuum N. & ſolve peccata ejus, & animæ illius maculas & ſordes repurga. Cum enim in prævaricationes lapſus ad te qui ſolus facilè reconciliaris, confugerit, ut mere-

αὐτῷ, καὶ ἐλευθέρωσον εἰς ζωὴν αἰώνιον. σὺ γὰρ εἶπας· Κύριε τῷ πρωτοκορυφαίῳ σου τῶν ἀποστόλων Πέτρῳ, ὅτι σοὶ δίδωμι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. καὶ ὅσα ἂν λύσεις ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται λελυμένα καὶ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. αὐτὸς οὖν Κύριε πανάγαθε βασιλεῦ εὐδόκησον δι' ἐμοῦ λυθῆναι καὶ τὸν δοῦλόν σου Δ΄. ἱερέα διὰ τῆς ἐμῆς ἀναξιότητος παντὸς δεσμοῦ καὶ ἀναθεματισμοῦ, πᾶσαν κατάραν καὶ ἀφορισμὸν ἄκυρον ποίησον κατ' αὐτοῦ διὰ τῆς πρεσβείας τῆς ἀειπαρθένου καὶ θεοτόκου Μαρίας, τῆς ἀσπόρως καὶ ὑπερφυῶς ὑπὲρ λόγον τεκούσης σε, τῶν ἁγίων καὶ πανευφήμων ἀποστόλων σου, καὶ πάντων σου τῶν ἁγίων διό. τῆς πρεσβείας αὐτῶν ἀξίωσον αὐτὸν πάλιν παραστῆναι ἐνώπιον τοῦ φρικτοῦ βήματός σου, καὶ ἔμπροσθεν τοῦ θρόνου τῆς δόξης σου, τοῦ προσφέρειν σοι ὁσίως καὶ καθαρῶς καὶ εὐπροσδέκτως τὰς ἀναιμάκτους θυσίας, ὅτι σὺ εἶ ὁ ἐλεήμων καὶ φιλάνθρωπος Θεὸς ἡμῶν. καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν τῷ Κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ σὺν τῷ ἀνάρχῳ σου πατρὶ καὶ τῷ παναγίῳ, καὶ ἀγαθῷ, καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι νῦν καὶ ἀεί. Καὶ οὕτω γίνεται ἡ ἀπόλυσις τῆς ἱερᾶς μυσταγωγίας ἐπάνω τῆς κεφαλῆς τοῦ λυθέντος ἱερέως, καὶ ἐπιτιμᾷ αὐτὸν τὸ ἀρκετόν, καθὼς δύναμις ἦν αὐτῷ, καὶ ἀπέρχεται λελυμένος καὶ ὑπὸ Θεοῦ.

Ἀκολουθία εἰς λύσιν ἀφορισμοῦ ἱερέως ἐπὶ κοσμικόν τινα δεσμευθέντα παρ' αὐτοῦ τοῦ ἱερέως ἕνεκα ὕβρεως τινός.

Ποιεῖ τὴν προγεγραμμένην ἀκολουθίαν ἀνελλιπῶς χωρὶς τῶν ἑωθινῶν εὐαγγελίων. πληρωθέντος δὲ τοῦ ὄρθρου ἄρχεται ὁ ἱερεὺς τῆς λειτουργίας. καὶ μετὰ τὸ τέλος πρὸ τοῦ ποιῆσαι ἀπόλυσιν ἔτι φορέμενος ὤν, λέγει ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τοῦ δεδεμένου τὴν αὐτὴν εὐχήν.

Εἰρήνη πᾶσι. τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν.

Εὔσπλαγχνε ἀγαθὲ καὶ φιλάνθρωπε ὁ διὰ τοὺς σοὺς οἰκτιρμοὺς ἐξαποστείλας τὸν μονογενῆ σου υἱὸν εἰς τὸν κόσμον, ἵνα διαῤῥήξῃ τὸ καθ' ἡμῶν τῶν πλημμελημάτων χειρόγραφον, καὶ λύσῃ τὰ δεσμὰ τῶν ὑπὸ τῆς ἁμαρτίας πεπεδημένων, καὶ κηρύξῃ αἰχμαλώτοις ἄφεσιν. καὶ ἐξολοθρεύσας τοῦ θανάτου τὸ κέντρον, σὺ δέσποτα τὸν παρόντα δοῦλόν σου Δ. τῇ σῇ ἀγαθότητι ἐλευθέρωσον τοῦ ἐπικειμένου δεσμοῦ καὶ ἀφορισμοῦ. καὶ ἄνες αὐτῷ τὸν ἐπιτεθέντα δεσμὸν καὶ ζυγόν. καὶ δώρησαι αὐτῷ τελείαν τὴν συγχώρησιν ὡς ἀγαθός τε καὶ φιλάνθρωπος. καὶ μὴ χωρίσῃς αὐτὸν τῇ ἁγίᾳ σου καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ, σύναψον αὐτὸν τῇ καθαρᾷ σου ποίμνῃ τῶν λογικῶν προβάτων, καὶ ἀξίωσον αὐτὸν πάλιν τῆς βασιλείας σου γενέσθαι κληρονόμον, ὅτι σὺ εἶπας, οὐ θέλω τὸν θάνατον τοῦ ἁμαρτωλοῦ, ὡς τὸ ἐπιστρέψαι καὶ ζῆν αὐτόν. καὶ δώρησαι αὐτῷ ἀναμαρτήτως πορεύεσθαι. καὶ ἀξίωσον αὐτὸν μεταλαβεῖν τοῦ ἀχράντου σώματός σου, καὶ τοῦ τιμίου αἵματός σου τῆς οἰκονομίας σου, διὰ πρεσβειῶν τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, τοῦ τιμίου προδρόμου καὶ βαπτιστοῦ Ἰωάννου, τῶν ἁγίων καὶ πανευφήμων ἀποστόλων, καὶ πάντων σου τῶν ἁγίων. παρακλήθητι Κύριε καὶ συγχώρησον αὐτῷ τελείαν συγχώρησιν, καὶ παντὸς δεσμοῦ λῦσον, πᾶσαν κατάραν καὶ ἀφορισμὸν ἄκυρον ἀπ' αὐτοῦ ποίησον, καὶ δώρησαι αὐτῷ μετὰ παῤῥησίας, καὶ καθαροῦ συνειδότος προσιέναι σῇ μεγαλειότητι, καὶ αἰτεῖσθαι παρὰ σοῦ τὰ πλούσιά σου ἐλέη. ὅτι φιλάνθρωπος καὶ οἰκτίρμων ὑπάρχεις Χριστὲ ὁ Θεὸς ἡμῶν, καὶ σοὶ πρέπει δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

Καὶ οὕτω τελειοῖ τὴν ἀπόλυσιν τῆς λειτουργίας ἐπάνω τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, καὶ ἀπολύει αὐτόν.

Εὐχὴ ἑτέρα εἰς τὸ λῦσαι κανόνα εἰς ἀφορισθέντα.

Εἰρήνη πᾶσι. τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν.

Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ παραγενόμενος ἐπὶ τοὺς ἁγίους σου μαθητὰς καὶ ἀποστόλους τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, καὶ τὴν εἰρήνην σου δοὺς αὐτοῖς λέγων· ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἀφ' ἑαυτῶν γενομένας ἁμαρτίας ἀφίενται αὐτοῖς. ἄν τινων κρατῆτε κεκράτηνται, αὐτὸς καὶ νῦν δέσποτα πολυεύσπλαγχνε παρακλήθητι ἐπὶ τὸν δοῦλόν σου Δ΄. καὶ λῦσον τὰ ἁμαρτήματα αὐτοῦ, καὶ τὴν κηλῖδα καὶ τὸν σπίλον τῆς ψυχῆς αὐτοῦ καθάρισον. ἐπειδὴ γὰρ ἐν πλημμελείαις περιπεσὼν

πρὸς σὲ κατέφυγε τῆς μόνης ἀδιαλλάκτου. ὡς οὖν ἔλυσας τὰς προημαρτηκότας πόρνας καὶ τελώνας, καὶ ἔδωκας αὐτοῖς τελείαν τὴν συγχώρησιν, οὕτως λῦσον καὶ τὸν δοῦλόν σου Δ. ἐκ τοῦ ἐπικειμένου δεσμοῦ τοῦ ἀφορισμοῦ. ὅτι σὺ εἶ ὁ θέλων πάντας ἀνθρώπους σωθῆναι καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν, ὅτι ἐλεήμων καὶ φιλάνθρωπος Θεὸς ὑπάρχεις, καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

Εὐχὴ συγχωρητικὴ εἰς πᾶσαν ἀφέλειαν.

Γερμανὸς ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Ἀμαθοῦντος πρόεδρος πόλεως Νεμεσοῦ, καὶ κυρίων.

Ἡ ταπεινότης ἡμῶν ἀπὸ τῆς χάριτός τε καὶ δωρεᾶς καὶ ἐξουσίας τοῦ παναγίου καὶ ζωαρχικοῦ πνεύματος, τῆς δοθείσης παρὰ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῖς θείοις αὐτοῦ καὶ ἱεροῖς μαθηταῖς εἰς τὸ δεσμεῖν τε καὶ λύειν τὰς τῶν ἀνθρώπων ἁμαρτίας, εἰρηκότος αὐτοῖς, λάβετε πνεῦμα ἅγιον, ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται αὐτοῖς. ἄν τινων κρατῆτε κεκράτηνται: καὶ ὅσα ἂν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ὅσα ἂν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται δεδεμένα ἐν τῷ οὐρανῷ. ἐξ ἐκείνων δὲ καὶ εἰς ἡμᾶς ἀλληλοδιαδόχως ταύτης διαβάσης τῆς θείας χάριτος, ἔχει συγκεχωρημένην τὴν κατὰ πνεῦμα θυγατέρα αὐτῆς Δ. εἰς ὅσα καὶ αὐτὴ ὡς ἄνθρωπος ἥμαρτε καὶ εἰς Θεὸν ἐπλημμέλησε λόγῳ, ἔργῳ, διανοίᾳ καὶ πάσαις αὐτῆς ταῖς αἰσθήσεσι. καὶ εἰ ὑπὸ κατάραν καὶ ἀφορισμὸν ἀρχιερέως ἐγένετο, ἢ πατρὸς ἢ μητρὸς, αὐτῆς, ἢ τῷ ἰδίῳ ἀναθέματι περιέπεσεν, ἢ ὅρκον παρέβη, ἢ ἄλλοις τισὶν ἁμαρτήμασιν ὡς ἄνθρωπος ὅσα καὶ αὐτὴ περιεπάρη. καὶ πνευματικοῖς πατράσιν ἐξωμολογήσατο, καὶ τὸν παρ' αὐτοῖς κανόνα ἀκριβῶς ἐπεδέξατο, ἐκ τούτων πάντων τῆς ἐνοχῆς καὶ δεσμώσεως ἐλευθέραν ἔχομεν αὐτὴν καὶ συγκεχωρημένην τῇ παντοδυνάμῳ ἐξουσίᾳ καὶ χάριτι τοῦ θείου καὶ προσκυνητοῦ πνεύματος. ὅσα δὲ διὰ λήθην, ἢ αἰδῶ ἀνεξομολόγητα ἔασε, καὶ ταῦτα συγχωρήσαι αὐτῇ ὁ ἐλεήμων Θεὸς, ὁ ὢν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

Ἡ ταπεινότης ἡμῶν ἀπὸ τῆς χάριτος καὶ δωρεᾶς τοῦ παναγίου καὶ ζωαρχικοῦ πνεύματος ἐκχωρεῖ καὶ ἄδειαν δίδωσι τῷ τιμιωτάτῳ ἐν ἱερομονάχοις κυρίῳ ὁ δεῖνα τὸ τῆς πνευματικῆς πατρότητος λειτούργημα. διὰ τοῦτο ὀφείλει ὑπὸ πάντων τιμᾶσθαι καὶ ὀνομάζεσθαι πνευματικὸς πατήρ. καὶ ὑπείκειν αὐτῷ τοὺς εἰς ὅσα πνευματικῶς νουθετεῖ, καὶ παιδεύει πρὸς σωτηρίαν. ὀφείλει δὲ καὶ αὐτὸς πνευματικῶς, καὶ σωφρόνως βιοῦν, καὶ διά τε λόγου καὶ ἔργου τοὺς πρὸς αὐτὸν εἰσιόντας εἰς τὴν τῶν κεκρυμμένων λογισμῶν ἐξαγόρευσιν παροτρύνειν. ἔπειτα κανονίζειν πρὸς τὰ ἡμαρτημένα ἔργα, καὶ τὸν κανόνα αὐτοῖς διδόναι. θεωρεῖν καὶ τὰς προαιρέσεις, καὶ τοῖς μὲν ἐκτείνειν τὰ ἐπιτίμια, ἵνα μετὰ τὴν συγχώρησιν καὶ μισθὸν προξενήσῃ αὐτοῖς οὐράνιον. τῶν δὲ συστέλλειν, ἵνα μὴ ἀμελεῖς ὄντες καὶ τὰ ὑπὲρ τὴν δύναμιν δεδεὶς αὐτοῖς εἰς τελείαν ῥαθυμίαν καταπέσωσι, καὶ τῇ ἀπογνώσει κατακρημνίσωσιν αὑτούς. τοὺς δὲ πλεονεξίαν, ἢ κλοπὴν ἐξαγορεύοντας, ὀφείλει μηδ' ὅλως αὐτοὺς εἰς κοινωνίαν παραδέχεσθαι, ἕως ἂν τὰ πλεονεκτηθέντα ἐπιστρέψωσι. ἢ ἐὰν ἐκεῖνοι ἀπέθανον τοῖς τούτων κληρονόμοις ἀποδιδόναι. εἰ δὲ καὶ ἐκεῖνοι ἐτελεύτησαν, διδόναι ὑπὲρ τῆς αὐτῶν σωτηρίας. καὶ τότε δίδοσθαι τὸν πρέποντα αὐτοῖς κανόνα, καὶ δεῖσθαι αὐτοὺς εἰς μετάνοιαν. τοὺς δὲ πρὸς τὸ τῆς ἱερωσύνης ἀξίωμα ἀναγομένους οὕτως ὀφείλει ἐρευνᾷν, καὶ τὰ βάθη τῶν καρδιῶν αὐτῶν ἐξετάζειν, ὥστε μηδὲν ἐᾶν ἐξαγορεύοντα, ἵνα μὴ λάθωμεν συγκοινωνοὶ ἑτέρων ἁμαρτίαις. ἱστᾶν αὐτοὺς ἔμπροσθεν τῆς εἰκόνος τοῦ δεσπότου Χριστοῦ καὶ τῆς θεοτόκου, καὶ ἐξετάζειν πάντων αὐτῶν τὰ νοήματα, θεωρεῖν καὶ τὴν κατάστασιν καὶ τάξιν αὐτῶν. καὶ οὕτως διδοὺς αὐτοῖς ἄδειαν τοῦ ἱερᾶσθαι, κείρειν τε μοναχοὺς καὶ μοναχὰς καὶ ἐν ταῖς ἐσχάταις ἀναπνοαῖς, καὶ ἐν τῇ ὑγείᾳ αὐτῶν καὶ προσάγειν αὐτοὺς τῷ Θεῷ διὰ τῆς καθαρᾶς, καὶ εἰλικρινοῦς μετανοίας. διὰ τοῦτο εἰς βεβαίωσιν καὶ ἀσφάλειαν ἐπεδόθη αὐτῷ κατὰ πνεῦμα υἱῷ ἡμῶν παπᾷ Κυρίῳ Δ. εἰς ἔνδειξιν καὶ ἀσφάλειαν. &c.

trices, & Publicanos qui ante peccaverunt abſolviſti, perfectamque veniam illis conceſſiſti: Sic ſervum tuum N vinculo excommunicationis ſibi adhærenti abſolve: Quia tu vis omnes homines ſervari, & ad cognitionem veritatis pervenire; Miſericors enim & clemens es Deus, & tibi gloriam referimus in ſæcula. Amen.

Oratio ad veniam indulgendam in omnem neceſſitatem.

Germanus miſericordia Dei Amathuntis Epiſcopus, Præfectus urbis Nemeſi, & Cureorum.

Humilitas noſtra, per gratiam, donum & poteſtatem ſanctiſſimi, & vitæ dominantis ſpiritus quæ data eſt à Servatore noſtro Jeſu Chriſto divinis & ſacris ejus Diſcipulis ad peccata hominum liganda & ſolvenda, cum dixit eis, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis; quorum retinueritis retenta erunt: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta in cælo, & quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata in cœlo. Ex ipſis autem divina illa gratia continua ſucceſſione ad nos pertranſivit, condonatam habet filiam ſuam N. in omnibus in quibus ipſa ut homo in Deum peccavit & prævaricata eſt, verbo, opere, mente, & omnibus ſenſibus ſuis. Si autem maledictioni, & excommunicationi Epiſcopi ſuppoſita fuit, vel Patris, vel matris ipſius, vel proprio anathemati & execrationi ſubcidit, vel jusjurandum tranſgreſſa eſt, vel aliis quibuſdam peccatis ut homo percuſſa, & afflicta eſt, & ea ſpiritualibus Patribus confitendo declaravit, canonemque ab eis diligenter accepit, ab iſtorum omnium reatu, & ligamine liberam eam habemus & condonatam, omnipotente virtute & gratia divini & adorandi ſpiritus. Quæcunque verò, aut oblivione aut pudore confiteri prætermiſit, hoc quoque illi condona miſericors Deus, qui es benedictus in ſæcula. Amen

Humilitas noſtra ex gratia & dono ſanctiſſimi, & vitæ authoris ſpiritus, concedit, & impertitur honorando inter ſacros Monachos Domino N. exercendi ſpiritualis paternitatis miniſterii facultatem & authoritatem. Propterea debet ab omnibus honorari, & appellari ſpiritualis Pater, ipſique obſequium præſtandum eſt, in iis quæ ſpiritualiter ad ſalutem monuerit, & docuerit. Debet etiam ipſe ſpiritualiter & prudenter vitam inſtituere, & ipſum adeuntes verbo & opere, ad cogitationum abditarum confeſſionem adhortari, poſtea juxtà opera in quibus peccaverunt canonem ipſis imponere, voluntatem etiam eorum attendere, & illius quidem Epitiima extendere, ut poſt veniam, cœleſtem quoque mercedem ſibi promereatur; Iſtorum verò contrahere ne negligentes facti ex eo quod ſupra vires canonem illis impoſuit, in perfectam deſidiam concidant, & deſperatione ſeipſos præcipitent. Eos autem qui fraude aliquem ſe circumveniſſe, aut aliquid rapuiſſe confitentur, nullomodo debet ad communionem recipere donec quæ fraude obtinuerunt, aut rapuerunt, reſtituerint: Aut ſi mortui ſunt ii ad quos iſta pertinebant, ipſorum hæredibus reddiderint. Si verò hæredum aliqui obierunt, pro eorum ſalute erunt impendenda. His peractis conveniens illis pœnarum canon erit imponendus, & ad Pœnitentiam obligandi. Eos autem qui ad Sacerdotii dignitatem promoti ſunt, ſic inquirere & profundas cordis eorum cogitationes inquirere & ſcrutari debet, ut in Confitente nihil prorſus intentatum relinquat, ne ignari aliorum peccatis latenter participemus. Ideo ſiſtere eos debet coram imagine Domini Chriſti, & Deiparæ, atque ibi eorum omnium cogitationes inquirere, & examinare; conſiderare quoque ſtatum & ordinem ſive dignitatem; ſicque illis data vovendi facultate, eos in Monachos & Monachas tondere, & in extremo ſpiritu, & dum ſani ſunt, eoſque per puram & ſinceram Pœnitentiam Deo adducere. In hujus rei confirmationem, & ſecuritatem Domino N. Papæ filio noſtro ſpirituali hoc diploma datum eſt, &c.

Hanc

Digitized by Google

Hanc orationem alia ſequitur cum hoc titulo, Εὐχὴ συγχωρητική. Oratio Abſolutoria, quæ incipit, ἡ μετριότης ἡμῶν διὰ τῆς χάριτος, Mediocritas noſtra per gratiam, &c. Sed eam omittimus, eo quod eadem ſit cum præcedente quæ incipit, Germanus Gratia Dei, &c. Differunt tantum quod prior data ſit mulieri, poſterior viro.

Oratio alia Abſolutoria; Dominum Oremus.

Domine Jeſu Chriſte Deus noſtet, fili & verbum Dei viventis, qui tollis peccatum mundi, qui debitum duobus debitoribus donaſti, & mulieri peccattici temiſſionem peccatorum dediſti, & ſanitatem cum remiſſione peccatorum Paralytico: Ipſe remitte, dimitte, condona, peccata, iniquitates, & prævaricationes voluntatias, & involuntarias quæ cum cognitione, vel per ignorantiam, quæ in tranſgreſſione & inobedientia factæ ſunt, à ſervo tuo N. & ſi quid ut homo carnem gerens, & hujus mundi incola, atque à Diabolo deceptus, tranſgreſſus eſt, aut prævaricatus, ſive verbo, ſive opere, ſive cogitatione, nocte, vel diu; ſive maledictioni, vel excommunicationi Sacerdotis ſubjectus fuerit; ſive in proprium anathema inciderit, vel jusjurandum per Dei nomen fecerit, illudque fregerit; ſive alia de cauſa Chriſtianotum aliquos anathematizaverit, & execrationi devoverit, vel feſellerit, vel in eos iratus ſtultè locutus fuerit, vel fœnore moleſtaverit, vel contempſerit, vel vana gloria tumuerit, vel avaritiæ ſuccubuerit, vel ebrietati; vel injuriæ memor fuit, vel ad veneficos, magos, illaqueatores, divinos, & his ſimiles confugit, vel ingluviei ſeſe dedidit, vel fornicationem aut adulterium aut mollitiem perpetravit, vel verberibus, aut fuſtibus aliquem cecidit, vel rapuit, vel furatus eſt, vel cordis duritie conſtrictus pauperem non eſt miſertus, nec eis, ut poterat, benefecit, vel in corde ſuo blaſphemavit, vel calumniam impegit, vel fratrem afflixit, aut contempſit, vel ad preces aut pſalmodiam ſtans mala & terrena hujus vitæ mente agitavit, & verſavit, vel præter decorum deliciis indulſit, vel feſtivè nimis & ſcurriliter locutus eſt, vel imprudentet tiſit vel inanem pulchritudinem & ornatum contemplatus eſt, atque ab eo delinitus & allectus eſt, vel fratris vitium & debilitatem vidit & condemnavit, illiuſque lapſus obliquè aſpexit & contempſit, aut illius deprecationem neglexit; vel patris ſpiritualis mandatum non cuſtodivit, vel ſegniter habuit, vel otioſa & ludicra locutus eſt, vel aliquod aliud malum egit. Ex omnibus his peccatis, & muleſtris gravibus & ſimilibus libeta ſervum tuum N. clementiſſime Domine, & ſi quid in aliis ut homo offendit, omnia illi condona juxta inenarrabilem tuam bonitatem, & qua malos ferre ſoles patientiam. Ita, Dominator Domine, Deus noſter exaudi nos per bonitatem tuam pro ſervo tuo N. deptecantes. Ut malorum immemor ne teſpicias omnes ejus lapſus, eumque ab æterno ſupplicio conſerva. Hæredem eum conſtitue æternorum bonorum tuorum cum omnibus qui à ſæculo tibi placuerunt. Miſericotditer illi concede ut ſine ſui condemnatione tremendis, immortalibus & timorem incutientibus myſteriis tuis communicet. Tu enim dixiſti Domine quod quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in cœlis. Quia tu es ſolus culpa expers, & potens peccata dimittere, & tibi convenit omnis gloria honor, & adotatio, Patri & Filio, & Spiritui Sancto, nunc & ſempet, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Εὐχὴ ἑτέρα, τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν.

Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ ὁ Θεὸς ἡμῶν, υἱὲ, καὶ λόγε τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ὁ τὸ δάνειον τοῖς δυσὶ χρεωφειλέταις χαρισάμενος, καὶ τῇ ἁμαρτωλῷ γυναικὶ τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν δοὺς, ὁ τὴν ἴασιν τῷ παραλύτῳ δωρησάμενος σὺν τῇ ἀφέσει τῶν ἁμαρτιῶν αὐτοῦ. αὐτὸς ἄνες, ἄφες, συγχώρησον τὰς ἁμαρτίας, τὰς ἀνομίας, τὰ πλημμελήματα τὰ ἑκούσια, καὶ τὰ ἀκούσια, τὰ ἐν γνώσει καὶ ἀγνοίᾳ, τὰ ἐν παραβάσει καὶ παρακοῇ γενόμενα παρὰ τοῦ δούλου σου Δ'. καὶ εἴτι ὡς ἄνθρωπος σάρκα φορῶν καὶ τὸν κόσμον τοῦτον οἰκῶν, καὶ ἐκ τοῦ διαβόλου πλανηθεὶς παρέβη, ἢ ἐπλημμέλησεν, εἴτε ἐν λόγῳ, εἴτε ἐν ἔργῳ, εἴτε κατὰ διάνοιαν ἐν νυκτὶ καὶ ἡμέρᾳ, εἴτε ὑπὸ κατάραν, ἢ ἀφορισμὸν ἱερέως ἐγένετο, εἴτε τῷ ἰδίῳ ἀναθέματι ὑπέπεσεν, ἢ ὅρκον ὤμοσεν ὀνόματι Θεοῦ, καὶ τοῦτον παρέβη, ἢ ἐξ ἄλλου τινὰ τῶν χριστιανῶν ἀναθεμάτισεν, ἢ κατηράσατο, ἢ ἐμωρολόγησεν, ἢ ἐψεύσατο, ἢ ἐθυμώθη, καὶ ὠργίσατο, ἢ ἐτόκισεν, ἢ ἐκενοδόξησεν, ἢ εἰς φιλαργυρίαν ὑπέπεσεν, ἢ ἐμέθυσεν, ἢ ἐμνησικάκησεν, ἢ πρὸς φαρμακοὺς καὶ μάγους καὶ παγιδευτὰς καὶ κληδονιστὰς, καὶ τῶν ὁμοίων τούτων προσέδραμεν, ἢ ἐγαστριμάργησεν, ἢ ἐπόρνευσεν, ἢ ἐμοίχευσεν, ἢ ἐμαλακίσθη, ἢ ἐμάστιξεν, ἢ ἐρράπισεν, ἢ ἥρπασεν, ἢ ἔκλεψεν, ἢ ὑπὸ ἀσπλαγχνίας σφιγγόμενος τοὺς πτωχοὺς οὐκ ἠλέησεν, * ἐνεργέτησε κατὰ δύναμιν, ἢ κατὰ διάνοιαν ἐβλασφήμησεν, ἢ ἀδελφὸν ἔθλιψεν, ἢ παρεῖδεν, ἢ ἱστάμενος εἰς προσευχὴν, ἢ εἰς ψαλμῳδίαν ὁ νοῦς αὐτοῦ εἰς τὰ πονηρὰ καὶ βιωτικὰ περιεπέλασεν, ἢ παρὰ τὸ πρέπον ἐτρύφησεν, ἢ εὐτραπέλως ἐλάλησεν, ἢ ἀφρόνως ἐγέλασεν, ἢ κάλλος μάταιον ἐθεάσατο, καὶ ὑπ' αὐτοῦ ἐθέλχθη, ἢ τὰ μὴ δέοντα ἐφλυάρησεν, ἢ τὸ ἐλάττωμα τοῦ ἀδελφοῦ εἶδε καὶ κατέκρινεν, καὶ τὰ παραπτώματα αὐτοῦ παρεβλέψατο, ἢ τῆς εὐχῆς αὐτοῦ ἠμέλησε, καὶ τὴν ἐντολὴν τοῦ πνευματικοῦ πατρὸς αὐτοῦ οὐκ ἐφύλαξεν, ἢ ἐρρᾳθύμησεν, ἢ ἀργολόγησεν, ἢ ἄλλο τι πονηρὸν ἐποίησεν, ἐκ πάντων τούτων τῶν δυσχερῶν, τῶν ὁμοίων τούτοις ἐλευθέρωσον τὸν δοῦλόν σου Δ', φιλάνθρωπε Κύριε, καὶ ἄλλο εἴτι ἥμαρτεν ὡς ἄνθρωπος κατὰ τὴν σὴν ἄφατον ἀγαθότητα, καὶ ἀνεξικακίαν συγχώρησον πάντα. ναὶ δέσποτα Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐπάκουσον δεομένων ἡμῶν τῆς σῆς ἀγαθότητος ὑπὲρ τοῦ δούλου σου, Δ' παρεῖδε ὡς ἀμνησίκακος τὰ πταίσματα αὐτοῦ πάντα καὶ ἀπάλλαξον αὐτὸν τῆς αἰωνίου κολάσεως, καὶ κληρονόμον αὐτὸν ποίησον τῶν αἰωνίων σου ἀγαθῶν μετὰ πάντων τῶν ἀπ' αἰῶνός σοι εὐαρεστησάντων. ἀξίωσον αὐτὸν ἀκατακρίτως μετασχεῖν τῶν φρικτῶν σου μυστηρίων τῶν ἀθανάτων καὶ φοβερῶν. σὺ γὰρ εἶπας δέσποτα, ὅτι ὅσα ἂν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα ἐν τοῖς οὐρανοῖς. ὅτι σὺ εἶ μόνος ἀναμάρτητος, ὁ δυνάμενος ἀφιέναι ἁμαρτίας. καὶ σοὶ πρέπει πᾶσα δόξα, τιμὴ καὶ προσκύνησις τῷ πατρὶ, καὶ τῷ υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν.

Hanc poſtremam orationem Abſolutoriam in Euchologio Allatiano præcedunt alia quatuor quas omiſimus, eo quod ſuperius jam relatæ ſunt, pauciſſimis verbis aliquando diverſa. Prima incipit, Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ τῷ Πέτρῳ, &c. In ſermone Ioannis Iejunatoris eſt tertia; Secunda incipit, ὁ Θεὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν ὁ διὰ τοῦ προφήτου σου Νάθαν, &c. Tertia eſt in Pænitentiali Iejunatoris, & in ejus ſermone. Tertia incipit, Ὁ Θεὸς ὁ δι' ἡμᾶς ἐνανθρωπήσας, &c. Secunda eſt in Pænitentiali Iejunatoris, & fere eadem apud Ioannem Monachum. Quarta incipit, Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ τῷ Πέτρῳ, καὶ τῇ πόρνῃ, &c. Iſta eſt fere eadem cum prima, una aut altera dictione demptis.

Adnotata in præcedentes Abſolutionis formulas, in quibus de hodierna Abſolutionis praxi apud Græcos diſſeritur, atque an duplicem nunc Abſolutionem uſurpent, inquiritur.

SI quis attentè legat præcedentes Abſolutionis formulas perſpicuè mihi videtur animadverſurus, id quod multis probavimus Libri ſexti cap. 25. duplicem ſcilicet in ſtadio Pœnitentiæ Abſolutionem apud Græcos concedi ſolitam. Primam ſtatim poſt Confeſſionem; ſecundam poſt ſatisfactionem præſtitam. Primam à peccatis eſſe, ſecundam à pœnis canonicis. Primam reconciliare Pœnitentem Deo & Eccleſiæ; Secundam Altari, τῷ θυσιαστηρίῳ, καὶ τελείῳ. Primam eſſe viaticum maximè neceſſarium, ἀναγκαιότατον, ut loquitur Concilium Nicænum; ſecundam eſſe Viaticum ſine quo ſalus eſſe poteſt. Primam dare ſalutem; ſecundam ſalutis perfectionem, ut loquuntur Græcorum formulæ. Quanquam nobis videamur hoc evidentiſſimè loco adnotato demonſtraſſe, informari tamen & doceri voluimus, an hoc tempore quo ſcribimus res ita ſeſe habeat apud Græcos. Hoc nobis in mentem venit uno aut altero menſe poſtquam caput illud 25. Libri noſtri ſexti typis mandatum eſt. Ideo Romam ad eruditiſſimum virum Leonem Allatium Amicum noſtrum de hac re ſcripſimus, à quo hæc accepimus. Primùm, Pœnitentem ſtatim Confeſſione audita modo feriò peniteat, à peccatis abſolvi iis precibus quæ in Euchologio habentur, licet peccata confeſſa gravibus pœnis juxta canones ſubjaceant. Secundum, Sacerdotem & cæteros fideles ita cum eo ſeſe gerere, ut cum reconciliato, & fideli, licèt communio Euchariſtica aliquando propter peccata in multos annos ſuſpendatur. Tertium; cum Pœnitentiæ diuturniores ſunt, Pœnitentes aliquando Pœnitentia nondum perfecta ad communionem admitti. Quartum, Pœnitentia completa nullam aliam Abſolutionem præter eam quæ primò data eſt à peccatis, requiri. *Nec, inquit, quæ in Euchologio habetur* ἀρχὴ ἐστὶ πάσης ἐπιτιμίων λύσεως. *notat Pœnitentem poſt peractam Pœnitentiam ad primum vel alium Confeſſorem redire debere, à quo Abſolutionem non ampliùs à peccatis, ſed à pœnis canonicis poſtulat, quæ illi rurſus conceditur. Preces enim illæ dicuntur & recitantur ſuper Eccleſiaſticis Cenſuris innodatos, ut ab illis abſolvantur.*

Hac in cauſa tria mihi occurrunt obſervanda. Primum, nullum eſſe verbum in tota illa Abſolutione quod ſpecialem aliquam Excommunicationem ſignificet, præter eam Excommunicationem quæ ex vulgatis Pœnitentiis Canonicis ſponte exurgit, quæ tamen nullo Excommunicationis verbo, aut illius Synonymo ibi exprimitur, ſed tantùm iis verbis communibus quæ naturaliter ſignificant, id quod ex Pœnitentia criminibus, præſertim apud Græcos, impoſita conſequitur. Itaque ſingula verba Abſolutionem notant à pœnis Canonicis; nullum verò eſt quod umbram gerat Excommunicationis alicujus ſpecialis inflictæ. Idem præterea evidentiſſimè demonſtratur ex poſtrema Oratione relata in Joannis Jejunatoris homilia, cui titulus, Εὐχὴ ἑτέρα εἰς τὸ λῦσαι ἐξομολογούμενον μετὰ τὸ πληρῶσαι τὸν χρόνον τοῦ ἐπιτιμίου. *Oratio altera ad abſolvendum Confitentem poſtquam complevit tempus Pœnitentiæ ſuæ.* Quid clarius & expreſſius deſiderari poſſit non video. Deinde ipſe orationis textus idem demonſtrat. Nihil enim habet prorſus quod Cenſuram exteriorem vel nomine tenus ſignificet, ſed habet ea quæ manifeſtiſſimè abſolutionem à pœnis canonicis inferunt. Καὶ ὃς δεδεμένος ὢν διὰ κανόνος λέλυται ὁ ἐπὶ αὐτῷ κανὼν καὶ τὸ ἁμάρτημα αὐτοῦ τῆς σῆς χάριτος, &c. Denique comparet Lector iſtas preces Abſolutorias cum iis quæ à Cenſuris Clericos vel Laicos abſolvunt. In poſterioribus ſtatim commemorari audiet verba ἀφορισμοῦ, κατάρας, ἀναθέματος, & ſimilia. In prioribus verò nihil ejuſmodi.

Secundum quod nobis occurrit obſervandum, eſt, ἐπιτίμιον nunquam Excommunicationem apud Græcos autores ſignificare, ſed id quod autores Latini antiqui & recentiores, vulguſque Chriſtianorum Pœnitentiam appellat, hoc eſt, pœnam peccatis impoſitam à Confeſſore ſive ſecundum canones, ſive ex arbitrio. Similiter ἐπιτίμιον dicitur illa pœna quæ Reo imponitur, cum à Cenſura ſolvitur, ut Latinis Pœnitentia, Hujus rei toties exempla occurrunt apud authores Græcos antiquos & recentiores, & apud Pœnitentiales libellos, & canonaria, quoties in iis hæc dictio occurrit. Itaque ἐκ ἐπιτιμίων λυθῆναι, nihil aliud ſignificare poteſt quàm pœnis ſolvi quas in Confeſſione Sacerdos vel ex canone, vel ex arbitrio ſuo impoſuit.

Tertium nobis obſervandum, Excommunicationem, multis modis dici apud Græcos & apud Latinos. Aliud eſt loqui de majori Excommunicatione, & anathemate, quo peccator ab Eccleſia ejicitur: Aliud de minori Excommunicatione, cujus olim multi erant gradus, tot ſcilicet quot Pœnitentium ſtationes. Quicumque ad Pœnitentiam redigebatur, qualiſcunque illa ſtatio foret, ἀφορίζεσθαι dicebatur, καὶ ἀκοινώνητος εἶναι, excommunicari, & Excommunicatus eſſe; eo quod communione Euchariſtiæ, vel etiam precum prohiberetur; aut inſuper ultra Catechumenos, ad Eccleſiæ valvas relegaretur. Hujuſmodi Excommunicationum ἀκοινωνησιῶν καὶ ἀφορισμῶν paſſim occurrunt exempla: Apud antiquos Græcos innumera; apud poſteriores adhuc plura, eo quod apud poſteriores ἀκοινωνησία, & ἀφορισμὸς ad ſolam Euchariſtiæ privationem diffundantur. Reliquæ enim Pœnitentiales penè in Eccleſia infligendæ, apud eos ut apud nos obſoleverunt. Sed apud Antiquos illa verba modo Conſiſtentiam ſignificabant, modo Subſtrationem, modo Auditionem, Quicunque igitur ab Epitimiis ſolvuntur, rectè à Cenſuris, & ab Excōmunicatione ſolvi dicuntur; Non equidem ab Excommunicatione illa majori qua extra Eccleſiam abjicitur, ſed qua à corporis Chriſti communione ſuſpenditur. Duplex autem eſt ejuſmodi Excommunicatio; exterior, cum ea fit publicè propter peccatum aliquod publicum, quæ Græcis ut & Latinis rara eſt, hæc propriè Scholaſticis noſtris Cenſura diceretur. Verùm Cenſurarum ars & doctrina ut à Scholaſticis & Canoniſtis ab annis quingentis aliquot minus præciſè & Magiſtraliter traditur, Græcis, & ut antiquioribus Latinis, eſt incognita. Interior excommunicatio ea eſt quæ in foro conſcientiæ infligitur. Iſta nihil eſt aliud quàm à communione Euchariſtica ad aliquot annos, menſes, vel ſeptimanas ſuſpenſio. Pœna equidem exterior eſt, & publica, celarique non poteſt, cum præſertim illius duratio multis annis continuatur: Sed iſtius pœnæ impoſitio eſt interior, id eſt, privata, & occulta, à Confeſſore tantùm in tribunali Confeſſionis inflicta. Quemadmodum igitur ἐπιτίμια quatuor primis ſeculis ſignificabant omnes pœnas, ſuſpenſiones, depoſitiones, & Excommunicationes à Sacerdote Confitentis criminibus impoſitas: ſic etiam in poſterioribus ubique hoc deprehendes. Quales autem fuerint in ſpecie pœnæ illæ poſteriores per epitimia generaliter ſignificatæ, cum à prioribus multùm differant, ex Pœnitentialibus libellis diſcendum eſt, qui illas minutim explicant.

Evidens præterea iſtius rei argumentum eſt id quod eorum Pœnitentiales Patribus Spiritualibus præcipiunt, cum Sacrati Clerici confitentur, ut ſcilicet ab iis promiſſionem & ſecuritatem ſecundum Deum exigant antequam eos ad Confeſſionem admittant, ſe ſacris amplius non miniſtraturos ſi criminis alicujus Rei deprehendantur, quod à ſacris canonibus depoſitione, aut ſuſpenſione damnatum eſt. Ideo inter confitendum in multis caſibus quos in Pœnitentialibus legiſti, ipſis in Epitimium injungunt aut ſuſpenſionem ab officio, aut depoſitionem. Itaque iſta nomina, ἀφορισμὸς, ἀκοινωνησία, καθαίρεσις, κατάρα, reſque iis ſignificatæ, rectè & uſu antiquo & recentiore ἐπιτιμίου nomine intelliguntur. Ex Allatii tamen reſponſo colligitur, nunc apud Græcos ſecundæ iſtius Abſolutionis uſum aut deſiiſſe, aut non eſſe amplius neceſſarium, praximque eſſe, ut primam ſufficere ſibi perſuadeant.

Archiepiſcopus tamen Trapezuntinus vir prope Septuagenarius Pariſiis nunc degens, interrogatus quænam eſſet his in rebus hodierna & vulgata Græcorum praxis, hoc reſponſum dedit. Primum, Patrem ſpiritualem Confeſſione audita

dita Pœnitentem ſtatim à peccatis abſolvere, cumque pro reconciliato & Eccleſiæ & Deo habere, & cum eo ſic agere & verſari: Communionis Euchariſticæ privationem, pœnam tantùm eſſe, non autem animi à Deo averſi argumentum. Unde Pœnitens ejuſmodi licet Euchariſtia privatus officiis tamen Eccleſiaſticis intereſt, panem benedictum ſive ἀντίδωρον cum aliis accipit, aquam benedictam bibit; aliiſque omnibus in rebus excepta Euchariſtia cum fidelibus participat. Secundum, Pœnitentia peracta non eſſe opus ſecunda Abſolutione aut benedictione, priorem ſufficere: Aliquando tamen Pœnitentem Epitimio completo Patrem ſpiritualem adire, ut ab eo benedictionem & Abſolutionem ſecundò impetret; ſed hoc fieri ſecundum laudabilem conſuetudinem, non ex præcepto, κατὰ τὸ πρέπον, ἀλλ' ὡς χρείας κατὰ συνήθειαν, & non κανονικῶς. Tertium, Orationem illam abſolutoriam ἐπὶ τῷ ἐξιτηρίῳ λεγομένην, dici tantùm ſolitam ſuper eos quibus Pœnitentiæ relaxabantur, cum Pœnitentiæ impoſitæ tempus contrahebatur, ut precibus Eccleſiæ obtineat & compenſet, quod propria ſatisfactione non compleverat. Quartum, συγχωροχάρτια, ſive Indulgentiæ diplomata dari, ad partem aliquam pœnæ canonicæ relaxandam, aut etiam ad conſcientiam aliquam ſcrupuloſè jactatam ampliori benedictione tranquillandam. Ex iis ſequitur ſecundam reconciliationem, ſive à pœnis canonicis Abſolutionem hodierna praxi cenſeri tantùm neceſſariam cum pœnæ illæ ſeu ἐπιτίμια, relaxanda ſunt; cum verò completæ ſunt, à Pœnitentis arbitrio pendere, laudabiliter peti, nulla cum reprehenſione omitti.

Idem Archiepiſcopus interrogatus de praxi hodierna in Clericum vel Monachum carnis vitio lapſum, reſpondit, ſi crimen publicum eſt, aut publicè probatum, licet ſemel tantum perpecratum fuerit, Clericus ille deponitur. Si accuſatur, ſed non convincitur, ſeſe ſuper res ſacras jurejurando purgat, & innocentiam ſuam confirmat, publicèque tum communione fruitur. Si crimen occultum confeſſione ſecreta Sacerdoti aperit, ſemel biſve illi condonatur. Tertia vice ut à ſacro miniſterio ceſſet illi ſeverè injungit Spiritualis Pater, nec aliter quàm ſi ceſſaturum promiſerit, Abſolutionem concedit. Ita autem referebat communicare Sacerdotes vel Diaconos depoſitos, aut ſuſpenſos. In feſtis ſolemnibus Presbyteri omnes & Diaconi ſimul Miſſam celebrant; Presbyteri circum altare adſtantes, Diaconi autem retrò. Cum ad communionem Miſſæ deventum eſt, Presbyter depoſitus ſanctuarium ingreditur, ſtolam præparatam capit, deoſculatur, & collo imponit, & cum cæteris Presbyteris corpori Chriſti participat. Communione facta ſtatim ſtolam deoſculatur, deponit, & ἐκ τοῦ βήματος, è Sanctuario in chorum ſecedit. Diaconus depoſitus ſimiliter ſtolam ad latus altaris præparatam capit, deoſculatur, & humero ſiniſtro aptat; deinde, ut Presbyter, ſtatim recedit.

Interrogatus præterea, An Clericus qui multa crimina ejuſdem ſpeciei iteravit, eaque primùm confitetur, in perpetuum ab officio ſuſpendatur? Reſpondit multa illa crimina in una & eadem confeſſione revelata ut unum crimen cenſeri, ratione habita ad pœnam Eccleſiaſticam reo imponendam, eodemque modo, & analogia de criminibus Laicorum judicium fieri: ideo non multò majori pœna quàm ſi ſemel peccaſſet, puniri. Multa præterea crimina dicebat eſſe apud eos propter quæ in multos annos Pœnitentes communione privantur, ut adulterium, inceſtus, & ejuſmodi: nonnulla quoque propter quæ in finem uſque vitæ interdicitur, niſi propter inſignem & vehementem aliquam Pœnitentiam tempus contrahatur. Interrogatus inſuper, propter quid multæ orationes ſuper confeſſurum, aut jam confeſſum ut abſolvatur, reſpondit, ut vehementiùs & diligentiùs conteratur, faciliuſque à Deo peccatorum veniam impetret. Audivi quoque à Latinis nonnullis viris doctis qui in Græcia cum Græcis diuverſati fuerant eorumque ritibus attenderant, ſpirituales Patres cum aliquod crimen ipſis revelatur, paulò gravius, ſtatim Pœnitenti inculcare, ſolitos, μὴ μεταλάβῃς, *ne communices*. Sæpe etiam propter res non admodum graves à cõmunione ſua ſponte & inj... ſos abſtinere: v.gr. propter amplexus conjugales, propter infirmitates naturales quæ immunditiẽ ſapiunt, variaq; ejuſmodi quæ viris mulieribuſq; contingere ſolent. Qui ſe talibus contaminatum ſentit, non modo communione abſtinebit, ſed ne panem quidem benedictum accipiet, aut aquam benedictam hauriet, aut Evangelium oſculabitur, licèt horum abſtinentia ſit planè publica. Nec tamen cæteri fideles abſtinentiam iſtam conſpicientes, ſcandalum inde patiuntur, aut aliquid ſiniſtri de abſtinente concipiunt.

Iſta ſunt antiquiſſimæ praxis expreſſa veſtigia. Ultimum enim quod Pœnitenti concedebatur, & quod ei non niſi purgatiſſimo, & variis defecatiſſimo concedebatur, erat corporis Chriſti communio. Prius & longè facilius ſemper ab Antiquis conceſſa eſt à peccatis Abſolutio. Iſta pretioſiſſima margarita eſt quam prodigere præ cæteris omnibus maximè reformidarunt, cujus potiundæ cauſa tot præparationes Libris præcedentibus explicatas inſtituerunt: ad quam aſſequendam ipſa à peccatis Abſolutio gradus eſt, & præparatio. Duo ferebantur apud eos morientium viatica: Prius omnibus commune, quod nemini ſine crimine denegare fas eſt; ideo ab antiquiſſimis Concilii Nicæni Patribus dictum ἀναγκαιότατον peccatorum ſcilicet Abſolutio. Poſterius corporis Chriſti participatio, quod cum multo examine, & accurata Pœnitentis probatione conferri tantum ſolet, ut hæc videre potes fuſè deſcripta & demonſtrata lib. *6*. c. 20. Eandem doctrinam nos docet, & obſervare jubet Concilium Tridentinum Seſſ. 13. c. 7. Prohibet enim quenquam mortalis criminis conſcium quantumvis contritus ſibi videatur ad ſacram Euchariſtiam accedere, niſi Sacramentali Confeſſione præparatum. Quapropter contra vulgata antiquæ diſciplinæ circa Pœnitentiam principia ſeſe gerere mihi videretur, qui dubitans de Pœnitentis morientis diſpoſitione Euchariſtiam mallet prodigere quàm Abſolutionem. Nam ſi Abſolutionem illi dare non licet, multo minus Euchariſtiam. Græci laxata admodum antiqua in Abſolutionis conceſſione ſeveritate, longè tenacius eam quæ Euchariſtiæ communionem ſpectat, conſervarunt.

IN

GABRIELIS PHILADELPHIÆ

Metropolitæ Libellum de Sacramento Pœnitentiæ.

A D N O T A T I O.

GAbriel iſte recentiſſimus author eſt. Venetiis diu vixit, atque ut ex ejus ſcriptis colligitur, nec Latinæ Linguæ, nec Theologiæ Scholaſticæ erat ignarus, quanquam Latinis æquo infenſior. Severus diceba ur, & ſeſe nuncupabat non modo Philadelphiæ Metropolitam, ſed etiam Procuratorem & Exarcham Patriarchicum. Sæpe à Petro Arcudio citatur, & nonnunquam refutatur. Librum ſuum inſcripſit συνταγμάτιον περὶ τῶν ἁγίων μυστηρίων, *Commentariolum*, ſive, *collectiunculam de Sanctis Sacramentis*. Typis cuſus eſt Venetiis anno 1600, Ex hoc opere quintum libellum exemimus, & in noſtrum tranſtulimus, ut hinc evidentiùs pateat, non modo antiquos Græcos, ſed etiam recentiores eadem prorſus de Sacramento Pœniteotiæ ſentire, & ſcribere, quæ Latini. Tria alia opuſcula ſcripſit, quæ Venetiis quoq; cuſa ſunt, poſt præcedeos annis quatuor. Primum probat divina dona meritò honorari, & adorari, cum ea deſert Sacerdos à menſa propoſitionis ad ſacrum altare. Secundum de ſacris particulis agit quæ Græco more io Sanctorum honorem, proque vivis & mortuis offeruntur; cenſetque licet ſanctitatem participent, in corpus Chriſti tamen non mutari, ut panis & vinum quæ in commemorationem Paſſionis & Reſurrectionis Chriſti offeruntur. Tertium de Colybis, & ſeminibus quæ in feſtis Sanctorum pro mortuis offeruntur.

ΤΟΥ ΤΑΠΕΙΝΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΙ-τοῦ Φιλαδελφείας Γαβριὴλ ἐπιτρόπου καὶ ἐξάρχου πατριαρχικοῦ συνταγμάτιον περὶ τοῦ ἁγίου καὶ ἱεροῦ τῆς μετανοίας μυστηρίου, ἐκ τῶν αὐτοῦ πεπονημένων συνταγματίων περὶ τῶν ἁγίων ἑπτὰ μυστηρίων ἀφαίρεμα.

α'. ΤΙ ἐστι μετάνοια. β'. Τὰ αὐτῆς σημαινόμενα. γ'. Ποσαχῶς ἡ μετάνοια. δ'. Πόσα τὰ αὐτῆς μέρη. ε'. Τίς ὁ ταύτην διδάξας. ϛ'. Ὅ τι ἐστὶν ἀναγκαῖα τῷ ἁμαρτήσαντι χριστιανῷ. ζ'. Τίς ἡ αὐτῆς ὕλη. η'. Τί τὸ εἶδος. θ'. Ὁπόσοι καὶ ὁποῖοι οἱ καρποὶ αὐτῆς. ι'. Πόσοι τόποι ἀφωρισμένοι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ εἰσὶ τῶν μετανοούντων.

Περὶ τοῦ τί ἐστι μετάνοια.
Κεφ. Α'.

Μετάνοιά ἐστι, κατὰ τὸν θεῖον Δαμασκηνόν, ἐκ τοῦ παρὰ φύσιν, εἰς τὸ κατὰ φύσιν, καὶ ἐκ τοῦ διαβόλου, πρὸς Θεὸν ἐπάνοδος, δι' ἀσκήσεως καὶ πόνων. Καὶ ἄλλως. Μετάνοιά ἐστιν ἐπιστροφὴ ἑκούσιος, ἀπὸ τῶν πταισμάτων, ἐπὶ τὸ ἐναντίον ἀγαθόν.

Περὶ τῶν σημαινομένων τῆς μετανοίας.
Κεφ. Β'.

Μετάνοια. Μεταμέλεια. Μετάγνωσις.

Περὶ τοῦ ποσαχῶς ἡ μετάνοια.
Κεφ. Γ'.

Ἡ μετάνοιά ἐστι διχῶς. Ἔστι μετάνοια ἔνδον, καὶ ἔξω. καὶ ἡ μὲν ἔνδον, διὰ συντετριμμένης καρδίας, ὡς ὁ Δαβίδ φησι. καρδίαν συντετριμμένην ὁ Θεὸς οὐκ ἐξουδενώσει, καὶ τῶν ἐκ βάθους ἀναστεναγμῶν, ὡς τὸ ἐκ βαθέων ἐκέκραξά σοι, Κύριε εἰσάκουσον τῆς φωνῆς μου. ὅτι οἱ ἀναστεναγμοὶ τῶν πενήτων, οὐκ ἀπολοῦνται εἰς τέλος. Ἡ δὲ ἔξω, διὰ δακρύων, διὰ γονυκλισίας, διὰ τῆς τοῦ στήθους κρούσεως, ὡς οἱ πάλαι τελῶναι, γίγνεται.

Περὶ τῶν μερῶν τῆς μετανοίας.
Κεφ. Δ'.

Τὰ μέρη τῆς μετανοίας εἰσὶ τρία. ἤγουν ἡ συντριβὴ τῆς καρδίας. ἡ τοῦ στόματος ἐξομολόγησις, καὶ ἡ ἱκανοποίησις.

Καὶ ἡ μὲν συντριβὴ τῆς καρδίας ἐστὶ, θλῖψις ἐγκάρδιος μεταμελείας, ἕνεκα τῶν προτέρων ἁμαρτιῶν, καὶ τοῦ νόμου τοῦ Θεοῦ παραβάσεως. αὕτη προσφιλής ἐστι παρὰ τῷ Θεῷ, καὶ οὐκ ἐξουδενοῦται παρ' αὐτοῦ κατὰ τὸ εἰρημένον.

Ἡ δὲ ἐξομολόγησίς ἐστιν, ἐξαγόρευσις ἑκούσιος ἄνευ αἰδοῦς, διὰ τῶν χειλέων γινομένη, τῶν προτέρων εἰργασμένων αἰσχρουργιῶν ἕνεκα, καὶ κατηγορία ἑκούσιος σαφεστάτη τῶν τῆς καρδίας κρυφίων, ἐπὶ τοῦ ἔχοντος νόμιμον, καὶ κανονικὴν ἐξουσίαν. εἶπον ἐξαγόρευσιν, ὅτι φησὶν ὁ προφήτης, ἐγὼ εἶπα

GABRIELIS HUMILIS PHILADELPHIÆ Metropolitæ, Procuratoris & Exarchi Patriarchici, de Sancto & Sacro Pœnitentiæ Sacramento Libellus ex iis quos de Septem Sanctis Eccleſiæ Sacramentis elaboravit, exemptus.

DE Sacramento Pœnitentiæ hæc quæruntur 1. Quid ſit Pœnitentia. 2. Quæ ipſam ſignificent. 3. Quotupliciter Pœnitentia. 4. Quot ejus partes 5. Quis eam docuit. 6. Quid neceſſaria ſit Chriſtiano peccanti 7. Quæ ejus materia. 8. Quæ ejus forma. 9. Quot & quales ipſius fructus. 10. Quot loci ſunt in Eccleſia Pœnitentibus adſcripti.

De hoc, Quid eſt Pœnitentia.
CAP. I.

Pœnitentia eſt ſecundùm divinum Damaſcenum, reverſio per Exercitationem & Labores ex eo quod eſt contra naturam ad id quod eſt ſecondum naturam, & à Diabolo ad Deum. Aliter. Pœniteotia eſt voluntaria Converſio ab offenſis ab bonum contrarium.

De iis quæ Pœnitentiam ſignificant.
CAP. II.

μετάνοια, μεταμέλεια, μετάγνωσις.

De eo, Quotupliciter Pœnitentia.
CAP. III.

Pœnitentia duplex eſt, Pœnitentia interior, & exterior. Interior fit per cordis Contritionem, ot ait David, Cor contritum Deus non deſpicies; & per ſuſpiria de profundo animæ expreſſa, ut illud, De proſuodis clamavi ad te, Domine exaudi vocem meam, quia paoperum gemitus non peribuot in finem. Exterior verò fit per lachrymas, per genuflexiones, per pectoris pulſionem, ut olim Publicanus.

De Partibus Pœnitentiæ
CAP. IV.

Pœnitentiæ partes tres ſunt, videlicet Contritio cordis, oris Confeſſio, & ſatisfactio.

Cordis quidem Contritio, eſt afflictio & tribulatio cordis ex reſipiſcentia propter priora peccata, & Legis Dei prævaricationem ipſa eſt Deo amabilis & accepta, nec, ut dictum eſt, ab eo deſpicitur.

Confeſſio verò eſt, declaratio & enuntiatio voluntaria labis ſine pudore ſacta, propter ante commiſſas turpitudines, & voluntaria, dilucidaque ſecretorum cordis accuſatio, apud eum qui legitimam & canonicam habet poteſtatem. Dixi enuntiationem, quia ait Propheta, Ego dixi,

enun-

enuntiabo adverſum me iniquitatem meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei. Dixi voluntariam, quia nullum violentum virtus eſt. Dixi ſine pudore, quia pudor inducit peccatum, eſtque ſecundum Salomonem pudor, gloria & gratia: & Sirach, nullus pudor cuſtodit honeſtum. Dixi per labia, eo quod, inquit Iſaias Propheta cap. 43. dic tu primum peccata tua, ut juſtificeris, quia ego ſum qui deleo iniquitates tuas. Et Dominus in Euangelio, Ex verbo tuo enim juſtificaberis, & ex verbo tuo condemnaberis. Dixi accuſatricem, eo quod, inquit D. Chryſoſtomus, homil. 51. in Matt. ſi velis accuſare, accuſa te. Dixi cordis ſecretorum, eo quod, inquit Propheta, ex abſconditis meis purga me. Dixi apud eum qui legitimam & canonicam habet poteſtatem. Quia multi Pſeudo-Prophetæ venerunt in mundum, & multi ſeducentes & ſeducti ſecundum Beatum Paulum. Unde neceſſe eſt eos examinare qui vocantur Spirituales, An poteſtatem habeant, & literas mandatitias ſecundum ſanctæ Eccleſiæ conſuetudinem & ſecundum ſextum & ſeptimum Synodi Carthagin. canonem in quibus dicunt qui illic aſſidebant Patres, Non licere Presbytero quenquam reconciliare, hoc eſt, ei parcere, ſine licentia Epiſcopi.

Sciendum eſt eos qui auctoritate Epiſcopali, & Sacerdotali legitimè induti ſunt, Principes, Angelos, Deus Epiſcopos dici. Principes dicuntur ſecundum Prophetam David, Conſtitues inquit, eos Principes ſuper omnem terram. Et B. Paulus, ut nihil habentes omnia tamen poſſidentes. Vocantur Angeli, Quia dixit Propheta Malachias cap. 2. labia Sacerdotum cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eorum; quia Angelus eſt Domini omnipotentis.

Vocantur Dii, quia, inquit B. Moſes Exod. 22. Diis non maledices, nec Principibus Populi tui. Deos cogita Sacerdotes ſecundum Sanctorum explicationem. Epiſcopi ſunt, quia conſervatores & cuſtodes conſtituit eos Dominus rationali ſuo gregi, Ideo per Prophetam Ezechiel dicit, fili hominis dedi te ſpeculatorem domui Iſrael, & domui Jacob: ſi tuba non clanxeris, & populus ſibi non caverit, veniens autem gladius animam ex iis demeſſuerit, ſanguinem ejus ex manibus tuis requiram. Dicit adhuc B. Lucas capit. 20. Actuum, ubi magna mundi tuba, divinus Paulus concionatur, Attendite igitur vobis ipſis, & univerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus poſuit vos Epiſcopos, paſcere Eccleſiam Dei quam acquiſivit ſanguine ſuo.

Ex allegatis igitur de novo teſtamento quatuor videntur colligi Sanctis Apoſtolis à Domino data fuiſſe, & per eos mutua ſucceſſione Epiſcopis qui ſunt per univerſam terram. Primum baptizare, ſecundum docere, tertium ſolvere & ligare peccata. Quartum Gregem ipſius paſcere. De baptiſmo & Doctrina teſtatur Matthæus Euangeliſta capit. 28. Euntes, inquit, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare omnia quæ præcepi vobis. Et iterum ipſe capit. 18. Amen dico vobis, Quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo. Et Joann. capit. 20. Inſufflavit, & dixit eis, Accipite Spiritum ſanctum, Quorum dimiſeritis peccata, dimittentur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt. De paſcendi jure Lucas, ut dictum eſt, evidenter in actis teſtatur.

Tertia Pœnitentiæ pars eſt ſatisfactio, quæ eſt complementum & conſummatio practica canonis quem Pater Spiritualis habens poteſtatem, peccanti impoſuit pro ſuis peccatis ſecundum Sanctæ Eccleſiæ traditionem & ſacrorum canonum pœnam ſpiritualem. Hanc non modo docuerunt Catholicæ Eccleſiæ divini & ſpiritualis Præcones, ſed etiam divina Scriptura clariſſimè prædicat. Soror enim Moſis quæ adverſus ipſum linguam commoverat, niſi ſeptem dierum Excommunicationi extra caſtra ſuppoſita fuiſſet, à Lepra liberata non fuiſſet: Et niſi fornicator Corinthiacus Satanæ traditus fuiſſet, ſpiritus ejus ſervatus non fuiſſet. Ideo & ſanctæ Synodi, & à Deo inſpirati Patres Athanaſium dico, Petrum & Dionyſium Alexandrinos Gregorium Thaumaturgum, Baſilium & Chryſoſtomum, Cyrillum & Joannem Jejunatorem, ſatisfactionem peccatoribus particulatim impoſuerunt, & accuratè definierunt ſecundum peccatorum quantitatem & qualitatem; quibus qui non acquieverit, illa tribunalia

ἐξαγορεύσω κατ' ἐμοῦ τὴν ἀνομίαν μου τῷ κυρίῳ, καὶ σὺ ἀφῆκας τὴν ἀσέβειαν τῆς καρδίας μου. εἶπον ἑκούσιον, ὅτι πᾶν τὸ βίαιον οὐκ ἔστιν ἀρετή. εἶπον ἄνευ αἰδοῦς, ὅτι ἔστιν αἰσχύνη ἐπάγουσα ἁμαρτίαν. καὶ ἔστιν αἰσχύνη δόξα, καὶ χάρις κατὰ τὸν Σολομῶντα. καὶ ὁ Σιράχ. οὐκ ἔστι πᾶσαν αἰσχύνην φυλάξασθαι καλόν. εἶπον διὰ τῶν χειλέων. Διότι φησὶν ὁ προφήτης Ἡσαΐας ἐν κεφ. μγ'. Λέγε σὺ πρῶτον τὰς ἁμαρτίας σου ἵνα δικαιωθῇς, ὅτι ἐγώ εἰμι ὁ ἐξαλείφων τὰς ἁμαρτίας σου. καὶ ὁ κύριος ἐν εὐαγγελίοις. ἐκ γὰρ τοῦ λόγου σου δικαιωθήσῃ, καὶ ἐκ τοῦ λόγου σου καταδικασθήσῃ. εἶπον κατήγορον, ὅτι φησὶν ὁ θεῖος χρυσόστομος ἐν τῇ να'. τῶν κατὰ Ματθαῖον ὁμιλίᾳ, εἰ θέλεις κατηγορῆσαι, κατηγόρησον σου. εἶπον τῶν τῆς καρδίας κρυφίων, ὅτι φησὶν ὁ προφήτης, ἐκ τῶν κρυφίων μου καθάρισόν με. εἶπον ἐπὶ τοῦ ἔχοντος νόμιμον καὶ κανονικὴν ἐξουσίαν. ὅτι πολλοὶ ψευδοπροφῆται ἐξεληλύθασιν εἰς τὸν κόσμον. καὶ πολλοὶ πλανῶντες καὶ πλανώμενοι κατὰ τὸν μακάριον παῦλον. ὅθεν ἐστὶν ἀναγκαῖον ἐρευνᾶν, τοὺς καλουμένους πνευματικοὺς εἰ ἐξουσίαν ἔχουσιν, καὶ ἐπιτρεπτικὸν γράμμα, κατὰ τὴν συνήθειαν τῆς ἁγίας ἐκκλησίας. καὶ τὸν ἕκτον κανόνα τῆς ἐν καρθαγένῃ συνόδου, καὶ τὸν ἕβδομον αὐτῆς, ἐν οἷς φασὶν οἱ ἐκεῖ τότε ἅγιοι πατέρες, μὴ ἐξεῖναι πρεσβυτέρῳ, καταλλάξαι τινά, ἤγουν συγχωρῆσαι, ἄνευ ἀδείας ἐπισκόπου.

Γνωστέον δὲ ὅτι οἱ τὴν ἀρχιερατικὴν καὶ ἱερατικὴν ἐνδεδυμένοι νομίμως ἐξουσίαν καλοῦνται οὕτως. Ἄρχοντες, Ἄγγελοι, Θεοί. Ἐπίσκοποι. Λέγονται ἄρχοντες κατὰ τὸν προφήτην Δαβίδ. καταστήσεις γάρ φησιν αὐτοὺς ἄρχοντας ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν. Καὶ ὁ μακάριος παῦλος. ὡς μηδὲν ἔχοντες καὶ τὰ πάντα κατέχοντες. καλοῦνται ἄγγελοι. ὅτι φησὶν ὁ προφήτης μαλαχίας ἐν κεφαλαίῳ δευτέρῳ. χείλη ἱερέως φυλάξεται γνῶσιν, καὶ νόμον ἐκζητήσουσιν ἐκ στόματος αὐτοῦ, ὅτι ἄγγελος Κυρίου παντοκράτορός ἐστι.

Καλοῦνται Θεοί, ὅτι φησὶν ὁ μακάριος Μωϋσῆς ἐν κεφ. κβ'. τῆς ἐξόδου, Θεοὺς οὐ κακολογήσεις, καὶ ἄρχοντας τοῦ λαοῦ σου οὐκ ἐρεῖς κακῶς. Θεοὺς τοὺς ἱερεῖς νόησον, κατὰ τὴν τῶν ἁγίων ἐξήγησιν. εἰσὶν ἐπίσκοποι, ὅτι τηρητὰς καὶ φύλακας ἐγκατέστησεν αὐτούς, ὁ Κύριος τῷ λογικῷ αὐτοῦ ποιμνίῳ. διὸ φησὶ διὰ τοῦ προφήτου ἰεζεκιήλ, υἱὲ ἀνθρώπου σκοπὸν δέδωκά σε τῷ οἴκῳ ἰσραήλ, καὶ τῷ οἴκῳ ἰούδα. ἐὰν μὴ σημάνῃς τὴν σάλπιγγα, καὶ ὁ λαὸς μὴ φυλάξηται, καὶ ἐλθοῦσα ἡ ῥομφαία λάβῃ ἐξ αὐτῶν ψυχήν, τὸ αἷμα αὐτῆς ἐκ τῆς χειρός σου ζητήσω. ἔτι ὁ μακάριος λουκᾶς φησὶν ἐν κεφ κ'. τῶν πράξεων, ἔνθα ἡ μεγάλη σάλπιγξ τῆς οἰκουμένης ἐδημηγόρει, παῦλος ὁ θεσπέσιος. προσέχετε οὖν ἑαυτοῖς καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ, ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους, ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, ἣν περιεποιήσατο, διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος.

Ἐκ τῶν ῥητῶν γοῦν τῆς νέας διαθήκης, τέσσαρά τινα δοκοῦνται ἀμέσως τοῖς ἱεροῖς ἀποστόλοις παρὰ τοῦ Κυρίου δοθῆναι, καὶ δι' αὐτῶν ἀλληλοδιαδόχως τοῖς ἀνὰ τὴν οἰκουμένην ἐπισκόποις. Πρῶτον τὸ βαπτίζειν. δεύτερον τὸ διδάσκειν. τρίτον τὸ λύειν ἐκ δεσμῶν τῆς ἁμαρτίας. τέταρτον. τὸ ποιμαίνειν τὸ ποίμνιον αὐτοῦ. καὶ τὸ μὲν βαπτίζειν, καὶ τὸ διδάσκειν ὁ εὐαγγελιστὴς μαρτυρεῖ ματθαῖος, ἐν κεφ. κη'. πορευθέντες φησὶν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρός, καὶ τοῦ υἱοῦ. καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν. καὶ πάλιν ὁ αὐτὸς ἐν κεφ. ιη'. ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅσα ἐὰν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ. καὶ ὁ ἰωάννης ἐν κεφ. κ'. ἐνεφύσησε καὶ εἶπεν αὐτοῖς, λάβετε πνεῦμα ἅγιον. ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται αὐτοῖς. ἄν τινων κρατῆτε κεκράτηνται. τὸ δὲ ποιμαίνειν. ὁ εὐαγγελιστὴς λουκᾶς ἐν ταῖς πράξεσιν ἐμφαντικῶς τοῦτο μαρτυρεῖ, ὡς εἴρηται.

Τὸ δὲ τρίτον μέρος τῆς μετανοίας ἐστὶν ἡ ἱκανοποίησις. ἥτις ἐστὶν ἔμπρακτος πλήρωσις καὶ τελείωσις τοῦ κανόνος. ὃν ὁ ἔχων τὴν ἐξουσίαν πνευματικός, ἔδωκε τῷ ἁμαρτήσαντι, ὑπὲρ τῶν αὐτοῦ ἁμαρτιῶν, κατὰ τὴν τῆς ἁγίας ἐκκλησίας παράδοσιν, καὶ τὴν τῶν ἱερῶν κανόνων πνευματικὴν ποινήν. ταύτην οὐ μόνον οἱ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας θεοκήρυκες, καὶ πνευματοκήρυκες ἐδίδαξαν, ἀλλὰ καὶ ἡ θεία γραφὴ ἐναργῶς κηρύττει. καὶ γὰρ ἡ ἀδελφὴ Μωϋσέως ἡ κατ' αὐτοῦ τὴν γλῶτταν κινήσασα, εἰ μὴ ἑπτὰ ἡμέρας ἔξω τῆς παρεμβολῆς ἀφορισμῷ καθυπεβάλλετο, οὐκ ἂν τῆς λέπρας ἀπηλλάττετο. καὶ ὁ ἐν κορίνθῳ πόρνος, εἰ μὴ τῷ σατανᾷ παρεδίδοτο, οὐκ ἂν τὸ πνεῦμα αὐτοῦ ἐσώθη. διὸ καὶ αἱ ἅγιαι σύνοδοι, καὶ οἱ θεοφόροι πατέρες κατὰ μέρος. ἀθανάσιός τε φημί, πέτρος ἀλεξανδρείας καὶ διονύσιος, γρηγόριος ὁ θαυματουργός, βασίλειός τε καὶ χρυσόστομος, κύριλλος, καὶ Ἰωάννης ὁ νηστευτής, κατὰ τὴν τῶν ἁμαρτημάτων ποσότητά τε καὶ ποιότητα, τὴν ἱκανοποίησιν, τοῖς ἁμαρτωλοῖς ἀκριβῶς ὁρίζοντες ἐπάγουσιν,

οὓς ὁ μὴ ποιῶν ἀνάγκη τοῖς ἐκεῖ δικαστηρίοις παραδίδοσθαι, καὶ λόγον δώσει ὧν ἔπραξεν ἀνοσιουργημάτων, ὡς τοὺς θεσμοὺς τῆς ἁγίας ἐκκλησίας ἀθετήσας.

Περὶ τοῦ τίς ἐστιν ὁ τὴν μετάνοιαν διδάξας.

Κεφάλ. ε.

Ὁ τὴν μετάνοιαν διδάξας αὐτός ἐστιν ὁ οἰκτίρμων καὶ ἐλεήμων Θεός. αὐτὸς διὰ τοῦ προφήτου Ἰωὴλ φησὶ ἐν κεφαλαίῳ β´ ἐπιστράφητε πρός με ἐξ ὅλης τῆς καρδίας ὑμῶν. ὅτε διὰ τοῦ προφήτου Μαλαχίου, ἐπιστράφητε πρός με, καὶ ἐπιστραφήσομαι πρὸς ὑμᾶς λέγει κύριος παντοκράτωρ. ὅτε δὲ διὰ τοῦ Ἱερεμίου, ἀποστραφήτω δὴ ἕκαστος ἀπὸ ὁδοῦ αὐτοῦ τῆς πονηρᾶς, καὶ καλλίονα ποιήσατε τὰ ἐπιτηδεύματα ὑμῶν. ἔτι διὰ τοῦ Δαβίδ. ἐὰν μὴ ἐπιστραφῆτε τὴν ῥομφαίαν αὐτοῦ στιλβώσει. ἔτι ὁ Ἰεζεκιὴλ ὁ προφήτης ἐν κεφ. λγ´. φησί. ζῶ ἐγὼ λέγει Ἀδωναῒ κύριος. οὐ βούλομαι τὸν θάνατον τοῦ ἁμαρτωλοῦ, ὡς ἐπιστρέψαι καὶ ζῆν αὐτόν. ἀποστροφῇ ἀποστρέψατε, ἀπὸ τῆς ὁδοῦ ὑμῶν τῆς πονηρᾶς, καὶ ἵνα τί ἀποθνήσκετε οἶκος Ἰσραήλ. ἔτι φησὶν ὁ εὐαγγελιστὴς Ματθαῖος ἐν κεφαλαίῳ γ´. ὅτι ὁ Ἰωάννης ὁ βαπτιστὴς ἐκήρυττε λέγων· μετανοεῖτε, ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. καὶ ὁ αὐτὸς σωτὴρ, μετὰ τὸ πειράσαι αὐτὸν ὁ διάβολος ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς φησὶν ὁ εὐαγγελιστὴς κηρύσσειν καὶ λέγειν, μετανοεῖτε, ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. ἔτι ὁ αὐτὸς σωτὴρ, δεῦτε πρός με πάντες οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, κἀγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς. διὸ καὶ χρυσόστομος ἐν τῇ ἐξηγήσει τοῦ αὐτοῦ ῥητοῦ φησι, δεῦτε, οὐχ᾽ ὁ δεῖνα, ἀλλὰ πάντες οἱ ἐν φροντίσιν, οἱ ἐν λύπαις, οἱ ἐν ἁμαρτίαις. δεῦτε, οὐχ᾽ ἵν᾽ ἀπαιτήσω εὐθύνας, ἀλλ᾽ ἵνα λύσω τὰ ἁμαρτήματα. δεῦτε οὐκ ἐπειδὴ δέομαι ὑμῶν τῆς δόξης, ἀλλ᾽ ἐπειδὴ δέομαι ὑμῶν τῆς σωτηρίας. ἐγὼ γὰρ ἀναπαύσω ὑμᾶς. οὐκ εἶπε σώσω μόνον, ἀλλὰ καὶ ὃ πολὺ πλέον ἦν, ἐν ἀδείᾳ καταστήσω πάσῃ· ἔτι ὁ θεῖος Λουκᾶς ἐν ταῖς πράξεσί φησιν, ὅτι ὁ Θεὸς δέδωκε τὴν μετάνοιαν εἰς ζωήν.

Περὶ τοῦ ὅτι ἐστὶν ἀναγκαία τοῖς ἁμαρτάνουσιν ἡ μετάνοια.

Κεφάλ. ς´.

Ὅτι μὲν ἐστὶν ἀναγκαία ἡ μετάνοια τοῖς ἁμαρτωλοῖς, ἐκ τῶν ῥηθησομένων δῆλον. φησὶ γὰρ ὁ Κύριος ἐν κεφ. ιγ´. τοῦ ἁγίου εὐαγγελιστοῦ Λουκᾶ, παρῆσαν δέ τινες ἐν αὐτῷ καιρῷ περὶ τῶν Γαλιλαίων, ὧν τὸ αἷμα Πιλάτος ἔμιξε μετὰ τῶν θυσιῶν αὐτῶν. καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς. δοκεῖτε ὅτι οἱ Γαλιλαῖοι οὗτοι ἁμαρτωλοὶ παρὰ πάντας τοὺς Γαλιλαίους ἐγένοντο, ὅτι τοιαῦτα πεπόνθασιν; οὐχὶ, λέγω ὑμῖν. ἀλλ᾽ ἐὰν μὴ μετανοῆτε, πάντες ὡσαύτως ἀπολεῖσθε. ὁμοίως εἴρηκε καὶ περὶ τῶν δέκα καὶ ὀκτὼ, ἐφ᾽ οὓς ἔπεσεν ὁ πύργος ἐν τῷ Σιλωάμ. ἔτι καὶ ἡ τῆς συκῆς παραβολὴ ἐπ᾽ αὐτὴν ἐπανάγεται τὴν ἔννοιαν.

Περὶ τοῦ τίς ἡ ὕλη τῆς μετανοίας.
Κεφάλ. ζ.

Ἡ μὲν ὕλη τῆς μετανοίας ἡ πορρωτάτω κατὰ τὴν τῶν πολλῶν δόξαν, ἐστὶ τὰ ἁμαρτήματα. ἡ δὲ πόῤῥω, ἐστὶν ὁ μετανοῶν ἁμαρτωλός. ἡ δ᾽ ἐγγυτάτη ἐξομολόγησις, καὶ ἡ συντριψις τῆς καρδίας, καὶ ἡ ἱκανοποίησις.

Περὶ τοῦ τί τὸ εἶδος τῆς μετανοίας.

Κεφάλ. η.

Τὸ εἶδος τῆς μετανοίας ἐστὶν, ἡ παρὰ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν δωρηθεῖσα ἐξουσία, τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς καὶ ἀποστόλοις μόνοις. ἣν καὶ ἐγχειρίσαντες τοῖς ἀνὰ τὴν οἰκουμένην ἐπισκόποις, ἀλληλοδιαδόχως ἐνεργεῖσθαι ἐθέσπισαν. φησὶ γὰρ ὁ Κύριος ὡς καὶ ἐν τοῖς ὄπισθεν εἴρηται ἡμῖν, ὅσα ἂν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐν τῷ οὐρανῷ. καὶ ὅσα ἂν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ· ὁμοίως καὶ ὁ ἐπιστήθιος Ἰωάννης, ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας ἀφίενται αὐτοῖς. ἄν τινων κρατῆτε, κεκράτηνται. διὸ καὶ οἱ τῆς ἁγίας ἐξομολογήσεως ἔννομοι ὑπουργοὶ, τῷ πρὸς αὐτοὺς ἐρχομένῳ ἁμαρτήσαντι λέγουσιν, ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος, διὰ τῆς ἐμῆς ταπεινότητος ἔχει σε συγκεχωρημένον καὶ λελυμένον.

remittatur neceſſe eſt quæ illic ſunt, & ſcelerum quæ perpetravit rationem reddat, ut pote qui ſanctæ Eccleſiæ leges deſpexit & abrogavit.

De eo, quis Pœnitentiam docuit.

CAP. V.

Deus ipſe eſt miſereator & miſericors qui Pœnitentiam docuit. Ipſe per Prophetam Joel capit. 2. ait, Convertimini ad me ex toto corde veſtro. Iterum per Prophetam Malachiam, Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, dicit Dominus omnipotens. Adhuc per Jeremiam, Avertatur unuſquiſque à via ſua mala, & facite meliora ſtodia veſtra, Adhuc per Prophetam David, Niſi converſi fueritis, gladium ſuom vibrabit. Iterum per Ezechielem Prophetam capit. 33. ait, Vivo ego, ait Adonai Dominus, nolo mortem peccatoris, ut ipſius converſionem & vitam. Avertendo avertimini à via veſtra mala, ut quid moriemini domus Iſrael. Adhuc dicit Euangeliſta Matthæus capit. 3. Quod Joannes Baptiſta prædicavit dicens, Pœnitentiam agite, appropinqoavit enim regnum cœlorum: & Salvator ipſe poſtquam tentatus eſt à Diabolo, cœpit Jeſus, inquit Euangeliſta, prædicare & dicere, Pænitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Iterum Salvator, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis & ego reficiam vos. Ideo Chryſoſtomus io explicatione iſtius dicti, Venite, non iſte, ſed omnes qui incuris, qui in triſtitiis, qoi in peccatis. Venite non ut pœnas à vobis exigam, ſed ut ſolvam peccata veſtra. Veoite, non eo quod gloria veſtra indigeam, ſed eo quod indigeam ſalute veſtra: Ego enim reficiam vos. Non dixit ſolum ſervabo vos, ſed quod eſt multo majus, in ſecuritate, & extra omnem metum vos collocabo. Iterum D. Lucas in actis dicit, quod Deus Pœnitentiam dedit in vitam.

De eo quod Pœnitentia neceſſaria ſit peccantibus.

CAP. VI.

Quod Pœnitentia ſit neceſſaria peccatoribus ex dict is manifeſtum eſt: dicit enim Dominus cap. 13. Sancti Euangeliſtæ Lucæ, Aderant autem quidam ipſo in tempore nuntiantes illi de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcoit cum ſacrificiis eorum, Et reſpondens dixit illis: Potatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint quia talia paſſi ſont. Non dico vobis, ſed ni Pænitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis. Similia dixit de illis octodecim ſuper quos cecidit turris in Siloe. Iterum parabola ficus in eundem ſenſum nos ducit.

De eo, Quæ eſt Pœnitentiæ materia.

CAP. VII.

Materia Pœnitentiæ remotiſſima ſecundum multorum ſeotentiam ſunt peccata; remota verò peccator Pœnitens. Propinqua denique Confeſſio, & cordis Contritio, & Satisfactio.

De eo, quæ eſt forma Pœnitentiæ.

CAP. VIII.

Forma Pœnitentiæ eſt poteſtas à Salvatore noſtro ſolis ipſius diſcipulis & Apoſtolis conceſſa; quam poſtea Epiſcopis per univerſam terram mutua ſucceſſiooe tradentes exerceri decreverunt. Dicit enim Domious, ut à nobis ſupra dictum eſt. Quæcunque ligaveritis ſupra terram erunt ligata in cœlo: Et quæcunque ſolveritis in terra, erunt ſoluta in cœlo, Similiter Joannes qui pectori Domini accumbere ſolebat, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſont. Ideo ſanctæ Confeſſionis legitimi Miniſtri peccatori ad eos accedenti dicunt, Gratia ſanctiſſimi Spiritus per meam humilitatem habet te condonatum & abſolutum.

Qua-

Digitized by Google

Quales & quot ſunt Pœnitentiæ fructus.

CAP. IX.

Fructus Pœnitentiæ hi ſunt: 1. Abſtinentia, & prohibitio peccati. 2. Apertio Paradiſi, ſecundum illud, Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo. 3. Converſio animæ ad priorem ipſius naturalem ſtatum & quietem, ſecundum illud, Convertere anima mea in requiem tuam. 4. Reſtitutio honoris quem per peccatum perdidimus, ſicut in filio prodigo factum eſt. Dixit enim Lucas Evangeliſta, afferte mihi ſtolam primam, & induite eum. 5. Animæ hilaritas & gaudium. Ideo dicit Propheta: Lætabitur anima mea in Domino: Induit enim me veſtimento ſalutari, &c. 6. Vita animæ ſub peccato mortuæ, juxta illud, iſte filius meus mortuus erat, & revixit. 7. Reparatio gratiæ quam perdiderat anima per peccatum.

Quanta bona, quantaſve ſpirituales fructus ſancta & divina Pœnitentia nobis peccatoribus operata eſt, & operatur: Quis eſt qui latronem in cœlum introduxit, nonne ſancta Pœnitentia? Quis Davidi remiſſionem dedit, nonne Pœnitentia? Quis Manaſſe veniam conceſſit, nonne Pœnitentia? Quis Petro indulgentiam largitus eſt, & Apoſtolorum primum verticem conſtituit, nonne Pœnitentia? Quis filium Prodigum in paternam domum reduxit, & de vitulo saginato guſtare dedit, nonne Pœnitentia? Quis Ninivitis ut ruinam prænuntiatam effugerent, cauſa fuit, Num Pœnitentia? ô ſancta Pœnitentia quæ per confeſſionem peccatorum os pretioſum efficis, illud à ſpurcitiis purgans & abſtergens, ut cum ſancta fiducia Deum laudet, & celebret! quæque tranſgreſſorem ſanctorum Dei mandatorum per cordis contritionem Deo reconcilias, & familiarem reddis, & per ſatisfactionem de gehenna omnino eximis & liberas!

De eo Quot, & quænam Eccleſiæ loca ſunt in quibus peccatores deflebant, & defleant peccata ſua.

CAP. X.

Hæc ſunt, Fletus, Auditio, Subſtratio, Conſiſtentia, Participatio. Fletus locus eſt extra portam oratorii, in quo ſtant flentes, & peccatorum veniam à fidelibus introeuntibus & exeuntibus poſtulant.

Auditionis locus eſt intra portam templi, videlicet in Narthece, in quo ſtant Audientes, & hymnorum ſanctarumque Scripturarum lectionem & doctrinam audiunt.

Subſtrationis locus eſt intra templum retro Ambonem in quo ſtant qui ſubſternuntur, qui cum Catechumenis exeunt è templo, cum illud, quicunque Catechumeni diſcedite, a Diacono promulgatur.

Conſiſtentiæ locus eſt, in quo ii qui Pœnitentiam egerunt, & ſufficientem, idoneumque canonem executi ſunt, conſiſtunt, & fidelibus comprecantur.

Participationis locus eſt in quo ſtant qui fructus pœnitentiæ dignos fecerunt, & divinæ participant communioni cum reliquis qui ea digni ſunt: Atque hi ſunt, ut dictum eſt, pœnitentium loci.

Sciendum autem eſt quod ſatisfactio fit, per os, per corpus, & per opera. Per os quidem, cum quis per orationem intellectualem, & hymnos, & pſalmodias Deum propitiatur, ut magnus ille David faciebat, de profundis clamavi ad te. Et iterum, Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam, & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. Et iterum Domine clamavi ad te exaudi me. Per corpus autem, cum per jejunia, genuflexiones, vigilias, totius noctis ſtationes Deum quis deprecatur, ut ipſe Propheta fecit. Ideo ait, Genua mea infirmata ſunt propter jejunium, & caro mea immutata eſt propter oleum, & cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum lachrymis miſcebam. Genuflexiones verò & vigilias, & totius noctis ſtationes, aliaſque corporis afflictationes Sanctorum vitæ nobis exhibent & confirmant, & Sancti Joannis Climaci liber hoc nos evidenter docet. Per corpus denique, Cum quis per beneficentiam, & eleemo-

Περὶ τοῦ ὁποῖοι, καὶ ὁπόσοι εἰσὶν οἱ καρποὶ τῆς μετανοίας.

Κεφάλ. θ'.

Οἱ καρποὶ τῆς μετανοίας εἰσὶν οὗτοι. α'. ἡ ἀποχὴ καὶ ἡ κώλυσις τῆς ἁμαρτίας. β'. Ἡ ἄνοιξις τοῦ παραδείσου, κατὰ τὸ, ἀμὴν λέγω σοι σήμερον ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ. γ'. Ἡ ἐπιστροφὴ τῆς ψυχῆς, εἰς τὴν προτέραν αὐτῆς φυσικὴν κατάστασιν καὶ ἀνάπαυσιν. κατὰ τὸ, ἐπίστρεψον ψυχή μου εἰς τὴν ἀνάπαυσίν σου. δ'. Ἡ ἀπόδοσις τῆς τιμῆς, ἣν διὰ τῆς ἁμαρτίας ἀπολλύομεν, καθάπερ ἐπὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀσώτου γέγονε. φησὶ γὰρ ὁ εὐαγγελιστὴς Λουκᾶς, ἐξενέγκατε τὴν στολὴν τὴν πρώτην, καὶ ἐνδύσατε αὐτόν. ε'. Ἡ εὐφροσύνη, καὶ ἀγαλλίασις τῆς ψυχῆς. διὸ φησὶν ὁ προφήτης, ἀγαλλιάσεται ἡ ψυχή μου ἐπὶ τῷ Κυρίῳ, ἐνέδυσε γάρ με ἱμάτιον σωτηρίου, καὶ τὰ λοιπά. ς'. Ἡ ζωὴ τῆς νεκρωθείσης ψυχῆς ὑπὸ τῆς ἁμαρτίας. κατὰ τὸ, οὗτος ὁ υἱός μου νεκρὸς ἦν καὶ ἀνέζησε. ζ'. Ἡ ἀνάληψις τῆς χάριτος, ἣν ἀπώλεσεν ἡ ψυχὴ διὰ τῆς ἁμαρτίας.

Ὢ πόσα ἀγαθὰ, ὢ πόσους πνευματικοὺς καρποὺς εἰργάσατο καὶ ἐργάζεται ἡμῖν τοῖς ἁμαρτωλοῖς, ἡ ἁγία καὶ θεία μετάνοια. τίς ἐστιν ὁ τὸν λῃστὴν εἰσάξας εἰς τὸν παράδεισον, οὐχὶ ἡ ἁγία μετάνοια; τίς τῷ Δαβὶδ τὴν ἄφεσιν ἐδωρήσατο, οὐχὶ ἡ μετάνοια; τίς τῷ Μανασσῇ συγχώρησιν ἐδωρήσατο, οὐχὶ ἡ μετάνοια; τίς τῷ Πέτρῳ τὴν ἄφεσιν ἐδωρήσατο, καὶ πρωτοκορυφαῖον τῶν ἀποστόλων ἐποίησεν, οὐχὶ ἡ μετάνοια; τίς τὸν ἄσωτον υἱὸν, εἰς τὸν πατρικὸν αὐτοῦ οἶκον ἀγαγοῦσα, καὶ τοῦ μόσχου τοῦ σιτευτοῦ γεύσασθαι πεποίηκεν, οὐχὶ ἡ μετάνοια; τίς τοὺς Νινευΐτας, ἐπαγγελλόμενον ὄλεθρον φυγεῖν ἐποίησεν, οὐχὶ ἡ μετάνοια; Ὢ ἁγία μετάνοια, ἡ διὰ μὲν τῆς ἐξαγορεύσεως τῶν ἁμαρτιῶν, ἄξιον ποιεῖς τὸ στόμα, καθαρίζουσα τοῦτο ἀπὸ τῶν αἰσχρουργιῶν, τοῦ ὑμνεῖν καὶ ψάλλειν τὸν Θεὸν ἐν παῤῥησίᾳ. διὰ δὲ τῆς συντρίψεως τῆς καρδίας, οἰκειοποιεῖς τῷ Θεῷ τὸν τὰς ἁγίας αὐτοῦ ἐντολὰς παραβαίνοντα. διὰ δὲ τῆς ἱκανοποιήσεως, τῆς γεέννης πάντως τὸν ἄνθρωπον ἐξαίρεις.

Περὶ τοῦ ὁπόσοι καὶ ὁποῖοί εἰσιν οἱ τόποι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἐν οἷς οἱ μετανοήσαντες, τὰς σφῶν ἔκλαιον καὶ κλαίουσιν ἁμαρτίας.

Κεφάλ. ι'.

α'. Εἰσὶ μὲν ἡ πρόσκλαυσις, β'. ἡ ἀκρόασις, γ'. ἡ ὑπόπτωσις, δ'. ἡ σύστασις, ε'. ἡ μέθεξις. καὶ ὁ μὲν τῆς προσκλαύσεως τόπος ἐστὶν, ὁ ἔξω τῆς θύρας τοῦ εὐκτηρίου, ἐν ᾧ οἱ προσκλαίοντες ἵστανται καὶ τὴν τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν συγχώρησιν αἰτοῦσιν, παρὰ τῶν εἰσερχομένων καὶ ἐξερχομένων πιστῶν.

Ὁ δὲ τῆς ἀκροάσεως τόπος ἐστὶν ὁ ἔνδον τῆς θύρας τοῦ ναοῦ, ἤγουν ἐν τῷ νάρθηκι, ἐν ᾧ οἱ ἀκροώμενοι ἵστανται, καὶ τῶν ὕμνων καὶ τῆς τῶν θείων γραφῶν ἀναγνώσεως, καὶ διδασκαλίας ἐπακροῶνται.

Ὁ δὲ τῆς ὑποπτώσεως τόπος ἐστὶν ἔνδον τοῦ ναοῦ, κατόπιν τοῦ ἄμβωνος. ἐν ᾧ ἵστανται οἱ ὑποπίπτοντες. οἵτινες μετὰ τῶν κατηχουμένων ἐξέρχονται τοῦ ναοῦ, ἡνίκα τὸ, ὅσοι κατηχούμενοι προέλθετε ὑπὸ τοῦ διακόνου ἐκφωνεῖται.

Ὁ δὲ τῆς συστάσεως τόπος ἐστὶν, ἐν ᾧ οἱ μετανοήσαντες, καὶ τὸν ἱκανὸν κανόνα ἐκδεξάμενοι συνίστανται, καὶ συνεύχονται τοῖς πιστοῖς.

Ὁ δὲ τῆς μεθέξεως τόπος ἐστὶν ἐν ᾧ ἵστανται οἱ καρποὺς ἀξίους τῆς μετανοίας ποιήσαντες, καὶ σὺν τοῖς λοιποῖς ἀξίοις, τῆς θείας μεταλαμβάνουσι κοινωνίας. καὶ οὗτοι μέν εἰσιν οἱ τόποι ὡς εἴρηται τῶν μετανοούντων.

Ἰστέον δὲ, ὅτι καὶ ἡ ἱκανοποίησις γίνεται, διὰ στόματος, διὰ σώματος, καὶ διὰ πράγματος, διὰ στόματος μὲν, ὅταν τις διὰ τῆς προσευχῆς τῆς νοερᾶς, καὶ ὕμνων, καὶ ψαλμῳδίας ἐξιλεοῦται τὸ θεῖον καθάπερ ὁ μέγας ἐκεῖνος ἐποίει Δαβίδ, ἐκ βαθέων ἐκέκραξα σοί φησι, καὶ αὖθις, ἐλέησόν με ὁ Θεὸς κατὰ τὸ μέγα ἔλεός σου καὶ κατὰ τὸ πλῆθος τῶν οἰκτιρμῶν σου ἐξάλειψον τὸ ἀνόμημά μου. καὶ πάλιν Κύριε ἐκέκραξα πρὸς σὲ εἰσάκουσόν μου. διὰ σώματος δὲ, ὅταν διὰ νηστείας καὶ γονυκλισίας, δι' ἀγρυπνίας τε καὶ τῆς παννύχου στάσεως, ἐκλιπαρεῖ τις τὸ θεῖον. καθάπερ ὁ αὐτὸς ἐποίει προφήτης. διὸ φησὶ τὰ γόνατά μου ἠσθένησαν ἀπὸ νηστείας, καὶ ἡ σάρξ μου ἠλλοιώθη δι' ἔλαιον. καὶ σποδὸν ὡσεὶ ἄρτον, ἔφαγον, καὶ τὸ πόμα μου μετὰ κλαυθμοῦ ἐκίρνων. τὰς δὲ γονυκλισίας, καὶ τὰς ἀγρυπνίας, καὶ τὰς παννύχους στάσεις. καὶ τὰς ἄλλας τοῦ σώματος κακώσεις, οἱ τῶν ἁγίων καὶ ὁσίων βίοι παριστῶσι, καὶ ἡ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τῆς κλίμακος ἐναργῶς διδάσκει ἡμᾶς βίβλος. διὰ πράγματος, ὅταν τις διὰ

τῆς εὐποιΐας· καὶ τῆς ἐλεημοσύνης, καὶ τῶν οἰκτιρμῶν τῶν πενήτων τὸ Θεῖον ἐξιλεοῦται, καὶ καθαρίζει τὰς αὐτοῦ ἁμαρτίας. καθάπερ ὁ προφήτης Δανιὴλ τὸν Βαλτάσαρ ἐδίδαξε ποιῆσαι. τὰς ἁμαρτίας σου ἐν ἐλεημοσύναις λύτρωσαι, καὶ τὰς ἀνομίας σου, ἐν οἰκτιρμοῖς πενήτων. καὶ ὁ σειρὰχ, σύγκλεισον ἐλεημοσύνην ἐν τοῖς ταμείοις σου καὶ αὕτη σ' ἐξελεῖ ἐκ πάσης κολάσεως. καὶ ὁ τωβίτ. ἡ ἐλεημοσύνη ἐκ θανάτου ῥύεται, καὶ καθαρίζει ἀπὸ ἁμαρτίας. καὶ αὕτη μὲν ἡ διὰ τῶν τριῶν τῶν εἰρημένων εἰδῶν, ἱκανοποίησις, ἢ πρὸς τὸν Θεὸν φημὶ, καὶ πρὸς τὸν ἑαυτὸν, καὶ πρὸς τὸν πλησίον, ἐξαλείφειν ἁμαρτίας δύναται. καὶ ἡ μὲν πρὸς τὸν Θεὸν, διὰ τῆς προσευχῆς δέον ποιεῖν, δι' ἧς λαλοῦμεν ὡς ἀληθῶς τῷ Θεῷ, καὶ τοῖς ἀγγέλοις συναπτόμεθα, καὶ τῆς πρὸς τὰ ἄλογα κοινωνίας πολὺ φαινόμεθα διαφεύγοντες, κατὰ τὸν θεῖον χρυσόστομον, ἐν τῷ περὶ προσευχῆς πρώτῳ λόγῳ. ἡ δὲ πρὸς τὸν ἑαυτὸν, διὰ τῆς νηστείας, καὶ τῶν ἄλλων σκληραγωγιῶν ἐπιτελεῖται. ἡ δὲ πρὸς τὸν πλησίον, διὰ τῆς ἐλεημοσύνης, καὶ τῆς εὐποιΐας ἱλαρῶς δεικνύεται.

Περὶ τοῦ πόσα καὶ ὁποῖα δεῖ τὸν πνευματικὸν προηγουμένως ἐρωτᾷν, τοὺς πρὸς αὐτὸν προσερχομένους, καὶ μετανοοῦντας ἐφ' οἷς ἥμαρτον.

Κεφάλ. ια'.

Κ πρῶτον μὲν δεῖ ἐπερωτᾷν, εἰ μὴ ἥμαρτον περὶ τὰς δέκα ἐντολὰς. αἵ τινές εἰσιν αὗται.

α'. Πρώτη, προσκυνεῖν καὶ λατρεύειν τὸν μόνον ἕνα Θεὸν. οὐκ ἔσονταί σοι θεοὶ ἕτεροι πλὴν ἐμοῦ φησὶν ὁ Θεός. β'. δευτέρα, οὐ λήψῃ τὸ ὄνομα κυρίου τοῦ Θεοῦ σου, ἐπὶ ματαίῳ. γ'. Τρίτη, μνήσθητι τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων, ἁγιάζειν αὐτήν. δ'. Τετάρτη, τίμα τὸν πατέρα σου, καὶ τὴν μητέρα σου, ἵνα εὖ σοι γένηται, καὶ ἵνα μακροχρόνιος γένῃ ἐπὶ τῆς γῆς τῆς ἀγαθῆς, ἧς Κύριος ὁ Θεός σου δίδωσί σοι. ε'. πέμπτη, οὐ φονεύσεις. ς'. ἕκτη, οὐ μοιχεύσεις. ζ'. ἑβδόμη, οὐ κλέψεις. η'. ὀγδόη, οὐ ψευδομαρτυρήσεις. θ'. ἐννάτη οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν γυναῖκα τοῦ πλησίον σου. ι'. δεκάτη, οὐδὲ τὴν οἰκίαν, ἢ τὸν ἀγρὸν, ἢ τὴν παιδίσκην, ἢ τὸ ὑποζύγιον αὐτοῦ.

Εἶτα. εἰ μὴ ἔπραξέ τι τῶν θανασίμων ἁμαρτημάτων ἅπερ εἰσὶ ταῦτα. α'. ἡ ὑπερηφανία β'. ἡ φιλαργυρία. γ'. ἀσωτεία ἢ λαγνεία, δ'. θυμὸς, ε'. λαιμαργία, ς'. φθόνος. καὶ ἡ ζ'. ἀκηδία.

Καὶ τῆς μὲν ὑπερηφανίας, τῆς ἀρχαίας φημὶ κακῆς ῥίζης, οἱ κλάδοι εἰσὶν οὗτοι, ἡ φιλοτιμία. ἡ κολακεία. ἡ ἀλαζονεία ἡ ὕβρις. ἡ λοιδορία, ἡ καταγέλασις ἡ μεγαλαυχία. ἡ ἀνυποταξία, καὶ αἱ λοιπαί.

Τῆς δὲ φιλαργυρίας, οἱ κλάδοι εἰσὶν οὗτοι. ἡ πλεονεξία ἡ ἀνελεημοσύνη. ἡ κλοπή. ἡ ἁρπαγή. ἐπιορκία. ἡ σιμωνία. καὶ ὁ τόκος.

Τῆς δὲ ἀσωτείας οἱ κλάδοι, εἰσὶν οὗτοι. Ἡ μοιχεία, Ἡ πορνεία. Ὁ μολυσμὸς ἤγουν ἡ μαλακία. Ἡ ἀναίδεια. τὰ ἐμπαθῆ φιλήματα. αἱ ἐμπαθεῖς τῶν ὀφθαλμῶν ὁράσεις. καὶ ἡ ἄλογος ἀρσενοκοιτία.

Τοῦ δὲ θυμοῦ οἱ κλάδοι εἰσὶν οὗτοι. Βλασφημία. βοαί. ὕβρεις. λοιδορίαι, ἀπογνώσεις, μάχαι, ἔριδες. φιλονεικίαι. φόνοι, κατάραι, μνησικακίαι, μῖσος, ψόγοι καὶ τὰ λοιπά.

Τῆς λαιμαργίας οἱ κλάδοι εἰσὶν οὗτοι. ἡ γαστριμαργία ἡ καρυκεία, ἡ κραιπάλη, νόσοι, καρηβαρίαι. ποδαλγία, ἐρεθισμοὶ πρὸς πορνείας. ἡ πύρωσις τῆς σαρκὸς τῆς δυσνικήτου. καὶ γὰρ καθὼς ὁ ἑωσφόρος, διὰ τῆς ὑπερηφανίας, ἄρχων δαιμόνων, καὶ τοῦ σκότους ἐστὶν, οὕτω καὶ ὁ λαίμαργος ἄρχων παθῶν ἐστὶ, καὶ ταμεῖον πάσης ἀκαθαρσίας.

Τοῦ φθόνου οἱ κλάδοι εἰσὶν οὗτοι, ἡ καταλαλιὰ, ἡ φήμη ἡ κακὴ, ὁ ψόγος. ἡ προδοσία, καὶ ἡ ἀρχὴ τοῦ κακοῦ.

Τῆς ἀκηδίας οἱ κλάδοι εἰσὶν οὗτοι. τὸ μὴ προθύμως ποιεῖν τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ. τὸ μὴ σπουδαίως εἰσέρχεσθαι εἰς τὴν ἐκκλησίαν. τὸ μὴ ταχέως ἐγείρεσθαι εἰς τὴν προσευχήν. τὸ μὴ ὑπομενητικῶς ἀκροᾶσθαι, τῆς θείας λειτουργίας, καὶ τῶν διδαχῶν, καὶ τῶν ἄλλων τῆς ἁγίας ἐκκλησίας τελετῶν.

Τρίτον δεῖ ἐπερωτᾷν, εἰ μὴ ἀμφιβάλλει περὶ τὰ ιβ'. ἄρθρα τῆς πίστεως. ἅπερ εἰσὶ ταῦτα. α'. πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν, πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων. β'. καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα, πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, φῶς ἐκ φωτὸς Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, γ'. τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ σαρκωθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου, καὶ Μαρίας τῆς παρθένου, καὶ ἐνανθρωπήσαντα. δ'. σταυρωθέντα τε ὑπὲρ ἡμῶν, ἐπὶ Ποντίου πιλάτου, καὶ παθόντα, καὶ ταφέντα. ε'. καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφάς. ς'. καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καὶ καθεζόμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρός. ζ'. καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης. κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος. η'. καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ Κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ

ſynam, & miſerationes in pauperes divinum numen ſibi propitiatur, & ſua ipſius peccata purgat, ſicut Propheta Daniel Balthazarum facere docebat: Peccata tua, inquit, eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſerationibus Pauperum: Et Sirach, Include Eleemoſynam in theſauris & ipſa te liberabit ab omni punitione: Et Tobias, Eleemoſyna à morte liberat, & à peccato purgat. Iſta quidem ſatisfactio quæ per tres dictas ſpecies peccata delere poteſt, vel reſpicit Deum, vel ſeipſum, vel proximum. Quæ Deum, convenienter fit per orationem, per quam Deo revera loquimur, & Angelis conjungimur, & cum brutis communionem longè nos fugere videmur, ſecundum ſanctum Chryſoſtomum in prima de oratione homilia. Quæ ſeipſum reſpicit, per jejunia, aliaſque duras vitæ diætas perficitur. Quæ verò proximum, per Eleemoſynam & beneficentiam hilari mente factam demonſtratur.

De eo, Quot & qualia oportet ſpiritualem Patrem antecedenter interrogare ad eum accedentes, & Pœnitentes.

CAP. XI.

Primùm oportet eum interrogare, numquid aliquid peccavit contra decem Dei præcepta, quæ ſunt iſta.

Primum, adorare unum ſolum Deum, & illi ſervire: Non erunt tibi dii alii præter me, dicit Deus. Secundum, non aſſumes nomen Dei tui in vanum. Tertium, Recordare diem Sabati ut ſanctifices eum. Quartum, Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut bene ſit tibi, atque ut longævus ſis in terra bona quam Dominus Deus tuus dat tibi. Quintum, non occides. Sextum, non mœchaberis. Septimum, non furaberis. Octavum, falſum teſtimonium non dices. Nonum, non concupiſces uxorem proximi tui. Decimum, neque ſubſtantiam, aut agrum, aut ancillam, aut jumentum ejus.

Poſtea interrogandus, an aliquod ex peccatis mortalibus commiſerit, quæ ſunt iſta. Superbia, avaritia, impuritas ſeu libido, ira, gula, invidia, acedia.

Superbiæ, antiquæ malorum radicis, rami ſunt iſti: Ambitio, Aſſentatio, Jactantia, injuria, convitium, irriſio, ſupercilium, inobedientia, & cætera.

Avaritiæ hi ſunt rami; fraudatio, crudelitas, furtum, rapina, Perjurium, Simonia, & uſura.

Hi ſunt libidinis rami: Adulterium, fornicatio, Pollutio, ſive mollities, impudentia, oſcula impudica, aſpectus impudici, & irrationalis maſculorum concubitus.

Iræ hi ſunt rami, Blaſphemia, Clamores, contumeliæ, convitia, deſperationes, pugnæ, contentiones, æmulationes, cædes, maledictiones, offenſarum memoriæ, odium, vituperium, &c.

Gulæ hi ſunt rami: Voracitas, condimentorum ingluvies, crapula, morbi, capitis gravedines, pedum dolor, irritamenta libidinis, inflammatio carnis, quæ difficilè vincitur. Sicut enim Lucifer per ſuperbiam princeps Dæmonum & tenebrarum eſt: Sic & Helluo paſſionum animi princeps eſt, & omnis immunditiei penus.

Invidiæ hi ſunt rami: Loquacitas, famæ detrectatio, vituperium, proditio, & initium mali.

Acediæ hi ſunt rami: Opus Dei animo prompto non facere. Indiligenter Eccleſiam Dei frequentare. Celeriter ad orationem non ſurgere. Divina officia, & Doctrinas, & alia ſanctæ Eccleſiæ myſteria patienter non auſcultare.

Tertiò interrogandus eſt, num dubitet de duodecim articulis fidei, qui ſunt ejuſmodi. 1. Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. 2. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia ſecula, lumen de lumine; Deum verum ex Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri; per quem omnia facta ſunt. 3. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt ex Spiritu Sancto, & Maria Virgine, & homo factus eſt. 4. Crucifixus eſt pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. 5. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. 6. Et aſcendit in cœlos, ſedetque ad dexteram Patris. 7 Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos cujus regni non erit finis. 8. Et in Spiritum ſanctum, Dominum, vivificantem, qui ex Patre procedit, & cum Pa-

tre &

tre & filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. 9. In unam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Ecclesiam. 10 Confiteor unum baptiſmum in remiſſionem peccatorum. 11 Expecto reſurrectionem mortuorum. 12. Et vitam futuri ſeculi. Amen.

Præterea interrogabit eum, num dubitat de ſeptem jam dictis Eccleſiæ Sacramentis. Adhuc eum interrogabit, num exerceat fructus & opera miſericordiæ quæ hæc ſunt: Eſurienti cibum dare juxta id quod dicitur, Eſurivi & dediſtis mihi manducare. Dare potum ſitienti, juxta illud, Sitivi, & dediſtis mihi bibere. Peregrinos hoſpitio excipere, juxta illud, hoſpes fui, & collegiſtis me. Nudos veſtire, juxta illud, Nudus fui, & cooperuiſtis me. Infirmos viſitare, juxta illud, Infirmus fui, & viſitaſtis me. Carceres adire, juxta illud, in carcere eram, & veniſtis ad me. His accedit, concomitari mortuos ad ſepulturam. Sunt & alia opera ſpiritualia: Veluti afflictos conſolari, ſalutaria conſulere, docere, admonere, compati, Patienter ferre, & cum gratiarum actione, triſtia & moleſta quæ nobis à Deo, vel hominibus immittuntur. Supplicare, & intercedere apud Deum non ſolum pro ſeipſo, ſed etiam pro omnibus. Hęc omnia utilia & ſalubria oportet Patrem ſpiritualem convenienter interrogare.

Inſuper interrogare debet an mentem à tentationum impreſſionibus invulneratam conſervet, ut non facilè feratur ad propendendum & conſentiendum carnis affectibus & actionibus. Pręterea, an ſenſus conſervet, ita ut nihil juxta unicuique inſitum affectum perturbatè operetur.

πατρὸς ἐκπορευόμενον. τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον, καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν. θ'. εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν. ι'. ὁμολογῶ ἓν βάπτισμα, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. ια'. προσδοκῶ ἀνάστασιν νεκρῶν. ιβ'. καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος ἀμήν.

Ἔτι ἐπερωτᾷν αὐτόν, εἰ μὴ ἀμφιβάλλει περὶ τὰ ἑπτὰ μυστήρια τῆς ἐκκλησίας, τὰ εἰρημένα. ἔτι ἐπερωτᾷν, εἰ μὴ ἐγκρατεῖ τοὺς καρποὺς καὶ ἔργους τῆς ἐλεημοσύνης, ἅπερ εἰσὶ ταῦτα. τὸ διδόναι φαγεῖν τῷ πεινῶντι, κατὰ τὸ εἰρημένον, ἐπείνασα καὶ ἐδώκατέ μοι φαγεῖν. τὸ διδόναι πιεῖν τοῖς διψῶσι, κατὰ τό. ἐδίψησα, καὶ ἐποτίσατέ με. τὸ ἀποδέχεσθαι τοὺς ξένους, κατὰ τό, ξένος ἤμην καὶ συνηγάγετέ με. τὸ ἐνδύειν τοὺς γυμνούς, κατὰ τό, γυμνὸς ἤμην καὶ περιεβάλετέ με. τὸ ἐπισκέπτεσθαι τοὺς ἀσθενεῖς, κατὰ τό, ἀσθενὴς ἤμην, καὶ ἐπεσκέψασθέ με, τὸ εἰς φυλακὴν ἀπιέναι, κατὰ τὸ ἐν φυλακῇ ἤμην καὶ ἤλθετε πρός με. πρὸς τούτοις δὲ ἐστὶ καὶ τὸ συνακολουθεῖν, πρὸς τὸ θάπτειν τοὺς νεκρούς. εἰσὶ καὶ ἄλλα πνευματικὰ ἔργα, ὥστε τὸ παρηγορεῖν τοὺς τεθλιμμένους. συμβουλεύειν τὰ συμφέροντα, διδάσκειν, νουθετεῖν, συμπαθεῖν, ὑπομένειν εὐχαρίστως, τὰ ὑπὸ Θεοῦ πεμπόμενα λυπηρά. ἢ καὶ ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων. καὶ ἱκετεύειν καὶ παρακαλεῖν τὸν Θεόν, οὐ μόνον ὑπὲρ ἑαυτοῦ ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ πάντων. ταῦτα πάντα χρήσιμα ὀφείλει καὶ ἀνιχνεύειν ὡς εἰκός, τὸν πνευματικὸν δι-

Ἔτι ἐπερωτᾷν, εἰ διατηρεῖ τὸν νοῦν ἄτρωτον, πρὸς τὸ μὴ δέχεσθαι τὰς προσβολάς, καὶ ῥᾳδίως πρὸς τὰς συγκαταθέσεις. καὶ συγκαταθέσεις, καὶ τὰς πράξεις τὰς σαρκικὰς ἄγεσθαι. ἔτι εἰ ἀσφαλῶς τὰς αἰσθήσεις διαφυλάττει, ὥστε μηδὲν τῶν αὐτῶν ἴδιον ἑκάστῳ ἐμπαθῶς ἐνεργεῖν.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

A D-

Digitized by Google

ADNOTATIO IN JUDÆORUM POENITENTIALES.

HOc nomen Judaicarum pœnarum catalogo indidimus; datum ab eis non deprehendimus. Hujuſce denominationis cauſa fuit, pœnarum pœnitentia ium ſimilis ſecundum crimina enarratio; ſi modo quaſdam ridiculas, & fatuas, graves tamen, excipias. Pœnitentiales igitur iſti Judaici Latino more ſic dicti duo nobis hactenus occurrerunt. Priorem exſcripſimus è libro dicto, ראשית חכמה *Initium Sapientiæ*, capite ultimo tractatus de Pœnitentia. Poſteriore longè diffuſior eſt, & Pœnitentialibus noſtris antiquis conformior, ut ex utriuſque lectione colligitur: ab aliis forſan plures è tenebris eruentur. Sæpius in libris textura de pœnis peccatorum, & earum ſecundum Judæos infligendarum modo diſſeruimus, ut videre potes lib. 1. cap. 22. ſect. 5 lib. 6. cap. 33. & in ipſo ejuſdem libri fine, aliiſque locis. Sępius quoque liber ille R heſchith Chocma, ut & nonulli alii eorum libri, in duræ Pœnitentiæ exemplum proponunt Davidis de peccato ſuo Pœnitentiam quem fabulantur quotidie calicem lachrymis plenum ab oculis expreſſiſſe, plurimis annis in lecto decubuiſſe, ſeptemque pulvinaria ſudore corporis madefacta quotidie mutaſſe: Achabo Pœnitenti Joſaphat regem ſimiliter quoque quadraginta plagas in Pœnitentiam quotidie inflixiſſe: Simeonis etiam filii Lachis & duorum ſodalium Pœnitentiam mirificis laudibus extollunt. Verum enim verò nunquam legi apud eos attributam Rabbinis ſuis, aut cuivis alii remittendi peccata auctoritatem. Peccatorum confeſſio & Rabbinis & proximis, mutua injuriarum condonatio, Excommunicatio, Abſolutio ab Excommunicatione, & pleraque ejuſmodi, ut demonſtravimus, paſſim apud eos leguntur, & uſurpantur. Sed primum quod JESUS-CHRISTUS Dominus noſter Sacerdotibus ſuis conceſſit, Judæi nunquam ſibi arrogaſſe perhibentur. Ideo Marci 2. 7. Scribæ audientes Chriſtum peccata dimiſiſſe intra ſe murmurabant, *Quid hic ſic loquitur? blaſphemat. Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus?* Hæc eſt præcipua Euangelii prærogativa, & legis ab eo differentia. Sed pœnis quæ criminibus imponi ſolent, alius eſt eorum ſenſus, ut in ſequenti paradigmate conſpicis.

מראה תשובה ליהודים נגזר מן הספר שנקרא
ראשית חכמה׃

ועתה יש לכתוב ענייני הצער כל לפי עבירה ועבירה
הבועל ארמית יתענה שלשה ימים לילה ויום
שלשה שנים פ״ע אחת בשנה ואם ה״ו אחר התשובה
וחוזר לסורו אז יתמיד עליו יותר ויותר ובימות החמה
ילך במקום נמלים הרבה וישב ביניהן ערום ובימות
החורף ישבר הקרח וישב במים עד החוטם ואם עוד
יחזור לסורו יוסיף עליו עוד יותר ויותר המוציא שכבת
זרע לבטלה יתענה ארבעים יום ואינם רצופי וישב
במים בימות החורף כדי צליית ביצה ואותם ארבעים
יום לא יאכל בשר ולא דבר חם בלילה ולא ישתה יין
לבד משבתות וימים טובים וירחץ ראשו מעט במים
פעמים או שלש בכל אותן ארבעים יום הבא על אשתו
נדה יתענה ארבעים יום רצופים וילקה בכל יום פעמים
או שלש ולא יאכל בשר ולא ישתה יין ולא יאכל דבר
חם מבד השבתות וימים טובים ולא ירחץ כל אותן
הימים ויתודה בכל יום ואם חבק או נשק אשתו נדה
יתענה ארבעים יום׃ המנשק שאר נשים או חיבקן
יתענה שני וחמשי ושני וירחק מפתח ביתם ואם רבע
בהמה או חיה או עוף יתענה ארבעים יום ולא ירחץ
עצמו בהם ולא יסתכל בבהמה חיה ועוף בשעה שנזקקין
זה לזה׃

רוצח ילך בגולה שלשה שנים וילקה בכל עיר ועיר
ויאמר רוצח אני ולא יאכל בשר ולא ישתה יין ולא
יגלח שער ראשו וזקנו ולא יכבס בגדיו ולא ירחץ
גופו אך יחוף ראשו פעם אחד בחודש ויקשור ידו אשר
רצח בו וזרועו בברזל בצוארו וילך יחף ויבכה על

INDEX.

JUDAICÆ POENITENTIÆ

Excerptus de libro qui vocatur Initium Sapientiæ.

NUnc deſcribenda, & definienda nobis ſunt ea quę ſpectant ad moleſtias & pęnas quibus unaquæque legis tranſgreſſio caſtigatur. Qui duxerit uxorem gentilem, jejunabit tribus diebus noctu diuque, & trium annorum ſpatio, ſemel unoquoque anno. Quod ſi acta Pęnitentia iterum, quod abſit, peccaverit tunc magis & magis ſuper eum aggravabitur Pęnitentia, & ęſtivis diebus abibit in locum quo abundant formicæ, ſedebitque nudus inter eas; atque hyberno tempore glaciem franget, & ad nares uſque in aquis ſedebit. Quod ſi tertiò peccatum commiſerit, ſeveriùs adhuc punietur. Qui mollitiei peccato ut ſemen diſperdat, ſeſe corruperit, quadraginta diebus jejunabit, ſed continui non erunt. Sedebit autem in aquis hyberno tempore tanto ſpatio quod ovo aſſando ſufficiat, Illiſque quadraginta diebus carnem non comedet, neque rem quamque calidam noctu, neque vinum bibet exceptis Sabbatis & diebus feſtis. Bis tamen vel ter totis illis quadraginta diebus caput aqua paululum lavabit. Qui cum uxore menſtruis laborante rem habuit, quadraginta diebus continuis jejunabit, vapulabitque omnibus diebus bis vel ter, carnemque non manducabit, nec vinum bibet, nec calidum quid comedet, exceptis Sabbatis & feſtis diebus, nec lavabit ſe omnibus illis diebus, & unoquoque die confitebitur. Si verò amplexus fuerit, aut oſculatus uxorem ſuam menſtruatam jejunabit quadraginta diebus. Qui alias mulieres (*menſtruatas*) oſculatus fuerit, aut amplexus, jejunabit feria ſecunda, quinta, & ſecunda ſequente, & elongabit ſe à porta domus earum. Quod ſi inierit jumentum, aut feram, aut avem, jejunabit quadraginta diebus, & eo tempore non ſe lavabit neque ad ea attendet, cum invicem coeunt.

Homicida peregrinabitur tribus annis, & in unaquaque urbe vapulabit dicens. Homicida ego ſum, carnem non manducabit nec vinum bibet, capilloſque & barbam non radet, veſtimenta & corpus non lavabit; tantummodò ſingulis menſibus caput ſuum ſemel pectinabit, & ligabit manum qua occidit, &

bra-

Digitized by Google

brachium ad collum cum catena ferrea, incedetque diſcalceatus & plurans propter homicidium ſuum. Si aliquis eum opprobrio afficiat, ſilebit; & illis tribus annis noo indulgebit ullis deambulationibus, & jocis, & durante peregrinatione ſua proſternet ſeipſum ante portam Synagogæ, & tranſibunt ſuper ipſum omnes traoſeuntes, & redeuntes, ſolum non conculcabunt.

Qui defecit ad cultum idolorum deponet veſtimenta pretioſa, luctumque aget & ſlebit, & affliget ſeipſum omnibus diebus vitæ ſuæ, & deprimet ſpiritum, ſuperbiamque ſuam; confitebiturque tribus vicibus unoquoque die: Carnem non comedet, nec vinum bibet exceptis Sabbatis & feſtis, nec lavabit ſe, nec pectinabit caput ſuum niſi ſemel aot bis in menſe; oeque aſſiſtet hilariis nec ſponſalibus, ſed ſolum ſeptem beoedictionibus; Nec ſedebit cum Idololatris, etiam ubi colloquuotur de lege, ejuſque præceptis, ſed elongabit ſe ab eorum porta, & ab iis commodum non percipiet. Et ſtatim poſtquam reverſus fuerit lotione opus eſt, feretque moleſtias, & caſtigationes proratione peccatorum ſuorum: Nam fidei fundamenta negavit, prophanavit Sabbata, & reus eſt criminis quod in lege pœoa exciſionis è populo damnatur, & adverſus quod domus judicii ſupplicium mortis deceroit; ideo caſtigationibus magnis opus eſt.

Qui rem babnit cum muliere maritata, ant cum puella deſponſata, prohibetur hoc crimine, ne eam ducat, licèt illi conſenſerit, Reuſqae propter eam factus eſt ſuppliciorum capitalium domos judicii: Ideo afflictiones feret duras ut mors, ſedebitque in nive & in glacie horam unam ſingulis diebus. Sic faciet tota hyeme unoquoque die ſemel aut bis. Diebus autem æſtivis ſedebit ante muſcas aut apes, aut reliquas caſtigationes duras ut mors aſſumet, confitebiturque ſingulis diebus cum fletu & ſuſpiriis. Aonum integrum non comedet carnem neque vinum bibet, exceptis Sabbatis, diebus feſtis, & die ſortium. Panem calidum non comedet, nec lavabit ſe, oiſi paululum in veſperis feſtorum, nec contemplabitur rem hilarem; tantùm benedictiones ſponſorum audire poterit, nec olla in re delectabitur, nec genio indulgebit. Singulis diebus vapulabit, & dormiet ſuper terram, aut ſuper aſſerem ſioe pulvinari & ſponda, exceptis Sabbatis & diebus feſtis quibus cubabit ſuper paleam & ſtipulam cum pulvinari ſub capite, ut removeat à ſe elatum ſpiritum, quoniam ab eo procedunt concupiſcentia & deſideria; vitamque ducet calamitoſam, ſaccum ſuper carnem ſuam induet; ſermooem oon habebit de rebusque ſpectant ad concupiſcentias mulierum, nec ad eas advertet, nec ad earum ornamenta, etiamſi illa non ſint iodutæ. Pulſaotium inſtrumenta melodiam non auſcultabitur. Nullomodo cum mulieribus colloquetur, neque ſigno, oeqoe nuto, neque alio aliquo modo, ne quidem cum uxore ſoa dum menſtruis laborat. Cum illis ſolus non verſabitur, aot iis conjuogetur, quacumque unionis & conjunctionis ſpecie prætexta.

Qui jurat in vanum, aut in Excommunicationem ſibi illatam prævaricatur, omnibus diebos ſuis vapulare debet aliqoot vicibus, multiſque diebus confitebitur. Poſtea admonebitur ne injuret etiam pro veritate, neque per legem neque per animam Patrum ſuorum. Verùm vovebit per vitam capitis ſui. Sed jurans ad ſtabiliendum mandatum, cavebit ne in vanum pronuntiet nomen Dei, & contremiſcent membra ejus cum illius recordabitur, cavebit etiam ne benedictionem irritam faciat. Quod ſi errore aliquo id fecerit, dicit poſt hæc, Benedictum nomen glorioſum majeſtatis tuæ in ſeculum & ultra. Qui autem conſueverunt ore ſuo & ſeminis ſui commemorare in vanum oomen Dei in balneis, & locis obſcœnis, væ illis væ eorum ſemini, quoniam linguam ſuam filios docuerunt. Ideo cuſtodiet, & coercebit ſeipſum, & ſemen ſuom, & proximos obaudientes ſibi ne nomen Dei in vanum commemoren. Si autem ad id Pœnitens cogatur, & jurameotum creditori ſuo præſtiterit, licet verum, toto aono jejunabit illo die. Si aſſuetus fuerit io Synagoga ſabulari, licèt id non faciat tempore precis, ſedebit cum timore magno, & cum attentione precabitur, jejunabitque quadraginta diebus ſive continuis ſive diviſis, vapulabitque in occulto ſingulis diebus.

Qui foratus fuerit, aut acceperit fœnus reddet, veniamque ab eo deprecabitur, & jejunabit quadraginta diebus aut amplius & unoquoque die confitebitur: cavebitque ne accipiat depoſita; & non aſſuefaciet ſe ad inhiandum peconiæ proximi ſui, ſed beneficè & liberaliter retribuet ei de ſubſtantia & pecunia ſua. Dabit quoque ex iis quæ ad ipſum pertinēt laborioſè ſtudeotibus in lege, & timentibus Deum. Ille autem qui fœous accepit, ſi poteſt fœnus non exigere etiam ab alienigenis optimum erit.

לציחתו׳ ואם יחרפהו אדם ישתוק ואותם שלשה שנים לא ילך בטיילים ובשחוק ובגלותו ישכב עצמו פתח בה״כ ויעברו עליו כל עוברים ושבים לא ידריכוהו׳

מומר לעבודת אלילים יסיר המלבושים הנאים ויתאבל ויבכה ויצטער כל ימי חייו וישפיל רוחו וגאוותו ויתודה שלשה פעמים בכל יום ולא יאכל בשר וישתה יין כי אם בשבתות וימים טובים לא ירחץ ולא יחוף ראשו כי אם פעם אחת או שנים בחדש ולא ילך לשחוק ולנישואין רק לשבע ברכות בלבד ולא ישב אצל עע״א אפילו במקום שמדברים דברי תורה ומצות ויתרחק מפתחם ולא יהנה מהם׳ ומיד שישוב צריך טבילה ויסבול צער וייסורין כנגד חטאיו כי בפר׳ כעקר ויחלל שבתות ועבד כריתות ומיתות בית דין לכן צריך ייסורין גדולים׳

הבא על אשת איש או על נערה מאורסה הרי הוא אוסר אותה על בעלה כיון שנתרצית וחייב עליה מיתות בית דין לכן יסבול צער הקשה כמות וישב בשלג ובקרח שעה אחת בכל יום כן יעשה בכל החורף בכל יום פעם אחת או שנים ובימות החמה ישב לפני דבורים או לפני זבובים או שאר ייסורין אקשים כמות ויתודה בכל יום בבכי ואנחה ושנה תמימה לא יאכל בשר ולא ישתה יין אלא בשבת ויום טוב ובפורים׳ ולא יאכל לחם חם ולא ירחץ כי אם בערבי ימים טובים מעט ולא יראה שום שחוק אך יכול לשמוע ברכות חתנים ולא יענג עצמו בשום דבר וילקה בכל יום וישכב על הארץ או על כותל אחר בלא כר וכסת כי אם בשבת וכימים טובים ישכב בתבן וקש וכר תחת ראשו כי יסיר רוחו הגסה שבא ממנו התאוה והיי צער תהיה לו ויל כש שקעל בשרו ולא ידבר מענין תאוות נשים ולא יסתכל בנשים ובתכשיטיהם ואפילו כשאינם עליהם ולא ישמע קול ניגונים ולא ידבר עם הנשים כלל לא ברמז ולא ברמיזה ולא בשום דבר אפילו עם אשתו כשהיא נדה ולא יתייחד עמהם בשום ויחוד׳

הנשבע לשקר או מעל בחרם יש לו ללקות כמה פעמים כל ימיו ויתודה ימים רבים ואחר כך יזהר שלא ישבע אפילו באמת ולא בתורה ולא בנשמת אב ותיו אך יזהר בחיי ראשו אבל נשבע לקיים מצוה ויזהר שלא יוציא שם שמים לבטלה מפיו ויזדעזעו אבריו כשיזכיר השם ויזהר בברכה לבטלה ואם שגג ובירך ברכה לבטלה יאמר אחריו ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד׳ ואותם המרגילים בפיהם ובפי זרעם להזכיר שם שמים בבית המרחץ ובמקום המטונפת להזכיר שם שמים לבטלה אוי להם אוי לזרעם כי כן למדו לשונם לכן ישמור ויגדור עצמו וזרעו וחביריו הנשמעים לו מלהזכיר שם שמים לבטלה ואם הוצרך זה השב לעשות שבועה לבעל חובו אפילו באמת יתענה אותו היום בכל שנה ואם הורגל לדבר בבית הכנסת שום דבר אפילו שלא בשעת תפילה ישב במורא גדול ויתפלל בכוונה ויתענה ארבעים יום בין רצופים בין מופלגים וילקה בהצנע בכל יום׳

גונב או לוקח רבית ישב ויבקש ממנו מחילה ויתענה ארבעים יום או יותר ויתודה בכל יום ויזהר מלקבל פקדונות ולא ירגיל ללבת על ממון חבירו ויעשה גמילות חסד בגופו ובממונו׳ ויתן משלו לעמילי תורה וליראי שמים וזה שלקח רבית אם היה יכול שלא ליטול רבית אפילו מן הנכרים יהיה טוב׳

המלשין את חבירו הוא משניאו בעיני השר ומעליל עליו ולוקח ממנו וממית רעהו ואשתו ובניו התלויין בו יפרע לחבירו כל מה שהפסיד ויבקש ממנו מחילה וילקה ויתענה יותר משנתים ויתודה כל ימי חייו כי נחשב כאלו הרג את אשתו ובניו וחבירו וכמה עבירות עשה׃ על כן ישבור רוחו ואם אין לו מה לשלם ירבה עליו רעים ויבקש ממנו מחילה ויצמצם ויפר׳ לו או ליורשיו׃ רכיל וכיוצא בו אין רפואה עד שיבקש ממנו מחילה וילקה ויתענה ארבעים יום או יותר וילקה בכל יום ויהיו כל עסקיו במצות ובעסק שלום בין כל אדם ובין כל איש ואשתו׃

המכה את חבירו או ציערו בין בממון בין בהונאת דברים אין לו כפרה אם לא ירצה את חבירו ואין יום הכפורים מכפר אלא על עבירות שבינו ובין המקום אבל שבינו ובין חבירו צריך לפייסו׃ המגביה ידו על חבירו נקרא רשע ויבקש ממנו מחילה ויתכפר לו המלבין פני חבירו יתענה ארבעים יום או יותר וילקה בכל יום ויתודה כל ימי חייו׃ המכנה שם לחבירו יבקש ממנו מחילה בפני רבים וילקה ויתענה ארבעים יום ויתודה בכל יום בכניעה׃ המבזה את הגר יבקש ממנו מחילה וילקה ויתענה בכל יום׃ המקניט את חבירו יביא שלשה שורות של בני אדם ויאמר חטאתי וישר העויתי ולא שוה לי ויבקש ממנו מחילה שלש פעמים ולא יותר ואם מת מוליך עשרה בני אדם על קברו ויאמר חטאתי לה׳ אלהי ישראל ולפלוני זה שהקנטתיו ודווקא שלא ביזהו ברבים ולא היה די לו מתחילה כפיוס ואל יהא המוחל אכזרי ואם הקניטו והוציא עליו שם רע אין לו מחילה עולמית אלא אם כן יתענה וילקה בינו לבין עצמו ארבעים יום או יותר׃

המחלל את השם חילול השם הוא עון גדול ומהו חילול השם רב אמר כגון אנא דאזילנא לבי טבחא ושקילנא בישרא ולא יהיבנא דמי לאלתר פירוש מביא עצמו לידי זלזול והעולם לומדין ממנו ומזלזלין יותר רבי יוחנן אמר כגון אנא דאזילנא ארבע אמות בלא תפלין ובלא תורה והעולם לומדין ממנו להקל ממקום יותר אמר רבי אבהו משום ר׳ חנינא ב״ג נוח לו לאדם לעבור עבירה בסתר ולא יתחלל שם שמים בפרהסיא פירוש לא ילמדו בני אדם ממעשיו אמר רבי אלעאי הזקן אם רואה אדם שיצרו מתגבר עליו ילך למקום שאין מכירין אותו וילבש שחורין ויעשה מה שלבו חפץ ואל יחלל שם שמים בפרהסיא ופירשו חכמים חס ושלום שהתירו לו לעבור עבירה אלא חכמים אומרים שיעמוד יצרו הרע כיון שאינו מתאווה אלא כל מה שאסור לו למלא תאוותו כיון שגולה למרחוק ולובש שחורים או ישבור ויכנע וימנע לבו מן החטא אבל לעשות איסור כלל ובלל לא אך מעשים הללו משברים יצר הרע ומונעו אותו מלעבור כמו דאמר רבי אלעאי כי יגיעת דרכים ולבישת שחורים ואכסניות משברים יצר הרע ומונעים אותו מן העבירה ואומר כל מי שלא חס על כבוד קונו ראוי היה לו דשלא בא לעולם ואמרינן בגמרא אמר רב יוסף והו העובר עבירה בסתר כדר׳ יצחק אמר כל העובר עבירה בסתר כאלו דוחק רגלי השכינה׃ חילול השם היא עבירה שיש לה פירות כשעושה דבר רע או אחרים לומדין ממנו ומזה העבירה יש לכל אדם ליראה מאד כי חילול השם יש לו כפרה רבים ואין לו שיעור כי כל המבזה אפילו מצוה אחת ומקיל בכבוד שמים נקרא מחלל השם כי אחרים ילמדו ממנו ומקילין יותר ומזלזלין׃

Qui detrectat de proximo ſuo, illum Magnatis odio exponit, & molitur ſce us adverſus eum, arripit opes ejus, & occidit amicum ſuum, uxorem, & filios ejus, quorum vita, ſtatuſque ab eo pendent: Reddet proximo ſuo damnum omne quod illi intulit, ab eoque veniam petet, vapulabit, jejunabitque amplius quam duobus annis, & confitebitur omnibus diebus vitæ ſuæ, quoniam reputatur quaſi Homicida uxoris, & filiorum ejus, & ipſius proximi ſui. Quot crimina commiſit? Propterea franget ſpiritum ſuum; etſi non eſt illi unde reddat, multos ſecum adducet Amicos, & coram iis veniam ab eo petet, & nihilominus conſtringet ſe ut ei reſtituat, aut ejus hæredibus. Detrectatori & ejus ſimilibus non eſt curatio donec veniam ab eo quem offendit, deprecatus fuerit, vapulaveritque, & pœnituerit quadraginta diebus, aut ampliùs. Vapulabit autem ſingulis diebus, & impendet omne ſtudium ſuum in mandatis Dei, & in negotiatione pacis inter omnes homines, atque inter quemque virum & uxorem.

Atterenti proximum ſuum, aut moleſtia afficienti, ſive pecunia, ſive verborum fraude, propitiatio non datur, niſi proximum ſuum placaverit: Dies enim expiationis non propitiatur niſi pro peccatis quæ ab hominibus in Deum committuntur, ſed ut expietur peccatum quod ab homine in proximum committitur, neceſſe eſt proximum placare. Qui attollit manum ſuam in proximum, impius vocatur, ab eo veniam petet, & propitiabitur ei. Qui pudore confundit faciem proximi ſui, jejunabit quadraginta diebus aut amplius, & vapulabit ſingulis diebus, & confitebitur omnibus diebus vitæ ſuę. Qui dicterio aliquo cognominat proximum ſuum, ab eo veniam petet in multorum conſpectu, & vapulabit, & jejunabit quadraginta diebus, & confitebitur cum humilitate. Qui dedecorat, & ignominia afficit Proſelytum ab eo veniam petet & vapulabit, & jejunabit tota die. Qui proximum ad iracundiam provocat, & irridet, adducet ſecum tres hominum turmas, illique dicet, Peccavi, rectum perverti, nec mihi profuit, ab eoque veniam petet tribus vicibus, non magis. Quod ſi mortuus fuerit, deducet ſecum decem homines ad ipſius ſepulchrum, dicetque, peccavi in Dominum Deum Iſrael & in hunc N. quia ipſum faſtidivi, & ad iracundiam provocavi: quanquam eum in multorum præſentia & publicè non contempſerit, ſi non obtinuerit ab initio tentata placatio: Offenſus autem non ſe præbeat difficilem & ad veniam auſterum. Quod ſi eum non modo faſtidiverit, & irritaverit, ſed etiam malam famam in ipſum induxerit, nunquam dabitur illi venia, niſi ſic jejunaverit, & vapulaverit quadraginta diebus aut amplius coram eo & ſe ſolo.

Qui prophanat nomen Dei prophanatione nominis Dei crimen magnum perpetrat. Quæ eſt autem illa nominis divini prophanatio? Dixit Rab, veluti cum irem in domum lanionis, accepi carnem, & ſtatim pecuniam non dedi. Intellige, quod ſic ſeipſum contemptui & vituperationi exponit, & mundus ex eo diſcit, unde fit ut amplius vilipendant. Dixit R. Jochanan, veluti, cum ambularem quatuor cubitis ſine thephillim & ſine lege, ex eo populus diſcit adhuc amplius vilipendere. Dixit R. Abohu nomine R. Chaninæ filii Gamalielis, Tolerabile eſt homini prævaricari in occulto ut non prophanetur nomen Dei publicè: intellige, quòd homines ex operibus ejus prophanare non diſcunt. Dixit R Elai ſenex, ſi animadverterit homo quod concupiſcentia ſua prævalet ipſi, abeat ad locum in quo incognitus eſt, induatque veſtes nigras, faciatque quod cordi placet, & publicè non prophanet nomen Dei. Interpretantur ſapientes: Abſit ut ei permittatur prævaricari, ſed dicunt ſapientes quod conſiſtet, & ſedabitur concupiſcentia ejus mala, quandoquidem non amplius concupiſcet ea quæ concupiſcere & adimplere prohibetur, cum longè migraverit, & veſtes nigras induerit. Tunc frangetur, & humiliabitur cor ejus, & à peccato coercebitur; ſed quod prohibitum eſt nunquam omnino licet illi facere? verum opera illa concupiſcentiam malum frangunt, & impediunt eum ne tranſgrediatur, ſicut dixit R. Elai, quod labor & moleſtia itinerum, veſtitus niger, & hoſpitia frangunt & atterunt concupiſcentiam malam, eamque impediunt, & cohibent à peccato. Dicebat adhuc, Quicunque non parcit honori Dei indignus eſt qui venerit in mundum. Dicitur in Gemara, dixit R. Joſeph, hic eſt qui prævaricatur in occulto, ut dixit R. Iſaac, quicunque peccatum in occulto perpetrat, ſimilis eſt ei qui premit pedes divinitatis. Prophanatio nominis Dei, tranſgreſſio eſt cujus ſunt fructus, ſcilicet cum res aliqua mala perpetratur, tunc ex ea diſcunt alii idem facere. Omnes homines ab hoc peccato

cato plurimùm ſibi timere debent; quoniam multis modis committi poteſt nominis Dei prophanatio, nec eſt illi modus Nam omnis cnntemptor, etiam nnius præcepti, & vilipendens majeſtatem Dei dicitur prophanare ipſius nomen, eo quod alii ex eo diſcunt, prophanantque illud amplius & vilipendunt.

Reus factus eſt aliquis exciſionum, Excomunicationum, & ſuppliciorum domus judicii quæ mortem inferunt, Pęnitentia & feſtum expiationis mediam partem expiant; caſtigationes alteram. At prophanatum eſt nomen cœlorum ejus ope, non eſt in Pęnitentia virtus ſuſpendendi pęnam hujus peccati, neque in feſto expiationis illud excipiandi, neque afflictionibus illud abſtergendi, ſed omnia hæc ſuſpenduntur donec mors iniquitatem abſtergat. Quapropter homo diligenter cavebit ſibi à prophanatione nominis divini, & longiſſime recedet à re turpi, & ſimilibus Fundamentam autem Pęnitentiæ de prophanatione nominis divini eſt confeſſio peccatorum ſuorum coram multis, ita ut illis dicat, non diſcetis à me, quia peccavi, perversè egi, prævaricatus ſum, prophanavi majeſtatem Dei per ſtultitiam meam; & ſuper affligat ſe aliquot jejuniis. Confitebitur quoque omnibus diebus uſque ad diem mortis ſuæ de ſingulis prævaricationibus quas homo committete ſolet ſive per errorem ſive per ſuperbiam; videlicet quod tetigerit lucernam Sabbati, aut accenderit lucernam in Sabbato, ſed non recordabatur quod Sabbatum eſſet, aut quod inſcius hoc fecerit Propter hæc & ejuſmodi peccata confiteri tenetur, & jejunare ad minimum duobus diebus, ſecundo & quinto. Sic affliget ſe pro omnibus peccatis magnis quæ humo perpetrare ſolet, ex quo duo bona in eum redundabunt. Prius, quod jejunium expiabit eum; poſterius, quod abſtinebit ſe à tranſgreſſionibus; quia cogitabit in corde ſuo, ſi hoc fecero neceſſe eſt me affligere, propterea abſtinebit a tranſgreſſione. Hæc eſt ſepes, & propugnaculum magnum adverſus omnia peccata, quod ſeipſum mulctet, aut det eleemoſynam, aut imponat corpori ſuo moleſtiam aliquam & afflictionem cum peccatum aliquod peccaverit. Sic faciet omnibus peccatis quibus aſſuevit, veluti invidentię, & odio, & lętitię, & verbis otioſis, & maledicentię, aut quia benedictionibus aut orationi non attendit, quia ſine intentione & ſtudio eas recitavit, & ſimilibus quæ plurima ſunt. Ideo ſingulis diebus in res ejuſmodi ſtudioſè inquiret ſi in unā ex iis incurrerit, & in ea tranſgreſſus fuerit, tunc ſubitò affliget ſe, & confitebitur iniquitatem quam commiſit, ut corde contrito veniam a Deo impetret.

Res magna eſt confeſſio: Tradiderunt enim Patres noſtri, cum lapidandus à loco lapidationis decem tantūm cubitis aberat, dicebant illi, confitere; quia conſuetudo eſt morientium ut confiteantur: Omnes enim qui confiteantur partem habent in futuro ſeculo. Quod ſi confiteri neſcit, ſic dicet, utinam Deo placitum ſit, ut mors mea ſit expiatio pro omnibus peccatis meis. Sic enim reperimus de Acan quod ei dixerit Joſue, da quæſo gloriam Deo, & ei confitere. & reſpondit Acan, dixitque, certè peccavi. Ex quibuscumque pręceptis ſive affirmativis ſivę negativis qui vel unum tranſgreſſus fuerit ſive per ſuperbiam, ſive per errorem, cum Pęnitentiam aget illius peccati, tenetur confiteri coram Deo Benedicto, ut dicitur; Vir aut mulier qui fecerint aliquod ex omnibus peccatis hominum, confitebuntur quod fecerunt. Hæc eſt verbalis confeſſio. Quicunque peccatorum rei ſunt & ad mortem aut flagellationem à domo judicii condemnati peccata ſua non expiant morte ſua aut flagellatione, aut oblationibus donec pęnitentiam egerint, & confeſſi fuerint. Quicunque lædit & damno afficit proximum ſuum in pecunia & opibus ſuis, licet ei reſtituat, nondum tamen eſt expiatus donec confeſſus fuerit, & firmum propoſitum habuerit ad idem peccatum nunquam revertendi. Et quomodo confitebitur? dicet, Quæſo Domine, Peccavi, perverſè egi, prevaricatus ſum coram facie tua, ſic & ſic feci. Et ecce pęnitet me, & pudet me actionum mearum; ad ejuſmodi actiones in æternum non revertar. Principale autem & fundamentum confeſſionis eſt, ut non revertatur amplius ad mores ſuos. Qui ſæpius confitetur, & in hac re diutius immoratur hic laudandus eſt.

Hoc etiam confeſſionis eſt fundamentum, ut dicat orationem quæ incipit, ſed nos peccavimus. Et valde bonum eſt ut in medio confeſſionis particulatim edat peccata ſua, videlicet, ſi comederit morticinum, & à beſtiis diſcerptum, aut reliqua prohibita fecerit, ea in confeſſione ſua ſigillatim explicabit. Quomodo? cum dicet, Peccati reus ſum; dicet quoque, comedi rem immundam: Cum dicet, perfidè egi. dicet quoque ſi cum gentili muliere rē habuerit, aut cū uxore alterius, aut menſtrua-

עבר אדם על כריתות ומתות בית דין תשובה ויה מכפרת מחצין וייסורין מכפרין מחצה אבל נתחלל שם שמים ב״יה לכפר ולא בייסורין לפרק אבל הכל תולין ומיתה מטרקת עון על כן בן אדם יזהר מחילול השם וירחיק עצמו מן הביעור ומן הדומה לו ועיקר התשובה של חילול ה׳ שיודע חטאיו נגד רבים ויאמר להם אל תלמדו ממני כי אני חטאתי עויתי פשעתי חללתי ה׳ באולתי ומתענה כמה תעניות ומתודה בכל יום עד יום מותו ועל כל עבירה ועבירה שאדם עשה בין בשוגג בין במזיד כגון שנוגע בנר שבת או הדליק נר בשבת ואינו זוכר שהוא שבת או שעשה בלא ידיעתו יש לו להתודות ולהתענות לכל הפחות שני ימים שני וחמשי וכן יעשה לכל עבירות גדולות שאדם עושה יתענה ובזה יש ב׳ טובות הא׳ שהתענית מכפר הב׳ שיפגע מעבירות כי יחשוב בלבו אם אעשה זה אני צריך להתענו׳ ויפגע מתוך כך מן העבירה וזהו הגדר הגדול לפני כל העבירו׳ שיקנוס עצמו או יתן צדקה או לעשות צער בגופו כשעבר עבירה וכן יעשה לכל עבירות שהוא רגיל בהם כגון קנאה ושנאה ושמחה ודברים בטילים ולשון הרע או שלא התכוון בברכות ובתפילה שהוציא ברכות מפיו בלא כוונה וכיוצא באלו הרבה מאד ולכן יבדוק אותם בכל יום באלו הענינים אם פגע באחת מאלו ועבר עליהם אז ימהר להצטער עליהם ולהתודות על איזה עון שעשה לבקש מחילה בלב נשבר׳

ענין גדול הוידוי כי שני רבותינו היה רחוק מבית הסקילה כעשר אמות אומר לו התודה כי כן דרך המומת׳ מתודים שכל המתודה יש לו חלק לעה״ב ואם אינו יודע להתודות יאמר כך יהי רצון שתהיה מיתתי כפרת על כל עונותי שכן מצינו בעכן שאמר לו יהושע בני שים נא כבוד לה׳ ותן לו תודה ויען עכן ויאמר אמנם חטאתי׳ כל המצות בין עשה בין לא תעשה אם עבר על אחת מהן בין בזדון בין בשוגג כשיעשה תשובה מחטאיו חייב להתודות לפני האל ית׳ שנא׳ איש או אשה אשר יעשו מכל חטאת האדם והתודו אשר עשו וזהו וידוי דברים׳ ובל בעלי חטאות ואשמות וכל חייבי מיתות בית דין ומלקות אינם מתכפרים במיתתן או במלקיותן או בקרבנם עד שיעשו תשובה ויתודו׳ וכל החובל ומזיק ממון חבירו אף על פי שישלם לו אינו מתכפר עד שיתודה וישוב מלעשות כזה לעולם׳ וכיצד יתודה יאמר אנא השם חטאתי עויתי פשעתי לפניך כך וכך עשיתי והרי נחמתי ובושתי במעשי ולעולם איני חוזר כדבר הזה וזהו עיקר הוידוי שלא יחזור לסורו׳ וכל המרבה להתודות ומאריך בענין זה הרי זה משובח׳

גם זה עיקר של וידוי שיאמר אבל אנחנו חטאנו ומוב מאד לפרש החטא בתוך הוידוי כגון אם אכל נבילות וטריפות או שאר דברי איסור יפרש בתוך הוידוי שלו׳ כיצד כשיאמר אשמתי יאמר אכלתי דבר אשר לא טהור וכשיאמר בגדתי יאמר אם בעל ארמית או אשת איש או נדה יאמר בעלתי ואם גנב או גזל יאמר גזלתי ואם הוציא שם רע על חבירו או לשון הרע או שום כיזוי יאמר עליו דברתי דופי ואם הוציא שכבת

שכבת זרע לבטלה יאמר העויתי ואם זנה עם ערוות
יאמר ודתי זכיתי ואם חלל שבתות או חמד חללתי חמדתי
וכן לכל אלפא ביתא על כל אות ואות׃

ואחר יפרש בוידוי העבירה שעבר ויאמר בבכי
יעזוב רשע דרכו ואיש און מחשבותיו ואז יועיל לו
בסוף הוידוי סרתי ממצותיך וממשפטיך הטובים ולא
שוה לי ואתה צדיק על כל הבא עלי כי אמת עשית
ואני הרשעתי׃ ואז יאמר כך עברתי על מצות עשה
ועל מצות לא תעשה ועברתי על כריתות ומיתות בית
דין עברתי על חייבי מיתות בית דין ותורה שבכתב
ותורה שבעל פה שכחתי שמך הגדול שכחתי עול מלכותך
ויראתך ואתה צדיק על כל וכו׳ בירושלמי מפורש כיצד
יתודה אומר רבון העולמים הרע בעיניך עשיתי ובשרירות
לבי הלכתי ותוכחתך לא שמעתי יהי רצון מלפניך ה׳
אלהי ואלהי אבותי שתכפר לי על כל פשעי ותסלח לי
של כל עונותי ותמחול לי על כל חטאתי וכו׳ עד
כאן לשונו׃

ta, dicet, rem cum tali habui, &c. Si furatus fuerit, aut rapuerit, dicet, rapui. Si inſamiam in proximum induxerit, aut de eo detrectaverit, aut Excommunicationis cauſam illi impegerit, dicet, de eo probra & famoſa locutus ſum. Si mollitiei reus ſit, dicet. perverſè egi. Si ſcortatus eſt cum conſanguineis aut affinibus, dicet, & in jura mea ſcortatus ſum. Si prophanavit Sabbata, & deſideravit dicet, prophanavi, concupivi. Sic ſaciet in confeſſione alphabetica per unamquamque literam.

Poſtquam explicaverit in Confeſſione peccata quæ commiſit, flens dicet, relinquet impius viam ſuam; & vir iniquitatis cogitationes ſuas, & tunc illi proderit. Finis autem Confeſſionis hic eſt, receſſi à mandatis tuis, & judiciis tuis bonis, & non mihi profuit. Sed tu juſtus es in omnibus quæ venerunt ſuper me, quia veritatem feciſti, & ego impiè egi. Et tunc ſic dicet, tranſgreſſus ſum mandata tam affirmativa quam negativa: tranſgreſſus ſum omnia quæ exciſione à populo Dei, & mortis ſupplicio à domo judicii damnantur: tranſgreſſus ſum ea quæ tenentur ſupplicio mortis eodem judicio tam ſecundum legem ſcriptam, quàm oralem. Oblitus ſum nomen tuum magnum, oblitus ſum jugum regni tui, & timoris tui: tu verò ſuper omnes juſtus &c. In Talmude Hieroſolymitano declaratur quomodo ſit confitendum. Dicitur Domine ſeculorum, malum in oculis tuis feci, & in cogitationibus cordis mei ambulavi: Reprehenſionem tuam non auſcultavi. Sit beneplacitum tuum, Domine Deus, & Deus Patrum meorum, ut expies omnes prævaricationes meas, & condones mihi omnes iniquitates meas, & dimittas mihi omnia peccata mea, &c. Hactenus Talmud Hieroſolymitanum.

ADNO-

A D N O T A T I O
I N
S E Q U E N T E M
POENITENTIALEM.

POSTERIUS Pœnitentialis libelli exemplar è libro Chaſidim excerpſi: Habetur eo Libro numero 567. ſed præcedente multo minus amplum. Reſpicit enim tantùm pœnas Mœchiæ impoſitas, nec omnes, ſed quas auctori viſum eſt obiter referre. Breviter quoque aliqoando digreditur ad alluſiones Talmudicas ut ſermonem illuſtret, quæ illum aliquot locis reddunt intellecto difficilem. Auctor ille ſinguiis ferè ſectionibus ex abrupto incipit, & parum ſol icitus eſt de ſequentium cum præcedentibus connexione, modo præclara aliqua dogmata moralia in mediom proferat, quod ſanè facit perſæpe utiliſſimè. Integram illam ſectionem exſcribemus, & Latinè reddemus ot de Judæorum his in rebus diſciplina poſſit accuratiùs Lector judicare. Nullam cum præcedentibus aut ſequentibus ſectionibus peculiarem habet relationem; ideo ab iis illius ſenſus & intelligentia non pendet.

I N D E X.
SECUNDUS POENITENTIÆ
Excerptus de libro Sanctorum.

QUando quis cum uxore alterius congreſſus eſt, ſi aliquem interroget quo modo Pænitentia eſt ſibi agenda, ſi ea cum iis mulieribus commiſit quorum cauſa Reos eſt mortis, ſive exciſionis à populo ſuo, in tractatu Chagigah diſtinguitur, quando id quod corruptum eſt, & perverſum non poteſt dirigi, & quando prodeſt Pœnitentiam agere, & de quibus acta illis prodeſt. Dicunt aotem. Qui Rei ſunt exciſionis, & vapularunt, liberi ſunt ab exciſione ſua. Ideo agenda eſt illi Pœnitentia quæ ſit æquiparanda flagellationi triginta novem ictuum, aut exciſioni. Si igitur hyberno tempore hoc contingat, cum gelu omnia rigent, id ſi præſtare velit, in flumine franget glaciem, & in aquis ſedebit ad os uſque, aut ad nares, tanto tempore quanto cum ea locutus eſt de peccato donec illod conſummarit. Sic faciet ſemper quandiu extiterit glacies. Sed in diebus æſtivis jacebit in fovea formicarum, & os ſuum obturabit; aut in vaſe formicis ſcatente, & poſtea præſto erit illi vas aliud aqua plenum, ut in eo lavetur. Quod ſi illo tempore quo neque friget, neque calet, jejunabit, & tantummodò panem & aquam veſperi comedet, quia de Ruben dictum eſt quod Penitentiam egit in ſacco & jejunio, licet nondum confeſſus eſſet Juda, eo quod hiſtoria illa Thamar nondum contigiſſet.

Quamobrem verò in aquis jacent? Dicitur in Midras, centum triginta annis ſedit primus homo in aquis uſque ad nares ut expiaret peccatum quod commiſerat in arbore ſcientiæ, cujus cauſa decreta ſuit ſententia in omnes generationes. Si verò corpus hujus adhuc incaleſcit in prævaricationes, refrigerabit ſe, & affliget donec poſſit ſedere in aquis tempore glaciali, aut cum vigent formicæ & apes, & tempore æſtivo cum formicis: Colligabit etiam os ſuum & nares cum veſte, ne introeant. Si verò peccatom fecit exciſione damnatum, & peperit mulier, aut congreſſus eſt cum alterius uxore ſine violentia, aut cum uxore Sacerdotis etiam cum violentia: Ecce prohibita eſt illi ne eam ducat. Vel ſi peperit, & genuit nothum, hoc eum docebunt eſſe faciendum, noctu diuque ſuper terram jacebit tempore æſtivo inter formicas, ut pediculi ſuper eum aſcendant. Hoc autem ſi leve fuerit in oculis ejus; ibit nudus in locum in quo Apum alvei ſont, pungentqoe eum donec inflatus ſit & puſtuloſus. Cum vero ſanatus fuerit, in eundem locum revertetur, ſicque faciet multis vicibus ut deſcripſimus. Si verò peccavit multoties cum muliere, neceſſe eſt ot multis annis faciat ſicut ſcriptum eſt. Si autem nothos genuerit, ecce vulgo dicunt eos non fore vivaces, & hoc ipſi imputant, perinde ac ſi ſanguinem effudiſſet. Eadem ratio ejus qui cum Aramæa ſive alienigena ſcortatus eſt, & ex eo peperit, vel ejus de quo ſupra ſcriptum eſt, Non dicat: En dixit R. Juda cum recurrit eadem mulier, idem locus, eadem temporis circumſtantia hoc ego præ-

מראה השני לתשובה נגזר מן

ספר חסידים

מי שבא על אשת איש אם בא לשאול היאך יעשה
תשובה אם בא על אותם שחייב כרת במסכת
הגיגה משים חילוק מתי מעות לא יוכל להקון ומתי
יועיל תשובה ומאותן שמועיל להם תשובה ואמרו חייבי
כריתות שלקו נפטרו מידי כריתן הרי יש לו לעשות
תשובה דבר השקול למלקות או לקות ואם בימות החורף
היא בשבא הקרה אם רצה בנהר ישבר הקרח וישב
במים עד פיו או עד חוטמו כפי שעה שדבר עמה על
העברה עד שעת גמר העבירה ובן יעשה תדיר כל
זמן שיש קרח ובימות החמה ישב בחפירה שנמלים שם
ויסתום פיו או בכלי ששם הנמלים ויהא לו אחר כך
בלי מלא מים שירחוץ בו ואם העת באותן ימים שאין
קור וחום יתענה ורק בלחם ובמים יאכל בערב כי
בראובן נאמר ששב לשקו ולהתעניתו אע"פ שעדין לא הודה
יהודה כי עדין לא נעשה מעשה תמר׳

ולמה במים אמר׳ במדרש ק"ל שנים היה אדם הראשון
יושב במים עד חוטמו להתכפר על שחטא בעץ הדעת
שנגזר גזרה על כל הדורות׳ ואם עוד גופו נתחמם
בעביר׳ יתקרר ויתענה עד שיוכל לישב במים בעת
קרח או בשיש נמלים ודבורים ובעת החמה עם הנמלים
ויקשור פיו בבגד וגם נחיריו פן יכנסו בו ואם עבר
על חייבי כרת וילדה או בא על אשת איש בלא אונס
או על אשת כהן אפי׳ באונס הרי אסורה על בעלה או
אם ילדה והוליד ממזר זה היה מעשה והורו לו ועשה
בנמלים ביום ובלילה היה שוכב על הארץ בימות החמה
כדי שיעלו פרעושים עליו ונקל זה בעיניו והלך
ערום במקום כוורת דבורים ועקצו בו עד שהיה נפוח
וכשנתרפא הלך עוד שם כך עשה פעמים רבות כמה
שכתבנו ואם חטא הרבה פעמים באשה צריך הרבה
שנים לעשות כמה שכתוב ואם הוליד ממזרים הרי
אמרו ממזרים לא חיין ומעלין עליו כאילו שופך דמים
וכן מי שבא על ארמית וילדה ממנו או אותו שכתוב
למעלה אל יאמ׳ הרי אמר רב יהודה באותה אשה
באותו מקום באותו פרק אקיים זה כי שמא האשה
תחפוץ להזדקק ויהיה לו חטא ולא אמרו שיביא אדם
עצמו לידי עון׳

ענין

מי שבועל ארמית או שפחה אם בעל אפי׳ פעם אחת יצום שלשה ימים לילה ויום רצופים שלא יאכל לא ביום ולא בלילה בן יעשה ג׳ שנים ואם רוצה יעשה ג׳ פעמים ג׳ ימים וג׳ לילות בשנה אחת ודי לו׃ ואם יהיו לו בנים ממנה ועובדים לע״ז יש לו לעשות עוד דין אחר עמו ואל יאמר אדם והלא שמשון הגבור בעל ארמית והקב״ה עשה לו נסים כגון מן הלחי כי יש לומר שמשון היה דוחקן וגייר׳ וכן תירוה אסתר אמרה וכאשר אבדתי אבדתי ואמרו שכן אמרה באשר אבדתי ממך שעד עתה הייתי אנוסה מביאן ואילך שיש לי להמציא גופי לו שיש לומר אתרצה לך כדי שישמע אלי וכיון בעבור היהודים יש לי לחטוא לכך צותה וצומו עלי אל תאכלו ואל תשתו שלושת ימים לילה ויום לכן אם בא לפני חכם לשאול היאך יעשה תשובה שיתכפר לו יש לו להורות שיצום ג׳ ימים ושלשה לילות רצופים ואם ילדה ממנו בנים ובנות עובדות לע״ז אעפ״י שלא נתכוון להוליד כיון שיודע שהשוכב עם אשה היא מתעברת צריך לקבל דין על זה שבכל השנה מאותן הימים שיתענה שלשה ימים ושלושה לילות רצופים. וכן מי שיש לו כדי פרנסתו ולוקח אשה שאחיה רשעים ורוב בנים דומין לאחי האם הרי עתיד ליפרע ממנו שגרם שבניו רשעים ועל כל אלה נאמר מעוות לא יוכל לתקן וכתיב כי בנים זרים ילדו.

ſtabo, abſtinebo: quia forſan mulier propria libidine ad copulam eum provocabit, eritque illi occaſio peccati: Non autem dixerunt quod homo ſeipſum exponeret occaſionibus peccati.

Qui rem habuit cum Aramæa, aut ancilla, vel ſemel, jejunabit tribus diebus continuis noctu diuque, ita ut non manducet nec de die, nec de nocte. Sic faciet tribus annis. Si autem voluerit, uno anno ter jejunabit tribus diebus & noctibus. Hoc illi ſufficit. Si filios ex ea ſuſceperit, & ſerviant idolis, aliud de eo judicium eſt adhuc faciendum. Ne verò dicat quis ecce Samſon fortis Alienigenam duxit, & Deus benedictus fecit per eum ſigna, veluti illud ex maxilla. Reſpondendum eſt Samſonem eas inſtanter urſiſſe ad religionem Iudaicam amplectendam & proſelytas feciſſe, ſicque peperiſſe. Eſther dicebat quomodocumque peritura ſim, peream cap. 4. verſ. 16. ferunt autem hoc ſenſu locutam, quandoquidem peritura ſum propter te, eo quod quæcumque uſque in hanc horam in gratiam regis feci, coacta feci, deinceps autem faciam illi lubens facultatem utendi corpore meo, hoc eſt, complacebo tibi, ut me Rex exaudiat, cum propter Judæos ſit mihi peccandum. Ideo præcepit, jejunare pro me, & ne comedatis, neque bibatis tribus diebus nocte & die. Ideo (Eſtheræ exemplo) ſi quis adeat ſapientem ut ab eo perat quomodo Pœnitentiam aget, ut remittatur illi peccatum, docendus eſt, ut jejunet tribus diebus & tribus noctibus continuis. Si autem ex eo peperit filios & filias ſervientes idolis, quanquam non propoſuerit ſibi eorum generatioocm, attamen cum notum ſit mulierem ex compreſſione viri gravidari. Neceſſe eſt eum judicium Pœnitentiæ ſuper hoc ſuſcipere, ut ſingulis annis quibus pœnitebit, tribus diebus & tribus noctibus continuis jejunet. Sic etiam is cui eſt unde alimoniam ſibi ſuppeditet, ſi accepit uxorem cujus fratres impii ſunt, & filiorum magna pars fr tribus matris ſimiles, ex eo vindicta ſumenda eſt, quia occaſionem dedit maliriæ filiorum ſuorum. De his omnibus dictum eſt Eccleſiaſtici 1. 15. Perverſum non poterit dirigi: Et, Oſeæ 5. 7. Quoniam filios alienos genuerunt.

ואם יאמר אדם מ׳ יום קודם יצירת הולד גוזרים לו איזה אשה יקח ומה פשע אם לקח אשה שאינה הוגנת לו והלא נגזר עליו א״כ לא יהיה אדם חייב על העריות אלא הרשות ביד כל אדם על העריות וכן על שכבת זרע שאדם מוציא בעבירה כששב יש לו להורות שישב בקרח במים לפי שאמרו כל האוחז באמה ומשתין כאילו מביא מבול לעולם או שמשים ידו על טבורו למטה כאילו שופך דמים שהרי דור המבול חטאו בשכבת זרע לכך נידונו ברותחין ואין לומר כיון שברותחין קלקלו ברותחין נדונו א״כ השב מאותו עון בן יעשה לו שכיון שמעצמו משים על לב ושואל תשובה אין להורות לו שימית עצמו וכתיב דרשוני וחיו אלא ישב במים קרים וגם לא ילך במסלולים שמביאים לחטא בנשים כי שחוק וקלות ראש מרגילין אדם לערות׃

Si quis objiciat quadraginta diebus ante Infantis formationem decretum eſt quamnam uxorem ſit accepturus. Quid igitur mali fecit ſi mulierem accepit non ſibi convenientem? Numquid hoc erat ſuper eo decretum? Si hoc ita ſe haberet, nemo obligaretur obſervare concubitus in lege prohibitos, ſed eſſet in uniuſcujuſque hominis facultate eos transgredi. Eadem ratio eſſet emiſſionis ſeminis quam homo cum peccato emittit. Cum Pęnitentiam agit, admonendus eſt ut ſedeat in glacie, & in aquis juxta rationem iſtius dicti vulgaris, qui prehendit virilia, & mingit, ſimilis eſt ei qui diluvium inducit in mundum: Aut qui manum ſuam imponit ſuper imas umbilici partes, ſimilis eſt ei qui ſanguinem effundit, eo quod in generatione quæ tempore diluvii vigebat prava ſeminis effuſione peccabant; ideo cum ſeveritate & ira judicati ſunt. Num dicendum eſt, cum furore rapti perversè egerint, cum ira quoque & furore judicati ſunt? Si ita eſt ei qui convertitur ab eadem iniquitate ſic fiet: Quia cum ſponte ſua movetur ad petendam Pœnitentiam, non eſt docendus quod ſeipſum occidat: Scriptum eſt enim quærite me & viveris, ſed jacebit in aquis frigidis. Neque etiam in loca oblectationum ibit quæ inducunt ad peccandum cum mulieribus, quoniam riſus & ſuperbia, leviſque capitis elatio hominem aſſueſaciunt ſcortationibus.

אם חטא בסתר שלא לפני אדם אלא אות אשה שחטא עמה יודעת בשעשה תשובה יש לו בחכמה לעשות שאותה אשה תדע שעושה תשובה ולא אחרים ולא ידבר עמה עוד ואם ידוע לרבים שחטא ידעו רבים בתשובתו ואם ידעו רבים שחטא ואין ידוע עם אותה אשה אל יודיע שם האשה ואם חטא עם שפחה ששומרת את התורה אין להם בושת הנה אמר בקרת תהיה היא לוקה והוא אינו לוקה לפי שכבר אמר בעבד עברי רבו מוסר לו שפחה כנענית לפיכך אחר שבא על שפחה כנענית אינו לוקה וכן יפת תואר התיר הכתוב בשלקחה הרי היא בידו ואינו לוקה שלא יאמר אחד מותר לכתחילה ואחר לוקח ועושה כענין הזה׃

Si peccavit in occulto, non autem in conſpectu hominum, & ea ſola mulier cum qua peccavit id noverit, quando Pęnitentiam agit, oportet ut prudenter procuret ut mulier illa hoc reſciat, non autem alii, nec amplius cum ea colloquatur. Si autem multi cognoverint peccatum ſuum, multi quoque Pęnitentiam ejus cognoſcant. Si verò multi cognoverint quod peccavit, ſed notum non ſit cum qua muliere, non declarabit nomen mulieris. Quod ſi peccavit cum ancilla quæ legem obſervabat, non ſit eis pudor. Dicitur enim Levit. 19. 20. animadverſio erit: illa ſcilicet flagellabitur, non autem iſte; Antea enim jam de ſervo Hebræo dixerat, Dominus ejus tradit ei ancillam Cananæam. Ideo qui rem habit cum ancilla Cananæa non vapulat. Sic etiam permittit ſcriptura mulierem captivam ſpecioſam in uxorem aſſumere: Hoc enim in illius eſt poteſtate nec ideo vapulat, ne quis dicat, unus liber eſt, & à pęna ſolutus ut in principio, & alter flagellatur, qui tamen rem eandem perpetravit.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google